UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies tertius et quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1866

urn:nbn:de:hbz:466:1-72907

Visual Library



ACTA

SANCTORUM



PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5.



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVI.

ACTA SANCTORUM

Ex Latinis et Græcis aliarumque gentium Monumentis, servatâ primigeniâ veterum Scriptorum phrasi

COLLECTA, DIGESTA, COMMENTARIISQUE ET OBSERVATIONIBUS

ILLUSTRATA A

C. SUYSKENO, C. BYEO, J. BUEO, J. GHESQUIERO

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

OCTOBRIS TOMUS SECUNDUS

QUO DIES TERTIUS ET QUARTUS CONTINENTUR.

01



PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1866

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

06
~~10~~
iOM
1040-50

P
10
16
9
4

GESAMTHOCHSCHULBIBLIOTHEK
PADERBORN
ÜF
11

76:1999



F. Wagenschön pinx: 1754. C.F. Fritzsch Sculp:

FERDINANDUS,

ARCHIDUX AUSTRIÆ etc. etc.

FERDINANDO

REGIO PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ, DALMATIÆ, HIEROSOLYMÆ,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, LIMBURGI, SILESIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, COMITI FLANDRIÆ, HANNONIÆ, NAMURCI, TYROLIS, GORITIÆ ETC.

Præclare nobiscum actum est, SERENISSIME ARCHIDUX, ex quo die Augustissimi Majores Tui elucubrationum nostrarum, quæ summa illorum erga nos humanitas fuit, munificentissimi Mæcenates fautoresque perpetui esse voluerunt. Enimvero, cum e Mæcenatum numero quivis unus suo id sibi jure vindicet, ususque ferat, ut quidquid clientis industria contentioque pepererit, suo id potissimum nomini inscribatur, eos nobis, qui triumphantis modo in cælis ecclesiæ præclare olim in terris gesta tractamus, non sine singulari divini Numinis munere Mæcenates obtigisse, facile perspicimus, quibus non communi illo dumtaxat atque vulgari nomine, sed singulari plane ac Augustissimæ Domui Austriacæ proprio, quidquid a nobis proficiscitur, debeamus. Multitudinem illam beneficiorum prope infinitam, quæ tum in nosmet ipsos, cum in minimam Societatem nostram universam Austriaci Cæsares Principesque effundere numquam destiterunt, neque libet hoc loci commemorare, nec, ut liberet, commemorandæ pares simus : alio hæc spectat oratio. Sic nimirum statuimus, Sanctorum gesta iis unice inscribi dicarique oportere, quibus illorum sit in pretio virtus, in amore gloria, imitatio cordi. Non omnibus eadem placent, et ut quisque afficitur animo, ita rebus ad ingenium suum accommodatis maxime delectatur; ut frustra simus, si laborum nostrorum fructum ab iis exspectemus, qui vitam agunt pietatis expertem, et quidquid Christianæ religionis aut vitæ sanctimoniam sapit, vel fastidiunt, vel irrident. At vero quotusquisque est, qui ignoret, ea pietatis perenni laude fulsisse Austriacos Principes, ea subjectis sibi populis orbique Catholico religione et incontaminatæ vitæ ac morum integritate præluxisse, ut tanto

uberiori virtutum Christianarum splendore terrarum orbem impleverint ac illustrarint, quanto illos illustriori inter mortales loco divina Pietas ac Providentia collocavit? Nota loquimur, SERENISSIME ARCHIDUX, nec est, cur adulationis notam formidemus. Satis sit e numerosa piissimorum Majorum Tuorum serie vel unius, qui suo Te sanguine, exemplo, atque ipso etiam nomine ad imitationem sui maxime invitat et provocat, Ferdinandi Imperatoris hujus nominis secundimeminisse; cujus ea fuit pietatis excellentia et magnitudo, ut, dum Orientis atque Occidentis imperium Constantinos, Hispania Ferdinandos, Gallia Ludovicos, Germania Henricos, Stephanos ac Ladislaos celebrabit Hungaria, habitura sit stirps Austriaca Ferdinandos, quos cum tanti nominis horoibus comparet. Liceat Rodulphos, Carolos, Leopoldos, liceat alios innumeros silentio præterire, quorum partam pietate gloriam nec invidorum obtrectatio minuet, nec annorum diuturnitas ulla abolebit. Sed illos majorum ætas tulit: habet et ætas nostra in hoc genere laudis, quos omnis olim posteritas suspiciat et admiretur. Præstantissimam illam et pene (sit verbo venia) divinam heroidem loquimur, MARIAM TERESIAM, Augustissimam Matrem Tuam, Romani Imperii decus et ornamentum; quam cum nominamus, mentem nostram omnis virtutis exemplar absolutissimum subit. Laudabunt alii invictam ejus fortitudinem animi, quam nec vis ulla umquam, neque sortis vicissitudo concussit; alii ingentia facta belli domique, quibus sempiternam sibi gloriam comparavit, et sexus sui conditionem longissime superavit; alii admirabilem rerum administrandarum peritiam, salutis publicæ sollicitudinem indefessam, amorem patriæ inexhaustum. Hæc, inquimus, et mille ejus generis alia scriptorum facundia et populorum grata memoria immortalitati consecrabunt. Quæ quamquam profecto magna ac illustria sint, nobis tamen præcipue admirationi erit rara illa et spectata per omnem vitam in Deum et Cælites pietas, qua toties non modo spectantium oculos, sed procul etiam absentium animos recreavit. In ore nobis perpetuo erit præclarum illud conservandæ ac propagandæ fidei studium, et ardor ille nobilis stirpitus exigendi, quidquid vel huic detrimentum, vel morum probitati contagionem possit afferre. Ea denique omnia satagentem summis in cælum laudibus extollere non desinemus, quibus illam non inani nomine REGINAM APOSTOLICAM salutari, vel ipsa, velit, nolit, fateatur invidia. Augustissimum Parentem Tuum FRANCISCUM I loquimur, quem rebus humanis ademptum boni omnes adhuc lugent et ingemiscunt: in quo, quamquam omnia summa fuerint, primas tamen mirum in modum pietas tenuit. Testem, si fas est, appellamus luctuosissimum illum diem, quo quidem Imperatorem Optimum Maximumque inter nuptiales apparatus et geniales plausus mortali hac luce mors inopinata privavit; sed insitæ pietatis fructu, a susceptis eodem die sacrosanctis Pœnitentiæ et Eucharistiæ (quod in tanta reipublicæ calamitate solatio fuit) Sacramentis ad ineundum æternitatis iter instructissimum paratissimumque privare non potuit: memorabili enimvero in tanto Principe exemplo, dignissimoque, quod summi pariter infimique præ oculis habeant, ac imitentur. Plura non addimus, SERENISSIME ARCHIDUX, ne nondum obductum satis, quod pectore adhuc alis, gravissimum vulnus refricare velle videamur; tum ne pietati seu Austriacæ seu Lotharingicæ, laudis nostræ haud indigæ, verbis nimium indisertis tenebras offundamus: non possumus tamen, quin, quod tomis superioribus propter insignem Majorum Tuorum in nos munificentiam frequenter alias et meritissimo fecimus, idem nunc quoque eorumdem pietatis causa faciamus, unde ista velut e fonte manavit. Æqui igitur bonique fac, SERENISSIME ARCHIDUX,

pietatis

pietatis perinde ac sanguinis utriusque Heres, Operis nostri tomum octavum supra quadragesimum, mensis Octobris secundum. Serenissimo Nomini Tuo, qua par est, animi veneratione inscribi; atque hunc sudoris nostri fœtum placido illo vultu, quo ad Te accedentes beare foles, excipe, tuere et fove. Exile equidem habes a tenuitate nostra munus; sed Austriaci pectoris est, etiam se minus digna non aspernari. Gratum Tibi fore confidimus, vel maxime; si id non tam nostrum, quam Augustissimæ Matris Tuæ, a qua nihil, nisi plane magnum ac eximium, proficiscitur, esse memineris. Quidquid id est, quod pedibus Tuis venerabundi sistimus, illius auspiciis inchoatum est atque perfectum, illius adornatum munificentia, illius denique nutu Tibi dicatum. Scimus, tantæ Matris, quam in oculis gestas, munus displicere non poterit. Sed, inquies, quæ hujus voluminis series, quod argumentum? Agnoscimus avitam juvenili in ætate pietatem Austriacam, suspicimus, et gratulamur. Rem paucis accipe. Per varias orbis regiones, Ægyptum, Syriam, Arabiam, Peloponesum, Palæstinam, Mesopotamiam, Mœsiam, Galliam, Belgium, Germaniam et Italiam longe lateque diffunditur. E Sanctis vero, quorum gesta complectitur, hi fere præcipui : *S. Dionysius* Alexandrinus episcopus, et *S. Ammon*, quorum ille fidei fuit propugnator acerrimus; alter Ægyptum diffusis late sanctitatis radiis illustravit; *S. Gerardus*, Broniensis abbas, qui plurima apud Belgas monasteria ad sanctioris vitæ normam revocavit; *S. Tyrsus et Socii* martyres, qui fuso pro Christo apud Treviros sanguine, immortale victrici fidei tropæum posuerunt; *S. Aurea* virgo, quæ Lutetiæ Parisiorum illibatæ castimoniæ signa extulit; *S. Magdalveus* Virodunensis episcopus, quo Lotharingia; ac in primis ætate quidem, at non meritis et sanctitate postremus, *S. Franciscus*, Ordinis Minorum conditor, quo gloriatur Italia. Ex his suo Te exemplo docebunt alii quidem honores, voluptates, opes, vitam denique ipsam nihili esse facienda, si sine crimine iis non licet, quod primum ac præcipuum hominis Christiani officium est. Docebunt alii, fidem, si jacet, erigere; si vacillet, sustinere; si ruinam minitetur, sartam tectamque tueri, quo Principi Catholico ad veram laudem accidere nihil gloriosius potest. Docebit *S. Franciscus Assisias*, pauper et humilis, nihil esse tam arduum, quo mens humana divino freta et roborata subsidio non possit eniti. Quem ille cum claritudinis, tum sanctimoniæ gradum attigerit, non facile dictu est. Sed vide, quæ fuerint utriusque initia. Puerilem ætatem pro conditione sua in deliciis egerat; paulo factus adultior, popularis famæ cupiditate incensus, arma meditabatur et castra : sed, quæ dexteræ Excelsi mutatio fuit, deposito non ita multo post perituræ gloriæ æstu, sui contemptor simul et victor ad divini nominis gloriam, omnes animi nervos ac robur transtulit, ad eaque reliquo vitæ cursu incubuit facinora, quibus summum inter Cœlites non perituræ gloriæ cumulum est consecutus. Tanti *Francisco* fuit magna mature molitum esse, suique victorem exstitisse. Haud equidem Te latet, SERENISSIME ARCHIDUX, quo hæc vergant. Ad magna et illustria natus es : generosos Tibi spiritus indidit Austriacus et Lotharingicus sanguis. Erit olim fortasse, ut Te triumphis nobilem læto sinu patria foveat, ac posteritas sera commendet. At interim certa Tibi patet arena pietatis, in qua triumphos de Te ipso vel in ipsa adolescentia colligas, et rerum majorum exordiare præludia. Hanc animosus ingredere, et Majorum Tuorum æmulus feliciter vince. Vinces vero certissime, si illorum vestigia premes, si sapientissimæ Matris consilia audies, si Augustissimos Serenissimosque Fratres Tuos atque Sorores intuebere. Verum quid Principi isthæc Austriaco, ad omnem virtutem facto, inculcamus? Quid sponte currenti stimulos admovemus

non

non necessarios? Nec enim progeniem umquam Aquilæ procrearunt Austriacæ avitæ virtutis laudisque degenerem. Felicem stirpem, cujus eo se latius pietas fundit, quo plures surculos gignit! Felices populos, qui ejusmodi Principibus parent, amore magis, quam potentiæ metu aut majestate imperii! Felices nos, quibus sub illorum alis delitescere, et rebus nostris, id est, Sanctorum gloriæ, licet esse intentis! Fortunet illis pietatem Deus et bonis omnibus cumulet : Te vero, SERENISSIME ARCHIDUX, Matris Augustissimæ solatio, Fratrum Sororumque delicio, Austriaci ac Lotharingici nominis splendori, patriæ saluti, Ecclesiæ præsidio salvum perpetuo velit atque incolumem, ac sero admodum virtutem Tuam beatæ immortalitatis mercede compenset. Hæc vota nostra, quibus ut aspirent Cœlites, Deus annuat, omnibus precibus petere non desinemus.

SERENISSIME ARCHIDUX
SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotissimi Clientes

CONSTANTINUS SUYSKENUS
CORNELIUS BYEUS
JACOBUS BUEUS
JOSEPHUS GHESQUIERUS
SOCIETATIS JESU.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SYNOPSIS

TOMI SECUNDI

DE ACTIS SANCTORUM

OCTOBRIS.

Tomus hic, totius Operis octavus supra quadragesimum, non nisi duos dies, tertium scilicet quartumque, percurrens, Sanctos Beatosque nominatim recenset quadraginta et octo, de quibus in quatuor classes distributis, eo, quo occurrunt, ordine quædam de more hic præmittimus.

EX STATU ECCLESIASTICO.

In hac classe primus est *Dionysius,* qui sæculo III Alexandrinam in Ægypto ecclesiam rexit, sanctitate, eruditione, rebusque adversus hæreticos gestis, toleratisque sub ethnicis ærumnis clarus, tandemque in sede sua in pace mortuus. Amplum de illo scripsimus Commentarium historicum, in quo ejus gesta collecta et ad chronotaxim reducta sunt, et de ejusdem Operibus actum est. Eadem occasione egimus ibidem de *Fausto, Caio, Petro, Paulo,* aliisque quatuor anonymis ejusdem e clero sociis, quos aliquot Fasti sacri, veluti cum illo coronatos martyrio non recte memorant. Alterum Catholicæ fidei illustrem confessorem sæculo V habuit Africa, *Maximianum* episcopum Bagaiensem, a Donatistis propterea dira passum; verum hujus gesta pauca nota sunt, nec par meritis cultus est. Non multa etiam novimus e gestis *Cypriani,* sæculo VI Telonensis in Provincia Galliæ episcopi et confessoris, quem libri I Vitæ S. Cæsarii Arelatensis auctorem putamus. Obscura sunt præter cultum omnia de *Patusio,* sæculo VII vel VIII Meldensi in Gallia electo episcopo, sed ante consecrationem mortuo. Incertum est, an *Lucius* presbyter, et *Chæremon* diaconus cum aliquot anonymis, prædicti *Dionysii* Alexandrini in confessione socii, obierint martyres, an confessores. *Marsus* presbyter, a Sixto II Papa in Gallias missus, Christum Autissiodorensibus prædicavit, apud quos colitur, ac præterea Essendiæ in Westphalia, ubi potior illius corporis pars in illustrissimi virginum collegii ecclesia quiescit. *Petronii,* sæculo V Bononiensis in Italia episcopi, geminam Vitam exhibemus, alteram, non ante annum MCXLI ab anonymo scriptam; alteram breviorem multoque recentiorem, a Petro Galesinio. His subjicimus Inventionem reliquiarum, per anonymum sæculi XII, rei gestæ spectatorem. In Commentario prævio multa illustranda fuere de hujus insignis Præsulis gestis cultuque, quem Benedictus XIV Papa etiam auxit, ejusdem capite donato ecclesiæ illi dicatæ. *Petrum,* in Romano Martyrologio velut episcopum martyrem Damasci annuntiatum, ostendimus esse metropolitam Damascenum, qui a Valid Arabum principe mulctatus lingua, anno DCCXLIII in Arabia Felice obiit; nec forte diversus est a *Petro Capitolio,* eodem die alibi memorato. *Magdalveum,* cujus nomen varie scriptum legitur, sæculo VIII strenuum episcopum habuit ecclesia Virodunensis in Lotharingia. Compendium vitæ ipsius sæculo X a Berchario concinnatum insertum habes in Commentario prævio, in quo gesta ejus tam ante, quam post episcopatum, obitusque, sepultura et cultus exposita sunt, et ad chronotaxim relata. Dedimus etiam ejusdem Vitam longiorem, auctore Hugone Flaviniacensi.

EX STATU MONASTICO.

Celebratus S. Hieronymo, Sozomeno ac Nicephoro *Hesychius,* S. Hilarionis discipulus, in hac classe primus occurrit. Hunc et ab Hesychio, uno vel gemino, in Menæis Græcis alibi laudato, et ab Isicio Toletanorum episcoporum catalogis inserto, diversum esse, observamus, gesta vero illius ex S. Hieronymo accepta in ordinem chronologicum redigimus. Monachis accensendi videntur (non tamen certo Benedictinis) duo *Ewaldi,* patria Angli, gradu presbyteri, qui ad prædicandum Euangelium in Antiquam Saxoniam profecti, ibidem ab ethnicis occisi sunt. Illorum Passionem ex venerabili Beda damus; pseudo-Marcellini de iis commenta refellimus; in eorumdem obscurum martyrii (anno DCXCV verisimilius illigandi) locum inquirimus; Coloniensium de advectis adverso Rheno corporibus traditioni non possumus consentire; eorumdem translationem a Pippino Heristallo, atque alteram ab Annone Coloniensi archiepiscopo factas, concessasque aliis locis reliquias exponimus. De *Uthone,* Mettensis, seu Metamnensis in Bavaria monasterii sæculo VIII ac IX structore et abbate, pauca novimus; damus tamen brevia illius Acta per anonymum non vetustum. *Jovini,* vel *Juvini,* qui (forte sæculo IX) post fidelem domino suo famulatum eremiticam in Campania Gallica vitam duxisse creditur, cultum probamus, Vitam vero non nisi sublestæ fidei auctore anonymo edimus. Multo plura certioraque diximus de *Gerardo,* monasterii Broniensis in Namurcensi Belgii comitatu sæculo X fundatore, qui genere gestisque muneribus clarus, ut cælestibus pareret monitis, Broniensem ecclesiam instauravit, monachum Parisiis induit, indeque reversus presbyter, prædicto suo monasterio abbas præfuit, multaque etiam alia reformanda suscepit. Vitæ, quam exhibemus ex Mabillonio, auctorem credimus monachum Broniensem ante medium sæculum XI, cui altera præluxerit. *Ammon,* seu *Amos,* Ægyptius, compulsus ad nuptias, cum consentiente uxore aliquo tempore continens vixit; deinde in montem Nitriensem secedens, prima in eo monasteria erexit, miraculis, etiam dum vixit, clarus

clarus, magnoque Antonio familiaris. Gesta illius recudimus ex Historia Lausiaca Palladii. Tomum claudunt Acta *Francisci* Assisiatis, Ordinis Minorum fundatoris, cujus Vitas quatuor damus, et harum tres ex Mss. nostris, hactenus ineditas. Primam ante annum MCCXXX scripsit ejus discipulus, Thomas Celanensis; secundam post dictum annum anonymus, forte Ceperanensis, quam Commentario prævio membratim inseruimus, tertiam circa annum MCCXLVI tres ejusdem Sancti socii, Leo, Angelus et Ruffinus; quartam denique S. Bonaventura, circa annum MCCLXI, quam ex editione Sedulii (resectis paucis, quæ Bonaventuræ non esse, constabat) cum aliis editionibus, nostroque Ms. codice contulimus. Quia vero ad certiorem fidem faciendam in Commentario prævio istas fere solas Vitas illustrandas suscepimus, nec ultra, quam illæ, progressi fuimus, adjecimus Appendicem de gloria posthuma, et Analecta, in quibus de ejusdem gestis a Waddingo in Annales aliunde relatis disseruimus· atque inter hæc de vere meritoque celeberrima Indulgentia Portiunculana, deque controverso *Francisci* corporis statu, ac paucis etiam de illius Opusculis. At sacra ipsius stigmata, quæ in supra dictis Vitis leguntur, in Commentario prævio luce clarius probata invenies.

EX STATU SÆCULARI.

Ex Martyrologiis die III recensemus martyres, *Theogenem,* aut *Theugenium* vel *Theagenem,* passum Antiochiæ; *Victorem, Urbanum* et *Sapargum* in Africa; *Amponum* aut *Amponium* et *Castum* ignoto loco; *Candidum* vel *Candidam* Romæ. Diem IV auspicamur cum *Crispo* et *Caio,* ab apostolo Paulo baptizatis Corinthi, quorum priorem in eadem civitate archisynagogum fuisse putamus, at non episcopum Æginensem; Caium autem verisimillime eumdem esse, quem idem Apostolus ad Rom. 16 laudavit; sed diversum a Caio Macedone, de quo Lucas in Act. Apost. 19. Ex martyribus Trevirensibus duos manipulos memoramus, *Tyrsum* cum Sociis anonymis, et *Bonifacium* pariter cum suis. Priorum Acta per anonymum, quæ eorumdem etiam Inventionem ac quædam miracula continent, recudimus ex editione illustriss. Honthemii, subdimusque Appendicem de cultu *Bonifacii* ac Sociorum, de quibus nulla exstat in præmissis Actis mentio. Porro multa tam de his, quam de illis, eaque occasione de ceteris quoque eo loci sub Rictio Varo martyribus in Commmentario disputanda fuere, ex quibus conclusimus, admitti quidem posse sub illo præside multitudinem martyrum Treviris, non tamen omnia, quæ in reperta de iis tabula legere est; posse etiam hodiernos e Legione Thebæa fuisse, ac sub finem sæculi III passos. Actum quoque ibidem est de eorumdem cultu et reliquiis. *Marcum* et *Marcianum* in Ægypto coronatos martyres docent Martyrologia, quorum aliquot ex Historia Ecclesiastica Eusebiana innumeros socios illis adjungunt. Horum omnium martyrium ad annum CCCIV et aliquot sequentes referimus. Ex Græcorum Fastis etiam innotuerunt *Adauctus* ejusque filia *Callithene,* ob cujus servatam virginitatem ille in Mesopotamiam relegatus martyr occubuit; hæc cum istius corpore Ephesum redux, in pace virgo quievit. *Dasium* quoque Axiopoli in Mœsia Inferiori, *Marusium, Restitutum,* ac forte *Julium,* Carthagine in Africa, præterea memorant antiqua Martyrologia *Quintinum* colunt Turonenses in Gallia, apud quos castitatis suæ causa trucidatus perhibetur.

EX SEXU FEMINEO.

Præter *Callisthenen* virginem, ac forte *Candidam* martyrem, jam supra memoratas, occurrit *Romana* virgo, Bellovaci (probabilius sub Diocletiano et Maximiano) passa. Acta hujus sæculo XI scripta exiguæ esse possunt pro gestis auctoritatis, secus, ubi secundam corporis translationem enarrant. Obscura pariter sunt *Mennæ,* seu *Mannæ* virginis in Lotharingia cultæ Acta, quod auctorem non satis antiquum habeant. *Domnina,* ejusque filiæ *Berinna,* seu *Berenice,* et *Prosdoce,* Syræ, cum martyrii laurea annuntiantur, quia in persecutione Diocletianæa, dum e spontaneo exsilio retrahuntur, mirabili exemplo maluerunt sponte sua aquis suffocari, quam fidei et pudicitiæ suæ subire periculum. Illas S. Chrysostomus in binis Homiliis laudavit, quarum prolixiorem recudimus. Plura diximus de *Aurea* virgine, quam S. Eligius suo Parisiensi parthenoni abbatissam præfecit, probabilius sub Regula S. Columbani. Hac occasione (quod a Majoribus nostris fuerat promissum) pluribus ibi etiam egimus de ejusdem monasterii vicissitudinibus; Acta vero *Aureæ,* nimis sublestæ fidei, prætermisimus.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ,

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, et 19 Julii 1694, Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi typographos et bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere, et vendere possint libros et Opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet : cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Laurentio Ricci, concedo Petro Joanni vander Plassche *facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum Opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum; videlicet, Tomum secundum de Actis Sanctorum Octobris, collectis et illustratis a Constantino Suyskeno, Cornelio Byeo, Jacobo Bueo, et Josepho Ghesquiero, Societatis nostræ presbyteris Theologis. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ 9 Julii 1768.*

PETRUS WAUTYER.

SUMMA PRIVILEGII REGII.

Cæsareæ et Regiæ Apostolicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Constantini Suyskeni e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat : qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis die XXVI Septembris anno MDCCLIII.

Signat J. H. HENRICY.

Et ego Constantinus Suyskens Societatis Jesu permitto Petro Joanni vander Plassche, ut Tomum secundum de Actis Sanctorum Octobris, nostro permissu apud ipsum impressum, publicet. Datum Antverpiæ 9 Julii 1768.

APPROBATIO

APPROBATIO ORDINARII.

Examine prævio, prodit Tomus secundus Octobris, continens tertium et quartum dies dicti mensis, auctoribus RR. PP. Constantino Suyskeno, Cornelio Byeo, Jacobo Bueo et Josepho Ghesquiero, Societatis Jesu presbyteris, in quo præcipuam partem habet Vita S. Francisci, cujus maximam sanctitatem invicte probant Historici coævi et suppar S. Bonaventura, non item illi, qui postea Historias, Revelationes et Visiones in publicum dederunt, in quibus varia sanctissimo Viro injuriosa et inter se pugnantia conspiciuntur. Si alicubi, maxime hic meminisse oportet Protestationis, quam præmittere solent scriptores Hagiographi : neque suis, aliorumve relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ ab hominibus errori obnoxiis scriptæ. *Hæc præsertim pro acatholicis, in quorum Bibliothecis hoc Opus de Actis Sanctorum locum obtinet, ut calumniari desinant, quasi ab Ecclesia Catholica cæco zelo adoptentur, quæcumque in laudem Sanctorum scripta reperiuntur, nam in iis, quæ non sunt Fidei Catholicæ, unicuique fideli omnimoda libertas est sentiendi ea, ad quæ rationis pondus magis inclinat : neque contrariam Ecclesiæ praxim evincent ex eo, quod indiscretos aliquando audiant concionatores, qui directe impingunt in expressam Superiorum Instructionem, qua cavetur, ne apocryphis historiis et fabulis utantur, ne Miracula et Indulgentias, nisi prævia approbatione Ordinarii promulgent et de ejus licentia publicent : tantum abest, similes abusus Ecclesiæ imputari posse, ut potius clare pateat, Ecclesiam illos detestari. Neque objiciant praxim Fidelium toto orbe frequentantium Indulgentiam Portiunculæ, ut vocant, quia constat, quod Ecclesia illam concesserit et extenderit ad omnes ecclesias Ordinis S. Francisci, quam independenter a veritate Historiæ concessionis immediatæ a Christo Domino lucrantur tam illi, qui Historiam rejiciunt, quam ii, qui illam ut genuinam admittunt. Cavendum interim hujus Indulgentiæ prærogativas indiscrete extollere supra alias Indulgentias Plenarias, ne perditæ vitæ homines, neglecto de Confessione et Communione annua Ecclesiæ præcepto, conversionem suam temeraria prorsus fiducia differant ad tempus Indulgentiæ Portiunculanæ, quales se plures novisse asserit Waddingus. Nec est, quod acatholicos offendere possint imagines et Historia de continuo miraculo corporis S. Francisci incorrupti et viventis instar consistentis suis sine fulcro innixi pedibus, cum de illius miraculi veritate non tantum inter Catholicos, sed et inter ipsos S. Francisci Alumnos sit controversia, quæ facile dirimi posset et deberet per inspectionem, ad quam se obtulit hujus Vitæ Auctor cum socio a paucis annis Romæ existens, unice ad explorandam veritatem, et ad majorem Dei, qui est mirabilis in Sanctis suis, gloriam manifestandam. Si forte inhibitiones aliquæ obstitissent, amoveri poterant eadem, qua factæ sunt, auctoritate, supplicantibus RR. PP. Conventualibus (in quorum ecclesia subterranea prope Assisium perseverare fertur dictum miraculum) summo Pontifici, qui haud dubie gratiose annuisset, probe sciens, honorificum esse opera Dei revelare et confiteri. Datum Antverpiæ 9 Julii* 1768.

J. F. De Bruyn S. T. L. Seminarii Episcopalis Præses, Cathed. Ecclesiæ B. M. V. Canonicus grad., Archi-Presbyter, Examinator Synodalis, librorum Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod identidem protestati sunt decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve hic relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc secundum tomum Octobris denuo protestamur.

INDEX

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX SANCTORUM

IN TOMUM II OCTOBRIS

A

4 Adauctus martyr in Mesopotamia, ejusque filia Callisthene virg. Ephesi. Sylloge 353

4 Ammon seu Ammun Ægyptius in Nitria. Comm. Præv. § 1. Eremi Nitriensis notitia, Ammonis in Fastis sacris memoria, Vita edendat 360. § II. Sancti natales, nuptiæ, castitas in matrimonio, et an ab ipso hujus initio in solitudinem Nitriæ secesserit 361. § III. Sanctus in montem Nitriæ secedit, monasteria in hoc primus exstruxit, discipulos acquirit, edit miracula, S. Antonio utitur familiariter 362. § IV. Sanctus e vivis excedit; tempus, quo hoc evenerit, aliaque nonnulla ad Ammonem pertinentia exponuntur 364. Vita, *auctore Palladio, ex Historia Lausiaca apud Rosweydum cap.* 8 366

3 Amponus vel Amponius cum Felice *etc.* Vide *Felix.*

4 Aurea virg. abbatissa Parisiis in Francia. Comm. Præv. § 1. Sanctæ in Martyrologiis annuntiatio : ejus cultus et Officium Ecclesiasticum, Actorum notitia, eorumque sublesta fides 409. § II. Sanctæ patria, parentes, monastica præfectura, probabilius sub Regula S. Columbani gesta 412. § III. An alia Mabillonii sententia, secundum quam S. Aurea monialis Benedictina proprie dicta ab eo statuitur, sat firmis testimoniis nitatur; et an monachi Benedictini simul cum monialibus in S. Aureæ parthenonem a S. Eligio introducti fuerint 413. § IV. S. Aureæ instans obitus prænuntiatus, ejus mors, sepultura, corporis translationes, lipsanotheca 419. § V. Cur de Eligiani monasterii Parisiensis statu et vicissitudinibus hic agatur : an diversum non fuerit a monasterio Christivili : quando et qua ratione jure beneficiario episcopo Parisiensi traditum : cur inde tandem moniales expulsæ 421. § VI. Eligianus parthenon a Fossatensibus, tamquam minus cononice sibi traditus, Parisiensi episcopo dimittitur : denuo iis redditur : unitur epicopatui Parisiensi : monachis in eo substituti presbyteri seculares, atque his tandem clerici Regulares, dicti Barnabitæ 424

B

4 Berinna seu Berenice cum Domnina *etc.* Vide *Domnina.*

4 Bonifacius cum Tyrso etc. Vide *Tyrsus.*

C

4 Cajus cum Crispo. Vide *Cryspus.*

3 Caius cum Dionysio etc. Vide *Dionysius.*

4 Callisthene cum Adaucto. Vide *Adauctus.*

3 Candidus vel Candida M. Romæ. Sylloge 23

3 Castus cum Felice etc. Vide *Felix.*

4 Chræremon cum Lucio. Vide *Lucius.*

4 Crispus et Caius Corinthi. Sylloge. Sanctorum memoria in Martyrologiis classicis; unde hæc hausta sit, et an Caius noster a Caio Macedone, de quo in Apostolorum Actis capite decimo nono, et Caio, ad quem Joannes Apostolus tertiam suam scripsit epistolam, sit diversus 288

3 Cyprianus ep. conf. Telone in Provincia Galliæ. Comm. Hist. Crit. § 1. Loci notitia, Sancti in Martyrologiis memoria, cultus et Officium Ecclesiasticum 153. § II. Inquiritur de Sancti patria et nobili stemmate 158. § III. Series chronologico-historica rerum a Sancto gestarum usque ad episcopatum 160. § IV. Prosecutio ejusdem seriei chronologico-historicæ, in qua præsertim concilia, quibus Sanctus interfuit et subscripsit, recensentur 162. § V. Altera ejusdem seriei prosecutio, in qua liber prior Vitæ S. Cæsarii Cypriano Telonensi episcopo adjudicatur 164. § VI. Ultima seriei chronologico-historicæ pars, in qua tempus et genus mortis S. Cypriani examinatur 166

D

4 Dasius Axiopoli in Mœsia inferiori. Ex Hieronymianis aliisque 358

3 Dionysius epis. Alexand., Faustus M., Caius, Petrus, Paulus et quatuor alii, Alexandriæ et forte alibi in Ægypto. Comm. Hist. § 1. S. Dionysius, ep. Alexandrinus, cur hodie detur; sanctorum Sociorum ejus in Fastis sacris memoria, locus et tempus felicis e vita excessus 26. § II. S. Dionysii memoria in Fastis sacris, cultus Ecclesiasticus, generis nobilitas, regio natalis 37. § III. Sancti conversio ad fidem, professio, presbyteratus dignitas, et an ante episcopatum maritatus exstiterit 33. § IV. Sancti ad episcopatum Alexandrinum promotio, hujusque epocha, persecutio Alexandriæ in Christianos, mota a plebe, ac deinde altera a Decio 34. § V. Quid Dionysius in persecutione Decii passus fuerit et quæ fit Taposiris, ad quam tunc ductus sit 36. § VI. Dionysii ad Domitium et Didymum epistola, et an hæc sub Valeriano, an sub Decio, scripta sit 38. § VII. Dionysius Novatiani schisma Romæ exortum conatur exstinguere, huncque in finem varias scribit litteras 41. § VIII. Lapsorum in persecutione Decii multitudo, et quid in horum causa Dionysius statuerit 44. § IX. Scribit ad Fabium, Antiochenum episcopum, eumque a Novatiani de lapsis opinione conatur avertere 46. § X. Controversia de rebaptizandis hæreticis inter S. Cyprianum et S. Stephanum Papam exorta, Dionysius paci in Ecclesia servandæ dat operam, variasque hunc in finem scribit epistolas 48. § XI. An Dionysius in Cypriani de rebaptizandis hæreticis dogma certo consenserit 51. § XII. Valerianus persecutionem in Christianos suscitat; quo anno hæc cœpta sit, et quid in ea Dionysius pertulerit 53. § XIII. Dionysius famam suam tuetur, gregisque sui curam, etiam absens, gerit 57. § XIV. Sabellianorum hæresi sese opponit; sequioris doctrinæ apud Dionysium, Romanum Pontificem, insimulatur, sitque ab hoc rei, cujus accusatur, per epistolam certior 59. § XV. Advervus Pentapolitanorum accusationes, variis scriptis ad Dionysium Romanum Pontificem Opusculis, sese tuetur 62. § XVI. An Dionysius erroris circa sanctissimam Trinitatem a Pentapolitanis merito insimulatus fuerit 64. § XVII. An Dionysius merito dici queat Arianorum præformasse errores. § XVIII. Dionysius Arianorum errores non præformasse aliis adhuc rationibus ostenditur 73. § XIX. Tria S. Basilii de Dionysio Alexandrino asserta, et quid de horum altero sentiendum sit 74. § XX. Duo alia Basilii de Dionysio asserta expenduntur 78. § XXI. Annus, quo Valerianus a Persis captus fuerit, disquiritur, sicque via ad reliquas Dionysii res gestas chronologice ordinandas aperitur 80. § XXII. An Dionysius statim post Valeriani captivitatem Alexandriam sit reversus 84. § XXIII. Dionysius, occiso Macriano ejusque filiis, Alexandriam revertitur, gnavique pastoris partes obit 86. § XXIV. Nova Alexandriæ oritur seditio cum bello, ac deinde pestis : Sancti de his litteræ Paschales 90. § XXV. Dionysius ad concilium Antiochiæ contra Paulum Samosatenum celebrandum invitatur, dumque hoc celebratur, extremum diem obit 92. § XXVI. In annum et diem, quo Dionysius e vivis excesserit, inquiritur

quiritur 98. § XXVII. Brevis rerum ad Dionysium spectantium anacephalæosis chronologice ordinata 100. APPENDIX de Sancti Operibus, quorum ignoratur epocha, simulque de iis, quæ an Dionysii certo sint, non constat. CAP. I. Duo de Promissionibus libri, resque in his a Sancto tractatæ 102. Cap. II. De Dionysii ad Basilidem, Pentapolitanum episcopum, epistolis, ac præcipue de illius ad hunc epistola, in quatuor capita divsa, quæ in sacros canones a Græcis sunt relata 103. CAP. III. De duabus Dionysii epistolis, altera ad Theotecnum, altera ad Origenem data, et an hunc Sanctus calamo umquam impugnarit 109. CAP. IV. An Sanctus concinnarit Scholia in Opera, quæ sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur 111. CAP. V. De duabus ad Paulum Samosatenum epistolis, Dionysii nomiue vulgatis deque binis argumentis, quibus has Dionysii non esse, quidam contendunt 116. CAP. VI. De reliquis argumentis, quæ pro duabus ad Samosatenum epistolis Dionysio adjudicandis faciunt; et an ex hypothesi, quod hæ nihilominus Sanctum habeant auctorem, altera non distinguatur ab epistola ad ecclesiam Antiochenam ab eo scripta 119. CAP. VII. De nonnullis Opusculis, Dionysio vel vere vel falso adscriptis 122. CAP. VIII. De Sancti ad Dionysium Romanum de Luciano epistola, hujusque occasione nonnulla adhuc de quibusdam Dionysii opinionibus seu dogmatibus observantur 123

4 Domnina, Berinna, seu Berenice et Prosdoce MM. in Syria. COMM. PRÆV. § I. Memoria in Fastis sacris, cultus Ecclesiasticus; an sanctis Martyribus accensendæ, et quæ sint earum Acta 343. § II. A quibus sanctis mulieribus distinguantur, et a quibus non distinguantur Domnina ejusque filiæ 346. § III. Tempus, locus, aliaqne martyrii seu obitus adjuncta 348. HOMILIA *S. Joannis Chrysostomi, presbyteri Antiocheni, dein episcopi Constantinopolitani, de SS. Domnina, Berinna seu Berenice et Prosdoce MM.*

E

5 Ewaldi duo presbyteri MM. in Antiqua Saxonia. COMM. PRÆV. § I. Antiquæ Saxoniæ, in qua Sancti passi sunt, notitia, varia nominis eorum efformatio, memoria in Fastis sacris, cultus Ecclesiasticus, Passio edenda 168. § II. An Sancti sint ex XI apostolicis viris, eum S. Willibrordo Euangelii prædicandi ergo ex Hibernia in Frisiam profectis, et an monachi ex Ordine S. Benedicti exstiterint 171. § III. Quædam pseudo-Marcellini de Sanctis commenta, et an hi in vico Larensi passi sint, fidemque prædicarint 174. § IV. De Sanctorum palæstra tractatur ulterius, hancque nec vico Appellerbecano, nec alteri definito loco indubie posse affigi, ostenditur 177. § V. Tempus, quo Sancti martyrio coronati sint, et an horum interfectorum corpora Coloniam usque adverso Rheno sint devecta 181. § VI. Corpora a Pipino ac deinde ab Annone Coloniensi archiepiscopo translata 183. § VII. Sanctorum capita Monasteriensibus concessa, parsque alia reliquiarum S. Norberto 187. PASSIO, *auctore sancto ac venerabili Beda, ex Historiæ Anglicanæ Ecclesiasticæ Parisiis anno* 1681 *editæ lib.* V, *cap.* XI 189

F

5 Faustus cum Dionysio etc. Vide *Dionysius*.

5 Felix, Amponus vel Amponius et Castus MM. *Ex Martyrologiis*.

4 Franciscus Conf. fundator Ordinis Minorum, Assisii in Umbria. COMM. PRÆV. § I. Scriptores præcipui, qui de S. Francisco egerunt, quorum postremus S. Bonaventura : Vitæ hic edendæ cum Supplementis 469 § II. Quid censendum sit de Speculo vitæ S. Francisci, sæpius varie edito, et apud nos Ms., scriptores alii, qui de eodem Sancto egerunt, antiqui et recentiores 473. § III. S. Francisci, cujus Ordo prædictus creditur, ortus, patria, parentes, nomen in baptismo impositum, deinde mutatum 477. § IV. Sancti pueritia, adolescentia et juventus : propositum non negandi stipem pauperibus, annua detentio in carcere Perusino 481. § V. Francisci ad meliora conversio per morbum inchoata, et variis modis paulatim promota 484. § VI. Perfecta Francisci conversio, et certamina cum patre, cui tandem coram episcopo omnia bona, ipsaque vestimenta cedit 487. § VII. Chronotaxis conversionis, abdicationis omnium rerum coram episcopo, ac mutati postea habitus, congregationis primorum sociorum, et Ordinis ab Innocentio III approbati 490. § VIII. Gesta Sancti a bonorum abdicatione usque ad habitum mutatum, sive annorum 1207, et 1208, ac partim anni 1209 494. § IX. Primorum trium sociorum ad S. Franciscum accessio, ejusdemque cum B. Ægidio excursio in Marchiam Anconitanam 497. § X. Quatuor aliorum sociorum ad S. Franciscum accessus, qui illos instruit, et binos in varias regiones mittit : brevi tamen post omnes ad S. Mariam in Portiuncula redeunt, et rursus aliorum quatuor accessu, una cum Sancto, fiunt duodecim 500. § XI. Aliquot sociorum virtutes : Sanctus scribit Regulam, pro cujus approbatione cum omnibus undecim sociis Romam proficiscitur, et eam cum facultate prædicandi ab Innocentio III obtinet 503. § XII. Francisci et sociorum discessus Roma : cibus illis in via mirabiliter datus : commoratio in loco deserto prope Hortanum, deinde apud Rivum-tortum prope Assisium : reditus ad Portiunculam, et concessa ipsi ecclesia : aliqua gesta ibidem 507. § XIII. Cura paupertatis servandæ, vitæ austeritas, humilitas, aliæque Sancti virtutes : S. Claræ anno 1212 ad strictiorem vitam conversio, ejusque Ordo inchoatus : primum Ordinus Minorum capitulum : iter in Syriam ab illo frustra meri tentatum 512. § XIV. Sanctus in Africam trajecturus, morbo in Hispania impeditus, redit ad Portiunculam, ubi plures in socios admittit : causam sui Ordinis agit in concilio Lateranensi : anno 1215 celebrat comitia : Romæ contrahit amicitiam cum S. Dominico 516. § XV. Mors Cardinalis de S. Paulo : inchoata Sancti amicitia cum Cardinale Hugolino, postea primo Ordinis protectore : Sancti in comitis annuis præsentia : celebria comitia anni 1219 : an hæc sint capitulum Storearum, cui ulta quinque millia interfuere 519. § XVI. Iter S. Francisci in Syriam et Ægyptum : clades ab eo prædicta Christianis ante Damiatam : accessus ad Soldanum Ægypti, gestaque cum eo : fabulosa quædam a recentioribus addita 523. § XVII. Nonnulli in Ægypto aut Palæstina Minorum Ordini aggregati : ejusdem Ordinis elogium : S. Francisci reditus in Europam : comitia anno 1220 de more habita 528. § XVIII. Mirabilia incerti temporis : mansuetudo Sancti in animantia rationis expertia; horum in ipsum reverentia : fructus prædicationis illius : miracula in vita : amor solitudinis et orationis : conflictus cum dæmone : prædicatio coram Honorio III Papa 532. § XIX. Sancti misericordia et liberalitas in pauperes : tener affectus erga bruta animantia, maxime erga agnos : Deum in omnibus creatis contemplatur : nomen Domini pio affectu mire veneratur 536. § XX. Comitia generalis anno 1221 de more celebrata : an ex his denuo tentata missio Germanica? Tertius Ordo institutus, scriptaque pro hoc a S. Francisco Regula, non a Nicolao IV PP. Alia quædam ad annos 1221 et 1222 a Waddingo relata, alibi danda 539. § XXI. S. Franciscus Regulam compendiosorum facit in monte, Spiritu Sancto inspirante : varia hujus historiæ adjuncta a nonnullis tradita, sed non omnia satis firma 543. § XXII. S. Franciscus Regulæ suæ confirmationem anno 1223 ab Honorio III obtinet ; coram Pontifice concionatur : protectorem Ordinis ab eodem impetrat :

impetrat : aliæ ejusdem Pontificis litteræ in favorem Ordinis datæ 546. § XXIII. Sanctus Nativitatem Domini peculiari modo celebrat, et Euangelium cantat : ex quo tempore videatur diaconatu initiatus fuisse : anno 1224 habet comitia generalia, in quibus intermissam missionem Germanicam feliciter instaurat : secedit in montem Alvernum 550. § XXIV. Eodem anno 1224 in eodem monte Alverno quinque sacris stigmatibus insignitur 553. § XXV. Eadem sacra stigmata duorum synchronorum Pontificum, Gregorii IX et Alexandri IV, litteris Apostolicis asserta et vendicata : tempus, quo illa S. Francisco impressa fuere 558. § XXVI. Postremo vitæ biennio morbis affligitur : asello circumvectus prædicat : curandi oculos gratia Reate defertur : sed malum augetur. An tunc denuo prædicaverit, et revectus Assisium sit 562. § XXVII. In agro Senensi gravius ægrotans, defertur ad Cellam Cortonensem, atque hinc Assisium, ubi in palatio episcopali decumbit : transfertur ad ædem Portiunculæ : condit testamentum : Jacobæ de Septemsoliis accessus ad ipsum expenditur 563. § XXVIII. Ultima S. Francisci gesta et beatus obitus : trina illius mox post mortem apparitio : litteræ Eliæ de ejusdem obitu ad Minores in Francia 568. § XXIX. Assignantur annus, diesque mensis ac hebdomadæ, et ætas, qua Sanctus obiit : alaudæ sacro funeri applaudunt : accurrunt Assisienses : corpus, dum fertur Assisium, S. Claræ et Sociabus ejus ostenditur : Assisii in ecclesia S. Georgii tumulatur 571. § XXX. Gregorius IX Papa inquiri jubet in gesta et miracula Francisci : canonizationem decernit Perusii et solenniter exsequitur Assisii, diemque festum annum incidit : Litteræ hac super re ab eodem datæ 574. § XXXI. Destinatur locus ecclesiæ ædificandæ, in quam Sancti corpus erat transferendum : Gregorius IX Papa fabricam plurimum promovet; primum ejusdem lapidem jacit, eamdemque privilegiis exornat 575. § XXXII. Sancti corpus ad novam basilicam solenniter translatum : translatio turbata ab Assisiatibus, quos Pontifex pœnis minisque ad officium revocavit 580. VITA PRIMA INEDITA, *auctore Thoma de Celano, Sancti discipulo. Ex codice Ms. Longipontis Ord. Cisterciensis.* PROLOGUS 585. LIBER I. De gestis Sancti usque ad penultimum vitæ annum. CAP. I. Francisci vita sæcularis et libera : conversio ejus ad pietatem miris modis promota 585. CAP. II. Prosecutio conversionis : certamina Sancti cum patre, cui omnia abdicat, etiam vestimenta 585. CAP. III. Sanctus patitur a latronibus : servit in culina monasterii : vestem accipit Eugubii : inservit leprosis : rediens Assisium, mendicando tres reparat ecclesias, auditisque Euangelii verbis, durum magis assumit haqitum 587. CAP. IV. Sanctus pœnitentiam prædicare incipit : primorum sociorum accessus : monita eis data : aliorum accessus, quo universi fiunt numero duodecim 588. CAP. V. Ordo S. Francisci ab Innocentio III approbatus : cibus ei sociisque in loco deserto allatus : multa de Sancto ejusque primis sociis 590. CAP. VI. Habitatio S. Francisci in Rivo-torto : sociorum instructio, quos docet orare : virtutibus fulget, occulta cordium et futura novit 592. CAP. VII. Cura subditos corrigenda et paupertatem servandi : vitæ austeritas, mirando exemplo confirmata : humilitas et contemptus sui, iter in Asiam, et deinde in Africam frustra susceptum : gesta cum Soldano : miracula Sancti, cui animantia obediunt 594. CAP. VIII. Fructus prædicationum S. Francisci : plurima ejusdem miracula 597. CAP. IX. Conjunctio Sancti cum Deo in oratione : constantia in prædicando, prædicatio coram Papa et Cardinalibus : amicitia cum Hugolino Ostiensi : amor pauperum et quorumdam animalium 599. CAP. X. Sanctus in omnibus laudat Deum : mores ejusdem, virtutes, corporis figura late descripta. Christum imitari conatur, Natalem ejus mira solemnitate celebrat : miracula in eo loco facta, et ecclesia Sancta dedicata 601. LIBER II. Referens gesta duobus posterioribus vitæ S. Francisci annis. CAP. I. Excellentia vitæ S. Francisci et utilitas ejus doctrinæ : mirabilis visio, in qua eidem sacra stigmata imprimuntur 602. CAP. II. Sanctus semper fervens, multis corporis infirmitatibus afficitur : ejus amicitia cum Cardinale Hugolino, postea Gregorio IX, et hujus laudes : virtutes S. Francisci 605. CAP. III. Crescunt Sancti infirmitates : pia ad mortem præparatio, et felix obitus : anima in cælum ascendere visa 606. CAP. IV. Concursus populi ad defunctum : sacra stigmata pulchritudo corporis mortui : honorifice portatur ad civitatem, et ad monasterium S. Claræ, ac demum sepelitur 606. LIBER III. CAP. I. Franciscus ritu solemni in numerum Sanctorum relatus 610. CAP. II. Miracula post mortem patrata 612. CAP. III. Reliquia miracula 615. APPENDIX INEDITA AD VITAM PRIMAM, *Auctoribus Tribus ipsius Sancti Sociis, Leone, Ruffino et Angelo, ex codice Ms. conventus Fratrum Minorum Lovanii in Belgio.* PROLOGUS AUCTORUM 615. CAP. I. Sancti patria, indoles et vitia in adolescentia et juventute; captivitas, ad meliora conversio et pius in Christum passum affectus 616. CAP. II. Sancti gesta a sua conversione usque ad assumptum habitum Fratrum Minorum, cœptumque novum vitæ genus 619. CAP. III. Sanctus admittit socios, qui ab illo egregie instituti virtutibus clarent 622. CAP. IV. Approbatio Regulæ ab Innocentio III Romæ impetrata : reditus in vallem Spoletanam, et gesta ibidem : Regula ab Honorio III confirmata et ab eodem obtentus protector Ordinis : comitia generalia anni 1224, ex quibus multi in varias provincias feliciter missi 625. CAP. V. Sancti obitus post accepta ante biennium sacra stigmata : solennis canonizatio : ecclesia ejus nomine condita, translatumque ad hanc sacrum illius corpus 629. VITA ALTERA, *auctore S. Bonaventura, ex editione Sedulii, collata cum editione Suriana, Romana, Waddingiana et codice nostro Ms.* PROLOGUS 631. CAP. I. De conversatione S. Francisci in habitu sæculari 632. CAP. II. De perfecta conversione ejus ad Deum, et de reparatione trium ecclesiarum 633. CAP. III. De Institutione Religionis, et approbatione Regulæ 635. CAP. IV. De profectu Ordinis sub manu ipsius, et confirmatione Regulæ prius adprobatæ 637. CAP. V. De austeritate vitæ ejus, et quomodo creaturæ præbebant ei solatium 640. CAP. VI. De humilitate ejus et obedientia, et de condescensionibus divinis ei factis ad nutum. CAP. VII. De amore paupertatis, et mira suppletione defectuum 643. CAP. VIII. De pietatis affectu, et quomodo ratione carentia adfici videbantur ad ipsum 647. CAP. IX. De fervore caritatis ejus, et desiderio martyrii 650. CAP. X. De studio et virtute orationis 652. CAP. XI. De intelligentia Scripturarum, et spiritu prophetiæ 654. CAP. XII. De efficacia prædicandi et gratia sanitatum 656. CAP. XIII. De stigmatibus sacris 659. CAP. XIV. De patientia ipsius, et transitu mortis 661. CAP. XV. De canonizatione ipsius, et translatione corporis sacri 665. CAP. XVI. Miracula aliquot a S. Francisco post ejus obitum edita. § I. De virtute sacrorum stigmatum 664. § II. De mortuis suscitatis 666. § III. De his, quos a mortis periculo liberavit 667. § IV. De liberatis a naufragio 669. § V. De liberatis a vinculis et carceribus 669. § VI. De liberatis a periculo partus 670. § VII. De cæcis illuminatis 671. § VIII. De liberatis a variis infirmitatibus 673. § IX. De non observantibus festum, et non honorantibus Sanctum 674. § X. De quibusdam aliis miraculis diversorum generum. APPENDIX AD GLORIAM POSTHUMAM. § I. Sancti festum natale aliquando cum cessatione a servilibus observatum :

observatum : ejusdem festi Officia Ecclesiastica 677. § II. Alia de aliis ejusdem Sancti festivitatibus Officia Ecclesiastica, et earumdem in Martyrologiis memoria 679. § III. Præcipuæ S. Francisci basilicæ prope Assisium structura et ornatus; dedicatio per Innocentium IV summum Pontificem facta anno 1235; ejusdem aliorumque Pontificum in eamdem pius affectus et munificentia 681. § IV. Recitatur Bulla, per quam Benedictus XIV Papa basilicæ S. Francisci apud Assisium vetera privilegia confirmavit, nova concessit, et eamdem in Patriarchalem et cappellam Papalem erexit 683. § V. Præcipuæ S. Francisci ecclesiæ prope et intra civitatem Assisiensem : mons sacer Alvernus, in quo illi sacra stigmata collata fuerunt 688. ANALECTA. PARS I. *Ex Waddingi Annalibus Minorum, aliisque editis et Mss.* § I. Quædam Sancti gesta, a Waddingo in Annalibus ad annum 1211 relata 692. § II. Varia Sancti gesta, quæ a Waddingo ad annum 1212 et ad partem sequentis narrantur 695. § III. Gesta, quæ apud Waddingum ad reliquum anni 1213 et ad sequentem Sancto in itinere Hispanico attribuuntur 698. § IV. Sancti in Italiam reducis gesta, apud Waddingum anno 1213 illigata. Quid de relatis hoc et præcedenti §§ censendum videatur. Alia ad eumdem annum ibidem narrata 702. § V. Varia Sancti gesta ad annos 1216, 1217 et 1218 in Annalibus Minorum memorata 706. § VI. Generalia comitia anno 1219 celebrata : quæ hæc fuerint, et quæ potissimum in iisdem gesta : facta alia huic anno in Annalibus Minorum illigata 709. § VII. Sancti gesta Bononiæ, ad annum 1220 in Annalibus relata 712. § VIII. Alia Sancti gesta ad eumdem annum 1220 a Waddingo et Melissano reposita 717. § IX. Alia Sancti gesta annis 1211 es sequenti ex Waddingo, atque inter hæc iter per regnum Neapolitanum et accessus ad specum Sublacensem et montem Garganum 720. § X. Alia S. Francisci gesta ad annos 1223 et 1224 in Annalibus Minorum relata 724. § XI. Cetera ejusdem Sancti gesta in monte Alverno, ad eumdem annum 1224 a Waddingo memorata 727. ANALECTORUM PARS II. *De S. Francisci gestis cum S. Dominico.* § I. An S. Dominicus generalibus Minorum comitiis, vulgo Storearum dictis, anno 1219, an alteris interfuerit 730. § II. Discutitur narratio Bartholomæi Pisani de capitulo Minorum, cui S. Dominicum interfuisse, putavit 734. § III. An S. Dominicus videri possit exemplo S. Francisci severiorem paupertatem in Ordinem suum induxisse 737. § IV. Alia quædam de amicitia et colloquiis SS. Francisci et Dominici 739. ANALECTORUM PARS III. *De Indulgentia Portiunculana* § I. Recitantur litteræ Theobaldi, episcopi Assisiensis, in quibus exponitur historia impetrationis et promulgationis Indulgentiæ vulgo Portiunculanæ 745. § II. Dantur litteræ Corradi episcopi Assisiatis, continentes auctiorem historiam ejusdem Indulgentiæ 745. § III. Datur notitia Historiæ ejusdem Indulgentiæ per Franciscum Bartholi ante litteras Corradi scriptæ : recensentur testimonia B. Benedicti Aretini et Raynerii anno 1277 data 747. § IV. Petri Zalfani aliorumque, qui sæculo XIII vixerunt, de eadem Indulgentia testimonia 751. § V. Varia alia argumenta, quibus probatur Indulgentia Portiunculana seculo XIII et duobus sequentibus pro vera habita fuisse 754. § VI. Recensentur aliquot, qui hanc Indulgentiam scriptis editis varie impugnarunt, et contra tutati sunt : singularitas ejusdem ex disciplina Ecclesiastica ejus temporis 756. § VII. Disseritur de silentio primorum biographorum sanctique Bonaventuræ, et probabiles silendi causæ proponuntur 759. § VIII. An ex veterum testimoniis constet, Indulgentiam Portiunculæ a Christo proxime sine summi Pontificis ministerio concessam fuisse : negantium argumenta referuntur 762. § IX. Inquiritur, utrum Indulgentiæ Portiunculanæ proximus largitor sit ipsemet Christus, an, Christo annuente et mandante, Honorius III Papa 764. § X. Expenditur secunda pars historiæ, continens ea, quæ inter primum secundumque S. Francisci ad Honorium accessum facta narrantur 768. § XI. Dedicatio ecclesiæ Portiunculanæ et promulgatio Indulgentiæ per septem episcopus factæ, et adjuncta expenduntur : Indulgentia quotidiana ab Innocentio XII concessa : annuæ Indulgentiæ frequentatio et ad universum Ordinem extensio 771. ANALECTORUM PARS IV. *De statu situque corporis S. Francisci, deque aliis ejusdem Sancti reliquiis.* § I. Exponitur controversia, et recensentur utriusque litigantium partis præcipui scriptores 775. § II. Qui incorruptionem sacri corporis, et prodigiosum illius situm propugnant, primo laudant traditionem, velut omni ex parte probatissimam 777. § III. Dicitur Cardinalis Carillius Albernotius celebre S. Francisci corporis prodigium anno 1534 vidisse. Producta in hanc rem testimonia expenduntur 780. § IV. Visitatio sacri corporis anno 1449 a Nicolao V Papa facta exponitur ex Oddone Perusino, et Mariani Florentini apographo Vaticano, mutilo 782. § V. Eadem visitatio, Nicolao Papæ V attributa, refertur ex litteris Baucianis, editionis Horatii Diolæ 784. § VI. Nicolai V anno 1449 accessus Assisium probatur : expenditur auctoritas Jacobi Oddonis, Mariani Florentini, Anonymi Hispani, litteratum Baucianarum editoris, Marci Ulyssiponensis Chronicorum et Horatii Diolæ 787. § VII. Personæ in Relatione memoratæ tempori et adjunctis congruunt; corporis B. Ægidii præsentia perperam asserta : variarum litterarum diversa inscriptio, non consona et falsa narratio 789. § VIII. An in iisdem litteris suspecta debeat esse narratio, quæ de solis patulis et sanguine manantibus vulneribus, vel de hisce et clavis in sacri corporis manibus pedibusque visis meminit 793. § IX. Quid censendum videatur de sacri corporis visitatione, a Francisco Sfortia, Mediolanensium duce, facta : quid de inscriptione sepulcrali, ac visitationibus Gregorio IX Papæ attributis 796. § X. Proponuntur duæ aliæ sacri corporis visitationes, quarum una Sixto IV Papæ, altera Galeotto tribuuntur 799. § XI. Expenditur relatio visitationis sacri corporis, reverendissimo Piscullio, Minorum Conventualium Ministro generali, ejusque socio Tinaccio attributæ 803. § XII. Alia quædam pro asserendo ejusdem corporis prodigioso statu producta expenduntur 806. § XIII. Quæritur, an ex S. Bonaventura constet, corpus S. Francisci anno 1230, quo translatum fuit, in ossa et cineres resolutum fuisse, an contra perseverasse incorruptum 810. § XIV. An S. Bonaventura saltem uspiam insinuaverit, sibi notum fuisse prædictum sacri corporis, incorrupti et in pedes erecti stantis, prodigium : an contra ejusdem silentium eidem miraculo adversetur 812. § XV. An Pisani partim silentium, partim dicta, eidem sacri corporis prodigio adversentur 816. § XVI. An affirmantibus prodigium refragentur Ubertinus de Casali, Joannes Gobelinus et Jacobus de Oddis 818. § XVII. Expenduntur argumenta, quæ allegantur ad probandum, S. Francisci corpus inclusum esse mensæ majoris altaris in ecclesia Assisiensi. Duasne, an tres ecclesias complectatur basilica Assisiensis 820. § XVIII. Expenduntur causæ, ob quas negant, in sacrum corpus inquiri posse; cur item fuerit semper illud tam secreto servatum, et obstructi cuniculi, ut ferunt 824. § XIX. Proponuntur conjecturæ, quæ dubium facere possunt, an umquam exstiterint subterranei ad sacrum corpus aditus, et an illud non potius a tempore translationis semper omnibus occultatum manserit 827. § XX. Recensentur aliquot scriptorum testimonia, post Pisanum asserentium,

S. Francisci

S. Francisci cor et intestina, a reliquo corpore separata, in æde Portiunculana condita servari 828. § XXI. Alia argumenta, quibus impugnatur præmissa de exenterato S. Francisci corpore opinio, expenduntur 632. § XXII. De aliquot S. Francisci reliquiis variis in locis asservatis 834. ANALECTORUM PARS V. *De S. Francisci Opusculis.* CAP. I. Opuscula, quæ in libro I recensentur 837. CAP. II. De Opusculis in libris secundo et tertio contentis 841 c

G

Gerardus abb. Broniensis in comitatu Namurcensi in Belgio. COMM. PRÆV. § I. Sancti annuntiatio in Fastis sacris, cultus ecclesiasticus, Vita edenda 201. § II. Sancti patria, tempus natale, parentes, militia apud comitem Berengarium, pietatis et virtutis in prima ætate studium 204. § III. Sanctus ecclesiam Broniensem reædificat, clericos in ea ad tempus constituit, ipseque monachum indui 207. § IV. Ad sacros Ordines et ad ipsum sacerdotium promovetur, revertitur e monasterio San-Dionysiano in patriam cum reliquiis S. Eugenii martyris, hæque in novam Broniensem ecclesiam solemniter inferuntur 210. § V. An a Sandionysianis monachis S. Gerardo integrum S. Eugenii martyris corpus fuerit concessum, et an hic Toletanus in Hispania archiepiscopus exstiterit 213. § VI. An et quas S. Gerardus reliquias præter S. Eugenii martyris corpus e Dionysiano monasterio Bronium attulerit 216. § VII. Clericis monachos Bronii substituit, quo tempore id fecerit, et an hos in monasterium, antea clericis constructum, induxerit 219. § VIII. De Caroli Simplicis diplomate, binisque Pontificiis rescriptis, quæ per Gerardum monasterio Broniensi impetrata feruntur 221. § IX. Utrum ex binis, quæ Gerardo data feruntur, Pontificiis rescriptis genuinum existat, genuinive loco habendum videatur 225. § X. Quid de diplomate, quod Gerardo ab Henrico Aucupe fuit concessum, statuendum appareat. § XI. Sanctus cellulæ sese includit, Cellense monasterium reformandum accipit, tempus, quo id factum sit 228. § XII. An Sanctus jam tum, cum monasterium Cellense reformandum accepit, pluribus Lotharingiæ, seu regni Lotharii, monasteriis abbas præfuerit, et an umquam tum in hoc, tum in Franciæ regno plura cœnobia gubernarit 230. § XIII. An S. Gisleni reliquias, furto a Malbodiensibus ablatas, Gislenianis recuperarit, et qui his utilis exstiterit 233. § XIV. Sanctus evocatur in Flandriam, comitem Arnulphum a calculi morbo sanat; tempus, quo hoc fecerit, et quid hinc a comite impetrarit 235. § XV. Sanctus monasterium S. Bavonis restaurandum curat, hujusque factus abbas monachos in Galliis exsules Gandavum revocat 237. § XVI. Novum Bavonianum monasterium reformat, inque id SS. Bavonis et Pharahildis reliquias transfert 240. § XVII. Quo anno monasterio Blandiniensi fuerit præfectus 241. § XVIII. In monasterium Blandiniense varias Sanctorum reliquias transtulit, et an id reædificandum curarit 244. § XIX. Sithiense seu S. Bertini monasterium abbatis munere gubernandum accipit, hocque ad primævam disciplinam revocato, Gandam revertitur 247. § XX. De aliis ditionis Arnulphi, Flandriæ comitis, monasteriis, quæ a Gerardo feruntur fuisse reformata 250. § XXI. Broniense monasterium a Dionysianis monachis redimit, redemptum Leodiensi ecclesiæ tradit, pluribusque Gandavo et aliunde allatis Sanctorum reliquiis ditat 254. § XXII. Monasterii Fontanellensis instaurationem tentat, et monasterii Blandiniensis præfectura sese abdicat 257. § XXIII. Monasteria, quibus adhuc præest, ultimo visitat, Bronium se recipit, ibique ultimum diem cladit 260. § XXIV. Corpus Sancti elevatum, hujusque in honorem abbatia Broniensis favore affecta 262. § XXV. Puteus in ecclesia Broniensi ægris prodigiose salutaris, Sancti corpus ibi hactenus servatum, et aliquot ejusdem miracula. 265. VITA *auctore anonymo, verosimiliter monacho Broniensi, ex editione Mabillonii Sæc.* V *Benedict. parte* I *pag.* 252 *ad pag.* 276. PROLOGUS 268. CAP. I. Illustres Sancti natales, pietas in juventute, militia apud Berengarium comitem, cælestis visio, rara in exsequendo, quod hac in mandatis accepit, promptitudo, legatio in Franciam, vita monastica suscepta 268. CAP. II. Vita in monasterio sancte acta, promotio ad Ordines sacros et ad ipsum sacerdotium, reditus in patriam cum Eugenii corpore aliisque Sanctorum reliquiis, variaque hujus adjuncta 271. CAP. III. Bronii monachos clericis substituit, a Gisleberto, Lotharingiæ duce, divinitus monito, ad reformandum Cellense S. Gisleni monasterium evocatur, monachos in hoc clericorum loco constituit, sacrum S. Gisleni corpus Gislenianis recuperat, visumque cæcæ mulieri restituit 275. CAP. IV. Arcessitur ad Arnulphum Flandriæ comitem; ab hoc, quem calculi morbo prodigiose liberat, multa monasteria accipit administranda, Blandiniense et Sithiense reformat, omniumque deinde abdicato regimine, Bronium se recipit, diemque ibi extremum claudit 280

H

Hesychius conf., S. Hilarionis discipulus, Majumæ in Palæstina. SYLLOGE. § I. S. Hesychii memoria sacra, laus apud Græcos, a synonymis distinctio, aliaque nonnulla 137. § II. S. Hesychii gesta ex S. Hieronymo proponuntur 139. § III. S. Hesychii gesta suis annis innectuntur 142, 143

I

5 Jovinus vel Juvinus conf. in Campania Galliæ. COMM. PRÆV. Memoria in Fastis sacris minus antiquis, cultus ecclesiasticus, Vita sublestæ fidei 197. VITA SUBLESTÆ FIDEI, *auctore anonymo, ex Ms. Belfortiano, quod ex veteri Ms. parochialis ecclesiæ de Juviny diœcesis Suessionensis acceptum notatur* 199

4 Julius cum Marusio etc. Vide *Marusius.*

5 Juvinus. Vide *Jovinus.*

L

4 Lucius et Chæremon et alii anonymi Alexandriæ aut forte alibi in Ægypto. SYLLOGE 291

M

4 Magdalveus episc. conf. prope Virodunum in Lotharingia. COMM. PRÆV. § I. Varia nominis efformatio, memoria in Fastis sacris et apud scriptores, e quorum uno Acta edenda 431. § II. Sancti patria, parentes, tempus natale, studia in juventute, clericatus susceptus, virtutes 433. § III. Sanctus fit sacerdos, dein monasterii S. Vitoni abbas, ac tandem ecclesiæ Virdunensis episcopus 436. § IV. Res a Sancto in episcopatu ante iter Hierosolymitanum gestæ 439. § V. Sanctus Hierosolymam petere statuit; adjuncta aliquot iter hoc prægressa 443. § VI. Hierosolymitanam peregrinationem conficit, locaque sancta invisit 444. § VII. Quid Sanctus, Hierosolymis Virodunum redux, præcipue adhuc gesserit 448. § VIII. Hugonis Flaviniacensis de anno Sancti emortuali sententia discutitur 450. § IX. Annus, quo Sanctus probabilius obierit, determinatur 453. § X. Sancti sepultura, variæ translationes et cultus ecclesiasticus 457. VITA, *auctore Hugone, Flaviniacensi abbate, ex Chronico Virdunensi apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ Mss.* CAP. I. Sancti natales, studia et virtutes in juventute, clericatus susceptus, promotio ad sacerdotium, ad abbatis munus, ac deinde ad episcopatum; gesta hujus initio 459. CAP. II. Sanctus diœcesim lustrat, templa collapsa

lapsa instaurat, res ecclesiæ suæ sedulo curat, hisque compositis, Hierosolymam peregrinatur 463. Cap. III. Reliquias in novam cathedralem ecclesiam transfert, totum virtuti et gregi suo se dedit, plures possessiones monasterio S. Vitoni acquirit, in morbum lethalem incidit et moritur 463

3 Manna. Vide *Menna*.

4 Marcianus cum Marco. Vide *Marcus*.

4 Marcus et Marcianus fratres, et socii MM. in Ægypto. Sylloge 342

4 Marsus presbyter conf. Autissiodori in Gallia. Sylloge. De gestis, cultu et translatione corporis 339 *item in* Addendis

4 Marusius, Restitutus, et forte Julius, Carthagine in Africa. Ex Martyrologiis 339

3 Maximianus ep. conf. Bagaiæ in Africa. Sylloge. S. Maximiani memoria sacra, sedes episcopalis, a synonymis diversitas, a Donatistis persecutio 132

3 Menna seu Manna virg. Fontaneti in Lotharingia. Comm. Præv. § I. S. Mennæ Acta et natales 144. § II. S. Mennæ gesta et cultus 147. Vita acephala, *auctore anonymo ex Ms. Puteolensi* 150

P

3 Patusius conf., electus episcopus Mendensis. Meldis in Bria, Galliæ provincia. Memoria sacra, locus, tempus, cultus 167

3 Paulus cum Dionysio etc. Vide *Dionysius*.

4 Petronius, episc. conf. Bononiæ in Italia. Comm. Præv. § I. S. Petronii apud martyrologos et veteres scriptores mentio, et natales 368. § II. Sancti in juventute mores et gesta 371. § III. Sancti ad Cælestinum Papam legatio, et in episcopum Bononiensem consecratio 373. § IV. Sanctus Bononiæ Arianorum reliquias dissipat, collapsas ecclesias instaurat, novasque condit 376. § V. Sanctus Bononiam reparat et amplificat 380. § VI. Sancti obitus, miracula et cultus 383. § VII. Benedictus XIV caput S. Petronii a PP. Cælestinis dono accipit 385. § VIII. S. Petronii caput ejusdem Sancti canonicis donat, et translationis illius celebrandæ ritum præscribit Pontifex 388. § IX. Capitis S. Petronii e S. Stephani ad S. Petronii templum translatio 390. Vita, *auctore anonymo, ex Chronico monachorum S. Stephani Bononiæ*. Cap. I. Sancti natales, mores in juventute, et in episcopum consecratio. 394. Cap. II. Sanctus Bononiam instaurat 397. Cap. III. Reliquia Sancti gesta et obitus 400. Vita Brevior, *auctore Galesinio*. Cap. I. Sancti natales, juventus, legatio, et in episcopum consecratio 402. Cap. II. Sancti reliquia gesta et cultus 403. Inventio Reliquiarum S. Petronii, aliorumque Sanctorum, *auctore anonymo, ex Chronico monachorum S. Stephani Bononiæ* 404

3 Petrus cum Dionysio etc. Vide *Dionysius*.

4 Petrus episc. M., forte idem cum S. Petro Capitolio, in Arabia. Sylloge Hist. Crit. Quis sit hic Sanctus, et quando martyrio affectus 427

4 Prosdoce cum Domnina etc. Vide *Domnina*.

Q

Quintinus M. in Turonia, Galliæ provincia. Sylloge. De cultu, martyrii causa, loco et tempore 407

R

4 Restitutus cum Marusio etc. Vide *Marusius*.

3 Romana, V. M. Bellovaci in Gallia. Comm. Præv. § I. Vitæ ejus scriptor, memoria sacra, in Galliam adventus 128. § II. Tempus martyrii, reliquiarum prima translatio 130. § III. Templi S. Quintini exstructio et dedicatio, altera reliquiarum Sanctæ translatio et miracula 131. Vita, *auctore anonymo, ex Ms. abbatiæ S. Quintini Bellovacensis*. Cap. I. S. Romanæ martyrium 134. Cap. II. S. Romanæ reliquiarum translatio 133

S

3 Sapargus cum Victore etc. Vide *Victor*.

T

3 Theogenes, aut Theugenius, aut Theagenes M. Antiochiæ. *Ex Hieronymianis et Menæis* 24

4 Tyrsus et Socii, item Bonifacius et Socii MM., forte Thebæi, apud Treviros. Comm. Præv. § I. Martyrium Trevirensium brevis historia, eorumque tum apud martyrologos, tum apud veteres mentio 292. § II. Inquiritur ætas tabulæ plumbeæ sub annum 1071 in crypta S. Paulini inventæ 296. § III. Variæ tabulæ assertiones, falsi suspectæ, examinantur 299. § IV. Num tabula Christianorum Treviris sub finem sæculi tertii statui repugnet, examinatur 302. § V. Reliqua Honthemii argumenta expenduntur 304. Nostra de Trevirensibus Martyribus opinio exponitur 307. § VII. Sancti Martyres quando passi sint, inquiritur 311. § VIII. Variorum auctorum in Martyrum Trevirensium historia errores corriguntur 314. § IX. Sanctorum Martyrum apud Treviros cultus 316. § X. Sancti Martyres prodigiis illustrantur 319. § XI. Sanctorum Martyrum Reliquiæ, præcipue per Germaniam, dispersæ 322. § XII. Sanctorum Reliquiæ, præcipue per Belgium, dispersæ 325. Acta, *auctore anonymo, ex editione Honthemii tomo I Prodromi Historiæ Trevirensis*. Prologus. Auctor Deum scriptionis suæ principium facit 327. Cap. I. SS. Martyrum passio et sepulturæ locus 328. Cap. II. Sanctorum Martyrum inventio 330. Cap. III. Miraculum ossis sanguinem fundentis 333. Cap. IV. Alia miracula ad Martyrum tumbas facta 334. Appendix de S. Bonifacio et Sociis MM. forte Thebæis apud Treviros. Sylloge. Sanctorum Martyrum memoria sacra, cultus, et reliquiarum translationes 333

V

3 Victor, Urbanus et Sapargus MM. in Africa, *ex Martyrologiis* 24

3 Urbanus cum Victore etc. Vide *Victor*.

3 Utho conf. abb. Metam. prope Deckendorffium in Bavaria Inferiori Comm. Præv. § I. Beati memoria sacra, et gesta usque ad conditum Metamense monasterium 191. § II. Tempus conditi monasterii, Beati obitus, et hunc secutæ monasterii vicissitudines 193. Acta, *auctore anonymo. Ex Chronico Mettensi cœnobii et ejusdem præfectorum Catalogo* 193

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX CHRONOLOGICUS.

SECULO I.

Post medium hoc sæculum obierunt Corinthi SS. Priscus et Caius, discipuli S. Pauli Apostoli 288 e f, 289 a

SECULO III.

Verisimilius martyrii lauream obtinuit Romæ S. Candidus vel Candida 25 b c, 26 b d e

Anno 247 S. Dionysius creatus est episcopus Alexandrinus 34 e f, 35 a b, 106 f

249 orta persecutione Decii, S. Dionysius Alexandrinus episcopus exsulavit 36 et seqq., 37 a b c

Circa medium passi in Ægypto sunt SS. Caius, Petrus, Paulus, et quatuor alii 30 c d e f. *Item* Lucius, Chæremon et Socii 191 a b c d e

Circa annum 265 obiit S. Dionysius, episcopus Alexandrinus, in Ægypto 26 c, 98 et seqq.

Circa ejusdem sæculi finem apud Treviros passi sunt S. Tyrsus cum Sociis, et Bonifacius cum Sociis 292 a, 311 c d e f, 312 et seqq.

Circa ejusdem finem, vel initium sequentis apud Autissiodorum obiit S. Marsus presbyter 339 a b

SECULO IV.

Initio hujus sæculi obiit S. Faustus martyr, socius S. Dionysii Alexandrini 30 c d e f

Probabilius sub Diocletiano et Maximiano martyrium Bellovaci in Gallia subiit S. Romana virgo 127 b, 130 c d e f, 131 et seqq.

304 *et aliquot sequentibus* in Ægypto coronati martyrio fuerunt SS. Marcus, Marcianus et Socii 342 a et seqq., 343 a

305 *vel sequenti* SS. Domnina, Berinna, seu Berenice, et Prosdoce in Syria martyrio coronatus est in Mesopotamia 343 b c, 348 d e

Post annum 313 S. Callisthene virgo obiit Ephesi 333 b c, 338 d

Circa 330 obiit S. Ammon, Amos, seu Ammun, primus monasteriorum conditor in monte Nitriæ 360 a, 364 et seqq., 365 et seqq.

372 *vel sequenti* corpus S. Hilarionis translatum est e Cypro Majumam 144 a d

Post annum 373 obiit S. Hesychius 137, 144 a

Sub finem sæculi obiit S. Menna, seu Manna, virgo 144, 146 e f

SECULO V.

Non ante annum 406 obiit S. Maximianus, episcopus Bagaiensis in Africa 132 e f, 133 e

Circa 430 obiit S. Petronius, episcopus Bononiensis in Italia 368 a, 385 b c

SECULO VI.

Circa annum 543 obiit S. Cyprianus, episcopus Telonensis, in Provincia Galliæ 133 c, 166 e f

Post medium sæculum in Turonia martyr occubuit S. Quintinus 407 b 408 a et seqq.

SECULO VII.

Hoc jam provecto reliquiæ S. Bonifacii martyris illatæ sunt Treviris in ecclesiam S. Maximini 336 c d e f

Circa 666 Parisiis obiit S. Aurea, virgo abbatissa 409 a, 420 b c d e

Verisimilius 695 coronati martyrio sunt duo SS. Ewaldi presbyteri in antiqua Saxonia 163 c f, 181 f, 182 a et seqq., 183 a

Circa ejusdem sæculi finem corpora SS. Ewaldorum a Pippino Heristallo translata sunt Coloniam Agrippinam 183 f, 184 a, 190 b

Eodem sæculo exeunte, vel initio sequentis obiit S. Patusius, electus episcopus Meldensis in Gallia 167 c f, 168 a b d e

SECULO VIII.

Hujus initio natus est S. Magdalveus, Virodunensis episcopus in Lotharingia 434 f, 435

Versus ejusdem initium reliquiæ S. Bonifacii martyris Trevirensis translatæ sunt ad monasterium Medianum 336 f, 337 a b c

743 S. Petrus episcopus Damascenus martyr occubuit in Arabia 427 a, 428 e f, 429 a et seqq., 430 a et seqq.

Probabilius anno 762 obiit S. Magdalveus, episcopus Virodunensis in Lotharingia 431 a, 433 b et seqq., 434 et seqq.

Probabilius 792 B. Utho condidit Mettense monasterium in Bavaria 193 c

SECULO IX.

Probabilius anno 802 levatum e terra fuit corpns S. Magdalvei, episcopi Virodunensis in Lotharingia 437 f, 438 a b c

Forte 828 obiit B. Utho, primus abbas Mettensis in Bavaria 191 a, 194 b et seqq. 193 b, 203 b c

871 parthenon Eligianus perpetuo traditus est episcopatui Parisiensi 422 b et seqq., 423 a et seqq.

Probabilius circa hujus sæculi finem natus est S. Gerardus, fundator et abbas monasterii Broniensis in Belgio 206 b c

Fortasse hoc sæculo floruit S. Jovinus vel Juvinus confessor in Campania Galliæ 197 a, 199 e f

SECULO X.

Anno 918 nova Broniensis in Belgio ecclesia a S. Gerardo perficitur 206 et seqq.

Verisimiliter 919 S. Gerardus monachum induit in San-Dionysiano monasterio apud Parisios 209 d f, 210 a b c

928 *vel seq.* S. Gerardus ordinatur presbyter 211 a

Alterutro item circiter anno S. Gerardus reliquias S. Eugenii aliorumque Parisiis detulit in Belgium 211 b c, 312, 213 a b

Inter 932 *et* 937 S. Gerardus Cellense monasterium reformandum suscepit 230 c

936 *vel sequenti* S. Gerardus Arnulphum Flandriæ comitem calculis laborantem sanavit 233 d e f, 236 a et seqq.

937 Gandense monasterium Bavonianum instauratur 237 f, 238, 239 a et seqq.

940 Corpora SS. Bavonis et Pharaildis in Gandense mouasterium Bavonianum relata fuerunt 240 e f

941 S. Gerardus abbas Broniensis monastario Blandiniensi præfectus est 243 d e f

944 corpora SS. Wandregisili et Ansberti cum reliquis S. Vulmari ad Blandiniense monasterium translata fuere 246 b c

Circa medium hoc sæculum varia monasteria a S. Gerardo Broniensi abbate reformata dicuntur 230 c d e f, 231 a b c d

934 *vel sequenti* corpora SS. Guduwali et Bertulphi ad Blandiniense monasterium translata sunt 246 c et seqq., 247 a b c

Inter 954 *et* 957 S. Gerardus abbas Broniensis præfecturam monasterii Blandiniensis abdicavit 238 d e f, 239, 260 a b c

959 obiit S. Gerardus abbar Broniensis 201 d, 262 a b c c

Hoc sæculo Mettense, seu Metamnense, monasterium vastatur 193 a b

Eodem sæculo provecto reliquiæ S. Bonifacii martyris Trevirensis denuo inventæ sunt 337 c d e f, 338 a et seqq.

Versus ejusdem sæculi finem, vel sequentis initium, corpus S. Marsi translatum est Essendiam 341 a et seqq.

SECULO XI.

Anno 1036 corpus S. Mennæ virginis translatum est ad Portum Suavem 149 b c

1045 reliquiæ S. Bonifacii, martyris Trevirensis, e Begonis cella revectæ sunt ad monasterium Medianum 338 e f

Ante 1047 corpus S. Magdalvei marmoreæ tumbæ impositum fuit 438 d e f

Circa hoc medicum sæculum Mettense, seu Metamnense, in Bavaria monasterium restitutum est Benedictinis 193 c d e

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

1069 reliquiæ S. Romanæ V. M. in Bellovacensem S. Quintini ecclesiam translatæ sunt 151 f, 152, 153 a b. c, 155 a et seqq.
1071 *vel sequenti* inventa sunt Treviris S. Paulini, aliorumque Sanctorum martyrum corpora cum tabula plumbea 296, 297, 330 c, 331, 332
1074 corpora duorum SS. Ewaldorum in Cunibertinam ecclesiam translata sunt 184 a et seqq., 185 a et seqq.

SECULO XII.

1151 corpus S. Gerardi abbatis e terra elevatum est 262 e f, 263 et seqq.
1141 reliquiæ SS. Floriani et Sociorum inventa sunt Bononiæ in Italia 376 e f, 379 a et seqq.
Eodem anno corpus S. Petronii episcopi inventum Bononiæ est 383 d, 403 b
Paulo post plurimæ Sanctorum reliquiæ repertæ sunt Bononiæ 403 b et seqq.
Verisimilius anno 1182 natus est S. Franciscus Assisias 477 e f

SECULO XIII.

Anno 1201 inventum est corpus S. Cypriani, Telonensis episcopi 141 d e f
1206 S. Franciscus Assisias perfecte conversus ad Deum est 491 b et seqq.
1207 S. Franciscus Assisias paternis bonis omnibus cessit coram episcopo 490 d e f, 491 a et seqq., 492 a b c
1209 S. Franciscus Assisias perfectorem vitam Evangelicam orsus est 493 a b c
Eodem anno Innocentius III Papa Regulam S. Francisci Assisiatis vivæ vocis oraculo approbavit 494 d e f, 495 a b, 595 b, 594 d, 625 e f, 626 a et seqq., 657 a b
1211 exstructa Bononiæ est ecclesia S. Petronii, nunc Petronii vetus appellata 384 e
Circa 1212 S. Franciscus Assisias obtinuit sacram ædiculam in Portiuncula 509 d e f
Eodem anno S. Clara velata est a S. Francisco Assisiate 512, 513 et seqq., 638 d e
Eodem anno S. Francisco Assisias versus Syriam navigans, tempestate repulsus est 513 b
1213 S. Franciscus Assisias in Africam trajecturus in Hispania impeditus morbo est 516 a et seqq., 517 a b c, 595 e, 597 a
1216 S. Franciscus Assisias amicitiam Romæ contraxit cum S. Dominico 518 d e f, 519 a b c d
1219 S. Franciscus Assisias generalia comitia celebravit, non tamen Storearum appellata 521 d e f, 522, 523 a b c d
Eodem anno S. Franciscus Assisias navigavit in Syriam et Ægyptum 523 e, 524, 595 f, 597 b
Eodem anno S. Franciscus Assisias infelicem pugnæ exitum exercitui Christiano prædixit apud Damiatam 524 c d e
1220 S. Franciscus Assisias prædicavit Bononiæ in Italia 712 e f, 713 a b c, 713 c d e f, 716 a et seqq.
1221 S. Franciscus Assisias Tertium Ordinem suum instituit 539 f, 540, 541, 542, 543 a b c d
Eidem anno illigari solet prima impetratio Indulgentiæ Portiunculæ 543 c
1223 S. Franciscus Assisias denuo prædicavit Bononiæ in Italia 723 d e f
Eodem anno Honorius III Papa per bullam approbavit Regulam S. Francisci Assisiatis 543 d e f, 546 f, 547 a b c d e, 628 a et seqq., 639 d e, 640 f
1224 Misso Germanica feliciter instaurata fuit in generalibus comitiis Ordinis Minorum 531 d e f, 532 a et seqq., 629 a e
Eodem anno S. Franciscus Assisias sacris Christi stigmatibus insignitus fuit 533 f, 534 et seqq., 603 f, 630 a b c, 639 d e f, 660, 661 a b c
Sub ejusdem anni finem vel initio sequentis cœpit S. Franciscus Assisias multis infirmitatibus conflictari 562 d e f, 563 et seqq.
1226 S. Franciscus Assisias obiit die tertia Octobris 570 c d e f, 571 et seqq.
1228 Gregorius IX Papa Franciscum Assisiatem sollenniter Sanctis adscripsit 574 d e f, 575 et seqq., 610 d e f, 611, 630 c, 663 f, 664 a
Inter 1228 *et* 1230 Thomas Celanensis, mandante Gregorio IX Papa, Vitam S. Francisci conscripsit 469 b c e f, 470 a b c
1230 Gregorius IX Papa novam S. Francisci Assisiatis ecclesiam multis privilegiis exornavit 579 d f, 580 a b c d e
Eodem anno corpus S. Francisci Assisiatis ad novam illius ecclesiam translatum est 580 f, 581, 582 a, 630 d, 664 a b
1236 monasterium Mettense, seu Metamnense in Bavaria conflagravit 139 d
1237 Gregorius IX Papo stigmata S. Francisci Assisiatis editis litteris affirmavit 558 c d e f, 559, 560 et seqq.
1247 *vel sequenti* quædam S. Francisci Assisiatis gesta tres illius discipuli scripserunt 472 a b c d
1253 Innocentius IV Papa novam S. Francisci Assisiatis basilicam consecravit 682 e f, 683 a et seqq.
1259 Alexander IV Papa obtrectatores stigmatum S. Francisci Assisiatis editis litteris redarguit 561 a et seqq.
1261 S. Bonaventura scripsit Vitam S. Francisci Assisiatis 472 f, 473 a b c
1264 restaurari cœptum est monasterium Mettense, seu Metamnense in Bavaria 195 d e
1277 B. Benedictus Aretinus et Raynerius testati sunt pro Indulgentia Portiunculana 749, 750, 751, 752

SECULO XIV.

Anno 1327 datæ notantur litteræ Theobaldi episcopi Assisiensis pro asserenda Indulgentia Portiunculana 743, 744, 745
1333 Corradus episcopus Assisiensis Indulgentiam Portiunculanam editis litteris vendicavit 745, 746 et seqq.
1340 Officium de stigmatibus S. Francisci toti Ordini Minorum præceptum est 679 f, 680 a b c
1390 Bononiæ in Italia exstructa est insignis ecclesia S. Petronii 384 e f

SECULO XV.

Anno 1477 corpus S. Magdalvei, Virodunensis episcopi, pretiosiori thecæ inclusum fuit 438 e f

SECULO XVI.

Anno 1533 Parisiensis Prioratus S. Aureæ Parisiensi episcopatui unitus fuit 426 c d
Post medium hoc sæculum sacra Portiunculana ædicula insigni ecclesiæ inclusa fuit 688 e f

SECULO XVII.

Inter 1613 *et* 1617 paterna S. Francisci ædes conversa est in ecclesiam 689 d, 690 b
1613 Paulus V Papa Officium de Stigmatibus S. Francisci Assisiatis per universam ecclesiam celebrari permisit 680 b c d
1629 Parisiensis Prioratus Eligianus concessus est Barnabitis 426 e f
Circa 1667 Clemens IX Papa Officium annuum de Stigmatibus S. Francisci per universam Ecclesiam celebrandum præcepit 680 f

SECULO XVIII.

Anno 1743 caput S. Petronii, episcopi Bononiensis, ad ecclesiam eidem dicatam solenniter translatum est 592 e f, 593, 594 a b
1734 Benedictus XVI Papa basilicam S. Francisci Assisiatis in patriarchalem Ordinis Minorum, et in cappellam Papalem erexit 683 d e f, 684 e et seqq.

ACTA SANCTORUM OCTOBRIS.

TOMUS SECUNDUS.

DIES TERTIA.

SANCTI, QUI V NON. OCTOB. COLUNTUR.

S. Theogenes martyr Antiochiæ.
S. Victor, S. Urbanus, S. Sapargus } MM. in Africa.
S. Felix, S. Amponus aut Amponius, S. Castus } martyres.
S. Candidus vel Candida M. Romæ.
S. Dionysius episc. Alexandrinus, S. Faustus M., S. Caius, S. Petrus, S. Paulus et alii quatuor } Alexandriæ et forte alibi in Ægypto.
B S. Romana V. M. Bellovaci in Gallia.
S. Hesychius conf., discipulus S. Hilarionis, Majumæ in Palæstina.
S. Menna V. Fontaneti in Lotharingia.
S. Maximianus conf. episc. Bagaiensis in Africa.
S. Cyprianus episc. Telonensis, conf., Telone in Provincia Galliæ.
S. Patusius conf., electus episc. Meldensis in Gallia.
SS. Ewaldi duo presbyteri MM. in antiqua Saxonia.
B. Utho conf., abbas Metamensis in Bavaria Inferiori.
S. Jovinus vel Juvinus conf. in Campania Galliæ.
S. Gerardus abbas Broniensis in comitatu Namurcensi in Belgio. E

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Algotus, *ex monacho Cisterciensi episcopus Curiensis, apud Castellanum cum titulo* Beati *annuntiatur ad hunc diem. Consului aliquot scriptores, sed nihil addere possum dictis apud nos in Prætermissis die, quo in Menologiis Cisterciensibus memoratur,* XVII Januarii.

Eoglodius, *ut* abbas, *hodie annuntiatur a Ferrario* in Jona insula. *Idem ab eodem relatus jam fuerat* in Hibernia *ad 25 Januarii. Colganus* Euchadium *vocavit, et ex historicis et martyrologis recentioribus Acta* Euchadio *suo concinnavit ad 25 Januarii; at cultum mihi minime probavit. Nam recentiores dumtaxat adduxit martyrologos, et in Martyrologio Anglicano ad diem* 20 *Januarii præfixo asterisco insinuatur,* Eglodium, *ut ibi vocatur, apud antiquos non esse inventum. Quod Colganus ait :* Natalis autem ejus celebratur
C 25 Januarii in Gallovidia, regione Albaniæ, cujus est apostolus; vel secundum alios in Hibernia; *sic intellige, ut velit, eum ab aliis annuntiari* in Gallovidia, *ab aliis* in Hibernia. *At annuntiatio in recentioribus Martyrologiis nec cultum infert; nec facit, ut nobis liceat sic annuntiatos* Sanctorum *titulo honorare. Vide etiam dicta in Prætermissis ad* XXV Januarii.

S. Ludgeri *episcopi Monasteriensis Translatio aut Elevatio memoratur in aliquot auctariis Usuardini Martyrologii apud Sollerium nostrum, ut etiam in Martyrologio Germanico. Acta* S. Ludgeri *illustrata sunt ad* XXVI Martii.

Sanctorum Sulpitii et Serviliani *mentio hodie est in antiquo Kalendario, quod Martenius tom. III Anecdotorum edidit* ex Ms. Lyrensis monasterii. *Apud eumdem tom. VI Collectionis amplissimæ in Martyrologio ibidem primo, cui octingentos annos editor tribuit, legitur :* Natale SS. Sulpicii et Serviliani martyrum. *Præterea in scriniis nostris ad hunc diem reposita erant quasi Acta* SS. Sulpitii et Serviliani, *exscripta* ex Ms. Passionali Cartusiæ Herbipolensis, *annotato hoc die. Ex his autem colligo, Sanctos illos hoc die aliquibus locis in Germania cultos fuisse. Acta vero, quæ hic reposita erant, data sunt, ubi de iisdem Martyribus actum fuit* XX Aprilis.

S. Marci Evangelistæ *memoria hodie exstat in Martyrologio Morbacensi. Ejus Acta data sunt ad diem* XXV Aprilis.

Gandulphi confessoris *meminerunt editiones Usuardi Lubeco-Coloniensis et Greveni, consonante etiam nostro Florario Ms. At locus, ubi ab omnibus annuntiatur,* apud Warindas, *id est,* Varennis *in Burgundia, satis ostendit, memorari* S. Gangulphum *aut* Gengulphum, *qui ibidem ut martyr colitur, et cujus Acta apud nos habes ad* XI Maii.

Theobaldus *episcopus Eugubinus cum titulo* Sancti *memoratur in Mss. Additionibus Cartusiæ Bruxellensis apud Grevenum, sed verisimiliter ex errore. Nam duos quidem* Theobaldos *aut* Tebaldos *inter episcopos Eugubinos apud Ughellum invenio, sed titulo* Sancti *aut* Beati *carentes. Ferrarius quoque nec Catalogo Sanctorum Italiæ nec Generali inseruit* Theobaldum *episcopum Eugubinum. Præterea Papebrochius noster ad 16 Maji illustravit et edidit Vitam S. Ubaldi episcopi Eugubini, quam* F Theobaldus *aut* Tebaldus *ejus successor conscripsit; eaque occasione in Commentario prævio num. 3 observavit, dictam S. Ubaldi Vitam fuisse in Mss. Belgicis sub nomine* S. Theobaldi. *Quare manifesta erat errandi occasio; et sic auctor* Theobaldum *Eugubinum partim cum* S. Ubaldo, *partim cum alio* Theobaldo *revera Sancto, ut ibidem videri potest, confuderit. Consule itaque dictum Commentarium ad* XVI Maii.

S. Gilbertum, *abbatem Novem-Fontium, Ordinis Præmonstratensis in Arvernia prolixo elogio celebrat Saussayus, et una* S. Petronillam, *ejus uxorem, et* S. Ponciam *filiam.* Gilbertus *similiter memoratur apud Chrysostomum vander Sterre. Vita* S. Gilberti *data est, ac simul actum de* SS. Petronilla *et* Poncia (*ut dictum est in Prætermissis ad 13 Julii*) *die* VI Junii.

S. Paulus patriarcha Constantinopolitanus *hodie est in Fastis Æthiopum apud Ludolfum. De eo actum apud nos est ad* VII Junii.

S. Ragnoberti *Adventus corporis annotata est memoria in codice Caudiacensi Usuardino apud Sollerium. De* S. Ragneberto *martyre actum est ad* XIII Junii.

S. Felicis *ita fit mentio in codice Abdinghoffensi in Westphalia :* Eodem die Adventus corporis beati

A Felicis martyris. *Ex Vita B. Meinwerci, episcopi Paderbornensis, qui Abdinghoffense cœnobium fundavit, utcumque colligitur, agi de* S. Felice, *uno ex septem filiis S. Felicitatis. Nam, ut narratur in laudata Vita, apud nos data ad* 3 *Junii, cap.* 4, *B. Meinwercus Romæ impetravit tria media corpora filiorum S. Felicitatis, et nominatim* S. Felicis. *De hoc* S. Felice, *seu de septem fratribus et eorum matre S. Felicitate, apud nos actum est ad* x Julii.

S. Arnulphi Mosomensis M. *hodie post Molanum meminit Castellanus. Ejus Acta in Opere nostro illustrata habes ad* xxiv Julii.

S. Pantaleon *hodie memoratur in Fastis Æthiopum apud Ludolfum, ubi mox sequuntur* Hermolaus presbyter, Hermacletus et Anamæus, fratres ejus, *qui tres ponuntur ut Socii, haud dubie in martyrio. De* Pantaleone *in Annotatis sic loquitur Ludolfus :* Unus hic est e novem Sanctis : de quo in Histor. Æthiopiæ 3. 5. 8. *Habet loco allegato* Pantaleonem *aliquem inter primos Æthiopiæ apostolos. Hinc* Pantaleonem *illum annuntiat Castellanus in Martyrologio Universali. Attamen ob tres sequentes existimo potius, hic agi de* S. Pantaleone *medico et martyre, qui passus est Nicomediæ. Nam in Actis* S. Pantaleonis *memoratur*

B Hermolaus presbyter, Hermippus *et* Hermocrates, *quos cum supra dictis eosdem esse, vehementer suspicor. Nam et dignitas et nomen* Hermolai *plane consonant;* Hermacleti *nomen cum nomine* Hermocratis *satis congruit pro translatione ex lingua Æthiopica. Unum quidem nomen plane videtur diversum; sed id adeo mirandum non est ob diversitatem linguarum; ut hac de causa a data conjectura recedendum censeam. Acta* S. Pantaleonis, *uti et* S. Hermolai *et Sociorum data sunt ad* xxvii Julii.

S. Ambrosius episcopus *ad hunc diem* Senonis *annuntiatur a Castellano; sed pag.* 1008 *in Corrigendis totum istud deleri jussit. Actum est de* S. Ambrosio *Senonensi ad* iii Septembris.

Theoctisti *martyris brevissima mentio est in solis Menæis impressis, ubi adduntur duo versiculi, quibus capite minutus dicitur.* Theoctistum *consequenter annuntiavit Castellanus in Martyrologio Universali. Nobis sola Menæa non sufficiunt, ut credamus,* Theoctistum *certo ad hunc diem spectare. Fuit* Theoctistus *aliquis capite cæsus cum SS. Cypriano et Justina, qui die præcedente celebrantur a Græcis sine* Theoctisto, *ut satis verisimile fiat,* Theoctistum *illum in Menæis ad præsentem relatum esse diem. De SS. Cypriano, Justina et* Theoctisto *actum est ad* xxvi Septembris.

C Eusebii, *verosimiliter Papæ, de quo heri in pluribus Fastis, memoria hodie est apud Wandelbertum in additis soluta oratione. De* S. Eusebio *Papa in Opere nostro actum est ad* xxvi Septembris.

Luitwini *episcopi Trevirensis Translatio annuntiatur in Florario Ms.; in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum de eodem hæc leguntur :* Beati Ludwini ducis Franciæ, postea episcopi Trevirensis. *De hoc* S. Ludwino *aut* Leodowino *actum est ad* xxix Septembris.

Ponti et Leonis *mentio est in additis soluta oratione apud Wandelbertum. Videntur duo esse ex Martyribus, de quibus actum est heri in* SS. Primo, Quirillo *etc.* ii Octobris.

S. Leodegarii *hodie meminit vetustissimum Martyrologium apud Martenium, uti et Labbeanum et Rabanus; in aliis fere omnibus pridie, seu ad* ii Octobris.

B. Godefridum, *monachum Villariensem et sacristam hoc die memorant Henriquez et Chalemotus : at de eodem cum aliis egimus ad* ii Octobris.

Scopilio *archipresbyter legitur apud Grevenum. Consule dicta de* S. Scupilione *in Prætermissis ad* ii Octobris.

Tilmanni *SS. Ewaldorum socii, cui eorumdem passio et corpora revelata sunt, cum titulo* Beati *hodie meminit Gelenius in Colonia Agrippina, sed nulla profert cultus indicia. Invenio tamen in Collectaneis nostris ita notatum :* Tilmannus a quibusdam colitur, ut significavit P. Jacobus Kritzraldt; *verum cum non addatur, a quibus aut ubi cultu ecclesiastico* Tilmannus *afficiatur,* Tilmanno, *donec certius quid distinctiusque de ejus cultu addiscamus, locum inter Sanctos dandum non arbitramur.* D

Cyprianus, *ut* abbas *et* Sanctus, *memoratur a Ferrario* Telone in Gallia, *laudatque tabulas, nescio quas, Telonenses. Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani* Cyprianum *abbatem admisit et exornavit, et mox duos alios addidit, nimirum* Cyprianum *martyrem, a Saracenis interemptum, et* Cyprianum *episcopum,* qui Vitam S. Cæsarii Arelatensis conscripsit. *Ex his solus episcopus est notus, et a multis vocatur* Sanctus, *annuntiaturque ejus* festum *hac die in Martyrologio Parisiensi, quod anno* 1729 *impressum habemus. De aliis duobus, nimirum abbate Telonensi et Telonensi martyre, ne vel minimum vestigium invenio. Castellanus in Aemeris pag.* 772 *videt tres Saussayi* Cyprianos, *sine ulla probatione assertos, et* Cyprianum *episcopum solum vocat* venerabilem, *et in Supplemento ad hunc diem deleri jussit totam annuntiationem, quam de ipso, ut Sancto, ad hunc diem dederat. De* Cypriano *episcopo tamen agimus.* E

S. Herculanus *martyr* Romæ *annuntiatur in Martyrologio Mediolanensi, quod corpus alicujus* S. Herculani *servetur Mediolani. Cujus ex pluribus* Herculanis *sit corpus, non indicatur.*

Geneni et Elematis virginis *mentio est in Mss. Additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, locusque exprimitur* in Græcia civitate Syriæ. *Non satis capimus, quid auctor voluerit, nisi nomina sint corrupta.*

Dedicatio ecclesiæ B. Mariæ de Burio *in Lusitania memoratur apud Chalemotum.*

Dedicatio *ecclesiæ cathedralis* Urgellæ *in Hispania est in Martyrologio Hispanico.*

Edmundus *S. Margaretæ Scotorum reginæ et Malcolmi regis filius apud Camerarium cum titulo* Sancti *annuntiatur, silentibus aliis martyrologis. Fuit revera* Edmundus *aliquis inter S. Margaretæ filios, ut videri potest apud nos tom. II Junii in S. Margareta pag.* 336, *isque talis, ut verisimiliter regnantium in cœlo numerum auxerit, non tamen ut* Beatis *in terra agnitis eum annumerare nobis liceat.*

S. Fausti *martyris festum hac die celebrari dicitur Leonissæ in Umbria in ecclesia Minorum Conventualium. Ratio est, quod pars capitis et ossium* S. Fausti, *quæ fuerunt extracta e cœmeterio Calepodii, ibidem servetur, ut habet Jacobillus in Catalogo reliquiarum Umbriæ pag.* 34. *Plura non addimus, cum Sancti gesta sin ignota, eo certe nomine.* F

Theotecnus, *tamquam lapidatus, annuntiatur breviter in Menæis, et brevissime in Menologio Sirletiano, uti et apud Castellanum, qui Menæa secutus est. Cum sileant omnes alii Fasti, et solis Menæis parum fidamus, versiculos, quos habent Menæa, hic tantum recitamus : neque enim plura invenimus.*

Ἅπαξ ἐλεύσθην, καὶ Θεότεκνος λέγει,
Ὡς παῦλος εἶπε, πρὸς Κορινθίους γράφων.

Semel lapidatus sum, etiam Theotecnus dicit, Ut Paulus dicebat, ad Corinthios scribens.

Antonius et Rawak martyres *annuntiantur in Fastis Coptitarum et Æthiopum apud Ludolfum, et ex iis apud Castellanum : sed nobis non sunt satis noti.*

Batzalota-Michael *apud eumdem Ludolfum in Fastis Æthiopum hodie legitur, nobis plane ignotus.*

Usifos et Urianos, *nobis æque ignoti in iisdem Fastis annuntiantur.*

Irmengardis, *abbatissa Ordinis Cisterciensis, cum* Beatæ *titulo memoratur apud Henriquezium, Bucelinum et Arturum in Gynæceo; sed sine cultus indiciis.*

Matthæus

A Matthæus a Massuraca, *Ordinis Minorum, tamquam virtutibus et miraculis præstans, cum titulo* Beati *annuntiatur in Martyrologio Franciscano ab Arturo a Monasterio, qui addit in Annotatis :* Quapropter a devotis Masuracanis et aliis populis maxima in veneratione habetur : illisque in suis necessitatibus succurrit patrocinaturque. Obiit ac sepultus est Lavernæ, cujus sepulcrum miraculis illustratur. *Hæc mihi qualemcumque de publico cultu suspicionem injecerunt. At, consulto Waddingo, et aliis nonnullis, omnem de ecclesiastico cultu* Matthæi *suspicionem deposui; et revera Fortunatus Hueberus in Menologio Franciscano* Matthæum *sine titulo* Beati *memorat, uti et alios plures, quibus illum titulum more suo adjungit Arturus, etiamsi cultu careant.*

Paula Baptista Mezavacca, *virgo Clarissa, memoratur in Gynæceo apud Arturum, sed sine ullo publici cultus indicio.*

Theodrada, *abbatissa Suessionensis et soror S. Adelardi abbatis Corbeiensis, annuntiatur cum titulo* Sanctæ *apud Saussayum in Appendice Martyrologii Gallicani pag.* 1232; *indeque ab Arturo in Gynæceo ad hunc diem, ubi in textu* Theodora *vocatur, mendo verisimiliter typographico : nam in Annotatis* Theodradis *scribitur, et omnia designant* Theodradam *S. Adelardi sororem, in cujus* B *Vita, ad diem* 2 *Januarii data, de* Theodrada *fit mentio. At nihil præterea invenio, cur recentiores* Sanctam *vocaverint, cum hic titulus ei in Vita S. Adelardi non tribuatur.*

Triginta moniales *ejusdem monasterii Constantinopoli, quæ pro cultu sacrarum imaginum exsilium passæ sunt, Sanctis pro sua liberalitate annumeravit Arturus in Gynæceo. Tota autem ratio petitur ex Epistola S. Theodori Studitæ, partim data apud Baronium ad annum* 816, *qua viventes laudantur, et ad perseverantiam animantur. Felices revera sunt, si perseveraverint. At quis eam perseverantiam scriptori neoterico revelavit?*

Tadæa *et* Martha, *alias* Marthea, *tamquam resuscitatæ pallio S. Angeli, memorantur in Acie bene ordinata Ordinis Carmelitarum; sed ignotæ nobis sunt.*

Wideradus *aut* Widradus, *abbas Flaviniacensis, ut* venerabilis *annuntiatur apud Castellanum in Supplemento ad hunc diem, ubi tamen asserit, ab aliis* Sanctum *vocari aut* Beatum. *Mabillonius in Actis Sanctorum Benedictinorum Sec.* III, *part.* I *agit de* venerabili Widrado, *et pag.* 691 *observat, hoc die defunctum esse, et Martyrologio Flaviniacensi adscriptum cum titulo* Beati; *in Necrologio etiam bis* Sanctum *vocari; indeque infert, jam diu* C Beatum *et* Sanctum *audisse, subjungitque :* Tametsi anniversarius ejus dies quotannis solitis precationibus peragitur in monasterio Flaviniacensi, excepto, quod non lugubri, sed festivo ritu campanæ pulsantur. Hinc Widradum VENERABILEM hic appellare præstat, quam BEATUM aut SANCTUM; maxime cum singularia ejus facta, si monasterii Flaviniacensis conditionem excipias, ignoremus; nec proinde certum de eo judicium ferre liceat. *Hisce subscribendum credimus.*

Adaucti M. *meminerunt Menæa et Menologium Sirletianum. At in Menæis et pluribus Græcorum Fastis magis celebratur die sequenti* IV Octobris.

SS. Crispus *et* Caius, *discipuli S. Pauli, hodie leguntur in Catalogo Ferrarii; sed in Martyrologio Romano ad* IV Octobris.

S. Francisci *hodie mentio est in uno codice Usuardino apud Sollerium in auctariis Usuardi. Spectat ad sequentem diem* IV Octobris.

Hervæus, *abbas Ordinis Cisterciensis, ut* venerabilis, *memoratur a Menardo* in cœnobio Ursi Campi. *Eumdem Chrysostomus Henriquez* Beatum *suo more vocat; sed cultum non probat, ponitque die sequenti* IV Octobris.

Maduluti, *episcopi Virdunensis, meminit codex Bruxellensis Usuardinus apud Sollerium. Idem comparet in codice Luxoviensi et in editione Lubeco-Coloniensi, scribiturque ibidem* Madalneus; D *in Mss. Additionibus Cartusiæ Bruxellensis legitur* Madulphi, *sed apud plures et in impresso Breviario Virdunensi* Madelvæus *est ad* IV Octobris.

Marci *et* Marcelliani *hodie mentio est in Hieronymiano Epternacensi, et in Morbacensi apud Martenium, ubi repetuntur die, ad quem spectant* SS. Marcus *et* Marcellianus *aut* Marcianus IV Octobris.

S. Froilani, *Legionensis episcopi ad hunc diem meminerunt Ferrarius, Menardus et alii quidam monastici. In Romano est* V Octobris.

Rustici *et* Eleutherii *martyrum memoria hodie est in Menæis, addito distycho, quo dicuntur capite minuti. Castellanus in Martyrologio Universali illos in Oriente annuntiavit. At viæ dubitare possum, quin sint Parisiis passi cum S. Dionysio Parisiensi, cujus socii* Rusticus *presbyter, et* Eleutherius *diaconus notissimi sunt. Locus martyrii in Menæis omittitur, et in Menologio Slavo-Russico post Dionysium Areopagitam ita sequitur :* Item amicorum ejus, Rustici et Eleutherii. *Verisimiliter collector Menæorum intellexerit,* Rusticum *et* Eleutherium *cum S. Dionysio passos; cumque geminum Dionysium hodie annuntiaret, illos eodem die posuerit; sed S. Dionysius Parisiensis cum* Rustico *et* Eleutherio *sociis spectant ad* E IX Octobris.

S. Dionysium Areopagitam *hodie annuntiant Martyrologium Romanum Parvum, Ado, Usuardus, Notkerus, Menæa excusa, Menologium Sirletianum et Basilianum, aliique sacri Græcorum Fasti. Baronius in Martyrologio Romano hodierno hanc annuntiationem omisit, et ad* 9 *Octobris, quo S. Dionysius Parisiensis laudatis ecclesiasticis Fastis inscriptus est, duos hosce Dionysios conflavit in unum; qua in re ab eruditis passim ei merito contradicitur. Nihilominus cum inter disputanda de utroque* Dionysio *necessaria occurrat connexio, visum nobis est tam de Areopagita, quam de Parisiensi agere ad unum eumdemque diem* IX Octobris.

S. Francisci de Borgia, *tertii præpositii Generalis Societatis Jesu, memoria Martyrologio Romano olim inserta fuit hoc die, sed una cum festivitate inde translata est ad* X Octobris.

S. Sanctini, *Meldensis episcopi, hodie mentio est in Florario nostro Ms. Sanctorum. Ferrarius in Catalogo Generali* Lutetiæ Parisiorum *annuntiat* Sanctinum *et* Antonium, *ut discipulos S. Dionysii Areopagitæ, et martyres* sub Domitiano, *omisso episcopatus titulo. Omnia examinabuntur die, ad quem apud nos alibi jam remissi sunt* XI Octobris.

S. Geraldi *Auriliacensis meminerunt Menardus,* F *Saussayus et Bucelinus; sed alii, et plures et vetustiores, quibus Castellanus consentit,* S. Geraldum *memorant ad* XIII Octobris.

S. Cannatus, *ut episcopus Massiliensis hoc die legitur apud Ferrarium in Catalogo Generali, ibique* Canates *dicitur. Secutus est Saussayus, in cujus Martyrologio nomen magis corrupte* Canalis *scriptum est. At* S. Cannatus *in Officiis propriis Massiliensibus et apud Castellanum ponitur die* XV Octobris.

Joannes Chozebita, *episcopus Cæsareensis in Palæstina, et, relicto episcopatu, iterum anachoreta, annuntiatur hodie in Menæis et in Menologio Sirletiano, indeque apud Castellanum. Sed idem repetitur, et in Menologio Basiliano etiam memoratur ad* XXVIII Octobris.

S. Benedictus, *episcopus Comensis, hac die obiisse dicitur apud Ughellum tomo V Italiæ Sacræ in Catalogo episcoporum Comensium. Sed in Martyrologio Comensi refertur die* XXX Octobris.

Willibrordi episcopi et martyris *mentio est in editionibus Usuardi Lubeco-Coloniensi et Greveni, poniturque* apud antiquos Saxones. *Consonat Martyrologium Germanicum, passim dictum Canisii, Galesinius vero et Maurolycus* Willibrordum *annuntiant cum duobus Ewaldis, de quibus agimus.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *agimus. De* Willibrordo *jam annotavit Sollerius noster, non alium sibi notum præter celebrem* Willibrordum, *Ultrajectensem episcopum, de quo agendum ad* VII Novembris.

Anna, *mater Samuelis, hoc die annuntiata est a Castellano ex Fastis Æthiopum, a Ludolfo editis. Apud Græcos habetur die, ad quem apud nos jam remissa est,* IX Decembris.

Autissiodero Dedicatio cryptarum beatissimi Stephani protomartyris *hodie legitur in Martyrologio Autissiodorensi apud Martenium. De* S. Stephano *protomartyre agetur ad* XXVI Decembris.

Dedicatio *ecclesiæ cathedralis Vesontionensis* S. Stephani *memoratur apud Ferrarium in Catalogo Generali, et apud Saussayum. De* S. Stephano *protomartyre agetur, ut dictum est, ad* XXVI Decembris. D

Albitum *aut* Alvitum, *episcopum Legione in Hispania, hoc die reposuit Ferrarius in Catalogo Generali, et rursum* 30 *Octobris, utroque loco laudans Marietam, qui nullum assignat diem. Si Ferrario credimus, non colitur Officio ecclesiastico; videtur tamen non carere omni ecclesiastico cultu, ut ex aliis colligi posse videtur. Dari itaque poterit (nisi quis certum diem cultus particularis aut obitus assignaverit) eo die, quo refertur apud Menardum et in Martyrologio Hispanico,* XXVII Decembris.

DE S. THEOGENE AUT THEUGENIO AUT THEAGENE

MARTYRE ANTIOCHIÆ.

J. S.

EX HIERONYMIANIS ET MENÆIS.

Hujus Antiocheni Martyris nomen varie prolatum,

Martyrem in titulo propositum magna cum nominis varietate annuntiant apographa Hieronymiana. Florentinius ex suis codicibus, consentiente etiam Blumiano, edidit : In civitate Antiochia Thugeni. *At Corbeiensis habet :* Antiochia Theogeni. *Epternacensis :* In Antiochia Theotisti. *Richenoviensis :* Et in Antiochia Theoctisti. *Augustanus sine loco :* Theogeni, *uti et Gellonensis. Labbeanus vero :* Theugeni. *Corbeiensis brevior :* In Antiochia Theogeni. *Antiquissimum apud Martenium habet :* Theugeni. *Aliud primum apud Martenium tom. VI Collectionis amplissimæ :* Et S. Theogenis. *Appendix Adonis :* In Antiochia, S. Theugenii. *In Auctariis Bedæ ex codice Atrebatensi :* In Antiochia natalis S. Theogenis. *Grevenus, corrupto nomine, habet :* Antiochiæ, Cheugenii. *In Martyrologio Ms. S. Maximini, cujus habemus apographum, ita legitur :* In Antiochia sancti Theogonis. *Singulare est, quod habetur in Florario Ms. :* In Antyochia sancti Theugenii episcopi et confessoris. *Verum auctor Florarii non tantæ auctoritatis est, ut probabile nobis faciat, episcopum et confessorem fuisse, quem reliqui ut Martyrem celebrant. Ex allegatis observo, de palæstra Martyris Antiochia consentire omnes codices, in quibus illa non omittitur; secundo, unum dumtaxat Martyrem Antiochiæ annuntiari, cujus nomen videtur* Theogenes *fuisse, ut unum apud Græcos annuntiari videbimus. Quod enim* Thugenus *et* Theugenus *vel* Theugenius *apud varios scribitur, ex modica nominis Græci apud Latinos corruptione verisimiliter factum est.* B C

unde duos credidit Florentinius,

2 Major est diversitas nominis in duobus bonæ notæ codicibus, cum in altero Theotistus, *in altero* Theoctistus *vocetur. Hinc Florentinius in Annotatis suspicatur, duos fuisse Martyres,* Theoctistum *et* Theogenem, *allegatque pro ea opinione Martyrologium Aquisgranense sibi a Bollando nostro communicatum. In dicto Martyrologio, quod ante me habeo, post elogium duorum Ewaldorum hæc sequuntur :* Eodem die in Ægypto, Marci et Marciani. Candidi. In Antiochia Theodisti. Eugeni. Victoris. Leodegari. Ampimi. *Ait de his Florentinius :* Quamquam confusa nomina sint, videntur tamen pro Theotisto simul et Thugenio attestari. *Et pro confirmatione opinionis aut suspicionis suæ laudat Menologium Sirletianum, in quo memoratur* Theogenes *et* Theotecnus *cum Adaucto.*

quod non videtur probabile.

3 Verum nequeo suspicionem illam Florentinii pro conjectura satis probabili admittere, cum quia in codice illo Aquisgranensi multa sunt corrupta et confusa, ut nomen Eugeni *oriri potuerit etiam ex corruptione alterius. Si autem* Eugeni *revera positum sit pro* Theugeni, *unius codicis auctoritas nequit sufficere ad* Theoctistum *simul et* Teugenium *admittendum : nam collector Martyrologii, cum in alio codice vetustiore inveniret* Theoctistum, *in alio* Theugenium *dictum, credere potuit, diversos esse Martyres, et utrumque nomen ponere. At nos uni Martyrologio contra auctoritatem reliquorum omnium, in quibus unicus ponitur Martyr Antiochenus, credere non debemus. Græci non juvant opinionem Florentinii, etiamsi Menæa non modo* Theogenem *et* Theotecnum, *sed etiam* Theoctistum *annuntient, cum singuli ponantur seorsum, et diversis etiam suppliciis legantur coronati, ut ex illis nequeant asseri duo socii Antiocheni, etiamsi quis omnes pro certis habere velit.* E

Idem forte apud Græcos memoratus.

4 Qui ex illis probabiliter idem est cum Martyre Antiocheno in Hieronymianis relato, in Menologio Sirletiano sic annuntiatur : Eodem die commemoratio sancti martyris Theogenis, qui pro Christi confessione ignis flammam pertulit. *In Menæis brevissime memoratur, additis tamen his versiculis.* F

Ὡς ἦλθεν ἐν χρῷ τῆς πυρᾶς Θεαγένης;
Εἰσῆλθεν αὐτήν, οὐ ταραχθεὶς τῇ θέᾳ.

Ut venit ad pyram Theagenes,
Illam ingressus est, non turbatus spectaculo.

Non Theogenes, *sed* Theagenes, *non hic scribitur. Plura de hoc martyre non habemus.*

DE SS. VICTORE, URBANO ET SAPARGO MM.

IN AFRICA.

J. S.

EX MARTYROLOGIIS.

Hi tres Martyres in Hieronymianis memorati,

Tres Martyres in titulo propositi satis constanter in Fastis Hieronymianis annuntiantur, et ex illis ad alios quosdam fluxerunt. Apud Florentinium ita legitur in textu Martyrologii : In Africa Victoris. Urbani. Separgi. *Epternacense habet :* In Africa Victoris, Urbani, Sapargi. *Corbeiense :* Africa Victoris, Urbani, Sapargi. *Blumianum similiter consentit. In codicibus contractioribus aliquid etiam de his Martyribus legitur. Duo in Richenoviensi sic memorantur :* In Affrica Victoris, Urbani. *In Augustano omnes tres leguntur, sed immixti aliis sequentibus, nominibusque luxatis, hoc modo :* Aphr. (*id est,* Africa) Victoris... Scapargi (*pro* Sapargi) Orbani (*pro* Urbani.) *In Labbeano* Afri

A Afri *ponitur pro* Africa, *sed integra Martyrum nomina sic leguntur :* Victoris,... Sapargi, Urbani. *In Gellonensi :* Africa Victoris,... Sapargi, Urbani. *Martyrologi, qui* VIII *et* IX *sæculo floruerunt, de his nihil tradiderunt.*

et in aliis aliquot recentioribus.

2 *Attamen eorum Martyrologiis aliqua de hisce deinde addita sunt. Nam in Appendice Adonis recte sic leguntur :* In Africa, Victoris, Urbani, Sapargi. *Grevenus in Usuardo sic edidit :* In Africa Victoris, Urbani, Sapargi. *Item codex Florentinus meminit* Sanctorum martyrum Victoris et Spargi, *pro* Sapargi. *In duobus Bedæ codicibus auctis legitur :* In Africa Victoris, Urbani. *In aliis quoque, quos mitto, mentio est solius* Victoris. *Omnes etiam tres leguntur in Florario Ms., sed sine loco. Plura de his Martyribus dicenda non habemus. Seorsum passos puto a tribus sequentibus, qui in Martyrologiis sequuntur et continuo dabuntur, quia illis in omnibus accuratioribus Martyrologiis præponuntur voces* et alibi. *Castellanus* Sapargum *expresso nomine, et duos alios Martyrologio suo Universali inseruit.*

AUCTORE J. S.

DE SS. FELICE, AMPONO VEL AMPONIO, ET CASTO MM.

EX MARTYROLOGIIS.

In omnibus fere Martyrologiis, ex quibus supra tres Martyres dedi, mox alii tres sequuntur, non expresso Martyrii loco. Florentinius in textu sic habet : Et alibi Felicis. Amponi. et Casti. *Codex Epternacensis plane consonat, uti et Blumianus. Modica differentia unius nominis est in Corbeiensi :* Et alibi, Felicis, Amponii, Casti. *In*

B *Gellonensi videntur Africæ attribui, utpote Africanis immixti, et nomina sic efferuntur :* Amponi,... Felicis, Casti. *Ita plane in Labbeano. In Augustano duorum tantum fit mentio, corrumpto unius nomine, scilicet* Amonii, *pro* Amponi, et Felicis. *In Richenoviensi, omisso uno, sic legitur :* Et alibi, Felicis et Casti. *Appendix Adonis omnes exhibet hoc modo :* Et alibi, Felicis, Auponi (*pro* Amponi) et Casti. *Florarium Ms. meminit* Felicis et Casti et aliorum multorum. *At ultima verba forte sine auctoritate sunt addita. Editio Usuardi Lubeco-Coloniensis tantum meminit* Felicis et Casti. *At Grevenus habet :* Et alibi, Felicis, Ammonii (*pro* Amponi) et Casti. *Horum etiam fit mentio in auctis Bedæ codicibus, sed parum accurate, cum in aliquibus* E *jungantur cum* Victore *Africano. Ex recentioribus Maurolycus duos e tribus sic commemorat :* Item sanctorum Felicis et Casti.

DE S. CANDIDO VEL CANDIDA M.

ROMÆ.

SYLLOGE.

C. B.

SÆCULO III VEROSIMILIUS.

In variis Martyrologii Hieronymiani apographis unus hodie Romæ martyr recte annuntiatur; ast cum uno eodemque modo non efferatur in his omnibus, dubium fit, virilisne, an feminei sexus exstiterit. In Epternacensi seu S. Willibrordi apographo signatur : v. Non. Oct. Romæ Candidæ; *in Richenoviensi vero, seu Divitis-Augiæ in Germania :* v. Non. Oct. Romæ Candidi. *Florentinius in eruditis Annotationibus, quas ad hunc diem Lucensi suo apographo subdit, posteriorem lectionem præfert, quod hanc plures Hieronymiani*

C *codices cum Romano hodierno, Usuardo aliisque hagiologis exhibeant. Florentinii opinionem, ut probabiliorem, propense amplector, tum quod Epternacense apographum, quamvis antiquissimum, mendis non careat, tum quod Usuardus, ex quo Martyrologii Romani reformatores aliique martyrologi hausere, annuntiationem hodiernam, qua* S. Candidum, *non* Candidam, *scribit, ex antiquis monumentis, diversis ab Hieronymianis apographis, haud dubie deprompserit. Etenim illa* S. Candidum *non tantum Romæ, sed etiam Romæ ad Ursum pileatum consignat, quæ positio cum in Hieronymianis non exprimatur, necesse est, ut hanc ex aliis antiquis documentis acceperit.*

aliisque Romæ ad Ursum pileatum hodie ponitur;

2 *Cum nihilominus, quæ qualiave hæc exstiterint, compertum non habeam, laudatam Florentinii opinionem non quidem ut certam, sed ut probabiliorem, quemadmodum jam dixi, admitto. Hinc etiam fit, ut pro certo nequeam edicere, rectene, an male,* S. Candidus *ad Ursum pileatum ponatur. Romanum interim hodiernum, plurimique Fasti sacri recentiores, Usuardum hic etiam secuti,* S. Candidum *hodie sic memorant :* Romæ ad Ursum pileatum S. Candidi martyris. *Belinus tamen Sanctum Romæ breviter sic annuntiat :* Romæ sancti Candidi martyris. *Forte ejus ad Ursum pileatum positionem habuerit suspectam. Utut sit, nihil est, cur hic Usuardo fidem abrogandam, indubie pronuntiem. Quapropter cum per positionem illam locus, ubi sanctus Martyr proxime a martyrio fuerit a fidelibus depositus, verosimiliter designetur, operæ pretium fuerit, quo ille utcumque innotescat, nonnulla hic in medium proferre; cum id præsertim ad tempus, quo Sanctus martyrio coronatus sit, lato saltem qualicumque modo definiendum conducat. Antonius Bosius, et post hunc Paulus Aringhus in Roma sua subterranea duo, ad Ursum pileatum posita, distinguunt cœmeteria, Romæ persecutionum tempore Christianorum obsequio quondam destinata. Horum alterum extra urbem via Portuensi ad aliquam Ursi Pileati, unde et* cœmeterii ad Ursum pileatum *nomen acceperit, figuram situm fuit; alterum intra* F *urbem, ubi nunc exstat ecclesia S. Bibianæ, in Esquiliis, regione Romæ antiquæ quinta, in vico Ursi pileati per Sextum Rufum lib. de Regionibus urbis memorato, a quo et hoc vel certe ab aliqua Ursi pileati figura sibi vicina* cœmeterii ad Ursum pileatum *nomen pariter induerit.*

3 *Primum, ut ex iis, quæ laudatus Aringhus lib.* II *cap.* 19 *num.* 1 *et* 3 *affert, recte consequitur, nec citius quam sæculo tertio, nec serius quam anno* 269 *fuit exstructum. Secundum vero, uti idem Aringhus lib.* IV *cap.* 42 *num.* 5 *docet, sub impio Juliano Apostata, atque adeo non ante sæculum quartum, media sui parte jam præterlapsum, initium accepit. In alterutro ex hisce cœmeteriis, si modo vera sit Usuardi annuntiatio, sensuque, quem supra assignavi, intelligenda sit, Sanctus terræ a fidelibus indubie fuit mandatus. Quapropter cum dictorum cœmeteriorum antiquius ante sæculum tertium non fuerit exstructum, necesse est, ut et* S. Candidus, *qui vel in illo vel in altero minus antiquo sepulturam obtinuit, ante idem sæculum tertium martyrii palmam non fuerit adeptus. Atque ita quidem discimus, Sancti nostri martyrium nec primo, nec secundo æræ Christianæ sæculo posse affigi; ast num tertio vel quarto potest innecti? Cum plures Romæ Christiani sæculo tertio quam quarto passi reperiantur, malo ego* S. Candidi *martyrium ad sæculum tertium referre,*

non ante sæculum III *passus est, si positio illa locum,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

referre, hocque propterea, addita tamen dubitandi formula, in margine adscripsi. Quod si tamen qua ratione in cœmeterio ad Ursum pileatum intra urbem sito certo queat statui Sancti nostri sepulcrum, sæculo quarto ejus martyrium, ob tempus, quo sepulcrum illud conditum docuimus, recte illigaris. Verum dubium est admodum, fueritne S. Candidus *intra, an extra urbem tumulo mandatus.*

ubi terræ mandatus est, signet, sin minus,

4 *Incertum ergo manet, tertione, an quarto sæculo martyrii palmam sit consecutus, eritque, ut consideranti patebit, pariter incertum, an id primo vel secundo sæculo non acciderit, si, ut fieri potest, ab Usuardo ad Ursum pileatum hodie annuntietur, non quod ibi sepultus, sed quod eo aliunde fuerit translatus. Quapropter quo rationibus supra allatis Sancti martyrium a primo et secundo sæculo recte removeatur, necesse est, ut hodierna Usuardi annuntiatio, quemadmodum jam ante satis innui, ad Ursum pileatum unius sepulturæ causa* S. Candidum *reponat; id autem fieri, prout etiam insinuavi, vero videtur similius. At Baronius in Annotatis, quæ ad hunc diem Martyrologio Romano subdit, alium prorsus sensum hodiernæ Usuardi annuntiationi attribuit, atque ea,* S. Candidum *ad Ursum pileatum passum poni. Ita, uti apparet, vir eruditissimus existimat, quod in ea antiquæ Romæ regione vetus legatur memoria lapidi incisa, qua ingens martyrum*
B *multitudo ad Ursum pileatum posita describitur. Vix dubitem, quin hæc, quam loco citato Baronius laudat, memoria sit altera ex binis inscriptionibus, numerum martyrum in cœmeterio ad Ursum pileatum intra urbem posito designantibus, atque ab Aringho plus semel jam laudato Romæ subterraneæ lib.* IV, *cap.* 42, *num* 19 *et sequenti exhibitis. Verum Usuardus urbes tantum, ubi passi sint martyres, non etiam illarum vicos solet signare. Ad hæc, uti ex eodem Aringho lib. et cap. citatis, num.* 21 *fas est colligere, omnes ii martyres, quos inscriptiones illæ recensent, cœmeterii ad Ursum pileatum martyribus non idcirco annumerantur, quod martyrio ibi coronati, sed quod vel sepulti, vel eo fuerint translati, ut, etiamsi* S. Candidus *ab Usuardo ad Ursum pileatum passus poneretur, id tamen Baronius, ob rationem jam discussam non recte affirmaret.*

tempus, quo martyrium subiit, plane est incertum.

5 *Baronio nihilominus hic etiam adstipulatur Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem sic scribens :* Candidus apud Ursum pileatum (qui vicus erat urbis in Esquiliis; ubi nunc ædes est S. Bibianæ virginis et martyris) martyrium passus ab Usuardo... refertur; extatque adhuc ibi ejus memoria inscripta, *comprehensa scilicet, ut hic auctor verosimiliter vult, sub veteri plurimorum martyrum memoria ex Baronio mox laudata. Certe*
C *aliam, quæ* S. Candidum *nominatim memoret, memoriam non novi. Porro si* S. Candidus, *quod tamen non puto, ab Usuardo ad Ursum pileatum, quod ibi* D *passus sit, forte annuntietur, nihil plane suppetet, quo, ut consideranti patebit, ejus martyrium uni potius quam alteri e tribus prioribus æræ Christianæ sæculis attribuas, prorsusque manebit dubium, non tantum, an in cœmeterio ad Ursum pileatum intra urbem, verum etiam an in cœmeterio ad Ursum pileatum extra urbem* S. Candidus *sepultus, aut etiam eo translatus umquam fuerit. Utut tamen sit, Bosius supra laudatus, cui Piazza in Hemerologio suo sacro et Menologio Romano assentitur, Romæ subterraneæ lib.* II, *cap.* 17, *pag.* 167 *in eam opinionem propendet, quæ* S. Candidum *in cœmeterio, ad Ursum pileatum extra Urbem via Portuensi sito, terræ mandatum statuit. Idcirco autem eo inclinat, quod, ut conjicit,* S. Candidus *ortum duxerit ex præclarissima Romana Candidorum familia, cujus juris aliquando fuerit locus, in quo postmodum cœmeterium ad Ursum pileatum via Portuensi fuerit exstructum. Verum non video, solido aliquo fundamento illam Bosii conjecturam inniti. Quod si tamen* S. Candidus *in aliquo ad Ursum pileatum cœmeterio fuerit sepultus, id potius factum esse in cœmeterio ad Ursum pileatum extra, quam intra urbem idcirco existimo, quod, uti supra docui, Sanctus ante sæculum quartum martyrio verosimiliter fuerit coronatus, tuncque cœmeterium ad Ursum pileatum intra urbem nondum exstiterit.* E

In Hispaniam translatus, ibique cultus, a Tamayo asseritur.

6 *Vides jam, credo, erudite lector, nihil afferri posse, unde sat certum fiat, quo tempore Sanctus noster passus fuerit, quove in cœmeterio, seu intra seu extra urbem sito, fuerit sepultus. Hinc Tamayus in Martyrologio Hispanico Annuntiationi, qua hodie* S. Candidi, *martyris Romani, ut ait, ad Ursum pileatum passi, apud Solanam, Ordinis S. Jacobi de Spatha, in cœnobio Fratrum SS. Trinitatis Excalceatorum depositionem commemorat, recte hanc annotationem subjungit :* Ejus (*S. Candidi*) Acta periere, ideo tempus, quo martyrium pertulit, ignoratur. *Ast mox addit :* Illud certissimum est, quod sacra hujus Martyris lipsana Roma Madridium translata fuere cum aliis sanctorum Martyrum exuviis, quas R. P. F. Joannes ab Annuntiatione, SS. Trinitatis Ordinis Excalceatorum alumnus, a SS. Pontifice, Urbano octavo, cujus nepotis fuerat confessarius, accepit, et Generali Ordinis misit, ut inter monasteria sui Ordinis in Hispania divideret; qui hoc sanctum corpus Candidi monasterio Solanensi in Martia, nostris Mancha, donavit, ubi adhuc colitur, et honorifice custoditur. *Unde inter omnia incerta, quæ de Sancto hactenus disseruimus, saltem ejus in Hispania cultus, si modo Tamayi Candidus a Nostro, quod non ausim asserere, non distinguatur,* F *certus evadet atque indubitatus. Ceterum de* S. Candido, *cum nulla ejus Acta exstent, plura non novi.*

DE SS. DIONYSIO, EP. ALEXAND., FAUSTO M., CAIO, PETRO, PAULO ET QUATUOR ALIIS

ALEXANDRIÆ ET FORTE ALIBI IN ÆGYPTO.

C. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. S. Dionysius, episcopus Alexandrinus, cur hodie detur; sanctorum Sociorum ejus in Fastis sacris memoria, locus et tempus felicis e vita excessus.

ANNO CCLXV, CIRCITER, ET INITIO SÆC. IV. *S. Dionysius, Martyrologio Romano hodie inscriptus,*

Martyrologio Romano hodierno reformato hæc hodie annuntiatio inscribitur : Eodem die (*tertio Octobris*) sanctorum martyrum Dionysii, Fausti, Caii, Petri, Pauli et aliorum quatuor, qui primo sub Decio multa passi demum sub Valeriano ab Æmiliano præside diu tormentis vexati martyrii palmam meruerunt. *Novem hos Sanctos, quorum quinque nominantur, quatuor linquuntur anonymi, nullis prorsus antiquis Latinorum Fastis sacris ad hunc diem insertos invenio; ast eos ex Menologio Sirletiano eruditissimi Martyrologii Romani reformatores dubio procul accepere. Id ipsemet Baronius, horum unus, in Annotatis, quibus illud illustravit, non obscure indicat.* Agunt, *inquit*, et de his (*Sanctis annuntiatione Romani hodierni mox adducta contentis*) hac item die (*tertia Octobris*) Græci in Menologio (*Sirletiano scilicet*) his verbis : Natalis sancti martyris Dionysii et Sociorum octo. Hic sub Valeriano et Gallieno imperatoribus adductus ad præsidem Æmilianum, perseverans

A perseverans in Christi confessione, exilio primo damnatur, atque proscribitur, ac lapidatur; plura tormenta, quam olim in Libya sub Decio passus. Conclusus igitur in loco squalido cum Fausto, Gaio, Petro et Paulo, qui cum illo annos duodecim easdem pœnas toleraverant, consummatus est in confessione Christi. *Sanctus* Dionysius, *qui hic, atque adeo etiam is, qui in Romano hodierno supra memoratur, alius non est, quam magnus ille* Dionysius, *Alexandrinæ urbis in Ægypto episcopus.*

alius non est, quam Dionysius Alexandrinus episcopus,

2 *Id ex binis ipsiusmet* S. Dionysii, *Alexandrini episcopi, epistolis, quarum una contra quemdam Germanum, illius temporis episcopum, Sancto obtrectantem, altera ad Domitium et Didymum scripta est, liquido patescit. Etenim in his epistolis, quarum duo egregia Fragmenta in Historia sua Ecclesiastica, alterum lib.* VI *cap.* 40, *alterum lib.* VII *cap.* 11, *Eusebius exhibet,* S. Dionysius, *quæ sibi in persecutione Decii acciderint, exponit, suosque in hisce comites ac socios fuisse indicat* Faustum, Caium, Petrum *et* Paulum, *ut adducta Menologii Sirletiani annuntiatio ex binis laudatis Eusebii capitibus deprompta sit, atque adeo ut* Dionysius, *cui hæc illos ipsos passionum Socios adjungit, alius non sit, quam magnus ille* Dionysius, *Alexandrinæ urbis in Ægypto episcopus. Adhæc altero epistolæ adversus Germanum scriptæ Fragmento, quod Eusebius Historiæ*
B *Ecclesiasticæ lib.* VII *cap.* 11 *pariter exhibet,* Dionysius, *Alexandrinus episcopus, quæ sub Valeriano passus sit, ipsemet etiam exponit. Confer ea cum hodierna Menologii Sirletiani annuntiatione, et illico videbis, quæcumque hæc sub Valeriano* Dionysium suum *passum affirmat, ex epistolæ Fragmento proxime citato esse desumpta, ut adeo non alium, quam* Dionysium *Alexandrinum episcopum designet. Accedit,* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, nullo alio die in Menologio Sirletiano inveniri; cum autem verisimile non sit, in hoc Virum sanctissimum juxta ac celeberrimum nuspiam memorari, dubitandum non est, quin id hodie fiat. Ut id mihi omnino persuadeam, faciunt etiam Mediolanensia bibliothecæ Ambrosianæ Menæa Mss., infra pluries memoranda, quæ* S. Dionysium, *Alexandrinum episcopum, addito ἀρχιεπισκόπου ἀλεξανδρείας titulo, hodie annuntiant, sicque apertissime designant.*

ideoque hic hodie datur cum adjunctis sanctis Sociis,

3 *Porro quamvis, ut ex jam dictis constat,* Dionysius, *Martyrologio Romano hodie insertus, alius non sit, quam* Dionysius, *Alexandrinus episcopus, hic tamen Sanctus in eodem Martyrologio Romano iterum, quamquam sine Sociis, quibuscum hodie memoratur, ad diem* 17 *Novembris expressius signatur. Idem ad diem* 19 *Novembris accidit* S. Fausto. *Hic*
C *enim, ut ex dicendis manifestum fiet,* Faustus, *ibidem signatus, ab hodierno* Fausto *non distinguitur. Ad hæc* Faustum *et* Caium, *quos hodie cum* Dionysio, Petro *et* Paulo *celebrat, ad diem sequentem cum SS. Eusebio, Chæremone et Lucio denuo commemorat. Hinc in Martyrologio Romano majorem accurationem non immerito quis forte requirat. Sollerius noster in Usuardo a se illustrato ad diem* 17 *Novembris eruditissimos Martyrologii Romani reformatores memoria forte lapsos, existimat, dum* S. Dionysium, *Alexandrinum episcopum, quem jam ad* 3 *Octobris diem annuntiarant, ad* 17 *Novembris iterum producunt. Ast id ego non ex memoriæ lapsu, sed ex eo potius factum reor, quod viri, utut alias perspicacissimi, hic tamen non satis perspexerint, unum eumdemque esse* Dionysium, *qui Alexandrinæ in Ægypto urbis exstitit episcopus, et ad* 3 *Octobris diem Menologio Sirletiano inscribitur. Ex unitate quoque non sat perspecta factum puto, ut iidem eruditissimi viri sanctorum* Caii *et* Fausti *annuntiationem iterarint. Et vero, quod ad* S. Dionysium *pertinet, nihil in Sirletiana ejus ad* 3 *Octobris diem annuntiatione occurrit, unde, an de* S. Dionysio, *Alexandrino episcopo, sermo sit, colligas, nisi illam cum fonte suo, in Ecclesiastica Eusebii Historia a me jam assignato, sedulo conferas. Utut sit, mihi sufficit, magnum illum* Dionysium, *Alexandrinæ urbis episcopum, Martyrologio Romano hodie inscribi, ut hunc Sanctum, quamvis in Prætermissis diei* 14 *Septembris ad* 17 *Novembris jam remissum, una cum adjunctis ei sanctis Sociis hodie tradam. Ab his duco initium, ut deinde quidquid ad solum* S. Dionysium *pertinet, rerum narrandarum seriem interrumpere non coactus, commodius pertractem.*

AUCTORE C. B.

4 *Menologio Sirletiano et Martyrologio Romano hodierno, quibus, ut docuimus,* S. Dionysius, *Alexandrinus episcopus, una cum* SS. Fausto, Caio, Petro, Paulo *et aliis quatuor Sanctis anonymis hodie inscribitur, alii insuper Fasti sacri accedunt, quos inter non infimum locum obtinent magna Græcorum Menæa typis excusa. Hæc* SS. Faustum, Caium, Petrum *et* Paulum, *quibus quatuor anonymos insuper adjungunt, una cum* S. Dionysio *etiam recensent, eosque brevi celebrant elogio, cui præmissi versiculi solum* S. Dionysium, *sanctis ejus octo Sociis, quorum quatuor tamen nominat subjectum elogium, relictis anonymis, nominatim exprimunt. En illos cum adjuncta versione Latina :*

qui præterea cum S. Dionysio Menæis Græcorum excusis,

Διονύσιος σὺν συνάθλων νῦν ὀκτάδι,
Ζόφου μετάσας, φωτὸς οἰκεῖ χωρίον.
Dionysius nunc cum octo commilitonibus,
Amota caligine, lucis locum inhabitat.

Alluditur hic haud dubie ad locum squalidum et tenebrosum, cui cum SS. Fausto, Caio, Petro *et* Paulo S. Dionysius *inclusus gloriosa Christi confessione vitam terminasse asseritur in elogio versiculis recitatis subjecto; quod huc tamen, quoniam tam in hoc, quam in aliis adjunctis, cum Sirletiano elogio, ad num.* 1 *recitato, apprime consonat, non transcribo. Nec etiam, an Menæorum, Menologii Sirletiani, aliorumque, quos jam produximus aut porro producturi sumus, sacrorum Fastorum elogia exactæ veritati omnino congruant, nunc disquiro; dabitur infra commodior id faciendi locus.*

E

5 *Menæis Græcorum excusis, ex quibus jam quæcumque ad* S. Dionysium, *Alexandrinum episcopum, ejusque sanctos Socios pertinent, in medium adduxi, Fastos homonymos subjungo, Mediolanensia scilicet, ante adhuc laudata, quorum penes nos est ecgraphum, Bibliothecæ Ambrosianæ Menæa Mss. Hæc, brevi præmissa annuntiatione, Sanctos nostros pariter elogio, atque eo quidem paulo prolixiori, exornant; at simul a Menæis excusis non parum dissentiunt. Etenim nec sanctos* S. Dionysii *Socios numero definito exponunt, nec hos inter* Petrum *et* Paulum *nominatim recensent. Non dubito tamen, quin etiam binos hosce Sanctos indefinito, quem dumtaxat exhibent, sanctorum* Dionysii *Sociorum numero includant. Sic existimo, quod tum in elogio, quo Sanctos celebrant, tum in brevi annuntiatione elogio præfixa sermonem, ut mihi quidem apparet, de iis omnibus Sanctis instituant, qui* S. Dionysium *sive in fuga, quam sub Decio jussu divino arripuit, sive in exsilio, quod sub Valeriano subiit, comitati sunt, aut certe cum eo utriusque persecutionis, a duobus illis imperatoribus in Christianos motæ, acerbitatem pertulerunt. Laudatum elogium, quod e Græco Latinum feci, cum annuntiatione prævia, Latine quoque reddita, huc transcribo, ut facta cum geminis Historiæ Eusebianæ capitibus, num.* 2 *citatis, collatione, suum de hac re ferre queat eruditus lector judicium.*

Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ Menæis Mss.

F

6 *En illud :* Ἄθλησις τοῦ ἁγίου μαρτύρος Διονυσίου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας καὶ τῆς συνόδου αὐτοῦ Γαΐου, Φαυστοῦ, Εὐσεβίου καὶ τῶν λοιπῶν. οὗτος ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας οὐαλεριανοῦ, τὸν διωγμὸν κινησάντος καὶ κατὰ πάντων μὲν τῶν Χριστιανῶν, κατ' ἐξαίρετον δὲ κατὰ τῶν ἐπισκόπων, οὓς εὐδόκει πάντας ὑπὸ τὴν χεῖρα ποιῆσαι τὴν ἑαυτοῦ. Αἰμιλιανὸς δέ τις Ἀλεξανδρείας ἡγεμὼν κρατήσας αὐτὸν βίῳ καὶ λόγῳ κεκοσμημένον ὄντα διδασκαλικόντε πάνυ καὶ τῆς ὀρθῆς ἀντεχόμενον πίστεως, σὺν Φαύστῳ διακόνῳ καὶ λοιποῖς, καὶ πολλὰ καταναγκάσας θῦσαι τοῖς εἰδώλοις καὶ ταῖς βασάνοις ἀπαλλαγῆναι καὶ μὴ πείσας, εἰς ἐξορίαν παραπέμπει, πάσης αὐτοὺς κωλύων συνόδου καὶ συναγωγῆς καὶ ὁμιλίας πρὸς τοὺς συνήθεις. Ἀπαχθεὶς δὲ ἐν τῇ Κεφρῇ καὶ διδάσκων τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, ἐλιθεύζετο ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ μαθὼν ταῦτα Αἰμιλιανὸς ἐκέλευσεν ἀποιχισθῆναι αὐτὸν εἰς τραχυτέραν χώραν γῆς ὧν

quorum elogium, quo Sanctos celebrant, Græce

AUCTORE C. B.

λησῶν καὶ μιαιφόνων πεπληρωμένην ἀνδρῶν, ἐν ᾗ πολλοὺς ὑφῆρπασε πειρασμούς· οὐ μόνον δὲ τότε τοιαῦτα ἔπασχε, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς Δεκίου χρόνοις. Εὐσέβιος δὲ καὶ Χαρίμων διάκονοι παρὰ Θεοῦ ἐνδυναμωθέντες καὶ τοὺς ἐν φυλακαῖς ἐπισκεπτόμενοι καὶ θάπτοντες τὰ τῶν μαρτύρων λειψάνα, πολλὰς βασάνους ὑπέμειναν. Ὁ γοῦν μακάριος Διονυσίος διαφόροις ὁμολογίαις καὶ κινδύνοις καὶ ἐξορίαις ἐγκαρτερήσας μέχρι δωδεκάτου ἔτους τῆς Γαλλιήνου βασιλείας ἐτελεύτησεν ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ὁμολογίᾳ. Φαῦστος δὲ ὁ σὺν αὐτῷ διάκονος διήρκεσε μέχρι τοῦ κατὰ Μαξιμῖνον διωγμοῦ καὶ γηραιὸς κομιδῇ γενόμενος ἐν ταῖς θλίψεσι μαρτυρικῶς τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται, τῶν δὲ λοιπῶν οἱ μὲν ταῖς βασανοῖς ἐναπέτανον, οἱ δὲ τὸν Θεὸν ἀνακηρύττοντες ἐτελεύτησαν.

et Latine hic exhibetur,

7 *Accipe nunc versionem Latinam.* Certamen sancti martyris Dionysii, archiepiscopi Alexandrini, atque etiam Gaii, Fausti, Eusebii, reliquorumque, qui ex ejus societate fuerunt. Hic floruit sub imperio Valeriani, qui persecutionem excitavit, contra omnes quidem Christianos, maxime vero contra episcopos, quos omnes sibi habere volebat obsequentes. Æmilianus autem quidam Alexandriæ præfectus eum vivendi ratione, eloquentia et docendi peritia supra modum præstantem, atque insuper veræ fidei adhærentem cepit una
B cum Fausto diacono et reliquis, eosque plurimum impulsos nec permotos, ut idolis sacrificarent atque a tormentis caverent, in exsilium misit, omni conventu sermoneque cum familiaribus inhibito. Abductus autem (*Dionysius scilicet*) in Cephro, docensque Dei verbum, a populo lapidibus est appetitus. Hæc autem edoctus Æmilianus, jussit eum migrare in regionem asperiorem, latronibus cruentisque viris repletam, ubi multas ærumnas sustinuit : neque solum hæc tunc passus est, sed etiam tempore Decii : Eusebius vero et Charimon * diaconi a Deo roborati, captivos visitantes,

* *al.* Chæremon

martyrumque reliquias sepelientes, multa gravia sustinuerunt. Beatus igitur Dionysius cum in diversis confessionibus et periculis et exsiliis usque ad annum duodecimum regni Gallieni patienter perseverasset, in Christi confessione excessit e vivis : Faustus vero ejus diaconus usque ad Maximini persecutionem in vivis mansit, factusque valde senex in tormentis fidem confessus capite truncatus est : quod vero pertinet ad reliquos, alii tormentis sunt immortui, alii vero Deum prædicantes obierunt.

aliusque Fastis sacris inscribuntur :

8 *Adi nunc, erudite lector, bina Eusebii capita supra plus semel laudata, factaque horum cum elogio jam recitato collatione, videbis in hoc, quantum opinor, de iis omnibus esse sermonem, qui sive in*
C *Decii, sive in Valeriani persecutione* S. Dionysio, *Alexandrino episcopo, ærumnarum et laborum socii comitesque exstiterunt. Quapropter cum hos inter, ut ex dictis num.* 2 *liquet, certo computandi sint* Petrus *et* Paulus, *dubium esse non potest, quin hos quoque Menæa Ambrosiana sub indefinito, quem exhibent, sanctorum* Dionysii *Sociorum numero includant. Nec est, cur quis propterea existimet, Chæremonem die sequenti a nobis dandum, et Eusebium die tertia Julii cum S. Anatolio jam datum, una cum* SS. Gaio *et* Fausto *a Menæis Ambrosianis* S. Dionysio *socios hic adjunctos, pariter contineri sub quatuor Sanctis anonymis, quos cum* S. Dionysio, *hujusque quatuor aliis nominatis Sociis Fasti sacri ante Menæa Ambrosiana supra producti commemorant. Etenim elogia, quibus hi omnes Sanctos nostros celebrant, primam suam trahunt originem ex binis plus semel jam laudatis Eusebii capitibus; in his autem præter* SS. Faustum, Caium, Petrum *et* Paulum *octo insuper aut novem alii, hosque inter Eusebius et Chæremon, qui omnes, Decio et Valeriano Christianos persequentibus, e* S. Dionysii *societate aut etiam clero exstitere, nominatim expressi occurrunt. Quapropter quamvis dubium non sit, quin sub quatuor nostris anonymis* S. Dionysii *Sociis, quatuor item ex illis octo aut novem nominatis comprehendantur, pro certo tamen, quinam hi sint, nequit edici. Utut sit, generali commemoratione Sanctos nostros omnes tam anonymos quam nominatos Menæa Ambrosiana celebrant, quod sufficit, ut hæc Fastis sacris illos signantibus annumeranda hic sint. Venio nunc ad Fastos reliquos, quibus sanctorum* Dionysii *Sociorum memoria inscribitur. Maximus Margunius, Cytherorum episcopus, in suo Menologio, hodierna Græcorum lingua vernacula conscripto, Menæis excusis presse inhæret, nihilque ab his diversum docet.* D

in duobus tamen omnes martyrio adjecta etiam palæstra,

9 *Castellanus Romani hodierni elogium ex idiomate Latino in Gallicum nude convertit, recteque monet, apposita, in margine notula,* S. Dionysium *esse* Dionysium *Alexandrinum episcopum, qui* 17, *et* S. Faustum *esse* Faustum *martyrem, qui* 19 *Novembris Romano Martyrologio iterum inseritur. Galesinius a Fastis omnibus hactenus memoratis dissentit. Etenim, quod in his non fit, annuntiationi suæ locum adscribens, Sanctos in Græcia annuntiat. Cum tamen idcirco dumtaxat verosimiliter id faciat, quod illos, utpote Menæis et Menologio Sirletiano inscriptos, cultu ecclesiastico apud Græcos gaudere existimet, erroris quidem certo hic argui non potest; verum, cum* S. Dionysium *ejusque omnes sanctos Socios martyrium pertulisse, insuper affirmet, in hoc saltem asserto, ut ex dicendis patescet, a veritate certissime aberrat, nisi forte, quod tamen non ap-* E *paret, nihil aliud velit, quam Sanctos nostros, tyrannorum minis tormentisque spretis, fidem fortiter fuisse confessos, non autem pro ea sanguinem fudisse. Ferrarius et Tamaius* S. Dionysio *ejusque sanctis Sociis martyrii palmam pariter attribuunt; atque id quidem iis verbis faciunt, ut non nisi de stricto martyrio queant intelligi. Adhæc prior martyrii eorum palæstram Romæ in Italia, posterior Contrebiæ in Hispania constituit, qui alter amborum error est longe gravissimus. Tamaius quidem, ut ipsemet in Notis ad Martyrologium suum Hispanicum indicat, Sanctos in Hispania passos didicit ex Juliani, Toletani archipresbyteri, adversariis; verum hæc mera dumtaxat sunt commenta, a majoribus nostris aliisque eruditis sæpius convulsa, meritoque explosa. Quod autem ad Ferrarium pertinet, hic quidem ad calcem elogii, quo* S. Dionysium *ejusque Socios exornat, Bedam, Usuardum et Adonem nominatim citat; verum hi Sanctos illos omnes martyrium subiisse, Romæque insuper id accidisse, nuspiam affirmant.*

coronati perperam

10 *Et vero non video, qua ratione quove fundamento sat firmo innixi asseverare hoc possent antiquiores illi martyrologi. Etenim Sanctos nostros omnes, nec Romæ, nec alibi martyrio coronatos esse, vel ex solo obitus, quo e vivis excessit* S. Dionysius, F *loco et genere fit perspicuum. Hic quippe, ut infra luculentissime probabimus, post pacem, Ecclesiæ a Gallieno redditam, Alexandriæ in Ægypto mortalem hanc vitam felici tranquillaque morte terminavit. Qua ergo veri specie dici potest martyrio, et quidem Romæ coronatus? A Græcis quidem* Ἱερομάρτυρος *titulo, idque non immerito, decoratur; verum id propterea non fit, quod stricti nominis martyr sit, seu quod persecutorum gladio occubuerit, sed quod, cum bis pro fide Christiana tentus, atque in exsilium pulsus fuerit, ob gloriosam Christi confessionem non pauciores, quam plurimi martyres martyrii palmam gladio vere adepti, calamitates fuerit perpessus. Quod si simili ratione ac sensu, ut in Romani hodierni annuntiatione num.* 1 *producta fieri existimo, omnes omnino* S. Dionysii *Socios vocare pariter libuerit* martyres, *nihil magnopere refragabor. Quamvis enim nihil suppetat, quo eos omnes ferro igneve violentam pro fide mortem oppetiisse ostendam, dubium tamen non est, quin ob Christi confessionem plures ærumnas pertulerint.*

dicuntur : unius dumtaxat Fausti,

11 Faustus *quippe,* Caius, Petrus *et* Paulus, *ut Menologii Sirletiani annuntiatio num.* 1 *adducta docet,* duodecim annos toleraverant *cum* S. Dionysio, *quando hic in confessione Christi Domini e vivis excessit. Quamquam autem, ut infra ostendam, Menologium Sirletianum correctione hic indigeat,*

Sanctos

A *Sanctos tamen cum* S. Dionysio *plurima perpessos, recte innuit. Etenim (consule bina Historiæ Eusebianæ capita supra sæpius laudata) cum* S. Dionysio *in fuga, quam, Decii persecutione exorta, arripuerant, a submissis satellitibus comprehensi, plurimis calumniis, ut verisimillimum est, fuere affecti : etiamsi autem ex eorum manibus a supervenientibus Marcotis fuerint erepti, gravissimas deinde, durante Decii persecutione, ærumnas procul omni dubio pertulere. Atque hæc quidem ad omnes quatuor* S. Dionysii *nominatos Socios pertinent; de* Paulo *nominatim nihil occurrit : quod vero ad* Petrum *et* Caium *attinet, hi postquam e satellitum, a quibus capti fuerant, manibus essent erepti, durante Decii, non Valeriani, ut vult Rufinus, persecutione, in deserto quodam ac squalido, qui tridui itinere a Parætonio distabat, Libyæ loco, reliquis orbati fratribus, substitere inclusi, ut tunc plurimas, easque gravissimas, calamitates certissime subierint. Alia de duobus hisce posterioribus* S. Dionysii *Sociis nec ex Eusebio, nec ex aliis documentis fide dignis innotescunt, ut hos sanctumque* Petrum, *utut forte stricti nominis martyres sint, vitam, fuso pro fide sanguine, finiisse, martyrologi supra laudati perperam affirment.* Faustus *quidem martyrii palmam, capite amputato, obtinuit; verum hoc non sufficit, ut* S. Dionysius *ejusque reliqui Socii martyribus*
B *indubie accenseantur. Sed hæc de asserto nec probato* SS. Dionysii, Caii, Petri *et* Pauli *martyrio disputata sufficiant. De* Fausto, *cujus solius martyrium extra controversiam est, agendum nunc est.*

qui verosimiliter a Fausto, ad diem

12 *Hic Sanctus,* Petro, Paulo *et* Caio, *tribus aliis* S. Dionysii *Sociis, quos Fasti sacri jam recensiti nominatim exprimunt, nonnihil celebrior, in Romano hodierno, cui hodie et die sequenti etiam inscribitur, ad diem* 19 *Novembris, ut supra dixi, iterum signatur. Verum dubitari nunc insuper potest, num in eodem Romano hodierno* S. Fausti *memoria ad* 26 *dicti Novembris diem denuo non recurrat. Etenim ibidem hæc ponitur annuntiatio :* Alexandriæ natalis sancti Petri ejusdem urbis episcopi, qui cum esset omnibus virtutibus exornatus, Galerii Maximiani (*imo Maximini*) præcepto capite obtruncatur. Passi sunt etiam Alexandriæ in eadem persecutione sancti martyres Faustus presbyter, Didius et Ammonius, itemque Phileas, Hesychius, Pachomius et Theodorus episcopi Ægyptii, cum aliis sexcentis sexaginta, quos persecutionis gladius evexit ad cælos. *Cum autem, ut mox docebimus,* S. Faustus, *qui cum* S. Dionysio
C *Decii et Valeriani persecutionum tempore Christianam fidem adhuc diaconus fortiter est confessus, grandævus admodum factus vitam etiam ad Diocletiani usque persecutionem protraxerit, dubitari posse videtur, num unus idemque non sit cum homonymo memorato in annuntiatione proxime adducta Didii, Ammonii et Petri, Alexandrini episcopi, passionis socio, qui sub* Dionysio *diaconus, a successorum aliquo presbyter ordinatus fuerit, ac tandem senio confectus martyrii coronam sub Maximino sit adeptus. Est sane, cur hic, ut mihi quidem apparet, dubitabundus quis hæreat.*

26 Novembris Romano hodierno etiam inscripto, diversus est,

13 *Diversus nihilominus* Faustus *noster a Fausto, qui die* 26 *Novembris Romano hodierno inseritur, idcirco esse videtur, quod hic conjungatur cum sociis omnino diversis a Sociis, quibuscum* Faustus *noster ad alios dies plus semel Fastis sacris inscribitur. Adhæc Eusebius editionis Valesianæ, quam hic semper, nisi aliud indicem, intelligo, Fausti presbyteri martyrium, qui cum Petro Alexandrino sub Maximino passus est, lib.* VIII *cap.* 13 *commemorat, nec tamen ullo verbo insinuat, hunc esse* Faustum *nostrum, quem, ut mox videbimus, grandævum jam ac pene decrepitum ætate sua, capite amputato, martyrium consummasse, lib.* VII *cap.* 11 *narrarat. Hinc fit, ut mihi saltem verisimilius appareat, S. Faustum, Petri Alexandrini in martyrio socium, a* S. Fausto *nostro esse destinctum, atque adeo hunc in Romano hodierno ad diem* 26 *Novembris denuo non annuntiari. Ceterum nihil occurrit aliud, quod ad distinctionem inter utrumque Faustum stabiliendam conducat. Verum, utut sit, certe* Faustus, *ad diem Novembris decimum nonum Romano moderno inscriptus, a* Fausto *nostro, uti mox docebo, distinctus non est. Ut ergo, quæ ad hunc spectant, accurate exponam, commemoranda sunt, quæcumque ad illum spectantia, sive in Eusebiana Historia, sive alibi litteris consignata memoratuque digna invenio.* Faustus, *qui Romano hodierno ad diem* 19 *Novembris inseritur, quique adeo a nostro non distinguitur, ad eumdem diem celebratur etiam a Romani parvi auctore, Adone, Usuardo, Molano, Greveno, Maurolyco, qui postremus Sanctum Romæ sub Decio decollatum, perperam affirmat. Idem forte aut simile quid vult Galesinius. Certe alias non video, cur* Faustum *Romæ annuntiet. Non opus esse arbitror hic singulos istorum martyrologorum textus proferre, cum nihil suppeditent, quod non in longiori Adonis annuntiatione contineatur, quam integram, quod rerum ad Sanctum spectantium compendium exhibeat, huc transcribo.*

AUCTORE C. B.

certum est martyrium,

14 *Sic habet :* Die eodem (*19 Novembris*) Natale sancti Fausti martyris. Huic tantum fiduciæ et magnanimitatis per Dei gratiam datum est, ut, cum ad eos, qui in carcere tenebantur, fratres nemo prorsus humanitatis et ministerii causa permitteretur accedere, iste una cum collega suo Eusebio E indesinenter et reviseret, et necessaria ministraret. Et cum per dies singulos præsidis furor cresceret, jugulando alios, alios suppliciis et diversis cruciatuum generibus affligendo, squallore carceris et catenarum pondere enecando, et super omnia præcipiendo, ne quis ad eos prorsus accederet, ut et inedia quasi aliud tormenti genus adhiberetur : concessit tamen Deus huic Diacono et collegæ ejus gratiam, ut, invitis omnibus, eis ad confessores Christi non negaretur accessus. Grandævus igitur et plenus dierum confessor perdurans, perfecto martyrio, beatus Faustus obtruncatione capitis consummatus est. *Totum hoc elogium, quam longum est, ex lib.* VII *cap.* 10 *Eusebii per Rufinum interpolati, ut ex utriusque collatione patebit, ad verbum est depromptum. Attamen nihil de* S. Fausto *continet, quod non etiam in genuino Eusebio fere comprehendatur. Ac primo quidem hic lib.* VII *cap.* 11 *luculentissime etiam docet,* S. Faustum, *senio jam confectum, martyrii palmam, capite amputato, retulisse.* Sciendum porro est, *inquit,*.... Faustum,.... qui tunc temporis confessionis titulo una cum Dionysio (*Alexandrino scilicet episcopo*) inclaruit, ad nostri usque temporis persecutionem reservatum, grandævum jam, ac pene decrepitum nostra ætate, capite amputato, martyrium consum- F masse. *Hæc Eusebius; unde non tantum* S. Fausti *martyrium certum efficitur, sed et indubitatum fit,* S. Faustum *hodie Romano Martyrologio insertum, cum hic etiam (vide num.* 2) *ex Eusebii capite proxime citato depromptus sit, diversum non esse, ut docturum me monui, a* S. Fausto, *qui ad diem* 19 *Novembris Martyrologio Romano itidem inseritur.*

quod, expositis aliis, quæ de S. Fausto

15 *Expendamus modo, num in Eusebio pariter contineantur reliqua de hoc sancto nostro Martyre annuntiationis Adonianæ asserta. Secundum hanc* S. Faustus, *sæviente in Christianos tyrannorum persecutione, fideles fidei causa in carceribus detentos frequenter visitavit, auxilio, quo potuit, juvit, eoque in charitatis Christianæ officio collegam et adjutorem habuit Eusebium diaconum et ipse Diaconus. Jam vero Eusebius historicus lib.* VII *cap.* 11 *Fragmentum, ut jam supra docui, suppeditat epistolæ ad Domitium et Didymum a* S. Dionysio, *Alexandrino episcopo, conscriptæ : in hac autem Sanctus ita memorat :* In urbe autem (*Alexandrina*) occultarunt se, ut fratres (*Christianos fidei causa, ut ex contextu liquet, in carcere detentos*) clanculo invisant, presbyteri quidem : Maximus, Dioscorus, Demetrius et Lucius;... diaconi vero post illos, qui morbo consumpti sunt, superstites, Faustus, Eusebius, Chæremon. *Quibus ex verbis apte colligitur,* S. Faustum *diaconum, persecutionis tempore*

AUCTORE C. B.

Christianos captivos visitasse, eoque in munere S. Eusebium, pariter diaconum, socium sibi atque adjutorem habuisse, ut hic iterum ab Eusebio non dissentiat Adoniana annuntiatio. Porro S. Eusebius diaconus, qui et in annuntiatione Adoniana et in laudato epistolæ S. Dionysii Alexandrini Fragmento Christianos carcere detentos cum S. Fausto *visitasse asseritur, postmodum fuit, ut Eusebius capite proxime citato diserte affirmat, Laodiceæ in Syria episcopus. Hinc non video, cur Sollerius noster ad diem tertiam Julii in S. Anatolio, Laodiceæ in Syria episcopo, ejusque decessore S. Eusebio, affirmet, posteriorem hunc Sanctum Romano parvo, quod ad diem* 19 *Novembris, ut jam docui,* S. Faustum *celebrat, nuspiam esse inscriptum.*

apud Eusebium memorantur,

16 *Etenim laudatum Romanum parvum ad dictum diem habet :* Et Fausti diaconi et Eusebii collegæ ejus, martyrum visitatorum; *hæc autem annuntiatio, ut ipsemet Sollerius in Usuardo a se illustrato ad eumdem diem observat, ex Rufini Eusebio, ex quo, ut monuimus, longior jam data Adonis annuntiatio desumpta est, indubie profluit. Quapropter cum S. Eusebius; qui in longiori Adonis annuntiatione, atque adeo in Rufini Eusebio celebratur, alius non sit, quam S. Eusebius, postea Laodicenus in Syria episcopus, dubitandum non est,*

B *quin hic ipse etiam S. Eusebius memoretur in adducta Romani parvi annuntiatione, qua simul cum* Fausto Martyrum Visitatoris *titulo decoratur, quod ambo, ut vidimus, Christianos fidei causa in carcere detentos frequenter visitarint. Tantum forte voluerit Sollerius, S. Eusebium a Romani parvi compilatore sub* episcopi *titulo cum S. Anatolio, quod verum est, nuspiam commemorari. Sed hæc obiter annotasse, sufficiat. Reliqua, quæ ad* S. Faustum *spectant, expedio.* S. Dionysius, *Alexandrinus episcopus, in epistola adversus episcopum quemdam, nomine Germanum, cujus alterum Fragmentum jam antea laudatum lib.* VII *cap.* 11 *exhibet Eusebius, socios, quibus comitantibus, Æmilianum, Alexandriæ præfectum, Valeriani persecutione exorta, accesserit, nominatim exprimit, illosque inter* S. Faustum *diaconum recenset.* Veni, *inquit,* ad Æmilianum, non solus, sed, comitantibus me Maximo compresbytero, et Fausto, Eusebio ac Chæremone diaconis. *Addit deinde, se cum iisdem sociis, atque insuper alio, nomine Marcello, postquam una coram Æmiliano fidem Christianam fuissent confessi, in vicum quemdam solitudini proximum, cui nomen esset* Cephro, *fuisse relegatum. Esse autem hic de* S. Fausto *nostro sermonem, datur intelligi ex Eusebii verbis num.* 14 *recitatis, quibus* S. Faustus, *atque is quidem noster, uti ex ante dictis liquet,* confessionis

C titulo una cum S. Dionysio *inclaruisse asseritur. Ceterum plura de* S. Fausto *non invenio. Restat, ut de tempore et loco, quo hic martyrio coronatus sit, aliique* Dionysii *Socii obierint, disseramus.*

initio sæculi IV accidisse, ostenditur;

17 *Si* Faustus *noster distinctus non esset a Fausto supra a nobis memorato, qui una cum beato Petro, Alexandrino episcopo, anno* 311 (*vide Sollerium nostrum in Patriarchis Alexandrinis num.* 181) *jussu Maximini Alexandriæ necato, martyrii palmam obtinuit, jam epocham simul et palæstram martyrii a* Fausto *nostro tolerati haberemus compertam, possemusque illud ad Maximinum imperatorem referre, si Menæis Ambrosianis (vide num.* 6) *fidere liceret. Verum cum inter utrumque Faustum, ut docuimus, verosimilius intercedat distinctio, exiguaque sit Menæorum fides, alia ineunda via est, qua quo loco et quo circiter anno* Faustus *noster, capite amputato, martyr effectus sit, aptius definiam. Eusebius verbis num.* 14 *recitatis hicque jam plus semel laudatis asserit,* S. Faustum, *qui confessionis titulo una cum S. Dionysio inclaruit, quique adeo noster est, ætate sua, capite amputato, martyrii palmam retulisse. Quapropter, cum Eusebius sæculo tertio jam senescente, anno circiter* 275, *natus, anno* 340 *vitam cum morte commutarit; intervallo autem inter utrumque hoc extremum medio duplex persecutio, altera, quæ a Diocletiano anno* 303 *inchoata, anno demum* 313 *finem accepit, altera, quæ a Licinio* 319 D *mota, victo eo a Constantino Magno, anno* 324 *penitus est exstincta, in Christianos efferbuerit, dubium minime relinquitur, quin* S. Faustus *inter annum* 302 *et* 323 *martyrio coronatus. Attamen id inter annum* 302 *et* 314 *verosimilius accidisse, idcirco arbitror, quod Licinianam persecutionem in Ægypto esse grassatam, non comperiam;* Faustum *autem Alexandriæ in Ægypto passum esse, verisimile appareat. Cum enim Alexandriæ exstiterit diaconus, ea ex urbe, in qua Christianis sub Decio in carcere detentis pro viribus succurrerat, nova denuo, in qua gladio percussus est, persecutione exorta, verosimiliter non excesserit, utpote tunc grandævus, nec sufferendis præ ætate admodum provecta fugæ incommodis satis idoneus. Adhæc verisimile etiam est, Virum sanctum, tyrannis quantumcumque sævientibus, Alexandriæ perstitisse, ut Christianos, quemadmodum in Deciana persecutione fecerat, opportuno auxilio juvaret, piis monitis recrearet, suoque exemplo ad constantiam animaret.*

ante quod verosimiliter obierunt omnes reliqui

18 *Atque ita quidem martyrii, quod* S. Faustus *subiit, non tantum exploratum est tempus, sed et locus, utcumque saltem, innotescit. Quod jam pertinet ad* SS. Caium, Petrum *et* Paulum, *quemadmodum, ut docuimus, dubium est, martyrione, an alio mortis genere vitam finierint, ita pariter dubium re-* E *linquitur, Alexandriæne in Ægypto, an alibi diem extremum clauserint. Cum nihilominus et ipsi e* S. Dionysii *Alexandrini comitatu, et verosimiliter etiam e clero exstiterint, malim eorum obitum Alexandriæ aut certe latiori modo in Ægypto, quam alibi ponere. Sane nullum fundamentum suppetit, quo vel in Hispania, vel Romæ, ut supra innuimus, mortui credantur. Porro sicuti nemo locum, sic nec annum, quo obierunt, certo definiat. Quod si Sirletianæ annuntiationi num.* 1 *productæ, certa sua constaret fides,* Caius, Petrus *et* Paulus *non ante annum* 265 *e vivis excesserint. Etenim laudata annuntiatio hunc in modum terminatur :* Conclusus igitur (S. Dionysius, *episcopus Alexandrinus*) in loco squalido cum Fausto, Gaio, Petro et Paulo, qui una cum illo duodecim annos toleraverant, consummatus est in confessione Christi Domini. *Quibus verbis innuitur,* S. Dionysium *obiisse, dum adhuc esset cum* SS. Fausto, Gaio, Petro *et* Paulo *in loco squalido inclusus, atque adeo hos omnes* S. Dionysio *vixisse superstites. Quapropter cum hic non citius quam anno* 265 *obierit, necesse erit, ut et ante hunc annum* Caius, Petrus *et* Paulus (*de* Fausto *enim jam dixi*) *diem suum non obierint. Verum illa annuntiationis laudatæ clausula errorem non unum involvit. Inprimis enim insinuat,* S. Dionysium F *obiisse squalido adhuc loco inclusum; id autem, cum Sanctus, reddita a Gallieno Ecclesiæ pace, e vivis excesserit, omni prorsus verisimilitudine destituitur. Adhæc ait,* SS. Faustum, Gaium, Petrum *et* Paulum *cum* S. Dionysio *duodecim annis tolerasse, ærumnas scilicet et calamitates, uti ex contextu liquet, persecutionum, quibus tyranni,* S. Dionysio *jam Alexandrino existente episcopo, sanctam Dei Ecclesiam miserrime afflixerunt.*

S. Dionysii Socii, etiam S. Petrus, qui a Petro,

19 *Verum tunc quatuor dumtaxat persecutiones in Christianos fuerunt excitatæ, prima nimirum a furente plebe idololatrica Alexandrina, secunda a Decio, tertia a Gallo, quarta a Valeriano, quæ etiam, cum hic a Persis esset captus, a Macriano in Ægypto fuit continuata. Quapropter, cum harum persecutionum posterior, quinque circiter, priores vero tres simul sumptæ quatuor circiter annis tantum tenuerint, persecutionum ærumnæ, quas* Faustus, Caius, Petrus *et* Paulus *cum* S. Dionysio *sustinuere, duodecim annorum spatium non implent. Binis ergo nævis hic laborat annuntiatio Sirletiana sæpius laudata, ideoque tanti apud me non est, ut ejus sola fide credam,* SS. Caium, Petrum *et* Paulum *ante annum* 265 *non obiisse. Ast, inquies, quo igitur circiter tempore obierunt? Cum* S. Dionysium, *uti ex ante dictis constat, Deciana in persecutione fugientem fuerint secuti, hæcque, ut nunc communis eru-*

ditorum

A *ditorum fert opinio, anno* 250 *aut sub finem præcedentis efferbuerit, certum est, Sanctos ante dictum annum* 250 *aut proxime prægressum non obiisse. Jam vero, cum tunc, utpote in ecclesiastico gradu verosimiliter collocati, annorum ut minimum viginti verosimillime exstiterint, eorum obitum, ne ad ætatem pene decrepitam omnes tres una cum* S. Fausto, *quod minus verisimile apparet, pervenisse dicendi sint, sæculo tertio, media sui parte jam præterlapso, innectendum existimo, nec quidquam occurrit, quo illum serius statuam certiusve definiam. Erit nihilominus ad quartum usque sæculum, non quidem illorum omnium, sed* Petri *saltem, obitus differendus, si is sit ille ipse Petrus, qui* S. Dionysio *in patriarchatum Alexandrinum post S. Maximum et S. Theonam successit. Hic enim Petrus* (*vide num.* 17) *anno* 311 *Alexandriæ, capite abscisso, martyrii coronam obtinuit. At* Petrum *nostrum non esse illum ipsum Petrum, qui postmodum ad episcopatum Alexandrinum fuit evectus, indubitatum apparet.*

Alexandrino episcopo, certissime distinguitur.

20 *Etenim Eusebius lib.* VII, *cap.* 11, *egregio epistolæ plus semel jam laudatæ, qua* S. Dionysius, S. Petri *nostri et S. Maximi presbyteri, postea Alexandrini episcopi, simul meminit, Fragmento exhibito, sedulo admonet, Maximum esse illum ipsum, qui postmodum Alexandrinus creatus est episcopus;*

B *id autem, si umquam pariter accidisset, silentio utique, ut facit, non fuisset de* Petro *nostro præteriturus, cui profecto non exiguo erat decori vertenda ad cathedram patriarchalem Alexandrinam promotio. Adhæc* Petrus *noster, dum* S. Dionysium *sub Decio fugientem comitatus est, viginti ut minimum secundum jam dicta annorum exstitit. Quapropter si hic sit ille ipse Petrus, Alexandrinus episcopus, qui anno* 311 *martyrium subiit, jam fuerit, cum hoc accidit, octogenario major; hoc autem adjunctum vel idcirco parum est credibile, quod nullus prorsus antiquus auctor* S. Petrum, *Alexandrinum episcopum, ad ætatem adeo provectam pervenisse, scripto testatum faciat. Accedit, quod nec ipsum* Petri *nostri martyrium, ad quod adjunctum illud refertur, loco proxime citato memoret Eusebius mox laudatus, qui tamen ibidem* (*vide dicta num.* 14) *sedulo etiam observat,* S. Faustum, *qui sub Valeriano cum* S. Dionysio confessionis *titulo inclaruit, nec tamen postea fuit episcopus, grandævum jam ac pene detrepitum ætate sua, id est, initio sæculi quarti martyrio esse coronatum. Hisce omnibus perpensis, quin* S. Petrus *noster a S. Petro Alexandrino episcopo distinctus sit, nullus dubito, et ad tractanda, quæ ad solum* S. Dionysium *pertinent, nunc procedo. Tradam hæc fere ex solis ipsiusmet Sancti epistolis,*

C *quarum nonnulla insignia Fragmenta nobis Eusebius præcipue servavit.*

§ II. S. Dionysii memoria in Fastis sacris, cultus ecclesiasticus, generis nobilitas, regio natalis.

S. Dionysius, qui seorsum etiam a SS. Sociis Romano parvo,

S*anctum* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, virum doctrinæ et sanctitatis fama celeberrimum, quem cum* SS. Fausto, Caio, Petro *et* Paulo *non pauci Fasti sacri, ut* § *præcedenti docui, hodie celebrant, non pauci itidem Fasti sacri solum absque ullis adjunctis sanctis Sociis commemorant. Ast id nec hodie, nec omnes uno eodemque die faciunt. Menologium Græcorum, quod, Basilii Porphyrogeniti jussu conditum,* Basilianum *dicitur, diem quartam Octobris, Kalendarium Coptorum apud Jobum Ludolphum diem decimam quartam Septembris, Hagiologium Habessinum diem nonam Martii* S. Dionysii *memoriæ consecratam proponit. Auctor Romani parvi, quem deinde Ado, Usuardus, hisque recentiores magno numero martyrologi sunt secuti, diem decimam nonam Novembris elegit, idque unice, ut Sollerius noster in Usuardo a se illustrato existimat, pro mero suo arbitrio. Nec dubium videtur, quin in assumenda quarta Octobris die, eadem quoque libertate usus sit laudati Menologii Basiliani conditor; an autem pari etiam ratione de Kalendarii Coptici, Habessinique Hagiologii concinnatoribus loquendum sit, infra disquiram, cum de die et de anno, quo Sanctus noster e vivis excessit, sermonem instituam. Nunc quæ in memoratos Fastos Latinorum sacros, quibus seorsum a Sociis* S. Dionysii *nomen inscribitur, observari convenit, ante omnia observo. Romani parvi brevis est annuntiatio, ex consueto fonte Rufini Eusebio deprompta; sic habet :* ALEXANDRIÆ, Dionysii episcopi, in multis sæpe confessionibus clari, Valeriani et Gallieni temporibus.

AUCTORE C. B.

Adoni, cujus hic, quod Sancti contexuit,

22 *Ado non breviori tantum, quæ ex Romano parvo fere fluit, annuntiatione, sed et prolixiori Sanctum celebrat elogio, quod ex Rufini Eusebio* (*vide hunc lib.* VII, *cap.* 10) *majori pro parte pariter est sumptum. Quamquam autem hoc non prorsus sit exactum, integrum tamen, ut in ipso hujus Commentarii limine rudem saltem rerum ad* Dionysium *spectantium ideam lectori offeram, huc transcribo, eique, ut verum cum falso, dubium cum certo non confundatur, binas etiam, quarum altera immixta, altera subjecta sit textui, annotationes adjungo. En illud :* Apud Alexandriam, B. Dionysii episcopi, in multis sæpe confessionibus satis clari, et pro passionum tormentorumque diversitate magnifici, temporibus imperatorum Valeriani et Gallieni. Denique refertur, insectantibus se persecutoribus, cum ipse E adstaret judici, respondisse : Quid insectando laboratis? caput meum, pro quo magnopere fatigamini, avulsum cervicibus sumite, et donum magnum ad tyrannum et imperatorem vestrum ferte. Præses autem Æmilianus erat. Ante quem cum Dionysius unum solum Deum prosequeretur, qui cælum fecisset et terram, huncque diceret adorandum, ceteros autem neque esse deos, neque adorari debere : in castrum quoddam deserti, quod Cefro appellatur, in exilium truditur : ob hoc præcipue electum, quod loci incolæ gentiles erant, et idolorum superstitionibus satis dediti. Qui exulem Dionysium primo hostili animo, et satis adversa mente suscipiunt : post vero cum paulatim per Domini gratiam verbum Dei his seminare cœpisset, pars maxima trucis et barbari populi, relictis idolis, conversa est ad Deum verum, Christoque subjecta. Quo comperto, rursus eum ad alium locum, vicinum quidem Alexandriæ, sed incolis desertum, ac pœne habitatoribus vacuum transtulerunt.

datur prolixius elogium.

23 *Hæc hactenus cum Eusebio et exacta veritate consonant, si unum excipias responsum, quod Sanctus, cum præsidi seu potius præfecto Æmiliano adstaret, persecutoribus suis dedisse asseritur. Hoc enim nec sat verisimile apparet, nec ab Eusebio, uti hunc lib.* VII *cap.* 11 *consulenti patebit,* ullatenus F *asseveratur. Accipe nunc reliqua Elogii Adoniani verba :* Sed et ibi cum pro urbis vicinitate nostrorum populus eum frequentaret, et tamquam pastore recepto, grex lætior et constantior agonibus redderetur, rursum missis cum centurione militaribus viris, ipsum Dionysium, et cum eo Gaium et Petrum catenis constrictos et diversis cruciatibus afflictos, in desertum quoddam Libyæ pertraxerunt, ibique eos in loco squalidissimo et omni usu humanitatis carente, a Parætonio trium dierum itinere in desertum protento, nexos vinculis reliquerunt. Tunc temporis etiam Maximus presbyter et Dioscorus, Demetrius quoque et Lucius, neçnon Faustinus atque Aquila, satis clari et insignes titulo confessionis effecti sunt. Interea beatus Dionysius regressus Alexandriam, senio gravatus quievit in pace, decem et septem annis functus sacerdotio. *Exsilii* S. Dionysii *mutationem, quam Ado hic adstruit, una cum adjunctis omnibus ex solo didicit interpolato per Rufinum Eusebio. Verum ipsemet Rufinus hallucinatus hic videtur, atque id quidem ex eo, quod et* S. Dionysium *de exsilii sui mutatione epistola adversus Germanum scripta tractantem alieno sensu acceperit, et epistolam ab eodem Sancto ad Domitium et Didymum datam ad Valeriani persecutionem retulerit, ubi tamen, ut docebimus, ad Decii persecutionem debet referri.*

24 *Usuardus*

AUCTORE C. B. aliisque Fastis sacris inseritur,

24 *Usuardus hic Adone fuit cautior. Ita enim prolixum, quod hic Sancto contexuit, elogium contraxit, ut nullum plane errorem admiserit. En et ejus verba :* Apud Alexandriam, beati Dionysii episcopi. Hic in multis sæpe confessionibus satis clarus, et pro passionum tormentorumque diversitate magnificus existens, quievit Valeriani et Gallieni imperatorum temporibus. *Martyrologium Romanum hodiernum, cui, ut § præcedenti monui,* S. Dionysius *etiam seorsum a sanctis Sociis ad diem decimam septimam Novembris inscribitur, ab Usuardo parum dissonat. Etenim sic tantum Sanctum annuntiat :* Alexandriæ sancti Dionysii episcopi, summæ eruditionis viri, qui multis confessionibus clarus, et pro passionum tormentorumque diversitate magnificus, plenus dierum confessor quievit Valeriani et Gallieni imperatorum temporibus. *Martyrologos alios recentiores, cum nihil, non ex tribus Martyrologiis classicis jam laudatis haustum, nos doceant, in medium non adduco. Dixisse sufficiat, omnes prorsus, qui scilicet generales Sanctorum Fastos sacros contexuere,* Dionysii *memoriam, utut a Notkero, Beda aliisque antiquis hagiologis omissam, unanimi consensu celebrasse.*

cultu olim gavisus est, hodieque gaudet;

25 *Et vero jure meritissimo id fecere. Etenim Sanctus cultu ecclesiastico apud Alexandrinos antiquitus est gavisus, gaudetque etiam hodie non tantum* B *apud Græcos in Menæis, verum etiam apud Coptos et Habessinos in Kalendario et Hagiologio supra laudatis. Quippe in hoc Habessinus hagiologus, ad diem nonam Martii, ita Sanctum veneratur :* Salutem Dionysio, doctori omnium sapientissimo, quem ab errore convertit Pauli epistolæ lectio. Postquam afflictionem et exsilium in diebus suis sustinuisset, emigravit hodie in cælestem regionem, archiepiscoporum cœtui conjungendus. *Kalendarii vero Coptici auctor ita canit :* Salutem tibi, Dionysi, pater noster et patriarcha, merito cognominatus sacerdos. Ephesiorum pueri dormierunt tempore regiminis tui, in diebus tuis morti adjudicatus fuit Mercurius; Antonius autem monachus factus est. *Melius dixisset, ut in Patriarchis Alexandrinis num.* 160 *probat Sollerius,* natus est. *Atque ita quidem cultum Sancti hodiernum apud Coptos et Habessinos habemus compertum; cultu autem ecclesiastico antiquitus apud Alexandrinos fuisse gavisum, indubium fit ex ecclesia, quæ quondam Alexandriæ* S. Dionysii *nomini exstabat consecrata. Liquet id ex S. Epiphanio hæresi* 69 : *ibi enim sub initium plures nominat ecclesias Alexandriæ exstantes, easque inter* S. Dionysii *ecclesiam recenset. En Sancti hujus scriptoris verba :* Sane complures Alexandriæ ecclesiæ sunt... velut ecclesia Dionysii, C Theonæ, Pierii, Serapionis, Perseæ, Dizyæ, Mendii, Anniani, Baucalis et ceteræ. *Neque est, cur quisquam opponat, sermonem hic forte esse de Dionysii a Nostro distincti ecclesia; cum enim verbis proxime recitatis post* S. Dionysii *ecclesiam mox nominetur ecclesia S. Theonæ, qui pariter exstitit Alexandrinus episcopus, et quidem post S. Maximum* S. Dionysii *successor, dubitandum non videtur, quin a S. Epiphanio designetur ecclesia non alteri Dionysio, quam nostro, consecrata. Adhæc nulla omnino occurrit ratio, cur alteri quam nostro consecratam exstitisse Alexandriæ dicamus ecclesiam.*

ab antiquis patribus laudatur,

26 *Porro Sanctum nostrum cultu ecclesiastico non tantum in Alexandrina, sed et in universa Ecclesia antiquitus esse gavisum, argumento esse utcumque possunt hæc S. Athanasii de sententia* Dionysii *nostri verba :* Magni certe argumenti est in hoc illos (*Arianos*) vere non dicere, sed virum (*S. Dionysium*) calumniari, quod nec ille umquam ab aliis episcopis deprehensæ impietatis damnatus, episcopatu pulsus sit, ut illi (*Ariani*) e clero ejecti sunt : neque hæresis propugnandæ causa secesserit ab Ecclesia; sed in illa pie obdormierit, ejusque memoria hactenus cum patribus celebrata, et una in album relata sit. *His adde summa laudum præconia, quibus* S. Dionysium *tum laudatus Athanasius, loco citato vocans eum* doctorem *seu* magistrum Ecclesiæ, *tum alii antiqui patres certatim quodammodo exornant. Basilius epistola canonica ad Amphilochium vocat* S. Dionysium *canonum peritum, et* Magni *cognomento exornat. Honorificum idem cognomentum S. Maximus in scholiis ad Dionysium Areopagitam, aliique fere omnes antiqui patres, teste Valesio in Notis ad Eusebium lib.* VII *in proœmio,* S. Dionysio, *Alexandrino episcopo, attribuunt. Hinc ergo certum fit, Sanctum nostrum summæ venerationi omnibus his antiquis patribus fuisse, ac proin dubitandum non videtur, quin et apud hos cultum magnis sanctisque viris proprium fuerit adeptus. Sed hæc de Sancti cultu sufficiant, dispiciamus modo, quo ex genere Vir hic, doctrina simul et sanctitate summus, ortum duxerit.* D

nobili genere natus

27 Dionysius, *Alexandrinus episcopus, apud Eusebium lib.* VII *cap.* 11, *epistola seu potius libro adversus Germanum, sese* abjectiones dignitatum, contemptum gloriæ sæcularis, laudum a præfectis ac decurionibus profectarum despectum *pertulisse refert.* Hinc patet, *inquit Henricus Valesius in suis ad præfatum Eusebii caput Annotationibus,* Dionysium Alexandrinum splendido genere ortum fuisse. Nam dignitas ex generis nobilitate præcipue ducitur. Hinc in gestis purgationis Cæciliani, quæ post collationem Carthaginensem edita sunt, Victor interrogatus a Zenofilo consulare, cujus conditionis esset, respondit, professor sum litterarum E Romanarum. Deinde interrogatus, cujus dignitatis esset, respondit : patre decurione Constantiniensium, avo milite, qui in comitatu militaverat. *Hactenus Valesius; sed, unde res etiam fit clarior, in laudatis a Valesio purgationis Cæciliani Actis, quæ apud Stephanum Baluzium lib.* II *Miscel. a pag.* 81 *ad* 106 *exstant, dato ultimo a Victore de dignitate sua responso, subditur :* Zenophilus V. C. consularis dixit : Memor fidei et honestatis tuæ simpliciter designa, quæ causa fuerit dissensionis inter Christianos. *Porro Ruinartius in Actis sinceris et selectis martyrum laudato Valesio generis nobilitatem ex verbis initio hujus numeri recitatis* S. Dionysio *asserenti assentitur, nec Tillemontius tom. IV Monumentorum Ecclesiasticorum ullatenus repugnat. Et vero Sanctum illustri genere ortum esse, in patriarchali ecclesiæ Alexandrinæ Historia ab Echellensi edita etiam asseveratur. Etenim hujus auctor de Sancto sic habet :* Hic erat Sabaita sapientissimus, et ex gentis primoribus ac optimatibus. *Quibus verbis sane luculentissime indicatur,* S. Dionysium *genere nobilem fuisse. Nec minus dilucide asseritur, Sabaitarum ex gente eum originem duxisse. Verum, inquies, quæ qualisve est illa Sabaitarum gens, ex qua Sanctus originem traxisse, ab Historiæ patriarchalis auctore asseritur?* F

et ea Sabaitarum gente ortus est.

28 *Cellarius Geographiæ antiquæ lib.* III *cap.* 14 *ex Diodoro Siculo, aliisque antiquis geographis in felici Arabia Sabæorum gentem ponit, cujus metropolis sit oppidum Saba, toti genti nomen indens, monti incumbens non magno, omnium in Arabia pulcherrimum. Idem auctor lib.* IV *ejusdem Operis cap.* 8 *Æthiopiæ regiam seu metropolim* Sabæ *nomine olim quoque distinctam fuisse, ex Strabone et Josepho lib.* XI *Antiquitatum cap.* 3 *docet, aliudque insuper cognomine oppidum Libyæ interiori attribuit. Adhæc lib.* IV *cap.* 1 *ejusdem iterum Operis in regione Troglodytarum, Ægypto et Æthiopiæ contermina, portum, nomine* Sabam, *qui ad sinum Arabicum situs sit, assignat. Si recte scribat laudatæ Historiæ patriarchalis auctor,* S. Dionysius *vel ex Sabæorum gente in Arabia felici, vel ex aliqua e tribus nominatis Æthiopiæ, Libyæ interioris, vel regionis Troglodytarum urbibus verosimillime ortum ducit. Ast, an ex illa potius quam ex ista nemo facile determinet. Sanctum nihilominus nec in Æthiopia, nec in Libya interiori natum, existimo. Non in Æthiopia, quod hujus regionis metropolis* Dionysii *ætate* Sabæ *nomine amplius non venerit, ut si in ea ortum accepisset,* Sabaita *non fuisset. Non in Libya interiori, quod hæc regio Sancto, uti ipsemet in epistola adversus Germanum jam sæpius*

laudata

A *laudata innuit, parum nota fuisse videatur, futura notior, si in ea natus fuisset. Restat ergo, ut vel in Arabia felice e Sabæorum gente, vel in Troglodytice e civitate seu portu Saba ad sinum Arabicum seu Mare rubrum sito ortum acceperit. Primum idcirco verisimile potest videri, quod in laudata patriarchali Historia Sanctus ex gente Sabaitarum natus indicetur; in Troglodytice autem non gens, quemadmodum in Arabia, sed urbs tantum, nomine* Saba, *sita sit; secundum autem ex eo forte magis apparebit credibile; quod Sabæ regionis in Arabia incolæ non* Sabaitæ, *sed* Sabæi *ab omnibus prorsus scriptoribus appellentur; civitas autem seu portus Saba in Troglodytice vocetur etiam* Sabat, *et os seu ostium Sabaiticum, ut hujus loci incolæ verosimiliter fuerint* Sabaitæ *nuncupati. Dispiciat nunc eruditus lector, malitne locum Sancti natalem in Arabia, an in Troglodytice statuere. Ego rem in medio relinquo et ab eo, quod incertum est, ad certiora* § *sequenti tractanda progredior.*

§ III. Sancti conversio ad fidem, professio, presbyteratus dignitas et an ante episcopatum maritatus exstiterit.

B *A paganismo lectionis occasione conversus est:*

In paganismi erroribus, educationis potius, quam suo vitio, Sanctus primam ætatem exegit; at cum simul litteris impigre daret operam, occasio ei fuit lectio, ut ad veram Christi fidem converteretur. Hæc ipsemet Sanctus in epistola ad Philemonem presbyterum Romanum apud Eusebium lib. VII *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 7, *ubi etiam refert, se ad quoscumque obvios hæreticorum libros legendos impulsum fuisse divino oraculo, non obscure indicat. En verba:* Ego vero, *inquit,* in libris et traditionibus hæreticorum cognoscendis operam posui; exsecrandis quidem illorum sententiis animum meum tantisper coinquinans; hanc tamen ex iis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multoque magis quam antea detestarer. Et cum frater quidam ex presbyterorum ordine prohiberet me, veritus ne forte nequitiæ illorum cæno commiscerer: quippe animum meum contaminatum iri aiebat, et quidem verissime, ut ipsemet sentiebam: visione cælitus missa confirmatus sum. Et vox ad aures meas perlata diserte mihi præcepit hoc modo: Lege omnia quæcumque in manus venerint. Idoneus namque es, qui singula disquiras et examines; hacque primum occasione ad Christi fidem impulsus es. *Historiæ patriarchalis plus semel jam laudatæ auctor lectionem, cujus occasione* S. Dionysius *a paganismo ad fidem Christianam sit*

C *conversus, etiam definit, verbis num.* 27 *recitatis hæc subdens:* Causa vero ejus (*S. Dionysii*) ad fidem conversionis fuit lectio Epistolarum Pauli; his enim lectis, Demetrio (*patriarchæ Alexandrino Sanctique ante Heraclam decessori*) sese sistit, qui comiter illum excipiens, baptismatis aqua lustravit. *Epistolarum S. Pauli lectione* S. Dionysium *ad fidem esse conversum, verbis num.* 25 *productus pariter indicat Hagiologium Habessinum, ut res, quamvis sola Hagiologii Habessini et Historiæ patriarchalis auctoritate certa non evadat, sat saltem verisimilis appareat.*

professione rhetor et Origenis exstitit discipulus,

30 *Porro, jam discussa probataque* Dionysii *ad fidem conversione, hujusque occasione, lubet etiam disquirere, cujus professionis Sanctus exstiterit, quid ad fidem conversus egerit et quo in ecclesiastico gradu fuerit constitutus, antequam ad episcopales infulas sit promotus.* Dionysii *professionem ex S. Maximo martyre discimus. Hic enim in caput* 3 *lib. de Hierarchia cælesti, Dionysio Areopagitæ a pluribus adscripta, sic habet:* Ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων, ἐν τοῖς Σχολίοις, οἷς πεποίηκεν, εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον τὸν αὐτοῦ συνώνυμον, οὕτω λέγει, Ὅτι ἀγέννητον εἴωθε καλεῖν ἡ ἔξω σοφία, πᾶσαν ἀόρατον φύσιν, ὁμοίως καὶ οὐσίας, τὰς ὑποστάσεις. *Qua verba Latine reddita significant:* Magnus ille Dionysius Alexandriæ e rhetoribus seu oratoribus episcopus, in scholiis, in beatum Dionysium sibi cognominem a se concinnatis, ait, externam philosophiam solere naturam omnem invisibilem ingenitam vocare, uti et essentias supposita. *Quod hic de scholiis a* Dionysio *in Dionysium sibi cognominem concinnatis dicitur, postea discutiam; nunc mihi sufficit, Sanctum ex allato hoc S. Maximi testimonio Rhetoricam seu artem oratoriam esse professum; atque id quidem fecit, ut mihi apparet, paganismi erroribus adhuc involutus; quid vero egerit iis jam expeditus, nunc expono. Eusebius lib.* VI *cap.* 26 *ita scribit:* Origenes ab urbe Alexandria Cæsaream migraturus, scholam ad fideles ejus loci instituendos Heraclæ dereliquit. Nec multo post Demetrius Alexandrinorum episcopus (*anno secundum Sollerium nostrum in patriarchis Alexandrinis* 231) fato functus est, cum per tres et quadraginta annos Ecclesiam administrasset. In hujus locum successit Heraclas. *Eodem deinde libro cap.* 29 *hæc memorat:* Alexandriæ... cum post mortem Demetrii, qui annos tres et quadraginta sacerdotio perfunctus fuerat, Heraclas ministerium suscepisset (*Alexandrinæ*) ecclesiæ, scholam ad cives in fide instituendos obtinuit Dionysius, qui et ipse unus e discipulis fuerat Origenis.

E

31 *Itaque secundum Eusebium Sanctus noster, cum anno* 231 *ad episcopatum Alexandrinum Heraclas esset evectus, populum Alexandrinum Heraclæ loco fidei Christianæ principiis, quibus antea tam ipse quam Heraclas ab Origene fuerat imbutus, erudiendum accepit. Hinc S. Hieronymus de illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap.* 69 *ita scribit:* Dionysius, Alexandrinæ urbis episcopus, sub Heracla (*jam creato Alexandrino episcopo*) scholam κατηχήσεων presbyter tenuit, et Origenis valde insignis auditor fuit. *Chronicon Orientale nonnihil aliter sic scribit:* Defuncto autem Demetrio, præfecit illum Hieraclas judiciis, ac sibi vicarium ob insignem ejus sapientiam et ingenium constituit. *Verum Eusebii et Hieronymi testimonio hæc nihil detrahunt. Notandum porro est, proxime recitatis S. Hieronymi verbis aperte innui,* S. Dionysium, *cum sub Heracla scholam κατηχήσεων tenuit, seu populo fidei elementa exposuit, atque cum nondum Alexandriæ cathedram conscenderat, presbyteratus gradu fuisse ornatum. Et vero* Dionysium *fuisse presbyterum, antequam ad episcopatum promoveretur, luculentissime colligitur ex illo celeberrimo S. Hieronymi jam laudati epistolæ ad Evagrium loco, ubi ait:* Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu

F collocatum, episcopum nominabant. Quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint et archidiaconum vocent etc.

scholam catecheticam Alexandriæ

ante episcopatum tenuit jam presbyter;

32 *Fuerunt quidem nonnulli, qui hisce Hieronymi verbis manuum dumtaxat impositionem, quæ alias ab episcopis fieri debebat, ab ordinatione Alexandrini episcopi excludi existimarunt. Verum næ hi vehementer hallucinati sunt. Etenim hic, ut Ruinartius Opere supra laudato in* S. Dionysio *recte observat, a S. Hieronymo* exponitur solummodo singulare presbyterorum Alexandrinorum privilegium, ex quorum gremio semper ab eis unus assumebatur in episcopum: cum in aliis ecclesiis diaconi etiam et exteri presbyteri eligi possent: immo ad electionem non solum civitatis episcopalis clerus, sed etiam plebs adesse, et vicinarum civitatum episcopi convocari debebant, ut observat sanctus Cyprianus epistola novæ editionis 67, Pamelii 68. Itaque, *ut recte prosequitur Ruinartius,* ea tantum, quæ singularia erant, in gratiam presbyterorum protulit Hieronymus eum ad modum, quo aliam ejusdem Alexandrinæ ecclesiæ consuetudinem retulit Liberatus diaconus in Breviario cap. 20. Consuetudo quidem est, inquit, Alexandriæ, illum qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere,

AUCTORE C. B.

imponere, et sepulto manibus suis accipere collo suo beati Marci pallium, et tunc legitime sedere. Nemo sane, *pergit idem auctor*, inficiabitur, Liberati ævo, id est, sæculo sexto, præter has cæremonias ab eo memoratas, manuum etiam episcoporum impositionem in episcopi Alexandrini ordinatione adhibitam fuisse, quamvis sola hæc pernoctatio et alia, quæ memorat, ab eo ad legitime sedendum requiri videantur. In ejusmodi enim rebus ea tantum, quæ extra ordinem communem sunt, memorati solent. *Hæc Ruinartius, quibus recte confirmatur, verbis S. Hieronymi num. præcedenti recitatis manuum impositionem ab episcopi Alexandrini ordinatione non excludi, sed singularem presbyterorum Alexandrinorum, qua non aliunde quam e gremio suo accipiebant episcopum, consuetudinem unice assignari, jam inde a S. Marci tempore usque ad Sanctum nostrum constanter observatam, ut adeo necessum sit, hunc, eum in episcopum Alexandrinum assumptus est, prævio presbyteratus honore fuisse decoratum.*

maritatus tamen fuisse

55 *Tillemontius tom. IV Monumentorum Ecclesiasticorum in* S. Dionysio *ait, esse etiam utcumque rationem, cur credatur Sanctus noster matrimonio junctus fuisse, liberosque habuisse, quorum unus Timotheus exstiterit. Et vero, ut deinde in Notis indicat, duo in Eusebio loci, alter lib.* VII *cap* 26, *alter* B *lib.* VI *cap.* 40, *occurrunt, qui opinioni illi fundamentum queunt præbere. Priori Eusebius aliquot, quos Sanctus noster concinnavit, libros seu epistolas recenset, hisque annumerat libros de natura Timotheo* τῷ παιδὶ, *id est,* puero *vel* filio, *a Sancto nuncupatos. Posteriori* S. Dionysius *in epistola adversus Germanum narrat, qui fugam, Decii persecutione exorta, jussu divino inierit, aitque :* Ἐγώτε καὶ οἱ παῖδες καὶ πολλοὶ τῶν ἀδελφῶν ἅμα συνεξήλθομεν; Ego et liberi (*sic Musculus et Christophorsonus* τὸ οἱ παῖδες *vertunt*) multique ex fratribus simul egressi sumus. *Sanctus deinde in narrationis serie mentionem facit Timothei, qui haud dubie, ut ait Tillemontius, tunc puer non erat. Verum non video, qua de causa* τὸ οἱ παῖδες *ad Timotheum hic debeat referri. Certe Timotheus, cum* S. Dionysius *post suum e domo egressum (vide laudatam epistolam) a satellitibus comprehensus est, Sancto non aderat, ac proin nec ei, domo egredienti, adfuisse videtur. Imo tunc ei certissime Timotheum non adfuisse, ex epistolæ contextu consideranti patebit. Fac tamen, Timotheum cum* S. Dionysio, *fugam arripienti, domo simul esse egressum, atque adeo* τὸ οἱ παῖδες *ad eum debere referri, nec sic quidem evinces, Sanctum habuisse liberos, horumque unum fuisse Timotheum.*

non videtur.

C 54 *Etenim vocabulum* παῖδες *invenitur etiam adhibitum ad significandum virorum principum seu primariorum officiales, seu etiam ministros aut famulos. Matthæi* 14 *legitur :* Καὶ εἶπε τοῖς παισὶν αὐτοῦ; Et dixit pueris suis; *ubi, ut consideranti patebit, vocabulum* παῖδες *adhibetur ad significandum Herodis officiales seu ministros. In eadem quoque significatione adhibetur idem vocabulum lib.* II *Paralip. cap.* 33, *ubi de Josia rege, cum se læsum sentiret, asseritur :* Dixit pueris suis : educite me de prælio. Εἶπε ὁ βασιλεὺς τοῖς παισὶν αὐτοῦ *etc. Valesius vocabulum* παῖδες *in posteriori ex duobus Eusebii locis num. præcedenti laudatis per famulos vertit; vocabulum vero* παῖς *in priori per puerum et in Notis ad hunc locum sic scribit :* Dionysii liber de natura, nuncupatus erat Τιμοθέῳ τῷ παιδὶ, quæ quidem vox ambiguæ significationis est. Musculus quidem et Christophorsonus FILIUM interpretati sunt. Ego PUERUM verti. Neque enim existimo, Dionysium conjugem umquam habuisse. *Verum, inquit laudatus Tillemontius, nulla veri specie dici potest, sanctum Episcopum Opus a se compositum puero nuncupasse, nec magis verisimile est, Timotheum, cui* Dionysius *suam de natura lucubrationem inscripsit, famulum fuisse. Fateor, nec unum, nec alterum verisimile videtur. Verum, cum vocabulum* παῖς, *ut jam docui, adhibeatur etiam ad significandum virorum primariorum ministros, potest et in hac significatione ab Eusebio lib.* VII *cap.* 26, *et a* S. Dionysio *apud Eusebium lib.* VI *cap.* 40 *esse adhibitum, adeo* D *ut priori quidem loco significetur,* S. Dionysium *inscripsisse suum de natura librum* Τιμοθέῳ τῷ παιδὶ, *id est, officiali seu ministro, tali scilicet, qui etiam honoratiori apud Sanctum in ecclesia Alexandrina munere fungeretur; posteriori vero eum cum ministris suis, id est, tam famulis quam clericis, qui famulis utique dignitate anteirent, esse egressum. Adhæc dici etiam potest, Timotheum, cui Sanctus librum nuncupavit, vere filium ab eo vocari, non quidem secundum carnem, sed secundum spiritum, quod eum Sanctus forte ad fidem convertendo in Domino genuisset, vel quod pater ejus, utpote episcopus et pastor, spiritualis existeret. Hisce omnibus perpensis, malo assentiri Valesio, qui Sanctum matrimonio junctum non fuisse, putat, quam Tillemontio, qui in opinionem oppositam propendet.*

§ IV. Sancti ad episcopatum Alexandrinum promotio, hujusque epocha, persecutio Alexandriæ in Christianos mota a plebe, ac deinde altera a Decio.

Sanctus in episcopum Alexandrinum E

Sancto Heracla, patriarcha Alexandrino, e vivis sublato, presbyteri Alexandrini S. Dionysium, *e gremio suo unum, jam a morte Demetrii, proxime ante Heraclam patriarchæ pariter Alexandrini, annis prope sedecim scholæ cathecheseōn Alexandriæ præfectum, ad sacram S. Marci cathedram promoverunt. Certum hoc est, atque extra omnem controversiam positum. Verum de anno, quo illud factum sit, inter eruditos non convenit. Alii pro anno* 247, *alii contra pro anno* 248 *sententiam ferunt. Oritur potissimum hæc opinionum diversitas ex manifesto Chronici et Historiæ ecclesiasticæ, quod utrumque Opus unum eumdemque auctorem habet Eusebium, chronologico dissensu. Etenim hic scriptor Historiæ ecclesiasticæ lib.* VI, *cap.* 33 S. Dionysii *ad episcopatum Alexandrinum seu ad sacram S. Marci cathedram promotionem in hunc modum signat :* Anno autem hujus imperii (*Philippi*) tertio, cum Heraclas post sexdecim episcopatus annos diem extremum obiisset, pontificatum Alexandrinæ ecclesiæ suscepit Dionysius; *in Chronico autem initia initi a* S. Dionysio *patriarchatus Alexandrini refert ad annum Philippi imperatoris quintum. Sollerius noster in patriarchis Alexandrinis num.* 123 *et seqq. Eusebii Chronicon cum Historia componi existimat, si ab obitu S. Heraclæ ante promotionem* S. Dionysii *sedes Alexandrina, prout in Chronico Orientali asseritur, anno uno, atque insuper paucis mensibus vacasse statuatur.*

F *anno Philippi imperatoris tertio,*

56 *Verum, quod bona viri eruditi venia dictum sit, hæc ejus opinio mihi nullatenus videtur subsistere. Etenim exigit, ut verba num. præcedenti ex Eusebio producta annum dumtaxat Heraclæ emortualem assignent. Et vero si reipsa annum tantum, quo Heraclas obierit, designent, facile potest intelligi, quomodo, adstructa inter Heraclæ obitum et* Dionysii *promotionem anni uniùs et paulo amplius vacatione, ab Eusebio in Historia recte narretur Heraclas anno Philippi tertio e vivis excessisse, in Chronico vero promotio* S. Dionysii *ad cathedram Alexandrinam anno Philippi V innectatur. Verum recitata Eusebii verba potius significant,* S. Dionysium *anno Philippi tertio pontificatum Alexandrinæ ecclesiæ suscepisse, quam tunc S. Heraclam obiisse. Res fiet verba ipsa consideranti perspicua. Jam vero cum in Historia dicat Eusebius,* S. Dionysium *anno Philippi tertio ad cathedram Alexandrinam esse promotum; hoc vero factum ad annum Philippi quintum in Chronico referat, non video, quomodo hoc cum illa possit componi. Nequit enim* Dionysius *anno Philippi tertio, simul et quinto ecclesiam Alexandrinam gubernandam primo accepisse. Ast, inquies, utri modo ex Eusebii Operibus adhærendum est, Chronicone, an Historiæ? Laudatus Sollerius noster Chronicon sequitur, hujusque ex fide* S. Dionysii *ad sedem Alexandrinam*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *Alexandrinam promotionem anno Philippi quinto, Christi* 248, *innectit. Verum aliud indubie fecisset, si præfatum Chronicon cum Historia nullatenus posse componi agnovisset. Etenim ipsemet in patriarchis Alexandrinis sæpius inculcat, Eusebii potius Historia, quam Chronico standum esse, quando hoc cum illa in concordiam nequit vocari. Huic ergo Sollerii principio firmiter insistens, Eusebii sequor Historiam, hujusque ex fide patriarchatus Alexandrini a* S. Dionysio *initi initia anno Philippi tertio innectenda existimo. Jam vero partim hinc, partim ex dicendis est consequens, ut* S. Dionysius *initio anni* 247 *ad episcopatum Alexandrinum fuerit evectus.*

Christi 247, *electus est,* 37 *Etenim Philippus, ut nunc communis est eruditorum opinio, anno* 244 *circa mensem Martium regnare primum cœpit, atque adeo annus ejus imperii tertius partim cum anno* 246, *partim cum anno* 247 *concurrit. Jam vero, cum Heraclas, teste Eusebio in Historia, anno Philippi tertio diem extremum obierit atque id quidem, ut Sollerius noster plus semel jam laudatus in Patriarchis Alexandrinis num.* 125 *et seq. docet, die* 4 *Decembris acciderit, necesse est, ut Sancti nostri ad cathedram Alexandrinam promotio, quam anno Philippi tertio innectendam jam docui, inter quartam Decembris diem anni* 246 *et mensem Martium anni* 247 *evenerit.*

B *Porro cum* S. Dionysius *ad annum usque* 265, *uti nunc eruditi passim statuunt, vitam protraxerit, annosque septemdecim, ut Eusebius Historiæ lib.* VII, *cap.* 28 *docet, episcopatum Alexandrinum administrarit, consequens est, eum ad sedem Alexandrinam, ne hanc ultra septemdecim illos ab Eusebio assignatos annos tenuisse dicendus sit, initio anni* 247 *fuisse evectum. Neque est, cur hic quisquam opponat, ab initio anni* 247 *ad initium anni* 265, *quo Sanctus obiit, etiam plures quam septemdecim annos excurrere. Etenim res tota sic potest concipi : fuerit* Dionysius *sub finem Februarii, currente adhuc anno Philippi tertio, ad cathedram Alexandrinam evectus, annoque deinde* 265 *aut ante Februarium aut hujus mensis initio e vivis excesserit; jam non habebis nisi annos septemdecim completos, quibus Sanctus cathedram Alexandrinam tenuit; quamvis autem his forte menses prope undecim etiam accesserint, intelligi potest Eusebius annos tantum completos exprimere, mensiumque supra hos excessum negligere. Certe hæc annos tantum completos subinde exprimendi methodus nec Eusebio, nec aliis multis scriptoribus dici potest inusitata.*

biennioque fere post Alexandriæ 38 *Adhæc* S. Dionysium, *quemadmodum jam disputata innuunt, non paucis etiam mensibus supra annos completos septemdecim in S. Marci cathedra*

C *sedisse, confirmatur utcumque ex Kircheriano patriarcharum Alexandrinorum catalogo : hic enim annos sedis octodecim Sancto attribuit. Utut sit,* S. Dionysii *ad episcopatum Alexandrinum promotionem in annum* 248 *nolim differre. Sic enim inter hanc et S. Heraclæ obitum, qui anno* 246 *accidit, statuenda foret, quæ in Chronico Orientali supra laudato asseritur, sedis Alexandrinæ per annum unum integrum vacatio; hæc autem non tantum ob rationes jam adductas, sed etiam ob rei Christianæ tunc sub Philippo imperatore tranquillitatem verisimilis haud apparet. Tunc quippe, ut Eusebius lib.* VI, *cap.* 36, *significat, fides Christiana augebatur indies, et doctrina Christiana summa ubique libertate fruebatur. Quod si interim S. Heraclæ obitus biennio accidisset serius, mira sane non foret nec vero absimilis in Chronico Orientali, quod in rebus chronologicis a vero sæpissime aberrat, sedis Alexandrinæ adstructa vacatio. Etenim biennio post S. Heraclæ obitum vix elapso, sævissima Alexandriæ in Christianos exarsit persecutio, a furente plebe idololatrica excitata. Intelligitur hoc ex Eusebio, qui lib.* VI *Historiæ cap.* 41 *ita scribit :* In epistola vero ad Fabium episcopum Antiochiæ, eorum, qui, imperante Decio, martyrium Alexandriæ subierunt, certamina (*sanctus* Dionysius, *Alexandrinus episcopus*) refert hoc modo : Nequaquam ex imperatoris *Decii*) edicto persecutio (*Alexandriæ a plebe excitata*) cœpta est, quippe quæ integro anno (*decretum Decii*) anteverterat. *Decii in Christianos persecutio, quemadmodum inter eruditos nunc satis convenit, sub finem anni* 249 *aut initio sequentis moveri primum cœpta est; quapropter cum hanc, ut initium epistolæ Sancti nostri ad Fabium, Antiochenum episcopum, ex Eusebio mox productum docet, anno integro anteverterit altera persecutio, quæ Alexandriæ a populo idololatrico fuerat excitata, necesse est, ut hæc jam sub finem anni* 248, *aut initio sequentis, atque adeo vix biennio post S. Heraclæ obitum elapso, efferbuerit. Posset ergo, si Heraclæ obitus in luctuosum illud tempus incidisset, apta assignari a rerum perturbatione petita ratio, ob quam inter illum et* S. Dionysii *promotionem unius anni integri intercessisset sedis Alexandrinæ vacatio.*

AUCTORE C. B.

a plebe gentili orta est in Christianos sæva, 39 *Porro illa Alexandriæ, cum alibi adhuc ecclesiæ sub Philippo imperatore, utpote ante annum* 249 *non occiso, alta pace fruerentur, in Christianos orta persecutio, ab uno præcipue infestissimo Christiani nominis hoste fuit commota. Indicat id Sanctus noster in laudata epistola ad Fabium scripta, hujus initio ex Eusebio jam recitato mox subdens :* Καὶ φθάσας ὁ κακῶν τῇ πόλει ταύτῃ μάντις καὶ ποιητὴς ὅτις ἐκεῖνος ἦν, ἐκίνησε καὶ παρώρμησε καθ' ἡμῶν τὰ πλήθη τῶν ἐθνῶν. *Verba hæc huc Græce transcribo, ut, cum varias a variis sortiantur interpretationes,* E *quænam ex his præeligenda sit, studiosus lector dispiciat. Baronius vult, populi Alexandrini instigatorem verbis illis a* Dionysio *designatum, magnum exstitisse et quidem eum ipsum, qui postea Valerianum adversus Ecclesiam concitavit. Valesius in Notis ad præfatum locum statuit, eum vatem et poetam potius fuisse, quod poetæ cum Vatibus magnam habeant societatem, et Ægyptii poetica delectarentur. Hinc verba Græca huc jam transcripta sic vertit :* Etenim infaustus quidam vates et poeta, quisquis ille fuit, commoverat jam antea atque incitaverat adversus nos gentilium turbas. *Pearsonius in Annalibus Cyprianicis nec Baronium, nec Valesium* S. Dionysii *mentem assecutum, affirmat, prædictaque verba simpliciter transfert in hunc modum :* Et prævertens malorum huic urbi vates et auctor, quisquis ille fuit, commovit et incitavit adversus nos gentilium turbas. *Rationem autem versionis hujusmodi hanc reddit :* Hoc enim, *inquit,* voluit (Dionysius *nempe*) nescio quem, priorum civitati malorum auctorem fuisse sub Philippo, futurorum autem sub Decio vatem. *Præ aliis duabus arridet Pearsonii hæc interpretatio et versio; velim tamen in hac pro et* prævertens *claritatis causa poni* et initium faciens *vel* et initio facto : *vult enim significare* Dionysius, *populi instigatorem, quem memorat, persecutioni a populo idololatrico commotæ initium de-*

F *disse, omnesque alios ea in re prævertisse.*

in qua Sanctus multa pertulit, persecutio, 40 *Utut sit, certum saltem est, persecutionem illam ab uno potissimum Christiani nominis hoste fuisse suscitatam. Quam sæva autem, quamque cruenta exstiterit, ipsemet iterum* S. Dionysius *in laudata ad Fabium epistola exponit.* Ab hoc igitur, *inquit,* homine (*populi instigatore jam memorato*) stimulati, omnemque ad patranda scelera licentiam (*Gentiles scilicet Alexandrini*) nacti, hanc solam pietatem, cultumque dæmonum suorum existimabant, si cædibus adversus nostros sævirent. *Tum narrat, martyrii coronam retulisse senem quemdam, nomine Matram, Apolloniam, provectæ jam ætatis virginem, aliosque plures e grege suo, e quo nullus plane, si forte unum exceperis, persecutorum sævitiæ, Christo abnegato, succubuit. Atque hæc quidem de aliis* Dionysius, *quid vero ipse in persecutione illa passus sit, fas est colligere ex his, quæ deinde commemorat.* Porro, *inquit,* nusquam; non per viam publicam, non per angiportus incedere, aut noctu, aut interdiu nobis licebat : cum omnes ubique et assidue clamitarent : quicumque impia illa verba proferre abnuisset, eum illico trahendum esse, et flammis ultricibus absumendum. *Minas ergo angoresque continuos a furente plebe Sanctus sustinuit, quos quidem, utut graves, graviores etiam ipsa diuturnitas*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

tas effecit. Memorata enim persecutio, referente ipsomet Dionysio, ἐπιπολὺ, *id est,* diu, *quamquam non* diutissime, *ut vertit Valesius, duravit. Pearsonius in Annalibus Cyprianicis et post hunc Pagius in Criticis sæviisse illam usque ad festum Paschale, quod Decii persecutionem proxime præcessit, recte affirmant. Etenim, ut observant,* Dionysius *in epistola Paschali apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 22 *sic scribit :* Multa quidem et acerba ante hanc calamitatem nobis contigerunt. Primum enim nos expulerunt, cumque soli fugaremur ab omnibus, mortique exponeremur, etiam tum festum celebravimus, *Paschale scilicet, de quo Sanctus agit. Quapropter cum* Dionysium, *sæviente persecutione, festum Paschale celebrasse, verba hæc innuant, sintque, ut Valesius recte animadvertit, omnino intelligenda de persecutione populari, quæ prima sub* Dionysio *fuit, solosque spectavit Alexandrinos, dubium non est, quin hæc usque ad festum Paschale, quod Decii persecutionem, anno, ut docui,* 249 *inchoatam, proxime præcessit, Alexandriæ tenuerit.*

quam deinde altera, a Decio mota, excepit.

41 *Verum non diu admodum post, seditione cum civili bello insperato exorta, finem accepit, ac tum quidem Christiani Alexandriæ paululum respiraverunt.* Secuta deinde (*inquit* Dionysius *in epistola ad Fabium jam sæpius laudata*) seditio et bellum
B civile miseros (*Pearsonius mavult* Agonas) excipiens, crudelitatem, qua in nostros grassati fuerant, in ipsos mutuo convertit. Ac nos quidem paululum respiravimus, dum illorum cessaret furor. *Verum hæc Christianorum respiratio brevi admodum tenuit : etenim* Dionysius *verbis proxime recitatis mox subdit :* Sed continuo imperii illius erga nos benignissimi mutatio nobis nuntiata est; et gravissimus nobis minarum terror intentabatur. Jamque aderat edictum imperatoris, *Decii scilicet,* illud ipsum fere, quod a Domino nostro prædictum est, horrificum ac terribile exhibens, adeo ut ipsi etiam electi, si fieri posset, scandalum paterentur. *Imperii mutatio, quam hic factam ait* Dionysius, *non animi, ut exponit Baronius, sed ipsiusmet reipsa imperii mutatio fuit, ex subita Philipporum nece exorta. Etenim Decius, sublato Marino, qui in Occidente imperatorem se dixerat, ad Pannonicas legiones castigandas a Philippo missus, in Pannonia ab exercitu renuntiatus est imperator. Hic autem purpura indutus, Philippum seniorem adversus eum cum ingenti exercitu contendentem, commisso prælio, Veronæ occidit, pauloque post Philippo Juniore etiam Romæ occiso, imperatorem se ac consulem renuntiavit. Constant hæc omnia veterum scriptorum fide, illiganturque ab omnibus nunc passim eruditis anno Christi* 249, *quo etiam Decius imperium simul*
C *et sævissimam, qua hoc late patebat, persecutionem in Christianos est exorsus. Quapropter cum ex dictis persecutio Alexandriæ ex motu populari orta, adeoque et hanc brevi subsecuta, quam* Dionysius *memorat, benignioris in Christianos imperii mutatio, eodem anno* 249 *tenuerit, dubium esse non potest, quin hæc sit eadem illa imperii mutatio jam exposita, quæ ex subita Philipporum nece evenit, quamque brevi edicto Decii, imperium tunc primum adepti, sævissima in Christianos persecutio est secuta.*

§ V. Quid Dionysius in persecutione Decii passus fuerit et quæ sit Taposiris, ad quam tunc ductus sit.

Sanctus, Deciana persecutione orta, jussu divino domo

Quid *in Deciana persecutione Christiani Alexandriæ passi sint, quam multi eorum, vel tormentorum metu vel impatientia, a fide defecerint, quam multi contra in Christi confessione constantes, tormenta omnia superarint, gloriosamque tandem martyrii palmam retulerint, Sanctus noster in epistola ad Fabium, sæpissime jam laudata, fuse simul et accurate exponit; quid vero ipsemet præcipue tunc pertulerit, qui fugam inierit, qui e militum manibus, a quibus post hanc captus erat, fuerit ereptus, docet nos apud Eusebium lib.* VI, *cap.* 40 *insigni epistolæ, adversus Germanum scriptæ, sæpis-* D *simeque a nobis jam laudatæ, Fragmento, quod propterea, cum ad institutum nostrum cumprimis spectet, integrum huc transcribo. Fugam suam Sanctus primo sic narrat :* Ego vero, *inquit,* coram Deo loquor, et ipse scit, me nequaquam mentiri; numquam mea sponte, nec sine Dei nutu fugam inii. Sed et prius, cum persecutionis edictum sub Decio propositum fuisset, Sabinus (*præses augustalis*) frumentarium, (*militem, ad investigandos reos et ad colligendos rumores per provincias emissum, interpretatur Valesius*) qui me requireret, eodem temporis momento misit. Atque ego quidem quatriduo domi mansi, adventum exspectans frumentarii. Ille vero omnia circumeundo, perscrutabatur vias, fluvios, agros, ubi me occultari aut qua transiturum esse, suspicabatur. Verum caligo quædam ei obtutum ademerat, ne domum reperiret. Neque enim opinabatur, me domi consistere, grassante adversus me persecutione; vixque post diem quartum, cum Deus mihi, ut alio migrarem, præcepisset, ac præter opinionem omnium viam aperuisset, ego et famuli, multique ex fratribus simul egressi sumus. Atque id divinæ providentiæ opus fuisse, rerum eventus postea declaravit, siquidem nonnullis fortasse haud quaquam inutiles fuimus. E

egressus, sub vesperam a militibus capitur,

45 *Eusebius Sancti narrationem, qua hic fugam suam, hujusque modum jam exposuit, hic interrumpit, aitque eum, paucis interpositis, narrare, quæ sibi post fugam contigerint. Utinam Eusebius Sancti narrationem hic non abrupisset, sed integram dedisset! Haud dubie ex ea daretur intelligi, quænam eæ res fuerint, in quibus Sanctus, ut ipse ait, nonnullis tunc non inutilis exstitit. Verum Eusebio satis fuit, rerum, quæ tunc* S. Dionysio *acciderunt, seriem exponere. En verba, quibus apud hunc scriptorem id ipsemet Sanctus exsequitur.* Ego quidem, *ait,* circa solis occasum una cum comitibus meis a militibus comprehensus Taposirim (*parvum est Ægypti in Mareotide oppidum versus Libyam*) perductus sum. Timotheus vero, Deo ita disponente, tum quidem non adfuit, nec comprehensus est. Sed cum postea advenisset, domum vacuam reperit, et satellites, qui eam custodiebant; nos vero in servitutem abductos. *Sancti nostri narrationem hic iterum abrumpit Eusebius. Conjicere nequeo, quid sub verbis ab eo suppressis latuerit.* Dionysius *interim apud laudatum Eusebium lib.* VII *cap.* 11 *in epistola, quam ad Domitium et Didymum scripsit, nonnihil aliter indicat, sese a militibus comprehensum atque in captivitatem fuisse abductum. En verba :* De rebus autem nostris, *inquit,* quandoquidem sciscitamini, ac certiores fieri vultis, quo in statu agamus; audivistis quidem omnino, quo pacto cum F
ego et Caius et Faustus cum Petro et Paulo vincti duceremur a centurione, et magistratibus, militibusque et apparitoribus, qui una cum ipsis erant, supervenientes quidam ex Mareotis, invitos nos nec sponte sequentes per vim abstraxerint. *Innuuntur hic magistratus operam suam commodasse ad deducendum* Dionysium *in exsilium, quod mirum forte non nemini videbitur. Qua ratione id factum sit, in Annotatis ad caput Eusebii proxime laudatum Valesius apte exponit. Mirari hic interim fas sit divinam providentiam, quæ, cum* Dionysium *fugam arripere jussisset, eum nihilominus fugientem in persecutorum manus incidere permisit. Verum id forte dumtaxat fecit, vel ut Sanctus, quibus fuga sua profuit, posset prodesse, vel ut eum mirabili prorsus modo, quemadmodum evenit, e persecutorum manibus eriperet. Modum, quo Sanctus captus in libertatem fuerit assertus, ipsimet loco apud Eusebium proxime citato etiam exponit. Pergo adeo ejus verba huc transcribere.*

noctoque proxime sequenti ex eorum manibus

44 Quisnam vero, *inquit,* divinæ illius dispositionis ordo ac modus fuit? Dicam enim, quæ vera sunt. Aufugienti et perturbato Timotheo agrestis quidam occurrens, causam festinationis percontatur. Ille rem, ut erat, exposuit. Rusticus re audita (pergebat tunc forte ad nuptiale convivium : solent enim

A enim in hujusmodi conviviis totam noctem pervigilare) ingressus rem discumbentibus narrat. Qui confestim quasi signo dato, omnes uno impetu consurrexerunt. Et concito cursu in nos irruentes, clamorem ediderunt. Continuo satellitibus, qui nos custodiebant, in fugam versis, supervenientes, nos, ut eramus, nudis in grabatis jacentes, deprehenderunt; ac primo quidem aspectu, Deum testor, latrones esse existimans, qui spoliandi ac diripiendi causa venissent, manens in lectulo meo nudus, sola opertus linea tunica, reliquam vestem, quæ juxta me posita erat, eis porrexi. At illi consurgere me, et quam celerrime proficisci jusserunt. Tunc demum intelligens, cujus rei gratia venissent, vociferari cœpi : rogans atque obtestans, ut abirent, nosque illic dimitterent. Quod si de nobis bene mereri vellent, orabam, ut eos, qui me abducebant, satellites, prævenirent, ipsique caput mihi demeterent. Hæc me vociferantem, ut norunt ii, qui mihi consortes et participes ærumnarum omnium fuere, invitum surgere coegerunt. Ac me quidem ipse humi supinum abjeci. Illi vero pedibus manibusque comprehendentes, me trahere atque educere cœperunt. Sequebantur me Caius et Faustus, Petrus ac Paulus, qui horum omnium testes fuere. Qui me suscipientes, ex oppidulo B exportarunt, ac deinde nudo impositum asino abduxerunt.

Taposiri, parvo Ægypti

45 *Hactenus Sanctus noster. Verum ingens hic oritur difficultas. Etenim tota spectata narrationis serie, indicari ea videtur,* S. Dionysium *eodem die, quo Dei nutu e domo sua migravit, sub occasum solis captum Taposirim fuisse perductum, nocteque proxime sequenti e militum manibus ereptum, oppidulo illo excedere fuisse compulsum. Verum Taposiris Alexandria est remotior, quam ut facile credi queat, Sanctum eo ipso die, quo Alexandriæ sub occasum solis captus est, Taposirim fuisse perductum. Etenim quamvis duplex apud antiquos geographos distinguatur Taposiris, atque ex binis hisce oppidis homonymis aliud magis, aliud minus Alexandriæ fuerit propinquum, neutrum tamen adeo vicinum fuit, ut verisimile fiat, Sanctum ad illud eo ipso die, quo Alexandriæ sub occasum solis captus fuerat, a militibus fuisse perductum. Ut res clarior evadat, juverit utriusque oppidi docuisse situm et ab urbe Alexandrina distantiam. Mareotis est Ægypti regio ad Occidentalem ripam lacus Mareæ, qui Alexandriæ ad Meridiem adjacet, versus Libyam sita. In regione illa, teste Strabone lib.* XVII *situm est oppidum, nomine* Taposiris, *distinctum, uniusque diei itinere, ut Procopius lib.* VI κτισμάτων *cap.* 1 *docet,* C *ab Alexandria dissitum. Atque hoc primum est e duobus oppidis homonymis* Taposiris *nomine distinctis. Alterum nunc accipe. Fossa, ut loco proxime citato etiam Strabo docet, ab Alexandria versus Nilum ad Canopum ferebat, inter quam fossam, et mare, teste eodem geographo, angustus quidam tractus erat, in quo post Nicopolim et Zephyrium sita erat parva Taposiris. Quamvis autem non edicat, quanto distaret hoc oppidulum Alexandria spatio, colligi tamen id ex aliis ejus assertis potest. Ait enim Alexandria centum et viginti stadiis dissitam fuisse Canopum, hancque inter civitatem et Alexandriam tria ponit oppida, Nicopolim, Zephyrium et Taposirim, quorum primum, ut asserit, triginta erat stadiis Alexandria dissitum.*

in Mareotide

46 *Cum itaque secundum eumdem Strabonem triginta stadiis, id est, una amplius leuca horaria Alexandria absit Nicopolis, hancque inter civitatem et Taposirim situm sit Zephyrium, verosimiliter tribus circiter aut certe amplius duabus leucis horariis Alexandria abfuerit hæc altera Strabonis Taposiris. Fuerunt ergo ambæ civitates, nomine* Taposiris *distinctæ, Alexandria remotiores, quam ut verisimile appareat, Sanctum ad alterutram eo ipso die, quo Alexandriæ sub occasum solis captus fuerat, a militibus fuisse perductum. Et vero Sanctum Taposirim, ultimo loco memoratam, quamvis hæc Alexandria multo minus fuisset remota, a militibus non fuisse perductum, evincit ipsiusmet epistola ad Domitium et Didymum scripta. In hac enim (vide verba num.* 45 *recitata)* Dionysius *indicat, sese e militum manibus per Mareotas fuisse ereptum, ut per consequens, quando id accidit, in Mareotide exstiterit, adeoque ut non Taposirim versus Canopum sitam a militibus fuerit perductus. Neque est, quod dicas, Sanctum in epistola ad Domitium et Didymum et in altera adversus Germanum non agere de una eademque sua e militum manibus liberatione, id enim a vero alienum esse, ex dicendis luculentissime patescet. Ast, inquies, an ergo* Dionysius *eo ipso die, quo sub occasum solis Alexandriæ captus est, Taposirim, in Mareotide sitam, fuit perductus? Tillemontius tom. IV Monumentorum Ecclesiasticorum pag.* 638 *putat,* S. Dionysium *eo die, quo captus fuit, non Taposirim, sed ad pagum quemdam, haud procul Alexandria dissitum, ubi etiam per Mareotas nocte proxime sequenti e satellitum manibus sit ereptus, a militibus fuisse perductum, ut deinde Taposirim, utpote locum exsilio ejus destinatum, longius abduceretur.*

AUCTORE C. B.

oppidulo, per Mareotas eripitur,

47 *Verum hæc Tillemontii opinio consentire minime videtur cum Sancti nostri epistola adversus Germanum scripta. Etenim* Dionysius, *ut jam vidimus, primo in hac refert, sese sub occasum solis fuisse comprehensum, Taposirimque perductum; deinde* E *vero ait sese, e satellitum manibus ereptum, oppidulo fuisse exportatum, per quod Taposirim, cum hujus solius oppiduli prævie mentionem fecerit, haud dubie designat. Fuit ergo Sanctus, uti ipsemet in laudata epistola indicat, Taposiri e satellitum manibus per Mareotas ereptus, ac proin* S. Dionysii *adversus Germanum epistolæ adversatur Tillemontii opinio, quæ Sanctum non Taposiri, sed in pago, haud procul Alexandria dissito, e satellitum manibus per Mareotas ereptum statuit. Accipe nunc, quid ego hac in re sentiam. Spectato toto adversus Germanum epistolæ contextu, omnino apparet, Sanctum sub occasum solis comprehensum, nocte proxime sequenti Taposirim fuisse perductum, ibique e satellitum manibus ereptum. Id autem vero prorsus absimile non esse, sic ostendo. Taposiris in Mareotide sita unius tantum, ut jam docui, diei itinere Alexandria distat. Quapropter cum Sanctus comprehensus fuerit sub occasum solis atque adeo (mense enim Decembri aut Januario Deciana persecutio secundum dicta num.* 38 *incepit) circa horam quintam vespertinam, facile potuit nocte proxime sequenti, media sui parte nondum elapsa, ad oppidulum illud perduci. Neque est, cur dicas, verisimile non esse, Sanctum nocte tam procul Alexandria fuisse abductum; potuit enim gravis aliqua, quamquam nobis ignota, subesse ratio,* F *cur id præfectus Alexandrinus fieri voluerit. Sane hic* Dionysium, *sub occasum solis captum, mox, uti apud omnes in confesso est, exsilio damnavit, nec ulla nota est ratio, cur hanc suam sententiam in diem saltem sequentem non distulerit. Quod si adeo tanta in ferenda adversus Sanctum exsilii sententia festinatione usus sit, pari etiam uti potuit in Sancto reipsa, idque noctu, tam procul relegando.*

in Libyam secedit,

48 *Itaque, ut a* Dionysii *mente non recedam, rem totam sic ordino :* Dionysius, *domo sua, absente Timotheo, egressus, sub occasum solis capitur, exsilio a magistratibus et Sabino præfecto damnatur, ipsaque nocte proxime sequenti, ut deinde longius abducatur, Taposirim, Mareotidis oppidum, jubetur abduci, paulo post domum redit Timotheus, Sanctum Taposirim abductum intelligit, mox versus idem oppidum fugam arripit, rustico nocte jam valde provecta (multam enim tunc noctem fuisse, etiam ipse* S. Dionysius *in epistola adversus Germanum clare indicat) ad festum nuptiale properanti, haud procul admodum a Taposiri occurrit, eique narrat* Dionysium *exsilio damnatum, atque ad illud oppidum a militibus captivum esse deductum, rusticus, in conviviі locum ingressus, discumbentibus rem exponit, hi confestim, veluti signo dato, omnes uno impetu consurgunt, Taposirim, nocte jam majori ex parte præterlapsa, advolant, clamorem inconditum tollunt,*

AUCTORE C. B.

satellites Dionysium *custodientes in fugam conjiciunt, Sanctum, quamvis reluctantem, e lecto consurgere et abscedere compellunt, eumdemque deinde, non quidem, ut vertit Christophorsonus, temulenti illi convivæ, sed* Caius, Faustus, Petrus *et* Paulus, *ut Valesius in Notis recte interpretatus est, ex oppidulo Taposiri exportant, asinoque impositum abducunt. Tota Sancti nostri narratio ita ordinata nihil certe, ut mihi quidem apparet, lectori offert, quod vero sit absimile. Porro quid factum sit* Dionysio, *postquam a rusticis Mareotis Taposiri excedere compulsus, satellitum e manibus fuit ereptus, ipse quidem in epistola adversus Germanum non indicat, at in epistola ad Domitium et Didymum, jam sæpius laudata, significat, sese, per Mareotas e militum manibus jam ereptum, cum* Caio *et* Petro, *reliquis orbatum fratribus, in deserto quodam ac squalido Libyæ loco fuisse conclusum.* Ego quidem nunc, *inquit post verba num. 40 recitata,* et Petrus et Caius soli, reliquis fratribus orbati, in deserto et squalido quodam Libyæ loco conclusi sumus, tridui itinere distantes a Parætonio, *portu marino scilicet in Marmarica.*

ibique verosimiliter latet, quamdiu durat Deciana persecutio.

B

49 *Fuerit verosimiliter Sanctus ad locum illum Libyæ desertum et squalidum sponte sua profectus, eique se incluserit, quod hunc, cum a militibus Taposirim duceretur, sibi in exsilium destinatum esse, intellexisset, eoque modo futurum existimaret, ut in suspicionem non veniret doli adhibiti, quo e satellitum, a quibus ducebatur in exsilium, manibus evaderet. Utut sit, Sanctus in deserto illo et squalido Libyæ loco tamdiu, ut apparet, mansit inclusus, quamdiu Deciana persecutio duravit. Quapropter cum hæc, ut inter eruditos omnes nunc satis convenit, anno 251 finem acceperit, consequens est, ut Sanctus non prius, quam eodem anno desertum illum et squalidum Libyæ locum reliquerit. Verum quæ hic de voluntario Sancti nostri, Deciana sæviente persecutione, in Libya exsilio memoravi, locum tantum obtinent, si scripta a Sancto nostro ad Domitium et Didymum epistola spectet ad Decii, non autem ad Valeriani persecutionem. Alii illam ad Decii, alii contra ad Valeriani persecutionem referunt. Hisne potius, an illis assentiendum sit, § sequenti examino.*

§ VI. Dionysii ad Domitium et Didymum epistola, et an hæc sub Valeriano, an sub Decio scripta sit.

Epistolam, quam Sanctus scripsit ad Domitium et Didymum,

C

Ex *epistolis omnibus a* S. Dionysio *scriptis, quarum præcipue præsidio gesta ejus illustrare proposui, priori loco, quæ ad Domitium et Didymum data est, commemoranda idcirco venit, quod reliquas omnes, uti ex mox disputandis pronum erit colligere, tempore præcesserit. Jam nonnulla ex hac verba, dum id instituti mei ferebat ratio, in Commentarii hujus decursu transcripsi. Restant adhuc alia, eaque inter, quæ altam* Dionysii *animi demissionem, ardensque, quo tenebatur, martyrii desiderium egregie commendant. En adeo etiam hic illa :* Id tantum, *inquit* Dionysius, in universum scire vos convenit, viros et mulieres, juvenes ac senes, puellas et anus, milites ac paganos; ex omni denique hominum genere atque ætate, alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis, coronas retulisse. Nonnullis vero longissimum temporis spatium non satis fuit ad hoc, ut Deo acceptabiles viderentur; sicuti nec mihi in hunc usque diem. Scilicet in aliud opportunum tempus, quod ipsi probe cognitum est, me distulit Dominus, qui dicit : In tempore accepto exaudivi te et in die salutis opitulatus sum tibi. *Ita Sanctus, significans scilicet, se post longam vitam Deo nondum ita factum esse acceptum, ut martyrii coronam meritus fuerit referre; quo sane quam demisse de se sentiat, quamque ardenti martyrii desiderio flagret, apertissime prodit. Addit etiam, ex quibus manifestum fit, hanc epistolam, sæviente adhuc in Christianos persecutione, scriptam esse.* Nam, *inquit,* in hunc usque diem non cessat præfectus nostros, qui præsentiæ D ipsius exhibentur, partim interficere crudelissime, partim tormentis dilaniare, partim squalore carceris et vinculis macerare, interdicens, ne quis ad eos accedat, et perscrutans, num quis forte videatur accedere. *Certum ergo est, præfatam epistolam, persecutione adhuc sæviente, scriptam esse. Verum hic jam quæritur. Deciine hæc, an Valeriani persecutio exstiterit.*

Eusebius et Baronius sub Valeriano :

51 *Eusebius lib.* VII, *cap.* 11, *recitato insigni* S. Dionysii *adversus Germanum epistolæ Fragmento, hæc subdit :* Porro idem Dionysius in epistola, quam scripsit ad Domitium et Didymum, nonnulla ad persecutionem illam spectantia rursus ita commemorat. *Quapropter cum in Fragmento proxime laudato de persecutione Valeriani a Sancto nostro actum sit, apertissime ad eamdem Valeriani persecutionem refert Eusebius epistolam, cujus Fragmentum mox subjungit, ad Domitium et Didymum a Sancto nostro conscriptam. Rufinus secutus est Eusebium, atque ita quidem hunc interpretatur, ut assertam præfata epistola* S. Dionysii *in deserto quodam et squalido Libyæ loco inclusionem accidisse narret post ejus sub Valeriano in Cephro ac deinde in Mareotide exsilium. Ado Rufinum ex parte secutus idem fecit in* S. Dionysii *elogio supra producto. Baronius in Annalibus Eusebii tantum opinionem, at non item* E *adaptatam ei a Rufino interpretationem amplectitur, ut haud dubie velit, apud Eusebium lib.* VII *cap.* 11 *in* S. Dionysii *epistola, ad Domitium et Didymum scripta, unice agi de Sancti in Libya exsilio, quod sub Valeriano acciderit. Verum de Sancti exsilio, quod sub Valeriano acciderit, ibidem non agi, Sanctique ad Domitium et Didymum epistolam, Valeriani persecutione sæviente, scriptam non esse, contendit Valesius in Annotationibus ad Eusebii caput proxime laudatum. Valesium, idque non immerito, secuti deinde sunt Tillemontius tom. IV Monumentorum et Ruinartius in Actis sinceris et selectis martyrum.*

Valesius contra aliique sub Decio, idque non immerito,

52 *Valesius ejusque sequaces opinionem suam his fere rationibus stabiliunt. In persecutione sub Valeriano* S. Dionysius *in exsilium deductus non est sub militari custodia; nec a supervenientibus Mareotis e satellitum, a quibus ducebatur in exsilium, manibus per vim fuit ereptus; nec* Caium, Petrum *et* Paulum *tunc habuit Socios. Hæc contra omnia (vide apud Eusebium lib.* VI *cap.* 40 S. Dionysii *epistolam adversus Germanum scriptam) Sancto sub Decianæ persecutionis initium contigerunt. Hic jam, cum eadem omnia in epistola ad Domitium et Didymum Sanctus sibi evenisse narret, optime concludunt, in hac agi de exsilio, in quod Sanctus non sub Valeriano, sed sub Decio missus est. Sanctum autem vere, ut Valesius ejusque sequaces aiunt, sub Valeriano nec cum militari custodia in exsilium missum, nec a Mareotis in libertatem fuisse assertum, nec tum denique* Caium, Petrum *et* Paulum *habuisse socios, manifestum fit ex altero epistolæ* S. Dionysii *adversus Germanum Fragmento, apud Eusebium lib.* VII *cap.* 11 *epistolæ ad Domitium et Didymum præmisso, jamque antea sæpius laudato. Etenim in hoc Sanctus narrat, quibus cum Sociis, Valeriani persecutione exorta, coram Æmiliano præfecto fidem Christianam fuerit confessus, quique ab eo in exsilium pulsus fuerit : nuspiam autem vel Mareotarum vel militaris custodiæ vel* Caii, Petri *et* Pauli *mentionem facit.*

scriptam statuunt.

53 *Imo vero, quod ad militarem custodiam pertinet, non modo se cum ea in exsilium deductum non prodit; verum etiam contrarium aperte insinuat. Etenim sic habet :* Æmilianus præfectus (S. Dionysio *ejusque Sociis*) dixit : Video vos ingratos esse simul ac stupidos, qui clementiam Augustorum minime sentiatis. Quam ob rem non manebitis in hac urbe, sed mittemini in partes Libyæ ad locum, qui dicitur Cephro. Hunc enim locum jussu Augustorum nostrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis nec quibuscumque aliis conventus agere, aut ea, quæ vocantur, cœmeteria adire. Quod si quis ad eum,

quem

A quem jussi, locum minime profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus; is sibi ipse periculum arcesset. Non enim deerit congrua animadversio. Abscedite igitur, quo jussi estis. Statimque me tametsi ægrotantem proficisci compulit, ne diei quidem unius dilatione concessa. *Quibus verbis Sanctus dilucide indicat, se suosque Socios non cum militari custodia in exsilium per vim missos fuisse, sed tantum a præfecto Æmiliano in mandatis accepisse, ut sponte sua in exsilium abscederent. Quid enim, quæso, aliud insinuant sequentia, jam recitata verba?* Quod si quis ad eum, quem jussi, locum minime profectus deprehendetur... is sibi ipse periculum arcesset... abscedite igitur, quo jussi estis. *Liquet ergo, Sanctum in Valeriani persecutione nec cum Sociis* Caio, Petro *et* Paulo *a militibus in exsilium deductum, nec ex horum manibus per Mareotas fuisse ereptum, ut adeo de exsilio, quod Sanctus sub Valeriano passus sit, in epistola ad Domitium et Didymum non agatur, ac proin ut hæc, non Valeriani, sed Decii persecutione sæviente, sit scripta.*

Pagius asserit, de Valeriani persecutione, non omnia, sed aliquot saltem

54 *Pagius nihilominus in Criticis ad annum* 252 *num.* 25 *et seq. litterarium illud Sancti nostri monumentum ad Valeriani persecutionem pergit referre, idque quamvis admittat,* Dionysium *in persecutione, a Valeriano mota, vi in exsilium a militibus non fuisse abductum, nec a supervenientibus Mareotis in libertatem fuisse assertum. Ut autem hanc opinionem suam tueri queat, adstruit, ea, quæ ad Domitium et Didymum in præfata epistola scripsit* Dionysius, *partim sub Decio, partimque sub Valeriano et Gallieno accidisse.* In ea itaque, *inquit ad annum citatum num.* 26, epistola Dionysius, quæ in persecutione Deciana pertulit, obiter narrat, ac postea dicit, se nunc in deserto Libyæ loco concludi, Faustum vero, Eusebium et Chæremonem diaconos superstites esse, post illos, qui morbo consumpti sunt, regnante scilicet Valeriano, quo tempore, quemadmodum et sub Decio Dionysius in Libyam relegatus est. *Vult ergo Pagius, ad Decianam persecutionem spectare, quæcumque in epistola, ad Domitium et Didymum data, sequentia* Dionysii *verba præcedunt:* Ego quidem nunc et Petrus et Caius soli, reliquis fratribus orbati, in deserto quodam et squalido Libyæ loco conclusi sumus, tridui itinere distantes a Parætonio; *hæc autem una cum subsequentibus ad Valeriani persecutionem contendit referri, atque adeo hujus tempore epistolam, quam ad Domitium et Didymum dedit* Dionysius, *scriptam esse.*

agere epistolæ verba, quod non subsistere,

55 *Verum* Dionysii *verba proxime recitata ad Valeriani persecutionem, seu ad exsilium, quod Sanctus noster sub Valeriano in Libya pertulit, nequeunt referri. Illis enim Sanctus asserit, duos dumtaxat socios aut comites,* Petrum *nempe et* Caium, *sibi adfuisse in exsilio, quod tunc, cum ad Domitium et Didymum scriberet, in deserto quodam et squalido Libyæ loco sustinuit; Sancto autem in exsilio, quod sub Valeriano in Cephro, Libyæ loco, pertulit, plures semper comites sociive adfuerunt. Liquet id ex ipsiusmet Sancti adversus Germanum epistola, jam sæpius laudata atque ab Eusebio Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VII *cap.* 11 *inserta. En verba:* Apud Cephro vero, *inquit Sanctus,* nobiscum magna fidelium adfuit multitudo; partim eorum, qui ab urbe (*Alexandrina*) nos secuti fuerant, partim aliorum, qui ex reliqua Ægypto confluebant. *Ad hæc res etiam confirmari potest ex verbis num.* 48 *jam recitatis, quæ Æmilianus præfectus adversus* Dionysium *ejusque Socios, Christum confessos, protulit, quæque Sanctus ex Actis publicis epistolæ suæ adversus Germanum mox iterum laudatæ inseruit. Illis enim Æmilianus non unum* Dionysium, *sed cum eo* Faustum, *Maximum, Marcellum et Chæremonem in exsilium jussit secedere, idque ad unum eumdemque Libyæ locum,* Cephro *appellatum. Quapropter cum dubitandum non videatur, quin illi omnes Æmiliano obtemperarint, probatur etiam vel hinc,* S. Dionysium *in exsilio, quod sub Valeriano in Libya pertulit, plures quam duos socios seu comites habuisse. Quod si reponas, Maximum,* Faustum, *Eusebium et Chæremonem, durante adhuc Valeriani persecutione, e Libya, solis* Dionysio, Petro *et* Caio *ibidem relictis, Alexandriam esse reversos, idque in epistola ad Domitium et Didymum indicari; respondeo, id mihi minus verisimile videri.*

AUCTORE C. B.

atque adeo hanc sub Valeriano scriptam non esse, ostenditur;

56 *Etenim quatuor illi* S. Dionysii *Socii, omni servata juris forma, a præfecto augustali Æmiliano sub Valeriano in exsilium pulsi fuere. Quapropter si, sæviente adhuc imperatoris hujus persecutione, Alexandriam fuissent reversi, summum incurrissent periculum, ne, forte deprehensi atque ad præfectum delati, morte ab eo, jam non ut Christiani, sed ut legum imperatoriarum violatores, fuissent affecti: quod si autem tali sese periculo exposuissent, merito reprehendendi fuisse videntur. Etenim Cyprianus editionis Venetæ anni* 1728 *epistola sexta, Pamelii septima ad Rogatianum aliosque confessores sic scribit;* Cum quanto enim nominis vestri pudore delinquitur, quando aliquis temulentus et lasciviens demoratur, alius in eam patriam, unde extorris factus est, regreditur, ut apprehensus non jam quasi Christianus, sed quasi nocens pereat? *Quibus verbis sane S. Cyprianus reprehendendos indicat, qui commemorato se periculo exponerent. Est ergo, cur Maximum,* Faustum, *Eusebium et Chæremonem* E *id fecisse, minus verisimile appareat. Attamen cum Æmilianus (vide apud Eusebium lib.* VII *cap.* 11 *epistolæ adversus Germanum Fragmentum) omni prorsus conventu* S. Dionysio *interdixerit, nec hic tamen mandatum illud deinde observarit, ac proin omnino incredibile non sit, exsilii mandatum pariter non observasse Maximum,* Faustum, *Eusebium et Chæremonem, priori argumento, num. præcedenti ex verbis* Dionysii *in epistola adversus Germanum deducto, potissimum innitor; quo solo sufficienter evincitur,* S. Dionysio *in exsilio, quod sub Valeriano in Libya pertulit, plures semper quam duos socios comitesve adfuisse, atque adeo verba, ex epistola ad Domitium et Didymum, num.* 49 *recitata, quibus Sanctus, in Libya exsul, duos tantum sibi socios seu comites adesse, scribit, ad Valeriani persecutionem non posse referri: unde ulterius est consequens, ut, hac sæviente, Sancti nostri ad Domitium et Didymum epistola scripta non fuerit.*

nec opinionem suam ex Eusebio et Nicephoro

57 *Ut nihilominus hanc tunc scriptam, loco proxime citato probet Pagius, in subsidium etiam vocat Eusebium et Nicephorum Callistum, qui ambo* S. Dionysium *Paschalem epistolam, cum jam e vivis excessisset Decius, ad Domitium et Didymum scripsisse, non obscure insinuant: posterior quidem lib.* VI *cap.* 18 *his verbis:* Dionysius Alexandrinus, nondum pace ecclesiis a Gallieno reddita, alias F quoque de Paschate festas composuit epistolas, quarum unam quidem ad Flavianum (*aliis Flavium*) dedit, aliam ad Didymum et Domitium; *prior vero lib.* VII *cap.* 20 *istis:* Præter supra dictas epistolas idem Dionysius paschales illas, quas habemus, epistolas tunc temporis (*imperante scilicet Gallieno*) conscripsit. Harum unam Flavio nuncupavit; alteram Domitio ac Didymo. *Verum, quid tum? scripserit* Dionysius, *regnante jam Gallieno, imo Valeriani persecutione durante, ad Domitium et Didymum Paschalem epistolam, ab Eusebio lib.* VII *cap.* 20 *memoratam; an propterea est consequens, ut tunc etiam ad Domitium et Didymum scripta sit epistola, cujus Fragmentum lib.* VII *cap.* 11 *exhibet Eusebius? id certe non consequitur, nisi una eademque utrobique ab Eusebio memoretur epistola. Verum qui, quæso, id probabit Pagius? quid ni ad Domitium et Didymum, qui duo fratres aut duo amici, intimo amoris nexu conjuncti, fuisse videntur,* S. Dionysius *bis scribere potuerit? S. Hieronymus de illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap.* 69 *sic scribit:* Est ejus (*sancti* Dionysii) ad Dionysium (*sic vocat Domitium*) et ad Didymum altera epistola, et ἑορταστικαί, *id est, Paschales,* de Pascha plurimæ declamatorio sermone conscriptæ; *quibus verbis Hieronymus epistolam* S. Dionysii *ad Domitium, seu,*

Sebio et Nicephoro

AUCTORE C. B.

seu, ut ipse vocat, Dionysium et Didymum, aperte distinguit ab epistolis ejus Paschalibus, ut adeo Dionysius *præter epistolam, lib.* VII *cap.* 20 *ab Eusebio memoratam, aliam insuper ad Domitium et Didymum scripserit epistolam.*

satis probat Pagius,

58 *Adhæc epistolæ Paschales, quas olim annis singulis scribere solebant Alexandrini episcopi, post panegyricum de festo Paschali sermonem, Quadragesimæ notabant initium, et diem, quo Pascha eo anno, quo scribebantur, esset celebrandum; at vero hujusmodi argumentum minime quadrat epistolæ ad Domitium et Didymum, ab Eusebio lib.* VII *cap.* 11 *partim recitatæ. Hanc enim Sanctus unice scripsisse videtur, ut Domitii et Didymi petitioni satisfaceret, qua hi ab eo de statu, in quo esset, postularant fieri certiores. Accedit, quod Eusebius lib.* VII *cap.* 20 *hæc memoret :* In qua (*Paschali ad Domitium et Didymum epistola*) probans (*sanctus* Dionysius) festum Paschæ diem non nisi post æquinoctium vernum celebrari oportere, octo annorum canonem publicavit. *In epistolæ autem ad Domitium et Didymum Fragmento, quod Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VII *cap.* 11 *ab Eusebio inseritur, ne Paschatis quidem fiat mentio. Est ergo hæc epistola, tum ob hanc, tum ob alias præcipue rationes jam adductas, haud dubie diversa a Paschali ad Domitium et Didymum epi-*
B *stola, jam sæpius laudata. Quapropter quamvis hæc sub Valeriano scripta sit, minime consequitur, ut pariter altera ad ejusdem imperatoris tempus debeat referri. Pagius nihilominus, ut contrarium tueatur, aliud argumentum, atque id quidem in specie satis validum, adducit.*

uti nec ex peste, sub Gallo primum grassata;

59 *Repetit illud partim a tempore, quo per universum Romanum imperium sæculo æræ Christianæ tertio grassari cœpit lues sævissima, plurium scriptorum calamo notata; partim ab his* Dionysii *apud Eusebium lib.* VII *cap.* 11 *in epistola ad Domitium et Didymum verbis :* In urbe... occultarunt se, ut fratres clanculo invisant, presbyteri quidem, Maximus, Dioscorus, Demetrius et Lucius... diaconi vero post illos, qui morbo consumpti sunt, superstites, Faustus, Eusebius, Chæremon. *Contendit autem per morbum, quo* Dionysius *tunc, cum scriberet, nonnullos diaconos e vivis sublatos, innuit, pestem intelligi, hancque, regnante Decio, grassari non cœpisse, ac proin epistolam, ad Domitium et Didymum scriptam, in qua* Dionysius *diaconos peste sublatos indicat, persecutione non Decii, sed Valeriani, sæviente, scriptam esse. Fateor, convincens est Pagii ratiocinium, si modo sub Decio grassari Alexandriæ memorata pestis non cœpit, reque ipsa* Dionysius *innuat, illa jam tum, cum ad Domitium*
C *et Didymum scriberet, nonnullos diaconos Alexandriæ interiisse. Porro ut pestis illius initium ab imperio Decii removeat, seriusque statuat, varios laudat antiquos historicos, Jornandem scilicet, Sextum Aurelium Victorem utrumque, juniorem scilicet et seniorem, Eutropium, Paulum Orosium, Cedrenum, Zonaram, qui omnes, ut ait, eamdem pestem sub Gallo et Volusiano, Decii interfecti in imperium successoribus, primo esse exortam, unanimi consensu tradunt.*

queunt auctores, qui pestem sub Gallo ponunt,

60 *Verum, ut studioso lectori appareat, an scriptores illi omnes id indubitanter doceant, juverit singulorum verba huc transcribere. Jornandes cap.* 19 *sic scribit :* Defuncto tunc Decio, Gallus et Volusianus regno potiti sunt Romanorum, quando et pestilens morbus, pœne istius necessitatis consimilis, ut nos ante hos novem annos experti sumus, faciem totius orbis fœdavit, supra modum quoque Alexandriam totiusque Ægypti loca devastans. *Orosius lib.* VII *cap.* 21 *hæc habet :* Anno ab Urbe condita millesimo septimo Gallus Hostilianus vicesimus sextus ab Augusto regnum adeptus, vix duobus annis cum Volusiano filio obtinuit. Exoritur ultio violati nominis Christiani, et usquequo ad profligandas ecclesias edicta Decii cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum pestis intenditur : nulla fere provincia Romana, nulla civitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali pestilentia correpta atque vastata sit. *Eutro-* D
pius rem his verbis exponit : Mox imperatores creati sunt Gallus, Hostilianus et Galli filius Volusianus. Sub his Æmilianus in Mœsia res novas molitus est; ad quem opprimendum cum ambo profecti essent, Interamnæ interfecti sunt, non completo biennio. Nihil omnino clarum gesserunt. Sola pestilentia et morbis atque ægritudinibus notus eorum principatus fuit, *Cedrenus de Gallo et Volusiano loquens hæc memorat :* Eo tempore pestis invaluit, ab Æthiopia in Occiduam usque terræ partem propagata : neque ulla fuit urbs ejus expers, multæ etiam bis ea lue infestatæ. Obtinuit annos quindecim, cœpit autumno et desiit sub ortum caniculæ. *Zonaras sub Gallo et Volusiano de peste illa sic loquitur :* Pestis quoque tum provincias invasit, quæ ab Æthiopia orta, totumque pœne Orientem et Occidentem pervagata, multas urbes civibus desolavit, duravitque per annos quindecim. *E duobus tandem Sextis Aureliis Victoribus senior quidem rem litteris consignat hoc modo :* Hæc ubi patres comperere, Gallo Hostilianoque augusta imperia : Volusianum Gallo editum cæsarem decernunt. Dein pestilentia oritur; qua atrocius sæviente, Hostilianus interiit : *Junior vero isto :* Vibius Gallus cum Volusiano filio imperaverunt annos duos. Horum temporibus Hostilianus E
Perpennas a senatu imperator creatus, nec multo post pestilentia consumptus est.

de ea tunc magis invalescente, latiusve grassata intelligi.

61 *Habes nunc, erudite lector, verba scriptorum omnium, quorum auctoritate celeberrimam illam sæculi tertii pestem sub Gallo et Volusiano primo ortam, Pagius indubitanter contendit; considera nunc, an omnes verbis recitatis id ita clare indicent, ut præfatæ pestis initium, salvis eorum assertis, sub Decio, si non in omnibus Romani imperii provinciis, saltem in Ægypto, statui nequeat. Certe ex Eutropio et juniore Victore nihil habere potest Pagius. Cedrenus vero et Jornandes commode exponi queunt de peste sub Gallo et Volusiano per omnes imperii Romani provincias maxime invalescente, ita ut eam sub Decio nuspiam esse inceptam, minime negent. Attende ad singulorum verba jam recitata et res illico patescet. Quod vero jam ad Paulum Orosium, Sextum Aurelium Victorem seniorem et ad Zonaram pertinet, hi quidem pestem sub Gallo et Volusiano primo ortam sat aperte scribunt; verum ita possunt exponi, ut non de omnibus prorsus Romani imperii provinciis, sed de majori earum parte sermonem habeant, ita ut non negent, in nulla prorsus provincia, atque adeo nec in Ægypto, ante Galli et Volusiani imperium pestem esse exortam. Dubitari nequit, quin pestis in Ægypto prius quam*
F *in Occidente fuerit grassata; in Æthiopia enim, uti ex nonnullis historicis mox laudatis liquet, initium accepit, hincque ad Occidentales imperii provincias fuit propagata. Præterea cum lue illa, uti ex Sancto nostro apud Eusebium intelligitur, magis diutiusque conflictata fuit Ægyptus, quam reliquæ imperii provinciæ. Est ergo satis credibile, pestem in Ægypto jam sub Decio esse grassatam : quamquam autem pestis jam tunc in Ægypto grassantis non meminerint scriptores, factum verosimiliter id est, quod nec adeo vehemens, nec generalis exstiterit.*

Pestem eam sub Decio grassatam docet liber de laude martyrii;

62 *Et vero pestem ante Galli imperium etiam esse grassatam intelligitur ex præclaro de laude martyrii Opusculo, a nonnullis S. Cypriano attributo. In hoc enim luis tum, cum scriptum est, grassantis fit mentio, et Moysi, Maximo et ceteris confessoribus inscribitur, quorum priorem, nempe S. Moysen, sub Decio anno* 251 *martyrio coronatum esse, constat, ut jam sub Decio, atque adeo ante Gallum pestis sit grassata. Sunt quidem nonnulli, qui laudatum Opusculum seu Tractatum de laude martyrii S. Cypriano abjudicent, reque ipsa forte (vide in Opere nostro Appendicem ad Gloriam posthumam S. Cypriani num.* 33 *et seqq.) a S. Cypriano tractatus ille concinnatus non est. Verum, sit ita : cum Moysi, Maximo et ceteris confessoribus, qui cum Cypriano vixere, inscriptus sit, necesse est, ut auctorem habeat Cypriano*

A *Cypriano ætate æqualem. Neque est, quod dicas, declamationem esse ab auctore, qui ab ætate Moysis et Maximi longe fuerit remotus, stylo oratorio adornatam. Hoc enim tantummodo idcirco potest contendi, quod in laudato Opusculo pestis sub Decio grassantis mentio occurrat. Verum pestem sub Decio grassari non cœpisse, nullo prorsus argumento sat certo evinces; nec id alterum, quod in Critica loco supra citato argumentis, jam a nobis hic productis, Pagius adjungit, etiam evincit. Rem discutiamus.*

nec contrarium ex numismatis evincitur.

63 Denique, *inquit*, non tantum scriptores omnes, qui de hac peste locuti sunt, sed etiam nummos Valesius (*pestis initia ad Decium referens*) contrarios habet. Nam in postica parte quorumdam Galli et Volusiani legitur : Apollo Salutaris. Quæ etiam verba tam Æmiliani, quam Valeriani augustorum nummis inscripta, cum tamen nullum Decii augusti numisma Apollinem salutarem repræsentet, ut videre est apud Mediobarbum in numismatis imperatorum, et quæ eam inscriptionem præferunt, ab antiquariis in studium horum imperatorum ad restinguendam pestem merito referuntur. *Hæc Pagius, mox etiam subjungens :* Decio itaque imperante, pestis nondum exorta. *Verum hæc conclusio ex præmissis minime sequitur. Etenim ex his tantum est consequens, Gallum, Volusianum,* B *Æmilianum et Valerianum imperatores majori restinguendæ pestis studio arsisse, quam Decium. Nec mirum : viderant illi, non item hic, Hostilianum imperatorem peste e vivis auferri, ut adeo hinc sibimet ipsis a peste metuentes ad Apollinis salutaris auxilium confugerint. Adhæc sub Decio pestis tantummodo alicubi oriri cœpit; sub Valeriano vero, Gallo et Volusiano omnes Romani imperii provincias est pervagata. Solentne homines semper sub malorum initia, nulla facta mora, ad supernam opem confugere? Adde, non inveniri nummos,* Apollini salutari *inscriptos, omnium aliorum imperatorum, sub quibus alias contigit, Romanum imperium peste affligi; potuit ergo de hujusmodi cudendis nummis sub imperio Decii, quamvis grassante peste, cogitatum etiam non fuisse.*

Non est omnino certum, pestis meminisse eam, de qua hic, epistolam,

64 *Quod si porro adhuc pergas contendere pestem sub Decio nuspiam in imperio Romano cœpisse grassari, idque argumentis, quæ rem indubiam non reddunt, probare, vocari etiam in dubium poterit, num Sanctus noster in epistola sua sæpissime laudata ad Domitium et Didymum pestis Alexandriæ grassatæ meminerit, atque adeo hinc argui amplius non poterit, dictam epistolam non sub Decio, sed sub Valeriano scriptam esse. Quam merito autem id vocari queat in dubium, patet ex Rufino, qui legit in textu* C *Sancti nostri supra producto non ἐν τῇ νόσῳ, id est, in peste, sed ἐν τῇ νήσῳ, id est, in insula, ita ut a Sancto nostro significetur, diaconos, de quibus agit, non in peste, sed in insula, ad quam relegati fuerant, e vivis tunc excessisse, cum suam daret ad Domitium et Didymum epistolam. Putant Tillemontius, aliique eruditi hanc lectionem prorsus improbabilem non esse, Valesius lectionem, qua scribitur ἐν τῇ νόσῳ præferendam putat. Et vero etiam hæc lectio præ altera, quantumvis non improbabili, mihi arridet. Quapropter nolim Rufini lectionem pertinacius tueri, etiamsi, ea admissa, vim omnem amittat argumentum, quod pro* S. Dionysii *ad Domitium et Didymum epistola sub Valeriano constituenda, a Pagio inde repetitur. Verum simul contendo, ut jam ante feci, ne ex hoc quidem rem certo confici. Cum enim ex rationibus jam ante adductis, pestis Alexandriæ sub Decio grassari verosimillime cœpta sit, qua ratione, quæso, certo concludi potest, sub Valeriano scriptam esse* S. Dionysii *ad Domitium et Didymum epistolam, quod in hac pestis, qua nonnulli diaconi sint sublati, a Sancto fiat mentio? Imo vero tantum abest, ut hinc probari existimem epistolam ad Domitium et Didymum sub Valeriano scriptam esse, ut contra potius ex hac sequi putem, Alexandriæ sub Decio pestem cœpisse grassari.*

65 *Etenim cum ob rationes supra adductas non multum dubitandum videatur, quin epistola illa jam sæpissime laudata sub Decio scripta sit, non multum pariter dubitandum videtur, quin pestis, in illa memorata, jam Decii tempore fuerit exorsa. Ut autem appareat, quam merito epistolam ad Domitium et Didymum, non sub Valeriano, sed Decio, scriptam putem, alia adhuc rationibus supra prolatis argumenta adjungo. Sanctus in dicta epistola de martyribus Alexandriæ passis hæc memorat :* Id tantum in universum scire vos convenit, viros et mulieres, juvenes ac senes, puellas et anus, milites ac paganos, ex omni denique hominum genere atque ætate alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis, coronas retulisse. *Quibus verbis* Dionysius *haud dubie agit de martyribus non ita pridem martyrii palma coronatis; scribit enim ad amicos, qui rerum aliquot, non antiquarum utique, sed recenter gestarum, notitiam a Sancto sibi submitti expetierant. Jam vero ipsemet Pagius fatetur, verbis proxime recitatis agi de martyribus non sub Valeriano, sed sub Decio, Alexandriæ passis. Quapropter, cum martyres sub Decio, anno 251 necato, Alexandriæ passi, pro re nova et recenti a* Dionysio, *dum ad Domitium et Didymum daret epistolam, haberi non potuerint, si hæc ad Valerianum anno tantum 257 Christianos persequi exorsum, referenda sit, consequens est, ut ad Decium debeat referri.*

AUCTORE C. B. *quam sub Decio scriptam esse, aliis insuper*

E 66 *Adhæc Domitius et Didymus scripserant ad* Dionysium, *aut certe ei per nuntios significarant, ad aures suas fuisse perlatum, qua ratione Sanctus e militum manibus, a quibus ducebatur in exsilium, per supervenientes Mareotas fuisset ereptus; colligitur id ex his* Dionysii *in præfata epistola ad Domitium et Didymum verbis :* Audivistis quidem omnino, quo pacto cum ego et Caius cum Petro et Paulo vincti duceremur a centurione et magistratibus, militibusque et apparitoribus, qui una cum ipsis erant, supervenientes quidam ex Mareotis invitos nos nec sponte sequentes per vim abstraxerint. *Jam vero cum Sanctus anno* 249 *aut* 250, *uti jam docuimus, per Mareotas e militum manibus fuerit ereptus, sequitur, Domitium et Didymum, si Sancti ad hos responsoria epistola, Valeriani effervescente persecutione, scripta sit, post septem demum annos ad* Dionysium *scripsisse, quæ Santo sub Decio accidisse fama acceperant, atque ea quidem, veluti recenter facta, proposuisse. Verum cum hoc verisimile minime appareat, verisimile etiam apparere non potest,* Dionysii *ad Domitium et Didymum epistolam sub Valeriano scriptam esse. Adde, verisimile non esse, Sanctum a narrandis iis, quæ initio persecutionis Decianæ passus est, statim prosilire, nullo rei hujus adjecto indicio, ad explananda, quæ in Valeriani* F *persecutionis progressu sustinuit; hoc tamen, ut consideranti patebit, faceret, si epistola ad Domitium et Didymum sub Valeriano debeat constitui. Hanc ergo, hisce consideratis omnibus, sub Decio verosimillime scriptam, affirmo.*

argumentis ostenditur.

§ VII. Dionysius Novatiani schisma Romæ exortum conatur exstinguere, huncque in finem varias scribit litteras.

Electo in Pontificem Cornelio, schisma Romæ

Deciana persecutione nonnihil jam remittente, *Ecclesiæ pacem turbavit nova tempestas, de qua, ut dicenda clarius intelligantur, nonnulla hic præfabor. Novatus, improbus Africanus presbyter, multis in Africa patratis sceleribus, hincque sibi a S. Cypriano, concilioque, ab hoc Carthagine quamprimum celebrando, male metuens, Romam, relicta Africa, anno* 251 *post Pascha advenit, ibique latens, societatem, ut videtur, cum Novatiano, presbytero pariter improbo, et nonnullis aliis inivit. Cum autem tunc post S. Fabiani, Romani Pontificis, martyrium jam ab anno et amplius S. Petri cathedra ob Decianæ persecutionis sævitiem vacasset, brevique novus creandus esset Pontifex, sagacissime, uti apparet, id egit, ut non alius in Pontificem eligeretur, quam sub quo scelerum suorum posset sperare impunitatem.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

tem. Omnem igitur lapidem movit, ut ad summam Ecclesiæ cathedram Novatianus eveheretur. Verum cum deinde, electo S. Cornelio, res plane aliter cecidisset, probeque nosset, sibi non minus Romæ, quam in Africa timendum fore, si hujusmodi Pontifex quiete gubernare sineretur Ecclesiam, Novatianum Pontificatui inhiantem, facile impulit, ut opera sua ad deturbandum Cornelium uteretur. Tantum autem suis artibus effecit, ut etiam e confessoribus quosdam, hosque inter Maximum presbyterum, Nicostratum diaconum, Urbanum, Sidonium et Macharium, qui cum S. Moyse gravissimas longissimasque carceris ærumnas in Deciana persecutione pertulerant, in partes suas attraxerit. Hæc omnia, uti etiam pleraque num. sequenti referenda, in Opere nostro, tomo IV Septembris in Commentario historico de S. Cornelio § 5 et 6 distincte exposita, luculenterque probata invenies, ut necesse non sit, hic quidquam ad eorumdem distinctiorem explanationem confirmationemve adjungere.

a Novatiano suscitatur, hocque Sanctus ut exstinguat,

68 Porro Novatianus, confessorum ad partes Novati suasque accessione in concepto Pontificatum invadendi scelere obfirmatus, S. Cornelii electioni, dicto anno 251 mense Junio, ut probabilius est, factæ, intercedere, eumque confictis criminibus accusare et velut indignum Pontificem cœpit traducere, sicque sanctissimum Virum aperto schismate audacissime est aggressus. Ut autem cautius falleret, negavit, se pontificiam cathedram desiderare, imo id etiam, interposito jurejurando, ausus est affirmare. Adhæc cum lapsis in persecutione Decii, si de vita periclitarentur, veræque pœnitentiæ darent indicia, pacem concedendam esse, cum clero Romano ante schisma suum statuisset, pacem hujusmodi lapsis, postquam Pontificatum, quem ambierat, Cornelio vidit delatum, ab Ecclesia impertiri posse, negavit, sanctoque huic Pontifici invidiam conflare ex eo est conatus, quod is pœnitentiæ salutaris pacisque in Ecclesia locum lapsis concederet. Inter hæc Cornelius de sua ad Pontificatum electione ad S. Cyprianum, atque adeo etiam, uti hinc verisimile fit, ad S. Dionysium, Alexandrinum episcopum, misit litteras, eodemque fere tempore Novatianus, ejusque sequaces epistolam maledictis in S. Cornelium plenam, qua illius electioni intercedebant, ad eumdem S. Cyprianum, atque adeo, uti hinc iterum verisimile fit, etiam ad S. Dionysium, Alexandrinum episcopum, destinarunt, atque eam quidem, quo fidem facerent facilius, confessorum Novatiano adhærentium, quamvis hi, quæ in illa dicerentur, minime cognoscerent, nomine conscriptam. Porro lectis utriusque partis litteris, haud difficile fuit Cypriano judicare, pro utra e duabus (vide laudatum de S. Cornelio Commentarium § 6) causæ æquitas staret. Id Sancto nostro indubie difficile pariter non fuit, huncque propterea puto consilia sua mox eo convertisse, ut, cum Cornelii electionem pro legitima haberet, ab ea impugnanda Romanos averteret, sicque subortum schisma, antequam vires caperet, in ipso principio exstingueret.

duas epistolas, alteram ad fratres Romanos, alteram

69 Hunc in finem S. Dionysius, ut mihi quidem apparet, duas illas, quarum Eusebius in Historia Ecclesiastica lib. VI cap. 46 meminit, scripsit epistolas, alteram ad confessores Romanos, supra memoratos, qui Novatiani schismati, simulque immisericordi de numquam recipiendis ad communionem lapsis sententiæ favebant; alteram ad fratres Romanos de pace simul et pœnitentia; de pœnitentia quidem, ut verosimiliter hac virtute gravissima quæque scelera, atque adeo etiam idololatriæ culpam, quod Novatianus ejusque asseclæ negabant, posse elui, ostenderet; de pace vero, ut eos, inter Cornelium et Novatianum divisos, ad solum Cornelium pro legitimo Pontifice habendum induceret, seu potius ut eos ad pacem, a qua Novati et Novatiani artibus discesserant, cum Cornelio et Ecclesia, matre sua, ineundam incitaret. Apparet mihi hoc idcirco verosimile, quod Cyprianus similis quoque argumenti epistolam, inter Cyprianicas novæ editionis Venetæ quadragesimam tertiam, ad confessores Romanos, Novatiano adhærentes, tunc dederit, hosque illa plurimum hortatus sit, ut a schismate ad unitatem, et ad Ecclesiam, matrem suam, a qua turpiter desciverant, reverterentur.

ad confessores anno 251 Julio circiter aut Augusto scripsit,

70 Ceterum quamvis nihil suppetat, quod præterea de duabus præfatis epistolis, utpote jam deperditis, fas sit conjicere, certum nihilominus apparet, anno 251 mense Julio circiter aut Augusto scriptas esse. Etenim hoc anno mense Junio, ut num. 68 docui, in Pontificem Romanum electus est Cornelius; verosimiliter autem post mensem aut certe non multo serius tum ea epistola, quam hic de electione sua, tum altera, quam contra Cornelium Novatiani asseclæ ad Dionysium scripserunt, Sancto nostro in manus fuerit tradita. Quapropter cum hic tunc diu, uti ardens, quo flagrabat, sopiendi schismatis exorti desiderium suadet, binas num. præcedenti memoratas epistolas scribere verosimiliter non distulerit, fuerint hæ præfato anno mense Julio circiter aut Augusto conscriptæ. Adhæc quod ad epistolam ad confessores scriptam nominatim pertinet, cum hi, detecta tandem Novatiani (vide § 8 Commentarii de S. Cornelio jam sæpe laudati) fraude et impietate, ad Ecclesiam, excepto solo Nicostrato, qui Novatianorum factione factus deinde est in Africa pseudo-episcopus, sint reversi, idque ante concilium Romanum, anno 251 mense Septembri aut Augusto (vide num. 189 Commentarii de S. Cornelio mox iterum laudati) a S. Cornelio celebratum, verosimiliter acciderit, necesse est, epistolam, quam ad præfatos confessores, Novatiano adhuc adhærentes, Sanctus noster dedit, mense Augusto aut etiam nonnihil citius scriptam fuisse, si hæc ad illorum in Ecclesiam regressum, ut verosimiliter accidit, quidquam contulerit.

cumque deinde Romanam cathedram Novatianus invasisset, alteram

71 Sed hæc de tempore, quo Sanctus noster binas memoratas scripsit epistolas, dicta sufficiant. Rerum seriem resumo. Dionysio, ut jam docui, aliisque sanctis viris exortum Romæ schisma mature exstinguere, sedulo studentibus, Novatianus illud non diu, postquam esset incæptum, majorem in modum auxit. Etenim cum sub initium solis calumniis, ut jam supra innui, S. Cornelium aggressus, ambitionem suam, quo plures falleret, caute celasset, confessorum, quos in partes suas Novati artibus attraxerat, auctoritate suffultus, Evangelicæ disciplinæ vindicem se jactasset, palamque contestatus esset, Pontificatum se minime desiderare, non diu admodum post eam larvam deposuit, et ambitionem suam, simulque quid dudum animo agitasset, mundo palam fecit. Acceptis quippe a prædictis confessoribus litteris, quibus ei Pontificatus deferretur, sacrilegaque et extorta a tribus simplicioris ingenii episcopis manuum impositione pseudo-episcopus ordinatus, jam aperte summam Ecclesiæ cathedram sibi vindicare nequaquam erubuit, et, missis quaquaversum litteris et nuntiis, ad eam se evectum, impudenter significavit. Ne tamen Apostolicam Sedem turpiter invasisse videretur, simulavit veterator, sese invitum ad eam occupandam fuisse adactum. Verum si hac arte nonnulli fuerint decepti episcopi, hos certe inter non fuit Dionysius, Alexandriæ in Ecclesia Orientali episcopus. Etenim acceptis a Novatiano litteris, quibus hic schismatis causam in quosdam fratres conferebat, a quibus se invitum ad suscipiendum Pontificatum fuisse impulsum, causabatur, brevi, sed efficaci, quæ apud Eusebium lib. VI, cap. 43 exstat, veteratorem urget epistola, in qua dubium est, magisne Vir sanctus rarum ingenii acumen, an incensum pietatis ardorem prodat.

ad hunc, quæ hic recitatur,

72 Eam adeo, quod Sanctum nostrum mirifice commendet, integram huc juverit transcribere. Sic habet: Dionysius Novato (ita semper more Græcorum pro Novatiano scribit Eusebius) fratri salutem. Si quidem invitus, ut asseris, eo (ad assumendum Pontificatum) adductus es, id nobis ostendes tua sponte redeundo. Satius quidem fuerat quidvis pati, ne Ecclesia Dei discinderetur, nec minus gloriosum fuisset idcirco subire martyrium, ne Ecclesiam scinderes, quam ut ne idolis sacrificares. Immo illud meo quidem judicio illustrius

fuisset.

A fuisset. Hic enim pro sua unius anima; illic pro omni Ecclesia martyrium quis sustinet. Si tamen vel nunc persuaseris fratribus, aut eos coegeris, ut ad concordiam redeant, majus tibi meritum erit, quam culpa. Et hæc quidem non imputabitur; illud vero prædicabitur. Quod si, fratribus parere recusantibus, id efficere non potes, tuam ipse animam serva. Opto te paci studentem in Domino bene valere. *Sanctus in ipso hujus epistolæ titulo, uti vides, erudite lector, Novatianum, quamvis ab Ecclesia schismate sejunctum,* Fratris *nomine, simulque salute dignatur. Facit id ex superabundanti in hominem, etiamsi schismaticum, charitate; in rigore enim solos Ecclesiæ Catholicæ unitos* Fratris *appellatione et salute dignari tenebatur. Adhæc episcopi titulo apud Eusebium abstinet; quantumvis autem secundum Hieronymum de Viris illustribus illum assumat, Rufinus adstipulatur Eusebio, cui propterea adhærens, Sanctum reor episcopi appellationem sibi verosimiliter non adscripsisse, ut sic Novatianum, cui eamdem, utpote pseudo-episcopo et nefario cathedræ Romanæ invasori, attribuere, salva conscientia, non poterat, minus offenderet.*

non autem ad Novatum,

73 *Rufinus mox laudatus epistolam jam recitatam non ad solum Novatianum, sed etiam ad Novatum a* S. Dionysio *scriptam fuisse, lib.* VI *cap.* 34 *et*

B 35 *Eusebii a se interpolati tradit. Hieronymus contra, pariter mox laudatus, qui præfatam epistolam dignam judicavit, quam suo de illustribus Ecclesiæ scriptoribus tractatui fere integram insereret, ad Novatianum scriptam fuisse, diserte affirmat, nullamque Novati mentionem adjungit, ut ad hunc ex Sancti illius scriptoris opinione verosimiliter scripta non fuerit. Et vero ad Novatum scriptam illam non fuisse, manifestum fit ex ipso, quod tractat, argumento. Ea enim* Dionysius, *ut ab omnibus nunc eruditis creditur, Novatianum potissimum hortatur, ut, si vere invitus et coactus, sicuti præ se ferebat, ad Pontificatum evectus sit, id ostendat, illo sponte deposito; hujusmodi autem adhortatio Novato, utpote ad Pontificatum non evecto, accommodata minime fuisset, ac proin præfata epistola ad illum etiam a* Dionysio *destinata non fuit. Solent Græci, cumque his Eusebius, Novatum et Novatianum inter se confundere et pro Novatiano Novatum frequenter scribere, nominum similitudine decepti. Hoc verosimiliter non observaverit Rufinus, hincque, cum nihilominus simul cerneret, epistolam, quam ad Novatum scriptam Eusebius asserit, ab aliis scriptoribus ad Novatianum a* Dionysio *scriptam affirmari, eam tam ad Novatum quam ad Novatianum, ut scriptores inter se componeret, scriptam statuerit. Utut*

C *sit, certum mihi apparet, memoratam epistolam ad solum Novatianum a Sancto nostro scriptam esse, ac proin in Eusebio pro* Διονύσιος Νοουάτῳ *legendum esse* Διονύσιος Ναυατιανῷ, *quemadmodum et reipsa in Chronico Gregorii Syncelli, Græce conscripto, recte legitur.*

anno 251 mense verosimiliter Augusto dedit,

74 *Videamus nunc, quo circiter tempore Sanctus noster ad Novatianum præfatam epistolam scripserit, et an quem ex ea fructum retulerit. Cum binæ epistolæ supra memoratæ, quarum alteram* Dionysius *ad fratres Romanos, alteram ad confessores Romanos, Novatiano adhuc faventes, dedit, ante acceptum, uti ex jam dictis pronum est colligere, do Sede Romana a Novatiano sacrilege occupata nuntium scriptæ fuerint : epistola vero ad Novatianum non nisi post acceptum ea de re nuntium scripta sit, dubium non est, quin hæc illis, mense Julio, ut jam docui, aut Augusto anno 251 scriptis, sit posterior, ac proin non ante Augustum ejusdem anni verosimiliter scripta fuerit. Quod modo ad secundum pertinet, an videlicet* Dionysius *aliquem ex sua ad Novatianum epistola fructum retulerit, certum est, hunc pseudo-pontificem et hæresiarcham in schismate suo ad mortem usque perseverasse obstinatum, ut Sancti nostri ad hunc epistola omni prorsus fructu caruerit. Verum meliori, ut apparet, successu usa est altera ejus ex duabus, mox iterum laudatis, epistolis, ad confessores Romanos scripta. Hi enim, ut jam supra dixi, detecta tandem Novatiani impietate, ad Ecclesiam, a qua Novati Novatianique artibus decepti sese sejunxerant, sunt reversi, hocque felici in reditu* Dionysii *ad illos epistola partem saltem aliquam verosimiliter habuit.*

AUCTORE C. B.

duasque post alias ad confessores, quarum altera

73 *Utut sit, certum est, Sanctum nostrum ad præ- dictos confessores, in Ecclesiam jam regressos et cum S. Cornelio reconciliatos, duas insuper alias scripsisse epistolas. Testatur id Eusebius lib.* VI *cap.* 46 *sic scribens :* Rursus aliam (*sanctus* Dionysius *epistolam*) ad confessores ibidem (*Romæ*) constitutos, qui Novati (*imo Novatiani*) sententiæ etiam tum favebant. Duas quoque alias ad hos ipsos epistolas misit, posteaquam ad Ecclesiam rediissent. *Ex binis his epistolis suspicor, prædictos confessores ad* S. Dionysium *communem epistolam de sua reconciliatione dedisse. Etenim S. Cyprianus ad hos, a Novatiani schismate ad Ecclesiam jam reversos, litteras pariter conscripsit; id autem non fecit, nisi eorum ex ipsismet per litteras reconciliatione prævie audita; unde sat verisimile fit, eadem agendi ratione usum esse Sanctum nostrum, ut ad eum prælaudati confessores communem de sua reconciliatione epistolam verosimiliter scripserint. Et vero hos id fecisse, verisimilius insuper idcirco fit, quod præcipuis saltem, per orbem dispersis, ecclesiis earumque episcopis reconciliationem suam verosimillime* E *significarint, ut, qui errore suo ac auctoritate alios in schisma Novatiani attraxerant, eosdem exemplo suo ad Ecclesiam reducerent. Porro ut ad geminas posteriori loco memoratas Sancti nostri epistolas revertar, tempus, quo scriptæ sunt, et argumentum, quod tractant, juverit utcumque assignasse. Cum illegitima Novatiani in Pontificem a schismaticis facta assumptio Confessorum Romanorum in Ecclesiam regressum nonnihil præcesserit, dubium non est, quin posteriores binæ ad hos, in Ecclesiam jam regressos, Sancti nostri epistolæ serius scriptæ sint, quam epistola ad Novatianum, pseudo-pontificem jam creatum. Quapropter cum hæc, uti jam docui, mense circiter Augusto anno 251 scripta sit, necesse est, illas eodem anno (de hoc enim dubitandum non videtur) vel Augusto jam provecto vel etiam serius scriptas esse.*

bis de felici in Ecclesiam regressu gratulatur, examravit.

76 *Quod jam pertinet ad earum argumentum, priori quidem* Dionysius *confessoribus de felici in Ecclesiam regressu verosimillime gratulatus fuerit; posteriori vero forte egerit de perniciosa saluti animarum Novatiani sententia, qua hic omnem lapsis veniæ spem volebat præclusam, quamque uberius confutare Sanctus noster fuerit conatus. Ita existimo, quod hæc posterior epistola vel Novatiani schismatis vel immitis in lapsos opinionis occasione scripta sit; occasione autem schismatis a* Dionysio, *utpote con-* F *fessoribus felicem ad Ecclesiam reditum per alteram epistolam jam gratulato, scripta non videatur. Ut id insuper facilius credam, faciunt epistolæ, quas Sanctus noster magno numero adversus immitem Novatiani in lapsos opinionem quaquaversum scripsit. De his epistolis, deque Sancti nostri, quam manifestant, circa lapsos opinione § sequenti agere constitui. Ut nihilominus, studiose lector, quantopere* Dionysius *Novatiani de lapsis sententiam aversatus fuerit, generatim utcumque in antecessum intelligas, juverit hic præmisisse, quæ Sanctus de hoc argumento apud Eusebium lib.* VII *cap.* 8 *in epistola ad Dionysium, Romanum Pontificem, commemorat. En verba :* Novatianum merito aversamur, quippe qui Ecclesiam discidit, et quosdam ex fratribus ad impietatem blasphemiamque pertraxit; qui nefariam de Deo doctrinam (*volens scilicet Deum peccatoribus, quantumvis pœnitentibus, numquam peccata dimittere*) invexit, et clementissimum Dominum nostrum Jesum Christum quasi implacabilem calumniatur : qui præterea sacrum lavacrum obliterat, fidemque et confessionem, quæ baptismum præcedunt, evertit, et Spiritum sanctum penitus ab illis fugat, tametsi spes aliqua subsit, vel quod in illis adhuc maneat, vel quod ad eos reversus sit. *Ita* Dionysius *suam tum de Novatiani schismate, tum de lapsis opinionem*

AUCTORE C. B.

opinionem generatim prodens, de qua ut nunc speciatim tractem, instituti mei ratio requirit.

§ VIII. Lapsorum in persecutione Decii multitudo, et quid in horum causa Dionysius statuerit.

Lapsos in persecutione, quorum ingens fuit multitudo,

D*iuturna tranquillitas, qua ante Decii imperium Ecclesia fuerat gavisa, Christianorum animos a fidei vigore ita relaxarat, ut primo persecutionis exortæ impetu plurimi in universis prope Romani imperii partibus a Christiana religione turpiter defecerint. Inter ecclesias, quæ frequentiores lamentabilioresque suorum lapsus luxere, non ultimo loco memoranda venit ecclesia Alexandrina,* S. Dionysii *curæ commissa. Docet id nos ipsemet Sanctus apud Eusebium lib.* VI *cap.* 41, *epistola ad Fabium, Antiochenum episcopum, de Christianis ipso Decianæ persecutionis initio Alexandriæ lapsis ita scribens :* Jamque aderat (*Alexandriæ contra Christianos*) edictum (*Decii*) imperatoris, illud ipsum fere, quod a Domino nostro prædictum est, horrificum ac terribile exhibens, adeo ut ipsi etiam electi, si fieri posset, scandalum paterentur. Omnes certe mirum in modum exterriti sunt, ac multi quidem ex illu-
B strioribus præ metu statim occurrerunt. Alii, qui rem publicam administrabant, ipsa actuum suorum necessitate pertracti veniebant. Alii a notis et familiaribus adducebantur, et nominatim citati ad impura et profana sacrificia accedebant; nonnulli quidem pallidi ac tremebundi, quasi non sacrificaturi, sed ipsi potius victimarum loco idolis immolandi essent, adeo ut a circumstanti multitudine derriderentur; quippe qui palam omnibus ostenderent, se tum ad moriendum, tum ad sacrificandum pusillo animo esse.

magnaque diversitas, quæ hic partim assignatur,

78 Alii vero promptius ad aras accurrebant, audacter affirmantes, numquam se antea Christianos fuisse; de quibus verissime prædixit olim Dominus, ejusmodi homines ægre salutem consecuturos. Ceteri autem partim alterutros eorum, quos diximus, sequebantur, partim se in fugam dabant, partim comprehendebantur; ex quibus nonnulli cum usque ad vincula et custodiam progressi essent, quidam etiam plusculos dies in carcere perstitissent; prius tamen quam in judicium inducerentur, fidem ejurarunt. Nonnulli vero cum aliquamdiu tormenta fortiter sustinuissent, ad reliqua, quæ intentabantur supplicia animos desponderunt. *Hæc hactenus* Dionysius, *quibus etiam varia lapsorum genera, quorum alii magis, alii minus deliquerant, apte distinguit. Queunt hæc ad duas diversas*
C *lapsorum classes revocari, quarum alteram constituant, qui idolis sacrificarant, aut thus adoleverant, alteram, qui fidem simpliciter ejurarant. Priores vocabantur* sacrificati *seu* thurificati; *posteriores vero* negantes. *Binis hisce lapsorum classibus adjungenda est et tertia,* libellaticorum *cognominata, quæ a* Dionysio *non memoratur, quæque an Alexandriæ locum habuerit, haud scio. Libellatici minus erant ceteris lapsis nocentes, non tamen innocui. Sic dicebantur a securitatis libellis, quos, ne fidem publice profiteri cogerentur, periculoque hinc exponerentur, a magistratibus, dato pretio, ea conditione impetrarant, ut Actis publicis inscriberentur, quibus fides fieret, quamvis falso, ipsos sacrificasse. Hæc de lapsis ad clariorem rerum hic tractandarum notitiam notata sufficiant : qui plura desiderat, adeat in Opere nostro Commentarium ad Vitam S. Cypriani prævium, cujus* § 8 *de variis lapsorum generibus, ac præcipue de libellaticis fuse simul accurateque disseritur.*

ad pacem, si facti eos pœniteret, in mortis articulo admittendos, clerus Romanus

79 *Porro e lapsis plurimi priorem perfidiam suam, durante adhuc persecutione, exosi, in Ecclesiæ pacem, id est, ad delicti veniam et sacrosanctæ Eucharistiæ communicationem ardentissime flagitabant admitti. Clerus Romanus, qui post mortem S. Fabiani, Romani Pontificis, Decianæ persecutionis initio martyrio coronati, omnes vigilantissimi pastoris partes, Sede Romana vacante, explebat, in causa lapsorum statuerat, ut de vita periclitantibus, si prius* D *facti eos pœnituisset, pax concederetur; reliqui vero ad pœnitentiam excitarentur quidem, sed ita ut de iis suspenderetur judicium, donec in S. Fabiani locum Pontifex subrogaretur. Liquet id ex geminis epistolis, quarum alteram ad clerum Carthaginensem, alteram ad S. Cyprianum clerus Romanus, Sede Romana vacante, scripsit. Hic enim in priori, quæ inter Cyprianicas ordine secunda est, opportune ad propositum nostrum sic scribit :* Videtis ergo, fratres, quoniam et vos hoc facere debetis,... ut, si qui in hanc tentationem (*fidei ejurationem*) inciderunt, cœperint apprehendi infirmitate, et agant pœnitentiam facti sui, et desiderent communionem; utique subveniri eis debet, sive viduæ, sive clinomeni, sive qui se exhibere non possunt, sive hi, qui in carceribus sunt, sive exclusi de sedibus suis, utique habere debent, qui eis ministrent. Sed et catechumeni apprehensi infirmitate, decepti esse non debebunt, ut eis subveniatur : *in posteriori vero, quæ inter Cyprianicas locum trigesimum primum occupat, hæc memorat :* Lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; ut interim dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur; eorum autem, quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non po- E test ferre, acta pœnitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri; Deo ipso sciente, quid de talibus faciat, et qualiter judicii sui examinet pondera; nobis tamen anxie curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram, quasi duram, crudelitatem.

et S. Cypriaus, durante, adhuc persecutione, statuit, idque etiam

80 *Sanctus Cyprianus in Africa, Romanorum vestigiis presse inhærens, omnes prorsus lapsos, in mortis periculo constitutos, quos scilicet ante contractum morbum delicti pœnituerat, reconciliationis beneficio donandos esse, pariter decrevit : de lapsis vero vita non periclitantibus nihil statuit, sed quemadmodum eos omnes clerus Romanus usque ad novi Pontificis creationem, sic usque ad concessam Ecclesiæ pacem exspectare ipse jussit, ut deinde communi consilio aliquid de iisdem posset decerni. Hæc omnia* § 13 *et* 14 *in Commentario Vitæ S. Cypriani prævio, jam laudato, dilucide explanata solideque probata invenies, quem propterea, studiose lector, recte consules. Ego ne jam actum agam, de dicto S. Cypriani, durante adhuc persecutione, in causa lapso-* F *rum statuto plura non addo, sed quid Sanctus noster circa lapsos e grege suo, qui numero, ut jam docui, erant non pauci, servandum decreverit, nunc disquiro. Docet id nos iterum ipsemet apud Eusebium lib.* VI *cap.* 44 *in epistola ad Fabium, Antiochenum episcopum, occasione historiæ de Serapione, lapso ac moribundo, postea huic Commentario inserendæ, sic scribens :* In mandatis dederam, ut morituris, (*prævie lapsis in persecutione*) si peterent, et maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent. *Hoc* Dionysii *circa lapsos moribundos decretum, quamquam a S. Cypriani ac proin cleri Romani decreto, mox exposito, omnino non diversum, differt tamen nonnihil ex eo, quod reconciliationis beneficium videatur etiam extendere ad lapsos, qui, quamvis ante contractum morbum veniam non postulassent, eam tamen jam moribundi poscebant; horum autem nullus reconciliationis beneficio ex Cypriani et cleri Romani decreto, si in rigore accipiatur, debuerit donari.*

fecit S. Dionysius;

81 *Adhæc dubitari etiam potest, an, quemadmodum S. Cyprianus prædictum suum de lapsis decretum, sæviente adhuc Decii persecutione, edidit, ita etiam tunc Sanctus noster suum emiserit. Etenim nec in Eusebio nec alibi quidquam occurrit, quo certo statuas, Deciine adhuc sæviente persecutione, an postea*

A *postea id fecerit. Eum nihilominus, durante adhuc persecutione, id fecisse, idcirco mihi verosimilius apparet, quod, reddita Ecclesiæ pace, non solum lapsos, vita periclitantes, verum etiam quoscumque alios, modo eos facti serio pœniteret, ad veniam et ad sacrosanctæ Eucharistiæ communicationem admittendos, verosimillime, ut docebo, decreverit. Quapropter cum S. Cyprianus simile decretum, Decii persecutione nonnihil remittente, pariter condiderit, et nihilominus, hac adhuc vehementius sæviente, aliud supra memoratum prævie emiserit, puto etiam, eadem persecutione adhuc sæviente, Sanctum nostrum emisisse, de quo hic disseruimus, decretum. Provide ergo, matureque lapsorum e grege suo saluti prospexit. Verum dum ita* S. Dionysius, *Cyprianus aliique episcopi, non minus virtute, quam doctrina spectabiles, animarum saluti incumbunt, hæresis eidem animarum saluti perquam perniciosa Romæ ortum accepit. Novatianus, presbyter Romanus, qui primo, ut jam docui, cum clero Romano statuerat, lapsos pœnitentes, mortis in periculo constitutos, ad pacem esse admittendos, electo in Pontificem Cornelio, nullam prorsus lapsis, quantumvis pœnitentibus, veniæ spem superesse, cœpit contendere, factusque deinde pseudo-pontifex hanc hæresim, ut schisma suum stabiliret, qua legatis, qua litteris per univer-*

B *sam Ecclesiam missis disseminavit.*

illa vero remittente, S. Cornelius synodum celebravit,

82 *Eusebius lib.* VI *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 43 *de Novatiano, quem, ut jam monui, Græcorum more perperam* Novatum *nuncupat, prædictæ hæreseos occasione sic scribit :* Novatus, ecclesiæ Romanæ presbyter, arrogantia adversus eos (*qui lapsis post pœnitentiam pacem impertiebantur*) elatus, quasi nulla spes salutis ipsis posthac superesset, tametsi omnia explerent, quæ ad sinceram conversionem puramque confessionem pertinent, propriæ cujusdam sectæ eorum, qui tumore mentis elati seipsos catharos (*id est, puros*) cognominarunt, auctor exstitit. *Hæc Novatiani secta seu hæresis non minus uberem scribendi materiem Sancto nostro præbuit, quam ejusdem schisma in Ecclesia Romana suscitatum, de quo præcipue, deque scriptis ejus occasione ab eo litteris paragrapho præcedenti tractavi. De epistolis, quas præfata hæresis, schismati a Novatiano adjuncta,* Dionysium *scribere compulit, dicendum nunc est, uti et de Sancti circa lapsos doctrina in illis contenta. Ut nihilominus studiosus lector dicenda clarius intelligat, veritatique esse consentanea, percipiat, præmitto, quæ tum a S. Cornelio tum a S. Cypriano, remittente jam persecutione, in causa lapsorum et contra Novatianum ejusque asseclas fuerint statuta. A S. Cornelio incipio. Hic sanctus*

C *Pontifex, ut Ecclesiæ malis, ex Novatiani schismate et perniciosa saluti animarum opinione provenientibus, occurreret, concilium Romæ congregavit. Synodi hujus acta perierunt; verumtamen quid in ea potissimum actum sit, Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VI, *cap.* 43 *docet nos Eusebius.*

alteramque S. Cyprianus, in quibus decretum fuit, lapsos,

83 *Ibi enim hic scriptor sic habet :* Ob quam rem (*impiam Novatiani de lapsis opinionem*) cum Romæ congregata (*a Cornelio*) esset synodus, in qua sexaginta quidem episcopi, presbyteri vero ac diaconi multo plures convenerunt : cumque in provinciis antistites, quid agendum esset, seorsum consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum

* Novatianum est : Novatum * et eos, qui una cum ipso sese insolentius extulerant, et quicumque inhumanissimæ et a fraterna caritate alienæ ejus opinioni (*de lapsis scilicet ad pacem numquam admittendis*) consentire præsumpserant, alienos ab Ecclesia habendos esse; fratres vero, qui in calamitatem (*fidei desertionem*) inciderant, pœnitentiæ remedio curandos esse et confovendos. Exstant adhuc epistolæ Cornelii, Romanorum episcopi, ad Fabium, Antiochensis ecclesiæ præsulem, missæ, in quibus et Romanæ synodi gesta et omnium per Italiam et Africam, aliasque locorum illorum provincias sententiæ declarantur. *Romanum hoc concilium (vide paragraphum nonum Commentarii de S. Cornelio jam sæpe laudati) anno* 251, *mense verosimiliter Augusto aut Septembri, fuit celebratum, hocque jam uno alterove mense præcesserat synodus Carthaginensis a S. Cypriano convocata. De hac synodo Eusebius loco proxime citato ita meminit :* Aliæ præterea Latino sermone conscriptæ exstant epistolæ Cypriani et aliorum antistitum, qui cum ipso in Africam congregati sunt, ex quibus colligitur, ipsis etiam placuisse, ut subveniretur iis, qui in tentationem (*fidei desertionem*) inciderant, utque auctor (*Novatianus*) nefariæ opinionis (*de omni prorsus spe veniæ lapsis præclusa*) simul cum iis, qui ad partes ipsius desciverant, ab Ecclesiæ Catholicæ consortio merito abdicaretur. *Illæ S. Cypriani epistolæ, quas hic laudat Eusebius, haud dubie sunt libellus, a S. Cypriano epistola* 52 *ad Antonianum memoratus, in quo singula placitorum capita, a synodo Carthaginensi sancita, seu canones continebantur.*

AUCTORE C. B.

84 *Quapropter cum dictæ epistolæ perierint, dubium non est, quin pariter præfatæ synodi canones eamdem sortem habuerint. Ex laudata tamen Cypriani ad Antonianum epistola, post synodum scripta, intelligimus, in hac circa lapsos, etiam in periculo mortis, de quibus hic agimus, non constitutos, sancitum fuisse,* ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, et, eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent; nec tamen rur- D sus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent; sed traheretur diu pœnitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia, et examinaretur causæ et voluntates et necessitates singulorum, *eo fine scilicet, ut proportionata singulorum lapsorum delicti gravitati pœnitentia imponeretur. Horum aliquot genera in eadem epistola Cyprianus his verbis recenset :* Nec tu existimes, frater carissime, sicut quibusdam videtur, libellaticos cum sacrificatis *libellaticorum et sacrificatorum notitiam num.* 78 *præbui*) æquari oportere, quando inter ipsos etiam, qui sacrificaverunt, et conditio frequenter et causa diversa sit. Neque enim æquandi sunt, ille, qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosilivit, et qui luctatus et congressus diu, ad hoc funestum opus necessitate pervenit; ille, et qui se et omnes suos prodidit, et qui ipse pro cunctis ad discrimen accedens, uxorem et liberos et domum totam periculi sui perfunctione protexit; ille, qui inquilinos vel amicos suos ad facinus compulit, et qui inquilinis et colonis pepercit, fratres etiam plurimos, qui extorres et profugi recedebant, in sua tecta et hospitia recepit, ostendens et offerens Domino multas animas viventes et incolumes, quæ pro una saucia deprecentur. Cum ergo inter ipsos, qui sacrificaverunt, multa sit diversitas, quæ inclementia est, et quam acerba duritia, libellaticos cum iis, qui E sacrificaverunt, jungere?

etiam non moribundos, congruis pœnitentiis peractis, ad pacem admittendos;

85 *Diversis hisce lapsorum classibus, aliisque, quas hic enumeratis non incongrue possis adjungere, diversas etiam pro gravitate criminum pœnitentias, alias aliis graviores ac diuturniores, S. Cyprianus, aliique synodi Carthaginensis patres ex æquo et bono, uti jam monui, et in Commentario ad Vitam S. Cypriani prævio* § 22 *et seq. dilucide probatur, sancivere imponendas. Redeo nunc ad* S. Dionysium. *Dubitandum non videtur, quin hic, quod S. Cornelium Romæ, et S. Cyprianum in Africa fecisse, jam vidimus, in Ægypto pariter fecerit, ac proin sanxerit, primo quidem lapsos omnes pœnitentes ad pacem esse admittendos, singulisque pro criminum gravitate diversa diversas esse pœnitentias injungendas; deinde vero Novatianum ejusque asseclas ab Ecclesiæ corpore alienos esse habendos. Quod ad primum pertinet, de quo solo hic agendum est, colligitur id potissimum ex Sancti ad fratres per Ægyptum constitutos epistola; de hac enim, quamvis jam perdita, Eusebius lib.* VI, *cap.* 46 *hæc memorat :* Scripsit etiam (*sanctus* Dionysius) ad fratres per Ægyptum constitutos epistolam de pœnitentia : in qua et suam de lapsis sententiam exponit, et criminum gradus distinguit.

quod etiam tunc Sanctus noster voluisse et docuisse,

AUCTORE C. B.

ex ejus ad fratres per Ægyptum constitutos epistola,

86 *Quibus ex verbis, cum his dicatur Sanctus suam exposuisse de lapsis sententiam variosque criminum gradus distinxisse, verosimillimum fit, eum in præfata epistola docuisse, lapsis pœnitentibus, dum ad pacem admittuntur, pro diverso criminum gradu seu pro diversa criminum gravitate diversas esse pœnitentias imponendas; nisi enim id ita sit, quorsum, quæso, in prælaudata epistola, in qua de pœnitentia et de lapsis agit, suamque de his tradit sententiam, diversos criminum gradus seu classes distinguit? Hinc jam consequitur, ut Sanctus voluerit lapsos pœnitentes, non tantum cum de vita periclitarentur, sed etiam etiam cum in eo periculo non essent, ad pacem admitti. Utquid enim alioquin diversas illis, ut verosimillime fecit, pro criminum diversitate pœnitentias præscripserit? Certe verosimile non est, pœnitentias moribundis pro criminum diversitate a* Dionysio *fuisse statutas.* Dionysius, *inquit pag.* 635 *et* 635 *Alexandrinum Chronicon,* Alexandrinus episcopus, cum multi in Deciana Christianorum proscriptione et suppliciis lapsi defecissent, dato pœnitentiæ loco, multis delicti gratiam porrecta manu fecit, eaque de re ad multos episcopos litteras dedit, *ut eis scilicet, quemadmodum verisimile est, ostenderet, Christianos in persecutione*
B *lapsos proportionata delicto medela esse curandos.*

et ex tribus insuper aliis, quas ad diversos scripsit, colligitur.

87 *Certe existimo, Sanctum id docuisse, tribus aliis epistolis, ab Eusebio loco proxime citato pariter memoratis, deque pœnitentia conscriptis. Harum prima est ad Cononem, Hermopolitanæ ecclesiæ episcopum, altera ad Laodicensis ecclesiæ fratres ac tertia denique ad Armenios. Tribus hisce epistolis, uti etiam epistola, num. præcedenti memorata, id potissimum, quantum opinor, spectavit* Dionysius, *ut eos, ad quos scribebat, quosque verosimiliter in immitem Novatiani erga lapsos hæresim propensiores audiverat, penitus ab hac alienos redderet atque aversos. Hinc ulterius concludo, omnes illas post exortum quidem, uti ex dictis pronum est colligere, Novatiani schisma, non serius autem, quam anno* 256 *aut etiam* 255 *scriptas esse. Etenim, uti ex mox dictis consequitur, scriptæ sunt, cum nondum omnes Orientales ecclesiæ unanimi consensu Novatiani de lapsis opinionem proscripserant, hincque inter se discordia erant divisæ. Jam vero* Dionysius *epistola apud Eusebium lib.* VII *cap.* 5 *ad Stephanum Papam scribit,* omnes ecclesiarum (*Orientalium nempe*) ubique antistites unum idemque sentire, et ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exultare, *id est, ut lib. proxime citato, cap.* 4 *interpretatur Eusebius,* omnes ubique ecclesias mollito jam per-
* Novatiani secutionis furore, Novati * turbulentam novitatem
C detestantes, inter se pacem iniisse. *Quapropter cum* Dionysii *ad Stephanum epistola hic laudata, nec serius nec citius, uti infra docebimus, quam anno* 256 *scripta sit, necesse est omnes supra memoratas epistolas pace ecclesiarum, cujus illa meminit, anteriores, non serius quam anno* 256 *aut etiam* 255, *scriptas esse.*

§ IX. Scribit ad Fabium, Antiochenum episcopum, eumque a Novatiani de lapsis opinione conatur avertere.

Sanctus ad Fabium, Novatiani schismati nonnihil addictum,

Quamvis Novatiani schisma, ut jam docui, in Africa et Italia unanimi fere ubique consensu fuisset proscriptum, erant tamen adhuc nonnulli Antiochiæ, qui illud stabilire niterentur. Docet id nos Eusebius lib. VI, *cap.* 46 *de* S. Dionysio *Alexandrino hæc scribens :* Scribit præterea ad Cornelium Romanæ urbis episcopum, cujus litteras adversus Novatum (*lege* Novatianum) scriptas acceperat : in qua quidem epistola significat, se ab Heleno Tarsi Ciliciæ episcopo, et a ceteris, qui cum illo convenerant, Firmiliano scilicet Cappadociæ et Theoctisto Palæstinæ provinciæ, episcopis, invitatum fuisse, ut ad synodum Antiochenam occurreret, in qua quidam Novati schisma confirmare tentabant. Scribit etiam sibi nuntiatum fuisse, quod Fabius quidem diem extremum obiisset, Demetrianus vero in ejus locum episcopus Antiochenæ D
ecclesiæ esset constitutus. *Ipsemet Fabius, Antiochenus episcopus, cujus mortem S. Cornelio secundum Eusebii verba jam recitata annuntiavit* Dionysius, *tum Novatiani schismati, tum severæ in lapsos hæresi nonnihil erat addictus. Primum liquet ex Eusebio, qui lib.* VI, *cap.* 44 *exhibens alterum* S. Dionysii *Alexandrini ad Fabium, Antiochenum episcopum, epistolæ Fragmentum, hæc verba, quæ mirum est integre non vertisse Valesium, præmittit :* Αὐτῷ τούτῳ Φαβίῳ ὑποκατακλινομένῳ πῶς τῷ σχίσματι καὶ Διονύσιος ὁ κατ' Αλεξάνδρειαν ἐπιστέλλας *etc.* Eidem Fabio in schisma aliqua ex parte inclinanti scribens Dionysius Alexandrinus etc. ; *ubi sermonem esse de Novatiani schismate ex binis Eusebii capitibus, quorum alterum præcedit, alterum subsequitur ejusdem Eusebii caput proxime laudatum, consideranti fiet perspicuum. Quod vero ad secundum pertinet, Fabium scilicet severæ in lapsos Novatiani hæresi nonnihil fuisse addictum, manifestum efficitur ex Sancti nostri ad eumdem Fabium epistola, ab Eusebio lib.* VI, *cap.* 41, 42 *et* 44 *ex parte recitata. In hac enim* Dionysius; *uti ex ejusdem Fragmentis huc mox transcribendis patescet, data opera, multa profert, quæ nata sint a Novatiani de lapsis hæresi avertere virum quemlibet, a ratione et sano de divina* E
in peccatores clementia sensu non omnino alienum.

anno 251 *aut* 252 *scripsit epistolam, hæcque illum*

89 *Scripta est hæc a* S. Dionysio *epistola anno* 251 *aut certe anno* 252. *Etenim, uti ex jam dictis pronum est colligere, scripta est post schisma Novatiani anno* 251 *exortum, et Flavius, ad quem scripta est, anno* 252, *uti Boschius noster in Historia chronologica Patriarcharum Antiochenorum, tom. IV Julii præfixa, docet, e vivis excessit. Hac epistola posterior est altera, cujus jam memini, ad Cornelium Papam a Sancto nostro data. Etenim in ea* Dionysius, *ut loco proxime citato testatur Eusebius, mortem Flavii, Antiocheni episcopi, ad se intellectam asseruit, adeoque illam scripsit post epistolam ad Flavium, mox hic memoratum, nec dubium est, quin id anno* 252 *fecerit : etenim hoc anno, ut jam dixi, Fabius Antiochenus episcopus, post cujus mortem scripta est, diem suum obiit, nec Cornelius Papa, ad quem scripta est, ultra quintam Augusti ejusdem anni diem, uti in Commentario in S. Cornelium sæpissime laudato, probatum invenies, vitam produxit. Videamus modo, quæ in Sancti nostri ad Fabium epistola nata sint a Novatiani de lapsis opinione abducere. Nihil, quantum opinor, in tota, quanta est ea epistola, magis urgens occurrit, quam miraculum, quod Deus operatus est in favorem Serapionis senis, in persecutione lapsi, postque pœnitentis,* F
atque ad pacem Ecclesiæ admitti enixe precati, quem etiam divina clementia absque illa pace, quam submissis precibus petierat, e vivis excedere non permisit. Totam Sancti nostri narrationem, quæ apud Eusebium lib. VI, *cap.* 44 *exstat, huc transcribo, uti jam ante facturum me monui.*

a Novatiani opinione conatus est abducere,

90 Unum tibi, *scribit ad Fabium* Dionysius, exemplum proponam, quod apud nos contigit. Erat in hac urbe (*Alexandria*) Serapion quidam senex e numero fidelium; qui reliquo quidem anteactæ vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat. Sed in persecutione lapsus, sæpenumero veniam petierat, nec quisquam ei attenderat, quod sacrificasset. Idem postea morbo correptus, vocis usu sensuque omni carens triduo permansit. Quarto demum die paululum recreatus, nepotem ex filia ad se vocat, et quousque tandem, inquit, me detinetis, fili? properate, quæso, et me quantocyus absolvite. Accerse mihi unum ex presbyteris. Hæc cum dixisset, rursus illum vox destituit. Puer ad presbyterum cucurrit. Jam nox erat. Presbyter autem ægrotabat. Sed quoniam in mandatis dederam, ut morituris, si peterent, et maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent; exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens, ut in aqua intinctam, seni in os instillaret. Redit igitur puer buccellam

A cellam afferens. Et cum appropinquaret, priusquam ingrederetur, recreatus iterum senex; Venisti, inquit, fili, ac presbyter quidem ipse venire non potuit. Tu vero fac citius, quod imperatum est, et dimitte me. Mox puer buccellam intinxit, et in os senis infudit, qui, ea paulatim absorpta, animam exhalavit. *Hæc de Serapione* Dionysius, *mox, ut ad clementiam in lapsos Fabium inflectat et a Novatiani opinione abstrahat, hæc subdens :* An non igitur perspicue apparet, eum (*Serapionem senem*) reservatum fuisse, ac tantisper in vita permansisse, quoad reconciliaretur, et deleto jam crimine, pro multis, quæ gesserat, bonis operibus a Christo agnosci posset et prædicari?

ex martyrum in lapsos clementia

91 *Sane manifestum est, quod etiam* Dionysius *interrogando innuit, Serapionem tantisper in vita non alio fine fuisse prodigiose servatum, quam ut ex ea non ante discederet, quam ad veniam et Eucharistiæ communicationem fuisset receptus. Hinc non immerito Sanctus potuisset inferre, eorum opinionem, qui omnem spem lapsis veniæ præcidunt, a Dei clementia, qui mortem peccatoris non vult, sed magis ut convertatur et vivat, omnino esse alienam. Verum illam* Dionysius *alia insuper ratione acriter perstringit. In more tunc positum erat fueratque jam olim, ut lapsi, facti pœnitentes, ad martyrum* B *suffragia recurrerent, communionisque ab his libellos obtinerent, quorum deinde beneficio ab Ecclesia ad pacem facilius admittebantur. A lapsis hujusmodi, quibuscum in orationibus ac cibo martyres, datis etiam forsitan communionis libellis, communicarant, aliud argumentum contra Novatiani hæresim format. Narrat primo epistola ad Fabium apud Eusebium lib.* VI, *cap.* 41 *et* 42, *quot, quantaque mala tum in persecutione motu populari excitata, tum in altera hanc ex edicto Decii subsecuta, Christiani Alexandriæ alibique in Ægypto fuerint perpessi, quotque ex his pro fide sanguinem effuderint, ac tum mox ea subjungit, quibus iterum, pluribus accumulatis interrogationibus, eorum opinionem, qui lapsis in persecutione spem veniæ præcludunt, apertissime improbat simulque confutat.*

docens, hos ad communionem publicam,

92 Ceterum, *inquit,* hi divini martyres, qui nunc assessores sunt Christi, et regni illius consortes, ac judicii participes cum ipso judicaturi, dum hic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos, et idolis sacrificasse convictos susceperunt, et conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cum judicarent, illam placere posse illi, qui peccatoris pœnitentiam mavult, quam mortem, eos admiserunt, et collegerunt, atque in cœtum suum (*datis etiam verosimiliter pro more tunc recepto communionis libellis*) receperunt, et in orationibus et cibo C cum iisdem communicarunt. Quid ergo nobis, fratres, de his suadetis? quid nos agere debemus? Utrum sententiæ martyrum accedemus, et rem ab illis judicatam, seu potius gratiam concessam tuebimur, et cum iis, quos illi miseratione prosecuti sunt, benigne agemus? an contra judicium illorum irritum faciemus, nosque ipsi sententiæ illorum discussores ac judices constituemus, clementiam dolore afficiemus, ordinem constitutum evertemus, Dei ipsius indignationem provocabimus? *Recitatis hisce* Dionysii *verbis mox subjungit Eusebius :* Atque hæc Dionysius consulto videtur adjecisse, loquens de iis, qui persecutionis tempore præ infirmitate animi lapsi fuerant. *Ita sane habet, uti hic scriptor animadvertit. Vult enim Sanctus, ut apparet, contra Novatianum, in cujus opinionem propendebat Fabius, e lapsis martyrum suffragio ad pacem admittendis hic ostendere, generatim lapsos omnes, modo eos facti sufficienter pœniteret, ad delicti veniam et ad Eucharistiæ communicationem esse admittendos, idque verosimiliter, etiamsi de vita minime periclitarentur : innuit enim ad pacem admittendos esse, quos in cœtum suum, ac communionem martyres receperant : hi autem plurimos rectissime valentes, nec in mortis articulo positos in communionem suam admiserant.*

93 *Ad Sancti nostri textum recitatum* scite (*Ruinartii in Actis selectis et sinceris martyrum verbis utor*) observat Valesius, duplicem fuisse in Ecclesia communionem, quæ lapsis indulgeri poterat, primam privatam et orationum ; alteram publicam et Sacramentorum. Privatam vocat, quæ a privatis, non vero ab episcopo concedebatur : ut si quando martyres aut confessores benigne excepissent lapsos ad se recurrentes, et eorum intercessionem efflagitantes ; vel si cum eis Deum orare permisissent. Hæc autem communio jus nullum ad Ecclesiæ sacramenta percipienda, aut ad publicas Ecclesiæ orationes accedendum præstabat, licet episcopos ad mitius erga ejusmodi lapsos agendum excitaret. Altera vero communio ea erat, qua pœnitentibus jus restituebatur Ecclesiæ Sacramentis et publicis precibus participandi. His vero sic explanatis (*subjungit laudatus Ruinartius*) jam facile est intelligere, Dionysium in epistolæ Fragmento, quod protulimus, de pœnitentibus agere, qui prima communione a martyribus donati, alteram ab episcopis nondum consecuti fuerant. *Assentior laudato Ruinartio : de hujusmodi pœnitentibus in textu mox prolato indubie agitur.*

AUCTORE C. B.

quæ a privata distinguitur, esse admittendos;

nec sic cum S. Cypriano

94 *Verum hic jam quæri potest, an Sanctus noster, qui lapsos, ad communionem a martyribus admissos, et forte libellis ab his donatos, nec ad extrema reductos in gratiam cupit recipi, non pugnet cum* E *S. Cypriano. Hic enim sanctus episcopus* (*vide in Opere nostro Commentarium ad Vitam ejus prævium* § 12 *et* 13) *tribus diversis epistolis, quæ in nova editione Veneta ex Baluzii recensione sunt nona, decima et undecima, quosdam e clero suo presbyteros et diaconos, quod lapsos, libellis a martyribus donatos, ad communionem admitterent, acriter objurgat, ac proin videri potest voluisse, ut nec lapsis libelli a martyribus darentur, nec illis ab his donati ad pacem admitterentur. Fateor, tres illas objurgatorias epistolas scripsit Cyprianus, nec propterea tamen pugnat cum* S. Dionysio, *qui lapsos, quibuscum martyres communicarunt, ad pacem cupit admitti. Etenim Cyprianus dictas epistolas exaravit, durante adhuc Decii persecutione, volebatque, lapsorum in Ecclesiam admissionem differri, donec, pace Ecclesiæ concessa, eorumque causa examinata, certum aliquid de ipsis in communi fuisset statutum. Itaque in præfata epistola acriter nonnullos e clero suo presbyteros et diaconos idcirco redarguit, quod, persecutione nondum exstincta, contra episcopi sui voluntatem, Ecclesiasticæque disciplinæ vigorem lapsos, libellis martyrum donatos, ad pacem temere, idque absque prævia sufficienti pœnitentia, admitterent, sacratissimoque Christi Corpore impertiri non metuerent.* F

pugnat Dionysius

95 *Certe Cyprianus, reddita Ecclesiæ pace, lapsos omnes, ac proin etiam libellis a martyribus donatos, ad delicti veniam et ad Eucharistiæ communicationem, modo pœnitentiam crimini suo proportionatam prævie obiissent, voluit admitti, admittendosque ipsemet una cum synodo, quam Carthagine congregarat, diserte decrevit. Liquet id ex iis, quæ* § *præcedenti disseruimus, idemque in Commentario ad Vitam S. Cypriani prævio, iterum mox laudato,* § 22 *et seq. luculentissime probatur, ad quem propterea studiosum lectorem, qui, quod primo hic probandum erat, fusius probatum cupit, brevitatis causa remitto. Quod jam pertinet ad libellos a martyribus et confessoribus in lapsorum gratiam concessos, certe etiam Cyprianus hujusmodi libellos dari non improbavit; sed abusum eorum merito castigavit, voluitque, ut ad ecclesiasticas leges et pristinam consuetudinem exigerentur. Liquet id ex ipsiusmet Cypriani epistola* 10, *num. præcedenti laudata, martyribus et confessoribus inscripta. In ea enim Cyprianus martyres et confessores sic alloquitur :* Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideretis. Audio enim, quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur : COMMUNICET ILLE CUM SUIS ; quod numquam omnino a martyribus factum est : ut incerta et cæca petitio invidiam nobis postmodum cumulet.

AUCTORE C. B.

cumulet. Late enim patet, quando dicitur : ILLE CUM SUIS ; et possunt nobis viceni et triceni et amplius offerri, qui propinqui et affines et liberti ac domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum. Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis. *Cyprianus ergo, non magis libellis a martyribus lapsos donari improbavit, quam his pœnitentibus, etiam ad extrema non deductis, delicti veniam, cessante jam persecutione, voluerit negari, ac proin non adversatur Sancto nostro; cum hic pariter, cessante, ut* § *præcedenti jam docui, persecutione, lapsis pœnitentibus, etiamsi in mortis periculo non essent constituti, delicti veniam impertiendam putarit, hancque illis, nisi de vita periclitantibus, persecutione nondum sopita, dari noluerit.*

qui dicta epistola effecisse videtur, ut Fabius synodum convocarit;

96 *Revertamur modo ad eam, de qua hic disseruimus, epistolam, dispiciamusque, quem ex hac fructum* Dionysius *retulerit. Boschius noster in Historia Chronologica Patriarcharum Antiochenorum, tomo IV Julii præfixa, num.* 86 *censet, partim memorata hoc paragrapho Sancti nostri ad Fabium epistola, partim quatuor S. Cornelii ad eumdem Fabium epistolis, ab Eusebio lib.* VI *cap.* 43, *et S. Hieronymo de Script. Ecclesiasticis cap.* 66 *laudatis,* B *id esse effectum, ut ipse Fabius, si non illis epistolis ad Cornelii et ecclesiarum omnium partes fuerit inflexus, synodum saltem Antiochiæ non diu, antequam e vivis, quod anno* 252 *accidit, fuerit sublatus, super illo negotio indicendam curarit. In hanc sententiam laudat textum de* S. Dionysio *Alexandrino, ex Eusebio depromptum et num.* 88 *a nobis transcriptum, in quo Sanctus ab Heleno, Tarsi Ciliciæ episcopo, et a ceteris, qui cum illo convenerant; Firmiliano scilicet Cappadociæ, et Theoctisto Palæstinæ provinciæ episcopis, ad concilium, Antiochiæ celebrandum, sese invitatum, atque etiam de Fabii morte edoctum nuntiat; ita autem scribit, ut hoc illo posterius factum esse, insinuet. Unde, quemadmodum putat Boschius, recte consequitur, ut decreta ante indictaque fuerit Antiochena synodus, quam Fabius obierit, ac proin ut hic illam ante obitum verosimiliter indixerit, aut certe indicendam curarit. Videtur sane mihi hæc Boschii opinio admodum verisimilis.*

hæc tamen, ut apparet, sine nova convocatione celebrata non fuit.

97 *Verum huic opinioni suæ jam propositæ subjungit :* Tribuitur nihilominus in libello synodico tom. I Conciliorum Labbe, col. 719, synodus hæc, Antiochiæ collecta, Demetriano, Fabii successori ; quia is executus est, quod Fabius, morte interveniente, non potuerat. *Quibus verbis videtur innuere, synodum, loco proxime citato apud Labbe memoratam, ex convocatione, a Fabio ante mortem facta,* C *aut fieri curata, fuisse a Demetriano celebratam, ita ut hic ad eam celebrandam convocatione alia usus non fuerit : id autem mihi minus verisimile apparet. Etenim, uti ipsemet Boschius loco proxime citato adstruit, præfata synodus, Antiochiæ a Demetriano in causa Novatiani celebrata, conciliatrix exstitit pacis, quam* Dionysius, *apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 5, *epistola ad Stephanum Papam, iniisse nuntiat omnes Orientis ecclesias, earumque episcopos, turbulentam Novatiani novitatem seu hæresim unanimi consensu detestantes. Jam vero cum prædicta Sancti nostri ad Stephanum Papam epistola ante annum* 256 *(uti infra docebo) verosimillime scripta non sit, initamque inter ecclesias concordiam, veluti rem novam,* S. Dionysius *in illa Stephano annuntiet, verosimillimum apparet, synodum memoratæ pacis conciliatricem ante annum* 255 *celebratam non fuisse. Quapropter cum Fabius seu Flavius ante Augustum anni* 252, *uti num.* 89 *jam docui, e vivis excesserit, atque adeo post hoc tempus synodum Antiochiam convocare non potuerit, triennium ut minimum inter convocationem et celebrationem hujus synodi statuendum erit, si hæc ex convocatione Fabii a Demetriano celebrata sit. Quapropter cum hoc, attenta illorum temporum consuetudine, verosimile non sit, parum credibile mihi apparet, synodum Antiochenam a Demetriano ex sola convocatione Fabii* D *seu Flavii, nova convocatione non præmissa, celebratam fuisse. Fuerit itaque post mortem Fabii synodi adversus Novatianos celebrandæ consilium tantisper suspensum, nec ante exsecutioni mandatum, quam nova fuerit a Demetriano facta convocatio, sicque recte intelligitur, qua de causa synodus Antiochena in causa Novatiani celebrata, quam pacis Orientalium ecclesiarum conciliatricem cum Boschio fuisse existimo, in libello synodico mox laudato, soli Demetriano, nulla facta Fabii mentione, attribuatur. Pergamus nunc ad alias Sancti nostri epistolas.*

§ X. Controversia de rebaptizandis hæreticis inter S. Cyprianum et S. Stephanum Papam exorta, Dionysius paci in Ecclesia servandæ dat operam, variasque hunc in finem scribit epistolas.

Sanctus, cujus hic tres præter jam memoratas recensentur epistolæ,

Omnes fere epistolæ, quas Sanctus noster occasione Novatiani vel schismatis vel hæreticæ de lapsis opinionis conscripsit quasque jam memoravimus, ab Eusebio lib. VI Historiæ, cap. 46, uti hactenus dicta docent, laudantur. Porro ab eodem Historico ibidem insuper laudantur tres aliæ epistolæ, quarum hactenus non meminimus. Primam, quæ objurgatoria est, Dionysius scripsit ad gregem suum Alexandriæ, alteram, quæ et libellus a laudato Eusebio vocatur, ad Origenem de martyrio dedit; tertiam denique de officio diaconi ad fratres Romæ constitutos per Hippolytum misit. Epistola Sancti ad gregem suum objurgatoria verosimillime scripta est, cum Dionysius persecutionis tempore ab urbe Alexandrina exsularet; verum cum in exsilium fidei causa plus vice simplici pulsus fuerit, pro certo nequit edici, cujus exsilii tempore, ac proin quo circiter anno scripta sit. Quapropter cum id etiam edici nequeat circa epistolam, quam de officio diaconi ad fratres Romanos Sanctus conscripsit, ulteriorem de ambabus hisce epistolis tractatum rejicio in Appendicem, huic Commentario subjungendam, in qua tum de Operibus, quæ an Sancti nostri indubie sint, pro certo nequit edici, tum de iis, quæ quidem a Dionysio procul omni dubio elaborata sunt, tempus tamen, quo circiter elaborata sint, compertum minime habetur. Quod pertinet ad epistolam, quam Dionysius ad Origenem de martyrio conscripsit, ea quidem, durante adhuc, uti suo loco probabo, Decii persecutione, conscripta est; ac proin jam antea a me hic fuisset memoranda. Verum cum adhuc alia, cujus prorsus ignoratur epocha, a Sancto nostro de Origene scripta sit epistola, hæcque proinde in Appendicem sit rejicienda, malui etiam et alteram, cujus epocha habetur comperta, ad Origenem scriptam, in eamdem Appendicem rejicere, quod ea omnia, quæ hic de Origene disputanda veniunt, sub unum veluti aspectum velim proponere.

E

F

sub imperio Galli nil præclari scitur gessisse;

99 *Itaque tum epistolas a Sancto nostro conscriptas, tum res alias ad eum spectantes, quæ ad certum queunt tempus referri, recensere pergo ex ordine. Ecclesia Novatiani schismatis internis tumultibus agitata, post aliquantulam Decianæ persecutionis remissionem, rursus a Gallo, qui anno* 251 *circa mensem Decembrem Decio interfecto in imperium una cum Hostiliano successerat, nova persecutione fuit vexata. Docet id nos* Dionysius *apud Eusebium lib.* VII *cap.* 1 *sic scribens :* Sed neque Gallus culpam Decii intellexit : nec prospexit, quid tandem illum pessum dedisset. Quin potius ad eumdem lapidem ante oculos suos positum impegit. Qui cum imperium ipsius prospero in statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent, viros sanctos, qui pro pace et incolumitate ipsius preces ad Deum allegabant, insectatus est. Cum illis ergo orationes pro ipso fieri solitas simul fugavit. *Quibus ex verbis manifestum fit, a Gallo in Christianos persecutionem motam fuisse; verum ex iisdem non docemur, in quibus potissimum Romani imperii provinciis*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *vinciis ea sævierit. Pagius in Criticis ad annum* 232 *num.* 17 *et sequentibus contendit, persecutionem, a Gallo motam, localem tantum, in sola nempe urbe Romana, fuisse. Verum an hæc ejus opinio fundamentis sat firmis innitatur, jam apud nos tom. IV Septembris in Commentario ad Vitam S. Cypriani prævio* § 33 *discussum est. Ad hunc adeo, studiose lector, brevitatis studio te remitto. Nihil interim vel apud Eusebium vel alibi uspiam occurrit, unde certo conficias, persecutionem, quam suscitavit Gallus, Alexandriæ aut alibi in Ægypto exarsisse; ac proin dubium est admodum, an Sanctus noster ejusdem persecutionis occasione quidquam pro Christiana fide fuerit perpessus, memoriave dignum effecerit. Nihil etiam a Sancto nostro præclare gestum invenio, quod vel ad ipsum Galli imperium debeat referri. Ut ergo rerum ad* Dionysium *spectantium seriem prosequamur, necesse est, ut ultra illud progrediamur.*

verum orta Cyprianum inter et Stephanum de baptismo controversia,

100 *Anno* 254, *ut nunc communior eruditorum fert opinio, Gallo in imperium Valerianus successit. Sub hujus imperii initium optatissima pace gavisa est Ecclesia, eaque tanta, ut sub nullis anterioribus imperatoribus majori. Docet id nos iterum Sanctus noster apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 10 *epistola ad Hermammonem de Valeriano sic scribens :* Joanni quoque similiter revelatum est. Ait enim : Et B datum est illi os loquens magna et impia ; et data est illi potestas, et menses quadraginta duo. Utrumque porro in Valeriano impletum mirari licet, illudque ante omnia considerare, cujusmodi is ante persecutionem fuerit : qualiter mansuetus quidem ac benignus erat erga famulos Dei. Neque enim ullus superiorum principum, ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia nostros complexus est, quantam ille præ se ferebat initio principatus sui ; totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei Ecclesia esse videbatur. *Tenuit hæc pax, antequam Valerianus novam in Christianos persecutionem concitarit, annis circiter quatuor. Verum dum ab externis tumultibus ita tantisper immunis est Ecclesia, internis agitari sævissime cœpit. Occasione eorum, qui ex hæresi ad Ecclesiam accedebant, gravissima orta est tempestas. Cyprianus cum tota fere Africana ecclesia asserebat, tales homines denuo esse baptizandos; Stephanus contra, Romanus Pontifex, antiqua traditione fultus, baptismum, ab hæreticis collatum, validum esse contendebat ac proin non iterandum. Sanctus noster occasione famosissimæ hujus controversiæ varias ad varios, ad Stephanum scilicet, Romanum Pontificem, Sixtum, Stephani successorem, Dionysium et Philemonem, presbyteros Romanos, scripsit epistolas : verum antequam de his plura* C *edisseram, juverit de tempore, origine et progressu dictæ famosissimæ controversiæ nonnulla hic præfari, ut quantum, illa durante,* Dionysius *de Ecclesia, paci inter partes servandæ allaborando, fuerit meritus, quivis commodius intelligat.*

cujus hic tempus,

101 *Agrippinus, S. Cypriani in Carthaginensi cathedra decessor, non tamen proximus, anno circiter* 200, *coacto episcoporum concilio, primus in Africa decreverat, verum Christi baptismum extra Ecclesiam conferri non posse, ac proin rebaptizandos esse, quicumque a solis hæreticis baptizati ad Ecclesiam accederent. Quinquaginta circiter annis post accidit, ut hac super re in Africa, præsertim in Numidia, dubitatum fuerit, eaque de causa octodecim episcopi S. Cyprianum consuluerint. Horum litteræ lectæ sunt in Carthaginensi triginta, vel triginta et unius episcoporum synodo, quos sanctus metropolita vel ea ipsa de causa convocarat, vel alias convocatos penes se habebat. Cyprianus, laudatique, qui ipsi Carthagine aderant episcopi, Agrippini decreto inhærendum censuere, atque adeo rebaptizandos esse, quicumque ab hæreticis schismaticisve tincti, in Ecclesiam admitti postularent, hancque in sententiam ad præfatos episcopos rescripsere. Non diu post hanc synodum contigit, ut etiam a Quinto, in Mauritania episcopo, per Lucianum presbyterum eadem super re S. Cyprianus denuo fuerit consultus, hicque illi idem, quod episcopis supra laudatis datum fuerat, responsum transmisit, adjecta etiam nuperi concilii, exeunte circiter anno* 255, *celebrati, synodica epistola. Nec hoc fecisse contentus, anno* 256 *ante Pascha, ut Pearsonio in Annalibus Cyprianicis placet, alterum celebravit antistitum Africæ Numidiæque unius et septuaginta concilium. In hoc denuo, quod in priori synodo de hæreticorum baptismate fuerat decretum, unanimi omnium suffragio probatum fuit ac confirmatum. Ne vero quid ad rei firmitatem deesset, congregati Patres communes litteras, quibus et prioris concilii epistolam synodicam, et alteram S. Cypriani ad Quintum, episcopum supra laudatum, de eodem ambas argumento, acceluerant, Romam ad S. Stephanum transmisere, omnino confisi fore, ut hic, quod ipsi de rebaptizandis hæreticis statuerant, calculo suo auctoritateque roboraret.*

AUCTORE C. B.

origo

102 *Verum enimvero res longe aliter, ac illi speraverant, evenit. Etenim Stephanus, lectis eorumdem litteris, merito indignatus, quod Apostolica traditio, qua baptizati ab hæreticis, si ad Ecclesiam accederent, sine baptismi iteratione recipiendi erant, tamquam erronea proscriberetur, idque ab episcopis, doctrinæ et sanctitatis fama conspicuis, medelam tanto malo non qualemcumque, sed efficacissimam juxta ac promptissimam adhibendam statuit. Mox itaque ad Cyprianum ceterosque Africæ episcopos* E *rescribens, opinioni eorum Apostolicam traditionem, a qua nefas esset recedere, contrariam esse reposuit, simulque ne quid in tanti momenti re innovaretur, præcepit, interminatus etiam non obtemperaturis excommunicationis pœnam, aut certe hac illos dignos habendos esse, pronuntians. Hæ litteræ mirum in modum S. Cyprianum, ceterosque ejusdem cum eo sententiæ episcopos perculere. Eo nimirum sese redactos conspiciebant, ut vel opinionem, quam firmis rationibus nixam veritatique consentaneam putabant, deberent deserere, vel manifestum subire periculum, ne a S. Petri Cathedra proscriberentur. Primum ipsis durum, neque necessarium videbatur, eo quod non de aliquo fidei articulo, sed de disciplina tantummodo, quæ in variis particularibus ecclesiis nonnumquam diversa est, agi crederent; consuetudinem vero, quam adducebat Stephanus, non divinam, sed humanam dumtaxat esse. Itaque nihil prætermittendum statuerunt, quo et opinionem suam tuerentur, et irati Pontificis minas, servata unitate et communione, evaderent.*

et progressus exponitur,

103 *Hunc in finem Cyprianus tertium de hac causa concilium in proximas Kalendas Septembris dicti anni* 256 *indixit, atque ad hoc omnes, quotquot potuit, Africæ, Numidiæ et Mauritaniæ convocavit episcopos, eo haud dubie consilio, ut vel, si id pluribus videretur, Stephano morem gereret, vel si contra* F *fere omnes sibi consentientes haberet, tantus episcoporum numerus atque auctoritas Romanum Pontificem a ferenda saltem excommunicationis intentatæ sententia cohiberet. Itaque dictis Kalendis Septembribus anni* 256 *celebratum est tertium Carthagine de hæreticorum baptismate concilium, eique episcopi ex Africa, Numidia et Mauritania, octoginta et quinque interfuerunt, hique omnes ac singuli, hortante Cypriano, ut quam liberrime suam quisque de re proposita sententiam ferret, superiorum conventuum decreta suo ac duorum insuper episcoporum absentium suffragio confirmarunt. Ex hoc numero delecti subinde sunt a Cypriano ceterisque synodi patribus ad S. Stephanum legati. Verum hi denuo non eo, quem speraverant, eventu a Pontifice fuere suscepti. Etenim cum huic jam omnia, antequam hi appulissent, fuissent renuntiata, sciretque proinde Afros, jam post secundum Carthaginense concilium semel auditos, contra gravissimum, quod ad eos miserat, rescriptum, intentasque excommunicationis minas, errorem suum etiam majori, quam prius, episcoporum numero confirmasse, memoratos legatos, quamvis a veneranda plurimorum episcoporum synodo missos, severe repulit, Romaque, re penitus infecta, jussit excedere, repetitis etiam gravibus in Afros minis, nisi ad pristinam Ecclesiæ consuetudinem redirent.*

AUCTORE C. B.

redirent. Africani præsules, ac Cyprianus præsertim, infelici causæ suæ eventu ex legatis Roma reversis intellecto, non mediocriter haud dubie fuere conturbati, veritique, ne Stephanus, quem in proposito constantem experiebantur, ad excommunicationis, quam minatus fuerat, sententiam brevi procederet, in omnem partem animos versavere, ut istud a capite suo fulmen averterent. Noverat Cyprianus, Firmilianum Cæsareensem, Helenum Tarsensem, aliosque in Oriente episcopos, qui eamdem de rebaptizandis hæreticis opinionem in synodis versus annum 230 Iconii et Synnadæ celebratis inductam mordicus tuebantur, ea de causa a Stephano pariter reprehensos fuisse. Hinc visum ei est, ad Firmilianum litteras dare, quibus eum de ecclesiæ Africanæ statu, deque communi periculo instrueret, et quæ ejus hac in re esset sententia, rogaret.

ad Stephanum, Romanum Pontificem,

104 *Hæc omnia, quæ tribus numeris præcedentibus in compendium contrahenda duxi, fuse explanata, præcipuaque capita valide probata apud nos tom. I Augusti in Commentario Actis S. Stephani Papæ præmisso, et tom. IV Septembris in Commentario ad Vitam S. Cypriani prævio, jam sæpe laudato, eruditus lector inveniet, quem ego propterea, brevitatis studio eo remittens, ad ea, quæ in Controversia, compendio jam explicata, Sanctus noster gessit,* B *tractanda progredior. Boschius noster in Commentario prævio de S. Stephano mox laudato suspicatur, Cyprianum epistola ad Firmilianum, quæ nunc interiit, statim jam laudata, etiam institisse, ut si quos ille vel in Oriente vel in Ægypto amicos haberet, quos Romæ suspectos non esse, ibique aliquid valere sciret, eos infortunii Orientalibus æque ac Africanis ecclesiis imminentis deprecatores apud Stephanum adhiberet. Ita laudatus Boschius, statim innuens, Firmiliani forte rogatu* S. Dionysium, *Alexandrinum episcopum, hac in causa deprecatorem intercessisse, data ad Stephanum epistola, ab Eusebio lib.* VII, *cap.* 5 *Historiæ suæ Ecclesiasticæ partim inserta. Id autem idcirco facit, quod* Dionysius *alteram deinde ad Xystum, Stephani successorem, scribens epistolam, obtestatum se esse affirmet ac rogasse Stephanum, ne quid scilicet hic in Orientales aliosve episcopos, hæreticorum baptismum damnantes, durius statueret. Verum quantumcumque Sanctus noster, data ad Stephanum epistola, hunc obtestatus fuerit, ne quid, ut laudata ad Sixtum epistola fidem facit, in Firmilianum aliosque episcopos, hæreticorum baptismum damnantes, durius statueret, ad id tamen* Dionysium *Firmiliani rogatu impulsum fuisse, ex dicta ad Sixtum epistola concludi minime potest. Imo ex hac consequi videtur,* Dionysium, *ut* C *deprecatorem apud Stephanum ageret, solis litteris, quas ab ipsomet Stephano de Firmiliano, Heleno aliisque episcopis Orientalibus acceperat, fuisse permotum.*

non tamen Firmiliani rogatu,

105 *Etenim in memorata ad Xystum epistola* Dionysius *sic scribit :* Antea quidem litteras scripserat (*S. Stephanus*) de Heleno et de Firmiliano; de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis, sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent. *Ac paucis deinde interjectis, subjungit :* De his omnibus ego ad illum (*S. Stephanum*) epistolam misi, rogans atque obtestans, *ne scilicet prædictos episcopos a communione sua rescinderet. Scripsit ergo, uti hinc liquet, ad Stephanum deprecatoriam, de qua hic agimus, epistolam* Dionysius, *cum prævie ab illo litteras accepisset, ac proin his solis, ex quibus Stephani severum de episcopis, hæreticorum baptismum reprobantibus, consilium intellexerat, impulsus fuisse videtur, ut pro laudatis episcopis, data ad Stephanum epistola, deprecator intercederet. Id igitur Firmiliani, ad id rogandum a Cypriano inducti, rogatu neutiquam fecit. Quod si tamen id revera Firmiliani rogatu Sanctus fecisset, jam ejus, qua id fecerit, epistola non citius quam anno 256 provecto scripta erit. Etenim in illa hypothesi scripta non erit ante epistolam de procurandis apud Stephanum deprecatoribus ad Firmilianum a Cypriano* D *missam; hic autem hujusmodi epistolam ad illum non miserit, nisi post concilium Carthaginense tertium, Kalendis Septembribus anno 256 celebratum, ut adeo in dicta hypothesi Sancti nostri ad Stephanum epistola citius quam anno 256 provecto scripta non fuerit. Et vero quamvis revera, ut jam docui, verosimillime factum non sit, ut* Dionysius *Firmiliani rogatu pro episcopis, hæreticorum baptismum damnantibus, data ad Stephanum epistola, intercesserit, hæc nihilominus nec citius nec serius quam dicto anno 256 scripta videtur.*

anno 256 scripsit epistolam,

106 *Etenim scripta non est ante epistolam a S. Stephano ad* Dionysium *de Firmiliano et Heleno, aliisque episcopis, a communione sua resecandis datam. Quapropter cum hæc haud dubie scripta non sit ante epistolam, qua Stephanus anno 256, ut jam vidimus, rebaptizari baptizatos ab hæreticis, episcopis Africanis interdixit, certum apparet, dictam Sancti nostri ad Stephanum epistolam ante annum 256 scriptam non esse. Jam vero cum Cyprianus, ut docuimus, proxime a concilio Carthaginensi tertio, Kalendis Septembribus celebrato, perspectum habuerit, Firmilianum a Stephano ob defensam de hæreticis rebaptizandis sententiam fuisse reprehensum, certum est, hunc non serius quam dicto anno 256 a Stephano fuisse reprehensum, ac proin, cum vero-* E *simillime brevi post hanc reprehensionem, Firmiliano factam, Sanctus noster a Stephano de illo aliisque a communione sua resecandis acceperit epistolam, eique respondere, diu, ut apparet, non distulerit, id verosimillime non serius, quam præfato anno 256 fecerit. Verosimillimum ergo est Sancti nostri memoratam ad Stephanum epistolam nec serius nec citius quam anno 256 scriptam esse. Quod ad epistolæ argumentum pertinet, hoc ex jam dictis facile eruitur. Illa scilicet* Dionysius, *prævie annuntiata pace, quam omnes ubique Orientales ecclesiæ, proscripto Novatiani schismate, insperato erant consecutæ, plurimum hortatus est Stephanum, ne eam denuo turbari faceret, a communione sua rescindens Firmilianum, Helenum aliosque Orientis episcopos, opinioni de rebaptizandis hæreticis adhærentes. Ita Sanctus, periculosa illa de hæreticorum baptismate durante controversia, pacem et unitatem in Ecclesia diligentissime studuit servare. Nec vero irritus ejus conatus forsan fuit. Etenim, ut fas est conjicere, id eo verosimiliter ex parte apud Stephanum effectum est, ut hic, cum justis comminationibus Afros æque ac Orientales a consuetudine Apostolica proscribenda deterrendos sperasset, nec tamen quidquam se proficere, sed contra animos magis magisque exacerbari perspexisset, de severitate sua* F *nonnihil remiserit, atque intra solas excommunicationis minas steterit, in communione sua, qui diversa sentirent, tantisper retentis, ne ex eorum rescissione gravius aliquod detrimentum Ecclesia pateretur.*

aliasque deinde ad Dionysium et Philemonem,

107 *Porro eodem tempore, quo* Dionysius *ad Stephanum memoratam de baptismo scripsit epistolam, duas insuper alias epistolas, alteram ad Dionysium, tunc presbyterum ac deinde Romanum Pontificem, alteram ad Philemonem, pariter presbyterum, de eodem argumento scripsit. Colligitur id iterum ex ipsomet Sancto nostro, qui, ubi apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 5, *epistola ad Xystum, jam ante laudata, scripsisse se ad Stephanum de baptismo, deque controversia, circa hunc exorta, asseruit, paucis, ut inuit Eusebius, interpositis, sic scribit :* Sed et carissimis fratribus et compresbyteris nostris Dionysio ac Philemoni, qui prius idem cum Stephano senserant, deque iisdem rebus ad me scripserant, antea quidem breviter, nunc vero pluribus verbis scripsi. *Binas hasce epistolas, quarum alteram ad Dionysium, postea Pontificem, alteram ad Philemonem,* S. Dionysius antea, *id est, antequam ad Xystum scriberet, sedente S. Stephano Papa, dedit, Eusebius inter epistolas a Sancto nostro de baptismo conscriptas, quas senario numero definit, minime recenset. De baptismo tamen scriptas fuisse, intelligitur*

A *intelligitur ex verbis* Dionysii *mox recitatis, quibus ait, se responsorias dedisse ad Dionysium et Philemonem, qui de iis rebus ad eum scripserant, de quibus ipse ad Stephanum, ad quem utique de baptismo scripserat, epistolam dederat. Ambas dictas epistolas, quod breviores essent, inter epistolas, a Sancto de baptismo conscriptas, verosimiliter non computarit Eusebius. Certe has inter computat duas alias prolixiores epistolas, quarum altera ad eumdem laudatum Dionysium, altera ad Philemonem de baptismo pariter a Sancto nostro data est.*

et ad Sixtum inter Augustum anni 257 et Augustum anni 258 dedit,

108 *Geminæ hæ epistolæ, uti et tres aliæ, quarum unam jam supra sæpius laudavi, ad Xystum transmissæ, a* Dionysio, *quemadmodum mox docebo, in exsilium, Valeriani persecutione exorta, jam pulso, scriptæ sunt. Quapropter, spectato ordine, quem in tractandis* Dionysii *gestis servare proposui, prius hic de Sancti relegatione, adjunctisque hanc comitatis agendum foret, quam de epistolis mox memoratis : verum, ne rerum tractari inceptarum series interrumpenda sit, præstare videtur, ut primo, quæ ad præfatas epistolas tractatamque in his controversiam pertinent, expediam, ac deinde de Sancti relegatione, deque iis, quæ in Cephro, Libyæ loco, exsul pertulit, tractatum instituam, quod propterea etiam hic faciendum existimo. Itaque omnes quinque*

B *epistolas, numeri hujus initio memoratas,* S. Dionysius, *ut docturum me monui, in exsilio, Valeriani persecutione exorta, jam exsistens conscripsit. Etenim eas inter tres sunt ad S. Xystum, Romanum Pontificem, datæ. Quapropter, cum S. Xystus seu, ut ab aliis scribitur, Sixtus, ad Pontificatum (vide apud nos de hoc sancto Pontifice tom. II Augusti pag.* 152 *et seq.*) *anno* 257, 24 *Augusti circiter, evectus sit, necesse est, tres illas epistolas ante hujus anni Augustum vel Septembrem aut etiam Octobrem scriptas non esse. Jam vero cum eodem anno ante Augustum, uti inter omnes eruditos nunc satis convenit, Valeriani persecutio primo sit exorta, hujusque initio Sanctus noster, uti infra docebo, ab Æmiliano, Augustali præfecto, in Libyam relegatus sit, dubitandum non videtur, quin Sanctus noster, in exsilium jam pulsus, tres illas epistolas, mox iterum laudatas, scripserit. Quod autem jam pertinet ad duas e quinque numeri hujus initio memoratis reliquas, has Sanctus noster verbis, proxime recitatis, se scripsisse indicat eodem tempore, quo primam suam ad Xystum de baptismo dedit epistolam. Quapropter cum hanc in exsilium jam pulsus scripserit, dubium non est, quin pariter duas alias, de quarum scriptionis tempore hic quæritur, in exsilium jam pulsus exarit. Hinc jam, erudite lector, et ex anno*

C 258, *cujus mense Augusto (vide tom. Operis nostri, hæc præsenti num. laudatum, pag.* 129) *S. Sixtus martyrio coronatus est, recte colliges, omnes quinque Sancti nostri epistolas, jam memoratas, inter anni* 257 *vigesimam quartam circiter Augusti diem, et Augustum anni* 258 *scriptas esse.*

de quibus et de aliis hic quæpiam observantur.

109 *Porro, ut de hisce epistolis adhuc pauca disseram, Eusebius lib.* VII, *cap.* 5 *et* 6 *prioris ad Xystum scriptæ, quam Sancti nostri* secundam *de baptismo ratione epistolæ ad Stephanum de eodem argumento anterius scriptæ, appellat, duo Fragmenta exhibet, ex quorum altero discimus, Sabellianam hæresim jam tum, cum epistolam illam ad Xystum scriberet* Dionysius, *in Ægypto fuisse exortam. De illa postmodum suus erit dicendi locus. Inceptum de dictis epistolis sermonem promoveo. Quod ad duas posteriores, a* Dionysio *ad Xystum scriptas, attinet, ambas lib.* VII *cap.* 9 *Eusebius commemorat, et unius quidem Fragmentum, postea hic usui futurum, etiam exhibet; at non item alterius : hanc nihilominus inter epistolas a* Dionysio *de baptismo conscriptas recenset : recitato enim, quod proxime laudavi, Fragmento, subjungit :* Præter supra dictas est etiam altera (*non* quinta, *ut vertit Valesius*) ejusdem (*sancti* Dionysii) epistola de baptismo, ipsius et ecclesiæ, quam regebat, nomine ad Xystum et Ecclesiam urbis Romæ directa, in qua de proposita quæstione (*de rebaptizandis hæreticis*) prolixam admodum disputationem instituit. *Quibus ex verbis liquet, memoratam epistolam inter eas, quæ de baptismo a* Dionysio *scriptæ sunt, computare Eusebium, ac proin cum ante illam jam quinque alias, unam nempe ad Stephanum, duas ad Sixtum, unam ad Dionysium et alteram ad Philemonem, de baptismo scriptas recensuerit, scriptor ille non quinque tantum, ut nonnullis visum est, sed sex numerat epistolas, a* Dionysio *de baptismo scriptas; quibus si addideris duas ad Dionysium et Philemonem epistolas breviores, num.* 107 *memoratas, octo habebis epistolas, a* Dionysio *de baptismo conscriptas : harum aliquot, non omnium, Fragmenta tradit Eusebius. Utinam saltem prolixiorem ad Philemonem epistolam, in qua, quemadmodum ipse Eusebius lib.* VII *cap.* 7 *testatur, quæstionem de rebaptizandis hæreticis abunde tractavit, integram transcripsisset! Ita forsan certius definiri potuisset, an in Cypriani aliorumque episcoporum de rebaptizandis hæreticis dogma* Dionysius *consenserit. Id nunc alii negant, alii affirmant. Penes quos major stet verisimilitudo,* § *sequens docebit.*

AUCTORE C. B.

§ XI. An Dionysius in Cypriani de rebaptizandis hæreticis dogma certo consenserit.

E *Sanctus Hieronymus in Catalogo Illustrium Ecclesiæ Scriptorum cap.* 69 *de S. Dionysio, Alexandrino episcopo, sic scribit :* Hic in Cypriani et Africanæ synodi dogma consentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas, quæ usque hodie exstant. *Quibus verbis sane Hieronymus clare docet,* Dionysium *in Cypriani de rebaptizandis hæreticis dogma consensisse. Nescio, an Hieronymus ullas, ab Eusebio non memoratas, vel an integras, quarum hic tantum Fragmenta recitat, præ manibus habuerit epistolas, ex quibus* Dionysii *in Cypriani dogma consensum indubitatum habuerit. Utut sit, certe id ex epistolarum, quas Hieronymus dicto capite laudat, Fragmentis, ab Eusebio posteritati commendatis, evinci non posse videtur. Imo cum ex hisce contrarium potius videatur concludendum, verosimilius apparet, Hieronymo non præluxisse epistolas, ex quibus* Dionysii *in Cypriani dogma consensum exploratum prorsus, indubitatumque habuerit. Nec propterea tamen hic Sanctus a vero aberrasse, dicendus est. Etenim, uti infra exponam, de* Dionysii *in Cypriani dogma consensu, minus generaliter accepto, potest intelligi. Ut autem jam quisque perspiciat, ex præfatis Fragmentis concludendum potius,* S. Dionysium *non consensisse in Cypriani dogma, quam consensisse, juverit illa huc saltem ex parte transcribere, et quid e singulis vel pro negando, vel pro adstruendo* S. Dionysii *in dogma Cypriani consensu possit erui, accurate discutere. Ab epistola ad Stephanum data incipio.*

Hieronymus asserit, Dionysium consensisse in Cypriani de baptismo dogma;

F 111 *In hujus epistolæ Fragmento, jam antea plus semel laudato, quod apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 5 *exstat, solum narrat* S. Dionysius, *omnes ubique Orientis ecclesias, profligata Novatiani hæresi, summa inter se pace ac concordia gaudere; baptismi autem in hæreticis, ad Ecclesiam venientibus, iterandi vel non iterandi mentionem nullam adjungit, ut ne quidem operæ pretium sit, verba hinc ulla huc transferre. Itaque ad alia progredior. In prioris quidem suæ ad Xystum epistolæ Fragmento, quod capite proxime laudato etiam Eusebius exhibet, in maximis episcoporum conciliis decretum fuisse ait, ut ii, qui a solis hæreticis baptizati ad Ecclesiam accedunt, rebaptizentur, idque ipsum etiam repetit in epistolæ ad Philemonem Fragmento, quod Eusebius lib.* VII, *cap.* 7 *in Historiam suam Ecclesiasticam intulit; verum nuspiam diserte exigit, ut id ab omnibus admittatur, reque ipsa executioni mandetur. Ipsa Sancti verba, quæ ad propositum nostrum præcipue pertinent, nunc transcribamus. Priori loco hæc habet :* Ac, vide, quæso, gravitatem negotii. Revera enim in maximis, ut audio, episcoporum conciliis decretum est, ut, qui ab hæreticis ad Ecclesiam

verum id ex epistolarum Sancti apud Eusebium

AUCTORE C. B.

clesiam Catholicam accedunt, primum catechumeni fierent, ac deinde veteris et impuri fermenti sordibus per baptismum purgentur. *Posteriori vero ista :* Illud præterea didici, non ab Afris solum hunc morem (*rebaptizandi hæreticos ad Ecclesiam accedentes*) nunc primum invectum fuisse, sed et multo antea superiorum episcoporum temporibus, et in ecclesiis populosissimis et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse.

Fragmentis non evincitur;

112 *Ita binis locis citatis* Dionysius, *mox etiam verbis ultimo recitatis hæc subdens :* Quorum (*episcoporum, qui in conciliis hæreticos rebaptizandos statuerant*) sententias et statuta subvertere, eosque ad jurgia et contentiones excitare equidem nolim. Scriptum est enim : Non commutabis terminos proximi tui, quos parentes tui constituerunt. *Quibus sane Sanctus minime indicat decretum de rebaptizandis hæreticis, quod a variis synodis conditum affirmarat, ab universis ecclesiis admittendum esse, baptismumque ab hæreticis collatum esse invalidum, sed tantum velle videtur, unicuique permittendum, ut ecclesiæ suæ usum libere sequatur, sitque proinde licitum rebaptizare hæreticos, ubi, ut id fiat, consuetudo obtinuit.* Dionysium *ergo in Cypriani de rebaptizandis hæreticis dogma consensisse, non evincitur*
B *ex verbis, quæ ex duarum Sancti ad Sixtum et Philemonem epistolarum Fragmentis, proxime laudatis, attulimus. Nec alia in iisdem Fragmentis occurrunt, unde id ipsum utcumque extundas. Etenim in laudatæ epistolæ ad Sixtum Fragmento nulla præter jam adducta verba habentur, quæ huc referri queant. Quod vero ad aliud epistolæ ad Philemonem Fragmentum pertinet, hoc præterea* Dionysium *sic loquentem exhibet :* Hanc ego regulam et formam a beatissimo Papa nostro Heracla accepi. Eos enim, qui ab hæreticis veniebant, tametsi defecissent, seu potius non defecissent illi quidem, sed in speciem cum fratribus communicantes, clam perversæ doctrinæ magistros audire delati essent, ab Ecclesia ejectos, post multas tandem preces non prius admisit, quam quæcumque ab adversiis audierant, palam exposuissent. Ac tum demum ad communionem eos admittebat, nequaquam existimans, iterato baptismate eis opus esse. Quippe jam antea Spiritum sanctum ab ipso acceperant.

imo ex epistola ad Sixtum,

113 *Verum tantum abest, ut ex his verbis* S. Dionysium *seu potius Heraclam, ejus decessorem, cujus Sanctus inhærebat vestigiis, in Cypriani dogma consentientem probes, ut inde potius oppositum concludendum foret, si de venientibus ad Ecclesiam, qui a solis hæreticis baptizati fuerant, verba recitata ageret; verum hæc unice sermonem faciunt de iis, qui*
C *in Ecclesia Catholica baptizati, ad eamdem denuo, a qua deinde defecerant, redibant. Hujusmodi autem rebaptizandos non esse, indubitatum erat, ut adeo ex producto textu nihil habeatur, quo quis* S. Dionysium *Cypriano vel assentientem vel repugnantem ostendat. At vero* Dionysium *pro valido habuisse baptismum ab hæreticis collatum, ac proin Cypriano adversatum esse potius, quam assensum, nunc clarius ostendo. Voluit Sanctus, ut jam docui, unicuique permittendum, ut ecclesiæ suæ usum libere sequeretur; quapropter cum hinc consequens sit, ut etiam voluerit, licitum esse ecclesiis, in quibus consuetudo non rebaptizandi hæreticos invaluerat, libere hanc sequi, dubium esse non potest, quin hæreticorum baptismum pro valido habuerit. Si enim eum pro invalido habuisset, qui, quæso, consuetudinem non rebaptizandi hæreticos approbare potuisset? Quod si reponas,* Dionysium *nuspiam diserte asserere, quamlibet ecclesiam in sua rebaptizandi vel non rebaptizandi consuetudine relinquendam esse; eam Sancto fuisse opinionem, ex secunda ejus ad Sixtum epistola, quam Eusebius quintam de baptismo appellat, ulterius ostendo.* Dionysius *in hac epistola, cujus Fragmentum lib.* VII, *cap.* 9 *exhibet Eusebius, refert, se a sene quodam, qui olim ex hæresi ad Ecclesiam accesserat, rogatum diu fuisse, ut eum denuo baptizaret. Hunc autem se de novo baptizare ausum non fuisse, affirmat.* D

cujus Fragmentum huc transcribitur,

114 *Ipsa Sancti verba transcribo :* Profecto, *ait ad Sixtum,* opus habeo, frater, consilio tuo, et sententiam tuam expeto, ne forte ipse halluciner, tali ad me negotio delato. Quidam ex fratribus, qui ad Ecclesiam conveniunt, jam pridem pro fideli habitus, et qui ante meam ordinationem, ac, ni fallor, ante ipsius quoque Heraclæ episcopatum, cœtus fidelium particeps fuerat; cum interfuisset baptismo eorum, qui nuper baptizabantur, et interrogationes responsaque illorum audiisset, ad me accessit flens, et vicem suam ingemiscens, pedibusque meis advolutus confiteri atque dejerare cœpit, baptismum, quo apud hæreticos initiatus fuerat, non hujusmodi esse, nec cum hoc nostro quidquam commune habere. Quippe illum plenum esse blasphemiæ et impietatis; aiebatque, animum suum acerbissimo doloris sensu compungi, ac ne oculos quidem ad Deum attolere se audere; quippe qui scelestis illis verbis ac ceremoniis initiatus fuisset. Proinde orabat, ut hoc purissimo lavacro, verissimaque adoptione et gratia donaretur. Quod equidem facere non sum ausus; sed diuturnam illi communionem ad id sufficere dixi. Nam qui gratiarum actionem frequenter audierit, et cum ceteris responderit Amen; qui ad sacram mensam astiterit, et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit; qui illum exceperit, et Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuerit diutissime, eum ego de integro renovare non ausim. Porro ut bono animo esset, et cum firma fide bonæ spei plenus ad Dominici Corporis participationem accederet, jussi. Verum ille nullum lugendi finem facit, et ad mensam accedere penitus exhorrescit, vixque rogatus, interesse orationibus sustinet. E

contrarium videtur

115 *Cum itaque, uti ex textu jam transcripto liquet, præfatus senex, qui a solis hæreticis baptizatus fuerat, etiam ante Heraclæ tempora in Ecclesiam sine baptismi reiteratione receptus fuerit, certum apparet, ejusmodi homines ex ecclesiæ Alexandrinæ consuetudine iterum baptizandos non fuisse; hanc autem servavit, probavitque Sanctus noster, cum seni illi novum baptismum denegarit. At, inquies,* Dionysius *idcirco id dumtaxat fecit, quod dubitarit, rebaptizandusne esset senex prædictus; non vero quod existimarit, baptismum, quo is ab hæreticis tinctus fuerat, validum fuisse. Fateor, de valore baptismi, quo senex fuerat ablutus, dubitasse videtur* Dionysius; *alioquin enim, ut apparet, hac super re S. Sixtum, Pontificem per litteras non consuluisset : verum, quid tum? ea sola de causa baptismum seni etiam negarit; vel hinc erit consequens, a Sancto nostro baptismum, ab hæreticis modo*
F *debito collatum, pro valido habitum fuisse. Cum enim dubitarit, an dicti senis baptismus, qui nullam plane cum Catholicorum baptismo (vide verba proxime recitata) similitudinem habuerat, pro valido esset habendus, dubitandum non videtur, quin pro valido habuerit baptismum, qui ab hæreticis debito modo esset collatus. Nihilominus quamvis hoc sane verosimillimum sit, mihi tamen omnino certum non apparet. Etenim Sanctus in textu jam prolato hæc habet :* Diuturnam illi (*seni*) communionem ad id (*sacrum lavacrum*) sufficere dixi. Nam qui gratiarum actionem frequenter audierit,... qui ad sacram mensam adstiterit, et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit; qui illum exceperit, et Corporis ac Sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuerit diutissime, eum ego de integro renovare non ausim : *his autem ex verbis contendi forsan non inepte potest,* Dionysium *de baptismi, quo de hic agimus, valore dubitasse, non quod existimarit, senem ab hæreticis forte valide baptizatum fuisse; sed quod hunc ad sacratissimum Eucharistiæ epulum frequenter accessisse, haberet perspectum, dubitaretque forsan, an frequens ad divinam Mensam accessus baptismi defectum non suppleret.*

esse concludendum.

116 *Jam vero si non alia de causa valor baptismi, quo prælaudatus senex fuerat ablutus, Sancto nostro fuerit dubius, certum hinc esse non potest, hunc pro valido*

A *valido habuisse baptismum, qui a solis hæreticis, servato modo debito, esset collatus. Utut sit pro valido tamen illum a* Dionysio *habitum fuisse, verosimillimum, ut jam innui, meretur haberi. Idcirco autem id ego sane verosimillimum existimo, quod, cum ex antiqua Ecclesiæ Alexandrinæ consuetudine, uti jam docui, baptizati a solis hæreticis, si ad Ecclesiam accederent, rebaptizandi non fuerint, ea in ecclesia baptismus, a solis hæreticis collatus, pro valido habitus indubie fuerit, hacque ab ecclesiæ suæ opinione Sanctum nostrum recessisse, vero putem absimile. At, inquies, si* Dionysius *pro valido habuerit baptismum a solis hæreticis collatum, qui permittendum voluit Cyprianо, aliisque episcopis ut baptizatos ab hæreticis, si ad Ecclesiam accederent, novo baptismate initiarent? Respondeo, idcirco id eum velle potuisse, quod, quamvis ipse hæreticorum baptismum validum esse, verosimillime arbitraretur, hanc tamen sententiam fidei articulis non accenseret, consuetudinemque non rebaptizandi hæreticos, quam allegabat S. Stephanus, Romanus Pontifex, non Dei voluntate, sed hominum introductam esse, existimaret, a qua proinde melius esset nonnullorum recessum ferre,*

B *quam Ecclesiæ pacem turbari.*

Qua de causa rebaptizari posse hæreticos,

117 *Et vero rationes non deerant, cur Sanctus noster hæreticos, quorum baptismum habebat pro valido, rebaptizari posse, putaret. Etenim, quemadmodum ipsemet apud Eusebium lib.* VII *cap.* 5 *epistola ad Sixtum ait,* in maximis... episcoporum conciliis decretum *fuerat, ut* qui ab hæreticis ad Catholicam Ecclesiam *accederent,* primum catechumeni fierent, ac deinde veteris et impuri fermenti sordibus per baptismum purgarentur; *per Concilia, de quibus Sanctus hic loquitur, non alia verosimillime intelligit, quam Iconiense et Synnadense, anno circiter* 250 *ambo celebrata; hæc enim apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 7 *epistola ad Philemonem nominatim exprimit, verbis adhuc recitatis sic scribens :* Didici, non ab Afris solis hunc morem (*rebaptizandi ab hæreticis baptizatos*) nunc primum invectum fuisse, sed et multo antea superiorum episcoporum temporibus, in ecclesiis populosissimis et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada et apud alios plurimos idem sancitum fuisse. *Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad annum* 256 *num.* 6 *duos affert canones, Græco idiomate primitus conscriptos, qui inter canones, Apostolicorum canonum nomine circumferri solitos,* 43 *et* 46 *numerantur : horum prior, Dionysio Exiguo interprete, sic habet :* Episcopum aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma damnari præcipimus. Quæ enim conventio Christi ad Belial? aut quæ pars

C fidelis cum infideli? *secundus vero hoc modo effertur :* Episcopus vel presbyter eum, qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur. *Hisce autem Græce et Latine recitatis laudatus Pearsonius mox subjungit :* Hæc procul dubio in ecclesiis Asiaticis de baptismo hæreticorum ante concilium Iconiense decreta sunt.

Dionysius existimarit,

118 *Verum id mihi non æque ac Pearsonio videtur indubium. Quod si enim ante Iconiense concilium, quod, ut dixi, anno circiter* 250 *celebratum est, bini recitati canones in antiquioribus, ut vult Pearsonius, Asiaticis conciliis conditi fuissent, hæc potius, quam concilia, quæ Iconii et Synnadæ ante annos dumtaxat viginti circiter celebrata fuerant, Sanctus noster laudata ad Philemonem epistola pro probanda moris baptizatos ab hæreticis rebaptizandi antiquitate nominatim utique laudasset. Neque est, quod quis dicat,* Dionysium *in præfata epistola asserere,* in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos, *seu potius, ut Græce est,* multos idem, *id est, baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse,* sancitum fuisse, *ac proin* Dionysium *ad antiquiora etiam concilia, generatim saltem, appellare : etenim Sanctus ibidem mox subdit :* Quorum sententias et statuta subvertere, eosque ad jurgia et contentiones excitare equidem nolim. *Quibus verbis, utpote ad proxime præcedentia indubie relatis, Sanctus noster indicat, se* ad jurgia et contentiones excitare *nolle eos multos alios, apud quos hæreticorum rebaptizationem sancitam fuisse, prævie dixerat.* Dionysius *ergo per* multos alios, *apud quos sancitam baptizatorum a solis hæreticis rebaptizationem verbis supra recitatis affirmat, non antiquiorum conciliorum patres, sed vel episcopos, ætate sua viventes, vel recentiores Christianos conventus intelligit : neque enim antiquiorum conciliorum patres, utpote jam vita functos, subversis eorum sententiis et statutis, ad jurgia et contentiones, quod tamen sollicite Sanctus volebat cavere, poterat excitare. Itaque* Dionysius *in solis conciliis, a tempore suo non multum remotis, vel etiam ætate sua celebratis, hæreticorum rebaptizationem statutam affirmat.*

AUCTORE C. B.

et qui Hieronymi assertum de Hujus in Cypriani dogma assensu possit intelligi.

119 *Porro, etsi secundum jam dicta baptismum ab hæreticis collatum, a* Dionysio *pro valido habitum fuisse, verosimillimum arbitremur, hæc tamen nostra opinio S. Hieronymo, qui* Dionysium *in Cypriani et synodi Carthaginensis de rebaptizandis hæreticis dogma consensisse, affirmat, non ita adversatur, ut nulla prorsus ratione cum hoc Sancti hujus doctoris asserto in concordiam queat adduci. Etenim S. Cyprianus una cum concilio Carthaginensi duo affirmabat, alterum erat, extra Ecclesiam baptismum non posse conferri, ac proin baptismum, ab*

E *hæreticis collatum, esse invalidum; alterum, quod ex priori erat consequens, rebaptizandos esse, quicumque, a solis hæreticis baptizati, ab hæresi ad Ecclesiam venirent.* Dionysius *vero horum primum quidem esse falsum, ac proin baptismum, ab hæreticis collatum, valida esse, existimabat; attamen cum simul hanc opinionem suam nec prorsus certam esse, nec ad fidem spectare, putaret, cuilibet episcopo permittendum esse volebat, ut libere pro ecclesiæ, cui præerat, consuetudine rebaptizaret vel non rebaptizaret hæreticos, ex hæresi ad Ecclesiam accedentes, sicque contendebat, hæreticorum rebaptizationem licitam esse. Jam vero cum Cyprianus contenderet, rebaptizari debere hæreticos ac proin posse, asseverare potuit Hieronymus, in Cypriani de rebaptizandis hæreticis dogma* Dionysium *consensisse, non quod hic hæreticorum baptismum esse invalidum docuerit, sed quod eos, qui a solis hæreticis baptizati essent, rebaptizari posse, voluerit. Ita Hieronymum interpretandum existimo, non solum ob rationes, quibus jam probavi,* Dionysium *pro valido verosimillime habuisse baptismum, ab hæreticis collatum; verum etiam ex eo, quod S. Basilius epistola ad Amphilochium cap.* 1 *indicet, a* Dionysio *etiam pro valido habitum fuisse Montanistrarum seu Pepuzenorum baptismum, qui tamen postea a secundo œcumenico concilio can.* 7 *fuit rejectus, certissimeque erat invalidus.*

F

§ XII. Valerianus persecutionem in Christianos suscitat; quo anno hæc cœpta sit, et quid in ea Dionysius pertulerit.

Persecutione in Christianos per Valerianum,

Nondum finita, quæ inter Cyprianum præcipue et Stephanum, Romanum Pontificem, exorta erat, de baptismo controversia, nova in Christianos persecutio, eaque admodum inexspectata, exarsit, a Valeriano imperatore concitata. Fuerat hic, quemadmodum verbis Sancti nostri in epistola ad Hermammonem apud Eusebium lib. VII, *cap.* 10 *num.* 100 *recitatis docui, initio principatus sui erga Christianos adeo benignus, ut ea in re nec optimis quibusque imperatoribus, ac ne illis ipsis quidem, duobus Philippis nempe, et Alexandro Severo, qui pro Christianis, quamvis forte falso, habiti fuissent, palmam cederet.* Verum, *inquit Sanctus noster apud Eusebium loco proxime citato,* magister et archisynagogus magorum Ægypti, ei tandem persuasit, ut ab hoc instituto, desciscere; jubens ut castos quidem et sanctos viros persequeretur atque occideret, quippe qui scelestis ac detestandis incantationibus adversarentur atque obstarent. *Baronius ad annum Christi* 252 *et* 258 *ex his verbis putat, auctorem, qui*

AUCTORE C. B.

qui Valerianum impulit, ut in Christianos persecutionem concitaret, magnum fuisse Ægyptium, atque eum ipsum quidem, qui populum Alexandriæ, Decii persecutione nondum exorta, adversus Christianos commovit. Verum, quemadmodum is, qui persecutionis Alexandriæ ante Decii imperium, a populo suscitatæ, auctor exstitit, e numero magorum Ægyptiorum, ut supra docui, certissime non fuit, sic pariter nec magus nec magorum Ægyptiorum magister seu præses fuit, qui Valerianum impulit, ut in Christianos persecutionem suscitaret.

auctore Macriano, qui tamen magorum

121 *Ita Tillemontius, Pearsonius, Pagius omnesque nunc eruditi, nec immerito, existimant, dum verba Sancti nostri proxime recitata explanant.* Magister ille, *inquit in Criticis ad annum* 257, *num.* 3 *Pagius*, neque magus, neque Ægyptius fuisse (*a sancto* Dionysio *Alexandrino*) dicitur, sed magorum ex Ægypto archisynagogus, hoc est, maximus patronus, utpote qui illis frequenter et familiariter usus est, et auctoritate sua, qua pollebat apud imperatorem maxima, protexit. Erat autem iste non alius, quam notissimus ille Macrianus, eo nomine ab ipso Dionysio statim indigitatus; qui a magis admonitus, fore se aliquando imperatorem, et novarum rerum exinde cupidus, hanc illis gratiam rependit, ut Christianis, qui illorum malis
B artibus maxime adversati sunt, Valerianum infensum reddiderit. *Hæc eadem Pearsonius, ex quo Pagius sua deprompsit, totidem fere verbis exponit, Macrianum faciens persecutionis auctorem. Ut autem ante omnia pateat, hunc etiam vere persecutionis a Valeriano suscitatæ auctorem fuisse, alia, ex quibus id manifestum fit,* Dionysii *verba huc transcribo. Post verba num. præcedenti recitata, paucis interpositis, hæc subdit:* Καλὰ γοῦν αὐτοῖς Μακριανὸς τῆς ἐλπιζομένης βασιλείας προσήνεγκε χαρισήρια; *id est,* egregiam vero gratiam ob speratum imperium et præclara munera Macrianus eis obtulit; *quibus ad præcedentia relatis innuit, eum, quem ante magistrum et magorum archisynagogum nec non Valeriani in Christianos instigatorem appellavit, alium non esse quam Macrianum. Sed alia* Dionysii, *huc etiam spectantia, verba accipe. Paucis denuo post proxime recitata interpositis, subjungit:* Ὁ μὲν γὰρ Οὐαλεριανὸς εἰς ταῦτα ὑπὸ τούτου προσαχθεὶς εἰς ὕβρεις καὶ ὀνειδισμοὺς ἐκδοθείς, *id est, quemadmodum ego ad verbum interpretor,* Valerianus enim ad hæc (*ad Christianos persequendos tormentisque afficiendos*) ab illo (*Macriano nempe, quem paulo ante nominarat*) impulsus, contumeliis et opprobriis fuit expositus, *nempe cum a Persis postea captus fuit. Liquet ergo ex* Dionysio, *spectato scilicet orationis contextu, auctorem persecutionis a Valeriano suscitatæ alium non esse, quam Macrianum, hoc ipso nomine a Sancto indigitatum.*
C

non præfectus, sed patronus tantum fuit,

122 Et vero, *inquit loco citato post Pearsonium Pagius*, non tantum hominem (*Macrianum*) diserte nominavit; sed et in illo nomine (*Macriani nempe*) lusit Dionysius. Nam cum eum Κατολικὸν aliquando fuisse, nempe summæ rei rationalem (*procuratorem*) et tamen nihil rationale aut Catholicum sensisse ludens dixisset, in eodem genere scribendi pergit: Alienum autem et extorrem se a misericordia Dei fecit, et quam longissime a sua se salute fugavit, in hoc exprimens veritatem nominis sui, (quod scilicet ἀπὸ τοῦ μακρὰν, *id est, longe* deductum esse voluit. *Adi, studiose lector, caput Eusebii num.* 120 *laudatum, et qui* Dionysius *ibi in nomine Macriani ludat, evidentius perspicies. At, inquies, cum ex dictis Macrianus persecutionis, a Valeriano excitatæ, auctor fuerit, hicque vocetur a* Dionysio *magorum* archisynagogus, *consequens est, magorum archisynagogum Macrianum fuisse. Magum autem aut magorum archisynagogum fuisse Macrianum, verosimile non apparet. Etenim, quemadmodum laudatus Pearsonius docet, constatque ex Historiæ Augustæ scriptoribus, Macrianus summus in republica Romana vir fuit, nemo eo tempore inter duces habebatur sapientior, nemo ad res gerendas aptior, ejus adhuc pueri virtus in Italia, adolescentis in Gallia, juvenis in Thracia, in Africa jam provecti fuerat* D *comprobata. Adhæc Valeriani in gerenda republica, Trebellio Pollione teste, erat adjutor. Quis vero hujusmodi virum putet, magorum Ægyptiorum præfectum fuisse? Fateor, id parum credibile apparet; hincque est, cur etiam non credam, quod in Annotatis ad laudatum Eusebii caput asserit Valesius, Macrianum magorum, quos in exercitu suo circumduxerit Valerianus, antistitem fuisse. Sed ego Macrianum a* Dionysio *magorum archisynagogi nomine distingui existimo, non quod revera magorum præfecturam gesserit, sed, quod, cum eos patrocinio suo foveret, maximeque haberet in amoribus, iis quodammodo accenseri posset, et quidem loco non infimo, cum patrocinio suo id efficeret, ut magi illicitis suis artibus licentius indulgerent, ac proin scelestis eorum actibus quodammodo videretur præsidere. Vide verba ex Pagio num.* 121 *recitata. A persecutionis auctore ad ejusdem epocham progredior.*

anno 257 excitata,

123 *Baronius persecutionis a Valeriano motæ initium anno* 256 *innectit; verum hac in re eruditissimo Historiæ Ecclesiasticæ parenti ab omnibus nunc, quod sciam, eruditis, dictum initium ad annum* 257 *referentibus, contradicitur. Et vero certum apparet, Valeriani persecutionem ante præfatum annum* 257 *non esse exortam. Etenim, uti apud omnes in confesso est, Valeriani persecutio certissime* E *alterutro e duobus jam dictis annis initium accepit; id autem, ut certum apparet, anno* 256 *non accidit. Rem sic ostendo: sanctus Cyprianus (vide apud nos Commentarium ad hujus Vitam prævium* § 46) *eo ipso anno, quo Valerianus in Christianos persecutionem primum movit, die trigesima Augusti coram proconsulis Africani tribunali comparuit, fidemque professus, in exsilium deinde pulsus fuit. Jam vero Cyprianus (vide Commentarium mox iterum laudatum* § 40) *Kalendis Septembribus anno* 256 *tertium celebravit Carthaginense octoginta et quinque episcoporum de baptismo concilium. Quapropter cum Cyprianus procul dubio istud concilium non celebrarit Kalendis Septembribus seu prima Septembris eo ipso anno, quo biduo dumtaxat ante, seu die trigesima Augusti in exsilium pulsus fuerat, consequens est, anno* 256, *cujus, ut jam dixi, Kalendis Septembribus Carthaginense tertium de baptismo celebratum est concilium, Valeriani persecutionem non esse exortam. Ante annum igitur* 257 *initium non accepit. Ast, inquies,* S. Dionysius *apud Eusebium lib.* VII *cap.* 10 *in epistola ad Hermammonem de Valeriano sic scribit:* Joanni quoque similiter revelatum est. Ait enim: Et datum est illi os loquens magna et impia; et data est illi potestas et menses quadraginta duo: Dionysius *autem, uti scriptores passim arbitrantur, per menses illos quadraginta duos* F *intelligit tempus, quo Valerianus, antequam a Persis captus sit, persecutus fuit Ecclesiam. Jam vero, cum menses quadraginta duo, ab anno* 257 *computati, deducant ad annum* 260, *consequens erit, hoc anno, quod a multis non admittitur, Valerianum a Persis captum fuisse. Respondeo: nihil prorsus occurrit incommodi ex Valeriani captivitate, quidquid interim alii sentiant, anno* 260 *affixa; quod infra contra Pagium pluribus probabo. Videamus nunc, quid Sancto nostro in Valeriani persecutione obvenerit.*

statim Dionysius, allato Valeriani Alexandrium edicto,

124 *Allato Alexandriam Valeriani in Christianos edicto, statim* Dionysius *ab Æmiliano, augustali præfecto, arcessitus, ejus tribunali se stitit, fidemque professus, in Cephro, desertum Libyæ locum, relegatus fuit. Sanctum sub Valeriano eo relegatum fuisse, manifestum fit ex ipsiusmet epistolæ apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 11 *adversus Germanum Fragmento, supra jam sæpius laudato, moxque integre recitando; id autem accidisse statim atque Valeriani in Christianos edictum Alexandriam allatum est, sic probo: in more tunc positum erat, ut, ingruente persecutione seu jam primum exorta, mox episcopi populum, curæ suæ commissum, convocarent, eumque ad Christi fidem retinendam, infractamque in calamitatibus imminentibus animi fortitudinem animarent. Adhæc infantes et catechumenos, ne sine*

AUCTORE C. B.

A *sine baptismo ex hac vita migrarent, salutari et vivifica aqua abluebant, fidelibusque, cum nesciretur, quamdiu duratura esset persecutio, sacratissimum Eucharistiæ sacramentum dividebant. Ut ergo episcopi hæc omnia obirent, necesse erat, eos aliquot saltem conventus celebrare; verum Sanctus noster, allato Valeriani Alexandriam edicto, tam propere ab Æmiliano in exsilium pulsus fuit, ut liberum ei non fuerit solitos sub persecutionum initia conventus celebrare. Liquet id ex epistola adversus Germanum, mox iterum laudata. Etenim* Dionysius *a Germano, qui illum multiplici ex causa criminabatur, eo etiam nomine traducebatur, quod exorta aut jam ingruente persecutione, conventus fratrum non habuisset, sub fuga sibi consuluisset. Sanctus autem, ut hanc calumniam a se amoliatur, primo in præfata epistola, qui coram Æmiliano fidem fuerit confessus, quique ab illo in exsilium, quamtumvis æger, ne diei quidem unius dilatione concessa, pulsus fuerit, ex Actis publicis proponit, ac deinde subjungit :* Quomodo igitur conventus agere aut non agere vacuum mihi deinceps fuit? *Quibus verbis sane Sanctus innuit, sese, exorta Valeriani persecutione, celebrare non potuisse conventus, sub initia persecutionum, ut monui, celebrari alioquin solitos : neque enim, cum paulo post narret, sese, in exsilio jam positum, frequentes egisse fidelium conventus, sermo illi est, de*

B *conventibus, quos in exsilio jam exsistens celebrare non potuerit.*

mense Septembri circiter, relegatur in Libyam

125 *Porro cum Valeriani in Christianos edictum (vide iterum Commentarium Vitæ S. Cypriani prævium* § 46) *anno* 257 *ante mensem Septembrem Carthaginem fuerit allatum, puto eodem circiter tempore Alexandriam (ex Urbe enim versus utramque civitatem illam paris fere longitudinis erat trajectus) præfatum edictum pariter esse allatum, ac proin* Dionysium *jam a mense Septembri in Libyam ab Æmiliano fuisse relegatum. Verum, anno et mense, quo Sanctus in exsilium missus est, hunc in modum definito, totius rei gestæ seriem ex ipsiusmet adversus Germanum epistola enucleatius evolvamus.* Dionysius *in illa in laudes proprias, ut famam suam adversius Germanum tueatur, excurrere compulsus, factum suum ita prævie excusat :* Equidem vereor, ne in dementiam ac stuporem lapsus esse videar, dum referre cogor admirabilem erga nos Dei providentiam ac dispensationem. Sed quoniam arcanum quidem regis occultare, ut ait Scriptura, laudandum est; Dei autem opera prædicare gloriosum, adversus Germani impetum cominus decertabo. *Hæc Sanctus ita præfatus, mox, quanta cum laude coram Æmiliano fidem fuerit confessus, exponit.*

C *ab Æmiliano præfecto, coram quo prævie ediderat gloriosam,*

126 Veni, *inquit*, ad Æmilianum non solus, sed comitantibus me Maximo compresbytero, et Fausto, Eusebio ac Chæremone diaconis. Quidam etiam ex fratribus Romanis, qui tum aderant, nobiscum ingressus est. Porro Æmilianus non dixit mihi prima fronte : Ne conventus agas. Id enim illi supervacuum erat ac postremum, ad id, quod primum ac præcipuum est, recurrenti. Quippe haudquaquam curabat, ne alios congregarem : sed id agebat, ne ipsi Christiani essemus. Et ab eo cultu desistere me jubebat, ratus scilicet, si ego ab eo cultu descivissem, cæteros exemplum meum secuturos. Respondi non improbabiliter, nec longe arcessita responsione : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Sed palam et aperte contestatus sum, me illum, qui solus est Deus, neque alium ullum præter hunc adorare; nec a proposito discessurum me esse, nec commissurum umquam, ut Christianus esse desinerem. Post hæc abire nos jussit in vicum quemdam solitudini proximum, cui nomen est Cephro. *Ita* Dionysius *suam coram Æmiliano confessionem, subsecutamque relegationem exponit : cum autem nec carceris, nec submissorum satellitum, qui ipsum ad præfectum augustalem adduxerint, mentionem faciat, verosimillimum mihi apparet, Sanctum, dicta ipsi die, libere sina satellitum comitatu et absque prævio carcere coram Æmiliani tribunali comparuisse, ibique fidem esse confessum, prout docent ejus verba, proxime recitata, quibus ut fidem faciat, ad ipsa Acta publica (solebant enim, quæ coram judicibus confessores proferebant verba, a notariis publicis scripto excipi) etiam recurrit.*

quæ huc transcribitur, fidei confessionem.

127 Sed, *inquit*, verba ipsa, quæ ab utroque nostrum (*ab Æmiliano et me*) dicta sunt, sicut Actis publicis inserta leguntur, accipite. *Hic jam* S. Dionysius *verba, quæ confessioni suæ et relegationi, quam prævie narrarat, confirmandæ subserviunt, ex Actis publicis transcribit. En adeo etiam hic illa :* Inducto Dionysio, Fausto, Maximo, Marcello et Chæremone, Æmilianus præfectus dixit : Non solum scripto, sed etiam viva voce vobiscum disserui de humanitate principum nostrorum, qua illi erga vos utuntur. Vobis enim potestatem fecerunt salutis vestræ retinendæ, dummodo ad id, quod naturæ consentaneum est, ferri, Deosque imperii illorum custodes adorare, et eorum, quæ naturæ ipsi repugnant, oblivisci velletis. Quid ergo ad hæc dicitis? Neque enim vos ingrato animo fore spero adversus eorum clementiam; quippe cum ad meliora vos traducere conentur. Dionysius respondit : Non omnes ab omnibus coluntur dii : sed eos singuli colunt, quos arbitrantur deos. Nos quidem unum Deum, omnium rerum opificem, qui E
Valeriano et Gallieno, sacratissimis augustis imperium tradidit, colimus et adoramus. Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile et inconcussum permaneat. Æmilianus præfectus iterum dixit : Quis vero vos prohibet, quo minus et hunc, siquidem Deus est, cum iis, qui natura dii sunt, adoretis? deos enim colere jussi estis, eosque, quos cuncti norunt deos. Dionysius respondit. Nos nullum alium adoramus. Æmilianus præfectus dixit : Video, vos ingratos esse simul ac stupidos, qui clementiam augustorum minime sentiatis. Quam ob rem non manebitis in hac urbe, sed mittemini in partes Libyæ, ad locum, qui dicitur Cephro. Hunc enim locum jussu augustorum nostrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscumque aliis conventus agere, aut ea, quæ vocantur cœmeteria, adire. Quod si quis ad eum, quem jussi, locum minime profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus, is sibi, ipse periculum arcesset. Non enim deerit congrua animadversio. Abscedite igitur, quo jussi estis.

in hac non protulit verba in imperatores injuria.

128 *Hæc sunt verba, quæ, ut ipse* Dionysius *ex Actis publicis testatur, inter eum et Æmilianum ultro citroque fuere prolata. Ado contra, quemadmodum ex num.* 22 *et* 23 *hujus Commentarii intelliges,* Dionysium *affirmat, his apud judicem, Æmilianum scilicet, quæ a jam recitatis multum dissonant, usum esse verbis :* Quid insectando laboratis? Caput meum, pro quo magnopere fatigamini, avulsum cervicibus sumite, et donum magnum ad tyrannum et imperatorem vestrum ferte. *Verum, præterquam quod plane incompertum sit, unde hæc verba ab Adone sint desumpta, convenire minime videntur cum* Dionysii *erga imperatores veneratione. Etenim cum de iis (vide verba mox recitata) sermonem habet, non solum affirmat, se pro iisdem orare continuo, verum etiam eosdem appellare non dubitat* θεοφιλεςάτους, *id est,* Deo amantissimos, *seu* sanctissimos; *quamvis autem, ut recte observat Baronius, sacrilegos imperatores* Dionysius *eo sensu, quo nunc vox* Sanctus *accipitur, non vocet* Sanctissimos, *nec vero vocare potuerit, suam tamen erga eos honorifica hac appellatione, quæ tunc inter solitos imperatorum titulos computabatur, venerationem ostendit, ac proin verosimile non est, usum eum esse verbis, ex Adone mox allatis, quæ non venerationem, sed summum imperatorum contemptum demonstrat. Porro in Actis publicis, jam transcriptis, ex quibus* Dionysius *confessionem suam probat, non omnia continentur, quæ Sanctus se Æmiliano dixisse, verbis num.* 126 *recitatis prodit. Illis enim inter cetera ait :* Palam et aperte contestatus sum, me illum,

F

AUCTORE C. B.

illum, qui solus est Deus, neque alium ullum præter hunc adorare; nec a proposito discessurum me esse, nec commissurum umquam, ut Christianus esse desinerem. *Hæc autem inter verba, a* Dionysio *coram Æmiliano prolata, in Actis publicis, supra transcriptis, non occurrunt. Respondeo, Sanctum in confessionis suæ narratione non ipsa adhibere verba, quæ coram Æmiliano protulit, quæque deinde ex Actis publicis transcribit, sed tantum rei gestæ narrare substantiam. Adhæc non omnia, sed tantum forte præcipua, quæ coram Æmiliano protulit, verba ex Actis publicis transcripsit. Certe dubitari non potest, quin* Faustus, *Marcellus, aliique, qui cum* Dionysio *Christum coram Æmiliano confessi sunt, verba aliqua coram Æmiliano protulerint, nec tamen horum ullum ex Actis publicis Sanctus transcripsit. Sed hæc de* Dionysii *confessione dicta sufficiant. Dispiciamus modo, quæ ejus relegationem sint secuta.*

Fidem in Cephro, exsilii sui in Libya loco, annuntiat,

129 *Post verba num.* 124 *recitata, quibus innuit, sese conventus, sub persecutionum initia celebrari solitos, Valeriani persecutione exorta, celebrare non potuisse, paucis, ut ait Eusebius, interpositis, in epistola adversus Germanum sic pergit :* Sed neque a corporali conventu, Domino juvante, abfuimus. Verum eos, qui in urbe erant, majore studio con-
B gregavi in ecclesiam, absens quidem corpore, ut jam dixi; animo autem præsens. Apud Cephro vero nobiscum magna fidelium adfuit multitudo; partim eorum, qui ab urbe nos secuti fuerant; partim aliorum, qui ex reliqua Ægypto confluebant. Ibi quoque januam nobis patefecit Deus ad prædicationem verbi sui. Et initio quidem persecutionem passi et lapidibus impetiti sumus. Postmodum vero non pauci ex gentilibus, relictis simulacris, ad Deum conversi sunt. Tunc enim primum apud illos verbi divini per nos sparsa sunt semina, cum illud antea non suscepissent. Ac prorsus quasi Deus ejus rei causa nos ad illos perduxisset; postquam illud ministerium implevimus, iterum nos alio transtulit.

e quo deinde in Mareotidem migrare, ab Æmiliano jubetur;

130 Etenim Æmilianus in asperiora quædam loca et ut credebat, magis Libyca nos transportare constituit. Et cunctis undecumque ad Mareoticam præfecturam confluere jussis, vicos per regionem illam dispersos singulis adsignavit : nos vero magis ad viam publicam, ut primi comprehenderemur, collocavit. Id enim præcipuæ agebat ac moliebatur, ut, quandocumque voluisset, omnes nullo negotio capi possemus. Ego vero cum Cephro primum abire jussus sum, tametsi, ubinam locus ille situs esset, ignorabam; quippe qui ne nomen
C quidem illius antea fere audivissem; nihilominus alacri constantique animo perrexi. Posteaquam vero mihi renuntiatum est, ut ad Colluthionis regionem migrarem, norunt ii, qui tum præsentes aderant, quomodo affectus animo fuerim. Hic enim memet ipse accusabo. Principio quidem ægre admodum ac moleste tuli. Etsi enim regio illa notior nobis magisque familiaris erat, quam Cephro, tamen fratribus ac probis viris vacuus esse locus dicebatur, et viatorum turbis latronumque incursionibus obnoxius. Sed multum mihi consolationis attulit, quod fratres me admonuerunt, locum illum a civitate propius abesse. Itaque quamvis Cephron maximam nobis multitudinem fratrum ex Ægypto confluentium adduxisset, adeo ut laxius jam conventus agere possemus : illic tamen ob vicinitatem urbis, carissimorum et conjunctissimorum hominum aspectu crebrius nos aiebant esse fruituros. Eos quippe accessuros, ibique commoraturos et tamquam in suburbiis remotioribus, particulares illic conventus futuros; atque ita contigit.

hinc autem eum iterum, durante Valeriani persecutione

131 *Hactenus* Dionysius, *unicam dumtaxat exsilii sui mutationem, sub Valeriano factam, commemorans, nec tamen aperte indicans, sese tunc non nisi semel exsilii locum mutare fuisse compulsum. Hinc factum est, ut* Dionysium *plus semel sub Valeriano mutasse exsilii locum, persuasum sibi habere potuerit Rufinus, scriptamque, cujus supra sæpissime meminimus, ad Domitium et Didymum a Sancto* D *epistolam ad Valeriani persecutionem referens, lib.* VII *cap.* 10 *Eusebii, a se interpolati, post verba, quibus* Dionysium *primo in Libya, ac deinde, mutato exsilio, in loco Alexandriæ vicino exsulasse narrat, proxime subdiderit :* Sed et ibi cum pro urbis (*Alexandriæ*) vicinitate nostrorum (*Christianorum*) populus eum (*sanctum* Dionysium *vel vicinum, in quo hic degebat, Alexandriæ locum*) frequentaret, et tamquam pastore recepto, grex lætior et constantior agonibus redderetur, rursum missis cum centurione militaribus viris, ipsum Dionysium et cum eo Gaium et Petrum, catenis constrictos et diversis cruciatibus afflictos, in desertum quoddam Libyæ pertraxerunt, ibique eos in loco squalidissimo et omni usu humanitatis carente, a Parætonio trium dierum itinere in desertum protento, nexos vinculis reliquerunt. *Ado hæc eadem, ut num.* 23 *jam innuimus, in Martyrologium suum perperam transtulit. Etenim Rufinus, quem ducem est secutus, secundam illam, verbis proxime recitatis adstructam, exsilii Sancti nostri mutationem factam arbitratus est partim ex eo, quod, ut ibidem etiam monui, Sancti nostri ad Germanum epistolam alieno sensu acceperit, partim ex eo, quod* Dionysii *ad Domitium et Didymum epistolam ad Valeriani persecutionem retulerit. Verum in illa de hac non* E *agi, jam satis superque* § 6 *hujus Commentarii contra Pagium aliosque ostendi. Quod autem pertinet ad epistolam, a* Dionysio *contra Germanum scriptam, atque alieno sensu a Rufino acceptam, hæc certe nuspiam indicat,* Dionysium *plus semel exsilii locum mutare, fuisse compulsum; imo cum nihil omnino suppeditet, unde suspicari fas sit, Sanctum e loco Alexandriæ vicina in Libyam secundo secedere jussum fuisse, alieno sensu a Rufino accipitur, dum cum epistola, ad Domitium et Didymum scripta, combinatur, atque ex ambabus, simul sumptis, una eademque rerum series constatur.*

in Lybiam redire jussum esse, non probatur.

132 *At, inquies,* Dionysius *post verba, num.* 129 *et seq. ex epistola ejus adversus Germanum scripta, paucis interpositis, sic prosequitur :* Sed fortasse Germanus multis fidei confessionibus gloriatur, multa prædicare potest adversus se gesta. Quot vero enumerare potest perinde atque ego, sententias judicum, publicationes, proscriptiones, direptiones bonorum, abjectiones dignitatum, contemptus gloriæ sæcularis, laudum a præfectis ac decurionibus profectarum despectus, minarum denique, quæ coram intentabantur, vociferationum, discriminum, persecutionum, fugæ, ærumnarum et cujusque modi malorum tolerantiam; cujusmodi sunt ea, quæ sub Decio et Sabino, et F quæ in hunc usque diem sub Æmiliano nobis contigerunt. *Quibus ultimis verbis* Dionysius *innuit, mala, quæ patiebatur, tunc, cum adversus Germanum scriberet, adhuc durasse, ac proin persecutionem, a Valeriano motam, nondum fuisse sopitam. Ita plane habet : verum quid tum? Potest, dices, adhuc semel, durante Valeriani persecutione, exsilii locum mutare debuisse. Sit ita : an propterea est consequens, ut* Dionysius *sub Valeriano exsilii sui locum secundo mutare atque in Libyam secedere, reipsa fuerit coactus? an, hoc etiam admisso, necesse idcirco est, epistolam adversus Germanum scriptam, una cum epistola ad Domitium et Didymum data, unam eamdemque narrationis seriem complecti? an hoc existimans a vero minus aberravit Rufinus? Certe, cum secundum ante dicta et probata* Dionysii *ad Domitium et Didymum epistola ad Decii imperium referenda sit, nequit hæc cum Sancti adversus Germanum epistola seriem integram continere eorum, quæ* Dionysius *sub Valeriano diu post Decium passus est. Atque hic jam habes sensum alienum, in quo divi epistolam, quæ Domitii et Didymi nomine notatur, a Rufino esse acceptam, dum hic* Dionysium *sub Valeriano bis mutasse exsilii locum prodit.*

§ XIII.

§ XIII. Dionysius famam suam tuetur, gregisque sui curam, etiam absens, gerit.

Dionysius epistola non citius quam anno 258,

Sanctus Dionysius, *uti jam supra satis innui, epistolam, quam § præcedenti partim transcripsi, Valeriani persecutione adhuc sæviente, adversus Germanum exaravit, ac proin dubium non est, quin inter annum 256 et annum 261 id fecerit. Etenim ex jam dictis Valeriani persecutio initium ante annum 257, finem vero ex dicendis ante annum 260 non accepit, ac proin necesse est, ut inter annos mox memoratos præfata epistola scripta sit. At vero non citius quam anno 258, nec serius quam anno 259 scriptam esse verosimillimum mihi apparet. Primum sic ostendo:* Dionysius *anno 257 mense circiter Septembri, prout antea docuimus, in Cephron, Libyæ locum, tridui itinere a Parætonio, portu Marmaricæ maritimo, distantem relegatus est; ibi autem tamdiu commoratus est, ut initio quidem persecutionem passus, ac lapidibus impetitus, postea non paucos e gentilibus, locum inhabitantibus, ad veram Christi fidem converterit, ac tum demum hinc in Mareotidem migrare jussus fuerit. Jam vero, cum hinc verosimillimum*

B *fiat,* Dionysium *in Libya, antequam inde in Mareotidem migrarit, quatuor ut minimum mensibus substitisse, hique a Septembri anni 257 ad annum 258 deducant, certum apparet, Sanctum e Libya in Mareotidem ante prædictum annum 258 non migrasse. Quapropter cum* Dionysius *hujus migrationis meminerit in epistola adversus Germanum, qua de hic agimus, dubitandum non videtur, quin hæc non citius, quam præmemorato anno 258 fuerit conscripta.*

nec serius, quam anno 259 scripta,

154 *Quod autem jam pertinet ad secundum, non esse scilicet serius, quam anno 259, conscriptam, verosimillimum id fit ex ipsis persecutionis, a Valeriano motæ, adjunctis. Fuit namque, ut jam docui, persecutio a Valeriano anno 257 contra Christianos suscitata, duravitque ad annum usque 260, media sui parte, uti infra docebo, fere præterlapsum, qu*o *Valerianus in Persas expeditionem bellicam suscepit; jam vero cum huic expeditioni apparandæ intentus, Christianorum persecutionem verosimillime, per annum etiam medium, minus urserit, verosimillimum est, ante prædictum annum 260 epistolæ Sancti nostri adversus Germanum scriptionem collocandam esse, cum in illa* Dionysius *indicet, etiam tum, cum scriberet, Valeriani persecutionem admodum efferbuisse. Est ergo verosimillime, quemadmodum asse-*

C *rui, Sancti nostri adversus Germanum epistola non serius quam anno 259 conscripta. Ut autem etiam locum, in quo a* Dionysio *scripta est, accuratius distinguam, Sanctus, cum illam scripsit, in Mareotide, uti ex jam dictis fas est colligere, versabatur; Mareotis autem, teste Athanasio in Apologia contra Arianos, ad patriarchatum Alexandrinum spectabat, eratque tractus non modicus, in quo vici varii, hosque inter unus, nomine* Colluthio, *qui* Dionysio *e Libya regresso in commorationis locum obtigit, ab historicis simul geographisque recensentur. Exstitit ergo* Dionysius, *cum dictam epistolam scriberet, in aliquo patriarchatus sui tractu.*

famam suam adversus Germanum tutatus est,

155 *Tempore et loco, quo Sanctus id fecit, hunc in modum determinato, scriptionis hujus causam et occasionem, jam plus semel antea obiter insinuatam, distinctius expono. Quamvis* Dionysius *omnes strenui pastoris partes expleret, a calumniæ malignitate immunis non fuit. Famam suam tutari, quod et epistola sæpissime jam laudata egregie præstitit, contra Germanum, episcopum quemdam Ægyptium, fuit compulsus. Hic quippe Sanctum impetebat calumniis. Docet id nos lib.* VII *Historiæ, cap.* 11 *Eusebius, epistolæ, adversus Germanum scriptæ, quod transcribit, Fragmento hæc præmittens:* Quæ et quanta ipse (*sanctus* Dionysius) una cum aliis ob veri Dei cultum pertulerit, docent ejusdem Dionysii verba, quibus Germano cuidam illius tem-

AUCTORE C. B.

poris episcopo, qui calumniari ipsum conabatur, respondet, *in epistola scilicet, adversus episcopum illum scripta. Nec Eusebius, nec alius ullus scriptor memoriæ proditum reliquit, quæ qualesve fuerint calumniæ, quibus* Dionysii *nomen Germanus prosciderit. Attamen, quantum fas est conjectura assequi, ignaviæ et officii neglectus* Dionysium *insimulabat, asserens, eum majorem sui ipsius, quam gregis curam gessisse, fugamque, ut persecutionem evitaret, præpropere arripuisse, ne prævie quidem celebratis fidelium curæ suæ demandatorum conventibus, in quibus illos pro episcopalis officii ratione secundum morem tunc receptum, exorta primum persecutione aut ingruente, ad infractam in fide constantiam ærumnarumque tolerantiam animare debuisset.*

objectum diluens crimen neglecti gregis, quem etiam

156 *Utut sit, hæc ego calumniarum, quibus* Dionysium *dilacerabat Germanus, præcipua certe capita fuisse, conjicio ex ipso, quem Sanctus unice videtur sibi habuisse præfixum, epistolæ adversus Germanum scriptæ scopo. Etenim in ea* Dionysius *totus est, ut ostendat, sese, exorta persecutione, non prius, quam a Deo fugere jussus fuerit, fugam arripuisse, tuncque, quantum ei per tempus licuit, fidelium conventus semper celebrasse. Hunc in finem etiam compendio exhibet, quidquid persecutionum tempore pro Christi nomine vel gessit, vel passus est. Quam nervose autem, quam apposite hæc omnia Sanctus* E *contra impactas sibi calumnias intorqueat, docebunt ipsiusmet adversus Germanum epistolæ Fragmenta, supra a nobis jam huc transcripta, ut necesse non sit, de rationum, quibus famam suam, injuste proscissam, tueri conatus est* Dionysius, *soliditate et pondere hic plura disserere. Et vero sola Sancti gesta impactas ei a Germano calumnias satis diluunt.* Dionysium, *uti dixi, eo nomine traducebat Germanus, quod majorem suiipsius, quam gregis, sibi commissi, curam gessisset. Verum Sanctus, quam immerito officii sui neglectus a Germano insimulatus fuerit, luculentissime etiam tum, cum in exsilio adhuc existeret, factis probavit.*

strenue curavit, varias, durante adhuc persecutione, scribens litteras,

157 *Etenim cum Alexandria absens populum Christianum, ibi commorantem, divini verbi pabulo nutrire, ad mutuam charitatem excitare, atque ad aliarum virtutum studium animare, coram non posset, litteris idipsum studuit efficere. De nonnullis epistolis a* Dionysio *in exsilio, Valeriani persecutione sæviente, constituto scriptis Eusebius lib.* VII, *cap.* 20 *sic memorat:* Præter supradictas epistolas, idem Dionysius Paschales illas, quas habemus, epistolas tunc temporis conscripsit: Encomia in illis et panegyricos sermones de Paschali festo contexens. Harum unam Flavio nuncupavit; alteram Domitio ac Didymo. In qua probans festum F Paschæ diem non nisi post æquinoctium vernum celebrari oportere, octo annorum canonem publicavit. Aliam quoque epistolam ad compresbyteros Alexandrinæ ecclesiæ, itemque alias ad diversos scripsit epistolas, easque grassante adhuc persecutionis furore. *Quibus verbis indicat, non tantum alias illas epistolas, ad diversos datas, ultimoque memoratas, sed omnes omnino, quarum meminit, sæviente adhuc Valeriani persecutiones, scriptas esse. Quod ad epistolas loco ultimo indefinitoque numero memoratas pertinet, id ipsa Eusebii verba, proxime recitata, manifestum efficiunt. Neque enim est, cur quis forte iis persecutionem, quam Macrianus, infestissimus Christianorum hostis, arrepta post Valeriani captivitatem tyrannide, in Ægypto exercuit, intelligendam contendat. Verbis enim proxime recitatis de alia persecutione non agit Eusebius, quam de qua in capitibus caput mox laudatum proxime præcessis sermonem instituit; sermonem autem non instituit, nisi de sola persecutione, a Valeriano suscitata. Veniamus modo ad tres alias epistolas, quarum alteram, ut eadem huc mox transcripta Eusebii verba fidem faciunt, ad Domitium et Didymum, alteram ad Flavium, ac tertiam denique ad Alexandrinæ ecclesiæ compresbyteros* Dionysius *conscripsit. Hæ omnes ad Valeriani persecutionem pariter spectant. Etenim loco proxime citato indicat Eusebius, illas omnes*

scriptas

AUCTORE C. B.

scriptas esse eo ipso tempore, quo epistolas, quarum supra, proxime utique, meminerit, scriptas esse, asseverarat. Jam vero epistolæ quarum Eusebius proxime ante caput 20, *supra laudatum, meminerat, aliæ non sunt, quam epistola adversus Germanum scripta, illæque, quas ad Sixtum aliosque nonnullos de baptismo* Dionysius *dedit. Quapropter cum hæ omnes, uti ex supra disputatis liquet, ad Valeriani persecutionem spectent, seu, hac adhuc durante, scriptæ sint, dubium non est, quin tunc pariter tres dictæ epistolæ, de quarum scriptionis tempore hic quæritur, fuerint conscriptæ.*

quarum altera, quæ ad ecclesiæ Alexandrinæ compresbyteros data est,

158 *Ast, inquies, quo ergo hæ anno scriptæ fuere? Fuerunt, ut jam dictum est, eo ipso tempore conscriptæ, quo epistola ad Sixtum, et altera adversus Germanum. Quapropter cum hæ, ut pariter jam dictum est, anno* 258 *vel* 259 *exaratæ sint, consequens est, illas alterutro pariter anno exaratas esse. Idem esto judicium de epistolis quas verba, num. præcedenti ex Eusebio producta, numero definito non exprimunt. Quod pertinet ad earumdem argumentum, duæ priores (vide verba num. præcedenti recitata) Paschales sunt, quarum argumentum vel quod vel quale fuerit jam supra edocui, postque adhuc pluribus docebo. Tertia, quæ a* Dionysio *Alexandrinæ ecclesiæ compresbyteris inscribitur, nullum omnino definiti argumenti indicium præfert. Putat* B *Tillemontius, eamdem forte esse, quam ad ecclesiam Alexandrinam de exsilio suo scripsisse* Dionysium, *Hieronymus cap.* 69 *de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus affirmat. Omni prorsus probabilitate non caret Tillemontii opinio; attamen cum Eusebius lib.* VI, *cap.* 46 *alterius meminerit epistolæ, a* Dionysio *ad gregem suum Alexandrinum scriptæ, fieri potest, ut hanc Hieronymus intelligat per epistolam, quam de exsilio scripsisse ad ecclesiam Alexandrinam* Dionysium *affirmat. Hinc determinare certo non ausim, hancne potius, an illam assignare velit Hieronymus per epistolam, quam a* Dionysio *ad ecclesiam Alexandrinam de exsilio scriptam affirmat. Quod si tamen contendas, non posse epistolam, ab Eusebio, ut dixi, lib.* VI, *cap.* 46 *memoratam, utpote quæ objurgatoria sit, nec de exsilio conscripta, ab Hieronymo intelligi per epistolam, quam a* Dionysio *ad ecclesiam Alexandrinam de exsilio scriptam affirmat, ac proin per hanc designari epistolam, quam* Dionysius *ad ecclesiæ Alexandrinæ compresbyteros dedit; quod si, inquam, hoc contendas, respondeo, fieri posse, ut epistola, quam a* Dionysio *de exsilio scriptam memorat Hieronymus, diversa sit omnino, non solum ab epistola* Dionysii *ad gregem Alexandrinum objurgatoria, verum etiam ab illa, quam is ad ecclesiæ Alexandrinæ compresbyteros dedit, quamque, ut* C *jam docui, Eusebius lib.* VII, *cap.* 20 *commemorat. Hæc enim de exsilio, seu de statu, in quo Sanctus exsul versaretur, scripta pariter non videtur; certe nullum præfert indicium, unde, an de illo argumento scripta sit, colligas.*

gregis sui curam his forte commendavit;

159 *Et vero non video, cur de argumento longe diverso scripta esse non potuerit. Sanctus Cyprianus, uti ejus opera inspicienti patescet, Carthagine in exsilium pulsus, pluribus epistolis presbyteros et diaconos Carthaginenses adhortatus est, ut, quam ipse absens gerere non poterat, ipsi in se Carthaginensis gregis curam susciperent, seduloque arriperent. Potest ergo simili de causa epistolam, qua de hic disserimus, ad ecclesiæ Alexandrinæ compresbyteros* Dionysius *scripsisse. Sane eum, non minus quam Cyprianum, gregis sui curam, quam exsul ipse gerere non poterat, clero suo demandasse, verosimillimum reddit singularis plane, eaque operibus comprobata, qua effulsit, sollicitudo prorsus pastoralis.* Dionysius *in epistola ad Domitium et Didymum data, quam Decianæ persecutionis tempore scriptam esse supra probavimus, hæc memorat :* In urbe (*Alexandrina*) occultarunt se, ut fratres clanculo invisant, presbyteri quidam, Maximus, Dioscorus, Demetrius et Lucius; Faustinus enim et Aquila, utpote im majore hominum luce positi, per Ægyptum vagantur : diaconi vero post illos, qui morbo consumpti sunt, superstites, Faustus, Eusebius, D Chæremon : Eusebius, inquam, quem Deus jam inde ab initio roboravit, impulitque, ut confessoribus, in custodia positis, ministeria strenue exhiberet, utque consummatorum ac beatorum martyrum cadavera non sine capitis sui periculo sepeliret. *Presbyteri ad diaconi, qui hic in urbe Alexandrina, ut fratres seu Christianos clanculo inviserent, Decianæ persecutionis tempore occultasse sese a sancto* Dionysio *dicuntur, Sancti haud dubie, uti ab omnibus admittitur, jussu id fecere, ita ut Sanctus pastoralem suam sollicitudinem non obscure tunc probarit. Verosimillimum hinc fit, pari eum sollicitudine, Valeriani persecutione sæviente, in gregis sui salutem similiter invigilasse, ut adeo epistola, quam ad Alexandrinæ ecclesiæ compresbyteros dedit, adhortatus eos forte fuerit, ut in gregem Alexandrinum, cujus ipse absens curam gerere non poterat, sedulo invigilarent.*

aliis vero, quarum binæ fuerunt de Paschate,

140 *Atque hæc sunt, quæ de argumento epistolæ, quam* Dionysius, *in exsilio exsistens, ad ecclesiæ Alexandrinæ compresbyteros dedit, dicenda occurrunt. Pergo nunc ad binas alias supra memoratas epistolas, quarum altera Flavio, altera Domitio et Didymo nuncupata est. Hæc, quemadmodum* § 6 *hujus Commentarii jam docui, diversa est haud dubie ab epistola, quam Sanctus, in deserto quodam et* E *squalido Libyæ loco constitutus, ad eosdem Domitium et Didymum conscripsit. Argumentum ejus, infra, ut jam monui, pluribus tractandum, ex ipso, quo ab Eusebio ornatur,* Paschalis epistolæ *nomine innotescit. Idem esto judicium de argumento epistolæ, Flavio nuncupatæ. Et vero in hac, ut diserte notat Eusebius, Pascha ante æquinoctium vernum celebrandum non esse,* Dionysius *ostendit. Flavius, cui inscribitur, omni dubio procul distinctus est a Flavio, seu, ut alii scribunt, Fabio, Antiocheno episcopo, supra sæpissime laudato. Fabius enim seu Flavius, Antiochenus episcopus, anno* 252, *ut docuimus, e vivis excessit, ac proin necesse est, ut diversus sit a Flavio, cui epistola mox laudata a* Dionysio *fuit inscripta, cum hæc ex dictis ante annum* 258 *aut* 259 *exarata non sit. Porro ambæ epistolæ Paschales, de quibus hic agimus, documento etiam sunt, quam accurate* Dionysius, *etiam in exsilio exsistens, omnes optimi vigilantissimique pastoris partes expleret. Datis enim præfatis epistolis, post brevem de Paschali festivitate sermonem docebat Sanctus quo tempore jejunium inchoandum, et quo Pascha esset celebrandum. Vide, quæ de epistolis Paschalibus num.* 58 *docui, quibus etiam, ut facturum me, spopondi, nunc plura hic adjungo. Paschalis* Dionysii *epistolæ stilo eleganti et florido, qualis est, qui* F *in orationibus panegyricis et declamationibus solet adhiberi, erant conscriptæ; iisque verosimiliter etiam ad virtutem Sanctus exstimulabat eos, ad quos quaquaversum mittebantur. Paschales epistolæ, inquit Valesius in Notis ad cap.* 20 *lib.* VII *Eusebii, solebant quotannis a patriarchis Alexandrinis mitti ad omnes omnino Ægypti ecclesias, quo hæ in Paschalis festi celebratione inter se convenirent. An tamen hic mos ætate* Dionysii *obtinuerit, tom. IV Monumentorum Ecclesiasticorum in* Dionysio *articulo* 15 *idcirco dubitat Tillemontius, quod Sancti Paschales epistolæ, non integris ecclesiis, sed particularibus personis inveniantur inscriptæ. Verum responderi potest, particulares personas, quibus* Dionysius *epistolas suas Paschales inscripsit, ecclesiarum rectores curatoresve fuisse, hisque incubuisse, ut prædictas epistolas populo vel prælegerent vel certe prælegi curarent, ut adeo illæ epistolæ, quamvis particularium dumtaxat personarum nomen præferant, ad ecclesias tamen integras destinatæ fuerint. Adhæc Eusebius lib.* VII, *cap.* 22 *duas memorat epistolas Paschales, a* Dionysio *ad fratres, per Ægyptum constitutos, exaratas, ut omnes Sancti Paschales epistolæ particularibus personis inscriptæ non fuerint. Addit laudatus Tillemontius, brevi admodum tempore ante Pascha epistolas illas scriptas fuisse. Verum non probat, tempus illud tam breve fuisse,*

ut

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *ut ex ad omnes Ægypti ecclesias convenienti ante Pascha et Quadragesimam tempore nequiverint perferri.*

ceteræ de alio argumento scriptæ, ad virtutem forte exstimulavit.

141 *Utut sit,* Dionysius *scriptis illis epistolis, aliisque, quas Eusebius lib.* VII *Historiæ, cap.* 20 *plus semel jam laudato ad varios eum, cum adhuc in exsilio esset, scripsisse indicat, pastoralem Sancti sollicitudinem, ut jam dixi, egregie comprobant. Duditandum enim non videtur, quin omnes vel ad Ecclesiæ utilitatem vel ad animarum salutem procurandam virtutumque studium in Christianorum animis, Sancti curæ commissis, accendendum scriptæ fuerint, quamvis interim cujus illæ singulæ, quas Eusebius definito numero non exprimit, argumenti fuerint, pro certo nequeat edici. Ceterum qui, quæ supra de epistolarum Paschalium, quas patriarchæ Alexandrini quotannis scribere solerent, confirmata cupit, adeat S. Cyrilli patriarchæ Alexandrini, de festo Paschali sermones, qui Homiliarum Paschalium nomine circumferuntur. Has ipse S. Cyrillus subinde* Epistolarum, *subinde* Sermonum *nomine distinguit. Triginta ex hisce hactenus supersunt. Nonnumquam, se sermones illos ad varias ecclesias transmittere, nonnumquam etiam, se illos coram ingenti populi multitudine pronuntiare, significat. Verum potuit eosdem ad remotiores ecclesias mit-*

B *tere; Alexandriæ vero pronuntiare. In omnibus omnino sermonem sat prolixum texit de festo Paschali, ac deinde in fine Quadragesimæ initium ac diem Paschæ annuntiat. Sed hæc de epistolis Paschalibus annotasse sufficiat, pergo nunc ad alia, quæ pastoralem* Dionysii *pro Ecclesiæ bono sollicitudinem mire exercuere, quæque sanctum Virum, veluti de sanctissima Trinitate sequius sentientem, traducendi occasionem præbuere.*

§ XIV. Sabellianorum hæresi sese opponit; sequioris doctrinæ apud Dionysium, Romanum Pontificem, insimulatur, fitque ab hoc rei, cujus accusatur, per epistolam certior.

Sanctus, Sabelliana hæresi in Pentapoli exorta,

D*urante adhuc Valeriani persecutione, imo hac primum exorta, aut forte etiam paulo antequam esset exorta, nova pariter orta est hæresis. In Libya,* dicta Cyrenaica, *tractus est, qui a Græcis ob quinque urbes, quas complectitur,* Pentapolis *vocatur. Harum una* Ptolemais *nomine distinguitur. Hac in urbe Sabellianorum hæresis Ecclesiæ pacem cœpit turbare, personarum distinctionem in sanctissima Tri-*

C *nitate impugnans, et sicut unam dumtaxat substantiam, sic et unam pariter personam in ea prædicans. Sabellius, qui a solo Zonara dictæ Ptolomaidos in Pentapoli episcopus fuisse asseritur, hæresim hanc, quamvis primus ejus auctor non videatur, late disseminavit, pluresque, etiam primarix notæ personas, in partes suas attraxit, ut, eo potissimum agente, in prædicto Libyæ tractu impia illa in sanctissimam Trinitatem hæresis ubique suos haberet sectatores, non numero tantum, sed et auctoritate valentes. Fuerunt tamen etiam, qui patrum suorum vestigiis inhærentes fidei puritatem servavere, Sabellioque se opponentes, execrandam ejus doctrinam recipere noluere. Rebus ita constitutis, non poterant non disputationes inter partes suboriri, idque etiam, ut fieri pronum erat, reipsa accidit. Verum cum disputando nec Sabelliani ab hæresi sua revocari, nec qui Sabellianis sese opponebant, genuinum de sanctissima Trinitate dogma vellent deserere, hinc que hi cum illis componi minime possent, tam Sabelliani quam sincerx doctrinæ defensores* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, utpote Pentapolitani tractus metropolitam, consulendum duxerunt. Itaque ambarum partium sectatores ad Sanctum, non tantum litteras, sed et nuntios, qui cum eo dissererent, miserunt.* Dionysius, *re tota ab ovo audita, accurateque discussa, varias scripsit, quibus Sabellii hæresim, quantum, Deo juvante, fieri potuit, confutavit, ad Pentapolitanos epistolas, harumque omnium exemplaria ad Sixtum, Romanum Pontificem, transmisit.*

AUCTORE C. B.

rei certiorem reddit Sixtum, Romanum Pontificem,

143 *Hæc omnia, quantum ad præcipua saltem capita, docet nos ipsemet* S. Dionysius *apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 6 *epistola priori ad Sixtum, Romanum Pontificem, supra jam sæpius laudata, de hæresi Sabelliana, primum exorta, sic scribens :* De dogmate illo, quod nuper apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos commotum est, pleno impietatis ac blasphemiæ adversus omnipotentem Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi; pleno etiam incredulitatis erga unigenitum ejus Filium, primogenitum omnis creaturæ, Verbum, quod inter homines versatum est; pleno denique stuporis adversus Spiritum sanctum, cum ab utraque parte et litteræ ad me allatæ essent, et fratres mecum disserturi venissent, epistolas quasdam, quantum, Deo juvante, potui, tractatoris more fusius scripsi; quarum exemplaria ad te misi. *Hæc* Dionysii *ad Sixtum epistola, ut supra probavi, vel anno* 257 *vel certe anno* 258 *scripta est, ac proin cum in ea Sanctus Sabellianam hæresim tunc, cum illam scriberet, nuper esse exortam indicet, dubitandum non videtur, quin hæc vel anno* 257 *vel forte paulo ante ortum acceperit. Est ergo, quemadmodum num. præcedenti asserui, vel una cum Valeriani persecutione, vel* E *etiam paulo ante hanc exorta, fuitque deinde longe disseminata.*

concilium contra illam celebravit, aliasque ante hoc

144 *Verum* Dionysius *nihil omnino, quod ad officium suum spectaret, omisit, quo illam pullulantem, deindeque latius serpentem citissime opprimeret. Hunc in finem etiam Alexandriæ convocavit concilium, in eoque Sabellium damnavit. Ita legitur apud Labbeum tom. I Conciliorum pag.* 851. *En verba, ex libello synodico, a Labbeo in dictum tomum translata :* Synodus divina et sancta particularis, Alexandriæ collecta a confessore Dionysio, ejusdem archiepiscopo, quæ Sabellium divinitatis inimicum abdicavit. *Quamvis de fide Libelli synodici, ex quo hæc Labbeus transcripsit, omnino non constet, res tamen in illo asserta verosimillima apparet verosimillimeque, uti ex infra dicendis patescet, non acciderit ante annum* 262; *ante hunc autem Sanctus, ulterius progrediente Sabelliana hæresi, ad comprimendum impietatis impetum alias iterum atque alias scripsit epistolas, cumque deinde Sabellianæ hæresis venenum non tantum jam populum, sed et quosdam etiam Libyæ episcopos infecisset, rei factus certior, seque nihil hactenus, scriptis litteris profecisse, conspiciens, eo quosdam misit, qui eos, qui in errorem lapsi erant, ad mutandam opinionem inducerent. Verum nihil hac quoque via a Sancto effectum est,* F *memoratique episcopi majori, quam antea factum esset, impudentia impiam de sanctissima Trinitate doctrinam disseminarunt. Fuit itaque Sanctus iterum compulsus altera epistola certare, qua eorum impudentiam argueret. Hæc epistola, quam ardens pietatis tutandæ ardor ab eo quodammodo extorsit, Ammoni et Euphranori erat nuncupata.*

adhibuit medelas, ad Ammonem etiam et Euphranorem,

145 *Hæc omnia docet nos S. Athanasius in suo, quem de* S. Dionysii *sententia inscripsit, tractatu hæc memorans :* In Pentapoli superioris Libyæ quidam episcoporum tunc temporis cum Sabellio sentiebant, tantumque suis commentis invaluerant, ut vix ultra Filius Dei in Ecclesia prædicaretur. Rei certior factus Dionysius, cui earum cura ecclesiarum incumbebat, mittit, suadetque rei auctoribus, ut a pravis opinionibus desistant. Quibus minime desistentibus, imo impudentius in impietate perseverantibus, necessitate pulsus est, eorum impudentiam hac sua epistola (*ad Ammonem et Euphranorem, ut in decursu Athanasius sæpius repetit, conscripta*) coercere, humanaque Salvatoris ex Euangeliis exponere; ut cum audacius illi Filium negarent, et humana ejus Patri adscriberent, ostendens ipse, non Patrem, sed Filium pro nobis hominem factum esse, imperitis illis persuaderet, Patrem non esse Filium, eoque pacto homines ad veram Filii Deitatem credendam, et ad Patris

AUCTORE C. B.

Patris cognitionem sensim adduceret. Hoc est epistolæ argumentum, hæc Viro causa fuit talia scribendi, eorum nempe occasione, qui tam impudenter volebant veram immutare fidem. *Epistola, de qua hic loquitur Athanasius, a* Dionysio, *ut jam dixi, ad Ammonem, seu, ut scribit Athanasius, Ammonium et Euphranorem data est. Hoc sæpe in laudato suo tractatu, ut jam notavi, repetit Athanasius. Eusebius lib.* VII, *cap.* 26 *epistolam, a* Dionysio *contra Sabellium ad Ammonem et Euporum scriptam, recenset. Adhæc dicto loco etiam epistolam ad Euphranorem et Ammonem datam, laudat; verum aliam ad hunc, et aliam item ad illum scriptam fuisse a Sancto epistolam, indicat. Ammonem vocat Berenices, quæ Pentapoleos urbs est, episcopum. Multum dubito, an una eademque persona non sit, quæ semel ab Eusebio* Euporus *et semel* Euphranor; *constanter vero ab Athanasio* Euphranor *vocitetur.*

non tamen ante annum 258 aut 259, scribens epistolam.

146 *Id vero si ita sit, præfero lectionem Athanasii, qui, cum eamdem, ut supra dixi, sæpissime repetat, semperque eumdem scribendi modum servet, minus argui erroris debet, quam Eusebius, qui cum semel tantum epistolam, a* Dionysio *ad Ammonem et Euporum scriptam, memoret, facilius esse potest Amanuensium errore aut oscitantia corruptus. Porro* Dionysium *plures, quam jam memoratas,* B *contra Sabellium adhuc scripsisse epistolas intelligitur ex Eusebio lib.* VII, *cap.* 26 *de epistolis a* Dionysio *conscriptis sic loquente :* Præter has exstant aliæ complures Dionysii epistolæ. Inter quas sunt illæ contra Sabellium scriptæ ad Ammonem Berenicensem episcopum. Alia item ad Telesphorum et ad Euphranorem altera. Alia rursus ad Ammonem et Euporum. Quatuor etiam libros de eodem argumento composuit, quos cognomini suo (*non gentili, ut vertit Valesius*) Dionysio Romanorum episcopo nuncupavit. *At, inquies, quandonam* Dionysius *epistolas et Opera, hic ab Eusebio recensita, elucubravit? Epistola ad Euporum, seu potius Euphranorem, et Ammonium, quoniam a Sancto ante stabilitam propagatamque Sabellianam hæresim scripta non est, ante annum* 258 *aut etiam* 259 *verosimillime scripta non est. Quod pertinet ad quatuor libros, quos* Dionysius *contra Sabellium, teste Eusebio, elaboravit, hi certissime, cum* Dionysio *Romano Pontifici, qui ante Julium anni* 259 *ad Pontificatum evectus non est, sint inscripti, ante dictum annum, ad Julium jam provectum, elucubrati non fuere. Ceterum nihil hic profero, ut dictorum Operum epocham propius determinem. Solum moneo, tam hæc, quam reliqua omnia, quæ* Dionysius *Sabellianæ hæreseos occasione scripsit, non* C *serius, quam anno circiter* 262 *esse elaborata. Res infra pluribus elucidabitur.*

Hujus occasione Sanctus cujus agendi

147 *Videamus modo, quid occasione epistolæ, ad Euphranorem et Ammonium datæ, Sancto acciderit. Cum Sabelliani, Filium cum Patre confundentes, Patri attribuerent, quod ad humanam Filii naturam spectabat,* Dionysius *in sua ad Euphranorem et Ammonium epistola id fere satagebat unice, ut clare demonstraret, id, quod Filio, tamquam homini, competebat, Patri non posse attribui. Volebat hac via Sabellianos ad distictionem inter Patrem et Filium cognoscendam inducere, eosdemque deinde nova divinitatis cognitione imbuere. Liquet id ex verbis Athanasii, proxime recitatis.* Dionysius *autem, uti ex dicendis patescet, optimo consilio id fecit.* Sic, *inquit in laudato Tractatu Athanasius,* beati Apostoli, prudenti admodum consilio, primum humana Salvatoris Judæis enarravere, ut eo ex editis, conspicuisque miraculis, jam advenisse Christum, plane persuasos, hinc ad credendam ejus divinitatem deducerent, demonstrando, opera, quæ edita fuerant, non hominis, sed Dei esse. Certe? Petrus, cum dixisset, virum passibilem Christum esse, illico subjungit : Hic Auctor vitæ est. Ipseque in Evangelio confitetur : Tu es Christus Filius Dei vivi. Et in epistola sua ait ipsum Episcopum animarum, atque Dominum suum, nec non angelorum et potestatum esse. Paulus item, qui ait, Christum esse virum ex semine David, in epistola ad He- D bræos hæc habet : Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus. Ad Philippenses vero : Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Hæc porro Auctor vitæ, Filius Dei, splendor, figura, æqualis Deo, Dominus, Episcopus animarum, quid aliud sibi velint, quam in corpore fuisse Verbum Dei, per quod omnia facta sunt, illudque indivisum esse a Patre, quemadmodum splendor a luce.

contra Sabellianos ratio ab Athanasio probatur,

148 *Hæc Athanasius, exponens rationem, ob quam Apostoli prius Christi humanitatem, quam divinitatem Judæis prædicarint; id autem idcirco facit, ut agendi rationem, quam* Dionysius *adversus Sabellianam hæresim tenuit, non improbandam ostendat.* Idipsum, *mox subjungit verbis proxime recitatis,* egit Dionysius ab Apostolis edoctus; cum enim jam irrepsisset Sabellii hæresis, coactus est hujusmodi epistolam, ut dixi, scribere, ac verba, quæ humili et humano more de Salvatore dicta sunt, illis objicere, ut per humana illos absterreret a dicendo, Filium esse Patrem, sicque faciliorem illis viam ad doctrinam de Filii divinitate muniret; ubi in subsequentibus epistolis illum ex Scripturis sacris appellavit Verbum, Sapientiam, Virtutem, Vaporem et Splendorem Patris. In epistolis itaque ad sui defensionem scriptis palam de fide loquitur. E pietatemque erga Christum profitetur. Ut igitur Apostoli accusandi non sunt ob verba de Domini humanitate prolata (nam Dominus Homo factus est) quin potius admiratione digni sunt ob prudentem dispensationem et doctrinam tempori accommodatam; sic Dionysius pro Ariano habendus non est propter epistolam ad Euphranorem et Ammonium contra Sabellium scriptam, *in qua scilicet asseruit, Filium esse rem factam, nec eumdem cum Patre, sed diversum ob eo, quantum ad substantiam, quemadmodum vinitor a vite, et fabricator navis, quantum ad substantiam, a nave est diversus; non fuisse illum, antequam fieret, et multa similia, quæ quamvis probanda minime fuissent, si nudam fidei suæ professionem edere voluisset, spectato tamen fine, quem intendebat, et sensu, in quo illa proferebat, carpenda non erant, ut verbis jam transcriptis non immerito contendit Athanasius fietque ex infra dicendis perspicuum.*

apud Dionysium, Romanum Pontificem, accusatur, qui hujus rei

149 *Fuerunt nihilominus in Pentapolitano tractu nonnulli, admodum orthodoxi, qui, quas* Dionysius *adhibuerat, de secunda sanctissimæ Trinitatis Personæ loquendi formulas in sequiorem partem accepere. Hi ne petita quidem a Sancto eorum, quæ in epistola ad Euphranorem et Ammonium durius scripserat, explanatione, Romam se contulerunt, ibique* F *apud Dionysium Papam, qui S. Sixto anno* 259 *in Pontificatum successerat, perversæ de sanctissima Trinitate doctrinæ illum accusarunt, utpote qui Dei Filium creaturam, et Patri non consubstantialem assereret. Concilium, quod tunc Romæ sive ea ipsa de causa, sive alium ob rationem coactum celebrabatur, rem indigne tulit, omniumque episcoporum nomine Pontifex* Dionysio *scripsit, sententiæ a synodo Romana prolatæ et cujus rei insimulabatur, certiorem eum faciens, damnansque non minus, qui Filium Dei creaturam, et Patri non consubstantialem asserent, quam qui Sabellium, ejusque de sanctissima Trinitate opinionem sectarentur. Docet hæc nos omnia S. Athanasius, partim lib. de synodis, partim tractatu de* Dionysii *sententia; priori quidem loco hæc memorans :* Diu ante illos septuaginta, qui Samosatensem deposuerunt, duo Dionysii exstitere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ episcopus erat. Cum autem quidam ad Romanum episcopum, Alexandrinum detulissent, quod Filium rem factam et Patri non consubstantialem affirmaret, synodus Romæ coacta rem indigne tulit : Romanus autem episcopus omnium sententiam rescripsit ad cognominem suum, *non* gentilem, *ut vertunt Benedictini. Posteriori vero ista :* Cum Dionysius (*Alexandrinus*) episcopus, postquam de Pentapolitanis illa didicerat, epistolam, uti jam dixi, contra Sabellii

A bellii hæresim, ad Ammonium et Euphranorem, studio religionis permotus, scripsisset; quidam ex Ecclesia fratres, sanæ quidem doctrinæ homines, non sciscitati tamen eum, qua de causa ita scripsisset, Romam se contulere, illumque apud cognominem Dionysium Romanum episcopum accusarunt. Quibus ille (*Dionysius, Pontifex Romanus*) auditis, una scripsit et contra Sabellii sectatores, et contra eos, qui ejus essent sententiæ; quam cum post Arius protulisset, ab Ecclesia est ejectus; æqualem aiens, licet ex diametro oppositam, Sabellii impietatem, eorum blasphemiæ, qui dicunt, Verbum Dei, creaturam, opificium et rem factam esse. Misit quoque ad Dionysium (*Alexandrinum*) litteras, ut indicaret, qua de re accusatus ab illis (*Pentapolitanis*) fuisset.

contra ac facta per Nannium Athanasii versio,

150 *Ita Athanasius ex versione Benedictinorum anno* 1698, *quam editionem, nisi aliud indicem, hic semper intelligo, typis Parisiensibus vulgata: verum Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum* 263, *num.* 36 *primo quidem, ex Nannio verosimiliter, exhibet verba prope eadem, jam recitata, quibus ab Athanasio* Dionysius *Alexandrinus apud cognominem Dionysium, Romanum episcopum, a Pentapolitanis accusatus refertur; verum loco verborum sequentium, quæ jam etiam recitata sunt, quæque*

B *Dionysium, Romanum Pontificem, audita Pentapolitanorum adversus Alexandrinum accusatione, contra Sabellianos scripsisse, Alexandrinumque rei, cujus accusaretur, certiorem reddidisse, indicant, hæc habet:* Re comperta, Alexandrinus simul et contra Safellii sectatores et Arii dogmata, propter quæ ab Ecclesia ejectus fuit, volumen composuit; ubi æquales, sed tamen contrarias hæreses esse docet in Sabellii dogmatibus, et blasphemiis eorum, qui dicunt, Dei Verbum, opus vel creaturam esse: postulavitque a Romano præsule, ut objecta sibi indicaret. *Natalis Alexander Dissertationum Historico-criticarum tom. III, aliique hæc eadem, verosimiliter etiam ex Nannio, transcripsere. Itaque secundum hos, accusato apud Pontificem* Dionysio *Alexandrino, non Dionysius Romanus Pontifex, ut indicat laudata Benedictinorum versio, sed ipsemet* Dionysius *Alexandrinus contra Sabellianos scripsit, nec hic a Dionysio Romano rei, cujus a Pentapolitanis accusaretur, certior fuit redditus, sed ab hoc, ut, cujus rei a Pentapolitanis accusaretur, certior fieret, per litteras expetiit.*

hic a nobis rejecta, perperam docet,

151 *Quæri hic jam potest, Nannione ejusque sectatoribus, an Benedictinorum versione standum sit. Hac standum esse, indubitatum existimo. Etenim*

C *textus Græcus in capitibus hic controversis laudatæ versioni perfecte congruit, nec ullam apud laudatos Benedictinos lectionem habet diversam. Ut res fiat clarior, textum ipsum cum adjuncta, quam ipsemet feci, versione Latina huc transcribo:* Κακεῖνος ἀκούσας, ἔγραψεν ὁμοῦ κατὰτε τῶν τὰ Σαβελλίου δοξαζόντων, καὶ κατὰ τῶν φρονούντων ταῦτα, ἅπερ καὶ Ἀρείος λέγων ἐξεβλήθη τῆς ἐκκλησίας· ἴσην καὶ κατὰ διάμετρον ἀσέβειαν εἶναι λέγων, τήντε Σαβελλίου, καὶ τὸν τῶν λεγόντων κτίσμα καὶ ποίημα καὶ γενητὸν εἶναι τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον. Ἐπέστειλε δὲ καὶ Διονυσίῳ δηλῶσαι, περὶ ὧν εἰρήκασι κατ' αὐτοῦ· Quibus ille (*Dionysius utique Romanus, prout ex contextu liquet*) auditis, una scripsit et contra Sabellii sectatores, et contra eos, qui ejus essent sententiæ, quam cum Arius protulisset, ab Ecclesia fuit ejectus; æqualem asserens, licet ex diametro oppositam, Sabellii impietatem et eorum, qui dicunt Verbum Dei creaturam, opificium et rem factam esse. Misit quoque ad Dionysium (*Alexandrinum utique*) litteras, ut indicaret, quibus de rebus accusatus ab illis (*Pentapolitanis*) fuisset. *Nemo, quantum opinor, spectato Græcorum, quæ huc transcripsimus, verborum contextu, adaptari iis, quæ textus initio ponuntur, posse existimabit interpretationem, quam supra ex Petro Nannio aliove seu antiquiori seu recentiori S. Athanasii interprete Baronius aliique adoptarunt. Imo hæc, quæ sub ponuntur,* Ἐπέστειλε δὲ καὶ Διονυσίῳ δηλῶσαι, περὶ ὧν εἰρήκασι κατ' αὐτοῦ, *etiam nude secundum se spectata, certissime nequeunt, ut unicuique, non omnino in lingua Græca peregrino, manifestum esse debet, reddi per hæc:* Postulavitque a Romano præsule, ut objecta sibi indicarent.

AUCTORE C. B.

Dionysium Alexandrinum epistola certiorem reddidit,

152 *Hinc mihi maxime mirum apparet, ea ita interpretatum esse Nannium; neque enim huic interpreti Græcum aliquod præluxisse reor Athanasii exemplar, in quo Latinis præfati Nannii verbis, proxime recitatis, textus Græcus apte responderit. Etenim ne illis quidem verbis textus Græcus, utpote supra producto ad verbum similis, ullo modo congruit in editione Operum Athanasii Commeliniana, in qua tamen dictis Nannii verbis Athanasianus, quo de hic disserimus, locus Latine exponitur. Adhæc Benedictini supra laudati textui Græco, ad num. præcedentem transcripto, qui haud dubie Nanni interpretationi non quadrat, nullam omnino, ut jam monui, lectionem variantem assignant, ut adeo verosimillimum sit, nullum prorsus Nannio Græcum præluxisse Athanasii exemplar, in quo verbis ejus, plus semel jam laudatis, textus Græcus apte responderit. Hallucinatus ergo hic fuerit Nannius, aliusve forte, ex quo is suam interpretationem deprompsit, sancti Athanasii antiquior interpres. Hinc jam sit, ut, cum ex jam disputatis laudata Benedictinorum vesio et nostra genuina sit, indubitatum evadat, Dionysium Romanum, non autem Alexandrinum, au-* E *dita adversus hunc Pentapolitanorum accusatione, contra Sabellianorum hæresim, simulque contra eorum, qui Verbum Dei esse creaturam et rem factam dicerent, sententiam scripsisse, litterasque ad* Dionysium *Alexandrinum, quibus hunc, quorum accusaretur, certiorem redderet, misisse.*

Scriptumque tam contra Sabellianos, quam contra eos, qui Filium Dei

153 *Adhæc Dionysium Romanum, non autem Alexandrinum, audita adversus hunc Pentapolitanorum accusatione, contra Sabellium, eosque, qui Verbum Dei esse creaturam et rem factam asseruerant, indubie, scripsisse, etiam confirmatur ex superstite adhuc Scripti, quod Dionysius Romanus adversus Sabellium edidit, Fragmento. Hoc ab Athanasio epistolæ de Nicænæ synodi decretis apud laudatos Benedictinos num.* 26 *exhibetur insertum. Verba huc potissimum facientia, una cum brevi Athanasii sermone hisce prævio, transcribo.* Quod autem, *inquit Athanasius,* Dei Verbum nec factum nec creatum sit, sed proprius et individuus Patris substantiæ fœtus, ut scripsit magna synodus, ecce Dionysius quoque, Romæ episcopus, scribens contra Sabellianos, his verbis adversus illos indignatur, qui talia audent dicere. Jam vero, inquit, (*Dionysius scilicet Romanus*) æquum fuerit adversus illos disputare, qui augustissimam Dei Ecclesiæ prædicationem, monarchiam in tres quasdam vir- F tutes ac separatas hypostases tresque divinitates dividunt, discindunt, destruuntque. Audivi enim quosdam ex his, qui apud vos divinum verbum prædicant et docent, hujus opinionis magistros esse, qui quidem ex diametro, ut ita loquar, Sabellii sententiæ adversantur. Illius enim in eo consistit impietas, quod dicat, Filium esse Patrem, et vicissim: Illi autem tres Deos quodammodo prædicant, cum sanctam Unitatem in tres diversas Hypostases inter se omnino separatas dividunt. *Ita apud Athanasium loco citato Dionysius, Pontifex Romanus, mox etiam, quibus Dei Verbum esse creaturam et rem factam asserentes apertius redarguit, paucis interpositis, hæc subdens:* Non minus etiam illi culpandi sunt, qui Filium opus esse existimant, et Dominum factum esse sentiunt, quasi videlicet unum esset ex his, quæ vere facta sunt, cum divina Scriptura, illum genitum esse, ut eidem convenit, congruitque, non autem formatum et factum esse, testetur. Non levis igitur, sed summa est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere.

rem factam asserentes, vulgavit.

154 *Hactenus Dionysius, Romanus Pontifex, non minus eorum, qui Verbum Dei esse creaturam seu rem factam assererent, quam Sabellii sectatorum impietatem arguens, adeo ut hinc confirmetur, Dionysium, Romanum Pontificem, non autem cognomi-*

AUCTORE C. B.

nem, Alexandrinum episcopum, designari per Dionysium, qui, uti S. Athanasius verbis, num. 150 *huc transcriptis, refert, audita Pentapolitanorum adversus Alexandrinum accusatione, æqualem dixit, scripto edito, Sabellii impietatem et eorum, qui Verbum Dei esse rem factam vellent. Collige hinc jam, scriptum illud, quo Sabellii impietatem et eorum, qui Verbum Dei esse rem factam vellent, Dionysius Romanus æqualem asseruit, diversum non esse a Scripto, quod jam huc ex Athanasio num. præcedenti partim transcripsimus. Verum dubitari potest, reque ipsa, ut video, tom. IV Monumentorum Ecclesiasticorum pag.* 279 *dubitavit Tillemontius, distinctumne etiam hoc sit ab epistola, quam Dionysius Romanus, ut Athanasius verbis, proxime laudatis, pariter fidem facit, ad* Dionysium *Alexandrinum transmisit, quo hunc et sententiæ a synodo Romana prolatæ, et cujus rei a Pentapolitanis accusaretur, certiorem redderet. Verum id mihi dubium non videtur. Puto enim, hanc epistolam a præfato scripto indubie esse diversam. Res, quantum opinor ex ipsis Athanasii verbis, num.* 149 *huc transcriptis, unicuique fiet perspicua, ut huic probandæ immorandum non arbitrer, ac proin, ut, missis aliis, inceptam rerum, quæ Sabellianæ hæreseos occasione obvenerunt, Sanctumque nostrum spectant, seriem prosequar.*

B

§ XV. Adversus Pentapolitanorum accusationes, variis scriptis ad Dionysium Romanum Pontificem Opusculis sese tuetur.

Sanctus sui purgandi causa libros,

Dionysius *accepta, Dionysii Romani Pontificis epistola, hacque accusationis, contra se a Pentapolitanis intentatæ, factus certior, nihil habuit antiquius, quam ut objectum sibi sequioris de sanctissima Trinitate doctrinæ crimen dilueret, omnemque hac in parte sinistram suspicionem a se amoliretur. Mox sui purgandi causa sub Elenchi et Apologiæ seu refutationis et defensionis nomine libros conscripsit, eosque ad Dionysium, Romanum Pontificem, direxit.* Ille vero, *ut Græcus Athanasii textus verbis, num.* 149 *recitatis, proxime subjunctus, ad verbum de* Dionysio *Alexandrino habet,* statim (*ad Dionysium Romanum nempe, sui purgandi causa*) rescripsit, et libros Elenchi et Apologiæ exaravit. *Id ipsum etiam docet Athanasius binis adhuc aliis, elucubratis a se Opusculis, altero scilicet de Synodis, altero de Nicænæ synodi Decretis inscripto. Priori quidem verbis, quæ ex eodem ad num.* 149 *transcripsimus, hæc subdens :* At ille (Dionysius *Alexandrinus*) sui purgandi causa (*ad Dionysium Romanum*) librum edit hoc titulo,

C

Elenchus et Apologia : *posteriori vero sic scribens :* Cum... Dionysius, Alexandriæ episcopus, ex his, quæ adversus Sabellium scripserat, quibus nempe dispensationem secundum carnem permultis explanabat, ac inde confutabat Sabellianos, ostendebatque, non Patrem factum esse carnem, sed Verbum, uti Joannes dicit : cum, inquam, in suspicionem venisset, dixisse Filium rem factam et creatam esse, non vero Patri consubstantialem, litteras dedit ad Romæ episcopum, Dionysium quoque appellatum ; in quibus se expurgans asseverabat, calumniam hanc esse adversus se confictam; numquam enim se Filium factum dixisse, sed illum Patri consubstantialem confiteri se affirmabat.

qui quaternario numero definiuntur, quique

156 *Libri illi a Sancto, sui purgandi causa, conscripti, numero erant quatuor, totidemque comprehendebantur epistolis seu epistolarum nomine erant insigniti. Eusebius lib.* VII *cap.* 26, *recensens nonnullas* Dionysii *Alexandrini epistolas, sic habet :* Quatuor etiam libros (Dionysius *Alexandrinus*) de eodem argumento (*de sanctissima Trinitate seu duabus hujus prioribus Personis,* composuit, quos homonymo *seu* cognomini suo, *non* gentili suo, *ut male vertit Valesius,* Dionysio, Romanorum episcopo, nuncupavit. *Libri illi, quos hic a* Dionysio *scriptos memorat Eusebius, quosque S. Hieronymus de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap.* 69, *Operibus a* Dionysio *concinnatis, pariter accenset, ab* D *omnibus eruditis accipiuntur pro libris, quos* Dionysius *Alexandrinus, a Pentapolitanis perversæ circa secundam Trinitatis Personam doctrinæ accusatus, in sui defensionem, ut Athanasius verbis proxime recitatis testatur, ad Dionysium Romanum dedit, tituloque* Elenchi et Apologiæ *seu* Refutationis et defensionis *insignivit. Quapropter, cum Eusebius historicus pariterque Hieronymus libros illos, quos* Dionysium *Alexandrinum ad Dionysium Romanum scripsisse affirmant, quaternario numero definiant, libri de refutatione et apologia, a* Dionysio *Alexandrino ad Dionysium Romanum scripti, quatuor indubie numero fuerunt. At, inquies, Athanasius Tractatu de sententia* Dionysii *tantum meminit primi, secundi et tertii libri, a* Dionysio *Alexandrino sui purgandi causa ad Romanum dati, quartique nuspiam mentionem facit. Fateor; ita habet. Verum sanctus ille scriptor nuspiam etiam dicit,* Dionysium *non plures, quam tres sub nomine Elenchi et Apologiæ libros scripsisse; ubi autem meminit vel primi vel secundi vel tertii libri, a Sancto sub Elenchi et Apologiæ nomine conscripti, facit id dumtaxat occasione Fragmentorum, quæ illis libris idcirco transcribit, quod ad propositum ejus conducant, ut verosimiliter quarti libri, qui a* Dionysio *de refutatione et apologia pariter scriptus sit, idcirco non memi-* E *nerit, quod nullum ex eo Fragmentum, veluti ad instituti sui rationem conducens, transcribendum existimarit. Nequit ergo hic ex Athanasii silentio quidquam concludi contra quaternarium librorum numerum, quos* Dionysium *Alexandrinum de refutatione et apologia ad Dionysium Romanum scripsisse, arbitramur.*

sub epistolarum nomine subinde veniunt, ad Dionysium Romanum, Pontificem, scripsit;

157 *Porro supra asserui, quatuor illos* Dionysii *libros totidem epistolis fuisse comprehensos, nullamque hactenus, quæ hoc assertum probet, rationem attuli. Hanc itaque hic nunc adjungo. Basilius lib. de Spiritu sancto cap.* 29 *transcripturus aliquot ex secundo* Dionysii *Elenchi et Apologiæ libro verba, hæc præmittit :* Alexandrinus Dionysius, id, quod etiam auditu mirum est, in SECUNDA ad sibi cognominem EPISTOLA de accusatione ac defensione, Græce περὶ ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας, hunc in modum finivit sermonem. *Athanasius de sententia* Dionysii, *verba ex primo hujus de Refutatione et Apologia libro profert, mox huc transcribenda, quibus* Dionysius *Alexandrinus ad Romanum scribens, innuit, sese ante dictum librum primum adhuc aliam scripsisse epistolam, ac proin illum ipsum* Dionysii *librum primum ipsemet* S. Dionysius *apud Athanasium, qui etiam dictos Sancti libros epistolarum nomine plus semel distinguit, epistolis accenset. Hæc* F *ratio est, cur quatuor* Dionysii *de Refutatione et Apologia libros totidem asserui a Sancto epistolis fuisse comprehensos, quod scilicet hi, non solum ab aliis, verum etiam ab Auctore suo, epistolarum nomen sint sortiti, hacque sub appellatione tum apud antiquos, tum apud modernos scriptores subinde veniant. His de librorum, quos* Dionysius *sub nomine Elenchi et Apologiæ edidit, appellatione et numero præmissis, restat, ut paulo plura, quam ex ante dictis fas sit colligere, de eorumdem argumento hic edisseram. Attamen rectus rerum gestarum ordo exigit, ut de alia adhuc epistola, ad Dionysium Romanum a Sancto sui purgandi ergo data, prævie hic tractem. Quamvis enim* Dionysius *audita, quam Pentapolitani contra eum intentabant, accusatione, statim præfatos quatuor sui purgandi causa libros seu epistolas scripserit, has nihilominus alia illa epistola, eodem fine scripta, præcessit.*

ante eos tamen jam aliam epistolam

158 *Liquet id ex libri primi, a Sancto ad Dionysium Romanum de refutatione et defensione conscripti, Fragmento, ob Athanasio in suum de* Dionysii *sententia Tractatum transcripto : in illo enim* Dionysius *meminit epistolæ, jam tum, cum primum illum librum scriberet, ad Dionysium, Romanum Pontificem, sui purgandi causa transmissæ, ut hæc prædictum librum primum atque adeo etiam tres alios, post hunc a* Dionysio *de Elencho et Apologia conscriptos,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *conscriptos, præcesserit. Verba, ex quibus præmemoratæ epistolæ argumentum et finis etiam innotescit, huc transcribo.* Ceterum, *inquit Dionysius,* ubi res factas et opificia quædam consideranda dixi, eorum exempla ut minus utilia cursim protuli, cum dixi : Neque planta idem est, quod agricola, neque scapha idem, quod navium faber : deinde in congruis et naturæ rei accommodatioribus magis sum immoratus; ac pluribus ea, quæ certioris fidei erant, exposui, variis excogitatis exemplis, quæ tibi in alia epistola scripsi, quibus criminationem eorum (*Pentapolitanorum*) depuli, mendacemque ostendi, qua aiebant, me Christum negare esse Deo consubstantialem. Tametsi enim fateor, me hoc vocabulum nusquam in Scripturis sacris vel invenisse, vel legisse, attamen argumenta mea, quæ subsequuntur, quæque isti (*Pentapolitani*) tacuerunt, ab hac sententia nihil discrepant. Etenim humanam prolem in exemplum adduxi, quam patet esse ejusdem generis ac genitorem : dixique, revera in hoc solum parentes differre a filiis, quod ipsi non sint filii : alias necesse fore, neque parentes existere, neque filios.

ad eumdem Pontificem dederat eodem fine, quo dictos libros :

159 *In binos alios tractatus suos, quorum alter de Nicænæ synodi decretis, alter de Synodis inscribitur, etiam intulit Athanasius hæc eadem, huc jam transscripta verba, incipiendo scilicet ab his :* In alia epistola, *seu, ut Græce etiam est,* per aliam epistolam B scripsi; *verum pronomen* tibi, *quatuor hisce verbis in textu, proxime huc transcripto, præpositum, per quod indicatur, epistolam ibidem memoratam ad Dionysium, Romanum Pontificem, esse conscriptam, in binis prædictis tractatibus omittitur, ut ex his nequeas eruere, epistolam, qua de agunt, nosque hic agimus, a* Dionysio *Alexandrino ad Romanum esse exaratam. Cum tamen ex iisdem nequeat etiam oppositum concludi, textu, huc jam transcripto, standum est, in quo* Dionysius *per pronomen* tibi, *utpote ad personam, Dionysium Romanum nempe, cui scribit, certissime referendum, clarissime indicat, sese epistolam, quam, ut innuit, ante primum suum de refutatione et defensione librum exaravit, Dionysio, Romano Pontifici, inscripsisse. Certum ergo est,* Dionysium, *audita, quam contra eum Pentapolitani intentabant, accusatione, ad Dionysium, Romanum Pontificem, sui purgandi causa illam, qua de hic tractamus, dedisse epistolam, nec nisi post hanc quatuor, sæpissime jam memoratos, sub nomine Elenchi et Apologiæ ad eumdem Dionysium libros dedisse.* Dionysius *ergo in epistola, quam accusationis contra se intentatæ factus certior primo scripsit, objectum sibi sequioris doctrinæ crimen breviter diluerit, hocque deinde, scriptis quatuor de Refutatione et Apologia* C *libris, fusius præstiterit. Verum de epistola illa jam satis actum est : ad libros revertor.*

hos autem ad confutandos accusatores suos, scriptaque propugnanda

160 *Hos Sanctus de Elencho et Apologia seu de Refutatione et Defensione idcirco inscribit, quod in iisdem accusatores suos, veluti a vero devios, confutet, eaque, quæ ante in epistola ad Ammonium et Euphranorem scripsit, propugnare contendat. Quod ultimum sane totis viribus conatur efficere. In præfatis quippe quatuor libris eo fere spectat unice, ut sequioris doctrinæ suspicionem a sese amoliatur, nulla plane ratione contra Dionysium Papam, ad quem scribit, disputans, ejusve de sanctissima Trinitate opinionem impugnans.* Non enim, *inquit de* Dionysio *in tractatu de hujus sententia Athanasius,* contendendi animo scripsit, sed sui defendendi suspicionisque a se amovendæ causa. *Ad verba singula, ex epistola ad Ammonium et Euphranorem contra se producta, respondet, iisque pravum sensum, cujus causa perversæ doctrinæ insimulatur, minime subesse contendit, nihil interim immutans, nihil retractans eorum omnium, quæ scripsit. Conqueritur etiam de accusatoribus suis, quod sententias, quas protulerat, non integras, sed truncatas, reddidissent, easque a sermonis contextu sejunxissent.* Queritur deinde, *inquit iterum de* Dionysio *in laudato tractatu Athanasius,* quod accusatores sententias suas non integras referant sed truncatas, et quod non bona conscientia, sed mala pro libidine loquantur : quos similes ait beati Apostoli epistolarum calumniatoribus. Hæc porro Viri expostulatio sinistram omnem amovet suspicionem. Si enim Pauli calumniatores suis similes arbitratur, nihil sane aliud declarat, quam se cum Paulo sentientem ita scripsisse. Certe singulis accusatorum verbis occurrens, omnibus eorum argumentis solutionem adhibet.

AUCTORE C. B.

161 *Atque hæc sunt, quæ* Dionysius *quatuor, de quibus hic tractamus, Elenchi et Apologiæ libris præcipue præstat. Cum vero, ut dixi, etiam queratur, quod accusatores eas, quas in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola protulerat, sententias truncarint, hinc verosimillime est, cur ipsammet, quam ad Ammonem et Euphranorem scripserat, epistolam ad Dionysium Pontificem mittere desiderarit, suum hoc desiderium apud Athanasium hisce verbis, quæ recitatis num.* 138 *proxime subduntur, ita significans :* Epistolam autem, ut ante dixi, ob præsentem rerum conditionem penes me non habeo; alioquin ipsa tibi, quæ tunc scripsi verba, imo epistolæ totius exemplar misissem, mittamque, si quando mihi ejus copia fuerit. *Hunc in modum simul* Dionysius *scripta sua Pontificis Romani judicio submittere erat paratus, idque, ut apparet, summopere optabat. Nec hoc solum ex verbis* Dionysii, *jam mox* E *recitatis, discimus, verum etiam tempus, quo circiter Sanctus suos de Elencho et Apologia libros exararit. Ait enim illis* Dionysius, *sese ob statum, in quo tunc, cum scriberet, res essent, epistolæ ad Ammonium et Euphranorem scriptæ, quam ad Dionysium Pontificem mitteret, non habuisse copiam. Videtur ergo libros illos in turbato aliquo rerum statu Sanctus scripsisse, ut adeo eos, utpote ante annum* 257, *quemadmodum ex dictis num.* 142 *facile colliges, certissime non conscriptos, aut durante Valeriani persecutione, in exsilio adhuc exsistens, aut ab exsilio, Alexandriam reversus, sed, turbatis ibi secundum infra dicenda anno* 262 *rebus, verosimillime exararit; neque enim etiam serius quam anno* 262 *id fecit, uti ex infra dicendis verosimillimum evadet.*

exaravit, idque durante adhuc vel jam sopita Valeriani persecutione :

162 *Tillemontius tom. IV Monumentorum Ecclesiasticorum pag.* 280 *ob verba* Dionysii *num. præcedenti ex Athanasio recitata existimat, memoratos de Elencho et Apologia libros, vel sub persecutionis a Valeriano motæ finem, vel persecutione illa jam sopita quidem, attamen Alexandriæ, cum eo jam persecutionem rediisset* Dionysius, *perturbatis rebus, a Sancto fuisse conscriptos. Apponit autem in inferiori paginæ margine Notulam, qua indicat priori disjunctionis parti, juxta quam* Dionysius *sub finem persecutionis Valeriani memoratos libros scripserit, suffragari S. Athanasium, dum ait libro de Synodis* F *num.* 43 *duos Dionysios, Romanum nempe Pontificem et Alexandrinum nostrum, diu admodum extitisse, antequam Antiochena synodus, anno* 269 *aut* 270 *celebrata, Pauli Samosateni hæresim proscripserit. Et vero, nisi mox dicenda obstarent, posset ex hoc S. Athanasii loco aliquid haberi pro dictorum librorum scriptione ad Valeriani persecutionem referenda. Etenim hic Sanctus eo ipso laudato Opere, quo ait, duos Dionysios diu admodum exstitisse ante prædictam Antiochenam synodum, simul innuit, eos valde diu ante eamdem synodum Sabellianam de Trinitate doctrinam condemnasse, vocabulumque* consubstantiale *seu τὸ Ὁμοούσιον admisisse. Jam vero, cum* Dionysius *id potissimum fecerit iis libris, quos a Pentapolitanis sequioris doctrinæ accusatus ad Dionysium Romanum dedit, nequeatque, ut apparet, per indefinita temporis adverbia ἔμπροσθεν πολὺ, id est,* multo ante, *per quæ Athanasius loco supra citato tempus inter Sabellianæ hæreseos proscriptionem a* Dionysio *factam, et Antiochenam synodum medium definit, minus intelligi, quam decem annorum spatium, necesse est, ut* Dionysii *libri, sæpissime memorati, sub persecutionis a Valeriano motæ finem, qui in annum* 260 *incidit, fuerint conscripti. Posset sane, ut jam dixi, hæc forsan admitti conclusio, nisi dicenda obstarent.*

ut, hac adhuc durante, scripti statuantur, suffragatur Athanasius;

163 *At,*

AUCTORE C. B. *postea nihilominus, uti hic probatur,*

163 *At, inquies, quænam hæc sunt? Respondeo: ex ante dictis certum est atque indubitatum,* Dionysium *suos de refutatione et apologia libros non ante scripsisse, quam a Dionysio, Pontifice Romano, accusationis contra se a Pentapolitanis intentatæ factus fuerit certior. Jam vero Dionysius Romanus Alexandrinum accusationis, quam contra hunc Pentapolitani intentarant, certiorem non reddidit, nisi celebrata Romæ synodo, pronuntiataque in hac contra delatam a Pentapolitanis* Dionysii *doctrinam sententia. Quapropter cum verosimile non sit, a* Dionysio *Pontifice synodum, durante adhuc Valeriani persecutione, celebratam fuisse, certo consequi videtur, ut id non prius factum sit, quam, Valeriano a Persis capto, reddita fuerit a Gallieno pax Ecclesiæ. Cum ergo* Dionysius, *ut mox dixi, post dictam Romanam synodum suos de refutatione et apologia libros scripserit, certum fit, hos, durante adhuc Valeriani persecutione, scriptos non esse. Atque hoc est, quod præcipue obstat, quo minus opinio, quæ libros illos, durante adhuc Valeriani persecutione, scriptos statuit, admittenda mihi appareat. Neque est, cur quisquam argumento in contrarium ex Athanasio mox producto magnopere moveatur. Etenim non video, cur præmemorata indefiniti temporis adverbia* ἔμπροσθεν πολὺ, *id est,* multo ante *non æque*
B *queant restringi ad octo dumtaxat circiter, quam ad decem annorum spatium significandum. S. Athanasius rigorem hic in loquendo sectatus non est. Tillemontius in Notula supra memorata observat, præfata adverbia non posse nisi ad decennium extendi, cumque nihilominus simul, idque merito, existimet, adverbiales illas particulas per se annorum spatium magis extensum inferre, suspicatur in Athanasii locum, supra memoratum, mendum irrepsisse, legendumque dumtaxat esse* ἔμπροσθεν, *omisso* πολύ, *ut sensus sit, Dionysios* ante, *non vero* multo ante *Antiochenum concilium Sabellianam hæresim proscripsisse. Verum Benedictini in sua, quam novissime adornarunt, Athanasii editione, habent* ἔμπροσθεν πολὺ, *nec ullam ex Mss. variantem lectionem assignant, ac proin Tillemontii suspicionem admittendam non reor. Itaque cum ex dictis ante persecutionis, a Valeriano motæ, finem, anno* 260, *ut docebimus, innectendum, scripti non sint* Dionysii *de Elencho et Apologia libri, atque adeo ante illam a Sancto vox* Ὁμοούσιος *seu* consubstantialis *admissa etiam non sit, necesse omnino est, per hæc indefiniti temporis adverbia* ἔμπροσθεν πολὺ, *id est,* multo ante
C *non assignare ab Athanasio temporis spatium, quod ultra annos octo circiter debeat esse extensum.*

anno scilicet 261 *aut certe* 262 *scripti fuerant, suntque adeo,*

164 *Etenim per illa adverbia significatur ab Athanasio tempus medium inter Antiochenum concilium, anno, ut jam dixi,* 269 *aut* 270 *celebratum, et Sabellianæ hæresos proscriptionem a Dionysio Romano in synodo Romana, ac dein in libris de Elencho et Apologia a* Dionysio *Alexandrino factam; cum autem hæc proscriptio ante persecutionis a Valeriano motæ finem ex dictis non acciderit, consequens, est, ut vel anno* 260 *vel etiam serius acciderit. Porro cum Valeriani persecutio finem non acceperit ante sex ultimos, uti infra docebo, anni* 260 *menses, verosimile mihi fit, synodum Romanam, in qua* Dionysii *Alexandrini causa discussa est, non ante dictum annum, ad finem jam fere delapsum, celebratam fuisse; ac proin* Dionysii *de Elencho et Apologia libros, utpote post hanc scriptos, non citius quam anno* 261 *esse exaratos; cum scilicet, Valeriano jam capto, atque in Persidem abducto, Macrianus, infestissimus Christiani nominis hostis, tyrannidem in Ægypto arripuisset, turbatisque proinde adhuc rebus,* Dionysius *Alexandriam nondum esset reversus. Atque ita quidem jam habemus tum tempus, per adverbia supra dicta designatum, non ultra annos prope octo extendi, tum etiam tempus, quo* Dionysii *de Refutatione et Apologia libri verosimillime non citius fuere conscripti. Verum anne hi non serius quam dicto anno* 261 *fuere exarati? Nihil quidem officit, quo minus ad annum usque* 262, *vel* 263 *vel* 264, *cum his annis in turbato etiam statu res Alexandriæ vel bello vel peste fuerint, li-* D *brorum illorum scriptio differatur: verum ne nimis arctum fiat spatium, ab Athanasio inter præfatam Sabellianæ hæresos proscriptionem et synodum Antiochenam per adverbiales particulas* ἔμπροσθεν πολὺ, *id est,* multo ante *positum, malo dictorum Sancti nostri librorum scriptionem anno* 261 *aut certe* 262, *quam serius statuere. Verum de hujus scriptionis epocha, uti et de tempore, quo concilium Alexandrinum, quod forte secundum dicta num.* 144 *contra Sabellianos* Dionysius *celebravit, collocandum sit, nonnulla adhuc claritatis causa infra afferam, cum de Sancti Alexandriam ab exilio post persecutionem regressu, sermonem instituam.*

quæcumque Dionysius occasione Sabellianæ hæresis gessit, inter annum 257 *et* 263 *locanda,*

163 *Ex hactenus dictis pronum est colligere, cui temporis spatio includenda sint, quæcumque Sabellianæ hæreseos occasione* Dionysius *vel gessit, vel passus est. Epistola, qua* Dionysius *Sixtum, Romanum Pontificem, hæreseos Sabellianæ, primum exortæ, certiorem reddidit, ante annum* 259, *ut docui, certissime scripta, hæque prima est omnium, quæ a* Dionysio *occasione Sabellianæ hæreseos scripta esse noscitur. Adhæc libri, quos Sanctus sub nomine Elenchi et Apologiæ edidit, anno* 261 *aut* 262, *ut docuimus, scripti sunt, nec scitur* Dionysius *post hos scriptos quidquam memoratu dignum Sabellianæ hæreseos occasione gessisse vel pertulisse. Quid-* E *quid igitur* Dionysius *occasione Sabellianæ hæreseos vel gessit vel pertulit, id omne inter annum* 257 *et annum* 263 *accidit. Ita latiori modo variarum a Sancto scriptarum epistolarum rerumque gestarum epocham definio, quod nihil suppetat, unde, quo singulæ anno scriptæ sint, certo definiam. Epistolam tamen ad Ammonium et Euphranorem, ut jam supra monui, anno circiter* 259 *scriptam puto. Porro occasione eorum, quæ supra de temporis spatio, ab Athanasio per adverbiales indefiniti temporis particulas, jam plus semel ante productas, verosimillime designato, observare hic convenit, mirum non esse, si quando per similes temporis particulas viginti circiter dumtaxat annorum spatium Sanctus noster designet; uti reipsa facit apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 7 *epistola ad Philemonem, jam ante sæpius laudata, sic scribens:* Didici, non ab Afris solis hunc morem (*rebaptizandi ab hæreticis baptizatos*) nunc primum invectum esse; sed et multo antea superiorum episcoporum temporibus et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse. *Quibus verbis innuit, multo ante Cypriani et synodi Carthaginensis de rebaptizandis hæreticis decretum, hæreticorum rebaptizationem sancitam fuisse in conciliis Synnadensi et Iconiensi, quæ tamen Cypriani aliorumque Africanorum epi-* F *scoporum de hæreticorum rebaptizatione decretum annis dumtaxat viginti circiter aut paulo amplius præcesserunt. Pergo nunc ad alia, quæ Sabellianæ hæresos occasione circa Sanctum nostrum indagari queunt.*

§ XVI. An Dionysius erroris circa sanctissimam Trinitatem a Pentapolitanis merito insimulatus fuerit.

Dionysius, fidei suæ ratione reddita, pro orthodoxo fuit habitus;

Quidquid Dionysius *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola de sanctissima Trinitate, ejusve secunda Persona scripserit, dubium equidem non est, quin a Dionysio, Romano Pontifice, synodoque ab eo Romam convocata, omni erroris suspicione liberatus et pro orthodoxo habitus fuerit, cum, datis ad Dionysium Romanum epistolis, districtam eorum, quæ in epistola ad Ammonium et Euphranorem scripserat, rationem reddidisset. Fas est id colligere ex S. Athanasio, dum lib. de Sententia* Dionysii *contra Arianos num.* 3 *sic scribit:* Magni certe argumenti est, in hoc (*quod suæ sententiæ fuerit*) illos (*Arianos*) vere non dicere, sed Virum (*sanctum* Dionysium) calumniari, quod nec ille umquam ab aliis episcopis deprehensæ impietatis damnatus, episcopatu pulsus sit, ut illi (*Ariani*) e clero ejecti

A ejecti sunt : neque hæresis propugnandæ causa secesserit ab Ecclesia : sed in illa pie obdormierit, ejusque memoria hactenus cum patribus celebrata et una in album relata sit. Si enim eadem, quæ illi, sensisset, aut si scriptorum suorum rationem non reddidisset, minime dubium, quin eadem fuisset, qua illi, pœna plectendus. *Quibus verbis clarissime innuitur,* Dionysium *doctrinæ suæ rationem reddidisse, nec, hac reddita, hæreseos perversæve doctrinæ reum fuisse deprehensum. Et vero* Dionysium, *fidei suæ ratione Dionysio Romano reddita, nullius perversæ doctrinæ reum aut suspectum, sed pro orthodoxo habitum fuisse, alia insuper ratione ostendo. Anno* 265 *contra Paulum Samosatenum, uti infra docebo, Antiochiæ celebrata est synodus, ad eamque, in qua tamen contra dictum Paulum de secunda Trinitatis Persona tractandum erat, vocatus est* S. Dionysius, *uti ex dicendis patescet. Id autem factum minime fuisset, nisi omnibus jam fuisset perspectum, fidem ejus de divina Christi natura sanam et pro orthodoxa habitam fuisse.*

dubium tamen est, an a Pentapolitanis merito insimultatus fuerit :

167 *Certum itaque esse debet, atque extra omnem controversiam positum,* Dionysium *Alexandrinum, fidei suæ ratione circa secundam sanctissimæ Trinitatis Personam reddita, a Dionysio Romano Pontifice, totaque Ecclesia pro orthodoxo habitum fuisse.*

B *Verum quæri hic jac potest, an in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola, cujus occasione a Pentapolitanis erroris insimulatus fuit, in nullum reipsa errorem lapsus fuerit, cujus causa merito ad Sedem Apostolicam deferri potuerit. Utinam præfata ad Ammonium et Euphranorem epistola, ab interitu servata, integra atque illibata ad ætatem nostram ab antiquitate esset transmissa! quæstio illa nullo fere posset decidi negotio. Verum cum epistola illa interierit, dubium relinquitur, an in ea Sanctus nulla prorsus verba sententiasve protulerit, ex quibus merito potuerit erroris insimulari. Fit autem res hæc idcirco etiam magis dubia, quod unum non sit et concors scriptorum antiquorum omnium de ea judicium. Hos inter sanctus Basilius et sanctus Athanasius præcipue considerandi occurrunt. De Basilio post dicam. S. Athanasius in laudato de sententia* Dionysii *Tractatu admittit, verba quædam, quæ in simplici nudaque fidei expositione reprobanda forent, a* Dionysio *in epistola, quam ad Ammonium et Euphranorem dedit, fuisse prolata, eaque ex sensu et fine, quo prolata sunt, solummodo excusat. Ipsa hujus sancti Patris verba, quæ huc potissimum faciunt, transcribo.*

asseruit quidem, fatente Athanasio, Filium Dei rem factam, et Patri non consubstantialem;

168 Aiunt igitur, *inquit in Tractatu, mox iterum laudato, num.* 4 *de Arianis loquens,* beatæ memoriæ Dionysium (*Alexandrinum episcopum*) in epistola sua (*ad Ammonium et Euphranorem*) dixisse, opus et rem factam esse Filium Dei, non natura proprium, sed alienum a Patre secundum substantiam, qualis est agricola a vite, et faber a scapha : etenim cum sit res facta, non erat, antequam fieret.

C *Doctrinam hanc a* Dionysio *in ea, quam ad Ammonium et Euphranorem dederat, epistola tradi, contendebant Ariani. At quid his Athanasius respondet?* Etiam, *subdit verbis mox recitatis,* scripsit, *talia nempe* Dionysius; ejusmodi illius epistolam (*ad Ammonium scilicet et Euphranorem datam*) esse et nos ultro fatemur. Sed ut hanc scripsit, ita et alias plurimas conscripsit epistolas, quas etiam ab illis (*Arianis*) lectas oportuit; ut ex omnibus, non ex unica dumtaxat explorata Viri fides esset. Fabri namque peritia, qui multas triremes exstruxit, non ex unica, sed ex omnibus simul æstimanda. Si igitur simpliciter ut fidem suam exponens, hanc, quam dicunt, scripsit epistolam; aut si hanc unam scripsit, accusent eum pro libidine; verum quippe eo casu suppetit accusandi argumentum. Quod si temporis et personæ ratio eum ad talia scribenda compulit, aliasque postmodum scripsit epistolas ad eam suspicionem (*de perversa circa secundam sanctissimæ Trinitatis Personam doctrina*) amovendam, non decuit, omissis scribendi causis, Viro temere invidiam conflare, ut ne videantur nil nisi voculas aucupari, veritatem autem, quæ in aliis ejus epistolis sese prodit, prætermittere. *Causas, quæ* Dionysium *ad talia scribenda compulere, quæque etiam finem, quo id fecit, involvunt, paucis interpositis, subjungit. Verba, quibus id facit, num.* 145 *jam transcripsi, quo propterea, studiose lector, te remitto. Quod vero spectat ad sensum, ex quo Athanasius verba* Dionysii, *de Dei Filio supra prolata, etiam excusat, de illo tum tractabo, cum de his adhuc quæpiam præmisero.*

AUCTORE C. B.

ast hæc, teste eodem Athanasio, sese asseruisse, negavit;

169 *S. Athanasius, uti ex numero præcedenti liquet, nude et simpliciter admittit,* S. Dionysium *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola dixisse,* opus et rem factam esse Filium Dei, non natura proprium, sed alienum a Patre secundum substantiam, qualis est agricola a vite et faber a scapha. Dionysius *ergo secundum Athanasium asseruit, Filium Dei esse creaturam seu opus factum, nec Patri esse consubstantialem. Verum* Dionysius *tam unum, quam alterum in libris seu epistolis, quas sui purgandi causa ad Dionysium, Romanum Pontificem, dedit, apertissime negavit. Liquet id tum ex Fragmentis, quæ ex* Dionysii *de Elencho et Apologia libris in suum de* Dionysii *sententia Tractatum intulit Athanasius, tum ex iis, quæ hic ipse etiam sanctus Scriptor libro de Nicænæ synodi Decretis num.* 25 *litteris consignata reliquit. Verba, quibus id posteriori loco litteris signavit, ante quidem adhuc* E *recitata sunt; hic tamen ea ob summam, qua rem exprimunt, claritatem iterum hic recitabo. Sunt autem hæc :* Cum, *inquit,* in suspicionem (Dionysius *nempe Alexandrinus*) venisset dixisse, Filium rem factam et creatam esse, non vero Patri consubstantialem, litteras dedit ad Romæ episcopum, Dionysium quoque appellatum, in quibus se expurgans asseverabat, calumniam hanc esse advertus se confictam; numquam enim se Filium factum dixisse, sed illum Patri consubstantialem confiteri se, affirmabat. *In Fragmentis autem, ab Athanasio e* Dionysii *de Elencho et Apologia libris in suum de sententia* Dionysii *tractatum illatis, unum num.* 18 *occurrit, huc potissimum faciens, jamque antea transcriptum, in quo* Dionysius *accusatores suos, seu Pentapolitanos, qui ab eo Filium inter res factas computari, Patrique esse consubstantialem negari, asseverarant, apposite redarguens, ad Dionysium Romanum sic scribit :* Ceterum ubi res factas et opificia quædam consideranda dixi, eorum exempla ut minus utilia cursim protuli, cum dixi : Neque planta idem est, quod agricola, neque scapha idem, quod navium faber : deinde in congruis et naturæ rei accommodatioribus magis sum immoratus; ac pluribus ea, quæ certioris fidei erant, exposui, variis excogitatis exemplis, quæ tibi in alia epistola F scripsi, quibus criminationem eorum depuli, mendacemque ostendi, qua aiebant, me Christum negare esse Patri consubstantialem. *Quibus verbis* Dionysius *apertissime negat, se dixisse, Filium Patri non esse consubstantialem.*

et vero primum se dixisse certo sensu merito potuit negare;

170 *Negavit ergo* Dionysius, *se Filium Patri asseruisse non consubstantialem; hocque constat tum ex ipsiusmet Sancti testimonio, tum ex Athanasii verbis proxime recitatis, quibus insuper indicatur, a* Dionysio *numquam dictum fuisse, Filium esse factum, seu creaturam. Quomodo igitur Athanasius* (*vide verba num.* 168 *recitata*) *Arianis objicientibus,* Dionysium *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola dixisse,* opus et rem factam esse Filium Dei, non natura proprium, sed alienum a Patre secundum substantiam; *quomodo, inquam, Arianis hæc objicientibus, Athanasius respondet :* Etiam (*hæc scilicet* Dionysius) scripsit : ejusmodi illius epistolam esse, et nos ultro fatemur? *Potestne dixisse* Dionysius *et simul non dixisse, Filium rem factam seu creaturam? Potestne* Filium Dei non natura proprium, sed alienum a Patre secundum substantiam *asseruisse, simulque non dixisse, eum Patri non esse consubstantialem? Quod ad primum e duobus hisce ultimis quæsitis pertinet, potest* Dionysius, *Filium Dei, spectata humana ejus carne, rem factam dixisse, simulque deinde, cum id, spectata divina ejusdem natura*

AUCTORE C. B.

natura, dixisse insimularetur, impium hoc dogma sese umquam professum inficiari, hancque asseverare esse calumniam, sibi affictam. Quibusdam autem, *inquit de Sententia* Dionysii *num.* 21 *Athanasius,* imperite, *seu potius, ut Græce est,* ἀσυνειδήτως, *id est,* mala conscientia *seu* fide, ipsi (*sancto* Dionysio) reponentibus, quod Deum dixisset Christi factorem, sui purgandi causa varia adhibuit argumenta; neque sic, aiens, reprehendenda esse sua verba: se enim factoris nomine usum affirmat, propter carnem, quam Verbum assumpserat, utique factam. *Pari ergo modo objicientibus seu affirmantibus, dixisse* Dionysium, *Filium Dei rem factum seu creaturam esse, reponere Sanctus potuit, verosimillimeque reposuit, id se non dixisse propter divinam ejus naturam, sed* propter carnem, quam assumpserat, utique factam.

quamvis autem idem sensus non fundetur in Dionysio quantum ad secundum.

171 *Atque ita quidem habemus, qui Athanasius per verba mox recitata Arianis concedat, dixisse* Dionysium, *Filium Dei rem factam esse seu creaturam, Sanctusque nihilominus se id dixisse, merito ire potuerit inficias. Verum an assignata pariter hac sensuum diversitate, exponi potest, qui Athanasius Arianis concedat, dixisse* Dionysium, *a Patre secundum substantiam Filium Dei esse alienum, Sanctusque nihilominus sese Dei Filium Patri non consub-*
B *stantialem asseruisse, eat inficias? Res sane non tantum potest, verum etiam, uti infra docebo, ita debet exponi: attamen hæc expositio non æque ac præcedens in ipsomet* Dionysio *fundatur. Etenim Sanctus nuspiam affirmat, sese Dei Filium ob carnem, seu potius secundum carnem, quam hîc assumpserat, Patri negasse consubstantialem verum ubique in Fragmentis, quæ ex ejus de Elencho et Apologia libris recitat Athanasius, apertissime simul, nullaque adducta sensus diversitate, disertissime negat, Dei Filium Patri consubstantialem, sese esse inficiatum. Id ipsemet agnoscit S. Athanasius de Sententia* Dionysii *num.* 19 *sic scribens:* Quod si, *Ariani scilicet,* putant, id non recte dictum fuisse, quare Dionysium, qui id ipsum ait, quasi secum sentientem jactitant; cum præsertim is non obiter hoc (*Filium Dei Patri esse consubstantialem*) dicat, sed aliis antea missis epistolis, eos, qui se insimulabant, quasi diceret, Filium non esse Patri consubstantialem, mendacii coarguat; illos vero, qui putabant, se dixisse, Verbum esse factum, refellat, negans se, prout illi existimant, sentire: sed tametsi voces illas protulit, eo solum illud se dixisse testatur, ut ostenderet, non Patrem, sed Filium esse, qui conditum, creatum et factum corpus induit: quo circa
C Filius conditus, factus et creatus fuisse dicitur.

Sanctusque Dei Filium revera asseruerit Patri non consubstantialem,

172 Dionysius *itaque, uti ex hisce Athanasii verbis liquet, in suis de Elencho et Apologia libris admisit quidem, se dixisse, Filium Dei rem factam esse seu creaturam, hocque suum dictum de Filio Dei secundum carnem, quam assumpsit, accepto interpretatus est; sese vero dixisse, Filium Dei non esse Patri consubstantialem, constanter negavit; idque nulla vel humanæ vel Divinæ naturæ, secundum quam id negarit, mentione apposita, ut Sanctus voluerit, se nullo prorsus sensu dixisse, Dei Filium Patri non esse consubstantialem. At, inquies, si id ita sit, pugnat certissime* Dionysius *cum Athanasio, cum hic per verba supra recitata Arianis concedat,* Dionysium *dixisse, Filium a Patre secundum substantiam alienum, ac proin ei non esse consubstantialem. Fateor: non video, qua ratione hic Sanctus noster cum Athanasio in concordiam satis queat adduci. Verum Athanasio, qui a* Dionysio *Filium a Patre alienum secundum substantiam dictum admittit, hic assentior, putoque, Sanctum in suis de Elencho et Apologia libris a se Filium Patri non consubstantialem dictum esse, idcirco negasse, quod in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola Filium Patri esse consubstantialem nuspiam in terminis ivisset inficias, tuncque sese in dicta epistola, Filium a Patre secundum substantiam alienum, ex quo eum Patri non esse consubstantialem consequebatur, uspiam dixisse, non recordaretur. Neque est, cur id quispiam absonum existimet. Etenim* Dionysius, D *suos scribens de Elencho et Apologia libros, præ manibus, uti ipsemet verbis num.* 161 *recitatis testatur, non habuit epistolam, quam antea ad Ammonium et Euphranorem dederat, et in qua, teste Athanasio, Filium a Patre secundum substantiam alienum affirmarat. Potuit ergo Sanctus, sese id affirmasse, postea non sat fuisse memor, cum præsertim in dicta epistola ex vehementiori et quodammodo nimio, unde facile nasci solet oblivio, Sabellianæ hæresi obluctandi ardore plurima scripsisset, variisque adductis argumentis, de iis, quæ ad humanam Salvatoris naturam spectant, disseruisset.*

id tamen sese asseruisse, bona fide negavit, debetque etiam de Dei Filio

173 *Ita sane hic* Dionysius, *ne cum Athanasio pugnare dicendus sit, debet exponi: neque enim cum Rufino dicere lubet epistolam, ad Ammonium et Euphranorem datam, in qua, fatente Athanasio, Filium Patri non esse consubstantialem* Dionysius *asseruit, a* Dionysii *hostibus fuisse corruptam; hinc namque esset consequens, Athanasium, dum verbis num.* 168 *recitatis præfatam epistolam pro genuina* Dionysii *epistola admittit, fuisse deceptum; id autem nulla ratione verosimile existimo. Et vero qui verosimile esse queat, Athanasium hic fuisse deceptum, qui procul dubio* S. Dionysii *tum epistolam ad Ammonium et Euphranorem, tum etiam libros de Elencho et Apologia ad Dionysium, Romanum Pontificem, scri-* E *ptos diligentissime simul accuratissimeque excussit. Certum ergo maneat atque indubitatum,* Dionysium *eorum, quæ in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola scripserat, minus recte tunc, cum sui purgandi causa ad Dionysium Romanum scriberet, fuisse recordatum, sicque bona fide id, quod in illa epistola, Filium Dei a Patre secundum substantiam alienum faciens, prius affirmarat, in suis de Elencho et Apologia libris postea negasse. Verum, quamvis* Dionysius *revera in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola Filium a Patre secundum substantiam alienum esse, asseverarit, non est tamen, cur perversæ eum doctrinæ fuisse, aut tunc, cum dictam epistolam scriberet, non esse orthodoxe locutum, existimes. Sanctus enim, uti jam supra innui, Filium Dei a Patre secundum substantiam dixisse potuit alienum non alio sensu, quam quo eum rem factam esse aut creatam asseveravit. Hoc autem de Filio secundum carnem, quam hic assumpsit, considerato, dumtaxat asseruit; quo certe in asserto nullus plane error latet.*

secundum naturam humanam sumpto, quamvis ipse Sanctus eo

174 *At, inquies,* Dionysius, *ut apparet, in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola dixerat, Deum Patrem comparari ad Filium, ut agricola ad plantam, et navium faber comparatur ad scapham, hacque partim ex causa Pentapolitani accusabant* Dionysium, *quasi dixisset,* Filium inter res factas F (*vide Athanasium de Sententia* Dionysii *num.* 18) *computari, et nequaquam esse Patri consubstantialem; ut autem Sanctus hoc accusationis contra se intentatæ caput refellat, non ait, sese de Dei Filio secundum* carnem, *quam hic assumpsit,* utique factam, *esse locutum, verum hoc utitur responso longe diverso:* Ceterum, *adi Athanasium loco proxime citato,* ubi res factas et opificia quædam consideranda dixi, eorum exempla, ut minus utilia cursim protuli, cum dixi: Neque planta idem est, quod agricola, neque scapha idem, quod navium faber: deinde in congruis et naturæ rei accommodatioribus magis sum immoratus. *Cum ergo, uti ex his verbis transcriptis liquet, ipsemet* Dionysius, *quo dictis suis, de quibus hic agimus, sensum orthodoxum conciliet, ad Filium Dei, secundum humanam naturam consideratum, non recurrat, neque eo a nobis, ut Sanctum orthodoxe locutum esse, sustineamus, recurrendum est. Adhæc Sanctus eo epistolæ ad Ammonium et Euphranorem loco, quo Deum Patrem ad Filium, ut agricola ad plantam et navium fabricator comparatur ad scapham, comparari asseruit, certissime egit de Dei Filio, secundum naturam humanam non spectato. Liquet id ex aliis comparationibus, quas ibidem etiam attulit. Dixit enim ibidem etiam (vide iterum Athanasium loco proxime citato) Dei Filium*

A *Filium comparari ad Patrem, ut Filius in humana generatione ad Patrem, fluvius ad fontem et planta comparatur ad radicem.*

non recurrat, assertum illud exponi;

175 *Quapropter cum neque filius in humana generatione a patre, neque fluvius a fonte, neque planta a radice distinguatur essentia seu natura, vult* Dionysius *illis comparationibus Dei Filium natura seu essentia a Patre non esse diversum. Jam vero cum Dei Filius secundum carnem humanam, quam assumpsit, a Patre utique essentia differat, necesse est,* Dionysium, *dum hujusmodi comparationes adhibet, de Dei Filio, secundum naturam humanam non considerato, facere sermonem. Ut ergo* Dionysium, *dum Dei Filium a Patre secundum substantiam eo modo, quo vitis ab agricola et scapha a fabro, alienum asseruit, orthodoxe locutum esse, teneamus, apte eum de Filio Dei, secundum humanam carnem, quam assumpsit, interpretari non possumus. Respondeo, hoc Sancti assertum, proxime memoratum, certissime non posse, nisi ad humanam Christi naturam recurrendo, sensu orthodoxo exponi, nec dubitandum, quin* Dionysius, *dum illud in sua Ammonium et Euphranorem epistola protulit, de Christo, secundum illam naturam spectato, fuerit locutus, seque hoc tunc fecisse, dubio procul in suis de Elencho et Apologia libris idcirco non respondit, quod tunc, cum*

B *hos scriberet, sese in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola Dei Filium a Patre secundum substantiam alienum asseruisse, sat recte, ut docuimus, recordatus non fuerit. Hinc est, cur, ut* Dionysium, *dum Dei Filium a Patre secundum substantiam alienum asseruit, orthodoxe locutum ssse, sustineamus, ad humanam Christi naturam recurrendum arbitremur. Quod autem pertinet ad comparationes de vinea et ad comparationes de vinea et agricola, de scapha et fabro num. 174 memoratas, dato etiam, Sanctum, dum eas adhibuit, de Dei Filio, secundum humanam naturam non considerato, esse locutum, possunt hæ, etiam hoc admisso, si seorsum accipiantur, sensu orthodoxo a* Dionysio *fuisse adhibitæ.*

alia vero quædam queunt Dionysii

176 *Quamvis enim Dei Filius, secundum naturam humanam non consideratus, a Patre non distinguatur eo modo, quo planta ab agricola, et navium faber a scapha, noluit* Dionysius, *hujusmodi comparationes adhibens, perfectum assignare Deum Patrem inter et Filium distinctionis modum, qui inter res, quas in comparationem adducit, invenitur. Et vero exempla illa de scapha et navium fabricatore, de planta et agricola cursim dumtaxat, ut ait, veluti minus utilia protulit, utpote, satis videns, scapham a navium fabricatore et plantam ab agricola natura*

C *seu essentia esse diversam, ac proin Dei Filium perfecte non comparari eo modo ad Patrem, quo planta ad agricolam et scapha comparatur ad navium fabricatorem. Itaque dum* Dionysius *hujusmodi exempla produxit, iis dumtaxat voluit innuere, Dei Filium inter et Patrem, etiam secundum divinas Personas seu Hypostases distinctionem intercedere; sed quæ qualisve illa sit, non edicit. Satis autem sequentibus, quas de fluvio et fonte, de patre et filio adhibet, comparationibus indicat, sese inter Deum Patrem et Filium distinctionem quantum ad naturam seu substantiam non statuere, seu Patrem a Filio secundum substantiam seu naturam non facere alienum.* Ac pluribus, *ait post verba, ex Athanasio proxime recitata,* ea, quæ certioris fidei erant, exposui, variis excogitatis exemplis, quæ tibi in alia epistola scripsi, quibus criminationem eorum (*Pentapolitanorum*) depuli, mendacemque ostendi, qua aiebant, me Christum negare esse Deo consubstantialem. Tametsi enim fateor, me hoc vocabulum nusquam in Scripturis sacris vel invenisse vel legisse, attamen argumenta mea, quæ subsequuntur, quæque isti tacuerunt, ab hac sententia nihil discrepant. Etenim humanam prolem in exemplum attuli, quam patet eess ejusdem generis ac genitorem.

177 *Ita* Dionysius *hisce verbis ad verba, quæ proxime præmiserat, relatis, indicans, sese, spectato sententiarum suarum et verborum contextu, non docuisse dogma, a Pentapolitanis sibi de sanctissima Trinitate impositum. Atque ita jam habes, qui* Dionysius *Dei Filium ad Patrem, ut plantam ad agricolam, absque errore comparare potuerit, licet de Dei Filio secundum carnem, quam hic assumpsit, crederetur non locutus. Sunt et alia, ob quæ* Dionysium *circa sanctissimam Trinitatem errare, vel suspicabantur, vel certe suspicari poterant Pentapolitani, nec tamen ad humanam Christi naturam, ut sensus iis adaptetur Catholicus, recurrendum erat, aut a Sancto ubique recurritur.* Cum Patrem (*vide Athanasium Tractatu sæpissime laudato, num.* 16) dicit Dionysius, Filium non nominat; et vice versa, cum Filium dicit, Patrem non memorat, sed dividit, amovet et separat Filium a Patre. *Ita contra Sanctum argutabantur Pentapolitani, suspicantes scilicet, a* Dionysio *Deum Patrem a Filio secundum substantiam seu essentiam dividi. Verum* Dionysius *ad hæc non respondet, sibi de Dei Filio, secundum humanam carnem seu naturam accepto, esse sermonem, nec vero id erat necesse. Ipsa Sancti verba, apud Athanasium Tractatu mox iterum laudato, num.* 17 *exstantia hucque facientia transcribo.* Singula nomina, *inquit,* a me prolata a se invicem nec separari nec dividi queunt : Patrem dixi, et priusquam Filii mentionem facerem, jam illum in Patre significaram; Filium adjunxi, ac etiamsi Patrem non E
prius nominassem, is tamen in Filii nomine comprehensus fuerat : Spiritum sanctum addidi, sed simul et unde et per quem processerit, adjunxi. Illi vero ignorant, neque Patrem, qua pater est, a Filio alienari posse, nam nomen illud est origo conjunctionis; neque Filium a Patre separari, namque Patris vocabulum commune quidpiam indicat. In manibus autem illorum est Spiritus. qui neque a mittente, neque a ferente separari potest. Quomodo igitur ego, qui talibus utor nominibus, illa a se invicem separata et omnino divisa existimem? *Hunc in modum Sanctus, non recurrendo ad humanam Christi naturam, rationem reddit, qua Filium Dei sejungat a Patre, nec tamen hunc ab illo prorsus seu quantum ab substantiam seu essentiam dividat.*

ad humanam Christi naturam, exponi.

178 *Porro* Dionysius *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola dixerat, Deum Patrem esse rerum omnium Creatorem, hincque suspicari poterant ejus accusatores, Deum Patrem ex* Dionysii *sententia etiam esse Filii sui factorem ac proin Filium esse rem factam seu creaturam. Sanctus ut hanc suspicionem vanam seu nullo fundamento nixam ostendat, ad difficultatem hic propositam, quæ ei objici potuisset, et cui alibi aliter etiam satisfecit, his verbis respondet :* Si quis autem ex sycophantis (*sic accusatores ob dicenda appellat*) eo quod Deum omnium F
dixi factorem et creatorem, existimat, me etiam Christi factorem dixisse, advertat, me Prius Patrem ipsum appellasse, in quo vocabulo Filius adscriptus est. Postquam enim dixi, Patrem factorem esse, subdidi : Neque Pater eorum est, quorum factor est, si proprie Pater intelligatur esse is, qui genuit ; (latitudinem enim vocabuli hujus, PATER, in sequentibus inquiremus) neque factor Pater est, si solus opifex factor dicatur : apud Græcos enim ii, qui sapientes sunt, suorum librorum factores vocantur, Apostolusque ait, FACTOR LEGIS : nam rerum etiam intrinsecarum, cujusmodi sunt virtus et vitium, factores sunt homines, ut dixit Deus : Expectavi, ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem. *Ita iterum* Dionysius *non recurrendo ad humanam Christi naturam, plenissime occurrit suspicioni, qua quis computari ab eo Filium Dei inter res creatas, suspicari potuisset idcirco, quod Deum Patrem in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola rerum omnium vocasset Creatorem. Habent itaque, etiam secundum* Dionysii *expositionem, nonnulla, quæ hic in epistola, mox iterum memorata, in speciem minus orthodoxa scripsit, sensum apprime orthodoxum, etiamsi pro eo sancti Viri dictis asserendo ad humanam Christi naturam non recurratur.*

179 *At,*

AUCTORE C. B.

asserta sensu orthodoxo, etiam non recurrendo

AUCTORE C. B. *Pentapolitani nihilominus, fatente etiam S. Athanasio,*

179 *At, inquies, consequens hinc est, ut Pentapolitani* Dionysium *occasione epistolæ, quam hic ad Ammonium et Euphranorem dederat, nulla plane ratione, veluti violatæ fidei reum, ad Dionysium, Romanum Pontificem, detulerint. Respondeo : Pentapolitani, ut mihi equidem apparet, non absque omni prorsus causa, saltem in speciem justa, Sanctum nostrum, veluti impii dogmatis assertorem, ad Romani Pontificis tribunal detulere. Id ipsemet S. Athanasius, etiamsi* S. Dionysii *de sanctissima Trinitate sententiam adversus Arianos tueatur, non obscure insinuat, Tractatu de sententia* Dionysii *num. 4 de* Dionysio *sic scribens :* Si igitur simpliciter, ut fidem suam exponens, hanc, quam dicunt, scripsit (*ad Ammonium et Euphranorem*) epistolam ; aut si hanc unam scripsit, accusent eum pro libidine; verum quippe eo casu suppetit accusandi argumentum. *Quibus verbis S. Athanasius fatetur, ab Arianis in suæ circa secundam sanctissimæ Trinitatis Personam opinionis societatem recte vocari* S. Dionysium *Alexandrinum, si hic unam dumtaxat, ejus nomine circumlatam, ad Ammonium et Euphranorem scripsit epistolam. Quapropter cum Pentapolitani, dum* Dionysium *perversæ doctrinæ apud Romanum Pontificem accusarunt, unicam dumtaxat* (*libri enim de Elencho et Apologia nondum*
B *scripti erant*) *præ manibus habuerint epistolam, ad Ammonium et Euphranorem scriptam, justam ex Athanasii sententia rationem habuerunt, ob quam* Dionysium, *veluti violatæ fidei reum, ad Pontificis Romani tribunal detulerint.*

justam Dionysii insimulandi habuisse videntur causam,

180 *Et vero id non tantum ex Athanasii sententia concludendum videtur, verum etiam ex iis, quæ ipsemet* S. Dionysius *in præfata ad Ammonium et Euphranorem epistola, litteris mandavit. Etenim in hac Sanctus plurima de Christi humanitate, pauca admodum de Deitate scripserat, hincque oriri nata erat suspicio, eum a Deo Patre prorsus sejungere Filium, quod humana Christi natura secundum essentiam a Divina sejuncta sit atque aliena. Quamvis autem Sanctus hujusmodi scribendi rationem optimo teneret consilio, scribensque, quæ ad humanam Christi spectarent naturam, perspecta haberet atque crederet, quæ de divina ejus substantia essentiaque traduntur in Scripturis, hæc tamen pia sancti Viri intentio, fideique puritas Pentapolitanis omnino erat incognita. Adhæc in eadem epistola Sanctus scripserat, Filium Dei* (*vide num.* 168) *opus esse, et rem factam, non natura proprium, sed alienum a Patre secundum substantiam, qualis est agricola a vite, et faber a scapha : quamvis autem hæc Sancti dicta* (*adi quæ num.* 170 *et seqq. disseruimus*) *sensu*
C *orthodoxo queant exponi, sicque ab ipsomet Sancto pleroque deinde in libris de Elencho et Apologia conscriptis, fuerint exposita, illum tamen orthodoxum sensum,* Dionysii *verbis aptandum, verosimilline non percepere Pentapolitani, hincque dicta* Dionysii *verba in sensu heterodoxo seu perverso, cujus etiam, secundum se spectata, erant capacia, accipientes, Filium Dei, etiam secundum naturam Divinam consideratum, asseri a* Dionysio *rem factam, et Patri non consubstantialem, existimarint, ut adeo rationem, saltem apparenter justam, habuerint, ob quam sanctum Virum, veluti violatæ fidei reum, ad Romani Pontificis tribunal detulerint.*

hocque ex quibusdam Sancti dictis non infirmatur,

181 *Verum, repones,* Dionysius *apud Athanasium libro de Nicænæ Synodi Decretis, atque etiam Tractatu de* Dionysii *sententia contra Arianos conscripto, accusatores suos, seu eos, qui eum, veluti impia in sanctissimam Trinitatem opinione infectum, ad Romanum Pontificem detulerant,* sycophantas, mendaces *et* calumniatores, *uti ex Athanasianis textibus, supra huc transcriptis, patet, subinde appellat; verosimile autem non videtur, probrosis hujusmodi appellationibus afficiendos illos a Sancto fuisse, si hunc ad Romani Pontificis tribunal non alia, quam justa de causa detulissent. Respondeo :* Dionysius *firmiter sibi habebat persuasum, sese in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola non asseruisse, Filium Dei a Patre secundum substantiam esse alienum, seu Patri non esse consubstantialem; cum vero sanctum Virum, veluti assertorem impii in sanctissimam Trinitatem dogmatis, quo Filius a Patre in Divinis statuitur essentia diversus, ad Romanum Pontificem detulissent, potuit* Dionysius *delationem illam pro calumnia habere, hujusque proinde auctores, quod simul ab his sese apud Romanum Pontificem suspectæ seu perversæ fidei insimulari, ferret agerrime,* mendaces, calumniatores *et* sycophantas *appellare. Mirum non est, virum apprime orthodoxum in hæreseos accusatione minus esse patientem. Adhæc Pentapolitani, uti jam docuimus, quosdam epistolæ, a Sancto ad Ammonium et Euphranorem scriptæ, textus a reliqua oratione sejunxerant, ex iisque partim* Dionysium *violatæ fidei reum egerant, non animadvertentes, textus illos, cum antecedentibus et consequentibus comparatos, sensu posse orthodoxo exponi. Cum autem* (*vide hujus Commentarii num.* 160) *Sanctus arbitraretur, id ab iis non bona, sed mala fide factum esse, potuit eosdem calumniatorum loco habere, præfatisque proinde probrosis appellationibus in suis de Elencho et Apologia libris icessere, ut adeo ex acerbis, quibus* Dionysius *in accusatores suos usus est, appellationum modis concludi omnino nequeat, hos omni prorsus causa, etiam in speciem tantum justa, ob quam Sanctum pravæ opinionis accusarint, fuisse* E *destitutos.*

D

sed contra ex S. Basilio, qui a Dionysio

182 *Itaque quamvis, spectatis omnibus hactenus dictis, dubium quidem adhuc sit, an* Dionysius *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola nihil omnino scripserit, cujus causa a Pentapolitanis apud Dionysium Romanum Pontificem, erroris fuerit non immerito insimulatus, videtur tamen mihi esse probabilior affirmantium opinio. Præterquam enim quod huic non parum faveant tum ea, quæ num.* 180 *protulimus, tum verba, quæ num.* 179 *ex Athanasio transcripsimus, idem hic sanctus Scriptor eo ipso loco, quo* Dionysium *apud Pontificem Romanum erroris insimulatum refert, Pentapolitanos vocat* (*vide verba num.* 149 *recitata*) sanæ doctrinæ homines, *eosque, quamvis etiam sanctum Virum, scriptionis causam prævie non rogatum, sequioris doctrinæ accusassent, nullo omnino verbo carpit, aut sugillat, id utique, cum* Dionysium *ibidem defendat, verosimiliter facturus, si sanctum Virum per calumniam ad Romanam cathedram detulissent, aut si hic justam accusationis, contra se ab illis intentatæ, causam non præbuisset. Ad hæc Basilius, qui hic una cum S. Athanasio, ut jam supra monui, præcipue in considerationem venit, epistola nona ad Maximum Philosophum diserte affirmat,* Dionysium *Alexandrinum, in sua scilicet ad Ammonium et Euphranorem epistola, statuere Deum Patrem inter et Filium* F *essentia differentiam, ut adeo ex hujus sancti patris sententia* Dionysius *justam præbuerit causam, ob quam a Pentapolitanis erroris circa sanctissimam Trinitatem insimulatus fuerit. Ut eruditus lector aptius queat suum de re ferre judicium, ipsa Basilii huc facientia verba transcribo.*

essentiæ differentiam in Trinitate statui, affirmat,

183 Et, *ait hic sanctus pater,* cum ei (Dionysio *Alexandrino*) satis esset, non idem esse subjecto Patrem et Filium demonstrare, atque hæc adversus blasphemum (*Sabellium*) palmaria tenere; ut manifestam prorsus et redundantem victoriam habeat, non modo hypostaseon alietatem statuit, sed etiam essentiæ differentiam, ac potentiæ gradus et gloriæ diversitatem. Quare inde contigit, ut mutarit quidem malum malo, a recta autem doctrina aberrarit. Hinc etiam non sibi constat in scriptis, nunc quidem tollens CONSUBSTANTIALE propter eum, qui hac voce ad hypostases destruendas prave utebatur; nunc vero admittens in iis, quæ defensionis causa ad cognominem (*Dionysium nempe, Romanum Pontificem*) scripsit. *Ita Basilius, clarissime docens, statui a* Dionysio *Deum Patrem inter et Filium essentiæ differentiam. Benedictini in editione Operum S. Basilii, qua hic utor, anno hujus sæculi trigesimo typis Parisiensibus vulgata ad verba laudati sancti Basilii huc transcripta*

A *scripta sic observant :* Finxerunt Ariani, dixisse Dionysium, Filius cum sit res facta, non erat, antequam fieret. *Citant autem pro hoc asserto suo probando numerum quartum Tractatus de sententia* Dionysii *ab Athanasio conscripti, adduntque, falsa hujusmodi Arianorum testimonia Basilio forte fucum fecisse, ac proin in causa fuisse, ut a* Dionysio *Alexandrino Deum Patrem inter et Filium essentiæ differentiam statui, assereret. Verum non video, qua veri specie dici queat, Arianos* S. Dionysio *hoc de Dei Filio assertum,* Filius cum sit res facta, non erat, antequam fieret, *falso affinxisse. Nec capio, qui hoc ex Athanasiano loco, quem præfati Benedictini laudant, possit probari. Etenim ibidem* (*Vide hujus Commentarii num.* 168) *S. Athanasius fatetur, a* Dionysio *in epistola ad Ammonium et Euphranorem scriptum esse, Filium Dei, cum sit res facta, non fuisse, antequam fieret.*

confirmatur, tenendumque, ut verosimilius, statuitur.

184 *Cum autem, fatente secundum supra dicta eodem Athanasio,* Dionysius *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola non hoc tantum scripserit, verum etiam, Dei Filium a Patre secundum substantiam esse alienum, ex Athanasio nihil habetur contra Basilium asserentem, a sancto* Dionysio *Deum Patrem inter et Filium essentiæ differentiam constitui. Imo cum quantum ad hoc binos inter illos sanctos*

B *Patres apprime, ut apparet, conveniat, fuerit* Dionysius *ex illorum judicio in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola de sanctissima Trinitate nonnihil crudius locutus, quamvis interim de eadem orthodoxe, si quis alius, senserit, seque probe orthodoxum posterioribus scriptis dilucide probarit.* Causa, *cur ita ad Ammonium et Euphranorem scripserit,* opinor, *inquit Basilius epistola supra laudata,* non sententiæ pravitas, sed vehemens studium Sabellio adversandi. *Itaque, hisce perpensis omnibus, ut hanc quæstionem præsenti paragrapho hactenus tractatam tandem absolvam, verosimilius, ut jam innui, mihi apparet,* Dionysium *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola nonnullis loquendi formulis, minus caute adhibitis, merito videri potuisse in errorem prolapsum, hinc que ad Sedem Romanam, veluti violatæ fidei reum, deferri. Pro certo tamen hæc affirmare non ausim, cum dicta epistola, utpote jam deperdita, ad manum non sit, qua tamen opus esset, ut dijudicari posset, an facilem ac pæne obviam ex antecedentibus et consequentibus expositionem non admittant, quæ in illa* Dionysius *in speciem erronea, veritatis contra Sabellium tutandæ studio, non autem opinionis pravitate, durius nonnihil atque incautius fuit effatus.*

C § XVII. An Dionysius merito dici queat Arianorum præformasse errores.

Dionysium Arianorum errores præformasse, dixere nonnulli;

Sanctus Dionysius, *ut § præcedenti docuimus, crudioribus nonnullis adhibitis de sanctissima Trinitate loquendi formulis, justam, ut verosimilius apparet, Pentapolitanis causam præbuit, ob quam ab his ad Romanum Pontificem, veluti violatæ fidei reus, fuerit delatus. Dixerat scilicet, fatente secundum supra dicta Athanasio, Sanctus noster,* opus et rem factam esse Filium Dei, non natura proprium, sed alienum a Patre secundum substantiam, qualis est agricola a vite et faber a scapha : etenim cum sit res facta, non erat, antequam fieret. *Porro Arius ejusque asseclæ quinquaginta circiter post* Dionysii *obitum elapsis annis, docuerunt, Filium Dei esse puram creaturam, fuisseque aliquando, cum non esset, quod impium in secundam sanctissimæ Trinitatis Personam dogma parum admodum vel potius nihil dissonat a dogmate, quod comprehendi videtur sub verbis, quæ proxime ex Athanasio, veluti a* Dionysio *epistolæ ad Ammonium et Euphranorem datæ inserta, huc transcripsimus. Cum itaque Sanctus justam sui accusandi, veluti qui Dei Filium creaturam esse, in speciem assereret, Pentapolitanis causam dederit, idemque fere, quod postea Ariani, in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola do-*

AUCTORE C. B.

cuisse ex verbis, quæ adhibuit, non immerito sit visus; cum, inquam, res ita circa Sanctum nostrum comparata sit, alia hic exoritur quæstio, an scilicet Dionysius *Arianorum errorem, quo hi secundam sanctissimæ Trinitatis Personam creaturis accensebant, præformasse merito dici queat. Fuerunt nonnulli, hosque inter S. Basilius, ipsimetque Ariani, qui* S. Dionysium *prima Arii de sanctissima Trinitate opinioni semina præbuisse, asseverarunt. De S. Basilio, ejusque in* Dionysii *scripta judicio fuse infra sermonem instituam. De Arianis, utpote ante Basilium ortis, nunc ago, simulque disquiro, an* Dionysium *impiæ suæ hæreseos patronum seu potius præformatorem merito fecerint.*

ast id Sanctum non fecisse, probatur argumento,

186 *S. Athanasius,* Dionysii *post aliquot alios medios episcopos in sedem Alexandrinam successor, Tractatum sat prolixum, quem* de Sententia Dionysii *inscripsit, eo fine exaravit, ut* Dionysium *contra Arianam hæresim sensisse, falsoque ab Arianis, veluti doctrina cum illis consentientem, traduci, ostenderet. Id autem Athanasius tam nervose, tamque efficaciter præstitit, ut* Dionysium *ab Arianorum circa secundam sanctissimæ Trinitatis Personam sententia alienissimum fuisse, et cum Nicæna synodo sensisse, luce meridiana, ut cum paræmia loquar, clarius demonstrarit, variisque adductis ex* Dionysii *de Elencho et Apologia libro textibus impium Aria-* E *norum, quo hi in hæreticæ suæ doctrinæ societatem Sanctum nostrum præfracte volebant pertrahere, conatum peropportune retuderit. Nos adeo, ut* Dionysium *Arianæ hæreseos præformatorem non fuisse, monstremus, Athanasium hic sequemur, ejusque, quantum res exiget, vestigia legemus. Hic sanctus scriptor, uti ex supra dictis facile colliges, non negat,* Dionysium *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola nihil omnino Arianis favens scripsisse. Verum illa a Sancto non ea mente, qua putabant Ariani, scripta esse contendit. Ut autem id probet, num.* 13 *et* 14 *argumentum contra Arianos intorquet, quod in hoc fere recidit. Quicumque se ab aliqua opinione, veluti a flagitio purgat, is certe ipsa sui purgatione ab opinione illa sese alienum, indubie commonstrat. Quapropter cum* Dionysius *sese ab opinione illa, qua, ut a Pentapolitanis quibusdam accusatus erat, Filium Dei rem factam et Patri non consubstantialem asseruerat, non secus atque a flagitio, edita Apologia, ad Romanum Pontificem missa, purgarit, hoc ipso se a dicta opinione alienum esse, certissima probavit.*

quo etiam Athanasius usus est,

187 *Ipsa Athanasii verba, ut de re commodius ferre queat eruditus lector judicium, huc transcribo.* Cum, *inquit Tractatu de* Dionysii *sententia, sæpissime laudato, num.* 13 *et seq.,* Dionysius Alexandrinus episcopus de epistola sua (*ad Ammonium* F *scilicet et Euphranorem scripta*) sese purgarit, palam est, illum nec ejus fuisse sententiæ, quam ei (*Ariani*) adscribunt, neque omnino prava Arii doctrina imbutum fuisse. Et sane satis esset ad integram Arianorum confutationem, et ad demonstrandam eorum calumniam, quod Dionysius de iis etiam, quæ isti jactitant, sese purgaverit : non enim contendendi animo scripsit, sed sui defendendi, suspicionisque (*pravæ a se de SS. Trinitate traditæ doctrinæ*) amovendæ causa : cum vero eas depellit criminationes, quid aliud agit, quam quod omnem criminis suspicionem levat, et in hoc Arianos sycophantas esse arguit? Sed ut ex iis, quæ sui defendendi causa scripsit, magis confundantur, age, ejus tibi verba proponam, ut hinc noveris, Arianos pravæ mentis homines esse, Dionysiumque ab eorum erroribus alienum. Et primo quidem epistolam suam inscripsit Apologiam et Elenchum. Quid sibi vult illud, nisi quod et obtrectatores suos arguit, et scripta sua propugnat, ostendens se, non ea mente, qua suspicatus est Arius, scripsisse; sed licet eorum meminerit, quæ de Domino secundum humanitatem dicta sunt, non ignorasse tamen, ipsum esse Verbum et Sapientiam a Patre indivisibilem. *Hæc Athanasius, aliis quidem verbis, eodem tamen argumento probans, ab Arii sententia Sanctum nostrum alienissimum fuisse; quamvis interim*

AUCTORE C. B.

in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola nonnulla protulisset verba, quæ purum putumque Arianismum sapere, non immerito viderentur.

quodque, aliquot, quæ huc etiam faciunt, Athanasii recitatis verbis

188 *Huc etiam faciunt verba, quæ laudatus Athanasius in Tractatu de* Dionysii *sententia sæpissime laudato ad num.* 12 *profatur.* Ergone, *inquit,* Dionysius, ut Christi hostes (*Ariani*) jactitant, cum de Filii humanitate scribit, ipsumque rem factam esse, ait, unum ex puris hominibus illum esse indicat? An quia dixit, Verbum non esse proprium substantiæ Patris, ipsum nobis hominibus consubstantiale esse existimavit? At in aliis epistolis nequaquam ita scripsit, sed conspicuum est, in iis illum recte sentire, quibus sane epistolis adversum hæreticos (*Arianos*) quodam modo exclamat his verbis : Vestræ non sum sententiæ, o Dei hostes, neque scripta nostra Ario fuere impietatis occasio : sed quando Sabellianorum causa in meis ad Ammonium et Euphranorem litteris de agricola et vite, deque aliis ejusmodi dictis mentionem feci; eo dictum illud est, ut humanis Domini demonstratis, persuaderem illis, ut ne dicerent, Patrem esse, qui homo factus est. Quemadmodum enim agricola non est vitis, ita qui in corpore fuit, non est Pater, sed Verbum. Verbum autem ut in vite fuit, vitis vocatum est ob corporalem cum palmitibus, id
B est nobiscum, cognationem. Hac mente ad Ammonium et Euphranorem scripsi; alias autem, quas misi (*ad Dionysium scilicet, Romanum episcopum, mei defendendi causa*) epistolas, vestræ impudentiæ oppono, ut hinc sapientibus nota sit mea defensio, nec non recta mea in fide Christi sententia. *Ita Athanasius* Dionysium *loquentem inducit, eaque simul, quæ hic de secunda sanctissimæ Trinitatis Persona minus caute protulit, per mentem, qua ea Sanctus protulit, quæque ex posterioribus ejus epistolis seu libris de Elencho et Apologia ad Dionysium, Romanum Pontificem, scriptis innotescit, non irrito conatu excusat.*

obtinere debere ostenditur ex ipso Dionysio. Hic enim

189 *Etenim in his plurima occurrunt, ex quibus manifestum fit,* Dionysium *ab Arianorum de sanctissima Trinitate sententia alienum fuisse quam maxime. Ut res unicuique fiat perspicua, Fragmenta quædam, ab Athanasio in suum de* Dionysii *sententia Tractatum illata, hucque potissimum facientia, cum ipsiusmet intermixtis S. Athanasii verbis transcribo. Primo quidem hic sanctus scriptor Tractatus mox iterum laudati num.* 14 *et* 15 *ostendit,* Dionysium *non sensisse Dei Filium Patri non coævum, ac sic loquitur :* Itaque (Dionysius *Alexandrinus*) sui purgandi causa in primo libro, cui titulus, Elenchus et Apologia, quibusdam præmissis, sic ad verbum scripsit : Numquam enim fuit, quando
C Deus non erat Pater. Et in sequentibus profitetur (*Dionysius scilicet*) Christum semper fuisse, ac Verbum, Sapientiam et Virtutem exstitisse. Neque enim Deus cum his antea caruisset, postea Filium genuit. Neque a seipso Filius, sed a Patre habet esse. Et paucis interjectis, eadem de re iterum dicit : Cum sit splendor lucis æternæ et ipse omnino æternus est. Luce enim semper existente, manifestum est, et splendorem semper existere; eo enim ipso lucem esse intelligitur, quod splendeat : ac fieri nequit, ut lux non luceat. Rursum enim ad exempla veniamus. Si sol est, est quoque splendor, est et dies : si vero horum nihil est, multum abest, adesse solem. Quod si æternus sol esset, dies etiam numquam cessaret : nunc autem (neque enim ita se res habet) incipiente sole, incipit et dies, ac desinente, desinit. Deus autem æterna lux est, quæ numquam incepit, numquam desinet : æternus ergo splendor ipsi prælucet, ac coexistit, qui absque initio est, et ab æterno genitus ante eum emicat : quique ipsamet est Sapientia, quæ dicit : Ego eram, qua gaudebat, et delectabar quotidie ante faciem ejus, omni tempore.

in libris de Elencho et Apologia Dei Filium Patri

190 Pauloque postea de eodem resumit (*sanctus* Dionysius) his verbis : Cum igitur æternus sit Pater, æternus est et Filius, lumen de lumine. Nam si genitor est, est et Filius; quod si Filius non est, qua ratione et cujus potest D
esse genitor? Atqui ambo sunt et semper sunt. Deinde hæc addit : Cum igitur Deus sit lux, Christus est splendor; cum autem ipse Spiritus quoque sit, nam Spiritus, inquit, est Deus, congruenter rursum Christus Vapor dictus est; est enim, inquit, Vapor virtutis Dei. Et iterum ait : Solus autem Filius, qui Patri semper coexistit, et illo qui est plenus, ipse quoque est ex Patre. *Ita Athanasius in unum fere contrahens, quæcumque* Dionysius, *ut Dei Filium Patri coæternum profiteatur ac monstret, suis de Elencho et Apologia libris inseruit. Expendens laudatus Athanasius, quam dilucide ex his constet,* Dionysium *adversari Arianis, de Dei Filio dicentibus,* Fuisse, quando non esset, *verbis proxime recitatis mox subjungit :* Hæc si ambigue dicta fuissent, interprete opus haberent; at cum palam et plerumque hæc in scriptis suis (Dionysius *Alexandrinus*) pertractarit; Arius quidem dentibus strideat, quod suam hæresim cernat a Dionysio eversam, audiatque vel invitus hæc illius verba : Semper Deus Pater fuit; et Filius non absque causa æternus dicitur; sed quia æternus est Pater, æternus est et Filius, illique coexistit, quemadmodum splendor luci. Ii vero qui vel leviter suspicantur, Dionysium cum Ario sensisse, hanc sinistram de illo opinionem deponant. Quid, quæso, illi inter se E
affinitatis habent, Ario dicente : Filius non erat, priusquam gigneretur, sed fuit aliquando, cum non erat; Dionysio contra hæc docente : Deus autem æterna lux est, quæ numquam incepit, numquam desinet : æternus ergo splendor ipsi prælucet ac coexistit, qui absque initio est, et ab æterno genitus ante eum emicat. *Hunc in modum Arianos urget Athanasius, ostendens,* Dionysium *opinioni, qua Dei Filium Patri semper non coexistentem et coæternum asserebant, penitus adversari.*

eo modo, quo luci æternæ splendor coæternus est, esse coæternum,

191 *Ne vero illis ullum relinquat effugii locum, objectioni petitæ ex modo, quo a* Dionysio *Filium Patri coexistentem dici, potuissent contendere, num.* 22 *ita occurrit :* Verum ne quis Arianorum eum (Dionysium *Alexandrinum*) suspicetur dixisse, Filium ita Patri coexistere, ut nomina quidem sibi invicem cohæreant, res autem a se invicem plurimum distent, et, neque Filium semper Patri coexstitisse; ex quo autem Filius esse cœpit, ex eo Deum dictum fuisse Patrem, et dehinc illi coexistere, ut fit apud homines. Sed meminerit eorum, quæ supra dicta sunt, tumque Dionysii fidem rectam agnoscet. Nam cum dicat, Non enim erat, cum Deus (*Vide verba num.* 189 *recitata*) non esset Pater; et iterum : Deus autem : (*adi iterum num.* 189) æterna lux est, quæ numquam incipit, numquam desinet : F
æternus ergo splendor ipsi prælucet et coexistit, qui absque initio est, et ab æterno genitus ante eum emicat : par sane fuit, neminem talia de illo suspicari. Exempla quoque fontis ac fluvii, radicis et germinis, spiritus et vaporis, Christi hostes, qui contraria de illo disseminant, pudore suffundunt. *Nemo, quantum opinor, adhuc est, qui ex hisce omnibus non videat,* Dionysium *procul omni dubio sensisse, Dei Filium Patri semper coexstitisse, eique proin esse coæternum, ac proin Arianos ex eo non hausisse, quod de Dei Filio aiebant.* Fuit aliquando, cum non esset. *Atque hoc primum est Arianorum dogma, quod* Dionysius, *cum ex dictis certissime id non tenuerit, præformasse, dici non potest. An alia pariter Arianorum dogmata non præformarit, nunc disquiro.*

natura proprium

192 *Docebant Ariani, Filium Dei a Patre omnino esse divisum ac separatum, ac proin non ejusdem cum ipso naturæ, sed diversæ, seu, quod in idem recidit, eum a Patre secundum substantiam esse alienum, seu Patri esse non consubstantialem. Ut autem impio huic suo dogmati suffragari* Dionysium, *probarent, sic, teste Athanasio num.* 16 *de sententia* Dionysii, *argutabantur :* Cum Patrem dicit Dionysius, Filium non nominat; et vice versa, cum Filium dicit, Patrem non memorat, sed dividit, amovet et separat Filium a Patre; *huic autem argutationi,*

A *gutationi, ut idem S. Athanasius loco proxime citato testatur, ipsemet* S. Dionysius *Pentapolitanis, qui eamdem ei objecerant, in secundo suo de Elencho et Apologia libro respondet his verbis :* Singula nomina a me prolata a se invicem nec separari nec dividi queunt; Patrem dixi, et priusquam Filii mentionem facerem, jam illum in Patre significaram; Filium adjunxi, ac etiamsi Patrem non prius nominassem, is tamen in Filii nomine comprehensus fuerat; Spiritum sanctum addidi, sed simul et unde et per quem processerit, adjunxi. Illi vero (*Pentapolitani, accusatores mei*) ignorant, neque Patrem, qua Pater est, a Filio alienari posse, nam nomen illud est origo conjunctionis; neque Filium a Patre separari, namque Patris vocabulum commune quidpiam indicat. In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente separari potest. Quomodo igitur ego, qui talibus utor nominibus, illa a se invicem separata et omnino divisa existimem? Et paucis, *inquit Athanasius,* interjectis hæc addit : Sic quidem nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quæ imminui nequit, in Unitatem contrahimus. *Ita* Dionysius *Pentapolitanos, qui ab eo Filium a Patre omnino separari ac dividi asseruerant, confutat; cum jam ante eorumdem accusationem, qua aiebant, Sanctum dixisse, Filium inter*

B *res factas computari, et nequaquam Patri esse consubstantialem, in primo suo de Elencho et Apologia libro pariter confutarat.*

consubstantialemque, 193 *Verborum, quibus id ibidem Sanctus facit, huc jam partem num.* 138 *ex Athanasio transcripsimus, ut necesse non sit, illam hic denuo repetere. Itaque partem reliquam solam, eamque non integre, sed partim, prout ad institutum meum facit, transcribo. Sic habet :* Epistolam autem, ut ante dixi, ob præsentem rerum conditionem penes me non habeo; alioquin ipsa tibi, quæ tunc scripsi, verba, imo epistolæ totius exemplar misissem, mittamque, si quando mihi ejus copia fuerit. Memini porro, me plurimas ex rebus inter se cognatis similitudines conglobasse. Etenim plantam sive ex semine, sive ex radice succrescentem, aliam dixi esse ab eo, unde pullulavit, etsi ejusdem omnino sint naturæ; fluviumque a fonte fluentem, aliam formam et nomen accipere; neque enim aut fontem fluvium, aut fluvium fontem dici; sed utrumque existere, ac fontem quasi patrem esse, fluvium vero aquam ex fonte manantem. *Ita* Dionysius, *ex rerum cognatarum seu homogeniarum* (*vide verba num.* 138 *recitata*) *similitudinibus, quas in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola adhibuit, præ-*

C *cipue contendens, sese in ea non asseruisse, Dei Filium esse Patri non consubtantialem; quæ vox hic et alibi a* Dionysio, *uti ex similitudinibus, quibus utitur, manifestum apparet, adhibetur ad significandam rem, quæ ejusdem generis ac speciei sit cum altera; non autem, uti postea a concilio Nicæno fuit adhibita, ad significandam rem, quæ cum altera constituat eamdem numero substantiam. Nec hoc absonum videri debet. Est enim etiam hoc sensu Dei Filius Patri utique consubstantialis, Sanctusque, cum indivisibilem in Trinitate unitatem asserat, rem per vocem illam a Nicæna synodo intellectam admittit. Sed hoc obiter hic notasse sufficiat. Examinare pergo Sancti nostri sensum circa alterum Arianorum dogma, supra expositum.*

contra Arianos disertissime docet. 194 *Athanasius præter verba, proxime huc transcripta, alia adhuc ex primo* Dionysii *de Apologia libro, ad institutum meum minus conducentia propterea que hic a me omissa, in suum de* Dionysii *sententia Tractatum transfert, recitatisque deinde ex tertio* Dionysii *de Apologia libro hisce verbis,* Vita ex Vita genita est, quemadmodum flumen a fonte emanavit, et a luce inexstincta splendida lux accensa est, *Arianos, impiam doctrinam suam in* Dionysio *fundatam asserentes, acerrime ex verbis omnibus, quæ ex* Dionysii *de Apologia libris paragrapho præsenti jam transcripsimus, num.* 19 *hunc in modum perstringit, atque exagitat :* His auditis, quis non insaniæ deinceps eos accusabit, qui Dionysium Arianice sentire suspicantur? Næ ille his (*Dionysii*) argumentis (*quæ hoc § ex Athanasio jam proposuimus*) ab ipsa veritate profectis, totam Arii proterit hæresim. Nam illud, Non erat, priusquam gigneretur, et, Erat, quando non erat, splendoris (*adi verba num.* 189 *recitata*) vocabulo confutat; nec non his verbis : Pater ejus numquam absque Prole fuit. Illud autem, quod aiunt ex non exstantibus, refellit dicendo, Verbum esse quasi fluvium ex fonte, ut germen ex radice, filium ex parente, lumen ex lumine et vitam ex vita. Quod autem illi separant et dividunt Verbum a Deo, id ille improbat, cum ait, Trinitatem, quæ nec dividi nec minui potest, in unitatem contrahi. Quod vero aiunt, alienum esse Filium a substantia Patris, aperte respuit, cum dicit, consubstantialem Patri esse Filium. Hic sane summopere miranda impiorum hominum impudentia; Dionysio namque, quem doctrinæ suæ paria sensisse affirmant, dicente, consubstantialem esse Filium, ipsi tamen haud secus quam culices circumquaque susurrant, quasi synodus (*œcumenica Nicæna*) Consubstantialis vocem haud recte scripto mandarit. Si enim sibi amicum Dionysium existimant, ne doctrinam negent Viri secum sentientis. Quod si putant, id non recte dictum fuisse, quare Dionysium, qui id ipsum ait, E quasi secum sentientem jactitant? *Persuasum tibi jam est, quantum opinor, erudite lector,* Dionysium *non minus Arianis, Dei Filium Patri non consubstantialem, quam non coæternum asserentibus, adversari, ut adeo illos neutrum ex hisce assertis* Dionysius *docuerit. Dispiciamus modo, an Sanctus alteri eorumdem doctrinæ, qua Dei Filium rem factam seu creaturam esse, asseverabant, magis faverit.*

Adhæc nec Dei Filium rem creatam, 195 *Athanasius post verba, quæ Commentarii hujus num.* 178 *jam transcripsi, quæque, cum ad institutum nostrum conducant, hic pro inserendis habenda sunt, in suo de* Dionysii *sententia Tractatu num.* 21 *sic pergit :* Qui hæc audit, divini sane oraculi meminerit dicentis : Quocumque se vertat impius, evanescit. Etenim quam se cumque in partem quotidie convertant impii illi (*Ariani scilicet*) evanescunt, ne in hoc quidem (*in asserendo Dei Filio rem factam esse*) ullam rationem invenientes Dionysii sibi conciliandi; quippe qui aperte doceat, Filium nec factam nec creatam rem esse; carpit autem, appositeque refellit eos, qui se calumniabantur, quasi dixisset, factorem esse Deum, quod non adverterint, se ante dixisse, Patrem esse Deum, in quo et Filius adscriptus est. His autem verbis declarat, Filium non esse ex numero rerum factarum, et Deum non factorem, sed Patrem proprii F Verbi esse. Quibusdam autem imperite (*seu potius, ut Græce est, mala fide*) ipsi reponentibus, quod Deum dixisset Christi factorem, sui purgandi causa varia adhibuit argumenta. Neque sic, aiens, reprehendenda esse sua verba; se enim factoris nomine usum affirmat, propter carnem, quam Verbum assumpserat, utique factam. Quod si quis illud de Verbo dictum fuisse suspicetur, eo etiam modo absque contentionis studio audisse oportuit; ut enim Verbum rem factam esse non sentio, et Deum non factorem, sed Patrem ejus dico; si quando de Filio disserens, Deum obiter dixero factorem ejus; etiam tunc res defensione non caruerit; nam sapientes Græci se suorum librorum factores appellant, tametsi iidem propriorum librorum patres sunt : divina autem Scriptura nos cordis motuum factores nuncupat, cum nos dicit, factores legis et judicii et justitiæ. Itaque quacumque ex parte res spectetur, probe commonstrat, Filium nec creatam nec factam rem esse, seque a prava Arianorum doctrina alienum, *qua scilicet hi docebant, Dei Filium esse rem factam seu creaturam, ut adeo* Dionysius *non magis faveat, seu potius non minus adversetur huic Arianorum asserto, quam duobus aliis, supra jam memoratis, quorum altero Dei Filium Patri non coæternum, altero non consubstantialem esse, asseverabant.*

196

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B. *nec eum secundum cogitandi modum tantum*

196 *Porro duo alia adhuc supersunt Arianorum asserta, iis pariter opposita, quæ de secunda sanctissimæ Trinitatis Persona credenda proponit Ecclesia. Dei Filius in Scripturis sacris Dei Verbum dicitur, hincque contra Arianos inferebant Catholici, Dei Filium Patri non extraneum, ut contendebant Ariani, sed proprium esse et indivisibilem a Patris substantia, quemadmodum verbum a mente. Ariani, ut hoc Catholicorum argumentum eliderent, duo reponebant, cum orthodoxa fide æque pugnantia. Primum erat, Dei Filium non secundum naturam, sed secundum cogitandi modum dumtaxat Verbum dici; eumque non esse verum Dei Filium, sed per adoptionem tantum ita vocari; alterum vero, aliud esse, quod in Deo est Verbum, et aliud, quod in Scriptura, de Dei Filio loquente, Verbum dicitur. Dispiciamus modo, an alterutri ex hisce Arianorum placitis Sanctus noster ulla ratione faveat, seu an in iis cum Arianis consentiat. A primo, ut rerum ordo exigit, initium duco.* Cum autem, *inquit in Tractatu de sententia* Dionysii, *sæpissime laudato, num.* 25 *Athanasius*, Arius ad cetera sua mala hanc quoque sententiam quasi ex sterquilinio sibi consarcinarit, et hæc adjecerit : Verbum non est proprium Patri, sed aliud est in Deo Verbum : hic vero Dominus extraneus quidem et alienus est a Patris substantia, et dum-
B taxat secundum cogitandi modum dicitur Verbum, et non est secundum naturam, ac verus Dei Filius; sed per adoptionem hic quoque Filius dicitur, utpote creatura. Et dum hæc ait, apud eos, qui rei veritatem ignorant, gloriatur, quasi in hoc Dionysius secum sentiat : tute, quæso, videas, quæ de iis fuerit, Dionysii fides, et qua vi illos Arii oppugnet errores.

Verbum dici,

197 *Ita de primo Arianorum circa secundam sanctissimæ Trinitatis Personam asserto, supra a nobis exposito, præfatur Athanasius; ut autem erroribus, in eo involutis,* Dionysium *Alexandrinum ostendat contrarium, duos textus plane insignes, per quos illis Sanctus apertissime adversatur, ex primo et secundo ejus de Elencho et Apologia libris transcribit. Eosdem ego, quantumvis prolixos, pariter hue transcribo, ut iterum ex ipsiusmet Sancti verbis pateat, quam parum hic etiam impiæ Arianorum in sanctissimam Trinitatem doctrinæ faveat, quamque proinde infirmo nitantur fundamento, qui sanctum Virum Arianorum præformasse errores affirmant.* Dictum est, *inquit loco proxime citato apud Athanasium*, superius Deum esse fontem omnium bonorum; Filius vero dictus est fluvius ab ipso emanans; Verbum quippe est mentis emanatio, et, (ut humano more loquamur) ex corde per os emittitur.
C Mens vero, quæ per linguam prosilit, diversa est a verbo, quod in corde existit; istud enim postquam illud præmiserit, remanet, et est quale antea erat; illud vero præmissum evolat, et circumquaque fertur; et sic est utrumque in altero, tametsi diversum est ab altero; et unum sunt, licet duo sint. Sic namque Pater et Filius unum sunt, et invicem illos esse, comprobatum est. *Ita* Dionysius *in priori e duobus textibus mox laudatis; in posteriori vero modo loquitur non multum absimili.*

affirmavit, sed Arianis

198 *Sic habet :* Ut... mens nostra eructat a seipsa verbum, ut ait Propheta : Eructavit cor meum verbum bonum : estque utrumque alterum ab altero, proprium et ab altero distinctum obtinens locum, cum illud quidem in corde, istud in lingua et ore commoretur et moveatur : non tamen alterum ab altero distat, nec se invicem privantur : neque mens sine verbo est, neque verbum sine mente : sed mens verbum facit et in ipso apparet, et verbum mentem exhibet, in qua factum est : mensque est quasi verbum immanens, verbum autem quasi mens prosiliens : mens in verbum transit, verbum mentem in circumstantes auditores insinuat : et sic mens per verbum in auditorum animis collocatur, et una cum verbo intrat. Ac mens quidem est quasi pater verbi, in seipsa existens : verbum autem quasi filius mentis, non ante ipsam quidem, sed neque extra ipsam factum esse potest, sed cum ipsa existit, et ab ipsa germinavit. Eodem quoque D
modo Pater ille maximus, et mens illa universalis, ante omnia Filium habet Verbum, interpretem et angelum suum. *Hæc hactenus* Dionysii *verba; hisce autem recitatis Athanasius Tractatu mox iterum laudato num.* 24 *statim subjungit :* Hæc (*Dionysii verba proxime huc transcripta*) vel numquam audivit Arius vel si audivit, non intellexit homo indoctus : nam si intellexisset, non tanta mendacia de episcopo (*Dionysio Alexandrino*) pervulgasset; imo potius illum, ut nos, ob insitum in veritatem odium convitiis insectatus fuisset. Nam cum Christi sit hostis, libentissime persequetur illos, qui, quæ Christi sunt, sapiunt, ut ipse prædixit Dominus : Si me persecuti sunt, et vos persequentur.

hoc affirmantibus omnino est contrarius,

199 *Hoc modo Athanasius Arium ejusque sequaces acerrime hic iterum idcirco perstringit, quod* Dionysium, *qui, quæ verbis proxime recitatis continentur, docet, eadem secum sentire, impudenter asserrent; paucis autem interpositis, quæ brevitatis causa hic omitto, ita prosequitur :* Quid enim vel proximum habuerit Arii malignitati Dionysii fides? Nonne Arius secundum cogitandi modum dumtaxat Verbum esse dicit, Dionysius autem vere et natura sua Verbum Dei esse? Ille Verbum Patri extraneum dicit : hic docet, esse proprium, et indivisibile a Patris substantia, sicut verbum a mente et flumen E
a fonte. Si quis igitur poterit dividere et alienare verbum a mente, vel fluvium a fonte separare, et quasi muro exstructo dirimere; vel ausit dicere fluvium diversæ substantiæ a fonte, ac diversam ab eo aquam commonstrare; vel splendorem a luce dirimere, et affirmare, ex aliena substantia esse splendorem, nec a luce prodire, is cum Ario insaniat; ejusmodi quippe homo ne mentem quidem humanam habere ultra videbitur. Quod si hæc indivisibilia esse, ipsa novit natura, eorumque proles ipsis propria est; ne quis igitur deinceps cum Ario sentiat, aut Dionysium calumniari ausit; sed magis hinc ejus cum sermonis perspicuitatem, tum rectam fidem admiretur. *Ita Athanasius ex fontis ad fluvium, et mentis ad verbum relationibus, quas in geminis textibus, proxime huc transcriptis, Deo Patri et Filio* Dionysius *applicat, recte concludens, Sanctum Arianis, Filium Dei secundum cogitandi modum dumtaxat verbum dici, asseverantibus, esse contrarium.*

uti etiam hic dicentibus aliud esse, quod in Deo Verbum, et aliud, de quo in Scripturis.

200 *Quod jam pertinet ad alterum supra memoratum Arianorum assertum, quo aiebant scilicet, aliud esse, quod in Deo est Verbum, et aliud, quod Scriptura sacra, de Dei Filio loquens, commemorat, erroneæ huic doctrinæ, non minus quam proxime præcedenti,* Dionysius *e suis de Elencho et Apologia libris probatur contrarius.* Quod spectat autem, *ait num.* 25 *Tractatu de sententia* Dionysii, *sæpissime laudato, Athanasius,* illam Arii insaniam, qua dicit, aliud esse, quod in Deo est Verbum, et aliud, de quo locutus est Joannes : In principio erat Verbum; et aliam propriam esse in Deo sapientiam, aliam vero, quam his verbis indicat Apostolus : Christus Dei virtus et Dei sapientia; illud summa vi impugnat Dionysius, pravamque illam sententiam strenue insectatur : Vide, quæso, quo pacto in secundo libro (*de Elencho nempe et Apologia*) his de rebus verba faciat : In principio erat Verbum; sed non erat verbum, quod Verbum protulerit; erat enim Verbum apud Deum : Dominus Sapientia est; non erat igitur sapientia, qui Sapientiam produxit; nam, Ego eram, inquit, qua delectabatur. Veritas est Christus; Benedictus autem, ait, Deus veritatis. Ibi una Sabellium et Arium evertit, ambasque hæreses paris impietatis declarat : neque enim Verbum est Verbi pater, neque factum est, quod ex Patre procedit, sed propria ejus substantiæ proles. Rursumque Verbum procedens non est Pater : nec Verbum istud unum ex multis est, sed solus est Patris Filius, verus et natura genuinus, qui et nunc in ipso existit, et in æternum, atque indivisibiliter ex eo est. Sic et Sapientia et Veritas est Dominus, et non est ab alia sapientia secundus; sed solus hic F
est,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A est, per quem omnia Pater condidit, in ipsoque multiplices rerum constituit substantias; per quem etiam, quibus vult, innotescit; in ipso item omnium providentiam gerit, omnia agit. Hoc enim unicum Dei Verbum agnovit et Dionysius. Hæc est Dionysii fides. *Hæc Athanasius, ex ipsiusmet* Dionysii *verbis dilucide demonstrans, hunc posteriori, quo de hic agimus, Arianorum errori pariter adversari.*

§ XVIII. Dionysius Arianorum errores non præformasse aliis adhuc rationibus ostenditur.

Dionysius alio argumento Arianorum erroribus contrarius ostenditur,

Omnibus, *uti ex iis, quæ § præcedenti disputavimus, colliges, Arianorum circa sanctissimam Trinitatem erroribus Sanctus noster est contrarius, ac proin eos præformasse, merito dici non potest. Ut vero adhuc clarius pateat,* Dionysium *ab Arii erroribus fuisse alienum, id insuper hoc alio, quod etiam verbis num.* 166 *ex Athanasio recitatis comprehenditur, argumento ostendo. Ille utique ab Arii erroribus censendus est alienus, qui nusquam impietatis convictus a Patribus, celebrem semper in Ecclesia habuit sui memoriam. Quod si enim Patres, ut primum Ariana orta est hæresis, arreptis illico*
B *spiritualibus armis, adversus eam insurrexerunt, Ariumque, impietatis auctorem, exauctoratum ab Ecclesiæ corpore absciderunt; eadem utique, qua in hunc, pœna in* Dionysium *Alexandrinum animadvertissent, si hic eosdem errores, quos Arius, tutatus fuisset. Jam vero cum* Dionysius *impietatis nuspiam convictus fuerit a Patribus, imo cum ab erroribus, per Pentapolitanos ei imputatis, qui cum Arii, de quibus supra disseruimus, erroribus fuere iidem, a Dionysio Pontifice Romano, et a synodo, ab hoc Romæ coacta, declaratus fuerit immunis, aut certe* (*vide dicta num.* 166) *pro orthodoxo, fidei suæ ratione reddita, habitus fuerit, certum omnino videtur, Sanctum ab Arii erroribus maxime fuisse alienum. Quod si dicas,* Dionysium *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola asseruisse, Filium Dei rem factam esse, et opus a Patre secundum substantiam alienum, hæcque asserta purum ac putum continere Arianum virus; his, quæ jam supra difficultati huic solvendæ apta protulimus, responsum hoc addo.*

dicique potest de Dei Filio,

202 Dionysius *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola* (*adi, quæ § præcedenti disputavimus*) *verosimiliter quidem in chartas nonnulla verba misit, ob quæ, utpote errores in Ario postea damnatos visa complecti, a Pentapolitanis, veluti violatæ fidei reus, ad Dionysium Romanum Pontificem fuit delatus;*
C *verum in dicta epistola ex vehementi Sabellium confutandi studio plura protulit, quam quidem voluerit intelligi; in id scilicet, ut Sabellianos errores nervose eliderel, fere unice intentus, nec sat sollicite cavens, ne quid, Personarum quidem in sanctissima Trinitate distinctionem probans, essentiæ autem simul unitatem destruens, in medium afferret. Hinc fit, ut ex dicta epistola de* Dionysii *circa divinarum Personarum essentiæ unitatem mente tutum nequeat ferri judicium, recurrendumque, ut eam colligas, propterea sit ad alias, ab eo deinde scriptas epistolas, in quibus et ea, quæ in epistola ad Ammonium et Euphranorem crudius nonnihil scripserat, sensu orthodoxo exposuit, Deique Filium Patri esse consubstantialem diserte adeo est professus, ut Arianam hæresim in antecessum potius damnasse, quam præformasse, æquis rerum æstimatoribus debeat videri. Adhæc* Dionysius, *dum in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola asseruit,* opus et rem factam esse Filium Dei, non natura proprium, sed alienum a Patre secundum substantiam, qualis est agricola a vite, et faber a scapha, *spectavit Filium Dei rationis humanitate assumptæ, non ratione divinitatis, aut divinæ hypostasis. Hoc autem sensu vere opus et res facta est Filius Dei, non natura proprius, sed alienus a Patre secundum substantiam, qualis est agricola a vite et faber a scapha. Neque est, quod dicas,* Dionysium, *ut hisce assertis suis sensum Catholicum conciliet, eo non recurrere; rationem enim, cur id Sanctus non faciat, num.* 175 *jam reddidi, eaque, quantum opinor, huic difficultati satisfacit.*

AUCTORE C. B.

203 *Utut sit, certe ea* Dionysii *asserta sensu jam assignato exponenda censuit Athanasius. Etenim hic sanctus scriptor in hæc Christi apud Joannem cap.* 15, ℣ 1 *verba,* Ego vitis, et Pater meus agricola, *in Tractatu de sententia* Dionysii *num.* 10 *sic scribit :* Quod autem hæc ipsa (*Scripturæ sacræ verba proxime recitata*) de humanitate Salvatoris dicta sint, hinc animadvertere licet, quod agricola quoad substantiam a vite alienus sit; palmites vero ejusdem substantiæ et generis ac vitis, ab ipsaque indivisi, una nempe eademque origine pullulant palmites et vitis. Est autem, ait Dominus, ipse vitis, nos palmites. Si itaque nobis consubstantialis est Filius, et eamdem, quam nos, habet originem, sit hac in parte alienus a Patre secundum substantiam eo modo, quo vitis ab agricola : si vero aliud est Filius præter illud, quod nos sumus, et ille quidem Verbum Patris, nos vero ex terra procreati et posteri sumus Adæ, non debet dictum istud referri ad Deitatem Verbi sed ad humanum ejus adventum : quandoquidem ita Salvator ait : Ego sum vitis, vos palmites et Pater agricola. Nos enim quantum ad corpus ejusdem generis sumus ac Dominus, propterea ipse dixit : Narrabo nomen E
tuum fratribus meis. Ac quemadmodum palmites sunt viti consubstantiales, ex eaque prodeunt; sic et nos corpora habentes ejusdem generis ac corpus Domini, ex plenitudine ejus accipimus, illudque nobis radix est ad resurrectionem et salutem. Pater autem agricola dictus est : ipse enim vitem, quæ est humanitas Salvatoris, per Verbum coluit, ipse item per Verbum nobis ad regnum viam paravit, et nemo venit ad Dominum, nisi Pater eum traxerit ad illum.

secundum naturam humanam spectato,

204 *Ita Athanasius præmemorata sacræ Scripturæ verba ad Christum, secundum humanam naturam consideratum, referri, ostendens, hincque deinde, nonnullis interpositis,* Dionysii *de agricola et vite, de navium fabricatore et scapha comparationes ad Dei Filium, secundum naturam humanam consideratum a Sancto in epistola ad Ammonium, cum ibidem de Filii humanitate scribit, pariter referri, quodammodo concludens.* Ergone, *inquit,* Dionysius, ut Christi hostes jactitant, cum de Filii humanitate scribit, ipsumque rem factam esse, ait, unum ex puris hominibus illum esse, indicat? An quia dixit, Verbum non esse proprium substantiæ Patris, ipsum nobis hominibus consubstantialem esse existimavit? *Ac post pauca* Dionysium *loquentem inducit, eique verba, num.* 188 *jam recitata, attribuit, quibus Sanctus innuat, sese non de* F
divina, sed de humana Christi natura esse locutum, cum Dei Filium a Patre eo modo, quo vitis ab agricola et scapha a navium fabricatore aliena est, alienum esse asseruit. Et vero has vitis et agricolæ, scaphæ et navium fabricatoris comparationes ad Personam Filii non secundum se spectatam, sed tantum ratione humanitatis assumptæ a Dionysio *in epistola, sæpissime memorata, referri, ex eo apparet, quod in ea, quæ ad humanam Christi naturam spectant, unice fere* (*vide verba num.* 148 *recitata*) *in medium adducat. Accedit, quod prædictæ comparationes e Scriptura sacra desumptæ sint, atque in hac, quemadmodum ex Athanasio mox docuimus, de Dei Filio, secundum naturam humanam considerato, accipiantur; unde verosimile fit, eas a* Dionysio *eodem pariter sensu fuisse acceptas. Quod si porro adhuc contendas, Dei Filium, etiam secundum naturam humanam non consideratum, alienum a Patre per* Dionysium *in ea, quam hic ad Ammonium et Euphranorem scripsit, epistola dictum esse, ac proin præmemoratas comparationes sensu mox allegato a Sancto non fuisse acceptas, respondeo, etiam hoc admisso, consequens non esse, ut* Dionysius *Arianorum errores præformarit.*

esse locutus.

205 *Etenim post scriptam ad Ammonium et Euphranorem epistolam, in qua ex hypothesi Dei Filium, etiam*

AUCTORE C. B.

In hypothesi nihilominus, quod hoc ita non sit,

etiam secundum humanam naturam non consideratum, a Patre secundum substantiam alienum scripserit, suos de Elencho et Apologia libros exaravit, in iisque Dei Filium (adi hujus Commentarii num. 195) a Patre secundum substantiam non alienum, sed Patri consubstantialem esse docuit, hancque deinde doctrinam ad extremum usque vitæ spiritum constanter retinuit. Quapropter cum is, qui duo diversa scripta, in quorum altero unam eamdemque rem negat, in altero affirmat, eam sequi censendus sit assertorum oppositorum partem, quam postremum ejus scriptum prodit, S. Dionysius *etiam facta, quam memoravimus, hypothesi, censendus est, Dei Filium a Patre secundum substantiam existimasse non alienum, cum hoc in suis de Elencho et Apologia libris, quos posteriori loco scripsit, apertissime docuerit, palamque sit professus. Nequit ergo* Dionysius, *dato etiam, quod a Pentapolitanis merito erroris insimulatus fuerit, quodque in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola Filium Dei, etiam secundum naturam humanam non consideratum, a Patre secundum substantiam alienum asseruerit, nequit, inquam, hoc etiam dato,* Dionysius *merito dici Arianorum errores præformasse, cum doctrinam iis oppositam, idque ad finem usque vitæ, indubie tenuerit. Hinc etiam consequitur, ut Ariani in facta*

B *quoque hypothesi* Dionysium, *veluti suorum de sanctissima Trinitate dogmatum assertorem, immerito jactarint.*

non propterea tamen Sanctus Arianorum

206 Si putant, *inquit de Arianis Tractatu proxime laudato, num.* 24 *Athanasius,* impietatis patroni, secum sentire Dionysium, eadem, quæ ille, scribant, eadem profiteantur; scribant exempla illa, de vinea nempe et agricola, de scapha et fabro; et una confiteantur, quæ ipse (Dionysius *Alexandrinus*) consubstantialitatis propugnandæ causa tradidit : sententiam item, qua dicit, Filium esse ex substantia Patris, nec non æternitatem ejus, cognationem mentis cum Verbo, fontis cum fluvio et cetera; ut vel ex ipsa rerum discrepantia noverint, quomodo priora quidem illa (*de vinea scilicet et agricola, de scapha et fabro*) per œconomiam dixerit; hæc vero (*de Verbi consubstantialitate scilicet, æternitate etc.*) ut piæ fidei postulat ratio. *Quibus verbis Athanasius Arianis concedit, ut illas* Dionysii *de vite et agricola, de scapha et fabro comparationes in favorem suum libere laudent, modo simul consubstantialitatem, æternitatem et alia admittant, quæ Sanctus in suis de Elencho et Apologia libris divino Verbo attribuit. Videbat scilicet Athanasius, qualiscumque demum esset doctrina, quæ ab Arianis jactaretur, veluti ex dictis comparationibus consectaria, eam certissime elidi per* Dio-

C nysii *de consubstantialitate et æternitate Verbi asserta, hæcque, utpote in posterioribus Sancti scriptis contenta, genuinam ejus de sanctissima Trinitate fidem prodere, ac proin nullum ex adductis de scapha et fabro, de vinea et agricola comparationibus Arianorum erroribus præsidium accedere. Videtur adeo ex Athanasii verbis proxime recitatis etiam conseguens, ut, dato etiam, quod tamen ob ante dicta admitti non debet,* S. Dionysium *sive apparenter tantum, quod verosimilius est, sive reipsa in eos ipsos, aut fere eos ipsos errores, qui postea Arianis palmares fuerunt, in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola esse prolapsum, illorum tamen ipsum, veluti auctorem ab Arianis jactari merito non potuisse, cum scilicet, ut jam dixi, doctrinam Arianorum erroribus prorsus oppositam postea tenuerit, divinique Verbi consubstantialitatem apertissime sit professus.*

errores merito

207 *Hinc laudatus Athanasius in suo de* Dionysii *sententia Tractatu jure meritissimo plus vice simplici affirmat,* Dionysium *ab Arianis pati calumniam, dum hi illum hæreseos suæ patronum facerent, inque sancti Viri scriptis sua de sanctissima Trinitate dogmata fundari, assererent. Ceterum ut huic discussioni, qua, an* Dionysius *Arianorum errores præformarit, inquisivi, finem imponam, rationibus hactenus allatis eruditorum judicium insuper adjungo. Hoc spectato, ante œcumenicam Nicænam* D *synodum nihil in Historia ecclesiastica occurrit, quod pro divini Verbi consubstantialitate asserenda, quam qui admittit, Arianorum circa SS. Trinitatem errores certissime rejicit, efficacius militet, quam quod Sabellianæ hæreseos occasione* Dionysium *Alexandrinum inter et Dionysium Romanum Pontificem evenit. Utquid vero hæc istis sedet sententia? Non alia certe de causa, quam quod dictæ hæreseos occasione Dionysius Romanus quidem scripto edito æqualis esse impietatis ostenderit Sabellianæ hæreseos sectatores, et eos, qui Dei Filium a Patre secundum substantiam alienum assererent, tresque in sanctissima Trinitate Personas Deitate distinctas statuerent;* Dionysius *vero Alexandrinus, intellecta ex Dionysio Romano, quæ contra se intentaretur, accusatione, sui purgandi causa quatuor de Elencho et Apologia libros ediderit, in iisque Verbi divini consubstantialitatem apertissime fuerit professus.*

208 *Sandius, sæculi decimi sexti hæreticus, qui* *dici potest præformasse.*
Arianorum hæresim renovare voluit, quo Dionysii, *Verbi consubstantialitatem asserentis, auctoritatem elideret, nihil prorsus aliud præter miserum invenit effugium, falsitatis, quam tuetur, certissimum indicium. Ait scilicet,* Dionysii *libros de Elencho et Apologia conscriptos, opus esse supposititium ab iis, qui Romani Pontificis auctoritatem voluerunt ex-* E *tollere,* Dionysio *Alexandrino affictum. Verum Sandius nihil prorsus habet, quod Athanasii, Eusebii et Basilii, qui dictos libros Sancto nostro adscribunt, auctoritati opponat, ut hic omni dubio procul audiendus non sit. Magnum itaque, uti ex jam dictis facile colliges, faciendum est discrimen inter Arianos, et eos, de quibus supra jam actum est, Pentapolitanos. Hi solam viderant* Dionysii *ad Ammonium et Euphranorem epistolam, ac proin, cum in hac Sanctus nonnullas adhibuisset crudiores de Dei Filio loquendi formulas, merito, ut diximus, eum videntur erroris apud Romanum Pontificem insimulare potuisse; Ariani vero non solam illam* Dionysii *epistolam, sed et ejus de Elencho et Apologia libros legerant, ac proin, cum in his Sanctus mentem suam clarius exponat, doctrinamque Arianorum erroribus prorsus oppositam apertissime profiteatur, immerito eum jactitarunt suorum dogmatum patronum. Adhæc non* Dionysii *culpa, sed ipsorummet malitia factum est, ut in eos, quos docuerunt errores, sint prolapsi, atque adeo hos Sanctus præformasse dici non potest.*

§ XIX. Tria S. Basilii de Dionysio Alexandrino asserta et quid de horum altero sentiendum sit. F

Gennadius, qui Dionysium Arii sortem asserit, hoc assertum forte

Quamvis Dionysius *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola nonnihil crudius sit locutus, idcirco tamen, ut* § *præcedenti docuimus, Arianorum errores præformasse merito dici non potest. Verum hæc eadem apud omnes, ut jam supra monui, non semper obtinuit opinio. Inprimis enim Gennadius, Massiliensis presbyter, qui sæculo quinto senescente floruit, libro de Dogmatibus ecclesiasticis sic habet :* Nihil creatum, aut serviens in Trinitate credamus, ut vult Dionysius, fons Arii. *Quibus verbis scriptor ille Sanctum nostrum, veluti Arianorum circa sanctissimam Trinitatem errorum auctorem, ac coryphæum traducit. Ast tantæ auctoritatis non est Gennadius, ut ei potius, quam Athanasio, qui, ut jam docuimus, ab Arianorum erroribus alienum fuisse* Dionysium, *Tractatu hunc in finem expresse scripto ostendit, fidem adhibeamus. Adhæc Gennadius, cum hæc scripsit,* Dionysii *de Elencho et Apologia libros forte non legerat, uti nec Apologiam pro* Dionysii *sententia contra Arianos ab Athanasio conscriptam; quod ultimum idcirco mihi sane sat verisimile apparet, quia alioquin tanti Viri, quantus fuit Athanasius, auctoritate motus, judicium magis æquum de* Dionysio *laturus fuisse videtur. Utut sit, Gennadio equidem,* Dionysium *Arianæ hæreseos*

A *hæreseos fontem atque auctorem facienti, non assentior, ob ea, quæ binis paragraphis præcedentibus disseruimus, quæque* Dionysium *ostendunt merito dici non posse Arianorum errores præformasse. At, inquies, Ariani, quod Dei Filium Patri assererent dissimilem, a vocabulo Græco* ἀνομοίος, *Latine* dissimilis, *vocati etiam fuere* ἀνομοῖοι, *seu* dissimiles, *unde et eorum hæresis* Anomœæ *etiam nomen accepit; Basilius autem, epistola nona, alias quadragesima prima ad Maximum Philosophum scripta, apertissime docet,* Dionysium (*vide verba num. seq. huc transcripta*) *prima hominibus jecisse semina Anomœæ hæreseos, ut adeo is sanctus pater* Dionysium *pariter faciat Arianæ hæreseos fontem, ac proin ut Gennadius, qui post Basilium floruit, sola forsan hujus auctoritate motus, verba proxime recitata, quibus* Dionysium *Arii fontem appellat, litteris mandarit.*

hausit ex Basilio : hujus de Sancto censura, quæ huc

210 *Respondeo : vero non est absimile, Gennadium ex Basilio didicisse, quod de* Dionysio *verbis, num. præcedenti transcriptis, pronuntiat. Quod autem ad Basilii, Arianæ hæreseos originem* Dionysio *imputantis, censuram pertinet, hanc, quam jam antea, num. scilicet* 185, *partim transcripsi, integram nunc transcribo, ut, quid hic statui debeat, et an æquum sit, quod de illa alii tulerunt, nosque*

B *laturi sumus judicium, studiosus lector commodius queat dispicere. Integer itaque verborum, quibus in dicta epistola Basilius rem exprimit, contextus sic habet :* Cæterum quæ postulas Dionysii scripta, venere illa quidem ad nos, et valde multa; sed non adsunt libri, et idcirco non misimus. Sententia autem nostra hæc est : Non omnia Viri hujus admiramur; imo sunt, quæ prorsus etiam improbemus. Nam fere illius, quæ nunc circumstrepit, impietatis, anomœam dico, is est, quantum quidem scimus, qui primus semina hominibus præbuerit. Causa autem, opinor, non sententiæ pravitas, sed vehemens studium Sabellio adversandi. Hunc ergo ego arborum cultori soleo comparare, detortam recentem plantam erigenti, deinde, immoderate retrahendo, aberranti a medio, et ad contrariam partem plantam abducenti. Tale aliquid et huic Viro contigisse comperimus. Cum enim Libyos (*Sabellii e Lybia oriundi*) impietati occurreret vehementer; non intellexit, se nimio contendendi studio in contrarium malum delabi. Et cum ei satis esset, non idem esse subjecto Patrem et Filium demonstrare, atque hæc adversus blasphemum (*Sabellium*) palmaria tenere; ut manifestam prorsus et redundantem victoriam habeat, non modo hypostaseωn alietatem statuit, sed etiam

C essentiæ differentiam ac potentiæ gradus et gloriæ diversitatem.

transcribitur, tria præcipue asserta complectitur.

211 Quare inde contigit, ut mutarit quidem malum malo, a recta autem doctrina aberrarit. Hinc etiam non sibi constat in scriptis, nunc quidem tollens consubstantiale propter eum, qui hac voce ad destruendas hypostases prave utebatur; nunc vero admittens in iis, quæ defensionis causa ad cognominem (*Dionysium scilicet, Romanum Pontificem*) scripsit. Adhæc de Spiritu voces emisit minime dignas Spiritu, ab adorata illum deitate sejungens, et in inferioribus una cum creata ac ministra natura numerens. Vir igitur ille est ejusmodi. *Hactenus Basilius, tria potissimum de* Dionysio *affirmans; atque horum quidem primum est, a sancto Viro non tantum Personarum, sed et essentiæ diversitatem in sanctissima Trinitate constitui, sicque prima Anomœæ seu Arianæ hæreseos semina jacta fuisse; alterum, non eamdem semper in scriptis doctrinam traditam fuisse, utpote nunc admisso, nunc rejecto* consubstantialis *vocabulo; ac tertium denique, Spiritum sanctum, abnegata ei deitate, inter res factas seu creatas computari. Tria hæc Basilii de* Dionysio *asserta juverit paulo accuratius discutere. A primo, quod huc potissimum pertinet, initium hic duco.*

212 *Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum* 265, *num.* 43 *et seqq. in Basilii de* Dionysio *sententiam, universim spectatam, scribens, S. Basilium de* Dionysio *paulo liberius locutum videri, affirmat; ut autem Basilium excuset, ait eum, cum præmemoratam ad Maximum philosophum scriberet epistolam, compertos non habuisse* Dionysii *de Elencho et Apologia libros, ad Dionysium Romanum Pontificem conscriptos, uti nec Tractatum, ab Athanasio de sententia* Dionysii *contra Arianos concinnatum. Hunc Athanasii Tractatum nondum tunc S. Basilio innotuisse, ab eruditis facile admittitur, idque etiam loco citato recte probat laudatus Baronius ex eo, quod Basilius ipsum Athanasium, et quæ ab eo scripta fuissent, summopere observare solitus ac colere, suam nihilominus de* Dionysio *dicturus sententiam, nullam prorsus Athanasii, quod tamen argumenti exigebat ratio, mentionem fecerit, nec accusationem* S. Dionysio *apud Dionysium, Romanum Pontificem, a Pentapolitanis intentatam vel verbo attigerit, quam tamen ex citato Athanasii Tractatu, si modo hunc vidisset, dubio procul habuisset perspectam. Atque ita quidem verosimillimum est, Basilio tunc, cum præfatam ad Maximum philosophum scripsit epistolam, laudatum Athanasii Tractatum non præluxisse. Ast an idem quoque de apologeticis* Dionysii *libris, ad Dionysium Romanum Pontificem conscriptis affirmandum est?*

AUCTORE C. B.

His de Dionysio liberius locutum Basilium affirmat Baronius;

213 *Ipsemet Basilius sententiæ suæ, quam verbis proxime recitatis de* Dionysio *tulit, initio sic præfatur :* Cæterum quæ postulas Dionysii scripta, venere illa quidem ad nos et valde multa; sed non adsunt libri, et idcirco non misimus. *Quibus verbis, inquit Baronius, Basilius affirmare videtur, sese tunc, cum illa scriberet, nondum præ manibus habuisse apologeticos* Dionysii *libros, ad Romanum Pontificem scriptos. Verum, innuit Tillemontius tom. IV Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 282, *quamvis Basilius in sua ad Maximum philosophum epistola sinistrum admodum de* Dionysio *ferat judicium, nequit tamen ex illa erui, Basilium tunc, cum illam exararet, nondum legisse apologiam, a* Dionysio *ad Romanum Pontificem datam, utpote quæ in ipsamet dicta Basilii epistola dilucide citetur; hisce nempe verbis, supra adhuc transcriptis :* Hinc etiam non sibi (Dionysius *Alexandrinus*) constat in scriptis, nunc quidem tollens consubstantiale propter eum, qui hac voce ad hypostases destruendas prave utebatur; nunc vero admittens in iis, quæ defensionis causa ad cognominem (*Dionysium scilicet, Romanum Pontificem*) scripsit. *Hæc Tillemontius, ut dixi, loco citato insinuat. Verum an huic scriptori contra Baronium certo assentiendum est? Erui non posse ex præfata Basilii epistola id, quod ex ea eruit Baronius, sat certum existimo. Etenim*

F *verba numeri hujus initio recitata, ex quibus id erueretur, ita queunt exponi, ut iis Basilius, qui tunc in eremum secesserat, Maximo philosopho unice significet, sese* Dionysii *Opera, quæ ad Maximum philosophum mittenda sibi describi amanuensibus librariisve longius positis imperarat, nondum accepisse; dictis autem verbis hunc in modum, ut certo queunt intelligi, intellectis, qua ratione, quæso, ex iis concludes, Basilium tunc, cum epistolam sæpius præfatam scriberet, apologeticos nondum* Dionysii *libros legisse? Poterat certe Basilius eremum nondum ingressus hos legisse, antequam vel illos sibi transmitti, Maximus philosophus postularet, vel ipsemet de transmissione illa facienda cogitaret.*

cum autem Basilius, sic loquens, apologeticos Dionysii libros, quidquid E

214 *Nequit ergo ex præfatis Basilii verbis illud erui, quod ex iis erui posse, visum est Baronio. Verum quamquam hoc ex dictis verbis certo nequeat concludi, non propterea tamen recte concluseris, Basilium jam tum, cum epistolam, sæpissime jam memoratam, ad Maximum philosophum scriberet, apologeticos* Dionysii *libros, ad Dionysium Romanum Pontificem scriptos, habuisse præ manibus, doctrinamve, in iis tractatam, apprime habuisse perspectam. Quamvis enim, ut recte observat Tillemontius, a Basilio in dicta epistola citetur Apologia, a* Dionysio *Alexandrino sui purgandi causa ad Romanum Pontificem sibi cognominem data, dici potest, Basilium*

interim contra opponi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

Basilium intelligendum esse, non de quatuor libris, quos Dionysius *sub nomine Elenchi et Apologiæ ad Romanum Pontificem sui purgandi causa scripserit, sed de epistola, quam ante hos quatuor libros, ut num.* 138 *docuimus, eodem fine ad Pontificem transmiserit. Quod si vero ita intelligendus sit Basilius, nequit ex eo, quod in sua ad Maximum philosophum epistola* Dionysii *apologiam laudet, certo concludi, cum jam tunc, cum ad Maximum scriberet, quatuor legisse libros, de Elencho et Apologia a* Dionysio *conscriptos. Fateor, res ita habet: et vero Basilii, dum in epistola ad Maximum* Dionysii *Apologiam citat, de sola, quam hic ante quatuor de Elencho et Apologia libros scripserit, epistola indubie potest intelligi, si modo in Basilii, qua Baronius usus est, editione epistolæ ad Maximum locus, quo Basilius* Dionysii *Apologiam laudat, e Græco sermone in Latinum accurate sit conversus.*

queat, citasse

213 *Etenim hic locus apud Baronium ad annum supra laudatum de* Dionysio *sic habet:* Factum est, ut varius sit deprehensus et inconstans in conscriptionibus suis; et quidem tollit nunc τὸ ὁμοούσιον, coessentiale per ea, quibus in recta constitutione τῶν ὑποστάσεων, personarum scilicet, minus recte usus est; nunc contra admittit, dum respondet ejusdem nominis Dionysio, *Romano nempe Pontifici. Quæ verba nihil omnino continent, quod impediat, quo minus hæc posteriora,* nunc contra (Dionysius τὸ ὁμοούσιον *coessentiale*) admittit, dum respondet ejusdem nominis Dionysio, *quibus Basilius* Dionysii *Apologiam citat, de sola queant, quam hic ante quatuor de Elencho et Apologia libros scripsit, epistola intelligi, cum in hac præsertim* Dionysius, *uti ex num.* 138 *liquet, τὸ ὁμοούσιον, coessentiale seu consubstantiale admittat. Verum prædicti epistolæ ad Maximum loci facta ex idiomate Græco in Latinum conversio accurata non videtur. Is enim in Græco-Latina, qua utor, Operum S. Basilii editione, anno* 1730 *per monachos Benedictinos adornata, Græce in hunc modum exprimitur:* Ταύτηται καὶ παντοδαπὸς ἐστιν ἐν τοῖς συγγράμμασιν, νῦν μὲν ἀναιρῶν τὸ ὁμοούσιον διὰ τὸν ἐπ' ἀξιώσει τῶν ὑποστάσεων κακῶς αὐτῷ κεχρημένον· νῦν δὲ προσιέμενος ἐν οἷς ἀπολογεῖται πρὸς τὸν ὁμώνυμον. *Huic autem, cui nullam prorsus laudati Benedictini lectionem variantem assignant, textui Græco, ad verbum accepto, versio hæc Latina, quæ a mox data atque per Baronium adhibita non parum dissonat, ad amussim respondet:* Hinc etiam varius seu inconstans est in suis scriptis, nunc quidem tollens vocabulum CONSUBSTANTIALE ob eum, qui hoc ad hypostases seu personas destruendas male usus est; nunc vero admittens, in quibus sui purgandi causa ad homonymum seu cognominem scribit. *Quæ verba ita nequeunt accipi, ut de sola agat Basilius epistola, a* Dionysio *ante quatuor Elenchi et Apologiæ libros conscripta. Etenim hæc posteriora,* nunc vero admittens, in quibus, seu in iis, in quibus sui purgandi causa ad homonymum seu cognominem scribit, *quibus a Basilio* Dionysii *Apologia laudatur, in se continent, vel certe subintellectum habent pronomen* ea, *quod ad substantivum præcedens* scripta, *ut consideranti patebit, debet referri, sicque facit hunc sensum:* Nunc vero admittens in iis scriptis, in quibus sui purgandi causa ad homonymum seu cognominem scribit.

probetur, ab illis non lectis perperam excusatur per Baronium.

216 *Quapropter cum substantivum* scripta, *seu potius pronomen, substantivi hujus locum supplens, quo a Basilio hic* Dionysii *apologia citatus, plurali numero exprimatur, nequit Basilius,* Dionysii *apologiam citans, de sola, quam hic ante quatuor Elenchi et Apologiæ libros scripsit, epistola intelligi. Intelligendus ergo est vel de quatuor Elenchi et Apologiæ libris, a* Dionysio *ad Romanum Pontificem scriptis, vel de his simul et de epistola, quam ante eosdem* Dionysius *ad Romanum Pontificem pariter dedit. Benedictini textum Græcum num. præcedenti huc transcriptum ita reddiderunt Latine:* Hinc etiam non sibi constat in scriptis, nunc quidem tollens consubstantiale propter eum, qui hac voce ad hypostases destruendas prave utebatur; nunc vero admittens in iis, quæ defensionis causa ad cognominem scripsit. *Hæc autem versio, secundum quam a Basilio minus clare laudantur quatuor* Dionysii *de Elencho et Apologia libri, nonnihil a versione, quam mox dedimus, discrepat; verum hæc nostra, ut consideranti patebit, textui Græco est conformior, eaque propterea etiam standum est, ut adeo Basilius in sua ad Maximum epistola, supra laudata, quatuor citet* Dionysii *libros de Elencho et Apologia conscriptos, ac proin ut Baronius liberiorem Basilii, quem in epistola ad Maximum tenuit, de* Dionysio *loquendi modum perperam excuset ex eo, quod Basilius tunc, cum illam epistolam scriberet, quatuor* Dionysii *de Elencho et Apologia libros nondum legisset. Neque est, cur Basilium, visis etiam et lectis hisce libris, liberius de* Dionysio *in dicta epistola esse locutum, minus credibile appareat. Etenim jam tum, cum ad Maximum philosophum scriberet, sanctus ille scriptor, fatente Baronio, viderat epistolam, a* Dionysio *ante quatuor de Elencho et Apologia libros ad Romanum Pontificem conscriptam; quamvis autem in hac Sanctus (vide hujus Commentarii num.* 138) *Dei Filium Patri consubstantialem apertissime confiteatur, ac proin doctrinam tradat palmari Arianorum errori e diametro oppositam, eum nihilominus, veluti qui prima Anomœæ seu Arianæ hæreseos semina hominibus præbuerit, Basilius in sua sæpissime laudata ad Maximum epistola liberrime traducit, uti palam est ex iis, quæ jam disseruimus.*

Probabile apparet, quam prius de Dionysio tulerat, postea Basilium,

217 *Non est ergo, cur parum sit aut minus credibile, Basilium, lectis etiam* Dionysii *de Elencho et Apologia libris, sinistram adeo de hoc, ut jam vidimus, protulisse sententiam. Nequit quippe Basilius posterioribus* Dionysii *scriptis a sinistra, quam de sancto Viro ex lecta ejus ad Ammonium et Euphranorem epistola conceperat, opinione facile avocari. Aliud, quantum opinor, futurum fuisset, si Basilius, ad Maximum scribens, Tractatum, quem de* Dionysii *sententia Athanasius scripsit, quemque jam plus semel laudavimus, habuisset perspectum; cum enim Athanasium, ejusque scripta maximi fecerit, dubitandum non videtur, quin Basilius dicti Tractatus, in quo Athanasius* Dionysium *ab Arianorum erroribus immunem ostendit, argumentis motus, in Athanasii de* Dionysio *sententiam manibus pedibusque fuisset concessurus, ut adeo Baronius, loco supra laudato recte affirmet, aliter Basilium de* Dionysio *loquturum fuisse, si, quem Athanasius pro hoc defendendo conscripsit, Tractatum habuisset perspectum, quamvis interim ad immutandam, quam de* Dionysio *conceperat opinionem, moveri hujusmet Sancti libris, de Elencho et Apologia conscriptis, non potuerit. Quod dum dico, de Basilio, cum ad Maximum scriberet, dictum intellige. Etenim vero prorsus absimile non est, eum postea de* Dionysio *mutasse sententiam.* Sanctus Basilius, *inquit Tillemontius tom. IV Monumentorum ecclesiasticorum p.* 282, nondum, uti ex hujus epistolæ (*ad Maximum scriptæ*) serie apparet, erat episcopus, cum ita de Dionysio (*in epistola ad Maximum*) loqueretur, eratque forsan adhuc satis juvenis. Facile potest postea mutasse sententiam. Certe videmus, hunc (*Basilium*) illi (Dionysio *Alexandrino*) in prima sua canonica epistola (*hæc, a nobis jam memorata postque adhuc memoranda, Amphilochio inscripta est*) MAGNI titulum bis tribuere, etiam tunc, cum ne quidem ejus de Montanistarum baptismo opinionem potest probare. Citat etiam eum pro Spiritus sancti deitate, adjungens nihilominus, esse, cur quis hinc miretur. Textus, quos refert, sufficere videntur, ut Dionysii fides pura probetur hoc in capite, in quo eum erroris Basilius insimularat. *Ita Tillemontius, et meo quidem judicio satis probabiliter.*

quamvis contrarium contendant Benedictini, mutasse sententiam.

218 *Benedictini nihilominus, a Tillemontio hic dissentientes, in Notis, quas epistolæ ad Maximum philosophum sæpissime jam laudatæ subnexuere, sic scribunt:* Frustra quis cum Tillemontio conjiciat, Basilium mutasse sententiam, et quod junior dixerat,

A rat, recantasse in libro de Spiritu sancto cap. 29, ubi præclarissimum Dionysii de Trinitate testimonium profert. Frustra hoc, inquam, sententiæ immutatæ indicium existimetur. Tum cum enim citat illud testimonium, παράδοξον ἀκοῦσαι, mirabile auditu esse, dicit. Quod argumento est, eum Dionysio ne tunc quidem magis favisse. *Hæc laudati Benedictini contra Tillemontium. Verum non video, qua ratione hi ex eo, quod Basilius* Dionysii *citans de Spiritu sancto testimonium, auditu id mirabile pronuntiet, sat certo arguant, Basilium* ne tunc quidem, *cum præmemoratum de Spiritu sancto librum scripsit,* Dionysio magis favisse. *Etenim Basilius, cum* Dionysii *de Spiritu sancto testimonium citavit, vocare illud* mirabile auditu *potuit, quod illud secundum se mirum foret, utpote non tantum Spiritum sanctum, sed et sanctissimæ Trinitatis mysterium adeo perfecte exprimens, ut id vix alibi Basilius expressum invenisset perfectius.* Dionysii *de Spiritu sancto testimonium, quod Basilius e secunda* Dionysii *de accusatione et defensione epistola in suum de Spiritu sancto Tractatum intulit, mirabileque auditu appellavit, sic habet :* His omnibus congruenter et nos, forma etiam ac regula a presbyteris, qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agentes, tandem nunc vobis scribere desinimus. Deo autem Patri et Filio Domino nostro B Jesu Christo cum sancto Spiritu gloria et imperium in sæcula sæculorum, amen. *Quibus ultimis verbis clarissime sane non tantum Spiritus sanctus, verum etiam duæ aliæ divinæ Personæ, totumque sanctissimæ Trinitatis mysterium exprimitur, ut adeo Basilius* mirabile auditu *vocare potuerit* præ*laudatum* Dionysii *de Spiritu sancto ac Trinitate testimonium, etiamsi jam factus senior* Dionysio *magis faverit.*

Hæc erat justo severior, contraque scribendi ratio,

219 *Utut sit, certum equidem est, Basilium, adhuc juniorem, verbis supra recitatis de* Dionysio, *veluti de Anomœæ seu Arianæ hæreseos fonte ac auctore esse locutum. Verum, inquies, quid tandem de severa hac Basilii in* Dionysium *censura sentiendum est? Respondeo : cum Basilius hanc ferens, fateatur,* Dionysium (*vide verba num.* 210 *recitata*) *non pravitate sententiæ peccasse, sed studio oppugnandi Sabellii, atque ut adversus hunc plenam et redundantem victoriam obtineret,* Dionysium *minime arbitratus est Anomœæ seu Arianæ impietatis fuisse affinem. Quapropter cum* Dionysium *prima jecisse Anomœæ seu Arianæ hæreseos semina nihilominus affirmet, necesse est, ut solas, quas* Dionysius *adhibuit, loquendi formulas, veluti Arianis faventes primaque eorumdem hæresos semina continentes, condemnet. Verum, inquies iterum, an sat recte a Basilio istæ sine ulla adhibita benigniori in-* C *terpretatione rejiciuntur ac damnantur? Athanasius, qui non minus, quam Basilius* Dionysium *de sanctissima Trinitate orthodoxe admodum sensisse, persuasum habuit, in suo de* Dionysii *sententia Tractatu admittit quidem, varias, quas* Dionysius (*adi hujus Commentarii num.* 168) *adhibuit de sanctissima Trinitate loquendi formulas, Arianis favisse; verum eas, et a scriptis posterioribus, in quibus* Dionysius *mentem suam dilucidius exposuit, et a fine et sensu, quo eas adhibuit, excusat. Loquendi illæ formulæ ad humanam Christi naturam fere unice spectabant. Eo autem fine de hac sola fere Sanctus loquebatur, ut cum Sabelliani audacius Dei Filium negarent, et humana ejus Patri adscriberent, ostendens ipse, non Patrem, sed Filium pro nobis Hominem factum esse, Sabellianis persuaderet, Patrem non esse Filium, eoque pacto homines ad veram Filii Deitatem credendam, et ad Patris cognitionem sensim adduceret. Hunc finem sibi Sanctus habebat propositum, hanc tenebat adversus Sabellianos scribendi rationem.*

quam Dionysius adversus Sabellianos tenuit, ab Athanasio,

220 *Et vero hanc etiam utilem fuisse, Sabellianosque convertere natam, Athanasius in Tractatu de* Dionysii *sententia, mox iterum laudato, num.* 26 *his verbis docet :* Et est vere apta persuadendi forma ad insaniam Sabellii evertendam, ut, qui sequaces ejus cito coarguere velit, non ab argumentis ejus divinitatem indicantibus initium ducat; nempe Filium esse Verbum, Sapientiam et Virtutem; nec ab illo : Ego et Pater unum sumus, et; ne illi (*Sabelliani*) quæ recte dicta sunt, ad pravum sensum detorquentes, impudentis contentionis occasionem hinc arripiant, dum audiunt : Ego et Pater unum sumus, et, qui videt me, videt et Patrem meum; sed Salvatoris exemplo præmittat ea, quæ humano more de illo dicta habentur : cujusmodi sunt, esurire, laborare, quod vitis sit, quod oraverit et passus sit; quanto enim hæc dictu sunt humiliora, tanto liquidius demonstratur, Patrem non esse factum hominem. Necessum est enim, cum Dominus Vitis appelletur, agricolam exstare; et cum oret, esse qui exaudiat; cum denique petat, esse, qui concedat. Hujusmodi quippe dicta longe facilius Sabellianorum insaniam commonstrant, quod necesse omnino sit, alium esse, qui orat, alium, qui exaudit; alium vitem, alium agricolam. Quotquot enim verba Filium quasi alienum a Patre declarant; hæc ad carnem attinent, quam nostri causa gestavit.

AUCTORE C. B.

veluti utilis,

221 Opificia quippe secundum naturam a Deo sunt aliena; ideo cum caro opificium sit, Verbum, quod, ut ait Joannes, caro factum est, licet secundum naturam proprium sit Patri, et ab eo indivisibile; attamen si caro spectetur, Pater dicitur ab illo remotus; quæ enim carni propria sunt, ipse E concedit, ut de se dicantur, quo hinc palam fiat, non alterius, sed suum proprium corpus fuisse. Cum itaque hæc eo modo sint intelligenda, citius Sabellius convincetur, non esse Patrem, qui caro factus est; sed ejus Verbum, quod illam redemit, Patrique obtulit. Et ubi quis illum ita coarguerit, ac persuaserit, hinc divinitatem quoque Verbi facilius edocebit; ipsum nempe esse Verbum et Sapientiam, Filium et Virtutem, Splendorem et Figuram. Necesse quippe est, jam denuo colligere, cum Verbum existat, et Verbi Patrem esse oportere; Sapientia cum sit, ejus Parentem esse; et Splendor cum sit, esse quoque Lucem, atque ita Patrem et Filium unum esse. Hæc cum probe sciret Dionysius, illa edidit scripta, prioribusque verbis Sabellium compressit. His vero Arianam prosternit hæresim. Ut enim humana Salvatoris apta sunt ad Sabellium evertendum, e converso in Ariomanitas, non ex humanis, sed ex iis, quæ Verbi divinitatem indicant, argumenta sunt mutuanda; ut ne illi, quæ de Domino corporis causa dicuntur, prave interpretantes, existiment ejusmodi esse Verbum, quales nos homines sumus, ac demum in insania sua perseverent. Qui si de Divinitate doceantur, suum ipsi errorem improbabunt; cumque didicerint, Verbum carnem factum F esse, humana imposterum facilius distinguent ab iis, quæ ad Divinitatem attinent.

laudatur.

222 *Hactenus Athanasius ostendens, eam, quam* Dionysius *contra Sabellianos tenuit scribendi rationem, aptam admodum fuisse, ut illos ab impia, qua infecti erant, circa sanctissimam Trinitatem opinione revocaret. Dispiciat nunc studiosus lector, utri modo assentiendum sit, Athanasione, qui, re mature discussa, prolixum pro tutanda* Dionysii *contra Arianos fama Tractatum scripsit, an potius Basilio, qui junior adhuc, rogatus a Maximo philosopho suam dicere de* Dionysio *sententiam, sancti Viri scribendi contra Sabellium rationem, veluti supervacaneam et noxiam, utpote qua prima Anomœæ seu Arianæ hæresos semina jacta sint, brevi scripta ad Maximum epistola, traducit. Quod ad me pertinet, utrumque sanctum virum, Basilium scilicet et Athanasium, impense revereor; Basilius tamen in* Dionysium *ob nonnullas loquendi formulas comparationesque adhibitas, quas Athanasius modo non uno apte simul orthodoxeque exponit, æquo videtur severior, dum ob eas sanctum Virum Anomœæ hæreseos primum auctorem facit. Procedo nunc ad alterum Basilii assertum, quo* Dionysium (*adi num.* 211) *in scriptis suis sibi non constare, affirmat.*

AUCTORE C. B.

§ XX. Duo alia Basilii de Dionysio asserta expenduntur.

Dionysius in epistola ad Ammonium auferre consubstantiale

Benedictini, *supra plus semel jam laudati, ad hæc Basilii in epistola ad Maximum verba, ante adhuc recitata,* Hinc etiam (Dionysius *Alexandrinus*) non sibi constat in scriptis, nunc quidem tollens consubstantiale propter eum, qui hac voce ad hypostases destruendas prave utebatur; nunc vero admittens in iis, quæ defensionis causa ad cognominem scripsit, *sic observant :* Valde dubium est, quod hoc loco asseverat Basilius, et a Dionysio sublatum et a Sabellio adhibitum consubstantiale. Ipse Dionysius confutavit accusatores suos, teste Athanasio, ibidem (*in Tractatu de sententia* Dionysii *num.* 18) pag. 255 : Qui eum mentiebantur, (*seu potius, ut Græce est*) asseverabant, dixisse Filium inter res creatas computari et nequaquam esse Patri consubstantialem. Quod spectat ad Sabellium, probabile non est, ei arrisisse consubstantiale, quod non minus ipsi adversarium est quam Arianis; nusquam hac voce perhibentur usi esse Sabelliani. Sed cum ea Basilius sibi persuasisset abusum esse Marcellum Ancyranum, facile adductus est, ut idem de Sabellio judicium ferret.

B *Ita illi; verum jam supra vidimus,* Dionysium *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola dixisse, Dei Filium a Patre secundum substantiam alienum, ut adeo a* Dionysio *sublatum consubstantiale, Basilio potuerit videri, nec, uti ex iis, quæ num.* 172 *et seqq. disputavimus, facile colliges, quidquam officit, quod Sanctus deinde in sua ad Dionysium, Romanum Pontificem, epistola sese Dei Filium Patri asseruisse non consubstantialem, iverit inficias.*

videri potuit Basilio;

224 *Quod autem jam pertinet ad secundum, quod laudati Benedictini aiunt, dubium esse scilicet, an a Sabellio consubstantiale fuerit adhibitum; nolim ego id asserenti Basilio, nisi ob rationes prorsus graves refragari; illæ autem, quas verbis mox recitatis Benedictini adducunt, hujusmodi esse non videntur. Sabelliani Personarum in sanctissima Trinitate distinctionem impugnabant. Sic ergo ex admisso consubstantiali, ut etiam reipsa faciebant, argutari poterant : Filius consubstantialis est Patri, Spiritus sanctus item consubstantialis est Patri simul et Filio : ergo omnes tres ejusdem sunt substantiæ seu naturæ : ergo omnes tres unam dumtaxat substantiam seu naturam constituunt, ac proin etiam unicam Personam, et non nisi penes nomina differunt. Sane non video, consubstantiale Sabellianis esse adversarium, nisi iis pariter adversarium velis, Patrem, Filium et Spiritum sanctum unam eamdemque in*

C *sanctissima Trinitate constituere substantiam seu naturam. Ad id autem, quod addunt laudati Benedictini, consubstantiali usos nusquam perhiberi Sabellianos, respondeo, nec uspiam perhiberi contrarium, ac proin, cum nihil obstet, quo minus vocem illam adhibuisse credantur, Basilio diserte asserenti, illos ad destruendas hypostases consubstantiali abusos, assentiendum esse. Itaque valde dubium non est, quod Basilius de consubstantiali per* Dionysium *sublato et per Sabellium adhibito verbis supra iterato recitatis asseverat.*

ast Dionysium, quod alibi consubstantiale admittat, idem S. Scriptor,

225 *Verum an quemadmodum hac in re Basilio hic assentimur, assentiendum pariter ei est, dum iisdem verbis supra recitatis* Dionysium *ex eo, quod nunc rejiciat, nunc admittat consubstantiale, sibi non constare in scriptis affirmat? Respondeo :* Dionysius, *ut supra docuimus, in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola Dei Filium a Patre secundum substantiam alienum asseruit; quo ex asserto erat consequens, ut Dei Filius secundum* Dionysium *Patri esset non consubstantialis; verum quando Sanctus ibidem Dei Filium a Patre secundum substantiam alienum dixit, de eo, ut supra pariter docuimus, secundum humanam naturam considerato fecit sermonem. Jam vero quando* Dionysius *in epistolis seu libris, sui defendendi causa ad Romanum Pontificem scriptis, Dei Filium Patri consubstantialem affirmat, de illo secundum naturam* D *humanam non considerato loquitur. Quapropter, cum sub diversa ratione Dei Filium Patri consubstantialem, et non consubstantialem in scriptis proxime laudatis statuat, non video qui sibi non constare in scriptis a Basilio dici queat ex eo, quod in epistola ad Ammonium tollat consubstantiale, hocque vocabulum in epistolis ad Romanum Pontificem sui purgandi causa scriptis admittat.*

cum illud vocabulum Antiochena synodus rejecerit,

226 *Adhæc fac* Dionysium *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola, et in epistolis sui purgandi causa ad Romanum Pontificem scriptis de Dei Filio secundum naturam humanam non considerato esse locutum, potuit nihilominus Sanctus vocabulum* consubstantiale, *quod illud, ut ait Basilius, Sabelliani perperam adhiberent, perversove sensu acciperent, in epistola ad Ammonium contra Sabellianos scribens rejicere; admittere vero in epistolis ad Romanum Pontificem sui purgandi causa scriptis. Sic concilii Antiocheni, anno* 269 *aut* 270 *contra Paulum Samosatenum celebrati, Patres vocabulum consubstantiale, quod illo Paulus ad impiam suam de secunda sanctissimæ Trinitatis Persona doctrinam stabiliendam abuteretur, non immerito rejecerunt, idem vero magnæ Nicænæ synodi Patres, qui Arium proscripserunt, non immerito contra admiserunt. Audi, qui hac de re testimonium perhibeat, loquaturque Athanasius, epistola de synodis num.* 45 *hæc* E *scribens :* Etsi ambarum synodorum (*Antiochenæ et Nicænæ*) Patres diverse de consubstantiali mentionem fecerint, nullatenus tamen ab illis dissidere debemus, sed illorum perscrutari sententiam, et tunc ambas inter se synodos consentire deprehendemus. Qui enim Samosatensem deposuere, vocem consubstantialis corporali accepere modo, cum Paulus argutari vellet ac dicere, Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri atque hinc necesse est, tres esse substantias; unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Ideoque illud Pauli (*Samosateni*) sophisma jure caventes, dixere Christum non esse consubstantialem; neque enim Filius ita se habet respectu Patris, qualiter ille cogitabat.

Nicæna admiserit.

227 Qui autem Arianam hæresim anathemate damnarunt, cum Pauli calliditatem animadvertissent, et cogitarent, non ita de incorporeis, et maxime de Deo, consubstantialitatem accipiendam esse, agnoscentesque Verbum non creaturam, sed prolem ex substantia esse; item Patris substantiam Filii principium, radicem et fontem esse, ac eumdem ex se veram esse genitoris similitudinem, nec eum quasi natura extraneum, uti nos sumus, a Patre separatum esse, sed cum ex ipso sit, Filium F esse indivisum, uti se habet splendor erga lucem; cum item sibi faverent Dionysii (*Alexandrini episcopi*) exempla, Fontis scilicet vox et Consubstantialis defensio; et ante ista vox Salvatoris index unitatis; Ego et Pater unum sumus; et, Qui vidit me, vidit et Patrem; ea, inquam, de causa jure et ipsi Filium consubstantialem dixerunt. Et sicuti, ut supra dixi, nemo Apostolum culpaverit, quod de Lege Romanis hoc modo, Hebræis alio scripserit; sic nec præsentis temporis homines priscos illos criminati fuerint, si eorum considerent interpretationem; neque prisci posteros reprehenderint, si advertant, qua sententia et quo usu ita de Domino scripserunt. Etenim utraque synodus ex legitima causa hoc modo alia, alio alia locuta est. Cum enim Samosatensis, Filium, sentiret, non esse ante Mariam, sed ab illa initium existendi accepisse, idcirco episcopi tunc congregati, illum deposuerunt, et hæreticum declararunt; de Filii autem divinitate cum simplicius scriberent, ad accuratam consubstantialis interpretationem non devenerunt, sed, ut conceperant, de consubstantialitate locuti sunt.

severiori, quam par est, censura perstringit,

228 *Cum ergo, uti ex his Athanasii verbis, huc jam transcriptis, facile colliges, concilii Antiocheni Patres consubstantiale idcirco rejecerint, quod Paulus Samosatenus eo sensu, quo in humana generatione filius patri consubstantialis, id est, ejusdem, quantum*

A *quantum ad speciem, cum eo substantiæ dicitur, vocabulum illud acciperet, hinc*que *inferret, si Christus esset ex substantia Dei Patris, tres fore in sanctissima Trinitate substantias eo modo distinctas, quo in humana generatione filii substantia a substantia patris distinguitur, cum, inquam, concilii Antiocheni Patres* consubstantiale *idcirco rejecerint, potuit etiam* Dionysius *idem vocabulum, contra Sabellianos scribens, si illud hi (ut ait Basilius) in perverso sensu acceperint, merito rejicere. Sabelliani divinas personas confundebant, ac proin per consubstantiale non tantum essentiæ seu substantiæ, sed etiam forte personæ unitatem intellexerint. Quod si autem hoc sensu consubtantiale acceperint, merito* Dionysius *contra illos scribens, vocabulum illud rejecerit, idemque postea, cum ad Romanum Pontificem sui purgandi causa scripsit, admiserit, sicuti Nycænæ synodi Patres idem vocabulum, licet ab Antiochenis antea rejectum, pariter deinde admiserunt. Itaque quocumque modo res spectetur, non video, an sat æquo* Dionysius, *cum ex dictis consubstantiale, quod uno loco rejecit, alio deinde, nisi diverso sensu acceptum, non admittat, sibi non constare in scriptis a Basilio dicatur. Et vero probabile non apparet, virum talem, qualis fuit* Dionysius, *sibi parum aut nihil in præcipuo fidei articulo credendo*

B *constitisse. Videtur adeo et hic Basilii de* Dionysio *judicium severius esse, quam par sit, ac proin Athanasio assentiri malim, qui, quidquid* Dionysius *Dei Filium a Patre secundum substantiam alienum faciens, Divini Verbi consubstantialitati in speciem contrarium asseruit, ad humanam, quam illud assumpsit, naturam recurrendo, sensu orthodoxo exposuit, Sanctumque ab Arianorum erroribus quam maxime alienum ostendit. Hæc nostra est de secundo, quod Basilius de* Dionysio *protulit, quodque supra explanavimus, judicio sententia. Restat nunc, ut quid de tertio, quod Basilius de* Dionysio *pariter protulit, sentiendum sit, exponam.*

hocque ipsum, Dionysii de Spiritu sancto doctrinam carpens,

229 *Judicium illud his verbis, supra adhuc recitatis, concipitur :* Adhæc de Spiritu voces emisit minime dignas Spiritu, ab adorata illum Deitate sejungens et in inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans. *Tertium ergo Basilii de* Dionysio *judicium in eo versatur, quod Spiritum sanctum a* Dionysio *inter res factas seu creatas computari existimet. Athanasius, qui* Dionysium *ab errore eorum, qui Dei Filium inter creaturas computant, contra Arianos vindicat, nihil plane scripsit, quo Sanctum ab errore, quo Spiritum sanctum creaturis accensuerit, immunem ostenderet. Verum ipsemet Basilius, atque etiam ipse* Dionysius *in suis de*

C *Elencho et Apologia libris eas afferunt Sancti nostri de Spiritu sancto sententias, ex quibus hunc non minus orthodoxe de tertia, quam de secunda Trinitatis persona sensisse, manifestum efficitur. Ut de re unusquisque queat recte dispicere, verba Basilii ac* Dionysii *præcipua, huc facientia, transcribo. Basiliana, quorum jam partem supra dedi, libro de Spiritu sancto cap.* 29 *hæc sunt :* Irenæus ille et Clemens Romanus et Dionysius Romanus, et Alexandrinus Dionysius, id quod etiam auditu mirum est, in secunda ad sibi cognominem epistola de accusatione et defensione, hunc in modum finivit sermonem. Transcribam autem vobis ipsa hominis verba : His omnibus, inquit, congruenter et nos; forma etiam ac regula a presbyteris, qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agentes, tandem nunc vobis scribere desinimus. Deo autem Patri et Filio, Domino nostro Jesu Christo cum sancto Spiritu gloria et imperium in sæcula sæculorum, amen.

cum hæc ex varii Sancti sententiis, quas ipsemet S. Basilius

230 *Prima hæc est orthodoxa, quam Basilius libro proxime laudato affert, Dionysii de Spiritu Sancto sententia. En etiam verba, mox recitatis proxime subjuncta, quibus etiam alias non minus orthodoxas* Dionysii *de Spiritu sancto sententias in medium adducit :* Nec quisquam, *inquit,* dicere possit hæc correcta fuisse ac immutata. Neque enim ita sermonem confirmasset, dicens videlicet, accepisse se formam ac regulam si IN SPIRITU dixisset : hujus enim vocis usus creber est. At illud erat, quod egebat defensione. Qui quidem et in medio scripti sic loquitur adversus Sabellianos : Si eo, quod tres sunt hypostases, divisas esse dicunt, tres sunt, etiamsi nolint : aut divinam Trinitatem prorsus e medio tollant. Ac rursum, divinissima enim ob id etiam post unitatem Trinitas est. *Hæc Basilius, cum perperam de Spiritu sancto sentire, a quibusdam accusaretur, in laudato de Spiritu sancto libro litteris mandavit. Censuit ergo hic sanctus scriptor cum librum illum elucubravit,* Dionysium *ab omni circa tertiam Trinitatis Personam erroris suspicione esse immunem; alias enim ab eo in sui defensionem citandus non fuisset* Dionysius, *si hic æque ac ille in ejusdem criminis suspicionem potuisset adduci. Videtur ergo, ut jam supra docuimus, esse probabilius, Basilium, jam seniorem factum, suam, quam de* Dionysio *junior tenuerat, immutasse sententiam. Adi hujus Commentarii num.* 218, *ubi etiam probatum invenies, contrarium non recte concludi ex eo, quod Basilius eo ipso loco, quo jam senior in libro de Spiritu sancto verbis proxime recitatis præclarissimum* Dionysii *de Spiritu sancto testimonium profert, vocet illud* πάραδοξον' ἀκεῦσαι mirabile auditu.

AUCTORE C. B.

et Tractatus de sententia Dionysii

231 *Utut sit, mutarit Basilius jam senior, non mutarit, quam junior de* Dionysio *tulerat sententiam, orthodoxam equidem de Spiritu sancto doctrinam continent textus, quos, veluti a* Dionysio *litteris consignatos, verbis supra productis sanctus ille scriptor laudat. Adhæc quam orthodoxe de Spiritu sancto* Dionysius *senserit, liquet etiam ex binis Sancti sententiis, quas Athanasius e secundo* Dionysii *de Elencho et Apologia libro in suum de sententia* Dionysii *Tractatum intulit, quasque Tractatus hujus num.* 17 *Benedictinorum, qua utor, versio exhibet. Prior, jam supra ad* Dionysii *de secunda Trinitatis Persona opinionem elucidandam transcripta, hucque nunc iterum ad sancti Viri de tertia Trinitatis Persona doctrinam pariter elucidandam ex parte saltem transcribenda sic habet :* Patrem dixi, et priusquam Filii mentionem facerem, jam illum in Patre significaram; Filium adjunxi, ac etiamsi Patrem non prius nominassem, is tamen in Filii nomine comprehensus fuerat; Spiritum sanctum addidi, sed simul et unde et per quem processerit, adjunxi. Illi vero ignorant, neque Patrem, qua Pater est, a Filio alienari posse, nam nomen illud est origo conjunctionis; neque Filium a Patre separari; namque Patris vocabulum commune quidpiam indicat. In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente separari potest. Quomodo igitur ego, qui talibus utor nominibus, illa a

D

se invicem separata et omnino diversa existimem? *Posterior vero his verbis, quæ, quod maxime notari digna sint, Græce simul et Latine huc transcribo, concipitur :* Οὕτω μὲν ἡμεῖς εἴχε τὴν τριάδα τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα. Sic quidem nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quæ imminui nequit, in Unitatem contrahimus.

E

apud Athanasium exhibent, orthodoxa fuisse probetur,

232 *Benedictini in Notis, quas laudato Athanasii Tractatui adjungunt, de posteriori* Dionysii *Græce atque Latine huc jam transcripta sententia sic observant :* Eximia hæc clusula, τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα, quæ in editis desideratur, in omnibus Mss. habetur, et a veteri interprete versa est; ut nihil dubium sit, eam typographi mendo omissam fuisse, quod hæc verba τριάδα et μονάδα similiter desinerent : quod item palam est ex iis, quæ habentur infra num. 19, *ubi nempe Athanasius sic scribit :* Quod autem illi (*Ariani*) separant et dividunt Verbum a Deo, id ille (Dionysius *Alexandrinus*) improbat, cum ait, Trinitatem, quæ nec dividi, nec minui potest, in unitatem contrahi. *Græce :* Καὶ τὸ μὲν ἀποσχοινίζειν καὶ διαιρεῖν αὐτοὺς τὸν λόγον ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἀναιρεῖ λέγων αὐτὸς ἀδιαίρετον καὶ ἀμείωτον τὴν τριάδα εἰς μονάδα

AUCTORE C. B.

μονάδα συγκεφαλαιοῦσθαι. *Quibus ex verbis potissimum, utpote ab Athanasio ad verba, quæ prævie ex* Dionysii *de Elencho et Apologia libris recitavit, respiciente prolatis, indubium mihi fit, quod Benedictini verbis mox transcriptis de posteriori* Dionysii *circa sanctissimam Trinitatem sententia observant, ut adeo pro certo habeam, hanc a* Dionysio *vere fuisse prolatam. Hæc autem præclara, aureisque apicibus exaranda sententia, qua omnes profligantur adversus Trinitatem obortæ hæreses, omnibus aliis* Dionysii *dictis eminet. Ita ad verbum fere laudati Benedictini in Admonitione, quam Athanasii de sententia* Dionysii *Tractatui præmittunt.* Personas, *inquit lib.* II, *epistola* 144 *Isidorus Pelusiota,* in sanctam Trinitatem dilatare atque in unam essentiam colligere, rectissimum ac verissimum dogma est. *Liquet ergo ex posteriori* Dionysii *sententia huc transcripta, eum recte admodum atque orthodoxe de tota sanctissima Trinitate ac proin etiam de Spiritu sancto sensisse. Quapropter cum hoc ipsum etiam ex Sancti de Trinitate sententia, num. præcedenti transcripta, aliisque insuper supra memoratis manifestum sit, hæque omnes, uti ex ante dictis facile intelliges, ex* Dionysii *de Elencho et Apologia libris depromptæ sint, ex his certe Basilius sinistrum illud, quod, ut ante docuimus, de* Dionysii *circa Spiritum*
B *sanctum doctrina protulit, judicium non hausit.*

verosimillime etiam facit,

253 *At, inquies, quibus ergo* Dionysii *scriptis motus Basilius tam sinistre de Sancti circa Spiritum sanctum doctrina judicavit? Respondeo : verosimillime non aliis, quam epistola a* Dionysio *ad Ammonium et Euphranorem contra Sabellianos scripta, ex qua etiam Basilius censuit, prima Anomœæ hæreseos semina a* Dionysio *jacta fuisse. Verum quemadmodum Basilius hoc censens, æquo, ut jam diximus, in* Dionysium *severior fuisse videtur, ita et illum in hunc æquo pariter severiorem fuisse arbitramur, dum ait :* Adhæc (*sanctus*) Dionysius de Spiritu voces emisit, minime dignas Spiritu, ab adorata illum Trinitate sejungens et in inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans. *S. Athanasius verba, a* Dionysio *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola prolata, quæ sensus heterodoxi erant capacia, quæque, veluti Anomœæ hæreseos semina, Basilius accepit, sensu probe orthodoxo exposuit, itaque porro ea explanari posse ac debere in suo de* Dionysii *sententia Tractatu ostendit. Hinc suspicari fas est, pariter* Dionysii *verba, quæ nuspiam Basilius profert, quibusque Spiritum sanctum creaturis accenseri, putavit, sensus orthodoxi fuisse capacia, orthodoxeque ab Athanasio interpretanda fuisse, si hic, quemadmodum pro tutanda* Dionysii *circa secundam Trinitatis Personam sententia Tra-*
C *ctatum scripsit, ita etiam pro defendenda sancti Viri circa tertiam Trinitatis Personam doctrina calamum strinxisset.*

hinc que quid de Basilii circa Dionysium judicio universim statuendum sit, patescit.

234 *Hæc nominatim de tertio Basilii, supra memorato, circa* Dionysium *judicio. Ut tandem, quid de omnibus tribus sancti hujus scriptoris judiciis sentiendum sit, edicam, sic habeto : observarat Basilius in* Dionysii *ad Ammonium epistola locutiones nonnullas, quæ quamquam orthodoxe possent exponi, sensu tamen magis obvio acceptæ, sequioris interpretationis erant capaces. Hinc sanctus ille scriptor magis ad Arianorum seu Anomœorum, qui impiam suam doctrinam ex* Dionysio *haustam dictitabant, clamores attendens, quam ad posteriora Sancti Scripta omni dubio procul probe orthodoxa nulliusque sequioris interpretationis capacia, severiori, quam par sit, censura priora* Dionysii *scripta seu epistolam ad Ammonium et Euphranorem datam perstrinxerit. Verum quamvis hæretici, qui humani arbitrii libertatem negant, pro hac opinione sua ad S. Augustinum continue appellent, non propterea tamen hic sanctus Doctor, cum arbitrii libertatem, sicubi hanc negare videatur, clarissime alibi admittat, merito dici potest, perversæ hæreticorum, libertatem negantium, opinioni semina suppeditasse. Hinc collige, quid universim de Basilii circa* Dionysium *judicio sentiendum sit, quidve ego sentiendum, existimem. Rerum ad Sanctum nostrum spectantium seriem,* D *quam discutienda tutandaque* S. Dionysii *circa sanctissimam Trinitatem doctrina tantisper interrupi, tandem resumo.*

§ XXI. Annus, quo Valerianus a Persis captus fuerit, disquiritur, sicque via ad reliquas Dionysii res gestas chronologice ordinandas aperitur.

Valerianus a Persis capitur;

Valerianus, *crudelissima in Christianos persecutione per triennium et amplius, ut docebimus, exercita, tandem anno secundum dicenda imperii sui septimo a Persis captus, atque in servitutem abductus, justo Dei judicio impietatis suæ pœnas dedit. Lactantius libro de Mortibus persecutorum, postquam de Decio et persecutione ab eo suscitata locutus est, capite* 5 *hac de re sic scribit :* Non multo post Valerianus quoque non dissimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit, et multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. At illum Deus novo ac singulari pœnæ genere affecit, ut esset posteris documentum, adversarios Dei sæpe dignam scelere suo recipere mercedem. Hic captus a Persis, non modo imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam ceteris E ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissime. Nam rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerit, aut vehiculum ascendere aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat ac terga præbere, et imposito pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, exprobrans ei cum risu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Ita ille dignissime triumphatus, aliquandiu vixit, ut diu barbaris Romanum nomen ludibrio ac derisui esset. Etiam hoc ei accessit ad pœnam, quod, cum filium haberet imperatorem, captivitatis suæ tamen ac servitutis extremæ non invenit ultorem, nec omnino repetitus est. Postea vero quam pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis, et exuta visceribus pellis, infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, legatisque nostris semper esset ostentui, ne nimium Romani viribus suis fiderent, cum exuvias capti principis apud deos suos cernerent.

hoc verosimilius anno 260 *accidit:*

236 *Ita Laudatus Lactantius recte quidem Valerianum justo Dei judicio in impietatis pœnam a Persis captum referens, nullam tamen addens notam chronicam, ex qua, quo anno imperatorem illum capi acciderit, utcumque colligas. Eodem defectu alii scriptores antiqui, qui rem illam litteris mandarunt, etiam laborant. Sunt quidem, qui eventum* F *illum, additis etiam notis chronicis, signarunt, verum hæ sunt hujusmodi, ut ex iis non nisi ægerrime annum, quo Valerianus a Persis captus sit, sat certo definias. Hinc ea de re inter eruditos, aliis pro anno* 259, *aliis contra pro anno* 260 *certantibus, acriter disceptatur. Hos inter non infimum locum tenent Pearsonius in Annalibus Cyprianicis et Pagius in Criticis, quos, quod, quæcumque scriptores alii de hoc argumento tradunt, compendio exhibeant, solos hic propemodum commemoro. Prior Valeriani captivitatem anno* 260, *posterior anno* 259 *affigendam contendit. Utri potius assentiendum sit, hoc paragrapho indago. Ut autem ab ipso hujus disquisitionis initio opinionem meam promam, Pearsonii opinionem amplector. Conatur quidem illam Pagius variis argumentis convellere; verum nullum omnino, quantum mihi equidem apparet, in medium adducit, quod tantopere urgeat, ut a Pearsonii opinione cogat recedere. Quod vero ad Pearsonium pertinet, quamvis omnes etiam simul sumptæ, quas affert, rationes rem non evincant, seu eam inducitatam certamque non faciant, verosimillimam tamen reddunt. Adhæc quamvis aliquas proponat, quæ facile possint elidi, alias tamen adjungit, quæ sint perquam validæ, quæque me, ut Pearsonii sententiæ assentiar, idcirco potissimum impellunt, quod hæc sit communior,*

A *communior, quam Pagii opinio, salvetque non minus notas chronicas, quas a scriptoribus antiquis, quorum scilicet fides integra habenda, subministratas, invenio. Res ex dicendis patescet. A rationibus, quibus Pearsonius Valeriani captivitatem anno* 260 *affigendam contendit, initium duco.*

tria argumenta, quibus hæc epocha stabilitur.

257 *Hic scriptor in Annalibus Cyprianicis supra laudatis ad annum* 260 *num.* 5, *præmissis binis rationibus, quas huc, utpote ad rem controversam probandam minus validas, transcribendas non duco, sic habet :* Tertio Secularis et Donatus, qui ante septimum ejus (*Valeriani*) imperii annum consules non fuere, toties rescriptis Valeriani et Gallieni subscribuntur, ut hujus anni (260 *nempe*) aliqua parte eum (*Valerianum*) adhuc libertate gavisum esse, necesse sit. Quarto quadraginta et duobus mensibus, quod ex Dionysii (*Alexandrini episcopi*) scriptis recte colligitur, Christianos persequi (*Valerianus*) non potuit, nisi ejus auctoritas aliqua hujus anni parte durasset. Denique Sextus Aurelius Victor calculum nostrum confirmat, dum de Gallieno ait, regnavit annis quindecim, cum patre septem, solus octo. *Ita Pearsonius, tres rationes duabus aliis, quas proxime præmisit, adjungens, ob quas Valerianum anno* 260 *a Persis captum arbitretur. Priori e tribus hisce postremis rationibus*

B *nolo etiam multum insistere, facileque concedo Pagio, qui eam in Criticis ad annum* 259 *num.* 11 *hunc in modum excipit :* At si hæc ratio (*verborum scilicet, quæ ex Pearsonio proxime citavi, initio indicata*) valeret, sequeretur anno 261 Valerianum adhuc in libertate positum fuisse ; cum in codice Justinianeo leges reperiantur, quæ in titulo præferunt Gallienum et Valerianum Augg. Mendosæ itaque eæ ac similes inscriptiones, et ab eo, qui leges collegit, perperam additæ, ut notavit Baronius, loquens de quodam rescripto imperatoris Severi anno primo imperii ejus dato, quod Severi et Antonini ejus filii nondum imperatoris nomen exhibet. Similes errores tam in Caro, quam in Diocletiano infra indicabimus. *Hactenus laudatus Pagius, cui argumentum, quod a rescriptis Valeriani nomine signatis et ad annum* 260 *referendis Pearsonius repetit, verbis recitatis confutanti haud difficulter, ut jam dixi, assentior.*

Ad alterum ex duobus horum posterioribus, ab aliquo Dionysii loco

258 *Verum huic scriptori non item assentiendum reor, dum duo postrema Pearsonii argumenta, verbis ex hoc auctore præcedenti numero transcriptis contenta, pariter confutat, seu potius sese confutare, arbitratur. Rationes enim, quibus id conatur effectum dare, nihil plane evincunt, hincque fit, ut, cum scriptorum antiquorum de Valeriani captivitate asserta*

C *explanari non incommode queant, si hæc anno* 260 *innectatur, Pearsonio hanc Valeriani captivitati assignanti epocham propensissime assentiar, futurumque existimen, ut id non minus prompte faciant, qui, quæ in hujus paragraphi decursu disputaturi sumus, attento animo pervolverint. Primum e duobus ultimis memoratis Pearsonii argumentis ad hoc fere reducitur :* Dionysius *Alexandrinus apud Eusebium Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VII, *cap.* 10 *epistola ad Hermammonem de Valeriano sic scribit :* Joanni quoque similiter revelatum est. Ait enim : Et datum est illi os loquens magna et impia, et data est illi potestas et menses quadraginta duo. Utrumque porro in Valeriano impletum mirari licet. *Porro* Dionysius *hanc Joannis prophetiam Valeriano applicans, designat persecutionem, ab hoc in Christianos motam, per menses duos et quadraginta circiter durasse, pacemque Ecclesiæ ante hos elapsos non esse restitutam. Quapropter cum Valerianus non ante annum* 257 *persequi Christianos inceperit, necesse est, ut ante annum* 260 *a Persis captus atque in servitutem abductus non fuerit : alioquin enim non per menses quadraginta duos, sed per biennium tantum persecutus fuerit Ecclesiam, dicendumque erit, ei præmemoratam Joannis prophetiam a* Dionysio *perperam applicari.*

259 *Tale, ut jam dixi, primum est e duobus posterioribus Pearsonii argumentis. Videamus modo, qui ad hoc Pagius respondeat.* Quo anno, *inquit ad annum* 259 *num.* 10, Valerianus a Sapore captus fuerit, hactenus in controversiam vocatum, quod Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VII, cap. 10 de persecutione ab eo excitata loquens hæc verba Apocalypsis 13 eidem applicet : Et data est illi potestas faciendi per menses quadraginta duos; quibus ex verbis Baronius intulit, hanc persecutionem per annos tres ac menses sex continuatam fuisse. Quare cum eam Maximo et Glabrione Coss. anno nempe Christi 256, cœptam existimarit, currenti anno (259 *scilicet*) finem ejus consignavit, ideoque et Valeriani captivitatem; eo enim in Persidem abducto, Gallienus Ecclesiæ pacem reddidit. Pearsonius, aliique, qui persecutionem anno 257 suscitatam fuisse deprehenderunt, servitutem Valeriani et Ecclesiæ pacem anno insequenti (260 *videlicet*) contigisse autumarunt; neque defuere; qui utrumque in annum 261 magno errore distulerint. Sed Dionysius Alexandrinus a viris doctissimis non intellectus. Quod enim de sua ecclesia, Ægyptoque scripsit, illi de universa Ecclesia interpretati sunt; quamvis certissimum sit, persecutionem in Ægypto, præsertimque Alexandriæ, etiam post Valeriani captivitatem arsisse, ut mox demonstrabimus. Annus itaque capti Valeriani independenter ab illa prophetia explicandus. Quo E
pacto certum est, currenti anno (259 *nempe* Valerianum ad mancipii fortunam, ut Zosimi verbis utar, redactum fuisse, inchoato septimo imperii anno, ideoque æstate circiter ineunte. *Varia his verbis, veluti certa atque indubitata, Pagius effatur. Verum hæc inter unum dumtaxat occurrit, quod pro certo atque indubitato, utpote solidissimis rationibus fultum, mereatur haberi, persecutionem scilicet in Ægypto, et præsertim Alexandriæ, etiam post Valeriani captivitatem arsisse.*

verum Sanctus de universa Ecclesia;

240 *Quod autem pertinet ad reliqua, non video, quo hæc queant nomine accenseri iis, quæ certam atque indubitatam fidem debeant habere. Ut enim alia, quæ huc non faciunt, missa faciam, ait,* Dionysium *Alexandrinum a viris doctissimis non intellectum, illosque, quod de sua sola ecclesia Alexandrina* Dionysius *verbis, num.* 238 *ex Eusebio recitatis, scripsit, de universa Ecclesia perperam esse interpretatos; adhæc certum esse, Valeriani captivitatem, si modo hæc independenter a Joannis prophetia, per verba num.* 238 *recitata explicetur, anno* 259 *esse innectendam. An postremum hoc Pagii assertum veritati indubie congruat, postea disquiram. Ostendo nunc,* Dionysium, *dum verbis num.* 238 *huc transcriptis de Valeriano facit sermonem, de universa Christi Ecclesia, non autem de sola Alexandrina* F
verosimiliter esse locutum. Rem sic probo : Dionysius *verosimiliter, verba num.* 238 *litteris consignans, alio non respexit, quam quo Joannes prælaudatam prophetiam, verbis his contentam, in suum Apocalypseos librum inserens, respexit. Jam vero, cum certum appareat, Joannem, dum illa protulit, ad universam, non autem ad particularem Alexandrinam ecclesiam respexisse, verosimile videtur,* Dionysium *de universa Christi Ecclesia, non autem de sola Alexandrina fuisse locutum, dum verba num.* 238 *ex epistola ad Hermammonem de Valeriano in medium adduxit. Sane* Dionysius *rationem habuisse non videtur, ut præmemoratam Joannis prophetiam ad solam suam Alexandrinam ecclesiam putaret referendam. Et vero* Dionysium *Joannis prophetiam ad solam suam Alexandrinam ecclesiam reipsa non retulisse, seu eum de sola Alexandrina ecclesia, cum verba num.* 238 *recitata scripsit, locutum non esse, sic ostendo.*

non autem de sola Ægypto verosimiliter locutus, pluribus

241 *Sanctus verbis dicto num.* 238 *loquitur de persecutione, quæ menses duos supra quadraginta duraverit. Jam vero persecutio a Valeriano contra Christianos in Ægypto, præsertimque Alexandriæ, suscitata, non tantum menses quadraginta duos; verum quadriennium et amplius tenuit. Etenim, capto a Persis Valeriano, Macrianus, infestissimus Christiani nominis hostis, qui Valerianum, ut supra docuimus,*

AUCTORE C. B. *petitum, Pagius respondet, Dionysium de sola Ægypto locutum;*

AUCTORE C. B.

docuimus, ad persecutionem, quam contra Christianos exercuit, certissime impulit, in Ægypto, uti infra docebimus, tyrannidem arripuit; hic autem, ut dubitari non potest, non tantum non minuit, verum etiam persecutionis in Christianos susceptæ crudelitatem potius auxit; sic scilicet magis, a quibus ei prædictum fuerat imperium, gratificari voluit eo modo, quo eis antea, Valerianum in Christianos concitando, gratificatus fuerat, ut num. 121 hujus Commentarii jam docuimus. Porro Macrianus, docente firmiterque contendente ipso Pagio, sub finem anni 259 rerum summa in Ægypto potitus, toto octavo Gallieni anno imperii habenas tenuit, et non ante nonum ejusdem Gallieni annum, violenta nece sublatus, vitam cum morte commutavit. Quapropter cum octavus Gallieni annus ante annum Christi 261 dubio procul non terminetur, Macrianus, cum cujus morte persecutio in Ægypto primum cessavit, ante eumdem Christi annum e vivis non excessit, ac proin, cum ab anno 257, quo Valerianus in Christianos persecutionem commovit, ad annum usque 261, quo Macrianus obiit, persecutioque finem accepit, anni excurrant quatuor, non videtur Dionysius verba Apocalypseos supra recitata adhibens, iisque persecutionem, quæ quadraginta duorum mensium spatio duraverit, designans, de sola Alexandrina ecclesia, seu de persecutione, quæ in hoc sola fuerit commota, B esse locutus.

rationibus

242 Restat ergo, ut de universa potius Ecclesia fecerit sermonem. At, inquies, non apparet, etiam dato, Dionysium de universa Ecclesia esse locutum, inveniri ullatenus posse menses quadraginta duos, quibus illam Valerianus, antequam a Persis captus in servitutem abduceretur, persecutus esse statuatur. Respondeo, menses illos facili inveniri negotio. Rem sic concipio : Valerianus, Macriano impellente, Christianos persequi inceperit anno 257, mense Aprili circiter aut Maio. Dein anno 260, mense Martio circiter vel etiam citius, expeditionem bellicam in Persas susceperit, ab iisque mense Aprili circiter dicti anni 260 captus, in Persidem fuerit abductus, annos habebis circiter tres, quibus Valerianus ante captivitatem suam Christianos fuerit persecutus. Porro cum Gallienus, nonnisi aliquot jam post Valeriani captivitatem elapsis mensibus, pacem reddiderit Ecclesiæ, duraveritque interea adhuc contra Christianos persecutio, Valeriano, utpote edictorum ejus vi continuata, merito adscribenda, dici potest Valeriani persecutio, etiam ratione universæ Ecclesiæ per menses quadraginta duos durasse. Dispice nunc, studiose lector, quid de verbis Pagii num. 259 recitatis sentiendum sit, et an hic scriptor ad annum 261 num. 13 merito iterum ita pronun- C tiet : Cum in priori parte epistolæ Dionysii ad Hermammonem, quam refert Eusebius lib. VII, cap. 10, Dionysius dicit : Joanni quoque similiter revelatum est. Ait enim : Et datum est illi os loquens magna et impia, est data est illi potestas, et menses quadraginta duo; (Apocal. 13) utrumque porro in Valeriano impletum mirari licet; illi quadraginta duo menses hoc anno (261 *videlicet*) in interitu Macriani ac filiorum terminantur. Nam per tot menses Ægyptus et Alexandria vexatæ; de illis enim solis loquitur Dionysius; non vero de persecutione Ecclesiæ in universum, ut communiter locus ille ab omnibus explicatur. *Ita Pagius, quod supra de explicatione* Dionysii *verbis jam sæpissime memoratis aptanda asseverarat, iterum hic repetens. Verum ego ob jam dicta eruditis illis omnibus, qui, ut verbis recitatis ait Pagius, illum* Dionysii *in epistola ad Hermammonem locum de persecutione Ecclesiæ in universum explicant, assentiri malim, quam soli Pagio.*

in medium adductis,

243 *Et vero, quo dictum* Dionysii *locum considero attentius, eo impellor vehementius, ut eum de persecutione, quæ universam Ecclesiam afflixerit, intelligendum existimem. Par enim esse videtur, ut locus ille de ea persecutione intelligatur, quæ, quod illo designatur, temporis spatium magis ad amussim, idque sine excessu aut defectu implere cognoscitur. Jam vero cum dictus locus dubio procul exponendus* D *sit de persecutione, quæ quadraginta duos menses tenuerit, consequens est, ut exponi debeat de persecutione, quæ vi edictorum, a Valeriano emissorum, universam Christi Ecclesiam afflixerit; non autem de persecutione, quæ solam Alexandrinam ecclesiam solamve Ægyptum vexarit. Etenim hæc posterior persecutio, non quadraginta duos dumtaxat menses, sed quadriennium integrum et forte etiam amplius tenuit, ut supra partim etiam ex ipsiusmet Pagii calculis jam docuimus. Quod si contendas, Valeriani persecutionem serius in Ægypto, quam Romæ fuisse inceptam, ac proin exactum inveniri posse quadraginta duorum mensium spatium, quod a persecutionis per Valerianum in Ægypto exercitæ initio ad expletum usque octavum, quo illa in Ægypto et Alexandriæ finem accepit, imperii Gallieni annum excurrerit. Respondeo, hoc etiam dato, inveniri ad amussim non posse menses quadraginta duos, quibus persecutio, Valeriani edictis concitata, in Ægypto duraverit. Etenim Valeriani persecutio, utut serius in Ægypto, quam Romæ inchoata statuatur, serius tamen quam mense Augusto aut initio Septembris anni 257, quemadmodum ex num. 123 hujus Commentarii colliges, initium Alexandriæ et in Ægypto accepisse non potest. Jam vero cum Valeriani persecutio ante expletum octavum imperii Gallieni annum* E *finem in Ægypto secundum jam dicta non habuerit, hicque princeps secundum ipsiusmet Pagii calculos anno 255 mense Majo imperii habenas primum capessiverit, ac proin mense Majo anni 261 octavum imperii annum expleverit, consequens est, ut ante hunc ipsum annum et mensem Valeriani in Ægypto persecutio finem non acceperit. Quapropter cum a Majo anni 261 ad anni 257 Augustum aut initium Septembris, quo dicta in Ægypto persecutio incepit, ordine retrogrado numerentur menses non tantum quadraginta duo, sed quadraginta quinque, ut minimum, ad amussim nequeunt, dato etiam, quod persecutio Valeriani serius in Ægypto quam Romæ inchoata fuerit, inveniri menses quadraginta duo tantum, quibus eadem persecutio in Ægypto durarit.*

ostenditur;

244 *Non potest ergo præfatus* Dionysii *Alexandrini locus de ea, quæ solam Ægyptum afflixerit, persecutione intelligi; cum hæc, uti ex jam dictis liquet, temporis spatium, quod per dictum locum designatur, ad amussim et sine excessu non impleat. Restat ergo, ut idem ille locus de persecutione, quæ universam spectarit Ecclesiam, debeat exponi. Neque est, quod dicas, a mense Aprili anni 257, quo, ut supra diximus, Valeriani persecutio incepta est, usque ad tempus, quo Valerianus a Persis captus* F *atque in servitutem abductus est, menses quadraginta duos non excurrere. Etenim persecutionis a Valeriano motæ durationem non solo mensuramus temporis spatio, quod inter persecutionis initium et Valeriani captivitatem intercessit medium, verum etiam illo, quod ab hac usque ad tempus, quo Gallienus Ecclesiæ pacem reddidit, effluxit; posterius autem hoc temporis spatium pro parte temporis, quo duravit Valeriani persecutio, idcirco accipitur, quod, quamvis tunc Valerianus, utpote in Persidem captivus abductus, nihil prorsus novi contra Christianos moverit, persecutio tamen, ut jam ante diximus, vi edictorum, quæ ipse emiserat, continuata fuerit. Porro cum ab Aprili anni 257, quo mense, ut jam plus semel monui, Valeriani persecutio inchoata esse potest, usque ad Octobrem anni 260, quo mense pacem a Gallieno Ecclesiæ redditam nihil vetat statuere, menses excurrant nec plures nec pauciores quam quadraginta duo, recte* Dionysii *locus, jam supra sæpissime memoratus, de Valeriani persecutione, ut universam spectavit Ecclesiam, potest exponi; cum scilicet hæc temporis spatium, quod per illum designatur, sine ullo omnino defectu aut excessu perfectissime impleat.*

245 *At, inquies, si modo jam dicto laudatus* Dionysii *locus debeat exponi, ex illo tantum discimus, quo tempore persecutio, a Valeriano mota, finem acceperit,*

AUCTORE C. B.

A *acceperit, seu quo anno et mense Gallienus, patre suo jam capto, pacem reddiderit Ecclesiæ, non autem, quo tempore Valerianus a Persis captus, in servitutem fuerit abductus. Respondeo : sit est : ex* Dionysii *loco, secundum se spectato, annum solummodo et mensem discimus, quo Valeriani persecutio publico Gallieni edicto finem acceperit; verum cum Valerianus, uti inter eruditos satis convenit, paucis dumtaxat mensibus ante pacem Ecclesiæ a Gallieno redditam captus in Persidem fuerit abductus, hinc simul et ex persecutionis fine, qui secundum jam dicta in Octobrem anni* 260 *incidit, recte colligitur, Valerianum non anno* 259, *sed anno* 260 *a Persis captum, atque in servitutem fuisse abductum. Potest itaque capti Valeriani annus, habita etiam loci Dionysiani jam sæpissime præmemorati ratione, aptissime exponi, ac proin necesse non est, ut independenter ab hoc, quemadmodum Pagius per verba num.* 259 *recitata contendit, annus ille exponatur. Collige hinc jam, argumentum, quod ex Joannis prophetia, a* Dionysio *ad persecutionem a Valeriano motam relata, petitur, vim suam non amittere ex iis, quæ ad illud infirmandum convellendumque Pagius in medium adducit, ac proin illud validissime probare, Valeriani captivitatem non anno* 259, *ut vult Pagius, iterum mox laudatus, sed anno* 260 *esse innectendam. Sed hæc de priori e binis posterioribus Pearsonii pro Valeriani captivitate anno* 260 *affigenda argumentis dicta sufficiant. Venio nunc ad alterum, omniumque postremum.*

Valerianumque anno 260 *captum, ex dicto Dionysii loco definitur;*

B

pro qua capti Valeriani epocha aliud proponitur Pearsonii argumentum,

246 *Repetit illud Pearsonius, uti ex verbis ejus supra huc transcriptis liquet, ab hoc Sexti Aurelii Victoris de Gallieno loco,* regnavit annis quindecim, cum patre septem, solus octo. *Ut argumenti hujus vis appareat, pauca hic rei dilucidandæ causa adjungo. Gallienus, testante laudato Victore, regnavit annis quindecim, iisque, ut plurimi eruditi contendunt, non aliqua majori sui parte mutilis, sed prope integris, utpote qui, uti ad annum* 268 *num.* 3 *docet Pagius, anno* 255, *mense Majo circiter initium, anno vero* 268, *mense Martio circiter finem acceperint. Porro cum ex Victoris testimonio huc transcripto habeamus, Gallienum solum post Valeriani, patris sui, captivitatem annis octo gubernasse, necessarium apparet, ut Valerianus non ante annum* 260 *a Persis in captivitatem fuerit abductus; quod si enim id anno* 259 *contigisse statuatur, Gallienus non octo dumtaxat annis, sed novem fere, ut consideranti patebit, imperii habenas solus tenuerit; nec est, quod reponas, neglectum a Victore supra annos integros excessum, eosque proinde solos numerari. Id enim dici posse idcirco non videtur, quod laudatus Victor simul asserat, Gallienum cum patre annis regnasse*

C *septem, qui, uti apud eruditos in confesso est, non integri, sed incompleti dumtaxat fuere, ut adeo, ne uno eodemque loco atque id quidem in una eademque phrasi de annis simul completis et incompletis, quod inconcinnum videtur, loqui dicendus sit, anni octo, quibus Gallienum solum, et anni septem, quibus eum cum patre regnasse affirmat, pro incompletis omnes accipiendi sunt. Tale est, quod ex verbis Victoris, supra recitatis, pro Valeriani captivitate anno* 260 *affigenda, argumentum deducitur.*

contra quod responso, quo utitur,

247 *Transcribo nunc verba, quibus ad hoc Pagius in Criticis ad annum* 259 *num.* 11 *respondet.* Victor, *inquit,* septem annos, quibus cum patre Gallienus imperavit, utriumque incompletos ac Julianos, non vero imperii annos enumerat; contra vero dum annos, quibus sine patre regnavit, notat, annos tantum Julianos integros, utroque extremo incompleto prætermisso, in summam confert, qui numerandi modus ab aliis antiquis, quamvis rarius, etiam usurpatus. *Ita Pagius, nihil omnino, quo asserta sua probet, in medium adducens, præter vagum omnino ac generale responsum, quo numerandi modum, quem a Victore servatum, ait, ab antiquis etiam, quamvis rarius, usurpatum affirmat. Sane ego illum numerandi modum non tantum rarius, verum etiam rarissime, aut etiam forte numquam, ab antiquis usurpatum existimo. Utut sit, certe nullum hactenus inveni scriptorem antiquum, quem in numerandis annis laudatum a Pagio modum esse secutum, ex adjunctis ullis possim conficere. Et vero parum mihi accuratus videatur ille historicus, qui in una eademque phrasi annos assignans, quibus duo principes diversi regnavere, regni quidem unius durationem per annos completos, alterius vero per incompletos eo modo, quo ait Pagius, exhibeat, nullo omnino adjecto indicio, ex quo, quod id faciat, utcumque appareat. Verosimile ergo non videtur, Victorem, cum id nuspiam indicet, hujusmodi esse modum, in designandis annis sectatum. Verum, inquit Pagius ad annum* 268 *num.* 5, imperavit Gallienus post patrem a Persis captum, annos novem, ut Eutropius et Victor de Cæsaribus habent, vel annos octo, ut scribit Victor in Epitome, qui solum in modo numerandi differunt. Pollio in Gallienis duobus, alios novem, alios decem etiam Gallienum imperasse, in litteras mittere, prodit. Quibus ex ultimis verbis intelligimus, Gallienum anno ducentesimo quinquagesimo nono solum regnare cœpisse; ab eo enim anno ad currentem (268 *nimirum*) decem utrimque incompleti fluxere; novem vero non plane integri. Imperavit in universum annos quindecim, ut omnes antiqui produnt.

E

nihil omnino

248 *Ita loco citato Pagius. Verum Pollio, dum asserit, ab aliis novem, ab aliis vero decem imperii annos Gallieno attribui, nulla ratione affirmat, variam ab illis computandi annos rationem, qua in definiendo imperii Gallieni annorum numero invicem discrepent, fuisse adhibitam, ut dubium mihi sit, an scriptores illi, de quibus Pollio, varium reipsa in notandis annis modum fuerint secuti. Adhæc Pollio definiendis imperii Gallieni annis auctor parum idoneus mihi videtur. Etenim lib. de duobus Gallienis in Salonino Gallieno de imperio Gallieni solius imperantis etiam sic scribit :* Transisse decennium imperium Gallieni, satis clarum est. *Quibus verbis luculentissime docet, Gallienum annis amplius decem Romano præfuisse imperio; quod a vero alienum esse, ipsemet Pagius, nec immerito, indubitanter affirmat. Quapropter, cum Pollio hoc indubie in litteras non miserit, nisi ex aliorum scriptorum fide, necesse est, ut hi, ex quorum fide Gallieni imperium ad annum usque undecimum extendit, in determinanda imperii Gallieni duratione errarint, ac proin facile fieri potest, ut* illi alii, *qui, testante Pollione, Gallienum decem annis imperasse, scribunt, a vero pariter aberrarint. Hinc scriptorum illorum seu potius Pollionis, qui his leviter assensus esse videtur, auctoritate moveri non debemus, ut Gallienum solum ad decimum usque annum*

F *Romano imperio præfuisse, credamus; cum præsertim nunc nullus superstes inveniatur antiquior historicus, qui ad illum usque annum Gallieni solius regnantis imperium extendat.*

evincit Pagius.

249 *Quod autem pertinet ad Eutropium et Victorem de cæsaribus, quos binos auctores pro opinione sua confirmanda verbis proxime recitatis pariter laudat Pagius, possunt hi, uti sæpe alibi ab ipsomet Pagio fit, ita exponi, ut Gallienum solum annis dumtaxat novem Julianis incompletis, qui ab anno* 260 *ad annum usque* 268, *Gallieno emortualem, excurrunt, imperasse velint; neque enim hic illud occurrit incommodum, cujus causa similem, quam Pagius facit, expositionem num.* 247 *rejeci. Atque hæc quidem tam de Victore quam de Eutropio; quod autem ad Victorem nominatim pertinet, mirum non est, novem ab eo annos, quibus solus absque patre Gallienus imperarit, fuisse notatos. Ille enim ad sex dumtaxat annos istud extendit temporis spatium, quo Gallienus cum patre imperium tenuit. Certum autem est, admittiturque etiam a Pagio, septimum imperii Gallieni annum aliquot saltem mensibus inchoatum jam fuisse, cum Valerianus, pater ejus captus, atque in servitutem fuit abductus. Videtur ergo Victor, a Pagio laudatus, parum accuratus fuisse, dum Valerianum anno imperii sexto a Persis captum scripsit. Ait quidem Pagius, neglectum ab eo fuisse mensium*

AUCTORE C. B.

mensium supra annos integros excessum; verum quamvis fatear, illum computandi modum, gravissimis etiam optimæque notæ scriptoribus inusitatum non esse, dum annos numero cardinali exprimunt; non video tamen, id æque obtinere locum, dum ab his annos numero ordinali expressos invenio, ut adeo a Pagio laudatus Victor, utpote in exprimendis annis numero ordinali usus, minus recte excusetur ex eo, quod mensium supra annos integros excessum neglexerit. Idem quoque de Pollione præter ea, quæ ad ejus auctoritatem infirmandam jam protulimus, pari jure dicendum est, cum is Valerianum, uti jam supra docuimus, anno imperii sui sexto captum, pariter affirmet. Hinc fit, ut hoc, aliisque, quæ jam protuli, perpensis, Pollionis, Victoris de Cæsaribus et Eutropii auctoritate non movear, ut Valerianum anno 259, *quemadmodum fecit Pagius, a Persis captum atque in captivitatem abductum, certo statuam.*

uti nec argumento, quod a novi Pontificis electione,

250 *Sed nunc discutiamus argumentum, quod ante reliqua omnia Pagius in medium adducit, quodque præcipuum opinionis, qua Valeriani captivitatem anno* 259 *innectit, fundamentum esse videtur. Itaque ad annum* 259 *num.* 10 *sic scribit :* Dionysius Romæ die vicesima secunda Julii Pontifex creatus, postquam sedes fere per annum integrum vacasset; quæ diuturnior vacatio persecutioni adscribenda, ejus vero finis Valeriani captivitati attribuendus. *S. Sixtus, Romanus Pontifex, anno* 258, *die* 6 *Augusti, uti apud nos tom. II Augusti, §* 2 *Commentarii ad hujus sancti Pontificis Acta prævii probatum invenies, sub Valeriano martyrio coronatus est, eique postquam anno fere integro S. Petri cathedra vacasset, in Pontificatum suffectus est Dionysius; quod adeo anno* 259 *evenit; unde consequitur, ut Pagius verbis proxime recitatis velit, Valerianum jam eo ipso anno* 259 *apud Persas fuisse captivum. Verum an id hic scriptor ex novi Pontificis electione post diuturniorem sedis vacationem tunc facta recte concludit? Id mihi equidem non apparet. Potuit enim, S. Sixto e vivis sublato, novi Pontificis electio ob persecutionem vehementius tunc sævientem tantisper differri; hac vero deinde, nondum quidem finem accipiente, sed remittente tamen, exsecutioni mandari. Valerianus, uti apud omnes eruditos in confesso est, facileque eruitur ex iis, quæ de illo imperatore narrat Zosimus, anno* 259 *in Oriente versabatur, eratque civitati Antiochenæ muniendæ, expeditionique adversus Persas apparandæ totus intentus, ut adeo tunc verosimillime persecutionem in Christianos minus urserit, hacque proinde sub Gallieno, qui solus versabatur in Italia, Christianisque non legitur umquam fuisse valde adversus, plurimum indubie mitigata, aptum Romani nacti fuerint novo Pontifici creando tempus, etiamsi persecutio nondum tum penitus cessasset, seu finem accepisset.*

anno 259 *facta, repetit.*

251 *Post S. Stephani Pontificis martyrium, quod, inchoata primum Valeriani persecutione, accidit, in novum Pontificem non multo post Romani elegerunt S. Sixtum; quod si adeo id fecerint, persecutione primum exorta sæviusque proinde, ut verosimile est, grassante, non est, cur ex eo, quod anno* 259 *post diuturniorem sedis vacationem novi Pontificis facta sit electio, certo concludatur, persecutionem tunc, cum id accidit, omnino fuisse sopitam. Adhæc post Fabiani, Romani Pontificis, Decianæ persecutionis initio martyrii palmam adepti, obitum Sedes Romana diutius etiam vacavit, fuitque demum Decii persecutione adhuc durante, in novum Pontificem electus S. Cornelius. Hæc autem post diuturniorem sedis vacationem novi Pontificis electio a Pearsonio in Annalibus Cyprianicis, aliisque eruditis persecutionis remissioni, ex Decii bello Macedonico contra Lucium Priscum distenti absentia exortæ, adscribitur. Cum ergo, ut jam supra docui, anno* 259 *absens quoque Roma Valerianus fuerit, hincque persecutio plurimum verosimillime remiserit, hac uti potuerunt Romani opportunitate, ut novum Pontificem Sixto, jam ab anno fere vita functo, substituerent. Pagius itaque ex nova Pontificis electione, post diuturniorem sedis vacationem anno* 259 *facta, persecutionem, quam Valerianus suscitarat, tunc finitam non recte putavit, ac proin ejus de Valeriani captivitate anno* 259 *affigenda opinio ex novi Pontificis electione tunc facta nullum omnino robur acquirit, cum hæc, durante adhuc Valeriani persecutione, forsan acciderit, nequeatque proinde Valeriani, tunc in captivitatem abducti, certum esse atque indubitatum indicium. Habes jam, erudite lector, ex quibus possis dispicere, sitne potius cum anno* 259, *an cum sequenti Valeriani captivitas jungenda. Ego interim, ut jam dixi, Pearsonii opinionem amplector, atque ex ea res reliquas ad Sanctum nostrum spectantes ordine chronologico deinceps recensebo.*

§ XXII. An Dionysius statim post Valeriani captivitatem Alexandriam sit reversus.

Gallienus non diu post patris sui captivitatem

Ex iis, quæ § præcedenti jam disputavimus, verosimillimum apparet, Valeriani captivitatem anno 260 *accidisse, ac proin cum jam id, quod supra discutiendum suscepimus, abunde discusserimus, proximum est, ut aliud nunc, quod ad Sanctum nostrum proprius spectat, quodque, an hic brevi post Valerianum a Persis captum Alexandriam sit reversus, discutiendum proponit, pari passu etiam discutiamus. Eusebius lib.* VII *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 13 *sic scribit :* Valeriano non multo post a Barbaris capto et in servitutem redacto, filius ejus Gallienus solus imperium obtinens, moderatius se gessit, missisque edictis, persecutionem adversus nostros (*Christianos*) commotam sedavit; utque religionis nostræ antistites secure deinceps munus suum obirent, hujusmodi rescripto præcepit. Imperator cæsar P. Licinius Gallienus, pius, felix, augustus Dionysio, Pinnæ, Demetrio et reliquis episcopis. Indulgentiam beneficii nostri per universum orbem diffundi præcepimus; ut cuncti a religiosis locis abscedant. Quocirca et vos rescripti nostri forma uti potestis, ut nullus vobis deinceps molestiam facessat. Atque id, quod vobis exsequi licet, jam dudum a me concessum est. Proinde Aurelius Cyrenius procurator summæ rei dati a nobis rescripti formam sequetur. *Hoc Gallieni rescriptum seu edictum, in Christianorum favorem datum, quod* Dionysio *aliisque episcopis inscribitur, non statim post finitam Valeriani persecutionem fuit emissum. Liquet id ex his ipsismet edicti verbis :* Quocirca et vos rescripti nostri forma uti potestis, ut nullus vobis deinceps molestiam facessat. Atque id, quod vobis exsequi licet, jam dudum a me concessum est : *cum enim his imperator innuat, sese episcopis, ad quos rescriptum suum dirigit, idem prorsus concedere, quod jam dudum aliis concesserat, consequens est, ut præfatum rescriptum seu edictum Gallienus non dederit statim a fine persecutionis Valeriani impositio; foret quippe alioquin dicendum, a Gallieno, durante adhuc persecutione, eumdem prorsus favorem, qui rescripto proxime jam recitato conceditur, Christianis fuisse concessum. Hoc autem omni dubio procul a veritate est alienum.*

Ecclesiæ pacem reddidit;

253 *Itaque hoc rescriptum, quod* Dionysio *aliisque episcopis inscribitur, certissime non datum, nisi cum jam aliquamdiu Valeriani persecutio esset sopita. Ante hoc autem jam aliud in favorem Christianorum edictum Gallienus emiserat. Hujus meminit Eusebius, libro et cap. proxime citatis sic scribens :* Est et alia ejusdem imperatoris (*Gallieni*) constitutio ad alios episcopos data, qua iis permisit, ut cœmeteriorum suorum loca recuperarent. *Ita Eusebius : verum, inquies, qui probari potest, postremum hoc, cujus verbis proxime recitatis meminit Eusebius, decretum tempore præcessisse illud, quod iis ipsis verbis, quibus a Gallieno datum est, jam supra huc transcripsimus. Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad annum* 260 *num.* 5 *ait, Gallienum, cum patris sui captivitatem audivisset, nullamque postea ejus recuperandi spem superesse cognosceret,*

plenam

A *plenam Christianis pacem, utpote quibus ille numquam graviter fuisset infensus, restituisse. Putat autem, imperatorem illum ante omnia emisisse constitutionem, quam verbis proxime recitatis memorat Eusebius, quaque episcopis, ut cœmeteriorum suorum loca recuperarent, auctoritate imperatoria, cum jam solus imperii teneret habenas, permisit.*

pacis tamen beneficio uti non potuit Dionysius; cum tunc in Ægypto

254 *Pearsonio hic assentiuntur moderni omnes eruditi, ut dubitandum non videatur, quin paucis, id est, sex forte aut quinque a Valeriani captivitate mensibus Gallienus pacem Ecclesiæ reddiderit, edita in favorem Christianorum constitutione, cujus Eusebius lib.* VII, *cap.* 13 *verbis mox iterum recitatis ita meminit :* Est et alia ejusdem imperatoris (*Gallieni*) constitutio ad alios episcopos data, qua iis permisit, ut cœmeteriorum suorum loca recuperarent; *hæc quippe adire et conventus agere ab ipso persecutionis Valeriani initio, uti ex epistolæ* Dionysii *adversus Germanum Fragmento apud Eusebium lib.* VII *cap.* 11 *intelligitur, Christianis omnibus erat inhibitum. Certum itaque apud omnes esse debet atque extra controversiam positum, quod de pace Ecclesiæ a Gallieno non diu post patris sui captivitatem reddita asseruimus. Verum hic jam quæritur, pacisne statim beneficio Alexandria fuerit gavisa, ita ut tunc eo ab exsilio suo reverti,* Dionysio *liberum*

B *exstiterit. Non defuerunt, qui* Dionysium *non diu a Valeriani captivitate Alexandriam ab exsilio reversum crediderint, rati scilicet, pacis a Gallieno Ecclesiæ tunc concessæ beneficium ad Ægyptum etiam sese extendisse. Verum næ illi vehementer fuere decepti; illud enim pacis beneficium ad eas utique dumtaxat sese extendit regiones, quas Gallienus tunc, cum constitutionem proxime præmemoratam in favorem Christianorum ederet, sub suo habebat imperio; Ægyptus autem eas inter regiones, quas tunc sub suo imperio Gallienus habuerit, computari minime potest. Etenim Gallienus, uti jam docuimus, pacem Ecclesiæ non reddidit, nisi cum jam aliquot, id est, quinque aut sex post Valeriani captivitatem menses essent elapsi; Macrianus autem, tyrannide jam ante in Ægypto arrepta, hanc sub potestate sua regionem, aliasque nonnullas ad secundum usque annum retinuit, nec quidquam toto illo tempore Gallienus habuit in illas imperii, ut adeo ecclesiæ in illis sitæ pacis beneficio gaudere tum nondum potuerint.*

Macrianus, infestissimus Christiani nominis hostis, tyrannidem,

255 *Res certa est atque indubitata, si modo Macrianus non diu post Valeriani captivitatem tyrannidem in Oriente arripuit, eamque uno amplius anno*

C *tenuit. Hoc itaque fecisse Macrianum, sic probo : Trebellius Pollio lib. de duobus Gallienis cap.* 1, *captivitatis Valeriani mentione præmissa, post pauca adhuc alia sic scribit :* Gallieno igitur et Volusiano coss. Macrianus et Ballista in unum coeunt, exercitus reliquias convocant, et cum Romanum in Oriente nutaret imperium, quem facerent imperatorem, requirunt, Gallieno tam negligenter se agente, ut ejus ne mentio quidem apud exercitum fieret. Denique cum plures ejus rei causa convenissent, placuit, ut Macrianum cum filiis suis imperatores dicerent, ac rempublicam defensandam capesserent. *Quibus ex verbis intelligitur, Macrianum et Ballistam de novo imperatore eligendo deliberasse, reque ipsa Macrianum cum filiis in imperatorem fuisse assumptum,* cum Romanum in Oriente nutaret imperium, *ut adeo Macrianus non diu a Valeriani captivitate, cum tunc maxime nutarit Romanum in Oriente imperium, imperator fuerit creatus seu potius tyrannidem arripuerit.* Cum hic rerum, *inquit mox post narratam Valeriani captivitatem Zosimus,* per Orientem status esset, omnia velut destituta principe, confusa pariter et indefensa jacebant. *Erat ergo, teste Zosimo, mox post Valeriani captivitatem maxime turbatus rerum Romani imperii in Oriente status, ac proin tunc summopere Romanum in Oriente nutavit imperium, ut adeo tunc, quem memorat Pollio, habitus sit a Macriano et Ballista conventus, horumque prior in imperatorem fuerit electus. Et vero verisimile non apparet, Macrianum, qui, teste* Dionysio *in epistola ad Hermammonem apud Eusebium lib.* VII *cap.* 10, *imperandi cupiditate flagrabat, imperii occupandi opportunitatem, quam turbatus post Valeriani captivitatem rerum ordo offerebat, non statim, ac fieri id potuit, arripuisse. Adhæc Macrianus et Ballista, cum de novo imperatore eligendo deliberavere, exercitus (vide verba ex Pollione proxime recitata) reliquias convocarunt; quod indicio est, tunc exercitum, quem contra Persas Valerianus duxerat, adhuc fuisse dispersum, ac proin nondum multum temporis post cladem, quam is ex Valeriani captivitate acceperat, fuisse præterlapsum, ut adeo ex his omnibus manifestum appareat, Macrianum non diu a Valeriani captivitate tyrannidem in Oriente et Ægypto arripuisse.*

AUCTORE C. B.

256 *Ast, inquies, Macrianus et Ballista de novo imperatore eligendo deliberarunt, Gallieno et Volusiano consulibus, ut Trebellius Pollio verbis supra recitatis testatur : Gallieni autem ac Volusiani consulatus ante annum* 261 *gestus non est, ac proin nec ante hunc annum de novo eligendo imperatore deliberatum est a Macriano et Ballista. Quapropter cum ex jam disputatis Valeriani captivitatem anno* 259 *vel potius anno* 260 *statui, necesse sit, consequens est, ut Macrianus non statim a Valeriani captivitate de novo eligendo imperatore cum Ballista deli-* E *berarit, tyrannidemque in Oriente et Ægypto arripuerit. Respondeo, illum Gallieni et Volusiani consulatum in citatum hucque supra transcriptum Pollionis locum sine dubio esse infartum, idque a Pagio in Criticis ad annum* 259 *num.* 12 *dilucide probari ex eo, quod Macrianus, uti ex nummo Græco ostendit, secundum imperii sui annum attigerit, hicque, cum Macrianus, uti ex* Dionysii *ad Hermammonem epistola constat, nono Gallieni anno interierit, inveniri non posset, si Macrianus non ante annum* 261 *statuatur exorsus imperium. Et vero ægre mihi persuaserim, Pollionem, qui Valerianum anno sexto imperii a Persis captum scribit, persuasum sibi habuisse, anno demum* 261, *Gallieno et Volusiano consulibus, de novo creando imperatore a Macriano et Ballista tractatum fuisse. Sic enim, cum annus imperii Valeriani sextus partim cum anno* 258, *partim cum anno* 259 *concurrat, biennium fere inter Valeriani captivitatem et institutum de novo creando imperatore tractatum intercessisset; quod verosimile non apparet, Pollionem existimasse. Adi laudatum Pagium loco proxime citato, remque totam fuse explanatam invenies. Non est itaque, cur ob Gallieni et Volusiani consulatum, quo Pollionis locus, plus semel jam laudatus, signatur, Macriani et Ballistæ de eligendo imperatore* F *deliberationem in annum usque* 261 *differamus, seu tempus, quo Macrianus in Oriente et Ægypto tyrannidem arripuit, a Valeriani captivitate longius removeamus.*

quod ex Pollione non infirmatur, arripuerit,

257 *Cum vero hoc ita tenendum sit, fixumque proinde maneat, Macrianum uno alterove mense, aut certe non multo amplius a Valeriani captivitate tyrannidem in Ægypto arripuisse, Gallienus procul dubio in regione illa tunc non habuit imperium, cum constitutionem supra memoratam in favorem Christianorum ederet, pacemque redderet Ecclesiæ. Unde consequitur, ut is princeps pacis beneficium, quod omnibus ecclesiis sub imperio suo constitutis concessit, ad Ægyptum nequiverit extendere, ac proin, ut tunc ad ecclesiam ab exsilio suo redire, Sancto nostro liberum non fuerit, vi scilicet constitutionis in favorem Christianorum a Gallieno emissæ. Nec hoc tantum dico, verum etiam* Dionysium *tunc omnino Alexandriam non esse regressum. Etenim, ut jam docuimus, Macrianus tunc in Ægypto rerum potiebatur potitusque est in alterum etiam annum; cum vero Macrianus, hic memoratus, alius non sit, quam ille ipse magorum Ægyptiorum patronus, qui Valerianum imperatorem, ut supra docuimus, ad Christianos persequendos impulit, putandum non est, infestum hujusmodi Christiani nominis hostem quidquam de persecutionis in Christianos*

Christianosque, de suo in hos odio nihil remittens,

AUCTORE C. B.

motæ sævitie tunc remisisse; imo verosimillimum est, cum potius concepto suo adversus Christianos odio laxiores habenas præbuisse. Certe Macrianum, obtento in Oriente et Ægypto imperio, persecutionem, a Valeriano in Christianos motam, etiam ursisse, Pagius aliique eruditi colligunt ex Marini martyrio, quod Eusebius lib. VII, *cap.* 15 *in Oriente apud Cæsaream Philippi contigisse refert, cum jam per Gallieni constitutionem non diu a Valeriani captivitate emissam pax esset cunctis ubique reddita ecclesiis, Gallieni scilicet imperio subjectis.*

sævissime, ut verosimillimum est, per se

258 *Verum, inquies, Pollio lib. de duobus Gallienis cap.* 4 *post verba num.* 255 *recitata, paucis interpositis, de Macriano hæc memorat :* Macrianus ergo, collectis undique exercitibus, Orientis partes petiit; atque ut posset late sibi delatum defendere et tueri imperium, bellum sic instruxit, atque copias sic paravit, ut esset omnium circumspectus, quæ contra eum poterant cogitari. Idem Macrianus Pisonem, unum ex nobilibus principibus senatus, ad Achaiam destinavit ob hoc, ut Valentem, qui illic proconsulari imperio rempublicam gubernabat, opprimeret. Sed Valens comperto, quod Piso contra se veniret, sumpsit imperium. Piso igitur in Thessaliam se recepit. Ubi missis a Valente militibus compluribus, interfectus est; ipse quoque
B imperator appellatus cognomento Thessalicus. Sed Macrianus retento in Oriente uno ex filiis, pacatis tamen rebus, Asiam primum venit, deinde Illyricum petiit : in Illyrico cum Aureolo imperatore, qui contra Gallienum imperium sumpserat, duce Domitiano nomine manum conseruit, unum ex filiis secum habens, et triginta millia militum ducens. Sed victus est Macrianus cum filio Macriano nomine, deditusque omnis exercitus Aureolo imperatori. *Adhæc idem Pollio in libro de triginta tyrannis cap.* 11 *sic scribit :* Factus est igitur (*Macrianus*) cum Macriano et Quieto duobus filiis, cunctis militibus volentibus, imperator. Ac statim contra Gallienum venire cœpit, utcumque rebus in Oriente derelictis. *Ex quibus ambobus Pollionis locis simul sumptis, duo concludenda videntur; atque horum quidem primum est, Macrianum, statim atque imperator creatus fuit, tanta rerum bellicarum mole fuisse distractum, ut, quemadmodum apparet, de persecutione contra Christianos urgenda cogitare vix potuerit; alterum vero, eumdem Macrianum, factum jam imperatorem, non diu in Oriente substitisse, ut adeo in Ægypto, utpote ab ea absens, Christianos vehementius persecutus haud fuerit. Quod ad primum pertinet, respondeo, Macrianum non ita belli negotiis occupatum fuisse,*
C *quin severis in Christianos condendis legibus aliquantulum temporis dare potuerit. Res sane gravioris moliminis non erat, per urbium provinciarumque præfectos severas a Valeriano in Christianos latas leges exsecutioni curare mandandas, ut adeo id Macrianus pro innato suo in Christianos odio verosimillime fecerit.*

aliosque fuerit persecutus:

259 *Fluit hinc jam, quid ad secundum de Macriani ab Ægypto absentia responderi oporteat. Potuit quippe Macrianus, quamvis ab Ægypto Alexandriaque longissime positus, Christianos in Ægypto per præfectos suos curare sævissime persequendos. Adhæc cum ex Oriente in Illyricum contra Aureolum cum exercitu profectus est, unum e filiis suis, Quietum scilicet, uti ex verbis Pollionis priori loco supra recitatis intelligitur, in Oriente reliquit, ut per eum, quamvis ipse absens, exsecutioni tamen mandare facile potuerit, quidquid ei conceptus in Christianos furor dictarat. Et vero paternis stimulis Macriani filii, quorum alter patri erat cognominis, alter Quieti nomen habebat, neutiquam ad hoc indigebant. Erant enim ambo non minori, quam pater, furore in Christianos incensi. Intelligitur id ex Sancti nostri epistolæ ad Hermammonem Fragmento, quod Eusebius lib.* VII *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 10 *inseruit, quodque sub finem de Macriano ejusque liberis sic habet :* Macrianus... imperandi cupiditate flagrans, tametsi imperio indignus, cum regium cultum induere non posset D ipse corpore debilis, duos filios paterna in se translaturos crimina imperio præfecit. Etenim evidentissime in his impleta est prædictio Dei dicentis : Ego sum, qui ulciscor peccata parentum in liberis, ad tertiam usque et quartam progeniem eorum, qui oderunt me. Pravis enim cupiditatibus suis, quibus ipse frui non potuerat, in filiorum capita translatis, improbitatem suam et odium divini numinis in eos pariter transfudit.

unde suspicandum non est, Dionysium tunc Alexandriam esse reversum.

260 *Cum adeo ex his verbis, quemadmodum jam monui, Macriani filios summo in Christianos odio flagrasse, intelligatur, dubitandum non est, quin Quietus, quem pater in Oriente reliquerat, paternis contra Christianos mandatis promptissime accuratissimeque obtemperarit. Imo Macrianum* improbitatem suam et odium divini numinis *in filios suos transfudisse, non alia de causa, ut mihi equidem apparet, Sanctus asserit, quam quod reipsa Christianos sævissime fuerint persecuti. Nihil ergo Macriani ex Oriente in Illyricum discessus suggerit, unde suspicari fas sit, Christianorum in Ægypto persecutionem, arrepta a Macriano tyrannide, aliquantulum remisisse, ac proin* Dionysium *non diu admodum post Valeriani captivitatem Alexandriam esse reversum. Porro quamvis tempus, quo Macrianus in Ægypto habuit imperium, aptum non sit,* E *cui* Dionysii *ab exsilio Alexandriam reditus affigatur, aptissimum tamen est, cum quo librorum, quos Sanctus de Elencho et Apologia scripsit, quosque supra sæpissime memoravimus, scriptio conjungatur. Etenim Macrianus, uti jam docui, anno* 261 *in Ægypto adhuc imperavit, resque Christianorum ibi in turbato statu erant. Quapropter cum prædicti libri* (*vide num.* 164) *post annum* 260, *atque in turbato rerum statu* (*vide num.* 161) *scripti fuerint, aptissime certe horum scriptio cum anno* 261 *seu cum tempore, quo Macrianus in Ægypto imperavit, copulatur : quamvis autem nihil certi obstet, quo minus serius differatur, serius tamen quam vel anno* 261 *vel certe* 262 *illam non statuendam, ex iis, quæ num.* 164 *disserui, verosimilius efficitur. Discutiamus modo, quo circiter anno* Dionysius *ab exsilio tandem redierit.*

§ XXIII. Dionysius, occiso Macriano ejusque filiis, Alexandriam revertitur, gnavique pastoris partes obit.

Macriano ejusque filiis

Macrianus *non diu, postquam in Oriente tyrannidem arripuisset, cum filio suo Macriano, rebus utcumque in Oriente compositis, in Illyricum adversus* F *Aureolum, qui ibidem non secus ac Macrianus in Oriente, contra Gallienum imperatorem se dixerat, eduxit exercitum, pugnaque cum Aureolo vel in ipso Illyrico vel in Thraciæ finibus conserta, cum filio suo Macriano victus est, simulque interemptus. Docet nos hæc omnia Trebellius Pollio partim libro de duobus Gallienis, partim libro de triginta tyrannis. Verba, quibus id facit, num.* 258 *jam in hunc Commentarium intulimus, ad quæ propterea, studiose lector, te remitto. Porro laudatus Pollio non tantum nos docet, Macrianum cum filio Macriano ab exercitu Aureoli victum interfectumque brevi fuisse, postquam sumpsisset imperium; verum etiam alterum Macriani filium, nomine Quietum, patri ac fratri non diu admodum superstitem extitisse. Verbis enim num.* 258 *ex libro de duobus Gallienis jam huc transcriptis hæc subdit :* Turbata interim republica, totoque penitus orbe terrarum, ubi Odenatus comperit, Macrianum cum filio (*Macriano*) interemptum, regnare Aureolum, Gallienum remissius agere, festinavit ad alterum filium Macriani, cum exercitus hoc daret fortuna capiendum. Sed ii, qui erant cum filio Macriani, Quieto nomine, consentientes Odenato, auctore præfecto Macriani Balista, juvenem occiderunt, missoque per murum corpore, Odenato se omnes affatim dediderunt. *Ita Macrianus, ejusque duo filii periere. Id autem brevi*

A *brevi post acceptam a Macriano in Oriente tyrannidem, factum esse, ex* Dionysii *ad Hermammonem epistola etiam intelligitur.*

anno 261 262 *Etenim in hac apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 23 *de Macriano sic scribit :* Et ille quidem (*Macrianus*) cum imperatorum suorum alterum (*Valerianum nempe, utpote quem aliqui a Macriano Persis proditum tradunt*) prodidisset, alteri (*Gallieno*) bellum (*in Oriente usurpans imperium*) intulisset, brevi cum universa familia stirpitus interiit. *Dubitandum ergo non est, quin Macrianus ejusque duo filii, brevi elapso post assumptum imperium temporis spatio, regnum simul cum vita amiserint. Verum cum, hisce e medio sublatis, in Gallieni potestatem, ut docebimus, Ægyptus concesserit, tuncque, restituta ab hoc imperatore Alexandrinæ ecclesiæ pace, Alexandriam tandem ab exsilio* Dionysius *sit reversus, juverit, ut, quo id anno Sanctus fecerit, determinari queat, in annum, quo Macrianus ejusque filii interempti sint, inquirere. Pagius in Criticis ad annum* 261 *num.* 12 *sic scribit :* Hoc anno Macrianus et duo ejus filii Macrianus et Quietus interempti, et ecclesia Alexandrina edicto pacis a Gallieno tandem potita. *Ita laudatus Pagius Macrianum ejusque duos filios anni* 261 *occisos, affirmans. Hoc autem assertum suum probat ex eo, quod Macriani*

B *ejusque filiorum interitus memoretur in Sancti nostri ad Hermammonem epistola, hæc ante annum* 262, *quo Gallienus augustei imperii decennalia celebravit, scripta sit. Verum, quamvis mihi sat certum appareat, Macrianum ejusque duos filios anno* 261 *fuisse interfectos, ratio tamen ex sancti* Dionysii *ad Hermammonem epistola a Pagio petita neutiquam id probat. Hanc enim epistolam ante annum* 262 *scriptam esse, certo, uti ex dicendis patescet, non constat; id autem certo constare deberet, ut ex ea concludi posset, Macrianum ejusque duos filios jam anno* 261 *fuisse necatos.*

necatis, 263 *Adhæc, cum Pagius statuat, Macrianum uno alterove post Valeriani captivitatem mense et quidem circa Augustum anni* 259 *tyrannidem arripuisse, inveniri potest secundus Macriani imperii annus, etiamsi is cum filiis anno* 260 *interfectus poneretur, ac proin non video, qua de causa Pagius, dato etiam, Macrianum ante annum* 262 *fuisse necatum, cædem ejus anno* 261 *indubitanter affigat. In opinione eorum, qui Valeriani captivitatem anno* 260 *innectunt, aliter loquendum est. Hi enim invenire nequeunt secundum Macriani annum, nisi eum vel anno* 261 *vel sequenti necatum statuant. Hinc ego, qui in ordinandis Sancti nostri gestis posteriorem hanc opinionem sequi proposui, Macriani necem*

C *anno* 261 *innectendam existimo. Etenim, uti infra dicemus, Æmilianus, alter imperii Romani post Macrianum invasor, ante Pascha anni* 262 *in Ægypto tyrannidem arripuit; antequam autem hoc eveniret, jam Ægyptus post Macriani ejusque filiorum mortem in Gallieni potestatem concesserat, hicque Ægypti ecclesiis pacem concesserat : illa autem inter Pascha anni* 262 *et Macriani ejusque filiorum necem commode evenire non potuerunt, nisi hæc anno* 261 *evenisse statuatur. Adhæc epistola, quam* Dionysius *ad Hermammonem scripsit, cujusque tria diversa Fragmenta Eusebius in Historiæ suæ ecclesiasticæ librum septimum intulit, inter Paschales* Dionysii *epistolas, uti infra probabo, verosimilius computanda est, ac proin aliquamdiu* (*vide dicta num.* 140 *hujus Commentarii*) *ante Pascha conscripta est. Jam vero, cum anno* 262, *uti infra pariter probabo, verosimiliter scripta sit, in eaque Macriani ejusque filiorum ædes, veluti omnino recens, memoretur, videtur hæc tempus, quo dicta epistola scripta est, aliquamdiu præcessisse, atque adeo anno* 261, *quamquam forte propemodum jam præterlapso, accidisse.*

Odenatus Palmyrenorum rex multas occupavit provincias; 264 *Habemus itaque jam annum, quo verosimilius Macrianus ejusque filii interiere. Dispiciamus modo, an post horum cædem statim Ægyptus in Gallieni potestatem concesserit, ut ita, an is tunc ecclesiæ Alexandrinæ aliisque in Ægypto positis ecclesiis pacem concedere potuerit, perspicuum evadat. Pollio in duobus Gallienis post verba, num.* 261 *huc transcripta, sic memorat :* Totius prope igitur Orientis factus est Odenatus imperator, cum Illyricum teneret Aureolus, Romam Gallienus. Idem Balista multos Emissenos, ad quos confugerant Macriani milites, cum Quieto et thesaurorum custode interfecit, ita ut civitas pene deleretur. Odenatus inter hæc quasi Gallieni partes ageret, cuncta eidem nuntiari ex veritate faciebat. Sed Gallienus cognito, quod Macrianus cum suis liberis esset occisus, quasi securus rerum ac patre jam recepto, libidini ac voluptati se dedidit. Ludos Circenses ludosque scenicos, ludos gymnicos, ludicram etiam venationem et ludos gladiatorios dedit, populumque quasi victorialibus diebus ad festivitatem ac plausum vocavit. *His ex verbis quis forte volet, Odenatum, Palmyrenorum regem, Historiæ augustæ scriptoribus celebratissimum, post Macriani ejusque filiorum cædem Orientis regiones occupasse, ac proin tunc Ægyptum in Gallieni potestatem non concessisse. Cum enim per illa dicat Pollio, Odenatum, quæcumque gesserat, quasi Gallieni partes ageret, nuntiari eidem ex veritate fecisse, satis innuit, eum Gallieni partes revera non egisse. Hinc autem consequi videtur, ut Odenatus post Macriani cædem Orientis partes non Gallieni, sed suo nomine occuparit, Gallienoque interim, dum sua ei gesta bellica* E *nuntiari faceret, fucum fecerit. Unde ulterius sequitur, ut tunc Ægyptus in Gallieni potestatem non concesserit.*

Ægyptus tamen in Gallieni 265 *An Odenatus post Macriani cædem suo solius nomine Orientis partes occuparit, easque sibi, non autem Gallieno subjecerit, operosius indagare non vacat; nec vero id operæ pretium fuerit. Tunc enim Odenatus multas quidem in Oriente provincias, non tamen omnes omnino occupavit. Liquet id ex his Pollionis verbis, mox iterum recitatis :* Totius prope igitur Orientis factus est Odenatus imperator ; *ubi adverbio* prope *satis idicat laudatus Pollio, omnium Orientis regionum imperium tunc Odenatum non esse adeptum. Adhæc, si non aliæ Orientis provinciæ, certe Ægyptus post Macriani ejusque filiorum interitum non in Odenati, sed in Gallieni potestatem concessit. Docet id nos Sanctus noster in epistola ad Hermammonem apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 23 *sic scribens :* Et ille quidem (*Macrianus*) cum imperatorum suorum alterum prodidisset, alteri bellum intulisset, brevi cum universa familia stirpitus interiit. Gallienus vero renuntiatus et communi omnium consensu approbatus est; vetus simul imperator ac novus; prior illis ac post illos etiam superstes : juxta id, quod dictum est Isaiæ prophetæ :

F Quæ a principio fuerunt, ecce, venerunt; et nova sunt, quæ nunc orientur. Nam quemadmodum nubes solis radios subiens, ejus splendorem brevi tempore obscurat, inque ejus locum substituta conspicitur; ea deinde prætergressa aut liquefacta, sol, qui antea ortus fuerat, rursum quasi novus exoriri videtur.

potestatem concessit, tuncque Dionysius Alexandriam 266 Macrianus, qui seipsum præposuerat, et ad ipsum Gallieni imperium mox admoverat; ipse quidem jam non est; quippe qui nec antea erat; Gallienus vero sui similis, idemque, qui prius, manet. Ipse denique principatus, velut senectute deposita, et pristinæ improbitatis sordibus repurgatur, nunc florentius viget, et longius cernitur atque auditur, et quocumque diffunditur. *Quibus verbis* Dionysius *non obscure significat, sese tunc, cum hanc ad Hermammonem scriberet epistolam, lætitia gestiisse, tum ob Macriani depulsam tyrannidem, tum ob restitutum Gallieno imperium. Quapropter cum* Dionysio, *utpote Alexandrino in Ægypto episcopo, nihil causæ fuisset lætitia tantopere gestiendi ex eo, quod Gallienus, benignus in Christianos princeps, restitutus esset imperio, si hic pristinam in Ægypto, quam cum patre suo Valeriano prius habuerat, auctoritatem non recuperasset, dubitandum non videtur, quin Gallienus tunc, cum dictam epistolam* Dionysius *scriberet, sub imperio suo Ægyptum habuerit, ut adeo hæc provincia post Macriani*

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

criani ejusque filiorum cædem, cum hæc non diu ante præfatæ ad Hermammonem epistolæ scriptionem contigerit, in Gallieni potestatem indubie concesserit. Hinc jam facile erues tempus, quo Dionysius *ab exsilio, in quod a Valeriano pulsus fuerat, Alexandriam sit reversus. Sanctus enim, uti jam monuimus, eo tunc primum post Valeriani persecutionem est, regressus, cum sub Gallieni dominium Ægyptus rediit.*

reversus, ad Hermammonem scripsit epistolam

267 *Quapropter cum hoc, ut docuimus, non diu post Macriani ejusque filiorum cædem contigerit, hæcque anno* 261 *innectenda videatur, Alexandriam verosimillime* Dionysius *ab exsilio, vel anno* 261 *jam magna sui parte prælapso, vel certe anno* 262 *paulisper inchoato fuerit reversus. Atque ita quidem jam tempus, quo Sanctus ab exsilio Alexandriam redierit, determinatum habemus. Rerum ordo exigit, ut quæ Sanctus gregi suo restitutus, egerit, nunc tractemus. Dubitandum non est, quin tunc* Dionysius *omnes strenui ac vigilis pastoris partes sedulo expleverit, Ecclesiæ scilicet communioni restituens, si quos forte ab ea persecutionis sævities, Christo ejurato, sejunxerat, tollensque e medio, siquæ forte in ecclesiæ Alexandrinæ agro, diuturna pastoris absentia minus diligenter culto, zizania succreverant. Dubitandum, inquam, non est, quin* Dionysius *tunc omnia prævstiterit, quæ a diligenti, sancto vigilique* B *Pastore merito requiras. Verum quæ qualiave sint, quæ tum Sanctus in gregis sui utilitatem fecerit, veterum monumentorum penuria me latet. Hinc, cum conjecturis hic agere non lubeat, duo tantum, veluti a Sancto tunc gesta, nunc commemoro. Alterum spectat epistolam, jam sæpius laudatam, quam Sanctus ad Hermammonem, Ægypti episcopum, conscripsit; alterum respicit concilium, a* Dionysio *contra Sabellianos, ut num.* 144 *docui, Alexandriæ forsan celebratum. Hoc, si reipsa umquam celebratum fuit, ad tempus, quo Sanctus Alexandriam ab exsilio primum reversus erat, verosimillime debet referri; dicta autem epistola omni dubio procul a* Dionysio *tunc scripta est, cum ab exsilio suo Alexandriam nondum diu esset reversus. Utrumque hoc probandum est. Ab epistola incipio.*

anno 262 *verosimilius innectendam. Hæc post raram loquendi formulam,*

268 *Hanc tunc scriptam esse, discimus ex ipsis ejusdem epistolæ verbis.* Dionysius *enim in ea apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 25 *hæc habet :* Ac mihi rursus imperatoris nostri annos contemplari subit. Video enim impiissimos illos, qui adeo celebres olim exstiterunt, brevi postea obscurissimos evasisse. Religiosissimus vero Deique amantissimus imperator (*Gallienus*) septennalem circulum emensus, nonum imperii annum degit, quo nos festa (*Paschalia scilicet*) celebremus. *Quibus ex verbis* C *palam est, dictam ad Hermammonem epistolam anno imperii Gallieni nono scriptam esse. Quapropter cum hic Gallieni annus partim cum anno* 261, *partim cum anno* 262, *uti ex supra disputatis facile colliges, indubie concurrat, necesse est, ut dicta epistola altero ex binis hisce annis fuerit exarata, ac proin tunc, cum jam a Gallieno pax esset etiam Ægypti ecclesiis restituta,* Dionysiusque *ab exsilio Alexandriam rediisset. Atque ita quidem jam habemus duos annos, quorum altero dicta epistola certissime scripta sit. Verum, inquies, anne etiam definiri nequit, quo ea determinato anno exarata fuerit? Respondeo : verosimilius anno* 262 *scripta est, uti hic probare proposui; ante tamen, quam id faciam, cum hæc Sancti nostri in epistola ad Hermammonem de Gallieno verba, mox adhuc recitata,* religiosissimus vero Deique amantissimus imperator septennalem circulum jam emensus, nonum imperii annum degit, quo nos festa celebraturi sumus, *seu potius, ut Græce est,* celebremus, *raram admodum inusitatamque, saltem in speciem, complectantur loquendi formulam, in hanc hic prævie etiam quidpiam observatum velim.*

quam exhibet, quamque Pagius et Pearsonius

269 *Pagius in Criticis ad annum* 261 *num.* 15 *sic scribit :* Illi quadraginta duo menses (*per Joannis prophetiam, de qua plus semel supra, designati*) hoc anno (261 *scilicet*) in interitu Macriani ac filiorum terminantur. Nam per tot menses Ægyptus et D Alexandria vexatæ; de illis enim solis loquitur Dionysius; non vero de persecutione Ecclesiæ in universum, ut communiter locus ille ab omnibus explicatur. Pearsonius tamen, qui vulgarem illam opinionem tenuit, laudata Dionysii verba, religiosissimus vero Deique amantissimus etc., optime explicavit. Quis, inquit, umquam ita locutus est, ut quis post septennium diceretur nonum annum jam agere? necesse est, ut illud septennale aliud peculiare designet, et diversum ab eo tempore, quod postea secutum est. Est autem illud imperii, quod cum patre administraverat. Ut Victor : Regnavit annos quindecim, cum patre septem, solus octo. Sed fallitur in eo, quod subjicit, Gallienum nempe septennium transcendisse, et octavo imperii anno Macrianum imperialem honorem adeptum esse, præsertim in Ægypto. *Hactenus Pagius, indicans, sese propensissime concedere in opinionem, qua a Pearsonio per septennalem circulum, post quem Gallienus nonum imperii annum agere, a Sancto nostro in epistola ad Hermammonem dicitur, anni septem intelligendi statuuntur, quibus cum Valeriano patre Gallienus imperium tenuit. Verum ego huic Pagii Pearsoniique opinioni assentiendum non reor, nec video, qui Pagius, cum eam sequatur, contra Pearsonium verbis mox recitatis possit contendere,* E *tempus illud, quo imperium cum patre suo Valeriano Gallienus tenuit, septennium non transcendisse. Etenim* Dionysius *in epistola, mox iterum laudata ait, nonum imperii annum agere Gallienum, postquam jam septennalem circulum est emensus. Quapropter si per hunc circulum, ut admittit Pagius, intelligendi sint anni, quibus Gallienus cum patre tenuit imperium, verba* Dionysii *supra recitata hunc habent sensum : Gallienus cum patre septem annos jam emensus, nonum imperii annum agit; unde, cum sic clare significetur, Gallienum cum patre ultra annos septem imperasse, consequens est ut Pagius contra Pearsonium perperam contendat, tempus illud, quo Gallienus cum patre tenuit imperium, septennium non transcendisse. Recte ergo Pearsonius et consequenter ad opinionem, qua per septennalem annorum circulum a Dionysio memoratum, annos Gallieni cum patre imperantis intelligendos statuerat, tempus illud, quo Gallienus cum patre imperium tenuit, septem annos transcendisse, litteris mandavit.*

perperam exponere videntur,

270 *Verum, cum nihilominus Gallienus, ut ex Historiæ augustæ scriptoribus et ex iis, quæ jam supra disputavimus, manifestum est, annis dumtaxat septem, iisque incompletis, cum patre suo Valeriano imperaverit, consequens hinc fit, ut per septennalem annorum circulum, post quem, jam expletum, Gallienum nonum imperii annum agere, verbis supra* F *recitatis* Dionysius *in epistola ad Hermammonem scribit, intelligi nequeant anni, quibus Gallienus cum patre tenuit imperium, ac proin, ut inusitata illa et rara Sancti nostri loquendi formula alio plane modo, quam quo illam Pearsonius et post eum Pagius exponendam duxit, debeat exponi. Rem ego sic concipio :* Dionysius *in sua ad Hermammonem epistola ante verba illa, jam supra huc transcripta, quibus Gallienum, septennali circulo jam expleto, nonum agere imperii annum scribit, egerat haud dubie de annis, quibus nonnulli Gallieni decessores imperium tenuerant. Fas est id colligere ex ipsamet dicta epistola. In hac enim Sanctus paulo ante verba, quibus Gallienum post expletum jam septennalem circulum nonum agere imperii annum ait, sic scribit :* Ac mihi rursus imperatoriorum annorum dies contemplari subit : *Eusebius quidem ex versione Valesii ita habet :* Ac mihi rursus imperatoris nostri (*Gallieni videlicet*) annos contemplari subit, *quibus ex verbis tantum sequitur,* Dionysium *jam antea de Gallieni, non autem de aliorum etiam imperatorum annis adhuc esse in sua ad Hermammonem epistola locutum. Verum res in textu Græco hunc in modum exprimitur :* Καὶ μοι πάλιν τὰς ἡμέρας τῶν βασιλικῶν ἐτῶν ἔπεισι σκοπεῖν, *quæ Græca verba, ut consideranti patebit, ad amussim respondent his Latinis, mox iterum*

A *iterum hic datis :* Ac mihi rursus imperatoriorum annorum dies contemplari subit. *Quapropter, cum* Dionysius *his mox subjungat :* Video enim impiissimos illos, (*imperatores nempe, de quibus prævie locutus fuerat*) qui adeo celebres olim exstiterunt, brevi postea obscurissimos evasisse, *satis aperte, ut mihi equidem apparet, dictis verbis indicat, sese de annis, quibus nonnulli Gallieni decessores imperium tenuerant, jam antea egisse.*

meliori, ut apparet,

271 *Nec de his tantum, verum etiam de paucitate eorumdem annorum jam antea Sanctus verosimiliter fecerat sermonem.* Video enim (*inquit*) impiissimos illos, qui adeo celebres olim exstiterunt, brevi postea obscurissimos evasisse, *assimilaratque jam, antequam hæc verba litteris mandaret, Macrianum nubi, quæ radios solis mox intercipiens, brevi post a sole dissipata evanescit. Adhæc alia nonnulla protulerat, quibus breve admodum fuisse Macriani imperium innueret. Hinc mihi verosimile fit,* Dionysium *in sua ad Hermammonem epistola, cujus Fragmenta tantum exhibet Eusebius, de paucitate annorum, quibus nonnulli adhuc alii Gallieni decessores, nimirum Gallus, Decius et Valerianus imperium tenuerant, ante dictam loquendi formulam pariter esse sermocinatum, dixisseque, ne unum quidem ex illis Gallieni decessoribus septimum imperii annum explesse. Hisce porro positis, jam facile,* B *quantum opinor, quisque intelliget, qui rara illa atque inusitata* Dionysii *loquendi formula,* Religiosissimus vero Deique amantissimus imperator septennalem circulum jam emensus, nonum imperii annum degit, quo nos festa celebraturi sumus, *qui, inquam, hæc loquendi formula nihil plane absoni exhibeat, etiamsi per septennalem circulum non intelligantur anni, quibus Gallienus cum patre suo Valeriano tenuit imperium. Etenim hæc verba,* Religiosissimus vero *etc. cum præcedentibus, quæ (si modo Eusebius integram* Dionysii *ad Hermammonem epistolam, non autem hujus Fragmenta tantum in Historiam suam ecclesiasticam intulisset) ne unum quidem secundum jam dicta e nonnullis Gallieni decessoribus septimum imperii annum explesse, verosimiliter, proderent, sensum hunc perfectum, ac plane concinnum, efficiunt :* Decius, Gallus, Valerianus et Macrianus impiissimi imperatores, brevi admodum temporis spatio imperarunt, nec unus ex illis septimum imperii annum explevit; religiosissimus vero Deique amantissimus imperator, septimo jam expleto, seu septennalem jam circulum emensus, nonum annum agit.

sensu explanatam,

272 *Quo sane in sensu, ut mihi equidem apparet, nihil prorsus occurrit, quod inusitatam absonamve arguat loquendi formulam, nisi forte qui velit, non* C *recte me dicturum :* Ne unus quidem e Petri fratribus decimum vitæ annum explevit; Petrus vero jam decimum emensus, decimum quintum agit. *Itaque rara illa, quam Sanctus noster adhibuit, de Gallieni annis loquendi formula sensum habet minime absonum, etiamsi illa* Dionysius *de septennio, quo Gallienus cum patre suo Valeriano Romanum imperium gubernavit, statuatur non locutus, ut adeo, cum ipsi ad Hermammonem epistolæ hujusmodi, uti jam innui, adversetur expositio, ad eam etiam recurrendum non sit, tenendumque potius videatur,* Dionysium *usum esse illa jam sæpissime laudata loquendi formula, ut comparationem, quam inter diuturnius Gallieni et brevius aliorum imperatorum, Decii scilicet, Galli, Valeriani et Macriani, imperium instituit, apertius insinuet. Sed hæc jam de explatione aptanda* Dionysii *verbis, quæ Gallienum post expletum jam septennium nonum agere imperii annum indicant, dicta sufficiant. Redeo ad discussionem temporis, quo præfata ad Hermammonem epistola fuerit a* Dionysio *conscripta. Scripta est omni dubio procul, uti jam docuimus, anno imperii Gallieni nono, id est, cum Gallienus anno 255, mense Majo circiter, imperium sit exorsus, vel ultimis octo anni 261, vel quatuor primis anni 262 mensibus. Verosimilius autem, ut jam innui, quatuor primis anni 262 mensibus scripta est. Etenim* Dionysius *in præmemorata ad Hermammonem epistola exprimens, quoto tunc, cum illam scriberet,* AUCTORE C. B. *Gallienus anno imperaret, ait :* Νῦν ἐνιαυτὸν ἕνατον διανύει, *id est,* nunc annum nonum, *non, ut est apud Valesium* degit *vel* agit, *sed* perficit *seu* explet. *Quapropter, cum secundum hæc verba* Dionysius *ad Hermammonem dictam epistolam tunc scripserit, cum jam ad finem vergeret seu prope esset expletus nonus imperii Gallieni annus, recte consequitur, ut ea quatuor primis seu uno e quatuor primis anni 262 mensibus scripta sit; neque enim si citius scripta foret, dici potuisse videtur a* Dionysio, *Gallienum tunc, cum scripta est, nonum prope imperii annum perfecisse seu explesse.*

inter Paschales Dionysii epistolas

273 *Imo hanc ad Hermammonem epistolam non uno tantum e quatuor primis anni 262 mensibus, sed binis circiter ante Pascha ejusdem anni mensibus scriptam esse, ex dicendis verosimilius evadet. Certe nihil obstat, quo minus tunc scripta credatur, tuncque etiam reipsa (vide dicta hujus Commentarii num.* 140) *indubie scripta est, si Paschalibus* Dionysii *epistolis debeat accenseri. Ut ergo, an tunc reipsa scripta fuerit, innotescat, indagare lubet, an a* Dionysio *de festo Paschali celebrando exarata fuerit.* Dionysius *in hac, de qua hic agimus, epistola apud Eusebium lib.* VII, *sub finem capitis* 25 *de Gallieno sic scribit :* Νῦν ἐνιαυτὸν ἕνατον διανύει, ἐν ᾧ ἡμεῖς ἑορτάσωμεν, *id est,* nunc annum nonum per- E ficit, in quo nos festa, *non* celebraturi sumus, *ut vertit Valesius, sed* celebremus. *Quibus verbis* Dionysius *Hermammonem adhortari videtur ad festa Paschalia celebranda, ut adeo epistola, quam ad hunc scripsit, Paschalis fuisse videatur. Ait quidem Tillemontius tom. IV Monumentorum Ecclesiasticorum pag.* 660 *in Notis in* Dionysium *Alexandrinum, ex verbis proxime recitatis certo non probari, dictam epistolam exstitisse Paschalem, cum* Dionysius *per* ἑορτάσωμεν *Hermammonem forte tantum exhortatus fuerit, ut gauderet simul, Deoque ageret gratias ob pacem Ægypti ecclesiis tandem etiam restitutam. Tillemontio rem ex dictis verbis certam non fieri. libenter assentior; neque enim vel ex iis vel ulla alia ratione certo puto evinci posse,* Dionysii *ad Hermammonem epistolam Paschalibus Sancti epistolis esse indubie accensendam. Paschalem tamen illam fuisse, idcirco mihi apparet, quod, quamquam non certo, verosimiliter tamen ad Pascha celebrandum exhortatoria exstiterit. Etenim verbum* ἑορτάζειν *nude solitarieque positum, a* Dionysio *etiam alibi adhiberi non videtur, nisi cum de festo Paschali celebrando facit sermonem, ut adeo, cum in epistola ad Hermammonem dicat* ἑορτάσωμεν, *ad festum Paschale celebrandum videatur exhortari, ac proin ut appareat, Paschalibus* Dionysii *epistolis illam esse* F *accensendam.*

quidquid contra opponat Tillemontius,

274 Ast, *inquit loco proxime citato Tillemontius,* alteram jam habemus pro anno 262 epistolam Paschalem, Hieraci a Dionysio (*Alexandrino nempe*) inscriptam; ac proin dicere non possumus, epistolam ad Hermammonem esse adhuc epistolam Paschalem, nisi subvertamus, quod cum Valesio statuimus, quamlibet epistolam Paschalem (*a* Dionysio *scilicet Alexandrino scriptam*) novi esse anni indicium; nec ullo nobis est ratio, ut ab hac regula, quæ Sancti nostri (Dionysii *Alexandrini*) chronologiæ et historiæ tantum adjumenti affert, recedamus. *Ita laudatus Tillemontius; verum epistola Paschalis, quam* Dionysius *ad Hieracem, Ægypti episcopum, dedit, non ad annum* 262, *sed ad sequentem pertinet. Etenim Eusebius lib.* VII *Historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 21 *sic scribit :* Post hæc pace vix dum restituta, Alexandriam (Dionysius *nimirum*) regressus est. Verum cum seditio bellumque rursus illic exortum fuisset, adeo ut ipse universos ejus urbis fratres, utpote in alterutram seditionis partem distractos, alloqui non posset; iterum ipso Paschæ die ex urbe Alexandria, tamquam extorris, eos per litteras alloquitur. Sane in altera epistola Paschali, quam paulo post, *seu potius, ut Græce est,* quam postea ad Hieracem, unum ex Ægypti episcopis exaravit, de seditione illa,

AUCTORE C. B.

illa, quæ tunc temporis Alexandriæ commota est, mentionem facit, Dionysius *nempe Alexandrinus. Quibus ex verbis intelligitur, Paschalem* Dionysii *ad Hieracem epistolam scriptam non esse, nisi cum jam Sanctus ab exsilio Alexandriam rediisset, novaque illic esset exorta seditio. Quapropter, cum hæc seditio, verbis mox recitatis ab Eusebio memorata, anno* 262, *uti infra docebo, fuerit exorta, postque Pascha anni, quo eadem seditio orta est, Paschalis* Dionysii *ad Hieracem epistola, quemadmodum ex verbis Eusebianis facile colliges, fuerit conscripta, dubitandum non est, quin hujus epistolæ scriptio ad annum* 263 *pertineat, ut adeo vim omnem amittat argumentum, quod, ut epistolam ad Hermammonem e numero Paschalium epistolarum expungat, ab anno* 262, *ad quem Paschalem* Dionysii *ad Hieracem epistolam spectare putavit, Tillemontius efformat.*

computari posse, ostenditur,

275 *Nihil itaque hactenus occurrit, quod nos ab opinione, qua* Dionysii *ad Hermammonem epistolam verosimiliter Paschalem esse, statuimus, cogat recedere. Pagius in Criticis ad annum* 261 *n.* 12 *de dicta ad Hermammonem epistola sic scribit :* Scripta itaque ea (*ad Hermammonem*) epistola præsenti anno, (261 *nempe*) quo nonum imperii annum Gallienus auspicatus est. Neque enim, ut Baronius credidit, ea anno sequenti (262 *nimirum*) data; B quia, ut visuri sumus, Gallienus anno 262 Augustei imperii decennalia celebravit, de quibus sub festi nomine in laudato loco mentio. et ante illud festum hæc epistola exarata. *Locus, quem a se antea laudatum, Pagius hic indicat, alius non est, quam is ipse, a nobis pariter ex* Dionysii *ad Hermammonem epistola jam sæpe laudatus, quo* Dionysius *de Gallieno sic scribit :* Nonum imperii annum degit, *seu potius* (*vide dicta num.* 272) explet, quo nos festa celebremus; *cum autem verbis proxime recitatis dicat Pagius, hoc loco de Decennalibus, a Gallieno anno* 262 *celebratis, sub nomine festi fieri mentionem, omni dubio procul vult, a* Dionysio *in præfata epistola de festis Paschalibus celebrandis non agi, ac proin nobis, illam inter Paschales* Dionysii *epistolas recensentibus, adversatur. Verum mihi minime probanda videtur Pagii opinio, qua in epistola ad Hermammonem a* Dionysio *de decennalibus, a Gallieno anno* 262 *celebratis, mentionem fieri existimavit. Etenim Sanctus prædicto epistolæ ad Hermammonem loco, ex idiomate Græco in Latinum accurate converso, ut supra docuimus, ad festa celebranda exhortatur; parum autem verosimile apparet, Hermammonem a Sancto ad Gallieni decennalia celebranda fuisse exstimulatum.* Dionysius *itaque prædicto loco mentionem decennalium sub nomine festi verosimiliter non facit, ac proin, quam-* C *vis Pagius nobis, qui* Dionysii *ad Hermammonem epistolam Paschalibus epistolis accensemus, indubie adversetur, nihil tamen affert, quo nos erroris certo convincat. Pagius secutus est Eusebii versionem, a Valesio adornatam; cum autem secundum hanc* Dionysius, *quamvis ex dictis perperam, loco prædicto Hermammonem ad festa celebranda non adhortetur, induci Pagius potuit facilius, ut eo de Gallieni decennalibus mentionem fieri, existimaret.*

hincque confirmatur, anno 262 *scriptam esse,*

276 *Utut sit, perpensis omnibus, qua contra nostram de* Dionysii *ad Hermammonem epistola opinionem attulimus, hanc equidem adhuc verosimilem arbitramur; nec quidquam officit, quod eam epistolam Paschalis epistolæ nomine nuspiam insigniat Eusebius; hic enim scriptor non omnes, quas* Dionysius *scripsit, Paschales enumerat epistolas, ut has inter locum habere queat scripta ad Hermammonem epistola, licet Paschalis epistolæ nomine nuspiam ab Eusebio indigitetur. Porro cum hæc epistola inter Paschales* Dionysii *epistolas verosimiliter secundum jam dicta recensenda sit, alterum hinc habemus argumentum, quo eam anno* 262 *scriptam statuamus. Etenim, cum secundum supra dicta vel sub finem anni* 261, *vel anno* 262 *scripta sit, Paschalisque proinde esse non queat, nisi ratione Paschatis, quod anno* 262 *celebratum est, consequens est, ut binis mensibus aut paulo amplius ante Pascha anni* 262 *fuerit conscripta; tantum quippe temporis spatium* D *epistola Paschalis, utpote, Quadragesimæ initium simulque tempus Paschale signans, festivitatem Paschalem debebat præcedere. Atque ita quidem jam habemus,* Dionysium, *postquam ab exsilio Alexandriam esset reversus, epistolam ad Hermammonem, quæ verosimiliter Paschalis fuit, scripsisse, idque ab illo non anno* 261, *sed initio anni* 262, *ut verosimilius apparet, esse effectum. Videamus modo, quæ Sanctus præterea proxime a suo Alexandriam regressu præstiterit.*

quo etiam concilium Alexandrinum, si id umquam locum habuit, celebratum fuerit.

277 Dionysium *contra Sabellium ejusque sectatores synodum Alexandriæ celebrasse, in eaque Sabellium damnasse, num.* 144 *hujus Commentarii verosimillimum asseruimus; verum tempus, quo id Sanctus fecerit, fecisseve potuerit, nuspiam adhuc definivi, idque tamen, cum de* Dionysii *ab exsilio Alexandriam regressu acturus essem, facturum me, num.* 164 *spopondi. Ut ergo fidem liberem, in annum, quo dicta synodus a* Dionysio, *si modo hic eam umquam celebrarit, celebrata esse potuerit, reve ipsa celebrata fuerit, nunc inquiro. Sabelliana hæresis, ut num.* 145 *docui, vel orta jam Valeriani persecutione, vel paulo ante initium accepit. Quapropter cum credibile non sit,* Dionysium *statim, nulla tentata benigniori via, severiores contra Sabellium ejusque sectatores ecclesiasticas pœnas adhibuisse,* E *certum apparet,* Dionysium, *posito etiam paulo ante Valeriani persecutionem Sabellianæ hæreseos initio, concilium contra hanc, in quo Sabellium damnarit atque exauctorarit, Alexandriæ ante dictæ Valeriani persecutionis initium non celebrasse. Porro cum* Dyonysius, *uti jam ante docuimus, ab ipso statim Valeriani persecutionis initio in exsilium pulsus fuerit, nec ante annum* 261, *magna sui parte jam præterlapsum, initiumve anni* 262 *Alexandriam redierit, certissime ante alterum e binis hisce annis præmemoratam synodum celebrare non potuit, ac proin etiam non celebravit. Restat ergo, ut illam vel anno* 261, *vel* 262, *vel etiam altero posteriori celebrarit. Postremum hoc mihi minus verosimile apparet. Etenim pastoralis Sancti cura, qua serpenti hæreseos malo ocyssime voluerit occurrere, omnino mihi persuadet, cum adversus Sabellium, ut primum fieri potuit, concilium celebrasse, ut adeo id Sanctus vel anno* 261 *vel anno* 262, *cum tunc Alexandriam esset reversus, plenaque pace ibidem gauderet ecclesia, verisimillime fecerit. Quod si autem id a Sancto factum anno* 262 *potius, quam* 261 *lubeat statuere, dicti anni* 262 *initium oportet eligere, cum post hoc res Alexandriæ iterum turbatæ opportunum celebrando concilio tempus non dederint, ut nunc* § *sequenti sumus visuri.* F

§ XXIV. Nova Alexandriæ oritur seditio cum bello, ac deinde pestis : Sancti de his litteræ Paschales.

Nova Alexandriæ seditio,

Dionysio *post pacem Ægypti ecclesiis redditam ab exsilio Alexandriam reverso non diu admodum quieto esse licuit. Etenim cum nondum, ut apparet, ecclesiæ suæ rebus, quas diuturna persecutio non parum perturbarat, componendis pristinoque statui restituendis sufficientem pro votis operam locasset, nova subito Alexandriæ seditio, ex eaque bellum inexspectato erupit.* Posthæc, *inquit verbis ante adhuc recitatis Eusebius lib.* VII, *cap.* 21, pace vix dum restituta, Alexandriam (Dionysius, *Alexandrinus episcopus*) regressus est. Verum cum seditio, bellumque rursus illic exortum fuisset, adeo ut ipse universos ejus urbis fratres, utpote in alterutram seditionis partem distractos, alloqui non posset, iterum ipso Paschæ die ex urbe Alexandria, tamquam extorris, eos per litteras alloquitur. *Nec Historiæ Augustæ scriptores, nec alii diserte nos docent, quænam tunc fuerit seditio, quæ Ægyptum et Alexandriam in novas belli calamitates conjecerit. Certum tamen apparet, eam ex arrepta a Macriano in Oriente tyrannide originem non traxisse. Etenim seditio, quæ verbis proxime*

AUCTORE C. B.

A *xime ex Eusebio recitatis memoratur, orta non est, nisi cum jam* Dionysius, *uti ex iis ipsis verbis facile colliges, ab exsilio Alexandriam esset reversus. Quapropter, cum* Dionysius *secundum ea, quæ jam supra disputavimus, Alexandriam ab exsilio reversus non sit, nisi jam finita, quam in Oriente Macrianus arripuerat, tyrannide, dubium non est, quin seditio, quæ verbis supra recitatis post* Dionysii *reditum Alexandriæ orta memoratur ab Eusebio, diversa omnino sit a seditione, quam quis, arrepta in Oriente a Macriano tyrannide, Alexandriæ factam posset contendere.*

quæ cum ea, cujus hic ex Pollione datur notitia,

279 *Hinc jam etiam consequitur, ut turbæ, quas seditio, post* Dionysii *reditum Alexandriæ orta excitavit, diversæ procul dubio sint a turbis, quibus ibidem arrepta a Macriano tyrannis occasionem dedit. At, inquies, quænam tandem illa est seditio, quæ verbis supra recitatis memoratur ab Eusebio, quæque Alexandriam novis iterum belli turbis involvit? Trebellius Pollio lib. de Triginta tyrannis cap.* 21 *hæc litteris mandavit:* Et hoc familiare est Ægyptiorum, ut vel furiosi ac dementes de levibus quibusque ad summæ reipublicæ pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas salutationes, locum in balneis non concessum, carnem et olera sequestrata, calceamenta servilia et cætera talia, usque ad summum
B reipublicæ periculum seditionis, ita ut armarentur contra eos exercitus, pervenerunt. Familiari ergo sibi furore cum quodam die cujusdam servus curatoris, qui Alexandriam tunc regebat, militarie ob hoc cæsus esset, quod crepidas suas meliores esse, quam militis diceret, collecta multitudo ad domum Æmiliani ducis anceps venit, atque eum omni seditionum instrumento et furore persecuta est. Ictus est lapidibus, petitus est ferro, nec desiit ullum seditionis telum. Qua re coactus Æmilianus sumpsit imperium, cum sciret, sibi undecumque pereundum. Consenserunt ei Ægyptiacus exercitus, maxime in Gallieni odium; nec ejus ad regendam rempublicam vigor defuit. Nam Thebaidem totamque Ægyptum peragravit, et quatenus potuit, barbarorum gentes forti auctoritate submovit. Denique Alexander vel Alexandrinus (nam incertum id quoque habetur) virtutum merito vocatus est. Et cum contra Indos pararet expeditionem, misso Theodoto duce, Gallieno jubente, dedit pœnas; sequidem strangulatus in carcere captivorum veterum more perhibetur.

una eademque fuisse, videtur,

280 *Ita hactenus Trebellius Pollio, gravissimam narrans levi de causa Alexandriæ seditionem exortam, ex eaque deinde secutum bellum, præcipue scilicet cum Theodotus, Gallieni dux, contra Æmilianum duxit exercitum, eumque, conserto prælio,*
C *devicit, cepit et vivum ad Gallienum transmisit.* Per idem tempus, *inquit libro de duobus Gallienis laudatus Pollio,* Æmilianus apud Ægyptum sumpsit imperium, occupatis horreis, multa oppida malo famis pressit. Sed hunc dux Gallieni Theodotus, conflictu habito, cepit, atque imperatori Gallieno transmisit. *Quæ verba laudatus Pollio, proxime post narratam Macriani ejusque filiorum cædem de assumpto ab Æmiliano in Ægypto imperio litteris committit, ut vel ex hoc narrationis ordine fas sit colligere, id nec prius nec diu post fecisse Æmilianum, quam jam Macriani in Oriente tyrannis finem accepisset. Adhæc cum Pollio post narratam Macriani cædem pauca dumtaxat de pravis Gallieni moribus interponat, moxque (vide verba proxime recitata) subjungat,* per idem tempus *Æmilianum apud Ægyptum sumpsisse imperium, satis indicat, id non diu accidisse, postquam Macriani tyrannis, tyranno ejusque filiis e medio sublatis, in Oriente esset exstincta. Quapropter, cum non diu pariter post Macriani cædem ea, quam verbis supra recitatis lib.* VII, *cap.* 21 *memorat Eusebius, Alexandriæ acciderit seditio, dubitandum non videtur, quin hæc una eademque sit cum seditione, cujus occasione Æmilianum in Ægypto sumpsisse imperium, verbis num. præcedenti huc transcriptis refert Trebellius Pollio. Sic ergo jam habemus, quæ qualisque fuerit seditio, quæ,* Dionysio *Alexandriam reverso, ibidem denuo exarserit, bellumque et turbas plurimas concitarit.*

281 *In annum, quo ea fuerit exorta, nunc lubet inquirere. Dictum jam est, eam non admodum diu a Macriani cæde accidisse, hæcque est communis hodiedum eruditorum opinio. Cum ergo Macrianus, ut supra docuimus, anno* 261, *jam provecto, indubie perierit, necesse videtur, ut ea, qua de hic agimus, seditio vel ipso anno* 261 *propemodum elapso, vel certe non diu admodum post Alexandriæ eruperit. Pagius in Criticis, aliique eruditi plures, quantum ex iis, quæ de re illa scribunt, fas est colligere, unanimi fere consensu autumant, præmemoratam seditionem ante Pascha, quod* Dionysii *ab exsilio Alexandriam reditum proxime excepit, verosimillime evenisse. Quapropter, cum* Dionysius, *ut supra docuimus, vel anno* 261 *ad finem jam fere provecto, vel anno* 262 *dumtaxat inchoato Alexandriam ab exsilio sit regressus, consequens est, ut dicta seditio post Pascha anni* 261 *et ante Pascha anni* 262 *evenerit. Porro, cum* Dionysius, *uti ex iis, quæ jam supra disputavimus, facile colliges, Alexandriam post Macriani cædem regressus, optata ibidem pace per aliquot mensium spatium, quo suam, jam ante memoratam, ad Hermammonem scripsit epistolam, aliaque nonnulla in gregis sui utilitatem gessit, videatur esse gavisus,* E *verosimillimum mihi apparet, præmemoratam seditionem brevissimo dumtaxat temporis spatio ante Pascha anni* 262 *esse exortam, eamque ipso Paschæ anni* 262 *die ita vehementer jam exarsisse, ut, quemadmodum verbis supra recitatis lib.* VII, *cap.* 21 *docet Eusebius, ad Christianos, Alexandriæ constitutos, verba facere idcirco non potuerit* Dionysius, *quod in alterutram seditionis partem omnes essent distracti, eosque proinde per litteras alloqui, fuerit compulsus, contra ac alias facere consuevisset. Solebat enim* Dionysius *litteras quidem Paschales ad Christianos per patriarchatum suum dispersos, proculque Alexandria dissitos quotannis dirigere; ipsis vero Paschalibus diebus ad populum Alexandriæ constitutum non litteris, sed viva voce, ut ex capite Eusebii proxime laudato intelligitur, facere sermonem.*

anno 262 *exorta,*

282 *Porro tempore, quo prædicta seditio Alexandriæ eruperit, jam, ut proxime fieri potuit, definito, restat, ut de ipsa seditione nunc pauca dicamus. Quam gravis hæc fuerit, fas est utcumque colligere ex iis, quæ de illa verbis num.* 279 *huc transcriptis Trebellius Pollio memoriæ prodidit. Verum* Dionysius *post Pascha anni* 262 *ac proin aliquamdiu post seditionem illam exortam ad Hieracem, Ægypti episcopum, Paschalem scripsit epistolam; in hac autem* F *Sanctus miserrimum statum, in quem ex seditione illa Alexandria esset conjecta, graphice depingit. Mox ab ipso epistolæ initio ardentem, qua in gregem suum teneretur charitate, apertissime prodit. Vocat scilicet Christianos, curæ suæ commissos,* sua ipsius viscera, *aliisque utitur loquendi modis, qui non nisi a pastore summa in gregem suum charitate incenso possint procedere. Ipsa Sancti verba apud Eusebium lib.* VII *Historiæ, cap.* 21 *exstantia huc transcribo.* Quid vero mirum, *inquit,* si grave ac difficile mihi est, homines longius remotos vel per epistolas alloqui, cum nec mecum ipse colloqui, nec animæ meæ consulere facile possim. Etenim ad mea ipsius viscera, ad contubernales et unanimes fratres ejusdemque ecclesiæ municipes, missis epistolis opus habeo, easque quomodo transmittam, vix reperio. Facilius enim quis, non dicam extra fines provinciæ, sed ab Oriente ad regiones Occidentis ultimas commeare possit, quam ex ipsa urbe Alexandria Alexandriam pergere. *Ita* Dionysius *ardentem simul in Christianos Alexandriæ constitutos charitatem, miserrimumque Alexandrinæ urbis statum commonstrans.*

in misero statu a Dionysio in epistola, qua charitatem suam prodit,

283 *Plura deinde addit, quibus hunc non minus dilucide, quam præcedentibus ob oculos ponit. Hæc ego, utpote ad institutum meum non conducentia, studiosoque lectori apud Eusebium loco proxime citato*

AUCTORE C. B. *graphice depicto, per decem circiter menses Alexandriam retinuit,*

tato facile obvia, brevitatis causa prætermitto. De præfata seditione seu de misero statu, in quem hæc civitatem Alexandrinam conjecit, tantummodo adhuc noto, brevem illam admodum non exstitisse; sed anno circiter integro tenuisse. Etenim ante Pascha anni 262, *ut jam docui, initium accepit; verba autem proxime huc ex Paschali* Dionysii *ad Hieracem epistola transcripta apertissime produnt, seditionem illam adhuc durasse, cum dictam ad Hieracem epistolam* Dionysius *conscriberet, ut adeo Alexandrina seditio per annum fere integrum tenuerit, si epistola ad Hieracem non diu ante Pascha anni* 263 *fuerit conscripta : hanc autem non diu admodum ante Pascha anni* 263 *scriptam esse, sic ostendo : scripta est omni dubio procul, uti unusquisque ex disputatis facile colliget, post Pascha anni* 262; *quapropter, cum inter Paschales* Dionysii *epistolas numeretur, Paschalis haud dubie fuit pro anno* 263, *ac proin (vide hujus Commentarii num.* 140) Dionysius *per illam, quo die Quadragesima anno illo esset inchoanda, uti et quo die Pascha esset celebrandum, certissime indicavit. Jam vero, cum hujusmodi epistola, utpote Quadragesimæ et Paschatis prænuncia, aliquamdiu ante Pascha debuerit conscribi, consequens est, ut præfata Paschalis ad Hieracem epistola aliquamdiu ante anni* 263 *Pascha, id est, duobus circiter ante hoc* B *tempus mensibus fuerit exarata, ac proin ut Alexandrina seditio, cujus in illa, veluti adhuc durantis, fit mentio, anno propemodum integro, id est, decem circiter mensibus tenuerit.*

ortaque ibi deinde peste,

284 *Verum, inquies, an non etiam multo diutius tenuit? Respondeo, illam equidem ad annum usque* 264 *tenuisse, non videri. Etenim Eusebius, postquam capite proxime citato Paschalem* Dionysii *ad Hieracem epistolam recitavit, capite sequenti alteram mox subjungit Paschalem Sancti epistolam, ad Christianos, exorta Alexandriæ post bellum peste, conscriptam. Quapropter, cum ex Valesii, Tillemontii aliorumque eruditorum judicio nova quælibet* Dionysii *Paschalis epistola novi anni sit indicium, videtur illa, quæ post bellum scripta est, epistola exstitisse Paschalis pro anno* 264, *ac proin hujus anni initio conscripta, ut adeo cum in ea seditio Alexandrina tunc, cum scripta est, sopita fuisse indicetur, certum videatur, hanc ad annum usque* 264 *non tenuisse. Porro Eusebius dictæ Paschalis epistolæ, quam post epistolam ad Hieracem recitatam transcribit, hæc verba præmittit :* Secuta dehinc post bellum peste, cum Paschalis solemnitas immineret, iterum Dionysius fratres per litteras allocutus est, in quibus calamitatis illius magnitudinem describit. *Subdit deinde præmemoratam, quæ* C *post pestem Alexandriæ exortam scripta est, Paschalem epistolam, aut potius ejus Fragmentum. Epistolæ initium, perquam sane elegans, hisce verbis concipitur :* Aliis quidem hominibus præsens hoc tempus non videatur esse tempus festivitatis. Neque vero illis tempus est, nec hoc, quod a nobis celebratur, nec ullum aliud, non dicam eorum, quæ luctuosa sunt, sed etiam eorum, quæ vel maxime læta et hilaria existimantur. Nunc quidem certe plena sunt omnia lamentationum, lugent cuncti et ob mortuorum hominum ac quotidie morientium multitudinem tota urbs gemitibus circumsonat. Prorsus enim ut de primogenitis Ægyptiorum in sacris Litteris scriptum habetur, ita nunc quoque clamor ingens excitatus est. Nulla quippe domus est, in qua non sit aliquod funus; atque utinam unum dumtaxat in unaquaque domo esset.

de cujus duratione nonnulla

285 *Hactenus* Dionysius, *cujus cetera in dicta epistola verba apud Eusebium loco citato brevitatis ergo prætermitto. Compendio complecti sufficiat, quid iisdem Sanctus pertractet. Ante tamen quam id faciam, pauca observasse lubet tum de ipsamet Paschali epistola, proxime memorata, tum de peste, cujus occasione hæc scripta est. Sanctus Hieronymus de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap.* 69 *inter epistolas a* Dionysio *conscriptas recenset unam, quam* de Mortalitate *inscribit, sicque de mortalitate scriptam fuisse, aperte prodit. Verosimile mihi apparet, hanc ab Hieronymo memoratam epistolam distinctam non esse ab epistola Paschali, mox hic memorata, utpote quæ et post pestem seu mortalitatem Alexandriæ ortam scripta sit, et de peste seu mortalitate plura commemoret. Porro pestis, de qua in hac epistola agitur, distinguenda quadam ratione est a peste, quam sub Decio, ab Alexandrina urbe facto fere initio, grassari cœpisse, supra docuimus. Quamvis enim pestis, quæ sub Decio Alexandriæ grassari cœpit, per annos quindecim continuos, ut docuimus, Romanum afflixerit imperium, id tamen ita accipiendum non est, quasi per totidem annos continuos, nulla prorsus intermissione facta, in singulis imperii urbibus pestis sævierit. Fuerunt urbes, quæ illo quindecim annorum spatio vel bis vel ter vel etiam quater, interruptis vicibus, peste fuerunt afflictæ; nullam tamen urbem invenio, in quam sævissimum hoc malum sine ulla intermissione per annos quindecim continuos sævierit. Itaque pestis, quæ sub Decio Alexandriæ orta est, aliquamdiu ibidem et quidem diutius quam in aliis urbibus sævierit, ac post nonnihil de sævitia sua tantisper remiserit, iterumque deinde anno* 264 *non minori sævitie, quam sub Decio, fuerit grassata, ut adeo, solius Alexandriæ ratione habita, dubio procul pestis, quæ sub Decio grassari Alexandriæ cœpit, certo* E *sensu distinguenda sit a peste, quæ in eam urbem anno* 264 *sæviit.*

hic observantur,

286 *Nec quis ex jam dictis existimet, pestem hanc sævissimam, quæ per annos quindecim continuos Romanum imperium miserrime afflixit, et infinita propemodum hominum multitudine orbavit, bis tantum in urbem Alexandrinam, semel nempe sub Decio et semel sub Gallieno esse grassatam. Apparet enim, inter pestem, num.* 59 *et seqq. hujus Commentarii a nobis fuse memoratam, quæ sub Decio Alexandriæ inchoata ac deinde sub Gallo aliquamdiu continuata est, et inter pestem, sub Gallieno Alexandriæ ortam, cujus occasione* Dionysius *Paschalem posteriori hic loco memoratam scripsit epistolam, ingentem mortalium numerum interruptis vicibus, tum peste, quæ Alexandriæ magis diutiusque quam alibi sæviit, tum aliis morborum generibus Alexandriæ periisse, ut adeo sævissimum illud malum in hanc civitatem plus semel aut bis intra quindecim annorum spatium, quo Romanum imperium afflixit, grassatum fuisse videatur. Fas est id colligere ex Paschali* Dionysii *ad Hieracem epistola, supra laudata. In hac enim Sanctus post narratas belli calamitates ex seditione, cujus occasione Æmilianus, ut docuimus, assumpsit imperium, Alexandriæ ortas hunc in modum prosequitur :* Et post hæc mirantur et ambi- F gunt homines, undenam continuæ pestes; undenam graves morbi; omnisque generis labes, et multiplices variique hominum interitus : quid causæ sit, cur urbs maxima (*Alexandria*) tantum civium numerum amplius non ferat, etiamsi ab ipsis infantibus ad decrepitos usque senes numerentur, quod antea crudos senes sic vocatos aluit. Verum tunc temporis adeo plures erant quadragenarii, et supra hos usque ad septuagesimum ætatis annum progressi, ut numerus eorum nunc expleri non possit, adscriptis licet et in album relatis ad annonam ex publico accipiendam his, qui quatuordecim annos nati sunt, usque ad octogenarios. Et qui specie ipsa adolescentuli sunt, æquales quodammodo nunc facti sunt eorum, qui olim senes erant, cumque in terris humanum genus tantopere imminutum et consumptum videant, augescente indies et crescente ipsorum exscidio, non intremiscunt.

Paschalem Dionysius epistolam ad charitatem hortatoriam, suosque etiam

287 *Quibus ex verbis, quantum opinor, nemo non eruat, quæ de peste quindecennali Alexandriæ pluries quam bis grassata mox asserui. Hisce prænotatis, venio nunc ad ea, quæ* Dionysius *in epistola Paschali, post seditionem ortam scripta, verbis supra huc non transcriptis pertractet. Compendium quoddam his Sanctus exhibet eorum omnium, quæ tum ipsemet, tum Christiani cum eo in variis Ecclesiæ*

A *siæ procellis pertulere, præcipuamque operam collocat in exponendis iis, quæ Christianorum, quorum merita ipsorum martyrum dignitati æquiparare non veretur, exhibitam in fratres suos sodalesve peste correptos charitatem maxime commendent. Id autem verisimillime eo consilio facit, ut, cum eo tempore, quo hanc scribebat epistolam, pestis Alexandriæ alibique in Ægypto vehementissime grassaretur, ad paria charitatis officia Christianos, ad quos scribebat, animaret. Ita Sanctus, gravissimis licet malis undique velut obsitus, gregis sui curam gerebat, nullaque in re pastoris gnavi ac seduli officio deerat. Nec tantum forte* Dionysius, *cum sic omnes vigilantissimi pastoris partes expleret, gravissimæ luis in gregem suum sævientis calamitate fuit afflictus, verum etiam, veluti violatæ fidei reus, quod summum ei mœrorem peperit, ad Romani Pontificis tribunal delatus, famam suam adversus accusatores tueri fuit compulsus. Tunc enim forte suos, uti jam antea innuimus, de Elencho et Apologia libros, utpote in turbato aliquo vel bello vel peste rerum statu conscriptos, Sanctus exaravit, quamvis id eum, arrepta post Valeriani captivitatem a Macriano in Ægypto tyrannide, fecisse, longe verosimilius appareat, uti ex iis, quæ jam supra disputavimus, unicuique debet esse perspicuum. Utut sit, quod si forte* Dionysii *de Elencho*

B *et Apologia librorum scriptio ad illud usque tempus, quo pestis Alexandriæ sub Gallieno denuo grassata est, quoque* Dionysius, *post illam ibi exortam, Paschalem, qua de jam egimus, scripsit epistolam, possit differri, certum tamen est, dictam scriptionem ad annum usque* 265 *removeri non posse.*

post annum 264

288 *Etenim Paschalis Sancti epistola, proxime memorata, pro Paschale anni* 264, *uti docui, ad Christianos per Ægyptum constitutos fuit conscripta; quando autem Sanctus alteram, quæ ab hac proxima fuit, Paschalem scripsit epistolam, res Alexandriæ et in Ægypto pacatæ, ac proin nec bello nec peste turbatæ fuisse, videntur. Res Alexandriæ tunc peste turbatas non fuisse, colligendum videtur ex lib.* VII, *cap.* 22 *Eusebii. Etenim hic scriptor, postquam Paschalem* Dionysii *epistolam, proxime memoratam, in qua utique Sanctus non de bello, utpote tunc, cum illam scriberet, finito, sed de peste Alexandriæ grassante tractat, loco citato in Historiam suam saltem ex parte intulit, mox subjungit :* Post hanc epistolam, cum res in urbe Alexandria pacatæ essent, ad fratres per Ægyptum constitutos Paschalem rursus epistolam Dionysius scripsit. *Quibus verbis Eusebius, cum bellum Alexandriæ finitum, jam antea narrarit, epistolamque* Dionysii *non de bello, sed de peste tractantem proxime recitarit, res Alexandrinas vocare videtur pacatas non*

C *ratione belli tunc primum finiti, sed ratione diuturnæ pestis, quæ tandem sævire desiisset, ut adeo tunc, cum* Dionysius *Paschalem epistolam, verbis ex Eusebio proxime recitatis memoratam, scriberet, res Alexandriæ peste turbatæ fuisse non videantur.*

certe non scriptos, de Elencho et Apologia libros forte exaravit.

289 *Quapropter cum nec bello, nec aliter, turbatæ tunc fuisse videantur, nequit* Dionysii *de Elencho et Apologia librorum, utpote qui in turbato rerum statu exarati fuerint, scriptio differri in illud tempus, quo Paschalis* Dionysii *epistola, loco ultimo hic memorata, fuit conscripta. Jam vero hæc epistola, cum post epistolam pro anno* 264 *Paschalem exarata fuerit, novaque Paschalis epistola novi, ut jam diximus, anni sit indicium, Paschalis haud dubie exstitit pro anno* 265, *hujusque anni initio, uti ex supra dictis facile colliges, fuit conscripta, ut adeo in hunc annum prædictorum* Dionysii *de Elencho et Apologia librorum scriptio nequeat differri. Porro, dum Eusebius post verba, proxime ex illo recitata de* Dionysio *ait,* aliasque post hanc deinceps, *seu potius, at Græce est,* aliasque post hanc diversas iterum exaravit, *ita debet intelligi, ut velit,* Dionysium *post epistolam Paschalem, proxime memoratam, alias adhuc diversi argumenti epistolas, non vero epistolas Paschales scripsisse. Sanctus enim, uti infra ostensuri sumus, non diu post initium anni* 265 *in vivis mansit superstes, ut adeo post epistolam Paschalem, proxime memoratam, cum hæc, ut dictum est, initio anni* 265 *scripta sit, plures adhuc alias Paschales epistolas scribere nequiverit.*

AUCTORE C. B.

§XXV. Dionysius ad concilium Antiochiæ contra Paulum Samosatenum celebrandum invitatur, dumque hoc celebratur, extremum diem obit.

Pauli Samosateni, patriarchæ Antiocheni, mores pessimi,

Paulus, *a Samosatis, urbe Syriæ Euphratesiæ natali sua,* Samosatenus *vulgo nuncupatus, anno Christi* 260, *non ultra mensem Majum adulto, ad cathedram Antiochenam evectus, episcopali potestate non ad ædificandum, sed ad destruendum, uti impudentissime mox cœpit. Patres concilii Antiocheni, anno* 270 *celebrati, in quo Paulus non potuit, ut in altero priori, mox hic memorando, damnationem suam fraudibus evadere, in epistola synodica, qua post præfatum anni* 270 *concilium Dionysio, Pontifici Romano, Maximo, patriarchæ Alexandrino, aliisque episcopis Pauli proscriptionem significant, pravos hujus hæresiarchæ mores prolixa oratione exponunt. Ex hac autem liquet, quam scelestus, quam vafer, quam gregi suo perniciosus Paulus exstiterit,* E *quamque insolenter dignitate sua fuerit abusus.* A fidei regula, *inquiunt de illo Patres,* recedens, ad spuriam et adulterinam doctrinam se transtulit… Et cum antea (*nondum scilicet patriarcha factus*) pauper ac mendicus esset, nec ullas omnino facultates aut a parentibus relictas accepisset, aut artis ullius exercitio sibi comparasset, nunc (*patriarcha creatus*) ad incredibilem opulentiam pervenit, per scelera ac sacrilegia fratrumque concussiones; dum injuria affectos decipit, promittens quidem, sese illis, accepta mercede, opem laturum; fallens autem ipsos, et ex facilitate litigantium, qui ut negotio liberentur, quidvis dare parati sunt, lucrum inaniter captans, et pietatem quæstum esse existimans. *Ita hactenus laudati synodi Antiochenæ Patres, quorum verba reliqua, quibus in dicta epistola Pauli arrogantiam, fastum, aliosque corruptissimos et episcopo plane indignos mores graphice adumbrant, suisque coloribus depingunt, brevitatis studio omitto, proque iis curiosum lectorem ad Eusebii locum proxime laudatum remitto.*

palmarisque circa Christum error.

291 *Spuria et adulterina doctrina, ad quam Paulus, jam patriarcha factus, sese secundum laudatam synodicam epistolam transtulit, ad institutum nostrum præcipue pertinet, utpote contra quam* S. Dionysius *Christi divinitatem, quam sanguinis effusione sanus adhuc ac vegetus profiteri sæpius voluerat,* F *tutari scriptis litteris, morti jam proximus laborarit. Itaque, quamquam reliqua Pauli crimina silentio lubeat involvere, tacitus tamen prætexere nequeo summam ejus in Christum, generis humani Redemptorem, impietatem, ac ne omnibus eo facientibus impiissimi hæresiarchæ blasphemiis recensendis chartam inutiliter commaculem, palmarem ejus errorem unice commemoro. Docuit itaque Paulus Samosatenus, Christum esse creaturam, Verbo divino hypostatice non unitam, hocque impium dogma pertinacissime fuit tutatus, ut hic de illo, quæ postea de Ario ejusque hæresi scribens Theodoritus, seu, ut alii efferunt, Theodoretus, Cyri episcopus, Historiæ suæ Ecclesiasticæ lib.* I, *cap.* 2 *in litteras misit, non immerito sano sensu liceat effari :* Invidus ac pessimus dæmon, pernicies generis humani, cum Ecclesiam tam felici cursu (*plurimis scilicet verum Deum jam adorantibus*) ferri cerneret, pati id non potuit; sed fraudulenta consilia excogitavit, Ecclesiam, quæ ab omnium Conditore ac Dominatore regitur, submergere omni studio connisus. Videbat enim patefactum jam esse (*apud ingentem nempe populi multitudinem*) gentilium errorem, et varias dæmonum fraudes deprehensas, et res quidem creatas a plerisque (*aut certe multis*) jam non amplius adorari; earum autem loco Conditorem ipsum hymnis celebrari.

AUCTORE C. B.

brari. Quocirca jam non aperte adversus Deum Servatoremque nostrum bellum excitavit; sed homines nactus Christianorum quidem vocabulo exornatos, verum ambitioni et inani gloriæ mancipatos, eos malitiæ suæ ministros designavit, eorumque opera multos ad priorem superstitionis errorem revocavit. Non id quidem molitus, ut creaturam denuo colerent; sed efficiens, ut Opifex et Conditor universi in eodem cum creaturis ordine censeretur.

Synodus contra illum indicta. Adhanc Dionysius

292 *Hæc hactenus de Ario laudatus Theodoritus, quæ de Paulo Samosateno pariter, cum hic Christum, rerum omnium secundum divinam naturam conditorem ac opificem, in eodem cum creaturis ordine voluerit censeri, non immerito, ut dixi, sano sensu fas est effari. Porro impius hæresiarcha suum hoc dogma, Christo maxime injurium, quaquaversum disseminare, atque in impietatis suæ societatem, quotquot potuit, Christianos pertrahere, summis viribus, quamvis clanculum, est annisus. Et vero id eo successu præstitisse videtur, ut jam non paucos doctrinæ suæ sectatores sibi adjunxisset, pluresque quotidie adjungeret. Hinc de ecclesiæ Antiochenæ incolumitate actum videbatur, nisi serpenti malo medela opportuna adhiberetur. Verum erant ea tempestate non pauci in Oriente episcopi, qui non minori*
B *veritatis tutandæ studio flagrarent, quam Paulus propagandæ impietatis furore esset incensus. Hi itaque, audito ecclesiæ Antiochenæ periculo, ultro citroque quaquaversum litteras scripsere, earumque ope consilia contulere, quibus demum id effectum est, ut concilium intra ipsam Antiochenam urbem contra Paulum Samosatenum celebrandum fuerit indictum. Ad hoc omnes episcopi, atque in primis quidem, qui vitæ sanctimonia simul et doctrina erant spectabiles, fuere invitati, hosque inter Sanctus noster, ecclesiæ Alexandrinæ episcopus.* Defuncto, *inquit lib.* VII, *cap.* 27 *Eusebius,* Antiochiæ Demetriano, Paulus Samosatensis episcopatum suscepit. Hic cum adversus Ecclesiæ doctrinam nimis abjecte et humiliter de Christo sentire cœpisset, quasi is nihil supra communem hominum naturam habuisset; Dionysius Alexandrinæ ecclesiæ episcopus rogatus, ut ad concilium (*Anthiochiæ contra Paulum Samosatenum celebrandum*) veniret, adventum quidem suum distulit, senectutem et infirmitatem corporis causatus. Ceterum quid ipse de hac quæstione sentiret, per litteras indicavit. At reliqui ecclesiarum pastores undique exciti, tamquam adversus gregis Dominici vastatorem,
C simul omnes Antiochiam convenerunt.

præ infirmitate non veniens, quid sentiret, litteris exposuit.

293 *Hunc in modum Eusebius, quæcumque de concilio Antiochiam contra Paulum Samosatenum convocato, atque ad illud invitato* Dionysio *asserui, luculentissime testatur. Nec hoc tantum hic scriptor, verum etiam duo alia recitatis verbis nos docet. Ac primum quidem est,* Dionysium, *quamquam præ senectute corporisque infirmitate ad concilium ipsemet nequiret accedere, epistolam tamen Antiochiam misisse, in eaque quid ipse de re in concilio tractanda sentiret, exposuisse; alterum vero, ad indictum concilium episcopos, summo fidei adversus impiam novitatem tutandæ ardore impulsos, undecumque magno numero convolasse. De dicta* Dionysii *epistola, quæ ad institutum nostrum propius spectat, paulo plura mihi dicenda hic occurrunt; ut autem hæc dilucidius intelligantur, non prius id faciam, quam de concilio, ad quod* Dionysius *invitatus fuit, de unico alio concilio, quod secundum dicenda post illud contra Paulum Samosatenum Antiochiæ pariter celebratum fuit, deque iis, quæ in binis illis conciliis gesta sunt, nonnulla præmisero. Eusebius lib.* VII, *cap.* 28 *his verbis, quæ cum proxime ex ejusdem scriptoris capite præcedenti recitatis unam eamdemque orationis seriem constituunt, episcopos præcipuos, qui priori adversus Paulum concilio interfuerunt, nominetenus recenset.* Inter quos (*episcopos, qui ad primum Antiochenum concilium convenerunt*) maxime eminebant, *inquit,* Firmilianus Cæsareæ Cappadocum episcopus; Gregorius et Athenodorus fratres, ecclesiarum apud Pontum episcopi, Helenus quoque D
Tarsi et Nicomas Iconii antistites. Sed et Hymenæus, qui ecclesiam Hierosolymitanam regebat, et Theotecnus, qui Cæsariensem illi finitimam administrabat. Maximus præterea, qui Bostrensem ecclesiam summa cum laude gubernavit. Sexcentos quoque alios, qui una cum presbyteris et diaconis eo confluxerunt, nequaquam difficile fuerit recensere. Verum hi, quos dixi, illustres præ ceteris habebantur.

Exitus, quem illa sortita est.

294 *Episcopis præcipuis, qui priori isti Antiocheno concilio interfuerunt, ita nominetenus recensitis, mox ita pergit laudatus Eusebius :* Omnibus igitur (*episcopis, qui, contra Paulum consilia collaturi, Antiochiam confluxerant*) vario tempore diversimode ac sæpenumero in unum coeuntibus, multæ disputationes et quæstiones in unoquoque consessu agitatæ sunt; cum hinc Samosatensis Paulus dogmatis sui novitatem occultare niteretur, illinc sacerdotes hæresim illius et adversus Christum blasphemiam denudare atque in medium producere laborarent. *Ita Eusebius declarans, quid in concilio Patres gesserint; quem vero id exitum habuerit, fas est colligere ex hisce epistolæ synodicæ, supra adhuc laudatæ, verbis :* Firmilianus vero (*Cæsareæ in Cappadocia episcopus*) cum bis Antiochiam venisset, damnavit quidem dogmatis ab illo (*Paulo Samo-* E
sateno) invecti novitatem, ut testamur nos, qui adfuimus, et alii plures perinde ac nos optime norunt : sed cum ille, mutaturum se sententiam, promisisset, credens ei Firmilianus, speransque, sine ullo religionis nostræ probro atque dispendio rem optime posse constitui, distulit sententiam suam, deceptus scilicet ab homine, qui Deum ac Dominum suum negabat, et qui fidem, quam antea profitebatur, violaverat. *Hæc Patres in laudata epistola synodica; ex quibus pronum est colligere, promissa a Paulo opinionis mutatione, finem synodo, nulla hæresiarchæ inflicta pœna, fuisse impositum. Verum, teste Theodoreto lib.* II *Hæreticarum Fabularum cap.* 8, *Paulus in synodo palam contestatus est, sese doctrinæ Apostolorum adhærere, numquamque eos, quorum insimularetur, errores sustinuisse. Et vero quin Paulus hæc contestatus fuerit, dubitare non sinunt verba ex Eusebio numeri hujus initio transcripta. Ast, si Theodoreto fides sit, accidit, ut, Paulo hæc contestante, concilii Patres de hoc Pauli cum reliquis in doctrina consensu gratias Deo egerint, suasque singulis ad ecclesias redeuntibus, synodus finem acceperit.*

Tillemontius nec ex Theodorito,

295 *Hinc præcipue, quantum opinor, factum est, ut Tillemontius non duo tantum, sed tria ut minimum contra Paulum Samosatenum concilia Antiochiæ fuisse celebrata, statuat, quorum quidem* F
primum fuerit, in quo Paulus, contestatus, sese Apostolorum doctrinæ adhærere, ab omni ecclesiastica pœna evasit immunis; alterum, in quo Paulus Firmilianum, sententiæ mutatione ficte promissa deceptum, a ferenda sententia avertit; ac tertium denique, in quo tandem hæresiarcha, perversi dogmatis convictus, pœna jam dudum promerita fuit affectus. Verum ego multum dubito, an plura, quam duo concilia contra Paulum Samosatenum Antiochiæ celebrata fuerint. Etenim a vero forsan aberravit laudatus Theodoritus, dum litteris mandavit, episcopos singulos Antiochiæ congregatos post præmemoratam Pauli contestationem, actis Deo gratiis, ad ecclesias suas rediisse, itaque synodum fuisse absolutam. Idcirco autem mihi forsan hallucinatus Theodoritus videtur, quod postremi concilii Antiocheni Patres in epistola synodica, plus semel jam laudata, nullam omnino concilii anterioris eo modo, quo narratur a Theodorito, terminati mentionem faciant, ubi tamen, ut Pauli vafritiem mundo palam faciant, memorant modum, quo Paulus Firmilianum, ut hic suam contra illum sententiam differret, fraudulenter induxerit. Vide etiam, quæ num. 308 *observaturi sumus. Adhæc ita potest exponi Theodoritus, ut quidem non certo errarit, sed quædam dumtaxat, quæ inter Pauli contestationem, quam memorat, et*

concilii

A *concilii dissolutionem intercesserunt media, narrare omiserit. Paulus, ut verbis num. præcedenti recitatis testatur Eusebius, prioris synodi initio* dogmatis sui novitatem occultare adhuc *nisus est, ut tunc contestationem, quam memorat Theodoritus, etiam ex Eusebii testimonio verosimillime Paulus ediderit. Nihil autem obstat, quo minus, durante eadem synodo, Paulus credatur erroris fuisse convictus, tuncque, ut sententiam contra se ferendam evaderet, opinionis mutationem spopondisse. Jam vero si hæc ita, ut vero absimile non est, in priori synodo gesta sint, hæcque tunc primum finem acceperit, dici potest Theodoritus non errasse, sed quædam tantum omisisse, dum Pauli contestationi, quam memorat, concilii dissolutionem proxime subjunxit.*

qui duorum tantum conciliorum meminit,

296 *Et vero hic aliquid a Theodorito omissum esse, ex ipso Theodorito colligendum videtur. Etenim ubi primum Antiochenum concilium eo, quo jam diximus, modo terminatum narravit, mox, nullius alterius concilii mentione præmissa, loco supra citato subjungit :* Procedente autem tempore, fama iterum oras omnes pervadens, Pauli depravationem omnibus nuntiavit. Sed ne sic quidem laudatissimi Patres facile ad virum abscindendum processerunt; sed primo quidem morbo mederi per litteras conati sunt; ubi vero immedicabile malum

B esse perspexerunt, Antiochiam iterum alacri animo contenderunt, et lenia medicamenta adhibuerunt, admonentes et exhortantes, et pacta conventa in memoriam revocantes. *Cum ergo secundum Theodoritum, uti ex his verbis liquet, Paulo post primum concilium relapso pacta conventa Patres in memoriam revocarint, consequi videtur, ut inter memoratam Pauli contestationem et dicti concilii finem aliquid intercesserit, quod a Theodorito sit omissum. Puto autem, illud esse promissam a Paulo erroris convicto opinionis mutationem, factamque ea lege a Patribus sententiæ contra illum pronuntiandæ suspensionem. Utut sit, Theodoritus, qui tamen totam rerum in causa Pauli Samosateni gestarum seriem compendio satis accurate loco supra citato recenset, duo tantum contra illum concilia, in quorum altero a pœna evaserit immunis, in altero fuerit exauctoratus, celebrata commemorat, ut adeo plura reipsa celebrata fuisse, non videantur.*

nec ex duplici Firmiliani Antiochiam adventu, nec ex Rufino

297 *Ast, inquies, Firmilianus secundum epistolam synodicam, jam sæpius memoratam, occasione doctrinæ a Paulo Samosateno traditæ bis venit Antiochiam, ac proin, cum teste eadem epistola synodica, in postremo Antiocheno concilio, in quo Paulus exauctoratus fuit, Firmilianus non adfuerit, necesse est, ut ante hoc postremum concilium duo adhuc alia*

C *contra Paulum celebrata fuerint, quorum occasione Firmilianus Antiochiam bis venerit. Respondeo : potest Firmilianus, durante primo Antiocheno concilio, utpote diuturniori, Antiochiam bis venisse, semel quidem concilii initio, pauloque post justa de causa hinc profectus alio, iterum deinde redire. Quod si hoc displiceat, dico cum Bollando nostro ad 9 Februarii in Commentario historico S. Athenodori episcopi num. 16, factum esse, ut Firmilianus Pauli Samosateni causa etiam semel Antiochiam venerit, vel antequam eo ad priorem synodum veniret, vel post hanc, cum jam ad vomitum Paulus nuntiaretur reversus, nondumque contra illum secunda synodus celebraretur. Verum, inquit Tillemontius supra laudatus, episcopi, teste Rufino lib.* VII, *cap.* 26, *Antiochiæ congregati causam Pauli Samosateni absolvere nec uno nec duobus conciliis potuerunt. Fateor, hoc scribit loco citato Rufinus; verba, quibus id facit, hæc sunt :* Hi ergo (*episcopi contra Paulum Samosatenum Antiochiæ congregati*) omnes sæpius in unum coeuntes, Paulumque Samosatenum statuentes in medio, atque ejus hæresim, quam ille nunc occultare, nunc etiam dissimulare conabatur, frequenti tractatu et assiduis disputationibus denuntiantes, arguere blasphemiæ et publicare nitebantur. Nec tamen uno id aut secundo tantum concilio ad finem perducere potuerunt. Sed et conventum sæpe est, atque absque operæ pretio discessum.

298 *Verum ex his verbis nihil omnino pro opinione sua habet Tillemontius : etenim per vocem* concilium, *quam Rufinus hic adhibet, intelligi non debet synodus, sed consessus. Liquet id ex ipso verborum contextu, et ex cap.* 28, *lib.* VII *Eusebii, quod Rufini capiti proxime laudato respondet. In hoc enim Eusebii capite plures dicuntur in eodem concilio celebrati fuisse consessus; Græce autem pro consessu significando adhibetur* Συνόδος, *quæ vox, cum etiam significet concilium, minus recte a Rufino in hac significatione accepta fuerit, sicque in causa verosimiliter fuerit, cur Pauli Samosateni causam nec uno nec duobus conciliis terminari potuisse, scripserit, ubi scribere debuisset, eam nec uno nec duobus consessibus potuisse absolvi. Non video etiam, qui conciliorum diversitatem elicere possit Tillemontius ex hisce Eusebii verbis :* Omnibus igitur (*episcopis Antiochiæ congregatis*) vario tempore diversimode ac sæpenumero in unum coeuntibus, multæ disputationes et quæstiones in unoquoque consessu agitatæ sunt; cum hinc Samosatensis Paulus dogmatis sui novitatem occultare adhuc niteretur, illinc sacerdotes hæresim illius et adversus Christum blasphemiam denudare atque in medium producere niterentur. *His enim verbis Eusebius tantum indicat, unius ejusdemque concilii tempore sæpius convenisse Patres, seu plures, ut in conciliis omnibus, nullo forte* E *excepto, semper accidit, consessus habitos fuisse, in quibus de Pauli fuerit doctrina sedulo tractatum ac disputatum. Itaque, omnibus Tillemontii pro triplici distinguendo Antiocheno concilio rationibus expensis, minime commoveor, ut a communiori eruditorum opinione, quæ duo tantum concilia, alterum nempe anno* 265, *alterum anno* 270, *contra Paulum Samosatenum celebrata statuit, recedendum existimem.*

AUCTORE C. B. *plura quam duo contra Paulum celebrata fuisse concilia, evincit.*

Ad horum primum Sanctus, non a solis Antiochenis presbyteris.

299 *Porro ad primum duorum illorum conciliorum non a solis Antiochenis presbyteris, ut nonnullis perperam visum fuit, sed simul forte ab his, et certo a vicinarum urbium episcopis et presbyteris* Dionysius *fuit invitatus. Liquet id ex epistola synodica, jam sæpissime memorata, atque a secundi Antiocheni concilii, adversus Paulum celebrati, Patribus conscripta. Hæc enim apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 30 *sic inchoatur :* Dionysio et Maximo et omnibus per universum orbem comministris nostris, episcopis, presbyteris et diaconis, et universæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ sub cælo est, Helenus et Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proculus, Nicomas, Ælianus, Paulus, Bolanus, Protogenes, Hierax, Eutychius, Theodorus et Malchion et Lucius, et reliqui omnes, qui nobiscum sunt, vicinarum urbium et provinciarum (*seu potius, ut Græce est,* gentium) episcopi, presbyteri F ac diaconi, et Ecclesiæ Dei carissimis fratribus in Domino salutem. *Ac deinde, paucis, ut ait loco proxime citato Eusebius, interpositis, Patres in epistolæ exordio, huc jam transcripto, nominati sic prosequuntur :* Scripsimus etiam ad complures episcopos longius dissitos, eosque hortati sumus, ut ad exitialis doctrinæ (*a Paulo Samosateno traditæ*) morbum curandum accederent. Nam et ad Dionysium Alexandrinum et ad Firmilianum Cappadociæ antistitem, beatæ recordationis viros, litteras dedimus. *Dederunt ergo, uti ex binis hisce textibus jam transcriptis patet, concilii Antiocheni secundi Patres, in laudatæ epistolæ exordio nominati, ad* Dionysium *et ad alios episcopos longius dissitos litteras, quibus hos, ut ad exitialem impiæ Pauli doctrinæ morbum curandum accederent, Antiochiam invitarunt. Quapropter, cum ex verbis priori loco hic recitatis manifestum sit, Patres, qui dictæ epistolæ initio nominantur, fuisse episcopos et presbyteros urbium et gentium Antiochiæ vicinarum, indubitatum fit, Sanctum non a solis Antiochenæ ecclesiæ presbyteris, sed forte ab his, et certo ab episcopis et presbyteris urbium et gentium Antiochiæ vicinarum, fuisse ad concilium Antiochenum invitatum, atque id quidem ad primum, non autem ad secundum, cum hujus tempore, utpote non citius quam anno circiter* 270 *celebrati,* Dionysius *e vivis jam dudum esset sublatus.*

300 *Quod*

AUCTORE C. B. *sed forte ab his et certo a vicinis episcopis fuit invitatus.*

300 *Quod si dicas,* Dionysium *epistolam, quam ad epistolam, qua ad synodum Antiochiæ celebrandam (vide verba num. seq. recitanda) invitatus fuerat, misit responsoriam, soli Antiochenæ ecclesiæ inscripsisse ac proin a solis hujus fidelibus et presbyteris ad synodum invitatum fuisse; respondeo : Græce ponitur* γράψας... τῇ παροικίᾳ πάσῃ; *Græce autem hujus vocabuli* παροικία *significatio sese extendit ad significandam totam ecclesiasticam provinciam seu patriarchatum, ut adeo, dum* Dionysius *dicitur responsoriam misisse epistolam Antiochensium* τῇ παροικίᾳ πάσῃ, *minime hinc concludi queat, scripsisse eum ad solos Antiochenæ ecclesiæ fideles et presbyteros. Imo, cum dictum vocabulum* παροικία *ad integram ecclesiasticam provinciam seu patriarchatum significandam sese extendat, dubitandum non apparet, quin Sanctus, scribens Antiochensium* τῇ παροικίᾳ πάσῃ, *ad universos patriarchatus Antiocheni episcopos scripserit, ac proin, cum Sanctus indubie ad eos, a quibus ad concilium invitatus fuerat, præmemoratam responsoriam scripserit epistolam, necesse est, ut a patriarchatus Antiocheni episcopis eo invitatus fuerit. Quamvis autem nonnulli ex episcopis supra nominatis, qui secundo contra Paulum Antiocheno concilio interfuerunt,* Dionysiumque *ad primum invitarunt, ad patriarchatum Antiochenum non spectarint, soli tamen Sanctus* τῇ B παροικίᾳ πάσῃ, *seu solis patriarchatus Antiocheni episcopis et presbyteris memoratam responsoriam epistolam inscripsit, quod hi potiorem majoremque concilii partem constituerent resque ad eos præcipue spectaret.*

De Dionysii epistola Antiochiam scripta quatuor docemur.

301 *Sed hæc de conciliis Antiochenis contra Paulum Samosatenum celebratis, dicta sufficiant. Ad* Dionysium *et res ab eo occasione hæresis, a Paulo propagatæ, gestas regredior. Sanctus, uti ex verbis Eusebii num.* 292 *jam recitatis liquet, ætate admodum provecta, corporisque infirmitate præpeditus ad priorem Antiochenam synodum, ad quam invitatus fuerat, non accessit; sese tamen eidem præsentem stitit per litteras, quibus, quid ipse de quæstione seu materia inter Patres contra Paulum tractanda sentiret, dilucide exposuit. Epistolæ a* Dionysio *tunc scriptæ bis apud Eusebium mentio occurrit; primo quidem lib.* VII, *cap.* 27, *ubi verbis num.* 292 *huc jam transcriptis de* Dionysio *ad concilium Antiochenum invitato, corporisque infirmitatem et senectutem, ne eo iret, causato loquitur Eusebius; deinde vero lib.* VII, *cap.* 30 *in epistola synodica, quam ad Dionysium, Romanum Pontificem, ad Maximum, patriarcham Alexandrinum, aliosque per universum orbem dispersos episcopos scripsere posterioris seu secundi Antiocheni adversus Paulum concilii Patres,* C *quamque loco proxime citato pro magna saltem parte exhibet laudatus Eusebius. In hac Patres præfatæ* Dionysii *epistolæ mentionem hunc in modum faciunt :* Nam et ad Dionysium Alexandrinum, et ad Firmilianum, Cappadociæ antistitem, beatæ recordationis viros, litteras dedimus. Quorum ille (Dionysius *nempe Alexandrinus*) scripsit quidem Antiochiam; sed erroris ducem (*Paulum Samosatenum*) ne salutatione quidem dignatus est; neque ad eum nominatim, verum ad universam Antiochensium ecclesiam litteras suas direxit, quarum etiam exemplum hic subjecimus. *Hæc posterioris concilii Antiocheni Patres, ex quorum verbis, simulque ex verbis Eusebii supra recitatis quatuor de dicta* Dionysii *epistola habemus comperta, ea scilicet Sanctum, ne Antiochiam veniret, senectutem corporisque infirmitatem esse causatum; quid de quæstione controversa sentiret, interim exposuisse; solosque Antiochenæ ecclesiæ seu potius provinciæ episcopos presbyterosque, et nequaquam Paulum Samosatenum, erroris ducem, utpote quem ne salutatione quidem dignatus sit, convenisse.*

Hanc ait Baronius eamdem esse cum hic memorata

302 *Porro oportet, ut hæc* Dionysii *epistola, sive sui-ipsius, sive sui auctoris causa, notatu admodum digna exstiterit, siquidem posterioris concilii Antiocheni Patres, qui Paulum Samosatenum exauctorarunt, publicandam eam censuerint, hunc que in finem epistolæ suæ synodicæ jam sæpius memoratæ adjectam ad omnes quaquaversum per orbem dispersas ecclesias, uti ex verbis epistolæ synodicæ proxime recitatis patet, transmiserint. Verisimile apparet, hanc* Dionysii *epistolam, locis supra dictis apud Eusebium memoratam, diversam non esse ab epistola, quam* Dionysium *paucis ante obitum suum diebus contra Paulum Samosatenum scripsisse, sanctus Hieronymus de Illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap.* 69 *his verbis commemorat :* Sed et adversus Paulum Samosatenum ante paucos dies, quam moreretur, insignis ejus (*sancti* Dionysii, *Alexandrini episcopi*) fertur epistola. *Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum* 266 *num.* 2 *sic scribit :* Quoniam Paulus iste (*Samosatenus*) abjectam et humilem nimis de Christo contra doctrinam Ecclesiæ habebat opinionem, nempe quod solum communi natura erat cum homine præditus, Dionysius Alexandrinus rogatus est, ut veniret ad synodum, *quæ nimirum erat adversus Paulum Antiochiæ celebranda.* Qui (Dionysius *nempe*) quamquam senectutem simul et imbecillitatem corporis causando, præsto esse renuit; per epistolam tamen illos, quam habebat de controversia sententiam, fecit certiores. Exstat eadem illa epistola ab insignis eruditionis Viro, Francisco Turriano in Latinum translata, sed nondum ab eo morte prævento, typis excusa; ex E qua nonnulla de veritate et mysterio sacratissimæ sunt paulo superius recitata. *Ita Baronius tum, cum nondum, quam memorat, epistola typis esset vulgata. Responsoria hæc est ad decem quæstiones per Paulum Samosatenum* Dionysio *propositas, prodiitque deinde Romæ una cum altera* Dionysii *ad Paulum Samosatenum epistola, adjectis Turriani Notis præmissoque deperditorum* Dionysii *Operum Catalogo. Ac prima hæc fuit dictarum epistolarum Latine facta editio, ex qua ambæ postmodum eodem idiomate in Bibliothecam Patrum sæpius recusam transierunt. Dignas etiam censuit Labbeus, quas, veluti genuina* Dionysii *Opera, in tomum primum Conciliorum Græce simul et Latine inferret.*

ad decem Pauli quæstiones responsione, quam alii adjudicant;

303 *Verum non idem omnes, visis istis epistolis, eruditi tulerunt judicium. Alii enim eas pro suppositiis Opusculis,* Dionysio *falso affictis, censuerunt esse habendas, ut adeo, si hæc opinio veritati congruat, mox memorata, quæ sub* Dionysii *nomine circumfertur, responsoria ad decem Pauli Samosateni quæstiones epistola omni dubio procul, contra ac verbis proxime recitatis vult Baronius, eadem non sit cum epistola, quam* Dionysius, *cum ad synodum contra Paulum celebrandam invitatus fuisset, ad ecclesiam Antiochenam seu potius ad omnes patriarchatus Antiocheni episcopos misit, quamque deinde secundi Antiocheni concilii Patres epistolæ suæ synodicæ insertam quaquaversum, ut jam diximus, ad omnes per orbem universum dispersas ecclesias miserunt. Inter eos, qui responsoriam ad decem Pauli Samosateni quæstiones epistolam, aliamque jam etiam memoratam,* Dionysio *abjudicandam arbitrati sunt, primus videtur fuisse Valesius, dum in Annotationibus ad c.* 30 *libri septimi Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii sic scripsit :* Falsa est igitur ac suppositita epistola Dionysii Alexandrini ad Paulum Samosatensem, quæ edita est in tomo undecimo (*editionis nempe Parisiensis*) Bibliothecæ sanctorum Patrum una cum decem propositionibus Pauli Samosatensis, et Dionysii ad eas responsionibus. Nam Patres quidem Antiocheni concilii (*secundi scilicet in epistola synodica jam supra sæpissime hic laudata*) affirmant, Dionysium non dedisse litteras ad Paulum, sed tantum ad ecclesiam Antiochensem. In illa autem epistola, quæ ionysii Dnomine publicata est, Dionysius bis Paulo scripsisse dicitur. Sed nec stylus illius epistolæ ac responsionis reliquis Dionysii scriptis respondet. Itaque Opus illud adulterium esse, ob eas, quas dixi, rationes mihi persuadeo, licet Baronius eam epistolam pro vera ac germana habuerit. F

aliis vero adscribunt Dionysio.

304 *Ita laudatus Valesius, contendens, quidquid sub nomine* Dionysii *Bibliothecæ Patrum contra Paulum*

A *Paulum Samosatenum habetur insertum, falsum omnino esse atque suppositi-tium. Valesio deinde assensi sunt Ælias Dupin in Nova sua scriptorum ecclesiasticorum Bibliotheca, Theodericus Ruinartius in Actis sinceris et selectis Martyrum, aliique viri eruditi non pauci. Verum non pauci contra, hosque inter Tillemontius, in eam opinionem abierunt, quæ præfatam epistolam una cum responsione ad decem Pauli Samosateni quæstiones* Dionysio *Alexandrino adscribit. Quod ad me pertinet, pro verosimili habeo, binas illas epistolas* Dionysii *nomine, utpote qui, ut mihi probabilius apparet, germanus earum auctor sit, merito notari. Cum nihilominus id omnino certum atque exploratum non putem, statuerimque de iis Operibus ac epistolis, de quibus an* Dionysii *certo sint, dubitari potest, in Appendice huic Commentario subnectenda tractare, in hanc, ne ab instituto discedam, ulteriorem de duabus dictis epistolis, quo dissentientes circa has opiniones discutiam, tractatum conjicio. Illud interim, erudite lector, confusionis vitandæ causa te velim præmonitum, duo scilicet circa dictas binas epistolas ibidem esse indaganda; quorum quidem primum sit, an dictæ epistolæ* Dionysium *vere habeant auctorem; alterum autem, an, ex hypothesi, quod a Sancto contra Paulum Samosatenum vere scriptæ fuerint, posterior earumdem seu responsio ad decem quæstiones a*

B *Paulo propositas diversa non sit ab epistola, quam* Dionysius *ad ecclesiam Antiochenam scripsit, quamque deinde posterioris concilii Antiocheni Patres ad universas orbis ecclesias destinarunt. Expedio nunc reliqua, quæ de* Dionysio *occasione hæreseos, a Paulo Samosateno suscitatæ, litteris mandata invenio.*

Duæ Dionysii epistolæ a Theodorito memoratæ;

305 *Theodoritus, jam supra sæpe laudatus, Cyri, provinciæ Euphratesiæ urbis in Syria non incelebris, episcopus, qui, sæculo quarto senescente natus, multis scriptis Operibus, rebusque gestis sæculo sequenti inclaruit, libro secundo Hæreticarum Fabularum cap.* 8, *quod* de Paulo *inscribitur, hæc memorat:* Paulus vero Samosatenus, Antiochensium quidem episcopus fuit. Zenobia autem tunc temporis toparchiam obtinente, (Persæ siquidem, Romanis devictis, Syriam illi et Phœnicem regendas dederant) in Artemonis hæresim lapsus est, hac ratione demereri illam ratus, quæ eadem cum Judæis sentiebat. Quod cum didicissent ecclesiarum rectores, non vacare periculo censuerunt, tantum morbum negligere, qui serpere festinabat, et adjutricem habebat maximæ civitatis amplitudinem. Et Dionysius quidem, Alexandrinus episcopus, vir doctrina insignis, profectionem distulit propter senectutis imbecillitatem, per litteras autem

C suasit illi, quæ conveniebat, et episcopos, qui convenerant, ad zelum pro veritate suscipiendum excitavit. *Quibus verbis duo potissimum hue facientia laudatus Theodoritus declarat,* Dionysium *scilicet* per litteras *suasisse* illi, *id est, uti apparet, Paulo Samosateno,* quæ conveniebat, *simulque* episcopus, qui *concilium adversus Paulum celebraturi* convenerant, ad zelum pro veritate suscipiendum *excitasse. Quod ad primum, seu ad litteras suasorias a* Dionysio *ad Paulum datas pertinet, si Theodoritus, ut verba ex eo recitata innuere videntur, forsan velit, has a* Dionysio *tunc, cum supra memoratam ad Antiochensem ecclesiam seu potius ad Antiocheni patriarchatus episcopos scripsit epistolam, esse conscriptas, nequit hoc Theoditi placitum pro vero admitti. Pugnat enim apertissime cum synodica posterioris Antiocheni concilii epistola, sæpissime jam supra laudata, in qua diserte asseritur,* Dionysium *tunc, cum dictam epistolam ad Antiochenos scriberet, ad Paulum Samosatenum nominatim non scripsisse; imo ne hunc quidem salutatione esse dignatum.*

harum altera a Sancto verosimillime scripta est;

306 *Quod si autem recitata Theodoriti verba, ut fieri forsan potest, ita accipiantur, ut his quidem ille scriptor præfatas suasorias a* Dionysio *ad Paulum datas epistolas significet, has tamen ad tempus, quo Sanctus ad Antiochenos scripsit, non referat, nihil omnino docent, quod a vero prorsus abhorreat. Quamvis enim* Dionysius *concilii Antiocheni prioris tempore seu tunc, cum ad Antiochenos scripsit, ad Paulum Samosatenum, utpote quem tunc in hæresi sua nimis obduratum experiretur, non scripserit, nihil tamen obstat, quo minus ad hæresiarcham illum ante dictum tempus, cum scilicet ab hæresi eum abducendi spes adhuc affulgeret, scripsisse credatur. Sane incensa charitas, qua Sanctus in Christianos quoscumque atque vel idcirco præcipue in episcopos, suos in propaganda tutandaque Evangelica veritate comministros, eluxit, vehementissime me impellit, ut credam,* Dionysium *ad Paulum Samosatenum, ut primum miserandum hujus lapsum ex certis auctoribus didicit, suasorias litteras dedisse, quibus illum ab errore avocare, atque in rectum tramitem reducere, studiosissime fuerit conatus. Ut ita existimem, confert etiam aliquantulum Nicephorus Callistus, qui libro* VI *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 27 *de* Dionysio *Alexandrino sic scribit:* Dionysius Paulum (*Samosatenum nempe*) litteris est cohortatus, et ad eos, qui illi adhærebant, sententiam suam de proposita quæstione misit. *Ita Nicephorus, cui, quantum ad litteras hortatorias a* Dionysio *ad Paulum Samosatenum datas, non illubenter, ut jam innui, assentior; cum præsertim id ille scriptor Theodoriti fide, ut mihi equidem apparet, litteris mandarit, ac proin hunc scriptorem eo, quo proxime dixi,* E *modo intelligendum duxerit. Itaque verosimillimum sane apparet,* Dionysium *suasoriam seu hortatoriam ad Paulum Samosatenum misisse epistolam, qua hunc ab errore, in quem lapsus erat, conatus fuerit avertere. Quod dum dico, ne ita, quæso, accipias, acsi simul velim, binas supra memoratas, quam Turrianus primum sub* Dionysii *nomine vulgavit, epistolas a Sancto vere esse conscriptas. Possunt enim esse, suntque reipsa hæ ambæ, uti infra dicemus, forsitan distinctæ ab epistola, quam Theodoritus, ut jam vidimus, a* Dionysio *ad Paulum Samosatenum datam commemorat.*

altera autem ut verosimilius apparet, diversa non est

307 *Venio nunc ad alterum assertum, quod sub verbis ex Theodorito supra recitatis comprehenditur, quodque a* Dionysio *epistolam, qua hic episcopos, Antiochiæ contra Paulum congregatos, ad veritatis propugnationem exstimularit, scriptam prodit. Vix dubitem, quin* Dionysius *episcopos ad officium strenue obeundum fuerit hortatus, hincque, quod Theodoritus de episcopis a* Dionysio *ad veritatis propugnationem exstimulatis asserit, verosimillimum equidem mihi apparet, confirmaturque etiam utcumque ex Niceta Choniate, dum lib.* IV *Thesauri de hæresi Pauli Samosateni scribens, sic habet:* Magnus autem ille Dionysius Alexandrinus præ senio interesse non potuit concilio, *quod scilicet contra Paulum* F *Antiochiæ celebratum fuit,* litteris tamen eos, qui convenerant, ad veritatis propugnationem exacuit. *Verum, quamvis verosimillimum existimem, a* Dionysio *episcopos, Antiochiæ contra Paulum congregatos, ad veritatis propugnationem missa epistola fuisse exstimulatos, dubium tamen admodum mihi apparet, an hæc ab epistola, quam* Dionysius *secundum ea, quæ supra docuimus, ad patriarchatus Antiocheni episcopos misit, quamque deinde posterioris concilii Antiocheni Patres epistolæ suæ synodicæ inseruere, sine ulla prorsus hæsitatione, ut nonnullis visum est, debeat distingui. Imo vero duas hic epistolas diversas distinguendas non esse, mihi apparet verosimilius.*

ab epistola, quam ad ecclesiam Antiochenam Dionysius dedit, qui

308 *Etenim Sanctus epistola, quam ad Antiocheni patriarchatus episcopos misit, senectutem et corporis infirmitatem in causam, ob quam ad concilium non accederet, adduxit, simulque, quid ipsemet de controversia a Paulo suscitata sentiret, exposuit: cum autem hoc postremum dicta epistola Sanctus fecerit, verosimillimum sane est, hac eadem ipsum una usum esse exhortatione, qua episcopos ad veritatem, quam eis proponebat, propugnandam exstimularit, ut adeo necesse non sit, epistolam hortatoriam, quam a* Dionysio *ad priorii Antiocheni concilii episcopos scriptam memorat Theodoritus, distinguere ab epistola, quam a Sancto ad Antiochenam*

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

nam ecclesiam, seu potius ad patriarchatus Antiocheni episcopos scriptam, supra docuimus. Adhæc concilii secundi Antiocheni Patres, qui in epistolam synodicam (vide hujus verba num. 301 *recitata) intulerunt epistolam, a* Dionysio *ad ecclesiam Antiochenam seu ad patriarchatus Antiocheni episcopos datam, alterius præter hanc a Sancto ad synodum datæ non meminerunt, qui tamen, si modo quam* Dionysius *scripsisset, commemoraturi illam, ac præ altera, ad ecclesiam Antiochenam data, in epistolam suam synodicam illaturi fuisse videntur. Vides jam, credo, erudite lector, definiri facile non posse, quot quasve epistolas occasione hæreseos, a Paulo Samosateno inductæ,* Dionysius *exararit. Eusebius unius dumtaxat epistolæ, ea occasione a* Dionysio *scriptæ, mentionem facit; at si Theodorito sat tuto fidi queat, binas ut minimum epistolas dicta occasione Sanctus scripsit, alteram nempe ad Paulum Samosatenum, alteram ad concilii contra Paulum congregati episcopos. Res manifesta est ex Theodoriti verbis proxime recitatis. Verum his laudatus Theodoritus etiam scribit, Persas, devictis Romanis, Syriam et Phœnicem Zenobiæ dedisse regendas; hoc autem, cum Odenatus, Zenobiæ maritus, Valeriano capto victisque Romanis, ex Syria et Phœnicia, uti ex Historia Augusta quivis facile intelliget, armorum vi*
B *Persas expulerit, a vero prorsus videtur alienum.*

non diu post, durante primo Antiocheno concilio, vita functus est.

309 *Unde non immerito dubitari posse videtur, an a vero pariter non devient, quæ de epistolis a* Dionysio *occasione hæreseos a Paulo inductæ Theodoritus memoriæ prodit. Cum ergo adeo incerta sint fere omnia, quæ de epistolis in causa Pauli a* Dionysio *scriptis memorantur, ulteriorem de his tractatum hic omitto, et tandem de felici beatoque fine, quo Sanctus ex hac vita ad Dominum migrarit, sermonem instituo. Oportet sane, ut corporis infirmitas, quam* Dionysius *in causam, ob quam ad synodum Antiochenam non accederet, data Antiochiam epistola supra sæpissime laudata adduxit, legitimæ excusationis locum habuerit. Etenim Sanctus, durante adhuc synodo, non minus meritis, quam diebus plenus e vivis excessit. Docet id nos Eusebius lib.* VII *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 28, *narratis iis, quæ in concilio Antiocheno gesta sunt, mox subdens :* Dum hæc aguntur, Dionysius (*Alexandrinus episcopus*) extremum diem obiit, anno principatus Gallieni duodecimo, cum Alexandrinæ episcopatum septemdecim annis obtinuisset. *Ita Eusebius* Dionysii *narrans obitum, simulque notas chronicas adjungens, ex quibus, quo hic anno acciderit, eruditi omnes definiunt. Verum cum non omnes ab uno eodemque anno* Dionysii *episcopatum inchoent, annusque Gallieni duodecimus partim cum anno Christi* 264, *par-*
C *tim cum anno* 263 *concurrat, hinc fit, ut alii anno* 264, *alii anno* 263 *Sancti obitum innectant. Utrum autem anno præligendum nos putemus,* § *sequens aperiet.*

§ XXVI. In annum et diem, quo Dionysius e vivis excesserit, inquiritur.

Dionysius patriarchatum Alexandrinum

Sancti Dionysii *ad episcopatum Alexandrinum promotionem initio anni* 247 *factam, Commentarii hujus num.* 36 *et duobus seqq. statuimus : hinc autem, cum* Dionysius, *teste Eusebio num. præcedenti laudato, septemdecim annis episcopatum Alexandrinum tenuerit, consequi videtur, ut Sanctus anno* 264 *e vivis excesserit. Etenim ab initio anni* 247 *ad initium anni* 264 *anni excurrunt nec plures nec pauciores, quam septemdecim, ac proin dubitandum non videtur, quin cum dicto anno* 264 Dionysii *obitus debeat componi. Ita fere ratiocinantur, qui* Dionysium *anno* 247 *ad episcopatum Alexandrinum statuunt ecclum. Verum hoc eorum ratiocinium non obtinet, si* Dionysius *diutius, quam septemdecim annorum spatio ecclesiam Alexandrinam episcopus gubernavit; id autem diutius quam septemdecim annis Sanctus fecit : quod ne quis a me gratis dictum putet, rem sic ostendo : Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VI, *cap.* 35, (*vide verba num.* 35 *Commentarii hujus recitata*) *diserte docet,* Dionysium D
anno Philippi imperatoris tertio Pontificatum Alexandrinæ ecclesiæ suscepisse.

annis amplius septemdecim tenuit,

311 *Quapropter cum Philippus, uti communiter statuitur ab omnibus, initio Martii anni* 244 *imperare inceperit, ac proin annus ejus imperii tertius initio Martii anni* 247 *finem acceperit, necesse est secundum Eusebium, ut* Dionysius *Heraclæ, decessori suo, quarta Decembris anni* 246, *ut in Patriarchis Alexandrinis apud nos probatum invenies, e vivis sublato, in patriarchatum Alexandrinum inter quartam Decembris anni* 246 *et Martium anni* 247 *fuerit suffectus, idque non serius quam sub finem Februarii dicti anni* 247, *ne alioquin* Dionysius *non tertio, sed alio subsequenti Philippi anno ad patriarchatum Alexandrinum dici debeat promotus. Porro cum secundum Eusebium* Dionysius (*vide verba num.* 309 *recitata*) *vitam cum morte commutarit anno Gallieni duodecimo, hicque Gallieni, utpote ante Majum anni* 253 *imperare non exorsi, annus currere non incipiat ante Majum anni* 264, *necesse est, ut Sanctus ad hunc usque anni* 264 *mensem vitam protraxerit. Quapropter cum ab anni* 247 *Februario, quo mense* Dionysius *aut certe non serius ad patriarchatum Alexandrinum fuit promotus, ad Majum usque anni* 264, *ante quem mensem* Dionysius *non obiit, anni excurrant amplius septemdecim, con-* E
sequens est, ut Sanctus secundum calculos, quos Eusebius in Historia sua Ecclesiastica sequitur, annis amplius septemdecim Alexandrinam ecclesiam episcopus gubernarit. Collige hinc jam Eusebium, dum Dionysium *patriarchatui Alexandrino per annos septemdecim præfuisse scribit, de annis integris seu completis, quod etiam ejus loquendi formula, verbis num.* 309 *recitatis expressa, satis indicat, esse intelligendum, mensiumque ab eo ac dierum supra annos integros excessum computandi modo aliis etiam scriptoribus perquam usitato esse neglectum.*

initioque anni 265 e vivis excessit;

312 *Puto autem ego, excessum illum nec ad plures, nec ad pauciores, quam ad decem circiter menses ascendere, atque adeo* Dionysium *nec serius nec citius, quam initio anni* 265 *e vivis excessisse. Non serius, quia si Sanctus dicto anno* 265, *vel ad mensem usque Aprilem tantum provecto, vita functus statuatur, jam hic non modo septemdecim, sed octodecim annis integris seu completis, quod cum Eusebii calculis non congruit, Alexandrinam ecclesiam episcopus gubernarit. Non citius, quod* Dionysius *pro anno* 265 *Paschalem adhuc scripserit epistolam, talesque epistolæ binis dumtaxat mensibus ante Pascha anni, pro quo dabantur, solerent conscribi.* Dionysium *pro anno* 265 *Paschalem adhuc scripsisse epistolam, unicuique satis ex iis, quæ supra* F
huc facientia disserui, fiet perspicuum; rei tamen magis dilucidandæ causa pauca adhuc hic adjungo. Dionysius, *cum post seditionem, cujus occasione secundum ante dicta Æmilianus in Ægypto arripuit imperium, pestis Alexandriæ esset exorta, Paschalem ad Christianos per Ægyptum dispersos dedit epistolam; hæc autem epistola, ut num.* 284 *hujus Commentarii docuimus, Paschalis fuit pro anno* 264. *Porro Eusebius hanc Paschalem* Dionysii *epistolam pro majori saltem parte in Historiam suam Ecclesiasticam lib.* VII, *cap.* 22 *transcribit, moxque subjungit :* Post hanc epistolam, cum res in urbe Alexandria pacatæ essent, ad fratres per Ægyptum constitutos Paschalem rursus epistolam Dionysius scripsit. *Cum ergo* Dionysius, *uti his verbis docet Eusebius, post epistolam Paschalem, quæ ex supra disputatis pro anno* 264 *scripta fuit, iterum ad fratres per Ægyptum dispersos, cum jam res Alexandriæ pacatæ essent, Paschalem scripserit epistolam, consequens est, ut hæc, etiam non attento illo eruditorum principio, quo quælibet nova* Dionysii *Paschalis epistola pro novi anni accipitur indicio, pro anno* 265, *seu pro anno, qui epistolam Sancti Paschalem de peste scriptam proxime sit secutus, Paschalis exstiterit. Quapropter, cum hæc epistola, uti ex jam dictis colliges, binis dumtaxat mensibus ante Pascha anni* 265 *indubie scripta fuerit, dubium*

A *bium non apparet, quin* Dionysius *inhærendo iis, quæ in Historia sua Ecclesiastica scribit Eusebius, ad anni usque* 265 *initium in vivis fuerit superstes.*

nec contrarium evinci potest ex Eusebii Chronico,

313 *Verum, inquies, Eusebius in Chronico diserte affirmat,* Dionysium *anno* 264 *e vivis excessisse. Respondeo : Eusebii Chronicon (vide hujus Commentarii num.* 36 *et seq.) patriarchatus Alexandrini a* Dionysio *iniit initium ab anno Philippi quinto, Christi* 248; *Historia vero ab anno Philippi tertio, Christi* 247 *repetit. Quapropter, cum sic hujus scriptoris Chronicon cum Historia manifestissime pugnet, atque ita quidem, ut hæc cum illo in concordiam nequeat adduci, Historia potius quam Chronico standum est, idque ex eruditorum omnium judicio, qui idem faciendum existimant, quotiescumque inter bina illa relicta ab Eusebio monumenta similis dissonantia occurrit. Jam vero, cum inhærendo Eusebii Historiæ, epistolæ* Dionysii *Paschales, quas hæc subministrat, ad annum usque* 265, *quo Sanctus in vivis debuerit adhuc esse superstes, certissime uti jam docui, nos deducant, Eusebiani Chronici auctoritate moveri non debemus, ut* Dionysii *obitum anno* 264 *affigamus. Adhæc prædictum Chronicon* Dionysii *ad patriarchatum Alexandrinum promotionem anno Philippi quinto, Christi* 248 *vel* 249, *Maximi vero, qui* Dionysio *proxime successit,*

B *anno Gallieni undecimo, Christi* 265 *vel* 264 *factam statuit : dum autem hoc facit, annos nihilominus septemdecim* Dionysio *rotunde adscribit. Quapropter cum a Martio anni* 248, *quo mense inchoatur quintus Philippi annus, ad Majum anni* 264, *quo mense undecimus terminatur Gallieni annus, anni rotunde septemdecim non excurrant, parum hic accuratum videtur laudatum Chronicon ac proin ex Historia emendandum.*

nec ex incommodo, quod ex annis, Dionysii successori attributis,

314 *Quod si porro reponas, Chronico hic potius, quam Historia standum, ac proin* Dionysii *obitum non anno* 265, *sed* 264 *idcirco innectendum, quod alioquin anni octodecim, quibus Maximum, proximum* Dionysii *successorem, patriarchatui Alexandrino præfuisse, in Historia scribit Eusebius, inveniri nequeant : respondeo, protracto etiam ad initium anni* 265 Dionysii *patriarchatu, annos illos octodecim, si non plenos, quos plerumque adhibet Eusebius, saltem inchoatos, quibus subinde idem scriptor etiam utitur, inveniri posse. Etenim Maximus, uti nunc inter eruditos convenit, anno imperatoris Probi ultimo, Christi* 282, *nona Aprilis e vita excessit; ab anno autem* 265, *cujus initio* Dionysium *vita functum statuimus, ad anni* 282 *Aprilem anni omnino septemdecim pleni cum aliquot mensium excessu excurrunt, ut adeo, dilato etiam usque*

C *ad anni* 265 *initium* Dionysii *obitu, inveniri queant anni octodecim, quibus Maximum, qui* Donysio *proxime successit, patriarchatui Alexandrino præfuisse, in Historia sua Ecclesiastica, libro nempe septimo, cap.* 32 *scribit Eusebius. Reponi quidem hic potest ulterius, secundum hanc nostram computandi rationem annos septemdecim, quos Eusebius in Historia patriarchatui* Dionysii *attribuit, ad annos fere octodecim extendi; annos vero octodecim, quos idem scriptor itidem in Historia Maximo adscribit, ad annos fere contrahi septemdecim : id autem maxime inconcinnum et ab Eusebii computandi annos ratione videri alienum.*

oritur : gravi enim incommodo etiam laborant

315 *Verum respondeo, non propterea esse, cur ab opinione nostra, qua patriarchatus* Dionysii *initium cum anno* 247, *finem vero cum anno* 265 *conjungimus, recedendum esse, arbitremur. Quamvis enim in opinione nostra objectum occurrat incommodum, oritur hoc ex ipsis Eusebii assertis, a quibus non magis fas est recedere quam ab ea, quam hic scriptor passim sequitur, computandi annos ratione. Adhæc nulla omnino est de patriarchatus* Dionysii *annis, eorumque initio et fine opinio, quæ non ingenti aliquo laboret incommodo, ac proin non est, cur nostram de annis, quibus* Dionysius *patriarchatum Alexandrinum incepit ac tenuit, opinionem ob incommodum proxime propositum deseramus, cum ne sic quidem planiorem habituri simus viam, qua patriarchatus Sancti nostri annos ordinemus, uti nunc ostendere aggredior. Tres præcipue de annis, quibus* Dionysius *Patriarchatum Alexandrinum tenuit, circumferuntur sententiæ, quæ ab opinione nostra jam explanata sint diversæ. Prima quidem ab anno Philippi tertio, Christi* 247, *aditi a* Dionysio *patriarchatus initium nobiscum repetit; verum ejus finem, ut anni octodecim, quos Maximo,* Dionysii *successori Eusebius adscribit, commodius inveniantur, cum anno Christi* 264 *ultra mensem Majum provecto conjungit.*

AUCTORE C. B.

duæ aliæ de Dionysii patriarchatus annis opiniones,

316 *Altera* Dionysii *patriarchatum anno Philippi quinto, Christi* 248 *aliquantum provecto, inchoatum statuit; anno vero* 264 *magna sui parte jam præterlapso finitum. Tertia denique Sanctum sub finem anni* 248 *patriarcham creatum; initio vero anni* 265 *e vivis sublatum affirmat. Nulla autem est e tribus hisce sententiis, quæ non gravi aliquo, ut jam dixi, laboret incommodo. Ac prima quidem, quæ* Dionysii *patriarchatum anno* 264 *ultra mensem Majum provecto terminat, nec ad initium anni* 265 *producit, componi non potest cum iis, quæ Eusebius de epistolis Paschalibus a* Dionysio *scriptis asseverat. Etenim ex hujus scriptoris assertis (vide num.* 288 *et seq.) certissime colligitur,* Dionysium *ad Christianos, per Ægyptum dispersos, dedisse epistolam, quæ pro anno* 265 *Paschalis exstiterit, quæque proinde* E *hujus anni initio a Sancto fuerit conscripta, ut adeo ex hac parte sententia, quæ* Dionysii *patriarchatum anno* 264 *finitum statuit, gravi laboret incommodo. Hinc jam consequitur, ut eodem etiam incommodo laboret secunda opinio, cum hæc quoque* Dionysii *patriarchatus finem cum anno* 264 *conjungat. Neque hoc tantum incommodum secunda opinio cum prima, verum etiam aliud cum tertia habet commune. Etenim tam hæc, quam secunda* Dionysii *patriarchatus initium repetit ab anno Philippi quinto, ac proin ab anno Christi* 248 *ultra mensem Majum jam provecto.*

uti etiam tertia, cui Chronicon Orientale

317 *Hinc autem consequitur, ut vel patriarchatum Heraclæ, qui* Dionysium *in cathedra Alexandrina proxime præcessit, ad annum usque* 248 *protrahant, vel inter Heraclæ obitum et* Dionysii *ad patriarchatum promotionem anni unius et aliquot mensium spatio sedem Alexandrinam vacasse, adstruant. Verum, cum Heraclas, uti scribit Eusebius admittiturque ab omnibus, annis dumtaxat sedecim patriarchatui Alexandrino præfuerit, huncque non serius quam anno* 250 *administrare sit exorsus, nequit sane tempus, quo Heraclas e viris excessit, seu quo patriarchatum Alexandrinum gubernare desiit, ad annum usque* 248 *magna sui parte jam præterlapsum produci. Restat ergo, ut posterioris seu tertiæ sententiæ patroni inter Heraclæ obitum* F *et* Dionysii *promotionem anni unius integri et aliquot mensium spatio sedem Alexandrinam vacasse, affirment. Verum diuturna hæc sedis Alexandrinæ vacatio ob ea, quæ num.* 38 *hujus Commentarii in medium adduxi, parum admodum verosimilis apparet. Notatur quidem in Chronico Orientali, sedem Alexandrinam post Heraclæ obitum anno uno vacasse,* Hieraclas (*verba sunt dicti Chronici*) defunctus est... die Lunæ, octava chiac, *seu* 4 *Decembris,* et vacavit sedes anno uno. *Verum Chronicon Orientale, uti eruditis omnibus est notissimum, tam crassis ubique fœdisque scatet erroribus, ut, dum sedem Alexandrinam post Heraclæ obitum vacasse, affirmat, fidem certam atque indubitatam facere, non valeat.*

suffragari non posse ostenditur,

318 *Adhæc laudatum Chronicon eo ipso loco, quo memoratam sedis Alexandrinæ vacationem statuit, patriarchatum Heraclæ, quem ad annos sedecim diesque quinquaginta sex extendit, cum imperio Valeriani et anno Christi* 240 *componit, moxque, ubi de* Dionysio *agit, patriarchatui ejus annos novemdecim et dies* 281, *etiam non annumerato vacationis post mortem Heraclæ anno, adscribit, quæ omnia ab omni prorsus sana chronologia maxime abhorrent. Non est itaque, cur quis Chronici Orientalis auctoritate magnopere moveatur, ut inter Heraclæ obitum*

AUCTORE C. B.

obitum et Dionysii *promotionem anni unius integri vacationem intercessisse existimet. Et vero vacationem illam, uti et opinionem secundam et tertiam, supra memoratam, quæ* Dionysii *ad patriarchatum Alexandrinum promotionem cum anno Philippi quinto, Christi* 248, *componit, admittere nulla ratione sinit, uti ex jam dictis constat, Ecclesiastica Eusebii Historia, quæ omni dubio procul potiorem fidem meretur, quam Chronicon Orientale. Quamvis autem Eusebii Chronicon* Dionysii *ad sedem Alexandrinam promotionem anno Philippi quinto, Christi* 248, *innectat, nihil hinc certi pro* Dionysii *promotione anno* 248 *illiganda potest concludi, cum Eusebii potius Historia, quam Chronico, ubi hoc cum illa nequit componi, standum esse, unanimus eruditorum consensus clamet. Par quoque de Hieronymiano Eusebii Chronico habenda est ratio.*

simulque concluditur, Sanctum initio anni 265 *obiisse.*

319 *Itaque Eusebii Historiæ, iisque, quæ cum hujus scriptoris in ea assertis indubie ac necessario connexa comperio, firmiter inhærens,* Dionysii *ad patriarchatum Alexandrinum promotionem, quidquid contra rationibus jam adductis atque a me infirmatis possit argui, cum anno Christi* 247; *mortem vero cum initio anni* 265 *conjungo. Calculo huic nostro, uti num.* 38 *hujus Commentarii jam docui, favet Kircheri patriarcharum Alexandrinorum Catalogus, in quo tempus, quo* Dionysius *patriarchatum Alexandrinum tenuit, annis definitur octodecim. Totidem enim annis, ut computandi patebit, a fine Februarii anni* 247, *quo mense* Dionysium *patriarcham creatum arbitramur, ad initium anni* 265, *quo Sanctum vita functum credimus, propemodum effluxerunt. Atque hæc sunt, quæ pro anno* Dionysii *emortuali, annisque, quibus cathedram Alexandrinam occupavit, in medium duxi adducenda. Inquiramus modo in diem, quo Sanctus mortalem hanc vitam cum immortali commutarit, seu, ut melius dicam, dispiciamus, an ullus queat assignari dies, quo* Dionysium *e vivis excessisse, non immerito sit credendum.*

Dies tamen, quo id accidit, nec ex Fastis Græcis aut Latinis,

320 *Latini die* 17 *Novembris, ut num.* 21 *hujus Commentarii jam docuimus,* Dionysium *in Martyrologiis suis celebrant; Græci vero in Menologio Sirletiano aliisque Fastis sacris ad tertiam Octobris, unde eum, quamquam ad diem* 17 *Novembris Martyrologio Romano antiquiori jam insertum, Baronius aliique eruditissimi Romani Martyrologii reformatores (vide dicta num.* 1 *et sequentibus hujus Commentarii) ad diem tertiam Octobris in Martyrologium a se reformatum intulerunt. Coptorum Kalendarium apud Jobum Ludolfum et Hagiologium Habessinum die* 14 *Septembris celebrem habet* Dionysii *memoriam. Verum ego existimo,* Dionysium *nullo prorsus ex hisce diebus, quibus a Latinis, Græcis, Coptis Habessinisque in Fastis sacris celebratur, e vivis excessisse. Nec est, cur id mirum cuipiam videatur. Etenim invenire est Sanctos quamplurimos, qui non iis diebus, quibus vita functi sunt, sed aliis, pro arbitrio per hagiologos assumptis, in Fastos sacros sint illati. Et vero id ratione Sancti locum hic obtinere, dubitandum non apparet. Etenim laudati Fasti Græci et Latini eum non uno eodemque die, sed diebus longe diversis annuntiant, ut certe vel in his vel illis verus dies, quo* Dionysius *obiit, non signetur; unde fit, ut, cum non potior stet ratio pro die a Græcis assignato, quam pro die a Latinis electo, tam ab his, quam ab illis diem pro arbitrio putem assumptum.*

nec ex Calendario Coptico nec ex Hagiologio Habessino

321 *Quod vero pertinet ad diem decimum quartum Septembris, quo* Dionysius *in laudato Kalendario Coptico, et Hagiologio Habessino pariter laudato celebratur, dies ille non pro die, quo Sanctus e vivis excessit, sed pro die ejus memoriæ a Coptis Habessinisque consecrato debet haberi. Etenim ipsemet Habessinus Hagiologus ad diem nonam Martii sic canit :* Salutem Dionysio, doctori omnium sapientissimo, quem ab errore convertit Pauli epistolæ lectio. Postquam afflictionem et exsilium in diebus suis sustinuisset, emigravit hodie in cælestem regionem, archiepiscoporum cœtui conjungendus. *Quibus verbis, utpote ad diem* 9 *Martii signatis, præfatus hagiologus apertissime indicat, die illo* Dionysium *e vivis excessisse, ut adeo, quando Sanctum ad diem* 14 *Septembris etiam consignat, non de die, quo obierit, sed de die pro arbitrio aut certe alia quam mortis causa assumpto, qui cultui ejus apud Habessinos consecratus sit, debeant intelligi. Ast, inquies, an ergo* Dionysius *die nona Martii, uti in Hagiologio Habessino notatur, vere obiit? Respondeo : Hagiologium Habessinum tanti ab eruditis non fit, ut id sola ejus auctoritate pro certo asseverari queat.*

certo nobis est exploratus ac definitus.

322 *Quapropter, cum in nullis prorsus aliis Monumentis sive sacris sive profanis dies* 9 *Martii pro Martii pro die, qui* Dionysio *emortualis fuerit, assignetur, dubium adhuc manet, an Sanctus vere die illo mortalem hanc vitam cum immortali commutarit. Quod si tamen quis præfracte velit, Hagiologio Habessino, quantum ad diem, quo* Dionysii *obitum collocat, fidem esse adhibendum, non equidem vehementer refragabor; verum tunc dico, initium imperii Philippi non cum initio Martii anni* 244, *ut communiter fit, sed cum fine ejusdem mensis, quod etiam cum veritate historica non pugnat, esse connectendum;* Dionysii *vero ad patriarchatum Alexandrinum promotionem non sub finem Februarii anni* 247, *cui fini eam num.* 37 *nos innectimus, sed circa vigesimam Martii esse collocandam; ne scilicet alioquin sit consequens, vel* Dionysii *promotionem serius quam anno Philippi tertio factam esse, vel Sanctum diutius quam annis septemdecim et decem circiter aut undecim mensibus Alexandrinam ecclesiam gubernasse, quod utrumque æque, uti ex iis, quæ jam disputavimus, prorsus est colligere, Ecclesiasticæ Eusebii Historiæ, cujus tamen calculis standum putamus, certissime repugnat.*

§ XXVII. Brevis rerum ad Dionysium spectantium anacephalæosis chronologice ordinata.

Scholæ catecheticæ Dionysius Alexandriæ primum præfuit,

Quamquam jam res omnes, quæ ad certam queunt referri epocham, a Dionysio *vel præclare gestas, vel fortiter toleratas, tempore etiam, ad quod spectant singulæ, quam proxime, ut fieri potuit, definito, in hujus Commentarii decursu diffuse explanarim, quo tamen totam* Dionysii *vitæ seriem veluti sub unum aspectum proponam, lectorique illam noscendi avido faciliorem ad id, brevioremque viam sternam, brevem hic earumdem rerum anacephalæosim seu recapitulationem chronologice ordinatam subjungere, operæ pretium futurum, existimavi. Itaque rem ipsam aggredior. Anno* 231 *Heracla, proximo* Dionysii *in cathedra Alexandrina decessore, ad hanc primum evecto,* Dionysius *celeberrimæ Alexandrinæ, de qua Michael Lequien tom. II Orientis Christiani col.* 382 *et seq. plura commemorat, Catechesewn scholæ præfecturam, quam Heraclas ante episcopatum obierat, virtutum et doctrinæ merito obtinuit. Prima hæc palæstra est, in qua* Dionysius, *quantum doctrina simul et virtute præstaret, egregie probavit.*

creatusque deinde episcopus, duas haud diu post persecutiones passus est.

324 *Porro Heracla quarta Decembris anno* 246 *e vivis sublato, binis circiter aut tribus post hunc eventum mensibus* Dionysius, *cum præfatam præfecturam annis prope sedecim strenue administrasset, a presbyteris Alexandrinis, e gremio suo unum solitis eligere, in patriarcham Alexandrinum, antea utique jam presbyter, fuit electus. Vix biennio Sanctus ad summam illam dignitatem fuerat evectus, cum sævissima Alexandriæ, a populo idololatrico suscitata, exarsit persecutio, futurisque calamitatibus, quas deinde Sanctus sub Decio et Valeriano pertulit, visa est præludere. Hæc non diu admodum post festum Paschale anni* 249, *seditione cum civili bello Alexandriæ insperato exorta, finem accepit, ac tum quidem* Dionysius *Christianique ejus curæ commissi paululum respirarunt. Verum hæc eorum respiratio brevissimo dumtaxat temporis spatio tenuit. Etenim, duobus Philippis eodem anno violenta nece sublatis*

A *sublatis, imperium Romanum adeptus est Decius, moxque sævissimam in Christianos, qua illud late patebat, persecutionem est exorsus. Plurimi in hac Christiani gloriosam martyrii coronam Alexandriæ sunt adepti; plurimi contra, quod* Dionysio *summum dolorem peperit, tormentorum vi superati, a fide turpiter defecerunt.*

Duæ epistolæ, quas, durante illarum posteriori, scripsit, recensentur;

323 *Sanctus, cum quatriduo satellitem, a quo comprehenderetur, a Sabino præfecto submissum domi suæ quiete exspectasset, Dei nutu fugam cogitur arripere, deindeque a militibus captus, Taposirimque Sabini jussu perductus a supervenientibus Mareotis rusticis e satellitum manibus mirabili prorsus Dei dispositione eripitur.* Dionysius *e militum manibus ita liberatus in desertum quemdam et squalidum Libyæ locum cum* Caio *et* Petro *concedit, ibique ad annum usque* 251, *quo Deciana persecutio finem accepit, continuo permansit, scripsitque interim, ut verosimillimum est, varias epistolas, certeque duas eum scripsisse, habemus compertum. Altera harum est, quam ad Domitium et Didymum dedit, quamque supra fuse memoravimus; altera, quam ad Origenem, in tormentis existentem, quo animum ejus dolore ac miseria tabescentem relevaret, conscripsit. Hanc jam supra pariter memoravimus, infraque iterum pluribus, cum de Sancti erga Origenem voluntate agemus, memoraturi sumus. Porro*

B *cum jam Deciana persecutio nonnihil remitteret, nova Ecclesiam tempestas excepit. Novatianus, electo in Pontificem Cornelio, schisma Romæ suscitavit.*

uti etiam quæcumque deinde, primo quidem Novatiani schismatis,

326 *Ut hoc in ipso exordio Sanctus exstinguat, ipso anno* 251 *duas scribit epistolas, alteram ad fratres Romanos seu Christianos Romæ existentes, alteram ad confessores, qui Decianæ persecutionis tempore carcerem et vincula pro fidei confessione Romæ fuerant perpessi. Post duas has epistolas ad ipsum Novatianum, cum hic Romæ S. Petri Cathedram invasisset, dicto anno* 251, *mense Augusto verosimiliter, insignem plane, qua illum egregie urget, scribit epistolam, duasque deinde alias ad memoratos confessores, quarum altera eis de felici in Ecclesiam regressu gratulatur, conscribit epistolas. Novatiani schisma aut potius ingens erga eos, qui in persecutione Decii lapsi fuerant, commiserationis affectus quatuor adhuc præter jam memoratas* Dionysium *scribere compulit epistolas. Harum prima ad fratres per Ægyptum constitutos, secunda ad Cononem Hermopolitanæ ecclesiæ episcopum, tertia ad Laodicensis ecclesiæ fratres, ac quarta denique ad Armenios est conscripta. Omnes quatuor, finita jam Decii persecutione seu anno* 251 *jam elapso, nec serius quam anno* 256 *aut etiam* 255 *fuerunt exaratæ. Ante*

C *utrumque hunc annum, anno scilicet* 251 *aut certe* 252 *alteram adhuc Novatiani schismatis occasione* Dionysius *scripsit epistolam, qua Fabium, Antiochenum episcopum, a Novatiani schismate, cui nonnihil erat additus, et immiti in lapsos opinione conatus est abducere.*

secundo controversiæ, inter Stephanum Papam et Cyprianum exortæ,

327 *Celeberrima S. Stephanum inter et S. Cyprianum anno* 255 *orta de baptismo controversia Sancto nostro non minus, quam Novatiani schisma, obtulit uberrimam epistolis scribendis materiem. Hæ omnes* de baptismo *inscribuntur, sexque tantum, quamvis octo ut minimum Sanctus scripserit, hoc nomine enumerat Eusebius. Harum octo epistolarum tres, quarum una ad Stephanum, Romanum Pontificem, altera ad Dionysium, Romanæ Ecclesiæ presbyterum, tertia ad Philemonem, Romanæ itidem Ecclesiæ presbyterum data est, anno* 256 *fuere conscriptæ; cum scilicet Valeriani persecutio nondum esset exorta. Hac autem anno* 257 *exorta,* Dionysius *ab Æmiliano, augustali præfecto, pulsus est in exsilium, quo durante, quinque reliquas ex memoratis octo, quarum tres ad S. Sixtum, Romanum Pontificem, duæ aliæ ad Dionysium et Philemonem, Romanæ Ecclesiæ presbyteros, datæ sunt, inter anni* 257 *vigesimam quartam circiter Augusti diem, et Augustum anni* 258 *scripsit epistolas.*

328 *Nec has tantum Sanctus, in exsilio adhuc existens, epistolas exaravit, ut paci in Ecclesia servandæ consuleret, verum etiam adhuc alteram, argumenti longe diversi, ut scilicet propriæ famæ consuleret, scribere fuit compulsus adversus Germanum,* AUCTORE C. B.
tertio Paschatis et famæ suæ a Germano proscissæ,
episcopum quemdam Ægyptium, qui Sanctum, veluti gregis sui desertorem, pastoremque prorsus ignavum traducebat. Fuit hæc epistola non citius quam anno 258, *nec serius quam anno* 259 *exarata. Eodem quoque tempore tres adhuc alias epistolas, quarum Eusebius lib.* VII, *cap.* 20 *meminit,* Dionysius *scripsit. Harum una ad ecclesiæ Alexandrinæ compresbyteros fuit conscripta; duæ reliquæ exstiterunt Paschales atque una quidem Flavio; altera vero Domitio ac Didymo fuit nuncupata. Porro, durante adhuc Valeriani persecutione, aut forte etiam paulo antequam hæc esset excitata, nova exorta est hæresis, quæ* Dionysio *novam iterum dedit scribendi materiem. Sabellianorum hæresis in Pentapoli, quæ regio ad patriarchatum Alexandrinum, ac proin ad Sancti nostri curam spectabat, Ecclesiæ pacem non minus, quam Valeriani persecutio, anno circiter* 257 *cæperat turbare.*

329 Dionysius *serpenti malo mox sese opposuit,* *quarto Sabellianæ*
opportunamque afferre medelam sedulo fuit conatus. Hunc in finem non uno usus est consilio, nec paucas ab anno circiter 258 *ad annum circiter* 261 *scripsit epistolas. Has inter computatur epistola ad Ammonium, Berenicensem episcopum, alia ad Telesphorum et alia ad Euphranorem data. Omnium est celeberrima, quæ ad Ammonium et Euphranorem, teste Athanasio, a Sancto fuit conscripta, quæque eadem verosimiliter est cum epistola, quam Eusebius lib.* VII, *cap.* 26 *ad Ammonem et Euporum scriptam commemorat. Epistola ad Ammonium et Euphranorem anno circiter* 259 *fuit conscripta, estque, ut dixi, omnium, quas* Dionysius *contra Sabellianam hæresim scripsit, longe celeberrima, quia nempe Sanctus crudius in ea de secunda sanctissimæ Trinitatis Persona Pentapolitanis nonnullis loqui visus, ad Sedem Apostolicam, seu Dionysium Romanum Pontificem, veluti violatæ fide reus fuit delatus, sicque ab impacta hac sinistræ suspicionis nota fidem suam vindicare non unis scriptis litteris compulsus.*

330 *Porro memorata Pentapolitanorum adversus* *hæreseos,*
Dionysium *accusatio vel anno* 259, *vel, ut verosimilius est, anno* 260 *accidit; cum autem hanc Dionysius, Romanus Pontifex, intellexisset, ad* Dionysium *Alexandrinum et suo et synodi, quam anno* 260 *Romæ celebravit, nomine dedit epistolam, qua illum, cujus rei a Pentapolitanis accusaretur, reddidit certiorem. Sanctus, re intellecta, mox ad Dionysium, Romanum Pontificem, sui purgandi causa scripsit epistolam, quæ omni dubio procul distincta est a*
singulis quatuor Dionysii *de Elencho et Apologia libris, quorum quilibet epistolæ nomine, quam* Dionysius *Alexandrinus sui purgandi causa ad Dionysium Pontificem Romanum dederit, pariter reperitur inscriptus. Epistola illa, quæ a quartuor* Dionysii *de Elencho et Apologia libris distincta est, ante hos exarata etiam fuit, estque referenda vel ad annum* 259 *vel certe ad anni* 261 *initium, quo etiam anno aut certe anno* 262 Dionysius, *ut verosimilius apparet, præmemoratos quatuor de Elencho et Apologia libros exaravit. Hoc ipso etiam anno* 261 *non parum jam provecto Macrianus, qui, Valeriano a Persis capto, tyrannidem in Oriente arripuerat, Christianosque fuerat persecutus, una cum filiis suis interiit, tuncque* Dionysius, *sopita tandem etiam in Ægypto Gallieni edicto persecutione, Alexandriam est reversus, ibidemque contra Sabellium ejusque asseclas concilium, si modo id umquam locum habuit, nec conciliis fictitiis, quod tamen non reor, debeat accenseri, anno* 262 *celebravit.*

331 *Eodem etiam anno* 262, *binis circiter ante* *ac quinto denique aliorum eventuum occasione gessit.*
Pascha mensibus, epistolam, quæ verosimiliter Paschalis exstitit, ad Hermammonem Ægypti episcopum conscripsit, cumque paulo post nova esset Alexandriæ exorta seditio, Sanctus ad Christianos ibidem existentes per litteras, cum id viva voce ob turbas facere non posset, ipso Paschæ die fecit sermonem. Anno 265 *duobus circiter ante Pascha men-*

AUCTORE C. B.

sibus ad Hieracem, Ægypti episcopum, Paschalem epistolam dedit, in eaque statum miserrimum, in quem ex seditione conjecta esset Alexandrina civitas, graphice depinxit. Anno 264, *cum post bellum immanissima esset Alexandriæ lues secuta, Paschalem ad Christianos, per Ægyptum dispersos, dedit epistolam, in qua de gravissimo illo offensi Numinis flagello fuse disserit. Anno* 265, *pacatis Alexandriæ rebus, ac proin civitate illa nec bello, nec peste amplius afflicta, Paschalem rursus ad Christianos per Ægyptum constitutos scripsit epistolam. Eodem etiam anno ad concilium, Antiochiæ contra Paulum Samosatenum celebrandum, invitatus senectutem et corporis infirmitatem in causam, ob quam eo sese conferre non posset, missa Antiochiam epistola, adduxit, simulque quid ipse de quæstione in concilio contra Paulum tractanda sentiret, exposuit. Nec diu postea in vivis fuit superstes. Etenim durante adhuc concilio, provecta admodum ætate, diuturnisque laboribus fractus, nec minus meritis, quam diebus plenus mortalem hanc vitam cum immortali initio anni* 265 *commutavit.*

Quibus omnibus ordine, ut fieri potuit, chronico recensitis,

B 332 *Utinam per egregia omnia, quæ dirissimas inter persecutiones contra Christianos suscitatas, non sine magna eruditorum omnium admiratione, magno numero elaboravit, ingenii et doctrinæ monumenta ad nostram usque ætatem viveret superstes. Verum, quod dici dolor est, quod in magnum Ecclesiæ detrimentum cedit, pauca dumtaxat ex his, et fere non nisi mutila, Majorum nostrorum cura ab interitu servata, ad nos usque pervenerunt. Hæc jam, uti et alia nonnulla, a scriptoribus memorata, quæ a Sancto nostro indubie scripta, ad certam queunt revocari epocham, ordine chronologico, quantum quidem per notarum chronicarum, quibus res ad* Dionysium *spectantes a scriptoribus antiquis signantur, paucitatem facere id licuit, hic recensui. Ingenii autem et doctrinæ monumenta reliqua, quæ vel* Dionysii *forte non sunt, vel, quamvis Sancto indubie debeant attribui, ad certam tamen nequeunt reduci epocham, in Appendice mox subjungenda eo, quo magis congruum visum fuerit, ordine recensebo.*

quædam de Sancto elogia subduntur.

333 *De* Dionysio *interim ratione Operum, quæ concinnavit, dicere adhuc lubet, sublimi eum fuisse ingenio, eruditione profunda, fidei dogmatum, ecclesiasticæque disciplinæ cognitione numeris omnibus absoluta, judicio maturo et sano, modestia et docilitate, quæ cum humilitate vere Christiana esset conjuncta, in homine litteris undequaque exulto prorsus admiranda. Sanctus Hieronymus epistola* 83 *ad Magnum, editionis Basileensis, de* Dionysii *Operibus, generatim spectatis, scribens, ita memorat :* Exstant et Julii Africani libri... et Dionysii Alexandrini C episcopi..., qui omnes in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos resarciunt libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum. *Prologo in lib.* XVIII *in Isaiam eloquentissimum illum appellat.* Vir eloquentissimus, *inquit,* Dionysius Alexandrinæ ecclesiæ pontifex elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam. *Theodoritus, Cyri episcopus, lib.* II *Hæreticarum Fabularum cap.* 8 *supra jam pluries laudatus, Viri doctrina insignis titulo* Dionysium *exornat, eruditissimumque ecclesiasticæ fidei assertorem tomo quinto Operum Hieronymi vocat Rufinus. Plurimos sanctos ecclesiæ Græcæ Patres, qui* Dionysium, *uti num.* 26 *hujus Commentarii jam docui,* Magni *titulo per excellentiam condecorant, silentio prætereo, atque ad* Dionysii *Opera, de quibus in Appendice agere proposui, tandem progredior.*

D

APPENDIX.

De Sancti Operibus, quorum ignoratur epocha, simulque de iis, quæ an Dionysii certo sint, non constat.

CAPUT I.

Duo de Promissionibus libri, resque in his a Sancto tractatæ.

Duo Dionysii de Promissionibus libri. Causa, ob quam

Duplex Operum genus, uti jam supra monui, hac in Appendice tractaturus sum; aliud nempe, quod spectat ad Dionysii *Opera, quorum ignoratur epocha; aliud vero, quod nonnulla respicit Opera, quæ an* Dionysii *certo sint, non habetur compertum. A præcipuis Sancti Operibus, quorum ignoratur epocha, duo initium, atque id quidem a binis de promissionibus libris.* Adhæc, *inquit de* Dionysio *lib.* VII *Historiæ, cap.* 24 *Eusebius,* duos libros de promissionibus composuit. Duo libri, *inquit,* Dionysii *Opera in Catalogo Virorum Illustrium cap.* 69 *recensens Hieronymus,* adversum Nepotem episcopum, qui mille annorum corporale regnum suis scriptis asseverat; in quibus et de Joannis Apocalypsi dili- E gentissime disputat. *Causa hosce scribendi libros* Dionysio *hæc fuit : Nepos, episcopus quidam Ægyptius, regnum Christi, corporalibus refertum deliciis, post generalem corporum resurrectionem mille annorum spatio, unde etiam hujus opinionis sectatores* Millenarii *seu* Chiliastæ *dicti fuerunt, in terris duraturum, docuerat, hocque dogma suum, quod jam ab ipso fere Ecclesiæ initio Cerinthus et Papias aliique ante illum sustinuerant, argumentis ut plurimum ex Apocalypsi præcipueque ex hujus cap.* 20 *ductis stabilire nisus fuerat.*

hos Sanctus scripserit, hanc docet Eusebius;

2 *Cum vero Apocalypseos oracula spirituali et allegorico sensu accipienda esse, continuo reposuissent contendissentque orthodoxi, Nepos librum de ista quæstione composuit, quem* ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν, *id est, Confutationem allegoristarum inscripsit, tanto passim favore in Arsenoïtico Ægypti tractu acceptum, ut, schismate facto, integræ ecclesiæ a recta fide deficerent. Itaque Nepos, hic memoratus, qui jam aliquamdiu vita functus erat, seu potius ejus de confutatione allegoristarum liber* Dionysium *impulit, ut præfatos binos de Promissionibus libros, priori quidem suam ipsius sententiam proponens, posteriori vero de Apocalypsi disputans, Nepotis refutandi ergo conscriberet.* Causam scribendi, *inquit loco proxime citato Eusebius,* præbuit Nepos qui- F dam, episcopus Ægypti, qui promissiones sanctis hominibus factas in divinis Voluminibus, Judaico sensu exhibendas docebat, et nescio quod mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore, affirmabat; cumque ex Joannis Revelatione (*Apocalypsi scilicet*) opinionem suam stabilire se posse existimaret, librum, quem de hac quæstione composuerat, Confutationem allegoristarum inscripsit. Hunc ergo Dionysius in libris de Promissionibus acriter impugnat.

at illam ipsemet Sanctus

3 *Hunc in modum Eusebius causam exponit, quæ* Dionysium *ad memoratos de Promissionibus libros scribendos impulerit. Verum ipsemet Sanctus, qua ratione potissimum ad Opus illud elucubrandum fuerit inductus, distinctius nos docet. Etenim Eusebius loco supra citato insigne exhibet secundi de Promissionibus libri Fragmentum. In hoc autem Sanctus sic scribit :* Quoniam (*Nepotis sectatores*) librum quemdam (Confutationem Allegoristarum *dictum*) proferunt Nepotis, quo quidem magnopere nituntur, quasi in eo certissimis argumentis demonstratum sit, regnum Christi in terris futurum; in plurimis quidem aliis rebus laudo Nepotem ac diligo, cum propter fidem, tum ob diligentiam et studium Scripturarum; postremo ob psalmorum cantus multiplices, quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere delectantur, magnoque honore

A nore ac reverentia hominem prosequor, vel ob id maxime, quod ex hac vita migravit : sed veritatem magis diligo, cunctisque præferendam censeo. Etenim ea quidem, quæ recte dicta sunt, absque invidia laudare ac probare debemus : si quid vero secius scriptum est, id examinari a nobis et corrigi decet. Quod si ipse (*Nepos nempe*) præsens adesset, et opinionem suam viva voce promulgaret, sufficeret fortasse simplex absque scripto colloquium, quo per interrogationes ac responsiones convincerentur adversarii et in pristinam concordiam revocarentur.

in secundo de Promissionibus libro distinctius exponit,

4 Verum cum in publicum editus sit liber, isque, ut nonnullis videtur, ad persuadendum aptissimus; et cum quidam doctores Legem quidem ac Prophetas nihili faciant; Evangelia sequi negligant; Apostolorum Epistolas contemnant : hujus vero libri (*Confutationis Allegoristarum*) doctrinam quasi magnum aliquod et arcanum sacramentum venditent, et simpliciores quosdam ex fratribus nostris nihil sublime atque magnificum nec de glorioso prorsusque divino adventu Domini nostri, nec de resurrectione nostra, nostrique ad Christum aggregatione et adsimulatione sentire patiantur; sed levia quædam ac mortalia, et qualia nunc homines sperare solent, in regno Dei cogitare jubeant, necesse
B est, ut adversus fratrem meum Nepotem, quasi præsentem, disputationem instituam. *Ita ipsemet* S. Dionysius, *causas, ob quas contra Nepotem calamum stringat, distincte exponens, simulque, quo animo adversus errores scribendum sit, exemplo suo docens. Porro modus, quo* Dionysius *de Nepote per verba num. præcedenti recitata loquitur, dubitare etiam me facit, an veritati congruat, quod apud Labbeum tom. I Conciliorum col.* 852 *de Nepote, qui ibidem* Nepotianus *vocatur, a* Dionysio *in synodo, quam hic Alexandriæ celebrarit, post mortem damnato atque abdicato his verbis asseritur :* Synodus divina et sancta provincialis, collecta Alexandriæ ab eodem Dionysio, quæ damnavit et post mortem abdicavit Nepotianum, episcopum Ægypti et Cerinthum, tamquam asseverantes, eoque errori * plurimos alios involventes, in terrena Hierusalem Christi esse regnum, et millenarium annorum docentes, et præterea boum sacrificia et ovium mactationes tamquam legitimas exigentes. *Confer hæc, studiose lector, cum* Dionysii *de Nepotes verbis, num. præcedenti huc transcriptis, tuumque de re forma judicium. Pergo ego ad alia, quæ* Dionysius *in secundo de Promissionibus libro, jam laudato, pertractat.*

* errore

in quo etiam, qui a Nepotis errore

5 *Nepotis error in Arsinoitico præcipue Ægypti tractu, cujus forte episcopus Nepos fuerat, plurimos infecerat, erantque ibidem integræ ecclesiæ, quæ ab*
C *aliis, idem secum de terreno Christi regno, mille annis duraturo, non sentientibus, sese, facto schismate, sejunxerant. Malum hoc jam diu tenuerat. Verum, ne longius serperet, viresque majores acquireret,* Dionysius, *utpote ad cujus patriarchatum præfatus tractus spectaret, eo se confert, ut inveteratum morbum, qui contagione sua plures semper ac plures inficiebat, opportuna tandem atque efficaci medela penitus sustollat. Quid autem ibi Sanctus egerit, qui cum iis, qui Nepotis errores sectarentur, in colloquium venerit, eosdemque ad veritatis cognitionem adduxerit, ipsemet in prælaudato suo secundo de Promissionibus libro exponit, ardens Arsinoïtarum cognoscendæ veritatis studium summopere extollens, iisque, quod cum illis habuit, colloquium coloribus adumbrans, ex quibus nihil eo prudentius, nihil suavius, nihil ad Christianam charitatem simulque in indaganda veritate sinceritatem magis compositum excogitari posse, facile appareat. Verba Sancti, quæ apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 24 *verbis num.* 3 *et* 4 *hic jam recitatis proxime fere subduntur, quæque jam dicta confirmabunt, huc transcribo.* Cum essem, *inquit,* in Arsinoitica præfectura, in qua jam pridem, ut nosti, increbuit hæc (*Nepotis*) opinio, adeo ut schismata et integrarum ecclesiarum defectiones fierent, convocatis presbyteris ac doctoribus, qui per singulos vicos fratribus prædicabant, præsentibus item fratribus, qui adesse voluerant, hortatus sum illos, ut ea doctrina (*quam Nepos tradiderat*) palam in concione examinaretur, cumque hunc librum (*Nepotis nempe, de Confutatione Allegoristarum*) tamquam scutum quoddam murumque inexpugnabilem mihi opposuissent, tres continuos dies a prima luce usque ad vesperam cum ipsis sedens, quæcumque in eo libro scripta erant, discutere aggressus sum.

AUCTORE C. B.

6 Tum vero fratrum constantiam et ardentissimum cognoscendæ veritatis studium et docilitatem atque intelligentiam magnopere sum admiratus. Adeo moderate et ordine interrogationes rationesque dubitandi, et assensiones a nobis fiebant. Ac studiose quidem cavebamus, ne ea, quæ semel nobis placuissent, tametsi, *seu potius, ut sensus exigit,* si falsa esse deprehenderentur, pertinaciter defenderemus, nec aliorum objectiones subterfugiebamus; sed quoad fieri poterat, ad ea, de quibus instituta erat disputatio, eniti, eaque stabilire conabamur; sin autem rationibus convicti essemus, non pudebat nos mutare sententiam et aliis assentiri. Quin potius cum bona animi conscientia absque ulla simulatione, expansis ad Deum cordibus, quæcumque certissimis argumentis et auctoritate sacræ Scripturæ confirmata essent, susci- E
piebamus. Tandem denique Coracio, qui hujus doctrinæ auctor et signifer, *seu potius, ut Græcus textus patitur, princeps et suasor,* fuerat, audientibus cunctis, qui aderant, fratribus, pollicitus nobis et contestatus est, se imposterum hanc (*quam Nepos docuerat*) opinionem amplexurum non esse, nec de ea disputaturum, nec locuturum, nec populo prædicaturum; quippe qui argumentis oppositis satis superque convictus fuisset. Fratribus autem, qui aderant, hæc disputatio et omnium inter se reconciliatio atque consensio non mediocrem attulit voluptatem.

ad veritatis agnitionem Arsinoitas adduxerit, enarrat,

neque quidquam tamen, undehos fuisse anachoretas

7 *Hunc in modum* Dionysius, *uti ipsemet hisce jam recitatis verbis docet, ad veritatis agnitionem Arsinoitas, seu, ut alii scribunt, Arsenoitas adduxit; qua in re Sancti dexteritas atque industria mirifice eluxit, nec minus rara Arsinoitarum docilitas, animique sincera ad veritatem agnoscendam promptitudo enituit. Quotusquisque enim est, qui in concertatione publica erroris se convictum fateatur, veritatisque, quam antea rejecit impugnavitque, strenuum deinceps vindicem futurum, numeroso coram consessu facile promittat? Ad hoc sane summum, cum pari animi demissione conjunctum, veritatis studium requiritur. Bollandus noster tom. II Januarii in Commentario ad Vitam S. Antonii num.* 12, *aliique* F
nonnulli existimant, Arsinoitas, jam laudatos, anachoretas exstitisse ex eorum genere, qui, S. Athanasio in Vita S. Antonii testante, eo ipso tempore, id est, sæculo æræ Christianæ tertio, quo jam senescente Antonius monachus factus est, saluti suæ unice ac serio vacaturi, in loca solitaria, vicis proxima, solerent secedere : laudatus autem Bollandus, aliique arbitrati id videntur tum ex eo, quod ea prudentia ac sinceritate, ea ad errorem deponendum promptitudine, ea animi demissione ac modestia, quam jam docuimus, cum Dionysio *fuerint congressi; tum ex eo, quod eos, quibuscum in Arsinoitico tractu colloquium habuit* Dionysius, Fratres *appellet, hosque fratres apud Arsinoitas potissimum (vide verba num.* 3 *recitata) in singulis pagis tradat consedisse variisque psalmis et hymnis (vide verba num.* 3 *huc transcripta) Deum laudasse, a* Dionysio *innuantur. Verum hæ rationes neutiquam sufficere mihi videntur, ut ob eas Arsinoitas, quos* Dionysius *erroris convicit, atque ad veritatis agnitionem perduxit, anachoretas fuisse, indubie pronuntiem. Utquid enim præclaræ illæ virtutes, quas in Arsinoïtis suspexit* Dionysius, *in Christianis, etiamsi non anachoretis, elucere non potuerint? Nec video, quid ex eo, quod* Dionysius *eos, quibuscum in Arsinoitico tractu colloquium habuit,* fratres *appellet, pro opinione sua Bollandus, aliique possint concludere.* Dionysius *enim*

AUCTORE C. B.

enim per fratres, ut Operum ejus Fragmenta apud Eusebium lib. VI *et* VII *consideranti patebit, Christianos intelligit, nec fratres, de quibus loquitur, apud Arsinoitas in vicis seu pagis consedisse, sed presbyteros et doctores, qui in his Christianos moderabantur, sese convocasse seu ad colloquium invitasse, infirmat.*

monachosve, certo concludas, suppeditat.

8 *Quod vero pertinet ad psalmos et hymnos, quibus* Dionysius *ab his, quibuscum in colloquium venit, Deum fuisse laudatum, indicat, nihil quoque hinc pro Arsinoitis inter anachoretas referendis puto haberi. Ea enim apud veteres Christianos quoscumque, ac proin etiam non monachos nec anachoretas consuetudo obtinebat, ut psalmos et hymnos, qui in ecclesiis, ut verosimillimum est, recitarentur, in honorem Christi componerent.* Psalmi quoque et cantica fratrum, *inquit apud Eusebium lib.* V, *cap.* 28 *auctor antiquus,* jam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo. *Valesius in Annotatis suis ad laudatum Eusebii vigesimum quartum lib.* VII *caput opportune ad propositum nostrum sic observat:* De his psalmis (*a Christianis seu fidelibus in honorem Christi compositis*) mentio fit in epistola concilii Antiocheni (*vide Eusebium Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VII, *cap.* 30, *pag.* 281) adversus Paulum Samosatenum; et
B in canone penultimo concilii Laodiceni, ubi diserte prohibetur, ne psalmi ἰδιωτικοὶ, id est, a privatis hominibus compositii in Ecclesia recitentur. Invaluerat enim hæc consuetudo, ut multi psalmos in honorem Christi componerent, eosque in ecclesia cantari facerent ut ex locis supra notatis apparet. *Cum ergo, uti ex hac Valesii Annotatione, iisque, quæ ante hanc diximus, manifestum fit, ea apud veteres Christianos consuetudo obtinuerit, ut hymnos et psalmos in honorem Christi componerent, eosque in Ecclesia recitari curarent, ex hymnis et psalmis, quibus* Dionysius *eos, quibuscum in Arsinoitico tractu in colloquium venit, decurrisse in Dei laudes affirmat, concludi utique etiam non posse videtur, anachoretas illos vel monachos fuisse. Sed de Arsinoitis, quos* Dionysius *ab errore ad veritatis cognitionem adduxit, disseruisse jam sufficiat.*

Ita porro de Apocalypsi disputat, ut hanc quidem non repudiet;

9 *Venio ad illa, quæ* Dionysius *in laudato suo secundo de Promissionibus libro circa Joannis Apocalypsim potissimum effatur, quæque, cum Sancti non minus doctrinam, quam summam cum hac modestiam et humilitatem conjunctam probent, silentio utique præterire non velim. Millenarii, seu potius Nepotis sectatores sua de terreno Christi mille annorum regno asserta B. Joannis Apocalypseos libro, ut jam supra docui, potissimum superstruebant.* Dio-
C nysius *itaque, præcipue hoc eorum fundamentum subversurus, mox observat, librum illum a plerisque, qui eum præcesserant, fuisse rejectum; id tamen se facere non audere subjungit, ne librum, quem non intelligebat, quemque alii approbabant, temere repudiaret.* Ego vero, *inquit apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 25, librum illum (*Joannis Apocalypsim*) rejicere omnino non ausim, præsertim cum multi ex fratribus magni eum faciant. Sed hujusmodi de illo opinionem concipiens, quasi sensus mei modum excedat, arcanam quamdam planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen altiorem quemdam sensum verbis subesse, eaque non mei ipsius judicio metior, atque æstimo, sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo, quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno, quæ intelligere non potui; verum inde admiror magis, quod capere non possum. *Ea modestia simulque veneratione de Apocalypseos libro, cum hic ab Ecclesia libris canonicis nondum esse adscriptus,* Dionysius *loquebatur, ut pudore suffundi debeant hæretici, qui illum, ab Ecclesia pro libro divina inspiratione conscripto jam agnitum, impudentissime, veluti inane commentum, rejiciunt.*

10 *Porro cum Sanctus mox Apocalypseos librum, ut jam vidimus, non repudiaret, sicque fundamentum, cui Nepos, ejusque sequaces opinionem suam superstruebant, integrum hactenus relinqueret, sedulo deinde, quo illud funditus subverteret, totum præfatum Apocalypsis seu Revelationis librum examinabat, eumque secundum litteralem seu obvium verborum sensum, uti a Nepote ejusque sectatoribus fiebat, accipi non posse, apertissime ostendebat, sicque quod hinc illi sententiæ suæ quærebant præsidium, penitus infirmabat. Rationes, quibus id Sanctus effectum dederit, in Historia sua Ecclesiastica non recenset Eusebius, sed tantum, quod jam dixi, a* Dionysio *factum esse, generatim affirmat, moxque subjungit, quæ deinde in eodem secundo de Promissionibus libro Sanctus præstet. Sunt autem hæc: fatetur quidem, Apocalypseos librum sancti cujusdam et divino spiritu afflati viri, cui Joanni nomen fuerit, Opus esse; attamen virum illum esse ipsum Joannem Apostolum, pro certo non admittit.* Librum, *inquit apud Eusebium loco proxime citato,* a Joanne scriptum esse, non inficior. Fateor enim, sancti cujusdam et divino spiritu afflati viri id Opus esse; sed hunc ipsum esse Apostolum, Zebedæi filium, Jacobi fratrem, cujus est Evangelium illud, quod secundum Joannem inscribitur, et Epistola Catholica, haud facile concesserim. *Subdit deinde rationes, ob quas Opus illud Joanni Apostolo certo non adjudicet, hasque inter una est, quod in adscribendum forte sit viro cuidam, qui certis de causis* E *Joannis nomen assumpserit.* Ac plurimos quidem, *inquit iterum loco proxime citato apud Eusebium,* fuisse opinor Joanni Apostolo cognomines, qui propter singularem erga illum benevolentiam, et quod hominem mirarentur ac suspicerent, et perinde ac ille a Domino diligi ambirent, hoc cognomentum adamaverint, quemadmodum ex fidelium liberis multos Pauli Petrique nominibus appellatos, videmus. *Ita* Dionysius, *satis iis, quæ mox adjungit, innuens, sese dubitare, Joannisne Apostoli Opus sit Apocalypsis, an alterius sancti viri, qui Joannis nomen ob causam, quam verba proxime recitata indicant, assumpserit.*

Hieronymus, dum contra Irenæum ait scripsisse Dionysium,

11 *Rationes reliquas, ob quas insuper Apocalypsim Joanni Apostolo attribuendam non crediderit, huc non transcribo. Videri hæ possunt apud Eusebium lib. et cap. jam sæpius laudato. Dixisse sufficiat, illis rem, quam* Dionysius *contendit, minime evinci, utpote quæ et confutari facile queant, sintque reipsa ab eruditis jam sæpius confutatæ. Nec est, cur hic propterea quisquam* Dionysii *doctrinam minoris faciendam, existimet; pronum enim ætate* Dionysii *fuit, etiam sapientissimum quemque hallucinari hac in re, quæ tunc nondum ea, qua postea fuit, luce erat donata. Nec Viri doctrina simul et sanctitate conspicui ab errore semper fuerunt immunes. Quam* F *verum id sit, exemplo suo, quod etiam ad institutum nostrum pertinet, hicque propterea pluribus memorandum est, dilucide nos docet S. Irenæus, secundo ævæ Christianæ sæculo Lugdunensis episcopus, scriptis clarissimus. Hic enim, quod certe admodum mirum est, erroneam illam jam memoratam de terreno Christi mille annorum regno opinionem fuit amplexus. Docet id nos S. Hieronymus, Prologo in lib.* XVIII *in Isaiam sic scribens:* Ut cæteros prætermittam, Irenæi tantum, Lugdunensis episcopi, faciam mentionem, adversus quem vir eloquentissimus Dionysius, Alexandrinæ ecclesiæ Pontifex, elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam. *Ita Hieronymus, verbis hisce, ut certum apparet, etiam designans Opus, a* Dionysio *contra Nepotem, illosque, qui eamdem, quam ipse de terreno Christi mille annorum regno opinionem sectarentur, conscriptum. Cum enim Opus a* Dionysio *adversus Nepotem conscriptum contra omnes Millenarios æque militarit, unusque ex his, ut Hieronymi verba proxime recitata indicant, Irenæus exstiterit, consequens est, ut illud contra hunc pariter militarit. Hinc nihil obstat, quo minus de illo Opere locutus credatur Hieronymus, dum verbis proxime recitatis ait, a* Dionysio *elegantem scriptum esse librum, in quo hic mille annorum fabulam seu Millenariorum fabulas irridet.*

D *pro indubitato tamen Joannis Apostoli Opere non habeat.*

12 *Imo*

A *designare videtur hujus de promissionibus libros,*

12 *Imo vero de illo ipso Opere Hieronymum ibidem esse locutum, concludendum videtur ex eo, quod nec Eusebius, nec ipse Hieronymus in suo de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus Tractatu mentionem uspiam faciat ullius Operis, a jam memorato contra Nepotem Opere distincti, in quo* Dionysium *mille annorum fabulam, seu Millenariorum fabulas irrisisse, utcumque verosimile appareat. Valesius in Notis ad caput* 24 *libri* VII *Eusebii ad capitis hujus initium, quo* Dionysius *duos de Promissionibus libros contra Nepotem scripsisse, docemur, sic observat :* Cum constet ex hoc loco, librum Dionysii Alexandrini de Promissionibus scriptum fuisse adversus Nepotem, episcopum Ægypti, miror Hieronymum in Præfatione lib. XVIII Commentariorum in Esaiam affirmare, eum librum adversus Irenæum, Lugdunensem episcopum, a Dionysio fuisse conscriptum. Fuit quidem Irenæus ex numero eorum, qui regnum Christi mille annorum spatio in terris futurum crediderunt, quod id Papias persuaserat, ut scribit idem Hieronymus in Catalogo et Eusebius noster in fine lib. III. Verum Dionysii liber non adversus Irenæum scriptus erat, sed adversus Nepotem, ut patet tum ex hoc Eusebii loco, tum ex ipso Hieronymo in libro de scriptoribus ecclesiasticis, ubi de Dionysio loqui-

B tur. *Quibus verbis hic scriptor opinioni, qua ab Hieronymo ipsum Opus, a* Dionysio *contra Nepotem exaratum, per verba num. præcedenti recitata designari, arbitramur, apertissime assentitur, quamvis interim simul se mirari asserat, quod Hieronymus dictum Opus non contra Nepotem, sed contra Irenæum scriptum affirmet : ad quam objectam a Valesio difficultatem facile respondetur dicendo, idcirco dictum Opus (vide, quæ num. præcedenti disserui) contra Irenæum scriptum ab Hieronymo asseri, quod contra omnes millenarios, ac proin etiam contra Irenæum, qui ex horum numero exstitit, scriptum fuerit.*

uti etiam Theodoritus, dum Sanctum contra Cerinthum scripsisse, affirmat.

13 *Forte etiam dici potest, Irenæum in Opere illo speciatim fuisse confutatum, aut etiam veluti e Millenariis unum, nominetenus citatum, ut adeo, si id reipsa in dicto Opere factum fuerit, minus mirum debeat accidere, quod, illud esse contra Irenæum scriptum, Hieronymus affirmet. Theodoritus lib.* II *Hæreticarum Fabularum cap.* 3 *de Cerintho, qui insulsæ Millenariorum opinionis, ut nonnulli contendunt, primus auctor exstitit, sic scribit :* Contra hunc Cerinthum scripserunt non ii modo, quos ante diximus, sed cum illis etiam Caius et Dionysius Alexandrinus episcopus. *Quibus verbis a Theodorito Opus* Dionysii *contra Nepotem scriptum pariter designari, existimo, idque tum ob jam dicta de*

C *eodem Opere per Hieronymum designato, tum etiam ex eo, quod* Dionysius *reipsa in suis de Promissionibus libris Cerinthi faciat mentionem; dum scilicet lib.* II *loquens de iis, qui ante se librum Apocalypseos, veluti fœtum Joanni Apostolo falso suppositum, repudiarant, ita scribit,* Adhæc inscriptionem libri (*Apocalypseos seu Revelationis*) falsam esse dicunt; neque enim auctorem ejus esse Joannem; sed neque eam revelationem esse; quippe quæ tam crasso tamque opaco ignorantiæ obducta sit velo. Et non modo Apostolorum neminem, sed ne ullum quidem e sanctis et ecclesiasticis viris hujus libelli conditorem fuisse affirmant; Cerinthum enim, qui nominis sui sectam conflavit, cum magnæ auctoritatis nomen ad faciendam fidem commentis suis vellet præfigere, Joannis titulum Operi suo indidisse; quippe hanc Cerinthi opinionem fuisse, regnum Christi terrenum futurum, et in iis maxime rebus, quas ipse, utpote carnalis et voluptatibus corporis deditus, præcipue concupiscebat, hæsurum : in ventris scilicet, et eorum, quæ sub ventre sunt, satietate, id est, in cibis ac poculis, in nuptiis et in iis, quibus ista honestius parari posse, existimabat; festis nimirum et sacrificiis, et hostiarum mactationibus. *Ita* Dionysius *de Cerintho occasione sermonis, quem de iis instituit, qui librum Apocalypsis rejiciebant, nec vero apparet absimile,* Dionysium *iis locis, quibus potissimum in laudato Opere Nepotem refutat, Cerinthi etiam nominatim fecisse mentionem, ut vel hinc sat probabile evadat, Theodoretum verbis supra recitatis de Opere a* Dionysio *contra Nepotem scripto esse locutum.*

AUCTORE C. B.

CAPUT II.

De Dionysii ad Basilidem, Pentapolitanum episcopum, epistolis, ac præcipue de illius ad hunc epistola, in quatuor capita divisa, quæ in sacros canones a Græcis sunt relata.

Dionysii ad Basilidem epistola, in quatuor capita seu canones divisa:

Varias Dionysius *ad Basilidem, Pentapolitanum in Ægypto episcopum, scripsit epistolas.* Ipse præterea, *inquit. lib.* VII *cap.* 26 *de* Dionysio *Eusebius,* in epistola, quam ad Basilidem, Pentapolitanum episcopum, scripsit, Commentarium se composuisse testatur in principiuum libri, qui Ecclesiastes dicitur. Porro ad hunc Basilidem varias etiam epistolas scriptas nobis reliquit. *Verum hæ omnes, quemadmodum etiam alia pleraque ingenii monumenta, a Sancto nostro elaborata, temporum injuria penitus interiere, sola dumtaxat, quæ* canonica *communiter nuncupatur, epistola excepta. Nequit hæc, uti nec aliæ ad Basilidem datæ epistolæ,* E *ad certam revocari epocham, debuitque proinde habendus de ea tractatus huc remitti. Tomo I Conciliorum apud Labbe, tomo III Bibliothecæ SS. Patrum editionis Lugdunensis, aliisque nonnullis excusis Operibus integra, seu, quod de nullo fere alio* Dionysii *Opere fas est dicere, nulla prorsus sui parte mutila exstat inserta. Quatuor constat responsionibus ad totidem quæstiones, a Basilide circa ecclesiasticam disciplinam* Dionysio *propositas. Fuerunt hæ quatuor Sancti responsiones postmodum, quas tamen* Dionysius *eo animo non dedit, ab ecclesia Græca in canones seu regulas a fidelibus servandas relatæ. Cum nullum fere aliud, ut jam dixi, doctrinæ monumentum, a* Dionysio *elaboratum, integrum supersit, lubet huc dictam epistolam canonicam, ut vel sic specimen quoddam ingenii, quo* Dionysius *excelluit, exhibeam, integram huc, prout tom. I Conciliorum Labbei exstat inserta, transcribere, in quatuor dictos canones, ad quos quædam observanda sunt, pariter diremptam.*

horum primo jejunium Paschale ante horam, qua Dominus resurrexit, non solvendum,

15 *Epistolæ hæc præfigitur inscriptio :* Dionysius Basilidæ dilecto mihi filio, et fratri in sacris comministro, Deoque fideli et morigero in Domino salutem; *ubi notandum est, Basilidem, licet episcopum, a* Dionysio *filium vocari, quod etiam deinde in epistolæ contextu repetitur. Hac verosimiliter appellatione* Dionysius *utitur, quod Ipse, utpote patriarcha Alexandrinus, Basilidæ, Pentapolitani in Ægypto tractus episcopi, spiritualis pater seu metropolita existeret. Hoc prænotato, venio nunc ad primum epistolæ caput seu canonem. Petierat a* Dionysio *Basilides, qua hora die Paschæ solvendum foret jejunium. Alii enim id ipso Paschæ die ad matutinum Galli cantum; alii contra vespera proxime præcedenti faciendum contendebant. Ad hanc autem primam quæstionem Sanctus sic respondet :* Misisti ad me, fidelissime et sapientissime fili mi, interrogans, qua hora die Paschæ sit solvendum jejunium. Ais enim, aliquos fratres dicere, quod oportet hoc in galli cantu facere; alios vero, quod id sit faciendum vespere. Qui enim Romæ sunt fratres, ut aiunt, Gallum expectant. De iis autem, qui hic sunt, dixisti, quod citius. Horam autem exactam et valde demensam quæris imponere, quod primum est difficile et lubricum. Quod enim post Resurrectionis Domini tempus oportet festum lætitiamque inchoare, ad illud usque animis jejunio humilitatis, erit apud omnes similiter in confesso.

Sanctus statuit. Cum autem hæc certa non sit ex Evangelistis,

16 Per ea autem, quæ scripsisti, probasti, (sane admodum divinorum Evangeliorum sensu percepto) quod nihil ab ipsis certo definitum de hora, qua ressurrexit, apparet. Diverse enim Evangelistæ ad monumentum venisse, scripserunt mutatis temporibus,

AUCTORE C. B.

temporibus, et omnes, surrexisse jam Dominum, dixerunt invenisse. « Et vespere Sabbathorum, » ut dixit Matthæus, et, « cum mane adhuc esset ob- » scurum » ut scribit Joannes : « Et summo dilu- » culo » ut Lucas : « Et valde mane, orto jam sole » ut Marcus, et quando surrexit quidem, neque aperte respondit. Quod autem vespere Sabbati lucente una Sabbatorum usque ad ortum solis unius Sabbatorum (sive diei post Sabbatum) qui ad monumentum venerunt, eum non amplius jacentem invenerunt, hoc in confesso est. Ac neque dissentire, nec adversari inter se Evangelistas, existimemus : sed quamquam parva quædam circa id, quod quæritur, controversia esse videatur, si omnes in una nocte mundi lucem Dominum nostrum exortum esse, consentientes, in hora dissentiunt; nos tamen, quæ ab eis dicta sunt, pie et fideliter conciliare studeamus.

hos omnes Domini resurrectionem die Dominica

17 Quod a Matthæo quidem dictum est, sic habet : « Vespere autem Sabbatorum lucescente una » Sabbatorum, venit Maria Magdalene, et alia Ma- » ria ad spectandum sepulcrum, et ecce, magnus » terræmotus. Angelus enim Domini cum de cælo » descendisset, accedens devolvit lapidem, et sedit » super ipsum : erat autem species ejus ut fulgur, » et indumentum ejus album ut nix. A timore au- B » tem ejus concussi sunt, qui servabant, et facti » sunt ut mortui. Respondens autem angelus dixit » mulieribus : Ne timete vos; scio enim, quod Je- » sum crucifixum quæritis : non est hic. Resur- » rexit enim, sicut dixit. » Id autem, quod dictum est, VESPERE; alii quidem existimabunt secundum verbi communitatem significare vesperam sabbati : sapientiores autem id exaudientes, non hoc, sed profundam noctem esse dicent, tarditatem et longum tempus vespere significante. Et quod noctem dicit et non vesperam, subjungit : Illucescente in unam Sabbatorum, et venerunt, nondum, ut reliqui dicunt, aromata ferentes, sed ad spectandum sepulcrum. Invenerunt autem factum esse terræmotum, et angelum super lapidem sedentem, et audierunt ab ipso, non est hic, surrexit.

ante solis ortum ponere, ostendit;

18 Similiter Joannes : « In una Sabbatorum, » inquit, « Maria Magdalene venit mane, cum essent » adhuc tenebræ, ad monumentum, et videt lapi- » dem sublatum a monumento. » Sed juxta eum « cum adhuc essent tenebræ » præcesserat. Lucas autem dicit : « Sabbato quidem quieverunt secun- » dum præceptum. Una autem Sabbatorum summo » mane ad monumentum venerunt, ferentes, quæ » paraverant, aromata : invenerunt autem lapidem » a monumento revolutum. » Summum mane fortasse matutinum splendorem, qui prius subap- C parat, significat unius Sabbatorum. Et ideo jam perfecte præterito cum tota consequente nocte Sabbato, et alio die incipiente, venerunt, aromata et unguenta ferentes. Unde perspicuum est, quod multo ante resurrexerat. Hoc Marcus quoque sequitur, dicens : « Emerunt aromata, ut venientes » Jesum ungerent, et valde mane unius Sabbato- » rum veniunt ad monumentum, orto jam sole. » Valde enim mane hic quoque dixit, quod idem est ac summo diluculo, et subjunxit, Orto jam sole. Profectio quidem, et iter earum summo diluculo et valde mane incepit; in itinere autem et circa monumentum moram traxerunt usque ad ortum solis; et eis quidem tunc dicit adolescens candidatus : « Resurrexit, non est hic. »

hincque jejunium Paschale ante noctem mediam,

19 Hæc autem cum ita se habeant, illis, qui hoc accuratius subtiliusque considerant, enuntiamus, quota hora, vel etiam semihorula, vel quarta horæ, oportet incipere lætitiam ob Domini a mortuis resurrectionem, et eos quidem, qui nimium festinant, et ante mediam noctem jejunium solvunt, ut negligentes et intemperantes reprehendimus, ut qui propemodum, antequam par sit, cursum abruperint, dicente Viro sapiente, « Non parum est in » vita, quod parum abest. » Eos autem, qui differunt et plurimum perferunt, et ad quartam usque vigiliam fortiter abstinent, in qua etiam Servator in mari ambulans apparuit, ut generosos et laborum tolerantes suscipimus : iis autem, qui interea ut moti sunt, vel, ut potuerunt, quiescunt, non valde molesti sumus, quandoquidem nec sex jejuniorum dies æquali aut simili tolerantia omnes perferunt : sed alii quidem vel omnes transmittunt, jejuni permanentes, alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum. Et iis quidem, qui in illis transmittendis valde laboraverunt, deinde defessi sunt et propemodum deficiunt, ignoscendum est, quod celerius gustent. D

Paschati præviam, non solvendum pronuntiat.

20 Si qui autem non modo non transmissis, sed ne jejunatis quidem, vel etiam in delicatis opiparisque conviviis, consumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos eosque solos extremos dies cum venerint, illis a se cibo non gustato, transmissis Parasceve et Sabbato, magnum quid et egregium se facere existimant, si ad auroram usque permanserint; non existimo, eos ex æquo certamen subiisse cum iis, qui se pluribus diebus prius exercuerunt. Hæc quidem, ut sentio, consulens de hoc scripsi. *Hisce verbis, ac præcipue quidem iis, quæ hoc et præcedenti numero recitata sunt, primus canonicæ* Dionysii *ad Basilidem epistolæ canon concipitur, quo Sanctus, ut apparet, Basilidæ ad quæstionem, quam hic illi proposuerat, unice respondet, jejunium Paschale seu potius ante-Paschale ante* E *noctem mediam, quæ Pascha proxime præcedit, solvendum non esse, nec eos tamen, qui id citius fecerint, violati jejunii reos pronuntiat. Imo eos, qui diuturno jejunio valde attenuati, tantumque non deficientes ante dictum tempus aliquid cibi sumunt, omni prorsus culpa eximit, ignoscendum illis, affirmans. Hinc porro intelligitur, quam severo rigidoque jejunio sese tertio æræ Christianæ sæculo, quo* Dionysius *floruit, ad festivitatem Paschalem digne celebrandam Christiani præpararent. Nec hoc tantum ex laudati canonis verbis discimus; verum etiam non unum eumdemque in jejunando modum ab omnibus fuisse servatum, siquidem alii sex dies integros, Paschati proxime prævios, alii quatuor, alii tres, alii duos, alii nullum ab omni prorsus cibo abstinerent; qua ex inæqualitate, ac præcipue ex eo, quod ne quidem illos, qui nullum omnino diem absque omni cibo jejuni transigerent,* Dionysius *peccati gravis insimulet, concludendum est, rigidum illud plurium dierum jejunium, quo nonnulli tunc sese, ab omni prorsus cibo plurium dierum spatio abstinentes, macerare solerent Christiani, ab his non ex præcepto, sed ex pio erga Dominicam passionem ac resurrectionem devotionis affectu fuisse susceptum. Porro licet* Dionysius, *uti ex jam dictis facile colliges, hic tantum de jejunio arctiori, sex diebus Paschati proxime præ-* F *viis servari sua ætate solito, faciat sermonem, consequens non est, ut tunc, quod nonnulli hæretici contendunt, jejunium quadragesimale non æque ac sex istorum dierum observatum fuerit.*

Secundo canone mulieres, sexui suo consueta patientes, a sacra communione arcendas docet,

21 *Atque hæc sunt, quæ præcipue circa dictum primum canonem annotanda occurrunt. Ad secundum progredior. Hic doctrinam, ut videbimus, minime probandam complectitur. Petierat a* Dionysio *Basilides, an mulieribus, quæ in abscessu sunt, permittendum foret ecclesias ingredi et ad sacram Communionem accedere. Antequam Sancti responsum tradam, quæ illi sint mulieres, in abscessu existentes, significo.* Hebraicæ mulieres, *inquit in Notis ad hanc* Dionysii *epistolam Balsamon,* quando fuerit eis profluvium menstruum, in loco solitario sedentes quiescunt, donec septem dies præterierint, et menstruorum fluxus expurgatus steterit. Unde acceptum est illud; IN ABSCESSU pro eo, quod est, separatas esse ipsas a reliquorum sede, ut immundas. *Interrogatus ergo Sanctus, an mulieribus in abscessu existentibus seu sexui suo consueta patientibus licitum foret ingredi ecclesias, vel ad sacram Communionem accedere, ita respondet :* De Mulieribus autem, quæ sunt in abscessu, an eas sic affectas oporteat, domum Dei ingredi, supervacaneum vel interrogare existimo. Neque enim ipsas, arbitror, si sint piæ et fideles, sic affectas ausuras vel ad

A ad sanctam Mensam accedere, vel Corpus et Sanguinem Domini attingere. Neque enim, quæ duodecim annorum fluxum patiebatur, ipsum Dominum, festinans ad medecinam, tetigit, sed solam ejus fimbriam. Orare enim quomodocumque se habeat aliquis, et utcumque sit affectus, Domini meminisse, et auxilium implorare, non est reprehendendum. Ad Sancta autem Sanctorum, qui non anima et corpore purus est, accedere prohibebitur. *In Sanctus noster, volens, ne mulier sanguinis menstrui tempore ad sacram Eucharistiam percipiendam accedat; quod etiam deinde Græcorum plurimi, veluti Apostolico sancitum canone, mordicus retinuerunt. Verum hæc doctrina, quamquam a summa erga Eucharistiam resque sacras veneratione dictata, nullatenus tamen, quod sine ullo Sancti nostri dedecore dictum sit, potest admitti, eamque, uti mox docebimus, non eo animo, ut admitteretur ab omnibus,* Dionysius *tradidit.*

cui doctrinæ Gregorius Magnus Papa doctrinam

22 *Longe aliter, ac certo consultius ad similem seu potius eamdem quæstionem respondit Gregorius I Papa, cognomento* Magnus. *Petierat ab eo Augustinus, Anglorum episcopus, an mulieri, si menstrua consuetudine teneretur, ecclesiam introire liceret, aut sacræ Communionis Sacramentum percipere. Ad hanc autem quæstionem, seu potius ad*

B *priorem ejus de mulieris, quæ menstruis laborat, in ecclesiam ingressu partem Gregorius quidem (vide Operum ejus, anno 1705 Parisiis recusorum, tom. II, col. 1158 et seq.) hunc in modum respondet :* Mulier dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi ecclesiam intrare non debet : quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet imputari; et per hoc, quod invita patitur, justum non est, ut ingressu ecclesiæ privetur. Novimus namque, quod mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, post tergum Domini humiliter veniens, vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque statim ab ea sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit Domini vestimentum tangere, cur, quæ menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini ecclesiam intrare? Sed dices, illam infirmitas compulit; has vero, de quibus loquimur, consuetudo constringit. Perpende autem, frater carissime, quia omne, quod in hac mortali carne patimur ex infirmitate naturæ, est digno Dei judicio post culpam ordinatum. Esurire namque et sitire, æstuare, algere, lassescere, ex infirmitate naturæ est. Et quid est aliud contra famem alimenta, contra sitim potum, contra æstum auras, contra frigus vestem, contra lassitudinem requiem quærere, nisi medicamenta quædam contra ægritudines explorare?

C Feminis namque et menstruus sui sanguinis fluxus ægritudo est. Si igitur bene præsumpsit, quæ vestimentum Domini in languore posita tetigit, quod uni personæ infirmanti (*infirmæ seu ægrotanti*) conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ suæ vitio infirmantur? *Ita quidem Gregorius ad priorem propositæ quæstionis partem.*

plane oppositam tradit.

23 *Ad secundam autem, qua, an mulieri, quæ sexui suo consueta patitur, ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum liceret accedere, fuerat quæsitum, loco proxime citato sic respondet :* Sanctæ autem Communionis mysterium (*mulier*) in eisdem diebus, *quibus consuetudine menstrua laborat,* percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si perceperit, non judicanda. Bonarum quippe mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est, quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est, ut esuriremus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet, quia naturaliter accidit; sed tamen quod natura ipsa vitiata est, ut etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, ex culpa venit vitium, in quo seipsam, qualis per judicem facta sit, humana natura cognoscat, ut homo, qui sponte culpam perpetravit, reatum culpæ portet invitus.

Atque adeo feminæ cum seipsas considerant in menstrua consuetudine, si ad Sacramentum Dominici Corporis et Sanguinis accedere non præsumunt, de sua recta consideratione laudandæ sunt. Dum vero percipiendi ex religiosæ vitæ consuetudine ejusdem Mysterii amore rapiuntur, reprimendæ, sicut diximus, non sunt. Sicut enim in veteri Testamento exteriora opera servabantur, ita in Testamento novo non tam quod exterius agitur, quam id, quod interius cogitatur, sollicita intentione attenditur, ut subtili sententia puniatur. *Hactenus Gregorius, nonnulla deinde adhuc alia, huc etiam facientia, subjungens, quæ ego, cum res ex jam adductis Gregorii rationibus sat manifesta sit, brevitatis studio omitto.* AUCTORE C. B.

Tertio canone de continentia nuptis, jam senibus, ut orationi vacent, servanda,

23 *Nunc, studiose lector, rationes, quibus Sancti nostri et Gregorii Papæ ad propositam quæstionem responsio fulcitur, æqua lance expende, nec dubito, quin futurum sit, ut Gregorio assentiendum pronunties. Ego interim ad tertium epistolæ ad Basilidem caput, sue canonem procedo. Hoc eadem fere nuptis, jam senibus, quæ generatim Paulus Apostolus epistola 1 ad Corinth. cap. 7 nuptis omnibus, circa continentiam, ut orationi vacent, servandam proponit. His verbis concipitur :* Porro et qui consenuerunt, debent esse sui idonei judices. Quod enim a se invicem ex consensu ad tempus abstinere con- E veniat, ut vacent orationi, et rursus conveniant, Paulum (*loco proxime citato*) dicentem audiverunt. *Balsamon ad hunc canonem sic observat :* Ut est verisimile, fuerat Sanctus interrogatus, an admittat, conjuges, qui consenuerunt, quo tempore debent orare, a conjunctione abstinere, et dicit, quod, qui tales sunt, debent esse sui judices, et aliquando a se invicem, ex consensu, seu ex communi voluntate abstinere; quo scilicet tempore orare statuerunt, cum omni continentia versentur, et rursus simul conveniant. Nam et magnus Paulus hoc statuit. Et canon quidem dicit de iis, qui consenuerunt; est autem etiam intelligendus de omnibus conjugibus. Recte autem dixit : EX CONSENSU : neque enim vir habet sui corporis potestatem, nec mulier, secundum magnum Apostolum. *Ac post pauca :* Dicet autem quispiam, cum canon dicat, separandos esse conjuges, ut orationi vacent; definiat autem Apostolus, non debere sine intermissione orare, semperne oportet, eos, qui cohabitant, abstinere? Sed non de quavis oratione agitur; sed de meliore ac præstantiore, sanctorum scilicet jejuniorum. Nam per Mosem Deus Judæis Divinas voces in monte audituris præcepit, ut propriis uxoribus abstinerent. Et propheta Joel : « Sanctificate, » inquit, jejunium, et exeat sponsus ex cubili suo, F » et sponsa ex suo thalamo. » Cum hæc autem ita se habeant, non video, quibusnam pœnis subjiciantur, qui hæc non servant. *Hactenus laudatus Balsamon; quamvis autem non undequaque recte; recte tamen tandem innuit, pœnis conjugatos non subjici, qui, quæ tertio Sancti nostri canone supra huc transcripto continentur, non servant. Ea enim non præcepti, sed consilii dumtaxat sunt, relinquunturque eorum, quibus proponuntur, arbitrio.*

quarto de eorum, qui noctu pollutionem passi sunt, ad S. Communionem accessu tractat,

23 *Restat, ut de quarto epistolæ ad Basilidem canone nunc agam. Respicit hic eos, qui pollutionem in somno passi sunt. Petierat scilicet a* Dionysio *Basilides, an licitum esset hujusmodi, ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum accedere. Sanctus autem id proprio conscientiæ eorum dictamini relinquit. En verba :* Qui autem in non voluntario nocturno fluxu fuerint, ii quoque propriam conscientiam sequantur, et seipsos, an de eo discernant, an non, considerent. Quemadmodum in cibis, qui discernit, inquit, *S. Apostolus Paulus scilicet ad Rom.* 14, ℣ 23, si comederit, condemnatus est : in his quoque bonæ sit conscientiæ, et libere loquatur secundum propriam cogitationem, qui ad Deum accedit. *S. Gregorius Papa, supra laudatus, ad eamdem quæstionem, quam ei Augustinus, Anglorum episcopus, proposuerat, tomo secundo Operum, loco supra citato, utitur quidem responso*

AUCTORE C. B.

responso longe fusiori, eoque exponit, quo in casu habeat, et quo in casu non habeat conscientiam pollutam, qui pollutionem nocturnam passus fuerit; nihil tamen docet, quod cum Sancti nostri canone proxime recitato pugnet. Interrogatus pater, *inquit de* Dionysio *in Notis ad hunc canonem Balsamon laudatus*, an Sacramentorum debent esse participes, qui involuntarium seminis fluxum passi sunt, dixit, quod, qui hoc passi sunt, judicem habeant propriam conscientiam, ut, si, nulla præcedente animi perturbatione, hoc eis acciderit, natura sua sponte hanc fluxionem tamquam excrementum excernente, non impediantur esse Sacramentorum participes. Si quibus autem ex rationis perturbatione præextitit cupiditas, eamque effluxio consecuta sit, vel cibi potusque intemperantia hoc evenerit, ii puri non sunt, non propter fluxum seminis, (non est enim hoc immundum, sicut nec caro, cujus est excrementum) sed propter malam cogitationem, quæ mentem polluit. Qui est ejusmodi, non habet bonam conscientiam, et non habet ideo potestatem ad Deum, *id est, ad sacram Communionem*, accedendi. *Ita hactenus Balsamon, cujus etiam verba sano sensu accipienda hic esse,*
B *facile ea attentius consideranti patescet.*

tandemque insigni clausula, quæ hic recitatur, finit epistolam,

26 *Ego interim, ut secundum propositum epistolam ad Basilidem integram huc transcribam, quatuor ejus capitibus seu canonibus jam recitatis insignem etiam, qua terminatur, clausulam subjungo. Sic habet* : Has tu quidem nos honorans (non enim ignoras, o dilecte) nobis quæstiones proposuisti, nos ejusdem sententiæ, sicut et sumus, ejusdemque animi simul præparans, *id est, ut opinionum, quæ inter nos etiam est, animorumque concordiam conserves.* Ego autem, non ut doctor, sed ut cum omni simplicitate convenit nos invicem disserere, meam sententiam in commune edidi : quam cum tu examinaveris, fili mi sapientissime, quod tibi justum meliusque apparuerit, vel an sic etiam de his habere existimes, rescribes. Valere te, dilecte fili mi, in pace Domino ministrantem opto. *Ita in epistolæ clausula* Dionysius; *ex qua utique, prout antea fore præmonui, manifestum fit, Sanctum ad propositas a Basilide quæstiones non eo consilio respondisse, ut canones legesve toti Ecclesiæ servandas præscriberet. Cum enim responsa sua alieno arbitrio (vide verba proxime recitata) examinanda atque judicanda reliquerit, apertissime innuit, a se minime damnandos, qui quid illis contrarium definiendum observandumve duxerint. Adhæc in laudata clausula mirifice iterum elucet rara Sancti modestia, cum humilitate conjuncta. In illa enim, magistri auctoritate*
C *sibi minime arrogata, ea animi demissione loquitur, acsi nulla prorsus ex causa responsis suis quidquam deferri, mereretur. Raro interim virtutum merito, cathedræ, quam occupabat, dignitate, doctrina plane insigni, ætate admodum provecta, gloriosa fidei confessione, qua sub Decio et Valeriano inclaruerat, magnum sibi apud omnes nomen, nec parvam auctoritatem compararat.*

cujus quatuor capita in sacros canones a Græcis sunt relata.

27 *Atque hinc verosimillime factum est, ut quatuor* Dionysii *ad Basilidem epistolæ capita supra huc transcripta ab Orientali ecclesia inter sacros disciplinæ ecclesiasticæ canones seu regulas, ut jam ante monui, constanter fuerint relata. De his omni dubio procul Orientales episcopi, qui concilio quinisexto seu Trullano subscripserunt, sermonem faciunt, dum apud Labbeum tom. VI Conciliorum col.* 1141 *ita memorant :* Quin etiam (*suscipimus*) canones Dionysii, qui fuit archiepiscopus magnæ Alexandrinorum civitatis. *Quamvis autem concilium quinisextum seu Trullanum, utpote cui, auctoritate Romani Pontificis non convocato, hujus etiam nomine legatus non præsedit, minime exstiterit legitimum, ex hoc saltem innotescit,* Dionysii *auctoritatem magni ponderis fuisse apud ingentem Orientalium episcoporum numerum, qui dicto conciliabulo reperiuntur subscripti, ut vel hinc pateat, præmemorata quatuor epistolæ* Dionysii *capita sacris disciplinæ ecclesiasticæ canonibus ab ecclesia Græca seu Orientali fuisse accensita, licet interim doctrina, quæ se-* D *cundo canone continetur, approbanda non sit, ut jam supra fuse docuimus. Ceterum Theodorus Peltanus, Societatis Jesu sacerdos, anno* 1580 *Ingolstadii, sub hoc titulo,* Epistola de Resurrectione Dominica et Paschalis jejunii termino, *edidit epistolam,* Dionysii *Alexandrini nomine signatam, hancque deinde Franciscus Combefisius sub eodem titulo in Bibliothecam concionatoriam intulit; notandum autem est, illam ab epistola Sancti canonica, ad Basilidem data, integra huc jam transcripta, distinguendam non esse, quod, cum nonnullis tituli diversitas fucum fecerit, annotare adhuc hic libuit, antequam ad sequens hujus Appendicis caput progrediar.*

CAPUT III.

De duabus Dionysii epistolis, altera ad Theotecnum, altera ad Origenem data, et an hunc Sanctus calamo umquam impugnarit.

Dionysii ad Origenem de martyrio epistola, E

Inter epistolas seu libros libellosve epistolari forma a Dionysio conscriptos recensendus certe est libellus, quem ille ad Origenem de martyrio dedit. Eusebius *lib.* VI, *cap.* 46 *varias enumerans epistolas ac libros, a* Dionysio *scriptos, ita memorat :* Est et libellus (Dionysii *scilicet*) de martyrio ad Origenem scriptus. *Eusebio consonat Hieronymus libro de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, Operibus a* Dionysio *elucubratis librum de martyrio ad Origenem scriptum pariter annumerans, ut dubitandum non sit, quin Sanctus ad Origenem epistolam, quæ de martyrio tractaret, reipsa conscripserit. Causam autem seu occasionem, qua Sanctus dictam epistolam scripserit, ex ipso, quo de hæc scripta fuit, argumento fas est colligere; de martyrio scilicet scripta, tam ab Hieronymo quam ab Eusebio mox laudatis asseritur, ut adeo, quemadmodum unanimi consensu eruditi omnes fatentur, a* Dionysio, *qui Origenis discipulus fuerat, huic in tormentis seu in carcere fidei causa exsistenti scripta fuerit, quo animum magistro suo dolore ac miseria tabescentem relevaret, eique solatii præberet vicem, a quo non semel in obscuris absconditisque rebus optatam lucem acceperat. Verum, quamvis dubium non sit, quin memorata epistola ad Origenem scripta fuerit occasione carceris vinculorumque, quæ is fidei causa passus est, dubitari tamen potest, quo circiter tempore quave in persecutione vincula et tormenta, quorum occasione a* Dionysio *præfatam epistolam acceperit, vir celeberrimus passus sit. Quidquid nonnullis visum fuerit, puto hæc ego, Deciana* F *persecutione sæviente, Origenem passum esse.*

anno 249 aut altero ex binis sequentibus scripta est;

29 *Etenim Eusebius lib.* VI *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 39 *refert, quid varii Decianæ persecutionis furore passi fuerint; de Origene autem ibidem sic scribit :* Porro quæ et quanta Origeni in ea persecutione (*Decii*) acciderint, et quis horum omnium exitus fuerit, dum pessimus dæmon omnes adversus illum (*Origenem*) copias instantius movet, cunctisque machinis ac viribus eum impugnat, et in hunc præ reliquis omnibus, qui tunc temporis appetiti sunt, præcipue irruit : quæ item et quanta propter doctrinam Christi vir ille pertulerit, vincula scilicet et corporis cruciatus, et in intimo carceris recessu ferrei torquis ærumnas, utque multorum dierum spatio pedes in nervo ad quatuor usque foraminum interstitia distenti fuerint; adhæc ignium minas, et quæcumque alia ab inimicis illita fortiter sustinuit, et cujusmodi tandem harum rerum exitus fuerit, judice omnium virium nisu ambitiose contendente, ne illum interficeret : denique quos sermones posthæc quamque utiles iis, qui consolatione indigent, reliquerit, plurimæ ejus epistolæ non minus vere quam accurate commemorant. *Ita hactenus Eusebius, qui Origeni plus æquo hic favere, nonnullis eruditis, nec immerito videtur; Origenes enim non ea animi fortitudine, qua hic scriptor refert, tormenta omnia, quibus sub Decio*

A *Decio tortus est, sustinuit; verum iis superatus, teste Epiphanio, succubuit, lapsusque a martyrii palma descivit. Utut sit, instituti mei non est, rem hanc pluribus discutere. Mihi sufficit, ex allatis Eusebii verbis manifestum esse, Origenem sub Decio gravissime passum esse, diuque in carcere fuisse detentum. Hinc porro, cum Origenes tantum semel tormenta et vincula fidei causa passus fuisse legatur, absque ulla hæsitatione, quod huc potissimum spectat, concludendum arbitror, præmemoratam* Dionysii *ad Origenem epistolam, Deciana persecutione sæviente, scriptam esse, ut adeo, cum hæc sub finem anni* 249 *aut initio sequentis moveri cæperit, annoque* 251 *finem acceperit, epistola illa vel anno* 249 *vel altero ex binis sequentibus exarata fuerit.*

alterius autem, cujus occasione de illa hic tractatur,

30 *Habeo itaque jam tempus, quo illa scripta sit, quam proxime determinatum. Verum, inquies, fuit ergo hæc epistola eo ipso tempore conscripta, quo epistola ad Domitium et Didymum in Commentario memorata, ac proin eo ipso loco, quo ibidem de hac actum fuit, etiam de illa fuisset agendum. Respondeo, idcirco ibidem a me de* Dionysii *ad Origenem epistola actum non esse, quod, quemadmodum in Commentario num.* 98 *jam monui, alia insuper de Origene a* Dionysio *scripta epistola, utpote cujus ignoretur epocha, in hanc Appendicem esset rejicienda, vellemque ea, quæ ad Origenem, veluti a* B Dionysio *Alexandrino scripta, pertinent, sub unum quodammodo aspectum proponere. Itaque, hoc prænotato, de posteriori hac epistola nunc etiam agere aggredior. Cum enim duobus præcedentibus hujus capitis numeris de epocha deque argumento epistolæ, a* Dionysio *ad Origenem in tormentis exsistentem de martyrio datæ, sufficienter actum sit, proximum est, ut et de altera epistola, cujus ea occasione in hanc Appendicem fuit rejecta, nunc agam. Gobarus apud Photium in Bibliotheca codice* 232 *num.* 11 *sic scribit :* Origenem et Theognostum magnus ille Athanasius Alexandrinus in multis libris admittit. Et Titus Bostrorum et Gregorius Theologus in epistolis eumdem Philocalum nominant. Et Nyssenus laudabiliter ejus mentionem facit, et Dionysius Alexandrinus ad hunc eundem scribit, et post mortem illius scribens ad Theotecnum, Cæsariensem episcopum, laudat Origenem, atque Alexander Hierapolitanus, ad Origenem scribens, verbis eum plurimum delinit.

epocha non habetur

31 *Hæc apud Photium Gobarus, luculenter docens, non tantum a* Dionysio *ad Origenem, adhuc in vivis superstitem, datam esse epistolam; verum etiam hunc, jam vita functum, fuisse ab illo, data ad Theotecnum, Cæsariensem antistitem, epistola laudatum. Hinc nonnulli eruditi inferunt, a vero prorsus abhorrere, quod a quibusdam de Tractatu a* C Dionysio *adversus Origenem scripto asseritur. Quid de re hac statuendum sit, hoc præsenti capite indagare proposui. Ante tamen quam id faciam, nulli definito anno aut epochæ eam, quam a* Dionysio *ad Theotecnum datam, verbis proxime recitatis testatur Gobarus, epistolam posse innecti, ostendo, ut sic, cur hæc in hanc Appendicem rejicienda fuerit, studiosus lector perspiciat. Dicta epistola a* Dionysio *ad Theotecnum scripta est vel ante, vel postquam hic jam esset ad Cæsariensem in Palæstina cathedram evectus. Si primum, cum Theotecnus* Dionysio *prope fuerit æqualis et certe ante annum* 250 *floruerit, nulla sane ratione determinari potest, quo circiter anno prælaudata epistola scripta fuerit : quod si autem hanc, ut verosimilius apparet, ad Theotecnum, cum jam Cæsariensis esset creatus episcopus, scriptam velis, nequit etiam, hoc dato, sat certo atque accurate definiri, quo circiter anno fuerit exarata. Primo enim dubium est, quo definito anno Theotecnus ad Cæsariensem cathedram fuerit evectus; secundo inter annum, quo Theotecni ad eam cathedram promotio accidit, et annum* 265, *quo* Dionysius *e vivis excessit, anni aliquot intercesserunt medii, ut etiam in hypothesi, quod Theotecnus, ut nonnulli contendunt, anno circiter* 260 *ad Cæsariensem cathedram fuerit promotus, dubium adhuc futurum sit, quonam determinato anno ex sex annis, qui ab anno* 260 *usque ad annum* 265, *computato utroque extremo, excurrunt, præmemorata epistola scripta sit.*

AUCTORE C. B.

32 *Porro, unde adhuc evidentius patescit, quam dubia sit epocha, ad quam epistola, qua de hic agimus, referenda sit, dubium est, an Theotecnus non citius quam anno* 260 *ad episcopalem dignitatem fuerit evectus. Id hunc in modum ostendo : Eusebius, ubi Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VII, *cap.* 15 *de pace, quam Gallienus, misso ad* Dionysium, *Pinnam aliosque rescripto, supra in Commentario recitato, Ægypti ecclesiis reddidit, sermonem instituit, capite sequenti mox subjungit :* Eadem tempestate Romanæ quidem Ecclesiæ adhuc præerat Xystus; Antiochenam vero post mortem Fabii Demetrianus regebat; apud Cæsaream Cappadociæ Firmilianus; in Ponto Gregorius, fraterque ejus Athenodorus, ambo Origenis discipuli, ecclesias gubernabant. Apud Cæsaream autem Palæstinæ, mortuo Theoctisto, sacerdotium suscepit Domnus. Quo non multo post ex hac vita sublato, Theotecnus, qui ad nostram usque ætatem superfuit, in ejus locum subrogatus est. *Ita Eusebius; quibus verbis, cum ea instituto de pace Ecclesiæ reddita sermoni proxime subjungat, satis aperte indicat, eo ipso tempore circiter, quo ea Ecclesiæ reddita fuit, Theotecnum ad Cæsariensem in Palæstina cathedram fuisse evectum. Quapropter cum a Gallieno pax Ecclesiæ ante annum* 260, *Ægypti vero ecclesiis ante annum* 261 *reddita non fuerit, necesse est, ut ex Eusebii testimonio Theotecnus vel anno* 260 *vel* 261 *circiter Cæsariensis episcopus sit creatus. Verum Eusebius verbis proxime recitatis etiam innuit, Xystum eadem tempestate seu eodem tempore, quo a Gallieno tum in Ægypto, tum alibi ecclesiis pax restituta fuit, Romanæ adhuc Ecclesiæ præfuisse; Xystus tamen quemadmodum in Commentario ad hujus Vitam prævio apud nos tomo II Augusti dilucide probatum invenies, anno* 258, *mense Augusto circiter martyrii palma coronatus, e vita migravit, ut adeo, dum Eusebius verbis supra recitatis indicat, eadem, tempestate, qua a Gallieno pax Ecclesiæ restituta fuit, Xystum Romanæ Ecclesiæ adhuc præfuisse, Theotecnumque ad Cæsariensem cathedram fuisse promotum, vocibus* eadem tempestate *duorum ut minimum vel trium annorum latitudo includatur; unde consequitur, ut ex Eusebii verbis proxime recitatis certum non sit, Theotecnum non prius quam anno circiter* 260 *aut* 261 *episcopum fuisse creatum.*

sufficienter comperta;

E

33 *Jam vero si id certum non sit, nihil obstat, quo minus Theotecnus anno circiter* 258 *aut etiam paulo citius ad Cæsariensem cathedram credatur fuisse promotus, ut proinde incertum plane sit, quo anno circiter præmemoratam ad Theotecnum epistolam, etiam dato, quod hæc ad illum jam episcopum data fuerit,* Dionysius *scripserit. Atque ita quidem jam vides, quantum opinor, erudite lector,* Dionysii *ad Theotecnum epistolam, hujusque occasione etiam alteram, supra plus semel memoratam, quam Sanctus ad Origenem scripsit, in hanc a me fuisse Appendicem non immerito rejectam. At vero, quamvis etiam annus, quo tam epistola ad Theotecnum, quam epistola ad Origenem a* Dionysio *scripta est, definiri accurate posset, non propterea tamen mihi, qui res omnes, quocumque modo ad Origenem* Dionysii *occasione spectantes, sub unum veluti aspectum statui proponere, ratio legitima defuisset, ob quam de dictis binis epistolis in hac Appendice tractassem. Memorandum enim hic etiam est aliquod Opus, quod, veluti a* Dionysio *contra Origenem scriptum, laudari invenio, quodque an* Dionysium *vere habeat auctorem, disceptandi præbet materiem. Quapropter cum de hoc Opere, secundum ea, quæ me facturum, supra spopondi, hic in Appendice sit agendum, fuisset sane, cur et in hac, spectato instituto meo, de binis dictis epistolis a me ageretur, etiamsi harum epocham apprime habuissem compertam. Hisce jam præmissis, ad Opus, quod veluti a* Dionysio *contra Origenem scriptum laudari invenio, sermonem converto.*

fuissetque, etiam hoc non posito, de binis istis epistolis hic agendum ratione Operis,

F

AUCTORE C. B. *ex quo locus Dionysii contra Origenem citatus invenitur.*

34 *Gretserus, Societatis nostræ sacerdos, centum et quinquaginta quatuor de variis argumentis Quæstiones, totidemque ad has Responsiones sub nomine Anastasii Sinaitæ, patriarchæ Antiocheni, publicam in lucem typorum beneficio emisit, hæque deinde cum Annotationibus, a Gretsero subinde adjectis, in tomum nonum Bibliothecæ Patrum fuerunt illatæ. In responsione autem ad harum quæstionum vigesimam tertiam, in qua de paradiso terrestri disseritur, citatur locus* ex Dionysii Alexandrini Scriptis contra Originem, *Græce* ἐκ τῶν κατ' Ὠριγένους, *adeo ut, si recte ibidem, et quidem ab Anastasio Sinaita, citetur* Dionysius, *necesse sit, eum Opus aliquod contra Origenem ejusve errores elucubrasse. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum* 248 *num.* 4 *sic scribit :* Eo (*Heracla patriarcha Alexandrino*) extincto, cum in locum ejus suffectus Dionysius esset; licet ejusdem Origenis olim fuisset discipulus, attamen veritatis ardore æstuans, nullam ejus rei ducens rationem, et Deo cuncta posthabens, ipsum Origenem, qui jam scripta sua multis erroribus aspersa evulgarat, cœpit acriter impugnare, et in multis hæreseos accusare. *Hæc laudatus eruditissimus Annalium Ecclesiasticorum parens, qui proinde præmemoratas quæstiones, Anastasio Sinaitæ a non paucis adscriptas, verosimillime viderit, atque una in harum vigesima tertia locum* B *ex Opere a* Dionysio *Alexandrino adversus Origenem scripto citari ac transcribi observarit. Etenim, cum ipsemet nullam prorsus rationem afferat, ob quam Origenem a* Dionysio *oppugnatum, verbis proxime recitatis affirmet, non video, qua alias ratione nixus hoc vir eruditissimus asseverare, potuerit.*

Etenim, quamvis quidem ex veneratione, quæ Dionysius observavit Origenem,

35 *Utut sit, plures interim sunt, qui nec Baronii auctoritate, nec* Dionysii *loco, in memorata quæstione* 23 *citato, moventur, ut* Dionysium *adversus Origenem Opus aliquod exarasse, in animum inducant. Etenim, ut aiunt, Origenes, quoad vixit, summopere fuit a* Dionysio *observatus, jamque vita functus etiam laudatus. Hoc autem probant, partim ex Sancti ad Origenem de martyrio epistola, partim ex altera ejusdem ad Theotecnum, Cæsariensem episcopum, epistola supra hic pariter memorata, in qua Origenem post mortem a* Dionysio *fuisse laudatum, a Gobaro diserte asseritur. Quod ad me pertinet, verosimilius sane existimo, numquam Opus aliquod a Sancto adversus Origenem fuisse conscriptum. Verum id ego nec ex veneratione, qua hunc in vivis superstitem coluit, nec ex laudibus, quibus vita functum prosecutus est, satis probatum puto. Etenim duo hic potissimum distinguenda sunt, persona scilicet Origenis, admissique ab eo in scriptis errores. Personam autem viri, utpote quem olim habuisset* C *magistrum, impense, quoad hic vixit, venerari atque observare Sanctus potuit, illiusque nihilominus errores rejicere, atque etiam scriptis impugnare, ut adeo ex observantia, qua erga Origenem viventem* Dionysius *fuit, concludi non posse videatur, eum adversus ejus, etiam adhuc viventis, errores scriptis editis non certasse. Sed fac tamen, inde sequi,* Dionysium *contra errores Origenis, cum hic etiamnum in vivis esset, nihil omnino movisse, id tamen ab eo post Origenis obitum factum non esse, utique ex laudibus, quibus Origenem in epistola ad Theotecnum scripta prosecutus a Gobaro asseritur, neutiquam evinces.*

nullum contra hunc Opus ab illo esse scriptum, certum non sit,

36 *Etenim nihil omnino obstat, quo minus Sanctus errores Origenis scripto edito confutasse, hunc-que simul ob rarum ingenii acumen, eximias animi dotes, aliasque ob causas laudasse, credatur. Sic S. Hieronymus in suis Operibus (vide de eo apud nos tom. VIII Septembris Commentarium historicum) Origenem tum ob ingenii præstantiam, tum ob indefessam in sacrarum Litterarum studio diligentiam laudibus sæpissime effert, nec propterea tamen ejus errores, siquando id argumenti, quod tractat, ratio requirit, confutare omittit. Sic ipsemet* S. Dionysius *in suis de Promissionibus libris Nepotem, qui Arsinoitas in erroneam de terreno Christi regno, mille annis post resurrectionem duraturo, opinionem pertraxerat, impense laudat, ejusque nihilominus errores in illis ipsis libris confutat.* Laudo, *inquit* D *in secundo e dictis de Promissionibus libris apud Eusebium Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VII, *cap.* 24. Nepotem ac diligo, cum propter fidem, tum ob diligentiam et studium Scripturarum; postremo ob psalmorum cantus multiplices, quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere delectantur, magnoque honore ac reverentia hominem prosequor, vel ob id maxime quod ex hac vita migravit. *Ea veneratione, ea laudum, ut ita dicam, profusione* Dionysius *de Nepote, jam vita functo, loquitur eo ipso loco, quo ejus errores, Opere hunc unice in finem elucubrato, confutat, ut adeo ex laudibus, quibus Sanctus, teste apud Photium Gobaro, Origenem, jam vita functum, prosecutus est, certo concludi non valeat, nullum a* Dionysio *Opus adversus Origenis errores, cum hic jam e vivis excessisset, fuisse exaratum.*

an tamen Sanctus contra Origenem scripserit, ob Operis, in quo solo id fecisse innuitur,

37 *Verum, inquies, si neque ex veneratione, qua Originem adhuc vivum observavit* Dionysius, *neque ex laudibus, quibus eum jam mortuum prosecutus est, concludi queat, nullum ab illo adversus hunc, etiam vita functum, Opus fuisse conscriptum, qua tandem ratione id a Sancto etiam tum factum non esse, verosimilius evadet? Respondeo :* Dionysium *adversus Origenem sive adhuc vivum sive jam mortuum, non scripsisse, verosimilius autumo tum ex* E *eo, quod quæstiones supra laudatæ, ex quarum una ratione loci ex* Dionysio *adversus Origenem in ea citati, solummodo eruitur oppositum, fidem integram non mereantur; tum ex eo, quod Socrates in Historia sua Ecclesiastica ea tradat, ex quibus, si modo veritati certo congruant, necessario est consequens, ut* Dionysius *Origenem ejusve errores nullo umquam Opere impugnarit. Duo itaque hic, quæ ad opinionem nostram, qua* Dionysium *adversus Origenem non scripsisse, verosimilius arbitramur, stabiliendam conducunt, paulo accuratius discutienda sunt. Ab infirma Quæstionum memoratarum fide demonstranda incipio. Titulum hunc apud Gretzerum, primum earum ex Bibliotheca Augustana editorem, sibi habent præfixum :* Liber, qui vocatur Ὁδηγός, hoc est, dux viæ. Sancti patris nostri Anastasii Sinaitæ, episcopi Antiocheni, interrogationes et responsiones de diversis capitibus a diversis propositæ. Solutiones non ex scipso, sed ab experientia et ex sacris Litteris desumpsit. *Itaque secundum hunc titulum Anastasius Sinaita simul et Quæstionum, de quibus hic disserimus, et libri, qui vocatur* Ὁδηγός *seu* Dux viæ, *est auctor, fuitque Antiochenus episcopus. Verum Henschenius noster ad vigesimam primam Aprilis in duobus Anastasiis, altero presbytero, altero patriarcha Antiocheno, dilucide* F *probat, Anastasium Sinaitam, qui libri,* Ὁδηγός *inscripti, auctor est, quique sæculo sexto senescente floruit, ab Anastasio, patriarcha Antiocheno, qui eodem circiter tempore Antiochenæ ecclesiæ præfuit, esse distinctum, ut adeo vel ex ipso titulo, quem Quæstiones præferunt, fides earum non parum infirmetur.*

fidem semper admodum, quomodocumque

38 *Verum hæc multo magis infirmatur ex iis, quæ de illis Quæstionibus laudatus Henschenius in duobus Anastasiis num.* 17 *observat.* In illis etiam quæstionibus, *inquit*, citantur canones synodi quinisextæ sive Trullanæ, Constantinopoli anno DCCVII conditi, integro scilicet seculo post utriusque Anastasii (*Sinaitæ scilicet et patriarchæ Antiocheni*) mortem : citatur etiam S. Nicephorus, patriarcha Constantinopolitanus, quem mortuum esse DCCCXXVIII, ostendimus ad ejus Vitam XIII Martii : citantur denique Olympiodorus, qui ad decimum seculum spectat, S. Maximus, monachus et martyr, Moschus et alii, (*utroque Anastasio*) juniores omnes. Demum ad quæstionem 117 respondetur sub finem, tunc septingentesimum annum agi, quod Ariani sint expulsi ex Locis sanctis, eaque a Barbaris esse occupata, ut mirum non sit, si tot errores posterorum Græcorum sint infarti his quæstionibus et responsionibus, quas eliminandas omnino judicamus e Catalogo tractatuum, tam eorum, quos S. Anastasius Sinaita, quam quos

Anastasius

A Anastasius Antiochenus composuit. *Hactenus Henschenius, ex personis potissimum, utrique Anastasio, Sinaitæ scilicet et Antiocheno ætate posterioribus, quæ in Quæstionibus præfatis memorantur, non immerito concludens, Opus illud nec Anastasium Sinaitam, qui sæculo septimo, nec Antiochenum, qui præcedenti obiit, habere auctorem, ut adeo, cum auctoris non parum junioris fœtus esse debeat, fides illius in narratione eorum, quæ ante utriusque laudati Anastasii ætatem facta sunt, plurimum infirmetur.*

Illud considerétur, sublestam dubium adhuc manet;

39 *Quod si reponas, Opus illud, licet ab Anastasiis, vel Antiocheno, vel Sinaita primo concinnatum, a posterioris ævi scriptoribus fuisse deinde interpolatum, hincque esse, cur in eo personæ, quæ utrique laudato Anastasio ætate posteriores sunt, subinde laudentur; respondeo : sit ita; nec sic tamen pro fide integra dicto Operi vindicanda quidquam habebis. Cum enim præter ea, quæ verbis proxime recitatis recenset Henschenius, plura adhuc alia, quæ auctorem utroque laudato Anastasio juniorem requirunt, ex eruditorum judicio contineat, oportet sane, ut plane insigniter sit interpolatum, saltem quantum ad ea, quæ utriusque Anastasii ætate sunt posteriora. Hinc porro dubium fit, an pariter interpolatum non sit quantum ad ea, quæ utroque Anastasio anteriora sunt habenda. Jam vero, cum id ita*

B *sit, dato etiam, illius Operis seu laudatarum 154 quæstionum totidemque ad has responsionum auctorem vere esse Anastasium sive Sinaitam sive Antiochenum, sciri tamen necdum potest, quid in illis, sive de re Anastasiis anteriori, sive de re his posteriori sermo sit, ad alterutrum Anastasium, veluti primævum auctorem; quid contra ad ævi posterioris scriptorem seu potius interpolatorem pertineat, ut adeo, quocumque demum modo quæstiones illæ considerentur, fidem integram atque indubitatam non mereantur, ac proin ut nominatim, cum dictus locus in harum vigesima tertia, ex Opere a* Dionysio *adversus Origenem scripto citatus, a posterioris ævi scriptore, rei non satis gnaro, forsan sit infartus, dubium adhuc maneat, an* Dionysius *umquam adversus Origenem calamum vere strinxerit.*

quod dubium etiam ex iis, quæ scribit Socrates, augetur;

40 *Porro hoc dubium non parum augetur ex iis, quæ Socrates de auctoribus, qui contra Origenem primi scripserunt, memoriæ prodit. Hæc, cum de infirma Quæstionum præfatarum fide jam satis actum sit, discutienda nunc sunt. Socrates, qui sæculo quinto provecto floruit, atque a judicio et accuratione per nonnullos laudatur, Historiam Ecclesiasticam contexuit, resque in ea a Constantini Magni imperii primordiis usque ad annum 439 gestas, nonnullas subinde observationes his immiscens,*

C *septem libris est complexus. Horum autem sexto, cap. decimo tertio sic scribit :* Sed quoniam qui obtrectandi studio ducuntur, plurimos seduxerunt, ab Origenis lectione velut impii eos avertentes; non incommodum fore arbitror, pauca de illis disserere. Viles homines et obscuri, qui per se ipsi inclarescere non possunt, ex potiorum vituperatione famam aucupari conantur. Laboravit hoc modo primum Methodius, Olympi Lyciæ civitatis episcopus. Deinde Eustathius, qui exiguo Antiochensem ecclesiam rexit tempore. Post hunc Apollinaris, ac postremo Theophilus. Hæc est quadriga maledicorum, qui non eadem incedentes via, Origenem calumniati sunt. Alius enim alia de causa ad accusationem ejus prorupit; quo facto singuli satis declararunt, se omnino probasse ea, quæ minime reprehendissent. Nam quoniam alius aliud dogma singillatim refutare aggressus est, perspicuum est, singulos pro vero admisisse id, quod minime insectati sunt, tacite scilicet comprobantes ea, quæ non exagitabant. Methodius quidem cum in libris suis Origenem diu multumque insectatus fuisset, postea tamen quasi palinodiam canens, in dialogo, quem Xenonem inscripsit, summa eum admiratione prosequitur. *Ita Socrates, multa quidem, quæ hujus loci non est discutere, affirmans; verum simul, quod huc spectat, apertissime docens, Methodium, Olympi in Lycia episcopum, primum fuisse, qui adversus Origenem calamum strinxerit. Quapropter, cum Methodius, qui circa annum 303, Diocletiano Ecclesiam persequente, martyrio coronatus est, sæculo tertio ad finem jam fere provecto præcipue floruerit, nec ante annum 280 scriptis inclaruisse videatur, consequens est, ut ex Socratis testimonio nemo ante hoc tempus scripto adversus Origenem decertarit, ac proin ut* Dionysius, *utpote anno 263 vita functus, nullum adversus illum Opus elucubrarit.*

AUCTORE C. B.

41 *Verum, inquies, Socrates erga Origenem exstitit justo propensior, ut non immerito quis suspicetur unum forte aut alterum, etiam Methodio antiquiorem, scriptorem, qui adversus Origenem scripserit, silentio ab illo esse suppressum. Fateor : Socrates, uti ex ejus verbis proxime huc transcriptis, præcipueque ex modo, his expresso, quo de Methodio, sancto Martyre, in Origenis favorem loquitur, manifestum est, in Origenem, ne amplius aliquid de homine hæreseos nonnullis etiam suspecto dicam, extra omne dubium fuit æquo propensior, hincque etiam partim est, cur, spectato etiam Socratis testimonio, pro prorsus indubitato non habeam,* Dionysium *adversus Origenem non scripsisse. Accedit, forte Socratem, quod alterum est, ob quod istud pro indubitato non habeam, omnes libros, a* Dionysio *conscriptos,*

D *qui magno numero fuerunt, non habuisse perspectos, ut adeo, etiamsi Socrates primos auctores, qui contra Origenem scripsere, bona fide recensere voluisse credatur, ex ejus testimonio, supra transcripto, certum omnino non sit, a* Dionysio *contra Origenem nullum Opus fuisse exaratum. Itaque, cum ex Quæstionibus supra laudatis,* Dionysium *contra Origenem scripsisse, certum atque indubitatum, ut probavimus, esse non possit; ex Socrate autem certum omnino atque indubitatum etiam non evadat oppositum, rem ego totam studiosi lectoris judicio permitto, dixisse contentus, postremum hoc, quod ex Socrate eruitur, idque ob hujus auctoritatem, aliaque num. 38 et seqq. disputata mihi longe apparere verosimilius.*

imo, omnibus perpensis, Dionysium contra Origenem non scripsisse, verosimilius apparet.

CAPUT IV.

An Sanctus concinnarit Scholia in Opera, quæ sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur.

Verba, quibus a nonnullis S. Anastasius Sinaita, E

Plures esse antiquos auctores, qui Dionysium *Alexandrinum episcopum, in libros, Dionysii Areopagitæ nomine circumferri solitos, composuisse scholia affirmant, plerique ex iis, qui dictos libros Areopagitæ attribuendos censent, pro uno e præcipuis opinionis suæ fundamentis habent. Inter auctores autem, quos id affirmare contendunt, præcipui sunt S. Anastasius, cognomento* Sinaita, *et S. Maximus martyr. His addi queunt Nicetas Choniates et Joannes Cyparissiota, qui cognominatus fuit* Sapiens. *Horum quatuor, omniumque aliorum, qui* Dionysium *in Areopagitæ Opera scripsisse scholia affirmare dicuntur, antiquior est S. Anastasius Sinaita. Floruit hic sæculo sexto senescente, sæculoque insequenti e vivis excessit. Inter varia, quæ elucubravit Opera, librum concinnavit, quem Ὁδηγόν, id est,* Ducem viæ *inscripsit. Exstat hic in tomum nonum Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis illatus. Illius autem cap.* 22 *Anastasius hæc memorat :* Idem divinus et apostolicus Dionysius (*Areopagita scilicet*) nominat supernas Virtutes multas substantias. At Magnus Dionysius Alexandrinus ex rhetorum numero episcopus factus, in Scholiis, quæ scripsit in sibi cognominem Dionysium, hæc habet : Externa philosophia ingenitam appellare solet omnem inaspectabilem, similiter et hypostases substantias. Ex cujus more S. Dionysius his locis est locutus. Improprie nimirum has voces usurpans,

S. Maximus martyr, Nicetas Choniates

S. Maximus, qui sæculo septimo floruit, Scholia in Cælestis Hierarchiæ libros sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferri solitos composuit; in Scholiis

AUCTORE C. B.

Scholiis autem ad caput 3 *Cælestis Hierarchiæ sic habet :* Cur porro cum Ecclesia doceat, omnes sanctos angelos unius esse substantiæ, D. Dionysius (*Areopagita nimirum*) multas virtutes nominat? Magnus ille Dionysius Alexandriæ episcopus et orator in Scholiis, a se in beatum Dionysium sibi cognominem concinnatis, notat, externam philosophiam solere naturam omnem invisibilem ingenitam vocare, uti et essentias supposita ; atque hinc ait, abusive voces istiusmodi a sancto Dionysio fuisse usurpatas. *Nicetas Choniates versus annum* 1200, *Joannes Cyparissiota, cognomento* Sapiens, *sæculo duodecimo aut decimo tertio floruit, ut adeo ambo a* S. Dionysii, *Alexandrini episcopi, ætate remotiores sint, quam ut rebus, quas de illo narrare videntur, fidem certam facere queant. Cum nihilominus eorum testimonium etiam hic usui sit futurum, verba, quibus utrumque concipitur, pariter huc transcribo. Apud Nicetam Choniaten lib.* II *Thesauri cap.* 13 *hæc sunt :* Dionysius quoque Alexandrinus, ille rhetor, in Scholiis, quæ in sibi cognominem Areopagiten edidit, ait : Ingenitum apud externos seu profanos philosophos omnem naturam significare, quæ sub aspectum non cadit. Adhæc essentias B quoque pro hypostasibus apud eosdem usurpari.

et Joannes Cyparissiota Scholia, a Dionysio in Areopagitam scripta, laudare putantur.

44 *Apud Joannem Cyparissiotam vero decade* 1, *cap.* 1 *ista leguntur :* Dionysius (*Areopagita scilicet*) in epistola ad Titum episcopum sic ait : Ceterum hoc advertendum est, duplicem esse traditionem theologorum, unam arcanam et mysticam; alteram vero philosophicam et demonstrantem : illam quidem symbolicam et ad mysteria pertinentem; hanc vero apertam et manifestiorem. Estque arcanum sive mysticum cum symbolo implicatum et connexum; illud quidem philosophicum et demonstrans fidem facit, et astringit veritatem eorum, quæ dicuntur : illud vero arcanum et mysticum afficit, et in Deo ταῖς ἀδιδάκτοις μυσταγωγίαις firmat. Hoc dictum S. Maximus, et Dionysius Alexandrinus annotarunt. Maximus etc. Dionysius vero Alexandrinus, Theologia, inquit, philosophica et demonstrans fidem facit, et astringit veritatem, id est, eorum, quæ dicuntur, veritatem tamquam sigillo quodam obsignat, et tamquam vinculo colligat et efficit, ut, qui audiunt, credant. Altera vero pars theologiæ, quæ symbolica est, per ea, quæ fiunt, adjungit ad Deum quodam ipsius rei habitu et informatione, quod quidem vocavit ἀδιδάκτους μυσταγωγίας. *Hactenus Joannes Cyparissiota, qui, quamquam Scholia a* Dionysio *scripta aperte non nominet, ea tamen designare videtur, cum a nemine ullum aliud Opus a* Dionysio *in Areopagitam scriC ptum memoretur.*

Hæc tamen Sancto abjudicant multi; at non omnes eadem via.

45 *Atque ita jam habes, erudite lector, quatuor antiquorum scriptorum testimonia, ex quibus plerique, qui libros, sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferri solitos, pro genuinis habent hujus Operibus, certissime confici putant,* Dionysium *Alexandrinum in illos Areopagitæ libros scholia scripsisse. Discutiamus modo, an hæc illorum opinio pro certa atque indubitata debeat haberi. Omnes omnino, qui præmemoratos libros Dionysio Areopagitæ abjudicant, scholia in hos a* Dionysio *Alexandrino esse scripta, inficiantur. Imo sunt etiam, qui hæc, veluti* Dionysio *Alexandrino falso supposita, rejiciunt, quamvis interim Opera, quæ Dionysii Areopagitæ nomine notantur, huic, veluti germano eorumdem auctori, adscribenda, præfracte contendant. Hos inter unus est Halloixius, Societatis Jesu sacerdos, in suis de vita et Operibus S. Dionysii Areopagitæ Quæstionibus. Verum hi non unam eamdemque omnes, qua hujusmodi scholia* Dionysio *Alexandrino abjudicent, viam ineunt. Alii enim affirmant, Dionysium, qui ab Anastasio Sinaita, aliisque jam memoratis, scholia in Dionysium, sibi cognominem composuisse asseritur, non pro* S. Dionysio, *Alexandrino episcopo, sed pro antiquo quodam rhetore seu oratore, qui a Sancto nostro sit diversus, esse accipiendum, sicque Anastasium Sinaitam, qui et aberrare fecerit Maximum, a vero deflectere, dum prælaudata scholia* S. Dionysio *Alexandrino adscribit, aut certe* D *Opus, quod* Dux viæ *inscribitur, falso Anastasio esse suppositum.*

Alii enim admittunt Scholia a Dionysio in sibi cognominem scripta;

46 *Alii contra a* Dionysio *Alexandrino scholia in Dionysium sibi cognominem scripta contendunt, verum per hunc non Dionysium Areopagitam, sed alterum quemdam cognominem, Dionysium forte Corinthiorum episcopum, sæculo æræ Christianæ secundo scriptis etiam clarissimum, intelligunt. Omnium, qui hoc postremum contendunt, antesignanus videtur laudatus Halloixius. Hic Opera, quæ Dionysii Areopagitæ nomen præferunt, a nullo sancto Patre ante congressum, anno* 553 *Orthodoxos inter et Severianos Constantinopoli habitum, fuisse umquam citata, nedum scholiis Commentariisve illustrata contendit; hincque est, cur præmemorata Scholia* Dionysio *Alexandrino abjudicet; Quæstionum autem supra memoratarum secunda in argumentis adversæ partis ad S. Maximi testimonium (quod enim ex S. Anastasio Sinaita pariter huc transcripsimus, non attingit) ita respondet :* Quod vero etiam dicitur S. Dionysius Alexandrinus, Origenis discipulus, Scholia in Dionysium Areopagitam scripsisse, et auctoritate probatur S. Maximi, vana est probatio. Nec enim dicit sanctus Maximus, eum scripsisse Scholia in Dionysium Areopagitam, sed in Dionysium sibi cognominem. Tales autem fue- E runt multi. Nam et fuit Dionysius, Corinthiorum episcopus, et Dionysius, Papa Romanus, ambo insignes scriptores, et quidam fortasse alii, ita ut non possit certo dici sanctus Maximus de Areopagita loqui, et ego contra possim ex eodem S. Maximo probare planissime, ipsum de alio, quam de Areopagita ibi scribere.

ast per hunc non Dionysium Areopagitam,

47 *Ita præfatur Halloixius; ut autem, quod se planissime probare posse asserit, reipsa etiam probet, verbis S. Maximi, quæ num.* 43 *recitavimus, Græce et Latine transcriptis mox subdit :* Cur autem S. Maximus in his verbis per B. Dionysium sibi cognominem non videatur intelligere S. Dionysium Areopagitam, hæ sunt præcipuæ rationes : prima : Si Areopagitam intellexisset, potius, ut fert scriptorum consuetudo, sic (*vide verba S. Maximi num.* 43 *huc transcripta*) locutus fuisset : IN NOTIS, QUAS SCRIPSIT IN HUNC IPSUM DIONYSIUM. Agebat enim tum de Dionysio Areopagita. Secunda : Quia sanctus Maximus in sua Apologia pro scriptis Areopagitæ, sive in Præfatione ad sua in Dionysium Scholia, cum respondet ad illam adversariorum objectionem, quod nec Eusebius Pamphili, nec Origenes scriptorum Dionysii meminerint, sine dubio, si scivisset, Dionysium Alexandrinum Origeni æqualem et Eusebio superiorem, conscripsisse F Scholia in Areopagitam, nullo modo reticuisset, sed dixisset : Quamvis Origenes et Eusebius non meminerint Areopagitæ, tamen sanctus Dionysius Alexandrinus, qui uno prope seculo vincit Eusebium et ætate vixit Origenis, non tantum ejus meminit, sed etiam in eum Scholia conscripsit. Qua responsione procul dubio cunctis adversantibus ora conclusisset. Atqui nihil tale dixit, sed fassus est, neque Origenem, neque Eusebium, neque ullum antiquorum Patrum fecisse librorum Areopagitæ mentionem; tantumque pro excusatione attulit, Origenem vix auctorum quatuor meminisse; Eusebium autem non tantum præteriisse Areopagitam, qui Athenarum episcopus fuit, sed etiam Hymenæum et Narcissum suæ regionis scriptores, qui Hierosolymis sacerdotes fuerunt.

sed alium quemdam Dionysium designari contendunt.

48 *Hactenus laudatus Halloixius, duas has diversas, ut ex Maximi verbis supra recitatis pro Scholiis jam sæpius laudatis* Dionysio *Alexandrino vindicandis nihil omnino haberi, ostendat, responsiones in medium adducens. Ultima ex his, ut mihi equidem apparet, invicte probat, S. Maximum pro indubitato non habuisse, a* Dionysio *Alexandrino in Dionysium Areopagitam Scholia fuisse conscripta ac proin etiam Areopagitam, veluti in quem hæc a Sancto nostro scripta sint, a Maximo non designari. Quod vero pertinet*

A *pertinet ad primam, ea id, quod vult Halloixius, non æque indubie evincit. Etenim quamvis Maximus, seu potius Anastasius Sinaita, ex quo Maximus verba sua supra recitata transcripsisse videtur, eo modo, quo num. præcedenti ait Halloixius, distinctius accuratiusque, ut Dionysium Areopagitam indicaret, locuturus fuisse videatur, fieri nihilominus potest, ut summam illam in loquendo accurationem Anastasius non sectatus, eo nihilominus, quo locutus est, modo Dionysium Areopagitam designare voluerit; quamvis interim per* Dionysium, *in cujus libros* Dionysium *Alexandrinum Scholia scripsisse, affirmat, non Areopagitam, sed alium forte intelligat, ut vero non esse absimile, præsenti capite ostendam. Ante tamen, quam id faciam, lubet discutere, qua ratione alii, qui ab Anastasio Sinaita, hunceque secuto Maximo per verba supra recitata certissime non alium Dionysium, quam Areopagitam designari contendunt, Anastasii et Maximi auctoritate non moveantur, ut Scholia a* Dionysio *Alexandrino in Areopagitam composita, affirment.*

Alii contra Scholia in Areopagitam, non a Sancto, sed a rhetore illi cognomini scripta esse, statuunt;

49 *Nicolaus le Nourry Ordinis S. Benedicti presbyter et monachus in Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum col.* 174, *Dissertatione decima de S. Dionysii Areopagitæ Operibus, certum videri affirmat, Scholia, quæ verbis supra recitatis Anastasius Sinaita et Maximus memorant,* Dionysii *Alexandrini fœtum non esse; hoc autem sic probat :* Eusebius etenim, *inquit,* atque Hieronymus, qui B Alexandrini hujus patriarchæ (*sancti* Dionysii) Opera diligentissime recensuerunt, nullam omnino horum Scholiorum fecerunt mentionem. Quid quod Anastasius (*Sinaita nempe*) ac post eum Maximus hunc Dionysium (*qui memorata Scholia concinnavit*) ex rhetorum numero episcopum fuisse aiunt : At Magnus Dionysius, verba sunt Anastasii, ex rhetorum numero episcopus factus, in Scholiis etc. Maximus vero ἀπὸ ῥητόρων etc. Atqui Dionysius antequam in episcopum Alexandrinum esset adsumptus, non Rhetoricam profitebatur, sed catecheses apud populum Christianum habebat. Quid ergo inde aliud colligas, quam hæc Scholia conscripta fuisse a quodam rhetore, nomine Dionysio, quem Anastasius et Maximus Patriarcham Alexandrinum esse, falso arbitrati sunt. Neque vero in hoc tantum erravit Anastasius; nam ut cætera taceamus, in eodem Opere, *quod* Dux viæ *inscribitur, cap.* 7, Augustinum pro Christo sanguinem suum fudisse, adfirmat : « Facessat, » inquit, « Augustinus, qui suo sanguine in scriptis duas in » Christo naturas consignavit. » *Ita laudatus le Nourry præcipue ex titulo* Rhetoris *seu* Oratoris, C *quo ab Anastasio Sinaita et Maximo Dionysius, Scholiorum in Dionysium Areopagitam concinnator insignitur, concludendum indicans, Scholiasten illum, seu eum, qui Scholia in Dionysium Areopagitam composuit, non fuisse* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, sed artis Oratoriæ professorem, Dionysii nomine vocatum, errasseque Anastasium et Maximum, dum hunc* Alexandrini episcopi *titulo ornarunt.*

verum hoc ex rhetoris titulo, qui Dionysio Scholiorum auctori adjungitur,

50 *Verum non video, qui id ex titulo* Rhetoris, *qui* Dionysio *Scholiorum concinnatori tribuitur, possit concludi. Etenim* Rhetor *est vocabulum Græcum, quod inter alia a Græcis ad significandum vel sacræ Scripturæ interpretem vel præconem sacrum etiam subinde acceptum invenitur.* Rhetoris, *inquit de officialibus palatii Constantinopolitani et de officiis magnæ ecclesiæ cap.* 1, *Pentade quarta num.* 22 *Codinus,* munus est Scripturas interpretari. *Apud Stephanum Gerlachium in epistola ad Crusium, edita a Davide Chytræo in lib. de Statu Eccles. Orient., Joannes Zygomalas inscribitur magnæ Constantinopolitanæ ecclesiæ* Rhetor, *id est verosimillime, vel præco sacer, vel sacrarum Litterarum interpres. Theodorus Balsamon in prima ad propositas sibi quæstiones responsione seu meditatione S. Paulum Apostolum eodem sensu sacrarum Dei Ecclesiarum* Rhetorem *appellat, ut eodem etiam sensu Anastasius et Maximus Dionysium, Alexandrinum episcopum,* Rhetorem *appellare potuerint; quod scilicet, cum nondum creatus episcopus celebri Alexandrinæ catechesεων scholæ fuerit præfectus, divini verbi præconem, sacrarumque Litterarum interpretem, quo munus sibi injunctum sedulo expleret, Alexandriæ etiam egerit. Non est ergo, cur ex eo, quod* Dionysius *Scholiorum in Areopagitam concinnator, ab Anastasio et Maximo* Rhetor *seu* Orator *vocetur, quispiam existimet, Scholiasten illum a* Dionysio, *Alexandrino episcopo, esse distinguendum, perperamque illum ab Anastasio et Maximo hocce dignitatis titulo ornari. Adhæc* Dionysius, *antequam celebri cathechesεων scholæ Alexandriæ præficeretur, rhetorices artem, ut in Commentario docui, fuerat professus, hincque ab Anastasio et Maximo e rhetore, non quidem proxime, sed media catecheticæ scholæ præfectura, Alexandrinus dici potuit factus episcopus.*

AUCTORE C. B.

minime evincitur.

51 *Verum, inquies, Nicetas Choniates et Joannes Cyparissiota (vide utriusque hujus scriptoris verba supra huc transcripta) nuspiam Dionysium, quem in Dionysium sibi cognominem scripsisse Scholia seu Annotationes, innuunt. Alexandrinum episcopum vel patriarcham appellant, ut adeo Dionysium, Dionysii Areopagitæ scholiasten, a Sancto nostro, Alexandrino episcopo, distinguant.* Joannes Cyparissiota decade 1, cap. 1 *(inquit tom. III Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis, in Notis ad* S. Dionysium *Alexandrinum Turrianus)* adducit verba *(vide hæc num. 44 huc transcripta)* Dionysii Alexandrini ex Annotationibus in Dionysium Areopagitam; sed hic Dionysius, qui scripsit Scholia in Dionysium Areopagitam, a Niceta Choniate *(vide hujus verba num. 43 pariter huc jam transcripta)* lib. II Thesauri cap. 13 appellatur rhetor et idem fortasse erit apud utrumque *(Nicetam Choniaten et Joannem Cyparissiotam)* authorem, et hoc nostro (Dionysio Alexandrino) posteriorem. *Verum respondeo : sufficit, a duobus his scriptoribus Dionysii Areopagitæ scholiastem* Dionysium *Alexandrinum nuncupari. Etenim ob nominis Sancti nostri celebritatem non alius Dionysius, quam hic ipse per* Dionysium Alexandrinum, *etiam absque adjuncto episcopi aut patriarchæ titulo, solet intelligi, ut* Dionysius Alexandrinus *etiam sine ullo addito antonomastice quodammodo Sanctum nostrum significet, ac proin ut laudati bini auctores per Dionysium, quem Dionysii Areopagitæ scholiasten faciunt, non alium Dionysium, quam nostrum intelligant. Neque obstat, quod Dionysium, Areopagitæ scholiasten,* rhetorem *nuncupet Nicetas. Id enim ideirco verosimiliter facit, quod eum hoc titulo ab Anastasio Sinaita et Maximo insigniri observarit. Adhæc Choniates, quæ de Dionysio Areopagitæ scholiaste memorat, ex Anastasio Sinaita et Maximo fere descripsit, ut adeo per Dionysium scholiastem non alium, quam, quem ipsi intellexere,* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, intelligat.* E F

Nec id magis probatur ex erroribus, quorum Anastasius insimulatur.

52 *Nequit itaque ex* rhetoris *vel* oratoris *titulo, qui Dionysio, Scholiorum in sibi cognominem concinnatori, a S. Anastasio Sinaita, S. Maximo et Niceta adjungitur, certo concludi, scholiasten illum,* Dionysium *vocatum, a sancto nostro* Dionysio, *Alexandrino episcopo, esse distinctum. Nec quidquam etiam, ut id probetur, haberi potest ex erroribus, quorum Anastasius a Nicolao le Nourry supra laudato insimulatur. Quamvis enim Anastasius, dum Dionysio Alexandrino, qui in sibi cognominem Scholia scripsit,* episcopi *titulum attribuit, a vero forte aberrarit, id tamen de viro sancto solida absque ratione asseverandum non est; ratio autem hujusmodi, ob quam hic erroris Anastasium certo insimulem; nulla affertur. Licet enim Anastasius, ut laudatus le Nourry verbis num.* 49 *recitatis docet, in libro suo, qui* Dux viæ *inscribitur, S. Augustinum pro Christo sanguinem suum fudisse, affirmare videatur, sicque manifestum, ut apparet, errorem admittat, hinc tamen non consequitur, ut pariter erret, dum Dionysium Alexandrinum, quem sibi cognominis scholiasten facit,* episcopum *appellat.*

Præterea

AUCTORE C. B.

Præterea hæc Anastasii verba, Augustinus, qui suo sanguine in scriptis duas in Christo naturas consignavit, *quibus Augustinum pro Christo sanguinem suum fudisse, laudato le Nourry affirmare visus est Anastasius, ita forte queunt exponi, ut sensum habeant a veritate non prorsus alienum. Quod vero pertinet ad cetera, in quibus le Nourry plus semel jam laudatus a vero aberrare Anastasium, verbis supra recitatis indicat, generatim id dumtaxat asseritur, nec an exactæ veritati congruat, operosius indagare est animus. Fac tamen, Anastasium pluries etiam a vero aberrare, nec sic quidquam evinces. Cum enim dubium non sit, quin simul longe pluries a vero non aberret, putandum potius est, eum non aberrare, quam aberrare a vero, dum Dionysium, sibi cognominis scholiasten,* episcopi Alexandrini *titulo in Opere, quod inscribitur* Ὁδηγός, *exornat.*

nec ex narratis in Opere, Dux viæ inscripto, quod Anastasii certo est,

55 *Ut nihilominus Dionysium, sibi cognominis scholiasten, in Opere, cui* Ὁδηγὸς *titulus,* episcopum Alexandrinum *perperam appellari, vero reddant similius, sunt etiam, qui Opus illud Anastasio falso suppositum aut certe insigniter esse interpolatum contendant. Ut autem id probent, aiunt in eo non paucos eventus, qui Anastasii ætate posteriores sint, narrari. Verum ego ob eventus Anastasii ætate, ut autumant, posteriores, qui in Opere illo narrantur,*

B *minime moveor, ut id vel falso Anastasio suppositum, vel insigniter esse interpolatum existimem. Etenim Opus illud genuinum esse Anastasii fœtum, fit ex variis ejusdem locis perspicuum; eventus vero Anastasii ætate posteriores, qui a nonnullis in eodem fuere observati, ex distinctione, quæ inter Anastasium, patriarcham Antiochenum, et Anastasium presbyterum monachum, facienda est, temporeque, quo hic e vivis excessit, omnino evanescunt. Utrumque hoc assertum probare aggredior. A primo incipio. Libri seu Operis, quo de hic agimus, in codice Ms., ut Gretserus, qui ex hoc illud primus edidit, testatur, hujusmodi est titulus :* Ἀρχὴ Βιβλίου τοῦ ὁσίου Ἀναστασίου μοναχοῦ τοῦ Σινὰ ὄρους. Exordium libri S. Anastasii monachi Sinaitæ *seu* montis Sina. *Capite autem quarto hic titulus legitur :* Anastasii minimi presbyteri sancti montis Sina, Opus de fide, œconomia Christi Dei Filii, ad sanctam Catholicam Ecclesiam Babylone scriptum, Fatribus nostris in ea Christi studiosis et orthodoxis petentibus. *Et cap.* 10 *profert suam disputationem cum hæreticis Alexandriæ habitam, ubi etiam, se* Anastasium monachum sancti montis Sina *professionem fidei scripsisse, affirmat, et ita se alibi* minimum monachum *nominat. Cum ergo, uti ex jam dictis liquet, libri, qui* Ὁδηγὸς *seu* Dux viæ *inscribitur, auctor*

C *esse etiam in Operis decursu vel* Anastasium minimum presbyterum sancti montis Sina *vel* Anastasium monachum sancti montis Sina *vel* minimum monachum *appellet, hæque omnes appellationes Anastasio, eique Sinaitæ, qui ponitur in Operis titulo, optime quadrent, dubium non videtur, quin dictum Opus Anastasium Sinaitam vere habeat auctorem, ut adeo huic falso suppositum perperam dicatur.*

eventibus, utpote qui ætate, ut contendunt,

54 *Examinemus modo eventus mox memoratos, quorum causa librum, qui* Ὁδηγὸς *seu* Dux viæ *inscribitur, Anastasio nonnulli abjudicant. Multa, ut jam dixi, aiunt in eo, quæ Anastasii ætate posteriora sunt, memorari, atque in primis quidem S. Eulogii, patriarchæ Alexandrini, veluti jam mortui, qui tamen non prius, quam Anastasio jam vita functo, e vivis excessit, fieri mentionem. Fateor, in dicto libro S. Eulogii, patriarchæ Alexandrini, veluti jam vita functi, mentia occurrit. Etenim illius auctor cap.* 10 *sic scribit :* Non abs re fuerit, studiosos istud itidem observare hoc loco. Narrabant nobis Catholici, qui Alexandriæ degunt, post tempora beati Eulogii Papæ Alexandrini hic fuisse præfectum augustalem Severianum, *id est, Severianorum sectæ asseclam,* qui satis diu quatuordecim calligraphos seu librarios ejusdem secum sententiæ habuerit ac aluerit, quibus id negotii dabat, ut Patrum libros falsarent, ac depravarent, maxime S. Cyrilli. *Ad quorum sane verborum veritatem, ut consideranti patebit, requiritur, ut tunc, cum scriberentur, S. Eulogius, patriarcha Alexandrinus, e vivis, atque id quidem jam dudum, esset sublatus. Verum respondeo, S. Eulogium patriarcham Alexandrinum reipsa etiam diu ante Anastasium, qui libri, quo de hic disserimus, auctor est, e vivis esse sublatum, tantumque sustineri contrarium ab iis, qui Anastasium Sinaitam ab Anastasio patriarcha Antiocheno, qui anno* 599 *obiit, distinguendum non putant.*

D

Anastasii posteriores non sint;

55 *Verum hi, uti etiam illi, qui Anastasium Sinaitam cum altero Anastasio, qui Anastasio Antiocheno proxime memorato in patriarchatum Antiochenum, nullo alio medio, successit, quique anno* 610 *obiit, eumdem faciunt, vehementer hallucinantur. Etenim Anastasius, qui* Sinaita *appellatur, quique libri, qui* Ὁδηγὸς *seu* Dux viæ *inscribitur, auctor est, nec episcopus, nec patriarcha, sed presbyter tantum fuit, ac proin ab utroque Anastasio Antiocheno hic memorato, tam seniori quam juniori, est distinctus. Quapropter cum Anastasius Sinaita ab utroque hoc Anastasio Antiocheno diversus sit, nihil sane impedit, quo minus diu ante eum S. Eulogius patriarcha Alexandrinus, qui, ut Sollerius noster in Patriarchis Alexandrinis num.* 339 *docet, anno* 604

E *diem supremum obiit, e vivis credatur sublatus. Jam vero cum hoc ita sit, nequit ex eo, quod in Opere, cui* Ὁδηγὸς *seu* Dux viæ *est titulus, S. Eulogii, patriarchæ Alexandrini, veluti jam dudum vita functi, mentio occurrat, legitime inferri, Opus illud Anastasio Sinaitæ falso esse suppositum; verum contra inde potius inferendum est, vitam hunc tamdiu protraxisse, ut de Eulogio, veluti jam dudum e vivis erepto, loqui potuerit. Hinc porro, cum Eulogius anno* 604 *obierit, longumque tempus, quo ei ex dictis Anastasius debuit fuisse superstes, annos non pauciores, quam viginti circiter possit complecti, recte concludes, Anastasium Sinaitam, si non diutius, certe ad annum usque* 625 *circiter in vivis fuisse superstitem, ut adeo, quando de Eulogio, veluti jam dudum vita functo loquitur, neutiquam faciat de re, quæ ætate sua sit posterior, sermonem. Idem brevitatis ergo, quod tamen difficile non foret, non demonstro de nonnullis aliis, ab Anastasio memoratis, ob quæ, utpote Anastasio, ut putant, posteriora et ab eo tamen in libro, cui titulus* Ὁδηγὸς, *narrata, Opus hoc illi falso esse suppositum, nonnulli crediderunt. Atque ita quidem jam sublatæ sunt difficultates, ob quas liber, cui titulus* Ὁδηγὸς, *Anastasio abjudicaretur.*

F

quamvis autem Opus, cui titulus Dux viæ, varie, teste Allatio, interpolatum sit;

56 *Ast, inquies, liber ille, cui titulus* Ὁδηγὸς, *pro genuino Anastasii Sinaitæ fœtu tantisper habeatur, nondum tamen hinc evinces, Dionysium, sibi cognominis scholiasten, recte in eo* Alexandrinum episcopum *vocari seu a* Dionysio, *Alexandrino episcopo, Scholia in sibi cognominem fuisse conscripta. Etenim Leo Allatius in Syntagmate de Eugastrimutho pag.* 528 *ostendit, librum illum, qui* Ὁδηγὸς *seu* Dux viæ *inscribitur, varie esse interpolatum, adeo ut quis suspicari queat, præmemoratum de Scholiis a* Dionysio *in sibi cognominem scriptis testimonium seu assertum ab Anastasio Sinaita non esse profectum, sed a recentiori interpolatoris manu in illius textum fuisse intrusum. Verum, respondeo, librum, cui titulus* Ὁδηγὸς, *vel eo loco, quo præfatum de Scholiis a* Dionysio *scriptis testimonium exhibet, interpolatum non esse, vel, si ibi interpolatus sit, necesse videri, ut factum id sit, illato in prædictum Anastasii librum ab interpolatore eo ipso textu, quem supra ex S. Maximi in Dionysium Areopagitam Scholiis huc transcripsimus. Rem sic ostendo : S. Anastasius Sinaita inter annum circiter* 630 *et* 640, *uti eruditis non paucis nunc videtur, e vivis excessit; eique annis dumtaxat viginti quinque circiter S. Maximus supervixit. Jam vero cum verba num.* 45 *recitata, quibus a* Dionysio *in sibi cognominem Scholia esse adornata, testatur S. Maximus, apprime congruant cum verbis, num.* 42 *huc transcriptis, quibus id ipsum testatur S. Anastasius Sinaita, videtur*

A *detur S. Maximus ex S. Anastasio, junior nempe ex seniore, sua descripsisse.*

nihil tamen hinc

37 *Hoc autem si ita sit, cum breve dumtaxat inter S. Maximum et S. Anastasium Sinaitam intercessit temporis spatium, hujusque Opus, quod* Dux viæ *inscribitur, statim atque in lucem erat editum, interpolatum verosimiliter non fuerit, hoc utique eo saltem loco, quo Scholia a* Dionysio *Alexandrino in sibi cognominem scripta commemorat, etiam nunc interpolatum dici non potest. Quod si vero S. Maximum, utpote qui S. Anastasium Sinaitam non nominet, sua ex hoc verba, quibus Scholia a* Dionysio *Alexandrino in sibi cognominem scripta testatur, non deprompsisse, sed propria ex animi sententia, ut Dionysii Areopagitæ dicta illustraret, protulisse velis, non poterit quidem, hoc posito, pro certo haberi, verba supra recitata, quibus in libro, cui titulus* Ὁδηγός, Dionysius *in sibi cognominem Scholia scripsisse indicatur, ex S. Maximi in Areopagitam Scholiis in dictum Anastasii Opus, quod* Ὁδηγὸς *inscribitur, a recentiori interpolatoris manu post S. Maximi ætatem non esse illata. Verum nec sic probari poterit, a* Dionysio, *Alexandrino episcopo, in sibi cognominem Scholia non fuisse concinnata. Fac enim, Anastasium Sinaitam, quod tamen numquam facile probaveris, Scholiorum, quæ a* Dionysio

B *in sibi cognominem scripta sint, ne verbo quidem uspiam mentionem fecisse, certum nihilominus S. Maximi testimonio adhuc manebit, Scholia a Sancto in Dionysium sibi cognominem fuisse conscripta.*

uti nec ex Eusebii et Hieronymi silentio habetur

38 *Nec est, cur hic, ut laudatus le Nourry verbis num.* 49 *recitatis facit, Eusebii et Hieronymi de Scholiis a* Dionysio, *Alexandrino episcopo, in sibi cognominem scriptis silentium opponas. Etenim tam Eusebius quam Hieronymus plura etiam alia* Dionysii *Opera silentio præterit; quod ne a me gratis dictum putes, rem exemplis demonstro.* S. Dionysius, *audita Pentapolitanorum adversus se apud Dionysium, Pontificem Romanum, accusatione, illico ad hunc sui purgandi causa dedit epistolam, certissime, ut in Commentario probavi, a quatuor ejus de Elencho et Apologia libris distinguendam; nuspiam autem Eusebius hujus epistolæ meminit, quod etiam tam de Hieronymo quam Eusebio dicendum ratione epistolæ, quam* Dionysium *ad Theotecnum, Cæsariensem episcopum, dedisse, Appendicis hujus capite proxime prægresso docuimus. Ad Stephanum, Romanum Pontificem,* S. Dionysius, *teste Eusebio lib.* VII *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 2, *primam earum, quas de baptismo exaravit, scripsit epistolam, alteraque epistola plane insigni, cujus varia Fragmenta exhibet*

C *Eusebius, famam suam a Germano, episcopo quodam Ægyptio proscissam, egregie est tutatus; neutra autem ab Hieronymo in* Dionysii *Operum Catalogo memorata invenitur. Adhæc ipsemet Eusebius, a se non omnia recensita esse* Dionysii *Opera, satis aperte indicat, lib.* VII, *cap.* 26 *sic scribens :* Sed et aliæ plures sunt apud nos illius (*sancti* Dionysii *Alexandrini episcopi*) epistolæ, et prolixiores libri epistolari forma ac stilo conscripti; cujusmodi sunt illi de natura libri Timotheo puero dedicati. Item liber de tentationibus, quem etiam Euphranori nuncupavit.

pro Scholiis Dionysio, Alexandrino episcopo, abjudicandis.

39 *Cum ergo, uti ex jam dictis liquet, Eusebius et Hieronymus non omnia recenseant* Dionysii *Opera, nequit ex eorum de Scholiis, quæ* Dionysius *Alexandrinus in sibi cognominem scripserit, silentio inferri, vere a* Dionysio *Alexandrino Scholia in sibi cognominem non fuisse conscripta. Itaque, uti ex iis omnibus, quæ hactenus disseruimus, palam est, Anastasius Sinaita, dum Scholia a* Dionysio, *Alexandrino episcopo, in sibi cognominem scripta affirmat, a vero aberrare, probari non potest, hincque est potissimum, cur ego, ne eum erroris temere insimulem, assentiri non facile ausim iis, qui, ne a* Dionysio *Alexandrino in Areopagitam Scholia scripta esse, admittant, horum scriptionem, non* Dionysio, *Alexandrino episcopo, sed rhetori cuidam, Alexandrino cognomini attribuunt, huncque ab Anastasio Sinaita et Maximo* episcopi Alexandrini *titulo perperam distingui, contendunt. Fabritius quidem Bibliothecæ Græcæ lib.* V, *cap.* 1 *num.* 6 *in Pseudareopagita ea adducit in medium, quæ si veritati certo congruerent, consequens foret, a* Dionysio *nulla in sibi cognominem Scholia verosimillime fuisse conscripta. Verum cum ea veritati certo congruere hactenus non compererim, rem hanc ad* 9 *hujus mensis diem in Dionysio Areopagita discutiendam relinquo, putoque interim ut verosimilius habendum, Scholia Sanctum in sibi cognominem scripsisse.*

AUCTORE C. B.

Non propterea tamen hæc in Areopagitam,

60 *Nec propterea tamen est consequens, ut hunc in libros, sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferri solitos, Annotationes Scholiave concinnasse velim. Quo minus enim id ex eo sit consequens, obstat aliorum opinio, qui, quamquam* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, in Dionysium aliquem sibi cognominem scripsisse Scholia Annotationesve admittant, id tamen ab eo Dionysium Areopagitam factum, constanter negant. Et vero, quo id faciant, fundamento non carent. Etenim nec Anastasius Sinaita, nec Maximus Dionysium Areopagitam nomine tenus exprimit; verba vero, quibus* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, in sibi cognominem scripsisse Scholia, affirmant, ita necessario (vide, quæ supra disseruimus) accipienda non sunt, ut Scholia illa in Dionysium Areopagitam scripta designent. Certe* E *S. Maximus, qui S. Anastasii Sinaitæ verba, num.* 42 *recitata, tantum descripsisse videtur, per Dionysium Alexandrino cognominem, in quem ab hoc Scholia scripta indicat, Dionysium Areopagitam non intellexit. Enim Maximus, uti ex iis, quæ supra docuimus, manifestum apparet,* Dionysium, *quem tamen verbis supra recitatis Alexandrinum episcopum diserte nominat, in Dionysium Areopagitam Scholia Annotationesve scripsisse non putavit; qui utique aliud opinaturus fuisse videtur, si per Dionysium, in quem a* Dionysio, *Alexandrino episcopo, Scholia scripta esse, Anastasius, prodit, Dionysium Areopagitam intellexisset.*

sed alium cognominem,

61 *Hinc ego, huic S. Maximi opinioni adhærens, per Dionysium, Alexandrino cognominem, in quem hic Scholia scripserit, Dionysium ab Areopagita distinctum intelligo. Ast, inquies, Nicetas Choniates et Joannes Cyparissiota supra plus semel laudati* Dionysium, *in quem a* Dionysio *Alexandrino verbis num.* 43 *et* 44 *Scholia scripta indicant,* Areopagitam *aperte nominant. Adhæc si per cognominem, in quem* Dionysius *composuerit Scholia, intelligi nequeat Areopagita, Dionysius alius, in quem hæc sint composita, debet assignari, ac proin, cum id fieri non posse videatur, tum hinc, tum ex eo, quod Nicetas et Cyparissiota Dionysium, in quem Alexandrinus* F *Sholia scripserit, Areopagitam appellet, concludendum apparet, non in alium, quam in Areopagitam Scholia a* Dionysio *esse conscripta. Respondeo, utramque hanc difficultatem facili posse dissolvi negotio. Et posteriorem quidem Halloixius jam ante laudatus hunc in modum loco supra citato dissolvit.* Respondeo, *inquit,* videri *illum, qui a S. Maximo beatus et sanctus Dionysius vocatur, quique Scholiis a* Dionysio, *Alexandrino episcopo, illustratus est,* esse S. Dionysium, Corinthiorum episcopum, illustrem secundi seculi scriptorem, qui, ut Eusebius et Hieronymus testantur, « tantæ eloquentiæ et » industriæ fuit, ut non solum suæ civitatis et » provinciæ populos, sed et aliarum urbium et » provinciarum epistolis erudiret. » Hæc enim sunt ipsissima verba S. Hieronymi in Catalogo Scriptorum cap. 20, ubi et ejus scripta recenset.

forte Dionysium Corinthiorum episcopum, scripta sunt.

62 *Ita Halloixius, nonnullis deinde interpositis, hæc subdens :* Cur autem Dionysius Alexandrinus Scholia scriberet in S. Dionysium, Corinthiorum episcopum, sibi cognominem, permagna causa fuit. Nam hæretici illius Scripta corruperant, iisque ad suos errores abutebantur. Quod ne dicere gratis videar, vide ipsa ejusdem Dionysii Corinthii verba id conquerentis apud Eusebium lib. IV Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. Quare Alexandrinus, ut eum partim explicaret, partim defenderet (plurimi

AUCTORE C. B.

(plurimi enim fiebat ejus auctoritas) necesse habuit in eum Scholia conscribere. *Cum ergo, uti ex his Halloixii verbis intelligitur, vero prorsus absimile non sit,* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, in Dionysium, Corinthiorum episcopum, Scholia adornasse, assignari utique potest Dionysius, Alexandrino cognominis atque ab Areopagita distinctus, cujus fuerint Opera a* S. Dionysio, *Alexandrino episcopo, Annotationibus Scholiisve illustrata. Atque ita quidem evanescit difficultas posterior, ob quam contendi posset, Scholia, si quæ a Sancto nostro in sibi cognominem scripta sint, in Areopagitam esse conscripta. Quod vero pertinet ad primam, ex Choniate et Joanne Cyparissiota petitam, respondeo, hos Dionysium, in quem a* Dionysio *Alexandrino scholia scripta innuunt,* Areopagitam *idcirco aperte facere, quod Anastasium Sinaitam et Maximum, qui a* Dionysio, *Alexandrino episcopo, Scholia non in Areopagitam, sed in sibi cognominem tantum scripta docent, de Areopagita perperam interpretati sint. Itaque si quæ Scholia* Dionysius, *ut verosimilius apparet, in sibi cognominem scripsit, per hunc non Areopagita, sed alius Dionysius, forte Corinthiorum episcopus debet intelligi.*

CAPUT V.

B De duabus ad Paulum Samosatenum epistolis, Dionysii nomine vulgatis, deque binis argumentis, quibus has Dionysii non esse, quidam contendunt.

Duæ ad Paulum Samosatenum epistolæ, Dionysii nomine vulgatæ.

Sanctus Dionysius, *Alexandrinus episcopus, ut nonnulli contendunt, tres ut minimum ad Paulum Samosatenum scripsit epistolas; quarum quidem prima a Paulo, quæ ejus esset doctrina, sibi aperte exponi petierit, secunda hanc sibi a Paulo epistola expositam confutarit; ac tertia denique ad decem Pauli contra doctrinam orthodoxam objectiones seu quæstiones responderit. Duæ harum posteriores, quæ Sancto, ut contendunt, adscribendæ sunt, epistolæ una cum decem Pauli Samosateni objectionibus seu quæstionibus* Dionysio *propositis, sæculi proxime elapsi initio inventæ, annoque* 1608 *typis Romæ primum excusæ, in tomum primum deinde Conciliorum Labbei et in Bibliothecam Patrum, tam eam, quæ Parisiis ac post Coloniæ, quam eam, quæ Lugduni impressa est, et in hujus quidem tomum tertium, fuerunt illatæ. Quod autem ad primam e tribus dictis epistolis, qua Sanctus a Paulo, quæ ejus esset doctrina, sibi exponi petierit, pertinet, ea nuspiam exstare, cognoscitur. Cum tamen secunda e tribus præfatis epistolis initio* C *habeat,* Rescripsimus ad ea, quæ prius scripsisti, ut eliceremus te ad dicendum aperte, quod vis dicere, *dubium non apparet, quin primam etiam e tribus memoratis epistolis ad Paulum Samosatenum, qui impiam doctrinam suam occultare nisus fuerat, aut certe non sat dilucide exposuerat, Sanctus scripserit; dubium, inquam, hoc non apparet, si modo duæ e tribus præfatis epistolis posteriores, tom. I Conciliorum Labbei et Bibliothecæ Patrum sub* Dionysii *nomine insertæ,* Dionysium *vere habeant auctorem.*

Has ob doctrinam, quam Samosateno affingunt, quamque cum veterum

64 *Verum, quamquam duæ hæ epistolæ Sancto verosimilius debeant attribui, sunt tamen eruditi non pauci, qui easdem illi abjudicant. Horum omnium antesignanus est in suis ad* 27 *libri septimi Historiæ Ecclesiasticæ caput Annotationibus Valesius, quem deinde Elias du Pin in nova sua Scriptorum Bibliotheca, aliique insuper plures sunt secuti. Hisne, an Tillemontio, aliisque multis, qui sustinent contrarium, assentiendum sit, præsenti capite disquiro, seu potius, ut, quod meditor, apertius eloquar, rem illam, utpote non sat undequaque certam, in medio relinquendam ostendo. Ab argumentis, quæ pro dictis epistolis* Dionysio *abjudicandis faciunt, initium duco. Remigius Ceillierus Benedictinus, qui circa dictas duas epistolas Valesii opinionem amplexus est, tomo tertio generalis Scriptorum Ecclesiasticorum Historiæ pag.* 277 *hunc in modum verbis Gallicis Latine a me redditis ratiocinatur.* Imo auctore D (*duarum nempe, de quibus agimus, epistolarum*) ne quidem videtur argumentum, quod tractat, sat habuisse compertum. Exprobrat enim Paulo Samosateno, quod in Jesu Christo duas admittat hypostases, duas personas, duos Christos et duos filios, quorum unus esset Dei filius ex natura et æternus, alter filius David natus in tempore. Nuspiam autem invenitur Paulus errores hos docuisse. Concilium Antiochenum contra eum congregatum, sanctus Epiphanius, sanctus Hilarius, Theodoretus et Philastrius nihil simile contra illum in accusationem adducunt. Econtra, *ut scilicet antiqui scriptores testantur,* docebat, Patrem, Filium et Spiritum sanctum non esse nisi unicam Personam; Verbum et Spiritum sanctum esse in Patre; sed eo modo, quo ratio est in homine sine ulla reali et personali existentia; ita ut secundum illum vere nec sit Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus, sed dumtaxat Deus.

de illa assertis componi non posse putat, Ceillierus Sancto abjudicat:

63 Hinc dicebat, Filium Patri esse consubstantialem, tollens hoc vocabulo personarum proprietatem et distinctionem. Vero igitur apparet similius, auctorem illius epistolæ (*priorem e duabus ad Samosatenum epistolis,* Dionysii *nomine vulgatis, intelligit*) hæresim Nestorii, qui duas in Jesu Christo admittebat personas, confudisse cum hæresi E Pauli Samosateni, qui ne quidem Verbo realem et personalem existentiam concedebat. *Hactenus laudatus Ceillierus, volens scilicet, cum Paulus Samosatenus secundum veterum scriptorum testimonia Dei Filium seu Verbum sine subsistentia propria seu ἀνυπόστατον esse docuerit, duas in Christo hypostases, quarum altera sit Verbi, altera naturæ-humanæ, a Paulo Samosateno fuisse admissas, in præmemorata epistola perperam indicari, ac proin hanc a* Dionysio, *utpote qui Pauli errores melius habuerit perspectos, non fuisse conscriptam. Et vero si Paulus Samosatenus Dei Verbum sine subsistentia seu ἀνυπόστατον esse, reipsa docuit, nullaque ratio, qua ab illo, stante hoc dogmate, duæ in Christo hypostases fuerint admissæ, assignari queat, argumento sane, ut non nulli putant, haud levi id erit, præfatam epistolam, in qua duæ in Christo hypostases a Paulo admissæ indicantur,* Dionysium *non habere auctorem. Hoc ergo paulo accuratius discutere, operæ pretium existimo. Joannes Garnerius, Societatis Jesu sacerdos, in Mario Mercatore, quem Notis Dissertationibusque illustratum edidit, Dissertatione prima de hæresi et libris Nestorii pag.* 308 *sic scribit:* Vetus opinio est jam inde a longinquis ducta temporibus ad nostram usque ætatem, Samosatenum Trinitatem Personarum divinarum sustulisse, F unumque Patrem Dei nomine vocasse, cui tamen tribueret Verbum coæternum, sed prolatitium dumtaxat, et ἀνυπόστατον nostroque simile.

verum recitatis antiquiorum scriptorum

66 *Ita laudatus Garnerius, qui mox veterem, quam his verbis memorat, opinionem probaturus, hæc præfatur:* Tam pervulgatæ opinionis neque origo, neque veritas apertissima est. Investiganti mihi, quis omnium primus id Paulo attribuerit, nemo Latinorum Philastrio, nemo Græcorum Epiphanio antiquior occurrit, saltem qui expressis verbis mentem aperuerit, quanquam ne ipsi quidem ambo clarissime loquantur, *ac tum Philastrii et Epiphanii, qui ambo sæculo quarto floruerunt, verba ad institutum suum facientia describit. Philastrii hæc sunt:* Paulus quidam fuit Samosatenus post hos in Syria, qui Verbum Dei, id est, Christum Deum Dei Filium substantivum, ac personalem et sempiternum esse cum Patre denegabat: prolativum autem, id est, quasi aera quemdam dicebat; non tamen personam vivam Filii sempiternam cum sempiterno Patre credendum docebat. *Epiphanii vero ista:* Est autem Pauli (*Samosateni scilicet*) hæc opinio, Deum Patrem et Filium ac Spiritum sanctum unum esse Deum. Verbum Dei ejusque Spiritum inesse Deo perpetuo, sicut hominis in corde proprium verbum inesse cernimus. Filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere.

A subsistere. Adhæc Dei Verbum, in terras delapsum, in Jesu, qui homo merus esset, habitasse. Ita unus, inquit ille, Deus est; neque aut pater est Pater, aut filius Filius, aut spiritus sanctus Spiritus est sanctus. Imo vero Deus unus est Pater, et hujus in ipso Filius, ut est in homine sermo. *Sic Philastrius, cujus Opera tomo quarto Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis exstant inserta, et Epiphanius hæresi sexagesima quinta sermocinantur, qui, quamquam, ut ait Garnerius, clarissime non loquantur, satis tamen aperte indicant, ex Pauli Samosateni sententia Dei Verbum prolatitium dumtaxat, et sine substantia seu ἀνυπόστατον esse.*

de Pauli Samosateni doctrina testimoniis;

67 *Porro recitatis binis, quæ huc jam transcripsimus, Philastrii et Epiphanii de Pauli Samosateni circa secundam SS. Trinitatis Personam doctrina testimoniis, laudatus Garnerius mox subjungit :* Utrumque (*Philastrium nempe et Epiphanium*) secutus Mercator, Nestorius, inquit *epistola de discrimine etc. n.* 1, circa Verbum Dei non quidem ut Paulus sentit, qui non substantivum, sed prolatitium potentiæ Dei efficax Verbum esse definit. Et alio in loco, *in Dissertatione nempe ad* 11 *anathemat. Nestorii*, Paulus Verbum Dei προφορικὸν καὶ πρακτικὸν λόγον καὶ ἐνεργετικὸν, id est, prolativum et potestatis effectivum Verbum sensit, non substan-
B tivum, quod Græci οὐσιῶδες dicunt. *Itaque, uti ex his trium antiquiorum scriptorum testimoniis jam transcriptis eruitur, Paulus Samosatenus docuit, Dei Verbum, quod in Jesum descendit, esse prolatitium quiddam et sine hypostasi seu ἀνυπόστατον. Verum, jam inquies, cum id ita sit, necesse est, ut Paulus duas in Christo admisisse hypostases, in præmemorata* Dionysii *ad eum epistola perperam indicetur. Si enim Dei Verbum sit ἀνυπόστατον seu hypostasi destitutum, qui fieri potest, ut Dei Verbum et homo duæ sint in Christo hypostases? Potestne Dei Verbum simul esse et ἀνυπόστατον et ἐνυπόστατον, id est, destitutum et non destitutum hypostasi? Fuitne forsan in Christo Patris hypostasis, quod tamen docuisse Paulum, vero prorsus apparet absimile? Respondeo : nodus quidem hic est admodum sane solutu difficilis; methodum tamen, qua solvatur, Garnerius, postquam eum sibimet ipsi objecit, Dissertatione supra citata assignat. Lubet adeo verba, quibus id facit, huc transscribere.*

quædam ex Garnerio, qua cum his illa

68 Eruenda, *inquit*, quæstionis tam impeditæ solutio ex ipsis Pauliniani delirii mysteriis. Fingebat ille Deum instar solis, cujus tria considerari debeant, figura seu discus ipse, qui dicitur, et energiæ duæ illuminandi ac calefaciendi. Figuræ et substantiæ similem dicebat Patrem, vi illumi-
C nandi Verbum, vi calefaciendi Spiritum sanctum; sed Verbum aiebat (idem sentiendum de Spiritu sancto) gemino, perinde ac nostrum, spectari posse in statu, prout nempe vel ἐνδιάθετον esset, vel προφορικὸν. (In scholis dicunt immanens et transiens.) Quamdiu in Deo est, non aliam habet, si Paulo credimus, hypostasim, quam ipsiusmet intelligentis, ut neque nostrum, cum insitum cogitatur : cum autem profertur exterius, forasque mittitur, suam incipit habere distinctam a proferente hypostasim, quam tamen amittit, ubi primum redierit ad Deum, a quo processerat, ad opus implendum. Verbum ergo divinum Paulus faciebat et ἐνυπόστατον, cum a Deo discessisset; et ἀνυπόστατον, cum in Deo resideret; atque ita ἀνυπόστατον ante sæcula, ἐνυπόστατον in tempore. Addebat, Verbum tunc fieri Filium, cum profertur, incipitque propriam habere hypostasim, prolatio enim ipsamet est Filii editio in lucem. Addebat etiam, tunc temporis Deum aliquem fieri, non ἄϊδιον, et qui ab æternitate per se subsistat : qui enim fieret, quod erat? Sed recentem et novellum, ut qui Nazarethi incepit.

possit componi, methodus proponitur;

69 Quin etiam volebat, Verbum factum Filium, et per se jam Deum existentem, descendisse in Jesum, in eoque patrasse opera, quæ admirationem pepererint; quo tamen relicto, cum passio aut certa mors impenderet, revolasse ad Patrem, ideoque nec Verbum dici posse passum, nec Deum mortuum. Desertionis argumentum putabat certissimum, quod Jesus inter expirandum clamasset : Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? *Hunc in modum Garnerius Pauli Samosateni de SS. Trinitate, non dicam, opinionem, sed figmentum exponit; quod quamquam prorsus insanum ac insulsum sit, inde tamen potest colligi, qui Paulus Dei Verbum ἀνυπόστατον asserere, simulque tamen duas in Christo hypostases, alteram divinam, humanam alteram, admittere potuerit; imo etiam qui reliqua omnia, quæ de Samosateno a veteribus dicuntur, cum reliquis Pauli de Trinitate, somniisne dicam, an deliriis, queant componi; si præcipue, ut in laudata Dissertatione Garnerius facit, etiam addideris, Dei Verbum, in Christum delapsum, jamque Deum novellum factum, fuisse secundum Paulum, quamvis reipsa is esset temporarius, prædestinatione tamen æternum; adhæc duos distingui posse modos unionis seu habitationis Verbi cum Jesu, Filii Dei cum filio Virginis; quorum quidem unus a formatione ad absolutam virtutis usque perfectionem exstiterit, alter manserit postea, saltem usque ad passionem : prior fuerit, velut hospitantis in Jesu Verbi; posterior proprie inhabitantis : ille meri beneficii rationem habuerit; iste mercedis. Ne vero hæc, aliaque fere omnia, Garnerii verbis mox transcriptis comprehensa, gratis* E *omnino Paulo credantur afficta, S. Athanasii de Pauli erroribus testimonium, quod ad illa Paulo affingenda Garnerium præcipue impulisse videtur, quodque, nisi pleraque eadem reipsa Paulo attribuas, haud facile forte intelliges, huc transcribo.*

AUCTORE C. B.

hæc gratis conficta non videtur; utpote, qua non admissa, pleraque Athanasii

70 *His verbis apud laudatum Athanasium lib. de Salut. Adventu concipitur :* Paulus Samosatensis Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazarethi in lucem editum, et inde existendi primordium, regnique consecutum. Verbum tamen efficax e cælo et Sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante secula fuisse putat, sed Nazarethi primum exstare cœpisse; ut unus, inquit, supremus sit Deus Pater. *Quæ verba hæresis Samosatenæ mysterium, quo nihil fere ignotius, continentia loco supra citato ut exponat Garnerius, hæc adducit in medium :* Ille igitur (*Paulus Samosatenus*) sentiebat hunc, quem (*vide verba num.* 68 *huc transcripta*) diximus, in modum, si tamen hoc sentire est, et non magis delirare, Deum, qui simpliciter Deus sit ac æternus, esse unicum, habere tamen suum λόγον, *id est, Verbum,* suamque σοφίαν ἐνδιάθετον, *id est, sapientiam immanentem,* quem utrumque aliquando emitteret e sinu suo ad implendum mandatum, expletoque, ad se revocaret. Illi vero missi, hoc est, prolatus λόγος, extenta σοφία, prout discedebant a mittente, atque ita per
F se, et χώρις, *id est, extra* jam existebant, ita incipiebant esse hypostases quædam, atque etiam per se dii, sed πρόσκαιροι seu temporarii. Venit itaque, si Samosateno credimus, uterque ad Virginem, sed Sapientia velut formatrix templi, *seu hominis, in quo scilicet Verbum habitaret;* Verbum tamquam habitator; atque ita contigit, ut Deus (*vide verba Athanasii proxime recitata*) ex Maria existeret, Deusque Nazarethi in lucem ederetur, atque inde existendi primordium regnique consequeretur. Dicebat tamen, Deum ejusmodi, quamvis temporarius reipsa foret, esse prædestinatione æternum, eaque distinctione declinabat Scripturæ locos, ubi æternitas personæ Verbi tribuitur.

de Pauli Samosateni dogmatibus asserta non facile forte intelligas;

71 *Hæc est interpretatio, a Garnerio Athanasii verbis proxime recitatis applicata, quæ cum aliter apte, ut ei visum est, attentis Epiphanii aliorumque veterum (vide num.* 66 *et seq.) de Samosateno assertis, nequeant exponi, pleraque insulsa circa SS. Trinitatem figmenta supra memorata Paulo attribuenda existimavit. Hinc porro, si modo ita recte, ut vero prorsus absimile non est, sensit Garnerius, consequens est, non tantum ut Paulus, dictis figmentis inhærens, dicere simul Dei Verbum ἀνυπόστατον seu hypostasi destitutum et duas in Christo hypostases admittere potuerit, verum etiam ut tam unum quam alterum*

AUCTORE C. B.

reipsa forte adstruxerit. Non est ergo, cur ex eo, quod Paulus, teste Epiphanio, Dei Verbum dixerit ἀνυπόςατον, erroneam quis putet eam, in qua Paulus duas in Christo hypostases admittere innuitur, Dionysii ad Paulum epistolam, ac proin hanc Sancto falso esse suppositam. Nec hoc tantum dico, verum etiam dictam epistolam Sanctique ad decem Pauli quæstiones responsionem, si modo ea, quæ verbis supra recitatis ait Garnerius, Samosatenus vere fuerit commentus, nullum omnino aliud complecti doctrinæ caput, veluti a Paulo traditum, quod cum iis omnibus, quæ de Pauli doctrina tradunt scriptores antiqui, non possit utcumque componi.

admissa vero, etiam cum omnium veterum de Pauli doctrina assertis singula.

72 *Ut res fiat clarior, Pauli doctrinam in* Dionysii *ad hunc epistolis indicatam aperio. Ex his itaque Samosatenus existimasse videtur, Spiritum sanctum in utero Mariæ formasse hominem, quem destinaret in templum, suo tempore a Verbo incolendum; profecisse hominem illum, vitam studiosam degendo, eaque ratione magis, quam alii homines placuisse Verbo, ipsumque ad sui inhabitationem allexisse. Dei igitur Verbum, eo scilicet, quo supra expositum est, modo e cælo delapsum, in eo habitasse, sed ita, ut unius soliusque Christi duæ forent hypostases, duæque personæ et duo filii Dei, unus natura, qui fuit (secundum prædestinationem nempe) ante sæcula, et unus*

B *κατ' ὁμωνυμίαν seu secundum appellationis societatem Christus et Filius David, qui non fuit ante sæcula, sed fuit in tempore, et secundum beneplacitum Dei accepit nomen Filii; sicut civitas accipit nomen domini, et domus nomen ejus, qui eam ædificavit. Sic alium virum esse Christum præter Deum Verbum, ab alterius Christi substantia et dignitate differentem, et unum Christum inhabitantem ac opera divinæ justitiæ operantem. Hæc sunt præcipua doctrinæ seu potius delirii capita, quæ Paulum Samosatenum docuisse, binæ ad hunc epistolæ, sub* Dionysii *nomine vulgatæ totidem fere atque iisdem verbis insinuant. Confer nunc hæc cum doctrinæ capitibus, quæ Paulum sustinuisse, Epiphanius, Athanasius aliique veteres scriptores indicant, videbisque, quantum opinor, in præfatis binis epistolis de Pauli doctrina nihil tradi, quod, spectata, quam jam exposui, Garneriana methodo, cum Athanasii aliorumque veterum scriptorum de illa assertis aperte pugnet.*

quæ de hac in binis dictis epistolis indicantur, possint componi;

73 *Videtur quidem Athanasius verbis num.* 70 *huc transcriptis innuere, Dei Verbum secundum Pauli figmenta statim in Christo ab ipso, quo hic in Virginis utero formatus esset, initio habitasse; id autem secundum binas præmemoratas epistolas lapsu tantum temporis, cum jam Christus factus esset grandior, virtutumque merito profecisset, ex Samosateni*

C *figmentis factum fuerit, ut adeo hic, quæ de Pauli doctrina in dictis epistolis indicantur, pugnare videantur cum iis, quæ de illa, ut apparet, Athanasius insinuat. Verum responderi potest, Samosatenum (vide quæ num.* 69 *dicta sunt) duos adstruxisse unionis Verbi cum Jesu modos, alterum ab ipso Christi formationis initio, alterum lapsu temporis factum; de priori autem loqui Athanasium; de posteriori vero in præmemoratis epistolis esse sermonem, ac proin has cum illo non pugnare. Nunc, erudite lector, ex iis omnibus, quæ de Pauli doctrina disseruimus, haud difficulter, quantum opinor, colliges, ea omnia, quæ de Samosateni circa SS. Trinitatem et Verbi incarnationem commentis memoriæ prodidere scriptores antiqui, componi, ut apparet, ex Garneriana methodo satis posse cum iis, quæ de iisdem commentis in duabus præmemoratis epistolis insinuantur, ac proin ex doctrina, quam hæ Samosateno attribuunt, consequens non esse, ut* Dionysio *Alexandrino falso sint suppositæ seu hunc non habeant auctorem.*

nec si componi nequeant, consequens est, ut hæ Dionysii non sint,

74 *Quod si tamen modus, quo ea, quæ de Pauli Samosateni doctrina tum Athanasius aliique scriptores antiqui, tum binæ prælaudatæ epistolæ commemorant, hic in concordiam, Garnerii fere inhærentes vestigiis, adduximus, idcirco forsan displiceat, quod certum non sit, quæcumque Garnerius, modum illum adstruens, Paulo affingit, vere ab hoc fuisse asserta, atque inprimis quidem quod Dei Sapien-* D *tiam (vide num.* 70*) pro Spiritu sancto a Paulo fuisse acceptam insinuet, contra ac Athanasius (vide iterum num.* 70*) videtur adstruere; quod si, inquam, præfatus modus idcirco displiceat, sicque adhuc, an scriptores illi antiqui cum prædictis epistolis reipsa non pugnent, dubitandum appareat, nihil equidem amplius afferam, quo dubium illud ex animo evellam; verum tunc contendo, dato etiam, antiquorum scriptorum de Pauliniano delirio asserta cum præfatis epistolis aperte pugnare, necesse forsan propterea non esse, ut hæ alium, quam* Dionysium, *habeant auctorem. Etenim cum Paulus Samosatenus impiam suam de Christo et SS. Trinitate doctrinam, quamdiu vixit* Dionysius, *occultare, ut apparet, fuerit conatus, Sanctusque illam eo modo, quo ipsemet Paulus, data ad eum epistola, explanarat, in præfatis binis epistolis spectarit, fieri potest, ut Paulus, ne impietatem suam palam faceret, non sat clare eam, quam de SS. Trinitate et Christo sequebatur, doctrinam explanarit; unde factum esse potest, ut* Dionysius, *cum præfatas binas scripsit epistolas, Paulinianæ doctrinæ capita nonnihil fecerit diversa ab iis, quæ Paulus reipsa docuit, quæque eum docuisse, antiquiores scriptores affirmant. Jam vero, si ita res habeat, dato etiam, quod quædam antiquorum de Pauli doctrina asserta a binis dictis epistolis aperte* E *dissonent, concludi sane hinc neutiquam potest, duas illas epistolas, jam sæpius hic memoratas, sæpiusque etiam sub* Dionysii *Alexandrini nomine a variis editas, a* Dionysio *vere non esse conscriptas. Dispiciamus modo, an has a Sancto indubie scriptas non esse, aliis nequeat argumentis evinci.*

uti nec ex eo, quod in iisdem approbetur consubstantialis vocabulum.

75 *Auctor epistolarum, aiunt nonnulli, approbat vocabulum* consubstantiale *seu* homoousion, *dicitque, eo modo Patres appellasse Filium Dei. Certum autem est,* Dionysium *Alexandrinum, et synodum Antiochenam, in qua Samosatenus anno* 270 *exauctoratus fuit, vocabulum illud rejecisse,* Dionysiique *tempore dici non potuisse, communiter ea usos Patres fuisse. Ita, ut dixi, nonnulli. Verba, quibus, ut aiunt, vocabulum* consubstantiale *approbat, eoque Patres appellasse Dei Filium, asserit auctor epistolarum, apud Labbeum tom. I Conciliorum col.* 855 *hæc sunt :* Salvatorem autem Christum dicis fuisse desertum; non illi parcens, quod in cruce dixerit : Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti? Desertum dicis eum, qui erat natura Dominus, et Verbum Patris, per quem omnia Pater fecit, et quem sancti Patres Homoousion, *id est, consubstantialem* Patri vocaverunt. *Verum hisce verbis, ut consideranti patebit, ab auctore epistolarum SS. Patres non communiter, sed, nullo addito adverbio, quod frequentiorem* F *actum indicet,* consubstantialis *vocabulo usi, dumtaxat dicuntur. Fuisse autem Patres aliquot, qui etiam ante* Dionysii *Alexandrini ætatem Dei Filium Patri consubstantialem vocarint, verosimillimum apparet. Etenim cum* Dionysius, *quasi Dei Filium rem factam et Patri non consubstantialem asseruisset, a Pentapolitanis ad Dionysium, Romanum Pontificem, fuisset delatus, synodus a Pontifice tunc convocata, Dei Filium rem factam et Patri non consubstantialem asseri, indigne tulit. Testatur id S. Athanasius Tract. de Synodis, num.* 45 *sic scribens :* Cum... quidam ad (*Dionysium*) Romanum Pontificem, Alexandrinum (*Sanctum nostrum*) detulissent, quod Filium rem factam et Patri non consubstantialem affirmaret, synodus Romæ coacta rem indigne tulit : Romanus autem episcopus (*Dionysius*) omnium sententiam rescripsit ad gentilem suum, *seu potius, ut Græce est,* ad cognominem suum, *id est,* Dionysium, *Alexandrinum episcopum.*

hoc enim ab antiquioribus usurpatum,

76 *Cum ergo, uti ex his Athanasii verbis consequi videtur, a Dionysio Pontifice Romano, synodoque ab eo coacta* consubstantialis *vocabulum fuerit approbatum, verosimillimum sane apparet, id etiam non tantum a Dionysio, synodique ab eo convocatæ Patribus, verum etiam ab aliis antiquioribus fuisse adhibitum; hoc autem etiam confirmatur ex eo, quod* Dionysius,

A Dionysius, *veluti violatæ fidei reus, ad Pontificem Romanum idcirco fuerit delatus, quod Dei Filium Patri non consubstantialem asserere, ab illis putaretur. Nisi enim* consubstantialis *vocabulum jam tum, cum* Dionysius *a Pentapolitanis accusatus est, notum admodum atque usitatum, imo in Ecclesia receptum fuisset, non videtur ab his Sanctus ob Dei Filium, Patri non consubstantialem assertum, ad Dionysium Romanum Pontificem, veluti violatæ fidei reus, fuisse deferendus. Hinc porro consequitur, ut etiam ante* Dionysii *ætatem illud ipsum vocabulum a nonnullis Patribus verosimillime fuerit usurpatum, atque ab Ecclesia receptum. Quod si dicas, synodum Antiochenam, in qua quinque circiter a* Dionysii *obitu annis Paulus Samosatenus exauctoratus fuit, vocabulum illud, veluti impugnandis Pauli erroribus minus aptum, rejecisse, idque ab ea, si idem vocabulum jam dudum in Ecclesia usitatum fuisset ac receptum, faciendum verosimillime non fuisse. Respondeo, a Dionysio equidem, Romano Pontifice,* consubstantialis *vocabulum fuisse receptum, hocque nihilominus rejectum fuisse a dicta Antiochena synodo, quæ tamen Dionysium Romanum Pontificem, cui etiam suam de Pauli Samosateni damnatione epistolam synodicam inscripsit,*
B *summopere reverebatur.*

nec a Dionysio fuit improbatum.

77 *Adhæc Antiochena synodus* consubstantialis *vocabulum non eo sensu, quo id antea in Ecclesia usitatum fuerat, sed sensu longe diverso* (*vide Commentarium num.* 228) *acceptum rejecit, ut adeo ex eo, quod* consubstantialis *vocabulum rejecerit Antiochena synodus, consequens non sit, ut id antea in Ecclesia a Patribus adhibitum non fuerit. Quod autem aiunt,* Dionysium *improbasse* consubstantialis *vocabulum, id utique a vero longissime est alienum. Quamquam enim Sanctus, sese hoc vocabulum in Scriptura sacra non invenisse expressum, affirmarit, rem tamen voce illa significatam admisit. Liquet id ex libris de Elencho et Apologia, supra sæpissime laudatis, ad Dionysium, Romanum Pontificem, sui purgandi ergo a* Dionysio *scriptis. In his enim, quos post epistolam de Pentapolitanorum contra se accusatione a Dionysio Romano acceptam scripsit, ista supra adhuc recitata verba profert :* In alia item epistola ea scripsi, quibus criminationem adversariorum repuli, mendacemque ostendi, qua aiebant, me Christum negare esse Deo consubstantialem. Tametsi enim fateor, me hoc vocabulum nuspiam Scripturarum sacrarum vel invenisse vel legisse; attamen argumenta mea, quæ subsequuntur, quæ-
C que isti tacuerunt, ab hac sententia non discrepant. *Unde sane recte colligitur,* consubstantialis *vocabulum a Sancto non fuisse improbatum, saltem post acceptam a Dionysio Romano de Pentapolitanorum accusatione epistolam, ac proin, cum hac verosimillime posteriores exstiterint epistolæ ad Samosatenum,* Dionysio *hæ abjudicari nequeunt, quod in altera* consubstantialis *approbetur vocabulum.*

CAPUT VI.

De reliquis argumentis, quæ pro duabus ad Samosatenum epistolis Dionysio abjudicandis faciunt; et an ex hypothesi, quod hæ nihilominus Sanctum habeant auctorem, altera non distinguatur ab epistola ad ecclesiam Antiochenam ab eo scripta.

Plures de Verbi Divinitate loci,

D*uo argumenta, quæ pro duabus ad Samosatenum epistolis* Dionysio *abjudicandis faciunt, cap. præced. discussi. Restat, ut reliqua, quæ eo etiam conducunt, nunc examinem. A præcipuo, ut nonnulli putant, exordior. S. Athanasius, cum* Dionysii *fidem contra eos, qui sanctum Virum eadem cum Arianis, Jesu Christi Divinitatem negantibus, sensisse contendebant, tutandam haberet, in sua tamen Apologia hunc unice in finem scripta nec locum epistolæ, num.* 75 *huc transcriptum, ubi* Dionysius *Dei Filium Patri dici consubstantialem approbarit, nec alium quempiam, quo Sanctus in dicta epistola Filii Dei seu Verbi Divinitatem docet, in medium adducit; ubi tamen loci plures in ea occurrunt, ex quibus a* Dionysio *Jesu Christi Divinitatem agnosci, luce meridiana clarius demonstrare Athanasius potuisset. Ut reliquos omittam, duos plane insignes, quos apud Labbeum tom. I Conciliorum col.* 854 *et seq. invenies, huc transcribo. Prior sic habet :* Demonstratum itaque est, manifestum esse sophisma, quod formam hominis hominem appellas, et formam ac habitum servi servum, quia forma Dei est Deus. Christus autem, qui a mortuis surrexit, mortuus est et vixit, ut in mortuis et vivis dominetur. Deus enim est natura, qui in omnibus dominatur; et excitatus a mortuis, atque agnitus ex vulneribus verus Deus esse, qui fuerat crucifixus, et surrexerat, et æquali honore Deus Dominus a Thoma prædicatur.

AUCTORE C. B.

quorum duo huc transcribuntur, in dictis ad Samosatenum epistolis occurrunt;

79 Dominus enim et Deus habens in manibus cicatrices surrexit, qui fuerat propter nos vulneratus. Deus enim Apostolorum erat, qui attrectatus est, non natura homo, (*vide de hac* Dionysii *locutione in Bibliotheca Patrum Lugduni recusa Turrianum*) sed natura Deus, qui hæres gentium est, et omnem judicat terram, sicut scriptum est : E Surge... Deus, qui judicas terram, quoniam tu eris hæres in cunctis gentibus. Filius Dei, qui est Verbum, Christus hæres, mortuus est postea post servos suos prophetas, sicut ipse in Evangeliis dixit ad eos, qui occiderunt prophetas. Quomodo ais tu, hominem esse eximium Christum et non revera Deum, et ab omni creatura cum Patre et Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex sancta Virgine et Deipara Maria? Propter nos enim voluit nasci ex muliere; unde et passionem pro nobis suscepit, qui se exinanivit, et humiliavit usque ad mortem, mortem autem Crucis, cum esset alioqui æqualis Deo, sicut scriptum est : Factus est sub lege, qui secundum Divinitatem legislator est, ut eos, qui sub lege erant, redimeret; et adoptionem filiorum reciperemus, sicut ait Scriptura. *Posterior hic est :* Qui... ex Deo est ante secula genitus, ipse in extremis temporibus ex matre natus est. Idcirco Deicidæ sunt Judæi, quia Dominum gloriæ crucifixerunt. Nisi enim fuisset Christus idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi. *Ita* Dionysius *in præfata epistola, apertissime sane duobus huc jam transcriptis locis Divini Verbi seu Jesu Christi Divinitatem confitens, ut hos utique S. Athanasius, si epistolam illam pro genuino* Dionysii *fœtu habuisset, pro tutanda Sancti circa Verbi Divinitatem contra Arianos fide in medium* F *adducturus fuisse videatur, ac proin ut illam, cum id non fecerit, pro* Dionysii *epistola non habuerit.*

has tamen Dionysii non esse, quod nec ab Athanasio,

80 *Verum, quamquam hoc argumentum contra opinionem, quæ* Dionysii *ad Paulum epistolam, responsionemque ad decem Pauli objectiones Sancto attribuit, nonnihil validius quam præcedens militet, rem tamen minime evincit. Etenim responderi potest, Athanasium forte omnes* Dionysii *lucubrationes, quæ magno numero fuerunt, non habuisse perspectas, ut adeo, cum inter* Dionysii *lucubrationes, Athanasio non cognitas, esse potuerit epistola a Sancto ad Samosatenum scripta, mirum non sit, quod hæc, quamvis a* Dionysio *reipsa scripta atque ad Athanasii institutum non parum conducens, ab eo tamen contra Arianos citata non fuerit. Adhæc fieri potest, ut Athanasius, cum laudatum pro* Dionysii *doctrina ab Arianorum erroribus vindicanda Tractatum seu Apologiam scripsit, inimicorum suorum, qui eum sævissime prosequebantur, insidias fugiens, in quodam delituerit loco, in quo non nisi paucissimos libros haberet ad manum : unde factum esse potest, ut, cum duarum* Dionysii *ad Paulum epistolarum non haberet copiam, nullum ex his, utut a* Dionysio *vere scriptis, locum ad Arianos confutandos in medium adduxerit. Adde, homines non semper meminisse eorum omnium, quæ vel viderint, vel*

AUCTORE C. B.

vel legerint, ut adeo Athanasius præmemoratas epistolas, quamvis etiam antea a se lectas et pro genuinis Dionysii *lucubrationibus habitas, idcirco non citarit, quod, quæ in iis ad institutum suum facientia occurrerent, non recordaretur. Nequit itaque etiam ex Athanasii de duabus* Dionysii *ad Paulum Samosatenum epistolis silentio certo concludi, has a* Dionysio *vere non fuisse conscriptas.*

nec a Basilio memorentur, certo nequit concludi :

81 *Pergo nunc ad aliud argumentum, quod, qui duas dictas epistolas* Dionysio *abjudicant, etiam adducunt. Sanctus Basilius, aiunt, epistola nona, alias quadragesima prima, ad Maximum de* Dionysio *Alexandrino sic scribit :* De Spiritu voces emisit minime dignas Spiritu, ab adorata illum Deitate sejungens, atque in inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans. *Quibus ex verbis certissime consequitur, ut* Dionysius, *teste Basilio, Spiritui sancto Deitatem denegarit; quapropter cum ejusdem Spiritus sancti Deitatem binæ ad Paulum Samosatenum epistolæ, uti has, etiam perfunctorie tantum, legenti patescet, sæpissime testentur, nequeunt illæ a* S. Dionysio *esse conscriptæ. Verum respondeo,* Dionysium *orthodoxe admodum de Spiritu sancto sensisse, tantumque, in sua verosimiliter ad Ammonium et Euphranorem epistola, nonnihil esse crudius (vide, quæ de hoc argumento*
B *in Commentario disserui) non ex opinionis pravitate, sed ex vehementiori Sabellio obluctandi studio de illo locutum. Et vero* Dionysium *de Spiritu sancto orthodoxe sensisse, perspicuum fit vel ex ipsomet Basilio, dum lib. de Spiritu sancto docens, quæ de Spiritu sancto credenda sunt, nonnullos textus e* Dionysii *Operibus depromptos in dictorum suorum confirmationem adducit. Neque est, quod dicas, nullum ibidem textum ex binis prædictis epistolis, quæ tamen de Spiritu sancto præclarissime loquuntur, a Basilio proferri. Facile enim fieri potest, ut ad Basilii cognitionem epistolæ illæ non venerint. Adhæc Basilio animus non fuit, omnes omnino textus, undecumque ex omnibus* Dionysii *Operibus conquisitos, qui ad institutum suum conducerent, loco proxime citato afferre, ut adeo pro dictis epistolis* Dionysio *abjucandis nihil amplius ex Basilii, quam ex Athanasii silentio supra memorato possit haberi.*

quamvis autem argumentum aliud,

82 *Verum, qui prædictas epistolas pro genuinis non habent* Dionysii *Operibus, binis hisce argumentis, ab Athanasii et Basilii silentio petitis, addere queunt et tertium, a silentio, quod in concilio œcumenico Ephesino, anno 431 contra Nestorium celebrato, circa binas,* Dionysio *Alexandrino attributas, ad Paulum Samosatenum epistolas servatum fuit, pariter repetitum. Lubet hoc, ut quam sit validum,*
C *appareat, paulo distinctius proponere. Nestorius, anno 428 in sedem Constantinopolitanam Sisinnio vita functo suffectus, non diu ab impia, qua infectus erat, hæresi disseminanda abstinuit. Etenim eo ipso anno sermonem, hæreticæ pravitatis plenum, qui apud Garnerium tom. II Operum Marii Mercatoris pag. 5 exstat insertus, numerosa coram populi multitudine de Incarnatione Dominica habuit. Secundum hunc sermonem, aliaque plurima veterum scriptorum monumenta impius ille hæresiarcha, sublato Deiparæ nomine, Christum Dominum in duas distraxit hypostases ac personas; in eoque asseruit, sicut naturas duas, ita et filios duos, et Christos duos; unum quidem, quem incarnatum esse, non volebat, Deum ex Patre Deo, hominem alterum ex Matre, quam idcirco non* Θεοτόκον, *id est,* Deiparam, *sed* Χριστοτόκον, *id est,* Christiparam *appellabat. Porro contra impiam hanc hæresim, quæ jam antea a Cælestino Papa, synodoque ab eo convocata, Romæ fuerat proscripta, œcumenicum Ephesi, in quo Nestorius damnatus est atque exauctoratus, celebratum fuit concilium. In hoc S. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, cum vicarium suum eum creasset Cælestinus Papa, præcipuas partes indubie egit.*

quod a concilii Ephesini

83 *Secum habebat Petrum, ecclesiæ Alexandrinæ presbyterum, conciliique notariorum primicerium. Hic Patrum jussu varia, quibus Dei Verbum seu Filium incarnatum hominemque factum esse, aper-* D *tius asseritur, præcedentium episcoporum Patrumque testimonia, in Concilii Acta referenda, in medium adduxit. Quamvis autem id sedulo (tres enim patriarchas Alexandrinos, Petrum scilicet, Athanasium et Theophilum citat) curasse videatur, ut ne quem patriarcham Alexandrinum, qui de argumento tractando opportune ad concilii institutum scripsisset, silentio præteriret,* Dionysii *tamen non meminit; ubi interim Sanctus, si duas memoratas, in quibus divini Verbi Incarnatio (vide verba num. 78 et seq. huc transcripta) manifestissime traditur, ad Paulum scripsisset epistolas, ante reliquos omnes Patres, a Petro citatos, utpote his antiquior, memorandus utique fuisset. Adhæc in duabus,* Dionysio *adscriptis, ad Samosatenum epistolis sanctissima Virgo Maria sexies ut minimum* Θεοτόκος, *id est,* Deipara *vocatur; quapropter cum sic hæ contra Nestorium, qui sanctissimam Virginem non* Θεοτόκον *seu* Deiparam, *sed tantum* Χριστοτόκον *seu* Christiparam, *et esse et appellari volebat, maxime militarent, dubitandum non videtur, quin easdem Petrus citaturus fuisset, si a* Dionysio *scriptas esse, admisisset. Accedit, quod, duas Christi Domini asseri hypostases et personas, duos Christos ac duos Filios, quod Nestorius dicebat, in præmemoratis ad Paulum epistolis luculentissime improbetur, ut adeo, si hæ* Dionysium E *vere habeant auctorem, a Petro notariorum primicerio non unam ob causam fuissent citandæ.*

silentio petitur, aliquanto validius pro illis epistolis Dionysio

84 *Hunc in modum, qui duas memoratas ad Paulum Samosatenum epistolas* Dionysio *abjudicandas putant, a servato de his in concilio Ephesino silentio, ut opinionem suam probent, argumentari queunt, easdemque epistolas ante Nestorii tempora scriptas non esse, insuper contendere tum ex eo, quod duas a Paulo in Jesu Christo hypostases, quod palmare Nestorii dogma fuit, constitui indicent; tum ex eo, quod sanctissimam Virginem sæpissime* Θεοτόκον, *id est,* Deiparam *appellent; quod vocabulum quamvis etiam ante Nestorii tempora a S. Athanasio fuerit adhibitum, Athanasio tamen antiquior, qui vocabulo isto usus sit, in concilio Ephesino contra Nestorium citatus non fuit, nec illud ante exortam hæresim, qua hic sanctissimam Virginem non* Θεοτόκον *seu* Deiparam, *sed tantum* Χριστοτόκον *seu* Christiparam *appellandam statuit, communiter in Ecclesia usurpatum fuisse videtur. Verum sive ante sive post Nestorii tempora dictæ epistolæ scriptæ sint, argumentum equidem, ut hæ* Dionysio *abjudicentur, a concilii Ephesini silentio petitum, nonnihil validius, quam præcedentia, apparet. Patrum quidem testimoniis, in concilio Ephesino citatis, apud Labbeum tom. III Conciliorum col. 503 et 508* F *proxime præmittitur :* Petrus presbyter Alexandriæ et notariorum primicerius dixit : Quandoquidem sanctissimorum sacratissimorumque Patrum ac episcoporum, et diversorum præterea martyrum codices in promptu habemus, nonnullaque capita ex illis selegimus, ea, si vobis ita visum fuerit, prælegemus. Flavianus episcopus Philippensium dixit : Legantur, et in Actorum monumenta referantur.

abjudicandis, quidquid contra opponi qucat,

85 *Quibus ex verbis ita forte nonnemo ratiocinetur. In concilio Ephesino Petrus, notariorum primicerius, testimonia dumtaxat, uti ex verbis proxime recitatis liquet, in medium adduxit eorum antiquiorum episcoporum ac Patrum, quorum codices habebat ad manum, ac proin, cum fieri possit, ut codicem, qui* S. Dionysii, *Alexandrini episcopi, Opera complecteretur, non habuerit ad manum, mirum nemini debet accidere, nullum omnino textum ex memoratis ad Paulum Samosatenum epistolis, utut a* Dionysio *vere scriptis et ad impugnandos Nestorii errores aptissimis, a Petro fuisse in medium prolatum. Adhæc quispiam etiam forte dicet, facile fieri posse, ut Petrus, notariorum primicerius,* Dionysii *ad Samosatenum epistolas non habuerit perspectas, hincque factum esse, ut nullum ex his textum produxerit. Verum tam ad secundum hoc quam ad primum responsum, quo argumentum, a concilii Ephesini*

AUCTORE C. B.

A *sini silentio, pro dictis ad Samosatenum epistolis* Dionysio *abjudicandis petitum, nihilo plus valere quam præcedentia, quis forte existimet, responderi posse videtur, verosimile non apparere vel* Dionysii *Opera Petro, notariorum primicerio, ad manum non fuisse, vel hunc illa non habuisse perspecta. Etenim vix dubitandum est, quin omnia* Dionysii *Opera concilii Ephesini tempore, si non in aliis plerisque civitatibus, saltem in civitate Alexandrina, utpote cujus episcopus* Dionysius *fuisset, integra adhuc exstiterint. Quapropter, cum dubitandum pariter non appareat, quin S. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, hujusque ecclesiæ presbyter Petrus, qui eum ad concilium Ephesinum comitatus est, omnes antiquorum Patrum præcipueque Patriarcharum Alexandrinorum codices, Alexandriæ exsistentes, antequam ad concilium proficiscerentur, sedulo excusserint, textusque et locos in iis ad confutandum Nestorium idoneos annotarint, verosimile non videtur, Petrum non fuisse datas ad Samosatenum epistolas cogniturum, si hæ umquam a* Dionysio *scriptæ fuissent. Quod si autem velis, dictas epistolas, utut apprime cognitas, nec a Cyrillo, nec a Petro Ephesum, ubi etiam non exsistebant, fuisse allatas; respondeo, id verosimile non videri; adhæc illas saltem, utpote impiam Nestorii doctrinam apertis-*

B *sime damnantes, a Petro verosimiliter fuisse citandas, si* Dionysium, *Alexandrinum episcopum, summæ, apud Orientales præcipue, auctoritatis Patrem, vere habuissent auctorem seu potius, si tunc vere exstitissent, nec tantum postea* Dionysio *essent affictæ.*

militare videatur; non hinc tamen dictas epistolas Dionysii non esse,

86 *Itaque, re mature perpensa, argumentum, a concilii Ephesini silentio petitum, aliquanto validius, quam duo alia ab Athanasii et Basilii silentio petita argumenta, militare videtur contra opinionem eorum, qui duas ad Samosatenum epistolas* Dionysio *adscribunt. Verum adhuc multo contra illam validius militat illud ipsum concilii Ephesini silentium, si conjunctim non tantum cum Athanasii et Basilii, verum etiam omnium omnino antiquorum scriptorum silentio consideretur. Etenim duæ memoratæ ad Samosatenum epistolæ a nullo prorsus scriptore antiquo citatæ inveniuntur, videnturque ante sæculi proxime elapsi initium, quo in lucem fuerunt prolatæ, omnino fuisse incognitæ. Verum reponunt, qui dictas epistolas* Dionysio *attribuunt, sanctus* Dionysius, *ut in Commentario dictum est, ad Paulum Samosatenum, ut hunc ab errore revocaret, verosimillime scripsit, idque reipsa Sanctum fecisse, Theodoritus, Cyri episcopus, scriptor antiquus lib.* II *Hæreticarum Fabularum cap.* 8 *verbis, num.* 303 *in Commentarium transcriptis, etiam testatur :*

C *quamvis autem quot aut quas ad Samosatenum Sanctus dederit epistolas, nuspiam indicet laudatus Theodoritus, fierique possit, ut ex vago seu generali hujus scriptoris de datis a* Dionysio *ad Samosatenum epistolis testimonio scriptor aliquis posterior ansam arripuerit, vel duas præmemoratas ad Samosatenum pro arbitrio fingendi epistolas, vel, cum eas jam scriptas quidem, nullius tamen auctoris nomine notatas invenisset,* Dionysio, *Alexandrino episcopo, supponendi, nulla tamen potest positiva afferri ratio, qua id reipsa, circa duas dictas epistolas factum esse, solide probetur.*

uti nec ex stylo, quo scriptæ sunt, certum efficitur;

87 *Argumenta enim, a concilii Ephesini, Athanasii, Basilii aliorumque scriptorum antiquorum silentio petita, rem certam atque indubitatam, uti eruditi omnes facile admittent, nequeunt efficere. Idem dicendum est de argumentis petitis tum a doctrina in duabus dictis epistolis Paulo afficta, tum a styli diversitate, qua has, et* Dionysii *apud Eusebium lib.* VI *et* VII *Historiæ Ecclesiasticæ lucubrationum Fragmenta esse conscripta, nonnulli contendunt. Ita illi, qui dictas epistolas* Dionysio, *veluti germano earumdem auctori, attribuunt. Et vero non immerito, nec sine fundamento ita loquuntur. Si enim res omnes a mille et pluribus annis gestæ pro meris figmentis et fabulis, quod a scriptoribus antiquis non memorentur, sint habendæ, res prope innumeræ, quæ tamen certissime evenisse putantur, ad aniles fabulas relegandæ fuerint. Nequit itaque ob solum concilii Ephesini, scriptorumque antiquorum de* Dionysii *ad Paulum Samosatenum epistolis silentium certo concludi, has* Dionysium *germanum non habere auctorem, quamvis interim propterea ea de re non immerito possit dubitari. Porro a doctrina in duabus dictis epistolis Paulo attributa nihil quoque pro his* Dionysio *indubie abjudicandis haberi, perspicuum est ex iis, quæ cap.* 3 *disserui. Quod autem pertinet ad styli diversitatem, quam nonnulli in dictis epistolis et in aliis* Dionysii *Operibus inveniri putant, nequit etiam ex hac sat certo confici, dictas epistolas a* Dionysio *non esse conscriptas. Quod enim aiunt, stylum, quo hæ scriptæ sunt, esse humilem, diffusum, implexum, styloque, quo aliæ Sancti lucubrationes exaratæ fuerunt, prorsus dissimilem, id equidem, quantum opinor, non omnes, qui epistolas illas cum aliorum* Dionysii *Operum Fragmentis, quæ apud Eusebium supersunt, cumque epistola ad Basilidem supra memorata attente contulerint, existimaturi sunt.*

imo oppositum apparet verosimilius : si autem dictæ epistolæ Dionysii vere sint, opinio, E

88 *Adhæc fac, stylum, quo dictæ epistolæ scriptæ sunt, ab aliarum Sancti lucubrationum stylo nonnihil differre, oriri id potest ex crebris Scripturæ sacræ textibus, qui epistolis, uti argumenti exigebat ratio, fuerunt immiscendi, ut adeo ex stylo, quo epistolæ illæ scriptæ sunt, utut forte nonnihil diverso a reliquarum* Dionysii *lucubrationum stylo, certum esse non possit, eas epistolas Sancto esse abjudicandas. Quapropter cum id quoque nec ex concilii Ephesini scriptorumque antiquorum silentio, nec aliunde, ut jam dictum est, certum esse possit; indubiam autem suppositionis notam dictæ epistolæ non præferant, easque in antiquo probæ notæ codice Ms.* Dionysii *nomine signatas Turrianus invenerit, verosimilius utique, quemadmodum jam in Commentario monui, mihi apparet, easdem* Dionysium *vere habere auctorem, quamvis interim id (quam ob causam etiam de his in Appendice hic agendum fuit) pro indubitato ideirco potissimum non habeam, quod ex jam disputatis epistolas illas nec concilium Ephesinum, nec Athanasius, nec ullus alius ante sæculum proxime elapsum scriptor novisse videatur. Atque ita jam quid de duabus, de quibus hic agendum erat, epistolis sentiam, exposui; restat, ut nunc discutiam, an, ex hypothesi, quod* Dionysium *indubie habeant auctorem, harum altera, Sancti scilicet ad decem Pauli Samosateni quæstiones responsio, eadem sit cum epistola, a* Dionysio *ad ecclesiam Antiochenam missa; qua hic præ corporis infirmitate provectaque senecta ad concilium, contra Samosatenum Antiochiæ celebrandum, ad quod invitatus fuerat, venire non valens, concilii Patribus, quid ipsemet de quæ-*

F *stione seu materia contra hæresiarcham illum in concilio tractandam sentiret, exposuit. Baronius, ut jam num.* 302 *in Commentario docui, utramque hanc hic proxime memoratam epistolam eamdem esse existimavit.*

quæ responsionem ad decem Pauli quæstiones pro epistolæ ad Antiochenos parte accipit;

89 *Tillemontius tom. IV Monumentorum Ecclesiasticorum in Notis ad* Dionysium *Alexandrinum pag.* 661 *ab hac Baronii opinione omnino alienus non videtur. Ait enim ibidem, fieri posse, ut ea lucubratio, id est,* Dionysii *ad decem Pauli Samosateni quæstiones responsio, pars exstiterit epistolæ, a synodo Antiochena memoratæ, ut adeo, cum* Dionysii *epistola, quam memoravit Antiochena synodus, quamque postea secundum Antiochenum concilium ad omnes quaquaversum ecclesias cum epistola sua canonica transmisit, eadem sit cum epistola mox memorata, a* Dionysio *ad ecclesiam Antiochenam scripta, dubitari non debeat, quin Tillemontius a Baronii opinione omnino alienus non fuerit. Ratio autem, ob quam ita in illam fuerit affectus, hæc est : Epistola illa, ait, seu* Dionysii *ad decem Pauli Samosateni quæstiones responsio, ita communiter de Paulo loquitur, acsi ad hunc orationem non dirigat, illumque solo* Samosatensis *titulo designat; ita ut, si quando eum alloquatur, satis appareat, id non honoris causa fieri; sed eo modo, quo alloqui solemus, quos impugnamus. Ita ad verbum fere Tillemontius,*

AUCTORE C. B.

montius, mox etiam inferens, fieri posse, ut Opusculum illud seu responsum ad decem Pauli Samosateni quæstiones partem constituerit epistolæ, a concilio Antiocheno, secundo scilicet, designatæ, cive fuerit adjectum. Non omnino improbabilis apparet hæc Tillemontii opinio, cum confirmandæ addi etiam potest, Dionysium *in suo ad decimam Pauli Samosateni quæstionem responso, pluribus jam ad decimam illam Pauli objectionem confutandam in medium adductis, ita de Samosateno loqui :* Videte, fratres, quanta sit cæcitas. Tota die et nocte acuit tela contra Dominum et aggreditur bellare homo neque bellare sciens, neque in arte bellandi institutus. *Quibus ex verbis, utpote ad plures directis, consequi videtur, ut epistola illa, seu responsio ad decem Pauli quæstiones, non ad hunc, sed ad fratres, quos verbis recitatis Sanctus alloquitur, destinata fuerit. Unde non improbabile fit, hanc partem constituere epistolæ, a Sancto ad ecclesiam Antiochenam seu potius ad patriarchatus Antiocheni episcopos scriptæ, posteaque a secundi Antiocheni concilii Patribus ad epistolam suam synodicam adjectæ.*

at non item opinio, quæ hanc epistolam cum responsione prorsus eamdem facit,

90 *Tillemontio itaque, qui ad hoc credendum propendet, non illubenter assentior; at non item assentiri queo Baronio. Quamvis enim ab eo non multum dissonet Tillemontius; Baronius tamen prædictam* Dionysii *ad Pauli quæstiones responsionem haberi a se pro integra Sancti ad ecclesiam Antiochenam seu ad patriarchatus Antiocheni episcopos epistola, verbis num.* 302 *in Commentario recitatis non obscure indicat. Verum in tota illa Responsione, quam longa est, nulla uspiam verba (si proxime recitata excipias) Sanctus exhibet, ex quibus eum ad ecclesiam Antiochenam, seu patriarchatus Alexandrini episcopos scribere, utcumque colligas. Hinc autem mihi verosimile apparet, responsionem illam, si vere ad ecclesiam Antiochenam seu patriarchatus Antiocheni episcopos destinata fuit, non integram utique epistolam, quam ad hos Sanctus scripsit, sed illius dumtaxat partem constituisse. Quis enim credat,* Dionysium *in tota epistola, quam ad patriarchatus Antiocheni episcopos scripsit, hos nec in ipsomet illius initio, nec pluries in contextu honoris causa compellasse? Certe* Dionysius *in epistola, quam ad Basilidem, Pentapolitanum episcopum, scripsit, quamque supra integram huc transcripsimus, Basilidem et initio epistolæ et in ejusdem contextu plus semel alloquitur, honorificeque simul et peramanter compellat, ut adeo, cum Sanctus ad unicum scribens episcopum, urbana hac scribendi ratione usus sit, eadem indubie etiam ad plures seu potius ad omnes patriarchatus Antiocheni scribens episcopos usus fuerit. Accedit, quod Sanctus in sua ad decem Pauli quæstiones responsione præmemoratos patriarchatus Antiocheni episcopos ad strenuam veritatis orthodoxæ propugnationem non adhortetur, quod tamen Sanctum sua ad ecclesiam Antiochenam epistola verosimillime fecisse, in Commentario docuimus. Itaque ob omnia, quæ hic jam disserui,* Dionysii *ad Samosateni quæstiones responsio pro integra Sancti ad patriarchatus Antiocheni episcopos epistola nequit haberi.*

pro non improbabili,

91 *Porro, quod etiam ad opinionem, quæ dictam responsionem saltem pro parte epistolæ a Sancto ad ecclesiam Antiochenam scriptæ accipit, pro non improbabili habendam facit,* Dionysius *in sua ad decimam Pauli objectionem etiam Paulo sic loquitur :* Ecce in te impletur, et in iis, qui te sequuntur : « Contra me (*verba sunt psalmi* 68) loquebantur, » qui sedebant in porta, et in me psallebant, qui » bibebant vinum » non in me dico, sed in Deum. Nescio, quis tibi hunc actum turbatum impietatis tamquam poculum porrexit, et tenebras offudit, ut non intelligeres, quæ dicis. Scripsi enim tibi in epistola, ad quam hæc rescripsisti, quod volens te ipsum decipis, o amice. Non dixi amicum, tamquam compresbyterum ; sed tamquam alterum amicum, cui dictum est a Domino : « Amice, ad » quid venisti. » *Quibus ex verbis, cum Sanctus potissimum iis indicet, sese in epistola responsionem, quam ad Pauli quæstiones dat, proxime prægressa non alio modo, quam quo Christus Judam, Paulum Samosatenum appellasse* amicum, *consequi videtur, ut Sanctus in ipsa responsione, quam ad Pauli quæstiones dedit, ne salute quidem, quam amici amicis impertiri solent, Paulum Samosatenum, utpote tunc deteriorem adhuc factum, fuerit dignatus. Quapropter cum* Dionysius, *ut in synodica secundi Antiocheni concilii epistola, supra sæpissime laudata, dicitur,* ne salutatione quidem *Samosatenum in epistola, quam ad ecclesiam Antiochenam scripsit, fuerit* dignatus, *confirmatur sane ex recitatis Sancti verbis opinio, quæ saltem pro epistolæ ad ecclesiam Antiochenam scriptæ parte habendam putat* Dionysii *ad decem Pauli Samosateni quæstiones responsionem.*

quamvis non pro certa,

92 *Quamvis autem id inde, ut jam dixi, utcumque confirmetur, pro certo tamen atque indubitato, etiam ex dictis verbis haberi non potest. Etenim cum his ipsis* Dionysius *orationem ad Paulum dirigat, non immerito forte quisquam contendet, prædictam responsionem ad ipsummet Paulum a* Dionysio *esse conscriptam, ac proin hanc ab epistola, a* Dionysio *ad ecclesiam Antiochenam scripta, cum hæc, teste epistola synodica mox iterum laudata, ad Paulum Samosatenum scripta non fuerit, omnino esse distinctam. Quod si reponas, Sanctum (vide, quæ num.* 89 *dicta sunt) eo tantum modo, quo solemus, ad eos quos impugnamus, ad Samosatenum per præmemorata verba dirigere orationem, responderi potest, id minus verosimile idcirco videri, quod nimis frequenter Sanctus in responsione illa Paulum alloquatur, idque nullo prorsus adjecto indicio, ex quo, quod Paulum dumtaxat impugnet; ad alium vero vel alios orationem dirigat, utcumque innotescat. Adhæc pro omnimoda inter responsionem ad Samosateni quæstiones, et Sancti ad patriarchatus Antiocheni episcopos epistolam distinctione statuenda etiam facit, quod hæc a secundi concilii Antiocheni Patribus, uti ex horum laudata epistola synodica intelligitur, ad omnes per universum orbem dispersas ecclesias quaquaversum missa fuerit; unde consequi videtur, ut etiam Nestorii tempore notissima adhuc verosimillime fuerit, multisque codicibus inserta.*

potest haberi.

93 *Quapropter, si a* Dionysii *ad decem Pauli quæstiones responsione omnino diversa non esset, fuisset et hæc Nestorii tempore pariter adhuc notissima. Verum hanc Nestorii tempore notissimam fuisse, non apparet. Quamvis enim in ea sanctissima Virgo Maria quinies ut minimum appelletur* Θεοτόκος *seu* Deipara, *quæ appellatio doctrinæ Nestorii, SS. Virginem non* Θεοτόκον *seu* Deiparam, *sed* Χριστοτόκον *seu* Christiparam *appellandam contendentis, e diametro opponitur, nullus tamen ex ista epistola seu responsione contra Nestorium textus in concilio Ephesino, in quo tamen plures aliorum SS. Patrum sententiæ multo minus eo facientes prolatæ fuerunt, in medium fuit adductus, ut adeo ista epistola seu responsio cognita non fuisse videatur, ac proin ut omnino distincta sit ab epistola, a* Dionysio *ad ecclesiam Antiochenam, seu ad patriarchatus Antiocheni episcopos scripta. Itaque ex hypothesi, quod duæ epistolæ, veluti ad Samosatenum a* Dionysio *scriptæ, sæculo proxime elapso vulgatæ* Dionysium *vere habeant auctorem, nondum tamen, uti ex jam disputatis liquet, certum est, alteram e duabus hisce epistolis, seu Sancti ad decem Pauli quæstiones responsionem etiam vel pro parte tantum epistolæ, quam is ad ecclesiam Antiochenam seu patriarchatus Antiocheni episcopos dedit, esse habendam, quamvis id interim, ut jam ante docui, pro non improbabili queat haberi.*

CAPUT VII.

De nonnullis Opusculis, Dionysio vel vere vel falso adscriptis.

Alii libri seu Tractatus, quos Dionysius

Præter *Opera* Dionysio *vel certo vel dubie adscribenda, quæ, veluti a scriptoribus sub* Dionysii *nomine memorata, et in Commentario, et in hac Appendice jam*

A *jam recensui, nonnulla adhuc supersunt, quorum pariter apud scriptores mentio occurrit, nec tamen scriptionis epocha habetur comperta. Hæc inter computandi sunt quatuor tractatus seu libri epistolari forma (hac enim in omnibus fere suis Operibus* Dionysius *usus videtur) magna ex parte verosimiliter conscripti, hisque deinde etiam addi debent nonnullæ epistolæ. Trium e quatuor dictis Tractatibus seu libris Eusebius æque ac Hieronymus mentionem faciunt. Posterior quidem lib. de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus his verbis :* De natura ad Timotheum, de tentationibus ad Euphranorem ; ad Basilidem quoque multæ epistolæ, in quarum una se (Dionysius *nempe Alexandrinus*) asserit, etiam in Ecclesiasten cœpisse scribere Commentarios. *Eusebius vero lib.* VII, *cap.* 26 *Historiæ istis :* Aliæ plures sunt apud nos illius (Dionysii *Alexandrini*) epistolæ, et prolixiores libri epistolari forma ac stilo conscripti ; cujusmodi sunt illi de natura libri, Timotheo puero dedicati. Item liber de tentationibus, quem etiam Euphranori nuncupavit. Ipse præterea in epistola, quam ad Basilidem, Pentapolitanum episcopum scripsit, Commentarium se composuisse testatur in principium libri, qui Ec-

B clesiastes dicitur.

elucubravit : epistolæ, quas scripsit,

95 *Tres itaque ex hisce Hieronymi et Eusebii verbis tractatus, quorum alter de natura, alter de tentationibus, ac tertius ad Ecclesiasten interpretandum scriptus sit, habemus compertos. Quarti, quo primam ad Corinthios epistolam Sanctus interpretatus est, apud solum Hieronymum epistola, alias quinquagesima secunda, nunc, in recentiori scilicet Operum Hieronymi per Benedictinos editione, trigesima prima, ad Pammachium scripta, mentio invenitur. Atque hi quidem sunt* Dionysii *tractatus seu libri, de quibus hoc præsenti capite disserere proposui : epistolæ vero fere hæ sunt. Prima est objurgatoria ad Sancti gregem Alexandriæ constitutum, altera ad Romanos de officio diaconi per Hippolytum missa. Utriusque hujus epistolæ lib.* VI *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 46 *meminit Eusebius, qui etiam ejusdem quidem Historiæ libri septimi capite nono epistolæ de Luciano ad Dionysium Romanum scriptæ; capite vero vigesimo secundo duarum aliarum epistolarum, quarum altera de Sabbatho, altera* περὶ γυμνασίου, *id est, de exercitatione scripta est, mentionem facit. Ambæ hæ posteriores etiam Tractatu de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus memorantur ab Hieronymo, qui etiam ibidem et epistolam* ad Heraclam, in Ægypto episcopum, *et alteram item epistolam* ad Alexandrinam ecclesiam de exsilio *scriptam Operibus a* Dionysio *elucubratis accenset. Verum hæc (uti ex iis, quæ in Commentario num.* 138 *disserui,*

C *facile colliges) forte ab epistola, a* Dionysio *ad ecclesiæ Alexandrinæ compresbyteros scripta, illa vero omni dubio procul ab epistola, a Sancto ad Hieracem scripta, atque in Commentario n.* 283 *et alibi memorata, diversa non est, ut necesse non sit, de duabus hisce epistolis plura hîc dicere, sufficiatque pro ampliori earumdem notitia curiosum lectorem ad eumdem Commentarium locis proxime citatis remittere.*

binæque, quas non scripsit, recensentur.

96 *Lambecius lib.* III *Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea pag.* 18 *duas adhuc in hac alias epistolas Mss. hactenus ineditas, sub* Dionysii *archiepiscopi Alexandrini nomine ad calcem vetustæ in libros Regum expositionis anonymæ exstare affirmat.* In fine, *inquit,* expositionis secundi Libri Regum, et quidem folio 125 exstant epistolæ duæ S. Dionysii, archiepiscopi Alexandrini, hactenus, quod sciam, ineditæ, quarum prior inscribitur et incipit his verbis : Διονυσίου ἐπιςολὴ Θεοδοσίῳ μονάζοντι. Τί Θαυμάζεις ὅτι οὐδενὸς ἁμαρτήματος ὅλη τραυματίζεται πόλις, ὅπερ καὶ Δαυὶδ γενόμενον ἔγνως· Altera autem hoc modo : Τοῦ αὐτοῦ ἐπιςολὴ Ὀυρσενουφίῳ ἀναγνώςῃ. Ὁ μὲν οὖν Ἀβεσσαλὼμ δίκην παρὰ τῆς Θείας ἀπητήθη δίκης ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ οἰκίου πατρός etc. Causa vero, cur epistolæ illæ ibi sint insertæ, hæc est, quod Historia regni Davidis, quæ secundo libro Regum continetur, per eas potest illustrari. *Ita laudatus Lambecius, duas, quas memorat, epistolas* Dionysio *Alexandrino episcopo sine ulla hæsitatione adscribens. Verum has nec* Dionysii *Alexandrini, nec alterius cujuspiam Dionysii esse, recte in suis Scriptorum Bibliothecis Guilielmus Caveus, Fabricius, aliique nonnulli eruditi contendunt. Ambæ enim Isidorum Pelusiotam habent auctorem, inter cujus epistolas reperiuntur. Prior quidem ad Theodosium libro* I *epistola trigesima nona pag.* 10. *Posterior vero ad Ursinuphium libro tertio epistola ducentesima decima nona, pag. trecentesima;* ad quem etiam, *ut recte observat laudatus Caveus,* habentur et aliæ, nempe libro secundo, epistola 240, libro quarto, epistola 78 et 80.

AUCTORE C. B.

97 *De illis itaque duabus epistolis, utpote quæ* Dionysii *non sint, nec plura hic oportet disserere. Quapropter, cum alia Opera, quæ apud scriptores sub* Dionysii *nomine memorata inveniam, præter jam recensita non supersint, proximum est, ut de his, quæ num.* 94 *et* 95 *recensui, quæque* Dionysii *certo sunt, unice agam. Id adeo, sola in sequens caput, quæ de Luciano ad Dionysium Romanum data est, dilata epistola, præsenti hoc capite jam præsto. A Sancti libris, Timotheo* de Natura *inscriptis, duo initium. Inutile fuerit, in tempus, quo libri illi scripti sint, utcumque inquirere. Etenim nulla prorsus nota chronica, ex qua id colligas, nec in eorumdem Fragmentis, ab Eusebio in decimum quartum Præparationis Evangelicæ librum illatis, nec alibi*

E *uspiam occurrit. Quod vero pertinet ad argumentum, quod tractant, potest de eo amplior certiorque sermo institui. In libris illis nempe Sanctus Democritum et Epicurum, qui ex fortuito atomorum concursu universum hoc emersisse docuerunt, egregie confutat, omnesque similiter falsas philosophorum de natura opiniones refellere, ut solum deinde hujus auctorem Deum esse demonstraret, sese habuisse in animo, non obscure indicat.* Nunc enim, *inquit ipsemet Sanctus apud Eusebium libro de Præparatione Evangelica proxime citato, cap.* 26, *pagina* 779, ex sapientissimæ providentiæ operibus summatim pauca tantum aliqua percurrimus, iidem paulo post, cum adversus illum, cujus major est eruditionis opinio, disputabimus, uberius, Deo duce, ac plenius omnia persequemur.

Sanctus contra Democritum et Epicurum non ex fortuito

98 *Ratiocinia, quibus* Dionysius *Democritum et Epicurum confutare studuit, integra amplius non exstant; verum horum, ut jam innui, Fragmenta plane insignia, ne Opus plane eximium penitus interiret, in suo decimo quarto de Præparatione Evangelica libro nobis servavit Eusebius. In hisce autem Fragmentis, ex quibus quinque ultima prædicti decimi quarti de Præparatione Evangelica libri capita fere*

F *constant,* S. Dionysius, *ut nihil in hoc mundo fortuito atomorum cursu, sed solo Dei nutu omnia facta ostendat, res varias in quotidianum vitæ humanæ usum et commodum construi solitas, vestem nempe, domum, navigium in exemplum adducit, petitque, an fieri queat, ut opera tam artificiosa, tot e partibus apte ordinateque inter se unitis composita, absque artificis manu sint confecta. Hinc porro pro admirabili universi terrarum orbis constructione Deo attribuenda interrogando sic concludit :* Quis æquis porro auribus audiat, ingentem hanc domum, ex cælo terraque constantem, qui propter maximam illam et multiplicem, quæ huic insidet, sapientiæ vim, mundus vocatur, ab atomis, quæ nullo ferantur ordine, ordinem atque ornatum omnem accepisse, ac pertubationem ipsam in mundum esse mutatam? Quis statos illos motus atque conversiones ex inconstanti quodam impetu proficisci? Quis absolutam rerum cælestium harmoniam et inconditis et inconcinnis instrumentis temperari? Quomodo autem, una cum omnium essentia sit incorruptibilisque natura, solo, ut aiunt, magnitudinum figurarumque discrimine, corporum tamen alia quædam, ut ipsi vocant, divina sunt, fatis superiora, et sempiterna, vel ævi saltem, ut nonnemo loqui maluit, longioris : eaque partim visu percipiuntur, ut sol, luna, stellæ, terra et aqua; partim sensum fugiunt, ut dii, dæmones et animi?

atomorum concursu, sed a Deo mundum esse conditum,

99 *Hæc*

AUCTORE C. B. *libris de Natura Timotheo inscriptis ostendit,*

99 *Hæc* Dionysius, *plura deinde, ut mundum, astra, animantia, planetas ceteraque omnia, quæ mundi ambitu continentur, a solo Deo creata esse ostendat, industrie simul et apposite adjungens. Atque id quidem Sanctus vigesimo quinto præfati decimi quarti de Præparatione Evangelica capite apud Eusebium præstat; sequenti autem capite non minus diligentem, ut id ipsum speciatim ex mira hominis structura probet, operam navat. Verba, quibus id facit, apud Eusebium loco proxime citato curiosus lector inveniet, eaque proinde huc non transcribo, illa dumtaxat, quæ jam proxime recitavi, in argumenti, quod in memoratis Sancti de Natura libris tractatur, specimen transcripsisse contentus. Porro hi libri, ut jam supra satis innui, Timotheo τῷ παιδὶ sunt inscripti, hincque nonnulli libros illos filio suo a* Dionysio, *quem propterea maritatum faciunt, nuncupatos fuisse contenderunt. Verum quid de re hac statuendum existimem, in Commentario num. 33 et seq. exposui; ad quem propterea, studiose lector, te remitto, atque de Tractatu, quem* Dionysius *Euphranori de Tentationibus inscripsit, nunc ago.*

Tractatu, Euphranori nuncupato, qui cum carne et dæmone hic certandum sit, forte docuit,

100 *Quod pertinet ad tempus, quo is concinnatus est, illud non magis, quam tempus, quo præmemoratus de Natura Tractatus scriptus est, habetur compertum, nec quidquam etiam, quo utcumque vel cum aliqua latitudine innotescat, uspiam aut in illo ipso de tentationibus Tractatu aut in aliis Sancti Scriptis occurrit. Nec hoc tantum circa hunc* Dionysii *Tractatum accidit incommodum, verum etiam quod nec argumentum, quod pertractat, sat accurate definiri queat. Fuerit forte de variis modis, quibus homo a dæmone et carne circumveniri atque ad peccandum allici solet, conscriptus. Docuerit forte etiam, qui illæ dæmonis carnisque insidiæ superari, quique cum illis, ut certa sit victoria, dimicari hic ab homine debeat. Utut sit, cum equidem Tractatus ille, quemadmodum et plerique alii a Sancto nostro concinnati, interierit, parum refert, non posse argumentum, quo de libri, dictum tractatum constituentes, tractarint, exactius determinari. Itaque ulteriori missa indagine, ad duos alios a* Dionysio *exaratos tractatus progredior.*

B

binisque e Commentariis, quos scripsit, altero primam Ecclesiastæ partem,

101 *Alter primæ partis Ecclesiastæ, alter vero Epistolæ primæ ad Corinthios Commentationem seu interpretationem fuit complexus. Ex neutro quidquam uspiam noscitur superstes. Argumentum, quo de scripti fuerunt, ex ipso, quem præferunt, titulo sufficienter innotescit. Quod vero ad scriptionis tempus pertinet, id nulla prorsus ratione, quantum equidem puto, quisquam definiat. Sanctus* Dionysius, *teste Eusebio, lib.* VII *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 26 *supra adhuc citato, in una ex epistolis, quas ad Basilidem, Pentapolitanum episcopum, scripsit, sese in principium libri, qui* Ecclesiastes *dicitur, Commentarios composuisse asseruit; horum autem etiam de Illustribus (vide verba num.* 94 *recitata) Ecclesiæ scriptoribus S. Hieronymus, postque eum, uti in Bibliotheca sancta Sixtus Senensis testatur, Procopius Gazæus in explanatione tertii capitis Geneseos meminit, nihilque de iisdem innotescit præterea.*

C

altero primam ad Corinthios Epistolam exposuit;

102 *Atque hæc sunt, quæ de Commentariis a Sancto in Ecclesiasten scriptis possum asserere. Quod vero ad Commentarios in priorem ad Corinthios Epistolam a Sancto pariter concinnatos pertinet, præter ea, quæ jam de his dicta sunt, adductumque S. Hieronymi epistola ad Pammachium trigesima prima, alias quinquagesima secunda testimonium, nihil prorsus de iisdem commemorandum occurrit. Cum nihilominus non parvi momenti Commentarios illos fuisse, pateat ex verbis, quibus hos a* Dionysio *scriptos in præfata epistola testatur Hieronymus, istæc huc transcribo.* Origenes, *inquit dictæ Epistolæ interpretes enumerans,* Dionysius, *Alexandrinus scilicet episcopus,* Pierius, Eusebius Cæsariensis, Didymus, Apollinaris latissime hanc Epistolam, *primam scilicet ad Corinthios,* interpretati sunt. *Latissime ergo, uti ex his Hieronymi verbis intelligitur, priorem ad Corinthios Epistolam interpretatus est* S. Dionysius, *ac proin in hanc non parvi momenti Commentarium verosimiliter conscripsit; de qua cum plura addenda non habeam, jamque, quæ de quatuor* Dionysii *Tractatibus supra memoratis litteris consignata reperi, in medium adduxerim, restat, ut de Sancti epistolis, de quibus etiam præsenti capite tractare proposui, nunc agam.* D

quid vero binis epistolis, quarum alteram ad Romanos

103 *Epistola, a Sancto ad gregem suum Alexandrinum objurgatoria conscripta, uti etiam epistola, ab eodem ad fratres Romæ constitutos de officio diaconi missa, apud Eusebium, Historiæ scilicet Ecclesiasticæ, ut jam docui, lib.* VI, *cap.* 46, *recensetur una cum epistolis, quæ a* Dionysio *Novatiani schismatis occasione ac proin anno circiter* 250 *aut* 251 *fuerunt conscriptæ. Hinc porro non nemo forte concludat, duas illas epistolas, alteram de officio diaconi, alteram ad gregem suum Alexandrinum objurgatoriam, eodem circiter tempore exaratas pariter fuisse, ac proin eas non in hac Appendice, sed in Commentario fuisse tractandas. Verum respondeo, ne ullas quidem epistolas, quas Eusebius una cum Sancti epistola ad gregem suum objurgatoria, et epistola de officio diaconi Romam missa, loco proxime citato commemorat, in Commentario a me, nisi earum epocha ex argumento, de quo scriptæ sunt, propius haberetur perspecta, fuisse tractatas, hincque esse, cur ibidem de dictis epistolis, quarum altera ad gregem Alexandrinum, altera de officio diaconi Romam scripta est, agendum non duxerim. Et vero id merito factum esse, nemo, quantum opinor, ibit inficias, qui, quæ ab Eusebio uno eodemque capite recensentur scripta, non uno eodemque tempore semper esse elucubrata, compertum exploratumque habuerit.* E

de officio diaconi, alteram ad gregem suum objurgatoriam

104 *Cum enim revera Eusebius, ut difficile non esset ostendere, diversa auctorum scripta, quæ diverso tempore elaborata sunt, uno eodemque capite subinde recenseat, utique ex epistolis, quibuscum dictæ binæ epistolæ ab Eusebio lib.* VII *Historiæ, cap.* 46 *memorantur, sciri non potest, fuerintne hæ eodem tempore, quo illæ, an alio conscriptæ, ac proin ad hanc Appendicem ex instituto meo pertinent; cum scilicet ad earum epocham definiendam nec aliud occurrat, nec ipsa, de quibus scriptæ sunt, argumenta eo conducant. Hæc quippe ex titulis, quibus epistolæ ab Eusebio et Hieronymo insigniuntur, utcumque tantum innotescunt; et hinc quidem epistola, ad Romanos de officio diaconi scripta, a* Dionysio *hos, quæ sit diaconi dignitas, quis ordo, quæ partes, fuisse edoctos, verosimillimum fit; verum nihil omnino inde habetur, ut quo circiter tempore epistola illa scripta sit, definiri utcumque queat. Quod vero ad alteram, quam* Dionysius *ad gregem suum Alexandrinum objurgatoriam scripsit, spectat epistolam hanc quidem Sanctus, cum in exsilium pulsus Alexandria abesset, scripsisse videtur.* F

dedit, binisque aliis de exercitatione et Sabbato scriptis egerit, non sat distincte nocitur.

105 *Verum cum* Dionysius *bis, semel nempe sub Decio et semel sub Valeriano, Alexandria exsulare fuerit compulsus, dictamne epistolam sub Decio, an sub Valeriano scripserit, nequit edici, ac proin tempus, quo id fecerit, manet incertum, spectato etiam ejusdem epistolæ argumento, ex quo porro nihil aliud discimus, quam illa, utpote objurgatoria, a Sancto Christianos, Alexandriæ exsistentes, fuisse reprehensos; causa interim seu delicto, ob quod nominatim id a* Dionysio *factum fuerit, penitus manente obscuro, ut nec de dicta epistola, pro qua etiam studiosus lector num.* 98 *et* 138 *Commentarii potest consulere, quidquam amplius dicendum supersit, pergamque propterea ad duas reliquas Sancti epistolas, de quibus hic acturum me, supra spopondi. Altera de Sabbato, altera περὶ γυμνασίου seu de exercitatione scripta est. Ambæ nihil iterum offerunt, unde quo circiter tempore scriptæ sint, utcumque colligas. Argumentum etiam, quo de scriptæ sunt, ex titulis, quibus ab Eusebio et Hieronymo ornantur, non satis distincte innotescit, nec, ut id divinando forte assequar, conjecturis agere est animus, ut de duabus istis, utpote quæ penitus cum plerisque aliis* Dionysii *lucubrationibus interiere, nec ulteriorem aliquo ex capite de se disserendi præbent materiem, plura dicenda non habeam.*

CAPUT

A

CAPUT VIII.

De Sancti ad Dionysium Romanum de Luciano epistola, hujusque occasione nonnulla adhuc de quibusdam Dionysii opinionibus seu dogmatibus observantur.

Sancti epistola de Luciano scripta:

Ex omnibus Dionysii *epistolis, num. hujus Appendicis* 95 *recensitis, de quibus hic restabat tractandum, unicam huc de Luciano scriptam remisi. Hæc quidem et ad Dionysium Romanum, teste Eusebio, data est, et eodem libri septimi Historiæ Ecclesiasticæ capite nono, quo duæ de baptismo a* Dionysio *scriptæ memorantur epistolæ, a laudato Eusebio memoratur. Verum epocha, qua scripta sit, nec ex eo, quod ad Dionysium Romanum scripta sit, nec ex eo, quod eodem capite, quo duæ aliæ de baptismo epistolæ, memoretur ab Eusebio, definiri potest. Primum sic probo: Dionysius Romanus, ad quem epistola illa scripta asseritur ab Eusebio, dubio procul, alius non est, quam Dionysius, de quo idem Eusebius, quartam Sancti de baptismo epistolam ab epistola de Luciano scripta hicque tractanda distinctam commemorans, paulo ante, capite nempe ejusdem*

B *libri septimo, ita scripserat:* Quarta ejus (Dionysii *Alexandrini*) de baptismo epistola ad Dionysium scripta est, tunc quidem Romanæ urbis presbyterum, sed qui aliquanto post tempore ejusdem urbis episcopus est constitutus. *Fuerit ergo, uti ex his Eusebii verbis facile colliges,* Dionysii *de Luciano, qua de hic agimus, epistola vel ante vel postquam Dionysius Romanus ad supremam Ecclesiæ cathedram esset evectus, conscripta.*

hujusque epocha neque ex Dionysio Romano, cui scripta est,

107 *Verum sive ante sive post illam Dionysii Romani promotionem scripta statuatur, nihil equidem ex eo, quod ad hunc scripta sit, pro determinanda ejus epocha sat certi ac definiti potest haberi. Fac enim eam, antequam Dionysius Romanus in Pontificem esset electus, esse scriptam: cum hic Sancti nostri fuerit æqualis, indubieque ante annum* 247, *quo* Dionysius *Alexandrinus ad patriarchalem Ægypti cathedram fuit evectus, floruerit; ab anno autem* 247 *ad annum usque* 259, *quo Dionysius Romanus in Pontificem fuit assumptus, anni excurrant duodecim, sciri nequit, quo ex hisce annis dictam epistolam, si modo etiam citius scripta non fuerit,* Dionysius *exararit. Quod si vero illam, cum Dionysius Romanus jam esset Pontifex, scriptam lubeat statuere, nec sic quidquam habebis, ut, quo determinato anno scripta sit, certo definias. Cum enim Dio-*

C *nysius Romanus anno* 259 *ad S. Petri cathedram fuerit promotus; ab hoc autem anno ad annum usque* 265, *quo* Dionysius *Alexandrinus, ut docuimus, e vivis excessit, anni excurrant, computato utroque extremo, nec plures nec pauciores quam septem, sciri iterum non potest, quo ex hisce annis de Luciano eam, qua de hic agimus, epistolam Sanctus scripserit.*

nec aliunde comperta haberi potest.

108 *Itaque quocumque modo res spectetur, nequit sane annus, quo ejusdem epistolæ debeat locari scriptio, definiri ex eo, quod ad Dionysium Romanum data sit. Dispiciamus modo, an hic definiri etiam nequeat ex eo, quod illa eodem libri septimi nono capite, quo duæ de baptismo a* Dionysio *scriptæ epistolæ, memoretur ab Eusebio. Eusebius, ut jam supra monui, uno eodemque capite plures subinde epistolas, utut non uno eodemque tempore scriptas, commemorat, ut adeo ex eo, quod ea, qua de hic sermocinamur, epistola capite eodem, quo duæ aliæ, memoretur ab Eusebio, determinari annus, quo illa scripta sit, etiam non queat. Quod si porro de eodem argumento, seu de baptismo, de quo duæ aliæ epistolæ, quibuscum dicto capite memoratur ab Eusebio, exaratæ sunt, foret conscripta, illius sane epocha, cum omnes omnino epistolæ, quas* Dionysius *vel de baptismo vel controversiæ de hoc exortæ occasione scripsit, ad annum* 256 *vel alterum e binis sequentibus spectent, jam prope haberetur comperta. Verum epistolam illam de Luciano scriptam, dumtaxat asserit Eusebius, nec quidquam suppeditat, unde, an in illa baptismus, an res alia de Luciano scribendi materiem Sancto præbuerit, possis colligere, ut adeo ne quidem, an controversiæ, Stephanum inter et Cyprianum de baptismo exortæ, occasione scripta sit, habeatur compertum, ac proin, ut nihil inde quoque pro definienda præmemoratæ epistolæ epocha possit haberi.*

AUCTORE C. B.

Forte in dicta epistola de baptismo fuit tractatum. Dionysii de hoc Sacramento,

109 *Utinam interim luculenter constaret, non tantum quibus de rebus potissimum in præmemorata ad Dionysium Romanum epistola, in qua forte etiam de baptismo nonnulla fuerint disputata, a* Dionysio *nostro, Alexandrino episcopo, actum fuerit; verum etiam, quid hic in singulis, quas de baptismo scripsit, epistolis docuerit! Ita sane, quod scitu foret non injucundum, certum exploratumque haberetur, quæ Sancto nostro de baptismi ab hæreticis collati valore sederit opinio; de qua quamvis in Commentario jam discussa, hic tamen occasione epistolæ ad Dionysium Romanum de Luciano scriptæ, in qua etiam a Sancto de baptismo forte fuerit tractatum, nonnulla adhuc, ut de ea quid queat statui certius, juverit disserere. Paragrapho Commentarii undecimo baptismum, ab hæreticis collatum, pro valido a* Dionysio *habitum fuisse, verosimillimum esse ostendi, viamque Hieronymum, qui* Dionysium *in Cypriani de rebaptizandis hæreticis dogma consensisse affirmat, cum doctrina illa conciliandi aperui, vel hac*

E *potissimum ratione ductus, quod ipsum Pepuzenorum seu Montanistarum baptismum, qui tamen indubie erat invalidus, a* Dionysio *pro valido habitum fuisse, Basilius epistola prima ad Amphilochium can.* 1 *docet. Mirum forte accidet nonnemini parumque credibile id, quod de Montanistarum baptismo, indubie licet invalido, per* Dionysium *tamen approbato, a Basilio asseritur. Ut adeo quo loco habendum sit hoc Basilii assertum, utque Hieronymum, ne a vero aberrare dicendus sit, ea via, quam paragrapho Commentarii proxime laudato inivi, necessario esse exponendum, appareat, Sancti nostri de hæreticorum baptismo doctrinam, simulque Basilii de hac asserta, nondum satis ibidem discussa, paulo accuratius hic expendo.*

a Pepuzenis collato, opinio proponitur ex Basilio.

110 *Itaque Basilius epistola ad Amphilochium proxime laudata can. primo sic scribit:* Quod igitur ad Catharos pertinet, et prius dictum est, et recte admonuisti, uniuscujusque regionis morem sequi oportere: Quod ii, qui tunc de illis statuerunt, in varias de ipsorum baptismate sententias abierint. Pepuzenorum autem baptisma nullam mihi habere rationem videtur, et miratus sum, quomodo hoc Dionysium, hominem canonum peritum, fugerit. *Hæc Basilius, nonnullis interpositis,* F *in eamdem sententiam etiam sic scribens:* Pepuzeni ergo sunt aperte hæretici; nam in Spiritum sanctum blasphemaverunt, Montano et Priscillæ Paracleti appellationem nefarie impudenterque attribuentes. Igitur sive quia hominibus Divinitatem attribuunt, condemnandi sunt, sive quia Spiritum sanctum afficiunt injuria, dum eum comparant cum hominibus; sic etiam sunt æternæ condemnationi obnoxii, quod condonari non possit blasphemia in Spiritum sanctum. Qua igitur ratione eorum baptisma admittatur; cum in Patrem et Filium et Montanum aut Priscillam baptizent? Non enim baptizati sunt, qui in ea, quæ nobis tradita non sunt, baptizati fuere. Quare etsi hoc Dionysium Magnum latuit, servanda nobis non est imitatio erroris. *Hactenus Basilius, a* Dionysio, *quamquam per errorem, Pepuzenorum seu Montanistarum baptismum pro valido habitum fuisse, non obscure indicans, simulque, ut quam immerito ita* Dionysius *senserit ostendat, causam adjungens, ob quam validus esse nequeat baptismus, a Montanistis seu Pepuzenis collatus.*

Hic et Hieronymus pugnare inter se, videri queunt;

111 *Benedictini in recentiori sua anni* 1730 *Basilianorum Operum editione ad priorum textum huc jam transcriptum sic observant:* Pugnat aperte Basilius cum Hieronymo, qui in libro de Scriptoribus ecclesiasticis testatur, Dionysium idem ac Cyprianum

AUCTORE C. B.

Cyprianum de baptismo sensisse. Videtur hac in re major auctoritas Basilio attribuenda, quam Hieronymo. Plus operæ insumserat Basilius in ea re examinanda. Præterea cum illius testimonio congruit tota Dionysii agendi ratio, qui deprecatorem se pro Asiaticis et Afris (*apud Stephanum nempe, Romanum Pontificem*) interposuit; nedum in eadem ac illi causa versaretur. Quin etiam suam ac decessorum suorum sententiam satis declaravit, cum hominem impio et blasphemiæ pleno baptismo apud hæreticos initiatum, sed jam dudum sine baptismo ab antecessoribus suis receptum, ante non ausus est baptizare, quam Xystum (*vide, quæ in Commentario § proxime memorato dicta sunt*) episcopum Romanum consuluisset. *Hæc laudati Benedictini, contendentes, Basilium hic cum Hieronymo pugnare. Et vero id non omnino immerito contendunt. Cum enim a* Dionysio *Pepuzenorum, qui erant hæretici, baptismum, utut certo (vide supra Basilii verba) invalidum, pro valido habitum fuisse, Basilius verbis mox recitatis testetur, ex hoc Sancti hujus testimonio recte colligitur, quodlibet sane baptisma, a quocumque sive hæretico sive orthodoxo collatum, cui ritus legitimus non deesset, ratum a* Dionysio *habitum fuisse. Jam vero cum in dogma, quo Cyprianus aliique plurimi Africani*
B *episcopi baptismum ab hæreticis collatum esse invalidum, ac proin, qui, a solis hæreticis baptizati, ad Ecclesiam accederent, rebaptizari debere contendebant,* Dionysium *consensisse, S. Hieronymus (vide Commentarium num.* 110) *aperte doceat, non omnino sane immerito cum hoc pugnare S. Basilius a laudatis Benedictinis asseritur.*

non ita tamen pugnant, quin aliqua ratione in concordiam queant adduci.

112 *Attamen duo hi SS. Patres non ita inter se pugnant, seu invicem dissident, ut nulla ratione queant in concordiam adduci. Viam, qua id non incongrue fiat, quivis facile discet ex iis, quæ* § 11 *Commentarii protuli. Arbitratus est scilicet (vide dictum §)* S. Dionysius, *baptismum, quamvis a solis hæreticis collatum, pro valido esse habendum; cum vero Sanctus simul (ad iterum dictum §) rebaptizari posse a solis hæreticis baptizatos, haeque in re quamlibet ecclesiam usui suo seu consuetudini esse relinquendam existimaret, cum in Cypriani, utpote hæreticos rebaptizari debere ac proin posse contendentis, dogma consensisse, asserere potuit Hieronymus, nec tamen aperte pugnare cum Basilio verbis supra recitatis prodente ea, ex quibus conseguens est, a* Dionysio *baptismum, ad hæreticis ritu debito collatum, pro valido habitum fuisse. Itaque S. Basilius hic non ita indubie, ut contendunt laudati Benedictini, cum Hieronymo pugnat. Quod autem aiunt,*
C Dionysium *tunc, cum hominem, impio et blasphemiæ pleno baptismo apud solos hæreticos initiatum, non ante novo baptismate, quam Xystum, Romanum Pontificem, consuluisset, abluere est ausus, sententiam suam, qua baptismum, a solis hæreticis collatum, pro valido habuerit, sufficienter declarasse; nec id undequaque certum, uti ex iis, quæ eodem iterum* 11 *Commentarii* § *dicta sunt, facile intelliges, nonnemini forte apparebit.*

Dionysius in errore, quem circa baptismi reiterationem admisit, excusandus est,

115 *Verum* Dionysius *declararit ibi sufficienter, non declararit suam de baptismo ab hæreticis collato sententiam, hunc equidem ab illo, quotiescumque ritu debito esset collatus, pro valido habitum fuisse, fit ex eo, quod pro valido Pepuzenorum, teste Basilio, habuerit baptismum, indubitatum atque perspicuum; quamvis interim, uti in Commentario § jam sæpius nominato docui, cuilibet episcopo permittendum esse voluerit, ut libere pro ecclesiæ, cui præerat, consuetudine rebaptizaret vel non rebaptizaret, qui, a solis hæreticis baptizati, ad Ecclesiam accederent. Verum, inquies, si talis fuerit* Dionysii *doctrina, consequens est, ut insigniter circa primum maximeque ad salutem necessarium Sacramentum errarit. Fateor: Sanctus hic a vero certissime aberravit. Verum quid tum? Aberravit etiam S. Cyprianus, totaque fere cum eo Africana ecclesia, ut mirum nemini videri debeat,* Dionysium *in re, quæ nondum sua ætate tam clare, ut postea fuit, esset definita, opinionem erroneam esse amplexum.* D *Episcoporum torrente, idem cum Cypriano sentientium, fuit abreptus, non quidem, ut omnem baptismum, ab hæreticis collatum, esse invalidum pronuntiaret, sed ut saltem eos, qui valide ab hæreticis baptizati essent, pro cujuslibet ecclesiæ consuetudine rebaptizari posse vel non posse assereret. Hinc is Sancti error, utpote sine gravi ratione non admissus, facile apud quemvis æquum rerum æstimatorem excusationem inveniet.*

omnique etiam, dubio insuper existente, an baptismi defectum

114 *Ast, inquiet non nemo ulterius,* Dionysius *non tantum eorum, qui ab hæreticis valide baptizati essent, rebaptizationem licitam asseruit; verum etiam, quem sane errorem nemo excusset, Pepuzenorum seu Montanistarum baptismum, quamquam sine forma debita collatum, pro valido, teste S. Basilio, voluit haberi; unde consequi videtur, ut etiam baptismum, a quibuscumque hæreticis et quocumque modo collatum, validum esse existimarit. Adhæc (vide iterum Commentarii* § 11) *baptismi defectum, ut apparet, per sacram Communionem suppleri posse putavit, quod sane etiam omni dubio procul est erroneum, ut adeo* Dionysius *non leve tantum erratum, quod facile excusationem inveniat, circa baptismum admiserit. Ita, ut jam innui, contra* Dionysium *argui potest ulterius. Verum respondeo, posse non immerito, uti ex laudato Commentarii* § 11 *facile intelliges,* E *vocari in dubium, an* Dionysius *revera baptismi defectum per sacram Communionem suppleri posse existimarit. Quamvis enim (vide Sancti verba in Commentario num.* 114 *recitata) hominem illum jam dudum in Ecclesiam atque ad Sacramentorum participationem admissum, qui, cum se invalide impioque tantum et blasphemiæ pleno baptismo baptizatum putaret, vero puroque baptismate donari petierat, rebaptizare non ausus,* diuturnam illi communionem ad id sufficere *responderit, ita forte Sanctus potest intelligi, ut non quidem diuturnam communionem, veluti ad causam, qua homo ille a peccato originali expurgatus esset, sed tantum ad certum indicium, quod baptismo valide collato, a peccato originali expurgatus esset, satis esse voluerit.*

per sacram communionem suppleri posse exsistimarit,

115 *Etenim Sanctus, ut apparet, pro parum credibili habuit, hominem, qui jam a longissimo tempore, ejurata hæresi, in Ecclesiam atque ad sacram communionem frequenter fuisset admissus, valido numquam antea baptismate fuisse initiatum. Colligendum id videtur ex eo, quod Sanctus loco supra citato apud Eusebium, ubi homini, qui rebaptizari petierat, diuturnam communionem ad id sufficere respondit, mox subjungat :* Nam qui gratiarum actionem frequenter audierit, et cum ceteris responderit Amen; qui ad sacram Mensam astiterit, F et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit; qui illum exceperit; et Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuerit diutissime, eum ego de integro renovare non ausim. *Quæ verba si, ut non nemini forte videbitur, expositionem* Dionysii *proxime applicatam non firment, hæcque scholis potius, quam historicæ veritati videatur accommodata, nihil quidem, quo eamdem expositionem probem, in medium amplius adducam; verum tunc equidem pro certo atque indubitato haberi non posse contendo, a* Dionysio *baptismi defectum per diuturnam communionem suppleri, fuisse existimatum. Atque ita quidem quid de altero, cujus* Dionysius *circa baptismum insimulatur, errore statuendum putem, edocui. Quod vero jam pertinet ad illum, qui in Pepuzenorum seu Montanistarum baptismatis approbatione versatur, quique a* Dionysio *quodlibet baptisma, a quocumque, et quocumque modo collatum, pro valido habitum fuisse, suspicandi ansam præbet, respondeo, hanc postremam saltem erroris* Dionysio *objecti partem certam omnino non esse atque indubitatam, seu, quod idem est, compertum prorsus atque exploratum non haberi, a* Dionysio *quodlibet baptisma, a quibuscumque hæreticis et quocumque modo collatum, pro valido habitum fuisse.*

116 *Sane Benedictinis, qui recentiorem Basilianorum Operum anni* 1730 *editionem adornarunt, certum*

omnemque baptismum quocumque modo collatum pro valido

A *tum id atque indubitatum minime apparuit. Etenim ad priorem Basilii locum num.* 110 *huc transcriptum sic observant :* Etsi testatur Basilius, non rejectum a Dionysio fuisse baptisma Pepuzenorum, non tamen videtur existimasse, magnum illum Virum eadem indulgentia in alios hæreticos usum fuisse. Miratur enim, cur tam liberaliter egerit cum Pepuzenis, utpote hæreticis; quod profecto mirum ei visum non fuisset, si ipsos etiam Marcionitas et Valentinianos ab eo sine baptismo receptos credidisset. Quam ob rem Basilii sententia, *de hæreticorum scilicet baptismate a* Dionysio *approbato,* paulo restrictius accipienda, quam vulgo accipitur. Constat illius de Pepuzenis sine baptismo receptis testimonium, atque ex hoc testimonio illud etiam colligi potest, quodlibet baptisma, modo ritus legitimus non deesset, ratum a Dionysio habitum fuisse. Sed Basilius ipse de solis Pepuzenis loquitur, et in hoc ipso canone Magni Dionysii erratum (sic enim appellat) in eo manifestum et ante oculos positum esse declarat, quod discesserit a sancita priscis canonibus regula, ut aliter hæretici, aliter schismatici recipiantur. Credebat ergo opinatam illam regulam in aliis hæresibus a Dionysio observatam fuisse. *Ita laudati Benedictini, apertissime sane indicantes, in ea sese opinione versari, ut existiment, a* Dionysio *non quodlibet baptisma, a quibuscumque hæreticis et quocumque modo collatum pro valido habitum fuisse.*

B

habuerit, excusatione in altero graviori errore, circa Pepuzenorum baptismum admisso, non caret,

117 *Quod hic sese opinari significant Benedictini, id ipsum ego, quamvis rationes, quas afferunt, rem non evincant, pro verosimillimo habeo. Quis enim in animum inducat, ut* Dionysium, *virum eruditorum fere omnium calculis doctrina non minus quam pietate præstantem, eximiumque ævi sui decus et ornamentum, ridicule adeo de primo maximeque necessario Sacramento sensisse existimet? Habuit quidem* Dionysius *pro valido Pepuzenorum baptismum, qui tamen, ut Basilius verbis supra recitatis testatur, nullam omnino baptismi, utpote, ut ait, in nomine Patris et Filii et Montani aut Priscillæ collati, rationem haberet. Verum, si Benedictini in posteriorem Basilii locum supra huc transcriptum recte annotent, Pepuzeni in baptizando Montanum aut Priscillam nominatim non appellarunt, sed tantum per Spiritum sanctum, in cujus simul, uti et in Patris et Filii nomine baptizabant, Montanum aut Priscillam intellexerunt, ut* Dionysius *omni prorsus ratione, ob quam Pepuzenorum baptismum, utpote forma saltem exterius debita collatum, pro valido haberet, non caruerit, ac proin ut et error, in quem baptisma illud approbando lapsus est, excusari pariter mereatur. Utut sit, fatemur equidem,* Dionysium, *utut excusatione dignum, tum in approbando Pepuzenorum baptismo, tum in eorum, qui ab hæreticis valide baptizati ad Ecclesiam accedunt, rebaptizatione admittenda ut licita vehementer errasse.*

C

idque ipsum in crudioribus nonnullis Sancti de SS. Trinitate loquendi formulis,

118 *Neque enim hic lubet subtilius philosophando seu potius, ut dicam, quod res est, inepte argutando, sanctum Virum a manifestis, in quos prolapsus est, erroribus præstare immunem. Sic quippe non veritati historicæ studuisse, sed affectui potius videar indulsisse. Hæc ratione ductus jam antea etiam* Dionysium *et in mulieribus, sexui suo consueta patientibus, a sacra Communione arcendis, et in Apocalypsi Joanni Apostolo aljudicanda certissime errasse, ingenue sum confessus : quamvis interim sanctum Virum, uti etiam hic feci, absque ratione, ob quam excusandus sit, non errasse, una ostenderim. Imo veritatis studio malui cum Athanasio, quæ* Dionysius *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola in speciem scripsit erronea, ipsimet Sancto, quam cum Rufino Arianis, qui epistolam illam corruperint, adscribere. Cum* Dionysius, *inquit in trium concilii Chalcedonensis capitulorum defensione pag.* 442 *Facundus Hermianensis episcopus,* olim docuisset, facturam esse Filium Dei, neque natura proprium, sed extraneum ab essentia Patris, et quia idem Filius non erat, antequam fieret, aliaque similia, quæ in eodem Opere continentur, Athanasius, germanum specimen, et Catholicæ doctrinæ atque virtutis exemplum, ea constanter excepit, et quamvis nostris auribus dura et ad excusandum difficilia, defendere non refugit. *Athanasius, uti in Commentario docuimus, admisit quidem,* Dionysium *in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola asseruisse, Dei Filium, quod sensu magis obvio videri poterat et reipsa erat erroneum, rem factam esse et a Patre secundum substantiam alienum; verum hæc Sanctum non eo animo, quo volebant Ariani, protulisse, rationeque non una eum orthodoxe admodum sensisse, ostendit. Huic ergo Athanasii agendi rationi inhærens,* Dionysium *quidem in Commentario admisi non nihil esse crudius in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola de Dei Filio locutum; verum eum simul orthodoxe admodum sensisse, ex posterioribus, quæ sui purgandi ergo edidit, scriptis invicte, quantum opinor, probavi.*

AUCTORE C. B.

uti Baronius Athanasii exemplo in suis ad Martyrologium

119 *Hanc pariter viam inierunt eruditi post Athanasium non pauci. Hos inter etiam computandus venit eruditissimus Cardinalis Baronius, cujus proinde verba, cum ad excusandum* Dionysii *de secunda SS. Trinitatis Persona scribendi modum non parum etiam conducant, eorum quodammodo, quæ eodem fine in Commentario disserui, complementi loco huc transcribo. Itaque die* 17 *Novembris in suis ad Martyrologium Romanum Notis de Sancto nostro sic scribit :* De eodem Dionysio dubitatio alicui posset oriri, dum S. Augustinus *(imo Gennadius, Massiliensis presbyter, uti nunc eruditis videtur)* libro de Catholico dogmate cap. 3 eum appellat Fontem Arianorum et S. Basilius ad Maximum philosophum epist. 41 in eamdem sententiam hæc de eo : Est autem hæc nostra de illo sententia : non omnia Viri hujus laudamus; sunt, quæ prorsus etiam damnamus. Ipse propemodum (quantum nobis liquet) primus hominibus impietatis istius Ariomaniæ, quæ jam passim obstrepit, seminaria præbuit. Hæc Basilius; qui tandem eumdem excusans, hæc subdit : Causam vero hujus non puto animi malitiam esse, sed quod vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum similem æstimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus aversionem, ita immoderate illam retorquet, ut a medio aberret, et in contrarium latus ramum abducat. Hæc ille.

E

Romanum Annotationibus merito etiam contendit,

120 In eamdem sententiam S. Athanasius adversus Arianos agens, pro Dionysio scripsit epistolam apologeticam; idemque in epistola de synodo Nicæna contra decreta Arianorum etiam addit, eumdem Dionysium ea de re judicio postulatum apud Dionysium, tunc Romanum Pontificem, scripsisse ad eumdem egregiam apologiam, quo se immunem liberumque a quavis hæresi demonstraret. Id et Basilius ad Amphilochium de Spiritu sancto cap. 29. Hieronymus etiam de Scriptoribus Ecclesiasticis in Dionysio testatur, ipsum ad prædictum Romanum Pontificem scripsisse epistolam unam et libros quatuor. Nisi vererer scholii mensuram excedere, plurimorum nobilium veterumque theologorum ejusdem generis exempla subnecterem, qui dum aliquam hæresim refellere conati sunt, in contrariam partem nimis valide rationes inflectentes, a rectitudine sinceræ fidei declinare visi sunt, licet iidem Catholicæ fidei fuerint semper propugnatores acerrimi. Unum tantum non longe petitum, similequo huic, de Magno illo Gregorio Thaumaturgo, de quo hac agitur die, adducam exemplum. Sicut enim Dionysius laborans contra Sabellium visus est Arianis arma subministrasse; ita et ipse agens contra gentiles, conatus illis demonstrare, non esse plures Deos, et Christianos omnes nequaquam tres Deos colere, sed unum tantum; visus est aliquibus unam tantum constituisse in Divinitate Personam; sicque Sabellio parasse venenum : quod S. Basilius accurate notat et excusat scribens ad Neocæsarienses epist. 64, *ut mirum sit profecto, eum non eadem*

F

AUCTORE C. B.

omnibusque generatim erroribus pariter obtinere locum, ex disputatis satis liquet,

eadem erga Dionysium *Alexandrinum benignitate usum fuisse.*

121 *Utut sit, tum quæ verbis jam transcriptis proferuntur a Baronio, tum ea, quæ nos in Commentario protulimus, sufficere debent, ut* Dionysius *in iis omnibus, quæ circa SS. Trinitatem erronea in sua ad Ammonium et Euphranorem epistola docuisse visus est, facilem apud omnes æquos rerum æstimatores excusationem inveniat. Quod vero generatim pertinet ad errores, quos Sanctus non tantum admisisse visus est; verum etiam reipsa admisit, excusari eum in his omnibus pariter mereri, ea, quæ hoc præsenti capite et alibi in Commentario et in hac Appendice disserui, satis superque ostendunt. Cetera præter Opera, quæ jam, veluti a* Dionysio *adornata, tum in Commentario, tum in hac Appendice recensui, nulla amplius nominatim seu in specie enumeranda supersunt; nec propterea tamen quisquam existimet, nulla præter ea, quæ in hujus de* D Dionysio *Tractatus decursu memoravi, fuisse a* Dionysio *Opera elucubrata. Etenim Eusebius singulis fere locis, quibus aliquot vel epistolas vel Opuscula, a* Dionysio *elaborata, recenset, plura adhuc alia a Sancto elucubrata fuisse, adjungit. Sic, ut ceteros locos, quibus id facit, omittam, lib.* VII *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 46, *recensitis plurimis, quas Sanctus scripsit, epistolis, mox addit :* Alias quoque complures ad diversos scripsit epistolas, ex quibus quicumque illius Operum studiosi sunt amatores (*sunt autem etiamnum plurimi*) multiplicent percipere possunt utilitatem. *Scripsit ergo* Dionysius *præter eas, quas recensui, adhuc plurimas alias epistolas, ex quibus, cum, ut ait Eusebius, multiplex posset percipi utilitas, deplorandum sane est, eas interiisse.*

DE S. ROMANA VIRGINE MARTYRE

BELLOVACI IN GALLIA.

J. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B E

§ I. Vitæ ejus scriptor, memoria sacra, in Galliam adventus.

SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO. *S. Romanam Bellovaci passam*

Res Bellovacenses sub initium sæculi decimi septimi Petrus Louvetus et Antonius Loisellus ex instituto scriptis persecuti sunt. Multa illi de Bellovacensium antiquitate, potentia, rebus bellicis. Gentis caput Cæsaromagum fuit, quod modo a gentis nomine Bellovacum audit. Episcopatum habet antiquum Remensi metropoli suffraganeum, cujus antistes comitis et Franciæ Paris (ut vocant) titulo gaudet. Diœcesim autem Bellovacensem ita describunt Novæ Galliæ Christianæ editores : Circumscribitur illa ad Septentrionem diœcesibus Ambianensi ac Noviomensi; ad Orientem Suessionensi et Silvanectensi, ad Meridiem Silvanectensi, Parisiensi et Rotomagensi; ad Occidentem Rotomagensi. *Christi fidem S. Lucianus martyr (data sunt ejus Acta ad diem* 8 *Januarii) eo primus invexit, idemque primus Bellovacensium præsul fuisse a multis creditur, dissentientibus aliis. Hunc imitata* S. Romana, *relicta Urbe, sociabus aliquot comitata in Gallias venit, parique martyrii desiderio accensa apud Bellovacenses voti sui compos effecta est. Vitam* C *ejus, seu potius reliquiarum, præmisso martyrii compendio, translationis historiam tom. II Spicilegii editionis primæ pag.* 677 *prelo dedit Acherius, quam a Nicolao de Boissy Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium in abbatia S. Quintini Bellovacensis Priore accepit : unde et Louvetus multa deprompsit eorum, quæ de* S. Romana *in Antiquitatibus Bellovacensibus retulit.*

scriptor anonymus

2 *Vitæ hujus auctori, quisquis fuerit, non omnia, imo pauca sive in ipso martyrio, sive ante illud gesta innotuerunt : neque id mirum : qui enim Sanctæ vixere temporibus, gestorumque ejus spectatores, testesque esse potuerunt,* artati persecutionis instantia, *inquit num.* 3, ordinem passionis ejus non scripserunt, et posteri de ea, quæ non perspexerunt, scribere noluerunt, ne adinventores innotarum rerum æstimarentur, asserere dubitaverunt. *Quo illud factum est, ut antiquioribus ævæ Christianæ sæculis nulla fuerit ejus martyrio constituta solemnis dies, quamquam illud Bellovacensibus abunde foret exploratum. Quo autem tempore* S. Romanæ *Vitam litteris consignarit, ipsemet auctor loco non uno prodit. Capitis* 2 (*secundum partitionem nostram*) *initio sic loquitur :* Nostris vero temporibus cum comes Flandriensis Balduinus puerum Philippum, Henrici regis filium, ad regni proveheret solium, ipsumque pro eo disponeret regnum, civitas Beluacensis suo destituta est antistite. Annuente igitur supernæ pietatis æquitate, Guido decanus, custosque ecclesiæ S. Quintini Vermandensis, et archidiaconus Laudunensis, constitutus est a præfato principe Belluacensium episcopus. *Num. vero* 7 *Guidonem hunc scribit annum integrum exsulasse jussu Philippi regis, cum is per seipsum moderandas regni Gallici habenas suscepisset. Rursum num.* 12 *editum a* S. Romana *prope Argentolium prodigium recensens, id sibi* eorum, qui videre et affuere, *assertione compertum esse, testatur. Denique et in Vitæ epilogo iis verbis utitur, ut Bellovaci scriptionem suam, superstite etiamnum Guidone episcopo, absolvisse videatur.*

3 *Aimoinus lib.* V, *cap.* 48 *scribit, Philippum* sæculi XI, *Henrici regis hujus nominis I majorem natu filium, vivente et jubente patre, anno* 1059 *unctum esse in regem; Henricum autem anno sequenti obiisse. Regni autem administratio penes Balduinum sexennio fuit, sub eoque Bellovacensem cathedram Guido adiit anno* 1065 *vel sequenti : annus enim* 1072 *episcopatus ejus nonus fuit, ut habet ejus charta apud Loisellum pag.* 234 *eodem anno data* 15 *Kalend. Jul. Unde Novæ Galliæ Christianæ editores Albericum et Sigebertum corrigendos monent, quo-* F *rum alter Guidonem anno* 1066, *alter proxime sequenti benedictionis munus accepisse, asseruit. Annos jam aliquot in episcopatu Guido exegerat, cum post conditam exornatamque S. Quintini haud procul a Bellovacensibus mœnibus ecclesiam anno* 1073 *sedem suam deserere coactus est : ad quam non rediit nisi anno* 1074 *vel sequenti, ut infra num.* 27 *dicetur. Horum itaque omnium cum anonymus Vitæ* S. Romanæ *auctor meminerit, non ante id temporis scripsisse, necesse est : nec tamen (etsi id minus certum sit) post annum* 1085 (*vide finem num.* 2) *si verum est, Guidonem hoc anno episcopatu cessisse, et Cluniaci vitam monasticam amplexum biennio fere post pie obiisse; ut ex Guiberto abbate B. Mariæ citati Galliæ Christianæ editores scribunt, a quibus Louvetus aliquantulum discrepat. Quid vero de anonymi fide censendum sit, ex dicendis num.* 6 *statui poterit.*

4 *Minus celebrem fuisse ante Guidonis ætatem* et Martyrologia quædam recentiora celebrant; S. Romanæ *memoriam num.* 3 *his verbis anonymus aperit :* Decreverunt majores nostri diem martyrii ejus se non solemniter celebrare, nec tamen passi sunt omnino insolescere, scientes, quod martyrio coronata Christi cohæres regnat in gloria. *Unde Guidonem episcopum in epilogo solemnitatis* S. Romanæ *institutorem amplificatoremque haud injuria nuncupat. Indeque, opinor, antiquiorum martyrologorum*

A *gorum profluxit de* S. Romana *silentium. E recentioribus illius meminerunt Saussayus in Appendice ad Martyrologium Gallicanum :* S. Romana virgo, cujus corpus Bellovaci servatur in monasterio S. Quintini, jam pridem miraculis a Deo clarificatum et a fideli populo devote honoratum. *Castellanus in Martyrologio Universali ad hunc diem :* In pago Bellovacensi, S. Romana, culta ut Virgo et Martyr Bellovaci, ubi est ejus corpus in ecclesia S. Quintini. *Die etiam* 5 *Octobris signatur ejus festum in Breviario Bellovacensi, quod habemus manuscriptum, edito sub Odone Bellovacensi episcopo anno* 1334. *Dies porro hic non martyrii, sed translationis reliquiarum* S. Romanæ *est, ut lib.* II *cap.* 9 *Louvetus observat : cum, qui Diocletiani temporibus vixere, Christiani neque ordinem, neque tempus, neque diem denique, quo* S. Romana *passa est, litteris consignarint.*

ut ille Sanctæ in Gallias adventum

3 S. Romanæ *in Gallias adventum explicare exorsus anonymus, initium ducit a duodecim fidei Christianæ præconibus, qui post plantatam a SS. Petro et Paulo, et a successoribus eorum irrigatam Romanam Ecclesiam in Gallias Roma missi sunt, sancti Evangelii lucem Galliæ populis illaturi.* Hujus, *inquit num.* 2, intentionis devotione egressi sunt ex eadem Urbe duodecim Christi milites nobilis-

B simi et egregii prædicatores, qui Galliarum se ingerere non dubitarent atrocitati, idololatriæ eradicaturi falsitatem, et fidei seminaturi veritatem; *et mox ad propositum propius accedens addit :* Inter quos velut lucernæ super candelabra positæ effulserunt Christi martyres Quintinus atque Lucianus. *Duodecim horum Galliæ Apostolorum, quos hic indicare verisimiliter anonymus voluit, nomina in Commentario prævio ad Acta S. Luciani data ad diem* 8 *Januarii hoc modo exprimuntur :* Hac itaque tempestate beatissimus Quintinus et sanctissimus Lucianus Roma egressi, Domino ducente, Gallias venerunt. Fertur etiam, sed et libelli de eorum certaminibus testantur, cum eis sanctos Crispinum et Crispinianum, Ruffinum, Valerium, Marcellum, Eugenium, Victorianum, Fuscianum, Piatonem atque Regulum pariter advenisse. *Eosdem quoque habent Acta S. Fusciani parte* II *Historiarum ecclesiæ Gallicanæ Bosqueti pag.* 136, *etsi cum aliquo discrimine.* Sancti ergo Viri, *inquiunt,* Fuscianus et Victoricus cum duodenario numero sociorum, per ordinem glomerati, una cum venerabili Dionysio præsule, comitibus ceteris Piatone, Ruffino, Crispino, Crispiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino et Regulo ab urbe Roma progredientes, cursu intrepido, pro Christi dimicantes victoria,

C bellatores Dei egregii intra fines Galliæ urbe Parisiis, duce Christo itineris, pervenerunt.

idoneis testimoniis destitutus,

6 *Si vera anonymus narrat, duodecim hosce Apostolos æmulatæ duodecim virgines, sancta inter se societate conjunctæ, parique martyrii cupiditate inflammatæ, deserta Urbe et parentibus, ad barbaras ferocesque ea tempestate Galliarum gentes sese conferre, non dubitarunt. De* S. Romana *quidem, binisque aut tribus sociabus ejus aliunde notis id inficiari nolim : at de duodenario virginum numero haud ita facile inducar, ut credam. Certe, si sub Diocletiano passæ sint, non decerat illis Romæ martyrii occasio, ut ejus causa Gallias adire debuerint.* S. Romanam, *Benedictam et Leoberiam nominatim anonymus exprimit (Jolaniam et Camioniam Saussayus adjicit) cur non etiam reliquias? Sed esto, antiquioribus Gallicanæ ecclesiæ fidelibus, grassantibus persecutionum procellis, earum res gestas memoriamque posteris transmittendi otium defuerit; temporumve injuria monumenta antiqua, si quæ de illis exstiterunt, interierint; anonymus saltem iis se fuisse destitutum, ultro confitetur. Necesse igitur est, ut ea tantum collegerit, litterisque mandarit, quæ sæculo* XI *de duodenaria virginum illarum turba popularis traditio circumferebat; quæ quam exigui momenti sit, cum tot sæculorum spatio a rerum gestarum epocha disjungitur, deficiente præsertim omni antiquitatis suffragio, nemo non videt. Idem quoque de Breviario Bellovacensi censemus, cui* S. Romanæ *historiam insertam esse, tomo IV de S. Luciano agens Tillemontius asserit, si eadem referat : nobis enim illud in promptu non est.*

AUCTORE J. B.

adjunctis verosimiliter

7 *Sed ut concedamus, duodecim virginum classem post sublatos martyrio SS. Lucianum et Quintinum Gallias accessisse, nondum omnino certum fiet, ex harum numero sanctam fuisse* Romanam : *anonymus enim Vitæ ejus auctor, antiquorum auctoritate destitutus, ad Acta S. Benedictæ, quæ harum virginum dux et magistra fuisse perhibetur, recurrere compulsus est, et ad instar illius (quantum quidem apparet) qui S. Saturninæ (de qua* 20 *Maji) Acta dedit,* S. Romanæ *subinde adscribere, quæ in illis de S. Benedicta leguntur. Quod dixi, specimina e pluribus pauca probabunt. Numero* 3 *apud anonymum hoc initium est :* Erant eodem tempore Romæ in sanctæ conversationis habitu duodecim virgines generosæ, invicem sibi una religiosæ fidei familiaritate conjunctæ : in quarum mentibus virtus sacræ opinionis procreaverat honorabile culmen gratissimæ honestatis. Eruditæ enim erant multimodis virtutum generibus, et sanctarum documentis Scripturarum formabantur omni opere pietatis, proficientes sanctæ devotionis gratia, divina eis propitiante clementia. *Quid Acta S. Benedictæ?* Habebat ergo, *inquiunt,* secum in suæ sanctæ E conversationis habitu (*Benedicta*) generosas duodecim virgines procreatas unius germine seminis et decoras opinione præfulgidæ indolis : in quarum mentibus virtus sacræ operationis generaverat honorabile culmen gratissimæ honestatis. *Neque minor utrobique est quoad reliqua verborum sententiarumque similitudo et consonantia.*

aliunde petitis

8 *Rursum sub finem ejusdem numeri de* S. Romana *jam Bellovaci commorante ita anonymus loquitur :* Instabat jejuniis et orationibus crebris et despiciebat omnia pro amore patriæ cælestis. Erat enim miræ patientiæ, sanctæ humilitatis, et cælestium gratiarum exornata donis, mente tranquilla, sermone nitida et opere sancta. *Totidem pene verbis eadem de S. Benedicta Lauduni commorante in ejus Actis leguntur.* Instabat quippe jejuniis et orationibus crebris : ac despiciebat cunctarum blandimenta opum pro amore regni cælestis. *Et paulo infra :* Erat miræ patientiæ, sanctæ humilitatis, et cælestium gratiarum exornata donis, mente tranquilla, sermones nitida, et opere sancta. *E quibus intelligi videtur, non aliunde, quam ex Actis S. Benedictæ sua deprompsisse anonymum; quamquam nec inde duodecim virginum in Gallias peregrinationi multum probabilitatis accedat : præsertim cum S. Benedicta, quæ velut ceterarum dux et antesignana describitur, ætatis, dum martyrio coronata* F *est, parum provectæ fuisse videatur e verbis, quibus eam judex alloquitur :* Benedicta, *inquit,* adhuc miserabilis puella : ætatulæ tuæ in infantia positæ jam nunc miserere. *Unde de ceterarum quoque juvenili ætate prudens suspicio nascitur, et proinde tanto minus probabilitatis præ se fert ea virginum in Gallias expeditio, quanto plus habet admirationis. Quod numeri proximi initio dicebam, concesso etiam prædictarum virginum Roma in Gallias itinere, minime certum fieri, de earum numero fuisse* S. Romanam, *ideo dixi, quod hujus in Actis S. Benedictæ, unde sua anonymum nostrum hausisse, appareret, nulla mentio fiat.*

et parum certis

9 *Popularis ergo traditio, eaque nullis antiquitatis suffulta testimoniis movisse videtur anonymum, ut* S. Romanam *e sociabus S. Benedictæ unam fuisse, assereret, et sibi fas esse existimaret, ut nonnulla, quæ de illa dicuntur, huic nostræ Sanctæ applicaret; cui forte accessit qualiscumque temporum, locorumque propinquitas. Quanti vero S. Benedictæ Acta fieri debeant ad diem* 8 *Octobris, quo signatur in Martyrologio Romano, discuti uberius poterit : interim nonnulla animadverto, quæ Actorum fidem, si non omnino tollere, minuere tamen possint. Primum est duodecim virgunculorum in Gallias iter, de quo jam actum est. Alterum est judicis tum conditio, tum*

AUCTORE J. B.

tum agendi modus. Judæus enim fuisse dicitur, nescio, an usitato in judicibus Romanis Diocletiani tempore exemplo : quod si Judæum quidem, sed occultum fuisse, et propterea id secreto virgini insinuasse dixeris, ut ex his ejus verbis videtur posse deduci : Nam et ego te alloquar secretius, quod sum genere Judæus; *cur coram aliis S. Benedicta a Judaismo ad Christiana sacra multo sermone convertere studet, eademque opera judicem prodit? Deinde ut Virginis animum expugnet, sibique amicum et obtemperantem reddat, Ego, inquit, Judæus sum, Jesu Christi nomen odi, doctrinæ ejus numquam aures præbui, Ecclesiam semper destruxi, quantum potui. Apposite quidem, si hujusmodi blanditiis id egisset, non ut Virginis animum emolliret, sed ad certamen acrius incitaret. Denique idem judex, etsi suæ impietatis administris non careret,* martyris cæsariem accepit manu læva, et securim intorsit dextera in sacratissimæ virginis tempora, *judex nempe simul et carnifex. Tertium est nimia prodigiorum multiplicatio : bis enim immanissime cæditur, bis ope curatur angelica. Postremum est, ut sileam duriora virginis* miræ patientiæ et sanctæ humilitatis dono exornatæ *in judicem verba, non alium fontem innuere ista :* Sic denique S. Benedicta cum supradictis virginibus... fines Gallorum... FERUNTUR advenisse; *et*

B *iterum :* Tunc Matroclus judex scelestissimus ad hæc hoc dixisse FERTUR : expedit tibi *etc., quam incertos vulgi rumores.*

exornat. 10 *Cum itaque duodecim hæ Romanæ virgines (ut quidem Actorum scriptori placet) emenso longo itinere in Gallias advenere, aliæ alio, quo pluribus prodessent, divino nutu concessere. S. Benedicta cum quadam collactanea sua Lauduni substitit, sancta vero* Romana *Bellovacum usque progressa est, ubi cum fidelibus quibusdam, quos S. Luciani prædicatio Christo pepererat, societate contracta, totam se dedit jejuniis, orationibus, exercitationibusque virtutum. S. Benedictam Laudunensibus,* S. Romanam *Bellovacensibus morum operumque sanctitate præfulsisse, vocare in dubium nolim : at singulis fere duodecim virginibus singulas pariter divinitus sedes fuisse constitutas, metuo, ne fuerit studiose confictum, ne scilicet, quæ Gallicanis Apostolis, quos æmulabantur, dicuntur fuisse numero et martyrii cupiditate pares, iisdem unius habitationis societate dissimiles haberentur,* S. Romanæ *Leoberiam sociam adhæsisse, Louvetus Historiæ Bellovacensis lib.* II *cap.* 9 *scriptum reliquit : at Acta* S. Romanæ, *quæ tamen præ manibus habuit, uti et S. Benedictæ, Leoberiam huic, non illi; non Bellovaci, sed Lauduni comitem sociamque fuisse, aperte testantur.*

C

§ II. Tempus martyrii, reliquiarum prima translatio.

Probabilius apparet, J*am SS. Luciani et Quintini martyrum pro fide certamina, ut Acta referunt, quorumdam sermonibus Romæ renuntiata fuerant, cum in Gallias* Romana *perrexit. De S. Quintino ad diem* 31 *hujus mensis agendum est : annum autem, quo martyrium S. Lucianus subiit, Majores nostri non definiverunt : eo quod suum de S. Dionysii, cui socius fuisse S. Lucianus creditur, in Gallias adventu judicium pronuntiare necdum tempestivum videbatur; qua de re ad diem* 9 *hujus mensis suus erit agendi locus. Interim vero ex Actis S. Luciani ad diem* 8 *Januarii, et S. Piatonis ad diem* 1 *Octobris datis nonnulla observo : ex illis quidem S. Lucianum post S. Quintinum martyrii palmam retulisse : sic enim cap.* 2 *num.* 8 *pag.* 467 *loquentem inducunt S. Lucianum :* Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe Redemptor mundi, qui me ad titulum dignitatis tuæ vocare dignatus es, et beatissimorum martyrum tuorum Dionysii et Quintini consortem efficere. *Ex his autem, S. Piatonis necem post sublatum martyrio S. Lucianum contigisse : nam et ille num.* 6 *Domino gratias agit, quod S. Luciani aliorumque martyrum sit consors effectus. Recens porro tum fuisse S. Luciani martyrium, vel saltem non diu ante contigisse,* D *suadet idem prædicatæ ab utroque fidei tempus, et eadem sub Maximiano persecutio. Cum igitur circa annum* 287 *S. Piatonis obitus in Commentario illius Actis prævio consignetur, consequens est, ut nec S. Luciani obitum, nec* S. Romanæ *in Gallias adventum procul ab eo remotum esse, dicamus.*

12 *Credibile autem admodum est,* S. Romanam *S. Romanam gentilibus suis Bellovaci, quorum magnus erat tum temporis in ea civitate numerus, quique, ut perquirerent* Christi milites, maxime eos, qui Roma dudum exierant, *in mandatis habebant, haud diu fuisse ignotam, præsertim si vera sit illa duodecim virginum senatorio genere prognatarum simultanea in Gallias fuga, ac proinde brevi post martyrii corona insignitam. Imperatoris quidem nomen, sub quo passa est, Acta non exprimunt; cum tamen cum* Principis terreni imperii *titulo indigitent, non alius eo nomine venire videtur quam Diocletianus, penes quem imperii summa ab abdicationem usque remansit; quique non absimili loquendi modo in Actis S. Piatonis num.* 3 ad imperium totius orbis *electus dicitur. Cum hic Maximianum Herculium circa annum* 286 *Cæsarem renuntiasset, sævissima in Galliis adversus Christianos tempestas, Herculio auctore, excitata est, sæviitque usque ad annum* 292 *in Galliis, quo Constantio Chloro, Constantini Magni* E *patri, homini Christiano nomini non adeo infenso, Galliarum obtigit administratio. Et his quidem limitibus, ut mihi videtur,* S. Romanæ *passio probabiliter circumscribi potest : neque enim est, cur ad alteram illam Christianorum persecutionem, cui sub iisdem Diocletiano et Maximiano annus* 303 *initium dedit, differri debeat, a qua si non omnino Gallia immunis fuit, minus certe detrimenti est passa, teste Lactantio cap.* 16. Vexabatur, *inquit,* universa terra et præter Gallias ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. *Imo, dicente Ruinartio in Præfatione generali ad Acta Martyrum pag.* 67, *Gallicanæ ecclesiæ,* forte ne unum quidem martyrem sub Chloro Constantio passum celebrant.

15 *Propterea tamen non inficior id, quod eruditis quibusdam placet, non paucos Christianorum, sub Diocletiano, etiam post susceptum a Constantio Galliarum moderamen, sive privatæ præfectorum sævitiæ, sive reliquorum imperatorum jussionibus, sive gentilis vulgi furori fuisse litatos, distracto præsertim exteris bellis Constantio : verum id unice contendo, nihil peculiare occurrere, quo id de* S. Romana *cogamur asserere, nec a verisimilitudine abhorrere, si potius passam eam esse dicamus, cum maxime persecutio in Galliis sævit, plurimique morte mulctati fuisse noscuntur, quam cum fuit illa remissior; eaque de causa* S. Ro- F manæ *martyrium late sub Diocletiano et Maximiano signavi. Sed nec dissimulare velim, esse in illius Actis, quod huic assertioni meæ refragari videatur. Ita enim habent num.* 4. Cum autem princeps terreni imperii a principe suo diabolo instigatus ad delendam Christianæ fidei religionem et exaltandam idololatriæ superstitionem, per lata terrarum spatia iniquitatis decreta divulgasset, servos Dei et ancillas, ubicunque inventi fuissent, aut idolis immolare, aut per diversa tormentorum genera mortis periculo subjacere adigebat. *Jam vero quæ tandem illa est, inquies, præter universalem Diocletianæam, persecutio, cui allata verba Actorum applicari aptius et congruentius possint? Verum his haud magnopere movebitur, quisquis animum attenderit, non inusitatum id esse, iis potissimum scriptoribus, qui a rerum gestarum temporibus nimio intervallo remoti fuerunt, ut Diocletianæ persecutioni omnium celeberrimæ adscribant, quæ tamen aliquanto prius acciderunt. Testimonio sunt S. Quintini Acta :* Factum est autem, *inquiunt,* in illis diebus, ut persecutio insurgeret Christianorum per universum orbem terrarum : *nec tamen sæculo* IV, *sed* III, *nondum e vivis sublato S. Piatone, martyr occubuit.*

14 *Assentiri iis minime possum, qui S. Benedi-* *quam sub*
ctam sub Juliano apostata passam volunt; de qua in *Juliano apostata,*
Augusta

A *Augusta Viromanduorum illustrata ad annum Christi* 365 *ita Hemeræus a Passionariis ecclesiæ S. Quintini scribit :* Imitata Quintinum contribulem, eumdemque, ut alii volunt, cognatum Benedicta Romana virgo, peregrinationem etiam, cum aliquot sociabus, ad eosdem Viromanduos instituit, Christianam fidem et ipsa ampliatura. Ministerione publicæ prædicationis? Exempla certe tulit illa ætas, sexus imbecillis Euangelicam prædicationem obeuntis : quæ leges apud Socratem et Sozomenum. Benedictæ sodales Leoberia, collactanea ejus, Jolana, cujus numen infantulis exsuccis, macieque contabescentibus, apud nos propitium esse solet : etc. Passa Benedicta est in Originaco ad Isaræ fluenta : qui locus recessit ab Augusta Verom. Laudunum Clavatum versus, duabus leugis Gallicanis. Ibidemque requiescit corpus ejus. Et ad sacri pignoris tutelam positum monasterium est sanctimonialium Ordinis Benedictini, miraculorum frequentia nobile. In quo adhuc securicula ostenditur, quam Matroculus loci vel dynasta, vel præfectus, Judæus, ut quidam volunt, animo immanius exæstuante, in caput Benedictæ virginis impegit, imperante Juliano desertore. *Ex quo consequens fieret, non modo S. Benedictam, sed etiam* S. Romanam *multo serius, ac dictum est, in Gallias appulisse*
B *aut certe passas esse. Verum id cum Actis utriusque Sanctæ haud satis convenit. Obitus enim S. Quintini sub finem sæculi* III *contigit, ut ex num.* 11 *colliges. S. Benedicta autem et* S. Romana *Roma egressæ sunt, cum S. Quintini certamina quorumdam relatione audiri Romæ cœperunt, quod certe ad annum* 361, *quo imperare Julianus cœpit, differri non potest, nedum ad annum* 365, *cum anno* 365 *Julianus occisus sit. Neque admodum verisimile est, Juliano imperante, superfuisse, quos præcedenti sæculo S. Luciani prædicatio Christo lucrifecerat, quibuscum tamen necessitudine fuisse conjunctam* S. Romanam, *ipsius Acta commemorant.*

martyrium obiisse. 15 *Contendet fortasse quispiam, S. Benedictam, sociasque virgines Roma in Gallias fuisse excitas non modo SS. Luciani et Quintini certaminum fama, sed maxime prodigiorum, quæ S. Quintinus operatus est plurima, posteaquam ab Eusebia corpus ejus, quod hactenus aquis obrutum latuerat, repertum fuit : id porro annis circiter* 35 *ab ejus obitu contigisse : fieri proin facile potuisse, ut tum demum Roma egressæ in Gallias venerint; ac dein sub Juliano apostata fidem suo sanguine obsignarint : idque ipsum non modo Hemeræum ex Passionariis S. Quintini tradere, sed Saussayum etiam, et Franciscum Giry ex Auriniacensibus Mss. At certum mihi imprimis non*
C *est,* S. Romanam *Benedictæ comitem fuisse : licet enim in Actis* S. Romanæ *fiat mentio Benedictæ; in Actis S. Benedictæ nulla fit* Romanæ. *In utrisque nulla seu Juliani, seu miraculorum S. Quintini, sed tantum SS. Luciani et Quintini certaminum. Præterea Lalucrius in Menologio Virginum Acta S. Benedictæ satis prolixa ex Atrebatensi S. Vedasti abbatia accepta sibi præ manibus fuisse, ait, simulque fatetur, haud illis exprimi, quo imperante, fuerit martyrium passa. Cujus autem ætatis et ponderis sint monumenta illa S. Quintini et Auriniacensia, neque auctores illi exponunt, neque ego compertum habeo; quibus non obstantibus, Castellanus ad annum* 286 *S. Benedictam, auctores vero Martyrologii Parisiensis anno* 1728 *editi* S. Romanam *post annum* 290, *S. Benedictam vero post annum* 289 *obiisse signarunt.*

Corpus ejus Bellovacensi 16 *De* S. Romanæ *gestis disseruimus, in quibus, ut diximus, anonymi haud magni momenti auctoritas est : nunc cetera ad illam spectantia, quibus ipsemet forte interfui, ac propterea majoris in his fidei, persequemur; si tamen prius de prima Sanctæ reliquiarum in S. Petri templum translatione pauca dixerimus. Dum sub ethnicis imperatoribus Christianorum in Galliis persecutio viguit, nulla iis erant publica templa, nulla religionis exercendæ libertas. Hinc fideles, si quæ nacti erant sanctorum Martyrum corpora, clam ea et secretis quibusdam locis sepeliebant, quod et de* S. Romanæ *exuviis factum esse, anonymus scribit : at invalescente paulatim sub Christianis imperatoribus fidelium numero, paulatim quoque Crucis trophæa erigi, templaque vel condi nova, vel antiqua in Christianorum usum ritumque cœpere converti. Sic Lidorius Turonensium anno* 1 *Constantii factus antistes, teste Gregorio Turonensi lib.* X, *c.* 31, *intra ipsum urbis sinum primam postmodum ædificavit ecclesiam, in eamque S. Martinus, tertius illius urbis episcopus, S. Gatiani exuvias intulit. Pari modo* S. Romanæ *corpus ex eo, quo primum humi conditum est, loco in ecclesiam S. Petri civitatis Bellovacensis cathedratem translatum est, sic num.* 3 *scribente anonymo.* Corpus autem ejus a viris Christianis interim sepelitur : quod tamen exarescente idololatriæ insania, et florescente Christianæ religionis doctrina, translatum est in S. Petri sacrario, et honorifice vallatum sepultura. *Rei autem gestæ adjuncta peculiaria vel nulla sunt, vel incomperta.*

AUCTORE J. B.

17 *Ceterum S. Petri templum, in quo olim* S. Romanæ *corpus depositum, diuque servatum fuit, universæ civitatis antiquissimum est, de quo multa Louvetus toto cap.* 1 *lib.* IV; *e quibus pauca Latine reddo.* Certum est, *inquit,* id temporis, quo civitatis seu castri Bellovacensis muri conditi sunt, templum (quod, exstincta superstitione ethnica, Virgini Mariæ et S. Petro dedicatum est) conditum fuisse atque exstructum. Tum quod murorum (*et templi*) symmetria sit plane similis, tum quod idola quædam, quæ ethnici adorabant, Occidentali vestibulo etiamnum superstiti spectentur imposita. Porro in hoc templo sedem constituerunt, rebusque divinis usque ad annum MCCLXXII operati sunt Bellovacenses episcopi. At quia anno CMXCVII vel ad æmulationem usque cathedrales ecclesiæ passim innovari cœperunt, ceteris ea re cedere Bellovacenses noluerunt. Verum non modo ecclesias S. Stephani, S. Ægidii, S. Laurentii, et S. Nicolai instaurare, sed et chorum ecclesiæ cathedralis Bellovacensis moliri cœperunt, cujus fundamenta jecit Hervæus episcopus. Qua de causa vetus cathedralis ecclesia opus inferius (le bas œuvre) dici cœpit, quo distingueretur a choro, quem opus superius (le haut œuvre) nuncuparunt. *Varias deinde illius ecclesiæ vicissitudines refert, quas loco citato lector curiosus inveniet. Anno* 991 *conditam seu potius choro auctam pag.* 58 *Loisellus scribit.*

S. Petri templo illatum.

E

§ III. Templi S. Quintini exstructio et dedicatio, altera reliquiarum Sanctæ translatio et miracula.

F

Guido Bellovacensis episcopus S. Quintino ecclesiam

Sanctæ Romanæ *exuviis potita est S. Petri ecclesia usque ad Guidonis Bellovacensis episcopi tempora, quem circa annum* 1063 *Bellovacensem cathedram adiisse, dixi num.* 3. *Is, cum e decano et custode ecclesiæ S. Quintini et archidiacono Laudunensi factus esset Bellovacensium præsul, suum erga illum amorem et veneretionem testatum esse voluit, condita in ejus honorem haud procul a Bellovacensibus mœnibus loco fertili et amœno ecclesia, cui ædificandæ manus admovit anno* 1067, *perfecitque biennio post; qua de re apud Novæ Galliæ Christianæ editores leguntur hi versus :*

Anno millesimo sexagenoque noveno
Est incarnati Verbi sub honore beati
Quintini factus locus iste, Deoque Dicatus.

Eadem Sigebertus Gemblacensis refert in Chronographia partim ad annum 1067, *partim ad* 1069. *Ad illum quidem ita loquitur :* His temporibus Beluacensi civitate suo destituta antistite, Guido decanus custosque ecclesiæ S. Quintini Virdunensis (*imo Viromanduensis*) et archidiaconus Laudunensis constituitur Beluacensis episcopus et a Gervasio Remensi metropolitano consecratur. Qui graviter ferens, carere se præsentia Quintini martyris, in ejus honore et memoria ædificavit ecclesiam, haud longe a mœnibus Belloacæ urbis. *Ad annum vero*

1069

AUCTORE J. B.

1069 *hæc habet:* Guido episcopus Beluacensis duobus annis perfectam dedicavit ecclesiam in honore advocati sui Quintini martyris, quarto Nonas Octobris. *Sigebertum secutus Nicolaus de Nos lib.* III *de Canonicis Regularibus. Guidonem ait* statim *ab inauguratione sua ecclesiam S. Quintini ædificari curasse, non animadvertens Sigebertum (si presse accipienda sunt ejus verba) in anno suscepti a Guidone episcopatus falsum esse, ut num.* 3 *ostensum est. Dixi,* Si presse accipienda sunt ejus verba : *non enim hæc omnia eodem anno* (1067) *sed* his temporibis *contigisse, citatus priore loco Sigebertus scribit.*

condit, adjecto Canonicorum Regularium cœnobio,

19 *S. Quintini ecclesiæ Canonicorum Regularium S. Augustini cœnobium idem Guido adjecit, quod circa annum* 1078 *sub S. Ivone, Carnotensi deinde episcopo, florere cœpisse his verbis Sigebertus refert:* Ab hoc tempore cœpit reflorere in ecclesia beati Quintini Beluacensis canonicus Ordo, primum ab Apostolis, postea a beato Augustino episcopo regulariter institutus, sub magistro Ivone, venerabili ejusdem ecclesiæ præposito, postea Carnotensium episcopo. *Auctor Disquisitionum de Canonicorum Ordine anno* 1697 *Parisiis in lucem editarum pag.* 549 *cœnobii illius fundationem refert ad annum circiter* 1070. *De S. Ivone vero ad diem* 20 *Maji in Opere nostro hæc leguntur :* In Kalendario S. Quin- B tini Bellovacensis, ista in particulari referuntur : Primus abbas hujus ecclesiæ, postea Carnotensis episcopus, dedit nobis triginta volumina, calices quatuor, textum aureum, crucem auream, phylacteria quatuor, cruces argenteas et auratas quatuor, dexteram B. Callisti Papæ, thuribula duo argentea. *Litteræ, quibus hujus cœnobii fundationem confirmat Philippus Galliæ rex, apud Galliæ Christianæ auctæ auctores tom. X ecclesiæ Bellovacensis instrumentis pag.* 246 *insertæ leguntur. Datæ sunt anno Incarnationis* 1079; *in iisque de S. Ivone hujusmodi mentio fit :* Interfuerunt autem et alii, quorum nomina subscripta sunt : Ivo ejusdem ecclesiæ prælatus. *Idem Ivo in Charta Philippi regis, anno* 1080 *ad canonicos Bellovacenses data,* abbas Bellovacensis ecclesiæ beati Quintini *nominatur. Gregorius VII præpositum S. Quintini Ivonem nominat in litteris datis anno* 1083 *ad illum, ejusque successores regulariter promovendos; quas edidit Acherius in Notis et Observationibus ad Guiberti abbatis Opera pag.* 600; *ubi et auctorem Vitæ S. Ivonis lapsus arguendum, ait, quod ad ann.* 1078 *S. Quintini Bellovacensis fundationem rejiciat, tum ob versus a nobis laudatos, tum ob Roberti, Sigeberti continuatoris, verba ad annum* 1066 *et* 1069 *ita loquentis :* Guido Belluac. episcopus duobus annis C perfectam dedicavit ecclesiam in honore advocati sui Quintini Mart. 4 Nonas Octobris.

eamque, S. Romanæ reliquiis ditatam

20 *Absolutam suis numeris S. Quintini Bellovacensis ecclesiam et sacra supellectile abunde instructam Guido solemni ritu dedicare et* S. Romanæ *exuviis ditare decrevit. Sigebertus, versus* § *hujus principio, Gallix Christianæ auctæ auctores, aliique passim Guidonem id reipsa præstitisse, aiunt anno* 1069; *Louvetus lib.* IV *cap.* 15 *anno* 1074. *Mendum typographicum crederem, nisi posteriorem annum disertis verbis a Louveto expressum legerem. Annum, uti et diem, qua dedicatio illa contigit, aperte quidem non exprimit anonymus noster, eos tamen characteres chronologicos suggerit, eaque dedicationis adjuncta, e quibus Louvetus refelli facile queat : etenim dies translationis, teste anonymo, is fuit, quo ejus recolebatur memoria, seu* 3 *Octobris.* Transtulit (*Guido*) corpus præfatæ virginis et martyris Romanæ de sacrario S. Petri ad eam, quam construxerat, ecclesiam, uno antequam dedicaretur die, eo videlicet, quo ipsius recolebatur memoria, *inquit anonymus num.* 7. *Dies autem dedicationis, ut num.* 9 *habet, Dominica fuit : consequens itaque est, ut dedicatio ecclesiæ in* 4 *Octobris, translatio vero reliquiarum in diem Sabbathi inciderit, cum pridie dedicationis fuerit habita. Jam vero hæc anno* 1074 *minime congruunt: siquidem hic annus cyclum solis habuerit* 19, *litteram Dominicalem* E; *ac proinde Kalendæ Octobris feriam* 4 *seu diem Mercurii occu-* D *parint; dies vero* 3 *Octobris, seu dies translationis diem Veneris, dies denique* 4 *Octobris seu dies dedicationis diem Sabbathi, non Dominicam, cui tamen dedicationem diserte anonymus alligat.*

21 *Nec minus dedicationis adjuncta Louveto repugnant : nam primo, templi S. Quintini dedicationi Odonem Silvanectensem interfuisse, rursum num.* 8 *testatur anonymus : Odoni vero Rollandus jam inde ab anno* 1072 *successerat; in Charta enim, cui titulus :* De dono terræ apud Rubrium facto ecclesiæ Silvanectensi, *quæ apud Novæ Galliæ Christianæ editores exstat tom. X pag.* 206 *instrumentorum, annus Frollandi seu Rollandi tertius anno* 1075 *innectitur, ita ut Odonis episcopatus ad annum* 1074 *extendi nequaquam possit. Deinde quemadmodum anno* 1074 *jam e vivis Odo Silvanectensis excesserat, ita Manasses eodem anno Remensem ecclesiam jam aliquamdiu episcopus rexerat, qui tamen, cum templi S. Quintini dedicationi interfuit, nondum episcopali muneri admotus erat.* Manasses, *inquit anonymus mox laudatus,* tunc nobilis clericus, mox futurus Remensis archiepiscopus. *Anno autem* 1074 *jam annis aliquot Manassem Remensi ecclesiæ præfuisse, ex eo patet, quod anno* 1071 *privilegio ecclesiæ Corbeliensis a Philippo rege concesso rogatu comitis Burchardi subscripserit, ut apud Marlotum* E *tom. II Hist. Remensis pag.* 167 *videre est. Plura in hanc rem ex Nova Gallia Christiana in serie archiepiscoporum Remensium congeri possent, sed hæc sufficere arbitror, ut Louveti refutetur opinio.*

anno 1069

dedicat,

22 *At, inquies, Louvetum, dedicationem illam anno* 1074 *contigisse, docuit antiquus cœnobii S. Quintini Bellovacensis codex, in quo et Vita* S. Romanæ *continetur, et hic dedicationis annus diserte expressus invenitur; quemque Louvetus in margine laudavit lib.* IV *cap.* 15, *uti et Hemeræus in Augusta Viromanduorum illustrata ad ann.* 1074, *apud quem ista leguntur :* Pater Guido, ceterique Pontifices, antecedentibus sanctis corporibus, circuitione debita exteriora ecclesiæ purificant, quam ingressi in dedicatione ejus anno Dom. 1074 et in divinæ laudis sacrificio, diem produxerunt in vesperam. *Verum necesse est, ut citatus ab Hemeræo et Louveto codex aut primigeniam* S. Romanæ *Vitam non contineat, aut ea adjectis a rerum minus perito annis, interpolata sit : ratio petitur ex collato utriusque textu, ubi de perfecta S. Quintini ecclesia sermo est; qua de re hoc modo Louvetus legit :* Duobus quippe annis incepit et perfecit eam in decore suo venerandus Guido. *Hemeræus autem isto :* Duobus enim annis incœpit et perfecit eam anno Dom. 1067 in decore suo. *Annum quidem eumdem* F *perfectæ ecclesiæ Louvetus assignat, sed ipso textu expressum non invenit : unde verisimillimum est, Hemeræum textui immiscuisse, quod altera manu (ne id ipsemet fecisse, dicatur) sive in margine sive alibi adjectum erat, idem vero omisisse Louvetum. Subscribendum itaque iis est, qui anno* 1069 *dedicationem ecclesiæ S. Quintini habitam volunt, quo cyclus solis fuit* 14, *littera Dominicalis* D. *Kalendæ Octobris feria* 3 *seu dies Jovis, tertia Octobris* S. Romanæ *sacra dies Sabbathi, quarta vero, qua dedicatio celebrata est, dies Dominica, prout exigunt characteres chronologici ab anonymo expressi.*

convocato magno præsulum numero,

23 *Ceterum hanc ecclesiæ S. Quintini dedicationem multum anonymus celebrat, et cum dedicatione ecclesiæ S. Remigii a S. Leone peracta, de qua ad diem* 1 *Octobris pag.* 117 *et seqq. actum est, comparat, tum ob ingentem ad eam undequaque concurrentium multitudinem, tum ob præstantissimorum virorum præsentiam, tum denique ob sacrarum exuviarum copiam, quæ ea occasione, ut antiquus dedicandarum ecclesiarum ritus ferebat, in S. Quintini ædem illatæ fuerunt. Interfuerunt autem solemnitati hi fere præcipui : Guido Ambianensis, Ratholdus Noviomensis, Gualterus Meldensis, Hugo Trecassinus, Odo Silvanectensis, omnes episcopali dignitate conspicui; et Manasses jam tum forte electus Remensis sedis archiepiscopus; hos vero omnes (Manassem si*

A *si demas*) *anno* 1069 *munus episcopale gessisse, varia monumenta ostendunt, quibus subscripserunt, quæque suis locis referunt Novæ Galliæ Christianæ editores. Adfuit quoque, teste Roberto, Offredus sive Effredus S. Quintini Viromandensis decanus; quem ex oscitantia scriptoris prætermissum esse, Claudius Hemeræus asserit. At illum generali nomine complecti anonymus potuit, cum ecclesiæ S. Quintini venerabiles personas S. Quintini martyris corpus secum advexisse notavit; quibus et Heribertum Viromanduorum ea tempestate comitem addendum esse, contendit his verbis :* Et quamquam liber ille cœnobii Bellovacensis non meminerit Heriberti præsentis festo, non defuisse tamen eum illi solemnitati, illique in Patronum officio Christianæ devotionis, cum Augusta sacrum ejus carpentum Bellouacos veheretur, frequentissimo præsertim cœtu cleri subsequente, Viromanduæque nobilitatis et plebis, Heriberti pietas in Superos, religiosus timor ejus, ne qua fraude furtove sacra pignora, vel aliqua portio custodis Divi sibi Veromanduisque deperiret; partem Bellovacensis agri complexus Heriberti principatus, et quæ verba infra sequuntur, CONVENIT UNIVERSUS VICINÆ LONGINQUÆQUE PROVINCIÆ PRINCIPATUS, certa ratione persuadent. *Sed verba illa in* S. Romanæ *Vita, prout apud Acherium exstat, non le-*

B *guntur : sola vero Heriberti pietas rem certam non facit.*

circumlatisque variis Sanctorum reliquiis.

24 *Dedicationis illius celebritatem non parum auxere tum* S. Romanæ, *tum aliorum Sanctorum reliquiæ, quæ eo die fidelium venerationi expositæ in eadem ecclesia fuerunt, rituque solemni circumlatæ, nimirum SS. Quintini et Luciani martyrum, quorum ille Veromanduis, hic Bellovacensibus patronus est; S. Justi, cujus Martyrologium Romanum ad diem* 18 *Octobris his verbis meminit :* In territorio Beluacensi sancti Justi martyris, qui adhuc puer in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro præside cæsus est. *Hujus reliquias circa ann.* 850 *e vico cognomine, Normannorum metu, Bellovacum translatas esse, ibique ad suam usque ætatem quievisse, lib.* III *cap.* 11 *Louvetus scribit, aliumque facit ab eo, qui in ecclesia B. Virginis Lutetiæ Parisiorum colitur. Eodem quoque tempore Bellovacum translatæ sunt reliquiæ SS. Geremari et Ebrulfi, uti et SS. Angadrismæ et Constantiani, quorum omnium hic mentionem anonymus facit. Videri potest tom. VI Septembris pag.* 693 *et seq. : ubi de S. Geremaro, ejusque reliquiis Bellovacum translatis non pauca disputantur. S. Ebrulfi Acta ad diem* 25 *Julii illustrata sunt : de S. Angadrisma ad diem* 14 *Octobris, quo colitur, suus erit dicendi locus. S. Constantianus colitur die*

C 1 *Decembris. Prolixo eum elogio Saussayus celebrat, quod ita concludit :* Hujus tamen corpus tot radiis coruscum postea ad agrum Bellovacensem translatum fuit, ad Bretolium monasterium, pia cura Goduini fundatoris, Bretolii comitis et Carnutensis vicedomini, qui ibidem quiescit. *Ceterum egregia in hospites suos liberalitate usus Guido episcopus, S. Quintini digitum dono accepisse, et in novo cœnobio deposuisse, ubi multo honore cultus est, ad annum* 1074 *Hemeræus est auctor.*

Cœnobium canonicorum Regularium,

25 *Fluxerat hactenus cura et largitate Guidonis episcopi cœnobitis S. Quintini e voto res : at non ita multo post sortis vicissitudinem experiri coacti sunt non levem : pulso enim a Philippo rege in exsilium Guidone, ad nihilum prope redacta est ejus sedes, rebus suis spoliati canonici, erepta in primis S. Quintini ecclesiæ ornamenta. Exsilii Guidonis causam, quam anonymus tacet, novæ Galliæ Christianæ editores hanc adducunt :* Huic porro monasterio (*S. Quintini*) a se condito plura dominia ac parochias contulit (*Guido*) interim expostulantibus populo et clero, quod, ut illud cœnobium conderet, ditaret, ornaretque, subditos suos oppressisset, nec pepercisset ecclesiis, querelæ ad regem et optimates in præsulem delatæ, quæ etiam pervenere usque ad Alexandrum II Papam, qui Gervasio archiepiscopo scripsit anno circiter 1064 epistolam 18, ut de his rebus inquireret. *Atque hæc quidem citatis Alexandri litteris satis conformia sunt, in quibus de Guidone ita loquitur Pontifex :* Beluacensem autem episcopum, quem res ecclesiasticas et populum Dei atrociter disperdentem audivimus, si verum est, jubemus ita virga sanctæ auctoritatis ferias, ut ceteri, si qui sunt similes ejus, exemplo corrigantur. AUCTORE J. B.

26 *Verum ea, quæ de cleri populique expostulatione, de querelis ad regem, optimates, et Alexandrum Pontificem delatis, hujusque ad Gervasium Remensem archiepiscopum litteris narrantur, non de tempore, quo jam S. Quintini cœnobium perfectum absolutumque erat, at de prioribus Guidonis in episcopatu annis, quibus ædificium illud meditari cœpit, et ad id necessaria comparare, intelligenda sunt, quamquam illud alterum prædictorum auctorum verba insinuare videantur. Etenim non nisi anno* 1069 *perfectam fuisse S. Quintini ecclesiam, vel ii ipsi, de quibus agimus, auctores scribunt, cui biennio tantum ante manus primum admotas fuisse, ex anonymo liquet; atque adeo fieri minime potuit, ut jam inde ab anno* 1064 *vel circiter de Guidone, quasi in Operis illius exstructionem nimios jam sumptus contulisset, apud Pontificem depositæ fuerint querelæ, isque jam tum Gervasio rescripserit, ut de his rebus inquireret. Adde, Gervasium in vivis esse desiisse anno* 1067 *vel* 4 *Non. Jul., quod iidem auctores tradunt : vel* E *4 Aprilis, quod Marlotus asseruit : sancti vero Quintini ecclesiam non ante hunc annum condi cœpisse, jam dictum est in superioribus sæpe. Jam vero, quæ porro secuta sunt, audiamus.* absente Guidone,

27 Guido vero, *inquiunt, quos dixi, auctores,* Romam confugit ad Alexandrum, a quo postquam benigne susceptus esset, in Franciam eodem anno (1064 *vel circiter*) reversus est, probavitque anno 1072 fundationem canonicorum in ecclesia S. Vedasti, ex Loisello pag. 254, ac Louveto tom. I pag. 695; et eodem circiter anno institutionem decani in ecclesia collegiata Gerboredi, quæ ex Pilletio fundata fuerat sub Hugone Capeto rege, ut videre est apud eumdem Pilletium, pag. 24 et 44. Sed paulo post concitata rursus procella, ejectus est ex urbe sua anno MLXXIII tam a plebe sua, quam ab ipso rege. Unde profectus iterum Romam recepit se ad Gregorium VII Papam, cujus patrocinio controversia omni cum rege, cum Castellano urbis, et plebe aliisque composita, obtinuit absolutionem ab eodem summo Pontifice in synodo (*Romana anni* 1074) pro clericis et civibus, qui ob injurias illatas excommunicati fuerant. Id nos docent præcipue Gregorii epistolæ 74 et 75 lib. I scriptæ Idib. April. an. MLXXIV clero et populo Bellovacensi, et ipsi regi; *quibus nimirum utrosque serio admonet Pontifex, regem, ut illata Bellovacensi Ecclesiæ damna resarciat; clerum vero et populum, ut debitam præsuli suo obedientiam præstent. Exstant illæ apud Loisellum pag.* 253 *et* 256, *sed male ad annum* 1073 *referuntur : cum quod Bellovacensium absolutionem in concilio Romano anno* 1074 *celebrato Guido, memorabili sane exemplo, impetraverit, tum quod hæ litteræ datæ sint Indictione* 12, *Idibus Aprilis, ac proin anno* 1074. *gravia patitur:*

28 *Pulso in exsilium Guidone, in canonicos Regulares S. Quintini, quos ille et instituerat et bonis prædiisque ditarat, præcipue sævitum est, adeo ut præ inopia, teste Louveto, vel ipsam sacram supellectilem oppignerare compulsi fuerint : verum reduce ad sedem Guidone anno* 1075 (*quod ex charta, cui eo anno subscripsit, apud Loisellum pag.* 260, *patet*) *sub idem fere tempus* circumtulerunt egregiam virginem ROMANAM, *inquit anonymus num.* 10, per vicinas regiones, in redimendis ecclesiæ ornamentis expensuri, quidquid eis a fidelibus offerretur; *et eo quidem fructu, ut ad monasterium reduces ornamentorum maximam partem piorum hominum largitione redemerint. Simile quid etiam de S. Ebrulfi reliquiis anno* 1457 *Bellovaci factum fuisse, accepimus. Ceterum propitiam sibi* S. Romanam *ea occasione fidelium pietas habuit, ut gemina miracula produnt, quæ recenset anonymus. Quamquam autem sed eo reduce, damna resarcit, circumductis Sanctæ reliquiis.*

/ AUCTORE C. B.

non nisi duo explicarit, his tamen plura sanctam Virginem effudisse in homines beneficia, ac effundere porro perrexisse, satis hæc verba declarant, quibus narrationi suæ finem imponit : His atque aliis virtutibus insignis, gloriosa Virgo cum apud Beluacum referretur, communi exultatione ab omni populo recipitur, et ad ecclesiam S. Quintini, unde asportata fuerat, lætis psallentium, veniamque postulantium vocibus deducitur, et inter Sanctorum Sancta reponitur. Ubi si quis fide certa Dominum deprecaturus advenerit, sine dubio postulata amborum intercessionibus obtinebit : quod multarum infirmitatum curationes et crebræ laborantium nobis insinuant consolationes. *De quibus sane doleo, nihil a me usquam osse repertum. Addit Arturus in Gynæceo sacro ad diem 4 Februarii,* S. Romanæ *corpus, liberalitate domini Michaelis Prioris de Poix, thecæ locupletiori, mireque ornatæ anno* 1520 *fuisse inclusum.*

VITA

Auctore anonymo.

Ex Ms. abbatiæ S. Quintini Bellovacensis.

B

CAPUT I.

S. Romanæ martyrium.

Missos a S. Romana Ecclesia

Deus bonus, justus, omnipotens, qui misericordiam suam humano generi numquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis erudivit, voluntariam errantium cæcitatem, et proclivem in deteriora nequitiam secretiore consilio, et altiore pietate misertus est, mittendo Verbum suum, coæquale sibi atque coæternum : quod caro factum divinam naturam naturæ contemperavit humanæ, ut illius ad infima inclinatio, nostra fieret ad summa provectio. Ut hujus inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, cum duodecim Apostoli per Spiritum sanctum omnium edocti sermocinatione linguarum imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus Apostolici ordinis princeps, et Coapostolus ejus Paulus, vas electionis ad arcem Romani destinantur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus diffunderet. Hæc autem duo præclara divini seminis germina in quantas segetes populorum pullulaverint, attestatur ad passionis tolerantiam eorum C exemplo roborata ibidem occisorum innumerabilium copia martyrum.

in Galliis fidei Christianæ præcones

2 Romana igitur ab eis plantata Ecclesia et a successoribus eorum irrigata, Domino præstante incrementa, ad exstirpandas antiqui hostis versutias, per diversas mundi partes direxit de fidei suæ fonte potatos divini prælii bellatores. Hujus intentionis devotione egressi sunt ex eadem urbe duodecim Christi milites nobilissimi et egregii

a prædicatores *a*, qui Galliarum se ingerere non dubitarent atrocitati, idololatriæ eradicaturi falsitatem et fidei seminaturi veritatem. Inter quos velut lucernæ super candelabra positæ, effulserunt

b Christi martyres Quintinus atque Lucianus *b*, quorum alter Ambianensem, alter vero Beluacensem, quoadusque insigni martyrio coronarentur, adorsi sunt expugnare incredulitatem.

imitata S. Romana, Bellovaci

3 Erant eodem tempore Romæ in sanctæ conversationis habitu duodecim virgines generosæ, invicem sibi una religiosæ fidei familiaritate conjunctæ : in quarum mentibus virtus sacræ opinionis procreaverat honorabile culmen gratissimæ honestatis. Eruditæ enim erant multimodis virtutum generibus, et sanctarum documentis Scripturarum formabantur omni opere pietatis, proficientes sanctæ devotionis gratia, divina eis propitiante clementia. Audientes itaque quorumdam relatione multimoda supradictorum martyrum certamina, D simili desiderio accensæ, concordante voto, neglectaque patriæ et parentum dulcedine, fines Gallorum, Domino ducente, feruntur advenisse *c*. *c* Præcordialiter enim scientes, quoniam quicumque plus laborat in Dei servitio, majoris præmii remuneratione condignus habebitur in futuro, elegerunt temporales sustinere angustias, quibus retributiones nanciscerentur æternas. Nulla dolositas, nullus rancor invidiosæ fraudis obviaverat in itinere Sanctis, quoniam unitæ erant auxilio dexteræ cælestis. Gratia autem divini Spiritus admonente, ab invicem separari jussæ sunt; quo unaquæque earum suo ingenio fructum multipliciter acquireret Deo. Beata igitur nomine et merito Benedicta *d* cum *d* quadam collactanea sua Leoberia *e* Laudunum *f* *e f* venit. Et ROMANA Beluacum *g* adiens, cœpit toto *g* cordis affectu Domino famulari. Sociata enim quibusdam Christianis, quos Dominico ovili adjecerat prædicatio S. Luciani, instabat jejuniis, et orationibus crebris, et despiciebat omnia pro amore patriæ cælestis. Erat enim miræ patientiæ, sanctæ humilitatis et cælestium gratiarum exornata donis; mente tranquilla, sermone nitida et opere sancta. Sic antecedebat nobilitatem corporis nobilitas mentis. E

martyrii lauream

4 Cum autem princeps terreni imperii *h* a principe suo diabolo instigatus ad delendam Christianæ *h* fidei religionem, et exaltandam idololatriæ superstitionem, per lata terrarum spatia iniquitatis decreta divulgasset, servos Dei et ancillas, ubicumque inventi essent, aut idolis immolare, aut per diversa tormentorum genera mortis periculo subjacere adigebat *i*. Urbs in monte constituta, beata videlicet *i* Romana, supra fundamentum, quod est Christus, posita, occultari non potuit. Accepto enim in vase oleo, accensam vigilans lampadem, quæ minime extingui posset, habuit, quæ ab amoris Christi flagrantia neque minis suppliciorum, neque deceptionibus blandimentorum aliquatenus tepefieri potuit. Resistens igitur fortiter persecutoribus, accepta capitali sententia, maluit pro Christo mori, quam diabolicæ servitutis spurcitia inquinari. Transverberata est itaque gladio piissima Virgo *k*. Cujus *k* anima stola innocentiæ et virginitatis ornata, summi Regis conspectibus est præsentata, Agnum, quocumque ierit, cum his, qui sine macula sunt, ante thronum Dei secutura.

tumulumque nanciscitur; at dein honoratiore reconditur.

5 Corpus autem ejus a viris Christianis interim sepelitur : quod tamen, exarescente idololatriæ insania, et florescente Christianæ religionis doctrina, translatum est in S. Petri sacrario, et honorifice vallatum sepultura. Sed quoniam * priscis affuere temporibus, artati persecutionis instantia, ordinem passionis ejus non scripserunt; et posteri de ea, quæ non perspexerunt, ne adinventores innotarum rerum æstimarentur, asserere dubitaverunt; decreverunt majores nostri diem martyrii ejus se non solemniter celebrare, nec tamen memoriam ejus passi sunt omnino insolescere, scientes, quod martyrio coronata, Christi cohæres regnat in gloria.

* *adde* qui F

ANNOTATA.

a *S. Dionysium intelligit ejusque socios, qui variis Galliæ locis fidei lucem suis prædicationibus intulerunt : S. Dionysii socii secundum Acta S. Fusciani hi fuere : SS. Fuscianus, Victoricus, Piato, Ruffinus, Crispinus, Crispinianus, Valerius, Lucianus, Marcellus, Quintinus et Regulus. Alibi paulo aliter recensentur.*

b *Uterque S. Piatone prior occubuit. Vide Comm. præv. num.* 11.

c *Quod de duodenario isto Virginum numero anonymus narrat, parum certum est. Reliqua vero, quæ hic ponuntur, ex Actis S. Benedictæ virginis martyris fere descripta videntur.*

d *Agetur de ea ad diem* 8 *Octobris.*

e *De illa nihil compertum mihi est, præter id, quod tum hic, tum in Actis S. Benedictæ narratur.*

f *Suessionum urbs est in Gallia Belgica ampla et*

A *et munita* 30 *leucis Lutetia Parisiorum in ortum æstivum distans, Suessione* 9, *Guisia* 7, *Remis* 10. *Ex Baudrando.*

g *De* Bellovaco *vide num.* 1 *Comm. prævi.*

h *Verisimiliter Diocletianus. Vide num.* 12.

i *Hinc haud consequens fit,* S. Romanam *passam fuisse sæculo* IV, *quamvis verba illa Diocletiani persecutionem sub initium sæculi* IV *cæptam denotare videantur. Vide num.* 13 *Comm. prævi.*

k *Verisimiliter inter annum* 287 *et* 292. *Post annum* 290, *inquit Martyrologium Parisiense novum.*

CAPUT II.

S. Romanæ reliquiarum translatio.

Regnante Galliæ rege Philippo,

a Nostris vero temporibus *a* cum comes Flandriensis Balduinus *b* puerum Philippum, Henrici regis filium, ad regni proveheret solium *c*, ipsumque pro eo disponeret regnum, civitas Beluacensis suo destituta est antistite *d*. Annuente igitur supernæ pietatis æquitate, Guido decanus, custosque

b ecclesiæ S. Quintini Vermandensis *e*, et archidia-

c conus Laudunensis *f*, constitutus est a præfato

d principe Beluacensium episcopus, ordinante eum

e B cum ceteris ejusdem provinciæ episcopis viro illus-

f tri Gervasio Remensi metropolitano *g*. Vir quippe

g nobilis prudenter ascendens altiores gradus Ecclesiæ, adeptus est culmen episcopale. Qui facile non carere se ferens præsentia martyris, de cujus uberibus ecclesiæ suxerat lac doctrinæ spiritualis, in honore et memoria ejus ædificavit ecclesiam haud longe a mœnibus Beluacæ civitatis in amœnissimis locis. Circumdata enim pratorum, fluminisque jucunditate, et vinearum ubertate, alacriores efficit ibi conversantes, vernæ viriditatis continua recreatione, et purissimi aeris delectatione. Quæ cum sit admirabilis specie suæ compositionis, admirabilior haberi potest ipsa facilitate celeberrimæ constructionis. Nulla enim tam brevi spatio tantum opus efficeret vis humana, nisi intercedente martyre, virtus auxiliaretur divina. Duobus quippe

h annis incepit, et perfecit eam in decore suo *h*.

Guido Bellovacensis episcopus

7 Idem reverendus Guido episcopus dealbatam undique et depictis insignitam laquearibus, honoratam pretiosis ad cooperienda altaria, sive parietes in gyrum ornamentis, cum sacerdotalibus reliquorumve ministrorum indumentis, ornatam auri et argenti copia, unde honorabiliter deforis decorata sunt multa sancti Euangelii volumina, perfecta

* conficienda sunt vasa ad conficiendi * Dominici Corporis et

C Sanguinis Sacramenta, et ad reliqua ecclesiasticis utilitatibus congrua mysteria, additis redditibus, quæ sufficere possint quam plurium canonicorum necessitatibus, patratis circum multis ædificiis vitæ eorum maxime opportunis. Qui inspiratione divina, sapienti usus consilio, cum grandi honore, comitantibus turbis psallentium clericorum atque laicorum, transtulit corpus præfatæ virginis et

i martyris Romanæ de sacrario sancti Petri *i*, ad eam, quam construxerat ecclesiam, uno antequam dedicaretur die, eo videlicet, quo ipsius recole-

k batur memoria *k*, nulla hominum providentia observante, sed solius Dei gratia ad exaltandam suæ Martyris gloriam disponente. Constitutum est, namque ut ab eodem tempore annis omnibus ejus festivitas honore illic congruo celebraretur. Aggregavit idem episcopus undique collectas multorum Sanctorum reliquias, quarum partem in altaribus

l et in Sanctis Sanctorum *l* collocaret, partem auro et lapidibus includens, sancto altari ad adornandum templum anteponeret.

in conditam a se S. Quintini ecclesiam,

8 Sed quoniam de ejus dedicatione ecclesiæ feci-

m mus mentionem, non inconvenienter videtur aliqua de ipsa disserere. Quoniam nec multo ante tempore, nec post dedicatam sancti Remigii ecclesiam a domno Leone Papa viro sanctissimo *m* audita est in aliqua mundi parte tam gloriosa dedicatio. Ad hanc advenientes ecclesiæ sancti Quintini venerabiles personæ, triumphali honore advexerunt secum ipsum corpus egregii martyris. Convenerunt etiam cum copioso cleri militiæque comitatu multi episcopi, Guido Ambianensis, Ratholdus Noviomensis, Gualterus Meldensis, Hugo Trecassinus, Odo Silvanectensis, Manasses tunc nobilis clericus, mox futurus Remensis archiepiscopus *n*. Convenit utriusque sexus, diversarumque ætatum innumerabilis populus. Qua alacritate, quo triumpho occurrit episcopus Beluacensis advocato suo martyri Quintino et coepiscopis suis? quotiens et quanta obedientia obtemperantes ei in ipsa die solemniter secum processerunt Beluacenses canonici? Quæ lætitia, quod gaudium per vicos et plateas agebatur? Non enim indigena erat, qui non amicum, propinquum, socium, hospitem advenisse cognosceret, lætusque amplexaretur, cum in eorum susceptione nemo gravaretur. Curia enim episcopalis sufficienter omnibus omnia distribuebat necessaria.

AUCTORE ANONYMO.

n

et insigni pompa dedicatam infert Sanctæ reliquias

9 Orta est interim Dominica dies *o* : et ex præ-

o cepto antistitis processit ad dedicandam ecclesiam congregatio omnis clericorum atque monachorum cum sanctorum corporum pignoribus et reliquis sacræ militiæ insignibus. Hic ergo sanctorum so-

E ciorum Quintini et Luciani corpora sibi obviam facta sunt. Hic sancti pueri et martyris Justi, sanctorumque Geremari et Ebrulfi, atque Constantiani confessorum, hic sanctarum Romanæ, atque Angadrismæ virginum corpora collecta sunt. Congregata multitudine infinita, pater Guido ceterique Pontifices sacris accinguntur indumentis : qui, antecedentibus se sanctis corporibus, circuitione debita exteriora ecclesiæ purificant; ut, quod illi agebant visibili mysterio, invisibili * sanctificaret * *subaudi* effectu. Quam deinde ingressi in dedicatione ejus *p* Deus et in divinæ laudis sacrificio diem perduxerunt in *p* vesperam. Quibus peractis, omnes qui advenerant, sine alicujus exceptione personæ, non solum illo, sed et subsequenti die suprascripti patris solemne recepit convivium. Completa itaque tantæ dedicationis exultatione, idem coepiscopos suos recedentes amplissimis lætificavit muneribus. Competenti autem Virgini et Martyri veneratione sanctam Romanam, in præfata ecclesia quiescentem, annis pluribus honoravit.

quæ, dum per varia loca

10 Illa vero, quæ dubitantibus, et se non digne venerantibus noluit aperire, credentibus et honorantibus eam, quod ab omnipotenti pietate, quæ vellet, obtineret, evidentibus documentis asseruit. Nam cum rex Philippus adolescens, de procuratoris potestate egressus, regni sui gubernacula susce-

q pisset *q* et juveniliter ejus iracundia exardescens in sæpe dictum venerabilem virum Beluacensem F episcopum non recte, non jure expulsum ab episcopatu suo, ablatis omnibus, anno integro exilii

r pœna fatigasset *r*, tandem recuperata regis benevolentia, desolatæ et pene ad nihilum redactæ

s sedi suæ restituitur episcopus *s*. Cum vero major vastitas, vehementiorque desolatio et ornamentorum alienatio ecclesiæ, quam construxerat, incubuisset, clerici condolentes, eam, cui serviebant, diutius esse inornatam, simulque auctorem ipsius a redemptione eorum, quæ ablata fuerant, allevare cupientes, circumtulerunt egregiam virginem Romanam per vicinas regiones, in redimendis ecclesiæ ornamentis expensuri quidquid eis a fidelibus offerretur. Qui cum pago Vilcasino gradientes, apud Medantum *t* pervenissent, extra oppidum in

t quadam parochia hospitium habere decreverunt.

circumferuntur.

11 Erat in eodem oppido quidam languens Berengarius, qui per triennium infirmitate detentus a lecto non surrexit. Hic audiens clericos cum sancto corpore advenisse, mandat eis suppliciter per affines suos, ut sibi una nocte ante sanctam Virginem permittant excubare. At sacri thesauri custodes primo cautæ observationis gratia omnem a se segregandum extraneum, nec hunc accipiendum dictitantes, mox presbyterorum et reliquorum non spernendi testimonii virorum,

bonum

AUCTORE ANONYMO.

bonum esse illum hominem, sed languere, referentium, precibus inflexi, petitioni ipsius acquiescunt. Allatus est itaque in lecto, qui se movere non poterat. Qui quantam fidem habuerit, quantaque devotione supplices Deo preces sanctæque Virgini obtulerit, sanitas reddita declaravit. Collocutus namque post noctem mediam cum sacri corporis ministris, testatus est, se sanctam virginem Romanam visitasse, et omnem infirmitatem ab eo abstulisse. Quo audito, læti usque dum lucesceret in divinis laudibus permansere. Venientibus autem mane ad ecclesiam presbyteris cum populo, gaudens referebat in publicum sanus factus, quanta liberationis gratia, interveniente sancta Virgine, resperserit eum Dominus. Divulgata illico res per oppidum ad venerationem Virginis excitat universos. Quam cum hymnis et canticis suo oppido inferentes, in ecclesia sanctæ Mariæ semper Virginis hospitalitate honorifica receperunt. Cumque die altero ministri sancti corporis cum eodem recederent, sanitati redditus pariter profectus est. Cumque admoneretur, ut rediret, respondit, se nullatenus domum suam ingressurum, neque a sancta Virgine recessurum, donec, unde egressa fuerat, ad sancti martyris Quintini reportaretur ecclesiam. Quod et fecit, et se sancto
B Quintino, et sanctæ Romanæ liberatrici suæ in servum perpetuum dedit.

miraculis illustrantur. u

12 Itinere vero, quod cœperant, pergentes, cum longitudine viæ fatigati Argentolio *u* requiescerent, quanta benedictionis suæ largitate famulos suos beatissima Virgo paverit, referamus. Erat enim tempus Quadragesimale, in quo inundatio pluviarum exuberantiam fluviorum auxerat : ipsaque exuberantia capiendorum facultatem piscium excluserat. Cum autem alumnos sanctæ Virginis et extensum iter, et prolixius jejunium indulgere sibi largiore refectione admonerent, egressi ad vicini fluminis ripam piscatores, quos de navicula egredientes conspiciunt, ut sibi pisces pro amore sancti Corporis, quod secum deferebant, tribuerent aut venderent, postulabant. Qui prius sciscitantes unde, et cujus meriti esset sanctum illud Corpus, et quo nomine diceretur; tandem responderunt, se neque pisces habere, neque aliquos in transactis quindecim diebus proximis accipere potuisse, totumque diem illum in opere tali frustra consumpsisse, et tamen in nomine Domini, et honore sanctæ Virginis iterum in aquam ingressuros, et si quid acciperent, ei alacriter oblaturos. Res mira, credibilis eorum, qui videre et affuere, assertionibus comprobatur. Mox enim ut ingressi
C flumen dimiserunt in eo rete, conclusa est piscium copiosa multitudo : de quibus, plurimis sibi retentis, obtulerunt sancto Corpori nonaginta quinque. His atque aliis virtutibus insignis gloriosa Virgo, cum apud Beluacum referretur, communi exultatione ab omni populo recipitur, et ad ecclesiam sancti Quintini, unde asportata fuerat, lætis psallentium, veniamque postulantium vocibus deducitur, et inter Sanctorum Sancta reponitur. Ubi si quis fide certa Dominum deprecaturus advenerit, sine dubio postulata amborum intercessionibus obtinebit : quod multarum infirmitatum curationes et crebræ laborantium nobis insinuant consolationes.

SS. Romanæ et Quintini cultum auctor commendat.

13 Nos ergo festivitatem sanctæ Romanæ unanimiter et cum gaudio celebremus, pretiosumque supradictum martyrem cum ea imploremus, ut ipse pro fundatore et glorificatore ecclesiæ suæ; et ipsa pro institutore et amplificatore solemnitatis suæ domno Guidone episcopo, et devoto clero, omnique populo intercedere dignentur *x* apud D
eum, cui servierunt, cui placuerunt, in quem vivunt, per quem possunt, quod possunt, qui est benedictus, et laudabilis et gloriosus, superexaltatus in sæcula, amen. *x*

ANNOTATA.

a *Hinc collige, quæ sequuntur, scripta fuisse ab aliquo, qui tum temporis vivebat.*

b *Hujus nominis V, cognomento* Insulensis.

c *Successit Henrico I Galliæ regi* Philippus *pariter I anno* 1060, *natus anno* 1035.

d *Guilberto seu Goisberto, cujus obitum anno* 1063 *Louvetus consignat.*

e Fanum S. Quintini *munita Picardiæ civitas ad Somonam fluvium in diœcesi Noviomensi.*

f *Vide litteram* f *in Annotatis ad caput* 1.

g *Rexit ecclesiam Remensem ab anno* 1033 *usque ad annum* 1067 *secundum Galliæ Christianæ auctæ scriptores : Guidonem autem ordinavit anno* 1063 *aut* 1064.

h *Hemeræus ad annum* 1074 *legit :* Duobus enim annis incœpit et perfecit eam anno MLXVII in decore suo: *quod non de completa, sed cœpta S. Quintini ecclesia intellige. Vide num.* 19.

i *Vide, quæ de ecclesia S. Petri dicta sunt num.* 18. E

k *Nempe* 3 *Octobris : nescio, qua de causa Arturus ad diem* 4 *Februarii, Lahierius vero ad diem* 2 *de* S. Romana *agant.*

l *Id est, in Sanctuario, seu majoris altaris loco, servandis Sanctorum reliquiis destinato.*

m *De ea fuse actum est tom. I Octobris pag.* 117 *et seqq.*

n Guido *Ambianensi ecclesiæ præfuit ab anno* 1058 *usque ad* 1075. Ratholdus, *seu* Ratbodus *Noviomensi ab* 1068 *usque ad* 1098. Gualterus *Meldensi saltem ab anno* 1043 *usque ad* 1082. *De* Odone *Sylvanectensi, et* Manasse *Remensi vide dicta num.* 22. *De* Hugone *autem Trecassino Sammarthani fratres ita scribunt :* Isque (*Hugo II*) aut superior (*Hugo I*) affuit sacro Philippi I regis anno 1059, cujus etiam diplomati subscripsit 1067 pro confirmatione prioratus S. Martini Parisiensis : *anno* 1071 *et* 1073 *cartæ Floriacensi subscriptus reperitur.*

o *Die* 4 *Octobris anni* 1069, *ut num.* 21 *et seqq. ostensum est.*

p *Apud Hemeræum male insertum legitur :* anno 1074.

q Philippus *Galliæ rex a morte Balduini anno* 1067 *per se regnum administrare cœpit, licet pauciores, quam tum temporis requirebantur, nempe* 15 *tantum annos numeraret, inquit Daniel in Historia Franciæ; cum Balduino nemo substitutus sciatur.* F

r *In exsilium pulsus est Guido* 1073.

s *Anno* 1074.

t *Pagus* Vulcassinus (le Vexin) *a Gisortio ad Pontesiam protenditur Ittam inter et Isaram seu Esiam et Bellovacensi territorio contiguus est : duplex distinguitur Franciscus et Normannicus : in illo ad Sequanam oppidum situm* Meulan *Gallice dictum,* Mellentum *vocat Castellanus. Haud procul hinc aliud quoque oppidum in eodem Vexino Francico ad Sequanam situm, cui nomen Gallicum* Mante, *quod Castellanus* Meduntam *nominat : vocum* Medantum *et* Medunta *affinitas, de posteriori hic sermonem esse, utcumque innuit : at Louvetus diserte habet* Meulanc.

u *Vicus elegans prope Parisios Gallice* Argenteuil, *qui tunica Domini inconsutili gloriatur.*

x *Altera nota temporis, quo hæc ab anonymo exarata sunt.*

DE

A D

DE S. HESYCHIO CONF. S. HILARIONIS DISCIPULO.

MAJUMÆ IN PALÆSTINA.

SYLLOGE. J. B.

§ I. S. Hesychii memoria sacra, laus apud Græcos, a synonymis distinctio, aliaque nonnulla.

POST ANNUM CCCLXXIII. *S. Hesychius Sozomeno*

Sanctum Hesychium *Sanctorum Fastis antiquiorum martyrologorum nemo inscripsit : Baronius vero, quemadmodum S. Maximianum Bagaiensem episcopum hoc pariter die cultum ob celebratas potissimum illius a S. Augustino laudes Martyrologio Romano inseruit, ita et* S. Hesychium, *quem S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis abbatis non semel laudavit, eidem pari de causa intexuit, ejusque præconium expressit hoc modo :* Quinto Nonas Octob. in Palæstina S. Hesychii confessoris, discipuli sancti Hilarionis et in peregrinatione socii. *Celebre inprimis* Hesychii *nomen apud* B *Græcos fuit : eum Nicephorus Callistus Historiæ Ecclesiasticæ lib.* IX, *cap.* 15, *et Sozomenus lib.* III, *cap.* 14 *inter S. Hilarionis discipulos celeberrimum appellant. Et rursus lib.* VI *cap.* 32 *hæc de* S. Hesychio, *aliisque Palæstinæ monachis Sozomenus narrat :* Sed et Palæstina monachorum domiciliis florebat. Nam et plerique eorum, quos supra in rebus gestis Constantii enumeravi, adhuc superstites, hanc disciplinam summa cum laude excolebant. Et horum consuetudine ac sermonibus alii instituti, ad summum virtutis apicem pervenerunt, et ad majoris gloriæ cumulum monasteriis illic positis adjuncti sunt. Ex quorum numero fuit Hesychas (*sic* Hesychium *nominat*) Hilarionis sodalis; et Epiphanius, qui postea Salaminis in Cypro episcopus fuit. Et Hesychas quidem in eodem, quo magister, loco philosophatus est, *seu vitam duxit monasticam.*

et Nicephoro laudatus, 2 *Nicephorus quoque lib.* XI, *cap.* 39 *sic habet :* In Palæstina quoque eo tempore plurimi floruere solitarii philosophi. Adhuc enim superstites erant, quos, cum de Constantini (*lege* Constantii, *ut Græce habetur*) imperio ageremus, diximus scientia et vita monastica effulgentes. Sed et alii cum illis institutis illorum enituere, qui virtutis profectu, non pœnitenda laude et gloria monasteria auxerunt. C Horum præcipuus fuit Hesychas, Hilarioni illi, vita ea, quæ secundum Deum est, longe præstantissimo, sodalis carissimus. Item virtute præclarus Epiphanius, qui longo post tempore ecclesiæ Salaminiæ episcopus præfuit. Et Hesychas quidem quietis officinam apud Gazam instituit, eodem, quo sodalis seu magister, in rebus omnibus secum consentiens Hilarion, loco. *Tanti autem discipulum* Hesychium *Hilarion Magnus fecit, ut et illo delectaretur vehementissime, rerumque suarum moriens, etsi absentem, hæredem scripserit, teste S. Hieronymo in Hilarionis Vita cap.* 22 *et* 38 *ante annum* 392 *exarata, seu cum nondum ab obitu Hilarionis effluxerant anni plures, quam* 20, *aut* 21. *Vide infra num.* 28 *et tom. VIII Septembris pag.* 305. *Et hæc quidem Græcorum sunt* de S. Hesychio *testimonia : cultum fortasse etiam aliquando habuit in Palæstina; scribit enim Sozomenus lib.* III *cap* 14, *Palæstinæ incolas, post deportatas ab* Hesychio *e Cypro in monasterium suum Hilarionis reliquias, diem festum quotannis admodum celebrem ac splendidum publice egisse, itaque honorare solitos* viros sanctos, qui apud ipsos vixere : *et id quidem honoris exhibuisse Aurelio Anthedonio, Alexioni et Alaphioni diserte affirmat,* qui cum eodem tempore sub Constantii viverent principatu, monasticam philosophiam pie ac viriliter excoluerunt, et virtutum suarum exemplo, in urbibus ac vicis superstitioni gentilium admodum deditis Christianam religionem magnopere provexerunt. *Id quod certe etiam* Hesychius, *si quis alius, egregie præstitit : quia tamen a vagis hujuscemodi dictis ad singula quæque descendere non licet, id de* Hesychio *sic accipi velim, ut res ipsa in dubio maneat.*

quo anno ad S. Hilarionem accesserit, 3 *Accesseritne* Hesychius *ad S. Hilarionem sub Constantii imperio, incertum est : sumpsit hic imperii habenas anno* 337, *posuit* 361. *Sanctus vero Hilarion* 63 *ætatis annum numerabat, cum e vivis excessit Antonius anno* 356. *Itaque annus Hilarionis* 63 *in annum* 354 *incidebat. Ex Hieronymo quidem cap.* 22 *et* 23 *colligi potest,* Hesychium *jam tum cum Hilarione versatum aliquamdiu, eique carissimum fuisse, at quo definite tempore S. Hilarioni monasticæ vitæ* E *præceptis sese dediderit imbuendum, nusquam exprimitur. Id solum ex Hieronymo cap.* 2, 8 *et* 9 *conficitur, annorum fuisse circiter* 37 *S. Hilarionem, cum sub ejus auspiciis monasticæ vitæ institutum multi profiteri cæperunt. Porro sicut Hesychiani monachatus initium exacte describi nequit, ita nec terminum ejus definire in promptu est. Scitur quidem, defuncto circa annum* 372 *magistro, egisse in Cypro decem fere menses, indeque ejus exuvias, elusa custodum vigilantia, in Palæstinam retulisse, vitæque monasticæ in antiquo S. Hilarionis asceterio institutum pro viribus promovisse, at multorum, paucorumne annorum curriculo, in occulto est. Novi quidem auctorum aliquot Hispanorum assertionem, secundum quam, aliquot, post relatas e Cypro in Palæstinam S. Hilarionis reliquias, annis, mari trajecto, sive vitandæ gloriæ, sive monastici instituti propagandi desiderio, sive alia quacumque de causa, sic disponentibus Superis, dicitur* Hesychius *in Hispaniam appulsus esse, iisque apud Hispanos floruisse virtutibus, ut primum quidem a S. Asturio Toletano episcopo ejusdem ecclesiæ archidiaconatu auctus fuerit, et deinde, sublato e vivis Fætadio, ejusdem sedis infulas mirabili acclamatione fidelium induerit : verum ea de re suus erit infra dicendi locus.* F

quo obierit, 4 *Obiisse* S. Hesychium *die* 3 *Octobris ad finem vergente sæculo* IV, *P. Simon Martin in sacris deserti Reliquiis Gallico idiomate scriptis affirmat. Quid ita? Illo nempe die in Martyrologio Romano signatur* Hesychius : *neque enim aliam video dari posse hujus assertionis rationem. Sed esto, hoc die illic signetur* Hesychius : *consequens inde non fit, illo die vere obiisse* Hesychium; *notum quippe est, Baronium aliosque, qui Romanum Martyrologium auxerunt, non paucorum Sanctorum memoriam pro arbitrio certis affixisse diebus, quorum verum emortualem diem ignorabnt. Atque hos inter* S. Hesychius *fuisse videtur : nihil enim in Hieronymo, nihil in Sozomeno et Nicephoro, nihil in ipsis Baronii Annalibus occurrit, unde illius obitus dies determinari certo possit. Hinc Castellanus in Martyrologio Universali hanc* S. Hesychio *notam apposuit :* Absque cultu et die : *contra Tamayus fidenter nimis* S. Hesychii *Acta conclusit his verbis :* Tandem annorum plenus, et bonorum operum abundans, hanc ærumnosam vitæ periodum cum æterna indeficientium dierum clausula commutavit V Nonas Octobris anno Domini CCCCXXX vel circiter. Cujus sacrum corpus in patriarchali basilica (*Toletana scilicet, ut credit*) conditum requiescit. *Imo ad annum* 435 S. Hesychium *vitam protraxisse, Bivarius aliique Hispani auctores tradunt, sed nihilo solidiore fundamento.*

3 *Ubi*

AUCTORE J. B. *et ubi natus sit, incertum :*

5 *Ubi gentium natus sit* Hesychius, *pariter ignoratur : sparsa quaquaversum S. Hilarionis fama multos ad illum e Syria, ex Ægypto et procul dubio e Palæstina etiam, ubi degebat, discipulos evocavit : unde vero ad Hilarionem accesserit* S. Hesychius, *Hieronymus silet, nec alibi litteris proditum accepi. Notior solitudo est, in qua, Hilarione duce, militare Deo primum cœpit, quamque, sublato e vivis magistro, præclaris asceticæ vitæ præceptis instituit et perenni illustravit exercitatione virtutis. Describit illam Hieronymus cap.* 2 *his verbis :* Sic nudus et armatus in Christo (*Hilarion*) solitudinem, quæ in septimo miliario a Majuma Gazæ emporio per litus euntibus Ægyptum ad lævam flectitur, ingressus est. *Notissima porro est Gaza Palæstinæ civitas, inter torrentem Sorec et Besor in tribu Simeon haud procul a Mediterranei maris littoribus sita. Huic olim Majuma, seu portus Gazæ subjecta fuit,* 20 *ab ea stadiis dissita; sui juris a Constantino factam, et de filii sui nomine Constantiam appellatam, rursum Gazensibus subjecit Julianus apostata, et Gazæ portum nuncupari jussit. Hinc vero milliari septimo ad lævam solitudo occurrit Ægypto contermina, in qua cellulam primo, deinde vero monasterium condidit S. Hilarion, haud procul a via, qua Gaza in Ægyptum tenditur. Vide Adrichomium in Theatro Terræ sanctæ. Huc autem, defuncto Hilarione, rediisse* B S. Hesychium, *cum ex Hieronymo, tum e Sozomeno atque Nicephoro supra citatis perspicuum est.*

idem non est ac Hesychius confessor in Menæis memoratus,

6 *Plures Sancto nostro cognomines sacris Fastis inscripti leguntur, quorum plerique martyrio fuere sublati; atque adeo vel unico hoc charactere ab* Hesychio *nostro satis hi quidem distinguuntur : sed Menæa Hesychii confessoris tum ad diem* 6 *Martii, tum ad diem* 10 *Maji meminerunt : ad diem quidem* 6 *Martii breviter hoc modo :* Eodem die S. Hesychii Thaumaturgi. *Ad diem vero* 10 *Maji :* Eodem die S. patris nostri Hesychii Confessoris. *Subjectum posteriori annuntiationi elogium indicat, hunc patria fuisse Andrapena (Ponti Galatici regiuncula) et montem Majonem (Adrania Bithyniæ civitate haud procul dissitum) inhabitasse, multisque prodigiis claruisse. Utrumque eumdem censuit Papebrochius tom. I Martii ad diem* 6 *ejusdem mensis pag.* 456, *ubi certe posterioris Vitam edidit ex Ms. Synaxario Græco P. Petri Francisci Chiffletii. Sive autem iidem sint, sive diversi, parum hic nostra interest : nam cum uterque multa prodigia operatus feratur,* Hesychius *autem noster ne ulla quidem, nedum tot ac talia, unde* Thaumaturgi *nomen acceperit; uterque alius a nostro fuisse videtur; quod quidem de illo, cujus Vitam laudatus proxime Papebrochius exhibet, apertius liquet : is quippe Galatiam vel Bithyniam virtu-* C *tibus suis ac commoratione illustravit; et Constantino una cum matre Irene imperium administrante, vita excessit;* adeoque intra DCCLXXX et DCCXCVII, *inquit Papebrochius in Notis ad illius Vitam,* quando redacto in ordinem filio, sola absolute regnare cœpit Irene; *quorum neutrum nostro* Hesychio *congruit.*

aut Isicius Toletanus;

7 *Est et Isicius quidam Toletanorum Præsulum catalogis insertus, et is quidem ipsissimus* Hesychius *noster, si Bivario et Tamayo credendum est. Audi Tamayum in Actis* S. Hesychii : Post aliquot annos (*a relato in Palæstinam, Majumæque in antiquo monasterio recondito ab* Hesychio *magistri corpore*) ex Palæstina in Hispanias spiritum nactus duplicem, latibulum in orbis extremo angustum quærens; sive monasticum institutum propagare festinans; sive aliud quodvis agens, tamen a Spiritu sancto actus, qui Toletanam ei sedem præparabat. Ibi a S. Asturio ecclesiæ ejusdem episcopo cognitus, ejusque sanctitatem expertus, archidiaconus creatus est. Tandem, Fætadio pontifice ejusdem sedis e vivis sublato, Hesichius infulam illius mirabili acclamatione fidelium induit. Ad tantum sublimatus fastigium protinus Sedulium Oretanum pontificem, amicum suum, prædicationis gratia Toletum detinet. Deinde B. Augustinum Hypponensem antistitem per epistolas super quæstione : An supremus inquirendus sit dies : scripsit. Tandem annorum plenus et bonorum operum abundans, hanc ærumnosam vitæ periodum, cum æterna indeficientium dierum clausula commutavit v Nonas Octobris anno Domini CCCCXXX vel circiter. Cujus sacrum corpus in patriarchali basilica conditum requiescit. *Enimvero satis multa in unum congesta hic video, at fortasse non tam vere, quam fidenter asserta. Interim tamen, quos ille dictorum testes adhibeat, audiamus.* D

quod e Juliano et Dextro

8 *Agmen ducunt Julianus et Flavius Dexter, quos densus sequitur recentiorum globus. Et Julianus quidem in Chronico ad annum* 414 *sic habet :* Isichius (*sic Hispani scribunt pro* Hesychius) archidiaconus Toletanus regit ecclesiam Toletanam, inventis corporibus sanctorum martyrum Justi et Pastoris. Nam Asturius post reintegrationem episcopi jam intermissi, Complutensis 1, numquam deseruit corpora a se divinitus inventa. *Patet itaque, inquit Tamayus,* S. Hesychii *in urbe Toletana archidiaconatus. Neque major est de episcopali ejus munere dubitandi ratio : sic enim Julianus prosequitur paulo inferius :* Asturio Serrano defuncto, in sede Toletana Isichius succedit, qui prius fuerat archidiaconus ejusdem ecclesiæ. *Dubitasne, num hic fuerit monachus Palæstinus? Scrupulum tollet Flavius Dexter : sic enim scribit in Chronico ad annum* 428 : Fætadio pontifici Toletano succedit Isichius mona- E chus Palæstinus. *Quod si e Tamayo quæsieris, qua de causa nulla sit episcopatus apud Hieronymum mentio, hoc tibi responsum auferes :* Quia vivere desiit ante adventum Hesychii in Hispaniam, vel certius ante ejus electionem, ideo futura Acta non novit. *Obiit enim S. Hieronymus probabilius anno* 419, Hesychius *autem anno dumtaxat* 428 *ad Toletanas infulas evectus est. Æque altum de* S. Hesychii *episcopatu Baronius silet; sed nemini mirum videri id debet,* cum Baronius, *inquit Tamayus,* ex scriptis Hieronymi nomen S. Hesychii desumpserit, illudque in albo Sanctorum reponat. *Quasi vero propterea, quod Hieronymus nosse non potuit, Baronius reticere debuerit.*

Tamayus

9 *Objicere sibi Tamayus etiam Sozomenum poterat, cujus verba dedimus num.* 1. *Certe silentium ejus plus habet admirationis, quam Hieronymi aut Baronii, si vera sint, quæ de* Hesychii *in Hispaniam adventu, ejusque ad Toletanam cathedram evectione Tamayus scribit. Sozomenus enim S. Epiphanium, alterum S. Hilarionis alumnum e Palæstina in Cyprum abiisse, ibique Salaminensium factum esse antistitem, non silet; simile autem quid de* S. Hesychio *ne verbo quidem prodit, quod tamen scire potuit optime; quippe qui haud procul a Gaza Palæstinæ non tantum se natum, verum etiam cum quibusdam* F *S. Hilarionis discipulis jam ætate provectis adolescentem esse versatum, lib.* v *cap.* 15 *haud obscure significat, e quibus discere facile potuit, quid de* S. Hesychio *factum esset; nisi forte quis dixerit, eum ita clanculum a suis aufugisse, ut nihil de illo Palæstinæ monachis innotuerit, quod ut asseri, sed absque idoneo teste, potest, ita et facile rejici. Accedit et tempus, quo Historiam suam Sozomenus scripsit, quamque Theodosio Juniori dedicavit circa annum* 435 *secundum Papebrochium de S. Epiphanio ad diem* 12 *Maji, vel certe haud serius, quam circa medium sæculum* v; *qua de re Tillemontius tom. VI de Vitis Imperatorum pag.* 125 *etiam consuli potest. Potuit vero id temporis* Hesychius *Sozomeno facile innotuisse Constantinopoli, ubi is degebat, cujus famam a multis jam retro annis, scriptis ad Augustinum litteris, in Africam penetrasse volunt.*

et Bivarius

10 *Bivarius in Commentario in Marci Maximi Chronicon pag.* 127 *aliud sibi objicit argumentum ab ætate* S. Hesychii *petitum, quod ejus verbis refero :* Unum est, quod obesse videbitur forsan alicui : nimirum si sic res haberet, ut dicimus, oportet Hesychium ad c ætatis annum ascendisse; quandoquidem S. Hilarion obiit octogenarius anno C. CCCLXXII, ut probat erudite Baronius in Notis ad diem XXI Octobris : exegisse vero Hesychium cum eo viginti plus, minusve annos, ex Hieronymo certum

A certum est : ab anno autem Christi CCCLXXII, quo Hilarion obiit, ad A. C. CCCCXXVIII, quo in episcopum Toletanum electus fuit, LVI elapsi sunt, quibus si XL superaddas, quos in obitu magistri sui habebat (*ætatis id unde acceperit, nescio*) fit, ut electus sit Toleti annorum XCVI, aliosque octo in episcopatu exegisse, auctores sunt Maximus et Julianus, qui eum pontificem agnoscunt ab A. C. CCCCXXVIII ad A. C. CCCCXXXVI. *Habes argumentum; en solutionem :* Sed centenaria senis grandævi ætas miraculo esse non debet; in eo præsertim ævo, quo multos scimus ad eam ascendisse, imo et superasse, uti Arsenius ille Magnus comprobat, ad cujus sacratissimas exuvias quotidie fere excubantes hæc scribimus : nam bona pars sanctissimi corporis, Dei benignitate, in nostro cœnobio Cisterciensi S. Annæ Vallisoletano quiescit. *Centenaria* S. Hesychii *ætas, fateor, esse miraculo nemini debet, sed vellem solida utcumque ratione probaretur. At mirum magis, nec immerito cuiquam fortasse videbitur,* S. Hesychium, *jam prope centenarium, ad id muneris fuisse electum, eumque ad magistri sui Hilarionis instar honoris fugientissimum tantum honoris et oneris tantæ ætatis pondere gravatum suscipere voluisse.*

probare 11 *Quibus quidem haud tantopere moverer, si Hesychianus e Palæstina in Hispaniam transitus*
B *aliunde irrefragabili vel saltem probabili auctoritate niteretur. Illum Maximus et Julianus primi asseruere, quorum (quales modo circumferuntur) quam exigua hodiedum apud eruditos fides sit atque auctoritas, nihil attinet dicere. Unde fateri cogor, totum hoc mihi negotium de falsitate vehementer esse suspectum. Suspicionem vero meam non mediocriter augent adjuncta ad fidem comparandam nimis studiose conquisita, imo partim perspicue falsa. Tale est, quod ad annum* 428 *Julianus scribit :* S. Augustinus ad episcopum Toletanum ISICHIUM scribit; ille respondet. *Viderat hujus Juliani fabricator Hesychii cujusdam ad S. Augustinum et hujus ad illum litteras* 198 *et* 199 *: Toletanum fecit, repugnante temporis ordine, atque ipso etiam Augustino. Nam primo epistola* 199 *S. Augustini ad Hesychium coepiscopum suum circa annum* 419 *exarata fuit, atque adeo septennio circiter ante susceptum ab* Hesychio *episcopatum. Colligitur id ex ejusdem epistolæ n.* 20, *ubi hæc leguntur :* A nativitate autem Domini hodie computantur anni ferme quadringenti viginti. *Alterum hujusce rei indicium habes epist.* 198, *ubi Hesychius ait :* Nam in uno tempore et signa in cælo et pressuram gentium in terris ab hominibus videri et sustineri, manifestum est. *Quibus verbis :* Respicit fortassis (*inquiunt Benedictini editores*) ad insi-
C gnem illum solis defectum, quem anno CCCCXVIII die IX Julii contigisse, produnt historici, quemque tanta siccitas secuta est, uti scribit Philostorgius, ut multorum hominum aliorumque animalium insuetam ubique mortem inferret.

frustra contendunt. 12 *Secundo S. Augustinus de Civitate Dei lib.* II *cap.* 3 : Quibus sententiis Domini Salvatoris divinum judicium futurum in fine sæculi declaretur, *posteaquam dixerat, multa præterire se, ad adventum Domini pertinentia, sed quæ, dictane sint de adventu Domini jam præterito, an de futuro in fine sæculi, dignosci haud facile queunt, nisi, quæ apud Evangelistas Matthæum, Marcum et Lucam ea de re dicta sunt, inter se omnia conferantur, subdit in fine num.* 4 : Quod facere utcumque curavi in quadam epistola, quam rescripsi ad beatæ memoriæ virum Hesychium, urbis Salonitanæ episcopum, cujus epistolæ titulus, De fine sæculi, *quæ omnia et singula epistolæ* 199 *ad amussim congruunt : atqui Hesychium non Toletanæ, sed Salonitanæ ecclesiæ episcopum vocat : fabulam igitur de mutuo Augustinum inter et* S. Hesychium *nostrum litterarum commercio vel ipse Augustinus evertit. Est autem Salona, teste Carolo a S. Paulo, Dalmatiæ metropolis, ejusque episcopus fuit Hesychius, ad quem Zosimus Pontifex Maximus de non promovendis ad sacerdotium monachis vel laicis, nisi ecclesiasticis disciplinis per ordinem imbutis, anno Christi* 418 *scripsit, quique idem ipse creditur, ad quem S. Augustinus locis citatis litteras dedit. Amplam olim et probe cultam, sed a Slavis deinde excisam fuisse, Baudrandus scribit. Ceterum Isicius quidem aliquis Toletanorum præsulum catalogis insertus est : verum cum neque de eo, neque de* 7 *successoribus ejus ad Montanum usque quidquam sciatur, teste Florez Hispaniæ sacræ tom. V tract.* 3 *cap.* 3 *num.* 36, *præter numerum, ordinem successionis et sæculum, quo floruerunt; opportunam hanc fingendi, quod liberet, occasionem pseudo-Chronicorum auctores sibi minime negligendam esse, putarunt.* AUCTORE J. B.

§ II. S. Hesychii gesta ex S. Hieronymo proponuntur.

Quam parum probabilia sint, quæ de S. Hesychii *in Hispaniam transitu recentiores nonnulli finxerunt, satis, opinor, superiora ostendunt : reliquum est, ut illius gesta puriori fonte derivata proponam, et suis, quoad fieri poterit, temporibus distribuam. Quoniam autem ea, quam S. Hieronymus scripsit, S. Hilarionis Vita ad diem* 21 *Octobris edenda est, ea tantum inde decerpam, quæ ad* Hesychium *nostrum pertinebunt. Atque illud in primis* Hesychium *magnopere commendat, quod, quamquam nec paucos, nec segnes morum suorum imitatores haberet* E *Hilarion, quos et paterne diligeret, magnique pro meritis faceret, cariorem tamen* Hesychio *habuerit neminem, isque apud illum præcipua valuerit auctoritate et gratia. Fidem facit, quod cap.* 22 *refert Hieronymus.* Detestabatur autem præcipue (*S. Hilarion*) monachos, qui infidelitate quadam in futurum reservarent sua, et diligentiam haberent vel sumptuum, vel vestitus, vel alicujus rei cum sæculo transeuntis. Denique unum de fratribus in quinto fere a se milliario manentem, quia compererat hortuli sui nimis cautum timidumque custodem et pauxillum habere nummorum, ab oculis abegerat. Qui volens, sibi reconciliari senem, frequenter veniebat ad fratres, et maxime ad HESYCHIUM, quo ille vehementissime delectabatur. Quadam igitur die ciceris fascem virentis, sicut in herbis erat, detulit. Quem cum HESYCHIUS posuisset in mensa ad vesperum, exclamavit senex; se putorem ejus ferre non posse, simulque, unde esset, rogavit. Respondente autem HESYCHIO, quod frater quidam primitias agelli sui fratribus detulisset : Non sentis, inquit, putorem teterrimum, et in cicere fœtere avaritiam? Mitte bubus, mitte brutis animalibus, et vide si comedant. Quod cum ille juxta præceptum in præsepe posuisset, exterriti F boves et plus solito mugientes, ruptis vinculis in diversa fugerunt. *S. Hilarioni*

Hesychius gratissimus; 14 *Vices sancto seni non ingratus Discipulus reddidit : Hilarionem* Hesychius *venerabatur ut magistrum, diligebat ut patrem et quibuscumque poterat, colebat obsequiis : mutuam animorum conjunctionem fovit auxitque diuturnitas temporis. Etenim S. Hilarion jam sexagenario major, cum et monasterium suum insigniter auctum, et frequenti se alumnorum multitudine circumseptum videret, atque cujuslibet hominum generis concursum ferre non posset,* Flebat quotidie, *inquit Hieronymus,* et incredibili desiderio conversationis antiquæ recordabatur. *Hæ autem quotidianæ magistri lacrymæ piam discipulorum sollicitudinem excitarunt : itaque* interrogatus a fratribus, quid haberet, cur se conficeret, ait : Rursum ad seculum redii, et recipi mercedem meam in vita mea. En omnis Palæstina et vicinæ provinciæ æstimant me alicujus esse momenti, et ego sub prætextu monasterii ad dispensationem fratrum, villæ possessiones, et supellectilem habeo. *Fugam itaque meditari senem, haud erat obscurum : at tam carum sibi pignus eripi nolebant discipuli, nolebat vero* Hesychius *maxime.* Servabatur ergo intente a fratribus, maximeque ab HESYCHIO, qui miro amore venerationi senis deditus erat. Hesychium *autem ea cura biennio tenuit, cum*

AUCTORE J. B.

cum tandem, remotis quibuscumque repagulis, Hilarion, comite Hesychio *Achate suo, peregrinationes suas exorsus est, ut cap.* 24 *legitur.*

quem e Palæstina

13 *Primum utriusque iter cap.* 24 *his verbis describit Hieronymus :* At ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur, in tantum, ut quadam die proficisci statuerit : et adducto asello (nimis quippe exesus jejuniis vix ingredi poterat) iter arripere conaretur. Quod cum percrebuisset, et quasi vastitas et exitium Palæstinæ indiceretur, plus quam decem millia hominum diversæ ætatis et sexus ad retinendum eum congregata sunt. Immobilis ille (*S. Hilarion*) ad preces, et bacillo arenas discutiens, loquebatur : Fallacem Deum meum non facio : nec possum videre subversas ecclesias, calcata Christi altaria, filiorum meorum sanguinem. Universi autem, qui aderant, intelligebant, revelatum ei quiddam esse secreti, quod nollet confiteri : et nihilominus custodiebant eum, ne proficisceretur. Decrevit ergo, publica omnes voce contestans, non cibi se, non potus quidquam sumere, nisi dimitteretur. Et post septem dies, inediæ tandem causa relaxatus, ac valedicens plurimis, cum infinito agmine prosequentium venit Betheliam : ubi persuasis turbis, ut reverterentur, elegit quadraginta monachos, qui haberent viaticum, et possent jejunantes ingredi, id est, post solis occasum cibum
B sumere. Quinto igitur die venit Pelusium, visitatisque fratribus, qui in vicina eremo erant, et in loco, qui dicitur Lychnos, morabantur, perrexit triduo ad castrum Thebatum, ut videret Dracontium episcopum et confessorem, qui ibi exulabat. Quo incredibiliter consolato tanti viri præsentia, post aliud triduum multo labore Babylonem pervenit, ut inviseret Philonem episcopum et ipsum confessorem. Constantius enim rex, Arianorum favens hæresi, utrumque in ea loca deportaverat.

abeuntem

16 Inde egredięns post biduum venit ad oppidum Aphroditon : ubi convento diacono Baisane, qui locatis dromadibus camelis, ob aquæ in eremo penuriam consueverat euntes ad Antonium ducere, confessus est fratribus, instare diem dormitionis beati Antonii; et pervigilem noctem in ipso, quo defunctus fuerat, loco, a se illi debere celebrari. Tribus igitur diebus per vastam et horribilem solitudinem tandem ad montem altissimum pervenerunt, repertis ibi duobus monachis, Isaac et Pelusiano, quorum Isaac interpres Antonii fuerat. *Post hæc Hieronymus S. Antonii habitaculum brevi sermone describit : interim et ego hic tantisper subsisto, et oculos in ea, quæ sunt superius recitata, reflecto. Betheliam primo magno hominum numero comitatus*
C *advenit : Betheliam vero, agens de majoribus suis, Sozomenus lib.* v *cap.* 15 *ita delineat.* Nam cum patre gentili natus esset (*Sozomeni avus*) ipse tamen cum universa domo, omnesque simul, qui ex gente erant Alaphionis, primi fidem Christi susceperunt Betheliæ : qui vicus est Gazæorum, abundans incolarum multitudine; templaque habet tum ob vetustatem, tum ob structuram, indigenis veneranda : præcipue vero Pantheon, colli cuidam manufacto, velut arci impositum, et supra universum pagum undequaque eminens. *Apud Sozomenum Græce* ἐν βηθελίᾳ *legitur : antiqua autem S. Hilarionis per S. Hieronymum Vitæ editio habet* Bethirium, *teste Rosweydo.*

et Ægyptum peragrantem

17 *Inde Hilarion sese cum* 40 *monachis, inter quos probabilius etiam* S. Hesychius *fuit, Pelusium contulit : urbs Ægypti est ad Nili ostium sita, e cujus ruinis, teste Baudrando, in adversa Nili Pelusiaci ripa Damiata crevit, quamque proinde cum Pelusio a recentioribus ait non raro male confundi. Locum vero, qui* Lychnos *dicitur, haud procul Pelusio dissitum fuisse, me tacente, contextus ipse declarat. Inde Dracontium episcopum et confessorem adiit in castro Thebato exsulantem.* Thaubasium *Ortelius Tab.* 37 *vocat, et medio ferme itinere collocat Pelusium inter et Babylonem, Ægypti urbem olim primariam, a cujus ruderibus hodierna Cairus haud procul abest. Dracontius vero minoris Hermopoleos in prima Ægypto e monacho episcopus fuisse creditur, nec ab* D *illo alius, quem S. Athanasius ab Arianorum fautore Constantio una cum pluribus aliis Ægypti Libyæque antistitibus in exsilium pulsum esse, scribit num.* 7 *Apologiæ de fuga sua. Sed et Philonis aliorumque multorum, quos Ariana impietas extorres fecit, ibidem Athanasius meminit. Babylone egressus cum Sociis Hilarion biduo post Aphroditon venit. Quatuor hujus nominis Ægypti urbes apud Ortelium tabula exhibet : prima est, quæ Babylone Meridiem versus progredienti ad Nili ripam occurrit : altera ultra oppositam Babyloni Nili ripam ad fluvium Athribiticum sita est : tertia haud longe a Ptolemaide, Thebaidis urbe maxima : quarta denique haud longe a Latopoli in eadem Thebaide dissita est. De harum prima Hieronymus hic intelligendus videtur. Hinc enim per Nomum seu præfecturam Aphroditopoliten Orientem versus declinando ad montem Troicum seu S. Antonii pervenitur, terminum nempe S. Hilarionis itineris : iter vero Babylone Aphroditon, quod juxta Athribin est, Septentrionem versus fere porrigitur : reliquarum autem nimia est a Babylone distantia, ut peragrari biduo possit. Videsis plura de situ montis S. Antonii tom. II Februarii pag.* 108 *et seq.*

usque in Oasim

18 Igitur reversus Aphroditon (*sic pergit Hieronymus S. Hilarionis peregrinationes describere*) duobus secum tantum retentis fratribus, in vicina E eremo moratus est : tanta abstinentia et silentio, ut tunc primum se cœpisse Christo servire diceret. *Editis aliquot ibidem prodigiis, Hilarion honoris vitandi causa* perrexit Alexandriam, inde ad ulteriorem Oasim eremum transiturus. Et quia numquam, ex quo cœperat esse monachus, in urbibus manserat, divertit ad quosdam fratres sibi notos in Bruchio, haud procul ab Alexandria : qui cum miro gaudio suscepissent senem, et jam vicina nox esset, repente audiunt discipulos ejus asinum sternere, illumque parare proficisci. Itaque advoluti pedibus ejus, rogabant, ne hoc faceret : et ante limen prostrati, citius se mori, quam tanto carere hospite, testabantur. Quibus ille respondit : Idcirco abire festino, ne vobis molestiam generem. Certe ex posterioribus cognoscetis, non frustra me subito recessisse. Igitur altera die Gazenses cum lictoribus præfecti (nam pridie eum venisse, cognoverant) intrantes monasterium, cum illum minime invenissent, invicem loquebantur : Nonne vera sunt, quæ audivimus? Magus est, et futura cognoscit. Urbs enim Gaza, postquam, profecto de Palæstina Hilarione, Julianus in imperium successerat, destructo monasterio ejus, precibus ad imperatorem datis, et Hilarionis et Hesychii mortem impetraverat : amboque ut quærerentur, toto orbe scriptum erat. F Egressus ergo de Bruchio, per inviam solitudinem intravit Oasim, ibique anno plus minus exacto, quia illuc quoque sui fama prævenerat, quasi jam in Oriente latere non posset, ubi multi illum et opinione et vultu noverant, ad solas navigare insulas cogitabat : ut quem terra vulgaverat, saltem maria celarent.

comitatur; et inde Majumam redit.

19 *Binos illos fratres, quos in vicina Aphroditopoli eremo secum esse voluit Hilarion, arbitror fuisse* S. Hesychium *et Zananum :* S. Hesychium *quidem, quia is, quantum ex posterioribus apparet, S. Hilarioni in Bruchio comes fuit, cum ad necem uterque a Gazensibus quærebatur. Zananum vero, quia hic et quidem, quantum apparet, solus una cum Hilarione ex Oasi in Siciliam aliquanto post navigasse dicitur cap.* 30 : Habens igitur senex Zananum secum, ascendit classem, quæ Siciliam navigabat. *Sub idem verisimiliter tempus, cum jam Juliano Jovianus melior princeps successisset in imperio,* S. Hesychius *ad visitandas colligendasque veteris prope Majumam monasterii reliquias in Palæstinam remeavit, ad magistrum, ubicumque terrarum futurus esset, postliminio rediturus. Alexandriam celebre Ægypti emporium lib.* XVII *Geographiæ late describit Strabo : de Bruchio apud Rosweydum in Onomastico in Vitas Patrum sic scribit Eusebius in Chronico anno* 1 *Claudii ante Aurelianum :* Alexandriæ Bruchium,

A chium, quod per multos annos fuerat obsessum, tandem destruitur. *Ammianus lib.* XX : Alexandria.... amisit regionum maximam partem, quæ Bruchion appellatur, diuturnum præstantium hominum domicilium. *Addit ex Epiphanio lib. de Ponderibus et Mensuris, locum hunc Bibliotheca a Philadelpho structa fuisse insignem. Oasis autem, in qua cum* S. Hesychio *aliquamdiu commoratus est, inter Ægypti solitudines, Baronio teste in Notis in Martyrologium Romanum ad diem* 12 *Junii, non postrema est, sanctorum juxta ac facinorosorum hominum exsilio celebris. Duplex est Major et Minor; quibus et tertiam, sed a prioribus sejunctam, superaddunt aliqui. Hanc Majoris descriptionem ex Zosimo lib.* V *Baronius affert :* Is erat locus insigniter sterilis, a quo nemo posset evadere, qui deportaretur : nam terra in medio arenosa, et vasta prorsus et inhabitata notitiam tendentibus huc omnem adimit : partim quod venti arena vestigia compleant et aboleant : partim quod nec arbor ulla, nec domicilium sit, quæ indicium aliquod inter facientibus ad conjecturam relinquere possint. Eadem, *inquit Baronius,* solitudo S. Hilarionis præsentia, qui tempore Juliani apostatæ illic annum egit, est clarior reddita : sed postea exilio impii Nestorii, qui illuc est relegatus, est infamis

B effecta.

deinde ad magistrum in Sicilia jam commorantem reversus,

20 *Dixi, S. Hilarionem cum* S. Hesychio *in Oasi commoratum esse aliquamdiu, id est, anno minus. Hunc enim in Palæstinam regressum Hilarionis in Siciliam discessus latuisse videtur : uti colligitur ex cap.* 32. Dum hæc geruntur in Sicilia, Hesychius discipulus ejus toto senem orbe quæreret, lustrans littora, deserta penetrans : et hanc tantum habens fiduciam, quia, ubicumque esset, diu latere non posset. Transacto igitur jam triennio, audivit Methonæ a quodam Judæo, vilia populis scruta vendente, prophetam Christianorum apparuisse in Sicilia, tanta miracula et signa facientem, ut de veteribus Sanctis putaretur. Interrogans itaque habitum ejus, incessum et linguam, maximeque ætatem, nihil discere potuit. Ille enim, qui referebat, famam ad se venisse tantum hominis, testabatur. Ingressus igitur Adriam, prospero cursu venit Pachynum, et in quadam curvi littoris villula famam senis sciscitatus, consona voce omnium cognovit, ubi esset, quid ageret : nihil in eo ita cunctis admirantibus, quam quod post tanta signa, ne fragmen quidem panis a quoquam in illis locis accepisset. *Vide, quo magistrum amore prosequeretur* Hesychius, *cujus revisendi gratia tanta terrarum spatia emensus est. Post lustrata Mediterranei maris littora bene multa, tandem Methonem attigit, maritimam Peloponesi urbem, qua adversam sibi Siciliam*

C *respicit. Hinc, trajecto Adriatico mari, amplissimo maris Meditterranei sinu inter Græciam, Illyricum, Italiamque extenso, qui hodie sinus Venetus audit, Pachynum in extrema Sicilia, qua in Græciam vergit, promontorium petiit; unde rursum profectus, vigesimo tandem a mari milliari optatissimi senis aspectu recreatus est.*

una cum illo Cyprum petit.

21 *At dudum quieto esse non licuit; mox enim alio migrandum fuit.* Et ne longum faciam, *inquit Hieronymus cap.* 33, sanctus vir Hesychius ad magistri genua provolutus, plantasque ejus lacrymis rigans, tandem ab eo sublevatus, post bidui triduique sermonem audit a Zanano, non posse senem jam in illis habitare regionibus, sed velle ad barbaras quasdam pergere nationes, ubi et nomen et sermo ejus ignotus foret. Duxit itaque illum ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, *emenso alteris vicibus Adriatico mari. Aerem mutare S. Hilarion potuit, at non beneficum mortalibus animum : Dalmatiam prodigiorum ejus fama brevi replevit.* Quod intelligens senex, *inquit Hieronymus cap.* 34, in brevi lembo clam nocte fugit, et inventa post biduum oneraria navi, perrexit Cyprum, *Asiæ in mari Mediterraneo notissimam insulam. Narrat Sozomenus lib.* V *cap.* 10, *S. Hilarionem, a Cypri episcopo invitatum, domicilium fixisse in loco, qui*

Χαρβυρις *dicitur, secundo, auctore Hieronymo cap.* 33, *lapide ab urbe Papho : veterine, an nova? Veterem innuunt hæc S. Hieronymi verba :* Ingressus ergo Paphum urbem Cypri, nobilem carminibus Poetarum, quæ frequenti terræ motu lapsa, nunc ruinarum tantum vestigiis, quid olim fuerit, ostendit. *De hac Seneca Epist.* 91 : Cyprum quoties vastavit hæc clades? quoties in se Paphus corruit? *Item Dion Cassius ad annum U. C.* DCCXXXIX : Paphiis, terræ motu afflictis, pecunias largitus est (*Augustus*) urbemque edicto appellari Augustam jussit. *Hujus urbis episcopus Cyrillus anno* 325 *concilio Nicæno, et Julius anno* 381 *Constantinopolitano subscripsere. Hujus etiam episcopus fuisse videtur, qui S. Hilarionem invitavit. Sic enim scribit Isidorus, Orig. lib.* XIV *cap.* 6 : Cyprus insula a civitate Cypro, quæ in ea est, nomen accepit. Ipsa est et Paphos, Veneri consecrata. AUCTORE J. B.

22 *Reliqua* S. Hesychii *gesta usque ad S. Hilarionis obitum, ejusque in Palæstinam reportatas ab* Hesychio *exuvias S. Hieronymus absolvit his verbis :* Manens itaque (*in Cypro Hilarion*) biennio et semper de fuga cogitans, Hesychium ad se veris tempore reversurum, Palæstinam ad salutationem fratrum, et monasterii sui cineres visendos misit. Qui cum revertisset, cupienti rursum ad Ægyptum navigare, hoc est, ad ea loca, quæ vocantur Bucolia D (locus hic erat apud Alexandriam juxta mare sub rupibus, *inquit Rosweydus in Onomastico, dictus Latine* Pastoralia, *in Vita S. Antonii*) eo quod nullus ibi Christianorum esset, sed barbara tantum et ferox natio, suasit, ut in ipsa magis insula ad secretiorem locum secederet. Quem cum diu lustrans omnia reperisset, perduxit eum duodecim millibus a mari procul inter secretos asperosque montes, et quo vix reptando manibus genubusque posset ascendi. Qui introgressus, contemplatus quidem est terribilem valde et remotum locum, arboribus hinc inde circumdatum, habentem etiam aquas de supercilio collis irriguas, et hortulum peramœnum, et pomaria plurima, quorum tamen fructum numquam in cibum sumpsit : juxta quem erat antiquissimi templi ruina, ex quo (ut ipse referebat, et ejus discipuli testantur) tam innumerabilium per noctes et dies dæmonum voces resonabant, ut exercitum crederes. Quo ille valde delectatus, quod scilicet antagonistas haberet in proximo, habitavit ibi per annos quinque : et sæpe invisente se Hesychio, in hoc extremo jam vitæ suæ tempore refocillatus est, quod propter asperitatem difficultatemque loci, et umbrarum (ut ferebatur vulgo) multitudinem, aut nullus aut rarus ad se vel posset vel auderet ascendere. E

Ab Hilarione Majumam, Majuma ad Hilarionem

ultro citroque commeat, defunctique exuvias in Palæstinam defert;

23 Quodam autem die egressus hortulum, vidit hominem toto corpore paralyticum, jacentem ante fores. Interrogavitque Hesychium, quisnam esset, et quomodo fuisset adductus. Qui respondens, ait : procuratorem eum fuisse villulæ, ad quem hortulus quoque, in quo ipsi erant, pertineret. Et ille collachrymans, tendensque ad jacentem manum : Tibi, inquit, dico, In nomine Domini nostri Jesu Christi surge et ambula. Mira velocitas! Adhuc verba in ore loquentis volvebantur, et jam membra solidata ad standum hominem surrigebant..... Igitur octogesimo ætatis suæ anno, cum absens esset Hesychius, quasi testamenti vice brevem manu propria scripsit epistolam, omnes divitias suas ei derelinquens. Euangelium scilicet, et tunicam saccineam, cucullam et palliolum. Nam minister ejus ante paucos dies obierat... Jamque modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quidquam vivi hominis supererat, et tamen apertis oculis loquebatur : Egredere, quid times? Egredere, anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times? In hæc verba exhalavit spiritum. Statimque humo obrutum, ante urbi sepultum, quam mortuum nuntiaverunt. Quod postquam Palæstinæ sanctus vir audivit Hesychius, perrexit ad Cyprum, et simulans, se velle habitare in eodem hortulo, ut dili-

AUCTORE J. B.

gentis custodiæ suspicionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ suæ periculo post decem ferme menses corpus ejus furatus est. Quod Majumam deferens, totis monachorum et oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio condidit, illæsa tunica, cucullo et pallio : et toto corpore, quasi adhuc viveret, integro : tantisque fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putaretur.

a quo tunica testamenti loco donatus fuerat.

24 *Duobus posterioribus numeris vix aliquid occurrit, quod explicatione indigeat : quærere tamen quis posset, qui S. Hilarion tunicam saccineam et cucullam* S. Hesychio *legarit, jusseritque nihilominus, ut se, sicut erat, vestitum discipuli traderent sepulturæ? Sed res in aperto est : non enim, ut propriæ* S. Hesychio *vestes, sed Zanani ministri sui paulo ante defuncti traderentur, scripto cavit; ut, quæ sequuntur, verba satis aperte innuunt.* Nam minister ejus ante paucos dies obierat. *Tunicam cucullam, ceteraque monachorum Orientalium indumenta luculente descripta habes tom. II Januarii ad diem* 17 *ejusdem mensis in Commentario prævio ad Vitam S. Antonii num.* 66 *et sequentibus. Qua victus ratione modoque usus sit* S. Hesychius, *quibus, cum mentis, tum corporis exercitationibus, e Vita S. Antonii, aliorumque id temporis monachorum sanctitate florentium, maxime e S. Hilarionis magistri sui, cui* S. Hesychium *in omnibus consensisse, Sozomenus scribit, colligi debet. Aut, si lubet, consule Acta nostra eo, quem proxime citavi, loco, ubi hæc universim descripta invenies. Legi etiam potest Bivarius de Veteri Monachatu et regulis monasticis lib.* IV *cap.* 1. De monachatus S. Hilarionis in Palæstinam inducti institutis, regimine et progressu. *Præfueritne a morte S. Hilarionis Majumensi monasterio* S. Hesychius, *nullibi litteris proditum novi. Negat Bivarius num.* 14, *quod is, translato Majumam magistri corpore, in Hispaniam secessit, sedemque Toletanam administravit : sed hæc aliaque non moror, quia vel falsa vel certe prorsus incerta.*

B

Fertur etiam 70 *interpretum*

25 *Omittenda tamen non autumo, quæ de* S. Hesychio *Marcus Antonius Alegre de Casanate ad annum Christi* 360 *tradit. Ita habet :* Vir fuit Græco elegantissimus axiomate, divinæque paginæ indagator indefessus : novam Græcam translationem utriusque Testamenti publicavit, partim a se, de septuaginta interpretibus in Veteri Testamento correctam : partim vero proprio marte in novo, ad vetustam fidem reductam. *Hesychium quemdam depravatam jam* 70 *interpretum editionem in integrum restituere conatum esse, S. Hieronymus lib.* II *Apologiæ adversus Rufinum palam facit his verbis :* Alexandria et Ægyptus in septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. *Subdit et alterum, qui eodem operam contulit :* Constantinopolis usque ad Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat. *Nec his antiquiorem Origenem siluit :* Mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt. *Hesychium ab Hieronymo laudatum, Hilarionis esse discipulum, nescio, unde concludat laudatus Alegre.* Scimus, *inquit,* esse quosdam, qui translationem istam Hesychio, Hierosolymitano presbytero, tribuunt, quem Nicephorus sub Juniore Theodosio floruisse, testatur; sed nobis non arridet sententia : cum S. Hieronymus Hesychianam editionem istam, omnibus per Alexandriam et Ægyptum ecclesiis, suo tempore, scilicet sub Seniore imperante Theodosio, fuisse scribat usitatam. *Sed esto; fuerit jam inde a Theodosii Senioris ætate, nondum scilicet florente Hesychio, Hierosolymitano presbytero, trita Alexandrinorum Ægyptiorumque manibus Hesychii* 70 *interpretum editio : quo pacto inde efficitur, Hesychium hunc S. Hilarionis fuisse discipulum?*

C

editionem adornasse;

26 *Nonne enim Eusebius lib.* VIII *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 13, *et vel ipse, quem citat, Nicephorus lib.* VII *cap.* 16 *alterius Hesychii Ægyptii antistitis, cujus sub Galerio Maximiano martyrium contigit, ut ad diem* 26 *Novembris notat Martyrologium Romanum, meminerunt? Quid autem obest, quo minus illi usitata apud Alexandrinos et Ægyptios* 70 *interpretum versio tribuatur? Certe in ea opinione Baronius est ad annum Christi* 306, *eaque non improbabili. Nam* præter hunc nemo, *inquit Baronius,* ejus nominis in Ægypto celebris reperitur, *puta Hieronymo antiquior. Deinde Lucianus martyr, alter* 70 *interpretum editor, sub initium sæculi* IV *sublatus e vivis est : credibile autem est, circa idem tempus, quo hic pro Constantinopolitanis novam* 70 *editionem elaboravit, suam quoque pro Alexandrinis elaborasse Hesychium. Tertio cum Hesychianam editionem in usu fuisse, scribit Hieronymus, de usu jam antiquitatis aliquid saltem adepto, non de recens inchoato intelligendus videtur. Jam vero* S. Hesychius *noster, quantum quidem ex Hieronymo colligere licet, Hilarioni aut monasteria visitanti, aut alio atque alio identidem peregrinanti comes fuit pene individuus; atque adeo non ante obitum S. Hilarionis, id est, non ante annum* 371 *lucubrationem suam videtur aggressus; si tamen re ipsa id præstitit. Adde, editionem ejus, si quæ exstiterit, verisimiliter non statim, ut lucem vidit, sed paulatim ab Ægyptiis fuisse receptam. E quibus fit, ut in hac hypothesi non nisi senescente sæculo* IV *Hesychianæ editionis usus passim invaluisse videatur. Hesychii autem S. Hieronymus meminit in Præfatione in libros Paralipomenon, quos anno* 396 *exaravit.*

D

E

verum id minime certum.

27 *Memoratus supra Paradisi Carmelitici decoris auctor neminem quidem dictorum suorum testem adducit, præter antiquum sui Ordinis Chronicon : quod ad Sanctæ Scripturæ editionem ab* Hesychio, *S. Hilarionis discipulo, elaboratam attinet, id totum ex Sixti Senensis Bibliotheca sancta ad verbum pene descripsit : ita enim ille :* Vir Græcæ linguæ peritissimus et divinarum Scripturarum lector assiduus, novam Græcam translationem totius Scripturæ publicavit, partim a se de LXX interpretibus in Veteri Testamento emendatam, partim vero propria industria in Novo Testamento ad antiquam fidem restitutam. Sunt, qui eamdem hanc translationem tribuant Hesychio Hierosolymitano presbytero, viro doctissimo, quem Nicephorus temporibus Theodosii Junioris floruisse, scribit. Quod mihi non videtur verisimile, cum Hieronymus scribat, hanc Hesychianam editionem omnibus per Alexandriam et Ægyptum ecclesiis tempore suo, hoc est, Theodosio Seniore imperante, fuisse usitatam. *Idem quoque de* S. Hesychio *nostro, teste Lezana in Annalibus Carmelitarum ab anno Christi* 319 *usque ad* 325, *scripsit Emmanuel Romanus. Suum ea de re judicium Lezana ibi non exprimit, nec scio, an alibi. Ceterum et Baronius suos habet sequaces; quorum, quamquam certam non rear esse sententiam, facit tamen illa, ut editionem, de qua S. Hieronymus,* Hesychii *nostri esse, non audeam asserere.*

F

§ III. S. Hesychii gesta suis annis innectuntur.

S. Hesychii

Cum *annus lateat nati defunctique* S. Hesychii, *solumque ex Hieronymo atque Sozomeno compertum habeatur, rediisse eum ab obitu S. Hilarionis in Palæstinam, Majumæque vitam duxisse monasticam, rerum ab illo gestarum ordo, e S. Hilarionis Vita petenda est. Hujus autem chronotaxis ex eo potissimum capite colligi debet, quod sexagesimum quintum numeraverit ætatis suæ annum, ut ex Hieronymo in Hilarionis Vita cap.* 23 *et* 24 *apud Rosweydum colligere licet, cum e vivis excessit S. Antonius, quod anno Domini* 356 *contigisse ostenditur apud nos tom. II Januarii pag.* 110. *Hinc S. Hilarionem, qui non annum* 90, *ut Menologium Basilianum apud Ughellum perperam habet, sed annum dumtaxat* 80 *ætatis attigit, obiisse deducunt alii anno* 372, *alii* 371; *atque adeo natalem ejus illigant hi quidem anno Domini* 291, *illi vero* 292, *quod ad diem* 21 *Octobris, cum de S. Hilarione agetur, discuti poterit. Ad annum Domini* 372 *vitam produxisse, ad* 12 *Maji pag.*

A *pag.* 38, *Papebrochius scripsit. Baronium tomo II Annalium Carmelitarum ad annum Christi* 336 *Lezana carpit, quod ad hunc annum in Annalibus suis scripserit, annorum sexaginta trium fuisse Hilarionem, moriente S. Antonio, doletque,* quod tam egregius auctor in re manifesta defecerit : *at Baronium correxisse hunc suum errorem; Lezanæ diligentiam latuit. Tomo IV Annalium ad annum Christi* 372 *num.* 107 *sic habet :* Ex cujus (*Hieronymi*) etiam testificatione colligitur, eumdem (*Hilarionem*) hoc ipso anno ex hac vita discessisse, si quidem ipsum tempore obitus Antonii Magni, qui contigit anno vigesimo primo (*imo decimo nono secundum Rosweydum in Præludiis ad Vitam S. Antonii*) Constantii imperatoris (hic est annus Domini trecentesimus quinquagesimus octavus, *vel potius sextus*) egisse annum ætatis sexagesimum quintum tradit. *His igitur ita constitutis, Hesychianam chronotaxim ordiamur.*

gesta, 29 Necdum, *inquit S. Hieronymus,* tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachum ante sanctum Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator et eruditor hujus conversationis et studii in hac provincia primum fuit. *Hunc forte e primis* S. Hesychius *secutus est. Nequit quidem hujus ad illum accessus epocha accurate definiri; inter annum*
B *tamen* 328 *et* 334 *figenda videtur. Etenim ex cap.* 22 *et sequentis initio liquet,* S. Hesychium *magistro suo in amoribus fuisse, priusquam hic annum sexagesimum tertium ætatis impleverat, hic autem annus cum anno Domini* 334 *concurrebat. Porro Hilarion* 15 *erat annorum, cum solitudinem ingressus est, in eaque* 22 *habebat annos, id est, universim* 37, *cum prodigiis clarere cœpit, discipulisque augeri; qui additi natali ejus* 291 *vel* 292 *annos efficient saltem* 328. *Exinde* S. Hesychius, *nimirum ab anno* 334, *sedulo cavit, ut ne multitudinis honorisque pertæsus Hilarion, clam aufugeret alio, quod senem meditari probe perspexerat, donec abeuntem in Ægyptum comitatus est. Annum, quo id contigit, non eodem modo auctores supputant. Baronius quidem ad annum* 336 *num.* 48 *Hilarionis in Ægyptum fugam anno,* qui sequitur Antonii obitum, *innectit.*

ex Hieronymo in vita S. Hilarionis 30 *Obiit autem secundum Baronium S. Antonius anno* 338 : *quare ex illius mente Hilarion in Ægyptum abiit anno* 339. *Rosweydus in Notis ad Hilarionis Vitam, anno* 338 *id contigisse, contendit; triennio scilicet a morte S. Antonii, quam anno* 335 *adscribit. Henschenius tom. II Januarii in Commentario ad Vitam S. Antonii prævio num.* 57, *uti et Papebrochius tom. III Maji de S. Epiphanio num.* 11
C *Commentarii prævii Rosweydo adstipulantur quantum ad triennium, quod inter Antonii obitum et Hilarionis e Palæstina discessum intercessit: at cum uterque S. Antonii obitum ad annum* 356 *referat, Hilarionis in Ægyptum peregrinationi annum Christi* 339 *assignat; quibus equidem præ Baronio favet Hieronymiana narratio : nam, descripto cap.* 23 *et* 26 *Hilarionis ad montem S. Antonii accessu, ipsiusque montis situ, mox capite* 27 *ita prosequitur Hieronymus :* Igitur reversus Aphroditon, duobus secum tantum retentis fratribus, in vicina eremo moratus est : tanta abstinentia et silentio, ut tunc primum se cœpisse Christo servire diceret. Porro jam triennium erat, quo clausum cælum terras illas arefecerat; ut vulgo dicerent, Antonii mortem etiam elementa lugere. *Subdit dein, Hilarionem, Aphroditanorum accolarum calamitate motum, extum suis precibus reserasse, pluviamque arentibus terris impetrasse. Ad montem S. Antonii, teste Hieronymo, Hilarion perrexerat diem ejus natalem illic celebraturus; qui cum incidat in diem* 17 *Januarii, principio anni* 339, *in monte S. Antonii cum* Hesychio *Hilarion versatus est, deductisque diebus circiter* 17, *quos itineri, priusquam illuc adventaret, impendit, sub finem anni* 338 *vel sequentis initium in viam sese dedisse, dicendus est. Sed alio pergentem cum S. Hilarione* Hesychium *prosequamur.*

31 *S. Hilarionem Aphrodito in Bruchium haud procul ab Alexandria abiisse, inde in Oasim mox migraturum, ibique summum vitæ evasisse discrimen, atque postridie discessus sui una cum* Hesychio *morte plectendum a Gazensibus fuisse quæsitum, ex Hieronymo num.* 18 *retuli. Contigit id vel circa finem anni* 361 *vel certe anno proxime sequenti. Anno enim* 361 *ad finem vergente, vivere Constantius imperator desiit, eique eodem anno Julianus apostata successit, a quo Gazenses Hilarionis et* Hesychii *mortem, si forte alicubi deprehenderentur, impetraverant. Defunctus isto periculo* Hesychius *in Palæstinam abiit. Cum enim in Siciliam navigavit Hilarion, occiso jam anno* 363 *die* 26 *Julii Juliano, socium itineris, præter Zananum, habuit neminem :* Hesychius *vero cum triennio circiter post ad Hilarionem reverti volebat, ubi terrarum esset, ignorabat. Triennio post, seu anno* 365, *diu multumque quæsitum Hilarionem* Hesychius *in Sicilia non sine gaudio reperit, brevique in ea insula exacto temporis spatio, ad Epidaurum duxit Dalmatiæ oppidum. Jam enim in Dalmatiam pervenerant, cum ingens ille terræmotus exortus est, quem paucis ita describit Hieronymus cap.* 33 *:* Ea tempestate terræ motu totius orbis, qui post Juliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos: et quasi rursum Deus diluvium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naves ad prærupta E
delatæ montium pependerunt.

32 *Eumdem terræ motum Sozomenus lib.* VI *cap.* 2 *quibus annis ita refert :* Atque ut ex iis, quæ auditione accepi, conjecturam facio, vel eo imperante, vel certe cæsaris dignitatem adhuc obtinente, clades illa Alexandrinis in Ægypto contigit : tunc cum mare, quod recesserat, iterum subito impetu revertens, extra proprios terminos excessit, et continentem longe lateque inundavit : adeo ut post recessum maris super tectis domorum reperta sint navigia. Alexandrini certe eum diem, quo hæc contigerunt, quem etiam natalem terræmotus appellant, ad nostram usque memoriam quotannis festum agunt. *Sed male adjunxit :* Et hæc quidem Juliani temporibus evenerunt. *Annum illius lib.* 26 *cap.* 10 *Ammianus verius definit.* Hoc, *inquit,* novatore (*Procopio*) adhuc superstite, cujus actus multiplices docuimus et interitum, diem duodecimum Kal. Augustas, consule Valentiniano primum cum fratre, horrendi terrores per omnem orbis ambitum grassati sunt subito, quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt, *ejusque deinde calamitates graphice depingit. Annus autem, quo primum consules fuere Valentinianus et Valens, fuit Christi* 365. *Valentiniani vero secundus, qui anno* 364 *sub finem Februarii, teste eodem Ammiano, ab*
F *exercitu salutatus est imperator. Eumdem quoque annum Hieronymus assignavit in Chronico : discrepat quidem in anno Christi Eusebius, sed fatalem Joviano annum totum illi adscripsit, sequentem vero tamquam Valentiniani primum numeravit. Ammiano Idatius Marcellinusque consentiunt.*

probabiliter contigerint, 33 *Utilis admodum Epidauritanis S. Hilarionis præsentia fuit : ne enim eorum oppidum frementibus maris fluctibus subverteretur funditus, triplici, quod sabulo inscripsit, crucis signo effecit. Jamque hujus prodigii fama per Dalmatiam longe lateque dispersa erat, cum inde rursus clam noctu aufugiens in Cyprum abiit, et apud Paphum domicilium fixit. Substitit eo loco biennium, et* Hesychium *interea anno* 366, *tempore veris anni proxime sequentis ad se reversurum, in* Palæstinam ad salutationem fratrum et monasterii sui cineres visendos misit : *reducis anno* 367 Hesychii *suasu in secretiorem insulæ locum secessit, ibique quinto post anno, Christi* 371 *vel* 372, *probabiliter* 21 *Octobris (hic enim dies jam inde a sæculo* VIII, *ut ex Beda patet, ejus memoriæ consecratus est) mortalem vitam cum immortali commutavit. Frequens illi extremo hoc vitæ ejus tempore* Hesychius *aderat; cum tamen e vita discessit, denuo in Palæstinam* Hesychius *arripuerat iter : huic ergo Hilarion tunicam, cucullam et palliolum defuncti paulo ante Zanani quasi testamento reliquit. Ut vero Hilarionis*

AUCTORE J. B. *hactenus descripta,*

AUCTORE J. B.

Hilarionis obitum audivit Hesychius, *in Cyprum rediit, atque post menses fere decem ablatum clam Hilarionis corpus in Palæstinam detulit, Majumæque condidit anno* 372 *vel* 373. *Quæ hoc postremo* § *dicta sunt, in unum collecta, quam subjicio, synopsis exhibet.*

explicatur. 34 S. Hesychius *nascitur anno incerto sub initium sæculi* IV *vel finem* III.

Amplectitur vitam monasticam sub S. Hilarione probabiliter nec citius anno 328, *nec serius* 334 *Majumæ in Palæstina.*

Adhibet omnem curam ab anno 334, *saltem usque ad annum* 336, *ne clam aufugiat Hilarion.*

Comitatur Hilarionem in Ægyptum anno 339 *aut certe circiter.*

Migrat in Oasin et cum Hilarione capitis periculum subit anno 361 *vel* 362 : *indeque in Palæstinam abit, degentes Majumæ fratres invisurus.* D

Invenit post multum, cum viæ, tum laboris S. Hilarionem in Sicilia, ducitque in Dalmatiam primo, deinde in Cyprum anno 363.

Missus hinc alteris vicibus ab Hilarione in Palæstinam ad visitandas antiqui monasterii reliquias, ad Hilarionem apud Paphum morantem redit anno 367, *suadetque magistro, ne Cyprum deserat, sed secretiorem potius in eadem insula locum deligat.*

Hæres scribitur ab Hilarione anno 371 *vel* 372, *ejusque demortui exuvias e Cypro in Palæstinam defert anno* 372 *vel* 373, *et terræ honorifice mandat Majumæ, vitamque monasticam profiteri pergit. Cum porro lateat, quamdiu deinceps in vivis* Hesychius *fuerit, annum* 373 *initio Commentarii adscripsi, veluti illum, quo postremum floruisse, certius scitur.*

DE S. MENNA SEU MANNA V.

FONTANETI IN LOTHARINGIA.

J. B

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B

§ 1. S. Mennæ Acta et natales. E

SUB FINEM SÆCULI IV. *S. Menna, cujus Acta aliaque monumenta,*

Quod usu venire solet Sanctorum Actis, quorum res gestæ longo ab eorum obitu intervallo, et pene deleta temporis diuturnitate earum memoria, posteritati transmittuntur, nimirum ut Actorum illorum sin minus præcipua capita, varia certe adjuncta in dubio plerumque versentur, et fidem integram certamque apud eruditos non inveniant, id æque S. Mannæ *seu* Mennæ *Actis accidisse, videmus.* S. Mennæ *Vitam, cui initium :* Clemens mundi Reparator, *ad nos olim a P. Chiffletio missam fuisse, in Catalogis nostris reperi, Vitam vero ipsam invenire nusquam potui : incidi tamen in illius, quantum quidem apparet, Fragmentum aliquod, cui hæc subscripta leguntur :* Presbyter de Pusieux Joannes Reginaldus le Petit testatur, hæc descripta esse ex codice vetustissimo manu picto, in multis lacerato, antiquitate sua, usu temporum, hominumque injuria ut plurimum obscuro. *Descripsit illud P. Papebrochius ex apographo, quod ad P. Sirmondum miserat subscriptus Fragmento presbyter. At quantæcumque codex ille præ se ferat antiquitatis indicia, is tamen est, qui* S. Mennæ *ætate sit longe posterior.*

C *Superiore vero sæculo* S. Mennæ *historiam Gallice typis edidit Joannes Ruyr, San-Deodatensis ecclesiæ cantor atque canonicus, part.* III *lib.* I. *Antiquitatum Vosagi cap.* 21 *partim ex antiqua (idem enim, quod mox memoratæ* S. Mennæ *Vitæ, Ruyrianæ narrationi exordium est)* S. Mennæ *Vita Ms. e Portu suavi accepta, partim ex Ruperto abbate Tuitiensi, quibus ecclesiæ Liberdunensis manuscripta accesserunt; adeo ut amissæ apud nos* S. Mennæ *Vitæ jacturam Ruyrius, laudatumque Fragmentum utcumque resarciant.*

quæ de illa meminerunt, 2 *Rupertus* S. Mennam *ejusque germanos fratres et sorores obiter attigit in Vita S. Eliphii martyris, quæ apud Surium est ad diem* 16 *Octobris, sæculo duodecimo, Albani S. Martini Coloniæ Agrippinensis abbatis rogatu conscripta. Facem Ruperto prætulit auctor quidam anonymus, qui* primus, *Rupertique temporibus* longe anterior, *S. Eliphii res gestas persecutus est : præter hunc, quem consuleret, Rupertus non habuit. Simplex nimis et subobscura Benedictinis Patribus anonymi videbatur oratio; eaque de causa Rupertum impulerunt, ut sancti martyris, cujus reliquias possidebant, res gestas comptiore et clariore stylo recuderet. Periisse anonymi lucubrationem, Tillemontius Nota* 12 *in persecutionem Juliani et Bailletus in Tabula critica Auctorum et Actorum mensi Octobri præfixa videntur innuere : sed, mea quidem sententia, perperam : quamquam enim Rupertus antiquiora S. Eliphii Acta non parum immutarit, sunt tamen nonnulla, quæ ipsissimis anonymi verbis expressit : nimirum hæc, quæ tamquam anonymi citat :* Considera, cæsar, quia tibi et nomini tuo non prospera, sed adversa prophetat, et sine ullo tui timore contra tuam potentiam audacter rebellat : *item hæc :* Eliphi (*sic Julianum sancto Martyri extrema minitantem inducit anonymus*) quare deos dissipasti et incantationibus nefariis ad nihilum deduxisti? Nisi meo obtemperes præcepto et renoves deos atque colas, quos minutatim confregisti, gladius meus caput tuum dividet particulatim. *Jam vero geminum habemus S. Eliphii Passionis exemplar, alterum e Ms. vetusto S. Viti in Gladbach descriptum et cum Ms. S. Maximini Treviris collatum, alterum e Ms. codice cœnobii S. Magni Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini ad pedem Pontis Ratisbonæ in Bavaria desumptum, quod utrumque eadem phrasi, verbisque, uno alterove demptis, iisdem refert tum delatoris calumnias, tum Juliani minas : quod sane argumento est, ipsam anonymi lucubrationem Ms. utroque contineri.*

3 *Admodum recens est, teste Tillemontio, S. Eliphii* *haud valde antiqua sunt,* *Vita, quod de ea, quam Rupertus scripsit, verissimum est : sed nec multum antiquitatis habet ea, cujus auctor* F *anonymus est, comparate ad* S. Mennæ *ætatem. Ea enim secundum anonymum Juliani apostatæ temporibus floruit : ille autem* S. Mennam *in loco, qui Porses dicitur, seu in Portu suavi conditam scribit. Cum itaque* S. Mennæ *corpus ad Portum suavem sub Brunone Tullensi episcopo ac summo deinde Pontifice, anno supra millesimum trigesimo sexto, ut in decursu videbitur, primum translatum sit, consequens est, ut ante hunc annum scriptum suum non elucubrarit anonymus, atque adeo sæculo tantum Rupertum ætate superarit, licet hic illum se longe antiquiorem nominarit. Neque tamen multo post scripsisse dicendus est, tum quod Rupertus, qui anno* 1137, *auctore Miræo, e vivis abiit, eum se longe antiquiorem nulla veri specie dicere alias potuisset, tum quod id suadeat codicis Ratisbonensis, cui S. Eliphii Vita inserta est, vetustas, quam* 700 *facile annorum esse, conjecit, quisquis tandem in Ratisbonensi apographo nostro locum, unde S. Eliphii Vitam accepimus, annotavit. Porro cum idem quoque de* S. Menna *in Portu suavi condita etiam Acta S. Libariæ memorent, nec illa ante annum* 1056 *in lucem prodiere. Ex his quidem colligere pronum est, nulla esse ex Actis laudatis, quæ eorum omnium, quæ continent, fidem faciant certam; scateatne autem tot erroribus anonymi S. Eliphii Vita, quot illam, quam tamen non vidit, Bailletus in Tabula*

A *Tabula critica Auctorum et Actorum laborasse non dubitat, ad diem* 16 *Octobris S. Eliphio sacrum examinari poterit. Ad* S. Mennæ *natales me converto.*

Bactii et Lientrudis filia,

4 *Solimariacæ, cujus itinerarium Antonini meminit, Leucorum olim oppido, nunc vico* Soulosse *vernacule dicto, et Novo castro Campaniæ Gallicæ Tullum euntibus versus Veram fluvium obvio* S. Mennæ *natales Ruyrius aliique, nonnulli vero Tullo adscribunt. Haud procul Solimariaca sedem præcipuam fixisse, illi aiunt,* S. Mennæ *parentes Bactium et Lientrudem, olim quidem insignem atque spectabilem, at modo temporum vetustate omnino collapsam. Patrem in loco, cui propterea* Bactimani *nomen sit inditum, at hodie ignoto sepultum; matris vero corpus in ecclesiam S. Petri Romarici aliquando translatum volunt, nimirum Tullo, ubi et mortuam et a S. Eliphio sepultam fuisse, hujus Acta commemorant. Nanceium inter et Pontem Motionis juxta vicum Mosellæ adjacentem* (Pompey *Galli vocant*) *vetus inscriptio legitur Gothicis characteribus exarata, qua teste, e Catalauniæ regulis Bactius originem duxit. Riguetius in Systemate chronologico episcoporum Tullensium, licet legere mallet* ex Catholica regis prosapia, *fieri tamen potuisse credit, ut Catalaunia Hispaniæ regione Bactii progenitores oriundi fuerint : at Calmetus lib.* V *Historiæ Lotharingicæ id de Catalauno ad Matronam Campaniæ*

B *Gallicæ civitate potiori jure interpretandum, existimat; cui equidem favet Campaniæ Lotharingiæque vicinia, et Bactii in utriusque confiniis commoratio; multos autem, senescente sæculo quarto, in hisce Franciæ Alemanniæque tractibus regulos exstitisse, testis frequens Ammianus est.*

quorum variam

5 *Multam porro prolem Bactius e Lientrude suscepit; cujus si numerus quæritur, Acta Actis, auctores auctoribus adversantur. E sexu virili duos, SS. Eliphium et Eucharium sub Juliano martyrium passos; tres vero e sexu femineo,* S. Mennam, *quæ utrum martyrii palmam adepta sit, nec ne, antiquitas tacuit; SS. Libariam et Susannam, quæ illibatæ virginitatis lilio martyrii lauream adjecerunt, S. Eliphii Acta recensent. His consonant Acta S. Libariæ et Breviarium Tullense anni* 1535, *quod Lectione* 7 *de S. Eucharo ad diem* 27 *Octobris ita habet :* Genuerunt (*Bactius et Lientrudis*) tres sorores sanctissimas, virgines in sanctimoniali habitu et voto cum perseverantia Domino famulantes : Mennam videlicet in Portu suavi sepultam, Susannam in Campania tumulatam, et Libariam pro confessione fidei decollatam. *Verum tribus SS. Eliphii et Eucharii sororibus S. Gontrudem seu Gertrudem et S. Odam* S. Mennæ *Acta adjiciunt, uti et Pompeyana, de qua num. præcedenti sermo fuit, inscri-*

C *ptio his verbis apud Calmetum expressa :* Ex Catalauniæ regis prosapia Baccii et Lientrudis editi sunt nobilissimi sanctique subscripti; videlicet S. Eucharius, S. Eliphius, S. Libaria, S. Susanna, S. Oda et S. Gertrudis, quorum dignis suffragiis et gloriosis meritis cum ipsis associemur in cælis. Hi fælices prælibati Juliani gladio truncati sunt. *De S. Gontrude nihil peculiare scriptum inveni. Sancta quædam Odda virgo ad diem* 16 *Februarii in Breviario Tullensi anni* 1333 *annuntiatur : eademne sit, an alia, in Supplemento Februarii discuti poterit.*

femineam prolem,

6 *Neque anonymus S. Eliphii Actorum scriptor, neque Rupertus abbas, neque citatum Tullense Breviarium S. Gontrudis et S. Odæ meminerunt, quamquam reliquam Bactii progeniem accurate enumerent; ex quo fit, ut dubium merito videri possit, num hæ* S. Mennæ *sororibus adjiciendæ sint : maxime si, quod Calmeto visum est, Pompeyana inscriptio sæculum* XIII *aut* XIV *non præcesserit. Hanc vetustatem non admodum magnam sapere, laudatus num.* 4 *Riguetius non diffitetur; si temporis, quo prædicti Sancti floruisse creduntur, ratio habeatur : contendit tamen, illius auctores traditione antiqua eo permotos, monumentisque usos fuisse longe superioris ætatis; quamquam de suo certis incerta, aut veris falsa nonnulla fortasse adjecerint. Verum, ne gratis ista excogitata dicamus, quid causæ est, cur Rupertus sæculo* XII, *cur anonymus sæculo proxime superiore S. Gontrudis et S. Odæ ne verbo quidem memineriut? Justam igitur suspicandi causam præbent, aut antiquam illam traditionem (quantum ad illas pertinet) monumentaque, cum scripserunt, non exstitisse, aut certe non ea illis visa esse, quibus fides esset adhibenda. Cur denique sæculo* XVI *Tullensis Breviarii editores S. Gontrudem et S. Odam pari silentio involvunt, quos utique traditio, monumenta prætensa, memorataque inscriptio non latuere?*

AUCTORE J. B.

7 *Liberiore hic crisi Calmetus utitur, quem suis verbis Latine redditis disserentem audiamus.* Non est, *inquit,* unde rectius librum hunc quintum ordiamur, quam a primorum diœcesis Tullensis martyrum historia, qui anno CCCLXII sub imperatore Juliano Jesu Christi fidem professi sunt. Utinam eorum Acta illius ætatis Christiani mandassent litteris! negotium nobis modo non facesseret veri incertique, quod illi traditio vulgaris adjecit, discretio. Contendere nonnulli, S. Eucharium, S. Elophium, S. Libariam, S. Mannam, S. Gontrudem, S. Susannam (*ecquis scriptorum hos Sigmaro adscripsit, aut Bactio, quæ sequuntur?*) S. Hoildem, S. Menehoildem et S. Amam vel e Lintrude Bactium, vel e Liutrude suscepisse Sigmarum. At cum rem perscrutamur, eorumque historiæ epochas atque E adjuncta componere volumus, ab hac cogimur opinione discedere, et asseverare, S. Elophium, S. Eucharium et S. Libariam, quorum (ut constans regionis traditio fert) martyrium sub Juliano anno CCCLXII contigit, seculo fere superasse Virgines ceteras, de quibus modo dicebamus, quæ sub Alpino Catalaunensi ad Matronam episcopo circa annum CCCCLXI floruerunt. *Subdit post pauca :* Neque negare, neque prorsus affirmare audentibus, tres hosce Sanctos (*Eucharium, Eliphium et Libariam*) fuisse carnis cognatione germanos, dicere nobis sufficit, ejusdem fidei, perfectæque caritatis nexibus, et unius pro fide Christiana passionis societate vere fuisse conjunctos.

Calmetus

cum Sigmari filiabus,

8 *Lib.* VI *ejusdem Historiæ ita prosequitur :* Quo minus de SS. Menna, Lutrude, Pusinna, Francula, Hoilde, Menehoilde, Ama et Liberata, de quibus ad annum CCCLXII jam dictum est aliquid *de S. Gontrude et S. Susanna nihil expresse statuit*) loquamur, longius differre non possumus. Erant hæ Sigmari comitis Penthensis et conjugis ejus Liutrudis filiæ, easque sanctorum martyrum Elophii et Eucharii sorores fuisse, historici multi affirmant. Ne ab hac opinione prorsus recederemus, S. Libariæ, præfatorumque martyrum martyrium eidem tempori illigavimus. Credibile tamen est admodum, ob diœcesium Catalaunensis et Tullensis confinia, F aliarumque in hac, aliarum vero in illa cultum, pie creditum fuisse, nefas haud esse, eas invicem præripere, assertumque, primorum Tullensium martyrum sorores fuisse, ut Tullensis diœcesis splendori cederet, quod ad Catalaunensem jure spectabat. Verum cum rem citra præoccupatæ mentis affectum perpendimus, adjunctaque incerta secernimus, ut certis solum inhæreamus, mox liquido sequitur, Sigmarum et Liutrudem nobili apud Perthenses loco fuisse, quos multa prole Deus impertiit, quæ variis dispersa locis, inclinante seculo V et S. Alpini tempore, circa annum CCCCLXI sese totam divino obsequio consecravit. *De* S. Menna *speciatim hæc habet art.* 39 : S. Menna sive Manna eadem forte est, quæ S. Ama, Amea vel Imma, *ob nominum, ut reor, qualemcumque affinitatem parumque idoneam, ut rem per se verisimilem reddat.*

uti et S. Ymmam cum S. Menna,

9 *Duo sunt in hoc Calmeti discursu, quorum alterum non omnino mihi displicet, alterum vero probare minime possum. Neque enim ego in primis fraternæ cognationis illud vinculum, quod inter SS. Eliphium, Eucharium, Libariam, Susannam et* Mennam *intercessisse dicitur, ausim pro certo habere; sane admodum mihi apparet verisimile, post exactas tot annorum, imo sæculorum periodos, jactatasque olim tot rerum vicissitudinibus Gallias, genuinam*

AUCTORE J. B.

genuinam sinceramque horum martyrum notitiam, ut fit, sensim ex hominum evanuisse memoria. Neque præluxisse recentiorum temporum scriptoribus quidquam reor, præter incertos vagosque vulgi rumores : unde acciderit, ut hi Sancti, etsi nulla forte fuerint inter sese sanguinis cognatione conjuncti, diversisque temporibus vixerint, in unam fuerint conflati familiam, forte ne vicinæ Campaniæ, quam septem Sigmari filiæ exornarunt, hac ex parte Lotharingia videretur inferior : sic S. Gontrudem, sic S. Odam iis quoque postmodum fuisse adjectam, ex dictis num. 6 *verosimillimum fit. Quod autem* S. Mennam *eamdem ac Amam vel Ymmam (nam et hoc modo S. Ama Sigmari filia invenitur appellata) esse conjicit, id plane perperam facit. Septem enim Sigmaro filiæ (neque enim usquam his plures inveni) fuisse traduntur.* Harum Ymma, *inquiunt Acta S. Pusinnæ ad diem* 25 *Aprilis a Papebrochio illustrata,* prima fuit : hic * Othildis (*alias Hoildis*) successit : hanc subsecuta est Luttrudis : post quam Pusinna est nata, cujus memoriam recensemus : huic [proxima] Francula in hujus luminis auras processit : inde Libera edicta * est : Magenhildis novissime genita chorum sanctæ virginitatis complevit, Spiritus sancti gratia septiformi rutilantem. *Jam vero inter has ne una quidem est, quacum possit* S. Menna *confundi, ut ostendo.*

* huic

* edita

B

parum consequenter

10 *In primis autem de S. Francula et S. Libera seu Liberata (suspecta sunt hæc Papebrochio nomina, eo quod idem diversis linguis significant) illud observo, eas superiore sæculo, cum librum suum Gallicum, qui de Sanctitate Christiana Trecensium est, Des-guerroisius (quem consule ad annum* 470) *publici juris fecit, non modo cultu sacro caruisse, sed ne nomine quidem tenus innotuisse in Galliis, donec earum seu vera seu ficta nomina Mss. Germanica in reliquarum Sigmari filiarum Actis protulerunt in lucem. Contra non sæculo superiore dumtaxat* S. Mennæ *memoria, cultusque, sed pluribus etiam abhinc sæculis in Lotharingia viguit, quemadmodum de ejus cultu dicenda declarabunt; nec aliunde solidi quidpiam Calmeto suppetere reor, propter quod debeat cum harum alterutra* S. Menna *confundi. Quod ut de ceteris quoque evictum dem, præter Calmetum, auctorem alium non adhibebo : hunc enim si percuncter, ubi locorum ceterarum corpora primum sepulta, quove deinde translata fuerint? S. Luttrudis corpus, inquit lib.* VI *Historiæ Lotharingicæ art.* 54 *et seqq., primum sepultum est in sacello, quod S. Mauritio erexerat, ac Corbeiam Picardiæ (verius forte Saxoniæ; videsis tom. VI Septembris pag.* 449) *delatum est postmodum. S. Hoildis exuviæ variis*

C *modo dispersæ sunt locis : iis pagus Perthensis primum potitus est : postea vero sub Henrico Campaniæ comite Trecense S. Stephani templum, quod ille nuper erexerat. Hinc denique alterum S. Hoildis brachium abbatia Sanctæ cognominis, tertio fere lapide a Baroduco inter Occidentem et Septentrionem sita, alterum vero Parisiense S. Germani suburbium acceperunt. Prodigiorum, quæ sublata e vivis S. Pusinna patravit, Bansionensis vicus spectator fuit, unde anno* 860 *Corbeiam Saxoniæ ejus ossa transvecta fuerunt. S. Menehoildis corpus dudum in abbatia S. Urbani diœcesis Catalaunensis asservatum fuit; cujus deinde translata est pars aliqua ad oppidum Campaniæ, quod ab illa Fani S. Menehildis appellationem invenit. Perthi denique in odore sanctitatis S. Ama sive Ymma obiit, cujus reliquiæ in prioratu ipsi cognomini haud procul Jovis villa, anno* 1367 *a PP. Benedictinis ad Franciscanos devoluto quieverunt.*

confundit,

11 *Quibus positis, manifesto consequitur, si ex illarum numero* S. Menna *fuit, iisdem quoque locis sacrum ejus corpus debuisse terræ reddi et asservari exuvias. Atqui Calmetus prorsus oppositum scribit.* Fontanetum, *inquit,* inde (*S. Menna*) discessit, locum oppido fertilem et cultoribus frequentem, in eoque ad obitum usque versata est. Sepulturam nacta est in ecclesia illius loci, cujus hodieque patrona est. Nec annus, nec dies obitus scitur : attamen ejus festum in Portu suavi III Octobris colitur cum Octava. Bruno episcopus Tullensis, dictus postea Leo Pontifex hujus nominis nonus, cum abbatiæ Portus suavis manum ultimam adjecisset, S. Mennæ reliquias eo transtulit anno MXXXVI. *Neque id unus Calmetus asseruit, sed vel ex ipsa Pontificis Bulla data Calendis Octobris anno Pontificiæ suæ dignitatis* 2, *Indictione* 3 *manifestum fit : ita habet :* Hæc ergo me considerante, dum in initio nostræ ordinationis sui Dei dono Leuchorum præsul electus; interea sollicitudinis meæ studio mihi innotesci contigit, quod prædecessor meus venerabilis Bertholdus quoddam cœnobium ex pontificalis præbendæ sumptibus, in villa, quæ Portus suavis dicitur, construere cœperit, sed fine præreptus, bonum opus ad finem usque minime provexerit : cujus sanctam intentionem conspiciens, et aliquantulam portionem in ejus mercede devotionnis adipisci cupiens, cœptum laborem, Christo favente, perexplere studui, cœtumque sanctimonialium Deo ibidem serviturarum congregavi, et locum in veneratione gloriosæ Virginis Genetricis Mariæ et sanctæ virginis MENNÆ IBIDEM CORPORE QUIESCENTIS consecravi. *Fateor, Calmetum memoratas Virginum historias fide aliena, non ex sua recitasse sententia : verum quæ de earum reliquiis modo dicta sunt, ut sunt recentiora, ita et* E *firmiora credimus, quam ut refelli facile possint : neque his quidquam Calmetus opposuit.*

D

12 *Restat, ut de loco* S. Mennæ *natali dicamus : sunt, qui eam vel certe Eliphium Tullo adscribant; ut Baronius ad annum* 562 *et Lahierius in Menologio Virginum; sunt, qui Solimariacæ, ut Acta* S. Mennæ, *ut Ruyrius, Arturus, aliique. Sollerius tom. II Augusti, pag.* 10, *dum Rapinium carpit, quod cum S. Memmio Catalaunensi episcopo S. Leodegarium apud Perthenses in Campania cultum et* S. Mennam *conjungat, hanc quoque Campaniæ Sanctis annumerare videtur, cum ait :* Id miramur, de conciliandis temporibus tam parum sollicitum fuisse Rapinium ut Sanctos multis seculis a S. Memmio remotos, ipsi conjungendos censuerit, ac si gloriæ ejus non satis se consuluisse existimaret, nisi præcipuorum Campaniæ Sanctorum institutionem eidem adscriberet. *Sed vel Leodegarium præcipue respexit, vel* S. Mennam *ea de causa adjecit, quod in Campania sacro fonte lustrata fuerit, annosque juveniles magnam partem exegerit, ut quidem ejus Acta testantur. Denique Scoti etiam* S. Mennæ *natales sibi vindicare nituntur. Usserius lib. de Britannicarum ecclesiarum primordiis in Addendis et Emendandis pag.* 1069 *Baronium et Saussayum arguit, quod SS. Eliphium, Eucharium, Libariam et Susannam Tullenses fuisse, affirment; quippe, qui, Usserio judice, habitatione* F *quidem Tullenses fuere, patria vero Scoti, et regio quidem genere. Quid ita?* Ex transmarinis Scotorum finibus has partes (*Tullensium scilicet*) moris erat expetisse multos, *ut ex Actis S. Mansueti ab Adsone monacho conscriptis Usserius declaravit. Si nos pariter docuisset Usserius, qui e testimonio tam vago consequens fiat, hos quoque singulares Sanctos in Gallias appulsos esse e Scotia, aliquod profecto operæ pretium retulisset.*

apud Leucos, non in Scotia,

13 *Dicet fortasse quispiam, SS. Valerium, Maternum, Eucharium aliosque S. Mansueto, primo Tullensium episcopo, natione Scoto, fuisse peregrinationis comites, ac proin in eorum numerum referendos esse ceteros S. Eucharii germanos : verum is Eucharium Tullensem cum Trevirensi inepte confundet. Sed quid de regio Sanctorum stemmate? Audi Dempsterum lib.* V *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum. Num.* 455 *ita loquitur :* S. Elifius, filius regis Scotiæ Fincormaci, ut existimo, aut sane Crathlinthi, ut aliis visum. *Et num.* 892 : S. Menna virgo regia, soror SS. Eliphii et Eucharii, nec non Libariæ et Susannæ. *Hæc ille : at, qui de rebus Scoticis agunt Buchananus, Boethius, Leslæus seu Turnerus nullam Crathlintho prolem attribuunt; Fincormaco vero solos Eugenium atque Euthodium, quos regno nondum maturos moriens pater reliquit.*

aut regio Scotorum genere nata,

Regium

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *Regium itaque* S. Mennæ *genus commenti loco habemus : nec alia de causa, ut putamus, Crathlintho aut Fincormaco patre* S. Mennam *natam, Dempsterus scripsit, quam quod id exigeret ratio temporis, quo* S. Mennam, *nimirum vergente ad finem sæculo* IV, *floruisse, opinatus est. Quod autem ad patriam ejus transmarinam, seu Scotiam, seu Hiberniam, seu denique Britanniam attinet, fateor, esse, quod scrupulum movere cuipiam possit. Est autem hoc : sancta quædam Menna invocatur in Litaniis vetustissimis Anglicanis, quæ et Sanctos plerosque ignotos, publico olim apud Anglos in honore habitos, complectuntur, et a Mabillonio tom. II Analectorum pag.* 678, *labente sæculo* VII, *Anglicanæ ecclesiæ in usu fuisse, ostenduntur. Quod si hæc eadem sit, ac illa, de qua nobis est sermo, non absurde quis suspicetur fortasse, eam idcirco illis insertam legi, et in Britannia cultam fuisse, quod vel in Britannia, vel in circumjacentium insularum aliqua hauserit vitam, e qua discessit in Galliis. Conjectura est, quam tanti facies, quanti voles. Ego, etsi, quod secure sequar, nihil inveniam, malim tamen Actorum qualicumque auctoritati cedere, Gallorumque traditioni, quam transmarinæ adhærere ; maxime cum num.* 25 *S. Mennam assignaturi simus, quæ verosimiliter a* S. Menna *Lotharingica diversa sit, et forte eadem ac*

B *illa, quæ in supradictis Litaniis memoratur.*

floruit forte sæculo IV. 14 *Quæ de incertis* S. Mennæ *natalibus modo dicta sunt, incertam pariter reddunt illius ætatem : vixisse tamen sub finem sæculi* IV, *concors est et constantior plerorumque assertio. Calmetum enim nihil moror, qui eam ad finem sæculi* V *distulit; etenim ea solum de causa id fecit, quod* S. Mennam *Sigmaro satam esse, suspicatus fuerit. Ceterorum vero plerique, ut eam SS. Eliphii et Eucharii, quos circa Juliani apostatæ tempora passos credunt, sororem rati sunt, ita et illam eadem fere ætate floruisse, tradiderunt. Dempsterus anno* 361, *circa annum* 380 *Arturus et Lahierius obiisse, scribunt; sed vacillat eorum fides; unde enim exploratum perspectumque habere potuerunt, quod monumenta antiqua tacuisse, in superioribus vidimus ? Rapinius in Annalibus Catalaunensibus S. Memmio, quem a S. Petro in Gallias missum putat,* S. Mennam *facit æqualem; quapropter a Sollerio in Commentario ad Vitam S. Memmii tom. II Augusti merito vapulat. In eadem, qua Rapinius, de misso sæculo* I *in Gallias S. Memmio, opinione Ruyrius fuit; cumque* S. Mennam *Juliani ætate floruisse, existimaret, manuscripta Portus suavis, in quibus illa a S. Memmio ad virtutem pietatemque Christianam instituta dicebatur, hac ex parte corrigenda monuit, et episcopi nomen, cujus magisterio usa*

C *fuisse fertur, caute suppressit. At quoniam ad* S. Mennæ *institutionem delapsus noster est sermo, ut tum de hac, tum de reliquis, quæ ad* S. Mennam *pertinent, deinceps agamus, rerum serie admonemur.*

§ II. S. Mennæ gesta et cultus.

Ab ineunte ætate pietati innutrita, Quandoquidem de S. Mennæ *natalibus jam actum, reliquum Actorum ejus, seu potius Fragmenti nostri textum seriemque brevi sermone percurram, vel ob id maxime, quod pauca deinceps occurrent, quæ commentatione indigeant. Primum itaque, si fidem Actorum auctoritatemque sequimur, futuram Puellæ sanctitatem, animique pulchritudinem cum præstans corporis forma, tum indolis præclaræ igniculi jam prænuntiabant, cum ad Catalaunensem episcopum a parentibus missa est, Christianæ fidei rudimentis imbuenda et communis noxæ piaculari fonte expianda : verum ad quem? Ad S. Alpinum (vixit ille circa annum* 461, *probante Stiltingo in Commentario ad ejus Acta ad diem* 7 *Septembris*) *ut quidem Calmetus credidit, sed falsa, ut dixi non semel, opinione deceptus. Displicuit Ruyrio S. Memmius, quem tamen Fragmentum nostrum, uti et Portus suavis manuscripta, ipsomet Ruyrio teste, signarunt : nec mirum : sanctum enim Memmium sæculo* I, *sanctam vero* Mennam IV *vixisse, putabat; atque ita non cohærebant temporum notæ. Verum si Catalaunensis episcopatus exordium ad finem sæculi* III *cum Galliæ Christianæ auctæ editoribus et Stiltingo proxime citato referas, ac S. Memmio seu Mangio annos* 80 *episcopatus Actorum ejus auctorem, aliosque secutus, tribuas, Juliani persecutionem vidisse is potuit, qua debacchante in Galliis,* S. Menna *seu* Manna *domo paterna, fratrum, sororumque suarum exemplo, egressa, solitudinem petiisse dicitur; potuitque similiter illa sancti præsulis curæ industriæque committi, imo et ab illo nomen suum invenire, a quo non solum sacris undis lustratam, sed etiam e sacro fonte susceptam fuisse, Fragmentum nostrum et Ruyrius refert; cujus rei exempla nonnulla tomo I Octobris in Commentario prævio ad Acta S. Remigii num.* 124 *et* 125 *proferuntur. Quod si diuturnum adeo ecclesiæ Catalaunensis regimen, putes, S. Memmio non posse concedi, haud magnopere quidem repugnabo; at ea ratione nihil solidi reliquum fiet, unde definias, quis e S. Memmii successoribus* S. Mennæ *curam institutionemque susceperit.*

AUCTORE J. B.

et adultior facta, 16 *Quid porro Acta memorent, videamus. Fidei Christianæ elementis imbutam* S. Mennam, *et sacris undis purgatam Catalaunensium præsul (quisquis ille fuerit) parentibus remisit; at ea lege, ut, evoluto quinquennio, reverteretur. Bona igitur parentum venia dicto tempore ad magistrum illa rediit, ut jam* E *ætate maturior, ita et uberioribus cælestis doctrinæ rivulis irriganda : ne autem sanctioris vitæ præceptis quotidianæ pietatis exempla deessent, puellarum diu noctuque Christo famulantium monasterio Filiolam providus præsul consignavit, ut quidem ait anonymus : qua in re, vereor, ne a vero forte discesserit : dum enim* S. Mennam, *sublatis e vivis circa Juliani tempora ejus parentibus, jam nubilem facit, haud multo serius, quam circa medium sæculum* IV *natam esse, oportet. Quod si tum temporis virginum monasterium Catalauni exstiterit, potuit id cum antiquioribus Galliæ monasteriis, quæ illic sæculo* IV *primum exorta sunt, de vetustate contendere : nec tamen illius meminit Thomassinus de vetere et nova Ecclesiæ Disciplina part.* I *lib.* III *cap.* 12; *non Antonius Dadinus Alteserra lib.* I *cap.* 4; *non Hippolytus Helyot in Dissertatiane prævia de Origine et Antiquitate vitæ monasticæ* § 9; *non Mabillonius tom. I Annalium Benedictinorum pag.* 6 *et* 10; *quibus locis de prima monasteriorum in Galliis origine et propagatione singuli disserunt. Utut sit, potuit virginibus aliquot, quarum virtutem Catalaunensis episcopus perspectam habebat,* S. Mennæ *institutio curaque committi, earumque domicilium, licet forte privatum, ab anonymo nostro monasterium, etsi minus apte, nuncupari.* F

suscepto velo sacro, 17 *Altera hæc apud Catalaunenses* S. Mennæ *commoratio per alterum quoque quinquennium tenuit; quo exacto, ad paternos lares regressa est : ubi haud multo post, quam altas interim egisset in virtute radices, declaravit. Nuptias enim, quas illi pater injunxerat, animo constanti rejecit, non voluntatis contumacia, sed castimoniæ et cælestis Sponsi amore. Cumque perficiendis præstituto die nuptiis non exoratus pater instaret, fuga sibi consulere Filiam compulit : paucis itaque comitata Catalaunensem episcopum clam patre adiit, ut pudorem virgineum, quo doctore didicerat, eodem defensore integrum intaminatumque servaret. Ut in conspectum episcopi adnissa est, tacuit illa primum, quod conceperat animo, propositum : at postridie coram consessu publico sacrum velum, quod secum tulerat, obtulit, et ut illo tegeretur, vehementer expetiit; facileque voti compos effecta fuisset, nisi promptum præsulis animum patris et sponsi metus retardasset : sed quod facere verebatur episcopus, manus perfecit angelica. Hinc, opinor, Arturus et Gononus* S. Mennæ *monachæ nomen adjiciunt : at nomen monachi vel monachæ dupliciter accipi potest :* Primo, *ut significet,* id, quod ipsum nomen importat, *inquit Papebrochius tom. III Maji pag.* 295, ut intelligatur MONACHUS esse, vitæ a mundano strepitu rerumque temporalium cura reductæ sectator, hujusmodi vitæ propositum

AUCTORE J. B.

positum seu votum externa aliqua habitationis, victus, vestitusque a vulgari mundanoque discrepantis, singularitate professus. Secundo MONACHUS dicitur, et nunc fere solum intelligitur is, qui cum externarum abdicatione rerum propriæ etiam voluntatis arbitrium abdicavit, ut fiat membrum alicujus religiosi cœtus, sub obedientia viventis, cum obligationis perpetuæ vinculo, quantum ex sua quidem est parte, insolubili. *Priori quidem modo* S. Mennam *monacham fuisse, facile dedero, posteriori non item.*

solitariam vitam auspicatur,

18 *Ceterum tanti prodigii ea vis fructusque fuit, ut non modo paterni duritiem animi flexerit, sed lubens etiam concesserit pater Filiæ locum, in quo arbitratu suo sibi Sponsoque cælesti vacaret : neque enim audiendi videntur ii, qui ab irato patre ob invictum castitatis propositum interemptam volunt, quos inter, gladio percussam, Dempsterus scribit; quæ eorum assertio neque Bactii, hominis Christiani, pietati congruit, neque ullo, ut in Actis S. Eliphii videre est, antiquitatis testimonio confirmatur, nec denique apud auctores numero auctoritateque potiores invenitur. Difficultatem patitur, quod sequitur :* Ea tempestate, *inquit Fragmentum nostrum, idemque apud Ruyrium legitur,* patre in bona senectute defuncto, matre quoque, ut superius dictum est, debacchante persecutionis tempestate, ceteris discedentibus germanis, ipsa quoque a domo paterna exivit. *Quo enim tempore, quove auctore persecutionem illam exortam esse, dicemus? Num agente in Galliis Juliano? Id quidem S. Eliphii Acta testantur; sed minus credibile nonnullis apparet : quippe Julianum quidem anno* 360 *et initio sequentis in hisce Occidentis partibus versatum esse, concedunt, sed nullam volunt Christianis exhibuisse molestiam, qui Christianæ fidei cultor etiam tum callida simulatione videri volebat, ut lib.* XXI *Historiarum suarum his verbis Ammianus refert :* Utque omnes, nullo impediente, ad sui favorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, a quo jam pridem occulte desciverat, arcanorum participibus paucis, haruspicinæ auguriisque intentus, et ceteris, quæ deorum semper fecere cultores. Et ut hac interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani EPIPHANIA dictitant, progressus in eorum ecclesiam solemniter Numine orato, discessit. *Moverunt ista Baronium ad annum* 362, *ut sub Salustio Galliarum præfecto, Juliano carissimo, nominique ob id Christiano infensissimo S. Eliphii martyrium contigisse, diceret.*

B

eo verisimiliter tempore,

19 *Accedit, Juliani exercitum, quem sibi devincire, quoquo modo posset, satagebat, e Christianis militibus, teste Zonara, maximam partem coaluisse,* C *atque adeo ere ejus fuisse, ut Christianorum sanguini vel invitus parceret. Juliani in Galliis persecutionem non adeo quidem violentam atque apertam fuisse, ac S. Eliphii Acta insinuant (neque enim ea quantum ad singula probo) facile credo : at nullam omnino fuisse, non item. Adeone constanter animi moderationem æquitatemque, cujus laudem affectabat, Julianus coluit, ut nullum toto eo tempore, quo in Galliis egit, latentis odii indicium prodiderit, homo inconstantiæ levitatisque perpetuæ? Aut adeone hebeti fuit ingenio, simplicique, ut, præter fidem, quod causaretur, si quando Catholicum persequi vellet, inveniendo non esset? Quid? quod illi, ut Eliphio violentas manus injiceret, peculiaris titulus non defuerit? Eodem enim Zonara teste,* Malitiam suam occultans, unumquemque pro arbitrio suo cultum sequi, quem vellet, præcepit. *Eliphium autem traductorum ad fidem Catholicam gentilium, confractorumque idolorum pagani non solum milites, sed et duces, ut Acta referunt, accusarunt, quorum æque ac Christianorum opera, auxilioque indigebat : capitis igitur Eliphium damnare Julianus potuit, non quidem quasi fidei causa, sed veluti violati præcepti reum, vitandæque seditionis specie. Quid? quod non desint, qui in ipsis Galliis Julianum palam Christianis ritibus valedixisse, velint? Equidem S. Hieronymus sui temporis regum calamitates describens in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum de Juliano hæc* D *habet :* Julianus proditor animæ suæ et Christiani jugulator exercitus Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat; *nimirum palam et publice, non clanculum et privatim : hoc enim jam ab annis duodecim fecerat, ut ipsemet scripsit ad Alexandrinos, cum nuper ad occupandum imperium e Galliis excessisset, cujus in Galliis commoratio sexennium non excessit.*

quo Julianus apostata

20 *Zosimus quoque refert, Julianum, cum (anno* 360) *Parisiis ab exercitu Augustus salutatus esset, rem ad Constantium perscripsisse; Constantium autem, datis ad Julianum litteris, non modo irrita habuisse, quæ facta essent, sed et illum ad se evocasse; iisque acceptis, palam animi sui de Numine sententiam ostendisse Julianum et coram omnibus dixisse,* potius se diis, quam Constantii verbis, seque vitamque suam permissurum. *Denique Julianus ipse in epistola ad S. P. Q. Atheniensem, in vivis adhuc agente Constantio, scripta, suam a fide Catholica defectionem aperte profitetur, ut hac in re minime audiendus videatur Ammianus, dum lib.* XXII *cap.* 3 *ait, Julianum tum primum pectoris sui arcana patefecisse, cum, mortuo Constantio, solus universo potiretur imperio. Utut sit, Julianus Viennæ agens, ineunte anno* 361, *teste Ammiano lib.* XXI *cap.* 1, *dubius hærebat etiamnum, alliceretne ad* E *concordiam Constantium, an aperto marte aggrederetur : esto igitur, etiam tum Christianum sese finxisse Julianum, nec Christianos hactenus persecutum : quid vetat asserere, eum aliquanto post et descivisse palam a fide, et Christianos persequendi initium fecisse, eumque inter ceteros infensum sibi expertum esse S. Eliphium, cum ille anno* 361 *postremam in barbaros expeditionem movit, Viennaque profectus, ac forte Solimariaca (erat enim e militaribus stationibus una) Grandensi oppido vicina, transiens Rhenum cum exercitu adiit Alamannorum confines Rætiis tractus, populantium excursiones repressurus?*

versabatur in Galliis :

21 *Sane Julianus, ut Ammianus refert lib.* XVI *cap.* 2, *anno* 356 *Vienna digressus per Decem Pagos (alterum Lotharingiæ oppidum vulgo* Dieuze *dictum) transiens Alamannos ad citeriores Rheni ripas adortus dissipavit : adeo ut et anno* 361 *Rauracos, versus territorium Basileense ad Rheni ripam sitos, Vienna adiens Leucorum fines facile peragrare potuerit. At, inquies, Julianus postrema in Alamannos jam erat expeditione perfunctus, atque in procinctu, ut Illyricum peteret, cum Christianorum militum metu Bellonam non publico, sed* ritu secretiore *placavit, ut lib.* XXI *cap.* 3 *idem habet Ammianus : illius igitur a fide defectio etiam tum plerosque latebat. Fateor, hæc iis, quæ in superioribus dixi-* F *mus, adversari : verum Ammiani ea in re auctoritatem mihi dubiam reddit causa non una : primum quidem, quod Ammianus hisce rebus non interfuerit : jam enim ante una cum Ursicino magistro equitum e Galliis in Orientem evocatus fuerat, ut lib.* XVI *cap.* 10 *videre est. Deinde, quod citius Juliani defectio palam innotuerit, ac Ammianus scribit, quod numero superiore ostensum est. Denique, quod eo ipso die, quo in Illyricum cum exercitu, quem multa arte jam pridem circumvenerat, iter arripuit, publice diis litasse videatur. Audi ipsummet Julianum ad S. P. Q. Atheniensem ita scribentem :* Tum quoniam sacris pro exitu celebratis eo die perlitavi, quo de nostra huc profectione eram allocuturus; non solum pro mea salute; verum etiam pro utilitate reipublicæ, et communi omnium libertate, ac præsertim Gallicanæ gentis etc. *Sub initium autem epistolæ ista præmiserat :* Quapropter nemo me nugari, et inepte loquacem esse judicet; quod ea, quæ non olim dumtaxat, sed et nuperrime in omnium oculis gesta sunt, oratione complectar. *Sed ad* S. Mennam, *unde digressi sumus, revertamur.*

miraculis claret,

22 *Itaque, ut e dubiis atque perplexis aliquid, quod saltem probabile videatur, dicamus, sub Juliano cæsare, vel potius augusto* S. Menna, *relictis paternis ædibus, unica comitante ancilla, sese commisit*

A *misit itineri, itura, quo se cumque Dei spiritus duceret : nec vero prodigiis id itineris caruit : properanti enim flumen quoddam immani lutosoque gurgite moram objecit. Hæsit Virgo : non nauta, non navigium aderat transituræ : at illa præsens sibi fore cæleste auxilium, rata, flumen ingreditur ; dum pedem promovet, cedit lutum, prodit arena; evanescit gurges, vadumque sicco pede transgreditur. Ut vero alteram fluminis ripam attigit, infixo terræ baculo, fontem elicuit, perpetuum non itinerantibus modo, sed febricitantibus etiam refrigerium. Ita quidem hunc fontem Fragmenti auctor describit, ut illum probe novisse videatur; at sane dolendum est nihil ipsum dixisse eorum, unde fontis situs eruatur. Ut vero dictis suis fidem faciat, vadum illud, etiam sua memoria,* S. Mennæ vadum *appellatum, scribit; in quo quidem fidem meretur, nisi fuerit insigniter mendax, vel recentiorum temporum fabulator aliquis ista confinxerit. Calmetus* S. Mennæ *vadum et fontem ait, frustra a se esse quæsita tum Solimariacæ, tum vicinis in locis : sed alibi forte isthæc erant investiganda; nusquam enim fluminis nomen, apud quod ista contigisse dicuntur, expressum legi. Ceterum* S. Manna *ad radices montis Vosagi seu Vogesi inde progressa substitit in loco, cui Fontaneto nomen est; ibique reliquum vitæ cursum (incertum, qua morte) confe-*

B *cit.* Fontenoy-le-châtel, *ut a variis hujus nominis locis, vel ad illud sono significationeque proxime accedentibus et passim tum in Lotharingia, tum alibi non raro occurrentibus secerneretur, Castellanus sermone vernaculo nuncupavit. Unus a ceteris discrepat Fragmenti auctor, qui,* S. Mennam Pusinnellis *consedisse, ait; qui locus idem est (si recte conjicio) qui pagus Gallice dictus* Pusieux, *haud procul Portu suavi dissitus; unde Fragmentum Vitæ* S. Mennæ *ad nos transmissum est. Ruyrius vero, qui Mss. Portus suavis est usus, Fontaneto* S. Mennæ *sedem affixit. Nihil dico de miraculis, quæ, cum adhuc in vivis esset, ut par est credere, inquit Fragmenti auctor, edidit; quorum posteritati memoriam evoluta interim temporum series et scriptorum subtraxit inopia.*

Fontaneti in Lotharingia, ubi, uti et in Portu suavi, quo

23 *Contra virtutum ejus sanctitatisque famam altius hominum animis insedisse, testis locuples est cultus sacer, quem per Lotharingiam jam olim habuit, habetque etiamnum. Festum ejus antiquum Tullensis ecclesiæ Breviarium, uti et aliud anni* 1333 *die* 3 *Octobris collocat. Ecclesia vero Fontanetana, in qua defunctæ corpus primum fuit humatum,* S. Mennæ *tutelæ patrocinioque commissa fuit, eamque ut patronam veneratur etiamnunc, teste Calmeto. Cum vero* S. Mennæ *exuvias Fontaneto ad Portum*

C *suavem Bruno Tullensis episcopus, qui ad summum Pontificatum evectus, Leonis IX nomen assumpsit, transtulit, ejusque nomini, ut num.* 11 *ostensum est, ecclesiam erexit, dicavitque, ingens cultui ejus accessio facta est. Contigit ea translatio die* 13 *Maji anno* 1016 *secundum Lahierium in Menologio SS. Virginum et Arturum in Gynæceo sacro, ut apud nos ad diem* 15 *Maji legitur; uti et secundum Rapinium et Rinaldum; citantque hi omnes Ruyrium : verum in altera Ruyriani Operis editione, quæ anno* 1634 *Spinalii in Lotharingia prodiit, non annum* 1016, *sed annum* 1036 *lego. Usi fuerunt verisimiliter illius editione prima anni* 1625 : *sed illam propter multiplices errores typographicos auctor ipse suppressit, ut in Catalogo Scriptorum Lotharingicorum Calmetus scribit. Neque immerito in posteriori editione anno* 1016 *annus* 1036 *substitutus est : etenim Hermannus Tullensis episcopus, qui Brunonem proxime præcessit, anno* 1026 *in vivis numerari desiit, eodemque Bruno electus est, ut in Historia episcoporum Tullensium Adsonis continuator Brunoni æqualis vel suppar habet in ejusdem Brunonis seu S. Leonis IX Vita. En verba :* Anno igitur vigesimo sexto ætatis suæ (*Bruno*) et ab Incarnato Dei Verbo millesimo vigesimo sexto occurrente anno, sede vacante per mortem Hermanni bonæ memoriæ, communi voluntate, parique cleri ac plebis consensu in hac sede præfectus est episcopus.

AUCTORE J. B.

24 *Sita est ea ecclesia haud procul Mirecurtio, adjunctumque sibi primum habuit sacrarum virginum cœnobium; cujus primum lapidem Hermannum* *ejus reliquiæ translatæ sunt,* *jecisse, Ruyrius ait : legerat is S. Leonis Vitam (illam habes apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini tom. VI part.* 2) *a Wiberto æquali conscriptam, cujus lib.* 1 *cap.* 13 *ista leguntur :* Quin et in Portus suavis cœnobio a SUO PRÆDECESSORE, ex pontificalibus stipendiis inchoato, sed a se studioso labore ædificiis et sumptibus ad unguem adornato, devotam sanctimonialium constituit congregationem, atque nobilis generis vitæque laudabilis quamdam, nomine Berrennam, ipsi cœtui matrem ordinavit : *legerat hæc, inquam, Ruyrius, indeque, ni fallor, effici credidit, id operæ præstitisse Hermannum; quod tamen Bertholdo, quem proxime excepit Hermannus, Pontifex ipse num.* 11 *citatus diserte adscribit. Porro sacras hic virgines anno* 1043 *a Leone institutas fuisse, in Historia Mediani-monasterii scribit Joannes de Bayon, notante Mabillonio citato jam proxime. Consonat Joannes Herculanus cap.* 19; *sic scribit :* Bruno vocabatur ante Pontificatum (*S. Leo*) et cum esset Tullensium episcopus, circa annum ab orbe redempto millesimum quadragesimum tertium cœnobium Portus suavis a suo prædecessore Hermanno inchoatum absolvit et vestalibus inhabitandum concessit. *Cœnobium* E *id Ordinis Benedictini principio fuit, at a tribus circiter sæculis conversum est in collegium seu abbatiam nobilium canonicarum sæcularium, quæ* S. Mennam *patronam habent, ejusque festum celebrant cum Octava. Patet igitur* S. Mennæ *cultus, sed et Lahierii lapsus, cum id canonicarum collegium fuisse ab ipsa* S. Menna *conditum scribit, et totius forte Galliæ vetustissimum.*

colitur ut Patrona.

25 *Alterum* S. Mennæ *nostræ cultus, et quidem perantiqui argumentum Litaniæ Anglicanæ, de quibus num.* 13 *actum est, suggererent, modo memoratam ibi S. Mennam eamdem ac nostram esse, constaret : verum id ratio nulla evincit; imo oppositum potius suadet, quod nulla in iis S. Eliphii mentio fiat, nulla S. Eucharii, nulla denique ceterarum virginum, quæ passim* S. Mennæ *sorores habentur. Præterea* S. Mennæ *cujusdam reliquias in basilica abbatiæ S. Vincentii supra altare majus in urbe Metensi asservari, ex Ruinartii litterario in Alsatiam Lotharingiamque itinere intelligo : ast alia rursum videtur a Nostra, et e S. Ursulæ sociabus una : sic enim habet thecæ inscriptio :* Anno Domini MCLX positæ sunt in hoc scrinio hæ reliquiæ pars capitis et capill... S. Ursulæ maxilla cum dentibus, S. Pantulæ reliquiæ S. Virgine et aliarum Coloniensium, Luciæ, Waldradæ, Mennæ, Felicitatis. *Hisce, quæ de* S. Mennæ *cultu ecclesiastico adjiciam, non habeo, nisi* F *Officium, quo per Octavam in Portu suavi ejus festum colitur, proprium esse, secundum Ruyrium. Non possum tamen non mirari Tillemontium, dum de Juliani persecutione agens ait, S. Libariæ et* S. Mennæ *loca sepulturæ ab Actorum S. Eliphii auctore assignari* æque parum cognita, ac sint ipsæ Martyres. *Ubi igitur eas tumulum nactas scribit? illam apud civitatem nomine Grandem, hanc in Porces seu Portu suavi. Certe Grandensis oppidi, ubi dicatum sibi habet S. Libaria templum (Calmetum consule tom. I Historiæ Lotharingicæ pag.* 202) *in Odornensi pago insignia rudera hodieque conspicua sunt : de Portu autem suavi nihil opus est loqui.*

Recentiorum aliquot

26 *Quamquam autem vetustioribus martyrologis* S. Manna *incognita fuerit, non fuit tamen adeo obscuri nominis, ut laluerit Grevenum, ut Ferrarium, Saussayum, Arturum, Castellanum, aliosque recentiores non paucos. Grevenus ad diem* 27 *Novembris sic scribit :* In Francia, Mennæ virginis. *Ad diem* 3 *Octobris in Catalogo Sanctorum Generali Ferrarius :* In territorio Tullensi, S. Mennæ virginis. *In Supplemento Saussayus :* In Tullensi territorio ecclesia de Portu suavi (quæ titulo et tutela sancti Nicolai est tota Gallia et Germania celebris) natalis S. Mennæ virginis gloriosæ. *Arturus in Gynæceo sacro :* Apud oppidum S. Nicolai de Portu, in Lo-

AUCTORE J. B.

tharingia, diœcesis Tullensis, veneratio S. Mennæ, virginis eximiæ fidei, ac religionis; quæ, excusa mortis sarcina, evolavit ad gloriam. *Idem ad diem 15 Maji:* Apud Portum suavem, Tullensis diœcesis, translatio S. Mennæ virginis et martyris. *Portum suavem, cujus ecclesia Virgini Matri et* S. Mennæ *dicata est, cum oppido S. Nicolai ad Murtam fluvium altero circiter a Nanceio milliari sito, et* Portus *olim appellato, eoque devotionis ergo peregrinantium frequentia nobili, nominum similitudine falsi Saussayus Arturusque confudisse videntur. Castellanus in Martyrologio Universali:* Fontaneti (*Fontenoy-le-Châtel*) ad radicem montium Vosagi in Lotharingia, sancta Manna virgo; cujus corpus in ecclesia canonicarum Portus suavis (*Poussay*) prope Mirecurtium honoratur.

de S. Menna elogia.

27 *Hisce denique adjicio, quod parte altera Lilii Galliæ sanctæ cap.* 5 *Virgini nostræ texuit Rinaldus elogium:* In Campaniam etiam nostram e cælo cecidit Manna, a Judaico discrepans epulo, quod illud ros præcessit, illam est secutus, quo ab episcopo Catalaunensi aspersa, omni caruit macula. Sed in eo conveniens, quod suavis et mira fuit, et Manhu de illa dici debuit. Primo enim genere mira fuit, quæ fratres duos Elophium et Eucharium martyres, et sorores quatuor sanctitate illustres habuit, B quibus septima non decessit, germanior animo, quam sanguine. Nam spretis, quibus parabatur, nuptiis, præstanti forma puella, ad Catalaunensem accessit episcopum, sacris tum operantem, ut, quam deperibant proci formam, eo absconderet, quod offerebat, velo. Sed abnuente antistite, ne Dactium ejus læderet parentem, tanto audentior, quanto mortali superior, angelus fecit, qui sublatum in auras velum, summo et æterno Pontifici benedicendum obtulit, et Mannæ capiti, spectantibus omnibus, sensim delapsum imposuit. Paucis post hæc diebus, prædives et nobilis adfuit procus, cui ad matrimonium ineundum a Mannæ parentibus dictus fuerat dies, sed Sabbathum, fuit, Manna legi non potuit. Ex eo enim tempore Mannæ perpetuum fuit Sabbathum, quo divinum coluit Numen, et a nemine legi potuit, una excepta morte; a qua in urna (quam Gomor potuit dicere) fuit recondita, anno circiter CCCLXXX. Si jam dudum ad Portum suavem, cælestem et terrestrem, navem suam appulit, et in utroque, hinc animo, hinc corpore quiescit, bene usa est velo, et Mannæ congruum adepta est locum, cum Portum tenuit suavem.

VITA ACEPHALA

C

Auctore anonymo.

Ex Ms. Puteolensi.

S. Menna ex septem

Inter quas effulsit beata virgo Menna *a*, quæ omnium bonorum digna præconio, velut lucerna in obscuro loco, sic Sanctensi resplenduit pago *b*: cujus quia describere miranda Acta pro posse, propitiante Deo, disponimus, locum nativitatis ipsius necesse est, ut non segniter prætereamus. Pagus igitur Solecisius *c* locus exstitit felicis ejus natalis, adjacens confinio territorii Sanctensis provinciæ, Mosam fluvium habens pro limite. Mater vero tam præclari germinis vocata est Lieutaudis: quorum alter genitor, in loco nominis ipsius, videlicet Bactii, * dicitur MANSUS. Genitrix denique mausoleum habet in oratorio S. Petri Apostolorum principis, in villa inclita, cui nomen Mons-Romarici *d*. Hi itaque in confinio Solecisi territorii vico, qui prius appellatus MANSIONIS, inclytum tunc temporis habuere fundum et satis egregiæ habitationis domicilium. Sed quia, ut scriptum est, omnia opera occidunt et aucta senescunt, qui tunc erat opulentus et insignis, nunc factus est locus quasi ad nihilum. Horum itaque specialium parentum * non parum operæ pretium habetur, si non ad anteriora sanctæ Prolis gesta festinarem. Num quidnam maxima laude non sunt digni, quibus dispositio divinæ D clementiæ talem concedere dignata est gratiam parturiendi? Profecto gratia Spiritus septiformis diffusa est in eis, dum idem specialis numerus in eorum partu est sanctificatus.

a

b

c

** supple* qui

d

2 Septem enimvero proles sexus utriusque genuerunt, quæ, superna operante clementia, de virtute in virtutem per bona opera insignia scandentes, ad clara cæli palatia conscenderunt. Si quis autem scrupulosus eorum nomina nosse desiderat, ita absque ambiguitate teneat. Fuerunt ex ipsis sexus masculini S. Eliphius, S. Eucharius; sexus vero fœminini S. Gunttrudis, S. Susanna, S. Libaria, S. Oda, et ipsa, de qua loquimur, sancta virgo Menna *e*. Horum primus (ut aiunt) B. Eucharius igne tribulationis examinatus, sicque perbeatus per martyrii palmam roseam adipisci meruit coronam. Cujus germanus frater, agonis suppar effectus, martyrum supernum se adeptum gaudet conventum: uterque autem in episcopio Tullensi propriis templis et titulis insignitus, liquido patet quærentibus *f*. Dei autem famulæ sorores eorum uno ardore atque eodem supernæ patriæ desiderio succensæ, post hujus calamitosæ vitæ tribulationes et ærumnas, quas pro Christo pertulerunt, cum multiplici bonorum actuum fructu, consummato fructu * certaminis, ad bravium pervenerunt, atque supradicto E episcopio tres earum in Campania, Franciæ regione, beato fine quieverunt *g*. O vere beati parentes, qui educaverunt tales! et vere felix regio, cui a talibus patrocinia conferuntur. Et profecto quorum cur ab invicem talis dissidii disparatio contigerit, sequens narratio manifestabit. Verum quia a tramite arreptæ expositionis in laudem tamen ipsius gloriosæ nativitatis aliquantum digressi sumus, restat, ut jam nunc a diverticulo compendium repetamus: tamen parum quiddam est retrogradandum, ut, quemadmodum a cunis educata sit, notitiæ intimetur fidelium.

sanctis Bactii et Lientrudis prolibus una.

e

f

** forte* cursu

g

3 Felix igitur Menna maternis visceribus, naturæ Auctore opificante, profusa jam ipsa corporalis speciei gratia ostendebat, qualis postmodum formositas ipsius animæ futura erat. Quam laudabilis pater, ut erat prosapiæ et ditionis regiæ, Calatauniæ civitatis episcopo sanctissimo Memmio direxit, quatenus eam ipse mystico regenerationis fonte abluere atque ex eodem lavacro almifluis manibus ipse vellet suscipere *h*. Quod sanctus pontifex concite executus est, et valde gavisus regii sanguinis Pusiolam creare sibi satagit filiolam. Intuitus vero in eam, divino Spiritu, ut erat miræ contemplationis, præsagam futuræ sanctitatis indolem diligenter adultam imperat sibi referri post quinque annorum revolutionem. Parentes igitur non secus, ac jussi sunt, faciunt, et sanctissimo patrono dilectum pignus retransmittunt, obsecrantes amicabiliter, ut prona Puellulæ industria bonarum artium imbuatur affluentia. Qui oppido gaudens, in monasterio puellarum Christo diu noctuque famulantium *i* Filiolam tradidit, ut per aliud lustrum sub ferulis litterariæ disciplinæ et castimoniæ puritate nutriretur. Susceptam Dei famulæ dilexerunt unice, et prout talis patiebatur ætas, aluerunt sincere, imbuentes eam sacris litterarum studiis et divina lege, non mediocriter, sed perfecte: quæ in brevi temporis spatio ad tantam scientiæ et sanctitatis evecta est perfectionem, ut ceteræ eam pro insita dulcedine, charitatis affectu sincere sicut germanam diligerent sororem. Nulla namque discendi mora est, ubi Spiritus doctor adest: cor enim, quod resplenduerit, inflammat.

ab episcopo Catalaunensi

h

F

i

4 Transacto denique lustri curriculo in tali sanctorum studiorum luctamine et palestra, cœperunt parentes, ut natura fert, tenere eam diligentes, de Filia suspirare, propriamque repetere, nec * pontifex aliquam potuit obtendere piam super Filiolæ retentione strophamm aut cavillationem: quia nimirum hoc prohibebat ingenuæ parentelæ sublimitas, paternique fastus imperiosa nocendi facultas. Nullo annisu, nulloque conamine valens eam retinere, tandem

ad virtutem erudita

** deest vox, quæ vix legi potuit; forte* Agius, *id est, sanctus.*

** supple* mentionem facere, *aut quid simile*

A tandem commissam remisit honorifice, adultam singulariter in sacris Litteris et animæ puritate : multisque deprecans obtestatus est, quatenus in bonis, quæ didicerat, si copia peragendi suppeteret, permanere vellet. Hujusmodi informata monitis, maternis reddita est cubilibus atque tricliniis. Quod autem intra monasterii didicerat claustra, in paterna, prout valebat, exercebat aula. Omnes denique, qui ejus cernebant incessum et actum, ad venerationem ipsius excitabantur et affectum. Forma erat valde speciosa, sed speciosior fidei devotione, bonorumque actuum incessabili jugitate : et æquum erat diligi a cunctis, quam compserant ornamenta justitiæ insignis. Menna a multis nobilium circumquaque expetitur, ut ipsius, ad suscipiendam charæ posteritatis sobolem, in matrimonio copulentur. Præbent assensum propere parentes, sponso Filiam jungere cupientes : denique hoc tale pactum firmare plane deliberaverunt, animum Virginis sub tali negotio pertentare voluerunt.

terrenas nuptias spernit,

5 Itaque ad notitiam Virginis pervenitur, quæ continuo tale conventum recusat, seque nullum suæ castitatis violatorem omnino suscipere posse, affirmat : Solum, inquit, Agnum desidero sponsum, cujus solummodo vox virginitatis resonat hymnum :

B cujus lenis et suavis modulatio mortuorum est vivificatio, paradisicolarum dulcis jubilatio : quem nulla personare prævalet corruptio, hunc talem toto cordis affectu concupisco : mortalem autem nullum requiro, terrena ornamenta sperno, ut quisquilias; facultates, ut immunditias; prædia, ut sterquilinia; quia pretiosæ margaritæ speciositas viget in mente mea. Fæmineum pater consilium despicit, quod sibi in animo fixum est, implere contendit, nuptiarum dies statuitur, copula nobilium affluenter ornatusque et copia præparantur. Interim sacra Virgo intra cordis arcana Christum suppliciter orans invocat, ipsique figillum suæ virginitatis commendans, profusis uberrime lacrymis, qualiter evadere corruptionis hoc inevitabile vinculum queat, obsecrare non cessat. Christus interea dilectæ Famulæ suæ pium spectans agonem solitam procurat consolationem, et quia sibi delegerat sponsum suum, cujus præstolabatur adjutorium, benignum sibi infudit consilium. Obstinata itaque animi piæ fugæ furtum arripuit, atque ad S. Memmium suorum morum informatorem, paucis comitata consecretalibus famulis, ire contendit : perveniensque ad sanctum patronum, qui tum forte publicum conciverat concilium, excepta est ab eo sublimiter, tractata decenter : allocuta dissimulat negotium, et cujus rei gratia venerat, in præ-

C senti edicere non audet, sed in crastinum differre cogitat.

et sacro velo innuitur.
**supplendum forte* ferens
k

6 Sequenti die sacrandum velamen *, quod ipsa sibi præparaverat in manica, sedenti episcopo in pontificali throno coram omni consessu accessit, suggerente sancto Spiritu (ut Salvator ait, Dum steteritis ante potestatem, nolite cogitare etc. *k*) coram omnibus ab ipso summo sacerdote, quia se fonte sacri baptismatis abluit, sanctisque manibus idem ipse ex ipso suscepit, dotarium filiationis pignus instanter poscere cœpit. Mox admiratur omnis conventus, ipseque episcopus : quid sibi ejusmodi oratio velit, explorant. At illa, Nosti, inquit, domine mi, quod per tuam dignationem ad notitiam perveni æternæ vitæ : cordis autem mei intentionem genitor meus festinat commutare, terrenis me negotiis cupiens implicare et conjugalibus vinculis irretire. Hujusmodi vero affectibus animus meus omnino est aversus. Hujusmodi rei gratia taliter veni reclamatura, pro certo habens, quia, si specialis tua industria velit, his calamitatibus eripere me possit. Quapropter obnixe deprecor tuam benignitatem, ut, quia jam in me boni operis fundamenta jecisti, ad finem usque perducas, et tegendo caput meum Agni Jesu Christi velamine, perpetuæ desponsionis irrevocabiliter in sanctæ conversationis iter dirigas. Hæc effata, velum de manica extraxit *l*, genibusque provoluta uberrime lacrymas profundens, ut se quantocyus consecraret, flebili supplicatione sedulo orare cœpit. Dum e contra beatus præsul, licet invitus, utpote hujusmodi animarum salvandarum semper cupidus, valde recusare niteretur, dicens, se timere paterni fastus ferocitatem et parentelæ generositatem, et, cui desponsata erat, sponsi ferocitatem, atque ob id hoc peragendi nullam invenire rationem. (Mira dicturus sum) velum, quod expansis manibus tenebat, angelico ministerio coram omnibus sublatum vertici ejus comiter est aptatum. Præsentes, qui adfuere, talia cernentes, immensas omnipotenti Deo gratias retulerunt, qui in rudimentis Famulæ tantam perfectionem dignatus est ostendere. Non est igitur mirum, si ordinata est a supernis ordinibus, quæ tantis in mundo debebat coruscare virtutibus. Fama continuo virtutum pennis elata ad paternas aures pervolat, quid prodigii circa Filiam actum sit, denuntiat : qui post aliquantum temporis, quo apud Sanctum morata est doctrinæ causa, competenti cum honore remissam gratiosa paternæ pietatis affectione suscepit, atque deinceps in magna

E veneratione habens, quem antea invitus locum et facultatem Domino serviendi libere * nunc jam spontanee gratanterque attribuit *m*.

** supple* negaverat
m

orba parentibus in solitudinem Vosagi secedit,
n

7 Ea tempestate, patre in bona senectute defuncto, matre quoque, ut superius dictum est, debacchante persecutionis tempestate *n*, ceteris discedentibus germanis, ipsa quoque a domo paterna, una tantum contenta famula, exivit, seque, quo Dei providentia duceret, ituram fore deliberavit. Dum vero iter faciens ad quemdam fluvium venisset et per eum transire vellet, navem, qua transfretare posset, non offendit, quidque inde agere vellet, omnino ignorans, in dubio hæsit. Gurges autem ipse horrebat, omnemque transeundi spem et copiam prohibebat : nec, qui ibi transitum speraret, aliquis erat. Mox itaque, affluente Dei bonitate et adjutorio, qui de se præsumentes numquam destituit solatio, pendulo gressu gurgitis profunda cœpit penetrare cum Crucis signo. O inusitatum miraculum et valde paucis concessum! protinus namque velut per arentem transivit alveum, assimilata beatæ illi cytharistriæ, Mariæ videlicet sorori Aaron, quæ Israeliticum præcedebat cuneum, dum per mare Rubrum transiret, manibus gestans cytharam et tympanum *o*. Pertransiens autem velut siccis pedibus vadum planum reddidit et scrupeum : et qui antea præ nimio luto et aquæ altitudine vorago erat inextricabilis, post ipsius vestigia factus est arenosus et permeabilis. Ex hoc vero permaxime ratio nobis fidem

F facit, quod idem transitus ex tunc usque hodie Mennæ vadum *p* nomen accepit, quod ipsa nomen ob memoriam concessæ gratiæ fama indidit, atque ut * ad laudem Dei tali vocabulo per generationes futuras nuncupari instituit. Ad cujus etiam vadi egressionem perpetui refrigerii monumentum fecit. Nam protinus egressa, quem sacris manibus gestabat, baculum solo infixit, statimque exinde fontem pellucidum ebullire dedit : quippe perpetuo manans itinerantibus satis refrigerii et commodæ salubritatis confert, quia dulcis est gustu, et ad potandum suavis, et miseris debilibus et febre laborantibus sæpe perhibetur perutilis.

o

p

* redundat

indeque ad cœlestem Sponsum properat,
q

8 Deinde inde progressa ipsa cum una tantum sua famula contendit ad locum (Domino, ut vere credimus, iter dirigente) qui dicitur Pusinnellas *q*, ubi, cuncta disponente Dei clementia, ipsa destinavit, fore permansuram per secularia tempora. Ubi aliquem fidelem nullo modo dubitare fas est, quin perfideli suæ Cultrici Divinitatis potentia magna prodigiorum beneficia dignata sit præstare. Sed nimirum virtutum copias, quas adhuc vivens in corpore gessit aliquando, patet * in quantum valuit, occulere studuit. Volens eas cunctos latere, ne lucidem puræ conscientiæ oleum adulantibus crederet, et ad adventum Sponsi illustratæ lampadis lumine careret. Enimvero vivens magnis virtutum

* *videtur abundare* patet

AUCTORE ANONYMO.
l

AUCTORE ANONYMO.

virtutum signis enituit, quæ jam defuncta assidue gloriosa in miserorum calamitatibus elucescit : ut spero autem, sicut nunc ita assiduitate sua viluerunt, et quia tunc defuerunt scriptorum magna ingenia, ideo gestorum ejus habetur penuria. Exactis itaque in bonis operibus et sacris studiis pluribus annorum curriculis, moribus et annis matura cælestia invitatur ad regna. Corporali igitur superveniente molestia, carneo solvitur loro Abrahæ confovenda sinu placidissimo, cujus felix anima Dominum sitiens, supernis comitata cœtibus, r virtutum pennis ætherea petiit regna r, in quibus regnat Christus perennis virginum sponsus et corona.

ANNOTATA.

a *Quod hic desideratur Vitæ exordium, tantummodo continere, promissam Christi gratiam opemque fidelium nemini umquam defuisse, ex Ruyrio intelligitur.*

b *Leucorum is pagus est, Segintensis vel Segontensis alias dictus :* le Saintois *Galli vocant. Situs est inter Calvomontensem et Tullensem pagos, ubi modo Vadanis-mons* (Vaudemont) *visitur.*

c *Idem locus est, qui Solimariaca : situm illius habes num. 4 Commentarii prævii.*

B d *Lotharingiæ oppidum diœcesis Tullensis nobili canonicarum secularium collegio inclytum, quod a S. Romarico nomen obtinuit.*

e *Colitur* S. Eliphius 16, S. Eucharius 27, S. Libaria 8 *Octobris. Omnium, si* Odam *excipias, ad diem* 11 *Octobris Saussayus meminit.*

f *Haud procul Solimariaca mons est* S. Eliphio *cognominis : illic templum suo nomini dicatum habet.* S. Euchario *templum insigne Liberduni condidit anno* 1148 *Petrus de Brixey, Tullensis episcopus, teste Calmeto lib.* v *Historiæ Lotharingicæ cap.* 7. *Id si primum fuit, liquet, Fragmenti auctorem a* S. Mennæ *temporibus intervallo satis longo fuisse remotum.*

g *Locum mutilum ita ex Ruyrio supple :* Atque supradicto episcopio (*Tullensi*) tres earum, reliquæ duæ in Campania tumulatæ sunt. *S. Libaria in* Gran *olim oppido, nunc Odornensis pagi vico, sepulta est;* S. Menna *Fontaneti. Itaque hæ ad diœcesim Tullensem spectant; uti forte et S. Oda, si hæc eadem sit atque illa, quam ad diem* 16 *Februarii signat Breviarium Tullense anni* 1535. *Quo loco sepultæ sint ceteræ, distinctius explicatum non* D *inveni. Ceterum de horum Sanctorum cognatione numeroque consule Commentarium prævium a num.* 3.

h *Incertum tamen, num. S. Memmius* Mennam *sacro fonte lustrarit, indeque susceperit, an alius Catalaunensis episcopus. Porro baptizantis et suscipientis operam unius ejusdemque hominis subinde fuisse, inauditum non est. Adi Commentarium nostrum num.* 13 *et Commentarium prævium ad Acta S. Remigii num.* 124 *et seq.*

i *Verisimiliter privata aliquot virginum Deo devotarum domus fuit, non religiosa societas. Vide num.* 16 *Commentarii prævii.*

k *Respicit auctor verba Domini Matt.* 10 ℣. 18 *et* 19. Et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. Dum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

l *De virginum consecratione priorum quinque sæculorum part.* I *lib.* III *cap.* 42 *num.* 11 *ita Thomassinus de veteri et nova Ecclesiæ Disciplina :* Et hæ quidem (*virgines sacræ*) vel suis ipsæ vel parentum manibus induebantur vili hac et fusca religionis veste, at alias solemni consecratione velabat episcopus ipse. *Et paulo infra :* Sed longe tamen sanctius, longe augustius erat hoc consecrationis E velum, quod cum sacra pompa solus episcopus imponebat. *Illa vero velamina, eodem teste, solebant esse colore purpureo.*

m *Non itaque a patre martyrium subiit, ut quibusdam placet. Vide Commentarium prævium num.* 18.

n *Probabiliter Julianæa sub annum* 361. *Vide eumdem num. et seqq.*

o Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua : egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris. *Exodi* 15 ℣. 20. *Verum hæc post transitum maris Rubri contigerunt.*

p *Nescitur modo* Vadi *illius locus.*

q *Illius habitationem ceteri, quos vidi, Fontaneti figunt.*

r *Nimirum circa annum* 580 : *ita nonnullis visum est; sed mera conjectura utuntur : idcirco* S. Mennæ *obitum sub finem sæculi quarti late fixi. Manuscriptum hoc de Sanctæ nostræ exuviis ad Portum suavem translatis non meminit; sed, ut, initio, ita et sine fortassis mutilum est.*

DE S. MAXIMIANO EP. CONF.

C

BAGAIÆ IN AFRICA. F

J. B.

SYLLOGE.

S. Maximiani memoria sacra, sedes episcopalis, a synonymis diversitas, a Donatistis persecutio.

SÆCULO V. *S Maximianus, cujus Martyrologia*

Sanctum Maximianum *ad diem* 3 *Octobris Martyrologium Romanum his verbis annuntiat :* In Africa S. Maximiani episcopi Bagaiensis, qui a Donatistis iterum atque iterum sævissima passus, ex alta denique turri præcipitatus, et pro mortuo derelictus, gloria confessionis illustris quievit in Domino. *Celebre quidem est in Donatistarum Historia* S. Maximiani *nomen, at in antiquioribus Martyrologiis non invenitur. Primus, ni fallor, eum Sanctorum Albo inseruit Baronius, quem deinceps recentiorum nonnulli secuti sunt. Qua autem de causa hoc præ alio quovis die annuntietur, præter merum fortasse Baronii arbitrium, assignando non sum : etenim quidquid de illo innotuit, vix non soli Augustino id omne acceptum referri debet; in quo tamen nullum diei, quo rebus humanis exemptus est, nullum festivitatis alicujus vestigium exstat; neque mihi conscius sum, an aliquod alibi reperiatur. Ceterum* Maximianus, *qui modo Bagaiensis episcopus fuisse in Martyrologio Romano legitur, in editione illius Plantiniana anni* 1586 *Sagiensis nuncupatur : verum ea lectio passim minus probatur eruditis. Vagitanus quoque, Vagiensis, et Vaginensis in variis S. Augustini Operibus cum excusis, tum Mss. dictus reperitur : sed Bagaiensem potius monachi Benedictini S. Mauri dicendum censent, tum quod ita eum constanter nominet S. Augustinus lib.* III *contra Cresconium Donatistam, tum quod ita etiam habeant probæ notæ Mss. septem, a quibus et alia quædam haud magnopere discrepant monumenta. Vide eorum Notas ad num.* 7 *Epistolæ* 88, *et ad num.* 26 *Epistolæ* 185 *S. Augustini.*

2 *Eadem de* S. Maximiano, *quæ Martyrologium Romanum, Castellanus refert, in suo Martyrologio Universali ad diem* 3 *Octobris, aliique recentiores. Addit ille in margine,* nullam cultus, nullam diei quoque traditionem haberi, nisi in eorum sit Martyrum numero, qui Vagenses in Calendario Carthaginensi

recentiora tantum meminere,

A thaginensi die 2 Novembris (*imo* 29 *Octobris*) appellantur. *Vetustissimum Calendarium illud Mabillonius edidit tom. IV Analectorum, eorumque Sanctorum complectitur seriem, quorum annuus olim erat in Africa cultus. Constitutus itaque esset antiquus* S. Maximiani *in Africa cultus, si ex illorum Martyrum numero eum fuisse, constaret. Verum quibus id confirmabitur antiquitatis testimoniis? Quid si Vaga et Bagaia distinctæ fuerint in Numidia civitates, et in hac, non in illa episcopale munus obierit? Quid si Martyrum Vagensium nomine Mammarius ejusque socii (de quibus actum est* 10 *Junii) intelligendi sint? hanc enim de illis suspicionem ingerit Ruinartius in Notis ad Historiam persecutionis Vandalicæ Victoris Vitensis pag.* 257. Licet enim, *inquit*, in civitate Boseth fuerint consummati, Mammarius tamen, qui omnium erat veluti pater et præcipuus, apud Vagam primus omnium comprehensus fuit, indeque per varias urbes circumductus, omnes apud Vagam interrogati sunt et in carcerem reclusi a comite; unde tandem ad Anulinum missi, qui erat in civitate Boseth, Vagenses dici ex tunc potuerunt, quod nomen etiam ad posteros transmissum est. *Ita ille ex Actis S. Mammarii : verum hæc discutere, non est hujus loci.*

cultusque incertus, episcopus

B 3 Confessoris *titulo insignivi* S. Maximianum, *more scilicet loquendi hodierno, quo omnes, qui post vitam sancte exactam in pace quieverunt,* Confessores *appellantur. Olim enim* Martyres *etiam vocabantur ii,* qui atrocissima tulerant pro fide tormenta, licet fuerint superstites et in pace quieverint, *ut docet Benedictus XIV in suo Opere de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione lib.* I *cap.* 11 *num.* 7, *atque adeo, cum gravissima pro defensis ecclesiæ suæ juribus ab hæreticis Donatistis fuerit tormenta perpessus, pari sensu* Martyr *appellari posset, licet in pace quieverit. Fulsisse eum episcopali dignitate, ex Augustino liquet. At de sede ejus episcopali non una omnium opinio est. Sunt enim, qui Bagaiam seu Vagaiam (B enim in V Afri sæpe commutant) eamdem, ac Vagam esse, opinentur. Simlerus apud Ortelium in Thesauro Geographico ad vocem* Vagal *eamdem credidit, ac Bagai seu Bagaiam a S. Augustino memoratam : urbem vero Vagalitanam in Mauritania Cæsariensi sitam, notat Ortelius. Lucas Holstenius in Notis ad Geographiam sacram Caroli a S. Paulo Vagam* Maximiani *nostri sedem facit, Numidiæque adscribit : Cellarius quoque, lib.* IV *cap.* 3 *Vagam in Numidia collocat, et Plutarcho* Βάγαν *dictam scribit; cap. vero* 6 *alteras Vagas Mauritaniæ Cæsariensi attribuit. Garnerius Dissertatione* 2 *de Synodis in causa Pelagiana, vivente S. Augustino, habitis, Vagam agnoscit dum-*

C *taxat unicam. Quod si duos Vagenses episcopos Catholicos Ampelium et Primulum cap.* 213 *collationis Carthaginensis memorari objicias, textum eo loco corrigendum ait, legendumque* Vadensis.

non Vagensis,

4 *Non placet Norisio Garneriana opinio, unde Operum suorum tomo III in Censura Garnerii col.* 1122 *his verbis in illum insurgit :* Ignoravit, duas fuisse in Africa Vagas, unde alteram urbem Vadam dicendam esse, contendit. At Plinius, cui melius Africanæ urbes cognitæ fuerunt, lib. V cap. (4) inter XV oppida civium Romanorum nominat Vagense, et inter XXX libera oppida, Vagense aliud. Consulto addidit ALIUD, ut Vagam utramque distingueret. *At vetus editio Plinii anno* 1469 *Venetiis facta habet non* Vagense aliud, *sed* Sigense aliud : *unde ex hac quidem parte Garnerius haud satis certo refellitur : deserendus tamen hic Garnerius : duplicem enim in Africa Vagam Ptolemæus recenset, alteram lib.* IV *cap.* 2 *in Mauritania Cæsariensi sitam, alteram cap.* 3 *in Numidia. Ceterum Bagaia cum harum neutra videtur posse confundi : non cum Vaga Mauritaniæ Cæsariensi adscripta; Bagaia enim, de qua Augustinus, Numidiæ oppidum fuisse videtur : sic enim apud Norisium Historiæ Pelagianæ lib.* II *cap.* 8 *loquitur Augustinus Conc.* 2 *in Psalmum* 36. Tu purgasti te apud Bagai; *et antea :* Quomodo tu servasti concilio Numidarum? *Item lib. de Unitate Ecclesiæ, Donatistis objiciens, quod iis communicarent, quos ipsi in concilio Bagaiensi damnarant, exclamat :* O regula juris Numidici! o privilegia Vagaitana! *Ex quibus colligitur, Bagaiam seu Vagaiam a S. Augustino memoratam Numidiæ, non Mauritaniæ Cæsariensi, annumerandam esse, et proinde a Vaga Mauritaniæ diversam.*

AUCTORE J. B.

sed Bagaiensis,

5 *Neque cum Vaga Numidiæ Bagaitana civitas videtur confundi posse :* Nam, *inquit Norisius loco supra citato col.* 346, S. Augustinus lib. VI de Baptismo recitat singulas sententias, quas Africani in synodo S. Cypriani pronunciarunt, et quidem ad verbum ex Actis synodalibus. Ibi vero inter alios nominantur Felix a Bagai cap. XIX, et Libosus a Vaga cap. XXXVII. *Hæc Norisius adversus Holstenium, qui Vagam Numidiæ cum Bagaia confudit. Præterea interfuit collationi Carthaginensi habitæ anno* 411, *ut ex illius capite* 176 *liquet, Donatianus Bagaiensis episcopus, qui a Donatistis stabat; mentio autem ibidem fit etiam duorum Vagensium episcoporum Catholicorum, Ampelii scilicet, qui Garnerio e Numidarum numero visus est fuisse, et Primuli, qui, Donatistarum deserto schismate, Catholicis se adjunxerat, eamque ob causam, ut per ea tempora subinde contigit, episcopalem dignitatem retinuerat. Porro Ampelius loco citato dixit :* Unitas illic perfecta est, non solum in ipsa civitate, verum in E omnibus diœcesibus, *id est, vicis, locisque minoribus. Si unitas illic perfecta erat, sedem illam Donatianus episcopus catholicus occupare non potuit. Denique ex cap.* 177 *ejusdem collationis et* 179 *contendere quispiam posset, Januarianum et Privatum Vagenses pariter fuisse episcopos; verum rectene, an secus, non inquiro : satis mihi fuerit dixisse, ab his quoque Vagis Bagaiam diversam videri : Donatianus enim, Privatus et Januarianus omnes Donatistæ fuerunt; minus autem credibile est, duos ejusdem schismatis episcopos, eidem sedi, eodemque tempore præfuisse. Ceterum Bagaiam, inquit Ruinartius,* celebrem... reddiderunt tum Bagaiensis Donatistarum famosa pseudo-synodus, tum Donatus Bagaiensis, quem uti martyrem iidem Donatistæ adeo impense colebant.... Sed hæc urbs illustrior evasit ob immania supplicia, quibus in Maximianum, ejusdem loci Catholicum antistitem, Donatistæ sævierunt.

et a Maximiano Castorii fratre,

6 *At priusquam ad ea, quæ a Donatistis passus est* Maximianus, *sermonem convertamus, altera sese offert discutienda quæstio. Anno Domini* 402 *S. Augustinus tum suo, tum Alypii, Tagastensis olim episcopi, nomine dedit ad Castorium litteras, quibus præclaris laudibus effert Maximianum Vaginensem in Africa episcopum et Castorii fratrem : fuerat is, ut ex ea epistola colligitur, Donatistarum schismatis* F *particeps; sed ad fidem conversus Catholicam, haud ita pridem, quantum quidem apparet, episcopali dignitate apud Catholicos auctus. Eodemne prius apud Donatistas gradu fuerit, incertum est. Conceptum de illius conversione gaudium motæ in illum turbæ mox dissiparunt. Maximianus vero cedere episcopatu maluit, quam* pacem Catholicam, *inquit Augustinus,* honoris sui quæstione turbare; ne, *scilicet,* propter ejus honorem fœda et periculosa, aut fortasse etiam perniciosa in membris Christi dissensio nasceretur. *Causam autem, cur a populo non fuerit pacifice receptus, eam fuisse, tradit Rivius in Vita S. Augustini lib.* III *cap.* 2 § 7, *quod Donatistarum schismati aliquando adhæsisset. Vereor, ut res ita se habeat : etenim Castorius designatus Maximiani successor, teste Augustino,* nulla tali, *quali Maximianus,* necessitate a suscipiendo episcopatu *impediebatur, et eadem tamen, qua frater, hæreseos tabe laborarat. Perlatæ sunt eodem anno ad concilium Milevitanum* Maximiani *Bagaiensis episcopi, (Græce habetur* Βαγαίου*) litteræ, quibus dimittendi episcopatus facultatem postulabat; vel certe id se facturum, vel jam fecisse, significavit. Hunc porro eumdem esse cum illo, de quo Augustinus supra, dubium vix esse potest.*

ut, mutata sententia,

7 *Quæritur itaque, num Maximianus Castorii frater, idem sit, qui* Maximianus *noster confessor, in quem paucis*

AUCTORE J. B.

paucis post annis tam inhumane desæviit Donatistarum atrocitas? Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum utrumque confudit nominum similitudine deceptus : at in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi 402, *revocata priori sententia, alterum ab altero discernere maluit : hac autem affert opinionis mutatæ rationes : prima quidem in eo sita est, quod Maximianus Castorii frater, Vagiensis potius, quam Bagaiensis dicendus sit ex Augustini Epistola ad Castorium, quo posteriori nomine* Maximianum *confessorem S. Augustinus constanter appellat lib.* III *contra Cresconium; licet hunc etiam Vagiensis ecclesiæ episcopum in Epistola ad Bonifacium ab Augustino dictum esse, agnoscat : sed et eo loco* Bagaiensis *monachi Benedictini legunt. Quod si illi objicias cap.* 55 *concilii Africani, in quo Maximianus, Castorii frater*, Bagaiensis *nominatur, nihilominus Augustinianæ lectioni adhæret. Et sane illius concilii lectio suspecta est : cum Græcus textus habeat* Βαγενσίου, *ut diximus supra. Altera Baronii ratio est,* Quod ille (Maximianus *confessor*) diu ecclesiæ illi (*Bagaiensi*) præfuit, nec se abdicasse dicitur ab Augustino, qui de eodem sæpe agit : hic autem (*Maximianus, Castorii frater*) post electionem sedi nuncium remisisse, ex ejusdem litteris Augustini
B probe intelligi potest.

Baronius docet,

8 *Maximianum, Castorii fratrem, nuntium sedi remisisse, ex Augustino certum est; at fortasse Castorius oblatum sibi episcopale munus suscipere noluit, idemque, pacatis turbis, vel defuncto jam forte fratre, Maximianus resumpsit : de quo nihil certi statui potest. S. Augustinum sæpe egisse de* Maximiano *confessore, nec tamen dixisse, hunc episcopatu se abdicasse, pariter verum est : sed tacere potuit, quod forsan vere contigisse sciebat. Quid enim Augustino opus erat Donatistarum* (*quos impugnandos susceperat*) *crudelitati conjungere motas a Catholicis in præsulem suum turbas? Horum enim, non Donatistarum, gratia Maximianus vale dignitati dixit, qui noluit* pacem CATHOLICAM honoris sui quæstione turbari, *quique, ut Augustinus fere loquitur,* derelicta Donatistarum vesana superbia, ita hæreditati Christi *cohæsit, ut* testimonium humilitatis amore probaretur unitatis. *Neque nasci amplius debebat adulta jam pridem Donatistas inter Catholicosque dissensio.* Maximianum *vero confessorem diu ecclesiæ Bagaiensi præfuisse, nescio, unde certo erui possit. Multa illum et sævissima a Donatistis passum esse anno* 404, *ex infra dicendis compertum est. Satis etiam constat, deinde Italiam adiisse justas de Donatistarum sævitia coram imperatore Honorio querelas depositurum : at ibine extremum diem clauserit, an in itinere, an ad sedem suam redierit, quamdiuque*
C *illam deinceps vel ante moderatus fuerit, nusquam, quod sciam, expressum legitur. Haud equidem collationi Carthaginensi anni* 411 *subscriptum est ejus nomen : quamquam fieri possit, ut ex eorum fuerit episcoporum Catholicorum numero, quorum e collationis illius Actis exciderunt nomina, quod Baluzius suspicatur.*

alius fuit,

9 *Aliam Tillemontius, eamque non improbabilem utrumque Maximianum distinguendi Nota* 38 *in S. Augustinum rationem assignat. Nusquam scilicet Augustinus meminit,* Maximianum *Bagaiensem Donatistarum hæresi fuisse aliquando infectum, quamquam de illo apud sanctum doctorem non rarus sermo recurrat. Imo vero S. Augustinus concitati in* Maximianum *Donatistarum odii et furoris causam exponens, eam conjicit, non in desertos ab illo Donatistarum errores, quæ quidem res per se satis ad persequendum* Maximianum *incitasset atroces Donatistarum animos, in ea præsertim urbe, in qua Catholicos, teste Augustino lib. ad Bonifacium*, ingenti multitudine superabant; *sed in evictam ab illo judiciaria sententia fundi Calvianensis basilicam a Donatistis contra jus fasque occupatam. Quid de re controversa mea ferat opinio, paucis exponam. Ac primo quidem Maximianus, Castorii frater, Vaginensis seu Vagensis potius, quam Bagaiensis appellandus videtur : tum quod ita dictus reperiatur apud Augustinum in Epistola ad Castorium, tum quod* D *huic lectioni faveat concilii Milevitani textus Græcus apud Justellum, Labbeum et Harduinum, quem Latino ejusdem concilii textui oppono. Contra* Maximianus *confessor Bagaiensis dicendus potius, quam Vagensis : sic enim nominatur Epist.* 88 *secundum Mss. septem probæ notæ, nec multum aliter in multis aliis; sic lib.* III *contra Cresconium. Vagiensis quidem dicitur Epist.* 185 *in excusis, et in Mss. aliquot Vaginensis; sed in aliis plerisque Vagaiensis pro Bagaiensis. Vide hic eruditorum S. Mauri in Augustinum Notas, e quibus hausta hæc sunt. Deinde sicut Bagaia non eadem videtur, quæ Vaga, ita mihi probatur magis* Maximiani *Bagaiensis, de quo modo agimus, a Maximiano Vagensi seu Vaginensi, de quo Augustinus ad Castorium, diversitas.*

sævissimeque

10 *Jam quanta fuerit in* S. Maximianum *Donatistarum immanitas, ex Augustino audiamus. Lib.* III *contra Cresconium Donatistam cap.* 43 *sic habet :* Maximianus episcopus Catholicus Bagaiensis, dicta inter partes judiciaria sententia, basilicam fundi Calvianensis evicerat, quam vestri illicite aliquando usurpaverant : hanc cum jure perspicuo retineret, in ea ipsa sub altari, quo fugerat, eodem supra se fracto, ejusque lignis, aliisque fustibus, ferro etiam crudeliter cæsus, totum illum locum sanguine oplevit. Acceperat autem et grande vulnus in inguine, E unde cruore largius effluente, continuo moreretur, nisi major eorum crudelitas per occultam Dei misericordiam profuisset. Nam cum membris ex ea parte nudatis, semivivus insuper pronusque traheretur, exundantes venas latenter pulvis obstrusit. Inde nostrorum manibus cum ferretur, rursus illis irruentibus violenter extortus est, graviusque multatus, et de excelsa turri noctu præcipitatus subter cinere stercoris molliter jacebat exceptus, sensu amisso, vix extremum spiritum trahens. Ibi eum transiens quidam pauper invenit, cum ventris exonerandi causa ad eum divertisset locum. Agnovit autem, cum pavidus suam conjugem accersiit, quam procul verecundia dimoverat lucernam ferentem. Tunc eum ambo pervexerunt domum, vel miserando, vel aliquid etiam lucelli sperando, cum sive vivus, sive mortuus, collectus tamen, nostris ostenderetur.

a Donastistis habitus anno 404

11 Quid plura? Mirabili curatione sanatus est, vivit, plures in ejus corpore cicatrices, quam membra numerantur. Hunc ad transmarinas terras occisum a vestris, fama nuntiaverat, et ejus facinoris immanitas, gravisque indignitas, quaqua versum audiri potuit, dolore horrendo cuncta commoverat. Quo posteaquam ipse secutus est, recentissimæ cicatrices ejus famæ illud mendacium defenderunt : F nam quem tunc inspicientes vix crederent vivum, non temere illa jactasse videbatur occisum. Hic cum illic invenisset collegam Thubursicensem, quem paulo ante commemoravi, et alios nonnullos, similia vel non multo inferiora perpessos, nec eis ad propria revertendi ulla facultas patere videretur; et quia circumcellionum vestrorum nobilis furor, horrendum præbens vestris clericis satellitium, usquequaque odiosissime innotuit; ingens in vos conflagravit invidia, atque inde factum est, ut et præteritæ omnes contra vos leges excitarentur, et istæ conderentur novæ. Quarum tamen universarum severitas, si vestrorum inordinatæ ac sine ulla lege grassanti sævitiæ comparetur, mira lenitas appellanda est. His enim magis, tanta potestate accepta, mansuetudo Catholica commendatur, quam hæretica immanitas plectitur : imo vero in nos, cædes, rapinas, incendia, cæcitates excogitando, minando, exercendo, audacius et insanius debacchatur.

Honorium adiit, legumque severissimarum

12 *Consonat sibi S. Augustinus lib. ad Bonifacium de Correctione Donatistarum, ubi eadem narrat de exercita in* S. Maximianum *illorum immanitate; est tamen hic, quod priore loco suppressit, quale est illud,* S. Maximianum *a domo pauperculi, qui illum primo detexerat, ad piorum quorumdam hominum ædes fuisse translatum, in iisque studiose curatum, tandem*

A *tandem convaluisse præter exspectationem omnium.* Sed quodam molli aggere exceptus (*verba sunt Augustini*) et a quibusdam nocte transeuntibus (*pauperculo nimirum, ejusque conjuge*) per lucernam conspectus, agnitus atque collectus, et ad religiosam domum apportatus, adhibita magna cura, post multos dies ab illa desperatione recreatus est. Post multos, *inquit*, dies, *quos tamen vere dixeris paucos, spectata inflictorum vulnerum cum multitudine, tum gravitate: unde non injuria dixit loco supra descripto*, Maximianum, mirabili curatione *fuisse sanatum. Posteaquam sanitati redditus est, Italiam adiit, imperatoris adversus Donatistas opem auxiliumque imploraturus*, non tam sui ulciscendi causa, *teste Augustino*, quam tuendæ ecclesiæ sibi creditæ, *quod Pauli exemplo probat, illum recte justeque fecisse: imperatoris autem animum usque adeo commovit* Maximiani *præcipue horrenda et incredibilis cædes, eodem teste lib. ad Bonifacium cap.* 26, *ut promulgata lex fuerit, qua immanis Donatistarum hæresis*, non tantum violenta esse, sed omnino esse non sineretur impune.

in Donatistas occasio fuit, 13 *Lata lex ea fuit ab Honorio imperatore anno Domini* 404 *aut* 405 : *nam quod anno Domini* 404 *die* 26 *Junii celebratum est Carthaginense concilium, Romam ad imperatorem legatos misit Theasium et*

B *Evodium*, qui impetrarent, *inquit Augustinus Epistola* 88 *ad Januarium num.* 7, ut non omnes Episcopi et clerici partis vestræ (*Donatistarum*) ad eamdem condemnationem decem librarum auri, quæ in omnes hæreticos constituta est, tenerentur; sed hi soli, in quorum locis aliquas a vestris violentias Ecclesia Catholica pateretur. *Verum id impetrare non potuerunt: sic enim pergit Augustinus:* Sed cum legati Romam venerunt, jam cicatrices Episcopi Catholici Bagaitani horrendæ ac recentissimæ imperatorem commoverant, ut leges tales mitterentur, quales et missæ sunt. *Varias habet Honorii adversus Donatistas constitutiones anno* 405 *inscriptas codex Theodosianus, puta L.* 38 *et* 39 *tit.* de Hereticis, *L.* 3, 4 *et* 5 *tit.* Ne sanctum baptisma iteretur, *L.* 2 de Relig. *At quænam ea sit Honoriana constitutio, quæ in legatorum Carthaginensium Romam adventu promulgata jam erat, haud satis compertum habetur. Quæ mox citatæ sunt, non Romæ, sed Ravennæ sunt datæ anno* 405. *Quapropter Tillemontius Nota* 39 *in S. Augustinum, et Cardinalis Norisius Historiæ Donatistarum part.* II *cap.* 12 *eam diversam esse censent ab his, quas codici Theodosiano insertas habemus; idque innui volunt Lege* 38 *de Hæreticis, cum dicitur:* Quod si quis audeat interdictis sese, inlicitisque miscere et præteritarum innumerabilium constitutionem et LEGIS NUPER A MANSUETUDINE NOSTRA PROLATÆ, laqueos non evadat.

AUCTORE J. B.

14 *Utut sit, haud equidem exiguam habuit* S. Maximianus *partem in iis legibus, quas anno* 405 *adversus Donatistas Honorius tulit, fructuque inde profecto. Qui qualis quantusque fuerit, juverit ex Augustino audire. Epist.* 93 *ad Vincentium sic habet:* Nam de multorum (*Donatistarum*) jam correctione gaudemus, qui tam veraciter unitatem Catholicam tenent atque defendunt, et a pristino errore se liberatos esse lætantur, ut eos cum magna gratulatione miremur. *Et infra num.* 2 : O si possem, *inquit*, tibi ostendere, ex ipsis circumcellionibus (*fuerunt hi Donatistarum sævitiæ præcipua instrumenta*) quam multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam et miserabilem errorem *etc. Scripta est ea epistola anno* 408. *Non* E *privatorum tantum, sed populorum etiam secuta conversio est: sed nec populorum tantum, verum et* magna agmina populorum *vera Mater gaudens recepit in sinum, teste eodem Augustino Epist.* 185 *num.* 50, *ut non immerito Stilichone* 2 *et Anthemio Coss., id est, anno* 405, *inter Catholicos et Donatistas factam esse unitatem, Idacius scripserit, iisdemque Coss. Carthaginense concilium imperatori gratias publica legatione agendas esse decreverit: quamquam non ita exstincta tum fuerit Donatistarum secta, ut nulla deinceps fuerint Catholicis cum pervicacioribus ejus reliquiis ineunda certamina. Plura de* S. Maximiani *gestis non reperi; id unum ex Augustini verbis initio num.* 11 *relatis adjicio, eum in vivis etiamnum fuisse circa annum* 406, *circa quem suos in Cresconium libros S. Augustinus exaravit.*

maximo fidei Catholicæ emolumento.

DE S. CYPRIANO EPISC. CONF.

TELONE IN PROVINCIA GALLIÆ.

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS.

J. G.

§ I. Loci notitia, Sancti in Martyrologiis memoria, cultus et Officium ecclesiasticum.

C

ANNO CIRCITER DLXV. *Telone, cujus notitia datur,*

Telo *seu* Telo-Martius nomen est urbis maritimæ provinciæ Arelatensis, *inquit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum. Urbem hanc nonnulli* Tolonem *vel* Tolonum *corrupte dixerunt; unde, littera* o *in diphtongum* ou *mutata, emersit hodiernum nomen Gallicum* Toulon. *Telonis-Martii portus mentio fit in Itinerario maritimo Antonini Augusti, ubi a Citharista portu, contra quod nonnemo contendit, distinguitur. Ei nomen inditum, vel a constituto ibidem* telonio, *ubi publicani* Τελῶναι *a mercatoribus portoria et tributa nomine reipublicæ Massiliensis exigebant; vel, ut aliis placet, a* Telone *aliquo, Massiliensi optimate, coloniæ conditore aut deductore, nomen suum* Telo-Martius *accepit. Urbs est episcopali sede eaque perantiqua nobilis. Cathedralem ejus ecclesiam, quæ et parochialis est, sub patrocinio S. Stephani olim constructam et consecratam fuisse, tradit Honoratus Bouche tom. I Chorographiæ et Historiæ chronologicæ Provinciæ, pag.* 337. *Quidquid sit de assertionis hujus veritate, in comperto est, his nostris temporibus memoratæ ecclesiæ patronum ac titularem, post Deiparam Virginem, esse* S. Cyprianum *episcopum, cujus hic Vitam, quantum per instrumentorum penuriam licet, illustrare aggredior.*

F

S. Cyprianum memorant quædam Martyrologia recentiora.

2 S. Cyprianus, *Telonensis episcopus, prout recte observat Bailletus, ex ea Sanctorum classe est, quorum notitiam obscuravit cæcus immoderatusque hominum zelus, qui, cum parum aut nihil de Sanctis suis certum exploratumve invenirent, pro veritate historica figmenta sua divulgarunt, ut vel sic eorum memoriam posteris commendarent. Multa itaque jam pridem tradita de eo sunt, quæ non refellere, veritatis amans scriptor religioni duceret; hinc inde tamen sparsa quædam invenire est, quæ Sanctum illum salva veritate non mediocriter commendent. Et quidem de publico ejus cultu etsi nihil ex antiquis Martyrologiis, quæ quidem consului, discere potuerim; imo, licet recentiora multa de eo sileant, non est tamen, cur de legitima Sancti veneratione dubitemus. Sic* Cyprianum *nostrum, quem ex vitiosis tabulis* Abbatem *vocavit, annuntiat Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt:* v Nonas Octobris... Telone in Gallia S. Cypriani abbatis. *Ferrario accuratior Castellanus episcopalem ejus dignitatem diserte exprimit ad diem* 3 *Octobris.* Telone, *inquit*, S. Cypriani episcopi, discipuli S. Cæsarii ejusque Vitæ scriptoris. *Et quamquam in Supplemento totam hanc annuntiationem deletam voluerit; id non alia de causa fecisse videtur, quam quod de ecclesiastico Episcopi cultu, qui nobis aliunde certus est, non satis*

AUCTORE J. G.

satis illi constaret. Unde et inter Aemeros de eo agens ad diem 3 *Octobris,* Venerabilis *titulo eum dumtaxat appellat, de cetero episcopalem dignitatem hic rursum ei attribuit. Priori ejus annuntiationi suffragatur Martyrologium Parisiense anno* 1727 *editum, quod ita ad eumdem diem refert :* Telone, festum sancti Cypriani episcopi, qui Arelatensi quarto, Arausicano secundo et aliis conciliis interfuit.

et varii auctores,

3 *His consona tradunt J. B. Guesnayus in Massiliensis provinciæ Annalibus pag.* 601, *Honoratus Bouche Chorographiæ et historiæ chronologicæ Provinciæ tom. I, pag.* 643 *et tom. II, pag.* 991, *Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana aucta tom. I, col.* 741, *scriptores Historiæ litterariæ Franciæ tom. III, pag.* 257, *Bailletus tom. III, pag.* 39, *aliique fide digni hagiophili, qui Sancti nostri memoriam cultumque celebrarunt. Prætermittere tamen hic non licet Bailleti et Castellani errorem, dum* S. Cypriani *corpus anno* 1301 *inventum fuisse, asserunt. Constat enim ex publico instrumento Pontii Ransini, vel, ut legit Dionysius Sammarthanus, Pontii* Rausini, *Telonensis episcopi, anno* 1205 *edito, quod exstat apud laudatum Guesnayum in Massil. Annal. pag.* 341, S. Cypriani corpus inventum fuisse in domo episcopali, anno
B Domini MCCI (*atque adeo toto sæculo prius, quam vult Bailletus*) et die III Octobris, ut amplius (*verba sunt præfati instrumenti*) testatur in processu translationis facto. *Publicum illud instrumentum, unde hæc desumpta sunt, integrum, si lubet, vide apud memoratum Guesnayum cit. pag.* 341. *Atque hinc alter refellitur Bailleti error negantis, ineunte sæculo* XIII, *Telonensem episcopum fuisse Pontium Rausinum, eumque integro tantum post sæculo in illa cathedra sedisse, contendentis. In hoc certe lapsus est Bailletus, quod Pontium, episcopum Telonensem hujus nominis I, tacitus prætergressus sit, et quæ hujus tempore contigerunt, in alterum Pontium, hujus nominis II, transtulerit; at rursus non sine errore : cum enim Pontii II proximus decessor non ante annum* 1311 *e vivis excesserit, ut ex Telonensi Necrologio tradit Gallia Christiana aucta, non potest huic Pontio, anno* 1311 *vel subsequenti episcopo creato, instrumentum adscribi, anno* 1205, *vel, ut vult Bailletus, anno* 1303 *editum. His obiter dictis, ad Sancti cultum revertamur.*

inter quos Saussayus duos alios homonymos infundate adstruit.

4 *Saussayus in Supplemento Martyrologii sui Gallicani pag.* 1176 *non solum* Cypriani, *Telonensis episcopi, meminit, sed et præter eum duos alios homonymos Telone annuntiat.* Telone Martio, *inquit,* in ora Provinciæ, sancti Cypriani abbatis : qui patria Massiliensis, religiosæ vitæ magisterium apud
C Telonenses exhibuit; omnis Euangelicæ perfectionis factus tam verbo, quam opere didascalus : quo munere ad cumulum adimpleto, multorum pater ascetarum religiosissimorum, hac palæstra excessit, et ad præmium perrexit sibi a Domino in cælis repositum, relinquens memoriam in Telonensi matrice ecclesia, abhinc sacris Fastis celebratam, in qua viget etiam perenni cultu percolenda recordatio beati Cypriani martyris, a Saracenis, Gallias invadentibus, illic ad altare perempti. Nec non et sancti CYPRIANI ecclesiæ ipsius Telonensis episcopi, qui Vitam sancti Cæsarii Arelatensis conscripsit : inque conciliis aliquot, magnus et clarus, doctrina et moribus sanctis emicuit. *Hæc ille : sed, ut Castellani verbis utar,* more suo; sine ullo annuntiationis suæ testimonio : *adeo ut nulla ex parte ejus verbis standum hic esset, nisi aliunde haberemus, quid de* S. Cypriano, *Telonensi episcopo, ejusque cultu sentiendum sit.*

Cultus 3 *Octobris affixus,*

5 *Porro Sanctum coli die* 3 *Octobris, ostendunt Directoria diœcesium Massiliensis et Telonensis. Ordo divini Officii recitandi, in quo festa propria, de quibus fit Officium Massiliæ... et Telone, sua quæque die disponuntur, Massiliæ anno* 1676 *impressus,* 3 *Octobris ritu semiduplici Massiliæ, duplici autem et primæ classis cum Octava Telone* S. Cyprianum *episcopum colendum præscribit. Ordo festorum pro-*
D *priorum, de quibus fit Officium in præcipuis cujusque diœcesis Provinciæ civitatibus assignata die sic præfert :* Toloni Cypriani Ep. et C. et Patroni. Dup. I cl. cum Oct. *Sancti nostri festum Telone de præcepto esse, etiam, ut aiunt, in populo, ac sacra ejus luce hujus sui Patroni reliquias, argentea theca inclusas, solenni supplicantium agmine circumferri, ex Telonensium civium vel incolarum testimonio ad Stiltingum nostrum perscripsit amplissimus ac de Museo nostro optime meritus vir, dominus Josephus Antonius de Brantes, ecclesiæ Avenionensis thesaurarius ac pœnitentiarius, Datis Avenione litteris die* 4 *mensis Martii anno Domini* 1762 : *ut vel ex his, si aliunde testimonia deessent, de* S. Cypriani *cultu dubitandi locus non supersit.*

Massiliæ aliquando intermissus, tum restauratus;

6 *Verum non sic liquet, quo tempore Sancti festivitas Massiliæ et Telone celebrari cœpta sit. Laudatus Boucheus non habens, unde annum aut sæculum certum assignaret, illam* antiquitus *die* 3 *Octobris apud Massilienses viguisse, tradit tom. II Chorographiæ et Historiæ chronologicæ Provinciæ, pag.* 991, *quod constare asserit ex Missali Massiliensi, impresso Lugduni anno* 1630, *et ex veteri Breviario Massiliensis ecclesiæ itidem Lugduni edito anno* 1526. *Cum autem, iniquitate temporum Sancti festivitas Massiliæ intercidisset, illustrissimus Massiliensis episcopus, Stephanus Puget die* 9 *Augusti anno* 1655, E *edito hac super re decreto, eam ritu duplici in sua ecclesia rursus coli præcepit, ac* S. Cypriani *nomen in Sanctorum Massiliensium album retulit, uti apud laudatum Bouche citata pagina* 911 *memoratur. Atque hic successus fuit piorum conatuum domini Antonii de Felix, ut Sancto, quem sibi consanguineum esse contendebat, debita veneratio instauraretur. Qua de re consule, si lubet, jam mox laudatum scriptorem.*

Telone vero ab aliquot retro sæculis viguisse,

7 S. Cypriani *cultum Telone celebrem fuisse, ineunte sæculo* XIII, *patet ex Pontii Rausini num.* 3 *laudati verbis : imo vel a sæculo* XI *non mediocri veneratione suum prosecutos fuisse Telonenses Patronum, eruitur ex instrumento fundationis ecclesiæ B. Mariæ de Sedis a Gilberto, seu Guiberto, Provinciæ comite, anno* 1096 *obsignato;* quod, *ut Guesnayus Massil. Annal. pag.* 311 *refert,* in armario deinceps in tenebris, nescio qua causa, seposito et intra murum recondito, inventum anno 1374, Joanne Sylvestro, Tolonensi episcopo, ut infra suo loco meminimus (*nempe citato Opere pagg.* 428 *et* 429) habetur nunc sub signo in ecclesiæ Tolonensis archivio, servaturque diligentissime. *Ex hoc fundationis instrumento, si qua Guesnayo et adducto pagg.* 428 *et* 429 *testimonio fides est, utique plane diverso ab illo, quod sæculo proxime elapso ab im-* F *postore confictum fuisse, narrat Boucheus tom. II, pag.* 86, *recte confici arbitror, jam tum anno* 1096 *in ejus honorem jussu episcopi celebratum fuisse divinum Officium; quem Sancti cultum Telone interruptum umquam fuisse, non legimus. Ceterum, ne quid dissimulem, quamquam Acta illa, quæ Gilbertus, Provinciæ comes, antiqua credidisse et eodem anno* 1096 *in lucem protulisse dicitur, aut supposititia aut certe turpiter adulterata fuerint; imo licet a chronologicis historicisque nævis immune non sit ipsum illud fundationis memoratæ instrumentum, anno* 1374, *ut Guesnayus pagg.* 428 *et* 429 *ostendit, repertum; attamen ea omnia, quæ de* S. Cypriani *culti illic referuntur, pro commentis habere non ausim. Tametsi enim illud ab impostore sæculi* XIV *confictum, et veteri muro, qui tum reficiendus erat, subdole insertum fuisse, mihi quis probaverit; non ideo tamen antiquitatem cultus subverterit. Nam si sæculo* XIV *non admodum antiquus* S. Cypriano *cultus deferebatur, qua veri specie instrumenti illius artifex de illo cultu tam diserte meminisset, quove pacto, ne dicam, fascino, in re, quæ omnibus apprime nota esse debebat, fucum facere canonicis urbisque optimatibus potuisset? Non est quidem novum aut insolitum, veris falsa intermiscere impostores ejusmodi. At quando a publica auctoritate tuti non sunt, ita eos astutos et cautos novimus, ut ea non adstruant,*

A *adstruant, quibus se illico de turpi fraude convictum iri noscunt. Itaque instrumenti istius verba huc spectantia, ex Guesnayo pagg. 312 et 313 hic subjicio; de cetero liberum de ejus quantum ad alia suppositione aut interpolatione judicium lectori relinquo.*

ex instrumento fundationis, quod partim exhibetur;

8 *Cum Gilbertus, Provinciæ comes, multa de construenda nova ecclesia, et transferendis in eam quorumdam Sanctorum reliquiis præmisisset, ac subjunxisset, velle se, ut eorum capita argenteis thecis includerentur, ceteræ vero eorum exuviæ sepulcro conderentur marmoreo, sic demum pergit :* Quod quidem etiam volumus, sit factum de corpore B. Gratiani, episcopi dictæ urbis (*Telonensis*) cujus quidem corpus sepultum est in capella B. Cypriani cum aliis : et cujus etiam caput volumus esse constructum ex argento et auro, et reliquiæ corporis, sicut et aliorum, in monumento marmoreo clausæ sint. Item ordinamus et decrevimus, quod in dicta capella S. Cypriani ad honorem Dei et Virginis Mariæ atque B. Cypriani et aliorum Sanctorum, ad æternam rei memoriam, secundum requisitionem dicti reverendissimi domini episcopi sit celebratum divinum Officium unoquoque die propter honorem illorum Sanctorum *etc. Cultum Sancti ut prosequar, non inquiro, an memoratus in hoc instrumento Jacobus de Palma, qui inter Telo-*

B *nenses præsules non comparet in Gallia Christiana, re ipsa illam cathedram tenuerit, atque an ad ejus requisitionem hæc a Gilberto ordinata fuerint; nec, quæ sit antiqui illius Ms. a Gilberto, ut in instrumento fundationis dicitur,* lecti et manibus tacti *auctoritas, hic examinare aggrediar, cum de hac num.* 21 *et* 22 *sigillatim agendum sit.*

ostenditur, confirmaturque ex Bailleto et Dionysio Sammarthano.

9 *Reliquos igitur scriptores, qui nonnulla ad Sancti cultum spectantia referunt, loquentes audiamus. Bailletus in Vita* S. Cypriani *num.* 4 *hæc habet :* Sancti Episcopi corpus in ecclesia sua (*cathedrali*) sepultum fuit, in qua postmodum magnificum ejus honori positum est sacellum, quod exstitisse dicitur, donec tempore Henrici IV (*Galliarum regis*) Ægidius de Septres, Telonensium episcopus, illud in sanctuarium seu reliquiarum thesaurum commutarit. *Dionysius Sammarthanus supra laudatus tom. I Galliæ Christianæ auctæ col.* 734 *ait, eumdem episcopum* altare S. Cypriani ad sacellum sanctarum reliquiarum transferri jussisse. *Qualiscumque ea fuerit mutatio,* nihil, *inquit Bailletus,* de cultu, quem Sancto suo civitas reddebat, hac occasione detractum fuit. Hunc semper ut Patronum suum ac Titularem alterum post beatissimam Virginem veneratur, et Sancti reliquiæ summo ibi in honore habentur. Caput ejus a reliquo corpore se-

C paratum fuerat anno MCCV, aut potius anno MCCCV (*imo ipso anno* 1203 *prius assignato*) ut duorum nobilium Massiliensium, nomine de Montolieu, qui ex genere S. Cypriani se ortos dicebant, devotioni fieret satis, qui et caput argenteum auro illitum seu vermiculatum, quo S. Cypriani sacræ exuviæ includerentur, suis sumptibus fabricari curarunt, *nempe, vel quia lipsanotheca illa ex argento inaurato, quam construi jussisse dicitur Gilbertus Provinciæ comes, tam sancti Antistitis reliquiis non satis digna his viris nobilibus visa est; vel forte, quia id, quod Gilbertus præcepisse fertur, non omni ex parte fuerat exsecutioni mandatum. Ceterum translationis reliquiarum* S. Cypriani *sub Pontio I, Telonensi episcopo, factæ festivam commemorationem quotannis in urbe et in tota diœcesi faciendam decrevit idem Pontius episcopus, ut traditur in Gallia Christ. aucta tom. I col.* 746.

Telonense Officium ecclesiasticum, prout fuit

10 *Porro quod olim in Telonensi ecclesia recitari consueverat ecclesiasticum de* S. Cypriano *Officium, illud anno* 1618, *jubente Ægidio de Septres, Telonensi episcopo, suis expurgare mendis et ad præscriptam a concilio Tridentino normam redigere non sine labore conatus est amplissimus dominus Antonius du Blanc, ejusdem ecclesiæ præpositus, ut ipse testatur in Epistola nuncupatoria ad laudatum episcopum data anno* 1618. *Quinam autem ex eo Officio errores sublati tum fuerint, edicere nequeo, cum illud mihi ad manum non sit atque iterum iterumque conquirere, operæ pretium non videatur. Id unum asseverare possum, non esse illud Officium tam feliciter a laudato domino Antonio du Blanc emendatum, ut hinc inde aut animadversione aut spongia non indigeant compositæ ab eo Lectiones, prout in hujus Commentarii decursu suo loco ostendetur : quamquam tamen sua carere laude non debeat viri de Sancto bene meriti conatus, qui, cum post adhibitam in genuinis Sancti Actis investigandis diligentiam, aut parum aut nihil, ut ipse fatetur, apud scriptores chronicos de illo invenisset, ea dumtaxat edidit, quæ vel certa vel veritati conformia ex probatis auctoribus hausisse sibi visus est. Atque eccum Officium illud hodiernum, quod laudatissimus dominus de Brantes propria manu exaratum nobis humanissime submisit.*

AUCTORE J. G.

OFFICIUM S. CYPRIANI EPISCOPI TOLONENSIS ET CONFESSORIS.

ANTIPHONÆ AD UTRASQUE VESPERAS ET LAUDES.

anno 1618 *mendis plurimis expurgatum, exhibetur.*

11 Adest dies lætitiæ, patent cæli palatia,
Doctori novæ gratiæ nova confertur gloria.
Carnis liber ergastulo, jam cum pastoris mercede
Cæli potitur pabulo, clarusque doctoris sede.
Vivens refulget gratia, bina post finem laboris,
Congaudet Sanctus gloria, vitæ simul et honoris. E
O Pater sancte, filiis confer benedictionem,
Salutem nobis impetra, gratiæ plenitudinem.
Consors cæli spirituum, pie Pater miserorum,
Te nunc vota precantium justa suscipe tuorum.

CAPITUL. DE COMMUNI CONFES. PONTIF. HYMNUS.

Hymnus et Oratio de Sancto.

12 Numen supremi Numinis,
Æterni lumen luminis,
Jesu fides credentium,
Et spes in te sperantium.
Te cæli lucem poscimus,
Qua luce lucem colimus,
Qua tua quondam gratia
Nostra fulsit ecclesia.
O quanta lux ab æthere
Micat, tam sancto sydere,
Quo, te, lustratur, auspice,
Cypriano pontifice!
Hic sacro functus apice,
Nunc radiato vertice,
Postquam conscendit æthera,
Coruscat inter sydera.
Da, cujus fulsit radiis,
Sit fulta nunc præsidiis,
Et quam protexit infulis,
Preces commendent Præsulis. F
Parenti sit ingenito,
Nato sit unigenito
Sit procedenti Flamini
Laus, tribus; uni Numini.
Amen.

℣. Ora pro nobis B. Cypriane etc.

AD MAGNIFICAT ANTIPHONA.

O Pastor egregie, doctor veritatis,
Tu norma justitiæ, judex æquitatis,
Speculum munditiæ, custos sanctitatis,
Nos ad regnum gloriæ deduc cum Beatis.

ORATIO.

Propitius esto, quæsumus, Domine Deus omnipotens, orationibus nostris per S. Cypriani confessoris tui atque Tolonensium pontificis merita gloriosa, ut pia ejus intercessione ab omnibus hic et ubique semper protegamur adversis. Per Dominum.

Antiphonæ Sancti gesta aliqua perstringentes.

13 AD MATUTINUM

INVITATORIUM DE COMMUNI ET HYMNUS ET IN PRIMIS VESP.

ANTIPH. Cyprianus vir optimus, in Christo fidelissimus,
Cæsarii discipulus, fit comes individuus
Ejusque servat monita.
Plebs Tolonensis humilis, nunc puro corde et supplici,

AUCTORE J. G.

Te precatur et obsecrat, ut te patronum habeat
Et vim precantis sentiat.
Clemens Pater filiis, da salutem miseris,
Et obtine virtutem resistentem vitiis.

Responsoriæ et Versiculi ejusdem generis.

14 Lectiones i Nocturni FIDELIS SERMO de comm. Pontif.

℟. 1. Sub magno patre militat, Cæsario, Vir optimus
Et animo sanctissimus, ejus sequendo semitas.
℣. Tanti Patris doctus colloquio, sacri verbi fulget eloquio,
Tamquam lumen non tectum modio. Ejus sequendo semitas
℟. 2. Semen verbi, quod messuit, post sparsit abundantius,
Et mercede, quam meruit, jam fruitur fælicius.
℣. Post labores requiem possidet in cælis, Dei cernens faciem
Servus tam fidelis. Jam fruitur fælicius.
℟. 3. Dum cælorum scandisti culmina; post devicta mundi certamina,
Læta currunt Sanctorum agmina, modulantur dulcia carmina.
℣. O Senator cælestis curiæ, memor esto tuæ familiæ.
Læta currunt Sanctorum agmina, modulantur dulcia carmina.

B

In cæteris Nocturnis omnia de communi.

LECTIO IV

Ex lib. i *Vitæ B. Cæsarii Arelatensis, apud Surium.*

Ex Lectionibus propriis Sancti refertur educatio, diaconatus;

15 Cyprianus, episcopus Tolonensis, humanis et divinis litteris apprime doctus, floruit temporibus Anastasii, Justini et Justiniani imperatorum, et Clodovei Francorum regis, ac Childeberti ejus filii. Ab ineunte ætate adhæsit beato Cæsario, Arelatensi episcopo, cujus Vitæ librum primum simplici stylo, ornato tamen, descripsit, ubi post narrationem belli, quod gestum est inter Alaricum, Gottorum regem, et præfatum Clodoveum, qui ipsum Alaricum in bello occidit anno quingentesimo nono : Hodie, ait, civitas Arelatensis paret Childeberto, Francorum regi, filio Clodovei. Et de beato Cæsario, ac de se ipso loquens : Væ, inquit, mihi misero Cypriano, qui ad discendum tam tepidus fui, ut modo et agnoscam, et doleam, me de tanti fontis ubertate non tantum hausisse, quantum mea postulabat ariditas. Cum vero provincia Narbonensis hæretica Arianorum peste laboraret, a beato Cæsario diaconus factus, ipsum secutus est in synodo Agatensi, quæ celebrata fuit tempore Alarici, Gottorum regis.

C

LECTIO V.

ejus ad episcopatum promotio,

16 Cum vero Mendrianus et Flavianus, nobiles milites ex partibus Saxoniæ, adhuc deos falsos colentes, in castris Alarici regis venissent contra Clodoveum, Francorum regem, pugnaturi; et quadam die beatum Cyprianum de vera religione coram præfato Alarico publice disputantem audivissent, compuncti corde conversi et pœnitentes, ab ipso in fide instructi, baptizati et a peccatis absoluti, illum Tolonum usque sequuntur, ibique secus mare vitam eremiticam, anachoretarum more duxerunt. Cyprianus igitur beati Cæsarii, præceptoris sui, monita servans, ad episcopale munus assumptus, et illius comes factus, cum eo multis conciliis interfuit, maxime concilio Arausicano secundo, quod celebratum fuit quinto Nonas Julii, Decio Juniore viro clarissimo consule, anno Domini quingentesimo vigesimo nono.

LECTIO VI.

Ex Libro ii *Vitæ S. Cæsarii Arelat. apud Vincentium Salernum in Chronico Abb. Lirinensium.*

et sancta mors post multa præclare gesta.

17 Cum autem antistites Christi prope Isaram consistentes, charitatis amore collecti, in Valentinam civitatem convenissent, quo beatus Cæsarius infirmitatis causa, sicut disposuerat, properare non potuit : misit tamen præstantissimos viros, de episcopis, cum presbyteris et diaconis, inter quos etiam Cyprianus, Tolonensis antistes, magnus et clarus enituit, omnia, quæ dicebat, divinis Scripturis firmans, et antiquissimis Patrum institutionibus probans : cui beatus Cæsarius mantum et cinctorium meliorem testamento legavit. Interfuit etiam ipse Cyprianus cum Atilio, Vasionensi episcopo, concilio Aurelianensi quarto, tempore Pelagii primi, summi Pontificis, et ejusdem Childeberti, Francorum regis, anno Domini quingentesimo quinquagesimo, et ipsius Childeberti trigesimo sexto. Post hæc Cyprianus vita celebris, doctrina peritus et religionis sanctitate probatus, super gregem, sibi a Domino commissum vigilans, illum verbo et exemplo pascebat, ac post multos pro ovibus suos * exantlatos labores, obdormivit in Domino quinto Nonas Octobris.

D

* *an* suis?

In iii Nocturno Homilia de communi doctorum.

Hymnus ad Laudes.

Alter de Sancto Hymnus et Antiphonæ.

18 O nostri Vindex criminis,
Mercede pacta sanguinis,
Exaudi, Christe, cælitus
Nostri lamenta gemitus.
Hostis premunt insidiæ,
Pestes grassantur noxiæ,
Sed inter hæc discrimina
Nostra prægravant crimina.
Durum per hoc exilium,
Quod petimus auxilium,
Da nobis supplicantibus,
Da Cypriani precibus.
Pastor hic bonus populi,
Cleri decus, lux sæculi,
Sanctis instruxit moribus,
Juvit, ornavit dotibus.
Disjecit falsi tenebras,
Sprevit carnis illecebras
Vanamque mundi gloriam,
Hostis vicit superbiam.
Illo pro nobis supplice,
Ad nostra mala respice,
Eripe nos periculis,
Solve peccati vinculis
Parenti sit ingenito etc.

E

Antiph. ad Benedict. Mentis fulgor, carnis nobilitas, decus morum et ingenuitas; lux doctrinæ, pastoris æquitas, ornant justum et mira charitas.

Antiph. ad Magnificam in 2 Vesp. Ortum solem divinæ gratiæ, munus datum urbi Tolonicæ, Cyprianum laudat plebs humilis et Deum orat mente supplici.

F

§ II. Inquiritur de Sancta patria et nobili stemmate.

S. Cyprianum non Arelate, ut volunt aliqui,

Facit plerumque insignis Viri claritas, ut, cum de patria ejus indubitata documenta non proferuntur, certatim eum variæ urbes sibi vendicent, suumque civem faciant. Ut de Homero sileam, quod in SS. Laurentio, Helena imperatrice, Hieronymo, Ambrosio aliisque sanctitate illustribus viris contigisse legimus, haud ita absimili modo de Cypriani *patria geminæ urbes contendunt; hunc siquidem Arelatenses civem esse dicunt suum, Massilienses vero suum esse prædicant.* S. Cypriani *patriam familiamque inexploratam esse, tradunt auctores Historiæ Litterariæ Franciæ tom. III, pag.* 257; *eo tamen propendere videntur, ut eum Arelatensem faciant.* Præsumptio, *inquiunt citato loco,* Arelatensibus favet : *quam quidem ipsis ex hoc capite placere arbitror sententiam, quod Sanctus noster in clerum Arelatensem adscitus fuerit, antequam ad Tolonensem cathedram eveheretur. Sed inde res non evincitur, cum laicos, in aliena diœcesi, et præsertim in suffraganea natos, ecclesiæ suæ per sacram ordinationem adstringere nusquam hoc tempore vetitum episcopis, nedum metropolitis fuerit, ut pluribus ostendit Ludovicus Thomassinus de Veteri et Nova Ecclesiæ disciplina parte*

A *parte* II, *lib.* I, *cap.* 3. *Ut adeo facile potuerit* Cyprianus *a S. Cæsario Arelatensi clero adscribi, etiamsi origine vel domicilio Arelatensis non fuisset.*

sed Massiliæ ortum esse ex nobili gente,

20 *Arelatensibus* Cyprianum *eripere pugnant Massilienses, et antiquis, ut ipsis quidem videtur, monumentis nixi, Sanctum hunc popularem faciunt suum, patrem ejus, gentis nomen aliaque adjuncta pro certis et exploratis adstruentes. Horum agmen ducit laudatus Guesnayus Massil. Annal. pag.* 198, *et pag.* 601, *ubi Sanctum nostrum ex illustri familia* Monteolini, *vulgo* Montolici *vel* de Montolion, *nunc Gallice* de Montolieu, *Massiliæ a Julio patre prognatum esse intrepide propugnat. Nullus, fateor, de stemmatis ejus nomine ambigendi locus esset, si revera Gennadius ac Messianus ea de* S. Cypriano *edidissent testimonia, quæ Guesnayus Massil. Annal. pag.* 609 *apud eos extare asserit, quæque sic exhibet :* Cyprianus, Tolonensis episcopus, vir sanctitate et virtute splendidus, scripsit cum magna doctrina et gratia valde de statu monachorum libros duos. De laudibus Ecclesiæ libros tres, quædam etiam Opera de creatione mundi, quæ duo audivi ex ipso et vidi in Massilia... Legimus libros, quos ad nos misisti... sine nomine auctoris, sed puto, hæc Opera facta a Cypriano de Montolio, qui de doctrina splendidus est. *Hæc Gennadius, si*

B *Guesnayo credimus, cap.* 86 *vel* 88, *et cap.* 95. *Messianus vero, eodem teste, hæc de* Cypriano *scripsit lib.* II *de Viris Illustribus Ecclesiæ cap.* 10 : Multo magis vero et nobiles scriptores Ecclesiastici, nempe Venantius Fortunatus... Cyprianus de Montolino, Massiliensis illustris. *Potuit hæc optima fide retulisse Annalium Massiliensium conditor, vir certe non malus; at non potuit hæc de* Cypriano *episcopo scripsisse Gennadius, qui secundum receptam hodiedum ab eruditis chronologiam sub finem* V *sæculi, seu annis facile* 15 *prius desiit vivere, quam* Cyprianus *episcopus fieret. Ad Messianum quod attinet, vel hic librum de Scriptoribus Ecclesiasticis nunquam edidit, vel saltem Opus hoc Messiani, si quando exstiterit, a multis retro sæculis eruditorum oculos fugit. Fefellit procul dubio Guesnayum supposititius aliquis Gennadii et Messiani fœtus, cujus vitium ei obtexerit vel nimius ornandæ Massiliæ amor vel artis criticæ non satis frequens usus.*

præter anonymum quemdam, de cujus

21 *De ceteris assertionis suæ vadem Guesnayus facit anonymum quemdam, cujus scriptum, tum a Desiderio episcopo et clero Telonensi universo anno* 570 *comprobatum et obsignatum, tum anno* 1096 *a Guiberto, Provinciæ comite, propter suam antiquitatem et veritatem maximo in pretio habitum fuisse, refert pagg.* 198, 211, 212 *et* 315, *ubi etiam ea*

C *instrumenta exhibet, quibus maximam huic anonymo fidem habendam esse, contendit. At quominus Guesnayo adstipuler, non levia rationum momenta me deterrent. Ac primo quidem non nego, anno* 570 *Desiderium fuisse Telonensem episcopum; admitto quoque, sæculo* XI *ad finem vergente, exstitisse Gilbertum seu Guibertum Provinciæ comitem, ac potuisse ei vetus aliquod volumen Ms. exhiberi; at genuinum, ipsumque illud fuisse, quod pag.* 198 *et* 212 *Guesnayus retulit, non possum non inficiari, cum sæculo* VI *in publicis instrumentis computati non sint anni a Nativitate Domini, nec sæculum* VI *sapiat hæc phrasis :* Anno Domini nostri Jesu Christi Nativitatis ejusdem 570, *ac demum cum eo tempore certo certius adhibitæ non sint, quas* Arabicas zyfras *vocamus, quæ multis tantum post sæculis a notariis aut scriptoribus publicis assumptæ fuerunt, ut ostendit Papebrochius tom. III Maji in Tractatu præliminari de Episcopis et Patriarchis Hierosolymitanis pagg.* 55, 56 *et* 57. *Et quamquam ad perpetuam rei memoriam etiam olim scripta fuerint publica instrumenta, tamen sæculo* VI *has phrases :* Ad perpetuam rei memoriam, in præsenti publico instrumento *aliasque ejusmodi minime in usu fuisse, nemo non videt, qui vel leviter artis diplomaticæ elementa norit. Mitto ridiculam illam* Telonensis episcopi Peire Vasqui et Joan. Belline collectoris harum summarum Vitæ *subscriptionem; varios quoque hic prætereo anachronismos historicosque errores, suis locis infra redarguendos.*

AUCTORE J. G.

22 *Sufficere hæc mihi videntur, ut cum Cointio et Bailleto pronuntiem, codices illos, quos Guesnayus perantiquos et authenticos putavit, longe esse recentiores, imo, Cointio judice,* nullius fidei, *nimirum, ut ego censeo, cum ea referunt, quæ aliunde vel ex probatis historicis, vel antiqua traditione aut solidis rationibus erui non possint. His de anonymi auctoritate præmissis, eum Sancti nostri natales describentem audiamus.* Cyprianus, *inquit Annal. Massil. pag.* 198, virtute plenus atque splendidus claruit ex tempore Anastasii, Justini et Justiniani, ac Clodovei, Francorum regis primi nomine, hic ex illustri familia Monteolini vulgo Montolici Massiliæ prognatus est a Julio patre suo. *Belle sane? Quasivero eo tempore, quo similia familiarum cognomina in Galliis plane inusitata erant,* Monteolini *aut* Montolici *cognomentum* Cypriani *patri aut genti ex speciali prærogativa inditum fuisset! Demonstrarunt Papebrochius noster tom. IV Maji pag.* 12, *Mabillonius, Cangius ac Ludovicus Muratorius Antiquitatum Italicarum tom. III, Dissert.* 41 *pag.* 721, *non solum tempore primæ et secundæ stirpis Francorum, sed etiam in principiis tertiæ ignota fuisse ejusmodi nomina; et, Muratorio teste loco citato,* prope pro argumento falsitatis statim habendum est, si qua E charta ante millesimum exarata eruitur, quam ornent aut onerent ævi nostri cognomina. *Nullam itaque fidem anonymus meretur, cum gentem illam, ex qua prodiisse* Cyprianum *narrat, sæculo* VI Monteolinam *aut vulgo* Montolicam *dictam fuisse, adstruit.*

fide disseritur,

asserunt Officia propria

23 *Non tamen ideo ut falsum negaverim,* S. Cyprianum *ex eadem gente, quæ dudum post, puta sæculo* XI *aut subsequentibus* Montholicæ *nomen gessit, suam traxisse originem. Hoc si anonymus et Guesnayus dumtaxat contenderent, ex eruditis neminem sibi contradicentem haberent, imo non contemnendis testimoniis, licet tamen minime coævis, opinionem suam tueri possent. Ex nobili stirpe Sanctum nostrum ortum esse, innuit Officium de* S. Cypriano, *anno* 1618 *jussu Telonensis episcopi emendatum, in quo Antiphona ad* Benedictus, mentis fulgore et carnis nobilitate *præclarus fuisse dicitur. Adstipulantur Officia propria sanctæ Massiliensis ecclesiæ anno* 1662 *Massiliæ opera et studio venerabilis Capituli ecclesiæ cathedralis edita et illustrissimi ac reverendissimi domini Stephani de Puget, episcopi Massiliensis, approbatione et auctoritate munita, ubi pag.* 194 *in titulo Officii proprii Sanctus noster, non quidem ex anonymi et Guesnayi opinione, quam falsam esse, jam mox ostendimus, sed sensu proxime a nobis exposito,* Cyprianus de Monte Olivo *cognominatus reperitur.* F

et varii auctores recentiores,

24 *Inter alios recentiores, quibus tamen, dum veterum auctoritate non subnituntur, parum in subjecta materia deferri debet, huic opinioni patrocinatur Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, ubi in Catalogo episcoporum Telonensium hæc habet :* Cyprianus... is est, ut puto, qui Sanctus dicitur... ex gente, postea Montholia (Montholieu) nuncupata. *Honoratus Bouche Chorographiæ et Historiæ chronol. Provinciæ tom. I pag.* 643, S. Cyprianum *ex familia Monteolini, seu Montolieu prognatum fuisse, disertis verbis asserit : neque ei præfatum illustre genus abnuit Dionysius Sammarthanus tom. I Galliæ Christianæ auctæ. Ejus verba habes col.* 745 : Pontius Rausinus anno MCCV transtulit solemni ritu in ecclesiam cathedralem reliquias sancti Cypriani, episcopi Telonensis, quæ in veteri sacello ædium episcopalium inventæ fuerant nuper, et inclusæ intra thecam argenteam sumptibus tum episcopi et capituli, tum dominorum de Montolieu Massiliensium, qui ex genere S. Cypriani se dicunt. Hæc refert Honoratus Bouche lib. VII Histor. *Ita laudatus Sammarthanus; additque præfatus Boucheus tom. II Hist. chron. lib.* IX *pag.* 193, dominos de Montolieu ex traditione habere, Sanctum hunc de sua esse familia : *hæc autem quam antiqua sit traditio, expendamus.*

25 *Incompertum*

AUCTORE J. G. *quorum opinioni favet instrumentum sæculi* XIII;

25 *Incompertum hactenus mihi est, quo demum sæculo ea invalescere cæperit traditio; sed eam vel ab ineunte sæculo* XIII *firmatam fuisse, evincitur ex publico instrumento, quo supra laudatus Pontius Rausinus, Telonensis episcopus, nobilium Monteolinorum erga sanctum Consanguineum suum liberalitatem testatam et compensatam esse voluit. Integrum illud hic referre necesse non arbitror; ne longior sim, quæ huc pertinent, verba transcribo ex Guesnayi Annal. Massil. ad annum* 1205, *pag.* 341 : Notum fiat... quod... concedimus... privilegium perpetuum dictis de Monteolivo (*Joanni et Vincentio fratribus*) pro remuneratione trecentorum nummorum, qui ab his dati fuerunt ad constructionem capitis S. Cypriani de Monteolivo parentum suorum (*id est, sui consanguinei, seu, ut Gallice loquuntur*, qui est de leurs parents)... Quos trecentos nummos aureos dicti de Monteolivo dederunt propter constructionem dicti capitis S. Cypriani in aurum et argentum... propter quod per eorum vitam et suorum cum eis debeat satisfieri, in festum proximum S. Cypriani, dictis nobilibus de Monteolivo et aliis, qui sequentur eos, ex dispositione vitæ, concedimus gradum perpetuum honoris propter nobilitatem eorum, quod dicti Joannes et Vincentius de Monteolivo et sui in processione seu festo S. Cypriani per nos instituenda et fienda * circa urbem cum lampade de cirico albo * ipsi et omnes, qui ex parte eorum venient, debent ambulare * post idem corpus S. Cypriani, incipiendo festo sequente ejusdem et aliis. Idem facere debent * celebrando magnam Missam, propter et in memoriam S. Cypriani, quod quidem privilegium tam ex parte nostra, quam ex parte dictorum canonicorum communicatur.

B

* facienda
* cum cereo albo
* possint procedere
* facere ipsis licet

hæc tamen historice certa non est.

26 *Concessis hoc instrumento prærogativis, teste Honorato Bouche tom. II pag.* 991 *anno* 1655 *fruebatur, et haud dubie etiam nunc eodem consanguinitatis et piæ liberalitatis titulo fruitur illustris illa Monteolivorum familia,* S. Cypriano *ex avita pietate plurimum addicta, cujus rei specimen dedit laudatus num.* 6 *Antonius de Felix, qui se ex parte matris Margaretæ de Montolieu Sancto nostro consanguineum esse perhibebat, ejusque cultum Massiliæ instaurari curavit. Cum igitur adductis hactenus pro nobili Sancti genere testimoniis, nullum, quod sciam, seu vetus, seu recens opponi possit documentum, quo traditio illa aut falsitatis arguatur, aut diuturnæ possessionis suæ dimoveatur sede, haud æquum foret, præclaræ Monteolivorum genti Consanguineum suum et Massiliensibus Popularem eripere. Fatendum tamen, non id roboris habere, quæ pro his militant testimonia, ut* S. Cypriani *natale solum ac stemma historice certum reddant. Honorificum proinde Massiliensibus fuisset, si data de eo scribendi occasione usi, ea edidissent fide et antiquitate veneranda instrumenta, quibus prudens quisque scriptor suffultus, illustrem Sancti gentem et patriam sine erroris metu asserere potuisset. Ut enim, quod jam pridem dictum fuit, lividi hominis est, veram Sanctis nobilitatem abrogare; otiosi autem et vani falsam affingere; ita moderati et æqui critici est, sine antiquis integræque fidei documentis nobiles Sanctorum natales certamque patriam non asseveranter adstruere.*

C

§ III. Series chronologico-historica rerum a Sancto gestarum usque ad episcopatum.

S. Cyprianus humanas litteras a patre suo, ut fertur, edoctus,

De S. Cypriani *natali in terris anno, institutione ac rebus ante episcopatum gestis summum est auctorum coævorum ac subæqualium silentium. Præfatus anonymus et hujus fidem secutus J. B. Guesnayus illum litteris Latinis, Græcis et Hebraicis a patre suo instructum fuisse, perhibent, additque Guesnayus, pag.* 601, brevi tantam omnium magnarum rerum atque artium scientiam consecutum illum fuisse, ut studio atque opera S. Cæsarii, Arelatensis archiepiscopi, in Gratiani, Tolonensis antistitis, demortui locum celsissimamque sedem honoris ac dignitatis promotus fuerit. *Facile cum emendatore Telonensis Officii credidero,* Cyprianum humanis et divinis litteris apprime doctum fuisse; *quin et præter Latinam, etiam Græcam linguam callluisse, non ausim inficiari; quandoquidem Massilienses trilingues olim fuisse, ac Græce, Latine Galliceque locutos, ex Varrone referat S. Hieronymus in Proæmio libri* II *in Epistolam ad Galatas : harum autem linguarum usum ad sextum usque sæculum apud Arelatenses (quidni et apud vicinos Massilienses?) etiam penes laicos et plebeios remansisse, patet ex Vitæ S. Cæsarii, quæ apud nos exstat tom. VI Augusti pag.* 64 *et seqq., num.* 13, *ubi hæc de Cæsario leguntur :* Adjecit etiam atque compulit, ut laicorum popularitas psalmos et hymnos pararet, altaque et modulata voce instar clericorum alii Græce, alii Latine prosas antiphonasque cantarent, ut non haberent spatium in ecclesia fabulis occupari. *Neque etiam ita vero absimile est, idioma Hebraicum illum didicisse; nam licet exeunte sæculo* V *non mediocriter in Galliis collapsum esset litterarum studium, tamen, cum his temporibus multi Massiliæ degisse videantur Hebræi, potuit specialis aliqua aut necessitatis aut utilitatis ratio* Cypriani *patrem movisse, ut hanc ipse linguam addisceret, eamque vel ipse Filium edoceret, vel ab aliis edocendum curaret.*

D

E

didicit divinas sub S. Cæsario;

28 *Utut sit de illa variorum idiomatum notitia, quam a suo parente* S. Cyprianus *accepisse fertur, plurimum certe ad ipsius in divinis litteris et præceptis institutionem contulit S. Cæsarius, quod planum fit ex memoratæ Vitæ libro* I, *apud nos num.* 40, *et apud Mabillonium num.* 30, *ubi* Cyprianus *pro sua modestia conqueritur, non eum sub S. Cæsario se fecisse progressum, qualem se sub tam illustri præceptore facere debuisse, credebat.* Væ mihi misero Cypriano, *exclamat,* qui tam tepidus in discendo exstiti, ut modo cognoscam et pœniteam ! Quare de tanti fontis fluvio non tantum hausi, quantum mea indigebat ariditas ? *S. Cæsarii supra laudati discipulum fuisse Sanctum nostrum, jure merito pariter affirmant Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana aucta tom. I, col.* 741, *scriptores Historiæ litterariæ Galliæ tom. III, p.* 237, *aliique non pauci, quibus omnino consonat Officium proprium Telonense, ubi in Antiphona* 1 *ad Matutinum dicitur* in Christo fidelissimus, Cæsarii Discipulus et Comes individuus, cui, *ut refertur Lectione* IV, ab ineunte ætate adhæsit.

sed de tempore

29 *Difficultatem tamen pariunt adducta ultimo loco verba. Si enim* S. Cyprianus *non cæperit adhærere S. Cæsario, nisi jam episcopo creato, sane non, nisi satis improprie,* ab ineunte ætate ei adhæsisse, *dicendus erit. Nam, ut apud nos die* 27 *Augusti pag.* 32 *ostensum est, S. Cæsarius ordinatus est episcopus anno Christi* 502; *cum autem Sanctus noster anno Christi* 505 *aut* 506 *a S. Cæsario diaconus consecratus sit, ut num.* 33 *ostendemus, consequens est, illum anno primo episcopatus S. Cæsarii, seu anno Christi* 502 *annos numerasse circiter viginti septem. Etenim, licet Arelatensis præsul, quam sibi condiderat legem, aliis episcopis non præscripserit, statuerat tamen ipse, ut* numquam in ecclesia sua diaconem ordinaret ante tricesimum ætatis ejus annum, *prout in citata S. Cæsarii Vita, lib.* I, *num. apud nos* 45 *asseritur. Quis autem, servata vocum proprietate, dicat,* ab ineunte ætate *magistro* discipulum adhæsisse, *qui annos natus circiter viginti septem, ejus se disciplinæ committere inceperit?*

E

et loco,

30 *Neque etiam tum temporis, cum S. Cæsarius in Lerinensi monasterio degeret, ei* Cyprianum *discipulum exstitisse putem. Præterquam enim quod ex præfata ejus Vita manifestum sit, S. Cæsarium, dum in Lerinensi cœnobio agebat, satis juvenem fuisse, utpote qui* adolescens *tantum ibidem vocitetur; memorata jam sæpius Vita indubitatum facit, non aliud ei munus ab abbate suo Porcario commissum fuisse, quam ut cellæ curam gereret, seu cellarium ageret, eumque ab hoc officio postea remotum,* desiderata

derata legendi, psallendi orandique et vigilandi assiduitate *ita se macerasse, ut morbo correptus, ac tandem valetudinis recuperandæ causa Arelatem fuerit remittendus. Non fit igitur verisimile, S. Cæsarium eodem illo tempore, quo ipse adhuc juvenis sub Porcario abbate religiosæ perfectioni incumbebat,* Cyprianum *nostrum aliosve sub se discipulos habuisse, quos disciplinæ regularis institutis imbueret. Quid? quod ne conjectando quidem erui alicunde possit, Sanctum nostrum Lerinense cœnobium umquam vidisse, nedum illic sub alicujus disciplina fuisse commoratum.*

ubi has didicerit, non ita constat;

51 *Itaque, si re ipsa* S. Cyprianus ab ineunte ætate *S. Cæsario adhæserit discipulus, suspicari licet, illum sub finem sæculi* V, *cum S. Cæsarius monachis in insula Rhodani præesse inciperet, perfectionis Evangelicæ studiosum, auditis præclari viri virtutibus, ejus se disciplinæ tum temporis subjecisse, annis natum viginti circiter et duobus, ab eoque tempore illi comitem individuum et fidum adhæsisse discipulum, donec ab ipso Cæsario anno* 502 *ad Arelatensem cathedram evecto ipse postmodum in Telonensi sede constitutus sit, in qua præceptoris sui vestigiis insistens, eamdem religiosæ vitæ normam, quam didicerat, retinuerit: atque, ut se moribus antistitis sui sæpe inferior clerus conformare studet,*

B *in tam sancto vitæ genere varios habuerit suæ diœcesis clericos virtutum suarum et vitæ generis sedulos imitatores; unde et fortasse subsequentibus temporibus* S. Cyprianus *abbas fuisse creditus sit. Hæc, ut a vero aliena non sunt, si re ipsa subsistant, (nam quis sine vade aut antiquo teste asseverare similia audeat?) facile erit intelligere,* Cyprianum *illum* abbatem, patria Massiliensem, *quem Saussayus a nostro sine ullo testimonio diversum facit, eumdem omnino cum Telonensi Episcopo esse, qui* religiosæ *et vero præsule dignæ* vitæ magisterium apud Telonenses exhibuerit, omnis Euangelicæ perfectionis factus tam verbo, quam opere didascalus. *Quæ tanto probabiliora sunt, atque eo fortius contra Saussayum faciunt, quod de diverso illo Cypriano Telonensi abbate, nusquam, quod quidem noverim, meminerit antiquitas; nec in ea urbe cœnobium ullum, quod regere potuisset, tum exstitisse legatur.*

videtur tamen id contigisse Arelate.

52 *Verumtamen cum nihil nos cogat allegatis Officii Telonensis verbis tam presse insistere, quid si statuamus,* Cyprianum *nostrum, non tam* ineunte, *quam* progrediente ætate, *seu anno ætatis suæ vigesimo circiter et septimo se disciplinæ S. Cæsarii commisisse, nimirum cum hic Arelatensibus præsul datus,* totum se (*ut habet ejus Vita num.* 13) verbo Dei et lectioni, inquietis etiam prædicationibus

C mancipavit, *atque, ut ibidem num.* 40 *dicitur, cum* in disserendis Scripturis et in elucidandis obscuritatibus emicuit; *adeo ut* Cyprianus *una cum Firmino et Viventio, postea episcopis, Messiano presbytero, Stephano diacono, aliisque viris, qua pietate, qua eruditione claris, pars alumnorum longe illustrior fuerit, quos Arelatensis antistes ad virtutum cultum et ad sacras Litteras, erecta in episcopali domo schola, sedulo erudiebat. Qua de re plura videsis tom. III Hist. litterariæ Franciæ pag.* 23 *et apud Thomassinum de veteri et nova Ecclesiæ Disciplina parte* II, *lib.* I, *cap.* 93. *Certe huic opinioni apprime congruunt ipsa* S. Cypriani *verba citato num.* 40, *ubi, postquam S. Cæsarii episcopales dotes, ejus in docendo et disserendo zelum modumque suos interrogandi auditores exposuisset, subjungit:* Væ mihi misero Cypriano, qui tam tepidus in discendo exstiti, ut modo cognoscam et pœniteam!

Diaconus a S. Cæsario consecratus anno ætatis suæ 30,

53 *Atque hæc quidem pro sua humilitate* Cyprianus, *qui tamen adeo insignem in virtute et sacra eruditione progressum sub tanto magistro fecerat, ut hic, cum nemini, nisi triginta annos nato et magna sacrarum Litterarum peritia ornato, manus imponeret, eumdem creaverit diaconum, et synodo Agathensi, cui auctoritate metropolitæ præfuturus erat, secum voluerit interesse. Audi hac de re Breviarium Telonense Lect.* 4; A beato Cæsario diaconus factus, ipsum secutus est in synodo Agatensi (*Gallice* d'Agde) quæ celebrata fuit tempore Alarici Gotorum regis. *Cum igitur concilium hoc, ut apud Labbeum tom. IV, col.* 1581 *ejus titulus præfert, celebratum sit* sub die III Idus Septembres, Messala V. C. consule, id est, anno Christi DVI, Alarici, Gothorum in Gallia regis, XXII, Symmachi Papæ VIII, *hæc nobis epocha, modo vera referat Telonensis Lectio* 4, *inservire potest, ut* S. Cypriani *annum in terris natalem, quem nulla, quæ quidem nancisci licuerit, authentica documenta expresse signant, utcumque eruamus. Etenim, si cum Arelatensi præsule ac magistro suo* Cyprianus *præfatæ synodo interfuerit, eodem aut præcedenti forte anno diaconus consecratus, revoluta retro triginta annorum subductione, efficitur, hunc anno circiter* 475 *aut* 476 *primam lucem hausisse, quandoquidem S. Cæsarius, ut supra dictum est, triginta annis juniores diaconos non ordinaverit.*

AUCTORE J. G.

postmodum ab eo episcopus Telonensis statuitur;

54 *Non pari modo annum, quo consecratus est episcopus, conjectando assequi alicunde possumus. Dionysius Sammarthanus tom. I Galliæ Christianæ col.* 741, *de illius ad episcopatum assumptione agens, nullam anni, quo hæc contigerit, mentionem facit. Scriptores Historiæ litterariæ Franciæ tom. III pag.* 257 *ipsum ante mensem Junium anni* 524 *episcopum creatum fuisse, asserunt. Et certe ultra hoc tempus initium ejus episcopatus differri non potest, cum anno* E *illo concilium Arelatense* 4 *subsignasse illum, extra controversiam sit. Bailletus tom. III ad diem* 5 *Octobris, anno circiter* 516; *Guesnayus vero Annal. Massil. pag.* 198 *anno circiter* 511 *episcopalem ejus ordinationem innectit. Quando itaque tam varia varii hac de re sentiunt, aut potius conjiciendo adstruunt, et nos symbolam conferre, et quod in re incerta probabilius nobis videtur, hic edicere non prohibemur. Si re ipsa post Gratianum, Telonensem episcopum, quem Gallia Christiana citato loco refert, circa annum* 472, *ut martyrem occubuisse, nullus in eam sedem fuerit evectus, prout saltem in nullis Telonensium episcoporum Catalogis medius aliquis inter Gratianum et* S. Cyprianum *reperitur; quid vetat credere, S. Cæsarium, Provinciæ metropolitam, etiam ante annum* 516, *puta anno* 510, *quo Arelate obsidionis periculo exempta erat, pro suo pascendarum ovium zelo Telonensibus proprium dedisse pastorem, ac* S. Cyprianum *regimen animarum in sua schola edoctum, quam primum juxta Ecclesiæ præscriptum potuit atque opportunum judicavit, ad Telonensem cathedram evexisse?*

non ante bellum Clodoveum inter et Alaricum, ut vult anonymus, F

55 *Conveniendus hic mihi videtur jam sæpe citatus anonymus, dum Sanctum nostrum in Telonensi sede ante illud tempus collocatum fuisse asserit, quo bellum inter Clodoveum Francorum, et Alaricum Gothorum regem exortum esset. Loquentem audiamus:* Cum reversus fuit Arelatas, episcopatum Toloni Cæsarius ei (*S. Cypriano*) dimittit... sed paulo post pugnando Clodoveo rege Francorum cum Alarico Gothorum reges *etc. Quibus verbis dissensiones et decretoriam inter hos reges pugnam initio episcopatus* S. Cypriani *postponit; at certe minus recte. Nam cum Alaricum, non anno Christi* 509, *ut refert Telonensis Officii Lectio, sed anno* 507, *in campis Vogladensibus acie fusum et occisum fuisse, ex optimæ notæ auctoribus jam passim tradant chronologi et historici Galli, consequens foret,* S. Cyprianum, *dum vix diaconatu insignitus erat, fuisse a S. Cæsario constitutum episcopum: quod non tantum non verisimile, sed et omnino falsum esse, ex eo liquet, quod Sanctus noster, testante ipso anonymo, Agathensi synodo,* 5 *Idus Septembris anni* 506 *celebratæ interfuerit, diaconus solummodo consecratus. Accedit, quod memoratæ synodo non subscripserit, ut patet apud Labbeum tom. IV Conciliorum col.* 1594 *et* 1595; *cum tamen episcopi omnes, ipsique ab absentibus episcopis delegati sacerdotes et diaconi hanc synodum sua subscriptione firmarint. Hæc sine dubio advertit Guesnayus in Annal. Massil. pag.* 198; *atque hinc, licet anonymum ut fidem ducem passim sequatur, ipsius hic vestigiis inhærere ausus non est, et* Cypriani *episcopalem ordinationem*

AUCTORE J. G.

tionem anno circiter 511 *innectendam judic avit.*

nec etiam, quia S. Cæsarium, falso accusatum, feliciter defendit,

36 *Nec magis anonymo nostro adstipulor, cum ea de causa* Cyprianum *innuit a S. Cæsario constitutum episcopum, quod ille metropolitanæ sui de hæresi apud Alaricum insimulati causam strenue gessisset.* Qui quidem, *inquit,* Cyprianus causam Cæsarii erga Alaricum regem defendit, qui de hæresi eum criminabatur. Sed cum reversus fuit Arelatas, episcopatum Toloni ei dimittit. *Triplici diversis temporibus calumnia de gravi crimine accusatum fuisse Arelatensem præsulem, extra dubium versatur; ac primo quidem anno* 505, *vel, ut alii volunt, anno* 506, *dein circa annum* 509; *ac tertio circa annum* 512 *aut* 513 *: quæ calumniæ ut a Cæsarii inimicis structæ et ab ipso depulsæ fuerint, expositum est in Opere nostro ad diem* 27 *Augusti. De prima illa insimulatione agit præfatus anonymus; sed labitur, dum crimen illi falso impactum, hæresim fuisse, de eaque* S. Cypriani *opera purgatum fuisse indicat. Quis credat, Arelatensem antistitem de hæresi, non alia certe quam Ariana, quæ tunc vigebat, apud regem Arianum fuisse insimulatum, atque propterea Burdegalam exsilio relegatum? Quis sibi in animum inducat,* Cyprianum, *accusati episcopi discipulum, apud regem, cui ipse non minus, quam præceptor, suspectus esse debuisset, tam feliciter ac strenue S. Cæsarii causam egisse, ut illius rationibus permotus rex Arianus liberum ad suos multo cum honore remiserit S. Cæsarium?*

B

quod ex Vita S. Cæsarii

37 *Accusationis ac defensionis seriem ex ipso potius* Cypriano, *S. Cæsarii biographo, audiamus. Lib.* I, *num.* 16 *et* 17 *hæc legimus :* Tranquillitatem hujus sancti viri (*Cæsarii*) post paucos dies æmula diaboli perturbavit adversitas : et cui non habebat, quæ opponeret, vitia corporis, crimen objecit traditoris. Etenim post aliquod tempus perditus quidam de notariis beati viri, Licinianus nomine (*quem Sigonius de Occidentali imperio lib.* XVI, *num.* 504 Licumannum *vocat*) assumpsit gerere in virum apostolicum, quod discipulus Judas non timuit adversus Salvatorem nostrum, Dei Filium, perpetrare. Veneno enim sævæ accusationis armatus suggessit per auricularios Alarico regi, quod beatissimus Cæsarius, qui de Galliis habebat originem, totis viribus affectaret territorium et civitatem Arelatensem Burgundionum ditionibus subjugare : cum utique præstantissimus ille pastor flexis genibus pacem gentium, quietem urbium, diebus ac noctibus a Domino generaliter postularet. Qua magis causa credendum est, instinctu diaboli ad exsilium sancti viri ferocitatem fuisse barbaram concitatam... Falsis et illicitis accusationibus condemnatus, cum ab Arelato fuisset abstractus, in Burdegalensem civitatem est quasi in exsilio relegatus. Sed ut in eo Dei gratia non lateret, casu accidit, ut nocte quadam civitas sævo flagraret incendio, populique velociter concurrentes ad Dei hominem proclamarunt : Sancte Cæsari orationibus tuis exstingue ignem sævientem. Quod cum vir Dei audisset, dolore ac pietate commotus, venienti flammæ obvius in oratione prosternitur, et statim flammarum globos fixit et repulit. Quo viso, omnium concurrentium vocibus divinæ per eum laus est celebrata potentiæ. Post hanc virtutem tanta admiratione ab omnibus habitus est, ut in eadem urbe non solum ut sacerdos, sed ut apostolus haberetur, et auctor persecutionis, id est, diabolus, confunderetur, qui eum, quem nisus fuerat reum asserere, videbat divini operis miraculis eminere. Quod ita factum fideli ratione comperimus. *Ita ipse* Cyprianus.

C

probatur;

38 *Tum eodem loco pergit probare, quam falso, non hæreseos, ut vult anonymus, sed proditionis scelus in S. Cæsarium conjectum fuerit; ac demum subjungit :* Post hæc comperta innocentia beati viri, *quam scilicet non* Cypriani *patrocinium, sed S. Cæsarii morum integritas, vitæ sanctitas et tam conspicuum miraculum non poterant non Alarico regi testatam facere,* poscit (*Alaricus*) quatenus sanctus antistes (*Cæsarius*) ad pristinam revertere-

tur ecclesiam, seque civitati pariter præsentaret et clero; accusatorem vero ejus rex præcepit lapidari; *sed indignum hunc notarium suum meritæ morti optimus præsul subtraxit. Hæc lib.* I *Vitæ S. Cæsarii num.* 17 *et* 18 Cyprianus *enarrat. Ex quibus ad oculum patet, quantum hallucinatus sit anonymus noster, cum de hæresi per calumniam insimulatum fuisse Cæsarium refert, atque* Cyprianum *ob defensam strenue hanc sui magistri causam ab eo ad Telonensem cathedram evectum, comminiscitur. Bailleto quoque, licet in assignando crimine, per calumniam illi impacto, cum Cæsarii Biographo consentiat, tamen non inducar, ut credam, sine teste ac vade asserenti, effectum fuisse* Cypriani *eloquentia atque opera, ut innocentem antistitem Arelatensem ad proprias sedes Alaricus ab exsilio revocarit. Certe tam feliciter a* S. Cypriano *suscepti patrocinii nec vestigium nec umbra in Vita S. Cæsarii aut in ullo fide digno instrumento reperitur; sed nec a Firmino aut a Viventio, qui alias magnificum Sancto nostro elogium texuerunt, simile quid litteris proditum est. Silet pariter de hujuscemodi defensione Carolus Sigonius de Occidentali imperio tum. lib.* XVI, *num.* 504, *tum alibi; imo ne verbum quidem unum ea de re habet Telonensis Officii emendator, alias in referendis rebus a* S. Cypriano *gestis minime parcus.*

D

E

nec videtur de religione coram Alarico rege disputasse.

39 *Nec minus altum est veterum scriptorum de publica disputatione silentium, quam coram eodem Alarico rege de vera Religione* S. Cyprianus *habuisse dicitur Lectione* 3 *Officii Telonensis his verbis concepta :* Cum vero Mendrianus et Flavianus, nobiles milites ex partibus Saxoniæ, adhuc falsos deos colentes, in castris Alarici regis venissent, contra Clodoveum, Francorum regem, pugnaturi; et quadam die beatum Cyprianum de vera religione coram præfato Alarico publice disputantem audivissent, compuncti corde conversi et pœnitentes... illum Tolonum usque sequuntur, ibique secus mare vitam eremiticam anachoretarum more duxerunt. *Alaricum hunc subditis suis Catholicis, modo hi nihil contra Arianos molirentur, non fuisse admodum infestum, sat notum est; at sine gravi ratione vel auctoritate mihi nemo persuaserit, ipsum adeo frigidum Ariani dogmatis defensorem fuisse, ut vel advenam diaconum, imo sacerdotem, si velis, Tolosæ, quod regni sui caput erat, publice et coram se de religione Catholica permiserit disputare; vel, quod minus etiam credibile est, ut Arelatem, ubi* Cyprianus *degebat, rex ipsemet profectus, disputantem non modo sua præsentia animarit, sed et suos milites, ab eo ad fidem Catholicam conversos, abduci in eremum siverit, eo maxime tempore, quo non exiguus sibi a Clodoveo Francorum rege metus erat. Atque hæc in causa sunt, cur ante numerum* 34 *in hac chronologica rerum serie, assertæ in Telonensi Officio publicæ illi disputationi locum nullum concesserim.*

F

§ IV. Prosecutio ejusdem seriei chronologico-historicæ, in qua præsertim concilia, quibus Sanctus interfuit et subscripsit, recensentur.

Variis conciliis interfuit, Arelatensi 4,

Non dubitandum videtur, quin sanctus Antistes noster, de cujus rebus in episcopatu præclare gestis pauca dumtaxat nobis antiqui reliquere, se ipsum ecclesiæ præbuerit exemplum bonorum operum, factus forma gregis, amplexusque eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens esset exhortari in doctrina sana, et eos, qui tum temporis maxime contradicebant, Arianos et Pelagii sequaces, non sine fructu redarguere. Catholicæ illum fidei et disciplinæ ecclesiasticæ strenuum acerrimumque fuisse defensorem, probant sat multa, quibus interfuit subscripsitque, concilia. In rem nostram sic de eo loquitur Breviarium Telonense emendatum, Lect. 3 : Cum eo (*S. Cæsario*) multis conciliis interfuit, maxime Arausicano secundo. *Martyrologium item Parisiense*

A *siense ad diem* 3 *Octobris cum* Arelatensi quarto, Arausicano secundo et aliis interfuisse, *testatur. De his speciatim hic agemus. Ac primum quidem concilium, cui* S. Cyprianus, *jam episcopus factus, interfuit, subscripsitque, fuit Arelatense quartum* (*Gallice* d'Arles) *quod a Baronio* tertium; *a Labbeo autem, Sirmondo, Pagio, Harduino aliisque ex collatione vetustissimorum Mss.* quartum *potiore jure et merito dictum est.*

anno 524 *celebrato;*

41 *Neque ex Baronio ad annum Christi* 455 *objici hic potest,* S. Cyprianum, *qui supra num.* 33 *circa annum* 473 *natus esse statuitur, non potuisse huic concilio, anno, ut vult hic scriptor,* 455 *celebrato, interfuisse. Id enim, si recte in hac re Baronius scripsisset, luce clarius esset. Sed erravit hic eruditissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor, dum concilium hoc, quod Opilione consule celebratum legerat, retulit ad annum Christi* 455, *quo anno Opilio quidam cum Vincomalo consulatum gessit. Verum a Sirmondo nostro de anachronismo admonitus, Arelatensem hanc synodum Justino Aug. iterum et Opilione consulibus, hoc est, anno Christi* 524 *fuisse habitam, agnovit veritatis amantissimus Cardinalis, et* concilium hoc Arelatense et cetera, quibus... Cæsarius præfuit... ab iis sedibus, in quibus male constituta fuerant, ad suas deinceps revocanda do-

B cuit, *ut refert Sirmondus tom. IV Concil. col.* 1625 *et* 1626. *Falluntur quoque Honoratus Bouche et Benedictini, qui Historiam litterariam Franciæ ediderunt : ille quidem, dum in sua Chorographia et Historia chronol. Provinciæ tom. I, pag.* 634 Cyprianum *concilio Arelatensi* quinto; *hi vero, dum tom. III pag.* 237 *Arelatensi* sexto *interfuisse, asserunt. Memorati concilii titulus apud Labbeum tom. IV Concil., col.* 1622 *his refertur verbis :* Concilium Arelatense IV. Constitutio sanctorum episcoporum, qui in civitate Arelatensi ad dedicationem basilicæ S. Mariæ convenerunt VIII Idus Junias, Opilione V. C. consule, id est, anno Christi DXXIV, Joannis Papæ secundo, Theodorici Italiæ regis XXXII. *Canones quatuor ad disciplinam ecclesiasticam spectantes in eo conditi sunt, quos, si lubet, vide apud laudatum Labbeum tom. IV col.* 1622 *et* 1623. *His Sanctus noster octavo post Metropolitam suum loco subscripsit in hæc verba :* Cyprianus episcopus consensi et subscripsi.

Carpentoractensi anno 527;

42 *Triennio post Arelatense* 4, *hoc est, anno Christi* 527 *interfuit* Cyprianus *concilio Carpentoractensi* (*Gallice* de Carpentras) *cujus hic titulus apud Labbeum legitur citato tom. IV, col.* 1665 : Concil. Carpentoractense. Constitutio sanctorum episcoporum concilii Carpentoractensis, sub die

C VIII Idus Novembres, Mavortio V. C. consule, id est, anno Christi DXXVII, Felicis IV Papæ 2, Athalarici Italiæ regis 2. *Huic synodo, ex cujus Actis hoc tantum reperitur sancitum, quantum et qualiter ex bonis parochiali ecclesiæ oblatis episcopo sumere liceat,* S. Cyprianus *loco antepenultimo subscripsit in hunc modum :* Cyprianus peccator consensi et subscripsi. *Epistolam vero ejusdem synodi ad Agræcium, episcopum Antipolitanum, primus post Cæsarium signavit Sanctus noster in hæc verba :* Cyprianus episcopus subscripsi. *Quem ei honorem ideo forte delatum fuisse, suspicari licet, quod in hac Agræcii causa præ aliis fortem et constantem ad decretarum legum observationem urgendam sese exhibuisset. Aliquam certe causam subfuisse, oportet, cur Carpentoractenses patres tam diverso inter se ordine synodum ac dein synodalem epistolam sua subscriptione munierint; at hanc pro certo edicere quis queat?*

Valensi II, *alias* III, *anno* 529; *mense Novembri,*

43 *Ceterum, tametsi* (*ut habet Additio ex codice Lugdunensi* ad Constitutionem episcoporum concilii Carpentoractensis) hoc etiam *præfatis Patribus placuisset* custodiri, ut sequenti anno (*qui erat* 528) in vico Vasensi (*Gallice* Vaison) octavo Idus Novembres deberet concilium congregari, *nihilominus, sive, quod indicta in hunc annum synodus non facile cogi potuerit; sive quod, ut cogeretur, nihil admodum urgeret; sive potius, quod gravioris momenti negotia, puta quæstiones de gratia et libero arbitrio, tum acriter agitatæ, patrum studia sollicitudinemque præ disciplinæ ecclesiasticæ constitutione ac perfectione exigerent; concilium Vasense, quod cum Sirmondo, Pagio, Harduino et Longuevallio* secundum *vocamus, dilatum est in annum* 529 *et diem* 3 *Novembris. Titulus hujus concilii apud Labbeum citato tom. IV, col.* 1679 *in hæc verba refertur :* Concilium Vasense III (*aliis, ut supra dictum est,* II) quod in Vasensi vico Liberii præfecti prætorio atque Patricii tempore celebratum est Nonis Novembris, Decio Juniore, V. C. consule, id est, anno Christi DXXIX, Felicis IV Papæ. 4, Athalarici Italiæ regis 4. *Subscripsit et huic synodo* S. Cyprianus *tertio post S. Cæsarium loco, verbis plane iisdem usus, quibus Constitutioni concilii Carpentoractensis subscripserat, nimirum his :* Cyprianus peccator consensi et subscripsi. *Statutos in ea Canones videsis citato tom. IV col.* 1679 *et* 1680.

AUCTORE J. G.

Arausicano 2, *anno* 529, *mense Julio,*

44 *Nec se* Cyprianus *desiderari passus est in concilio Arausicano* 2 (*Gallice* d'Orange) *quod, ut est in titulo apud Labbeum cit. tomo, col.* 1666, *habitum est* V Nonas Julias, Decio Juniore V. C. consule, id est, anno Christi DXXIX. Felicis IV Papæ 3. Athalarici Italiæ regis 3. *Cogendæ synodi occasionem ipsi Patres in Præfatione, cit. col.* 1666, *exponunt; aguntque de ea Stiltingus noster tom. VI* E *Augusti pag.* 37 *et Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom. II pag.* 366 *et seqq. Hanc semper celebrem inprimis fuisse, non quidem Patrum ac virorum illustrium, qui ei interfuerunt, numero ; (plures enim, quam viginti et unus non erant) sed rebus in ea gestis, et contrita Pelagianorum et Semipelagianorum hæresi, nemo historicus vel theologus ignorat. Conditis in illa canonibus* S. Cyprianus *loco quarto subscripsit, ut apud laudatum Labbeum col.* 1672 *videre est. Itaque Sanctus noster suam etiam in relata hic de Semipelagianismo victoria partem habuit, eamque non exiguam; ac forte ex hoc capite in Telonensi Officio* Doctor novæ gratiæ, *seu de novo tum hic tum in Valentina synodo assertæ et comprobatæ, in Antiphona ad utrasque Vesperas rite salutatur.*

Valentino ad Rhodanum, labente anno 529 *vel anno* 530;

45 *Cum vero ex pertinacibus Semipelagianorum reliquiis æmuli multi surrexissent, qui S. Cæsarii doctrinæ de gratia resisterent, ultimamque admovere machinam molirentur, qua Arausicana capitula aut quaterent, aut eluderent; contra hos celebratum est concilium Valentinum ad Rhodanum* (*Gallis* Valence) *in Gallia Viennensi labente anno Christi* 529 *vel initio anni* 530, *ut apud nos tom. VI Augusti pag.* 38 *exponitur. Quæ in hac synodo peracta sint, quidve* S. Cyprianus *in ea præstiterit, non aliunde discere* F *possumus, quam ex Firmino et Viventio, qui partem aliquam Vitæ Cæsarii conscripserunt. Sic ipsi lib.* I, *num.* 46 : Multi quidem æmuli surrexerunt, qui ejus (*S. Cæsarii*) resisterent doctrinæ de gratia. Sed o felicitas æmulanda! Etenim susurris et mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem Dei hominis frustra sinistra suspicio. Ob hoc antistites Christi ultra Iseram (*Gallis* l'Isère) consistentes, caritatis amore collecti, in Valentina civitate conveniunt : ubi enim beatus Cæsarius infirmitatis solitæ causa, sicut disposuerat, properare non potuit. Misit tamen præstantissimos viros de episcopis cum presbyteris et diaconibus, inter quos etiam sanctus Cyprianus Telonensis magnus et clarus enituit, omnia, quæ dicebat, de divinis utique Scripturis affirmans, et de antiquissimis Patrum institutionibus probans, nihil per se in divinis profectibus quemquam arripere posse, nisi fuerit primitus Dei gratia præveniente vocatus. *Atque ita quidem* Cyprianus *præ ceteris fidei Catholicæ et præceptoris sui causam prospero successu egit ac de Semipelagianismo triumphavit.*

ac dein Ausynodum, una cum 37 *aliis episcopis ac nonnullis presbyteris concilio Aurelianensi* 4 (*Gallis* d'Orléans) *interfuit* S. Cyprianus, *subscripsitque inter primos in*

relianensi IV *anno* 541;

AUCTORE J. G.

in hunc modum : Cyprianus episcopus ecclesiæ Tolonensis consensi et subscripsi. *Concilium hoc, quod, ut habet Labbeus tom. V Concil. col.* 380, triennio post Aurelianense III, Indictione quarta, Basilio viro clarissimo consule, celebratum est, id est, anno Christi DXLI. Vigilii Papæ 2, Childeberti regis XXX, *omnium postremum fuit, quod sanctus Antistes noster, jam sexagenario major, sua subscriptione munivisse legatur. De eo lectione* 6 *Officii Telonensis hæc referuntur :* Interfuit etiam ipse Cyprianus cum Atilio, Vasionensi episcopo, concilio Aurelianensi quarto, tempore Pelagii primi, summi Pontificis, et ejusdem Childeberti, Francorum regis, anno Domini quingentesimo quinquagesimo, et ipsius Childeberti trigesimo sexto. *Hæc Telonensis Officii verba, quam sunt vera, quantum ad* Cyprianum *in hac synodo præsentiam, tam sunt a vero aliena, quantum ad adjuncta et chronologicos characteres, ut obiter hic juverit annotasse.*

non vero, ut habet Telonensis Officii Lectio, anno 550, et tempore Pelagii Papæ I,

47 *Ego quidem sic censeo, in paucis illis Telonensis Officii verbis non paucos errores cubare. Nam, præterquam quod Vasionsis antistes, qui synodo illi interfuit, non* Atilius, *sed* Alethius *vocatus fuerit, ut patet ex ejus subscriptione apud Labbeum tom. V Conciliorum, col.* 588; *et tom. I Galliæ Christ. col.* 921, *illud certe perperam adstruitur, synodum* B *illam coactam fuisse anno Christi* 550 *et tempore Pelagii I summi Pontificis. Constat quippe, memoratum concilium, ut supra etiam indicatum est, non anno* 550, *sed anno* 541 *fuisse celebratum; etenim, ut in Canone ejus* 27 *dicitur,* ante hoc triennium *coacta fuerat alia synodus Aurelianensis, ordine scilicet* 5; *cum autem id factum sit anno* 4 post consulatum Paulini Junioris, viri clarissimi, id est, anno Christi DXXXVIII, Silverii Papæ II, Childeberti regis XXVII, *ut videre est citato tomo Concil. col.* 294 *et* 504; *necessario consequitur, Aurelianensem* 4 *anno Christi* 541 *coactam fuisse; qua de re consule, si lubet, Harduinum tom. II Conciliorum col.* 1433 *et* 1436, *Cointium Annal. ecclesiast. Francorum tom. I, pag.* 593, *Pagium in Crit. tom. II, pag.* 581, *num.* 9, *Dionysium Sammarthanum in Gallia Christiana tom. I, col.* 741 *et sæpe alibi, Historiam litterariam Franciæ tom. III, pag.* 185 *et* 258. *Nec minus ex historicis ecclesiasticis certum est, contra quod Telonensis Officii auctor asserit, ante annum Christi* 535 *Pelagium I in Romana Cathedra non sedisse; ut mirum sit, potuisse hunc errorem ab eo admitti et synodum Pontificatui Pelagii I adscribi, quæ annis* 14 *ejus in Cathedram Petri assumptionem præcessit, quæque adeo sub Vigilii, ejus decessoris, Pontificatu* C *collocanda fuerat.*

nec Childeberti, Francorum regis, anno 36.

48 *Sed neque felicius Telonensis Officii auctor coactæ synodi annum cum Childeberti Francorum regis anno* 36 *connexit. Cum enim hic rex anno Christi* 558 *obierit, ut ex Marii Chronico refert Henschenius in Exegesi de Episcopis Tungrensibus et Trajectensibus pag.* 42, *utque ostendunt Cointius Annal. eccles. Francorum tom. I, pag.* 845, *Daniel Historiæ Franciæ tom. I, col.* 149 *edit. Parisiensis anni* 1713, *Longuevallius Hist. eccles. Gallicanæ tom. II, pag.* 567; *cum, inquam, Childebertus anno Christi* 558 *obierit, et annos* 48, *vel, ut vult Daniel,* 47, *regnaverit; debuisset Telonensis Officii auctor annum Christi* 550, *cui Aurelianensem synodum innectebat, non Childebertini regni* 36, *sed* 39 *completum aut* 40 *inchoatum statuisse. Quamquam parum nostra et lectorum interest, cohæreantne inter se, sibive constent, nec ne, chronologici characteres, aliunde a vero multum aberrantes, ut ex dictis patet. Missis igitur chronologicis hisce quæstionibus, ad ea, quæ propius ad Sanctum nostrum spectant, sermonem convertamus, et num ipse S. Cæsarii, præceptoris quondam sui, Vitam litteris mandarit, adductis ultro citroque dissentientium argumentis, dispiciamus.*

§ V. Altera ejusdem seriei prosecutio, in qua liber prior Vitæ S. Cæsarii Cypriano, Telonensi episcopo, adjudicatur. D

Cyprianum, S. Cæsarii discipulum,

A *synodo Aurelianensi* 4 *redux in Provinciam* Cyprianus, *S. Cæsarium anno* 542, *ut ostendit Stilingus noster tom. IV Augusti pag.* 61, *carissimum sibi magistrum ac metropolitam suum, amisit.* Cypriani *sui haud immemor Cæsarius,* mantum* et cunctorum meliorem, *seu, ut alii in Testamento Cæsarii legunt,* cinctorium meliorem *, *ei moriens dari voluerat; Juniorem vero Cæsariam, fundati a se monasterii tum abbatissam, cui et* mantum majorem, quem ipsa de cannabe fecerat, *pariter testamento legarat, enixe successori suo, Arelatensi antistiti, voluerat esse commendatam,* iterum iterumque eum rogans, gratia divina præfati monasterii ut curam maximam haberet, et famam illarum (*sanctimonialium*) cum grandi pietate satageret provideri, *prout in eodem testamento apud nos tom. VI Augusti, pag.* 62 *exponitur. Ergo Cæsaria chorusque sodalium monacharum ei commissus defuncti institutoris Vitam legere appetentes, apud* Cyprianum *quemdam aliosque S. Cæsarii discipulos institere, ut sancti sui fundatoris vitam et conversationem ab exordio repetentes litteris comprehenderent. Tam piis virginum* E *votis annuens* Cyprianus, *quæ vel ipse comperta de eo habebat, vel viderat, vel ex venerabilium Cæsarii discipulorum relatione prolata didicerat, de ipso scribere ante alios agressus est. Ita fere ad verbum biographus S. Cæsarii in Præfatione ad ejus Vitam cit. tom. VI Augusti pag.* 64.

* pallium

*cingulum melius

ejusque biographum,

50 *Porro hæc S. Cæsarii Vita, cum multis in locis interpolata hactenus prodiisset, sincera et integra exhibita est a Mabillonio, Sæculo Benedicto* 1, *pag.* 638, *uti is refert in prima Observatione prævia. Eadem tom. VI Augusti apud nos Vita extat, in duos libros distincta, quorum prior hunc præfert titulum :* LIBER PRIMUS, auctoribus Cypriano, Firmino et Viventio episcopis, ex Ms. S. Martini a Campis, Ordinis Cluniacensis Parisiis, collato cum editione Mabillonii : *posterior vero liber in citatis Actis Sanctorum die* 27 *Augusti hoc insignitur titulo :* LIBER SECUNDUS. Auctoribus Messiano presbyterio, et Stephano diacono, ex editione Mabillonii. *Prioris illius libri* Cyprianum *quemdam maxima ex parte scriptorem esse, ipse Vitæ titulus manifestum facit, atque id ex libri* I, *num. apud nos* 40, *abunde confirmatur. Posteriorem vero librum a Messiano presbytero et Stephano diacono scriptum fuisse, ex fine libri* I *et initio libri* II *liquido etiam patet. Audi auctorem libri* I *num.* 48 : Et quia de innu- F merabilibus ejus (*S. Cæsarii*) hæc pauca præsumpsimus attingere : sufficiant manifesta, etiamsi celantur occulta. Rogamus tamen, vos sancti fratres Messiane presbyter et Stephane diacone, quibus de illo muta comperta sunt, pro eo quod ab adolescentia in obsequio ipsius fuistis, ut huic Opusculo vestram collationem, *seu Vitæ librum alterum* jungatis. *Hæc* Cyprianus. *Verum sitne ille a Telonensi nostro Episcopo diversus, an unus idemque cum ipso, inter criticos neotericos omnino non convenit.*

eumdem cum Sancto nostro plures statuunt;

51 *Antistiti nostro librum priorem adjudicarunt Officia propria Sanctorum Arelatensis ecclesiæ, impressa Avenione anno* 1612, *in fine Lectionis* 6 *ad diem* 27 *Augusti, ubi dicitur* S. Cyprianus illius (*Cæsarii*) quondam discipulus, episcopus Telonensis, ejus Acta conscripsit. *Sed tacite id ipsum postmodum retractatur, dum iisdem Officiis propriis Lutetiæ Parisiorum anno* 1618 *impressis, memorata verba omittuntur. Officium Telonense, anno* 1618 *emendatum, hæc ad rem nostram habet :* Ab ineunte ætate adhæsit (S. Cyprianus, *episcopus Telonensis*) beato Cæsario... cujus Vitæ librum primum simplici stylo, ornamento tamen, descripsit. *Saussayus in Supplemento Martyrologii sui Gallicani tom. II, pag.* 1176, *Honoratus Bouche Chorographiæ et Hist. Chronol. Provinciæ tom. I, pag.* 645 *et* 645, *et Guesnayus Annal. Massil. pag.* 198 *hujus Vitæ scriptorem*

A *scriptorem statuunt* S. Cyprianum *nostrum. His adstipulatur Mabillonius Sæc. Benedictino* 1, *pag.* 638, *observatione* 1, *ubi hæc scribit :* Cyprianus (*auctor Vitæ S. Cæsarii*) diversus non est a Cypriano, Tolonensi episcopo, S. Cæsarii discipulo, cui mantum Cæsarius testamento reliquit. *Eamdem tuentur sententiam Scriptores Historiæ litterariæ Franciæ tom. III, pag.* 238 : Opus unicum (*inquiunt*) quod quidem exstet, quodque S. Cypriano (*Telonensi episcopo*) adjudicandum noverimus, Vita est S. Cæsarii Arelatensis maxima ex parte ab illo conscripta.

Harduinus vero, cujus opinio

32 *Contra vero Harduinus tom. II Conciliorum, col.* 1102 Cyprianum, *Telonensem episcopum, diversum facit a Cypriano, Cæsarii biographo. Citata col. in marginali nota, lit.* c, *sic de Sancto nostro, qui concilio Arausicano* 2 *subscripsit, enuntiat :* Episcopus Telonensis, alius a Cypriano diacono, qui Vitam Cæsarii Arelatensis scripsit et de hac synodo siluit. *Si propterea ita Harduinus sentiat, quod in Vita S. Cæsarii nulla de hoc concilio mentio fiat, exigua ejus argumenti negativi vis erit. Nec enim apparet, cur S. Cæsarii biographus, de concilio Arausicano* 2 *sermonem instituisse debuerit. Ut quid contra adversarios ex hoc capite concludi posset, demonstrandum prius esset, S. Cæsarii biographum, si is* Cyprianus *Telonensis antistes fuisset, non potuisse non concilia,*

B *quibus cum Cæsario interfuit, ad unum omnia enumerare, aut saltem de Arausicano* 2 *non potuisse non expresse meminisse. Id autem nemo demonstrandum suscepit. Sed neque, si quis ostendere molitus fuisset, id facile effectum dare potuisset. Etenim Cæsarii biographo, ut num. apud nos* 48 *ipse loquitur,* de innumerabilibus ejus (*S. Cæsarii gestis*) pauca, eaque dumtaxat, *ut in Præfatione dicit,* quæ minus onerent et sint a prolixitate submota, attingere *et litteris comprehendere deliberatum fixumque erat. Noverat hic quoque, tum Firminum et Viventium episcopos, tum Messianum presbyterum et Stephanum diaconum operam suam inchoato Opusculo collaturos. Quid ergo eum impulisset, ut de Arausicano* 2, *cui cum Cæsario interfuerat, specialem monialibus faceret mentionem? Ego certe non video, quo jure ex capite* Cypriano *nostro, ut pro Cæsarii biographo haberi queat, loquendi de ea synodo onus imponi possit.*

hic refellitur,

33 *Ruit et ex alia parte Harduini eique consentientium opinio. Nam quem ipse* diaconum *solummodo appellat, hunc eumdem* Cyprianum, *Cæsarii biographum, Messianus et Stephanus lib.* II, *num.* 1 *diserte* episcopum *vocitant.* Illa dicturi (*inquiunt*) quæ vel simul vel sigillatim de eo cognovimus, vel cum sanctissimis (*S. Cæsarii*) coepiscopis, id est, domno

C Cypriano et domno Firmino atque sancto Viventio pariter vidimus; qui et ea, quæ de ipso superius scripta sunt, ab initio referentes usque ad finem articuli (*id est, prioris libri*) concluserunt. Istud etiam apparet, *ait Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam S. Cæsarii Sæc. Benedict.* 1, *pag.* 638, ex inscriptione huic Vitæ præfixa in cod. Ms. Montis majoris : « Incipit Prologus et Vita » Cæsarii, quam domnus Cyprianus et beatissi» mus Firminus et sanctus Viventius episcopus, » et presbyter Messianus et diaconus Stephanus » scripserunt. » *Et quamquam hæc Vitæ inscriptio vocem* episcopus *in singulari numero efferat, legendum tamen in plurali esse* episcopi, *recte admonuit laudatus Mabillonius. Et Viventium quidem episcopum fuisse, abunde etiam patet ex Messiani ad eum epistola, quæ exstat apud laudatum Mabillonium tom. I Annal. Benedict. pag.* 683; *Cyprianum autem et Firminum pariter episcopali dignitate fuisse, ex Messiani et Stephani verbis supra citatis luculenter quoque ostenditur. Imo ipse Cointius, qui in assignando Cypriano, S. Cæsarii biographo, a nobis dissentit, tres illos præsules supra laudatos,* S. Cæsarii coepiscopos *vocat tom. I Annal. Eccles. Franc. pag.* 454, *num.* 9.

34 *Fortius tamen, quam Harduinus adversarios suos hic urget Cointius, dum citato tomo ad annum Christi* 542, *num.* 23 *Vitam S. Cæsarii a* Cypriano, *episcopo Telonensi, conscriptam negat. Disserentem eum audi :* Non possumus, *inquit,* adstipulari tabulis Tolonensibus et Martyrologio Gallicano supra citatis, aliisque scriptoribus, qui Vitam S. Cæsarii a Cypriano, episcopo Tolonensi conscriptam volunt. Cyprianum, qui Vitam S. Cæsarii retulit in literas, a Tolonensi Præsule distinguendum remur. Rationem petimus ex eadem Vita. Author humiliter ac modeste de se, magnifice atque encomiastice de Tolonensi Antistite loquitur. Sic enim de se : (*cap.* 27, *secundum vero partitionem nostram t. VI Aug., pag.* 73 *num.* 40, *in quo, paucis mutatis, eadem leguntur*) « Cernere in beato Viro (*Cæsario*) » licebat virtutes omnes, virginitatem cum synce» ritate conjunctam, modestiam cum verecundia, » prudentiam cum simplicitate, severitatem cum » mansuetudine, eruditionem sive scientiam cum » humilitate, denique vitam immaculatam, vitam » nulli reprehensioni obnoxiam, vitam sui semper » similem. Væ mihi misero Cypriano, qui ad di» scendum tam tepidus fui, ut modo et agnoscam » et doleam, me de tanti fontis ubertate non tan» tum hausisse quantum mea postulabat aviditas.» Et paulo post : (*nimirum cap.* 28, *juxta nos num.* 43) « Sanctæ conscientæ suæ testis sum ego peccator » Cyprianus, quia quicquid aut aliis præcepit aut » ipse fecit, omnia etc. » Sic autem de Tolonensi E episcopo : (*cap.* 30, *secundum nos num.* 46) « Præ» stantissimos, inquit, viros de episcopis cum pre» sbyteris et diaconis, inter quos etiam Cyprianus, » Tholonensis episcopus, antistes magnus et clarus » enituit etc. » Certe multum discriminis inter se atque episcopum Tolonensem ponit, MISERUM se dicit ac PECCATOREM, episcopum vero Tolonensem ANTISTITEM MAGNUM ET CLARUM appellat. *Ita Cointius loco citato, cujus, ne quam ei sententiam falso adscribam, aut argumenti ejus vim enervem, integrum textum dedi.*

AUCTORE J. G. *et Cointius eum a Sancto nostro diversum faciunt.*

Allegatis ab hoc scriptore rationibus satisfit

35 *Verum enimvero, si ex humili modestaque* peccatoris *appellatione, quam de se loquens adhibet Cæsarii biographus, quidquam contra adversarios legitime concludere Cointius velit, profecto parum, aut nihil agit; et quo jure negat,* Cyprianum, *qui se* peccatorem *profitetur, Telonensem esse episcopum, eodem, id est, nullo jure negabit,* Cyprianum *nostrum concilio Carpentoractensi interfuisse, quia et in illius subscriptione* peccatorem *se vocat :* Cyprianus peccator consensi et subscripsi. *Magnificum autem illud de Telonensi antistite elogium, fateor a modestissimo nostro Episcopo adornatum non fuisse; nec placet proinde, quam et ipse postea pag.* 474 *retractasse videtur, conjectura Longuevallii tom. II Hist. ecclesiæ Gallicanæ pag.* 372, *memorati de Telonensi* F *præsule testimonii ipsummet* S. Cyprianum *auctorem facientis. Quod vero Cointii ratiocinium non tam arcte adversarios premat, ut tamen sibi quidam in animum inducere velle videntur, paucis ostendit laudatus supra Stiltingus noster in Commentario ad Vitam S. Cæsarii tom. VI Augusti, secutus in hac sua de Cæsarii biographo opinione Joannem Mabillonium, qui pag.* 638 *Sæc.* 1 *Benedict.,* 2 *Observatione prævia ad Vitam S. Cæsarii sic inquit :* Nec refert, quod prioris libri scriptor de se ipso modeste ac humiliter, magnifice vero de Cypriano, Tolonensi antistite, loquitur. Id enim de se non scripsit Cyprianus, sed illi, qui cum eo priorem istius Vitæ partem condiderunt.

responsione Mabillonii aliorumque

36 *Quod, ne gratis dictum videatur, hoc argumento probat :* Quippe licet Cyprianus auctor sit præcipuus, non tamen solus fuit in ea (*Vita*) describenda : sed cum eo Firminus et Viventius operam suam contulerunt. Quod quidem ex libri II exordio manifestum est. *Tum verbis, quæ num.* 33 *dedimus, interjectis, enuntiatum suum confirmat ex ipsius* Cypriani *testimonio, num. apud ipsum* 29, *apud nos* 39 : Unus ex nostris, qui hæc scripsimus. *Et mox prosequitur Mabillonius :* Illud igitur elogium, *quod de* Cypriano Tolonensi legis num. 33, (*apud nos* 46,) Firmino et Viventio auctoribus adscribe : sicut dum in libri II, num. 40, (*pro quo lege num.* 6,

AUCTORE J. G.

qui apud nos 7 *est*) Messianus VIR VENERABILIS dicitur, id a Stephano diacono, non ab ipso Messiano scriptum, nemo non concedet. *Mabillonio consentit Dionysius Sammarthanus tom. I Galliæ Christianæ col.* 741 *et* 742. Nec mirum, *ait*, videbitur, si libro 1, num. 33 (*apud nos num.* 46) laudetur ipse Cyprianus episcopus; etenim liber hic non solum a Cypriano, sed etiam a Firmino et Viventio dictatus legitur; qui duo procul dubio absolverunt hunc librum, in cujus fine occurrit Cypriani, Telonensis episcopi, elogium. *Objectam a Cointio difficultatem fuse pariter et erudite expendunt atque eodem modo expediunt scriptores Historiæ litterariæ Franciæ, quos lector, si velit, consulat tom. III, pag.* 239 *et seqq.*

et Cypriano nostro liber 1 *Vitæ S. Cæsarii adjudicatur.*

57 *Cum itaque tantum absit, ut propter allatas ab Harduino et Cointio rationes memoratæ Vitæ librum priorem* Cypriano, *Telonensi præsuli, abjudicare debeamus; ut potius ex facili objectionum illarum solutione adductisque a Mabillonio et Stiltingo nostro argumentis contrarium probari videatur; horum ego sententiæ, qua* Cyprianum *nostrum prædicti libri auctorem statuunt, lubens subscribo, et, si quid gravissimorum scriptorum dictis addere liceat, sententiam illam hoc ratiocinio confirmo. Si indicia omnia, quibus se istius libri auctor declarat, nemini alteri,*
B *quam uni* Cypriano *nostro conveniant; profecto nullus esse potest æquus rerum arbiter, qui Sancto nostro librum hunc non attribuat: hæc autem indicia an non in solum Antistitem nostrum apte quadrent, judicandum eruditis relinquo. Certe præcipuæ notæ, et maxime expressi characteres, ex quibus libri illius auctor dignosci queat, sequentes sunt.* 1. Cyprianus *ille, qui præfatæ Vitæ librum priorem maxima ex parte conscripsit, episcopali dignitate fulgebat, cum librum illum scriberet; quod ex Messiani et Stephani verbis num.* 33 *citatis et simul ex ipsius Vitæ titulo aperte probatur.* 2. *Multarum rerum, quas gessit S. Cæsarius, oculatum testem se profitetur biographus num.* 1 *in Præfatione Vitæ.* 3. *Auctorem libri illius fuisse sedulum S. Cæsarii discipulum, ex lib.* 1 *num.* 40, *apud Mabillonium* 30, *manifestius est, quam ut quis inficias ire queat. Jam vero ecquis, obsecro, præter Sanctum nostrum, Cyprianus episcopus hoc tempore exstitit, S. Cæsarii sedulus discipulus, et rerum ab eo gestarum testis oculatus? Quis alteri illi Cypriano episcopalem cathedram vel conjectando tantum assignare ausus est? Ecqua diptycha vel quinam ex antiquis neotericisve scriptoribus etiam levissime de altero illo Cypriano meminerunt? Profecto Cyprianos geminos, eosque in Provincia aut finitima regione episcopos, ac simul S. Cæsarii*
C *alumnos, omni retro antiquitati ignotos fuisse, mihi prorsus in animum induco, nec putem, fore ullum, qui hujus nominis binos præsules, rerum a Cæsario gestarum oculatos testes, ex qualicumque fide dignis instrumentis nobis sit exhibiturus. Quod igitur jam pridem ante Cointium et Harduinum creditum est,* S. Cyprianum, *Telonensem episcopum, priorem Vitæ S. Cæsarii librum conscripsisse, id salvum integrumque maneat, donec, quæ adduximus rationum momenta, refellantur et solidiora in contrarium proferantur documenta.*

Refellitur Bailletus iniquam de illa Vita censuram ferens.

58 *Ceterum etsi ipse Bailletus tom. II in Tabula critica ad Vitam S. Cæsarii die* 27 *Augusti nobiscum in assignandis Cæsarii biographis sentire videatur, multo tamen diversam a nostra censuram de illorum lucubratione subnectit. S. Bailletum audiamus, Vita S. Cæsarii, etiam ut exstat Sæc.* 1 *Benedict. pag.* 659 *et seqq., pro suspecta a nativæ puritatis et sinceritatis defectu haberi potest; quin et ipsos sanctissimos biographos, et Arelatensis præsulis discipulos, quasi præter modum narrandis prodigiis addicti fuissent, haud leviter censoriâ sua virga Bailletus ferire videtur. Verum hanc ejus censuram merito indignabundi explodunt eruditi scriptores Historiæ litterariæ Franciæ t. III, pag.* 240 *et* 241. *Fatentur quidem, stupenda quædam in illa S. Cæsarii Vita, maxime lib.* II *referri, sed* suis, *ut recte observant,* hæc ita adjunctis vestita sunt, eaque ratione comprobata, ut in dubium illa revocare D sapientis critici minime sit. *Quid ipsi de Vita illa censeant, pag.* 240 *exponunt:* Utut stylus Operis simplex sit, non eo minus tamen illud inter pretiosissima sexti seculi monumenta computari debet. Pauca in hoc genere reperies, quæ plures veræ pietatis sensus ingerant, aut plura, quæ ad Gallicanam ecclesiam pertinent, historica facta recenseant. De Vitæ illius auctoritate dubitare nefas est. Episcopi sunt, iique S. Cæsarii discipuli, qui illam scripserunt. Gravitatem, candorem, pietatem, ipsamque sancti Spiritus unctionem totum, quantum est, hoc Opus spirat. *Videsis etiam Opus nostrum ad diem* 27 *Augusti, pag.* 30, *num.* 1, 2 *et* 3; *ubi Cæsariam illam, cui* S. Cyprianus *librum suum inscripsit, non* (*ut vult Caveus*) *S. Cæsarii sororem,* (*hæc enim ante fratrem suum obierat*) *sed alteram juniorem homonymam, et cœnobii Arelatensis abbatissam fuisse, ostenditur.*

§ VI. Ultima seriei chronologico-historicæ pars, in qua tempus et genus mortis S. Cypriani examinatur.

Etsi incertum sit, quo anno Sanctus obierit, E

Quam diu *S. Cæsario, anno Christi* 542 *ad superos translato, supervixerit* S. Cyprianus, *quove anno aut die ipse ad Dominum migrarit, hactenus pro certo statui non potuit. Bailletus tom. IV Chronologiæ Sanctorum pag.* 161, *Sanctum anno Christi* 547 *obiisse ponit; at tomo III ad diem* 3 *Octobris, certum emortualem annum non designat. Martyrologium Parisiense, anno* 1727 *editum, ejus mortem statuit circa annum* 545. *Castellanus in Aemeris sic de illo loquitur:* Inventum est ejus (S. Cypriani) corpus anno MCCCI; (*substituendum esse annum* 1201, *num.* 3 *probatum est*) dies tamen emortualis deprehendi non potuit. *Dionysius Sammarthanus tom. I Galliæ Christianæ, col.* 741, *cum præmisisset,* S. Cyprianum, *jam tum senem, concilio Aurelianensi* 4, *anno* 541, *interfuisse, annum, quo mortuus sit, silentio premit, hoc unum referens, illum in vivis non fuisse anno* 549, quo anno, *inquit,* Palladium (S. Cypriani *successorem*) Telonensem episcopum fuisse, constat. *Nihil eo certius aut determinatum magis referunt scriptores Historiæ litterariæ Franciæ cit. tom. III, p.* 238. Non dudum, *aiunt,* S. Cæsario anno DXLII defuncto superstes fuit S. Cyprianus; creditur hic anno DXLV aut DXLVI in vivis non fuisse. Id saltem constat, ante mensem Octobrem anni DXLIX successorem ejus fuisse Palladium, qui eodem hoc anno concilio Aurelianensi V, jam episcopus Telonensis creatus, interfuit, *cui et subscripsit his verbis:* Palladius in Christi nomini episco- F
pus ecclesiæ Telonensis subscripsi. *Vide Labbeum tom. V Conciliorum col.* 598.

tamen male in Officio Telonensi anno Christi 550;

60 *Cum ergo extra dubium versetur, ante mensem Octobrem anni* 549 *vita functum fuisse* S. Cyprianum, *oportet, ut vel corruptos codices præ oculis habuerit Officii Telonensis emendator, vel certe hallucinatus sit, dum illum anno* 550 *in vivis fuisse, imo etiam aliquo tantum post tempore* obdormivisse in Domino, *narrat, diem emortualem, nescio, quo instrumento edoctus, statuens* quintum Nonas Octobris. *Si tamen in assignando mortis die sua Telonensi Officio fides constet, emendandæ rursus hic erunt Telonenses Tabulæ a Guesnayo Annal. Massil. pag.* 198 *citatæ, quæ ejus emortualem diem* quintum Idus Augusti *assignant. Ego, incompertum mihi esse Sancti nostri diem et annum mortualem, multo libentius dixero, quam ut sine sufficientis fidei instrumento utrumque determinato diei et anno temere affigam. Quod autem die* 3 *Octobris* S. Cypriani *celebretur memoria, id ejus corporis inventioni, quæ, ut num.* 3 *diximus, die illa contigit, adscribi posse existimo: neque enim id in Ecclesia inusitatum est, ut, quando Sancti alicujus natalis in cælis dies ignoratur, illius in eam diem referatur solemnitas, qua corporis sacræ exuviæ aut felici eventu repertæ, aut solemni ritu olim translatæ fuerunt.*

61 *Et*

A *pessime vero in Telonensibus tabulis anno 556 Sancti obitus innectitur.*

61 *Et quamquam sancti Antistitis mortem anno potius 545, quam uni e tribus subsequentibus definite innectere non ausim, utpote hac in re veterum testimonio non suffultus; id tamen asseverare non timeo, Telonenses tabulas, quas a Gilberto de Tarenta in lucem erutas, scribit Guesnayus cit. p.* 198 *Annal. Massil., omnino infeliciter Sancti mortem ad annum* 556 *retulisse. Sic in prædictis tabulis legitur :* Post mortem S. Cæsarii Cyprianus in episcopatu suo remansit in pace.... Sed paulo post Albionus, (*imo Alboinus*) Longobardorum rex, cum magno exercitu ex parte Galliæ venit, armis et igne fere omnes urbes Galliæ Narbonensis invasit, ejusque milites magnam partem populi multosque episcopos necaverunt, effusione sanguinis Christianorum gaudentes; et una eorum turba juxta Tolonum venit, irruens in urbem sicut leones in prædam, dictique milites in templum Dei ambulaverunt, et B. Cyprianum invenerunt cum sociis Mandriano et Flaviano, ejecerunt eos de templo et in agro necaverunt eos, sicut oves Christi, anno Domini DLVI, v Idus mensis Augusti.

Eum non fuisse martyrio affectum,

62 *Quod ad Mandrianum et Flavianum martyres attinet, jam pridem ostendit Cuperus noster in Actis Sanctorum tom. III Augusti pag.* 749, *eos anno Christi* 556 *sub Alboino, Longobardorum rege,*

B *occisos non fuisse. Unde, quas pro sua stabilienda opinione rationes evidentes adduxit, eædem etiam demonstrant,* Cyprianum *nostrum, qui, ut num.* 59 *vidimus, procul omni dubio anno* 549 *diem suum felici morte clauserat, non potuisse anno* 556, *nedum anno* 566, *sub Alboino rege, qui anno dumtaxat* 568 *ex Pannonia in Italiam venit, a Longobardis martyrio affici. Quo tempore Sanctus noster vita functus est, (hoc est anno circiter* 545) *ecclesiæ Gallicanæ, ut ex Honorato Bouche tom. I Chorographiæ et Hist. Chronol. pag.* 645 *et ex Cointio ad annum Christi* 542 *num.* 25 *aliisque historicis patet, nullam persecutionem passæ sunt, atque ideo* S. Cyprianum, *Telonensem episcopum, martyrio coronatum fuisse, expresse negat Cointius, et jure quidem meritissimo. Non placet tamen, cum addit, existimare se, Sanctum nostrum* ab iis, qui Telonenses tabulas longe post illius mortem publicarunt, cum martyre ejusdem nominis confusum fuisse, *illo nimirum, quem Saussayus tom. II pag.* 1176, *a Saracenis Gallias invadentibus Telone ad altare peremptum scribit.*

nec Telone exstitisse homonymos,

63 *Etenim, an umquam exstiterit Cyprianus ille martyr, Telone circa annum Christi* 730, *ut addit Guesnayus, a Saracenis occisus, ob gravissimas rationes jam pridem dubitavit laudatus Cuperus noster, scrupulosque hac de re suos, quos nemo hactenus evulsit, eruditis proposuit in Opere nostro ad* 19 *Augusti in Vita SS. Mandriani et Flaviani martyrum;*

C *ubi et Cyprianum, Telonensem abbatem, propter summum antiquitatis de eo silentium aliasque ob rationes non ausus est a Sancto nostro distinctum admittere. Non diffiteor quidem, apud Saussayum die* 3 *Octobris Telone Martio exstare memoriam tum Cypriani abbatis, tum synonymi martyris, ac demum* Cypriani, *Telonensis episcopi : verum quis nescit, illum non semel absque ullo veterum testimonio Sanctos pro suo arbitrio aut multiplicasse aut confudisse? Saussayum secuti Guesnayus et Cointius, de Cypriano illo abbate ac de homonymo martyre fecerunt mentionem; at ipsi nihilo magis, quam Saussayus, assertionem suam expresso tantillæ fidei instrumento firmare potuerunt. Et sane, si, præter Antistitem nostrum gemini Telone exstiterint Cypriani, alter religiosæ vitæ magisterio et prælatura, alter martyrii palma tam conspicuus, ut Saussayus adstruit; si utriusque, ut loquitur,* perenni cultu vigeat percolenda recordatio, *edisserat nobis, cur Provinciæ directoria atque Officia propria, saltem Telonensia, ne ullam quidem utriusque, vel alterutrius commemorationem aut hoc aut alio die præscribant. Accedit, quod Castellanus, peritissimus in paucis Sanctorum investigator, solius* Cypriani *episcopi meminerit; ac tandem, quod Cypriani martyris et homonymi abbatis a Sancto nostro Antistite distinctionem hactenus ostendere Telonenses, quorum tamen maxime intererat, nequiverint, nullusque inter eruditos Gallos inventus sit, qui motis a Cupero nostro difficultatibus plausibili aliqua ratione occurrere tentarit.*

AUCTORE J. G.

E *alterum martyrem, alterum abbatem, ostenditur.*

64 *Quæ argumento esse possunt, cum Telonenses certa de Sancto suo documenta non haberent, piam quorumdam Provincialium credulitatem olim ex uno suo* Cypriano *triplicem infundate fecisse; quod facile accidere ex eo potuit, quod lapsu temporis et barbarorum incursionibus obscurata Sancti memoria, inexploratum ipsis fuerit, quo eum titulo honorare deberent, aliis forte eum ut episcopum, aliis ut martyrem, aliis ut abbatem colentibus; unde cum in Sancti titulos errores irrepsissent, pronum ipsis fuit, eum vel geminare, vel ex uno triplicem facere. Alii contra in diversam partem abeuntes, nihilo solidiore fundamento uni suo antistiti* Cypriano, *præter episcopales infulas, abbatis pedum et martyrii palmam concesserunt. Neque hos juvare quidquam possunt citatæ n.* 61 *Telonenses tabulæ : etenim tam aperte falsa sunt, quæ sub illarum finem leguntur, ut ad ea refellenda malim lectorem ad num.* 21 *et* 62 *hujus Commentarii, vel ad Operis nostri tom. III Augusti pag.* 749 *remittere, quam hic sigillatim, at non sine lectoris nausea, errores omnes exhibendo, falsitatem illius martyrii evidentius demonstrare. Telonenses illas tabulas in adstruendo Sancti martyrio sublestæ fidei esse, satis etiam ostendit amplissimus dominus du Blanc, qui has certe præ oculis habuit, nec tamen, cum ad cleri Telonensis usum Officium de Sancto adornaret, vel leviter de ejus martyrio meminit. Demum ipsæmet ecclesiæ Provinciæ* Cyprianum, *non ut martyrem, sed dumtaxat ut Confessorem Pontificem, tum in horis canonicis, tum in sacro Missarum Officio celebrant.*

F

DE S. PATUSIO CONF., ELECTO EP. MELDENSI

MELDIS IN BRIA GALLIÆ PROVINCIA.

J. B.

Memoria sacra, locus, tempus, cultus.

SÆCULO VII VEL VIII. *Quæ S. Patusii meminerint Martyrologia,*

Sanctum Patusium *Martyrologium Parisiense Eminentissimi domini de Noailles, archiepiscopi Parisiensis jussu anno* 1727 *editum ad diem* 5 *Octobris his verbis memorat :* In pago Meldiciano S. Patusii presbyteri Meldensis, qui electus episcopus ipso die obiisse dicitur. *Ejusdem hoc die Breviarium Meldense anni* 1640 *meminit, et rursum ad diem* 31 *Augusti S. Ebregisilo* S. Patusii *in sede Meldensi successori sacrum :* Ebregisillus nobilissimis ortus parentibus, circa annum Domini septingentesimum quinquagesimum, eximiæ sanctitatis merito in episcopum Meldensem electus fuit, et in S. Pathusii (qui nondum consecratus fuerat) locum suffectus. *Saussayus in Appendice ad Martyrologium Gallicanum littera* P : S. Pathusius episcopus Meldensis, Deo charus, vita privatus memoratur ipso electionis suæ die : imo morte subductus et ad beatam subvectus immortalitatem. *Castellanus in Martyrologio Universali, cujus verba Gallica Latine reddo.* In pago Meldiciano S. Patusius ad S. Stephanum Meldensem canonicus, cujus pagi illius prioratus aliquis nomen gerit. Sancti *præterea titulo a Belleforestio, Demochare de divinæ Missæ Sacrificio, Chenuto, Severtio, Claudio Roberto, aliisque passim, qui de illo agunt, recentioribus honoratur : imo, teste Cointio in Annalibus ecclesiasticis*

AUCTORE J. B.

ecclesiasticis Francorum ad annum 697, In omnibus antistitum Meldensium Catalogis Sanctus appellatur : *omissum tamen in quibusdam Meldensium episcoporum Catalogis, lib.* I *num.* 79 *Plessius scribit in Meldensi Historia; at non alia de causa id factum censet, quam quod eodem, quo ad sacras infulas electus est, die, necdum consecratus, fecerit vivendi finem.*

quæ fuerit sedes episcopalis,

2 *De Meldensi urbe, pagi Briensis principe, in Actis nostris actum non semel est. Jatinum olim dicta, gentis deinde nomen sortita est. Episcopatum habet antiquum, cujus incunabula quidam a S. Dionysio, a S. Sanctino quidam auspicantur. Ecclesia cathedralis Deiparam Virginem et S. Stephanum patronos habet. Senonensi olim metropoli subjecta, modo Parisiensi subjacet, ex quo videlicet Parisiensis ecclesia sub Gregorio XV Pontifice Maximo, instante Ludovico XIII, metropolitanis Galliæ sedibus adjecta est. Anno* 549 *Medoveus, Meldensis episcopus, concilio Aurelianensi quinto subscripsit, Remensi Gondoaldus anno* 625 *secundum Labbeum, Cointium et Mabillonium; secundum Sammarthanos anno* 630. *Plures quoque præsules numerat sanctitate insignes, quorum sibi natales vindicat, ut S. Rigomerum, ut S. Hildevertum, ut S. Ebregisilum, ut* S. Patusium *nostrum, de quibus, aliisque apud Plessium tom. II pag.* 432, *ita canit Fulcoius Bellovacensis :*

B

Meldis, sanctorum mater fœcunda Virorum,
Walberti justi, sacri nec non Çanoaldi,
Faronis, Faræ, quæ Christum novit amare,
Pro quo terrenum sponsum facit hæc alienum.
Meldis Celiniam vita cum celibe diam,
Hostibus austerum tulit et Rigomerum.
Partusium (quid ago) profert urbs Meldica pago.
Hic tres Germani, gestis et dogmate sani,
Quem dilexerunt, Christum sibi substituerunt.
Hic Addo, Rado, proles clarissima Dado,
Optima fundantes loca, qui sua, seque dicantes,
Radolium, Jotrum, Resbacum constituerunt.
Hic Hildevertus pastor re, nomine, verus.
Hic fuit antistes solitus collidere tristes;
Conservis alacer, tumidis Ebregisilus acer etc.

quo floruerit tempore,

3 *Obscura admodum est antistitum Meldensium chronologia. Hinc P. Joannes Pinius tom. VI Augusti pag.* 694 *S. Ebregisilum, qui in sede Meldensi* S. Patusium *proxime excepit, sæculo* VII *vel* VIII *posuit, dum Meldensium episcoporum chronologiæ Novæ Galliæ Christianæ editores afferrent aliquid lucis. Exstat quidem apud illos tom. VIII col.* 1597 *et seqq. Meldensium præsulum Catalogus; sed nec* S. Patusio, *nec S. Ebregisilo annus ullus adscribitur. De Herlingo vero* S. Patusii *decessore proximo*

C

ita habent : Ipse creditur Herlingus episcopus, qui subscripsit privilegio Agliberti Cenomanensis episcopi pro monasteriolo sanctæ Mariæ mense Junio

D

anno XI Theoderici regis. Illud habes Analect. Mabillonii tomo III pag. 204. *Theodoricum sub annum* 691, *regni sui* 17 *obiisse, tom. I Annal. Benedict. pag.* 595 *idem Mabillonius refert : ex quo fit conjectura probabilis, sub finem sæculi* VII S. Patusium *diem clausisse extremum. Favet huic conjecturæ Cointius num.* 1 *citatus, favet et Martyrologium Parisiense, quod una cum Cointio annum Domini* 697 S. Patusio *mortualem assignat. Castellanus ad diem* 3 *Octobris,* S. Patusium *sæculo* VIII *obiisse, ponit; sed mendum in eum locum, nisi fallor, irrepsit : sancto enim Ebregisilo, proximo a* S. Patusio *Meldensium præsuli sæculum* VII *ad diem* 31 *Augusti idem Castellanus apposuit : sanctum autem Ebregisilum successorem* S. Patusii *faciunt, quotcumque vidi, Meldensium episcoporum catalogi. Contra Breviarium Meldense eodem num.* 1 *citatum notat, S. Ebregisilium ad Meldenses infulas evectum esse circa annum* 730 : *unde aut eodem, aut proxime præcedenti anno* S. Patusium *obiisse, consequitur. Malim ego Parisiensi Breviario, quam Meldensi subscribere : defuncto enim S. Hildeverto, circa annum* 680 *successit Herlingus; Herlingo* S. Patusius, Patusio *vero Ebregisilus; et proinde, si Meldensi Breviario standum esset, Herlingum* 70 *fere annos Meldensem sedem occupasse, necesse esset, quod, ne-*

E

scio, qua diceretur auctoritate, eoque mihi probatur minus, quo rarior est et infrequentior sedis episcopalis tam diuturna possessio.

quis ejus cultus, explicatur.

4 *Hæc de Sancti ætate : cultus vero inde perspicuus est, tum quod annuam ejus memoriam recolat ecclesia Meldensis die* 3 *Octobris Officio semiduplici, ut in communi confessoris non Pontificis, tum quod in diœcesi Meldensi templum jam olim habuerit suo nomini consecratum : de quo lib.* I *Historiæ Meldensis num.* 79 *ita scribit Plessius :* In diœcesi (*Meldensi*) tertio circiter ab urbe Meldensi lapide Septentrionem inter et Occidentem ecclesia parœcialis est sub ejus invocatione dedicata, in eaque fortasse sepultus est. Pagus ipse non alio nomine notus est, quam sancti Confessoris : est et prioratus in ea ecclesia, qui etiam S. Patusii nominatur. *Hanc abbatiæ Molismensi anno* 1102 *Odo quidam donavit, et Manasses hujus nominis I Meldensis episcopus decennio post confirmavit : prioratus vero eorum, quorum intererat, consensu* 28 *Junii anni* 1726 *exstinctus est sub Eminentissimo domino Cardinali de Bissy, qui illius reditus seminario suo applicuit, ut ex ecclesiæ Meldensis tabulario refert Plessius citatus. His plura de* S. Patusio *non inveni, præterquam quod sanctimoniales monasterii S. Faræ, eodem Plessio teste, aliquas* S. Patusii *reliquias*

F

S. Faræ fundatricis suæ ipsanothecæ inclusas penes se esse, arbitrentur.

DE SS. EWALDIS DUOBUS PRESBYTERIS MM.

IN ANTIQUA SAXONIA.

C. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Antiquæ Saxoniæ, in qua Sancti passi sunt, notitia, varia nominis eorum efformatio, memoria in Fastis sacris, cultus ecclesiasticus, Passio edenda.

ANNO, UT VEROSIMILIUS EST, DCXCV. *Antiquæ Saxoniæ*

Antiqua Saxonia pro varia bellorum fortuna variaque temporum ratione fines habuit modo arctiores, modo minus arctos. Caroli Magni ævo, quod et Ewaldorum *ætate obtinuisse videtur, inter Rhenum potissimum, Visurgim et Albim claudebatur. Fas est id colligere ex Annalibus metricis, per Chesnium tom. II Scriptorum Franciæ, Reinerum Reineccium, Bouquetum aliosque vulgatis. In his enim auctor, poeta anonymus, qui Arnulphi imperatoris ævo vixit, resque a Carolo Magno gestas carmine complexus est, ad annum* 772, *Indict.* 9 *describens antiquæ Saxoniæ populos sic canit :*

Saxonum natura ferox et pectora dura,
Ferre jugum Christi necdum dignata suave,
Dæmonico nimium fuerant errore subacta.
2 Christicolæ vero jam longo tempore Franci — *ex poeta anonymo notitia :*
Catholicam tenuere fidem, multisque per orbem
Jam dominabantur populis, quibus undique fulti
Præcipue virtute Dei, quem rite colebant,

Hanc

A Hanc unam poterant nimirum vincere gentem;
Quæ nec rege fuit saltem sociata sub uno,
Ut se militiæ pariter defenderet usu;
Sed variis divisa modis plebs omnis habebat
Quot pagos, tot pene duces, velut unius artus
Corporis in diversa forent hinc inde revulsi.
Sed generalis habet populos divisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Denique Westfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheno distat. Regionem solis ad Ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ostvalos alio vocitant, confinia quorum
Infestant conjuncta suis gens perfida Sclavi.
Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius. Horum
Patria Francorum terris sociatur ab Austro,
Oceanoque eadem conjungitur ex Aquilone.

quo usque illius pars, inter Rhenum,

3 *Cum terrarum tractum, qui Albim inter et Oderam est medius, Sclavorum populi, uti inter eruditos facile convenit, Carolo Magno imperante, insederint, ultimi decem huc transcripti versus, utut impoliti, sat aperte sane inter Rhenum, Visurgim et Albim collocant antiquam Saxoniam, hujusque insuper limites sat explicate definiunt. Attamen cum de antiquæ Saxoniæ loco, quo* SS. Ewaldi *passi sint,* B *infra disserturis usui futura sit paulo accuratior notitia limitum, quibus antiquæ Saxoniæ pars, Rhenum inter et Visurgim media, circumscripta fuerit, lubet hanc in rem diligentius inquirere. Dubitandum quidem non apparet, quin* Ewaldorum *æque ac Caroli Magni ætate ab ortu Visurgim, ab Occasu Rhenum aut certe loca Rheno vicina, a Septentrione Isalam et Frisiam pro limitibus habuerit antiqua Saxonia; verum quo usque hæc tunc sese a Meridie extenderit, non æque habetur compertum. In Annalibus Tillianis, a Bouqueto tom. V Scriptorum Franciæ insertis, quorum auctor initio sæculi non floruit, ad annum 776, pro quo reponendus notatur annus 775, hæc leguntur :* Tunc rex (*Carolus Magnus*) habuit synodum ad Duriam, et inde pergens in Saxoniam, Sigeburgum cepit. *Sigeburgum ad sinistram Ruræ amnis ripam situm est, ut, quo tempore Carolus Magnus antiquos Saxones armis aggressus est, eorum regio seu provincia, si non longius, ad Ruram saltem amnem a Meridie fuerit extensa; hanc autem non reor minoris versus eamdem mundi plagam extensionis fuisse sub finem sæculi septimi, quo* Ewaldorum *accidit martyrium.*

et Visurgim media, versus Meridiem fuerit extensa.

C 4 *Etenim Cluverius lib.* III *Germaniæ Antiquæ cap.* 13 *ex Gregorio Turonensi probat, Bricteros seu Bructeros, aut etiam, ut Beda scribit, Boructuarios, Theodosii Magni tempore seu sæculo quarto multum provecto inter Coloniam Agrippinam, Cattos seu Hassos et Lippiam seu Luppiam amnem sedes suas habuisse; nec his illos vel sponte sua vel vi adactos cessisse, comperio ante sæculi septimi finem, quo primum sibi a S. Suiberto salutarem Christi doctrinam annuntiari audiverunt. Tunc autem expugnati a Saxonibus alio migrare verosimiliter fuerunt compulsi. Colligendum id videtur ex Beda, dum. lib.* V *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum cap.* 12 *sic scribit :* Qui videlicet Suidberct, accepto episcopatu, de Britannia regressus, non multo post ad gentem Boructuariorum secessit, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit; sed expugnatis non longo post tempore Boructuariis a gente antiquorum Saxonum, dispersi sunt quolibet hi, qui verbum receperant. *Sanctus Suibertus anno* 693, *uti apud nos in S. Suiberto num.* 8 *probatum invenies, in Britannia ordinatus est episcopus. Cum ergo ex Bedæ testimonio Suibertus* non multo post *ad fidem adduxerit multos e Boructuariis, hique deinde* non longo post tempore *expugnati fuerint a Saxonibus, verosimile fit, primum quidem sub finem anni* 693 *aut anno* 694; *postremum vero sub finem anni* 694 *aut initio sequentis accidisse, ut adeo jam tunc antiqui Saxones limites suos, si non longius, saltem ad Ruram usque amnem, quo eos postea Caroli Magni ævo extensos fuisse mox docui, a Meridie protulerint, tractusque, Ruram inter et Lippiam medius, antiquæ Saxoniæ, priscis incolis abactis, Saxonumve potestati additis, annumerari cœperit.*

AUCTORE C. B.

In hæc martyrio coronati sunt Ewaldi :

5 *Itaque cum Sancti nostri, uti infra probabo, in illa antiquæ Saxoniæ parte, quæ Visurgim inter et Rhenum interjacet, anno* 693 *martyrii palmam fuerint adepti, ex omnibus jam dictis est consequens, ut in eo terrarum tractu, qui inter Visurgim, Frisiam, Isalam, Rhenum et Ruram interceptus episcopatum Monasteriensem, Osnabrugensem, Paderbornensem, comitatum Marcanum saltem ex parte, aliasque nonnullas ditiones complectitur, verosimiliter id acciderit; ibidem tamen indubie accidisse, idcirco asseverari non potest, quod tractus ille, uti ex jam dictis facile colliges, ultra Ruram amnem tunc, cum Sancti passi sunt, a Meridie forte fuerit protensus, nihilque, uti ex dicendis patescet, uspiam occurrat, quod* Ewaldorum *palæstræ definito cuidam loco indubie affigendæ sufficiat. Utut sit, dubium equidem non est, quin Sancti in illa Antiquæ Saxoniæ parte, quæ Visurgim inter et Rhenum interjacet, fuerint necati. Beda enim num.* 4 *Passionis edendæ refert, illorum Interfectorum corpora in Rhenum fuisse projecta; quod utique a vero alienum foret, si in Saxonia, Visurgim inter et Albim media, fuissent* E *occisi. Porro ex supra dictis unusquisque facile colliget, qui* Ewaldos *in Boructuariorum regione Rheno vicina mortem pro Christo oppetiisse, Pagius in Criticis ad annum* 693 *affirmet, nec tamen aperte pugnet cum Beda, qui id in antiquorum Saxonum provincia accidisse, in Passione edenda scribit. Quippe Boructuariorum regio saltem ex parte, quo tempore occisi sunt* Ewaldi, *Antiquæ Saxoniæ accenseri cœperat, eique deinde semper, etiam Beda Historiam suam scribente, fuit annumerata, ut in hypothesi, quod Sancti in Boructuariorum regione vere fuerint occisi, id ibidem simul et in Antiqua Saxonia evenisse, absque aperta repugnantia asseverari queat.*

horum nomina varie efformata, memoria multis

6 *Quocumque igitur modo res spectetur, Sancti in illa Antiquæ Saxoniæ parte, quæ Rhenum inter et Visurgim interjacet, martyrii palmam indubie sunt adepti, ut necesse non sit, rei hujc confirmandæ plura afferre. Scriptores bene multi* SS. Ewaldorum *meminere; verum hi non una eademque nominis efformatione exarantur ab omnibus. Ab aliis enim* Egualdi *vel* Eugualdi, *ab aliis contra* Edwaldi *similive alia vel magis vel minus corrupta appellatione efferuntur. Beda in Passione edenda nomine indeclinabili* Hewald *Sanctos distinguit; in Martyrologio vero, quod in Opere nostro tomo secundo Martii præfigitur,* Ewaldos *appellat. Hac deinceps appellatione et nos utemur : est enim longe communior,* F *omnibusque fere, qui Sanctos celebrant, martyrologis usitata; sunt autem hi numero non pauci tum classici, tum alii, qui ex classicis hausere, una cum Romano hodierno recentiores. Omnium antiquior est Beda; neque enim vel in Hieronymianis, vel in Romano parvo* Ewaldorum *mentio occurrit. Varia elogia, quibus singuli ad tertium Octobris diem Sanctos exornant, huc transcribere, fuerit inutile : omnia enim ex uno propemodum elogio, quo Beda primum usus est, ducunt originem. Hoc adeo solum una cum elogio, per Wandelbertum adornato, quod hoc metricum sit, nec forte ex solo Beda depromptum, hic recito, additurus interim per decursum, si quid, quod in Bedæ elogio non sit, in aliis elogiis notatu dignum occurrat. Wandelbertus sic canit :*

Ewaldi meritis, gente et cognomine et ara
Doctrinaque pares quintum sibi morte dicarunt.

Fastis sacris ipsique Bedæ

7 *Beda vero Sanctos ita celebrat :* Apud antiquos Saxones natale duorum Ewaldorum, qui cum Willibrordo episcopo venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones; et cum ibi prædicare Christum cœpissent, comprehensi sunt a paganis et sic occisi : ad quorum corpora multa diu lux apparens, et ubi essent, et cujus essent meriti, declaravit. *Etsi hoc elogium, uti infra dicam, a scriptore, qui post Bedam floruit, interpolatum forsan sit.* Ewaldorum

AUCTORE C. B.

dorum *tamen annuntiatio, quam continet, indubie ad ipsummet Bedam, veluti ad genuinum et primævum auctorem, pertinet, idque, dato etiam, ad Bedam, ut Sollerius noster in Præfatione ad Usuardum num.* 56 *conjicit, solas illas Martyrologii prosaici, sub Bedæ nomine tom. II Martii apus nos præfixi, spectare annuntiationes, quæ pariter occurrunt in Martyrologio Bedæ metrico, quod Acherius anno* 1671 *tomo decimo Spicilegii typis vulgavit. Etenim* Ewaldi *in laudato Martyrologio Bedæ metrico ad tertium Octobris diem seu ad quintum Nonas etiam celebrantur. Fit id quidem unico versu, sed duos etiam præcedentes, ut sensus habeatur integer, huc transcribo. Sic habent :*

* *forte* Nonas

Sextas Octobris Nonis * Bosa optat habere
Solemnes terris, summo qui gaudet olympo,
Et gemini quinis Ewaldi sorte coluntur.

genuino Martyrologio inscripta,

8 *Spectat ergo omni dubio procul ad genuinum prosaicum Bedæ Martyrologium* Ewaldorum *annuntiatio. Porro elogium metricum, a Wandelberto Sanctis adornatum supraque huc transcriptum, facit hos quemadmodum meritis, ita et doctrina pares. Quod si æquali Sanctos eruditione undequaque fuisse ornatos, significatum voluit Wandelbertus, a vero aberravit. Etenim Beda, cujus testimonio nemo non stet, in Passione edenda num.* 2 *de duobus* Ewaldis

B *sic scribit :* Erant unius ambo, sicut devotionis, sic etiam vocabuli : nam uterque eorum appellabatur Hewald ; ea tamen distinctione, ut pro diversa capillorum specie unus Niger Hewald, alter Albus Hewald diceretur : quorum uterque pietate religionis imbutus, sed Niger Hewald magis sacrarum Litterarum erat scientia instructus. *Pari ergo doctrina seu eruditione ambo* Ewaldi *ex Bedæ testimonio non fuerunt. Verum Wandelbertus forte dumtaxat voluit, iisdem illos paribusque fidei dogmatibus fuisse imbutos. Quod utique cum majori* Ewaldi *Nigri in sacris Litteris eruditione potest consistere. Ceterum laudatum Wandelberti elogium metricum ambos* Ewaldos *non solum* meritis, gente et cognomine, *verum etiam* ara *pares rectissime celebrat, idque sive per* aram *sacerdotii dignitatem, sive cultum ecclesiasticum intelligas. Ambo enim pari sacerdotii dignitate fuere insigniti, ut Beda in Passione edenda testatur; amboque etiam, martyrio e vivis sublati, parem ecclesiastici cultus honorem sunt adepti, ut palam fiet ex iis, quæ jam nunc dicere aggredior.*

cultus ecclesiasticus antiquus

9 *Viæ Sanctos reperias, qui a felici suo e vivis excessu citius, quam* Ewaldi *cultum Sanctis deferri solitum sint consecuti. Præterquam enim quod sacra* eorum corpora, *ut Beda in Passione edenda num. ultimo testatur,* juxta honorem martyribus

C condignum recondita *fuerint, eaque brevi post Pipinus humo extractâ atque ad se adducta cum multa gloria Coloniæ Agrippinæ tumulo mandarit, statim ab eorumdem obitu institutum fuisse videtur, ut congruo honore quotannis colerentur. Certe Beda mox laudatus, qui cum Sanctis floruit, annoque* 735, *ut nunc communior fert opinio, e vivis excessit, in Passione edenda num. ultimo sic scribit :* Dies Passionis vel Inventioniso erum (*sanctorum Ewaldorum*) congrua illis in locis veneratione celebratur. *Fuit ergo annua Sanctorum memoria ante annum* 735 *cultu congruo celebrata, hincque mihi verisimile fit, id jam factum fuisse vel ab ipso anno, qui gloriosum eorum martyrium, anno, ut dicemus,* 695 *affigendum, proxime est secutus. Adeo festinus fuit fidelium in colendis sanctis Martyribus fervor. Verum hic postea non parum remisisse videtur, ut etiam forte annua Sanctorum memoria aliquamdiu celebrari desierit. Certe sacra eorum corpora ad annum usque* 1074, *quo ea, uti infra docebo, sanctus Anno II, Coloniensis archiepiscopus, novo elevationis translationisque honore affecit, in neglectis loculis posita jacuere. Asseritur hoc in ipsiusmet S. Annonis de hac* Ewaldorum *translatione litteris infra huc transcribendis.*

Coloniæ Agrippinæ,

10 *Verum post dictum annum* 1074 *Sanctorum cultus, utut temporis lapsu forte imminutus aut etiam penitus neglectus, translationis memoratæ occasione pristinas vires verosimiliter recuperavit, aut etiam forsan majores acquisivit. Quidquid de re sit, in Supellectili nostra litteraria tres Lectiones Mss., ad Officium ecclesiasticum de duobus* SS. Ewaldis D *recitandum spectantes, hisque proprias, invenio. Hæ desumptæ notantur ex Breviario Coloniensi ad SS. Apostolos Ms., quod, qui illas decessoribus nostris sub finem sæculi præteriti descripsit, quadringentorum ut minimum annorum ætatem tunc habere existimavit. Fieri quidem potest, ut is non recte existimarit; verum dubitandum non apparet, quin sæculo saltem decimo quinto dictum Breviarium fuerit antiquius. Fuerunt ergo Sancti jam ante illud sæculum in diœcesi Coloniensi aut certe Coloniæ Agrippinæ Officio ecclesiastico eoque sibi proprio culti : coli autem ibidem deinde non desivisse verosimillimum est. Tria enim ad manum sunt Breviaria Coloniensia, quorum antiquius anno* 1498, *alterum anno* 1577 *ac tertium denique anno* 1618 *notatur excusum. In omnibus autem tribus Officium ecclesiasticum de* SS. *ambobus* Ewaldis *ad* 3 *Octobris diem recitandum proponitur; atque hi quidem in duobus prioribus præter orationem quinque insuper habent Lectiones sibi proprias, in posteriori vero, utpote ad Breviarii Romani normam redacto, præter Orationem tres tantum Secundi Nocturni Lectiones sibi* E *proprias nacti sunt.*

Monasterii,

11 *Hæc sunt, quæ de antiquo* Ewaldorum *apud Colonienses cultu commemoranda inveni; ad alia nunc loca, antiquo eorumdem cultu pariter illustria, orationem converto. Ante reliqua occurrit Monasterium, primaria Westphaliæ civitas, olim* Mimigardeforda *nuncupata. Sacra amborum* Ewaldorum *capita, uti infra docebo, eo olim fuere translata. Translationis hujus memoria, ad* 29 *Octobris diem in Usuardino Greveni Auctario memoratur his verbis :* In monasterio adventus capitum sanctorum duorum Ewaldorum, presbyterorum et martyrum; *illa ad eumdem diem Officio ecclesiastico quotannis olim celebrata apud Monasterienses fuit. Liquet id ex antiquo Monasteriensi Breviario, quod penes nos est, quodque anno* 1489 *notatur excusum. In hoc enim ad dictum* 29 *Octobris diem proponitur Officium de* SS. Ewaldis *recitandum, in quo hi præter Lectiones varias Orationem insuper habent sibi propriam, in qua ad sacrorum capitum apud Monasterienses præsentiam alluditur. Porro hi non solum ad prædictum* 29, *verum etiam ad* 3 *Octobris diem Sanctos olim coluere. Quamvis enim hoc die S. Ludgeri translationem olim celebrarint, hodieque verosimiliter adhuc celebrent, in Officio tamen, quod in præfato Breviario de illa fit, facienda de* SS. Ewal- F *dis commemoratio præscribitur. Proxime a civitate seu diœcesi Monasteriensi alia adhuc quatuor sese offerunt loca, Sanctorum cultu illustria, comitatus scilicet Hoyensis ad Visurgim situs, Appelderbeke, seu, ut alii scribunt, Appellerbeke, comitatus Marcani vicus, Tremonia haud procul dissitus, Larensis diœcesis Monasteriensis pagus, Horstmaria non longe remotus, et denique Croneburgicum in ducatu Montensi oppidulum; quamvis autem tria ultima vel in diœcesi Coloniensi vel in Monasteriensi sita sint, ac proin ad eadem spectent, quæ de Sanctorum in his diœcesibus cultu jam generatim dicta sunt, singula tamen nominatim hic una cum comitatu Hoyensi commemoranda veniunt, quod in his olim* Ewaldi *singulari quodam modo culti fuerint.*

aliisque in locis,

12 *Et vero* Ewaldos, *ut a comitatu Hoyensi et Appellerbecano vico incipiam, binis hisce in locis singulari quodam modo olim cultos fuisse, cultumve habuisse percelebrem, cum Catholica illis in partibus vigeret religio, perspicuum fit ex iis, quæ Wernerus Rolevinck lib.* II, *cap.* 1 *de situ et moribus Westphalorum, et Hermannus Fley, dictus* Stangefol, *Præfatione ad Annales circuli Westphalici cap.* 9 *litteris mandarunt. Ad hos ego brevitatis causa curiosum lectorem remitto, et ad antiquum simul et singularem Sanctorum in pago Larensi cultum probandum progredior. Nicolaus Schatenus, Societatis Jesu sacerdos,*

A *cerdos, in Historia Westphalica, quam sæculo proxime elapso conscripsit, pag.* 554 *hæc memorat :* Monstratur eo in pago (*Larensi scilicet*) fons tribus scatebris prosiliens, quem percusso in terram viatorio baculo (*sancti* Ewaldi) elicuere, dum extrema siccitas affligeret incolas. Rus etiam religione sacrum et rastro intactum a multis retro annis ex memoria horum Virorum. Sed memorabilior in eo ædes sacra, Divis hisce olim posita, rastauratque nostra ætate ab episcopo Christophoro Bernardo. *Cum ergo, uti ex his Schateni verbis intelligitur,* SS. Ewaldis *ædes sacra in pago Larensi olim fuerit exstructa, dubitandum non est, quin hi cultum ibidem singularem olim habuerint, seu singulari quodam modo honorati fuerint. Quod porro pertinet ad Croneburgicum oppidulum, in hoc quoque Sanctos singulari quodam cultu gavisos olim fuisse, idcirco verosimile apparet, quod sint etiam, qui illos ibi martyrio coronatos asserant, nec ullum alioquin, quo ad hoc asserendum ducantur, argumentum occurrat.*

hodie etiam in plerisque nondum omissus,

13 *Utut res habeat, Sancti equidem ibidem sæculo proxime elapso habuerunt cultum percelebrem. Gelenius enim, qui tunc Opus de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine vulgavit, quique, utpote haud procul Croneburgo versatus, rem apprime potuit habere perspectam, dicti Operis libro* III, *Syntagmate* 4, B *pag.* 288 *de* Ewaldis *sic scribit :* In Montensi etiam ducatu celeberrime coluntur in Croneburgico oppidulo. *Adhæc non dubito, quin ibidem etiam hodieque colantur. Ex cultu enim, quem sæculo præterito vel etiam citius habuere, argumentum pro cultu hodierno non infundatum conficitur. Hinc pariter existimo, Sanctos hodieque coli tum in vico Larensi supra memorato, tum Coloniæ Agrippinæ, ac præcipue quidem in piissimæ hujus celeberrimæque urbis ecclesia S. Clementis olim, nunc S. Cuniberti nomine insignita. In hac enim sacra eorum corpora servantur. Præterea ad* 16 *Novembris diem, quo* Ewaldorum *translatio anno* 1074 *die tertia Octobris a S. Annone facta posteaque a nobis pluribus hic memoranda binis Usuardinis Auctariis apud Sollerium inscribitur, Gelenius mox laudatus in sacris ac piis Fastis Agrippinensibus hæc memorat :* Coloniæ in ecclesia S. Clementis sive S. Cuniberti translatio SS. Evaldorum per B. Annonem archiepiscopum. *Fuit ergo Gelenii ætate in æde S. Cuniberto sacra non solum ad* 3 *Octobris* Ewaldorum *natalis, ut in aliis Coloniensibus ecclesiis, verum etiam ad* 16 *Novembris translatio celebrata, adeo ut Sancti ibi tunc præcipue culti fuerint, ac proin hodie secundum jam dicta verosimiliter etiam colantur. Ceterum, quod ad civitatem Monasteriensem pertinet, Sanctos etiam ibi hodieque coli existimo; eodem tamen id, quo olim,* C *fieri modo, pro certo asseverare non ausim, quod illorum capita, eo quondam translata, Anabaptistarum, uti infra docebo, furore exciderint.*

Passio edenda.

14 *Atque hæc de Sanctorum cultu tam antiquo, quam hodierno jam dicta sufficiant. Declaro nunc, quæ qualisque sit, quam Commentario huic subjiciam, eorum Passio. Hæc a venerabili Beda est conscripta, atque a nobis ex Historiæ Ecclesiasticæ, quam is de gente Anglorum contexuit, lib.* V, *cap.* 11 *deprompta. Beda ab anno* 673, *quo primum lucem sortitus est, ad annum usque* 735, *ut nunc receptissima fert opinio, vitam produxit : sub finem autem sæculi septimi (annum determinare, infra utcumque conabimur) martyrii palmam* Ewaldi *sunt adepti. Summam adeo fidem meretur jam dicta, quam edituri sumus, horum Passio, utpote exarata ab auctore, non solum veritatis amantissimo, verum etiam æquali, qui proinde res, quas in litteras misit, simul habuerit probe perspectas. At vero quantæcumque auctoritatis, accurationis ac fidei auctor sit Beda, nec palæstram tamen, quam Sancti in Antiqua Saxonia habuerint, nec annum, quo passi sint, definit. Accedit, quod nihil etiam suppeditet, unde, an Sancti ex Ordine S. Benedicti exstiterint monachi, certo rescias. Hinc circa Benedictinum Sanctorum monachatum, uti etiam circa martyrii eorumdem annum et palæstram, eruditorum opiniones variant. Nec mirum : præterquam enim quod his eos Beda deserat, nullum omnino antiquum sat probatæ fidei monumentum inveniunt, cujus ope quid certi queant statuere. Nos in Commentarii hujus decursu opiniones illas expendemus, ac quanti quæque facienda sit, ex rationum momentis, quibus nititur, æstimabimus. Adhæc nonnulla alia, quæ a Beda attinguntur quidem, non tamen sat dilucide explanantur, utcumque vel hic vel in Annotatis Passioni edendæ subjiciendis illustrare conabimur, addituri etiam, quæ ad gloriam Sanctorum posthumam, ex sacris eorum exuviis translatis obortam, spectare comperimus.*

AUCTORE C. B.

§ II. An Sancti sint ex XI Apostolicis viris, cum S. Willibrordo Evangelii prædicandi ergo ex Hibernia in Frisiam profectis, et an monachi ex Ordine S. Benedicti exstiterint.

Ewaldorum cum S. Willibrordo in Frisiam missio

Marcellinus, *seu potius impostor, qui sub ementito Marcellini, S. Willibrordi socii, nomine Vitam S. Suiberti episcopi, Trimestri primo Suriano insertam, litteris mandavit, cap.* 6 *sic scribit :* Elegit ergo (*S. Egbertus*) et congregavit, instar duodecim Apostolorum, duodecim apostolicos Viros, in fide constantes, ex diversis monasteriis ad prædicandum Germanis Catholicam fidem. Fuerunt autem hi missi, Willebrordus, Swibertus, Acca, Wigbertus, Willibaldus, Winibaldus, Lebuinus, duo Ewaldi, Werenfridus, et ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc historiam, sicut et S. Willebrordi conscripsi. *Fuerunt ergo* Ewaldi, *si Marcellino credendum est, ex apostolicorum Virorum numero, qui, a S. Egberto Evangelii prædicandi ergo missi, cum S. Willibrordo in Germaniam seu potius Frisiam venerunt. Verum, inquit de Vita Suibertina parte* I *Sæculi* III *Benedictini pag.* 259 *Mabillonius,* In Martio Bollandiano, *tom. I scilicet in S. Suiberto episcopo,* tam validis momentis confutatum est impostoris hoc figmentum, ut nemo tam apertis pseudo-Marcellini (*Sic vitæ Suibertinæ auctorem merito vocat*) mendaciis fidem habiturus sit inposterum. *Inter mendacia seu Pseudo-Marcellini figmenta in Opere nostro loco proxime citato confutata, varia occurrunt asserta, sub pseudo-Marcellini vērbis mox huc transcriptis comprehensa. Verum ego, missis ceteris, unum dumtaxat hic attingo, quod ad* Ewaldos *spectat, quodque integrum tamen a pseudo-Marcellino confictum non esse, ex dicendis facile colliges.* E F

pro falsa esse habenda, una atque altera ratione

16 *Itaque Operis nostri tomo I Martii in S. Suiberto episcopo num.* 19 *sic scribitur :* Numerantur... (*a Pseudo-Marcellino*) inter ejusdem S. Willebrordi XI comites sancti duo Ewaldi. Sed diserte refragatur Beda, qui lib. V cap. 11, narrata Willebrordi et sociorum in Frisiam missione et inchoata prædicatione, ista subnectit : « Unde factum est, » opitulante gratia divina, ut multos in brevi ab » idololatria ad fidem converterent Christi. » Tum de Ewaldis immediate : « Horum secuti exempla » duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui » in Hibernia multo tempore pro æterna patria » exulaverunt *, venerunt ad provinciam antiquo- » rum Saxonum, si forte aliquos ibidem prædi- » cando Christo acquirere possent. » Hos ait EXEMPLA DUODECIM ILLORUM SECUTOS, non in eorum consortio profectos, neque de numero eorum fuisse : at neque in Frisiam, quo illi, sed ad provinciam antiquorum Saxonum venisse. *Validissimum sane hoc argumentum est, ut* Ewaldi *cum S. Willibrordo in Frisiam non venisse monstrentur. Ut nihilominus res adhuc evidentior evadat, nonnulla lubet adjungere. Nullum prorsus apud Bedam in Passione edenda vestigium occurrit, ex quo cum S. Willibrordo consiliorum communicationem, nedum itineris societatem* Ewaldis *fuisse, possit concludi, ubi tamen hi socium habuisse memorantur Tilmonem monachum, qui a nullo prorsus scriptore antiquo, nec ab ipsomet pseudo-Marcellino*

* *Chiffletius* exulaverant

AUCTORE C. B.

Marcellino undecim apostolicis Viris, cum S. Willibrordo ex Hibernia in Frisiam S. Egberti procuratione profectis accensetur. Adhæc Sancti, quantum ex eadem Passione edenda fas est colligere, recta ex Hibernia antiquam Saxoniam sunt ingressi, ibique statim ac proin primo sui adventus anno martyrii palmam sunt adepti; hoc autem, uti apud omnes fere in confesso est, si non serius, certe non citius, quam anno 695 accidit. Hinc porro jam consequitur, ut cum S. Willibrordo in Frisiam non venerint.

ostenditur; quamquam autem ex Bedæ Martyrologio

17 *Præterquam enim quod, ut dixi, recta ex Hibernia antiquam Saxoniam sint ingressi atque adeo in Frisiam prævie non diverterint, S. Willibrordus anno* 690, *ut nonnullis hosque inter pseudo-Marcellino placet, vel certe anno insequenti, ut Pagius in Criticis ad annum* 690 *num.* 1 *ex Westmonasteriensi contendit, ex Hibernia in Frisiam cum undecim suis sociis advenit, ut adeo* SS. Ewaldi *cum S. Willibrordo, utpote post hunc ex Hibernia profecti, in Frisiam non appulerint. Pseudo-Marcellinus ergo, qui sæculo decimo quarto antiquior non videtur, Sanctorum cum S. Willebrordo itineris societatem vel confinxit, vel, ut verosimilius apparet, ex prosaico Bedæ Martyrologio, tomo secundo Martii nostri præfixo, forte deprompsit. Certe in hoc ad* 3 *Octobris diem* Ewaldi *S. Willibrodo adjunguntur Socii.*

B *Verba supra adhuc recitata, quibus id fit, hæc sunt:* Apud antiquos Saxones natale duorum Ewaldorum presbyterorum, qui cum Willibrordo episcopo venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones; et cum ibi prædicare Christum cœpissent, comprehensi sunt a paganis et sic occisi. *Ita præfatum Martyrologium, et quidem, ut Majoribus nostris Visum est, secundum genuinum Bedæ textum. Nec propterea tamen existimandum est,* Ewaldorum *cum S. Willibrordo itineris societatem perperam negari. Quamvis enim illorum (vide quæ num.* 6 *disserui) ad* 3 *Octobris diem in laudato prosaico Martyrologio annuntiatio venerabilem Bedam vere habeat auctorem, consequens tamen hinc non est, ut integrum, quo ibidem exornantur, elogium a Beda pariter, tamquam genuino auctore, sit profectum, omnique prorsus ab interpolatione purum existat.*

contrarium possit contendi; certissime tamen Sancti

18 *Sollerius in Præfatione ad Usuardum a se illustratum num.* 55 *sic scribit:* Indubitatum est, Martyrologium aliquod a venerabili et sancto scriptore (*Beda scilicet*) compositum, nec minus certum, valde incompletum fuisse: certum præterea, a nullo hactenus primigenia phrasi, de qua omnino constet, editum fuisse. *Ad hæc loco non uno satis deinde indicat, sese propendere ut credat, non pauca Sanctorum elogia, quæ in prosaico nostro Bedæ*

C *Martyrologio occurrunt, subinde esse interpolata. Et vero rem sic habere, nemo, quantum opinor, ibit inficias. Hinc suspicari fas est, ab interpolatione forsan ortum esse, ut* Ewaldi *in elogio, quo in prosaico nostro Bedæ Martyrologio ornantur, cum S. Willibrordo in Germaniam venisse indicentur. Bailletus, qui* SS. Ewaldos *cum S. Willibrordo in Germaniam seu Frisiam, Germaniæ regionem, non venisse, nobiscum autumat, dubitari posse affirmat, an elogium ab Adone Sanctis adornatum, in quo horum cum S. Willibrordo in Germaniam adventus adstruitur, ab interpolatore in Bedæ Martyrologium non fuerit intrusum. Placeret sane Bailleti opinio, nisi idem, quod in Beda, Sanctorum elogium, idque iisdem fere verbis conceptum, occurreret in Rabano, qui Adone est antiquior. Verum, inquiet non nemo, a quo ergo Elogium, quod in Prosaico Bedæ Martyrologio* Ewaldis *tribuitur, interpolatum esse potest? Respondeo, id factum videri a Floro, a quo Bedæ Martyrologium auctum esse, apud omnes eruditos hagiologos compertum habetur. Quamquam enim, cum Bedæ Martyrologium studio Flori auctum seu accrevisse dicitur, communiter tantum soleat intelligi, Sanctos aliquot a Floro Bedæ Martyrologio fuisse adjectos, nihil tamen obstat, quo minus eredatur, mutationem subinde aliquam in ipsamet elogia, quæ Beda suo Martyrologio intexuit, a Floro fuisse invectam.*

19 *Quod si hoc displiceat, videsis, num præstet* D *prosaicum Bedæ Martyrologium ita interpretari, ut Sanctos cum Willibrordo in Germaniam venisse significet, non quod in Willibrordi societate, sed tantum quod eodem circiter tempore, quo hic in Frisiam, illi in antiquam Saxoniam, Germaniæ regiones, advenerint. Alterutrum sane adstruendum est, ne Beda secum ipsemet pugnare sit dicendus. Hic enim (vide quæ num.* 16 *disserui) in Passione edenda seu in Ecclesiastica gentis Anglorum Historia, lib.* v *cap.* 11 *ea litteris prodit, ex quibus necessario consequitur, ut Sancti in Willibrordi societate ex Hibernia in Germaniam non trajecerint; Ecclesiastica autem Bedæ Historia potius standum est, quam Martyrologio. Præterquam enim quod hoc interpolationis admodum sit suspectum, Historiæ favet tempus, quo* Ewaldi *(vide iterum quæ num.* 16 *dicta sunt) in antiquam Saxoniam advenere. Porro Sancti, ut probatum jam est, cum Willibrordo in Germaniam non venerint, certum est, eos ex undecim apostolicis viris, cum Willibrordo S. Egberti presbyteri procuratione in Frisiam profectis, non exstitisse. Atque hoc quidem etiam certum foret, etiamsi prosaici Bedæ Martyrologii auctoritate ducti ultro concederemus,* Ewaldos *in Germaniam cum S. Willibrordo advenisse. Quamquam enim eo in Willibrordi societate appulisse, in præfato Martyrologio diserte asserantur, propterea tamen undecim Apostolicis viris cum Willibrordo in Frisiam profectis (potuerunt quippe, utut ex his non essent, cum Willibrordo adire Germaniam) non accensentur; Beda autem in Passione edenda dictorum undecim apostolicorum virorum numero illos apertissime excludit. Postquam enim narravit, S. Willibrordum aliosque undecim viros sanctos et industrios Evangelii prædicandi causa ex Hibernia in Frisiam trajecisse, mox addit, horum exempla secutos duos* Ewaldos *in antiquam Saxoniam, ut animas ibi Christo lucrifacerent, esse profectos: qua sane scribendi ratione undecim apostolicorum virorum numero, qui cum S. Willibrordo in Frisiam trajecere, ambos* Ewaldos *excludi, nemo unus rationis compos ibit inficias.* E

haud queunt. Monachos quidem illos fuisse,

20 *Quamquam ergo, ut ex jam dictis fas est colligere, prosaicum Bedæ Martyrologium forte in causa fuerit, ut pseudo-Marcellinus verbis supra recitatis Sanctos nostros cum Willibrordo in Frisiam venisse scriberet, puroque proinde is hac in re commento usus forsan non fuerit, eadem tamen ratione excusandus non est, dum undecim apostolicis viris, cum S. Willibrordo in Frisiam S. Egberti procuratione profectis, ambos* Ewaldos *per verba itidem supra huc transcripta accenset. Sed jam a confutatione eorum, quæ circa hoc argumentum perperam Marcellinus* F *scripsit, ad discutiendum Benedictinum Sanctorum monachatum, a nonnullis confidentissime assertum, progredior. Duo itaque hic examinanda suscipio. Primum est, an Sancti exstiterint monachi; alterum vero an, ex hypothesi quod fuerint monachi, Benedictinum institutum indubie sint professi. Sanctos exstitisse monachos, verosimile admodum apparet. Beda enim in Passione edenda num.* 2 *de illis sic scribit:* Horum (*Willibrordi et sociorum*) secuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro æterna patria exulaverant, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum. *Sancti ergo, antequam ex Hibernia in antiquam Saxoniam sint profecte, aliquamdiu, teste Beda, pro æterna patria in Hibernia exsulavere:* exsulare *autem* pro æterna patria *nihil aliud apud hunc scriptorem significare videtur, quam vitam monasticam, deserto solo patrio, profiteri. Certe apud illum, ut quivis ex Ecclesiastica gentis Anglorum Historia facile deprehendet, in alia significatione* peregrinari pro Christo *seu* pro æterna patria *viæ accipitur, adeo ut* exsulare pro æterna patria *propter similitudinem, quæ inter utramque loquendi formulam intercedit, in eadem significatione apud Bedam verosimiliter etiam accipiatur.*

21 *Fuerunt ergo Sancti verosimillime monachi, ac proin forte etiam ex illorum Anglorum numero, de*

xi apostolicis Viris S. Willibrordi sociis, accenseri

A *de quibus Beda lib.* III, *cap.* 27 *hæc memorat:* Erant ibidem, *in insula Hibernia*, multi nobilium simul et mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani et Colmani (*anno* 676 *vita functi*) episcoporum, relicta insula patria, vel divinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratia illo secesserant; et quidam quidem mox se monasticæ conversationi fideliter mancipaverunt; alii magis circumeundo per cellas Magistrorum, lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scoti libentissime suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum, et magisterium gratuitum præbere curabant. *Utcumque etiam Sanctorum monachatus confirmatur ex eo, quod in Passione edenda num.* 2 *ambo dicantur pietate religionis fuisse imbuti. Accedit, in eadem Passione num.* 3 *illorum sociis annumerari virum illustrem, cui nomen erat Tilmon, de milite factum monachum, ut etiam et ipsi monachi, quemadmodum jam dixi, verosimillime exstiterint. Ast nunc in aliud inquiro. Verosimillimene etiam ex Ordine S. Benedicti exstitere? Mabillonius Sæc.* II *Benedictino inter Prætermissos retulit ambos* Ewaldos, *utpote quorum non tantum Benedictini instituti professionem, verum etiam monachatum pro re incerta haberet.* Evualdi duo, *inquit ibidem*, an fuerint monachi, incertum ex Beda lib. v cap. 11. *Verum*

B *postea, rectene an secus, dicenda aperient, mutavit sententiam. Etenim tom.* I *Annalium Benedictinorum pag.* 592 monachos *illos diserte appellat, eorumdemque ibidem et pag. proxime sequenti narrat martyrium : cum autem id præstet in Opere, quod rebus a suo Benedictino Ordine hujusque per Sanctos gestis commemorandis præcipue est destinatum, Benedictinis etiam Sanctis accensere* Ewaldos *videtur, quamvis id aperte nuspiam edicat.*

22 *Dorgainus, Menardus, Bucelinus, aliique Benedictini Hagiologi illos, veluti ad Ordinem suum indubie spectantes, Fastis sacris a se concinnatis inseruere. Wionus et ipse Benedictinus monachus lib.* III *Ligni Vitæ pag.* 325 *ad tertium Octobris diem Sanctos etiam commemorat, addilque in Annotatis ex Trithemio, ambos vitam duxisse monasticam in Ripensi in Anglia monasterio, quod tunc Benedictini, ut volunt, exstitit instituti. Sunt et alii nonnulli, qui idem indubitanter affirmant. Verum hi recentiores omnes sunt, nulloque prorsus antiquitatis testimonio nituntur, ut recenseri hic omnes non debeant. Nicolaus Harpsfeldius in Historia Ecclesiast. Anglicana pag.* 122 *hæc de* Ewaldis *litteris prodit:* Præclarum Willibrordi in propagando Evangelio studium multi alii in exemplum traxere. Inter quos erant duo Hewaldi, qui diu e patria in sancta illa, de qua

C diximus, Willibrordi societate voluntarii exules degebant. *Willibrordus, antequam Evangelii annuntiandi ergo in Frisiam venit, aliquamdiu in Hibernia vitam duxit monasticam, fuitque, ut apparet, institutum S. Benedicti sectatus. Cum ergo Harpsfeldius verbis proxime recitatis indicet,* Ewaldos *diu in Hibernia in sancta Willibrordi societate voluntarios exsules esse versatos, favet eorum opinioni qui Sanctos Ordini Benedictino adscribunt. Verum, quamvis Harpsfeldius pro gravi auctore a nonnullis eruditis habeatur, ab ætate tamen* Ewaldorum, *utpote sæculi tantum decimi sexti scriptor, est remotior, quam ut ei, Sanctis sine idoneo antiquitatis testimonio monachatum Benedictinum attribuenti, tuto credi queat. Quidquid igitur scribat Harpsfeldius, non magis ex ipso; quam ex Trithemio, Wiono aliisque Benedictinis recentioris ævi scriptoribus stabiliri potest* Ewaldorum *monastica secundum S. Benedicti institutum indubia professio.*

23 *Discutiamus modo, quæ qualiave sese offerant argumenta, quibus scriptores jam laudati, aliique, ut Sanctos ex Ordine S. Benedicti fuisse crederent, induci potuerint. Cum S. Willibrordus ejusque undecim socii in Frisiam ex Hibernia S. Egberti procuratione sint profecti, horumque exemplo, teste Beda, incitati* Ewaldi *iter in antiquam Saxoniam arripuerint, putarunt forte nonnulli, id quoque S. Egberti procuratione adhortationeve esse effectum, Sanctosque propterea ante sub S. Egberti, Benedictini instituti monachi, disciplina aliquamdiu vixisse. Verum nihil iterum in Beda, vel in alio scriptore antiquo occurrit, unde* Ewaldos, *S. Egberto adnitente aut excitante, ad Evangelii prædicationem in antiquam Saxoniam venisse, utcumque colligas. Fuerit tamen id, auctore atque impulsore S. Egberto, effectum; quid hinc, quæso, pro Benedictino* Ewaldorum *monachatu probando poterit concludi? Dubium est admodum, an ipsimet omnes undecim viri apostolici, cum S. Willibrordo in Frisiam profecti, aliquamdiu prævie sub S. Egberti disciplina vitam exegerint. Quapropter ea de re quantum ad* Ewaldos *potiori jure dubitari debet, ac proin Benedictinus eorum monachatus admodum dubius manet, quamvis etiam factum statuamus, ut S. Egberti impulsu in Frisiam Evangelii gentilibus annuntiandi ergo sint profecti. Quod si igitur non aliud argumentum pro Benedictino Sanctorum monachatu militet, non video, qui ad hunc firmiter credendum laudati scriptores induci potuerint. Verum Mabillonius sæculo* III *Benedictino, parte* I *in Præfatione affert ea rationum momenta, ex quibus Sanctos ex S. Benedicti Ordine exstitisse, pro verosimillimo saltem non nemo forsan habuerit.*

D 24 *Etenim ibidem num.* 16 *sic scribit:* Postquam Scotti (*Hiberni*) ac Brittones Romanis cæremoniis adsueverunt, accessere etiam monachi utriusque gentis ad Benedictinæ Regulæ instituta, quæ sanctus Augustinus in Britanniam intulerat. Id non Obscure significat Beda in Historiæ libro quarto, capite itidem quarto, ubi agit de duobus monasteriis a Colmanno in Hibernia exstructis, « quorum » unum Mageo vocatum, usque hodie, » inquit, « ab Anglis tenetur incolis; et conversis jam dudum » ad meliora instituta omnibus, egregium examen » continet monachorum, qui de provincia Anglo- » rum ibidem collecti, ad exemplum venerabilium » Patrum sub Regula et abbate canonico in magna » continentia et sinceritate proprio labore manuum » vivunt. » *Quod his verbis contendit Mabillonius, nolo hic vocare in dubium. Pro vero ergo atque indubitato tantisper habeatur, monachos tam Scottos seu Hibernos, quam Brittones una cum Romanis cæremoniis seu cum canonica Paschali observantia, quam per Romanas cæremonias præcipue hic intelligit Mabillonius, Benedictinam Regulam suscepisse, seu ad Benedictinæ Regulæ, ut loquitur, instituta accessisse. Ut, hoc dato, quidquam pro Sanctis Ordini Benedictino asserendis habeatur, necesse est, jam tum, cum hi vitam in Hibernia duxere monasticam, omnia ibidem vel saltem pleraque monasteria ecclesiasticum Paschalis observantiæ tempus fuisse amplexa. Verum qui id, quæso, sat certo probari potest? Mabillonius in Præfatione supra laudata num.* 11 *sic scribit:* Per Adamnanum presbyterum et abbatem Hiiensium monachorum, qui legationis gratia missus in Angliam Romanos illic mores didicerat, « plurima pars Scottorum in Hibernia et nonnulla » etiam de Brittonibus in Britannia ecclesiasticum » Paschalis observantiæ tempus suscepit, » inquit Beda in libri quinti capite septimo-decimo. « Atta- » men suos, qui erant in insula Hii, quive erant » subditi monasterio, ad veritatis callem perdu- » cere non valuit. » Id factum paulo post annum sexcentesimum nonagesimum, probat caput sextum-decimum ejusdem libri.

E 25 *Fuerunt ergo, si hic recte scribat Mabillonius, jam ante annum* 695, *quo* Ewaldi *in antiquam Saxoniam profecti sunt ex Hibernia, pleraque hujus regionis monasteria ecclesiasticum Paschalis observantiæ tempus amplexa, ac proin etiam Benedictinæ Regulæ instituta; pro indubitato enim tantisper habemus, hæc una cum canonica Paschali observantia ab Hibernis monachis fuisse suscepta. Hæc sunt rationum momenta, a Mabillonio producta, ex quibus Sanctos ex Ordine S. Benedicti exstitisse, non nemo forsan, ut dixi, concludendum existimabit. Verum res tota dependet a tempore, quo, ut ait Beda, plurima pars Scottorum seu Hibernorum ecclesiasticum Paschalis*

AUCTORE C. B.

verosimillimum appareret; ast an Benedictini

instituti? affirmatur id a multis; pro certo tamen haberi

non potest etiam ex eo, quod Sancti Willibrordum sint secuti,

vel ex eo, quod post S. Adamnani ad regem Aldfridum legationem

pleraque Hiberniæ monasteria legitimum,

AUCTORE C. B.

observantiæ tempus susceperit. Mabillonius verbis supra huc transcriptis id ante annum 695, *ut jam innui, accidisse indicat, idque ex capite libri quinti Historiæ per Bedam conscriptæ sexto-decimo probari asserit. Dispiciamus adeo, an ex dicto capite canonicam Paschalem observantiam ante annum* 695 *ab Hibernis fuisse susceptam, possit concludi. Omnia verba, quæ huc utcumque facere queunt, transcribo. Sunt autem hæc, ultimis Bedæ Verbis a Mabillonio supra recitatis proxime subjuncta :* Siquidem Adamnan presbyter et abbas monachorum, qui erant in insula Hii, cum legationis gratia missus a sua gente venisset ad Aldfridum regem Anglorum, et aliquamdiu in ea provincia moratus, videret ritus Ecclesiæ canonicos; sed et a pluribus, qui erant eruditiores, esset sollerter admonitus, ne contra universalem Ecclesiæ morem vel in observantia Paschali vel in aliis quibusque decretis cum suis paucissimis, et in extremo mundi angulo positis vivere præsumeret; mutatus mente est; ita ut ea, quæ viderat et audierat in ecclesiis Anglorum, suæ suorumque consuetudini libentissime præferret.

ut Beda narrat, Paschalis observantiæ tempus sint amplexa :

B

26 Erat enim vir bonus et sapiens, et scientia Scripturarum nobilissime instructus. Qui cum domum rediisset, curavit suos, qui erant in Hii, quive eidem erant subditi monasterio, ad eum, quem cognoverat, quemque ipse toto ex corde susceperat, veritatis callem perducere, nec valuit. Navigavit itaque Hiberniam, et prædicans eis, ac modesta exhortatione declarans legitimum Paschæ tempus, plurimos eorum, et pene omnes, qui ab Hiiensium erant dominio liberi, ab errore avito correctos, ad unitatem reduxit Catholicam, ac legitimum Paschæ tempus observare perdocuit. Qui cum, celebrato in Hibernia canonico Pascha, ad suam insulam revertisset, suoque monasterio Catholicam temporis Paschalis observantiam instantissime prædicaret, nec tamen perficere, quod conabatur, posset, contigit, eum ante expletum anni circulum migrasse de sæculo. Divina utique gratia disponente, ut vir unitatis et pacis studiosissimus ante ad vitam raperetur æternam, quam redeunte tempore Paschali, graviorem cum eis, qui eum ad veritatem sequi nolebant, cogeretur habere discordiam.

hoc enim non ante annum 695, *ut vult Mabillonius;*

27 *Legitimum festivitatis Paschalis celebrandæ tempus a plerisque, ac pene ab omnibus, uti ex his Bedæ verbis intelligitur, Hibernis monachis tunc primum fuit susceptum, cum S. Adamnanus, legatione ad Aldfridum regem perfunctus, ritusque Ecclesiæ canonicos edoctus, in Hiberniam trajecit, atque ibi monachos legitimum Paschæ tempus observare perdocuit. Mabillonius duas tantum agnovit*

C

Adamnani ad Aldfridum regem legationes, quæ ambæ ante annum 695 *fuerunt peractæ. Hinc ante hunc annum plurimam partem Scottorum seu Hibernorum ecclesiasticum Paschalis observantiæ tempus fuisse amplexam existimavit. Verum ab Adamnano tertiam ad Aldfridum regem Legationem, quæ anno* 695 *sit posterior, obitam fuisse, ex verbis Bedæ proxime huc transcriptis et ex anno Adamnani emortuali manifestum efficitur. Etenim Adamnanus vel anno* 703 *vel anno* 704, *uti apud nos ad diem* 23 *Septembris in Sancto illo docetur, e vivis excessit; unum autem dumtaxat Pascha (vide recitata Bedæ verba et apud nos ad dictum diem in Adamnano n.* 28) *intercessit inter Adamnani obitum, ipsiusque legationem. Fuit ergo hæc vel anno circiter* 702 *vel* 703 *peracta, ac proin a duabus aliis Adamnani legationibus, ante annum* 695 *peractis, certissime est diversa.*

ast aliquot annis serius evenit.

28 *Porro cum tantum post hanc (vide iterum recitata Bedæ verba) plurimorum Hibernorum ad Catholicam Paschatis observantiam facta sit accessio, consequens est in ea, quam sequimur, hypothesi, ut ad annum usque* 702 *aut* 703 *plurima adhuc in Hibernia exstiterint monasteria, Benedictinum institutum nondum amplexa; neque enim hoc illa, antequam Catholicam Paschatis observantiam suscepissent, antiquæ suæ vivendi normæ substituere, uti apud omnes in confesso est. Quapropter, cum ante annum* 695, *hocque ipso anno, quo Sancti martyrio* D *coronati sunt, plurima adhuc, quæ non essent Benedictini instituti, in Hibernia exstiterint monasteria, vitamque forte in horum aliquo monasticam* Ewaldi *duxerint, vim omnem amittit alterum argumentum, ex Mabillonii placitis jam propositum, quo non nemo ad credendum Benedictinum Sanctorum monachatum potuisset forsan induci. Hinc porro jam consequitur, ut dubium admodum sit Benedictine an alterius institui monachi* Ewaldi *exstiterint. Ex dictis etiam colliges, nullo jure in Natalibus sanctorum canonicorum Regularium Ordinis sui Sanctis* Ewaldos *a Ghinio accenseri.*

§ III. Quædam pseudo-Marcellini de Sanctis commenta, et an hi in vico Larensi passi sint, fidemque prædicarint.

Saneti, ut refert Pseudo-Marcellinus, ex Frisia

Suibertina apud Surium Pseudo-Marcellini Historia cap. 10 *hæc habet :* Crescente quotidie (*in Frisia*) numero fidelium, prædicantibus cum magna devotione præfatis (*Willibrordo, Suiberto,* Ewaldis, *aliisque*) prædicatoribus, cum credentibus gratiam baptismi, quicumque ex eis erant sacerdotali gradu prædíti, ministrarent, nec eccle- E sias consecratas haberent, ad quas populum conversum convocare et divina celebrare et complere possent, communi decreto omnium confratrum et neophytorum, duos ex eis in episcopos consecrandos elegerunt, qui populo Frisonico præessent verbo prædicationis et ecclesias dedicarent, et ordines sacros celebrarent, utpote sanctum Willebrordum inter omnes merito præfulgentem virum, humilem et totius honestatis exemplis refertum : et sanctum Swibertum, virum corde mansuetum, Scripturis sacris et ecclesiasticis disciplinis apprime instructum. Sanctus vero Swibertus ad Britanniam sive Angliam perrexit cum Acca et duobus Ewaldis, ceterisque nonnullis neophytis, et ego Marcellinus cum eis. Venimus autem in conventum Eboracensem in vigilia sancti Laurentii preciosi martyris : a quo et præcipue a parentibus, et amicis gratiose recepti fuimus. Tandem tendentibus duobus Ewaldis confratribus nostris de licentia sancti Swiberti versus Hyberniam, promissione facta, ut nos sequerentur ad Germaniam, quanto citius possent, migravit sanctus Swibertus nobiscum ad sanctum Wilfridum, tunc episcopum Merciorum.

in Angliam cum S. Suiberto, in episcopum ordinando, non trajecere,

50 *Plura iterum hisce in verbis cubant pura ac* F *puta commenta; verum ea dumtaxat, quæ ad* Ewaldos *pertinent, hic exhibuisse sufficiet. Quemadmodum* Ewaldos *cum S. Willibrordo, Suiberto, aliisque apostolicis viris, S. Willibrordi sociis, in Frisiam venisse, pseudo-Marcellinus supra (vide hujus Commentarii num.* 15) *perperam scripsit, ita hic nunc eosdem cum S. Suiberto, in episcopum ordinando, in Angliam profectos hincque in Hiberniam reversos inepte confinxit. S. Suibertus anno* 693, *uti inter eruditos plerosque convenit, ordinatus est episcopus. Ambo* Ewaldi, *uti ex Passione edenda intelligitur, recta ex Hibernia in antiquam Saxoniam venerunt, statimque ibi a rusticis fuerunt occisi, ut adeo eo ipso anno, quo martyrii coronam sunt adepti, in Saxoniam primum advenerint, nec ante illud tempus ex Hibernia Germaniam versus mare trajecerint. Cum ergo id ita sit, qui anno* 693 *cum S. Suiberto, in episcopum ordinando, ex Frisia in Angliam possunt esse profecti? Adhæc* Ewaldi, *ut supra probavimus, anno* 690, *aut, ut alii volunt, anno* 691 *cum S. Willibrordo, S. Suiberto aliisque decem apotolicis viris S. Willibrordi sociis, in Frisiam non venerunt, nec eo ante an.* 693 *appulisse, eruditis plerisque creduntur. Quapropter hoc ipso anno* 693 *cum S. Suiberto ex Frisia in Angliam profecti non sunt. Itaque præcipue quidem ex præcipiti martyrio, quod* Ewaldi, *recta ex Hibernia antiquam Saxoniam vixdum ingressi, ibi illico sunt passi; deinde vero utcumque etiam ex tempore, quo id accidit, incredibilis evadit, eorumdem cum S. Suiberto in Angliam profectio. Nec tantum*

utcumque

A *utcumque in hac adstruenda, verum etiam in alia re ex tempore, quo* Ewaldi *in antiquam Saxoniam venere, martyrioque coronati sunt, pseudo-Marcellinus commenti aperte convincitur.*

nec synodo Ultrajectinæ, etiam dato, hanc fictitiam non esse, interfuerunt;

31 *In Suibertina, quam finxit, Historia cap.* 14 *sic scribit :* Animadvertentes præfati sancti pontifices (*Willibrordus et Suibertus*) et egregii prædicatores, qui cum eis ex Anglia venerunt Trajectum, quod multus populus, Deo prosperante, ab infidelitatis errore ad Christum conversus esset, convocata synodo in novella ecclesia Trajectensi, decreverunt more Apostolorum et discipulorum Christi in diversas circumjacentes barbaricas nationes præstantiores prædicatores dimittere ad prædicandum ipsis fidem Christi. Erant autem eo tempore in eadem primitiva ecclesia Trajectensi apostolici pontifices, et canonici egregii prædicatores, qui sanctum Suuibertum episcopum cum sanctis Euualdis sequentes, constanter Christum gentibus prædicaverunt. *Synodus Ultrajectina, quam hic memorat, commentitia est, uti apud nos tom. I Martii in S. Suiberto ostenditur. Sed demus tantisper, synodum Ultrajecti a SS. Willibrordo et Suiberto episcopis celebratam vere fuisse, nec sic tamen veritati congruent, quæ de* SS. Ewaldis *verba mox huc transcripta insinuant. His enim Pseudo-Marcellinus*

B *innuit, illos vel synodo Ultrajectinæ, quem memorat, interfuisse, vel certe tunc, cum hæc celebraretur, in vivis adhuc exstitisse superstites; Sancti autem tunc in vivis adhuc existere superstites, non potuerunt, ac proin nec synodo interesse. Hos enim, ut jam sæpius monui, anno* 695, *aut certe non serius, martyrium passos, infra ostendam; synodus autem, qua de hic agimus, anno* 696 *prior non est, utpote tantum celebrata, cum jam S. Willibrordus, uti ipsemet Pseudo-Marcellinus ante et post verba proxime recitata non obscure indicat, Ultrajectinus creatus esset episcopus; quod anno* 696 *evenisse, venerabilis Beda in Ecclesiastica gentis Anglorum Historia, lib.* V, *cap.* 12 *diserte affirmat.*

illos autem, antequam Saxoniam ingrederentur, in Nabia, quam memorat,

32 *Porro Pseudo-Marcellinus post verba proxime huc transcripta nonnullos Apostolicos viros, qui gentilium conversioni in Germania allaborarunt, enumerat, simulque fine exposito, quem hi sint consecuti, de duobus* Ewaldis *hæc memorat :* Duo quidem sancti Euualdi Nabiam introeuntes, Christum prædicando confessi sunt, qui ab inde ascendentes in Saxoniam glorioso martyrio coronati sunt. *Verum, inquit ad hunc diem in Natalibus Sanctorum Belgii Molanus,* quæ... fuerit Nabia, et an ad Belgium nostrum pertinuerit, video a doctis ignorari. *A Molano non multum hic dissentit Schatenus, supra adhuc laudatus. Etenim Historiæ Westphalicæ lib.* VI *pag.* 332

C *sic scribit :* Marcellinus hos (*sanctos* Ewaldos) Nabiam primo ac deinde in Saxoniam ingressos, brevique glorioso martyrio coronatos memorat. Quæ illa sit Nabia, nondum quisquam explicate est assecutus; utrumne navim conscenderint, et per Visurgis ostia intrarint Saxoniam ac nabiam pro navi perperam quis exscripserit; an vero per Nabaliam, quæ multis est vetus Isala, transgressi in Saxoniam, ultra quam ceteri præcones, primum penetrarint, idque Marcellinus voluerit, incompertum adhuc, neque alii præfinire audent. *Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum* 702, *num.* 23 *Isalam alio nomine vocari etiam* Nabaliam *affirmat, regionemque huic fluvio vicinam per Pseudo-Marcellini Nabiam, ut apparet, intelligit. Alii, hosque inter de primis veteris Frisiæ Apostolis Dissertatione* 32 *Willibrordus Bosschaerts, in aliam opinionem propendent.*

Christum prædicasse, cum Beda non recte componitur,

33 *Verum hæc morari his nos non debent; neque enim Pseudo-Marcellino, dum Christum a Sanctis, Saxoniam nondum ingressis, prædicatum in Nabia affirmat, fidem adhibendam existimo : tantum abest, ut assentiar Cointio, qui, quæ Pseudo-Marcellinus inepte commentus est, Operis ejus interpolatori adscribens, in Annalibus laudatis ad annum* 702, *n.* 20 *ratione asserti* Ewaldorum *in Nabiam ingressus sic scribit :* De sanctis Ewaldis nihil habet interpolator, quod auctoritate Bedæ non confirmetur. Duo quidem, inquit, sancti Ewaldi Nabiam introeuntes, Christum prædicando confessi sunt, qui ab inde ascendentes in Saxoniam glorioso martyrio coronati sunt. *Et vero non video, qui auctoritate Bedæ confirmetur, Sanctos primo in Nabia, quæcumque demum hæc sit regio, ac deinde tantum in Saxonia Christum prædicasse, martyriique palmam obtinuisse. Beda enim de* Ewaldis *ita scribit, ut indicet, eos recta ex Hibernia Saxoniam adiisse, nec prius alibi, quam eo appulerint, fidem annunciasse.* Horum (*Willebrordi ejusque sociorum*) secuti exempla, *inquit in Passione edenda num.* 2, duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro æterna patria exulaverant, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum, si forte aliquos ibi prædicando Christo adquirere possent. *Post pauca deinde, quæ huc non faciunt, nulla prorsus regionis alterius, in qua Sancti fidem prædicarint, mentione facta, narrat, eos, in Antiquam Saxoniam vixdum ingressos, a paganis hujus regionis rusticis fuisse occisos. Bedæ ergo narratio Marcellini interpolatori seu Pseudo-Marcellino non suffragatur, sed potius adversatur; imo hic cum illa, ut mihi equidem apparet, indubie non recte componitur.*

AUCTORE C. B.

E *uti etiam eosdem in vico Larensi,*

34 *Nec hoc tantum locum obtinet quantum ad Pseudo-Marcellinum, verum etiam quantum ad Wernerum Rolevinck. Hic enim lib.* II *de Situ et Moribus Westphalorum cap.* 1 *sanctos* Ewaldos *primo in vico Larensi, haud procul Horstmaria dissito, Christum prædicasse, deindeque per vicina loca progressos, ultra Weseram seu Visurgim etiam penetrasse scribit : Bedæ autem narratio non obscure innuit, Sanctos in primo, in quem diverterunt, Antiquæ Saxoniæ vico a paganis rusticis fuisse necatos. Passionis edendæ numerum* 3 *et* 4, *studiose lector, attento animo evolve, nec dubito, quin illico percepturus sis, non sat commode, quæ ibidem narrantur, componi posse cum iis, quæ laudatus Wernerus Rolevinck de fide in Larensi, diœcesis Monasteriensis, ac proin Antiquæ Saxoniæ vico, a Sanctis primum prædicata, susceptaque deinde, vicinis locis peragratis, ultra Weseram seu Visurgim profectione memoriæ prodit.* Qui (*sancti* Ewaldi) venientes, *inquit Beda Passionis edendæ num.* 3, in provinciam, *Antiquorum scilicet Saxonum,* intraverunt hospitium cujusdam villici, petieruntque ab eo, ut transmitterentur ad Satrapam, qui super eos erat, eo quod haberent aliquid legationis et causæ utilis, quod deberent ad illum perferre; *ac deinde, nonnullis, quæ Wernero minime favere queunt, interjectis, num.* 4 *sic habet :* Rapuerunt eos (SS. Ewaldos *scilicet vici, in quo hi apud villicum hospitabantur, incolæ*) subito, et interemerunt; Album quidem Hewaldum veloci occisione gladii, Nigellum autem longo suppliciorum cruciatu et horrenda membrorum omnium discerptione : quos interemptos in Rhenum projecerunt. *Sancti ergo, ut tota Bedæ narratio insinuat, in ipso Antiquæ Saxoniæ vico, in quem primo diverterunt, passi sunt martyrium. Quapropter, cum Beda potius,* Ewaldorum *æquali, quam Rolevincko, scriptore recentiori, nullum antiquitatis testimonium pro se laudanti, standum sit, minime admittenda apparet narratio, qua hic Sanctos refert, Christo prius in Larensi vico prædicato, per vicina loca in Antiquam Saxoniam ultra Weseram seu Visurgim sitam fidei prædicandæ causa etiam esse progressos.*

in quo passi non sunt, illud ipsum fecisse. Rei autem hujus

35 *Imo etiam ex Bedæ narratione consequitur, ut nec Sancti in Larensi vico Christum prædicarint, nisi ibi simul eorum queat locari martyrium : id autem ibi, quod etiam ex dicendis Rolevincko verosimilius visum est, locari non posse, ex dicta narratione est consequens. Pagani enim, cum Sanctos interfecissent, sacra eorum corpora, ut verbis num. præcedenti recitatis Beda refert, in Rhenum projecerunt; Larensis autem vicus a Rheno multo est remotior, quam ut ibidem in hunc Sanctorum interfectorum corpora projici potuerint. Dici quidem potest, hæc*

ad

AUCTORE C. B.

ad Rhenum curru fuisse devecta, in eumque deinde conjecta; verum, id ut credat, nemo, quantum opinor, in animum sibi facile induxerit. Ewaldi *ergo in Larensi diœcesis Monasteriensis vico martyrii palmam adepti non sunt, ac proin nec ibi Christum antiquæ Saxonum genti prædicarunt. Rolevinckus nihilominus, cui Schatenus plus semel jam laudatus lib.* VI *Historiæ Westphalicæ pag.* 334 *suffragatur, in vico illo Sanctos paganis Evangelium annuntiasse, non tantum secundo, ut jam supra monui, verum etiam tertio de Situ et Moribus Westphalorum libro, cap.* 8 *apertissime docet. Ibi enim hæc memorat :* Occurrit memoria sanctorum martyrum duorum Ewaldorum, qui in parochia Laer superius nominata apostolatum suum inchoaverunt. Hanc reor primiceriam quoad fidem totius Westphaliæ : quod sic patet, quia ante Carolum (*Magnum nimirum*) quasi centum annis vixerunt, et prædicando certa indicia reliquerunt in ea primitivæ conversionis suæ, quæ permanent usque in præsens. Ego nihil certius, nihil vetustius reperire potui. *Conversionis indicia, quæ in vico Larensi ab* Ewaldis *relicta, Rolevinckus hic memorat, alia verosimillime non sunt, quam quorum jam supra lib.* II, *cap.* 1 *meminerat, de* Ewaldis *sic scribens :* Intrantes... (*sancti* Ewaldi) provinciam, (*antiquorum scilicet Saxonum*) venerunt in quemdam pagum seu villagium quoddam, nunc Laer dictum, ubi honorabiliter suscepti, verbum vitæ seminarunt, quod velut in terram cadens, bonum usque in præsens fructum facit salutis.

B

indicia, quæ Rolevinckus assignat,

36 Ibi etiam miraculis floridi, fontem de rupe traxerunt, cujus hæc, ut aiunt, causa fuit. Nam cum sitirent, cuidam pauperculæ dixerunt, da nobis bibere : Quæ respondens ait : Non habeo domini, et aquæ penuria fatigamur. Qui dixerunt : Deinceps non habebitis aquarum penuriam. Et pungentes rupem baculis suis, in diversis locis pulcherrimi fontes eruperunt, qui in amnem derivati, nullo æstatis tempore cessant effluere. Campum etiam speciosum et spaciosum in usum pauperum consecrarunt, qui usque hodie vocatur Sacrum pratum, in cujus medio prædictus fluvius currens, et oculis delectabile spectaculum, et animalibus suave præbet poculum. Fertur, quod divinitus crebro plagati sunt, qui arare pratum hoc contra testamentum Sanctorum, et in præjudicium pauperculæ communitatis attentarunt. *Hactenus Rolevinckus : verum anne campum pauperum usui in pago Larensi consecratum, amnemque, seu hujus fontes, quorum aquis idem pagus irrigatur, recte accipit pro indiciis, ex quibus de Larensium ad fidem conversione, ab* Ewaldis *facta, possit constare?*

C

Amnis seu fluvius, qui vicum Larensem rigat, Aa *vocatur; quod nomen multis aliis fluviis est commune. A Baudrando in Dictionario Geographico sic describitur :* Aa, seu Alpha, Aa id est aqua, fluvius parvus Germaniæ in Westphaliæ circulo, Stenofortiam oppidum ditionis Monasteriensis alluit, et duobus milliaribus Germanicis infra in Vectam fluvium evolvitur. *Fluviolum hunc ab* Ewaldis *prodigio esse excitatum, mihi minime persuadet Rolevinckus, utpote sæculi tantum decimi quinti scriptor, nec idoneo subnixus antiquitatis testimonio, sine quo res hujusmodi prodigiosas, atque alioquin incredibiles; nemo unus, nisi impense credulus, umquam admiserit.*

certam eam facere

37 *Ex populari traditione, quam a vero sæpissime aberrare, quisque novit, rem totam hausisse Rolevinckus videtur. Certe causam seu occasionem, qua Sancti in vico Larensi fontem excitarint, relaturus, loquendi modum præmittit, quo se illam habere tantum ex fama, sat aperte indicat.* Fontem, *inquit verbis num. præcedenti recitatis,* de rupe traxerunt, cujus hæc, UT AIUNT, causa fuit. *Adhæc nihil, quod Rolevincko suffragetur, vel in Beda, vel in alio, quem legerim, scriptore antiquo uspiam occurrit. Beda quidem in fine Passionis edendæ sic scribit :* Fertur autem, quia in loco, in quo (*sancti* Ewaldi) occisi sunt, fons ebullierit, qui in eodem loco usque hodie copiosa fluenti sui dona perfundat. *Verum, præterquam quod venerabilis scriptor dubitantis modo hic loquatur, sermonem tantum facit de fonte, qui excitatus fuerit in loco, ubi Sancti martyrio coronati sunt; hoc autem in vico Larensi non accidisse, jam docui, idque ipsum infra dicenda amplius docebunt. Itaque, omnibus perpensis, parum admodum probabile apparet, præmemoratum amnem seu fontem, a quo vicus Larensis alluitur, prodigio fuisse ab* Ewaldis *excitatum, isque proinde a Rolevincko perperam accipitur pro indicio, ex quo de facta Larensium ad fidem per* Ewaldos *conversione, horumque adeo apud illos prædicatione constare possit. Idem etiam de Larensi campo, quem in usum pauperum Sancti consecrarint, esto judicium. Qua enim ratione campum illum ab his in usum pauperum consecratum concessumve fuisse, sat probari queat, nullo prorsus id testante monumento antiquo? An ex eo forsan, quod, qui campum illum seu pratum in pauperculæ communitatis detrimentum arare attentarunt, divinitus subinde fuerint puniti? Certe id Rolevinckus velle videtur verbis num. præcedenti recitatis, quibus etiam nonnulla vindictæ divinæ de dicti campi seu prati violatoribus sumptæ exempla proxime subjungit.*

D

non possunt, quemadmodum nec cultus

38 *Verum quid tum? Fuerint subinde (quod tamen mihi certum non facit Rolevinckus) divinitus puniti, qui præmemoratum pratum in pauperculæ communitatis detrimentum arare attentassent. Fieri id potuit, vel quod pauperum possessionem summa injuria involarent, vel quod deessent venerationi* SS. Ewaldis *debitæ, in quorum forte honorem pia vel unius vel plurium munificentia pauperibus olim dictum pratum fuisset concessum. Sic etiam exponi potest, cur Sancti, ut pariter Rolevinckus loco supra citato testatur, in vico Larensi* Domini de Sacro prato *vulgariter nuncupentur : neque enim hujus appellationis reddi posse videtur aptior ratio, quam quod in ipsorum honorem olim prati, cujus appellantur* Domini, *facta fuerit donatio. Quippe, quæ quondam in quorumlibet Sanctorum honorem sive monasteriis sive pauperibus data fuissent, ea ipsismet Sanctis usitatissima loquendi formula dicebantur donata. Liquet id ex variis apud varios scriptores donationum chartis, quibus olim bona plurima in monasteria pauperesque pia fidelium contulit liberalitas. Itaque nec ex Larensi campo seu prato pauperum usui consecrato, quidquid etiam de hoc Rolevinckus scribat, vulgique sermones ferant, quidquam potest erui pro* Ewaldorum *apud Larenses prædicatione, horumque per illos ad fidem conversione reddenda indubia. Quod dum dico, idem etiam de antiquo Sanctorum apud Larenses cultu dictum puta; neque enim ex fide in Larensi vico per* Ewaldos *prædicata antiquus horum ibidem cultus, ast ex hoc potius communis Larensium de fide, apud se per* Ewaldos *prædicata, opinio nata esse, videtur.*

E

F

antiquus, quo Sancti in dicto vico fuere gavisi.

39 *Ita existimo, quod ex dictis sat recte cum Beda conciliari nequeat Sanctorum in vico Larensi prædicatio; absque hac autem antiquus illorum apud Larenses cultus aptissime queat exponi.* Ewaldi *scilicet primi omnium sanguine suo antiquam Saxoniam, quæ deinde amplam segetem protulit, fidei causa irrigarunt, sanctis regionis illius Apostolis jure merito idcirco annumerati. Factum hinc esse potest, ut Larenses, utpote in antiqua Saxonia positi, sibi illos in patronos Sanctosque tutelares antiquitus assumpserint, constantique deinde veneratione coluerint, dedicata etiam, quam Deo colendo exstruebant, eorum nomini ecclesia; quod postremum egisse illos, Schateni verba num.* 12 *recitata insinuant. Porro ex cultu antiquo, quo Sancti in vico Larensi aliisque antiquæ Saxoniæ locis honorati sunt, etiam factum reor, ut alii eorum martyrium eidem isti vico, alii contra vico Appellerbecano, oppidulo Croneburgico aut etiam comitatui Hoyensi adscripserint. Ast inde pro Sanctorum palæstra determinato cuidam loco affigenda nihil haberi posse, palam est ex jam dictis. Et vero Sanctos in vico Larensi martyrium passos non esse, supra nominatim*

A *tim ostendi; id autem nec in ullo e tribus reliquis proxime memoratis locis certo factum esse, ex § sequenti patescet.*

§ IV. De Sanctorum palæstra tractatur ulterius, hancque nec vico Appellerbecano, nec alteri definito loco indubie posse affigi, ostenditur.

Sancti certissime nec in Croneburgico

E*x tribus locis, in fine § præcedentis memoratis, quæ an pro Sanctorum palæstra haberi queant, hic indagare proposui, duo occurrunt, Sanctorum martyrio indubie non illustrata, comitatus nempe Hoyensis, ad Visurgim situs, et Croneburgicum ducatus Montensis oppidulum, ad Wipperam seu, ut alii scribunt, Wupperam fluvium positum, tribusque circiter aut quatuor leucis horariis Colonia Agrippina remotum. A posteriori hoc loco indaginem exordior. Sanctos ibi martyrium passos esse, opinantur nonnulli. Ita quantum ad substantiam Schatenus, plus semel jam laudatus, lib.* VI *Historiæ Westphalicæ pag.* 554. *Verum nullum omnino, qui hanc opinionem tueatur, expresso nomine designat, nec ullum ego, quantacumque etiam in excutiendis scriptoribus adhibita diligentia, invenire quivi. Opinati*

B *illud forsan sæculo præterito fuerunt nonnulli in Westphalia viri eruditi simul ac pii, qui, quamquam eam opinionem suam litteris non consignarint, eamdem tamen cum Schateno communicarint. Utut sit, Sancti indubie, ut mihi equidem apparet, Croneburgi martyrio coronati non sunt. Horum enim interfectorum corpora, teste Beda, in Rhenum fuere conjecta; est autem, ut mappas geographicas inspicienti patescet, illud oppidulum a Rheno remotius, quam ut id ibi esse peractum, fiat credibile. Quod si reponas, Sanctorum corpora curru forsan ad Rhenum fuisse translata, in eumque conjecta; respondeo, nec hoc, integra stante venerabilis Bedæ narratione, posse admitti. Etenim in ea hypothesi fuerint verosimillime Sanctorum corpora ad Rheni ripam Croneburgo viciniorem translata, ac proin prope Rheni et Wipperæ confluentes, qui locus (consule mappas geographicas) integris duabus leucis horariis Colonia Agrippina non distat, in Rhenum conjecta; necesse autem est, locum, quo id accidit, spatio multo longiori, quo integra subsistat Bedæ narratio, Colonia Agrippina fuisse remotum*

oppidulo, nec in comitatu Hoyensi

41 *Ea enim num.* 3 *Passionis edendæ sic habet :* Nec martyrio eorum (*sanctorum* Ewaldorum) cælestia defuere miracula. Nam cum perempta eorum corpora (*Rheno*) amni (ut diximus) a paganis essent

C injecta, contigit, ut hæc contra impetum fluvii decurrentis, per quadraginta fere millia passuum ad ea usque loca, ubi illorum erant socii, transferrentur. *Ita Bedæ narratio, cui, quæ deinde subduntur, apertissime indicant, sacra corpora per quadraginta fere passuum millia adverso Rheno Coloniam versus devecta, eoque nondum appulsa ex aquis fuisse extracta, humoque honorifice condita. Fuit ergo secundum Bedæ narrationem locus, quo Sanctorum interfectorum corpora Rheno fuere injecta, Colonia Agrippina quadraginta ut minimum passuum millibus dissitus, ac proin longe remotior, quam locus, quo Wippera in Rhenum evolvitur, seu quo duo hi amnes confluunt. Integra ergo stante Bedæ narratione, admitti nequit, ibidem Sanctorum corpora in Rhenum fuisse conjecta. Porro hinc jam consequitur, ut Sanctos in Croneburgico oppidulo martyrium passos non esse, certum omnino sit atque indubitatum. Nec minus certum est, id quoque in comitatu Hoyensi non accidisse. Etenim Sanctorum interfectorum corpora, ut jam sæpe ex Bedæ testimonio monui, in Rhenum fuere conjecta; ab hoc autem fluvio comitatus Hoyensis longissime distat, ut proinde ibi Sancti martyrio coronati non sint. Adhæc* Ewaldi, *ut ex numero quinto Passionis edendæ liquet, nonnullos habuere socios, hique, cum illi passi sunt, circa Rhenum degebant, Colonia Agrippina haud procul dissiti. Hinc mihi verosimile videtur, Sanctos ex Austrasia, trajecto Rheno, antiquam Saxoniam adiisse. Si ergo hi in comitatu Hoyensi passi essent, jam ingentem antea antiquæ Saxoniæ partem, Rhenum inter et Visurgim mediam, fuissent emensi; quod minime est admittendum.*

AUCTORE C. B.

42 *Etenim Beda, ut jam supra innui, num.* 3 *et* 4 *Passionis edendæ sat aperte docet, Sanctos, in antiquam Saxoniam vixdum ingressos, a paganis hujus regionis rusticis fuisse occisos. Adhæc id ipsum etiam expressis fere verbis tradunt Lectiones nostræ Mss., quarum num.* 10 *memini, ex Coloniensi antiquissimo ad SS. Apostolos Breviario depromptæ. Harum enim secunda hoc de* Ewaldis *habet exordium :* Progressi jam sancti Viri, in charitate Christi fundati, vix gentis incredulæ (*Saxonum*) terminos transiere, ac protinus villici cujusdam hospitio excepti nexi sunt causis morandi. *Ita præfata lectio, in qua deinde post nonnulla, quæ huc non faciunt, Sanctorum indicatur martyrium eo ipso loco esse patratum, quo a villico, ut primum Saxoniæ limites transierant, hospitio fuerant excepti. Nulla ergo ratione est probabile, fuisse illos in comitatu Hoyensi martyrio affectos, ac proin ibidem id non accidisse, certum omnino fit atque extra omnem controversiam positum. Restat, ut nunc inquiramus, an ullo argumento sat certo Appellerbecanus comitatus Marcani vicus pro indubia Sanctorum palæstra queat haberi. Wernerus Rolevinck, sæpissime jam laudatus, in Fasciculo temporum ad annum* 694 *sic scribit :* Westvalia convertitur ad fidem circa hæc tempora; ubi primum duo Edualdi, scilicet Albus et Niger, presbyteri sancti de Anglia venientes, prædicaverunt : qui ibidem in villa quadam, Laer dicta, suis precibus fontem de rupe duxerunt, et Campum sanctum, sic dictum usque hodie, consecrarunt in usus pauperum : ubi sæpe mira contigerunt contra testamentum Sanctorum volentibus facere, et horribiliter plagati sunt. Tandem martyrizati sunt in comitatu de Hoya prope Bremensem civitatem : corpora autem eorum translata fuerunt ad Coloniam. *Ita Rolevinckus, Sanctorum palæstram in comitatu Hoyensi indubitanter collocans; qua in re non minus, quam in asserenda Sanctorum in vico Larensi prædicatione, procul omni dubio ex dictis hallucinatus est.*

passi sunt : id autem

E

in vico Appellerbecano factum esse, Rolevinckus

43 *Verum postea apertissime mutavit sententiam. Etenim de Situ et Moribus Westphalorum, quod Opus post alterum mox memoratum concinnavit, hæc litteris prodit :* Actum est martyrium hoc (*SS. duorum* Ewaldorum) circa annum Domini septingentesimum die tertio mensis Octobris in diœcesi Bremensi, comitatuque Hoyensi. Alii dicunt, quod magis est verisimile, quod in quodam

F loco, qui nunc dicitur Appellerbeke, prope Tremoniam, hujusmodi martyrium sit celebratum. Et ibi memoria eorum solemnis est, et miracula ibidem facta referuntur. Potest dici pro concordia horum, quod in Hoyensi comitatu fuerunt lethaliter vulnerati, sed tamen reconvaluerunt. Et tandem in Appellerbeke, dum a prædicatione non cessarent, quantotius interfecti fuerunt. In hunc modum multæ Legendæ Sanctorum concordatæ sunt. Et sic potest salvari solemnis memoria, quæ in præfatis locis æque constanter prædicatur. *Solemnis Sanctorum memoria, quæ in comitatu Hoyensi et Appellerbecano vico constanter prædicatur, salvari etiam potest, seu, ut, clarius loquar, cultus ecclesiastici, quo Sancti ibidem usque ad Rolevincki ætatem constanter fuere gavisi, apta valet reddi ratio, etiamsi Sancti nec in uno nec in altero loco statuantur occisi. Liquet id ex iis, quæ num.* 39 *disserui. Quod pertinet ad modum, quo discordantes de Sanctorum palæstra sententias in concordiam adduci posse; verbis recitatis Rolevinckus affirmat, in absque ullo dubio rejiciendus est. Manifestum id fit ex num.* 35, *quo ea adduximus, ex quibus necessario consequitur, ut Sancti nullo alio loco, quam quo passi sunt, fidem prædicarint, ut adeo, cum in comitatu Hoyensi passi non fuerint, dici etiam nequeat, eos ibi fidem prædicasse, vulneraque lethalia accepisse.*

AUCTORE C. B.

pisse. Ineptus ergo est conciliationis modus a Rolevincko assignatus. Utut sit, sese equidem hic scriptor a priori, qua Saxctorum palæstram comitatui Hoyensi indubitanter adscripserat, opinione recessisse, verbis recitatis apertissime declarat; quod ab illo fieri supra innueram.

et Schatenus verosimilius pronuntiant,

44 *Dispiciamus modo, quid de altera, quam ut verosimiliorem amplectitur, opinione statuendum sit. Vult itaque* (*vide verba proxime huc transcripta*) *verosimilius esse, Sanctos in Appellerbecano prope Tremoniam vico martyrii palmam esse adeptos. In hanc opinionem manibus pedibusque etiam concedit Schatenus, lib.* VI *Historiæ Westphalicæ pag.* 334 *sic scribens :* Id (*SS.* Ewaldorum *martyrium*) quidam in Larensi pago haud procul Horstmaria in diœcesi Monasteriensi, alii Croneburgi in oppido ducatus Montensis factum opinantur. Certius illi, qui in vico Appelderbeca comitatus Marcani haud procul Tremonia martyrio affectos contendunt; istic enim villa et molendinum, quæ a morticino loco nomen servant : posteri tamen, ex quo post Christiani facti, locum inter monumenta sacra coluerunt. Istic in propinquo Embscara fluvius, in quem martyrum corpora provoluta, et secundo aquarum fluxu in Rhenum delata sunt; postquam Rheno excepta, mutato naturæ cursu, visa sunt

B per adversum flumen innatare, et quadraginta fere millia passuum ascendere, dum ad ostensum cælesti radio quietis locum pervenirent. Cetera, quæ ostenduntur, non martyrii, sed hospitii stationisque loca fuerunt. Nam et a primo in Westfaliam ingressu comitatum Hoyanum adiisse feruntur. Inde Westfaliam annunciando Christi legem apostolico ritu peragrasse. Ac cum in Larensi vico benigniores pronioresque reperissent ad Christi doctrinam audiendam, perstitere aliquamdiu apud incolas. *Hactenus laudatus Schatenus, multa asserens, quæ ex supra probatis corruunt. Quæ vero de Sanctorum palæstra disserit, quæque pro hac in vico Appellerbecano seu Appelderbecano locanda affert in medium, æstimari ex dicendis poterunt. Antequam progrediar, lubet adhuc proponere, quid etiam ad propositum nostrum scribat Hermannus Fley, dictus* Stangefol, *supra adhuc laudatus.*

certumque etiam putat Fleyus; verum id nec ex villa, quæ ibidem a cæde vocatur,

45 *Hic in Præfatione ad Annales circuli Westphalici cap.* 9 *num.* 5 *quantum ad substantiam memorat, Sanctos* Ewaldos *in Appelterbeck martyrio coronatos esse, idque ex antiquis hujus loci monumentis fieri manifestum. Esse quippe illic, prout a vulgo hodieque vocatur, homicidarum seu homicidii villam, quam homicidarum, cum Sanctos interfecere, incolebat præcipuus. Itaque hos in Appellerbecano vico esse interfectos, non tantum verosimilius, ut*

C *Rolevinckus et Schatenus, sed etiam certum putat laudatus Hermannus. Verum an hic scriptor sat solidis fidemque indubitatam creare natis rationum momentis innititur? Id mihi equidem non apparet. Quod enim ait, in vico illo exstare villam, quæ hodieque Teutonice* Morderhoff *seu* Mordthoff, *id est,* Homicidarum *seu* Homicidii villa, *vel etiam, ut post Gelenium de Coloniæ Agrippinensis magnitudine pag.* 288 *per verba proxime recitata vult Schatenus,* Mortmuhl, *id est,* Homicidii *seu* Latrocinii molendinum *nuncupetur, istud utique rem minime evincit. Potuit quippe villa illa seu molendinum a quorumcumque aliorum cæde ibi patrata antiquitus sic appellari, temporis lapsu ex hominum memoria deleri hæc appellationis causa, atque idcirco postmodum ab* Ewaldorum *martyrio repeti per posteros, utpote qui illos in vico Appellerbecano singulari quodam modo coli cernerent, aliamque, quam quod ibi isti passi essent, cultus causam non haberent in promptu. Hinc jam quisque facile colliget, qui, quod verbis proxime huc transcriptis ait Schatenus, præmemorata villa seu molendinum inter monumenta sacra coli potuerit a posteris, nec tamen hinc necessario sit consequens, ut ibidem Sancti martyrium indubie sint passi.*

46 *Essent tamen Sancti in villa illa seu molendino certissime passi, si veritati congruerent, quæ laudatus Hermannus cap. citato, num.* 6 *commemorat.* D *Ait enim, prædictæ villæ seu molendini villico, hujusque posteris in perpetuam patratæ cædis pœnam fuisse injunctum, primo quidem ut lampadem coram* SS. Ewaldorum *statuis semper ardentem sumptibus suis tenerent; deinde ut secunda atque etiam tertia Octobris die, qua sanctorum Martyrum festiva lux celebratur, singularis his venerationis exhiberent officia; ac tertio denique, ut tum certam tritici mensuram erogarent; atque hoc quidem debito, ut addit, præfata villa, abrogata licet in vico Appellerbecano cum Sanctorum cultu religione Catholica, nondum eximitur. Hæc fere quantum ad substantiam Hermannus. Verum omni prorsus verisimilitudine destituitur, isthæc, quæ memorat, fuisse ipsimet villico, Sanctorum interfectori, in perpetuam patratæ cædis pœnam injuncta. Beda enim in Passione edenda num.* 4 *sic scribit :* Quod (*Sanctorum martyrium*) cum satrapa ille, quem (*Sancti*) videre volebant, audisset, iratus est valde, quod ad se venire volentes peregrini non permitterentur; et mittens occidit, *qui* Ewaldos *necarant, vicanos* illos omnes vicumque incendio consumpsit. *Cum ergo, uti his verbis Beda testatum facit, vicani omnes, qui Sanctos occiderant, ac proin etiam præfatæ villæ villicus, mox satrapæ regionis jussu, re audita, fuerint perempti, neutiquam sane verosimile est, hæc, quæ* E *refert Hermannus, præmemorato villico hujusque posteris in perpetuam cædis patratæ pœnam fuisse injuncta. Adhæc Saxones ad fidem Christianam conversi non sunt, nisi jam centum circiter annis post* Ewaldorum *necem elapsis. Quare etiam vel ex hoc capite credibile non est, apud gentem usque ad Caroli Magni tempora Christianorum sacris maxime inimicam statutum fuisse, ut, qui Sanctos interfecerant, perpetuam in pœnam iis, quæ recenset Fleyus, venerationis illos prosequerentur obsequiis.*

D nec ex iis, quibus hujus villæ villicus erga Sanctos

fuit adstrictus, venerationis officiis indubitatum efficitur.

47 *Itaque fieri quidem potest, ut, duobus circiter tribusve aut etiam pluribus post necem* Ewaldorum *sæculis elapsis, conversaque jam dudum ad fidem antiquorum gente Saxonum, Sancti nostri iis, quæ Fleyus memorat, venerationis officiis in villa, quæ hodieque* Homicidarum *seu* Homicidii villa *dicitur, honorari cœperint, idque præfatæ villæ villico in perpetuam cædis illorum ibidem, ut putari potuit, patratæ pœnam fuerit injunctum. Verum cum id villico, Sanctorum interfectori, ex dictis injunctum non fuerit, argui hinc non potest, Sanctos in dicta villa fuisse necatos, utut ubi venerationis signis a Fleyo memoratis honorari quondam solitos. Qui quippe Sancti in villa sæpissime jam memorata singularem illam venerationem nancisci potuerint, nec tamen propterea necesse sit, ut ibidem fuerint passi martyrium,* F *ex iis, quæ num.* 43 *disserui, unusquique facili negotio intelliget. Sic etiam, vico Appellerbecano non affixa Sanctorum palæstra, facile queunt exponi ea, quæ in Collectaneis nostris consignata reperio his verbis :* Atque is villicus, *villæ scilicet jam supra sæpissime laudatæ,* cum adhuc Catholica istic vigebat religio, quot hebdomadibus semel, cum scilicet signum datum fuit, ex agri etiam laboribus se ad templum Sacri in Ewaldorum honorem audiendi causa conferre necesse habuit, multa magna præstituta, si omisisset. *Itaque ex veneratione, qua in villa Appellerbecana, ab homicidio nuncupata, Sancti gaudent, esse hos ibidem indubie passos, non magis potest concludi, quam ex ipsiusmet villæ nuncupatione ab homicidio repetita. Dispiciamus modo, an id aliunde fieri indubitatum non valeat. Schatenus sæpissime jam laudatus sat aperte indicat, nullum omnino suppetere antiquitatis monumentum, ex quo pro affigenda vico Appellerbecano Sanctorum palæstra quidquam habeatur. Postquam enim Historiæ Westphalicæ lib.* VI *pag.* 334 *de* Ewaldorum *palæstra, aliisque ad hos spectantibus nonnulla disseruit, hæc subdit :* Nihil in his certius, quam tradita majorum fides, ad quam hujusmodi referri debent; nam multa etiam ob vetustatem et incuriam scriptorum obscura.

48 *Sunt ergo, quæ Schatenus de Sanctorum palæstra*

A *læstra vico Appellerbecano affigenda tradit, ex sola majorum traditione deprompta, uti ipsemet his verbis non obscure indicat. Verum hæc sine ullo antiquitatis monumento fidem certam atque indubitatam facere non valet. Ut ergo Sanctorum palæstra vico Appellerbecano indubie affigenda probetur, amplius aliquid quam traditio requiritur. Hinc etiam illam huic vico Schatenus indubie non affigit. At, qui hoc facit, Hermannus Fley capite supra laudato citat plus vice simplici Lectionarium Latinum ecclesiæ SS. Apostolorum in Colonia. Suspicor hoc Lectionarium non multum differre ab antiquissimo Coloniensi ad SS. Apostolos Breviario, ex quo nostræ de* SS. Ewaldis *Lectiones, num.* 10 *memoratæ, notantur desumptæ. Utut sit, certe in harum tertia opportune ad institutum nostrum hæc leguntur:* Hos itaque (*sanctos* Ewaldos) peremptos in villa Appelderbeke, super rivulo Embiscara ibidem in palustria loca eos projecerunt. Post majoris invidiæ stimulis excitati homicidiæ sceleratissimi, vel potius facinore commisso pavidi, occulendi gratia sanctorum Hospitum corpora inde extracta in Rhenum projecerunt. *Sunt ergo, ut his verbis diserte declaratur, Sancti in vico Appelderbecano seu Appelerbecano martyrium passi, hacque de re dubitari nequit, si modo certa sua atque indubitata laudato Coloniensi Breviario constet fides. Verum hoc, utut forte* (*vide num.* 10) *jam a quinque circiter sæculis conscriptum, ab* Ewaldorum *ætate multo est remotius, quam ut rebus, quas de his in Lectionibus suis memorat, sat tuto fidi queat. Duo nostra Breviaria Coloniensia antiquiora excusa, alterum anni* 1498, *alterum anni* 1577, *Lectionem Breviarii antiquissimi Ms. Coloniensis tertiam mox memoratam fere etiam ad verbum exhibent, resectis tamen verbis, mox huc transcriptis, quæ Sanctorum martyrium vico Appellerbecano adscribunt.*

Nec ex Breviarii antiquissimi lectione res potest evinci;

B 49 *Lectionem illam integram, prout in excusis habetur, huc transcribo.* Unde quoque ferocius diabolicæ crudelitatis face incandens sceleris conjurata societas Dominicæ immolationis mysterio operam dantes (*sanctos* Ewaldos) cum violentia invadit, sacra spargit, ipsosque diripiendo et temere tractando, Album velocius gladio jugulare, Nigrum autem Ewaldum supplicio longiori excrucians, membris misere discerptis interimere præsumpsit. Quos itaque peremptos, aut majoris invidiæ stimulis excitati homicidiæ sceleratissimi, vel potius facinore commisso pavidi, occulendi gratia sanctorum Hospitum corpora in Rhenum projecerunt. *Ita hactenus in excusis præfata Lectio, in qua nullum plane verbum, ex quo Sanctos in vico Appellerbecano martyrium passos esse, utcumque colligas.*

dubia enim ipsis deinde Breviarii excusi concinatoribus visa est,

C *Vix dubitem, quin, qui duo nostra memorata Breviaria excusa concinnarunt, præ oculis habuerint præfatam Lectionem Ms., in qua Sanctorum palæstra Appellerbecano vico annectitur. Quapropter, cum omnia prorsus verba, quibus hoc in illa fit, ab iis, quas adornarunt Sanctis, Lectionibus resecuerint, dubitasse utique videntur, an* Ewaldi *vere in dicto vico martyrium passi fuerint. Et vero ea de re non immerito, ne amplius quid dicam, dubitare potuisse, mihi videntur. Etenim ex dictis opinio, quæ Sanctos in vico Appellerbecano martyrio coronatos ponit, omni prorsus antiquitatis testimonio destituitur, nequeuntque fidem certam creare ea, quæ ab illius patronis afferuntur, rationum momenta, utpote a sola fere repetita populari traditione; quæ, quamquam frequenter quidem incerta sit, falsitatisque suspecta, hic tamen præcipue pro tali idcirco est habenda, quod cum Beda, cujus testimonio standum reor, sat recte componi haut queat, uti nunc probare aggredior.*

nec sat conciliari potest cum Beda;

50 *Venerabilis itaque Ecclesiasticæ gentis Anglorum Historiæ conditor in Passione edenda num.* 4 *sic scribit:* Rapuerunt eos (*sanctos* Ewaldos) subito, et interemerunt; Album quidem Hewaldum veloci occisione gladii, Nigellum autem longo suppliciorum cruciatu, et horrenda membrorum omnium discerptione: quos interemptos in Rhenum projecerunt. *Ac, paucis deinde interpositis, num.* 5 *ita prosequitur:* Nec martyrio eorum (Ewaldorum) cælestia defuere miracula. Nam cum peremptа eorum corpora amni (ut diximus) a paganis essent injecta, contigit, ut hæc contra impetum fluvii decurrentis, per quadraginta fere millia passuum, ad ea usque loca, ubi illorum erant socii, transferrentur. *Sanctorum ergo interfectorum corpora in Rhenum a paganis fuisse conjecta, venerabilis Beda docet, ut jam plus semel monui; atque id quidem, quemadmodum verba jam recitata fidem faciunt, ita aperte, ut, qui Sanctorum corpora in amnem illum fuisse conjecta, iverit inficias, cum scriptore illo, ac proin etiam cum historica veritate certissime pugnet. Hinc porro mihi, ne dicam ab omni prorsus verosimilitudine alienum, certum equidem minime apparet, Sanctos in vico Appellerbecano, Tremonia haud procul dissito, subiisse martyrium. Ut sic animo afficiar, facit prædicti vici a Rheno distantia, quæ decem circiter leucas horarias complectitur, quæque proinde tanta est, ut, si in Appellerbeke Sancti fuissent necati, horum ibi corpora in Rhenum conjici non potuissent.*

AUCTORE C. B.

51 *Aiunt quidem Schatenus verbis supra recitatis, Gelenius de Coloniæ Agrippinensis magnitudine pag.* 288, *aliique nonnulli, Sanctorum, haud procul Tremonia cæsorum, corpora in Imscharam seu, ut alii scribunt, Embischarum aut Emscharam fluvium, cujus aquis vicus Appellerbecanus alluitur, fuisse conjecta, indeque, secundo aquarum fluxu Rheno illata, miraculose adverso amne per quadraginta fere passuum millia Coloniam versus esse devecta. Verum si Sanctorum interfectorum corpora, ut scriptores illi volunt, in Imscharam conjecta, secundo tantum aquarum hujus fluvii cursu in Rhenum fuerint delata, non video, qui Beda, salva veritate, scribere potuerit, fuisse illa a paganis in Rhenum conjecta. Difficultatem animadvertit Fleyus sæpissime laudatus. Hinc illam, ut Sanctorum palæstram in Appellerbeke locandam tueatur, dissolvere conatur, huncque in finem in Præfatione ad Circuli Westphalici Annales capite nono plus semel jam citato n.* 8 *verbis Germanicis, Latine a me redditis, sic scribit:* Quod venerabilis Beda lib. v, cap. 11 ait, SS. Ewaldorum corpora ab interfectoribus in Rhenum fuisse conjecta; intelligi id non debet IMMEDIATE factum, quasi illa in Appelterbecke Rheno fuerint injecta; sed MEDIATE, ita ut ab interfectoribus, ut cædes lateret regionis satrapam, in Embscharam fluvium fuisse provoluta, indeque (modone naturali, an supernaturali Deus novit) per Mengede, Castorp, Crange, Horst, Wellem, Uberhauss, infra Ruhrort ex adverso Orsaw in Rhenum esse delata, atque ita ex Appelterbecke prope Cæsaris-Werdam ad quadraginta millia passuum prodigiose per aquam esse devecta, quemadmodum venerabilis Beda loco citato affirmat.

hunc idcirco non tam interpretatus est,

E

F

52 *Ita Fleyus difficultatem, quæ ex* Ewaldorum *in Rhenum conjectione, per Bedam asserta, contra suam de horum palæstra opinionem oritur, studiose laborat dissolvere. Verum an sat felici successu? id mihi equidem non apparet. Quis enim ita umquam locutus est historicus, ut a militibus v. g. arma in flumen aliquod conjecta asseruerit, in quod hæc non nisi ope fluminis alterius, in quod fuere conjecta, aquarum fluxu esse delata, voluit significatum? Absonus sane foret hic scribendi modus, magisque philosophorum tricis, quam historicæ sinceræque veritati accommodatus, huncque propterea a venerabili Beda, sensa sua nude aperteque, ut historicum decet, explanare solito, usurpatum hic fuisse, non reor. Itaque Fleyus verbis supra huc transcriptis venerabilem Bedam non tam interpretatus est, quam ad suam opinionem violenter contorsit, difficultatique idcirco, quam solvere meditabatur, vim integram reliquit. Eadem quoque scriptorem illum interpretandi seu potius contorquendi libertate utitur, dum Sanctorum interfectorum corpora ad quadraginta millia passuum per aquam prope Cæsaris-Werdam advecta scribit, Bedamque pro hoc asserto laudat.*

quam ad mentem suam contorsit Fleyus;

Sic

AUCTORE C. B.

Sic quippe quadraginta passuum millia, per quæ Beda Sanctorum corpora solo Rheno adverso Coloniam versus delata scribit, partim attribuit itineri, quod hæc per Rhenum adversum confecere, partim vero itineri, quod eadem per Imscharam secundo aquarum fluxu absolvisse contendit. Mitto, ex Bedæ opinione Sanctorum corpora prope Cæsaris-Werdam non posse esse appulsa, quod tamen laudatus Fleyus, verbis proxime recitatis, pro se Bedam laudans, etiam scribit.

qui etiam ex iis, quæ de via, qua Sanctorum corpora ad Imscharam

53 *Verum, utut hic scriptor venerabilem gentis Anglorum historicum habere sibi adversum videatur, idque forte præcipue in opinione, qua Sanctorum martyrium in vico Appellerbecano acciderisse autumat, is nihilominus, ut hanc utcumque confirmet, in Præfatione ad Annales Circuli Westphalici, cap. sæpissime citato num. 6 et 7 ait, sese in Apelterbecke villam supra memoratam, quæ a cæde seu homicidio nomen habet, propriis oculis vidisse, ibi eamdem hactenus videri posse, esseque* Ewaldorum *historiam loci incolis optime perspectam; adhæc ibidem etiam conspici viam, qua* Ewaldorum *interfectorum corpora ad Imscharam fluvium a rusticis fuere protracta, in eumque conjecta; nosse porro, narrare tam acatholicos quam Catholicos, viam illam nec rore, nec pluvia umquam irrigari. Hæc loco cit.*

B *quantum ad substantiam Fleyus; quibus tamen hic non magis, quam aliis rationum momentis, jam supra discussis ac confutatis, rem, quam contendit, reddit evictam. Plusculum quidem quid roboris non nemini forte habere videbitur, quod de via, quæ numquam vel rore vel pluvia irrigetur, is scriptor adjungit; verum nec hinc res certa fieri potest atque indubitata. Viam illam nec rore nec pluvia umquam irrigari, e simplicioris forte ingenii hominibus, reique, quam narrabant, haud satis gnaris, nedum expertis, dumtaxat audiverit Fleyus. Adhæc brevisne, an longa sit dicta via, apertane, an arboribus contecta, is scriptor non exponit. Posset forte, si ea penitius foret cognita, absque miraculo exponi, qui numquam vel rore vel pluvia irrigetur. Quod si tamen id fiat miraculo, erit hoc fere continuum, fueritque etiam verosimillime ab emunctioris naris hominibus plus semel observatum.*

fuerint protracta, rore et pluvia

54 *Ut quid ergo Fleyus nullum hujusmodi fide dignum nominatim laudat testem, qui memoratam viam, vicinis terris seu rore seu pluvia copiose madefactis, aridam penitus jacere ac siccam, distincte a se observatum, sit testatus? Aptum sane sic pro dicto prodigio argumentum habuisset. Verum enimvero puto ego, Fleyo testem hujusmodi, quem adduceret in medium, verosimillime defuisse. Certe ego,*

C *si unum Fleyum exceperis, nullum omnino sive recentiorem, sive antiquiorem scriptorem invenire quivi, qui memoratum prodigium litteris consignet. Imo etiam altissimum de hoc servatur silentium ab ipsismet laudatis Rolevincko et Schateno, qui tamen Sanctorum palæstram in vico Appellerbecano esse locandam, verosimilius putant, quique propterea inde hanc opinionem suam confirmare potuissent. Dicesne forsan. illud hos scriptores non habuisse perspectum? Verum, sit ita: argumento id erit, prodigium, utpote ipsos latens scriptores Westphalos, a paucis dumtaxat celebrari; quod tamen, si veritati foret consonum, non posset non plurimorum ore celebratissimum haberi. In Collectaneis nostris tantum dicitur, rore numquam irrigari viam, qua Sanctorum interfectorum corpora ad Imscharam fuerunt protracta. Ea verba:* Aiunt,... rorem non assuevisse solum irrigare, qua illorum (*sanctorum* Ewaldorum) corpora protracta fuerunt ad flumen, *Imscharam nimirum. Facilius fieri potest, ut rusticana plebecula, præjudiciis falsave rerum specie decepta, locum aliquem credat rore non irrigari, quam ut id etiam pluvia non fieri, inducat in animum: primum enim non æque prompte ac secundum, utut utrumque falsum fuerit, falsum esse, ubique et semper deprehendet.*

55 *Forsan itaque Appellerbecani, inveteratis de Sanctorum apud se martyrio præjudiciis occupati, falsaque quadam rerum specie decepti, primo quidem viam, qua Sanctorum corpora ad Imscharam fuerunt protracta, rore numquam irrigari, ab aliquot sæculis crediderint, lapsuque deinde temporis, id nec pluvia fieri, nonnulli magis creduli in animum etiam absque rei examine induxerint. Hoc pacto factum esse potest, ut, nec rore nec pluvia præmemoratam viam umquam irrigari, nunc etiam apud Appellerbecanos fama obtineat; quæ quidem ob dicta tam parvi ponderis mihi videtur, ut nec ab ipsomet Fleyo admittendam fuisse putem, nisi hic in opinionem, quæ Sanctos in Appellerbeke passos statuit, quæque ex illa præsidium accipit, justo fuisset propensior. Utut sit, etsi prodigium, hic jam discussum, nondum sit ex dictis apertæ falsitatis convictum, unicuique saltem admodum debet esse suspectum. Quapropter ex eo, ut Sancti in vico Appellerbecano martyrium passi probentur, nihil omnino certi potest confici; cum præsertim Bedæ narratio, qua Sanctorum interfectorum corpora in Rhenum referuntur conjecta, veritati indubie sit conformis, ex eaque secundum dicta consequi videatur, ut Sancti in dicto Appellerbecano vico martyrium passi non fuerint.*

D *numquam irrigari solita commemorat, opinionem suam certam non facit:*

56 *Itaque, quidquid pro illorum palæstra ibidem collocanda Fleyus adducat, dubium mihi equidem semper manet, ne dicam vero prorsus absimile, tam procul a Rheno Sanctos passos esse. Ut sic existimem, etiam suadent duo alia argumenta, quorum unum pariter ex Beda, alterum ex ipsimet Fleyi verbis num. 51 recitatis partim repetitur. A posteriori duco initium. Fluvius Imschara eam aquarum copiam in Appellerbeke habere non videtur, ut Sanctorum interfectorum corpora, in illum conjecta, secundo illarum fluxu illinc in Rhenum deferri potuerint. Colligere id fas est ex ipsis modo memoratis, quæ num. 51 huc transcripsi, Hermanni Fleyi verbis. His enim ille scriptor dubitare sese indicat, modone naturali an supernaturali factum sit, ut Sanctorum corpora, in Imscharam conjecta, ex Appellerbeke per fluvii hujus alveum in Rhenum fuerint delata; hac autem de re dubitaturus fuisse, non videtur, nisi aquarum, quas habet Imschara, paucitatem novisset. Et vero ea aquarum copia, quæ vehendis humanis corporibus sufficiat, in vico Appellerbecano non esse Imscharam, etiam intelligitur tum ex ipso vici hujus situ, tum ex antiquissimi Breviarii Coloniensis Ms. Lectione supra plus semel laudata. Vicus enim Appellerbecanus haud procul ab Imscharæ fontibus situs est; fluvii autem, ac præcipue fluvioli seu torrentes, qualis est Imschara, solent ad fontes suos admodum esse parvi, nec majoris molis rebus vehendis apti.*

binis adeo adhuc contra hanc argumentis, E

quorum alterum partim ex ipsismet

57 *Quod jam pertinet ad dictam Breviarii Coloniensis antiquissimi Lectionem, hæc ad propositum nostrum sic habet:* Hos.. (*sanctos* Ewaldos) peremptos in villa Appelderbeke, super rivulo Embiscara ibidem in palustria loca eos projecerunt. Post majoris invidiæ stimulis excitati homicidæ sceleratissimi, vel potius facinore commisso pavidi, occulendi gratia sanctorum Hospitum corpora inde extracta in Rhenum projecerunt. *Quibus verbis cum significetur, Sanctorum corpora ex fluvio Imschara, in cujus palustria loca fuerant projecta, ab homicidis, ut ea occulerent, fuisse extracta atque in Rhenum conjecta, argumento id est, eam Imscharæ fluvio in vico Appellerbecano, scilicet Octobris præsertim initio, quo Sancti passi sunt, quarum copiam non esse, quæ humanis occultandis corporibus, proculve inde avehendis sufficiat. Verosimillimum itaque ex jam dictis apparet, Sanctorum corpora ex Appellerbeke in Rhenum secundo Imscharæ fluxu absque miraculo non potuisse deferri. Quare necesse est, ut in Fleyi, Gelenii aliorumque opinione, qua Sanctorum in Appellerbeke interfectorum corpora in Imscharum ibidem injecta indeque in Rhenum delata statuuntur, duo verosimillime facta admittantur miracula; alterum, quo Sanctorum corpora contra impetum Rheni decurrentis, teste Beda, Coloniam versus sunt devecta; alterum, quo eadem ex vico Appellerbecano in Rhenum secundo Imscharæ fluxu delata contendunt.*

F

58 *Verum*

A 58 *Verum hoc secundum miraculum minime admittendum videtur. Præterquam enim quod nullo nitatur antiquitatis testimonio, ficta apparet aut certe gratis asserta, ex qua illud consequitur, Sanctorum ex Appellerbeke in Rhenum secundo Imscharæ fluxu illatio. Adhæc in Breviarii Coloniensis Ms. Lectione supra jam pluries laudata dicuntur Sanctorum corpora in Rhenum ab homicidis conjecta; non autem ex Appellerbeke in hunc fluvium secundo Imscharæ fluxu delata. Cum ergo hoc Breviarium, utpote ex dictis valde antiquum, Rolevinckum, Gelenium aliosque scriptores recentiores supra memoratos ætate verosimillime superet, hocque Sanctorum corpora ex Appellerbeke in Rhenum secundo Imscharæ fluxu delata non memoret, videtur id a recentioribus illis scriptoribus conflictum aut certe gratis esse assertum. Viderint hi scilicet, majorem esse vici Appellerbecani a Rheno distantiam, quam ut in hunc (quod tamen ob Bedæ testimonium negare non poterant) Sanctorum ibidem interfectorum corpora fuisse conjecta, uteumque foret credibile. Certi nihilominus non deserere opinionem, quæ Sanctos in vico Appellerbecano passos statuit, eorum idcirco corpora ex eodem vico in Rhenum secundo Imscharæ fluxu delata, nullo licet idoneo testimonio suffulti, asseruerint. Verum, cum id ex dictis absque miraculo fieri potuisse, parum sit verisimile, opinio etiam, in qua id* B *nihilominus sine ullo fundamento adstruendum est, parum mihi vel ex hoc solo capite verosimilis apparet.*

Fleyi verbis,

alterum ex Beda repetitur, in medium adductis,

59 *Ut porro hæc magis magisque infirmetur, venio nunc ad alterum argumentum, quod, ut supra dixi, a Beda repetitur. Sancti, ut ex dictis tota venerabilis Anglorum historici narratio innuit, in illo antiquæ Saxoniæ vico, in quem, hanc regionem vixdum ingressi, primo diverterunt, passi sunt martyrium: hoc autem cum opinione, quæ Sanctos in Appellerbeke necatos sustinet, neutiquam componi posse videtur. Rem sic probo:* Ewaldi *secundum dicta verosimillime ex Austrasia, trajecto Rheno, antiquam Saxoniam sunt ingressi. Et Rhenum quidem vel prope Coloniam vel hanc civitatem inter et Rheni ac Lippiæ confluentes trajecisse videntur. Utrumlibet statueris, verosimile non apparet, vicum Appellerbecanum fuisse, in quem Sancti in antiqua Saxonia primo diverterint. Si enim prope Coloniam illos Rhenum trajecisse velis, pervenire non potuerunt in vicum Appellerbecanum, nisi trajecto, qui hunc inter et Coloniam Agrippinam interjacet, sat longo terrarum tractu; hunc autem tunc (vide dicta num. 4 et 5) vel adhuc saltem ex parte tenebant Boructuarii, vel totum fere, his pulsis, antiqui Saxones in potestatem* C *suam redegerant atque occuparant. Si regionem adhuc tenebant Boructuarii, non video, cur his, qui etiam erant ethnici, præteritis, ad Saxones ethnicos Christi prædicandi causa Sancti transierint. Si vero tunc totum fere illum terrarum tractum, quod ob dicta num. 4 et 5 forte admitti potest, antiqui Saxones occuparant, non paucos vicos, Saxonibus inhabitatos, Sancti verosimillime, antequam in Appellerbecanum venirent, transire debuerunt. In hunc ergo, Saxoniam vixdum ingressi, primo divertisse non videntur; unde ob dicta consequitur, ut nec ibi passi videantur martyrium. Quod si porro velis, Sanctos trajecisse Rhenum, non prope Coloniam, sed hanc civitatem inter et Rheni Lippiæque confluentes, idque haud procul ab his confluentibus, quod verosimillimum esse, ex dicendis facile colliges; quod si, inquam, hoc velis, sic Sanctos, Saxoniam vixdum ingressos, in vicum Appellerbecanum, cum hunc inter et Rheni Lippiæque confluentes alii plures Saxonum vici fuerint medii, primo divertisse, multo minus erit credibile. Unde consequitur, ut etiam, Sanctos ibidem martyrio coronatos esse, multo minus credibile sit habendum.*

Sanctorum palæstram nec vico Appellerbecano,

60 *Itaque, hisce perpensis omnibus, magis magisque dubium mihi fit, an Sancti in vico Appellerbecano passi sint martyrium. Imo hos ibidem martyrium passos non esse, vix non certum reddere videntur, quæ hactenus in medium adduximus. Ast erit fortasse non nemo, cui mirum videatur, a me rem, quæ viris non paucis, etiam eruditis, visa est verosimillima, vocari in dubium, imo vix non etiam omni verisimilitudine destitutam pronuntiari. Ut hac me qualicumque objectione expediam, respondeo, non me primum esse, cui ita visum sit existimandum. Etenim Gamansius, Societatis nostræ sacerdos, inter Scripta plurima, quæ ad Majores nostros, de Sanctis tractantia, benigne transmisit, unum dedit non contemnendum sub hoc titulo:* Sancti antiquæ Saxoniæ, quæ hodie Westphalia, tutelares, qui eam initio gentis ad Christum adductæ meritis et miraculis viventes illustrarunt, aut post obitum in eam commigrarunt, corporibus eorum sacris aliunde religiose adductis. *In hoc autem Scripto de* Ewaldis *tractatur primo loco, deque his opportune ad institutum nostrum laudatus Gamansius sic scribit:* Brevi (*sancti* Ewaldi) arentes gentilium terras suo sanguine ita irrigavere, ut qui deinde coloni ad hunc saxeum nuper agrum excolendum accessere, optatos fructus colligere potuerint. De loco martyrii non liquet. *Itaque de Sanctorum palæstra non constare, existimavit Gamansius, atque adeo eam in vico Appellerbecano non esse indubie collocandam. De Sanctorum palæstra dubitare etiam videtur Cratepolius. Etenim in suo de Sanctis Germaniæ tractatu de* Ewaldis *agens, altum omnino de loco, quo hi martyrio coro-* E *nati sint, servat silentium, quamvis interim ea recenseat, quæ cum palæstræ mentione aptius fuissent conjuncta.*

AUCTORE C. B.

nec alteri determinato loco posse affigi, concluditur.

61 *Ceterum laudatus Gamansius non tantum dubitavit, foretne Sanctorum palæstra in vico Appellerbecano collocanda; verum etiam eam ibi collocari non posse, pro certo habuit. Etenim in scripto supra laudato verbis jam recitatis proxime hæc subdit:* Haud procul a Rheno (*sanctos* Ewaldos) in antiqua Saxonia passos fuisse, Beda eorum temporum scriptor indubitatum effecit. *Sunt ergo ex Gamansii mente Sancti haud procul a Rheno, ac proin non vico Appellerbecano, utpote qui decem circiter leucis horariis a Rheno distet, martyrium perpessi. Hæc sane Gamansii opinio ob irrefragabilem Bedæ auctoritatem mihi admodum probabilis, imo vix non certa apparet. Cum enim Beda in Passione edenda doceat, Sanctorum interfectorum corpora in Rhenum fuisse conjecta, hæcque ex loco, quo id accidit, per quadraginta fere passuum millia Coloniam Agrippinam versus esse devecta, statuendum mihi videtur, Sanctos, haud procul admodum a Lippiæ et Rheni confluentibus posteriori hoc fluvio trajecto, antiquam Saxoniam esse ingressos, ibique martyrio esse coronatos; quo vero id loco factum sit, determinari non posse, ex dictis quisque jam facile intelliget. Poterit etiam,* F *quantum existimo, ex disputatis commode colligi, quid de supra memoratis Rolevincki, Schateni, Fleyi, uti etiam Gelenii, qui ab his non dissentit, circa Sanctorum palæstram opinionibus statui conveniat. Ego interim in hanc sufficienter me jam inquisivisse, ratus, ad tempus, quo Sancti martyrio coronati sunt, indagandum progredior.*

§ V. Tempus, quo Sancti martyrio coronati sint, et an horum interfectorum corpora Coloniam usque adverso Rheno sint devecta.

Sanctorum martyrium inter annum 690 et 700 ab omnibus fere locatur,

In determinando anno, quo Sancti martyrium passi sint, scriptores inter se plurimum dissident. Id tamen inter annum 690 *et annum circiter* 700 *sat unanimi consensu ab omnibus fere statuitur. Sigebertus Gemblacensis in Chronographia ad annum Domini* 693 *sic scribit:* Evaldus Albus et Evaldus Niger venientes ab Anglia martyrizantur in Gallia, et jussu Pipini sepeliuntur in Agrippinensi Colonia. *Rolevinckus lib.* II *de Situ et Moribus Westphalorum cap.* 1 *martyrio eos affectos asserit circa annum Domini septingentesimum. Schatenus in sua Historia Westphalica ad hunc eumdem annum eorum marty-*

AUCTORE C. B.

rium consignat. Idem etiam facit Hermannus Fleyus, supra sæpissime jam laudatus. Westmonasteriensis Sanctorum mortem anno 695 *innectit; anno vero* 695 *Trithemius : in Annalibus enim sic scribit :* Clodoveus Theodorici regis memorati senior natu filius patri succedens, regnavit super Francos annis quatuor, Pipino Majori-domus existente : quo anno Euualdi, Albus et Niger, monachi et presbyteri, venientes de Anglia pro Christi amore in Saxoniam, martyrizantur, et apud Coloniam sepulti sunt jussu Pippini principis. *Sermo hic est de Clodoveo tertio, Francorum rege, qui Theodorici tertii, Francorum regis, exstitit natu major filius. Verbis proxime recitatis hæc præmiserat Trithemius :* Theodoricus (*tertius scilicet*) rex Francorum obiit anno regni sui quarto decimo, Dominicæ vero Nativitatis DCXCIII. *Clodoveus ergo ex Trithemii calculis anno* 695 *regnare incepit, eodemque anno* Ewaldi *in antiquam Saxoniam venerunt, passique sunt martyrium. Verum Clodoveus tertius non anno* 695, *sed* 691, *uti nunc eruditorum fert opinio, regnare incepit, ut adeo Trithemius, quod cum anno, quo Clodoveus tertius regnare incepit, Sanctorum jungat martyrium, debuisset hoc ad annum* 691, *emendatioribus adhibitis calculis, referre. Utut sit, Sanctorum equidem martyrium inter annum* 690 *et annum* 700 *etiam collocat. Longum*

B *foret recensere scriptores omnes alios, qui id ipsum præstant. Dixisse sufficiat, vix ullum reperiri, qui vel ante annum* 690, *vel post annum* 700 *Sanctorum ponat martyrium. Neque enim hic moror paucos quosdam scriptores, qui illud, Pseudo-Marcellini commentis presse inhærentes, in annum usque* 705 *aut etiam* 704 *differunt.*

idque sane nec ante annum 690,

65 *Itaque de Sanctorum martyrio inter annum* 690 *et* 700 *collocando inter omnes pene scriptores apprime convenit, certumque proinde apparet,* Ewaldos *non ante annum* 690, *nec post annum* 700 *martyrio esse affectos. Verum, inquies, scriptores omnes enumerati, ex quorum unanimi consensu id certum apparet, a Sanctorum ætate remotiores sunt, quam ut rebus, quas de illis scribunt, fidem certem atque indubitatam facere queant. Respondeo, rem etiam aliunde solidis rationum momentis probari. Ac primo quidem Sanctos ante annum* 690 *nec martyrium esse passos, nec in antiquam Saxoniam venisse, indubitatum efficitur ex Beda et ex anno, quo Sanctus Willibrordus cum undecim aliis apostolicis viris ex Hibernia in Frisiam Evangelii prædicandi ergo trajecit. Willibrordus enim, uti apud omnes in confesso est, ante annum* 690 *in Frisiam non venit : Beda autem num.* 2 *Passionis edendæ, narrata Willibrordi ejusque sociorum in Frisiam profectione, subdit :*

C Horum (*Willibrordi ejusque sociorum*) secuti exempla duo quidam Presbyteri (Ewaldus *Albus et* Ewaldus *Niger*) de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro æterna patria exulaverant, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum, si forte aliquos ibidem prædicando Christo adquirere possent. *Sancti ergo non ante S. Willibrordi ex Hibernia in Frisiam discesssum, ac proin non ante annum* 690 *in antiquam Saxoniam venerunt martyrioque ibi coronati sunt. Atque hæc quidem de priori ex binis terminis, intra quos Sanctorum martyrium certo concludendum, innuimus. Quod jam pertinet ad alterum seu ad annum* 700; *Sanctorum post hunc non posse locari martyrium, sic probo : Duchesnius tom. I Scriptorum Franciæ publicavit Fragmentum historicum, quod a Dagoberto primo usque ad Pipinum regem deducitur.*

nec post annum 700,

64 *In hoc auctor incertus, sed quem hic sequendum, eruditi recentiores ex dicendis ducunt, opportune ad institutum nostrum ita memorat :* Pipinus itaque dum principatum palatii... annis viginti septem egregie administrasset, mortuus est anno ab Incarnatione Domini DCCXIV. Ejus temporibus duo Angli presbyteri Euvaldi, dum Saxonibus prædicarent, martyrio coronati et miraculis declarati, ab ipso Coloniæ tumulati sunt anno Domini DCCXXIV. Sequenti anno sanctus Willebrordus a Sergio Papa archiepiscopus ordinatus, genti Frisonum prædicans, virtutibus floruit. *Hactenus laudatus anony-* D *mus, in cujus textum librariorum oscitantia mendum hic irrepsisse, proque anno Domini* 724, *quo* Ewaldi *a Pipino tumulati narrantur, legendum esse annum Domini* 695, *ex eodem ipsomet textu liquet. Etenim hujus initio Pipinus anno Domini* 714 *e viris excessisse dicitur; quare necesse est, ut deinde in textus serie ab eodem Pipino* SS. Ewaldi *anno Domini* 724 *tumulati perperam narrentur. Qui enim Pipinus jam a decennio mortuus Sanctos tumulare potuerit, quive hoc anonymus in litteras misisse credatur? Oportet ergo, ut hic in ejus textum librariorum amanuensiumve oscitantia mendum irrepserit. Porro in laudato textu dicitur S. Willibrordus eo anno, qui Sanctorum sepulturam, a Pipino procuratam, est secutus, ad archiepiscopalem dignitatem a Sergio Papa esse promotus. Quapropter cum S. Willibrordus, ut Beda lib.* V *Historiæ gentis Anglorum, cap.* 12 *diserte affirmat, anno* 696 *gradum illum sit consecutus, debet annus hunc proxime præcedens in anonymi textu substitui anno* 724, *qui adeo ibidem pro anno, quo Sanctos tumulavit Pipinus, perperam signatur, nec ab ipsomet Chronici auctore, sed ab iis, qui hoc descripserunt, est profectus. Hinc jam consequitur, ut Sancti anno* 695 *martyrii palmam sint adepti, ac proin ut id post annum* 700 *non evenerit. Atque hæc de altero etiam e duobus terminis, intra quos* E *Sanctorum martyrium includendum insinuavi.*

sed, ut verosimilius apparet, anno 695 *accidit.*

65 *Verum, inquies, Beda non prius de Sanctorum martyrio tractat, quam S. Willibrordi ejusque sociorum ex Hibernia in Frisiam discessum exposuit; postquam autem Sanctorum martyrium narravit, capite proxime sequenti S. Suiberti in episcopum ordinationem recenset. S. Willibrordus ex dictis anno* 690 *vel, ut alii volunt, anno* 691 *ex Hibernia in Frisiam cum undecim suis sociis, apostolicis viris, discessit; S. Suibertus vero anno* 695, *ut nunc communior tenet opinio, in episcopum est ordinatus. Beda ergo inter duas res diversas, quarum altera anno* 690 *vel* 691, *altera anno* 695 *gesta sit, Sanctorum martyrium memorat, videturque adeo illud non anno* 695, *sed vel aliquo ex annis* 690, 691 *et* 695, *vel, qui inter hunc posteriorem duosque priores est medius, anno* 692 *esse locandum. Respondeo : utut tantisper concederetur, Sanctos non anno* 695, *sed aliquo e quatuor mox dictis annis martyrii coronam esse consecutos, inconcussum equidem firmumque adhuc maneret, imo etiam vel inde confirmaretur, quod supra asserui, Sanctorum martyrium nec ante an.* 690, *nec post annum* 700 *posse collocari. Verum quamvis Beda inter duas res, quarum altera anno* 690 *vel* 691, *altera anno* 695 *gesta sit, Sanctorum memoret martyrium, non propterea tamen hoc* F *vel uni e tribus hisce annis, vel anno* 692 *debet affigi. Etenim nemo facile demonstret, a Beda ubique res eo ordine, quo gestæ sunt, narrari. Adhæc a venerabili Scriptore nuspiam expresse affirmatur, Sanctorum martyrium inter Willibrordi ex Hibernia in Frisiam profectionem, et S. Suiberti ordinationem esse peractum; ab auctore autem anonymo ante laudato, uti ex verbis ejus supra huc transcriptis liquet, aperte declaratur, martyrium subiisse Sanctos anno, qui S. Willibrordi ad archiepiscopalem dignitatem promotionem, anno* 696 *factam, proxime præcessit. Cum ergo dicto anonymo quidquam aperte declaranti plus tribuendum videatur, quam Bedæ contrarium expresse non affirmanti, verosimilius mihi videtur, Sanctorum martyrium anno* 695 *esse affigendum.*

Antiqua Coloniensium de advectis adverso Rheno

66 *Id ipsum etiam Cointio in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, Pagio in Criticis, aliisque, qui hoc argumentum tractarunt, recentioribus est visum, idque ob solam auctoritatem anonymi atque incerti auctoris, plus semel jam laudati; cui etiam (vide num.* 62) *Westmonasteriensis consentit. Alia non occurrunt, quæ pro anno, quo Sancti martyrio coronati sunt, certius determinando quidquam conferant. Nunc itaque, quod etiam hoc* § *facere proposui, indagare aggredior, fuerintne Sanctorum interfectorum corpora, quæ in Rhenum homicidæ ethnici conjecerant, Coloniam Agrippinam usque adverso flumine*

A *mine devecta. Antiqua est apud Colonienses traditio,* SS. Ewaldorum *corpora eo loci, ubi nunc Coloniæ in choro S. Cuniberti puteus conspicitur, adverso Rheno esse devecta. Docet nos id præter alios scriptores non paucos tum Winheimius in Aggripinæ Sacrario, tum Gelenius in suo de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine Tractatu. Hujus posterioris, quod rem accuratius exponat, verba huc transcribo. Itaque libro tertio dicti Operis, Syntagmate 4, pag.* 279 *ita memorat:* Sumpsit... Cunibertina ecclesia incrementum Austrasiorum principum Pipini et B. Plectrudis munificentia, cum beatorum Ewaldorum corpora, cælesti face comitata, sponte sua adverso flumine natantia huc (*Coloniam Agrippinam*) appulerunt, et clero populoque præsente elevata sunt, ubi nunc æreus in choro puteus cum hac inscriptione :

Appulit Ewaldos violento gurgite Rhenus,
Quos lux alta vehit huc, ubi fons scaturit.

Coloniam usque Sanctorum corporibus opinio admittenda non est :

67 Etenim procerum liberalitate tot torques et monilia oblata sunt, ut eorum impensa fluvio cedere coacto, moderni chori accessio facta sit. *Ac deinde pag.* 288 *de eodem argumento hæc suppeditat :* Cum prodigioso lumine (Ewaldorum *corpora miraculose adverso Rheno*) Coloniam adnatarunt, ubi, a B. Tilmanno collega suo divina revelatione agniti, per Pipinum et B. Plectrudem atque clerum
B et populum Agrippinensem sunt honorifice excepti eo loco, quem in choro puteus designat. *Hactenus laudatus Gelenius, addens etiam post pauca carmen Leonnium vetus de* SS. Ewaldis, *in quo pariter horum corpora Coloniam Agrippinam usque adverso Rheno esse delata, asseri videtur. En adeo etiam illud; sic habet :*

Lætificent Ewaldorum nos festa duorum,
Unius moris sunt, dissimilisque coloris,
Una truncati, pariter sunt glorificati,
Post Rheni partes, sed non per remigis artes
Corpora conscendunt, et ad urbis mœnia tendunt,
Non flatu venti, sit laus honor Omnipotenti,
Qui sibi conjunctis per amorem præstat honorem.

Dubium ergo non est, quin apud Colonienses ea per traditionem, a Majoribus acceptam, invaluerit opinio, qua SS. Ewaldorum *corpora illuc adverso Rheno advecta, vulgariter existimatur. Verum, quod bona Coloniensium venia dictum sit, mihi illa neutiquam videtur admittenda.*

pugnat enim cum Beda,

68 *Etenim cum Beda, ut mihi equidem apparet, manifestissime pugnat. Hic enim in Passione edenda num.* 5 *et* 6 *sic scribit :* Unus ex eis (*sanctis* Ewaldis) apparuit cuidam de sociis suis, cui nomen erat
C Tilmon, viro illustri, et ad sæculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus ; indicans, quod eo loci corpora eorum posset invenire, ubi lucem de cælo terris radiasse conspiceret. Quod ita completum est. Inventa namque eorum corpora juxta honorem martyribus condignum recondita sunt ; et dies Passionis vel Inventionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Denique gloriosissimus dux Francorum Pippinus, ubi hæc comperit, misit, et adducta ad se eorum corpora condidit cum multa gloria in ecclesia Coloniæ civitatis juxta Rhenum. *Quibus verbis apertissime significatur, Sanctorum corpora, adverso Rheno devecta, aliquo in loco, Colonia Agrippina dissito, substitisse, ibique a Tilmone, cui prodigio fuerant ostensa, aliisque hujus sociis honorifice fuisse tumulata; inde vero, cum a Pipino, re audita, humo postmodum fuissent extracta, Coloniam Agrippinam ab eo translata, ibique juxta Rhenum tumulo honorifice fuisse recondita. Pugnat ergo cum Beda Coloniensium opinio, qua* Ewaldorum *corpora Coloniam Agrippinam usque adverso Rheno putantur devecta. Verum, inquies, in Vita S. Annonis, Coloniensis archiepiscopi, apud Surium Trimestri quarto ad quartam Decembris inserta, cap.* 37 *hæc leguntur :* Inter hæc et duorum Euualdorum (*S. Anno*) preciosa corpora, revelatione eorumdem Martyrum instructus, de tumulis sublevavit : quos olim in Saxonia Rhenus amne refluo Coloniam sepeliendos advexerat.

AUCTORE C. B.

69 *Vita S. Annonis ab auctore subæquali, qui gravissimus simul est ac fide dignissimus, litteris est consignata, uti apud omnes in confesso est. Quapropter cum his verbis, quæ ex ea mox recitata sunt, non obscure indicetur, Sanctorum corpora Rheno adverso seu refluo Coloniam Agrippinam usque esse delata, pro vera admitti potest, quæ hoc adstruit. Coloniensium opinio, debentque eo modo, quo cum hac non pugnent, Bedæ verba supra huc transcripta exponi. Respondeo, Vitam S. Annonis habere quidem auctorem, qui fide etiam dignissimus sit, sancto huic episcopo subæqualem. Verum cum S. Anno sub finem sæculi undecimi, uti ex infra dicendis intelligetur, in vivis esse desierit, hujus ille Vitam litteris mandare, ante sæculum duodecimum aggressus non est. Unde consequitur, ut ab* Ewaldorum *ætate, utpote qui sæculo septimo floruerint, etiam sit remotior, quam ut, quod de eorum corporibus Coloniam usque adverso seu refluo Rheno devectis scribit, certum indubitatumque queat efficere. Tantum itaque ex Vita S. Annonis potest concludi, traditionem, qua apud Colonienses de advectis ad se* Ewaldorum *adverso Rheno corporibus invaluit opinio, admodum esse antiquam ; qualem etiam eam esse, num.* 66 *sat aperte edixi. Porro etiamsi Sanctorum* E *corpora Coloniam usque eo loci, ubi nunc æreus in choro Cunibertino puteus cernitur, adverso Rheno esse devecta, ob Bedæ auctoritatem admittere nec velim nec audeam, non propterea tamen a vero aliena assero, quæ verbis recitatis de moderni chori ad basilicam Cunibertinam accessione refert Gelenius.*

nec quidquam illi ex Vita S. Annonis præsidii accedit.

Ex donis tamen, quæ Ewaldis fuerant oblata, Cunibertinus chorus forte fuit constructus.

70 *Imo contra verosimillimum mihi apparet, factum esse, ut, postquam Pipini jussu* Ewaldorum *corpora e loco, quo prius tumulata fuerant, essent extracta Coloniamque translata, in illorum honorem torques et monilia ingenti copia a Pipino, hujus conjuge Plectrude Austrasiisque proceribus fuerint oblata. Puto etiam pretiosarum illarum, quæ* Ewaldis *factæ fuerant, oblationum valore modernum ecclesiæ Cunibertinæ chorum, pia Coloniensum liberalitate accedente, fuisse exstructum, Rheno etiam, qui locum, quo hic exstructus est, alveo suo antea inclusserat, cedere coacto. Quod vero pertinet ad æreum chori puteum, quem etiam, teste Winheimio, ad sanitatem languentium superstitem ferunt Colonienses, suspicor, hunc non prius fuisse conditum, quam jam apud Colonienses de* Ewaldorum *corporibus adverso Rheno ad se eo loci advectis invaluisset opinio. Quam quidem opinionem uno etiam dumtaxat alterove post* Ewaldorum *cædem sæculo facile apud illos potuisse invalescere, idcirco reor, quod sacra illa pignora haud procul admodum ab urbe Coloniensi adverso Rheno fuerint advecta, moxque inde Coloniam Agrippinam a Pipino translata. Dubito etiam, an eadem opinio, postquam semel fuerat exorta, Coloniensium omnium animis semper æque firmiter inhæserit. Certe in antiquissimis nostris Coloniensibus. Breviariis supra laudatis altissimum est de Sanctorum corporibus Coloniam usque adverso Rheno devectis silentium.*

§ VI. Corpora a Pipino ac deinde ab Annone, Coloniensi archiepiscopo, translata.

Sanctos, quos Pipinus primo transtulerat,

Sanctorum corpora, quæ prius ex loco, quo ab ethnicis rusticis in Rhenum fuerant conjecta, divina virtute secundum jam dicta fuerant translata ad locum, quo Tilmon aliique eorum socii degebant, ab hominibus deinde translata pariter fuerunt. Ac prima quidem ex eorum, quæ ab hominibus factæ sunt, translationibus, procurante Pipino, fuit peracta. Fuerant scilicet Sanctorum corpora, cælesti luce prodigiose stipata, suaque sponte contra Rheni decurrentis impetum natantia, ad eum usque locum devecta, quo Tilmon aliique eorum socii versabantur. Nec hoc prodigio tantum servos suos illustraverat Deus; verum

AUCTORE C. B.

rum etiam altero eorum corpora, cum jam ad locum, quo sepelienda primo erant, essent delata, Tilmoni revelare est dignatus. Hinc factum est, ut brevi gloriosum Sanctorum martyrium quaquaversum, fama celerrime propagata, fuerit dispersum, omnesque, qui, quæ illud secuta fuerant, audirent miracula, summi apud Deum meriti Sanctos esse, habuerint persuasum. Pipinus adeo, re etiam audita, passus non est, ut Sancti, quos tantis a Deo prodigiis honoratos audiebat, ab hominibus pariter non honorarentur. Jussit itaque sacra eorum corpora ex loco, quo a Tilmone hujusque sociis terræ fuerant mandata, Coloniam Aggrippinam ad se deferri, eaque cum multa gloria in ecclesia (est hæc nunc S. Cuniberti nomine insignita) Coloniæ civitatis juxta Rhenum humo condenda, curavit. Hæc omnia in Passione edenda num. 5 et 6 venerabilis Beda nos docet; ad quem propterea, studiose lector, te remittens, ad aliam sacrorum corporum translationem explanandam progredior.

anno 1074 iterum transtulit S. Anno. Liquet id ex hujus,

72 *Ab anno* 695 *aut certe* 696, *quo, uti ex jam dictis quisque facile colliget, Sanctorum corpora Coloniam Agrippinam fuere translata, ad annum usque* 1074 *nihil vel apud historicos vel in aliis antiquis monumentis occurrit, unde utcumque queat intelligi, an et quo cultu Sancti apud Colonienses*
B *tempore inter duos illos terminos medio fuerint gavisi. Non dubito tamen, quin ab his, ut Sancti, diu etiam post primam eorum translationem, a Pipino factam, honorari perrexerint; an vero solemnis eorum memoria annua numquam intermissa fuerit, pro certo, ut jam supra iterum monui, asseverare non ausim. Utut sit, sacra eorum corpora a tempore, quo a Pipino fuerunt translata, usque ad dictum annum* 1074, *in neglectis loculis posita jacuere. Tunc autem ea S. Anno, Coloniensis archiepiscopus, novo translationis honore affecit. Et quidem tum hoc, tum illud liquet ex Litteris, quas ipsemet S. Anno de Sanctorum translatione a se facta emisit. Has propterea, prout Mss. in Collectaneis nostris exstant, integras huc transcribo. Anno* 1661, *uti notatum invenio, a domino decano ecclesiæ collegiatæ S. Cuniberti, et domino Paulo Schriber, canonico et thesaurario, Colonia Agrippina ad dominum comitem de Geleen, atque ab hoc deinde ad Bollandum nostrum fuere transmissæ. Sic habent :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Anno secundus, Coloniensis archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus. Quoniam vitæ hujus spatium breve probatur esse et invalidum, eo quod humana ætas et nascendi lex, licet annorum numerositas prolongari videatur, semper tendat ad
C occasum : salutare est omnibus et totis viribus inquirendum, illuc mente et opere aliquid boni sibi præmittere, ubi, si læta sint, finem nesciant : et si tristia, dolor interminus, qualemcumque tamen miserationem admittat. Hac de causa pro peccatis meis ego sollicitus, et futuri districtionem judicii pertimescens, decrevi Sanctos Dei honorando, et servientes eis sublevando, precatores pro me efficere in judicio, qui de meritis propriis justificari non valeo.

quæ hic recitantur, ea de re Litteris.

73 Gloriosos itaque martyres Dei Euualdos, in neglectis propter ignorantiam præcedentium loculis positos, ego peccator et servus servorum Dei, Anno secundus Coloniensis archiepiscopus, licet indignus, transtuli, ut, qui jam recepti sunt in cælesti speculatione, apud nos aliquo digni haberentur honore, quatenus omnipotentis Dei, pro quo passi sunt, misericordiam tanto pro nobis studiosius expostulent in cælis, quanto magis apud nos pro modulo nostro glorificentur et honorentur in terris. In horum igitur translatione fratribus in eodem monasterio militantibus sancto Clementi martyri, et sancto Cuniberto confessori, eisdemque martyribus Euualdis ad suppletionem quotidianæ consolationis dedi decimationem novalium in Heimorderheim * et Strazfeldon *, xxx * modios tritici in Maseneel de redditibus silvarum, libram denariorum in Geveron, v libras Sosatiensis monetæ de areolis vel curticulis ejusdem villæ. Actum D est autem hoc coram testibus subnotatis, Ezelino præposito, Berengario decano, Everhardo, Ruotberto, Bertholfo, Regenboldo; coram laicis quoque, Francone urbis præfecto, Herimanno comite, Gerardo comite, et ut verius credatur, firmiusque imposterum teneatur, hanc in testimonium chartam conscribi feci, et in eodem monasterio in memoriale futurum reposui. Translatio vero prædicta facta est anno Dominicæ Incarnationis MLXXIIII, Indict. XI, V Nonarum Octobris. Si quis ergo tantillum supplementi, quod fratribus prædictis impendimus, abstulerit, perpetuum anathema in conspectu Dei omnipotentis incurrat, et in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, tristis a Dei conspectu discedat. Amen.

** in Translat. S. Cuniberti* Heimorderschem

** ibid.* Strasveldon

** ibid.* XX.

In his, quæ quantum ad donationes,

74 *Surius Trimestri quarto, ad tertium Octobris diem, in duobus* Ewaldis *etiam exhibet litteras, a S. Annone de* SS. Ewaldorum, *quam hic fecit, translatione emissas; verum hæ a S. Annonis jam mox recitatis de hoc argumento litteris non parum dissonant. Nullas enim donationes a S. Annone S. Cuniberti monasterio (Monasteriorum etiam nomine canonicorum collegia olim distinguebantur) factas commemorat; ubi tamen nonnullas Litteræ jam recitatæ recensent. Quæri hinc jam potest, sintne, quas Surius, an quas collectanea nostra sub S. Annonis nomine litteras* E *exhibent, pro genuinis Sancti hujus litteris habendæ. Pro genuinis S. Annonis litteris habendas esse, quas Collectanea nostra exhibent, jam recitatas litteras, suaderi posse videtur vel ex eo, quod Anno de Sanctorum translatione litteras emiserit. Quod si enim hæ illa de re litteræ, in quibus nullæ recensentur donationes, pro genuinis debeant haberi S. Annonis litteris, non apparet, cur eas Anno emiserit, nisi forte quis hoc illum unice fecisse velit, quo* SS. Ewaldorum *translationem fuisse a se factam, publico instrumento relinqueret testatum. Ut autem litteræ, in quibus donationes recensentur, pro genuinis S. Annonis litteris haberi non posse videantur, facit S. Annonis Diploma, quod sub titulo* Triumphi *seu* Translationis *S. Cuniberti ex Ms. codice Coloniensis ejusdem S. Cuniberti ecclesiæ ad* 12 *Novembris, quo Sancti hujus Acta illustranda venient, edituri sumus.*

quas recensent, genuinæ forsan non sunt,

75 *In hoc enim S. Anno etiam enumerat donationes, quas in* SS. Ewaldorum *translatione fecit S. Cuniberti monasterio seu canonicorum collegio; nullam autem mentionem facit donationis, in Litteris num. præcedenti huc transcriptis memoratæ, qua tunc eidem monasterio* quinque libras Sosatiensis *seu Susatiensis* monetæ de areolis vel curticulis ejusdem villæ *donarit. Imo contra apertissime in dicto Diplomate significat, sese hanc donationem ante* Ewaldorum *translationem fecisse. Adhæc in* F *prædictis S. Annonis de* Ewaldorum *translatione litteris ait Anno, sese donationes, quas memorat, facere* fratribus in eodem monasterio militantibus; *quo loquendi modo indicat, sese adhuc ante de monasterio fuisse ibidem locutum, idque tamen nulla omnino ratione fecit. Atque hæc altera est ratio, quæ facit, ut Litteræ de* Ewaldorum *translatione, in quibus donationes recensentur, pro genuinis S. Annonis litteris haberi non posse videantur; potestque forsan tum ex hac, tum ex ratione præcedenti non immerito contendi, ex S. Annonis Diplomate mox memorato in ejusdem Annonis de* Ewaldorum *translatione Litteras esse intrusum, quidquid ad donationum commemorationem pertinet. Id autem si ita sit, pro genuinis Annonis Litteris haberi debebunt, quas Surius exhibet, talesque etiam erunt, quas huc transcripsimus, si modo resecentur, quæ ad donationum commemorationem pertinent. Hinc porro jam consequitur, ut, quomodocumque res spectetur, in Annonis Litteris genuina equidem sint, quibus hic* Ewaldorum *corpora, quæ in neglectis loculis posita ante jacuerant, fuisse a sese translata, testatur. Vere ergo Sanctorum corpora in neglectis loculis posita usque ad Annonis ætatem jacuerant, hicque illa demum novo translationis honore affecit : quod utrumque supra asseruerat.*

76 *Verum*

A *perperam signatur Indictio* XI :

76 *Verum hic aliud adhuc circa dictas Annonis Litteras notandum occurrit. In his enim, tum prout apud Surium, tum prout in Collectaneis nostris exstant,* SS. Ewaldorum, *qua de agunt nosque jam agimus, translatio anno* 1074, *Indictione* 11, *quinto Nonas Octobris facta notatur; annus autem* 1074 *cum Indictione* 11 *componi neutiquam potest, idque sive indictio Constantinopolitana seu Græca, sive Constantiniana seu Cæsarea, sive etiam Pontificia statuatur adhibita. Res ex solo singularum indictionum calculo unicuique manifesta evadet. Indictio Pontificia a Kalendis Januariis, Constantinopolitana seu Græca a Kalendis Septembribus, Constantiniana seu Cæsarea ab* 8 *Kalendas Octobris seu* 24 *Septembris sumit initium. Hinc, ut computanti patescet, a Kalendis Januariis anni* 1074 *usque ad Kalendas Januarias anni* 1075 *in cursu erat indictio Pontificia duodecima; a Septembri vero anni* 1073 *usque ad Septembrem anni* 1074 *fluebat indictio itidem duodecima tum Constantinopolitana seu Græca, tum Constantiniana seu Cæsarea, incipiebatque etiam eo ipso mense decima tertia. Adi Operis nostri tom. III Septembris pag.* 444 *et seq. Itaque, quæcumque in Annonis litteris indictio statuatur adhibita, perperam in his annus* 1074 *cum indictione undecima conjungitur. Necesse ergo est, ut vel in anno vel in*

B *indictione sit erratum. Quapropter, cum in anno, uti mox probabo, erratum non sit, pro Indictione* 11 *reponenda est Indictio vel* 12 *vel* 13; *reponendam autem esse Indictionem* 13, *verosimilius apparet. Sic existimo, quod Annonis ætate apud Germanos in usu fuisse videatur Constantiniana seu Cæsarea Indictio, quæ ab* 8 *Kalendas Octobris seu* 24 *Septembris ducit initium, quæque proinde anno* 1074, *quinto Kalendas seu tertio die Octobris, quo die et anno in dictis litteris facta notatur* Ewaldorum *translatio, tertia decima numerabatur.*

annum enim recte notari, probatur ex eo, quod calamitates,

77 *Probo nunc in anno* 1074, *quo in Annonis litteris* Ewaldorum *translatio facta notatur, mendum non esse. In Diplomate supra laudato Anno sic loquitur :* Accidit, quod in angustias, peccatis meis id exigentibus, citra timorem subito illapsus sum, quæ cum sint minime celandæ, gloria autem virtutis sanctorum Cuniberti, Clementis et Ewaldorum, ad quorum intercessionem et suffragia tunc temporis specialiter confugeram, propalanda est, quod, ut indubitanter novi, intercessione eorum timor meus in spem, tristitia mea in gaudium, in securitatem periculum tranfiguratum est, et multorum contra me impia consilia frustrata sunt. Procul mora ergo eodem præposito (*de hoc adhuc ante fuerat locutus*) Hadone ad me accersito, et

C consecretario et familiari, jocunde lætoque animo secum computabam, ut pro tempore saltem aliquid meritis eorum responderem, et juxta consilium suum tradidi fratribus quinque libras solvendas de areis, vel de curticulis Susatiæ, quod eam sanctus Cunibertus sancto Petro acquisivit, et quod pius archiepiscopus Herimannus postmodum effosso corpore sancti Cuniberti, et Susatiam translato, ab injustis et importunis hæredibus eam duello defendit et obtinuit. Post non multum temporis sanctos Ewaldos, quamvis indignus, præsumpsi transferre. *Prius ergo quam* SS. Ewaldos *transtulerit S. Anno, graves horum sanctorumque Cuniberti et Clementis intercessione evaserat angustias, maximum periculum, impiaque multorum adversus se consilia, uti ex his verbis liquet. Quod si adeo hæ calamitates, quas Anno tunc evasit, ad annum* 1074 *spectent, Sanctorum translatio, utpote brevi post has facta, in Annonis litteris anno* 1074 *recte signatur. Illas igitur calamitates ad hunc annum spectare, nunc probo.*

in Diplomate Annonis memoratæ, a calamitatibus; in quas hic ex Coloniensium seditione,

78 *Apud Surium Trimestri quarto in Vita S. Annonis, quam, ut jam monui, auctor gravis ac pene æqualis conscripsit, lib.* II, *cap.* 21 *fuse exponitur gravissima Coloniensium anno* 1074 *contra S. Annonem mota seditio. Anno autem verosimillime in præfato Diplomate sermonem non facit de aliis angustiis, periculisque, quam quæ in illa seditione subiit. Ut id pateat, de eadem seditione nonnulla etiam hic juverit proponere. Monasteriensis episcopus (Fredericus hic erat, cum S. Annone familiaritate conjunctus) festivitatem Paschalem cum S. Annone, a quo hunc in finem invitatus fuerat, Coloniæ Agrippinæ celebrarat. Parabat adeo hic jam discessum. Idcirco qui archiepiscopi negotia domestica curabant, jubentur ad evehendum cum navim procurare idoneam. Hi, lustratis perspectisque omnibus, unam mercatoris prædivitis navim, quod ad eos usus apta videretur, occupant, eamque in usum archiepiscopi, ejectis mercibus, quas vehebat, celerrime expediri jubent, vimque famulis, qui navim servabant, obtemperare detrectantibus minitantur. Hi cicato cursu ad navis dominum rem deferunt. Erat huic filius adulta ætate, non minus audacia, quam viribus excellens, primoribus civitatis maxime charus. Is, assumptis famulis suis, juvenibusque e civitate, quot potuit, archiepiscopi ministros e navi occupata deturbat, accedentesque deinde, ut navim iterum occupent, in fugam vertit. Nec hoc fecisse contentus, seditiosos contra archiepiscopum sermones tota urbe spargit, eoque tandem rem perducit, ut in pastoris sui necem cives conspirent, sævissimamque seditionem moveant. Rem, ut gesta est, S. Annonis biographus supra laudatus graphice depingit. Illam itaque ejus verbis huc transcribo.*

AUCTORE C. B

E

Annonianæ Vitæ verbis

79 *Sic habet :* Inclinata jam die in vesperum, cum igni oleum, iracundiæ accessisset ebrietas, subito civium conjurata manus erupit : ac primo portæ civitatis omnes custodiis vallatæ sunt : deinde ex omnibus urbis partibus ruunt ad curtim, *id est, palatium,* archiepiscopi et eum celebri quodam loco cum episcopo Monasteriensi cœnantem adorti, tela contorquent, saxa jaciunt, nonnullos ex assistentibus interficiunt, cæteros plagis et vulneribus confectos in fugam vertunt... Tunc archiepiscopum sui inter cuneos hostium nubemque jaculorum vix et ægre expeditum in templum S. Petri abripiunt, foresque non modo seris et vectibus, sed admotis etiam magnis molibus obfirmant. Sæviunt foris, et instar inundantis aquæ rugiunt vasa diaboli, plena vino furoris Dei, et per omnia episcopii penetralia discurrentes fores infringunt, thesauros diripiunt, vasa vinaria concidunt, et dum vina in diutinos usus summa ope congesta, præcipitantius effundunt, repletum subito cellarium ipsos, quod dictu quoque ridiculum sit, inopinis fluctibus periclitatos pene suffocaverat. Alii capellam archiepiscopi irrumpentes, altare spoliant, sacra vasa pollutis manibus contrectant, vestimenta pontificalia diripiunt; dumque omnem supellectilem sacri ministerii curiosa, immo furiosa diligentia evertunt, reperientes illic quemdam clericum, præ timore F se in angelo altaris occultantem, et putantes, quod archiepiscopus esset, interficiunt, non sine gratulabunda exprobratione, quod petulantissimæ linguæ tandem aliquando modum imposuerint. Sed cognito, quod decepti similitudine essent, et episcopus intra templum S. Petri et loci religione et murorum firmitate se tutaretur, undique conglobati ipsum templum obsident, muros perfringere dedita, opera moliuntur : postremo, nisi ocyus sibi tradatur archiepiscopus, ignem quoque se adhibituros minitantur.

hic descripta,

80 Tum ii, qui intus erant, videntes, obstinatos esse omnes ad necem ejus animos populi, nec ebrietate sola, quæ tempore digeri solet, sed etiam odiis et phrenetico quodam furore homines agitari, suadent ei, ut, mutato habitu, effugere conetur de ecclesia, et fallere obsidentes, hoc facto et sacras ædes incendio, et se mortis periculo liberaturus. Opportunum fugæ patrocinium tempus pollicebatur. Nam seditione in mediam noctem protracta, horrebant omnia tenebris et caligine, ut haud facile cuiquam esset, vultus occursantium discernere. Angustus aditus patebat de templo in dormitorium, itemque de dormitorio in atrium domumque canonici cujusdam adhærentem muro civitatis : isque ante paucos dies ortæ seditionis impetraverat ab archiepiscopo, Deo ad salutem

AUCTORE C. B.

salutem archiepiscopi hoc ipsum misericorditer providente, ut, rupto muro civitatis, parvulum sibi posticum facere fineretur. Ibi eductus archiepiscopus, applicitis in evectionem ejus et comitum ejus quatuor equis, abiit, opacæ noctis tenebris, ne ab obviantibus agnosceretur, commodissime usus; repertoque post modicum episcopo Mimigardevordensi *, sociis jam pulchre pro ea tum calamitate constipatus, in locum, cui Nussia nomen est, pervenit. Interim ii, qui circa templum erant, crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratque confusa vox tumultuantium, et fidem omnipotentis Dei testantium, quod non evasurus esset manus suas, non decepturus obsidentium diligentiam, etiamsi in minima terræ reptilia se transfiguraret. E contra ii, qui obsidebantur, nunc supplicando, nunc pollicendo, quod diligentissime quæsitum, si inveniretur, ipsis traditurі essent, callide ludebant operam perurgentium, usquequo archiepiscopum longius evectum, atque in tuta loca progressum, esse arbitrarentur. Tum demum, reclusis foribus, ipsos ingredi, et pro libitu suo quærere sinunt : adjiciuntque, frustra eum quæri intra septa templi, quem certo comperissent primo incursu concitatæ multitudinis, clara adhuc die urbe egressum, jam in longinquas partes transire potuisse : idque magis suspicandum, quod contractis undique per moram nocturni temporis copiis, primo mane ad occupandam armis civitatem sit adventurus. Igitur ingressi, cum omnia templi penetralia diligentius investigando evertissent, vix tandem admissa fide, quod falli potuissent, deinceps ab inquisitionis studio ad tuendam urbem animos vertunt, armatamque multitudinem circumquaque per propugnacula dispertiunt.

* *i. e.* Monasteriensi

B

fuit conjectus, diversæ non sint;

81 *Tali modo præsentissimum vitæ periculum adiit simulque evasit S. Anno. Nunc, quantum opinor, Sancto huic in præmemorato Diplomate sermonem non esse de aliis augustiis, aliisque periculis, quam de iis, quæ in commota contra se Coloniensium seditione subiit, quisque ex hac jam data ejusdem descriptione facile intelliget. Nulli quippe in Diplomate, uti hoc cum adscriptione conferenti patescet, calamitatis, quam se subiisse Anno ait, characteres reperiuntur expressi, qui non ad amussim etiam conveniant miserrimo statui, in quem hic sæva Coloniensium, prout nunc descripta est, seditione fuit conjectus. Calamitas, quam in Diplomate Anno memorat, subitas eum ad angustias redegit, gravi periculo, impiisque multorum consiliis objecit. Id ipsum quoque fecisse motam in sanctum virum Coloniensium seditionem, ex hujus descriptione jam data evidentissimum est. Quod vero in Diplomate etiam Anno ait, timorem suum in spem, periculum in securitatem, tristitiam in gaudium fuisse mutatam, id ipsum etiam illi in Coloniensium seditione evenit. Liquet id iterum partim ex eadem descriptione jam data, partim ex felici successu, quo S. Anno, quatriduo dumtaxat post seditionem elapso, ingenti stipatus armatorum multitudine, ad civitatem Coloniensem accessit, seditiososque ad officium compulit, imperataque facere coegit, prout laudata Annonis Vita paulo post verba supra recitata diserte etiam testatur. Itaque omnes omnino calamitatis, ab Annone in litteris memoratæ, characteres optime quadrant miserrimo statui, in quem is subita Coloniensium seditione fuit conjectus. Quapropter cum Anno alias in statum adeo miserum, cui iidem pariter conveniant, prolapsus fuisse non inveniatur, omni dubio procul in Diplomate sermonem non facit de aliis augustiis, in quas illapsus sit, aliisque periculis, quam de iis, quæ in subita adversus se Coloniensium seditione subivit.*

C

quodque ea quidem seditio anno 1074 contigerit,

82 *Hinc jam* SS. Ewaldorum *translationem, quam ex dictis ac dicendis S. Anno fecit, anno 1074 esse affigendam, hunc in modum ostendo : S. Anno, uti in ejus Vita apud Surium lib.* III, *cap.* 13 *expresse notatur, anno* 1075, *die quarta Decembris migravit ad Dominum. Coloniensium seditio, qua de jam fuse egimus, accidit anno obitum S. Annonis proxime prægresso. Sat evidens, quantum opinor, id fiet cuicumque Vitæ Annonianæ seriem apud Surium consideranti. Adhæc cap.* 21 *Annonis, ex quo supra Coloniensium contra hunc Sanctum seditionem descripsimus, aperte declaratur, evenisse hanc (adi dictum caput) eo anno, quo Natalis B. Georgii martyris in feriam quartam hebdomadæ Paschalis incidebat : anno autem* 1074 *incidit Paschalis festivitas in diem* 20 *Aprilis, ac proin natalis S. Georgii martyris, utpote die* 23 *Aprilis culti, in feriam quartam hebdomadæ Paschalis. Id unicuique vel Paschales rationes ineunti vel Paschales tabulas consulenti facile innotescet. Itaque Coloniensium adversus Annonem seditio anno* 1074 *debet innecti. Neque enim hanc ad alium annum, quo Pascha in* 20 *Aprilis iterum incidit, referre patitur Annonis obitus, qui, si post eandem seditionem uno forte amplius anno evenit, certe annis multo pluribus post illam, spectata Vita Annoniana, evenisse non potest. Quapropter cum ex dictis calamitas, quam Anno in Diplomate sæpissime laudato sese subiisse ait, diversa non sit a calamitate, quam ex Coloniensium seditione incurrit, necessum omnino est, ut illa etiam, quæ in Diplomate memoratur, anno* 1074 *innectatur.*

D

brevi vero post calamitates, in Diplomate memoratas, Sanctos Anno transtulerit.

83 *Porro ipsa Paschali Hebdomada, ut Annonianæ Vitæ capite* 21 *sæpissime citato non obscure indicatur. Annoni obvenit Coloniensium seditio, ac proin etiam calamitas, quam in Diplomate memorat. Jam vero Anno in Diplomate (vide num.* 77) *luculenter significat, se non multo tempore post hanc, ac proin etiam post Coloniensium seditionem,* SS. Ewaldorum *corpora transtulisse seu novo elevationis honore affecisse. Fuerunt ergo hæc anno* 1074 *ab Annone translata, atque id quidem, utpote quo die id factum in Annonis litteris num.* 72 *et* 73 *recitatis diserte notatur, tertio Octobris die; neque enim non multo post Coloniensium seditionem seu calamitatem, quam Anno in Diplomate memorat, dici possent Sanctorum corpora translata, si id tantum anni sequentis tertio Octobris die factum fuisset. Et vero tunc utique id factum non esse, liquet ex eo, quod S. Anno, teste ejus Vita jam sæpius laudata, mense illo et anno, quo etiam ad* 4 *Decembris provecto obiit, periculosissime decubuerit, atque ad extrema pene deductus Sanctorum corpora transferre non potuerit. Itaque ex omnibus jam dictis certum atque indubitatum efficitur, Sanctorum corpora anno* 1074 *fuisse translata, seu novo translationis honore affecta. Unde consequitur, ut, quod hic præcipue probandum assumpseram, error in Annonis de* Ewaldorum *translatione litteras, supra huc transcriptas, non quantum ad annum, sed quantum ad Indictionem irrepserit. Est ergo, prout jam dixi, pro Indictione* 11 *Indictio* 12 *seu potius* 13 *reponenda. Atque ita quidem jam habes, erudite lector, tum annum et diem, tum etiam occasionem, qua Sanctorum corpora ab Annone fuerint translata.*

E

F

Atque id quidem hic, revelatione

84 *Porro de hac Sanctorum translatione pauca adhuc dicenda restant. Etenim in Vita S. Annonis lib.* I, *cap.* 37 *hæc, quæ supra adhuc transcripsi, leguntur verba :* Inter hæc et duorum Euualdorum preciosa corpora, revelatione eorumdem Martyrum instructus, de tumulis (*S. Anno*) elevavit : quos olim in Saxonia Rhenus amne refluo Coloniam sepeliendos advexerat. *Libro vero tertio, cap.* 6 *ista :* Cum jam exesis carnibus, pellis ossibus adhæreret, quandoque somno (*S. Anno*) correptus, atque inde expergefactus, in has fere voces lachrymabundus prorupit : O Euualde martyr, qua ego injuria te affeci, aut quid in te admisi, miser? Sciscitantibus aliis, quid in his verbis sibi vellet, respondit : Equidem vidi sanctissimum martyrem Euualdum, quem Nigrum vocant, sanctis assistentem altaribus : cumque ego sacrificanti administrarem, ille, absoluto Sacrificio, in casula purpurea, veste candidissima speciosus valde, ceu nuper ex lavacro veniens, in cælos receptus est. Ego vero sequebar abeuntem, et ubi ad fores cæli ventum est, sperabam, me pariter ingressurum : sed ab eo heu violenter repulsus, video me in hanc caliginem

A ginem revolutum. Hæc dicens, tantas fudit lacrymas, ut, qui aderant, miseratione permoti, simul cum illo flerent.

cælesti prævia 85 *Ex priori textu docemur, Sanctos non fuisse e tumulis sublevatos seu translatos a S. Annone, nisi cum hic prævie illorum revelatione fuisset instructus; quod nulla ratione in S. Annonis Diplomate et litteris supra laudatis datur intelligi. Nec propterea tamen illico existimandum est, S. Annonem, antequam Sanctos elevaret, nulla revelatione fuisse instructum; potuit enim id S. Anno tum in Diplomate, tum in litteris præ modestia animique demissione silentio supprimere. Adhæc in Litteris etiam suppeditat, unde argui potest, illum, cum Sanctos elevavit, revelatione prævia fuisse instructum. Etenim in illis ait,* Ewaldos, *antequam eos elevaret,* in neglectis propter ignorantiam præcedentium loculis positos *fuisse. Quibus verbis indicare videtur, aliquamdiu ante ætatem suam ignoratum fuisse, quo loco* Ewaldi *conditi jacerent. Hinc porro jam potest argui, Annonem, ut hos reperiret elevaretque, revelatione indiguisse, eaque etiam, cum Sanctos reipsa elevarit, cælitus fuisse donatum. Quod si tamen quis contendat, ex Annonis verbis proxime recitatis non consequi, ut ante hujus ætatem Sanctorum tumuli ignorati fuerint, responderi potest, Annonem, etiam hoc dato, revelatione potuisse non incassum instrui, non quidem qua, quo loco* Ewaldi *conditi jacerent, sed qua hos transferendos, novove elevationis honore esse afficiendos, edoceretur.*

B

instructus, forsan fecit, 86 *Utut sit, mihi equidem vero non apparet absimile, S. Annonem, cum* SS. Ewaldos *elevavit, prævia horum fuisse, ut illius Vita docet, revelatione instructum. Absit tamen, ut hanc quis putet eamdem cum Annonis visione, posteriori Vitæ Annonianæ textu, quem num.* 84 *transcripsi, memorata. Præterquam enim, quod hæc non ambos* Ewaldos, *sed unum tantum S. Annoni videndum objecerit, ante annum* 1075 *non evenit. Manifestum id fit ex notis chronicis, quæ ante et post dictæ visionis relationem in Vita Annoniana apud Surium occurrunt, uti quilibet hanc evolvens nullo negotio deprehendet. Itaque S. Anno visione illa ad Sanctorum translationem, utpote quam ex dictis ante annum* 1075 *fecerit, certissime non fuit instructus. Adde in præfatæ visionis relatione nihil etiam omnino occurrere, quo S. Anno ad* Ewaldorum *translationem seu elevationem faciendam instrui utcumque potuerit. Hæc* Ewaldorum *ratione in duos supra huc transcriptos Vitæ Annonianæ textus observanda duxi. Porro quæ de Sanctorum per Annonem translatione hactenus dicta sunt, aut certe ex dictis possunt colligi, compendio sic habent: S. Anno paulo post Pascha anni* 1074

C *in summas angustias, præsentissimumque Vitæ periculum subita Coloniensium seditione illapsus, SS. Cuniberti, Clementis et* Ewaldorum *auxilium imploravit, Sanctos invocatos sibi adesse sensit, horumque adeo intercessione securitati redditus, atque etiam forte* Ewaldorum *revelatione admonitus seu instructus, hos de antiquis tumulis sublevare decrevit.*

datis etiam utrique Sancto discretis loculis. 87 *Nec tantum id decrevit, verum etiam eodem illo anno* 1074, *Indictione Constantiniana* 15, *die tertio Octobris, quo* Ewaldi *coluntur, exsecutioni mandavit; atque illos quidem etiam in duos discretos loculos tunc deposuit. Colligendum id videtur ex Vitæ Annonianæ lib.* III, *cap.* 15. *Ibi enim de S. Annone jam defuncto scribitur:* Quarto die post Missas celebratas deportatus est vir sanctus ad monasterium S. Andreæ, ad sacras virgines, ad sanctum Cunibertum, ubi inter duos Euualdos medius est collocatus. *Ceterum Gelenius de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine lib.* III, *Syntagmate* 4, *pag.* 288 *de* Ewaldis *hæc habet:* Eodem sarcophago includuntur, ex dono gentis Lindlariæ, ut docent arma in sarcophago. *Eidem ergo tumbæ seu sarcophago, ut his verbis docet Gelenius, sacræ* Ewaldorum *exuviæ nunc includuntur. Winheimius tamen in Agrippinæ Sacrario pag.* 62 *sic scribit:* S. Anno post Christum natum 1074, v Nonas Octobris ex loculis propter præcedentium ignorantiam admodum vilibus eos transtulit in præsentes *Si ergo præsentes* Ewaldorum *loculi sint ii, in quos, ut his verbis indicat Winheimius,* SS. Ewaldos *transtulit S. Anno, consequens est, ut Sancti, utpote ex dictis in discretos loculos ab Annone translati, discretos etiam nunc loculos habeant: hoc autem pugnare videtur cum Gelenio, qui ex dictis Sanctos nunc eidem tumbæ seu sarcophago includi docet; imo etiam cum iis, quæ ipsemet Winheimius paulo ante memoravit, dicto Opere pag.* 61 *sic scribens:* Asservantur adhuc in alia tumba deaurata duo martyres Ewaldi presbyteri. *An forte non observarit Winheimius, quid consequeretur ex eo, quod præsentes* Ewaldorum *loculos faceret eosdem cum iis, in quos a S. Annone Sancti fuere translati. Id equidem ego pro certo asseverare non ausim. Fieri enim potest, ut Sancti iisdem, in quos ab Annone fuere translati, discretis loculis, una eademque tumba deaurata comprehensis, nunc includantur.*

AUCTORE C. B.

§ VII. Sanctorum capita Monasteriensibus concessa, parsque alia reliquiarum S. Norberto.

E *Ewaldorum capita Monasteriensibus olim fuerunt concessa.*

Sacra Ewaldorum *capita Monasteriensibus olim fuisse concessa, Gelenius de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine lib.* III, *Syntagmate* 4, *pag.* 288 *diserte affirmat. Sic habet:* Eorum (*sanctorum* Ewaldorum) capita seu sacri vertices olim Monasteriensibus donati sunt. *Wernerus Rolevinck lib.* III *de Situ et Moribus Westphalorum cap.* 8, *uti etiam de Sanctis Germaniæ Cratepolius, ea in ecclesia majori Monasteriensi, S. Paulo sacra, asservari asserunt. Prioris verba hæc sunt:* Horum (*sanctorum* Ewaldorum) capita habentur in ecclesia majori Monasteriensi: *posterioris vero ista:* Capita horum martyrum (*sanctorum* Ewaldorum) in ecclesia majori Monasteriensi conservantur. *In binis Usuardinis apud Sollerium Auctariis* Adventus capitum sanctorum duorum Ewaldorum *die* 29 *Octobris Monasterii annuntiatur. Dubitandum ergo non est, quin sacra* Ewaldorum *capita Monasteriensibus olim vere fuerint concessa. Verum quæri hic jam potest, qua occasione, quove tempore acciderit, Monasterienses sacro illo thesauro ditari. Quemadmodum scriptores, qui id esse factum, aperte docent aut certe innuunt, passim sunt obvii, ita vix unum reperias, qui tempus, quo id ipsum factum sit, lato etiam modo definiat. Certe ego, adhibita in excutiendis libris quacumque diligentia, solum invenire quivi Schatenum, qui, quo circiter tempore sacra capita Monasteriensibus donato putat, sat clare edicat.*

F *Concessionis hujus tempus*

89 *Verba ejus lib.* VI *Historiæ Westphalicæ p.* 334 *hæc sunt:* Ea (Ewaldorum *corpora*) post humo levavit, extulitque honoribus D. Anno Coloniensis archiepiscopus. Capita sub id tempus Monasterium translata, quæ dono Annonis, ut persuasum, Fridericus Monasteriensis episcopus, qui duo inter se conjunctissimi fuerunt, impetravit. *Fuerunt ergo ex Schateni mente sacra capita eo tempore, quo Sanctos novo translationis elevationisve honore affecit S. Anno, Monasteriensibus concessa, ac proin anno* 1074. *Tunc enim Sanctos Anno transtulit. Verosimillima sane mihi apparet hæc Schateni opinio. Etenim Fridericus, qui, S. Annone Coloniensem gubernante ecclesiam, Monasteriensem moderatus est, S. Annoni sane familiaritate, ut ait Schatenus, fuit conjunctus. Liquet id tum ex ejus, ut festivitatem Paschalem cum Annone celebraret, ad civitatem Coloniensem accessu supra indicato, tum etiam ex ejusdem ad episcopatum Monasteriensem promotione, ab Annone procurata; ut Cratepolius in Annalibus episcopatus Monasteriensis, ex antiquis scriptoribus sua depromens, clare testatur his verbis:* Anno... archiepiscopus Coloniensis hunc Fridericum (*fratrem marchionis Misnensis ac Magdeburgensium fratrum præpositum*) Monasteriensi ecclesiæ præfecit, et ordinavit episcopum. *Adhæc (vide num.* 79 *et seq.) Fridericus, Monasteriensis episcopus, qui cum S. Annone floruit, huic*

AUCTORE C. B. *et occasio.*

huic etiam adfuit, ex commota a Coloniensibus seditione præsentissimum vitæ periculum incurrenti.

90 *Audiverit proinde verosimillime ex ipsomet Annone, qui hic ab impiis sceleratisque præter omnem exspectationem ad necem quæsitus, peneque abstractus, SS. Cuniberti, Clementis atque etiam* Ewaldorum *auxilium implorarit, quique præpotenti horum Sanctorum intercessione periculo imminentis necis quam proximo feliciter fuerit ereptus. Hinc tum in SS. Cuniberti et Clementis, tum etiam in* Ewaldorum *cultum singularem fuerit accensus, laboraritque propterea horum posteriorum Sanctorum, quas potuit, reliquias acquirere, diœcesis suæ fidelium venerationi exponendas. Unde eo fuerit progressus, ut, audita, quam S. Anno facturus erat tertio Octobris anni* 1074 *die,* Ewaldorum *translatione, dari sibi partem ex horum reliquiis, ab Annone petierit, additis etiam rationibus, quas postulato suo impetrando maxime idoneas putabat. Has, ut reor, verosimillime partes in sacro thesauro Monasteriensibus acquirendo Fridericus habuerit. Quod vero ad Annonem pertinet; hic amici sui postulato verosimillime non illubenter annuerit, vel hac forte ratione præcipue ductus, quod inde* Ewaldorum *cultum in diœcesi Monasteriensi non mediocriter propagandum, lxto animo aspiceret. Itaque sacra* Ewaldorum *capita Monasteriensibus concesserit, idque ipso forte tertio Octobris die, quo*
B *illos ex dictis novo elevationis honore anno* 1074 *affecit. Atque ita quidem jam habes, studiose lector, occasionem simul et tempus Concessionis, qua Monasteriensibus* Ewaldorum *capita fuere collata. Progredior nunc ad alia, quæ adhuc de illis capitibus commemoranda inveni.*

Illa, quidquid scribat Cratepolius, Anabaptistarum furore,

91 *Sacer hic thesaurus Monasterium allatus summo, ut par est credere, honore tum a populo, tum a clero fuit exceptus, atque in ecclesia majori, quæ S. Paulo sacra est, collocatus; quod postremum colligendum videtur ex Rolevincko, Cratepolio aliisque, qui in majori illa æde sacra* Ewaldorum *asservari capita, memoriæ produnt. Fuerunt porro sacra illa pignora diutissime in dicta ecclesia summa fidelium veneratione etiam servata. Verum an hodieque servantur? Ibi certe, si Cratepolio esset credendum, anno* 1592 *adhuc servabantur. Etenim hic scriptor, qui hoc anno edidit suum de Sanctis Germaniæ Tractatum, in hoc suppeditat, quæ supra adhuc recitavi, hæc verba :* Capita horum Martyrum (*sanctorum* Ewaldorum) in ecclesia majori Monasteriensi conservantur. *Verum non facile mihi persuasero, hic a vero non deviasse Cratepolium, præfatoque anno* 1592 SS. Ewaldorum *capita penes Manasterienses adhuc exstitisse. Quamvis enim nullum cujuscumque scriptoris, quod Cratepolio hic adversetur, Opus excusum reperiam, inter Scripta tamen, quorum sat magnam copiam ipsemet manu sua exaravit atque ad Majores nostros transmisit Gamansius, Societatis nostræ sacerdos, unum occurrit supra adhuc laudatum, in quo ab hoc sagacissimo viro articulo de duobus* Ewaldis *ita signatum invenio :* Capita eorum (*sanctorum* Ewaldorum) Monasterium allata, ac in summa æde asservata, Anabaptistarum furore exciderunt. *Anabaptistarum furor, a Gamansio hic notatus, is est, quo hi anno* 1534, *occupato Monasterio, regem sibi crearunt, hancque urbem summa impietate, dissipatis etiam rebus sacris, miserrime afflixerunt; ille autem furor diutius non tenuit, quam ad annum usque* 1535, *quo tandem post longam obsidionem urbs eadem Anabaptistis fuit erepta.*

qui hic Hermanni Kerssenbrochii

92 *Sanctorum ergo capita jam ante annum* 1536 *Monasterii exciderant, ac proin ea ibi asservari, anno* 1592 *perperam scripsit Cratepolius; nisi forte quis velit, huic potius, quam Gamansio esse assentiendum. Verum præterquam quod Gamansius, non autem Cratepolius, ab accuratione plurimum commendetur, nemo facile, quantum opinor, posteriori huic scriptori assensurus est, qui attenderit, quanta rabie Anabaptistæ Monasterii grassati fuerint in ædes resque sacras ac præcipue quidem in ecclesiam cathedralem, S. Paulo sacram, in qua sacra* Ewaldorum *capita servabantur. Optime id apud Menckenium tomo tertio Scriptorum Rerum Germanicarum* D *col.* 1548 *nos docet Hermannus a Kerssenbroch, auctor æqualis. Hujus proinde verba, utut prolixiora, huc transcribere, operæ pretium existimo : hæc sunt :* Catervatim (quasi scelera inter se partiantur) incredibili amentia et nocendi studio (*Anabaptistæ*) flagrantes, XXIV Februarii (*anno* 1534) per urbem (*Monasteriensem*) grassantur, hi Niszinganas vestales terrent, illi fratres Fontis Salientis adoriuntur, hi Georgianos invadunt, illi in Joannitas, reliquaque urbis cœnobia et sacras ædes impetum faciunt, vestes, pecunias, supellectilia et quæcumque sibi usui futura existimabant, diripiunt, neque a templis sibi temperant, argentum, aurum, pallia sacra, calices, ornamentaque omnia, in Dei cultum et ministerium dedicata, auferunt, fiuntque impurissimorum verberonum, scortorum et militum vestitus et stipendia. Imagines ex superioribus motibus reliquas confringunt, aut, rasis parietibus, deturbant. Sacellum divo Antonio juxta portam Mauritianam consecratum, ereptis bonis mobilibus, demoliuntur. Sed nulla vis, etsi sæpe tentata, sacello divi Ludgeri nocere potuit.

verbis describitur,

93 Eodem die hora quarta vespertina Bernardus Mumme verbero, agmen secum ducens, ædituum Dominici templi (*id est, ecclesia cathedralis, S. Paulo sacræ*) adortus, claves vi ab illo extorsit, ibi pri- E
mum in sacellum divæ Virginis aliaque ex ordine irruunt, dispoliant, frangunt, corrumpunt. Inde templum Dominicum, omnibus ornamentis ereptis, denudant, adyta profanant, altaria, direptis mappis, quibus obtegebantur, diruunt, horologium, opus artificiosissimum, malleis securibusque pulsant; singulari vero furore et odio baptisteria reliquiarumque repositoria comminuunt, fenestras sediliaque insignibus dominorum magna arte elaborata dissecant. Imagines divæ Virginis ac Joannis Baptistæ, a Francone monacho artificiosissime in tabulis duabus depictas, in usum fornacium perferunt, eaque * supra fossam inferiorem urbis juxta Judæorum cœmiterium pro excubias agentibus collocant. Sibillarum effigies, admiranda arte expressas, et circa chorum forinsecus per certa intervalla dispositas eruunt, imagines patrio * marmori incisas, raraque arte elaboratas capitibus, brachiis cruribusque confractis mutilant, ligneas vero securibus dissectas in ignem exstructum conjiciunt. Simulacra Patrum, Prophetarum, Apostolorum, aliorumque Sanctorum columnis, parietibus passim affixa, scalis vectibusque admotis deturbant. Ossa Sanctorum et sacrosanctum Domini Corpus pedibus conculcant, organa ereptis tibiis disturbant, fenestras pictas frangunt, et maxime Erici episcopi donum præstantissimum amplissimumque, libros F
intus humano excremento illitos in unum acervum cremandos congerunt, bibliothecam doctissimi viri Rudolphi Langii, lucubrationibus et monumentis autographis nondum editis auctam, lacerant atque discerpunt.

* easque

* *forte* pario

verosimillime exciderunt. Reliquias

94 *Cum ergo Anabaptistæ ea rabie, quæ his jam recitatis Kerssenbrochii verbis exponitur, in cathedralem Monasteriensem ecclesiam, S. Paulo sacram, in qua* SS. Ewaldorum *capita asservabantur, anno* 1534 *fuerint grassati, ibidem* reliquiarum repositoria comminuerint, Sanctorumque ossa pedibus conculcarint, *verosimillimum reor, quod scribit Gamansius,* Ewaldorum *capita, quæ Monasterii in ecclesia majori servabantur, Anabaptistarum furore excidisse. Certum ad eo prope habeo, Cratepolium, dum circa annum* 1590 *suum scripsit de Sanctis Germaniæ Tractatum, rei non satis gnarum exarasse, quæ de* Ewaldorum *capitibus Monasterii asservatis asseruit. Itaque Monasterienses sacra illa pignora ab anno* 1074, *quo ea a S. Annoni accepere, usque ad annum dumtaxat* 1534 *possederunt, nec ea verosimillime, utut forte optarent maxime, amplius possident. Atque hæc sunt, quæ de sacris* Ewaldorum *capitibus, Monasterium olim delatis, commemoranda habui. Superest nunc, ut de reliquiarum parte ex Sanctorum corporibus S. Norberto, Ordinis Præmonstratensis*

A *stratensis patriarchæ, quondam concessa nunc tractem. Hic Sanctus, jactis jam Præmonstratensis in Picardia monasterii fundamentis, hinc anno* 1121 *venit Coloniam Agrippinam, cumque ædificare ecclesiam, in qua, quos jam sibi aggregaverat, socios congregaret, in animo haberet, probeque nosset, Coloniensem civitatem sacris Sanctorum pignoribus esse ditissimam, ab archiepiscopo, qui tunc erat Fredericus, hujus nominis tertius, aliquot Sanctorum reliquias sibi concedi postulavit. Sancti viri voto benigne annuit archiepiscopus, fueruntque illi duo concessa vascula, variis variorum Sanctorum reliquiis, corporumque etiam* Ewaldorum *parte repleta. Testatur id in Vita S. Norberti, apud nos tomo primo Junii inserta, auctor, canonicus Præmonstratensis, coævus.*

ex Sanctis obtinuit, Floreffiamque

95 *Verba, quibus id ibidem num.* 48 *facit, hæc sunt :* Post hæc (*S. Norbertus*) devenit Coloniam, ubi et libenter suscipitur... Habebat et ipse jam tunc in voluntate ædificare ecclesiam, in qua coadunatos reciperet. Ob hanc causam petivit ab archiepiscopo Frederico et ceteris fidelibus, ut aliqua sanctarum reliquiarum mereretur patrocinia suscipere, e quibus non minimum ab antiquo repleta et dotata erat felix Colonia. Annuit episcopus, annuit clerus, justam esse petitionem judicans, et populus. At ille fratribus suis, quos secum habebat, et B quos ibidem Deus ei contulerat, jejunio indicto, hoc pretiosum donum Deo commendabat, quatenus venerabile patrocinium daret invenire. Nocte vero eadem virgo ex numero undecim millium virginum, et nomen ipsius virginis, et locus, ubi jaceret, per visionem cuidam designatus est : et in crastinum ex ordine visionis corpus ibidem quæsitum, integrum repertum est. Quo cum hymnis et laudibus Dei et gratiarum actione suscepto, de reliquiis etiam aliarum virginum aliarumque quorumdam martyrum, videlicet Gereonis, Maurorum, duorum Ewaldorum, duo vascula, in modum feretri, ad efferendum ei impleta sunt. *Norbertus sacro hoc thesauro ditatus Coloniæ Agrippinæ diu amplius non substitit, sed eo, unde venerat, reversurus, Præmonstratum versus iter arripuit, cumque pervenisset ad locum, ubi nunc abbatia Floreffiensis secundo fere a Namurco milliari ad Sabim fluvium cernitur, obviam sibi habuit nobilem matronam, cui Ermensendi nomen erat, Namurcensem comitissam, cumque hæc ei Floreffiensis villæ ecclesiolam ædificando monasterio obtulisset, suscepit vir sanctus oblatum, ibique, Præmonstratum festinans, reliquit alterum ex reliquiarum vasculis supra memoratis.*

detulit S. Norbertus,

96 *Testatur hæc pariter laudatus auctor coævus num.* 49, *nonnullis post verba proxime recitata interjectis, de S. Norberto sic scribens :* Assumptis non C post multum reliquiis, collectoque fratrum tam clericorum quam laicorum collegio, quos Deo per verbum prædicationis genuerat, redeundi iter aggressus est; qui ubique in ecclesiis et congregationibus cum processione magnifice suscipiebatur. Audiens autem transitum ejus matrona quædam nobilis, Ermensendis nomine, Namurcensis comitissa, velociter occurrit ei; obnixe deprecans, ut ad imponendos fratres et religionem, quamdam ecclesiolam suam in villa Floreffiæ vellet suscipere. Habebat etenim ipsa multo tempore in voluntate, ob remedium animæ suæ et prædecessorum suorum in ecclesia eadem religionem propagare. Videns autem ille affectuosam mulieris devotionem, respexit eam, et suscepit, quod petebat. Et ibidem altero reliquiarum vasculo derelicto, festinavit Præmonstratum (erat enim instans nativitatis dies) habens clericorum et laicorum fratres circiter triginta novitios. *Fuerint haud dubie a S. Norberto Floreffiæ relictæ, quas Coloniæ obtinuerat,* SS. Ewaldorum *reliquiæ, si pars harum in uno, pars in altero e duobus supra memoratis reliquiarum vasculis extiterit.*

ubi illas ad huc exstare, scripsit Henschenius.

97 *Verum hac de re nec ex laudato auctore Præmonstratensi coævo, nec aliunde constat; unde fit, ut dubitari queat, habuerintne aliquando ac proin an etiam hodie habeant Floreffienses, Præmonstratensis Ordinis canonici,* SS. Ewaldorum *reliquias. Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 218 *recenset Sanctorum reliquias, a S. Norberto Colonia Floreffiam anno* 1121 *allatas, hasque inter* Ewaldorum *reliquiæ non comparent. Nihilominus Henschenius noster in Annotatis ad sensum ultimum, qui posteriorem laudati auctoris coævi textum huc transcriptum claudit, lit.* c *sic observat :* Sunt ibidem (*in abbatia Floreffiensi*) reliquiæ ex præscriptis Sanctis, *nempe Mauris, duobus* Ewaldis, *aliisque Sanctis, ex quibus reliquias Coloniæ accepisse S. Norbertum, auctor plus semel jam laudatus, in quem hæc Henschenius observat, verbis num.* 93 *huc transcriptis memorarat. Ast, inquies, admittendane est illa, qua* Ewaldorum *reliquias Floreffiæ exstare, affirmatur, Henschenii observatio? Puto ego, hanc illum absque maturo examine non fecisse. Forsitan adeo is, qui reliquiarum Floreffiæ exstantium catalogum Rayssio subministravit,* Ewaldorum *reliquias, utut Floreffiæ exstantes, in eo omiserit, isque deinde error post annum* 1628, *quo Rayssius laudatum Hierogazophylacium typis vulgavit, fuerit detectus, ut ex Rayssio nequeat indubitanter concludi,* Ewaldorum *reliquias Floreffiensibus ab Henschenio perperam attribui. Ceterum fieri potest, ut etiam pluribus aliis locis, ac præsertim in Westphalia, utpote quæ regio præcipuis* E *suis viginti quatuor Sanctis tutelaribus* Ewaldos *accenset, horum reliquiæ existant, fideliumque veneration exponantur; quamvis id litteris consignatum reperire non potuerim.*

AUCTORE C. B.

PASSIO,

Auctore sancto ac venerabili Beda,

Ex Historiæ Anglicanæ Ecclesiasticæ Parisiis anno 1681 *editæ lib. v cap.* 11.

Sanctorum Willibrordi ejusque sociorum, in Frisiam profectorum,

Ut autem vidit vir Domini Ecgberct *a*, quia nec ipse ad prædicandum gentibus venire permitteba- *a*
tur, retentus est ob aliam sanctæ Ecclesiæ utilita- *b*
tem, de qua oraculo fuerat præmonitus : nec Victberct *b* illas deveniens in partes, quicquam *c*
proficiebat. Tentavit adhuc in opus verbi mittere viros sanctos et industrios, in quibus eximius Wilbrord *c* presbyterii gradu et merito præfulgebat. Qui cum illo advenissent, (erant autem numero duodecim) divertentes ad Pippinum *d* ducem Francorum, gratanter ab illo suscepti sunt : et quia *d*
nuper citeriorem Fresiam, expulso inde Radhbedo, ceperat *e*, illo eos ad prædicandum misit; ipse quo- F *e*
que imperiali auctoritate juvans, ne quis prædicantibus quicquam molestiæ inferret; multisque eos, qui fidem suscipere vellent, beneficiis attolens : unde factum est, opitulante gratia divina, ut multos in brevi ab idolatria * ad fidem converterent Christi.

* idololatria

ducti exemplo duo Ewaldi, adeunt, antiquam Saxoniam,

2 Horum secuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro æterna patria exulaverant *f*, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum *g*, si forte aliquos ibi prædicando Christo adquirere possent. Erant autem unius ambo, sicut devotionis, sic etiam vocabuli : nam uterque eorum appellabatur Hewald; ea tamen distinctione, ut pro diversa capillorum specie unus Niger Hewald, alter Albus Hewald diceretur : quorum uterque pietate religionis imbutus, sed Niger Hewald magis sacrarum Litterarum erat scientia instructus. *f* *g*

regionem ingressi, duci petunt ad satrapam,

3 Qui venientes in provinciam, intraverunt hospitium cujusdam villici, petieruntque ab eo, ut transmitterentur ad satrapam, qui super eos erat, eo quod haberent aliquid legationis et causæ utilis, quod deberent ad illum perferre. Non enim habent regem iidem antiqui Saxones, sed satrapas plurimos suæ genti præpositos *h*, qui, ingruente belli articulo, mittunt æqualiter sortes, et quemcumque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur. Huic obtemperant; peracto autem bello, *h*

AUCTORE BEDA.

rursum æqualis potentiæ omnes fiunt satrapæ. Suscepit ergo eos villicus, et promittens, se mittere eos ad satrapam, qui super se erat, (ut petebant) aliquot diebus secum retinuit.

occiduntur a rusticis;

4 Qui cum cogniti essent a barbaris, quod essent alterius religionis, (nam et Psalmis semper atque orationibus vacabant, et quotidie Sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, et tabulam altaris vice dedicatam *i*) suspecti sunt habiti, quia si pervenirent ad satrapam, et loquerentur cum illo, averterent illum a diis suis, et ad novam Christianæ fidei religionem transferrent; sicque paulatim omnis eorum provincia veterem cogeretur in novam mutare culturam. Itaque rapuerunt eos subito, et interemerunt; Album quidem Hewaldum veloci occisione gladii, Nigellum autem longo suppliciorum cruciatu et horrenda membrorum omnium discerptione: quos interemptos in Rhenum projecerunt *k*. Quod cum satrapa ille, quem videre volebant, audisset, iratus est valde, quod ad se venire volentes peregrini non permitterentur; et mittens occidit vicanos illos omnes, vicumque incendio consumpsit. Passi sunt autem præfati Sacerdotes et Famuli Christi quinto B Nonarum Octobrium die.

i

k

eorum corpora adverso Rheno, cui injecta erant, prodigiose devecta

5 Nec martyrio eorum cælestia defuere miracula. Nam cum peremptа eorum corpora amni (ut diximus) a paganis essent injecta, contigit, ut hæc contra impetum fluvii decurrentis, per quadraginta fere millia passuum ad ea usque loca, ubi illorum erant socii, transferrentur. Sed et radius lucis permaximus, atque ad cælum usque altus omni nocte supra locum fulgebat illum, ubicumque ea pervenisse contingeret, et hoc etiam paganis, qui eos occiderant, intuentibus. Sed et unus ex iis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis suis, cui nomen erat Tilmon *l*, viro illustri et ad sæculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus; indicans, quod eo loci corpora eorum posset invenire, ubi lucem de cælo terris radiasse conspiceret.

l

honorifice humantur, deindeque transferuntur Coloniam.

6 Quod ita completum est. Inventa namque eorum corpora, juxta honorem martyribus condignum recondita sunt; et dies Passionis vel Inventionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Denique gloriosissimus dux Francorum Pippinus, ubi hæc comperit, misit; et adducta ad se eorum corpora condidit cum multa gloria in ecclesia *m* Coloniæ civitatis juxta Rhenum. Fertur autem, quia in loco, in quo occisi sunt, fons ebullierit, qui in eodem loco usque hodie copiosa fluenti sui dona perfundat.

m

C

ANNOTATA.

a *Sermo hic fit de S. Egberto, Hyensi presbytero, de quo actum apud nos est die* 24 *Aprilis, quo is Martyrologio Romano inscribitur.*

b *Wigbertus, S. Egberti socius, coli non invenitur ut Sanctus. In Opere nostro ad diem decimam tertiam Augusti relatus est inter Prætermissos.*

c *Hic Sanctus Martyrologio Romano ad* 7 *Novembris inscribitur; quo proinde die de illo acturi sumus.*

d *Pipinus Heristallius ab anno* 681 *ad annum usque* 714, *quo obiit, majoratum-domus in Austrasia tenuit; de hoc ergo Pipino Beda loquitur tum hic, tum iterum infra.*

e *Radhbedum, seu, ut communius scribitur, Radbodum, paganum Frisonum regem, anno* 689 *aut sequenti Pipinus Heristallius devicit. Ita omnes fere eruditi recentiores.*

f *Quid hæc loquendi formula apud Bedam significet, in Commentario num.* 20 *aperui.* D

g *Quo Sancti ex Hibernia appulerint, non edicit Beda; sed sive in Frisiam sive in Neustriam appulerint, verosimile apparet, eos ex Austrasia, trajecto Rheno, in Antiquam Saxoniam penetrasse. Vide Commentarii prævii num.* 41.

h *Adi Commentarii prævii num.* 2.

i *Plures alii etiam variarum gentium apostoli, quocumque Christum prædicaturi properarent, altare portatile reliquumque apparatum, celebrandis sacris necessarium, secum detulisse leguntur. Inter dona, quæ S. Gerardus, Broniensis in comitatu Namurcensi abbas, e monasterio S. Dionysii prope Parisios accepit, secumque Bronium advexit, recensetur* itinerarium, *id est, hodierno loquendi modo portatile* altare, quo sanctus Dionysius, dum viveret, utebatur. *De hoc altari ad hunc diem, dum de S. Gerardo agemus, iterum sermo recurret.* Gratias Deo, *inquit Moguntiacarum Rerum lib.* III, *Notatione* 23 *in S. Bonifacii Acta, Serarius, Societatis Jesu sacerdos,* superiore anno egi, cum S. Ansgarii, Septentrionalium populorum apostolatu incliti, portatile altare ultima e Saxonia huc allatum, in eandemque paulo post pie relatum, mihi videre, ac in eo sacris operari datum fuit. *Plures alios Sanctos, qui pariter Christum gentibus annuntiaturi altare portatile secum detulerint, brevitatis studio omitto.* E

k *Valesius tom. III Rerum Francicarum pag.* 372 *sic scribit:* Quos Saxones cur in ripa Rheni Beda ponat, Ewaldorum corpora a vicanis Saxonibus in Rhenum abjecta esse scribens, equidem nescio. Quippe poeta quidam Saxo, Arnulfi Aug. æqualis, qui de rebus gestis Caroli Magni libros V composuit, Westfalorum seu Occidentalium Saxonum fines a Rheno non longe abesse dicit; a Rheno initium capere aut flumen attingere non dicit. *Ita Valesius, volens scilicet, Bedam, dum Sanctorum corpora in Rhenum conjecta scribit, pugnare cum poeta anonymo, sub hujus Commentarii initium memorato. Verum hic (vide num.* 2) *antiquæ Saxoniæ terminos non tam procul a Rheno collocat, ut palam fiat, in hunc Sanctorum ibidem interfectorum corpora conjici non potuisse ac proin cum illo aperte Beda non pugnat. At vero, etiamsi laudatus poeta antiquæ Saxoniæ terminos longius a Rheno removeret, sicque secum aperte pugnantem haberet Bedam, non illi assentirer, sed huic, utpote minus remoto ab* Ewaldorum *ætate, qua antiqui Saxones (vide num.* 4) *terminos suos nonnihil protulere.*

l *Tilmon seu, ut ab aliis scribitur, Tilmannus inter Prætermissos ad hunc diem a nobis idcirco relatus est, quod nihil sat certi distinctique de ejus cultu innotescat. Bollandus noster tom. I Martii in S. Suiberto ita habet:* Visum aliquando nobis perquam probabile, Tilmonem sive Tilmannum, cui SS. Ewaldorum revelata fuere corpora, ex sociis S. Willebrordi fuisse. Hic in plerisque Bedæ exemplaribus Tilmon vocatur, in alio Ms., quo usus in Cantabrigiensi editione Abrahamus Whelocus, Tilmannus est; in Saxonica paraphrasi regis Alfredi, Tilman. *Ita Bollandus, satis indicans, sese equidem admodum dubitare, an ex S. Willibrordi sociis Tilmon exstiterit; quod etiam et mihi admodum dubium apparet. Bailletus ait, Tilmonem ex loco, quo Sanctorum corpora inventa sunt, fuisse oriundum; quod sine fundamento ab illo assertum, idcirco suspicor, quod nihil occurrat, unde id haurire potuerit.* F

m *Olim S. Clementis, nunc S. Cuniberti nomine insignita.*

DE

A D

DE B. UTHONE CONF. AB. METAM.

PROPE DECKENDORFFIUM IN BAVARIA INFERIORI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. B.

§ I. Beati memoria sacra, et gesta usque ad conditum Metamense monasterium.

FORTE ANNO DCCCXXVIII. *B. Utho recentioribus tantum*

Pollicitus est tomo II Januarii ad diem 27 ejusdem mensis Henschenius, cum de S. Gamelberto in Bavaria parocho ageret, fore, ut ad diem 3 Octobris de B. Uthone hujus discipulo in Opere nostro tractaretur : quod autem Henschenio de magistro acturo contigit, ut nempe illius nomen in Martyrologiis nostris non repererit; idem mihi acturo de Discipulo contigit, cujus pariter nomen iis saltem Martyrologiis insertum non legitur, quorum major est ob antiquitatem auctoritas et æstimatio. Satis igitur fuerit recentiora nonnulla Martyrologia vel Menologia recensuisse. Menardus in Martyrologio Benedictino ad diem 3 Octobris Uthonem paucis his verbis memorat : In cœnobio Mettensi B. Uthonis B abbatis : *paulo plura in Observationibus habet, neque hic* Beatum, *sed* Sanctum *vocat. Prolixior Bucelinus in ejusdem ordinis Menologio ad hunc diem :* In cœnobio Mettensi, *inquit,* B. Ottonis abbatis. Uttho sive Utho, natione Italus, relicta amore Christi patria, peregrinus in Germaniam venit. Ibi S. Gamelbertum magistrum nactus, insigni vitæ sanctitate profecit, præfectusque ab eo Michelsbuchensi parochiæ, ubi Gamelbertus religionis Christianæ fundamenta jecerat, inde postea bello Boico cedere coactus, loco, qui METTEN dicitur, sibi cellulam condidit, eique Uthonem abbatem præfecit, eamque honori Michaelis Archangeli nuncupavit. Eo inter venandum, postea, cum, Deo ordinante, Carolus Magnus devenisset, cum sancto Sene collocutus, et colloquii cælestis dulcedine captus, in gratiam ejusdem illustre illic Ordinis nostri cœnobium exstruxit, cui Uthonem præesse voluit. Præfuit sanctissime loco dignissimus Abbas, et multis ibidem discipulis aggregatis, et ad omnem religiosæ vitæ perfectionem solertissime institutis, plenus dierum et meritorum, hac ipsa die A. C. DCCCXXIX felici fine discessit : insigni post mortem miraculorum gloria illustratus, æterna inprimis beneficiorum divinorum continuatione, in fonte maxime : qui UTHONIS appellatur, in quem Neapolitana lue interfecti (*lege,* infecti) si immergantur, optatam C recuperant sanitatem. *Ex Bucelino hæc totidem fere verbis, sed Hispanicis tomo III de Vitis SS. Benedictinorum descripsit Antonius de Heredia. Martyrologium Universale Castellani ad diem 3 Octobris ita laudat* Uthonem : In Bavaria S. Uto, Italus, discipulus S. Gamelberti.

cognitus, et utcumque

2 *Existimavit certe Castellanus, cum* Uthoni *titulum* Sancti *tribuit, aut cultum illius in dubium revocari non posse, aut eo nomine ab immemorabili tempore apud suos fuisse gavisum : his enim tantummodo Sanctis hujusmodi titulum adjicere, religioni sibi fuisse, ait in Monito ad Martyrologium prævio. Mabillonius tamen parte* II *Sæculi* IV *Benedictini, Sanctorum prætermissorum indici* Uthonem *inclusit; an quod Ordinis Benedictini alumnum fuisse, non censet? non id quidem opinor. An quod Vitam ejus erroribus fabulisque respersam autumat? Hoc sane innuit Annalium Benedictinorum lib.* XXVI, *num.* 20, *ubi de Metamensis seu Mettensis monasterii origine, ejusque fundatore* Uthone *agens, hæc scribit :* Hæc Metamensis, vulgo Metensis, origo monasterii, qualis ex ejusmodi narratiunculis colligi potuit. *Sanctum Beatumve appellant et alii plures; ut Hundius de monasteriorum et collegiorum per Bojariam Fundatione, Martin in Reliquiis deserti, Raderus in Bavaria Sancta, Calles in Annalibus Ecclesiasticis Germaniæ, aliique. Ceterum pauca et jejuna admodum sunt, quæ apud citatos aliosque auctores de Beati cultu leguntur. Fontis cujusdam haud procul a Metamensi cœnobio dissiti, et* S. Uthonis *appellati eorum plerique meminerunt. Cultos fuisse Metamæ sua ætate S. Gamelbertum (quem Amalbertum vocat) et* B. Uthonem, *Aventinus lib.* IV *Annalium Bojorum pag.* 330 *affirmat.* Illi adhuc, *inquit,* ibidem religiose coluntur. *Fontem vero, cui nomen* S. Utho *fecit, fidelium peregrinationibus celebrari solitum tum alii asserunt, tum maxime Stengelius lib. de insignibus aliquot per Germaniam Benedictinorum Monasteriis testis est, ex quo, quæ sequuntur, excerpo.* Tempore Ulrici hujus nominis I abbatis (*Metamensis*) cœpit concursus hominum ad miraculosum fontem S. Uthonis, anno MCCCVI... Sub regimine abbatis Oswaldi (qui iniit anno MCCCCLXXXXV et obiit MDXV) viguit peregrinatio ad miraculosum E fontem S. Uthonis, et liberati sunt ejus beneficio a morbo Gallico multi advenæ. Hanc peregrinationem mox pestis secuta est. *Geminus apud Hundium citatum Oswaldus, Mettensis uterque abbas, memoratur; quorum alter abbatiam rexerit annos* 9, *menses* 4 *obieritque anno* 1303 *: alter vero prioris successor proximus, qui eamdem abbatiam rexerit annos* 11, *mensem unum, obieritque anno* 1314; *atque adeo inter se conciliari auctores illi non possunt : utut sit, hinc saltem effici videtur, duobus circiter sæculis populi Christiani concursu* S. Uthonis *fontem celebrem fuisse.*

in Bavaria cultus,

3 *Pauca hæc de Beati cultu ecclesiastico nobis innotuerunt hactenus, plura daturis, si quando ea de re uberius instruamur. Vitam ejus Raderus tomo III Bavariæ Sanctæ ex Mettensi Chronico, eique subnexo præfectorum monasterii catalogo exhibet : hanc typis edemus prout apud illum extat, conferemusque cum Wolfgangi Selender relatione apud Raderum pariter impressa, uti et cum iis, quæ de* B. Uthone *in Vita S. Gamelberti ad diem* 27 *Januarii apud nos data referuntur. Haud magni eam fecisse Mabillonium, produnt ejus verba num. præcedenti citata : neque, ut apparet, immerito. Neque enim ejus auctor ab antiquis instrumentis probe instructus fuit, neque rerum, quas narrat, tempori adeo vicinus, ut magnam sibi fidem conciliet. Primum quidem ipsemet* F *fatetur, cum ait :* Quamdiu bonus is Pater ad abbatiam, cujus ipse primus abbas ab imperatore Carolo Magno constitutus est, sederit, in fastos a nemine relatum est, aut si relatum est, certe bellicis tumultibus iterum periit, ac in cineres redactum. *Alterum vero colligitur ex iis, quæ de fonte* S. Uthonis, *in quo morbus aliis Gallicus, aliis aliter appellatus, Beati ope ex ægrorum corporibus pellitur, memorat; quandoquidem illa posteriora sunt anno* 1306, *quo ad fontem illum confluere fideles cœperunt, si vera Stengelius scribit num. superiore laudatus.*

quo circiter tempore natus sit,

4 *Annus* Uthonis *natalis divinationi relictus est : hunc quidem a S. Gamelberto in itinere Romano sacris undis lustratum fuisse, narrant utriusque Acta; at quo anno ea contigerit peregrinatio, nulla docet temporum nota, nec eadem auctorum opinio est. Anonymus Vitæ S. Gamelberti auctor apud nos cap.* 2 *num.* 10 *jam annis quinquaginta sacerdotio functum scribit, cum Romanum iter arripuit. Quoniam autem legibus ea tempestate cautum erat, ne quis presbyter ordinaretur, nisi triginta, aut viginti quinque saltem esset annorum, si nempe provectioris ætatis viri ad id muneris non reperirentur idonei, itaque necessitas exposceret, prout Zacharias Papa ad S. Bonifacium sub annum* 751 *rescripsit, ut apud Serarium Rerum Moguntiacarum*

AUCTORE J. B.

Moguntiacarum lib. III *pag.* 262 *videre est; secundum auctorem illum necesse est, Gamelbertum annos numerasse* 80 *vel* 75, *cum Romano se dedit itineri. Wolfgango Selender et Aldzreitero part.* I *lib.* VIII *num.* 26 *Annalium gentis Boicæ septuagenarius fuit.* Jam grandi natu *Apostolorum limina salutasse, Brunnerus de Virtute et Fortuna Bojorum part.* II *pag.* 42 *generatim dumtaxat affirmat. Raderus vero, notante Henschenio, id itineris a S. Gamelberto, haud diu posteaquam sacris initiatus est, susceptum fuisse, existimasse videtur; sic enim de S. Gamelberto habet:* Totumque se ad res divinas convertit, sacrisque initiatus Romam profectus est. *Cum igitur et annus Christi, et annus ætatis Gamelberti, quo Romam petiit, in occulto lateat, nihil certi hinc pro anno natali* Uthonis *concludere licet: sed neque ex anno Gamelberti emortuali, circa quem Michelsbuchensis parochiæ curam in* Uthonem *jam virum factum, atque adeo annorum circiter trigita transtulit; cum hic nihilo magis, quam annus itineris Romani, quo* Uthonem *recens natum sacro fonte lustravit, exploratus habeatur. At viam aliquam Mettense Chronicon aperit annum* Uthonis *natalem utcumque et probabili saltem conjectura assignandi.*

inquiritur.

3 *Id enim si audiamus, jam senex barbatus erat* Utho, *cum illum in solitudine Mettensi invenit Carolus Magnus. Contigit hic Caroli Magni cum* Uthone B *jam sene congressus secundum idem Chronicon,* pacatis iterum rebus in Bavaria, et sub jugum misso multoties jam rebelli Thassilone, cum daret Carolus victor operam venationi: *captus quidem Thassilo est atque exauctoratus, ut habet Fuldense Chronicon, anno* 788, *eodemque in Bavaria Carolus egit, ut referunt breves Annales Ratisponenses apud Mabillonium tom. IV Veterum Analectorum p.* 476; *at propterea nondum pacatæ fuere in Bavaria res: Hunni enim, Thassilone licet ducatu exuto, ejus rogatu in Bavariam jam ante adversus Carolum evocati, turbas ibi ciere perrexerunt, cum iisque eodem anno semel atque iterum armis decertandum Carolo fuit:* Huni vero, *inquit Eginhardus apud Chesnium tom. II Scriptorum Galliæ pag.* 245, sicut Tassiloni promiserant, duobus exercitibus comparatis, uno marchiam Foro-juliensem, altero Bojoariam aggressi sunt, sed frustra. Nam in utroque loco victi, fugatique sunt: et multis suorum amissis, cum magno damno ad loca sua se receperunt. Quam injuriam velut vindicaturi, Bojoariam iterum majoribus copiis petierunt: sed in primo congressu pulsi a Bajoariis, et innumera multitudo eorum cæsa, multi etiam ex iis, qui per fugam evadere conati, Danubium tranare voluerunt, gurgitibus fluminis absorpti sunt. *Subdit autem post pauca:*
C Rex autem in Bajoariam profectus, eamdem provinciam cum suis terminis ordinavit, atque disposuit: atque inde regressus, in Aquisgrano palatio suo, ubi hyemaverat, et diem Domini Natalitium, sanctumque Pascha more solenni celebravit.

A S. Gamelberto baptizatus, factusque adultior,

6 *Itaque annus hic, quo ditione exutus est Thassilo, quo Hunnos huic fœdere junctos Carolus debellavit, Bajoariamque per se ipse disposuit, non plane ineptus est, cui Caroli cum* Uthone *congressus innectatur; maxime cum neque reliqua hujus anni parte, neque sequenti, quidquam bellici in Bavaria, ut idem Eginhardus testatur, tumultus exstiterit: at alter paulo post annus occurrit, cui idem eventus æque apte illigetur; is est annus* 792, *quo Carolus, vice Hunnis reddita, et peragrata vastataque magna parte Pannoniæ, Ratisponæ consedit; unde cum Mettensis solitudo haud multum remota sit; fieri equidem facile potuit, ut inter venandum eo seu casu, seu ductu divino pervenerit, ibique in* Uthonem *inciderit; suadente id potissimum utriusque loci vicinia. Atque ea de causa ad hunc annum Caroli cum* Uthone *congressus refertur a Cointio, Mabillonio et Bulteau in Compendio Historiæ Ordinis Benedictini initio t. II. Porro cum Chronicon Mettense asserat,* Uthonem *tum temporis senem barbatum fuisse, si illi demus annos circiter* 60 (*neque enim multo plures concedi patitur Vita ejus ad annum* 828 *usque protracta, si verum est, quod plerique scribunt*) *natus fuerit* Utho D *eo circiter annorum spatio, quod ab anno* 728 *ad annum* 752 *effluxit, obieritque centenarius, aut centenario proximus; quamquam, ut supra ex Stengelio diximus, de ejus anno emortuali neutiquam constet. Parochiam vero Michelsbuchensem administrandam susceperit circa annum* 762. *Definitus igitur utcumque* B. Uthonis *est annus natalis; sed utinam solidiori fundamento: interim facile cedemus, si quis vel certiora vel probabiliora protulerit.*

Michelsbuchensi parochiæ præficitur,

7 *Nec exploratior est anno natali Beati patria. Nam Italus quidem passim audit, at cujas fuerit, nullus certo edicat. Auctor anonymus Vitæ S. Gamelberti* Uthonem *ab illo in itinere Romano baptizatum tantummodo scribit; Brunnerus in reditu, exituque Italiæ: idem Aldzreiterus, Cointius, Mabillonius fecere; at Chronicon Mettense, ex eoque Stengelius Romæ id factum aiunt, et casu: addunt alii, in hospitio, ad quod forte diverterat Gamelbertus, et absente loci parocho; quod postremum, si verum est, Romæ sacro latice tinctum fuisse* Uthonem, *ob majorem illic degentium sacrorum ministrorum copiam, minus mihi videtur probabile. Qui juventutem suam traduxerit* Utho, *equidem latet; minime tamen dubitandum videtur, quin et litteris excultus et puris sanctisque moribus fuerit; quippe cujus parentibus S. Gamelbertus, prophetico spiritu afflatus, prædixerat, fore ut sibi aliquando succederet; atque eam ob causam illis piam sanctamque Pueri institutionem et educationem enixe commendarat. Monuerat præterea, ut, cum virilem ætatem* Utho *attigisset, ad sese illum transmitterent: neve, quo mittendus esset, ignorarent, commorationis suæ locum indicavit. Ita auctor Vitæ S. Gamelberti: at auctorem Chronici Mettensis hæc quidem latuisse videntur. Sic enim* Uthonis *ad Gamelbertum describit accessum, quasi ille in hunc mere fortuito incidisset:* Utho iste, *inquit,* cum ad virilem ætatem pervenisset, relicta Italia patria, peregrinatus est et ipse religionis ergo in Germaniæ partem illam ad Danubium sitam. Ubi cum ad S. Gamelbertum venisset, humaniter ab eo exceptus ac parochia ea ipsa Michelsbuchensi a viro Dei, jam decrepito sene, donatus est. *Scilicet ita fieri consuevit, ut, dum res antiquas occultasque scriptores recentiores, idoneis testimoniis destituti, liberius tractant, non raro abeant in contraria, et ex suo genio potius, quam e rei veritate loquantur.*

qua relicta, in solitudinem Mettensem

8 Uthoni, *posteaquam Gamelbertum sive ex constituto, sive fortuito convenit, magistro diu frui, haud licuit: etenim sic legitur in Vita S. Gamelberti:* Convocatis amicis et subditis, allocutus est eos S. Gamulbertus talibus dictis: Jam, fratres et filii carissimi, accepimus Promissum Domini. Hunc F Virum procul dubio esse sciatis, quem venturum anno priori prædixeram vobis, istum dedit mihi Dominus hæredem; ipsum vult vestrum esse pastorem. Justa quidem lege successurus est mihi, quem ego filium Christo et sanctæ Ecclesiæ per baptismum generavi. Hunc summa diligentia observate, monitis ejus aures corporis et animæ adhibete, qui vos obtemperantes perducere valebit ad regnum et requiem, quæ nullum habebit finem. His dictis omnia sua illi contradidit, omnesque, qui aderant, hujus traditionis testes adhibuit. Et non longo post tempore gravi præventus infirmitate decidit in lectum, emeritam animam post seculares agones remissurus ad Domiuum. *Non ita tamen brevi post* Uthonis *adventum rebus humanis ereptus est Gamelbertus, teste Selendero, quin* Utho *sacris ordinibus prius fuerit initiatus, verisimiliter sub Anthelmo seu Anshelmo, Laureacensi seu Passaviensi episcopo, qui, teste Bruschio de Patavia lib.* I, *ab anno* 737 *usque ad annum* 766 *Laureacensi ecclesiæ præfuit. Quo autem anno id contigerit, ex ante dictis incertum est. Parochiæ vero,* Uthonis *curæ a Gamelberto commissæ* Michelsbuch *hodieque nomen est, quasi* Michaelis fagum *dixeris. Est autem Michelsbuch Bavariæ Inferioris oppidum inter Danubium Isaramque fluvios situm, haud procul ab eo loco, ubi in Danubium devolvitur Isara.*

9 *Quamquam*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A 9 *Quamquam autem* Utho *magistri sui consuetudine brevi post adventum suum ex hac vita erepti diu uti non potuerit, spiritum certe hausit : itaque id unum maxime ab illius obitu satagere cœpit illius exemplo, ne qua in re officio suo deesset : concionibus operam dare, inimicitias tollere, exstinguere odia, fœnora, rapinas; peccatis sive publicis, sive privatis correctionem et efficacia pro viribus adhibere remedia; denique nulli operæ aut labori parcere, ut gregem sibi commissum undique sartum tectumque servaret. Et hæc quidem omnia, ut Selenderus ait,* Uthoni *sat prospere processerunt : at inveteratæ superstitionis fibras evellere, operæ contentionisque longe majoris fuit, minusque e voto successit. Quod cum ægre admodum illi esset, relicta alteri parum gratæ vineæ excolendæ cura, in solitudinem, Deo sibique deinceps vacaturus, abscessit. Hanc rerum gestarum seriem si sequamur, vix quidquam in promptu est, unde, quo tempore Michelsbuchensi parochiæ valedixerit, definere possimus. Si vero Chronicon Mettense audiamus, quod ad ea tempora, quibus ingruere cœperunt bellica inter Thassilonem Bavariæ ducem et Carolum Magnum odia ac tumultus,* Uthonis *in solitudinem secessum refert, hunc eo temporis spatio, quod ab anno* 765 *usque ad annum* 788 *fluxit, contigisse, necesse est. Etenim,* B *Eginhardo teste, priore anno Thassilo, instigante potissimum Luitperga conjuge, et Desiderii Longobardorum regis, Italiæ regno Caroli armis nuper exuti filia, a Carolo primum deficere cœpit; posteriori vero rebellionis pœnam Thassilo dedit, et ditione omni privatus in monasterium intrusus est. Quod si quis cum Selendero admiserit,* Uthonem *a Carolo Magno inventum condenda sibi cellula adhuc occupatum, secundum dicta num.* 5 *et* 6 *erit ad annum* 788 *vel* 792 Uthonis *in solitudinem statuenda profectio.*

abit, ibique monasterium

condit.

10 *Vasta utrique Danubii ripæ ea tempestate solitudo adjacebat :* Utho, *relicta dextera Danubii ripa, sinistram adiit, ibique in valle quadam, haud procul Deckendorffio Bavariæ Inferioris oppido, denso nemore obsita sese abdidit, cellulamque exiguam condidit prope fontem* (*quem eam ob causam* S. Uthonis *appellant*) *illamque S. Michaeli Archangelo dicatam voluit, seu quod illius in belli Bavarici periculis opem esset expertus, seu quod illum præcipua in veneratione haberet. Huc forte inter venandum delatus Carolus Magnus obviam habuit* Uthonis *cellulam, hominemque allocutus, Viri specie et sanctitate motus, num quid a se vellet, interrogavit. Fusus humi* Utho, *id sibi in votis esse, respondit, ut illic in honorem S. Michaelis ad plurimorum salutem monasterium conderetur :* Cujus voluntati, *inquit Selenderus,* C mox assensit gloriosissimus imperator (*tum Romanorum adhuc patritius*) atque illico celebre monasterium sub regula D. Patris Benedicti a fundamentis, secto, quadratoque lapide extrui curavit, quod multis prædiis locupletavit, muneribusque amplissimis exornavit. *Addit, in* Uthonis *Carolique congressu id miri contigisse, ut Carolus, cum in propinquo cellæ Uthonianæ esset, suspensam e solis radio Beati securim viderit et obstupuerit. Idem etiam narrat Andreas presbyter Ratisbonensis apud Bernardum Pez tom. IV Anecdotorum parte* III *pag.* 446. *Verum hujus prodigii nulla mentio est in Chronico Mettensi, et a Brunnero, Aldzreitero et Cointio, adjectis hisce particulis,* ut fertur, *aliisve idem valentibus, vocatur in dubium.*

§ II. Tempus conditi monasterii, Beati obitus, et hunc secutæ monasterii vicissitudines.

Condito a se monasterio probabilius sub annum 792,

Quæ *Mettensi cœnobio Caroli Magni munificentia et cura* Uthonis *condito initia fuerint, hæcque anno probabilius* 792 *illiganda esse, in superioribus dictum est. Ad eumdem annum dicti cœnobii incunabula referunt citatorum jam sæpe auctorum plerique : sunt tamen, inquit Brunnerus,* qui in alia tempora rejiciunt : *verum hi, inquit idem,* certissima illa nota facile refutantur, quod, Carolo nondum imperatore, hæc contigisse, veteres chartæ memorant. *Serius fortasse Mettensis cœnobii collocanda videbuntur initia legenti Catalogum Abbatum Mettensium a Gewoldo in suis ad Hundium Annotationibus exhibitum, ubi sic :* 1. Utto, constitutus abbas circa annum Domini DCCCI. *Scrupulum hunc tollit Aldzreiterus, dum alio cœnobium Mettense condi cœpisse, alio item anno* Uthonem *illius primum abbatem constitui potuisse, affirmat :* Tametsi enim, *inquit,* monasterii structura, Carolo adhuc Romæ patritio, et nondum imperatore, inchoata est, potuit tamen Utonis præfectura in annum, qui augustalem illius inaugurationem secutus est, differri; *quo nempe ex Italia in Germaniam jam redierat. Hisce subjungo, quæ de Ægidii Albertini in ædificato a Carolo Mettensi cœnobio, eique præfecto* Uthone, *errore idem auctor habet* : Manifestus est error Ægidii Albertini, cum in præfatione libri Hilariorum, quem abbati Mettensi dedicavit, asserit, Carolum Magnum Mettense monasterium anno octingentesimo (*adde* octogesimo, *prout apud Raderum legitur*) secundo ædificasse, eique præfecisse Utonem : constat enim, Carolum anno, supra octingentesimum, decimo quarto, V Cal. Februar. fato concessisse. *Hundius in Mettensi cœnobio exstare ait* E *Caroli Magni Diploma datum* IV Cal. Augusti, anno Christo propitio DCCCLXXXII, anno Augustali in Italia II in Francia I. *Contra Stengelius Caroli Magni diplomata illic periisse, scribit. Utut sit, certum est, annum* 882 *non congruere cum anno Caroli augustali secundo, atque in annos Christi irrepsisse errorem : nam in constituto Ludovici Pii anni* 817 *monasteriis, quæ imperatori* nec dona, nec militiam dare debent, sed solas orationes pro salute imperatoris vel filiorum ejus et stabilitate imperii, *diserte accensetur monasterium Mechema, id est,* Methema seu Methuma, vulgo Metten, in Bavaria Inferiore, *ut Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* XXVIII *interpretatur. Item apud Hundium Ludovici Germaniæ regis diploma refertur, quo constat, Carolum Ludovici avum prædicti monasterii tutelam in se contulisse.*

quidquid alii

12 *Brusschius lib.* I *de Patavia Mettense monasterium longe facit antiquius, ac par est. Ita de monasteriorum Bavaricorum ortu scribit :* Sub eodem isto Vinilone (*Laureacensi ac Pataviensi præsule*) plurima circumquaque in Bavaris monasteria condita sunt, in primis vero Superius et Inferius Aldachium ad Danubium, Metaniense paululum a Danubio supra Deggendorffium, Lunulacense ad Lunensem lacum, ac Austraviense ad Danubium, de quibus omnibus alibi. Decessit ex hac ad cælestem F vitam Vinulo, antistes ille venerabilis, anno DCCXLV. *Paulo vero post, de Wiserico ejusdem sedis episcopo agens, abbatibus, qui synodo, anno* 768, *ut ille quidem scribit, Dingenfinii* (*Bavariæ Inferioris oppidum est ad Isaræ ripam*) *celebratæ interfuerunt, inserit Oportunum Metaniensem. Unde hoc in animum induxerit suum Brusschius, ignoro : cum tamen Oportunum, qui Dingenfiniensi synodo interfuit, Metaniensem abbatem crediderit, eo quod hujus nominis abbatem Metaniensem* Uthoni *in cœnobio Mettensi successisse, fortasse invenerit; prout reipsa in Catalogo Hundii Oportunus aliquis* Uthoni *successisse refertur; hinc in eam suspicionem adducor, Brusschium, quod idem utrobique nomen legeret, monasterii Mettensis fundationem ad ea tempora retulisse, quæ prædictam synodum aliquamdiu præcesserunt. Aliter fortasse locutus fuerit, si secundam de Germaniæ monasteriorum fundatione Centuriam, quam certe animo concepit, aliquando vel partim, vel omnino absolverit. Interim vero illud adverto, inter abbates synodo Dingenfiniensi subscriptos legi quidem in ipsis synodi Actis Oportunum abbatem; at non exprimi, cujus loci abbas fuerit : unde forte non nisi per conjecturam, aut auctorem alium simili modo deceptum secutus, abbatem hunc Mettensem fuisse, existimavit. Sic et Meibomius tom. III Rerum Germanicarum*

AUCTORE J. B.

AUCTORE J. B. *Germanicarum pag.* 200, *duce Lazio, in eamdem sententiam ivit.*

contradicant, 13 *Eadem, quæ Brusschius, de Mettensis cœnobii erectione t. I Metropoleos Salisburgensis p.* 291 *scribit Hundius : at is sibi non constat; tomo enim altero ejusdem Metropoleos pag.* 501 *hæc habet :* Non procul a Deckendorf ac Danubio monasterium Ordinis S. Benedicti fundatur, secundum Aventinum fol. 316 a Carolo Magno, imposito primo abbate, Uthone eremita hujus loci. *Itaque tacite hic Aventini sententiæ subscribere videtur; quamquam is ibi tantum dicat, in cœnobio Mettensi Carolinum diploma, de quo num.* 11 *actum est, servari. Pag. vero* 550 *idem Aventinus ait, Carolum Gamelberto* (*et hoc quidem falso ; cum ad dexteram Danubii ripam semper commoratus sit S. Gamelbertus*) *et* Uthoni *templum condidisse, quod ad ea tempora refert, quibus Bavaria Carolo jam cesserat. Vidit hæc sane Hundius, nec tamen quidquam attulit, quo vel priorem suam assertionem roboraret, vel Aventinum refutaret. Ceterum Oportunus ille, qui Dingenfiniensi synodo interfuit, non Mettensis, sed Lunelacensis abbas fuit, qui primum Lunelacensis monasterii circa annum* 739 *vel* 748 *ab Utilone Bojorum duce fundati clavum tenuit, obiitque, Hundio teste, anno* 781 *Calendis Januarii. Sic Aventinus scribit p.* 502;

B *Cointius tom. VI Annalium ad annum* 777 *num.* 51; *Mabillonius tom. II Annalium ad annum* 772 *n.* 44; *Meichelbeckius Historiæ Frisingensis tom. I p.* 70. *Velsero et Brunnero, singulis abbatibus synodo subscriptis suas assignare sedes, res anceps visa est, nullo vetustatis superstite suffragio, sparsisque jam id ætatis pluribus per Boicam monasteriis.*

præest usque ad annum 829 *secundum Mettensium præsulum catalogum;* 14 *Quamdiu vero* Utho *Mettensi cœnobio præfuerit, ut Mettensium præsulum catalogus num.* 3 *citatus habet, posteris nemo transmisit : id solum dicit, sublimem in templi choro ante aram principem tumulum esse nactum, hac epigraphe insignitum :*

Abbas hic primus Utho, nec laudibus imus,
Hic jacet ut limus, cœlis requiescit opimus.

Quo fonte derivatum, quod apud Hundium pag. 302 *legitur,* Uthonem *nempe ab anno* 801 *usque ad annum* 829, *diem* 3 *Octobris Mettensi cœnobio abbatem præfuisse, non comperi : hoc tamen illum e vita migrasse, vel proxime præcedenti anno, scribunt plerique, quos vidi. Successorum quoque ejus catalogum, assignatis unicuique, regiminis duratione, mortis anno et die, apud Hundium videre est; quo teste,* Uthonem *Oportunus, Oportunum Wolframus, hunc Emicho, Emichonem denique* (*ceteros, qui sequuntur, prætereo*) *Nithardus excepit; qui anno* 880, *post annos regiminis* 14 *et menses* 2 *e vivis ereptus*

C *est. Verum e diplomate Ludovici Germaniæ regis, quod Gewoldus suis ad Hundium Additionibus inseruit,* patebit, *inquit Mabillonius tom. II Annalium ad annum* 792, tempus regiminis Nithardi, atque adeo Uthonis, ac subsequentium abbatum, non recte assignari apud Hundium. *Porro Gewoldus in margine ait, Ludovici hoc diploma in monasterio Mettensi incontaminate integreque servari.*

quo tamen 15 *Dedit vero illud Ludovicus Germaniæ rex, Caroli Magni e Ludovico Pio imperatore nepos, qui anno* 817 *in æstate, regni Bojoarici societate, et regis titulo, a patre donatus fuit. Diplomatis summa est, Ludovicum Mettensi monasterio, quod et ante illum avus ejus Carolus fecerat, defensionem suam patrociniumque addicere. Hoc illi initium :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Hludovicus divina favente gratia rex. *Hæc vero subscriptio :* Adalleodatus diaconus ad vicem Brunaldi recognovi. Data VIII Idus Jan. anno, Christo propitio, quarto regni Ludovici regis in Orientali Francia, Indict. XV. Actum Reganespurc civitate, in Dei nomine feliciter, amen. *Subscriptioni huic proxime accedit illa, quæ alteri Ludoviciano diplomati* (*præterquam quod in hoc cancellarius, Grimaldus rectius dicatur, quam Brunaldus*) *apud Conringium de Diplomate Lindaviensi pag.* 59 *subnectitur, et ita habet :* Adalleodus diaconus ad vicem Grimaldi recognovi. Data XIV Kal. Maji, anno, Christo propitio, in regni Domini Ludovici regis in Orientali D Francia, Indiction. XIV. Lectum Ostrenhova, palatio regio, in Dei nomine feliciter, amen. *Hoc autem Hansizius de Episcopis Pataviensibus anno* 836 *illigat; et proin illud anno* 837 *illigandum est : quamquam enim Ludovicus in suis diplomatibus multiplici usus sit regni sui initio; hic tamen regni sui initium duxisse vel ab anno* 833, *quo, mense Octobri, exauctorati patris ditiones ipse fratresque ejus inter se partiti sunt, quamquam id Cointio non probetur, vel a sequentis initio, plane mihi persuasum habeo.*

multum niti, 16 *Cum enim annus dati diplomatis is sit, ut tum fluxerit Indictio* 15; *datum esse debuit anno vel* 822, *vel* 837, *vel* 852. *vel* 867 : *quibus solis, regnante Ludovico, fluxit Indictio* 15; *obiit enim anno* 876. *Verum assumpto quocumque altero regni Ludoviciani initio, annus ejus quartus numquam incidet in annum, quocum, mense Januario, indictio* 15 *copuletur. Contra vero si initium regni ejus statueris anno* 833, *mense Octobri, vel* 584, *mense Januario, concurrent in annum* 837, *mense Januario, annus tum Ludovici quartus, tum Indictio* 15. *Anni autem, a quibus regni Ludoviciani initium desumere variis auctoribus placuit præter citatos, hi sunt :* 817 *in æstate,* 821, 823 *mense Augusto,* 826 *aut* 827, 838, 840, 854. *Verum autem esse, quod paulo* E *ante dixi, consideranti patebit. Addo, quæ de asserta jam epocha leguntur in Monito in Ludoviciana diplomata tom. VIII Scriptorum Rerum Gallicarum pag.* 417. Quando Ludovicus Augustus, collatis cum filiis suis signis, anno DCCCXXXIII A SUIS DESERTUS AC PRODITUS, IN FILIORUM POTESTATEM REDACTUS EST, ut tradunt Annales Fuldenses, Ludovicus Bajoariæ rex per illos civiles motus Germaniæ regnum occupasse creditur : hinc ejus regni in Germania seu Francia Orientali initia desumuntur in plerisque ejus diplomatibus. Hanc epocham confirmat Anscharius in lib. de Miraculis S. Willehadi : ANNO ITAQUE, inquit, INCARNATIONIS DOMINI DCCCLX, REGNI VERO DOMINI NOSTRI SERENISSIMI PRINCIPIS HLUDOVICI XXVIII, INDICTIONE VIII, IN ECCLESIA BREMENSI COEPERUNT DIVINITUS AGI MIRACULA. Illam etiam confirmat charta LXIV apud Goldastum, DATA DIE VENERIS VIII KAL. DECEMBRIS, ANNO XXIIII HLODOVICI IMPERATORIS, ET HLUDOVICI JUNIORIS REGIS ALAMANNORUM V. Quæ concurrunt cum anno DCCCXXXVII, qui erat quintus Ludovici regis ab anno DCCCXXXIII, *nempe a mense Octob. inchoatus.*

non licet. 17 *De formula, qua initio diplomatum usus est Ludovicus, hæc habentur :* Ludovicus Bajoariæ rex hanc adhibuit formulam initialem : IN NOMINE DOMINI NOSTRI J. C. DEI OMNIPOTENTIS, LUDOVICUS DIVINA F FAVENTE seu LARGIENTE GRATIA REX BAJOARIORUM. Anno DCCCXXXIII rex Germaniæ factus, hanc formulam immutavit in hunc modum : IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, HLUDOVICUS DIVINA FAVENTE GRATIA SEU CLEMENTIA REX. *De modo autem subscriptionis hæc :* Eodem subscriptionis modo usus est Ludovicus, quo Carolus M. et Ludovicus Pius. Ante patris exauctorationem annos regni sui simul copulat cum annis ejus imperii : postmodum annos solos sui regni in Orientali Francia enumerat. *Uterque character in diplomate nostro invenitur. His igitur positis de anno dati diplomatis, liquet, in catalogo abbatum Mettensium annos Nithardiani regiminis non recte esse dispositos, quod Mabillonius monuerat; atque adeo timeri merito posse, ne ceterorum quoque abbatum et ipsius* Uthonis *anni ordine numeroque non suo recenseantur. Qua de causa anno* 828 *ex hac vita migrasse* Uthonem *hujus Commentarii principio, sed dubitanter scripsimus. Tomo IV Analectorum pag.* 642 *Mabillonius societatum Augiensium librum sub annum* 815, *ut ait, sub Erlebaldo abbate conscriptum exhibet, in quo* Uthonis *Metamensis abbatis hæc mentio fit :* Ex monasterio Metama Utto abbas; *sed vivine, an mortui? quamquam enim liber hic anno* 815 *a Mabillonio conscriptus dicatur, plures in eo memorantur, qui post vixerunt, ac eo anno primum conscribi cœpit*

A *cœpit fortasse, adjectis successive aliis aliisque : ut inter alios ostendunt Henricus rex, Mathildis regina, Otto rex, qui sæculo* X *floruerunt, et eidem libro inserti leguntur.*

Affectum variis

18 *Post* Uthonis *mortem pacata cœnobio Mettensi tempora fluxisse videntur usque ad initium sæculi* X, *quo ab Hunnis seu Hungaris Bavaria insigni clade attrita est; cujus his verbis Reginonis continuator meminit :* Anno Dominicæ Incarnationis CMVII Bavari cum Hungaris congressi, multa cæde prostrati sunt, in qua congressione Luitbaldus dux occisus est. *Et rursum paulo post :* Anno Dominicæ Incarnationis CMX Franci in confinio Bavariæ et Franciæ Hungaris congressi, miserabiliter aut victi aut fugati sunt. In quo prælio Gebelhardus comes interiit. *Denique etiam annis* 912, 915, 917 *Alemanniam Hungari aut partim, aut integram igne ferroque, eodem teste, vastarunt : eadem autem clade Mettense cœnobium involutum fuisse, scribit Cœlestinus Leutner in Historia monasterii Wessofontani pag.* 59. Chronicon etiam, *inquit,* Nideraltahense conqueritur, Aaronis abbatis tempore, si non anno CMVII, certe CMX vel CMXII vastata fuisse Orienti propiora Bojoariæ monasteria, ad Superiorem et Inferiorem

B Quercum, Mettense, Osterhovense et alia.

cladibus monasterium, ab Henrico

19 *At non minorem cladem a collapsa disciplina monastica, ut temporum perturbatione non raro accidit, sæculo* XII *accepit Mettense cœnobium, imo penes Benedictinos esse omnino desiit, teste Stengelio, cessitque canonicis secularibus Monasteriensibus (collegium habent hi* Pfaffenmunster *vulgo dictum prope Straubingam haud procul a Danubio versus Bohemiæ montana et nemora situm) qui illud annis aliquot incoluere. Desiit autem penes Benedictinos esse Mettense cœnobium secundum Stengelium anno* 1134, *præsidente Gerberto. Qui autem Stengelius dicat id, imperante Henrico IV, ante annum* 1134 *diu defuncto, contigisse, non intelligo. Differt a Stengelio Mettensium abbatum apud Hundium catalogus, qui sic habet :* Gebehardus an. 16. mens. 2. Obiit 2 Februarii anno MCIX. Sublato e vivis Gebehardo, tenuerunt monasterium Metten canonici in Pfaffenmunster annis L. Sed hos amovit anno MCLVII Henricus I hujus nominis dux, et monachos restituit. *Tum vero Berbertum (eumdem puto, qui Stengelio Gerbertus est) memorat, quem Mettensi cœnobio, Benedictinis jam restituto, annis* 25, *mensibus* 2, *præfuisse, scribit, et anno* 1181 *vivere desiisse : cum tamen Stengelius testetur, nusquam reperisse se, quis, cum restitutum Benedictinis cœnobium fuit, illius loci clavum tenuerit, in litteras aut monumenta*

C *relatum. Haud magnam esse catalogi citati fidem, jam dixi supra; sed neque Stengelio certam ego fidem præbuero asserenti, dictam restitutionem factam esse anno* 1157, *licet etiam Stengelio Hundianus catalogus adstipuletur.*

Austriæ marchione,

20 *Etenim Henricus ille, quem veluti alterius fundatoris loco habent Mettenses cœnobitæ, Austriæ Marchionum postremus fuit; cui anno* 1142 *Conradus imperator Bavariæ ducatum, loco scilicet ante moto Henrico Superbo sibi rebelli, transcripsit. Tenuit hunc Henricus Austriacus a morte fratris sui Leopoldi, etsi haud satis pacate, usque ad annum* 1155 *vel* 1156, *quo Fredericus Ænobarbus Bavariæ ducatum Henrico alteri, Superbi filio, postliminio reddidit : at, cum æquum non videretur Ænobarbo, ut ducis titulo Austriacus careret, Austriacum marchionatum in ducatum evexit, singularibus prærogativis ornavit, ejusque limites extendit, adjecto Austriæ eo terrarum tractu, qui inter Ænum Anasumque fluvios interjacet. Cum itaque Henrico Austriaco ab anno* 1156 *nihil juris fuerit in reliqua Bavariæ parte, in eaque situm sit Mettense cœnobium, minus verisimile est, Benedictinos monachos ab Henrico jam Austriæ duce antiquis sedibus restitutos, rectiusque id referri videtur ad id temporis spatium, quod inter annum* 1142 *et* 1147 *intercessit, quo ad bellum sacrum Henricus profectus est, vel ad illud, quod ab anno* 1149, *quo in Germaniam rediit, usque ad* 1156 *fluxit : qua de re sic scribit Chronicon Mellicense, auctore P. Anselmo Scramb, pag.* 63 : Henricus hujus nominis II, marchio Austriæ VIII, dictus cognomento JOHSAMIRGOTT, ob sibi familiare proverbium : JA SO MIR GOTT. Leopoldo fratri suffectus anno MCXLII conjugio sibi sociavit viduam proscripti Henrici ducis Bavariæ, filiam Lotharii imperatoris Gertrudem, quæ tamen anno sequenti MCXLIII diem clausit. His nuptiis id operatus, ut Conradi cæsaris consensu ducatus Bojariæ sibi restitueretur, contradicente Welfone, quem æmulum inquietum nactus, cujus tamen conatus secundis velitationibus elisit. Quo tempore avitæ pietatis hæres monasteria Schlierseense, Schlecdorffense, Schofflarnense restauravit, Neocellense ad Frisingam Præmonstratensibus fundavit, Mettense Benedictinis extradidit. Labente anno MCXLVII expeditio pro terra sancta etc.

AUCTORE J. B.

et dein iterum ab Othone Bavariæ duce restituitur.

21 *Alteram denuo cladem Mettense cœnobium accepit anno* 1236, *quo, Stengelio teste, incendio periit, jacuitque vastatum usque ad annum* 1064 (*lege* 1264) *quo suis e cineribus Othonis Bavarorum ducis ope excitari cœpit, ac tandem sub Conrado abbate, qui ab anno* 1273 *usque ad annum* 1297 *Mettense cœnobium administrasse legitur in citato sæpius Hundii catalogo, ejusdem Othonis munificentia ad umbilicum adductum est. Fragmentum diplomatis Othoniani, quo triennalis ab oneribus quibusdam immunitas* E *Mettensibus cœnobitis conceditur, Stengelius citat, ex quo colligere liceat, quis fuerit Otho ille, quem comitem Palatinum Rheni et ducem Bavariæ vocat. In Theatro Genealogico Henningiano inter duces Bavariæ et comites Palatinos Rheni primus occurrit Otho, cognomento* Illustris, *Ludovici Severi ducis Bavariæ Superioris pater, Ludovici IV imperatoris avus. Præterea filium habuit Henricum nomine, Bavariæ Inferioris ducem; quem anno* 1290 *obiisse, Henninges scribit, relictis filiis tribus, Othone, Ludovico et Stephano. Othonem Illustrem Mettense cœnobium rexædificasse, Germaniæ sacræ parte* II *Bucelinus affirmat : at refellitur primum ex eo, quod Otho Illustris vel anno* 1245, *vel anno* 1255, *ut aliis placet, finem vivendi fecerit; atque adeo Othonis hujus et restituti monasterii tempora non congruant; tum ex eo, quod Otho in diplomate anno* 1293 *dato fratrum suorum Ludovici et Stephani meminerit; quod in Othonem Henrici filium et Bavariæ Inferioris ducem cadit. Si tamen annus, quo restitui cœpit monasterium, a Stengelio, et annus mortis Henrici ab Henningio recte signatus est, Othonem, vivo etiamnum parte, id beneficii Mettensibus monachis præstitisse, necesse est. Hæc de monasterio Mettensi dicta sufficiant; de quo, qui plura desiderat, Stengelium Hundiumque citatos consulat. Sequuntur* Utho- F *nis Acta, prout ea apud Raderum exstant, partim ex Chronico Mettensi, partim ex Catalogo præfectorum deprompta.*

ACTA

Auctore anonymo.

Ex Chronico Mettensis cœnobii et ejusdem præfectorum Catalogo.

A S. Gamelberto baptizatus B. Utho,

Metania vel Medena, hodie Metten, Benedictinæ professionis pervetustum in Inferiori Bavaria monasterium *a*, dimidium mileare Deggendorfensem civitatem *b* paululum a sinistra descendentis Danubii ad lacum seu forestam *c* in amœno loco situm construi cœpit temporibus Caroli Magni, imperatoris omnium Christianissimi ac munificentissimi ecclesiarum erectoris *d*, annum Christi circiter octingentesimum *e*. Vera originis historia sic habet. Habitabat in hujus loci solitudine et vasta adhuc tum temporis Danubiana utriusque ripa eremo, ad Michelzbuchensis parochiæ inter Danubium et Isaram *f* sita ad gubernandum gregem * pius quidam ac venerandus senex, beatus Gamelbertus nobili genere apud Bavaros natus *g*. Is, abjecta armorum cura,

a
b
c
d
e
f
* *lege* sitæ gubernaculum
g

AUCTORE ANONYMO.

cura, non sine prodigio aliquando religionis Romam ad SS. Petri et Pauli limina profectus, casu ibi *h* baptizavit infantem quemdam, quem Uthonem cognominavit : prævidens vir sapiens in spiritu, sibi aliquando suæ paternæ ecclesiæ *i* successurum.

h

i

et Michelsbuchensis parochus factus, dein in solitudinem

2 Utho iste, cum ad virilem ætatem pervenisset, relicta Italia patria, peregrinatus est et ipse religionis ergo in Germaniæ partem illam ad Danubium sitam. Ubi cum ad S. Gamelbertum venisset *k*, humaniter ab eo exceptus ac parochia ea ipsa Michelsbuchensi a viro Dei, jam decrepito sene, donatus est. Præfuit hujus parochiæ plebeculæ, adhuc rudi et parum in Christianismo exercitatæ, post obitum S. Gamelberti itaque etiam Utho iste : donec aliquando, ingruentibus bellicis inter Carolum Magnum et Thassilonem Bavariæ ducem odiis ac tumultibus *l*, cogeretur bonus Vir, parochia deserta, trans præterfluentem Danubium secedere, et in silvis inter feras quietem et tutum refugium quærere. Ibi cum omnino animum ad eremiticam vitam adjecisset, cœpit sibi ipsi pius Pater ad fontem sui nominis *m* construere cellulam perexiguam in honore S. Michaelis, quod in his Bavariæ tumultibus bonorum angelorum præsidio servatus et ex hostium manu liberatus esset.

k

l

m

B

Mettensem abit, ibique

3 Pacatis iterum rebus in Bavaria, et sub jugum misso multoties jam rebelli Thassilone, cum daret Carolus victor *n* operam venationi : casu, aut potuis Deo sic ordinante, ad hanc cellam venit, cumque ad conspectum et alloquium suum evocaret senem Uthonem, barbatum eremitam, intelligens ex illius cultu et oratione *o* (quæ plerumque certus minimeque fallax character et index est) virum esse integræ secundumque Deum laudatissimæ conversationis, data ei dextra, opem promittit, Senemque discipulos colligere jubet. Hoc monasterium Benedictinæ professionis sumptibus Caroli Magni inchoatum ac fundatum est *p*, cujus primus abbas ab ipso imperatore designatus est Utho iste *q*.

n

o

p

q

in condito a se monasterio moritur et sepelitur.

4 S. Utho patria Romanus in Germaniam peregrinatus ad S. Gamelbertum venit *, a quo primum Michelsburgensis parochus designatur. Is paullo post in belli tumultibus fuga elapsus in vicino et trans-Danubiano nemore cellam sibi construxit eremiticam, ad miraculosum fontem *r*, quem adhuc hodie vulgus S. Uthonis fontem nominat, in quo, qui morbo Gallico seu scabie Hispanica polluti sunt, sese lavantes, emundantur : certis tamen annis, quos ita salubres annos (ut ab hujus loci agricolis animadversum est) epidimia et grassans pestis excipit *s*. Quamdiu bonus is Pater ad abbatiam, cujus ipse primus abbas ab imperatore Carolo Magno constitutus est, sederit, in Fastos a nemine relatum est, aut si relatum, certe bellicis tumultibus iterum periit, ac in cineres redactum *t*. Sepelitur Abbas iste in choro templi ante aram maximam sublimi tumulo cum tali epigraphe :

Abbas hic primus Utho nec laudibus imus,
Hic jacet ut limus, cælis requieseit opimus.

* *hæc et sequentia ex Catalogo præfectorum desumpta sunt.*

r

C

s

t

ANNOTATA.

a *A prima quidem sui institutione fuit Ordinis Benedictini, quem Carolus Magnus studiose promovit; sed dein ad Monasterienses canonicos translatum; quibus ad sua remissis, iterum ad Benedictinos rediit, jussu Henrici Austriaci, verisimiliter ducis titulum necdum adepti. Videsis num.* 19.

b *Vulgo* Deckendorff *ex adverso Isaræ in Danubium sese exonerantis.*

c *Vox barbara, idem valens ac vox* sylva.

d *Sunt, qui velint, Carolum præter innumera a se dotata et ditata, a fundamentis totidem excitasse monasteria, quot sunt alphabeto litteræ.*

e *Etsi annus determinatus conditi monasterii haud certus sit, patet illius antiquitas ex constituto Ludovici Pii, de quo num.* 11, *et libro Societatum Augiensis monasterii, de quo num.* 17. D

f *Oritur hic fluvius haud procul Oeniponte in Tyroli; Monachium, Frisingam, Lanshutum Bavariæ urbes præterlabitur, ac tandem in Danubium influit.*

g *Vide tom. II Jan. pag.* 785, *ubi de illo agit Henschenius.*

h *Speciem veri aliquanto majorem habet,* Uthonem *in Italiæ Germaniæque confinio, quod alii scribunt, natum baptizatumque esse. Vide num.* 7. *Incertum plane, quo anno. Vide num.* 5 *et* 6.

i Paternam *dicit, verisimiliter quia is locus e paterna hæreditate Gamelberto obtigerat, quod hujus Acta testantur.*

k *Si modus spectetur, quo hic* Utho *Gamelbertum accessisse dicitur, videri potest* Utho *in Gamelbertum forte fortuna incidisse : locum tamen tempusque adventus a Gamelberto, illiusque parentibus fuisse conditum, hujus denuo Acta affirmant.*

l *Cæperunt odia mutua anno* 765 *: exauctoratus Thassilo* 788 *: at, cum, Eginhardo teste, citra sanguinem res peracta sit; ac anno* 788 *primum cum Hunnis decertandum armis fuerit; ad hunc fortassis annum* Utho *gregem suum jam forte dispersum, aut alia, justaque de causa deseruerit. Certe Selenderus aliam attulit, qui, ne verbo quidem bellicos istos tumultus attigit, causamque Uthoniani discessus in superstites idololatriæ reliquias transfert, quas e suorum animis evellere* Utho *incassum laborabat; quod quidem ab eorum temporum conditione genioque non magnopere abhorruisse, docet lex quinta inter populares decretis synodi Dingolfinganæ, haud ita dudum ante celebratæ a Thassilone subjectas, quæ est* de eo, quod Bajoarii Stapfsaken dicunt, in verbis, quibus ex vetusta consuetudine paganorum idololatriam reperimus, ut deinceps non aliter dicat, qui quærit debitum. Hæc mihi injuste abstulisti, quæ reddere debes. Reus vero contradicat : Nec hoc abstuli, nec componere debeo. Iterato voce requisito debito dicat : Extendamus dexteras nostras ad justum judicium Dei; et tunc manus dexteras uterque ad cælum extendat. Stapfsaken *autem vox Saxonica est ex* Stap (*statua*) *et* Sac (*causa*) *composita, ut idem valeat, quod causa ad idolum delata vel ante idolum contestata, ut Spelmannus opinatur in Glossario.* E

m *Fons ille, Stengelio auctore, anno* 1506 *factus est hominum concursu celeber; dictusque* S. Uthonis.

n *Nempe, ut opinor, Hunnorum, quos ante exauctorationem suam adversus Carolum in Bavariam evocarat; non stricte loquendo Thassilonis, quem citra sanguinem in ordinem redegit.*

o Uthonis *sanctitatem ex appensa e solis radio securi Carolum percepisse, perhibent alii, at qua auctoritate, quibusve testimoniis, ignoro.* F

p *Probabilius condi cœptum est circa annum* 792, *Carolo Romanorum patricio.*

q *Circa* 800, *quo Romanorum imperator Carolus coronatus est Romæ.*

r *Non itaque naturalis vis est fonti, qua eo abluti, morbo, de quo paulo post mentio fit, sanantur.*

s *Raderus aliquid hic deesse putat : iisdem verbis Stengelius utitur : hunc ego illis sensum accommodandum reor, ut post aliquot annorum salubrium seriem, pestem subinde grassari, animadversum sit. sive id ex aeris solive vitio, sive ex alia quacumque causa oriatur.*

t *Haud igitur certum est,* Uthonem *sub ann.* 829 *ex hac vita migrasse. Ab obitu* Uthonis *usque ad regimen inchoatum Nithardi, cui anno* 837 *diploma dedit Ludovicus Germaniæ rex, effluxerunt anni circiter* 36 *secundum catalogum Hundianum : quos si ex* 837 *subtraxeris, ad initium sæculi* IX *calculus relabetur, eoque annis aliquot inchoato,* Utho *obierit. si annos, quibus inter* Uthonem *et Nithardum Metamensi cœnobio Oportunus, Wolframus et Emicho præfuerunt, catalogus recte exhibeat; et Nithardo, jam annis aliquot abbati, dictum diploma datum esse posueris.*

DE

A D

DE S. JOVINO VEL JUVINO CONF.

IN CAMPANIA GALLIÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C. B.

Memoria in Fastis sacris minus antiquis, cultus ecclesiasticus, Vita sublestæ fidei.

SÆCULO FORTE IX. *Sancti memoria in Fastis sacris,*

Molanus ad hunc diem in Usuardo a se aucto S. Juvinum, *seu, ut alii, secunda littera mutata, scribunt,* Jovinum *brevissime his verbis annuntiat :* In pago Dulcrimensi, sancti Juvini confessoris. *Molaniano huic Usuardi apud Sollerium Auctario tria insuper alia accedunt, Tornacense scilicet, Remense et Augense; in quo posteriori pro* Jovini *aut* Juvini *nomine corrupte exaratur* Vivini. Juvinum *aut* Jovinum *hodie pariter celebrant Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, Rosweydus in suis Sanctorum Fastis, et in iis, quæ concinnarunt, Martyrologiis Galesinius, Canisius, Saussayus et novissime omnium Castellanus. Attamen in Usuardino puro aliisque antiquioribus, quæ Classicorum nomine veniunt,* Juvini *nomen hodie nuspiam occurrit. Hinc forte factum* B *est, ut ii, qui circa ultimos sæculi* XVI *annos Romanum hodiernum reformarunt,* S. Juvinum *in hoc pariter prætermiserint, utpote quem nec Belino invenirent inscriptum, nec aliunde sufficienter cognoscerent. Verum non est, cur quisquam miretur, Martyrologiis Classicis Sanctum hodie non inscribi, siquidem hic secundum dicenda Usuardo aliisque illorum concinnatoribus ætate forsan exstiterit posterior. Utut sit,* Juvinus *equidem Sanctis merito annumeratur, utpote cultu, Sanctis deferri solito, hodieque gaudens, olimve saltem gavisus, idque non solum, uti infra probabo, in Dulcrimensi Campaniæ pago, cui in plerisque Fastis sacris supra laudatis adscribitur; verum etiam, ut saltem verosimillimum apparet, in binis aliis amplissimæ ejusdem Galliarum provinciæ locis.*

cultus ecclesiasticus in suburbio Remensi, in vico Loisy ad Matronam,

2 Alter ex his est civitatis Remensis, Campaniæ metropolis, suburbium; alter vero vicus ad Matronam flumen, Loisy *nominatus, qui Lingonas inter et Calvomontium, Campaniæ urbes, interjacet, uti in Geographica Blaviana Campaniæ Tabula notatum invenio. Sanctum in suburbio Remensi cultu gaudere ecclesiastico, olimve esse gavisum, colligo ex Remensi Usuardi apud Sollerium Auctario jam ante memorato. In hoc enim hodie Sanctus annuntiatur his* C *verbis :* In suburbio Remensi, natale sancti Jovini confessoris; *cujus annuntiationis, qua Sanctus suburbio Remensi attribuitur, causam ego aliam, quam quæ a cultu ecclesiastico repetenda sit, invenire non valeo; neque enim* Juvinus *locum illum vel vita sancte transacta, vel felici beatoque obitu illustravit. Verosimillimum itaque apparet, Sanctum ibidem olim cultu ecclesiastico fuisse affectum, eoque ibidem etiam hodie forsan affici. Quod vero jam ad mox nominatum, qui ad Matronam situs est, vicum pertinet, Sanctum ibi quoque coli, intelligitur ex Castellano, dum in Martyrologio suo Universali* Juvinum *hodie celebrans, sic scribit :* In pago Dulcrimensi in Campania, S. Juvini confessoris, cui in Loisy ad Matronam dedicata est ecclesia. *In vico illo ecclesiam Sancto esse dedicatam, nec ex aliis scriptoribus, nec ex ullis monumentis addisco. Verum hic unum mihi sufficit Castellani testimonium, qui, quæ de Sanctorum cultu asseverat, probe habuisse perspecta, plerumque deprehenditur. Dubitandum adeo non est, quin præmemorati vici ecclesia Sancto sit consecrata; hicque proinde ibidem cultu ecclesiastico certissime gaudet.*

et in Dulcrimensi, cujus hic datur

3 Atque ita nunc probatum habes cultum ecclesiasticum, quo Sanctus in duobus a pago Dulcrimensi distinctis Campaniæ locis hodie etiam gaudet, olimve fuit gavisus. Superest, ut et cultum, quo in dicto pago gaudet, olimve fuit gavisus, etiam nunc probem. Ante

tamen, quam id faciam, juverit, quo dicenda clarius intelligantur, pagi illius, qui S. Juvini *vita ac obitu insuper illustris est, quique etiam in Augensi Auctario supra laudato* Dulcomensis pagus *vocatur, notitiam præmittere.* Pagus Dulcumensis, *inquit in Notitia Galliarum Hadrianus Valesius,* in diœcesi parœciave Remensi, ubi vicus celebris Sindunum sit, Frodoardo memoratur in libro I. Historiæ ecclesiasticæ Remensis : cui et Dulcomensis pagus, atque etiam Dolomensis, et Dulmensis dicitur; Dulminse quoque, id est, Dulmensis in divisione regni Lotharii; haud dubie le pays de Dormois, in quo opidum sanctæ Manechildis, et Cernacum, Cernay en Dormois, baroniæ titulo illustre, ubi unus ex XVII decanatibus Remensis ecclesiæ. *Ita varias nominis, quo pagus Dulcumensis gaudet, efformationes hic assignat Valesius, qui, vocari illum subinde* Dul- E *crimensem, verosimillime etiam addidisset, si modo Fastos sacros supra memoratos, quibus Sancti nostri nomen inscribitur, præ oculis hic habuisset. Utut sit, hic scriptor, nonnullis post verba proxime recitata interjectis, de pago Dulcumensi seu Dulcrimensi sic pergit :* Hic pagus a Cernaco ad Mosam flumen promittebatur, Castellumque Dunum ad Mosam, Dun, et villulam Dulcon totius olim pagi caput, unde et pago nomen, vicumque Sindunum ad Axonam continebat, Senuc vulgo dictum, cella seu prioratu S. Oriculi nobilem.

notitia, Campaniæ pago non ignobili;

4 Porro in hoc pago seu territorio vicus est, qui a S. Juvino *nomen habet. Hic ad dexteram fluvii, qui Gallice* Ayre, *Latine a Baudrando* Arola, Edera *in Tabula Geographica, tom. IX Galliæ Christianæ præfixa, appellatur, situs est, duabus circiter leucis horariis a fluvii hujus et Axonæ confluentibus distat, sese inter et locum, quo duo hi amnes confluunt, Grandipratense oppidulum æquali fere utrimque spatio habens interpositum. Adi Blavianam diœcesis Remensis ditionisque Retelensis Geographicam Tabulam, aut etiam eam, qua Guilielmus de L'isle Campaniam novissime est complexus, resque illico manifesta evadet. Verum, inquies, vicusne is propterea a Sancto nostro nomen traxit? Respondeo, id quidem nec ex historicis de rebus Campaniæ tractantibus,* F *nec ex antiquis regionis hujus monumentis posse evinci; esse tamen, cur vico nomen a Sancti nostri nomine fuisse inditum, non immerito credatur. Etenim in Vita edenda num.* 12 *sic scribitur :* Crescente autem populi devotione et miraculorum magnitudine, ibi *(ad Arolam seu Ederam, ubi Sanctus fuerat sepultus)* est ecclesia in ipsius honorem constructa, ut, quem antea locum tenuerat multitudo bestiarum, is jam ob sancti Viri (Juvini *scilicet*) humilitatem inhabitetur, et in hodiernum usque diem non modo ipsius ecclesia, sed et tota prorsus villa sancti Juvini nomine nuncupetur. *Quibus sane ex verbis recte colligitur, S. Juvini vicum, qui ad Ederam seu Arolam fluvium (neque enim alter ad hunc fluvium S. Juvini vicus occurrit) in præfatis Tabulis Geographicis notatur, a Sancto nostro* Juvino *sic appellari. Nec hoc tantum ex verbis illis discimus, verum etiam* Juvino *in dicto vico, cui nomen fecit, ecclesiam fuisse exstructam, cultuque proinde ecclesiastico fuisse illum ibi a fidelibus affectum; quod etiam ex verbis, quæ proxime recitatis subduntur, clarissime intelligitur.*

ubi cultum fuisse Sanctum, ex sola Vita edenda

5 Sic habent : Post multos vero ab ejus (*sancti* Juvini) glorioso transitu elapsos annos, ipsius reverendissimum corpus de sepulchro levatum est, et a religiosis viris, honorabilibusque personis in arca lignea compositum : quæ si pro sua ipsius qualitate

vilior

AUCTORE C. B.

vilior appareat, quam ut tam incomparabilem thesaurum, ab angelis sæpissime frequentatum, contineret, nobis tamen, qui specialius ejus servitio sumus mancipati, convenit castitate et modestia refulgentes ipsius sanctitatis exempla sectari, si cum ipso in Beatorum inenarrabili gaudio admisceri optamus. *Itaque S. Juvini vicus, ad Ederam seu Arolam situs, verosimillime a Sancto nostro nomen obtinuit, hujusque simul cultu antiquitus etiam fuit illustris. Verum, inquies, tantæne ergo auctoritatis est* S. Juvini *Vita, seu potius hujus scriptor, ut tuto ei fidi queat, dum Sanctum nostrum* S. Juvini *vico, ad Ederam seu Arolam sito, nomen fecisse, cultuque ibi fuisse affectum ecclesiastico, absque ullo omnino teste idoneo affirmat? Respondeo, hunc scriptorem, utut in aliis secundum dicenda a veritate verosimiliter plus semel devium, integram tamen fidem mereri in iis, quæ de vico, qui a* S. Juvino *nomen traxerit, hujusque ibidem cultu ecclesiastico asseverat. Idcirco sic existimo, quod, quæ ad Sancti cultum spectantia asserit, ipse ea, utpote quæ sua etiam ætate locum obtinuisse, verbis supra recitatis non obscure indicat, absque ullo dubio habuerit apprime perspecta; ex cultu vero ecclesiastico, quo* Juvinus *in dicto vico fuit gavisus, verosimillimum, imo etiam fere certum fiat, hunc Juvini nomen non aliunde,*
B *quam a Sancto nostro traxisse.*

eruitur. Hæc compendio exhibitur a Saussayo,

6 *Hæc sunt, quæ, aliis documentis deficientibus, de* S. Jovini *seu* Juvini cultu, *vicoque a Sancti nomine appellato, commemoranda habeo. Ipsam nunc Sancti Vitam edendam, quæ ad hanc spectent, et quis, qualisque, qui eamdem litteris consignavit, auctor sit, discutere aggredior. Saussayus supra laudatus, qui Sanctum, utpote ex dictis non in solo Dulcrimensi seu Dulcomensi pago, sed in binis insuper aliis Campaniæ locis cultum, in Campania ad hunc diem generatiori Martyrologii sui Gallicani annuntiatione celebrat, Saussayus, inquam, Sancti nostri Vitam, quam edituri sumus, aut certe alteram huic non multum absimilem præ oculis verosimillime habuit. Ut sic existimem, facit elogium, quo Sanctum exornat, quoque Vitæ edendæ quoddam exhibet compendium, quod, quamquam in nonnullis adjunctis ab hac dissonet, in plerisque tamen cum eadem apprime consonat. Hoc ex utriusque collatione evadet perspicuum. En adeo, quo hæc fieri queat commodius, etiam hic illud :* In Campania sancti Jovini confessoris et eremitæ, qui ex agro Remensi oriundus, servili forte, per sincerum Dei famulatum, ad libertatem, quam intuitu pietatis et insignium gratiæ ei contulit Marcus comes Stadunensis, pervenit. Hacque, ut Apostolus monet, bene usus, multos e servitute
C peccati ad Dei filiorum libertatem strenuo conatu perduxit. Deinde cum in secessu multa mira patrasset, placido excessu perrexit ad Dominum. Corpus ejus post edita ejus in funere multa prodigia, tandem in ipso oratorio cellulæ, quam incoluerat, sepultum est : ubi, crebrescentibus signis, insignis condita est basilica, cui adjunctus vicus sensim in oppidum excrevit, propter tanti Confessoris opitulationem jam ipsius nomine conspicuum.

qui oppidum, Sancti nomine conspicuum, perperam adstruit.

7 *Ita Saussayus, de cujus assertis singulis quid sentiendum sit, partim hic Commentarius, partim Annotata, quæ Vitæ edendæ subjungam, aperient. In fine ait, vicum, qui ecclesiæ, ad Sancti cellulam exstructæ, erat adjunctus, sensim excrevisse in oppidum,* S. Juvini *nomine conspicuum; quod equidem, quantum opinor, a vero est alienum. Etenim in Vita edenda (vide verba num. 4 recitata) locus, qui ecclesiæ, ad Sancti oratorium seu sepulcrum exstructæ, memoratur adjunctus,* villæ *dumtaxat nomine insignitur, nullumque prorsus vel apud historicos vel apud antiquos geographos in Campania occurrit oppidum, quod* S. Juvini *nomine fuerit appellatum. Adhæc locus ille, qui ad Arolam seu Ederam fluvium* S. Juvini *nomine habetur illustris, non eo signo, quo oppida, sed eo tantum, quo vici notari solent, in Tabulis geographicis supra laudatis notatur. Itaque quod de vico, qui sensim in oppidum,* S. Juvini *nomine conspicuum, excreverit, a Saussayo asseveratur, nullam omnino fidem meretur. Aliud esto judicium*
D *de Vita eremitica, quam a Sancto ductam, insinuat. Quamvis enim de hac mentionem expressam in Vita edenda non faciat anonymus Sancti biographus, ea tamen litteris mandat, quæ neutiquam obstant, quo minus Sanctus vitam duxisse eremiticam credatur. Etenim ubi num.* 6 *narravit, qui Sanctus e servo factus sit liber, num.* 7 *mox subdit :* Qui (*sanctus* Juvinus) tunc quanto magis se liberum vidit ab hominum servitio, tanto ardentius cœpit insistere divino; tum ut concessa sibi libertate non ingrate uteretur, tum ut ad mortem (quæ jam appropinquabat) dignius se præpararet, jejuniis nimirum, vigiliis, orationibus cæterisque sanctis operibus insistens.

Juvinus forte duxit vitam eremiticam.

8 *Quibus sane in verbis nihil latet, quod cum Vita Sancti eremitica pugnet; hanc tamen, si illa cum Saussayi Elogio conjunctim considerentur,* Juvinus *verosimiliter non prius duxerit, quam jam provectioris ætatis esset effectus. Etenim, ut in elogio supra huc transcripto Saussayus velle videtur,* Juvinus *non prius vitam eremiticam est amplexus, quam jam libertate ab hero suo esset donatus; hac autem ille, ut ex verbis Vitæ edendæ proxime recitatis consequitur, donatus non fuit, nisi cum jam mors appropinquaret, ac proin non prius verosimiliter, quam jam*
E *ad provectiorem ætatem pervenisset. Ututsit, Saussayus equidem, qui vitam eremiticam Sancto attribuit, cum Sancti nostri biographo hic minime pugnat. Verum, inquies, nihilne etiam aliunde occurrit, ob quod hic Saussayo seu potius auctori, ex quo is Sancti Elogium supra huc transcriptum hausit, fides denegari mereatur? Respondeo, a me equidem nihil hujusmodi esse repertum. Non est ergo, cur vitam Sancti eremiticam, a Saussayo assertam, vero pronuntiem absimilem. Rem adeo aliorum judicio permitto. Quidquid interim his libitum fuerit statuere, dubitandum non apparet, quin sanctissimum vitæ genus Sanctus duxerit. Etenim hic, uti equidem Vitæ edendæ fide admittendum videtur, in pago seu territorio Dulcomensi seu Dulcrimensi lucem hausit, vitam exegit, mortemque obiit, ut adeo in hoc pago seu territorio notissimus exstiterit. Quapropter, cum ibi nactus sit ex dictis ecclesiam sibi dedicatam, vicumque a nomine suo appellatum, dubitandum utique non est, quin sanctissime vixerit, sanctissimeque simul obierit; neque enim, alioquin ecclesia illi in dicto pago, veluti Sancto, dedicanda, vicusve ejus nomine videtur fuisse inscribendus. Hinc etiam puto, miraculis forte etiam* Juvinum *tum ante, tum post obitum inclaruisse.*

Miracula, quæ a biographo anonymo memorantur,

9 *Absit tamen, ut pro certis atque indubitatis habeam miracula, quæ Sanctus patrasse, in Vita edenda asseritur. Rationem, cur sic existimem, mox dabo. Lubet prævie, ut, quæ qualiaque illa sint miracula, studiosus lector perspiciat, ea hic cum brevi*
F *Vitæ edendæ compendio ob oculos proponere. Sanctus servili natus genere, porcisque, a domino, cui servit, custodiendis adhibitus, divino impulsu in nemore oratorium exstruit, hinc negligentiæ infidelitatisque apud herum insimulatus, innocentiam suam probat, primo quidem grege, qui quaquaversum dispersus erat, majori etiam, quam quæ debebatur, copia in unum brevi contracto; deinde vero baculo, quem tenebat manibus, in arborem, tribus ramusculis excrescentem floribusque ornatam, subito converso. Herus, visis hisce prodigiis,* Juvinum *libertate donat. Hic mox divino sese servitio ferventius etiam, quam ante, impendit, felicique obitu excedit e vivis. Corpus Defuncti loco ad sepulturam dimoveri nequit, nisi ad oratorium, quod Sanctus, in vivis superstes, in sylva exstruxerat. Dum eo illud defertur, semel atque iterum Arola seu Edera fluvius, aquis suis, quæ tunc multum increverant, utrimque prodigiose divisis, siccum præbet ad sepulturam Sancti properantibus transitum. Tale est, quam auctor anonymus conscripsit, quamque edituri sumus, Sancti nostri Vitæ compendium, talia miracula, quæ in eo memorantur a* Juvino *patrata.*

10 *Quæ, quamquam omnia prorsus incredibilia non*

AUCTORE C. B.

A *revocari merentur in dubium,*

*non appareant, sintque etiam hæc inter, quorum similia apud nos in genuinis sinceris*que *Sanctorum Actis sæpenumero occurrunt, ea tamen, ego, utut etiam a Sancto nostro et ante et post obitum patrata fuisse miracula, pro verosimili habeam, vocare cogor in dubium, primo quidem, quod ab anonymo Sancti biographo, a quo solo litteris consignata sunt, ex infida vulgi fama, populari*ve *traditione, fallere frequenter solita, dumtaxat fuerint deprompta, uti ab ipsomet num.* 14 *Vitæ edendæ non obscure indicatur his verbis :* Hæc tantum de ejus (*sancti* Juvini) vita a fidelibus viris didicimus, secuti, quæ per omnium ejus loci vicinorum volitant ora : quæ nos, licet indigni, pauca ex pluribus scripto tradimus, quamvis non dubitemus, multa alia per ipsum a Domino operata, sed per negligentiam litteris non comprehensa, et idcirco oblivioni tradita; *deinde vero, quod ipsemet Sancti biographus a* S. Juvini *ætate tanto temporis intervallo fuerit remotus, ut in iis, quæ de illo scribit, certam sibi fidem conciliare non valeat. Indicat id etiam ipsemet num.* 13 *Vitæ edendæ, ubi sic scribit :* Post multos vero ab ejus (*sancti* Juvini) glorioso transitu elapsos annos ipsius reverendissimum corpus de sepulchro levatum est, et a religiosis viris honorabilibusque personis in

B *uti etiam alia Vitæ adjuncta;*

arca lignea compositum.

11 *Sancti ergo biographus non floruit, nisi jam multis annis post* Juvini *obitum elapsis. Imo biographum non floruisse, nisi jam uno saltem, aut forte etiam pluribus sæculis post* Juvini *obitum elapsis, verosimile apparet. Ita existimo, quod, quæ litteris mandat, sese vel ex oculatis testibus, vel ex iis, qui ex oculatis testibus audiverant, didicisse, nuspiam indicet, id utique, si ex fonte adeo probato sua hausisset, omni dubio procul indicaturus, nec ad solam, ut secundum jam dicta facit, communem populi famam, quo assertis suis fidem conciliet, recursurus. Hæc sunt, quorum causa potissimum in dubium revocanda reor prodigia, quæ in Vita edenda narrantur, quæque etiam propterea non facile, ut puto, fidem apud quemquam invenient. Nec tantum ob jam dicta pro dubiis habeo Vitæ edendæ prodigia, verum etiam quæcumque in hac de servili* Juvini *conditione, de famulatu porcorumque apud Marcum, Dulcrimensem comitem, custodia, deque libertatis, postquam apud hunc infidelitatis insimulatus fuisset, impetratione memoriæ produntur. Affinia hæc sunt iis, quæ in Vita fabulosa S. Sereni, ad diem præcedentem Operi nostro inserta, cap.* 1 *referuntur. Habueritne forte hanc præ manibus* Juvini *biographus, nonnullaque ad ejusdem imitationem confinxerit? Id equidem ego indubitanter nec asseverare nec negare*

C *ex qua insuper Sancti ætas certo definiri nequit.*

ausim.

12 *Utut tamen sit, non multo potiorem fidem, quam S. Sereni biographus, mereri mihi videtur. Quam nihilominus elucubravit,* S. Juvini *Vitam prelo vulgandam duxi, tum quod ex ea saltem antiquum Sancti in pago Dulcrimensi cultum secundum jam dicta habeamus compertum, tum etiam quod vel hinc futurum sit, ut studiosus lector perspiciat, quam merito apud nos fides vacillet lucubrationis hujusmodi; in qua etiam nulla prorsus nota chronica occurrit, ex qua vel annum, vel sæculum, quo* Juvinus *floruerit, certo definias. Notat quidem numero* 7, *Sanctum quinto Nonarum Octobrium die excessisse e vivis; verum nec annum, quo id factum sit, nec quidquam, ex quo is colligatur, adjungit. Adhæc num.* 13 *biographus quidem sic scribit :* Jam nos, ejus (*sancti* Juvini) piissimis et Sanctorum omnium intervenientibus meritis, absolutionem omnium petimus criminum, quorum alligamur nodis, sicque præsentem ducere vitam, ut pervenire valeamus ad æternam, in qua videbitur Deus deorum in Syon, ipso præstante Domino, qui nos perducere dignatus est ad millesimum et ultra suæ salutiferæ Incarnationis adventum; *quibus verbis sese sæculo undecimo floruisse, non obscure significat; verum nec hinc vel annus, vel etiam dumtaxat sæculum, quo* Juvinus *obiit, certo potest erui. Etenim ex dictis in obscuro relinquit, unicone tantum, an pluribus sæculis a* Juvini *ætate fuerit remotus. Nihilominus cum num.* 6 *asserat, arborem, a* S. Juvino *per prodigium (pro hoc ego spondere nolim) excitatam, ætate sua adhuc perseverasse, eaque tunc, utpote quam omnes in circuitu arbores magnitudine sua exsuperasse scribit, admodum annosa exstiterit, fieri potest, ut unico tantum sæculo aut circiter post* S. Juvinum *floruerit, hincque ego Commentarii hujus initio in margine sæculum nonum dubitanter adscripsi. Ceterum, si quid præterea in Vitam edendam observari conveniat, id in Annotatis huic de more subdendis præstabitur.*

VITA

SUBLESTÆ FIDEI,

Auctore anonymo,

Ex Ms. Belfortiano, quod ex veteri Ms. parochialis ecclesiæ de Juviny diœcesis Suessionensis acceptum notatur.

E *Sanctus, in cujus nomine hic ludit biographus,*

Veneranda et ineffabilis Dei pietas, quæ omnes homines vult salvos fieri, prothoparentis nostri delicto condolens, in ipso mundialis fabricæ initio dignatus est ex ipsis hominibus eligere, per quorum exemplum laudabile alios revocaret ad felicitatem beatudinis amissæ. Ab ipso namque bonorum omnium largitore Domino sunt sancti patriarchæ fundati, beati prophetæ scientia verissima illuminati, gloriosi Apostoli sublimiter edocti, fortissimi martyres longanimi patientia, et egregii confessores laudabili perseverantia confortati. Quorum in numero juste prorsus recensetur vir Dei, sanctissimus Juvinus, in sacro baptismate a parentibus Christianis non abs re sic appellatus : qui non modo, dum hic præsens in carne esset, cunctos juvabat, sed et nunc etiam, Christo conjunctus, si fideliter invocetur, multo magis juvare non desinit *a*.

a

in diœcesi Remensi natus, comiti Dulcrimensi famulatur, b c

2 Fuit quidem hic Beatissimus ex territorio metropolitanæ urbis Remorum, de comitatu, qui Dulcomensis nuncupatur *b*. Quem scilicet comitatum atque Stadiniensem tunc regebat comes quidam nomine Marcus *c :* cujus etiam hic vir Domini Juvinus a plurimis asseveratur servus fuisse; quamquam Janitoris cæli doctrina didicimus, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi. Quod benignus Dominus satis ostendit, dum hunc Sanctum, de quo loquimur, in

F

hominum servitio constitutum, non solum ad amorem suum attraxit, sed et sublimiter Sanctorum suorum meritis coæquavit.

dumque divinitus illustratus oratorium in nemore construit, d e

3 Quem igitur comes venerari debebat, hunc cum ad sues custodiendas deputasset, et Vir mitissimus, tali officio cum humilitate suscepto, vitam ageret Deo placitam, quadam die accidit, dum commissum sibi gregem sequeretur, ut in ipso nemore, quod rusticana lingua Serra *d* dicitur, eminus conspiceret locum secus fluvium Ayre *e*, in quo præscientiæ spiritu agnovit, sua quandoque membra tumulanda fore, et multa hominum millia ibi baptizanda, nec non Pane angelorum pascenda, et sacri verbi alimento nutrienda *f*. Quod Vir Dei intelligens, commissa Deo gregis sui custodia, locum illum purgandum suscepit, et tamdiu institit diutino manuum labori, donec oratorium consummaret.

f

infidelitatis apud dominum suum accusatur.

4 Verum, ut indivia diaboli mors intravit in orbem terrarum, sic ipsius bonæ voluntati et sanctæ operationi invidentes conservi ejus, accusaverunt illum apud dominum suum. Qui, vocato ad se innocentissimæ vitæ Viro, audio, inquit, te infideliter mecum agere, ac nescio cui vano operi intentum tempus frustra terere, et greges meos bestiis dilacerandos dimittere. Cumque placido vultu humiliter Dei Servus excusaret, suo se muneri

AUCTORE ANONYMO.

neri numquam defuisse, et comes nihilominus, divinæ adhuc dispensationis ignarus, non sine iracundia diceret, probaturum se accusationis veritatem, ille totam in Deo spem suam reposuit, a suo interim proposito (quod gratum Deo sciebat) non recedens, et divinum ipsius beneplacitum patienter expectans.

Verum ab hoc, cui, in accusationis veritatem inquirenti, prodigiis,

5 Mane facto, Marcus comes cum famulis suis, conscenso equo, rus proficiscitur, Dei Famulum exploraturus. Cumque ab eo longe adhuc positus circumspiceret, nec uspiam sibi grex appareret, iracundia flammescens propinquavit tandem ad locum, in quo, ut diximus, beatus Juvinus venerando operi insistebat, dixitque ad eum : Hem, Juvine, ubi grex tuæ fidei commissus? Jam video ipse, quomodo totus periit. Tunc venerabilis Vir, ut solebat, tota ad Deum mente conversus, omnipotentiam ipsius, videntibus cunctis, invocabat, ut grex adunaretur; moxque ad ejus orationem in tanta est multitudine aggregatus, ut mediam partem comes suam esse negaret.

quæ edit, innocentiam suam probat, libertate donatur,

g

B

6 Ad quod divinæ virtutis opus stupentem illum cernens confessor Domini Juvinus, magis ac magis de Dei bonitate confidens, defixo in terram suo baculo, adjecit, dicens : Si ego fidelis famulus tibi sum, nunc ostendere dignetur Dominus noster Jesus Christus *g*. Statimque baculus ille in conspectu omnium, fixis deorsum radicibus, crevit in arborem, tribus ramusculis dilatatam, ac pulcherrimis floribus adornatam : quæ ad meritorum sanctissimi hujus Viri ostensionem usque etiam hodie perseverat, omnes in circuitu arbores magnitudine sua exuperans. Cum hoc tam præclarum et in regione hac inauditum conspexissent miraculum, ex hinc venerari illum cœperunt, quem prius despiciebant : et dominus ejus temporalis ab omni servitio liberum pronuntiavit, facta ei, quocumque vellet, eundi potestate *h*.

h

solique deinde Deo serviens ferventius, vivis excedit.

7 Qui tunc quanto magis se liberum vidit ab hominum servitio, tanto ardentius cœpit insistere divino : tum ut concessa sibi immunitate non ingrate uteretur, tum ut ad mortem (quæ jam appropinquabat) dignius se præpararet, jejuniis nimirum, vigiliis, orationibus cæterisque sanctis operibus insistens. Quibus dum toto animi studio esset intentus, æterna requie, ad quam indesinenter suspirabat, remunerari a Domino meruit, ex hoc mundo transiens quinto Nonarum Octobrium die, eo ipso in loco, in quo baculum ipsius in arborem coaluisse, supra retulimus *i*.

i

Defuncti corpus loco ad sepulturam moveri nequit,

k

l

8 Ejus preciosa morte audita, convenerunt vicini, ut sepeliendum deferrent ad ecclesiam beatæ Mariæ semper Virginis, constructam in vico, cui nomen est Cheherycus *k*, sed moveri non potuit. Tunc ego dixerunt, ut portaretur ad villam, quæ vocatur Laudala *l*, basilicam habens in honorem ejusdem Dominæ nostræ, sed itidem nequivit loco dimoveri. Quam ob rem junxerunt se cum iis, qui ferre disposuerant, alii nonnulli, ut ad templum beato Medardo dicatum in vico Felici-Villa *m* nuncupato, aut ad aliam aliquam ecclesiarum, quæ in circuitu sunt, perferrent, sed nec tunc etiam auferre valuerunt.

m

nisi ad dictum, quod Sanctus exstruxerat, oratorium.

n

9 Omnibus igitur, qui aderant mirantibus, et de istius rei novitate conferentibus, tandem, inspirante Deo, venit in mentem, si forte placeret ipsi Beato sepeliri in loco, quem ad serviendum Deo ipse exstruxerat *n* : et protinus tam velociter sublatum est, ut nihil omnino oneris portantes sentire viderentur *o*.

o

Dum vero eo defertur, Atola fluvius, aquis suis prodigiose divisis, semel

p

q

10 Cum ergo venerabile pignus gestantes venissent ad sæpe memoratum Ayram fluvium *p* (qui ex uno latere habet saltum... *q* magnum, ex altero autem paulo superius dictum Serram) ipsumque fluvium in tantum excrevisse reperissent, ut transvadari non posset, ecce, eadem illa Omnipotentis Dei manus, quæ antiquis olim Patribus divisit mare Rubrum in divisiones, et hic similiter liquidum elementum in duritiam convertit, et quasi pro muro a dextris et a sinistris stare præcepit, donec Famulum suum dilectum ad præelectum sepulturæ locum perduci faceret.

D

atque iterum siccum præbet ad Sancti sepulturam properantibus transitum.

11 Denique reversis in alveum aquis et solito fluxu excurrentibus, paupercula quædam mulier ista audiens venit post eum : quæ cum transire non posset, ingenti spiritu et fide magna sanctum Dei Confessorem inclamat dicens : Serve Dei Juvine, permitte mihi, ut transire valeam ad sepeliendum te. Nec mora : dividitur iterum aqua, siccoque vestigio et ipsa hæc mulier transivit, desiderium pauperum (ut ait Propheta) exaudiente Domino, præparationem cordis eorum audiente aure ejus *r*.

r

Fuit ibidem postea ecclesia Juvino ædificata,

s

12 Beato itaque Juvino sepulto, omnes ad propria cum pace redierunt *s*, laudantes et glorificantes mirabilem in Sanctis suis Dominum nostrum Jesum Christum. Crescente autem populi devotione et miraculorum magnitudine, ibi est ecclesia in ipsius honorem constructa, ut, quem antea locum tenuerat multitudo bestiarum, is jam ob sancti Viri humilitatem a populo inhabitetur, et in hodiernum usque diem non modo ipsius ecclesia, sed et tota prorsus villa sancti Juvini nomine nuncupetur.

sacrumque ejus corpus de terra levatum.

13 Post multos vero ab ejus glorioso transitu elapsos annos, ipsius reverendissimum corpus de sepulchro levatum est, et a religiosis viris honorabilibusque personis in arca lignea compositum : quæ si pro sua ipsius qualitate vilior appareat, quam ut tam incomparabilem thesaurum, ab angelis sæpissime frequentatum, contineret, nobis tamen, qui specialius ejus servitio sumus mancipati, convenit castitate et munditia refulgentes ipsius sanctitatis exempla sectari, si cum ipso in Beatorum inenarrabili gaudio admisceri optamus *t*.

E

t

Fons, ex quo biographus sua hauserit,

14 Hæc tantum de ejus vita a fidelibus viris didicimus, secuti, quæ per omnium ejus loci vicinorum volitant ora : quæ nos, licet indigni, pauca ex pluribus scripto tradidimus, quamvis non dubitemus, multa alia per ipsum a Domino operata, sed per negligentiam litteris non comprehensa, et idcirco oblivioni tradita.

et tempus, quo scripserit.

15 Jam nos ejus piissimis et Sanctorum omnium intervenientibus meritis, absolutionem petimus criminum, quorum alligamur nodis, sicque præsentem ducere vitam, ut pervenire valeamus ad æternam, in qua videbitur Deus deorum in Syon, ipso præstante Domino, qui nos perducere dignatus est ad milesimum et ultra suæ salutiferæ Incarnationis adventum; cui est cum Deo Patre Omnipotente et sancto Flamine honor et gloria, virtus et imperium per omnia secula seculorum. Amen.

F

ANNOTATA.

a *In nomine* Juvini, *utpote quod a verbo* juvare *derivatum videri potest, ludit hic biographus.*

b *Vide de hoc Campaniæ tractu Commentarium prævium num.* 3.

c *Valesius in Notitia Galliarum ad vocabulum* Astenidum *sic habet :* In ejusdem Caroli (*Calvi*) regis Capitulis pagus Stadinisus, id est, Stadinensis ab Stadino seu Astenido dicitur (nam unum idemque esse puto) et inter pagum Vonzisum et Pertisum collocatur. *Item ad vocabulum* Satanacum *ita memorat :* Hoc olim (*oppidum Stenay*) castrum Astenidum et Stadinum Carolo Calvo dictum esse, pagoque Stadiniso vel Stadinensi nomen dedisse,... docui in Astenido. *Ita Valesius, utrobique volens, castrum Astenidum, Stenay, idem esse cum castro Stadino, illudque pago Stadinensi seu Stadiniso nomen fecisse. Verum duabus a Masomago leucis in colle cernuntur rudera antiqui castri,* Ston *vocati, hocque pago Stadiniso, qui in Capitulari a Carolo Calvo memoratur, nomen fecit; Astenidum autem seu oppidum Stenay ad pagum Stadinisum spectare non potest, cum illud ad provinciam Trevirensem semper spectarit; hic vero secundum ipsummet Caroli Calvi Capitulare sub jurisdictione Hincmari, Remensis archiepiscopi, exstiterit. Ita fere Wastelainus, Societatis*

A *tatis Jesu sacerdos, in novissima sua Galliæ Belgicæ Descriptione pag.* 280. *Utut sit, pagum Stadinisum per comitatum Stadiniensem biographus noster indubie intelligit. Verum comes Marcus, quem memorat, prorsus est ignotus. Unde fit, ut ex Marco comite, cui inserviisse Sanctus dicitur, nihil omnino pro hujus ætate definienda habeatur.*

d *Nullum ego in Campania nemus invenio, quod hoc nomine vocitetur.*

e *De parvo hoc Galliæ fluvio Baudrandus in Dictionario Geographico ita habet :* Oritur in Barrensi ducatu prope Ligniacum, deinde in Septentrionem tendens, rigatis Claromonte et Varennis, per Campaniam labitur ad Grandipratum, et paulo infra Axonæ miscetur. *Fluvius hic, ut in Commentario num.* 4 *monui, in Tabula Geographica, tomo nono Galliæ Christianæ auctæ præfixa, vocatur* Edera. *Verum a Baudrando fluvius, Gallice dictus* Ierre, *in Bria provinciæ positus, hoc nomine vocatur. Hinc ego, quamvis fluvium Ayre, ad quem S. Juvini vicus situs est, in Commentario* Arolam *et* Ederam *sub disjunctione appellarim,* Arolæ *tamen, quam* Ederæ *appellationem malim. Et vero nomen Latinum* Arola *ad Gallicum* Ayre *magis accedit.*

f *Fuit scilicet, ut infra docet biographus, eo loco postmodum exstructa parochialis* S. Juvini *ecclesia,*
B *in qua sane temporis lapsu plura hominum millia baptizata, angelorumque Pane fuere refecta.*

g *Hoc Sancti factum pro admodum dubio etiam habeo. Rationem colliges ex num.* 10 *Commentarii prævii.*

h *In Commentario prævio jam monui, hæc, quæ num.* 4, 5, 6 *et* 7 *hic narrantur, affinia esse iis, quæ in fabulosa* S. Sereni *Vita, apud nos ad diem præcedentem edita, cap.* 1 *Sancto huic affinguntur. Saussayus in Elogio (vide Commentarii prævii n.* 6) *nullum nominatim memorat prodigium, cujus patrati occasione Sanctus libertatem sit adeptus; sed tantum generatim ait, hunc sincero Dei famulatu pervenisse ad libertatem, quam ei Marcus comes Stadunensis* intuitu pietatis et insignium gratiæ *contulerit. Præstat forsan Saussayi narratio.*

i *Saussayus ait, a* Juvino *(adi iterum Commentarii prævii num.* 6) *ante obitum in secessu, in quem is post obtentam libertatem sese contulerat,* multos e servitute peccati ad Dei filiorum libertatem *adductos, multaque patrata fuisse prodigia. Dissonat adeo hic iterum a Sancti biographo, ut consideranti patebit.* AUCTORE ANONYMO.

k *In Geographica Campaniæ Tabula, quam novissime elaboravit Guilielmus de L'isle, ad Arolam fluvium locus notatur,* Checheri *nuncupatus, a S. Juvini vico haud procul admodum dissitus. Diversus forsan is non est a vico, qui hic* Cheherycus *vocatur.*

l *Nullum nominis hujus locum, qui non longe a S. Juvini vico situs sit, in Tabulis Geographicis notatum invenio.*

m *Vicus hic forsan idem est cum loco, qui in Geographica Campaniæ Tabula proxime laudata nuncupatur* Fleville, *atque ad Arolam fluvium inter locum, de quo mox,* Checheri *dictum, et S. Juvini vicum, æquali fere utrimque intervallo, situs est.*

n *Saussayus innuit, loco huic seu oratorio, per* Juvinum *constructo, adjunctam fuisse cellulam, quod sane in hypothesi vitæ eremiticæ, quam Sancto attribuit, verosimillimum apparet.*

o *Prodigia huic similia in genuinis Sanctorum Actis etiam occurrunt; verum vide Commentarii prævii num.* 10. E

p *Et tamen fluvii hujus biographus semel dumtaxat adhuc ante mentionem fecit. Hinc oriri potest suspicio, Vitam hanc esse contractam ex Vita prolixiori, in qua Ayra fluvius, quem ego* Arolam *cum Baudrando vocare malim, sæpius fuerit memoratus.*

q *Saltus hujus nomen punctis implevi, quod in Ms. nostro legi non queat.*

r *Vereor, ut duo hæc miracula veritati congruant.*

s *Redieruntne, miraculosum rursus fluvio præbente transitum, vel an hujus forsan, sepulto Sancti corpore, jam aquæ decreverant?*

t *Qui binis hisce posterioribus numeris de ecclesia Sancto constructa, vico ejus nomine inscripto, corporeque de terra levato asseruntur, veritati puto conformia. Adi Commentarium prævium.*

DE S. GERARDO ABBATE BRONIENSI

IN COMITATU NAMURCENSI IN BELGIO.

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS. C. B.

F

§ I. Sancti annuntiatio in Fastis sacris, cultus ecclesiasticus, Vita edenda.

ANNO DCCCCLIX. *Sanctus in Fastis sacris tum generalibus,*

Quod nobis interdum accidit, ut, an *Sancti, quorum Acta elucidanda veniunt, Martyrologiis Classicis inscribantur, definire difficillimum sit, id hic* S. Gerardi *Vitam illustraturis negotium non facessit. Beda enim, Ado aliique ad unum omnes, qui Martyrologia illa antiquiora concinnarunt, sæculo decimo anteriores sunt;* Gerardus *autem, sæculo nono jam prope elapso natus, sanctitatis fama non ante sæculum decimum fuit illustris. Hinc indubitatum efficitur, hunc ab illis non tantum non celebrari, sed nec celebrari potuisse in iis, quos adornarunt, Fastis sacris. At vero, quam in hisce propterea incassum quæras Sancti memoriam, eam in omnibus pene Martyrologiis, Hagiologiisque minus antiquis consignatam passim invenies. Grevenus, Molanus, Galesinius, Maurolycus, Saussayus, Castellanus, aliique bene multi in Martyrologiis suis Hagiologiisve hodie unanimi consensu* Gerardum *annuntiant; quibus etiam Florarium nostrum Ms. et Romanum hodiernum accedit. Omnium annuntiationes huc transcribere, foret prolixum; nec id operæ pretium existimo. Nihil enim suppeditant, quod non clarius innotuerit ex iis, quæ aliunde infra depromemus. Solam adeo breviorem Romani hodierni annuntiationem describo. His verbis concipitur :* Apud Belgas in diœcesi Namurcensi sancti Gerardi abbatis.

2 *Atque ita quidem jam habes, queis præcipue in generalioribus Fastis sacris, cujuscumque professionis ac status Sanctos commemorare solitis,* S. Gerardus *hodie annuntietur. Addo nunc etiam eos, quibus Sancti nomen pariter inscribitur, Fastos restrictiores, solis definiti cujuspiam instituti Sanctis celebrandis destinatos. Itaque Dorgainus, Wionus, aliique Benedictini hagiologi in iis, quos solis Ordinis sui Sanctis memorandis adornarunt, Fastis sacris* S. Gerardum *ad hunc diem unanimiter etiam annuntiant, idque sane, cum Sanctus ex dicendis omni dubio procul Benedictini instituti monachus exstiterit, non immerito faciunt. Horum annuntiationes, quod pariter nihil contineant, quod hic in antecessum memorandum sit, huc etiam non transcribo. Nec tantum Sanctus in sacris Benedictinorum Fastis, verum etiam a Ghinio canonico Regulari, in Sanctorum canonicorum Regularium Natalibus hodie celebratur; quod, cum* Gerardus *secundum dicenda canonicum Regularem professus certissime non fuerit, mirum non nemini forsan videbitur. Neque enim Ghinio, ut forte putabunt, fuit propositum, alios recensere Sanctos, quam qui canonici Regulares instituto* tum particularibus,

AUCTORE C. B.

stituto ac professione exstiterint. Attamen rationem, ob quam id ille hagiologus faciat, non deesse, facile, quantum opinor, ex eo, quo Sanctum exornat, elogio quisque intelliget. Hoc idcirco lubet huc transcribere.

hodie annuntiatur,

3 *Sic habet :* Apud Belgas diœcesis Namurcensis S. Gerardi abbatis, qui, visione divina admonitus, Bronium ædificavit cœnobium, ubi canonicos primo instituit, et ex S. Dionysii Parisiensis monasterio (ubi Regularem vitam ac litteras didicit et presbyter factus est) S. Eugenii episcopi et martyris et aliorum Sanctorum reliquias detulit. Ex quo cœnobio postea, et cœnobiis S. Bertini, et S. Amandi Gandavi vel clericos amovit, vel ad rectam vivendi regulam reformavit. Ipse quietis amator, divitibus relictis monasteriis, quibus jussus præerat, ad Bronium reversus, totis viribus serviens Domino, obdormivit in pace anno Dom. 958 et vivus et mortuus signis coruscavit. *Inter sanctos ergo canonicos* Gerardum *idcirco referre videtur Ghinius, quod ab illo canonici (clericos secundum morem canonicum viventes, vocat Vita edenda) Bronii primo instituti, canocicique, seu clerici, et nonnullis cœnobiis vel summoti, vel ad rectam vivendi normam revocati fuerint. Hinc scilicet* Gerardum *inter eos, qui*
B *de Ordine canonico bene meriti sunt, computarit, eique proinde in Fastis sacris, a se concinnatis, locum concesserit; hoc quippe honore alios Sanctos eadem de causa etiam subinde afficit, ut in Præfationis suæ Notando quarto lectorem monet. A Sancti jam probata in Fastis sacris memoria ad cultum ejus ecclesiasticum pariter probandum progredior.*

inque diœcesi Namurcensi Officio ecclesiastico, in quo tres Lectiones sibi proprias,

4 *Præ manibus habeo Officia Propria festorum diœcesis Namurcensis, ad formam Breviarii Romani redacta. In his ad tertium Octobris diem Officium de* S. Gerardo *abbate sub ritu duplici recitandum proponitur; in hoc autem Sanctus tres secundi Nocturni Lectiones habet sibi proprias, ex Vita edenda fere depromptas atque in compendium contractas. Has adeo, ut studioso lectori in ipso mox hujus Commentarii limine compendiosam eorum, quæ Sanctus gessit, notitiam exhibeam, integras huc transcribo. Prior his verbis concipitur :* Vir Domini Gerardus, claris quidem natalibus illustris, sed morum vitæque integritate illustrior, apud Stablecellas, Lomacensis territorii vicum, patre Stantio ex prosapia Haganonis Austrasiorum ducis, matre Plictrude, Stephani Tungrorum episcopi germana, procreatus est. Is ab ineunte ætate pietatis studio
C mire deditus pravorum devitans consortia, animum assiduis precibus, monitisque salutaribus erudiebat : quæ ex sacris concionibus, quibus frequens intererat, hauriebat. Tanta autem in rebus agendis præditus erat prudentia, ut comes Namurcensis Berengarius ei præ ceteris difficiliora quæque ac magis arcana committeret; ita ab ejus arbitrio totius comitatus regimen dependebat : et idcirco comes eum rarius a sui præsentia abesse patiebatur : *Secunda illis :* Hinc cum die quodam idem comes pro nobilium consuetudine venatum cum suis ivisset, sanctumque Virum secum duxisset, et jam hora prandendi eos domum revocaret, Gerardus spiritualia corporalibus anteponens, bona comitis venia propinquam Bronii adiit ecclesiam, quæ cum quibusdam prædiis adjacentibus ad eum hæreditario jure devoluta erat, ut ibidem divinis misteriis interesset.

huc transcriptas,

5 Dum vero sacerdos, qui illa perageret, exspectatur, divinitus sopore in eum irruente, cælesti visione docetur, eo in loco oratorium construere. Quo sine mora exstructo, et copiosis ex prædiorum suorum reditibus dotato, ibidem clericorum sodalitatem instituit. Interim sollicitus remanet, qua ratione beati Eugenii episcopi et martyris sacras reliquias, quas Apostolorum Princeps ei in visione promiserat, consequi poterit : *Ac tertia demum istis :* In ea cogitatione crebo illo versante, oportune accidit ei, ut ipse a comite Berengario legatus in Gallias mitteretur, ubi summa cum lætitia didicit, dictas sancti Eugenii reliquias in cœnobio beati Dionysii asservari. Quare, rebus ex sententia D confectis, ac legatione peracta, valedicens mundo et comiti, monasticum induit habitum apud Parisios in eodem sancti Dionysii monasterio : ubi instar quinquennis pueri prima litterarum elementa didicit, et paulatim presbyteri gradum attigit nono a conversione sua anno. Interea Vir sanctus cunctis virtutibus ad stuporem fratrum ornatus, visionis suæ serie fratribus in unum convocatis exposita, sacra Eugenii pignora pro Broniensi ecclesia obtinuit. Tum statim, assumptis secum aliquot suæ professionis religiosis, Bronium repetiit, et ibidem clericorum instituto monachorum substituit. Denique postquam, auctore Christo, vivens præclara patrasset miracula, ac fuisset pater et abbas octodecim monasteriorum, et in eis pervigili cura omnia administrasset, divini Spiritus revelatione de obitus sui die edoctus, ditioribus cœnobiis, quibus præerat, relictis, ad amicam Broniensis monasterii paupertatem se recepit, ibique post gratos Deo labores anno nongentesimo quinquagesimo octavo feliciter in Domino quievit.

habet, quotannis colitur, uti etiam in cathedrali Gandensi S. Bavonis ecclesia.

6 *Porro in suppellectili nostra litteraria etiam exstant bina Propria ecclesiæ cathedralis S. Bavonis Gandavensis, quorum alterum anno 1572 Gandavi, alterum, sed immutatum et ad Breviarii Romani formam redactum, anno 1661 Antverpiæ typis est excusum. In priori ad tertium Octobris diem nec Officium de* S. Gerardo *recitandum, nec commemoratio facienda præscribitur; in posteriori vero proponitur Officium, sub ritu duplici majori recitandum, in quo Sanctus tres pariter secundi Nocturni Lectiones habet sibi proprias. Itaque is non tantum in diœcesi Namurcensi, verum etiam in cathedrali S. Bavonis Gandensi ecclesia quotannis solemniter colitur. Adhæc ingens, qua* Gerardus *gaudet, tum nominis celebritas, tum sanctitatis fama etiam facit, ut vix dubitem, quin id in nonnullis aliis tum Belgii, tum Galliæ ecclesiis pariter fiat. Verum in has omnes, cum jam ecclesiasticus Sancti cultus satis superque sit probatus, inquirere non lubet. Ceterum tres memoratæ cathedralis S. Bavonis ecclesiæ Lectiones in plerisque consonant cum Namurcensibus jam recitatis; tertia tamen, quæ in Officio sexta est ordine, illud habet singulare, quod, quæ* S. Gerardus *ad S. Bavonis monasterium spectantia gessit, quæque in Lectionibus Namurcensibus generaliter tantum indicantur, expresse commemoret. En verba :* Eum (*sanctum* Gerardum) deinde Arnulphus Magnus, Flandriæ comes, cœnobio sancti Bavonis, a
F se restaurato, vigesimum abbatem præfecit. Qui cum dictum comitem et prælatum cœnobii sancti Bertini ab acerbissimo dolore calculi miraculose liberasset, et annos plus minus quindecim monasterio sancti Bavonis laudabiliter præfuisset, prælaturam cuidam Hugoni, pio ejusdem monasterii monacho, resignavit.

Mabillonii de Vita edenda judicium,

7 *Possent hic nonnulla in Lectiones Sancti tum Namurcenses, tum Gandenses observari; verum quæ in his illustrari castigarive indigent, lucem simul castigationemque accipient ex iis, quæ in Vitam edendam, ex qua fere sola illæ, ut jam monui, depromptæ sunt, in Commentarii hujus decursu elucidationis commentationisve erga observare visum fuerit. Antequam eo progrediar, quoniam in eum, qui de Vita edenda est, sermonem jam incidi, lubet prævie, quæ qualisque illa sit, et a quo auctore conscripta, nunc discutere. Mabillonius Sæculo quinto Benedictino Vitam* S. Gerardi *ex duobus exemplaribus Mss., quorum alterum a Papebrochio nostro, alterum e Codice Broniensi acceperat, genuino, quem Surius mutarat, servato stylo, alteroque ex duobus, quos ea habebat, prologis resecto, typis vulgavit; in Observatione autem prævia num.* 1 *hæc scribit :* Sancti Gerardi res gestas litteris mandarunt auctores duo, uterque anonymus : quorum antiquior ex solo Vitæ, quam hic edimus, prologo priore notus. Cum orationem grammatice quidem compositam, non tamen idiotis minusque capacibus satis perspicuam conscripsisset, anonymus alte-

Gunteri

A Gunteri abbatis hortatu novum Opus aliis verbis aggressus est, quale hic damus, cum alterum penitus excidisse credatur. Optandum esset, ut purum putum auctorem primarium reliquisset anonymus sequior, qui minus apte subinde loquitur, aliosque loquentes inducit. Integram tamen fidem meretur in factis recensendis, quæ tum per se a testibus oculatis, tum ab anonymo priori accepit.

biographi ætas

8 *Talis est Mabillonii de posteriori* Gerardi *biographo, cujus lucubrationem edit, censura; quam sane sat æquam existimo, nec ullum, qui in contrariam opinionem abierit, inter eruditos invenio. Quod vero innuit, scriptorem illum, quæ scribit, vel ex testibus oculatis, vel ex anonymo priore accepisse, id quantum ad omnia ob ea, quæ in Commentarii hujus decursu dicentur, intelligi non debet: cum autem anonymum priorem, uti ex Prologo liquet, sibi prælucentem habuerit, verosimillimum fit, ex hoc illum nonnulla accepisse; nonnullaque verosimiliter etiam accepit ex testibus oculatis. Ut id eum fecisse aut certe facere potuisse pateat, in ejusdem ætatem inquiramus. Gunteri abbatis jussu, ut in Prologo priori indicat, suam de* S. Gerardo *lucubrationem elaboravit. Hinc laudatus Mabillonius, ut ætatem ejus assignet, in Observatione prævia mox dicta num.* 2 *sic pergit:* Gunterus, cujus mandato scripsit anonymus posterior,

B abbatis vices Bronii agebat anno MXXXI, testante

* Fisenus

Molano. Suffragatur Fissenus * in Floribus Leodiensibus, ubi Broniensium abbatum exhibet Catalogum; in quo post Gerardum Heribertus anno CMXCVIII exstinctus, deinde Guinebaldus, ac tertio loco Gunterus locatur his verbis: « Gontherus » scribendam curavit Vitam sancti Gerardi, dican» dumque templum anno MXXXVIII, quod augustius » ipse construxerat. Obiit anno MLXII. » *Cum ergo ex his verbis ab anno* 1031 *ad annum usque* 1062 *abbatis vices Bronii egerit Gunterus, necesse est, ut anonymus Vitæ* S. Gerardi *scriptor posterior, utpote qui hanc, Guntero abbate jubente, exararit, inter duos illos terminos in vivis exstiterit, suamque, qua Sancti nostri Vitam sit complexus, lucubrationem adornarit.*

seu tempus, quo scripsit.

9 Quædam tamen, *inquit loco proxime citato Mabillonius,* anonymi (*posterioris scilicet*) loca huic calculo repugnare videntur. Nempe quod de Lietaldo, Mosomensi abbate, anno CMXCVII mortuo, tamquam de superstite loquatur num. 12 (*apud nos num.* 23) « Si cui ingerit ambiguitatem, Lietaldum » percontetur abbatem. » Eodem trahi debet id, quod legitur num. 19 (*apud nos* 39) de Rainero secundo Longicolli Hainoensium comite, « qui » nunc usque, » inquit, « exsulat in ignotis regioni» bus. » Nam is ultra annum CMLXXXV vitam pro-

C duxisse non videtur. Ex adverso anonymus (*posterior scilicet*) num. 28 (*apud nos* 70) agens de numero monasteriorum, quæ Gerardus ad severiores leges revocavit, ait se id a majoribus accepisse, et n. 29 (*apud nos* 72) ubi de bellicis tumultibus tempore Gerardi exortis, laudat Chronologiam priorum, id est, majorum. Quæ verba non bene auctori æquali conveniunt. Itaque, his expensis, verisimilius est, hunc scripsisse sub annum MXXXV, et quæ de Lietaldo abbate et Rainero comite dicit, hæc in persona prioris anonymi (quod non raro ejusmodi interpolatoribus accidit, ut alias notavimus) retulisse. *Sane non video, quid hic aliud ad hanc difficultatem, quam hic sibimet ipsi ex anonymo posteriori objicit Mabillonius, sat plausibiliter possit reponi, nisi forte quis velit, in anonymi textum, quæ de Lietaldo abbate et Rainero comite dicit, ab interpolatore esse intrusa. Utut sit, cum ex dictis Gunterus ab anno* 1031 *ad annum usque* 1062 *Broniensi monasterio abbas præfuerit, hocque jubente,* Gerardi *Vitam scripserit anonymus posterior. Hic illam indubie inter binos illos terminos scripsit, et verosimilius quidem vel sub annum* 1033, *ut vult Mabillonius, vel potius sub annum* 1038; *hoc enim anno templum Broniense dedicandum curasse, in Broniensium, quem supra laudat Mabillonius, abbatum Catalogo asseritur Gunterus; est autem admodum credibile, hunc, quam ex dictis scribi jussit,* Gerardi *Vitam dedicationis illius occasione scribendam curasse.*

AUCTORE C. B.

Hunc neque Odonem, Cluniacensem abbatem,

10 *Hinc jam partim, et partim ex Sancti nostri ætate nequeunt subsistere, quæ de scriptore, qui* Gerardi, *abbatis Broniensis, Vitam, Guntero abbate jubente, litteris mandarit, in suis in Martyrologium Romanum Annotatis Baronius ad hunc diem existimavit, sic scribens:* Extant ejus (S. Gerardi *abbatis Broniensis*) Acta conscripta ad Guntherum abbatem, quæ recitat Surius tom. V. Testatur Trithemius lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, sanctum Odonem, abbatem Cluniacensem, scripsisse Vitam sancti Gerardi. Petrus diac. Cassin. lib. de Viris illustribus monast. Cassin. cap. 32 narrat, Vitam sancti Gerardi confessoris scriptam fuisse a Gregorio episcopo Tarracinensi. Ea itaque, quam Surius recitat, potius tribuenda videtur præfato Gregorio, quam alteri: nam quod tum soluta oratione, tum etiam carminibus intexta habeatur, ejus videtur potius esse scriptio; cum multa ab eodem carmine fuisse conscripta, idem auctor testetur. *Quibus verbis vult Baronius,* S. Gerardi *Vitam, quæ, ad Guntherum abbatem scripta, exstat apud Surium, auctorem habere vel S. Odonem Cluniacensem abbatem, vel Gregorium Tarracinensem episcopum. Adhæc illam non Odoni, sed Gregorio potius videri attribuendam. Verum nec huic, nec illi adscribi posse videtur ista lucubratio. Et primo quidem hanc ab*

E *Odone elaboratam non esse, fit ex hujus et* S. Gerardi *ætate perspicuum. Mabillonius Sæculo quinto Benedictino, parte prima longum simul atque accuratum subministrat S. Odonis, Cluniacensis abbatis, elogium; Odo autem, uti ibidem laudatus scriptor probat, anno* 942 *e vivis excessit. Quapropter, cum ex dicendis* S. Gerardus *anno* 939 *obierit, nequit Odo litteris mandasse præfatam Sancti Vitam, in qua hic et dicto anno* 939 *obiisse, resque multas, quarum epocha post annum* 942 *locanda est, gessisse narratur. In Bibliotheca Cluniacensi sub nomine S. Odonis, abbatis Cluniacensis, scripta exstat Vita S. Geraldi confessoris, comitis Aureliacensis, qui, ut in Annotatis ibidem observatur, anno* 907 *e vivis excessit. Illa ipsa haud dubie hujus Geraldi seu Gerardi Vita per Odonem scripta, a Trithemio Opere per Baronium citato memoratur; unius enim dumtaxat Gerardi, cujus Odo Vitam scripserit, mentionem facit.*

neque Gregorium, Tarracinensem episcopum,

11 *Quod jam pertinet ad Gregorium, Tarracinensem episcopum, hunc quoque* S. Gerardi, *Broniensis abbatis, Vitam, quæ Gunthero apud Surium nuncupatur, non conscripsisse, verosimillimum eet. Petri diaconi de Viris illustribus Casinensibus Opusculum tom. VI Rerum Italicarum Scriptorum exstat insertum; hujus autem trigesimo secundo capiti subditur*

F *Annotatio, qua de Gregorio, Tarracinensi episcopo, sic observatur:* Interfuit concilio Vastellensi anno 1106. Idem Bullam quamdam subscripsit Pisanæ ecclesiæ indultam anno 1126. *Ad hunc ergo certe annum, si non diutius, Vitam produxit Gregorius, Tarracinensis episcopus. Quapropter, cum ex dictis* S. Gerardi *Vita, quæ apud Surium Gunthero abbati nuncupata est, sub annum* 1033 *aut* 1038 *verosimilius sit conscripta, nequit hæc Gregorium, Tarracinensem episcopum, habere auctorem, nisi quis hunc vel centenarium, vel centenario etiam majorem exstitisse velit; neque enim ad ætatem minus provectam pervenisse potest Gregorius, si Vitæ illius, anno* 1033 *aut* 1038 *scriptæ, auctor existat. In hac quippe hypothesi anno* 1033 *viginti ut minimum annorum fuerit, et ex dictis ad annum saltem* 1126 *Vitam produxit. Cum ergo minus verosimile appareat, Gregorium ætatis adeo provectæ esse effectum, minus etiam verosimilis redditur Baronii de scripta ab illo* Gerardi *Vita opinio, in qua necesse est, ut ad ætatem illam minus verosimilem pervenerit Gregorius. Adhæc Gregorius, antequam ad Tarracinenses insulas promoveretur, montis Casini exstitit monachus, ut Petrus diaconus verbis mox dandis insinuat. Unde etiam fit, ut parum verosimile appareat, hunc esse auctorem præmemoratæ Vitæ, quæ, jubente Gunthero, Broniensis monasterii, a monte Casino*

AUCTORE C. B. *esse, probatur,*

Casino longissime dissiti, abbate, fuit conscripta.

12 *Et vero Petrus diaconus loco per Baronium citato tantum sic scribit :* Gregorius, Tarracinensis episcopus, parvulus et ipse in Casino oblatus, memoria tenax, ingenio vivax, tantæ fuit gravitatis, suavitatis ac eloquentiæ, ut a nonnullis columna Ecclesiæ diceretur. Scripsit Passionem sanctorum Casti et Cassii : Passionem sanctæ virginis Restitutæ : Vitam sancti confessoris Christi Gerardi : *ad quorum verborum veritatem minime requiritur, ut Gregorius* S. Gerardi, *Broniensis abbatis, Vitam, quæ Gunthero abbati fuerit inscripta, litteris mandarit. Potest enim alteram, quæ modo perierit,* S. Gerardi *Vitam exarasse. Adhæc fieri etiam potest, ut S. Gerardi confessoris, qui a Broniensi distinctus sit, Vitam elucubrarit. Ad diem undecimam Augusti de S. Gerardo confessore, qui in castro Gallinario diœcesi Soranæ in Italia colitur, in Opere nostro actum est; ibi autem Commentario prævio subduntur Acta, quæ ab auctore incerto notantur conscripta. Fuerit forte horum auctor Gregorius : certe, quo minus id credatur, ætas non impedit Gerardi illius, utpote circa annum millesimum centesimum Vita functi. Adhæc SS. Casti et Cassii, uti etiam S. Restitutæ virginis, quorum Sanctorum Vitam seu Passionem Gregorius, Tarracinensis episcopus, etiam*
B *descripsit, in diœcesi Sorana, in qua mox dictus Gerardus, pariter coluntur. Adi caput Petri Diaconi supra laudatum, Annotationemque ei subjectam.*

editurque proinde Sancti Vita sub nomine anonymi.

13 *Utut sit, non esse equidem* Gerardi *nostri Vitam, Gunthero abbati nuncupatum, a Gregorio Tarracinensi episcopo conscriptam, unicuique, quantum opinor, jam ex dictis verosimillimum est factum. Et vero id mihi etiam certum apparet vel ex eo, quod Vitæ hujus auctor, cum eam, jubente Broniensi abbate, scripserit, monachus Broniensis exstitisse videatur. Quapropter, cum lucubratio illa neque Odoni, Cluniacensi abbati, neque alteri cuidam definito scriptori possit attribui, eam nos sub nomine anonymi, qui ex dictis monachus Broniensis exstitisse videtur, ex Mabillonii editione Commentario huic subnectemus, additis de more Annotationibus, quibus obscura elucidentur, castigenturque, quæ castiganda sunt, ubi id in Commentario sufficienter præstitum non fuerit. Aliam tamen in capita et numeros partitionem adhibebimus, quam Mabillonius, Appendicemque, quam hic Vitæ subnexuit, Commentario inseremus, ubi de sacris reliquiis a* Gerardo *e Dionysiano monasterio Bronium allatis sermo erit. Ceterum penes nos brevior etiam est* Gerardi *Vita Ms; verum hanc non edemus, quod parvi admodum pretii sit, utpote præter ea, quæ de Salmensi* Gerardi *stemmate, et comite*
C *Berengario, uti ex dicendis patescet, perperam tradit, quoddam dumtaxat exhibens Vitæ edendæ imperfectum compendium, ab auctore recentiori conscriptum, uti liquet ex hac, qua terminatur, clausula :* Est autem abbatialis dignitas Broniensis annexa episcopatui Namurcensi.

§ II. Sancti patria, tempus natale, parentes, militia apud comitem Berengarium, pietatis et virtutis in prima ætate studium.

Comitatus Lomensis seu Lomacensis ex recentiori

Vir itaque, *inquit num.* 1 *Vitæ edendæ scriptor anonymus,* Domini domnus abbas Gerardus, gerendis Domini mandatis mirabiliter aptus, immo sacri principatus hierarchia cælesti per omnia dignus, sicuti veridicorum relatione comperimus, ingenuis atque orthodoxis parentibus apud Stablecellas Lomacensis territorii vicum exstitit oriundus. Claris quidem natalibus enituit, splendidior vero morum probitate refulsit. Pater ejus Stantius, ex prosapia Haganonis, Austrasiorum ducis, prosatus; mater autem Plictrudis nuncupata, domni Stephani, Tungrorum episcopi, soror traditur exstitisse germana. *Quibus verbis distincte discimus tum Sancti patriam, tum etiam parentes. Territorium Lomacense, in quo hic auctor anonymus ponit* Gerardi *patriam, non unius ejusdemque extensionis et situs est apud omnes* D *scriptores. Vix unum reperias, qui limites ejus sat accurate definiat. Neminem interim inveni hactenus, qui de hisce deque toto Lomacensi territorio, quod subinde* Lomense, Laumense *et* Lummense *etiam scribitur, accuratius loquatur, quam Joannes Baptista de Marne, Societatis Jesu sacerdos, in novissima, quam anno 1734 vulgavit, comitatus Namurcensis Historia. Ex hoc adeo lubet regionis illius usui hic valde futuram dare notitiam.*

Historia Namurcensi notitia,

15 *Itaque in Præfatione, quam Historiæ suæ Namurcensi præmittit, verbis Gallicis, a me Latine redditis, sic habet :* Comitatus Namurcensis, qualis nunc est, seculo decimo comitatus Lommensis, tunc pagi Lommensis, comitatus Lomacensis, nomine vocati, et comitatus (pagi) Darnuensis partem constituebat. Pauci scriptores de duobus hisce comitatibus exacte locuti sunt. Alii, ut eruditus Adrianus Valesius et Calmetus, antiquum comitatum Lommensem cum comitatu Lossensi confuderunt; alii satis habuerunt generatim dicere, non esse illum a comitatu Namurcensi hodierno diversum. Omne hoc exactum non est, uti nec illius notitia, quam historicus hodiernus suggessit, dicens, probabilius esse, regionem illam inter Sabim et Mosam versus S. Gerardi sitam fuisse. Pagus aut comitatus Lommensis Mosam inter et Sabim reipsa E situs erat; verum multum etiam ultra duos illos amnes protendebatur. Hannoniam, Theoraciam, Faniam, Famennam, Condrusium, antiquam Hasbaniam et antiquum Brabantiæ comitatum pro limitibus habebat. Observandum enim est, comitatum Darnuensem, qui a Sabi ultra Gemblacum, secundum fluvioli, Ornau vocati, a quo nomen traxit, longitudinem extendebatur, a comitatu Lommensi pependisse, quamvis deinde ab eo, saltem ex parte, fuerit avulsus. Itaque comitatus Lommensis longitudine sua complectebatur regionem inter Walhain ad comitatus Darnuensis fines positum, et Rusvinium ad Mosam supra Givetum interceptam; latitudine vero intervallum Gerpiniam inter et vicum Corbion, Cineio parum dissitum. Forsan etiam ultra limites, quos ei assignamus, ab Oriente et a Meridie erat extensus.

uti etiam vici, in comitatu illo siti, in quo Sanctus

16 *Hactenus laudatus Marneus, remittens deinde ad eas, quas suæ Namurcensi Historiæ ad calcem subjunxit, in comitatum Lommensem inquisitiones. Ad has adeo curiosum lectorem, qui plura de comitatu Lommensi seu Lomacensi desiderat, brevitatis ergo pariter remitto. Pergo nunc ad Stablecellas comitatus hujus villam seu vicum, e quo* Gerardum *oriundum scribit biographus. Vicus ille, ut Mabillonius in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus* F *observat, liberrimus est ac nobilis,* Staves, *vel, ut alii scribunt,* Stave *vulgo nuncupatur, duabusque circiter a monasterio Broniensi distat leucis horariis. In Mappis omnibus Geographicis, comitatum Namurcensem exhibentibus, passim notatus invenitur. Unde quisque, quo loco sita sit Sancti patria, facile inveniet. Dispiciamus modo, a quibus qualibusque parentibus fuerit progenitus. Ingenui hi atque orthodoxi exstiterunt, clarisque etiam natalibus insignes. Et pater quidem, qui* Stantius, *vel, ut nonnulli scribunt,* Stantio *nomen habuit, ex prosapia Haganonis, Austrasiorum ducis, fuit prosatus; mater vero, cui Plectrudi nomen fuit, exstitisse fertur soror germana Stephani, Tungrensis seu Leodiensis episcopi.*

ex ducis Haganonis stirpe procreatus est;

17 *Docet hæc omnia verbis num. præced. huc transcriptis Sancti biographus anonymus. Sanctus ergo per patrem Stantium ex eadem, ex qua Hagano, Austrasiorum dux, exstitit familia; per matrem vero Plictrudem Stephanum, Tungrorum seu Leodiensium episcopum, habuit avunculum. Verum, inquies, quis qualisque Hagano, quis Stephanus exstitit? Mabillonius in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus de Haganone sic scribit :* Is est Hagano comes, qui pacto, inter Carolum Simplicem et Henricum Germaniæ regem inito, subscripsit anno 924. Nescio, an idem cum Haganone Caroli jam dicti consiliario, quem de mediocribus potentem fecerat, ut ait Frodoardus

A Frodoardus in Chronico ad annum 920. *Quod si id, quod his verbis de Haganone dubitanter innuit Mabillonius, veritati congruat, consequens est, ut* S. Gerardus *ex parte patris minus illustrem habeat originem, quam ei communiter soleat attribui. Verum dubitari non immerito potest, an Hagano comes, qui pacto inter Carolum et Henricum reges subscripsit, idem sit cum Haganone, e cujus prosapia Stantius,* S. Gerardi *pater, prosatus a biographo nostro asseritur. Hagano enim, qui dicto pacto subscripsit, comes tantum fuit; Hagano autem Sancti pater a biographo* dux *nuncupatur.*

Non tamen Namurcensis comitis filius, nec ex comitum Salmensium

18 *Porro si Ægidio, Aureæ vallis monacho, in iis, quæ de Leodiensium Pontificum gestis Anselmo addidit, credere velimus,* S. Gerardus *comitis Namurcensis exstitit filius. Tom. I, lib.* II, *cap.* 40 *sic habet :* Temporibus pontificatus ipsius (*Stephani, Tungrorum seu Leodiensium episcopi*) floruit sanctus Gerardus, fundator et primus abbas cœnobii S. Petri Broniensis, filius Namucensis comitis, de Plectrude sorore ipsius Stephani. *Verum non majorem fidem hic meretur Ægidius, quam ii, qui* Gerardum *per matrem suam ex illustrissima comitum Salmensium familia oriundum scribunt. Hos inter invenio auctorem Brevioris Vitæ S. Gerardi, quæ in Collectaneis nostris Ms. exstat, quæque ex Manu-*
B *scripta genealogica illustrissimorum Salmorum comitum serie notatur deprompta. Hæc initio sic habet :* Sanctus Gerardus claris quidem natalibus illustris, sed morum vitæque integritate illustrior, apud Stablecellas, Lomacensis territorii vicum, patre Statione (*imo Stantione*) ex prosapia Haganonis Austrasiorum ducis, matre Plectrude, comitissa a Salm, quæ Stephani, Tungrorum episcopi, germana fuit, procreatus est. *Audi modo, quid de simili assertione, qua quidam Stephanum,* Gerardi *avunculum, ex comitum Salmensium stirpe oriundum volunt, Foullonus, Societatis Jesu sacerdos, in Historia Leodiensi tom. I pag.* 161 *observet :* Ex canonico Mettensi Stephanus (S. Gerardi, *ut fertur, avunculus*) post Franconem episcopus fuit. Comitis Salmensis, qui filium faciunt, prius probasse debuerant, ejus loci titulo comites hæc ætate fuisse. Ægidius simili fide ait, Plectrudem ejus sororem, uxorem fuisse comitis Namurcensis, matremque divi Gerardi Broniensis.

prosapia exstitit; quamvis genere nobilis fuisse, probetur, tum ex monumentis antiquis,

19 *Hæc applica assertioni, qua* Gerardus *ex comitum Salmensium stirpe asseritur. Et sane non video, qui Sanctum ex nobilissima illa stirpe oriundum esse, probari queat. Neque enim est, cur mox memoratam Vitam Breviorem Ms. opponas; hæc enim auctorem habet dumtaxat recentiorem, multoque proinde a* Gerardi *ætate remotiorem, quam ut sine*
C *idoneo testimonio fidem conciliare queat suis de nobilissima hujus origine asseritis. Adhæc Vita illa brevior, uti ex dicendis patescet, sublestæ admodum est fidei. Sanctum* Gerardum *tamen ex nobili stemmate procreatum esse, indubitatum apparet. Etenim, teste anonymo ejus biographo,* claris natalibus enituit. *Adhæc multa monumenta, perquam antiqua, generis, ex quo ortus est* Gerardus, *nobilitatem diserte testantur. In Historia translationis S. Wandregisili, ab auctore, qui annum* 1100 *non excessisse pluribus eruditis videtur, conscripta, ita memoratur :* Ecce... huic aptus negotio inventus est Vir vitæ laudabilis, sanctitate clarus et genere, Gerardus nomine, qui monachus proposito, abbas autem exstitit officio. *In Vita S. Bertulphi abbatis, quæ tomo primo Januarii nostri exstat inserta, quæque circa annum* 1070 *scripta, Majoribus nostris visa est, num.* 33 *sic habet :* Ea tempestate in monasterio Blandinio Gerardus merito et officio abbas degebat, cujus consiliis gloriosus marchio (*Arnulphus Magnus, Flandriæ comes*) libenter utebatur. Qui, cum titulos nobilitatis nobilius etiam ornaret moribus probitatis, cunctis pene Galliæ cœnobiis et præesse et prodesse dignus inventus est. *Alia id genus testimonia brevitatis studio omitto; neque enim quemquam amplius de generis, quo satus est* Gerardus, *nobilitate dubitaturum existimo.*

20 *Ut tamen nulla omnino ratione de hac a quoquam deinceps utcumque subdubitari queat, antiqua etiam principum Diplomata in rei confirmationem adduco. Miræus in Diplomatibus Belgicis, uti etiam Chapeavillus tom. I de Gestis Pontificum Leodiensium integrum recitat Diploma, quod a Carolo Simplici, Francorum rege, Stephani, Tungrorum epicopi, interventu fuit emissum. In hoc Carolus Simplex sic loquitur :* Dudo. Virdunensium episcopus, Aiginerus marchio strenuus, pariter etiam Robertus nostræ serenitatis exequutor fidelissimus, nostram adierunt excellentiam, poscentes prorsus, uti interventu Stephani, venerabilis Tungrorum episcopi, nostræ consanguinitati affinis dilectissimi, partibus sanctæ Dei Genitricis Mariæ, almique martyris Lamberti in proprium traderemus forestem, quæ olim pertinuerat ad Tectis villam etc. *Fuerit ergo etiam* S. Gerardus *regiæ Caroli Simplicis consanguinitati affinis, ac proin vel hinc verosimillime ex nobili genere, si modo, ut communiter creditur, Stephanum, Tungrorum seu Leodiensium episcopum, in Diplomate memoratum, avunculum habuerit. At vero satisne certum est, hunc Sancto fuisse avunculum? Id sane ego pro omnino certo atque indubitato asseverare non ausim. Etenim ipsemet biographus ea de re dubitasse videtur, utpote* AUCTORE C. B. *tam ex eo, quod Stephanum, Tungrorum episcopum,*
non asseveranter, sed dubitanter tantum tradens, E *Plictrudem seu, ut alii scribunt, Plectrudem,* Gerardi *matrem, Stephani, Tungrorum episcopi, sororem exstitisse germanam.* Mater autem, *inquit n.* 3, Plictrudis nuncupata, domni Stephani, Tungrorum episcopi, soror traditur exstitisse germana.

21 *Attamen idem biographus num.* 10 *Sancti ad Sithepanum, quo hunc de vita monastica in monasterio Dionysiano amplectenda consulat, narrans accessum, sic scribit :* Vir vero Domini (*sanctus* Gerardus) inde (*a comite Berengario*) movens gressum, prospero tramite tendit ad Tungrensem episcopum, nomine Stephanum; ut, quia pastor suus erat post Pastorem summum, ab eo acciperet de hac re (*de amplectenda vita monastica*) licentiam et consilium. Plurimum quippe credebat profore sibi, si cum benedictione episcopali hostia viva Deo mereretur offerri; a quo susceptus cum debita sibi reverentia, seu pro mutuæ cognationis convenientia, seu pro sua, quam optime noverat, sanctimonia, inter cetera, quæ mutuo habuerunt ædificationis colloquia, humiliter insinuat ei, cujus rei advenisset gratia. *Quibus ex verbis, cum his* S. Gerardus *a Stephano vel* mutuæ cognationis *vel sanctimoniæ gratia reverenter dicatur susceptus, contendet forte nonnemo, reipsa Sanctum cum Stephano cognatione ex biographi opinione fuisse conjunctum, huncque non* F *dubitasse, quin Plectrudis exstiterit soror Stephani germana, licet interim id eo, qui dubitantium esse solet, loquendi modo expresserit. Verum ex verbis proxime recitatis mihi non videtur certo consequi, ut* Gerardus *cum Stephano cognatione ex biographi opinione indubie fuerit conjunctus; etiamsi enim hic ea de re dubitasset quam maxime, scribere absque ullo veritatis dispendio potuit, Sanctum a Stephano seu mutuæ cognationis seu sanctimoniæ causa reverenter fuisse susceptum; veritati quippe hæc assertio consonat, modo alterutro nomine Sanctus reverenter a Stephano fuerit susceptus. Itaque pro probabilissimo quidem, non tamen pro certo habeo, Plectrudem,* Gerardi *matrem, Stephani Tungrorum episcopi sororem exstitisse germanam.*

ut probabilissimum est, habuerit avunculum,

22 *Porro Miræus Codice Donationum piarum cap.* 30 *exhibet Diploma, anno* 932 *ab Henrico Aucupe, Germaniæ rege, in Broniensis monasterii favorem concessum, et cap.* 85 *litteras de elevatione corporis* S. Gerardi *ab Alexandro, Leodiensi episcopo, anno* 1131 *emissas. Atque in Diplomate quidem, quod etiam apud eumdem Miræum in Notitia ecclesiarum Belgii cap.* 52 *exstat,* Gerardus *ab Henrico* Vir nobilissimus *vocatur; in litteris vero ab Alexandro* nobili prosapia exortus *dicitur. Itaque nulla prorsus ratione dubitandum est, quin* Gerardus *nobili ex stirpe sit procreatus. Sed jam hæc de genere, quo*

inque antiquissimis Chartis nobilis audiat. Tempus, quo circiter

AUCTORE C. B.

ortus est, dicta sufficiant, in tempus ejus natale nunc inquiram. Sanctus ex infra dicendis certe non serius quam anno 920 *in Sandionysiano prope Parisios monasterio factus est monachus; de illo autem, ut primum hoc monasterium fuerat ingressus, biographus num.* 18 *hæc memorat:* Nolens ergo torpescere (otiositas nempe inimica est animæ) suppliciter cœpit exposcere, ut sibi liceret litteras addiscere. Super quo fratribus admodum admirantibus, quod Vir jam dudum barbatus applicari vellet ulterius studiis litterarum puerilibus; dum id diatim expeteret importunius, uni eorum traditur erudiendus. Ut vero plus mireris humilitatem et sollertiam ejus, litteratim percurrit prima elementa, ceu quinquennis puerulus; sicque suum minime relaxans propositum, in paucitate dierum memoriæ totum commendat Psalterium. *Adhæc Sanctus, ut biographus num.* 11 *testatur, dicendaque aperient, ante suum in monasterium Dionysianum ingressum legationem jam obierat pro Lomacensi comite Berengario, eratque huic tum ob militarem fortitudinem, tum ob raram in suggerendis consiliis prudentiam imprimis charus.*

natus est. Litteris ad huc junior operam forte dedit,

B *23 Erat ergo indubie anno* 920 *vir jam dudum barbatus, rebusque tum manu, tum consilio strenue prompteque gerendis apprime aptus, utpote cui comes præfatus legationem, difficilioraque etiam, ut biographus num.* 3 *pariter testatur, atque secretiora, quod aliquin facturus utique non fuisset, negotia committeret. Quapropter, cum hæc triginta circiter aut viginti quinque annorum virum arguere videantur, consequens est, ut Sanctus, sæculo nono jam prope elapso, anno circiter* 890 *natus sit. Alia, quibus annum ejus natalem propius certiusque determinem, nec apud biographum nostrum, nec alibi uspiam occurrunt. Rerum adeo tractandarum series requirit, ut qui Sanctus primam ætatem exegerit, queis studiis addictus, qua indole, quaque morum probitate exstiterit, nunc exponam. Animumne litteris addiscendis in adolescentia applicuerit, nuspiam aperte edicit biographus. Ex verbis tamen, quæ num. præcedenti suppeditat, id a Sancto factum, utcumque fas est colligere. Secundum hæc enim voluit Sanctus jam monachus studiis litterarum applicari ulterius. Adhæc paucorum dierum spatio totum memoriæ mandavit psalterium, litterarumque proinde omnino expers non erat. His adeo, ut verosimile opparet, adolescens adhuc seu junior animum excoluerit. Ait quidem etiam biographus, Sanctum* litteratim *percurrisse* prima elementa, ceu *quinquennem puerulum; verum id, ut apparet, ita potest accipi, ut tantum velit, tunc Sanctum prima elementa, quæ ante didicerat, repetiisse; leviterve iterum percurrisse; non autem primo*

C *addiscere cœpisse. Utut sit, cum* Gerardus, *uti biographus num.* 11 *testatur, legationi obeundæ, antequam monachum indueret, a comite Berengario fuerit adhibitus, litterarum illum tunc penitus ignarum fuisse, non facile in animum induxero. Litteris itaque ab ineunte ætate Sanctum nostrum utcumque saltem dedisse operam, pro verosimili habeo.*

virtutemque certo excoluit, quam jam senior non deseruit.

24 Biographus clarius exponit, qui Sanctus adhuc junior in pietatem fuerit propensus, quique sese totum virtutibus addixerit. Huic, *inquit de* Gerardo *num.* 4, ab ineunte pueritia Divinitatis concessit clementia, ætate videlicet sensuque proficere, et tam Deo quam hominibus complacere. Qui quoniam juvenculus esset corpore, juvenum tamen obscœnas confabulationes dedignabatur attendere : quin potius bonorum assuescens interesse conventibus, iniquorum evitabat summopere cœtus; et quem in corpore juventus exornabat, splendida mentis canities condecoraverat sancta. Domus Dei ardentius frequentabat limina, ecclesiastici dogmatis sitiens epotare flumina : cujus salutaria ibidem percipiens pro captu monita, licet laicali esset circumdatus toga, tenaciori ruminabat memoria. Præmeditabatur adhuc teneriori pectore, quæ meruit postea devotus implere.

Horrens amplecti luxus et ludicra sæcli,
Emeruit templum fieri Spiraminis almi.

Ita Gerardus *junior adhuc pietatis virtutisque viam* D *sedulo tenuit. Nec porro illam deinde senior deseruit, etiam tum, cum nondum monachus sæcularem militiam sequeretur. De illo, cum militem ageret, num.* 5 *et* 6 *ita memorat biographus:* Hunc occultabat paludamentum cum Sebastiano, sed monachum demonstrabat frugalitas cum militante Martino. Multa illi circa commilitones benignitas, mira caritas, multa patientia atque humilitas. Proinde eum acsi patrem reverendo venerabantur, acsi dominum reverabantur. Thesaurizabat igitur in cælo, ubi nec tinea demolitur, nec ærugo. Nudos tegebat, egentes alebat, laborantibus assistebat, pusillanimes refovebat, pupillos tuebatur, viduis adminiculabatur, oppressis patrocinabatur, miseris opitulabatur.

Militavit apud Berengarium, Lomacensem comitem;

25 Plura alia, quod commentatione non indigeant, omitto; quæ tamen etiam memorat biographus, quæque Sanctum tum commilitionibus, tum præcipue domino, cui militabat, non potuerunt non reddere longe acceptissimum. Erat is Berengarius, Lomensis seu Lomacensis comitatus seu territorii comes. Ea tempestate, *inquit num.* 3 *Sancti biographus,* comes Berengarius Namucensi castro præsidebat, cujus stirpis posteritas ibidem hactenus perstat. Cui hic Athleta Dei (*sanctus* Gerardus) officio militari commissus adhærebat, primumque gradum amicitiæ ejus quam familiariter obtinebat. *Comitatus Lomacensis notitiam supra jam dedi ex Marneo. Comites illius sedem suam fixerant in Namurcensi seu, ut veteres plerumque scribunt, Namucensi castro. Hinc temporis lapsu factum est, ut totus comitatus Lomacensis, seu potius pars ejus, mutato nomine, a metropoli seu domini sui sede* Namurcensis *seu* Namucensis comitatus *fuerit vocata. Comes ergo Berengarius, qui, teste biographo,* Namucensi castro præsidebat, *non tantum castri Namurcensis seu Namucensis, sed etiam totius comitatus Lomensis seu Lomacensis, postea* Namucensis *seu* Namurcensis *secundum sui partem dicti, comes erat. Colligitur id ex Litteris Ludovici Germaniæ regis, Arnulfi imperatoris filii anno* 908 *Aquisgrani datis. Is his enim, quæ a Chapeavillo tom. I de Gestis Pontificum Leodiensium pag.* 167 *et seq. et a Miræo Codice piarum donationum cap.* 23 *exhibentur, Ludovicus sic loquitur :* Abbatiam, nomine Fossas, per prestariam a Gisla abbatissa, nostra consanguinea, nostræ voluntatis consensu acquisitam in pago ac comitatu Lummensi constitutam; cujus nunc adest comes Perengarius.... jam sæpius dictæ (*Tungrensi scilicet*) ecclesiæ pastorique præsenti Stephano... concedimus : *ubi Berengarius, seu unius litteræ mutatione* Perengarius *pagi ac comitatus Lummensis seu Lomacensis comes nuncupatur; in Ludovici autem Litteris* F *sermonem non esse de alio Berengario, quam de quo in* S. Gerardi *Vita, eruditi omnes admittunt.* E

hic Raineri Hainoensium comitis,

26 Porro Berengarius uxorem duxerat Ragineri I, seu, ut ab aliis scribitur, Raineri aut etiam Ragenarii, Hainoensium comitis, filiam, primique Lotharingiæ ducis Gisilberti seu Gisleberti, et Raineri secundi, Hannoniæ comitis, sororem. Docet id apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum Franciæ Frodoardus in Chronico ad annum 924 *sic scribens :* Interea Gislebertum (*Lotharingiæ ducem comes Lomacensis*) Berengarius, qui sororem ipsius uxorem habebat, comprehendit, eumque, oblatis obsidibus sibi pro eo filiis Ragenarii, fratris ipsius Gisleberti, dimisit. Idem vero Gislebertus dimissus terram Berengarii Ragenariique fratris sui (*Hainoensium comitis*) et Isaac comitis deprædationibus plurimis vastat. *Mabillonius in suis ad Vitam* S. Gerardi *Annotationibus dictam Berengarii uxorem sororemque Gisleberti vocat* Symphorianam; *unde autem didicerit, hoc nomine illam fuisse appellatam, pro certo nequeo edicere. Cum tamen in suis ad* Gerardi *Vitam Observationibus prævius, de alio argumento tractans, laudet Vinchantium, suspicor, id illum ex Hannoniæ Annalibus, a Vinchantio conscriptis, hausisse. In his enim pag.* 176 *inter Raineri I, Hannoniæ comitis, liberos recensetur Symphoriana, Berengario, Namurcensi comiti, nupta. Verum in Tabulis genealogicis*

A *logicis comitum et ducum Brabantiæ, quas in Trophæis Brabantiæ Butkenus exhibet, Raineri I filia, cui Berengarius nupsit, relinquitur anonyma. Idem etiam fit in Stemmatibus Belgicis a Miræo. Ducem haud dubie duo hi posteriores scriptores secuti hac in re fuerint Frodoardum, qui nec ipse (vide verba mox recitata) nomen prodit, quo Berengarii uxor fuerit vocata.*

filiam habuit uxorem,

27 *Malim ego etiam hic cum Miræo et Butkeno sequi Frodoardum, quam Vinchantium cum Mabillonio, qui in eo insuper hallucinatur, quod Berengarii uxorem faciat non Raineri I, sed Raineri II, cognomento* Longi-colli, *Hainoensium seu Hannoniæ comitis filiam; qua in re cum Frodoardo, Miræo, Butkeno, atque ipsomet Vinchantio certissime pugnat. Libuit hæc, quod de Berengario plus semel adhuc in Vita edenda mentio occurrat, paulo fusius hic prosequi. Et nihilominus, cum ex iis, quæ de Berengario memorat brevior* S. Gerardi *Vita plus semel jam laudata, fidem hujus, quod facturum me, spopondi, infirmare queam, lubet et hæc huc transcribere. Sic habent:* Ea tempestate comes Berengarius, Namurcensis castri dominus, postmodum rex Italiæ, filius Everhardi, marchionis potentissimi, qui prædia amplissima variis in locis possidebat, in Longobardia comitatum Tarvisinum, in Alemannia Hasbaniam, Taxandriam, Condrusium, Austrovandiam, Cisonum, Vitriacum et alibi : matrem habuit Gislam, Ludovici Pii imperatoris filiam, et Caroli Calvi imperatoris sororem. Uxorem habuit Berengarius filiam Raineri et sororem Giselberti Lotharingiæ ducis. Is hunc juvenem in suam ascivit familiam : præstabat enim Gerardus non militia tantum, sed consilio; prorsus ut eapropter præcipuum apud comitem et amicitiæ et familiaritatis locum obtineret, raroque eum præsentia sua abesse sustineret.

B

certissimeque Italiæ rex

28 *Berengarius ergo, Namurcensis seu Lomacensis comes, apud quem militavit* S. Gerardus, *factus fuerit postmodum Italiæ rex, si præfatæ Breviori* S. Gerardi *Vitæ fides sit. Ast a vero certissime id esse alienum, sic ostendo : duo fuerunt hujus nominis reges Italiæ, alter Senior, alter Junior, prioris ex Gisla seu, ut alii scribunt, Gisila filia nepos. Berengarius igitur, cujus militiam secutus est* Gerardus, *unus idemque est secundum Vitam, Breviorem scilicet, cum Berengario vel seniori vel juniori Italiæ rege. Verum Berengarium, quo de hic agimus, Lomacensem seu Namurcensem comitem eumdem esse non posse cum altero ex hisce regibus, fit ex solo horum et illius tempore emortuali perspicuum. Berengarius Senior, seu primus hujus nominis Italiæ rex, anno* 924 *a suis interemptus est, uti in Chronico notat*

C *Frodoardus, passimque ab omnibus eruditis admittitur : Berengarius autem, Namurcensis seu Lomacensis comes, cui miles adhæsit* Gerardus, *subscriptus reperitur Litteris, quibus Henricus Auceps Germaniæ rex (vide Miræum Codice piarum Donationum cap.* 30 *et in Notitia ecclesiarum Belgicarum c.* 32) *fundationem monasterii Broniensis anno* 932 *confirmat; certissime ergo idem non est cum Berengario, nominis hujus primo Italiæ rege. Quod jam pertinet ad Berengarium Juniorem, seu secundum hujus nominis Italiæ regem; hic, teste Regionis continuatore, anno* 964 *ab Ottone imperatore captus atque in Germaniam missus, biennio post obiit; Berengarius autem Lomacensis comes ad hoc usque tempus vitam non protraxit; Frodoardus enim in Chronico ad annum* 960 *alterius Lomacensis seu Namurcensis comitis, cui nomen fuerit Rotberto, mentionem facit tom. II Scriptorum apud Chesnium.*

numquam exstitit.

29 *Adhæc in nova Diplomatum Belgii Collectione seu Supplemento ad diplomata Belgii Miræi parte* II, *cap.* 15, *pag.* 295 *exstat diploma, quod a Rotberto, comite Namurcensi, in abbatiæ Walciodorensis favorem anno* 946, *uti in fine notatur, fuit concessum. Nequit igitur etiam cum Berengario II, Italiæ rege, idem esse Berengarius Lomacensis, cui* S. Gerardus *in Vita edenda militasse traditur, hicque proinde rex Italiæ numquam exstitit. Quod ut adhuc evadat certius, aliam insuper, qua id probem, viam ineo. Secundum Vitam laudatam* Gerardi *breviorem comes Lomacensis seu Namurcensis Berengarius, qui postea factus sit Italiæ rex, patrem habuit nomine* Everhardum; *matrem vero nomine Gislam, Ludovici Pii imperatoris filiam. Oportet ergo, ut Berengarius Lomacensis comes, si umquam factus fuerit Italiæ rex, unus idemque sit cum Berengario I, Italiæ rege. Hic enim, non autem Berengarius secundus, uti ex Annalibus Mettensibus ad annum* 888, *variisque Chronicis apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum intelliges, patrem habuit, (de matre nihil attinet dicere)* Everhardum *seu* Eberhardum *nominatum. Quapropter, cum ex dictis num. præcedenti a Berengario Seniori seu primo hujus nominis Italiæ rege absque omni dubio Berengarius, Lomacensis comes, cui Sanctus noster militavit, sit diversus, indubitatum sane evadit, hunc numquam Italiæ regem exstitisse. A vero igitur Vitæ Brevioris* S. Gerardi *scriptor, id affirmans, longissime hic aberrat. Est ergo, cur fidem ipsius suspectam habeamus etiam in aliis, quæ sine idoneis testibus affirmat, hæcque inter computandum est, quod de Sancti ex comitibus Salmensibus per matrem origine memoriæ prodit; hæc enim ex dictis nullo plane antiquitatis testimonio fulcitur.*

AUCTORE C. B.

§ III. Sanctus ecclesiam Broniensem reædificat, clericos in ea ad tempus constituit, ipseque monachum induit.

E

Nova Broniensis ecclesia.

Gerardus *apud Berengarium, Lomacensem seu Namurcensem comitem, adhuc militans assiduo earum, quas* § *præcedens ex biographo exhibet, virtutum exercitio ad tantam jam tum sanctitatem pervenerat, ut, si biographo nostro fides sit, singulari cæli favore fuerit affectus, modoque inusitato a divina Providentia assumptus, ut novam Bronii in comitatu Namurcensi ædificaret ecclesiam. Accuratam monasterii Broniensis notitiam in Observationibus suis ad Vitam S. Gerardi præviis num.* 10 *suppeditat Mabillonius. Lubet adeo illam, ut tam hujus, quam ecclesiæ, de qua jam agimus, situs innotescat, huc transcribere. Sic habet :* Situm est Broniense monasterium inter Mosam et Sabim, pari duarum horarum utrimque intervallo, tribus a Namuco, una amplius a Philippopoli distans, sesquiduabus a Dinanto. Situm est, inquam, in rupe non admodum edita, ad vicum, qui S. Gerardi vocatur, uti et monasterium ab auctore suo, quod tamen priscum etiam Bronii (*sic quippe ex dicendis primitus fuit vocatum*) nomen retinet. Ad pedem

F monasterii in locum influit rivulus, Bornom appellatus in brevi Charta (*hanc ex Miræo infra hic dabimus*) ipsius Gerardi. *Talem situm habet Broniensis ecclesia, quam ut reædificaret, singulari plane modo, teste biographo, a Deo* Gerardus *fuit electus. Qui id factum sit, num.* 6 *et quatuor sequentibus exponit.*

quam Sanctus cœlesti visione,

31 *Narratio ejus in compendium contracta ita fere habet : comes Berengarius venatum aliquando ierat cum* Gerardo; *facta jam hora prandii, Bronium forte devenerant : comes pransurus a venatione discedit;* Gerardus *vero, cui Deum orare cibus erat lautissimus, de anima prius cibo hoc spirituali pascenda, quam de corpore reficiendo cogitat. In proximo erat sacra ædicula, a Pipino Heristallio olim, ut fertur, exstructa, atque a S. Lamberto, Trajectensi episcopo, consecrata. In hanc* Gerardus *rei sacræ interfuturus se recipit, insigni religione in orationem aliquanto temporis spatio procumbit, dumque sacerdotem, qui Sacris operetur, exspectat, suavem in somnum prolapsus, videre sibi videtur adstantes Apostolorum principes, seque a Petro manu familiarius comprehensum, per ædiculam ejusque atrium circumduci. Quærit* Gerardus, *quid hæc velint. Monet eum Petrus de ampliori elegantiorique ecclesia loco illo sub nominis sui Eugeniique martyris, illatis in illud hujus reliquiis, invocatione exstruenda,*

AUCTORE C. B.

exstruenda, sacrique hujus ædificii dimensionem et modum assignat. Petit Gerardus, *quæ sibi ratio esse queat ad Eugenii martyris reliquias consequendas. Curam illam Deo mihique committe, respondet Petrus, tu tantum templum, qua tibi præscribo, forma condito. Dixerat et cum Paulo e* Gerardi *oculis evanuit. Ast hic sibi redditus, Apostolo quamprimum obtemperare constituit.*

pro vera, ut apparet, habenda, admonitus exstruxit,

32 *Hæc, quæ jam hic habes compendio, narratione paulo implexiori proponit biographus, penes quem solum etiam stare debet fides visionis, quam refert* Gerardo *divinitus oblatam. De visionis interim veritate dubitare nonnulli recentiores, idcirco mihi videntur, quod relaturi novæ ecclesiæ Broniensis per* Gerardum *constructionem, mentionem illius non faciant, tantumque dicant,* Gerardo *inspirasse Deum, ut ex oratorio, quod Pipinus Heristallius Bronii quondam exstruxerat, ampliorem elegantioremque ecclesiam conderet. Mabillonius tamen in Annalibus Benedictinis lib.* XLII *num.* 18 *sic scribit :* Hic (S. Gerardus, *Broniensis abbas*) cum pietate ac religione præcelleret, cælitus admonitus est, ut ex oratorio, quod Pippinus princeps, Heristallensis dictus, Bronii exstruxerat, et a sancto Landeberto episcopo consecrari curaverat, basilicam conderet, eamque in honorem sancti Eugenii martyris dedicaret. *Veritati ergo ex Mabillonii mente congruit*
B *visio, qua de hic agimus,* Gerardo *oblata. Et sane nisi id ita sit, non video, unde ardens illud, de quo infra sermonem instituam, in* Gerardo *natum sit desiderium sacras Eugenii martyris, quem alioquin non noverat, acquirendi reliquias. Idne forsan fictioni adscribes? At obstat apertissima biographi nostri narratio; cui qui hac in parte contraiverit hactenus, invenio neminem. Utut sit,* Gerardus *utique novam Bronii a fundamentis exstruxit ecclesiam. Id quippe ab omnibus, nemine prorsus contradicente, admittitur. Adhæc Sanctus ecclesiam illam, a se ad apicem perductam, muneribus locupletavit, in eaque ad tempus clericos, qui divino servitio vacarent, instituit.*

anno 918 ad apicem

33 *Certa etiam hæc sunt, et a nemine prorsus vocantur in dubium.* Vir vero Domini Gerardus, *inquit num.* 10 *biographus,* jussionis apostolicæ exsecutor promptissime, postquam fine tenus injunctum peregerat opus, ad eamdem basilicam devotissimum contulit munus ex copiosis prædiorum suorum redditibus, quod interim sufficeret ibidem Deo servientibus. Adhibuit quoque illic pro tempore clericorum religionem, per datam sibi sapientiam instituens eos vivere secundum canonicum morem. *Verum quæri hic jam potest, quo tempore ædificari*
C *cœpta sit dicta ecclesia, quo ad apicem perducta, et quo in ea clerici, secundum canonicum morem viventes, instituti. Miræus in Notitia ecclesiarum Belgii chartam primariam, supra jam memoratam, qua* Gerardus *ecclesiæ Broniensi donationes quasdam facit, cap.* 32 *exhibet. Illam, ut facturum me spopondi, integram huc transcribo. Sic habet :* Ego in Dei nomine Gerardus cogitans de æterna retributione dono, consentiente patre meo Stantione et fratre meo Widone, aliquas rei meas ad ecclesiam, ubi cupio construere monasterium, ac meipsum in servitio omnipotentis Dei militaturum, quæ est sita in pago Lomacensi, in loco nuncupato Bronium, super fluvium Bornom, dono jus, quod habeo in Romerias. Actum in villa de Bronio, anno Domini DCCCXVIII. Anno Karoli octavo regis excellentissimi. *De alia haud dubie donatione in hac Charta sermo non est, quam de ea, quam verbis proxime recitatis memorat biographus; hæc enim, ut num.* 10 *et* 11 *indicat, facta est ante* Gerardi *in monasterium S. Dionysii ingressum; hic autem ex dicendis evenit verosimiliter non diu admodum post annum* 918, *quo Charta proxime huc transcripta notatur, quoque proinde donatio, quæ per illam fit, omni dubio procul est facta.*

fuit perducta, dotataque

34 *Donationem ergo, quam memorat biographus, anno* 918 *fecit* Gerardus. *Hinc jam facile erues, quo tempore Sanctus novam Broniensem ecclesiam incepit, quo perfecerit et quo in eam clericos induxerit.* D *Cum enim ex dictis donationem, quam memorat biographus,* S. Gerardus *fecerit, cum jam novam suam Broniensem ecclesiam ad apicem perduxisset, consequens est, ut hæc eodem anno* 918 *perfecta seu ad apicem perducta etiam fuerit, nisi forte id paulo citius factum lubeat statuere. Eodem etiam circiter tempore in novam Broniensem ecclesiam clericos a Sancto reor inductos; hic enim donationem, a biographo memoratam, verosimillime fecit ad horum sustentationem, cui haud dubie nec diu ante nec diu post eorumdem institutionem voluerit prospicere. Quod jam pertinet ad tempus, quo novam suam ecclesiam Sanctus inceperit, nequit id tam prope definiri, quod, quantum temporis spatium sacro illi ædificio exstruendo fuerit impensum, sat exploratum non habeatur. Cum tamen tantæ molis id fuisse non videatur, quin intra triennium potuerit perfici, ex anno* 918, *quo ex dictis fuit perfectum, anno circiter* 914 *aut sequenti inchoatum verosimiliter fuerit. Tria ergo, in quæ hic inquirendum erat, ex laudata* Gerardi *donationis Charta sat prope innotescunt. Sunt et nonnulla alia vel hujus occasione vel in hanc ipsam observanda. Data notatur anno Christi* 918, *Caroli regis octavo. Carolus simplex Francorum rex designatur. Ut autem sciatur, qui annus Christi* 918
cum anno Caroli Simplicis octavo queat componi, E *sciendum est, tres iniit a Carolo Simplici regni epochas inveniri usitatas. Prima inchoatur ab anno* 892, *quo rex coronatus est, secunda ab anno* 898, *quo Odoni, Francorum regi, successit, ac tertia denique communiter ab anno* 912, *quo post mortem, Ludovici, Germaniæ regis ex Carolovingica stirpe postremi, anno* 911 *vita functi, largiorem Carolus Simplex hæreditatem est adeptus.*

ex bonis, quæ Sancto aliunde verosimiliter, quam a patre obvenerant.

35 *Secundum posteriorem hanc epocham et quidem ab anno* 911, *quo Ludovicus obiit, inchoatam annus Christi* 918, *ut computanti patebit, cum anno Caroli Simplicis octava copulatur. Porro in donationis Charta jam sæpissime laudata ait* Gerardus, *sese eam, quam facit donationem, consentiente patre suo Stantione, facere. Erat ergo is anno* 918 *in vivis etiamnum superstes. Hinc fit, ut quæri jam queat, quibus ex bonis* Gerardus *fecerit donationem, quam in Charta memorat.* Ad eamdem basilicam, *inquit num.* 10 *biographus,* devotissimum contulit munus ex copiosis prædiorum suorum redditibus. *Præterea num.* 7 *loquens de* Gerardo *nondum de nova ædificanda Bronii ecclesia divinitus monito, nondumque proinde sæculo decimo ad ann. usque* 918, *annumque patris* Gerardi *emortualem provecto sic scribit :* Ipse vero Dei Amicus (*sanctus* Gerardus) præponens spiritualia corporalibus, contiguam
F petiit ecclesiam Bronii sitam impransus, quæ cum quibusdam prædiis adjacentibus ditioni suæ obvenerant a progenitoribus. Amplitudine siquidem prædiorum clarebat, utpote qui suorum virtute majorum non degenerabat. *Plurima igitur bona, plurima prædia, patre suo adhuc vivente, possidebat* Gerardus, *ex iisque et novam Bronii ecclesiam construere, redditibusque hanc potuit augere. Verum, cum pater ejus ex dictis eo tempore, quo pia illa Christianæ liberalitatis opera exercuit, in vivis etiamnum exstiterit, oportet, ut hæc vel ex bonis matris jam defunctæ ad se devolutis, vel aliunde quam ex hæreditate paterna acquisitis exercuerit. Forte tamen etiam id partim, consentiente patre suo ac fratre, fecerit ex bonis paternis, non quidem, quæ jam actu possidebat, sed quæ ad eum post patris obitum debebant devolvi.*

Ast monasterium ecclesiæ decennio tantum post fuisse adjunctum, putat Mabillonius;

36 *Ceterum in donationis Charta sæpius jam laudata ait* Gerardus, *sese donare aliquas res suas ecclesiæ Broniensi, in pago Lomacensi sitæ, ubi monasterium cupiebat construere. Hinc Mabillonius in Observationibus ad Sancti Vitam prævias num.* 10 *ita observat :* Hoc monasterii condendi primum consilium fuit, quod non nisi post decem annos exsecutioni mandatum est, (ut diximus supra num. 5) paullo antequam Gerardus in sancti Dionysii monasterium secederet. *Verum enimvero certumne*

A *certumne omnino est,* S. Gerardum *condendi monasterii consilium, quod in Charta memorat, exsecutum non prius esse, quam jam post hanc emissam decem anni essent elapsi. Fateor sane, monachos non multo citius in ecclesiæ Broniensis possessionem devenisse: attamen ecclesiæ Broniensi decennio circiter, antequam hæc monachorum juris fieret, adjunctum non fuisse monasterium, in quo clerici seu canonici, in ecclesia Broniensi secundum dicta a* Gerardo *constituti, habitarint, potest non undequaque indubitatum videri. Etenim biographus noster num.* 35 *narrans, a* Gerardo, *e Gallia Bronium reverso, monachos ibidem clericis seu canonicis Regularibus fuisse substitutos, hunc in modum loquitur:* Vir vero Domini Gerardus de bonis ad meliora contendens, et Broniense sanctuarium in cunctis provehere volens, clericorum, quam ibi prius locaverat, eliminavit conversationem, monastici Ordinis substituens religionem. *Ubi forte per* sanctuarium, *cum nullam deinde conditi a* Gerardo *monasterii mentionem faciat, monasterium intelligit.*

quædam, quæ opinioni huic obsunt, et quædam,

37 *Adhæc in Rescripto, quo Stephanus Papa apud Miræum in Notitia ecclesiarum Belgii cap.* 32 *Monasterii Broniensis fundationem circa annum* 929 *confirmat, dicitur* Gerardus *monasterium Broniense in melius reformasse, idque ipsum etiam dicitur in*

B *altero Stephani Papæ Rescripto prolixiori, quod idem Miræus in Diplomatibus pag.* 237 *exhibet. Hinc autem consequi videtur, ut, dato etiam, alterum ex hisce Rescriptis, quod infra discutiam, genuinum non esse, prius Bronii a* Gerardo *monasterium fuerit constructum, quam monachos ibi clericis seu canonicis Regularibus substituerit; intelligi enim posse non videtur, qui his illos ibi substituendo monasterium reformarit in melius, si monasterium ibi antea non fuerit. Attamen laudatus Miræus in Notitia ecclesiarum Belgii cap. proxime citato etiam exhibet Diploma, quo Henricus Auceps, Germaniæ rex, monasterii Broniensis fundationem anno* 932 *confirmavit; in hoc autem dicitur* Gerardus *petiisse,* ut cœnobium, quod ipse ex hereditatis suæ proprio in pago Lomacensi in loco, qui dicitur Bronium, conversus nuper construxerat... contuendum, *rex Henricus susciperet. Erat ergo secundum hæc Henriciani Diplomatis verba Broniense monasterium anno* 932 *nuper dumtaxat exstructum, ac proin diu admodum post annum* 918, *quo donationis Chartam supra huc transcriptam* Gerardus *dedit. Adhæc illud exstruxit Sanctus jam conversus, id est, quantum apparet, jam factus monachus; neque enim alia assignari posse videtur ratio, qua id* Gerardus *jam*

C *conversus fecisse dicatur.*

quæ favent, rationes Sanctus a Berengario legatus mittitur Parisios,

38 *Itaque cum certe* Gerardus *factus non sit monachus, nisi postquam jam in ecclesia Broniensi clericos constituisset, consequens est, ut, cum hos ibidem constituit, monasterium Broniense nondum condidisset, ac proin ut hoc ante annum* 928, *quo verosimiliter secundum dicenda e monasterio Sandionysiano reversus est Sanctus, conditum non fuerit; neque enim inter hunc annum, et tempus, quo Bronii clericos* Gerardus *constituit, conditum fuisse videtur. Ita potest propugnari Mabillonii opinio. Verum hæcne præ opposita certo amplectenda est? Id mihi equidem non apparet, uti, cum de monachis in clericorum locum substitutis tractandum erit, pluribus declarabo. Rerum hic tractandarum seriem jam prosequor. Condiderat jam ex dictis* Gerardus *novam augustioremque Bronii basilicam, clerosque etiam in ea ad Dei cultum constituerat. Verum anceps animi hærebat, quo pacto S. Eugenii martyris reliquias, quas in eamdem inferendas, ex Apostolo intellexerat, posset acquirere. Opportuna interim ad id, divina sic ordinante Providentia, sese obtulit occasio. Erant Berengario, Lomacensi comiti, negotia tractanda cum Roberto, præpotente Parisiorum comite.* Alterius Roberti, cognomento Fortis, filius erat (*verba sunt Mabillonii in Annotationibus suis*) hic Robertus, ac Odonis quidem regis frater, Remis apud S. Remigium ab episcopis et abbatibus contra Carolum (*Simplicem scilicet*) rex constitutus, inquit Frodoardus in Chronico ad annum DCCCCXXII, sequenti post in pugna Suessionica lanceis perfossus. *Aptior legationi ad hunc obeundæ non occurrit, quam* Gerardus. *Parisios itaque, jubente comite, Sanctus proficiscitur, cumque eo paucos post dies, inclinante jam die, advenisset, suos jubet de hospitiis prospicere, ipseque, qua erat pietate, ad ecclesiam sancti Dionysii martyris precandi causa accedit.*

AUCTORE C. B.

monachumque, ut S. Eugenii reliquias obtineat, in S. Dionysii monasterio induit;

39 *Concinebant tunc Dionysiani cœnobitæ vespertinas preces: sed en sub finem, quando solemni ecclesiæ more Sanctorum implorantur auxilia, ex improviso* Gerardus *audit, invocari in opem sanctum martyrem Eugenium. Ferit animum ea vox. Post Vespertinum Officium e cœnobitarum primoribus aliquot percontatur, quis ille sit decantatus ab illis Eugenius martyr. At illi respondent, Toletanum episcopum esse, Magnique Areopagitæ auditorem et collegam, qui glorioso pro Christo certamine mortem oppetierit. Non dubitavit* Gerardus, *quin ille ipse esset Eugenius, cujus reliquias in ecclesiam Broniensem inferendas, in visione supra memorata ex B. Petro Apostolo intellexerat. Itaque summo delibutus gaudio, ardentissimis cœpit apud monachos instare precibus, sese ut sacris ejus reliquiis dignarentur. Mirantur hi Hominis postulatum, remque difficilem esse causantur; attamen si in sua ipsorum basilica monacharum cœtui nomen dare voluerit, spem faciunt,* E *fore ut optatis potiatur. Conditio erat, quæ ab istiuscemodi Homine alienissima non immerito posset videri. Attamen* Gerardus *de illa adimplenda, quo sacrum thesaurum, martyris, inquam, Eugenii reliquias acquireret, serio deliberare cœpit, omnibusque mature expensis, sæculo nuntium remittere statuit. Itaque legatione feliciter perfunctus, atque ad comitem Berengarium reversus, facultatem ab eo petit et impetrat meliorem in religione militandi militiam, consultoque deinde Stephano, Tungrensi episcopo, Parisios regreditur, ac San-Dionysianorum Benedictini Ordinis monachorum numero adscribitur, possessionibus, quæ in Lothariensi regione sui juris erant, monasterio collatis. Hæc omnia compendio hic exhibere libuit, quod viam monstrent, qua Sanctus ad vitam monasticam devenit. Fusiori omnia oratione Sancti biographus num.* 11 *et sex sequentibus exponit. Verum annum, quo illud factum sit, non adjungit.*

quod verosimiliter anno 919,

40 *Id tamen non diu admodum post novæ Broniensis ecclesiæ constructionem, post clericos seu canonicos Regulares in eam inductos, censusque iis alendis a Sancto eidem ecclesiæ constitutos evenisse, ex tota narrationis serie intelligitur. Imo illud, priusquam Broniensi ecclesiæ monasterium adjecisset* Gerardus, *factum non esse, verosimillimum, ne dicam* F *certum, ex infra dicendis evadet. Quapropter, cum secundum hæc id anno* 919 *verosimilius Sanctus fecerit, verosimilius etiam hoc ipso anno monachum induerit; ad annum enim sequentem differre id, ut apparet, non patiuntur sequentia Sancti gesta. Rem sic ostendo:* Gerardus, *ut anonymus Vitæ ejus biographus num.* 19 *docet, anno nono, postquam factus esset monachus, sacerdotio initiatus est.* Anno igitur, *inquit de* Gerardo, conversionis (*ad vitam scilicet sanctiorem et religionem*) ejus secundo Parisiis ordinatur acolythus ab episcopo ejusdem urbis Theodulfo; a quo etiam hypodiaconus consecratur subsequente tertio; sub ejus vero successore Fulrado asscendit gradum diaconii quarto. Anno autem nono sublimatus virtutum fastigio, sublimatur et sacerdotio ab ipsius Fulradi successore Adelhelmo. *Porro* Gerardus *sacerdos jam consecratus non diu admodum post, acceptis S. Eugenii reliquiis, reversus est in patriam. Integris ergo novem annis in Parisiensi S. Dionysii monasterio monachum verosimiliter egerit. Jam vero Sanctus, anno circiter* 929, *ut secundum infra dicenda verosimilius apparet, rescriptum in monasterii Broniensis a se reformati vel conditi favorem a Stephano Papa accepit. Quapropter, cum tunc verosimiliter Sandionysianum monasterium jam ab anno* 928 *reliquisset, annique novem, ab anno* 928 *ordine retrogrado*

AUCTORE C. B.

trogrado computati, deducant ad annum 919, *necesse est, ut Sanctus ab hoc anno monachum induerit, ac proin ut id in annum* 920 *nequeat differri; anni enim novem, quibus in monasterio S. Dionysii commoratus est, inveniri alioquin non queunt.*

aut hoc certe vel sequenti

41 *Verum, cum mox dictum Stephani Papæ Rescriptum paulo forte serius, quam anno* 929 *datum fuerit, aliud argumentum adduco, quo saltem probetur,* Gerardum, *si non citius, certe non serius, quam anno* 920 *monasticam vitam esse amplexum. Sanctus, uti ex jam dictis ejus biographus testatur, vitæ monasticæ sese non dedit, nisi prævie consulto Stephano, Leodiensi episcopo. Jam vero Ægidius, Aureæ-Vallis monachus, in suis ad Anselmum de Gestis Pontificum Leodiensium Additionibus tom. I, cap.* 41 *de hoc Stephano, Leodiensi episcopo, sic scribit :* Præfuit idem Stephanus episcopus ecclesiæ Leodiensi annis octodecim eo tempore, quo Romanam Ecclesiam rexerunt sibi invicem succedendo Joannes nonus, Benedictus quartus, Leo quintus Christophorus primus. Obiit decimo quarto Calend. Junii, sepultusque est sub altari sanctæ Trinitatis, in cripta scilicet sancti Lamberti, regnante Conrardo, Romanorum imperatore, hujus nominis primo. Quo defuncto, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo vigesimo, Henricus primus, genere Saxo,

B filius Ottonis ducis, octuagesimo loco ab Augusto, imperavit annis octodecim fere. *Multum abest, ut Joannes IX, Benedictus IV, Leo V et Christophorus I octodecim annis S. Petri cathedram occuparint. Octodecim ergo annos, quibus Stephanum, Leodiensem episcopum, sedisse, scribit Ægidius, illorum pontificatu perperam definit. Attamen cum Stephanum ab anno* 902 *sedisse constet, consequens est, ut is secundum Ægidium anno* 920 *obierit. Et vero obitum Stephani, si non citius accidit, certe non serius accidisse, liquet ex Frodoardi ecclesiæ Remensis presbyteri Chronico. In hoc enim Frodoardus contentionem, quæ post mortem Stephani de sede Leodiensi inter Richarium, Stephani successorem, et Hilduinum, ecclesiæ Leodiensis clericum, exorta est, anno* 929 *innectit.*

evenit.

42 *Idem fit in Virdunensi Chronico ab Hugone Flaviniacensi. Necesse est ergo, ut Stephanus, Leodiensis episcopus, in cujus tempus emortuale hic inquirimus, non serius quam anno* 920 *mortuus statuatur. Cum ergo ex dictis consulerit hunc* Gerardus *paulo ante suum in monasterium Sandionysianum ingressum, necesse est, ut Sanctus id, si non citius, certe non serius, quam anno* 920 *sit ingressus. Itaque ex dictis Sanctus, verosimilius quidem anno* 919; *indubie autem vel hoc vel anno* 920 *monachus est*

C *factus. Ceterum, cum* Gerardus, *ut ejus biographus verbis supra recitatis testatur, anno a sua conversione, id est, accessu ad religionem, tertio subdiaconus a Theodulfo, Parisiensi episcopo; anno vero sequenti diaconus ab hujus successore Fulrado consecratus sit, posset hinc pro determinando anno, quo Sanctus monachum induit, argumentum validissimum formari, si modo annus, quo obierit Theodulfus annusque, quo ei successerit Fulradus, haberetur exploratus. Verum tum hic, tum ille non satis innotescit, et pro utroque utcumque determinando Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. VII in episcopis Parisiensibus recurrunt ad ipsam Sancti nostri Vitam, ex cujus verbis supra recitatis concludunt, Theodulfum anno* 922 *non amplius exstitisse in vivis, eique jam tum Fulradum suffectum fuisse successorem.*

§ IV. Ad sacros ordines et ad ipsum sacerdotium promovetur, revertitur e monasterio San-Dionysiano in patriam cum reliquis S. Eugenii martyris, hæque in novam Broniensem ecclesiam solemniter inferuntur.

Quam Gerardus *in sæculo studiose excoluerat virtutem, eam in religione impensius est complexus. Erant tunc in celeberrimo, quod ingressus erat,* D *S. Dionysii monasterio monachi non pauci, omni virtutum genere conspicui. Hos inter quamquam Sanctus esset ordine postremus; impigre tamen in id incumbebat, ut nulli esset vel virtutum studio, vel harum exercitatione secundus. Seniores honore præveniebat, juniores amore et benevolentia complectebatur, corpus macerabat inedia, non raro in oratione noctem transigebat, Regularum monasticarum observator ita erat exactus, ut ab his vel latum unguem recedere reformidaret, in victu ejus parcitas, in vestitu vilitas, in obediendo alacritas apparebat, modestia suique demissione plane erat insigni. Docet hæc omnia atque insuper plura alia num.* 20 *anonymus ejus biographus. Nec tantum virtuti, sed animum etiam litteris addiscendis applicuit; quod sane quam rara foret humilitate, argumento fuit certissimo. Vir quippe tunc erat, ut biographus num.* 18 *docet, jam dudum barbatus. Adhæc legatione pro comite Berengario fuerat perfunctus, eratque nobili genere prosatus. Et cum vir talis tantusque esset,* studiis litterarum puerilibus *vult* applicari, *ac* litteratim percurrit (*verba sunt biographi*) prima elementa, ceu quinquennis puerulus.

Sanctus jam monachus virtutem sedulo exercet et in litteris, quas discit,

magnum progressum faciens,

44 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* XXXXII, *num.* 18 *de* Gerardo *sic scribit :* Mox ille, inertiam perosus, piis se operibus exercere, litteras, quas ignorabat, addiscere, sacris lectionibus, E labori et precibus se totum dare, adeo ut seniores non modo pietate, sed etiam doctrina assequeretur. *Pleraque, quæ his verbis asserit Mabillonius, pro indubitatis habeo, uti ex iis, quæ jam dixi, manifestum est. Attamen quod ait, Sanctum in San-Dionysiano, quod ingressus erat, monasterio didicisse, quas ignorabat, litteras, pro certo non admitto; si ita nempe id accipiendum sit, ut* Gerardum, *antequam S. Dionysii monasterium ingrederetur, omni penitus litterarum scientia fuisse destitutum, velit Mabillonius; quæ enim hac de re mea sit opinio, n.* 23 *jam aperui. Eo ergo, ne hanc, quam jam exposui, iterum exponam, studiose lector, te remitto, et Sancti in litteris profectum exhibeo.* In paucitate dierum, *inquit n.* 18 *biographus,* memoriæ totum commendat Psalterium. Nec mirum; nulla namque ad discendum mora, ubi Spiritus sancti doctrix est gratia. Subinde sacri Codices sibi apponuntur, divino dogmate ubertim debriatur, ut, quemadmodum apes florilega pratorum pervolat ampla, ut sibi dulcifluo componat nectare mella; sic et iste sedulus Dei Assecla doctorum recitans scripta, divini favos eloquii ab eorum melliflua excipiebat doctrina, atque sagaciter sacra pectori condebat mandata. F

ad sacros Ordines promovetur,

45 *Tantus ergo erat Sancti in inferioribus litterarum studiis progressus, ut jam his sufficienter instructus, atque ad altiora progressus in sacros divini verbi Codices sedulo incumberet, sublimioriique ex his hausta doctrina mentem magno cum fructu imbueret. Nec minus propterea in observandis monasterii regulis erat exactus. Accipe nunc, quid tum magno suo in sacra doctrina progressu, tum gnava virtutum omnium exercitatione sit consecutus.* Quod Prior, *inquit num.* 19 *biographus,* et fratres sub silentio contemplantes, et qualis quantusve foret, intelligentes, ne lucerna lateret sub modii umbra, quærentes, idoneum censet promoveri ad sacros Ordines. Per quos paulatim permotus, ut in præsentiarum nostræ narrationis explicat textus; attingere etiam meruit honorem presbyteratus, utpote quem totius probitatis adornaverat decus. Qui licet reclamans maluerit obsistere, indignum se vociferans multimoda excusatione; convictus tamen a fratribus vel Priore, jussis eorum compulsus est acquiescere, ne videretur obedientiam deserere, quæ ceterarum comes virtutum assolet esse. *Fuit itaque* Gerardus, *ut his verbis biographus nos docet, ad sacros Ordines gradatim promotus ac tandem etiam sacerdos ordinatus.*

annoque 928 aut sequenti sacerdos jam ordinatus

46 *Ast, inquies, quo anno acolythus, quo subdiaconus, quo diaconus, quo sacerdos ordinatus est Sanctus? Res pendet ab anno, quo is ad religionem seu monasterium*

A *monasterium Sandionysianum accessit; biographus enim* (*vide num.* 40) *nos docet, quoto anno post Sancti ad religionem accessum quælibet ex hisce quatuor ordinationibus evenerit. Cum ergo ex dictis Sanctus absque omni dubio quidem vel anno* 919 *vel sequenti; verosimilius vero anno* 919 *ad religionem accesserit, consequens est, ut haud dubie quidem vel anno* 928 *vel sequenti; verosimilius vero anno* 928 *sacerdos ordinatus fuerit; cum scilicet id anno nono conversionis ejus, seu accessus ad religionem factum scribat biographus: qui cum etiam doceat,* Gerardum *anno post conversionem suam seu accessum ad religionem secundo acolythum, tertio subdiaconum, quarto diaconum fuisse ordinatum, colligi potest ex dictis, quo circiter tempore singulæ hæ ordinationes debeant locari. Aptum interim aliquid, quo earumdem tempus seu annum propius determinarem, non inveni, improbo licet gnavoque etiam conatu impenso. Itaque ex omnibus jam dictis pro certo dici dumtaxat potest, singulas Sancti ordinationes altero e binis definitis annis esse factas; annus autem unus definitus, quo factæ fuerint, assignari non potest. Expono nunc, quæ Sanctus sacra jam sacerdotis dignitate auctus egerit.*

petit denuo, et impetrat S. Eugenii reliquias:

47 *Non diu admodum, uti jam dixi, in Sandionysiano monasterio adhuc substitit. At vero cum jam monachorum omnium, quibuscum ibi versabatur, benevolam erga se voluntatem sæpissime fuisset ex-*
B *pertus, deque ea proinde nullus esset dubitandi locus, tempus tandem advenisse ratus, quo desideratas sibi S. Eugenii martyris reliquias acquireret, acquisitasque, ut faciendum in visione ex Apostolorum principe intellexerat, in ecclesiam Broniensem inferret, novum, quo voti compos fiat, conatum adhibendum censet. Itaque Dionysianos congregatos monachos brevi simul aptaque oratione docet, divinam esse, quam quondam in visione didicerit, voluntatem, ut S. Eugenii martyris reliquiæ in ecclesiam Broniensem inferantur. Has proinde eo transferendas sibi donari postulat, precesque addit, quam potest, ardentissimas, postulato suo ut annuere ne dedignentur. Hi, quod affirmat Sanctus, Deum reipsa velle, facile credunt,* Gerardi *scilicet id asserentis notissima virtute persuasi. Quid plura? Voto ejus unanimi consensu omnes promptissime assentiuntur. Nec tantum sacrum Eugenii martyris corpus* Gerardo *lubenter concedunt, sed nec alias Sanctorum reliquias denegant. Integrum S. Eugenii corpus* Gerardo *datum fuisse, crediderunt nonnulli, hosque inter, ut apparet, ipsemet anonymus noster biographus. Etenim num.* 22 *sic scribit:* Tandem salutiflua desideratissimi martyris (*Eugenii*) exponitur urna, obrizo pretiosiora illius continens membra,
C quæ honorifice, ut par est, aurificio fabrefacta Viro Dei (*sancto* Gerardo) contraditur ad sua, ut diutius desideraverat, asportanda. *Cum ergo ipsam urnam, quæ S. Eugenii membra contineret,* Gerardo *fuisse traditam, his verbis tradat biographus, partisque in S. Dionysii relictæ non meminerit, totum Martyris corpus datum fuisse Sancto, credidisse videtur. Verum an id ita sit, simulque an S. Eugenius, cujus reliquias Sanctus accepit, Toletanus episcopus exstiterit, sequenti* § *discutiam; ubi etiam, quas præterea reliquias e S. Dionysii monasterio Bronium attulerit* Gerardus, *utcumque determinare enitar. Ad Sanctum nostrum revertor.*

his ditatus Bronium versus cum duodecim monachis,

48 Gerardus, *obtentis tandem sacris, quas ardentissime desiderarat, reliquiis, Bronium versus non diu admodum post cum duodecim San-Dionysianis monachis iter arripuit. Hos quippe Sanctus a Dionysiano monasterio una cum S. Eugenii reliquiis idcirco postularat, quod clericis seu canonicis Regularibus, quos, antequam monachum indueret, in ecclesia Broniensi constituerat, monachos subrogare, decrevisset. Duodecim monachos cum* S. Gerardo *e S. Dionysii monasterio esse profectos, colligitur ex Appendice, quæ Vitæ edendæ apud Mabillonium in Sæculo quinto Benedictino subnectitur. In hac enim Sancti biographus ita memorat:* Cum (*sanctus* Gerardus) licentiam et libertatem repatriandi a monasterio Parisiensi sancti Dionysii, ubi sæculum mutaverat sanctus Gerardus, obtineret, ut in terra sua majorem utilitatem inferret, gratiam ei contulit Deus. Quicquid ergo postulavit, accepit. Accepit secundi ordinis personas duodecim ad numerum Apostolicum, scilicet bonos doctores, morum informatores, disciplinæ Regularis informatores. *Hos inter verosimillime exstitit Lietaldus, postea ex dicendis Mosomensis abbas. Fas est id colligere ex iis, quæ mox subdit biographus, postquam narravit, non tantum S. Eugenii corpus, verum etiam plurimas alias Sanctorum reliquias a* Gerardo *Bronium esse allatas.*

AUCTORE C. B.

quorum unus fuit Lietaldus, postea Mosomensis abbas,

49 *En illa:* Si cui autem ingerit ambiguitatem, Lietaldum percontetur abbatem, hujus Viri Dei in cœnobio Mosomensi successorem, qui cum eo præsens ad clandestinam tot reliquiarum compositionem, demirari solebat Broniensis locelli angustiis tam mirabilem contineri sanctitatem. *Lietaldus ergo, teste biographo,* S. Gerardo, *multas Sanctorum reliquias e* S. Dionysii *cœnobio Bronium deferenti, in itinere adfuit, ac proin verosimillime, imo indubie exstitit e duodecim monachis, quos Sanctus e Dionysiano monasterio accepit, quosque ex dicendis in Broniensi ecclesia clericis seu canonicis Regularibus deinde substituit. Atque ita quidem unus e duodecim monachis, quos* Gerardus *cœnobio S. Dionysii accepit, nomine tenus notus est.* E
Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. XLIII, *n.* 8 *putat, e duodecim, quos* Gerardus *secum adduxit, monachis etiam exstitisse Werembertum, qui, ut biographus num.* 24 *narrat, a S. Venantio abbate in somnis Cuvinii fuit increpitus. Verum hic non e duodecim* Gerardi *comitibus, sed alter e duobus monachis, ad quos hi cum* Gerardo *secundum dicenda Cuvinium diverterunt, verosimillime exstitit. Id ex biographi loco proxime laudato, si cum antecedentibus comparetur, colligendum mihi apparet. Quod vero ad Anselmum pertinet, quem etiam duodecim* Gerardi *sociis accenset, ille ob dicenda ex his verosimillime fuit. Jam institutum de* Gerardi *Bronium versus itinere sermonem prosequor. Fuit id felici exitu terminatum.*

iter arripit sacrumque thesaurum Cuvinii,

50 *Sanctus enim cum suis comitibus, ne sacrum, quem a Dionysianis monachis acceperat, thesaurum sibi eriperent indigenæ, clanculum profectus,* prospero cursu, *inquit num.* 25 *biographus,* pervenit ad municipium, in pago Lomacensi situm, quod appellatur Cuvinium. Hic autem degebant duo monachi ex monasterio sancti Germani, ad quem tunc pertinebat fundus ejus municipii, unanimiter excubantes cura pervigili in excubiis sancti abbatis Venantii. *Mabillonius in Observationibus præviis n.* 4 *in hunc biographi locum ita scribit:* Forsan hic F
(*loquitur de Cuviniensi municipio*) est vicus sancti Germani in Brabantia, haud procul a monasterio Gemblacensi. Cuvinium villam scriptor Translationis S. Germani sæculo VIII commemorat. Eamdem Carolus Calvus monachorum usibus deputat in partitionis Charta, quam in Seculi tertii parte secunda publicavimus. Hanc sæculo decimo procurabant duo illi (*verbis biographi mox recitatis memorati*) Germanenses monachi, dum, furentibus bellis, a monasterio avulsa est; quod tempore suo factum, subindicat anonymus (*Vitæ* S. Gerardi *scriptor*) mox citatus. Nullus dubitem, quin recedentes inde monachi sancti Venantii abbatis corpus secum detulerint in nostrum sancti Germani asceterium; illud ipsum, quod Venantii, Turonensis abbatis, nomine hic depositum colimus. Latebat hactenus, undenam, quave occasione huc advectum esset sancti confessoris corpus: sed e Lomacensi pago delatum facile concedet, quisquis infelicem Belgii ac prope omnis Galliæ statum tempore Nortmannicæ pervasionis attenderit, quo Sanctorum glebæ in varia, et quæ tutiora putabantur loca, deportabantur. An autem Venantius abbas, cujus reliquiis gaudemus, ille ipse sit, qui seculo VI Turonense rexit monasterium, aut qui in opido cognomine apud Atrebates colitur, alii judicent.

51 *Ita Mabillonius de corpore S. Venantii duo innuens.*

AUCTORE C. B.

quo de loco nonnulla hic

nuens. Alterum est, illud penes duos, quos memorat Sancti biographus, Germanenses monachos adhuc exstitisse, quando eo cum S. Eugenii corpore anno, ut statuit, 928 *advenit* Gerardus; *alterum est, S. Venantii corpus Nortmannicæ pervasionis occasione ad monasterium S. Germani Cuvinio esse translatum. Verum ego post annum* 928, *non Nortmannos, sed Hungaros in Lotharingiam pagumque Lomacensem grassatos esse, invenio, ut adeo, si vere (quod instituti mei non est inquirere) S. Venantii corpus Cuvinio ad Germanense cœnobium monachi profugi transtulerint, id, non Nortmannorum, sed Hungarorum pervasionis occasione factum fuerit. Sed hoc obiter hic annotasse sufficiat. Quod vero ait, Cuvinium municipium, a biographo memoratum, forsan esse vicum S. Germani in Brabantia, haud procul a monasterio Gemblacensi dissitum, id mihi sane, si non veritati certo dissonum, parum sane verosimile apparet. Etenim probari non potest, illum S. Germani vicum in antiquis monumentis vocari* Cuvinium. *Adhæc hodie in ditione Leodiensi oppidum est, leuca horaria Mariæburgo remotum, quod Gallice* Couvin, *Latine* Cuvinium *nuncupatur; partem autem ditionis hodiernæ Leodiensis, in qua illud oppidum, nomine* Cuvinium, *situm est, complectebatur comitatus Lomacensis, cui biographus noster, quod memorat. Cu-*

B *vinium adscribit. Fieri ergo potest, ut duo Germanenses monachi, quos excubasse in excubiis S. Venantii scribit noster biographus, in hodierno ditionis Leodiensis Cuvinio domicilium habuerint.*

contra Mabillonium disputantur,

32 *Imo eos ibi domicilium reipsa habuisse, verosimillimum idcirco reor, quod alius in pago Lomacensi locus non occurrat, qui in antiquis chartis monumentisve* Cuvinii *nomine distinguatur. Hinc verosimiliter etiam Marneus supra laudatus hodiernum Leodiense Cuvinium indubitanter accipit pro loco, ad quem* Gerardus *cum reliquiis* S. Eugenii *divertisse, a biographo narratur. Adi Dissertationes ejus Historico-criticas, ad calcem Historiæ Namurcensis adjectas, ibique præterea pag.* 89 *Cuvinii, quam mox dedi, notitiam invenies. Et vero hodiernum Leodiense Cuvinium esse locum, ad quem Sanctus cum reliquiis S. Eugenii divertit, ipsemet Mabillonius postea agnovisse videtur. Etenim in Annalibus Benedictinis lib.* XLIII *num.* 8 *sic scribit :* Rotbertus rex hanc villam (*ad quam scilicet* S. Gerardus *cum reliquiis S. Eugenii divertit*) cum aliis in dotem concessit sorori suæ Hadwigæ, cum eam Raginario Montensi comiti desponsavit : et in compensationem Pratensibus villam Cumbas, quæ olim eidem monasterio subtracta fuerat, restituit; *villam autem Cuvinium, quam a Rotberto Hadwigæ in*

C *dotem concessam, hic scribit Mabillonius, diversam non esse ab hodierno Leodiensi Cuvinio, apud omnes in confesso est. Nec tantum Mabillonius his verbis agnovisse videtur, ab hodierno Leodiensi Cuvinio villam, ad quam* Gerardus *divertit, non esse diversam; verum etiam hanc, furentibus bellis, a Pratensi S. Germani monasterio non fuisse avulsam, quod tamen verbis num.* 30 *recitatis etiam antea docueral.*

tantisper deponit, dum illius Bronium transferendi facultatem petit.

33 *Hisce observatis, ad* Gerardum *jam revertor. Hic ad duos Germanenses monachos, qui in pago Lomacensi Cuvinii, nunc ex dictis ditionis Leodiensis oppido, domicilium habebant, divertit atque apud eos sacrum pignus deposuit, dum hujus Bronium transferendi a Leodiensi episcopo, in cujus diœcesi tunc situm erat hoc monasterium, facultatem impetrasset. Biographus post verba proxime recitata rem sic exponit :* Quorum (*duorum Cuviniensium e monasterio S. Germani monachorum*) expertæ fidei commendans pignora Sancti, utpote qui jam dudum sibi fuerant familiaritate conjuncti, non incongruum duxit adire præsentiam domni Stephani antistitis prælibati, ut, quoniam tantum advehebat margaritum suæ diœcesi, probabilem audiret sententiam super hujuscemodi. *Ita biographus; verum hic Leodiensem episcopum, quem, ut refert, adiit* Gerardus, *indubie perperam appellat Stephanum. Stephanus enim, Leodiensis episcopus, ultra annum* 920 *ex jam probatis vitam non produxit; quando autem* Gerardus, *aucturus de reliquiis, quas secum e Dionysiano* D *Galliæ monasterio attulerat, ad Leodiensem episcopum accessit, jam annus, uti ex dictis faciles colliges,* 928 *vel* 929 *agebatur. Stephano itaque absque ullo dubio substitui debet Richarius, seu, ut a coætaneis scriptoribus affertur, Richerus, qui ab anno* 920 *ad annum usque* 945 *Leodiensem ecclesiam moderatus est.*

Hac impetrata, illuc S. Eugenii reliquiæ

34 *Hic cum audisset, cujus rei causa ad se veniret* Gerardus, *summo affectus est gaudio, facultatemque, quam hic petebat, Bronium transferendi sacrum S. Eugenii martyris corpus libentissime concessit. Adhæc mandatum etiam emisit, quo præcepit, ut ex circumjectis omnibus agris summa, qua par erat, veneratione coloni sanctum martyrem exciperent. Et vero singulari quadam religione paruerunt omnes, ac præcipue quidem Adelhelmus, regionis, in qua facienda erat translationis solemnitas, archidiaconus. Sabim inter et Mosam haud procul a Broniensi monasterio situm erat, quod S. Foillanus sæculo septimo exstruxerat, Fossense cœnobium, nunc cum adjacenti ditionis Leodiensis oppido canonicorum collegium. Hinc Adelhelmus cum clericis obviam processit, sanctique martyris corpus in humeros suos deferendum accepit, illudque etiam in Broniensem ecclesiam, infinita propemodum, quæ undequaque confluxerat, hominum multitudine comitante, so-* E *lemniter intulit. Dies agebatur octavus decimus mensis Augusti, quando tandem incredibili* S. Gerardi *lætitia sacra hæc solemnitas fuit peracta. Docet id Sancti biographus num.* 28 *his verbis :* Fit autem tam jucunda translatio sub beati martyris Agapiti festo, quod est die mensis Augusti octavo-decimo. *Verum, petet nonnemo, possetne hinc forsan annus erui, quo solemnitas illa celebrata fuerit? Id sane, quantum mihi quidem videtur, fieri nulla ratione potest. Secus tamen sentiendum foret, si constaret, die Dominica solemnitatem illam fuisse peractam. Cum enim non diu a* Gerardi *e Dionysiano cœnobio egressu, qui ex dictis ante annum* 928 *certe non accidit, dicta solemnitas fuerit peracta, haud dubie in illa hypothesi eo anno, in quem proxime post annum* 928 *decima octava Augusti in Dominicam incidit, fuerit peracta ac proin anno* 933, *utpote proximo, quo id fit, ut computanti patebit.*

alia die, quam Dominica, deferuntur,

35 *Verum solemnitatem illam die Dominica non fuisse peractam, vel eo liquet, quod in annum usque* 933 *nequeat differri. Etenim ex iis, quæ jam supra disserui, dubium esse non potest, quin eo ipso anno, quo* Gerardus *e cœnobio Dionysiano Bronium reversus est, corpus S. Eugenii eo fuerit translatum. Cum ergo* Gerardus *ex dictis vel anno* 928 *vel sequenti Bronium redierit, huc illud citius quam anno* 933 F *fuit translatum. Hinc jam liquet, quam infirmo fundamento nitatur illud Pagii in Criticis effatum, quo ibi sæpius inculcat, Sanctorum translationes, elevationes similesque solemnitates Dominicis olim fieri solitas fuisse, hincque proinde annum, quo factæ sint, erui subinde posse, si definito quodam mensis cujusdam die factæ notentur. Nolim tamen negare, translationes Sanctorum similesque solemnitates Dominicis diebus olim factas subinde fuisse, hincque pro determinando anno, quo factæ sint, argumentum sat validum potest nonnumquam confici, si nempe nihil aliunde obstet, et ratio utcumque probabilis pro die Dominica militet. Uti autem tunc rationi consonat, ut non penitus rejiciantur argumenta ex antiqua illa consuetudine petita, sic eadem ratio exigit, ut ea, si quidquam, quo minus admittantur, impediat, pro omnino invalidis habeantur; cum etiam satis constet, memoratas solemnitates aliis etiam, quam Dominicis diebus, antiquitus subinde fuisse peractas.*

utque sanctus martyr festo annuo colatur, in synodo statuitur.

36 *Porro, sacris S. Eugenii reliquiis Bronium jam translatis, longe lateque martyris hujus fama miraculorum signis increbuit, hincque ingens ad Broniensem ecclesiam undequaque populi factus est concursus. At vero hæc res nonnullis, verosimillime de proprio emolument magiso, quam de Sanctorum honore sollicitis, majorem in modum displicuit.*

Leodiensem

A *Leodiensem episcopum, in cujus, ut jam monui, tunc diœcesi, quod nunc Namurcensis est, Broniense monasterium situm erat, suppliciter adeunt, eumque eo speciosis rationibus impellunt, ut jam S. Eugenii cultum abrogare meditaretur. Verum is subita, eaque gravissima infirmitate correptus, causam morbi agnovit, sanctoque martyri pro pristina recuperanda valetudine binos, corporis sui longitudinem æquantes, cereos, ad Broniense monasterium delatos, jussit offerri. Nec vero fructu caruit salubre hoc episcopi consilium. Ut consumpti illi fuere, mox omnis morbi vis penitus profligata abscessit. At ille beneficii, quod palam profiteri non erubuit, minime immemor synodum celebrandam indixit, in eaque, multum verosimiliter allaborante Anselmo monacho, Broniensis ecclesiæ ædituo, qui martyris Passionem jussu episcopi eo attulerat, decretum edidit, ut per totum tractum seu decaniam, ad quam Broniensis spectabat ecclesia, dies octava decima Augusti, qua S. Eugenii corpus illuc fuerat allatum, solemnis, uti Dominica dies, deinceps observaretur, et ecclesia Broniensis* ab omni obsonio (*id est, ut nonnulli interpretantur, stipendio*) *episcopis Leodiensibus debito, immunis haberetur. Atque hunc in modum, ut biographus fusiori oratione exponit, S. Eugenii in ecclesia Broniensi firmiter stabilita est veneratio. Quam quidem*

B *rem idcirco hic explanare libuit, quod, quamquam ad* Gerardum *præcipue non spectet, hunc tamen in illa partem non exiguam habuisse rear. Auctor quippe verosimillime fuerit eorum, quæ, ut innui, Anselmus mox laudatus, ecclesiæ Broniensis ædituus, pro stabiliendo Eugenii cultu in synodo, a Leodiensi episcopo convocata, in qua is stabilitus fuit, in medium adduxit.*

§ V. An a Sandionysianis monachis S. Gerardo integrum S. Eugenii martyris corpus fuerit concessum, et an hic Toletanus in Hispania archiepiscopus exstiterit.

Integrum S. Eugenii corpus, utpote cujus

Anonymus Sancti nostri biographus ita ex dictis de sacris Eugenii martyris reliquiis per Sandionysianos monachos Gerardo *concessis num.* 22 *loquitur, ut integrum huic sacrum martyris illius corpus datum fuisse, insinuare videatur. Attamen integrum sacrum illud pignus* Gerardo *non fuisse collatum, apud omnes hodie eruditos pro indubitato habetur, ut rem hanc operosius hic probare, supervacaneum queat videri. Ut nihilominus, quod hic forte discussum vellet, alibi quærere, studiosus lector non cogatur, totum Eugenii corpus a* Gerardo *Bronium non esse delatum, etiam hic non uno argumento ostendo. Diu post* S. Gerardi *ætatem duæ reliquiarum S. Eugenii martyris in Hispaniam translationes, altera anno* 1136, *altera anno* 1363, *e Parisiensi S. Dionysii monasterio fuerunt peractæ. Totum adeo inde martyris illius corpus a* Gerardo *Bronium prævie non fuerat delatum. Binas illas reliquiarum Eugenii martyris in Hispaniam translationes, occasionemque, qua hæ factæ fuerint, in Historia ecclesiæ Parisiensis lib.* I, *cap.* 6, *pag.* 34 *succincte nitideque simul exponit Gerardus Du Bois. Verba idcirco huc transcribo. Sic habent:* Anno Christi MCXLVIII cum Eugenius Papa in Galliam venisset, indicto Remis concilio, Remundus, Toletanus archiepiscopus, contendens ad synodum, primum Lutetiam Parisiorum venit; tum ædem S. Dionysii religionis ergo invisit; quam cum perlustrat oculis, videt sepulcrum, cui inscriptio: « Hic situs est S. Eu- » genius, primus archiepiscopus Toletanus mar- » tyr. » Remundus rei novitate perculsus, (nihil enim de eo antea, ne Toleti quidem, audierat) scicitatus, ecquis fuerit ille martyr, allatisque aliquot schedulis, Acta S. Eugenii comperit inscriptioni Dionysianæ ædis consona.

38 Nihil ultra percontatus, soluta synodo, in Hispaniam de reliquiis sancti martyris Toletum transferendis cogitat: rei autem perficiendæ ita se præbuit occasio. Ludovicus Junior, Francorum rex, ut habent scriptores Hispanici, post aliquot annos voti exolvendi gratia Compostellam, tum Toletum venit. Id temporis Alphonsus VII Castellæ rex a rege Francorum martyris Eugenii, Toletani archiepiscopi, dextrum brachium impetrat, quod anno MCLVI Toletum translatum est, sicut passim memorant Martyrologia et Rerum Hispanicarum celebrati scriptores. Anno vero MDLXV reliquiæ et ossa martyris Eugenii ex æde Dionysiana Toletum translatæ sunt. Philippus enim II rex Hispaniarum populi Toletani precibus sollicitatus integram capsam cum sacris pignoribus a rege Christianissimo Carolo IX per oratorem suum impetravit, et XVIII die Novembris allata Toletum apparatu magnifico et pompa insolita. Rex iste, suppositis humeris, feretrum gestavit, et hac insigni pietate plus honoris reddidit, quam olim injuriæ martyri persecutor intulerat. *Ita hactenus laudatus Du Bois, omnia hæc ex Marineo Siculo, Martyrologio Tamayi Hispanico ad diem* 13 *Februarii, et Mariana Rerum Hispanicarum lib.* XI, *cap.* 3 *depromens, uti hos auctores consulenti patescet. Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* XLIII, *num.* 8 *brevius adhuc idem testatur his verbis:* Partem tantum reliquiarum sancti Eugenii Gerardo concessam esse, E id argumento est, quod ejus brachium Alfonso Castellæ regi, interventu Ludovici septimi Francorum regis donatum est; et alia pars non modica Philippo secundo, qui eam Toleti summa cum veneratione reposuit.

AUCTORE C. B. *partes postea Hispanis etiam bis fuerint concessa,*

S. Gerardo datum non fuit, nec id sese integrum possidere,

39 *Sunt et alii scriptores bene multi, qui in eamdem fere sententiam scribunt, ut dubitandum non sit, quin magna reliquiarum S. Eugenii pars in Hispaniam post* S. Gerardi *ætatem fuerit translata. Unde indubitatum fit, totum ab hoc S. Eugenii corpus e Sandionysiano monasterio Bronium non fuisse delatum.* Adhæc, *inquit Mabillonius proxime post verba, ex eo mox recitata,* Dionysiani nostri sancti martyris nostri (*Eugenii*) brachium alterum, et forte quasdam insuper particulas conservant. *Nulla itaque vel ex hoc solo capite ratione probabile est, totum sancti martyris Eugenii corpus* Gerardo *a Dionysianis fuisse concessum. Et vero ne ipsos quidem Bronienses monachos* (*quid olim fecerint, pro certo asseverare non queo*) *hodiedum id contendere, indubitatum apparet. Etenim Rayssius in sacrarum reliquiarum, Bronii asservatarum, Catalogo, quem in Hierogazophylacio Belgii exhibet, quemque ab ipsis Broniensibus monachis ipsi suppeditatum puto, sic habet:* Partem (*servant scilicet Bronienses*) corporis sancti Eugenii, archiepiscopi Toletani et martyris; qui in territorio Parisiensi, consummato F martyrii cursu, beatæ passionis coronam percepit a Domino. Delata fuit hæc pars corporis a S. Gerardo Bronium anno (*ex § præcedenti liquet epochæ hujus falsitas*) DCCCCXV. Magnum os brachii ejus argenteo industrie elaborato brachio condecoravit serenissima Isabella Eugenia, Belgarum heroina.

hodie Bronienses contendunt. Penes hos tamen

60 *Quibus verbis non integrum S. Eugenii corpus, ast hujus dumtaxat pars Broniensibus adscribitur. Idem fit in reliquiarum, quibus ditatum est Bronium, Catalogo, quem anno* 1618 *Gerardus Souris, abbatiæ Broniensis Prior, adjecit ad calcem Vitæ* S. Gerardi, *Gallice a se typis vulgatæ. In hoc enim* (*quod etiam Rayssium facere, jam vidimus*) *Broniensi ecclesiæ, cum de reliquiis S. Eugenii agit, tantum adscribit brachium argenteum, cui os brachii S. Eugenii includitur, ab Alberto et Isabella, Belgarum principibus donatum, duasque costarum partes notabiles, una cum diversorum Sanctorum reliquiis, multisque minutioribus corporis et tunicæ ejusdem S. Eugenii particulis, Thecæ tapeto rubro opertæ inclusas. Ubi vides, multum abesse; ut totum Eugenii corpus monasterio suo Broniensi attribuat laudatus Prior. Itaque integrum hoc sacrum pignus a se possideri, Bronienses indubie nunc non contendunt. Verum alia hic jam potest moveri quæstio. Etenim, ut verbis num.* 38 *recitatis scribit laudatus Du Bois, dextrum*

AUCTORE C. B.

S. Eugenii brachium Alphonso Castellæ regi fuit concessum, alterumque, ut num. 59 *Mabillonius testatur, Dionysiani monachi adhuc servant. Cum ergo ex Rayssii testimonio, cui etiam Catalogus proxime citatus suffragatur, os magnum brachii S. Eugenii in ecclesia Broniensi servetur, quæri non immerito potest, integrumne martyris hujus dextrum brachium Alphonso, Castellæ regi, fuerit concessum, et an integrum sinistrum Dionysiani possideant. Vel enim integrum sinistrum S. Eugenii brachium penes Dionysianos non esse, vel integrum dextrum Alphonso collatum non fuisse, necesse est, cum ex dictis os magnum brachii Bronienses asservent.*

genuinas esse S. Eugenii reliquias,

61 *Integrum, ut reor, dextrum brachium Alphonso fuit collatum; brachium vero sinistrum Dionysiani non integrum, sed ejus dumtaxat partem adhuc conservant. Sic existimo ob ea, quæ Saussayus ad diem decimam quintam Novembris, S. Eugenio martyri sacram, memorat his verbis :* Ascetæ Dionysiani cum ægre ferrent, jussione regia sibi (*ad petitionem Philippi II, Hispaniarum regis*) tantum pignus (*S. Eugenii corpus*) eripi, et ad exteram deferri gentem, portiunculam aliquam e sacra gleba decerpserunt, os scilicet ex brachio, quod in fomentum pietatis sibi, imo Franciæ, reservarunt condigno colendum honore. *Dionysiani ergo, uti his* B *verbis testatur laudatus Saussayus, non integrum S. Eugenii brachium, sed os tantum ex hoc possident, hincque partim, et partim ex dictis consequitur, ut verosimiliter quidem integrum S. Eugenii dextrum brachium Alphonso, Castellæ regi, fuerit concessum; pars vero sinistri brachii una penes Dionysianos et altera penes Bronienses monachos existat. Longuevallius, Societatis Jesu sacerdos, in ecclesiæ Gallicanæ Historia, tom. I, pag.* 106 *dubitare videtur, an umquam genuinæ S. Eugenii reliquiæ in ecclesia Broniensi exstiterint. Forte enim, ut ait, sese illas* S. Gerardo *dare, Dionysiani monachi dumtaxat simularint. Ita verosimiliter scripsit hic auctor, quod post* S. Gerardi *ætatem maximam reliquiarum S. Eugenii partem e Sandionysiano monasterio in Hispaniam esse delatam, exploratum haberet, simulque ita loqui observaret nostrum biographum, ut integrum Eugenii corpus* Gerardo *a Dionysianis monachis fuisse collatum, videatur innuere.*

quamvis hac de re dubitare videatur Longuevallius, certum appareat.

62 *Verum hoc non tam aperte ille indicat, quin de parte tantum reliquiarum* Gerardo *collata queat exponi. Et vero, quamvis id fieri non posset, non propterea tamen placeret, quod ex dictis innuit Longuevallius. Forte enim biographus e monasterii sui senioribus audiverit, lipsanothecam, cui ætate sua Bronii includebantur S. Eugenii reliquiæ, una cum martyris hujus corpore* S. Gerardo *a Dionysianis* C *monachis fuisse concessam, hincque concluserit, integrum Eugenii corpus cum urna, cui in S. Dionysii monasterio fuerat inclusum, a* Gerardo *Bronium fuisse allatum. Verum nihil obstat, quo minus Dionysiani monachi lipsanothecam, cui pars tantum, quam dabant, corporis S. Eugenii includeretur,* Gerardo *dedisse credantur, nihilque est communius, quam Sancti cujuspiam* corpus *vocari, quod pars ejus dumtaxat existit. Ita biographus, etiamsi integrum Eugenii corpus* Gerardo *fuisse collatum, expresse assereret, errore tantum, qui venia dignus sit, a veritate aberrarit. Quapropter, cum (quo forte dumtaxat collinearit Longuevallius) sic integra sua illi fides maneat, necesse non fuit, ut, quo hanc servaret illæsam, ad fictam tantum reliquiarum S. Eugenii donationem recurreret. At vero forte etiam putarit Longuevallius, integrum S. Eugenii corpus Hispanis a Dionysianis monachis fuisse concessum. Verum ne omnes quidem ipsimet Hispani id contendunt. Liquet id ex iis, quæ Antonius Yepesius tom. V Chronici generalis Benedictini ad annum* 959 *de* S. Gerardo *cap.* 1 *pag.* 48 *versa de numero ossium S. Eugenii Toleti asservatorum memoriæ prodit. Utut sit, nullum mihi ob jam dicta est dubium, quin genuinæ hujus sancti martyris reliquiæ a Dionysianis* Gerardo *fuerint concessæ.*

63 *Verum multum abest, ut æque indubitatum sit, martyrem illum Eugenium exstitisse Toletanum in Hispania archiepiscopum; quo titulo in Vita edenda plus semel decoratur.* Etenim, *inquit loco supra citato de Eugenio martyre, cujus* S. Gerardus *accepit e S. Dionysii monasterio reliquias, Gerardus Du Bois plus semel jam laudatus,* ante principitatum Alphonsi VII Castellæ regis, de eo (*veluti nimirum de Toletano archiepiscopo*) nulla memoria est, neque Toleti, neque apud Hispanos scriptores, qui hunc præcesserunt, nec in antiquioribus Actis Martyrum Belgicæ secundæ, quæ supra memoravi, in quibus Eugenium hunc martyrio defunctum sub Maximiano legimus. Quærenti porro, unde primum in æde Dionysiana mentio Eugenii primi, Toletani episcopi, nihil suppetit, quod certo tradam. An quod aliqui scribunt, sed sine auctoritate, Eugenii Toletani reliquias Lutetiam Parisiorum allatas, Mauris vastantibus Hispaniam; an, quod magis probem, etsi conjectura est, Eugenii nomen, quod duorum pontificum Toletanorum fuit, quorum junior carmina edidit, Parisiensi Eugenio affictum esse, postquam Hilduinus aliquando hymnum ab Eugenio Toletano in honorem Dionysii Areopagitæ dixit compositum. Nam cum in æde Dionysiana S. Eugenii martyris memoria coleretur, et ejus reliquiæ ibidem venerationi essent expositæ, facile creditum est, eum Eugenium, quem martyrem E esse constabat, et socium S. Dionysii vetera Acta asseverabant, eumdem *et* fuisse Toletanæ ecclesiæ antistitem et martyrem Parisiensem.

D *Ast eum exstitisse Toletanum episcopum, vocatur in dubium,*

64 *Hactenus laudatus ecclesiasticæ Parisinæ Historiæ scriptor vocans in dubium, an ecclesiæ Toletanæ episcopus exstiterit Eugenius martyr, cujus* S. Gerardus *reliquias e Sandionysiano monasterio Bronium attulit. Et vero, quam merito ea de re dubitandum sit, rationes, quas affert, paulo attentius expensæ manifestum efficient. Nulla, ait, de Eugenio, qui in diœcesi Parisiensi passus est, ante principatum Alphonsi septimi, sæculo duodecimo Castellæ regis, memoria occurrit apud Hispanos scriptores. Julianus et Felix, Toletani ambo sæculi septimi antistites, duos dumtaxat agnoverunt Eugenios, Toletanos episcopos, qui ambo diu post S. Eugenium, Parisiensem martyrem, sæculo septimo sub Chindasvintho et Recesvintho regibus floruere. Etenim in sua, quam apud Miræum in Bibliotheca ecclesiastica quarto decimo Ildefonsi Toletani de Scriptoribus ecclesiasticis capiti addiderunt, Appendice juniorem e duobus illis Eugeniis, Toletanis episcopis, vocant* secundum, *vocaturi illum utique* tertium, *si Eugenium, Parisiensem martyrem, iisdem multo antiquiorem, Toletanum exstitisse archiepiscopum, credidissent. Adhæc Isidorus Hispalensis et Ildephonsus Toletanus episcopus, qui ambo sæculo septimo scriptis* F *fuerunt illustres, nuspiam in his Eugenii, Parisiensis martyris, qui Toletanus archiepiscopus exstiterit, meminere. Plures alios antiquos scriptores Hispanos, qui pariter Eugenii Parisiensis martyris, veluti Toletani episcopi, in Operibus suis mentionem non faciunt, in medium non adduco; neque enim constans antiquorum Hispaniæ scriptorum de Eugenio, Toletano episcopo, qui prope Parisios passus sit, silentium latere quemquam poterit, qui eruditas de Dionysio Areopagita et Dionysio Parisiensi martyre invicem distinguendis lucubrationes consuluerit.*

quod sub hoc nomine apud antiquos scriptores, vel Hispanos,

65 *Ad has adeo brevitatis causa studiosum lectorem remitto, et a veterum Hispanorum de Eugenio, Parisiensi martyre, qui Toletanus episcopus fuerit, silentio jam probato ad aliorum etiam antiquorum tum scriptorum, tum monumentorum de eodem, veluti Toletano episcopo, silentium probandum progredior. Nullus plane assignari potest scriptor, Hilduini, Sandionysiani sæculo nono abbatis, qui Dionysium Parisiensem cum Areopagita confudit, ætate anterior, qui Eugenium Parisiensem fecerit Toletanum episcopum. Adhæc omnia antiqua Calendaria, Missalibus, Antiphonalibus et Breviariis præfixa, quæ Eugenii meminerunt, ei dumtaxat martyris, non autem episcopi titulum adjungunt. Antiquitus ergo pro episcopo Toletano habitus non fuit. Usuardus purus apud*

vel alios quoscumque non memoretur.

A *apud Sollerium ad diem Novembris quintam decimam, qua Eugenius, prope Parisios martyrio coronatus, colitur, hac annuntiatione eum celebrat :* Ipso die sancti Eugenii, qui apud pagum Parisiacensem, consummato martyrii cursu, beatæ passionis coronam percepit a Domino : *ubi pariter Eugenius, Parisiensis martyr, episcopi titulo non decoratur, quem tamen Usuardus, pro recepto apud Martyrologiorum Calendariorumque concinnatores more, solet adjungere Sanctis omnibus, quos commemorat, quosque exstitisse episcopos, habuit exploratum. Usuardi ergo ætate cognitum fuisse non videtur, quod deinde temporis lapsu de Eugenii Parisiensis apud Toletanos episcopatu nonnulli persuasum sibi habuere.*

Ut tamen Toletanum episcopum crederent Eugenium, vita quapiam, quæ similis

66 *Verum, inquies, qua ratione factum est, ut illa de Toletano Eugenii Parisiensis episcopatu opinio, si falsa sit, temporis lapsu invaluerit, qua ratione hæc persuaderi potuit Sancto nostro, ipsique Leodiensi synodo, in qua ex dictis, ut Eugenius festo annuo coleretur, Richarius Leodiensis episcopus decrevit? Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii compendio exhibet quamdam S. Eugenii, Parisiensis martyris, Vitam, a Flohario presbytero, qui illam, ut ait, ex Normannorum vastationibus dispersam collegit, litteris mandatam. In hac S. Eugenius, in*

B *vico Diogilo prope Parisios passus, S. Dionysii Areopagitæ discipulus et Toletanus episcopus traditur fuisse. Lucubrationem illam, utpote sæculo duodecimo tantum a Flohario elaboratam videre non potuit* Gerardus; *verum similem, uti ex mox dicendis colliges, haud dubie viderit, ex eaque Toletanum S. Eugenii Parisiensis episcopatum facile crediderit. Et vero ad id hujusmodi stimulo non indigebat Sanctus, utpote qui Eugenium, quem in vespertinis precibus (vide biographum num.* 12 *et* 13*) a Dionysianis invocari audierat, Toletanum exstitisse episcopum, sola horum assertione mox credidisset. Quod jam ad Richarium, Leodiensem episcopum, synodumque ab eo celebratam pertinet, hi S. Eugenii Passionem seu Vitam, quam Richarius e Bronio Leodium ferri jusserat, prælegi sibi audiverunt, approbaverunt quæ consensu unanimi, ut biographus num.* 33 *testatur. Verosimillimum mihi apparet, Passionem illam seu Vitam a Vita jam memorata, quam Flohariuspresbyter conscripsit, non fuisse valde diversam. Fuerit adeo, etiam in illa S. Eugenii, Parisiensis martyris, Toletanus episcopatus assertus, hincque hunc sibi persuasum verosimiliter habuerint Richarius episcopus, synodusque ab eo congregata.*

fuerit illi, cujus hic duplex compendium, alterum ex Molano,

C 67 *Vita illa, seu potius Vitæ S. Eugenii apud Molanum compendium, sic habet :* Dionysius beatissimus, qui S. Clementis auctoritate et benedictione totius Galliæ apostolatum suscepit, sanctum Eugenium Toletanis in Hispaniam primum episcopum destinavit. Veniens igitur in Hispaniarum viscera, Carpentaneamque provinciam viriliter adeptus, Christum Deum gentibus prædicavit. Postquam autem Toletum, primam Hispaniarum urbem, provinciamque Toletanam ad Christum veramque pietatem perduxit, et verbo, miraculis et exemplo confirmavit, sanctum Dionysium revisere percupiens, ut ministerii sui rationem redderet, et ante utriusque obitum ab eo consolationem acciperet, relictis Toleti presbyteris, Gallias repetivit, et apud urbem Parisiorum in villa sive vico Diogilo a Christiani dogmatis hostibus, quod Christum se colere dixisset, quasi mali instituti magister interficitur, et corpus, ne a Christianis in honore haberetur, in lacum juxta villam Mercasii præcipitatur, ubi multos annos latuit. Cessante autem in Christianos sanguinario bello, Ercoldus quidam, oraculo monitus, corpus quasi recens mortuum invenit, et, Dei voluntate intellecta, in Diogilo honorifice sepelivit. Unde postea propter Nortmannos translatum est in ædem sancti Dionysii.

68 *Ab hoc Vitæ Eugenianæ compendio non multum dissonat aliud, quod Launoyus de duobus Dionysiis pag.* 294 *et seq. ex Codice Ms. S. Remigii Remensis atque ex ipsa, ut puto, laudata Floharii lucubratione a se concinnatum, exhibet. En etiam illud :* Dionysius Areopagita Roma discedit in Galliam, Romanum civem secum adducit Eugenium, antistitem a se creatum Arelate in Hispaniam ablegat Toletum. Hic Eugenius fundat ecclesiam, populos ad fidem Christi convertit, Toletanam ecclesiam dedicat in honorem B. Stephani protomartyris, epicum carmen ex XIV versibus conflatum scribit in gratiam Christianorum, quod ita incipit : « Rex Deus, immensi quo constat machina mundi. » Deinde ubi ecclesiam suam idoneo clericorum numero instruxit, Toleto Lutetiam proficiscitur, magistrum visurus. Cum vero non procul ab urbe pervenit ad locum nomine Diogilum, ab incolis accipit mortem Areopagitæ, tunc Hymnum conficit, cujus initium est : « Cæli cives, applaudite. » Hoc hilare decantato, solvitur in lacrymas, sed ex eo tandem sese et alios collacrymantes solatur, quod Dionysius in cælum evolarit. Hinc Euangelii sementem huc atque illuc spargit; quo brevi comperto, ab lictoribus capitur, et a Fescennino interimi jubetur. *Talis est Eugenii Vita, duplici jam compendio exhibita, cui similis, ut dixi, Richarium, Leodiensem episcopum, synodumque, quam hic convocavit, impulit, ut sancti illius martyris Toletanum episcopatum crederent.*

AUCTORE C. B. *alterum ex Launoyo exhibetur, Richarius, synodusque ab eo convocata fuere inducti.*

E 69 *Verum Launoyus supra laudatus non obscure indicat, totam illam sibi supposititiam videri. Et sane, quamvis Launoyus immoderata Crisi non raro utatur, hincque a prudentioribus eruditis subinde non immerito vapulet, nescio tamen, an in sanæ Critices leges impingat, dum, quam in codice Remensi invenit, S. Eugenii Vitam puris putisque commentis accenset. Etenim in Vita illa S. Dionysius, qui Evangelii prædicandi ergo in Gallias venit, Areopagita fuisse adstruitur; Areopagitam autem a Dionysio, qui in Gallias Evangelii lucem intulit, indubie esse diversum, tam dilucide jam a multis demonstratum est, ut vix ullum amplius eruditum invenias, qui utrumque Dionysium, Areopagitam scilicet et Parisiensem episcopum, faciat eumdem. Supposititius est igitur Dionysii Areopagitæ, ut gentiles converteret, in Gallias adventus, ac proin, quidquid huic de S. Eugenio in Vitæ hujus compendiis jam datis superstruitur, commentitium pariter potest videri. Ut de re aptius ferri queat judicium, fontem exhibeo, ex quo ortum esse potest, ut Eugenius, Parisiensis martyr, pro Toletano episcopo, et pro Dionysii Areopagitæ discipulo a Flohario aliisque fuerit acceptus. Ex dictis omnes scriptores Hispani antiqui ad sæculum usque duodecimum duos dumtaxat agnoverunt Eugenios, Toletanæ urbis episcopos, qui ambo diu post S. Eugenium, Parisiensem martyrem, floruerint. E duobus hisce Eugeniis secundus seu junior plura concinnavit poemata, quæ Sirmondus anno* 1619 *typorum beneficio publici juris fecit.*

Verum Vita illa forte est supposititia,

F 70 *Porro Molanus ait, Hymnum in S. Dionysium, a S. Eugenio compositum, in antiquissimo S. Eugenii Ms. Bronii servari, una cum oratione metrica, quæ hoc carmine inchoatur :* Rex Deus, immensi quo constat machina mundi *etc. Vita S. Eugenii, a Launoyo Remis inventa, martyri huic illam pariter attribuit; uti etiam alteram, quæ hoc versu inchoatur,* Cæli cives, applaudite, *et quæ de S. Dionysio reipsa loquitur. Jam vero Sirmondus priorem illam orationem metricam cum Eugenii junioris, Toletani episcopi, Operibus, quæ ex dictis publici juris fecit, conjunxit : quamvis autem hinc verosimillimum fiat, non esse illam Eugenii, Parisiensis martyris, sed Eugenii junioris, Toletani episcopi, fœtum, fieri tamen potest, imo factum videtur, ut ob eamdem a nonnullis Eugenio, Parisiensi martyri, perperam ex dictis attributam, pro Toletano episcopo hic habitus fuerit, proque Dionysii Areopagitæ discipulo. Atque ita jam habes fontem, ex quo ortum esse possit, ut tum in Remensi, tum in Molaniano Vitæ S. Eugenii Parisiensis compendio, quod utrumque supra huc transcripsi, sanctus ille martyr pro Toletano episcopo et Dionysii Areopagitæ*

hincque Toletanus Eugenii episcopatus, cujus fons ostenditur,

AUCTORE C. B

gitæ discipulo obtrudatur. Ast, inquies, si Eugenius Parisiensis nec Toletanus episcopus, nec Dionysii Areopagitæ discipulus certo exstitit, quidnam demum erit, quod de eo tuto credi queat? Respondeo, nihil fere aliud, quam martyrio illum olim haud procul a Lutetia fuisse coronatum, idque verosimiliter, cum, imperantibus Diocletiano et Maximiano Herculio, hic posterior in Christianos, per Galliarum provincias dispersos, sub finem sæculi tertii crudelissime sæviit.

admodum est dubius.

71 *Res hæc ad quintam decimam Novembris diem, qua Eugenius, martyrium non procul a Lutetia passus, Martyrologio Romano inscribitur, validis poterit probari rationum momentis, quas hic ego, quod Eugenii Acta illustrare instituti mei non sit, in medium non adduco, ea protulisse contentus, quæ in dubium vocent, an Eugenius martyr, cujus reliquias e S. Dionysii prope Parisios monasterio Bronium attulit* Gerardus, *Toletanus episcopus umquam exstiterit. Id autem jam sufficienter præstitum existimo; neque enim hic moror eam Miræi, utpote nullo, quod sciam hactenus, idoneo testimonio suffultam, in Fastis Belgicis opinionem, qua Eugenius, e cujus reliquiis accepit* S. Gerardus, *fuisse existimatur primus Toletanus episcopus, cujus corpus, Saracenis e Mauritania in Hispaniam sæculo octavo*
B *irrumpentibus, ad S. Dionysii prope Parisios monasterium fuerit translatum. Adhæc Toletanum Eugenii Parisiensis episcopatum mihi etiam non persuadet Fragmentum Chronici Flavii Marci Dextri, quod in Bibliotheca Hispana veteri tom. II, p. 274 pro germano et legitimo hujus historici monumento, si quod e germana et Fuldensi bibliotheca sæculo* XVI *in Hispaniam fuerit transmissum, Nicolaus Antonius haberi vult, quodque sic habet :* Marcus Marcellus, Marci Marcelli, urbis præfecti filius, qui et Eugenius, quondam S. Petri Apostoli, postea vero S. Clementis Papæ discipulus, ab eodem et Dionysio Areopagita missus in Hispaniam prædicat et Toletanos docet. XCV. *Hisce in antecessum ad ea, quæ ad diem 15 Novembris apud nos de S. Eugenio disserentur, præmonitis, aliam jam de reliquiis a* Gerardo *e S. Dionysii monasterio Bronium allatis discussionem aggredior.*

§ VI. An et quas S. Gerardus reliquias præter S. Eugenii martyris corpus e Dionysiano monasterio Bronium attulerit.

C

Plures Sanctorum reliquias Bronium Parisiis tulisse, in Vita edenda

Non paucas præter eas, quas e corpore S. Eugenii martyris accepit, a S. Gerardo *Sanctorum reliquias e Dionysiano prope Parisios monasterio Bronium fuisse allatas, plurium est opinio. Et vero hæc firmis rationibus innititur, atque inprimis quidem scriptoris anonymi, qui* Gerardi *Vitam litteris mandavit, auctoritate. Is enim num.* 23 *ita memorat :* Non solum autem hujus Sancti (*Eugenii martyris*) corpus abinde, (*a monasterio nempe S. Dionysii*) sed et multorum pignora Sanctorum dignoscitur (*Bronium*) advexisse, quæ fideli repositione sibi collegerat undecumque. Quid quoque (quod vix videtur incredulis credibile) de uno referretur Innocente cum cœtaneis succiso, quasi tenerrimo flore, sub Herode crudelissimo rege, quem certissime istuc advectum, hoc eodem procuratore, continet certissime sanctuarium Broniensis basilicæ? *Adhæc in Appendice, Vitæ apud Mabillonium subjecta, hicque a me, ut supra spopondi, integra jam danda, hæc habet :* Inter cetera divinæ largitatis beneficia, quæ per beatum Gerardum ecclesiæ Broni collata sunt, hoc unum e multis non tacebo, quia non est tacendum. Cum licentiam et libertatem repatriandi a monasterio Parisiensi sancti Dionysii, ubi sæculum mutaverat sanctus Gerardus, obtineret, ut in terra sua majorem utilitatem inferret, gratiam ei contulit Deus. Quicquid ergo postulavit, accepit. Accepit secundi ordinis personas duodecim ad numerum apostolicum, scilicet bonos doctores, morum informatores, disciplinæ D Regularis observatores. Accepit libros illius temporis, quorum aliquem ego vidi, quem sancta scripsit et dicavit antiquitas.

et in hujus Appendice, huc transcripta, Gerardus asseritur.

73 Accepit corpus beatissimi martyris Eugenii, Toletanorum archiepiscopi, quem Petrus Apostolus baptizavit et docuit, quem beatus Clemens ad prædicandum Hispanis una cum beato Dionysio, qui prædicaret Gallis, delegavit. Accepit etiam inter cetera donaria itinerarium altare, quo sanctus Dionysius, dum viveret, utebatur, in quo celebranti Missam, dum esset in carcere, Christus ei apparens, seipsum sibi dedit dicens : Accipe hoc, care meus, quod mox complebo tibi una cum Patre meo. Erat hoc altarium circumductum argento, quod opere ductili Apostolorum capita repræsentabat. Probabile satis est, quod, cum Dominus omnium et summus Sacerdos Christus seipsum, sicut erat et est, beato Dionysio triumphaturo super hoc altare ministraverit, virtus in eo non modica remansit. Nec enim potuit sine virtute remansisse, ubi summa virtus insedit. Si sepulchrum Domini, quia Corpus Domini inclusum est in eo, digna veneratione colitur ; hoc altare Domini similiter colendum est, in quo Dominus seipsum posuit. Item si patriarcharum altaria tantis virtutibus donata sunt, ut quandoque ministraverit Deus victimas illis et ignem et oleum et E gratiam et responsum et angelos, sicut Abrahæ contigit et Jacob et Zachariæ; hoc altare credendum est non inferiori virtutum privilegio insignitum esse, in quo Christus athletæ suo seipsum contulit victimam et sacerdotem. Ergo fides exigit, ut communicantes ex eo, quod beatus Dionysius accepit, accipiant, ut numquam ex hac luce finiant, donec Viaticum accipiant, et completum eis fuerit a Christo et a Patre, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Amen.

Has inter altare portatile, quo quondam usus fertur Dionysius, certo fuit:

74 *Ita hactenus Appendix, quam Mabillonius* S.Gerardi *Vitæ subjunxit, in Altarium Itinerarium, de quo illa inscribitur, sic observans :* Istiusmodi altaria portatilia vocant, inter quæ insigne illud, quod in thesauro monasterii S. Emmerammi ab Arnulfo rege acceptum vidimus aliquando. *De altaribus itinerariis seu portatilibus nonnulla et nos, quæ hic etiam usui esse queunt, jam observavimus tomi hujus pag.* 206 *in Annotatis, quæ SS. Ewaldorum Passioni adjecimus. Eo igitur curiosum lectorem brevitatis studio remitto, et de altari portatili, quod* S. Gerardo *datum, in Appendice huc jam transcripta dicitur, dumtaxat adhuc observo, S. Dionysium, qui altari illo, in vivis superstes, usus fuisse fertur, pro Areopagita non esse habendum. Dionysius* F *enim, cujus altare portatile Dionysiani monachi* Gerardo *dedere, in Galliis olim fidem annuntiarat, in carcerem ibi fuerat conjectus, deindeque illustri martyrio coronatus ; quæ omnia Dionysio Areopagitæ minime quadrant, uti jam a pluribus eruditis demonstratum est, inque Opere nostro iterum demonstrabitur ad nonam mensis hujus diem, qua Dionysius Areopagita, cum Dionysio Parisiensi martyre confusus, Romano hodierno inscribitur. Atque ita quidem ex laudata Appendice jam noscimus, præter sacras S. Eugenii martyris reliquias e monasterio Dionysiano altare portatile, quo quondam S. Dionysius, Parisiensis martyr, cum sacris operaretur, usus fertur, a* Gerardo *Bronium fuisse delatum. Dispiciamus modo, an et quas alias Sanctorum reliquias eo ex eodem monasterio Sanctus detulerit.*

ast iisdem S. Leodegarii reliquias

75 *Portionem aliquam corporis S. Leodegarii in Broniensi monasterio asservari, tomo præcedenti in Commentario ad Sancti hujus Vitam prævio n.* 392 *probavi, hicque, an illa a* S. Gerardo *Bronium fuerit allata, discutiendum, spopondi. Eo igitur e S. Dionysii probabiliter allatam, probare nunc aggredior. Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, uti tomo præcedenti loco proxime citato jam monui, ad annum* 681 *num.* 6 *in eam opinionem abit, quæ S. Leodegarii reliquias non citius quam post* S. Gerardi *ætatem Bronium allatas statuit. Verba ejus huc*

A *huc transcribo : sic habent :* In illo cœnobio (*Broniensi seu* S. Gerardi) Rayssius ait asservari corpus sancti Leodegarii, Augustodunensis episcopi et martyris. Deinde mentem suam sic exponit : « Dixi » eos, » nempe monachos Bronienses, « corpus » habere, id est, maximam corporis partem, » excepto etiam sacro ejus capite. » Rectius Molanus non maximam, sed aliquam corporis portionem in Broniense monasterium delatam sic asserit : « Sanctum corpus ad sancti Maxentii mo- » nasterium est evectum. Postmodum tamen inde » portionem aliquam corporis accepit Bronium, » Namurcense sancti Gerardi monasterium die » undecimo Aprilis. » Postea Martyrologium citat, cujus hæc ad illum diem sunt verba : « In Bronio » monasterio Adventus sancti Leodegarii episcopi » et martyris. Natalis est mense Octobri, die se- » cunda. »

accensendas non esse, Cointius existimat.

76 Gonthero, qui quartum inter Bronienses abbates locum obtinet, vitamque anno Christi sexagesimo secundo supra millesimum clausit, inscripta reperitur S. Gerardi Vita. Testatur auctor curam octodecim monasteriorum, ut ibi collapsa monastici status disciplina restitueretur, Gerardo commissam fuisse; testatur et ex cœnobiis conquisitas ab eodem Gerardo reliquias, quibus Bronium ditaretur, nullam vero beati Leodegarii mentionem B facit. Altum quoque de S. Leodegario silentium apud Molanum ceterosque neotericos, qui laudes sancti Gerardi texuerunt. Sacras igitur Leodegarii martyris exuvias serius susceperunt ascetæ Bronienses, sed unde et quando, penitus ignoratur; desunt enim monumenta, quibus ista demonstrari possint. *Itaque* S. Gerardus, *sacras S. Leodegarii, quæ Bronii asservantur, exuvias Bronium e S. Dionysii non advexit secundum Cointii opinionem. Verum an hæc ex biographi nostri, aliorumque scriptorum de S. Leodegarii reliquiis a* Gerardo *Bronium allatis silentio sat solide probatur ? Id equidem non puto. Quamvis enim biographus reliquiarum S. Leodegarii, quas* Gerardus *Bronium attulerit, mentionem expressam non faciat, ait tamen, a Sancto præter S. Eugenii corpus* multorum pignora Sanctorum *e Dionysiano monasterio Bronium fuisse advecta, nec ullum Sanctum, cujus reliquias* Gerardus *Bronium inde attulerit, nominatim commemorat. Bronium adeo S. Leodegarii reliquias a* Gerardo *e S. Dionysii non fuisse allatas, ex biographi nostri de sancto illo martyre silentio nequit concludi; neque enim hoc fieri potest, nisi simul adstruas, nullas pariter quorumcumque aliorum Sanctorum (nullum quippe etiam ex his nominatim memorat biographus) reliquias Bronium a* Gerardo *inde fuisse allatas;* C *quod tamen admitti, nulla ratione potest.*

Contrarium tamen ex Ægidio, Aureæ-Vallis monacho,

77 *Pugnat enim apertissime cum biographo, qui multorum Sanctorum reliquias præter S. Eugenii corpus a* Gerardo *e S. Dionysii Bronium fuisse advectas, num.* 23 *diserte affirmat.* Non solum autem, *inquit,* hujus Sancti (*Eugenii martyris*) corpus abinde, (*e Dionysiano monasterio*) sed et multorum pignora Sanctorum dignoscitur (Gerardus *ad Broniense monasterium*) advexisse. *Quod porro addit laudatus Cointius, altum quoque esse apud Molanum, aliosque neotericos de Leodegarii reliquiis Bronium per* Gerardum *adductis silentium, inde sane sacras hujus martyris exuvias serius, quam* Gerardi *ætate, a Broniensibus ascetis fuisse susceptas, nemo unus, quantum opinor, Cointii exemplo indubitanter concluserit; neque enim Molanus, aliique illi neoterici propositum sibi habuere, omnes recensere reliquias, quas* S. Gerardus *e Dionysiano monasterio Bronium detulerit. Et vero aliunde sat probabile apparet, Leodegarii reliquias ab ipsomet* S. Gerardo *e Sandionysiano monasterio ad Broniense esse allatas. Etenim, fatente per verba supra recitata Cointio,* unde et quando *sacras Leodegarii martyris exuvias susceperint ascetæ Bronienses,* penitus ignoratur. *Quapropter, cum multorum Sanctorum sacras exuvias e Dionysiano monasterio a* Gerardo *Bronium fuisse advectas, doceat biographus, his sane sat probabiliter accenseri queunt illæ, quæ Bronii asservantur, S. Leodegarii reliquiæ. Adhæc non æque altum, ut tamen velle videtur Cointius, apud scriptores omnes de Leodegarii reliquiis, a* Gerardo *Bronium allatis, servatur silentium. Etenim Ægidius Aureæ-Vallis monachus in suis ad Anselmum de Gestis pontificum Leodiensium Additionibus lib.* 1, *cap.* 40 *sic scribit :* Reliquiæ S. Leodegarii episcopi et martyris, et lapis, super quem B. Dionysius sacrum Mysterium celebravit in carcere, quum Dominus Jesus Christus apparuit eidem, dans illi Sacramenta, in dicto cœnobio (*Broniensi seu* S. Gerardi) dicuntur esse (*a* Gerardo *scilicet e S. Dionysii, uti ex antecedentibus et consequentibus scriptoris hujus verbis intelligitur*) translatæ.

AUCTORE C. B.

quamvis etiam de re dubitet Mabillonius,

78 *Ita Ægidius, quamvis asseveranter non loquatur, reliquiarum Leodegarii, quas* S. Gerardus *Bronium e S. Dionysii attulerit, mentionem facit. Mabillonius tamen in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus Ægidii illam de Leodegarii reliquiis per* Gerardum *Bronium allatis mentionem ita perstringit :* Ægidius a Leodio in lib. 1 de Gestis pontificum, cap. 40 translatis a Gerardo S. Eugenii reliquiis addit et S. Leodegarii, Augustodunensis episcopi, reliquias una cum lapide, super quem S. Dionysius Sacrum in carcere celebravit, ab eodem e Dionysiana basilica deportatas. Lapidem istum Appendix inferius adducenda Altare itinerarium vocat, nulla facta mentione translatarum S. Leodegarii reliquiarum. *Quibus verbis sat aperte Mabillonius innuit, sese dubitare, an S. Leodegarii reliquiæ e Sandionysiano monasterio Bronium a* Gerardo *fuerint delatæ. Verum quamvis in Appendice jam pluries laudata nulla reliquiarum S. Leodegarii, quas* Gerardus *Bronium e S. Dionysii detulerit, mentio occurrat, plura tamen in eadem Appendice dicuntur* Gerardo, *e Dionysiano monasterio discessuro, dona fuisse collata. Sub his igitur S. Leodegarii reliquias forte comprehendit, aut certe comprehendere non vetat Appendicis auctor. Quod quam verum sit, vel ex eo liquet, quod, qui Appendicis, idem etiam Vitæ edendæ sit auctor; in hac autem expresse asseratur, una cum Eugenii martyris reliquiis sacras multorum aliorum Sanctorum exuvias a* Gerardo *Bronium e S. Dionysii fuisse advectas. Itaque quamvis reliquiarum S. Leodegarii, quæ hinc ad monasterium Broniense a* Gerardo *fuerint delatæ, expressa apud hujus biographum neque in Vita, neque in Appendice mentio occurrat, id tamen a* Gerardo *factum non fuisse, concludi inde nulla ratione potest.* E

et aliunde insuper sat probabile apparet.

79 *Hinc adeo opinio de Leodegarii reliquiis e S. Dionysii Bronium per* Gerardum *allatis nihil omnino ex ea, quam ei supra attribui, probabilitate amittit. Ut porro hæc utcumque adhuc crescat, magisque pateat non ab omnibus servari silentium de* F *Leodegarii reliquiis a* Gerardo *Bronium allatis, duo adhuc testimonia, quibus hoc a Sancto factum asseritur, in medium adduco. Primum petitur ex Sacrario Namurcensi anno* 1619 *excuso. Hoc sic habet :* Corporis ejus (*S. Leodegarii*) partem asservat Bronium S. Gerardi opera; *alterum petitur ex Catalogo reliquiarum, quæ Bronii servantur, supra adhuc laudato. Hic, ut titulus præfert, omnes recenset reliquias, quibus* S. Gerardi *pietate et diligentia ditatum est Broniense monasterium. Adhæc extractus notatur ex reliquiarum Bronii inventarum recensione, quam, cum illas visitasset illustrissimus dominus Waloncapelle, secundus Namurcensis episcopus, anno* 1588 *confecit. In hoc autem Bronio attribuuntur corporis S. Leodegarii ossa, capite excepto. Fuerunt ergo etiam secundum illum Catalogum eæ, quæ Bronii asservantur, S. Leodegarii reliquiæ a* S. Gerardo *Bronium allatæ. Itaque huc illas e Dionysiano manasterio fuisse a* Gerardo *adductas pro certo quidem non habeo; probabile tamen ob omnia jam dicta existimo; quamquam interim contrarium sentiant nonnulli, quibus liberum sit, quidquid voluerint, hac in parte statuere. Ad alias jam reliquias, quæ Bronii pariter asservantur quæque*

eo

AUCTORE C. B.

Gerardus e Dionysiano monasterio, teste biographo, unius e SS. Innocentibus corpus,

eo a Gerardo *e Dionysiano monasterio sunt delatæ, progredior.*

80 *Biographus num.* 23 *sic scribit :* Quid quoque (quod vix videtur incredilis credubile) de uno referretur Innocente cum coætaneis succiso, quasi tenerrimo flore, sub Herode crudelissimo rege, quem certissime istuc (*ad monasterium Broniense*) advectum, hoc eodem procuratore, (*sancto* Gerardo) continet certissime sanctuarium Broniensis basilicæ? Si cui autem ingerit ambiguitatem, Lietaldum percontetur abbatem, hujus Viri Dei (*sancti* Gerardi) in cœnobio Mosomensi successorem, qui cum eo præsens ad clandestinam tot reliquiarum compositionem demirari solebat, Broniensis locelli angustiis tam mirabilem contineri sanctitatem. *Unius ergo ex innocentibus pueris post Christum natum Herodis jussu occisis reliquias e Dionysiano monasterio Bronium detulit* Gerardus, *uti biographus noster testatur, atque illud quidem hic, cum Lietaldum abbatem (vide Commentarii hujus num.* 7 *et* 9) *laudet, ex vetustiori* S. Gerardi *biographo, cujus lucubratio interiit, certissime hausit, ut adeo dubitandum non sit, quin, quod hic memorat, veritati exactæ ad amussim congruat.*

corpora vero duorum aliorum Innocentium e monasterio Chimacensi,

B

81 *Verum in reliquiarum, quibus Broniense monasterium ditavit* S. Gerardus, *Catalogo supra laudato, qui ad calcem compendiosæ Sancti Vitæ, anno* 1618 *excusæ, adjectus est, duorum Innocentium, ab Herode occisorum, quorum unus* Philippus, *alter* Benjamin *appellatus fuerit, corpora recensentur. Idem fit a Rayssio in Hierogazophylacio Belgii, et a Grammayo in suo de Rebus Namurcensibus Tractatu. Utriusque verba, quamvis de reliquiis e Dionysiano monasterio acceptis non agant, idcirco tamen, quod ex his scriptoribus contra biographum nostrum hic formari queat objectio, etiam transcribo. Prioris hæc sunt :* Corpora Philippi et Benjamin e numero sanctorum Innocentium pro Christo ab Herode Ascalonita, Judeæ tetrarcha impiissimo, occisorum, quæ e monasterio Christi-paræ Virginis Aulas dicto, in territorio Terracenorum Chimanensium, divina revelatione sancto Gerardo facta, in Broniensem hanc ecclesiam translatæ sunt, servantur in capsula argentea in sacrario. *Posterioris vero ista :* Præter feretrum... beatissimi patriarchæ Gerardi asservat Bronium corpus S. Eugenii, archiepiscopi Toletanæ sedis, et S. Leodegarii : denique duorum sacra pignora Innocentium ex cœnobio Cymacensi per præscium vastationis subsecuturæ Gerardum delata, et, cum diu latuissent, revelatione cuidam Tiberiæ Nivellensi cæcæ facta, reperta.

cujus hic situs datur notitia, Bronium detulit;

C

82 *Monasterium, quod hic a Gammayo* Cymacense, *a Rayssio* Aulas *nuncupatur, in Theoracia sylva, quæ ab aliis* Terracia *seu* Terracea *etiam vocatur, situm erat eo ipso loco, quo nunc Chimacum, Hannoniæ oppidulum. Hinc haud dubie a Rayssio verbis recitatis* in territorio Terracenorum Chimanensium *seu Chimacensium ponitur. Ut adeo monasterii illius situs cognoscatur, oppiduli Chimacensis notitiam ex Baudrando huc describo :* Chimacum, alias Vennæ Villa, Chimay, oppidum Belgii cum castro in Hannonia, principatus titulo clarum, ad fluviolum Albam sedet, versus Arduennam sylvam et confinia Campaniæ provinciæ, quatuor leucis distans a Mariæburgo, in Occasum Avennas versus quinque, et quatuor a Rupe regia, versus Malobodium sex circiter. *Non fuit ergo prædictum monasterium a monasterio Broniensi admodum remotum. Hinc credibilius fit, duorum Innocentium corpora a* Gerardo, *cum hic monasterio Cymacensi seu Chimacensi instare excidium, divinitus didicisset, Bronium fuisse translata. Verum quod qualeve exstitit illud monasterium, et qua occasione fuit excisum? Hocne forsan sub medium sæculum decimum, Hungaris in Lotharingiam regionesque Mosæ vicinas irrumpentibus, evenit, ex illoque deinde restaurato hodiernum Chimacense canonicorum collegium emersit? Nulla prorsus monumenta antiqua invenio, ex quibus hic quid certi possim statuere. Verum ad objectionem, quæ, ut dixi, contra biographum nostrum hic formari potest, jam venio.*

D

licet autem duo hæc posteriora tantum Broniensibus reliquiis

83 *In Catalogo reliquiarum Broniensium plus semel jam laudato, uti etiam a Rayssio et Grammayo duo tantum inter reliquias Bronii asservatas recensentur Sanctorum Innocentium corpora, quæ ambo ex destruendo jamjam Chimacensi monasterio Bronium a* Gerardo *divinitus præmonito fuerint translata. Quapropter, cum ex dictis biographus noster doceat, unius insuper alterius sancti Innocentis corpus e Sandionysiano monasterio a* Gerardo *Bronium fuisse advectum, quæri jam potest, an ex præfato Catalogo, Rayssio et Grammayo erroris arguendus non sit, id docens biographus. Respondeo, fieri posse, ut alterius insuper ex Innocentibus ab Herode occisis reliquiæ, quas* Gerardus *e Dionysiano monasterio attulerit, Bronii hodieque serventur, etiamsi harum nec Rayssius in Hierogazophylacio, nec Grammayus in Rebus Namurcensibus, nec Catalogus plus semel jam laudatus expresse meminerit. Etenim Grammayus paucissimas dumtaxat reliquias a* Gerardo *Bronium allatas recenset, multumque abest, ut omnes ad amussim enumeret Rayssius. Palam fit hoc ultimum ex earumdem elencho, quem hic posterior scriptor suppeditat, collato cum Broniensi Catalogo anno* 1618 *typis vulgato. Quamvis enim hic sacrarum alterius ex Innocentibus reliquiarum, quas* Gerardus *e Sandionysiano monasterio Bronium detulerit, expressam mentionem non faciat; hanc tamen habet Gallice, Latine a me redditam, in fine Clausulam :* Item (*reliquiæ scilicet Bronii servantur*) plurium aliorum sanctorum martyrum, confessorum et virginum, quorum nomina soli Deo nota sunt : *cum ergo secundum hanc Bronii etiam plurium Sanctorum, quorum latent nomina, reliquiæ serventur, has inter forsan est unius ex Innocentibus ab Herode occisis corpus, quod, ut biographus noster refert,* Gerardus *a Sandionysianis monachis acceptum Bronium detulit.*

E

expresse accenseri inveniantur, non propterea tamen erravit Sancti biographus,

84 *Id sane vel idcirco vero potest videri non absimile, quod unus ille ex Innocentibus, cujus corpus a Dionysianis Sanctus obtinuit, nullo a biographo nostro nomine insigniatur, nec aliunde, qui vocatus fuerit, innotescat. Unde fit, ut illud Sanctorum eorum, quorum ignorantur nomina, reliquiis Bronii, ut mox recitata docet Clausula, asservatis, merito accenseri queat, licet nuspiam expresse memoretur eo modo, quo memorantur ea, de quibus supra, corpora duorum aliorum Innocentium, quorum alter* Philippus, *alter* Benjamin (*genuinone, an suppositio nomine, lector judicet*) *nuncupatur. Itaque secundum jam dicta ex Rayssio, Grammayo et reliquiarum Broniensium Catalogo certum esse non potest, unius ex Innocentibus corpus, e Sandionysiano monasterio acceptum, Bronii non asservari, ac proin inde biographus, qui huc illud a* Gerardo *allatum scribit, erroris argui non potest. Quod præterea etiam fieri non posset, quamvis corpus illud inter sacras, quæ Bronii asservantur, Sanctorum reliquias non exstare, haberetur compertum. Utut enim eo a* Gerardo *fuerit delatum, temporum injuria periisse potest, vel alteri cuipiam ecclesiæ esse concessum. Dubitandum ergo, omnibus perpensis, minime apparet, quin unius ex Innocentibus corpus a* Gerardo *e Sandionysiano monasterio Bronium fuerit delatum.*

F

cujus etiam fide plures aliæ a Gerardo Bronium latæ creduntur reliquiæ.

85 *Nec hoc tantum biographi fide credendum videtur; verum etiam a* Gerardo, *cum e Sandionysiano monasterio discessit, plures aliorum Sanctorum reliquias Bronium esse devectas, quamvis, quæ qualesve illæ fuerint, ne conjectura quidem sat fundata fas sit assequi. Nihil quippe vel in biographo vel alibi occurrit, quod qualemcumque conjecturæ hujusmodi faciendæ locum præbeat. Unum tamen, quod huc etiam pertinet, commemorari insuper hic potest; non omnes scilicet, quas* Gerardus, *e Dionysiano monasterio discedens, secum tulit ad Broniense cœnobium, reliquias a Dionysianis monachis ipsi fuisse concessas. Etenim biographus hisce supra adhuc recitatis verbis*

A *verbis sic scribit :* Multorum pignora Sanctorum (*sanctus* Gerardus *Bronium*) dignoscitur advexisse, quæ fideli repositione sibi collegerat undecumque. *Sanctus ergo reliquias, quas, cum e Dionysiano monasterio discessit, secum detulit Bronium, undecumque collegerat, ac proin non a solis Dionysianis monachis acceperat. Porro* Gerardus *non solum iis Sanctorum reliquiis, quas, e Dionysiano cœnobio discedens, secum attulit, conditum a se Broniense monasterium ditavit, verum etiam aliis, quas serius variis in locis obtinuit, Broniumque devexit. Posset ob argumenti similitudinem de his etiam sat opportune hic agi; verum cum tempus, quo circiter a Sancto acquisitæ fuerint, a dicendis dependeat, commodius de iisdem infra tractabitur.*

§ VII. Clericis monachos Bronii substituit, quo tempore id fecerit, et an hos in monasterium, antea clericis constructum, induxerit.

Sanctus clericis monachos e Dionysiano monasterio

Clericis monachos a Gerardo, *e Dionysiano monasterio in patriam reverso, Bronii fuisse substitutos, nemo est, qui vocet in dubium.* Vir vero, *inquit de* Gerardo *Bronium jam reverso num.* 33 *biographus,* Domini Gerardus de bonis ad meliora contendens, et Broniense sanctuarium in cunctis B provehere volens, clericorum, quam ibi prius locaverat, eliminavit conversationem, monastici Ordinis substituens religionem. *Ast an id statim a suo in patriam reditu Sanctus effecit? Id nuspiam aperte edicit biographus. Attamen haud diu admodum a Sancti reditu id accidisse, colligendum videtur ex iis, quæ num.* 30 *et tribus sequentibus narrat biographus, quæque Commentarii hujus num.* 36 *compendio jam ob oculos posui. Etenim secundum hæc (adi loco citato biographum) non diu admodum a Sancti reditu contigisse videtur, ut Richarius, Leodiensis episcopus, synodum Leodii indixerit, ad eamque Anselmum, Broniensis ecclesiæ ædituum, cum S. Eugenii martyris, cujus reliquias Bronium* Gerardus *attulerat, Passione accersierit.*

nondum diu reversus Bronii substituit.

87 *Jam vero dubium non apparet, quin is, quem cum S. Eugenii Passione Leodii adesse, Richarius jussit, monachus exstiterit, a* S. Gerardo *e Dionysiano monasterio Bronium adductus; neque enim Eugenii Passio penes alios tunc exstitisse videtur, quam penes* Gerardum, *monachosque, quibus comitantibus, illam hic Bronium una cum ejusdem sancti martyris reliquiis detulerat. Quapropter cum Anselmus, haud dubie ex dictis monachus, ex biographi testimonio* C *ecclesiæ Broniensis ædituus tunc exstiterit, dubitandum non apparet, quin ibi jam tum monachi clericis a* Gerardo *essent substituti; alioquin enim monachus futurus tum fuisse non videtur ecclesiæ illius ædituus. Hinc jam etiam annus, quo clericis monachi a* Gerardo *Bronii subrogati fuerint, prope definitus eruitur. Cum enim hoc ex jam dictis factum fuerit non diu admodum a Sancti e Dionysiano monasterio in patriam reditu, hicque, uti ex supra disputatis liquet, anno* 928 *secundum eam, quæ verosimilior apparet, opinionem acciderit, verosimilius etiam eo ipso pariter anno clericis monachi fuerint a* Gerardo *Bronii substituti. Verum non æque facili negotio definias, monasteriumne tunc primo Bronii monachis Sanctus exstruxerit, an vero hos in monasterium, antea jam a se nondum monacho ibidem exstructum, induxerit.*

Opinionis, quæ ibi tunc primo monasterium exstructum statuit, argumentum præcipuum.

88 *Difficultatem hanc num.* 36 *et binis sequentibus jam ex parte attigi, eamque plenius examinandam huc remisi. Eam itaque nunc examinare aggredior, utque, quid ipse sentiam, ab ipso mox initio edicam, monasterium Bronii* Gerardus *jam antea, cum ibi clericos instituit, nondumque esset monachus, exstruxisse mihi videtur. Itaque, ut, hoc præmonito, rem incipiam, pro opinione, quæ contrarium statuit, quæque Mabillonium habet patronum, validissime ex dictis militat donationis Charta a* Gerardo *ecclesiæ Broniensi anno* 918 *concessa, et Diploma, quo Henricus Auceps, Germaniæ rex, Broniensis monasterii fundationem anno* 932 *confirmavit. Argumenta adeo, quæ ex binis hisce antiquis monumentis pro illa Mabillonii opinione formari queunt, sedulo hic expendenda sunt, singulisque apta est adhibenda solutio. Ab his, quæ Henricianum Diploma suppeditat, duco initium. Dicitur in hoc* Gerardus jam conversus *monasterium Broniense exstruxisse. Unde consequi videtur, ut id ille, spectato Henriciano Diplomate, non prius fecerit, quam cum jam monachum induisset; neque enim, ut num.* 37 *Mabillonii opinionem tantisper propugnantes diximus, alia assignari posse videtur ratio, qua id Sanctus jam conversus fecisse dicatur. Primum hoc est, validissimumque pro Mabillonii opinione argumentum.*

AUCTORE C. B

Recte quidem id citius,

89 *Marneus, plus semel jam laudatus, putat quidem, idque recte, monasterium Broniense, priusquam* Gerardus *jam monachus e Sandionysiano monasterio esset reversus, fuisse exstructum. Attamen argumento mox memorato potissimum, ut apparet, impulsus id etiam non prius, quam cum jam Sanctus esset monachus, factum fuisse, in sua ad Namurcensem Historiam Præfatione pag.* 77 *perperam statuit. Etenim hoc loco, ut nihilominus, quemadmodum apparet, dictum monasterium jam tunc, cum in ecclesiam Broniensem clerici sunt inducti, fuisse exstructum,* E *tueatur, statuere insuper videtur, non prius etiam in eam, quam cum jam* Gerardus *factus esset monachus, clericos fuisse inductos. Verbis Gallicis, Latine a me redditis, sic scribit :* Gerardus hinc (*Stephani, Leodiensis episcopi, consilio*) in suo deserendi seculi proposito confirmatus, ad amussim sequi, quæ ei suaserat episcopus, decrevit. Antequam patriam desereret, omnia, quæ ad illam (*Broniensis monasterii*) fundationem spectarent, composuit, deditque in mandatis, ut, cum primum ad apicem monasterium esset perductum, clerici interim in eo constituerentur, dum ipse illud cum monachis, postquam vitæ religiosæ exercitiis animum excoluisset, occupatum posset venire. Tunc nulla re amplius in seculo detentus, monasterio S. Dionysii sese inclusurus, abscessit. *Clerici ergo, ut his verbis etiam velle videtur Marneus, in ecclesia Broniensi, adjectoque huic monasterio non prius fuere constituti, quam cum jam* Gerardus *San-dionysianum cœnobium esset ingressus.*

perperam tamen a Gerardo, jam monacho, factum statuit Marneus;

90 *Verum id cum iis, quæ biographus num.* 10 *et* 11 *refert, componi non potest. Etenim ibidem hæc habet :* Vir vero Domini Gerardus jussionis apostolicæ exsecutor promptissime, postquam fine tenus injunctum peregerat opus, ad eamdem basilicam (*Broniensem a se exstructum*) devotissimum contulit munus ex copiosis prædiorum suorum redditibus, F quod interim sufficeret ibidem Deo servientibus. Adhibuit quoque illic pro tempore clericorum religionem, per datam sibi sapientiam instituens eos vivere secundum canonicum morem : *ac deinde, aliquot versiculis pro inepto suo more interpositis, ita prosequitur :* Constructo igitur Vir sanctus oratorio, atque ibidem, ut dictum est, constituto clericorum officio, de divinitus sibi promisso cœpit plurimum cogitare thesauro, qualiter videlicet potiri posset beati Eugenii martyris et episcopi corpore sacrosancto. Circa quod dum crebro ejus versatur intentio, superius memorato comiti Berengario quibusdam ex causis incidit occasio (sic nimirum divina disponebat Promissio) ut in Franciam dirigeret legationem.... Ad se autem adscito Dei Athleta, solus soli revelat consilii sui secreta; et ut illuc usque sua proferat missatica, collocutione commendat amica. Gerardus *ergo, uti ex tota hac biographi narratione liquet, clericos in Broniensi ecclesia constituit ante eam, quam pro comite Berengario obivit, legationem, ac proin etiam ante suum, utpote qui ex dictis hac posterior sit, in S. Dionysii monasterium ingressum. Clericos ergo post hunc in ecclesiam Broniensem fuisse inductos, perperam statuit Marneus, uti etiam Broniense monasterium tunc exstruxisse* Gerardum, *cum secundum dicenda fecisset*

AUCTORE C. B.

set id Sanctus jam tum, cum in Broniensem ecclesiam clericos induxit.

utut enim is nondum monachus monasterium illud exstruxerit, id tamen jam conversus

91 *Ast, inquies, si* Gerardus *post suum in Sandionysianum monasterium ingressum cœnobium Broniense non condidit, qua via, quæso, sat dissolvi queat argumentum, ex Henriciano diplomate proxime propositum, ex quo consequi videtur, ut* Gerardus *non prius, quam cum jam factus esset monachus, præfatum cœnobium exstruxerit. Sanctus, uti ex ejus donationis Charta, sæpissime jam laudata, manifestum fit, novum monasterium Bronii construere, Deoque militare jam ab anno* 918, *nondum monachus, statuerat. Propositum scilicet Sanctus habebat, sæculo nuntium remittere, eratque proinde jam tum a sæculari vita ad religiosæ vitæ propositum, reque ipsa ad meliorem etiam, sanctioremque verosimillime conversus. In donationis Charta ita loquitur :* Dono... aliquas res meas ad ecclesiam (*Broniensem scilicet*) ubi cupio construere monasterium, ac meipsum in servitio omnipotentis Dei militaturum. *Sese ergo, cum Chartam illam dedit,* in servitio omnipotentis Dei militaturum *Broniensi ecclesiæ donarat, totumque proinde, missis humanis, rebus animum cælestibus addixerat. Fieri ergo potest, ut idcirco, cum post datam saltem eamdem Chartam Broniense monasterium fuerit exstructum, Sanctus jam conversus, utut*

B *id nondum monachus fecerit, sacrum illud ædificium condidisse, ab Henrico Aucupe in diplomate asseratur. Atque id quidem idcirco verosimilius potest videri, quod is donationis Chartam, a* Gerardo *monasterio Broniensi concessam, verosimiliter tunc viderit, cum laudatum diploma ad ejusdem monasterii fundationem, donationesque ei factas confirmandas concessit. Neque est, quod dicas,* Gerardi *conversionem, quam num.* 19 *memorat biographus, supra a nobis esse acceptam pro Sancti ad Dionysianum monasterium accessu; id enim idcirco factum est, quod, priusquam de Sancti conversione loquatur biographus, illius ad vitam monasticam accessum referat, sicque hunc per illam manifeste designet. Itaque, ut mihi equidem ob omnia jam dicta apparet, argumentum supra propositum ex Henriciano diplomate, quod insuper secundum infra dicenda interpolatum est, vim suam amittit, ac proin ex eo nequit evinci, Broniense monasterium non prius, quam cum jam* Gerardus *factus esset monachus, fuisse exstructum. Nec id etiam queunt evincere duo alia argumenta, quorum alterum pariter ex Henriciano diplomate, alterum ex donationis Charta Broniensi monasterio a* Gerardo *concessa repetitur.*

dumtaxat exstruxisse, ab Henrico Aucupe dici potuit.

92 *Primum consistit in eo, quod in Henriciano Diplomate, quod anno* 932 *datum notatur, monasterium Broniense* nuper *dumtaxat exstruxisse dicatur* Gerardus, *hincque post annum* 919, *quo Sanctus verosimilius monachum induit, videatur exstructum.*

C *Verum non raro accidit, ut ea, quæ multo etiam diutius sunt transacta,* nuper *dumtaxat facta esse, scriptores documentave commemorent. Multo sane diutius conditum jam erat Broniense monasterium, cum* Gerardus *e vivis excessit, quam cum ejusdem fundationem Diplomate suo Henricus Auceps confirmavit, et tamen Meyerus in Annalibus Flandriæ ad annum* 939 *sic scribit :* Gerardus Cellensis, Sanctus appellatus Gerardus, diem clausit apud Bronium Hanoniæ (*imo Namurcensis comitatus*) monasterium, quod recens condiderat. *Plura ejusmodi exempla non adduco, unum hoc, quod ad ipsam, qua de agimus, materiam spectat, adduxisse contentus. At vero in opinione nostra, qua Broniense monasterium a* Gerardo *nondum monacho conditum statuimus, fuerat id dumtavat, cum annus ageretur* 932, *tredecim circiter annorum spatio exstructum, ut non videam, cur* nuper *exstructum, anno illo ab Henrico Aucupe in Diplomate dici nequiverit. Multo itaque minus postremum hoc argumentum contra opinionem nostram facit. Quod jam pertinet ad alterum, quod, ut dixi, a Sancti donationis Charta repetitur, id unice consistit in eo, quod secundum illam anno* 918 *statutum dumtaxat* Gerardo *fuerit, Bronii exstruere monasterium. Unde consequi videtur, ut, cum Sanctus brevi post annum* 918 *factus sit monachus, conditum* D *id ab eo jam monacho primum fuerit.*

Hinc, cum nec ex Sancti donationis Chartæ res evincatur, argumentis

93 *Ita sane res habet, si modo inter tempus, quo Sanctus monachum induit, et annum* 918, *quo donationis Charta data notatur, tantum temporis spatium, quod ædificando monasterio suffecerit, medium non fuerit. Verum nihil vetat, inter duos illos terminos annum unum, cum magna etiam alterius parte conjunctum, medium statuere, hocque proinde temporis spatio a* Gerardo *nondum monacho monasterium Broniense potest esse constructum. Et vero, cum ex mox dicendis monasterium illud* Gerardus, *priusquam monasterio Dionysiano sese inclusisset, verosimillime exstruxerit, ob argumentum jam proxime productum necesse mihi omnino videtur, ut mensium circiter sedecim spatium, quo Broniense monasterium fuerit exstructum, intercessisse medium statuatur inter tempus, quo Sanctus monachum induit, et tempus, quo sæpissime memoratam donationis Chartam emisit. Id porro cum ita fieri necesse sit, consequens est, ut Sanctus non anno* 918, *ut communiter putatur, sed anno* 919 *vel forte initio sequentis monasticum habitum primo assumpserit, uti etiam idcirco supra in hoc Commentario prævio jam docui. Venio nunc ad argumenta opinionis oppositæ, quæ Broniense monasterium a* Gerardo *nondum monacho statuit exstructum. Præter ea, quæ num.* 36 E *et* 37 *in medium adduxi, plura adhuc alia pro illa militant. Itaque, ut eam firmiter stabiliam, nonnulla ex his insuper hic propono. In Supplemento ad Diplomata Belgica Miræi cap.* 3 *exhibetur diploma, quo Carolus Simplex, Francorum rex, Broniensis monasterii fundationem confirmat. In hoc autem* Gerardus, *priusquam territorium Parisiense adiret, sacrumque Eugenii martyris corpus impetraret, monasterium Broniense exstruxisse, diserte asseritur. Totum adeo diplomatis initium, quo id fit, huc transcribo.*

ex Caroli Simplicis diplomate,

94 *Sic habet :* Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, et nostris præsentibus atque futuris, quia adeuntes nostram serenitatem comites venerabiles Hagano et Ermenfridus adduxerunt secum Virum venerabilem, servum Dei Gerardum, qui Bronium monasterium in pago Lomacensi super rivum Bornon sitam, ubi Pipinus, filius Ansigisi jussit oratoriolum exstrui suis fidelibus, et beatissimum Lambertum, ecclesiæ Tungrensis episcopum, pia peroratione fecit dedicare in honore perpetuæ Virginis Mariæ sanctique Joannis Baptistæ atque clavigeri Christi et Apostolorum principis Petri, restruxit et amplificavit in melius. Completo itaque jam dicti loci ædificio, adiit Vir Dei Parisiacense territorium ad monasterium F sanctorum martyrum Dionysii sociorumque ejus. Impetravit, quod diu desideravit, thesaurum, egregii scilicet martyris Eugenii, Toletanæ sedis episcopi, corpus nobilissimum, cum aliorum multorum pignorum Sanctorum, et cum magna exultatione asportavit ad jam dictum locum. Gerardus *ergo, spectato hoc diplomatis, quod Caroli Simplicis nomine signatur, initio, monasterium Broniense prius condidit, imo ad apicem etiam perduxit, quam futurus monachus ad San-dionysianum monasterium sese conferret. Verum, inquies, illud Caroli Simplicis diploma vel omnino supposititicium est, vel certe admodum interpolatum. Fateor, sic se habet, idque ipsemet § sequenti dilucide probabo. Verum cum nihilominus admodum antiquum appareat, argumento saltem est, jam antiquitus eam, quæ monasterium Broniense ante susceptam a* Gerardo *vitam monasticam statuit exstructum, opinionem obtinuisse, cumque adeo hæc vel sic etiam confirmeter, libuit illud hic etiam proferre, quamvis rem evincere, ob jam dicta minime queat. Alia nunc addo.*

ex Sancti biographo

95 *Certum est ex dictis atque indubitatum,* Gerardum *in ecclesia Broniensi prius instituisse clericos, quam in San-dionysiano monasterio sese inclusisse. Adhæc certum etiam esse debet,* Gerardum *clericos, quos ibi instituit, secundum canonicum morem seu institutum vivere voluisse : ita scilicet num.* 10 *docet biographus,*

A *biographus, nec est, cur illi hac in re fides denegetur. Verba ejus hæc sunt :* Adhibuit quoque illic (*in ecclesia Broniensi* Gerardus) pro tempore clericorum religionem, per datam sibi sapientiam instituens eos vivere secundum canonicum morem. *Voluit ergo* Gerardus, *ut clerici seu canonici, quos in ecclesia Broniensi a se condita constituit, secundum canonicum morem seu secundum sacros canones canonicis seu clericis a Patribus præscriptos vitam exigerent. Jam vero, ut Thomassinus tom. I de Veteri et Nova Ecclesiæ Disciplina lib.* III, *cap.* 9 *dilucide probat, sacri canones districte exigebant, ut canonici, qui in una eademque ecclesia Deo deserviebant, in uno etiam eodemque monasterio cohabitarent inclusi. Quapropter parum verosimile apparet, a Sancto nostro, qui volebat, ut clerici seu canonici, quos in ecclesia Broniensi a se constructa constituebat, secundum sacros canones vitam ducerent, non fuisse jam tum, cum illos ibidem collocaret, monasterium exstructum, in quo secundum sacros canones inclusi cohabitarent, vitamque pie et religiose ex Patrum præscripto exigerent.*

atque aliunde petitis

96 Gerardus *ergo jam tum, cum clericos seu canonicos in ecclesia Broniensi a se condita constituit, monasterium Bronii exstruxerit, hocque illis inhabitandum dederit. Quapropter, cum ex dictis canonicos*

B *seu clericos secundum canonicum morem viventes, antequam monachum indueret, in ecclesia Broniensi constituerit, consequens est, ut et Broniense monasterium, antequam id faceret, pariter exstruxerit. Quod ut adhuc magis patescat, argumentum, quod Commentarii hujus num.* 36 *jam delibavi, paulo dilucidius hic propono.* Gerardus, *uti biographus num.* 35 *testatur, e Dionysiano monasterio Bronium reversus,* in Broniensi sanctuario clericorum, quam ibi prius locaverat, eliminavit conversationem, monastici ordinis substituens religionem. *Sanctus ergo, teste biographo, e Gallia Bronium redux monachos eo ipso in loco constituit, quo anta clericos seu canonicos collocarat. Jam vero* S. Gerardus *omni dubio procul tunc monachos in Broniensi monasterio constituit, ac proin eo ipso etiam in monasterio jam antea clericos seu canonicos collocarat. Hinc porro jam consequitur, illud, quemadmodum vult Mabillonius, non tunc primum, cum* Gerardus *jam monachus Bronium rediit, sed jam tum, cum hic clericos Bronii constitueret, monachumque proinde nondum induisset, fuisse exstructum. Huic jam, studiose lector, aliisque argumentis, quibus hoc modo probatum est, adde, si lubet, insuper hic illud, quod Commentarii hujus num.* 37 *a binis Rescriptis, Stephani septimi seu octavi Pontificis nomine signatis,*

C *repetitur, nec dubito, quin in opinionem nostram, quæ monasterium Broniense a* Gerardo *nondum monacho conditum statuit, manibus pedibusque, ut dicitur, sis concessurus.*

opinio opposita stabilitur.

97 *Et vero, quamvis Mabillonius opinionem contrarium, quam ex dictis in præviis suis ad* S. Gerardi *Vitam Observationibus docet, non uno etiam loco in Annalibus Benedictinis tradat, illamque proinde retractasse non videatur, non ita tamen firmiter ei inhæsit, quin aliquando secundum nostram fuerit locutus. Etenim in laudatis Annalibus lib.* XLIII, *num.* 8 *de* S. Gerardo *sic scribit :* Broniense in Lomacensi pago monasterium exstruxerat, ibique clericos interim collocaverat Gerardus, dum is in sancti Dionysii monasterio monasticam professionem firmasset. Annis decem cum peculiari virtutum studio et ardore istic exactis, animo insedit Bronium repetere, ibique monachos clericorum loco instituere. *Quibus verbis sane secundum opinionem nostram, qua* Gerardum *ante monasticam professionem Broniense monasterium exstruxisse, arbitramur, apertissime loquitur. In opinione ergo opposita saltem vacillasse potest videri, aut forte etiam in alterutra amplectenda sat sibi non constitisse; quod tamen futurum fuisse non videtur, si is scriptor argumentis iis, quæ supra ex* S. Gerardi *donationis Charta et Henrici Aucupis diplomate in medium adduximus, evinci omnino atque indubitatam effici existimasset opinionem, quæ Broniense monasterium a* Gerardo *jam monacho conditum statuit. Quapropter, cum id ita sit, vel hinc etiam nostra, quæ illi e diametro opponitur, confirmatur opinio, proque verosimillimo idcirco, imo etiam pro fere indubitato habeo, Broniense monasterium a Sancto nostro nondum monacho fuisse exstructum. Ceterum, cum ex dictis id indubie ante donationis Chartam ecclesiæ Broniensi a* Gerardo *datam factum non sit, necesse omnino hinc jam est, ut, quemadmodum jam monui, monasterii Broniensis constructio inter tempus, quo illa data est, et tempus, quo* Gerardus *Sandionysianum monasterium ingressus est, ac proin anno fere* 919 *accidisse statuatur.*

AUCTORE C. B.

§ VIII. De Caroli Simplicis diplomate, binisque Pontificiis rescriptis, quæ per Gerardum monasterio Broniensi impetrata feruntur.

Diplomata seu rescripta Gerardo concessa. Notæ chronicæ, E

D*iversa Pontificum regumque diplomata seu rescripta, quæ Broniensi monasterio per* S. Gerardum *impetrata fuerint, circumferuntur. Verum hæc inter vix ullum est, quod non ex nota aliqua, quam præfert, interpolationis suppositionisve queat aut etiam debeat haberi suspectum. Res ex dicendis patescet. Duo tamen reipsa ex his ad* Gerardi, *e Dionysiano monasterio Bronium jam reversi, postulationem fuere concessa. Atque hinc est, cur post habitum jam de Sancti in Dionysiano cœnobio vita monastica, promotione ad sacerdotium, redituque in patriam sermonem, de illis nunc tractare, mihi sit animus; quamvis autem diploma, quod Caroli Simplicis nomine signatur, datum notetur citius, de hoc tamen non prius tractandum duxi, quam de reliquis, quæ* Gerardo *data feruntur, diplomatibus seu rescriptis facerem sermonem. Tam de illo adeo, quam de his, atque id quidem secundum annorum etiam, quibus singula data notantur feruntur, ordinem tractabo. Secundum hunc reliqua præcedit, § præcedenti moxque iterum jam memoratum, quod Carolus Simplex, Francorum rex, Haganonis et Ermenfridi comitum interventu* Gerardo *impertivisse, memoratur. Variis notis chronicis, tempus, quo fuerit emissum, indicantibus, corroboratur. Hoc quippe modo signatur in fine :* Datum sexto Kalendis Septembris, Indictione secunda, anno vigesimo nono regnante Carolo rege glorioso, redintegrante vigesimo quarto, largiore vero hæreditate indepta decimo. Actum Aquisgrani palatio, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo decimo quarto.

F

quibus signatur Caroli Simplicis diploma, adulterinæ sunt.

99 *Tres hic epochæ regni Caroli Simplicis usurpantur, quarum prima ex dictis ab anno* 892, *quo primum rex coronatus est, secunda ab anno* 898, *quo Odoni, Francorum regi, successit, ac tertia demum ab anno* 912, *quo post mortem Ludovici, Germaniæ regis, ampliorem hæreditatem est adeptus, ducit initium. Verum annus Christi* 914, *quo diploma notatur, componi nequit cum tribus diversis annis, quibus id pariter secundum tres illas diversas regni Caroliui epochas signatur. Etenim anno Christi* 914 *nec vigesimus nonus a regno primum inito, nec vigesimus quartus a regno, quod integrum hactenus non possederat, post mortem Odonis redintegrato, nec decimus denique ab ampliori post obitum Ludovici hæreditate obtenta Carolo Simplici volvebatur annus, ut computanti patebit. Indubie ergo interpolatum est hoc diploma, hincque est, cur jam supra ex hoc annum seu tempus, quo circiter conditum sit Broniense monasterium, definiendum non duxerimus, ausi etiam sæpissime jam laudatæ, quam* Gerardus *dedit, Chartæ auctoritate serius id, quam quidem diploma notet, factum statuere. Verum anne hoc plane etiam suppositilium non est? Est sane, cur plane suppositilium esse, non immerito quis arbitretur. Etenim præter notas chronicas jam memoratas, quæ omni dubio procul adulterinæ sunt, multa adhuc alia præfert suppositionis, aut certe interpolationis, indicia.*

AUCTORE C. B.

Verba, quæ § præcedenti huc ex illo transcripta sunt, apertissime indicant, datum non fuisse, nisi post S. Eugenii martyris reliquias a S. Gerardo *e Dionysiano monasterio Bronium translatas, ac proin non citius, quam anno circiter* 928 *aut sequenti, uti ex iis, quæ jam supra disputata sunt, facile colliges.*

hocque forte plane est suppositilium; diploma tamen aliquod, ut apparet, Carolus Gerardo

100 *Hinc porro jam consequitur, ut vel anno* 928 *vel* 929 *datum esse debeat; neque enim Carolus Simplex, a quo datum notatur, ultra annum* 929 *vitam protraxit, uti ex Frodoardo in Chronico, omniumque eruditorum consensu manifestum evadit. At vero Carolus, uti idem Frodoardus, aliique illius temporis historici testantur, captivus a suis anno* 928 *et sequenti detinebatur. Unde fit, ut primo quidem vel hinc admodum dubium sit, an Carolus præfatum diploma in Broniensis monasterii favorem* Gerardo *umquam concesserit; deinde vero, ut certum sit, id Aquisgrani datum, perperam notari; qui enim fieri queat, ut Carolus, qui in Francia a suis captivus binis dictis annis detinebatur, alterutro ex his præmemoratum diploma Aquisgrani, Lotharingiæ seu Lotharii regni oppido, ad preces* Gerardi *Broniensi monasterio impertierit? Adde jam ab anno saltem* 925 *totam Lotharingiam, in qua Aquisgranum situm erat, in Henrici Aucupis, Germaniæ regis, potestatem concessisse, ut vel ex hoc capite vero fiat*

B *prorsus absimile, anno* 928 *vel* 929 *præfatum diploma Aquisgrani a Carolo Simplice fuisse concessum. Hinc fit, ut, omnibus hisce perpensis, nesciam, an diploma illud pro plane supposititio non debeat haberi. Admodum sane mihi est suspectum tum ob jam dicta, tum etiam ex eo, quod verbis § præcedenti recitatis dicat, monasterium Broniense a* Gerardo *restructum seu reædificatum fuisse; quod, cum Sanctus ex dictis Broniense monasterium de novo exstruxerit, a vero indubie est alienum. Utut sit, cum nihilominus diploma illud, veluti* Gerardo *datum, sub Caroli Simplicis nomine circumferatur, puto, ab hoc rege diploma aliquod, quamquam non tale, quale apud Miræum exstat, reipsa* Gerardo *in monasterii Broniensis favorem fuisse concessum.*

concessit. Rescriptum pontificium brevius, quod

101 *Atque id quidem factum reor anno* 919 *aut initio sequentis, cum scilicet jam primo illud esset conditum, Sanctusque nondum monachum induisset. Neque enim serius id vel citius factum esse posse, ex jam dictis facile colliges. Ad aliud nunc, imo duo alia diplomata seu potius rescripta, quæ ambo in Broniensis monasterii favorem* Gerardo *data esse, a nonnullis creduntur, sermonem converto. Alterum anno circiter* 929 *datum notatur; quamvis vero alterum annis aliquot serius signetur emissum, sitque proinde Henrici Aucupis pariter hic discutiendo di-*

C *plomate, quod annum* 932 *præfert, temporis ordine posterius, æque nihilominus de posteriori illo, quam priori rescripto hic ago, quod ambo inter se necessaria quadam ob materiam tractandam conjunctione connectantur; imo unum dumtaxat sint, idemque rescriptum, uti ex dicendis patescet. Exhibet porro illa Miræus, alterum quidem, quod est brevius, sub Stephani Pontificis nomine in Notitia ecclesiarum Belgii cap.* 52; *alterum vero, quod ex prolixius, sub Stephani item Pontificis nomine in Diplomatibus Belgicis lib.* II, *cap.* 21. *De binis hisce Rescriptis plura hic disserenda sunt, ac proin, ut hæc commodius intelligantur, lubet utrumque huc transcribere. Brevius sic habet :* Stephanus episcopus, servus servorum Dei, notum cupimus esse omnibus, qualiter filius ac frater noster Gerardus abbas nobis innotuit de monasterio Broniensi, quod in melius reformavit et restauravit in honore S. Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, et S. Joannis Baptistæ. Post vero multorum Sanctorum pignora, congregavit ibi corpus etiam S. Eugenii martyris, archiepiscopi Toletanæ sedis, discipuli S. Dionysii, et cum magna reverentia et honore inibi attulit : hereditatem quoque propriam tam in agris quam mancipiis, et in omnibus jure hereditario adjacentibus ad præfatum dedit monasterium.

102 Postquam autem nobis hoc indicavit, provolutus pedibus nostris petiit, quatenus auctoritate D Apostolorum Petri et Pauli malediceretur omnis, qui de eodem monasterio aliquid conaretur auferre. Adstantibus igitur episcopis et consentientibus, petitionem famuli Dei Gerardi Apostolica auctoritate firmari decrevimus. Ego Castorius Notarius Regionarius et Scriniarius S. Romanæ Ecclesiæ, corroborante Apostolica auctoritate, et sancto Papa Stephano suggerente, recognovi. Data v. Kalendas Maii anno... regnante Henrico in regno Lotharii, imperante in Italia Hugone anno secundo, Indictione... Actum Romæ feliciter. Amen. *Tale est, quod Stephani Pontificis nomine ad* Gerardi *preces Broniensi monasterio datum notatur, rescriptum seu privilegium brevius. Hoc porro, excepta clausula, qua, quo anno circiter concessum sit, designatur, totum fere ad verbum, uti ex utriusque collatione patescet, prolixiori, utpote ex hoc secundum dicenda contractum, inseritur. Hinc sane prolixioris initium, quod toto breviori jam recitato dumtaxat fere constet, non describerem, nisi hinc palam, in quo invicem discrepent, posset haberi. Totum itaque, etiam cum suo initio, rescriptum seu privilegium prolixius huc transcribo. His verbis concipitur :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, et S. Mariæ semper Virginis. Stephanus, Sedis Apostolicæ summus episcopus, servus servorum E Dei, fratribus ac filiis nostris per universum orbem terrarum in fide Catholica degentibus.

huc transcribitur cum prolixiori,

103 Notum cupimus esse omnibus tam præsen- *quod hic pariter*
tibus quam futuris, qualiter filius ac frater noster, divina annuente clementia, Gerardus abbas nobis innotuit de monasterio Broniensi, quod in melius reformavit et restauravit, in honore S. Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, et S. Joannis Baptistæ. Post vero multorum Sanctorum pignora, congregavit ibi corpus etiam S. Eugenii martyris, archiepiscopi Toletanæ sedis, discipuli et ordinati S. Dionysii archiepiscopi, et cum magna reverentia et honore inibi attulit : hereditatem quoque propriam tam in agris quam mancipiis, et in omnibus jure hereditario adjacentibus devote ac voluntarie ad præfatum dedit monasterium. Postquam autem nobis hoc indicavit, provolutus pedibus nostris petiit, quatenus auctoritate Apostolorum Petri et Pauli malediceretur omnis, qui de eodem monasterio aliquid conaretur, tam de reliquiis Sanctorum, quam de vestimentis et libris, et de territoriis auferre, atque de mancipiis vel de aliis quibuslibet rebus, quas nunc habet sibi datas, vel ultra possit Dei misericordia obtinere. Hoc quoque magnopere expetiit, ut eodem constringatur anathemate quicumque privilegium, quod de eodem F loco et monasterio jam regia magnificentia et imperialis sanxerat auctoritas, aliquatenus præsumeret infringere : scilicet ut nullus episcopus, nullus comes, nullus advocatus, nullus judex publicus, nec quilibet ex judiciaria potestate, in ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii præsumat ingredi, aut ad causas audiendas, aut precaturas faciendas, aut freda vel tributa, aut obsonia quælibet exigenda, vel mansiones aut sylvas, vel paradas faciendas; aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem monasterii, tam ingenuos quam servos, super terram ipsius commanentes, injuste distringendos, nec ad ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus.

104 Sed liceat memorato Dei servo Gerardo, *recitatur,*
suisque successoribus, res prædicti monasterii cum monachis suis sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere ex ordinare absque cujuslibet arbitri communione, nisi ipso abbate et suis monachis id rationabiliter fieri petentibus. Hoc quoque firmari expetiit nihilominus, ut eadem damnetur maledictione, quicumque locum ipsum et loci incolas infra suos terminos hostili incendio vel cæde, aut aliqua injusta oppressione præsumpserit aliquatenus depopulari vel infringere. Adstantibus

A stantibus igitur episcopis et confratribus hujus sanctæ Romanæ Sedis, et consentientibus, petitionem famuli Dei Gerardi Apostolica auctoritate firmari decrevimus. Igitur auctoritate Patris et Filii et Spiritus sancti, et sanctæ Mariæ semper Virginis, Dei Genitricis, et omnium cælestium virtutum, et S. Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Eugenii martyris, ejusdem loci patroni et provisoris, et Sanctorum, quorum reliquiæ inibi sunt, simulque omnium Sanctorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, excommunicamus, anathematizamus, damnamus omnes, qui horum quidpiam, quæ de immunitate et libertate Broniensis ecclesiæ et loci prælibata sunt, irritum fecerint vel infregerint, nisi resipuerint et pœnituerint, et ab abbate et fratribus ejus veniam promeruerint, et de cetero emendaverint. At vero, qui observator exstiterit hujus nostræ præceptionis et regiæ sanctionis, gratiam et misericordiam vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. Ego Castorius Notarius regionarius et Scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, corroborante Apostolica auctoritate, et sancto Papa Stephano suggerente, recognovi. Signum domini Stephani Papæ gloriosi. Data v. Kalendas Maii, anno ab Incarnatione Domini... Actum Romæ feliciter,
B amen.

cuique plures, etiam absentes, subscripserunt episcopi,

105 *Plures deinde Privilegio seu Rescripto subscribunt episcopi, quorum plerique, cum id Romæ a Pontifice impetravit* Gerardus, *ibidem verosimillime non exstitere. Mabillonius lib.* II *de Re diplomatica non uno exemplo probat, diplomata seu privilegia subinde etiam episcoporum, qui, cum hæc emitterentur, absentes erant, subscriptione munita inveniri; qua vero ratione factum sit, ut plures episcopi absentes rescripto seu privilegio proxime jam recitato subscripserint, docet nos Sancti biographus num.* 74 *sic scribens :* Plumbeo bullatum sigillo (*Stephanus, Romanus Pontifex*) privilegium, quod et PERTONGAR appellant, contulit illi (S. Gerardo *scilicet*) concessa etiam licentia sibi, ut gratia id confirmandi ex præcepto ipsius domni Apostolici (*Stephani, Pontificis Romani*) omnes subscriberent episcopi, per quos repatriando speraret ipse (*sanctus* Gerardus) reverti. *Pontifex ergo, quemadmodum his verbis innuit biographus, in mandatis dedit, ut omnes episcopi, ad quos* Gerardus *Roma in patriam rediens diverteret, Rescripto seu Privilegio, quod ei concesserat, nomen suum adjicerent. Et vero Privilegio inter plures alios, quorum sedes non exprimitur, subscribunt archiepiscopi quidem Mediolanensis ac Trevirensis; episcopi vero Placentinensis, Cumensis,*
C *Stratburgensis seu Argentoratensis, et Basulensis, id est, ut puto, Basileensis; per quorum omnium episcopales urbes transiisse* Gerardum, *ut in patriam rediret, vero absimile non est. Atque hæc quidem hactenus, si ob dicenda Mediolanensis archiepiscopi subscriptionem exceperis, difficultatem non patiuntur. Verum Privilegio pariter subscribunt Benedictus Metensis et Stephanus Cameracensis, episcopi, quorum prior, anno* 929 *sede abdicata, anno* 940 *e vivis excessit, posterior non diutius certe, quam ad annum usque* 933 *vitam produxit; hinc autem in suis ad* Gerardi *Vitam Observationibus præviis infert Mabillonius, non a Stephano VIII Romano Pontifice, sed a Stephano VII fuisse privilegium* Gerardo *concessum.*

unum est, idemque rescriptum.

106 *Et sane, cum Stephanus VIII, uti inter eruditos convenit, anno dumtaxat* 939 *ad S. Petri cathedram fuerit evectus, nequit per hunc* Gerardo, *quod huc jam transcripsi, concessum esse privilegium, cui Stephanus, Cameracensis episcopus, non serius certe quam anno* 933 *vita functus, et Benno seu Benedictus, Metensis episcopus, qui anno* 929 *sedem abdicavit, subscribunt. Verum dubitari potest, primo quidem an ex interpolatione factum non sit, ut Stephanus et Benno præmemorato Privilegio seu Rescripto subscribant; deinde vero an ex hypothesi, quod hoc Privilegium Stephano VIII nequeat adscribi, aliud ab eo in monasterii Broniensis favorem* Gerardo *datum non fuerit. Unius dumtaxat Privilegii Pontificii, quod* Gerardus *Broniensi monasterio a se exstructo impetrarit, mentionem facit biographus, uti ejus de Sancto lucubrationem evolventi fiet perspicuum. Et vero, cum eadem fere omnia verba, quæ in Privilegio breviori, in prolixiori etiam occurrant, idemque tam in hoc, quam in illo signetur dati privilegii dies* v. Kal. Maii, *brevius cum prolixiori unum idemque apparet privilegium, ut adeo unicum dumtaxat privilegium Pontificium* Gerardo *datum fuisse videatur. Quapropter, cum duo circumferantur, veluti invicem distincta, privilegia Pontificia, Broniensi monasterio a* Gerardo *impetrata, necesse est ob jam dicta, primo quidem ut alterutrum ex his genuinum non sit; deinde vero, ut Stephanus VIII, si genuinum sit aut genuini loco haberi debeat Privilegium prolixius, nullum umquam Broniensi monasterio Privilegium seu Rescriptum concesserit. Ut adeo hic quidquam definiri queat, dispiciendum est, breviusne, an prolixius ex binis Pontificiis Rescriptis supra recitatis genuinum existat genuinive loco debeat haberi. Id adeo* § *sequenti præstare est animus.*

AUCTORE C. B.

§ IX. Utrum ex binis, quæ Gerardo data feruntur, Pontificiis Rescriptis genuinum existat, genuinive loco habendum videatur. E

Genuinum aut genuino proximum apparet rescriptum prolixius,

Rescriptum seu Privilegium Pontificium brevius, quod ex dictis Miræus exhibet, esse mihi dumtaxat videtur quoddam prolixioris, et quidem non valde accuratum, compendium, ut adeo genuinum aut certe genuino proximum appareat prolixius. Ut sic existimem, duabus potissimum rationibus impellor; prima est, quod rescriptum brevius interpolatum non immerito queat videri; altera est, quod characteres, quos biographus Pontificio per Gerardum *obtento rescripto attribuit, prolixiori, non autem breviori conveniant. Binæ hæ rationes, ob quas pro prolixiori rescripto Pontificio pronuntiem, probandæ sunt. A priori incipio. Rescriptum seu privilegium brevius* (*vide num.* 102) *datum notatur,* regnante Henrico in regno Lotharii, imperante in Italia Hugone anno secundo. *Hugo, Provinciæ comes, anno* 926, *uti a Frodoardo asseritur, et apud omnes fere eruditos in confesso est, factus est Italiæ rex; quare nequit annus regni ejus secundus componi cum Pontificatu Stephani, qui brevius illud privilegium* Gerardo *dedisse signatur, idque sive illud a Stephano VIII, sive*
F *a Stephano VII, quod verosimillime præplacebit, datum statueris. Etenim Stephanus VIII ex dictis ante annum* 939 *S. Petri Cathedram non conscendit; Stephanus autem septimus non citius quam anno* 929 *ad eamdem est promotus; anno autem* 929 (*de anno* 939 *nihil attinet dicere*) *non secundus, sed tertius agebatur Hugonis in Italia regni annus. Perperam ergo brevius Privilegium, regnante Henrico in regno Lotharii, imperante in Italia Hugone anno secundo, datum notatur, ac proin Privilegium brevius, quod notis hisce chronicis signatur, potest non immerito videri interpolatum. Verum, inquies, sunt etiam, qui initium regni Hugonis in Italia cum anno Christi* 927 *conjungunt. Fateor, sic habet; attamen cum illud equidem cum anno* 926 *verosimilius conjungendum, ex dictis appareat, ex anno secundo Hugonis, quo dictum rescriptum brevius signatur, esse saltem, an hoc interpolatum non sit, merito dubitandum, videtur. Et vero reipsa interpolatum merito etiam videri potest ex eo, quod, imperante Hugone, qui imperator numquam exstitit, datum notetur.*

quamvis enim interpolatum videri

108 *Ast, inquies ulterius, pari ratione interpolatum etiam merito videri potest rescriptum prolixius. In hoc enim Pontifex sic loquitur :* Hoc quoque (Gerardus *abbas*) magnopere expetiit, ut eodem constringatur anathemate, quicumque privilegium, quod de eodem loco et monasterio jam regia magnificentia

AUCTORE C. B.

gnificentia et imperialis sanxerat auctoritas, aliquatenus præsumeret infringere. *Quibus verbis innuitur, privilegium aliquod* Gerardo, *antequam ei Pontificium daretur rescriptum, imperiali auctoritate fuisse concessum; quod sane, sive ad Caroli Simplicis, sive ad Henrici Aucupis, cum neuter horum regum imperator exstiterit, diploma* Gerardo *concessum respiciatur, a vero semper est alienum. Fateor, sic habet. Et vero hinc est, cur non immerito quis suspicetur, totam jam recitatam periodum, qua id innuitur, privilegio Pontificio esse insertam ab aliquo, qui hoc* Gerardum *obtinuisse existimavit, postquam jam ei in monasterii Broniensis favorem diploma dedisset Henricus Auceps, Germaniæ et Lotharingiæ seu Franciæ Orientalis rex, qui, quamquam imperator numquam exstiterit, hoc tamen supremæ dignitatis titulo a nonnullis scriptoribus perperam decoratur. Verum quamvis ex his jam dictis privilegium Pontificium prolixius queat etiam interpolatum videri, non propterea tamen prorsus rejiciendum est. Etenim præter dictam periodum, atque insuper, ut secundum dicenda verosimilius apparet, archiepiscopi Mediolanensis titulum, quem Hilduino episcopo in subscriptionibus adjungit, nullam prorsus aliam præfert interpolationis notam. Hinc fit, ut saltem genuino, quod Pontifex* Gerardo
B *dedit, privilegio proximum appareat.*

queat, characteres tamen, quos Pontificio, per Gerardum obtento, rescripto

109 *Imo illud, periodo illa tituloque memorato resectis, privilegii seu rescripti genuini loco in reliquis omnibus habendum idcirco videtur, quod ei characteres, quos privilegio Pontificio per* Gerardum *obtento biographus attribuit, ad amussim quadrent. Secundum hunc enim (vide verba num.* 103 *huc transcripta) plures verosimillime, quod* Gerardus *a Stephano Pontifice impetravit, privilegium suis subscriptionibus signavere episcopi; quod sane prolixiori supra huc transcripto Pontificio privilegio optime quadrat. Huic enim ex dictis plures, etiam absentes, subscripsere episcopi. Adhæc biographus num.* 75 *sic scribit:* Ceterum prudens lector perspicacissimam hujus Viri Dei (*sancti* Gerardi) demiretur prudentiam, quanta videlicet ingenuitate in ejusmodi scripto (*privilegio Pontificio*) libertaverit hanc abbatiam, et qualem vel quantam subeat æterni anathematis pœnam, si quis temerario ausu, quod absit, infringere præsumat eam. *Fuerunt ergo secundum biographum anathemati, et quidem gravissimo, per privilegium Pontificium, quod a Stephano* Gerardus *impetravit, subjecti omnes, qui monasterii Broniensis immunitates infringere essent ausuri, seu, ut loquitur,* temerario ausu præsumpturi; *hoc autem iterum apprime quadrat prolixiori, quod supra integrum recitavi, Pontificio rescripto. In hoc enim*
C *(vide num.* 104) *Pontifex ita loquitur:* Excommunicamus, anathematizamus, damnamus omnes, qui horum quidpiam, quæ de immunitate et libertate Broniensis ecclesiæ et loci prælibata sunt, irritum fecerint vel infregerint.

biographus attribuit, optime sibi quadrantes habet;

110 *At vero in privilegio Pontificio breviori supra huc transcripto (vide num.* 102) *tantummodo hunc in modum Pontifex pronuntiat:* Postquam autem (Gerardus *abbas*) nobis hoc indicavit, provolutus pedibus nostris petiit, quatenus auctoritate Apostolorum Petri et Pauli malediceretur omnis, qui de eodem monasterio (*Broniensi scilicet*) aliquid conaretur auferre. Adstantibus igitur episcopis et consentientibus, petitionem famuli Dei Gerardi Apostolica auctoritate firmari decrevimus. *Quibus verbis sane Broniensis monasterii immunitatum violatores anathemati a Pontifice expresse non subjiciuntur. Quod tamen secundum biographum fiebat in privilegio, quod a Pontifice Stephano impetravit* Gerardus. *Quapropter, cum etiam (qui tamen ex dictis alter est privilegii Pontificii per* Gerardum *obtenti character) nullus omnino episcopus privilegio breviori subscribat, nequit hoc, quod ex dictis interpolatum etiam videtur, esse genuinum, quod* Gerardus *impetrarit, privilegium Pontificium. Restat ergo, ut genuinum sit, aut saltem genuini loco habeatur privilegium prolixius. Quamvis enim tam hoc, quam brevius esse posset prorsus spurium, cum* D *tamen ex dictis privilegium prolixius genuino proxime accedat sibique characteres, quos privilegio Pontificio, per* Gerardum *impetrato, attribuit biographus, optime quadrantes habeat, illud prorsus esse spurium, minime admittendum apparet. Hinc adeo ego, factis, quas dixi, resectionibus, genuini loco habeo privilegium prolixius, hujusque puto, quod brevius est, dumtaxat esse compendium confectum ab aliquo, qui, cum in prolixiori monasterii Broniensis Pontificio privilegio nullas omnino præter diem inveniret notas chronicas, pro arbitrio suo supra memoratas assumpsit, quod has tempori dati a Pontifice privilegii accommodatas existimaret.*

Fuit autem a Stephano VII,

111 *Ita sane statuendum omnino apparet, cum eadem, ut jam supra dixi, fere omnia verba, quæ in privilegio breviori, in prolixiori etiam occurrant, idemque tam in hoc, quam in illo, signetur dati privilegii seu rescripti dies* v Kal. Maii, *nec ob jam dicta prolixius ex brevioris amplificatione concinnatum esse videatur. Verum, inquies, si genuini loco haberi debeat, quod supra huc transcripsimus, rescriptum seu privilegium Pontificium prolixius, consequens est ex jam ante disputatis, ut illud non a Stephano VIII, sed a Stephano VII, ac proin anno* 929 *vel altero ex binis seqq., quibus tribus annis hic S. Petri Cathedram tenuit, datum fuerit,* E *quod tam cum Vita edenda, quam cum Henrici Aucupis, Germaniæ regis, diplomate supra jam memorato infraque pluribus adhuc memorando pugnare videtur. Respondeo: Fuit sane, ut ego quidem reor, privilegium prolixius, quod, factis, quas dixi, resectionibus, genuini privilegii Pontificii per* Gerardum *obtenti loco habendum videtur, non a Stephano VIII, qui ante annum* 939 *S. Petri Cathedram non conscendit, sed a Stephano VII, Romano Pontifice, aliquo ex dictis tribus annis concessum. Etenim plures habet sibi subscriptos episcopos, hosque inter, ne omnes recenseam, Hilduinum Mediolanensem et Rotherum seu Rotgerum Trevirensem archiepiscopum, quorum nullus ad annum usque* 939, *quo primum Pontifex creatus est Stephanus VIII, vitam protraxit; et Hilduinus quidem, ut Saxius in episcopis Mediolanensibus docet, anno* 936 *ultimum diem clausit; Rotgerus vero, a nullo prorsus, quem sciam, scriptore antiquo ultra annum* 930 *vivis uspiam annumeratur.*

atque id quidem, ut verosimilius apparet, anno 929 *concessum,* F

112 *Nequit itaque privilegium, quod Pontifex* Gerardo *concessit, a Stephano VIII esse concessum, ac proin hoc ei a Stephano VII datum indubie fuerit; atque id quidem, ut mihi equidem verosimilius apparet, Pontificatus ejus, cujus initium cum anno Christi* 929 *congruit, anno primo. Est enim ex dictis Benedicti, Metensis sedis episcopi, qui hac anno* 929 *sponte cessit, subscriptione signatum. Unde consequi videtur, ut serius, quam hoc anno datum esse non possit. Quamvis enim forte factum sit, ut Benedictus, qui ad annum usque* 940 *vitam protraxit, Metensis episcopi titulum, abdicata sede, adhuc retinuerit, hocque nomine diplomatibus subinde subscripserit, aut his, utpote oculorum usu orbatus, nomen suum ab aliis apponi, jusserit, id tamen reipsa factum esse, parum admodum verosimile apparet. Verum, inquies, Hilduini, Mediolanensis archiepiscopi, subscriptione etiam signatur. Quapropter, cum hic, ut Saxius laudatus ex antiquissimis Mediolanensium archiepiscoporum Catalogis docet, ante annum* 931 *factus non sit Mediolanensis archiepiscopus, consequens est, ut nec ante hunc annum* Gerardo *impertitum fuerit a Stephano VII privilegium seu rescriptum. Respondeo: Hilduinus jam dudum, antequam ad sedem Mediolanensem promoveretur, ordinatus erat episcopus, seque in Italiam deinde receperat, uti idem Saxius ex pluribus antiquis scriptoribus recte docet. Fieri ergo potest, ut Hilduinus anno* 929, *utpote jam tum episcopus, privilegio, quod* Gerardus *impetrarat, Pontificio subscripserit, ejusque deinde nomini* Mediolanensis archiepiscopi *titulus, quod ad hanc sedem postea fuerit evectus, ab interpolatore fuerit adjectus. Et vero*

A *vero hoc, quod ex his jam dictis factum esse potest, revera etiam factum esse idcirco puto, quod ante annum* 931 *datum esse debeat* Gerardo *a Stephano dictum privilegium, utpote sibi etiam habens subscriptum Rotgerum, Trevirensem archiepiscopum, qui ex dictis ultra annum* 930 *vitam non produxit. Itaque privilegium Broniense prolixius, quod a Pontifice Romano impetravit* Gerardus, *a Stephano VII atque id quidem anno* 929 *datum arbitror, simulque contendo, hanc opinionem meam nec ex Vita edenda, nec ex Henrici Aucupis diplomate certo falsam posse demonstrari.*

opinioque, quæ hoc statuit, nec ex iis,

113 *Rem sic ostendo : Biographus num.* 74 *sic scribit :* Amicus vero Domini (*sanctus* Gerardus) in omnibus et super omnia Broniensis cœnobii prospiciens utilitati, Broniensis monache, audi; audiens vero cave oblivisci : tametsi afforet ævo progressiori, non tamen duxit oneri Romam usque fatigari, quatenus, cujus fundator erat oratorii, devotus imploraret patrocinium summi Apostolorum principis Petri, atque ab ejus vicario satageret adipisci de rebus et libertate ejusdem monasterii authenticos apices confirmantis decreti. *Unicus hic Vitæ edendæ locus est, qui cum opinione nostra, qua Pontificium Broniense privilegium a Stephano VII datum statuimus, pugnare videtur; idcirco autem id*

B *videtur, quod secundum illum* Gerardus, *cum provectioris jam ætatis factus esset, Romam petierit, privilegiumque illud impetrarit;* Gerardus *autem sub Stephani VII Pontificatu seu anno* 929 *binisque sequentibus, quo is universam Ecclesiam moderatus est, provectioris ætatis nondum exstiterit, utpote ex dictis non citius, quam anno circiter* 890 *mundo natus. Verum biographus* S. Gerardum *tunc, cum Romam privilegii Pontificii impetrandi causa petiit, provectioris ætatis exstitisse, idcirco dumtaxat litteris prodere videtur, quod id a Sancto sub vitæ finem factum esse, existimarit. Etenim ubi num.* 73 *narravit, qui ille Broniensem abbatiam, a San-dionysiano monasterio redemptam, Faraberti, Leodiensis episcopi, tutelæ commendarit, Sancti iter Romanum exponit, proximeque post hoc refert, illum, cum mortem suam instare, divinitus didicisset, cœnobia omnia, quæ curæ suæ habebat, commissa, visitare voluisse. Farabertus ab anno* 947, *ut Ægidius in Additionibus aliique docent, ad annum usque* 955, *quo obiit, Leodiensem ecclesiam gubernavit;* Gerardus *autem secundum dicenda anno* 959 *vitam hanc mortalem cum immortali commutavit. Biographus ergo inter annum circiter* 950, *ut videtur, et annum* 959 *Romanum Sancti iter accidisse, putavit, hincque, ut apparet, illum, cum hoc suscepit, progressioris seu provectioris ætatis fuisse, in litteras misit.*

C *Verum, si iter illud a Sancto tunc fuisse susceptum, reipsa arbitratus est biographus, a vero certissime aberravit, idque ex iis, quæ ipsemet scribit, manifestum efficitur.*

quæ scribit Sancti biographus,

114 *Etenim, ut docet, in itinere illo* Gerardus *Broniensi suo monasterio privilegium supra sæpissime jam memoratum a Stephano, Romano Pontifice, obtinuit. Quapropter, cum nullus ab anno* 930 *ad annum usque* 939, *quo obiit* Gerardus, *S. Petri Cathedram occuparit Pontifex, cui fuerit nomen Stephano, consequens est, ut Sanctus iter Romanum, in quo privilegium a Stephano Pontifice obtinuit, ante annum* 930 *omni dubio procul susceperit. Si igitur biographus, ut verosimile apparet, idcirco dumtaxat, quod secus senserit,* Gerardum *tunc, cum Romam petiit, provectioris ætatis fuisse, scripserit, auctoritate illius, ut id credamus, moveri non debemus. Fac nihilominus a biographo res eo ordine, quo gestæ sunt, non narrari, ac proin ex eo, quod iter Sancti Romanum post rem, anno circiter* 930 *gestam, referat, consequens non esse, ut id post annum illum certo evenerit, nondum tamen hinc poterit confici, Pontificium privilegium a Stephano VIII, non autem a Stephano VII fuisse* Gerardo *concessum. Etenim in opinione nostra, secundum quam privilegium per* Gerardum *a Stephano VII, atque id quidem verosimilius anno* 929, *fuit impetratum, provectioris etiam ætatis tunc exstitisse potest. Statuimus quidem supra,* Gerardum, *cum monachum induit, viginti quinque circiter annorum fuisse; verum hæc, quam tunc habuit, ætas verosimilibus tantum, uti ex dictis satis liquet, conjecturis innititur, nec quidquam impedit, quo minus tunc etiam triginta quinque circiter annorum fuisse credatur. Quam ergo tunc Sanctus ætatem habere potuit, hanc illum reipsa etiam tunc habuisse, tantisper statuamus : fuerit, hac facta hypothesi, anno* 930 *quinquagenarius propemodum, ac proin, cum Broniensi monasterio Pontificium privilegium impetravit, provectioris ætatis exstitisse potest, etiamsi id a Stephano VII, qui anno* 929 *et binis sequentibus sedit, concessum fuisse statuatur.*

AUCTORE C. B.

nec ex diplomatis, quæ huc transcribuntur, Henrici Aucupis verbis,

115 *Quod si porro hæc displiceant, proindeque ex provectiori Sancti ætate, qua Pontificium privilegium per eum obtentum indicat biographus, esse illud a Stephano VIII, non autem a Stephano VII concessum, adhuc quisquam contendat, a biographo recedo, hunc que, quod* Gerardus *junior gessit, eidem provectioris ætatis jam facto perperam adscribere, etiam contendo. Ita statuo, quod ob dicta, quidquid demum fuerit, Broniense Pontificium, quod* Gerardus *impetravit, privilegium a Stephano VII datum videatur. Nec est, cur quisquam miretur, me hic biographum erroris seu falsitatis arguere; hunc enim plus semel etiam alibi a veritate aberrare, quisque ex jam dictis* E *et porro dicendis facile intelliget. Quod jam ad Henrici Aucupis, Germaniæ regis, diploma pertinet, prolixius hujus exemplar Miræus Codice Piarum donationum cap.* 30 *exhibet; in hoc autem hæc habentur :* Quia vero idem famulus Gerardus præsentiam domini Papæ in corde suo disposuit adire, et ad roborandam libertatem Broniensis ecclesiæ ab ipso privilegia vult expetere; mandamus * Patri nostro, summo Pontifici, ut traditionem, quam de eodem loco imperiali sanximus auctoritate, Apostolica confirmet benedictione, ut observatores nostræ præceptionis gratiam et misericordiam vitamque æternam a Deo consequantur; qui autem ex his, quæ prælibata sunt, quidquam irritum fecerit, vel infregerit, indissolubili anathematis vinculo constringatur, nisi resipuerit et pœnituerit, et ab abbate et fratribus veniam promeruerit, et de cetero emendaverit.

** i. e. significamus vel supplicamus*

utpote ab interpolatione verosimillime

116 *Quibus ex verbis consequitur, ut Henricianum, ex quo hæc desumpta sunt, diploma* S. Gerardo *fuerit concessum, antequam is Privilegium Pontificium obtinuisset. Quapropter cum diploma illud anno* 932 *datum fuerit, consequens est, ut Pontificium privilegium serius quam anno* 929 *aut altero e binis sequentibus per* Gerardum *a Pontifice fuerit impetratum, ac proin ut id a Stephano VII datum non sit. Legitima sane hæc est conclusio, nec quidquam huic* F *posset opponi, si verba illa jam proxime recitata ad genuinum spectarent Henrici Aucupis diploma. Verum ab interpolatione, uti ex jam dicendis patescet, verosimillime sunt enata. Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum* 932, *lib.* XLIII, *num.* 33 *sic scribit :* Heinricus rex, Auceps cognominatus, ejus loci (*monasterii Broniensis*) possessiones hoc anno (*rogatu* Gerardi *abbatis*) confirmavit. Ejus rei gratia Gerardus regem adiit Aquisgrani tum degentem, postulaturus, ut cœnobium, quod ipse ex hereditate propria in loco pagi Lomacensis, Bronio dicto, conversus nuper construxerat in honore sancti Petri Apostolorum principis et sancti Eugenii Toletani archiepiscopi et martyris, potestate regia tuendum susciperet, allodiumque et prædia, quæ jam dictus abbas nobilissimus eidem loco ad subsidia monachorum ibidem Deo servientium contulerat, immunitate regia dignaretur. Quod rex benigne annuit, rogatque insuper comitem Namucensem, in cujus ditione Bronium consistit, ut auxilium et opem suam eidem monasterio impendat, quo particeps secum exsistat ipsius ecclesiæ orationum. Cetera, quæ in hoc diplomate habentur (*loco scilicet supra a me recitato*) apud Miræum, ex aliis litteris adjecta videntur.

117 *Itaque secundum Mabillonium nihil in Henriciano*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B. *enatis, certo falsa esse probatur.*

riciano diplomate ad genuinum hujus textum pertinet præter ea, quæ his jam recitatis verbis comprehendit is scriptor, ac proin ex hujus opinione ab interpolatione natum est, quod in illo verbis supra num. 115 *huc transcriptis asseritur de* Gerardi *Romam petendi consilio, precationeque seu supplicatione directa ab Henrico rege ad Pontificem, ut, quod ille regia potestate sanxerat, hic apostolica auctoritate confirmaret. Et vero totum illud ab interpolatione natum esse, vel ex eo concludendum videtur, quod verba, num.* 115 *recitata, quibus comprehenditur, proxime sequantur in diplomate post clausulam, qua Henricus de Privilegio seu præcepto, quod dat, ita loquitur :* Et ut per succedentium temporum curricula verius credatur et attentius observetur, sigilli nostri impressione corroboravimus; *hujusmodi autem clausulæ in aliis diplomatibus non longior periodus, qualem verba illa num.* 115 *recitata exhibent, sed imperatoris, regis, principisve, a quo illa donantur, nomen soleat quam proxime aut certe paucis admodum dumtaxat interjectis, subjungi, uti apud Miræum, aliosque diplomatum collectores, atque id quidem in nonnullis ipsiusmet Henrici Aucupis diplomatibus, fas est videre. Adde periodum illam in eo, quo de agimus, diplomate locum tenere sibi minus accommodatum, uti illud attente consideranti facile innotescet. Quamvis porro*
B *ex solis jam dictis certum non fiat, totam illam, quæ memoratis verbis comprehenditur, ab interpolatione natam esse periodum, id tamen indubitatum propemodum mihi evadit partim quidem ex iis, partim vero etiam ex eo, quod ipsummet diploma, cui illa inseritur, verosimillime interpolatione sit corruptum, uti § sequenti dilucide ostendam. Ex dicta itaque periodo minime evincitur, diploma prius ab Henrico Aucupe, quam a Pontifice rescriptum* Gerardo *fuisse concessum, falsaque proinde non probatur nostra opinio, qua hoc Sancto nostro non a Stephano VIII, sed a Stephano VII datum statuimus.*

§ X. Quid de diplomate, quod Gerardo ab Henrico Aucupe fuit concessum, statuendum appareat.

Prolixius Henrici Aucupis diploma initio vitiatum est,

Diploma aliquod Gerardo *in monasterii Broniensis favorem ab Henrico Aucupe, Germaniæ rege, anno* 932 *fuisse concessum, apud eruditos in confesso est. Dubitandum etiam non apparet, quin hoc Henricus donationes monasterio illi a Sancto factas confirmarit, ipsumque cum his omnibus monasterium in tutelam regiam receperit, atque hoc quidem unicum esse apparet, quod dicto diplomate fecerit Henricus. Porro Miræus duplex hujus suppeditat exemplar;*
C *alterum quidem, quod est brevius, in Notitia ecclesiarum Belgii cap.* 52, *alterum vero supra jam laudatum, quod est prolixius, Codice piarum donationum cap.* 30. *Utrumque verosimillime vitiatum est. Quod ut probem, a proliviori incipio. Hoc ita inchoatur :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum imperator. *In illo ergo Henricus Auceps, Germaniæ rex,* Romanorum imperatorem *sese inscribit. Verum Henricus nec Romanorum imperator, uti inter omnes eruditos convenit, umquam exstitit, nec hunc sibi titulum in Diplomatibus adscripsit. Miræus Codice donationum piarum cap.* 29, *pag.* 37 *exhibet Pactum Bonnense, inter Carolum Simplicem Franciæ et Henricum Aucupem Germaniæ reges initum; in hoc autem Henricus, non* Romanorum imperator, *sed* Francorum Orientalium rex *vocatur. Adhæc in Supplemento ad diplomata Belgica Miræi duo occurrunt alia Henrici Aucupis diplomata, quorum altero hic princeps cœnobium S. Maximini, Ordinis S. Benedicti, extra muros urbis Trevirensis anno* 950 *dotat, altero canonicis sæcularibus in Crispinio in Hannonia anno* 951 *benefacit : in ambobus autem hisce diplomatibus Henricus sese non* imperatorem, *sed* regem *dumtaxat appellat, idque tum in initio, tum in fine. Apud Henricum ergo in more positum non fuit, ut sese* Romanorum imperatorem *in diplomatibus suis nuncuparet; neque enim ullum, in quo hunc titulum usur-* D
parit, uspiam occurrit. Indubie ergo prolixius, quod Codice piarum donationum cap. 30 *Miræus exhibet, vitiatum est diploma, idque ipso mox initio, quo is princeps præeminentem illum honoris titulum nomini suo adscribit.*

dubiumque apparet, an, quæ deinde circa comitem Namurcensem habet,

119 *Nec initio tantum prolixius illud diplomatis exemplar vitiatum videtur, verum etiam, contra ac Mabillonius verbis supra recitatis facit, valde dubito, an ab interpolatione nata non sint verba omnia, quibus deinde in dicto diplomate Henricus Auceps precatur Namurcensem comitem, ut, quo ecclesiæ orationum secum particeps existat, auxilium suum et opem Broniensi monasterio impendat; idcirco autem ea etiam de re ambigo, quod verba illa sint hujusmodi, ut his, utpote viro honorato minime accommodatis, Henricus allocutus fuisse non videatur Berengarium, Namurcensem comitem, qui ipsemet diplomati subscripsit, quique proinde, cum hoc daretur, Henrico Aucupi verosimillime adfuerit. Ut de re ferre queat studiosus lector judicium, ipsa illa verba huc transcribo. Sic habent :* Præterea quia locus ille consistit in vicinia castri Namucensis, precamur comitem Namuci, sicut fidelem et amicum, ut particeps nobiscum existat ipsius ecclesiæ (*Broniensis scilicet*) orationum, et grates a Deo et laudem a nobis habeat, si tempus aut res expostulaverit, recta manu E
et vero auxilio subministret ecclesiæ opem sui adjutorii. Si vero diabolica suasione incitatus excesserit, in aliquibus ecclesiam opprimens injuste, cum sit libera et res ipsius authentica, si ad nostram præsentiam fratres detulerint querimoniam, consulam eis et liberabo eos ab oppressione. *Erat Berengarius, Namurcensis seu Lomacensis comes,* Gerardo *ex dictis familiaritate et amicitia conjunctus, ut a monasterio, quod hic exstruxerat, non opprimendo, minis adigi non debuerit. Sunt adeo vel ex hoc verba jam recitata, quibus ab Henrico illum in finem Berengario minæ intentari videntur, interpolationis suspecta.*

quæque in diplomate breviori, quod huc transcribitur,

120 *Adhæc Miræus ex dictis in Notitia ecclesiarum Belgii cap.* 52 *brevius diplomatis, ab Henrico Aucupe in Broniensis monasterii favorem concessi, exhibet exemplar; hoc autem his verbis concipitur :* Henricus divina favente clementia... noveritomnium fidelium nostrorum solertia, venerabilem abbatem Gerardum nostræ regalitatis adiisse præsentiam, petiisseque, ut cœnobium, quod ipse ex hæreditatis suæ proprio in pago Lomacensi in loco, qui dicitur Bronium, conversus nuper construxerat, in honore S. Petri et S. Eugenii, Toletani archiepiscopi et martyris, potestate regia contuendum susciperemus, allodiumque et prædia, quæ jam dictus Abbas F
seu Vir nobilissimus ad solatium inibi Deo servientium contulerat, in nostra protectione nostrorumque successorum deinceps consisterent. Nos vero justis petitionibus assensum præbentes, idem monasterium cum omnibus, quæ ad ipsum pertinent, in nostra tutela perpetuo conservandum suscipimus, et statuimus, ut Abbas ejusdem cœnobii omnia jura judiciariasque potestates in villa Bronii et in S. Laurentio, in Maisons in parte sua, quam habet, in villa Leubinas, in Montinio, et in Merendrech in parte sua, quam habet, in villa de Ermeton, in Fendeserta, in Romereias, in Manisia libere et potestative exerceat. Hæc autem sunt ingenuorum testium nomina. Richarius, Leodicensis ep., Richuinus Stratzburgis ep. Rotgerus Treveris ep. Benedictus Metensis ep. Comes Witbertus. Comes Berengarius. Comes Herimannus. Hilduinus notarius, vice Rotgeri archiepiscopi, recognovi. Data Nonis Aprilis anno Dominicæ Incarnationis D.CCCCXXXII. Indictione V. Regnante Henrico, rege glorioso, anno XIII. Actum Aquisgrani palatio.

non leguntur, ab interpolatione nata non sint;

121 *Tale est Henriciani diplomatis contractius apud Miræum exemplar, in quo, ut vides, nulla plane precationis, qua Henricus Auceps monasterium Broniense Berengario, Namurcensi comiti, commendarit, mentio occurrit. Unde fit, ut verba illa, supra recitata, quibus id ab Henrico factum innuitur, magis magisque*

A *magisque fiant suspecta, putemque proinde ea verosimiliter in diplomatis Henriciani textum ab interpolatore esse intrusa. Quamvis enim, uti ex mox dicendis patescet, interpolatum etiam videatur diplomatis Henriciani exemplar contractius, unice tamen, quæ per hoc præstat Henricus Auceps, præstitisse hic, ut jam dixi, videtur diplomate, quod* Gerardo *in monasterii Broniensis favorem impertiit. Nec tantum hinc dubium apparet, an Henrici de comite Namurcensi verba ab interpolatione nata non sint; verum etiam, an idem dicendum non sit de verbis, quæ mox his e breviori Henriciani diplomatis exemplari recitatis,* libere et potestative exerceat, *in prolixiori exemplari proxime subduntur : sunt autem hæc :* Et in his locis et in omnibus, quæ possidet, concedimus et confirmamus ei bannum et justitiam, impetum et Burinam, ictum et sanguinem reperturum, pergum regium, fora, telonea, vicecomitatum, Wagaria, rectum et non rectum, vectigalia et quidquid pertinet ad judicatum, integritatem reipublicæ et incolumitatem, et campestria et silvestria jura, et mortimanus suas et abmatrimonia tam libere in sempiternum possideat, sicut Fundator ipsius loci, nobili prosapia exortus, ante conversionem

B suam possederat.

quod etiam de verbis aliis, quæ a diplomate breviori

122 Nec sit, qui præsumat injicere manus in servos et ancillas ecclesiæ, vel in homines cohabitantes in omni ipsius possessione; sed soli ecclesiæ liceat tractare pacifice de omnibus prædictis negotiis absque calumnia alicujus sive tyrannidis. Nec sit, qui contradicat huic nostræ regiæ constitutioni. Alioquin si quis in hoc obviaverit nostræ voluntati, noverit pro certo, sese graviter nostram incurrere offensam, et suspensum a gratia et benevolentia nostra. Successoresque nostros contestamur, conformes et coadjutores fore in hujusmodi stabilitione, ut imperatoria dignitate roborata, sine ruina, sine vacillatione, sine alicujus malæ incursionis offendiculo, perpetuum firma duret in ævum. *Hæc omnia a breviori Henriciani diplomatis exemplari etiam absunt, hincque partim est, cur secundum jam dicta ambigam, an in prolixius diplomatis exemplar ab interpolatore pariter non sint intrusa. Et vero quod ad illa pertinet, quæ ultimam periodum constituunt, illa vix non certo videntur ab interpolatione esse enata. Idcirco sic existimo, quod his Henricus successores suos contestetur, ut constitutionem suam, quo hæc* imperatoria dignitate roborata *perpetuo duret, confirmare velint; sic autem Henricus ad imperatoriam, qua deinde Otto, aliique ejus successores, Germaniæ reges, fulserunt, dignitatem alludat; quod ab Henrico in aliquo, quod concesserit, diplo-*

C *mate factum esse, minime apparet verosimile. Est adeo, ut mihi equidem apparet, ultima illa periodus verosimillime, ne dicam indubie, ab interpolatione enata, ac proin vel idcirco etiam verba, quæ illam proxime præcedunt, admodum saltem ejusdem nævi mihi videntur esse suspecta, etiamsi interim formulam exhibeant, qua Henricus possessiones immunitatesque Broniensi monasterio asserere potuerit.*

pariter absunt, dicendum videtur.

123 *Hinc porro jam fit, ut alia pariter omnia, quæ a breviori diplomatis exemplari absunt, pro genuinis Henrici Aucupis verbis habere vix ausim. Verbis num.* 119 *ex prolixiori diplomatis exemplari recitatis proxime etiam subjiciuntur hæc :* Hoc præceptum pro æterna remuneratione prædicto monasterio fieri jussimus, per quod imperamus, ut ea, quæ a præfato Gerardo ad sanctum locum, vel quæ deinceps a fidelibus Christianis eidem collata fuerint, fratres ipsius loci cum tranquillitate per secula firmiter habeant, teneant et possideant, et pro salute nostra atque stabilitate totius regni misericordiam Domini jugiter exorent. Et ut per succedentium temporum curricula verius credatur et attentius observetur, sigilli nostri impressione corroboravimus. *Reliqua fere hæc sunt e prolixiori diplomatis Henriciani exemplari verba, quæ præter ea, quæ jam supra huc transcripta sunt, a breviori ejusdem diplomatis exemplari etiam absunt; quamvis autem nullam notam præferant, ex qua in diplomatis textum ab interpolatore videantur intrusa, sintne tamen genuina Henrici verba, dubium mihi vel idcirco apparet, quod ex jam dictis reliqua pene omnia prolixioris exemplaris verba, quæ in breviori non occurrunt, ex aliqua, quam ex dictis præferunt, nota dubitationem ingerant, sintne ab Henrico Aucupe, an ab interpolatore profecta.*

AUCTORE C. B.

Interpolatum etiam apparet diploma brevius;

124 *Atque ita quidem, studiose lector, habes jam ea, ex quibus verosimillimum fit, prolixius diplomatis Henriciani exemplar esse in contextu interpolatum; id porro verosimillime etiam interpolatum esse in episcoporum, quam præfert, subscriptione, perspicuum fiet ex iis, quæ de breviori ejusdem Henriciani diplomatis exemplari disserere, jam nunc aggredior. Videtur et hoc, ut jam supra monui, vitiatum, atque id quidem interpolatione. Quamquam enim in contextu nullam certam atque indubitatam præferat interpolationis notam, id tamen cum prolixiori exemplari habet commune, quod tres exhibeat sibi subscribentes episcopos, quos ei subscripsisse aut etiam subscribere potuisse, verosimile non apparet. Episcoporum illorum primus est Richuinus,* Stratzburgis, *ut in diplomate scribitur, id est, Strathburgensis seu potius Argentoratensis episcopus, secundus Rotgerus, Trevirensis episcopus, ac tertius denique Benedictus, Metensis episcopus. Richuinus, ut in Episcopis Argentinensibus memoriæ prodit Franciscus Guillimannus, anno* 928, *trigesima Augusti e vivis excessit. Rotgerus, uti ex jam supra dictis liquet, ad annum usque* 930 *dumtaxat vitam protraxit. Benedictus seu Benno, Metensis episcopus, anno* 929, *uti supra jam docui, sedem abdicavit. Verosimile ergo non apparet, tres illos episcopos Henriciano diplomati, utpote quod anno* 932 *notatur emissum, subscripsisse aut etiam subscribere potuisse.*

E

quamquam enim episcopi, quos sibi subscribentes habet,

125 *At vero, inquiet nonnemo, laudatus Guillimannus eo ipso loco, quo Richuinum anno* 928 *obiisse scribit, fatetur, eum a Vimphelingo ad annum usque* 934 *vivis annumerari; quamvis autem id a Vimphelingo per errorem fieri affirmet, cum tamen hanc assertionem suam nullo plane antiquo documento probet, dubium est, illine potius, an Vimphelingo hic assentiendum sit. Adhæc tomo secundo Conciliorum Germaniæ, quæ Josephus Hartzheimius publici juris fecit, pag.* 601 *et sequenti occurrit concilium Erpfordiense, anno* 932 *celebratum; in hoc autem comparet* Rino, *Argentinæ civitatis episcopus, per quem Richuinus designari videtur; neque enim per illum designari Ruthardum, Richuini successorem, sat verosimile apparet. Quod vero jam ad Rotgerum, Trevirensem archiepiscopum, et Bennonem seu Benedictum, Mettensem episcopum pertinet, prior quidem ultra annum* 930 *vixisse non videtur; verum ejus nomen sola forte librarii oscitantia in diplomate scriptum est pro nomine Ruotherti, qui ei proxime in sedem Trevirensem successit; posterior autem extra omnem quidem controversiam, uti jam supra dictum est, anno* 929 *sede abdicata, anno demum* 940 *rebus humanis est ereptus. Verum certum non est, hunc jam, sede abdicata, nullis amplius rescriptis, regiisque diplomatibus subscripsisse.*

F

ei forte subscribere potuerint,

126 *Etenim Frodoardus in Chronico de Bennone seu Benedicto sic scribit :* Anno Domini DCCCXXVII Benno dum in Alpibus eremiticam vitam duceret, electus est Mettensis episcopus, et post biennium a Mettensibus est excæcatus. Cujus immanis sacrilegii causa hæc synodus congregata omnes illius sceleris auctores excommunicavit, et Adalberonem loco ejus substituit. *Addit deinde ad annum* 929 *idem Frodoardus :* Bennoni quædam abbatia sustentationis tenore concessa. *Adhæc, ut Mabillonius Sæculo quinto Benedictino, parte prima in Bennonis seu Benedicti, Metensis episcopi, elogio docet, fuit hic apud Henricum Aucupem ob probatissimos mores, raramque vitæ sanctimoniam in amore simul et veneratione. Cum ergo Benno, postquam episcopatu cessisset, abbatia, ex qua viveret, fuerit donatus, sat verosimile apparet, episcopi Metensis titulum fuisse ei etiam servatum. Adhæc cum Henrico Aucupi fuerit*

ex

AUCTORE C. B.

ex dictis non parum in amoribus, factum esse potest, ut huic, sæpissime memoratum diploma in monasterii Broniensis favorem Gerardo *impertienti, casu forte præsens Aquisgrani adfuerit, eique, utut oculorum usu orbatus, nomen suum cum episcopi Metensis titulo inter testes fecerit adscribi.*

id tamen eos omnes fecisse, verosimile non apparet; nullum tamen

127 *Hæc sunt, quæ contra nos pro breviori Henriciani diplomatis exemplari vindicando queunt in medium afferri. Ad ea porro sic respondeo: Richuinum usque ad annum saltem* 932 *vixisse facile crediderim, hincque est, cur, cum supra de prolixiori Stephani Pontificis diplomate, cui Richuinus quoque subscribit, sermonem feci, nihil inde contra illud objecerim. Nolim etiam ex Rotgeri subscriptione pertinacius interpolationis insimulare alterutrum Henriciani diplomatis exemplar. Verum, utut sit, parum equidem verosimile apparet, Bennonem seu Benedictum diplomati, quod Henricus anno* 932 *Aquisgrani dedit, subscripsisse; Benno enim, sede sua anno* 929 *in concilio Duisburgensi abdicata, in Helvetiæ solitudinem, e qua ad episcopatum Metensem fuerat assumptus, iterum secessit, nec verosimile apparet, eum, utpote oculis orbatum, Aquisgranum deinde venisse. Videtur itaque tam brevius quam prolixius diplomatis Henriciani apud Miræum exemplar interpolatione a manu aliqua, quæ Henrici*
B *Aucupis ætate sit posterior, fuisse corruptum. Nolim tamen, quis hinc inferat, totum illud, quantum est, esse suppositium, aut etiam, quod adhuc plus est, nullum umquam in monasterii Broniensis favorem diploma fuisse ab Henrico Aucupe* Gerardo *concessum. Quantumcumque enim tum brevius, tum prolixius Henriciani diplomatis exemplar fingatur interpolatum, utrumque tamen summa, ut videtur, pollet antiquitatis prærogativa. Unde fit, ut dubitandum non appareat, quin aliquod saltem olim, uti etiam ex dictis apud eruditos in confesso est, privilegium seu diploma, quo Broniensi monasterio faveret, Henricus Auceps contulerit; id autem iisdem fere verbis, quibus apud Miræum exemplar brevius, fuisse conceptum, mihi apparet vero non absimile.*

diploma Gerardo dedisse Henricum, inferendum inde non est.

128 *Sic apparet, quod in iis nihil omnino lateat, unde eadem non ab Henrico, sed ab interpolatoris manu ducere originem, merito possit argui. At vero cum eadem fere omnia, quæ in breviori, in prolixiori exemplari, ut ex utriusque collatione patescit, etiam occurrant, erit fortasse non nemo, qui contendat, ex hoc illud contractum esse eo modo, quo ex Stephani Pontificis rescripto prolixiori confectum esse brevius, supra statuimus. Ita forte, inquam, nonnemo contendet. Attamen, quo minus merito id contendi queat, facit ingens, quod utrumque casum distinguit, discrimen. Etenim privilegium Pontificium prolixius id-*
C *circo, quod ei, quos Sancti biographus assignat, characteres quadrent, factis paucis, quas memoravi, resectionibus, genuini loco dixi esse habendum, ac proin ex illo contractum esse brevius, quod characteribus illis destitutum invenitur. At vero nihil omnino occurrit, quo prolixius Henriciani diplomatis exemplar, factis item paucis resectionibus, genuini loco habendum esse pronuntiem, hujusque proinde, quod est brevius, compendium dumtaxat esse. Et quamvis nihilominus ex prolixiori contractum forsan sit brevius, id tamen certum non est; potest enim etiam prolixius ex brevioris amplificatione esse concinnatum. Alia porro non sunt, quæ de diplomate, ab Henrico Aucupe* Gerardo *in monasterii Broniensis favorem concesso commemorem, huicque proinde § finem impono.*

§ XI. Sanctus cellulæ sese includit, Cellense monasterium reformandum accipit, tempus, quo id factum sit.

Sanctus, ut hominum ad se venientium

Quod viris rara virtutum ubertate præstantibus evenire nonnumquam solet, id etiam Gerardo, *Broniensis monasterii jam abbati, evenit, ut, quamquam in suo monasterio ab hominum strepitu remotus soli Deo vivere desideraret, ingentem tamen hominum multitudinem virtutum suarum fama ad sese* D *continuo attraxerit. At vero Sanctus confluentis ad se populi strepitu a rebus cælestibus avocari impatiens, nec tamen ab episcopo, in cujus diœcesi versabatur, sese abbatis munere liberandum sperans, Prioribus electis, quibuscum ex S. Benedicti Regulæ præscripto onera sua partiretur, in sejunctam a monasterio, quæ Broniensi ecclesiæ adjacebat, cellulam, divinæ contemplationi solus ibi liberius vacaturus, sese recepit.* Vir vero Domini, *inquit num.* 33 *biographus,* Gerardus de bonis ad meliora contendens, et Broniense sanctuarium in cunctis provehere volens, clericorum, quam ibi prius locaverat, eliminavit conversationem, monastici Ordinis substituens religionem. Quibus cum aliquamdiu strenuissimi pastoris prioratu præfuisset, et confluentis illuc populi inquietudinem ferre non posset, neque ab episcopo, ad cujus diœcesim pertinebat, missionem impetrare speraret; Prioribus electis, cum quibus onera sua partiret, secundum quod domni Benedicti discretionis Regula jubet, remotiori cellulæ juxta ecclesiam se singulariter confert, quatenus ibidem divinæ contemplationi peculiarius vacare valeret.

strepitum evitet, sejunctæ a monasterio cellulæ

150 *Sanctus ergo, uti ex hisce biographi verbis liquet, sejunctæ a monasterio, quo hominum, ad eum assidue confluentium, strepitum evitaret, liberiusque Deo vacaret, cellulæ sese juxta ecclesiam Broniensem inclusit. Verum quo circiter tempore id accidit?* E *Quot annis, cum id fecit, e Dionysiano monasterio jam erat reversus? Nihil iterum, unde id utcumque determinem, suppeditat biographus. Præter verba enim, quæ jam proxime recitavi, quæque nullam plane subministrant notam chronicam, nihil prorsus, quod ad dictam* Gerardi *inclusionem spectet, memoriæ prodit. Alio ergo, ut quo hæc circiter tempore acciderit, qualicumque etiam modo definiam, recurrendum est. Sanctus ex dictis anno* 929, *ut verosimilius apparet, Romam profectus, privilegium ibi seu rescriptum a Stephano VII Pontifice in Broniensis monasterii a se conditi favorem obtinuit, hocque impetrato, Bronium haud multo post, ut dubitandum non apparet, est reversus. Porro illa voluntaria Sancti in sejuncta cellula inclusio non diu admodum post ejus ex Urbe reditum forte acciderit. Sic existimo, quod tunc ad virtutum, quo jam ante longe lateque fragrarat, odorem accessisse etiam prodigiorum famam, vero appareat non prorsus absimile.*

forte anno, uti ex biographo suspicari fas est,

151 *Suspicari saltem id fas est ex iis, quæ n.* 75 *et* 76 *suppeditat biographus, de Sancti ex Italia, quo ex dictis privilegii Pontificii impetrandi ergo fuerat profectus, in patriam redeuntis itinere faciens sermonem. Ibidem enim sic scribit:* Quid relatu F dignum divina virtus in eodem itinere fideli suo præstiterit, recolamus; ab urbe Roma prosperrime progressus, ad montem, qui dicitur Jovis, devenerat ipse Beatus. Cumque cum suis angusta carperet declivia montis, incaute gradiens unus e sagmariis (*id est, equis clitellariis seu sarcinariis jumentis*) sarcinatus lapidibus porphyreticis, quos ad sua Vir Dei transvehebat causa necessariæ venustatis, deorsum cecidit rotatus ad concava vallis. Quod molestissime ferentibus, qui conveniebant, comitibus, Gerardus *nihil motus* (*versus, quos hic iterum inepte interponit biographus, omitto*) accito quodam ex illis, quos dicunt Marones, (*horum notitiam dabo in Annotatis*) salva mercede, jussit, ut saltem sagmarii sarcinam perquireret continentem lapides. Ad hos siquidem magis deflectebat animum ob illud fortasse prolatum: Omne, quod est rarum, dignoscitur et pretiosum. Nam quis non exstinctum indubitanter crederet illum? Quis vel corpus ad terram integrum pervenisse autumaret, dum interpositis ubique scopulis discerpi in partibus potuisset? Requisitus autem, non solum vivus, verum etiam incolumis et illæsus repertus est cum lapidibus. Tunc patenter cunctis innotuit, quod ideo lædi non potuit, quia hunc in casu suo oratio Dei Viri portavit.

A 930 circiter sese includit.

152 *Quod ergo jumentum sarcinarium, pretiosis lapidibus onustum, e gravissimo periculosissimoque, quem narrat biographus, lapsu incolume fuerit servatum, totum id,* qui Gerardum *comitabantur, cœlesti prodigio magnis hujus meritis patrato verosimillime adscripsere. Id sane ex posterioribus narrationis huc transcriptæ verbis colligendum videtur. Illi adeo in patriam reduces, stupendum illum eventum apud indigenas suos, ut verosimile apparet, pro miraculo passim celebrarint, hocque nomine longe lateque vulgarint. Fieri ergo potest, imo minime est vero absimile, reipsa etiam factum esse, ut tunc inde* Gerardus *non tantum noto virtutum cultu Sanctus, sed etiam prodigiorum fama thaumaturgus seu miraculorum patrator audierit. Cum ergo ex virtutum prodigiorumque fama fieri præcipue soleat, ut ad sese hominum confluxum Sancti attrahant, forte tunc, ut vero apparet non absimile, ad Sanctum in Broniensi suo monasterio rebus cœlestibus unice vacare desiderantem frequens hominum factus fuerit concursus; ille autem, ut hunc evitaret, sejunctæ a monasterio cellulæ sese incluserit. Quapropter cum Sancti ex Italia reditus, uti ex jam dictis facile intelliges, anno* 929 *verosimilius acciderit, fuerit forte dicta jam Sancti in sejuncta a monasterio cellula inclusio anno circiter* 930 *aut altero e binis sequentibus peracta; neque enim eam etiam eo ipso anno, quo Roma redierat, factam esse, facile credidero. Utut sit, ex jam dictis et porro dicendis quisque haud difficulter colliget, forte nec diu ante, nec diu post annum* 930 *factum esse, ut Sanctus cellulæ sese incluserit.*

B

Ad monasterium Cellense reformandum evocatur;

153 *Qui porro in hac Sanctus vixerit, quæ virtutum opera exercuerit, queis pœnitentiæ exercitiis corpus macerarit, diserte non exponit biographus; rigidum tamen admodum ibidem duxisse* Gerardum *vitæ genus, satis indicat his, quos verbis num.* 129 *recitatis de Sancto proxime subjungit, tribus versiculis. En illos :*

Qualiter hic vixit, quisnam depromere possit?
Hostia fit moriens, nec non et victima vivens,
Victima viva Deo, revera mortua mundo.

Adhæc Sanctus, uti etiam ex biographi verbis, quæ hos versiculos proxime præcedunt, colligitur, totum sese in sua cellula divinæ contemplationi addixit. In eam quippe, uti illis ait biographus, sese receperat, ut ibidem divinæ contemplationi peculiarius vacare valeret. *Verum nescio, an Sancto diu admodum in amico illo sibi secessu licuerit morari. Mabillonius quidem in Observationibus, ad Vitam præviis affirmat,* Gerardum per aliquot annos *cellula Bronii consedisse inclusum; verum hanc assertionem*

C

suam nec ex biographo nostro, nec ex aliis probat scriptoribus antiquis. Utut sit, cellulam suam Sanctus seu amicum illum sibi secessum non prius deseruerit, quam cum Cellense S. Gisleni in Hannonia monasterium reformandum accepit, si modo biographo nostro fides sit. At vero an certam is hic fidem mereatur, dubitari idcirco potest, quod, uti ex dicendis facile colliges, adversantem sibi habeat apud Mabillonium Sæculo II *Benedictino Rainerum; utri autem assentiendum sit, nemo facile definiat. Utut interim sit,* Gerardus *sive adhuc moraretur in cellula, cui sese incluserat, sive jam ea esset egressus, ad Cellense in Hannonia monasterium reformandum a Gisleberto, Lotharingiæ duce, cum jam aliquamdiu e Dionysiano monasterio redisset, arcessitur. In tempus, quo Sanctus ad onus istud invitatus fuerit, mox inquiram. Occasionem, qua res evenerit, prævie expono.*

occasio, qua id

154 *Olim Sanctus Gislenus ad Hainam Hannoniæ fluvium in loco, qui* Ursidongus *vocabatur, monasterium exstruxerat, in eoque monachos locarat. Verum, ut Rainerus lib. de S. Gisleni miraculis apud Mabillonium Sæculo* II *Benedictino docet, monachis per bellorum tempestates inde pulsis, Stephanus, Cameracensis episcopus, corpus S. Gisleni, oblivioni jam datum, de terra levarat cultuique debito restituerat, constitutis etiam clericis seu canonicis, qui illud diu noctuque sedulo religioseque custodirent.*

AUCTORE C. B.

Erat id sane a Stephano pie admodum laudabiliterque factum. Verum clerici illi seu canonici prava, quam ducebant, vita indignos sese, qui sacrum illum thesaurum sibi commissum custodirent, omnino reddebant. Pravos horum mores Rainerus mox laudatus apud Mabillonium lib. citato num. 6 *docet his verbis :* Cum respirare cœpissent prius vastati (*per Normannos scilicet*) populi, qualicumque modo ipsum locum, Cellam vocatum, requietionis S. Gisleni temere ingressi sunt canonici, qui enormi more vivere gaudentes, conjugiis adhærentes, sæcularibus negotiis se implicantes, famulatum almi confessoris, quem cum religiositate gerere debuissent, erant dehonestantes : quia majorem sollicitudinem capiebant de sua familia nutrienda, quam de dominica ecclesia decoranda. Ipsum etiam corpus S. confessoris Gisleni per quæque loca deportabant, et quidquid pro oblatione ad feretrum ejus circummanentium fidelium largitas conferebat, non ecclesiæ instrumentis dabant, sed ad proprios usus furtim retinebant. Quæ res sæpe miris modis dignitatem prædicti confessoris offendebat, nec taliter famulantium consuetudinem approbabat.

factum sit,

155 *Ab hac narratione, qua Rainerus pessimos dictorum clericorum seu canonicorum mores exponit, non multum dissonat noster biographus. De iisdem enim num.* 43 *hæc memoriæ prodit :* Oratorium habebat et hodie habet beatus Gislenus in mansionili, qui a quibusdam Cella, a quibusdam vero dicitur Ursidungus : quo in loco in famulitium ejusdem Sancti aliquot deputati mansitabant clericuli, Regularis disciplinæ prorsus ignari : et

E

non, ut hodie sunt canonici, sed erant sicut matricularii, qui partim rei familiaris coacti necessitate, partim morbo laborantes philargyriæ, sacrosancta almi confessoris membra scapulari superposita libitinæ, consueverant per plateas vicosque cantitando, quin potius mendicando circumferre. *Matricularii olim vocabantur ii, qui* canoni (*vide Thomassinum tom. I de Veteri et Nova Ecclesiæ Disciplina lib.* III, *cap.* 9, *num.* 1) seu matriculæ Ecclesiæ adscripti erant, tamquam beneficiarii, quibus canon seu dimensum, *unde viverent,* dispensabatur; *erant quippe, ut Cangius in Glossario docet, pauperes seu inopes. His haud dubie, memoratos canonicos seu clericos hic assimilat biographus, dum de iis* (*vide verba mox recitata*) *in Gisleniano monasterio tunc commorantibus sic scribit :* Non, ut hodie sunt canonici, sed erant sicut matricularii. *Verum hæc hic obiter annotasse sufficiat; quod pertinet ad Raineri cum biographo nostro circa pravos canonicorum Cellensium mores assensum, a me mox assertum, hic vel ex solis utriusque scriptoris illius,*

F

quæ jam recitavi, verbis inter se collatis, non potest non unicuique fieri perspicuus. Occasionem adeo, qua Sanctus Gislenianum in Hannonia monasterium reformandum accepit, pergo exponere. S. Gislenus contra memoratos canonicos, qui corpus ejus custodiendum acceperant, quique illud lucri causa quaquaversum circumferebant, justissima indignatione commotus Gisleberto, duci Lotharingiæ, quæ tunc Hannoniam, Brabantiam aliasque hodierni Belgii regiones complectebatur, in somnis apparet, eumque, ut Gerardo *Gisleniani monasterii curam imponat, serio admonet. Admonitioni paret Gislebertus,* Gerardumque *eo impellit, ut Cellensis monasterii curam, licet invitus, in sese suscipiat.*

et tempus.

156 *Ita tum biographus noster, tum etiam Rainerus laudatus dilucide testatur; verum mirum est, quantum in rei adjunctis narrandis invicem discrepent. Perspicuum id fiet ex iis, quæ infra dicturus sum. Discutio nunc, ut facturum me spopondi, quo circiter tempore Sanctus monasterium Cellense reformandum acceperit. Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* XLIII, *num.* 61 *de tempore, quo* Gerardus *reformandum accepit Cellense monasterium, seu, quod idem est, de tempore, quo hoc ille reformavit, sic scribit :* Winchantius id factum putat anno DCCCCXXXI. At paullo serius id videtur accidisse, attamen ante annum ejus sæculi tricesimum

Hoc, quod

 septimum,

AUCTORE C. B.

septimum, quo decessit Gislebertus, ejus renovationis auctor; at non ante annum tricesimum-tertium, quo Artaldus Remorum Pontifex ordinavit Fulbertum, Cameracensis ecclesiæ præsulem, cujus etiam auctoritate hæc mutatio facta est. *Ita Mabillonius, cui hic partim assentiendum, partim dissentiendum existimo. Ac primo quidem, quod ait, paullo serius quam anno 951 reformatum videri Cellense in Hannonia monasterium, ei hac in re non illubenter assensum præbuerim.* Gerardus *enim post suum e Dionysiano monasterio egressum, qui ex dictis anno 928 verosimilius accidit, temporis spatium, triennio majus, monachis in clericorum locum substituendis apteque formandis, itineri Romano pro privilegio pontificio supra memorato impetrando, vitæque solitariæ in cellula a monasterio sejuncta ducendæ verosimillime impenderit, ac proin serius quam anno 951 monasterium Cellense reformandum acceperit.*

fundamentis, quæ assignat,

157 *At vero, quod ait, id ante annum sæculi decimi trigesimum septimum factum esse, pro vero quidem, uti infra probabo, admittendum apparet; verum non eo, quo ait, fundamento, a morte Gisleberti, quæ anno 957 acciderit, repetito. Gislebertus enim non anno 937, sed biennio tantum post vitam infelici exitu terminavit. Docet id apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum Chronicon Augiense; cui accedunt Frodoardus in Chronico, aliique scriptores bene multi, nec ullum invenire quivi, qui cum Mabillonio infelicem Gisleberti obitum anno 937 innectat. Porro, quod affirmat,* Gerardum *non reformasse Cellense monasterium ante annum sæculi trigesimum tertium, quod ante hunc annum Fulbertus, Cameracensis ecclesiæ præsul, cujus etiam auctoritate mutatio illa facta fuerit, ab Artaldo, Remorum antistite, ordinatus non fuerit episcopus, id equidem, quamquam ex dicendis ante annum illum* Gerardus *monasterium illud verosimilius non reformarit, admittendum idcirco non apparet, quod dubium sit admodum, primo quidem an, Fulberto episcopo juvante, monasterium Cellense Sanctus reformarit; deinde vero etiam, an Fulbertus non serius, quam anno 933 episcopus fuerit ordinatus. Baldericus in Cameracensi et Atrebatensi Chronico lib. I, cap. 68 de Stephano, proximo in sede Cameracensi Fulberti decessore, sic scribit:* Hic... clausit diem anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXIV. III Idus Februarii. *Scribit quidem Frodoardus Fulbertum anno 933 ab Artaldo, Remensi metropolitano, episcopum fuisse ordinatum. Verum hic scriptor annos forte a Paschate numerare incipit, sicque a Balderico, qui Stephanum, Cameracensem episcopum, anno 934, mense Februario obiisse scribit, non dissentit; quod si vero annos a Nativitate Domini, ut verosimilius est, inchoet, a Balderico dissentit quidem; verum hic non minoris auctoritatis est, quam Frodoardus, ac proin dubitandum nihilominus est, an non serius, quam anno 933 Cameracensis episcopus creatus fuerit Fulbertus.*

perperam superstruit Mabillonius,

158 *Quod jam pertinet ad posteriorem Mabillonii assertionem, qua Fulbertum, Cameracensem episcopum, ad Cellense monasterium reformandum concurrisse indicat, non video etiam, qui hæc sufficienter queat probari, si scilicet etiam de inchoata per Fulbertum reformatione debeat intelligi, uti reipsa intelligi videtur a Mabillonio. Etenim, dato etiam, Fulbertum (quod tamen ex jam dictis est dubium) anno 933 episcopum Cameracensem fuisse ordinatum, nondum tamen hinc erit consequens, ut ejus auctoritate Cellense S. Gisleni monasterium reformare primum cæperit* Gerardus: *nihil quippe, uti ex dicendis patescet, impedit, quo minus id Sanctus anno uno aut forte etiam altero, cum Stephanus, proximus Fulberti decessor, in vivis etiam esset superstes, fecisse credatur. Adhæc nihil plane in antiquis scriptoribus monumentisve occurrit, quod monasterii Gisleniani reformationem sub Fulberto locandam, utcumque probet. Itaque Mabillonius verbis supra recitatis neutrum eorum, quæ probare intendit, recte probat, quamvis interim præfatum monasterium indubie ante annum 937, nec forte tamen ante an. 933 reformarit* Gerardus, *uti nunc ostendere aggredior. Certum est,* Gerardum *prius Gislenianum reformasse monasterium, quam ad Arnulphum Magnum, Flandriæ comitem, fuisse arcessitum. Liquet id ex tota biographi nostri narrationis serie, nec ab ullo vocatur in dubium. At vero ex infra dicendis* Gerardus *si non citius, certe non serius quam anno 937, ad Arnulphum Flandriæ comitem vocatus accessit. Ante hunc adeo annum Cellense S. Gisleni monasterium reformarit. Ac sic quidem, ante quem annum Cellense monasterium reformarit Sanctus, sat solide probatum habemus; verum multum abest, ut id Sanctum non fecisse ante annum 933, æque solide probari queat.*

inter annum circiter 932 et 937 locandum videtur.

159 *Quamvis enim secundum dicta verosimile sit, Sanctum, e monasterio Dionysiano egressum, tres amplius annos vitæ solitariæ rebusque Broniensis monasterii componendis impendisse, id tamen certum atque indubitatum non apparet, ac proin pro Gisleniani monasterii per* Gerardum *reformatione non ante annum 933 locanda nihil inde sat solidi habetur. Quod si certum foret,* Gerardum *jam tum, cum Cellense monasterium reformandum accepit, pluribus in Lotharingia abbatis nomine præfuisse cœnobiis, posset hinc sat validum pro Cellensis monasterii reformatione non ante annum 933 figenda argumentum confici. Etenim verosimile neutiquam apparet,* Gerardum, *triennio tantum aut forte etiam biennio dumtaxat e S. Dionysii cœnobio egressum, plurium jam tum cœnobiorum curam gessisse, abbatemque iis præfuisse. Verum dubitandum videtur, fueritne jam tum Sanctus plurium monasteriorum abbas, cum Cellense S. Gisleni cœnobium reformandum accepit. Pro opinione id neganti stat Sancti biographus; pro affirmanti vero Rainerus, supra laudatus, qui S. Gisleni Vitam, ejusque miracula ad posteritatis memoriam transmisit. Potiusne Rainero, an biographo assentiendum hic sit, § sequenti discutio, cumque ex ibidem dicendis verosimilius appareat,* Gerardum *non prius plura Lotharingiæ monasteria gubernasse, quam Gislenianum reformasse, ex monasteriis, quibus* Gerardus *in Lotharingia abbas præfuerit, nihil quoque roboris acquirit opinio, quæ non ante annum 933, ac proin inter annum 932 et annum ex jam dictis 937, Cellense monasterium a* Gerardo *reformatum statuit. Hæc itaque unice idcirco verosimilior mihi apparet, quod, antequam id reformandum acceperit Sanctus, quatuor ut minimum annos monasterii Broniensis recens conditi rebus componendis impendisse videatur. Ceterum biographus noster num. 44 tradit, Cameracensem episcopum tunc, cum* Gerardus *Cellense monasterium reformavit, exstitisse Thiedonem; verum id a vero certissime est alienum, cum Thiedo Cameracensem cathedram, uti inter omnes convenit, non obtinuerit ante annum 964, quo jam dudum* Gerardus *e vivis excesserat.*

§ XII. An Sanctus jam tum, cum monasterium Cellense reformandum accepit, pluribus Lotharingiæ seu regni Lotharii monasteriis abbas præfuerit, et an umquam tum in hoc, tum in Franciæ regno plura cœnobia gubernarit.

Gerardus, cum Cellense monasterium reformavit, erat

Mire in narrandis adjunctis, quæ Cellensis monasterii reformationem, a Gerardo *factam, comitata sunt, dissonare invicem Rainerum, qui S. Gisleni res gestas miraculaque conscripsit, et Sancti nostri biographum, § præcedenti jam innui. At vero quam id ad amussim veritati congruat, ex hoc § patescet, quo præcipue inquiritur, an* Gerardus *jam tum, cum Cellense monasterium reformandum accepit, pluribus aliis monasteriis fuerit præfectus. Secundum biographum nostrum (adi num. 41 et sex sequentes) Gislebertus, Lotharingiæ dux, in somnis a S. Gisleno admonitus, mittit, qui* Gerardum, *ut Cellensis monasterii*

A *nasterii curam accipiat, serio invitent; hic vero, quamquam gravate admodum, invitantes tandem ad Cellense monasterium sequitur, uni tantum antea Broniensi monasterio præfectus. Verum secundum Rainerum Gislebertus, in somnis a S. Gisleno admonitus,* S. Gerardum, *jam multorum cœnobiorum patrem, Cellensis monasterii præfecturam ut etiam suscipiat, exorat in publicis provinciæ comitiis, ad quæ Dionanti habenda etiam Sanctus convenerat. Quæ sane posterior Raineri narratio a priore biographi plurimum dissonat; ut autem hæc et illa sese inter queant in ipsismet fontibus suis commodius conferri, sicque, quantum invicem discrepent, observari, Raineri narrationem ex Sæculo* II *Benedictino Mabillonii huc transcribo.*

secundum Rainerum, cujus hic datur

141 *Post verba num.* 134 *huc transcripta ita prosequitur Rainerus:* Quadam... nocte suprafato duci (*Lotharingiæ nempe*) Gisleberto in somnis visus (*S. Gislenus*) apparuit, quem talis petitionis voce admonuit : Da mihi scutum unum, cujus protectione muniatur habitaculum meum, quia omnibus diripientibus pateo ad ruinam, nec sentio damnatus advocationem aliquam. Duci autem interroganti, quem scutum habere optaret, dedit almus Gislenus responsum, quod Gerardum abbatem vellet, qui multas abbatias regens in ipsis diebus, probabilis

B vitæ habebatur non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Tunc dux curam gerens hujus rei, conventum principum statuit ad placitum tenendum apud portum Dinant vigore præcepti sui. Cum igitur hora statuti temporis ad jussionem ducis convenirent satrapæ, adfuit etiam inter eos Gerardus abbas, bonæ memoriæ, ad quem cœpit dux hujusmodi sermonem facere : Vos ex imperiali edicto quamplures abbatias regitis, quæ, donante Deo et vestra solerti dispositione possessionibus abundant multis et servientibus Deo placitis : sed necessitas poscit, quod confractum solidare, et quod decidit, in melius roborare. Est quædam abbatia in honore primatum Apostolici Ordinis, videlicet Petri et Pauli, nec non sancti confessoris Gisleni fundata, vocabulo Cella appellata, quæ sub regimine domini nostri imperatoris est cum multis aliis computata, sed pro culpis nostris hactenus neglecta : quam caritativi antecessores de rebus ad se pertinentibus construxerunt, sed mutato per seditionem sæculi monachorum ordine, qui ibi quondam famulabantur, nunc clericorum turpem vitam illic ducentium manus ad nihilum trahunt.

narratio, pluribus aliis monasteriis præfectus; contrarium tamen tradit

142 Quam, precor, ut ad vos recipiatis, et secundum institutionem vestri ordinis transmutetis, ejectis inde voracibus clericis. Quod præceptum primo abbati visum fuit difficile pro multis aliis abbatiis, quas habebat gubernare; sed potius ea

C consilio ceterorum principum sibi comparium rogatus non sprevit ducis petitionem implere, sicque locum illum recepit ad sese, quem, dum vixit, non neglexit, quantum potuit, amplificare. *Hactenus Rainerus. Confer nunc hæc ejus verba cum verbis, quæ biographus num.* 41 *et sex sequentibus, supra jam assignatis, exhibet, videbisque, quantopere duo hi scriptores invicem dissentiant, atque id quidem præsertim ex eo, quod secundum Rainerum, at non item secundum biographum,* Gerardus *tunc, cum Cellense S. Gisleni monasterium reformandum accepit, pluribus aliis monasteriis abbas præfuerit. Verum utri hic assentiendum est potius? Rainerone, an Sancti biographo? Rainerus, Cellensis in Hannonia exstitit monachus, jussuque Rathbodi, Cellensis abbatis, anno millesimo quadragesimo secundo, uti in Annalibus Hannoniæ cap.* 17 *docet Vinchantius, vita functi, novam de S. Gisleni gestis miraculisque lucubrationem elaboravit Liquet id ex ipsiusmet Raineri dedicatoria ad Rathbodum abbatem Cellensem epistola, quam Mabillonius Sæculo* II *Benedictino in Observationibus ad S. Gisleni Vitam præviis num.* 2 *ex Ms. Gisleniano codice in medium adducit. Sunt ergo Sancti nostri biographus, utpote qui ex dictis ante annum sæculi undecimi sexagesimum secundum lucubrationem suam de* Gerardo *adornarit, et Rainerus, Vitæ et Miraculorum S. Gisleni scriptor, auctores coævi; imo ambo eodem circiter tempore alter* S. Gerardi, *alter S. Gisleni Acta, litteris sunt complexi, ut adeo neuter ex ætatis prærogativa majorem sibi fidem conciliet.*

AUCTORE C. B.

143 *Attamen Sancti nostri biographus scripserit non nihil serius, quam Rainerus, si hujus ille lucubrationem, quemadmodum Mabillonius in suis ad* Gerardi *Vitam Observationibus præviis ac deinde in Annotationibus suspicatur, sibi prælucentem habuerit. Verum hoc mihi admodum dubium videtur. Id enim Mabillonius suspicatur dumtaxat ex his, quæ biographus num.* 52 *suppeditat, paucis verbis :* Qualiter autem sacrilegos (*eos designat, qui corpus S. Gisleni furto abstulerant*) examinando discusserit antistes Cameracensis, quibusve (ut par erat) lege synodali convictos excruciaverit modis, non est nostræ narrationis, ut remur, exponere vobis, præsertim dum id dilucident ipsius gesta, si serio sapere vultis. *Verum per Gesta, quæ hic laudat biographus, intelligenda mihi non videtur Raineri de S. Gisleni Vita et Miraculis lucubratio. Etenim secundum Gesta seu Acta, quæ verbis mox recitatis laudat biographus, Malbodienses, S. Gisleni corporis raptores, examinati fuere a Cameracensi episcopo, atque ex lege synodali convicti; id autem a Cameracensi episcopo factum fuisse, Raineri lucubratio non* E *prodit. Hac enim Rainerus nihil omnino, quod huc facere possit, de Cameracensi episcopo scribit præter hoc :* Venit accedens usque ad castellum Malbodiense, stansque foris intromisit, qui dicerent majoribus natu : Reddite, quæso, fratres ac sorores, almi vatis Gisleni corpus, ut suo a Christo dato restituatur loco; sin secus excommunicabo, ne quis in hoc Missas nec alia Dei obsequia celebret. Quod audientes Malbodienses, licet coacti, paruerunt tamen episcopo : *ubi nullum plane verbum de examinatis convictisque criminis seu furti a Cameracensi episcopo Malbodiensibus.*

biographus; quamvis autem non sit, cur

144 *Per Gesta ergo seu Acta, quæ laudat biographus, intelligenda mihi non videntur S. Gisleni Miracula per Rainerum conscripta, sed quæpiam alia hujus Sancti gesta, quibus, qui Cameracensis episcopus Malbodienses examinarit, ablati corporis S. Gisleni convicerit, excommunicationisque interminatione ad restitutionem compulerit, fuerit expositum; neque enim a biographo, ut Malbodienses a Cameracensi episcopo fuisse examinatos criminisque convictos doceat, laudari existimo Opus, in quo ea de re nullum prorsus verbum invenit. Itaque, cum ex dictis Raineri lucubratio biographo nostro non præluxerit, non est etiam, cur hic post illum scripsisse credatur. Imo vero eodem circiter tempore* F *ambos illos scriptores, Rainerum scilicet de Gisleno, et biographum nostrum de* Gerardo, *lucubrationes suas concinnasse, verosimillimum existimo. Etenim ex dictis Rainerus, jubente Rathbodo, Cellensi abbate, S. Gisleni Gesta et Miracula litteris est complexus; Rathbodus autem, uti ex Vinchantio supra laudato Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. III, col.* 92 *docent, Cellensi S. Gisleni abbatiæ ab anno* 1037 *ad annum usque* 1042 *abbas præfuit. Unde consequitur, ut Rainerus vel anno* 1037 *vel aliquo e quinque sequentibus suam de S. Gisleno lucubrationem adornarit. Quapropter cum ex supra dictis biographus noster* S. Gerardi *Vitam anno* 1038 *circiter, ut verosimilius apparet, litteris mandarit, consequens est, ut ambo hi scriptores lucubrationes suas eodem circiter tempore elaborarint.*

ob ætatis prærogativam,

145 *Non est ergo, cur ob ætatis prærogativam plus uni hic, quam alteri deferatur. Verum nihilne etiam aliunde occurrit, unde unus potius, quam alter, fidem hic mereatur? Biographus ex dictis num.* 44 *ea tradit, ex quibus consequens est, ut* Gerardus, *Thiedone Cameracensem ecclesiam moderante, Cellense S. Gisleni monasterium reformandum acceperit; quod cum ex dictis etiam a vero certissime alienum sit, est sane, cur hac in re biographi fides fiat utcumque suspecta. Utut tamen id ita sit, nescio nihilominus, an non præstet biographo nostro subscribere,*

plus uni hic, quam alteri deferatur,

AUCTORE C. B.

scribere, secundum quem Gerardus *tunc, cum ad Cellense S. Gisleni monasterium accessit, uni dumtaxat præfuit Broniensi cœnobio. Etenim Sanctus in diplomate Henrici Aucupis, supra jam studiose expenso, quod anno* 932 *datum notatur,* Broniensis cœnobii Abbas *dumtaxat vocatur, nec aliorum cœnobiorum, quibus tunc præfuerit, ulla fit mentio. Anno igitur* 932 *soli, ut apparet, Broniensi monasterio abbas præfuit. Quapropter, cum non diu admodum post, ut plerique autumant, Cellense monasterium reformandum acceperit, verosimile potest videri, eum nec tunc pluribus monasteriis præfuisse abbatem. Adhæc, si quibus tunc monasteriis, præterquam Broniensi, præfuerit Sanctus, in Lotharingia seu regno Lotharii, quod omnes circa Mosam, Scaldis partem, Sabim, Mosellam et cis Rhenum provincias complectebatur, sita illa fuere; jam vero, cum Giselbertus seu Gislebertus Lotharingiæ dux seu gubernator exstiterit, ut eaque supremam fere principis potestatem etiam usurparit, verosimile potest videri, Sanctum, si quibus umquam in Lotharingia monasteriis, præterquam Broniensi præfuit, fuisse illis a Gisleberto præfectum, ac proin non citius hoc accidisse, quam cum jam Cellensi monasterio ab eodem Gisleberto, ut*
B *id faceret, divinitus monito, fuisset præfectus.*

biographo tamen potius assentiendum videtur.

146 *Aliud non occurrit, quod adstipulari queat biographi nostri narrationi, secundum quam* Gerardus, *cum Cellense S. Gisleni monasterium adivit, uni Broniensi monasterio abbas præfuit. Res est sane perquam implexa, nec, quantocumque studio ac labore impenso, quidquam invenire quivi, ex quo etiam certum esse possit, non præfuisse Sanctum pluribus monasteriis, cum Cellense reformandum accepit. Itaque, id quidem verosimilius autumo, nec tamen aliorum, qui contrarium sentiunt, opinionem penitus rejicio. Porro Rainerus verbis num.* 141 *huc transcriptis indicat, Sanctum monasteriis, quibus in Lotharingia præfuerit, fuisse ab imperatore præfectum. Per imperatorem hic haud dubie Henricum Aucupem, qui ab anno* 919 *ad annum usque* 936 *Germaniæ regnum tenuit, vel Ottonem Magnum, postea imperatorem, designat; quamvis autem neuter, quamdiu* Gerardus *in vivis fuit superstes, imperator exstiterit, imperatorem tamen vocat, more apud plures alios scriptores usitato, qui etiam Henricum Aucupem, licet numquam imperator exstiterit,* imperatorem *appellant. Utut sit, apertissime sane Rainerus indicat,* Gerardum *monasteriis, quibus in Lotharingia hic præfuerit, ab imperatore seu supremo Lotharingiæ domino fuisse præfectum; verum id ob jam dicta a Gisleberto, cum jam Cellense reformando monasterium suam illi ad regendos religiosos cœtus industriam probasset* Gerardus, *verosimilius factum*
C *fuerit.*

Sanctus Mosomensi,

147 *Statue hic, studiose lector, quidquid visum fuerit; ego nunc, quod hic pariter discutere proposui, examinare aggredior, an* Gerardus *umquam pluribus in Lotharingia monasteriis abbas præfuerit. Biographus noster plura a Sancto nostro in Lotharingia administrata fuisse monasteria, nuspiam docet. Attamen num.* 23 *ea suppeditat, ex quibus, si recte scribat, consequens saltem est, ut Sanctus Mosomensi, quod Lotharingicæ ditionis erat, monasterio abbas præfuerit. Etenim ibidem ita memorat :* Si cui autem ingerit ambiguitatem, Lietaldum percontetur abbatem, hujus Viri Dei (*sancti* Gerardi) in cœnobio Mosomensi successorem; *ad horum autem verborum veritatem requiritur, ut* Gerardus *Mosomensis cœnobii abbas aliquando exstiterit; neque enim alioquin ejus* in cœnobio Mosomensi successor *vocari posse videtur Lietaldus, qui, ut scriptor Translationis S. Arnulfi martyris apud Mabillonium Sæculo* V *Benedictino, parte* I, *pag.* 337 *testatur, Mosomensi cœnobio abbas fuit præpositus ab Adalberone, Remensi episcopo, cum hic ibi monachos canonicis anno* 971 *substituit. Mabillonius in Observationibus ad Sancti Vitam præviis num.* 6 *ita in verba biographi proxime recitata observat :* Ut... anonymus noster (S. Gerardi *biographus*)) jam citato num. XII Lietaldum Gerardi in cœnobio Mosomensi successorem legitime vocare potuerit, D dicendum est, Gerardum, ab Heriveo pontifice jussum, reformationi parthenonis Mosomensis incubuisse, aut subrogatis mox canonicis aliquamdiu præfuisse.

ut probatur,

148 *Heriveus, Remensis antistes, in cœnobio Mosomensi, cum ibi sanctimoniales, antiquæ loci dominæ, bellorum procellis defecissent, canonicos constituit, uti ex jam laudata Translationis S. Arnulfi martyris Historia manifestum efficitur. Verum Heriveus, ut Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. IX, col.* 50 *docent, anno* 922 *vitam cum morte commutavit.* Gerardus *ergo jussu Herivei, Remensis antistitis, nec parthenoni Mosomensi reformando incubuit, nec canonicis ibidem constitutis abbas præfuit; neque enim ex dictis verisimile est, Sanctum jam ab anno* 922 *ulli monasterio præfuisse abbatem. Restat igitur, ut* Gerardus, *si modo recte scribat biographus, monasterio Mosomensi, non Herivei, sed alterius jussu præfuerit. Verum cum canonici, postquam ab Heriveo in monasterio Mosomensi fuissent constituti, ad annum usque* 971, *uti iterum ex laudata S. Arnulfi Translationis Historia palam est, ibidem perseverarint, dubitandum forte non nemini videbitur, huicne monasterio abbas Sanctus umquam præfuerit; neque enim quisque verosimile putabit, Benedictinum monachum canonicis, instituti longe diversi* E *viris, præfuisse abbatem. Attamen, cum verba biographi supra recitata ex antiquori* Gerardi *biographo (vide Commentarii hujus num.* 7 *et* 9) *indubie sint deprompta, isque integram absque ulla controversia fidem mereatur, dicendum omnino videtur,* Gerardum, *utut monachum, canonicis Mosomensibus præfuisse abbatem. Ac sic quidem habemus, Sanctum unius, quod in Lotharingia seu Lotharii regno situm erat, cœnobii abbatem exstitisse.*

forte etiam Tinnensi,

149 *Chronicon Mosomense apud Acherium Spicilegii prioris editionis tom. VII verbis infra mox huc transcribendis meminit parvi Tinnensis seu Tignensis monasterii, quod in Portensi seu, ut ab aliis scribitur, Partensi Campaniæ Gallicæ comitatu* S. Gerardi *consilio fuerit erectum. Hic autem comitatus, utpote in divisione regni Lotharii, inter Ludovicum Germaniæ et Carolum Franciæ reges anno* 870 *facta, memoratus, Lotharingicæ ditionis exstitit. Parvum ergo illud Tinnense monasterium alterum fuerit Lotharingiæ seu Lotharii regni cœnobium, cujus* Gerardus *abbas, aut saltem pater seu conditor exstitit. Utut sit, illud certe condendum curavit, singularique cura fuit complexus. Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* XLVI, *num.* 20 *ait, a* Gerardo *abbatem præfato Tinnensi monasterio præfectum fuisse Lietaldum. Id sane et mihi verosimillimum apparet. Lietaldus* F *enim secundum jam dicta unus exstitit e duodecim monachis, qui* Gerardum *e Dionysiano monasterio Bronium sunt secuti, eratque Tinnensis abbas, quando anno* 971 *ab Adalberone, Remensi archiepiscopo, ad Mosomensis cœnobii regimen fuit promotus. Verum nescio, quo fundamento laudatus scriptor illam Lietaldi promotionem anno* 959 *innectat. Nihil enim uspiam invenire quivi, quod hic Mabillonio suffragari queat.*

pluribusque indubie aliis Lotharingiæ cœnobiis abbas præfuit;

150 *Nec etiam quidpiam reperi pro definiendo tempore, quo Sanctus vel Tinnense monasterium condendum curarit, vel Mosomense regendum acceperit. Factum tamen esse verosimillime tam unum quam aliud post annum* 952, *quisque ex jam dictis facile colliget. Dispiciamus modo, an aliis insuper in eodem regno sitis monasteriis præfuerit. Mabillonius in Observationibus præviis num.* 3, *enumeratus, quæ* Gerardus *restauravit reformavitve in Flandriæ comitatu, monasteriis, ita scribit :* Ampliora Gerardi zelo debebantur, ut non immerito parens alter habeatur redivivæ cum in Belgio, tum in toto Lotharii regno familiæ Benedictinæ, quæ ejus studio sacrisque adhortationibus refloruit. Cum enim Gisleberti ducis ditioni omnes illæ circa Mosam, Scaldis partem, Sabin, Mosellam et cis Rhenum provinciæ subjacerent; quotquot ejus ditioni parebant, monasteria cum pluribus aliis in Francia secundum

A cundum Chronicon Mosomense novam a Gerardo formam acceperunt. *Ingentem sane hæc verba innuunt monasteriorum, quæ a* Gerardo *reformata fuerint, multitudinem fuisse. Et vero Sanctum aliquando præterquam Broniensi, Cellensi, Mosomensi et forte etiam Tinnensi, pluribus adhuc aliis in Lotharingia monasteriis præfuisse abbatem, concludendum videtur ex supra recitatis verbis Raineri, cui hac in re saltem assentiendum existimo. Verum quæ qualiave illa monasteria fuere? Istud equidem nequeo edicere.*

Remensis S. Remigii monasterii singularem

151 *Porro secundum verba Mabillonii mox recitata non tantum in Lotharingia, verum etiam in Francia pluribus monasteriis Sanctus præfuit; quod pariter veritati ad amussim consonum existimo. Etenim Mosomense Chronicon, quod laudat, tom. VII Spicilegii Acheriani sic habet:* Est in Portuensis comitivæ partibus octo monachorum cum abbate sibi superposito parvus admodum et pauper loculus (*Tignus nomine*) quem Freduidis matrona nobilis cum illustri viro suo comite Stephano ædificavit. Hunc per consilium domni Gerardi abbatis, vitæ venerabilis, qui tunc temporis pro merito sui nominis et religiosæ conversationis pluribus in Francia præerat monachorum cœnobiis, inter quæ et monasterii sancti Remigii curam agebat, hunc
B eumdem, inquam, locum sancto Remigio ut subjectum haberet, ac procurando servaret, fideli voto tradiderunt. Hic in honore sancti Quintini consecratus, et radicibus Aldiniaci montis adsitus, a rivulo fontis, qui inibi exoriens præterfluit, Tignus cognominatur. *Secundum hæc ergo Mosomensis Chronici verba* Gerardus *pluribus in Francia monasteriis abbas præfuit. Verum hisne etiam annumerandum est Remense S. Remigii monasterium? Mabillonius sæpissime jam laudatus in Annalibus Benedictinis lib.* XLVI, *num.* 20 *sic scribit:* Inter alia monasteria, quæ Gerardi consilio erecta sunt, censetur Tinense seu Tignense, sic dictum a Tino præterfluente rivulo, qui e radicibus Aldiniaci montis exoritur. Hoc monasterium in Portensi comitatu Freduidis nobilis matrona cum illustri viro suo comite Stephano ædificasse traditur, ac subjecisse sancti Remigii monasterio, cujus curam Gerardus habuisse dicitur in Chronico Mosomensi, sed nullo, ut videtur, fundamento. Quandoquidem non Gerardus, sed Ercamboldus, Floriacensis abbas, restituendæ istic monasticæ disciplinæ præcipuus auctor fuit, primusque sancti ejus asceterii a reformatione abbas Hincmarus Gerardo supervixit. *Ita Mabillonius* S. Gerardo *Remensis S. Remigii monasterii curam abjudicans; et recte quidem: neque enim etiam vult, nullam omnino monasterii illius curam a*
C *Sancto gestam fuisse.*

curam gessit,

152 *Per curam quippe, quam ei abjudicat, præfecturam dumtaxat reformationemque intelligit. Liquet id ex eo, quod pro ratione, ob quam dicti monasterii curam* Gerardo *abjudicet, mox dicat, non* Gerardum, *sed Ercamboldum, Floriacensem abbatem, restituendæ in Remigiano asceterio disciplinæ præcipuum auctorem exstitisse, primumque a reformatione abbatem Hincmarum* Gerardo *supervixisse. Unde minime consequitur, ut Sanctus nullam monasterii Remigiani curam gesserit. Et vero illum singularem quamdam hujus curam habuisse, vel ex eo liquet, quod suo consilio (vide recitata Mosomensis Chronici verba) effecerit, non tantum ut Tignense seu Tinense monasterium condiderint Freduidis, nobilis matrona, ejusque maritus illustris, comes Stephanus; verum etiam ut id sancti Remigii monasterio subjecerint, procurandumque dederint, uti ex iis, quæ ipsemet Mabillonius Sæculo quinto Benedicto parte prima de Translatione S. Arnulfi scribit, manifestissimum fit. Itaque nec Mabillonius omnem monasterii Remigiani curam* Gerardo *abjudicat, nec dubium est, quin singularem quamdam hic illius curam gesserit, licet interim, ut verosimilius apparet, istud nec reformarit, nec etiam abbas gubernarit. At vero plura Franciæ monasteria cura sua Sanctus non tantum fuit complexus, sed etiam abbatis rexit officio. Id verbis ex Mosomensi Chronico jam recitatis diserte asseritur,* AUCTORE C. B. *verumque esse, ex dicendis facile colliges. Verum quæ qualiave illa fuerunt cœnobia? qua in Franciæ provincia sita? Cum ad Franciam tunc spectarit comitatus Flandriæ, dubitari potest, an non sola Mosomense Chronicon designet Flandriæ seu ditionis comitis Flandriæ cœnobia, quæ ex dicendis* Gerardus *reformavit, abbatisque etiam munere gubernavit; id autem si ita sit,* Gerardus *ex Mosomensi Chronico non aliis, quam Flandriæ cœnobiis in Francia præfuerit.*

pluriumque etiam Franciæ cœnobiorum præfecturam tenuit.

153 *Attamen* Gerardum *non solis in Francia ditionis comitis Flandriæ cœnobiis, sed etiam pluribus aliis præfuisse, dicendum omnino videtur. Etenim in Vita S. Bertulphi abbatis, apud nos ad quintum Januarii diem typis excusa, atque a monacho Blandiniensi anonymo circa annum* 1075, *ut Bollando nostro visum est, conscripta, num.* 33 *hæc leguntur:* Ea tempestate in monasterio Blandinio Gerardus merito et officio abbas degebat, cujus consiliis gloriosus marchio (*Arnulphus Magnus, Flandriæ comes*) libenter utebatur. Qui cum titulos nobilitatis nobilius etiam ornaret moribus probitatis, cunctis pene Galliæ cœnobiis et præesse et prodesse dignus inventus est. *Cum ergo secundum hunc scriptorem* Gerardus cunctis pene Galliæ cœnobiis præfuerit, *necesse omnino est, ut præter ditionis comitis Flandriæ cœnobia, de quibus infra sat fuse erit agendum,* E *plura etiam alia in Francia abbatis munere administrarit. Adhæc* Gerardum *plura etiam, quam ditionis comitis Flandriæ monasteria vel reformasse, vel abbatis munere gubernasse, aut certe ut, cum a Normannis destructa essent, restaurarentur, laborasse, argumento esse potest tentata ab eo, uti infra dicemus, nec tamen felicem exitum sortita Fontanellensis in Normannia cœnobii restauratio. Itaque dubitandum non apparet, quin* Gerardus *non tantum in Flandria et Lotharingia, verum etiam in Gallia plura monasteria vel reformarit, vel restauranda curarit, abbatisve etiam munere gubernarit, quamvis interim in obscuro sit, quæ qualiave illa monasteria exstiterint. Aliam nunc quæstionem, quam nemo facile decidat, discutere aggredior.*

§ XIII. An S. Gisleni reliquias, furto a Malbodiensibus ablatas, Gislenianis recuperarit, et qui his utilis exstiterit.

Corporis S. Gisleni, quod Malbodienses abstulerant, F

Cellense S. Gisleni monasterium moderandum reformandumque vix acceperat Sanctus, cum in clericorum illud inhabitantium mores cæpit diligentius investigare, cumque hos tales esse deprehendisset, qui clericos, religiosi incolas loci, quem quondam occuparant monachi, minime decerent, illos inde, subrogatis monachis, eliminavit. Qui, *inquit de* Gerardo *num.* 48 *biographus,* clericorum ibi degentium conversatione non bona diligentius investigata, commodum duxit ab ea exturbare basilica libertatem habentes sua quisque exercere negotia, subinde Deo digna subrogans cœnobitarum examina. *Fecit id Sanctus ad Gisleberti, Lotharingiæ ducis, postulatum. Ita per verba supra recitata testatur Rainerus, nec ei refragatur biographus. Et vero Gisleberti etiam petitione fecisse id Sanctum, indubitatum apparet, nec, si secus foret, pluribus id probare, operæ pretium existimarem. Ad alia adeo, quæ Sanctus jam Cellensis abbas patrasse, a biographo narratur, discutienda progredior. Fuerat S. Gisleni corpus, antequam* Gerardus *ad Cellense monasterium accederet, Gislenianis per Malbodienses sublatum. Hoc tum biographus noster, tum Rainerus testatur; qui ambo scriptores, fuisse illud Gislenianis recuperatum, unanimi etiam consensu tradunt. Verum hanc recuperationem biographus a* Gerardo; *Rainerus vero ab Adelhelmo quodam, antequam* Gerardus *Ursidongum accederet, factam commemorat.*

recuperationem S. Gerardo biographus,

153 *Adhæc in aliis recuperationis adjunctis, prodigiisque, quæ hanc comitata referunt, mirum in modum invicem etiam discrepant. Verum utri hic assentiendum*

AUCTORE C. B.

assentiendum est? Mabillonius in Observationibus ad Vitam S. Gerardi *præviis num.* 7 *rei huic discutiendæ multum immorandum non duxit, ita haud dubie faciendum ratus, quod nihil prorsus inveniret, unde vel Raineri vel biographi narratio verosimilior efficeretur. Et vero, diligentissima licet instituta indagine, nihil etiam apud antiquos scriptores reperire quivi, quod, ut uni potius quam alii e binis illis scriptoribus subscribam, me impellat, hincque etiam pro neutro ausim pronuntiare. Ut tamen, studiose lector, cum Raineri narratione commodius queas biographi nostri narrationem conferre, hincque, utra præstet, forte dispicere, amborum illorum scriptorum verba huc transcribo. A biographi nostri verbis incipio. Hic num.* 48 *et binis sequentibus sic habet:* Modica vero temporis (*post* Gerardi *ad Cellense monasterium accessum*) transcursa intercapedine, per se perscrutans (*sanctus* Gerardus) almi (*S. Gisleni*) confessoris, pro dolor! glebam abesse (sublata quippe fuerat, seu liquet superiori relatione) procellosa animi tempestate cœpit nimis consternari et fluctuare, omnino ignorans, quid actitaret super dispendio tam inæstimabilis margaritæ.

cujus verba huc

136 Proinde suorum quosdam fidelium ad se evocans, et cujus infortunii angore angeretur, indicans, quaquaversum exploratores eos dirigit, et
B ut id fideliter explorando investigent et investigando explorent, edicens indicit. Quibus incassum circumcirca discursantibus, nihilque serium exinde renuntiantibus, tandem divinitus, utpote profuturus incidit cogitatus, quatenus hac causa tenderet Melbodium versus: quo dum properasset proficisci, jamque ingrederetur fores oratorii, ab introeuntibus cœpit subaudiri crebrior tinnitus cujusdam tintinnabuli, ignorantibus cunctis, quid

* portenderet protenderet * rei, ipso etiam (ni fallimur) Dei Famulo. Devotissime vero præmissa oratione, Dominique, ut Sanctum suum dignaretur manifestare, flebiliter interpellata benignitate, conversus ad indigenas loci illius vel ecclesiæ, percontando scisitabatur ab eis cum omni mansuetudine, an aliquantulum hac de re, quamvis parum, conscirent significare. Quibus dejerantibus persancte, sese penitus ignorare, magis autem vehementer stomachantibus ob crimen suspicionis injectæ, Vir Dei cum magna animi tranquillitate, Nolite, inquit, filioli, nolite istud molestius ferre: potens est nempe nobis dignatio Christi hoc revelare. Enimvero necesse est, adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.

transcribuntur, attribuit; Rainerus vero,

137 Nocte igitur insecuta Viro Dei in oratorio pernoctanti, summamque Deitatem super hujusmodi obnixius inquietanti, repente sibi ipsius stolati candida effigies enituit Sancti, satisfacientis
C importunæ ejus supplicationi, demulcentisque eum sermone hoc dulci: Cur, inquit, dulcis amice Dei, tantum sumis fatigium ob gratiam mei? Accipe nunc certissimum de hoc, quod quæritas, indicium. Ecce super lacunaris tabulatum, quod imminet super caput tuum, ubi scilicet heri advenientes demirati sunt tinnire tintinnabulum, indecenter repositum meum latet corpusculum. Volo autem, te tuosque posteros nosse, absque Dei voluntate haud quaquam hoc accidisse. Hæc ubi deprompsit, cæli fastigia scandit. Qua visione Vir Dei oppido exhilaratus, competentes reddit Deo grates, ne videretur ingratus. Ut vero prima poli stellas aurora fugavit, ægrisque mortalibus curas operosa revexit, idem ipse cum suis laquear templi extemplo conscendit, conscendens quærit, quærens invenit, inveniens præ gaudio mœret, mœrens suos in lacrymis ciet; sicque sacros artus inde deponit, depositos in sindone munda componit, compositis, Deo laudes hymnidicas pangit, pangendo lætus iter invadit. *Ita secundum biographum S. Gisleni corpus* S. Gerardus, *cum jam esset Cellensis abbas, Gislenianis recuperavit; qui vero his recuperatum illud fuerit secundum Raynerum nunc habe.*

138 *Hic rem Sæculo* II *Benedictino apud Mabillonium, libro Miraculorum S. Gisleni, num.* 3 *ita exponit:* Post hæc nocte (*furtivam corporis S. Gisleni per Malbodienses ablationem*) secuta vidit quidam Egrardus in visu, quasi in oratorio esset ejusdem cellæ ante Dei Genitricis Mariæ stans altare; cum ecce vir quidam apparens dixit ei Sanctus: Quis sum ego? Cumque ille respondisset, Nescio; Ego sum, inquit, Lantbertus mei domni Gisleni filiolus: tristitiam deponite, quam habetis de eo, qui cito revertetur ad vos (*S. Gislenus*) meus patrinus. Surgens ergo vade, dic Herberto comiti, qui jugiter exstitit domino meo optimus vicinus, quod eat Malbodium, dicens fratribus et sororibus loci, ut reddant S. Gislenum, quem latenter abstulerunt hinc, quemque secum retinent. Etenim neque Deus, neque ipse cupit illic manere, sed in loco, quem ei dignatus est Omnipotens providere. Negligens vero Egrardus visionem, nihil horum retulit comiti, sed fratres consolans ac patres reddidit hilares et jocundos. Apparuit denuo S. Gislenus in villa Havagio cuidam Francigenæ, nomine Adelelmo, dixitque ei: Non tetrices adire Malbodium dicturus prælatæ Theodradæ et aliis sororibus et sacerdotibus, ut reddentes sine cunctatione corpus meum, restituatur loco suo. Mane ergo surgens jam dictus Adelelmus fecit omnia, quæ
E jusserat Sanctus: illi vero negligentes ejus dicta spreverunt. Misso autem præcone ad episcopum Cameracensium, domnum Stephanum, venit accedens usque ad castellum Malbodiense, stansque foris intromisit, qui dicerent majoribus natu: Reddite, quæso, fratres ac sorores, almi vatis Gisleni corpus, ut suo a Christo dato restituatur loco, sin secus, excommunicabo, ne quis in hoc loco Missas nec alia Dei obsequia celebret.

hic recitantur, nullam in ea partem Sancto adscribit.

139 Quod audientes Malbodienses, licet coacti, paruerunt episcopo. Tunc quoque jussit episcopus decanum venire cum omnibus decaniæ suæ fratribus, atque Sancti glebam referre cum reverentia et honore condigno. Quibus jussis obtemperantibus, præcepit etiam episcopus, ut singuli sacerdotes per singulas hebdomadas custodirent locum cum sancto corpore, donec cum duce Gisleberto quæreret, qui locum eumdem servarent diu noctuque. Facta est siquidem Idibus Decembris relatio sacrorum cinerum, et reconditur eadem die cum maximo cleri plebisque tripudio in sæpe memorata basilica Apostolorum, ubi deputatis excubiis, sacrorum ordinum gloria persolvitur diu noctuque illi, qui est laus angelorum, veneratio quoque Sancto per omne hujus vitæ curriculum. *Talis est Raineri de reliquiarum S. Gisleni recuperatione narratio; huic autem, paucis dumtaxat in-*
F *terpositis, subjungit visionem Gisleberto, Lotharingiæ duci, de Cellensis monasterii cura* Gerardo *committenda divinitus oblatam, Sanctique ad illud accessum, ut adeo* Gerardo *nullam prorsus in corporis S. Gisleni recuperatione partem attribuat, hocque jam, antequam ille Cellense S. Gisleni monasterium adiret, fuisse recuperatum, aperte tradat. Mabillonius, in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus pro parum verosimili habet Raineri narrationem, huc jam transcriptam, qua scriptor ille, uti hanc inspicienti patescet, corporis S. Gisleni recuperationem non* Gerardo, *sed Adelelmo seu Adelelmo cuidam atque Stephano, Cameracensi episcopo, adscribit.*

Amborum narratio commenti videtur suspecta.

140 *Verum nullam prorsus, ob quam ita judicet, rationem adjungit. Et vero ullam sat fundatam, ob quam ita judicaret, habuisse eum, multum dubito. Imo, cum de re, quæ ad Cellense monasterium spectet, sermo sit, hujusque monachus fuerit Rainerus, nescio etiam, an huic potius, quam biographo assentiri non præstet. Utut sit, cum nihilominus nec hæc, nec alia ratio mihi videatur prorsus sufficere, ut corporis S. Gisleni recuperationem potius Adelelmo cuidam et Stephano, Cameracensi episcopo, quam* Gerardo *adscribam, rem hanc, ut jam supra feci, etiam hic in medio relinquo. Attamen, ut qualecumque saltem de Raineri et biographi nostri narratione promam*

A *promam judicium, utraque mihi, quantum ad adjuncta saltem, admodum apparet suspecta. Quamquam enim S. Gisleni corpus, uti inter Rainerum et biographum nostrum convenit, Gislenianis furto fuerit per Malbodienses sublatum, deindeque ab his per illos recuperatum, adjuncta tamen ac præcipue quidem miracula seu visiones cælestes, quibus Rainerus et biographus recuperationem illam vestiunt, commenti queunt haberi vel idcirco suspecta, quod in recuperatione illa accidere potuisse omnia, quæ tam ab uno, quam ab altero referuntur, non videantur. Unde fit, ut saltem unum videatur confictum, ac proin ut reliqua omnia haberi debeant commenti suspecta. Attentius nonnihil, studiose lector, evolve Raineri et biographi nostri narrationes, supra huc jam transcriptas, videbisque, miracula seu visiones cælestes, quibus Rainerus narrationem suam vestit, consistere nullatenus posse cum prodigiis, quibus suam exornat biographus. Hinc ego præter substantiam, quam utriusque narratio complectitur, nihil plane pro sat certo habeo, dubitoque quam maxime, potiusne biographo, an Rainero assentiendum sit, licet interim Raineri narratio, nulla habita prodigiorum ratione, verosimilior forte queat videri.*

Qui Sanctus Gislenianis profuerit.

161 *At vero, si ob jam dicta dubium sit, an* Gerardus *Gislenianis corporis S. Gisleni recuperatione profuerit, dubitandum saltem non est, quin illis tum* B *assidua ad virtutes exhortatione, tum sedula earumdem exercitatione magnam utilitatem attulerit.* Vir ergo Domini (*inquit num.* 34 *biographus*) apprime eruditus regulari norma, commissis sibi fratribus duplici præerat doctrina. Secundum namque saluberrima domni Benedicti hortamina capacioribus discipulis dominica verbis proponebat mandata; simplicioribus vero divina factis suis demonstrabat præcepta: omnia tamen, quæ subjectis docebat esse contraria, in suis actibus Prælatus indicabat non agenda, de thesauri sui arca proferens nova et vetera, quemadmodum doctissimus scriba, qui qualem habebat doctrinam, talem habebat et vitam. Et quia, regendas se suscepisse animas, sciebat, ad rationem reddendam se sollicitus præparabat, auream mediocritatem in omnibus tenebat: amore potius quam timore commissos regebat. Sciens ergo, se vices Christi agere, summique abbatis vocari prænomine, ita se omnibus studebat conformando aptare et aptando conformare, ut cerneres, eum mira caritate omnium moribus deservire. *Talis erat, quam* Gerardus *sequebatur, Cellenses monachos moderandi ratio; qua indubie eorum in spiritu progressum plurimum promoverit. Nec tantum rara in gubernando dexteritate pollebat; verum etiam iis, quibus nihil in vita hominibus in-* C *venias utilius, virtutibus præcellebat, prudentia scilicet, temperantia, fortitudine et justitia. His accedebat, rerum terrenarum contemptus plane eximius, quodque hunc comitari solet, cælestium studium prorsus mirandum.*

Cæcæ mulieris per illum sanatio.

162 *Hinc fiebat, ut quotidie fere copiosum inter lacrymarum imbrem Dominicæ passionis recolens memoriam Sacris operaretur, sicque divino Epulo adversus omnes teterrimi hostis insidias atque incursos animam muniret. At vero, cum ita totum Deo virtutique sese addiceret Sanctus, voluit divina benignitas, ut, quanti apud se meriti esset Servus suus, mundo palam fieret. Aberat haud procul a Cellensi S. Gisleni monasterio vicus, nomine* Buxutum, *idem verosimiliter, qui hodie* Boussu *vocatur, quique Gislenopoli vix medio leucæ horariæ distat spatio. Porro in vico illo versabatur mulier, jam pridem oculorum usu orbata. Hæc, audita insigni, qua clarescebat* Gerardus *Cellensis abbas, vitæ sanctimonia, a Viri tam eximii meritis malo suo medelam allatum iri, spem concepit. Itaque ad Cellense S. Gisleni monasterium ducta, ibi, quo, quod sperabat, obtineat, in orationem procumbit, aquam sibi, qua* Gerardus *post sumptam Eucharistiam abluisset manus, porrigi postulat, statimque ut hac accepta, post imploratam prævie omnipotentis Dei virtutem sanctique* Gerardi *fidem, cæcas humectavit pupillas faciemque abluit, oculorum usum recuperavit. Miraculum omnes, qui aderant, mulieremque norant, agnoscunt, hæcque ad Sancti pedes provoluta de accepto beneficio gratias ei summas refert, receptumque oculorum usum, audientibus omnibus, adscribit.* Gerardus *contra totum Deo fideique mulieris ac spei adscribendum affirmat, sicque, quod insigne erat animi demissi argumentum, occultare nititur; quod meritis ejus patratum esse prodigium, fama illico quaquaversum vulgavit. Ad spatiosiorem nunc, qui se aperit, rerum a Sancto gestarum campum progredior.*

AUCTORE C. B.

§ XIV. Sanctus evocatur in Flandriam, comitem Arnulphum a calculi morbo sanat, tempus, quo hoc fecerit, et quid hinc a comite impetrarit.

Sanctus ad Arnulphum, Flandriæ comitem, calculo E

Sanctimoniæ fama, qua Gerardus *jam pridem inclaruerat, magis magisque, postquam, quo de actum est § præcedenti, patrasset miraculum, invalescebat indies, hincque fiebat, ut, velut Sanctus, longe lateque apud summos æque ac infimos celebraretur. Erat ea tempestate acutissimis calculi doloribus detentus Arnulphus, cognomento* Magnus, *Flandriæ comes. Multos adeo undequaque peritissimos, ut ab his curetur, adesse jubet medicos. Aiunt hi, incisione opus esse, nullamque absque hac medelam comiti posse afferri. Verum princeps veritus, ne vitam, dum ei servandæ medelam adhibet, penitus amittat, medicorum suasioni obtemperare recusat. Hi, ut comiti addant animum, octodecim eodem morbo correptos, illo inspectante, incidunt, hique omnes, uno dumtaxat excepto, brevi curantur. Verum ille unus comitem in proposito, quo incisionem non pati statuerat, facile obfirmavit. Quam itaque prius in hominum arte sanationis spem collocarat, hanc deinde ad se reversus, jamque divina gratia meliora sapiens, unice in Deo collocat. Fama acceperat, qua sanctitatis æstimatione* Gerardus *gauderet, quo virtutum odore fragraret, illamque auditum nuper de illuminata cæca muliere miraculum non mediocriter auxerat. Itaque Arnulphus, hujus potissimum mulieris exemplo impulsus, sese, quam hæc obtinuerat, Sancti quoque meritis obtenturum medelam sperans, celerem ad* Gerardum *mittit nuntium, enixissimeque per hunc petit, ad ipsum ut venire, ne Sanctus gravetur.*

laborantem vocatur, hocque illum morbo miraculose liberat. F

164 *Comitis postulato annuit* Gerardus, *in Flandriam properat, officiosissimeque, ut par erat, a principe, qui venienti occurrit, excipitur. Indicat hic cum luctu Viro sancto morbi, quo affligitur, acerbitatem, rogatque, pro ipso Deum Omnipotentem ut deprecetur. Negat Vir sanctus, sese tanti apud Deum esse meriti, ut a se quidquam præsidii exspectare debeat Arnulphus. Attamen hujus deinde evictus precibus, primo quidem, quid facto opus sit, quo comes Deum sibi reddat propitium, exponit; deinde vero, omnibus, quæ monet, a principe ad amussim expletis, triduanum illi sibique, quo hac victus parsimonia sese ad sacrum Christi Corpus percipiendum purificent, præscribit. Hoc porro expleto, Sanctorumque imploratis suffragiis, Vir Dei solitum inter lacrymarum imbrem Sacris operatur, cumque jam sacram Eucharistiam sumpsit, comitique illam pariter impertiit, sentit mox hic reddendi lotii appetitum, secedensque e sacro loco calculum una cum urina nullo plane negotio rejicit, pristinæque sanitati restitutum sese, gratulatur. Hæc omnia, quæ tum hoc, tum præcedenti numero compendiose jam retuli, Sancti nostri biographus, quem propterea consulas, oratione longe fusiori num.* 39 *et quatuor sequentibus exponit. Verum nec annum, quo facta sint, adjungit, nec ullam, ex qua illum utcumque colligas, notam chronicam suppeditat. Alio igitur, ut, quo tempore* S. Gerardus *ad Arnulphum, Flandriæ comitem, accesserit, eumque calculi doloribus excruciatum sanarit, utcumque determinem, etiam hic recurro.*

165 *Accesserat haud dubie jam* Gerardus *ad Flandriæ*

AUCTORE C. B. *Accidit id anno 957 vel præced.*

driæ comitem, quando hic illius Transmarique, Noviomensis ac Tornacensis episcopi, suasu Gandense S. Bavonis monasterium, jam dudum a Normannis destructum, instaurare incepit. Quapropter, cum ex mox dicendis id anno 957 Arnulphus fecerit, consequens est, ut ad hunc vel hoc ipso anno vel etiam paulo citius accesserit Gerardus; *multo enim citius id evenisse, idcirco non puto, quod Sanctus ex dictis anno circiter 955 Cellense S. Gisleni monasterium reformandum primum acceperit, hujusque et aliorum forte nonnullorum in Lotharingia monasteriorum reformationi triennium ut minimum, antequam ad Arnulphum, Flandriæ comitem, vocatus accesserit, impendisse videatur. Verosimiliter itaque vel anno 957 vel præcedenti ad Arnulphum, Flandriæ comitem,* Gerardus *accesserit. Verum an tunc quoque Arnulphum, Flandriæ comitem, calculi doloribus reddidit persanatum? Ita omnino apparet, si modo biographo nostro fides sit. Etenim, uti tota sua narratione, compendio jam exhibita, manifeste indicat,* Gerardus *ad Arnulphum non prius accessit, quam ad eum fuerit e monasterio Cellensi vocatus; hinc autem ad comitem non alio fine arcessitus fuit, quam ut eum calculi doloribus misere excruciatum precibus suis sanaret. Eodem adeo circiter tempore et comitis Arnulphi sanatio et Sancti ad hunc accessus evenit.*

B *Quapropter, cum* Gerardus *ex dictis vel anno 956 circiter vel 957 ad principem in Flandriam primum accesserit, alterutro etiam anno circiter fuerit hic* Gerardi *meritis prodigiose, quo cruciabatur, calculo rejecto, sanitatem adeptus.*

nec forte opinioni huic adversatur

166 *Mabillonius in Annal. Benedictinis lib.* XLIV, *num.* 6, *instauratione Gandensis S. Bavonis monasterii ecclesiæque una cum ejusdem Sancti reliquiarum in hanc translatione ad annum* 959 *narrata, ita memorat :* Forte per idem tempus Arnulfus comes calculo graviter aborabat, ita ut vix ei respirare liceret. Vocati ad eum peritissimi quique medici ac chirurgi non aliud remedium, quam incisionem afferri posse censuerunt. Repuguante comite, ut peritiam artis suæ ostentarent chirurgi, sub ejus oculis octodecim homines eodem morbo affectos inciderunt, qui omnes præter unum brevi sanati sunt. Verum nec sic incisioni assensit comes, maluitque Dei opem in iis angustiis, exemplo beatæ Agathæ, implorare per beatum Gerardum, cujus precibus ac meritis calculo liberatus est. *Vult ergo, ut non nemini videbitur, laudatus auctor, calculo per* Gerardi *preces et merita liberatum esse Arnulphum sub annum* 959; *indicat enim, uti ex jam dictis liquet, factum esse illud* per id tempus, *quo Arnulphus restauravit Gandense S. Bavonis monasterium,*

C *inque novam hujus ecclesiam ejusdem Sancti reliquiæ fuerunt translatæ; hæc autem ex dictis ad ann.* 959 *refert. Attamen cum Mabillonius dumtaxat scribat,* per id tempus, *quo in novam restaurati Bavoniani monasterii ecclesiam translatæ fuerunt dictæ reliquiæ, calculo liberatum fuisse Arnulphum, vocesque* per id tempus *aliquot etiam annorum extensionem pati videantur, scribere ad annum* 959 *absque veritatis dispendio forte potuit is auctor, Arnulphum* per id tempus, *quo translatæ fuere in novam ecclesiam S. Bavonis reliquiæ, calculo fuisse liberatum, etiamsi hoc et ante hanc reliquiarum translationem et ante annum* 959 *acciderit.*

Mabillonius; etsi autem certo adversetur Locrius, oppositam tamen

167 *Opinioni ergo, qua tum ante reliquiarum S. Bavonis in novam Gandensis monasterii ecclesiam translationem, tum etiam ante annum* 959 *comitis Arnulphi per* Gerardum *curationem statuimus, indubie adversari non videtur Mabillonius, etiamsi interim pro tempore, quo S. Bavonis reliquiæ in novam Gandensem ecclesiam fuere translatæ, annum* 959 *perperam forte assignet, uti ex infra dicendis facile colliges. Locrius in Chronico Belgico ad annum* 959 *sic scribit :* Arnulphus comes ab acerbissimo calculi dolore meritis dicti beati Gerardi miraculose liberatur. Fertur is Arnulphus, quum medici incisionem suaderent, Latine in hæc verba respondisse : Non sustinebo, ne dum indulgentius quæram vivere; inclementius incipiam mori; *cum hæc ergo laudatus scriptor ad annum* 959 *memoret, dubitandum non videtur, quin hoc anno Arnulphi a calculi doloribus curationem factam velit. Adhæc cum hanc non prius, quam cum jam* Gerardi *mortem retulit, factam commemoret, velle videtur, Arnulphum non prius, quam cum jam* Gerardus *vita functus esset, calculo fuisse per hujus merita liberatum. Verum tam unum, quam aliud, uti ex jam dictis patet, apertissime pugnat cum Sancti biographo; huic autem, utut a veritate alibi subinde devio, assentiendum hic videtur, quod nullum omnino sibi habeat adversantem scriptorem antiquum, nec ullo ex capite res, quam narrat, falsi queat argui. Laudat quidem pro se Locrius Frodoardum, Remensis ecclesiæ presbyterum, sæculi decimi scriptorem ac proin Sancto nostro et Arnulpho, Flandriæ comiti, coævum. Verum is scriptor nihil omnino tradit, quod suffragari queat Locrii opinioni, qua ex dictis Arnulphi a calculo curationem, quæ* Gerardi, *jam vita functi, meritis facta fuerit, anno* 959 *innectit. Verba, quæ sibi in Frodoardo favere arbitratus est Locrius, huc transcribo. Sic habent :* Arnulfus comes (*Flandriæ scilicet*) Remis venit, et ecclesiam sanctæ Mariæ non modico argenti pondere muneravit : unde arcæ, quibus sancti Calixti sanctique Nicasii ac sanctæ Eutropiæ membra, ceterorumque Sanctorum quorumdam pignora continentur, ornatæ vel E coopertæ sunt. Sed et quemdam Evangeliorum hujus ecclesiæ librum auro argentoque decoravit : monasterio quoque sancti Remigii dona contulit.

nec ex Frodoardo,

168 *Hactenus Frodoardus, qui cum hæc ad annum* 959 *referat, sat aperte docet, comitem Flandriæ anno illo Remos venisse, ibique tum in S. Mariæ ecclesiam, tum in S. Remigii monasterium exstitisse pie munificum. Verum quid hinc pro opinione sua eruere potuit Locrius? Existimavit scilicet, Arnulphum tunc Remos venisse occasione seu causa sanitatis, quam nuper calculo per* Gerardi *jam vita functi merita liberatus recuperasset. Ast id nec verbis jam recitatis, nec alibi uspiam indicat utcumque Frodoardus. Locrio ergo minime suffragatur hic scriptor. Idem etiam sit judicium de Baronio et Surio, quos pro se etiam laudat idem Locrius. Baronius enim, ubi ad annum* 959 *Arnulphi, Flandriæ comitis, ad civitatem Remensem accessum piamque ibidem exercitam liberalitatem narravit, occasionem, qua Arnulphus ad meliorem frugem fuerit conversus, exponit; quamvis autem illam ab ejus per* Gerardum *facta curatione repetat, hanc tamen nec occasionem nec causam, ob quam Arnulphus Remos petierit, ulla ratione facit, ut proinde Locrii opinioni minime adstipuletur. Quod jam pertinet ad Surium, multum profecto abest, ut pro se quidpiam ex hoc habeat* F *Locrius. Is enim, quod huc faciat, nihil plane præter* S. Gerardi *Vitam suppeditat; hæc autem, utut a Surio interpolata, obstat non minus, quam Vita a nobis edenda, ne Arnulphi a calculo curatio anno* 959, *postque felicem* Gerardi *e vita excessum facta statuatur. Rem illa vel obiter perlecta manifestam efficiet. Nec Surium igitur sibi faventem habet Locrius.*

nec ex Meyero,

169 *Ast, inquies, secundum Marlotum in Historia Remensi Arnulphus* vota soluturus *pie tunc exstitit Remis munificus. Adhæc Meyerus, quem pro se pariter citat Locrius, in Annalibus Flandriæ ad annum* 964, *narrata prævie Arnulphi morte, de principe hoc sic scribit :* Lectica extremis diebus vehebatur, cumque gravi laboraret calculo, confluerentque ad eum lucri gratia undique medici, secari, ut consulebant, non sustinuit, Ne, dum indulgentius, inquit, quæram vivere, (Latine enim peritus erat) incipiam inclementius mori. Sunt, qui morbo illo precibus divi Gerardi Broniensis, multi tum nominis ac sanctitatis Viri, divinitus tradant liberatum. *Calculo ergo extremis vitæ suæ diebus laboravit Arnulphus, si Meyeri spectetur opinio. Hinc autem consequi videtur, ut, cum secundo decubuisse ex morbo illo non legatur Arnulphus, serius hic princeps, quam anno* 957, *calculi doloribus fuerit liberatus; neque enim hoc anno decrepitæ adeo ætatis fuisse videtur, ut tunc, cum id fecit, calculo laborasse,*

A laborasse, lecticaque etiam vehi, necesse habuisse videatur. Respondeo, Arnulphum, utpote ex omnium consensu nonagenario majorem effectum, annoque 964 vita functum, asseri a Meyero extremis vitæ suæ diebus lectica vectum fuisse, quod jam anno 956 vel 957, quo id, cum calculo cruciaretur, accidit, septuagesimum propemodum vitæ annum attigisset. Quod porro jam ad Marlotum pertinet, ait quidem hic scriptor, Arnulphum, Flandriæ comitem, voti solvendi causa in Remensem S. Mariæ ecclesiam, sanctique Remigii monasterium exstitisse pie munificum; verum qua occasione, quave causa hujusmodi votum Arnulphus emiserit, minime edicit. Dubium ergo relinquit, an id sanitatis recuperatæ gratia præstiterit.

nec ex aliis, quos citat, scriptoribus evincit.

170 *Et vero, etiamsi Arnulphum ex voto, quod calculi doloribus excruciatus emiserat, pie exstitisse Remis anno 959 munificum, diserte assereret, certum tamen propterea nondum foret, principem illum anno 959 calculi doloribus primum fuisse excruciatum, sanctique* Gerardi *meritis liberatum; est enim Marlotus ab Arnulphi Sanctique nostri ævo tam remotus, ut rebus, quas de illis scribit, fidem sibi certam atque indubitatam conciliare neutiquam queat. Idem esto judicium de Meyero, si forte, quæ jam protuli, sufficere non videantur enervando argumento,*

B *quod ex scriptore illo secundum mox dicta peti potest contra opinionem, quæ Arnulphum, Flandriæ comitem, anno circiter 956 aut sequenti calculi doloribus per* S. Gerardi, *vita nondum functi, merita et preces liberatum statuit. Itaque, quidquid demum sive ex Frodoardo aut Meyero, sive ex aliis, quos Locrius allegat, scriptoribus possit argui, dubitandum non videtur, quin Arnulphus, Flandriæ comes, anno circiter 956 aut sequenti calculi doloribus per* Gerardi, *in vivis adhuc superstitis, merita precesque fuerit liberatus. Ut adeo rerum gestarum seriem prosequamur, dispiciamus modo, quid* Gerardum *inter et Arnulphum, Flandriæ comitem, post faustam hujus jam expositam a calculo curationem acciderit. Dilucide id biographus num.* 64 *et tribus sequentibus exponit.*

Sanctus, non acceptis, quæ ei comes offert, donis, omnes

171 *Arnulphus comes, sanitati pristinæ jam restitutus, munificentissime* Gerardo, *cujus id totum meritis referebat acceptum, auri argentique dona offert quam plurima; verum hæc omnia Vir sanctus, ne contra religiosam, quam profitebatur, paupertatem ulla ratione delinquat, generosissime respuit; attamen, urgente comite, ut saltem facultatum ejus decimas acceptet, easque pro suo arbitrio dispenset, ægre tandem, ut id faciat, inflectitur; acceptas autem decimas in tres partes æquales partitur, atque harum quidem duas in monasteria pauperesque distribuit;*

C *tertiam vero cœnobio Broniensi attribuit :* Tunc etenim temporis, *inquit hæc num.* 64 *et binis sequentibus fusius referens biographus*, erat Broniensis ecclesia velut arbuscula noviter plantata, necdum ad plene radicata, quæ irrigationis postulans adjumenta, si forte cesset cultoris industria, inutilis redditur et infœcunda. *In usus adeo probatos Sanctus, quas ægre admodum acceperat, decimas impendit, nihilque adeo ex his sibi retinuit. Hinc porro factum est, ut comes, insigni beati Viri probitate ac religione cum divitiarum contemptu observata, omnium ei, quas sub ditione sua habebat, abbatiarum administrationem commiserit.* Sic igitur, *inquit num.* 66 *biographus*, marchio, spectata Viri Dei virtutifera probitate, magisque monastica, quæ circumquaque divulgabatur, religiositate, abbatiarum, quotquot habebat sua sub potestate, commodum duxit procurationem sibi (S. Gerardo *nimirum*) commendare.

ditionis comitis eo forte sensu, qui hic exponitur,

172 *Ita biographus, qui tamen his verbis forte non vult,* Gerardum *omnibus ditionis Arnulphi abbatiis præfectum fuisse abbatem; sed tantum superiori quadam potestate curaque fuisse donatum, qua in omnes singularem ditionis comitis abbatiarum abbates horumque regimen invigilaret. Quamquam enim ex iis nonnullas abbatis etiam munere secundum dicenda Sanctus rexerit, plures tamen sub eo proprium sibi forte habuerunt abbatem. Iperius in Chronico S. Bertini cap.* 23 *opportune ad propositum nostrum ita scribit :* Comes... (*Flandriæ Arnulphus Magnus*) Deo et Ecclesiæ devotus, sanctæque religioni multum affectus, huic viro sanctissimo Gerardo omnes terræ suæ abbatias hujus Ordinis (*S. Benedicti*) reformandas commisit, numero decem et octo, quas, abbatibus et eorum regimini superintendens, gloriosissime reformavit, et ad Regularis disciplinæ normam instauravit. *Abbatiarum ergo secundum Iperium, quas Sanctus sibi commissas habuit,* abbatibus et eorum regimini superintendit, *id est, in abbates illos, eorumdemque regimen invigilavit, hocque est, quod biographus forte dumtaxat vult, dum Arnulphum ait omnes ditionis suæ abbatias* Gerardo *dedisse administrandas. Eodem forte etiam sensu intelligendi sunt scriptores supra laudati, qui* Gerardum *aiunt pluribus in Francia et Lotharingia præfuisse cœnobiis. Porro biographus post verba proxime recitata mox docet, fuisse statim a Sancto, quæ commendata sibi a comite habebat, cœnobia visitata, hæcque inter primum, quod adierit reformaritque, exstitisse Blandiniense S. Petri Gandavi cœnobium.*

AUCTORE C. B.

abbatias administrandas accepit.

173 *Verum an hic biographo indubie in omnibus assentiendum est? Quod si forte velit, Blandiniense cœnobium e cœnobiis omnibus, quæ Sancto administranda dedit Arnulphus, primum exstitisse, quod* E *singulari cura fuerit complexus* Gerardus, *id equidem, uti ex dicendis patescet, nequit admitti; verum biographus forte dumtaxat vult, Blandiniense cœnobium exstitisse primum, quod* Gerardus *reformarit; hoc autem, uti ex dicendis pariter patescet, veritati apprime consonat. Porro, cum biographus prius memoret, abbatias ab Arnulpho datas fuisse* Gerardo *administrandas, quam de aliqua harum cura a Sancto gesta faciat sermonem, ex narrationis serie consequi necessario videtur, ut* Gerardus *etiam Gandensis S. Bavonis monasterii instaurationem, quam, eo etiam auctore atque impulsore, factam docebimus, non prius procurarit, quam cum jam omnes, quæ sub Arnulphi ditione erant, abbatias accepisset administrandas. At vero erit fortasse nonnemo, cui verosimilius videatur,* Gerardo *non prius ab Arnulpho omnes ditionis suæ abbatias datas fuisse administrandas, quam cum jam Bavonianum, aliaque forte etiam nonnulla monasteria restauranda curasset. Utut sit,* Gerardum *mox post Arnulphi a calculo curationem, priusquam ullum in Flandria cœnobium restaurandum curasset, accepisse ab hoc principe omnes, quæ sub ditione ejus erant, abbatias administrandas, vero etiam apparet non absimile, ac proin adhæreo biographo, qui id tunc factum esse, narrationis ordine videtur innuere. Et vero Sanctum cœnobii Bavoniani, si non, antequam hoc restaurandum* F *curasset, certe brevi admodum post quam instaurari cœptum esset, administratione ab Arnulpho fuisse donatum, perspicuum fit ex iis, quæ de monasterii illius instauratione, a Sancto nostro procurata, disserere § sequenti aggredior.*

§ XV. Sanctus monasterium S. Bavonis restaurandum curat, hujusque factus abbas monachos in Galliis exsules Gandavum revocat.

S. Bavonis monasterium restauratur;

Everso jam exustoque ante annos nonaginta circiter a Normannis Gandensi *S. Bavonis monasterio, monachi, qui tunc inde barbaræ gentis metu aufugerant, seu potius ii, qui illis successerant accesserantve, Gandavum e Gallia, cum* S. Gerardus *ad Arnulphum, Flandriæ comitem, primum accessit, nondum erant reversi, nec futurum videbatur, ut brevi eo reverterentur, nisi forte facta spe, fore, ut eorum, in quo habitarent, cœnobium quamprimum instauraretur. At vero hujus instauratio res erat perquam difficilis. Etenim, uti apud nos tomo præcedenti scriptor Miraculorum S. Bavonis, lib.* 1, *num.* 17 *testatur,* Gandensis, *id est, S. Bavonis,* cœnobii

AUCTORE C. B.

locus pene videbatur similior deserto vacuatus cultoribus... negligebatur cultu totius venerationis, ipsæ murorum reliquiæ, quæ supererant combustioni, succrescentibus tribulis et densis operiebantur vepribus. *Scriptori huic consonat Lotharii, Francorum regis, diploma infra ex parte hic transcribendum. In hoc enim rex ita loquitur :* Erat ergo idem locus (*monasterium S. Bavonis*) multis temporibus tam incursione paganorum, quam incursione et * negligentia incolentium desertus et in solitudinem redactus et pene inhabitabilis effectus; ita ut nihil quidquam divini officii Deo inibi persolveretur.

* *al. desunt* incursione et

hæc instauratio, quæ Transmaro a Miraculorum S. Bavonis scriptore,

175 *Hæc tam Lotharius in diplomate, quam loco citato Miraculorum S. Bavonis scriptor docet de S. Bavonis monasterio a Normannorum clade nondum instaurato. Erat ergo id tunc miserrimo sane in statu, difficillimæque proinde instaurationis. Id ipsum etiam apud nos tomo præcedenti in Gloria S. Bavonis Posthuma § tertio plenius explanatum invenies. At vero, utut monasterium illud restaurare, difficillimum existeret, res tamen tandem tentata est feliciterque ad exitum perducta. Præcipuas in hac partes scriptor jam laudatus, qui Miracula S. Bavonis sæculo undecimo calamo est complexus, Transmaro Noviomensi ac Tornacensi episcopo adscribit.*

B *Etenim verbis jam mox recitatis proxime hæc subdit :* Mansitque inibi tam miserabilis exhaustio desolationis, usque quo defluente cum curriculis temporum statu multorum, successit post nonnullos Noviomagensi sedi Trasmarus episcopus; quique, quoniam erat sanctorum locorum cultor Christianæque religionis avidissimus informator, venerabilem locum (suæ quippe diœceseos exstiterat) ex intimo indoluit, pristini vigoris auctoritate denudatum, instituitque omnimodis instaurandum. Et quia diuturna desolatio plurimo eguit supplemento, mandavit litteris, ut in scriptis ejus reperimus, super hoc negotio Arnulfo marchiso, ad quem idem locus ex regio pertinebat beneficio, se scilicet scalam velle erigere, per quam uterque levi volatu cælum posset conscendere. Quid multa? His litteris frequentibusque collationum exhortationibus ad ea, quæ voluit, benevolentiam marchisi inflexit, cœpitque idem locus tam utrorumque adjutorio, quamque aliorum fidelium collaboratu ad pristinum redintegrari.

aliisque nonnullis adscribitur,

176 *Scriptori huic assentiuntur Sanderus seu Chronista Bavonianus, Oliverus in Ms. Chronico Gandensi et Meyerus tam in Chronicis, quam Annalibus Flandriæ. Trium horum scriptorum verba, quæ infra etiam usui hic futura sunt, describo. Sanderus*

C *in Chronico Bavoniano seu Gandavo separatim impresso, quo utor, lib.* IV, *cap.* 3 *ita memorat :* Anno DCCCCXXXVII Arnulphus Magnus, comes Flandriæ, hortatu venerabilis viri Transmari, Noviomensis episcopi, cœnobium Gandense, tunc dirutum et deserto simile, restauravit et in melius reformavit : qui in eo virum illustrem S. Gerardum, Bronien-sem abbatem constituit, dicti Gandensis cœnobii vigesimum rectorem, Virum eximiæ virtutis, qualem omnia illa tempora postulabant. *Oliverus in Ms. suo Gandensi Chronico hæc tradit :* Restauratio hujus Gandensis (*S. Bavonis scilicet*) cœnobii, ab Arnulpho Magno, Flandrensium comite, hortatu Transmari Noviomensis seu Tornacensis episcopi facta tempore sancti Gerardi abbatis hujus cœnobii ante dicti anno Domini DCCCCXXXVII. *Meyerus denique tum in Chronicis, tum etiam in Flandriæ Annalibus isthæc prodit memoriæ :* DCCCCXXXVII Magnus (*Arnulphus videlicet, Flandriæ comes*) hortatu Transmari, episcopi Noviomagensis, Gandense cœnobium, Normannica rabie eversum, reædificavit, solitos ritus ac cæremonias instauravit, Gerardumque Cellensem, magnum virtute virum abbam ibi constituit. *Itaque non tantum secundum Miraculorum S. Bavonis scriptorem, verum etiam secundum Sanderum seu Chronistam Bavonianum, Oliverum in Ms. Gandensi Chronico et Meyerum in utroque suo Opere præcipuam partem in Gandensis S. Bavonis cœnobii restauratione habuit Transmarus seu,* D *ut alii scribunt, Trasmarus, Noviomensis ac Tornacensis episcopus. Verum anne recte scriptores illi omnes id affirmant? Sane non dubito, quin plurimum ad Bavoniani monasterii instaurationem contulerit Transmarus.*

177 *Verum enim vero mirari subit, cur nullam prorsus operæ a* Gerardo *ad illam pariter collatæ mentionem faciant; Sanctum enim in dicta instauratione partem pariter habuisse non exiguam, certum mihi atque indubitatum apparet. Etenim Miræus Codice Piarum donationum, cap.* 33 *exhibet diploma supra jam laudatum, atque a Lothario, Francorum rege, regni sui anno primo, qui cum anno Christi* 954 *congruit, in Bavoniani monasterii favorem concessum : in hoc autem Lotharius ita loquitur :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Lotharius divina annuente clementia rex Francorum. Quandoquidem nos fidelium nostrorum petitionibus ac præcipue ad religionem et restaurationem sanctæ Ecclesiæ pertinentibus, assensum præbere dignum dignoscitur, notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, qualiter fidelis noster Arnulphus comes, ac filius ejus Balduinus, nostram adierunt clementiam, supplicantes de quodam monasterio in vico Gandavo posito, ubi Legia et Scaldis flumina confluunt, in honore E S. Petri constructo (in quo etiam S. Bavo corpore quiescit humatus, a cujus quoque tempore aliorumque religiosorum virorum, religio et regularis Ordo ibidem servatus fuisse memoratur) nostra auctoritate voluntatis suæ devotionem confirmari. Erat ergo idem locus multis temporibus, tam incursione paganorum quam incursione et * negligentia incolentium desertus, et in solitudinem redactus, et pene inhabitabilis effectus : ita ut nihil quidquam divini Officii Deo inibi persolveretur. Pia vero admonitione memorabilis viri Gerardi abbatis placuit eis eumdem restaurare, et quemdam alumnum ejusdem Gerardi, religiosum Gidelicet virum Womarum, abbatem ordinare, atque monachos, qui Regulam S. Benedicti observarent, congregare.

magna etiam ex parte Sancto debet

* *al. desunt* incursione et

178 *Itaque secundum Lotharii diploma* S. Gerardus *monendo hortandoque Arnulphum, Flandriæ comitem, hujusque filium Balduinum id effecit, ut hi principes destructum a Normannis Gandense S. Bavonis monasterium restaurarint. Dubitandum ergo neutiquam est, quin in hujus monasterii restauratione partem habuerit Sanctus non exiguam; estque proinde, cur non immerito quis miretur, nullam prorsus operæ a* Gerardo *ad instaurationem illam collatæ mentionem fieri a Miraculorum S. Bavonis* F *scriptore, Sandero seu Chronista Bavoniano, aliisque binis scriptoribus, Olivero scilicet et Meyero, supra laudatis. Itaque, cum ex jam dictis de opera ad Bavoniani monasterii restaurationem a* Gerardo *collata dubitandum equidem nullatenus appareat, proximum est, ut discutiam, quo tempore hæc a Sancto, Bavoniani jam tum ex dicendis cœnobii abbate, fuerit impensa. Ante annum* 956 *istud non accidisse, verosimillimum apparet. Etenim cœnobii Bavoniani restaurationem, hortatore etiam seu auctore Transmaro, Noviomensi ac Tornacensi episcopo, factam esse, manifestum fit ex verbis, quæ tum ex Miraculorum S. Bavonis scriptore, tum ex Meyero, aliisque supra laudatis auctoribus jam mox huc transcripsi. Jam vero apud Mabillonium de Re diplomatica lib.* VI, *pag.* 568 *exstat diploma, in quo Walbertus, Noviomensis ac Tornacensis episcopus, proximus Transmari decessor, anno* 956, *ut adhuc vivens, comparet. Transmarus ergo ante hunc annum nondum erat Noviomensis ac Tornacensis episcopus, ac proin tum, eo hortante ac suadente, facta fuisse non videtur monasterii Bavoniani restauratio; neque enim ad hanc Transmarus nondum episcopus exstimulasse videtur Arnulphum, Flandriæ comitem. Ante annum ergo* 956 *non accidit, ut, curante partim* Gerardo, *restaurari cœptum sit Bavonianum cœnobium. Verum an id quoque vel ipso anno* 956 *vel post annum* 957

attribui; fuit autem

non

A *non evenit? id equidem mihi minus verosimile apparet.*

secundum omnes scriptores Belgas, quibus favet Laudunense Chronicon,

179 *Ipso enim anno* 937 *factum illud esse, ex unanimi scriptorum Belgarum, quos jam in medium adduxi, consensu probabilissimum apparet. Accedit Ms. S. Vincentii Laudunensis Chronicon, ex quo Mabillonius in suis ad* S. Gerardi *Vitam Observationibus prævviis affert locum his verbis conceptum :* Anno Domini DCCCXCV Elias, XIX abbas sancti Bavonis Gandensis cœnobii, Lauduni in cœnobio obiit, sancti Vincentii nunc appellato, IV Idus Decembris et ibidem cum monachorum mœrore sepelitur. Monachi vero pastore destituti et in miseria magna, utpote in extraneis constituti, nullam celebraverunt electionem; sed per diversa loca vagantes, miserabiliter fuerunt dispersi per multa annorum curricula usque ad tempus Gerardi abbatis, genere et sanctitate venerabilis viri, qui præfato monasterio sancti Bavonis per Transmarum Noviomensem vel Tornacensem episcopum et Arnulfum Magnum Flandriæ comitem anno DCCCCXXXVII in abbatem ordinatus est. *Fuit ergo secundum Chronicon proxime laudatum, uti ex his ejus verbis liquet,* S. Gerardus *anno* 937 *monasterio Bavoniano abbas præfectus, ac proin, cum secundum Meyerum aliosque scriptores Belgas jam laudatos* S. Gerardus *eo ipso anno, quo*

B *monasterium Bavonianum instaurari cœptum est, abbas ejusdem fuerit creatus, suffragatur illis utcumque præmemoratum Chronicon, licet interim, uti apud nos tomo præcedenti in Gloria S. Bavonis posthuma* § 2 *probatur, ab auctore recentiore videatur concinnatum.*

anno 937 inchoata, tunc-que etiam

180 *Utut sit, ex communi equidem scriptorum Belgarum consensu verosimillimum est, anno* 937 *instaurari cœptum esse S. Bavonis monasterium; id autem ex jam dictis partim* S. Gerardi *opera, qui ad pium illud opus, juvante Transmaro episcopo, comitem Arnulphum induxit, omni dubio procul est effectum. Dispiciamus modo, quid Sanctus præterea in monasterii Bavoniani utilitatem gerere deinde perrexerit. Sanderus in Gandavo suo separatim excuso lib.* IV, *cap.* 4 *ita memorat :* S. Gerardo Cellensis, vir singularis exempli, idemque unicum pietatis ornamentum, Broniensis cœnobii in Hannonia (*imo comitatu Namurcensi*) fundator, per Transmarum episcopum Noviomensem et Arnulphum comitem Flandriæ fit abbas vigesimus Gandensis (*S. Bavonis scilicet*) cœnobii; quod prius restauraverat prædictus comes Arnulphus. Qui statim monachos dispersos ex Francia domum revocavit una cum corpore D. Bavonis et omnibus reliquiis. Hic est ille D. Gerardus, cujus opera ac meritis prædictus

C comes Arnulfus et una prælatus D. Bertini ab acerbissimo dolore calculi miraculose liberatus fuit. *Fuit ergo secundum hæc Sanderi verba* S. Gerardus *non prius creatus monasterii Bavoniani abbas, quam cum hoc jam restauratum esset. Adhæc Sanctus, statim atque constitutus erat cœnobii illius abbas, monachos Bavonianos in Francia exsules Gandam cum S. Bavonis corpore aliisque Sanctorum reliquiis revocavit; quod proinde secundum Sanderi verba proxime recitata non prius evenit, quam cum jam Bavonianum cœnobium esset instauratum.*

vel anni sequentis initio Sanctus, Bavonianus jam abbas, monachos

181 *Verum hoc cum verbis, quæ jam recitatis proxime subjungit, non sat recte componitur. Etenim ea ita habent :* Anno DCCCCXXXIX S. Bavo cum aliis Sanctorum pignoribus et reliquiis de Lauduno ad monasterium de Nigella translatus (*vide de hoc monasterio Operis nostri tomum præcedentem pag.* 260 *et seq.*) ad arcem oppidi sui (*Gandavi*) cum septem monachis ad ecclesiam in novo castello constructam reportatur XIII Kalend. Octob., quia cœnobium Gandæ nondum plene restitutum fuerat. *Secundum hæc ergo Sanderi verba nondum perfecte instauratum erat Gandense monasterium, quando Gandam e Gallia reversi sunt Bavoniani monachi; ac proin, cum eo, ut apparet, reversi non sint, nisi revocati seu ad revertendum invitati, necesse videtur, ut jam tum, cum nondum perfecte restauratum esset Bavonianum monasterium, revocati fuerint. Itaque ne Sanderus secum ipsemet pugnare dicendus sit, verba ejus num. præcedenti recitata ita accipienda sunt, ut iis dumtaxat significatum velit,* Gerardum *tunc, cum jam non perfecte, sed imperfecte dumtaxat instauratum, seu potius instaurari cœptum esset Bavonianum monasterium, abbatem huic fuisse præfectum, monachosque Bavonianos in Galliis exsules Gandavum revocasse. Et vero* Gerardum *jam tum cœnobio S. Bavonis præfectum fuisse abbatem, ex Meyeri, Oliveri et Chronici Laudunensis verbis supra huc transcriptis, quibus credere hic malo, necessario est consequens. Quod autem ad monachos Bavonianos pertinet, hos etiam jam tum, cum instaurari dumtaxat cœptum esset Bavonianum monasterium, atque id quidem anno* 937 *vel sequentis initio, Gandam fuisse revocatos, liquet ex eo, quod huc ii, cum nondum illud ad apicem esset perductum, cum S. Bavonis aliorumque Sanctorum reliquiis dicto anno* 937 *aut sequentis initio e Gallia redierint, uti* § *sequenti ostendam.*

AUCTORE C. B.

Bavonianos Gandam quo tamen etiam Hungarorum metu forte festinarint,

182 *Ast, inquies, exsules Bavoniani monachi non a* Gerardo *revocati, sed sponte sua e Francia Gandavum sunt reversi. Ita apparet ex scriptoris Miraculorum S. Bavonis verbis infra huc transcribendis. His quippe dicuntur monachi Bavoniani, Laudunum Clavatum profugi, cessantibus tandem Normannorum in Flandriam irruptionibus, metuentes alicunde, quod* E *in terra extranea versarentur, hostilem quampiam incursionem,* Gandavum quantocius, sublatis secum sancti patris (*Bavonis*) pignoribus, maturasse reverti. *Videntur adeo secundum laudatum illum scriptorem monachi Bavoniani e Francia rediisse Gandam, non* Gerardi *revocatione invitati, sed hostilis in terram, in qua versabantur, irruptionis metu impulsi. Respondeo, Hungaros secundum dicenda anno* 937 *in Franciam irrupisse, eamque sævissime devastasse; idcirco porro Bavonianos quidem monachos Gandavum forte redire festinasse, eo tamen jam antea verosimiliter fuisse invitatos. Cum enim multa alia loca fuga petere potuissent, verosimile apparet, eos præ Hungarorum Gallias devastantium metu Gandam potius quam alio idcirco se recepisse, quod, ut eo reverterentur, fuissent invitati, spe certa facta, fore, ut monasterium, quod illorum olim decessores incoluerant, a Normannis exustum, brevi restauraretur. Sic existimo, quod monachi illi Bavoniani verosimiliter tunc omnes fere Galli vel saltem peregrini exstiterint. Neque enim verosimile videtur, superfuisse adhuc tunc aliquos ex iis, qui Bavonianum monasterium ante annos circiter nonaginta incoluerant, quique solo antiquæ habitationis amore allecti Gandam potius quam alio Hungarorum metu fugerint.* F

e Francia revocavit.

183 *Verosimiliter adeo monachi Bavoniani, impellente Hungarorum metu, Lauduno Gandam potius quam alio idcirco aufugerint, quod jam ad reditum in antiquam majorum suorum sedem invitati fiduciam certam concepissent, fore, ut brevi proprium ibi nanciscerentur domicilium, in quo non ut in alieno, sed ut in proprio fundo secure habitare, et sacrum, quem secum habebant, reliquiarum thesaurum decenter possent deponere. Ast, inquies ulterius, nondum hinc habetur, fuisse illos a* Gerardo *Gandam evocatos. Respondeo,* Gerardum *ex dictis jam tum, cum instaurari cœptum est Bavonianum monasterium, fuisse huic abbatem ab Arnulpho, Flandriæ comite, præfectum; hinc porro vero etiam fieri simile,* Gerardum *mox tunc curas suas eo convertisse, ut antiqui monasterii Gandensis incolæ, seu potius horum successores cum S. Bavonis et S. Pharahildis reliquiis Gandam reverterentur. Id scilicet etiam sibi faciendum duxerit, ut sacrorum istorum pignorum præsentia tum Arnulphum in pio reædificandi cœnobii Bavoniani proposito contineret, tum alios fideles ad opus celerius perficiendum animaret. Utut sit, cum equidem nullo e capite vero fiat absimile, a* Gerardo *Bavonianos fuisse e Francia revocatos monachos, Sandero id a Sancto factum asserenti adhæreo, et rerum a Sancto gestarum, aut in quibus saltem hic partem habuit, seriem prosequor.*

§ XVI.

AUCTORE C. B.

§ XVI. Novum Bavonianum monasterium reformat, inque id SS. Bavonis et Pharahildis reliquias transfert.

Bavoniani monachi anno 957 aut initio sequentis

M*iraculorum S. Bavonis scriptor plus semel jam laudatus, atque ex dictis præcedenti Operis nostri tomo insertus num.* 17 *sic scribit :* Igitur post Northmannicæ infestationis repausationem optabili quandoque regione tranquillitatis quiete composita, metuentes aliquorsum alicujus incursionis inquietudinem, hi videlicet, qui Lugduno transfugerant cum sanctis reliquiis monasteriali suppellectili, utpote in extraneis constituti, Gandavum quantocius, sublatis secum sancti patris (*Bavonis*) pignoribus, maturabant reverti. Et quoniam eotenus, ut totus circumjacens pagus, ita et Gandensis cœnobii locus pene videbatur similior deserto vacuatus cultoribus, in novo ædificata castello ecclesia, illo ea introduxerunt custodienda. *Quæ verba apertissime indicant, Gandense S. Bavonis monasterium, Gandam e Francia redeuntibus monachis, instauratum nondum perfecte fuisse. Spectato igitur præfato Miraculorum scriptore, qui Sandero, utpote eo multis sæculis antiquior nec ab ætate Sancti nostri multum remotus, auctoritatis palmam certissime*

B *præripit, instaurari dumtaxat cœptum fuerit, nondumque ad apicem perductum, dum Gandam e Gallia cum S. Bavonis corpore, aliisque Sanctorum reliquiis reversi sunt Bavoniani monachi. Hinc porro jam consequitur, ut id vel anno* 957 *vel initio sequentis verosimillime evenerit. Cum enim ex dictis anno* 957 *inchoata sit monasterii Bavoniani instauratio, fuerit hæc verosimillime anno* 959 *jam multum promota. Quapropter cum ex dictis instaurari dumtaxat cœptum esset, imo secundum laudatum Miraculorum scriptorem deserto adhuc videretur simile recipiendisque Sanctorum reliquiis ineptum esset Bavonianum monasterium, quando Gandam e Francia redierunt monachi, verosimillimum apparet, hos vel anno* 957 *vel initio sequentis rediisse, cum scilicet nondum diu inchoata esset monasterii instauratio.*

cum SS. Bavonis et Pharahildis reliquiis Gandavum

183 *A vero itaque aberrant Sanderus, Meyerus et Oliverus; quorum prior verbis num.* 181 *recitatis monachorum e Gallia reditum anno* 959; *duo vero posteriores anno* 940 *affigunt; et Meyerus quidem in Flandriæ tum Annalibus, tum Chronico his verbis :* DCCCCXL Arnulphus cum Gerardo Cellensi, abba Gandensi, corpora divorum Bavonis et Pharahildis Lauduno Gandavum retulit; *Oliverus vero istis :* Reportatio corporum sanctorum Bavonis et Pharahildis de monte Lauduno ad hoc Gandense

C cœnobium per sanctum Gerardum abbatem supradictum. *Quibus verbis, quamvis monachorum reditus non meminerint, sat aperte tamen indicant, hos ante annum* 940 *Gandam non esse reversos. Liquet id ex eo, quod tunc SS. Bavonis et Pharahildis reliquias Lauduno Gandavum relatas scribant, hæque eo Lauduno non prius fuerint relatæ, quam cum monachi exsules e Francia Gandam redirent. Monachorum itaque reditum in annum* 940 *differunt Meyerus simul et Oliverus, verosimiliterque proinde a veritate aberrant. Ex dictis enim eorum reditus anno* 957 *vel initio sequentis evenit. Quod quam appareat veritati consonum, alio insuper modo ostendo etiam ex verbis scriptoris Miraculorum S. Bavonis proxime huc transcriptis. His indicatur, monachos Bavonis tunc, cum e Francia Gandam sunt reversi, ab hostili in exteras, in quibus versabantur, Franciæ regiones incursione sibi timuisse. Jam vero, ut Pagius in Criticis ex Witichindo, Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Regionis continuatore aliisque scriptoribus ad annum* 957 *probat, irrupere hoc anno in Franciam, eamque late depopulati sunt Hungari.*

sunt reversi. Has e novi castelli ecclesia, in qua tantisper depositæ fuerant,

186 *Quapropter, cum monachi Bavoniani, uti ex jam dictis facile colliges, ante annum* 957 *Gandavum certe reversi non sint, id verosimiliter, Hungaris Franciam ita misere vastantibus, anno* 957 *aut initio sequentis fecerint; neque enim etiam id vel anno* 958 *jam provecto vel altero e binis sequentibus fecisse videntur, cum tunc vel ab Hungaris, vel ab* D *aliis inimicis monachi in Francia valde sibi, ut apparet, timere non debuerint. Dispiciamus modo, quid, illis jam reversis, Gandavi deinde, Sancto vel agente vel operam suam conferente, gestum fuerit. Cum tunc multum adhuc abesset, ut monasterium ad apicem esset perductum, sacræ S. Bavonis aliorumque Sanctorum, quas secum advexerant, reliquiæ depositæ interim sunt, ut verbis supra recitatis docet Sanderus, in ecclesia novi castri, quod tunc, habita ratione veteris illius, in quo exstructum fuit S. Bavonis monasterium,* novum *appellabatur. Non dubito, quin id etiam, agente præcipue* S. Gerardo, *gestum fuerit. Rem ex sæpissime jam laudati scriptoris Miraculorum S. Bavonis verbis infra huc transcribendis unusquisque facile colliget. Porro, biennio circiter aut paulo amplius post monachorum reditum elapso, cœnobii Bavoniani ædificium ad eam tandem perfectionem est perductum, ut et sacro reliquiarum thesauro intra se digne recipiendo, et commodæ monachorum habitationi aptum videretur. Statutum itaque est, ut et monachi e novi castelli ecclesia transmigrarent, et sacræ hinc, quas hi secum e Gallia abvexerant, reliquiæ in novam Bavonianam ecclesiam magna solemnitate inferrentur. Haud parvam sane in hac partem habuisse* Gerardum, *ex scriptoris mox iterum laudati verbis, quibus trans-* E *migrationem hunc describit, manifestum evadit.*

in novum Bavonianum monasterium S. Gerardus

187 *Ita habent :* Cum sacer locus (*monasterium Bavonianum*) tantis talibusque indies augmentationis efferretur auspiciis, ut quivis facile posset advertere, omnipotentissima illum dignatione Dei illustrari, præcaventes quique tam monachorum, quamque clericorum devoti, tantillitatem angustioris oratorii (*ecclesiæ novi castri*) tanti patris non congruere dignitati, illuc ejus sacrosanctas reliquias statuerunt transferendas, dispositisque, quæ ad opus erant, id est * pridie Kalendas Octobris, quo ejusdem depositionis sancta celebratur vigilia, deliberaverunt efficere. Huic negotio intererat, et magna pars exstiterat Gerardus abbas. Sed quoniam falsi rumoris vulgaverat opinio, quasi isdem erga Sancti pignora aliqua intendisset fraudis molimina, inter iter agendum posito in contiguo eidem monasterio campo sancto feretro, ad propellendam sinistri rumoris infamiam, sublato pallio, cunctis, qui aderant, sigilla antiqua manu infixa monstravit integerrima. Quantum ibi lætitiæ, quantæ pii cordis amore profusæ sunt lacrymæ, ex sese quilibet valet conjicere. Quis unquam sanum sapiens non gaudio et dulcedinis animum expleret affectu, cernens specialis totius provinciæ patroni membra devia peccantium incolarum me- F ritis exiliata, placato demum Deo, propriæ ædis revisere septa? Illata itaque nuper reædificatæ ecclesiæ celebri sunt, quo hodieque cernuntur, sublimata repositorio, prosequentibus cunctis laudes in honore majestatis Patris et Filii et Spiritus sancti.

** forte* idem

anno 940, transmigrantibus eo etiam monachis, transfert,

188 *Hactenus Miraculorum S. Bavonis scriptor, nullam iterum suppeditans notam chronicam, ex qua, quo anno solemnis illa reliquiarum facta sit translatio, utcumque colligas. Verum hunc opportune nos docet Sanderus, lib.* IV *Gandavi sui separatim excusi, cap. 4 sic scribens :* Anno DCCCCXL aliquibus SS. Bavonis et Pharahildis reliquiis in ecclesia prædicta novi castelli, super ripam fluminis Legiæ sita, ad instantiam et devotam supplicationem Arnulfi comitis Flandriæ, relictis tali conditione, quod clerus præfatæ ecclesiæ cum supradictis eorum reliquiis annuam peregrinationem dicto cœnobio Gandensi venerabiliter persolveret; SS. Bavonis et Pharahildis corpora cum aliis Sanctorum pignoribus a sancto Gerardo abbate Gandensi de supradicta novi castelli ecclesia cum innumerabili multitudine populorum ad cœnobium Gandense reportantur, et cum ingenti lætitia ibidem decenter collocantur. *Anno itaque* 940 *Sanctus memoratam solemnem reliquiarum SS. Bavonis et Pharahildis translationem peregit. Quamvis autem*

tunc

A *tunc primum, cum hæc facta fuit, monachos simul in reædificatum Gandense S. Bavonis monasterium transmigrasse, nec Miraculorum S. Bavonis scriptor, nec Sanderus edicat, id tamen non citius, uti etiam non serius; factum esse, apparet. Ita idcirco reor, quod Bavoniani monachi, per nonaginta fere annorum spatium Normannorum metu sedes jam antea sæpe mutare compulsi, nullum umquam locum fuga petiissent, quin ad hunc quoque SS. Bavonis et Pharahildis reliquias secum detulissent, nec has umquam aliquo transferri passi essent, quin eo quoque sese contulissent, uti apud nos in Gloria S. Bavonis posthuma ostenditur. Individui ergo longo illo annorum intervallo dictarum reliquiarum comites, utut profugi et in exteris regionibus positi, esse voluerant; unde verosimile fit, eos nec tunc, cum jam Gandavum essent reversi, ab iisdem sese sejungi passos esse, ac proin nec serius nec citius in restauratum Gandense S. Bavonis monasterium transmigrasse, quam cum in novam hujus ecclesiam SS. Bavonis et Pharahildis corpora fuerunt illata; his enim alioquin, contra ac facere antea consueverant, individui comites non amplius adhæsissent.*

id ad strictiorem

189 *Porro Sanderus verbis proxime recitatis indicavit,* Gerardum *tunc, cum SS. Bavonis et Pharahildis reliquias in restauratam S. Bavonis ecclesiam*

B *transtulit, partem ex his in novi castelli ecclesia ad Arnulphi, Flandriæ comitis, petitionem reliquisse. Verum an id veritati certo consonet, uti etiam, quæ reliquiarum S. Bavonis pars pro novi castelli ecclesia a* Gerardo *fuerit Arnulpho concessa, tomo præcedenti apud nos in Gloria posthuma S. Bavonis num. 59 et seq. definitum est; quo propterea brevitatis ergo curiosum lectorem remittens, ad Bavoniani monasterii reformationem progredior. Sanderus sæpissime jam laudatus lib.* IV *Rerum Gandavensium cap. 3 et 4 hanc anno* 946 *a* S. Gerardo *factam commemorat; ac priori quidem loco his verbis :* Anno 946 cœnobium Gandense cum congratulatione fratrum a S. Gerardo abbate reformatur et in melius exaltatur; *posteriori vero istis :* Anno 946 cœnobium Gandense cum congregatione fratrum a sancto Gerardo abbate reædificatur, et in melius exaltatur. *Et tamen ex dictis Gandense S. Bavonis monasterium jam ab anno* 940 *ad apicem fuerat perductum. Hinc Operis nostri tomo præcedente in Gloria S. Bavonis posthuma, recitato utroque hoc Sanderi loco, num. 64 ita recte observatur :* Duplici hæc sensu accipi possunt et verisimiliter debent utroque : primo scilicet, quod ædificium erectum anno 940 sufficeret quidem capiendis paucis monachis, qui ex Galliis Gandavum adducti fuerant, non tamen aliis, qui interim majore numero ad

C monasticam professionem se obtulerant, et idcirco illi tunc novum augmentum accesserit. Secundo, quod Gerardus abbas, omnibus tunc rite compositis, induxerit in cœnobium strictiorem disciplinam, et monachos ad præscriptum Regulæ S. Benedicti vivere docuerit.

disciplinam revocat

190 *Ita in Opere nostro ibidem, et quidem, ut dixi, recte; verum nescio, an recte pariter Sanderus verbis huc transcriptis Gandensis S. Bavonis monasterii reformationem a* Gerardo *factam anno* 946 *innectat. Etenim ex dicendis* Gerardus *anno* 944 *post tertiam Septembris diem Silhiense seu S. Bertini in Artesia cœnobium abbatis munere gubernandum accepit, cumque id ad pristinam disciplinam revocasset, binosque amplius annos huic operi impendisset, Gandavum demum est reversus. Sanctus ergo anno* 946 *jam prope elapso in Bertiniano cœnobio adhuc versabatur, ac proin verosimile non apparet, illum hoc anno Gandense S. Bavonis monasterium ampliasse, strictioremque in id disciplinam invexisse, nisi forte quis velit,* Gerardum *Silhiensi in Artesia monasterio reformando non ita fuisse detentum, quin subinde Gandavum excurrere, ibique interim, quæ ad monasterii Bavoniani ampliationem reformationemque spectarent, commode ordinare potuerit. Utut sit, Sanctus equidem in Gandense S. Bavonis monasterium strictiorem etiam disciplinam invexit, sive interim id, ut tradit Sanderus, anno* 946 *fecerit, sive, ut mihi verosimilius apparet, non citius, quam anno* 947, *cujus initio, aut ex dicendis sub præced. finem e Silhiensi monasterio Gandavum est reversus.*

AUCTORE C. B.

191 *Porro Sanderus, cap. 4 proxime citato ita prosequitur :* Anno DCCCCXLVII Transmarus episcopus ad rogatum Arnulfi comitis Flandriæ ecclesiam S. Petri in castro Ganda super Scaldim et Legiam sitam, quæ dicitur cœnobium Gandæ, privilegiavit et liberam fecit. *Quod liberam fecerit, privilegioque donarit Gandensem S. Bavonis ecclesiam seu abbatiam Transmarus,* Gerardi *quoque opera factum reor, hincque est, cur jam recitata Sanderi verba huc transcripserim. Quamvis enim his dicatur liberum fecisse S. Bavonis monasterium Transmarus* ad rogatum Arnulfi comitis Flandriæ, *verosimile mihi apparet, egisse* Gerardum *apud Arnulphum, Flandriæ comitem, ut hic illud a Transmaro flagitaret. Idem esto judicium de diplomate supra adhuc laudato, quod in Bavoniani monasterii favorem anno* 954 *Lotharius Francorum rex concessit, quodque hic ad preces Arnulphi comitis ac filii ejus Balduini sese impertiisse, affirmat. Ceterum, ne rerum ad unum idemque argumentum spectantium seriem interrumperem, nonnulla etiam de Gandensi S. Bavonis monasterio, rebus infra dumtaxat tractandis temporis* E *ordine posteriora, hic disserui, idque ipsum etiam eadem de causa circa Blandiniense S. Petri cœnobium observare statui, de quo ut secuturo jam nunc § tractem, rerum a Sancto gestarum ordo exigit.*

liberumque a Transmaro, Noviomensi episcopo effici, curat.

§ XVII. Quo anno monasterio Blandiniensi fuerit præfectus.

Amplissimum nobilissimumque Blandiniense cœnobium, sæculo septimo a S. Amando in monte Blandinio, a quo et nomen traxit, prope Gandam exstructum, nuncque intra ipsam hanc celeberrimam urbem situm, sæculo nondum integro a Benedictini instituti monachis fuerat inhabitatum, cum adversantis fortunæ impetu penitus fere fuit excisum. Sæculi octavi initio Carolo Martello et Ragenfredo in Francia inter sese digladiantibus, factum est, ut Carolus e prælio Suessionensi, quo penitus Ragenfredum attriverat, victor regrediens Cælestinum Blandiniensem abbatem, virum sanctum et innocentem, insimulatum, quod partibus Ragenfredi favisset, exsulare jusserit, nec Cælestini exsilio contentus, monasterii villas, ut fertur, inter suos fuerit partitus. Hinc porro accidit, ut monachi egentes ac palabundi sine pastore in diversa abierint, atque ad sæculum usque nonum manserint dispersi; quos cum ne tunc F *quidem Eginhardus seu, ut alii scribunt, Einhardus, Caroli Magni notarius ac Blandiniensis abbas, in unum posset colligere, clericos eorum loco substituit, recuperatis etiam ac diplomate, quod a Ludovico Pio impetravit, firmatis iis monasterii possessionibus, quæ viginti quatuor clericis alendis sufficerent. Hi, quamvis processu temporis, annis scilicet* 851 *et* 880, *a Normannis pene eversum fuerit Blandiniense cœnobium, ibidem tamen usque ad tempus, quo* Gerardus *ad Arnulphum, Flandriæ comitem, accessit, eumque calculo liberavit, substitere; quid vero post de illis factum sit, dicenda aperient.*

Monasterium Blandiniense, cujus hic datur notitia,

193 *Inter abbatias, quas Arnulphus, ut calculo primum prodigiose per* Gerardum *liberatus fuerat, Viro huic sancto administrandas dedit, biographus noster, qui tamen duas dumtaxat ex illis ac ne ipsum quidem, quo de jam egimus, Bavonianum cœnobium nominatim exprimit, diserte recenset* Blandiniense, *cujus notitiam jam dedi,* monasterium, ab Amando præsule beato Gandavi fundatum. *De* Gerardo *post Arnulphi Flandriæ comitis curationem, abbatiarum omnium, quæ sub Arnulphi ditione erant, administrationem jam nacto, num. 66 et sequenti ita memorat :* Inprimis... adiens Blandiniense monasterium, ab Amando præsule beato Gandavi fundatum, non solum repperit omni religiositate nudatum, utpote

unum est ex abbatiis, quas Sanctus administrandas accepit :

AUCTORE C. B.

utpote occupatum sæcularissimis clericorum; verum etiam infestatione perversorum ad nihilum pœne redactum; insuper et quod erat lacrymarum fonte gemendum, excubiis trium, qui ibidem (*error hic latet in Annotatis observandus*) quieverant, Sanctorum (*Wandregisili scilicet, Ansberti et, ut per errorem putavit, Wulfranni*) multo jam tempore exspoliatum. Porro Athleta fortissimus Divinitatis ope præditus, nullo modo cessit laborum sudoribus; sed cum beato Joseph tunicam talarem indutus, semper fine bono suos prosperavit incœptus, et, eliminata abinde clericorum irreligiositate, licet jactitarent sese ventosa nobilitate, melioratis quibusque, cœnobitarum religionem non distulit subrogare, quemadmodum duobus in locis (*Bronii scilicet et Gislenopoli*) paulo ante meministis eum jam actitasse.

huic tamen non anno 937, uti

194 *Fuit ergo, teste nostro biographo, Blandiniense cœnobium ex abbatiis, quas* Gerardus *ab Arnulpho administrandas accepit. Quapropter, cum illud ex dicendis tunc, cum calculo liberatus fuit Arnulphus, clericorum exstiterit, non autem monachorum, videri potest Iperius verbis supra recitatis abbatias, quas Sanctus ab Arnulpho administrandas accepit, perperam ad solas Ordinis Benedictini abbatias restringere. Verum id forte fecit is scriptor, quod*

B *omnes abbatiæ, administrationi Sancti commissæ, vel tunc, cum huic committerentur, Benedictini instituti reipsa essent, vel aliquando saltem fuerint. Ex harum autem numero indubie exstitit Blandiniense cœnobium. Hoc enim, uti ex dicendis patescet, anno* 941, *subrogatis in clericorum locum monachis, Benedictini instituti, cujus quondam etiam fuerat, iterum est factum. Verum num Sanctus primum dicto anno* 941 *cœnobium illud administrandum accepit? Verisimile secundum dicta satis apparet,* Gerardum *tunc, cum primum Arnulphum, Flandriæ comitem, anno ex dictis vel* 936 *vel* 937 *calculo liberarat, omnes ab eo Flandriæ abbatias, ac proin etiam Blandiniensem, eo sensu, quem supra exposui, accepisse administrandas; Sanctum autem jam ab an.* 937 *abbatiæ illi præfectum fuisse abbatem, Sanderus Rerum Gandavensium lib.* IV, *cap.* 2 *aperte docet.*

ex Meyero, qui S. Bavonis cœnobium

195 *Etenim ibidem, suggerens abbatum Blandiniensium Catalogum, sic scribit:* Gerardus Cellensis abbas XI, ejus nominis primus et primus abbas post canonicos fuit. Arnulphus Magnus (*Flandriæ comes*) ejus tempore hortatu Transmari, episcopi Noviomensis, Gandense cœnobium, Normannica rabie eversum, reædificavit; solitos ritus ac ceremonias instauravit, Gerardumque Cellensem magna virtute virum abbatem ibi constituit anno 937. *Ita Sanderus, volens scilicet,* Gerardum *Blandiniensi*

C *Gandæ cœnobio (de hoc enim verbis recitatis agit) anno* 937 *ab Arnulpho præfectum fuisse abbatem; pro se autem mox laudat Meyerum his verbis:* Hæc eadem (*de Gandensi nimirum monasterio ab Arnulpho instaurato, creatoque anno* 937 Gerardo *abbate*) diversis in locis Meyerus repetit in sua Chronica Flandrorum comitum. *Verum Meyerus, cum hæc litteris mandat, non de Blandiniensi, sed de Gandensi S. Bavonis cœnobio facit sermonem. Ait enim dumtaxat, Arnulphum hortatu Transmari Gandense cœnobium restaurasse, abbatemque ibidem constituisse* Gerardum. *Per Gandense autem cœnobium, absque addito solitarie positum, S. Bavonis cœnobium Meyerus intelligit. Liquet id ex variis ejus locis. Duos dumtaxat brevitatis ergo in medium adduxisse suffecerit. Ad annum* 940 *in Flandriæ tum Chronico, tum Annalibus enumerat monasteria, quæ exstitisse autumat inter monasteria, quæ ab Arnulpho per* Gerardum *reformata feruntur, iisque accenset* Blandiniense *et* Gandense. *Quapropter, cum sæculo decimo duo tantum Gandavi, Blandiniense scilicet et Gandense, exstiterint cœnobia, alterumque horum* Blandiniense *vocet, per aliud haud dubie, quod* Gandense *appellat, Bavonianum intelligit. Porro ad annum* 936 *idem Meyerus refert, Arnulphum, Flandriæ comitem, a Lothario Francorum rege Gandensi cœnobio diploma impetrasse; ubi indubie iterum per Gandense cœnobium intelligit Bavonianum; neque enim Lotharius* D *ullum nisi diu post annum* 936, *Blandiniensi cœnobio diploma impertiisse inventur.*

per Gandense cœnobium intelligit,

196 *Meyerus ergo, dum de Gandensi cœnobio, quod Arnulphus, Flandriæ comes, restaurarit, abbatisque munere* Gerardo *gubernandum dederit, facit sermonem, Gandense S. Bavonis cœnobium intelligit. Et vero Sanderus lib. Rerum Gandavensium proxime citato cap.* 3 *per Gandense cœnobium et ipsemet intellexit et a Meyero, ut apparet, intelligi putavit S. Bavonis cœnobium. Etenim verbis supra adhuc recitatis agens de Gandensi S. Bavonis cœnobio ita scribit:* Anno 937 Arnulfus Magnus, comes Flandriæ, hortatu venerabilis viri Transmari, Noviomensis episcopi, cœnobium Gandense, tunc dirutum et deserto simile, restauravit et in melius reformavit, qui in eo virum illustrem S. Gerardum Broniensem abbatem constituit. *Quæ verba, cum fere eadem sint cum verbis, quibus in Flandriæ tum Chronico, tum Annalibus Gandense cœnobium ab Arnulpho restauratum, eique* Gerardum *abbatem præfectum, ad annum* 937 *scribit Meyerus, haud dubie ex hoc auctore Sanderus deprompsit, ac proin, cum hæc verbis proxime jam recitatis Gandensi S. Bavonis cœnobio applicet, Meyerum per ea, quæ ad dictum annum* 937 *de Gandensi cœnobio memorat, de Bavoniano cœnobio intelligendum putarit.* E *Ast, inquies, ea, quæ Meyerus ad annum* 937 *scribit, Blandiniensi cœnobio per verba num.* 195 *recitata etiam applicat Sanderus. Fateor, sic habet; verum præterquam quod id ex dictis contra Meyeri mentem faciat; ibidem insuper alio ex capite hic scriptor indubie hallucinatur. Ita omnino existimo, quod Gandense cœnobium, de quo Meyerus præmemorato anno* 937 *agit, instauratum hoc ipso anno ab Arnulpho, Flandriæ comite, fuisse, affirmet; id autem Blandiniensi cœnobio minime quadret, uti jam nunc dilucide ostendo.*

perperam intellecto, docet Sanderus;

197 *Miræus Codice Donationum piarum cap.* 31 *exhibet diploma, quod Arnulphus Magnus, Flandriæ comes, anno* 941, *uti infra probabo, in monasterii Blandiniensis favorem concessit. In hoc Arnulphus (adi dictum diploma) recenset beneficia omnia, quæ usque ad annum illum in Blandiniense cœnobium contulit; nullum autem omnino verbum profert, quo illud sese tunc vel restaurasse, vel etiam tantum restaurare cœpisse, utcumque indicet. Adhæc Blandiniense monasterium anno* 930 *jacebat adhuc secundum dicenda penitus destructum. Illud ergo Arnulphus anno* 941 (*feceritne id postea, ex dicendis intelliges*) *nondum restaurarat, ac proin Sanderus, dum verba, quibus Meyerus cœnobium Gandense anno* 937 *ab Arnulpho reædificatum scribit, cœnobio Blandiniensi* F *applicat, indubie hallucinatur. Itaque, omnibus jam perpensis, Sanderus, quæ ad annum* 937 *de Gandensi S. Bavonis cœnobio scribit Meyerus, de Blandiniensi cœnobio perperam intellexit, ac proin, cum iis tamen solis innixus,* Gerardum *jam ab anno* 937 *Blandiniensem abbatem creatum fuisse, verbis supra recitatis scribat, non est, cur id sola illius fide admittamus. Et vero Sanctum non citius, quam anno* 941 *cœnobio Blandiniensi præfectum fuisse abbatem, ex iis, quæ ipsemet citato Rerum Gandensium lib.* IV, *cap.* 2 *scribit, manifestum apparet.*

sed anno, uti ex Blandiniensi

198 *Etenim ibidem pag.* 297, *in Gandavo nempe, qua editione utor, separatim excuso hæc habet:* Canonici dejiciuntur ab Arnulpho marchyso ac comite, et monachi in hunc locum (*cœnobium Blandiniense*) sunt restituti anno DCCCCXLI, quibus abbas præficitur Gerardus Cellensis. Ne tamen hic lectorem suspensum, ac de ordine modoque inquirentem, quomodo canonici rursus facti sint monachi, relinquamus, paucis hinc subjiciemus, qua ratione ac quomodo id contigerit. Chronicon Blandiniense sic habet: Fælicibus studiis intentus dominus comes Arnulphus, nostræque paternitati consulens, legatos misit ad Transmarum, Noviomensem episcopum, cui indicavit, quid agere vellet in Portu Gandensi, ipsius episcopi præsentiam ibi exposcens. Episcopus autem regiis negotiis impeditus, misit archidiaconum

num suum Bernaccum ipsius vice omnia acturum. Veniens enimvero archidiaconus ad portum Gandensem anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXLI, rege Ludovico regnante anno sexto, octavo Kalend. Julii, reperit ibi dominum marchysum Arnulphum, comitem invictum, a quo honorifice susceptus est. Tunc vero, vocatis ad se fratribus, in Blandinio negligenter conversantibus, aiunt, blande ad illos hac oratione usum : Audivimus, fratres, hoc monasterium esse constructum a sancto Amando, et in honore Apostolorum Petri et Pauli dedicatum, ubi coadunavit monachorum gregem, et per multa exinde tempora sancti Benedicti normam servantes ibi vixerunt.

Chronico et S. Wandregisili Translationis

199 Dei autem amore locum volentes in pristinum restituere ad deificum statum, hortamur vos (non terrena dominatione, sed sincera charitate) ut, deposita veste canonicali, induamini monachali et serviatis Deo soli. Quorum plurimi, salutis suæ spernentes monita, dispersi sunt passim per devia, agentes diabolo immensa gaudia. Tunc (præterea jubente glorioso comite) archidiaconus ordinavit ibi monachos, sanctam religionem amantes, ac venerabilem genere et sanctitate illis præfecit abbatem, nomine Gerardum Cellensem. *Fuit ergo secundum Blandiniense Chronicon anno* 941 *Blandiniensi monasterio abbas Arnulphi jussu præfectus* S. Gerardus. *Chronico Blandiniensi consonat S. Wandregisili in montem Blandinium Translationis Historia, quæ Mabillonio, a quo Sæculo quinto Benedictino, parte* I *est vulgata, auctorem habere visa est sæculo undecimo non posteriorem. Hæc in Opere nostro ad diem* 22 *Julii pariter exstat excusa; ibi autem opportune ad institutum nostrum num.* 22 *ita scribitur :* Huic aptus negotio (*restituendæ in monasterio Blandiniensi disciplinæ*) inventus est vir vitæ laudabilis, sanctitate clarus et genere, Gerardus nomine, qui monachus proposito, abbas autem exstitit officio et Apostolicus merito. Huic inclytus marchysus (*sic vocat Arnulphum, Flandriæ comitem*) de ejusdem monasterii (*Blandiniensis*) ordinatione et pristinæ monasticæ conversationis restauratione conceptum in anima sua de Spiritu sancto aperiens desiderium, consilium prudenter utile, atque utiliter prudens adinvenit, a quo etiam perductus anno humanati Verbi nongentesimo quadragesimo primo hanc aulam (*monasterium Blandiniense*) apostolicam, devota monachorum cohorte comitante, ingressus est. Ubi eliminato imprimis clericorum grege, Dominici scholam servitii, a beato olim Amando constitutam, restituit; et normam monasticæ regulæ, ut doctus a Domino, sapienter intendens, curavit.

Historia probatur,

200 *Fuit ergo* S. Gerardus, *uti his verbis docet laudata Historia, anno* 941 *in monasterium Blandiniense* cum monachorum, *ut loquitur,* cohorte *ab Arnulpho inductus; qua utique loquendi formula, utpote cui mox subdit, Sanctum ibi monasticam restituisse disciplinam, velle videtur, illum dicto anno* 941 *ab Arnulpho Blandiniensi monasterio præfectum fuisse abbatem. Itaque spectata Historiæ Translationis S. Wandregisili ac præcipue quidem Chronici Blandiniensis auctoritate, certum apparet,* Gerardum *non citius quam anno* 941 *abbatis munere moderandum accepisse Blandiniense cœnobium. Sanderus jam sæpius laudatus, utut ex dictis* Gerardum *jam ab anno* 937 *monasterio Blandiniensi præfectum fuisse abbatem, opinetur, Chronici tamen Blandiniensis, ut videtur, auctoritate motus, in Gandavo suo separatim excuso pag.* 297 *verbis supra adhuc recitatis etiam sic scribit :* Canonici dejiciuntur ab Arnulpho marchyso ac comite, et monachi in hunc locum (*Blandiniense monasterium*) sunt restituti anno DCCCCXLI, quibus abbas præficitur Gerardus Cellensis; *quibus verbis aperte etiam admittit,* Gerardum *anno* 941 *creatum fuisse Blandiniensem abbatem. Verum, ut hoc cum opinione, qua* Gerardum *jam ab anno* 937 *Blandiniensem abbatem exstitisse autumat, conciliet, eodem Opere pag.* 299 *sic scribit :* Fieri potest, ut Gerardus Cellensis anno 937 abbas (*Blandiniensis scilicet*) constitutus fuerit, dehinc confirmatus ab Arnulpho marchyso ac comite anno DCCCCXLI, quo anno reparatum est religionis culmen, submotique monachi (*imo canonici*) Regulares ab Aynardo abbate, regnante Ludovico Pio, quondam introducti. *Fuit itaque ex mente Sanderi* S. Gerardus *in abbatis Blandiniensis munere, quod jam ab anno* 937 *obtinuerat, anno* 937 *dumtaxat confirmatus.*

AUCTORE C. B.

201 *Verum hæc ejus opinio sat solido suffulta fundamento non videtur; hanc enim dumtaxat est amplexus, quod* Gerardum *ad annum* 937 *Blandiniensem abbatem a Meyero scribi, perperam putarit, uti jam supra dictum est. Et vero, quamvis etiam Meyerus,* Gerardum *jam ab anno* 937 *Blandiniensem exstitisse abbatem, diserte assereret, illius tamen, utpote scriptoris ab ætate* Gerardi *nimium remoti, auctoritate moveri non debuit Sanderus, ut veritati illud esse indubie consonum, opinaretur. Utut sit, Chronicon Blandiniense, cui ex dictis S. Wandregisili Translationis Historia suffragatur,* Gerardum *tunc, cum in Blandiniense monasterium anno* 941 *canonicorum loco monachos induxit Arnulphus comes, creatum fuisse Blandiniensem abbatem, verbis supra recitatis luculenter docet. Quapropter, cum hæc, ut mihi equidem apparet, de Blandiniensis abbatis munere, quod tunc* Gerardo *confirmatum fuerit, nequeant intelligi, certum habeo, Sanctum non citius quam anno* 941 *Blandiniensi cœnobio ab Arnulpho, Flandriæ comite, præfectum fuisse abbatem, etsi interim hoc monasterium una cum omnibus aliis ditionibus Arnulphi cœnobiis abbatiisve jam ab anno* 937, *cum primum calculi morbo Arnulphum miraculose liberasset, eo sensu, quem supra exposui, administrandum procurandumve secundum jam dicta accepisset.*

941 *abbas fuit præfectus.*

202 *Porro monasterii Blandiniensis ad Benedictinum institutum revocatio, Sanctique ad illud abbatis munere moderandum promotio, perpensis omnibus, quæ verbis hoc § jam recitatis noster biographus, Blandiniense Chronicon et S. Wandregisili Translationis Historia commemorat, hoc modo et ordine fuisse videtur peracta.* Gerardus, *ut primum a calculi morbo Arnulphum Magnum, Flandriæ comitem, sanarat, mox, aut, quemadmodum apparet, brevi post omnes, quas hic sub ditione sua habebat, abbatias administrandas procurandasve anno* 937 *accepit, hasque inter Blandiniense, utut a canonicis teneretur, exstitit cœnobium; Sanctus ex demandata sibi cura in religiosos monasteriorum incolas, ac inprimis quidem in Regulares Blandiniensis cœnobii canonicos invigilare cœpit attentius; at vero hos moribus, qui religiosos viros decerent, reperit destitutos; certiorem rei fecit comitem, utque malo adhiberet medelam, verosimillime est hortatus. Verum Blandinienses canonici e primariis regionis familiis, utpote qui, teste ad num.* 67 *biographo,* jactitarent sese ventosa nobilitate, *erant prosati; hinc Arnulphus, ne forte a se primatum suorum averteret studia, nihil circa eos initio innovare est ausus.*

Modus et ordo, quo

203 *Verum, canonicis Blandiniensibus post aliquod temporis spatium* Gerardi *monitionibus, ut apparet, nihilo melioribus effectis, reque ad comitem delata, statuit hic tandem Blandiniense cœnobium ad rectam vivendi normam revocare. Hunc in finem* Gerardo *consilium suum aperuit, edoctusque ab hoc, quid facto opus esset, misit, qui Transmarum, Noviomensem ac Tornacensem episcopum, accerserent. Regiis hic negotiis detentus archidiaconum suum, qui vices suas suppleret, ablegavit. Archidiaconus, cum primum ad comitem venit, canonicos Blandinienses, ut, posita canonicali veste, monachalem assumant, efficaci oratione est hortatus, multisque ex his consilio huic non obtemperantibus, monachos Arnulphi jussu in Blandiniensi cœnobio constituit, hisque* S. Gerardum, Cellensem *a Cellensi S. Gisleni in Hannonia cœnobio, cui abbas præfuerat, nuncupatum, præfecit. Hic modus est, hic ordo, quo tandem, uti ex scriptoribus supra laudatis verosimile apparet, monasterium Blandiniense monachi, qui*

id factum sit.

AUCTORE C. B.

qui locum prius tenuerant, denuo fuere consecuti; agente scilicet, quantum equidem puto, S. Gerardo, *utpote qui ex dictis non uno ex capite ac præcipue quidem ob raram vitæ sanctimoniam plurimum valebat apud comitem, a quo etiam proinde novis illis Blandiniensibus monachis abbas fuit præfectus. Quid porro deinde in Blandiniensis cœnobii favorem, abbas huic jam præfectus, Sanctus egerit,* § *sequenti exponо.*

§ XVIII. In monasterium Blandiniense varias Sanctorum reliquias transtulit, et an id reædificandum curarit.

Possessiones Blandiniensi cœnobio, Gerardo, ut apparet, agente,

B*landiniense monasterium, Normannis sæculo nono in Flandria cædibus, incendiis ac vastationibus late debacchantibus, ad miserrimum statum fuerat redactum, amiseratque etiam jam antea, ut dictum est, temporum injuria possessiones, ipsi quondam fidelium liberalitate collatas. Has ut ex parte saltem denuo illud seu potius monachi, in id jam restituti, acquirerent,* Gerardus, *jam Blandiniensis abbas, brevi, ut apparet, effecit. Miræus Codice Piarum donationum cap.* 51 *exhibet diploma, quod Arnulphus, Flandriæ comes, cognomento Magnus,* B *Blandiniensibus monachis impertiit. Hoc Arnulphus Blandiniensi cœnobio restituit partem ex reditibus, quos beatus Amandus, primus loci conditor, a regibus ceterisque fidelibus impetrarat,* id est, *inquit lib.* LXIV, *num.* 24 *Annalium Benedictorum diploma illud contrahens Mabillonius,* censum, qui percipitur ex mansionibus ad Scaldim sitis, floralia prati portui adjacentis, et alia, quæ in charta Einhardi abbatis exprimuntur. *Quæ omnia præter multa alia, in diplomate expressa, a monachis cum suo abbate possideri ea lege vult comes, ut ibidem ad amussim Christo serviant, uti faciebant tempore S. Amandi, ad cujus etiam præscriptum ut abbatem sibi eligant, permittit. Porro, ut causam, ob quam hoc diploma hic commemorem, etiam edicam, vix dubito, quin id, agente potissimum* S. Gerardo, *Blandiniensibus fuerit concessum.*

nonnullas restituit Arnulphus, Flandriæ comes,

205 *Etenim* religiosorum veridicorumque virorum hortatu *sese illud, quasi a gravi somno excitatum, impertiisse, Arnulphus indicat. Hinc reor,* Gerardum, *cum hic summæ apud comitem auctoritatis fuerit, verosimiliter exstitisse unum, ac forte quidem præcipuum e religiosis illis veridicisque viris, quorum hortatu præmemoratum diploma se dedisse, Arnulphus innuit. Et vero, ut in credam propensius, facit tempus, quod dati diplomatis epocham constituit, quodque ex dicendis partim cum* C *anno Christi* 941, *partim cum anno* 942 *congruit. Hoc enim anno et* Gerardus *Gandavi exstitit, et monachis in Blandiniense cœnobium canonicorum loco inductis abbas tunc primum fuerat secundum jam dicta præfectus; unde sat verosimile fit, Sanctum apud Arnulphum tunc institisse, ut monasterio, cui abbas ab ipsomet recens erat præfectus, eam saltem possessionum, injuste quondam ei subtractarum, partem, quæ alendis monachis ibidem tunc degentibus sufficeret, restitui curaret. Sane ut vix dubitem, quin id tunc* Gerardus *fecerit, facit etiam sollicitudo paterna, qua Sanctus indubie enituit, quaque monachorum, quos curæ suæ tum primum acceperat demandatos, necessitatibus voluerit prospectum. Accedit,* Gerardo, *ut apparet, maximæ curæ fuisse, ut Blandiniense cœnobium monachorum numero augeret; unde verosimile fit, de cœnobii quoque proventibus, quibus hos aleret, amplificandis fuisse sollicitum, institisseque proinde apud Arnulphum comitem, ut quasdam saltem ex ablatis quondam monasterio possessionibus restituendas curaret, restitutionemque diplomate confirmaret.*

restitutionemque diplomate,

206 *Itaque, omnibus perpensis, verosimile sane apparet, præmemoratum diploma, instante potissimum apud Arnulphum comitem* Gerardo, *in monasterii Blandiniensis favorem fuisse impetratum. Neque est, cur quis opponat, divitias secundum dicta minime appetiisse* Gerardum. *Quamvis enim id veritati indubie consonet, verosimile tamen non est, Sanctum etiam de facultatibus monasterio suo necessariis, huicque de jure debitis sollicitum non fuisse. Porro nota chronica, quam, quo de agimus, diploma præfert, partim, ut jam dixi, cum anno* 941, *partim cum anno* 942 *coincidit. Etenim in fine hunc in modum signatur :* Actum Blandiniensi cœnobio, regnante Ludovico anno.... VI, filio Caroli regis reclausi; *hic autem per Carolum regem designatur Carolus Simplex, Francorum rex, qui Peronæ in carcere, ut Frodoardus in Chronico aliique scriptores testantur, anno* 929 *obiit, hincque Ludovicus, Transmarinus nempe, illius filius, quo regnante, diploma datum notatur,* filius Caroli reclausi *nuncupatur. Verum, inquies, cum Carolus Simplex ex dictis anno* 929 *obierit, qui potest regni Ludovici Transmarini annus sextus, quæ diplomatis nota est chronica, cum anno Christi* 941 *aut* 942 *componi, cum quo utroque tamen partim eam componi jam asserui? Miræus in senarium annorum numerum, quo diploma signatur, ita observat :* Corruptus haud dubie est annorum numerus. Ponatur itaque annus XVI Ludovici regis, ab obitu patris Caroli Simplicis computando. Obiit is anno DCCCCXXIX Peronæ in carcere (ut Flodoardus in Chronico testatur) ideoque hic Reclausus dicitur. E

quod anno 941 *vel* 942 *datum est, firmat.*

207 *Ita Miræus, quod scilicet regni Ludovici Transmarini epocham ad anno* 929, *quo Carolus Simplex, pater ejus obiit, repeti existimarit, sicque annus Ludovici Transmarini sextus deducat ad annum* 935 *aut seq., quorum altero diploma certissime nequit esse datum. Verum epocha illa non ab hoc anno, sed ab anno* 936, *quo Ludovicus, ex Anglia a Franciæ proceribus revocatus, Francorum rex primum coronatus est, repetitur. Communis hæc est hodie eruditorum opinio, quæ etiam a pluribus scriptoribus, hosque inter a Mabillonio lib.* VI *de Re diplomatica pag.* 568 *et seq. validis rationum momentis probatur. In hac porro cum ab anno* 936 *usque ad annum* 942 *anni sex excurrant, annus regni Ludovici Transmarini sextus, quo præmemoratum diploma signatur, cum anno Christi, ut supra asserui,* 941 *aut certe* 942 *congruit; tam uno autem quam altero ex binis hisce annis datum esse potest diploma. Porro cum ex dictis* Gerardus *anno* 941 *monasterio Blandiniensi primum præfectus sit abbas, eodemque anno aut sequenti præfatum diploma ab Arnulpho impetrarit, liquet hinc jam Sancto, ut primum monasterii Blandiniensis abbas factus est, nihil magis cordi fuisse, quam ut illud non tantum ad strictiorem Regulæ Benedictinæ disciplinam revocaretur, verum etiam ut congruis donaretur* F *redditibus. Hoc scilicet etiam curabat sollicitus procidusque Pater, ut, qui ibidem monasticam amplecterentur vitam, nulla rerum temporalium cura distracti liberius possent Deo vacare. Quæri insuper hic jam potest, an Sanctus Blandiniense monasterium, quod a Normannis ad modum fere Bavoniani monasterii, non tamen, uti ex dicendis patescet, quantum ad omnia ædificia, fuerat eversum, reædificandum curarit. Id anno* 941 *reædificatum nondum fuisse, ex jam supra dictis liquet.*

Illud, quod anno 944,

208 *Verum Meyerus in Flandriæ tum Chronicis, tum Annalibus ad annum* 944 *sic scribit :* Tertio Nonas Septembris corpora divorum Wandregisili, Ansberti et Vulfranni ex Bononia, maritima Morinorum urbe, Gandavum in cœnobium Blandiniense a Magno (Arnulpho, Flandriæ comite) translata, submotique monachi (*imo canonici*) Regulares ab Aynardo abba, regnante Ludovico Pio, introducti. Levatum ex ruinis restitutumque monasterium, decimisque ac possessionibus adeo locupletatum, ut non abs re Arnulphus sit reparator vocitatus Blandinii. *Quibus verbis, ut apparet, indicat, Blandiniense monasterium anno* 944 *fuisse reædificatum. Verum is scriptor verbis jam recitatis etiam docet, anno illo monachos canonicis ibidem primum fuisse substitutos, quod certissime a vero alienum est, uti liquet ex jam dictis atque insuper ex Arnulphi, Flandriæ*

A *Flandriæ comitis, diplomate, jam mox memorato. In hoc enim, quod ex dictis anno* 941 *aut certe non serius, quam anno* 942 *fuit emissum, religiosos Blandiniensis cœnobii incolas monachorum nomine plus semel Arnulphus distinguit, ut adeo jam ab anno* 941 *aut certe anno* 942 *monachi canonicis ibidem essent indubie substituti. Cum ergo Meyerus in tempore, quo hoc factum sit, assignando hallucinatus sit, mirum non est, si ab anno quoque, quo Blandiniense cœnobium reædificatum sit, forte aberret. Et vero eum ab anno, quo id acciderit, reipsa aberrasse, indubitatum mihi apparet.*

imo etiam anno 950

209 *Etenim Miræus in Diplomatibus Belgicis cap.* 23 *exhibet diploma, a Ludovico Transmarino in Blandiniensis monasterii favorem anno* 950 *concessum; in hoc autem Ludovicus ita loquitur :* Notum esse volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus scilicet et futuris, quoniam nostræ dignitatis adiens præsentiam Arnulphus comes et marchio nobilissimus nosterque consanguineus clarissimus nobis retulit dolendo, quoddam cœnobium a beatissimo Amando præsule, sub Regulari monachorum norma, nobiliter secus castrum Gandavum super Scaldi fluenta olim constructum fuisse, quod antiquitus vocabatur Blandinus, nunc vero vocitatur.... monasterium penitus modo....

B destructum. *Hæc, uti etiam ex subsequentibus diplomatis verbis liquet, de Blandiniensi cœnobio ad annum* 950 *Ludovicus; illud ergo hoc anno jacebat adhuc penitus destructum, ac proin anno* 944, *imo etiam anno* 950, *reædificatum nondum fuerat. Attamen, cum ex dictis anno* 941 *in Blandiniense monasterium monachi fuerint inducti, erit fortasse nonnemo, cui illud anno* 944, *imo etiam anno* 950, *reædificatum nondum fuisse, parum verosimile appareat. Verum respondeo, Blandiniense monasterium a Normannis non ita penitus fuisse destructum, quin aliqua ex eo adhuc superessent ædificia, monachorum habitationi idonea. Liquet id ex eo, quod, uti ex jam dictis facile colliges, a canonicis, cum monachi eo fuere inducti, inhabitaretur, nec antea inveniatur fuisse reædificatum.*

reædificatum nondum erat,

210 *Ex eo ergo, quod monachi anno* 941 *in Blandiniense monasterium fuerint inducti, consequens non est, ut hoc fuerit vel anno illo, vel citius, aut certe ante annum* 944 *aut* 950 *reædificatum. Nec est, cur quis etiam in medium adducat verba ex S. Wandregisili Translationis Historia, num.* 199 *huc transcripta. His enim non de Blandiniensis monasterii reædificatione, quæ anno* 941 *vel a* Gerardo, *vel, hoc saltem hortante, facta sit, sed de ejusdem quantum ad disciplinam reformatione, a*

C *Sancto sedulo tunc procurata, dumtaxat agitur, uti vel ex sola dictorum verborum lectione fiet perspicuum. Et vero in ipsamet Translationis S. Wandregisili Historia (vide hanc apud nos tom. V Julii) monasterii Blandiniensis reædificatio non narratur, nisi post relatam, quæ anno* 944 *mense Septembri accidit, S. Wandregisili translationem. Spectato adeo ordine, quo res in ipsamet laudata Historia narrantur, Blandiniense monasterium anno* 944 *reædificatum nondum fuit. Verum an id brevi post annum* 944, *seu potius brevi post annum* 950, *per Arnulphum Magnum, Flandriæ comitem, hortante forsan* Gerardo, *reædificatum non fuit? Sacrum istud ædificium a fundamentis per Arnulphum, qui ad annum usque* 964 *vitam produxit, fuisse reædificatum, certum omnino est atque indubitatum. Constat id scilicet ex Arnulphi secundi seu junioris, Flandriæ comitis, diplomate, quod Supplementi ad diplomata Miræi parti secundæ, cap.* 19 *exstat insertum.*

certissime Arnulphus, Flandriæ comes, a S. Gerardo

211 *In hoc enim, quod Lotharii Francorum regis anno* 19, *qui partim cum anno Christi* 972 *congruit, datum notatur, Arnulphus junior, Arnulphi senioris seu Magni ex Balduino filio nepos, ait, sese, quæ ibidem exprimit, dare monasterio, seu, ut loquitur,* ad monasterium vocabulo Blandinium in primordiis ab apostolico patre sanctissimo pontifice Amando constructum, atque in honore principis Apostolorum, beatissimi Petri, et doctoris gentium Pauli

consecratum, processu vero temporis ab avo meo Arnulfo excellentiori a fundamentis exstructum ædificio, ut intuentium patet oculis, in quo domnus abbas Womarus non modico Regularium collegio monachorum industrius pastor præesse videtur. *Dubitandum ergo non est, quin ab Arnulpho Magno, junioris Arnulphi avo, Blandiniense cœnobium a fundamentis fuerit reædificatum. At vero an id, hortante etiam* S. Gerardo, *fuit effectum? Res pendet a tempore, quo Arnulphus Magnus sacro illi ædificio manum applicuit. Quod si enim id ante annum* 956 *non fecit, verosimiliter ad illud a* S. Gerardo, *utpote qui tunc ex dicendis Blandiniensis cœnobii præfectura sese jam abdicasset, non fuerit exstimulatus; at contra si opus ante annum illum, aut certe ante annum* 955 *fuerit aggressus, verosimillime ad id a Sancto, utpote tunc ex dicendis Blandiniensi adhuc abbate, fuerit excitatus. Ut ergo hic quidpiam definiri queat, in tempus, quo Arnulphus Blandiniense cœnobium reædificaverit, inquiro. In Sigeberto Miræi ad annum* 960, *quo jam obierat* Gerardus, *in Additionibus hæc leguntur :* Hoc anno ab Arnulfo, marchiso Flandrensi, Blandiniense cœnobium in majori elegantia est constructum; quod opus mense Maio est inceptum. *Sanderus in suo Gandavo separatim excuso pag.* 301, *id ipsum factum statuit anno* 959, *cum Womarus, qui* Gerardo *in Blandi-* E *niensis cœnobii præfecturam proxime successit, aliquot jam annis hanc adivisset.* Gerardus *enim, uti infra probabo, vel anno* 954 *vel seq. præfectura illa sponte cessit, suique loco Womarum substituit.*

verosimillime ad id impulsus, inter annum 950 *et* 956 *instauravit,*

212 *Verum Sigebertus et Sanderus, utpote ab Arnulphi Magni ætate remotiores, auctoritatis utique longe minoris sunt, quam plus semel jam laudata S. Wandregisili translationis Historia, ab auctore, qui sæculo* XI *posterior non sit, conscripta; hæc autem apud nos tom. quinto cit. Julii num.* 32 *et seq. de Arnulpho Magno, Flandriæ comite, sic habet :* Igitur divæ memoriæ Arnulphus atque marchisus cluentissimus immensam, quam erga memoratum locum (*monasterium nempe Blandiniense*) et præfatorum corpora Sanctorum (*Ansberti nimirum et Wandregisili*) habuit devotionem in mente, demonstravit in opere. Destructa vero basilica (*Blandiniensi*) sancti Petri, ad quam tantorum delata sunt patrocinia Sanctorum, quia tam habitationi monachorum, quam frequentiæ promiscui sexus pro parvitate sui erat incongrua, funditus in quadam majori elegantia reædificavit, perfectamque opibus ditavit; villas quoque et prædia quamplurima, atque alia utensilia, ecclesiasticis congrua ministeriis, in auro et argento plena contulit animi devotione; insuper ipsorum corpora Sanctorum F honorificentissime inclusit auro et argento. Post autem succedenti tempore transtulit ad eumdem locum corpora sanctorum Gudwali et Bertulfi, confessoris Christi, de Bononia civitate; *quibus ex verbis consequens est, ut Arnulphus ante annum* 956 *aut etiam forte ante annum* 955 *monasterium Blandiniense reædificarit. Illis quippe apertissime indicatur, prius hoc fecisse Arnulphum, quam SS. Gudwali et Bertulfi corpora Bononia seu potius Bolonia ad Blandiniense cœnobium transtulisse : hæc autem translatio sub finem vel anni* 954 *vel* 955 *facta est, uti infra dilucide probabo. Jam vero, cum ex dictis monasterium Blandiniense nondum etiam anno* 950 *reædificasset Arnulphus, consequens est, ut illud hunc annum inter et annum* 956 *aut etiam annum* 955 *omni dubio procul reædificarit. Quapropter, cum* S. Gerardus *tunc adhuc ex dicendis monasterio Blandiniensi abbas præfuerit, Arnulphum verosimillime pro ea, qua apud hunc valebat, auctoritate ad sacrum illud ædificium instaurandum exstimularit.*

inque illud, cum nondum instauratum esset,

213 *Porro Sanctus etiam ad Blandiniensis monasterii reformationem, atque id quidem, uti ex jam dictis facile colliges, antequam ad ejusdem reædificationem induxerit Arnulphum, strenuissime, etiam cum vitæ suæ periculo, laboravit, ut biographus num.* 67 *et binis seqq. docet. Nec vero hic fructu*

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

caruit opera a sancto Viro tam diligenter impensa. Docet id apud nos tom. V Julii Historiæ Translationis S. Wandregisili scriptor num. 22 *per verba partim huc jam transcripta sic scribens :* Ubi (*in monasterio Blandiniensi* S. Gerardus)..... Dominici scholam servitii..... restituit; et normam monasticæ Regulæ, ut doctus a Domino, sapienter intendens, curavit. Quamplures vero tanti exemplo Magistri excitati, cœperunt voto monasticæ disciplinæ hic confluere, cervicem cordis edomare. jugum Domini suave suscipere. Et contigit in brevi, ut hoc Dominici ovilis cœnobium numero et merito dilatatum, nobilissimis per omnia non ignobilius probaretur cœnobiis. *Sanctus ergo, uti ex his scriptoris laudati verbis intelligitur, in reformando Blandiniensi monasterio plurimum profecit, atque id quidem temporis spatio non admodum longo, quamvis interim illud, ut Iperius in Chronico Bertiniano cap.* 24 *indicare videtur, brevi temporis spatio non ita perfecte reformatum fuerit, quin adhuc* Gerardi *præsentia operaque eguerit. Quid porro, invecta jam in Blandiniense cœnobium strictiori Benedictini instituti disciplina, a Sancto nostro, quod huc etiam pertinet, atque id quidem, antequam illud instauratum esset, factum sit præterea, nunc expono.*

B

per S. Gerardum corpora SS. Wandregilisi et Ansberti anno 944.

214 *Corpora SS. Wandregisili et Ansberti, irrumpentibus sæculo nono ac decimo frequenter in Galliam Normannis, e Fontanellensi S. Petri ecclesia, mutatis sæpe sedibus, Boloniam tandem, uti in Opere nostro ad* 22 *Julii Commentarii ad Vitam S. Wandregisili prævii num.* 33 *et seq. exponitur, fuerant translata. Arnulphus Magnus, Flandriæ comes, cui ab anno* 933 *Bolonia parebat, id audierat; volens autem Blandiniense cœnobium, quod jam redditibus auxerat, sacris etiam Sanctorum locupletare reliquiis, animum adjecit, ut eo e Boloniensi civitate duorum illorum Sanctorum corpora transferret. Comes itaque hujus rei gratia, assumpto secum* S. Gerardo, *Boloniam versus iter arripit, sacraque illa pignora a Wicfredo, Boloniensi seu Taruanensi episcopo, utut invito, seseque opponentibus nonnullis, acquirit, hisque etiam S. Vulmari, abbatis Silviacensis, reliquias adjungi impetrat* S. Gerardus. *Qui hæc facta sint, uti et qua ratione sacer ille reliquiarum thesaurus ab Arnulpho per* Gerardum *Gandavum sit translatus, quantaque confluentis undequaque populi lætitia in Blandiniense cœnobium invectus, docet apud nos a num.* 24 *usque ad* 47 *plus semel jam laudata translationis S. Wandregisili Historia. Ad hanc adeo brevitatis studio curiosum lectorem remitto; quem tamen adhuc duo hic monitum velim; ac primum quidem est, præfatas sacras exuvias anno* 944 *mense Augusto e civitate Boloniensi Gandavum esse*

C

advectas, quamquam ad Blandiniense monasterium, ut in Historia mox iterum laudata num. 46 *dicitur, non ante tertium mensis Septembris ejusdem anni diem advenerint; alterum vero, id, quod in hac insuper de corpore S. Wlfranni cum duobus aliis SS. Wandregisili et Ansberti corporibus Gandavum pariter translato asseritur, a veritate esse alienum, prout solide a nobis ad diem* 20 *Martii pag.* 161 *demonstratur. Hæc sunt, quæ de SS. Wandregisili et Ansberti corporibus, ab Arnulpho per* Gerardum *ad Blandiniense cœnobium, cum hoc nondum instauratum esset, translatis, commemorare visum est.*

cum vero jam restauratum esset, SS. Guduwali et Bertulphi transtulit :

215 *Proximum nunc est, ut de SS. Guduwali aut, ut alii scribunt, Gudwali aut etiam Guduali episcopi et Bertulphi abbatis corporibus, ab Arnulpho per* Gerardum *ad Blandiniense monasterium, cum jam hoc instauratum esset, pariter translatis nunc agam. De S. Bertulpho abbate actum est apud nos ad diem quintam Februarii; de S. Gudwalo vero ad diem* 6 *Junii. Ac Henschenius quidem Vitam S. Gudwali, quam ibidem dat, a Blandiniensi sæculi duodecimi monacho anonymo scriptam putat; Bollandus vero Vitam S. Bertulphi, quam ad dictam quintam Februarii diem typis vulgat, circa annum* 1073 *a monacho item Blandiniensi anonymo litteris mandatum statuit. Porro tam in Vita S. Gudwali, quam in Vita S. Bertulphi refertur, amborum horum Sanctorum corpora Gandavum ab Arnulpho per* Gerardum *uno eodemque tempore fuisse translata; verum in hac ex Harlebeca corpus S. Bertulphi, cui S. Gudwali corpus, aliorumque Sanctorum reliquiæ junctæ fuerint, Gandavum translatum memoratur; in illa vero corpus S. Guduali Monasteriolo, Gallice* Monstrueil, *ab Arnulpho, Flandriæ comite, qui hoc Picardiæ oppidum aliquamdiu obtinuit, per* Gerardum *Gandavum translatum una cum S. Bertulphi reliquiis asseritur, nulla facta Harlebecæ mentione, quod ibi forte S. Gudwali corpus non diu substiterit, utpote eo forsan Monasteriolo dumtaxat allatum, ut inde propediem una cum corpore S. Bertulphi Gandavum transferretur. Ceterum utraque laudata Vita eam, qua de hic agimus, translationem tertio Decembris die collocat; annum vero neutra definit : anno tamen* 934 *aut seq. facta videtur, uti ostendam, cum prævie, ut, quam* Gerardus *in illa partem habuerit, pateat, utriusque Vitæ verba huc spectantia descripsero.* D

216 *Vitæ S. Gudwali scriptor apud nos ad sextam Junii rem his verbis num.* 31 *commemorat :* Unde (*e monasterio Blandiniensi*) accersito venerando Gerardo abbate, ecclesiasticæ religionis et monastici ordinis industria præpollente, cum auctoritate episcopi ejusdem (*Tornacensis*) diœceseos, hujuscemodi officium (*transferendi corpus Gudwali Arnulphus Flandriæ comes*) injunxit, ad quod affectum suum magna Dei gratia incitavit : venerabilis vero Abba vota gratiarum Deo persolvens, fidele negotium fideliter suscepit, fidelius peregit; et suscepto cum fide et tremore magno pretiosi corporis thesauro, cum gazis membrorum nulli pretio conferendis egregii confessoris Domini Bertulphi, magna clericorum et monachorum comitante cohorte, in monasterium detulit beatorum Petri et Pauli Apostolorum, quod situm est in monte claro, Blandinium nomine nuncupato. Convenit autem populus utriusque sexus innumerabilis, manibus applaudens, et in voce exultationis Deum benedicens; qui geminas has duarum gemmarum margaritas de inæstimabili pietatis suæ thesauro destinavit, et in ornamentum ecclesiæ suæ cum tanto decore collocavit. Quod actum constat III Nonas Decembris, Lothario quidem rege in sceptro Francorum jus regium agente, Domino autem et Salvatore nostro Jesu Christo, angelorum totiusque mundi monarchiam cum Patre et Spiritu sancto moderante. *Hæc, quæ ad* Gerardum *pertinent, Vita S. Guduali; accipe nunc etiam, quæ ad illum in Vita S. Bertulphi spectant.* *quæ posterior translatio, cujus hic ex Vita S. Guduwali* E

217 *Hæc num.* 33 *sic memorat :* Ea tempestate (*cum scilicet de sacro S. Bertulphi corpore Gandam transferendo cogitaretur*) in monasterio Blandinio Gerardus merito et officio abbas degebat, cujus consiliis gloriosus marchio (*Arnulphus, Flandriæ comes*) libenter utebatur. Qui cum titulos nobilitatis nobilius etiam ornaret moribus probitatis, cunctis pene Galliæ cœnobiis et præesse et prodesse dignus inventus est. Quo accito, prædictus marchio de transferendis Sancti (*Bertulphi abbatis*) reliquiis, communicatis cum eo consiliis, pertractat. Tum utrique visum est, ut memorati Sancti pignora Blandinium transferrentur. Placuit etiam ea optimatibus sententia, ut tanti confessoris pignoribus Blandiniensis ecclesia ditaretur. Cumque tam ecclesiasticis quam politicis ordinibus ita esset deliberatum, sanctissimi confessoris Bertulphi membra levantur, transferenda eo, quo jam diximus, non sine magna tum præcedentium, tum subsequentium gratulatione. Nec solus hic Sanctus tunc transferri voluit, sed in consortium translationis ejus ossa B. Gudowali adjuncta sunt; atque etiam membrum unum B. Audomari cum dente ipsius, reliquiæ quoque sanctissimi Bertini in augmentum gloriæ ejus. O quam lætum populis, undecumque concurrentibus, in illa die spectaculum fuit, cum ante sanctissimas reliquias hinc ecclesiastica pompa cum crucibus et lampadibus, inde aulicus marchionis procederet senatus *et ex Vita S. Bertulphi* F

cum

A cum fascibus. Et licet ex utraque parte impensus honor minor esset, quam pro Sancti meritis, omnem tamen gloriam principum adæquavit.

datur notitia, 218 Facta est autem translatio hæc tertio Nonas Decembris, cum Adventum Domini Ecclesia pro more celebrat, cum etiam in adventu Sancti Christum sibi advenisse exultavit, præsertim cum in Sanctis et Electis Christum habitare, nemo ambigat. Erat præcipue idoneus hujus translationis minister una cum religioso grege monachorum abbas, quem diximus, Gerardus, cujus prudenti dispositioni gloriosus marchio credidit, quidquid in translatione illa agendum videretur. Qui in monasterium Blandiniense, cui ipse tunc præfuit, sacrosanctos artus transtulit, ac in Orientali absida cum magna psallentium melodia reposuit. *Hæc sunt, quæ in Vita S. Bertulphi circa hujus et S. Guduwali translationem debent ad* S. Gerardum *referri. Ex illis porro et ex verbis e Vita S. Guduwali, supra huc pariter transcriptis, quisque, quantum opinor, facile jam intelliget, quam in dicta translatione Sanctus noster partem habuerit. Restat ergo, ut in annum, quo duorum illorum Sanctorum, Guduwali scilicet et Bertulphi corpora Gandavum fuerint translata, nunc inquiram. Id* actum constat, *ut his verbis supra adhuc recitatis tradit Vita S. Guduwali,* III Nonas

B Decembris, Lothario quidem rege in sceptris Francorum jus regium agente. *Lotharius, Caroli Simplicis ex Ludovico Transmarino filio nepos, Francorum regnum pridie Idus Novembris anno 954, uti inter eruditos convenit, capessivit. Citius adeo, quam hoc anno illa, qua de agimus, SS. Guduwali et Bertulphi translatio peracta non fuit. Ast an etiam serius non evenit?*

anno 954 aut sequenti a Gerardo fuit peracta. 219 *Meyerus illam ad annum 959 refert; sed sic manifestissime hallucinatur. Fuit enim, ut ambo SS. Guduwali et Bertulphi biographi verbis proxime recitatis testantur, tertio Decembris die horum Sanctorum, qua de hic sermonem facimus, peracta translatio. Quapropter, cum* Gerardus, *fatente ipsomet Meyero, anno 959, 5 Octobris die obierit, qui potuit 5 Decembris die translationis, anno 959, ut ex dictis vult Meyerus, peractæ, curam gerere præcipuam, ut tamen gessisse eum, ambo SS. Guduwali et Bertulphi biographi verbis proxime huc transcriptis pariter testantur? Bollandus noster ad quintam Februarii in Commentario ad Vitam S. Bertulphi prævio de translatione illa num.* 8 *sic scribit :* Si, ut ejusmodi fieri translationes solent, die Dominica ad celebriorem exciendum populorum concursum peracta est, oportet an. CMLV contigisse, quo dies III Decembris in Dominicam incidit. *Sane, cum translatio, de*

C *qua hic quæstio est, facta sit ex dictis, cum jam Lotharius, qui anno 954 regnare incepit, Francici regni habenas teneret, sat verosimile apparet, contigisse illam anno 955, quo dies Decembris tertia, ut computanti patebit, in Dominicam incidit. Verum, quando translatio contigit,* Gerardus *Blandiniensi cœnobio adhuc præerat, ut S. Bertulphi biographus his verbis supra adhuc recitatis diserte testatur :* Qui (*sanctus* Gerardus) in monasterium Blandiniense, cui ipse tunc præfuit, sacrosanctos (*SS. Guduwali et Bertulphi*) artus transtulit ac in Orientali absida cum magna psallentium melodia reposuit. Gerardus *ergo SS. Guduwali et Bertulphi corpora anno 955 non transtulerit, nisi ad hunc usque annum, et quidem fere elapsum, cœnobii Blandiniensis gesserit præfecturam. Quapropter, cum dubium sit ex dicendis, Sanctusne jam tum ab anno 954, an a sequenti tantum cœnobii Blandiniensis, substituto sibi Womaro, præfecturam abdicarit, dubium quoque est, annone 954, an sequenti SS. Guduwali et Bertulphi corpora transtulerit. Hanc adeo translationem, cum nihil suppetat, quo ei annum definitum assignem, vel anno 954 vel 955 peractam, sub disjunctione statuo, et rebus a Sancto in Blandiniensi cœnobio gestis finem impono.*

§ XIX. Sithiense seu S. Bertini monasterium abbatis munere gubernandum accipit, hocque ad primævam disciplinam revocato, Gandam revertitur.

AUCTORE C. B.

Sancto Bertinianum monasterium reformandum datur. *Nobilissimum S. Bertini seu Sithiense Audomaropoli in Artesia cœnobium* Gerardi *ætate, quemadmodum et plura alia, a primæva Benedictini instituti disciplina multum desciverat; quod partim ex monachorum id occupantium ac temporum perturbatissimorum vitio, partim ex rectorum seu abbatum secularium, a quibus diu occupatum fuerat, incuria et culpa evenerat.* Jam, *inquit ad annum 944 in Annalibus Benedictinis lib.* XLIV, *num. 71 Mabillonius,* quadraginta minimum anni erant, ex quo hæc (*Sithiensis*) abbatia ejus (*Arnulphi Magni, Flandriæ comitis*) patri Balduino, Adololfo fratri, atque ipsi Arnulfo, laicis hominibus, tradita fuerat, et sic ex rectorum incuria vel potius defectu a pristina religione defecerat. *At vero Arnulphus Magnus, Flandriæ comes, cui* Gerardus, *Blandiniensi cœnobio ad pristinum Benedictinæ Regulæ institutum revocato, suam ad reformanda monasteria industriam jam probarat, Sithiensis monasterii, quo collapsam ibi religionem redintegrandam curet, præfecturam* E *abdicat, illudque Sancto pro arbitrio gubernandum reformandumque committit.* Ut autem, *inquit num. 70 biographus,* brevitati serviamus, et plura omittentes, pauca recolamus, quam strenue etiam beati Bertini cœnobio aliquamdiu præfuerit, reticemus, quamque saporosos disciplinæ Regularis inibi protulerit fructus. *Sanctus ergo, teste biographo, aliquamdiu Bertiniano cœnobio abbas præfuit, illudque, uti etiam innuere videtur, ad strictiorem disciplinam revocavit. Verum quo anno primum dicto monasterio, ut id reformaret, abbas fuit præfectus? Id iterum non docet biographus; dubitandum tamen non apparet, quin id anno 944 contigerit.*

Iperius id anno 944 factum 221 *Iperius, Bertiniani cœnobii sæculo* XIV *abbas, in Chronico S. Bertini cap. 23 refert duo miracula, quorum alterum in Athala, ipsiusmet comitis Arnulphi uxore; alterum in Waltero, Rodulphi Sithiensis prætoris filio, S. Bertini meritis patratum fuerit, ac dein ita memorat :* Tunc vero specialiter Arnulfus comes et abbas noster, visis miraculis prænarratis, quæ Deus, ipso præsente, per merita beati patris nostri Bertini dignatus est operari, compunctus corde intrinsecus atque dolens, hic (*in monasterio Sithiensi seu S. Bertini*) religionem monasticam, dudum a beato Bertino constructam et fortiter observatam, et nunc quadraginta annis vel circiter, F patris sui et fratris atque sui incuria prorsus abolitam, ut pristinam religionem exstrueret, et locum istum antiqua sanctitate nobilitaret, sanctum Gerardum hunc, de quo sermo nunc habitus est, qui quasi solus religionis destructionem in his partibus observabat, ad se vocavit, et ut hic ordinem reduceret rogans, hanc abbatiam et monachorum regimen ei concessit anno Domini CMXLIII. *Ac iterum infra, paucis dumtaxat interpositis, cap. 24 in eamdem fere scribit sententiam. Verba etiam huc transcribo.*

scribit, eique assentiendum videtur. 222 *Sic habent :* Cujus (*sancti* Gerardi) fama virtutum undequaque diffusa ad aures Flandriæ comitis Arnulfi Magni tunc abbatis nostri pervenit; qui comes inclytus, viso miraculo, quod, eo præsente, in uxore propria sua Deus per merita beati Bertini dignatus est operari, itemque miraculo de filio prætoris hujus (*Sithiensis scilicet*) villæ, consideransque, hunc locum, in quo semper religio ab eodem patre constructa viguerat, jam patris sui fratrisque atque sui, utpote laicorum, incuria totaliter a sancta religione destituta *, compunctus *destitutum corde vehementer indoluit, et, accersito domno sancto Gerardo, ipsum rogat et deprecatur, ut religionem hic abolitam reparare velit; quod dum beatus Gerardus annueret, comes abbatiam in manibus ejus resignavit, et eum a Witfrido, Morinorum

AUCTORE C. B.

rum episcopo consecrari fecit in abbatem anno Domini nongentesimo quadragesimo quarto. *Sanctus ergo secundum laudatum Iperium anno 944 monasterium Sithiense abbatis munere gubernandum reformandumque ab Arnulpho Magno, Flandriæ comite, accepit; Iperio autem assentitur Mabillonius supra laudatus, idque ipsum etiam faciunt Meyerus, Sanderus aliique scriptores, qui de re illa tractarunt, unanimi consensu omnes, ut dubitandum non videatur, quin reipsa etiam anno illo acciderit, ut Arnulpus Magnus, Flandriæ comes,* Gerardum *Sithiensi cœnobio, ut hoc ille ad strictiorem disciplinam revocaret, abbatem præfecerit.*

Ut abbatia ista Arnulphus sese abdicarit,

223 *Verum Iperius verbis huc jam transcriptis innuere etiam videtur, Arnulphum absque prævia* Gerardi *opera admonitioneve fuisse inflexum, ut Bertiniani cœnobii præfecturam abdicaret, sibique Virum, monasticæ vitæ gnarum, a quo id ad primævum Benedictini instituti revocaretur rigorem, abbatem subrogaret; id autem parum verosimile apparet.* Gerardus *enim jam ab anno 937, quo omnes, ut secundum dicta apparet, ditionis Arnulphi abbatias, ac proin etiam Sithiensem, administrandas accepit, in monachorum Sithiensium mores vivendique normam verosimiliter invigilarat, collapsamque proinde apud illos esse disciplinam monasticam, diu jam observarat, cum Arnulphus anno ex dictis 944 Sithiensis abbatiæ, cui, utut laicus, pro pravo sæculi decimi*
B *more abbas præerat, regimen deposuit* Gerardo*que transcripsit. Hinc porro et ex singulari, qua Sanctus tenebatur, disciplinam monasticam restituendi cura verosimillimum sane fit, primo quidem, diu etiam ante annum 944 institisse eum apud Arnulphum, Flandriæ comitem, ut hic abbatia Sithiensi, utpote, quod abbate monacho careret, a primævo instituto digressa, sese abdicaret, virumque monasticæ vitæ legibus imbutum abbatem ei præficeret; deinde vero principem piis tandem* Gerardi, *qui plurimum ex dictis apud eum valebat, aliorumque forte religiosorum virorum monitis impulsum, anno 944 abbatia illa sese abdicasse, abbatemque ei, qui collapsam ibi religionem restitueret, præfecisse* Gerardum.

absque Gerardi opera, ut apparet, factum non est.

224 *Itaque inficiari quidem nolim, Arnulphum, Flandriæ comitem, ut abbatia Sithiensi sese abdicaret, hancque ad strictiorem disciplinam revocandam curaret, binis miraculis, altero in Athala, uxore sua, altero in Waltero, prætoris Sithiensis filio, patratis fuisse permotum; attamen id his solis factum non reor: quam merito autem ita existimem, intelliges etiam vel ex eo, quod miracula illa, uti ipsemet Iperius cap.* 23 *citato testatur, jam ab anno 938 fuissent patrata, nec tamen ante annum 944 sese abbatia Sithiensi abdicarit Arnulphus; quod argumento*
C *esse videtur, principem hunc id non fecisse, nisi cum jam miraculis, quæ in S. Bertini ecclesia præsens viderat, accessissent alia incitamenta, quæ pia* Gerardi *aliorumque religiosorum virorum monita verosimiliter fuerint. Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* XLIV, *num.* 71 *autumat, partim memoratis S. Bertini miraculis, partim* S. Gerardi *instinctu factum esse, ut Arnulphus, abdicata Sithiensi abbatia, pristinum splendorem sacro huic loco reddendum curarit. Mabillonio, uti ex jam dictis liquet, propense assentior, nec dubito, quin idem mecum facturi sint omnes, qui, quæ jam disputata sunt, utcumque expenderint. Ut adeo Arnulphus Sithiensi abbatia se abdicarit, disciplinamque ibi monasticam restituendam curarit, non absque* Gerardi *opera factum est. Dispiciamus modo, qui hic, Sithiensis jam constitutus abbas, ad reformandum hoc monasterium, operam etiam conferente Arnulpho, laborarit.*

Sanctus illam ad primævam Benedictini instituti disciplinam,

225 *Iperius in laudato S. Bertini Chronico cap.* 24 *verbis supra recitatis proxime hæc subdit:* Hoc facto (Gerardo *nempe in Sithiensem abbatem per Witfridum, seu, ut alii scribunt, Wicfridum, Morinorum episcopum, consecrato*) Arnulfus et abbas Gerardus super ordinis reformatione cum monachis tractare cœperunt, ut eos ad consensum boni consilii possent inclinare, et alios quidem, sed paucos, invenerunt bonis monitis acquiescere, quosdam etiam pusillanimes, quos abbas dulciter D
attrahens, eis religiosissimos viros e diversis mundi partibus huc advocatos adjunxit, qui eos instruerent in via Dei; plures autem induratos a benevolis segregans, seorsum per cameras distinxit, ne bonos suis maliloquiis a sancto proposito retraherent, nec cessavit eis viam salutis ostendere, si forte audiant et acquiescant: sed cum induratos animos eorum flectere non valeret, nilque proficeret, abbas Gerardus, secundum beati Benedicti Regulam, utens ferro abscisionis, invocato brachio seculari, eos sic induratos nec converti volentes per vim comitis de monasterio expulit, ne morbida ovis pium gregem contaminaret. Concurrit populus quasi ad spectaculum, eratque videre dolorem in exitu monachorum, qui *, multitudine populi concomitante, ad Longonessum, villam hujus monasterii; et ibidem aliquantisper comes eos immorari fecit.

* qui *redundat*

operam conferente Arnulpho, revocat, hocque facto,

226 Tunc comes pluries eos rogavit et induci fecit, ut ad bonum revertantur propositum, promittens eis omnia laute necessaria, solum ut religionem teneant, quam Deo voverant; sed cum nihil omnino proficeret, eos de terra sua ejiciens mare in Angliam transire coegit. *Hæc hactenus Iperius, quæ Annalium Benedictinorum lib.* XLIV, *num.* 71 *nitidius elegantiusque compendio exhibet Mabillonius, uti etiam illa, quæ, restituta jam in Sithiensi* E
seu Bertiniano cœnobio antiqua disciplina, gessisse Gerardum, *idem Iperius cap. proxime citato docet his verbis:* Gerardus abbas noster, vir sanctissimus, hac (*Sithiensi seu Bertiniana*) abbatia quoad religionem bene disposita, ad Blandiniensem, in qua reformanda multum laboraverat, et adhuc sua personali præsentia multum indigebat, redire deliberans, videns se personaliter utrobique non posse vacare, in hoc monasterio regularis vitæ regimen loco sui commisit venerabili viro Agiloni, monacho quondam sancti Apri Toletani *, juncto sibi Womaro Blandiniensi, non tamen sub nomine abbatis; nam et beatus Agilo inter abbates nostros non nominatur: et sic domnus sanctus Gerardus ad Blandinium rediit, postquam hic monasterium rexerat annis tribus. *Sanctus ergo, restituta ad S. Bertinum disciplina monastica, Gandavum, teste Iperio, est reversus, ut Blandiniensis cœnobii, quam inchoarat, reformationem ad apicem perduceret. Verum quo anno* Gerardus *eo e Sithiensi abbatia est reversus? Anno ex dictis 944 Sithiense seu S. Bertini monasterium abbatis munere gubernandum primo accepit.*

* *l.* Tullensis *seu* Tullani

anno 946 fere elapso,

227 *Quapropter, cum id, teste per verba proxime huc transcripta Iperio, triennio jam rexisset, cum ad* F
Blandiniense est reversus, consequens est, ut illuc vel anno 946 vel seq. redierit. Et anno quidem 947 fere elapso, si anni completi; anno vero 946 aut initio seq. id fecerit, si anni dumtaxat incompleti debeant intelligi per annos tres, quibus Gerardus, *antequam Gandavum reverteretur, cœnobium Bertinianum, testante Iperio, gubernavit. At vero anni dumtaxat incompleti intelligendi videntur. Etenim cum Sanctus ex dictis anno 944, mense Septembri sacras SS. Wandregisili et Ansberti reliquias Bononia Gandavum delatas in Blandiniensi monasterio deposuerit, sat certum videtur, eum ante anni 944 mensem Septembrem Bertiniani cœnobii regimen non incepisse. Quapropter, si per annos tres, quibus* Gerardus, *antequam e Sithiensi cœnobio ad Blandiniense reverteretur, Sithiensem abbatiam rexerit, intelligendi essent anni integri seu completi, necessario foret consequens, ut Sanctus non citius, quam post Septembrem anni 947 e Sithiensi monasterio ad Blandiniense sit reversus. At vero hoc admitti posse, nullatenus videtur. Etenim, uti ipsemet Iperius verbis jam recitatis testatur,* Gerardus *e Sithiensi cœnobio Blandiniense repetens, Agiloni, monacho Tullensi, cui Womarum Blandiniensem monachum adjunxit socium, monachorum Sithiensium regimen commisit, vivisque deinde erepto Agilone, Widonem ejusdem Sithiensis cœnobii ipso anno 947 instituit abbatem.*

Adhæc

A *Adhæc Widonem, uti ex dicendis patescet, eodem etiam anno* 947, *cum huic suo muneri non satisfaceret, exauctoravit. Quod si ergo anni tres, quibus* Gerardus, *antequam e Sithiensi cœnobio Gandam reverteretur, Sithiense cœnobium secundum Iperium gubernavit, pro annis integris ac completis accipiendi sint, sicque Sanctus non citius, quam post inchoatum anni* 947 *Septembrem Gandam statuatur reversus, faerit intra trium circiter mensium spatium Agilo quidem Sithiensis cœnobii cura a* Gerardo *honoratus, vitaque defunctus; Wido vero abbas Sithiensis creatus, hocque etiam officio exauctoratus.*

aut initio sequentis Gandavum revertitur,

228 *Verum id sane parum admodum verosimile videtur. Ut enim cetera missa faciam, erat Wido, ut etiam verbis supra recitatis testatur Iperius,* S. Gerardi *nepos; at vero cui, quæso, verosimile appareat,* S. Gerardum *adeo fuisse præcipitem, ut Widonem, nepotem suum, brevi dumtaxat unius forte alteriusve mensis spatio abbatem Sithiensi monasterio præfectum, liberioris vitæ causa statim exauctoraverit, nec eum prævie, salutari adhibita per aliquot saltem menses admonitionum medela, emendare atque ad officium adducere tentarit? Debent itaque, ne, quod parum credibile apparet, adstruendum sit, anni tres, quibus secundum Iperium* Gerardus, *antequam e Sithiensi monasterio Blandiniense repeteret, Sithiense cœnobium rexit, accipi pro annis dumtaxat*
B *incompletis, sicque* Gerardus *anno* 946 *aut initio sequentis ad Blandiniense cœnobium statui reversus. Ita quippe anni saltem unius habebitur spatium, quo fuerint peracta, quæ alioquin secundum dicta trium dumtaxat mensium intervallo facta fuissent. Quod si porro quis forte pro parum etiam verosimili habeat, fuisse ea, quæ jam memorata sunt, unius dumtaxat anni spatio peracta; respondeo, utut id forte sit, esse nihilominus necessum omnino, ut* Gerardus *anno* 946 *aut initio sequentis Gandavum statuatur reversus; atque id quidem præcipue idcirco, quod Wido ob dicenda anno* 947 *abbatis Sithiensis munere a* Gerardo *indubie fuerit exauctoratus, cum eodem dumtaxat anno ad id fuisset promotus.*

Agiloni Sithienses commisit, hocque vita functo, Sithiensem abbatem

229 *Rem dilucide probabo, cum quæ ad Agilonem pertinent, plenius narraro. Huic ex jam dictis* Gerardus, *cum Blandinium repeteret, regendum dedit Sithiense cœnobium, quamvis interim eum, ut Iperius verbis supra huc transcriptis testatur, abbatem non crearit. At vero vir ille injuncto sibi a* Gerardo *munere diu nequiit perfungi. Ad id enim anno dumtaxat* 946 *aut initio sequentis fuit admotus, uti ex jam dictis facile colliges; vita autem jam functum fuisse anno* 947, *docet Iperius in Bertiniano Chronico tum cap.* 24 *plus semel jam citato, tum etiam*
C *cap.* 25; *ac priori quidem loco his verbis :* Domnus abbas Gerardus hoc monasterio (*Sithiensi scilicet*) et Blandiniensi reformatis, sanctoque Agilone defuncto, nepotem suum Widonem hic abbatem instituens anno CMXLVII ipse penes comitem Arnulfum mansit; *posteriori vero istis :* Wido hujus loci abbas decimus quintus (*imo vigesimus quintus*) nepos domni beati Gerardi juvenis ab eo regulariter educatus, defuncto beato Agilone hujus (*Sithiensis scilicet*) monasterii sub beato Gerardo gubernatore seu rectore, fuit hic a beato Gerardo abbas institutus promotione Flandrensis comitis Arnulfi anno Domini CMXLVII. *Agilo ergo, cui monasterii Sithiensis regimen* Gerardus *commiserat, secundum Iperium jam anno* 947 *e vivis excesserat. Nec tantum hoc verbis jam recitatis nos docet is auctor; verum etiam Widonem,* Gerardi *nepotem, fuisse a Sancto abbatem eo ipso anno S. Bertini seu Sithiensi monasterio præfectum. Atque id quidem, impellente aut etiam imperante Arnulpho, Flandriæ comite, factum videtur. Ita sane verba ex posteriori Iperii loco mox huc transcripta, quibus Wido promotione Arnulphi abbas factus dicitur, recte intelliges.*

instituit Widonem, quem deinde, quod munere non recte fungatur,

230 *Adhæc* Gerardus *tanta sanguinis æstimatione haud fuit, ut solo illius intuitu Widonem, nepotem suum, adhuc ex dicendis juvenem nec monasterio apte prudenterque gubernando parem, Sithiensi monasterio abbatem sponte sua præfecisse, queat videri. Liquet id ex ratione, qua deinde cum illo ipsomet Widone, nepote suo, noscitur egisse. Hic, Sithiensi abbatiæ abbas jam præfectus, juvenili levitate, utpote reipsa adhuc juvenis, genio indulsit, delicias voluptatemque sectatus est, nec muneri, cui admotus erat, satisfecit.* Gerardus, *re comperta, Widonem, nepotem suum, nulla prorsus sanguinis ratione habita, exauctoravit, vixque tandem passus est, ut eum Arnulphus Gandensi S. Bavonis monasterio abbatem præficeret. Docet hæc nos iterum Iperius, verbis, ultimo huc transcriptis, proxime hæc subdens :* Qui (*Wido,* Gerardi *nepos*) promotus in abbatem, a beato Gerardo aliqualiter elongatus, juventutis suæ gaudia nimium sectabatur; quam ob rem fuit hic a beato Gerardo depositus, vixque comes a beato Gerardo obtinere potuit, ut eum permitteret ad alium locum promoveri, sed finaliter insistente comite, translatus est ad abbatiam S. Bavonis Gandensis; Womaro vero Blandiniensi monacho fuit hujus loci regimen ad tempus a B. Gerardo commissum anno Domini CML. Rexit autem Wido monasterium (*Sithiense scilicet*) annis vix tribus. *Folcuinus Levita, monachus Sithiensis,* S. Gerardo *et Widoni, uti ex verbis illius mox huc transcribendis patescet, fere æqualis, Widonis exauctorationem, ab Iperio assertam, diserte etiam, nulla tamen* Gerardi *mentione facta, apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum* E
rerum Gallicarum pag. 216 *memoriæ prodit.*

imo etiam anno, ut ex Folcuini verbis huc transscriptis

231 *Verum in anno, quo id factum sit, invicem dissonant. Iperius enim verbis jam recitatis ait, Widonem annis vix tribus, id est, triennio circiter Sithiensi monasterio præfuisse abbatem. Quapropter cum Wido ex dictis anno* 947 *monasterii illius regimini primum fuerit admotus, consequens est, ut secundum Iperium anno* 950 *fuerit exauctoratus; quod etiam confirmatur ex eo, quod is auctor verbis ultimo recitatis etiam sat aperte indicet, monasterii Sithiensis regimen fuisse tunc, cum Wido exauctoratus fuit, a* Gerardo *ad tempus Womaro, Blandiniensi monacho, commissum; hoc autem anno* 950 *factum esse, diserte affirmet. Itaque dubitandum non apparet, quin Iperius Widonis exauctorationem anno* 950 *innectat. At vero Folcuinus Levita supra laudatus illam non cum anno* 950, *sed cum anno* 947 *conjungit. Utri porro auctori hic assentiendum sit, mox dicam, cum Folcuini verba descripsero. Hæc apud Bouquetum loco citato sic habent :* Anno DCCCCXLVII... abbas (*Sithiensis scilicet*) Wido, quia nimis vanæ juventutis gaudia sectabatur, apud comitem (*Flandriæ Arnulphum*) incusatus, abbatia est fraudatus, et sancti Bavonis monasterio abbas est destinatus. Womarus autem regimen monasticum sub regulari regebat districtione, quo tem-
F pore ego ipse hæc scribens Folcwinus a patre Folcwino supra jam memorato et matre Thiedala de regno Hlotharii dicto, huc (*ad monasterium Sithiense*) adductus anno Incarnationis felicissimæ Domini nostri Jesu Christi DCCCCXLVIII, die festivitatis elevationis sancti Bertini, quæ succedit omnium Sanctorum festivitati, sancto Bertino oblatus, monachus (pro dolor!) facie tenus sum effectus.

statuitur, 947 in ordinem redigit,

232 *Hæc Folcuinus, cui quidem ego quantum ad annum* 947, *cui Widonis exauctorationem affigit, libentius assentiar, quam Iperio, qui illam ex dictis anno* 950 *innectit. Folcuinus enim, uti ex verbis ejus huc jam transcriptis liquet, medio circiter sæculo decimo in Sithiensi cœnobio monachum induit, fuitque proinde Widoni synchronus ac prope æqualis, ut res ad hunc spectantes melius, quam Iperius, utpote sæculi decimi quarti dumtaxat scriptor, potuerit habere perspectas. Attamen erit fortasse non nemo, cui dubitandum appareat, an absque ulla prorsus errandi formidine Widonis exauctoratio anno* 947 *sola Folcuini fide queat innecti. Etenim tum hic, tum Iperius (vide utriusque verba supra huc transcripta) causam, ob quam Wido exauctoratus fuerit, iisdem fere verbis exponit. Unde verosimile fit, Folcuinum præluxisse Iperio. Hinc porro cum nihilominus hic, contra ac facit Folcuinus, Widonis exauctorationem*

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

exauctorationem anno 950 affigat, oriri forsan potest suspicio eum, ut id faceret, graviori aliqua, quam sit Folcuini auctoritas, ratione fuisse impulsum. Ita potest argui, ut, an absque ullo prorsus erroris periculo Widonis exauctoratio cum anno 947 queat conjungi, revocetur in dubium. Verum cum non alia, qua Iperius moveri potuerit, gravior assignari posse videatur quam Folcuini auctoritas, ob hanc ego solam Widonis exauctorationem anno 947 indubitanter innecto.

Womaro regendos ad tempus committit Sithienses, eisque deinde

233 *Sed hæc jam de anno, quo Widonem exauctorarit* Gerardus, *disputasse sufficiat. Quæ Sanctus deinde, utut absens, in Sithiensis monasterii utilitatem præstiterit, pergo exponere. Tunc Sanctus, cum Widonem exauctoravit, ac proin anno, uti ex dictis indubitatum est, 947, Womaro, Blandiniensi tunc monacho ac postea abbati, Sithiense cœnobium gubernandum ad tempus commisit. Hunc scilicet probatæ virtutis virum ad id muneris elegit sollicitus providusque Pater, ut is, quem ipse in Sithiense cœnobium invexerat, disciplinæ monasticæ vigorem conservaret. Ac primum quidem id fuit, quod Sanctus, utut absens, post Widonis exauctorationem in cœnobii Sithiensis utilitatem gessit. At vero hujus deinde abbatem anno 950 instituit Hildebrandum, virum plane insignem, ut adeo ex Folcuini calculis*

B *triennio circiter, ex Iperii vero computo ne anno quidem integro Sithiense cœnobium, cum id accidit, jam rexisset Womarus; utri autem horum auctorum assentiri hic præstet, liquet ex dictis. Quæ Iperius circa Hildebrandi promotionem suppeditat, describo:* Hildebrandus, *inquit,* hujus loci (*cœnobii Bertiniani*) abbas vigesimus sextus, nepos comitis Flandriæ Arnulfi Magni, cujus interventu fuit hic a beato Gerardo institutus abbas, et a Witfredo, Morinorum episcopo, consecratus anno Domini CML. Vir ad omne bonum promptissimus, hoc monasterium sic rexit et provexit, ut omnibus per circuitum suo tempore foret exemplum.

abbates, Hildebrandum anno 950 et Regenoldum anno 954, præficiendos curat.

234 *Talem tantumque virum* Gerardus *instituit Sithiensis monasterii abbatem; quamquam autem id non sponte, sed ex Arnulphi voluntate fecisse videatur, id ei tamen ex parte saltem attribuendum videtur, quod, cum* Gerardi *consiliis Arnulphus plurimum detulerit, verosimile sit, hunc illud, Sancto vel propense assentiente vel forte etiam suadente, fecisse. Nec tum tantum monasterio Sithiensi* Gerardus *profuit; verum etiam tum, cum laudatus Hildebrandus, postquam Sithiensem abbatiam quadriennio rexisset, ad S. Vedasti monasterium reformandum ab Arnulpho anno 954 fuit adhibitus. Tunc enim Sanctus, cum Hildebrandus Atrebatense simul et*

C *Sithiense monasterium commode regere non potuisset, posteriori huic, suadente id etiam Arnulpho, abbatem præfecit Regenoldum, Sithiensem monachum. Id quippe etiam Iperius cap.* 26, *parte* II *diserte testatur his verbis:* Postquam domnus Hildebrandus hanc ecclesiam (*Sithiensem seu Bertinianam*) rexerat annis quatuor, ab avunculo suo, comite Arnulfo prædicto destinatus est reparare sancti Vedasti monasterium, dolentibus et reclamantibus fratribus nostris, ne tam pius pater ab eis auferretur. Quo perveniens injunctum sibi officium excellenter implevit: et quia utrobique simul et commode non potuit intendere, consilio comitis per beatum Gerardum hic subrogatus fuit abbas domnus Regenoldus hujus loci (*cœnobii Sithiensis scilicet*) monachus anno Domini CMLIV. *Cæterum, cum nihil reperiam præterea, quod a Sancto in Sithiensis monasterii commodum gestum sit, ad alia progredior.*

§ XX. De aliis ditionis Arnulphi, Flandriæ comitis, monasteriis, quæ a Gerardo feruntur fuisse reformata.

Biographus noster, secundum quem num. 66 *Arnulphus Magnus, Flandriæ comes, omnes ditionis suæ abbatias* Gerardo *administrandas dedit, n.* 70 *de* Gerardo *sic scribit:* Ne penitus taciturni silentio supprimamus relata nobis a majoribus, decem et octo cœnobiorum traditur exstitisse procurator vigilantissimus, Domino complente, quæ suis promiserat fidelibus hoc et hoc relinquentibus centies tantum in tempore hoc cum persecutionibus. *Decem ergo et octo cœnobia, si quod biographi nostri ætate ferebatur, veritati congruat,* Gerardus *administrarit. Verum an hæc omnia et in Arnulphi, Flandriæ comitis, ditione sita erant, et an omnia a* Gerardo *fuere reformata seu ad strictiorem disciplinam revocata? Et unum et alterum affirmat Iperius, verbis supra adhuc recitatis cap.* 24 *sic scribens:* Comes vero (*Flandriæ, Arnulphus Magnus*) Deo et Ecclesiæ devotus, sanctæque religioni multum affectus, huic viro sanctissimo Gerardo omnes terræ suæ abbatias hujus (*Benedictini*) Ordinis reformandas commisit, numero decem et octo, quas, abbatibus et eorum regimini superintendens, gloriosissime reformavit, et ad regularis disciplinæ normam instauravit. *Iperio hic assentitur, seu potius ejus exemplo cœnobia octodecim, quæ Sanctum administrasse scribit biographus, a* Gerardo *simul et reformata, et omnia in Arnulphi, Flandriæ comitis, ditione sita fuisse, Meyerus affirmat.*

D *Monasteria octodecim, quæ Gerardus fertur administrasse, in Arnulphi Flandri principatu*

E *collocant, et a Sancto omnia reformata, scribunt Iperius et Meyerus.*

236 *Nec hoc tantum hic scriptor facit, verum etiam maxima ex parte cœnobia illa enumerat, in Flandriæ tum Chronicis, tum Annalibus ad annum* 940 *de Arnulpho Magno, Flandriæ comite, sic scribens:* Fertur per Gerardum Cellensem XVIII suo in principatu Benedictina reformasse cœnobia, quorum de numero fuisse existimo Blandiniense, Gandense, Tornacense, Martianense, Hasnoniense, Ronnacense, Atrebatense, Turholtense, Woromholtense, divi Richarii, divi Bertini, divi Audomari, divi Sylvini, divi Vulmari, divi Amandi, divæ Berthæ divique Amati Duacensis. *Ita laudatus Meyerus: verum, inquit post factam ex Meyero eamdem cœnobiorum enumerationem ad annum* 943 *Locrius,* decimum octavum non habeo. *Et sane Meyeri enumeratio septemdecim tantum monasteria nominatim expressa exhibet. Verum quid tum? Meyerus omnia sese enumerare, non affirmat. At vero, quod majoris momenti est, dubitandum apparet, tum an monasteria illa omnia* Gerardus *reformarit, tum etiam an ea, quæ hic reipsa in Arnulphi Flandri principatu reformavit, octodecim numero exstiterint. Quamvis enim Iperius verbis supra recitatis diserte tradat, abbatias, quas* Gerardus *in Arnulphi Flandriæ comitis ditione administrandas accepit, numero fuisse decem et octo, hasque omnes a Sancto fuisse reformatas, singularum tamen nomen non prodit, ut adeo Meyerus, cui Iperius præluxit, pleraque ex*

F *monasteriis, quæ nominat, eo solo fundamento a* Gerardo *reformata asseveret, quod ad Arnulphi Flandri principatum spectarint, quodque ex dictis biographus quidem aperte doceat,* Gerardum *omnes ditionis Arnulphi abbatias accepisse procurandas seu administrandas; Iperius vero memoriæ prodat, octodecim a Sancto, quæ in Arnulphi principatu sitæ essent, abbatias fuisse reformatas.*

Ast an omnia, quæ Meyerus enumerat, reformarit, est dubium.

237 *Verum Iperius, utpote ex dictis sæculi tantum decimi quarti scriptor, ac proin ab ætate* Gerardi *remotior, certum atque indubitatum, quæ et quot ditionis Arnulphi monasteria Sanctus reformarit, sola fide sua neutiquam facit, nec ullum monumentum antiquum, ex quo id didicerit, allegat. Sibi quidem prælucentem habuit biographum nostrum; verum hic, quod tradit Iperius, docere non videtur. Quamvis enim num.* 66 *scribat,* Gerardo *Arnulphum omnes ditionis suæ abbatias dedisse administrandas, has tamen vel numero fuisse octodecim, vel omnes a Sancto fuisse reformatas, non prodit. Adhæc quamvis etiam num.* 70 *expresse edicat,* Gerardum *fuisse monasteriorum octodecim procuratorem, hæc tamen omnia in Arnulphi Flandriæ principatu sita fuisse, minime indicat. Itaque, cum nihil etiam aliunde sat certi occurrat, quo, quot et quæ* Gerardus *in Arnulphi comitis principatu monasteria reformarit, definiri utcumque queat, dubitandum sane apparet, tum an illa omnia, quæ verbis*

suvra

A *supra recitatis recenset Meyerus, ditionis Arnulphi cœnobia* Gerardus *reformarit, tum etiam an ea, quæ hic reipsa ibidem reformavit, octodecim numero exstiterint. Et vero, ut dilucidius patescat, quam sit dubium, an omnia a Meyero enumerata monasteria* Gerardus *reformarit, de singulis lubet pauca nominatim nunc disserere.*

Sanctum enim Marchianense,

238 *Molanus ad hunc diem in Natalibus Sanctorum Belgii ita memorat :* Ille (*Arnulphus Magnus, Flandriæ comes*) sancti Viri (Gerardi *nempe*) probitate et religione cognita, omnium abbatiarum, quæ ejus ditione continebantur, procurationem ei commisit. Laboravit autem potissimum (Gerardus *videlicet*) in monasteriis sancti Bertini, Bavonis, Petri in Blandinio et beatæ Rictrudis. Gerardus *ergo, ut Molanus his verbis velle videtur, in quatuor hisce monasteriis, Bertiniano scilicet seu Sithiensi, Blandiniensi, Bavoniano et S. Rictrudis seu Marchianensi, reformandis, plurimum laboravit. Et sane Sanctum in tribus prioribus reformandis gnavam operam posuisse, fit ex jam disputatis omnino indubitatum. Verum multum abest, ut id quoque de S. Rictrudis seu Marchianensi cœnobio æque habeatur compertum. Nullum enim scriptorem monumentumve sat antiquum reperire quivi, in quo reformati a* Gerardo *Marchianensis cœnobii mentio expressa*

B *occurrat. De hoc nihilominus Ordinis Benedictini cœnobio, quod ad Scarpum fluvium situm est, tribusque distat Duaco leucis, Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. III, col.* 394 *hæc produnt :* In hoc, uti in omnibus fere Flandriæ monasteriis plurimum intepuerat ordo domesticus circa medium seculum x, ad quem reformandum Arnulfus comes B. Gerardum Broniensem abbatem invitavit. *Ita illi : verum nullum pro se laudant scriptorem antiquum, nec puto, id illos hausisse ex auctore seu fonte, qui Meyero vel Iperio fuerit antiquior. Itaque, Marchianense cœnobium reformasse Sanctum, pro certo nequit haberi; verosimile tamen idcirco apparet, quod Arnulphus Magnus, Flandriæ comes, non pauca ditionis suæ, cujus etiam erat Marchianense, monasteria per* Gerardum *reformanda curarit, uti apud omnes in confesso est, nec merito potest vocari in dubium.*

Elnonense, Rotnacense

239 *Idem de tribus adhuc aliis cœnobiis, a Meyero supra enumeratis, Elnonensi scilicet, Rotnacensi seu Ronnacensi et S. Amati dicendum videtur. Ac de Elnonensi quidem, quod etiam* S. Amandi cœnobium *vocatur, quodque tribus circiter ab urbe Tornaco leucis ad fluvium Elnonem situm est, Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. III col.* 238 *hæc memorant :* Præfuit autem (*monasterio Elnonensi*)

C Rotgerus ad annum saltem secundum Ludovici Transmarini, hoc est, CMXXXVII ex Mabillonio, qui merito falsi redarguit, Rotgero mortuo, abbatiam vacasse viginti amplius annis. Quin etiam fortasse nullatenus vacavit, sed statim ad illam informandam Gerardus Broniensis accitus est. Et certe Amandinum cœnobium inter illa decem et octo (*a Meyero scilicet aliisque recentioribus*) recensetur, quæ pius Pater, Arnulfo comite volente, ad meliorem statum revocavit; ejusque postea consilio necnon abbatum Hildebrandi et Berneri, ac imprimis Fulberti Camerac. et Radulfi Noviomensis episcoporum Leudricus abbas constitutus est : *de Rotnacensi vero, quod in urbe cognomini, ultra Scaldim duobus cum medio ab Aldenarda, et quatuor a Gerardimonte milliaribus sita, quondam stetit exstructum, tom. V, col.* 29 *ista :* Dirutum est a Normannis anno circiter 880; sed ipsum Arnulfus, Flandriæ comes, Balduini Calvi filius, in pristinum statum reduxit sub medium seculi sequentis. *Ita laudati scriptores, qui si vera memorent, dubitandum non videtur, quin duo dicta monasteria reformarit* Gerardus. *Verum cum nullum pro se laudent monumentum antiquum, Sanctum id fecisse, verosimile quidem ob dicta num. præced.; non tamen certum existimo.*

240 *Quod jam pertinet ad S. Amati cœnobium, fuerat hoc a S. Rictrude, Adalbaldi, nobilis Franci, uxore, hujusque filio S. Mauronto Broyli, quod hodie Flandriæ Occidentalis oppidum, Flandrice* Mergem, *Gallice* Merville, *Latine* Mauronti Villa *nuncupatur, monasterium sæculo septimo exstructum. At vero hujus monachi, irrumpentibus sæculo* IX *frequenter in Flandriam Normannis, Duacum una cum corpore S. Amati, quod sub sua habebant custodia, sese receperunt, obtentaque deinde Duaci stabiliter manendi facultate, Benedictini Ordinis cœnobio, quod ibidem tunc condidere, nomen fecit S. Amatus, quod in illud Sancti hujus fuisset corpus translatum. Fuit porro deinde idem cœnobium sæculo* XI *in canonicorum secularium sub nomine item S. Amati collegium conversum. Adi Supplementum ad Diplomata Miræi, hujusque scriptoris de Collegiis canonicorum Tractatum cap.* 50. *Itaque cum ex dictis Broylenses monachi, sæculo* IX *in Flandriam frequenter irrumpentibus Normannis, Benedictini Ordinis Duaci exstruxerint S. Amati cœnobium, inque id sæculo* XI *dumtaxat introducti fuerint seculares canonici, verosimile fit, illud adhuc sæculo* X *occupasse Benedictinos monachos. Quapropter hos a* Gerardo *tunc fuisse reformatos, etiam verosimile apparet; certum tamen idcirco id non est, quod nullius antiqui monumenti auctoritate innitatur.*

AUCTORE C. B. *et S. Amati reformasse, verosimile dumtaxat apparet;*

E

241 *Et sic quidem quatuor jam habemus cœnobia, quæ reformatis a* Gerardo *Meyerus accenset, quæque an a Sancto reipsa reformata fuerint, dubitandum apparet. Progredior nunc ad sex alia, Tornacense scilicet S. Martini, Atrebatense S. Vedasti, Thoroltense, Wormholtense, S. Audomari et Alciacense. Verosimilius apparet, sex hæc monasteria a* Gerardo *reformata non fuisse. Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. III, col.* 272 *de Tornacensi S. Martini cœnobio hæc tradunt :* Benedictinum S. Martini monasterium, situm in colle extra portam urbis Tornaci Meridianam, parentem agnoscit S. Eligium, episcopum Tornacensem, anno DCLII, quo monachos sub Regula beati Columbani, inquit Cointius, in ecclesia sancti Martini jam ante biennium a se exstructa collocavit. Sub annum 880 devastatur a Normannis, tuncque profugi monachi, delatis secum veteribus documentis et chartis, ad Ferrariense monasterium se contulerunt; nec inde reversos esse, usquam apparet, imo contrarium probe infertur ex alto silentio. Scimus quidem, de renovando hoc monasterio cogitatum ab Arnulfo comite, imo iis accenseri, quæ Gerardus, Broniensis abbas reformavit; at pense constat, id nimis arduum suo caruisse effectu, suisque in ruderibus jacuisse monasterium, præter ecclesiolam S. Martini, usque ad annum 1092 *, quo Ratbodus, epi- F
scopus Noviomensis ac Tornacensis, locum hunc Odoni, viro doctrina præstantissimo cum aliquot sociis seculi fugam meditanti ac secessum quærenti apparavit.

eum autem Tornacense

* *al.* 1091

242 *Hactenus memorati scriptores, qui, ut dictis suis fidem faciant, duodecimum deinde Spicilegii Acheriani tomum laudant. Cum itaque, quæ ad propositum nostrum de Tornacensi S. Martini cœnobio scribunt, veritati, ut apparet, congruant, verosimillimum, imo vix non certum est atque indubitatum, monasterium illud a Sancto nostro non fuisse reformatum. Atque eadem ratiane fere etiam certum apparet, Atrebatense. S. Vedasti cœnobium a* Gerardo *pariter non fuisse reformatum. Etenim Iperius cap.* 26, *parte* II *verbis supra adhuc recitatis sic scribit :* Postquam domnus Hildebrandus hanc ecclesiam rexerat annis quatuor, ab avunculo suo comite Arnulfo prædicto destinatus est reparare sancti Vedasti monasterium, dolentibus et reclamantibus fratribus nostris, ne tam pius pater ab eis auferretur. Quo perveniens, injunctum sibi officium excellenter implevit, et quia utrobique simul et commode non potuit intendere, consilio comitis per beatum Gerardum hic (*in monasterio Sithiensi*) subrogatus fuit abbas domnus Regenoldus, hujus loci monachus, anno Domini CMLIV. *Atrebatense ergo S. Vedasti cœnobium, non* Gerardus,

S. Martini, Atrebatense

AUCTORE C. B.

dus, *sed Hildebrandus, Arnulphi Magni, Flandriæ comitis, nepos reparavit, seu potius reformavit. Quamquam enim Iperius, Hildebrandum id non reformasse, sed tantum reparasse, scribat, per verbum tamen* reparare *idem, quod per verbum* reformare *significatum velle videtur.*

S. Vedasti,

243 *Sic existimo, quod Vedastinum Chronicon apud Locrium ad annum 954 diserte tradat, Atrebatense S. Vedasti cœnobium ad* virtutes, quæ monachismum primis ornabant temporibus, *revocare conatum fuisse Hildebrandum. En verba :* Hildebrandus, Arnulphi, Flandriæ comitis, nepos, antea abbas Bertinicus, sub annum restitutæ salutis et gratiæ DCCCCLIV ab avunculo gubernationi (*monasterii Vedastini*) fuit admotus, vir, ut scribunt Bertiniani, ad omne bonum promptissimus, eaque causa præfectus Vedastinis, ut religiosos ad eas revocaret virtutes, quæ monachismum primis ornabant temporibus. Quod octo circiter annis, nescitur, an votis respondente successu, fecit; tum, ut volunt quidam, hoc monasterio exactus; tum, ut iidem Bertiniani testantur, ab Arnulpho Vetulo revocatus, ut rursum eorum præesset cœnobio. *Hildebrandus ergo, Arnulphi, Flandriæ comitis, nepos, tum secundum Iperium, tum etiam secundum Chronicon Vedastinum accepit reformandum Atrebatense*
B *S. Vedasti cœnobium. Atque id quidem anno 954 evenit, ut adeo verosimile non sit, monasterii hujus reformationem* Gerardo *esse attribuendam, utpote quæ ab his, qui eam Sancto attribuunt, eidem circiter anno 954 affigenda putetur. Itaque* Gerardi *quidem consilio factum puto, ut Hildebrandus, jubente seu curante Arnulpho, monasterium Atrebatense reformandum acceperit, Sanctum tamen id per se reformasse, tacentibus omnibus, imo fere reclamantibus documentis antiquis, non facile in animum induxero.*

Thoroltense, Wormholtense,

244 *Eadem fere de Thoroltensi et Wormholtensi cœnobiis sedet sententia. De Thoroltensi cœnobio Miræus in suo de Canonicorum Collegiis Tractatu cap.* 82 *sic scribit :* Torholtum sive Torhautum antiquissimum est Flandriæ oppidum, seu municipium emporii olim fama celeberrimum, quarto lapide a Brugis Flandrorum situm. Fuit hoc in oppido insigne atque opulentum olim Benedictinorum monasterium; ex quo Dominium seu Domlinum religiosissimum presbyterum circa annum 650 (*imo, ut ex Operis nostri tom. præced. in S. Bavone intelliges, circa annum* 654) Gandavum ad sanctum Bavonem paullo ante obitum venisse lego; *ac nonnullis deinde interjectis :* Hodie Torholti nullum superest monasterii vestigium; utpote quod a Normannis jam olim constat excisum. Est autem Torholti tunc
C insigne canonicorum, in D. Petri basilica, collegium a Roberto Frisio Flandriæ comite anno MLXXIII institutum, ut Meyerus et Marchantius testantur. *Ita loco citato Miræus, qui cum pro causa, ob quam nullum amplius Thorolti supersit monasterii Benedictini, quondam adeo celebris, vestigium, aliam non afferat, quam illatum ei a Normannis excidium, consequens videtur, ut dictum monasterium post cladem, a Normannis sæculo* IX *acceptam, instauratum numquam fuerit, ac proin ut sæculo* X, *utpote jam tunc destitutum incolis, reformatum seu ad sanctiores mores revocatum, a* Gerardo *verosimilius non fuerit. Quod jam pertinet ad Wormholtense cœnobium, fuit id pariter sæculo* IX, *ut omnia fere alia Flandriæ monasteria, a Normannis eversum, nec umquam deinde, uti ex Miræo de cœnobiorum Belgicorum Originibus facile colliges, fuit instauratum, ac proinnec a* Gerardo *videtur fuisse reformatum, seu ad primævam monasticæ regulæ disciplinam revocatum. Adi etiam Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. V, col.* 323 *et* 332, *remque, quantum opinor, pro fere indubitata habebis.*

S. Audomari

245 *Nec aliud dicendum videtur de S. Audomari cœnobio, quod Meyerus per verba supra recitata cœnobiis a* Gerardo *reformatis pariter accenset. Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. III, col.* 483, *primo qui vetus, ac non diu admodum post novum conditum fuerit Sithiense cœnobium, exponunt, moxque subjungunt :* Verum et præter has duas basili- D
cas, alteram in vicino colle sub patrocinio B. Mariæ Audomarus episcopus ad suam ipsius et monachorum sepulturam exstruxerat anno DCXLVIII, quam circiter annum DCLX abbati Bertino dedit; in eaque postmodum instituti sunt monachi ad quadraginta, quos Fridogisus abbas secularis in seculares canonicos seculo IX convertit, ipsaque tandem basilica in cathedralem Audomaropolis ecclesiam erecta est. *Ecclesiam illam, a S. Audomaro conditam, in qua quadraginta monachi faere, appellatam fuisse autumo S. Audomari cœnobium, aliudque quam hoc non intelligi per S. Audomari cœnobium, quod Meyerus cœnobiis a* Gerardo *reformatis accenset. Verum an hoc revera a Sancto reformationem accepit? Fuit illud Audomaropolitanum S. Audomari cœnobium, ut verbis recitatis docent laudati scriptores, in canonicorum secularium collegium sæculo* IX *conversum. Hinc porro certum vix non atque indubitatum fit, istud a* Gerardo, *utpote qui sæculo* X *dumtaxat cœnobia reformarit, non fuisse reformatum, nisi forte, quod tamen minus verosimile apparet, quisquam etiam velit, ipsosmet seculares in Arnulphi Flandri ditionibus canonicos ad strictiorem fuisse a* Gerardo *vivendi normam revocatos. Progredior nunc ad Alciacense S. Sylvini cœnobium.*

et Alciacense,

246 *Hoc Ordinis S. Benedicti asceterium non* E
longe ab Hesdino, Artesiæ oppido, ad Toenæ fluvii ripam, qui in Quantiam illabitur, est situm. Eamdem, quam reliqua fere omnia Franciæ et Flandriæ monasteria, sæculo IX *a Normannis solo æquatum, cladem accepit. Verum an deinde sæculo* X *instauratum, atque a* Gerardo *ad primævam rigidamque Benedictini instituti disciplinam non fuit revocatum? Bollandus noster ad* 17 *Februarii diem in Commentario ad Vitam S. Silvini episcopi prævio num.* 30 *sic scribit :* Rollone, Normannorum duce, fidem Christianam complexo, pax Gallicis Belgicisque ecclesiis ac monasteriis fuit. Quæ dein usque ad annum MLXXII Alciaci fortuna extiterit, haud omnino nobis exploratum. Jacobus Meierus lib. II Annal. Flandr. ad annum DCCCCXL inter monasteria Benedictina, quæ S. Gerardus abbas in Arnulphi Flandri principatu reformavit, etiam S. Silvini fuisse, existimat. Haud satis id nobis probatur. Suspicamur potius illuc pro sanctimonialibus, quæ locum antea tenuerant, planeque erant dissipatæ, clericos, ut alibi, collocatos primum, dein monachos iis subrogatos, donec anno tandem MLXXII Heribertus abbas Bertinianus Alciaci abbatem constituit. *Alciaci autem abbatem anno* 1072 *demum fuisse constitutum ab Heriberto, Bertiniano abbate, docet in Chronico Iperius, abbas et ipse Bertinianus.*

F

quod ad annum usque 1072, *uti hic,*

247 *Galliæ Christianæ auctæ scriptores a Bollando hic non multum abludunt. Etenim tom. X, col.* 1598 *de Alciacensi S. Silvini cœnobio sic scribunt :* Primum quidem (*postquam scilicet a Normannis fuisset eversum*) instauratum fuisse a Gerardo, Broniensi abbate, suadente et adjuvante Arnulfo comite, qui etiam sancti Silvini corpus ad sancti Bertini monasterium transtulerit, testatur Meyerus in Annalibus ad annum circiter 950; at nulla ubivis tum abbatum, tum ipsiusmet monasterii fit mentio ad annum 1072. Certius itaque ab hoc anno sumenda hujus loci restitutio ab Ingeranno Hesdiniensi comite facta, qua tamen superiorem aliam innuere videtur comitis epitaphium : « Hic jacet » Ingerannus comes, qui hanc ecclesiam Alchiacen- » sem ab exercitu Wermondi et Isambardi dirutam » restauravit anno Verbi incarnati MLXXII. » *Ita sat recte quidem, an* Gerardus *Alciacense cœnobium instaurarit, dubitare se innuunt Galliæ Christianæ auctæ laudati scriptores. At vero quod aiunt, innui videri per Ingeranni comitis epitaphium aliam Alciacensis cœnobii instaurationem, quæ instauratione, ab Ingeranno facta, fuerit anterior, quæque, ut satis indicant, Alciacense cœnobium a clade, per Normannos accepta, erexerit, id utique mihi a vero alienum videtur. Etenim Wermondus et Isambardus, a quorum exercitu Alciacensis ecclesia diruta fuisse, in*

Ingeranni

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *Ingeranni epitaphio innuitur, sæculo* IX *floruerunt, tuncque, irruptione cum Normannorum exercitu in Galliam seu Franciam facta, varias clades ediderunt, monasteriaque destruxerunt. Isambardus, seu, ut alii scribunt, Isembardus nepos fuit Ludovici tertii, Francorum regis, a Ludovico, Francorum item rege, procreati. Is ab avunculo rege e regno pulsus, ad Wermondum, seu, ut alii scribunt, Gnormundum, aut etiam Guormundum, Normannorum regem, confugit, hujusque deinde ope multas ac graves Francorum regno clades intulit.*

suffragante Alberici Chronico.

248 *Apud Bouquetum tom. IX scriptorum a pag.* 57 *usque ad* 67 *exstat Chronicon, quod sub nomine Alberici Trium Fontium monachi circumfertur; in hoc ista, quæ Guidoni Catalaunensi chronographo attribuuntur, pag.* 58 *litteris mandata invenio :* Isembardus juvenis egregiæ probitatis atque militiæ, nepos ejus, (*Ludovici III scilicet Francorum regis*) fuit occasio, per quam (*Ludovicus III Francorum rex*) ante meridiem ætatis suæ et magnificentiæ vitæ est subire coactus occasum. Hic enim cum per adulatorum iniqua consilia regis avunculi, quam non meruerat, incurrisset offensam, non jure, sed per injuriam regno pulsus, et ad regem Gnormundum, cum adhuc erat paganus, fugere compulsus, tam arcto familiaritatis et amicitiæ
B vinculo colligatus est ei, quod ob ejus dilectionem ad ultionem de avunculo reposcendam cum innumerabilibus armatorum millibus, conjunctisque sibi Normannis et Danis adhuc gentilibus, depopulatus Angliam, transfretavit in Franciam, et devastavit adjacentem mari Britannico regionem; ibique cum multis aliis Centulum vicum, regium et antiquum ac nobile monasterium S. Richarii concremavit. Quo comperto, rex Franciæ magnanimus Ludovicus cum armipotenti virtute Francorum haud segniter occurrit impiis et concurrit, magnam eorum multitudinem abrasit, cæteros fugere compulit. In quo conflictu, quia rotando fulmineos ictus graviter est afflictus per nimium laborem, vigorem perdidit et incidit in languorem, quo quasi fractus in novitate a vita est præruptus, et regnavit Carlomannus frater ejus.

probatur, in ruinis jacuit, non reformasse, verosimilius videtur,

249 *Ludovicus III, Francorum rex, qui anno* 879 *Ludovico Balbo patri in regnum successerat, anno* 881 *cum Normannis, in Franciam irrumpentibus, dimicavit, annoque sequenti e vivis excessit, ut Pagius in Criticis ad annum* 882, *num.* 16 *e variis scriptoribus antiquis, quorum testimonia in medium adducit, dilucide probat. Cum ergo, ut verbis jam recitatis testatur Alberici Chronicon, Isambardus et Gnormundus tunc, cum Ludovicus III, Francorum rex, Francis imperitaret, in Franciam irruperint, id utique illi vel anno* 879 *vel altero e binis sequentibus aut forte etiam singulis tribus fecerint. Quapropter, cum in Ingeranni epitaphio supra laudato de*
C *alio Isambardo alioque Gnormundo, quam de Gnormundo et Isambardo, in Alberici Chronico memoratis, sermo esse non videatur, necesse est, ut in eodem laudato epitaphio per instaurationem, qua ab Ingeranno erectum dicitur Alciacense cœnobium, alia non designetur instauratio, quam quæ proxime post cladem Normannicam facta sit, ac proin ut simul non indicetur aliqua, quæ instauratione, ab Ingeranno facta, fuerit superior. Jam vero cum ex his jam dictis monasterium illud a clade, quam sæculo* IX *a Normannis accepit, anno* 1072 *instauratum primum fuerit, consequens est, ut sæculo* X, *utpote tunc adhuc in ruinis jacens, a* Gerardo *reformatum seu ad exactam ex Benedictino instituto vivendi normam revocatum verosimiliter non fuerit. Itaque verosimilius apparet, omnia sex jam postremo memorata cœnobia, Tornacense scilicet S. Martini, Atrebatense S. Vedasti, Thoroltense, Wormholtense, S. Audomari et Alciacense, a* Gerardo *non fuisse reformata.*

idemque forte de S. Berta,

250 *Porro idem forte dici etiam debet de quatuor reliquis, S. Richarii scilicet, S. Bertæ, S. Vulmari et Hasnoniensi cœnobiis, quorum pariter reformationem* Gerardo *Meyerus attribuit. Res patescet ex iis, quæ de his singulis jam nunc dicturus sum. A*

S. Bertæ et S. Vulmari cœnobiis incipio. S. Bertæ cœnobium, sic dictum, quod a Berta, nobili matrona, Sanctorum honores promerita, fuerit exstructum, alio etiam nomine vocatur Blangiacense, *quod in Blanziaco seu Blangiaco agri Taruanensis haud procul ab Hesdino secus fluvium Toenam pago sit positum. De hoc monasterio Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. X, col.* 1389 *hæc memorant :* Normannorum tempestate monasterio in favillas redacto, sanctimoniales errabundæ cum patronæ suæ (*S. Bertæ*) reliquiis in Germaniam profugerunt, in parthenone Herasteno humanissime hospitio exceptæ a Rotrude loci abbatissa; Blangiacusque parthenon a paucis inhabitatus est ad seculum XI, quo post reportatum a duobus clericis Blangiacum sanctæ Bertæ corpus, ab Hersende nobili juxta ac pia femina restaurato monasterio, Benedictini monachi illic instituti, restitutaque prædia, quæ ab invasoribus occupata fuerant. *Cum ergo post Blangiacensium monialium secessum, qui Normannorum tempestate ac proin sæculo* IX *vel initio* X *contigit, Blangiacense cœnobium ad sæculum usque* XI *occuparint clerici, consequens videtur, ut id sæculo* X *a* S. Gerardo *reformatum non fuerit, nisi forte quis velit, ipsosmet clericos, qui illud tunc occupabant, ad sanctiorem vitæ normam fuisse revocatos; quod forte, cum Sanctus ex dictis omnes ditionis Arnulphi,* E *Flandriæ comitis, abbatias acceperit administrandas, vero non nemini videbitur sat simile.*

S. Vulmari.

251 *Monasterium S. Vulmari, quod a conditore suo sic vocatur, tribus ab urbe Boloniensi milliaribus Gallicanis situm est in villa, quæ recentioribus* Salmerium *dicitur,* Silviaco *primitus nuncupata. Galliæ Christianæ auctæ scriptores etiam tom. proxime citato col.* 1593 *de illo S. Vulmari seu Silviacensi monasterio hæc produnt memoriæ :* Vulmari curis procerumque opibus ditatum Silviacense monasterium circiter annos trecentos sanctitatis laude floruerat, quum emergentibus Normannis, Hernequino sive Alfonso Boloniensium comite, Balduini Flandrensis nepote, capta Boloniensi civitas, necatique vel in fugam acti monachi vacuum deinceps clericis locum permisere. Hugone Francicum regnum auspicante, lux serenior Vulmarensibus affulsit, pristinasque sedes recuperarunt monachi. *Hugo Capetus, de quo hic sermo est, anno* 987, *uti inter eruditos convenit, regnare in Francia est auspicatus, ac proin, cum tunc primum monachi, qui Normannorum tempestate, id est, sæculo* IX *vel initio sequentis Silviacense seu S. Vulmari cœnobium fuga sua clericis vacuum permiserant, pristinas sedes recuperarint, in monasterio illo tunc, cum* Gerardus *sæculo* X *varia in Arnulphi Flandri principatu* F *cœnobia reformavit, monachi verosimiliter nondum fuerint, atque adeo etiam monasterium illud non reformarit, nisi forte quis velit, tunc etiam clericos, qui illud adhuc occupabant, fuisse a Sancto ad strictiorem sanctioremque vivendi normam revocatos.*

S. Richarii et Hasnoniensi cœnobiis est dicendum :

252 *Quod jam pertinet ad S. Richarii et Hasnoniense cœnobium, de priori quidem, quod* Centulense *primitus dictum fuit, quodque quatuor aut quinque milliaribus ab Abbatis-Villa Boream versus distat, nihil omnino occurrit, ex quo id a* Gerardo *reformatum fuisse, appareat, ut a Sancto reformatum non fuisse, verosimilius forsan sit : de posteriori vero seu Hasnoniensi Benedictini Ordinis cœnobio, quod ad dexteram Scarpi ripam, Marcianas inter et S. Amandi oppidum, tertio a Valencenis lapide situm est, Galliæ Christianæ auctæ scriptores t. III, col.* 400 *hæc produnt :* Normanni locum hunc (*anno* 880) devastarunt. Narrat autem Locrius in melius reformatum medio circiter Seculo X, cura præsertim Arnulfi comitis; idque Vita B. Gerardi, Broniensis abbatis, edita seculo V Bened. pag. 249 adscribit eidem Gerardo; sed vel hoc pium opus ad effectum usque non est perductum, vel diu non constitit. *Ad effectum non fuisse perductum, autumo vix non certum. Etenim illud cœnobium, postquam anno ex dictis* 880 *a Normannis fuisset eversum,* pro monachis et sanctimonialibus, *quos antea aluerat,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

paucos (*ita tom. cit., col.* 399 *laudati Galliæ Christianæ auctæ scriptores*) aluit canonicos seu clericos seculares, donec Balduinus VI. Montensis illud instauravit, annuente Philippo Francorum rege, anno MLXV monachis ibidem restitutis, ut liquet ex ipsorum chartis.

Sanctus tamen in iis, quæ reformavit,

253 *Cum itaque hoc cœnobium post acceptam a Normannis cladem ad annum usque* 1069 *paucos dumtaxat clericos aluerit, verosimile apparet, nec illud a* Gerardo *fuisse reformatum, nisi forte ab eo illi clerici ad sanctiorem vivendi normam fuerint revocati. Itaque, omnibus æqua lance expensis, paucissima sane sunt, imo, si Bavonianum, Blandiniense et Sithiense exceperis, vix ullum in iis, quæ ad Arnulphum Magnum, Flandriæ comitem, pertinuere, ditionibus reperire est monasterium, quod certe atque indubie a* Gerardo *fuerit reformatum, quamvis interim plurium curam atque administrationem habuisse Sanctum, imo etiam reformationem tentasse, verosimillimum sit. Et vero plura a Sancto nostro in Arnulphi ditionibus reformata fuisse cœnobia, biographus nuspiam edicit. Hinc ego existimo quidem,* Gerardum *in omnium abbatiarum, quæ sub Arnulphi Flandri principatu erant, utilitatem ac commodum, idque sive a clericis sive a monachis tenerentur, invigilasse; paucas tamen eum invenisse, quæ reformationi, quam meditabatur, forent idoneæ.*

B *At vero, quamvis verosimiliter tot, quot Meyerus memorat, in Arnulphi Flandri principatu cœnobia non reformarit Sanctus, impigerrime tamen, ut plures seu monachos seu clericos cælestis patriæ amore inflammaret, laboravit, nec fructu, apud monachos saltem, caruit ejus labor, si biographo nostro fides sit.*

uberrimos fructus præduxit.

254 *Etenim num.* 71 *de* Gerardo *sic scribit :* Tantus... fervor ad colligendas Deo animas accenderat illum, ut sic sollicitudinem gereret monasteriorum, quatenus per habitacula discursando singulorum, ad amorem patriæ cælestis excitaret corda audientium. In qua desudans felici exercitatione, multorum benevolentiam alliciebat familiaritati suæ. E diversis quippe locorum partibus confluebat ad eum ædificationis gratia Ordo monachicus, tanti Viri pudicos et imitabiles actus sitientes imitari totis virium conatibus. Videres quasi ex diversis alvearibus apes ad hanc florigeram arborem convolare, ut inde favis arentibus nectar melliflui roris possent instillare. Quos ille benigno gratantique animo suscipiens, et monasticæ edulio normæ affluenter reficiens, de discipulis idoneos præceptores, de perfectioribus perfectissimos reddebat doctores. Discedebant alii moribus et religione instructi, accedebant alii nihilominus instruendi. Indesinenter enim quasi miro

C odore virtutum fragrabat, et Scripturarum fontem aperiens arentia mentium prata rigabat. Sic divini pigmentum verbi, cujus vitali redolebat suavitate, fratrum intrinsecus languentium indigentiæ curabat communicare, quod trajiciendo masticantes saporifera ruminatione ab omni vitiorum convalescerent infirmitate, atque gustando mererentur considerare, quam suavis est Dominus sperantibus in se. *Ita Sanctus in monasteriorum, quæ curæ suæ habebat demandata, utilitatem laborabat assidue, simulque e labore suo fructus referebat uberrimos.*

§ XXI. Broniense monasterium a Dionysianis monachis redimit, redemptum Leodiensi ecclesiæ tradit, pluribusque Gandavo et aliunde allatis Sanctorum reliquiis ditat.

Broniense cœnobium a Dionysianis monachis,

Quamquam Gerardus *Blandiniensis, aliorumque ex dictis monasteriorum commodum tum spirituale, tum etiam temporale sedulo procuraret, hac tamen cura non ita detinebatur, quin etiam de Broniensi; quod condiderat fundaratque, cœnobio cogitaret. Hoc asceterium, etsi intra Lotharingiæ seu Lothariani regni fines situm esset, Francorum regum ditioni tum, cum* Gerardus *floruit, erat subjectum.* D *Adhæc id Sanctus, cum monachum in Francico S. Dionysii monasterio indueret, Dionysianis monachis tradiderat, seu dominio eorum regiminique subjecerat. Hinc, ortis Francos inter et Lotharianos seu Lotharingos bellis, horum illud, utpote et Francicæ ditionis, et ad Francos homines spectans, vexationi direptionique erat expositum, nec quidquam a Francis, utpote ab his nimis remotum, præsidii poterat accipere. Sanctus adeo pro affectu plane paterno, quo monasterium illud complectebatur, malo huic statuit occurrere. Quamvis ex donis, quæ Arnulphus Magnus, Flandriæ comes, a calculi morbo per Sancti merita sanatus, ei obtulerat, pauca dumtaxat, ut dictum est, accepisset, nihilque ex his sibi retinuisset, non paucas tamen, quas deinde ab Arnulpho pariter acceperat, facultates possidebat. His suum Broniense cœnobium a Dionysianorum, quos hujus rei gratia adit, monachorum dominio redimit, ut sic illud, utpote non amplius a Francis hominibus possidendum, a Lotharianorum seu Lotharingorum vexationibus præstet immune. Quod ut eo consequatur certius, idem insuper asceterium Leodiensi S. Lamberti ecclesiæ tradit, Leodiensiumque episcopi Faraberti commendat tutelæ.*

ut biographus tradit, redimit, Leodiensique episcopo commendat :

256 *Biographus num.* 73 *sic scribit :* Tali ac tanta inquietudinis (*belli Francos inter et Lotharingos*) procella tunc temporis agitabatur respublica, quam post pusillum pietate inolita divini respectus consolidavit anchora. Hac igitur necessitate coactus E divæ memoriæ dominus abbas Gerardus, Catulliacam (*sic ob causam in Annotatis dandam Dionysianum appellat monasterium*) beati Dionysii adivit percitus abbatiam, Broniensem redimens ab ibidem Deo famulantibus ex ea, quam sibi rogam erogaverat comes Arnulfus. Verebatur siquidem non mediocri sollicitudine, qui exterminio succumberet sub tot malorum turbine, præsertim cum remota a finibus Merovingiæ, (*ita Franciam nominat*) ad quam pertinebat illo in tempore, in meditullio sita est Lotharingiæ, quam absque dilatione beati Lantberti contradens majori ecclesiæ, utpote interjacentem Leodicensi parochiæ, domini Faraberti commendavit tutelæ tunc pontificis ex Prumiensi abbate : *quibus sane perquam aperte præcipua, quæ jam dixi, docet :* S. Gerardum *scilicet Broniense, quod condiderat, cœnobium et a Dionysianis monachis redemisse et Leodiensi S. Lantberti ecclesiæ tradidisse. Quamvis autem annum iterum, quo id factum sit, non signet, ea tamen, ex quibus illum latiori saltem modo utcumque definire queas, hic suppeditat. Ex iis enim, quæ verbis jam recitatis memoriæ prodit, consequens est, ut id Sanctus anno* 947 F *aut alio e sex sequentibus fecerit.* Gerardus *quippe, quemadmodum aperte indicat, Broniense cœnobium mox tunc, cum id a monachorum Dionysianorum dominio redemit, Leodiensi ecclesiæ dedit, simulque Faraberti tutelæ commisit; Farabertus autem ab anno* 947 *ad annum usque* 953 *Leodiensem ecclesiam moderatus est, quemadmodum Ægidius, Aureæ-Vallis monachus, in suis ad Anselmum Additionibus tom. I, cap.* 44 *docet.*

atque id quidem indubie anno 947 vel aliquo e sex sequentibus;

257 *Atque hoc quidem indubitatum videtur. Quamquam enim laudatus Ægidius in iis, quæ litteris mandat, a veritate sæpissime deprehendatur devius, Faraberti tamen ad sedem Leodiensem promotionem præfato anno* 947; *obitum vero anno* 953 *rectissime innectit. Etenim duo hac in re sibi habet suffragantia Chronica, Leodiense scilicet et Lobiense; quorum primum quidem, a Labbeo tom. I Novæ Mss. librorum Bibliothecæ typis vulgatum, pag.* 336 *sic scribit :* DCCCCXLVII. Obiit Ubogo episcopus, succedit Farabertus; *ac deinde paucis interpositis :* DCCCCLII. Farabertus episcopus obiit, Ratherius succedit : *alterum vero, quod t. III Anecdotorum apud Martenium exstat insertum, quodque hic scriptor in Admonitione prævia summæ fidei esse, declarat, col.* 1413 *ita memorat :* DCCCCXLVII. Obiit Huogo episcopus, succedit Farabertus. DCCCCLIII. Farabertus episcopus obiit et Ratherius succedit. *Itaque dubitandum non*

A *non est, quin Farabertus ab anno 947 ad annum usque 955 Leodiensi ecclesiæ præfuerit, ac proin, cum* Gerardus, *ut biographus verbis supra recitatis luculenter insinuat, Broniense monasterium tunc, cum ecclesiæ Leodiensi præesset Farabertus, a Dionysianis monachis redemerit, Farabertoque commendarit, dubitandum pariter non est, quin id Sanctus vel anno 947, vel aliquo e sex sequentibus egerit. Verum, inquies, an rei hujus a* Gerardo *gestæ tempus propius etiam definiri non potest?*

verosimilius vero, ut ex memoratis a biographo belli

258 *Biographus verbis supra huc transcriptis proxime hæc præmittit :* Hoc eodem tempore (*ita loquitur, postquam de Sithiensis cœnobii præfectura Sancto commissa fecit sermonem*) orta est non parvæ perturbatio guerræ inter summates Austriæ ac Neustriæ, quæ, peccatis exigentibus, adeo excanduit usquequaque, ut non modo periclitarentur negotia reipublicæ, sed et minimum reverentiæ præstabatur sanctæ Dei Ecclesiæ. Unde vero sit ortum ejusmodi discidium, si vis scire ad liquidum, Chronographia pandat priorum. Fiebant ergo strages virorum, viduitates mulierum, orbitates parentum, incendia urbium, captivitates plebium, infractiones atriorum, desolationes ecclesiarum.

Villarum prædas quis comparet atque ruinas?
Quis creberrimas hinc inde cabillicatas?
Quisve cruorivomas possit perstringere pugnas?

B *Sanctus ergo Broniense cœnobium, a Dionysianis monachis redemptum, Faraberti Leodiensis episcopi tutelæ tunc, cum bellum, quod brevi pax exceperit, Neustrasios inter et Austrasios seu Lotharingos flagraret. Quod si adeo inveniri queat tempus, quo bellum hujusmodi, Leodiensem ecclesiam moderante Faraberto, Neustrasios inter et Austrasios exarsit, tempus simul, quo* Gerardus *Broniense cœnobium redemerit ac Faraberti tutelæ commiserit, habebitur compertum.*

pacisque hoc brevi secutæ adjunctis

259 *Frodoardus in Chronico ad annum 950 sic scribit :* Rex (*Franciæ*) Ludowicus (*Transmarinus*) ad Othonem (*Magnum*) regem (*Germaniæ et Lotharingiæ*) proficiscitur trans Mosellam, consilium quærens et auxilium ab eo de pace fienda inter se et Hugonem : qui promittit, se missurum ei ducem Conradum cum Lothariensibus ad id exsequendum. Qui dux, veniens cum episcopis quibusdam et comitibus, locutus est cum Hugone (*sermo hic est de Hugone Magno, Roberti Francorum regis filio*) de paciscenda pace : quodque apud ipsum invenit, Ludowico regi renuntiavit. Sicque ad Othonem redit, dimissis apud Ludowicum quibusdam comitibus, qui voluntatem regis Hugoni significent. Itaque rex Ludowicus et Hugo princeps super Maternam fluvium pacem facturi cum suis deveniunt. Et residentes isti ex parte fluvii, illi ex altera, legatos sibi invicem mittunt; et mediantibus atque sequestris Conrado duce, Hugone Nigro, Adhelberone quoque ac Fulberto episcopis, Hugo ad regem venit, et suus efficitur; pacaturque cum Arnulfo comite et Ragenoldo atque Artaldo archiepiscopo; reddens ei turrim Laudini. *De hac pace, anno 950, uti hic docet Frodoardus, inter Ludovicum Transmarinum et Hugonem Magnum inita, biographo nostro per verba supra recitata sermonem esse, existimo. Pax enim, cujus hic meminit, bellum inter Neustrasios et Austrasios gestum excepit; pacem autem, quam anno 950 inter Ludovicum Transmarinum et Hugonem Magnum pactam, refert Frodoardus, cruentum præcessit bellum, in quo Lotharingi seu Austrasii jussu Othonis Magni, Lotharingiæ et Germaniæ regis, a Ludovici Transmarini partibus steterant, annoque 948 et sequenti contra Neustrasios regi huic rebelles arma tulerant, ut Frodoardus in Chronico docet.*

C

probatur, anno 948 vel seq. fecit;

260 *Utut sit, pax, cujus meminit biographus, excepit seu secuta est bellum, quod tunc, cum Farabertus Leodiensem moderaretur ecclesiam, ac proin anno ex dictis 947 aut aliquo e sex sequentibus Neustrasios inter et Austrasios gestum fuit, ut biographi verba supra huc transcripta consideranti manifestum evadet. Quapropter, cum scriptores antiqui belli alterius, quam a Frodoardo memorati, quod tunc Neustrasios inter et Austrasios exarserit, mentionem non faciant, verosimiliter nec de alia belli turba, nec de alia pace hanc subsecuta, quam de qua per verba recitata Frodoardus, biographus noster facit sermonem. Jam vero cum* Gerardus *tunc, cum bellum a biographo memoratum gereretur, seu cum respublica* (*vide biographi verba num.* 256 *recitata*) *ea agitaretur* inquietudinis procella, quam post pusillum pietate inolita divini respectus consolidarit anchora, *id est, quam brevi post pax exceperit, cum, inquam,* Gerardus *tunc monasterium Broniense, a monachorum Dionysianorum dominio redemerit ac Faraberti Leodiensis episcopi tutelæ commiserit, consequens est, ut id Sanctus verosimilius vel anno 948 vel sequenti fecerit; tunc quippe et bellum ex dictis a biographo memoratum Neustrasios inter et Austrasios gestum fuit, hocque brevi post, anno scilicet 950. optata pax excepit. Atque ita ex modo disputatis certum est quidem,* Gerardum *Broniense, quod exstruxerat fundaratque, cœnobium anno 947 vel alio e sex sequentibus a monachis Dionysianis redemisse simulque Faraberti Leodiensis episcopi tutelæ commisisse; verosimilius vero, id eum etiam vel anno 948 vel sequenti fecisse. Discutiamus modo, quibus* Gerardus *Sanctorum reliquiis, aliunde, quam e S. Dionysii cœnobio conquisitis, Broniense cœnobium ditarit.*

AUCTORE C. B.

E

idem porro cœnobium reliquiis S. Bavonis, non ante annum 940 acceptis,

261 *A reliquiis, quas e S. Bavonis cœnobio accepit, duco initium. Dominus Gerardus Souris plus semel jam laudatus in reliquiarum, quibus Bronium ditavit* S. Gerardus, *Catalogo sic habet :* Ex corpore S. Bavonis confessoris, et ex pallio, cui fuit involutus. *Sacri ergo reliquiarum thesauri, quem* Gerardi *cura Bronium possidet, partem constituit corporis S. Bavonis portio; atque hanc quidem e Bavoniano cœnobio accepisse* Gerardum, *idcirco autumo, quod hic et cœnobium illud abbas rexerit, et eo corpus S. Bavonis transtulerit, particula etiam ex hoc postea Arnulpho magno, Flandriæ comiti, concessa, uti apud nos tom. præced. in Gloria S. Bavonis Posthuma num.* 38 *et binis sequentibus probatum invenies. Verum, inquies, quo anno circiter Sanctus acceptis e S. Bavonis corpore reliquiis Bronium ditavit? Id certe ante annum 940 factum, non veor. Hoc enim anno S. Bavonis corpus, quod ex dictis a triennio circiter Gandam e Galliis fuerat revectum, in restauratum S. Bavonis monasterium anno 940 primo fuit translatum. Adhæc sacrum illud pignus, cum id accidit, erat adhuc iisdem sigillis et integris et illæsis munitum, quibus olim fuerat, cum a nonaginta circiter annis Normannorum metu in Gallias deferretur, ac proin, cum, his illæsis, secundum ea, quæ in Gloria S. Bavonis Posthuma loco proxime citato dicta sunt, particulæ corporis S. Bavonis e theca, cui hoc erat inclusum, desumi nequiverint, ex ea certe portionem, qua Bronium ditaret,* Gerardus *ante annum 940 non accepit : quo vero definito anno id postea fecerit, pro certo nequeo edicere; fecisse tamen etiam id Sanctum non diu post annum 947, idcirco existimo, quod eo circiter tempore abbatia Bavoniana sese abdicarit, uti infra docebo.*

F

variisque item sacris e Blandiniensi cœnobio, Petri scilicet, Wandregisili,

262 *Expono nunc, quas Sanctus e Blandiniensi cœnobio ad Broniense pariter transtulerit sacras Sanctorum exuvias. Biographus noster num.* 70 *sic scribit :* Cum quanto vero lætitiæ et exultationis gratia sanctorum superius memoratorum Wandregisili, Ansberti atque Vulfranni (*error hic cubat jam notatus*) corpora (*sanctus* Gerardus) transtulerit, ab urbe Bononia revehens ad propria, angustare refugit nostræ narrationis angustia, præsertim cum hactenus tota idipsum protestetur Flandrensis provincia. Sed nec ab hisce reliquiis ecclesia Broniensis expers habetur et immunis. Nam præter cetera a Gandavo istuc delatum ejusdem beati abbatis Wandregisili brachium, nec non et, quod est præcipuum, inæstimabilia pignora primatis Apostolorum. Gerardus *ergo, teste biographo, præter cetera sacra Sanctorum pignora, quæ Bronium detulit, sacrum eo S. Wandregisili brachium una cum S. Petri Apostolorum principis reliquiis*

AUCTORE C. B.

reliquiis Gandavo transtulit. Nec Sanctus sacrum tantum S. Wandregisili brachium, verum etiam nonnullas alias e sacro ejus corpore particulas Gandavo Bronium detulit. Etenim Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag. 126 *et seq. reliquiis in monasterio Broniensi asservatis* Brachium S. Wandregisili abbatis primi et Fontanellensis fundatoris, a beato Gerardo delatum ex monasterio S. Petri Blandiniensi, *accensens, subdit :* Item ejusdem (*Sancti nempe Wandregisili*) magnam partem capitis, simul cum uno dente et duobus manuum digitis ac nonnullis ejus capillis. Item de ejus planeta, qua Missæ sacrificium Deo Patri offerebat, vestimentis, sindone et sepulchro. *Rayssio assentitur in reliquiarum Broniensium Catalogo plus semel jam laudatus Gerardus Souris, Broniensis Prior, in suo reliquiarum Broniensium Catalogo. Verum nec hic, nec ille, quod etiam in Sancti nostri biographo desideratur, annum notat, quo res gesta sit.*

Leonis Papæ, Vulmari, Crispini et Crispiniani

263 *Hanc tamen nec ante annum* 944, *nec verosimiliter etiam post annum* 954 *aut* 955 *gestam esse, infra ostendam, cum adhuc nonnulla de sacris, quæ Sanctus e Blandiniensi cœnobio ad Broniense detulit, lipsanis in medium attulero. Sacræ illæ exuviæ non paucæ numero fuerunt. Plerasque recenset sæpissime jam laudatus dominus Gerardus Souris in*
B *suo Broniensium reliquiarum Catalogo, in quo post sacrum jam memoratum S. Wandregisili brachium primo loco occurrit* os genu S. Leonis Papæ secundi, quod per S. Martinum Papam prædicto sancto Wandregisilo datum fuerat, ac deinde per Sanctum Gerardum e monasterio Blandiniensi Bronium delatum. *Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 127 *reliquiis a* Gerardo *Bronium e Blandiniensi cœnobio delatis etiam accenset* os genu S. Leonis Papæ; *sed hunc* secundum *non nominat. Et vero id recte facit : Leonis enim Papæ primi, non autem secundi, utpote qui S. Wandregisilo supervixit, dari huic potuit os genu per S. Martinum. Porro inter reliquias a* Gerardo *Bronium allatas dominus Souris etiam numerat partem corporis S. Wlmari abbatis. Verum, unde hanc Sanctus eo attulerit, non edicit. E Blandiniensi tamen cœnobio attulisse, verosimillimum apparet. Sic existimo, quod inter sacra pignora, a* Gerardo *Bolonia Blandinium delata, fuerit etiam ex dictis corporis S. Vulmari portio. Hinc etiam puto, reliquias SS. Crispini et Crispiniani, quas etiam dominus Souris Broniensibus reliquiis annumerat, e Blandiniensi cœnobio ad Broniense a* Gerardo *fuisse delatas.*

aliorumque Sanctorum reliquiis, quibus tamen

264 *Hæ quippe apud nos tom. V Julii pag.* 297 *in Translationis S. Wandregisili Historia num.* 30 *sacris accensentur exuviis, quas Sanctus Bolonia ad Blandiniense cœnobium transtulit. In hac porro pag.*
C *cit. reliquiarum omnium, quas Sanctus præter sacra SS. Wandregisili, Ansberti et Vulmari lipsana Bolonia ad Blandiniense cœnobium detulerit, elenchus suppeditatur; in hoc autem præter jam memoratas sanctorum Petri, Leonis Papæ, Vulmari, Crispini ac Crispiniani reliquias multæ insuper enumerantur aliæ, quæ in Catalogo, quem ad calcem compendiosæ Vitæ* S. Gerardi *adjecit dominus Souris, pariter occurrunt. Has adeo omnes a* Gerardo *Bronium e Blandiniensi cœnobio verosimillime fuisse delatas, existimo. Ob ea tamen, quæ Commentarii hujus* § 6 *dicta sunt, excipe, quas ex dictis Bronienses possident, S. Leodegarii reliquias, utut interim et in Broniensi Catalogo et in præfato elencho memoratas. Idem etiam statue circa aliarum Sanctorum reliquias, quæ, quamquam simul et in hoc elencho et in Broniensi reliquiarum Catalogo occurrant, idcirco tamen e Blandiniensi cœnobio Bronium delatæ non videntur, quod, ut aliunde potius eo credantur allatæ, ratio gravior efficiat. Hinc ligni sanctissimæ Crucis portio, quam Bronium possidet, accenseri nequit sacris lipsanis, quæ eo* Gerardus *detulit e Blandiniensi cœnobio. Quamquam enim et in memorato Elencho et in Broniensium reliquiarum Sourisii Catalogo recenseatur ligni sanctissimæ Crucis portio; illam tamen, quam Bronium possidet,* Gerardus *eo e Blandiniensi cœnobio certissime non tulit. Eam quippe* D *Bronium non obtinuit, nisi binis circiter post* Gerardi *ætatem sæculis, uti ex jam dicendis patescet. Rayssius in Hierogazophylacio Belgii pag.* 124 *et seq. sic scribit :* Adservat (*Broniense monasterium*) et debito cultu venerandam exhibet eximiam Salvatoris nostri Crucis portionem, per Manassem heroem primo Jerosolymis allatam, et ejusdem testamento Broniensi ecclesiæ legatam, quæ, miraculis plurimis exhibitis, hunc locum fecit illustriorem.

ligni sanctissimæ Crucis portio accenseri nequit,

263 *Manassis ergo, hic a Rayssio memorati, donatione, non autem* Gerardi *opera eam, quam possidet, sanctissimæ Crucis partem Broniense cœnobium obtinuit. Ne vero id sola forsan Rayssii fide credere detrectes, in supellectili nostra litteraria exstat manu scriptus, qui* ✠ *Ms.* 160 *signatur et e Ms. Broniensi acceptus notatur, de sancta Cruce Tractatus, in tres libros divisus, atque a monacho Broniensi anonymo sæc.* XII *prope elapso aut initio sequentis concinnatus, uti ex iis, quæ ipsemet hic auctor lib.* II, *cap.* 5 *initio scribit, recte consequitur; in hoc autem Tractatu narratur Manasses, Hiergensis seu Hirgensis toparcha, anno* 1166 *seu potius sequenti excessisse e vivis, ultimaque voluntate sua Broniensi monasterio eximiam dedisse sanctissimæ Crucis portionem, quam ipse quondam, sacra in Terram sanctam anno* 1141 E *expeditione suscepta. Antiochiæ a consobrina sua, Raymundi principis Antiocheni uxore, obtinuerat. Cum porro, uti ex jam dictis facile colliges, Manasses a Rayssio memoratus et laudatus monachus Broniensis anonymus fuerint coævi, dubitandum non apparet, quin Manasses, ut hic auctor scribit, anno circiter* 1166 *ac proin binis post* S. Gerardi *obitum sæculis eximiam sanctissimæ Crucis portionem Broniensi monasterio legarit. Recte adeo Rayssius, quam modo servat Bronium, sanctissimæ Crucis partem Manassis donatione scribit obtentam, quamvis interim eam Antiochia potius, quam Jerosolymis eo asseruisset allatam, uti ex jam dictis pronum est colligere. Collige hinc jam pretiosissimæ Servatoris nostri Crucis partem notabilem, quæ multis miraculis Broniense cœnobium illustrarit, perperam a Sourisio reliquiis* Gerardi *pietate et studio Broniensi cœnobio acquisitis accenseri. Porro si quis ulteriorem forte velit Manassis memorati notitiam, hunc ego ad Miræum in Notitia ecclesiarum Belgii cap.* 80, *uti etiam ad Tyrium lib.* XII, *cap.* 1 *remitto, et in tempus, quo Sanctus memoratas reliquias, e Blandiniensi cœnobio acceptas, Bronium detulerit, inquiro.*

anno 944 *vel hunc annum inter*

266 Gerardus *ex dictis SS. Wandregisili, Ansberti et aliorum Sanctorum reliquias anno* 944 *Gandavum e civitate Boloniensi primum transtulit. Quapropter,* F *cum sacra SS. Petri et Wandregisili pignora, quibus Broniense cœnobium locupletavit, Ganda illuc transtulerit, consequi videtur, ut id certe ante annum* 944 *non fecerit; neque enim Bronium Gandavo ante annum* 944 *transferre potuit dictorum Sanctorum reliquias, quæ Gandavum numquam ante annum illum fuerant allatæ. Verum, sciscitabitur etiam forte non nemo, an ipso anno* 944, *quo Gandam ex dictis reliquiæ fuere translatæ, Bronium etiam eas, quibus hoc cœnobium ditavit,* Gerardus *transtulerit? Respondeo, id pro certo asseverari non posse; satis enim apparere credibile, non prius id fecisse Sanctum, quam cum jam, Blandiniensi, Bavoniano et Bertiniano cœnobiis ad primævam Benedictini instituti disciplinam revocatis, impensiorem iterum, quod, aliquamdiu cœnobiorum illorum ac forte etiam aliquot aliorum reformatione distractus, facere non potuerat, Broniensis cœnobii curam gerere incepit. Utut sit, Sanctum equidem nec ante annum* 944 *ob jam dicta, nec post annum* 954 *aut* 955 *memorata sacra SS. Petri et Wandregisili pignora Bronium e Blandiniensi cœnobio transtulisse, idcirco reor, quod, quemadmodum infra probabo, Sanctus altero e binis hisce annis abbatia Blandiniensi sese abdicarit, verosimileque existimem, sacras sanctorum Petri et Wandregisili reliquias, quas* Gerardus *Bronium e Blandiniensi cœnobio detulit, fuisse illuc*

A *luc abs illo, Blandiniensi adhuc abbate, translatas.*

et annum 936 desumptis, ditavit:

267 *Quod jam pertinet ad alia aliorum Sanctorum lipsana, quæ* Gerardus *quoque secundum jam dicta e Blandiniensi cœnobio Bronium detulit, dubitandum non apparet, quin hæc quoque eo tempore, quod inter annum 944 et annum 936 intercedit medium istuc detulerit. Hæ enim reliquiæ, utpote Gandavum tantum cum corpore S. Wandregisili delatæ, ante annum 944 in Blandiniensi monasterio nondum erant, hocque anno dumtaxat ad Blandiniense cœnobium fuere translatæ, ut hinc etiam eas citius Bronium* Gerardus *transferre ex dictis nequierit; serius vero quam anno 936 eum etiam id non fecisse, idcirco reor, quod tunc certe Blandiniensi cœnobio abbas non amplius præfuerit, ac proin nec sacrum reliquiarum Blandiniensium thesaurum in potestate sua habuerit. Itaque non solum SS. Petri et Wandregisili reliquiæ, verum etiam omnes prorsus aliæ, quas* Gerardus *e Blandiniensi conobio acceptas Bronium detulit, eo a Sancto vel anno 944 vel hunc annum inter et 936 fuere delatæ. Nec Sanctus sacra Sanctorum lipsana, quibus, præterquam reliquiis, quas, ut dictum est superius, e Dionysiano monasterio acquisivit, Broniense cœnobium ditavit, e Gandensibus dumtaxat Bavoniano et Blandiniensi cœnobiis accepit; verum etiam his*

B *multa alia, aliunde acquisita, præter jam supra memorata duorum Innocentium corpora e Chimacensi cœnobio obtenta, adjunxit.*

quibus etiam S. Landelini

268 *Fisenus in ecclesiæ Leodiensis Historia, lib.* VI, *pag.* 212, *mentione facta operæ, quam Sanctus Blandiniensi, Bertinianoque cœnobiis impendit, mox ita de* Gerardo *prosequitur:* Neque suum interim Bronium ulla ratione deserebat. Non contentus nobili illo sanctitatis deposito, quod e S. Dionysii monasterio advexisse commemoravimus; alias præterea Sanctorum reliquias studiose conquirebat, quos et cœnobii sui præsides, et pro venia peccatorum suorum obtinenda (sic ipse loquebatur) patronos apud æternum Judicem haberet. Crispinium aliquando forte venerat, ubi venerationi est S. Landelini corpus. Portionis alicujus hinc tollendæ cupido incessit. Quem enim alium potiori jure patronum optaret? Vicinam nimirum Bronio Alnam, et Lobium olim condiderat. Sed mortales primum repugnare visi sunt. Cum denique consensissent, ventumque esset ad sacrum conditorium, ternis occlusum sigillis; ea refringere, religioni duxerunt. Sustulit difficultatem Deus. Reseratum est derepente ferculum: atque cum admiratione, simul et animi voluptate incredibili deprompsit, quod ardenter optarat Gerardus, et Bronium attulit. Rem

C ita habuisse, testatur schedula ipsius S. Gerardi manu exarata; quæ Bronii servatur in hunc diem. *Ita Fisenus, et recte quidem, ut apparet: attamen hæc ad annum 924 perperam refert. Hoc enim anno* Gerardus, *uti ex supra disputatis liquet, in Sandionysiano monasterio adhuc versabatur, nec verosimile est, Sanctum tunc ullas Sanctorum reliquias Bronium detulisse. Adhæc Sanctus, uti verbis supra recitatis ipsemet Fisenus indicat, Blandiniensis et Bertiniani cœnobii curam tum gerebat, cum S. Landelini reliquias Broniensi suo cœnobio impetravit. Quapropter, cum ex dictis Sanctus ante annum 944 Bertiniano cœnobio abbas non fuerit præfectus, nullamque certe ante annum 937 ejusdem asceterii curam gesserit, necessario est consequens, ut non ante hunc annum, ac proin serius quam anno 924 S. Landelini reliquias Broniensi suo monasterio impetrarit.*

e Crispiniensi Hannoniæ cœnobio obtentum brachium,

269 *Verum, inquies, quo anno has Sanctus impetravit? Respondeo, nihil omnino suppetere, quo annum definitum exhibeam; mihi tamen id post annum 946, quo vel initio sequentis abbatia Bertiniana sese abdicavit* Gerardus, *factum videri. Sic apparet, quod post annum illum Sanctus Broniense monasterium, quod aliquamdiu aliorum cœnobiorum administratione distractus nonnihil remissius forte curarat, impensius iterum videatur curasse. Porro Fisenus non tantum a vero anno, quo S. Landelini reliquias Broniensi monasterio impetrarit* Gerardus, *aberrat; verum etiam, quam corporis S. Landelini partem obtinuerit Sanctus, non edicit. At vero id opportune nos docet Rayssius in Hierogazophilacio Belgico pag.* 126 *sacris Sanctorum reliquiis, quas Broniense cœnobium possidet, accensens* brachium S. Landelini, pretiosissimi confessoris ac fundatoris Crispiniensis, allatum ex Crispinio Bronium per S. Gerardum. *Idem etiam facit supra laudatus dominus Gerardus Souris in suo reliquiarum, quas Bronium* S. Gerardi *pietate et studio possidet, Catalogo ante adhuc citato sic scribens:* Brachium (*possidet Broniense cœnobium*) S. Landelini abbatis et confessoris, quod S. Gerardus ex Crispiniensi Hannoniæ abbatia detulit. *Hæc sunt, quæ de S. Landelini reliquiis per* Gerardum *Broniensi monasterio impetratis commemoranda inveni.*

AUCTORE C. B.

aliasque aliorum Sanctorum aliunde etiam acquisitas reliquias adjunxit.

270 *Ceterum præter Sanctorum reliquias, jam hic et Commentarii hujus prævii* § 4 *et* 6 *memoratas, quas* Gerardus *aliunde, quam e Blandiniensi cœnobio Bronium detulit, alias insuper aliunde pariter acquisivit. Cœnobium est nomine* Malonia, *ad Sabim supra Namurcum situm, quod S. Bertuinus episcopus, qui* 11 *Novembris colitur, sæculo* VII *exstruxit, vitaque deinde functus in tumuli locum est adeptus. Sancti hujus e cœnobio illo articulum pedis Broniensi suo monasterio obtinuit. Liquet id ex binis reliquiarum Broniensium Catalogis, sæpissime jam citatis, quorum alterum Rayssius in Hierogazophylacio, alterum ad calcem Vitæ* S. Gerardi *Sourisius suppeditat. Quod pertinet ad tempus, quo res facta sit, nihil de eo certius, quam quod jam num. præcedenti de S. Landelino loquens indicavi, commemorandum habeo; ne autem omnibus, quas* Gerardus *aliunde, quam e Blandiniensi cœnobio Bronium detulit, Sanctorum recensendis reliquiis lectori forte creem fastidium, pro his ad Sourisii Catalogum remitto, unice adhuc monuisse contentus, eas omnes Sanctorum reliquias, quæ in hoc, nec tamen in supra dicto Historiæ translationis S. Wandregisili reliquiarum Elencho memorantur, verosimillime ex alio loco, licet hic in obscuro sit, quam e Blandiniensi cœnobio Bronium a* Gerardo *fuisse translatas, nisi forte ratio gravior contrarium suadeat. Hinc, licet reliquiarum S. Amelbergæ in præmemorato Elencho mentio non fiat, fiat autem in Sourisii Catalogo, debent hæ reliquiis, a* S. Gerardo *e Blandiniensi cœnobio Bronium allatis, idcirco accenseri, quod sacrum S. Amelbergæ corpus* Gerardi *ætate in Blandiniensi cœnobio fuisse asservatum, aliunde habeatur compertum. Sed hæc de reliquiis a* S. Gerardo *Broniensi suo asceterio acquisitis disputasse sufficiat; ad alia nunc Sancti gesta commentanda progredior.*

E

F

§ XXII. Monasterii Fontanellensis instaurationem tentat, et monasterii Blandiniensis præfectura sese abdicat.

Fontanellensis monasterii instaurationem

Anno Christi 648 *non longe a dextra fluminis Sequanæ ripa, sex leucis infra Rotomagum, una autem ferme leuca supra Caldebeccum S. Waudregisilus, de cujus reliquiis Gandam a* Gerardo translatis *superius est actum, insigne exstruxit cœnobium, quod* Fontanellense *fuit vocatum, quodque et opibus et monachorum numero jam dudum maxime floruerat, cum sæculo* IX *in omnia maritima Galliarum loca ferro et igne Normannorum sævities cœpit grassari. At vero tunc, quam pleraque, imo omnia alia, haud procul a mari sita, sortem subiere monasteria, Fontanellense etiam subivit. Etenim post trinam, ut Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. undecimo, col.* 158 *docent, tributo Normannis soluto redemptionem succubuit, et monachi cum sacris Wandregisili et Ansberti exuviis loco cedere circa annum* 856 *sunt coacti. Tum vero monasterium incolis vacuum, injecto igne, etiam exusserunt Normanni, uti apud Acherium tom. III Spicilegii is scriptor, qui Appendicem ad Fontanellense Chronicon concinnavit, memoriæ prodit his verbis:* Truculentus barbarorum

AUCTORE C. B.

rum (*Normannorum scilicet*) exercitus aquis egressus hunc ad locum (*monasterium Fontanellense*) accessit, vacuumque hominibus et omnibus nudatum rebus deprehendens, injecto igne, cuncta illius ædificia cum ipso sanctuario concremavit, subvertit et recessit.

irrito conatu tentat :

272 *Porro jam annis fere centum, utpote anno* 856 *circiter eversum, in ruinis jacuerat Fontanellense cœnobium, quando tandem, sæculo* X *media sui parte propemodum elapso,* S. Gerardus *ad illud instaurandum animum adjecit. Normanniæ tum ducis titulo præerat Richardus, Rollonis primi Christiani Normannorum ducis ex Willelmo seu Guilielmo, cognomento* Longa-Spata, *nepos, princeps pius juxta ac religiosus, qui jam plura cœnobia, a Normannis olim destructa, instaurarat, patris sui exemplum hac in re imitatus. Hinc verosimillime Vir sanctus spem concepit, fore, ut, si corporis S. Wandregisili restitutionem, monasterio Fontanellensi faciendam, principi offerret, restitui hic curaret terras, quæ ad dictum cœnobium olim spectarant, sicque hoc a fundamentis posset reædificari, penitusque instaurari. Itaque, simul ægre ferens, sub ruinis adhuc, ubi multa alia instaurarentur monasteria, sepultum manere Fontanellense, cujus sancti patroni in potestate sua sacras haberet exuvias, ad Bellovacense*
B *territorium cum his nec non quibusdam comitibus sese confert, ibique, sacro thesauro relicto, Rotomagum usque properat, comiti seu duci Richardo corporis S. Wandregisili restitutionem, Fontanellensi cœnobio faciendam, offert, si, quas hoc olim terras possederat, faciat restitui. At vero iis, ad quos hæ armorum sorte erant devolutæ, restitutionem facere minime paratis, nullum ex longo, quod susceperat, itinere fructum retulit, Gandamque, unde venerat, absque ullo operæ pretio redire fuit compulsus.*

ex Appendicis ad Fontanellense Chronicon, qui res

273 *Qui res tota gesta sit, dilucide exponit apud Acherium antiquioris editionis tom. III supra adhuc laudata ad Fontanellense Chronicon Appendix. Verba idcirco huc transcribo. Sic habent :* Hujus itaque (*Richardi I, Normanniæ ducis seu comitis, in cujus ditione erat Fontanella*) cum jam fama potentiæ longe lateque pervolaret, Nortmannorumque tellus alta pace exultaret, Gandensis cœnobii abbas, Girardus nomine, sumpto sancti Wandregisili pretioso corpore, usque in pagum Belvacensem venire maturavit, atque in villam, quæ Reveriscors dicitur, ad hospitandum divertit, quod Theodorico, nobili et valde potenti, per ejusdem prædii majorem mandare curavit; quia, licet injuste, illius possessionis dominabatur tunc temporis, quæ pridem fuerat de ditione Fontanellen-
C sis cœnobii. Quod ubi superbus ille et arrogans comperit, legatum baculo, quem forte tenebat, percussit, et cum ingenti injuria e conspectu suo exire coegit. Rediit ergo ille, qui nuntiaverat; abbati Girardo cum gravi dolore intimavit, quæ pertulerat : quibus auditis, fit ingens omnium gemitus, confestimque coram lectica Sancti prosternuntur, atque inter fluentes lacrymas et amara cordis suspiria adversus Sanctum prædictus Abbas multa probrose inculcando * flebiliter conqueritur.

* *i. e.* coram Sancto probrum et illatum repetendo

a Sancto gesta sit,

274 Sed inter hæc, decedente sole, noctis silentium advenit. Theodoricus vero dormiturus se in lectulo composuit; cui derepente terribilis persona sub habitu monachili apparuit, eumque pro contumelia, quam sibi hesterno intulerat, vehementer redarguens, pastorali baculo, quem ferebat, graviter percussit; qui statim, somno interrupto, experrectus graviter ingemuit, seque a quodam cano abbate cæsum, altis et perturbatis vocibus clamavit : deinde subita internorum correptus tortura, secessum naturæ petiit, ubi fœda egestione omnia profundens viscera, vitam miserabiliter abrupit : ut viventibus liquido daretur animadverti, cujus meriti apud Deum sanctus pater Wandregisilus fuerit, qui sic viventem inimicum et atrocis injuriæ reum mortis supplicio condemnare potuerit. Qui deinde, participato cum suis consilio, omnem cum sanctis pignoribus comitatum ad custodiam dereliquit; sicque ascensis equis, Rotomagum ad D
urbem cum paucis properavit; admissusque, Richardo comiti causas adventus sui diligenter et opportune intimavit, seque in promptu S. Wandregisili corpus habere retulit, quod suo restitueret loco, si terræ sibi redderentur, quas chartarum posset approbare privilegiis : at ille suorum usus consilio principum, chartas exhiberi præcepit, et coram omnibus recitatas exponi.

auctore proponitur.

275 Quo facto, murmur et contradictio fieri cœpit ab omnibus, qui se dicebant nequaquam posse carere propriis honoribus, quas * sibi armis et sanguine prædecessorum suorum peperierat bellicosa virtus, sive quos sibi ipsi diuturno acquisierant servitio multisque sudoribus. Sic igitur, facta difficultate rei, quam prædictus abbas quærebat Girardus, nulla deinceps potuit pollicitatione retineri, sed ad suos illico per emensum iter remeavit, atque S. Wandregisilum, consumpto nequidquam tanto labore, ad locum, unde eum extulerat, festinus revexit; ubi apud Deum et homines in magna gloria et honore nunc usque requiescit. *Hæc Appendicis memoratæ auctor, qui sæculo* XI *floruit, quique proinde fidem hic meretur, utpote centum annis vix remotus a re, quam narrat, quamque adeo vel ex monumentis tunc adhuc exstantibus, vel etiam ex testibus oculatis, aut certe ex iis, qui illam e testi-* E
bus oculatis audierant, probe potuit habere perspectam. Porro ex summo labore, quo, ut refert, Gerardus *Fontanellæ instaurationem obtinere tentavit, nec tamen obtinuit, manifestum fit, quam fuerit sollicitus, ut destructa a Normannis monasteria instaurarentur; hinc autem verosimile fit, sollicitum adeo monasteriorum Parentem plura etiam Arnulphi Flandri principatus monasteria, quæ instaurasse aut reformasse fertur, nec tamen ex dictis restauravit reformavitve, restaurare saltem, utut irrito conatu, tentasse.*

* quos

Blandiniensi cœnobio, abdicato hujus regimine, Womarum,

276 *At vero dum ita Sanctus in variis monasteriis instaurandis, reformandisque, aut saltem in eorum instauratione reformationeve tentanda strenuam operam ponit, Blandiniensis cœnobii cura sese exonerare, consultum existimat. Hoc scilicet sacrum asceterium, quod ex dictis anno* 946 *et initio sequentis nondum ita perfecte reformatum erat, quin* Gerardo *adhuc rectore indigeret, ad eum jam statum Sancti cura erat perductum, ut jam ab alio rectore, modo hic pius esset ac prudens, absque rigidioris disciplinæ discrimine facile posset administrari. Womarus, Blandiniensis monachus, triennio fere, quo ex dictis Sithiense cœnobium rexerat, abbatis muneri aptum sese jam probarat. In hunc adeo Sanctus ab humeris suis monasterii Blandiniensis curam conjicit.* Womarus, F
inquit in Gandavo suo separatim excuso, lib. IV, *cap.* 2 *Sanderus,* abbas (*Blandiniensis scilicet cœnobii*) duodecimus, resignante abbatiam Gerardo Cellensi, ordinatur abbas anno CMLIII ab episcopo Folberto Cameraci. Atque hæc omnia latius patent ex ipsius Gerardi Vita, quam descripsimus, in qua et habetur, Womarum hunc benedictionem Rodulphi episcopi accepisse. Itaque non videtur locus ille consentire nobis, qui dicimus, Cameraci fuisse ordinatum ab episcopo Folberto. S. Gerardi *Vita, quam hic memorat Sanderus, diversa haud dubie non est a Sancti Vita, quam is scriptor in Hagiologio Flandriæ a pag.* 94 *usque ad paginam* 105 *exhibet.*

qui non a Rodulpho, Noviomensi episcopo,

277 *Hæc porro Vita in Opere Sanderi laudato pag.* 102 *sic habet :* Beatus itaque Gerardus, cum octo annis Blandinio præfuisset, anno CMLIV resignavit, instituens Womarum eidem monasterio abbatem, qui perinde, comite Arnulpho, benedictionem suscepit Rodolphi Noviomensis episcopi, cumque recte cuncta curasset Gerardus, moratus est aliquamdiu apud dictum comitem consolationis gratia. *Itaque ex Sanderi opinione, cum abbatia Blandiniensi sese abdicavit* Gerardus, *eique sui loco abbatem præfecit Womarum, fuit hic a Fulberto, Cameracensi episcopo, non autem a Rodolpho Noviomensi episcopo, abbas ordinatus. Verum an sic recte existimat Sanderus? Sane, ut mihi persuasum habeam,*

A beam, Womarum a Rodolpho Noviomensi episcopo ordinatum fuisse abbatem, efficere neutiquam potest S. Gerardi *Vita, a Sandero in suo Flandriæ Hagiologio producta. Etenim in hac verbis jam mox recitatis etiam innuitur,* Gerardum *annis dumtaxat octo Blandiniensi cœnobio præfuisse abbatem; hoc autem, uti quisque ex jam dictis et porro dicendis facile intelliget, a vero certissime est devium. Adhæc in Vita Sancti, a nobis edenda, nulla prorsus Womari ad Blandiniensis cœnobii præfecturam promoti, abbatisve vel a Rodolpho vel a Fulberto ordinati mentio occurrit, ut nesciam, unde hæc in* S. Gerardi *Vita, quam Sanderus laudat, fuerit deprompta. Hinc fit, ut illa, quam producit Sanderus,* S. Gerardi *Vita videatur ex Vita, a biographo nostro scripta, utpote quam sæpe ad verbum exprimit, variis admixtis interpolationibus, a scriptore recentiori esse concinnata, ac proin prorsus inepta, quæ Womari per Rodulphum Noviomensem episcopum ordinationem certam mihi faciat atque indubitatam.*

sed a Fulberto Cameracensi abbas ordinatus fuisse videtur,

278 *Et vero Womari ordinationem Rodolpho Noviomensi episcopo non posse attribui, concludendum videtur ex anno, quo hæc et reipsa, et secundum ipsammet* S. Gerardi *Vitam, a Sandero in Hagiologio productam, fuit peracta. Secundum hanc enim (vide verba proxime recitata) anno 954 est facta, reque*

B *ipsa vel cum hoc anno vel cum seq. aut certe cum anno 956 debet conjungi, uti ex dicendis patescet. Jam vero de Rodulpho Noviomensi episcopo Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. IX, col. 991 et seq. sic scribunt :* Obiisse creditur v Idus Januarii anno CMLI, id est, CMLII; nam diximus tom. III col. 238, Leudricum ejus potissimum cura et consilio constitutum fuisse anno CMLII abbatem S. Amandi in Pabula. Forte sedebat adhuc anno CMLIII. *Adhæc Fulcarius, proximus Rodulfi in episcopatum Noviomensem successor, anno 954, ut Frodoardus in Chronico docet, Remis consecratus est episcopus, cum prius post mortem Rodulfi cum Frodoardo, quem Mabillonius Annalium Benedictinorum tom. III, pag. 511 alium non esse a Frodoardo, Remensis Historiæ scriptore, existimat, de Noviomensi episcopatu aliquamdiu contendisset. Rodulfus adeo, Noviomensis episcopus, ad annum usque 954 vitam produxisse non videtur, ac proin ei Womari ordinatio, utpote ex dictis vel anno 954, vel 955 aut certe sequenti absque omni dubio peracta, attribui posse, non videtur. Itaque, cum quidem Womarus vel a Rodulfo vel a Fulberto ordinatus fuisse Blandiniensis abbas videatur, Sanderi opinioni, qua Womarum non a Rodolpho Noviomensi episcopo, sed a Fulberto Cameracensi ordinatum Blandiniensem abbatem statuit, assentiendum esse, existimo.*

C *Verum an idem quoque censendum est de ejusdem scriptoris opinione, qua factam a* Gerardo *Blandiniensis cœnobii resignationem, dictique Womari ad eamdem præfecturam promotionem anno 955 innectit? Id equidem mihi non apparet.*

sui loco, idque, quidquid contra

279 *Etenim SS. Guduwali et Bertulphi translatio, Commentarii hujus prævii § 18 memorata, certe non citius quam anno 954, tertio Decembris die evenit, quemadmodum ex iis, quæ ibidem disputata sunt, unusquisque facile colliget. Quapropter, cum hanc secundum ea, quæ ibidem etiam dicta sunt,* Gerardus *tunc peregerit, cum adhuc Blandiniensis cœnobii præfecturam gereret, hac indubie ante annum 954, ad tertiam usque Decembris diem jam provectum, sese non abdicarit. Verum, inquies, in Supplemento ad diplomata Miræi parte II, pag. 941 exstat diploma, quo Arnulphus II, Flandriæ comes, beneficia abbatiæ Blandiniensi ab avo suo Arnulpho concessa commemorat atque amplificat; illud autem in fine hisce signatur notis chronicis :* Actum publice in cœnobio Blandinio II Kal. Febr. Indict. XV. anno XVIII regni inclyti regis (*Francorum scilicet*) Lotharii, et regiminis domni abbatis (*Blandiniensis nimirum*) Womari XX. *Jam vero annus decimus nonus regni Lotharii Francorum regis, quo dictum diploma datum notatur, partim cum anno 972, partim cum sequenti conjungitur; quapropter, cum Womarus, Blandiniensis abbas, si non ante annum 954,* AUCTORE C. B. *ad tertiam usque Decembris diem jam provectum, ad abbatiæ Blandiniensis præfecturam fuerit promotus, anno 972 et seq. 2 Kalendas Februarii vigesimum regiminis sui annum nondum egerit, necesse est, ut hoc ille jam ab anno 955 gessisse statuatur. Ita ex præfato diplomate potest argui contra opinionem, qua Blandiniensis cœnobii præfecturæ resignationem, Womaro per* Gerardum *factam, ante annum 954 non accidisse, arbitramur.*

ex Arnulphi II, Flandriæ comitis, diplomate possit argui,

280 *Verum respondeo, objectum Arnulphi II, Flandriæ comitis, diploma in chronicis, quas exhibet, notis esse corruptum. Annus enim regni Lotharii, Francorum regis, decimus nonus, Indictione 15 notatus, quo datum signatur, annum Christi 972 designat. Fuit adeo præfatum diploma, utpote quod etiam 2 Kalendas Februarii datum notatur, 31 Januarii die anno 972, spectatis, quas præfert, notis chronicis, emissum. Jam vero, cum Lotharius Francorum rex pridie Idus Novembris anno 954, ut jam supra dictum est, regnare inceperit, nequit cum anno Christi, ad 31 dumtaxat Januarii provecto, annus regni Lotharii decimus nonus, quo etiam ex dictis diploma signatur, ullatenus componi, ut facile deprehendet, quicumque annorum computum inerit. Hinc porro consequitur, ut, quod nobis objicitur, Arnulphi Junioris diploma in chronicis, quas exhibet, notis* E *certissime sit corruptum, ac proin ut ex eo nihil habeatur, quod sat valide militet contra opinionem, qua* Gerardum *non ante annum 954 abbatiam Blandiniensem abdicasse, suique loco abbatem illi præfecisse Womarum, statuimus. Adhæc, ut etiam diploma diplomati opponam, Miræus Codice Donationum Piarum cap. 55 exhibet diploma, quo Wicmannus, novi castri Gandensis ab imperatoribus Germanicis structi comes, monasterio Blandiniensi dat villam Theslam; illud autem his in fine munitur notis chronicis :* Actum publice in monasterio Blandinio, Kalendis Novembris, anno Verbi Incarnati DCCCCLXII. Indictione V. Lotharii regis (*Francorum scilicet*) anno XIV. Domini Womari abbatis (*Blandiniensis nempe*) VIII; *ubi annus Christi 962 ad primam usque Novembris diem provectus conjungitur cum anno octavo regiminis a Womaro initi. Hinc porro, ut computanti patebit, jam consequitur, ut illud non prius Womarus inierit quam cum jam annus 954 ad primum usque Novembris diem esset provectus.*

non citius, quam anno 954,

281 *Itaque, si opinioni nostræ obsit laudatum Arnulphi Junioris diploma, favet ei aliud, quod jam proxime memoravi, a Wicmanno comite emissum. Attamen, cum et hoc, utpote annum Christi 962 cum anno regni Lotharii, Francorum regis, decimo quarto perperam connectens, in notis chronicis, quibus si-* F *gnatur, pariter sit corruptum, illud utique nostram de tempore initi a Womaro regiminis opinionem non magis firmat, quam eam infirmet memoratum Arnulphi Junioris, Flandriæ comitis, diploma. Itaque, missis diplomatis, tam quæ favent, quam quæ adversantur opinioni, quæ initum a Womaro Blandiniensis cœnobii regimen cum anno 954 aut altero posteriori componit, illam ego Vita S. Guduwali, utpote ab auctore ex dictis valde antiquo fideque digno conscripta, unice innixus, absque ulla, quemadmodum jam supra feci, tergiversatione amplector; futurum autem puto, ut mihi etiam hic propense assentiantur, quicumque, quæ supra ex Vita S. Guduwali protulimus, attento animo perpenderint. Atque ita jam habemus,* Gerardum *non citius quam anno 954 Womarum in abbatia Blandiniensi sibi substituisse abbatem. Verum, inquies, an id etiam Sanctus serius non fecit? Sane, ut mihi equidem apparet, nihil impedit, quo minus etiam id ille vel anno 955 vel sequentis initio fecisse credatur. Neque enim ob jam dicta hic moror vel Sanderum, qui rem citius collocat, vel, quod etiam Sandero hic consentit, Arnulphi Junioris Flandriæ comitis diploma plus semel jam memoratum. Et vero cum ex dictis SS. Guduwali et Bertulphi translationem ante annum forte 955* Gerardus *non fecerit, hicque tunc, cum illam fecit, Blandiniensis cœnobii præfecturam adhuc tenuerit,*

AUCTORE C. B.

nuerit, consequens est, ut hac forte annum 955 sese non abdicarit.

nec serius, quam anno 956 præficit; cum autem id

282 *Nec tantum ad annum usque 955, verum etiam ad sequentis usque initium Blandiniensi cœnobio forte adhuc abbas præfuit* Gerardus. *Cum enim ex dictis SS. Bertulphi et Guduwali corpora sub anni 955 finem Bolonia Gandam forte transtulerit, tuncque, cum hoc fecit, Blandiniensis abbas adhuc fuerit, nihil sane obstare videtur, quo minus etiam dicti anni 956 initio Blandiniense cœnobium adhuc gubernasse, credatur; ultra annum tamen 956 Blandiniensem ejus præfecturam protrahere, nefas videtur. Etenim Womarus a Fulberto Cameracensi episcopo, quemadmodum secundum jam dicta apparet, Blandiniensis abbas fuit ordinatus; hinc autem est consequens, ut id non serius quam anno 956 evenerit; ultra hunc enim annum vitam non produxisse Fulbertum, in Chronico diserte affirmat Frodoardus. Itaque, omnibus jam expensis,* Gerardus *vel anno 954 vel 955, aut certe non serius quam anno 956 abbatiam Blandiniensem abdicasse, suique loco Womarum substituisse, videtur. Porro, cum hoc fecit, jam dudum etiam, ut apparet, abbatiæ Bavonianæ regimine sese abdicarat. Etenim Folcuinus supra adhuc laudatus, Bertiniensis monachus auctor coævus, apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum in Sithiensi Chartario*

B *pag.* 216 *scribit in hæc verba supra adhuc recitata :* Anno CMXLVII abbas Wido, quia nimis vanæ juventutis gaudia sectabatur, apud comitem (*Flandriæ scilicet, Arnulphum cognomento* Magnum) incusatus, abbatia (*Sithiensi nimirum*) est fraudatus, et sancti Bavonis monasterio abbas est destinatus.

fecit, jam dudum, ut apparet, abbatia Bavoniana sese abdicarat.

283 *Iperius Folcuino fere consentit, in Chronico Sithiensi cap.* 25 *per verba, quæ supra pariter adhuc recitavi, sic scribens :* Qui (*Wido*) promotus in (*Sithiensem*) abbatem, juventutis suæ gaudia nimium sectabatur : quam ob rem fuit hinc a B. Gerardo depositus, vixque comes (*Flandriæ videlicet*) Arnulfus obtinere potuit, ut eum permitteret ad alium locum promoveri; sed finaliter, insistente comite, translatus est ad abbatiam S. Bavonis Gandensis; *ubi sane tam Folcuinus, quam Iperius indicare videtur, Widonem eo ipso anno, quo ob ineptam administrationem præfectura Sithiensis cœnobii a* Gerardo *fuit dejectus, aut certe brevi post Bavonianum abbatis munere accepisse gubernandum. Tunc scilicet Arnulphus, Flandriæ comes ex singulari plane, quo* Gerardum *complectebatur, affectu Widonem Sancti nepotem, ne hic ex sua a Sithiensi præfectura exauctoratione nimium afflige-retur, Bavoniano cœnobio præfici voluerit, simulque, ut fieri id permitteret,* Gerardum, *utut ægre, induxerit, spe facta, fore, ut Wido sub ipsiusmet*

C Gerardi *patrui sui, Gandæ existentis, oculis commissam sibi abbatiam aptius prudentiusque gubernaret. Jam vero cum Wido ex dictis abbatiæ Sithiensis regimine anno 947 fuerit a* Gerardo *dejectus, consequens est, ut illum tunc Sanctus, aut certe non diu admodum post Bavoniano cœnobio præfecerit abbatem, ac proin ut tunc, cum Womarum sui loco in Blandiniensi abbatia anno ex dictis vel 954 vel 955 aut certe sequenti abbatem constituit, dicti Bavoniani cœnobii regimine jam dudum sese abdicasset, quamvis, ut apparet, superiorem quamdam adhuc in cœnobium illud, quemadmodum et in plura alia, potestatem sibi servarit. Porro quid deinde, cum hoc ad* Gerardum *non spectet, de Widone factum sit, qui et quamdiu hic Bavonianum cœnobium rexerit, et qui tandem ad Blandiniensis etiam præfecturam fuerit promotus, silentio prætereo, et pro his omnibus curiosum lectorem ad Sanderum, et ad Galliæ Christianæ auctæ scriptores in abbatibus Blandiniensibus et Bavonianis remittens, rerum ad Sanctum spectantium seriem prosequor.*

§ XXIII. Monasteria, quibus adhuc præest, ultimo visitat, Bronium se recipit, ibique ultimum diem claudit.

D

Sanctus, imminente jam obitus sui die, cœnobiis,

Gerardus, *jam abdicato Blandiniensis cœnobii regimine, nonnullis adhuc aliis cœnobiis, ut apparet, abbas præerat. Etenim ex dictis Blandiniensi abbatia certe non serius quam anno 956 sese abdicavit; pluribus autem cœnobiis abhuc abbas præerat, quando divinitus, imminere sibi vocationis seu mortis suæ diem, qui ex dicendis anno 959 evenit, quique proinde* Gerardo, *cum anno 956 aut forte biennio circiter citius abbatia Blandiniensi sese abdicaret, imminens nondum erat; quemadmodum hinc, si in rigore loqui velimus, concludendum videtur. Utut sit,* Gerardus *equidem, cum jam vocationis suæ dies immineret, plura adhuc moderabatur cœnobia.* Sacro itaque, *inquit de* Gerardo *num.* 77 *biographus,* doctus spiramine prænoscens imminere diem vocationis suæ, quo videlicet et rationem redderet villicationis commissæ; necessarium duxit et utile, cœnobia fratrum revisere degentium suo sub regimine, seseque deinceps exuere tot curarum onerosa gravedine, atque idoneum procuratorem sui vice unicuique cœnobiorum substituere. *Sanctus ergo, cum jam* E *non multum amplius a die obitus sui abesset, plura adhuc, uti his jam recitatis verbis innuit biographus, moderabatur cœnobia, atque id quidem, ut apparet, abbatis officio.*

quibus adhuc præest, sese abdicat,

283 *Quamvis enim Sanctus omnibus et singulis octodecim cœnobiis, quæ a biographo procurasse dicitur, proprii abbatis munere verosimiliter ex dictis non præfuerit, nihil tamen obstat, quo minus nonnulla ex his abbatis credatur gubernasse officio. Et quidem secundum jam dicta dubitari nulla ratione potest, quin hoc nomine Blandiniense, Cellense, Sithiense, Bavonianum et Mosomense gubernarit. Adhæc biographus per cœnobia, quæ Sanctum, morti jam vicinum, verbis supra recitatis visitasse scribit, verosimiliter ea dumtaxat intellexit, quibus tunc adhuc* Gerardus *abbatis præerat officio. Sic existimo, quod aperte edicat, Sanctum singulis cœnobiis, quæ tunc visitavit, idoneum sui loco præfecisse procuratorem seu abbatem; neque enim singulis, quæ visitavit, cœnobiis abbatem sui loco potuisset præficere, si vel uni ex his ipsemet abbas amplius non præfuisset. Itaque Sanctus, spectato biographo nostro, pluribus adhuc cœnobiis, cum jam sibi mortis dies immineret, abbatis præerat, officio. Verum quæ qualiave illa fuere cœnobia, et quo circiter anno illorum sese regimine* Gerardus *abdicavit? Fuerunt ex* F *iis, ut mihi equidem dubitandum non apparet, Cellense S. Gisleni, et verosimiliter etiam Elnonense S. Amandi, Rotnacense et Marchianense. Ast sive hæc sive alia fuerint ista monasteria, Sanctus omnibus, quo mortem, quam sibi propinquam, divinitus didicerat, magis præparatus exspectaret, sese abdicare, uniceque deinde Deo ac saluti suæ vacare, consultum existimavit, huncque in finem cœnobia omnia, sub se adhuc constituta, quo singulis sui loco idoneum præficeret abbatem, visitavit, uti ex biographi verbis num. præced. recitatis facili negotio colliges.*

Bonium se recipit,

286 *Nec tantum Sanctus in illa cœnobiorum, quibus adhuc præerat, visitatione singulis idoneum præfecit abbatem; verum etiam aliter iisdem non parum profuit. Id biographus num.* 79 *his verbis declarat :* Singula filiorum cœnobia perlustrabat paterna sollicitudine; quos et super monastica commonefaciens religione, ubertimque imbuens divina eruditione, multifaria exhortabatur eos disputatione, ut adversus jacula tergiversantis satanæ servantes unitatem pacis et concordiæ, quasi armati agonistæ semper starent in acie. Gerardus *ergo in hac visitatione, qua monasteria sub moderamine suo adhuc constituta visitavit, enixe etiam religiosos illorum incolas ad pacem et concordiam est hortatus. Norat scilicet, plurimum interesse, ut hæc, utpote firmissimum charitatis vinculum, studiose ac sedulo a religiosis hominibus servetur. Nec tantum*

providus

A *providus sollicitusque Pater ad pacem animorumque concordiam adhortatus tunc est monasteriorum, quæ visitavit, religiosos incolas; verum etiam omnia recte composuit, quæ ad bonum illorum faustumque regimen possent conducere. Ita omnium, quos curæ suæ commendatos habebat, salutem curabat perquam sollicite; cum autem omnia, quæ eo pertinere arbitrabatur, sedulo curasset, mox ad suum Broniense cœnobium, ut ibi dies suos quiete sancteque finiret, est reversus.* Omnibus igitur, *inquit mox, narrata ultima, quam* Gerardus *fecit, monasteriorum visitatione, num.* 79 *biographus,* rite compositis, cumque pastoribus Pastori summo ovidus commendatis, Beatus pauper spiritu, cunctis, quæ rexerat, ditioribus postpositis, ad dilectam paupertatem gaudenter remeat monasterii Broniensis.

ibique brevi post extremum diem claudit. Quod tertia,

287 *Hinc jam collige, verosimiliter ultimam illam, qua de hic agimus, monasteriorum visitationem paucis dumtaxat mensibus ante* Gerardi *obitum evenisse. Evenit enim proxime ante* Gerardi *ad Bronienses suos regressum; Sanctus autem tunc, cum Bronii obiit, non diu admodum, uti ex duobus ultimis biographi numeris colligendum videtur, ad Bronienses suos fuerat reversus, ut adeo nec diu ante Sancti obitum, ac proin paucis dumtaxat ante hunc mensibus monasteriorum jam memoratam visitationem fecerit.*

B *Porro* Gerardus, *Bronium jam reversus, nihil habuit antiquius, quam ut, quod in aliis monasteriis jam fecerat, in Broniensi quoque, quæ ad felix hujus regimen spectarent, recte componeret; quo facto, fractis tandem provectiori ætate viribus, migravit ad Dominum. Docet hæc num.* 80 *biographus, uti etiam annum et diem, quo Sanctus vitam hanc mortalem cum immortali commutarit. Verba, quibus hoc postremum docet, partim stylo soluto, partim ligato innexa, hæc sunt:*

Deposito fragilis tandem velamine carnis
Christi lucifluam Jesu transmigrat in aulam,
Prænitet Octobris quando lux tertia mensis

Anno ab Incarnatione Domini DCCCCLIX, Indictione II, concurrente V, Epacta XX, Feria II. *Sanctus ergo anno 959, tertio Octobris die excessit e vivis: quæ quidem dies anno illo in diem Lunæ incidit, ut Feria secunda obiisse* Gerardum, *recte scribat biographus. Nec tantum tertiam Octobris diem, qua Sanctum obiisse, docet, recte cum die Lunæ, verum etiam annum 959, quem Sancto emortualem ponit, recte cum Indictione secunda, ut computanti patebit, cum concurrente seu Epacta solari quinta et Epacta, lunari scilicet, vigesima conjungit, uti ex iis, quæ Josephus Scaliger lib.* VII *de Emendatione temporum pag.* 776 *et tribus seqq. docet, quisque, ut opinor,*

C *facile intelliget.*

non autem, ut Mabillonius

288 *Verum, utut omnes hæ notæ chronicæ cum anno 959, cum quo eas componit biographus, optime congruant, tertiaque Octobris dies anno 959 in diem Lunæ inciderit, sunt tamen, qui contendant,* Gerardum *nec tertia Octobris die, nec anno 959 e vivis esse sublatum. Ac primo quidem, quod ad tertiam, qua Sanctus obiit, Octobris diem pertinet, vult Mabillonius non hac, sed quinta Octobris die Sanctum excessisse e vivis. Etenim in suis ad* S. Gerardi *Vitam Observationibus præviis num.* 9 *sic scribit:* Hujus (*sancti* Gerardi) obitum omnes cum primario Epitaphio, hic ad Vitæ calcem edito, (quod marmoreo sepulcro incisum narrat Molanus) tertio Nonas Octobris statuunt. *Adhæc Annalium Benedictinorum lib.* XLVI, *num.* 18 *in eamdem sententiam hæc de* Gerardo *ad annum 959 litteris mandat:* Post hæc animam efflavit Gerardus hoc anno, et quidem tertio Nonas Octobris, ut notat ejus Epitaphium Vitæ subjectum, adeoque Feria quarta, non secunda, uti habet sequens ibi additamentum. *Vult ergo Mabillonius,* Gerardum *tertio Nonas, id est, quinto Octobris die, ac proin feria quarta seu die Mercurii, non secunda, seu die Lunæ obiisse; idcirco autem scriptor ille hoc vult, quod diem illum ab omnibus, atque ab ipsomet primario* Gerardi *Epitaphio, Vitæ subjecto, Sancto nostro emortualem statui existimet. At vero mirum est, quantum hic hallucinetur Mabillonius. Etenim nec scriptores omnes, nec ipsummet primarium* S. Gerardi *Epitaphium, quod ad calcem Vitæ subjungit biographus, quintam Octobris Sancto statuit emortualem.*

AUCTORE C. B.

289 *Meyerus in Flandriæ tum Annalibus, tum Chronico ad annum 959 sic scribit:* Eodem anno (959 *scilicet*) tertio die Octobris singularis vir exempli, idemque unicum pietatis ornamentum Gerardus Cellensis, sanctus appellatus Gerardus, diem clausit. *Meyero assentitur Fisenus, in ecclesiæ Leodiensis Historia pag.* 221 *ita memorans:* Singula rursum cœnobia (Gerardus *nimirum*) sibi proposuit lustranda. Quibus omnibus rite compositis, et pastoribus una cum ovibus summo Pastori commendatis, beatus Vir, pauper spiritu, ditioribus monasteriis, quæ gubernaverat, derelictis, ad amicam Broniensis monasterii paupertatem se recepit. Ubi animo sancte composito, carissimis sodalibus bene precatus, V Nonas Octobres, *id est, tertio Octobris die,* obdormivit in Domino. *Ita Fisenus, qui sibi et Meyero plures etiam alios scriptores quantum ad tertiam Octobris diem, quam* Gerardo *emortualem statuunt, habet assentientes, quos, ne rei passim sat notæ probandæ nimium immorer, prætermitto. Quod jam ad primarium, quod* Gerardi *Vitæ subjicitur, quodque, ut ait Mabillonius, Sancti obitum tertio Nonas Octobris, id est, die mensis* E *hujus quinta statuit, Epitaphium pertinet, per hoc haud dubie scriptor ille aliud non intelligit, quam sex versiculos supra ex parte jam recitatos, quibus* Gerardi *Vita a biographo clauditur; neque enim Vitæ Sancti aliud quidquam, quod epitaphii locum queat habere, subjectum invenio. Adhæc Mabillonius verbis mox supra adhuc recitatis sic habet:* Post hæc animam efflavit Gerardus hoc anno, et quidem tertio Nonas Octobris, ut notat ejus Epitaphium Vitæ subjectum, adeoque feria quarta, non secunda, uti habet sequens ibidem additamentum. *Additamentum, quod hic memorat Mabillonius, clausula est supra huc transcripta, qua indicatur, quo anno, qua Indictione, qua Concurrente seu Epacta solari, qua Epacta lunari, ac tandem qua feria* Gerardus *obierit; illa autem Clausula præfatis sex versiculis proxime subjungitur, ut hos adeo Mabillonius intelligat per Sancti Epitaphium, quod, ut ait,* Gerardi *obitum tertio Nonas Octobris statuit.*

ex scriptoribus

et ex Sancti epitaphio perperam contendit, quinta Octobris die,

290 *Verum versiculi illi* Gerardi *obitum non tertio Nonas Octobris, id est, quinta mensis hujus die, sed quinto Nonas Octobris, id est, tertia mensis hujus die statuunt. Etenim duo ultimi ex dictis versiculis supra huc jam transcripti de* Gerardo *sic habent:*

Christi lucifluam Jesu transmigrat in aulam,
Prænitet Octobris quando lux tertia mensis; F

ubi sane Gerardus *non tertio, sed quinto Nonas Octobris, id est, non quinta, sed tertia mensis hujus die obiisse, apertissime declaratur. Itaque nec Epitaphium, quod laudat Mabillonius,* Gerardi *obitum tertio Nonas Octobris, id est, quinta mensis hujus die, statuit, ut adeo is scriptor, qui nihilominus ex dictis diem illum tum a præfato Epitaphio, tum ab omnibus scriptoribus* Gerardo *statui emortualem affirmat, certissime hallucinetur, ac proin ut* Gerardum *quinta Octobris die obiisse, perperam contendat. Porro Mabillonius non minus etiam hallucinatur, dum verbis supra recitatis ait,* Gerardi *epitaphium, quod laudat, marmoreo Sancti sepulcro incisum narrari a Molano. Etenim hic auctor in Natalibus Sanctorum Belgii ad 3 Octobris diem, biographi nostri versiculis, qui ex dictis primarium* Gerardi *a Mabillonio laudatum epitaphium constituunt, ex parte transcriptis, ita dumtaxat mox memorat:* Annus depositionis marmoreo ejus (*sancti* Gerardi) sepulcro inscriptus est nongentesimus quinquagesimus octavus; *quibus verbis sane non designat biographi versiculos proxime a se transcriptos, seu illud, quod Mabillonius laudat,* Gerardi *epitaphium, sed aliud longe diversum, num.* 292 *huc transcribendum, in quo Sanctus anno 938 obiisse, perperam statuitur, uti patescet ex iis, quæ mox dicam, cum*

AUCTORE C. B.

de duobus epitaphiis, quæ Sanderus in Gandavo suo separatim excuso lib. IV, *cap.* 2 *in abbatibus Blandiniensibus exhibet, sanctoque* Gerardo *affingit, fecero sermonem.*

anno, ut binis epitaphiis, quæ Gerardo abjudicantur,

291 *Lubet ambo illa epitaphia huc transcribere. Primum his versiculis concipitur :*

Præteriens hic siste gradum, lege flebile mortis
Carmen, inæquali claudicat ecce pede.
Petri naviculam fragor ingens impulit, ipsum
Excutiens Nautam dira procella rapit.
Gandavum Patrem, personam Gallia claram
Perdidit, Ecclesiæ magna columna ruit.
Ardens et lucens simul est extincta lucerna,
Occubuit Pastor optimus inter oves.
Abbas e medio Geradus tollitur; orba
Patre suo Petri flebilis aula manet.
Ut decet, et Paulus docet, omnibus omnia factus
Enituit multis millibus unus homo.
Quid moror? Octavo Septembris transiit Idus,
Sol novus occasum, sole ruente, petit.

Alterum vero istis :

Quod caro sit fænum, flos fæni gloria carnis,
Pagina sancta docet, et Pater iste probat.
Ut fænum viruit cum tempore veris in herba,
Et quasi flos fæni floruit ejus honor.
Aruit hoc fænum, flos ejus decidit. Abbas
B Gerardus viruit, floruit, aret, obit.
Septembri quintas sol cum declinat ad umbras,
Spiritus e carnis carcere liber abit.

Talia sunt bina epitaphia, quæ Sancto nostro ex dictis affingit Sanderus. Verum S. Gerardus, *uti ex jam disputatis liquet, omni dubio procul tertia Octobris die mortalem hanc vitam cum immortali commutavit; Gerardus autem, cui bina illa epitaphia concinnata sunt, secundum horum quidem primum octavo Idus Septembris, id est, sexta mensis hujus die; secundum alterum vero quinta ejusdem mensis die,* Septembri quintas sol cum declinat ad umbras, *excessit e vivis.*

alioque, quod Sancti certo est, recitatis,

292 *Hinc fit, ut neutrum ex dictis Epitaphiis* Gerardi *nostri epitaphium esse, autumem; quod etiam eadem de causa in suis ad* Gerardi *Vitam Observationibus præviis num.* 9 *censet Mabillonius. Verum hic scriptor aliud insuper ibidem suppeditat Epitaphium, quod* Gerardi *nostri certo est, quodque sic habet :*

Clarus ab Austrasia generosa stirpe Gerardus
Sanctus in hoc humili condidit ossa loco.
Gaudeat omnis plebs tali defensa Patrono,
Atque suo plaudat Bronia terra duci.

Obiit anno CMLVIII, sublevatus in feretrum MCXXXI. *Legitur hoc epitaphium, ut laudatus Mabillonius etiam monet, Bronii in* S. Gerardi *tumulo seu mausoleo, quod ibidem adhuc superest. Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 125 *de* Gerardo *scribit in hunc modum :* Obiit anno Christi, ut refert Sigebertus, CMLIX. Marmorei tamen sepulcri ejus inscriptio, quam vidimus in cryptis monasterii ecclesiæ, notat annum CMLVIII. Quinto Nonas Octobris. *Sepulcri marmorei inscriptio, quam hic memorat Rayssius, diversa verosimillime non est a Sancti epitaphio proxime huc jam transcripto, aut certo a clausula prosaica, quatuor illius versiculis subjecta, a qua tamen hæ voces,* Quinto Nonas Octobris, *absunt apud Mabillonium. Nescio, an hic illas, quod ex dictis tertio Nonas Octobris Sanctum obiisse velit, studio omiserit. Utut sit, Rayssio, sese inscriptionem, quæ pro die* S. Gerardi *emortuali quintum Nonas Octobris Notaret, Bronii vidisse, asserenti fidem adhibeo, et cum jam supra de die, quo Sanctus migravit ad Dominum, satis superque actum sit, discutio nunc, annusne* 958, *quem notat huc jam transcriptum Sancti epitaphium, an vero annus* 959, *quem ex dictis biographus noster signat,* Gerardo *emortualis debeat constitui.*

C

probatur, 959 evenit.

293 *Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, Miræus in Fastis Belgicis aliique scriptores non pauci anno* 958 S. Gerardi *obitum innectunt, ducti verosimillime Inscriptione marmoreo Sancti sepulcro Bronii incisa, quæ, ut jam ex Mabillonio et Rayssio docui,* Gerardum *anno* 958 *obiisse, statuit. Verum, Mabillonius aliique scriptores recentiores bene multi nihil illa Inscriptione moti cum anno* 959 *Sancti obitum conjungunt. Et vero hoc, ut mihi equidem apparet, non immerito faciunt. Posteriorem enim hunc annum biographus noster in Clausula supra huc transcripta, qua lucubrationem suam terminat,* Gerardo *ex dictis emortualem statuit; is autem hic potiorem fidem quam præfata inscriptio idcirco meretur, quod ex dictis anno circiter* 1058 *ac proin sæculo nondum integro a* Gerardi *ætate elapso lucubrationem suam adornarit; Inscriptio autem non ante annum* 1151, *quo ex dicendis sacrum* Gerardi *corpus elevatum fuit, ac proin non ante bina fere sæcula a Sancti obitu elapsa tumulo ejus seu mausoleo fuerit apposita, uti liquet ex eo, quod non tantum (adi num. præced.) annum* Gerardo *emortualem, verum etiam annum, quo Sancti corpus de terra elevatum est, signet. Adhæc nescio, an, Inscriptionem illam tunc tantum, quando* Gerardi *corpus elevatum fuit, tumulo ejus fuisse appositam, colligi etiam non debeat ex ipsis quatuor, quibus partim constat, versiculis num. præced. pariter huc transcriptis. Itaque ob jam dicta* Gerardum *non anno* 958; *sed* 959 *obiisse, cum biographo nostro statuo; quod ut faciam, partim etiam moveor ex eo, quod cum anno* 959, *quem is scriptor in lucubrationis suæ Clausula supra huc transcripta Sancto emortualem statuit, aliæ omnes notæ chronicæ, quas in ea pariter suppeditat, Indictio scilicet secunda, Concurrens quinta, Epacta vigesima ac Feria secunda, optime ex dictis congruant.* D E

§ XXIV. Corpus Sancti elevatum, hujusque in honorem abbatia Broniensis favore affecta.

Alexander, Leodiensis episcopus, S. Gerardi corpus occasione,

Jacuerat jam ab anno 959 *sacrum* S. Gerardi *corpus uno amplius sesquisæculo in terra reconditum, quando tandem ab Alexandro, Leodiensium episcopo, anno* 1151, *Innocentio II, summo Pontifice, mandante, e tumulo fuit levatum : quæ elevatio olim ex summi Pontificis imperio vel etiam dumtaxat consensu facta, canonizationis loco habebatur, uti pronum est colligere ex iis, quæ Benedictus XIV in suo de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione lib.* I *cap.* 6 *et seq. disserit. Nullum invenio auctorem vel monumentum antiquum, ex quo certo rescias, qua ratione quave occasione sacrum* S. Gerardi *corpus de terra tunc levari contigerit. Utut tamen sit, id ego hac occasione verosimillime factum, reor : Innocentius II, summus Pontifex, antea Gregorius Cardinalis S. Angeli, Anacleto antipapa Romæ omnia turbante, fugere compulsus, anno* 1130 *venit in Galliam, indeque anno sequenti, Quadragesimæ tempore, ad Lotharium II, quem postea imperatorem coronavit, Germaniæ et Lotharingæ regem se contulit, conventui seu synodo Leodii habendæ interfuturus. Eo tum (adi Pagium in Criticis ad annum* 1131) *frequentes cum Lothario tam Lotharingiæ quam Germaniæ et Franciæ episcopi ac abbates advenerant. Quid plura? Hos inter Ebroinus, qui tunc, ut Fisenus in ecclesiæ Leodiensis Floribus pag.* 446 *in Broniensium abbatum Catalogo docet, Broniensi monasterio abbas præerat, verosimillime etiam exstiterit, hæcque occasione usus fuerit, ut* S. Gerardi *canonizationem a Pontifice flagitaret.* F

quo exemplo, a S. Godehardi canonizatione petito,

293 *Ita existimo, quod certe Bernardus, Hildesheimensis episcopus, qui Leodium pariter tunc venerat, ea opportunitate ab Innocentio summo Pontifice S. Godehardi Hildesheimensis episcopi, anno* 1058 *vita functi, canonizationem flagitarit, ut translationis et miraculorum hujus Sancti scriptor anonymus apud nos tom. I Maji pag.* 522, *num.* 8 *diserte tradit. Verba ejus huc facientia, uti et nonnulla alia, quod quædam, quæ jam dicta sunt, probent, describo. Sic habent :* In Leodicensem civitatem curia indicta est, ubi Innocentius Papa cum Romana Ecclesia, et magna parte Galliæ cum Lothario rege et fere universis episcopis Theotonicæ regionis convenerunt,

A venerunt; ut de violentia Romanæ Ecclesiæ per Petrum Leonis (*Anacletum antipapam*) perpetrata, qui tum temporis Papatum sibi violenter usurpavit, pertractarent; et qualiter illud idolum, in templo Domini positum, destruerent, elaborarent. Factum igitur est, ut ad Dominicam Lætare Hierusalem (*Dominicam scilicet quartam Quadragesimæ, quæ anno* 1131 *in* 29 *Martii incidit*) ad prædictam civitatem multi Catholici viri, tam cum Apostolico, quam cum rege convenirent, et de communi statu Ecclesiæ pertractarent. Inter quos præses noster Bernardus (*Hildesheimensis episcopus*) cum majoribus nostræ assistens, videns opportunitatem ultro sibi oblatam, ipsum Apostolicum cum omni curia Romana aggreditur, Vitaque Patris nostri (*S. Godehardi nempe, Hildesheimensis olim episcopi*) coram ipsis recitatur, et ut per eum in Ecclesia Dei canonizetur, devotissime preces funduntur.

hic exponitur, ex Innocentii II Papæ mandato,

296 *Occasione itaque conventus seu synodi, Innocentio II præsente, Leodii celebratæ, cui et ipsemet interfuit, usus est Bernardus, Hildesheimensis episcopus, ut S. Godehardi, Hildesheimensis olim episcopi, canonizationem a summo Pontifice impetraret. Hinc porro, ut jam innui, verosimillimum mihi fit, Ebroinum Broniensem abbatem, utpote qui etiam Leodiensi illi synodo ex dictis verosimillime inter-*

B *fuerit, occasione illa* Gerardi *canonizationem vel sponte sua, vel Bernardi, Hildesheimensis episcopi, exemplo impulsum, a summo Pontifice, Innocentio II, flagitasse, huncque deinde Alexandro, Leodiensi episcopo, ut sacrum* S. Gerardi *corpus de terra levaret, dedisse in mandatis.* Ebroinus, *inquit in Leodiensis ecclesiæ Floribus pag.* 446 *Fisenus,* ut S. Gerardi corpus ad venerationem e terra educeretur, anno MCXXXI obtinuit. *At vero quæri hic jam potest, an Pontifex tunc, cum Leodii adhuc existeret, e terra ad venerationem* S. Gerardi *corpus jusserit educi. Fisenus mox iterum laudatus in ecclesiæ Leodiensis Historia lib.* X, *num.* 3 *sic scribit :* Cum Leodii Pontifex (*Innocentius scilicet II*) ageret, Alexandro episcopo imperarat, S. Gerardi Broniensis sacrum corpus terra educeret, quo promeritos vita sanctissime acta multisque post mortem prodigiis honores religiosius mortales rependerent, atque uberius (si Numini videretur) ab illo beneficia referrent. Eam esse Dei voluntatem, non infrequenter e cælo nuntiatum fuerat. Paruit Alexander ingenti religiosoque ordinum omnium concursu. *Vult ergo Fisenus, Innocentium summum Pontificem jam tum, cum Leodii adhuc versaretur, Alexandro Leodiensi episcopo dedisse in mandatis, ut sacrum* S. Gerardi *corpus e terra ad fidelium venerationem*

C *educeret.*

quod hic, cum Leodii esset, dedisse non videtur,

297 *Verum id Pontificem non tunc, sed postea tantum, cum eodem anno* 1131, *mense Octobri Remis celebravit concilium, dedisse in mandatis, verosimilius idcirco reor, quod etiam petitæ S. Godehardi canonizationi assentiri, cum Leodii adhuc esset, noluerit, sed rem distulerit in tempus, quo Remis concilium, quod in proximum S. Lucæ festum seu octavam decimam Octobris diem indixerat, a Germaniæ, Lotharingiæ, Franciæ aliarumque regionum episcopis celebraretur, quemadmodum Translationis et Miraculorum S. Godehardi scriptor anonymus supra laudatus diserte testatur, verbis, num.* 295 *huc transcriptis, proxime hæc num.* 9 *subdens :* Sed cum consuetudo sit Romanæ Ecclesiæ, in generali concilio Sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remensem civitatem in festo S. Lucæ indictum fuerat, accepto consilio, petitionem ecclesiæ nostræ (*Hildesheimensis de S. Godehardi canonizatione*) usque in prædictum locum (*Innocentius II, summus Pontifex*) distulit, ibique definiturum certissime, promisit. *Stetit porro Pontifex promissis, inque Remensi concilio omnia, quæ ad Godehardi canonizationem spectarent, fideliter præstitit, uti idem Historiæ translationis S. Godehardi scriptor num.* 10 *pariter testatur. Cum ergo, uti ex jam dictis liquet, Innocentius tunc, cum Leodii adhuc ageret, petitæ S. Godehardi canonizationi assentiri noluerit, verosimillimum hinc jam fit, eum etiam tunc Alexandro Leodiensi episcopo, ut* S. Gerardi *corpus e terra levaret, in mandatis non dedisse. Quapropter, cum equidem ex dicendis* S. Gerardi *corpus anno* 1131 *e terra ab Alexandro Leodiensi episcopo ex summi Pontificis mandato fuerit levatum, fieri id Innocentius in concilio Remensi sub mensis Octobris finem verosimillime imperarit; tunc quippe etiam, uti laudatus Translationis S. Godehardi scriptor num.* 10 *iterum docet, ad ecclesiam Hildesheimensem de S. Godehardi canonizatione litteras transmisit.*

AUCTORE C. B.

298 *Fuerint itaque, ut merito suspicandi ansam num.* 10 *etiam præbet laudatus Historiæ translationis S. Godehardi scriptor,* S. Gerardi *vita sanctissime acta miraculaque post obitum patrata in concilio Remensi Patribus verosimiliter proposita, hique quidem, illis auditis probatisque, sacrum* S. Gerardi *corpus e terra ad fidelium venerationem educendum judicarint; Pontifex vero Alexandro, Leodiensi episcopo, ut id faceret, imperarit. Quod autem hic aio de* S. Gerardi *miraculis, quæ in concilio verosimiliter fuerint proposita, ne, quæso, ita accipias, quasi indubitatum habeam, a* Gerardo *post obitum miracula ante præfatum Remense concilium fuisse patrata, hoc enim, utut a Fiseno verbis supra recitatis absque ulla dubitandi particula propositum, indubitatum idcirco non puto, quod miraculorum, quæ* Gerardus E *post obitum tunc patrarit, in monumentis antiquis mentionem haud inveniam; verosimile tamen idcirco reor, quod alioquin sacri ejus corporis e terra elevationem jussurus fuisse Pontifex, non videatur. Porro cum ex dictis Innocentius verosimillime sub finem dumtaxat mensis Octobris Alexandro, Leodiensi episcopo, ut Sancti corpus e terra levaret, in mandatis dederit, fuerit verosimillime ea solemnitas vel mense Novembri vel Decembri proxime sequenti peracta. Sic existimo, quod ob jam dicta verosimillime non ante concilium Remense, anno* 1131, *mense Octobri ad finem inclinante, celebratum; indubie autem ipso anno* 1131, *quo hoc concilium celebratum est, summi Pontificis jussu fuerit peracta, uti nunc, quemadmodum me facturum, supra spopondi, probare aggredior.*

mense Novembri vel Decembri anno

299 *Apud Martene Collectionis veterum scriptorum tom. I, col.* 707 *et quinque seqq. exstat Charta, quam etiam Miræus Codice Piarum donationum, cap.* 83, *aliique monumentorum antiquorum collectores saltem ex parte exhibent, ab Alexandro, Leodiensi episcopo, anno* 1131 *emissa, uti in ipsiusmet Chartæ fine expresse signatur; hujus autem tum initio, tum contextu apertissime indicatur, sacrum* S. Gerardi *corpus eo ipso die, quo Charta illa emissa fuit, e terra, atque id quidem summi Pontificis jussu, fuisse levatum. Verba, quibus id in contextu fit, num.* 306 *huc* F *transcripta invenies; quibus autem id fit initio, hæc sunt :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Amen. Omnibus matris Ecclesiæ filiis et benevolis pax perennis. Amen. Accenso in terris super candelabrum caritatis igniculo, multi renuntiarunt et suis et sæculo, quorum de numero Deus sanctissimi et venerabilis patris nostri Gerardi nobis argumento multiplici declaravit gratiam. Cujus ego Alexander Dei gratia Leodiensis episcopus, licet indignus, divina revelatione et præceptis salutaribus monitus, necnon et mandatis domini Papæ Innocentii, qui et Gregorius fuit, delegatus hac die recolo sacrosancti corporis attolentiam. Notum sit igitur omnibus tam futuris quam præsentibus, quod, cum super hoc affuissemus Bronii, plures ibi nobiliores affuerunt, inter quos maxime Godefridus Namurci comes illustris, ad honorem Dei sanctique sui militis Gerardi festinus accessit, catervatimque affinibus et remotis plebibus, nobisque tantæ solemnitati reverenter, ut decebat, assistentibus, rite celebratis omnibus, venerabilis Godefridus memoratus comes, devotione ductus et monitu divinitus, in mea præsentia et assistentium Dei confessori Gerardo suisque cultoribus hanc professus est devotus venerationis expositionem, et pro se suisque posteris, ne ultra transgrederentur

uti ex Charta ab Alexandro tunc emissa.

AUCTORE C. B.

derentur fide-jussoriam, et sacramenti dignioris obligavit cautionem.

eruitur, 1152 de terra levavit, tuncque in Sancti honorem Godefridus, qui etiam rei adfuit,

300 *Alexander itaque, uti ex his jam recitatis verbis liquet, sacrum* S. Gerardi *corpus e terra ad fidelium venerationem eduxit eo ipso die ac proin etiam anno, quo Chartam præfatam in monasterii Broniensis favorem emisit. Quapropter, cum hanc ex dicendis anno* 1131 *emiserit, hoc ipso etiam anno Sancti corpus e terra levarit, die interim, quo id fecerit, idcirco manente ignoto, quod pariter ignotus sit dies, quo præmemoratam Chartam Alexander dederit. Nec tantum ex hac annum discimus, quo* S. Gerardi *elevatio ab Alexandro, Leodiensi episcopo, facta sit, verum etiam tunc Bronii, quo hic illius rei gratia se contulerat, solemnitati plurimos una cum infinita promiscui vulgi multitudine viros nobiles, quorum princeps erat Godefridus, illustris Namurci comes, interfuisse; adhæc hunc principem, qui etiam Floreffiensem Ordinis Præmonstratensis abbatiam fundavit, monasterio Broniensi ex singulari, qua in* S. Gerardum *ferebatur, veneratione tunc benefecisse. Erat scilicet Godefridus monasterii Broniensis advocatus seu defensor, eique proinde, ut sequitur ex iis, quæ Cangius in mediæ et infimæ Latinitatis Glossario ad vocabulum* Advocati *docet, Broniensium monachorum jura, bona et facultates*
B *tueri, ex officio incumbebat. Porro olim ecclesiarum monasteriorumque advocati* (*vide laudatum Cangium ad vocabulum* Advocatia) *duplicis erant generis. Alii quippe erant honorarii, quibus nulli reditus, nulla pensitatio assignaretur; alii autem, quibus, ut tutelam ecclesiis monasteriisve præstarent, non modica bonorum ecclesiasticorum pars attribueretur. Prioris generis advocati seu defensoris nomine tutelam præstitisse Broniensi monasterio videtur Godefridus. Utut sit, certe in* S. Gerardi *honorem, cum Sancti hujus fuit peracta elevatio, professus est seu declaravit, se nullam de jure habere exactionem vel respectionem seu advocationem in fundis* S. Gerardi, *id est, nullum sibi jus competere, ut titulo tutelæ, quam Broniensi monasterio præstabat, quidquam ex hujus fundis seu prædiis exigeret, aut reditus seu præstationem annuam flagitaret.*

Namurcensis comes, abbatiam Broniensem ab omni exactionis jure,

301 *Docet hæc omnia, ut jam innui, Charta supra plus semel jam laudata, quam et suo et comitis sigillo signatam emisit Alexander, Leodiensis episcopus, indicans etiam eadem et quid juris comiti in Broniensium prædia libere concedatur, et hæc se sub tutela sua suscipere. Ut adeo insigne venerationis erga* S. Gerardum *monumentum studiosus lector habeat in promptu, lubet cetera, quæ ex Charta illa, supra jam partim recitata, supersunt, etiam huc transcribere. Itaque post verba jam recitata proxime*
C *hæc sequuntur :* Cognovit igitur (*Godefridus scilicet, Namurcensis comes*) et professus est liberam et absolutam fundi (*Broniensis nempe*) et fundatoris (*sancti* Gerardi) possessionem, in qua nullam de jure habet vel umquam habuit exactionem, nulliusque hominii de tenore sive prædio aut rei familiaris respectionem, nec in abbatia jam fata de fundo aliquam affectat advocationem, (*id est, pensitationem seu præstationem, sibi veluti advocato seu defensori solvendam*) sed ex mandato regali, si vocatus fuerit ab abbate, pro solo suæ interventionis ad Deum commercio sibi debere defensionem. Præterea fugitivum ecclesiæ (*Broniensis videlicet*) servum aut ancillam contumacem et contradicentem nulla libertate Villæ-comitis poterit retinere, sed captivo suo fugienti ad ecclesiam regressum prosperum et quietem debet indulgere, ab ecclesia (*Broniensi*) sibique pertinentibus nihil debet violenter extorquere, nec aliquam exactionem exigere, nec in placito aut in judicio villarum et locorum ecclesiæ, qualecumque sit commissum, debet residere.

quod in hujus possessiones habeat, dicta Charta liberam declarat,

302 Quod si vocatus fuerit ab abbate, nullam sui consilii sive defensoriæ potestatis retributionem debet habere. De servis nihilominus et ancillis ecclesiæ commorantibus a remotis in hominium et feodum quempiam non poterit investire, nec a sua manu et defensione, quam debet eis ex mandato D imperatoris, in secundam manum possunt transire, sed servos et ancillas et bona ecclesiæ in statu digniori debet pacifice custodire. Decretum est etiam a nobis et a comite, quatenus omnis servus et ancilla capitagiarii per annum et diem Bronium et S. Laurentium commorantes, ab anteriori domini sui exactione et mortimanu, sicut ceteri ejusdem comitis burgenses in Namurco penitus absolvantur, et tam in matrimoniis, quam in quibuslibet occasionibus, non nisi ab abbate Broniensi amplius coerceantur. Verum etiam si quis in potestate alicui debitum debere sub testibus, majori et scabinis publice cognoverit, et persolvere rennuit, abbas debitoris in domo vel ubicumque de suis catallis invenerit, pignus accipere poterit, et creditori deliberare : quod si debitor adeo contumax invaluerit, quod pignus suum violenter retinuerit, aut surripuerit; si comes ab abbate vocatus fuerit, debet cohibere rebellionem.

eidemque sese et munificum

303 Annectit et annuit idem comes in nemore suo Malingniæ extra nemus, quod est ecclesiæ, et sanctissimi patris Gerardi extitit, super rivum de Laudonia, quinque focos quotidie sine aliqua exactione et tributaria emptione, et singulis annis tres fagos in eodem nemore, quas elegerint inhabitantes ecclesiam ad suos usus reparandos; homines E de ditione ecclesiæ comes in expeditionem et stationem suam sive girationem sine abbatis licentia nullo modo poterit exercere, et quot et quos voluerit, si sibi placuerit, ab hujusmodi poterit abbas removere et retinere. Placuit insuper et visum est comiti memorato in præsentia nostra ecclesiæ Broniensi hanc indulgentiam et auctoritatem liberius erogare, ut servos et ancillas comitis, eodem inconsulto, ad conversionem cum sua facultate tam ad vitam, quam mortem possit suscipere, necnon et feodatos comitis et nobiles quoslibet, et etiam de familia et familiari licet in ecclesia cum feodis suis Deo militare.

et benevolum præbet;

304 Item quod duæ partes ad obsequium comitis cedunt; aut si minime convertuntur, licet eis similiter ibidem et allodia integra quælibet Deo in eleemosynam resignare. Venatores suos seu canes eorum, accipitres suos et quoslibet officiales, clientes forestarios, ab impetratione missis, pannum gallinarum et quarumlibet exactionum, quas numquam in antea Bronium solvit et S. Laurentius, placuit ei omnimode excludere, et ab exigentia tributi venditionis et emptionis ab omni terra sua plenius absolvere infra tenorem ecclesiæ, in villis, agris, silvis, pascuis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, non turres, non propugnacula, domos F defensorias aut alterius compositionis, vites, stagna, molendina et cetera quælibet, quæ possunt fabrefieri et excogitari absque concessione et respectu ecclesiæ sibi non vindicabit, nec in villis ecclesiæ violenter aliquando se locabit, nec in ecclesia, nec in rebus ecclesiæ sibi aliquid usurpabit, cum nihil in his de jure habeat sine concessione et assensu ecclesiæ, sed pro solo et reverendo imperatoris imperio et orationum ecclesiæ privilegio defensor et coadjutor stabit.

Alexander vero, quæ monasterii Broniensis

305 Nos vero non sine ipsius comitis consilio dignum duximus, ecclesiæ libertatem, sui teneris potestatem subnotare, in qua nullus sibi participium vindicabit, et tam nostro quam comitis sigillo, ne aliqua deinceps adversi suscitetur calumnia, confirmare. Hæc sunt igitur, quæ legitime et integerrime possidet ecclesia, in quibus abbas ejusdem et executores sui omnia jura sua judiciariasque potestates in villa Broniensi et in sancto Laurentio et in parte, quam habet in Libinas, in Laniis, in Montinis, in Sen deserta, in Soseys, in Wasin, in Merinderech, in parte, quam habet in Hermenton, in Bohordes, in Bohoreles, in Mansionile, in Halleias, in Romereias, in Mannisia, libere et potestative exerceant.

306 In his locis et vicis præscriptis possidet ecclesia bannum et justitiam, impetum et burinam, ictus

A ictus et sanguinem, rupturam et pirgum regium, fora, telonea, vicecomitatum, præter in Sen deserta, qui tenetur ab abbate dumtaxat in eadem villa in feodo, nagaria, rectum et non rectum, vectigalia, et quicquid pertinet ad judicatum, integritatem reipublicæ et incolumitatem, campestria et silvestria sua, si vellet incidere, vendere, in villas statuere, aut in agriculturam, pasnagia et quascumque proventiones contractas a nemoribus accipere sine comparticipio advocationis licebit, et mortimanus suas et ob matrimonia infra terminos integra et extra terminos suos, et cambas bannales et molendina suis mansionariis bannalia, foragia, et ceteras quascumque proventiones, quæ possunt obvenire in exactione et jure sæculari tam libere possidet, sicut fundator ipsius loci nobili prosapia exortus beatus Gerardus, cujus corpus hodie in mausoleo recondimus, ante conversionem suam possederat a solo Deo et prædecessoribus; nec sit, qui præsumat injicere manus in servos et ancillas, et facultates ecclesiæ, vel in homines cohabitantes in omni ipsius possessione; vicecomitatum et ceteras obsecutrices dignitates abbas cum voluerit, erogare poterit, nec est de omnibus mansionariis

possessiones ab exactionibus sint immunes,

B ecclesiæ, qui possit refutare.

307 Ad memoriam hujus observationis et majorem posterorum comitis circa ecclesias et homines ejusdem diligentiam, tenet comes advocationem de Romereis et de unoquoque quartario terræ, quæ extra manum ecclesiæ tenetur a mansionariis incolis, in Bronio et in S. Laurentio, in Maysons, in Libinas, in Laniis, in Montignio, in Waslin, in Soseiis, in Merenderech, in Hermenton, dozinum unum avenæ. Si quis autem stationis contemptor extiterit, ab abbate primum coerceatur; quæ si neglexerit, a comite juri pariturus in abbatis curiam adducatur, et de banno et lege judicata per scabinos tertia pars comiti concedatur. Etiam lex et judicium omnibus ad querimoniam abbatis adductis per comitem reservatur. Licet igitur soli ecclesiæ tractare pacifice de omnibus prædictis negotiis absque calumnia alicujus sævi tyranni. Nec sit, qui contradicat huic nostræ celebri consultationi, alioquin si quis posterorum huic obviaverit nostræ liberæ confirmationi, et vim intulerit liberæ traditioni, in extremo examine, cum Christus judex assederit, incurrat sententiam perpetuæ damnationis, nisi revertatur ad exhibitionem con-

et quid in has juris comiti libere concedatur, declarat,

C dignæ satisfactionis.

308 Considerata denique comitis devotione et sancita traditione, quod nostrum est bonis assentire, et operari bonum ad omnes, maxime autem ad domesticum Dei, decrevimus libertatem ecclesiæ sub nostro munimine suscitare. Contra cujus authenticum sit ei a nobis in solemni processione sua contumaces et invasores quoscumque, tam nobiles quam ignobiles, suæ rei familiaris et publicæ anathemati plenius innodare, et maledictos, si pœniteant, nostra freti auctoritate in perpetuum Christo et sibi reconciliare. Præterea facultates ecclesiæ, homines et pecora, nemora et cetera hujusmodi sub nostra protectione et tuitione, quasi nostra propria et S. Lamberti suscipimus observanda. Insuper ubicumque facultates ecclesiæ minus rationabiliter moleste detinentur, absque alterius successoris nostri requisitione, liceat locum ei interdicere, et post restitutionem invasoris similiter debannire, et quempiam excommunicatum non in suo et proprio capite simili modo, et cujuspiam advocationis homines de casa Dei cum sua substantia et portione integra ad conversionem suscipere et inhumare; pro commisso comitis ad generale interdictum ecclesiam Broniensem non censemus cessare, utpote quæ ad comitem tenetur nihilominus spectare.

easdemque in tutelam suam suscipit.

309 Ut hæc igitur, quæ prælibavimus, authentica vigeant et valeant in æternum, tam nostra quam comitis Godefridi Namurcensis impressione sigilli fecimus confirmari et chartam Incarnationis Dominicæ compoto cum subscriptione nobilium virorum, clericorum et laicorum, qui rei celebratæ testes affuerunt, approbari. *Sequuntur hic testium nomina, hosque inter etiam Manasses, cujus jam ante meminimus, ultimo loco comparet, ac deinde hæc subditur clausula:* Actum Bronii feliciter anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo primo, Indictione nona, Concurrente III, Epacta XX, imperante Lothario, anno regni ejus sexto, episcopatus nostri III. Duret in sæculorum sæcula. Amen. *Ubi, ut vides, variæ occurrunt notæ chronicæ. Verum an omnes cum anno Christi* 1131, *quo Charta data notatur, ad amussim congruunt? Alexander, ut Ægidius, Aureæ-Vallis monachus, in suis ad Anselmum Additionibus tom. II docet, octavo decimo Martii die, anno* 1129 *ad Leodiensem cathedram fuit evectus, ac proin, cum Charta jam memorata anno Christi* 1131 *signetur emissa, verosimillimeque ex dictis altero e binis postremis anni mensibus fuerit concessa, tertio episcopatus Alexandri anno recte notatur. Adhæc recte etiam, ut computanti patebit, Indictionem nonam et Concurrentem seu Epactam solarem tertiam exhibet. Nec est etiam, cur in Clausula huc jam transcripta annus regni seu imperii Lotharii sextus cum anno Christi* 1131 *perperam conjungi dicatur.*

Notæ chronicæ conjunctæ cum anno, quo Charta data notatur:

AUCTORE C. B.

E 310 *Quamvis enim Lotharius, uti chronographi Hildesheimensis aliorumque historicorum fide constat, anno dumtaxat* 1133 *imperator ab Innocentio II, Romano Pontifice, coronatus fuerit, Germaniæ tamen et Lotharingiæ regnum jam ab anno* 1125 *erat adeptus; imperatoris autem titulo, postquam ab Ottone Magno ad Germanos translatum fuerat imperium, subinde etiam decorati fuere Germaniæ reges, etiamsi a summo Pontifice imperii corona redimiti nondum fuissent. Itaque memorata Clausula annum imperii Lotharii sextum cum anno Christi* 1131 *perperam conjungi, pro certo etiam asseverari non potest. Verum aliud de Epacta lunari* XX, *quæ per illam cum anno Christi* 1131 *etiam conjungitur, esto judicium. Etenim, ut computanti patebit, hoc anno Epacta lunaris non* 20, *sed* 1 *numeratur. Est ergo Alexandri, Leodiensis episcopi, Charta huc jam transcripta, in chronicis, quas præfert, notis corrupta. Attamen cum ex dictis secundum unam dumtaxat notam hoc vitio laboret, id forte ex describentium oscitantia incuriave est factum; aut si hoc displiceat, potest etiam id vitii in notarii, qui Chartam primitus conscripsit, quique forsan annos Christi cum omnibus, quas exhibet, notis chronicis componere, minus recte calluerit, imperitiam conjici. Quod cum ita sit, Chartam, utut in una nota chronica corruptam, pro genuina habeo.*

in una ex his error cubat, nec propterea tamen Charta rejicienda est.

F

§ XXV. Puteus in ecclesia Broniensi ægris prodigiose salutaris, Sancti corpus ibi hactenus servatum, et aliquot ejusdem miracula.

Aqua Bronii ægris prodigiose salutaris:

Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag. 123 *ita memorat:* Visitur (*in ecclesia Broniensi*) ante chori ingressum puteus satis profundus, e quo hausta aqua, et ab ægris epota, juxta promissionem S. Gerardo ab Apostolis Petro et Paulo factam, pristinam illis sanitatem restituit. Supremæ autem putei crepidini hos duos versiculos per gyrum insculptos legimus:

Concurrant ægri, sani, bibuli, sitibundi.
Præstabo cunctis dulce refrigerium.

Rayssio consonat Bucelinus, morbosque, quos aqua per Rayssium memorata sanet, insuper adjungit, in Benedictino, quod contexuit, Menologio sic scribens: Visitur etiamnum Bronii, ubi Vir sanctus quiescit, puteus æreo peribolo a terra adsurgens, ante ipsum chori ingressum; e quo hausta aqua, et ab ægris epota, juxta promissionem sancto Gerardo a Principibus Apostolorum factam, ægri prodigiose sanantur, potu illo præcipue contra febres et morbum regium sive auriginem valente, et

AUCTORE C. B.

et æternitate multiplicium miraculorum probatissimo. *Ita laudatus Bucelinus, pro iis omnibus, quæ hic affirmat, Broniensia mox citans monumenta. Hæc ego diversa esse non puto a supra memorato de sancta Cruce Tractatu, qui apud nos Ms. exstat, quique sæculo* XII *prope elapso aut initio seq. a monacho Broniensi anonymo, ut dictum est, concinnatus videtur.*

hanc scriptor Broniensis anonymus Gerardo divinitus

312 *Utut sit, certe ego Broniensia, quæ aquæ a Rayssio et Bucelino commemoratæ meminerint, monumenta, præfato anonymi Tractatu antiquiora non novi. Hoc autem opportune ad institutum nostrum lib.* 1, *cap.* 2, *quod propterea integrum huc transcribo, de* S. Gerardo *sic habet:* Fuit Vir illustris utraque, morum scilicet et ingenuitatis, gratia præcellens, nomine Gerardus, qui, cum accinctus militia in balteo, in Lomacensi dominaretur territorio, Bronium villam suam venit. Ingressus est autem basilicam, Missam auditurus. Cum vero presbyterum morosius expectaret, sommo depressus est. Cui dormienti Principes Apostolorum astiterunt, factique sunt ei collaterales, duxeruntque illum in gyrum dicentes: Ædifica Deo et nobis ecclesiam, et renuncia militiæ sæculari, Deo militaturus. Abrenuntiatio duplex est, generalis et particularis. Generalis est omnium, scilicet abrenuntiare
B diabolo et pompis ejus et operibus ejus. Particularis est perfectorum, scilicet abrenuntiare rebus mundi, ut Confessores fecerunt, et vitæ temporali quandoque in casu, ut Martyres, Apostoli, itaque sancto Viro narrationem suam promissionibus confirmaverunt, dixeruntque: Dabimus tibi aquam de petra multis profuturam. Bene incipiunt, qui aquam promittunt. Cum suscipis amicum ad comestum, aquam infundis manibus et potui. Aqua lavat maculas et sitim sedat. O donum Dei per virgam Moysi excussum de silice!

promissam concessamque fuisse, memoriæ prodit,

313 Adhuc usque hodie multis facit salutis condimentum. Et puteus altus est, et ne parum videretur ei a duobus tam præcipuis principibus aquæ donum, addiderunt: Dabimus tibi pignora dilectissimi filii Eugenii martyris, Toletanorum archiepiscopi, collegæ Dionysii Areopagitæ. Ita quidem de præsenti, sed tibi et loco de futuro majus insigne dabimus. Accipies inæstimabilem thesaurum tibi tuorumque fidei reservatum, pretiosum, electum super aurum et topazion. Juvenis eis annuens et applaudens, et velut operi insiliens per promissa provocatus, a somno evigilans animadvertit, quæ viderat. Verum quasi gluten ferventissimum inhærens animo, visaque est ei mora difficilis ædificandi, quo promissa consequatur. Balteum militiæ et malitiæ deposuit, domum Apostolis in terris
C et sibi fundans in cælis, in monachum se transtulit, aquam invenit, sanctum Eugenium obtinuit; sicque fit, ut de perceptione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum. Securus igitur et semper pio crescens desiderio expectavit Homo Dei, et antequam poneretur ad patres suos, in extremis positus, hoc idem suis, ordine et fine testamentario, conclusit et mandavit expectandum. *Ita hactenus laudatus monachus Broniensis anonymus, volens* S. Gerardo *in visione cælesti ab Apostolorum Principibus, Petro et Paulo, tria fuisse promissa, aquam scilicet multis profuturam, sacrum S. Eugenii martyris corpus, et thesaurum inæstimabilem, Sancto ejusque monachorum fidei reservatum. Per hunc thesaurum aliud indubie non intelligit, quam sacram, a Broniensibus postea obtentam, qua de jam supra actum est, sanctissimæ Crucis portionem. Liquet id ex iis, quæ subsequentibus deinde laudati Tractatus capitulis memoriæ prodit. Vult porro, postremum quidem hoc munus, ab Apostolorum Principibus* Gerardo *promissum, non ab ipso, quod ex dictis veritati indubie consonat, sed a monachis, ejus in Broniensi cœnobio successoribus, fuisse obtentum; contra vero aquam et S. Eugenii corpus, duo priora, quæ Apostolorum Principes promiserint, munera, ab ipsomet Sancto fuisse obtenta.*

314 Gerardum *Broniensi suo monasterio sacrum* D
S. Eugenii martyris corpus, id est, notabilem hujus partem obinuisse, supra docuimus. Adhæc sacram, quam modo Bronium possidet, sanctissimæ Crucis portionem ab ipsomet Sancto acquisitam non esse, ex iis, quæ num. 263 *disputata sunt, certum apparet. At vero hanc, uti et aquam multis profuturam, qua indubie putei a Rayssio et Bucelino memorati aqua designatur,* Gerardo *in visione, qua ei Apostolorum Principes apparuerint, fuisse promissam, admodum est incertum. Etenim cælestis visio, qua aqua illa et sanctissimæ Crucis portio* Gerardo *fuerit promissa, eadem haud dubie est cum cælesti visione, qua Apostolorum Principes* Gerardo *apparuisse, sacrum S. Eugenii martyris corpus promisisse, atque ut Broniensem rœdificaret ecclesiam, præcepisse, biographus num.* 8 *et* 9 *litteris prodit; hic autem ibidem nec de aqua multis profutura, nec de sacra sanctissimæ Crucis portione, quæ* Gerardo *in visione illa ab Apostolorum Principibus fuerit promissa, ullo verbo mentionem facit, uti ex verbis ejus vel obiter perlectis illico perspicies. Quapropter, cum biographus noster, utpote ex dictis sæculi* XI *scriptor, præmemorato monacho Broniensi anonymo, qui ex dictis sæculo* XII *prope elapso, aut initio sequentis dumtaxat floruit, certissime sit antiquior, verendum sane est, ne extra veritatis limites vagentur, quæ tum de sacra* E
sanctissimæ Crucis portione, tum etiam de aqua multis profutura, quæ Gerardo *ab Apostolorum principibus fuerit promissa, verbis supra huc transcriptis commemorat.*

Verum hoc, utpote quod Sancti biographus, scriptor antiquior, non memorat,

315 *Merito itaque dubitandum est, tum an sacra sanctissimæ Crucis portio, tum etiam an aqua putei, qui in ecclesia Broniensi, teste Rayssio et Bucelino, ante chori ingressum cernitur,* S. Gerardo *ab Apostolorum Principibus, Petro et Paulo, fuerit promissa. Ut porro hac de re magis adhuc dubitandum autumem, facit etiam, quod scriptorum ac monumentorum omnium, laudato monacho Broniensi anonymo antiquiorum, silentium ad biographi nostri silentium accedat. Hinc porro etiam dubium efficitur, an præmemoratam aquam ipsemet* S. Gerardus, *in vivis adhuc superstes, ab Apostolorum principibus acceperit, seu potius an hæc jam a Sancti ætate ægris salutaris Bronii audierit. Verum, inquies, si aqua illa Sancto neque ab Apostolorum Principibus promissa aut concessa, neque jam a Sancti ætate ægris salutaris Bronii audierit, qui tandem factum est, ut secutis deinde temporibus sanandis morbis apta fuerit putata? Respondeo, id ortum esse posse ex eo, quod, cum forte puteus, a Rayssio et Bucelino memoratus* S. Gerardi *nomine (solet quippe in nonnullis locis Sanctorum nomine aqua benedici) fuisset* F
benedictus, aqua ex hoc, cum fide viva speque firma ab ægris potata, pristinæ hos sanitati reddidisset, ægris prodigiose salutaris, fama id vulgante, passim audierit. Hinc porro etiam factum esse potest, ut aquam illam Gerardo *in visione, qua ei S. Eugenii corpus ad Apostolorum Principibus promissum fuisse, scribit biographus, pariter ab his promissam, reque ipsa etiam fuisse concessam, creditum paulatim fuerit a nonnullis, qui, quam in aqua ægros sanandi vim observabant, idcirco illi inesse, quod divinitus esset* Gerardo *concessa, facile libenterque inducebant in animum.*

admodum est incertum;

316 *Utut sit, quamvis equidem ex jam dictis dubium sit admodum, an memorata aqua* Gerardo *divinitus fuerit concessa, non est tamen, cur quis neget, eam ægris salutarem esse, si ab his cum firma in* S. Gerardi *merita fiducia hauriatur. Et vero, etiamsi ex dictis aquam, quæ ægris salutaris sit, a* Gerardo *divinitus fuisse acceptam, ex sæpissime jam laudato monacho Broniensi anonymo certum esse haut possit, attamen cum hic secundum jam dicta sæculo* XII *fere elapso aut certe sequentis initio floruerit, aquæque nihilominus, quæ Bronii ægris salutaris sit, meminerit, indubitatum fere ex illo fit, opinionem, qua Broniensis puteus, a Rayssio et Bucelino memoratus, ægris existimatur salutaris, a sæculo* XII *jam invaluisse. Quapropter, cum opinio illa*

nec propterea tamen aquæ Broniensis virtus debet negari,

A *illa adeo sit antiqua, non est sane, cur quis merito vocet in dubium, an præmemorata aqua, si cum firma in* S. Gerardum *sumatur fiducia, medelam ægro nata sit afferre. Itaque aquæ illius virtuti nihil detraho, sed tantum an a Sancto divinitus, ut fertur, fuerit obtenta, voco in dubium. Porro ægris sæpe saluti fuit non tantum Broniensis aqua, verum etiam vel facta vel tantum promissa peregrinatio ad Sancti sepulcrum seu sacrum corpus, quod, ut Raysius in Hierogazophylacio Belgico aliique testantur, Bronii in argenteo feretro industrie elaborato honorifice servatur. Solebat adhuc sæculo* XVII, *ut dominus Sourisius, supra sæpissime laudatus, in* S. Gerardi, *quod concinnavit, Vitæ Compendio sub finem testatur,* S. Gerardi *sepulcrum seu sacrum corpus a peregrinis, ut a febribus et aurigine seu malo icterico sanarentur, undique Bronium confluentibus, quotidie visitari; plerique autem ex his, ut ibidem etiam addit, sanitati, postquam sacrosancto Corpore Dominico se refecissent, simulque ex præfata aqua bibissent, penitus restituti revertebantur.*

uti nec peregrinationis ad Sanctum vel factæ vel promissæ. Hac quippe via Simon Anseau,

317 *Nec tantum illi ægri, qui reipsa Sancti sepulcrum visitarunt atque ex aqua, nomini ejus sacra, hauserunt, sanitatem frequenter sunt adepti; verum etiam, ut idem Sourisius ibidem pariter testatur, non pauci alii, qui cum Sancti sepulcrum se visitaturos, dumtaxat vovissent, illico, queis vexabantur, morbos depelli senserunt. Ut porro laudatus Sourisius dictis suis fidem conciliet, nonnulla adjungit mira-*
B *cula, quæ in ægris, vel promissa dumtaxat vel etiam facta ad* S. Gerardi *sepulcrum seu corpus peregrinatione, sanitati pristinæ mox restitutis, fuere patrata. Hæc, quod fide digna appareant, e lingua Gallica, qua scripta sunt, versa in Latinam hic pariter lubet subjungere. Primum sic habet :* Anno Salutis nostræ MDCII, die XXVI Augusti Simon Anseau pharmacopola Thuniensis seu Tudiniensis, annos tunc natus triginta duos, cum integro trium mensium spatio tertiana, quartana et quotidiana febri laborasset, ceræ instar factus erat flavus. Cum interim omnia tentasset remediorum genera, virisque in arte medica expertissimis, domino Ghoisson et domino Ghanart, usus fuisset, tandem ab his absque ulla vitæ spe derelictus, vovit Deo et S. Gerardo, sese hujus sanctas Bronii visitaturum reliquias, eademque hora sanitati pristinæ fuit restitutus, ita ut tertia post die, quæ erat Augusti XXIX, ipsemet Thunio (*ditionis hoc est Leodiensis oppidum ad Sabim situm*) ad S. Gerardi, septem circiter inde leucis dissitum, absque alicujus opera venerit. Quod dictus Simon cum matre sua, dicta Agnete Haverlant, coram Priore binisque aliis loci Religiosis tunc testatus est. Idem testimonium postea adhuc
C præfatus Simon, ejusque mater et uxor Thunii in domo sua coram Broniensi Priore Gerardo Souris, ejusque socio Joanne Clerici, item coram domino Petro du Bois presbytero, ejusque patre domino Georgio du Bois, cive et scabino Bellomontiensi iterarunt. Et omne, quod supra, dictus Anseau die XXV Augusti, anno MDCXVIII coram curia Thuniensi testatus adhuc est, subque solemni juramento affirmavit secundum instrumentum, quod ea de re confectum est, signatum : Jacobus Playoul prædictæ curiæ greffiarius.

Franciscus de Prez Thuniensis civis,

318 Tertia Septembris die anno MDCXI Franciscus de Prez Thunii oriundus, hujusque loci civis, annos tunc natus viginti novem, cum trium hebdomadarum spatio febri continua et acuta maxime laborasset, omniaque, quibus se sanaret, quæsivisset remedia, nec tamen ullum, quod ei mederi posset, invenisset, consilio prædicti Simonis Anseau, olim meritis S. Gerardi sanitatem consecuti, vovit, sese Bronium, quo Sanctum invisat, iturum, moxque liberatus febri, plenæque sanitati fuit restitutus : quod dictus Franciscus visitans sanctas reliquias die XVI Septembris anno MDCXII* coram Priore jam nominato et aliquot Religiosis declaravit ac professus est, in testem adducens præfatum Anseau. Ac deinde adhuc totum vigesima quinta Augusti, anno MDCXVIII coram præfata Thuniensi curia solemni juramento confirmavit secundum instrumentum ea de re confectum et signatum : Jacobus Playoul greffiarius.

* *an forte* anno MDCXI?

AUCTORE C. B.

dominus Natalis Mathieu sacellanus,

319 Mense Februario, anno MDCII dominus Natalis Mathieu natus in Methet, ejusdemque loci sacellanus, cum, tunc viginti annorum ætatem habens, in civitate Montensi litteris humanioribus daret operam, aurigine per totum corpus fuit correptus, cumque duorum mensium spatio aut circiter ex malo illo pessime fuisset affectus, nec ullum ex medicina retulisset solamen, ad parentes suos adductus est, et ab his Bronium, ut ibi et sacrosancto Eucharistiæ epulo se reficeret, et preces suas dirigeret ad S. Gerardum, quo hic ei intercessione sua et meritis in extrema necessitate vellet succurrere. Vota precesque ejus exaudita quamprimum fuere; ab hoc enim tempore melius habere se, sentiens, intra unum alterumve diem sanitati omnino fuit redditus. Quod dictus dominus Natalis scripto manu sua signato attestatus est; et postea ipse, ejusque mater, Maria Buseau sub fide sua vigesima secunda Augusti anno MDCXVIII coram domino præfati Metheti Baillivo, notario imperiali, testati sunt. Omnia secundum instrumentum, ea super re confectum, die et anno, quo supra; signatum : Petrus Douilliet notarius.

puer octennis ex Rebecque prope Angiam natus,

320 Quinta decima circiter Junii die anno MDCX puer octennis, ex Rebecque prope Angiam natus, nomine Joannes, filius Joannis du Ray et Martinæ de Heue, post longum gravemque morbum ab omnibus tandem medicis, nullam amplius ejus E sanandi spem habentibus, fuit relictus, mansitque dictus puer octo dierum spatio elinguis suique impos, ita ut diu noctuque nihil aliud, quam suprema ejus hora exspectaretur. Nihilominus parentes ejus, a Deo, ut credunt, incitati, filii sui nomine, qui ad mortis extrema videbatur deductus, Bronium ad S. Gerardum voverunt peregrinationem, illicoque, quasi e somno fuisset excitatus, ad se rediit, cibum et potum petiit, et simul atque peregrinatio (quod non diu, postquam fuisset promissa, evenit) fuit peracta, præmemoratus puer sanitati omnimodæ fuit restitutus, nuncque adhuc vivit sanus et vegetus, artem lignariam quotidie exercens. Paucis, postquam sanitatem adeptus esset, diebus pater ejus et mater, una cum scriba seu notario (*ita hic vocem Gallicam* clerc *interpretandam reor*) Rebecquano, appellato Joanne Rogerie, ad Priorem Broniensem scripto miserunt de miraculo illo testimonium, signo suo manuali munitum; ac deinde dictus Joannes du Ray, pater dicti juvenis, verum esse omne, quod supra dictum est, coram curia Rebecquana testatus est, uti liquet ex testimonio et instrumento Rebecquani magistratus dato decima Septembris die MDCXVIII. Signato F

Sebastianus Anthoine. Joannes du Ray.
Guilielmus Marsille
H. de Moitoimon greffiarius.

puella nobilis decennis, multique alii ægri sanitati fuere restituti.

321 Mense Maio anno MDCXVII puella nobilis, nomine Gertrudis, filia domini de Fumal, decem tunc annis aut circiter nata, cum trium hebdomadarum spatio aurigine, per totum corpus diffusa, gravissime fuisset afflicta, simili voto ejus nomine a parentibus nuncupato, pristino mox colori et sanitati fuit restituta; Broniique S. Gerardi reliquias vigesima tertia dicti mensis Maii die apprime sana invisit : quod tunc ipsa una cum comite sua coram dicti loci Priore fuit testata. *Atque ita jam habes omnia miracula e lingua Gallica in Latinam a me conversa, quæ* Gerardi *intercessione et meritis sæculo decimo septimo, quo ipsemet floruit, patrata narrat dominus Sourisius, mox etiam subjungens :* Plura similia miracula Sancti hujus meritis nostro tempore fuere patrata, quorum relationem, ne nimium simus prolixi, in hoc præsenti Compendio omittimus, asseverantes, fore, ut illa una cum iis, quæ quotidie evenire, pie credimus, postea etiam in lucem emittamus, modo ii, qui vel solatio affecti, vel sanitati restituti fuerint, authenticum rei testimonium nobis dare voluerint : *Hæc ille :*

præter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

præter quæ et jam supra memorata cum nihil amplius, quod ad gloriam Sancti posthumam, resque gestas pertineat, notatu dignum inveniam, Commentario huic finem impono.

VITA

Auctore anonymo, verosimiliter monacho Broniensi,

Ex editione Mabillonii Sæc. V, *Benedict. parte* I, *a pag.* 252 *ad pag.* 276.

PROLOGUS.

Quæ auctorem a scribendo deterreant, ratioque,

a

b

Domino patri amantissimo et pastori vigilantissimo domno Gontero *a*, abbatiæ Broniensi prælato, quidam professionis monasticæ, nullus autem religione, una sibi cum commisso grege perennis pascua vitæ. Jubet paternitas vestra *b*, mi pater dilectissime, immo filiorum vestrorum melliflua compellimur petitione, ut de domni Abbatis vita et virtutibus seu conversatione quemdam quasi nucleum satagamus quomodolibet enucleare : quatenus hac spiritali refectione interiorem hominem

B vulneratum ipsius Patris amore, estis quippe caritate vulnerati, valeatis communiter refocillare. Verum, quæ et qualia nos absterreant ab hujusmodi cœptis, pandendum videtur : advertite paucis. Extollenda quippe tanti Viri præcellentia, calami nostri balbutiens imperitia, æmulorum nihilominus obtrectans socordia, prioris etiam scriptoris oratio grammatice quidem composita; non tamen idiotis minusque capacibus satis perspicua *c*.

c ob quam nihilominus scribat.

2 Hæc autem omnia posthabemus jussioni vestræ; et licet tantæ impares simus sarcinæ, decrevimus tamen cum detrimento quoque nostri pudoris obtemperare. Nostram etenim pusillanimitatem ille confortat, cujus veridicentia salubriter clamat : Vires, inquiens, quas imperitia denegat, caritas fraterna ministrat. Hoc in sermone confidens præsumo inchoare, certus certissime, quod auctoritas jussionis vestræ excusabit culpas imperitiæ nostræ. Pro vestra ergo benevolentia in me supervacua, quæso, resecate, hiantia supplete, commode dicta alacriter suscipite, nostrumque munusculum paterna gratia provehite : ita enim et vobis constabit ratio nostri operis, si, quæ elicimus ex Viri Dei gestis, comprobentur subtili judicio sapientis. Vale vir Dei, et memento mei : valeant benivoli, resipiscant æmuli.

C

ANNOTATA.

a *Fisenus in ecclesiæ Leodiensis Floribus* (*adi Commentarii prævii num.* 8) *pag.* 446 *abbatum Broniensium exhibet Catalogum, in quo post* S. Gerardum *Heribertus, anno* 998 *vita functus, deinde Guinebaldus, ac tertio loco comparet Gonterus.*

b *Hinc consequi videtur, scriptorem hunc fuisse Broniensem monachum. Adi Com. prævii num.* 15.

c *Hinc liquet,* S. Gerardi *Vitam litteris etiam mandasse scriptorem, qui antiquior sit, quam Vitæ, quam edimus, auctor, huicque insuper illum præluxisse.*

CAPUT I.

Illustres Sancti natales, pietas in juventute, militia apud Berengarium comitem, cœlestis visio, rara in exsequendo, quod hac in mandatis accepit, promptitudo, legatio in Franciam, vita monastica suscepta.

Sanctus claros sortitus est natales,

Vir itaque Domini domnus abbas Gerardus, gerendis Domini mandatis mirabiliter aptus, immo sacri principatus hierarchia cælesti per omnia dignus, sicuti veridicorum relatione comperimus, ingenuis atque orthodoxis parentibus apud Stablecellas Lomacensis territorii vicum exstitit oriundus. Claris quidem natalibus enituit, splendidior vero morum probitate refulsit. Pater ejus Stantius, ex prosapia Haganonis, Austrasiorum ducis, prosatus *a;* mater autem Plictrudis nuncupata, domni Stephani, Tungrorum episcopi *b*, soror traditur exstitisse germana.

D

a

b

pietatisque studio ab ineunte ætate sese addixit.

4 Huic ab ineunte pueritia Divinitatis concessit clementia, ætate videlicet sensuque proficere, et tam Deo quam hominibus complacere. Qui quoniam juvenculus esset corpore, juvenum tamen obscœnas confabulationes dedignabatur attendere : quin potius bonorum assuescens interesse conventibus, iniquorum evitabat summopere cœtus; et quem in corpore juventus exornabat splendida, mentis canities condecoraverat sancta. Domus Dei ardentius frequentabat limina, ecclesiastici dogmatis sitiens epotare flumina : cujus salutaria ibidem percipiens pro captu monita, licet laicali esset circumdatus toga, tenaciori ruminabat memoria. Præmeditabatur adhuc teneriori pectore, quæ meruit postea devotus implere.

Horrens amplecti luxus et ludicra sæcli,
Emeruit templum fieri Spiraminis almi.

E

Militiam apud comitem Berengarium sequens, rariis animi corporisque

c

3 Ea tempestate comes Berengarius *c* Namucensi castro præsidebat, cujus stirpis posteritas ibidem hactenus perstat. Cui hic Athleta Dei officio militari commissus adhærebat, primumque gradum amicitiæ ejus quam familiariter obtinebat. Is ejus ad arbitrium comitatus negotia disponebat, sibique præ ceteris difficiliora et secretiora committebat : quia (quod perrarum est) et militia valebat, et consulto prudentiori pollebat. Erat namque perspicax in consilio, fidelis in commisso, verax in sermone, facundissimus ore, lætissimus facie, serenissimus mente, dulcissimus collocutione, mansuetissimus conversatione, justus in judicio, strenuus in auxilio : invictissima quoque muniebatur armatura; fidei scilicet galea, justitiæ lorica, verbi Domini framea, æquitatis impenetrabili parma. His vallatus inexpugnabiliter, spirituales nequitias debellabat infatigabiliter : hunc occultabat paludamentum cum Sebastiano, sed monachum demonstrabat frugalitas cum militante Martino.

dotibus est ei percarus, virtutesque christianas sedulo interea excolit;

6 Multa illi circa commilitones benignitas, mira caritas, multa patientia atque humilitas. Proinde eum acsi patrem reverendo venerabantur, acsi dominum venerando reverebantur. Thesaurizabat igitur in cælo, ubi nec tinea demolitur, nec ærugo. Nudos tegebat, egentes alebat, laborantibus assistebat, pusillanimes refovebat, pupillos tuebatur, viduis adminiculabatur, oppressis patrocinabatur, miseris opitulabatur.

F

Pacis amator erat, litem rixasque fugabat,
Ceu vir apostolicus est omnibus omnia factus.

Enimvero ex tanti Viri contubernio comes non modico tripudiabat gaudio, multoties expertus evidenti indicio, Domini Jesu manum esse cum illo : quippe cui, opitulante Deo, procedebant cuncta pro voto. Unde vix valens ejus absentiam ferre, a sui præsentia rarius sustinebat abesse. Qui cum una dierum (ut est consuetudinis nobilium) cum suis procederet venatum, hunc etiam, de quo agimus, Sanctum utile duxit educere secum.

dum autem quodam die post venationem cum comite obitam Sacrum audire meditatur,

d

7 Post gratum ergo venationis laborem, et sol jam in centro poli poscebat prandii panem; comes et sui quærentes refectionem, regredi maturant suam ad mansionem. Ipse vero Dei amicus præponens spiritualia corporalibus, contiguam petiit ecclesiam Bronii sitam impransus, quæ cum quibusdam prædiis adjacentibus ditioni suæ obvenerat a progenitoribus. Amplitudine siquidem prædiorum clarebat *d*, utpote qui suorum virtute majorum non degenerabat. Hoc autem oratoriolum jussu Pippini principis accepimus fundatum, et a domno Lamberto, Tungrensi præsule *e*, dedicatum, ut quoniam in vicinia saltus Marlignæ *f* erat positum, ubi princeps ipse solebat sæpenumero habere venationis exercitium, audire commodius posset divinum

e

f

A divinum ibidem officium. In quo etiam jucundum perhibetur accidisse aliquando miraculum, ex uno videlicet, quod sacer Antistes inunxerat saxum, per aliquantulum temporis affluenter emanasse oleum.

in ecclesia somno obruitur, corpusque S. Eugenii a se obtinendum, cœlesti visione intelligit;

8 Igitur Vir Domini sacerdotem mandans accersiri, ad tractanda scilicet Mysteria Christi; interim, ceu decebat servum Domini, orando incumbit divinæ contemplationi : et dum diutius præstolatur sacerdotis adventum, sopor divinitus irruit super eum, ut, quod materiali ædificio construxit postmodum, Divinitas sibi ostenderet in spiritu oratorii locum et modum. Vidit igitur in oromate * columnas Ecclesiæ, Petrum scilicet et Paulum, sibi assistere *g*, quorum alter primus in apostolico agmine manum manui ejus visus est innectere, eumque per ecclesiam et atrium familiarius circumducere. Viro Dei requirente quid sibi vellet in hujusmodi deambulatione, cœpit eum commonere de oratorii constructione, eumque edocens locum sibi delegisse, filiolumque suum martyrem Eugenium *h* cooperatorem secum constituisse : Loci, inquit, hujus decrevi fore patronus, postque Deum custos procuratorque benignus. At ille exhilaratus tanta promissione, qualiter res effectum posset habere, ardebat prænoscere. Quonam modo, inquiens, B pastor egregie, sancti martyris sperem potiri corpore? Sub hæc jucundiori facie refert Apostolus : Numquid Deo quidquam impossibile? Deo mihique committe.

* *i. e.* visione

g

h

qua etiam Broniensem ecclesiam reædificare jubetur;

9 Hanc ergo basilicam a fundamento dirue, ampliorem atque elegantiorem ne pigriteris reddere, et juxta quod nunc ostenditur tibi, instantius singula comple. Præmonstrabat quippe illi et quantitatem oratorii, et quomodo quæque ibi oporteret aptificari. Jamque sacerdos accersitus advenerat, et ex more compositus Missam celebrare volebat, nec tamen sonitu seu tactu excitare eum audebat, sed potius, ut ultroneus expergisceretur, silens sustinebat. Expleta tandem visione apostolica, beatus Vir a dilecta solvitur somnolentia, et submurmurante presbytero super diutina exspectatione, ita compescuit eum amicabili voce :

Obsecro, serve Dei, super hoc absiste moveri,
Proficuum valde mihi somnum sic subiisse :
Condignas nequeo grates persolvere Christo,
Cujus mira brevi pausans miracula vidi.

jusso Sanctus obtemperat inque reædificata ecclesia clericos ad tempus constituit :

10 Ceterum si quis obloquentium hoc autumat phantasticum, procul dubio condemnat eum in vita domni Benedicti simile huic gestum, qui discipulis dormientibus cunctas ædificandi cujusdam cœnobii officinas *i* designavit *k* : quibus etiam super eodem invigilando hæsitantibus, ut ex revelatione didicerant, complere mandavit. Sic quoque beatus Ambrosius, Mediolanensis episcopus, sacris assistens altaribus, apud Turonos Magni Martini exsequiis legitur interfuisse sollemnibus *l*. Vir vero Domini Gerardus jussionis apostolicæ exsecutor promptissime, postquam fine tenus injunctum peregerat opus, ad eamdem basilicam devotissimum contulit munus ex copiosis prædiorum suorum redditibus *m*, quod interim sufficeret ibidem Deo servientibus. Adhibuit quoque illic pro tempore clericorum religionem *n*, per datam sibi sapientiam instituens eos vivere secundum canonicum morem *o*.

i
k
l
m
n
o

Talis relligio præcessit tempore primo,
Donec, dante Deo, monachorum inducitur ordo,
Rebus et officio longe præclarior illo.

de corpore autem Eugenii acquirendo sollicitus, a Berengario legatus Parisios mittitur;

11 Constructo igitur Vir sanctus oratorio, atque ibidem, ut dictum est, constituto clericorum officio, de divinitus sibi promisso cœpit plurimum cogitare thesauro, qualiter videlicet potiri posset beati Eugenii martyris et episcopi corpore sacrosancto. Circa quod dum crebro ejus versatur intentio, superius memorato comiti Berengario quibusdam ex causis incidit occasio (sic nimirum divina disponebat promissio) ut in Franciam dirigeret legationem inclito cuidam comiti, nomine Roberto, quem postea Francorum nobilitas scep-

AUCTORE ANONYMO.

trifero sublimavit solio *p*. Ad se autem adscito Dei Athleta, solus soli revelat consilii sui secreta; et ut illuc usque sua proferat missatica, collocutione commendat amica. Nec mora, Vir Domini cum suis tramitem init, pauculisque diebus evolutis, Parisius venit; et jam inclinata die, cum tardior hora longius prohiberet procedere, nonnullis suorum indicit congrua sibi ad hospitandum diverticula perquirere. Ipse vero cum paucis veneranda Christi martyrum Dionysii sociorumque ejus adiens limina, Deo devota orationum offert libamina, sibique Sanctorum exoptanda implorat affore patrocinia. Contigit autem, superna sic providente clementia, ut ipsa eadem hora vespertinam synaxim monachorum decantaret caterva : quorum dulcisonis modulationibus dum Vir ecclesiasticus auscultaret attentius, ventum est ad eum supplicationis locum, ubi consuevit chorus fratrum speciatim interpellare suffragia Sanctorum.

p

ibique illud esse in S. Dionysii monasterio, ex hujus monachis addiscit;

12 Aliquantis ergo nominatim recitatis, subjuncta est etiam commemoratio Eugenii desideratissimi martyris. Quæ vox ut pervenit ad aures Christi Athletæ, non mediocriter cœpit animo vacillare, utrumnam arbitraretur, eum forsitan esse, cujus nomen ante didicerat in oromate.

Et cœpit secum tacitus deposcere Christum,
Ut se suspensum celeraret reddere certum.

E

Interea loci completis vespertinalibus hymnis, semotim abductos quosdam fratrum de primis secretim alloquitur istiusmodi verbis. Obsecro, inquit, domini et patres dilectissimi, ut meæ pusillitati intimare dignemini, quisnam fuerit hic martyr, cujus nomen Eugenii modo audivi inter ceteras recitari? At illi intuentes simplicitatem et innocentiam Viri, responsum hujusmodi unanimiter referunt illi. Nonne, inquiunt, nostis, pater venerande, hunc episcopum fuisse urbis Toletanæ *q*? Nonne et iste fuit patroni nostri, domni videlicet Dionysii, auditor et collega ad erogandum gentibus verbi Dei semina, qui etiam diris tormentorum suppliciis spiritum reddidit sui sanguinis imbre perfusus.

q

Petit adeo ab his sacrum pignus, fitque ei, si ibi fiat monachus, voto potiundi spes.

13 Quibus auditis, Vir venerandus mentis suæ gaudia dissimulare nequit ulterius, illisque suum adaperiens desiderium, propensius rogat, ne cui pandant mortalium. O, inquit, patres amantissimi Deoque devotissimi, si vestræ complaceret dulcissimæ dilectioni, ut reliquias hujus Sancti conferretis meæ tantillitati, condignum talione, credite mihi, sine dilatione rependerem caritati. Qui super hoc stupore perculsi, Quo pacto, inquiunt Vir Dei, quod postulas potest impleri? Vix enim omnia quis referat miracula, quæ multis in hac Gallica præstiterit provincia, unde omnes ut angelum sic diligunt Eugenium. Crede nostræ fraternitati, rem difficillimam postulasti. Quibus Vir Dei : Nolite, inquit, patres, nolite, quæso, sic loqui, et fidentiam hujus rei tam cito tollere mihi? numquid invalida manus Domini? numquid est quidquam difficile sibi? ibi divina est voluntas, ibi nulla profecto difficultas : ubi nulla difficultas, necessario consequitur possibilitas. Videntes ergo tantam in responsis ejus prudentiam, hujuscemodi verbis illi suam prorsus aperiunt benevolentiam. Eia Vir Domini, perpaucis, si placet, audi, accipe consilium, si vis attingere votum. Si enim cor tuum compungeret amor divinus, ut hoc in loco fieri peroptares monachus; forsitan tuo satisfaceret desiderio Deus, ut, quod tantopere poscis, consequi posses beati martyris corpus : hæc nostri consilii summa; tu vero, quid te oporteat facere, pensa.

F

Post hos sermones abscedunt ad sua fratres,
Sanctus ad hospitium deducitur ante paratum.

Hinc vitam statuit amplecti monasticam,

14 Igitur consolatoria, quæ sibi fratres suggesserunt verba, meditatione creberrima revolvens nocte sub ipsa secum, flebilia secum protrahendo suspiria, tandem adversum se prorupit in hujus quærimoniæ lamenta. Quid, inquit, agimus anima? cur adeo diligimus inania? qui mundana juvat gloria? quid humana proderit pompa? nonne frivola

AUCTORE ANONYMO.

hæc et transitoria? nonne recedunt, ceu fumus et umbra? Quid sub ambiguo teneris suspensa? mundus transit ejusque concupiscentia. Quæramus, quæso, permanentia, spernamus transitoria. Numquidnum pertonat sermo Euangelicus, Nisi quis renuntiet iis, quæ possidet, non potest Christi esse discipulus? Renuntiemus ergo, renuntiemus omnibus, ut Christo valeamus inhærere liberius. Hæc et his similia dum deflendo conqueritur Dei Athleta, diem repræsentans polum purpurat aurora, quæ compellit eum repetere cœpti itineris interstitia.

reduxque e legatione, petit et impetrat a Berengario facultatem ex sequendi propositi;

15 Rebus autem ex sententia succedentibus, non multo post ad eum, cujus missum obierat, comitem est regressus: qui cum commissa seriatim retulisset internuntia, jamjamque contemplans mente cælestia, sic desiderii sui interserit affamina. Oro, inquit, virorum illustrissime, quem Dominus Jesus principali sublimavit honore, ut benignam petitioni meæ aurem digneris accommodare. Diutius sub te sæcularem sustinui militiam: jam nunc exigit tempus, ut aliter vivere incipiam. Insignitus ergo habitu monachali deinceps habitare elegi in domo Dei mei, ut expeditus ab omni cura forensi militare valeam Domino soli. Noli, quæso, meo refragari proposito, quatenus, si quid boni cœnobialiter egero, particeps fieri
B merearis, auspice Christo. Inde comes lacrymis singultim fatur obortis: Numquid, ait, amicorum amicissime, unanimem amicum vis deserere? Quid dilectioni tuæ displicuit in me? eheu incumbebam super te, quiescebam in tuæ unanimitatis tranquillitate: sed, ut conjicio, et Euangelica eruditur auctoritate, gladius Domini quærit nos ab invicem separare. Quæ nisi a Deo crederem esse, quisnam te vel centimanus gigas a complexu meo posset divellere? Nunc vero, quandoquidem hæc tibi divinitus inspirata, ne temere videar aspernari precamina, voluntas Domini tua et petitio tua.

Dulcia fraternis tunc imprimit oscula labris,
Edidit et talem mæsto de corpore vocem:
Mostræ pars animæ, nostri memor esto valeque,
Atque gemens valde regementem solvit abire.

quod etiam deinde post salutaria quædam monita
r

16 Vir vero Domini inde movens gressum, prospero tramite tendit ad Tungrensem episcopum, nomine Stephanum; ut, quia pastor suus erat post Pastorem summum *r*, ab eo acciperet de hac re licentiam et consilium. Plurimum quippe credebat profore sibi, si cum benedictione episcopali hostia viva Deo mereretur offerri; a quo susceptus cum debita sibi reverentia, seu pro mutuæ cognationis convenientia, seu pro sua, quam optime noverat, sanctimonia, inter cetera, quæ mutuo habuerunt
C ædificationis colloquia, humiliter insinuat ei, cujus rei advenisset gratia. At Præsul venerandus, ut erat in Scripturis eruditissimus et verbis eloquentissimus, præmonere eum cœpit compluribus exhortationum disputationibus. Fili, inquit, dilectissime, quem diligo præcordiali amore, non deero devotioni tuæ: sed est tibi cavendum summopere, ne præsumas humero tuo onus imponere, quod deponas postmodum, velis, nolis, cum dedecore. Propositum sane, quod habes in mente, vehementer laudabile: verum perfectioribus etiam viris est formidabile. Numquid clam te sunt versutiæ milleformis satanæ? Quod vix prævalet clericus divinæ Scripturæ clypeo munitus, qualiter implebit laicus tali munimine nudus? Ad hæc Christi Tirunculus paucis refert sermonibus: Idipsum, ait, mi pater, mecum reputavi frequentius, neque meis viribus confido ullatenus: sed Domino potius committens animam et corpus, gloriolam mundi sperno cum suis oblectationibus.

approbante Stephano, Tungrensi episcopo Parisios regreditur, monachumque in S. Dionysii

17 Domnus denuo episcopus: Quoniam quidem, inquit, Fili carrissime, in hac intentione video te fixum et immobilem esse, ne videar dissuadere, quod oporteret me magis persuadere, si quid vovisti Domino, redde. Melius enim non vovere, quam votum non reddere. Et absolvens eum criminibus cunctis, signaculo consignat summæ Trinitatis, datoque osculo pacis, effundit etiam super eum hanc imprecationem benedictionis. D
Jesu summa salus hominum qui respicis actus,
Cui nihil occulitur, cui pectora nostra loquuntur,
Ad bona, posco, tuum benedicens dirige servum:
Ut tua jussa colat, et te super omnia quærat,
Quatinus æternæ comprendat præmia palmæ.

monasterio induit.

Tanto igitur Vir Dei ditatus viatico a domno pontifice, dilabitur cum spirituali gaudio, et Parisius rediens cum festinantia, atque beati Dionysii beata revisens limina, probatus in omni patientia, humilitate et pœnitentia, sicut edocet salutifera patris Benedicti Regula, barbæ seu capitis cæsarie deposita, monachicum tandem obtinuit schema, traditis videlicet ad eumdem locum, quæ sui juris erant in Lothariensi provincia *s*.

ANNOTATA.

a *Pro Stablecellensis vici, territorii Lomacensis, Stantii seu, ut alii scribunt, Stantionis et Haganonis notitia adi Commentarii prævii num.* 14 *et tres seqq.*

b *Quo anno Stephanus, Leodiensis episcopus, obierit, et an certo cum Plictrude,* S. Gerardi *matre, consanguinitatis vinculo fuerit conjunctus, in Commentario prævio, ac primum quidem num.* 41 *et seq.; alterum vero* § 2 *est discussum.*

c *De Berengario primo, Lomacensi seu Namur-* E
censi, aut, ut ab aliis scribitur, Namucensi comite, de quo in Commentario prævio a num. 25 *usque ad num.* 29 *nonnulla disputata sunt, sermo hic est. Comes ille anno* 908, *imo etiam anno* 932 *in vivis adhuc erat superstes, uti ex iis, quæ Commentarii prævii num.* 25 *et* 156 *dicta sunt, manifestum efficitur.*

d *Et tamen tunc, imo etiam postea, cum* Gerardus *anno* 918 *Broniensi ecclesiæ prædia aliquot donavit, erat adhuc Santius, ejus pater, in vivis superstes. Ut difficultatem hanc solutam invenias, adi Commentarium prævium num.* 33.

e *S. Lambertus, quem hic indubie designat biographus, ab anno circiter* 670 *ad annum usque, ut probabilius est* 709, *Tungrensem seu Leodiensem ecclesiam moderatus est, uti apud nos ad quartam decimam Septembris diem in Commentario ad sancti hujus episcopi Vitam prævio ostenditur. Hinc porro jam consequitur, ut Pipinus, cujus jussu, quod memorat biographus, oratoriolum fuit exstructum, fuerit e tribus Pipinis passim celebrari solitis ille, quem* Heristallium *nuncupant; hic quippe sæculo septimo, et initio sequentis floruit, anno* 714 *e vivis ereptus.*

f Marligna, *ut Mabillonius in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus observat,* seu Marligua, silva Bronio contigua, perstat etiam nunc, vulgo Mar- F
laigne, non longe a Namuco Sabim inter ac Mosam posita.

g *Quid de visione hac,* S. Gerardo *divinitus oblata, statuendum arbitrer, num.* 32 *Commentarii prævii exposui. At vero an in illa* S. Gerardo *promissa quoque fuerit sanctissimæ Crucis portio, et aqua, quæ ægris putatur salutaris, num.* 314 *et seq. discussum invenies.*

h *Eugenius martyr, cujus corpus ab Apostolorum principibus* Gerardo *fuisse in visione promissum, indicat biographus, nec Dionysii Areopagitæ discipulus, nec Toletanus archiepiscopus hoc Vitæ loco vocantur, et tamen Eugenius martyr, cujus corpus seu potius notabilem hujus partem a Dionysianis monachis obtinuit* Gerardus, *ab his infra pro Dionysii Areopagitæ discipulo et pro Toletano archiepiscopo* Gerardo *obtruditur. An recte, Commentarii prævii* § 3 *definii.*

i *Officinæ in monasteriis, ut Cangius in Glossario ad hanc vocem docet, dicuntur ædiculæ, in quibus asservantur, quæ ad victus aut alios usus monachorum spectant: si hic recte scriberet biographus, generaliori loquendi modo dicendum esset, officinas in monasteriis esse omnia diversa loca, quæ monachorum usibus deserviunt.*

k *S. Benedicti abbatis, Ordinis sui fundatoris Vita, quam S. Gregorius Magnus Papa toto suo secundo*

A *cundo Dialogorum libro est complexus, Operi nostro ad* 21 *Martii exstat inserta : in hac autem num.* 22 *de S. Benedicto ita memoratur :* Alio quoque tempore a quodam fideli viro fuerat rogatus, ut in ejus prædio juxta Taracinensem urbem, missis discipulis suis, construere monasterium debuisset. Qui roganti consentiens, deputatis fratribus patrem constituit, et quis ei secundus esset, ordinavit : quibus euntibus spopondit, dicens : Ite, et die illo ego venio, et ostendo vobis, in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel, quæque sunt necessaria, ædificare debeatis. Qui benedictione percepta, illico perrexerunt, et constitutum diem magnopere præstolantes, paraverunt omnia, quæ his, qui cum tanto Patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte vero eadem, qua promissus illucescebat dies, eidem servo Dei, quem illic patrem constituerat, atque ejus præposito, Vir Domini in somnis apparuit, et loca singula, ubi quid ædificare debuissent, subtiliter designavit. Cumque utrique a somno surgerent, sibi invicem, quid viderant, retulerunt : non tamen visioni illi omnimodo fidem dantes, Virum Dei, sicut se venire promiserat, expectabant. Cumque Vir Dei constituto die minime venisset, ad eum cum mœrore
B reversi sunt, dicentes : Expectavimus, pater, ut venires, sicut promiseras, et nobis ostenderes, ubi quid ædificare deberemus, et non venisti. Quibus ipse ait : Quare, fratres, quare ista dicitis? Numquid, sicut promisi, non veni? Cui cum ipsi dicerent, Quando venisti? Respondit, numquid utrisque vobis dormientibus non apparui, et loca singula designavi? Ite, et sicut per visionem vidistis, omne habitaculum monasterii ita construite. Qui hæc audientes, vehementer admirati, ad prædictum prædium sunt reversi, et cuncta habitacula, sicut ex revelatione didicerant, construxerunt. *Hanc duorum S. Benedicti discipulorum visionem seu potius oblatam his in somno sancti patris sui apparitionem indubie hic designat biographus, ut consideranti patebit.*

l *S. Ambrosius, Mediolanensis archiepiscopus, die Dominico, ut Gregorius Turonensis lib.* 1 *de Miraculis S. Martini cap.* 3 *refert, publice in ecclesia obdormivit, et* transactis fere duarum aut trium horarum spatiis, *a suis, ut lectionem legi juberet, excitatus, dixit, obiisse S. Martinum, et se* ejus funeri obsequium præbuisse, *Adhæc Gregorius post pauca inducit S. Ambrosium in laudem S. Martini ita exclamantem :* O beatum virum, in cujus transitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exsultat chorus, omniumque cælestium virtutum occurrit
C exercitus ; diabolus præsumptione confunditur, Ecclesia virtute roboratur, sacerdotes revelatione glorificantur! Quem Michael adsumsit cum angelis, Maria suscepit cum Virginum choris, paradisus retinet lætum cum Sanctis. *Hæc et plura alia, tamquam verba Ambrosii referens, ibidem habet Gregorius.* Verum, *inquit ad* 29 *Septembris in suo de S. Michaele et omnibus angelis Commentario Historico num.* 336 *et* 337 *Stiltingus noster,* tota hæc relatio ab aliquibus pro fictitia habetur, quod existiment, S. Ambrosium obiisse ante S. Martinum, ut credidit Baronius, aliique non pauci eum secuti. Hinc aliqui voluerunt, dictam visionem non obtigisse S. Ambrosio Mediolanensi, Ecclesiæ doctori, sed S. Ambrosio, qui illo tempore Mediolani Santonum in Gallia episcopatum gerebat, ut observavimus ad XXVIII Augusti, quo de S. Ambrosio Santonensi egimus. Revera fieri potuit, ut, quod contigerat S. Ambrosio in Gallia antistiti, per traditionem corruptam a Turonensi transferretur ad celebriorem in Italia Ambrosium. At necdum inveni tam certo probatum, superfuisse S. Martinum post S. Ambrosium, ut S. Gregorium certi erroris arguendum existimen. Poterit ad XI Novembris aut ad VII Decembris res illa prolixius examinari, quam congruat huic loco. *Ita recte Stiltingus. Verumne ergo, an falsum sit, quod hic de S. Ambrosio, Mediolanensi episcopo, legi asserit biographus, ad* 11 *Novembris aut ad* 7 *Decembris diem discutiendum relinquo.*

m *Quod supra ad litteram* d *dictum est, hic repetitum puta.*

n Gerardus *jam tum Bronii, cum hoc fecit, cœnobium exstruxerat. Videsis Commentarii prævii* § 7.

o *Hinc sat validum formatur argumentum pro opinione, quæ monasterium Broniense a* Gerardo *nondum monacho statuit exstructum. Adi Commentarii prævii num.* 93 *et seq.*

p *Robertus, a biographo hic memoratus, Roberti, cognomento* Fortis, *filius, et Odonis Francorum regis frater, primo quidem Parisiensis comes exstitit; ast deinde, anno nempe* 922 *Remis apud S. Remigium ab episcopis et primatibus regni fuit etiam Francorum rex contra Carolum Simplicem constitutus : regnum autem haud diu tenuit. Fuit enim anno* 923, *illum inter et Carolum Simplicem commissa prope Suessionas pugna, lanceis confossus. Adi Frodoardum in Chronico ad annum* 922 *et seq.*

q *Eugenium, cujus reliquias a Dionysianis accepit* Gerardus, *verosimillime non fuisse Toletanum archiepiscopum, nec Dionysii Areopagitæ discipulum, in Commentario prævio* § 6 *docui.*

r *Ante erectum scilicet a Pio IV, summo Pontifice, Namurci episcopatum Broniense monasterium Tungrensi seu Leodiensi episcopo in spiritualibus suberat.* E

s Gerardus *hac donatione etiam Broniense monasterium Dionysianis monachis subjecit, cum illud postea ab his, ut securitati ejus consuleret, redimere debuerit, uti in Commentario prævio dictum est.*

AUCTORE ANONYMO.

CAPUT II.

Vita in monasterio sancte acta, promotio ad Ordines sacros et ad ipsum sacerdotium, reditus in patriam cum S. Eugenii corpore aliisque Sanctorum reliquiis, variaque hujus adjuncta.

Nolens ergo torpescere (otiositas nempe inimica est animæ) suppliciter cœpit exposcere, ut sibi liceret litteras addiscere. Super quo fratribus admodum admirantibus, quod Vir jam dudum barbatus *a* applicari vellet ulterius studiis litterarum puerilibus; dum id diatim expeteret importunius, uni eorum traditur erudiendus. Ut vero plus mireris humilitatem et sollertiam ejus, litteratim percurrit prima elementa, ceu quinquennis puerulus; sicque suum minime relaxans propositum, F in paucitate dierum memoriæ totum commendat Psalterium. Nec mirum; nulla namque ad discendum mora, ubi Spiritus sancti doctrix est gratia. Subinde sacri Codices sibi apponuntur, divino dogmate ubertim debriatur, ut quemadmodum apes florilega pratorum pervolat ampla, ut sibi dulcifluo componat nectare mella; sic et iste sedulus Dei Assecla doctorum recitans scripta, divini favos eloquii ab eorum melliflua excipiebat doctrina, atque sagaciter sacra pectori condebat mandata. Nec interim ad obediendum Regulæ aliquo marcebat tepore, sed in cunctis, quæ videbatur agere, eamdem magistram gaudebat habere.

Sanctus jam monachus litteras addiscit, Regulam interea accurate observans; *a*

19 Quod Prior *b* et fratres sub silentio contemplantes, et qualis quantusve foret, intelligentes, ne lucerna lateret sub modii umbra, quærentes, idoneum censent promoveri ad sacros Ordines. Per quos paullatim permotus, ut in præsentiarum nostræ narrationis explicat textus, attingere etiam meruit honorem presbyteratus, utpote quem totius probitatis adornaverat decus. Qui licet reclamans maluerit obsistere, indignum se vociferans multimoda excusatione; convictus tamen a fratribus vel Priore, jussis eorum compulsus est acquiescere, ne videretur obedientiam deserere, quæ ceterarum comes virtutum assolet esse. Anno igitur conversionis

ad sacerdotium nono sui ad monasterium accessus anno promovetur, *b*

AUCTORE ANONYMO.

sionis ejus secundo Parisius ordinatur acolythus ab episcopo ejusdem urbis Theodulfo; a quo etiam hypodiaconus consecratur subsequente tertio; sub ejus vero successore Fulrado asscendit gradum diaconii quarto. Anno autem nono sublimatus virtutum fastigio, sublimatur et sacerdotio ab ipsius Fulradi successore Adelhelmo *c*.

c

Tale charisma tuis, bone Christe, fidelibus addis,
Qui mentem stolidi prudentem reddere nosti.
Ecce rudis Laicus divino dogmate doctus,
Sacris Ordinibus reperitur magnificatus.

atque ob insignes virtutes amori est omnibus.

20 Florebat tum temporis eodem in cœnobio religiosa monachorum congregatio, quorum vitam suspirare cælestia, virtutum plurima prodebant testimonia. Inter quos ordine novissimus advenerat, sed fieri primus omni bonitate studebat: seniores honore præveniebat, juniores amore fovebat, corpus inedia macerabat, crebior in oratione pernoctabat, cunctis se inferiorem credebat, in omnibus se sicut Dei ministrum exhibebat, religionis normam tenebat, a rectitudine regulari exorbitare pavebat; quod habitu prætendebat, moribus et vita servabat. In vestibus vilitas, in victu erat parcitas. Promptus ad obedientiam, patiens ad injuriam, corpus curabat humiliare in terris,
B quatinus anima exaltari mereretur in cælis. Quantam humilitatem erga prælatos exhibuit, quantam benignitatem apud omnes tenuit, quis verbo depromere, quis calamo potest comprehendere? His et ejusmodi floribus virtutum adornatus, tam pusillis quam majoribus habebatur ex animo carus. Unum exiit inter fratres commune decretum, ut nihil præcipuum absque ejus consilio fieret intra claustrum.

Dari sibi postulat S. Eugenii corpus;

21 Perpendens itaque, petitionis suæ opportunum tempus adesse, quo videlicet præfati martyris venerabilem glebam speraret impetrare; congregata cœnobitarum congregatione, cœpit eos sibi conciliare hac dulcissima locutione. O, inquit, patres et domini, divinæ religionis cultores eximii, qui quasi senatores cæli commanetis infra curiam terrestris paradisi, quasnam gratiarum actiones rependere possim vestræ in Christo unanimitati,
* *an* qua? quæ * me peccatorem et naufragum sub procellosi fluctibus mundi dignanter excepistis vestri tranquillo portu cœnobii? Nulla mihi profecto ad hæc possibilitas, nulla prorsus suppetit facultas. Verumtamen, quod minus potest humana fragilitas, supplere affatim valet largiflua Divinitas. Quorsum autem nostræ orationis tendat prælocutio, paucis advertat, peto, vestræ unanimitatis dulcissima dilectio. Mihi adhuc in sæculari habitu constituto,
C curisque forensibus plurimum occupato, divina in somnis (vivit Dominus) apparuit visio, quæ sub principis Apostolorum honore, filiolique sui martyris Eugenii nomine in meæ possessionis paupertate oratorium me monuit accelerare *d*. Quod
d auxiliante Deo consummans tempore parvo, clericorum illic deservientium delegavi officio, prout valui, usibus eorum procurato victus vestitusque stipendio *e*. Et quoniam super hoc martyre talia
e mihi innotuerunt oracula, annuat eum filietati meæ, suppliciter precor, vestræ paternitatis munificentia, præsertim cum vestra singularis ecclesia tot Sanctorum contineat luminaria, unde sufficienter tota illuminetur Francia: quantenus locelli illius paupercula tanto thesauro locupletetur basilica, et vobis ob hoc repensetur supernæ benedictionis gratia et beatæ perennitatis gloria.

postulato annuunt monachi, aliaque dona adjungunt.

22 His contra unanimes exponunt talia fratres. Divino namque afflamine tacti, quod petebat Vir Dei, nequibant inficiari. O Eugeni, clarissima martyrum gemma, quisnam digne tua valeat attollere præconia?

Gallia nonne tuis virtutibus enitet omnis?
Nemo tuum petit auxilium, quin impetret ipsum:
Nam cunctis nosti languoribus ipse mederi.

Deinde ad Virum Dei: Magna quidem, inquiunt, efflagitas pater dilectissime, et quæ cuivis præter D
te abnegari possent justissime. Sed quia, veluti refers, voluntatis est Dominicæ, et optime meruit tuæ inter nos imitabilis conversatio vitæ; cum omni benevolentia et alacritate assentimur devotissimæ supplicationi tuæ. Nostra etenim cuncta sunt et oportet esse cunctis communia, magis autem cum fraternitate sua, cujus cunctas facultates nostra possidet ecclesia. Quocirca et hunc, quem exposcis, voluntarii damus, et de reliquis Sanctorum reliquias non negamus. Quo audito, Vir Dei, cujus fuerit mentis seu animi, quisque nostrum affectione simili potest secum reputando metiri. Sed quid verborum prolixiorem agimus cursum? Tandem salutiflua desideratissimi martyris exponitur urna, obrizo pretiosiora illius continens membra, quæ honorifice, ut par est, aurificio fabrefacta Viro Dei contraditur ad sua, ut diutius desideraverat, asportanda.

Gerardus patriam repetit, obtentumque sacrum thesaurum Cuvinii ad templus deponit.

23 Ceterum numquid a nobis veritati adstipulantia monachorum tunc ibi officialium expostulatis nomina, dum ipsius martyris veridica viritim eos designet translationis pagina? Non solum autem hujus Sancti corpus abinde *f*, sed et multorum pignora Sanctorum dignoscitur advexisse, quæ fideli repositione sibi collegerat undecumque *g*. Quid quoque (quod vix videtur incredulis credibile) de uno referretur Innocente cum coætaneis succiso *h*, quasi tenerrimo flore, sub Herode crudelissimo rege, quem certissime istuc advectum, hoc eodem procuratore, continet certissime sanctuarium Broniensis basilicæ? Si cui autem ingerit ambiguitatem, Lietaldum percontetur abbatem, hujus Viri Dei in cœnobio Mosomensi successorem *i*, qui cum *i*
eo præsens ad clandestinam tot reliquiarum compositionem demirari solebat, Broniensis locelli angustiis tam mirabilem contineri sanctitatem. Fratres ergo facientes vale, cum suis dimittunt in pace: unde profectus clanculum, ob metum scilicet indigenarum, ne forte præciperent sibi tantum subripi thesaurum, prospero cursu pervenit ad municipium, in pago Lomacensi situm, quod appellatur Cuvinium *k*. Hic autem degebant duo *k*
monachi ex monasterio sancti Germani, ad quem tunc pertinebat fundus ejusdem municipii, unanimiter excubantes cura pervigili in excubiis sancti abbatis Venantii. Quorum expertæ fidei commendans pignora Sancti, utpote qui jam dudum sibi fuerant familiaritate conjuncti, non incongruum duxit adire præsentiam domni Stephani antistitis prælibati *l*, ut quoniam tantum advehebat margaritum suæ diœcesi, probabilem audiret sententiam *l*
super hujuscemodi. F

Sic decorare suos consuevit Christus alumnos.
Hic spretis opibus ejus mandata secutus,
Unde nitet patria, cum merce repatriat ista.

fitque ibi tunc per S. Venantium prodigiosa monachi correptio.

24 Viro Dei indidem digresso, beati martyris corpusculo ibidem relicto, quid ad laudem nominis sui dignatus sit Dominus per eum operari, incongruum videtur silentio tegi. Unus siquidem ex præscriptis fratribus plus solito in potandum quadam noste dimissus, nocturnas ad laudes redditur tardiusculus, potu utique evictus, nimioque sopore gravatus. Cui sanctus assistens Venantius, vultu severiore corripuit eum et verbis, et verbere: Quid, inquiens, nunc stertis, impudens monache? Cur debitos Deo hymnos tricaris persolvere? Quid tu sopore deprimeris, Weremberte *m*? *m*
hoc quippe vocabatur nomine. Ecce frater tuus de somnolentia tua conqueritur Ermarus, ad vigiliarum excubias jam dudum expergefactus. Et si te non nostra adeo sollicitat reverentia, cur saltem tibi commissa almi martyris Eugenii non permovet præsentia? num ignoras ejus merita? numquid non fulgent inter lucida * Sanctorum agmina, sicut sol * *al.* fulgida
inter minora siderum astra? Surge, inquam, surge quantocius, et quod debueras maturius, matura supplere vel tardius. Quæ correptio eo tenus eum correxit, ut ne ad modicum quidem póst hæc ab obsequela martyris, nisi humanitatis gratia, uspiam secesserit.

A secesserit, quoad usque ejus fidelis creditor depositum fidele reposcit. Ne quis autem incredulorum hoc æstimet forsitan fictum, hoc illius, qui pertulit, constat relatu relatum.

Tungrensi, episcopus honorifice excipi jubet martyris Eugenii corpus,

23 Dum autem Vir Domini domino retulisset antistiti de adventu et nomine martyris egregii, continuo ille, ut erat jucundioris animi subtilioris-que ingenii, alludens sacro ejus nomini, verba deprompsit hujusmodi.

Impetret Eugenius nobis, precor, euge beatus,
Quod Dominus digno dignatur dicere servo,
Quando reddit ei cælestis gaudia regni.

Post hæc pias manus attollens et oculos ad cælum dirigens, benedixit Deum in hæc verba gratias agens.

Laus et honor decus atque decor tibi Christe redemtor,
Qui famulis bonus immeritis bona multa rependis.
Quasnam multiplices tibi possim reddere grates,
Qui partes nostras hoc tanto munere dotas?
Martyr hic eximius nostra ad confinia missus,
Credo equidem cunctis apportat dona salutis.

* inquit Et conversus ad Virum Dei. Quid, inquis, * recrastinas, dilectissime fili?

B Rumpe moras omnes et nequaquam obsecro cesses *n*,

n Donec perficias, quod toto corde peroptas.

Ecce a nobis exit edictum per omnem viciniam finium vestrorum, ut utriusque sexus agmen conglobatum certatim properent ejus in occursum, quatenus magnum Eugenium cum magno euge introducant in tabernaculum a Deo sibi præparatum per tuæ devotionis obsequium.

hoeque a Gerardo, ingenti populi multitudine comitante, Cuvinio Bronium versus portatur,

26 Cujus benigna responsione Vir Dei vehementer confortatus; et episcopali auctoritate admodum corroboratus, citatim Cuvinium est regressus, repetitum desideratissimi martyris pignus, quod inde exportans, iter invadit, ac Bronium versus directo tramite tendit. Quisnam, rogo, referat de multitudine plebeia, quos ad se pertrahebat jam nota martyris fama hac illucque volitans, stare loco nescia.

Multos urgebat, multos properare monebat :
Procurvus fossor venit, et defessus arator,
Cernere bubulcus desiderat, atque subulcus,
Servus et ingenuus permixtim convolat illuc.

Quis enim transeuntis opinionem martyris audivit, et domi indevotus desesque resedit?

Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Munera comportant, devota voce salutant,
Oscula perspicuo figunt impressa metallo,

C Dulciter hymnidicas plebs omnis concinit odas.

Tollunt voces ad sidera, laudant Dei magnalia. Videres iter istud confici sine labore, cum magna animorum alacritate, cum jucunda lætantium jubilatione; putares, cælum arridere suavissima aeris serenitate.

ac deinde ab Adelhelmo archidiacono, qui cum clero processerat obviam, o

27 Quo comperto, Adelhelmus tunc temporis archidiaconus, vir morum nobilitate prudentissimus, (hæc siquidem agebantur sub archidiaconio ejus) secum sumtis clericorum ordinibus, crucis vexilla, Sanctorumque patrocinia competenter præferentibus, non modico etiam agmine collecto promiscui sexus, ex cœnobio sancti Foillani *o* raptim procedit obvius. Ut autem contigua beati martyris emicuit libitina, ter ad terram cum suis prosternitur humillimus Archilevita. Prostrati tundunt sua quisque pectora, tundentes commissa fatentur peccamina, fatentes lacrymosa fundunt suspiria, fundentes congrua poscunt remedia, poscentes pœnitentialia Deo vovent libamina; et compunctus spirituali gaudio, Omnes, inquit archidiaconus, omnimodas agamus gratias Deo : visitavit enim nos oriens ex alto; et qui tenebroso sordebamus vitiorum nubilo, illustravit nos gratuito tanti patroni lumine claro. Quanto vero efferbuerit exsultatio conveniente in unum utroque populo, quisnam scriptorum valeat concludere scripto? Præ nimia nempe lætitia multorum oculi madebant dulci lacryma.

AUCTORE ANONYMO.

summa undequaque concurrentium exsultatione in Broniensem ecclesiam infertur.

28 Quis namque tam ferinæ mentis, quis tam petrini pectoris, qui sub hoc spectaculo foret expers devotæ compunctionis? Salubri sarcinæ gaudent succedere, gaudent contingere, gaudent convehere, gaudent munerari, gaudent venerari; psallebant alacres, resonabant undique voces, omnes excelsa voce KYRIE ELEISON conclamant : GLORIA IN EXCELSIS DEO decantabant, TE DEUM LAUDAMUS personabant. Nil inibi nisi laus Domini poterat reperiri, ætheris arx reboat concentu, terra resultat, juga montium, concava vallium, densitas nemorum reddunt per echo canticum. Illuxitne, putas, umquam lux lætior usquam? Tali igitur cum jubilo tantoque cum tripudio archilevitæ humero advehitur tum Bronio, quem decenter inthronizantes in oratorium Principis Apostolorum, a Deo destinatum videlicet locum, denuo donariis oblationum honestant in præsentiarum, sese pollicentes in posterum libentissime frequentaturos ejus patrocinium. Fit autem tam jucunda translatio sub beati martyris Agapiti festo, quod est die mensis Augusti octavo-decimo *p*. Et ut omni anno recolatur cultu celeberrimo, conclamatum est totius cleri populique decreto. *p*

E

At, dum martyris fama inclarescit, frequentatur, donisque dilatur Broniensis ecclesia:

29. His ita completis, cum jucunditate ad sua quisque regrediuntur cum pacis tranquillitate. Quisquis ergo fide non ficta hujus Sancti expetit suffragia, absque dilationis mora experitur promtissima, præsertim cum ab ejus devectionis die lætissima certissime tota profiteatur vicinia, multa sibi insolita provenisse subsidia. Et quemadmodum quondam in Francia beneficus exstitit per plurima singulorum prodigia, uti refert miraculosa gestorum ejus pagina; ita etiam nunc munificus in Lotharingia præstat crebriora virtutum beneficia. Igitur longe lateque fama martyris percrebrescente, et virtutum ejus insignia notificante, cœpitad ejus memoriam unde, quasi apes ad alvearia, plebs plurima confluere, deferentes quisque pro posse munera oblationum cum magna devotione. Fit occursus et concursus e longinquo et proximo, ubertim votiva congeruntur dona piissimo martyri Eugenio, tribulatis semper invocando, semper succurrere promto.

Adveniunt multi admissa ob crimina mæsti?
Sed precibus Sancti redeunt ad propria læti.

Hinc nonnulli, quos id male habet, Eugenii cultum impedire conantur.

30 Quod impatienter intuens humani generis inimicus, qui paradisicolam ab æternis extrusit sedibus, per quorumdam circummanentium corda (si fas est dici) clericorum diffundit invidentiæ virus, adeo ut obfuscare pertentarent modis omnibus tam honorificos beati martyris cultus. Pro nefas! Præfatum ergo adeunt pontificem, Fossis *q* tunc forte morantem, querulisque sermonibus apud eum evomunt conceptum malivolentiæ putorem. Numquid, inquiunt, Pastor vigilantissime, auctoritatis et voluntatis est vestræ, ut adventitius quispiam Sanctus sub episcopatus vestri ditione venerationis cultum accipiat, incerta rei veritate? Ecce nuper advectus e Francorum finibus, Bronii colitur, nescio, qui martyr Eugenius, cui in cereis aliisque oblationibus tanta veneratio exhibetur ab omnibus, ac si credatur ex Apostolis unus. Ubinam textus martyrii ejus? ubinam scriptura continens ejus gesta? Vestram profecto prudentiam oportet summopere perscrutari et investigare, si sit a Deo, an non, Eugenius iste. Hæc et his similia pellaciter suggerentes episcopo, adversus martyrem concitare conantur omnimodo : nunc a nobis dominus episcopus quantisper conveniendus. Audi, inquam, episcope, ego auctor hujus pagellæ tibi tacita loquor in aure. Oportet, te sollertius præcavere et diligentius observare, ne quis invidorum malesuado sermone animum tuum valeat inescare.

F

q

31 Cur invidiam placare putas, virtute relicta? putredo os suum invidia *r*, ceu Salomonis indicant verba. Ethnicus quoque in proverbiis :

r

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Vapulabis,

AUCTORE ANONYMO.

Vapulabis, crede mihi, vapulabis durrissime, si credideris æmulorum fallaciæ. Noli, quæso, noli acquiescere, ne posterius te pœniteat sera pœnitudine. Quid plura? sicut Apostolicæ vocis clamitat tuba, « Corrumpunt bonos mores colloquia mala; » dum plus justo auscultat pontifex malivolorum mendacia, penitus excidit a memoria, quæ sibi fuerat antea de adventu martyris lætitia. Hujus ergo veneni attaminatus pastula, Leodium versus arripit itinera, adnullare desiderans magnifici martyris obsequia. Quem in villa, quam dicunt Mallonia *s;* ibi quippe erat mansio sibi parata, pede non claudo digna consequitur pœna. Ut enim eo loci perventum, nec quidquam suspicatur sinistrum, repente pervasit eum tantus dolor ilium, ut formidaret, se protinus exhalare spiritum. Torquebatur itaque gravissimo cruciamine, et ne ad momentum quidem poterat quiscere; unde quasi menceps * dentibus stridere, manus contorquere, crura brachiaque huc illuc disjectare. Ab ejus vero facie, quam modo rubescere, modo pallescere, modo videres nigrescere, quanta laboraret ægritudine, posses agnoscere, et tandem ad cor reversus commissum agnoscit reatum, hisque querimoniis cœpit objurgare seipsum.

Verum, dum speciosis horum rationibus obsequi meditatur episcopus, subito ilium

s

* *i. e.* mentis inops

Ah Stephane infelix, quæ te sententia vertit!
Ah minimæ fidei de martyre cur dubitasti!

B

dolore corripitur, Eugeniique patrocinio, ad quod confugit,

32 Merito nunc cæderis, merito hæc pateris, merito jam moreris. Cur invidorum acquievisti mordacibus verbis? cur oblitus es magnum euge Eugenii martyris? Sic se incusabat, sic se gemebundus agebat. Circumstantes vero capellani lacrymarum imbre perfusi, cupientes eum consolari, singultim ajunt illi: Desine nosque tuis incendere teque querelis, pater amantissime, quin potius super hac incommoditate aliquod remedium præmeditando perquire. At ipse: Obsecro te, inquit ad quemdam sibi fidelem, frater amantissime, si salus mea tibi est curæ, et me sospitem ulterius vis invenire, juxta longitudinem corporis mei, latitudinemque binas accelerans candelas compone, et pro meæ sanitatis recuperatione beato martyri Eugenio depropera pervehere, cui præcordialiter me profiteor in ea culpa peccasse. Quod si meritis ejus discrimen mortis evasero, veraciter spondeo, polliceor et voveo, beneficii accepti non immemor ero. Qui jubentis satagens parere præceptis, prout poscebat vehementis causa doloris, Bronium, ut ita dicatur, pervolat asscenso alipede pernix; ingrediensque oratorium Sancti candelas gerit, gerens præsentare martyri gestit, præsentatas accendere quærit, accensas ante mausoleum ejus in modum crucis singultando componit. Res equidem

C

mira visu dictuque notanda. Denique finem lucendi prendente lucerna, ægrotantem episcopum e vestigio revisit sospitas expectata.

sanitati restitutus curat, ut Sanctum ilium

33 Qui pristinæ incolumitatis statu revigoratus, et beneficentiæ salutiflui martyris neutiquam ingratus, gratum illi decrevit rependere munus, quod quidem memoriale suum cunctis repræsentaret diebus. Evocans etenim ædituum Broniensis ecclesiæ, si bene recolimus, Anselmum nomine, cum martyris passione *t* Leodii coram se commendat adesse, ut in generali synodo, quæ futura erat proxima sessione, corroboraretur episcopali auctoritate. Quod cum ille gratanti animo complesset, et in plenaria synodo passionis series recitata fuisset, cunctisque, qui aderant, complacuisset; communi consilio totius cleri decernitur, ut et martyr digna cum veneratione colatur, et ejus Passio rata acceptabilisque in ecclesia deinceps recitetur. Et proloquens episcopus tamquam testis idoneus, quæ sibi obtigerant, immo quæ fuerat passus, propalare non erubuit omnibus.

t

festo annuo colendum synodus decernat.

34 Subjungens quoque, Ecce, inquit, fratres carissimi, audivit dilectio fraternitatis vestræ, quanti qualisve sit meriti Sanctus iste, et quam sit terribile iram ejus incurrere, quamque saluberrimum et optabile gratiam ejus acquirere: et quoniam prono verbere castigans castigavit me, morti tamen gratia sua non tradidit me; condecens certe videtur et honorabile, ut cum assensu vestro et stipulatione honoremus eum aliquanto munere: quatenus apud clementiam pietatis divinæ pro nostris excessibus dignetur intercedere. Cujus sententiam omnibus unanimiter approbantibus, hæc consequenter dominus prosequitur episcopus. Decreto, inquiens, pontificali confirmatur, et hæc sancta synodus adjudicans fieri adstipulatur, ut per totam, in qua quiescit, decaniam sollemnitas ejus, acsi Dominica, observetur, et ecclesia Broniensis ab omni obsonio, episcopis Leodiensibus debito, ulterius immunis habeatur: et ut omni tempore ratum inconvulsumque permaneat, successorumque meorum nullus infringere vel infirmare audeat, quid acciderit mihi contra eum ignoranter calcitranti, requirens audiat, audiens pertimescat, pertimescens præcaveat, præcavens hoc illibatum custodiat. Talis ergo decreti prima procuratio conservandi jure perpetuo commissa perhibetur fratri Flodino *, tunc temporis inde decano.

D

* *Ms. Ghisl.* Elodino

ANNOTATA.

a *Hinc partim eruitur, quo circiter tempore Sanctus natus sit. Adi Commentarium prævium num.* 23.

E

b *Robertus I, Franciæ et Burgundiæ dux, nec non Parisiensis comes, cujus jam in Annotatis, cap. præcedenti subjunctis, memini, ab anno circiter* 898 *ad annum usque* 923, *quo in pugna Suessionica fuit occisus, Dionysianæ abbatiæ, ut Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. VII, col.* 360 *et seqq. docent, abbas sæcularis exstitit, binique deinde adhuc alii abbates sæculares eamdem abbatiam usque ad annum ut minimum* 960 *tenuerunt. Cum ergo, ut in Commentario prævio docui,* Gerardus *verosimilius ab anno* 919 *ad annum usque* 928 *in abbatia Dionysiana fuerit versatus, toto illo tempore, quo ibidem egit, abbatem sæcularem habuit dicta S. Dionysii abbatia. At vero, ut Mabillonius in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus observat,* decanus *appellari solebat, qui in abbatiis sub abbatibus sæcularibus spiritualium curam gerebat;* præpositus *vero, qui rebus temporalibus providebat, ut tunc in abbatiis hujusmodi nemo fuerit, qui Prioris titulum haberet, ac proin ut biographus, si recte notet Mabillonius, perperam hic indicet, in abbatia Dionysiana, cum in ea versaretur* Gerardus, *aliquem fuisse, qui Prioris titulo gauderet.*

c *Ex hoc biographi loco simulque ex anno* 919, *quo ex dictis in Commentario prævio* Gerardus *in Dionysiano cœnobio monachum verosimilius induit,*

F

facile eruitur annus, quo verosimilius acolythus, quo subdiaconus, quo diaconus et quo sacerdos fuerit ordinatus. Adi pro hac re Commentarii prævii num. 46, *et num.* 42 *pro qualicumque notitia temporis, quo sedem Parisiensem Theodulfus et Fulradus, hic memorati, occuparint.*

d *De cælesti hac Sancti visione consule Commentarii prævii num.* 31 *et* 32.

e *Adi iterum Commentari prævii num.* 32 *et quatuor seqq.*

f *Non integrum S. Eugenii corpus, sed brachium tantum sinistrum cum aliquot aliis minoribus corporis particulis* S. Gerardo *a Dionysianis fuisse concessum,* § 7 *Commentarii prævii edocui.*

g *Ægidius Aureæ-Vallis monachus in suis ad Anselmum de Gestis Pontificum Leodiensium Additionibus lib.* 1, *cap.* 40, *uti ex toto, quem hic scriptor ibidem exhibet, verborum contextu colligendum videtur, reliquiis S. Eugenii a* Gerardo *e Dionysiano monasterio Bronium delatis addit etiam et S. Leodegarii Augustodunensis episcopi reliquias, una cum lapide, super quem S. Dionysius Sacrum in carcere celebravit, ab eodem ex dicto Dionysiano cœnobio Bronium pariter deportatas. Rectene, an male, ita faciat Ægidius, Commentarii prævii* § 6 *docui.*

h *Pro corpore unius Innocentis, quod hic a Sancto Bronium e Dionysiano monasterio delatum memorat biographus,*

A *biographus, adi Commentarii prævii num.* 80 *et quatuor seqq.*

i *An quid ex hoc loco pro determinanda biographi ætate possit erui, ex Commentarii prævii num.* 9 *facile colliges; an autem* Gerardus, *uti etiam hic innuitur, Mosomensis abbas umquam fuerit, ejusdem Commentarii num.* 147 *et seq. discutitur.*

k *Quæ de Cuviniensi municipio, ad quod hic* S. Gerardus *cum sociis monachis divertisse dicitur, uti etiam de S. Venantio abbate hic memorato Mabillonii sit opinio, simulque quid de hac sentiendum sit, num.* 50 *et binis seqq. Commentarii prævii exposui.*

l *Stephanus, Leodiensis episcopus, jam dudum tunc, cum* Gerardus *cum S. Eugenii reliquiis e Dionysiano cœnobio Bronium est reversus, e vivis erat ereptus, debetque proinde hic Stephano Richarius substitui. Adi Commentarii prævii num.* 41, 42 *et* 53.

m *Erat hic alter e duobus monachis, ad quos* Gerardus *Cuvinii divertit. Videsis Commentarii prævii num.* 49.

n *Inepte sane biographus hos versiculos, episcopo affictos, narrationi suæ immiscet, quod etiam de omnibus fere aliis versiculis, quibus etiam frequenter alibi orationis solutæ seriem interrumpit, est dicendum.*

B o *Pro monasterii hujus notitia adi Commentarii prævii num.* 54.

p *Nequit hinc annus erui, quo facta sit, quæ hic memoratur, translatio. Adi iterum Commentarii prævii num.* 54 *et seq.*

q *Loci hujus notitiam Commentarii prævii num.* 54 *suppeditat.*

r *Corrige* Putredo ossium invidia. *Ita enim habetur Proverbiorum* 14, ℣ 30.

s Mallonia villa, *inquit in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus Mabillonius*, nunc abbatiæ titulo donata, vulgo Maloigne, Sabi abjacet duabus supra Namucum leucis.

t *Quæ qualisque verosimillime fuerit hæc S. Eugenii Passio, ex num.* 66 *et binis seqq. Commentarii prævii intelliges.*

CAPUT III.

Bronii monachos clericis substituit, a Gisleberto, Lotharingiæ duce, divinitus monito, ad reformandum Cellense S. Gisleni monasterium evocatur, monachos in hoc clericorum loco constituit, sacrum S. Gisleni corpus Gislenianis recuperat, visumque cæcæ mulieri restituit.

C

In Broniensi cœnobio monachos clericis substituit.

Vir vero Domini Gerardus de bonis ad meliora contendens, et Broniense sanctuarium in cunctis provehere volens, clericorum, quam ibi prius locaverat, eliminavit conversationem, monastici Ordinis substituens religionem. Quibus cum aliquamdiu strenuissimi pastoris prioratu præfuisset, et confluentis illuc populi inquietudinem ferre non posset, neque ab episcopo, ad cujus diœcesim pertinebat, missionem impetrare speraret; Prioribus electis, cum quibus onera sua partiret, secundum quod domni Benedicti discretionis Regula jubet, remotiori cellulæ juxta ecclesiam se singulariter confert, quatenus ibidem divinæ contemplationi peculiarius vacare valeret.

Qualiter hic vixit, quisnam depromere possit?
Hostia fit moriens, nec non et victima vivens,
Victima viva Deo, revera mortua mundo.

Gislebertus, Lotharingiæ dux, qui, ut biographus nonnullis α

36 Hoc in tempore dux Gislebertus *a* tenebat ducamen Lotharingiæ, vir quidem magni honoris et potentiæ, si tamen illud vaticinium Psalmistæ, « Homo cum in honore esset, non intellexit *b*, » sapuisset intelligere. Erat nempe gener Henrici *c* opinatissimi regis, in matrimonium habens sororem Ottonis *d* famosissimi imperatoris. Et quoniam obtulit se tantorum mentio virorum, patris scilicet ac filii, nostræ narrationis schedulæ (licet ab incœpto videamur digressionem facere) operæ pretium est summatim de eis paucula perstringere, quatinus qui vel quales fuere, quia quosdam novimus eodem nuncupatos nomine, absque ambiguitatis scrupulo sapere volentes valeant agnoscere. Iste, inquam, Henricus non minus prudentia quam fortitudine redimius *, quemadmodum in Chronico *e* legimus, cujusdam Ottonis potentissimi Saxonum ducis exstitit filius, qui regale sceptrum sortitus, utpote omni exercitio militari instructissimus, complures *, quas edicere novimus, strenuissime imperavit nationibus.

AUCTORE ANONYMO.

b

c

d

* *an* eximius

e

* compluribus

37 Verum ut de multis, quæ prudenter fortiterque gessit, sileamus, magnum quiddam ac præclarum, unde beavit totam, quam regebat, Austriæ monarchiam, ad medium proferamus, quale profecto prædecessorum suorum fecisse describitur nullus, nec ipse quidem, qui totum pæne subegerat orbem, Carolus Magnus. Obtinuit namque lanceam Magni Constantini, Helenæ reginæ procul dubio filii, inventricis, ut legitur et creditur, salutiferi ligni, instar crucis insignitam clavis, mirabile dictu, affixis Dominico Corpori. Quam prudentissime vero meruerit eam indipisci, et quanto obE servationis cultu sategerit venerari, luculenta oratio omnino cujusdam indicat chronographi *f*, quam ædificationis gratia curavimus interserere huic nostræ descriptioni. Henricus rex, ut erat Deum timens et amator religionis ecclesiasticæ, audito Rodulfum *g* regem Burgundionum tam inæstimabile donum habere cæleste, quod et Rodulfus ipse summo amicitiarum dono acceperat a Samsone quodam comite, nuntiis directis, tentavit si præmiis aliquibus id posset aquirere, sibique adversus visibiles et invisibiles hostes arma invictissima triumphumque perpetuum præparare. Quod cum rex Rodulfus, se numquam hoc acturum, ediceret, modis omnibus rex Henricus, quia mollire eum non potuit muneribus, magnopere curavit eum pulsare minarum terroribus.

in Henrici Aucupis,

f

g

38 Omne quippe ejus regnum cæde atque incendiis promisit se depopulaturum. Quia vero, quod petebatur, erat munus, quo terrena cælestibus, utraque pacificans, conjunxerat Deus; Rodulfi regis cor tandem emollivit, justoque regi justa juste petenti tantum munus attribuit *h*. Quanto autem amore Henricus rex hoc inæstimabile donum dilexerit, in hoc evidentissime patefecit, quod non solum auri argentique muneribus Rodulfum honoravit, verum etiam Suevorum provinciæ non miF nimam partem donavit. Deus autem inspector cordis ac retributor bonæ voluntatis, quanta mercede ob hanc rem æterno in seculo pium regem Henricum donaverit, quibusdam indiciis hoc etiam in tempore manifestavit, dum contra se insurgentes hoc victorioso præsente signo semper hostes terruit atque fugavit. Tali igitur occasione, immo favente Dei voluntate, sanctam rex Henricus romphæam *i* meruit obtinere, quam filio, unde in præsentiarum nobis est sermo, decedens dereliquit cum hereditario regno, non minori veneratione observandam ab eo, sicuti multæ pandunt victoriæ, quas per eam perpetravit orando.

Germaniæ regis,

h

i

39 Qualis vero quantusque fuerit hic insignissimus Otto, idem chronographus intimat nobis hic maximo in laudem ejus præconio. Iste, inquit, iste est Otto principum excellentissimus, cujus potentia mundi partes aquilonaris et occidua reguntur, sapientia pacificantur, religione lætantur, justique judicii severitate terrentur. Quid hac laude excellentius? quid hoc testimonio evidentius? Fuit et huic frater Henricus *k*, patri quidem æquivocus, sed longe distans moribus. Instinctu enim reproborum fratri rebellavit infidus. Et ut mentio fiat quantulacumque de altero fratre ejus duce atque archiepiscopo Brunone *l*, cujus nimirum memoria est in benedictione, quisnam queat condigna relatione

hujusque filii, Ottonis imperatoris, laudem

k

l

AUCTORE ANONYMO.

tione virtutes ejus æquiparare? Sub cujus procuratione sagacissima radicitus amputante improborum spurca vitulamina, tamquam arbor fructifera refloruit Lotharingia pacis et justitiæ abundantia, asseverans ejus tutamine revexisse aurea quondam tempuscula. Cujus rei indicio est Raginerus comes Hainoensium haud ignotus, cognomento Longicollis *m*, qui quia tyrannice suis importunabatur comprovincialibus, et noluit resipiscere, semel et secundo commonitus, nunc usque exsulat in ignotis regionibus, procurante industria ambidextra archipræsulis hujus.

m

præmissit, narrat, in Rheno interiit,

40 Verum ne prolixior oratio lectori pariat fastidium, deinceps redeundum ad narrandi propositum. Sufficienter enim videtur nostratibus notum, qualiter is Otto constantissimus virorum, ante victoriferum prostratus labarum orando, trans Rheni alveum fratis Henrici et præscripti ducis Gisleberti ac potentissimi comitis Everardi copiosum parva manu effugaverit equitatum, nondum suis militibus transvectis cis Rhenum. Nihilo minus etiam illud notissimum, qualiter idem Gislebertus et ipse Francigena Everardus, reparatis multorum copiis militum, et vastata circumquaque provincia Saxonum, multis cum manubiis repatriare cupientes pervenerunt flumen ad ipsum; ibique cum
B suis interierint per paucissimum Ottonis exercitum, ipso in Alsatiæ partibus præstolante rei exitum, immo divinum implorante subsidium : et ut chronographi verba ponantur, Everardus gladiis occiditur, Gislebertus Rheni undis submergitur : quas quoniam exsorbere præ multitudine non potuit, anima recedente, defecit *n*. Sicque completur
n vaticinium Psalmographi, qui dicit : « Homo cum
o » in honore esset, non intellexit *o*. » Ob ambitionem quippe regni circa eos istud obvenit.

a S. Gisleno, in somnis sibi apparente,

41 Hæc ergo succinctim intersita, nemini videantur superflua; magis autem non incongruenter addita, non enim cunctis exstant cognita. Jam nunc accingamur disserere cœpta. Eidem igitur duci Gisleberto, dum adhuc consisteret in honore suo, Christi confessor Gislenus, qui requiescit in Hainoensi territorio, per visum apparuit *p* intempestæ
p noctis conticinio; eum querimoniis precamina intermiscendo adorsus est hujusmodi sermocinio.

Dormis, an vigilas? nimium mundalia curas,
Gisleberte, meam complens attende loquelam.
Da mihi, dux, unum supplex efflagito scutum,
Quo præmunitus expugnem fortiter ictus,
Quos inferre mihi non desistunt inimici.

Qui heros Gislebertus ita respondit joculabundus : Ad quid tibi bellicus, Sancte Dei, clypeus? sacro
C divinæ protectionis semper et ubique muniris, ideoque nostris non indiges armis.

monetur, ut Gerardo gubernandum tradat

42 Sanctus ad hæc inlit, dubioque obscura resolvit. Ne forte ambiguus tenearis ambigui perplexis ambagibus verbi, contumelias nequeo diutius perpeti quibus me in dies afficiunt Ursidongi-cellenses Clerici. In meo siquidem cœnobio *q*, quod
q Christus contulit mihi Argolico *r*, nulla omnino
r exercetur religio. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, quæ autem ad Deum pertinent, nihili pendunt. Corporis mei glebam vehunt et revehunt per patriam, ut per fidelium munificentiam mendicitatis suæ expleant inediam. Non desinunt lacessere, non me sinunt quiescere. Summam dico tibi : nusquam reverentia nostri. Et quoniam penes te versatur procuratio Lotharingiæ, obsecro, posco, precor pro Christi nomine, ne procrastines idoneum pastorem mihi perquirere, sub cujus tuto moderamine pauxillum pausæ possim percipere. Quod quo pacto queas percipere, mentem nostram nunc accipe. Est vicus in pago Lomacensi, cujus vocabulum est Bronii *s*, in quo quidam Gerardus degit
s vere famulus Domini, theoreticam ducens vitam in angusto conclavi juxta vestibulum monasterii. Hunc igitur mihi assume, cœnobiique mei curam sibi committe, quia nemo mihi videtur ad negotium tale oportunior in hac regione.

43 His ita finitis, evanuit ejus ocellis. Ut autem ejus querimoniæ causas explicemus, oratorium habebat et hodie habet beatus Gislenus in mansionili, qui a quibusdam Cella, a quibusdam vero dicitur Ursidungus : quo in loco in famulitium ejusdem Sancti aliquot deputati mansitabant clericuli, Regularis disciplinæ prorsus ignari : et non, ut hodie sunt canonici, sed erant sicut matriculariі *t*, qui partim rei familiaris coacti necessitate, partim morbo laborantes philargyriæ, sacrosancta almi confessoris membra, scapulari superposita libitinæ, consueverant per plateas vicosque cantitando, quin potius mendicando circumferre *u*. Quibus ab hæc præsumtione non resipiscentibus, sed magis perperam agentibus, justissima indignatione commotus inultum manere non pertulit iste beatus. Se quidem passus est subripi a furibus, ut ita dicatur, fidelibus, qui quodammodo ægri pendebant tam grande Sancti dedecus, et ut fateamur verius, qui plus suis aggaudebant quam commodis alterius. Quo comperto Ursidungi-Cellenses paramonarii *x* sero recognoscentes offensam reatus proprii, quanto mærore confecti sint, importunum videtur enarrare, et supervacaneum percontari.

D

Cellense monasterium, a clericis haud sat probis occupatum;

t

u

x

44 Gislebertus itaque non immemor visionis ostensæ, accersitis ad se Cameracensi episcopo Tiedone *y* atque Raginero *z* Hainoensi comite, quidquid acceperat in eadem visione, ex amussim studuit ambobus notificare, eoque eos consulente, quid fieri oporteret super hac re, Nihil aliud, inquiunt, audemus decernere, quam quod asseris te cælitus accepisse, præsertim cum vir iste venerabilis vitæ toti innotuerit provinciæ probitatis opinione. Ast ille : Abeuntes, inquit, ad Virum Dei celerrime cum virga pastoralis curæ, invitum aut sponte regimen ecclesiæ compelletis eum suscipere. Qui quam mox iter indictum arripiunt, ad locum præscriptum deveniunt : ubi Dei Famulum requirentes, in præsignato secretiori tugurіolo latitantem reperiunt, reperientes congruæ salutationis verba præmittunt, præmissis mutua dilectionis oscula figunt *aa*. Cui cum exposuissent causas itineris, et quoniam a Deo fieret legatio talis; ille, ut erat columbinæ simplicitatis, istiusmodi responsum reddidit illis.

dux autem, ut Gisleno obtemperet, mittit, qui Gerardum accersant.

y z

aa

45 Quomodo, inquiens, facere possum, patres dilectissimi, quod suggeritis meæ modicitati? numquid ego, qui abdicavi frivola mundi, cuncta Dei amore sæcularia contemsi, iterato repetam, quod omisi? Vos ipsi, quæso, discernentes diligentius intuemini, utrumnam tale quid expediat mihi. Quidnam admonet de talibus doctor gentium Paulus? Nemo, ait, militans Deo implicat se negotiis
F sæcularibus *bb*. Recedite, quæso, recedite, sinite me peccata mea plangere, indignum fore me, pronuntio suscipere, quod quæritis. Non sum idoneus quibuspiam præesse, qui nec mihi, nec cuipiam queo prodesse. Vires mihi non suppetunt, sanctitatis opera desunt : regulam innocentis vitæ nequaquam me tenere, cognosco, ideo ecclesiasticæ rectitudinis gubernaculum accipere diffido. Adversus apologiam hujusmodi subjunxere viri dicentes hæc : Obsecramus te, Pater benignissime, per dilectionem Dei, ut nobiscum digneris venire, et te sustinentis ecclesiæ regimen suscipere. Num Memoriæ excidit, quod idem doctor gentium dicit; « Omnis anima sublimioribus subdita sit *cc?* »

Hic initio onus suscipere detrectat,

bb

cc

46 Nonne recolis et illud Janitoris cæli, Sive regi quasi præcellenti, sive etiam duci *dd?* Non, ut religionis cultum omittas, quærimus, neque ut lenocinantis mundi repetas luxus, dummodo hanc egrediaris cavernam, qua teneris circumsæptus, quatenus speculum fias fratribus opis tuæ perquam indigentibus. Fortis enim præliator Dei non debet occultari spelio claustrali, sed potius ingredi campum certaminis et congredi. Non tua tantum sufficiat tibi, sed et prospicias fratrum saluti, cum prodesse possis compluribus tam gratia exhortationis, quam exemplo religiositatis. Nonne mandat et Dominus; « Luceat lux vestra coram hominі» bus *ee?* » et, « Nemo lucernam accendit et in

ægreque tandem, ratione non una evictus,

dd

ee

» abscondito

A » abscondito ponit *ff.* » Sed quid multis opus est
ff verbis? certissime pro hac inobedientia rationem te redditurum noveris in die tremendi examinis, nisi nostræ petitioni acquieveris, maxime cum sit divinæ voluntatis, et perurgeat jussio Cunctipotentis. Tunc Senior lacrymis evictus fatur obortis.

ad Cellense monasterium abit,

47 Decreveram quidem singularis degere, meaque commissa lugendo diluere : sed, ut video, nolens volensque propositi rigorem compellor abrumpere. Divinis refragari mandatis non audeo, ducis edictum, vestramque precem aspernari non debeo, prout novi et valeo, fratrum necessitati subvenire delibero. Vobiscum ergo ire non differam, quod jubetis incipiam. Potens est Deus perficere, quod mihi minus possibile. Quo audito, venerabiles legatarii congratulamine magno gavisi, baculum pastoralem impingunt protinus illi, animi ejus ægrimoniam delinientes affamine tali.
gg Eia, inquiunt, Pastor strenuissime, agalma *gg* commissum matura invisere, summique Pastoris fisus juvamine, lupinos rictus satage sagaciter abigere, ne forte (quod absit) erroneæ dispereant oviculæ. Secumque istinc abducentes debito cum honore, non tamen sine irremediabili luctu Broniensis ecclesiæ, festina cum celeritate Ursidungum contendunt remanere, et facta sibi ecclesiastica do-
B natione, totius scilicet supellectilis abbatiæ, secundum scita auctoritatis canonicæ, abbatem eum illic gaudent constituere.

ibique monachos clericis substituit, ablatumque S. Gisleni corpus,

48 Qui clericorum ibi degentium conversatione non bona diligentius investigata, commodum duxit ab ea exturbare basilica libertatem habentes sua quisque exercere negotia, subinde Deo digna subrogans cœnobitarum examina. Modica vero temporis transcursa intercapedine, per se perscrutatus almi confessoris, pro dolor ! glebam abesse (sublata quippe fuerat, seu liquet superiori relatione) procellosa animi tempestate, cœpit nimis consternari et fluctuare, omnino ignorans, quid actitaret super dispendio tam inæstimabilis margaritæ. Proinde suorum quosdam fidelium ad se evocans, et cujus infortunii angore angeretur, indicans, quaquaversum exploratores eos dirigit, et ut id fideliter explorando investigent et investigando explorent, edicens indicit. Quibus incassum circumcirca discursantibus, nihilque serium exinde renuntiantibus, tandem divinitus, utpote profuturus, incidit cogitatus, quatenus hac causa tenderet Melbo-
hh dium *hh* versus : quo dum properasset proficisci, jamque ingrederetur fores oratorii, ab introeuntibus cœpit subaudiri crebrior tinnitus cujusdam
* *i. e.* porten- tinnabuli, ignorantibus cunctis, quid protende-
deret ret * rei, ipso etiam (ni fallimur) Dei Famulo.
divinitus, ubi id lateat absconditum, edoctus,

49 Devotissime vero præmissa oratione, Dominique, ut Sanctum suum dignaretur manifestare, flebiliter interpellata benignitate, conversus ad indigenas loci illius vel ecclesiæ, percontando sciscitabatur ab eis cum omni mansuetudine, an aliquantulum hac de re, quamvis parum, conscirent significare. Quibus dejerantibus persancte, sese penitus ignorare, magis autem vehementer stomachantibus ob crimen suspicionis injectæ. Vir Dei cum magna animi tranquillitate, Nolite, inquit, filioli, nolite istud molestius ferre : potens est nempe nobis dignatio Christi hoc revelare. Enimvero necesse est, adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium. Nocte igitur insecuta Viro Dei in oratorio pernoctanti, summamque Deitatem super hujusmodi obnixius inquietanti, repente sibi ipsius stolati candida effigies enituit Sancti, satisfacientis importunæ ejus supplicationi, demulcentisque eum sermone hoc dulci : Cur, inquit, dulcis Amice Dei, tantum sumis fatigium ob gratiam mei? Accipe nunc certissimum de hoc, quod quæritas, indicium.

Gislenianis recuperat, illudque Malbodio,

50 Ecce super lacunaris tabulatum, quod immi-
net super caput tuum, ubi scilicet heri advenientes
demirati sunt tinnire tintinnabulum, indecenter repositum meum latet corpusculum. Volo autem, te tuosque posteros nosse, absque Dei voluntate haud quaquam hoc accidisse. Hæc ubi deprompsit, cæli fastigia scandit. Qua visione Vir Dei oppido exhilaratus, competentes reddit Deo grates, ne videretur ingratus. Ut vero prima poli stellas aurora fugavit, ægrisque mortalibus curas operosa revexit, idem ipse cum suis laquear templi extemplo conscendit, conscendens quærit, quærens invenit, inveniens præ gaudio mœret, mœrens suos in lacrymis ciet; sicque sacros artus inde deponit, depositos in sindone munda componit, compositis, Deo laudes hymnidicas pangit, pangendo lætus iter invadit.

AUCTORE ANONYMO.

51 Talia cernenti quis sensus Melbodiensi? Cle-
finitimo undecumque summa lætitia confluente populo,
rus cum popello confusus conticescit, et Viri Dei vultum non ferens præ rubore latibula quærit. Quisnam fuit ex omnibus, qui linguam moveret, buccam aperiret, mutire auderet? O quam congruit hic illud Davidicum : « Omnis iniquitas » oppilabit os suum *ii.* » Jam hujus rei fama velox apud multos percrebuerat, finitimumque vulgus unde conglomerabat. Qui certatim illo confluentes clamitabant pariter omnes : Salve Sancte Dei, cineres salvete recepti. Omnimodas individuæ Trinitati gratiasque referimus tuæ almitati, corporis tui invasores prodidisti, versipelles et subdolos confudisti, tuarum merita virtutum amplificasti. Quod genus est monstri Sanctos hoc
ii
tempore tolli? Ubine illi, qui tantum commisere
E flagitii? ubinam gentium sumus? cum scorpionibus revera habitamus. Hæc et nonnulla his similia proloquentes et ad invicem colludentes, ob inventionem Sancti gaudentes et alacres venerabili farcinæ applaudebant euntes.

ad Cellense monasterium refert.

52 Procedebat ergo canora clericorum cum mo-
nachis caterva, habentium in manibus crucem et vexilla : subsequebantur vero non parva utriusque sexus agmina, nihilominus jubilantium Domino in lætitia. Itaque cum maximo cleri plebisque tripudio per perspicacissimam Viri industriam, de quo nobis sermo, almus confessor in suo decenter relocatur oratorio : ubi deputatis cœnobitarum excubiis, tempore continuo persolvitur Jesu Domino (qui laus est Angelorum) laus et jubilatio, ejusque confessori emerito venerabilis laudatio et laudabilis veneratio. Qualiter autem sacrilegos examinando discusserit antistes Cameracensis, quibusve (ut par erat) lege synodali convictos excruciaverit modis, non est nostræ narrationis, ut remur, exponere vobis, præsertim dum id dilucident ipsius gesta *kk*, si serio sapere vultis.

kk

Biographi ad monachos Cellenses parœnesis.

53 Ceterum ne dux Gislebertus, cujus mentio-
nem prætitulavimus, a nobis abscedat illaudatus et inglorius, circa ejusdem Sancti locum exstitit satis humanus et valde munificus, quædam scilicet prædia subtrahens sibi militantibus, quæ non pauca
F expenderat beneficii gratia militibus, inibique contradens jure perpetuo cum militaturis Christo militantibus. Qua de re unum est, quod moneo repetens, tibi dico Ursidungi-Cellensis monache, qui ducis Gisleberti largissima victitas stipe, considerans diligenter attende, ne quando ejus animæ inveniaris immemor esse, sed potius incogitabilem benignissimi Jesu pietatem pulses importunissima prece, quatenus aurea perpetuæ contingat præmia vitæ. Et ne forte desperando mussites, rebellasse eum adversus dominum suum principem Romanum ; mortis dirissimum, pro dolor ; recepit commercium, et Dominus Jesus non bis vindicat in idipsum. Nunc redeamus ad propositum. Venerabilis igitur abbas Gerardus pastoralem (ut dictum est) curam indeptus, qualem se exhibuerit in omnibus, nullo modo noster obtusus prævalet describere stilus.

Summa pietate dexteritateque

54 Ne tamen incœptæ succumbamus materiæ,
peritioribus quibusque videamur ludibrio esse, atque juxta illud lectionis Euangelicæ incipiant nobis illudere, Hic homo, dicentes, cœpit ædificare, et non potuit consummare *ll;* istius, de quo
ll
agimus, Sancti suffragium insigne imploramus instanti prece, ut sancti Spiritus gratiæ, cui Spi-

AUCTORE ANONYMO.

ritus * dedicavit cælibatum mentis suæ, quem et nos totiens offendimus peccaminum spurcamine, efficacissima intercessione utinam satagat nos reconciliare : quatenus hebetudini nostræ quid debeat elicere, gravita * pietate dignetur suppeditare. Vir ergo Domini apprime eruditus regulari norma, commissis sibi fratribus duplici præerat doctrina.

* *nonne* Spiriuti?

* *an* gratuita?

Cellense monasterium gubernat Gerardus,

33 Secundum namque saluberrima domni Benedicti hortamina capacioribus discipulis dominica verbis proponebat mandata; simplicioribus vero divina factis suis demonstrabat præcepta : omnia tamen, quæ subjectis docebat esse contraria, in suis actibus Prælatus indicabat non agenda, de thesauri sui arca proferens nova et vetera, quemadmodum doctissimus scriba, qui qualem habebat doctrinam, talem habebat et vitam. Et quia, regendas se suscepisse animas, sciebat, ad rationem reddendam se sollicitus præparabat, auream mediocritatem in omnibus tenebat : amore potius quam timore commissos regebat. Sciens ergo, se vices Christi agere, summique abbatis vocari prænomine, ita se omnibus studebat conformando aptare et aptando conformare, ut cerneres, eum mira caritate omnium moribus deservire. Ut vero compendiosius innotescat probitas ejus, excellentioribus pollebat virtutibus, quibus in vita hominis B nil censetur utilius, prudentia videlicet insignitus, temperantia redimitus, fortitudine roboratus, justitia locupletatus. Proinde illud Anicii *mm* congruentissime sibi possumus assignare : Viri sacri corpus virtutes ædificavere.

mm

dumque aliquando ejus meritis mulier cæca, aqua, qua Sanctus

36 Ad cumulum autem tantæ perfectionis ardentius Missarum insistebat sollemniis, celebrans quotidie memoriam passionis salutiferæ : ut, qui mortuus erat terrenis voluptatibus, vivebat vero divitiis spiritualibus, semper dominico corpori concorporatus, antiqui hostis cunctos et debellaret incursus. Dum ergo una dierum ex consuetudine sacrum celebraret mysterium, et Dominus Jesus jam jamque vellet supponere candelabro candentis lychni cereum, ut omnibus luceret basilicam ingredientibus domum, quædam interfuit mulierum de vico Cellæ contiguo, quem dicunt Buxutum *nn*, quæ jam dudum exstinctis orbibus oculorum deplangebat privatum lumine vultum. Quam cum assistentes interrogarent, quid istic sustineret, cujusve rei causa advenisset : Divinam, inquit, præstolor clementiam, et hujus viri Dei Abbatis munificentiam, et ut fiat in te fons aquæ salientis in vitam æternam, quatenus mihi misellæ digneris illam concedere aquam, qua manus diluet servus C Christi Gerardus post perceptam Eucharistiam.

nn

manus laverat, epota, visum subito recuperat,

37 Quam cum fideliter, ut petierat, impetrasset, et omnipotentiam Dei fidemque sancti Viri flebiliter implorasset, maxima cum devotione pitissando sorbillavit, atque faciem exinde abluens, exstinctas etiam ocellorum pupillas liniendo humectavit, et humectando linivit. Quid multa? eadem nimirum hora, o mira res et jucunda ! ab ejus faciecula nox exulat atra, et emicat lux peregrina, et clarissime intuetur intuentes se, Viri Dei vestigiis provolvitur cum gratiarum actione : quam ille, ut erat clementioris animi, clementer excipiens erexit, atque hujuscemodi blanda voce corripiens infit : Desiste, quæso, filia, desiste cultum tantæ venerationis mihi impendere, et ne velis exiguitati meæ donum Dei imprudenter adscribere.

mulieris fidei miraculum unice adscribit.

38 Per fidei enim tuæ meritum et devotæ spei additamentum virtus Sacramentorum reparavit tuorum lumen oculorum. Vade, filia, vade in pace, Dominoque soli grates repende. Sic mulier, expulsa cæcitatis incommoditate, quæ prius se indoluerat advenisse altero manipulante, nunc beati Viri meritis et intercessio ne absque alterius adminiculo tripudiat repedare. Cujus famosa jucunditas miraculi longe lateque percrebuit ad laudem Dei, venerationemque Servi ejus multorum corda excitavit : et ne cui incredulorum videatur incredibile, quomodo, inquam, poterat non posse, qui semper erat unitus Omnipotentis corpore *. D

* corpori

O lux vera, Deus, cunctorum Conditor unus,
Sæcula per cuncta tua fit promissio vera.
Vos, inquit, sancti, vos estis lumina mundi,
Nec valet in tenebris abscondi lux probitatis.

Ecce nunc Siloicum renovasti collyrium *oo*, quo quondam oculasti native oculis captum, quem sacro prius sputo linitum dignatus es dirigere ad natatorium Siloe lacum : unde et nos cum ipso ante tuum procidentes conspectum, tibique debita referentes præconia laudum, ex intimo fidelique affectu cordium confitemur te Deum verum, Dei veri Filium.

oo

ANNOTATA.

a *Gislebertus seu, ut ab aliis scribitur, Giselbertus, Lotharingiæ, quæ tum multas Belgii provincias complectebatur, Inferioris ac Superioris dux seu gubernator toto tempore, quo sub decimi sæculi initium Carolo Simplici, Francorum regi, regio illa paruit, multa adversus hunc principem, uti apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum pag.* 224 *et seq. Chronici Saxonici auctor, aliique scriptores docent, perfide fuit molitus. Nec deinde, post annum* 925, *quo Carolo Simplici ab Heriberto Viromandensi comite in captivitatem rapto Rodulphus Richardi Burgundiæ ducis filius Francorum rex fuerat substitutus, Henrico Aucupi, Germaniæ regi, Lotharingiam adepto, meliori fide servivit. Quamquam enim ipsemet Henricum in Lotharii regnum seu Lotharingiam evocasset, multum tamen aberat, ut sibi Germaniæ regem in supremum principem vellet. Modo Henrici, modo Rodulphi partes sequens eo unice collineabat, ut omnem sibi in Lotharingia auctoritatem potestatemque vindicaret. Hunc porro agendi modum Gislebertus pluribus annis constanter tenuit, donec tandem a Lothariensi quodam, nomine* Christiano, *qui illum astu ceperat, captivus ad Henricum fuit adductus. Tunc enim Henricus illum non male, ut merito facere potuisset, sed bene habuit, volensque virum periculosum juxta ac industrium, a cujus amicitia dexteritateque tutam poterat sperare Lotharingiæ possessionem, sibi devincire, libertatem ei reddidit, simulque Gerbergam filiam ea conditione nuptui dedit, ut fidelitatem promitteret; Gislebertus autem, quæcumque ab eo exigebantur, promisit, stetitque promissis, quamdiu Henricus in vivis fuit superstes. At vero contra Ottonem, qui Henrico anno* 936 *vita functo in Germaniæ et Lotharingiæ regnum successerat, arma iterum movens, misere tandem, uti infra docet biographus, in Rheno interiit. Hæc omnia apud Bouquetum tom. VIII Franciæ Scriptorum Chronici Saxonici auctor, aliique scriptores docent.* E F

b *Psalmo* 48 ℣ 13 *et* 21.

c *De Henrico Aucupe, prius Saxoniæ dumtaxat duce, ac deinde Germaniæ atque etiam Lotharingiæ rege, qui et patrem Saxoniæ ducem et filium imperatorem nomine* Ottonem *habuit, hic sermo est.*

d *Designatur hic Otto, cognomento* Magnus, *imperator, pro quo vide etiam jam dicta ad litt.* a *et* c.

e *In Chronicon, quod hic laudat biographus, in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus Mabillonius ita observat :* Chronicon istud, cujus verba refert anonymus Vitæ Gérardi scriptor, ante sæculi decimi finem scripsit auctor ignotus, nec uspiam inter scriptores Germanicos apparet. Hunc tamen legerat auctor Chronici Saxonici seu Magdeburgensis Ms.; nam plurima ipsius verba sibi sumsit. *Verum cum Chronicon, quod laudat biographus, inter scriptores Germanicos nuspiam appareat, non sat capio, unde didicerit Mabillonius, plurima illius verba sibi sumpsisse Chronici Saxonici seu Magdeburgensis Ms. auctorem ? An forte hic illud ipsemet indicat ?*

f *Chronographus, hic laudatus a biographo, verosimillime alius non est, quam Liutprandus, primo Ticinensis diaconus ac deinde Cremonensis episcopus. Etenim hic in sua de Europæ imperatoribus et regibus Historia, quam sæculo decimo sex libris est complexus,*

A *complexus, quamque Bouquetus tom. IX Scriptorum Rerum Gallicarum inseruit, iisdem fere verbis eadem refert, quæ hic de Constantini Magni lancea per Henricum Aucupem obtenta memoriæ prodit biographus. Ut res ex Liutprandi et biographi collatione illico patescat, Liutprandi verba describo. Apud Bouquetum tom. cit., pag.* 146 *sic habent :* Burgundionum.... rex Rodulfus.... lanceam illam (*Constantini Magni*) a Samsone comite dono acceperat. Erat enim, excepta ceterarum specie lancearum, novo quodammodo opere novaque elaborata figura, habens juxta limbum medium utrobique fenestras. Hæ pro pollicibus perpulchre duæ acies usque ad declivum medium lanceæ extenduntur. Hanc igitur Constantini Magni sanctæ Helenæ filii, vivificæ Crucis inventricis, fuisse affirmant : quæ media in spina (quam limbum superius memoravi) ex clavis manibus pedibusque Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi affixis, cruces habet. Henricus itaque rex, ut erat Deum timens, totiusque religionis amator, audito, Rodulfum tam inæstimabile donum habere cæleste, nuntiis directis, tentavit, si præmiis aliquibus id posset acquirere, sibique adversus visibiles invisibilesque hostes arma invictissima triumphumque perpetuum præparare. Quod cum rex Rodulfus modis omnibus, se numquam factu-

B rum, ediceret, rex Henricus, quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curavit : omne quippe regnum ejus cæde atque incendiis se depopulaturum esse, promisit. Quia vero, quod petebatur, munus erat, quo cælestibus terrea Deus conjunxerat, lapis scilicet angularis faciens utraque unum, Rodulfi regis emollivit cor, justoque regi justa juste petenti cominus dedit. Neque enim, pace præsente, simultati locus erat.

g *Hic indubie designatur Rodulfus hujus nominis secundus Burgundiæ Transjuranæ rex, qui anno* 912 *Rodulfo patri in hoc regnum successit, annoque* 937 *excessit e vivis, uti in Chronico apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum pag.* 250 *docet Hermannus contractus.*

h *Si vera memoret biographus, nescio, quænam hic Henricum Aucupem justitiæ species commendet.*

i *A substantivo Græco* Ῥομφάια, *quod gladium significat.*

k *Henricus, Henrici Aucupis filius, et Ottonis Magni frater, aliquamdiu contra hunc Everardo et Gisleberto ducibus rebellibus adhæsit, ut Sigebertus in Chronico aliique scriptores testantur.*

l *Bruno, Henrici Aucupis Germaniæ regis filius natu minimus, anno* 953 *Coloniensis archiepiscopus est creatus, simulque ab Ottone Magno imperatore*

C *fratre suo, regnum Lothariense gubernandum accepit, quemadmodum Frodoardus docet in Chronico.*

m *Sigebertus Miræi in Chronico ad annum* 939 *sic scribit :* Bruno, archiepiscopus et archidux Lotharingiæ, secundas partes in regno fratris sui potenter et industrie administrans, Raginerum Montensem comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentianas evocatum capit, et irrevocabili exsilio damnavit pro eo, quod regnum bellis inquietabat; vel, quod verius fuisse dicitur, pro eo, quod, mortuo Gisleberto duce, consanguineo suo, ea, quæ Gislebertus uxori suæ Gerbergæ, sorori imperatoris, in dotem contulerat, violenter ei auferre præsumebat. *Frodoardus in Chronico ad annum* 937 *ita memorat :* Videns.... Ragenarius non posse venienti resistere multitudini, ad Brunonem venit : at quia quæsitos dare noluit obsides, eum Bruno comprehendens, sub custodia secum deduxit, nec multo post trans Rhenum in exsilium misit. *Raginerus ergo seu Ragenarius, de quo hic agit biographus, certe non ante annum* 950, *ac verosimilius quidem, eo quod Frodoardo potius quam Sigeberto credendum sit, non ante annum* 937 *vitam cum morte commutavit. Quapropter, cum Raginarius seu Raginerus I, Hainoensium comes, anno* 916, *uti apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum p.* 224 *Chronici Saxonici auctor docet, vita functus sit, Rainerum seu Raginarium secundum designat biographus, ac proin, cum hunc vocet* Longicollem, *confirmat opinionem nostram, qua opinamur Rainerum secundum, non autem primum, fuisse hoc cognomento appellatum. Adi Commentarium prævium num.* 27.

n *Hæc, quæ hic de Henrico, Ottonis Magni fratre, Everardo comite et Gisleberto duce narrantur, apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum Hermannus Contractus aliique Chronicorum auctores cum anno* 939 *conjungunt, ut adeo hoc anno gesta esse, certum appareat atque indubitatum; neque enim morari hic nos debet Sigebertus, qui alium annum assignat; is quippe scriptor a veris annis, quibus res, quas narrat, gestæ sunt, assignandis sæpissime aberrat. Porro chronographum, quem laudat biographus, alium hic iterum non esse, quam Liutprandum, liquet ex eo, quod apud Bouquetum tom. VIII Scriptorum p.* 247 *in Luitprandi Historia etiam occurrant hæc de Everardi et Gisleberti interitu, quæ se ponere seu transscribere biographus innuit, chronographi illius verba :* Everardus gladiis occiditur, Gislebertus Rheni undis submergitur; quas quoniam exsorbere præ multudine non potuit, anima recedente, defecit.

o *Vide hic litteram* b.

p *S. Gislenus nona colitur Octobris die. Vitam hujus Sancti Sæculo secundo Benedictino jam edidit Mabillonius, eique librum, qui miracula S. Gisleni* E *complectitur, adjecit; in hoc autem auctor Rainerus visionem, quam hic narrat biographus, etiam commemorat. Adi Commentarium prævium num.* 136 *et* 141.

q *Cœnobii hujus notitiam num.* 133 *et seq. Commentarii prævii suppeditat.*

r *Erat S. Gislenus, uti apud Mabillonium Sæculo secundo Benedictino cit. pag.* 790 *Vita ejus testatum facit, natione Græcus, hincque hic sese vocat* Argolicum.

s *Pro pagi hujus locique Broniensis notitia videsis Commentarii prævii num.* 15 *et* 30.

t *Matricularii qui olim fuerint, num.* 133 *Commentarii prævii exposui.*

u *Pravos horum clericorum mores Raineri jam laudati verbis descriptos dedi Commentarii prævii num.* 134.

x *Vocabulum hoc Græcum est, idemque significat, quod Latine mansionarius seu custos ecclesiæ.*

y *Mabillonius in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus recto ad hunc locum ita observat :* Legendum vel Stephano, qui ad annum 934 (*alibi ait ad annum* 933) Cameracensibus præfuit, vel certe Fulberto, proximo ejus successori. Nam Thieddo non ante annum 964 Cameracensem cathedram obtinuit. F

z *Visio, a biographo hic memorata, ante annum circiter* 932, *ut ex iis, quæ Commentarii prævii* § 11 *disserui, facile intelliges, non evenit, ac proin iterum hic designatur Rainerus seu Raginerus secundus, cum tunc Rainerus primus in vivis amplius non fuerit superstes, quemadmodum ad lit.* m *jam docui.*

aa *Mirum est, quantum hic in tota narrationis serie a Rainero dissonet biographus. Adi Commentarii prævii* § 12.

bb *Epistola* 2 *ad Timotheum cap.* 2, ℣. 4.

cc *Ita fere Epistola ad Romanos cap.* 13, ℣. 1.

dd *Ita fere Epistola Petri prima cap.* 2, ℣. 13.

ee *Matthæi* 5, ℣. 16.

ff *Lucæ* 11, ℣. 33.

gg *Agalma hic ovile seu caulam significat.*

hh *Melbodium seu Malbodium Belgii in Hannonia, quod S. Aldegundis sæculo septimo condidit, oppidum ad Sabim fluvium Montes inter et Avennas situm est, æquali fere utrimque quatuor leucarum distans spatio.*

ii *Psalmo* 106, ℣. 42.

kk *De tota hac biographi nostri narrationis serie, qua corporis S. Gisleni recuperatio* S. Gerardo *adscribitur, videsis Commentarium prævium* § 13.

ll *Lucæ* 14, ℣. 30.

mm *Ita vocatur Severinus Boetius, quod inter nomina,*

AUCTORE ANONYMO.

mina, quæ habuit, etiam nomen Anicii *fuerit. Fuit scilicet appellatus* Anicius Manlius Torquatus Severinus Boetius.

nn *De hoc vico vide Commentarium prævium num.* 162.

oo *A vocabulo Græco* Κολλούριον, *quod* medicamentum oculare *significat.*

CAPUT IV.

Arcessitur ad Arnulphum Flandriæ comitem; ab hoc, quem calculi morbo prodigiose liberat, multa monasteria accipit administranda, Blandiniense et Sithiense reformat, omniumque deinde abdicato regimine, Bronium se recipit, diemque ibi extremum claudit.

Arnulphus, Flandriæ comes, calculo laborans

Hac igitur tempestate Arnulfus marchio dominabatur Flandrensi provinciæ *a*, vir valde opulentus qualibet rerum possessione, sicuti claret hodieque in posterorum ejus ditiori progenie. Qui tametsi nummatus erat et uberioris substantiæ, nullo tamen adhibito sibi medicamine, remedium aliquatenus
B valebat attingere super gravissima, qua detinebatur, ægritudine : cui utique congruum aptamus versiculum :

a

Æger dives habet numeros, se non habet ipsum.

Continuis namque cruciatibus macerabat eum calculus, intolerabilis videlicet morbus, qui urinam inhibens nuncupatur vulgo lapillus. Ad quem multi chirurgorum medendi gratia certabant convolare, qui se numquam Pæonio cessisse magistro jactitabant in medicinali arte, sperantes, se ab eo, quem noverant divitiis superabundantem, emolumentum accepturos cum magna dapsilitate. Quibus unanimiter volentibus Hypocratico eum scapello incidere, ita ut demum valerent, quo laborabat, lapillum elicere; quippe quem ajebant haud aliter posse sospitatem integram recipere : nullatenus audebat ille super hujuscemodi acquiescere, ne forte, dicens, dum quæro indulgentius vivere, incipiam moriendo inclementius deficere.

Gerardum ad se arcessit,

60 Porro chirurgi peritiam artis suæ quærentes ostentando extollere, et extollendo ostentare, atque marchionis animum ob metum mortis pavidum ad id sustinendum confortando animare et animando confortare, sub ejus conspectu eodem morbo confectos bis novem inciderunt, quos quidem omnes
C præter unum, qui defunctus est, in brevi curaverunt *b*, Et quoniam is sibi medelam incidendi evitandam monstravit, tale quid ulterius auscultare noluit. Tandem divina miseratione reversus ad se, spem, quam inconsulte posuerat in homine, cœpit ad Deum competenter reflectere, qui, sicut expertum legimus virginal beatæ martyris Agathæ, universa curans restaurat solo sermone *c* : ut Viri Dei bonum olfaciens odorem fama diffundente maxime de cæca muliere, quæ tenebris caruerat ejus intercessione, non distulit humillima petitione per volipedem legatum efflagitare, quatenus ad sui præsentiam usque dignaretur defatigare.

b

c

ejusque pro se apud Deum intercessionem enixe rogat.

61 Cui cum advenienti honorifice occurrisset, et ut congruebat, cum omni officiositate excepisset; cujus morbi infortunio excruciaretur, lugubriter intimavit, et ut pro sui recuperatione apud Omnipotentis clementiam intercederet, suppliciter imploravit. Ad quod Vir Domini respondens intulit illi : Crede mihi fortiter, non novi, me tantæ virtutis esse vel meriti, ut fiduciam tantæ rei valeas committere mihi. Istud sane perfectorum est virorum, magis autem carne solutorum, Dominoque semper assistentium. Ego vero quisnam sum, vilissimum Dei mancipiolum, a quo expetas tam difficillimum humanitati subsidium? Si vis perfectam, Domino committe medelam. At comes Arnulfus hæc ingeminat gemebundus : Ut perpendo, pater mi dulcis, occasionem quæris, me debeas præstare, quod peteris. Præsume, quæso, præsume de Domini bonitate, nec differas mihi opem accommodare, quam, ut spero certissima spe, dignabitur Deus per interventionem tuam mihi conferre in tanta ægritudinis anxietate. Ne, quæso, claudas viscera compassionis a me, sed ut divinitus tibi propitietur, mihi moribundo propitiare. Vir vero Domini sic obviat illacrymanti. Ne videaris, dilectissime, incassum a parvitate mea requisisse solatium, jacta semper, jacta in Domino cogitatum, tibique nostrum placeat consilium. D

Sanctus triduanum jejunium, quod et ipsemet observat, comiti injungit,

62 Est tibi multarum non infima copia rerum. Cujus aliquantulum expendendo necessitatibus pauperum, abolere poteris tuorum enormitatem scelerum. Ob peccata enim accidit interdum hujusmodi incommodum. Ut, dum taliter benignum placaveris Christum, incolumitatis exoptatum valeas recuperare remedium. Debet quippe dives et opulentus ministrare egenis et pauperibus : tu vero Dei gratia dives es et opulentus. Debes igitur ministrare egenis et pauperibus : qui enim minimis administrat fratribus, administer Dei invenitur gratissimus. Marchio cuncta probat, quem marcor dirus obuncat. Gratissimum, inquit, est mihi, quod suades, Famule Dei, dum pietas Domini dignetur me miserari. Et quemadmodum ille Euangelicus quondam Zacchæus, dimidium bonorum meorum E do pauperibus, dummodo sævissimus sopiri valeat morbus, qui pertinaciter meos depascitur artus. Cum ergo obtemperanter Viri Dei sententiam amplectens probasset, domesticosque suos id exsequi fideliter imperitasset : ab ipso Viro Dei coabstinente triduani abstinentia jejunii consequenter indicitur illi, quatenus uterque tali parsimonia purificati, animo spirituali refectione refocillati, invenirentur condigni accedere mysteriis Christi.

hicque post illud sub Missam, a Gerardo celebratam, calculo prodigiose liberatur.

63 Quod ut devotissime, prout res exigebat, expleverunt, Sanctorumque suffragia lacrymabiliter interpellaverunt; Athleta Dei divinis accingitur armis, celebrans sollemnia Missæ cum consuetis fletuum suspiriis. Cumque mysteriis participasset Sacramentorum, et marchioni inhianter exspectanti reperti sunt ex eisdem participum *, pande, pande o pagina mirum, repente micturiendi appetitus marchionem impetiit ipsum, moxque congruum petens secessum, sine difficultate urentem eminxit lapillum *d*. Quo pristinæ sanitati mirabiliter restituto, quanti in ejus pectusculo exuberaverit gaudii exsultatio, quanta cunctos sibi fideles obtinuerit Domini collaudatio, quantave circa Virum Dei excreverit condecens veneratio, an a nobis exigit vestræ unanimitatis dilectio, dum nostra exilis descriptio nequeat comprehendere stilo? Hæc tantum F sufficiant compendiosius dicta, quoniam tota, quæ sibi ancillabatur Flandrensis provincia, et super ejus infortunio antea emarcuerat mæsta, ob ejus incolumitatem quodammodo reviruit læta.

* *videtur hic aliquid deesse.*

d

Sanctus, donis plurimis, quæ ei Arnulphus offert, non admissis,

64 Abbas vero reverendissimus in humilitatis arce fundatus, nullo modo suis arrogavit viribus hujus beneficii mirabile munus, sed Eucharistiæ potius omnipotentissimis effectibus. O omnigenis hominum linguis prædicanda Domini Jesu cunctipotentis munificentia! Istiusmodi medicinale malagma quondam adhibuit salutigera vestimenti ejus fimbria, mulieri fluxu sanguinis laboranti per duodena annorum curricula, quæ in medicos sua profusus * expenderat patrimonia, nec ab ullo eorum competentia consequi poterat curationis remedia. Comes igitur Arnulfus, beneficentiæ sibi collatæ remunerator, liberalissime Virum Dei compluribus peroptans honorare muneribus, non pauca auri vel argenti pondo ejus præsentavit obtutibus, ut quondam Elizeo, Eliæ domestico, Naaman Syrus, quatenus hoc suis suorumque fratrum asportari juberet usibus. Quod ille omnifariam excusando repudiavit, dignumque memoria verbum indignatus marchioni objecit. Si nostra, inquiens dereliquimus, quomodo aliena accipiemus? Monachus quærens in terra proprietatem, nullam dignoscitur habere religionem : monachus pecuniosus convincitur esse leprosus.

* *forte* profusius

Quid

A Quid enim aggestus pecuniæ, apud monachos maxime, nisi lepra animæ? Certe frater Gerardus non vult fore pecuniosus. Non igitur fiet, Domino miserante, leprosus.

ægre tandem, ut facultatum ejus decimas acceptet, inflectitur.

65 Sic quippe Vir totus Domini servitio deditus metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari divites perituras solent divitias custodire. Hoc exemplo commoniti caveamus nos monachi *e* philargyriam, immo lepram Giezi, qui postponens præsagia vaticinantis fiedici *, leprosus possessor exstitit pecuniæ Naaman Syri. Sacramentis tamen terribilibus obstrictum comes vix tandem perurget, ut suarum decimas saltem facultatum acceptaret, easque ut prudens œconomus consideranter dispensaret, prout Spiritus Sanctus sibi dignanter inspiraret. Et hoc quoque prius humiliter declinavit, ac paullo post non ambitiose suscepit, quas prudentissima consideratione tripertivit, et fidelissima dispensatione dispertivit. Et bissem * quidem Deo servientibus cœnobitis pauperibusque erogavit, trientem vero Broniensis ecclesiæ necessario reservavit. Tunc etenim temporis erat Broniensis ecclesia velut arbuscula noviter plantata, necdum ad plene radicata, quæ irrigationis postulans adjumenta, si forte cesset cultoris industria, B inutilis redditur et infœcunda.

e
* fatidici

* bessem

Addit comes abbatiarum omnium, quæ sud ditione sua sunt, administrationem.

66 Sic igitur marchio, spectata Viri Dei virtutifera probitate, magisque monastica, quæ circumquaque divulgabatur, religiositate, abbatiarum, quotquot habebat sua sub potestate, commodum duxit procurationem sibi commendare *f*.

Quo rursus baculo Pastor venerandus adepto,
Mox sibi commissas disponit visere caulas,
Ne lupus incautos vexaret mordicus agnos.

Inprimis autem adiens Blandiniense monasterium *g*, ab Amando *h* præsule beato Gandavi fundatum, non solum repperit omni religiositate nudatum, utpote occupatum sæcularissimis clericorum; verum etiam infestatione perversorum ad nihilum pœne redactum; insuper et, quod erat lacrymarum fonte gemendum, excubiis trium, qui ibidem quieverant, Sanctorum multo jam tempore exspoliatum.

f

g
h

Sanctus monachos clericis Blandinii substituit.

67 Porro Athleta fortissimus Divinitatis ope præditus, nullo modo cessit laborum sudoribus; sed cum beato Joseph tunicam talarem indutus, semper fine bono suos prosperavit incœptus, et, eliminata abinde clericorum irreligiositate, licet jactitarent sese ventosa nobilitate, melioratis quibusque, cœnobitarum religionem non distulit subrogare, quemadmodum duobus in locis paullo ante meministis eum jam actitasse. Quod illi ægerC rime ferentes, seseque ulcisci deliberantes, hostis antiqui malitia perculsi, studiis Viri cœperunt æmulari, ejus quoque conversationi derogare, quosque etiam possent ab illius visitatione compescere. Cumque jam se conspicerent non posse ejus profectibus obviare, sed magis magisque illius opinionem crescere; ad hoc usque perducti sunt succensi facibus invidiæ, ut comminisci præsumerent de sibi inferenda, pro nefas! nece.

Hinc cum impii quidam meditantur occidere: ast hi a scelere

68 Sed Domino protegente, dum eorum cassarentur insidiæ, et nequirent intercipere animal Dei, occulatum undique; quadam die junctis complicibus factionis sacrilegæ valvas irrumpunt ecclesiæ, quærentes eum, quod et dictu nefas est, ante altare unanimiter discerpere sacerdotali etiam infulatum podere. Quibus miram prætendens constantiam, imperterritus procedit in obviam, Deo immolandam sese alacriter opponens hostiam. Sic sic sermo completur veridicus: Permanet intrepidus confidens, ut leo, justus. Quos arguens, O, inquit, cives, quæ tanta exagitat vestras insania mentes, ut adversum me imbellem corripiatis arma rebelles? Inermis quidem terrestribus, armatus sum vero armis cælestibus: proinde non me vestra terrent spicula, neque hæc præsumtio tam flagitiosa. Non equidem recuso bibere pro Domino Jesu calicem mortis, qui pro me dignatus est ferre suo in corpore stigmata passionis. At illi in faciem ejus contemplantes divinum et mirabile quiddam, ingenti pavore concussi, ante ejus præsentiam corruerunt proni in terram.

AUCTORE ANONYMO.

69 Sicque animo consternati, et ultra modum exanimati, vix valebant verba precantia fari, vestigiis ejus pariter provoluti. Ignosce nobis, inquiunt, Pater venerabilis, ignosce erratis nostris, et ne reputes, suppliciter petimus, quod contra te sic insipienter egimus: miserere lugentibus, indulge pœnitentibus. Quibus clementer elevatis et vehementer anxiatis, ad ignoscendum perfacilis Pater ait amabilis: Quoniam quidem, inquit, reatus vestri offensam agnoscitis, pœnitudinemque compuncti ostenditis, benignitas Salvatoris peccata remittentis dignetur ignoscere vobis: ego quoque ita dumtaxat ignoscens acquiesco supplicationi vestræ, ut, quomodo nunc usque fuistis impedimento huic ecclesiæ, sic deinceps sine simulatione satagatis subsidio esse; nunc nunc recedatis cum pace. Quemnam, quæso, imitatus est in hoc gesto, nisi eum, qui passurus abiit Hierosolymam vultu obfirmato, et sub ipso passionis articulo persecutores suos prostravit solius sermonis jaculo?

prodigiose prohibentur, veniamque a Gerardo petunt et impetrant.

70 Cum quanta vero lætitiæ et exultationis gratia sanctorum superius memoratorum Wandregisili, Ansberti atque Vulfranni corpora transtulerit *i*, ab urbe Bononia revehens ad propria, angustare refugit nostra narationis angustia, præsertim cum hactenus tota idipsum protestetur Flandrensis provincia. Sed nec ab hisce reliquiis ecclesia Broniensis expers habetur et immunis. Nam præter E cetera a Gandavo istuc delatum ejusdem beati abbatis Wandregisili brachium, nec non et, quod est præcipuum, inæstimabilia pignora primatis Apostolorum *k*. Ut autem brevitati serviamus, et plura omittentes, pauca recolamus, quam strenue etiam beati Bertini cœnobio aliquamdiu præfuerit, reticemus, quamque saporosos disciplinæ Regularis inibi protulerit fructus *l*. Sed ne penitus taciturni silentio supprimamus relata nobis a majoribus, decem et octo cœnobiorum traditur exstitisse procurator vigilantissimus *m*, Domino complente, quæ suis promiserat fidelibus hoc et hoc relinquentibus centies tantum in tempore hoc cum persecutionibus.

Sanctus Gandavum SS. Wandregisili et Ansberti corpora transtulit i

k

l

m

71 Tantus autem fervor ad colligendas Deo animas accenderat illum, ut sic sollicitudinem gereret monasteriorum, quatenus per habitacula discursando singulorum, ad amorem patriæ cælestis excitaret corda audientium. In qua desudans felici exercitatione, multorum benevolentiam alliciebat familiaritati suæ. E diversis quippe locorum partibus confluebat ad eum ædificationis gratia Ordo F monachicus, tanti Viri pudicos et imitabiles actus sitientes imitari totis virium conatibus. Videres quasi ex diversis alvearibus apes ad hanc florigeram arborem convolare, ut inde favis arentibus nectar melliflui roris possent instillare. Quos ille benigno gratantique animo suscipiens, et monasticæ edulio normæ affluenter reficiens, de discipulis idoneos præceptores, de perfectioribus perfectissimos reddebat doctores. Discedebant alii moribus et religione instructi, accedebant alii nihilominus instruendi. Indesinenter enim quasi nardus miro odore virtutum fragrabat, et Scripturarum fontem aperiens arentia mentium prata rigabat.

confluentesque undique ad se monachos salubriter instruxit.

72 Sic divini pigmentum verbi, cujus vitali redolebat suavitate, fratrum intrinsecus languentium indigentiæ curabat communicare, quod trajiciendo masticantes saporifera ruminatione ab omni vitiorum convalescerent infirmitate, atque gustando mererentur considerare, quam suavis est Dominus sperantibus in se. Ne cui autem legentium videatur incongruum verbis Scripturarum aptari tale vocabulum; noverit utique sermonem divinum aptissime appellari pigmentum, qui, quo magis ruminando teritur ore sermocinantium, eo magis reddit saporis odorisve oblectamentum, ab animæ languentis stomacho pellens mortale fastidium, qui,

Bello Neustrasios inter et Austrasios flagrante,

AUCTORE ANONYMO.

qui, licet ob sui puritatem mordax sentiatur in ore, suæ tamen virtutis dulcorem salubriter diffundit in corde. Hoc eodem tempore orta est
n non parvæ perturbatio guerræ *n* inter summates
o Austriæ ac Neustriæ *o*, quæ peccatis exigentibus adeo excanduit usquequaque, ut non modo periclitarentur negotia reipublicæ, sed et minimum reverentiæ præstabatur sanctæ Dei Ecclesiæ. Unde vero sit ortum ejusmodi discidium, si vis scire ad liquidum, chronographia pandat priorum. Fiebant ergo strages virorum, viduitates mulierum, orbitates parentum, incendia urbium, captivitates plebium, infractiones atriorum, desolationes ecclesiarum.

Villarum prædas quis comparet atque rapinas?
p Quis creberrimas hinc inde caballicatas *p*?
Quisve cruorivomas possit perstringere pugnas?

Broniense monasterium a Dionysianis monachis redimit, utque huic

73 Tali ac tanta inquietudinis procella tunc temporis agitabatur respublica, quam post pusillum pietate inolita divini respectus consolidavit anchora. Hac igitur necessitate coactus divæ memoriæ dominus abbas Gerardus, Catulliacam beati Dionysii adivit percitus abbatiam *q*, Broniensem
q redimens ab ibidem Deo famulantibus ex ea, quam
r sibi rogam *r* erogaverat comes Arnulfus. Verebatur siquidem non mediocri sollicitudine, quin ex-
B terminio succumberet sub tot malorum turbine,
s præsertim cum remota a finibus Merovingiæ *s*, ad quam pertinebat illo in tempore, in meditullio sita est Lotharingiæ, quam absque dilatione beati Lantberti contradens majori ecclesiæ, utpote interjacentem Leodicensi parochiæ, domini Faraberti *t* commendavit tutelæ tunc pontificis ex Prumiensi abbate. Hanc, licet parvam, quantum magnipendens diiexerit, ipse evidentissima declaravit liberalitate, mutua videlicet vicissitudine recompensans eidem abbatiæ viginti mansos telluris instauratæ, quos ipsa possidet ecclesia usque
t hodie in gyro sibi positos solida cum quiete.

Privilegium Pontificium impetret, Romam petit;

74 Amicus vero Domini in omnibus et super omnia Broniensis cœnobii prospiciens utilitati, Broniensis monache, audi; audiens vero cave oblivisci : tametsi afforet ævo progressiori, non tamen duxit oneri Romam usque fatigari *u*, quatenus, cujus fundator erat oratorii, devotus imploraret patrocinium summi Apostolorum principis
u Petri, atque ab ejus vicario satageret adipisci de rebus et libertate ejusdem monasterii authenticos apices confirmantis decreti. Quod cum mira alacritate animi dominus Stephanus sanctæ Romanæ Sedis tunc Apostolicus jussisset fieri, (ipso consistente Viro Dei, immo dictante debentia scribi)
C plumbeo bullatum sigillo privilegium, quod et pertongar *x* appellant, contulit illi, concessa etiam
x licentia sibi, ut gratia id confirmandi ex præcepto ipsius domini Apostolici omnes subscriberent episcopi, per quos repatriando speraret ipse reverti *y*. Et quoniam in promptu habentur hujusce
y scripti monumenta, quippe quæ cum omni diligentia hactenus conservat Broniensis basilica, ne cui lectorum displiceret prolixius syrma, supersedimus singula ipsius hic apponere verba.

unde dum revertitur, res in via, cujus felix

75 Ceterum prudens lector perspicacissimam hujus Viri Dei demiretur prudentiam, quanta videlicet ingenuitate in ejusmodi scripto libertaverit hanc abbatiam, et qualem vel quantam subeat æterni anathematis pœnam, si quis temerario ausu, quod absit, infringere præsumat eam. Ut autem ad rem redeamus, et quid relatu dignum divina virtus in eodem itinere Fideli suo præstiterit, recolamus; ab urbe Roma prosperrime pro-
z gressus, ad montem, qui dicitur Jovis *z*, devenerat ipse Beatus. Cumque cum suis angusta carperet declivia montis, incaute gradiens unus e sagmariis
aa *aa* sarcinatus lapidibus porphyreticis, quos ad sua Vir Dei transvehebat causa necessariæ venustatis, deorsum cecidit rotatus ad concava vallis. Quod molestissime ferentibus, qui conveniebant, comitibus,

Nil adeo motus, sic infit Vir venerandus :

Quare pusillanimes vos reddunt talia, fratres? D
Laus Domino cunctis reddatur pro benefactis.

eventus Gerardi meritis fuit adscriptus, prodigiosa event.

76 Et accito quodam ex illis, quos dicunt Maro-
bb nes *bb*, salva mercede, jussit, ut saltem sagmarii sarcinam perquireret continentem lapides. Ad hos siquidem magis deflectebat animum ob illud fortasse prolatum :

bb

Omne, quod est rarum, dignoscitur et pretiosum.

Nam quis non exstinctum indubitanter crederet illum? Quis vel corpus ad terram integrum pervenisse autumaret, dum interpositis ubique scopulis, discerpi in partibus potuisset? Requisitus autem, non solum vivus, verum etiam incolumis et illæsus repertus est cum lapidibus. Tunc patenter cunctis innotuit, quod ideo lædi non potuit, quia hunc in casu suo oratio Dei Viri portavit. Ex hoc autem lapide, ut in præsentiarum est cernere, insignitur hodieque majus altare Broniensis basilicæ.

Sic redit ad propria sacer et venerabilis Abba, Magnificans Dominum, qui dirigit acta suorum.

Mortem sibi imminere divinitus edoctus, monasteria curæ suæ commissa,

77 Sacro itaque doctus spiramine prænoscens, imminere diem vocationis suæ, quo videlicet et rationem redderet villicationis commissæ; necessarium duxit et utile, cœnobia fratrum revisere degentium suo sub regimine, seseque deinceps exuere tot curarum onerosa gravedine, atque ido-
E neum procuratorem sui vice unicuique cœnobiorum substituere. Cum autem, arrepto itinere, appropiasset villæ, quæ appellatur Marcianæ *cc*,
cc quam et alluit fluvium Sambræ *dd*, uno ex latere
dd pueri ejus horam vescendi cernentes jam affore, congruum sibi caballisque petunt diverticulum ab itinere, amœnumque ac herbidum discedentes in locum protinus discumbunt ad convescendum. Vir autem Domini sub quadam accumbens arbore, amicus amicæ inserviebat parsimoniæ. Qui licet a suis rogaretur importunissime, non tamen acquiescebat epulo indulgere. Vos, aiebat, filii cum Dei benedictione diarium nunc nunc percipite, meum non est hac diei hora comedere, cum siquidem desit piscis, unde possim reficere.

quando interim avis ministerio in via semel pascitur,

78 Ad hoc autem tali utebatur excusationis mo-
ee limine, ut impransus valeret quomodolibet evadere. Illis vero sermocinantibus pieque alternatim contendentibus, ecce ales, agnomine Asperellus *ee*, eadem in arbore suos confovens fœtus, piscem non modicum projecit ad pedes ejus. Quo viso, Viri Dei clientes sic affantur eum reverenter conjoculantes. Eia, inquiunt, Pater reverendissime, excusationem paullo ante prætendebas pro non F
ff habito pisce; nunc saltem pulmentarium *ff* cælitus missum noli respuere; nimirum nulla tibi nunc occasio justa. Quid plura? Tandem convictus convictor fit Philochristus. Pullis tamen asperelli de reliquiis mandans superferri; Non patiamur, eos fame cruciari, ne forte piscis iste deciderit patri gnatis perferre volenti. Tanta fuit talisque Viri compassio justi. Hic illud egregii versificatoris libet inserere.

Nunc bonus Eliæ, qui perfidus antea Noë.
Nam etsi juxta nomen suum asper et indomitus consuevit accipere, modo præter solitum prosper et domesticus didicit tribuere.

ultimo visitat, Broniumque deinde se recipiens,

79 Expleta refectione cum competenti gratia-
rum actione, Vir Dei prosperiori progrediens calle, singula filiorum cœnobia perlustrabat paterna sollicitudine; quos et super monastica commonefaciens religione, ubertimque imbuens divina eruditione, multifaria exhortabatur eos disputatione, ut adversus jacula tergiversantis satanæ servantes unitatem pacis et concordiæ, quasi armati agonistæ semper starent in acie. Cujus salutaria sitienter verba potantes, ejusque præsentiam corporalem inexplebiliter amplectentes, pectoris ex imo suspiria longa trahentes, ne discederet ab eis, supplicabant flebiliter omnes. Quos ille, ut erat melliflui oris, blandiori conveniens affamine, responsum tale perhibetur eis dedisse. Non sic, inquit, fratres amantissimi atque desideratissimi, non sic oportet fieri.

A fieri. Hereditas enim mea præclara est mihi, ibi requies mea in sæculum sæculi, ibi habitabo, quoniam præ cunctis eam elegi. Omnibus igitur rite compositis, cumque pastoribus Pastori summo ovibus commendatis, Beatus pauper spiritu, cunctis, quæ rexerat, ditioribus postpositis, ad dilectam paupertatem gaudenter remeat monasterii Broniensis.

ultimum ibidem diem claudit.

80 Et hæc quoque, Broniensis monache, commenda memoriæ. Qui cum et ibidem cuncta disposuisset mira perspicacitate, fratrumque pectora affluenter irrigasset geminæ caritatis limpidissimo fonte, vehementer defatigatus provectiori ætate, in dies cœpit fatiscere corporis graviori imbecillitate: et perpendens, adesse sibi jam terminum vitæ, cupiensque dissolvi et cum Christo esse, data cœnobitis circumstantibus pace, suum muniret exitum Dominici Corporis et Sanguinis perceptione. Tum imperans, campanam pulsari *gg*, quam jussu suo fusam obtinuerat episcopali benedictione sacrari, o vere pulcri gestum memorabile signi? eadem reboante sonitu dulciori,

Concentu cæli meruit sine fine beari
Miles, et emeritus meritorum lumine clarus,
Ad Fontem vivum sitiens, plenusque dierum
Deposito fragilis tandem velamine carnis
B Christi lucifluam Jesu transmigrat in aulam,
Prænitet Octobris quando lux tertia mensis

Anno ab Incarnatione Domini DCCCCLIX, Indictione II, concurrente V, Epacta XX, Feria II.

ANNOTATA.

a *Hic haud dubie designatur Arnulphus I seu senior, cognomento* Magnus; *hic quippe, qui, quod ad decrepitam nonaginta duorum annorum ætatem pervenerit,* Vetulus *etiam a nonnullis appellatur, ab anno* 918 *ad annum usque* 964, *quo obiit, Flandriæ provinciam comitis titulo moderatus est.*

b *Oportet sane chirurgos illos excidendi calculi peritissimos fuisse. Nescio, an nunc reperire sit chirurgum vel unum, qui tot, quot illi, ex calculosis decem et octo felici eventu posset incidere.*

c *S. Agathæ virginis et martyris Acta tom. I Februarii apud nos extant inserta; in his autem narratur, sanctæ huic martyri mamillam, quæ tyranni jussu ei fuerat abscissa, divinitus fuisse restitutam, cum prævie Apostolo in carcere sibi apparenti, medelamque offerenti dixisset:* Habeo Salvatorem Dominum Jesum Christum, qui verbo curat omnia, et sermo ejus solus restaurat universa: hic, si vult, potest me salvam facere. *Ad hoc miraculum*
C *omni dubio procul hic respicit biographus, perque vocabulum* virginal *intelligit vel* corpus virginale *vel certe* mamillam, *virginalis corporis partem.*

d *Quo* Gerardus *tempore ad Arnulphum Magnum, Flandriæ comitem, accesserit, eumdemque calculi morbo prodigiose liberarit, Commentarii prævii* § 14 *ostendi.*

e *Auctor sese monachum appertissime hic prodit.*

f *Qui hic biographus debeat intelligi, Commentarii prævii num.* 172 *exposui.*

g *Hoc monasterium est quidem e monasteriis, ab Arnulpho* Gerardo *commissis, primum, quod Sanctus reformarit; non tamen primum, quod singulari cura fuerit complexus. Videsis Commentarii prævii num.* 173.

h *De S. Amando, Trajectensi episcopo, actum est apud nos ad sextam Februarii diem; hic autem Sanctus, ut ibidem in Commentario prævio* § 5 *ostensum est, bina Gandavi cœnobia, Blandiniense scilicet et Bavonianum, extruxit.*

i Gerardus *SS. Wandregisili et Ansberti corpora, uti in Commentario prævio* § 18 *docui, Bolonia Gandavum ad Blandiniense cœnobium anno* 944 *transtulit; tunc autem, ut ibidem monui, una cum binis sacris hisce corporibus translatum etiam Bolonia Gandavum non fuisse S. Wulfranni corpus, solide a nobis ad diem* 20 *Martii pag.* 161 *monstratur.*

k *De tempore, quo Sanctus sacris hisce lipsanis ditavit Broniense cœnobium, consule Commentarii prævii* § 21.

AUCTORE ANONYMO.

l Gerardus *Sithiense seu S. Bertini cœnobium ab Arnulpho, Flandriæ comite, anno* 944 *gubernandum reformandumque accepit, hocque ad primævam disciplinam revocato, anno circiter* 947 *Gandavum est reversus. Adi Commentarium prævium* § 19.

m *Non edicit biographus, omnia hæc monasteria et a* Gerardo *reformata seu restaurata, et in Arnulphi Flandri ditione sita fuisse. Adhæc quæ de monasteriis* Gerardi *curæ commissis tradit, sese tantum e traditione didicisse, hic aperte declarat.*

n *A vocabulo Gallico* Guerre, *quod Latine* bellum *significat.*

o *Quo de bello sermonem hic verosimilius faciat biographus, Commentarii prævii* § 21 *explanatum invenies.*

p Caballicata *a voce Itala* Cavalcata *significat incursionem, uti ad illud vocabulum in Glossario docet Cangius.*

q *Hæc abbatia ita hic vocatur a biographo, quod in Catolaco, vel, ut alii scribunt, Catulliaco villa seu vico a Dagoberto seniore in S. Dionysii honorem fuerit exstructa.*

r *Hoc vocabulum significat donationem, per quam hic intelligi non puto donationem, qua Arnulphus Magnus, Flandriæ comes, cum primum calculi morbo* E *liberatus esset, facultatum suarum decimas* Gerardo *contulit. Videsis Commentarium prævium num.* 255; *ubi etiam fit commentatio in verba, quibus biographus docet, Broniense monasterium* Gerardi *ætate, utut in Lotharingia situm, ad Franciam pertinuisse.*

s *Id est, Franciæ, appellatione a Francorum e Merovingica stirpe regibus verosimillime desumpta.*

t *Farabertus ab anno* 947 *ad annum usque* 953 *Leodiensem ecclesiam moderatus est, uti in Commentario prævio num.* 256 *et seq. docui.*

u *De ætate, quam tunc, cum Romam privilegii Pontificii Broniensibus impetrandi ergo petiit,* Gerardus *habuerit, disputata vide Commentarii prævii* § 9, *ubi etiam, quo tempore et a quo Pontifice, nomine* Stephano, *Sanctus privilegium acceperit, discussum invenies.*

x *Alii scribunt* Ptongar; *est autem hic haud dubie, ut Mabillonius in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus recte docet,* Pancharta *seu* Panto charta; *quo nomine quævis charta seu quodvis diploma significatur.*

y *Mabillonius lib.* II *de Re Diplomatica, pag.* 154 *docet, diplomata etiam non pauca reperiri, quæ episcoporum absentium nominibus sint signata. Hisce certe diplomatis a Mabillonio memoratis accenseri debet diploma seu privilegium a summo Pontifice* F Gerardo *concessum. Huic enim multi etiam absentes subscripserunt episcopi, atque id quidem, ut biographus hic declarat, ipsiusmet summi Pontificis jussu factum est.*

z *Baudrandus de hoc monte in Dictionario geographico ita memorat:* Mons-Jovis, pars Alpium in ipso limite Rhætiæ, nunc Mons Major S. Bernardi. Vide ibi, quamquam sint, qui credant esse Monjovetto vicum Sabaudiæ in ducatu Augustano. *Vult ergo hic scriptor, Montem Jovis esse eumdem cum monte, qui modo* Mons Major S. Bernardi *dicitur. Postea porro montis, qui modo* Mons Major S. Bernardi *dicitur, hanc præbet notitiam:* Mons Major sancti Bernardi, le Grand saint Bernard, mons excelsus Alpium pars, versus confinia Italiæ, inter ducatum Augustanum in Sabaudia ad Meridiem et Valesiam provinciam Rhætiæ ad Septentrionem, dictus fuit olim Mons Jovis, et nunc sic vocatur a sancto Bernardo de Mentonia, archidiacono Augustano, qui anno DCCCCLXVI monasterium excitavit in viciniis.

aa *Sagmarius hic nihil aliud significare videtur, quam clitellarium seu sarcinarium jumentum.*

bb *Mabillonius in suis ad* S. Gerardi *Vitam Annotationibus ita ad hoc gentilitium nomen observat:* Marrones etiam memorantur in Vita S. Odonis superius edita, a Mauromonte, qui in Galliæ et Italiæ finibus

AUCTORE ANONYMO.

finibus positus est, sic nominati. Eum quippe montem Saracenicæ gentis reliquiæ quædam incolentes, inquit doctissimus Cangius in Glossario, omnia latrociniis et excursionibus vicina loca infestarunt, donec ab Italiæ principibus tempore Berengarii Italiæ regis penitus exstincti aut fugati sunt. *Berengarium secundum, qui anno* 950 *rex Italiæ coronatus est, hic haud dubie designat Mabillonius. Etenim Berengarius primus, ut Frodoardus in Chronico docet, anno* 924 *a suis fuit occisus, ac proin, si sub hoc, non autem sub Berengario secundo, exstincti fuissent Marrones, hi in Alpibus non amplius fuissent superstites, quando hos montes* Gerardus *anno ex dictis in Commentario,* 929 *transivit.*

cc Marcianæ, *Gallice* Marchiennes au pont, *vicus est Hannoniæ, seu pagus ad utramque Sabis ripam Tudinium seu Thunium inter et Caroloregium, una circiter leuca a posteriori hac civitate remotus. Hic biographus de hoc vico indubie facit sermonem.*

dd *A voce Gallica* Sambre, *Latine* Sabis.

ee *Accipitrem interpretatur in Glossario Cangius: et vero hoc vocabulum ita interpretandum esse, liquet ex hisce de ave, quæ* Gerardum *pavit, biographi verbis:* Etsi juxta nomen suum asper et indomitus consuevit accipere, modo præter solitum prosper et domesticus didicit tribuere. *Nec contrarium probaveris ex hoc, quem etiam profert biographus, versiculo:* Nunc bonus Eliæ, qui perfidus antea Noë. *Quamvis enim hoc versiculo corvus, qui, ut Genes.* 8 *narratur, dimissus a Noë ex arca, ad eum amplius reversus non est, Eliamque, ut lib.* III *Regum, cap.* 17 *refertur, pane et carne pavit, primario designetur, biographus tamen tantum vult, dictum versiculum, qui communiter corvo applicatur, applicari etiam posse Asperello seu accipitri, quod hæc avis, quæ aliis plerumque mala est,* Gerardo, *cum hunc pavit, bona exstiterit.*

ff *Pulmentum seu pulmentarium, ut notat Mabillonius, pro ferculo etiam ex piscibus facto accipitur, hancque, ut apparet, significationem habet Joannis* 21.

gg *Hoc scilicet signo voluit* Gerardus, *agonem suum fidelium precibus commendare, uti Sturmius abbas, morti proximus, Fuldæ aliquando fecisse legitur.*

DIES QUARTA OCTOBRIS.

SANCTI, QUI IV NON. OCTOBRIS COLUNTUR.

Sanctus Crispus, S. Caius — Corinthi.

S. Lucius, S. Chæremon et alii anonymi — Alexand. aut forte alibi in Ægypto.

SS. Tyrsus et Socii, item SS. Bonifacius et Socii — MM. forte Thebæi apud Treviros.

S. Marsus presb. conf. Autissiodori in Gallia.

SS. Marcus et Marcianus fratres, et Socii MM. in Ægypto.

S. Domnina, S. Berinna seu Berenice, S. Prosdoce — MM. in Syria.

S. Adauctus martyr in Mesopotamia, ejusque filia Callisthene virgo Ephesi.

S. Dasius martyr Axiopoli in Mœsia Inferiori.

S. Marusius, S. Restitutus et forte S. Julius — martyres Carthagine in Africa.

S. Ammon seu Amos Ægyptius in Nitria.

S. Petronius episc. conf. Bononiæ in Italia.

S. Quintinus martyr in Turonia, Galliæ provincia.

S. Aurea virgo abbatissa, Parisiis in Francia.

S. Petrus ep. M., forte idem cum S. Petro Capitolio, in Arabia.

S. Magdalveus episc. conf. prope Virodurum in Lotharingia.

S. Franciscus confes., fundator Ordinis Minorum, Assisii in Umbria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Sancti Marcelli Papæ *meminerunt Martyrologium Bedæ cum auctariis editum, Rabanus et apographum Hieronymianum. In priori legitur:* Romæ Marcelli Papæ; *in secundo:* Romæ Marcelli episcopi; *in tertio:* Romæ, Balbinæ. Marcelli episcopi. *In Martyrologio Romano* S. Marcellus *Papa et martyr annuntiatur die* 16 *Januarii, ubi Henschenius noster, ista referens, fatetur, se nescire, quænam peculiaris ejusdem Sancti festivitas ad hunc diem Octobris allegatis verbis indicetur. Adi igitur prædictum diem* XVI Januarii.

S. Pauli Simplicis *memoria hodie cum elogio inscribitur Menologio, quod Basilii Porphyrogeniti imperatoris jussu concinnatum est. Inscribitur et excerptis nostris ex Menæis Bibliothecæ Ambrosianæ. Verum de eo jam nos cum Martyrologio Romano, magnis Græcorum Menæis excusis et Menologio Sirletiano egimus* VII Martii.

Balbina virgo *hoc die annuntiatur* Romæ *in apographo nostro Hieronymiano. Haud dubie indicatur* S. Balbina *virgo, S. Quirini martyris filia, cujus gesta in Opere nostro habes ad* XXXI Martii.

Sanctorum fratrum, filiorum sanctæ Waldetrudis, scilicet Landrici episcopi et Dentalini pueri translatio *hoc die annuntiatur in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Greveni Usuardum. De utroque in Opere nostro actum jam est; nimirum de* S. Landrico *Metensi episcopo ad* XVII Aprilis.

De S. Dentelino puero *ad* XIV Julii.

S. Aniani *episcopi et confessoris hodie meminerunt Grevenus et alii. In nostro Ms. Florario Sanctorum ejusdem mentio fit ad Kalendas Octobris: verum hic* Anianus *est episcopus Alexandrinus, de quo actum apud nos est cum Martyrologio Romano ad diem* XXV Aprilis.

S. Machillæ episcopi *memoria* in Buta insula, *Scotiæ scilicet, hoc die est apud Thomam Dempsterum in Menologio Scotico, et Philippum Ferrarium in Catalogo Generali; quem cum ambo referant sacrum velum S. Brigidæ imposuisse, fuit ille* S. Macalleus, *de quo in Opere nostro actum est die* XXV Aprilis.

SS. Neophyti, Gaii et Gaiani martyrum *hodie meminerunt Menæa Mediolanensia bibliothecæ Ambrosianæ*

A *brosianæ et Menæa PP. Dominicanorum conventus S. Marci Florentiæ, quibus etiam accedit incerti auctoris Synaxarium : tam in hoc autem, quam in prædictis Menæis non exprimitur martyrii vel genus vel palæstra. Verisimile nihilominus apparet, tres istos Martyres diversos non esse a tribus Martyribus homonymis, de quibus in Opere nostro actum est* IV Maji.

S. Ampelius eremita *apud Genuam hodie inscriptus est Martyrologio Castellani, forte, quia in illius Vita Italica, quam habemus Ms., eodem die obiisse dicitur. Apud nos ex aliis Martyrologiis datus est, quo colitur, die* XIV Maji.

SS. Caius, Faustus et Eusebius diaconi *cum SS. Chæremone et Lucio hodie signantur in Martyrologio Romano, Menæis et Menologiis Græcorum Basiliano et Sirletiano.* SS. Caius *et* Faustus *cum S. Dionysio patriarcha Alexandrino dati jam sunt die præcedenti; sanctum autem* Eusebius, *qui fuit Laodiceæ in Syria episcopus et tamen hic solo decoratur* diaconi *titulo; apud Castellanum vero in Supplemento Martyrologii Universalis hodie solus annuntiatur, ut dictæ sedis episcopus, in Opere nostro inter Sanctos locum jam obtinuit* III Julii.

S. Dometii Persæ monachi sub Juliano Apostata lapidati *memoria ad hunc diem signatur in Meno-*
B *logio Basiliano, in Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ et Florentinis bibliothecæ PP. Dominicanorum conventus S. Marci. Duo priores e tribus hisce Fastis sacris sanctum istum Martyrem insigni exornant elogio : hoc autem eum elogio, quo S. Dometius, itidem Persa monachus, sub Juliano Apostata lapidatus, ad 7 Augusti in Menæis Græcorum excusis et Menologio Sirletiano celebratur, tam accurate in adjunctis præcipuis congruit, ut dubitari nequeat, quin unus idemque sit Dometius, qui hodie Monumentis sacris jam memoratis et ad 7 Augusti Menæis excusis et Menologio Sirletiano inscribitur. Perperam ergo in Synaxario Sirmondiano, quo suppleri solent Menæa excusa, quasi in his hodie elogium aliquod S. Dometio Persæ monacho adornatum suppleri deberet, isthæc ponuntur :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις πέραν ἐν Ιουστινιαναῖς. Celebratur vero ejus (*S. Dometii Persæ monachi*) festivitas trans maris sinum in Justinianis seu Sycis. *Etenim hodie in Menæis excusis S. Dometius ne memoratur quidem, nec vero memorari debet, utpote in iis ad 7 Augusti memoratus; qua etiam die ejus elogio, quo tunc in Menæis excusis decoratur, in laudato Sirmondi Synaxario sequens, quod a mox dato non multum dissonat, Supplementum adjicitur :* Τελεῖται δὲ ἡ
C αὐτοῦ σύναξις ἐν τῷ ἁγιοτάτῳ αὐτοῦ μαρτυρίῳ τῷ ὄντι πέραν ἐν Ιουστινιαναῖς. Celebratur vero ipsius (*S. Dometii Persæ monachi*) festivitas in sanctissima ejusdem æde trans maris sinum in Justinianis seu Sycis, *id est, in urbis Constantinopolitanæ* (*vide Cangii Constantinopolim Christianam lib.* I, *pag.* 66 *et tribus seqq.*) *regione olim decima tertia, quæ sinu maris angusto a reliquis ejusdem urbis regionibus erat divisa; nunc autem dumtaxat est suburbium, quod* Galata *aut etiam ab aliis, quamquam minus recte,* Pera *nuncupatur. Porro in Opere nostro ad 3 Julii actum est de S. Domitio seu Dometio martyre in Syria; apparet autem, ut ibidem insinuatur, admodum verisimile, Sanctum illum non esse distinctum a S. Domitio seu Dometio Persa martyre supra memorato, qui Menæis excusis et Menologio Sirletiano ad 7 Augusti intexitur. Hinc Majores nostri Sanctorum, qui die illo coluntur, Acta illustraturi, cum post iteratum examen nihil haberent in promptu, quod cogeret S. Domitium martyrem in Syria distinguere a S. Domitio Persa monacho et martyre; pro hoc postremo Sancto a 7 Augusti, quo etiam die Martyrologio Romano a Baronio inscriptus est, ad 3 Julii lectorem sciendi avidum remiserunt. Quapropter, cum nec ego post denuo repetitum examen repererim fundamentum sufficiens distinctioni inter S. Domitium martyrem in Syria et S. Domi-*

tium Persam monachum et martyrem certo fa- D
ciendæ, sitque hic Sanctus Persa, ut jam docui, procul dubio unus idemque cum S. Domitio, itidem Persa, hodie Fastis sacris supra laudatis inscripto, pro Sancti hujus notitia lectorem pariter remitto ad eumdem diem V Julii.

In Africa apud Coloniam Thebestinam translatio sanctæ Cristinæ virginis et martyris, in civitate Tyro passæ, *legitur in nostro Ms. Florario Sanctorum. De hac aliisque hujus sanctæ Virginis et Martyris translationibus consule Commentarium prævium ad ejusdem Acta parte* 1, § 3, *die* XXIV Julii.

S. Bartholomæi *Apostoli reliquiarum Translatio quædam hodie commemoratur in Martyrologio Gallicano Saussayi. Acta hujus sancti Apostoli illustrata habes ad diem* XXV Augusti.

S. Dionysius martyr, patriarcha Alexandrinus *hodie cum elogio notatur in Menologio, quod Basilii Porphyrogeniti imperatoris jussu confectum est. Nos de hoc Sancto egimus ad diem, quo ejus memoria Martyrologio Romano, plurimisque aliis tum Græcorum, tum Latinorum Fastis sacris inscribitur,* III Octobris.

Theotecni et Diogenis martyrum *hodie meminere Menæa Mediolanensia bibliothecæ Ambrosianæ et Synaxarium Ms. Græcum, cujus auctorem non novimus. Idem faciunt Menæa PP. Dominicanorum conventus S. Marci Florentiæ. Affinitas, quæ inter* E
nomen Diogenis, *et nomen Theogenis seu Theagenis intercedit, mihi persuadet,* Diogenem *diversum non esse a Theogene seu Theagene, de quo ad diem præcedentem actum est. Quod autem ad* Theotecnum *pertinet, hic indubie idem est cum Theotecno, quem die præcedenti inter Prætermissos retulimus. Menæis ergo et Menologio, quibus solis* Theotecnum *inscribi ibidem innuimus, jungendi insuper sunt tres Fasti sacri mox laudati. Verum hi non minus quam Menæa excusa et Menologium Sirletianum, deprehenduntur subinde Sanctis accensere etiam indignos aut schismaticos, ac proin nec illorum ad Menæa excusa et Menologium Sirletianum accessione moveri debemus, ut in Opere nostro inter Sanctos reponamus* Theotecnum, *qui, cum dumtaxat in hujusmodi Fastis, idque sine nota temporis adjunctisque tempus indicare natis, memoretur, nobis satis cognitus non est, dubitareque finit, an ante, an post exortum Photianum schisma floruerit, atque adeo an probe orthodoxus fuerit, cultumque ecclesiasticum, ab orthodoxis sibi exhibitum, umquam habuerit. Vide diem* III Octobris.

Ewaldi duo *in aliquot Kalendariis memorantur hodie. Dati sunt pridie seu* III Octobris.

Dedicatio seu consecratio sanctarum ecclesiarum
sacræ insulæ Lerinensis *notatur apud Vincen-* F
tium Barralem in Chronologia Lerinensium pag. 376.

S. Florentinum martyrem *hoc die consignat Burgedens in Menologio Autissiodorensi Ms. Gallice, additque, illius mentionem haberi in libro Conversionis S. Mamerti seu Mamertini, abbatis Autissiodorensis. Inserta est hæc Conversio Vitæ S. Germani, Autissiodorensis episcopi, auctore Constantio, apud nos editæ tom. VII Julii, die* 31, *ubi pag.* 207 Florentinus *ille, velut juvenis, vestibus albis ac lumine circumdatus Mamertino apparuisse, et cum S. Corcodemo loqui auditus narratur. Ibidem pag.* 208 *in Annotatis lit.* o *observatum est, fore ut de illo agi posset ad diem 4 Octobris ex eodem laudato Menologio Autissiodorensi, id est, ut de cultu illius ibi posset inquiri. Sed cum nemo dicat, quis fuerit* Florentinus *ille, nec ego* Florentini *memoriam in Breviariis Kalendariisque Autissiodorensibus, quæ habemus varia, nec in ullo alio Martyrologio ad hunc diem invenerim, nequeo illum inter hujus diei Sanctos ex solo illo Ms. Martyrologio minime antiquo recensere.*

S. Perpetuum *Tulli in Gallia episcopum annuntiat Philippus Ferrarius in Catalogo Generali San-*

A *ctorum, in Annotatis laudans Martyrologium Francisci Maurolyci, dubitansque, an* Perpetuus *ille re vera fuerit istius sedis episcopus, quia in tabulis Democharis inter Tullenses antistites non legatur. Addo ego, nec in aliis, quos consului, ejusdem sedis Catalogis ullum Perpetuum occurrere. Præterea nescio, qua Maurolyci editione usus Ferrarius sit; nam in gemina Veneta anni* 1568, *quam in Museo nostro habemus, neque hoc neque alio die ullus* Perpetuus episcopus Tulli in Gallia *annuntiatur.*

Madelfridum, *Gallice* Maufroy, *velut* Sanctum *ac* chorepiscopum, *Musciaci in Cadurcis solus e martyrologis, quos legi, hodie annuntiat Castellanus in Martyrologio Universali. Unde hunc* Madelfridum *acceperit, non habeo compertum. Ego illum frustra quæsivi non modo apud ceteros martyrologos, sed etiam in Notitiis Mss. Sanctorum diœcesis Cadurcensis, quas earumdem diligens auctor Armandus Gerard, canonicus Sarlatensis, anno* 1664 *ad Henschenium nostrum misit. Non admodum notum fuisse ipsi Castellano, id argumento est, quod ne sæculum quidem, quo* Madelfridus *iste vixit, annotaverit, ut alias solet in margine. Quam ob rem vereor, ne æque incertus sit, quam Ansbertus seu Ambertus, quem idem martyrologus*

B *velut* Sanctum *et* chorepiscopum *Musciaci in Cadurcis similiter annuntiavit ad diem* 30 *Septembris, quemque deinde ibidem in Supplemento maluit primum Musciacensis monasterii abbatem dicere, addens, eumdem ibidem coli ut episcopum, forte quod illius regionis chorepiscopus fuerit. Vide dicta in Prætermissis citato die Septembris. Itaque certiorem notitiam de laudato* Madelfrido *ejusque cultu requirimus.*

Erveum *Ursi-campi in Gallia Ordinis Cisterciensis secundum abbatem Menologio Cisterciensi hoc die inseruit Henriquezius cum sequenti elogio :* In Gallia beatus Erveus abbas Ursi campi, nobilitate generis et virtutum splendore celeberrimus, cujus futuram sanctitatem et in Ordine admirandum progressum S. Bernardus prævidit et prædixit. Qui post multa pietatis opera et præclara miracula in sanctorum angelorum manus animam resignavit. *In Catalogo alphabetico Sanctorum, Beatorum ac Servorum Dei per Sigismundum Alberti breviter legitur :* S. Erveus de Baugentio, regii sanguinis, abbas II Ursicampi in diœc. Noviomen. IV Octobris MCXLII. *Brevius consonat Kalendarium ejusdem Ordinis, anno* 1620 *Bruxellis editum, quod ad diem* 4 *Octobris sic habet :* B. Herveus abbas Ursicampi. Beatus *etiam*

C *appellatur ab Augustino Sartorio in Cistercio bis tertio tit.* 16, *pag.* 429 *et sequenti; at sine eo titulo memoratur a Manrique in Annalibus Cisterciensibus tom. I, cap.* 7, *num.* 8, *ubi* Herbeus *scribitur. Horum omnium nullus illius cultum probat, etsi ipsum miraculis claruisse affirment. Quapropter rectius Menardus in Martyrologio Benedictino eumdem heri referens, solo* venerabilis *titulo honoravit, ut in Prætermissis ibidem observatum est. De eodem honorifice meminerunt Gaufridus in Vita S. Bernardi abbatis Claravallensis, lib.* IV, *cap.* 1, *apud nos tom. IV Augusti, pag.* 307, *num.* 195; *et Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali lib.* XXVII, *cap.* 3. *Ex hisce elogium illius dederunt laudatus Henriquezius, Bucelinus, aliique, ac Galliæ Christianæ continuatores tom. IX, part.* I, *col.* 1150 *in Catalogo abbatum Ursi-Campi, ubi hi illud sic claudunt.* Obiit mense undecimo præfecturæ suæ, prid. Id. Maji, anno MCXLIII, sepultus in capitulo. *Postrema hæc minime favent ad cultum* Herveo *asserendum, aliumque indicant diem emortualem, quam qui a supra dictis notatus est. Bernardus quoque de Brito in Chronicis Cisterciensibus Lusitanice scriptis parte* I, *lib.* V, *cap.* 6 *ait :* Volunt aliqui, illius obitum contigisse die quarto Octobris; sed cum exigua certitudine. *Porro* Erveum *seu* Herveum *fuisse magnæ virtutis virum, libenter agnoscimus; sed ejusdem cultus indicia requirimus, ut de eodem in Opere nostro inter* D *Sanctos Beatosve agi possit.*

Maria *e regio sanguine orta, monasterii de Carrizo in Hispania abbatissa, velut* Beata *annuntiatur apud Henriquezium in Menologio Cisterciensi, et Arturum in Gynæceo, at de cultu siletur.*

Paulus Gasta de Perusia *Ordinis Prædicatorum cum* Beati *titulo inter Sanctos Umbriæ a Jacobillo refertur die* 15 *Junii, quo corpus ejus inventum ait, sed a Majoribus meis remissus est ad hunc diem* 4 *Octobris, quo obiit anno* 1344, *et quo ut Beatus insertus est Anno sancti Ordinis Prædicatorum. At neutro loco dantur indicia cultus, quæ nec alibi legi.*

Adamus Sasboldus *Ordinis Minorum, Lovanii in Belgio nostro defunctus anno* 1535, *hoc item die occurrit apud Miræum in Fastis Belgicis et Burgundicis, sine titulo tamen* Beati *ac mentione cultus. Arturus tamen a Monasterio in Martyrologio Franciscano eumdem* Beatum *appellat, refertque ad diem* 21, *quo ipsum etiam Rayssius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii reponens, rectius vocavit* venerabilem. *Consule dicta ad diem* 21 *Martii in Prætermissis, inter quos* Adamus *ille* E *relatus fuit.*

Jacobus ad Portam *Ordinis Minorum S. Francisci ex Arturi Martyrologio Franciscano, in quo* Beatus *appellatur, apud nos inter Prætermissos memoratus fuit die* 21 *Junii, atque hinc dilatus ad* 2 *Augusti aut* 4 *Octobris propter miracula, quæ in Vita ejusdem a Deo impetrasse legitur in confirmationem celebrium indulgentiarum Portiunculæ. Vitam ejus Ms. habemus; sed de cultu cupimus edoceri.*

Joannes Mahusius *Aldenardæ in Flandria ab hæreticis occisus;* Augustinus Assisias *primus minister provinciæ Terræ-Laboris;* Franciscus a Belvisio, *et* Josephus a Cardineta, *omnes Ordinis S. Francisci; ac* Bernardina de Rota, *virgo Tertiaria ejusdem Ordinis, vocantur* Beati *apud Arturum in Martyrologio Franciscano; at Hueberus in Menologio ab eo titulo abstinet, haud dubie ob defectum cultus. Eamdem* Bernardinam, *virginem Tertiariam Ordinis S. Francisci, velut* Beatam, *apud oppidum Veaz in Hispania hodie habet etiam Arturus in Gynæceo, ubi illam floruisse, ait, ad annum* 1560, *sed cultum pariter non probat.*

Francisci Titelmanni *Capuccini depositionem Anticoli in agro Romano cum adscripto* Beati *titulo hodie refert Arnoldus Rayssius in Auctario ad* F *Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, nimirum quia* Franciscus *ille Hasleti natus fuit in ditione Leodiensi. Laudat autem Vitam illius Gallice vulgatam Leodii, et Elogia Belgica illustrium Scriptorum Miræi, ex quibus ipsius elogium ibidem texuit. Laudatam Vitam non habemus; at certe Miræus nec in prædictis Elogiis, nec in Fastis Belgicis aut Burgundicis de illius cultu meminit; quem cum nec probet Rayssius, nec aliunde sciamus, non licet nobis eum inter Sanctos Beatosve recensere; licet ex nominatis scriptoribus de ejusdem insigni virtute constet.*

Passio sex sacerdotum (*ita sequitur apud Rayssium*) qui Aldenardæ (*in Flandria*) præclarum suæ confessionis testimonium reliquerunt. *Horum nomina hæc sunt :* Petrus vanden Ende, Paulus vanden Loye, Jacobus de Deckere, Joannes van Bracle, Jacobus vanden Hameyden, *dictus* Auvaing, et Joannes van Opstal. *Hi omnes post captam a Calvinianis Aldenardam, anno* 1572, *die* 4 *Octobris, ligatis manibus pedibusque, in subjectum flumen Scaldim projecti submersique sunt præter* Jacobum vanden Hameyden, *quem divina providentia ad fluminis ripam mirabiliter incolumen appulit. Omnes insignes athletæ Christi fuere, sed ecclesiastico cultu hactenus carent. Ibidem sequuntur.*

Jacobus Hesselius, *quondam vice-præses urbis Gandensis, eques auratus et concilii Flandriæ consiliarius, anno* 1578 *pro fide Deo regique data prope Gandavum*

A *Gandavum a Calvinistis suspensus; nec non et* Vischius *balivus, ut vocant, in Ingelmunster, pro eadem causa ab iisdem eodem supplicio coronatus. Neuter sacro cultu gaudet.*

Baula, cognomento Justus, *velut a Coptis et Æthiopibus cultus, hodie legitur apud Castellanum ex Fastis Copticis et Æthiopicis, ubi Jobus Ludolfus annotavit, eumdem apud Calcasendium alias vocari* Abu-Baula, *cujus nominis quidam, ut martyr, in iisdem Fastis legitur die* 27 *Septembris, apud nos inter Prætermissos relatus. Sive tamen hic idem sit, sive alius ab hodierno, ut censuit Castellanus, nobis non satis notus est, ut eum in Sanctorum Beatorumve numero recensere audeamus.*

Inventio honoratarum reliquiarum SS. PP. nostrorum Gurii et Warsonuphii Kasanicòrum *hodie memoratur in Menologio Slavo-russico, quod anno* 1688 *cum Majoribus nostris communicavit prænobilis ac generosus dominus, baro de Sparwenfeld. Verum nec* Gurius, *nec* Warsonuphius *in Opere nostro, uti ex dicendis patescet, locum debet habere.* Gurius *et* Warsonuphius *in regno Casanensi, qua de causa verosimillime* Kasanici *hic vocantur, fuerunt episcopi, alter Casani, quæ regni Casanensis est metropolis, alter Tuerscensis seu Tferskagensis. Ita disco tum ex Russico, quod habemus, Synaxario, tum etiam ex Kalendarii Russici, quod cum Majoribus nostris laudatus baro Sparwenfeldius pariter communicavit, Fragmento. Utriusque verba describo. Prioris hæc sunt:* Veneratio ossium S. P. N. Georgii, primi archiepiscopi Casanensis, et Vasonuphii Ep. Tuerscensis: *posterioris vero ista:* Inventio honoratarum reliquiarum sancti patris nostri Gurii seu Georgii, primi archiepiscopi primum illuminatæ urbis Casani. Item Barsonelii episcopi Tferskago anno 7102. *Nec tantum hinc habetur,* Gurium *seu* Georgium, *et* Warsonuphium *seu* Vasonophium *aut etiam* Barsonefium *fuisse in regno Casanensi episcopos; verum etiam eos sæculo sexto decimo floruisse. Etenim Joannes Basilides, Mosco-russorum dux, anno* 1554 *urbem Casanum, totumque Casanense Tartarorum regnum expugnavit, tuncque primum Casanenses, ejurata Mahometi secta, Christiana Mosco-russorum sacra simulque episcopos, horum præpositos, sunt amplexi. Quapropter, cum* Gurius *seu* Georgius *tam secundum Synaxarium quam secundum Kalendarii Fragmentum proxime citatum Casanensis urbis primum illuminatæ, id est, ad Mosco-russorum fidem conversæ fuerit archiepiscopus, consequens ex jam dictis est, ut sæculo sexto decimo floruerit. Quod jam pertinet ad* Warsonuphium *seu* Barsonefium, *dicitur hic in laudato Kalendarii Fragmento anno* 7102 *fuisse Tuerscensis seu Tferskagensis episcopus. Quapropter, cum ibidem ex Mosco-russorum annos computandi ratione annus orbis conditi designetur, annusque Russica hujus epochæ* 7102 *cum anno, ut computanti patebit, Christi* 1594 *congruat, est pariter ex jam dictis consequens, ut etiam* Warsonuphius *seu* Barsonefius *sæculo sexto decimo floruerit. Jam vero, cum toto illo sæculo, ut vulgo notum est, Mosco-russi non minus quam hodio fuerint schismatici, nec* Gurius *seu* Georgius, *nec* Warsonuphius *seu* Vasonophius *aut etiam* Barsonefius *in Opere nostro locum debet habere.*

S. Donatum, *monachum martyrem, Messanæ in Sicilia hoc die, quo occisus dicitur, ex Martyrologiis Benedictinis memorat Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum. In Romano Martyrologio habetur simul cum S. Placido et Sociis die* v Octobris.

S. Gallæ abbatissæ monasterii prope S. Petrum in Urbe, filiæ Symmachi patricii Romani *signata memoria est in Martyrologio Ms. Benedictino abbatiæ S. Salvatoris Antverpiæ. Romano inscripta est die, quo de eadem agimus,* v Octobris.

Marcelli episcopi *memoria hoc etiam die occurrit in Martyrologio Hieronymiano apud Florentinium, his verbis:* Et alibi Marcelli episcopi; *dubitavitque laudatus editor, utrum Marcellus hic idem sit cum S. Marcello Romano Pontifice, de quo supra egi, an cum altero* Marcello, *alias* Marcellino *episcopo Ravennate, qui in Romano aliisque Martyrologiis postridie annuntiatur. De alterutro hic agi mihi quoque verisimillimum est; quapropter de* S. Marcello *Papa martyre consule dicta superius; de* Marcello *vero seu* Marcellino *episcopo Ravennate agemus ad* v Octobris.

Treviris Tyrsi, Palmacii et Sociorum, *inquit hoc die apographum nostrum Martyrologii S. Maximini Trevirensis; verum illorum primus spectat quidem ad hodiernos martyres Trevirenses, de quibus agemus; at* Palmatius *cum suis item Sociis ex Romano Martyrologio dabitur sequenti die* v Octobris.

S. Malcallinus *apud Davidem Camerarium recensetur inter eos, qui ex Scotia oriundi gentes exteras doctrina e sanctitate illustrarunt.* De eo (*ita subdit*) Tabulæ Virdunenses. Rexerat ante suum e Scotia egressum monasterium Rathmelfigi. *Virduni ergo eum coli indicat. Colitur ibidem hodie S. Magdalveus, ejusdem civitatis episcopus; at huic nihil fuit cum Scotis commune. Pervolvi quoque totum Calendarium, Breviario Virdunensis ecclesiæ, anno* 1525 *Parisiis excuso, præfixum, neque ullam* Malcallini, *ceteris martyrologis pariter ignoti, memoriam inveni. Sed in Missis propriis Sanctorum patronorum ac tutelarium Franciæ et Hiberniæ, anno* 1734 *editis Parisiis, ad diem* 6 *Octobris ponitur Missa* in festo sancti Macalini, episcopi et confessoris, ecclesiæ et diœcesis Clochorensis, (*in Hibernia*) patroni generalis; *qui videtur is ipse esse, pro quo Camerarius, nescio qua ratione, lectorem ad Virdunenses tabulas remisit, quemque exigua nominis mutatione* Malcallinum *appellavit. Vide igitur dicenda ad* VI Octobris.

Osithæ reginæ, virginis et martyris *in Anglia meminit Florarium nostrum Ms. Sanctorum, sed ejus gesta apud nos in Prætermissis ad* 3 *Junii, rursumque ad* 4 *ejusdem mensis ex aliis Martyrologiis dilata sunt in diem* VII Octobris.

Hierotheus *plerisque sacris Græcorum Fastis, et ex his Romano etiam hodierno ad hunc diem inscribitur. Verum* Hierotheus *pro Sancto duntaxat fictitio a multis eruditis hoc fundamento habetur, quod nec in Romano Parvo, nec in ullis aliis Martyrologiis classicis memoretur, omnisque, quæ de illo exstat, memoria ex solis, Dionysio Areopagitæ perperam, ut aiunt, adscriptis, Operibus primitus orta sit. Id adeo, quod de* Hierotheo *statuendum est, præsertim pendet ab eo, quod de hisce Operibus ferendum est, judicio, ac proin de* Hierotheo, *si forte hic Sanctis accensendus sit, commodius agetur ad diem, quo illud in Dionysio Areopagita laturi sumus,* IX Octobris.

S. Lisbium, *velut a S. Dionysio, primo Parisiorum episcopo, baptizatum, ejusdemque ecclesiæ* protomartyrem *Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano hoc die cum insigni elogio celebrat. Verum cum* Lisbius *ille, saltem eo nomine, ceteris martyrologis, Gallis æque ac exteris, plane ignotus sit, verisimile est, ipsum in quibusdam exiguæ aut etiam nullius fidei Actis S. Dionysii a Saussayo lectum et in Martyrologium relatum fuisse. Forte tamen erit de eodem loquendi locus die, quo de utroque S. Dionysio agemus* IX Octobris.

SS. Amelii et Amici *natalis hodie legitur apud Saussayum in Martyrologio Gallicano. Geminam eorum Vitam Ms. habemus, quæ examinari poterit ad diem, quo illi apud alios annuntiantur* XII Octobris.

Edwini, *Northumbriæ regis, cum titulo* Sancti *ac* Martyris, passionem *ad hunc diem memorat Joannes Wilsonus in Martyrologio suo Anglicano. Contigit cædes ejus, et alibi annuntiatur die, quo, si de cultu constiterit, ejus gesta dari poterunt* XII Octobris.

Ethelburga,

A Ethelburga, *alias* Edelburga *et* Tate *dicta, regina Northumbriæ, ac post regis Edwini, mariti illius, cædem velata vidua in monasterio Lyming in Cantia, in Opere nostro inter Prætermissos memorata jam fuit ad dies* 7 *et* 8 *Septembris, atque hinc ad* 4 *Octobris remissa, ut, si de cultu ipsius constitisset, daretur hodie cum Edwino conjuge suo. Vide ergo mox dicta hic in Edwino, dicendaque ad* XII Octobris.

Theodoræ martyris, quæ ab Hunnis pro Christo trucidata *sit, memoriam cum apposito* Sanctæ *titulo in Gynæceo reposuit Arturus, in Annotatis laudans Meyerum in Annalibus Flandriæ, et Malbrancum tom. I de Morinis, lib.* II, *cap.* 27 *et* 30, *sub annum Christi* 451, *qui, uti et Arturus ex Meyero, ut inquiunt, de ea hæc recitant :* Stephanus comes, vir ingenio excellenti, in Sanctologio suo, Flandebertum a barbaris cum Theodora uxore mactatum, relatumque memorat in Superos; quæ res eo videtur probabilior, quod sacra Ambianorum ecclesia divi cujusdam Flandeberti celebrare dicitur memoriam; famaque tradit, olim inferiores partes sub ditione fuisse Ambianorum. *Hæc illi; at ego volvi et revolvi Kalendaria tribus editionibus Breviariorum ecclesiæ Ambianensis, annorum scilicet* 1530,

B 1534, *atque alterius capite et calce mutili, nec ullam* Flandeberti *ejusve conjugis* Theodoræ *mentionem reperi. Par est silentium in Breviariis Morinorum, quibus Flandebertum a Francis præfectum fuisse, quidam volunt. Apud Antonium Sanderum in Hagiologio Flandriæ, non ad hunc diem, sed ad* 22 *hujus mensis Octobris de eadem sic legitur :* Theodora martyr. In Indice Sanctorum Flandriæ Ms. Dionysii Harduini conjux dicitur Flandberti, Flandrorum reguli, et in societate undecim millium Ursulana cæsa. *Incerta igitur de* Theodora *hæc sunt omnia : si quis tamen ejusdem cultum legitimum nos edocere voluerit, de illa agi poterit ad* XXII Octobris. D

Helena virgo *Ordinis S. Dominici apud monasterium S. Catharinæ de Vesprino in Hungaria annuntiatur hodie ab Arturo in Gynæceo, velut* Beata *et* dono orationis, prophetiæ et miraculorum insignis. *De eadem etiam agit Seraphinus Razzius in Vitis Sanctorum et Beatorum ejusdem Ordinis; verum de cultu illius non constat nobis, quem si edocti fuerimus, locus ei erit in Opere nostro ad diem, quo eamdem memorant Dominicus de Heere in Anno sancto Dominicano Flandrice edito, et Fridericus Steil in Spirituali Horto ejusdem Ordinis, Germanice excuso* IX Novembris.

Acepsimæ, Leonis et Isidori, tamquam martyrum, *absque loco tamen, tempore et genere martyrii, hodie fit mentio in Synaxario Græco Ms. incerti auctoris, in Menæis Mss. Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ et Florentinis bibliothecæ PP. Dominicanorum conventus S. Marci. Menæa Græcorum excusa ad* 7 *Decembris memorant Isidorum et Acepsimam, tamquam martyres igne pro Christi confessione combustos, quibus in hoc certamine adjunctum fuisse tertium, cujus nomen non* E *exprimunt, liquet ex adjectis ibidem de more versiculis. Hinc verisimile apparet tres hos martyres diversos non esse ab Acepsima, Leone et Isidoro, quos hodie incerti auctoris Synaxarium et Menæa supra laudata annuntiant. Quapropter ut hi proprio suo loco, si Sanctis forte accensendi sint, in Opere nostro consignentur, dari poterunt ad dictum dien* VII Decembris.

DE SS. CRISPO ET CAIO
CORINTHI.

C. B.

SYLLOGE.

Sanctorum memoria in Martyrologiis classicis; unde hæc hausta sit, et an Caius noster a Caio Macedone, de quo in Apostolorum Actis capite decimo nono, et Caio, ad quem Joannes Apostolus tertiam suam scripsit epistolam, sit diversus.

SÆCBLO I MEDIA SUI PARTE ELAPSO. *Sancti, quorum memoria, Martyrologiis Classicis hodie inscripta,*

Romani parvi auctor Crispum *et* Caium *hodie ita memorat :* Apud Corinthum Crispi et Caii. *Prima hæc est omniumque antiquior Sanctorum nostrorum in Martyrologiis memoria. Hanc deinde nonnihil immutatam alii nonnulli, qui serius floruerunt, martyrologi Classici in Fastos sacros a se concinnatos transtulere. Omnium antiquior est Ado. Hic in suo quidem, quem Martyrologio a se concinnato præfixit, de SS. Apostolorum et reliquorum, qui discipuli aut vicini successoresque ipsorum Apostolorum fuerunt, festivitatibus libello Sanctos hodie his verbis annuntiat :* Natalis SS. Crispi et Caii, quos apud Corinthios beatus Apostolus se dicit baptizasse. Cujus Caii meminit idem Apostolus ad Romanos, « Salutat vos Caius hospes meus, » et universæ ecclesiæ. » Cujus et beatus Joannes, scribens ei epistolam, meminit, « Senior Caio » charissimo, quem ego diligo in veritate : » *in ipso vero, quod contexuit, Martyrologio istis :* Apud Corinthum natalis sanctorum Crispi et Caii, quorum meminit B. Apostolus Paulus Corinthiis scribens. *Hanc posteriorem Adonis annuntiationem Usuardus plene et ad verbum, Notkerus fere descripsit. Nec tantum jam memorati martyrologi classici, verum etiam plures recentiores* SS. Crispi *et* Caii *hodie meminere. Singulorum verba, quod nihil, non aliunde notum, doceant, huc transcribenda non sunt; Romani tamen hodierni annuntiationem, quæ cum Adoniana ultimo huc jam transcripta annuntiatione ad verbum fere consonat, nolim omittere.*

2 *Sic habet :* Corinthi natalis sanctorum Crispi et Caii, quorum meminit sanctus Paulus Apostolus ad Corinthios scribens. *Porro hæc Sanctorum, quæ tum in antiquioribus, tum in recentioribus martyrologorum Fastis sacris hodie celebratur, memoria e* F *purissimo ipsiusmet sacræ Scripturæ fonte primitus est hausta. Ita Ado, aliique hunc secuti hagiologi unanimi consensu omnes censuere. Fas est hæc colligere ex additamento, quod omnes et singuli de facta a Paulo Apostolo, ad Corinthios scribente, Sanctorum mentione Romani parvi annuntiationi supra huc transcriptæ adjecerunt. Et vero S. Paulus Apostolus, quemadmodum ipsemet in prima sua ad Corinthios epistola, cap.* 1 *docet,* Crispum *et* Caium, *et quidem suis manibus, quod Apostolus, utpote baptizandi onus, quo Evangelii annuntiationi unice vacaret, aliis relinquens, rarius faciebat, Corinthi baptizavit. Quapropter, cum hodie Sancti nostri* apud Corinthum *seu* Corinthi *una annuntientur, a* Crispo *et* Caio, *quorum Paulus in prima sua ad Corinthios epistola meminit, indubie diversi non sunt, ac proin eorum, quam Fasti sacri jam laudati hodie celebrant, memoria e Scriptura sacra primitus est hausta. Nec hoc tantum circa Sanctorum in Martyrologiis memoriam seu annuntiationem existimo, verum etiam hac illos idcirco conjungi, seu unum eumdemque hodiernum diem natali suo in Ecclesia habere consecratum, quod præfata prima ad Corinthios epistola ambo ab Apostolo Corinthi baptizati dicantur. Ea sedet sententia, quod alia, quæ sit sat probabilis, conjunctionis ratio non occurrat. Neque enim mihi verosimile apparet, unum eumdemque hodiernum*

e Scriptura sacra primitus est hausta.

A *diernum diem Sanctorum memoriæ in Martyrologiis idcirco assignari solemnem, quod ambo hodie felici suo e vivis excessu cælo primum nati fuerint.*

non ante annum Æræ Christianæ 50 excessere e vivis.

3 *Nec est, cur id mirum cuipiam appareat, Sancti enim sæpe etiam aliis diebus, quam quibus vita functi sunt, Fastis sacris reperiuntur inscripti, estque præ veterum monumentorum scriptorumque hac de re silentio plane incompertum, quo die ambo Sancti nostri e vivis excesserint. Porro ob quam causam dies, ob eamdem etiam annus, quo Sancti obierint, in obscuro est, nec quidquam sat solidi occurrit, ut illum utcumque definiam. Attamen sæculum primum media sui parte elapsum supra in margine idcirco adscripsi, quod saltem Sanctos citius non obiisse, certum sit atque indubitatum, uti nunc breviter ostendo. Paulus Apostolus, prout inter plerosque eruditos convenit, anno æræ Christianæ quinquagesimo secundo ad finem jam inclinante Evangelii prædicandi ergo Corinthum primo advenit, ibique, ut Lucas Actorum* 18, ℣ XI *testatur, sesquianno est moratus. Quapropter, cum intra illud octodecim mensium spatium, uti ex Epistolæ ad Corinthios cap.* 1 *liquet, lustralibus Baptismi undis* Crispum *et* Caium *tinxerit, consequens est, ut hi ante primum æræ Christianæ sæculum media sui parte præterlapsum vitam hanc mortalem cum immortali non*

B *commutarint.*

Quid de Crispo commemoratum inveniatur præterea.

4 *Porro cum ex dictis* Crispus *et* Caius *intra sesquiannum, quo Paulus Corinthi, postquam eo primum sub anni* 52 *finem advenisset, commoratus est, baptismate initiati fuerint, dubium non est, quin hoc vel ipso anno* 52 *vel altero e binis sequentibus evenerit. Atque ita, quæ tam de* Crispo *quam de* Caio *generatim commemoranda reperi, in medium jam adduxi. Ad ea, quæ tum ad unum, tum ad alterum Sanctum nominatim pertinent, nunc progredior.* Crispus *noster, seu is, qui Epistola prima ad Corinthios, cap.* 1 *a Paulo Apostolo baptizatus fuisse declaratur, ex unanimi eruditorum, quod sciam, omnium opinione distinctus non est a* Crispo *archisynagogo, cujus in Actis Apostolorum cap.* 18, *quo de rebus a Paulo Corinthi gestis præcipue tractatur, honorifica habetur mentio his verbis :* Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua, et multi Corinthiorum audientes credebant, et baptizabantur. *Porro Crispus aliquis, qui Æginensis in mari Ægeo et sinu Saronico insulæ creatus fuerit ab Apostolis episcopus, Constitutionum Apostolicarum lib.* VII, *cap.* 46 *memoratur, putantque nonnulli, Crispum illum a nostro non esse diversum. Atque id quidem vero apparet non absimile; attamen cum certum non sit, episcopi nomen*

C Crispo *nostro non adscripsi; quod facturus etiam non fuissem, utut* Crispus *noster fuisse Æginensis episcopus, in præfatis Constitutionibus diserte assereretur. Quamvis enim hæ summa polleant antiquitatis prærogativa, ab Apostolis tamen, uti nonnullis olim fuit creditum, Clementi I, summo Pontifici, dictatæ non fuere, nævoque non uno, quo earum non parum infirmatur fides, reperiuntur infectæ, ut adeo, etiamsi Æginensem* Crispi *episcopatum expresse traderent, hunc tamen propterea certum haud facerent.*

Caius verosimillime cum Caio, Pauli hospite,

5 *Ceterum alia non sunt, quæ de* Crispo *memoriæ prodat antiquitas. Quod jam ad* Caium *pertinet, hic a Caio, cujus Apostolus Paulus in sua ad Romanos Epistola, cap.* 16, ℣ 23 *meminit his verbis,* Salutat vos Caius hospes meus et universa ecclesia, *verosimillime diversus non est. Etenim* Caius *noster, utut forte alibi quam Corinthi natus, domo saltem seu habitatione exstitit Corinthius. Intelligitur id ex hisce, quæ Epistola prima ad Corinthios, cap.* 1, ℣ 14 *de* Crispo et Caio *habentur, verbis :* Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium. *Jam vero Pauli ad Romanos Epistola, uti ex infra dicendis fas erit colligere, diu post baptismum,* Caio *a Paulo collatum, fuit conscripta, ac proin, cum Apostolus tunc, cum dictam ad Romanos Epistolam scriberet, ex unanimi omnium consensu Corinthi exstiterit, a Caio, quem in illa* hospitem suum *nominat, seu apud quem tunc Corinthi hospitatus est,* Caius *noster verosimillime non fuerit diversus. Adhæc eruditi sæculi hujus et præteriti, qui rem illam tractarunt, unanimi consensu omnes* Caium *nostrum seu eum, quem ex dictis una cum* Crispo *Apostolus Corinthi baptizavit, cum Caio Pauli hospite faciunt eumdem. Quapropter, cum argumentum veritatis sit aliquid omnibus videri, verosimillimum sane est,* Caium *nostrum a Caio, qui Apostolum Corinthi hospitio excepit, non esse distinctum.*

AUCTORE C. B.

qui a Chrysostomo hic laudatur,

6 *Quod cum ita sit, quæcumque de Caio, Pauli hospite, litteris consignata inveniuntur,* Caio *nostro verosimillime competunt, ac proin, quæ ex his notatu digna visa sunt, huc lubet transcribere. S. Chrysostomus Homilia in Epistolam ad Romanos trigesima secunda in hunc supra huc jam transcriptum Pauli textum,* Salutat vos Caius, hospes meus *etc., de Caio Pauli hospite, atque adeo verosimillime de* Caio *nostro ita scribit :* Viden, quantam illi coronam nexuit, tantam hospitalitatem testificans, et universam ecclesiam in ejus domo congregans? Hospitem enim hic vocat eum, qui hospites excipit. Cum autem audis, illum Pauli hospitem fuisse, non illum hospitalitatis tantum causa lauda, sed etiam vitæ probitatis. Non enim apud illum diversatus esset, nisi ille virtute sua dignus fuisset. Qui E enim multa Christi præcepta etiam transscendere curabat, non hanc prætergressus esset legem, qua jubebatur hospites explorari *, et apud dignos diversari. *Ita Caium Pauli hospitem, atque adeo ex dictis verosimillime* Caium *nostrum laudat Chrysostomus, innuens scilicet, illum non tantum liberalitate, verum etiam charitate, ceterarumque virtutum studio fuisse eximium; adhæc domum suam Apostolo, ut in ea ad sacras Synaxes Christianos Corinthi degentes congregaret, in usum præbuisse. Porro Ambrosius, Syrus et Græca, modica facta in Pauli textu proxime huc transcripto mutatione, legunt :* Salutat vos Caius hospes meus et universæ ecclesiæ. *Hinc Beda, qui lectionem huic similem habuit præ oculis, tertiam explanans Joannis Apostoli Epistolam, de Caio, Pauli hospite, quem ex dicendis cum* Caio *nosto eumdem facit, hisce verbis, quæ cum nonnullis aliis infra iterum huc transcribenda erunt, ita memorat :* Quia enim hospes, et qui suscipit et suscipitur, appellari consuevit, erat hospes universæ Ecclesiæ, quia omnes, qui ad se veniebant, et prædicatores videlicet et auditores verbi, benigne suscipiebat.

* explorare

quique verosimillime fuit Thessalonicensis episcopus,

7 *Origenes in tertium decimum Epistolæ ad Romanos caput fere præiverat Bedæ. Ibidem enim hisce Pauli verbis,* Salutat vos Caius hospes meus et universæ Ecclesiæ, *mox subdit;* Hic est Caius, de quo alibi (*Paulus Apostolus* 1 *ad Corinth.* 1) dicit : F « Gratias ago Deo meo, quia neminem vestrum » baptizavi, nisi Crispum et Caium. » Videtur ergo indicare de eo, (Caio *scilicet, quem Paulus baptizavit)* quod vir fuerit hospitalis, qui non solum Paulum ac singulos quosque diversantes Corinthi hospitio reciperet, sed Ecclesiæ universæ in domo sua conventiculum ipse præbuerit. *Hæc Origenes, mox etiam de* Caio *nostro, seu de* Caio *per Paulum baptizato, quem cum Caio Pauli hospite (considera verba ejus huc jam transcripta) apertissime eumdem facit, hæc addens :* Fertur sane traditione majorum, quod hic Caius episcopus fuerit Thessalonicensis ecclesiæ. *Viguit ergo Origenis ætate traditio, qua* Caius *baptizatus ab Apostolo, seu hujus hospes, fuisse ferebatur Thessalonicensis episcopus. Origenes tertio æræ Christianæ sæculo floruit, nec serius quam anno, uti inter eruditos nunc satis convenit,* 253 *excessit e vivis. Jam vero, si* Caius *reipsa umquam fuit Thessalonicensis episcopus, ad dignitatem illam ante sæculum primum media sui parte jam præterlapsum, utpote ex dictis anno* 52 *aut altero e binis seqq. primum baptizatus, certissime promotus non fuit, ac proin traditio, qua* Caius *fuisse Thessalonicensis episcopus, Origenis ætate ferebatur, circa rem, vix sesquiseculo transactam, versabatur. Unde sane*

AUCTORE C. B.

sane Thessalonicensis Caii episcopatus mihi verosimillimus evadit; certus tamen idcirco non apparet, quod traditio, memorata ab Origene, utut rei sat vicina, popularis dumtaxat fuerit; hæc autem a vero sæpe deprehendatur devia. Atque hinc est, cur etiam Caio episcopi titulum non adscripserim.

unus idemque est: contra autem a Caio Macedone,

8 Porro cum, ut jam dixi, Origenes verbis num. præcedenti huc transcriptis Caium nostrum cum Caio Pauli hospite faciat eumdem, Origenique Beda, uti ex verbis ejus num. XI huc transcribendis facile colliges, hac in re etiam consentiat, confirmatur hinc quoque nostra opinio, qua Caium nostrum a Caio, Pauli hospite, statuimus non esse diversum. Itaque non tantum ex jam supra dictis, verum etiam partim hinc est sane, uti jam ante asserui, admodum verosimile, Caium nostrum a Caio Pauli hospite non esse distinctum. Verum an Caius noster a Caio Macedone, qui cum Paulo Ephesum profectus est, ibique cum Aristarcho, ut Actorum cap. 19 narratur, in seditione, a Demetrio argentario seu aurifabro contra Apostolum anno circiter, ut communiter statuitur, 57 mota, periclitatus est, distingui quoque non debet? Tillemontius tom. I Monumentorum, Annotatione in Paulum vigesima nona nullam esse distinctionis rationem affirmat. Bailletus, aliique nonnulli Caium nostrum cum Caio, qui Ephesi pe-
B riclitatus est, indubitanter faciunt eumdem, ideoque Caium nostrum, qui ex dictis domo certe erat Corinthius, Corintho cum Paulo, relictis, quibus ibidem vacabat, negotiis, in Asiam anno 54 discessisse, asseverant. Verum Caius noster Paulum Apostolum, cum hic anno 54 Corintho in Asiam discessit, verosimillime secutus non est. Rem sic probo: Paulus circa annum 57, uti fert communis eruditorum opinio, primam suam scripsit ad Corinthios Epistolam; ad Romanos autem, priusquam hanc ad Corinthios dedisset, ex ipsiusmet Tillemontii aliorumque eruditorum omnium consensu non scripsit. Fuerit adeo Pauli ad Romanos Epistola vel anno 58, ut vult Tillemontius, vel certe non ante annum 57, conscripta.

uti hic probatur,

9 Porro in hac Apostolus, quam, cum Corinthi iterum versaretur, ex unanimi pariter eruditorum opinione exaravit, hunc supra plus semel adhuc recitatum textum suppeditat: Salutat vos Caius hospes meus et universa Ecclesia, vel, ut Græca legunt, et universæ Ecclesiæ; hisce autem verbis, uti jam supra dictum est, clare innuitur, Paulum Apostolum tunc, cum Corinthi ad Romanos scriberet, apud Caium fuisse hospitatum, ut adeo hic, cujus etiam domus oratorii seu ecclesiæ Christianis loco fuerit, Corinthi tunc adhuc habitarit, ac proin, ut Paulum Corintho
C in Asiam, ædibus negotiisque relictis, anno 54 secutus verosimillime non fuerit. Jam vero, cum equidem Caius Macedo, utpote anno circiter, ut communiter putatur, 57 Ephesi cum Paulo in seditione periclitatus, in Asiam Apostolum fuerit secutus, est sane, cur is, contra ac Tillemontius ex dictis autumat, a Caio Pauli hospite seu Caio per Paulum baptizato ac proin nostro distinctus esse, pronuntietur. Ut porro Caium nostrum a Caio Macedone verosimillime esse diversum, clarius adhuc pateat, rem etiam sic probo: Caius, qui Actorum cap. 19 memoratur, et Caius, cujus Actorum cap. 20 fit mentio, unus est atque idem. Utrobique enim cum Aristarcho inter Apostoli comites computatur; nec obstat, quod cap. 19 Macedo; cap. autem 20 Derbeus nuncupetur. Etenim ipso capite Actorum vigesimo, quo Caii Derbei Lucas meminit, simul etiam innuit, hunc fuisse Thessalonicensem, ac proin, cum Thessalonica in Macedonia sita sit, etiam Macedonem. Ait quidem Annotatione supra laudata Tille- D
montius, eo ipso loco, quo Actorum 20, Caium Derbeum fuisse Thessalonicensem, innui arbitramur, innui etiam videri, Timotheum fuisse Thessalonicensem, nec propterea tamen a Luca Thessalonicensem dici Timotheum, admitti a Chrysostomo.

est diversus,

10 Verum, salva, quam debemus, Chrysostomo reverentia, Lucas tam Timotheum quam Caium Derbeum seu Derbium, fuisse Thessalonicensem, clare indicat, uti verba ejus consideranti fiet perspicuum. En illa: Comitatus est autem eum (Paulum Apostolum) Sopater Pyrrhi Beræensis, Thessalonicensium vero Aristarchus et Secundus et Caius Derbeus et Timotheus; Asiani vero Tychicus et Trophimus. Atque ita quidem, cum hic Lucas Caium, quem Derbeum appellat, fuisse Thessalonicensem indicet, necesse est, ut is alio nomine Derbeus, alio Thessalonicensis fuerit. Hinc adeo origine quidem seu nativitate Derbeus seu e Derbensi Asiæ civitate oriundus; domo vero Thessalonicensis, aut contra exstiterit. Utrumlibet statuatur, cum equidem ex dictis Caius Derbeus secundum Lucam cap. Actorum 20 Thessalonicensis ac proin Macedo fuerit, confirmatur vel hinc nostra opinio, qua Caium, qui Actorum 19 a Luca Macedo vocatur, eumdem esse arbitramur cum Caio, qui ab eodem Luca Actorum 20 Derbeus appellatur. Jam vero, cum ex communi eruditorum E
omnium consensu Caius noster seu Caius Pauli hospes a Caio Derbeo sit distinctus, necesse est, ut et distinctus sit a Caio Macedone, seu a Caio, qui Actorum 19 Macedo vocatur.

quod etiam forte obtinet circa Caium, ad quem Joannes Apostolus scripsit.

11 Restat, ut, an Caius noster a Caio, ad quem Joannes tertiam suam scripsit Epistolam, pariter sit distinctus, nunc inquiram. Beda in tertiam Joannis Epistolam, recitato hoc hujus versu, Senior Gaio charissimo, quem ego diligo in veritate, ita scribit: Qui vel qualis fuerit iste Gaius, in processu Epistolæ monstratur. Quia videlicet et fidem Christi, quam perceperat, bonis accumulabat actibus, et si ipse ad prædicandum verbum minime sufficiebat, eos tamen, qui prædicarent, de facultatibus suis, sustentare gaudebat. Hunc autem esse Caium arbitramur, cujus in Epistola ad Romanos Paulus meminit dicens: « Salutat vos Gaius » hospes meus et ecclesiæ totius. » Quia enim hospes et qui suscipit et suscipitur, appellari consuevit, erat hospes universæ Ecclesiæ, quia omnes, qui ad se veniebant, et prædicatores videlicet et auditores verbi, benigne suscipiebat; sicut et hujus Epistolæ sequentia manifeste declarant. Unde et Joannes eum in veritate diligit, hoc est, non temporalium gratia commodorum, sed solo perennium bonorum, quæ eum diligere videt, intuitu. F
Fuisse autem Gaius Corinthi videtur: ex eo, quod Paulus in illa moratus civitate, Epistolam scripsit ad Romanos, quos et ex ejus nomine salutat. Sed et in Epistola ad Corinthios Gaii quasi civis Corinthi meminit, dicens, « Gratias ago Deo meo, quod » neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et » Caium: ne quis dicat, quod in nomine meo ba- » ptizati estis. » Ita hactenus Beda Caium nostrum, seu Caium, a Paulo Corinthi baptizatum, aperte, ut consideranti patebit, cum Caio, ad quem Joannes tertiam suam scripsit Epistolam, faciens eumdem. Tillemontius contra in sua Annotatione 29 supra laudata Caium nostrum a Caio, ad quem Joannes scripsit, putat esse diversum. Verum, cum pro opinione sua rationem convincentem non afferat, forte quidem, nescio tamen an verosimilius, a vero deviat Bedæ opinio, cui tamen Ado verbis num. 1 recitatis aliique plures adhærent.

A D

DE SS. LUCIO ET CHÆREMONE ET ALIIS ANONYMIS

ALEXANDRIÆ AUT FORTE ALIBI IN ÆGYPTO.

SYLLOGE.

C. B.

MEDIO SÆC. III ELAPSO. *Lucius et Chæremon, qui hodie cum aliis Fastis sacris inscribuntur,*

Menologium Sirletianum hodie Faustum, Gaium, Eusebium et Chæremonem *ita celebrat:* Natalis sanctorum martyrum Fausti, Gaii, Eusebii et Chæremonis diaconorum. Hi fuerunt discipuli Magni Dionysii, et diaconi Domini nostri Jesu Christi, et Gaius quidem et Faustus cum magistro exules facti, et multa tormenta perpessi, martyrii finem acceperunt: Eusebius et Chæremon post magistri exilium Sanctos, qui erant in carceribus, visitantes, et martyrum reliquias sepelientes, usque ad Decii tempora pervenerunt, multas perferentes tentationes propter Christi confessionem, cujus causa detenti obtruncati sunt. *Menologio Sirletiano ad verbum fere consonant Græcorum Menæa excusa; quamvis autem Menologium Basilianum et ab his et a Sirletiano in elogii, quo Sanctos exornat, adjunctis nonnihil discrepet, eosdem tamen etiam hodie annuntiat. Idem etiam faciunt nonnulli Latinorum Fasti sacri, hosque inter ipsummet Martyrologium Romanum hodiernum.*

B

ex Eusebio primitus deprompti sunt.

2 *Hoc porro, quod Sanctis, e Menologio Sirletiano acceptis, frequenter est auctum, hodie sequentem, ex Sirletiano verosimillime etiam depromptam, cui tamen* Lucius, *in Sirletiano non expressus, adjicitur, annuntiationem suppeditat:* Alexandriæ sanctorum presbyterorum et diaconorum Caii, Fausti, Eusebii, Chæremonis, Lucii et sociorum: ex quibus alii in persecutione Valeriani martyres facti, alii martyribus servientes mercedem martyrum receperunt. *Sancti, in Fastis sacris, quos jam recensui, producti ii sunt, qui ab Eusebio lib.* VI, *cap.* 40, *et lib.* VII, *cap.* 11 *memorantur, quique cum Dionysio, Alexandrino episcopo, mota Alexandriæ et in Ægypto adversus Christianos persecutione, plurima fuere perpessi. Liquet id tum ex eo, quod in encomio, quod e Menologio Sirletiano num.* 1 *jam datum est, Magni Dionysii dicantur fuisse discipuli; tum ex eo, quod homonymi sint iis, quos in persecutionum ærumnis S. Dionysio, Alexandrino episcopo, socios comitesve exstitisse, locis proxime citatis refert Eusebius. At vero, quamvis Sancti illi, uti ex jam dictis recte*

C

collegeris, ex probato Eusebii fonte fuerint verosimillime primitus deprompti, de omnibus tamen et singulis hic agendum non est. Etenim de Eusebio quidem ad 3 *Julii; de Caio vero seu Gaio et Fausto ad diem præcedentem jam actum est.*

quædam de Chæremone ex Eusebio

3 *Hinc porro jam restat, ut de solis hic tractem* Lucio *et* Chæremone; *quod enim pertinet ad Socios anonymos, qui Sanctis, nominatim expressis, in data Martyrologii Romani annuntiatione adjunguntur, cum in obscuro sit, quinam ex illis nuspiam alibi in Martyrologiis annuntientur, hodieque proinde dari possent, nihil de iisdem nominatim edicam, Dionysio Alexandrino, illos exstitisse in persecutionum ærumnis socios, ex Eusebio asserere contentus. Itaque missis illis Sanctis, qui in Romano linquuntur anonymi, quæ de* Lucio *et* Chæremone *dicenda sunt, expedio.* Chæremon, *anno* 257 *excitata in Christianos a Valeriano persecutione, Dionysium, Alexandrinum episcopum, ad Æmilianum Augustalem præfectum, ad quem hic arcessitus fuerat, comitatus est, fidemque coram præfecto intrepide confessus, cum Dionysio in exsilium est pulsus. Docet id apud Eusebium lib.* VII, *cap.* 11 *ipsemet Dionysius in sua adversus Germanum epistola, quam propterea studiosus lector potest consulere. Porro* Chæremon, *antequam in Valeriani persecutione Christum coram Æmiliano confiteretur, jam antea in Deciana persecutione in præsentissimis periculis sese intrepidum, genuinaque charitate erga proximum incensum probarat. Docet id iterum apud Eusebium ipsemet Dionysius Alexandrinus in sua, quam, Deciana persecutione durante, ad Domitium et Didymum conscripsit, epistola.*

E

uti etiam de Lucio. Neuter ante annum 250 *obiit,*

4 *Verba, quod, quæ ad Lucium pertinent, simul doceant, huc describo. Sic habent:* In urbe (*Alexandrina scilicet*) occultarunt sese, ut fratres clanculo invisant, presbyteri quidem, Maximus, Dioscorus, Demetrius et Lucius.... Diaconi vero post illos, qui morbo consumpti sunt, superstites, Faustus, Eusebius, Chæremon. *Porro, cum hinc jam,* Chæremonem *quidem ad Valeriani usque persecutionem; Lucium vero usque ad Decii item persecutionem in vivis fuisse superstitem, palam fiat; Decii autem persecutio anno* 250; *Valeriani vero anno* 257 *initium ceperit, consequens est, ut* Lucius *et* Chæremon *ante annum* 250 *vita functi non sint, hincque est, cur supra in margine medium sæculum tertium elapsum adscripserim. Verum, inquies, an tempus, quo Sancti mortalem hanc vitam cum immortali commutarint, propius determinari non potest? Innuit quidem elogium, ex Sirletiano Menologio supra recitatum,* Chæremonem *in Deciana persecutione consummasse martyrium. Verum cum ex dictis* Chæremon *usque ad Valeriani persecutionem in vivis fuerit superstes, certissime id a vero alienum est. Quod vero ad* Lucium *pertinet, illius mentionem non facit Sirletianum, nihilque uspiam occurit, ut annum ejus emortualem determinem.*

nec annus eorum emortualis aut genus mortis determinari potest.

5 *Nec melius definiri potest, quo loco, et quo mortis genere, violentone an naturali, Sancti diem extremum clauserint. Romanum quidem hodiernum illos Alexandriæ consignat; verum, cum nullum fundamentum sat solidum, ut Alexandriæ ponantur defuncti, uspiam invenerim, malo illos Alexandriæ vel alibi in Ægypto, quam in definita Alexandrina urbe credere defunctos. Quod jam pertinet ad genus mortis, quo diem extremum clauserint, de* Lucio *plane id in obscuro est; quod vero ad* Chæremonem *attinet, ait quidem Sirletianum, cui Menæa excusa consonant, illum capite minutum exspirasse; verum cum simul asserat, Eusebium, qui tamen, uti ex dictis de eo ad* 3 *Julii facile intelliges, in pace Laodiceæ creatus episcopus quieverit, eodem supplicii genere migrasse ad Dominum, nullam omnino hic fidem meretur. Itaque tam genus mortis, quo Sancti vita functi sint, quam annus determinatus, quo obierint, in obscuro est, nihilque de illis certo scitur, præter ea, quæ ex Eusebio supra produximus.*

A D

DE S. TYRSO ET SOCIIS, ITEM DE SS. BONIFACIO ET SOCIIS, MM. FORTE THEBÆIS

APUD TREVIROS.

J. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Martyrum Trevirensium brevis historia, eorumque tum apud martyrologos, tum apud veteres mentio.

SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO. *Martyrum Trevirensium, quarum brevis historia texitur,*

Operæ pretium facturum me ratus sum, si brevem saltem Martyrum Trevirensium historiam statim a principio Commentarii texerem, priusquam de ceteris ad illam spectantibus agerem, quo lector rudi saltem illius esset cognitione imbutus, et ad ea, quæ in decursu tractabuntur, percipienda dijudicandaque instructior. Sic itaque habet: Si pervulgata plurimorum scriptis de sanctis Martyribus Trevirensibus opinione standum est, Maximianus B *Herculius, infensissimus, si quis alius, Christianorum hostis, deleta prope Agaunum magnam partem legione Thebæa, sparsas alibi ejus reliquias non minori sævitie persecutus est. SS. Victor et Ursus Soloduri in Helvetia, SS. Solutor, Adventor et Octavius Taurini, alii aliis, Galliæ præsertim Cisalpinæ, locis pro fide occubuisse perhibentur. Sed neque Belgica 1 tantæ Christianæ fortitudinis spectaculo caruit: S. Gereonem Colonia Agrippina, SS. Cassium et Florentium Bonna, S. Victorem Xanthus martyrio coronatos vidit. Treviris quoque non modo in hospites Thebææ legionis Milites, sed et cujusvis conditionis et ordinis cives sævitum triduo est, atrocia Maximiani jussa exsequente Rictio Varo. Et primo quidem die* SS. Tyrsus *et Secundus, Thebæi duces, cum suis in Campo Martio, haud procul a S. Paulini in Trevirensi suburbio ecclesia; uti et* S. Bonifacius, *alter Thebæorum militum dux, cum suis haud procul monasterio,* S. Mariæ ad Martyres *nuncupato, vitam posuere: postero Palmatius civitatis consul, Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Soter, senatorii ordinis viri, Hormisda, Papirius, Constans, Jovianus: tertio denique promiscua cujusvis ætatis et sexus multitudo.* SS. Tyrsi, *Palmatii et Sociorum exuvias collegisse et sub finem sæculi quarti in ecclesiam, modo S. Paulino sacram,* C *intulisse volunt S. Felicem Trevirensem episcopum; sed altam paulatim earum Trevirensibus oblivionem obrepsisse, ex quo Normanni anno* 882 *sacra profanaque omnia apud illos sus deque verterunt, dum tandem sub annum* 1071 *rursum in lucem fuere protractæ. Ita fere habet Trevirensium traditio.*

Calendaria

2 *Porro recentiores Trevirensis ecclesiæ Fasti Martyres hos, si* S. Bonifacium *et* Socios *demas, in tres classes diesque distinguunt ad hunc fere modum: 4 Octobris,* Treviris SS. Thyrsi ducis et Sociorum MM. Trevirensium; v, Treviris Palmatii consulis et Sociorum MM. Trevirensium; vi, Treviris, Commemoratio MM. innumerabilium Trevirensium. *Dixi;* Recentiores : *varia quippe et antiqua illius ecclesiæ Calendaria part.* i *Prodromi Historiæ Trevirensis a pag.* 575 *illustrissimus Honthemius Myriophitanus episcopus et Trevirensis suffraganeus exhibet; quorum primum sæculo* x, *alterum vero et tertium sæculo* xi *in usu fuit: at nulla in his horum Martyrum mentio. Quartum, sæculi* xii, *ad diem 4 Octobris habet :* Tyrsi : Palmatii, *nulla facta mentione reliquorum. Quintum denique, sæculi* xiii, *omisso* Tyrso, *Palmatium ad diem 5 Octobris his verbis annuntiat :* Palmatii cum Sociis suis : *reliquos ad diem* 6 : MM. innumerabilium. *Breviarium quoddam Ms. Rheni penes nos est, quod solius Palmatii ad diem 5 Octobris meminit : sæculo* xiv *id adscribo, quod illi ad diem 17 Decembris recentiori manu adjecta legam, quæ sequuntur :* Anno Domini mccccxxviii erant fulgura, choruscationes et tonitrua in magna quantitate illa die de sero. *Cumulatius Trevirenses Martyres refert Breviarium Ms. aliud pagi, ut apparet, Fusbacensis in Treverensi diœcesi et Luxemburgensi ducatu; quod ad diem 4 Octobris hæc habet :* Tirsi ducis et Sociorum MM. Trevirensium; *ad diem* 5 : Palmatii et Sociorum MM.; *ad diem* 6 : MM. innumerabilium. *Porro Trevirenses Martyres hoc ordine primus disposuit Balduinus Trevirensis archiepiscopus, teste Honthemio in Historia cultus Sanctorum Trevirensium pag.* 569 *tomi supra laudati, quem* F *anno* 54 *sæculi* xiv *mortuum, in Annalibus Trevirici scribit. Hactenus de Calendariis aut Breviariis; martyrologos audiamus.*

3 *Trevirenses Martyres antiquiora Martyrologia* et Martyrologia *non norunt, non Romanum parvum, non Bedæ, non Adonis, non Usuardi purum, aliaque, quæ classica vocamus. Inter ea vero, quæ recentiori ætate sunt nata, Florarium nostrum Ms., cui ultima manus adjecta fuit anno* 1486, *ita habet :* Item Tyrsi ducis et martyris et Sociorum ejus ex numero Thebæorum Martyrum sub Maximiano imperatore passorum anno salutis ccxci. *Usuardina anni* 1490 *Lubeco-Coloniensis editio Treviris* innumerabilis Martyres *annuntiat ad diem* 6 *apud Sollerium in Auctariis ad Usuardum,* Tyrsi *vero et* Bonifacii *expresse meminit ad diem* 4, *adjunctaque priore loco recenset partim falsa, partim ad* Tyrsum *ejusque Socios non pertinentia : falsa sunt, quæ de S. Athanasio sexennio in puteo latitante narrat : neque enim S. Athanasii Treviris exsilium fuisse adeo diuturnum, ex Theodoreto; nec adeo incommodum, ex Constantini Junioris ad Alexandrinos litteris ostendit Papebrochius t. I Maji in Vita S. Athanasii cap.* 10. *Quæ autem de puteo apud S. Maximini monasterium Martyrum ossibus repleto narrat, ad* S. Bonifacium *potius ejusque Socios, quam ad* S. Tyrsum, *cujus in* E *Pauliniana æde ossa quievere, pertinere videntur. Grevenus ad diem* 6 *Octobris :* Apud Trevirim sanctorum Tirsi ducis ex legione Thebæorum, Bonifacii et aliorum multorum a Rictiovaro urbis præfecto ob Christi fidem interemptorum. *Dein ad diem* 5 *Palmatii ejusque Sociorum, ad diem vero* 6 *promiscuæ multitudinis, Treviris pro Christo occisæ, mentionem facit. Grevenum Molanus imitatur : at apud Galesinium ad diem* 5 *Octobris hæc tantum ex antiquis Trevirensis ecclesiæ tabulis legere est :* Treviris SS. Martyrum Palmatii et Sociorum : qui Rictiovari præsidis superata immanitate, fortissimi Dei milites coronantur; *quibus tamen verbis e Martyrum Trevirensium numero* Tyrsum *excludere voluisse Galesinium, non opinor.*

4 *Similiter* Tyrsum *præterit Martyrologium vul-* tantum recentiora meminerunt, *gare Romanum : ad diem tamen* 5 *Octobris Palmatium cum Sociis ita recenset :* Treviris SS. MM. Palamatii et Sociorum, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro præside martyrium subierunt; *citatque Molanum et Sigebertum Baronius in Notis, qui non modo Palmatii, sed et* Tyrsi *aliorumque meminerunt. Quid quod nec Martyres Trevirenses anonymos die tertio passos ad diem* 6 *Octobris Martyrologium laudatum prætereat? Ut adeo mirum videri possit, nusquam* Tyrsi *ejusque Sociorum expressam saltem mentionem in illo fieri; maxime cum*

ad

A *ad diem* 12 *Decembris Maxentius, Constantius, Crescentius et Justinus, quibus Leandrum, Alexandrum et Sotherem ex Sigeberto Baronius in Notis jungit, nominatim signati legantur, quorum tamen Martyrologium Romanum Gregorii XIII anno* 1586 *typis Plantinianis editum non meminit usquam, nisi generatim, cum ad diem* 3 *Octobris Palmatium cum Sociis verbis proxime citatis recenset. Quid autem causæ Baronius, supradictos S. Palmatii Socios ad diem* 12 *Decembris distrahendi, habuisse videatur, infra dicetur. Saussayus hic Baronium sequitur, licet illos ad diem* 3 *Octobris nominatim singulos jam expressisset : ad diem vero* 4 *hoc* S. Tyrso *et Sociis elogium scripsit :* Ipso die Treviris Passio SS. MM. Thyrsi ducis et Sociorum militum : qui S. Mauricii Thebeæque legionis exempla præclara imitantes, tanta constantia idolorum sacrificia execrati, quanta fide et fortitudine sacratissimam Christi religionem professi, jubente Rictio Varo, piorum teterrimo in Galliis carnifice, gladiis militum ethnicorum impetiti, trucidatique ad internecionem deleti sunt. Horum corpora feris et avibus relicta sunt devoranda. Cæterum ex his innumeris heroibus tanta multitudo ad littus Mosellæ juxta Capitolium jugulata est, ut sanguinis rivuli defluentes aquas fluvii in suum colorem converterent, et, naturali claritate neglecta, peregrino magis, quam proprio colore ruberent. Porro, Deo Athletas suos glorificante, in honore sanctissimæ Virginis et ipsorum hoc idem Capitolium dedicatum est : et locus, in quo agonem peregerunt, ad eorum memoriam, Littoris ad Martyres, vocabulum accepit. *Ita ille : at de martyrologis jam satis, ut plures in medium adducere, non sit necesse.*

B

et monumenta quædam antiqua, licet confuse,

3 *Ceterum ex hactenus dictis colligere pronum est, Martyres Trevirenses, si universim considerentur, in tres classes posse distribui; ad quarum primam referantur Thebæi Milites una cum ducibus suis* Tyrso, Bonifacio *et Secundo; nam et hic subinde binis prioribus additus legitur : ad alteram senatores, optimatesque indigenæ una cum Palmatio consule : ad postremam reliqua populi Trevirensis multitudo. De prioribus tantum, rejecto in Appendicem* Bonifacio *et* Sociis, *hoc loco agemus; tum quod illi soli hoc die hodiernis Trevirensis ecclesiæ Fastis sint inserti; tum quod duas classes reliquas ad alios dies Fasti citati et Martyrologium Romanum referant; quamquam et de his subinde tractabitur, propterea quod singulorum Historiæ Actaque ita inter se sint connexa conjugataque, ut difficile sit unius res gestas expedire, quin eadem quoque opera, quæ ad ceteros attinent, pertractentur. De cetero antiquioribus Calendariis, quæ quidem noverimus, et martyrologis jam recensitis antiquiora pariter monumenta subnectimus, quibus Trevirensium Martyrum Historia, prout circumferri solet, videtur utcumque firmari : cum autem antiquiora monumenta dico, ea velim lector intelligat, quæ sanctorum Martyrum in crypta Pauliniana inventione sub annum* 1071 *facta vetustiora sunt. Itaque quæ illa sint, et quanti facienda, videamus.*

C

ut Acta SS. Fusciani et Gentiani,

6 *Vetustissima forte Martyrum Trevirensium mentio ea est, quæ in Actis SS. Fusciani et Victorici a Bouqueto editis occurrit, quæque S. Paulini canonicis Trevirensibus primum subjecit stimulum ad perquirendas sanctorum Martyrum exuvias alta tum oblivione sepultas. Ecce illam :* Factum est ergo non multo post tempore, ut Rictiovarus carnifex præfecturam, quam a Maximiano susceperat, potius ad persequendos Dei Famulos cruentus laniator irrueret, quam pietatis jura servaret. Ingressus itaque urbem super Mosellam conditam, quæ Treveros nuncupatur, tam ingenti crudelitate Christianos cædi præcepit, ut sanguinis rivulus in flumen Mosellæ defluentis undas laticis, unda sanguinis rubricaret, et lympha gurgitis inhumatis sanctorum Martyrum corporibus præberet tumulum, et ut redintegratos compagi corporum futuro eos reservaret in judicio. *Notitiam quidem hæc aliquam Martyrum Trevirensium ingerunt, nec quam singulis applices : quia tamen ad illorum Historiam utcumque faciunt, lubet Actorum ætatem indagare, ac de eorum hac in re pondere nonnihil dicere.*

AUCTORE J. B.

in quorum

7 *Quod vero eorum ætatem attinet, qui sanctorum Martyrum Inventionem posteris consignavit scriptor æqualis, luculente is tradit, Acta illa Paulinianos canonicos prius cognita habuisse, manibusque trivisse, quam sanctorum Martyrum exuvias detexerant; ut movere neminem Tillemontiana suspicio debeat, hanc ipsam scilicet Inventionem iis Actis conscribendis causam materiemque suppeditasse.* Erant nempe, *inquit ille cap.* 2, in illa S. Paulini canonicorum congregatione fratres aliqui sanctæ religionis studio venerabiliter accensi : hi ergo dum inter alia pietatis opera sacræ Scripturæ *(sic Sanctorum Vitas appellat)* paginæ operam non minimam præberent, solebant *etc. Et paulo post :* Inter multimoda itaque loci hujus præconia Passio SS. Martyrum Gentiani et Victorici frequentius eis occurrebat : *et rursum post alia nonnulla, quæ describere non est operæ pretium, ita pergit :* In hac ergo positi mentis anxietate indictis sibi, aliquando biduanis, aliquando triduanis, jejuniorum disciplinis, a divina postulabant pietate, ut aliquod tam sancti depositi indicium eis monstrare dignaretur. *Præ manibus igitur SS. Fusciani et Victorici Acta habebant Pauliniani canonici, cum adhuc, quo loco Martyrum* E *Trevirensium ossa delitescerent, ignorabant. Neque enim existimo, Inventionis scriptorem impudenter adeo mentiri ausum vel coram iis, nec forte aliis a quibusdam ipsorummet S. Paulini canonicorum, qui detectis hisce reliquiis parum fidei tribuebant, de quibus cap.* 3 *acerbe conqueritur.*

ætatem

8 *Æquior et verisimilior est altera Tillemontii de horum Actorum ætate conjectura. Est etiam, inquit, cur SS. Fusciani et Victorici Acta saltem haud serius, quam sæculo* VI *exarata dicantur : nempe quod horum ossa S. Honoratus, Ambianensium episcopus, qui sæculo* VI *floruit, transtulerit, nec tamen translationis hujus, rei sane satis memorabilis, usquam meminerit, qui litteris Sanctorum illorum Acta mandavit. Sane quisquis ille fuerit, locum, quo Martyres illi sepulti fuere, ignorasse se prodit, cum illos ad calcem Passionis eorum* sub tegmine occulti tumuli *conditos scribit; nec præterea quidquam. Miraculosam dictorum Martyrum reliquiarum inventionem S. Honorati tempore factam apud Henschenium t. III Maji p.* 613 *descriptam habes. Adjicio alterum Actorum vetustatis indicium. Tillemontius, posteaquam t. IV Monumentorum ecclesiasticorum nota* 10 *in S. Dionysium, suum de Actis SS. Fusciani et Victorici judicium exposuit, de Actis SS. Rufini et Valerii hæc inter cetera fere disserit Nota sequenti :* F *scripta tamen sunt ante Flori tempora, qui eorum compendium ad* 4 *Junii exhibuit satis accuratum : imo Sanctos hosce (Rufinum et Valerium) Roma venisse, ait; quo quidem id agere voluisse videtur, ut eorum Acta cum Actis SS. Fusciani et Victorici ad concordiam revocaret. Utraque igitur Florum vidisse, necesse est. Quod si hic ad diem* 14 *Junii Actorum SS. Rufini et Valerii compendium exhibuit satis accuratum; similiter non minus accurate Florum in SS. Fusciano, Gentiano et Victorico id præstitisse, facile deprehendet, quisquis ea, quæ ille de his ad diem* 11 *Decembris scripsit, cum eorumdem Actis a Bouqueto editis contulerit; ut, si imitari hic Tillemontium debeamus, SS. Fusciani et Victorici Acta Floro, qui circa annum* 850 *Martyrologium suum scripsit, antiquiora haberi merito possint. Ruinartius etiam in Præfatione ad Acta Martyrum, p.* 68 *illa quidem non retulit inter primigenia, retulit tamen inter antiqua. Hæc de Actorum ætate.*

et in hac re pondus inquiritur :

9 *Quod autem ad meritum eorum et pondus attinet, nolim omnia, quæ narrant, utut antiqua sint, pro certis habere. Tillemontio judice, si stylum eorum spectes, parum apte conscripta sunt; si rerum adjuncta, alia proferunt minus credibilia, alia sibi invicem haud satis consona. Sit ita : excedant etiam, si lubet, veri limites, cum præ occisorum Treviris Martyrum multitudine sanguinis rivum fluxisse,*

AUCTORE J. B.

aiunt, tanta vi et copia, ut hunc excipiens Mosella sanguineum colorem traxerit; id equidem ex illis probabiliter effici videtur, jam inde a sæculo IV *ingentis Christianorum multitudinis Diocletiani et Maximiani tempore pro fide Treviris occisæ memoriam viguisse in Galliis, quæ prioribus quidem sæculis distinctior fuerit atque perfectior; sed, ut fit, temporum lapsu obscurior tenuiorque evaserit. Merito quidem Ruinartius numero superiore laudatus hæc Acta primigeniis annumeranda non esse censuit; cum alia quædam Acta præ manibus se habuisse, significet, qui Acta SS. Fusciani et Victorici conscripsit, cum ait :* Nam, ut Historiæ gesta commemorant, quidam senex nomine Gentianus : *sed nova hinc rursus suspicio suboriri potest, eum, in ipsismet antiquioribus SS. Fusciani et Victorici Actis, quæ præ manibus habuit, aliisve invenisse, quæ de Martyribus Trevirensibus tradidit.*

dein Hymnus quidam de S. Paulino, qui

10 *Non minorem Paulinianis canonicis, ad perquirendas Sanctorum apud se delitescentium reliquias, stimulum addidit antiquus de S. Paulino Hymnus in monasterio nobilium virginum,* S. Mariæ ad horrea *nuncupato, Treviris inventus sub annum* 1071, *litteris Gothicis exaratus, et ab Inventionis auctore pro vetustissimo habitus. Periit is quidem, vel certe alicubi latet incognitus : summam vero eo-*

B *rum, quæ complexus est, idem Inventionis auctor paucis perstringit : sunt autem fere hæc; S. Paulini in Arianos pro Catholica fide molimina, Phrygum, apud quos exsul egit, conversio, et sacri ejus corporis Treviros translatio et sepultura.* De S. Paulini sepultura, *inquit Inventionis auctor anonymus,* hæc ibi legebantur : posuerunt eum juxta prolem clarissimam Trevirensem, et inclitam, ubi dormiunt corpora Peregrinorum plurima, resurgentes ad præmia die novissima, occurrent in æthera Domino cum lætitia. Proles clarissima Trevirensis, *ut illius temporis canonici dein interpretati sunt, Palmatium, ceterosque senatores et optimates indigenas;* Peregrini *autem* Tyrsum *ejusque commilitones Thebæos declarabant. Hymnum hunc sub annum* 1071 *re ipsa inventum esse, et vetustatem saltem aliquam præ se tulisse vel tunc, anonymo, testi oculato vel certe æquali, assentior, maxime cum S. Paulini canonicis oblatus recitatusque fuerit, eoque permoti S. Paulini cryptam, petita obtentaque, licet ægre, ab Udone archiepiscopo licentia effregerint : non æque tamen mihi certus est modus, quo inventus dicitur; haud, inquam, mihi certum est, virginem Deo sacram, Frideburgam nomine, tertio monitam divinitus fuisse, ut vetustos monasterii sui codices inspiceret, itaque in illum Hymnum incidisse; tum quod hujusmodi*

C *visionibus parum fidei passim tribui soleat; tum quod privatim tantum res tota peracta dicatur.*

licet ejus quædam faveant,

11 *Ceterum, si ipse per se hymnus consideretur, est, unde ejus antiquitas commendari posse videatur; est etiam, unde videri possit ejus auctoritas infirmari. Antiquitas quidem ejus, inde commendari posse videtur, quod S. Paulini translationem e Phrygia Trevirim divino nutui et miraculorum adminiculo adscribat, atque adeo prius videatur fuisse compositus, quam apud Trevirenses opinio invaluerat, S. Paulini corpus* totius regni viribus *e Phrygia ad suos fuisse deductum; quod sane fabulam sapit, nisi forte verba illa sic interpreteris, ut iis dumtaxat significetur, Trevirenses S. Paulini exuvias non sine summa difficultate, multoque molimine consecutos. Porro jam inde a sæculo* IX *ea opinio apud illos invaluerat; cum id habeat tabula plumbea eo sæculo probabilius confecta, ut* § *proxime sequenti dicemus. Similiter quantum quidem apparet, non meminit Hymnus de prodigio, quo S. Paulini tumulus medio in aere inde ab invasione Normannica anni* 882 *annis multis pendulus mansisse dicitur, quod a sæculo* X *hominum linguis, scriptorumque calamis celebrari cæpit, ut ex Vita S. Paulini inter annum* 882 *et* 1071 *conscripta, editaque in Opere nostro ad diem* 21 *Augusti, colligere est.*

12 *Et hæc quidem ad Hymni qualemcumque commendationem facere videntur; at quæ verbis num.* 10 *recitatis narrat, pondus illi suum fortassis detrahent,* D *eo quod tabulæ anno* 1071 *in crypta Pauliniana una cum Martyrum corporibus inventæ haud satis consentire videantur : cum enim* prolem clarissimam Trevirensem *Hymni auctor commemorat, aut solum Palmatium, aut præter hunc reliquos pariter Trevirenses indigenas intellexit. Si primum; repugnat aperte tabula, qua teste, Trevirensium corpora fuere, uno excepto* S. Tyrsi *corpore, quotquot in memorata jam crypta reperta sunt. Sin autem non Palmatium modo, sed et reliquos seu senatores seu optimates indigenas intellexit; ad hunc quidem modum Hymno cum tabula ex parte conveniet : sed altera mox ex his Hymni verbis :* Ubi dormiunt corpora Peregrinorum plurima, *difficultas orietur. Quæretur enim, quorum fuerint, salva hac Hymni interpretatione, plurima ista Peregrinorum corpora? Thebæorum utique Militum, inquies. Atqui sic iterum in tabulam impinges, quæ unius tantum peregrini,* Tyrsi *nempe, mentionem facit, ut adeo vel hymni vel tabulæ error agnoscendus sit, aut, si mavis, utriusque fides inde non mediocriter infirmetur.*

quædam obsint antiquitati,

tamen cum tabula plumbea non pugnat,

13 *Verumtamen ne hoc quidem pacto sive utriusque repugnantia, sive alterutrius error, evincitur : fac enim, ut adverbio* ubi *non S. Paulini cryptam, sed basilicam vel monasterium designare voluerit hymni auctor, eadem profecto erit Hymni tabulæque*

E *sententia. Neque porro video, quid huic interpretationi magnopere possit officere; non SS. Fusciani et Gentiani Acta; Martyrum illa multitudinem Treviris sub Maximiano cæsam agnoscunt : sed, inquies, quorum corpora fuerint undis abrepta obrutaque. Quid tum? num colligi postea non potuere? num id de omnibus et singulis dictum? Esto etiam,* S. Bonifacium *ejusque* Socios *ad pontem Mosellæ occisos, laudata Acta intelligant; num propterea* Tyrsum *ejusque* Socios, *aut Trevirenses indigenas exclusisse, censebimus? Non Hymni auctoris eruditio et accuratio; quippe qui stilo* simplici rusticoque *sit usus. Dein, si S. Felix præcipuorum Martyrum corpora collegerit, locoque in S. Paulini ecclesia discreto et honoratiore condiderit; quid est, quo minus conjici etiam possit, reliquorum pariter Martyrum curam illum saltem aliquam gessisse, et, quotquot reperire potuit, exuvias in S. Paulini ædes intulisse?*

latiusque, quam par est, a Friderico accipitur.

14 *Absit tamen, ut Frederico S. Paulini Præpositio assentiamur, affirmanti, S. Felicem tot Martyrum corpora in pavimento supra dictæ ecclesiæ collocasse, ut* posset quis vix pedem in hac ecclesia ponere, quin super illorum sanctissima sarcophaga deambularet : *veri enim limites hic Fridericum transilisse, et plusculum ornandæ deprædicandæque ecclesiæ suæ studio indulsisse, nemo prudens non suspicabitur; maxime cum nec anno* 1071, *nec postmodum umquam inventus sit extra cryptam S. Paulini loculus, qui alicujus martyris fuisse, sciatur, teste illustrissimo Honthemio* § 10 *Historiæ Martyrum Trevirensium. Absit pariter, ut quæcumque ossa illic forte fortuna reperta pro veris Martyrum reliquiis aut haberi, aut honorari posse dicamus. Scimus enim, hujusmodi cultum non nisi certis, et legitime approbatis Sanctorum reliquiis posse impendi : talia autem minime esse ossa illic per ecclesiam sparsa, recte ait idem Honthemius, cum Sanctos non fuisse omnes, quotquot ibi sepulturam nacti sunt, vel Elii Constantii tumulus probet, nec de impendendo cultu quisquam cogitarit iis cineribus ossibusve, quæ in saxeis sarcophagis circa S. Paulini templum nuper fuisse detecta, Honthemius scribit.*

His addi probabiliter potest auctor de Successoribus S. Hildulphi in Vosago,

15 *Antiquioribus etiam de Trevirensium Martyrum Historia testimoniis accenseri probabiliter possunt, quæ de illa scripsit auctor Opusculi de successoribus S. Hildulfi in Vosago. Publici id juris fecit reverendus admodum dominus Humbertus Belhomme, Mediani abbas, scriptumque fuisse censuit inter annum* 1016 *et* 1019, *quo tempore Mediano præerat Enciboldus; in locum Nardulfi seu Hardulfi anno* 1016 *abbatiali dignitate exuti suffectus. Sic autem laudatus abbas fere disserit : Nardulfus, erepto e vivis Enciboldo, anno* 1019 *pristino muneri et dignitati restitutus*

A *restitutus fuit : libelli autem auctor nec ultra Nardulfum progreditur, nec usquam Nardulfi, cui tamen se contra Enciboldum favere non obscure prodit, velut suo muneri restituti meminit : fit igitur admodum verisimile, eo libellum fuisse conscriptum tempore, quod inter Nardulfum anno* 1016 *suo gradu dejectum, eumdemque anno* 1019 *eidem restitutum intercessit. Accedit, idipsum ipsiusmet auctoris verbis innui, quibus cap.* 13 *exorditur : sic habent :* Successor autem ejus (*Almanni*) Nardulfus extiterat. *Quid enim sibi vult το* extiterat, *nisi Nardulfum jam tum suo cessisse officio, cum scriberet libelli auctor, maxime cum mox enarrandis prodigiis, quæ, Medianum moderante Nardulfo, contigerant, sese accingat, et toto narrationis reliquæ decursu de Nardulfo sive exauctorato, sive dignitati restituto ne verbo quidem meminerit. Nec refert, cap.* 9 *legi, quæ sequuntur :* Sed incuria successorum faciente, præfata cella (*Begonis dicta*) sanctos artus (*Bonifacii M.*) permissa est retinere usque ad domnum abbatem Lambertum, qui anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo tertio in sexta feria, quæ 2 Nonas Novembris habebatur, revexit. *Hæc enim pro recentiori additamento habet citatus libelli editor, nec, ut opinor, omnino infundate. Fac tamen, genuina esse auctoris verba; vel sic verosimillimum fiet, libellum ante Martyrum Trevirensium inventionem anni*

B 1071 *vel sequentis fuisse conscriptum. Hæc de ætate scriptoris : quid vero is de Martyribus Trevirensibus?*

qui, saltem S. Bonifacii et Sociorum,

16 *Nihil is quidem speciatim de his, qui in S. Paulini basilica conquiescunt : sed de* S. Bonifacio *in S. Maximini crypta olim recondito, hæc scribit cap.* 1: Penultimo interea jam memorati abbatis Leutbaldi anno, ab Incarnatione vero Domini septingentesimo tertio venerabile corpus S. Bonifacii martyris ablatum Trevirorum populo Divinitatis ope illatum est Mediano monasterio. *Porro* S. Bonifacium *non ut martyrem Trevirensem modo, sed etiam ut e Thebæis unum, cum scriberet, habitum fuisse, quæ sequuntur, ostendunt :* Sicut enim, *inquit libelli auctor,* Victor et Ursus cum aliquot castrum Solodorum, beatus Gereon cum suis etiam trecentis decem et octo, Mauri quoque quingenti Agripinensem Coloniam, sic et hic prætiosus Christi Martyr cum aliis suis trecentis pervenit Trevirim, corpore, non corde ab eadem qua et prædicti Martyres Thebæa legione subtrahens se interim, cum apud Agaunum darentur victimæ sub Herculio Maximiniano cæsare. *Itaque sæculo* XI *ante inventa in crypta Pauliniana* Tyrsi *et* Sociorum *corpora Mediani Martyrum Thebæorum Treviris occisorum memoria fuit. Narrat præterea idem auctor, S. Hildulfum horum Martyrum corpora, quæ vilibus hactenus in bustis delitue-*

C *rant, in S. Maximini cryptam transtulisse; unde jam inde a sæculo* VII *eorum apud Trevirenses cultum floruisse, consequitur. Nec mirum videri cuipiam debet, nihil illum dixisse de illis, qui in S. Paulini crypta quiescunt, quippe, quos ibidem ante S. Hildulfi tempora S. Feliæ recondidisse fertur, quique adeo ad S. Hildulfi ejusve successorum in Vosago gesta non pertinebant.*

veluti Thebæorum Martyrum meminit:

17 *Denique idem libelli de S. Hildulfi Successoribus in Vosago anonymus scriptor, cap.* 9 S. Bonifacii *corporis inventionem describens, ea adjuncta commemorat; unde, si vera sint, Martyrum Trevirensium Historia utcumque saltem confirmari possit : sunt autem hæc : Contigit inventio corporis* S. Bonifacii, *posteaquam Adalbertus Mediani abbas templum beatissimæ Virginis, una cum B. Martini ædicula illi adhærente diruerat, priore augustius excitaturus; quod, cum anno* 964 *fecisse Adalbertum, Joannes a Bayono referat, teste Belhommeo in Annotatis ad caput* 8 *part.* II *Historiæ Mediani, non ante hunc annum dictam inventionem contigisse, necesse est. Interierat penitus ea tempestate Mediani* S. Bonifacii *memoria; jacebant sancti Martyris exuviæ S. Martini ædiculæ ruinis et ruderibus obrutæ; cum juniori monacho nomine Tietfrido habitu militari indutus apparuit. Quæritur de reliquiarum suarum neglectu, quo lateant loco ostendit, Medianum Treviris advectas affirmat. Nescienti vero, quis esset, sese unum e Mauritii sociis, et Treviris cum aliis pro fide occisum ait : diffidentem visioni monachum iterum, et tertio increpat, jubetque, ut abbatem de procuranda sibi honoratiore sepultura commoneat; ipsum vero incredulitatis pœnam daturum prædicit; quod et eventus annis aliquot post, cum monachus ille subita paralysi perculsus, et fracta cervice exstinctus est, comprobavit. Adjecit Martyr præterea prodigium omnibus patulum, S. Hildulfi crucicula et cambuca, seu pastorali pedo, alibi diligenter asservatis in altare quoddam prodigiose translatis, ne de visionis veritate quisquam sinistra suspicione teneretur. Privatam hujusmodi junioris monachi visionem erit fortasse, qui rideat; riderem et ego, nisi prodigio comprobata fuisset, et res hæc a scriptore et loci, quantum apparet, incola, nec adeo fabuloso, et a re gesta haud multum remoto relata fuisset in litteras eo tempore, quo superstites esse Mediani poterant, quibus illum mendacii arguere et convincere facile fuisset, cum res, ut diximus, vergente ad finem sæculo* X, *contigerit, ipse vero probabilius sub initium sæculi* XI *scripserit, ut num.* 13 *diximus.*

AUCTORE J. B.

non tamen antiquum, et Calmeto visum,

18 *Nihil adductum est hactenus, quod ad* S. Tyrsum *ejusque* Socios *in Pauliniana crypta repositos speciatim attineat : huc autem facit Martyrum Trevirensium Historia Trevirensium Gestis inserta, si*

E *quidem Calmetum audiamus; ita enim ille, ubi eam Historiæ Lotharingiæ partem, quam tomus ejus primus complectitur, adductis in medium monumentis probat, pag.* 1 *præfatur :* Opus, quod Gesta seu Historia Trevirorum inscribitur, atque hic edimus (*verba ejus Gallica Latine reddo*) probabiliter scripsit, qui circa annum MXII florebat, Theodoricus S. Matthiæ Trevirensis alumnus, continuavitque alter ejusdem abbatiæ alumnus Golscherus, qui paulo post floruit, et ad annum MLII (*Trevirorum Gesta*) perduxit. Vidimus (*inquit post pauca*) hujus Historiæ autographum Treviris in abbatia S. Matthiæ, contulimusque cum altero manuscripto antiquiore et breviore, quo velut historiæ suæ fundamento et basi usus est Theodoricus. Idem quidem utrobique initium est, iisdemque verbis primorum Trevirensium episcoporum Eucharii, Valerii, et Materni Vitæ leguntur, at alibi varia, eaque in decursu notanda, additamenta emendationesque occurrunt. *Ita Calmetus loco laudato : in decursu vero Historiæ Trevirorum a se editæ cap.* 27 *hæc adjecit in margine :* Antiquum Ms. Trevirense (*illud utique, cujus in Præfatione meminerat*) illam Trevirensium episcoporum post S. Maternum successionem haud memorat, verum, narrata illius Sancti sepultura, continuo ad martyrium Militum Thebæorum (*Mauritii, Secundi,* Tyrsi, Bonifacii *aliorumque*) progreditur. F

de rebus Trevirensibus Ms

19 *Itaque horum meminisse oportuit ex iis aliquem, qui antiquum illud Ms. vel confecerunt, vel auxerunt, et Theodorico facem prætulerunt. Hujus vero decessores, et S. Mathiæ scholæ magistri fuerunt. Trithemio teste in Chronico Hirsaugiensi, Eberhardus anno* 909 *defunctus, Richardus, Diethelmus, et Adelbertus; quorum postremi tres Historiam Trevirensem scriptis suis illustrasse, non leguntur. At de Eberhardo ad annum* 909 *ita Trithemius :* Inter cetera ingenii sui monimenta complura ad Historiam Trevirorum addidit, Vitam quoque SS. Eucharii, Valerii et Materni, tam metro, quam prosa, elegantiore stylo conscripsit. *Quibus positis, antiquum illud Trevirense Ms. Eberhardinum opus fuisse videtur, nec post illatam anno* 882 *Trevirensibus a Normannis cladem admodum diu compositum. At vereor, ne Ms. illud haud adeo antiquum sit, ac Calmeto visum est, aut certe hoc loco interpolatum. Qui enim fieri potuisset, ut sæculo* XI *Trevirenses tanta* Tyrsi *ejusque* Sociorum *ignorantia laborassent, quantam inventionis eorum auctor loco non uno profitetur; si eorum gesta apud S. Mathiæ ascetas litteris mandata exstabant? Certe id de S. Mathiæ alumnis, qui conservandæ perficiendæque Trevirensi Historiæ identidem incubuere, vix credibile apparet.*

Ceterum

AUCTORE J. B.

Ceterum et vetustissimas quasdam schedas Trevirenses allegant, quarum, sicut ætas ignoratur, ita, monente Pinio nostro in Commentario prævio ad Acta S. Paulini, non magna auctoritas est. Reliquum est, ut de tabula plumbea in S. Paulini crypta sub annum 1071 inventa et Paulinianorum Martyrum historiam complectente agamus, de qua, quod pluribus disserendum erit, paragraphis id separatis præstabimus.

§ II. Inquiritur ætas tabulæ plumbeæ sub annum 1071 in crypta S. Paulini inventæ.

Tabulam plumbeam,

Alta Martyrum in S. Paulini ecclesia quiescentium sæculo XI *non modo Trevirenses, sed et ipsos S. Paulini canonicos oblivio ceperat, cum tandem, senescente jam dicto sæculo, Actorum SS. Fusciani et Gentiani, maximeque Hymni de S. Paulino occasione, in eorum reliquias cœperunt inquirere Pauliniani canonici. Intellexerant nimirum ex illis innumeram fidelium turbam ex odio fidei a Rictio Varo Treviris neci datam; ex illo vero, non paucos eorum, eodem, quo S. Paulinus, loco fuisse repositos. Itaque cum S. Paulini exuvias in crypta quadam sub ec-*

B *clesiæ suæ altari principe reconditas non ignorarent, eam effringere decreverunt; quod etiam felici successu et Udonis archiepiscopi auctoritate muniti præstiterunt. Etenim varios illic invenere tumulos, qui singulorum Martyrum corpora continebant; imo et tabulam plumbeam humi defossam, quæ et Martyrum nomina, et eorum in crypta situm ordinemque indicabat. Tabulæ plumbeæ tenor is erat, qui num.* 80 *et seqq. exhibebitur; quare hic integram in medium adducere necessum esse, haud ratus sum; unum alterumve auctorem æqualem aut certe supparem cito, quorum huic inventioni testimonia suffragantur. Lambertus Schafnaburgensis de Rebus gestis Germanorum ad annum* 1072 *ita scribit:* Treviris apud S. Paulinum XIII corpora Sanctorum, Thebeæ (ut putatur) legionis reperta sunt, quorum hæc nomina in tabulis plumbeis conscripta ibidem reperta sunt: Palmatius, Thyrsus, Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Alexander, Soter, Hormisda, Papyrius, Constans, Jovinus. Dumque ex crypta, ubi Sancti pausabant, terra portaretur, os quoddam incaute projectum, sanguinem fudit non modicum, et usque hodie permanet sanguinolentum. *Deinde horum Martyrum historiam seu passionem, a Trevirensibus ad se missam, compendio refert. Floruit Lambertus eodem sæculo* XI, *ad cujus annum* 76

C *laborem suum perduxit.*

anno 1071,

21 *Eodem quoque sæculo Sigebertus Gemblacensis fuit: hic in Chronographia, cui anno* 1112 *finem imposuit, ad annum* 1071 *ita loquitur:* Treviris in ecclesia S. Paulini Confessoris, in crypta subterranea invenitur corpus S. Paulini, quod olim a Frisia (*seu Phrygia*) ubi exulaverat, reportatum, ibi a S. Felice episcopo, catenis ferreis fuerat suspensum, et juxta eum multa corpora Sanctorum: ad dextram scilicet ejus Palmatius consul et patritius Treverensis, ad sinistram Thyrsus unus de principibus Thebææ legionis, cum multis Thebæorum, in hac urbe a Rictiovaro martyrisatus; ad caput septem senatores urbis, Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, et tres fratres Leander, Alexander, Soter, ad pedes Hormisda, Papyrius, Constans, Jovinianus. Et cum multi alii ibi jacerent, horum tantummodo nomina, et tempus et dies passionis, aureæ litteræ in pariete signabant, eosque omnes sub Rictiovaro passos fuisse docebant. *Nihil hoc loci dico de inventionis quibusdam adjunctis, quæ fuse anonymus noster cap.* 2 *describit, de quibus, quid sentiam, Annotata inventionis historiæ subnectenda aperient: verum discrimen aliquod apparet in anno, quo facta fuisse inventio ab auctoribus supra laudatis traditur; unde contigisse, opinor, ut e recentioribus alii ad annum* 1072, *alii ad annum* 1071 *inventionem retulerint, illis Lambertum Schafnaburgensem, his Sigebertum se-* D *quentibus.*

22 *Ego vero Lamberto Schafnaburgensi præ Si-* *vel* 1072 *in-* *geberto adhærere malim, tum quod Lambertus ea,* *ventum,* *quæ scripsit, ab ipsis Trevirensibus edoctus fuerit, tum quod illius hac in re opinionem noster anonymus confirmare videatur: cum enim os illud, de quo Sigebertus paulo ante, sanguine manavit, dies numerabatur mensis Martii tertius, idemque Sabbathum erat, ut scribit anonymus noster, oculatus fortassis rei gestæ testis, sub finem cap.* 3. Contigit istud miraculum, *inquit,* quinta Nonas Martii et Sabbathum erat; *quod anno* 1072 *apprime congruit: erat enim eo anno cyclus solis* 17, *diem vero Dominicum littera G Martio mense indicabat; atque adeo Calendæ Martii incidebant in feriam quintam, in Sabbathum vero Martii dies tertius. Præterea S. Paulini crypta tum temporis in ampliorem formam redigebatur, quod rursum ex eodem anonymo liquet. Denique id ipsum paulo post inventa Sanctorum corpora, eodemque anno contigisse videtur innuere anonymus, cum cap. citato ait:* Nam cum, sicut prædiximus, facta per misericordiam Dei hac Sanctorum revelatione, Domno nostro archiepiscopo, hujusque principibus placuisset, ut cripta Sanctorum corporum collocationi competenter amplificaretur, necesse fuit, ut plurimum terræ ex- E portaretur. *Neque enim verisimile fit, Paulinianos canonicos moram traxisse longiorem, ut præsulis sui desiderio facerent satis. At, inquies, civitate aberat Udo archiepiscopus, teste anonymo, cum Sanctorum corpora inventa sunt; atque adeo verisimiliter tum temporis concilio Moguntino, quod anno* 1071 *celebratum est, intererat. Verum abfuit quidem urbe Udo, cum os illud detectum est, abfuisse vero, cum corpora primum inventa sunt, nec dicit anonymus, nec, si diceret, absentiæ ejus ratio a tempore celebrati concilii Moguntini, cui Udo interfuit, repeti apte posset: cum Treviris Udo abfuerit mense Martio secundum anonymum; concilium vero Moguntinum cœptum sit festo Dormitionis seu Assumptionis B. Mariæ Virginis, id est* 15 *Augusti, finitum autem* 18 *Septembris, ut in Actis concilii tomo III Conciliorum Germaniæ ab Hartzheimio nuper editorum legitur.*

23 *At parum ad auctoritatem tabulæ, si quam* *anno* 882 *con-* *habet, refert, repertane sit anno* 1071, *an sequenti:* *fectam Browe-* *propius huc ætas spectat, qua condita fuit; qua in* *rus autumat:* *re ab eruditis in varias sententias itum est. Est, qui tabulam eodem, quo Sanctorum corpora in S. Paulini crypta inventa sunt, tempore, aut forte etiam serius, natam suspicetur; ut Tillemontius num.* 7 *laudatus, qui ex ipso anonymo refutatur. Sunt, qui* F *illam eo temporis intervallo, quod inter invasionem Normannicam et corporum inventionem fluxit, confectam autument; ut illustrissimus Honthemius in sua de Martyribus Trevirensibus Dissertatione. Sunt denique, qui illam ad sæculum* IX *et Normannorum illuviem referant; ut Brouwerus ad annum* 1071, *num.* 20, *aliique. Duo sunt, fatente Honthemio proxime citato* § 15, *quibus Brouweri opinio confirmari videatur: alterum consistit in his tabulæ verbis:* In medio vero ipsorum S. Paulini.... corpus EST ferreis catenis suspensum: *iis enim tabulæ auctor significatum voluisse videtur, se, cum tabulam scripsit, S. Paulini corpus e ferreis catenis vidisse suspensum, prius scilicet, quam Normanni in S. Paulini cryptam sacrilegas manus intulissent, et catenas illas ferreas confregissent. Alterum est tabulæ silentium de violata per Normannos S. Paulini ecclesia, et ferrearum catenarum effractione, qui tamen fama est, efficere non potuisse barbaros, ut S. Paulini corpus subsideret, sustinente illud divina virtute, quavis catena validius. Sed utrumque parum efficax illustrissimus auctor existimat.* Ad argumenta opposita, *inquit,* dici posset, quod verba SUNT COLLOCATA: EST SUSPENSUM, illæsa Latinitate, in tempus præteritum referri possint: quin necessario importent STATUM suspensi tymbi PRÆSENTEM tabulæ confectæ die. Silentium vero de miraculosa libratione tymbi

S. Paulini

A S. Paulini in aere sine catenis, quasi Mercurii illius Trevirici, de quo Galba viator apud Browerum, et subsecuta incredulorum depressione, nihil probat, nisi prius verificetur aliunde ista arduæ fidei narratio, quæ modo circa finem seculi XI legitur in Passionalibus Trevirensibus, de quibus universim senserunt Antwerpienses in Vita Ms. S. Paulini : Acta hæc non magnæ authoritatis esse, quod limitamus utique ad eorum mentem QUOAD VETUSTA.

rationes binæ, 24 *Arduæ admodum fidei esse libratum medio in aere S. Paulini corpus, illustrissimo lubens assentior tum propter rem ipsam sine idoneis testibus assertam, tum propter Reginonis Prumiensis, qui ea ætate florebat, nec Treviris procul aberat, summum ea de re silentium, cum tamen tum Normannorum in Trevirenses barbariem, tum S. Paulini exsilium, mortem, reportatasque Trevirim ejus exuvias litteris consignare haud prætermiserit. Neque inficias iverim, Actorum, de quibus supra, haud magnam esse auctoritatem in iis, quæ vetustioribus sæculis accidisse, oportuit. Sed, si, misso isto prodigio haud satis utique pro sui magnitudine stabilito, id solum dicamus, barbaros S. Paulini tymbi catenas effregisse, ac inde illius corpus humi subsedisse; nihil equidem quod improbari magnopere debeat, aut parum credibile sit, admiserimus : nihil exim S. Paulini corporis e ferreis catenis suspensio habet a temporum*
B *priscorum more, usuque alienum, ud ad cap.* 35 *Historiæ Trevirensis Calmetus observat. Reliquiarum S. Syri martyris e pariete pendentium Burdegalæ meminit Gregorius Turonensis lib.* VII, *num.* 31. *In ipsa S. Paulini ecclesia S. Modoaldi reliquias media testudine in edito positas fuisse, et omnem ruentis fabricæ excepisse impetum, idque diu post Normannicam invasionem, auctor est Stephanus abbas in Vita S. Modoaldi apud nos tom. III Maji pag.* 61. *Dein catenarum, a quibus S. Paulini corpus pendebat, per Normannos effractio ecquid habet, quod fide careat? Quid genti efferæ adeo sanctum fuit, quod impiis ausis temerare horreret? Nonne Pauliniano templo flammas iterato iidem Normanni admoverunt? Nonne sarcophagum illic obvium effregerunt, vivumque hominem illuc intruserunt, ut S. Paulini Vita testatur? Mihi quidem hæc, etsi ab æquali auctore non asserta, et per se satis credibilia et ea saltem traditione suffulta videntur, ut solidam ea negandi rationem non inveniam; maxime cum dubium nemini sit, multa patrasse Normannos tum Treviris, tum alibi, quorum auctores æquales non nisi generatim meminerunt. Vel in ipsa igitur illata Trevirensibus a Normannis clade verosimile est, S. Paulini corpus subsedisse : loci vero canonicos tanto periculo defunctos, cautioresque effectos, aditum cryptæ ob-*
C *turasse, vel obturare non diu distulisse. Urgere etiam ad id illos potuit altera Normannorum irruptio, de qua Regino ad annum* 892, *quæ, licet Treviros usque non penetrarit, vicinis tamen locis, nominatim vero Prumiensi monasterio alteram denuo cladem intulit. Hinc porro factum etiam verosimiliter fuerit, ut, occluso cryptæ aditu, cœperit Martyrum ibi quiescentium cultus minui, obliterari memoria, ac tandem penitus evanescere.*

quibus is nititur, 25 *Concedamus itaque prodigiosam S. Paulini tymbi medio in aere librationem, secutamque ejus post multorum annorum curricula per incredulos depressionem viæ quidquam probabilitatis habere, et recentiorum figmentis annumerandam esse : concedamus etiam, quod inde consequitur, tabulæ de his rebus silentium Browweri aliorumque idem, quod ille, de tabulæ antiquitate statuentium sententiæ patrocinari non posse, aut pondus ullum adjicere. Nihilne propterea e tabulæ silentio, etiam universim considerato, elici poterit, quod Browweri sententiæ opituletur? minime vero : tabulæ verba sunt :* In medio vero ipsorum sancti Paulini clarissimi Trevirorum episcopi corpus est ferreis catenis suspensum, quod ibi S. Felix hujus sedis episcopus a Frigia totius regni viribus translatum III Idus Maii honorifice suspendit, qui et istud monasterium in honore sanctæ Dei Genetricis, nec non eorumdem Martyrum, construxit. *Silet ergo tabula non modo prædictas fabulas, si hoc eas nomine appellare lubet; sed silet etiam catenarum, a quibus S. Paulini tymbus pendebat, per Normannos effractionem, silet illatam ab iisdem S. Paulini ecclesiæ profanationem, non pari jure fabularum loco habendas; quas si cognitas perspectasque tabulæ auctor, cum illam adornavit, habuisset, S. Paulini corpus e ferreis catenis non suspensum esse, sed suspensum fuisse, scripsisset.*

AUCTORE J. B.

contra Hontheimium 26 *At, inquies, hunc tabulæ textum ita interpretari, salva Latinitate, licet, ut non præsentem, sed præteritum S. Paulini corporis statum denotent, quæ altera illustrissimi Honthemii responsio est. Do utique, has voces :* Suspensum est *idem valere posse, quod istæ :* Suspensum fuit. *At facile quivis etiam dabit, ubi hujusmodi verborum occurrit ambiguitas, ad rerum, et præcedentium consequentiumque sententiarum adjuncta recurrendum esse, ut, quo quid sensu dictum, scriptumve sit, intelligatur. Jam vero principio tabulæ mox hæc verba occurrunt :* In hac crypta JACENT corpora Sanctorum, secundum seculi dignitatem nobilissimorum, secundum Dei autem voluntatem Martyrum preciosorum; *quibus sane Martyrum in S. Paulini crypta tum temporis inclusorum status præsens universim designatur : igitur, cum paulo post de Trevirensium Optimatum corporibus speciatim his verbis agitur :* Quorum hic corpora
E circumcirca SUNT COLLOCATA, *status eorum verosimillime etiam præsens designatur; maxime cum de iisdem Optimatibus paulo infra hæc legantur :* Quorum hic VIDERI POSSUNT sarcofaga. *Rursum quid de anonymis Martyribus Trevirensibus tabulæ auctor scribit? quid de Palmatio? de illis quidem hæc :* Nam propter (*præter*) horum Principum corpora, innumerabilia ejusdem multitudinis corpora in hoc monasterio SUNT COMPREHENSA, *utique tunc, cum scribebat : hæc vero de Palmatio :* Is ergo, qui in dextero S. Paulini latere EST REPOSITUS, Palmatius vocabatur : *additur paulo infra :* In sinistro autem latere ipsius (*Palmatii*) qui JACET, Tyrsus vocatur. *Corporis igitur tam* S. Tyrsi, *quam S. Palmatii status præsens hic indicatur.*

propugnantur; 27 *Quod si verba hæc :* Sunt collocata, sunt comprehensa, est repositus, *quæ ab adjunctis et omni contextu separata tempus præteritum perinde atque præsens significare possunt, ex mente tamen auctoris tempus præsens significent; quid ni et illa :* In medio vero ipsorum S. Paulini.... corpus est ferreis catenis suspensum? *Accedit, tabulæ conditorem, cum de vocabulis Martyrum aureis litteris olim cryptæ parieti affixis, sed, cum scribebat, inde avulsis sermonem habet, non dicere :* In hujus cryptæ pariete CONSCRIPTA SUNT, *sed* conscripta fuerunt, *ut liquido ostendat,*
F *se non de præsenti litterarum aurearum statu agere, sed de præterito : unde conjici merito potest, pari illum ratione, si de præterito tantum S. Paulini corporis statu egisset, aliquo id saltem indicio declaraturum fuisse. Denique si in textu num.* 25 *descripto in locum verbi* est *suffeceris* fuit, *textum nativa, quam præ se fert, simplicitate spoliaveris, verborum superfluitatem quamdam (in uno eodemque textu) adstruxeris, ac tabulæ conditorem hoc modo loquentem induxeris :* In medio ipsorum S. Paulini.... corpus.... fuit suspensum, quod ibi S. Felix.... suspendit. *Quæ si ad mentem conditoris tabulæ recte posita esse, fingamus, simpliciori utique et usitatiori loquendi formula dicturum potius fuisse, crediderim :* In medio ipsorum S. Paulini.... corpus S. Felix.... suspendit, *vel* a S. Felice.... suspensum fuit. *Contra si citata tabulæ verba de præsenti corporum statu intelligantur, aberit omnis superfluitas vocum, et sua dictioni nativa simplicitas relinquetur. Quæ quidem omnia attente perpensa sic me afficiunt, ut Browweri sententiæ, secundum jam dicta acceptæ, velut præ cæteris probabiliori adhærendum putem; quamquam multis illam impugnet argumentis Honthemius, quæ dissimulare, intactave præterire non licet : sic itaque habet* § 13 *Historiæ Martyrum Trevirensium.*

argumenta vero contraria, 28 Quo minus vero, *inquit,* assentiamur prædictæ sententiæ tamquam indubitandæ (*neque ego indubitatam,*

AUCTORE J. B.

indubitatam, sed probabiliorem ceteris aio) nos movet primo ab intrinseco tabulæ passus iste : HUJUS (S. Tyrsi) ITAQUE, ET EORUM MARTYRUM VOCABULA, QUORUM HIC VIDERI POSSUNT SARCOFAGA, AUREIS LITTERIS IN HUJUS CRYPTÆ PARIETE CONSCRIPTA FUERUNT, QUÆ INDE DEVOTI, QUI (*N. B.*) TUNC ERANT, CHRISTIANI, HUC TRANSTULERUNT, QUANDO NORTMANNOS HANC URBEM, SICUT CÆTERAS UNDIQUE URBES, DEPOPULATUROS ESSE, PRÆSCIVERUNT. *Verba hæc lectori pensitanda relinquit illustrissimus auctor, sintne scriptoris, rei, quam scribit, æqualis, an ævi posterioris*, qui plumbo notavit memnosyno, non quid NUNC, sive dum ipse vivebat, sed quid TUNC, id est, tempore præterito, non A SE, sed A DEVOTIS CHRISTIANIS sit factum. *Pensitavi ego, quidque in mentem mihi venerit, lectori propono, ejusque judicio, quidquid id est, lubens committo. Qui tabulam confici jusserunt, vel, qui illam confecit, artifex, cum imminentem a Normannis cladem præsagirent quidem, utrum tamen illi superstites futuri, aut quamdiu barbarorum jugo premendi essent, ignorarent, avulsis a cryptæ S. Paulini pariete Sanctorum illic reconditorum nominibus, iisque in tabulam relatis, perituræ fortassis hac occasione Sanctorum memoriæ occurrere voluerunt : id vero efficere potuerunt duplici modo. Ac primo quidem sic, ut per tabulam ii ipsi, qui illam conficiendam curarunt, vel illius artifex, seu proprio, seu illorum nomine loquerentur.* B *Fateor, si hoc modo confecta sit tabula, auctoris æqualis opus non dici posse, nisi tabulæ verba torqueantur.*

a tabulæ textu,

29 *At reliquus est modus alter, quo condi tabula potuit; sic scilicet, ut neque tabulæ sculptor, neque qui illam sculpi jusserunt, suo nomine loqui animo intenderint, sed tantummodo monumentum aliquod superstes esse voluerint, quod, restituta temporum tranquillitate, aliquando forte repertum, Sanctorum nomina et gesta posteros, quibus tabulæ inventio olim obtingeret, per se edoceret. Quo quidem modo, si tabula, ut fieri potuit, confecta ponatur, nihil verba illa* : qui tunc erant Christiani, *continebunt, unde ab auctore, non quid sua memoria, sed quid olim contigerit, scribente profecta esse, concludas. Suspensum quidem non erat sub annum* 1072 *S. Paulini corpus, cum Martyrum nostrorum corpora inventa fuerunt : verum id in tabulam probabilius his de causis relatum fuit, tum quod tabulæ confectæ tempore suspensum adhuc esset S. Paulini corpus; tum quod illud ab eo, quem tunc habebat, situ deturbandum ignoraretur. Verbis num. superiore adductis hæc subdit Honthemius* : Sane, alioquin styli ratio postulasset, exarari sic : Hoc anno, quo præsciveramus, Normannos hanc urbem depopulaturos, transtulimus de parietibus nomina. C *Quod annum, quo translata fuerunt Martyrum nomina, spectat, is perinde tabulæ verbis determinatur, ac verbis Honthemii, utrobique nempe per annum irruptionis Normannicæ, qui fuit* 882. *Quod dici debuisset*, præsciveramus, transtulimus, *id necessario fieri debuisse non videtur, sive priori, sive posteriori modo confecta sit tabula. Non, si posteriori, ut patet : sed negue, si priori; frequentia enim sunt antiquorum monumenta, in quibus non absimilis loquendi modus apparet; maxime apud eos, qui veterum sepulcrorum inscriptiones collegerunt. En unam, quæ in S. Paulini peristyliis stetit, et ab Honthemio exhibetur parte* I *Prodromi Hist. Trev. pag.* 196. Infanti. dulcissimo. defuncto. qui. vixit. menses. v. dies. xx. pater. et. mater. piissi. fecer. *Dicit hic sculptor, non quid a se, sed a parentibus defuncti infantis factum sit; aut verius parentes ipsi per artificis scalprum, quid fecerint, dicunt, laudando etiam suam in prolem pietatem, et ita loquendo de seipsis, quasi de tertia quadam persona loquerentur : nemo tamen inde, a posterioris ævi artifice inscriptionem confectam fuisse, deducet.*

ab artificis

30 *Alterum, inquit Honthemius, tabulæ post Normannicam invasionem confectæ indicium est, fabricatoris ignorantia, qua nescivisse videtur, qui Martyrum nomina terra occulaerint; hinc, non canonicos Paulinianos, ad quos tamen id maxime pertinebat, non personam aliam nominatim expressit, sed generatim dumtaxat dixit :* Quæ inde devoti, D qui tunc erant, Christiani huc transtulerunt. *Inscriptionis num. superiore memoratæ sculptor, defuncti infantis parentes generali patris et matris nomine dumtaxat expressit; ideone, quinam fuerint, ignoravit? At canonicos Paulinianos saltem nominare debuisset. Respondeo : canonicos Paulinianos Martyrum nomina humo condidisse, et pretii majoris tum ecclesiæ, tum monasterii sui ornamenta, ne barbarorum oculis injuriisque exponerentur, occultasse, vix mihi dubium esse. At effici inde non reor, id tabulæ sculptorem ignorasse, licet* devotos *tantum*, qui tunc erant, Christianos, *non canonicos nominatim expresserit : factum enim id esse a canonicis potuit, etsi non solis, accedente nimirum tum communi civitatis jussione vel consilio, tum civium opera. Certe quid simile Gesta Trevirorum cap.* 42 *apud Calmetum his verbis innuunt :* Treberici ergo (*propinqui Normannorum adventus præscii*) inito cum sapientioribus consilio, quidquid in civitate ecclesiastici census vel ornatus fuerat, in subterraneis occulunt specubus, sarcophaga etiam Sanctorum altius terræ immergunt. *Atque hinc verisimiliter tabulæ auctor Christianos universim expressit, ne quemquam, qui ad id operis laborem consiliumve contulerat, excluderet. Addo, vix dubium esse cuiquam posse, etiam a Normannica invasione quantumvis remoto, quin* E *loci canonici ea in re partem habuerint saltem aliquam, ut adeo tabulæ confector id ignorare potuisse non videatur.*

ignorantiæ,

31 *Denique ipsos illos, quos* devotos Christianos *tabulæ sculptor nominat, Paulinianos canonicos non fuisse, certum ego præstare non ausim : mitto enim*, Christianorum *nomine olim interdum venisse, qui clericatum, aut Ordines ecclesiasticos susceperant, ut ex codice Theodosiano ad vocem* Christianus *Cangius probat; mitto, et monachos Græcis Patribus* Christianos *fuisse dictos : hæc enim nimis antiqua, parumve apta dixeris, ut eadem significatione sæculo* IX *voces illæ a tabulæ auctore usurpatæ fuisse credantur. En igitur ex eodem Cangio recentioris ævi exemplum. Veteres Annales Francorum sub initium ejusdem sæculi* IX *post Caroli Magni obitum exaratos Martenius exhibet tom. V. Collectionis veterum scriptorum, quorum auctor col.* 910 *de Willelmo comite Aniani monachum induto scribit hoc modo :* Anno DCCCVI..... Nec mora in deponendo comam passus est, quin potius die Natalis Apostolorum Petri et Pauli, auro textis depositis vestibus, Christicolarum habuit habitum, seseque Christicolarum adscisci numero quantocius congaudens efflicitur. *In usu ergo sæculo* IX *subinde fuit, ut monachi* Christicolæ *dicerentur; quid ni canonici etiam eodem sæculo* devoti Christiani *a tabulæ auctore* F *appellari potuerunt? Quod si eo nomine canonicos reipsa is intellexerit; hos non alios, quam Paulinianos fuisse, totus tabulæ contextus ostendit, quemadmodum* Christicolas *in textu mox recitato memoratos, non alios fuisse, quam Anianenses monachos, manifestum est.*

a subita Normannorum irruptione et tabulæ proli-xitate,

32 Tertio, *inquit Honthemius*, irruptio Normannica fuit REPENTINA QUÆDAM PROCELLA torrentis in modum Juliacum, Aquisgranum, Malmundarium, Prumiam, Numagam, Treviros inundans, et omnia consumens. Scimus autem IN REPENTINIS non vacare, ut tabula tam prolixa sculpatur : et quidem CUM PARERGIS PANEGYRICIS curate et meditato elaboratis..... Item CUM QUADAM REPETITIONE SATIS JAM DICTORUM. *Normannorum quidem impetum vix tantum otii relinquere potuisse, ut hujusmodi tabula tam prolixa sculperetur, lubens concessero, si is inopinatus omnino ac improvisus exstiterit : at talem non fuisse illum, vel ipsa indicant tabulæ verba;* Quando Normannos, hanc urbem sicut cæteras undique urbes, depopulaturos esse, præsciverunt : *indicant, quæ ab illis anno* 882 *jam prius patrata erant, quam Trevirensibus imminerent, nec ignorari ab his poterant : nam anno* 882, *Reginone teste, Prumiam* ipso Epiphaniæ die *ingressi, vicina omnia igne ferroque vastarunt : obiit interea rex Germaniæ Ludovicus;* quod audiens

A diens exercitus, *inquiunt Annales Fuldenses, sæculo* IX *scripti*, qui contra Normannos fuerat missus, ab expugnatione hostium desistens, infecto negotio, rediit. Quorum Normanni inde transeuntium vestigia secuti, cetera, quæ prius dimiserant, incendio cremarunt, usque ad Confluentem castellum, ubi Mosella Rhenum ingreditur. *Quid in hoc temporis articulo, in hac urbium vicinarum strage venire Trevirensibus in mentem poterat, nisi brevi in se quoque barbarorum furorem conversum iri, et jam tum rebus suis sibi mature esse consulendum? Nonis autem Aprilis Treviros ingressi sunt Normanni, ut Regino rursum ait; atque adeo non ita subito Trevirensibus tempestas illa incubuit, quin commode hujuscemodi tabula sculpi, humoque condi potuerit.*

et ab altari in cryptæ S. Paulini serius condito,

33 *Quartum argumentum, quo probare Honthemius nititur, tabulam plumbeam a Normannica invasione confectam fuisse, ita fere procedit. Qui Martyrum inventionem descripsit anonymus, refert cap.* 2, *num.* 18, *fracta S. Paulini crypta, exiguæ molis altare fuisse repertum, quod S. Paulini sarcophago non suspenso, sed jam humi depresso compactum erat : unde consequi apparet, a Normannica invasione id ibi fuisse exstructum. Neque vero id inde dumtaxat apparet, verum etiam ex eo, quod repentina Trevirensium consternatio altaris con-*

B *structionem non patiebatur, qua prodita potius Normannis, quam occultata fuisset corporum ibi latentium sanctitas. Cum igitur præterea dicat idem anonymus, sub illo altari tabulam plumbeam humi olim defossam, ibi pariter sua ætate fuisse repertam; videtur et ipsa a Normannica invasione confecta, et eo loci recondita, quamquam determinate dici nequeat, quot a Normannorum incursione tum temporis anni effluxerint. Fuerint igitur anno* 882 *humi quidem defossa Sanctorum nomina; at serius tabula plumbea, cum scilicet Trevirensibus condendis hujusmodi tabulæ et altari majus otium suppetebat. Ita, inquam, fere habet quartum contra assertam a Browero tabulæ ætatem Honthemii argumentum; quo quidem recte probari existimo, altare illud post Normannicam invasionem fuisse erectum, modo diu post id factum esse, non dicatur ob dicta num.* 24 : *quod vero contendit præterea, nempe anno* 882 *translata quidem fuisse Sanctorum nomina; serius tamen tabulam plumbeam confectam et in crypta S. Paulini defossam, mihi non perinde probatur, et his quidem de causis; quod contrarium innuere videantur hæc tabulæ verba :* In medio vero ipsorum S. Paulini corpus.... EST ferreis catenis SUSPENSUM, *ut num.* 26 *dixi; quod nulla memorati altaris in tabula mentio*

C *fiat; denique quod æque proclive Trevirensibus fuerit tabulæ haud ita pridem defossæ, quam recens conditæ altare superstruere.*

petita solvuntur.

34 *Sæculo igitur* IX *verosimilius tabula confecta fuit; at cum vel sic a Trevirensium Martyrum ætate intervallo satis longo remota sit, reliquum est, ut, quam fidem tabulæ conditor secutus sit, indagemus; quod Honthemius Hist. Mart. Trevirensium* § 14 *facit : hanc porro invenire, haud operosum est, cum litteras aureas cryptæ parieti ante invasionem Normannicam inscriptas vel potius forsan appensas vel ipse tabulæ conditor citet. Quis litteras illas aureas cryptæ parieti seu inscribi, seu appendi jusserit, neque ille edicit, neque aliunde compertum habetur : ut adeo earum ætas ignoretur; quamquam ab immemorabili tempore ante invasionem Normannicam illic exstitisse potuerint. Earum conservationem Fridericus, S. Paulini Præpositus, S. Felicis, qui sub finem sæculi* IV *Trevirenses infulas gessit, adscribit industriæ; nempe quod is SS. Martyrum nomina cryptæ parieti affigi jusserit, quæ dein in tabulam plumbeam relata, ac postmodum inventa subsequentium ætatum notitiæ conservata fuerunt. Scriptorem veterem, quem in dicti sui testem adduceret, Fridericus non habuit; nec tamen ejus conjectura omni verisimilitudine destituta est : si enim verum est, a S. Felice collectas fuisse, sparsas per campum Martium hac illac SS. Martyrum reliquias, et S. Paulini templo illatas; nec ab omni verisimilitudine alienum erit, id illi curæ etiam fuisse, ut eorum memoria quam diutissime conservaretur, ac propterea eorum nomina sive parieti inscribi, sive in tabula parieti appensa exarari jussisse. Sed de his plura* § 6.

AUCTORE J. B.

§ III. Variæ tabulæ assertiones, falsi suspectæ, examinantur.

Tabula falsi ex eo,

Non sola tabulæ ætas, a Browero asserta, falsi suspecta est Honthemio, sed et variæ ipsius tabulæ assertiones; qualis in primis est, quæ his verbis exprimitur : Qui (*S. Feliæ*) et istud monasterium (*hoc nomine templum S. Paulini etiam venit*) in honore S. Dei Genetricis, nec non eorumdem Martyrum, construxit. *Templi hujus multis meminit Honthemius quatuor prioribus suæ de Martyribus Trevirensibus Historiæ paragraphis. Scrupulum porro ei movet, quod hinc a S. Felice Trevirensium episcopo conditum illud, legat; illinc vero, S. Bonosium ejusdem sedis episcopum jam tum a morte sua in eodem templo sepultum, Browerus scribat lib.* IV, *num.* 164; *quæ quidem sibi mutuo cohærere non possunt : obiit enim S. Bonosius sub annum* 375, *Bonosium Britto seu Britonius excepit : post quem S. Felix Trevirensi cathedræ admotus est. Sic habet : Si conditum primo a S. Felice templum, quod modo* E *fere S. Paulini audit, condi in illo non potuit a morte sua Bonosius : at vereor aliunde, ne Honthemio Browerus dixisse visus sit, quod reipsa non dicit. Broweri verba huc transcribo :* Tametsi vero pontificatus Bonosii nulla sit litterarum memoria consignatus, eum tamen inter confessores asscriptum, septimo decimo Februarii non silent Martyrologia : et in beati Paulini æde, sub ara S. Clementis, ubi ejus in martyrologio seu confessione sunt reconditi cineres, talis admodum epigraphe legitur : HIC SITUS EST BONÆ MEMORIÆ BONOSIUS, TREVIRORUM ARCHIEPISCOPUS, CUJUS AB HOC MUNDO TRANSITUS XIII KAL. MAR. CELEBRATUR.

quod a S. Felice

36 *His verbis quidem Browerus ait, S. Bonosii cineres in S. Paulini æde esse reconditos; at quando illuc illati fuerint, num mox ab illius obitu, num postmodum, non edicit : nec refert, memoratam epigraphen a Browero recitari, quippe cujus pariter ætatem silet : sane vel sola vox* archiepiscopus *illi inserta monere Brouwerum poterat, diu post Bonosii obitum fuisse compositam : cum vox illa longe post illius tempora cœperit in usu esse. Aliunde igitur, inquies, Bonosii reliquiæ in S. Paulini templum aliquando translatæ fuerunt. Ita se res verisimiliter habet, ac tum forte, cum illa epigraphe confecta est : cum vox* archiepiscopus *jam usu recepta esset : cum* F *dies quidem obitus S. Bonosii adhuc esset exploratus, at non annus, quem reticet epigraphe, id est, diu post S. Bonosium e vivis ereptum. Atqui, inquies denuo, nulla translationis hujusmodi memoria superest. Esto : nihilo tamen minus contigisse illa potuit : ut multa gessisse Bonosium, verosimillimum est, quorum tamen hac nostra tempestate ob antiquorum monumentorum inopiam vel nulla, vel tenuis admodum memoria superest. Ad eumdem fere modum, quo Brouwerus, loquitur Fridericus Præpositus de Constantio Chloro in S. Paulini æde recondito, et ante hunc Gesta Trevirorum, quæ illum Eboraci defunctum et Treviros translatum, non in S. Paulini æde, sed in campo Martio sepultum scribunt. Sed hoc inter fabulas refero, nec aliunde manasse videtur, quam ex epitaphio, nescio quo, Trevirensi ad translationem illam persuadendam parum idoneo; ita habet :* Elius Constantius, vir consularis, Comes et Magister utriusque militiæ, atque patritius, et secundo consul ordinarius. *Non secundum, sed sextum consul processit Constantius, nec consul modo, sed augustus etiam, Eboraci e vita discessit; ut alius omnino fuerit, cujus laudatum epitaphium meminit. De Constantii sepultura vide Alfordum ad annum* 306. *Hactenus igitur de condita per S. Felicem S. Paulini ecclesia scrupulus contemni potest. Sed non hic sistit Honthemius.*

37 Accedit,

AUCTORE J. B.

S. Paulini templum constructum, dicat,

37 Accedit, *inquit,* quod S. Felix turbulentis illis temporibus Maximi tyranni, et Priscillianistarum hæreticorum.... tunc tantum otii, et subsidii vix habuerit, ut augustam basilicam (erat quippe CCCCX pedes longa, CXX lata) cum tantæ capacitatis monasterio, tam brevi tempore construxisset. Debuerat autem hoc monasterium jam fuisse constructum, quando Felix illuc, abdicato episcopatu, solitarius secessit. Vix est, ut jam sub Maximo (*S. Paulini ecclesiam*) ædificaverit Felix. *Trevirensis episcopus ordinatus est Feliæ in synodo Trevirensi, anno 386 celebrata : quo Priscillianus ejusque sequaces aut capitis damnati sunt, aut in exsilium pulsi. Anno 387 Maximus contra Valentinianum cum exercitu profectus est; anno vero sequenti haud procul Aquileia a Theodosio vita simul et imperio exutus est. Nihil horum prope Trevirim contigit : potuit igitur Maximi tempore opus suum saltem inchoare, si non perficere. At, inquies cum Honthemio, quo tempore alibi Maximo cum Theodosio res erat, eodem quoque Franci Theodosii duces prope Trevirim oppugnavere, imo et insigni clade affecere, auctore Sigeberto ad annum 388, nec, durante hoc bello Francico, S. Paulini ecclesiam conditam fuisse, verosimile est. Do istud quidem, at cum id annum fortasse non excesserit (sequenti enim anno pax cum Francis inita*

B *est) potuit S. Felicis opus jam ante fortassis cœptum, sæviente bello Francico, suspendi, et, inita pace, deinde ad umbilicum adduci.*

non convincitur :

38 *Sed ne minutiis hisce immoremur, concedamus etiam, non ante initam cum Francis pacem S. Paulini ecclesiam condi cœptam : inita saltem pace, inchoari potuisse, non negat Honthemius.* At quis non videt, *inquit,* spatii annorum exiguitatem pro construendo monasterio cum basilica, in quam operosam structuram Mss. nostra dicunt INFINITAS et PENE IMMENSAS expensas factas fuisse? *Pauci sane sunt anni ab anno 389 usque ad Valentiniani obitum, quippe qui anno 392 occisus sit : sed ab anno 389 usque ad annum 397 satis multi, si numerum spectes, iique Trevirensibus satis pacati, ut construi interim potuerit S. Paulini tum ecclesia, tum monasterium. Pax anno 389 Romanos inter et Francos inviolata permansit usque ad annum 392 tempore hiemis, quo Francorum finibus arma intulit Arbogastus; sed mox redintegrata fuit, adeo ut Eugenio, qui, Valentiniano occiso, tyrannidem occupaverat, Franci adversus Theodosium militarint; Eugenio vero pariter e vivis sublato, Theodosii castra secuti sunt, dum tandem Marcomeres et Sunno pacis fœdera sub annum 397 rumpere voluerunt, sed alter eorum in Hetruriam exsul missus est; alter vero ultionem in Romanos parans suorum manibus*

C *periit. Atqui ante annum 397 concilium Taurinense celebratum non fuit, nec sedi suæ nuntium remisit S. Felix; nihil igitur impedit, quo minus anno 397 vel etiam serius in conditum a se S. Paulini monasterium sese abdiderit. Expensas quidem infinitas et immensas id ædificium absorbuisse, recentiores aiunt, sed qui earum computum non viderunt.*

neque ex eo, quod Agauni legionem Thebæam

39 *Non est igitur hactenus, unde falsi damnetur tabula, cum ait, S. Paulini ecclesiam a S. Felice fuisse constructam; ceteras ejus assertiones fusius impugnat Honthemius Historiæ Martyrum Trevirensium* § 15. Rictiovarus, Maximiani imperatoris præfectus, legionem Thebæam jussu ipsius, circumquaque persecutus, hanc etiam urbem propter ipsos est ingressus : quorum innumeros cum hic occidisset *etc., inquit tabula paulo post initium. Quid ita? Nonne integra Thebæorum legio a Maximiano apud Agaunum internecioni data? Minime, si tabulam audias. Num igitur Thebæi omnes, qui protalibus habentur a Pedemontanis, Bonnensibus, Colonienses, Xantensibus? Id quidem tabula neque negat, neque affirmat; non omnes tamen Thebæos Agauni occubuisse, aperte ait; quo loco, quo numero, tacet. Id autem ego falsum præstare non ausim : etenim fieri facile potuit, ut Maximianus legionis quidem Thebææ partem maximam secum esse jusserit, reliquam vero hinc inde distraxerit, vel ideo forte, quod ad hunc modum facilius ac securius The-* D *bæos perdendo esset, nisi suis imperiis obtemperantes haberet. Atqui, inquies, hisce reclamant Martyrum Agaunensium Acta a S. Eucherio sæculo* V *conscripta, quo nondum rei gestæ memoriam oblivio interceperat; et proin quibusvis monumentis Trevirensium Martyrum Historiæ militantibus potiora. Sic enim habent :* Cum hæc talia Maximianus audisset, obstinatosque in fide Christi cerneret animos Virorum, desperans gloriosam eorum constantiam posse revocari una sententia interfici OMNES decrevit, et rem confici circumfusis militum agminibus jubet. *Præterea secundum Acta eadem in exercitu Maximiani Thebæa legio erat, nec dici potest, aliquot inde cohortes, sive ante, sive post S. Mauritii martyrium, sive cum legionem Maximianus aggrederetur, discessisse. Denique legio tum temporis, ul laudata Acta habent, sex millia ac sexcentos viros in armis numerabat. Hinc subtrahe Thebæos innumeros, Treviris passos, Pedemontanos, Colonienses, aliosque, viæ aut ne viæ quidem reliqui fient, qui Agaunensem campum suo sanguine decorarint.*

occisam, dicat S. Eucherius,

40 *At non inepte responderi potest, Eucherio, cum* omnes *Thebæos Martyres aut* legionem Thebæam *a Maximiano interfici jussos scribit, sermonem dumtaxat fuisse de maxima legionis illius parte, quæ tum in Maximiani castris versabatur, non de* E *iis, qui aliis sparsim morabantur in locis; quosque dein ministrorum suorum manu jussit occidi, ubicumque gentium essent. Et vero Eucherium, quamquam* omnes *Thebæos capitis sententiæ a Maximiano addictos dicat, inficiari tamen noluisse, quosdam ex illis alibi, quam Agauni passos esse, argumento est, quod Victorem et Ursum Soloduri parem martyrii sortem subiisse, memoret. Quæ de Victore et Urso scribit,* fama confirmante, *didicerat; eorum vero, qui Agauni occubuerunt, nomina dumtaxat pauca tenebat e multis; reliquorum nomina libro Vitæ inscripta esse, aiebat; quibus quidem prodit Eucherius, sibi cognitum non omni ex parte fuisse, quidquid ad legionis Thebææ Historiam pertinebat : si tam pauca eorum, qui Agauni occubuerant, et reliquos nominis sui celebritate facile superabant, nomina norat Eucherius; quid impedit, quo minus alios, locis procul Agauno dissitis passos, vel ignorarit, vel minus saltem cognitos habuerit, illosque propterea memorare prætermiserit? Denique quis certo edicat, S. Eucherium, posteaquam de Agaunensibus dixerat :* Hæc nobis tantum de numero illo Martyrum comperta sunt nomina, id est, beatissimorum Mauricii, Exuperii, Candidi atque Victoris : cetera vero nobis quidem incognita, sed in libro Vitæ scripta sunt; *mox studiose non subdidisse :* Ex hac eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus et Victor, quos Salodoro passos, fama confirmat, *ut SS. Ursi et Victoris exemplo lectorem, non omnes Thebæos Agauni occubuisse, submoneret?* F

potuerunt enim cohortes illius aliquot

41 *Neque vero tabulam magis premit, quod porro Honthemius addit, dici nempe non posse, aliquot cohortes sive ante, sive post, sive in ipsa Mauricii sociorumque cæde a legione Thebæa discessisse : dici enim, nec sine verisimilitudine, potest ante Mauricii cædem aliquot cohortes a legionis Thebææ corpore vel ipsius Maximiani jussu fuisse divulsas, ob dicta num. 39. Sane, Eucherio teste, eodem tempore, quo in Maximiani exercitu legio Thebæa erat, veri Numinis cultores,* sparsis usquequaque militum turmis vel ad supplicia vel ad necem rapiebantur; *cur igitur verisimile non fiat, et e legione Thebæa turmas aliquot versus Mosellam et Rhenum persequendis Christianis Maximianum direxisse? Sic Ado ad diem 10 Octobris ait, S. Gereonem et Socios Maximiani jussu in Gallias transiisse, et circa Rheni littora consedisse, ut sui temporis fama ferebat. Dici dein etiam potest, Trevirenses Martyres e Maximiani exercitu se quidem prius subduxisse, quam Mauritius occisus est, posteaquam tamen, aut sibi moriendum, aut impiis Maximiani jussis parendum, audierant. Id sane de SS. Ursu et Victore ad diem*

A 30 *Septembris scribere non timuit Ado :* In Galliis castro Solodoro, *inquit,* quod est super Arolam fluvium, passio SS. martyrum Victoris et Ursi, ex gloriosa legione Thebæorum, qui, cum illuc furorem Maximiani declinantes secessissent *etc. Atqui, inquies, piaculum erat, contra militare sacramentum a signis abire, nec credibile est, mortis metu id* S. Tyrsum *Sociosque fecisse. Respondeo : si dederis reipsa,* S. Tyrsum *ejusque Socios ab exercitu Maximiani aufugisse ; id ipsos nec illicite, nec mortis metu fecisse : non illicite; in eo enim erant rerum articulo constituti, ut, nisi per summum crimen aut vivere, aut in castris permanere non possent. Sacramentum Maximiano dixerant; at illo Maximianus jus non acquisiverat, aut illos injuste tollendi e medio, aut quævis crimina injungendi. Nec, si fugerint, id mortis metu, sed criminis vitandi causa fecere; quod utique deinde, cum a Rictio Varo Treviris comprehensi sunt, luculentissime fecere testatum; ubi si impiis Maximiani jussis parere voluissent, vita illorum in vado erat : sed mori potius, quam vel idolorum adoratione, vel scelerata Christiani sanguinis effusione Deum offendere maluerunt.*

ante Agaunensium cædem in Gallias missi,

B 42 *Quod si nihilominus a* S. Tyrsi *Sociorumque fortitudine alienum appareat, cuipiam, ut a legione sua contra militare sacramentum et absque Maximiani venia, ne idolis sacrificare cogerentur, abierint; is Acta SS. Martyrum discutiat, nec dubito, quin hujusmodi exempla sufficienti numero sit reperturus, ut id quoque a* S. Tyrso *fieri potuisse, existimet. In Actis Martyrum sinceris a Ruinartio editis pag.* 311 *S. Gordium martyrem reperiet, qui, cum videret, quanta Cæsareæ Christianorum strages ederetur, Basilio Magno teste, baltheum militare abjecit, et ad invia hominibus loca sese proripuit. Fateor quidem, illum postmodum in arenam ultro descendisse ; sed tantum abest, ut prius illud factum fortitudine Martyris indignum esse, Basilius arbitratus sit, ut illam etiam inde laudarit. Audi Basilium num.* 3 : Hæc igitur exempla crudelia cum centurio generosus conspiceret, judiciorum necessitatem præveniens, abjecto militiæ baltheo, sponte sibi exsilium delegit. *Quid quod ex ipsa legione Thebæa SS. Victor et Ursus ab Eucherio memorati e Maximiani castris clam Solodorum profugerint, ut eorum Acta ad diem* 30 *Septembris referunt? quæ, quamquam haud adeo probatæ sint fidei, tamen ex hoc capite ab eruditis improbari, non video. Majori quidem laude* Tyrsus *abundasset, si citra fugam martyrium subiisset, illa tamen ipsa (si vere illam iniit) sua laude non caret.* Primus est victoriæ titulus, *inquit S. Cyprianus de Lapsis,*

C gentilium manibus apprehensum, Dominum confiteri; secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione Domino reservari.

salvis S. Eucherii verbis :

43 *Quod autem ad numerum Thebæorum Martyrum attinet, nihil de Coloniensibus, Xantensibus, aliisque tabulam meminisse, jam diximus : dum autem innumeros Thebæos Treviris passos, ait, nemo unus non videt, plus illa dici, quam rei veritas concedat; nisi vocentur innumeri eam solum ob causam, quod eorum numerus definite cognitus haud habeatur, quod verissimum est : sin aliter, Honthemio prorsus assentior: Cohortem unam Treviris cæsam, censet Browerus lib.* III, *num.* 74. *Quare si* 6600 *milites legionem constituebant, ut Eucherius tradit, atque Broweri dictis insistamus, circiter* 660 *Thebæos Treviris passos, necesse est; quibus si circiter* 681, *alibi etiam quam Agauni passos, quos Josephus de L'isle Historiæ legionis Thebææ cap.* 10 *et duobus seqq. undequaque collegit, adjicias, summa martyrum Thebæorum alibi, quam Agauni passorum erit* 1341 : *hæc porro si e* 6600 *subtrahatur, reliqui fient Martyres* 5259, *qui Agauni martyrium consummarint : ut adeo vereri minime debeamus, ne martyrum Agaunensium numerus, nimia alibi passorum multitudine exhauriatur; modo sano sensu innumera illa multitudo, quæ Treviris passa dicitur in tabula, accipiatur. Non inficior quidem, plures passim in Martyrologiis Agauno martyres assignari;*

sed hæc numerum militum potius, quo legio ex Romanorum instituto constare fere solebat, quam numerum martyrum Agaunensium determinarunt, et hunc ex illo æstimarunt; nec martyres variis locis cæsi tanto forsan numero fuere, quanto in hoc calculo fuisse, ponuntur. Progredimur alio. AUCTORE J. B.

44 Cæsis die 4 Octobris Thebæis militibus, postero Rictius Varus in Optimates Trevirenses sæviit; hos inter emicuit, tabulæ testimonio, Palmatius, civitatis consul et patricius : movit Tillemontio scrupulum adscripta Palmatio dignitas consularis. Consulis et patricii notæ, *inquit tom. IV Monumentorum ecclesiasticorum de S. Dionysio Parisiensi art.* 8, quæ Palmatio tribuuntur, dumtaxat indicant, fuisse illum magistratus principem, et illustri apud Trevirenses loco natum. Quod iis discutiendum relinquo, qui norunt, uterenturne hujusmodi titulis coloniarum liberarumque civitatum magistratus. *Confidenter tamen, Palmatium consulem salutari posse, Browerus affirmat, nixus hoc Ausonii carmine :* *neque e consulatu*

Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in hac sum,
Consul in ambabus.

Nihil ad Ausonium Tillemontius : Browerum Honthemius sequitur, additque : Nihil est contra Romanam historiam, fuisse in coloniis et liberis civitatibus, consules ac senatum, sicut Romæ. Videat. E Dempsterus Antiqu. Rom. lib. x, pag. m. 1605. lit. c. Quo eodem teste cap. 24. Tusculi et dictator et consul fuisse dicitur. Certe Triviris non erat simplex municipium, sed spectabilis colonia, fœderata et libera civitas : neque dubitandum, quin fuerint tunc in ea duumviri consulari potestate : hos autem, constat, usos esse prætexta, et fascibus et nomine consulum, ad imitationem Romanorum.

S. Palmatio in tabula adscripto,

45 Falsi itaque non convincitur tabula ex eo, quod Palmatium consulem Trevirensem dixerit : sed hinc alia difficultas enascitur, quam quidem Browerus attigit; at, Honthemii sententia, non dissolvit. Suis hunc verbis loquentem accipe : Quod altero mox die occisus sit S. Palmatius cum duodecim viris consularibus, mirandum, et merito a jurisconsultis obmotum Historiæ; an præses vel præfectus apud Romanos id mox præsumpsisse, censendus sit, cum per leges, inconsulto principe, non licuerit. L. 9. § II. L. 13. ff. de Pœnis. L. 4. et 33 cod. de Decurionibus. Mandatum Maximiani ad Rictiovarum comprehendisse videtur solos Thebæos, dicente tabula : Propter ipsos ingressus est urbem. Emerserunt alii Christiani, et inter hos viri, quantum ad capitis sententiam privilegiati : Maximianus, non ita remotus, consuli poterat : nihilominus eos cædi protinus jussit Rictiovarus. F *Difficultati huic Browerus lib.* III, *num.* 79 *sic obviam iverat :* Quod vero jurisconsulti produnt, ex decurionum ordine, senatu aut curia coloniæ, neminem graviore pœna affici, nedum capite puniri potuisse, in causa majestatis et religionis non profecisse viris amplissimis, multa docent. Quin et leges hic, non privilegia valebant, pœnæque spectabiles, quas recentiorum edictorum accendebat atrocitas.

aut senatorum privilegio,

46 Senatorii ordinis viros, inconsultis augustis, capitis damnare, imo et quæstioni subjicere, nefas fuisse, variis ex legibus patet : crimina tamen quædam excepta fuisse, docet lex 1 *de Quæstionibus :* Excepta tamen (*verba legis sunt*) majestatis causa, in qua sola omnibus æqua conditio est. *Docet et Ammianus lib.* XIX *cap.* 12, Ubi majestas pulsata defenditur, a quæstionibus vel cruentis nullam Corneliæ leges exemere fortunam. *Hinc porro factum, ut senatores imminutæ majestatis rei non raro agerentur, quos perdere, præfectis, præsidibusve decretum erat. Maximinum quemdam, annonæ sub Valentiniano præfectum, lib.* XXVIII *cap.* 1 *Ammianus perstringit; quod simili fraude in judiciis uteretur.* His ille (*Maximinus*) cognitis efferatus, ut erat vitiorum inimicus acer magis, quam severus, uno proposito in hujusmodi causas, quas arrogan-

AUCTORE J. B.

ter proposito majestatis imminutæ miscebat, omnes, quos juris prisci justitia, divorumque arbitria quæstionibus exemere cruentis, si postulasset negotium, statuit tormentis affligi. *Num sanctius hæ leges Maximiani tempore, quam Valentiniani observatæ fuere? Quo loco senatores Maximianus habuerit, e Lactantio de Mortibus persecutorum cap.* 8 *audi :* Et cum opus esset (*Maximiano opibus*) non deerant locupletissimi senatores, qui subornatis indiciis, affectasse imperium dicerentur, ita ut effoderentur assidue lumina senatus. *Quod si Senatorum Christianorum ab Augustorum ministris occisorum exempla quærimus, ne a Maximiani tempore longius abeamus, Asterium senatorem Romanum et imperatoribus unice charum, ut Eusebius ait, sub annum* 270 *Cæsareæ in Palestina Acheus judex jussit occidi; vide tom. I Martii pag.* 224. *Synnadis in Phrygia Dorymedon senator, quod diis sacrificare nollet, sub annum* 277 *vitam perdidit, de quo in Actis nostris ad diem* 19 *Septembris. Mirum itaque videri non debet, si Treviris, absente Maximiano, in Christianos senatores sævierit Rictius Varus, quem utique non latebat, Maximianum,* impietatem suam (*ut S. Eucherii verbis utar*) ad exstinguendum Christianitatis nomen armasse; *et a quo id ipsum in mandatis habebat, licet solos Thebæos*

B *tabula exprimat, ut multorum martyrum sanguis, quem per Gallias effudit, luculenter ostendit.*

quo hos, inconsulto Augusto, nefas erat occidere :

47 *Porro senatus duplicis generis fuit :* Major Romæ, *inquit Bulengerus de Imperio Romano lib.* III *cap.* 10, minor decurionum, in aliis urbibus. Senatores item duorum generum erant, senatores Urbis, qui et senatores populi Romani dicuntur. Alii senatores (*quibus adeo Trevirenses annumerandi*) in municipiis, curiales, quorum cœtus, minor senatus nuncupatur. *Sua utrisque privilegia fuere, sed neutris semper salva : id variis exemplis de decurionibus docet Gothofredus in Commentario ad legem* 10 *de* Decurionibus, *ubi, præter alia, hæc habet :* Ex hac interim quoque lege apparet, immunitatem hanc decurionum (*a quæstionibus*) ab impotenti judicum animo sæpe labefactatam; quod etiam ostendit l. 47, 80, 85 inf. et l. 2 sup. de Quæstionibus, imo et tertius ille Libanii locus, διὰ κακίαν, inquit, ἀρχόντων : quare necesse subinde fuit, huic rei modum imponi, impotenti videlicet judicum animo in ordinem et curiarum ignominiam tendentium : quod etiam apud Ammianum loco non uno videre est. *Si evagata sæpe fuit, protrita legum auctoritate, judicum impotentia, tum certe maxime, cum ipsis per imperatores Christiano nomini infensissimos Christi gregem per-*

C *sequi, tutum erat. Diocletianus, Maximianus uterque, id est tum Herculius, tum Galerius, ejusdem fere farinæ homines erant. Cum ad persequendos Christianos animum adjecit Diocletianus, decrevit,* ut religionis illius (*Christianæ*) homines omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent, quocumque ordine aut gradu venirent. Torquebantur *a Maximiano Galerio,* non decuriones modo, sed primores etiam civitatum, egregii ac perfectissimi viri, et quidem in causis levibus atque civilibus, *teste Lactantio de Mortibus persecutorum cap.* 15 *et* 21. *An similia Herculium, cum* interfecti sunt martyrum populi, *cum* impietatem suam ad exstinguendum Christianitatis nomen armaverat, *cum* velut vacatione barbaris gentibus data, prorsus in religionem arma commoverat, *fecisse mirabimur?*

nec denique ex iis, quæ de missis aliunde Treviros Christianis Baronius habet.

48 *En alterum illustrissimi Honthemii scrupulum : Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander et Soter, ut tabula dicit, eodem die, quo Palmatius, Hormisda, Papirius, Constans et Jovianus martyrium subiere : Baronius tamen hos ad diem* 3 *Octobris, illos ad diem* 12 *Decembris consignavit. Mirum sane est, Baronium priores Martyres ad diem* 12 *Decembris retulisse : quæ enim citat seu monumenta seu auctores, nempe Mss. vetera, tabulas ecclesiæ Trevirensis, Sigebertum, Molanum, de illis nihil hujuscemodi habent. Fortasse Maxentium ceterosque cum illo mox memoratos ad diem* 12 *Decembris distraxit, non quod illo die pas-* D *sos fuisse, invenerit; sed pro arbitrio, quod existimaret, Trevirenses Martyres temporibus interruptis e medio fuisse sublatos : tomo enim* 2 *Annalium ecclesiasticorum ad annum* 303 *num.* 124 *de Martyribus in Galliis sub Diocletiano et Maximiano passis agens, hæc scribit :* Sed Treviris potissimum constitutus erat hujus certaminis campus; ibi enim cum Galliarum præfectus Rictiovarus plurimum temporis in præfectura ageret, ingens numerus ex diversis partibus ad eum a Magistratibus mittebatur : *unde verisimile est, Baronium, sicut varios martyres variis temporibus Treviros ad Rictium Varum fuisse adductos putavit, ita et variis temporibus passos credidisse. Sic itaque facti rationem aliquam reperimus; sed quam auctoritatem hic Baronius sit secutus, non videmus, reclamantibus interim Trevirensibus Mss. et tabulis, nec id Sigeberto aut Molano tradente; et proinde non est, cur a Baroniana conjectura potius, quam a tabulæ auctoritate stare debeamus.*

§ IV. Num tabula Christianorum Treviris sub finem sæculi tertii statui repugnet, examinatur.

E *Multitudinem aliquam Christianorum,*

Quid de Martyribus Thebæis, quid de senatoribus Trevirensibus tabula plumbea continuerit, jam vidimus : his addit Rictium Varum die tertio ab ingressu suo in plebem utriusque sexus *sævisse; quibus verbis, cum eo die multitudinem aliquam Christianorum Treviris cæsam, significare videatur, hinc recentioribus sæculis credi, et in tabulas ecclesiasticas referri cœptum est, innumeram civium Trevirensium die* 6 *Octobris martyrium Treviris consummasse, quam quidem opinionem Honthemius* § 17 *Historiæ Martyrum Trevirensium jam sæpius laudatæ convellere nititur.* Ceterum, *inquit,* innumerabilitati Christianorum Trevericorum jam an. 286 passorum gravissima obstant argumenta, quæ late deduximus Dissert. nostra DE STATU REI CHRISTIANÆ IN TREV. ANTE CONSTANTINUM M. CAP. IV. Quo loco inter cetera diximus, non parum mirandum, quod nullus episcopus, nullus sacerdos, nullus diaconus, sed nec ullus lector, aut minimus de clero memoretur his innumerabilibus fuisse compassus, cum tamen innumerabilis ecclesia sine talibus nulla fuerit. *Scilicet secundum Honthemium neque sub Maximiano, neque sub Constantio Chloro, cui ab anno* 292 *Galliæ administrandæ obtigerunt, is fuit Christianæ fidei Treviris status, ut tanta illic fidelium multitudo reperiretur.*

F *vel sub Maximiano in Galliis agente,*

50 *Non sub Maximiano : ab anno enim* 285 *Maximianus, vir ingenio ferocissimo, et iniquissimo in Christianos animo Treviris multum diuque versatus et est, idola impense coluit, quod Mamertinus in Panegyri eidem Maximiano Treviris dicta his verbis tradit:* Rursus ex acie cum triumpho rediisti, totamque hanc urbem repentina tua in hostes irruptione sollicitam, lætitia et exultatione, et aris flagrantibus et sacrificiis et accensis odoribus nomini tuo, implesti. Ita utroque illius tempore bis divina res pari religione celebrata est : Jovi dum pro futuris vovetur : tibi, dum pro victoria solvitur. Ex quibus, *inquit illustrissimus Honthemius,* recte concludunt hagiographi Antverpienses tom. IV Septembris pag. 377, hunc imperatorem numquam passurum fuisse, ut Christiani Treviris aperte ac publice fidem suam profiterentur. Cumque Maximianus in Galliis et pro majori parte Treviris hæsisse dicatur usque ad annum circiter 292, pronum est judicare, haud numerosum hactenus fuisse in Treviris fidelium gregem. *Addi potest, non Maximianum modo, sed Trevirensem etiam civitatem ut idolis deditam Mamertini verbis depingi; atque adeo verosimile non esse, illic versante Maximiano, fuisse innumeros, qui Christiana sacra seu publice seu occulte sequerentur.*

51 *Non sub Constantio Chloro : etsi enim is æquo benignoque*

A *benignoque fuerit in Christianos animo, et, Eusebio teste, plures eorum, interque illos etiam sacerdotes rebus divinis in palatio suo operantes habuerit; in plebe tamen et apud populum ne nomen quidem Christianorum proferre licuit. Postquam enim Eusebius lib.* I *de vita Constantini cap.* 17 *dixerat :* Ad hunc igitur modum toto imperii sui tempore, quod æquabile perpetuo ac placidum fuit, universam familiam, conjugem scilicet ac liberos, cum omnibus ministris uni omnium regi Deo (*Constantius*) consecravit : adeo ut multitudo eorum, qui in ipsius palatio simul versabantur, nulla re ab ecclesia Dei differret : inter quos etiam erant ministri Dei, qui continuis precationibus pro salute principis Deum venerabantur ; *mox ista subjecit :* Ὅτε παρὰ τοῖς πολλοῖς οὐδὲ μέχρι ψιλοῦ ῥήματος τὸ τῶν Θεοσεβῶν χρηματίζειν συνεχωρεῖτο γένος. *Quæ ad hunc modum vertenda Honthemius autumat :* Cum tamen in plebe ne ipsum quidem Dei cultorum nomen proferre fas esset. *Hinc Perierus tom. IV Septembris pag.* 378, *num.* 122 *asserenti, latissimum sub Constantio Chloro fidei propagandæ campum patuisse, non prorsus assentitur.*

vel sub Constantio fuisse, tabula innuit;

quæ Trevirensium

32 *Cui anno Martyrum Agaunensium, atque adeo et Trevirensium determinate Passio illiganda sit, versatur in dubio. Multorum opinio est, id anno* 286 B *accidisse; quod si tamquam verum assumere placeat, duplicem Christianorum Trevirensium classem distinguere possumus, alteram eorum, qui ante annum* 286, *seu ante Maximiani persecutionem conversi sunt et anno* 286 *occisi; alteram eorum, qui, sive ante, sive post reliquorum cædem conversi, usque ad annum* 292 *fuere superstites. Hos quidem numero admodum paucos fuisse, verosimillimum facit Maximiani assidue illic versantis in Christianos atrocitas, ut merito Perierus dixerit num.* 115 *Commentarii, qui de S. Materno est,* paucos admodum sub annum 288 Treviris exstitisse Christianos. *At si de illis agitur, qui ante Maximiani imperium ibidem exstiterunt, et hos fuisse numero admodum paucos, non æque mihi sit verosimile: Tantam quidem fuisse tum Treviris Christiana instituta profitentium multitudinem, ut populum constituerint innumerum, nec ego existimem : quid tamen obsit, quo minus aliquam saltem multitudinem Christianorum, quorum aliqui Christi nomen publice, alii occulte professi sint, admittamus?*

sub Maximiano statui

33 *S. Agritius, Trevirensis episcopus, concilio Arelatensi anno* 314 *subscriptus legitur : ante hunc Trevirensibus præfuere SS. Eucharius, Valerius, Maternus, quorum singulis, si* 12 *vel* 14 *annos regiminis concedas, annis saltem aliquot, antequam Maximianus ad imperium eveheretur, prædicari* C *cœperit Trevirensibus Catholica fides, quod forte contigit circa medium sæculum* III. *Quid ni eo temporis spatio, Catholicæ veritati manus dederit multitudo qualiscumque gentilium, etsi non tanta, quantam adstruit vulgaris opinio? Christianorum persecutiones fidelium numerum non raro augebant, nedum minuebant; nec illæ fuere adeo continuæ, quin pacatiora subinde affulserint temporum intervalla, fidei propagandæ utcumque accommodata. Capto circa annum* 260 *a Persis Valeriano,* filius ejus Gallienus, *inquit Eusebius lib.* VII, *cap.* 13, solus imperium obtinens, moderatius se gessit : missisque edictis, persecutionem adversus nostros commotam sedavit, utque religionis nostræ antistites secure deinceps munus suum obirent, hujusmodi rescripto præcepit. *Successit circa* 268 *Gallieno Claudius, qui quidem Ecclesiam persecutus est, sed brevi vita imperioque exutus, successorem habuit Aurelianum circa annum* 270 : *is, teste Eusebio citato cap.* 30, *Christianis principio bene affectus, deinceps tamen in illos commoveri cœpit;* sed protinus inter initia sui furoris exstinctus est, *inquit Lactantius cap.* 6, *nimirum circa annum* 275. *Hos secuti Tacitus, Florianus, Probus, Carus, Carinus, Numerianus Christianorum persecutoribus nec a Lactantio, nec ab Eusebio accensentur, etiamsi non desint aliquot martyres, qui horum principum tem poribus passi fuisse dicantur. A Gallieno igitur usque ad Claudium annis circiter* 8, *sub Aureliano annis circiter* 4, *ab anno denique* 275, *seu si mavis, ab anno* 277 *usque ad annum* 285, *Maximiani primum, annis denuo circiter* 8 *persecutiones saltem haud adeo cruentæ, lateque diffusæ fuerunt, quin passim temporum intervallis incrementum aliquod capere religio Christiana potuerit, augerique sensim fidelium numerus, iis maxime locis, quæ apostolicorum virorum sudoribus irrigabantur.*

AUCTORE J. B.

repugnare non videtur

34 *Merito itaque enormis illa Christianorum Trevirensium sub Maximiano multitudo rejicitur; videndum tamen, ne ad terminos nimis angustos contrahatur, ac ita contrario errore peccetur. Neque porro mirum videri debet, martyrum Trevirensium numerum ultra, quam par est, ex vulgi opinione paulatim esse progressum. Ut enim crescit eundo fama, ita etiam fere accidit, ut a vero popularis traditio temporis diuturnitate magis magisque discedat. Verisimillimum mihi apparet, paucos Christianos Treviris Rictii Vari furorem reliquos fecisse : occisorum vero numerum jam inde a principio minus accurate fuisse perspectum; atque propterea S. Felicem sæculo circiter post, satis habuisse tredecim dumtaxat martyrum, qui ceteros dignitate famaque facile superabant, corpora et nomina in S. Paulini cryptam intulisse ; quibus deinde lapsu temporum* E *innumeri alii ex vulgi opinione adjecti sint, seu exteri, seu indigenæ. Qua quidem in opinione confirmor, cum video, in antiquo Hymno de S. Paulino, cujus num.* 10 *verba dedimus, peregrinorum quidem multitudinem diserte affirmari, indigenarum vero non item. Tabula similiter Thebæos innumeros Treviris passos agnoscit; de indigenis autem tantum dicit :* Tertia vero die cædem exercuit in plebem sexus utriusque. *Quod ut verum sit, neutiquam necesse est, ut innumeri fuerint tum temporis in Trevirensi plebe Christiani; sufficit autem multitudo qualiscumque, quæ Christianæ fidei in Trevirensi urbe ante Maximiani imperium statui, ex jam dictis repugnare non videtur.*

uti nec sub Constantio Chloro :

35 *Quod si eorum sententiam sequi lubeat, quibus MM. Thebæi Agauni sub initium sæculi quarti passi videntur, quo jam sub Constantio Chloro ab anno* 292 *constitutæ erant Galliæ, minor erit circa Trevirensium indigenarum ad fidem conversorum numerum difficultas. Vera enim mihi videntur, quæ de fidei nostræ sub Constantio Chloro in Galliis statu tom. IV Sept. pag.* 377 *P. M. Perierus scripsit his verbis :* At merito conjectare licet liberiorem deinde ipsis (*Eucharo, Valerio, Materno*) fidei propagandæ viam fuisse apertam ; quando scilicet Constantius Chlorus, Constantini Magni pater, circa mox memoratum annum (292) per Diocletianum et F Maximianum Augustos creatus est cæsar cum Galerio, et pauco post tempore nactus totius Galliæ regimen, Treviris sedem fixit. *Quam conjecturam relatis num.* 31 *Eusebii verbis deinde confirmat : postremam autem Eusebii periodum, qua ex Honthemii sententia indicatur, in palatio quidem Constantii liberam fuisse fidei professionem, sed in plebe et apud populum Christianorum nomen ne proferri quidem licuisse, ita Perierus interpretatus est, ut his vocibus,* παρὰ τοῖς πολλοῖς *non Trevirensis plebs, sed Maximianus, Diocletianus et Galerius intelligendi veniant. Mentem suam liquido expressit, cum Eusebiano textui mox ita subjecit :* Similia tradit alibi de Constantio laudatus Eusebius, sed hæc ad propositum nostrum abunde sufficiunt ; etenim ex sola periodi postrema oppositione discimus, aliam plane faciem fuisse in Galliis, cum illic versatus est Maximianus, quippe apud quem, sicut et reliquos collegas, ne ipsum quidem Dei cultorum nomen proferre fas esset, aliam vero dum ibidem moratus est Constantius, cujus adunati domestici Ecclesiæ Dei comparantur.

contrarium nec Eusebius

36 *Sic igitur Perierus statuit, et quidem recte, ut reor. Videbat enim, ipsum Eusebii interpretem Valesium illa Eusebii verba vertisse hoc modo :* Vulgo apud alios, *quæ quidem verba etiam a ceteris avulsa Constantii*

AUCTORE J. B.

Constantii collegis perinde, ac Trevirensi plebi accommodari poterant; et quidem ut de illis interpretanda existimaret, narrationis Eusebianæ series, quanta erat, suadebat, ut et præfixus Eusebio scopus. Id scilicet Eusebius agit cap. 15 *et duobus seqq. apud Valesium, ut ostendat imperatores, Ecclesiam Dei persequendo, divini Numinis ultionem in sese concitasse : contra Constantium, Christi Ecclesiam tuendo fovendoque, Dei benevolentiam sibi conciliasse.* Quo maxime (*Christianos persequendo*) factum est, *inquit cap.* 15, ut hujus sceleris auctores, Dei præsentia atque auxilio orbati remanerent. *Contrariam fuisse Constantio agendi rationem ait cap.* 16. Sòli, *inquit*, Constantio sapiens quoddam consilium venit in mentem, *quod pluribus deinde persequitur. Nullus, opinor, dubitabit, quin Constantium imperatoribus ceteris hic opponat Eusebius. Porro eamdem oppositionem mox resumit cap.* 17 *ita scribens :* Hujusmodi fuit Constantini pater, sicut a nobis breviter indicatum est. Qualis autem exitus vitæ ipsi contigerit, cum se talem erga Deum præstitisset, quantumque discrimen inter illum et reliquos imperii consortes, is, quem coluerat, Deus esse voluerit, quisquis rem ipsam attentius expenderit, facile cognoscet. *Ac tandem, cum dixit, summa illum cum gloria vitæ tempus ac tranquille egisse,*
B *verbis num.* 31 *citatis capiti* 17 *finem imponit.*

asserit, 37 *Quis vero credat, Eusebium mox velut scopi sui oblitum, alioque sine causa vagantem postremis suæ periodi verbis plebem respexisse Trevirensem, cujus hactenus ne verbo quidem meminerat? Fateor, his verbis οἱ πολλοὶ vulgi multitudinem a Græcis designari; id tamen hic factum non credo, tum propter jam dicta, tum quod Eusebii textus fortasse corruptus, et pro παρὰ τοῖς πολλοῖς legendum sit : παρὰ τοῖς λοιποῖς, id est,* apud reliquos, *nempe imperii consortes, de quibus egerat initio capitis. Sic enim in hanc rem Valesius scribit : "Ὅτε παρὰ τοῖς πολλοῖς.* In schedis regiis ultima vox punctis subnotata est, et superscribitur λοιποῖς, quod magis probo. *Cum igitur Eusebius solum dicat, Christianorum nomen apud imperatores reliquos non licuisse proferre, fundamentum haud satis validum præbet, id ad plebem etiam extendendi; ita ut in solo Constantii palatio sacro cultui asylum esset : contra cum Trevirenses viderent, Christianis Constantii palatium refertum esse, eosque ejusdem principis favore ac præsidio passim ab injuriis et suppliciis tutos, verosimillimum est, ex illis non paucos ad Christiana sacra transivisse, maxime cum non deessent veræ fidei præcones, et ne ipse quidem S. Maternus, qui disseminandæ fidei pro viribus incumberent. Dirui quidem Christiano-*
C *rum conventicula Constantius passus est, ne a collegis prorsus dissentire videretur; sed, si quid inde ad amplectendam fidem impedimenti fuit, plus aliunde ad illam amplectendam incitamenti attulit benevolentia, qua in Christianos usus est plane insigni, non modo in illos, qui in ejus palatio morabantur, sed in omnes,* qui sub imperio suo degebant, *ut Eusebius scribit lib.* VIII, *cap.* 15 *Historiæ ecclesiasticæ. Dein latum fuit de diruendis Christianorum templis et sacris libris comburendis edictum anno imperii Diocletiani* 19, *sive circa* 302; *atque adeo circiter decennium jam effluxerat, ex quo Galliarum regimen penes Constantium fuerat; ita ut, si Perieri verba, cum sub toto Constantii regimine propagandæ fidei* latissimum *campum patuisse, dixit, temperamento quodam indigeant, Honthemii quoque verba, quibus sub Constantio adeo paucos fuisse Treviris Christianos extra illius palatium, asseruit, ut eorum nomen ne quidem apud populum efferre fas esset, temperamento non absimili mihi videantur indigere. Ceterum si vel mediocris Christianorum in plebe Trevirensi numerus sub Constantio exstiterit, potuit in sexum utrumque Rictius Varus sævire, stabitque tabulæ hac ex parte auctoritas.*

nec sequitur exeo, quod tum nullus episcopus passus sit. 38 *Denique si tanta Christianæ plebis cædes facta revera esset, quanta vulgo putatur, magnopere mirarer et ego, quid causæ sit, cur nullus cum ea clericus, nullus episcopus occisus memoretur : verum*
D *si viæ, quam hactenus tenui, insistam; non tantam admirationis causam invenio. Etenim sub Maximiano quidem, Christianos Treviris fuisse non admodum multos, dixi supra num.* 32 *et sequenti : rariores sane, et forte rarissimi sacerdotes; quo autem rariores hi fuere, eo facilius, dum Rictius Varus illic substitit, vel ipsum latere, vel ejus furori sese tantisper subducere potuerunt; neque enim diu Treviris Rictius Varus moratus videtur, ut martyrum numerus, quos variis per Gallias locis sub hæc tempora occidit, satis videtur ostendere. Primi vero Trevirensium episcopi non ita Trevirensibus operam suam collocabant, quin modo in hos, modo in illos Treviris vicinos tractus fidei propagandæ ardore abrepti subinde excurrerent, ut tom. I Historiæ Trevirensis pag.* 19 *fatetur Honthemius : unde fieri potuit, ut urbe abfuerit, quisquis tum Trevirensium fuerit episcopus, cum in ejus gregem Rictius Varus irruit. Præterea verosimile visum est eidem doctissimo viro Dissert. de Statu religionis Christianæ in Treviris ante Constantinum Magnum* § 3, *Eucharium, Valerium et Maternum non continuo sibi successisse; quid si igitur eo temporis intervallo Trevirensium cædes acciderit, quo nullus illis erat episcopus? Sub Constantio vero plures Treviris ecclesiastici ordinis viri procul dubio exstiterunt : verum qui animum*
E *adverterit ad ea, quæ de Dei ministris in ipso Constantii palatio degentibus et rebus sacris vacantibus Eusebius supra laudatus habet, non multum fortasse mirabitur, sævisse per urbem Rictium Varum, pepercisse vero sacerdotibus, vel eorum cædem prohibente Constantio, vel metuente Rictio Varo Constantii ædes eorum sanguine contaminare, quos maxime salvos velle Constantium, non ignorabat.*

§ V. Reliqua Honthemii argumenta expenduntur.

Licet MM. Trev. nec scriptores æquales,

Præter *argumenta jam allata, Honthemius alia adhuc nonnulla proponit Dissertationis numero superiori laudatæ* § 4, *quorum pariter facienda mentio : suis verbis illustrissimum loquentem audi :* Imprimis autem, *inquit*, historiæ magni illius, seu, ut Acta loquuntur, innumerabilis nostri martyrii egregie officit depontanum illud silentium scriptorum æqualium, et tempori, quo immanis hæc carnificina in celeberrima Galliæ urbe exercita dicitur, vicinorum. Nescit illam Eusebius, qui alioquin diligenter martyrum memoriam celebrat : nescit eamdem Sulpitius Severus, qui Historiam sacram scripsit in Gallia sæculo quinto : nescit Lactantius, qui libro de Mortibus persecutorum crudelitatem et excessum Maximiani, cujus mandato Trevericæ urbis F
primores et cives occidisse scribuntur, memorat : nesciunt denique scriptores omnes, qui ad nos pervenerunt usque ad sæculum XI, quo Martyrum sepulchra retecta sunt, et magna ossium congeries reperta, interprete memorata tabula, cujus auctoritas, quod ad multitudinem ossium extra tumbas vagantium attinet, potissimum innititur Actis SS. Fusciani et Victorici, uti suo loco videbimus, sed horum apud modernos criticos sublesta fides est. Silentio historiographorum addimus illud martyrologiorum, domesticorum et exterorum; de non suspectis loquimur : a quibus Trevirensium hac in parte traditioni minime faveri demonstramus in Commentario prævio ad Historiam Trevirensium Martyrum, quam præsenti Dissertationi subnectimus. Tanto illud silentium gravius videri debet, quo major antiquis temporibus, nominatim sæculo IX, et ex præcedentibus sæculis continuatus apud nos, etiam in parochialibus ecclesiis fuit usus Martyrologiorum; adeo, ut juxta inquisitiones Reginonis (quas infra edituri sumus) part. I, art. 95 quilibet parochus in visitatione interrogaretur : Si habeat Martyrologium, ex quo certis diebus natalitia Sanctorum populo annuntiet?

60 *Commentarii sui in Passionem Martyrum Trevirensium* § 11 *idem illustrissimus scriptor nominatim*

AUCTORE J. B.

A *tim objicit Adonis silentium, qui tamen omnia unde-*
nec Ado, nec vetustiores martyrologi meminerint; *cumque conquisivit, et Prumiæ inter monachos haud procul Treviris aliquando versatus est; qui præterea Trevirenses patronos Agritium, Valerium, Maximinum, Hildulphum, Martinum, Beatum, Paulinum, Meletium, Nicetium, Eucharium scriptis suis celebravit. Adoni Wandelbertum adjungit, qui, licet in Martyrologio metrico, anno 8*$\frac{4}{2}$ *conscripto, martyres Thebæos Agauni passos memoret; de Trevirensibus tamen ne verbum quidem facit. Eodem pari de causa Martyrologium Ms. S Maximini, sæculo ad minus* X *conscriptum, adducit. Quibus antequam respondeam, observare hic obiter lubet, haud satis certum esse, quod de tabulæ auctoritate verbis num. præcedente relatis Honthemius scribit; niti nempe illam, quod ad multitudinem ossium extra tumbas vagantium attinet, potissimum Actis SS. Fusciani et Victorici, quorum sublesta sit fides : quamquam enim tabulæ confector vidisse potuit Acta SS. Fusciani et Victorici sæculo* IX, *quo probabilius confectam fuisse diximus* § 2, *potuit tamen eadem ignorasse; et multitudinem illam ossium per S. Paulini ecclesiam sparsorum aliunde didicisse; nempe ex eodem fonte, e quo in S. Paulini ecclesia ossa illa reposita fuisse, didicit; quod non ex SS. Fusciani et Victorici Actis (neque enim hoc in illis legitur) sed ex traditione ad sua*
B *tempora usque propagata, de qua alibi suus erit dicendi locus; vel aliis forte monumentis ecclesiæ Trevirensis ante Normannicam devastationem nondum deperditis. Redeo ad propositum.*

horum tamen silentium 61 *Eorumdem auctorum silentium martyrum Agaunensium oppugnator Dubordæus objecit, uti apud nos tom. VI Sept. a pag.* 322 *videre est, ubi vis hujus argumenti latius deducti refellitur : inde pauca delibare sufficiet. Quod ad Eusebium attinet, scripsit is librum de Martyribus Palæstinæ, quos inter Martyres Trevirenses quærendi non sunt : scripsit et alterum, qui* Ἀρχαίων Μαρτύρων συναγωγὴ *inscriptus fuit, sed is jam dudum habetur pro deperdito. Ignatios Antiochenos, Justinos, Symphorosas, Laurentios, Sebastianos, aliosque non paucos Eusebius tacet; quid ni et Trevirenses Martyres prætermerit? Fac etiam, voluisse Eusebium, quotquot sub Diocletiano, Maximiano, Galerio, aliisque illius ætatis tantum persecutoribus passi sunt, martyrum gesta quam accuratissime posteris tradere : utut id exsequi Eusebius voluerit, ea fuit eorum ubique gentium multitudo et copia, ut unius hominis vires et conatum longissime superarit. Lactantium summa tantum rerum capita delibasse, innumeraque Christianis illata mala cursim tantum attigisse plerumque, et totum fere in eo versari, ut inflictas divinitus fidei persecutoribus pœnas explicet, breve illius Opusculum de Mortibus persecutorum*
C *evolventi manifestum evadit. Addo Lactantium, ea potissimum commemorare, quæ a decreto sub initium sæculi* IV *in Christianos persecutione tyranni perperam egerunt; ea vero, quæ sæculo* III *ad finem vergente in Christianos moliti sunt, vix attigisse.*

tabula textuit 62 *Sed nec Sulpitio Severo propositum fuisse singulorum martyrum gesta enucleate exponere, sed perstringere tantum voluisse, quæ sub Diocletiano et Maximiano illata sunt Ecclesiæ mala, ipsemet prodit lib.* II, *cap.* 32 *Historiæ sacræ, de Diocletiani persecutione sic scribens :* Post eum (*Valerianum*) interjectis annis fere L, Diocletiano et Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta est, quæ per X continuos annos plebem Dei depopulata est, qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est : quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus adpetuntur. Nullis umquam magis bellis mundus exhaustus est, neque majore umquam triumpho vicimus, quam cum X annorum stragibus vinci non potuimus. Exstant etiam mandatæ litteris præclaræ ejus temporis martyrum Passiones, quas connectendas non putavi, ne modum operis excederem. *Cum igitur his historicis, vel omnes omnino martyres noti non fuerint, vel certe de omnibus omnino agere propositum illis non fuerit, efficax haud est, quod ex mero eorum silentio petitur, argumentum. Videamus modo, num fortius urgeat martyrologorum supra dictorum silentium, quibus Trevirenses martyres exploratiores esse debuerunt.*

non multum detrimenti 63 *Ancipitem tenuit Browerum, et ænigmati simile visum illi est, Adonis de Martyribus Trevirensibus altum ubique silentium, quem et Trevirensis sedis præsulem, et quidem eum ipsum, cujus facultate S. Paulini crypta effracta est, fuisse putavit : sed Adoni Viennensi Martyrologium, quo de loquimur, adscribendum esse, hodie extra controversiam est; quamquam nec sic difficultas omnis sublata sit : Ado enim Viennensis anno* 875 *ex hac vita discessit, vixitque proinde eo tempore, quo vigere adhuc debuisset Martyrum Trevirensium memoria, paucis nempe annis ante devastatam a Normannis Trevirim. Accedit, Adonem aliquamdiu in Prumiensi monasterio prius commoratum esse, quam Martyrologium suum concinnarit; ubi verosimile non est, nihil ipsi de Martyribus Trevirensibus innotuisse. Verum difficultas hæc inde multum certe minuitur, quod plurium aliorum Trevirensium Sanctorum, licet ætate sua celebrium, cultuque ecclesiastico honoratorum, pariter non meminerit. Hujusmodi plures inveniet, qui Honthemii Historiam de Cultu Sanctorum Trevirensium tom. I Prodromi Hist. Trev. insertam consu-*
E *luerit : illic pag.* 360 *Marum, pag.* 361 *Bonosium et Leguntium, pag.* 362 *Basinum, pag.* 365 *Felicem, etiam Severo Sulpitio cognitum, pag.* 364 *Modoaldum, imo et Maternum, antiquissimo et perenni cultu Treviris celebrem, pag.* 369 *inveniet, qui, quamquam ecclesiæ Trevirensis præsules fuerint, et jam inde a sæculo* VII *Willebrordinæ aræ diptychis inscripti legantur, dempto fortasse Materno, ab Adone tamen silentio non minus alto involvuntur. Sæculo nono et multo ante S. Castor cultus dicitur pag.* 361; *nec tamen horum omnium ulla fit ab Adone mentio. Quæcumque igitur fuit Adoni horum omittendorum ratio, eadem similisve movere illum potuit, ne Martyres Trevirenses Martyrologio suo insereret, quantumvis illos non ignoraret, sicut propterea ceteros Trevirenses Sanctos, a se similiter omissos, ignorasse credi non debet.*

afferre, ostenditur, 64 *Quod autem de Adone modo observatum est, locum habet et in Wandelberto et vetustioribus Calendariis Trevirensibus ab Honthemio editis. In Calendario S. Maximini, quod primo loco post Historiam de Cultu Sanctorum Trevirensium edidit, ne unum quidem ex illis, si Castorem et Marum excipias, invenies. In secundo vero et tertio ne unus quidem ex illis comparet. In quarto, sæculi* XII, *præter Castorem, nullus iterum occurrit, quamvis* Tyrsi F *Palmatiique meminerit. Præterea si dicta Calendaria inter se comparentur, constantem stabilemque Treviris in celebrandis Sanctorum festis ordinem olim non fuisse servatum, ut modo plura, modo pauciora; modo hæc, modo illa celebrata fuerint, facile deprehensa est. Speciminis loco sit Januarius Calendarii S. Maximini, sæculi* X, *cum Januario Calendarii S. Simeonis, sæculi* XI, *collatus. Ille annunciationes Sanctorum circiter* 30 (*præter eas, quæ utrique communes sunt*) *continet, quarum in altero, nec mense Januario, nec ullo totius anni mense fit mentio. In priori* 8 *Kal. Febr. notatur S. Projectus martyr; in posteriori Conversio S. Pauli. Magis sibi consonant Calendaria S. Simeonis, sæculi* XI, *quæ secundo et tertio loco Honthemius edidit; datur tamen etiam inter hæc discrepantia : in priori E. C. ad* 17 *Kal. Februarii ita legitur :* Passio S. Marcelli Ep. *In posteriori vero :* Remigii et Macharii : *in illo ad* 16 *Kal. Febr. :* S. Sulpitii Ep. *In hoc :* S. Marcelli PP.; *Sulpitii vero nusquam mentio. Dein S. Prisca, tum SS. Maria et Martha sequuntur in primo ad* 15 *et* 14 *Kal. Febr.; vacat uterque dies in secundo. Plura hujusmodi congerere supervacaneum esset. Cum igitur parum sibi conformia fuerint antiqua Calendaria Trevirensia, quæ hodieque exstant, quis edicat, Martyres Trevirenses in antiquioribus jam deperditis, aut saltem vetustis litaniis non fuisse insertos? Denique cum*

AUCTORE J. B.

cum ipse illustrissimus auctor § 12 *Historiæ cultus Sanctorum Trevirensium fateatur, majores suos parcos fuisse in Officiis propriis Sanctorum suorum, aut etiam memoriis in communibus liturgiis publica auctoritate decernendis; non video, antiquorum Calendariorum Trevirensium de Martyribus suis silentium horum Historiæ multum detrimenti afferre.*

quod locum etiam habet

63 *Ut decantata passim Trevirensium Martyrum multitudo displicuit, ita et ingens reliquiarum copia, quas penes se reconditas Pauliniani canonici arbitrati sunt, parum probatur Honthemio.* Edidimus, *inquit de Religione Christiana in Treviris ante Constantinum Magnum* § 4, Hist. Trev. dipl. tomo I in Addendis pag. 45 epistolam ab Eginhardo abbate circa annum 824 (consequenter longe ante Normannorum insursus) ad Hettum archiepiscopum Trevirensem scriptam, quacum huic reliquias martyrum mittit, quas Hettus petierat ad dedicandam seu consecrandam novam basilicam. Non agebatur de reliquiis nominati cujusdam, sed cujuscumque martyris; sic enim ait Eginhardus : Et quidem libenter id fecimus, qui talem fiduciam in vobis habemus, ut quæcumque particula de beatorum martyrum cineribus ad vos pervenerit, talis honor ei exhibeatur, qualem totis eorum corporibus exhibere debueramus, nisi desidia et negligentia a debito illis honore retardaret. Ut quid autem opus B fuisset archiepiscopo nostro pro ecclesiarum et altarium consecratione reliquias martyrum longinquis e partibus adsciscere, si Trevericus ager eis abundasset; et talibus quidem, quæ nec sarcophagis clausæ essent? *Eginhardus is idem est, qui Vitam Caroli Magni conscripsit, et cujus Historiam Operi suo præfixam exhibet Chesnius tom. II Script. Franc., pag.* 91. *Quam porro condiderit Hettus basilicam novam, præter eam, quam Confluentiæ S. Castori dedicavit circa annum* 836, *teste Honthemio in Annalibus, non inveni.*

in Hetti, Trev. episcopi, SS. reliquias

66 *Argumentum hoc tom. I Hist. Trev. Dipl. pag.* 45 *ipse illustrissimus objecit, eique respondit in hunc modum :* Mirabitur quis, ecquid causæ, ob quam Hettus aliunde sacras reliquias expetierit, quarum ipsa metropolis tam dives, maxime exuviarum tot Sanctorum præsulum nostrorum? Scilicet, ab imperatore Theodosio cautum erat : Humanum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo martyrem distrahat, nemo mercetur. Leg. fin. cod. Theod. de Violat. sepulch. Perduravit, uti hinc colligitur, apud nos serius optimæ legis vigor, quem in aliis Galliæ partibus jam ante laxatum, et sub Ludovico Pio et Carolo Calvo penitus abolitum, probat Bailletus Discursu de Historia Vitæ Sanctorum § 101. *Studueritne Hettus Sanctorum reliquias aliunde sibi comparare Theodosianæ* C *legis intuitu, in medio relinquo. Illud certum, non defuisse Trevirensi præsuli reliquias consecrandæ ecclesiæ et altaribus necessarias.*

sibi peregre comparantis facto.

67 *Eadem igitur de causa, qua transferendis in conditam a se basilicam Trevirensibus quibuscumque reliquiis abstinuit, eadem quoque transferendis Martyrum nostrorum cymeliis abstinuisse, credibile est, ac maluisse reliquiis aliunde comparatis diœcesim suam ditare, quam vel metropolim, aliamve Trevirensem ecclesiam sacrorum cinerum possessione exuere. Ceterum hæc non idcirco dixi, quod credam, in S. Paulini basilica totidem esse reliquias, quot ibi a vulgo esse putantur, omnesque pro legitimis habeam; sed ut ostendam, ex Hetti facto non effici, nullas omnino fuisse tum temporis in S. Paulini ecclesia Martyrum reliquias, etiam ab iis diversas, quæ S. Paulini crypta occulebantur. Prudens enim Honthemii monitum de sparsis per S. Paulini ecclesiam basilicam reliquiis vehementer probo, cavendum esse, ne forte cum nonnullorum Martyrum reliquiis paganorum etiam ossa, eodem olim loco sepulta, pari cum illis cultu afficiantur.*

Quod si 189 annorum spatio

68 *Sed harum reliquiarum Historiæ amplius instantem illustrissimum audiamus :* Dicuntur, *inquit,* in pluries memorata tabula fuisse reconditæ propter metum Normannorum, qui Treviris anno 882 infesti fuere. Ab eo tempore usque ad reliquiarum D inventionem, factam anno 1071, interjiciuntur anni 189. Quid, quæso, causæ fuit aut esse potuit, ut tantus thesaurus post excessum Normannorum, pace et securitate penitus restitutis, incultus, quin et indecorus relinqueretur sub terra? Deinde an potuit intra hujus temporis lapsum ejus memoria ita obliterari, ut nec canonicis in Pauliniana basilica quotidie psallentibus, officia Sanctorum suorum celebrantibus, Martyrologia legentibus : sed nec civibus Treviricis, his reliquiis inde ab earum inventione maximam venerationem impendentibus, ulla plane illarum notitia ex cultus continuatione, ex avorum pia narratione, ne dicam scripta annotatione posteris remanserit? Atqui ex Historia hujus inventionis colligitur, tam peregrinum et vix credendum apparuisse piis Treviris sacrum hoc depositum, acsi mille ante annos fuisset absconditum.

MM. Trev. memoria evanuerit,

69 *Circa annum Domini* 882, *aut non multo post probabiliter occlusam fuisse S. Paulini cryptam num.* 24 *dictum est, ubi et facti verisimilis ratio tradita est : nec vero absimile est, inde sensim sanctorum Martyrum cultum minui cœpisse, dum tandem circa annum* 1071, *ducentorum fere annorum spatio, eorum memoria penitus deleta fuit. Cur autem a Normannorum discessu non fuerit in integrum* E *restitutus sanctorum Martyrum cultus, in causa verisimiliter fuit summa subsequentium annorum perturbatio; quæ ne gratis conficta videatur, juverit audire, quid de misera temporum illorum facie in concilio Moguntino, anno* 888 *celebrato, legatur. Sic habet :* Quis enim siccis oculorum luminibus valeat enumerare mala gentis nostræ et Sanctorum? Videte et considerate, quam præclara et nobilia Servorum Dei ædificia destructa et incensa sint, et funditus ad nihilum redacta, altaria defossa, et penitus conculcata, ornamenta ecclesiarum Dei valde pretiosa et mirifica, direpta et igne exusta. Episcopi et sacerdotes et ceteri ordinis Ecclesiæ viri, gladio truncati, et diversis pœnarum generibus morti addicti, omnis ætas utriusque sexus gladio et igne diverso mortium genere consumpti. Mala nostra, *inquit,* et Sanctorum, *ut adeo pristinus cultus honorque Sanctis anno* 888 *nondum redditus fuerit. S. Paulini quidem, ut aiunt Gesta Trevirorum, monasterium frustra igne consumere voluerunt, hostiliter tamen invaserunt; hominem ibi in templo forte obvium, ut habent Acta S. Paulini, vivum defoderunt, atque adeo procul dubio monasterio etiam non pepercerunt, et canonicos seu gladio, seu sui saltem metu dissiparunt. Neque enim feliciore sorte usi fuere canonici, quam reliqua Trevirensis civitas, de qua ad annum* 882 *Hermannus* F *Contractus :* Et inter alia multa mala Trevirensem quoque urbem, fugatis et occisis civibus, Nonis Aprilis (*Normanni*) incendunt. *Sed potius ipsos concilii Patres audiamus.* Cujus subversionis, *inquiunt paulo infra,* periculum incolæ monasteriorum utriusque sexus metuentes, huc illucque vagantur incerti, penitusque omni solatio destituti, quid agendum, quove declinandum, errabundi cum periculo suæ professionis, ignorant.

quibus e causis

70 *Accessit et aliud malum.* Sed his interea malis, *pergunt iidem Patres,* amaricati et pene usque ad mortem afflicti, aliud e vicino malum nos coangustat et opprimit. Quod quanto vicinius, tanto gravius, nobisque, qui pastores dicimur, periculosius. Ecce enim e latere turba raptorum et schismaticorum sævit, qui pauperes et humiles Christi opprimunt et interimunt, neque Dei respectum habentes, nec ullam hominis personam verentes. Ab his namque, si deesset paganorum sævitia, redigeretur in solitudinem terra : quia nec sexui, nec ætati, nec paupertati parcere sciunt, sed omnes, quos possunt, absque Dei respectu et misericordia despoliant, et crudeliter, sui immemores, aut igni, aut gladio, aut quocumque mortis genere interimunt, hocque nihil putant et parvi pendunt. *Nec tum quidem his malis finis impositus : nam eorum*

intuitu

A *intuitu concilium Triburiense, anno* 895 *celebratum prope Moguntiam, ut in capellis sacra fierent, dum destructæ ecclesiæ instaurarentur, permisit; et post Normannos non defuisse Slavos, Hungaros, et malos Christianos, qui illic passim in ecclesias sævirent, docet his verbis :* Concedimus etiam, quod, nostris peccatis exigentibus, perplurimum est factum a Nortmannis, et a Slavis, et ab Ungariis, et a malis Christianis, seu alio quocumque modo ecclesiæ fuerint incensæ et combustæ, in capellis cum tabula consecrata Missas interim celebrare permittimus, donec ipsæ ecclesiæ restaurari queant.

id fieri potuerit, 71 *Sub annum* 898, *id est,* 16 *annis circiter ab invasione Normannica e monachis S. Maximini ne unus quidem superstes fuit,* cui notus esset locus tumuli, quo sacræ reliquiæ (*S. Maximini*) claudebantur, *teste Sigehardo San-Maximiniano monacho, qui sæculo* X *floruit. Quam gravia deinde damna acceperint Germanicæ ecclesiæ mox a Zuendeboldo, post ab Hungaris nihil opus est dicere : ex iis enim, quæ modo dicta sunt, intelligi commode potest, haud facile fuisse Trevirensibus, omnibus amissis, damna resarcire, et Sanctis suis, temporibus tam turbulentis, pristinum cultum restituere; quo semel interrupto, potuit etiam is plane desinere, et aliquorum Sanctorum memoria alta oblivione sepeliri : ceteris*
B *vero feliciores non fuisse San-paulinianos canonicos, imo et in summa rerum inopia sæculo fere integro a clade Normannica fuisse, liquet ex Egberti Trevirensis archiepiscopi Charta, data anno* 981, *in qua primum de Trevirensis diœceseos ecclesiis universim ista leguntur :* Ego Egbertus, divina favente Clementia, Trevericæ sedis archiepiscopus, videns monasteria et ecclesias nostræ diœceseos omnibus ecclesiasticis usibus a diebus antecessorum nostrorum, usque ad nostra tempora miserabiliter desolatas atque in id redactas, ut vix esset spes, eas reparandi; deliberavi *etc. : tum vero de San-pauliniana nominatim :* Ne propter rei familiaris inopiam monasteriale dilaberetur ædificium, communi consilio fidelium nostrorum, mihi atque successoribus meis constitui, atque banno meo confirmavi agendum, ut eadem cura, eademque diligentia et solicitudine, qua domum B. Petri ædificant, et huic monasterio (*S. Paulini*) trabes, laquearia, fenestras ponant : casulis, dalmaticis, cappis vetustate consumptis meliores sufficiant, præposito ipsius monasterii cætera in ædificiis procurante; custode vero lineas vestes in ecclesia utendas reparante.

adductis exemplis, 72 *Quam vero turbulenta hujusmodi tempora, monachorum expulsiones, monasteriorum expilationes et oppressiones, barbarorum irruptiones, ceteraque id genus mala Sanctorum oblivionem inducere sint nata, variis etiam docemur exemplis. En exemplum a materia, quam tractamus, non alienum.* Penultimo interea jam memorati domni abbatis Leutbaldi anno, *inquit auctor libelli de Successoribus S. Hildulphi in Vosago cap.* 1, ab Incarnatione vero Domini nostri Jesu Christi DCCCVI venerabile corpus S. Bonifacii martyris ablatum Trevirorum populo, Divinitatis ope, illatum Mediano monasterio. Martyris reliquias, *inquit ibidem,* multis temporum curriculis servavit quoddam vetus S. Martini oratoriolum a dextris templi locatum, donec funditus memoriæ subtractus mortalium; cujus inventio quia minime prætermittenda silentio, enucleatius subscribetur suo loco. *Inventionem autem cap.* 9 *sub Adalberto figit, qui Mediano præfuit ab anno circiter* 954 *usque ad annum* 985, *ut habet Belhommeus, loci abbas, in serie abbatum Mediani monasterii. Contigit autem ea inventio, diruto ab Adalberto, ut auctor supra citatus ait, beatæ Virginis Mariæ templo, simulque ædicula S. Martini eidem cohærente, quod ex mente Belhommei pag.* 189 *ad annum circiter* 964 *referendum est. Jam vero ab anno* 705 *usque annum* 964 *anni numerantur* 261; *unde si demas* multa annorum curricula, *quibus Mediani* S. Bonifacii *memoria cultusque viguit, annos haud multo plures ducentis habebis, quibus non monasterii incolis modo, sed omni etiam vicino tractui, et quidem funditus* S. Bonifacii *memoria periit.*

AUCTORE J. B.

declaratur. 73 *En alterum ex eodem auctore exemplum : vixerant aliquamdiu Mediani Lazarus et Aza, ibique mortui et sepulti in Sanctorum numero sunt habiti; hinc, ingruentibus in Gallias Hungaris, eorum corpora ita industrie parieti basilicæ sanctorum Apostolorum, qui tum Medianum incolebant clerici, monachisque successerant, adaptarunt,* ut nihil minus, quam alicujus corpus inibi delitescere putaretur. *Contigit hæc corporum occultatio secundum libelli calculos sub annum* 919; *inventio vero anno* 1014; *cum clericis denuo monachi successissent. Centum igitur circiter annorum spatio Sanctorum illorum memoria deleta est, non modo apud monachos, sed ceteros etiam loci incolas et vicina monasteria, et quidem adeo, ut non modo locus, ubi latebant eorum corpora, sed et ipsa eorum nomina fuerint ignorata; ita scribente anonymo citato cap.* 17. Cum enim per successionem temporum (95 *annorum habet paulo infra*) tam nomina, quam sepulchra eorum fuissent prorsus subducta memoriæ superstitum, divinitus reducuntur cognitioni concordatissimis visionibus monachorum, clericorum et utriusque sexus fidelium, non solum vicinorum, verum etiam remotissimorum. *Simile igitur quid contingere Martyribus Trevirensibus potuit, ex quo* E *ad S. Paulini cryptam, in qua eorum reliquiæ jacebant, fuit aditus interclusus, maxime si in publicas ecclesiasticas tabulas relati ea ætate non fuerint, quod olim Trevirenses parce ac jejune præstiterunt.*

§ VI. Nostra de Trevirensibus Martyribus opinio exponitur.

Si monumenta, quibus Trevirensium Martyrum Historia nititur, si illustrissimi Honthemii adversus illam seu dubia seu argumenta, measque ad illa responsiones protulerim hactenus; nolim, quis inde existimet, me iis omnibus, quæ de Martyribus illis passim asserunt, assentiri ut veris, aut eruditissimi viri sententiæ, consulto contraire voluisse : utrumque enim eo consilio præstiti, ut, pensitatis omnibus, apud sese æquus lector facilius ipse statueret, quid in hac Martyrum Trevirensium Historia, ut falsum, aut a verisimilitudine alienum rejiciendum sit, quid contra ut verum, aut saltem ut verosimile retineri queat. Ego, quid sentiam, hoc § *aperiam, neque multum repugnabo, si quis secus subinde senserit; gratulabor etiam, si certiora vel verosimiliora alicunde eruerit. Atque in primis quidem Trevirensi civitati Martyrum sub Maximiano simul passorum multi-* F *tudo utcumque notabilis mihi videtur posse concedi; quippe, quæ nec Christianæ religionis, inclinante in exitum sæculo tertio, apud Trevirenses statui repugnet, ut num.* 52 *et seqq. dixi; nec traditionis antiquæ præsidio destituta sit. Viguit ista traditio jam inde a sæculo* VI, *quo serius SS. Fusciani et Victorici Acta probabilius conscripta non fuisse, dixi num.* 8. *Viguit etiam probabiliter citius : quorsum enim eorum auctor multitudinem illam primus confinxisset, cujus non nisi obiter meminit, quamque silere omnino sine argumenti dispendio poterat? Ast, inquies, a vero abit ista traditio, cum multitudinem majorem facit, quam par sit credere. Ita est, et longius etiam recentiores illi aberrant, qui vel ad sex milliaria Mosellam Martyrum cæde cruentatum manasse, scripserunt : sed vel ex hoc ipso errore Trevirensium Martyrum qualiscumque multitudo firmatur; proclivius enim est, ut e multis, quam e paucis a Rictio Varo Treviris olim occisis multitudo illa Martyrum, modica vel mediocris, sensim enormiter in vulgi opinione accreverit.*

Aliqua Martyrum Trevirensium

multitudo admitti potest. 73 *Quoniam igitur antiqua illa traditio, eo, quo diximus, modo castigata et emendata, nec temporum illorum rei Christianæ apud Trevirenses statui repugnat, nec aliunde quidquam continet, quod sit a verisimilitudine alienum; non est, cur omnem illi fidem detrahamus : sicut enim non facile hujuscemodi*

AUCTORE J. B.

modi traditiones in iis, in quibus a verisimilitudine discedunt, sunt admittendæ, ita in aliis levibus quibusdam de causis seu conjecturis continuo repudiandæ non sunt. Ceterum traditionem ex Actis SS. Fusciani et Victorici modo allatam, spectare ad Martyres nostros Trevirenses, vel ex eo liquet, quod sub Maximiano, quod a Rictio Varo, quod Treviris denique occisi dicantur. Actorum verba dedimus num. 6, *quibus Martyrum corpora in rivum quemdam projecta, et inde in Mosellam devoluta, undisque tumulata indicantur : hæc quidem* SS. Bonifacio, Thyrso *aliisque, quorum corpora sive in S. Paulini crypta, sive alibi terræ mandata fuerunt, forte applicari non possunt : possunt tamen aliis. Rivus quidam, quem* Weverbach *dictum reperi, civitatem Trevirensem permeat : unde egressus ac monasterium S. Mariæ ad littus Mosellæ prætervectus, in Mosellam sese exonerat.* S. Thyrsi *Sociorumque ejus palæstra fuisse dicitur campus Martius in Orientali Trevirensi suburbio situs : qui, si se ad prædictum rivum usque non extenderit, certe ab illo non admodum remotus est, ut aliquorum corpora potuerint in illum projici, et inde in Mosellam devehi. Ad eumdem quoque rivum varii occidi potuerunt, vel in illum projici ex iis, qui die tertio e vulgo martyrium subierunt.*

B

non tamen quidquid de illis tabulæ dicit

76 *Quæ de sanctis Martyribus Trevirensibus ex SS. Fusciani et Victorici Actis modo deprompsi, tenuem sane illorum notitiam indicant, sed quam in scriptore extero et de rebus Trevirensibus minus fortassis instructo non multum mireris : uberior fuit sæculo* IX *Trevirensium traditio; qualis ea tum fuerit, ex tabula plumbea discimus, eo sæculo probabilius humi defossa, ut* § 2 *diximus. Docet illa non solum Martyrum aliquot nomina, verum etiam alios Thebæos, alios Trevirenses senatores vel Optimates, alios denique Trevirenses fuisse indigenas, docet diem, quo passi fuerunt, locum et situm, ubi præcipuorum corpora sepulta fuerunt; docet denique S. Felicem in S. Dei Genitricis et Martyrum Thebæorum honorem ecclesiam condidisse, quæ dein S. Paulini nomen obtinuit. Talis, inquam, sæculo* IX *Trevirensium de Martyribus suis videtur fuisse traditio. En meum de illa judicium. Primum non probo, Thebæos* innumeros *a Rictio Varo Treviris occisos; nisi dicantur innumeri, quod eorum numerus ignoretur : dein, S. Paulini corpus* totius regni viribus *e Phrygia Trevirim a S. Felice translatum dici, nisi hæc sano sensu intelligantur secundum ea, quæ num.* 11 *diximus. Quod autem* S. Tyrsum *ejusdem Socios Thebæos fuisse dicat, id sicut nec certum, ita nec omni probabilitate destitutum, existimo. Non certum, quia præter Thebæos et alii, qui Christo simul et imperio militarent, esse potuerunt, quorum pariter opera ad persequendos Christianos Maximianus uti voluerit; quique posterioribus sæculis pro Thebæis haberi cœperint, quod eodem circiter tempore et pari de causa martyrio coronati crediti fuerint. Nec tamen etiam, omni probabilitate destitutum : cum enim, teste S. Eucherio,* sparsis usquequaque militum turbis, *Christianos vel ad supplicia vel ad necem rapuerit; potuit etiam e legione Thebæa unam alteramve turmam eadem vel alia quavis de causa ad Treviros destinare.*

C

Trevirensium traditio Sæculo IX *antiquior videtur;*

77 *Ut ut sese res habeat, viguisse videtur apud Trevirenses ea traditio non modo a sæculo* IX, *quo tabulam confectam esse putamus, sed etiam ante; eamque tabulæ curatores antiquioribus monumentis aut traditione edocti in litteras retulisse videntur : quis enim illos, in summa rerum perturbatione constitutos et jam imminentibus cervicibus suis barbarorum gladiis, fingendis venditandisque posteritati somniis studuisset, existimet? Aliunde igitur, quam e tabula plumbea, altiusque, quam a Normannorum invasione traditionis hujus origo repetenda videtur. Consequi equidem videtur e priori posterius : prius autem, saltem quantum ad Thebæos aliquos Treviris sub Maximiano passos, etiam aliunde confirmo. Refert auctor libelli de successoribus S. Hildulfi in Vosago apud Belhommeum pag.* 144, *S. Hildulfum anno* 705 S. Bonifacii *Martyris Thebæi corpus, Trevirensibus ablatum, Mediano cœnobio intulisse : pag.* 93 *vero in Vita S. Hildulfi* trecentorum Martyrum Thebææ legionis *meminit, quorum corpora S. Hildulfus, cum Trevirensem adhuc cathedram occuparet, transtulerit in S. Maximini monasterium. Hæc autem scripsit sub sæculi undecimi initium; quo tempore latentis adhuc tabulæ ne suspicionem quidem vel ipsi Trevirenses habebant. Refert præterea idem auctor apud eumdem Belhommeum pag.* 190 *et seqq.* S. Bonifacium *Tietfrido cœnobii Medianensis monacho sub finem sæculi* X *appariusse, et e Thebæa legione martyrem se esse dixisse. Hanc porro revelationem, prout illic describitur, aut veram aut fictam esse, oportet. Si primum; Thebæus martyr* Bonifacius *fuit : sin autem ficta, fictioni traditionem ipsam, qua Thebæus martyr* Bonifacius *credebatur, vel antiquiora monumenta, alia tamen a tabula plumbea, fundamentum præbuisse, necesse est : neque enim credibile apparet, idem de* S. Bonifacio *Tietfridum sæculo* X, *et curatores tabulæ sæculo* IX *de* S. Tyrso *somniasse plane fortuito. Nec refert, nullam in libello de successoribus S. Hildulfi* S. Tyrsi *ejusque sociorum mentionem fieri; nam quæ de* S. Bonifacii *Passione illic narrantur, adeo similia sunt iis, quæ de* S. Tyrsi *ejusque Sociorum Passione narrantur in tabula, ut ex eodem omnia fonte profecta esse, verosimillimum fiat.*

D

E

utpote nixa litteris aureis,

78 *Quoniam itaque tabulæ conditores seu curatores ex dictis primi fuisse non videantur, qui Thebæos milites Treviris passos affirmarint, vivendum modo, qua fide, seu testimonio antiquiore nixi id ipsum asseruerint. Litteras quasdam aureas cryptæ Sanpaulinianæ parieti prius inscriptas fuisse, docet tabula plumbea, quam illuc Normanni adventarint; quæ præcipuorum Trevirensium Martyrum nomina referebant. At num præterea nihil? Ita quidem videtur Honthemio : mihi vero contrarium magis arridet hisce de causis : Exhibet tabula non modo præcipuorum Martyrum Trevirensium nomina, sed singulorum etiam situm accurate describit. Hic, inquit, qui a dextris S. Paulini jacet,* Palmatius *vocabatur; qui a sinistris* Tyrsus. *Ad caput S. Paulini septem senatores jacent, quorum medio* Maxentio *nomen erat, et sic de ceteris. Sicut ergo tabulæ conditores e litteris aureis Martyrum nomina, ita et singulorum situm ex iisdem hausisse videntur; licet id expresse non asserant : nam, ut vero admodum simile est, quisquis litteras illas aureas in cryptæ pariete efformavit, non modo martyrum memoriæ consulere voluit; sed etiam eorum confusioni, alias temporum lapsu facile secuturæ, obviare, maxime cum nihil in eorum tumulis, duobus exceptis, appareat, teste Honthemio, quo unus ab alio secernatur. Quod si singulorum Martyrum nomina situmque ex litteris aureis tabulæ conditores deprompsisse videantur; quid ni eorumdem titulos, tempus, et diem passionis? ulterius progredior, et modo dicta confirmo.*

F

verosimiliter non distinctis, a tabula marmorea

79 *De litteris aureis ita scribunt tabulæ conditores :* Hujus (Tyrsi) itaque et eorum Martyrum (*Palmatii etc.*) vocabula, quorum hic videri possunt sarcofaga, aureis litteris in hujus cryptæ pariete conscripta fuerunt : quæ inde devoti, qui tunc erant Christiani, huc transtulerunt. *Si nativum magisque obvium horum verborum sensum sequi cupias, eodem loco litteras aureas, et tabulam plumbeam, humi defossas fuisse, instante Normannorum adventu, existimabis. Audi modo, quid sub annum* 1071, *effossa humo, in S. Paulini crypta inventum sit; num.* 18 *ita habet Inventionis descriptor :* Inventa est siquidem ibi tabula marmorea, qua sublata, apparuit ejusdem latitudinis tabula plumbea; *neque quidquam occurrit aliud de litteris aureis. Nonne hinc porro plausibiliter conjicere potest, litteras aureas tabulæ illi marmoreæ fuisse inscriptas, et una cum tabula refixas, seu a pariete avulsas, humique reconditas? Cum tamen in tabula marmorea nihil litterarum exstitisse, qui corporum Inventionem descripsit, videatur innuere num.* 18, *utpote qui non tabulæ marmoreæ, sed plumbeæ Martyrum nomina, tempus et passionem accepta referat; dicendum videtur, vel litteras aureas e tabula marmorea disparuisse,*

A *disparuisse, vel propter characterum insolentiam legi non potuisse. Certe tabulam marmoream aliquid saltem, antequam solo occultaretur, continuisse, Inventionis auctor censuisse videtur, cum illam num.* 2, *forte ob residua litterarum aurearum qualiacumque vestigia, iis documentis annumeret, quibus majorum suorum diligentia inscripserat sanctorum Martyrum non modo nomina, sed etiam merita. Jam vero, quod numero superiore spopondi, confirmaturum nempe me, tabulæ plumbeæ conditores e litteris aureis, seu, ut ex mox dictis verosimile est, ex tabula marmorea non modo hausisse Martyrum nomina, sed titulos etiam, tempus et diem passionis, hunc in modum præstare aggredior.*

quæ tabulæ plumbeæ curatoribus, 80 *Aio igitur tabulæ plumbeæ conditores, tabulam novam de suo non condidisse, sed antiquam marmoream cryptæ parieti ante Normannorum irruptionem affixam, verisimilius tantummodo transcripsisse, adhibita tamen interpolatione quadam, qua, quo tempore, a quibus, et qua occasione litteræ aureæ seu tabula marmorea sub terram translata fuerit, posteros edocere voluerunt : id vero ex contextu ipsius tabulæ mihi videor deprehendere; quem, etsi longiusculum, oculis lectoris hic subjicere visum est, quo facilius dicenda intelligat : sic itaque habet :* In hac crypta jacent corpora Sanctorum, secundum seculi dignitatem nobilissimorum, secundum Dei
B autem voluntatem Martyrum prætiosorum : nam Rictiovarus Maximiani imperatoris præfectus, legionem Thebæam jussu ipsius circumquaque persecutus, hanc etiam urbem propter ipsos est ingressus : quorum innumeros cum hic occidisset, hos quoque hujus civitatis principes, fidei Christianæ confessores, cum ipsis occidit, quorum corpora hic circum circa sunt collocata. *Et hæc quidem tabulæ marmoreæ, sed quæ sequuntur vix non omnia, sæculi* IX *interpolatoribus adscribenda existimo. Quid porro tabula plumbea?*

cujus bis 81 *Ita pergit :* In medio vero ipsorum sancti Paulini clarissimi Trevirorum episcopi corpus est ferreis catenis suspensum, quod ibi S. Felix hujus sedis episcopus a Frisia (*Phrygia*) totius regni viribus translatum III Idus Maii honorifice suspendit, qui et istud monasterium in honore sanctæ Dei Genetricis, nec non eorumdem Martyrum, construxit. Nam propter (*præter*) horum Principum corpora innumerabilia in hoc monasterio sunt comprehensa : quorum nomina, sicut innumerabilis populi, et peregrini, non potuerunt reperiri, excepto uno ducis vocabulo, qui Tyrsus vocabatur. Hujus itaque et eorum Martyrum vocabula, quorum hic videri possunt sarcofaga, aureis litteris in hujus cryptæ pariete conscripta fuerunt : quæ inde
C devoti, qui tunc erant Christiani, huc transtulerunt, quando Normannos hanc urbem, sicut cæteras undique urbes, depopulaturos esse, præsciverunt. *Hæc, inquam, a tabulæ plumbeæ conditoribus transcripto a se marmoreæ tabulæ textui sæculo nono inserta fuisse, existimo; cur vero ita sentiam, paulo post explicabo : interim reliquum tabulæ plumbeæ textum, quem fideliter e tabula marmorea in plumbeam translatum, autumo, audiamus.*

verbadantur, 82 Is ergo, *inquit,* qui in dextero sancti Paulini latere est repositus, Palmatius vocabatur, qui consul et patricius toti huic civitati principabatur : in sinistro autem ipsius latere qui jacet, Thyrsus vocatur, cujus nomen solius de tanta multitudine est notatum, quia ejusdem legionis gerebat ducatum : ad caput autem hujus sancti Paulini septem jacent hujus urbis senatores nobilissimi, martyrio cum ipsis Thebeis coronati; quorum medius vocatur Maxentius, juxta quem dextrorsum qui jacet proximus, nomen habet Constantius, post quem est Crescentius, postea Justinus : in latere autem sinistro Maxentii qui jacent, tres erant fratres germani, quorum major natu proxime Maxentium Leander, juxta Alexander, postea Sother : ad pedes vero S. Paulini altrinsecus positi sunt quatuor viri, genere et virtute clarissimi, qui licet tempore pacis occulte Christum colebant, tempore tamen persecutionis aperte et constanter fidem Christianorum defendebant; adeo ipsi Rictiovaro in faciem resistebant, quod eos quasi ad exemplum aliorum diversis tormentorum generibus multum afflictos, tandem in præsentia sua fecit decollari : alter ergo duorum versus Austrum positorum, interior scilicet Hormista, exterior autem Papirius vocatur : alter autem eorum, quorum latera Aquilonem respiciunt, interior item Constans, exterior Jovianus vocatur : Ingressus est autem Trevirim Rictiovarus quarto Nonas Octobris, et eadem die occidit Tyrsum cum Sociis, sequenti autem die Palmatium cum aliis principibus civitatis : tertia vero die cedem exercuit in plebem sexus utriusque.

AUCTORE J. B.

præluxisse videtur : 83 *Sed, cedo, amabo, quid post lecta hæc verba :* quorum (*Thebæorum*) innumeros cum hic occidisset, nos quoque hujus civitatis Principes, fidei Christianæ confessores, cum ipsis occidit, quorum corpora hic circum circa sunt collocata, *quid, inquam, mox secuturum exspectabas? utique Optimatum Trevirensium, ni fallor, nomina, et situm, diem ordinemque Passionis. Quænam vero sequuntur? alia prorsus, quam quæ tibi exspectanda credideras : conditum fuisse a S. Felice S. Paulini monasterium; illuc delatum et quidem totius regni viribus, quod fabulam sapit, illius corpus; plurima illic insuper Thebæorum martyrum corpora esse recondita; mar-* E *tyrum vocabula, olim cryptæ parieti affixa, a Christianis, imminente Normannorum adventu, humo obruta fuisse. Verum transili tantisper ea omnia, quæ num.* 84 *continentur, et mox ad num.* 82 *accedens ita lege :* Is, qui in dextero sancti Paulini latere est repositus, Palmatius vocabatur *etc. omnia nativo rerum verborumque ordine fluent, et exspectationi tuæ breviter simul, atque concinne respondebunt. Tota itaque horum omnium, quorum exspectationem postrema num.* 80 *periodus excitarat, dilatio non nisi ex interpolatione videtur esse profecta. Dein num.* 81 *cur e Thebæis* Tyrsus *nominetur, non ceteri, hæc ratio redditur :* Quorum nomina, sicut innumerabilis populi et peregrini, non potuerunt reperiri, excepto uno ducis vocabulo, qui Tyrsus vocabatur : *eadem fere ratio repetitur num.* 82 *et quidem inutiliter hoc loco, si totum tabulæ textum iidem auctores non interpolatum exarassent. Geminum hoc interpolationis indicium facit, ut, si ea, quæ num.* 84 *continentur, excipias, cetera sæculo nono e tabula marmorea in plumbeam transcripta fuisse, existimem : qua in re si non fallar, merito in superioribus dixi, tabulæ plumbeæ conditores e litteris aureis, seu tabula marmorea hausisse non modo Martyrum nomina, sed etiam determinatum, quo recondita jacent præcipuorum corpora, tumulum, tempus et diem passionis.*

F

tabula vere marmorea 84 *Operæ igitur pretium erit, sit tabulæ marmoreæ, quæ ante Normannorum irruptionem cryptæ Paulinianæ parieti affixa erat, ætatem probabili saltem indicio deprehendere possimus : tale autem sub finem num.* 78 *jam obiter attigi : situm vero in eo est, tabulam marmoream jam tum fuisse confectam, cum in S. Paulini Martyrum Trevirensium corpora, primum translata fuerunt : fuit enim id quodammodo necessarium; nam eum duo tantum Martyrum Trevirensium tumuli, Constantis nempe et Hormistæ, imo et nulli forte initio (cum medii ævi tantum character, teste Honthemio, in illorum tumulis appareat) Martyrum nomine fuerint insigniti, timendum sane erat maxime, ne temporis lapsu et Martyrum nomina interirent, et Martyrum inter sese confusio fieret; quibus incommodis eum, qui Martyrum corpora transtulit, ita exigente prudentia et usitata in his rebus diligentia, obviam ire voluisse, verosimillimum est; quod utique præstare non potuit, nisi monumentum aliquod relinqueret, quod Martyrum singulorum nomina, et tumulos singillatim explicaret. Verum age, fingamus tantisper, si lubet, nullum tum temporis hujusmodi monumentum fuisse confectum; fingamus etiam, tabulam marmoream dudum post Martyrum translationem primum fuisse compositam : censesne tum temporis, nulla exstante in*

AUCTORE J. B.

tumulis distinctionis nota, tubulæ marmoreæ conditores dicere potuisse; hic tumulus Palmatii est, ille Tyrsi, *iste Maxentii etc.? Id equidem mihi minus apparet probabile, nisi alia alibi monumenta repererint, de quibus rursus eodem modo argumentari licebit.*

jam inde a sæculo VI *forte confecta fuit,*

85 *Ceterum Martyrum Trevirensium corpora in S. Paulini ædem transtulisse dicitur S. Felix Trevirensis episcopus. Creditum in fuit sæculo* IX, *creditum sæculis subsecutis; nec solidi quidpiam reperio, quo hæc convellatur opinio. Num S. Felix ecclesiam, modo S. Paulini dictam, condiderit, Honthemius ambigit : sed potuit Martyrum ossa S. Felix in illa recondere, etiamsi alteri ejus structura deberetur. Nihil igitur est, quod nos cogat a sæculi* IX, *de translatis in S. Paulini ecclesiam Martyrum exuviis, opinione discedere, neque minus tutum est illi, quam recentiorum conjecturis adhærere. Floruit S. Felix sub finem sæculi* IV : *eodem igitur tabulæ marmoreæ, vel illorum monumentorum ætas, ex quibus postea fortasse confecta fuit, verosimiliter referenda est. Atque ita, probabili saltem ratione, eruisse mihi videor, qualis Treviris fuerit Martyrum Trevirensium Historia S. Felicis ætate, sæculo dumtaxat uno, posteaquam Trevirense solum suo sanguine illustrarunt. Sic vero accepta, ex iis pauca complectitur, quæ Honthemius oppugnat, nec passim sua defen-*

B *sione, ut ex superioribus patet, destituuntur. Corporis S. Paulini e ferreis catenis suspensio, exstructum a S. Felice Paulinianum templum et monasterium, multitudo innumerabilis Martyrum illic extra cryptam reconditorum, seu vera sint, seu falsa, ad illam non pertinent, sed sæculi* IX *interpolatoribus adscribenda videntur.*

et probabiliora, quam tabula plumbea complectitur :

86 *Sic item accepta, nihil continet, quod a probabilitate alienum videatur. Thebæos Martyres aliquot Treviris pati sub Rictio Varo potuisse, ostensum est num.* 76. *Septenarius senatorum numerus terrere neminem debet : nam centum et tredecim senatores Trevirenses una cum Tutore et Classico, ut Cerialis victoris arma declinarent, Rhenum transiisse, lib.* V *Hist. cap.* 19 *Tacitus prodidit. Cum tanta Treviris fuerit sub Romanis senatorum copia, facile ex illis septem Christo nomen prius dare potuerunt, quam Treviris Maximianus sedem figeret. Quosdam e Trevirensibus seu optimatibus, seu senatoribus occulte Christum coluisse, tabula marmorea memorat; unde quis forsan colligat, ceteros id publice præstitisse, passimque fuisse cognitos ut Christianos; quod, etsi tempori, quo Treviris Maximianus versatus est, minus appareat congruere, non est tamen, cur id fieri non potuerit, cum nondum Galliis Maximianus apparuerat. Addit denique tabula marmorea, tertia die in plebem sexus utriusque sævitum esse, simulque*

C *innuit, aliquam saltem Christianorum multitudinem Treviris sub Maximiano exstitisse; verum nec isti multitudini, si certus illi modus, quem tabula marmorea non excludit, adhibeatur, temporum illorum conditionem adversari* § 4 *ostendi. Thebæos quidem innumeros Treviris occisos esse, eadem tabula refert, verum id stricte accipiendum haud esse, ipsa rerum adjuncta clamant, cum quantalibet legionis pars innumeros milites complecti non possit; quod cum per se clarum atque manifestum sit, liberiore voce uti se posse absque deceptionis periculo, tabulæ auctor existimavit.*

unde possessione sua deturbanda non videtur

87 *Quæ mihi de Trevirensibus Martyribus opinio sedeat, jam aperui : absit, ut illam certam esse, contendam : imo nec in omnibus verum me attigisse in tantis rerum tenebris polliceri ausim : sit igitur penes eruditos, ut, consideratis omnibus, statuant, quod voluerint; memores tamen illius, quod Benedictus XIV de Sanctis quibusdam Bononiensibus cap.* 26 *de S. Floriano num.* 11 *monet,* non contemnendas esse, sed plurimi faciendas particulares ecclesiarum traditiones : *atque adeo omnino rejici non debere statim ac dubium aliquod illis opponi potest; Trevirensium vero traditio, licet a Normannica invasione tantisper evanuerit, ab anno tamen circiter* 1071 *non modo in hodiernum usque diem substitit, sed etiam sæculo* IX *viguisse videtur ab immemorabili tempore; cum, quo tempore cæperit, assignari non* D *possit; et vel hinc æquum mihi videtur, ut antiqua sua possessione non frustretur; modo, ubi id ratio exigit, emendetur, quod jam partim præstiti in superioribus, ac in iis, quæ sequuntur, porro præstabo.*

Trevirensium traditio ob conjecturas

88 *Honthemius ad calcem Historiæ Martyrum Trevirensium sententiam suam in pauca contrahit verba, quæ sic habent :* Nobis interea, consideratis omnibus, sedet hæc opinio, salva meliori, quam in re satis difficili dociles acceptabimus, instructione; 1.] San-Paulinianos Martyres de crypta, legitima traditione et authenticis miraculis firmatos, esse vere pro talibus habendos, unde unde venerint Treviros. 2.] Innumerabiles, sive peregrinos, sive indigenas, non satis esse fundatos. 3.] Esse nihilominus posse, quod etiam ante æram episcopalem quidam apud hanc urbem Christiani vixerint, et martyrium subierint. 4.] Non injuste dubitari, an non Palmatius idem sit, qui in Martyrologio Romano occurrit x Maji ; Maxentius vero, Constantius, (*adde Crescentium*) Justinus, Leander, Alexander, et Soter iidem, qui xii Decembris; proinde hi octo non indigenæ, sed huc translati. E contra 5.] soli Tyrsus, Hormisda, Papirius, Constans et Jovianus, rejectis adjectitiis qualitatibus ducis, consulis etc. Treviri fuerint, qui forte in una aut diversis persecutionibus occumbentes, E disjunctis primum tumulis conditi, deinde vero in hunc locum, recipiendo S. Paulino principaliter aptatum, collecti sunt. *In quæ pauca observo.*

et argumenta quædam

89 *San-Paulinianos Martyres, quorum in crypta servantur exuviæ, pro talibus vere habendos, illustrissimo viro lubens assentior : at aliunde Treviros fuisse allatos, non æque arridet, tum quod nullum id doceat antiquitatis testimonium, tum quod id Trevirensium traditioni adversetur. quæ si fidem non faciat, Martyres illos eodem loco et tempore passos fuisse, neque fidem fortassis faciet, singulos eorum martyres fuisse : si enim aliunde Treviros sive eodem, sive diverso tempore allatos fuisse, fingamus; fieri facile potuerit, ut unus pluresve eorum non martyres occubuerint, sed confessores obierint. Martyres Trevirenses sive Thebæos, sive indigenas arctioribus terminis, quam id a nonnullis factum sit, et ego circumscripsi : cum tamen multitudinem eorum saltem aliquam admiserim, ab Honthemio me hac ex parte discedere, diffiteri non possum; quippe, qui tom. I Prodromi Historiæ Trevirensis pag.* 75 *ita scribat :* Porro si qui ex San-Pauliniana crypta Martyribus Treviri sint, ex præstratis jam fundamentis facilius deducimur ad qualem qualem notionem numeri eorumdem. Scilicet : qui ex his Martyribus quatuor vel quinque indigenas esse statuerit, non F habebit nos sibi multum repugnantes : qui decem vel duodecim, difficile sibi onus probandi imponet : qui (nulla habita consideratione numeri sarcophagorum in crypta San-Pauliniana existentium) viginti vel triginta horum pugilum simul et semel sine duce, id est, EPISCOPO in Martio hoc Campo stetisse prætenderit, apud æquos et peritos harum rerum censores vix fidem inveniet.

in contrarium

90 *Fundamenta, quæ eo loci allegat, hæc sunt : silentium historicorum coævorum, silentium Martyrologiorum antiquorum, nec suspectorum, maxima Martyrum sine episcopo occisorum parum verisimilis multitudo : sed his omnibus jam occursum est. Præterea Trevirensem traditionem, veluti post sæculum* IX *tantummodo natam, et omni antiquitatis suffragio destitutam, et tabulam plumbeam, veluti post idem sæculum a rudi ineptoque scriptore confectam, parvi fecit Honthemius : sed primævam Trevirensium traditionem multo antiquiorem esse, eique dein interpolatorem multa, etiam inepta quædam, adjecisse, ex hoc* § *disputatis verosimile est : tabula vero plumbea sæculo* IX *ex dictis* § 2 *confecta videtur. Quod porro Honthemius ait, fieri potuisse, ut Treviris etiam ante æram episcopalem Christiani quidam vixerint, et martyrium subierint, inficiari nolim: sed neque asserere, si qui tales fuerint, fuisse illos ex eorum numero, qui in S. Paulini crypta tumulum*

A *tumulum sunt consecuti. Nec est, cur Palmatium Trevirensem cum Romano confundendum existimem, quamquam, si quis secus senserit, injustitiæ reum non agam. Imo contrarium suadent, quæ de utriusque reliquiis litteris prodita sunt : Palmatii enim Romani (adi tom. II Maji pag. 498 num. 3) corpus in cœmeterio S. Calepodii prope Urbem sepultum creditur, ibique, saltem pro majori parte, servatum videtur, cum illius brachium Roma Pragam anno 1355 attulerit Carolus IV, ut in Diario reliquiarum ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis apud Pessinam pag. 310 ad diem 10 Maji legitur. Contra anno 1556 S. Palmatii Trevirensis corpus partim in ossibus, partim in cineres resolutum, duobus tantum retentis ossibus paucisque cineribus, Boemundus, Trevirensis archiepiscopus, eidem Carolo IV concessit, ut ex transcriptis authenticis litteris ea super re datis habemus.*

afferri solita. 91 *Denique, quin Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander et Soter, ad diem* 12 *Decembris Martyrologio inscripti, iidem sint, qui in crypta San-Pauliniana reconditi sunt, iisdemque nominibus in tabula plumbea designati fuerunt, vix mihi dubium est; cum præter hos ejusdem nominis alii numquam Treviris cogniti fuisse videantur, idque citata a Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum monumenta abunde declarent:*

B *at inde leve fundamentum habetur, ut alio tempore vel loco passi et Trevirim translati dicantur : quod enim a Sociis ad diem* 5 *Octobris in Martyrologio Romano memoratis avulsi et ad diem* 12 *Decembris relati sint, non nisi per errorem contigisse videtur, vel ex mero eorum arbitrio, qui Martyrologium Romanum sub Gregorio XIII redegerunt. Sic existimo, quod laudati Martyres nec in Martyrologiis monumentisve Trevirensibus, nec in Molani, aliorumque Martyrologiis, unde Romanum coaluit, ad diem* 12 *Decembris memorentur : tutius proinde arbitror tabulæ plumbeæ fidem sequi, eosque pro Trevirensibus indigenis, pro Thebæis ducibus, pro consulibus et senatoribus habere, qui quidem in tabula hujusmodi appellationibus insigniuntur. Ceteris si ea demas, quæ in tabula non exprimuntur, me invito, non feceris.*

§ VII. Sancti Martyres quando passi sint, inquiritur.

Non diu post Agaunenses passi sunt MM. Trevirenses?

C **R***ursus in incerto vagamur : ex hactenus quidem disputatis Martyres aliquot Thebæos sub Rictio Varo Treviris pro fide occubuisse, probabilius est; verum quo sæculo, annove? Contigisse eorum cædem posteaquam cum suis Mauritius Agauni Maximiani jussu occubuerat, rei gestæ series suadet :* Rictiovarus, *inquit tabula,* Maximiani imperatoris præfectus, legionem Thebæam jussu ipsius circumquaque persecutus, hanc etiam urbem propter ipsos ingressus est. *Persequendis igitur legionis Thebææ reliquiis hac, illac dispersis Rictium Varum Maximianus destinavit. Sic post Agaunensium cædem Victor et Ursus Soloduri, alter Victor Massiliæ, Octavius, Solutor et Adventor Taurini, e medio sublati fuerunt. Porro avidior Christiani sanguinis Maximianus fuit, major ministrorum ejus in religionem Christianam atrocitas, quam ut Thebæos, quos seu fuga, seu absentia reliquos fecerat, passi fuerint, dudum esse superstites, nisi nefariis Maximiani jussis vellent obtemperare. Haud multum igitur temporis inter Agaunensium et Trevirensium Militum cædem effluxisse, verosimillimum apparet : at quoniam, quo anno martyrium Agaunenses subierint, haud satis exploratum est; nec certo edici potest, cui anno adscribenda sit Militum Trevirensium cædes.*

hi vero sub finem sæc. III, vel initium sequentis passi dicuntur:

93 *Ait Ruinartius in Actis Martyrum sinceris pag.* 274, *Agaunensium Martyrum pugnam ad Diocletiani et Maximiani imperatorum initia revocari, et ad annum* 286 *consignari posse, propterea quod eo tempore Maximianus in Galliis cum exercitu versatus sit : nec diffitetur, etiam serius figi posse.* Tempus passionis Sanctorum Agaunensium incertum, *inquit Pagius ad annum* 297 *num.* 4, aliis in hæc circiter tempora, aliis ad sequentes vel præcedentes annos illam referentibus. *Tillemontius id anno* 286 *innectit, ea opinione ductus, legionem Thebæam Maximiano contra Amandum ac Ælianum Bagaudarum duces, moventi, comitem fuisse; quod Acta Martyrum Agaunensium Suriana, non Eucheriana, illis antiquiora et præstantiora commemorant. Alii Thebæorum necem ad eam referunt Christianorum sub Diocletiano, Maximiano, alteroque item Maximiano, puta, Galerio persecutionem, quæ sæculi* IV *principio orbem Romanum universum pervagata est, et biennio Gallias, Eusebio teste, afflixit. Horum opinioni, velut probabiliori P. Joannes Cleus in suo de Martyribus Thebæis Commentario ad diem* 22 *Septembris calculum adjecit, sic tamen, ut eorum martyrium inclinato jam sæculo tertio illigari posse, Eucherianis, id est, genuinis illorum martyrum Actis insistendo, non eat inficias.* AUCTORE J. B.

94 *Huic et ego opinioni lubens subscriberem, nisi Galliarum sub Constantio Chloro statum iis Lactantius et Eusebius coloribus depingerent, ut sub eo martyria non admodum multa in Galliis contigisse videantur, quorum tamen seriem bene longam admittere necesse est, si ad sæculi* IV *principium Agaunensium militum cædes prorogetur. De Constantio ita Lactantius de Mortibus persecutorum cap.* 8. Constantium prætereo, quoniam dissimilis ceterorum fuit, dignusque, qui solus orbem teneret. *Et iterum cap.* 15 : Constantius, ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est. Verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit. *Caput vero* 16 *hisce verbis exorditur :* Vexabatur ergo universa terra, et præter Gallias, ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. *Quæ de Constantio Eusebius scribit, supra* § 4 *recitantur. Ait is quidem ad calcem libri de Martyribus Palæstinæ, primo persecutionis biennio, belli hujus furorem expertas esse Gallias; at hunc facile cum Lactantio concilies, si bellum hoc templorum quidem ruina, hanc permittente Constantio, non Gallico sanguine, nisi raro forte, stetisse affirmes. Lactantio atque Eusebio Donatistæ accedunt apud Optatum Milevitanum lib.* I, *ubi Constantinum Magnum, Constantii filium, sic alloquuntur in libello Precum :* Rogamus te, o Constantine, optime imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter ceteros imperatores persecutionem non exercuit, et ab hoc facinore immunis est Gallia, petimus, ut e Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua. *Accedit Eutropius lib.* X, *quo teste, Constantius* non modo amabilis, sed etiam venerabilis Galliis fuit, præcipue quod Diocletiani suspectam prudentiam, et Maximiani sanguinariam temeritatem imperio ejus evaserant. *sed priori sententiæ* E F

93 *Suspicantur nonnulli, Lactantium et Eusebium non commemorasse omnia, quæ in Christianos fieri Constantius sivit, eaque extenuasse, ut a Constantino gratiam inirent : verum si Constantino assentari voluissent, suspicari etiam possumus, nec Lactantium de templorum ruina, nec de vexatis biennio Galliis Eusebium, verba fuisse facturos. Siluerint illi fortassis minora quædam Galliæ Christianis illata incommoda; capitis tamen ab illis supplicium plerumque avertisse Constantium, luculente satis Lactantius prodit, dum ait :* Verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit, *quod quidem dicturum fuisse Lactantium, non autumo, si, ut templa dirui, ita et passus fuisset Constantius, Christianos occidi : Eutropius autem, qui Valenti imperatori lucubrationem suam de rebus Romanis inscripsit, hujusmodi suspicione plane immunis est. Respondent ad hæc alii, persecutionis initio, cum barbaris pugnante Constantio, non paucos Christianorum peculiari præsidum vulgique furore e medio fuisse sublatos. Fieri id fortasse in Galliis prius potuit, quam cœpta esset Diocletianæa persecutio,* *præ secunda standum esse,*

AUCTORE J. B.

cutio, quo tempore cum barbaris res Constantio non semel fuit : at barbaros non novi, adversus quos, fluente primo persecutionis illius biennio, dimicandum Constantio fuerit.

Galliarum

96 *Etenim e Tillemontii calculo anno* 292 *obsidione Bononiam cinxit, postero Francos e Batavia pepulit,* 296 *Angliam subjugavit,* 301 *aut potius sub annum* 297 *magno numero prope Lingones Alemannos fudit,* 303 *Augustus proclamatus est Kalendis Maji, elapso nimirum primo biennio persecutionis, anno* 303 *die* 23 *Februarii cœptæ, et restituta jam Galliis pace. Augusti titulum nactus nullam suscepisse ostenditur expeditionem, præter eam, qua Pictones sub vitæ finem aggressus est. Eumenius quidem in Panegyri, quam Constantino dixit, Bononiensi, Batavæ, Britannicæ et Lingonicæ expeditioni alteram quoque his verbis videtur adjicere.* Quid commemorem Lingonicam victoriam, etiam imperatoris ipsius vulnere glòriosam? Quid Vindonis campos hostium strage completos, et adhuc ossibus opertos? Quid immanem ex diversis Germanorum populis multitudinem, quam duratus gelu Rhenus illexerat, ut insulam, quam divortio suo idem amnis amplectitur, pedestri agmine ausa transmittere, repente laxato flumine clauderetur, et
B demissis statim obsessa navigiis, ita se dedere cogeretur, ut, quod difficilius est, forte communi eligeret ex se, quos captivitati daret, relatura cum reliquiis suis infamiam proditionis suorum. *Verum hæc omnia ad id tempus, quo Lingonica victoria potius est, passim referuntur.*

sub Constantio Chloro

97 *Sigonius lib.* I *de Occidentali imperio in hanc rem ita scribit ad annum* 296 : Quietæ inde post aliquot annos Galliæ novum ab Alemannis motum est bellum. Hi ea hieme, qua Diocletianus Augustus VI et Constantius Cæsar iterum consules, et Cassius Dio præfectus Urbis inierunt, cum Maximianum longe terrarum abesse viderent, Rhenum glacie concretum nacti repente trajecerunt, atque in Lingonas proximos illati, hostilia omnia facere institerunt. Quo nuncio Constantius excitatus, nulla mora interposita, cum exercitu promptissimo advolavit, atque in campis Vindonensium adversus hostes consedit, neque ita multo post, cum Alemanni pugnæ copiam facerent, in aciem prodiit. Quo prælio cum exercitu pulsus, ac saucius sese ad Vindonis oppidum (*vel ad Lingonensem civitatem, quod aliis placet*) hostibus in terga hærentibus retulit. *Narrat deinde, qui, instaurato eodem die prælio, Constantius sexaginta hominum millia ceciderit. Tum in hunc prosequitur modum :* Qui ex pugna evasere, cum se per glaciem fuga in Rheni insulam recepissent, repente flumine, cælo mite-
C scente, laxato clausi, ac mox navigiis dimissis, obsessi in deditionem venere.

statui

98 *Nec multum a Sigonio Guillimannus Rerum Habsburgicarum lib.* II *cap.* 2 *discrepat.* Multa, *inquit,* sub Romano imperio, et interea perpessam ab Germanis, et Allemannis præcipue Vindonissam, postremo sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus funditus perverterunt, et præsidio exsciso, aut profligato, vastatis omnibus, Allemanni ad Lingones usque, et Æduos populabundi evaserunt. Illis ad ea loca obvius Constantius Cæsar missu imperatoris Maximiani primo improspere, mox feliciter prælio defunctus, ad Vindonissam rursus repulit, collectosque ibidem, campo supra memorato, magna strage adfecit, totaque Gallia Rhenum ultra profligavit. *Browerus pariter ad annum* 296, *Alemannicis hisce motibus summam in Gallia tranquillitatem successisse, scribit, nec quidquam deinceps a barbaris motum memorat, donec in Gallias Franci denuo irruperunt, dum jam in Angliam copias Constantius transportarat.*

suadere videtur,

99 *Fieri itaque ex hic consequens videtur, Agaunensium et proinde Trevirensium etiam Martyrum certamen nec anno* 303, *nec* 304, *nec proxime sequentis initio contigisse : sed nec serius id figi potest, ne in Eusebium, qui persecutionem Diocletianæam vix duobus primis annis viguisse in Galliis, tradit, impingatur. Adde Maximianum, cujus jussu occisi* D *utrique dicuntur, anno* 303 *Kalendis Maji purpuræ et imperio nuntium remisisse; illorum autem martyrium Septembri et Octobri mensibus adscribi. Præterea, si qua fides Actis SS. Crispini et Crispiniani, eodem tempore, quo illi, vivere pariter Rictius Varus desiit, qui nostros quoque Martyres jussit interfici : Crispini vero et Crispiniani obitus ad annum circiter* 287 *a Castellano ad diem* 25 *Octobris, a Martyrologio Parisiensi anni* 1727, *a Longuevallio Historiæ Gallicanæ lib.* I, *a Tillemontio lib.* IV *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 461, *aliisque refertur. SS. Fusciani et Victorici Acta horum martyrio S. Quintini et Martyrum Trevirensium cædem a Rictio Varo peractam præmittunt : sed rursum Fusciani et Victorici martyrium sæculo* III *Tillemontius illigat. In Actis S. Piatonis, de Dionysio, Quintino, Luciano, Crispino et Crispiniano mentio fit; de quibus in Annotatis ad Acta* S. *Piatonis ad diem* 1 *Octobris pag.* 26 *ita Stiltingus :* Omnes Martyres hic nominati verisimiliter passi sunt ante S. Piatum, sed non diu ante, quandoquidem eodem tempore in variis Galliæ civitatibus prædicaverint : *atqui censet, probabilius S. Piatonem circa annum* 287 *martyrio coronatum : sicut ergo horum, aliorumque multorum Martyrum in Galliis passorum cædes passim sæculo* III *illigatur, idem* E *quoque de Agaunensium et Trevirensium Martyrum cæde, saltem ex communiori eruditorum opinione, statuendum videtur. Nec desunt alia, quibus jam dicta confirmentur.*

uti et S. Eucherii

100 *Sunt autem hæc : si Eucherii de martyribus Agaunensibus verba spectentur, videtur Maximianus exercitum, ad barbaras gentes vel in officio continendas, vel Romano imperio subjugandas comparatum, ad Christianorum et Agaunensium militum perniciem convertisse.* Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque militum turmis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiebantur : ac velut vacatione barbaris gentibus data, prorsus in religionem arma commoverat *Maximianus, inquit Eucherius : quasi dicat, eo furore adversus Christianos fuisse abreptum, ut barbarorum pene videretur oblitus, quorum tamen causa arma commoverat. Id ipsum etiam videtur innuere, cum ita prosequitur :* Erat eodem tempore in exercitu legio militum, qui Thebæi appellabantur..... Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant, viri in rebus bellicis strenui, et virtute nobiles *etc. : itaque ob fortitudinem et partam bello gloriam ab Orientis partibus acciti, Maximianum adjutum venerant, et hic proinde aut jam bellum aliquod adversus barbaros susceperat, aut in eo erat,* F *ut illud aggredereturque, utpote jam in itinere constitutus, ut iterum paulo post idem Eucherius ait :* Maximianus non longe aberat. Nam se circa Octodurum itinere fessus tenebat. *Nec enim admodum verosimile est, Thebæorum auxilio aut vagaturo huc illuc exercitu opus habuisse Maximianum, si solos Christianos persequi statuisset. Porro gesta a Maximiano bella ex antiquis scriptoribus tom. IV Historiæ Imperatorum Tillemontius operose collegit, nec tamen ab anno* 303 *usque ad annum* 303 *bellum aliquod cum barbaris gessisse, invenit. Exstat oratio panegyrica apud Johannem Livineium Maximiano simul et Constantino dicta, auctore incerto : is pag.* 129 *bellica Maximiani facinora recenset, redactas in ordinem Gallias, Romana signa barbaris gentibus trans Rhenum illata, domitam non semel Germaniam, subactos denique Mauritaniæ populos. Inde vero ad Maximiani anno* 303 *ad Urbem accessum dilabitur; ac mox neglectam a Maximiano Rempublicam Romanam et abjectum imperii clavum adulando conqueritur, siletque deinceps de rebus ejus bellicis, ut hac in causa post devictam Mauritaniam videatur non habuisse, quod diceret.*

verba quædam :

101 *Eutropius tamen lib.* IX *Breviarii, posteaquam victos a Constantio Alemannos, a Maximiano Afros, a Diocletiano Achilleum, a Galerio Persas fuisse, narravit, mox subdit :* Varia deinceps et simul

A simul et viritim bella gesserunt, Carpis et Basternis subactis, Sarmatis victis : quorum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt. *Verum hæc ad Galerium et Diocletianum spectare videntur : præmiserat enim Eutropius proxime :* Quare (*Galerius Narsei victor*) a Diocletiano, in Mesopotamia [cum præsidiis] tum morante, ovans regressus, ingenti honore susceptus est. *Quod si et Maximianus Herculius Carpis, Basternis, et Sarmatis expugnandis una cum ceteris operam collocavit, anno* 299 *id contigisse, ex Fastis Idatianis et Eutropio aiunt Tillemontius et Pagius. Duo igitur ex jam dictis consequi videntur; primum, exercitu fuisse stipatum Herculium et expeditione aliqua bellica contra barbaros occupatum, cum martyres Agaunenses jussit occidi : alterum, expeditionem illam ad primum persecutionis generalis biennium non posse referri. Quæ si ita sint, altera erit investiganda expeditio, quæ primum istud generalis persecutionis biennium (hoc enim elapso, desiit in Galliis persecutio) antecesserit.*

neque contrarium

102 *Verum, inquies, difficulter id credet, quisquis Eucherii verba, quæ persecutionem generalem aperte indicant, studiose pervolverit; ita enim habent :* Sub Maximiano, qui Romanæ Reipublicæ cum Dioclе-

B tiano collega imperium tenuit, per diversas fere provincias laniati aut interfecti sunt Martyrum populi. Idem namque Maximianus, sicut avaritia, libidine, crudelitate, cæterisque vitiis obsessus furebat : ita etiam exsecrandis gentilium ritibus deditus, et erga Deum cæli profanus, impietatem suam ad exstinguendum Christianitatis nomen armaverat. Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque militum turmis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiebantur : ac velut vacatione barbaris data, prorsus in religionem arma commoverat. *Addes et Acta S. Victoris Massiliensis* (*excusa habes tom. V Jul. pag.* 144) *Cassiano aut illustri quolibet sæculi* V *ineuntis scritore digna, quæ persecutionem generalem non minus aperte his verbis indicant :* Maximianus enim cum pro Sanctorum sanguine, quem per totum orbem crudelius ceteris, maxime per totas Gallias recentius fuderat, et præcipue pro famosissima illa beatorum Thebæorum apud Agaunum cæde, nostrorum plurimis nimis terribilis factus, Massiliam advenisset, ut secundum Scripturam impius adhuc impie ageret, cuncta illic crimina sua cum vita sua completurus, ne quid sibi deesset scelerum, pietati protinus insatiabilis tortor, velut parum hactenus fecisset, tota rabie bellum indicit, Christicolasque,

C nisi sacrificent idolis, exquisitis mortibus deperire jubet : tum vero tanta malorum nube oppressis perturbatisque nostrorum animis, invincibilis sese in medium Victor opposuit.

ex aliis S. Eucherii verbis,

103 *Fateor equidem, hujusmodi esse Eucherii verba, ut generalem sæculi* IV *persecutionem satis apte depingant, eique applicari non absurde valeant : id autem, cur necesse sit, non video : etenim cum tantum habeant, per diversas fere provincias laniatos martyrum populos; et de Maximiani quidem, sed non de Diocletiani, Galeriive in Christianos crudelitate loquantur, mihi quidem, quæ hic dicuntur, omnia de iis tantum provinciis, quæ Maximiano parebant, et de persecutione aliqua, quæ sub finem sæculi* III *facta sit, videntur etiam posse non absurde intelligi. Dein S. Eucherius, qui circa medium sæculum* V *floruit, ex aliorum relatione, qui S. Isaac, Gebennensem episcopum, audierant, martyrum Agaunensium Acta conscripsit. Isaac vero eorumdem martyrum gesta, Theodoro narrante, didicerat. Scopus scribendi Eucherio fuit, ne per incuriam tam gloriosi gesta martyrii ab hominum memoria, quod verebatur, tempus aboleret, quorum omnium Eucherius ipse testis est in sua ad Salvium epistola. Scripsit itaque martyrum Acta eo tempore, quo quidem rei gestæ memoriam nondum tempus interceperat, sed tamen, ne interciperetur, periculum erat, atque aliquod jam illi, quantum apparet, detrimentum attulerat. Sane multorum martyrum Agaunensium nomina jam tum excidisse videntur, cum de illis scripsit* AUCTORE J. B. *Eucherius; sic enim ait :* Hæc nobis tantum de numero illo martyrum comperta sunt nomina, id est, beatissimorum Mauritii, Exuperii, Candidi atque Victoris : cetera vero nobis quidem incognita; sed in libro Vitæ scripta sunt. *Porro eadem ratione ignorare Eucherius potuit, qua determinata Maximianæi imperii parte contigerit Agaunensium martyrum cædes; atque propterea satis habere, si temporum illorum, quibus Maximianus rempublicam Romanam administravit, generalem quamdam lectori suo exhibuisset notitiam, et sub Maximiano martyres illos passos fuisse, universim dixisset, relinquens interim in medio, determinatum, quo id contigerit, annum, sibi fortassis non satis exploratum.*

104 *Generalem sæculi* IV *persecutionem Acta* *aut Actis S. Victoris Massiliensis* *S. Victoris Massiliensis apertius indicant, cum aiunt, Maximianum, non Thebæorum modo, sed et multorum aliorum per totum orbem, et crudelius ceteris, puta Diocletiano et Galerio, quorum præcipua in Christianos persecutio sæculo primum* IV *inchoata est, sanguinem fudisse. Horum ego Actorum dignitatem imminutam nolim : sint ipso Eucherio, sint Cassiano digna; est tamen in illis, quod apud eruditos fidem difficulter inveniet. Aiunt enim, ut e verbis supra citatis liquet, Victorem pro fide* E *certamen in summo suorum discrimine iniisse Massiliæ, cum illuc vitæ simul et criminibus modum positurus Maximianus accessit. Igitur anno* 310 *Victor occubuisse dicendus esset, justo utique serius, cum eo anno Maximianus, redactus ad inopiam, vitam finierit laqueo.* Quis autem credat, *inquit Cuperus in Commentario ad Acta S. Victoris prævio n.* 24, tunc temporis Maximiano libuisse aut licuisse Christianos persequi, cum circa finem vitæ in maximis angustiis versaretur? Quis credat, S. Victorem, aliosve Christianos ejus jussu necatos fuisse anno Christi 310, postquam a Constantino ob rebellionem purpura et auctoritate privatus fuisset etc. : *sane eruditorum nemo, quod sciam, usque ad annum* 310 *S. Victoris martyrium differt; quod si loco suo illius necem moverit, quisquis illam descripsit, vereri merito etiam possumus, ne et martyrum Agaunensium necem, quam tum recens factam scribit, tempore non suo rauerit. Nihilo magis Mamertini me atque Eusebii auctoritas movet, cum Diocletiani et Maximiani initia, velut Christianis admodum prospera, exhibent, quippe quorum verbis apud nos ad diem* 22 *Septembris pag.* 333, *et apud Josephum de L'isle cap.* 15 *propugnati Thebæorum Martyrii, sufficiens solutio adhibita fuerit.*

105 *Quantumlibet igitur, collocandæ sæculi* IV *evincitur.* *principio martyrum Agaunensium cædi favere vi-* F *deri possint tum citata S. Eucherii verba, tum S. Victoris Massiliensis Acta, rem tamen ipsam non evincunt, quæque in contrarium attuli argumenta, salva consistunt. Quo vero sæculi* III *ad finem vergentis anno illa contigerit, alia causa est, hactenus liquido nondum decisa. Quiscumque demum rei peractæ annus seligatur, talis is esse debet ex Eucherio, quantum quidem mihi apparet, ut, illo currente, Maximianus una cum exercitu iter in Galliis ageret, vel in ordinem redacturus rebelles, vel cum barbaris pugnaturus. Annus porro hujusmodi non unus occurrit. Primus est annus* 286, *quo ad reprimendos Bagaudarum motus arma arripuit, et Gallias Romanis legibus reddidit. Anno* 287 *Alemannos, Burgundiones, Herulos, Francos et Saxones habuit hostes : sequenti arma ultra Rhenum barbaris intulit. Biennio circiter post e Galliis Mediolanum abiit, sed tempore hiemis, et paucis comitatus : rediit inde in Gallias, contracto fortasse in Italia majori militum numero. Anno* 293 *vel* 297 *in Africam copias duxit. Anno denique* 296, *proficiscente in Angliam Constantio, Rheno copias admovit, ut ab invadendis Galliis, absente Constantio, barbaros deterreret; quæ omnia fusius explicata tum apud Tillemontium tomo IV Historiæ Imperatorum, tum præcipue tomo VI Septembris pag.* 332 *et seqq. lector inveniet. Ex his dubium, quis annus ceteris sit præferendus :*

AUCTORE J. B.

rendus : plerisque annus 286 *arridet. Ego interim sic existimo, ut eo fere temporis spatio, quod ab anno* 286 *usque ad annum* 297 *effluxit, martyrum Agaunensium cædes, et proin Trevirensium etiam, quorum causa hæc dicta sunt, contigerit, et probabilius quidem anno* 286, *salvo tamen secus opinantium judicio.*

§ VIII. Variorum auctorum in Martyrum Trevirensium historia errores corriguntur.

Anonymus probabiliter quidem Thebæos a Diocletiano in Gallias missos ait :

Qualis quidem mihi probabilius visa sit Martyrum Trevirensium Historia, ex superius disputatis colligere quivis facile poterit : supersunt variorum placita hic vel discutienda vel refellenda ; ordior autem ab eo, qui Martyrum nostrorum Inventionem sæculo XI *litteris consignavit : is cap.* 1 *num.* 1 *legionem Thebæam, cujus pars Martyres nostri fuerunt,* ab imperatore Diocletiano ad vires hostium Romanorum conterendas transmissam, *nempe ad Maximianum in Gallias, scribit ; satis quidem probabiliter ; sic tamen, ut pro certis ista haberi nequeant : nam Eucherius Diocletiani nominatim*

B *non meminit, solumque dicit,* ab Orientis partibus accitos *fuisse Thebæos ; quod verum esse potest, etsi Maximianus ipse Thebæos ad se evocasset ex regione aliqua, quæ Galliis, ubi scripsit Eucherius, Orientalis esset : adversus autem Romani imperii hostes evocatos fuisse, ex Eucherio videtur colligi posse, tum ex eo, quod* in auxilium *Maximiano venerunt, tum ex eo, quod una cum exercitu Maximianus iter agebat, cum Thebæos occidit, uti testatur Eucherius. Genuinum Eucherii de Martyribus Agaunensibus Opus scriptor ille ignoravit : aliunde igitur ista deprompsit, nempe ex interpolatis Martyrum Agaunensium Actis apud nos editis tom. VI Septembris pag.* 345, *ubi, quæ hic Inventionis auctor scribit, reperiuntur.*

sed de tempore illorum martyrii loquitur inconsequenter :

107 *Eodem fonte profectum est, quod eodem capite dein his verbis scribit :* Deinde non absque ratione possumus et illud ex hac re conjicere, quod beatus Marcellus, Romanæ Sedis eodem tempore episcopus, inter alia militiæ Christianæ, quæ illis consilium ejus in urbe Roma quærentibus, seseque ab episcopo Hierosolymitano ad fidem Christi per baptismum initiatos esse confitentibus, contulit armamenta, hæc quoque necessitati eorum salubria providerit munimenta ; ut, quia contra Galliarum Christianos bellum suscipere cogebantur, ipsi Christianitatis nomen in hoc venerarentur, quo se Galliarum principibus conjungentes, et cum eis crucem Domini per patientiam mortis suscipientes, adaucto hoc modo sociorum numero, cumulata sibi passionum præmia adquirerent. *Verum scriptor noster, dum interpolata Martyrum Agaunensium Acta sequitur, secum hic ipse pugnat : dubium enim non videtur, quin, cum Thebæos milites ad suscipiendum in Galliis contra Christianos bellum coactos fuisse scribit, bellum adversus Bagaudas in interpolatis Martyrum Agaunensium Actis diserte expressum intelligat ; quod cum sub annum* 286 *a Maximiano confectum sit, sub eumdem Martyrum Thebæorum cædem contigisse, ex ejus verbis necessum est ; et rursum multo serius : nam ante annum* 296, *neque Marcellinus, neque hujus successor Marcellus, quem jam Pontificem a Thebæis consultum ait, S. Petri cathedram occupavit.*

quod faciunt etiam Gesta Trevirorum et Enenus :

108 *Acta Trevirorum apud Calmetum cap.* 28 *in eumdem scopulum impegerunt.* Anno, *inquiunt,* Dominicæ Incarnationis CCXCI Maximianus imperator Romanus, cognomento Herculius, propter frequentes Gallorum tumultus Thebæos milites in auxilium accersivit. Hi Thebæi ab antistite Jerosolymitano fuerant baptisati, deinde a beato Marcellino Papa Romano, qualiter sub armis Romanæ libertatis Christianam innocentiam custodire deberent, instructi : *anno autem* 291 *non Marcellinus, sed Ca-*

jus agebat Christi vicarium. Dices fortasse, Marcellinum nondum Pontificem salutaria monita suggessisse Thebæis, et solum per anticipationem Pontificem appellari : at vide, num satis conformiter ad eorum mentem, qui Trevirorum gesta conscripserunt. Utut sit, hæc pro incertis habenda sunt, utpote quæ fonte non satis puro promanarunt, nec S. Eucherio explorata fuerunt. Quæres hic etiam fortasse, quis fuerit Hierosolymitanus ille episcopus, qui Thebæos Martyres sacro fonte lustrasse perhibetur ? Si Joannem Enenum a Schekmanno Latinitate donatum, audis, fuit is Labdas, seu potius Zabdas, apud nos ad diem 5 *Maji Prætermissis insertus, et Hymenæi in sede Hierosolymitana successor. Sedit autem ab anno* 298, *teste Hieronymo in Chronico :* Anno Diocletiani XIV, Christi CCXCVIII ecclesiæ Hierosolymorum trigesimus septimus episcopus ordinatus Zabdas. *Fallitur igitur Enenus, etiam Martyres Thebæos a Zabda baptizatos scribens, et a Maximiano anno* 291 *occisos : malim itaque cum Papebrochio in Tractatu præliminari, tomo III Maji præfixo, baptizatorum Thebæorum laudem Hymenæo, qui secundum Hieronymum mox laudatum sedit ab anno* 268 *usque ad* 298, *quam Zabdæ adscribere, si tamen reipsa sit adscribenda alterutri.*

neque videtur verum, quod de Trevirensibus anno 291 *passis scribunt.*

109 *Quod denique ad annum Thebæorum martyrii ex Gestis Trevirensibus et Eneno jam memoratum attinet, is non plane ineptus est, cui dictum martyrium illigetur : etenim ex Tillemontii calculo Maximianus anno* 290, *tempore hyemis, e Gallia Italiam petiit, et cum Diocletiano Mediolani colloquium habuit. Quamdiu vero in Italia versatus sit Maximianus, haud liquet : inde fortassis mense Septembri anni proxime sequentis, auctis interim copiis, in Gallias rediit : neque Romanis Mediolano Treviros euntibus, ut per Alpes Graias Valesiamque, in qua Agaunum erat, iter instituerunt, inusitatum fuit. Maximianus quidem, Mamertino teste, in iisdem vestigiis diutius hærere non solebat : sed diuturniori in Italia moræ locum dare potuit summa tum temporis Romani imperii quies atque tranquillitas ;* Ne tantulum quidem, *inquit Mamertinus,* barbaræ nationes audent animos attollere, quod vos in interiora imperii vestri secesseritis, quin immo ipsi magis in vobis fiduciam pertimescunt, et quod se contemni sentiunt, cum relinquuntur. *At, inquies, tam diuturnæ Maximiani in Italia moræ obstat eadem illa Mamertini panegyris die* 21 *Julii anni* 291 *Maximiano in Gallius, imo forte Treviris, dicta : Treviris quippe sedem fixerat. Verum neque satis certum est, panegyrim suam secundam anno* 291 *Mamertinum habuisse : sunt enim nonnulla, propter quæ serius habita videri possit.* Inter varia, *inquit Cleus in Commentario prævio ad Acta Martyrum Agaunensium tom. VI Sept. pag.* 333 *num.* 138, quæ Mamertinus enumerat, venit rebellio Ormies Persæ adversus fratrem Varanem, quam, si anno CCXCI, ut censet Tillemontius, exorta est, mense Julio referre non potuit Mamertinus, tanto inde terrarum spatio semotus. *Plura in hanc rem vide loco citato. Hanc etiam a tumultibus bellicis et barbarorum incursionibus Romani imperii quietem fortassis indicavit Eucherius, cum eo tempore Martyres Agaunenses occisos dixit, quo Maximianus persequeretur undique Christianos, adjectis hisce particulis :* Velut vacatione barbaris gentibus data. *Hæc quidem anno* 291 *utcumque faveant ; magis tamen obstant, quæ num.* 52 *dicta sunt.*

Hos Pancirolus legionem integram constituisse,

110 *Ut Martyrum suorum numerum ultra modum Trevirenses auxerunt, ita et Thebæorum militum Treviris occisorum numerum æquo majorem Pancirolus adstruxit : is pag.* 54 *versa Notitiæ imperii Orientalis duarum Thebæarum legionum meminit, quarum uni Secundæ Flaviæ Constantiæ Thebæorum, alteri vero Secundæ Felicis Valentis Thebæorum nomen erat : has Pancirolus existimat duabus aliis, quarum una Treviris, altera Agauni occisa sit, successisse, nimirum Primæ Maximianæ Thebæorum, et Tertiæ Diocletianæ Thebæorum, quas, præter prædictas, Notitiæ imperii Orientalis pariter*

A *ter insertas videbat. Factane fuerit eo pacto legionum Thebæarum successio, non inquiro. Certe in eo labitur Pancirolus, quod geminam Thebæorum legionem, alteram Agauni, Treviris alteram, trucidatam statuat.* Tyrsum *enim cum suis, item* Bonifacium *cum suis ex eadem legione, qua Mauritius ejusque commilitones, fuisse, unamque dumtaxat Thebæam legionem sanguinem suum pro fide effudisse, omnis retro antiquitas credidit. Hanc porro neutram e prioribus fuisse, utpote a Constantio et Valente posteriorum temporum imperatoribus conscriptas, ipsa temporum ratio abunde ostendit. Nihil vero obest, quo minus prima Maximiana, vel tertia Diocletiana fuisse credatur, nisi quis fortasse contendat, deletæ apud Agaunum et alibi Christianæ Thebæorum legioni, utramque posteriorem, vel saltem alterutram postmodum fuisse substitutam, et Diocletiani vel Maximiani nomine insignitam, quod utique etiam sua probabilitate non caret. Lapsus hic Pancirolo proprius est.*

alii, fugisse e Maximiani castris;

111 *Longius manavit alter de Thebæis Trevirensibus, ut mihi quidem videtur, forte error, quo fuga sese Maximiani furori et supremo supplicio e castris subduxisse feruntur, quemque Enenus, quem Fridericus, aliique suum fecerunt. Ut vero id in errore positum forte esse, existimem, facit potissimum S. Aviti, Viennensis sæculo* V *episcopi, Homiliæ de*

B *Martyribus Agaunensibus fragmentum a Sirmondo nostro editum, cujus hoc principium :* Præconium felicis exercitus, in cujus congregatione beatissima nemo periit, dum nullus evasit, cum injustam sanctorum Martyrum mortem, quasi sortis justitia judicaret, qua bis super aciem dispersa mansuetam centuplex decimatis fructus adcresceret, et odio in prosperum suffragante, eatenus eligerentur singuli, donec simul colligerentur electi, ex consuetudinis debito, series lectæ Passionis explicuit. *Viden', eorum neminem, qui in castris Agaunensibus versabantur, ex S. Aviti sententia, seu ex legi tum solita martyrum Agaunensium Passione mortis supplicium evasisse? Alios alibi passos esse, Eucherius affirmat; qui ne cum S. Avito committatur, dicendus est S. Avitus, solum de iis agere, qui tum temporis in Maximiani castris apud Agaunum morabantur. Si itaque Trevirenses Milites e Thebæa legione fuisse, credimus, dici forte non possunt, desertis castris, profugisse, sed prius in Gallias missi, quam commilitones eorum reliqui apud Agaunum cæderentur.*

alii, totam civitatem Christianam invenisse;

112 *Turpius labitur anonymus noster, cum eo numero fuisse scribit tum milites Thebæos, tum Trevirenses indigenas Christiana sacra sectantes, ut*

C *Rictiovari assultibus non excipiendis modo, sed frangendis etiam pares fuissent, si arma viresque junxissent. Ita ille habet.* Verumtamen non est dubitabile, quin, si juncti Treviricis Thebani materialibus armis contendere vellent, præfecti illius Romanorum Rictiovari potentiæ resistere, et etiam prævalere satis possent, præsertim, cum ipsum Romanorum imperatorem Cæsarem cum omnibus, quas habere potuit, militum copiis, a solis civibus Trevericis diu multumque fatigatum fuisse, in Romanis ac Gallicis legamus Historiis. *In mentem id illi venire non potuit, nisi omnem pene Trevirensem civitatem Christianis sacris tum temporis imbutam fuisse, crediderit; quod, quantopere a rei Christianæ sæculo* III *apud Trevirenses statu abhorreat, in superioribus dictum est; nec cum iis, quæ tabula asserit, componi facile potest : ea enim teste, erant et inter optimates nonnulli, qui Christum occulte colerent : at qua tandem de causa, si civitas universa Christianis ritibus palam erat addicta? Errori tamen huic subscripsit Enenus, folio* XII *totam civitatem ad martyrium properasse, testatus : subscripsit etiam Browerus ad annum Christi* 268 *num.* 76 *paulo liberalius; quamquam, ut apparet, non sine scrupulo : sic enim habet num.* 79 : Porro qui ultra fidem veri excedere multitudinem tantam, existimant, tam immanibus suppliciis se obtulisse, illi res veteres, si secum reputant; discent a Lugdunensi Colonia; et in Asia reperient exempla, ubi Christiani ex omni civitate manu facta, mortis oppetendæ circumdedere tribunalia, ut territi multitudine præsides, etiam a supplicio desisterent. *Christianos Trevirenses, quibusvis etiam illorum temporum martyribus, fortitudine inferiores fuisse, non contendo; sed tanto numero fuisse, quanto quidem ille indicare videtur, non exterorum exemplo, sed domesticis probandum erat documentis; quæ florentem adeo sæculo* III *rei Christianæ apud Trevirenses faciem evictam darent.*

AUCTORE J. B.

113 *Nescio, an non per incuriam Martyribus Trevirensibus S. Secundum idem Browerus addiderit, num.* 74 *ita scribens :* Maximianus igitur, dum adhuc resistit in Alpibus cum exercitu, haud modicam præmittit militum manum, quæ Rheno secundo maturet, ad tollendum e medio Carausium. In his erant e Thebæa legione cohortes; quarum primam ducebant Tyrsus, Secundus et Bonifacius *etc. : et paulo infra :* Itaque Tyrsus et Bonifacius, Secundusque Trevirorum Augustam ingressi *etc. : quibus in verbis errorem duplicem mihi videor deprehendere; quorum alter in eo situs est, quod Maximianum anno* 286 *in Alpibus adhuc morantem, magnam militum manum misisse in Gallias scribit, qua rebellantis Carausii molimina retunderentur : prius enim Maximianus Bagaudas* E *protriverat, quam in rebellionis suspicionem Carausius adductus est; ita enim lib.* XI *scribit Eutropius :* Ita rerum Romanarum potitus (*Diocletianus*) cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, et factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent, duces autem haberent Amandum et Ælianum, ad subigendos eos Maximianum Herculium cæsarem misit; qui levibus præliis agrestes domuit, et partem Galliæ reformavit. *En protritos a Maximiano Bagaudas. Sic pergit Eutropius :* Post hæc tempora etiam Carausius.... cum suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, atque hac se occasione ditaret, a Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, et Britannias occupavit.

Browerus, contra Carausium anno 286 *in Gallias missos,*

114 *Alter vero error in eo situs, ut jam monui, quod S. Secundum* SS. Tyrso *et* Bonifacio *comitem tribuat : Secundi enim non modo tabula plumbea non meminit, sed nec Inventionis auctor anonymus, velut Treviris pro fide occisi : quin imo Gesta Trevirorum S. Secundum Ventimiliæ occisum, diserte affirmant.* Prælati sunt autem, *inquiunt cap.* 7, huic legioni duces duo, quorum unus Tyrsus, alter Secundus vocabatur, et Mauritius ejusdem legionis primipilarius : quorum ordine et nomine Secundus apud Albintimilium, Italiæ castrum, martyrio vitam finivit, *die fortassis* 26 *Augusti, quo illum Martyrologium Romanum, Ado item et Usuardus Albintimilii in Liguria annuntiant. Decepitne Browerum, quod in Inventionis sanctorum Martyrum Historia ut* Tyrsi *et* Bonifacii, *ita et Secundi nomen expressum invenerit, non tamen Secundi palæstram, atque propterea hunc illis socium haud satis prudenter addiderit? At ut ne id inde concluderet, monere ipsum debuerat Mauritii nomen ibidem memoratum. Itaque e Martyrum Trevirensium numero S. Secundus expungendus est, cui non nisi per errorem a Browero videtur insertus. Geminum vero fuisse in legione Thebæa Secundum, quorum alter Albintimilii, Treviris alter occubuerit, sicut geminus in eadem Victor fuit, comminisci, quidem facile quisquam potest, credi item absque idonea ratione non debet.*

et ex eorum numero fuisse S. Secundum,

115 *Porro verbis num.* 115 *citatis Martyrum Thebæorum Treviris occisorum numerum Browerus una cohorte definit; quod, licet minime certum sit, probabile tamen utcumque apparet; legio enim integra, ex S. Eucherii sententia, milites* 6600 *numerabat, in decem cohortes, teste Gellio, distributos : unde cohortem unam militibus* 660 *circiter constitisse, efficitur. Totidem vero Treviris pro fide occisos fuisse, inde probabile fit, quod* Tyrsus *et* Bonifacius, *cum Treviros adventarunt, divisis verosimiliter ex æquo copiis, hic quidem prope pontem Mosellæ, ille vero*

quot tamen ad cohortem unam probabiliter restringit;

AUCTORE J. B.

vero in campo Martio tentoria fixerit. Bonifacio *autem trecentos comites fuisse, creditum prius fuit, quam Martyrum Paulinianorum corpora inventa fuerunt, ut ex citato non semel auctore libelli de Successoribus S. Hildulphi in Vosago colligitur. His igitur si totidem fere cum* S. Tyrso *passi adjiciantur, milites circiter* 600 *seu unam circiter cohortem universi efficient. Addit alteram Cassio et Florentio, tertiam Gereone, quartam Victore ducibus in Gallias pervenisse, quod quo probabilitatis gradu gaudeat, alibi discuti poterit.*

Fridericus, omnes in S. Paulini ecclesiam

116 *Thebæorum aliorumque Martyrum sub Rictio Varo Treviris passorum corpora, partim Mosellæ fluctibus abrepta, partim in puteum quemdam vetustum congesta, partim per campum Martium hinc inde a Christianis fuisse sepulta, narrant Gesta Trevirorum cap.* 28 *et* 33. *Thebæorum corpora in S. Paulini ecclesiam a S. Felice postmodum fuisse translata, Fridericus cap.* 3 *generatim his verbis ait:* Quorum quippe patrum principes et populus Trevirorum adeo felicibus proficiebat doctrinis, ut ipsi etiam postea feliciores, cum innumerabili consorcio, duce videlicet S. Thyrso de legione Thebæa beati Mauricii ad urbem a facie Maximiani profugo sub Incarnationis anno Domini CCXCI per tres continuo dies, cruenta cæde per præfectum impiissimum Rictiovarum coronas martyrii pro fide Christi B constantissimis assertionibus attigerint. Quorum corpora felicissima in S. Paulini ecclesia et in ipsius crypta undique per felicissimum Felicem præsulem sunt recondita. *Contra de* S. Bonifacio *ejusque Sociis ita scribit auctor libelli de Successoribus S. Hildulphi in Vosago cap.* 1 : Qui vilibus mandati bustis a Christianorum populis, rabiem pertimescentibus gentilitatis, post plurimorum curricula annorum honeste reconditi, jacent in quadam basilicæ sancti Maximini cryptella. Et hoc peractum beati patroni nostri Hildulphi vigilantia : *cui quidem auctori præ Friderico saltem potior fides habenda est. Idem quoque Browerus refert, licet justo serius, ad annum* 758 *num.* 160. Interea, *inquit,* pone D. Hilarii cellam, ædem S. Joannis Euangelistæ nomini sacram, pontifex (*S. Hildulphus*) a fundamentis novam maximis impensis exsuscitat; huc, simul maturum fuit, celebri pompa cum D. Maximini, tum trecentorum martyrum Thebææ legionis, queis Bonifacius olim dux militiæ fuerat, venerandas reliquias infert, atque eas sepultura cum Agricio, Nicetioque communi afficit. *Ut adeo non omnium Thebæorum militum Treviris passorum corpora S. Felix in S. Paulini ædem intulerit; sed* Tyrsi *tantum ejusque Sociorum. Ad Thebæos milites in ecclesia S. Paulini sepultos revertor, et in tempus* C *factæ eorum translationis a S. Felice inquiro.*

a S. Felice fuisse translatos

117 *Ab anno circiter* 386 *S. Felix Trevirensem rexit ecclesiam, cui cum etiamnum præesset, Martyrum Thebæorum in S. Paulini ecclesiam translatio contigit. Inde Trevirensis ecclesia partim Ithacianis, partim Francicis motibus ad annum circiter* 388 *agitata fuit. Anno proxime subsequenti in Gallias Valentinianus, exstincto jam Maximo, venit, pacemque iniit cum Marcomiro et Sunnone Francorum ducibus. Post Maximum Eugenius arripuit Occidentis imperium; is circa* 393 *Francos bello aggressus, brevi pacem cum iisdem pepigit; denique circa annum* 399 *Trevirensis civitas a Francis primum vastata fuit, ut nonnulli auctores tradunt. Horum itaque temporum conditione considerata, probabile admodum existimo, S. Felicem ecclesiam, in quam Martyrum prædictorum reliquias intulit, eo condidisse temporis spatio, quod annum* 389 *inter et* 399 *intercessit; eodemque Martyrum ossa primum fuisse translata. Neque enim multo serius ista translatio fieri potest : concors enim est eruditorum opinio, S. Felicem paulo post concilium Taurinense, cui nimius S. Felicis in Ithacianos ardor displicuit, adeo, ut iis solum episcopis, qui se a S. Felicis communione separarent, communionem ecclesiæ impertiendam esse, statuerit, episcopalis muneris sarcinam abjecisse, et in* Ş. *Paulini a se conditum collegium sese abdidisse, ibique ætatis reliquum, quod breve fuisse aiunt, in* D *pœnitentia ab hominum cœtu remotum peregisse. Taurinense autem concilium anno* 398 *vel sæculo quinto vix ad unum alterumve annum provecto, celebratum volunt.*

circa annum 410, *perperam scribunt.*

118 *Fallitur interim Fridericus, S. Paulini præpositus, tum cap.* 11, *tum cap.* 20; *quorum priori scribit, Martyrum Thebæorum ossa a S. Felice in S. Paulini ecclesiam translata circa annum* 410; *altero vero, ipsam ecclesiam biennio circiter ante fuisse constructam : cesserat enim jam tum saltem annis aliquot episcopatu Felix. Colligitur id ex* 4 *Epistola Zozimi Papæ ad Africanos apud Labbe tom. II conc. col.* 1561, *ubi sic loquitur Pontifex :* Vetus Lazaro consuetudo est innocentiam criminandi : per multa concilia in sanctum Bricium coepiscopum nostrum Turonicæ civitatis diabolicus accusator inventus est. A Próculo Massiliensi in synodo Taurini oppidi sententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit post multos annos sacerdos, tyrannici judicii defensor civitatis Aquensium : cum contrairet afflicto in ipsum penetrabile et sacerdotale solium sanguine innocentis pene respersum irrupit : stetitque in eo hactenus umbra sacerdotii, donec tyranno imago staret imperii : quo loco post internecionem patroni sponte se exuit, et propria cessione damnavit. *Scripsit hanc* E *epistolam Zozimus anno* 417 : *tyrannus vero, cujus verbis mox citatis meminit, et cujus tempore Lazarus Aquensibus præfuit, Constantinus fuit, qui anno* 407, *Gallias occupavit, et anno* 411 *Arelate captus, ad Honoriumque transmissus capite cæsus est. Itaque secundum Zozimi verba a Taurinensi concilio usque ad Constantini tyrannidem, id est, usque ad annum* 407 *anni multi fluxerunt. Atqui paucis tantum, imo forte ne uno quidem integro, post Taurinense concilium Felix ex communi eruditorum sententia episcopatu cessit; atque adeo annis saltem aliquot ante annum* 407 *in S. Paulini ecclesia Martyrum Trevirensium collocavit exuvias.*

§ IX. Sanctorum Martyrum apud Treviros cultus.

Sanctorum Treviris cultum varia indicant monumenta,

Si ex una parte, *inquit Honthemius tom. I Prod. Hist. Trev. pag.* 73 de ingenti illo et veluti infinito numero Trevirensium Martyrum dubitare licet, ex alia vicissim sanæ traditionis regulis conforme videtur, quod inde a remotissimis temporibus aliquis Martyrum ossibus (quæ saxeis tumbis, hodieque in crypta San-Pauliniana conspicuis, atque ipsam majorem S. Paulini tumbam circumdantibus F recluduntur) cultus exhibitus fuerit : *qua in re illustrissimo viro propense assentior : horum enim Martyrum cultus saltem a sæculo quarto ad finem vergente, quo eorum ossa in S. Paulini ecclesiam probabilius intulisse S. Felicem,* §*superioredixi, initium sumpsisse, verosimile fit ex antiqua Trevirensium traditione, ex tabula plumbea, et litteris aureis Martyrum nominum usque ad sæculum* IX *conservatricibus. Præter hæc, sæculo* IX *antiquiora eorum cultus indicia, quæ quidem prudenter quis amplectatur, non inveni. Suggerit quidem aliqua in Annalibus Trevirensibus hinc inde Browerus, quæ sæculo* IX *vetustiora incautis videri possint, sed dubiæ admodum vel improbæ, quantum ad antiquitatem, notæ. Porro ea sic recensebo, ut simul dicturus sim, qua de causa eorum ætas dubia videri debeat, vel penitus etiam rejici.*

ut sacellum Numagense,

120 *Primum hujusmodi indicium occurrit apud Browerum ad annum* 286 *num.* 77, *concipiturque his verbis :* At postquam acervis oppleri corporum, et Martyribus tumulum unda præbere cœpit, inter congestas alte truncatorum moles, ægro nixu, ceu prigrior incedens Mosella, et summis undis puniceo colore paulatim nitescens, passuum decem millia sanguinolentus iisse proditur, usque ad vetus et augustum sacellum, quod Martyrum appellatione celebre ante Noviomagi Constantiniani ingressum,

A gressum, devehentibus ripa dextra, hujus memoria cladis, sese offert videndum. *Antiquum et augustum hic habes sacellum vel Martyribus Trevirensibus sacrum, vel certe ab illis* Sacellum Martyrum *appellatum. A quibus? Num a Paulinianis? Num a* S. Bonifacio *et ejus Sociis? Num denique a promiscua Trevirensium indigenarum tertio die occisorum multitudine? Censebit fortasse quispiam, sacellum illud a Trevirensibus Martyribus universim istud nominis invenisse. Sit ita: verum quando conditum? Quando* Martyrum sacellum *dici cœpit? Certe postcaquam falso credi cœptum est, omnem fere Trevirensem civitatem, Maximiani tempore, fuisse Christianam, et tam prodigioso suorum sanguine redundasse, ut Mosella vel ad tria milliaria decolorierit. Numagum usque Mosellam Trivirensium sanguine tinctum fuisse, Gesta Trevirensia, haud magnæ hac in re fidei, prima asseruerunt; et Trevirensium Martyrum multitudinem ultra modum auxerunt.*

sed anno 1071 *posterius;*

121 *Sacellum porro Numagense post annum* 1071, *quo citius Martyrum San-Paulinianorum ossa detecta non fuerunt, ab illis Martyribus nomen accepisse, ex eo liquet, quod ante id temporis Martyres suos omnino pene ignorarint. Obliteratam illorum memoriam ex Actis SS. Fusciani et Victorici, ex*

B *Hymno S. Paulini, et ex scedulis, nescio quibus, Normannicæ cladi ereptis, utcumque resuscitarunt. His moti documentis, et non aliis, Martyrum suorum corpora investigarunt; certe alia Inventionis auctor non enumerat: nihil itaque illi, licet rei gestæ æquali, de sacello Martyrum Numagensi innotuisse videtur, atque adeo tum temporis illud vel nondum exstiterit, vel* Martyrum Sacellum *dictum non fuerit. Numagum tertio lantum milliari Germanico Treviris abest: hic si ante Normannorum irruptionem sacellum istud exstitisset, cum hodieque conspicuum sit, Normannorum cladi superstes esse debuisset, et Martyrum Trevirensium memoriam luculentius conservasset, quam Acta SS. Fusciani et Victorici Trevirensibus peregrina, et paucorum manibus trita, vel Hymnus S. Paulini inter veteres Horreensis monasterii libros delitescens. Hinc igitur probari Martyrum cultus potest, sed recentior, seu anno* 1071 *posterior.*

ut S. Paulini epitaphium,

122 *Alterum Martyrum San-Paulinianorum cultus argumentum continet S. Paulini epitaphium ad annum Christi* 338 *num.* 98 *ab eodem Browero memoratum: sic habet:* Anno III imperii Constantii B. Paulinus ob Catholicam fidem extra Christianum nomen relegatus, et usque ad mortem exsilia mutando fatigatus Phrygibus et Miconibus (forte Lycaonibus) prædicavit, et fractis diis Gentilium,

C ecclesias fundavit, ad ultimum apud Phrygiam multis tormentorum generibus exquisitus, capite cæsus est II Kalen. Septembris an. CCXCV Incarnati Verbi, et miraculis magnifice clarificatus a S. Felice Trevirim ex Phrygia translatus, cujus gratiam et intercessionem, Martyrum quoque sub Rictiovaro (passorum) gloriam et coronam fidelium populus hic adorat, et voti compos veniam exorat. *Hic Martyres, utique illos quorum corpora S. Felix una cum S. Paulini, corpore in San-Pauliniana ecclesia condiderat, a Christi fidelibus invocatos habes: verum quæ epitaphii fides et antiquitas? quis illius auctor?* Ferunt autem, *inquit Browerus supra citatus,* cum B. Paulini cineres in humiliore sub odeo crypta servari, minime dubium sit, marmoreum id, quod dixi, saxum (*cui mox allatum epitaphium inscriptum fuit*) ex tabulis, sepulchri in morem compositis Caroli Magni ævo ab Amalario Fortunato, Trevirorum antistite, cineribus sacris eo transferendis exstrui cœptum; sed opere necdum perfecto, Fortunatum jam exstinctum, quem B. Paulino paraverat, ipsum adeptum fuisse tumulum.

nec ipsum valde antiquum;

123 *Verum epitaphium illud, utut characteres habeat scitos, et ipsa vetustate, ut Browerus ait, blandientes, haud tantæ antiquitatis apparet: etenim S. Paulinum martyrum numero inserit; quæ quidem de S. Paulino quorumdam opinio haud ita*

pridem nata est; nec antiquorum de sancto præsule testimoniis satis congruit; quos inter S. Hilarius in Fragmentis, anno 1598 *Parisiis editis, in Constantium imperatorem his verbis invehitur:* Ipsum (*S. Paulinum*) usque ad mortem demutasti exsiliis et fatigasti: extra Christianum quoque nomen relegasti. *Exsiliis vel ad mortem defatigatum, Hilarius scribit, non capite cæsum. Inter Calendaria Trevirensia antiqua, ab Honthemio edita, solum ultimum, quod sæculi* XIII *exeuntis fuit, S. Paulinum* Martyrem *nominat; primum, quod sæculi* X *fuit, diserte* Confessorem, *reliqua vero nec martyrem, nec confessorem. Et longe quidem a vero abit laudatæ inscriptionis auctor, cum Reginonem, ut Browerus autumat, secutus, anno* 293 *S. Paulini mortem illigat; quippe qui sub annum* 360 *e vivis abierit ex Hieronymi Chronico: Operi vero suo finem imposuit Regino anno* 908, *ut in sua ad Alberonem, episcopum verosimilius Augustæ Vindelicæ, Epistola, ipse testatur. Neque majoris sunt antiquitatis versus, qui Broweri ætate per cavos San-Paulinianæ cryptæ fornices deducti legebantur:*

Quam bene pontifici Dux, Patritiusque cohærent,
Gallica Palmatius, Thebæa dat agmina Tyrsus,
Ducit uterque suos, et ducit utrumque sacerdos. E

et S. Felicis sequioris pariter ævi;

124 *Eumdem sequioris ævi characterem habet S. Felici inscriptum epitaphium, quod Browerus memorat ad annum* 396 *et segq. num.* 211 *his verbis,* Hic requiescit S. Felix, Trevirorum archiepiscopus, qui hanc ecclesiam supra sepulchra Martyrum Thebææ legionis construxit, qui et B. Paulinum a Phrygia translatum inter eosdem Martyres martyrem medium collocavit. *Nam et hic S. Paulino martyrium diserte adscribitur. Sequioris præterea ævi suspectum facit inserta illi vox* archiepiscopus: *quamquam enim olim illa fuerit usurpata in Oriente, ab Occidentalibus tamen serius adhiberi cœpit, et paucissimis ante sæculum* IX *in usu fuit, ut lib.* II, *cap.* 2, *num.* 13 *de Re diplomatica Mabillonius scribit: hinc Numerianum, Trevirensem archiepiscopum, in Privilegio, quod circa annum* 664 *San-Deodatensi monasterio dedit,* archiepiscopum *scribarum vitio nuncupatum, suspicatur; et Honthemius in diploma Pipini regis, quo Weomado et ecclesiæ Trevirensi ecclesias S. Maximini, Paulini etc. anno* 761 *confirmat, sic observat inter alia:* Archiepiscopi nomen ante seculum nonum in Occidente rarissimum, suspicione non caret.

et pro sæculo quidem VII, VIII *et* IX *eorum translationes et litteræ aureæ;*

125 *Sæculo septimo et octavo viguisse Treviris Martyrum Thebæorum cultum, probat eorum in S. Maximini monasterium, et* S. Bonifacii *ad Medianum monasterium per S. Hildulfum tum facta translatio, assertaque ab auctore, qui verosimiliter prius aliquanto scripserit, quam anno* 1072 *tabula plumbea reperiretur. Nec enim verosimile apparet, partem eorum, a S. Hildulfo translatam, cultum obtinuisse tum temporis; reliquam vero partem, jam olim in San-Paulinianam cryptam per S. Felicem translatam, sine cultu fuisse; hunc porro cultum sæculo* VIII *et* IX *usque ad Normannorum irruptionem perseverasse, suadent litteræ aureæ in cryptæ pariete descriptæ, et Trevirensium sollicitudo, ut ex hominum conspectu, imminente barbarorum incursione, tollerentur, ne qua sacris corporibus irrogaretur injuria. Qui vero illatæ Trevirensibus a Normannica gente cladis tum magnitudinem et immanitatem, tum subsequentium annorum perturbationem, cujus ante memini, attente perpenderit, minime profecto mirabitur, Sanctorum deinceps memoriam cultumque ad nihilum recidisse, donec retectis sæculo* XI *eorum corporibus, pristina, imo majori in luce sunt collocati.*

pro sæculo XI *cryptæ Paulinianæ ampliatio,*

126 *Vix Martyrum suorum corpora, effracta non sine archiepiscopi Udonis licentia S. Paulini crypta, repererant sub annum* 1071 *canonici, quin ad revocandum promovendumque illorum cultum appulerint animum: quapropter tum Udoni, ceterisque Trevirensibus Optimatibus, tum ipsis S. Paulini canonicis placuit in primis, ut collocandis commodiori*

AUCTORE J. B.

AUCTORE J. B.

ordine Martyrum corporibus vetus crypta ampliaretur, ut cap. 3 *num.* 27 *Inventionis auctor ait :* Nam cum, sicut prædiximus, facta per misericordiam Dei hac Sanctorum revelatione, domno nostro archiepiscopo Udoni, hujusque principibus placuisset, ut cripta sanctorum corporum collocationi competenter amplificaretur, necesse fuit, ut plurimum terræ ex eodem loco purgando portaretur. *Antiquum corporum situm Inventionis auctor cap.* 2 *num.* 18 *ita describit :* Fracta igitur cripta, inventa sunt circa sarcofagum S. Paulini sex sarcofaga, quorum duo lateribus ejus apposita fuerunt (Tyrsi *nempe atque Palmatii*) quatuor vero pedibus ejus ita altrinsecus adhæserunt, quod utrimque duo ex eis steterint (*hinc nimirum Constans et Jovianus; illinc Hormisda et Papirius*) item ad caput ejusdem S. Patris nostri septem sarcofaga sanctorum Martyrum (*septem nempe Senatorum*) totidem corporibus aromatizantia, fuerunt locata. Hæc vero omnia sic colligaverat locantium industria, ut factis fornicibus singulis super sarcofagis binis, nullus, ut dictum est, locus daretur eis movendis, nisi moto prius altari præcipuo monasterii. *Situm vero hodiernum Honthemius Historiæ Martyrum Trevirensium* § 4 *schemate expressum exhibet, ex quo apparet, septem senatorum corpora olim con-*

B *juncta, ampliata jam crypta, sublatisque fornicibus, sic fuisse divisa, ut hinc tres, illinc quatuor eorum tumuli, ad cryptæ latera remoti fuerint; ex quatuor vero tumulis, qui bini utrimque S. Paulini pedibus olim adhærebant, utrimque unum ad cryptæ latera fuisse motum; reliqua vero duo ex adverso pedum S. Paulini conjunctim collocata.*

et oratorium ab Egelberto, Trevirensi ep., constructum,

127 *Udonem in cathedra Trevirensi Egelbertus excepit : is egregiam quoque Martyrum Trevirensium cultui promovendo symbolam contulit. Rem refero verbis Broweri ad annum* 1088 *num.* 97 : Substructum etiam hoc tempore, et consecratum ab Egelberto augustissimum oratorium, Martyrum Trevirensium, quod in D. Paulini cœmeterio insigni religione supplicantis istic assiduo populi, tum aggestis sacrorum ossium acervis venerandum conspicitur. Atque hoc ipsum religiosissimum illud Trevirorum sacrarium est, unde tot, tamque exoptati a bonis, hac nostra memoria, sanctorum Martyrum cineres deprompti, non in remotas tantum et extremas Europæ oras perlati sunt, sed et Africæ immensitatem, quam vasta est, Arabiæque ac Persidis extrema circumvecti, longissimo marium cursu, non sine ingentium testimonio miraculorum, patrum Societatis Jesu opera, studioque in Japones Chinasque, non solum in Indiarum deserta penetrarunt. Unde factum est, ut Trevirensium Sanctorum, qui in Galliarum angulo delitescebant, alio in orbe nunc etiam præcellens memoria vivat.

C

quod hodieque in veneratione est,

128 *Porro, notante Honthemio, oratorium illud in magna veneratione est, quarto præsertim, quinto et sexto Octobris die, et vulgo* Martyrum sacellum *dicitur, verosimiliter ob copiosas illorum reliquias, de quibus Browerus verbis proxime adductis loquitur. Verum unde illæ erutæ, et quando in dictum sacellum illatæ fuerunt? Refert Inventionis auctor num.* 22 *et segq. cum jam in eo essent operarii, ut egestam cryptæ ampliandæ causa terram in paludem quamdam efferrent, os quoddam inventum esse, quod sanguine manavit; quo quidem prodigio, qui aderant, monitos sese putarunt,* de adhibenda scilicet majori propter hoc signum reverentia, et ipsis Sociorum ossibus, et eorum cineribus : *itaque terram prope Martyrum tumulos effossam, et in acervum congestam digniori loco commiserunt :* Cujus acervus, *inquit ille,* dum Galaath, hoc est, Acervus Testimonii, non immerito vocaretur, factum in osse, quod huic supposuit fuerat terræ, miraculum omni posteritati loqueretur. *Evanuisse autem hunc acervum, rursum Honthemius notat. In eam igitur opinionem adducor, sanctorum Martyrum reliquias non paucas anno* 1071 *aut* 1072 *ex ipsa S. Paulini crypta (quod ad earum fidem non parum facit) fuisse effossas, easque dein anno* 1088 D *ex acervo illo collectas in recens conditum sacellum fuisse illatas, quod propterea* Sacellum Martyrum *vulgo audierit.*

et Sanctis verosimiliter dicatum.

129 *Ceterum sacelli hujus dedicationis inscriptionem sua ætate superstitem etiam Browerus exhibet, qua, cum S. Mauritii socii nominantur, Thebæi Martyres, Treviris passi, etiam verosimiliter comprehenduntur.* Lapis marmoreus, *inquit Browerus,* in ædiculæ frontispicio collocatus, litteris incisam hujus dedicationis memoriam : et Egelberti nomen in præsentem usque diem ostentat. *Sequitur inscriptio his verbis concepta :* Anno Incarnationis Domini MLXXXVIII, Indictione XI, X Kalendas Oct. ab Egelberto, Trevirorum archiepiscopo, dedicatum hoc oratorium, rogatu Cuononis præpositi, in honore S. Crucis, et S. Mariæ Matris Domini, sanctique Michahelis Archangeli, et S. Mauritii sociorumque ejus, et omnium Sanctorum. In cujus altari condidit de sepulchro Domini. Reliquias Lazari, amici Domini, ac SS. Martyrum Pancratii, Sebastiani, Diogenis, nec non SS. Virginum Barbaræ, Cæciliæ, regnante Heinrico imp. III anno imperii sui quinto. *Henricus III, alias, computato inter hujus nominis imperatores Henrico Aucupe, quartus anno* 1084 *Romæ coronatus est ab Antipapæ Guiberto.* E

Alia quædam Sanctorum apud Treviros cultus

130 *Sub eodem Egelberto, Trevirensi episcopo, S. Paulini basilica combusta fuit : sed dein Adelberti et Rudolphi, ejusdem ecclesiæ præpositorum, industria, minori tamen amplitudine instaurata, ac demum ab Eugenio III, Pontifice maximo, anno* 1148 *denuo consecrata. Neque vero nulla tum quoque temporis Martyrum, Treviris passorum, est habita ratio : nam et eorum honori consecrata est crypta S. Paulini a Balduino, Cæsareæ Palæstinæ archiepiscopo, et eorum reliquiæ tum in altari S. Matthiæ, tum in altero, SS. Apostolis et Joanni Baptistæ dicato, collocatæ fuerunt, ut Fridericus docet, de S. Paulini ecclesia cap.* 23 *ita scribens :* Ipsa vero die (*pridie Kal. Februarii*) consecrata est crypta et altare in ea a supra dicto Baldewino, Cæsareæ Palestinæ archiepiscopo, in honore S. Mathiæ Apostoli, sanctissimi Paulini episcopi et martyris, cujus corpus, ut diximus, ibidem requiescit, et in honore SS. Martyrum Thebææ legionis. *Tum vero positarum in illo altari reliquiarum seriem claudens ait :* Et reliquiæ SS. MM. Thebææ legionis : *ac post pauca ita prosequitur :* Ipsa die consecratum est altare in dextro latere monasterii versus Occidentem, quod dicitur Novum, in honore omnium SS. Apostolorum, et S. Johannis Baptistæ, *cujus enumeratis reliquiis, denique iterum subjicit :* Et reliquiæ sanctorum Martyrum Thebææ F legionis.

a sæculo XII

131 *Neque vero* XI *et* XII *tantum floruit Treviris Thebæorum Martyrum ibi passorum cultus, sed subsecutis etiam sæculis, cujus aliquot hinc inde vestigia legam, ut nihil hic de propagato ad exteros eorumdem late cultu et veneratione dicam, qui quam longe lateque per orbem diffusus fuerit, colligi facile ex iis poterit, quæ de sparsis eorum quaquaversum reliquiis infra dicentur. Fridericus, S. Paulini præpositus, anno* 1402, *ut quorumdam susurris, S. Paulini caput in Phrygia remansisse, dictitantium, obviam iret, S. Paulini tumbam, privatis coram testibus, reclusit, indeque exceptum S. Paulini caput omni populo non modo publice spectandum præbuit, verum etiam anniversariam celebritatem, profuso eam in rem patrimonio, instituit, qua ad cultum et venerationem Sanctorum, in S. Paulini ecclesia quiescentium, tres quotannis in pervigilio translationis S. Paulini congregationes, canonicorum una S. Simeonis, monachorum duæ S. Maximini et S. Mariæ ad Martyres, S. Paulini ædem frequentarent, et solenni ritu Vesperas decantarent. Qua occasione Martyrum etiam Thebæorum cultui consultum voluit : ita enim Fridericus ipse scribit c.* 16 *de S. Paulini ecclesia :* Instituit, ut semper vigilia translationis prælibatæ, solemnes ecclesiarum sanctorum Maximini cum Antiphona

A Antiphona de S. Paulino, Simeonis cum Antiphona de pluribus Confessoribus, ac B. Mariæ ad Martyres cum Antiphona de pluribus Martyribus, processiones ad ecclesiam sanctissimi conveniant Paulini, pro Vesperis ibidem solempniter celebrandis, ac post Antiphonam super Magnificat memoria fiat omnium Pontificum et Confessorum. Demum ad criptam, omnium Martyrum in memorata ecclesia quiescentium.

ad nostram usque

152 *Breviarium secundum usum monasteriorum SS. Maximini, Willebrordi et Naboris, anno* 1600 *a S. Maximini monachis editum, de* S. Tyrso, *Palmatio et Sociis Officium exhibet; quod ex communi de pluribus Martyribus passim desumptum est. Oratio principalis ita habet :* Deus, qui SS. tuis Thyrso, Bonifacio, Palmatio, Sociisque eorum ad hanc gloriam veniendi copiosum munus gratiæ contulisti, da famulis tuis suorum veniam delictorum, ut Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereamur adversitatibus liberari. Per Dominum. *Oratio post Evangelium :* Attendite a fermento Pharisæorum : Præsta, quæsumus Domine Deus noster, ut sicut populus Christianus beatorum martyrum tuorum, Thyrsi et Palmatii, Sociorumque eorum temporali sollennitati congaudet, ita perfruatur æterna : et quod votis celebrat, pio apprehendat effectu. Per Dom. *Oratio ad*

B *Sextam :* Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui gloriosos martyres Thyrsum, Bonifacium et Palmatium Sociosque eorum fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dom. *Oratio ad Nonam :* Deus, qui nos concedis *etc. Itaque et in cœnobio Epternacensi, S. Willebrordo et in Divodurensi seu Metensi, S. Nabori sacro, cultum Martyres nostri habuerunt.*

ætatem

153 *Lectionarium, de Sanctis quibusdam Trevirensis Officii inscriptum et Treviris anno* 1643 *typis Huberti Reulandt excusum, ad diem* 4 *Octobris Lectionem propriam de* S. Tyrso *et Sociis Martyribus Trevirensibus habet hujusmodi :* Thyrsus cum Sociis Thebææ legionis ad supplicium exquiritur. Unde Rictiovarus, accepto ab imperatore mandato, eum Trevirim usque persecutus est; et mox, occupato urbis loco, quem Campum Martium, idolomaniæ gentilium sedem, celebrant; istuc, advocata concione peregrinorum militum, accersiri jubet : Thyrsus haud cunctanter obsecutus cum prodiisset, ad sacrificandum diis et Christianum nomen insectandum solicitatur. Cum vero Thyrsus dux isthoc tam nefando sacrilegio, et tanta in Deum, optimum parentem, contumelia motus, respondisset, mortem sibi suisque jucundiorem

C fore, Rictiovarus, ut Christiano nomini jam dudum infensus, sternere confestim eum jubet, ac ferro sævire in Thebæorum viscera ferocem militem. Nec mora, discurritur ad imperium tyranni, gaudetque cædibus innoxiorum satelles, quarto Nonas Octobris, quo tyrannus urbem introiit. Imbutis autem jam sanguine plurimo dextris, ad extremum Interfectorum abjecta sunt cadavera. Thyrsus autem S. Paulini corporis sinistrum latus in ecclesia, a S. Felice archiepiscopo extructa, claudit.

propagati

154 *Quam celeber fuerit Martyrum Trevirensium apud exteros et incolas cultus sæculo proxime elapso, etiam intelligitur ex iis, quæ in Gestis Trevirorum cap.* 200 *apud Honthemium pag.* 896 *a Joanne Kenn, ad S. Florinum cantore, et scriptore æquali, exarata leguntur. Destet laudatus auctor illatas anno* 1675 *a Gallis tum monasteriis Trevirensibus ruinas, tum ipsis Sanctorum reliquiis injurias, sed ita ut Martyrum nostrorum ea tempestate celebritatem non obscure prodat. Verba ejus, quæ huc faciunt, hæc sunt :* Jacet, dirutumque est vetustissimum quoque DD. Paulini canonicorum collegium, ædem sacram, multasque circum domos complexum. Uterque locus (*SS. Maximini et Paulini*) sanctorum hominum monumentis et hic imprimis ossibus reliquiisque sanctorum Martyrum sub Rictiovaro occisorum plenissimus, exteris et incolis venerandus, et quotidianis fere processionibus hominum, Deum in Sanctis suis venerantium, adiri solitus. *Videri apud laudatum auctorem cetera possunt, cui si fides habenda est, Gallorum aliquibus non impune cessit, Sanctorum reliquias male habuisse, et monumenta diruisse.*

AUCTORE J. B.

documenta.

155 *Funesta iterum anno hujus sæculi decimo tertio Trevirensibus calamitas incubuit : nam præter belli, quibus premebantur, mala, ingentem omnibus metum pestis incusserat. Hæc in Septentrionalibus oris exorta, finitimas Germaniæ partes corripuerat, jamque in Austriam pervaserat. Itum est malo obviam, ac diligentissime cautum est, ne quis serpenti malo aditus panderetur : sed rati sunt Trevirenses, plus sibi præsidii fore in Sanctorum suorum patrocinio, quam abhibita quacumque cautione humana. Itaque Carolus, Trevirensis archiepiscopus, ad universos diœcesis suæ fideles efficacissimas litteras dedit, quibus omnes ac singulos ad exoranda Sanctorum Trevirensium patrocinia vehementer hortatus est; quos dum enumerat, populoque proponit, inter Trevirenses tutelares Sanctos, Martyres quoque nostros recensuit.* Flectamus genua, *inquit,* et corda nostra hoc acceptabili Dominici Adventus tempore, Regi pacifico, qui pacem annuntiat hominibus bonæ voluntatis, humiliter occurramus, Patremque misericordiarum ac Deum E totius consolationis per intercessionem B. M. V. consolatricis afflictorum, SS. Tutelarium nostrorum, S. Matthiæ Apostoli, SS. Archiepiscoporum et Martyrum Trevirensium, S. Caroli Borromæi, SS. Sebastiani et Rochi, specialium adversus pestem patronorum, corde contrito et humiliato deprecemur pro avertendis ulterioribus flagellis *etc. Nec dubium ullo modo est, quin piis præsulis sui monitis Trevirenses libentissime paruerint. Qualis itaque Treviris fuerit, maxime a sæculo* XI, *horum Martyrum cultus ex jam dictis liquet; at quam longe lateque ad exteras quoque provincias propagatus fuerit, ex iis, quæ infra de missis alio eorum reliquis dicentur, apparebit.*

§X. Sancti Martyres prodigiis illustrantur.

Detectis MM. tumulis varia succedunt prodigia :

Ad promovendum augendumque domi forisque Martyrum cultum non parum fecit prodigiorum, quæ illorum intercessione operari Deus dignatus est, frequentia. Describit illa anonymus noster cap. 3 *et* 4, *rebus, quas narrat, æqualis; non sic tamen ut omnia persequatur, sed e multis pauca recenseat :* Ex his igitur aliqua.... breviter notamus, *inquit num.* 22 : *et rursum num.* 27 : E quibus (*miraculis ad tumbas Martyrum in S. Paulini crypta quiescentium patratis*) nostræ nunc memoriæ succurrenita, breviter sunt designanda. *Fidem vero meretur eo majorem, quo debuit esse in scribendo cautior, propterea quod non deessent, qui scribentis errores aut fabulas redarguerent, de quibus nimirum sub initium cap.* 3 *ita ait :* Nec tamen defuit in ipso fidelium Dei collegio (*an S. Paulini?*) ecclesiæ malignantis dissensio, quæ hæc divinæ miserationis beneficia non, quanta debebat, reverentia suscipiebat. Sed spiritu instigata maligno dentibus ea lividis laniare præsumebat. *Hæc porro non de miraculis, sed de tabula plumbea, quæ nonnullis parum credulis falsi suspicione laborabat, intelligenda sunt. Primum vero, quod anonymus miraculum narrat, hujusmodi fuit.*

F

et quoddam

157 *Detectis Martyrum tumulis, ut supra dixi, amplificandæ atque ad augustiorem formam revocandæ Paulinianæ cryptæ canonici incubuere : at quoniam S. Paulini monasterium adeuntibus huic vicina palus erat incommodo, placuit canonicis, ut effossa sive e S. Paulini crypta sive e vicinis contiguisque locis terra oppleretur, quo facilior pateret ad monasterium via. Paludi vero unus e canonicis vicinas ædes habebat, qui, dum congestam ante ædes terram æquat, ossium quorumdam frusta forte fortuna offendit; quæ sanctorum Martyrum esse ratus, tollit*

AUCTORE J. B.

tollit ex iis unum, sordibusque purgatum ædibus suis infert, et famulæ curæ committit, dum, quo par esset loco, reconderetur. Rogat illa contemptim, cur id dignum veneratione sit? muliebris tamen supellectilis scrinio includit. Sed levitatis suæ, flectente in vesperum die, pœnas non leves dedit. Jam enim cœnandi tempus aderat, cum corripitur subito vehementi cordis dolore, et, voce interclusa, ad extrema deducitur. Affertur miseræ, in quod os illud conjecerat, scrinium, ut inde liquorem medicum leniendo malo idoneum promeret. Vix id recluserat, quin et copiosus ex osse sanguis eruperit, et omni dolore vacuam sese senserit mulier.

sanguinem fundet,

138 *Stupere omnes, qui aderant, spargi illico per urbem miraculi fama, concurrere ad S. Paulini abbates, præpositi, chorepiscopi, decani. His coram manans ex osse cruor non semel transfunditur in scrinium, sed altero redundante continuo. Convocatur in templum æris campani sonitu populus ad tam inusitatæ rei spectaculum, quod ab hora nona Sabbathi usque ad sequentis feriæ 2 tertiam tenuit. Posteaquam vero prodigium istud manare longius per hominum ora cœpit, magnam variis e locis ad visitandos Martyrum tumulos excivit multitudinem hominum, quos inter ægri non pauci, rite compuncti, et haustu aquæ sacro cruore intincta refecti, sani et* B *incolumes, unde profecti fuerant, redierunt. Hujus quoque prodigii scriptor alter, rei gestæ æqualis, Lambertus Schafnaburgensis ad annum 1072 mentionem facit his verbis :* Dumque ex crypta, ubi Sancti (*Martyres Trevirenses*) pausabant, terra portaretur, os quoddam incaute projectum, sanguinem fudit non modicum, et usque hodie permanet sanguinolentum. *Lucubrationem vero suam Lambertus ad annum 1077 usque perduxit. Ceterum, cum os illud inventum fuerit terræ, ex ipsa S. Paulini crypta vel locis vicinis erutæ, permixtum, verosimile fit, monente Honthemio, illud vel in ipsa crypta, vel terra huic proxima jacuisse, eoque post iteratas tum basilicæ San-Paulinianæ, tum cryptæ ipsius instaurationes facile e sarcophagorum aliquo potuisse dilabi; quod et alias contigisse, observat.*

pœnitenti ferreum vinculum sponte solvitur;

139 *Alterum mox prodigium, ad Martyrum tumulos haud multo post factum, anonymus recenset, quod coram Udone, Trevirensi archiepiscopo, accidisse scribit, id utique non facturus, nisi de rei veritate constitisset. Situm vero in eo est : moris olim fuit, ut, qui insigne aliquod flagitium admisissent, in pœnam delicti vinculis constricti Sanctorum monumenta obirent, dum divinitus vincula solverentur in satisfactionis indicium. Hujusmodi aliquis, audita forte jam recitati miraculi fama, Treviros venit; atque ab ipso Udone ductus in Martyrum* C *cryptam, cum ad eorum tumulos aliquamdiu orationi vacasset, ac jam abire inde meditaretur, vinculum ferreum, quod brachium ejus dexterum ita strinxerat, ut non solum caro, sed et nervi et ossa nuda apparerent, qua parte firmius erat, repente dissiliit, ceciditque in uuum e Sanctorum tumulis, licet satis remotum, ne dubium foret, quorum id meritis accidisset. Istud porro miraculum contigit eo temporis spatio, quod a die tertio Martii usque ad Kalendas Apriles anni 1072 effluxit : nam illo quidem die primum illud, quod paulo ante retuli, miraculum contigit; tertium vero, mox narrandum, die Palmarum, seu Kalendis Aprilis (cum eo anno die ejusdem mensis octavo Pascha celebratum fuerit) si quidem anonymus Martyrum miracula describat, servato temporis ordine.*

mutæ surdæque loquela et auditus; puero usus brachii, et linguæ,

140 *Die vero Palmarum mulier quædam muta simul et surda, linguæ, auriumque usum ads anctorum Martyrum tumulos, clero populoque inspectante, recepit. Nondum mensis Aprilis abierat, quin die ejus 15 vel 27 quartum prioribus prodigium accesserit, quo puero, Martyrum tumulos osculato, linguæ et brachii dextri usus restitutus fuit, rem examinante et approbante Udone archiepiscopo, qui tum temporis illic una cum S. Paulini canonicis orationi vacabat. Dixi, die Aprilis 15 vel 27 : hunc enim notat anonymus; sed verosimile fit, pro 5 Kalendas Maji, seu die 27 Aprilis, legi debere :* D *7 Kalendas Maji, qui dies mensis Aprilis quintus est supra vigesimum, incidilque in festum S. Marci, quo ad urbis monasteria a circumjacentibus villis supplicationes institui solent, ut in hunc anonymi locum Honthemius notat : verumtamen haud satis certum, in anonymi verbis mendum cubare : nam Egbertus supplicationis illius auctor, nullum iis habendis certum diem, sed hebdomadam a Paschate tertiam, ut quidem Gesta Trevirorum cap. 44 apud Calmetum habent, præfixit. Cum autem anno 1072 Pascha inciderit in 8 Aprilis, hebdomas a Paschate tertia æque 27 ac 25 Aprilis diem complectitur. Dein Broweri ætate non omnium pagorum Treviris vicinorum incolas uno eodemque die supplicationem instituisse videntur; sic enim scribit ad annum 983 :* Quin et Egbertum auctorem earum supplicationum comperio, quas e circumjacentibus undique pagis confluens agrestium cœtus, suo quisque die, velut in agmen coactus, curione præeunte, cum cantu et crucibus religiose in urbem instituit, obitisque præcipuis Divorum templis, rite peragit. *Unde conjici etiam potest, ex Egberti instituto alios aliis pagis dies fuisse præstitutos, quibus Trevirensem urbem adirent; fuerit vero puer ille ex eorum forsan numero, quibus dies 27 Aprilis instituendæ supplicationi erat indictus.*

paralyticæ motus, cæco visus, ægro sanitas restituitur.

141 *Sequitur quintum prodigium, quod non multo post jam proxime recitatum contigit, quoque puella quædam paralytica, ad sanctorum Martyrum tumulos adducta, integram totius corporis sanitatem consecuta est. Hujus porro miraculi testem sese oculatum scribit anonymus :* Hanc itaque, *inquit*, mirabili motu membrorum palpitantem juxta Sanctorum sarcofaga vidimus locari. *Denique duo his successisse præterea miracula scribit, quorum uno cæcus quidam, cum se ad denarium quotannis persolvendum obligasset, oculorum usum recepit; altero vero, villanus aliquis toto corpore ex diuturna ægritudine inflatus et Trevirim ductus, acta de peccatis suis pœnitentia, conceptoque recte vivendi voto, paucorum dierum spatio omnino convaluit. Atque hæc quidem anonymus apud Honthemium Martyrum nostrorum miracula, sed e pluribus pauca dumtaxat enumerans, nonnihil fusius describit. Fuerunt et alia vel in ipsa sanctorum Martyrum inventione, vel non multo post patrata prodigia, quæ alter anonymus, S. Paulini canonicus, ut videtur, litteris consignata reliquit, rebus, quas narrat et ipse æqualis, uti ex ipsius verbis, ubi de miraculis tum in matrona Wormatiensi, tum in muliere Burgundica patratis agit, infra recitandis manifeste colligitur. Descripsit illa Papebrochius noster, nescio, an ex veteri Ms. de* F *Martyribus Trevirensibus a P. Alexandro Wilthemio eruto, unde certe Prologum eorum Passionis, cujus initium,* Quamquam Scriptura sacra testante, *deprompsit, an ex aliis Mss. Trevirensibus, quorum apographis folio separato, quæ sequuntur, miracula miscuit, nulla apposita nota, unde illa descripserit : at undelibet id fecerit, ita habent.*

Rustici in Sanctos injuria

142 Hac itaque miraculorum fama circumquaque vulgata, cum crypta, fratre Remigio arcem operis hujus dictante, fratre vero Cuonone, ejusdem videlicet monasterii (*Pauliniani*) custode, sumptus ministrante, pulchra admodum operositate fuisset inchoata, aliquibus circumjacentium villarum rusticis complacuit, ut, ad promerendum sanctorum Martyrum patrocinium, aliquas facerent collationes eleemosynarum. Communicato itaque inter se ex hac re consilio, ordinatis inter se hujus exactoribus eleemosynæ, diem etiam, in qua eadem oblatio per domos singulas exigeretur, constituerunt. Quadam die contigit, aliquem eorum exactorum in taberna vinaria in villa Fratrum, Mesenich vocata, cum aliis, ut mos est, rusticorum catervis ad potandum sedere. Cui collationis commissum officium, cum subito in mentem veniret, surrexit concitus, et, quare diutius ibi morari sibi non liceret, ceteris intimavit, eos quoque, qui ibi aderant hujus communionis participes, ad solvendum oblationis

A tionis promissum surgere, rogavit. Hoc ergo cum orans se libenter et hilariter facere dictis et factis comprobaretur, erat inter eos quidam miser, de villa, quæ vulgo Manbach vocatur, oriundus, qui haustu vini, non, ut par erat, ad laudem Dei exhilaratus; sed felle malitiæ toxicatus, requisivit, ad quod opus collectas illas farinæ et frumenti, stulti, non Dei judicio, sed pravæ æstimationis vitio, homines tantopere maturarent. Quod cum diligenter fuisse expositum, auxit his verbis nequitiæ suæ cumulum : Si mihi, inquit, hæc omnia daretis, majus ex me, quam ex illis, quibus hæc mittitis, Sanctis commodum sperare possetis.

paralysi punitur; sed vigor

143 Vix dum igitur verba blasphemiæ miser protulerat, cum ecce divinæ animadversionis vindicta non incompetenter ei est inflicta : nam lingua ejus blasphema in eadem hora morbo paralysi percussa conticuit, membra etiam illius omnia eodem morbo sunt repente dissoluta. Mansit itaque per aliquot dies nec cibum capiens, nec verbum aliquod loqui prævalens. Tandem vero aliquando aliquo sentiendi aliquid munusculo divinitus redonatus, cœpit nutu, quo poterat, confessionem sui facere reatus, pœnitentiam sibi pro admisso crimine a presbytero imponi, plus lacrymis, quam verbis deprecatus. Hi ergo, qui nutum ejus pœnitentiæ persenserunt, votum pro liberatione illius B sanctis Dei Martyribus, quos ille stultus, vel magis in quibus principem martyrum Christum offenderat, faciebant. Ad quorum verba ille idem, accepta stipulatione, quæ consueto loquendi usu Repensum vocatur, eisdem Sanctis, si convalesceret, oblaturum, quia verbis necdum poterat, capitis nutu ac stipulæ jactu significabat. Quo facto, brevi admodum temporis spatio interjecto, ita efficaciter convaluit, ut ad jam dictam sanctorum Martyrum memoriam cum peccatorum suorum confessione, et votiva oblatione ipsemet veniret : factaque coram sanctis Martyribus blasphemi sermonis satisfactione, sanus et incolumis ad propria Deum in Sanctis venerabilem laudando rediret.

resipiscentis redit :

144 *Contigisse hoc miraculum, cum amplificanda ornandaque S. Paulini crypta adhuc occuparentur canonici, ipse contextus docet. De Remigio, qui operi præerat, plura legisse me, non memini. Forsitan unus e tribus illis canonicis fuit, quibus maxime sanctorum Martyrum inventio cordi erat, de quibus Inventionis auctor cap.* 2, *num.* 13. *Cuononis vero, monasterii S. Paulini custodis, ibidem idem auctor nominatim meminit. Signatur quoque ejus memoria in Necrologio S. Maximini ad* 16 *Kal. Junii seu* 17 *Maji, idemque est ac ille, cujus rogatu sanctorum Martyrum sacellum in cœmeterio S. Paulini* C *Egelbertus anno* 1088 *consecravit. Porro vicos hic memoratos, Mesenich et Manbach, Treviris haud procul dissitos, ex ipso contextu pariter liquet. Honthemius in Chronographia Trevirensi tom.* III *Hist. Trev. præfixa geminum memorat vicum Mesenich, quorum alter in decanatu Bithurgensi, alter in satrapia Cochemiensi situs est. Hic autem in Charta Geographica archiepiscopatus Trevirensis apud Calmetum tom. I Historiæ Lotharingicæ prope Mossellam inter Zurstuben et Beilstein collocatur; nec inde procul vicus quidam Manebach occurrit : verum uterque Treviris remotior, quam ut de illis hic sermo esse videatur. Propinquior Treviris est vicus alter Mesenich in decanatu Bitburgensi situs. Hunc Fredericus de Wit in Charta Geographica* 78 *archiepiscopatus Trevirensis, imo et alterum vicum* Monbach *dictum, priorem quidem ad lævam, posteriorem ad dexteram fluvii, quem* Sour *nominat, inter Wasserbillich et Epternacum collocavit; quos, cum Treviris duobus tantum tribusve milliaribus absint, hic forte designavit anonymus; esto, Fredericus Monbach, non Manbach scripserit. Nisi tamen quis vicum Mannenbach haud procul Sarræ castro dissitum intelligere malit. Ad miracula revertor.*

eamdem sortem

145 *Sic pergit alter anonymus :* Huic miraculo sicut in ordine, ita etiam in rei similitudine proximum erat illud miraculum, quod in quadam femina ex Sancti (*Paulini, ut opinor*) familia Benzela vocata, divina potentia hoc modo est operata. Dum, invento beatorum Martyrum thesauro, super aurum et argentum et super omnem lapidem pretiosum decoro, magnum per ecclesias Dei tripudium longe lateque ex hac re celebraretur, erat hæc nostræ viciniæ cohabitatrix femina : die quadam ad villam quamdam, nomine antiquo, et ob hoc pagano, Ad Sanctas Arbores videlicet vocatam, causa tondendarum ovium suarum ab urbe est digressa. Ubi inter tondendum quæstio est orta considentium rusticorum de inventione in urbe Treverica Martyrum gloriosorum. Aliis videlicet nomen Domini inde laudantibus, aliis vero hujus rei eventum, licet sæpius auditum, ab tamen femina, utpote civitate Treverica, iterum audire desiderantibus. Cum ergo simplicia rusticorum desideria ordinem rei hujus humiliter exquirerent, retulit in hac responsione revera miserrima : Quid vobis aliud ex hac rei dicam, nescio, sed sarcophaga ibi esse inventa, audio, quorum similia non pauca in horto meo, etiam caulibus cooperta, consistunt.

AUCTORE J. B.

simili de causa

146 Igitur divina Sapientia volens probare, quam sint aliquando damnanda humanæ pravitatis judicia, si fuerint humanis depravata judicia, non distulit temerariæ mulieris judicium damnare. E Vixdum enim completo hoc verbo blasphemiæ, cum linguæ officio, tum etiam totius corporis destituta est obsequio, morbo scilicet, qui dicitur paralysis, nervorum dissolutionem faciente in membris singulis : cœpit tamen peccatum blasphemiæ intimis gemitibus et lacrymis pœnitere atque damnare, cœpit ab amicis, ut eam ad sanctorum Martyrum memoriam cito deferrent, quo poterat, capitis nutu humiliter postulare. Cum ergo Sanctorum loco cum oblatione votiva fuisset præsentata, aliquo quidem loquendi usu est redonata, non minima tamen infirmitatis gravedine ad usque finem vitæ suæ divinitus est mulctata.

mulier subit.

147 *Locum, quo mulier illa tondendarum ovium causa sese contulerat, et, pagano nomine* Ad sanctas arbores *dictum, nusquam inveni : putem tamen sic dictum, seu quod, nondum exstincta penitus in illis tractibus superstitione ethnica, sacrificia illic peragi consueverint, seu quod ipsis arboribus divinus quidam cultus impensus fuerit. Utrumque enim frequens admodum fuisse olim, multis docet Georgius ab Eckhart Rerum Francicarum lib.* XXIII *num.* 29, *ubi præter alios dicti sui testes producit Baudemundum in Vita S. Amandi, qui* (*vide tom. I Februarii pag.* 850) *arbores ac sylvas a Gandensibus cultas fuisse prodit; Rheginonem de Disciplina Eccles. lib.* I *pag.* 143, *ubi* F *hæc leguntur :* Consuluisti magos aut aruspices, aut incantatores, aut sortilegos, vel vota, quæ ad arbores vel fontes fiunt, vovisti, annos tres pœniteas; *Willibaldum in Vita S. Bonifacii cap.* 8, *de Hassis ita loquentem :* Alii lignis et fontibus clanculo, alii autem aperte sacrificabant. *Quo eodem teste, Bonifacius* Robur Jovis *Geismariæ succidit. Quantus vero honos olim hujusmodi arboribus fuerit habitus, concilium Namnetense anno* 659 *celebratum explicat :* Summo, *inquit cap.* 20, decertare debent studio episcopi et eorum ministri, ut arbores dæmonibus consecratæ, quas vulgus colit et in tanta veneratione habet, ut nec ramum inde audeat amputare, radicitus exscindantur et comburantur. *Neque vero vota tantum et sacrificia ibi fiebant, sed etiam lumina accendebantur, et superstitiosis observationibus vacabatur, ut docet Capitulare Aquisgranense Caroli Magni anni* 789 *cap.* 65. Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria vel aliquas observationes faciunt, omnino mandamus, ut ipse pessimus usus et Deo execrabilis, ubicumque invenitur, tollatur et destruatur. *Hujusmodi itaque arboribus locus ille fuerit olim consitus, atque propterea* Ad sanctas arbores *appellatus, ipsumque nomen ad sæculum* XI *usque permanserit. Quid porro narret anonymus, audiamus.*

148 Istud

AUCTORE J. B.

Alia item morbo punita, mox sanitatem recipit.

148 Istud autem, *inquit*, quod hic inseruimus, miraculum, in ipso miraculorum, quæ notavimus, exordio contigisse, non tamen nisi iis jam conscriptis, comperimus. Cum enim lignorum sustentacula ad opus cryptæ necessaria ab operis hujus constructore, fratre videlicet Cuonone, apud quemdam rusticum, nomine Adelhardum, de villa, Elle vocata, fuissent atrata; voluit ille, postpositis interim aliis necessitatis suæ negotiis, de solvenda statuto termino lignorum conventione laborare; sed uxor ejus alia rustica necessitatis opera, quæ ipsa vellet properari, hac videns de caussa tardari, cœpit cum illo frequenter inde caussari. Cœpit factam ab eo de lignis, velut cautam minus, conventionem muliebribus ei convitiis improperare et quanto valuit furore eum ab hac attendenda vel solvenda conventione perstitit dehortari. Cum interim subitanea infirmitatis gravedine tam duriter est castigata, ut brevissimo temporis spatio pene fuisset exanimata. Ex qua victa anxietate convocari fecit ad se maritum suum sub omni celeritate, eumque pro Dei rogat voluntate, ut, posthabito omnium aliarum rerum negotio, Sanctorum instaret servitio, lignorum videlicet acceleranda conquisitione, maturandaque transmissione deproperando. Ut ergo aperte omnibus clarescceret, unde hæc illi infirmitas B oborta fuisset, vixdum hæc verba deprecationis vel confessionis finierat, cum ecce totius infirmitatis excussa gravedine, plenaria mox recepta corporis valetudine, stratum reliquit, et exemplo curatæ quondam socrus Petri a Domino, marito ad opus Sanctorum maturando in silvam ituro prandium paravit.

Matrona Wormatiensis, facto crure, sanatur;

149 Illud etiam silentio non est contegendum, quod, ad istorum Sanctorum merita remotis etiam populis prædicanda, præsens ubique Divinitas est operata. Matrona siquidem aliqua in pago Wurmatiensi, utpote in terra genitali constituta, die quadam, quo nescitur, erat equitatura : cum ergo super equum, quem dicimus ambulatorem, fuisset levata, a quo sæpius absque aliqua etiam recalcitratione cum omni mansuetudine fuerat portata; cœpit idem equus contra morem subito subsistere et ad instigationem plurimorum velut immobilis aliquamdiu stare. Tamdiu vero nimia circumstantium concitatione, plurima quoque flagellatione, velut in iram commotus, saltu non modico de terra levatus, longe est expatiatus. Ipsam quoque insidentem matronam, tam nimio motu sui nimirum a se excussam, duriter adeo projecit, quod cruris ejus tibia in tribus locis est confracta. Cum ergo circumstantes levaturi accurrerent, rogabat eos obnixe, ut colligatis eodem in loco tibiæ fracturis, C eam non prius inde moverent, quam ad aliquas Sanctorum memorias orationes facerent votivas. Animo denique illius per omnia versato, sanctorum Martyrum apud Treviros noviter inventorum occurrit recordatio. Ad horum igitur Sanctorum memoriam cum se promitteret, non equo alicui insidendo, sed propriis se pedibus, si convalesceret, movendo cum oblatione venturam, ita ad præsens sanitatem sibi rediisse sensit integram, ut ad manum unius hominis consurgeret, quæ se paulo ante plurimorum manibus portandam committere præ doloris nimietate non auderet. Hæc autem, quæ dicimus, ab eadem matrona, teste hujus rei veracissima, cum votum suum in monasterio Martyrum persolveret, accepimus.

curantur rustici male affecta brachia,

150 His et hujuscemodi miraculorum spiculis crebris divinæ potentiæ actibus circumquaque volantibus, rusticus quidam, Engelo vocatus, de villa Walpillig vocata, oriundus, qui usum brachiorum amborum per multos annos perdiderat, ad horum recordationem Sanctorum cum oblatione venire non distulit. Quo cum venisset, brachiaque debilia spe misericordiæ Dei per horum merita Sanctorum consequendæ, per omnia sarcophaga eorum traxisset; recepta mox utriusque brachii valetudine, lætus rediit inde, Deum in Sanctorum suorum benedicens beatitudine, cui et honor et gloria in secula seculorum. Amen. *Relata hoc e* D *duobus proxime præcedentibus numeris anonymi verbis miracula continua oratione proposui, quod pauca in illa observanda occurrerent, quæ hic breviter congero. Villa Elle num.* 148 *memorata ab Honthemio in Chronographia subquarto archidiœcesis Trevirensis archidiaconatu Longuionensi (est autem Longuio seu Luguio Ducatus Barrensis in Luxemburgici territorii confiniis oppidulum) sub capitulo vero Merschensi collocatur. Mersch vero pagus est tribus circiter leucis horariis Luxemburgo dissitus ad fluvium Alzitz; unde et prope abest alter pagus Walpillich, cujus hoc numero mentio facta. Wormatia Vangionum urbs est episcopalis sub metropoli Moguntina. Denique ex verbis, quibus num.* 149 *claudit anonymus, vixisse illum, cum, quæ describit miracula, contigerunt, illaque vel vidisse, vel ex iis, qui viderant, audivisse intelligitur : ex iis vero, quibus num.* 148 *orditur, liquet, non retulisse illum miracula singula eo ordine, quo acciderunt, sed nonnulla tum primum in chartas contulisse, cum ad eorum cognitionem pervenit.*

et mulieris Burgundicæ paralysis, quibus prodigiis E

151 *Hinc, ut opinor, effectum est, ut, quamquam narrationi suæ jam finem imposuisset, sequens miraculum, quod etiam reliquorum forte postremum fuit, deinde his verbis adjecerit.* Illud etiam tam prope, quam longe positorum, ædificationi credimus profuturum, si hoc memoriæ tradendum notamus miraculum, quod in partibus Burgundiæ ex hac Sanctorum contigisse revelatione, eorumdem, in quibus contigit, didicimus relatione. Erat siquidem in villa Polevin quædam mulier plurimi temporis paralytica, quæ cum factam in urbe Treverica Sanctorum revelationem a viantibus audisset, maritum suum rogavit, ut, si per merita et intercessionem revelatorum in urbe prædicta Sanctorum convalesceret, eam se cum illo deducturum voveret. Quod cum ille absque dilatione fecisset, illa absque alicujus intervalli suspensione grabatum, per multa annorum curricula continua corporis sui gravedine gravatum, sana et incolumis surgendo relevavit, et promissum iter in Treviros, gratias ibi pro salute sua sanctis actura Martyribus, cum viro suo ordinavit.

alia dein alibi quoque accesserunt.

152 *Denique ad annum* 1615 *in Annalibus Trevirensibus a Browero et Masenio editis legitur P. Nicolaus Trigaultius, e Societate nostra sacerdos et fidei Christianæ apud Sinas egregius præco, cum illuc reditum pararet, a Lothario Trevirensi electore varias Sanctorum reliquias, fovendæ promovendæque religioni præsidia, impetrasse : porro has Martyrum Trevirensium fuisse, liquet ex indice Historico tomo II Trevirensis Historiæ subnexo, ubi titulo :* Societas Jesu, *ista leguntur :* P. Trigautius a Lothario archiep. Reliquias Martyrum Trev. impetratas refert in Chinam : *harum denique ope, et Martyrum intercessione in remotissimis mundi plagis varia quoque atque ingentia contigisse miracula, Browerus tradit ad annum* 1088 *num.* 97, *verbis a me hic num.* 127 *descriptis : quamquam nec hic, nec alibi, quod sciam, suppeditet quidpiam, unde, fuerintne eæ reliquiæ Martyrum Thebæorum, an indegenarum die* 5 *aut* 6 *Treviris cultorum, queat utcumque dignosci. Hæc itaque miracula, sicut et cetera, hactenus allata, vel iis Sanctis, qui in crypta S. Paulini quiescunt, vel Martyribus Trevirensibus universim tribuenda sunt.* F

§ XI. Sanctorum Martyrum Reliquiæ, præcipue per Germaniam, dispersæ.

SS. Martyrum reliquiæ

Tanta miraculorum frequentia exteros populos latere non potuit, et ut multi tum Trevirenses indigenæ, tum exteri eorum sibi reliquias expeterent, effecit. Equidem e SS. Maximini et Paulini monasteriis transportatas fuisse earum portiones in Germaniam, Bohemiam, Belgium, Italiam, multorum compertum est testimonio. Ad Hassiæ fines intra Paderbornensis diœcesis limites, ut scribit Schatenus lib.

A *lib.* IV *Annalium Paderbornensium ad annum* 998, *Helmershusanum Benedictinæ familiæ monasterium Ekkiardus comes condidit ditavitque, cujus abbas sextus Thietmarus, cum semiruta monasterii ædificia instaurasset, annuente Brunone, archiepiscopo Trevirensi, S. Modoaldi corpus, et duo Thebæorum Martyrum pignora anno* 1107 4 *Idus Maji dono accepit, et honesto pompæ spectaculo translata, in oratorio S. Petri honorifice collocavit; ut ad hunc annum rursus Schatenus scribit: Consule etiam, si vis, Acta Translationis S. Modoaldi apud nos edita tom. III Maji pag.* 63. *Porro Thietmarus, Gumbertum, Abdingoviani prope Paderbornam monasterii, a S. Meinwerco conditi, abbatem, partarum Reliquiarum voluit esse participem, eique præter alias Sanctorum exuvias, largitus est brachium, caput et costam unius Sanctorum Thebæorum.*

in diœcesim Paderbornensem, 154 *Probat id Schatenus ex Abdingoviani tabularii hujusmodi scripto:* Thietmarus, Helmwardeshusanus abbas, cum unanimi fratrum suorum consensu concessit abbati Gumberto, suisque fratribus et universæ Paderbornensi ecclesiæ ex sacrario B. Petri Apostoli pretiossimas Sanctorum reliquias, quæ sibi divina dispositione et ordinatione collatæ sunt ab ecclesia Trevirensi, atque Coloniensi, auctoritate, præcepto, atque licentia
B archiepiscoporum atque abbatum, ceterorumque Priorum utriusque metropolis, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei; et augendum atque dilatandum honorem et venerationem ac servitium eorumdem Sanctorum omni cultu solemni. Integrum corpus unius sanctarum virginum. De corpore S. Probi episcopi et martyris, qui fuit ductor earum. De corpore S. Modualdi Trevirorum archiepiscopi, Bonosii atque Abrunculi archiepiscoporum. De stola et pallio S. Maximini archiepiscopi, brachium cum capite et costa unius Sanctorum Thebæorum *etc. Addit denique idem Schatenus:* Demum omnis ille Sacrorum thesaurus, postquam fatali Lutheri ætate postremus Helmwardeshusanus abbas cum monachis, ducta uxore, transiit ad hæresim, Erici episcopi Paderbornensis industria subtractus servatusque, cessit Paderbornensi ecclesiæ, ut tempore commemorabitur. Ipsum vero celebre cœnobium jacet nunc inter rudera ab Hassis dfsjectum, ex quo primum Lutherana, post Calviniana hæresis omnia turbare cœpit. *Rexit Paderbornensem ecclesiam Ericus ab anno* 1508 *usque ad* 1532.

Brunsvicum, 155 *Pauci abhinc anni effluxerunt, cum altera Reliquiarum Thebæorum Martyrum translatio facta est: nam anno* 1115 *duo Martyrum Thebæorum corpora Brunsvicum, translata fuerunt. Translationis illius Acta habes apud nos tom. IV Augusti pag.* 48
C *et seqq. ubi Gertrudis, Saxoniæ marchionissa, Erkenberti marchionis filia, S. Auctoris et duo Martyrum Thebæorum corpora furtim abstulisse, Brunsvicum detulisse, ac in S. Ægidii monasterio honorifice recondidisse memoratur. Meminit etiam translationis hujus Arnoldus Lubecensis, ejusdem sæculi scriptor, lib.* VI *cap.* 4 *his verbis:* Auctoris archiepiscopi corpus ibi (*Brunswici*) requiescit, quod Gertrudis marchionissa, Ecberti marchionis conjux, cum tempore viduitatis suæ ipsum monasterium S. Ægidii fundasset, a Trevirensibus multis supplicationibus obtinuit, et in eodem monasterio cum aliis corporibus Thebæorum Martyrum, ut nunc cernitur, in
c sarcophago honorifice collocavit, *anno nempe* 1115 *Kal. Septembris, ut habent Acta paulo ante citata. Porro, si hoc potius auctore, quam translationis Actis, miris satis ornatæ adjunctis, standum est, Gertrudis non furtim ablata, sed precibus multis impetrata Sanctorum illorum pignora Brunsvicum transportavit, quod mihi equidem verosimilius apparet. Denique utraque hæc Martyrum translatio e S. Maximini monasterio contigit, ut ex utriusque Actis manifestum est.*

Pragam, 156 *Qua fuere in Thietmarum et Gertrudem munificentia San-Maximiniani ascetæ, eadem quoque San-Pauliniani in Carolum IV postmodum fuere: hic enim imperator anno verisimiliter* 1356, *quo S. Palmatii corpore ab illis donatum constat, aliquot quoque Martyrum Trevirensium Reliquias ab iisdem monachis impetravit; et Pragensibus cimeliis addidit; quas inter ipsius* S. Tyrsi *reliquias fuisse, Pessina docet, qui in Diario reliquiarum in Metropolitana S. Viti ecclesia Pragæ servatarum, ad diem 4 Octobris hæc scripsit:* S. Tyrsi M. pars de occipite allata per Carolum ex Inferiore Germania. *Et in Reliquiarum Carlsteinensium catalogo:* Tyrsi M. pars insignis de occipite. *Huc etiam spectant fortassis* Thebæorum MM. particulæ in uno sacculo, *quas in quinto ordine, ibidem recenset.* AUCTORE J. B.

157 *Cum tomo VI Septembris de S. Mauritio et Sociis actum est, dictum est pag.* 361, *missum esse ad nos, cura P. Chardoni nostri, ex Einsidlensi in Helvetia abbatia, de servatis illic Sanctorum reliquiis instrumentum, amplissimi D. P. Meinradi Brenzer protonotarii Apostolici sigillo et subcriptione munitum: prolixius id est, quam ut totum inseri hic commode possit; ea igitur inde tantum depromo, quæ ad Martyres nostros spectant: ita de his habet:* Litteræ binæ authenticæ Reverendissimi quondam Trevirensis suffraganei D. Petri Bynsfeld, sub festo SS. Simeonis et Jacobi Majoris MDXCVII expeditæ, demonstrant, duo capita sacra ex numero Thebæorum Martyrum, a D. Decano et Capitulo Paulini prope et extra muros civitatis Trevirensis E obtenta, Einsidlensi archimonasterio per manus D. Heliæ Heymann donata fuisse. Vide Archivum Einsidlense sig. K. M. n. 71 et n. 72. Originales quoque paginæ de conquisitis Viennæ Austriæ, sive potius Neostadii Viennensis, super prævviis illuc datis recommendatitiis, imo vero jussu Clementissimi Serenissimi quondam archiducis Austriæ Maximiliani sub 7 Junii MDCXCVIII ad Anterioris Austriæ locumtenentem et cæsareæ majestatis consiliarium intimum, D. baronem de Stozingen, inter alias sacras extuvias sub IX Septembris (*sic in instrumento scriptum mihi apparet*) MDCXCVIII * in * *l.* MDXCVIII eremum transmissis per memoratum mox D. Heliam duobus insignibus tibialibus cruribus et osse brachii SS. Martyrum e Societate S. Mauritii, qui Treviris sub tyranno Ricciovaro passi sunt. Quas sacras Reliquias Eminentissimus Cardinalis Philippus, episcopus Ratisbonensis, canonicus cathedralis Trevirensis, dum ibidem residentiam perficeret, dono accepit. Vide archivum Einsidlense sub signo K. M. n. 4 (*nisi fallor*) et n. 99. *et in Helvetiam*

transferuntur. 158 Insecuto anno Christi MDC testimoniales literæ originales et fide omni dignissimæ sub sigillo et subscriptione conventualium omnium venerabilis abbatiæ Benedictinæ, dictæ Beatissimæ Virginis Mariæ ad Martyres prope Trevirim, extraditæ docent, quod e Thesauro suo spirituali, inclyto monasterio Beatissimæ Virginis Mariæ Einsidlensis per dominum Heliam Heymann duo ossa Reliquiarum de SS. Martyribus, qui cum S. Thyrso, duce Thebæorum, Treviris sunt passi, pio affectu donata fuerint. Subscripti sunt reverendissimus tunc abbas dominus Gulz cum reliquis professis et sacerdotibus ibidem nominatim recensitis, de dato XXV Martii MDC. Vide Archivum Einsidlense sig. K. M. n. 22. Eodem ipso anno originales literæ D. Dominici Vniensis pastoris ecclesiæ Divi Pauli, junctis synodalium parochialium Joannis Bredunus, Mangrici Dorz, Adami Olms etc. perhibent, quod zelum optimum D. Heliæ Heymann, utpote constituti in conquirendis Sanctorum exuviis abs principali immediato monasterio Einsidlensi procuratoris, suspicientes et suscipientes, ipsi unum caput ex Sanctis Martyribus Trevirensibus in ecclesiam sanctam et imperialem Einsidlensem deferendum imanuarint (*in manus tradiderint*) Datæ die IX Aprilis MDC. Vide Archivum Einsidlense sub sign. K. M. n. 50. Hoc idem Reliquiarium cum aliis Sanctorum exuviis per sæpe mentionatum D. Heliam in sacram eremum reportatum in vigilia Pentecostes anno MDC solemni ritu exceptum, et una cum reliquis affectuosissime in sacrum Einsidlensem thesaurum reconditum, et huc

AUCTORE J. B.

huc usque (*confectum instrumentum est anno* 1746) pio hominum confluxui publicæ venerationi expositum fuit. Authenticum prostrat in archivo Einsidlensi sub signatura K. M. n. 10.

Alias Ferdinandus,

159 *Eorumdem Martyrum reliquias aliquot anno* 1606 *Ferdinandus episcopatuum Coloniensis et Leodiensis adjutor, comes Palatinatus Rheni, et utriusque Bavariæ dux a San-Pauliniano collegio dono accepit, ut authentico, ea de re confecto, instrumento canonici testatum esse voluerunt; hujus apographum Græcii in Styria vidit, nobisque descripsit R. P. Franciscus le Jeune, anno* 1750 : *id autem sic habet :* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Nos Wilhelmus Bretz Berncastellanus, et collegiatæ ecclesiæ S. Paulini extra muros prope Trevirim decanus, ac Petrus Vasatoris cantor, et Salentinus (Valentinus *legendum reor*) Jesura (*infra legitur* Lesura) ejusdem ecclesiæ canonici, omnibus præsentes litteras visuris, vel legi audituris salutem in Domino. Notum facimus, quod anno Incarnationis Domini millesimo sexcentesimo sexto, Indictione quarta, mensis Junii die vigesima prima, Pontificatus vero Patris et D. domini nostri Pauli, divina providentia Papæ quinti, ad instantiam serenissimi ac reverendissimi principis Ferdinandi, utriusque Bavariæ ducis, et archiepiscopatus Colo-
B niensis ac ecclesiæ Leodiensis coadjutoris etc. requisiti fuerimus, quatenus ex sacrosanctæ ecclesiæ nostræ thesauro, nonnullas sacras reliquias ad majorem Dei gloriam et Sanctorum venerationem ac fidelium spiritualem consolationem donare et concedere vellemus.

Bavariæ dux

160 Nos igitur rationabili ac justæ serenissimi ac reverendissimi principis prædicti petitioni faventes, habita imprimis reverendissimi et illustrissimi D. domini nostri Lotharii, archiepiscopi Trevirensis, speciali facultate, ac capituli nostri consensu, ex sacro nostro S. Michaelis sacello, in quo SS. MM. Trevirensium reliquiæ asservantur, aliquot capita et ossa prædictorum Martyrum, reverenter extraximus, prædictoque serenissimo ac reverendissimo principi instanti tradidimus, et consignavimus, contestantes, prædictas reliquias ab immemorabili tempore ab omnibus Christi fidelibus pro veris et indubitatis SS. reliquiis habitas et veneratas fuisse, ac modo pro talibus haberi et venerari, prout etiam ab omnibus, ad quos pervenerint, digne ac merito honorandas et venerandas censemus. Rogantes Deum Opt. et Max., ut omnes Christi fideles, qui prædictas sanctas reliquias venerati fuerint in terris, eorum consortio in æternum conjungantur in cælis. In quorum fidem et testimonium nos supra nominati propriæ manus
C subscriptione, ac sigilli decanalis consueti impressione præsentes hasce communivimus. Sub anno, Indictione, mense, die et Pontificatus, (*lege*, Pontificatu) quibus supra. Wilhelmus Berncastel, S. Paulini decanus. Petrus Thon, canonicus S. Paulini. Solentinus Lodovicius Lesura, can. S. Paulini.

Græciensi Societatis Jesu collegio

161 *Ferdinandi vero liberalitate eædem reliquiæ, nempe præter caput unum et ossa longa duo ex reliquiis Trevirensium Martyrum, in ecclesia S. Paulini Treviris quiescentium, aliud item os magnum et longum ex reliquiis S. Legionis Martyrum Thebæorum, ab abbate S. Maximini Treviris acceptum, collegio nostro Græciensi in Styria concessæ fuerunt anno proximo; quod quidem etiam authentico testimonio Ferdinandus testatum voluit. En illud, prout ab eodem R. P. Francisco le Jeune ex illius apographo, Græcii in collegio nostro servato, depromptum, ad nosque transmissum est.* Nos Ferdinandus Dei gratia coadjutor Coloniensis, Leodiensis etc., comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ dux etc. testamur, quod collegio Societatis Jesu Græcii dono dederimus has SS. reliquias, videlicet, caput unum et ossa longa duo ex illis sanctis reliquiis Martyrum Trevirensium, quas nostro nomine R. P. Petrus Cremerius, rector novitiatus Societatis Jesu Treviris, ex ecclesia S. Parelini (*Paulini*) ibidem acceptas, ad nos misit, prout ejus ecclesiæ decanus et canonici speciali documento (cujus authenticum D exemplar hic adjunximus) fusius explicant et attestantur. Item os aliud magnum ac longum ex reliquiis S. Legionis Martyrum Thebæorum, nobis inter alia datum a reverendo domino abbate S. Maximini Treviris, juxta ejus attestationem hic etiam adjunctam : in cujus rei fidem has litteras, manu nostra subscriptas et sigillo nostro communitas, dedimus Monachii Kalend. Decembris anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septimo. Denique meritum Sancti nobis incogniti.

Ferdinandus. Daniel Schilling MP.

in Styria donat:

162 *Ita apographum Græciense, ut dixi, ex quo hæc R. P. præfatus exscripsit : incidit porro etiam in ipsum authenticum Ferdinandi instrumentum; hocque cum illo contulit, et aliqua in illo corrigenda notavit.* 1. Parelini *apographum*, Paulini, *et recte, authenticum habet. Apographum sic clauditur :* Denique meritum *etc., pro quo rursus recte in authentico legitur* mentum : *in utroque tamen loco non suo. At authentico duplex insertus est asteriscus; alter quidem post* ro adjunctam : *alter vero post* ro denique; *unde liquet, postrema instrumenti verba ubi reponenda sint. Porro, teste eodem Patre, authentico Ferdinandi ducale sigillum affixum est, circumscribiturque, ut sequitur :* Ferdinand. Com. Pal. Rheni. utr. Bavariæ. dux. Jun. *Documentum primum, a* E *San-Paulinianis canonicis acceptum, quod huic instrumento adjunxisse se, Ferdinandus ait, num.* 159 *et seq. retulimus : aliud vero, etiam ab abbate S. Maximini profectum, pariter exhibent templi nostri Græciensis, S. Ægidio sacri, monumenta, inter quæ exemplare, legitime collatum, idem R. P. le Jeune vidit hujusmodi tenoris :* Nos Reinerus Dei gratia abbas imperialis monasterii, Sedi Apostolicæ immediate subjecti, S. Maximini prope Trevirim, Ordinis D. Benedicti etc. : Notum facimus per præsentes litteras, nos anno Domini millesimo sexcentesimo sexto, die decima tertia mensis Martii ad petitionem reverendissimi ac serenissimi principis ac domini domini Ferdinandi, electi et confirmati coadjutoris et administratoris ecclesiarum Coloniensis, Leodiensis, Stabulensis et Berchtersgadensis, comitis Palatini Rheni, Superioris et Inferioris Bavariæ ducis etc. : domini nostri gratiossimi, ob suæ reverendissimæ et serenissimæ celsitudinis circa reliquias Sanctorum singularem reverentiam et devotionem dono dedisse et contulisse ex insigni thesauro sanctarum reliquiarum monasterii nostri, vel ecclesiæ antiquissimæ, a S. Helena imperatrice et ejus filio Constantino imperatore, ante annos amplius mille trecentos fundatæ, de speciali licentia sanctissimi Domini nostri etc. : duo capita et quinque ossa integra ex F legione SS. Thebæorum Martyrum, quorum dux fuit S. Bonifacius, qui tempore Ricciovari martyrio affecti sunt. Contestamur insuper, easdem reliquias in ante dicto nostro monasterio pro veris, certis, ab antiquo et ab hominum memoria reverenter habitas et reputatas fuisse, et de præsenti haberi et reputari, prout nobis ex Majorum nostrorum traditione, et ex monasterii nostri archiviis ac pervetustis instrumentis indubitata veritate constat. In cujus rei fidem has præsentes, manu propria subscriptas, nostro abbatiali sigillo fecimus communiri. Datæ monasterio nostro præfato anno et die, ut supra. Reinerus abbas monasterii S. Maximini.

præter quas, et aliæ nonnullæ

165 *Idem præterea S. Maximini abbas Reinerus Mariæ, Archiduci Austriæ, Martyrum Thebæorum, cum* S. Bonifacio *Treviris occisorum, reliquias aliquot concessisse, ex iisdem Græciensis collegii nostri monumentis eruitur; in quibus ea de re Reineri litteræ exaratæ sunt, quas, quia avitæ Austriacæ domus in Deum Sanctosque pietatis monumentum complectuntur, integras non pigebit adscribere. Sic autem habent :* Nos Reinerus, Dei gratia abbas imperialis monasterii, Sedi Apostolicæ immediate subjecti, S. Maximini prope Trevirim etc. : universis et singulis præsentes litteras visuris, legive audituris notum facimus : nos anno Domini millesimo sexcentesimo

A sexcentesimo tertio, die duodecima mensis Septembris, serenissimæ dominæ dominæ archiducissæ Austriæ, Gracen. etc.: dominæ nostræ gratiosissimæ, ob suæ serenissimæ celsitudinis circa reliquias Sanctorum singularem reverentiam et devotionem dono dedisse et contulisse ex insigni thesauro sanctarum reliquiarum monasterii nostri, vel ecclesiæ antiquissimæ, a S. Helena imperatrice et ejus filio Constantino imperatore, ante annos amplius mille trecentos fundatæ, tria magna integra ossa ex legione SS. Mauritii et Sociorum ejus, quorum dux fuit S. Bonifacius, qui tempore Ricciovari martyrio affecti sunt. Contestamur insuper, easdem reliquias in ante dicto nostro monasterio pro veris, certis, ab antiquo et ab hominum memoria reverenter habitas et reputatas fuisse, et de præsenti haberi et reputari, prout nobis ex Majorum nostrorum traditione, et ex monasterii nostri archiviis ac pervetustis instrumentis indubitata veritate constat, in cujus rei (*supple* fidem) sigillum abbatiæ nostræ appendi fecimus, actum anno et die, ut supra. *Exstant præterea in eodem collegii authenticæ ejusdem Reineri abbatis litteræ, ad R. P. Gisbertum Schevicavium, Græciensis collegii nostri rectorem, datæ, quibus ille testatur, se dono dedisse duas partes capitum, et quatuor magna ossa*
B *ex legione SS. Mauritii et Sociorum ejus etc., quas, quia iisdem fere vocibus, quibus præcedentes, quantum quidem res ferebat, conceptæ sunt, integras describere, necesse non judicavi. In Catalogo Ms. Reliquiarum collegii Societatis nostræ Monasterii in Westphalia ad diem 6 Octobris notatos reperio sanctos Martyres Trevirenses, quorum insigniores reliquiæ, ut ibidem legitur, continentur ad tempus in tribus vitris oblongis, partim in armario sinistro aræ summæ, partim in dextero aræ S. Crucis dispositis.*

varius Germaniæ locis

164 *Gelenius de Magnitudine ecclesiæ Coloniensis varias Martyrum Trevirensium reliquias, Coloniæ asservatas, recenset. Lib.* III, *Syntagmate* 45, § 3 *de ecclesia Patrum Carmelitarum Coloniensium ita habet:* Tertia classis (*servatarum illic reliquiarum*) sint reliquiæ recentiores SS. Martyrum Trevirensium: hoc est, ex societate S. Palmatii et Sociorum, quorum memoria est in Romano Martyrologio die V et VI Octobris sub titulo innumerabilium pene Martyrum. *Tum vero singulas singulatim exponens, ita prosequitur:* Ex his sanctis Martyribus obtinet hæc eadem ecclesia ab anno Christi MDCXXII infrascriptas reliquias: mandibulam unam cum sex dentibus eidem inhærentibus. Duo ossa oblonga æqualis magnitudinis. Duo ossa oblonga inæqualis magnitudinis. Cranium unum. Et tres costas. *Hisce*
C *subdit testimonium Guilelmi Brexii Berncastellani, S. Paulini decani, quo is, se dicto anno, die vero* 16 *Martii reliquias memoratas dedisse profitetur R. P. Henrico Mulhemio SS. Theologiæ Baccalaureo formato. Porro testimonii tenor idem fere est, mutatis mutandis, qui supra num.* 139 *legitur in litteris de reliquiis Ferdinando, comiti Palatino, Coloniensis et Leodiensis ecclesiæ coadjutori concessis: quapropter hic illud describere omitto.*

dispersæ recensentur.

165 *Rursus de templo Societatis nostræ Coloniensi agens Gelenius lib.* III, *Syntagmate* 46, § 3 *hæc habet:* De Martyribus Trevirensibus plures et insignes extant in hac ecclesia reliquiæ, quarum festum agitur V Octobris, utpote Sociorum S. Palmachii, consulis Trevirensium, qui in persecutione Diocletiani passi sunt, et corpora anno MLXXI reperta fuerunt, ut docent Sigebertus in Chronico et P. Christophorus Brouwerus in Trevirensibus Annalibus. *At, inquies, quid hæc ad Martyres Thebæos, die 4 Octobris Treviris passos, de quibus hîc? Respondeo, hæc hic recenseri, tum quod Romanum Martyrologium ad diem* 5 *et* 6 *Octobris, nomine innumerabilium etiam Thebæos fortasse comprehendat, quibus diebus tantum fuere aliquando una omnes culti; tum quod Gelenius ipse suspicandi ansam præbeat, Martyres Trevirenses, tum exteros seu Thebæos, tum indigenas a sese fuisse confusos; cum Syntagmate* 48, § 3 *agens de reliquiis ecclesiæ PP. Capucinorum Coloniensium ita scribit:* Ecclesia PP. Capucinorum custodit multa sacra ossa, ac quædam sacra capita, tum ex SS. undecim millium Virginum Martyrum, tum ex legione Thebæorum sive innumerabilium SS. Martyrum Trevirensium. *Sicut ergo hisce fortasse immixtæ sunt aliquot Thebæorum reliquiæ, ita fortasse et illis. Hæc de Martyrum nostrorum reliquiis per Germaniam dispersis dicta sufficiant: nec enim dubito, quin pluribus aliis præterea Germaniæ locis reperiantur; sed quoniam earum ad nos cognitio non pervenit, in Belgium properemus.*

AUCTORE J. B.

§ XII. Sanctorum Reliquiæ, præcipue per Belgium, dispersæ.

SS. Martyrum reliquiæ Luxemburgi et Duaci,

Varias per Belgium sparsas Martyrum Trevirensium reliquias Royssius recenset in Hierogazophylacio, at non ita enucleate semper, ut pateat, veniantne Martyrum Trevirensium nomine, Thebæi exteri tantum, an indigenæ, an utrique: dubium pariter subinde, num, cum Martyres Thebæos nominat, Agauni, an Treviris passos, intelligat. Utut res sese habeat, pag. 373 *Munsteriensi Ordinis S. Benedicti cœnobio Luxemburgensi adscribit* duo capita et plu- E
rima ossa Martyrum Trevirensium. *Rutilensi Cartusiæ ad ripam Mosellæ pag.* 432: caput unum et ossa tria magna Martyrum Trevirensium. *Patribus Societatis nostræ Audomaropolitanis pag.* 478: multa et magna ossa Martyrum Thebæorum et Trevirensium. *Duacenis pag.* 479 *multas ossium partes Martyrum Trevirensium, sub Rictio Varo passorum, easque in templo nostro Majore conspicuas: præterea sodalitatis Partheniæ philosophis pag.* 481, *duas tibias integras sanctorum Martyrum Thebæorum vel Trevirensium; præterea tibiam unam et vertebram eorumdem, a R. P. Petro Adenhoven, collegii Trevirensis rectore, acceptas. Denique aliud os dono R. P. Jacobi le Roy; quibus insignis honor est habitus anno* 1628 *die* 20 *Maji, cum e templo Majore ad oratorium laudati sodalitii fuere translatæ. Rem ita describit.*

ubi insigni honore exceptæ,

167 Sequentium Sanctorum reliquiæ, duobus ad hoc apparatis feretris, e ligno inaurato, pellucidissimisque transparentes in vitris, miro artificio collucentes, die XX Maii hujus anni MDCXXVIII ex ipso templo, in quo fuerant isto die solenni pompa expositæ, processionaliter variis luminaribus, varioque instrumentorum musicorum consensu, atque alio et alio studiosorum applausu translatæ fuerunt, ubi tota sequenti Dominica die, media in aula, in F
altari illic ad hoc venustissime constructo, et pannis holosericis acu Phrygio auro et argento variegatis, rubei coloris, uti reliqua aulæ pars convestito, in vesperam expositæ fuerunt, atque ab omnibus, qua par fuit, veneratione honoratæ, ad quarum honorem et Sanctorum majorem gloriam factum est summum sacrum ab R. P. ac magistro nostro Philippo du Trieu, communicatis interea, sacroque Eucharistiæ Sacramento refectis, maximo numero, ejusdem congregationis sodalibus, post litanias vero, præparatis ad hoc in locis fuerunt collocatæ. *Ne autem levi de causa tantum hisce reliquiis honorem habitum fuisse, quis forte existimet, diploma, quo eas R. D. Paulus Boudot, Atrebatensis episcopus, approbavit, adjecit, quod est hujusmodi.*

et approbante

168 Paulus Boudot, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, episcopus Atrebatensis, universis præsentes inspecturis salutem in Domino. Cum juxta SS. canones et concilii Tridentini decreta reliquiæ Sanctorum, quorum corpora viva habitaculum fuere Spiritus sancti, et quorum intercessione multa bona hominibus præstantur, debito honore sunt venerandæ, ac nullæ et novæ reliquiæ, nisi recognoscente et approbante episcopo, recipiendæ. Hinc est, quod, probatis testimoniis fide dignis, reliquias nobis exhibitas per R. P. Jacobum Lobbetium, sodalitatis Partheniæ philosophorum Duacensium

AUCTORE J. B.

censium directorem, videlicet duas tibias integras SS. Martyrum Thebæorum vel Trevirensium, acceptas a R. admodum domino D. Anthonio Wehro, canonico et scholastico ecclesiæ collegiatæ divi Paulini Treviris; item unam tibiam et unam vertebram SS. Martyrum Thebæorum sive Trevirensium, acceptam a R. P. Adenhoven, collegii Societatis Jesu rectore, Treviris. Aliud item os tibiæ eorumdem Martyrum Thebæorum, datum a R. P. Jacobo le Roy, collegii Societatis rectore Valencenis. *Quæ sequuntur in diplomate ad aliorum Sanctorum reliquias pertinent; ac propterea hic ea omitto.*

Atrebatensi episcopo

169 *Diploma autem Atrebatensis præsul hoc modo concludit :* Nos ad humilem supplicationem prædicti R. P. sodalitatis directoris, visis prius attestationibus prædictorum dominorum, et juramento præstito ab eodem R. P. Jacobo Lobbetio, quo testabatur, eas esse ipsas reliquias, quarum testimonia acceperat, nobisque exhibuerat : easdem reliquias pro veris prædictorum reliquiis recognocentes et approbantes, ab omnibus et singulis Christi fidelibus venerandas et honorandas exponi publice posse, decrevimus, et decernimus harum testimonio litterarum, sigilli nostri subimpressione munitarum. Atque ut erga easdem reliquias cultus et
B veneratio incitetur, omnibus, qui eas devote coluerint, quadraginta dierum indulgentiam impertimur. Datum in palatio nostro episcopali Atreb. die IV Maii, anno MDCXXVIII.

De Mandato Reverendissimi D.
sigillum appensum erat in rubea cera.
Joannes Monnier, secret.

publicæ venerationi expositæ fuerunt :

170 *Aliud præterea in eadem urbe Patres nostri sodalitium, beatissimæ Virgini pariter sacrum, instituerant, quod Duaceni cives constituebant. Hi philosophorum Partheniorum pietatem æmulati, eorumdem Sanctorum præsidium, comparatis eorum reliquiis, sibi consciscere voluerunt; acceptisque Treviris duabus craniorum portionibus, voti sui compotes effecti, sacro eas pariter honore sunt prosecuti. Testis rursum Rayssius, pag.* 484 *ita scribens :* Anno proxime elapso (*prodiit Opus ejus anno* 1628) missæ sunt a Trevirensibus parthenicis beatæ Virginis sodalibus ad civium Duacensium parthenicum beatæ Virginis sodalitium, sub cura eorumdem PP. Societatis Jesu institutum, duæ maximæ craniorum partes SS. Martyrum Trevirensium, una cum amplissimis, iisque pulcherrimis attestationibus; quæ sane reliquiæ, licet collocandæ in prædictorum sodalium oratorio credebantur, inclusæ tamen imaginibus prædictorum SS. Martyrum, pectore tenus effigiem
C naturalis unius hominis magnitudine referentibus, super gradus summi altaris, ipsis diebus Dominicis, atque aliis solemnioribus diebus collocantur.

item Insulis, variisque Belgii locis,

171 *Duaco Insulas progreditur Rayssius : illic quoque in templo nostro Martyrum Thebæorum et Trevirensium reliquias reperiri, ait pag.* 492, *citatque Buzelinum in Annalibus Gallo-Flandricis lib.* II, *cap.* 8 : *sed nec hic, quænam eæ sint, uberius explicat; addit tamen, et PP. Franciscanis Insulensibus multa Thebæorum et Trevirensium Martyrum ossa obtigisse. Templo nostro Mechliniensi pag.* 493 *tribuit Rayssius,* unum integrum fere caput : quattuor craneorum partes ; mandibulam unam, os unum oblongum, aliaque duo media. *Quæ omnia P. Jacobo Tirino acceptas refert collegium nostrum; hic autem munificentiæ illustrissimi domini archiepiscopi Trevirensis : quibus dein addit duo ossa eorumdem dono Nicolai, abbatis S. Maximini, et ossa varia e collegio nostro Luxemburgensi accepta. Denique in templo nostro Luxemburgensi vidisse se, ait pag.* 492 *et seq.*, capsulas duas, hinc inde ad summum altare, cortinis ejusdem altaris juxta columnas superpositas, refertas reliquiis Martyrum Trevirensium. *Willotius in Hagiologio Belgico, Gallico sermone conscripto, ad diem* 6 *Octobris ita universim scribit :* In pluribus urbibus, monasteriis, locisque Belgii servantur ac honorantur corpora, partesque insignes Martyrum Trevirensium; speciatim in Munsteriensi monasterio Luxemburgi, D
uti et apud Jesuitas ejusdem loci, Namurci, Valencenis, Insulis, Duaci, Audomaropoli etc. *Addi his possunt templum nostrum Liranum et Iprense, quæ pariter eorumdem Martyrum cimeliis gaudent. Prætereo virginis S. Claræ Insulis, S. Petri ecclesiam et collegium Scotorum Duaci, Lætiensem in Hannonia abbatiam, cœnobium S. Winoci, Ordinis Benedictini Bergis in Flandria, ubi quoque variæ Martyrum Thebæorum, vel certe Trevirensium reliquiæ, teste Rayssio, reperiuntur.*

nominatim in domo Professa Societatis Jesu Antverpiæ.

172 *Plures quoque sanctorum Martyrum Trevirensium reliquias domus nostra Professa Antverpiensis servat, Trevirensium liberalitate acceptas. Ex his anno* 1594, *die* 28 *Maji Guilielmus Bretzius, S. Paulini decanus, Oliverio Manaræo, Societatis nostræ per provinciam Belgicam Provinciali, capita duo una cum tibiis aliquot et partibus aliis dono dedit; authenticæ vero donationis litteræ ita habent :* Nos Guilielmus Bretzius Berncastellanus, collegiatæ ecclesiæ B. Paulini apud muros Trevirensis urbis decanus, fatemur tenore præsentium ad instantiam reverendi patris Oliverii Manaræi, Societatis Jesu per Belgium præpositi Provincialis, et reverendi patris Joannis Melandri, collegii Societatis Jesu procuratoris, impetratas et datas hinc a nobis quasdam Trevirensium Martyrum reliquias, E
nimirum capita duo una cum tibiis aliquot et partibus aliis. Quæ omnia ex autentico veroque sacrorum Martyrum, tum hujus urbis incolarum, tum cohortis Thebeæ legionis reliquiario depromsimus. In cujus rei testimonium præsentes sigillo nostro, ac manus propriæ subscriptione firmare placuit. Datum Treviris MDXCIV, XXVIII Maii.

Wilhelmus Berncastellanus, S. Paulini decanus.

authenticis, quæ dantur,

173 *Eodem quoque anno pridie Kalendas Junii iisdem patribus Manaræo et Melandro Joannes de Valle, S. Martini in suburbio Trevirensi abbas, reliquias aliquot, ex authentico veroque sanctorum Martyrum Trevirensium, tum incolarum, tum cohortis Thebææ legionis reliquiario depromptas, largitus est, ut litteræ docent authenticæ ea de re ab eodem abbate datæ, manuque ejus propria subscriptæ, et sigillo munitæ, quas hodieque servat domus nostra Professa Antverpiensis. Conceptæ sunt iisdem fere verbis, quibus proxime præcedentes Guilielmi Bretzii : sufficiet itaque Martyrum Trevirensium reliquias, in iis memoratas, verbatim describere. Sunt autem hæ :* Septem tibiæ integræ, duæ partes mandibulæ cum dentibus aliquot, duo ossa latiora, una pars posterior cranei integra, iterum alterius parva pars, ossa item minora aliquot.... de sanguine F
concreto Martyrum Trevirensium. His etiam adjunxit (*ita pergunt authenticæ litteræ*) V. dominus pastor S. Pauli duas anteriores partes craneorum et duas tibias medias.

munitæ

174 *Parem quoque P. Tirino curam fuisse, domus nostræ Professæ templum sanctorum Martyrum Trevirensium reliquiis ditandi, ex authenticis litteris tum Lotharii, Trevirensis archiepiscopi, tum Nicolai, abbatis S. Maximini, liquet, quas describo. Lotharii quidem litteræ ita habent :* Lotharius, Dei gratia archiepiscopus Trevirensis, sacri Romani imperii per Galliam et regnum Arelatense archicancellarius ac princeps elector, administrator Prumiensis perpetuus, notum facimus tenore præsentium, cum ab honorabili et religioso devoto syncere nobis dilecto Jacobo Tirino, præposito domus professorum Societatis Jesu Antverpiæ, pro sacris quibusdam reliquiis requisiti fuerimus, nos pio ipsius desiderio et devotioni gratificari volentes, has subsequentes, ex sacrarum reliquiarum nostrarum thesauro desumptas, reliquias illi gratiose dedimus, videlicet, duo integra fere capita, quatuor craneorum partes, duas mandibulas, sex oblonga ossa, ex S. legione Thebeorum Martyrum Trevirensium; et quod illæ reliquiæ pro talibus huc usque pie habitæ et retentæ sint, his litteris nostris manus nostræ subscriptione, et sigilli nostri subimpressione munitis attestamur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

attestamur. Datæ in Augusta nostra Trevirorum vigesima prima die mensis Augusti, anno a partu Virgineo, millesimo sexcentesimo decimo septimo.

Lotharius archiepiscopus Trevirensis S. ✠ locus sigilli.

testimoniis,

175 *Litteræ vero authenticæ Nicolai, abbatis S. Maximini, ita sonant:* Nicolaus, Dei gratia abbas imperialis monasterii sancti Maximini, Sedi Apostolicæ immediate subjecti etc. Notum facimus per præsentes, nos anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo, ad majorem Dei gloriam et sanctorum Martyrum honorem, ad sollicitationem reverendi Patris Jacobi Tirini, domus Professæ Societatis Jesu Anuerpiæ Præpositi, sacrosanctæ Theologiæ licentiati, dono dedisse et contulisse ex insigni thesauro sanctarum reliquiarum monasterii nostri, vel ecclesiæ antiquissimæ, a S. Helena imperatrice, et ejus filio Constantino imperatore *, tria magna ossa ex legione Thebæorum, quorum dux fuit sanctus Bonifacius, qui tempore Ricciovari martyrio affecti sunt. Contestamur insuper, jam nominatas reliquias in antedicto nostro monasterio pro reliquiis veris, certis atque sacris ab antiquo, et ab hominum memoria, reverenter habitas, et reputatas fuisse, ac de præsenti haberi et reputari; prout nobis ex monasterii nostri archivis, ac pervetustis instrumentis, indubitata veritate constat. In quorum testimonium præsentes litteras manu propria subscriptas, sigilli nostri impressione jussimus et fecimus communiri. Datæ ex monasterio nostro præfato, vigesima secunda mensis Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo.

* *supple* fundatæ

Nicolaus abbas S. Maximini.

Ex mandato

Daniel Mayer, imperiali auctoritate notarius, scabinus et secretarius benememorati monasterii.

et a Maldero, episcopo Antverpiensi approbatæ.

176 *Alias denique anno* 1619 *Martyrum Trevirensium reliquias e S. Paulini monasterio opera P. Gisberti Curbeck domus nostra Professorum Antverpiensis accepit ab eodem Guilielmo Bretzio seu Brexio, de quo supra num.* 172, *nimirum tria oblonga ossa et unam partem cranii, ut iterum ex litteris authenticis in prædicta domo nostra servatis, mihique a R. P. Præposito Ignatio vanden Driesch benigne exhibitis, disco; quibus et aliæ jungi possunt, quæ ad manus Antverpiensium Professorum una cum donationum litteris pervenerunt, quasque omnes, uti et ante memoratas, Joannes Malderus, Antverpiensis episcopus, precibus R. P. Joannis de Tollenaer, Præpositi domus professæ Antverpiensis, recognitas, publicæ venerationi exponi concessit die trigesima mensis Octobris anno Domini* 1625.

missæ insuper fuerunt in remotiores orbis partes.

177 *At nec Italiam Martyrum nostrorum reliquiis destitutam, lib.* II *de Martyribus Thebæis pag.* 233 *Baldesanus est auctor: hoc enim teste, S. Paulini Trevirensis capituli favore et munere Martyrum Thebæorum Trevirensium capita aliquot et ossa Mediolanum allata sunt: quorum unum cum ossibus tibiæ et brachii collegio nostro, S. Mariæ* di Brera *appellato, donatum est, ibidemque sub altari principe reverenter repositum anno* 1582. *Eodem quoque teste, Joannes Franciscus Bonhomius, per Germaniam nuntius Apostolicus, Martyrum istorum capita aliquot et ossa insignia, Treviris accepta, Vercellas detulit, quæ, illo defuncto, partim in cathedrali ecclesia S. Eusebio, partim in ecclesia nostræ Societatis SS. Trinitati sacra consensu Sixti V summi Pontificis, sunt collocata anno* 1588, *ubi multo in honore sunt. Addit Baldesanus, Genuam quoque in collegium Societatis nostræ eorum reliquias migrasse, uti et in Hispaniam; at quænam eæ sint, aut ubi serventur, non edicit. Codici nostro Ms., S.* 19 *notato, insertum est Kalendarium Sanctorum, quorum Officia celebrantur ob insignes ipsorum reliquias in ecclesia S. Francisci Bononiæ asservatas, F. Innocentii Guardiani subscriptione munitum; hoc autem ad diem* 6 *Octobris ita habet:* Innumerabilium Martyrum Trevirensium caput.

AUCTORE ANONYMO.

ACTA

Auctore anonymo.

Ex editione Honthemii tomo I Prodromi Historiæ Trevirensis.

PROLOGUS.

Auctor Deum scriptionis suæ principium facit.

Seræ

Quamquam, Scriptura sacra testante, in principio apud Deum secundum substantiam rerum cuncta simul creata fuerint, sicut scriptum est: Qui vivit in æternum, creavit omnia simul *a;* non tamen secundum diversitatem formarum omnia simul in speciem venerunt. Nam, sicut beatissimus Regiensis ecclesiæ episcopus Prosper in suo, quod ex libris S. Augustini facit, deflorato testatur: Id quod in tempore novum est, non est novum apud eum, qui condidit, et sine tempore habet omnia, quæ suis quibusque temporibus pro eorum varietate distribuit *b.* Ad innumerabilem itaque divinæ hujus dispensationis rationem spectare videmus, quod, sicut sexta die, creatis diversi generis animantibus, homo quoque, qui eis præesset, creatus est; ita in sexta mundi ætate *c* Creator omnium rerum Deus, in patriarchis, et prophetis dudum præsignatus, in utero virginali conceptu spirituali incarnatus est, cujus est dominatus super omnes cœli ac terræ ornatus: et cœli quidem ornatus sunt angeli, terræ autem ornatus homines et bestiæ, variique fœtus terræ.

a

b

c

Martyrum inventionis

2 Hic ergo plus quam Abraham multarum gentium, plus quam Isaac Patri obediens, plus quam Noe calice Passionis inebriatus est; et in Judaico populo, tamquam Noe in tabernaculo, a filio suo Cham denudatus *d;* dum ab ipsis generis sui domesticis, a quibus carnis velamentum, quasi aliquod susceperat tabernaculum, despective est tractatus: ibi namque mortalitatis ejus infirmitas nudata est atque manifestata: ibi, sicut Propheta de ipso prædixerat, fortitudo ejus est celata *e,* et, sicut Noe, de somno expergefactus, impietatem filii sui Cham prophetico spiritu edoctus maledictione persecutus est; ita propheta David, qui typum Domini gessit, Judæorum impietatem, dormientis in cruce Domini despicientium infirmitatem, non dissimili maledictione detestatus est, de illis dicens: Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus *f* etc: sicut etiam et alii duo filii Noe, Sem videlicet et Japhet, nuditatem patris nec videre, nec audire volentes, eamque pallio cooperientes, paternam benedictionem susceperunt; ita omnes mysterium Passionis Dominicæ humiliter venerantes, divinæ Paternitatis benedictione beari ac multiplicari nihilominus meruerunt; quorum etiam futuræ per Deum nominationis, et dilationis * status in eorumdem filiorum Noe nominibus est præsignatus *g.*

d

e

F

f

* dilatationis

g

excusatio.

3 Hæc autem idcirco breviter prælibavimus, ut et eum, qui est fons et origo omnium bonorum, hoc etiam principium faceremus, ejus scilicet breviloquii, quod de sanctis Trevericæ civitatis Martyribus faciemus, et, ut ejus incommutabilis dispositionis ordinem in eis quoque completum esse, ipso adjuvante, monstraremus, qui eos proinde, ut credimus, de ultimis terrarum finibus evocavit, ut et eorum holocausta medullata perpetua pace remuneraturus in hoc tandem loco susciperet, et ejusdem loci incolas, tam pretiosas Sanctorum suorum foventes reliquias, concessæ fidelibus suis pacis participes per eorum patrocinium efficeret.

ANNOTATA.

a *Ecclesiastici cap.* 18, ℣ 1.

b *Ita S. Prosper lib. Sententiarum ex Augustino delibatarum*

AUCTORE ANONYMO.

delibatarum sent. 4, quæ est de intemporali scientia Dei. Vide S. Aug. Epist. 158 ad Marcellinum.

c *Hermannus Contractus, et Lambertus Schafnaburgensis, quibuscum loquitur hic anonymus, mundi ætates ita partiuntur: fluxit prima a creatione mundi usque ad Noe: inde secunda usque ad Abraham: tertia ab Abraham usque ad David: quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis: quinta a transmigratione Babylonis usque ad adventum Domini: sexta, quæ nunc agitur, ætas: Aliorum vero alia partitio est.*

d *Cham patrem non denudavit, sed denudatum invenit.*

e *Num forte alludit ad hæc Isaiæ verba cap.* 63 ℣ 15 Ubi est zelus tuus et fortitudo tua?

f *Psalm.* 67 ℣ 2.

g Sem *idem valet ac* Nomen *seu* Nominatus : Japhet *idem ac* Dilatatio : *hinc Noe Gen. cap.* 9 ℣ 27 : Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem etc.

CAPUT I.

SS. Martyrum passio et sepulturæ locus.

Maximiano in Christianos effervescente.

Cum igitur inevitabilis divinæ dispositionis ordo deposceret, ut et ardor malitiæ, qui fuit in infidelibus, Maximiano et Diocletiano, a diabolo succensus efferveseeret, et amor justitiæ, qui fuit in sanctis Secundo *a*, Tyrso Mauritio Sociorumque * ipsorum, flagrans ex lampade caritatis divinæ innoteseeret juxta illud Psalmistæ : Consumetur nequitia peccatorum et diriges justum *b*, hoc est, ut peccator peccaret adhuc, et justus justificaretur adhuc *c*, evocatur a Maximiano, cognomento Herculio, cæsare primum, postea Augusto, Orientalis regionis legio. Quæ juxta legem militiæ Romanæ conscripta armisque militaribus instructa ab imperatore Romano Diocletiano ad vires hostium Romanorum conterendas est transmissa *d*. Prælati sunt autem huic legioni duces, quorum vocabula ad nostram noticiam duo devenerunt, unus Tyrsus, alter Secundus vocatus. Nomen vero primipilarii legionis ejusdem, sicut a nostris antecessoribus accepimus, erat Mauritius *e*, erant revera in legione illa alii quoque duces exercitus, ac principes *f*, pro quorum et nominum et meritorum oblivione antecessorum nostrorum negligentiam incusamus, quorum tamen diligentiam commendamus, pro eis litterularum documentis, quæ de eorumdem Sanctorum meritis aut plumbeis, aut marmoreis tabulis, aut vetustissimis schedulis inscripta reperimus *g*.

B

a

* Sociisque

b

c

d

e

f

C

g

SS. Tyrsus et Socii MM.,

2 Hoc nempe in plumbea tabula, prope corpora eorumdem Martyrum in crypta sancti patris nostri Paulini terræ altius infossa, conscriptum reperimus, quod unus ex præfatæ legionis ducibus, Tyrsus videlicet cum suis plurimis Sociis et militibus in urbem Trevericam deveniret, cum suos commilitones, signifero legionis Mauritio adhærentes, idolorum culturæ adquiescere nolentes, juxta Alpium infima ab imperatore Maximiano trucidatos esse, audiret *h*. Quare vero hunc potissimum locum cœtus ille Sociorum passioni suæ prospexerit, prima quidem ratio occurrit prædestinationis divinæ inevitabilis dispositio, quæ sicut absque tempore et loco continet omnia, ita temporibus et locis singulis congruentia distribuit negotia *i*.

h

i

divina disponente providentia,

3 Sic nempe inter alia inæstimabilia Bethlehem Nativitati, Jerusalem suæ prævidit Deus et Homo Passioni. Deinde non absque ratione possumus et illud ex hac re conjicere, quod beatus Marcellus, Romanæ Sedis eodem tempore episcopus, inter alia militiæ Christianæ, qua, illis consilium ejus in urbe Roma quærentibus *k*, seseque ab episcopo Hyerosolimitano ad fidem Christi per baptismum initiatos *l* esse confitentibus contulit armamenta ; hæc quoque necessitati eorum salubria providerit munimenta, ut, quia contra Galliarum Christianos bellum suscipere cogebantur, ipsi Christianitatis nomen in hoc venerarentur, quo se Galliarum principibus *m* conjungentes et cum eis crucem Domini per patientiam mortis suscipientes, adaucto hoc modo Sociorum numero, cumulata sibi passionum præmia acquirerent.

k

l

D

m

4 Possent et aliæ convenientes et aptæ ex hac re fieri conjecturæ, sed præstat interea loci nomen Domini benedicere ac laudare, cujus inæstimabile consilium sapientiæ in benedicta Sociorum istorum ad hunc perventione, et benedicenda semper passione, ibidem constat completum esse. Venerunt namque in urbem Trevericam, non nisi per ordinationem divinam : unde ab ejusdem civitatis Christianissimis principibus, Christianitatis et pacis signa in ipsis cognoscentibus, Christianiter et amice, hospitaliter et honeste, summa, quæ in Domino est, ordinante hoc charitate, recepti sunt *n*.

Treviros veniunt,

n

5 His quippe principibus dum causam suæ ab Oriente profectionis, suæque ad hunc locum perventionis flebiliter retulissent, eorumque consilium simul et auxilium humiliter postulavissent, flagranti adeo Sancti Spiritus ardore corda omnium et civium et hospitum in Dei amore succensa sunt, ut ad mortis magis pro Christi amore susceptionem, quam ad idolorum venerationem, et Christianorum oppugnationem se præbere, invicem exhortarentur. Verumtamen non est dubitabile, quin, si juncti Trevericis Thebani materialibus armis contendere vellent, præfecti illius Romanorum Rictiovari potentiæ resistere et etiam prævalere satis possent *o*, præsertim cum ipsum Romanorum imperatorem cæsarem cum omnibus, quas habere potuit, militum copiis a solis civibus Trevericis diu multumque fatigatum fuisse, in Romanis ac Gallicis legamus historiis *p*. Hæc hactenus.

ubi benigni excepti,

E

o

p

6 Vixdum igitur sanctæ exhortationis armis se invicem munierant, cum ecce Rictiovarus, Romanæ, ut ita dicam, iniquitatis præfectus a præfato Maximiano transmissus, Trevirorum urbem cum suis iniquissimis satellitibus intravit, qui vocatos ad se imprimis, quorum causa præcipue venerat, Thebææ legionis Christianos, interrogavit, utrum et ipsi Romanorum Deos adorare, eorumque detractores armis vellent subjugare *q*? Cui dum dux Legionis præfatæ Tyrsus responderet, se suosque omnes et Socios et Milites pro Christi amore, ejusque et religionis observatione malle mori, quam hujusmodi sacrilegio pollui : quid ipse diceret, nescimus, sed quid faceret, scimus. Nam sicut felicissimæ memoriæ homines, quorum in æternum benedictæ sunt animæ, notaverunt *r*, in plumbea videlicet tabula, quam in crypta sanctissimi Trevirorum episcopi inventam esse *s*, prædiximus, prima die funesti ingressus ipsius in hanc urbem, quæ erat quarto Nonas Octobris, occidit Tyrsum cum suis Sociis.

die 4 Octobris a Rictiovaro occiduntur:

q

F

r

s

7 Sequenti autem die Rictiovarus Palmatium consulem et patricium cum aliis principibus ejusdem civitatis *t* occidit, quorum nomina pro rerum multitudine satis paucissima ibidem sunt inventa : plurima quippe in hac urbe, sicut in Romana civitate, dignitatum quoque vocabula fuerunt : non enim propter solam ædificiorum æqualitatem, sed etiam propter dignitatum æmulationem *u* hæc urbs secunda Roma est vocata. Ex his vero omnibus et hominum et dignitatum nominibus (quod absque mœrore non dicimus) non nisi tredecim nomina in plumbo *x* reperimus : de quibus unum ducis legionis Thebeæ fuit vocabulum, qui Tyrsus vocatus, et in sinistro sancti Paulini latere versus Orientem collocatus in ipsa sui positione se ab Orientali plaga venisse quodammodo est testatus ; in dextero autem sancti hujus Paulini corpus jacet sancti martyris Palmatii, consulis Trevericæ urbis et patritii : hic, dum parte sui dextera te respicit, o urbs Treverica, dextera ejus juvamina videntur tibi etiam hoc locationis modo esse porrecta *y*.

die vero postero S. Palmatus et Socii MM.,

t

u

x

y

8 Ad caput vero memorati sæpius, memorandi frequentius, Paulini septem Senatorum corpora, quasi

A quasi totidem posita sunt candelabra, plus in domo Domini lucentia, quam septem cœli sidera, quorum situs ordinatio veneranda *z* non minimo misterio est celebranda : probat namque positio ista, cælestia illos fuisse animalia, dum quasi castrorum acies ordinata fuerunt ; et sicut animalia cœli Ezechieli apparuerunt, alas alterius ad alterum contulerunt. Et tunc quidem a felicissimæ memoriæ Trevirorum archipræsule Felice, Sancti Spiritus gratia illi cooperante, ita conjuncta fuerunt ; nunc autem *aa* manifesto * per misericordiam Dei præ-
B tiosissimo corporum ipsorum thesauro, dum crypta in honore ipsorum construeretur, ornatus ejusdem criptæ poscere videbatur, ut intermisso quindecim pedum spacio, ita ab invicem separarentur, ut dextera pars criptæ illius, quatuor ex ipsis, sinistra autem tria iterum conjuncta, sicut ante, corpora susciperet.

in S. Paulini crypta sepulti, e quibus hic memorat septem ;

z

aa

* manifestato

9 Sed isti septenarii numeri partes sacri misterii videntur non esse expertes : id ipsum namque beatitudinis æternæ misterium, quod numeri hujus summa, divinæ et humanæ sapientiæ testantibus auctoribus, nobis pollicetur, partes quoque summæ hujus constitutivæ, ternarius scilicet et quaternarius, teste Virgilio *bb*, paganorum poetarum revera doctissimo, continere videntur ; qui cum perfectam et corporis et animæ beatitudinem, per hunc numerum significari vellet ostendere, ait in quodam loco : o terque quaterque beati. Sunt sane et alia numeri hujus, quæ longe est revolvere, misteria ; quæ si divina misericordia in nostra miseria per istorum merita Sanctorum compleri perfecerit, iste Sanctorum septenarius numerus ab omni nos corporis et animæ inquinamento purgare sufficiet solus.

et ad hunc numerum inepte alludit anonymus :

bb

10 Habentur tamen in eadem cripta alia quoque quatuor sanctorum martyrum corpora, ad quorum et nomina et merita demonstranda, non alia melius, quam eadem, quæ in plumbo sunt, verba ponemus, hæc sunt autem festivæ memoriæ verba, quæ ibi sunt insculpta : Ad pedes Sancti Paulini altrinsecus positi sunt quatuor Viri genere et virtute clarissimi ; qui licet tempore pacis occulte Christum colebant, tempore tamen persecutionis aperte adeo fidem Christianorum defendebant, adeo ipsi Rictiovaro in faciem resistebant, quod eos quasi exemplum aliorum diversis tormentorum generibus multum afflictos, tandem in præsentia sua fecit decollari. Alter ergo duorum, versus Austrum positorum, interior scilicet, Hormista, exterior vero Papirius vocatur, alter vero eorum, quorum latera Aquilonem respiciunt, interior item Con-
C stans, exterior Jovianus vocatur.

mox alios 4 addit

11 Pauca itaque, ut diximus, pro rerum multitudine, parva pro rerum magnitudine, sunt hæc verba, quæ divina prospiciens ex alto misericordia nostris temporibus conservavit, nobisque peccatoribus nostris absconsa melioribus occulto aliquo pietatis consilio revelavit *cc*. Ceterum significantia mysteriorum, in his, quamvis paucis, verbis sonantium, adeo est fortis et valida, ut, si quis scribendi ingenio æquali cum sancto Gregorio hoc tempore polleret, vix digne passionum merita et virtutum ipsorum insignia describere valeret, nedum nostri tenuitas ingenii ad eorum, et idoneam descriptionem et dignam gratiarum Deo actionem, pro eorum divinitus nobiscum celebrata revelatione sufficere deberet. Quapropter melius de his silendum esse putamus, quam, cum pro magnitudine rerum parum inde dicamus, res magnas parvis scribendi modis extenuare pergamus : illud vero qualicumque scribendi modulo posteritati transmittere debemus necessario, quali divinæ prædestinationis ordinatione hac Sanctorum lætificati simus manifestatione.

paucisque narratis, ad MM. inventionem transit.

cc

ANNOTATA.

a Secundus *e numero Martyrum Trevirensium non fuit. Vide num.* 114. S. Bonifacius *per interpolationem in Ms. nostrum S. Maximini intrusus videtur : nec enim legitur in Actis ab Honthemio editis, neque, cum scripta sunt Acta, Treviris cognitus fuisse videtur.* AUCTORE ANONYMO.

b *Psalm.* 7 ℣ 10.

c *Respicit illud Apoc.* 22 ℣ 11. Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc : et qui justus est, justificetur adhuc : et sanctus sanctificetur adhuc.

d *Hos Romanorum hostes, quidam Bagaudas, quidam Carausium, alii tumultuantes Gallos fuisse, opinantur : res pendet a tempore, quo Martyres Thebæi cæsi fuerunt, quod incertum est : equidem expeditionem aliquam Maximianum molitum esse, cum illos neci dedit, ex Eucherio videtur consequi. Vide num.* 100.

e *Illius Acta illustrata sunt ad diem* 22 *Septembris.*

f *Cum* Duces exercitus *nominat, centuriones, ordinumve ductores intellige. De* S. Bonifacio *consule Appendicem.*

g *Habes monumenta, unde Martyrum suorum notitiam sæculo* XI *Trevirenses hauserunt. De tabula plumbea et marmorea actum est* §§ 2, 3, 6. Schedulas vetustissimas *vocat anonymus, quæ invasioni Normannicæ superstites fuere ; at quales fuerint, cujusve ætatis, nusquam clare edicit. Fuerint forte Hymnus S. Paulini, Acta SS. Fusciani et Victorici,* E *quorum meminit cap.* 2.

h *Itaque secundum anonymum, in Gallias jam pervenerat* Tyrsus, *cum Mauritius Agauni occubuit ; probabile autem est, eo a Maximiano fuisse præmissum, ut num.* 3 *dixi ; atque adeo non est, cur* Tyrsus *a signis profugisse, dicendus sit.*

i *Si causa quæritur, cur in Gallias venerint* Tyrsus *et ejus Socii, certum est, id factum non esse absque dispositione divina : sed alia, eaque magis determinata quæritur. Haud vero improbabilis ea est, quod illuc a Maximiano, partim ad tutandos Romani imperii fines, partim ad persequendos Christianos, missi essent. Nam, ut ait S. Eucherius, Maximianus* impietatem suam ad extinguendum Christianitatis nomen armaverat. Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque militum turmis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiebantur : ac, velut vacatione barbaris gentibus data, prorsus in religionem arma commoverat. *Hanc causam num. seq. ex parte tangit anonymus.*

k *Martyres Thebæos Romanum Pontificem adiisse, recentiorum tantum assertio est, nullo antiquitatis testimonio fulta ; neque in Eucherio quidquam hujusmodi occurrit : perinde igitur est sive Cajus, sive Marcellus, sive alius quiscumque Romanam Sedem occuparit. Alibi legitur* Marcellinus.

l *Nihilo solidior est ista assertio, quam præcedens. Anonymo hic et Scheckmanno non convenit : hic enim Thebæos a Zabda, Hierosolymitano episcopo, Christi militiam didicisse, seu fidei Christianæ* F *rudimenta hausisse, sed a Marcellino, Romano Pontifice, baptismum consecutos scribit. Sedit Hierosolymis Hymenæus ab anno* 266 *ad* 298. *Dein Zabdas usque ad annum* 302. *Non potest igitur huic Thebæorum conversio tribui, si* Tyrsus, *ut Scheckmannus seu Enenus ait, anno* 291 *occisus fuerit.*

m *Viros consulares et senatores intelligit.*

n *Generalis nimium hæc expressio est : innuit enim, non solum Trevirenses optimates plerosque, sed et omnem pene civitatem Christianis sacris ea tempestate fuisse addictam ; quod quidem quantopere a temporum illorum Treviris conditione abhorreat, dictum est num.* 112.

o *Quis non videat, Christianorum Treviris degentium numerum, ac Trevirensium vires hic denuo supra fidem extolli ?*

p *Indutiomarus, Trevirensium princeps, sub Julio Cæsare bellum cum Romanis gessit, quo per Labienum victo occisoque, adversus Romanos Treviri bellum renovarunt, ut in illos Cæsar ipse proficisci decreverit ; sed Labienus copiis a Cæsare auctus, victisque iterum stratagemate Treviris, paucis post diebus illorum civitatem recepit ; quæ fusius explicat*

AUCTORE ANONYMO.

cat Cæsar ipse Commentariorum suorum de bello Gallico lib. V *et* VI.

q *Duo igitur in mandatis habuerunt, alterum, ut idolis sacrificarent, alterum, ut Christianos persequerentur; sed exsequi utrumque detrectarunt. Idem prorsus S. Eucherius de Martyribus Agaunensibus tradit. Ad sacrificandum idolis coactos fuisse, ex his Eucherii verbis colligitur :* Ubi vero ad Thebæos denuntiatio iterata pervenit, cognitumque ab eis est, injungi sibi rursum executiones profanas, vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur, affirmantium, numquam se ulli in hæc tam sacrilega ministeria cessuros. Idolorum profana semper se detestatos, Christianis se imbutos sacris, et divinæ religionis cultu institutos, unum sanctæ Trinitatis Deum colere, extrema experiri satius esse, quam adversum Christianam fidem venire. *Ad Christianorum quoque perniciem fuisse compulsos, Eucherius loco non uno affirmat. Primum ita scribit :* Itaque cum hi, sicut et ceteri militum, ad pertrahendam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt, atque hujus præceptis se obtemperaturos negant. *Tum sic :* Redintegratisque mandatis edicit (*Maximianus*) ut reliqui in persecutionem Christianorum cogantur. *Nihil igitur in his anonymi*

B *verbis occurrit, quod merito reprehendas.*

r *Probabilius anno* 882. *Vide* § 2.

s *Anno* 1071 *vel potius seq.*

t *De illis agetur ad diem* 5 *Octobris, quo occisi sunt et notantur in Martyrologio Romano.*

u *Non senatus modo Treviris ad imitationem Romanæ curiæ, sed variorum imperatorum et Maximiani sedes fuit. Trevirim Romæ comparat Ausonius in Mosella* ℣ 381 *et seqq.*

Salve, magne parens frugumque virumque, Mosella,
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores et lætum fronte serena
Ingenium natura tuis concessit alumnis
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones.

Exstant etiam apud Browerum ipsius senatus Romani ad Trevirensem litteræ, quas apud illum videre est ad annum Christi 276 *num.* 61.

x *Singulorum nomina dantur infra ad calcem cap.* 2.

y Merus ingenii lusus est, quæ hic de situ Thirsi affert : revera enim latere suo respicit Aquilonem, sicut Palmatius Austrum : quod et infra (*num.* 10) ponit author de quatuor Martyribus altrinsecus ad pedes S. Paulini quiescentibus. *Honthemius in Annotatis hic.*

C z *De Martyrum situ in S. Paulini crypta, vide num.* 117.

aa *Scripsit igitur anonymus circa annum* 1072, *quo crypta dilatata fuit.*

bb *Æneid. lib.* I ℣, 98.

cc Patet ex contextu hoc, et mox subjunctis, ante annum 1071 et citra revelationem divinam nihil humana traditione de hoc thesauro Treviris notum fuisse. *Ita Honthemius cit. : notus tamen fuit ante Normannorum irruptionem anni* 882.

CAPUT II.

Sanctorum Martyrum inventio.

Canonici S. Paulini, SS. Gentiani et Fusciani Actis,

Erant nempe in illa sancti Paulini canonicorum congregatione *a* fratres aliqui sanctæ religionis studio venerabiliter accensi *b*: hi ergo dum inter alia pietatis opera sacræ scripturæ legendi paginam *c* operam non minimam præberent, solebant frequentius corporis et mentis aspectibus illa repræsentare, quæ videbantur ad honorem ecclesiæ Trevericæ, matris scilicet suæ, spectare ; illius forsitan, quin immo revera non immemores præcepti, quod ait : Honora patrem tuum et matrem *d*, et aliorum, ad hunc modum justam conversationem suadentium. Inter multimoda itaque loci hujus præconia, Passio sanctorum martyrum Gentiani et Victorici frequentius eis occurrebat, quæ quotiens auribus eorum corporeis innumerabilem Christianorum stragem in urbe Treverica a Rictiovaro factam insonuit, totiens cor eorum mœrore simul et gaudio contremuit : mœrore quidem propter ignoratum tantum tamque preciosum sanctorum corporum thesaurum : gaudio autem propter rerum veritatem, quam per tantam scripturæ sacræ didicerant auctoritatem. Referebat enim istorum Passio Sanctorum, quod, ingresso Trevirim Rictovaro, tanta ab eo sit facta ibi Sanctorum sanguinis effusio, ut rivi cruoris aquæ, juxta quam occisi sunt, permixti, et in Musellam deducti, eam in suum colorem converterent, ut, naturali claritate remota, peregrino magis, quam proprio, colore ruberet. Ubi et sequitur. Inhumatis etiam tum Sanctorum corporibus unda præbebat tumulum, quo, redintegrata compage membrorum, futuro ea repræsentaret judicio. In hac ergo positi mentis anxietate, indictis sibi aliquando biduanis, aliquando triduanis, jejuniorum disciplinis, a divina postulabant pietate, ut aliquod tam sancti depositi indicium eis monstrare dignaretur, per quod benedictum nomen ejus a sæculo in sæculum benediceretur, ac laudaretur. D

a *Honora patrem tuum et matrem*, Exod. 20, 12.

b *Accensi*, Act. 18, 25.

c *Legendi paginam*, Luc. 4, 17.

d *Honora patrem*, Exod. 20, 12.

15 Ut ergo promissio Dei immota permaneret, *et Folberti* quæ dicit : Ubi duo aut tres congregati fuerint in *cujusdam* nomine meo, in medio eorum sum *f* (tres quippe *f* intentionis hujus fratres fuerunt) auxilium Dei sibi E ad hanc intentionem præberi, cito senserunt : prius enim, quam triduanum jejunium tertia vice complevissent, misit eis Deus in adjutorium quendam sanctæ conversationis laicum, nomine Folbertum, privatum eundem visu oculorum, quem unus ex tribus præfatis fratribus, Cuono videlicet, custos monasterii sancti Paulini, studio sanctæ hospitalitatis, in domum suam recipiens, sufficienti ac placita illi officiositate sustentabat : hujus autem cibus vespertinus erat panis perparvus, medietatem palmæ non vincens in latitudine, duas partes farinæ, tertiam partem habens ex cinere, cum aliquo genere herbarum, aut crudarum, aut non bene coctarum, et insalsarum, cum haustu etiam aquæ minimæ mensuræ, certe neque modulum suum excessuræ.

f *Tres quippe intentionis hujus fratres fuerunt*, Folbertus, Cuono et Hubertus, ut infra *num.* 16.

14 Tali vero adjutorii divini consolatione non *visione,* modicum lætificati, et ad speranda potiora Dei munera nimirum animati, huic fratri consilium, quod de hac re conceperant, manifestabant, ejusque devotionis impensius studium sibi ad hanc rem suppeditari postulabant. At ille, ut erat paratus ad omnia virium suarum supplementa omnibus præbenda, juxta illud videlicet Doctoris gentium exemplum, quando dixit, se omnibus omnia factum fuisse *g*, *g* solitum jejunandi modum hac de causa adeo inten- F debat, quod per continuum tunc triduum nullum penitus corporis alimentum suscipiebat ; sed interdiu omnibus urbis hujus monasteriis, nudis, ut solitus erat incedere, pedibus perlustrans, noctes eorumdem dierum in monasterio sæpe dicti patris Paulini pervigil in oratione ducebat. Unde factum est, ut in tertia nocte post primum, sicut ipse nobis referebat *h*, galli cantum, dum, facie lacrymis *h* ubertim perfusa, intente, et quasi cum aliqua, ut ait, precum importunitate Dominum interpellaret, in mentis extasi subito correptus, se in aliquo quasi *i* subterraneo monasterio, spatioso multum *i*, et pulchro, stare putaret.

g *Solitum jejunandi modum*, Act. 27, 21.

h *Lacrymis ubertim perfusa*, Act. 20, 37.

i *Subterraneo monasterio*, Act. 16, 26.

15 Ubi, dum multitudinem, quam dinumerare *ad Martyrum* non poterat *k*, occisorum, diversas membrorum *perquisitionem animantur,* truncationes ostendentium, deambulantem oculis mentis videret, collectis per aliquod tempus animi, *k* quas amiserat, viribus, quibusdam eorum, velut ad hoc tantum, ut ab eo interrogarentur, se illi offerentibus, dixit : Qui estis vos, domini, aut a quo fuistis trucidati? Cui unus, qui senior inter eos apparuit, respondit : Nos fugimus huc paganorum persecutiones, et ab ipsis ad pœnas requisiti, istas, quas vides, suscepimus passiones *l* : nec pluribus ab *l* eo verbis auditis, in priorem statum rediit sobriæ mentis :

k *Deambulantem oculis mentis videret*, Act. 8, 23.

l *Passiones*, Hebr. 10, 32.

A mentis: totis denique animi viribus ad agendas Deo gratiarum actiones succinctus, ab ipso postulabat attentius, ut, si ab ipso esset hæc visio, monstrare eam sibi dignaretur tertio, quod etiam obtinuit: nam, duabus ante diem vicibus obdormiens
m in oratione, eadem lætificatus est visione *m*. Mane itaque facto, vocatis ad se tribus fratribus, visionem suam per ordinem eis narravit, eisque cum magna exhortatione hoc persuadere laboravit, ne ab cepto orationis studio prius desisterent, quam divinæ solatium misericordiæ sibi adesse, cognoscerent, promittens eis ex ejus parte, qui amat longanimes in spe, infra unius anni spacium divinum eis adfuturum esse in hac inquisitione solatium.

et quodam veteri S. Paulini Hymno

16 Hac facta exhortatione, gratias Deo pro fraterno, quem apud eos invenerat, hospitalitatis receptu referens, eos humiliter rogavit, ne quas diutius in hoc loco manendi occasiones tunc ei innecterent, quia destinatum diu iter ad sanctum Jacobum perficere lubenter vellet. Et ita quidem ipse ab eis discessit; illi vero pro sanctæ inquisitionis studio majori indies æstuant desiderio, quapropter et a monachis, et a canonicis, et a sanctis monialibus, feminis religiosis, auxilio petito, jejuniis et orationibus, et eleemosynarum quoque largitionibus insistebant plus, quam in principio:
B unde contigit, ut alicui religiosæ hujus communionis sorori, nomine Frideburgæ, in monasterio
n sanctæ Mariæ Matris Domini *n*, tempore meridiano in subsellio suo quiescenti, vox clara supervenerit, quæ diceret: Vade, quære in vetustissimis scedulis aureis litteris in testimonium illis: cujus vocis altisonæ strepitu expergefacta, dum, capite de subsellio levato, circumspiciens neminem videret, caput iterum in eundem quiescendi modum vix reposuit, cum denuo vox eadem apertius, quam prius, auribus ejus insonuit; iterum ergo erecta, et signo sanctæ Crucis munita, dum nullum vocis hujus auctorem in prospectu haberet, non dormitura, sed tertium vocis hujus adventum præstolatura, caput iterum reclinavit: tunc vero, sicut ipsa
o retulit nobis *o*, vox eadem, quasi cum quadam imperiositatis austeritate ad illam venit, eamque, non jam dormientem, sed vigilantem, non modicum perterrefecit, surgensque igitur, terrore magis, quam angustia repleta, sororem, quæ custos erat librarii, cum magna festinantia quærens, et inveniens, facto ei anxietatis suæ signo, eam ad armarium, cumulum discussura scedularum, perduxit, nec multa prius librorum volumina revol-
p verant, quam liber unus Ymnorum vetustissimus *p*,
* *an* Gothice Scotice * scriptus, eis in manus veniebat, quo tan-
C dem exposito, occurrebat eis frequentius quidam Ymnus de sancto Paulino satis magnus, in quo gesta sanctitatis ipsius præclara, etsi compositionis quandam rusticitatem habebant, rerum tamen non minima urbanitate florebant: referebat enim, quale pro fide Catholica bellum contra Arianos Sanctus ille pertulerit, qualiter in exilium ab ipsis fidei Catholicæ inimicis missus fuerit, qualiter
* Phryges etiam ipsos, apud quos exulabat, Frigies * ad fidem Christi, factis coram regibus terræ illius signis et miraculis, converterit, idem Ymnus continuit; item post decursum viriliter vitæ hujus stadium, cum retributionis æternæ ibidem a Domino susceperit bravium, preciosum corporis ipsius thesaurum, nutu divino et miraculorum adminiculo, a Treviris esse receptum, ibidem fuit intextum.

Sepultorum Martyrum locum discunt,

17 De cujus veneranda sepulturæ positione, quæ in ejus gloriosa celebrata est receptione, hæc inibi verba sunt posita: Posuerunt eum juxta prolem clarissimam Trevirensem, et inclitam, ubi dormiunt corpora Peregrinorum plurima, resurgentes ad prœmia die mundi novissima, occurrent
q in æthera Domino cum lætitia *q*. Hæc itaque inaudita prius scripturæ sacræ testimonia, cum gratiarum Deo actione, ac sancta mentis exultatione, lectitabant, utrum vero monita visionis in eis resonarent, aut utrum aliquod per se quærendum esse, hæc verba significarent, necdum intelligebant. Quapropter, vocato ad se uno de tribus, quos prædiximus, fratribus, ei et admonitionem vocis, procul dubio angelicæ, quam præfata soror acceperat, narraverunt, et librum Ymnorum, quem instinctu vocis ejusdem inter vetustissima, ut ita dixerimus, veterum volumina repererant, monstraverunt, qui simul ac communem eorum orationis intentionem, auditamque et visam divinæ visionis consolationem in mente retractavit, voluntatem miserationis Dei in hoc esse æstimavit; ut hunc ideo libellum, memoriam facientem Peregrinorum eis accommodaret, quo nobis amplius eorundem quærendi desiderium hoc modo inspiraret, quod et factum est: nam mox ut liber iste Ymnorum in conventum fratrum delatus et Ymnus ille ibidem est recitatus, ita corda omnium præsentium fratrum ad inquirenda plura sunt accensa, ut una omnium prudentiorum apud ipsos esset sententia de frangenda propter hanc inquisitionem sancti Paulini cripta, qua de re, communicato cum principibus civitatis consilio, licentiam hujus rei a domno archiepiscopo Udone postulabant, et vix nimirum impetrabant.

AUCTORE ANONYMO.

et corpora inveniunt,

18 Ita namque ex industria eadem cripta fuit munita *r*, ut, nisi moto principali ejusdem monasterii altari, nullus locus daretur eam confringendi; *r*
unde non indebito gravitati suæ consilio non facilis E
erat domnus archiepiscopus *s*, tanti sanctuarii fran- *s*
gendi licentiam differendo. Fracta igitur cripta, inventa sunt circa sarcofagum sancti Paulini sex sarcofaga, quorum duo lateribus ejus apposita fuerunt, quatuor vero pedibus ejus ita altrinsecus adhæserunt, quod utrimque duo ex eis steterint: item ad caput ejusdem sancti patris nostri septem sarcofaga sanctorum Martyrum, totidem corporibus aromatizantia, fuerunt locata; hæc vero omnia sic colligaverat locantium industria, ut factis fornicibus singulis super sarcofagis binis, nullus, ut dictum est, locus daretur eis movendis, nisi moto prius altari præcipuo monasterii: fecerat præterea, non hujus criptæ conditor operosus, sed hujus loci, et eorum, quæ ibi sunt, sanctorum corporum aliquis studiosus, altare quoddam non magnum ad pedes sancti patris nostri, sarcofago ejus compactum *t*; *t*
hujus denuo remotio, et aliqua terræ sub ipso effossio, plena fuit nostræ expectationis consolatio. Inventa est siquidem ibi tabula marmorea *u*, qua *u*
sublata, apparuit ejusdem latitudinis tabula plumbea *x*, hæc item levata, multaque aquæ infusione, *x*
multaque setæ porcinæ confricatione tandem purgata, retulit nobis et istorum Martyrum vocabula, et Martyrum tempora, persecutorum quoque nomina, aliaque perplura summa festivitatis præconia F
hujus plumbi cecinit nobis sculptura: hujus ergo textum sculpturæ hic voluimus pleniter inserere.

una cum tabula plumbea,

19 In hac cripta jacent corpora Sanctorum, secundum seculi dignitatem nobilissimorum secundum Dei autem voluntatem Martyrum preciosorum: nam Rictiovarus, Maximiani imperatoris præfectus, legionem Thebæam jussu ipsius circumquaque persecutus, hanc etiam urbem propter ipsos ingressus est: quorum innumeros cum hic occidisset, hos quoque hujus civitatis principes, fidei Christianæ Confessores, cum ipsis occidit, quorum hic corpora circum circa sunt collocata. In medio vero ipsorum sancti Paulini *y*, clarissimi Trevirorum episcopi, corpus est ferreis catenis suspensum *z*, quod ibi sanctus Felix *aa*, hujus sedis epi- *y* *z* *aa*
scopus, a Frigia totius regni viribus translatum, in Idus Maji honorifice suspendit, qui et istud monasterium in honore sanctæ Dei Genetricis, necnon eorumdem Martyrum, construxit *bb*. Nam propter *bb*
horum Principum corpora innumerabilia ejusdem multitudinis corpora in hoc monasterio sunt comprehensa *cc*: quorum nomina, sicut innumerabilis *cc*
populi et peregrini, non potuerunt reperiri, excepto uno Ducis vocabulo, qui Tyrsus vocabatur.

Historiam Martyrum complexa.

20 Hujus itaque et eorum Martyrum vocabula, quorum hic videri possunt sarcofaga, aureis litteris in hujus criptæ pariete conscripta fuerunt: quæ inde devoti, qui tunc erant *dd*, Christiani huc transtulerunt *dd*

AUCTORE ANONYMO.

runt, quando Nortmannos hanc urbem, sicut cæteras undique urbes *ee*, depopulaturos esse, præsciverunt. Is ergo, qui in dextero sancti Paulini latere *ee*
est repositus, Palmacius *ff* vocabatur, qui consul et patricius toti huic civitati principabatur : in sinistro autem latere ipsius qui jacet, Tyrsus vocatur, cujus nomen solius de tanta multitudine est notatum, quia *ff*
ejusdem Legionis gerebat ducatum *gg*. Ad caput autem hujus sancti Paulini septem jacent hujus urbis senatores nobilissimi, martyrio cum ipsis Thebæis coronati; quorum medius vocatur Maxentius, juxta quem dextrorsum qui jacet proximus, nomen habet Constantius, post quem est Crescentius, postea Justinus : in latere autem sinistro Maxentii qui jacent, *gg*
tres erant fratres germani, quorum major natu proxime Maxentium *hh* Leander, juxta quem Alexander, postea Sother : ad pedes vero sancti Paulini altrinsecus positi sunt quatuor viri genere et virtute clarissimi, qui, licet tempore pacis occulte Christum colebant, tempore tamen persecutionis aperte, et constanter fidem Christianorum defendebant; adeo ipsi Rictiovaro in faciem resistebant, quod eos quasi ad exemplum aliorum diversis tormentorum generibus multum afflictos, tandem in præsentia sua fecit decollari : alter ergo duorum versus Austrum positorum, interior scilicet, Hor- *hh*
B mista, exterior autem Papirius vocatur : alter autem eorum, quorum latera Aquilonem respiciunt, interior item Constans, exterior Jovianus vocatur. Ingressus est autem Trevirim Rictiovarus quarto Nonas Octobris, et eadem die occidit Tyrsum cum Sociis, sequenti autem die Palmatium cum aliis principibus civitatis : tertia vero die cedem exercuit in plebem sexus utriusque *ii*. *ii*

ANNOTATA.

a *S. Paulini monasterium ad lævam civitatis Trevirensis extra portam S. Simeonis situm, S. Felix, Trevirensis episcopus, teste tabula plumbea, in honorem S. Mariæ et Martyrum Thebæorum, Treviris passorum, consecravit. Primo monasterium* S. Mariæ Virginis *dictum fuisse, verosimile est, cui nempe a S. Felice potissimum dedicatum fuit. Postmodum* S. Paulini, *ut Egberti, Trevirensis episcopi, Charta anni* 981 *docet, appellatum fuit, hodieque appellatur. Subinde etiam* S. Mariæ ad Martyres, *sed non nisi post inventa anno* 1071 *vel seq. sanctorum Martyrum corpora. Vide Honthemium Historiæ Martyrum Trev.* § 3.

b *Tres præcipue numero fuisse, num.* 13 *ait, et Cuononem, monasterii S. Paulini custodem, nominatim anonymus exprimit.*

c *Id est, Sanctorum Vitas et Passiones.*

C d *Exodi* 20, ŷ 21.

e *De his Actis egi num.* 6 *et seq.*

f *Matt.* 18, ŷ 20 : Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

g *Ad Cor. cap.* 9 ŷ 22.

h *Hic iterum anonymus innuit, se Martyrum inventioni æqualem, imo et ex ipsis S. Paulini canonicis verosimiliter aliquem.*

i *Talis certe non erat crypta, in qua Martyrum corpora jacebant.*

k *Quidquid sit de hac visione Folberti, auxesi hic utitur anonymus, dum innumerabilem Martyrum numerum Folberto apparuisse, ait : haud enim tanto numero fuere, qui Treviris tum temporis Christianis legibus viverent, nedum Thebæi, qui cum* S. Tyrso *ibidem pro fide occisi sint. Hausit verosimiliter anonymus innumeram illam Martyrum Thebæorum multitudinem ex tabulæ plumbeæ textu, et Folberti visioni adjunxit seu amplificationis, seu ornatus gratia.*

l *Itaque Martyres, quos Folberto apparuisse, narrat, Thebæi seu peregrini fuere, non Trevirenses indigenæ. Ceterum vereor, ne et hæc Folberti interrogatio, et senioris Martyris responsio, Folbertinæ visioni ab anonymo adjecta sit eadem de causa, qua innumerabilis Martyrum Thebæorum multitudo, de qua lit. proxime præcedenti.*

m *Recte hoc loco notat Honthemius :* Visionibus parum fidit Ecclesia : nam can. 26, Dist. 1 de Con- D
secrat ex Concil. Afric. sic statuitur : Ut omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi, ubi corpus, et reliquiæ certæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur : nam quæ per somnia et inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omnino reprobantur. *Verum non propter apparitionem, Folberto factam, sed propter antiqui cultus indicia, quæ sibi non dubia visa sunt, eos, quorum corpora in S. Paulini crypta invenerant, Trevirenses atque ipse etiam archiepiscopus Udo pro Sanctis habuerunt.*

n Ad Horrea, vulgo Oeren *dictum*, seu ad S. Irminam, quod etiamnum nobilibus monialibus floret, *inquit hic Honthemius : Browerus ad annum* 643 *num.* 49 *de illius origine ita scribit :* Etenim Modoaldus (*Trev. Ep.*) amplissimis ab eo (*Dagoberto*) muneribus affectus, ut erat magno suæ ecclesiæ propagandæ atque ornandæ studio, Christo Divisque templa sistere, monasteria inchoare, cœtus cogere virginum. Primam igitur Dei Genitricis nomini basilicam ponit; apud quam domicilio constituto, filia Dagoberti Irmina, aggregatis a S. Modoaldo in vitæ communionem virginibus, velum ornatumque monasticum sumpsit, appellatusque locus est ab horreis regalibus, quæ in eam rem Dagobertus con- E
tulerat, HORREA. *Moniales olim S. Benedicti instituto usas, sed his deficientibus, suffectas esse, quæ S. Augustini institutum sequerentur, Masenius scribit Nota* 13 *ad tom. I Annalium Trev. Browerianum.*

o *Treviris igitur morabatur anonymus, cum Martyrum corpora inventa sunt.*

p *De Hymno illo egi num.* 10 *et seqq.*

q *Qui hæc verba cum textu tabulæ conciliari queant, vide num.* 13.

r *Cryptam probabilius non diu ab invasione Normannica occlusam fuisse, dixi num.* 24.

s *Udo nempe, qui, ut Browerus scribit, ab anno* 1066 *electus Trevirensis episcopus, et anno* 1068 *ordinatus, Treviris sedit usque ad annum* 1077. *Huic nonnulli Martyrologium, ab Adone Viennensi compositum, perperam adscripsere.*

t *Incertum, quo tempore : verosimiliter tamen paulo post acceptam a Normannis cladem. Vide num.* 33.

u *Ad hunc locum ita notat Honthemius :* Nihil videtur in hac characteris fuisse. Cur autem superius laudantur tabulæ marmoreæ pro documentis? *Stulte sane tabulam marmoream, velut antiquum documentum laudasset anonymus, si nihil in ea characteris umquam fuisset exaratum. Atqui vel hinc conjici probabiliter potest, Martyrum nomina huic ante Normannorum irruptionem litteris aureis fuisse inscripta; præsertim cum tabula plumbea affirmet,* F
Martyrum nomina litteris aureis expressa, in eumdem locum fuisse translata, quo tabula recondita fuit. Vix *enim* est, *inquit Honthemius ipse Hist. Martyrum Trev.* § 14, ut memoriales illæ litteræ, utpote ex destinatione ponentium quam diutissime permansuræ, immediate commissæ fuerint parieti subterraneo, cum ipsa humiditas, sal petræ et mucor, eas paucos intra annos absumpturus fuisset. *Quod si pluribus, aliisque a memorata tabulis Martyrum nomina inscripta fuisse, contendas, debuissent utique illæ una cum tabula postmodum inveniri ; earumque anonymus, tamquam totidem monumentorum, quod non facit, meminisse. Porro si Martyrum nomina tabula illa marmorea litteris aureis expressa continuerit, his etiam plura continuisse potest, et tabulæ plumbeæ curatori pro fundamento fuisse. Vide dicta num.* 78 *et seqq.*

x *Probabilius anno* 1072 *inventio hæc contigit, ut num.* 22 *dictum est; maxime, cum Sigebertus annum inchoet a Paschate, atque adeo a Lamberto Schafnaburgensi dissentire non videatur.*

y *Illius Acta illustrata habes tom. VI Augusti ad diem ultimum ejusdem mensis.*

z *Non inusitatum fuisse olim, ut Sanctorum corpora suspenderentur, ostensum num.* 24. *Ceterum ex his tabulæ verbis cum antecedentibus et consequentibus*

A *bus collatis, verosimilius apparet, tabulam, instante invasione Normannica, suspenso adhuc S. Paulini corpore, fuisse confectam. Vide num.* 26 *et seq.*

aa *Totius regni viribus S. Paulini corpus e Phrygia Trevirim fuisse deductum, fabulosum videtur, sed forte significatum anonymus tantum voluit, id non sine summa difficultate S. Felicem præstitisse. Acta S. Felicis habes tom. III Martii ad diem* 26 *ejusdem mensis.*

bb *Ita habebat sæculo* IX *Trevirensium traditio: quam non evertit conditio temporis, quo Trevirensibus præfuit Felix. Vide num.* 57 *et seq.*

cc *Innumerabiles numero Socii* S. Tyrso *non fuerunt: veri itaque limites hic excedit anonymus.*

dd *Ex his verbis consequens non est, tabulam post invasionem Normannicam conditam fuisse. Vide num.* 28 *et seq.*

ee *Inter vastata a Normannis, priusquam hi Trevirim venerunt, loca, Regino hæc recenset: Leodium, Trajectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Tulpiacum, Vilpiacum, Nuis, Aquisgranum, Malmundarias, Stabulaus.*

ff *Agetur de eo ad diem* 5 *Octobris, quo Martyrologio ejus nomen inscriptum est.*

gg *Seu, quod esset unus e legionis ducibus.*

hh Hæc verba per oscitantiam amanuensis omisit

B Browerus : inveniuntur autem in omnibus Mss. exemplaribus, quorum plura vidimus. *Honthemius hic.*

ii *Probabile apparet, quædam ex hic narratis e tabula marmorea, cryptæ S. Paulini parieti ante Normannicam invasionem affixa, deprompta fuisse; quædam vero addidisse de suo, qui tabulam confecerunt, conficiendamve curarunt. Utraque distinxi num.* 80 *et seqq.*

CAPUT III.

Miraculum ossis sanguinem fundentis.

Ad incredulorum confusionem,

Lecta est igitur hæc epistola, et in plurimas mox cartas magno omnium Dei fidelium, hanc audientium, tripudio, transcripta *a*: nec tamen defuit in ipso fidelium Dei collegio *b* ecclesiæ malignantis dissensio, quæ hæc divinæ miserationis beneficia, non, quanta debebat, reverentia suscipiebat. Sed, spiritu instigata maligno, dentibus ea lividis laniare præsumebat *c*. Cæterum dentes eorum, utpote peccatorum, Dominus conterere curavit *d*, dum signa, quæ juxta Pauli verba non fidelibus, sed infidelibus, data sunt *e*, in conspectu eorum per merita Martyrum pretiosorum, quorum inventioni non congaudebant, multiplicavit.

a

b

c

d

e

C *dum ampliatur S. Paulini crypta,*

22 Ex his igitur aliqua, ut dictis Apostolicis in hoc consentiamus (non tantum propter fideles Christi instruendos, quantum propter eosdem infidelitatis ministros ad fidem rectam, et reverentiam Sanctis debitam commonendos) breviter notamus. Quorum primum adeo notabile, adeo memorabile, adeo etiam fuit mirabile, ut non solum, si quæ fuerunt mentes infidelium, inde nimirum contabuissent, sed et ipsa fidelium Christi corda non minimum inde contremuissent. Nam cum, sicut prædiximus, facta per misericordiam Dei hac Sanctorum revelatione, domno nostro archiepiscopo Udoni, hujusque principibus, placuisset, ut cripta sanctorum corporum collocationi competenter amplificaretur, necesse fuit, ut plurimum terræ ex eodem loco purgando portaretur *f*. Erat autem ante id ipsum sæpedicti patris Paulini monasterium ex parte Occidentali palus quædam, ita viantibus nocua, ut monasterium illud petentibus, aut inde per hanc viam repedare volentibus, vix angustissima relicta fuisset per illam semita. Qua de re plerisque loci illius fratribus complacuit, ut eadem terra, quæ ob prædictam parandæ criptæ necessitatem de monasterio portaretur, ad exsiccationem paludis ejusdem locaretur.

f

os quoddam, ibi repertum,

23 Quod cum fieret, et terra per sex jam dies ibi deposita fuisset, accidit, ut in die septimo unus aliquis ex loci illius canonicis, ante cujus portam palus eadem maximam inundationem faciebat, studio complanandæ terræ, ibidem positæ, de domo sua egrederetur, cumque terram discutiendo frusta quædam ossium inibi jacere videret, unum ex illis suscipiens, in manu sua in domum illud portavit : accepta etiam aqua, diligenter illud purgavit, et purgatum cuidam mulieri ad conservandum, donec in monasterium referendi locum haberet, commendavit : quod illa despective suscipiens, et cur illud reverentia dignum esse judicaret, inquirens, posuit tamen illud in scrinio suo inter panniculosos, aliosque muliebris suppellectis usus diversos : pigmentorum quoque species aliquæ *g* in eodem fuerunt scrinio repositæ.

AUCTORE ANONYMO.

g

sanguinem

24 Cum autem vespertinali officio (sicut Quadragesimalis temporis ratio poscebat) frater ille cum suis in eadem domo reficere vellet *h*, cœpit illa, cui os commissum fuerat, puella nimio cordis dolore cruciari, cœpit Corporis et Sanguinis Dominici communionem, aut ut exitus vicini præparationem, quibus poterat verborum signis, quia ipsis nequivit verbis, humiliter, ac devote precari. Cui frater ille : Fac tibi, ait, scrinium tuum deferri, et si qua sit tibi species pigmentaria, dolori cordis profutura, require. Hoc dixit, et scrinium hac de causa recludendum illi accommodare non distulit. Hoc itaque vixdum recluso, et cooperculo tenuiter levato, mira res! tota sanguinis exundantia ab osse illo, valde parvo, est effusa, ut facies mulieris ejusdem tota, atque pellicea ejus manica dextra mirabiliter sit inde perfusa. Ipsa quoque in eadem hora cordis dolore est absoluta: qua de re nimio percussi terrore, lacrymosis precibus a divina misericordia postulabant continuo, quatenus tam immenso divinitatis suæ præconio, nullo eos corporis aut animæ damnaret judicio. Quo facto, frater idem currens curriculo ad aliquem fratrem, quem sibi expertus erat esse fideliorem, ad hujus rei eum perduxit demonstrationem; qui veniens, dum scrinii ejusdem operculum introspecturus levaret, nullus (sicut ipse ait) qui hoc non videret, credere non valeret, qualiter adhuc sanguis ex eodem osse ipsum scrinii operculum, totumque, quod * ipso scrinio erat, muliebris disciplinæ instrumentum, respergendo bulliret.

h

E

* *supple* in

copiose fundit,

25 Unde et ipse non minimo repletus stupore, cum omnibus, quæ in ipso erant, mont jam deinceps muliebribus ornamentis, sed potius aliquibus tam pretiosi sanguinis aspersione factis sacramentis, in monasterium festinanter portavit, illudque convocatis illico Prioribus loci illius omnibus demonstravit : ipsi vero, missis mox per omnia totius civitatis monasteria hujus rei nuntiis, omnes abbates, et præpositos cor-episcopos, et decanos, ceterosque boni testimonii fratres non paucos *i*, ad se in eadem hora faciunt venire, dominus autem archiepiscopus non erat tunc in illa civitate; alii autem omnes loci hujus Priores, in claustrum S. Paulini celeriter congregati, magnifico miraculi hujus ostento non modicum sunt lætificati. Delato namque in præsentia eorum scrinio, cum osse sanguinem sine cessatione fundente, accepit aliquis ex ipsis fratribus os sanguinolentum *k* in manus, cumque illud, sanguine in scrinium transfuso, sæpius evacuasset, dicto semper citius majori sanguinis inundatione replebatur. Facta igitur inter prudentiores quæstione, ex qua videlicet occasione tanti miraculi, qui ibi convenerant, hujus miraculi spiculo a divino fuissent percussi consilio, hæc una omnibus ex hac re surrexit sententia, de adhibenda scilicet majori propter hoc signum reverentia, et ipsis Sociorum ossibus, et eorum cineribus, ad cujus augmentum reverentiæ dicebant pertinere, ut terra, quæ, circa sarcofaga eorum posita, in locum, ut dictum est, cœnosum antea projiciebatur, deinceps in aliquem mundum locum venerabiliter collocaretur; cujus acervus *l*, dum Galaath, hoc est, Acervus testimonii, non immerito vocaretur, factum in osse, quod huic suppositum fuerat terræ, miraculum omni posteritati loqueretur.

F

i

k

AUCTORE ANONYMO. *inspectante multitudine*

26 Hoc itaque consilio dato, et collaudato, illud etiam eidem fratrum collegio complacuit, ut, scrinio in monasterium relato, et super altare locato, communi cordis et oris, nec non campanarum consonantia, divina ab eis laudaretur prudentia, quæ nihil facit, nisi in magna, ut par est, sapientia. Ad hanc ergo laudem Dei ex tota civitate cujuslibet ordinis et ætatis viri, ac feminæ, juvenes, et virgines, senes cum junioribus hilariter convenientes, finita laude, in sua redierunt, Dominum de tam inauditi miraculi stupore benedicentes *m*. Contigit autem istud miraculum quinta Nonas Martii, et Sabbathum erat *n*. Hora vero nona cruor ille ex osse cœpit manare, qui non ante tertiam secundæ feriæ horam visus est cessare. Fama ergo hujus miraculi, longe lateque volando, plurimorum salutis facta est occasio, dum innumeri diversis languorum fatigationibus oppressi, ad hujus famam miraculi undecumque exciti, venirent ad hunc locum humiles et devoti. Cumque coram hoc positi sacramento propter peccata, quibus aliquatenus multati erant, planxissent, aquamque, ossis hujus intinctione sacratam, sibi datam aliquatenus gustassent, non est nisi Christi fidelibus credibile, quam citissime a quacumque peste gravabantur, liberati fuissent. Si quis autem numerum et ordinem istorum a nobis curiose quæsierit, per hæc verba Porphyrii sibi credat satisfieri : In numero sunt, sed non infinito.

ANNOTATA.

a Quæ solæ exstant, plumbo originali deperdito. *Honthemius.*

b *An in ipso S. Paulini monasterio?*

c *Fuerunt fortasse nonnulli, qui non modo Martyrum Trevirensium historiæ, prout ea legebatur in tabula, sed ipsi etiam Martyrum sanctitati obstreperent; quorum propterea dentes, editis nempe frequentibus prodigiis, a Deo contritos fuisse, affirmat anonymus. Ut ut sit, id certe efficere non potuerunt, quin San-Pauliniani Martyres sanctis exhiberi solitam venerationem brevi sint consecuti; et quidem merito : cum non esset, cur de eorum saltem sanctitate ambigeretur, eorumque cultum Udo archiepiscopus sui ipsius exemplo, ut num.* 22 *et cap.* 4 *num.* 1 *videre est, approbaret. Quod autem mox Calendariis aut Litaniis inserti non fuerint, mirum videri non debet; cum id etiam aliis evenerit, quorum tamen sanctitatem et cultum Trevirenses præsules exploratum habebant. Vide dicta num.* 63 *et* 64.

d *Alludit ad illud Psalm.* 3 ℣ 8 Dentes peccatorum contrivisti.

e 1 *ad Cor.* 14 ℣ 22 Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus.

f Sic admodum verosimile fit, os illud sanguinem stillans, de quo mox, fuisse ex ipsa crypta, aut terra ei proxima; facile enim potuit post iteratas basilicæ, quin et ipsius cryptæ restaurationes, ex uno sarcophagorum dilabi. Idem alias ibidem contigisse vidimus in Commentario prævio §§ 4 et 5, utrobique sub finem. *Honthemius hic : ad calcem autem* § 5 *citati narrat, anno* 1738, *dum crypta instaurabatur, confractum fuisse sarcophagum; ipsoque reparato, extractas inde reliquias. Simile quid, sed ad annum* 1732, *contigisse, etiam memorant Gesta Trevirorum apud Honthemium tom. II Prod. Hist. Trev. pag.* 948; *nimirum, cum ruinis suis purgaretur S. Paulini ecclesia, Martyrum illic Trevirensium ossa aliquot inventa fuisse, ac inter cetera caput aliquod, quibusdam crinibus conspicuum et sanguine respersum.*

g Pigmenta hic non significant fucos muliebres pro coloranda facie : sed sunt illa, a quibus dicitur pigmentarius in L. 3 § 3 ff ad Legem Cornel. de sicariis, id est, qui vendit liquores medicinales : nam iste canonicus S. Paulini subito correptæ famulæ suæ suasit, ut de scriniolo promeret speciem pigmentariam dolori cordis profuturam. *Honthemius.*

h Incidenter nota tempus refectionis in Quadragesima post vesperas apud nos (*Trevirenses*) perdurasse. *Idem.*

i Huic miraculo satis multi adhibebantur testes : et coævo scriptori publice laudanti testes tam illustres, omnino credetur : ne impudentissime scripsisse arguatur rem falsam in facie totius cleri et populi, provocando ad tanta testimonia, et se exponendo publicæ convictioni. *Idem.*

k Quorsum pervenerit hoc, ignoratur, neque scrinium, neque theca specierum, quæ sanguinem ossis exceperat, amplius habetur. *Idem.*

l *Vide num.* 128.

m *Paulo aliter Ms. nostrum S. Maximini :* Placuit etiam unanimitati ipsorum, ut scrinio in monasterio relato, communi cordis et oris, nec non campanarum consonantia divina ab eis laudaretur clementia. Ad hanc ergo laudem Dei ex civitate convenientes, laudesque Domino acclamantes, domum læti pro tanti miraculi novitate Christum benedicentes redierunt.

n *Hinc colligitur, miraculum istud contigisse anno* 1072. *Vide dicta num.* 22 *et litteram* x *in Annotatis ad cap.* 2.

CAPUT IV.

Alia Miracula ad Martyrum tumbas facta.

Facta sunt præterea miracula non pauca in illa scilicet scripta, ubi sanctorum Martyrum reposita corpora. E quibus aliqua, nostræ nunc memoriæ succurrentia, breviter sunt designanda *a*. Ex his erat hoc primum, quod licet ad plurimas Sanctorum contingat memorias, nolumus tamen in his quoque miraculis locum ei negare, quem divinæ pietatis ordinatio ei dignata est accommodare. Nam cum Domnus archiepiscopus, post auditam de ossis miraculi * famam, primum in illud sancti Paulini monasterium orationis causa venisset, venit cum eo quidam de partibus Aquitaniæ *b* pœnitens, cujus brachium dextrum ferro fuit ligatum *c* : hic itaque cum domno antistite fossam illam, ne dicam criptam, quæ nondum ibi fuerat *d*, intravit, ac, facta oratione, ibi surgens de loco, ubi humo tenus jacens oravit, sarcofaga singula, in quibus corpora Sanctorum quiescebant, singillatim ea salutando *e*, lustravit. Quo facto, cum, discessurus a monasterio, fossam egressus fuisset, et quasi licentiam Sanctorum petiturus, in summo ejusdem fossæ margine, versus ad Sanctorum corpora, constitisset, idipsum ferramentum, quod brachium ejus dextrum diuturna sui positione jam debilitaverat, et non solum carnem, sed etiam nervos et ossa ejusdem brachii denudaverat, in illo, quo firmius erat, loco discinditur, saltuque mirabili in altum facto, velut omnibus, qui in monasterio erant, divinæ pietatis magnificentiam, et Sanctorum, quorum hoc meritis accidit, apud divinam potentiam hoc monstrando, super unum sarcofagum satis longe remotum cum clangore cecidit non minimo : ille vero miser non minore impetu ad terram supinus cecidit, quam ferrum saliens aeris altitudinem petiit : ubi tamdiu exanimis jacuit, donec tandem, gustu aquæ ori ejus ab accurrentibus episcopi hominibus infusus * recreatus surrexit, et ab hoc peccati vinculo liberatus, Deum in Sanctis suis magnificum benedicendo recessit *f*.

28 Post hæc in die Palmarum *g*, quæ tunc erat proxima, quædam femina, quæ cum linguæ officio, auditu aurium fuerat destituta, marito ejus ducente eam, votumque pro liberatione illius in sanctorum Martyrum corporali præsentia, nec non in cleri atque populi non modica consistentia, faciente, officio restituta est utroque *h*. Est autem consuetudo loci illius congregationum, ut in die Palmarum in id ipsum sancti Paulini monasterium ad laudem Dei omnes cum magna populorum multitudine omni anno conveniant *i*. Cum ergo juxta hunc ritum eadem die maximus et clerus et populus

Ad Martyrum tumbas pœnitenti vinculum sponte solvitur,

* miraculo

b

c

d

e

* infusæ

f

surda et muta,

g

h

i

A lus illuc convenissent, et consuetudinarias ibi laudes Domino dixissent, adducta est in medium mulier ista, testis beneficiorum ibi divinitus sibi collatorum, pro quibus beneficiis Dei turba multa, quæ ad diem festum, ut dictum est, convenerat, speciales Deo laudes et gratiarum actiones communiter reddebat.

item puer mutus et brachio male affectus, k

29 Postea quinto Kalendas Maii *k*, qua die juxta indictum Ekberti Archiepiscopi plurimæ circa manentium villarum turbæ cum crucibus Treviros solent venire, et monasteria illius civitatis omnia circuire, delatus est a parentibus puer quidam parvus in monasterium sæpe prædicti patris Paulini, quod amodo Sanctorum quoque Martyrum non immerito potest vocari : perdiderat autem puer idem et usum loquendi, et brachii dextri aliquatenus movendi. Cum ergo, in criptam sanctorum Martyrum deductus, sarcofaga ipsorum deosculatus fuisset, cœpit parentes desuetis diu propter linguæ vinculum verbis compellare; et quia usum brachii quoque movendi receperit, levata ex aliquo sarcofago candela, non distulit monstrare. Erat vero eadem hora Domnus Archiepiscopus cum omnibus loci illius Canonicorum congregationibus in eodem monasterio orationis deditus officio. In cujus præsentiam puer ille delatus, sanitatem re-

B cepisse ad ipsius episcopi interrogationem est probatus *l*.

l

paralytica,

30 Deinde, non multo temporis interjecto spatio apportatur illuc quædam puella, quæ, dum in aliquo tempore operi vacaret textrino, ita subito percussa est morbo paralitico, ut nec brachia, nec crura, in statu continere posset proprio : hanc itaque mirabili motu membrorum palpitantem juxta

m Sanctorum sarcofagum vidimus locari *m :* ubi dum, matre caput illius in gremio suo retinente, patre vero brachia et crura illius vix comprimente, parumper obdormisset; factum est per Dei miserationem, et Sanctorum, ad quorum memoriam jacuit, intercessionem, ut post paululum evigilans de somno, toto corpore surgeret sano, et basibus pedum, nervisque brachiorum statu reparatis nativo, recederet inde, pro restitutione salutis suæ Deum laudando.

cæcus,

31 Huic miraculo illud successit in ordine proximo, quod quidam rusticus de villa, quæ dicitur

n sanctæ Aldegundis *n*, oriundus, cui visus oculo-

o rum omnino defecerat, cum suo presbytero *o*, civiumque suorum numero non modico, eodem deductus est. Presbyter vero idem, assumptis secum duobus in loco illo fratribus, deduxit cœcum illum in locum, Sanctorum corporibus consecra-

C tum, ubique eum fecit unum denarium, censu annuali Sanctis illis persolvendum, super unum va-

p diare *p* sarcofagum : deposito itaque ad præsens ibi uno denario, dum aliis recedentibus, ipse in lacrymis et orationibus aliquamdiu inibi moraretur, seque, si illuminatus foret, deinceps correctiorem vitam ducturum, alicui ex illo loco Priori, sibi de salute animæ colloquenti, profiteretur; cœpit inter colloquendum dicere : videor quasi per pannum videre, deinde paulatim in visu melioratus, recessit inde sequenti die pleniter illuminatus.

et æger sanantur.

32 Deinde alius quidam villanus de villa, quæ

q vulgo Inda *q* vocatur, cum ex diuturna infirmitate totum corpus ita inflatum haberet, ut nec ipse, nec aliquis eum ita moribundum conspiciens aliquamdiu eum supervicturum putaret, audita miraculorum fama, quæ de istorum memoria Sanctorum longe lateque processerat, se eodem deduci exoptabat : quo perveniens; cum, facta ibi peccatorum pœnitudine, et de vitæ rectitudine voto, ad propria se recepisset, utcumque factum est, ut in paucissimorum spacio dierum subsidente totius cutis tumore, ab omni etiam liberatus sit corporis lan-

r guore *r*.

ANNOTATA.

a *Miracula nonnulla, quæ silentio hic præterit anonymus, dedi* § 10 *a num.* 142.

b *Galliæ provincia, olim* Aquitaine, *nunc, corrupto nomine,* Guienne *Gallis dicta.* AUCTORE ANONYMO.

c *Similia Acta Sanctorum legentibus passim occurrunt.*

d *Quid sibi volunt verba hæc :* Fossam illam, ne dicam criptam, quæ nondum ibi fuerat? *non inveniuntur in Ms. nostro : itaque pro inepte intrusis habeo.*

e *Addit Ms. nostrum;* seu osculando.

f Non est præsumendum, quod scriptor rursum effronti calamo scripsisset falsum miraculum, tamquam factum in conspectu ipsiusmet archiepiscopi Udonis. *Honthemius.*

g *Incidit anno* 1072 *Pascha in diem octavum Aprilis; atque adeo dies Palmarum in Calendas Aprilis.*

h Hoc tertium quoque miraculum, in conspectu multitudinis contingens fidem meretur suam. *Honthemius.*

i Desiit ista pridem : solebant olim ecclesiæ Gallicanæ in die Palmarum occurrere cum clero et populo in aliqua basilica suburbicaria, et inde procedere ad cathedralem, ad significandum Bethphage, de quo Jesus solemni conductu intravit Solymam, de quo Grancolas Comment. Hist. in Brev. Romanum lib. II, cap. 33. Hodie totus clerus, etiam canonici S. Paulini, congregatur in metropolitana, E absque ista processione suburbicaria. *Idem.*

k *Legendum putat Honthemius* VII Kal. Maii. *Vide tamen dicta num.* 140.

l Iterata patratio miraculi, præsente archiepiscopo, confirmat veritatem, *inquit Honthemius, addens, omnia hæc miracula in ipsa S. Paulini crypta contigisse.*

m *Hinc iterum scriptoris ætatem colligere est.*

n *Si hodieque existat, nec nomen mutavit, mihi equidem ignota est.*

o *Id est, parocho.*

p *Ad censum annuum obligare.*

q *Nihilo mihi notior villa istæc, quam S. Aldegundis, nisi sit Inda, cujus Annales Fuldenses ad annum* 881 (*lege* 882) *meminerunt, et una cum Prumiensi, Stabulensi et Malmundariensi monasteriis a Normannis vastatam scribunt.*

r *Sequitur in Ms. nostro hæc clausula :* Benedictus sit igitur Deus, qui in Sanctis suis semper est gloriosus et mirabilis, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

APPENDIX

DE S. BONIFACIO ET SOCIIS MM. FORTE THEBÆIS F

APUD TREVIROS. J. B.

SYLLOGE.

Sanctorum Martyrum memoria sacra, cultus, et reliquiarum translationes.

SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO.

S. Martyris in sacris Fastis memoria

Sanctum Bonifacium, *alterum forte Thebææ legionis ducem, cum Sociis, quamquam Trevîris eodem, quo* S. Tyrsus, *die martyrium subierit, huc ea de causa rejeci, tum quod Martyrum Trevirensium Passio de illo non agat, tum quod ipsi fere propria sint, quæ de illo porro dicentur. Vix quidem notus ille fuisset, nisi Mediani ejus reliquiæ, ut infra dicetur, fuissent aliquando repertæ, ejusque memoriam auctor libelli de Successoribus S. Hildulphi, qui sub initium sæculi* XI *floruit, posteritati conservasset. Paucis adeo martyrologis cognitum fuisse, mirum videri nemini debet : meminit tamen illius ad diem 4 Octobris Lubeco-Coloniensis Usuardi editio his verbis :* Apud Trevirim natale sanctorum martyrum Tyrsi, ducis sacratissimæ legionis trecentorum Thebæorum, et sancti Bonifacii. *Meminit et Martyrologium Medianense antiquum, a Ruyrio visum :* IX Calend. Octobris; Medii monasterii, Repositio corporis

AUCTORE J. B.

corporis beati martyris Bonifacii in Thebæa legione apud Trevirim cum Sociis suis martyrisati, sub Maximiano cæsare. *Et Luxoviense :* In Mediano monasterio : sancti Bonifacii martyris. *Hinc Sancti in Mediano monasterio cultum deduces, de quo Belhommeus, Medianensis abbas, in Annotatis ad cap.* 1 *citati libelli scribit :* Illiusque memoria magna cum veneratione semper retenta et conservata est in Mediano monasterio, in quo festum illius solemniter celebratur singulo quoque anno, die XXII Septembris. *Eumdem cultum arguunt peractæ ibidem sacri corporis translationes, de quibus infra. Adde Grevenum num.* 3 *Commentarii ad Acta* SS. Tyrsi *et Sociorum adductum.*

et Passio

2 *Quod vero ad Passionem ejus attinet, omnia fere habet cum* S. Tyrso *communia, locum, annum et diem Passionis, 4 nempe Octobris; eumdem denique persecutorem, Rictium Varum : hoc tamen a* S. Tyrso *discrepat, quod hic juxta locum, ubi modo San-Pauliniana basilica visitur,* Bonifacius *vero prope pontem Mosellæ occisus sepultusque perhibeatur. Audi Browerum ad annum* 286 *num.* 75 : Quid multa? hic (*Rictius Varus, Maximiani præfectus*) simul ac Trevirim venit, mox occupato urbis loco tum frequentissimo, quem hodie rejectum in suburbana, veteres libri Campum Martium celebrant, idolomaniæ gentilium sedem, istuc advocata concione, peregrinum Militem accersiri jubet : is haud cunctanter obsecutus, cum prodiisset : solemnis quæstio; ecquid ad sacrificandum Diis Romanis animi habeat, et num ad Christianum nomen insectandum, et ipsi sint parati? Cui cum Tyrsus dux, istoc tam nefando sacrilegio et tanta in Deum, optimum parentem, contumelia respondisset, mortem sibi suisque jucundiorem fore, Varus, ut Christiano nomini jam dudum infensus, sternere confestim jubet non repugnantes, ac ferro sævire in Thebæorum viscera præferocem satellitem.

B

desumpta ex libro de Successoribus S. Hildulphi;

3 Nec mora : discurritur ad imperium tyranni, gaudetque cædibus innoxiorum satelles. Imbutis autem jam sanguine plurimo dextris, ad extremum interfectorum abjecta cadavera. Et Tyrsi quidem sacrati cespites, longe posterius a Felice, Trevirorum episcopo, eum in locum exaggerati, quo loco ante mœnia hodie visitur, religione, quam opere magis verenda, Pauliniana basilica. At Bonifacius cum Martyribus cohortis suæ trecentis, propter pontem, qui coloniam olim, interfluente Mosella jungebat, obscura, præ metu, sede locatus. *Præluxit autem Browero auctor libelli de S. Hildulphi Successoribus in Vosago cap.* 1, *ubi hic eadem de* S. Bonifacio *narrat. Porro quo hic fonte hauserit, quæ ex illo de* S. Bonifacio *Browerus mox citatus*

C

deprompsit, difficile dictu est. Num ex monasterii Medianensis traditione? Verum id ipse libelli auctor convellere videtur; scribit enim paulo post, Bonifacium, *cum ejus corpus, adulto jam sæculo* X, *Mediani inventum est, mortalium memoriæ* funditus *fuisse substractum; nisi id de loco dumtaxat, quo illius corpus jacebat, intelligendum sit. Num ex antiquissima et fusiore S. Hildulphi Vita, primum deperdita, et dein sub annum* 964 *reperta et in compendium redacta, ut in Commentario ad Acta S. Hildulphi* § 1 *Belhommeus scribit? Vidisse quidem illam potuit, spectata ætate; sed num reipsa viderit, scrupulum injiciunt, quæ de ea apud Belhommeum Historiæ Mediani monasterii parte* 3, *pag.* 231 *Bajonus scribit :* Post temporum autem multos cursus decursos, rursus reperitur (*prolixus S. Hildulphi Vitæ codex*) sed quia pro suæ quantitatis magnitudine legentibus tædium afferebat, adhibitis scholasticis, breviatur. Sed ob fratrum negligentiam rursus a Medio cœnobio factione quorumdam elabitur. *Num denique Trevirenses consuluit? at illi, Martyres suos Thebæos, ineunte sæculo* XI, *omnino forte ignorabant.*

qui S. Martyris reliquias in ecclesiam S. Maximini Treviris

4 *Porro libelli auctor, posteaquam* S. Bonifacii *Sociorumque martyrium recensuit, ita progreditur :* Qui vilibus mandati bustis a Christianorum populis (*rectius dixisset* a Christianis) rabiem pertimescentibus gentilitatis, post plurimorum curricula annorum honeste reconditi, jacent in quadam basilicæ sancti Maximini cryptella. Et hoc peractum beati patroni nostri Hildulphi vigilantia. *Contigit id verosimiliter eodem tempore, quo S. Maximini reliquias S. Hildulphus transtulit : unde utrorumque translationem Browerus conjunxit ad annum* 758 *num.* 160 *ita scribens :* Convocatis igitur e propinquo episcopis, Clemente atque Cudtberto, re mature cum iis deliberata, statuit tandem, ex oratorio veteri in alium transferre locum sacra D. Maximini ossa, marmori ac cupressinæ tumbæ inclusa. Interea pone D. Hilarii cellam, ædem, S. Joannis Euangelistæ nomini sacram, pontifex a fundamentis novam maximis impensis exsuscitat; huc, simul maturum fuit, celebri pompa cum D. Maximini, tum trecentorum Martyrum Thebææ legionis, queis Bonifacius olim dux militiæ fuerat, venerandas reliquias infert, atque eas sepultura cum Agritio, Nicetioque communi afficit.

D

provecto sæculo VII *transtulit,*

5 *Sub annum igitur* 758 *hæc contigisse, Browerus existimavit : at alii, jam provecto sæculo* VII *S. Maximini, atque adeo* Bonifacii *etiam ejusque Sociorum translationem a S. Hildulpho institutam fuisse, merito contendunt. Orta est hæc opinionum discrepantia ex eo, quod aliis S. Hildulphus Miloni, aliis autem Numeriano, Trevirensibus episcopis, successisse sit visus. Cum his facit tum auctor seu interpolator Vitæ S. Hildulphi tom. III Jul. pag.* 228 *editæ, tum auctor libelli de Sancti successoribus in Vosago, sive unus idemque, sive diversus. Ille enim S. Hildulphum anno* 707 *ad Superos abiisse; hic vero, ab anno* 703 *narrationem suam exorsus, mox cap.* 2 *Regimbertum in Medianensis cœnobii regimine proxime S. Hildulpho successisse, affirmat : licet citatus Vitæ S. Hildulphi interpolator, in Trevirensium antistitum Chronologia parum versatus, S. Hildulphum Milonis, Trevirensis episcopi, successorem etiam faciat. At vero Hildulphum, non Miloni, sed Numeriano successisse, jam pridem advertit Henschenius lib.* IV *de tribus Dagobertis cap.* 3, *quem plures deinde recentiores secuti sunt. Ceterum, posito, S. Hildulphum ex hac vita migrasse anno* 707, *facile est ex ejusdem interpolatoris mente annum translatarum a S. Hildulpho in S. Joannis Evangelistæ ecclesiam* S. Bonifacii *et Sociorum ejus reliquiarum definire : cum enim simul affirmet, obiisse S. Hildulphum* anno quadragesimo a gloriosa domini pontificis Maximini translatione, *anno* 667 *id ex ejus mente contigisse, manifestum evadit : Calmetus vero tom. I Historiæ Lotharingicæ pag.* 443 *ad annum* 670 *referri ait. Denique in Vita S. Agritii hæc translatio facta dicitur* 4 *Kal. Junii, ut legitur tom. I Januarii pag.* 775, *quo die notatur etiam in tribus postremis Trevirensibus Calendariis ab Honthemio editis.*

E

F

forte ex sacello quodam, quo jam ante translatæ fuerant,

6 *Quæret hic fortassis nonnemo, fueritne hæc* S. Bonifacii *Sociorumque prima omnium translatio? Ita quidem e verbis auctoris libelli de Successoribus S. Hildulphi in Vosago, num.* 4 *adductis, consequi videtur. His enim innui videtur,* S. Bonifacium *et Socios e vilibus, quibus mox a martyrio suo mandati a Christianis fuerant, bustis erutos, in S. Maximini fuisse a S. Hildulpho translatos : at cum idem fortassis auctor in Vita S. Huldulphi cap.* 3 *his tantummodo verbis :* In quo (*constructo ab Hildulpho oratorio*) pariter imposita sunt trecentorum Martyrum Thebeæ legionis corpora, *eamdem translationem describat, nec loci, unde proxime Sanctorum corpora levata fuerant, mentionem faciat, ita fortassis verba, num.* 4 *adducta, intelligenda sunt, ut locum quidem, in quo primum fuere recondito, at non illum, unde tunc recens eruta fuere, designare voluerit. Accedit, teste Honthemio tom. I Hist. Trev. pag.* 222, *in Trevirensi S. Maximini monasterio S. Hildulphi Vitam Ms. servari, in qua S. Hildulphus ex sacello ignobili ad pontem Trevirensem* S. Bonifacii *et Sociorum corpora ad S. Maximini cœnobium translulisse, perhibetur; quod, si verum est, præter memoratam, translationem insuper aliam aliquando institutam fuisse, necesse est : quamquam*

dubitari

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *dubitari merito queat, sitne id recentius additamentum, quod S. Hildulphi Vitæ aliquis dicti cœnobii alumnus adjecerit; tum quod sacelli illius in Medianensi codice, cum Epternacensi et Paderbornensi collato, nulla mentio fiat; tum quod ad calcem capitis* 5 *in ipso Epternacensi et Paderbornensi quædam adjecta legantur, quæ desiderantur in Medianensi, et ad Trevirense S. Maximini monasterium potissimum spectant : ut adeo, primusne S. Hildulphus* S. Bonifacii *et Sociorum corpora transtulerit, necne, versetur in dubio.*

sub initium vero sæculi VII *Mediano monasterio intulit,*

7 *Utut sese res habeat, non diu* S. Bonifacii *sacræ exuviæ Treviris in crypta Maximiniana quievere; anno enim* 705 *Treviris Medianum monasterium (in Vosago situm, ab Oriente habens Senoniense monasterium, a Meridie Juncturas, ab Occidente Styvagium, a Septentrione Bodonis monasterium, et inde* Medianum *a conditore suo S. Hildulpho nuncupatum) fuere translatæ.* Penultimo, *inquit libelli de S. Hildulphi Successoribus auctor,* domni abbatis Leutbaldi anno, ab Incarnatione vero Domini nostri Jesu Christi septingentesimo tertio venerabile corpus S. Bonifacii martyris, ablatum Trevirorum populo, Divinitatis ope illatum est Mediano monasterio : *die nimirum* 22 *Septembris, ut ex dictis num.* 1, *habetur. Quo auctore translatio ista contigerit, hoc quidem loco citatus paulo ante scriptor non edicit : at cap.* 9 a quibusdam devotis Deo viris *id factum scribit. Illam Browerus ad annum* 768 *num.* 192 *S. Hildulpho adscribi ait.* In hac item, *inquit ille,* operum molitione, congruit, Thebææ cohortis ducem Bonifacium existimare, translatum esse Treviris in montana Vosegi, quandoquidem ejus translationis celebratur auctor Hildulfus, qui Medianis eum sedibus intulit. *Quod sane verosimillimum est; cum, relicta Trevirensi cathedra, Medianum condiderit S. Hildulphus, eoque in vivis adhuc superstite,* S. Bonifacii *reliquiæ ad Medianum monasterium allatæ fuerint.*

B

non tamen furto ablatas :

8 *At quam verosimile est, id S. Hildulphi potissimum opera actum esse, tam parum mihi probabile est,* S. Bonifacii *reliquias Trevirensibus furtim fuisse ablatas, quod cap.* 1 *et* 9 *memorati sæpius libelli auctor scribit. Fuere equidem olim simplicioris ingenii homines, qui hujusmodi reliquiarum sacrarum furta et pia et licita crederent : quod quidem de S. Hildulpho suspicari non ausim. Adeone exigua apud monachos S. Maximini, S. Hildulphus, Trevirensis præsul, auctoritate et gratia valuit, ut vel partem corporis* S. Bonifacii (*neque enim totum illius corpus Mediani umquam fuit*) *ab illis impetrare nequiverit? Atqui S. Hildulphum novis monasterium*

C *suum substructionibus excoluisse, et insigniter sibi benevolum fuisse, ipsi S. Maximini cœnobitæ fatentur apud Zyllesium in Defensione ejusdem abbatiæ pag.* 75. *Quidni igitur is, seu Treviris abiens, seu Mediani jam commorans, ornandis, quæ condiderat, locis sacris,* S. Bonifacii *reliquias a S. Maximini ascetis impetrarit, ut furto auferri debuerint? Rectius igitur, si forte rei gestæ tempus excipias, legitur in Chronico S. Maximini apud Honthemium Hist. Trev. pag.* 1002 : Sub hoc abbate (*S. Weomado, Trevirensi dein archiepiscopo*) videtur, seu potius sub prædecessore, S. Hildulphus transtulisse corpus S. Maximini in ecclesiam nuper reparatam una cum trecentis Martyribus Thebæis legionis, sed corpus S. Bonifacii in Medianum cœnobium in Vosago sub Tullensi parochia transtulit, relictis hic capite et aliquibus reliquiis; ubi et ipse S. Hildulphus sub regulari disciplina vixit, relicto episcopatu, uti in Passione Thebæorum et Trevirorum Martyrum patet.

cum vero oblivioni ibidem datæ essent,

9 *Eadem deinceps forte in Mediano monasterio* S. Bonifacius, *qua Treviris* Tyrsus *usus est : illatis enim in S. Martini ædiculam, templo beatissimæ Virginis cohærentem, ejus reliquiis, temporum perturbationibus, variisque ipsius monasterii vicissitudinibus, hominum memoriæ ita subtractus fuit, ut Adelberti abbatis tempore post medium sæculum decimum ignotæ prorsus fuerint Medianensibus ejus reliquiæ; ut libelli de Successoribus S. Hildulphi in Vosago auctor scribit : cum tandem, divina opitulante gratia, sub eodem abbate detectæ fuerunt. Qui vero id contigerit, ipsemet auctor ita explicat cap.* 9 : Hic ordo gestorum exposcit, ut, memor promissi, retexam inventionem sancti Bonifacii martyris. Diruto equidem templo beatæ Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ, simulque ædicula beati Martini, eidem cohærente, in qua jam dictum est (*cap.* 1) Martyrem tumulatum fuisse : necessario loca dudum orationis occupaverant parietinæ (*parietum ruinæ*) hominibus ac bestiis perviæ. Quam suarum reliquiarum negligentiam non ferens spiritus Martyris, qui mirabiliter honorabatur in cælis : quadam nocte per visum in habitu militari, sicut est vultus dignitate venerabilis, cuidam juvenculo monacho, Tietfrido nuncupato, adstitit, ex indigenarum quidem mediocri sanguine procreato, sed, ut putabatur, bonæ actionis futuro, eumque suo taliter dignatus est alloquio.

AUCTORE J. B.

apparente cuidam monacho

10 Admodum ægre fero, quod parietinis premor, pedibus et sordibus hominum pecorumque atteror, conculcor ac inficior; quam ob rem quantocius surgens maturato dicere abbati, ut, si propriæ vult consulere saluti, provideat quietem corpori meo. Quem frater ille hoc modo percunctatus est : Domine mi, quem te dicam et ubi habere vis E sepulturam? Martyr ad hæc sic intulit : Scias, me Bonifacium nominari, gloriosæ legioni Thebeorum Martyrum numero et merito sociari; siquidem, divina concedente gratia, non impar gloriæ collegæ mei Mauritii, in cælis servatur et mihi gloria, quos per omnia fecit pares labor et militia, exhortatio Sociis titubantibus impensa, et in fide usque ad mortem perseverantia. Post nonnullos vero annos a corporibus commilitonum meorum furtim disgregatus, a quibusdam devotis Deo viris ad hunc locum sum delatus, atque in oratorin * beati Martini terræ commendatus; ubi usque in præsens latuerunt omnes artus mei, excepto capite, quod inter Collegarum meorum corpora prior retinuit locus. En tibi cunctarum reliquiarum mearum causam exposui. Tu nunc absque recrastinatione pergens explica hoc ipsum abbati.

* oratorio

sancto Martyre,

11 Nec mora; cum verbis subducitur monacho species Martyris, qui ubi expergefactus est, quia maluit revelationem istam fantasmati adscribere, quam ei aliquatenus fidem accommodare et super hoc Divinitatis misericordiam implorare, distulit sibi imperata perficere : sive pertimescens hypocrisi atque mendacio notari, seu invidiam contrahere suæ parvitati. Quapropter interato adventantis acerrima increpatione percellitur Martyris. Cur, inquit, commonitionis meæ acrimoniam mi- F nime perhorrescis? quid denuo ad te venire compellis? scias, te igitur luiturum pœnas contemptus et inobedientiæ, priusquam corruptibili careas luce. Hujusmodi vero minis postquam fratrem illum perterruit, omnem superioris visionis ordinem retexuit et abbati intimare jussit : sed eo, ceu primitus, dissimulante, tertio gloriosus Martyr eum dignatus est adire, ejusque vecordiam nimia verborum acerbitate increpare, ac, recapitulato primæ ac secundæ revelationis oraculo, adjecit continuo : Animadverto duritiam tuæ infidelitatis non posse ad obedientiam flecti, nisi molliatur fomentis alicujus signi. Quocirca, surrecturus ad nocturnales hymnos, adi tum altare, situm ad caput S. Hildulphi, supra quod mox inventurus cruciculam cum cambuca ipsius pontificis beati, totius ambiguitatis callum remove a latebris animi. Attamen quoniam tolerabilius tibi erit temporali supplicio subjacere, quam irrevocabiliter perpetuæ mancipare gehennæ, hujus neglectus ultionem noveris te subiturum in hac luce; satis enim superque penarum restat tuæ nimium carnali vitæ, quanto plus, si adjiciatur facinus tantum inobedientiæ?

rursus inventas, narrat

12 Hac perterrefactus juvenis comminatione, expergiscitur et fidem jussionis exploraturus, facto signo nocturnarum vigiliarum, ecclesiam ingreditur,

AUCTORE J. B.

tur, ubi cum prædicti signi evidentiam corporeo hausisset oculo, omni dubietate postposita, abbatem et fratres illuc advocavit adhuc in crepusculo matutino: quibus postquam ostendit præsens signum, cæteræ quoque revelationis patefecit textum. Inde una cum illis ad locum tumbæ Martyris properavit, et sicut per revelationem acceperat, eis designavit. Ubi fodientes, Mausoleum invenerunt decens, quod dum aperuere, fragrantiam suavissimi odoris nares præsentium persensere. In quo tandem juxta visionis fidem reperientes Martyris exuvias, in syndone munda involverunt eas, sicque recondentes in scrinio, Begonis cellæ invexere festinato; quia recondendi aptus locus non suppetebat eis in diruto monasterio. [Sed incuria successorum faciente, præfata cella sanctos artus permissa est retinere usque ad domnum abbatem Lambertum, qui anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo tertio, in sexta feria, quæ 2 Nonas Novembris habebatur, revexit.] Frater vero, qui toties commonitus, tam claræ visioni assensum dare distulit, post aliquot annos præ domo infirmorum stans, repentino accessu paralisis adeo extabuit, ut, se invito, iter retrogradum ageret, donec per ipsius domus ostium intro corrueret, atque fractis cervicibus, expiraret.

auctor libelli de Successoribus S. Hildulphi;

15 *Quamquam hæc apparitionis seu visionis, Tietfrido factæ, narratio sit ab auctore profecta a rei gestæ tempore, ut num.* 15 *Commentarii prævii ad Passionem* S. Tyrsi *et Sociorum dixi, haud multum remoto, et res domesticas, quantum apparet, describente; ipsaque, si substantiam spectes, probabilis videatur; sunt tamen quædam ejus adjuncta, quæ cuilibet non æque probabilia videbuntur. Ac primo quidem* S. Bonifacii *corpus non videtur Trevirensibus clam fuisse subreptum ob dicta num.* 8. *Dein Beatorum modestiam minus sapere videntur verba illa, quibus dixisse* Bonifacius *fertur:* Siquidem, divina concedente gratia, non impar gloriæ collegæ mei Mauritii, in cælis servatur et mihi gloria, quos per omnia fecit pares labor et militia, exhortatio Sociis titubantibus impensa et in fide usque ad mortem perseverantia. *Quo uterque sit in gloriæ gradu disputare, temeritatis esset; at malim credere, aliquid hic potius in* S. Bonifacium *scriptoris affectui tribuendum, quam talia Sanctum de se ipso prædicasse.* B

nimirum sub Adelberto abbate,

14 *Adelbertum Mediano monastereo præfuisse, cum* S. Bonifacii *reliquiæ inventæ fuerunt, ex eodem auctore operte colligitur: at quo id anno contigerit, non ita liquet. Mediani abbas constitutus est Adelbertus a Friderico, Lotharingensi duce, ut idem auctor scribit cap.* 7. *Fridericus vero Lotharingensem ducatum obtinuit anno* 939, *ante illum vero Bruno, Coloniensis antistes, anno* 953, *teste Flodoardo in Chronico: hujus vero nepos Fridericus fuit. Itaque neque ducem, neque ducis vices gerere Fridericus potuit ante annum* 953 *vel seq., neque de Mediano monasterio disponere, neque ejus bona a canonicis transferre ad monachos, ut Belhommeus ait in Notis ad citatum cap.* 7 *libelli de Successoribus S. Hildulphi in Vosago. Mabillonius tamen tom. III Annalium Benedictinorum lib.* XXIV *num.* 48, *Adelbertum ad Medianum monasterium a Friderico anno* 942 *evocatum, ait, et anno regiminis sui* 14 *SS. Hildulphi, Joannis et Benigni corpora transtulisse, quod lib. sequenti illigat anno* 954. Ex Richerio colligitur facta (*prædictorum Sanctorum translatio*) anno 936, sed maturius, *inquit Belhommeus*, quam par sit credere, *nimirum ob jam dicta de Friderico.* Joannes Herculanus, *inquit idem auctor*, in libro de Antiquitatibus vallis Galileæ diserte asserit, eandem translationem peractam fuisse anno Domini 973: sed longius et tardius illam hic author videtur distrahere. *Denique e Joanne Bajono consequi ait, illam anno* 964 *contigisse.* C

seu sæculo x jam provecto:

13 *Mabillonius antiqui Lectionarii ecclesiæ Mediansis, sæculo* XIV *verosimiliter conscripti, fidem secutus est. Richerius annum* 14 *Adelberti ab anno* 942 *numerasse videtur. Joannes vero Herculanus ab anno* 959, *quo Lotharingensem ducatum Fridericus accepit; atque adeo hi in annum* 14 *Adelberti conspirare videntur. Quænam vero ex his sententiis verum attingat, non facile dixero: illud tamen mihi probabilius videri fateor, Adelbertum non ante annum* 959, *quo Fridericus primum Lotharingensis dux constitutus est, Medianum monasterium instaurare ac moderari cœpisse, eo quod ea, quæ præstitisse tunc Fridericus dicitur, Lotharingensem potius ducem, quam privatum comitem arguere videantur. Ita sub annum* 896 *Zuendeboldus, Lotharingensi provinciæ ab Arnulfo imperatore præfectus, expulsis monachis canonicos substituerat, et comiti Hillino Medianum monasterium tradiderat, ut cap.* 6 *narratur. Nec igitur ante dictum annum SS. Hildulphi, Joannis et Benigni translatio, ab Adelberto facta, probabilius contigit. Ceterum, cum* S. Bonifacii *corporis inventionem proxime SS. Hildulphi, Joannis et Benigni translationi subjungat libelli sæpius citati auctor, sic exigente, ut ait, rerum gestarum ordine, consequens est, ut nec ante dictum annum* 959 *probabilius illa contigerit.* D

anno vero 1043 *e Begonis cella in Medianum monasterium revecta sunt.*

16 *Augustius Virgini Matri templum Adelbertus meditabatur, quando* S. Bonifacii *corpus, eo, quo narravimus, modo inventum est: itaque* S. Bonifacii *exuvias in cella Begonis, dum templum perficeretur, reponi voluit: quæ vero hic memoratur Begonis cella, a Begone viro nobili, nomen invenit, quam is in Vosago sitam, uti et Folcholdi rupem S. Hildulpho, fratribusque sub eo Deo famulantibus dedit: nunc vero* S. Blasii *appellatur. De Folcholdi vero rupe hæc Belhommeus animadvavit:* Pars autem illa Vosagi, quæ hic Folcholdi rupes appellatur, præter montem S. Blasio proximum et montem Belrouart seu Beauregard dictum, (in cujus summitate positum deinde fuit castrum, cujus sola nunc supersunt rudera) complectitur etiam interjectum his montibus spatium, in quo loca, VISIVALLUM et RUA dicta, jam tum exstabant, et postmodum oppidum Ravonense conditum fuit, in dicto videlicet loco, Rua. *Quamquam autem Adelbertus* S. Bonifacii *exuvias in Begonis cella non deposuerit, nisi, ut, condito augustiori templo, in Medianum monasterium reportarentur, id tamen neque ab Adelberto, nec ab ejus successoribus aliquot exsecutioni datum est ante annum* 1045, *ut docent verba num.* 12, *uncinis inclusa, verosimiliter interpolata, et Joannes a Bajona cap.* 50. *Hujus revectionis memoria in antiquo Mediani cœnobii Martyrologio sic notatur:* 2 Nonas Novemb. Revectio corporis gloriosi martyris Bonifacii de Begonis cella ad Medianum monasterium. E F

Sociorum S. Bonifacii reliquiæ variis locis dispersæ sunt.

19 *Reliquum est, ut pauca de* S. Bonifacii *Sociorumque reliquiis adjiciam. Ac ut primo quidem de* S. Bonifacio *agam, ex num.* 10, *caput ejus Treviris in S. Maximini monasterio remansisse, habemus. Exstetne etiamnum hic* S. Bonifacii *caput, incompertum mihi est: forte ex eorum cimeliorum numero fuit, quorum cognitionem barbarorum irruptiones, locique clades ex hominum memoria sustulit; quæque deinceps numquam comparuere. Quod vero ad ejus Socios spectat, Scheckmannus fol.* 34 *verso, Sanctos enumerans, quorum in S. Maximini basilica reliquiæ requiescunt, de* S. Bonifacio *aliisque Thebæis Martyribus, una cum illo prope pontem Mosellæ occisis, ita universim scribit:* In cripta inferiori requiescunt trecenti Martyres ex Thebæa legione, quorum princeps et dux dicitur Bonifacius, quos huc transtulit S. Hildulphus, archiepiscopus prædictus, et gloriosis tradidit Mausoleis. *Anno* 1107 *e monasterio S. Maximini Martyrum Thebæorum, illic quiescentium, reliquias, ad cœnobium Helmershusanum, inde ad Abdinghovianum, ac denique Paderbornam migrasse, diximus in Commentario prævio ad Passionem* S. Tyrsi *num.* 133 *et binis seqq. Item alias anno* 1113 *Brunsvicum num.* 133. *Consule etiam num.* 162, 163 *et* 174 *ejusdem Commentarii.*

DE

A

DE S. MARSO PRESBYTERO CONF.

AUTISSIODORI IN GALLIA.

SYLLOGE.

C. S.

De gestis, cultu et translatione corporis.

CIRCA FIN. SÆC. III, AUT INIT. IV. *Hic Sanctus, variato nonnihil nomine,*

In hoc ipso Opere nostro ad diem 16 *Maji illustratra sunt gesta S. Peregrini, episcopi Autissiodorensis in Gallia, qui a summo Pontifice ex urbe Roma eo missus apostolicos labores suos præclaro martyrio coronavit. Ex sociis quoque, qui cum eo illuc advenisse leguntur, unum dedimus, S. Corcodemum diaconum, die* 4 *ejusdem mensis Maji, alterumque S. Jovinianum lectorum die* 4 *ejusdem; alterum denique* S. Marsum *presbyterum hoc die* 4 *Octobris multa Martyrologia, vetusta ac recentiora, annuntiant, quamvis eorum aliqua eumdem* Marcum *et* Massum *appellent. Ut ab Hieronymianis vulgo dictis ordiamur, in Lucensi Martyrologio, quod Franciscus Florentinius edidit, ad hunc diem, sed pro Auctario, sic legitur :* Autisiodoro, depositio Massi presbyteri : *in Gellonensi apud Acherium tom. XIII Spicilegii :* Autisiodero, Marci. Marcum *etiam vocari in veteri Franco-Galliæ Hagiologio Labbei, et in Martyrologio Ms. S. Sabini de Levitania, observat laudatus Florentinius, eoque nomine ab aliis quoque vocari, infra videbimus. In Augustano apud nos tom. VI part.* II *Junii edito vitiosius appellatur* Marusius. *Verum tamen ejus nomen est* Marsus.

B

annuntiatur hodie in variis, non tamen in genuinis Adonis et Usuardi,

2 *Hinc rectius Corbeiense tom. IV Spicilegii Acheriani habet :* Autisiodero, depositio sancti Marsi, presbyteri et confessoris. *Consonat Richenoviense in præcitato tom. VI Junii vulgatum,* Autisiodoro, *inquiens,* depositio Marsi presbyteri. *Nulla illius memoria exstat in genuinis Martyrologiis Adonis et Usuardi. Invenit quidem illum in suo Adoniano apographo Mosander, sed pro auctario rejecit in Appendicem, quod et Rosweydus noster secutus est. An id recte factum esset, in dubium vocare placuit Dominico Georgio in Adnotationibus ad suæ editionis Martyrologium ejusdem sancti episcopi Viennensis, quod de* Marso *meminerint Hieronymiana apographa, quodque* (*ut ait*) Adoniana apographa antiquiora Autisiodorensis ecclesiæ sanctos viros recensere soleant. *Verum, si Ado illum memoraverit, cur præteritus est ab Usuardo, cui Ado sine ullo dubio præluxit? Attamen, ipso consentiente Georgio, de* Marso silet genuinus Usuardus; sed agunt ejus Auctaria. *Tantumdem de genuino Adone hic reponendum statue.*

C

Martyrologiis vetustis,

3 *Inter vetusta Martyrologia, quæ laudatus Georgius Adoniano suo subjecit, Fuldense ad eumdem hunc diem habet :* Autisiodero, depositio sancti Marsi presbyteri, qui cum beato Peregrino, episcopo et martyre, ad prædicandum verbum Dei, imperio Sixti Papæ, Galliam venit; *Ottobonianum :* Autisiodoro, nat. (*id est,* natalis) sancti Marsi, presbyteri; *Vaticanum :* Sancti Marsi conf. *Accedunt auctaria Martyrologii Usuardini apud Sollerium nostrum relata, in quorum codice Rosweydiano eodem die legitur :* Sancti Marsi presbyteri; *in Centulensi :* Autisiodoro, sancti Marsi, presbyteri confessoris; *in Remensi SS. Timothei et Apollinaris :* Autissiodori S. Marci, presbyteri et confessoris. Marcus *etiam vocatur in editione Usuardi Lubeco-Coloniensi, quæ sic habet :* Autisiodoro, depositio Marci, presbyteri et confessoris. *Rectius in Greveniana dicitur :* Autisiodoro, sancti Marsi, presbyteri et confessoris, natione Romani. *Ut mittam plura,* Marsum *ipsum etiam appellat Rabanus; at* Marcum *collector nostri Florarii Ms. Sanctorum.*

4 *E recentioribus martyrologis Castellanus ad diem pariter* 4 *Octobris illius memoriam celebrat in Supplemento Martyrologii Universalis, Gallice inquiens :* In territorio Autissiodorensi, S. Marsus, presbyter, cujus reliquiarum aliquid servant moniales sancti Juliani; *nimirum Autissiodorenses, uti infra videbimus. Meminit quoque Martyrologium Parisiense inter Addenda et emendanda ad hunc diem Octobris, hoc modo :* Autissiodori, sancti Marsi, presbyteri, qui cum beato Peregrino missus in Gallias, sedata post ejus martyrium persecutione, in pace quievit. *Hactenus de martyrologis, qui* S. Marsi *ad hunc diem meminerunt; quos miror omnes usque adeo ignotos fuisse Gallicano martyrologo Andreæ Saussayo, ut eumdem inter Sanctos Beatosque, quorum cum dies ignorentur, in aliorum tamen, quos in eodem Martyrologio suis locis memoraverat, Actis memoria exstat, reponendum censuerit, remisso lectore ad elogium S. Peregrini, die* 16 *Maji datum.*

et recentioribus,

D

E

et in horum aliquot nec recte, nec suo die

5 *Perperam quoque Petrus Galesinius in Martyrologio, et post hunc Philippus Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt,* Marsum, *tamquam simul cum S. Peregrino passum, eodem, quo hic colitur, die* 16 *Maji annuntiarunt; sed perperam, inquam, qui nec* Marsus *martyrium passus est, nec eodem die, quo S. Peregrinus illud subiit, obiisse scitur. Theodorus Rhay in Animabus illustribus Juliæ, Clivix etc., confessorem illum agnoscens, ad eumdem tamen Maji diem* ex Tabulis, *ut inquit,* Essendiensibus, *annuntiat Essendiæ, ubi corpus honoratur. Verba accipe :* Triumphat hodie Essendia S. Marsi reliquiis, ab Ottone, istius nominis tertio imperatore, isti loco donatis. Cui religiosissimo imperatori solemne fuit Divorum multorum ossa e tenebris in lucem magnifica pompa transferre, prout et S. Marsi hujus lipsana urnæ ex auro, tum subtilitate operis varietateque, tum gemmarum splendore visendæ, pie inseruit.

uti etiam inter Prætermissos apud nos videre est.

F

6 *Hinc in Opere nostro ad præcitatum diem Maji relatus est inter Prætermissos, diciturque ibidem* (*nescio, quo auctore*) *obiisse* 8 *Junii; sed additur :* Colitur ipse Essendiæ in Westphalia, quo corpus translatum, VI Octobris. *Citato die* 8 *Junii translationem, non obitum, Essendiæ coli, asserit laudatus Rhayus, sic rursum inquiens :* In perillustri Essendiensi ecclesia translatio S. Marsi confessoris, cujus corpus, aurea in hierotheca quiescens, publicæ subinde venerationi per annum exponitur. *Laudantur autem hic* Annal Per., *forte* Perarii, *ut ex præmissis suspicor, sed mihi eo nomine ignoti. Utut sit, ad diem* 8 *dicti mensis Junii similiter memoratur in Opere nostro inter Prætermissos, ut ante factum fuerat, ad* 6 *Octobris dilatus. Ast utroque loco apud nos error in numero est ex facili lapsu; corrigendumque est* ad IV Octobris *pro* ad VI Octobris, *ut constat mihi ex nostris Ephemeridibus Mss. Sanctorum, de quibus hodie agendum est.*

Autissiodori nunc colitur 5 *Octobris*

7 *Hunc verum esse antiqui cultus ipsius diem, discimus tum ex allegatis Martyrologiis, tum ex Breviariis propriis ecclesiæ Autissiodorensis. E quinque enim, quæ præ manibus habeo, quatuor vetustiora hoc die* 4 *Octobris Officium S. Francisci Assisiatis consignant cum commemoratione* S. Marci *seu* Marsi; *ut hinc constet, eum tum temporis eodem, quo antiquis Martyrologiis inscriptus est, die in Autissiodorensi ecclesia cultum fuisse. At in quinto ejusdem ecclesiæ Breviario, anno* 1736 *Parisiis edito, quodque anno* 1725 *præcesserat, Calendario, legitur ejusdem*

AUCTORE C. S.

ejusdem Sancti memoria translata in diem posterum, seu 5 *Octobris, Officio semiduplici deinceps celebranda sub titulo :* S. Marci, primi Autissiodorensis ecclesiæ presbyteri. *Desumptum hoc Officium est ex Communi Presbyterorum, præter lectionem tertiam. Oratio, quæ ex Communi pariter legitur, hæc est :* Domine Deus omnipotens, qui famulum tuum Marsum, ut sacerdotio tibi fungeretur, a populo segregasti, præsta, quæsumus, ut ejus exempla sectantes, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis effici mereamur. Per Dominum etc.

Officio semiduplici, cujus lectio III *recitatur.*

8 *Nunc lectionem accipe.* Marsus presbyter, cum beato Peregrino missus in Gallias, Autissiodori Euangelio collaboravit. Sancto præsuli indivulsus comes adhæsit. Sedata post martyrium sancti Peregrini persecutione, multis perfunctus laboribus, in pace quievit die quarta Octobris. Corpus ejus in monte Autrico humatum fuit juxta sanctum Corcodomum, quem ipse, juvantibus sociis, sepelierat. Sequentibus seculis corporis ejus ossiculum in proximo sancti Juliani monasterio depositum fuit, et hactenus servatur. Pars vero major tempore Hugonis de Cabilone, Autissiodorensis episcopi, ab Othone tertio imperatore in Westphaliam translata fuit, auro et gemmis inclusa, et celeberrimo nobilium virginum monasterio Essendiensi concessa circa annum Domini millesimum. Unde in vetustissimis ecclesiarum Germaniæ Calendariis beati Marsi memoria annotatur. *Quæ post hæc sequuntur, spectant ad SS. Firmatum, Flaviam et Feliculam, de quibus eo die* 5 *Octobris ibidem fit commemoratio.*

B

Cum S. Peregrino et sociis ad prædicandum Autissiodorensibus

9 *Ista, quæ ferre sola de* S. Marso *novimus, partim accepta sunt ex Vita S. Peregrini, episcopi, ut dictum est, Autissiodorensis et martyris, Vitaque S. Germani, ejusdem sedis antistitis, scripta a Constantio presbytero. Quæ illarum prior in Opere nostro tom. III Maji, pag.* 365 *de* S. Marso *narrat, paucis accipe.* Marsus *a Sixto Papa ordinatus presbyter, una cum S. Peregrino episcopo, Corcodemo diacono, Joviano subdiacono, et Jovimiano (fortasse alio) lectore, ad prædicandum Evangelium confirmandosque Christi fideles, in Gallias missus, Autricum, seu Autissiodorum advenit, verboque et opere magnam incolarum multitudinem ad Christum convertit. Post hæc Peregrinus, ejusdem novi gregis cura iisdem laboris sui sociis commendata, ad alium regionis locum, qui* Interamnus *dicebatur, et in quo Jovis templum, aliorumque idolorum altaria frequentabantur, intrepide accessit, et martyrio meruit coronari. Consona habet Constantius in Vita S. Germani, in Opere nostro data ad* 31 *Julii, cap.* 3 *et* 4; *sed hic inter socios suos S. Corcodemus* præter Marsum *presbyterum etiam aliquem Alexandrum nominavit, quod hic leviter annotassse sufficerit.*

C

missus a S. Sixto II est; vero hinc

10 *Sixtus summus Pontifex, a quo laudati apostolici viri ex Italia in Gallias missi fuere, ex adjunctis dicendus est, ac passim creditur fuisse S. Sixtus II, qui S. Stephano, anno* 257 *per martyrium sublato, suffectus Pontificatum tenuit usque ad* 6 *Augusti anni sequentis, quo et ipse martyrii palmam consecutus est. Ad alterutrum igitur annum illorum missio referenda est; ideoque Henschenius noster ad diem* 16 *Maji S. Peregrini necem, cujus annus ignoratur, solum sæculo* III *illigavit. Verum dominus Le Beuf, canonicus et succentor Autissiodorensis, in Monumentis historicis ecclesiasticis et civilibus Autissiodorensibus, de missione per S. Sixtum II facta consentiens, nihilominus scribit, opinionem receptissimam esse, S. Peregrinum in magna persecutione Diocletianæa anno* 303 *aut* 304 *martyrium subiisse; ex qua sententia consequenter observat, ejusdem inter Autissiodorenses apostolatum annos triginta excessisse, nisi ille in suo ab urbe Roma itinere multos annos exegerit.*

et ex loco Confessionis S. Mamertini dubium fit,

11 *Hujus opinionis eas rationes allegat, quod nullus e Peregrini sociis, præter Jovinianum lectorem, martyr obiisse legantur; quodque causa, ob quam alii socii eamdem lauream non sint adepti, fuerit subsecuta pax Ecclesiæ, ac difficile sit, aliam* D *hic pacem intelligere ab ea, quam Constantinus Magnus concessit. Pro hisce lectorem remittit ad Conversionem S. Mamertini, ex eaque observat, saltem hanc opinionem Autissiodorensium fuisse tempore S. Germani, id est, sæculo quinto. Inserta est laudata Confessio Vitæ S. Germani, scriptæ per Constantium, in qua apud nos tom. VII Julii, pag.* 209, *num.* 29 *S. Corcodemus in quadam visione Mamertino interroganti sic respondisse narratur :* Post martyrium beatissimi Peregrini, die tertio passionis ejus (non quidem eo tempore, *id est,* non tamen eodem anno) de seculo ad Dominum migravi.

utrum S. Peregrinus sæculo III *an* IV *passus sit,*

12 Optaveramus quidem participes fieri passionis ego cum fratribus meis, sicut fueramus unius quoque bajulatores mandati; sed post non multum temporis imperator est ordinatus, doctrina Christiana refulgens, qui, persecutione remota, cunctas clausas ecclesias patefecit, et eis Catholicos præpositos ordinavit. Propterea non potuimus, quæ voluimus (*nempe martyrium*) consequi. Fratres autem mei erant hi, Marsus presbyter, Alexander et Jovianus. Et sepultus sum in hoc loco ab iisdem fratribus meis. Ipsi autem, ut mihi divinitus revelatum est, confessores obierunt. Jovinianus vero lector, Deo procurante, martyrium consummavit. *Hactenus ibi. Porro imperator, qualis supra memoratur, certe alius fuisse non potuit, quam Constantinus Magnus, uti Boschius quoque noster ad eum textum annotavit, ac proinde, si isto Constantii, vel Confessionis . . Mamertini loco omnino standum sit, dicendus est Corcodemus, qui S. Peregrino supervixit, ad sæculum quartum pertigisse, atque adeo etiam* S. Marsus, *qui Corcodemum sepelivit.* E

ac proinde utro S. Marsus, qui Peregrino supervixit,

13 *Dixi : Si isto Constantii vel Confessionis S. Mamertini loco omnino standum sit; nam tam serum S. Peregrini martyrium nec Actis ejus, quæ exstant, congruit, nec componi potest cum numero annorum qui in Historia episcoporum Autissiodorensium, a Labbeo tom. I Bibliothecæ Mss. edita, assignantur episcopis, qui S. Peregrinum inter sanctumque Germanum sedisse leguntur. Numerantur enim ibidem intermedii anni centum et quadraginta, quos si ab anno* 303 *inchoaveris, etiam sine ulla sedis vacatione, pervenies ad annum Christi* 443, *quo S. Germanus, non primum, sed tertium supra vigesimum in episcopatu suo agebat, ordinatus scilicet, ut constat, episcopus anno* 418. *Difficultatem hanc agnovit laudatus Le Beuf in S. Marcelliano, proximo Peregrini successore, quam ut amoliretur, suspicari voluit, Marcellianum electum fuisse ecclesiæ Autissiodorensis episcopum ab eo tempore, quo Peregrinus detentus ab ethnicis fuit, hujusque captivitatem diu durasse, sic nempe, ut bona annorum pars, qui Marcelliani sedi adscribuntur, ad sæculum* III, *vivente adhuc, sed in carcere detento Peregrino, referenda sit; reliqua ad sæculum* IV. F

in pace quieverit,

14 *Credat eruditus lector, quod volet; at mihi tam insolens conjectura non satis plausibili ratione nixa videtur; mallemque ipsos annorum calculos in prædicta Historia episcoporum Autissiodorensium pro vitiosis habere. Ad hæc in ea sententia, quæ S. Peregrini martyrium anno* 303 *vel sequenti illigat, ac nihilominus ejusdem missionem S. Sixto II tribuit, anni quadraginta quinque S. Peregrini Apostolatui Autissiodorensi, atque plures ejusdem sociorum, Corcodemi,* Marsi, *Alexandri et Joviani apostolicis laboribus assignandi erunt; raro sane exemplo, potuisse eos omnes simul tot annorum spatio, tot inter labores perdurare, atque interim a persecutorum ac Christiani nominis hostium manibus salvos vivere. Quam ob rem cum hinc non levis ratio appareat pro illorum obitu ad sæculum* III *referendo, inde vero pro opposito stet Constantii aut ipsius S. Mamertini auctoritas, tutius censui,* S. Marsi *mortem versus finem sæculi* III, *aut sequentis exordium statuendam esse; nisi quis maluerit pro Sixto II posteriorem summum Pontificem, a quo ille cum Peregrino ac sociis in Gallias missus fuerit, substituere.*

15 *Modo cetera Breviarii Autissiodorensis dicta expendamus.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

creditur sepultus fuisse in monte Autrico,

A *expendamus. Hujus concinnator potuit ex mox allegatis e Vita S. Germani verbis didicisse, S. Corcodemum a* Marso *et sociis in monte Autrico, vulgo* Mont-Artre, *apud Autissiodorum fuisse sepultum; sed in eadem Vita non dicitur Sanctus quoque* Marsus *in eodem loco juxta Corcodemum humatus fuisse. Imo vero ex ejusdem Vitæ numero* 24 *suspicari potius quis posset,* S. Marsi *sepulturam alibi fuisse. Etenim S. Corcodemus ibidem e sepulcro suo sic loquens inducitur :* Me suis Deus excubiis non fraudat; quoniam sunt mecum fratres subdiaconi duo, id est, Alexander et Jovianus, nec non Jovinianus lector; *quibus quidem verbis non aliud indicasse videtur, quam trium illorum corpora in eodem loco tunc quievisse. Si autem ibidem tunc etiam quieverit* Marsus; *cur hujus quoque non meminit, qui presbyteratus Ordine reliquis præcellebat? Verum hæc solum conjectura est ex adductis verbis formata; ac forte aliunde constitit Breviarii collectori de communi* S. Marsi *cum sociis in monte Autrico sepultura.*

quod verisimile est, aliquæ reliquiæ ejus sunt apud Autissiodorum,

16 *Attamen in Martyrologio Ms. Autissiodorensi, quod domini Bargede nomen præfert, exstatque in Museo nostro, in annuntiatione* S. Marsi *ad diem 4 Octobris expresse legere est, sed verbis Gallicis :* Locus sepulturæ illius non indicatur. Verisimile est, eam fuisse in monte Autrico, secundum istius temporis usum; non tamen id certum est. *Aliquas* B *ejusdem Sancti reliquias, ut docet idem Breviarium, servari in abbatia S. Juliani, quæ virginum est apud Autissiodorum, pariter legitur in Ms. nostro de episcopis, abbatiis etc. Autissiodore. Jus, quod sub nomine Georgii Violæ laudare solemus, ibique pag.* 447 *merito observatum est,* S. Marsum *perperam vocari canonicum S. Juliani in inscriptione dictarum reliquiarum ejus, in membrana calamo exarata, iisdemque reliquiis affixa, his verbis :* De reliquiis sancti Marsi confessoris, quondam canonici ecclesiæ sancti Juliani.

sed potior sacri corporis pars Essendiam translata est

17 *Paulo plura habemus de majori parte corporis illius, quam Breviarii auctor in Westphaliam ad illustrissimum Essendiense Virginum collegium translatam fuisse, agnoscit. Est porro Essendia, vulgo* Essen, *quæ et* Essena, Asindia, *aliisque similibus vocabulis nota est, Germaniæ Oppidum in Westphalia ad Asniam fluvium, inter ducatus Clivensem et Montensem, et Marchiæ comitatum, quod cum adjacenti tractu suo paret celsissimæ principi suæ Essendiensi, nobilium virginum canonicarum abbatissæ : abbatia vero, seu prædictum illustrium canonicarum collegium, fundatorem suum veneratur S. Altfridum, Hildesiensem sæculo nono episcopum, de quo in Opere nostro actum est ad dium* 15 *Augusti. Præest illi hoc tempore celsissima princeps Christina Francisca Palatina-Sultzbachiensis, eique adjuncta, ut* C *vocant, Coadjutrix est serenissima Carolina princeps regia Lotharingiæ et Barri, Augustissimi imperatoris Francisci I gloriosæ memoriæ et Caroli Lotharingiæ Barrique ducis, ac Belgii nostri pro Augustissima Imperatrice, Maria Teresia, Regina Apostolica, gubernatoris, soror dignissima.*

versus finem sæculi

18 *Servari ibi hactenus sacrum* Marsi *corpus ac religiose honorari, mox ostendam, postquam de tempore et auctoribus translationis quædam præmisero. In hunc finem rogatus a me Pater Augustinus Aldenbruck, Societatis nostræ presbyter Coloniæ Agrippinæ, scripsit Essendiam, unde a Reverendo admodum ac amplissimo domino Graffweg, ecclesiæ Essendiensis canonico et thesaurario, perhumanum responsum tulit, sacrum illud pignus eo allatum esse a Mechtilde, hujus nominis II ejusdem loci abbatissa, filia Ottonis II imperatoris ex Theophania, imperatoris Constantinopolitani filia, cujus prælaturæ tempus statuit circa annum* 998 *sub Gregorio V, et Sylvestro II Pontificibus Romanis, ac imperatoribus Ottone III, et Henrico II. Eadem habet Dionysius Sammarthanus tom. III Galliæ Christianæ col.* 775 *in catalogo abbatissarum parthenonis Essendiensis in Mechtilde, quam duodecimo loco reponit. Verba ejus subjicio.*

19 Mechtildis II, Ottone II, et Theophania, Con-

AUCTORE C. S. aut initio sequentis a Mechtilde abbatissa

stantinopolitani imperatoris filia, paren. gloriosissimis Augustis nata, præfuit Essendiensi ecclesiæ circa annum CMXCVIII sub Gregorio V et Silvestro II Pontificibus, item Ottone III, et Henrico II imperatoribus. Hæc præter alia munera ecclesiam Asnidensem ornavit reliquiis S. Marsi sacerdotis. *Obiit Otto III anno Christi* 1002, *post quem proinde annum translatio ista differenda non est, si ex illius dono facta sit, ut in sæpe dicto Breviario legitur. Hugonis de Cabilonis, in eodem memorati episcopatum Autissiodorensem ab anno* 999 *usque ad* 1039 *perducit supra laudatus canonicus Le Beuf tom. I, ubi pag.* 256 *occasionem donationis* S. Marsi *corporis ab illo factæ Ottoni III insinuat, Gallice scribens, quæ reddo Latine :* Unum e duobus illis ornamentis episcopalibus (*de quibus præmiserat quædam*) donatum ei (*Hugoni episcopo*) fuerat ab Ottone imperatore, apud quem in magna erat æstimatione, et cui creditur misisse e sua diœcesi reliquias, atque inter alias caput S. Justi. Translatio corporis S. Marsi facta in Germaniam ad id etiam tempus potest pertinere.

et Ottone III imperatore,

20 *Itaque Otto III sacra ista lipsana acceperit ab amico suo Hugone episcopo Autissiodorensi, deferitque sorori suæ Mechtildi deponenda in ecclesia Essendiensi, cui hæc præerat abbatissa. Quod si ita sit, ut omnino verisimile est, oportet, translationem* E *illam contigisse, anno* 999, *qui fuit primus Hugonis, aut uno e tribus sequentibus, quorum postremus Ottoni III fuit emortualis. Hæc de anno; diem sive translationis, sive adventus Essendiam, seu denique illius annuæ in ecclesia Essendiensi memoriæ, signat Theodorus Rhayus in Animabus illustribus Juliæ, Cliviæ etc.,* 8 *Junii, verbis supra num.* 6 *jam recitatis, ideoque non repetendis. At vero, nec hunc, nec ullum alium in totius anni circulo diem* S. Marsi *seu translationi seu alteri memoriæ in ecclesia Essendiensi peculiariter dicatum esse vel Officio ecclesiastico celebrari, admirans compellor credere, quia in Notitiis, quas de ejusdem Sancti apud Essendienses cultu petii et a laudato Reverendo admodum ac amplissimo domino Graffweg, ecclesiæ Essendiensis canonico et thesaurario, obtinui, nulla prorsus de hujusmodi cultu fit mentio. Quapropter iisdem verbis subjungo, quæ de cultu ipsius apud Essendienses ex Notitiæ continent.*

ubi hodieque in duabus pretiosis thecis servatur.

21 *Sic habent :* In primariis festivitatibus ecclesiæ cultui publico exponitur sacrum (*Marsi*) caput, thecæ argenteæ affabre elaboratæ inclusum. Reliqua Sancti ossa, thecæ ligneæ aureis laminis tectæ concredita, circumferuntur ad cultum in festo Corporis Christi. Utriusque lipsanothecæ formam assequitur proxime substrata, quamvis F solummodo idealiter efformata. *Tum subditur gemina illa forma, quarum ego solum unam chalcographo nostro ære imitandam dedi, et lectori hic exhibeo. Nam negabat idem chalcographus, alteram sat distincte expressam esse, ut eam sine errore imitari posset.*



AUCTORE C. S.

Nullum præterea verbum de cultu vel Officio faciunt istæ Notitiæ; ex quibus solum observo, cum in illis nihil prorsus dicatur de gemmis, quas thecæ aureæ addunt Autissiodorensis Breviarii auctor et Rhayus, aut de alia, quæ non supersit, illos lipsanotheca D *loqui, aut eas huic esse exemptas. Dolemus, quod plura de apostolico isto Viro nesciamus.*

DE SS. MARCO ET MARCIANO FRATRIBUS,

ET SOCIIS MARTYRIBUS

C. B.

IN ÆGYPTO.

SYLLOGE.

ANNO CCCIV ET ALIQUOT SEQQ. *Sancti, qui hodie plerisque Martyrologiis*

Binos illustres pugiles, qui Ægyptum fuso pro Christo sanguine illustrarunt, Hieronymiana apud Florentinium Apographa breviter juxta ac diserte hodie ita annuntiant: In Ægypto Marci et Marciani. *Sanctos hosce Martyres Romani parvi seu veteris auctor* Fratres *appellat, iisque innumeram Sociorum martyrum multitudinem adjungit.*

B Apud Ægyptum, *inquit,* Marci et Marciani fratrum, cumque eis innumeræ multitudinis. *Ado, Usuardus, ceterique omnes, uno dumtaxat excepto Beda, martyrologi antiquiores, seu quos* Classicos *vocamus, hodie quoque* Marcum *et* Marcianum *celebrant. Verum bini ex illis, Rabanus scilicet et Wandelbertus. Hieronymianorum exemplo Socios martyres Sanctis non adjungunt. Amborum verba describo. Rabani, apud quem insuper* Marcus *et* Marcianus *fratrum nomine non veniunt, perperamque ex amanuensium, opinor, vitio seu oscitantia* Marti *et* Mauriciani *scribitur, hæc sunt:* In Ægypto Marti *et* Mauriciani: *Wandelberti vero; qui stylo ligato de more utitur, ista:*

Marcus, Marcianusque suo implent munere quartum,
Germine, martyrio, natura et funere fratres.

classicis, aliisque recentioribus Fastis sacris inscribuntur,

2 *Quod jam ad Adonem, reliquosque martyrologos classicos, Usuardum videlicet et Notkerum, pertinet, Ado quidem Romani parvi inhæret vestigiis, innumerosque una cum* Marco *et* Marciano *fratribus in Ægypto martyres, addito etiam vario, quo coronati sunt, martyrii genere, hodie ita commemorat:* In Ægypto Sanctorum martyrum Marci et Marciani fratrum, et aliarum pœne innumerabilium utriusque sexus atque omnis ætatis; quorum C alii post verba, alii post diversi generis horribiles cruciatus flammis traditi, alii in mare præcipitati, nonnulli capite cæsi, plurimi inedia consumpti, alii patibulis affixi, quidam etiam capite deorsum verso et pedibus in sublime sublatis, beatissimam martyrii coronam meruerunt; *Usuardus autem et Notkerus, quod etiam de Romano hodierno aliisque non paucis Fastis sacris dicendum est, Adoni in substantia apprime consonant. Innumeros nimirum una cum* Marco *et* Marciano *martyres pariter celebrant, omniaque, quæ de horum martyrio verbis jam recitatis Ado suppeditat, compendio exhibent. At vero id minori elegantia Notkerus quam Usuardus præstat. Adhæc Notkerus* Marcellianum *pro* Marciano *scribit. Hinc mendi insimulatur a Baronio. At an merito? Id ego omnino indubitanter asseverare, idcirco non ausim, quod antiquissimum nostrum Epternacense Martyrologii Hieronymiani Apographum* Marcellianum *etiam pro* Marciano *substituat, ut forte alter e binis, quos hic damus, sanctis fratribus fuerit reipsa* Marcellianus *appellatus. Verum enim vero, utut res se habeat,* Marcus *et* Marcellianus *seu* Marcianus *fratres, de quibus hic tractamus, omni dubio procul diversi sunt a Marco et Marcelliano fratribus, de quibus in Opere nostro ad octavam decimam Junii jam actum est. Etenim, ut ceteras omittam distinctionis notas, hi Romæ, et quidem absque innumeris sociis martyribus; illi vero in Ægypto, una cum innumera sociorum martyrum multitudine martyrio coronati sunt.*

iidem sunt cum Eusebianis athletis, in Ægypto coronatis,

3 *Atque ita quidem a binis istis sanctis fratribus binos Sanctos, quos hic damus fratres, utut illis forte homonymos, certissime esse diversos, habemus compertum. Inquiramus modo, quinam hi sint, et unde una cum sociis martyribus fuerint primitus a martyrologis deprompti. Martyrii, quo Sancti nostri coronati sunt, descriptionem, seu potius elogium, quo hos supra exornat Ado, ex Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii per Rufinum interpolatæ lib.* VIII, *cap.* 8, E *quo innumeros omnis ætatis et sexus Christianos, mota a Diocletiano persecutione, martyrium in Ægypto passos, Eusebius tradit, sanctus Viennensis martyrologus indubie deprompsit. Ut id palam fiat, dicti capitis verba huc transcribo. Sunt autem hæc:* In sua vero provincia apud Ægyptum *(mota scilicet a Diocletiano in Christianos persecutione)* innumerabiles alii non inferiori gloria tam viri quam feminæ, sed et pueri et senes pro fide Domini nostri Jesu Christi præsentem vitam parvi pendentes futuræ gloriæ beatitudinem quæsivere. Quidam ex ipsis post verbera, post ungulas, post flagella aliosque diversi generis horribiles cruciatus flammis traditi sunt. Alii in mare præcipitati, nonnulli etiam capite cæsi, ita ut sponte cervices suas securibus darent, nonnulli inedia consumpti, alii patibulis affixi, in quibus quidam more perverso, capite deorsum presso, pedibus in sublimibus sublatis. *Ita hactenus, quod diæi, Rufinianum Eusebii caput. Confer nunc id cum Adoniano Sanctorum elogio supra huc transcripto, videbisque, hoc ex illo esse certissime acceptum. Censuit nimirum Ado, Sanctos nostros fratres martyres, eorumque Socios esse eosdem cum SS. Martyribus anonymis, quos Eusebius præmemorato Historiæ Ecclesiasticæ capite in Ægypto* F *passos commemorat, hincque illud* Marco *et* Marciano *innumerisque Sociis martyribus, quos hodie a Romani parvi auctore celebrari viderat, primus omnium applicuit.*

qui omnes serius quidem,

4 *Adonem deinde secuti sunt Usuardus, Notkerus recentioresque una cum Romani hodierni reformatoribus martyrologi non pauci, nec, quod sciam, ullus hactenus, qui applicationem illam improbarit, aut etiam dumtaxat vocarit in dubium, fuit inventus. Eamdem idcirco et ego pariter admitto, nuncque in tempus, quo Sancti nostri consummarint martyrium, inquiro. Id ut præstem, quoniam eos, uti ex jam dictis consequitur, cum præfatis sanctis Eusebianis athletis facio eosdem, necesse dumtaxat est, ut, quo hi athletæ tempore pro fide, fuso sanguine, decertarint, discutiam. Diocletiani adversus Christianos persecutio anno 303, uti nunc, Lactantii de Mortibus persecutorum libro in lucem prolato, inter eruditos convenit, initium accepit. Jam vero, illa sæviente, martyrii palmam, prout e capitibus, laudatum octavum Historiæ Ecclesiasticæ Eusebianæ caput proxime antecedentibus, manifestum fit, memorati Eusebiani Athletæ, seu ex dictis Sancti nostri sunt adepti, ac proin indubie non citius, quam anno 303. At vero, inquies, an etiam non serius? Diocletianus tria ut minimum in Christianos emisit edicta. Ac primo quidem horum vi in solos episcopos, presbyteros, diaconos;*

A *conos; deinde vero in sæcularis etiam seu laici status homines fuit sævitum. Jam vero sæcularis ordinis seu status, prout ex Rufinianis Eusebii verbis num. præced. huc transcriptis facile colliges, Sancti nostri seu præfati Eusebiani Athletæ exstitere, ac proin hi serius etiam quam anno 303 martyrii palmam fuerint adepti, si Diocletianus serius quam hoc anno in sæcularis etiam seu laici status Christianos sæviri, primum imperarit. An adeo hoc ille fecerit, indagandum nunc est.*

quam anno 303;

5 *Eusebius de Martyribus Palæstinæ cap.* 2, *narrato S. Romani martyrio; sic scribit:* Hæc primo persecutionis (*Diocletianææ scilicet*) anno in hunc modum gesta sunt, cum adversus solos ecclesiarum præsides persecutorum immanitas sæviret; *ac deinde, qui adversus sæcularis etiam ordinis personas in Palæstina fuerit sævitum, expositurus, capite sequenti ex interpretatione, quæ a Valesii simul et Christophorsoni interpretatione nonnihil differt, quæque nihilominus Græco Eusebii textui aptanda videtur, de Timotheo martyre ita præfatur:* Facto deinde secundo (*persecutionis nimirum Diocletianææ*) anno, persecutionisque furore vehementius adversus nos incenso, cum Urbano, qui tunc provinciam moderabatur, imperatoriæ litteræ quibus omnes ubique in universis civitatibus sacrificia

B ac libamina idolis offerre jubebantur, allatæ fuissent, Timotheus apud Gazam Palæstinæ urbem innumera perpessus tormenta, cum tenui tandem ac lento igni fuisset impositus, luculentissimo sinceræ erga Deum pietatis specimine per patientiam edito, martyrii coronam est consecutus. *Fuit ergo, uti ex binis Eusebii locis huc jam transcriptis facile colliges, secundo persecutionis Diocletianææ anno in Palæstina (de sola enim hac regione ibidem agit Eusebius) adversus sæcularis etiam status seu ordinis personas Diocletiani jussu sævitum, ac proin id anno 304 aut initio sequentis evenit. Diocletianæa enim persecutio, quæ ex jam dictis anno 303 initium accepit, non citius quam anni hujus mense Aprili, uti ex Eusebii de Martyribus Palæstinæ Prologo colligitur, in Palæstina fuit incepta; utut interim id aliis nonnullis locis, quod ad hæc citius fuissent allata persecutionis edicta, citius etiam factum fuerit. Porro cum Nicomedia, unde quaquaversum persecutionis edicta missa fuere, longius Ægyptus, quam Palæstina distet, puto in Ægypto nonnihil quidem serius quam in Palæstina, eodem tamen utrobique anno 304 in sæcularis etiam status seu ordinis Christianos primum cœpisse sæviri. Sancti adeo seu memorati Eusebiani Athletæ, utpote qui ex dictis sæculares seu laici fuerint, serius etiam quam anno 303 martyrii coronam sunt consecuti.*

AUCTORE C. B.

6 *Verum, inquies, an id etiam non serius, quam anno 304 evenit? Eusebius Historiæ Ecclesiasticæ lib.* VIII, *cap.* 9 *tractat de Martyribus in Thebaide, sæviente Diocletiani persecutione, passis; ubi autem, ingentem ibidem Christianorum multitudinem variis tormentis pro fide tunc occubuisse significavit, ita subdit:* Atque hæc omnia non paucis diebus nec exiguo temporis spatio, sed prolixo aliquot annorum curriculo continue perpetrata sunt: cum tunc denique interdum viceni et amplius; nonnumquam ad triginta usque et sexaginta; quandoque et centeni viri simul ac mulieres cum parvulis uno die interficerentur, variis ac per vices alternatis suppliciis addicti. *Christiani itaque, qui magno numero in Thebaide, sæviente Diocletiano, pro fide certarunt, non uno omnes eodemque anno martyrium fuere perpessi; quod etiam de Sanctis nostris puto dicendum. Fuerint adeo, uti apparet, aliquot quidem ex* E *his, ac forte* Marcus *et* Marcianus *uno eodemque anno 304; alii vero anno 303 vel sequenti aut etiam serius martyrii palmam adepti. Nec refert, illos in Fastis sacris supra laudatis sub una omnes eademque annuntiatione hodie comprehendi; subinde enim in his martyres, qui eodem loco eodemque sæviente tyranno, utut temporibus diversis, passi sunt, una eademque accidit annuntiatione celebrari; atque id quidem diebus pro arbitrio assumptis, quod postremum verosimillime etiam locum obtinet in innumera sociorum anonymorum multitudine, quæ hodie adjungitur* Marco *et* Marciano, *utut interim de binis hisce posterioribus Sanctis aliud idcirco ferendum sit judicium, quod Hieronymianis, verum etiam diem, quo Sancti passi sunt, notare solitis, hodie sint inscripti, uti jam supra docui.*

partim vero anno 304, partim etiam aliquot seqq. passi sunt.

DE SS. DOMNINA, BERINNA SEU BERENICE ET PROSDOCE MARTYRIBUS

IN SYRIA.

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C. B.

§ I. Memoria in Fastis sacris. cultus ecclesiasticus; an sanctis Martyribus accensendæ, et quæ sint earum Acta.

ANNO CCCV VEL CCCVI. *Etsi Sanctæ, quæ paucis dumtaxat*

Inter illustres Christianas feminas, quæ, ut memoriæ proditum accepimus, sævientibus persecutionum procellis, pudicitæ perdendæ peccatoque consentiendi metu violentam sibimet ipsis conscivere necem, non infimum locum obtinent Domnina *ejusque binæ filiæ* Berinna *seu* Berenice *aut* Bernice *et* Prosdoce *vel etiam, ut aliter scribitur,* Prodoce. *Has hodie Menologium Sirletianum et Magna Græcorum Menæa exacusa celebrant. Ac in his quidem primo hæc legitur annuntiatio:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρα τῆς ἁγίας μάρτυρος Δομνίνης, καὶ τῶν θυγατέρων αὐτῆς Βερίννης καὶ Προδόκης. Eodem die, *id est, quarto Octobris,* sanctæ Domninæ martyris, ejusque filiarum Berinnæ et Prodoces.. *Ac deinde, binis versiculis, qui nihil notatu dignum continent, interjectis, sequens subditur elogium:* Αὗται αἱ γυναῖκες Θείῳ ζήλῳ τρωθεῖσαι, καταλιποῦσαι οἰκίας καὶ συγγενεῖς, πρὸς τὴν ἀλλοτρίαν μετετάξαντο, καὶ τὸ λοιπὸν φεύγουσαι κατέλαβον τὴν Ἔδεκαν *. Ἐκεῖσε τοίνυν διατριβουσῶν, ἐξαίφνης ἐπίσταται * ὁ ἀνὴρ καὶ πατὴρ, στρατιώτας ἔχων πρὸς τὴν σύλληψιν τῆς θήρας. Ὡς δὲ συνελήφθησαν, κατέλαβον τὴν Ἱεράπολιν· ποταμὸς δὲ παρρεῖ * τὴν ὁδὸν ἐκείνην, καθ' τὴν ἐπανίεσαν *. Αὗται λαθοῦσαι τοὺς στρατιώτας ἀρίζοποιουμένους καὶ μεθύοντας, εὐχῇ συντόμως χρησάμεναι εἰσῆλτον εἰς τὸν ποταμὸν καὶ ἀφῆκαν ἑαυτὰς διὰ τῶν ῥευμάτων, καὶ οὕτω ἐτελειώθησαν διὰ τῆς τοῦ ὕδατος πνιγμονῆς *.

* Ἐδεσσαν

* ἐφίσταται

* παρέρρει

* ἐπανῆσαν

* πνιγμονῆς

2 Hæ Mulieres amore divino sauciæ, domo consanguineisque relictis, peregre profectæ sunt, fugaque tandem tenuerunt Edessam. Cum autem ibi commorantur, adest derepente maritus et pater, milites, ut prædam capiat, secum habens. Ut porro comprehensæ fuerunt, ductæ sunt Hierapolim; fluvius autem præterfluebat viam illam, qua redibant. Illæ clam militibus prandentibus potantibusque, brevi facta oratione, flumen sunt ingressæ, fluentisque se commiserunt, atque ita aquis suffocatæ vitam consummarunt. *Sirletianum vero cum Menæis ad amussim congruit, ut necesse non sit,*

Græcorum, nullisque Latinorum Fastis sacris inscribuntur,

Sanctarum

AUCTORE C. B.

Sanctarum annuntiationem simulque elogium, quæ illud suppeditat, huc transcribere. Porro si, quod Maximus Margunius, Cytherorum episcopus, Menæis presse inhærere solitus, hodierno Græcorum idiomate concinnavit, Menologium exceperis, alii præterea sacri apud Græcos Fasti non sunt, qui Sanctas commemorent. Quod autem ad Latinorum Menologia Martyrologiaque attinet, nullum ex his, ut apparet, S. Domninam *ejusque filias* Berinnam *seu* Berenicen *ac* Prosdocen *celebrat, ac ne ipsum quidem Martyrologium Romanum hodiernum, utut tamen Sanctis ex Sirletiano, quod ex dictis* Domninam *ejusque SS. Filias recolit, Menologio acceptis fere ubique auctum. Sunt quidem nonnulli, qui Sanctas nostras ad 14 Aprilis, aut etiam ad 19 Octobris diem Romano hodierno inscribi contendant; verum Domnina, ejusque sanctæ sociæ, quas ad ambos dies illos Romanum hodiernum celebrat, a* Domnina *nostra binisque ejus sanctis Filiabus* Bernice *et* Prosdoce *videntur, uti infra docebo, esse diversæ, ac proin, cum hæ Sanctæ nostræ ad alium etiam diem in Romano hodierno non occurrant, ne quidem in hoc illarum uspiam, ut apparet, exstat memoria.*

seipsas necarint, Sanctis tamen cum non secus

5 *At vero, inquies, an Baronius aliique eruditissimi viri, qui Romanum hodiernum reformarunt, merito ex hoc* S. Domninam *binasque ejus sanctas Filias,* Berenicen *et* Prosdocen, *exclusere? Anne* B *forsan hæ Sanctis annumerandæ non sunt, morsque violenta, quam sibimet ipsis intulere, martyrii nomen non meretur? Certum quidem est atque indubitatum, nulla de causa fas esse, semetipsum occidere, actionemque, qua id fiat, si in seipsa consideretur, non modo non dignam martyrii nomine, verum etiam impiam ac nefariam dici debere. Ast, utut id ita sit, fuisse tamen Sanctas mulieres, quæ seipsas, ne libidinem incurrerent peccatoque consentirent, laudabiliter necarint, vocari etiam nequit in dubium. Etenim* (*Vide in Opere nostro tom. II Februarii pag.* 278 *et seqq.*) *semetipsam interemit S. Apollonia, sponte sua in ignem insiliens, et tamen omnium scriptis ac linguis* Sancta *et* Martyr *prædicatur; interemit sese et S. Pelagia, voluntarie corpus e sublimi præcipitans, et tamen* (*Adi tom. II Junii pag.* 138) *Fastis sacris quam plurimis,* Martyris et Sanctæ *decorata nomine, inscribitur. Interemerunt sese, quas brevitatis causa omitto, nonnullæ etiam aliæ, et nihilominus vel hinc gloriosam, quæ Sanctis Martyribusque competit, nomini suo famam promeruere.*

atque aliæ sanctæ mulieres,

4 *Sese scilicet vel ex ignorantia inculpata, qua suicidium legi naturæ semper adversari, nesciverint, vel a Spiritu sancto, quo jubente, id, quod alioquin verteretur crimini, cum laude fit, singulari quodam modo intus motæ interfecerunt. Verum, inquies modo,* C *illisne etiam sanctis mulieribus, quæ, utut seipsas necarint, pro Martyribus tamen habentur, accenseri etiam debent* Domnina, Berenice *et* Prosdoce? *Janningus noster tom. II Junii mox cit. in Commentario Historico, quem de S. Pelagia adornavit, sic scribit,* Occidit... se Apollonia; occiderunt et Pelagia, materque ac sorores ejus : occidit se illa, ne impia verba proferens peccaret; occiderunt se istæ, ne libidini corpus exponentes, pudicitiam perderent ac peccato consentirent : mors Apolloniæ proponebatur, sed intra minas adhuc stabat persecutorum; proponebantur et Pelagiæ ac sociabus, post violata earum corpora haud dubie inferenda. Quam ob rem cum paria inter ipsas fuerint pleraque omnia, dicendum, pari quoque spiritu intus motas, mortem per seipsas anticipasse, ut periculo peccandi se subducerent, et castæ ad castissimum Sponsum citius advolarent. Utque illud fecit Apollonia, majori Spiritus sancti flamma (*ita ad 9 Februarii asseverat Romanum hodiernum*) intus accensa, quam erat externa rogi; ita debet etiam in Pelagia idem Spiritus sanctus singulari modo operatus esse; cum æque hanc atque illam Martyribus sanctis annumeret Ecclesia.

vel ex singulari Spiritus sancti

5 *Hactenus Janningus, ut Sanctæ Martyrisque nomen vindicet Pelagiæ; pari autem modo* Domninæ *ejusque filiabus* Berinnæ *seu* Bernicæ *et* Prosdocæ *Sanctitatis Martyriique laudem non inepte vindicaris. Etenim quo fine, et quo Spiritu movente, sese peremit Pelagia, eodem etiam fine, uti ex jam dictis intelligitur, eodemque etiam Spiritu impellente, sese interfecerint* Domnina, Berenice *et* Prosdoce. *At vero, oppones, etiamsi Spiritus sancti instinctu sese interfecisse existimanda sit Pelagia, par tamen, ut etiam idem de* Domnina, Bernice *et* Prosdoce *credatur, ratio esse non videtur. Illa enim Fastis sacris quam plurimis cum Latinis, tum Græcis atque Arabo-Ægyptiis inscribitur; hæ vero solis fere insertæ sunt Menæis Græcorum excusis Menologioque Sirletiano, quæ subinde etiam indignos Sanctis accensent. Fateor, sic habet : sed quid tum? De Sanctis non tam ex Fastis sacris, quibus inseruntur, quam ex indubitato cultu, quo gaudent, gavisique sunt in Ecclesia, ferri debet judicium. Jam vero, cum Sanctæ nostræ jam a sæculo quarto, ut liquet ex Homilia, infra pluribus hic memoranda, quam de his S. Chrysostomus, qui anno 398 ordinatus est episcopus, Antiochiæ dumtaxat adhuc presbyter habuit, in Ecclesia velut Martyres, cultæ fuerint, quid ni pariter credantur et illæ ab eodem, a quo S. Pelagia, Spiritu sancto intus motæ sese necasse?* D

instinctu,

6 *Ast, oppones etiam, postquam nemini fas esse, etiam peccati vitandi, pudicitiæque servandæ causa, seipsum occidere, lib.* 1 *de Civitate Dei, cap.* 25 *docuit Augustinus, cap.* 26 *ita primo sibimet ipsi objicit :* E Sed quædam, inquiunt, sanctæ feminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum se flumen projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. *Ac deinde ita respondet :* De his (*Feminis nimirum, quæ seipsas submerserunt*) nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio, et fieri potest, ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; nec errantes, sed obedientes, sicut de Sampsone aliud nobis fas non est credere? Cum autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset? *Ita hactenus Augustinus : indubie autem hic, uti Tillemontio tom. V Monumentorum, pag.* 404, *aliisque passim eruditis videtur,* Domninam, Bernicen *ac* Prosdocen *per sanctas feminas, quas sibi objicit, designat. Jam vero, cum sanctus doctor, an hæ ac proin an* Domnina *ejusque binæ Filiæ a Spiritu Sancto, ut sibi necem inferrent, fuerint intus motæ, revocare videatur in dubium, est sane, cur et nobis ea de re dubitandum videri queat. Ita ab iis, qui* Domninam *ejusque Filias voluerint e numero Sanctarum expunctas, argui potest ulterius. Verum, quid tum? Magnus doctor sanctas Mulieres, quas memorat, Spiritus sancti instinctu sese interemisse, equidem non negat. Verum, sit ita : neget id etiam S. Augustinus. Imo re ipsa Sanctæ nostræ non fuerint, ut sese necarent, a Spiritu sancto impulsæ, nec sic tamen has mortem sibi ipsis adsciscendo peccasse, eviceris.* F

vel ex ignorantia inculpata id fecerint,

7 *Possunt enim etiam ex ignorantia inculpata, qua suicidium pudicitiæ servandæ causa licitum putarint, id fecisse. Et vero* Domninam *ejusque Filias, si non ex Spiritus sancti instinctu, certe ex ignorantia inculpata sese interfecisse, omnino est dicendum. Ob cultum enim, quo ex jam dictis et porro dicendis gaudent in Ecclesia, omni dubio procul pro Sanctis sunt habendæ, sanctasque esse et Martyres non negat Augustinus. Neque est, quod dicas, illarum etiam sanctitatem verbis mox recitatis ab Augustino, ut apparet, revocari saltem in dubium : cum enim sanctus doctor feminas, quas sibi objicit, ac proin* Domninam, Berenicen *et* Prosdocen *cultu, Sanctis deferri solito, percelebri gaudere in Ecclesia, aperte etiam admittat, qui merito queat harum in dubium revocari sanctitas, haud satis perspicio. Adhæc, utut tandem res se habeat, Augustino oppono Chrysostomum, qui in Homilia, cujus jam memini,* Domninam, Bernicen

A Bernicen *et* Prosdocen *plus vice simplici* Sanctas *et* Martyres *appellat, atque in fine ad easdem assidue colendas implorandasque populum Antiochenum enixissime hortatur. Oppono et Ambrosium, qui lib.* III *de Virginibus* Sanctas *et* Martyres *pariter appellat matrem et sorores S. Pelagiæ, quæ seipsas, ut pudicitiæ suæ consulerent, peccandique periculum vitarent, in flumine submerserunt, quæque ex dicendis a* Domnina *ejusque Filiabus diversæ fortassis non sunt.*

accenseri debent. Binas de Sanctis

8 *Itaque, omnibus discussis, mors violenta, quam sibi attulere* Domnina, Bernice *et* Prosdoce, *martyrii nomen promeretur, suntque hæ indubie sanctis accensendæ martyribus, ut adeo e Romano hodierno non debuerint excludi. Nec vero, quantum opinor, fuissent exclusæ, si forte, qui hoc reformarunt, ex S. Augustino et S. Joanne Chrysostomo perspectum habuissent antiquum illarum in Ecclesia cultum. De hoc ego, utpote quem reddidisse notiorem, vel idcirco juverit, paulo plura disserere nunc aggredior. Ante tamen, quam id faciam, nonnulla de fonte, ex quo illius potissimum hauritur notitia, lubet præfari. Montfauconus tom. II novissimæ, quam hoc sæculo adornavit, editionis Operum S. Chrysostomi duas insignes Homilias, quas hic Sanctus, Antiochiæ adhuc presbyter, in laudem* Domninæ *ejusque*

B *Filiarum pronunciarit, Græce simul et Latine inseruit, alteram, quæ prolixior est, quæque jam plus semel fuerat edita, ex antiquiori Frontonis Ducæi, cujus etiam interpretationem Latinam adhibuit, editione depromptam; alteram, quæ brevior est, quæque nondum a quoquam typis fuerat vulgata, ex vetusto Ottoboniano codice descriptam. Ac prior quidem non in contextu, sed tamen in Græco ac proin primigenio, quem præfert, titulo* Domninam, *ejusque Filias nominatim expressas exhibet; posterior vero tantum non in contextu, sed nec in primigenio, quem sibi Græce præfixum habet, titulo id facit.*

Homilias dixit Chrysostomus,

9 *Hanc tamen etiam agere de* Domnina, Bernice *et* Prosdoce, *perinde apparet certum, atque si hæ ipso nomine appellarentur. Fuit nimirum Antiochiæ recitata, agitque de Matre et duabus Filiabus, in ecclesia Antiochena cultis, quæ servandæ fidei pudicitiæque causa post relictam patriam sese in flumine submerserunt; quod* Domninam *binasque ejus Filias fecisse, patet ex dictis, et porro ex dicendis amplius patescet. Ambæ itaque jam memoratæ Homiliæ, tam brevior scilicet, quæ solius quatriduani Lazari, quam prolixior, quæ* Domninæ, Berenices *et* Prosdoces *nomine in titulo signatur, indubie ad has Sanctas nostras spectant. Verum an ambæ etiam indubie Chrysostomum habent auctorem? Tillemontius tom. V*

C *Monumentorum pag.* 745 *in prolixiorem, quam solam vidit, ita fere scribit :* Omni pollere non videtur S. Chrysostomi vigore, sublimitate ac majestate, nec documento morali, uti huic Sancto solemne est, terminatur. Adhæc complectitur, quæ ipsamet S. Chrysostomi auctoritas ægre suadeat. Alia interim ex parte cum Homilia tomi quinti trigesima quarta (*hæc* de Cœmeterio et de Cruce *inscribitur, estque editionis Montfauconianæ tomo secundo inserta*) a peritissimis, veluti quæ Sancti sit, admissa, intime est connexa, ambasque dominus du Pin inter eas, quæ vere illius sunt, recenset. Savilius velut legitimam etiam admittit Homiliam in S. Domninam, opinionemque Catalogo, in quo illa locum sexagesimum primum occupat, Augustano superstruit. S. Chrysostomus orationes de Sanctis panegyricas documento quodam morali non semper absolvit. Hanc igitur Homiliam, donec amplior afferatur dilucidatio, sub illius nomine citandam arbitramur; referendumque, quod in ea occurrit, ut lectorum judicio permittatur.

quorum prolixiorem hic edemus.

10 *Ita Tillemontius, prolixiorem, qua de agit, in Sanctas nostras Homiliam dubitanter dumtaxat Chrysostomo adscribens. At vero, an merito? Tres primo, cur id faciat, rationes in medium adducit; verum quid tum? Secundam ex his, quæ a methodo terminandi Homilias, a Chrysostomo servari solita, repetitur, ipsemet mox convellit. Quod autem pertinet ad duas reliquas, priori dumtaxat arguit styli, quo dicta Homilia prolixior scripta est, ab aliarum Sancti Homiliarum stylo diversitatem, quæ cum a Frontone Ducæo aliisque Chrysostomi interpretibus, utut linguæ Græcæ scientissimis, notata non fuerit, Tillemontii dubitationem sat fundatam haud efficit; posteriori autem causatur, quædam eidem Homiliæ inesse, quibus ægre fidem faciat ipsa S. Chrysostomi auctoritas. Fortassis hic designat adjuncta, violentam Sanctarum mortem comitata, quæ in Homilia illa, hic, ut mox dicam, edenda, num.* 19, 20 *et* 24 *circa operam ad fallendos milites sanctis Filiabus a patre collatam, relictosque ab his, quo militibus, sui custodibus, consulerent, in fluminis ripa calceos traduntur, quæque Tillemontius quarta in S. Pelagiam Nota creditu admodum difficilia sibi videri, declarat. Verum hæc, uti infra docebo, ejusmodi non sunt, ut S. Chrysostomo non potuerint non incredibilia videri, ac proin non est, cur Homilia prolixior, in qua memorantur, sancto illi Patri abjudicetur, aut etiam, an hunc vere habeat auctorem, merito revocetur in dubium. Utut sit, illam equidem Ruinartius inter Acta Martyrum sincera et selecta refert, simulque S. Chrysostomo indubitanter adscribit. Nec minus indubitanter pro genuino Sancti fœtu eamdem habent ad unum omnes, qui ea de re tractant, quique a me fuere consulti, viri eruditi, si unum, qui ex dictis dubitat, Tillemontium exceperis. Illis* E *itaque propense assentior, dictamque prolixiorem in Sanctas nostras Homiliam, cui etiam nonnullas, ubi opportunum videbitur, Annotationes adjungam, ex novissima Montfauconi editione sub S. Chrysostomi nomine recudo, idque, quo Opus nulla ex parte mutilum lectori proponam, ne quidem (quod tamen a Ruinartio factum est) resectis iis, quæ ad Sanctarum nec historiam, nec laudem conducunt.*

AUCTORE C. B.

Ex his de Sanctarum cultu, deque anni tempore, quo circiter

11 *Porro quod jam ad breviorem, quæ supra memorata est, Chrysostomi in Sanctas Homiliam pertinet, hanc pariter hic recudere, operæ pretium idcirco non est, quod vix quidquam, quod in prolixiori non sit, circa* Domninam *ejusque Filias suppeditet, idque totum in hoc Commentario prævio facile locum queat habere. Atque hæc de Homiliis, in Sanctarum laudem a Chrysostomo pronuntiatis. Addo adhuc, ut ad Sanctarum cultum sic simul progrediar, tunc ambas pronuntiatas fuisse, cum* Domninæ *ejusque filiarum* Berenices *et* Prosdoces *festiva lux Antiochiæ ageretur, eaque occasione ad ecclesiam fideles convenissent. Ac de Breviori quidem liquet id ex hisce illius verbis :* Hæ vero (Domnina *scilicet ejusque Filiæ*) ex temporanea vita ad vitam perpetuam transilierunt : Mater et Filiæ, quæ nos hodie congregaverunt; *de prolixiori vero ex istis, quæ ipso initio habet :* Nondum elapsi sunt dies viginti, ex quo memoriam Crucis celebravimus, et ecce Martyrum F (Domninæ *nimirum,* Berenices *et* Prosdoces) memoriam celebramus. *Nec tantum ex postremo hoc textu habemus, prolixiorem, quam edituri sumus, Homiliam Sanctarum nostrarum festo fuisse pronuntiatam; verum etiam, quo circiter anni tempore hoc fuerit Antiochæ celebratum. Etenim per* memoriam Crucis, *quam in dicto textu viginti circiter diebus ante Sanctarum festum celebratam fuisse innuit, Feriam sextam Parasceves seu diem Veneris sanctum, quæ et festivitas passi Domini vocatur, designat Chrysostomus. Liquet id ex eo, quod, paucis interpositis, affirmet, sese tum, cum a viginti circiter diebus Crucis memoria celebraretur, ad populum habuisse concionem, in qua dixerit,* Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit; *concio autem, in qua hoc Sanctus dixerit, alia non sit, quam quæ* de Cœmeterio et de Cruce *inscribitur, quamque in die Parasceves habitam fuisse, manifestum fit vel ex hisce, quæ in ea Chrysostomus adhibet, paucis verbis :* Hodie... omnia inferorum loca circuit Dominus noster. Hodie portas æreas confregit.

quotannis cultæ fuerint, constare ostenditur.

12 *Dubitandum itaque non est, quin Chrysostomus per* Crucis memoriam, *quam viginti circiter diebus ante Sanctarum festum Antiochiæ celebratam fuisse, initialibus Homiliæ edendæ verbis indicat, Feriam sextam Parasceves seu diem Veneris sanctum designet.*

AUCTORE C. B.

designet. Jam vero, cum id ita sit, necesse est, ut Domninæ *ejusque Filiarum lux festiva non multum fuerit a die Veneris sancto, ac proin nec a Paschate, remota. Hanc nihilominus Græci, qui Sanctas, harumque in Menæis elogium, num.* 1 *datum, a S. Chrysostomo mutuati sunt, viginti post quartam decimam Septembris diebus, quarta scilicet Octobris die, celebrant. Idcirco autem id faciunt, quod* memoriam Crucis, *quam Chrysostomus in Homilia prolixiori edenda memorat, nihil aliud esse putent, quam festum Exaltationis S. Crucis, decima quarta Septembris celebrari solitum. Verum hac in re Græcos errare, liquet ex jam dictis. Montfauconus, ubi idem, quod jam ego, de Græcis in sua ad Homiliam edendam admonitione observavit, ita prosequitur :* Longe consultius Martyrologium Romanum festum SS. Martyrum Domninæ et Sociarum ad decimum quartum Aprilis diem consignat, licet in hoc peccare videatur, quod Domninam virginem vocet, quæ mater erat Bernices et Prosdoces virginum. Ex hoc autem Romani Martyrologii calculo annum, quo tum hæc sanctarum Martyrum, tum illa de Cruce Homilia habita est, expiscari posse videmur, nempe CCCXCII, quo Pascha celebrabatur die vigesima octava Martii, et consequenter Parasceves dies vigesima sexta ejusdem mensis, a qua si numerum ducas, vigesima dies incidet in decimam quartam Aprilis. *Tillemontius tom. XI Monumentorum, nota in S. Chrysostomum* 34, *Montfaucono hic præluxit. Verum, quamquam ex jam dictis Sanctæ nostræ haud procul a Paschate Antiochiæ cultæ fuerint, id tamen* 14 *Aprilis die, ut bini hi scriptores ex Romano Martyrologio contendunt, indubie factum, non reor. Etenim* Domnina *nostra ejusque Filiæ distingui videntur a Domnina, sociisque virginibus, ad quartam decimam Aprilis diem Martyrologio Romano inscriptis, uti ex* § *sequenti, ad quem jam nunc progredior, intelliges.*

B

§ II. A quibus sanctis mulieribus distinguantur, et a quibus non distinguantur Domnina ejusque Filiæ.

Mater et duæ filiæ, quarum ex Eusebio

C

Quod in Opere nostro non raro accidit, ut de Sanctorum aliorum ab aliis Sanctis distinctione vel neganda vel adstruenda sit laborandum, id etiam hodie in Domnina *binisque ejus sanctis filiabus* Berenice *et* Prosdoce *contingit. Eusebius matrem duasque filias, quæ fidei pudicitiæque servandæ causa, Diocletianæa persecutione sæviente, sese in flumine sponte sua submerserint, lib.* VIII, *cap.* 12, *nomine suppresso, commemorat. Item matrem etiam duasque filias, quæ idipsum eodem tempore eodemque fine pariter fecerint, Ambrosius lib.* III *de Virginibus, nomine etiam suppresso, laudibus extollit. Adhæc Domnina quæpiam sociæque virgines ad* 14 *Aprilis, itemque, ut nonnulli putant, ad* 19 *Octobris Hieronymianis, Usuardo, Romano hodierno aliisque Fastis sacris inscribuntur. Quæritur hinc jam, an et ab his, et a tribus mulieribus anonymis, tum Ambrosianis, tum Eusebianis,* Domnina *nostra, ejusque binæ filiæ* Bernice *et* Prosdoce *sint distinctæ. Discussionem a mulieribus Eusebianis seu ab Eusebio memoratis exordior. Hic scriptor, loco citato de Antiochenis sub Diocletiano Martyribus tractans, ita prodit memoriæ :* Jam vero ea, quæ apud Antiochiam (*mota scilicet a Diocletiano persecutione*) gesta sunt, quid opus est in memoriam revocare? Ubi alii craticulis impositi, non ad mortem usque, sed ad diuturnitatem supplicii torrebantur. Alii dextras suas in ignem immittere maluerunt, quam impia libamenta contingere. Ex quibus nonnulli periculum vitantes, priusquam caperentur, et in insidiatorum manus inciderent, ex sublimibus tabulatis præcipites se dederunt, propter impiorum malitiam mortem lucro deputantes.

historia huc transcribitur,

14 Quædam etiam sanctissima femina et ob animi fortitudinem admirabilis, opibus ac splendore generis bonaque imprimis fama Antiochiæ percelebris, quæ duas Filias virgines corporis forma et ætatis flore præstantes Christianæ religionis præceptis instituerat; cum plurimi, stimulante ipsos invidia, earum latebras curiosius investigarent; deinde comperto, eas apud exteros degere, omni studio atque opera Antiochiam eas evocassent; postquam Mulier sese ac Filias in militum laqueos incidisse sensit, ad inopiam consilii redacta, Filias allocuta est. Et quanta ipsis mala a militibus imminerent, exposuit; omnium vero malorum gravissimum ac maxime intolerabile esse stuprum, cujus minas ne auditu quidem sustinere sibi ipsi ac Filiabus fas esset. Adhæc animam servituti et obsequio dæmonum mancipare, omni morte exitioque pejus esse, cum dixisset, unicum adversus hæc omnia remedium esse admonuit, si ad opem Christi confugerent. His dictis, idem omnes consilium amplexæ, cum ad medium itineris pervenissent, veniam a militibus petunt, ut tantisper de via deflectere sibi liceret. Quo impetrato, compositis honeste ac decenter vestibus, in præterfluentem se fluvium conjecerunt. Et hæ quidem semetipsas ita submerserunt. *Ita hactenus Eusebius. Confer nunc hanc ejus narrationem cum iis, quæ de* Domnina *ejusque sanctis filiabus* Bernice *et* Prosdoce *in Homilia edenda commemorat Chrysostomus, videbisque, has Sanctas nostras cum tribus sanctis Eusebianis mulieribus, Matre scilicet binisque Filiabus, easdem esse. Tres sanctæ mulieres, quas memorat Eusebius in terram exteram, mota a Diocletiano persecutione, fuga sese receperunt, quæsitæque et captæ a militibus sponte sua, his delusis, sese submersere in fluvio, qui viam, qua Antiochiam reducebantur, præterfluebat.*

D

E

a Sanctis nostris diversæ non sunt.

15 *Eadem de* Domnina *ejusque Filiabus in Homilia edenda refert Chrysostomus, et, quamquam porro non pauca, quæ Eusebius subticet, adjuncta adducat in medium, nullum tamen affert, quod cum adjunctis ab Eusebio memoratis aperte pugnet, seu quod cum his adduci in concordiam haud queat. Verum, inquies, ait Chrysostomus,* Domninam *ejusque Filias, quo sese submergerent in flumine, a via clam militibus declinasse; contra vero Eusebius, quas memorat, mulieres, consciis militibus, petitaque ab his venia, id fecisse, affirmat. Respondeo :* Domninam *ejusque Filias clam militibus se submersisse, prodit Chrysostomus; non autem clam iisdem a via pariter, quo se submergerent, deflexisse. Ait quidem is sanctus scriptor, prandio sumendo vinoque potando occupatos tunc fuisse milites, cum sese* Domnina *ejusque Filiæ in præterfluentem fluvium præcipitarunt. Verum quid tum? possunt nihilominus* Domnina *ejusque Filiæ, antequam id facerent, a militibus, licet prandentibus potantibusque, ut a via tantisper deflectere fas esset, impetrasse. Et vero id, etiam ex mente S. Chrysostomi ita factum esse, colligendum videtur vel ex eo, quod milites etiam tunc, cum* Domnina *ejusque Filiæ, longiori facta mora, non reverterentur, harum tamen adhuc reditum exspectarint, uti idem Sanctus Homiliæ edendæ num.* 22 *sat aperte indicat his verbis :* Ac milites quidem penitus inscii (*necis violentæ, quam sibi* Domnina *ejusque Filiæ consciverant*) tamquam rursus eas recepturi exspectabant, illæ vero cum Christi militibus cælestibus angelis jam tum erant; *redituras nimirum, militibus Sanctæ se simularint, sicque, ut sibi a via tantisper declinare fas esset, impetrarint. Chrysostomus itaque et Eusebius quantum ad impetratam a militibus veniam, qua tantisper a via, quas memorant, sanctæ Mulieres declinarint, inter se minime pugnant, ac proin cum nec in aliis narrationis, quam suppeditant, adjunctis id fiat, tres sanctæ Eusebianæ mulieres a tribus Sanctis nostris, quas laudat Chrysostomus, diversæ non videntur.*

F

Idemque de Ambrosianis mulieribus, quarum ex Ambrosio

16 *Dispiciamus modo, an idem quoque de tribus sanctis mulieribus, ab Ambrosio laudatis, sit discendum. Hic Sanctus loco supra citato has facit matrem ac sorores S. Pelagiæ, cumque narravit, qui hæc, ut pudicitiæ suæ consuleret, sese e sublimi, secuta morte, dederit præcipitem, ita prosequitur :* Ast ubi detestandi

A detestandi persecutores ereptam sibi viderunt (*Pelagiam*) prædam pudoris, matrem et sorores (*Pelagiæ*) cœperunt quærere. Verum illæ spirituali volatu jam campum castitatis tenebant, cum subito hinc persecutoribus imminentibus, inde torrente fluvio exclusæ a fuga, inclusæ ad coronam; Quid veremur? inquiunt. Ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quæruntur : et hoc baptisma est, post quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ regenerare consuevit : excipiat nos aqua, quæ virgines facit; excipiat nos aqua, quæ cælos aperit, infirmos tegit, mortem abscondit, martyres reddit. Te rerum Conditor, precamur, Deus; ne exanimata spiritu corpora vel unda dispergat; ne mors separet funera, quarum vitam non separavit affectus : sed sit una constantia, una mors, una etiam sepultura. Hæc effatæ et suspensæ paululum, incincto sinu, quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent, consertis manibus, tamquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum; ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius, eo vestigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit, ubi gressum figeret; anxiæ cum terra occurreret, offensæ vado, lætæ profundo. Videres piam matrem stringentem nodo manus,
B gaudere de pignore, timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsules castitatis, duces itineris, comites passionis.

pariter hic datur historia,

17 Sed quis jure miretur, tantam viventibus fuisse constantiam, cum etiam defunctæ immobilem stationem corporum vindicaverint? Non cadavera unda nudavit, non rapidi cursus flumine voluta-runt : quin etiam sancta mater, licet sensu carens pietatis, tamen adhuc servabat amplexum, et religiosum, quem strinxerat, nodum nec morte laxabat; ut quæ religioni debitum solverat, pietate herede moreretur; nam quas ad martyrium junxerat, usque ad tumulum vindicabat. *Hæc de Pelagiæ virginis et martyris Antiochenæ matre et sororibus sanctus Ambrosius. In substantia ita fere habent : Persecutores Pelagiæ, ubi hanc pudoris prædam morte interveniente, quam sibi ipsi voluntario præcipitio conciverat, potestati suæ viderunt ereptam, matrem ejus et sorores, quæ aufugerant, cœperunt quærere; verum hæ, ut, salva castitate, ad castissimum Sponsum migrarent, imminentibus jam persecutoribus, in fluvium, quo longius fugere prohibebantur, sese præcipitarunt.* At vero apud Chrysostomum, *inquit in Actis sinceris et selectis martyrum, Admonitione, quam martyrio S. Pelagiæ*
C *præmittit, Theodoricus Ruinartius,* Domnina et Filiæ, audito persecutionis edicto, in aliam regionem jam commigrarant; ubi cum a Domninæ marito, Virginum patre, deprehensæ fuissent, et Antiochiam reducerentur, delusis in via militibus, qui eas custodiebant, sese in fluvium præcipitarunt; quæ sane omnia Pelagiæ matri et sororibus ab Ambrosio memoratis minime conveniunt; sicut nec quæ de istis Martyribus ab Eusebio lib. VIII Historiæ Ecclesiasticæ cap. 12 narrantur. Unde vel Domnina ac ejus Filiæ a Pelagiæ matre et sororibus diversæ sunt, aut certe paullo aliter rem accepisse dicendus est Ambrosius, quam revera contigerit. *Ita laudatus Ruinartius, distinctæne sint a matre et sororibus S. Pelagiæ* Domnina *ejusque Filiæ, in medio relinquens.*

forsitan est dicendum.

18 *Baronius ad annum* 309, *num.* 13 *amplius aliquid pronuntiat, in eamque opinionem propendet, quæ mulieres Eusebianas supra memoratas, ac proin ex dictis* Domninam *ejusque Filias, cum matre et sororibus S. Pelagiæ, de quibus Ambrosius, facit easdem. Ratio viri eruditissimi est, quod, quamquam adjuncta longe diversa referantur, utrobique tamen et genus et finis mortis eadem narrentur; quod nempe fluvio mulieres sese sua sponte merserint, idque ne pudicitiæ facerent jacturam. A Baronio non multum abludit Tillemontius. Etenim tom. V Monumentorum, Nota* 1 *in S. Pelagiam, mulieres Eusebianas cum* Domnina *binisque ejus Filiabus, quemadmodum et nos supra fecimus, facit easdem; cum autem Eusebius matri, de qua in narratione supra huc transcripta agit, ac proin ex dictis* Domninæ, *duas dumtaxat Filias; Ambrosius autem matri, quam laudat, tres ut minimum, Pelagiam nempe duasque adhuc alias attribuat, simulque nihilominus quæ quantum ad genus et finem mortis de suis mulieribus refert Eusebius, eadem etiam de suis referat Ambrosius, necesse esse existimat, ut vel Ambrosius de matre, quæ a* S. Domnina *distincta sit, loquatur, aut ut is Sanctus, dum hanc etiam S. Pelagiæ matrem facit, rem non habuerit satis perspectam. Quod quidem ultimum, ait, nobis credibilius apparuit, quam eumdem eventum, iisdem fere adjunctis vestitum, eodem tempore eademque in regione bis contigisse. Tillemontius ergo una cum Baronio in eam inclinat sententiam, ut mulieres Eusebianas supra memoratas, ac proin* Domninam *ejusque Filias cum matre et sororibus, de quibus Ambrosius, existimet esse easdem. Et vero, cum fieri possit, ut Ambrosius rem procul ab Italia, in qua versabatur, gestam minus recte cognoverit, eamque paulo aliter, quam accidisset, acceperit, Baronio hic et Tillemontio indubitanter refragari non ausim, utut interim his in S. Pelagia non faveat Janningus noster, multaque occurrant, quæ distinctionem inter* Domninam *ejusque filias, et mulieres* E *Ambrosianas suadere sint nata.*

AUCTORE C. B.

At vero Domnina ejusque sociæ, 14 Aprilis cultæ,

19 *Proximum nunc est, ut, an a* Domnina *ejusque Filiabus Domnina Sociæque virgines, quæ ad 14 Aprilis Hieronymianis apographis, Romano hodierno multisque aliis Fastis sacris inscribuntur, distinguendæ sint, nunc inquiram. Tillemontius t. V Monumentorum, Nota* 2 *in S. Pelagiam, uti etiam eorumdem Monumentorum tom. XI, Nota* 34 *in S. Chrysostomum, credidit, S. Domninam binasque ejus sanctas filias die 14 Aprilis Antiochiæ cultas fuisse. Ad hæc Tillemontio in prævio ad Homiliam in Sanctas nostras monito propense etiam assensus est Montfauconus.* Verum, *inquit tom. IV Septembris in S. Chrysostomo num.* 302 *Stiltingus noster,* Antiochena non videtur, quæ illo die (14 *Aprilis*) in Martyrologiis reperitur Domnina. *Et sane Domnina, quæ ad quartam decimam Aprilis diem Fastis sacris inscribitur, videtur et mihi a* Domnina *nostra Antiochena, ejusque Filiabus* Berenice *et* Prosdoce *esse diversa. Etenim Domnina, quam ad 14 Aprilis Martyrologia memorant, in omnibus fere Hieronymianis* Virgo, *et in nullis omnino* Mater *appellatur. Perperam quidem id fieri, idemque diende ad 19 Octobris mendum occurrere, Nota* 2 *in S. Pelagiam asseverat Tillemontius; verum hanc assertionem suam nullo prorsus argumento probat, estque Domnina, cujus nomen in aliquot Hieronymianis ad 19 Octobris reperitur,* F *a* Domnina *nostra etiam distincta, uti infra ostendam. Adhæc, unde* Domninæ *nostræ a Domnina, ad 14 Aprilis culta, distinctio evidentior adhuc evadit, hæc una cum aliis martyribus Interamnæ, civitati Italiæ, in plurimis Hieronymianis apographis; in nullis autem Syriæ adscribitur, in qua tamen amplissima Asiæ regione* Domnina *nostra ejusque Filiæ pro fide castitateque servanda mortem oppetierunt, cultum etiam ecclesiasticum ibidem deinde consecutæ.*

a Domnina nostra ejusque Filiabus

20 *Ait quidem loco proxime citato Tillemontius, solemne esse antiquis martyrologis, ut Martyres, qui diversis locis passi sunt, sub uno eodemque loco collocent. Ad hæc in primis Martyrologiorum exemplaribus Domninam, 14 Aprilis cultam, loco forte a Proculo aliisque Interamnensibus martyribus fuisse discretam, cum Ado, Usuardus, et Notkerus, S. Proculo Interamnæ assignato, addant,* Item S. Domninæ etc., *quod hanc ponere Interamnæ non cogit, sicuti si scripsissent* Ibidem. *Hæc fere Tillemontius, ut argumentum contra opinionem, qua* Domnina *nostra a Domnina, cui sacra est 14 Aprilis dies, distincta esse statuitur, a loco seu civitate, cui hæc adscribitur, petitum elidat. Verum, utut subinde Martyres, locis diversis passi, uno eodemque loco in antiquis Martyrologiis consignentur, id tamen nominatim circa hos vel illos Martyres reipsa etiam fieri, absque*

AUCTORE C. B.

que gravi solidaque ratione admitti non debet; talis autem non est, quam Tillemontius repetit a modo, quo Ado, Usuardus et Notkerus primo Proculum, ac deinde Domninam in Martyrologiis suis ad 14 Aprilis diem consignant. Quamquam enim modus ille non exigat, permittit tamen, ut Domnina Interamnæ attribuatur. Et vero illam Interamnæ reipsa attribuendam esse, vix non certum putem ob jam dicta. Adhæc, quod me etiam in hac opinione utcumque firmat, Domnina, ad 14 Aprilis Martyrologiis plurimis inscripta, Interamnæ una cum Sociis Virginibus ad 15 Aprilis coli videtur. Ferrarius enim in Catalogo generali Sanctorum ad 15 Aprilis ita habet, Interamnæ in Umbria S. Domninæ virginis et Sociarum Martyrum.

videntur esse diversæ,

21 *Itaque, habita potissimum ratione antiquorum Martyrologiorum, in quibus Domnina, ad 14 Aprilis illis inscripta,* virgo *simul appellatur, et Interamnæ in Umbria, Italiæ regione, collocatur, omnino mihi videntur hæc Domnina ejusque sociæ martyres a* Domnina *nostra ejusque filiabus* Bernice *et* Prosdoce *verosimillime esse distinctæ. Neque obstat, in nonnullis antiquis Martyrologiis, quod etiam Tillemontius loco proxime cit. in sententiæ suæ præsidium adducit, Domninam 14 Aprilis cultam, hoc modo annuntiari :* Domnæ, Dominæ aut Domninæ cum
B suis virginibus coronatæ. *Hæc enim phrasis seu loquendi methodus, contra ac censet Tillemontius, talis non est, ut in sola* Domninæ *Antiochenæ historia clarissima, in omni vero alia admodum sit obscura atque inepta. Fac enim, Domninam, cujus 14 Aprilis celebratur memoria, virginum aliquot, cum quibus passa sit, præpositam seu coryphæam fuisse, ineptumne fuerit, cum hisce illam ita annuntiare,* Domnina cum suis virginibus? *Nonne S. Ursulam, virginum martyrum Coloniensium coryphæam,* cum suis virginibus *passam recte dixeris? At vero, oppones ulterius,* Domnina *ejusque Filiæ, de quibus hic, Antiochiæ circa 14 Aprilis diem, quo Domnina Interamnensis sociæque martyres Martyrologiis inscribuntur, solemni cultu, uti ex edenda Chrysostomi Homilia certum est, fuere honoratæ, ac proin ab his diversæ non sunt Domnina Interamnensis ejusque sociæ, utpote Martyrologiis, ut jam sæpe dictum est, eodem 14 Aprilis die inscriptæ. Respondeo : Fieri potest, ut Sanctæ vel Sancti homonymi diversis locis uno eodemque die colantur, sintque nihilominus distincti. Res constat experientia, nec ullam puto in contrarium rationem solidam posse afferri.*

uti etiam Domnina sociæque 19 Octobris annuntiatæ.

22 *Porro in Hieronymianis aliquot ad 19 Octobris annuntiatur Domna seu Domnina virgo; annuntiatur Prosducus seu Prosdocia; annuntiatur et* natalis SS. Pelagii, Beronici, Pelagiæ et aliorum quadraginta octo martyrum. *Hinc nonnulli putant, iterum hic* Domninam *nostram ejusque sanctas filias*
C Berenicen *et* Prosdocen *vel ratione cujuspiam translationis, vel alia simili de causa celebrari. Verum Domnina, quæ ad dictum 19 Octobris diem Martyrologiis antiquis inscribitur,* virgo *iterum appellatur, nec Antiochiæ in Syria, sed Puteolis locatur. Locatur et Prosducus seu Prosdocia, ac proin tam Prosdocia hæc, quam Domnina seu Domna diversa est a* Prosdoce *nostra ejusque matre* Domnina. *Quod autem jam pertinet ad natalem SS. Beronici et Pelagiæ, qui ad præfatum quoque 19 Octobris diem in antiquis Martyrologiis apud Florentinium occurrit, ponitur ille quidem Antiochiæ in Syria, verum numerus major assignatur martyrum, quam ut* Bernicæ *nostræ conveniat, ac proin ab hac verosimillime distinguitur Beronicus, qui præterea non feminina, sed masculina terminatione omnibus prorsus antiquis apud Florentinium Martyrologiis inscribitur. Atque hæc sunt, quæ circa Sanctarum nostrarum ab aliis sanctis mulieribus distinctionem examinanda habui, pergo nunc ad tempus, quo mortem occubuerint, aliaque, quæ eventum hunc comitata sunt, adjuncta.*

§ III. Tempus, locus, aliaque martyrii seu obitus adjuncta.

D

Sanctæ, sæviente Diocletiani persecutione,

Quamquam *Chrysostomus, qua in ethnicorum imperatorum adversus Christianos persecutione mortem oppetierint Sanctæ, nuspiam edoceat, id tamen in Diocletianæa evenisse, liquet ex eo, quod ex dictis eædem sint cum Matre binisque Filiabus, quas, mota a Diocletiano persecutione, sese, ne castitatis jacturam paterentur, sponte sua in flumine mersisse, lib.* VIII *Historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 8 *refert Eusebius. Verum quo id Christi anno factum? Certo hunc definire, est sane perquam difficile. Attamen pro anno* 305 *aut* 306 *potior stare ratio videtur. Etenim* Domnina *ejusque Filiæ, publicatis jam Antiochiæ severissimis in Christianos edictis, gravissimoque hinc in hos concitato bello, fuga sese ex urbe illa proripuerunt, Edessamque, Mesopotamiæ urbem, quæ nunc, teste Baudrando,* Orfa *dicitur, sunt delapsæ. Porro cum in civitate illa jam versarentur, crudelia in Christianos edicta quoquoversum fuere transmissa, tuncque demum Sanctæ comprehensæ, militibus, a quibus Antiochiam reducebantur, delusis, sese sponte sua in flumine merserunt. Docet hæc omnia Chrysostomus, ex cujus etiam narratione (vide Homiliæ edendæ num.* 12 *et binos seqq.)* videntur E *persecutionis edicta jam aliquamdiu, antequam Sanctæ Edessam fugerint, Antiochiæ fuisse promulgata ac proin ab his, utpote etiam laicos spectantibus, atque adeo (vide, quæ in proxime prægressa de Marco et Marciano Sylloge num.* 3 *docui) ultimo loco emissis, diversa esse edicta, quæ, cum Sanctæ jam Edessæ versarentur, quoquoversum fuere transmissa.*

anno, uti ex Chrysostomo eruitur,

24 *At vero quæ qualiaque hæc fuerunt? Eusebius de Martyribus Palæstinæ cap.* 4 *de Apphiano martyre sic scribit :* Cum Maximinus secundum adversus nostros bellum excitasset anno tertio persecutionis Diocletiani, et per omnes provincias missa essent tyranni edicta, quibus rectores jubebantur operam dare, ut omnes omnium urbium incolæ diis publice sacrificarent, cumque præcones per universam Cæsaream cunctos patresfamilias ad dæmonum templa jussu præsidis evocarent, ac præterea tribuni militum singulos ex tabella nominatim citarent, omnibus ubique locorum Christianis inexplicabili malorum turbine concussis, hic, quem supra nominavimus, nemini communicato consilio, clam nobis, qui in eadem domo degebamus, clam universa militum cohorte, qui circa præsidem stabant, ad Urbanum tunc forte libantem intrepidus acces
sit *etc. Maximinus ergo, qui a Diocletiano, imperium* F *abdicante, anno* 305 *cæsar fuerat creatus, excitatam contra Christianos persecutionem, uti his verbis docet Eusebius, instauravit, huncque in finem per omnes provincias nova edicta emisit. Ea, ut apparet, designat Chrysostomus per edicta, quæ, Sanctis nostris Edessam fuga jam dilapsis, quoquoversum transmissa fuisse, affirmat. Sic existimo, quod hæc, uti ex jam dictis facile colliges, posteriora appareant edictis, in laicas etiam seu sæculares personas a Diocletiano emissis, hisque Maximini edicta, quæ verbis jam mox recitatis memorat Eusebius, proxime successerint. Jam vero hæc Maximini edicta, (vide verba Eusebii) tertio persecutionis Diocletianææ anno, qui partim cum anno Christi* 305, *partim cum anno* 306 *congruit, per omnes provincias missa fuere, ac proin etiam edicta, quæ ait Chrysostomus, quoquoversum tunc fuisse transmissa, cum jam Sanctæ nostræ Edessæ in Mesopotamia versarentur.*

305 vel seq., pudori suo

25 *Porro cum* Domnina *ejusque Filiæ, uti ex iis, quæ Chrysostomus Homiliæ edendæ num.* 17, 18, 19 *et* 20 *tradit, manifestum fit, fuerint tunc, cum postrema hæc edicta, quoquoversum missa fuere, a militibus comprehensæ, segue etiam, dum ab his Antiochiam reducerentur, in fluvio sponte sua merserint, consequens est, ut id vel anno* 305 *vel sequenti* 306 *evenerit. Atque ita jam habemus, quo, ut apparet, tempore* Domnina, Berinna *et* Prosdoce *sibimet ipsis*

A *ipsis mortem consciverint. Lubet nunc de aliis hujus eventus adjunctis dilucidationis causa nonnulla disserere, ac primo quidem ex altera, quam supra laudavi, S. Chrysostomi de quatriduano Lazaro Homilia quæpiam proferre, ex quibus pateat, quam merito Sanctæ pudori suo timuerint, pro quo simul, pretiosoque fidei thesauro servando mortem sibiipsis illas conscivisse, satis superque jam dictum est. Chrysostomus itaque ibidem de præcipuo Sanctarum persecutore ita fatur :* Tyrannus erat is, qui (*Sanctas scilicet*) persequebatur, et cælebs : inaccessæ vero (Bernice *et* Prosdoce) Virgines, quæ concertabant. *Hinc Montfauconus Admonitione in præfatam de quatriduano Lazaro Homiliam seu concionem ita observat :* Singulare quidpiam hic (*verbis nimirum Chrysostomi proxime recitatis*) carptim innuitur, quod in priore de SS. Bernices et Prosdoces Homilia non comparet, nempe tyrannum quempiam cælibem, virginitatem earum, nempe Domninæ Filiarum, tentare voluisse, sed inaccessas fuisse virgines; quod utique, licet sileatur in priore, congruit tamen cum eis, quæ num. 7 (*nobis num.* 25) dicuntur; ubi quærens Chrysostomus, cur Domnina judicium præverterit, et antequam ante judicem sisteretur, cum Filiabus sese in flumen præcipitaverit; respondet, id fecisse, ne quis Filiarum corrumperet virginitatem, quo innuitur, judicem seu
B tyrannum Domninæ Filiabus cupiditatis oculos adjecisse. *Ita Montfauconus, cui sane hic haud illubenter assentior.*

merito timentes, in fluvio Singa,

26 *Cum ergo tyrannus, qui Sanctas persequebatur, turpi in* Berenicen *et* Prosdocen, Domninæ *filias, ferretur libidine, habuit sane hæc, cur Filiarum suarum pudicitiæ timeret. Verum, ecquis fuit tyrannus ille, Sanctarum persecutor? Nihil suppetit, ut id certo determinem; forte tamen fuerit civitatis Antiochenæ præfectus. At vero, utut se res habeat, tyranni illius timore factum reor, ut Sanctæ, ne vel ab ipsomet tyranno vel jussu a militibus pudicitiæ suæ jacturam paterentur, sese præcipitarint in flumen, quod viam, qua transibant, præterfluebat, quodque ubi positum seu quodnam fuerit, nunc inquiro. Ptolemæus lib.* v, *cap.* 15 *in Commagene Syriæ provincia fluvium ponit, qui* Singas *vocatur. Hic, ut ille geographus ibidem docet,* ex Pieria decurrit Septemtrionem versus, et inde in Orientem flexus miscetur Euphrati. Marsyas *etiam vocatur a Plinio, quem proinde ne confundas cum Marsya, qui Oronti inter Larissam et Apameam adfunditur. Adi Cellarium tom. II Geographiæ Antiquæ pag.* 243. *Porro Plinii Marsyam, qui Ptolemæo, antiquiori verosimillime appellatione,* Singas *est, esse puto fluvium,*
C *in quo Sanctæ nostræ sese submerserint. Etenim inter Edessam seu Orfam, et Antiochiam duo tantum, in quibus id facere potuerint, fluvii occurrunt, Singas scilicet jam memoratus, et Euphrates; in Euphrate autem sese Sanctæ non submersere. Rem sic probo : Cum Sanctæ se submerserunt in flumine, medio jam faciendo itinere, (vide Eusebii narrationem num.* 14 *datam) erant progressæ; medio autem itinere Edessa Antiochiam versus nondum erant progressæ, cum Edessa ad Euphratem dumtaxat pervenerant.*

in quem haud procul a civitate Hierapolitana se præcipitarunt, mortem

27 *Adhæc ex verbis S. Chrysostomi mox dicendis liquet, Sanctas in flumen se non præcipitasse, nisi cum jam Hierapolim, Syriæ ad Singam civitatem, hinc Antiochiam reducendæ, pervenissent; est autem Hierapolis Antiochiam inter et Euphratem posita, distatque ab hoc fluvio unius circiter diei itinere, ut Baudrandus in Geographia docet. Sanctæ ergo non in Euphrate, sed in Singa, qui ex dictis* Marsyas *a Plinio vocatur, quique urbem Hierapolitanam undis suis rigat, sese submersere. Verum quo circiter fluvii hujus loco id evenit? Chrysostomus in Homilia edenda num.* 20 *sic scribit :* Genus autem agonis (Domninæ *ejusque Filiarum*) fuit ejusmodi : Venerunt in urbem, Hierapolim nomine, indeque vere ad sacram urbem tali machina subvectæ ascenderunt. Viam illam, qua redibant, fluvius præterfluebat; clam militibus, qui prandium sumebant, et inebriabantur : sunt etiam, qui dicant, conscio et adjutore patre usas esse, ut milites fallerent, quod et credo : fortassis enim hoc ideo fecit, ut exigua saltem excusatione proditionis hujus gratia in die judicii saluti suæ provideret, quod operam commodarit, et adjuverit, atque ad martyrium faciliorem cursum reddiderit. Illo igitur in auxilium ascito, et cum ejus opera milites amovere potuissent, in medium flumen ingressæ sunt, seque ipsas in illa fluenta demiserunt. *Sanctæ ergo, stante hac Chrysostomi narratione, videntur sese in Singam prope Hierapolim conjecisse, idque etiam confirmatur ex eo, quod, cum id fecerunt, medium jam iter, ut Eusebii narratio num.* 14 *huc transcripta declarat, Edessa Antiochiam versus absolvissent, sitque Hierapolis æquali circiter utrimque spatio Edessam inter et Antiochiam sita, uti patet ex Geographica Syriæ Tabula, quam Cellarius tom. cit. suppeditat.*

28 *Collige ex jam dictis, Hierapolim, de qua hic agimus, non esse, ut quibusdam visum est, hodiernum Aleppium, sed civitatem* Bambycen *Plinio dictam, hodieque sub nomine* Membigii *Latinis notam. Aleppium enim ad fluvium Singam positum non est, uti facile deprehendet, qui Geographiam Cellarii antiquam similisve argumenti libros voluerit consulere. Porro, ut cetera expediam, quæ ad Sanctarum mortem spectant adjuncta, ferebatur, ut verbis proxime recitatis ait Chrysostomus,* SS. Bernices *et* Prosdoces *pater opera sua effecisse, ut hæ et milites decipere, seque in fluvium præcipitare potuerint, hancque etiam opinionem S. Chrysostomus amplectitur, dicens, operam suam patrem ea in re Sanctis accommodare voluisse, ut coram Deo utcumque imminueret delictum, quod ethnicis prodendo Filias commiserat. Id autem Tillemontio tom. V Monumentorum, Nota* 4 *in S. Pelagiam creditu admodum videtur difficile, uti etiam Sanctas, sese jam submersuras, quo militibus, quos deceperant, consulerent, calceos suos in ripa fluminis reliquisse. Verum quid tum? Sit utrumque, ut revera etiam est, creditu difficile, an propterea est consequens, ut id nulla ratione credere potuerit S. Chrysostomus, utque Homilia, ex qua hoc Sanctum credidisse, liquet, abjudicari ei debeat? Memoriæ ea prodita acceperat S. Chrysostomus, nolebatque in* SS. Berenices *et* Prosdoces *patrem vehementius invehere, quia scilicet et maritus Martyris, et pater Martyrum erat, uti num.* 20 *declarat. Hinc, ut illum utcumque excusaret, rem eo conducentem, utut creditu difficilem, potuit sibi habere persuasam. Quod vero pertinet ad calceos a Sanctis, quo militibus, sui custodibus, consulerent, in ripa fluminis relictos, potuit ad id credendum facilem se præbere Sanctus, ut hinc raram Sanctarum etiam in inimicos charitatem laudibus efferret.*

oppetiere. Duo adjuncta hunc eventum cemitata.

E

F

AUCTORE C. B.

HOMILIA

S. Joannis Chrysostomi, presbyteri Antiocheni, dein episcopi Constantinopolitani,

DE SS. DOMNINA, BERINNA SEU BERENICE ET PROSDOCE MM.

SS. Martyres ex morte Christi ad mortem intrepidæ; a

Nondum elapsi sunt dies viginti, ex quo memoriam Crucis celebravimus, et ecce Martyrum memoriam celebramus *a*. Vides, ut celer mortis Christi sit fructus? Propter illam ovem jugulatæ sunt hæ juvencæ, propter illum agnum hæ victimæ, propter illud sacrificium hæ oblationes. Nondum viginti elapsi sunt dies, et subito lignum Crucis præclara germina martyrum germinavit; hæc enim sunt illius mortis opera. Vide igitur eorum, quæ tum dicta sunt, operibus ipsis exhibitam hodie demonstrationem. Tum dicebam : Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit *b;* hæc operibus hodie demonstrantur. Nisi enim portas æreas contrivisset, illis clausis, mulieres tam facile ingredi ausæ non essent; nisi ferreum vectem confregisset, non

b

AUCTORE EX S. JOAN. CHRYSOS.

potuissent Virgines ipsum auferre; nisi inutilem carcerem reddidisset, non tanta cum confidentia Martyres essent ingressæ. Benedictus Deus, mulier ad mortem est intrepida; mulier, quæ mortem in naturam nostram invexit, antiquum diaboli telum hoc, diaboli vim prostravit; infirmum vasculum et injuriis obnoxium telum factum est insuperabile; mulieres adversus mortem audaces sunt, quis non obstupescat? Erubescant gentiles, pudefiant Judæi, qui resurrectioni Christi non credunt. Quod enim, quæso, majus argumentum resurrectionis quæris, cum tantam videas rerum factam mutationem?

quam tamen in Veteri Testamento etiam sancti Viri,

2 Mulieres ad mortem sunt intrepidæ, rem, quæ vel sanctis viris antea formidabilis erat et horrenda. Disce igitur, quanto esset olim timori; ut, cum, jam quantum sit despicabilis, videris, Deum laudes mutationis auctorem; disce, quanta vis ejus prius esset, ut, cum, quanta sit nunc infirmitas ejus, didiceris, Christo gratias agas, qui eam prorsus enervarit. Nihil illa robustius olim erat, carissime, nihilque nobis imbecillius; jam vero nihil est illa imbecillius, nihilque nobis robustius. Vides, ut optima sit facta mutatio? Ut robusta infirma reddiderit, et infirma robusta Deus effecerit, quo suam nobis utrimque potentiam declararet? Verumtamen ne hæc affirmare tantum videar, demonstra-
B tionem etiam adjungam. Ac si videtur, primum illud ostendamus, quo pacto illam antea reformidarent non peccatores modo, sed et homines sancti, qui multam apud Deum fiduciam habebant, qui recte factis abundabant, omnemque virtutem attigerant. Hæc autem ostendo, non ut Sanctos condemnemus, sed ut Dei potentiam efferamus. Unde igitur constat, formidabilem antea mortis larvam fuisse, cunctosque illam horruisse atque tremuisse?

ipsemet Abraham, qui, ne occideretur, uxorem suam

3 Ex patriarcha primo. Patriarcha enim Abraham, justus, Dei amicus, qui patriam reliquerat, qui domum, cognatos, amicos et præsentes res omnes ob Dei mandatum contempserat, ita metuebat, ac reformidabat mortem, ut in Ægyptum ingressurus, hæc uxori suæ diceret: « Novi, quod pulchra sis » mulier. Erit igitur, cum viderint te Ægyptii, te » quidem servabunt, me vero interficient. » Quid » igitur? « Dic, Soror illius sum; ut bene sit mihi
c » propter te, et vivet anima mea propter te *c*. » Quid hoc rei est, O Sancte, atque patriarcha? Pro nihilo habes, ut uxori stuprum afferatur, ut torus lædatur, ut conjugium violetur? Itane tandem mortem reformidas? Neque vero tantum pro nihilo habes, sed et cum uxore dolum nectis, ac stupri fabulam cum ea simulas, omnemque das operam, ut rex, dum adulterium aggreditur, latere possit, et, ablato
C conjugis nomine, personam illi sororis adaptasti? Verum timeo, ne, dum mortis imminuere virtutem studemus, justum accusare videamur: quam ob rem utrumque conabor perficere, ut et infirmitatem mortis ostendam, et ab hoc criminationem illam depellam. Sed operæ precium est, prius ut eum timuisse mortem demonstremus, ac deinde a crimine vindicemus. Videamus ergo, quam intolerabilem ac molestam rem passus sit; nam uxorem cernere constupratam et adulterio pollutam intueri, sexcentis mortibus est intolerabilius. Quid dico adulterio pollutam? Si vel tenuis de ipsa suspicionis cogitatio mentem occupet, acerba illi vita omnis et minime vitalis redditur.

facto in speciem malo,

4 Etenim ignis illi quidam et indomita flamma zelotypiæ morbus; cujus tyrannicam et inevitabilem vim declarans quispiam dicebat: « Plenus » enim zelo animus viri ejus non commutabit » ulla redemtione odium, neque parcet in die ju-
d » dicii, neque dissolvetur multis donis *d*: » et alibi
e rursus; « Durus ut infernus est zelus *e*. » Sicut enim non potest infernus, inquit, pecuniis flecti, sic neque is, qui zelotypia laborat, leniri atque placari. Multi utique sæpe vita sua libenter redemissent, ut adulterum invenirent, sanguinem ipsum viri ejus, qui uxorem constuprarat, perlubenter degustassent, et quævis aut agere aut pati ejus rei causa contenti fuissent; sed hunc nihilominus D intolerandum morbum, hunc violentum et implacabilem justus patientissime toleravit, et stuprum uxoris præ nimio mortis et interitus timore contempsit. Mortem illum ergo liquet ex hoc timuisse. Jam vero tempus est, ut eum a crimine et accusatione, quæ hinc exoritur, liberemus; si prius ipsam accusationem expresserimus. Quænam igitur illa tandem est accusatio? Oportebat, dicet aliquis, ut mortem oppeteret potius, quam ut constuprari uxorem pro nihilo haberet; et hoc est quod illi crimini vertunt quidam, quod vitam suam servare maluerit, quam conjugis castitatem.

5 Quid ais? Oportebat ipsum mori potius, quam *in se tamen a* ut constuprari uxorem pro nihilo haberet? Quid *noxa* vero illud profecisset? Nam si quidem morte sua conjugem a stupro fuisset exemturus, recte ista diceretis: sin autem moriens nihil uxori proderat, ut eam a stupro liberaret, qua de causa temere, et inconsulto salutem suam proderet? Nam ut intelligas, ne morte quidem sua potuisse illum eam ab adulterio liberare, audi, quid dicat: Et erit, cum viderint te Ægyptii, te quidem servabunt, me vero interficient. Futurum igitur erat, ut duo scelera patrarentur, adulterium et cædes: erat autem prudentiæ non vulgaris ex duobus istis unum lucrifacere. Nam si quidem, exposita vita sua, rursus E enim idem dicam, liberaturus eam a stupro fuisset, et, occiso justo, Saram illi non attigisset, recte accusares; sin autem, eo morte sublato, pari ratione futurum erat, ut stupraretur uxor, qua de causa justum accusas quod, cum duo eventura mala essent, adulterium ac cædes, alterum sapientia sua impediverit, cædem nimirum? Hujus quippe rei causa laudari etiam eum oportebat, quod adulteri manum puram a sanguine conservarit. Non enim dicere illud potes, eam, quod dixerit, se sororem illius esse, hoc ipso Ægyptium ad stuprum invitasse; licet enim dixisset, uxorem ejus se esse, ne sic quidem erat abscessurus. Et hoc ipse declaravit, cum dixit: Si viderint te, dicent, Uxor ejus est hæc, et interficient me, te autem servabunt.

6 Itaque si dixisset, uxorem ipsius se esse, et *excusando,* adulterium et cædes patrata fuissent; si vero *sororem Ægy-* dixisset sororem, cædes impedita esset. Vides, ut, *ptiis dixit,* imminentibus duobus malis, alterum sapientia sua sustulerit? Visne discere, quo pacto etiam adulterii crimen, quantum in ejus potestate situm est, rursus imminuat, ut ne perfectum quidem adulterum eum esse permittat. Audi verba ipsa rursus attente: Dic, inquit, Soror illius sum. Quid ait? Qui sororem accipit, non jam adulter est; adulter enim ab animi proposito judicatur: Judas quippe, cum ad nurum F suam Thamar ingrederetur, non adulter judicabatur; non enim tamquam ad nurum, sed tamquam ad mulierem meretricem ingrediebatur. Sic etiam hoc loco Ægyptius, qui eam erat accepturus, non ut uxorem Abraham, sed ut sororem, judicandus adulter non erat. Sed quid hoc ad Abraham, dicet aliquis, qui probe noverat, se conjugem suam et non sororem exponere? Atqui ne hoc quidem istius est crimen. Si enim, cum uxorem ejus esse audisset, sibi temperaturus a stupro fuisset, recte justum criminareris; sin autem Saræ nihil commodi uxoris nomen erat allaturum, ut stuprum a se depelleret, prout ipse quoque dixit, Dicent, Uxor ejus est hæc, et servabunt; multo æquius est, ut justum laudemus, qui in tanta rerum difficultate potuerit et Ægyptium purum a sanguine conservare, et quantum in se situm erat, adulterii crimen minuere *f*.

f

7 Restat, ut ad ejus nepotem Jacob orationem *Jacob* traducamus, ut illum quoque necem metuentem ac trementem videas hominem, qui a prima jam ætate philosophiam Apostolicam præ se tulerat. Paulus enim discipulis in hæc verba præcipiebat: « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his con-
» tenti erimus *g*, » hoc et iste postulabat a Deo dicens: « Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum,

» scendum, et vestimentum ad induendum, sufficit
» nobis *h* ». Sed et ipse tamen, qui nihil præter necessaria quærebat, qui domum neglexerat, qui benedictiones acceperat, qui matri paruerat, qui Deo amicus erat, qui per sapientiam naturæ vim attulerat ; posterior quippe natura cum esset, benedictionibus prior evasit ; qui tam multa potuerat, qui tantam philosophiam, tantamque pietatem præ se tulerat, post sexcenta certamina, post sexcentos agones, post sexcentas luctas et plurimas illas coronas, cum in patriam reverteretur, et occursurus fratri esset, quasi belluam conspecturus, ejusque indignationem pertimescens, supplex Deo fit et orat, « Erue me de manu fratris mei Esau, quo-
» niam eum timeo ego, ne forte veniens percutiat
» me, et matrem super filios *i* ». Vides, ut hic quoque mortem pertimescat ? ut tremat, Deumque illius causa precetur ?

et Elias reformidarunt.

8 Visne, ostendam, et alterum virum magnum hoc eodem modo rursus affectum ? Pone tibi ante oculos Heliam, animam ad cælum pertingentem ac divinam ; ille enim, qui cælum clausit, rursusque reseravit, qui desuper ignem dejecit, qui mirabile sacrificium illud obtulit ; qui pro Deo zelo exarsit ; ille, qui in corpore humano angelicam vitam exhibuit, qui præter ovinam pellem nihil habuit, qui
B rebus omnibus humanis superior evasit, adeo mortem metuit ac reformidat, ut post illa cuncte, post cælum et sacrificium, post melotem, desertum, et philosophiam tantamque fiduciam, vilem mulierculam pertimescat, et idcirco fugiat. Nam quia dixerat Jezabel : « Hæc faciant mihi dii, et hæc
» addant, nisi cras animam tuam posuero sicut
» animam unius ex illis, qui mortui sunt ; timuit
» Helias, » inquit, « et fugit itinere dierum qua-
» draginta *k* ». Vides, ut mors sit terribilis ? Dominum ergo laudemus, quod, cum terribilis esset prophetis, contemptu facilem mulieribus reddiderit. Helias mortem fugiebat, mulieres ad mortem confugiebant : ille a morte resiliit, istæ mortem sunt consectatæ.

At vero in Novo Testamento mortem Sanctæ contempserunt,

9 Vides, quanta repente facta sit mutatio ? Abraham et Helias necem reformidant, mulieres autem quasi lutum pedibus suis mortem conculcarunt. Verumtamen ne illos quidem Sanctos accusemus ; non ipsorum est culpa ; naturæ imbecillitas erat, non crimen arbitrii. Formidabilem esse tum temporis Deus mortem volebat, ut gratiæ postea magnitudo innotesceret : formidabilem illam voluit esse, supplicium enim erat, idcirco dissolvi supplicii minas noluit, ne segniores homines postea redderentur. Maneat, inquit, ad eos terrendos
C coercendosque sententia. Erit enim erit tempus, quo et metu isto liberabuntur ; quod utique accidit ; nos quippe liberatos ab eo fuisse hoc metu, declarant cum martyres, tum ante Martyres Paulus. Audisti in Veteri Testamento dicentem Abraham, te quidem servabunt, me vero interficient ? Audisti Jacob dicentem, Erue me de manu Esau fratris mei, quoniam eum timeo ego ? Vidisti Heliam mulieris minas mortis causa fugientem ? Audi, quomodo Paulus erga rem istam sit affectus, an formidabilem illam censeat ut illi : num ea imminente, tristetur, ac metuat.

ac Paulus illam, velut rem optabilem,

10 Imo vero e contrario, rem esse optabilem, arbitratur : propterea dicit, « Dissolvi me, et esse
» cum Christo multo melius *l*. » Illis formidabile, huic melius ; illis injucundum, huic jucundum : ac merito sane : olim enim ad infernum mors deducebat, nunc autem ad Christum mors transmittit : quapropter Jacob quidem ait, « Deducetis senectu-
» tem meam cum tristitia ad inferos *m;* » Paulus vero dicebat, Dissolvi, et cum Christo esse memulto melius. Hæc porro dicebat, non ut hanc vitam damnaret ; absit, caveamus enim, ne hæreticis ansam præbeamus : neque quod eam tamquam malum fugeret, sed quod futuram, ut meliorem, exoptaret. Non enim dixit, Dissolvi et esse cum Christo bonum esse simpliciter, sed melius : melius comparatione boni alicujus dicitur. Quemadmodum enim cum ait, « Qui matrimonio jungit, bene facit ; qui vero
» non jungit, melius facit *n*, » bonum quidem esse matrimonium ostendit, at meliorem virginitatem ; ita nimirum et hoc loco, Bona quidem vita præsens, inquit, multo vero melior est futura. Rursus alibi pari ratione philosophatur, et ait : « Sed et si im-
» molor supra sacrificium, et obsequium fidei ve-
» stræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis : id ipsum autem et vos gaudete et congratulamini *o* .»

AUCTORE EX S. JOAN. CHRYSOS.

n

o

utpote quam melior vita excipiat, est complexus.

11 Quid ais ? Moreris, o Paule, et ad societatem voluptatis homines advocas ? Quid tibi, quæso, accidit ? Non equidem morior, inquit, sed ad meliorem vitam transeo. Ut igitur homines magistratum ineuntes plurimos lætitiæ sibi socios ac participes futuros accersunt, sic et Paulus ad mortem pergens gaudii sui consortes futuros vocabat. Est enim mors requies quædam, laborum finis, sudorumque retributio, ac certaminum præmium et corona. Ideo principio quidem super mortuos planctus quidam et lamentationes fiebant, nunc autem psalmi et cantus hymnorum. Fleverunt igitur Jacob quadraginta diebus, fleverunt et Moysem totidem aliis Judæi et planxerunt, quoniam mors tum temporis mors erat. Jam vero non ita, sed hymni sunt, preces et psalmi, quæ omnia voluptatem in ea re esse, declarant *p* : psalmi enim hilaris animi signum sunt : « Æquo enim est animo quis in vobis ? Psallat *q*.» Quoniam igitur lætitia affluimus, idcirco psalmos
E super mortuos psallimus, qui nos cohortantur, ut mortem non timeamus. « Convertere enim, » inquit, « anima mea, in requiem tuam, quia Domi-
« nus benefecit tibi *r*.» Vides, beneficium esse mortem ac requiem ? Qui enim ingressus est in requiem illam, ab operibus suis requievit, ut a propriis Deus. Ac de morte quidem hactenus, age nunc, deinceps nos ad Martyrum laudes convertamus, nisi forte sitis audiendo defessi : nam et hæc occasione laudis Martyrum dicta sunt ; paulo vero altius operæ precium est, narrationem ordiamur.

p

q

r

Gravi in Christianos mota

12 Bellum adversus Ecclesiam grave quondam excitatum est, bellorum omnium gravissimum *s* : duplex enim erat hoc bellum, unum quidem intus, alterum vero foris exortum ; hoc a domesticis, illud ab hostibus ; unum ab alienis, a familiaribus illatum alterum. Et vero, licet bellum simplex fuisset, intolerabile malum exstitisset ; ac licet exterius tantum ingruisset, ingens calamitatum magnitudo fuisset : nunc autem duplex erat hoc ; et quod a domesticis, multo gravius est, quam quod ab externis : facile namque nobis ab eo cavere possumus, qui se inimicum profiteatur : at eum, qui sibi amici larvam induit, non aliter autem atque inimicus affectus est, haud facile capere insidiis potes. Duplex ergo tum bellum erat, hoc civile,
F illud ab externis irruens, vel potius, si verum dicendum est, civile fuit utrumque bellum. Nam, qui forinsecus invadebant, judices, magistratus et milites, nen alienigenæ quidam erant aut barbari, aut ex alio quodam imperio regnove, sed qui iisdem legibus regebantur, eamdem patriam colebant, ejusdem participes erant reipublicæ.

s

persecutione, sanctæ Filiæ et Mater, cognatis

13 Erat igitur civile, quod a judicibus inferebatur, sed gravius, quod a cognatis, novum ac inopinatum multaque redundans crudelitate. Nam et a fratribus tradebantur fratres, et a patribus liberi, et a maritis uxores ; omnia cognationis jura conculcabantur, ac totus orbis terrarum subvertebatur, nec ullus tum ullum agnoscebat ; diabolus enim majorem in modum dominabatur. In illo itaque tumultu ac bello Mulieres istæ, si quidem mulieres appellandæ sunt ; quippe quæ in muliebri corpore viriles animos exhibuerint ; imo vero non viriles tantum animos, sed naturam ipsam supergressæ sint, et cum virtutibus incorporeis contenderint : istæ ergo Mulieres, relicta urbe, domo ac propinquis, peregre commigrarunt *t*. Cum enim Christus, aiebant, contemnitur, nihil nobis esto pretiosum, neque necessitudine conjunctum : propterea, relictis omnibus, sunt egressæ. Et sicut, cum media nocte domus incenditur, qui intus dormiebant, ubi tumultum

t

AUCTORE EX S. JOAN. CHRYSOS.

tumultum audierint, cito e stratis exsilientes e vestibulo domus evolant, neque secum eorum, quæ intus sunt, quidquam auferunt, id enim unum student, ut e flamma suum corpus eripiant, et ignis cursum magna celeritate grassantem præveniant; sic et istæ nimirum egerunt.

patriaque relictis, peregre commigrant, multaque

14 Cum enim totum orbem terrarum inflammatum vidissent, confestim ex urbis vestibulo exsilierunt, et evolarunt, id unum quærentes, ut animæ suæ salutem sartam tectam conservarent. Tum enim erat incendium infestum, et profundæ tenebræ dominabantur, tenebræ nocturnis istis multo tetriores: quapropter tamquam in tenebris amicos non noverant amici, et uxores viri prodebant; propterea cum inimicos præteribant, tum amicos et domesticos impetebant; nocturnum quoddam erat infestum prælium, et ingenti tumultu cuncta replebantur. Tum igitur istæ, relicta patria, excesserunt, et patriarcham Abraham imitatæ sunt, ad quem dictum est: « Egredere de terra tua, et de » cognatione tua *u* » : nam et has persequutionis tempus ad hoc incitabat, ut de terra deque cognatione exirent, ut ita cælum hæreditate possiderent. Egrediebatur igitur ex ædibus mulier duas secum Filias habens: at tu ne temere prætereas, cum excessisse Mulieres liberaliter educatas audis, nec B ferendis hujusmodi malis assuefactas; sed animo versa, quantum illud malum esset, quantis res illa difficultatibus circumsepta. Si enim homines, qui mediocrem peregrinationem suscipiunt, cum jumenta suppetant, ministri non desint, periculo vacent itinera, cum penes eos potestas sit redeundi, multas experiuntur molestias, multas miserias perpetiuntur; ubi Mulier et Virgines, penuria ministrorum, et amicorum proditio, tumultus et perturbatio, metusque intolerabilis, diversa in illis pericula, de anima discrimen, et undecumque hostes; quæ tandem oratio mulierum certamina, fortitudinem, magnanimitatem, fidem exprimere poterit.

u

inter incommoda, graviaque pericula

15 Nam si egressa sola Mater esset, non ita intolerandum certamen fuisset: jam vero cum et Filias deduceret, et duas virgines, ita duplex timendi occasio, multaque sollicitudinis erat accessio: quanto enim major possessio, tanto difficilior est custodia. Egrediebatur ergo Virgines habens, nec habens, quibus in thalamis eas occultaret: tametsi intelligitis thalamos, gynæcea, januas, vectes, custodes, procubitores, ancillas, nutrices, ac matris assiduitatem, et patris providentiam, multamque parentum curam adhiberi, ut virginitatis flos custodiatur, et vix ita incolumem conservari. at illa omni erat custodia destituta, quo igitur C pacto poterat illas tueri? Divinarum scilicet legum custodia. Non habebat domum, qua obvallaretur, at potentem manum habebat, qua de cælo protegeretur: non habebat januam, neque vectem, sed veram habebat januam, quæ insidias longe arceret; et quemadmodum in mediis Sodomis obsidebatur quidem Lot domus, at nihil mali patiebatur, quippe quæ angelos intus haberet: sic nimirum et Martyres istæ inter Sodomitas cunctosque hostes constitutæ, atque undique circumsessæ, nihil mali patiebantur, quippe quæ Dominum angelorum in animis suis habitantem haberent, et in desertum iter delatæ nihil patiebantur, quia iter habebant, quod ad cælum ipsas deduceret.

fugiunt Edessam :

16 Quapropter in tanto bello, tumultu ac fluctibus deprehensæ, cum securitate incedebant; et, quod sane mirum, per medio lupos oves ducebantur, per medios leones agnæ progrediebantur, nec illas quisquam lascivis oculis intuebatur: sed sicut Sodomitas juxta januam stantes aditum cernere non sinebat Deus, sic et omnium tunc oculos excæcavit, ne virginea corpora proderentur. Pergunt igitur ad urbem, Edessam *x* nomine, urbem permultis agrestiorem quidem, sed pietate insigniorem. Quid enim ex illa urbe æque commodum censuissent, atque ut in tanta procella perfugium nanciscerentur, et in tali tempestate portum haberent? Et excepit civitas peregrinas; peregrinas quidem terræ, cives autem cælorum, exceptumque D depositum custodivit. Nemo autem Mulieres imbecillitatis accuset, quod fugerint; præceptum enim Dominicum implebant, quod ita se habet, « Cum persequentur vos, ex civitate ista fugite in » aliam *y* : » quod et istæ cum audiissent, fugerunt, *y* et una illis interim corona nectebatur: quænam illa tandem? omnium scilicet præsentium rerum contemtus. « Quicumque enim reliquerit fratres, » et sorores, aut patriam, aut domum, aut amicos, » aut cognatos, centuplum accipiet, inquit, et » vitam æternam possidebit *z*. » Et erant ibi Christum habentes contubernalem: si enim, ubi sunt duo vel tres congregati, in eorum est medio; ubi non congregatæ tantum erant, sed et propter nomen ejus exsules, nonne multo potiori jure ipsius auxilium promerebantur?

x

z

17 Cum igitur illic mulieres versarentur, nefaria *ubi dum commorantur, missis quoquoversum aa* confestim edicta quoquoversum transmittebantur, multa tyrannide ac barbarica crudelitate referta *aa* : Propinqui enim propinquos, inquit, prodant, mariti uxores, patres liberos, liberi patres, fratres fratres, amici amicos. Tu vero mihi hoc loco verborum Christi recordare, ejusque prædictionem admirare: siquidem cuncta ista quondam prædixerat. « Tradet enim, » inquit, « frater fratrem, et E » pater filium, et insurgent filii in parentes *bb* : » *bb* tum vero illa propter hæc tria prædicebat: primum quidem, ut ejus virtutem noscamus, eumque verum esse Deum, qui ea, quæ nondum contigerint, multo ante prævideat. Ut enim intelligas. eum propterea res futuras prædixisse, ipsum dicentem audi, « Propterea hæc dixi vobis, prius- » quam fiant, ut, cum facta fuerint, credatis, quia » ego sum *cc:* » deinde vero ne quis adversariorum hæc, eo nesciente vel ob imbecillitatem sinente, fieri dicat: qui enim multo ante prævidit, potuit etiam impedire: non impedivit autem, ut fierent insigniores coronæ. Hac de causa prædixit hæc: sed ob aliam quoque tertiam pronunciavit: quænam tandem illa? ut facilius certamen iis redderet, qui in stadio versantur. *cc*

18 Nam quæ inexspectata sunt mala, quæcumque *sævissimis in Christianos edictis, invalescenteque* illa tandem sint, gravia et intoleranda videntur; quæ vero præstolamur, et ad quæ nos excipienda comparamus, levia faciliaque redduntur. Qui tum itaque talia mandabant adversarii, cum suam crudelitatem declarabant, tum prophetiæ Christi nescientes testimonium dicebant, et fratres tradebantur a fratribus, et a patribus filii, sibique ipsi natura bellum inferebat: in seipsam cognatio scindebatur, omnes leges funditus evertebantur, omnia F tumultu quodam et perturbatione replebantur, et a dæmonibus domus tum cognato sanguine complebantur: nam qui filium tradidit pater, omninò etiam jugulavit; licet enim ensem non impulerit, neque dextera cædem patrarit, tamen animi sententia rem omnem peregit: nam qui percussori hominem necandum tradidit, homicidium ipse commisit. Efficiamus igitur, ut liberos suos occidant, aiebant dæmones; reddamus filios per proditionem parricidas: tales enim olim illis victimæ immolabantur, et patres filios mactabant. Atque hæc Propheta clamabat dicens. « Immolaverunt » filios suos et filias suas dæmoniis *dd* : » et ejus- *dd* modi sanguinem sitiebant.

19 Quando ergo exsecrabilia ista et abominanda *persecutione, a patre cum militibus superveniente comprehenduntur,* sacrificia Christus inhibuerat, renovare rursus illa contendebant: verum impudenter quidem et aperte dicere, Filios vestros mactate, non audebant, nullus enim illis morem gessisset: sed alia ratione edictum concinnant, ac legem comminiscuntur: per judices imperant, ut parentes filios prodant: nihil enim nostra interest, sive mactet quis, sive mactandum filium tradat: nam et hic et ille liberorum est interfector. Videre igitur erat parricidas, liberorum interfectores, fratricidas: tumultus ac perturbationis omnia plena erant; at Mulieres alta tranquillitate fruebantur; siquidem undique illas spes futurorum muniebat, quoniam et peregre cum

A cum degerent, peregre non degebant: veram enim patriam fidem habebant; civitatem propriam habebant confessionem, et cum optima spe alerentur, nullis rebus præsentibus afficiebantur: futura namque solum spectabant. Hoc igitur in statu cum res essent, in illam urbem advenit pater militibus
ee ad capiendam prædam stipatus *ee*: advenit pater et maritus; Filiarum quidem pater, Uxoris autem maritus; siquidem patrem aut maritum eum appellari oportet, qui ejusmodi in rebus ministerium suum impenderet.

Hierapolimque perductæ in flumen se præcipitant,

20 At enim parcamus illi, quantum fieri potest, quandoquidem pater Martyrum, et maritus Martyris fuit; neque dolorem vulneris ejus criminibus nostris augeamus. Tu vero mihi Mulierum prudentiam considera; cum enim fugiendum erat, fugerunt: cum ineunda erant certamina, constiterunt, et amore Christi vinctæ sequebantur: ut enim tentationes accersendæ non sunt, ita cum advenerint, decertandum est, ut inde nostræ lenitatis, hinc nostræ fortitudinis specimen edamus; id, quod et illæ tum fecerunt; et reversæ sunt ac decertarunt. Etenim apertum fuerat stadium, et ad certamina tempus invitabat. Genus autem agonis fuit ejus-
ff modi: venerunt in urbem, Hierapolim *ff* nomine,
gg indeque vere ad sacram urbem *gg* tali machina
B subvectæ ascenderunt. Viam illam, qua redibant, fluvius præterfluebat: clam militibus, qui prandium sumebant et inebriabantur: sunt etiam, qui
hh dicant, conscio et adjutore patre illas usas esse *hh*, ut milites fallerent, quod et credo: fortassis enim hoc ideo fecit, ut exigua saltem excusatione proditionis hujus gratia in die judicii saluti suæ provideret, quod operam commodarit, et adjuverit, atque ad martyrium faciliorem cursum reddiderit. Illo igitur in auxilium ascito, et cum ejus opera
ii milites amovere potuissent, in medium flumen *ii*
kk ingressæ sunt, seque ipsas in illa fluenta demiserunt *kk*.

Itaque mortem oppetunt. Hanc baptisma hic vocat Chrysostomus,

21 Ingressa est cum geminis Filiabus Mater, utrimque Filias secum habens; quæ virum habebat in medio innuptarum, eratque in medio virginitatis matrimonium, et ipsarum in medio Christus. Sicut igitur radix arboris binis stolonibus utrinque stantibus vallata, sic utrinque Beata illa Virginibus stipata intrabat, et in aquas illas mittebat, itaque sunt suffocatæ, vel novo potius et inusitato baptismate baptizatæ. Ac si nosse velis, clarum illud fuisse baptisma, quod gestum est, audi, quomodo mortem suam baptisma Christus appellet: filios enim alloquens Zebedæi, « Calicem quidem meum
C » bibetis, » inquit, « et baptismo, quo ego baptizor,
ll » baptizabimini *ll*. » Quo vero baptismate baptizatus est Christus post Joannis baptismum, nisi morte a Cruce. Ut igitur Jacobus non cruci affixus, sed capite truncatus ense, baptismo baptizatus est Christi, sic et istæ, licet crucifixæ non fuerint, sed ab aquis necatæ, Christi sunt baptismate baptizatæ. Porro illas Mater baptizavit. Quid ais? Mulier baptizat? Sane quidem baptismatibus ejusmodi mulieres etiam baptizant, quemadmodum et illa utique et baptizavit et sacerdos est facta: siquidem victimas ratione præditas obtulit, et animi propositum illi ordinationis locum supplevit, quodque mirum est, non indiguit altari, cum sacrificaret, nec lignis, nec igne, nec gladio; fluvius enim illi omnium loco fuit, et altaris, et lignorum, et gladii et ignis, eademque res sacrificium exstitit, et baptismus evidentior hoc baptismo.

Matremque, quæ plurimum passa sit,

22 Nam de hoc quidem ait Paulus: « Complan-
mm » tati facti sumus similitudini mortis ejus *mm*: » de baptismo vero martyrum non jam similitudini ejus ait, sed configurari nos morti ejus. Inducebat itaque Filias Mater non quasi in fluvium inductura, sed quasi in thalamos illas deduceret: inducebat utraque ex parte tenens dicensque, Ecce ego et Puellæ meæ, quas dedit mihi Deus: tu eas mihi dedisti, tibi ego illas commendo, res meas et me ipsam. Itaque duplex fuit Mulieris martyrium, imo vero triplex: nam per seipsam semel, per Filias suas bis martyrium passa est; et quemadmodum cum seipsam immittere debuit, multa illi fuit opus tolerantia, sic et ubi secum Puellas traxit, altera tanta indiguit tolerantia, imo vero multo majori. Non enim adeo mulieres solent dolere, cum ipsæ morituræ fuerint, ut cum illarum filiæ passæ hoc fuerint. Itaque graviori per Filias hæc martyrio cruciata est, cum ad reprimendam naturæ vim se accinxit, cum materni amoris flammæ restitit, et intolerabili viscerum conturbationi atque uteri commotioni. Si enim filiam unam quæpiam cernens morientem, acerbam existimat vitam suam, hæc duas Filias confertim non intuens morientes, sed ad mortem propria manu trahens, cogita, quæ martyria exhiberet ea, quæ id, quod etiam auditu cæteris est intolerabile, reipsa perferret. Ac milites quidem penitus inscii tamquam rursus eas recepturi exspectabant, illæ vero cum Christi militibus, cælestibus angelis, jam tum erant; quod custodes non videbant, quippe qui fidei oculos non haberent.

AUCTORE EX S. JOAN. CHRYSOS.

quæque laudabili e timore facinus imperarit,

23 Enim vero de matre inquit Paulus, « Salva-
nn » bitur per filiorum generationem *nn*: » Hic autem Filiæ per Matrem salvæ sunt factæ. Sic nimirum parere matres oportet; hic enim partus illo priori melior est, in quo dolores quidem acerbiores sunt, at majus lucrum percipitur. De illis partus doloribus, quotquot matres fuerunt, noverunt, quos dolores illud inurat, cum filias videris mortem obeuntes; ut autem ipsa manu tua cædem perpetres, quam grave sit, verbis exprimi non potest. At enim qua de causa in judicium non venit mulier? Voluit ante pugnam tropæum erigere, ante certamina coronam abripere, ante luctas præmia reportare, non quod tormenta reformidaret, sed ne illæ oculis lascivorum paterent; nno metuebat, ne quis latera ipsi effoderet, sed ne quis filiarum corrumperet virginitatem, timebat. Atque hoc eam, non illo fuisse timore correptam, et idcirco in judicium non venisse, inde manifestum est. Multo graviores in flumine cruciatus toleravit: multo enim gravius est et acerbius, ut ante dixi, propria viscera, filias, inquam, manu sua demergere, ac suffocari cernere, quam lacerari carnem videre, multoque illi minori* opus erat Philosophia, quam ad tormenta toleranda, ut puellarum tenere dexteras, ut ad fluminis fluenta pertrahere secum posset. Neque enim par ad dolorem inurendum momentum affert ab aliis cernere divexatas, et ipsam morti inservire, ipsam fieri necis administram, ipsam Filiabus carnificis vices obire; sed hoc multo illo gravius est et intolerabilius.

E

* *Græce* majori

una cum Filiabus laudat,

24 Huic orationi meæ testimonium dicetis omnes, quotquot matres fuistis, quæ partus dolores expertæ estis, ac filias suscepistis. Quomodo puellarum dexteram arripuit? qui fieri potuit, ut manus non obtorpesceret? quomodo non resoluti sunt nervi? quomodo mens de statu dejecta non est? qui potuit ratio iis, quæ gerebantur, inservire? Sexcentis enim tormentis facinus illud acerbius fuit, cum corporis loco ejus anima discruciaretur. Verum quo usque tandem ea persequi contendemus, quæ nemo assequi potest? Nulla quippe passionis magnitudinem oratio posset exprimere, sed ea sola, quæ experta est, ac decertavit, Mulier novit, cujusmodi sint ista certamina. Audiant ista matres, audiant virgines, matres quidem, ut filias suas sic instituant; virgines autem, ut ita matribus obsequantur. Non enim tantum laudare convenit Matrem, quæ talia jusserit, sed et Filias commendare, quæ in ejusmodi rebus paruerint; nam neque mater vinculis eguit ad hostias victimasque, neque juvencæ resilierunt, sed æquali mentis alacritate, et animo eodem martyrii jugum trahentes, sic fluvium sunt ingressæ, calceamentis extra fluminis ripam derelictis; quod ideo fecerunt, ut custodibus ipsis consulerent: Tanta erat Sanctarum illarum providentia *oo*. Studebant scilicet illis defensionis in judicio ansam relinquere; ne crudelis ille ac sævus judex eos proditionis accusaret, aut quod pecunia

F

oo

AUCTORE EX S. JOAN. CHRYSOS.

pecunia corrupti mulieres dimisissent : idcirco calceamenta reliquerunt, quæ militum conscientiæ testificarentur, quod non, illis consciis, sed ignorantibus, in flumen sponte prosiliissent.

atque ad illas colendas implorandasque populum hortatur.

25 Fortasse non mediocri erga Sanctas illas amore exarsistis : cum hoc igitur ardore coram ipsarum reliquiis procidamus, ipsarum capsulas complectamur; multam enim possunt virtutem capsulæ Martyrum obtinere, quemadmodum et ossa martyrum vim magnam habent. Neque die tantum hujus festivitatis, sed aliis etiam diebus iis assideamus, eas obsecremus, obtestemur, ut patronæ sint nostræ *pp*. Multam enim fiduciam obtinent non viventes modo, sed et mortuæ; multoque magis cum sunt mortuæ. Jam enim stigmata ferunt Christi; cum autem stigmata hæc ostenderint, omnia Regi possunt persuadere. Quando igitur tanta illæ virtute pollent, tantaque apud eum amicitia, cum continua velut obsessione ac perpetua illarum visitatione in familiaritatem nos illarum insinuaverimus, ipsarum opera Dei misericordiam impetremus; quam nobis omnibus assequi contingat gratia Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

pp

B

ANNOTATA.

a *Theodoricus Ruinartius in Actis Sinceris et Selectis Martyrum dies viginti, quos ab acta S. Crucis memoria nondum elapsos, hic ait Chrysostomus, computandos esse, observat,* A die . . . 14 Septembris, quo jam eo tempore celebrabatur festivitas S. Crucis, usque ad diem 4 Octobris, quo die istæ Martyres (Domnina *scilicet* Bernice *et* Prosdoce) passæ sunt. *Ita his ipsis verbis Ruinartius. Verum ego huic scriptori hic assentiri haud queo. Quamquam enim ex iis, quæ Benedictus XIV ex Baronio, Sollerio nostro aliisque scriptoribus de D. N. Jesu Christi Matrisque ejus Festis num.* 600 *et binis seqq. docet, Exaltationis S. Crucis solemnitas in Orientali Ecclesia, contra ac Tillemontius et Montfauconus censent, jam S. Chrysostomi tempore fuisse videatur celebrata; eam tamen, ut Græci in Menæis et Menologio Sirletiano, Ruinartius supra, et Benedictus XIV loco citato arbitrantur, S. Chrysostomus hic non intelligit per Crucis memoriam, a qua celebrata nondum viginti dies, cum Sanctarum celebraretur memoria, elapsos ait. Res liquet ex iis, quæ Commentarii prævii num.* 11 *adduxi in medium. Hinc porro jam consequitur, ut ex Sanctarum memoria, viginti circiter diebus post S. Crucis memoriam Chrysostomi tempore Antiochiæ celebrata, concludi minime possit, illas vel quarto Octobris die, quo memoratis Græcorum Fastis inscribuntur, mortem oppetiisse, vel tunc Antiochiæ cultas fuisse. Imo vero, cum ex dictis in Commentario Chrysostomus per Crucis Memoriam, quam hic memorat, Feriam sextam Parasceves seu diem Veneris sanctum intelligat, consequens est, Sanctas Antiochiæ haud procul a Paschate cultas fuisse, Nec propterea tamen existimes, illas a Domnina sociisque virginibus, quæ ad* 14 *Aprilis Hieronymianis, Romano hodierno, aliisque Martyrologiis inscribuntur, certo non esse diversas. Adi Commentarium prævium num.* 19 *et binis seqq.*

C

b *Chrysostomus hic indubie designat Homiliam, quam Feria sexta Parasceves seu die Veneris sancto de Cœmetorio et de Cruce pronuntiarat; in hac enim istis, quæ Psalmo* 106, ℣ 16 *habentur, verbis,* Contrivit portas æreas *etc., exponendis multum immoratur.*

c *Gen.* 12 ℣ 11 *et binis seqq.*

d *Proverb.* 6, ℣ 34.

e *Cant.* 8, ℣ 6.

f *Ita hic a crimine Abrahamum Chrysostomus vindicat; id autem paulo aliter præstat Augustinus. Ad similem enim criminationem a Fausto adversus Abrahamum intortam lib.* XXII *contra Faustum, cap.* 33 *ita respondet:* Abraham..... uxoris non vendidit adulterium; sed.... *sanctus Patriarcha* D conjugem castam et casto corde sibi cohærentem, de cujus animo, ubi pudicitiæ virtus habitabat, nullo modo dubitabat, tacuit uxorem, dixit sororem, ne, se occiso, ab alienigenis atque impiis captiva possideretur, certus de Deo suo, quod nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret. Nec eum fides ac spes fefellit : namque Pharao territus monstris, multisque propter eam malis afflictus, ubi ejus esse uxorem, divinitus didicit, illæsam cum honore restituit. *Ex mente itaque Augustini Abraham, cum et vitam suam et uxoris pudicitiam in discrimen venire cerneret, Ægyptiis* sororem *dicendo Saram conjugem, idcirco adulterio hanc non exposuit, quod sic et vitæ suæ, quod fas erat, consuluerit, illiusque pudicitiam Deo, in quem firmiter sperabat, crediderit. Ut porro occurrat objectioni, qua quis petat, quid ni Abraham, Saram fatendo uxorem, Deo simul et hujus pudicitiam, vitamque suam crediderit, cap.* 36 *ita respondet :* Si interrogatus Abraham, Saram suam esse indicaret uxorem, duas res tuendas committeret Deo, et suam vitam et conjugis pudicitiam : pertinet autem ad sanam doctrinam, quando habet, quid faciat homo, non tentare Dominum Deum suum. Neque enim et ipse Salvator non poterat tueri discipulos suos, quibus tamen ait, Si vos persecuti fuerint in una civitate, E fugite in aliam..... Proinde cum inter ignotos propter excellentissimam pulchritudinem Saræ, et ejus pudicitia et mariti vita esset in dubio, nec utrumque tueri posset Abraham; verumtamen unum horum posset, id est, vitam; ne Deum suum tentaret, fecit, quod potuit : quod autem non potuit, illi commisit. Qui ergo se hominem occultare non valuit, maritum se occultavit, ne occideretur; uxorem Deo credidit, ne pollueretur.

g *Epist.* 1 *ad Timoth., cap.* 6 ℣ 8.

h *Gen.* 28, ℣ 20.

i *Gen.* 32, ℣ 11.

k *Lib.* III *Reg. cap.* 19, ℣ 2,

l *Epist. ad Philipp. cap.* 1, ℣ 23.

m *Gen.* 42, ℣ 38.

n *Epist.* 1 *ad Corinth. cap.* 7 ℣ 38.

o *Ad Philip. cap.* 2, ℣ 17.

p *Hinc liquet, jam a S. Chrysostomi tempore Psalmos hymnosque in funeribus Christianorum cani solitos fuisse.*

q *Epist. S. Jacobi cap.* 5 ℣ 13.

r *Psalmo* 114, ℣ 7.

s *Cum a Matre binisque hujus Filiabus, quæ se, ne pudicitiæ jacturam paterentur, sæviente Diocletiani persecutione, in fluvio mersisse, ab Eusebio lib.* VIII *Historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 12 *narrantur, diversæ non sint Sanctæ nostræ, Chrysostomus haud* F *dubie hic per bellum grave, adversus Ecclesiam quondam excitatum, persecutionem Diocletianæam intelligit. Adi Commentarium num.* 23.

t *Ultimæ huic Latinæ Periodo respondet hæc Chrysostomi Græca :* Ἄνται τοίνυν αἱ γυναῖκες ἀφεῖσαι πόλιν καὶ οἰκίαν καὶ συγγενεῖς, πρὸς τὴν ἀλλοτρίαν μετετάξαντο· *est autem in Sanctarum elogium, Commentarii prævii num.* 1 *huc transcriptum, ad verbum fere illata. Hinc porro et ex aliis nonnullis Græcis Chrysostomi periodis, in præfatum Menæorum elogium, uti infra etiam hic notabo, pariter ad verbum fere illatis, manifestum fit, illud ex hac S. Chrysostomi Homilia, uti in Commentario asserui, esse depromptum; neque enim Menæa satis antiqua sunt, ut ex his Sanctarum historiam discere, partimque describere potuerit Chrysostomus.*

u *Gen.* 12, ℣ 1.

x *Urbs est in Mesopotamia seu hodierna Diarbechia sub Turcorum dominio; ea nunc a plerisque* Orfa *seu* Orpha *vocatur, uti jam ex Baudrando in Commentario monui.*

y *Matth.* 10, ℣ 23.

z *Matth.* 19, ℣ 29.

aa *Quid ex hoc Homiliæ loco concludendum appareat, Commentarii num.* 23 *et binis seqq. exposui.*

bb *Matth.*

A bb *Matth.* 10, ℣ 21.
cc *Joannis* 14, ℣ 29.
dd *Psalmo* 105, ℣ 37.
ee *Periodus Græca postremæ huic Latine respondens sic habet :* τῶν δὴ πραγμάτων ἐν τούτοις ὄντων, ἐφίσταται ὁ πατὴρ ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει στρατιώτας ἔχων πρὸς τὴν σύλληψιν τῆς Ξήρας· *Est autem etiam ad verbum fere illata in Sanctarum elogium, e Menæis supra huc transcriptum, uti inspicienti patescet.*
ff *Pro civitatis hujus notitia adi Commentarium num.* 27.
gg *Ita hic cælum vocatur per allusionem ad civitatis, e qua aut prope quam (vide Comment. num.* 27) *Sanctæ ad cælestem patriam migrarunt,* Hierapolis *Græcum vocabulum, quod e vocibus* ἱερὸς, *sacer, et* πόλις, *urbs, componitur.*
hh *Id creditu difficile, nec immerito, visum est Tillemontio : Qui tamen a Chrysostomo credi potuerit, Commentarii num.* 28 *edixi.*
ii *Quis verosimiliter sit fluvius, in quo Sanctæ se submerserint, et quo circiter loco id fecerint, Commentarii prævii num.* 26 *et* 27 *docui.*
kk *Verbis Latinis, quæ ab hisce vocibus,* Subvectæ ascenderunt, *huc usque sequuntur, multa iterum respondent Græca Chrysostomi verba, quæ in Græcum, quod Menæa suppeditant, Sanctarum elogium*
B *sunt illata. Res ex hujus cum illis collatione patescet. Verba Chrysostomi Græca describo. Sic habent:* Ποταμὸς παρέῤῥει τὴν ὁδὸν ἐκείνην, καθ' ἣν ἐπανῆεσαν, καὶ λαβοῦσαι τοὺς στρατιώτας ἀριστοποιουμένους καὶ μεθύοντας. . . . . εἰσῆλθον εἰς τὸν ποταμὸν μέσον, καὶ ἀφῆκαν ἑαυτὰς κατὰ τῶν ῥευμάτων ἐκείνων. AUCTORE EX S. JOAN. CHRYSOS.
ll *Matth.* 19, ℣ 39.
mm *Epist. ad Rom. cap.* 5, ℣ 6.
nn *Epist.* 1 *ad Timoth. cap.* 2, ℣ 23.
oo *Quod hic de calceamentis a* Domnina *ejusque Filiabus, quo militibus consulerent, in ripa fluminis relictis profertur, Tillemontio iterum Nota* 4 *in S. Pelagiam, incredibile apparet, et sane non immerito; verum vide Comment. prævv. num.* 28. *Quod si porro quædam alia in hac Homilia, ad dogma etiam spectantia, forte occurrant, quæ, spectatis exactæ veritatis legibus, ipsa etiam S. Chrysostomi auctoritate vix admittenda appareant, quæque forsan etiam Nota* 2 *in S. Pelagiam Tillemontius designat, hæc ex stylo oratorio, quo Sanctus scripsit, excusationem apud æquos rerum judices invenient. Adde hæc iis, quæ Commentarii num.* 10 *dicta sunt.*
pp *Liquet hinc, Christianos S. Chrysostomi tempore venerationem cultumque Sanctis impendisse, atque etiam eorum patrocinia implorasse, quod nonnullorum hæreticorum, Sanctos colendos implorandosque negantium, opinioni penitus adversatur. Porro cum hæc Homilia tota sit in laudem Sanctarum concinnata, argumento ejus æque accommodatum videtur, ut adhortatione ad Sanctarum cultum, quam ut documento morali terminetur. Ex eo ergo,* E *quod documento morali non terminetur, dubitare non debuit Tillemontius, an Chrysostomum vere habeat auctorem. Hoc addo iis, quæ Commentarii num.* 10, *huc etiam facientia, in medium adduxi*

DE S. ADAUCTO MARTYRE
IN MESOPOTAMIA,
EJUSQUE FILIA CALLISTHENE VIRGINE
EPHESI.
SYLLOGE.

C. B.

ANTE ET POST ANN. CCCXIII. *Sancti in variis sacris Græcorum Fastis annuntiantur.*

Qui heri absque adjuncta sancta filia solis Menæis Græcorum excusis, et Menologio Sirletiano, hodie cum filia Callisthene *iisdem Menæis, pluribusque aliis sacris Græcorum Fastis inscribitur* S. Adauctus. *Fuit hinc a nobis is sanctus Athleta, non tam profana, quam secutus est, militia, quam*
C *fuso pro Christo sanguine illustris, ab hesterna ad hodiernam diem remissus, qua proinde de illo deque ejusdem sancta filia* Callisthene, *spectato, quo ad cælestem patriam migrarunt, tempore, agendum nunc est. A reliquis, quibus etiam ad hunc diem* Adauctus *una cum filia* Callisthene *inscribitur, sacris Græcorum Fastis incipio, infra etiam, an et qui sacri Latinorum Fasti Sanctos celebrent dicturus. Itaque Magnis Menæis excusis, in quibus hodie ex dictis* Adauctus *ejusque filia* Callisthene *celebrantur, accedunt Mss. Bibliothecæ Ambrosianæ Menæa, Ms. Sirmondianum et Mazarinianum Synaxarium, itemque Basilianum Menologium, studio et opera Eminentissimi Cardinalis Annibalis Albani typis excusum. At vero, quod mirum forte videatur, Menologium Sirletianum, quod heri ex dictis* S. Adauctum *celebrat, hodie non tantum non hunc sanctum Martyrem, sed nec ejus filiam* Callisthenen *commemorat. Adhæc, quamvis in omnibus jam memoratis Fastis sacris Sancti ornentur elogiis, sola tamen, quibus hoc in Menæis excusis et Menologio Basiliano fit, habeo in promptu.*

Versiculi, quibus ornantur in Menæis,

2 *Quidquid adeo ad Sanctos pertinet, e solis fere duobus his posterioribus Fastis sacris, deficientibus cujuscumque etiam alterius generis monumentis, explanabo. Quod ut præstem, a Menæis, et quidem a versiculis, quibus illa insuper Sanctos exornant, duco initium. Quatuor sunt numero, quorum duo solum* Adauctum, *duo solam spectant* Callisthenen. *Priores ad diem præcedentem, quo Menæis excusis, ut jam monui, solus* Adauctus *absque Filia insertus est, ita habent :*

Ξίφει θανὼν, Ἄδαυκτε, μάρτυς Κυριοῦ,
Σὺν μάρτυσι ζῇς, καὶ Θεὸν ζῶντα βλέπεις.
Gladio moriens, Adaucte, martyr Domini,
Cum Martyribus vivis, et Deum vivum cernis.

Posteriores autem ad hunc diem, quo ex dictis Adauctus *una cum filia* Callisthene *Menæis aliisque Fastis Græcorum sacris inscriptus est, his concipiuntur verbis :* F

Θεοῦ θεωρεῖ κάλλος ἡ Καλλισθένη,
Οὗπερ τὸ Ξεῖον εἶχεν εἰς σκέπην σΞένος.
Dei contemplatur pulchritudinem Callisthene,
Cujus divinam in tegumentum habuit potentiam.

Tales sunt, quos de Sanctis nostris Menæa excusa exhibent, versiculi. Ac illi quidem, qui de S. Adaucto *sunt, in verbis;* θνήσκω, morior, *et* ζάω, vivo, *pugnantis significationis ludunt, nullumque sibi habent subjectum elogium; hi vero, qui ad solam* S. Callisthenen *pertinent, ad Sanctæ nomen,* Callisthene, *ex vocabulis Græcis* κάλλος, pulchritudo, *et* σΞένος, potentia, *compositum, alludunt, habentque sat prolixum de ambobus Sanctis elogium sibi subjectum.*

3 *Hoc integrum, addita etiam, uti ad versiculos jam feci, interpretatione Latina, huc transcribo. Sic se habet :* Οὗτος ὑπῆρχεν ἐξ Ἐφεσίων τῆς Ἀσίας. Ὃς καὶ δούξ δουκῶν γεγονὼς καὶ ἔπαρχος Μαξιμίνου ἐν πλούτῳ καὶ συνέσει πολῶν * διαφέρων. Διὰ δὲ τὸ μὴ θελῆσαι αὐτὸν ἐκδοῦναι πρὸς γάμον τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα τῷ βασιλεῖ, ὡς ἀλλοτρίῳ τῆς πίζεως, τὴν οὐσίαν δημεύεται, καὶ εἰς Μελιτινὴν ἐξορισθεὶς, τὴν κεφαλὴν ἀφαιρεῖται. Ἡ δὲ ΚαλλισΞένη τὴν κεφαλὴν κειραμένη καὶ ἀνδρικὸν σχῆμα περιβαλλομένη, ἐν Νικομεδείᾳ ἐκρύπτετο. Μετὰ δὲ χρόνους ὀκτὼ πρός τινα γυναῖκα ἦλθεν *uti etiam Elogium, Græce simul* * πολλῶν

AUCTORE C. B.

ἦλθεν ἐπὶ τὴν Θράκην, ἧς ἡ θυγάτηρ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐλελώβητο· ἣν καὶ ἰασαμένη, χάριν τῆς ἰάσεως πρὸς κοινωνίαν γάμου οἱ τεκόντες ἁρμόσαι ταύτην, ἀνδρὶ πάντος * εἶναι οἰόμενοι, τῇ ἰδίᾳ ἐβουλήθησαν θυγατρί. Ἡ δὲ ἀναγκασθεῖσα, λέγει τὰ κατ' αὐτὴν, καὶ ἐκπλαγέντες, ὥσπερ εἰκὸς, ἐδόξασαν τὸν Θεόν. Τοῦ οὖν Μαξιμίνου ἀναιρεθέντος, κρατεῖ τῆς βασιλείας Λικίνιος· τούτου τῇ γυναικὶ πιστῇ οὔσῃ, ἀδελφῇ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, ἐμφανίζεται ἡ Καλλισθένη καὶ ἐκτίθεται πάντα τὰ συμβάντα αὐτῇ. Ἡ δὲ προσλαμβάνει ταύτην, καὶ ὡς μητέρα καθιᾷ τοῦ ἑαυτῆς υἱοῦ· καὶ οὕτως ἡ μακαρία Καλλισθένη πᾶσαν τὴν πατρικὴν οὐσίαν, ἣν ἀφείλετο ὁ Μαξιμιανὸς *, ἀπολαμβάνει. Καὶ τὸ ἅγιον λείψανον τοῦ πατρὸς αὐτῆς ἀπὸ Μεσοποταμίας εἰς Ἀσίαν κομίζει, καὶ μαρτύριον ἐν ὀνόματι αὐτοῦ θεμαμένη καθιεροῖ, καὶ τὸ λειπόμενον τοῦ ἑαυτῆς βίου ἀποστολικῶς διανύσασα πρὸς Κυρὸν ἐξεδήμησεν.

* πάντως

* Μαξιμινὸς

4 Hactenus Græcum Sanctorum elogium; accipe nunc et interpretationem ejus Latinam : Hic (Adauctus *scilicet*) fuit ex Ephesiorum Asiæ civitate. Qui, cum opibus et prudentia multis præcelleret, et dux ducum factus est, et Maximini præfectus. Quod autem Filiam suam imperatori, utpote a fide alieno, in uxorem nollet tradere, bonorum publicatione multatur, Melitinenque relegatus, capite truncatur.

et Latine

B At vero Callisthene, detonsa coma sumptoque virili habitu, Nicomediæ latuit. Post annos autem octo venit in Thraciam ad quamdam mulierem, cujus filia laborabat ex oculis; quam cum persanasset, sanationis causa voluerunt illam filiæ suæ per nuptias jungere parentes, rati omnino virum, non feminam esse. Hæc autem compulsa, quæ ad se pertinerent, exposuit, illique admiratione, ut par erat, defixi, Deum laudarunt. Maximino porro e vivis sublato, Licinius imperii habenas nactus est. Hujus uxorem, quæ Christiana erat, Magnique Constantini soror, accedit Callisthene, eique, quæ, sibi evenerant, exponit. Illa vero hanc ad se recipit, filiique sui velut matrem constituit; atque ita beata Callisthene omnia bona paterna, quæ Maximianus* eripuerat, recuperat. Adhæc sacras Patris sui reliquias e Mesopotamia in Asiam reportat, exstructumque nomini ejus locum sacrum consecrat, et cum reliquam vitam ad normam, ab Apostolis traditam, exegisset, emigravit ad Dominum.

* Maximinus

una cum elogio, quod Basilianum suppeditat,

5 Venio nunc ad id, quod Basilianum suppeditat, Sanctorum elogium. Hoc ab elogio e Menæis excusis jam huc transcripto, non parum dissonat. Res vel ex sola utriusque collatione patescet, quam ut quisque nullo queat facere negotio, illud etiam integrum, antequam, quæ ad Sanctos spectant, enucleatius

C *discutiam, huc transcribo, uno cum nova, quam ei ipsemet aptavi, interpretatione Latina, quod, quæ jam in excuso Basiliano exstat, ad amussim ubique textui Græco haud congruat.* Ἀδαυκτος ὁ μάρτυς ὑπῆρχε μὲν ἀπὸ τῆς πόλεως Ἐφέσου. Ἐπεῖχε δὲ τὴν τοῦ δουκὸς ἀξίαν ἐπὶ Μαξιμινοῦ τοῦ βασιλέως, ἔχων καὶ θυγατέρα παρθένον καὶ εὐμορφοτάτην, Καλλισθένην ὀνόματι. Ἀκούσας δὲ ὁ Μαξιμῖνος περὶ αὐτῆς, ἀπέστειλεν ἐλθεῖν αὐτὴν πρὸς αὐτὸν. Ὁ δὲ πατὴρ αὐτῆς ἔκρυψεν αὐτὴν, φυγαδεύσας εἰς τὰ μέρη τῆς Ἀνατολῆς. Ματὼν δὲ τοῦτο ὁ Μαξιμῖνος, καὶ ὀργισθείς, ἐκράτησε τὸν Ἀδαυκτον προφάσει τοῦ χριστιανισμοῦ· καὶ δημεύσας ἐῴκρισεν εἰς Μεσοποταμίαν, γράψας τῷ τῆς Μεσοποταμίας ἄρχοντι, ἀναγκάσαι μὲν αὐτὸν θῦσαι τοῖς εἰδώλοις· μὴ πειθόμενον δὲ φονεῦσαι. Ὁ δὲ ἄρχων μὴ πείσας αὐτὸν, ἀπεκεφάλισεν. Εἶτα ἐτάφη παρὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, καὶ τῆς θυγατρός. Τῆς δὲ βασιλείας κρατήσαντος Λικιννίου, προσῆλθεν ἡ Καλλισθένη τῇ βασιλίσσῃ, καὶ διηγήσατο πάντα. Καὶ τῇ τῆς βασιλίδος προσάξει μετεκόμισε τοῦ πατρὸς αὐτῆς τὸ λείψανον εἰς Ἔφεσον. Εἶτα καὶ αὐτὴ καλῶς βιώσας * ἐτελειώθη.

* βιώσασα

huc transcriptum.

6 Adauctus martyr e civitate quidem Epheso oriundus fuit; sub Maximino autem imperatore ducis dignitatem obtinuit, habens et filiam, virgines venustissimam, nomine Callisthenen. At vero, cum de ea inaudivisset Maximinus, mandavit, ut ad se veniret. Ejus autem Pater in Orientis partes amandatam occuluit. Hoc porro edoctus D Maximinus atque iratus, Christianæ fidei obtentu Adauctum apprehendit, bonorumque publicatione multatum in Mesopotamiam relegavit, scribens Mesopotamiæ præfecto, ut illum quidem ad sacrificandum idolis compelleret; non obtemperantem autem occideret. Illum ergo præfectus, cum sibi obsequentem non reddidisset, capite truncavit. Sepultus deinde est ab uxore sua, et Filia. Verum cum imperium adeptus esset Licinius, augustam adivit Callisthene, omniaque exposuit. Adhæc Augustæ jussu Patris sui reliquias Ephesum transtulit, posteaque, vita probe traducta, extremum diem clausit. *Ita se habet, quod Basilianum suppeditat, Sanctorum nostrorum elogium. Sunt porro tam ad hoc, quam ad aliud, quod e Menæis supra huc etiam transcriptum est, illustrandum nonnulla jam adducenda in medium; ante tamen quam id præstem, lubet etiam, an et quibus sacris Latinorum Fastis Sancti nostri pariter inscribantur, nunc inquirere.*

Galesinius solum celebrat Adauctum.

7 Vix duos ex his reperire quivi, qui ambos Sanctos nostros, aut saltem alterutrum extra omnem controversiam commemorent. Priori loco occurrit Martyrologium a Galesinio concinnatum. In hoc hodie Adauctus *annuntiatur, simulque sequenti, quod ex Basiliano huc jam transcripto contextum est, ornatur elogio :* In Mesopotamia sancti Adaucti martyris. Is civis Ephesinus, cum Calisthenem filiam virginem, cujus forma et venustate captus turpiter Maximianus * imperator erat, occultasset, fugaque pudori consulens, in Orientis partes deducendam curasset, furenter ille iratus, hunc Christianæ religionis causa comprehensum in Mesopotamiam relegavit ad præfectum ea lege, ut, nisi ad idolorum cultum abduci possit, contrucidaretur. Beatus igitur Adauctus, pro fide fortiter pugnam sustinens, capitis propterea damnatus, admirabili virtute martyrii cursum confecit. *Galesinio accedit, quod alterum est ex Hagiologiis ambos Sanctos nostros aut saltem alterutrum hodie celebrantibus, Martyrologium Universale a Castellano confectum. In hoc* Callisthene *memoratur his verbis :* Apud Græcos sancta Callisthene virgo. *Verum cur solus absque filia* Callisthene Adauctus *a Galesinio, cur sola absque patre* Adaucto Callisthene *a Castellano annuntiatur? Cum ex Menologio Basiliano, in quo tam* Callisthene *quam* Adauctus *hodie celebratur,* Adauctum *secundum dicta Galesinius deprompserit, divinare difficile est, cur hic martyrologus cum sancto patre* Adaucto *sanctam Filiam* Callisthenen *haud junxerit.*

E

* Maximinus

F

Ratio, cur forsan id faciat posterior hic hagiologus.

8 Quod vero ad Castellanum pertinet, idcirco forsan hic hagiologus solam hodie absque patre Adaucto *filiam* Callisthenen *memorat, quod ad diem præcedentem sanctum, cui* Adaucto *nomen est, consignet, hunc que forte eumdem esse putet cum* Adaucto, S. Callisthenes, *quam annuntiat, parente. Verum* Adauctus *noster ab Adaucto, quem ad diem præcedentem Martyrologio suo Castellanus inscribit, certissime est diversus, si, quod hic auctor de posteriori hoc Adaucto censet, veritati congruat. Ait enim, Adauctum, Martyrologio suo (Adi hujus Tabulam Hagiologicam) die præcedenti insertum, esse eumdem cum Adaucto, seu Adauco, Generali officiorum magistro et quæstore, quem ad septimam Februarii diem Romanum hodiernum, multique alii Fasti sacri concelebrant. Verum hic Adauctus seu Adaucus ab* Adaucto, S. Callisthenes *patre, haud dubie distinguitur. Etenim hic Ephesi in Asia, ille in Italia natus erat; hic in Mesopotamia ense percussus, ille in Phrygia igne consumptus martyrii palmam obtinuit. Castellanus ergo vel idcirco, quod die præcedenti aliquem Adauctum celebret, solam hodie* Callisthenen *absque patre* Adaucto *annuntiare non debuit, vel Adauctum illum, quem die præcedenti celebrat, cum Adaucto, septima Februarii die Romano hodierno multisque aliis Fastis sacris inscripto, perperam facit eumdem.*

Adauctus forte etiam a Rabano,

9 Utut se res habeat, duo equidem secundum jam dicta e Latinorum Hagiologiis habemus, quorum alterum S. Adauctum, *alterum* S. Callisthenen *hodie certo*

A *certo annuntiat. Verum, an qui id ipsum faciant, alii præterea sacri Latinorum Fasti non sunt? His sane nec Romanum vetus ac hodiernum, nec Adonianum et pleraque alia minus antiqua Martyrologia Classica accenseri queunt. Verum in Rabano, qui* Audactum *(quod etiam in nonnullis Hieronymianis Apographis fit) pro* Adaucto *scribit, sequens legitur annuntiatio :* Romæ Marcelli episcopi, et in Africa Audacti. *Hunc porro Sanctum, quem in Africa ponit, indubie ex Hieronymianis hausit Rabanus. Etenim in nonnullis horum Apographis hodie* Adauctus, *vel, ut paulo aliter scribitur,* Adaugtus *vel etiam* Audactus *cum aliquot aliis Sanctis vel* in Africa *vel* in Africa civitate *vel* Carthagine *annuntiatur. Ac majus quidem Lucense apud Florentinium Apographum, cui apud nos Mrl. reginæ Sueciæ, olim Fuldense, etiam consonat, Adauctum* in Africa civitate *annuntiat. Verum Florentinius in sua observatione ad hanc, quam e Lucensi Apographo affert, S. Adaucti* in Africa civitate *annuntiationem veretur, ne pro* Africa civitate *reponendum sit* Epheso civitate, *sicque Adauctum, hodie a Rabano et in Hieronymianis memoratum, ab* Adaucto *nostro non distingui suspicatur.*

et in Hieronymianis apographis

10 *En ipsa scriptoris hujus verba :* Mendum, *inquit,* hic suspicor, ex aliis, quos viderim, codicibus male habitis difficile hic emendandum. Cum

B tamen in Menologio Basilii Adauctus martyr Ephesinus hac die laudetur, ejusque illustre certamen in Mesopotamia consummatum referatur, cumque is non modo civis Ephesinus dicatur, sed corpus ejus a Callisthene filia Ephesum reportatum narretur, veritus sum, ne pro Africa civitate reponendum sit Epheso civitate; ibi enim Adauctum Martyrem veneratum esse patet, ac deinde legendum : In Africa Maurisi, Restituti ac etiam Julii, ut habet M. Corbeiense, in quo Adauctus inter Africanos Martyres non legitur; sicuti neque in aliis codicibus Julius. Rabanus tamen Adauctum, ut vidimus, Africæ tribuit. *Ita hactenus Florentinius, cujus mihi ita placet suspicio, ut hic in majori Lucensi ejus Apographo cubare mendum, non tantum suspicer, verum etiam omnino credam. Quamquam enim (Adi ad vocabulum* Africa *Baudrandum) in Tunetano Africæ regno aliqua etiam, quæ modo* Africa *vocetur, civitas occurrat, illa tamen hujus, utpote quæ a medii etiam ævi scriptoribus* Aphrodisium *nuncupetur, appellatio minus antiqua est, quam sit majus Lucense Florentinii Apographum, nec alia uspiam, quæ similem appellationem vel nunc sortiatur, vel olim fuerit sortita, apud geographos nota est civitas, ac proin mendosa sane est hodierna Lucensis Apographi annuntiatio, qua* in Africa civitate *ponitur Adaugtus seu Adauctus. Verum sitne etiam in*

C *illa, ut Florentinius veretur, pro Africa civitate reponendum* Epheso civitate?

hodie memoratur.

11 *In antiquissimo Epternacensi, uti etiam in veteri Divitis Augiæ Apographo hodie absque addito civitatis vocabulo Adauctus ita annuntiatur :* In Africa Adaucti. *Idem fit ex dictis a Rabano, et in contractiori apud nos Richenoviensi Apographo. Hinc contendi potest, in hodierna* Adaucti *annuntiatione, quam majus Lucense Florentinii Apographum suppeditat, dumtaxat redundare civitatis vocabulum, Africæ additum. Verum enimvero in veteri Aquisgranensi Apographo Audactus seu Adauctus nec in Africa, nec in Africa civitate, sed Romæ ponitur hoc modo :* Romæ nat. Marcelli episcopi, Audacti. *Hinc porro omnia prorsus jam memorata Hieronymiana Apographa, quæ alibi sæpissime deprehenduntur mendosa, mendi etiam hic, quantum ad locum, cui Adauctum adscribunt, vehementer habeo suspecta, ac proin, quamvis quidem in Lucensi Apographo pro* Africa civitate *reponendum esse* Epheso civitate, *evinci haud queat, sat tamen verosimile apparet, Adauctum, qui in Hieronymianis hodie annuntiatur, perperam in aliquot ex his, et a Rabano Africæ attribui, atque ab* Adaucto *nostro, in Mesopotamia passo, ac deinde Ephesum, qua etiam e civitate oriundus erat, a filia sua* Callisthene *translato, non esse distinctum. Is adeo non tantum in supra memoratis Galesinii et Castellani Martyrologiis, ac proin in recentioribus Latinorum Fastis sacris, verum etiam in antiquioribus, nimirum in Hieronymianis Apographis, hodie etiam forsan celebratur.*

AUCTORE C. B.

12 *Atque hi quidem Fasti sacri sunt, quibus forte* Adauctus *noster hodie etiam inscribitur. Quod porro ad* Callisthenen *pertinet, certum apparet, eam non aliis, quam jam supra memoratis, Fastis sacris inscribi. Redeo nunc ad Sanctorum, quæ supra Græce simul et Latine huc transcripta sunt, bina elogia. Ex hisce, si modo Menæa, Menologium Basilianum aliaque similia monumenta Græca fidem sat certam mereantur, martyrii, quod* S. Adauctus *subiit, occasionem, tempus, locumque discimus, uti etiam quandonam circiter* S. Callisthene *sacrum Patris sui corpus e Mesopotamia, qua in regione is pro fide mortem oppetierat, Ephesum detulerit, felicique ac beato obitu vitam hanc mortalem cum immortali commutarit. Rem dicenda aperient. Maximinus, uti Menæa ferunt,* S. Adauctum, *quod hic illi, utpote ethnico, Filiam suam in uxorem tradere noluerit, bonorum publicatione exsilioque primo multavit, ac deinde capite jussit truncari. At vero Maximinus, ut Menologium Basilianum prodit,* S. Adauctum, *quod hic, quam ille ad se accersierat, filiam suam* Callisthenem *procul amandatam occuluerit, fidei obtentu* E *in Mesopotamiam relegatum, bonorumque publicatione multatum jussit interfici. Menæorum itaque narratio a narratione, quam Basilianum suppeditat, nonnihil hic est diversa. Secundum illam enim, at non item secundum hanc, Maximinus in uxorem voluit* Callisthenen. *Verum, utut id ita sit, non propterea tamen cum Menæis pugnat Basilianum. Quamvis enim hoc nihil plane suppeditet, quod* Callisthenen *in uxorem a Maximino fuisse expetitam, exigat, nihil tamen etiam suggerit, quod aperte requirat oppositum.*

Cum filiam suam Maximo, qui eam

13 *Verum volueritne reipsa Maximinus sibi in uxorem dari* Callisthenen? *Quod eruditi de sanctis Martyribus, quas sibi in matrimonium postularint ipsimet tyranni, in monumentis non undequaque sinceris ac fide dignis memoriæ proditum subinde inveniunt, commentis passim accensent. Hinc vereor, ne, quod de* S. Callisthene, *quam sibi in uxorem expetierit Maximinus, in Menæis, fide utique non undequaque dignis, narratur, commentis etiam sit accensendum. Fuisse nihilominus a Maximino in uxorem revera expetitam* Callisthenen, *non nemini forsan utcumque credibile appareat, quod* S. Adauctus, *ejus pater, præfecti seu ducis, aut etiam, si Menæa recte notent, ducis ducum, id est, ut apparet, supremi ducis dignitatem, apud Maximinum obtinuerit, hic-* F *que proinde ducendo* Callisthenen, Adaucti *filiam, contra dignitatem suam facturus fortassis haud fuisset. Verum, utut res hæc se habeat, a Maximino ad legitimum connubium expetitam fuisse* Callisthenen, *mihi equidem non sat verosimile apparet. Ea sedet sententia, quod Maximinus, qui ab anno 305 ad annum usque 313 in Orientis partibus imperii habenas tenuit, toto illo temporis spatio, quo ex dicendis, et quidem ante annum 312,* S. Adauctum *ob negatam filiam* Callisthenen *necavit, matrimonio, ut apparet, junctus fuerit. At vero, inquies, nihilne ergo sub Menæorum narratione veri latet? Maximinus, utut matrimonio junctus, effræni, qua honestissimas quasque matronas nefarie corrupit, libidine exarsit. Intelligitur id ex hisce, quæ lib.* VIII *Historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 14 *Eusebius suppeditat, paucis verbis:* Quid dicam de fœdissima hominis (*Maximini*) libidine? Quid de innumerabilibus adulteriis? Neque enim per ullam urbem iter umquam fecit, quin mulierum stupra, et virginum raptus in ea perpetraret.

non quidem, ut apparet, in matrimonium, sed, ut ex effræni ab Eusebio

14 *Huc etiam faciunt, quæ de Maximino pariter lib. de Mortibus persecutorum cap.* 38 *Lactantius commemorat.* Illud vero, *inquit,* capitale et supra omnes, qui fuerunt, corrumpendi cupiditas, quid dicam, nescio, nisi cæca et effrenata, et tamen his

et Lactantio

AUCTORE C. B.

verbis exprimere* pro indignatione sua non potest. Vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Eunuchi, lenones scrutabantur omnia. Ubicumque liberalior facies erat, secedendum patribus ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus feminis vestes, itemque virginibus, et per singulos artus inspiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili esset indigna. Si qua detrectaverat, in aqua necabatur, tamquam majestatis crimen esset. Sub illo adultero aliqui, constupratis uxoribus, quas ob castitatem ac fidem carissimas habebant, cum dolorem ferre non possent, se ipsos etiam necaverunt. Sub hoc ministro pudicitiæ integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat. Postremo hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret, ut ipse in omnibus nuptiis prægustator esset. Ingenuas virgines imminutas servis suis donabat uxores. *Hæc Lactantius, qui, nonnullis deinde interpositis, cap.* 39 *ita insuper prosequitur :* Denique cum libidinibus suis (*Maximinus*) hanc legem dedisset, ut fas putaret, quicquid concupisset, ne ab Augusta quidem, (*Valeria scilicet, Galerii Maximiani, a quo in filium adoptatus fuerat, relicta vidua*) quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare.

* exprimi

notata, Maximini libidine verosimile sit,

15 Venerat post obitum Maximiani ad eum Valeria, cum se putaret in partibus ejus tutius moraturam, eo maxime, quod haberet uxorem. Sed animal nefarium protinus inardescit. Adhuc in atris B vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis præmissis in matrimonio postulat, ejecturus uxorem, si impetrasset. Respondit illa libere, quæ sola poterat, primo non posse de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti sui, patris ejus ; deinde illum impie facere, quod sibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus et sibi ; postremo, nefas esse illius nominis ac loci feminam sine more, sine exemplo maritum alterum experiri. Nuntiatur homini, quid esset ausa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit, bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre in exilium relegat, nec in locum certum, sed huc atque illuc præcipitem cum ludibrio exturbat, et amicas ejus affecto adulterio damnat. *Cum itaque, uti ex Eusebii et Lactantii verbis huc jam transcriptis liquet, Maximinus etiam tum, cum matrimonio junctus esset, effræni admodum in mulieres alias fuerit libidine, fuisse abs illo ad illicitum nefariumque complexum seu concubitum expetitam* Callisthenen, *mihi admodum apparet credibile.*

ad illicitum complexum expetebat, crederenoluisset, in Mesopotamia

16 *Et vero, cum saltem ex Menologii Basiliani narratione* Callisthenen *vel in matrimonium, vel in illegitimum concubitum expetiisse videatur Maximinus ; hic autem ex dictis* Callisthenen *in legitimam conjugem, ut apparet, non desiderarit, verosimile etiam apparet, fuisse re ipsa* Callisthenem *ad nefarium complexum a Maximino expetitam. Utut sit,* Adauctus *equidem, spectata tam Menæorum quam Menologii Basiliani narratione, filiam suam* D Callisthenen *credere noluit Maximino. Hinc porro factum est, ut hic, qui in Valeriam, libidini suæ (vide Lactantii verba proxime recitata) non obtemperantem, inhumanissime sæviit, Sancto nostro minime pepercerit. Ac primo quidem hunc bonorum publicatione multavit ; deinde vero relegatum in Mesopotamiam, diisque sacrificare renuentem martyrio affecit. Aiunt quidem Menæa, Melitenen relegatum fuisse* Adauctum ; *verum id ita accipiendum est, ut primo quidem Sanctus Melitenen, Armeniæ urbem ; deinde vero longius in Mesopotamiam missus fuerit. Ita statuo ; quod* Adauctus *in hac regione martyrium ense percussus consummarit ; idque in ipsis Menæis, utpote Sancti corpus a* Callisthene *filia a Mesopotamia Ephesum fuisse translatum, diserte asserentibus, sat aperte indicetur.*

ante annum quidem 313 capite truncatus est ; post vero eumdem annum Callisthene obiit.

17 *Atque ita quidem martyrii, quod Sanctus subiit, non tantum occasionem ; verum etiam palæstram jam habemus. Enitamur modo, ut et epocham determinemus. Maximinus, qui* Adauctum *affecit martyrio, imperii partim cæsarei, partim Augustei habenas ab anno* 305, *ut jam monui, ad annum usque* 313 *in Oriente tenuit, tuncque devictus a Licinio miserrime interiit. Jam vero sancta* Callisthene, *si modo vera narrent Menæa, octo ut minimum a Patris sui obitu annorum spatio sub virili habitu, ne* E *Maximino prodiretur, latuisse videtur, ac proin, cum ab anno* 305 *ad annum usque* 313 *anni dumtaxat octo excurrant, fuerit verosimiliter* S. Adauctus *anno circiter* 305 *Maximini jussu in Mesopotamia gladio percussus. Porro, cum Licinius anno* 313 *rerum summa, devicto Maximino, anno* 313 *in Oriente solus sit potitus, tuncque, ut in Basiliano et Menæis refertur, sacrum Patris sui corpus* S. Callisthene *e Mesopotamia in Asiam transtulerit, citius id quam anno* 313 *factum non fuerit. At vero, inquies, an etiam serius hæc translatio non evenit ? Serius sane evenisse potest ; attamen haud serius verosimiliter quam anno* 318, *quod anno subsequenti persecutionem in Christianos moverit Licinius. Hæc sunt, quæ pro determinando tempore, tum quo martyrium passus sit* Adauctus, *tum quo sacras ejus exuvias e Mesopotamia in Asiam transtulerit* Callisthene, *invenire quivi. Restat nunc, ut quo circiter tempore e vivis hæc excesserit, pariter edicam. Cum ex dictis non citius quam anno* 313, *ac forte etiam serius Patris sui corpus e Mesopotamia in Asiam, Minorem scilicet, in qua sita est Ephesus, transtulerit, consequens est, ut certe non citius, a verosimiliter etiam serius quam anno* 313 *mortalem hanc vitam cum immortali commutarit. Quapropter, cum simul ex supra dictis* S. Adauctus *indubie ante annum* 313 F *martyrio coronatus sit, supra in margine* ante et post annum CCCXIII *adscripsi, volens scilicet indicare,* Adauctum *quidem ante annum* 313, Callisthenen *vero post hunc annum felici e vivis excessu migrasse ad Dominum.*

DE S. DASIO

AXIOPOLI IN MOESIA INFERIORI.

J. B.

Ex Hieronymianis, aliisque.

Varia annuntiatio S. Dasii,

Axiopoli, quæ Mœsiæ Inferioris oppidum fuit ad Istrum haud procul Dorostoro situm, S. Dasium *hoc die codices Hieronymiani plerique annuntiant, nullo facto indicio certo, unde dignoscas, sitne ad confessorum, an ad martyrum classem redigendus. Lucensis, quem Florentinius edidit, notisque illustravit, sic habet :* In Acxiopoli natalis sancti Dasii : *ex iis vero, quos parte* II *tom. VI Junii subjunxit Sollerius, ita habet Richenoviensis :* Et in Anxiopoli, Dasii : *Augustanus monasterii S. Udalrici :* Martii, Audacti, Dasi, Marci. *Labbeanus :* Marci, Audacti, Dasii. *Gellonensis ex editione Acherii tomo XIII Spicilegii :* Marci, Adaucta, Dasii : *Corbeiense apud Acherium laudatum tom. IV :* Et alibi sancti Dasii. *Barberinianus :* In Axiopoli natalis Sancti Clasii. *Hieronymianis accedunt Martyrologium Aquisgranensis Ecclesiæ sub nomine Bedæ :* Romæ, *inquit,* natalis Marcelli episcopi, Adaucti, Dasii. *Martyrologium S. Germani Autissiodorensis, tomo III Anecdotorum a Martenio editum ;* Marci, Adaucti,

A Adaucti, Dasii. *Florarium nostrum Ms.* in Axiopoli sancti Dasii. *Usuardus Greveni auctus diem 4 Octobris his verbis claudit :* Dasii confessoris.

verosimilius 2 *Martyrologia Hieronymiana* Dasii *meminisse, sed ita, ut nullo indicio certo, fueritne Martyr, an confessor, manifestent, paulo ante dicebam : quia tamen antiquioribus Ecclesiæ sæculis martyrum fere celebritates titulo* Natalis *consignabantur, eumque adhibent codex Lucensis et Barberinianus ; argumento id esse potest, eoque magis propendeo,* S. Dasium *ad martyrum classem pertinere : quo minus tamen id certo existimem, facit, quod id non ita sancte atque constanter fuerit in more positum, quin et dies obitus Sanctorum, neque martyrio, neque exsilio, carceribus, tormentisve pro fide toleratis insignium, subinde etiam* Natales *fuerint nuncupati. Quam in rem præclare Florentinius Admonitione* VIII *Hieronymiano Martyrologio prævia :* Neque, *inquit,* ita stricte observari etiam putet, consignatum celebritatis diem sub Natalis voce, quasi martyribus tantum antiquitus tribueretur. Quamvis enim Tertulliani tempore dies passionum martyrum Natalitia appellari consueverint, et id ex prisca Majorum traditione usitatum confirmet Albinus Flaccus, idem tamen Albinus lib. de Divinis Officiis in cap. Parascevis, antiquum fuisse morem, testatur,

B Sanctorum quorumcumque in Domino morientium natalitia celebrandi, atque dies obitus Natales nuncupandi : quod ex Origene hausit lib. III in Job.

martyris, 3 *Assignato deinde, exemplisque probato multiplici vocis* Natalis *usu, ita prosequitur :* Sed antiquum fuisse Ecclesiæ morem diem obitus, tam martyrum, quam confessorum Natalitium appellare, apertissime testatur Nicolaus Papa in Epistola ad consulta Bulgarorum cap. 3 his verbis : Consuetudinem tenet Ecclesia, ut solemnes beatorum martyrum vel confessorum Christi dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migraverunt vivorum, nuncupentur natales : sed et eorum solemnia, non funebria tamquam morientium, sed utpote in vera vita nascentium Natalitia vocitentur. *Ex Albino Flacco hæc citat Benedictus XIV de Festis B. Mariæ virginis cap.* 128 *:* Jure nasci dicuntur, qui de pressuris hujus mundi, tamquam de angustiis cujusdam ventris, ad illam spatiosissimam et lucidissimam cœlestis habitationis emittuntur latitudinem. *Ex Eusebio Emisseno seu Eucherio Lugdunensi :* Etenim si dies Natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis et doloribus nascimur ad dolores, justius ille celebrabuntur natales, quibus Sancti ex corruptibili corpore in novam illam futuri seculi claritatem, et filii hominum in adoptionem divinæ Paternitatis ascendunt. *Ex Rabano :* Et inde mos obtinuit Ecclesiasticus, ut dies beatorum martyrum, sive confessorum Christi, quibus de seculo transierunt, Natales vocitemus, eorumque solemnia non funebria, sed Natalitia dicamus. *Hisce addo S. Augustinum, qui, licet sermone* 310, *alias de diversis* 113 *dicat :* Quod nomen, *id est, Natales,* sic frequentat ecclesia, ut Natales vocet, pretiosas martyrum mortes; *tamen in Psalmum* 79 *sic loquitur generatim :* Natalitia Sanctorum cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos, qui præcesserunt et gaudeant de vobis, qui orant pro vobis. *De his plura si voles, Cangium consule.*

AUCTORE J. B.

et a synonymis distinctio. 4 *Plures hujus nominis Sancti variis diebus sacris Fastis inserti leguntur : nempe ad diem* 3 *Augusti,* 18, 20, 21 *Octobris, apud Florentinium : verum hi omnes aut certaminis socios, aut aliam martyrii palæstram habuere. Dasii quoque Menologium Basilianum, et Menæa ad diem* 20 *Novembris meminerunt, qui, cum victima proximis Saturnalibus immolanda sorte designatus esset, optionemque haberet, quidquid luberet, interim agendi ; nobilior Christo, quam Saturno, victima, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, cecidit Dorostori, quod alterum est Mœsiæ Inferioris oppidum, nec multum, ut apud Ortelium in Theatro orbis videre est, Axiopoli dissitum. Fecit tum loci utriusque vicinia, tum nomen Sancti idem, ut Florentinius dubitarit, idemne sit, quem ad diem 4 Octobris Fasti Latini laudant, et ad diem* 20 *Novembris Græci; quod quidem uti non negat, ita nec ait. Pari jure quis dubitet, num S. Dasius Axiopoli annuntiatus ad diem* 3 *Augusti, idem sit, qui hodiernus : ut enim variis diebus Fasti varii eosdem subinde Sanctos consignant; ita et fieri facile potest, ut iidem Fasti, male luxati, eosdem Sanctos, modo hoc die notent, modo illo ; modo conjunctim cum aliis, modo separatim. Horum autem alterutrum reipsa hic contigisse, nec ego asserere velim.*

E

DE SS. MARUSIO, RESTITUTO ET FORTE JULIO

CARTHAGINE IN AFRICA.

C Ex Martyrologiis. F

Confusa horum Martyrum et S. Adaucti annuntiatio. Tres *hodie sanctos Martyrologium Hieronymianum penes Florentinium una annuntiatione complectitur, Africæque adscribit,* Adauctum, Marusium, Restitutum. *En verba :* In Africa civitate Adaugti, Marusi, Restituti : *geminos tantum, omisso* Marusio, *Richenoviense apud Sollerium tomo VI Junii parte* II. Et in Affrica Adaucti et Restituti. *Augustanum apud eumdem Sollerium Adaucti meminit, et* Marusii, *sed hujus male Autissiodori. Hieronymiano Florentinii Martyrologium reginæ Sueciæ, olim, ut apparet, ecclesiæ Fuldensis, omnino consonat, præterquam quod hoc* Maurusi *scribat : Martyrologium Ms. tomo III collectionis nostræ insertum, et Rabani a Bollando creditum gemina, sed perperam, annuntiatione utitur :* In Africa Marusii, Restituti : *quibus mox ista adduntur :* In Carthagine Audacti, Carusi, Restituti; *ubi Audactus et Carusus iidem videntur, qui Adauctus et* Marusius. *Luxatum similiter est Florarium nostrum Ms., in quo sic legitur :* In Africa Marusii, Restituti : *dein vero :* In Carthagine Audacti, Carusi, Restituti. *Martyrologium denique Corbeiense Florentinii præter* Maurisum *et* Restitutum *etiam* Julium *Africæ tribuit, Adauctum vero nequaquam. In hac codicum discrepantia ita statuendum cum Florentinio reor, ut Epheso Adauctus, Africæ vero seu Carthagini* Marusius *et* Restitutus *adscribantur, dissimilesque lectiones hoc modo emendentur :* Epheso civitate Adauctus. In Africa, *seu* Carthagine civitate Marusi, Restituti. Marusium *enim et* Restitutum *Africæ vel Carthagini citati codices singuli tribuunt : cur vero Adauctus Epheso tribuendus videatur Florentinio verba auctoris, hoc tomo pag.* 409, *num* 10 *relata, produnt : cum enim hinc, Adauctum inter martyres Africanos a Martyrologio Corbeiensi non recenseri ; inde vero, ejusdem nominis Sanctum, qui e civis Ephesinus, et, post consummatum in Mesopotamia martyrium, in eadem civitate tumulum cultumque sit nactus, Martyrologio Basiliano ad hunc ipsum diem inscribi, Florentinius advertisset; eumdem tum Hieronymianis Apographis, tum Martyrologio Basiliano memoratum, suspicatus est, quod quidem probabiliter fecit : quamquam enim fieri potuerit, ut Adauctum, alium Afri, alium Græci hoc die coluerint, quia tamen Hieronymiana Apographa, quibus Adauctus Africæ adscribitur, passim hoc loci vitiata sunt, nec alia aliunde distinctionis causa apparet, non est, cur Adauctum, alterum Africæ, alterum Epheso adscribere, necesse sit. At ut ob solius Martyrologii Corbeiensis auctoritatem* Marusio *et* Restituto

A tuto *addatur et* Julius, *tacentibus de illo codicibus ceteris, non video, quid magnopere urgeat. Ceterum pro* Marusio *vel* Mariso *scribendum forte* Maurusio:

ita enim scribit Augustinus Tom. II editionis Benedictinæ Epist. 57 ad Celerem. Sintne martyres, an confessores, ex mox dictis de S. Dasio statues. D

DE S. AMMONE SEU AMMUNE ÆGYPTIO

IN NITRIA.

C. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Eremi Nitriensis notitia, Ammonis in Fastis sacris memoria, Vita edenda.

ANNO CIRCITER CCCL. *Mons Nitriæ quis, et ubi positus.*

Inter omnes Ægypti solitudines, quas plures viri sancti vita laudatissime transacta nobilitarunt, omnique virtutum exercitio sanctificarunt, non ultimo sane loco commemoranda venit, quæ recepto apud plerosque nomine Mons Nitriæ *vocatur. Hic mons, quem ob incolarum sanctitatem* Oppidum Domini *S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium appellat, ad Meridionalem Alexandriæ plagam situs est, habetque sese inter et hanc civitatem lacum interpositum, qui* Mareotis B *nuncupatur, quique sua latitudine septuaginta passuum millia complectitur. Lacu hoc transmisso, in Montem Nitriæ brevi pervenitur.* Illinc, *Alexandria scilicet,* recedens, *inquit apud Rosweydum Historiæ Lausiacæ cap.* 7 *Palladius,* veni in Montem Nitriæ. Inter hunc montem autem et Alexandriam positus est lacus, qui dicitur Maria : is autem continet ad millia septuaginta. Quem cum transmisissem per diem unum et dimidium, veni in montem (*Nitriæ scilicet*) ad patrem Meridionalem. *Porro monti, qui a vico vicino, nitri copia olim memorabili, nomen trahit, quique ab Ortelio in Geographica Ægypti tabula inter Nilum fluvium, et Mareotidem Mœridemque paludes statuitur, ingens adjacet solitudo, quæ Æthiopiam versus protenditur.*

Ammon, qui primus in hoc monte monasteria exstruxit, plurimis Fastis sacris hodie inscribitur.

2 *Hac in solitudine visebatur Celliorum locus, ita ob cellulas hac illacque magno numero dispersas appellatus. Rufinus in Vitis Patrum lib.* II, *cap.* 22 *locum hunc decem, Cassianus Collatione* 6, *cap.* 1 *quinque dumtaxat passuum millibus a Nitria collocat. Sub sæculi quarti finem quinquaginta in monte Nitriæ monasteria exstabant, a quinque eremitarum millibus inhabitata. Horum primus fundator fuit, quo de hic agendum est,* S. Ammon *seu, ut ab aliis scribitur,* Ammun *aut* Amun *vel etiam* Amos, Ægyptius *communiter appellatus. Hic Menæis Græco-* C *rum excusis, Menologiis Basiliano et Sirletiano, aliisque sacris Græcorum Fastis tum Mss., tum excusis hodie inscribitur. Idcirco a die* 21 *Martii, quo in Martyrol. German. Canisii, Ms. nostro Florario et Additionibus Greveni, a die* 17 *Aprilis, quo in binis Usuardi Auctariis et a die denique secundo Octobris, quo in Universali Castellani Martyrologio celebratur, huc fuit remissus. Nec tantum* Ammon *hodie in Græcorum Hagiologiis, verum etiam in generali Sanctorum Ferrarii Catalogo aliisque sacris Latinorum Fastis recentioribus memoratur. Verum, utut id ita sit, Sanctus tamen in Martyrol. Classicis nuspiam locum habet. Imo nec hodie, nec alio etiam die in Romano hodierno signatur, quod forte mirum non nemini videatur; et sane non immerito:* Ammon *enim, utpote cujus animam, teste ex dicendis Athanasio, ad cœlum etiam deferri viderit S. Antonius, eximia sanctitate vir fuit, cultuque Sanctis proprio in ecclesia Græca afficitur, uti satis liquet ex consensu fere unanimi, quo in omnibus sacris Græcorum Fastis hodie celebratur.*

Illius, quod Sirletianum suppeditat, elogium, aliudque,

3 *Ut quid ergo viri eruditissimi, qui Romanum hodiernum reformarunt,* Ammonem *ex hoc exclusere? An forte, quod ad* ἀπάθειαν *seu impassibilitatem pervenisse, damnato errore a Palladio traditur? Sed hæc hujus biographi, non Sancti culpa est. Utut sit,* Ammonis, *quem etiam apud nos tom. III Maii pag.* 537 Sanctum *appellat S. Athanasius, eximiam prorsus raramque sanctitatem dicenda, quantum opinor, sufficienter aperient. Ut autem lector qualemcumque saltem Sancti notitiam in ipso statim hujus Commentarii limine habeat in promptu,* Elogium, *quo in Menologio Sirletiano* Ammon *ornatur, prævie una cum illius annuntiatione huc transcribo. Sic habet :* Eodem die (*quarto nimirum Octobris*) commemoratio sancti patris Ammonis Ægyptii. Hic cum esset Ægyptius genere, parentibus orbatus, a patruo coactus uxorem duxit sub Maximiano imperatore ; vixit autem cum illa annos decem et octo, quam non ut uxorem, sed ut sororem habebat, quin etiam illi persuasit, ut virginitatem servaret. Itaque E et ipsa et omnibus rebus derelictis, in montem Nitriæ prope Ægypti desertum secessit, una tantum veste nocte et die corpus tegens. Produxit autem vitam usque ad Magni Antonii tempora sub Magno Constantino, celebri et primo Christianorum imperatore. Hujus Viri sanctitatem admiratus est beatus Antonius præsertim propter miracula, quæ per ipsum plurima Dei benignitas effecit. *Græcum etiam, quod e Bibliotheca Ambrosiana Ms. habemus, Sancti elogium eamdem ob causam, eumdemque in finem Græce simul et Latine huc transfero.*

quod huc Græce una cum adjecta

4 *En illud :* Ὁ ὅσιος πατὴρ Ἀμοῦν ὁ Θεοφόρος ἐν ἀσκηταῖς μέγας ἐγένετο, ὑπῆρχε δὲ ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου φιλομόναχος ὢν ἀπὸ νεότητος· κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς Μαξιμιανοῦ τοῦ βασιλέως λαβὼν γυναῖκα βίᾳ τοῦ πατρὸς ἔπεισε κἀκείνην παρθενεύειν καὶ καταλιπὼν ἅπαντα καὶ αὐτήν, ἀπελθὼν ἐν τῷ τῆς Νιτρίας ὄρει εἰς τὴν συνέγγυς τῆς Αἰγύπτου ἔρημον ἡσύχασεν ἐν μόνον ἱμάτιον φέρων νυκτὸς καὶ ἡμέρας· παρέτεινε δὲ ἡ ζωὴ αὐτοῦ μεχρὶ τῶν ἀγώνων τοῦ μεγάλου Ἀντωνίου ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσαντίνου τοῦ μεγάλου καὶ ἀοιδίμου καὶ πρώτου Χριστιανῶν βασιλεύσαντος· ἐξ οὗ καὶ τῆς μακαρίας ψυχῆς τοῦ Ἀμοῦν τοῦ σωμάτος ἐξελ- Ξούσης καὶ πρὸς οὐρανὸν ἀναφερομένης, καθεζόμενος ὁ ἅγιος Ἀντώνιος καὶ διδάσκων τινὰς ἀδελφοὺς ψυχο- φελῆ ῥήματα καὶ ἰδὼν τὴν ἁγίαν ψυχὴν τοῦ Θεοφόρου F Ἀμοῦν, ἐξαίφνης ἀναβὰς καὶ βλέπων πρὸς οὐρανὸν ἐδοξάσε τὸν Θεὸν· ἔβλεπε γὰρ αὐτὴν ὑψιφερομένην ὑπὸ ἀγγέλων· τῶν δὲ παρόντων θαυμαζόντων ἐξαιφνὴ τὴν τοῦ πατρὸς ἐγέρσιν, διηγήσατο αὐτοῖς τὸ θέαμα εἰπὼν ὅτι ἡ ἁγία ψυχὴ τοῦ Ἀμμοῦν εἰς οὐρανὸν ἀπέρχεται παρῆσαν δὲ τινες τῶν ἓξ Αἰγύπτου ἀδελφῶν καὶ ἀκρι- βώσαντες τὴν ὥραν καὶ τὴν ἡμέραν, ἀπῆλθον εἰς Αἴ- γυπτον ὁδὸν ἡμερῶν δέκα διανύσαντες καὶ ὥρον οὕτως ὅτι κατ' αὐτὴν τὴν ὥραν ὅτε ὁ πατὴρ διηγήσατο αὐτοῖς τὸ ὅραμα, ἐκοίμηθη ὁ ἀνὴρ.

versione latina transcribitur, e bibliotheca Ambrosiana depromptum.

5 *Habe nunc versionem latinam* : Sanctus pater Amon Theoforus inter ascetas eminuit; fuit autem ex Ægypto, monasticæ vitæ ab adolescentia sua studiosus. Cum autem, rerum potiunte Maximiano imperatore, a patre coactus duxisset uxorem, castitatem servare et ipsi persuasit, relictisque omnibus atque etiam ipsa, in montem, qui prope Ægypti solitudinem situs est, solitariam vitam amplexus est, unicum die ac nocte vestimentum ferens. Ipsius porro vita usque ad Magni Antonii sub imperio magni celebrisque Constantini, qui primus e Christianis imperavit, certamina tenuit. Deinde vero cum beata Ammonis anima e corpore migrasset, atque ferretur ad cælum, simulque sanctus Antonius, qui sedens fratres aliquos utilia animæ verba docebat, sanctam Theofori Ammonis animam vidisset, statim surgens intuensque in cælum

A lum Deum glorificavit; vidit enim illam ab angelis in cælum efferri. Cum autem subito surrexisse patrem, præsentes mirarentur, visionem exposuit, dicens, sanctam Ammonis animam in cælum migrasse. Aderant porro quidam e patribus Ægypti, notataque hora ac die, in Ægyptum decem dierum itinere (*montem S. Antonii 15 dierum itinere a Nitria infra collocat S. Athanasius*) sunt profecti, reque examinata, intellexerunt, eadem hora, qua ipsis visionem pater narrarat, Virum obdormivisse. *Tale est, quod e Bibliotheca Ambrosiana Ms. habemus,* S. Ammonis *elogium, non undequaque, uti ex dicendis patescet, correctum; quod etiam forte de elogio Sirletiano supra recitato est dicendum.*

Vita Sancti ex Palladio edenda.

6 *Quod jam porro ad Sancti, quæ Basilianum et Menæa excusa etiam suppeditant, elogia pertinet, hæc pariter huc transcribere, visum non est. Cum autem opportunum fuerit, Menæa etiam excusa et Basilianum adducam in medium, sive ut ex iis rei tractandæ lucem afferam, sive ut correctionem, ubi opus est, adhibeam. Pergo nunc ad monumenta antiquiora, ex quibus pro majori saltem parte deprompta videntur, quæ jam recitavi, bina* S. Ammonis *elogia. Apud Rosweydum in Vitis Patrum duæ occurrunt* S. Ammonis *Vitæ, non admodum prolixæ, sæculo quarto fere elapso, sequentive inchoato scriptæ,*

B *quarum altera Rufinum habet auctorem; altera vero vel Heraclidem vel Palladium. Hæc enim exstat non tantum in Historia Lausiaca, quæ ex duobus libris, Palladii uno, altero Heraclidis constata videtur, verum etiam in ipsomet Heraclidis apud Rosweydum Paradiso. Porro S. Athanasius,* Ammoni *æqualis, in Vita S. Antonii, nonnulla etiam ad* S. Ammonem *spectantia memoriæ prodit. Vita a Palladio vel ab Heraclide conscripta, utut brevis, altera nihilominus, a Rufino contexta, est prolixior. Illam solam et quidem, ut plerosque eruditos sequar, sub Palladii nomine, utut ex dictis Palladii forsan non sit, Commentario huic subjungo, additurus etiam vel hic, vel in Annotationibus quæcumque sive ad infirmandam, sive ad roborandam aut illustrandam Palladii narrationem vel ex breviori Rufini narratione, vel ex S. Athanasii in Vita Antoniana de* Ammone *loco, vel ex Sozomeno et Socrate, qui sæculo quinto floruerunt, vel ex aliis denique monumentis fide dignis judicaro conducere.*

§ II. Sancti natales, nuptiæ, castitas in matrimonio et an ab ipso hujus initio in solitudinem Nitriæ secesserit.

Ammon, ad nuptias compulsus,

C Ammon, *inquit apud Rosweydum Rufinus,* loco-pletibus et generosis parentibus natus est, *in Ægypto scilicet, cui regioni, nemine omnino contradicente, ab omnibus adscribitur. Sanctus, utut matrimonio jam maturus, nuptias aversabatur, fuitque nihilominus ad nuptias compulsus. Testatur id Rufinus, testatur et Palladius, cui etiam Socrates et Sozomenus subscribunt, ut hic inter omnes, qui hac de re tractant, apprime conveniat. Verum non æque inter omnes convenit, a quibus Sanctus ad nuptias fuerit compulsus. Rufinus, cui etiam jam recitatum Ms. Bibliothecæ Ambrosianæ elogium suffragatur, id a parentibus factum scribit; Palladius vero, vel, si mavis, Heraclides, affirmat,* S. Ammonem *jam tum, cum id accidit, parentibus orbum fuisse, ut nullam proinde ab his vim pati potuerit. Adhæc diserte tradit, fuisse Sanctum a patruo ad nuptias coactum. En ipsa ejus, quæ initio habet, de* Ammone *verba :* Cum esset... parentibus orbatus Adolescens, circiter viginti duos annos natus, vi a suo patruo mulieri junctus est matrimonio. *Aperte itaque hic inter se pugnant Rufinus et Palladius. Verum utri assentiendum est? Nihil suppetit, ut vel pro Rufino, vel pro Palladio indubitanter pronuntiem. Palladio nihilominus, cui Menæa excusa et Sirletianum consentiunt, favere etiam videntur Sozomenus et Socrates. Prior enim lib.* I *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 14 *hæc scribit :* Per idem tempus Ammon quoque Ægyptius monasticam philosophiam excoluit. Quem fama est, compellentibus proximis, uxorem... duxisse : *posterior vero Hist. Eccles. lib* IV, *cap.* 23 *ita commemorat :* Cum nonnulli ex propinquis eum (*sanctum* Ammonem) hortarentur, ut uxorem duceret, nec conjugium contumeliis afficeret, paruit ille et nuptias celebravit. AUCTORE C. B.

ab uxore, ut continentiam in matrimonio servens, impetrat;

8 *Ita Socrates et Sozomenus, qui cum dicant,* Ammonem *vel a propinquis vel proximis ad nuptias fuisse coactum, favere utique videntur Palladio, qui id non a Sancti parentibus, sed a patruo factum, memoriæ prodit. Utut sit, Sanctus equidem ad nuptias fuit compulsus.* Ammon *adeo puellam in uxorem accepit, corona, ut tunc nubentibus solemne erat, sese redimivit, reliqua omnia, quæ tunc moris erant, implevit, sponsam ad cubile ipsumque lectum nuptialem comitatus est. Verum cum jam omnes recesserant, solusque cum uxore sua erat relictus, e lecto se proripit, ostium claudit, sumptoque sedili, sponsam vocat, eique, quo ad castitatem servandam excitetur, de virtutis hujus dignitate atque excellentia verba facit. Adhæc librum Novi Testamenti accipit, ex eoque, quæ de cælibatu et matrimonio tum Christus ipse, tum etiam Paulus Epistola ad Corinthios tradit, sponsæ prælegit, addens etiam suopte ingenio non pauca, prout ei inspirabat Dei Spiritus. Hæc omnia locis citatis Palladius, Socrates, Sozomenus et Rufinus vel diserte tradunt, vel certe non obscure insinuant. Nec optato successu caruit* Ammonis *conatus. Etenim uxor ejus, audita sacræ Scripturæ lectione, adeo divina gratia fuit incensa, ut et Martii sui voto libens obtemperarit, pronamque admodum et ad virginitatem servandam et ad separati thori usum voluntatem attulerit.* E

cum hac tamen, contra ac tradit Sozomenus, Socrates,

9 *Socrates loco supra citato etiam tradit,* Ammonem *ejusque conjugem ipso statim matrimonii sui initio, antequam congrederentur, sæculari vitæ nuntium remisisse, seque una ad montem, qui Nitriæ dicitur, contulisse.* Hæc, *inquit,* et alia ejusmodi plurima (*sanctus* Ammon) apud uxorem suam virginem locutus, persuasit illi, ut simul ambo, antequam congrederentur, sæcularem vitam abjicerent. Cum hæc inter se pacti essent, ad Montem, qui Nitriæ dicitur, se conferunt. *Ita ille, etiam addens :* Ibi in tugurio degentes, ad modicum tempus communi usi sunt monasterio sine ullo virilis ac muliebris sexus discrimine, cum unum essent in Christo, sicut ait Apostolus. Non longo post tempore novitia et incorrupta virgo Ammonem sic allocuta est : Te, qui castitatem sectaris, non decet in tam arcto domicilio mulierem intueri. Quam ob rem, si placet, uterque nostrum separatim exercitationes nostras peragamus. Id quoque pactum ex æquo placuit ambobus. Sejuncti igitur a se invicem reliquum vitæ tempus ita transegere. *Hæc etiam Socrates, volens scilicet præterea, brevi post contractas nuptias* Ammonem *ejusque conjugem communi etiam domo seu habitatione amplius usos non esse. Verum tam hoc quam* Ammonis *una cum uxore sua ad montem Nitriæ brevi post contractas nuptias accessus apertissime pugnat cum Palladio, Rufino et Sozomeno.* F

diu adhuc domo et habitatione mansit conjunctus,

10 *Etenim Rufinus sic scribit :* Cumque (Ammon *scilicet ejusque uxor*) plurimo tempore solius Dei contenti testimonio, spiritu magis essent, quam carne sanguineque conjuncti, post obitum amborum parentum, ille quidem ad vicinum deserti secedit locum, virgo vero intra domum residens, in brevi et ipsa multitudines virginum, et ille multitudines congregat monachorum. *Plurimo itaque post nuptias contractas tempore unam eamdemque domum occupatam fuisse ab* Ammone *ejusque conjuge, indicat Rufinus. Idem porro multo adhuc dilucidius facit Sozomenus, loco citato sic scribens :* Cum mulier (Ammonis *uxor*) sermonem quidem de virginitate approbaret, verum sejungi ab illo (Ammone *scilicet*) moleste ferret, ipse seorsum cubans octodecim annis cum ea mansit, ne sic quidem monasticæ abstinentiæ leges negligens. *Quod vero jam ad Palladium pertinet, idem fere hic tradit, quod verbis*

AUCTORE C. B.

verbis proxime jam recitatis Sozomenus, ut hic sua ex Palladio verosimiliter deprompserit. Ejus proinde verba, quæ præterea ad calcem Commentarii Vita edenda num. 3 exhibet, huc non transcribo. Nullus interim dubito, quin tribus hisce posterioribus scriptoribus, qui Ammonem *una cum uxore sua diu post contractas nuptias in una eademque domo esse versatum tradunt, quisque potius assensurus sit, quam uni Socrati, qui, a re gesta Palladio etiam et Rufino remotior, contrarium memoriæ prodit.*

religiosam nihilominus interea, asceticamque vitam agens.

11 *At vero quamvis* Ammon *tanto temporis spatio cum uxore sua manserit et domo et habitatione conjunctus, non minus propterea religiosæ asceticæque vitæ exercitia obibat. Colenda Balsamone, quæ vitis in modum colitur plurimumque laboris exigit, occupabatur assidue. Ac per diem quidem difficili illo labore vacabat; vesperi vero domum reversus, orationi se dabat, sumptaque cum uxore cœna, nocturnarum precum, quod sibi præstituerat, pensum persolvebat, iterumque die sequenti ad horti sui culturam, idque multo mane redibat. Porro uxore ejus tum propria animi propensione, tum Viri exemplo vitam quoque ad pietatis virtutisque leges exigente, ambo ad felicem illam beatamque animæ pacem pertigerunt, quam experiri solent, qui eo modo, quo fieri id in hac vita potest, universos pravos animi affectus* B *subegere. Docent iterum hæc omnia Palladius, Rufinus, Socrates et Sozomenus locis citatis. Porro quamvis Sanctus, utut a conjuge sua nondum habitatione sejunctus, austerum admodum, Deoque simul et angelis gratissimum vitæ genus duceret, id tamen Virum, ad perfectiora semper omni studio contendentem, non ita afficiebat, quin de amplectendo sanctiori adhuc vitæ genere subinde cogitaret. Vitæ monasticæ desiderium, quo in juventute flagrarat, in eo, provectioris ætatis jam facto, non modo non remiserat, sed contra majores vires acceperat. Hinc Deum precabatur assidue, ut in uxore sua virtus ac pietas increscret, quo tandem, hac consentiente, in omnimodo secessu vitam agere sibi fas esset. Nec preces Sancti irritæ fuerunt, sed optatum produxerunt effectum. Qui id factum sit, § sequens aperiet.*

§ III. Sanctus in montem Nitriæ secedit, monasteria in hoc primus exstruit, discipulos acquirit, edit miracula, S. Antonio utitur familiariter.

Ammon, consentiente uxore, montio Nitriæ eremum petit.

Virtutis, quam sectabatur Ammon, *admiratione defixa ejus uxor noluit deinde, ut Vir tantæ perfectionis in domo sua lateret incognitus, necessariumque proinde duxit, invicem etiam, quo in solitudine viverent, salutique et spirituali aliorum profectui* C *inservirent, habitatione sejungi. Ipsamet prior hac de re Maritum alloquitur, et quidem eum, ut, si Deum ex toto corde a se diligi probatum velit, sejunctioni huic assentiatur, obnixe rogat.* Ammon *cum gaudio, gratiarumque actione uxoris accipit propositum, votique sic tandem factus compos, Deum, cui rem refert acceptam, glorificat. Porro cum neuter consanguineos, a quibus impediretur, haberet, domum, quam incoluerat, uxori suæ* Ammon *reliquit; ipse vero in solitudinem proximam, monti Nitriæ impositam, atque a Schetica solitudine 30 amplius leucis remotam sese recepit. Liberum hic nactus virtuti campum, quos non in ea fecit progressus! Panem in cibum, et aquam in potum adhibebat, a vino semper et oleo rigidissime abstinens; diem subinde unum, subinde duos et subinde etiam plures transigebat omnino jejunus. Tanta erat Vir sanctus in castigando subigendoque corpore severitate. Atque hæc quidem, quo suam ipsiusmet salutem tutius operaretur, præstabat : quid vero, ut aliorum etiam saluti consuleret, insuper egerit, nunc expono.*

Nulla tunc ibi ex opinione Rufini, cui

13 *In monte Nitriæ, cum eo accessit* S. Ammon, *nondum multa exstabat monasteria. Ita in Vita edenda num. 3 affirmat Palladius. Verum* initium sane, *inquid apud Rosweydum in Vitis Patrum cap. 30 Rufinus,* habitationis monasteriorum, quæ D in Nitria sunt, sumptum tradebant ab Ammone (*Sanctum nostrum intellige*) quodam, cujus animam, cum exisset de corpore, vidit ferri ad cœlum sanctus Antonius, sicut refert scriptura illa, quæ Vitam describit beati Antonii. *Montem ergo Nitriæ secundum Rufinum primus omnium incoluit, monasteriisque instruxit Sanctus noster. Posterior adeo hic scriptor, utpote secundum quem in monte Nitriæ, cum eo accessit* S. Ammon, *nulla adhuc fuerint monasteria, pugnat cum Palladio, qui ibidem jam tum aliquot exstitisse monasteria, non obscure indicat. Verum utri assentiendum est, Palladione an Rufino? Ambo hi scriptores, utpote ætati* Ammonis *proximi, atque in Nitria versati, omnia prorsus, quæ ad Sancti vitam mortemque pertinent, adjuncta ad amussim potuerunt habere perspecta. Non est ergo, cur saltem hac ex parte potiorem fidem alcruter hic mereatur. Verum Rufino suffragatur loco supra citato Sozomenus, uti etiam apud nos tom. III Maji pag. 295 supparis ævi monachus, qui S. Pachomii, Sancto nostro æqualis, Acta in litteras misit. Utriusque hujus auctoris verba describo.*

Sozomenus et auctor Vitæ S. Pachomii suffragatur, nec Henschenius noster,

14 *Prioris hæc sunt :* Hujus (*de* Ammone *loquitur*) divini Viri, qui monasteriorum in illis partibus (*Monte Nitriæ*) princeps atque institutor fuit, multi ac memorabiles discipuli exstiterunt : *posterioris vero ista :* Quod de Antonio, postquam is e vita migraverat, orbi testatum voluit sanctissimus archiepiscopus Athanasius, cum præclare ab eo Acta E describeret; quibus etiam scriptis sancti patris nostri Ammon conversationem complexus est (ejus videlicet, qui primus fuit fratrum in Monte Nitriæ solitarie degentium) uti et Theodori, quem vitæ suæ socium Ammon habuit. *Ita Sozomenus et Actorum S. Pachomii scriptor suppar, quorum ego auctoritate, cum Rufini testimonio conjuncta, ita afficior, ut in Monte Nitriæ, cum eo accessit* S. Ammon, *nulla adhuc exstructa fuisse monasteria autumem, utut interim ex dictis Palladius oppositum sat aperte doceat. Ast, inquies, S. Frontonius anno circiter Christi 150 fuit in Monte Nitriæ septuaginta fratrum abbas. Ita nimirum ad 17 Januarii in Commentario, Vitæ S. Antonii prævio, num. 12, et ad 14 Aprilis in S. Nrontone seu Frontonio, abbate Nitriensi, opinatur Henschenius, motus hac, quæ Vitæ S. Frontonii, ab auctore coævo scriptæ, subditur, Appendicula :* Hæc sub Antonino (*alias* Antonio) imperatore gesta sunt, tertio decimo anno imperii ejus.

uti Papebrochius docet,

15 *Fateor, sic habet, in ea opinione aliquando fuit Henschenius; verum eam numquam firmiter tenuit, tandemque omnino deseruit. Audi Papebrochium tom. III Maji in Annotatis ad Vitam S. Pachomii pag. 296. Sic ibi habet :* Fatetur... (*Henschenius nimirum*) numquam sine scrupulo ipsam (*Appendiculam proxime huc transcriptam*) a se lectam, multumque dubitatum in Aprili, an, ea neglecta, non esset referendus Fronto ad ætatem Ammonii : nunc vero hoc loco (*Vitæ videlicet S. Pachomii supra citato*) considerato, quem nolit violenta interpretatione torqueri, in eamdem sententiam omnino transire, ac velle S. Frontonii Vitam ab iis, qui recogniturі Aprilem sunt, collocari post martyrum die XIV occurrentium Passiones, ante Vitam S. Abundii : in disquisitione autem prævia de ætate Sancti (*Frontonis scilicet*) mutari num. 2, et expunctis duabus lineis, quibus in principio dubium relinquit, sive tunc mortuus fuerit S. Fronto, sive ab eo anno (*decimo tertio Antonini imperatoris*) cibi ad eum (*S. Frontonem*) cœpti sunt deferri, quod usque ad mortem factum est, vult pro duabus lineis ultimis ante num. 3 hæc substitui : « His ita » consideratis, videretur S. Fronto floruisse seculo » Christi secundo; sed quis jam tunc in Ægypto » fuisse credat monachos tam numerosos, sancto- » rum Pauli, Antonii, Pachomii Vitas legens, in » cujus postremi Vita honoratur S. Ammon titulo » Ἀρχιμανδρίζοντος τῶν ἐν τῷ ὄρει τῆς Νιτρίας ἀδελ- » φῶν? » F

16 Dixerim

semper adversatus est, monasteria fuerunt.

A 16 Dixerim ego, aut Appendiculam istam merum esse imperitumque glossema, aut potius non integre transcriptam a librariis, misereque truncatam fuisse, et sic restituendam : Hæc sub Ammonio Nitriensium monachorum præfecto ac primo institutore, et Constantio imperatore gesta sunt, tertio decimo anno imperii ejus, qui esset Christianæ æræ annus CCCL, sive tunc mortuus fuerit S. Fronto, sive ab eo anno cibi ad eum cœpti sint deferri, quod usque ad mortem factum est; quam sic liceret etiam ad plures annos differre. Huic autem dilationi faverent eæ omnes collationes, ex quibus librum primum de Vitis Patrum Rosweydus noster edidit, ubi inter postremos censetur S. Frontonius et saltem post Paulum, Antonium, Hilarionem, Malchum. *Ita hactenus Papebrochius noster, cujus omnia verba huc volui transcribere, non tantum quod Henschenium suam, qua jam a sæculo æræ Christianæ secundo exstitisse in monte Nitriæ monachos aliquando existimarat, opinionem mutasse, doceant, verum etiam quod et usui infra adhuc futura sint, et argumentum, quod pro admittendis jam a sæculo secundo in monte Nitriæ monachis ex Vitæ S. Frontonis Appendicula supra huc transcripta peti posset, penitus elidant. Itaque, cum sic nihil etiam hinc habeatur, quod Palladio, monasteria in monte*

B *Nitriæ jam tum, cum eo* Ammon *accederet, statuenti, faveat, Rufino ob jam ante dicta adhæreo, in eamque proinde opinionem abeo, quæ nulla in monte Nitriæ, cum eo primum advenit Sanctus noster, monasteria exstitisse statuit.*

Multa porro exstruxit Ammon, uti etiam cellulas.

17 *At vero, sciscitabitur modo non nemo, quot quidem monasteria* S. Ammon *in monte Nitriæ exstruxit? Fuisse jam sub sæculi quarti finem quinquaginta in monte Nitriæ monasteria, Rufinus in Vitis Patrum apud Rosweydum lib.* II, *cap.* 21 *docet; verum quot ex his exstruxerit* S. Ammon, *nulla produnt monumenta antiqua. Fuisse tamen non pauca ab illo exstructa, colligere utcumque fas est ex ingenti discipulorum multitudine, quam Sanctus, Nitriensem eremum jam ingressus, sibi habuit adjunctam.* In brevi..., *inquit de* Ammone, *in montem Nitriæ jam delato, Rufinus,* multitudines congregat monachorum. *A Rufino non multum abludit Socrates loco jam supra citato sic scribens :* Multi porro hujus Ammonis vitam imitati sunt, et montes Nitriæ atque Scetis paulatim monachorum multitudine sunt repleti. *Nec tantum Sanctus monasteria in monte Nitriæ exstruxit, verum etiam multas cellulas, in quas, qui jam ad summum virtutis culmen pervenissent, vitæque magis solitariæ apti forent, sese reciperent, in vasta solitudine, monti adjecta, vel ipsemet*

C *condidit, vel condi saltem permisit aut etiam curavit; atque id quidem in loco* (*adi supra num.* 2 *et infra num.* 22) *tribus circiter aut quatuor leucis a Nitria dissito. Cellulæ illæ, in quibus singulis singuli tantum includebantur monachi, tanto invicem spatio erant sejunctæ, ut alter alterum nec videre nec audire posset. Porro in exstruendis illis cellulis, saltem quantum ad locum, quo fuere exstructæ, partem etiam habuit S. Antonius. Qui id factum sit, uti etiam quanta hunc inter Sanctum et* Ammonem *familiaritas intercesserit, jam nunc dicenda aperient.*

Ammon ex miraculis nomen suum reddidit illustrius,

18 *Sanctus noster, utut in remoto ab hominum societate loco constitutus, virtutum suarum fama longe lateque per universam Ægyptum adjacentesque regiones dispersa, magnum brevi atque illustre nomen obtinuit. Id porro ex ingenti miraculorum, quæ operabatur, multitudine non parum deinde est auctum. Hæc, inquit Sozomenus,* ab Ægypti monachis studiose notata sunt : quippe qui magni æstimant, veterum monachorum virtutes continua successione sibi a majoribus traditas accurate commemorare. *Verum cum monachi illi præfata miracula nosse, atque ad posteros sola traditione transmittere fuerint contenti, pauca dumtaxat ex illis ad cognitionem nostram pervenerunt. Sanctus Athanasius dignum censuit unum, quod Vitæ S. Antonii, quam scripsit, insereret, illudque tanti Viri auctoritas celeberrimum effecit. Adhæc fuit in causa, cur ab omnibus, quos quidem viderim, auctoribus, de* S. Ammone *tractantibus, fuerit summa cura relatum. Illud proinde, ne aliis hac in re palmam cedam, ipsis S. Athanasii verbis etiam huc transcribo.*

AUCTORE C. B.

iisdemque, quorum unum ex S. Athanasio huc transcribitur,

19 *Sic habet :* Cum trajiciendus sibi (*sancto* Ammoni) esset Lycus fluvius, quo tempore exundabant aquæ, rogavit Theodorum socium, ut procul secederet, ne sese nudos aspicerent in tranando aquam. Abscedente Theodoro, etiam tum puduit sese nudatum videre. Dum pudore et sollicitudine agitaretur, illico in ripam transfertur alteram. Theodorus itaque, pius et ipse vir, ut reversus vidit illum antevertisse, neque prorsus aqua madidum esse, rogabat, quo ille modo transmeasset. Quem abnuentem dicere ut vidit, apprehensis ejus pedibus, affirmabat, se non ante dimissurum, quam edisceret ab illo. Animadversa Amun Theodori contentione in eo maxime quod dicebat; vicissim postulavit, nemini ut rem aperiret ipse usque ad mortem ejus, et tunc narravit, gestatum se atque trans fluvium positum fuisse, nec vel minimum in aquis deambulasse, neque prorsus id ab hominibus, nec nisi a Domino fieri posse, et quibus ipse concederet, ut olim magno Apostolo Petro. Theodorus itaque rem ejusmodi narravit post mortem Amunis. *Duo adhuc alia miracula, quæ* Ammonis *meritis* E *fuerint patrata, narrantur a Rufino. Verum narrantur et in Vita edenda, hucque proinde a me transcribi non debent : neque enim, ut id faciam, eadem, quæ ad miraculi ex Athanasio jam recitati narrationem, ratio impellit.*

majorem obtinuit apud S. Antonium æstimationem;

20 *Porro miraculorum, quæ magno numero patrabat* Ammon, *adeo increbrescebat fama, ut etiam ad ipsum, in quo habitabat Antonius, deferretur montem, utut a monte Nitriæ, teste in Vita S. Antonii Athanasio, tredecim dierum itinere remotum. Hinc cœpit magnus ille Sanctus pluris adhuc facere* Ammonem, *quem jam antea, teste Rufino, plurimi fecerat suspexeratque ob raras eximiasque virtutes, quas non tantum ex aliorum relatu didicerat, verum etiam ipsemet coram observarat, uti fas est colligere ex iis, quæ in Vita S. Antonii de* Ammone *memorat Athanasius. En verba :* Erat quippe (Ammon *scilicet monachis S. Antonii ac proin ipsimet Antonio*) notus, quod frequens istuc (*ad montem Troicum,* Antonii *vulgo dictum*) se conferret, multaque per eum ederentur signa. *Nec tantum magnam de* S. Ammone *æstimationem conceperat Antonius, verum etiam intimam cum eo, ut apparet, amicitiam familiaritatemque contraxerat. Duo, quibus id probem, argumenta adduco in medium. Primum, cui tamen multum insistendum, non reor,* F *petitur ex Apophthegmatis Patrum apud Cotelerium Monument. Græcor. tom. I, pag.* 392, *ubi hæc leguntur :* Abbas Ammun Nitriota venit ad abbatem Antonium, et ait illi : Ego plus te laboravi; cur ergo nomen tuum magnificatum est inter homines super me? Respondit abbas Antonius : Quoniam Deum plus, quam tu, diligo. *Eadem ad verbum fere etiam apud Rosweydum in Vitis Patrum lib.* V, *cap.* 17 *occurrunt, familiaritatemque, si modo veritati congruant, Antonium inter et* Ammonem *arguunt. Verum tum quæstio, tum responsio, quam comprehendunt, habet sane, cur cuilibet mira credituque appareat difficilis. Quis enim vel quæstionem hujusmodi vel responsionem cum vanæ gloriæ fuga, altaque sanctorum Virorum animi demissione facile componat?*

quo etiam Sancto usus est familiariter.

21 *Priori itaque, quod ex verbis huc jam transcriptis formatur, argumento utcumque quidem probatur, non tamen sat solide stabilitur Sancti nostri cum S. Antonio familiaritas. Alterum adeo, quo hanc firmius stabiliam, in medium nunc adduco. Petitur id itidem ex Patrum Apophthegmatis; in his quippe apud Cotelerium Monument. Græcor. tom. I, pag.* 351 *et seq. ita memoratur :* Venit aliquando abbas Antonius ad abbatem Amun in Monte Nitriæ, et ubi congressi sunt, dicit abbas Amun : Quandoquidem per preces tuas fratres multiplicati sunt, cupiuntque

AUCTORE C. B.

cupiuntque eorum nonnulli cellas dissitas ædificare, ut quiete inibi vivant; quanto spatio jubes, ut construendæ cellæ distent ab hoc loco? Dixit ille: Manducemus hora nona (*nostro horas computandi modo* hora tertia *post meridiem*) et egrediamur, ac solitudinem perambulemus conspiciamusque locum. Ut autem peragrarunt, quo usque sol ad occasum venisset, ita locutus est abbas Antonius: Oremus, atque hic statuamus crucem, ut ibi ædificent, qui ædificare volunt; quo ii, qui illic manebunt, quando ad eos, qui hic versaturi sunt, accedere voluerunt, gustata ad horam nonam parva sua buccea, sic accedant; et qui hinc idem facientes perrexerint, in mutua visitatione absque mentis distractione perseverent. Est autem intervallum lapidum duodecim. *Invisit igitur* Ammonem *aliquando etiam S. Antonius; quod utique amicitiæ, ab hoc cum illo cultæ, argumentum est minime dubium. Adhæc* Ammon (*vide verba ex Patrum Apophthegmatis proxime huc transcripta*) *distantiam etiam a Nitriensi monte, qua in deserto novas, quas monachis suis, numero jam auctis, meditabatur, cellulas exstrueret, assignari sibi voluit a S. Antonio, hicque etiam reipsa illam assignavit, ut sane alter altero usus fuisse videatur perquam familiariter.*

Loci, qui Cellia dicebatur, origo.

22 *Nec hoc tantum ex mox recitatis Apophthegmatum verbis discimus, verum etiam historiam, his comprehensam, ortum nomenclationemque, quod supra indagandum assumpsi, dedisse loco, qui, ut* B *num.* 2 *dictum, ob ingentem cellularum hac illacque in illo dispersarum multitudinem* Celliorum locus *seu* Cellia *audiebat. Verum illam historiam ob magnam quatuor leucarum seu duodecim lapidum distantiam, quam cellulas, in solitudine monti Nitriæ contigua exstruendas, habere ab hoc monte voluerit Antonius, tom. VII Monumentorum Ecclesiasticorum, pag.* 157 *in dubium vocat Tillemontius. Ast an merito? Ratio, cur id faciat, rem minime, ut mihi equidem apparet, potest evincere. Sunt enim, qui distantiam, quam a monte Nitriæ habuerit Celliorum seu Cellularum locus, vel prorsus faciant eamdem vel paulo dumtaxat minorem. Rufinus apud Rosweydum de Vitis Patrum lib.* II, *cap.* 22 *sic scribit:* Post hunc vero (*montem Nitriæ nimirum*) alius est locus in deserto interiori, decem fere ab hoc millibus distans, quem locum pro multitudine dispersarum in eremo cellularum Cellia nominaverunt. *Sozomenus Nitriam inter et Cellularum locum stadia statuit septuaginta; quod intervallum distantiam, quæ decem passuum millibus paulo sit minor, complectitur. Cum ergo decem passuum millia quatuor circiter leucas horarias conficiant, Rufinus et Sozomenus* C *Cellularum locum collocant eadem fere a Monte Nitriæ distantia, qua ab hoc illas exstrui* Ammoni *suasit Antonius. Quamvis autem* (*vide num.* 2) *quinque dumtaxat passuum millibus a monte Nitriæ Cellularum locum collocet Cassianus, istæc distantiæ, quam assignat, diversitas verosimiliter trahit originem ex termino diverso, a quo intervallum, quod utrumque inter locum intercedit, numerare incepit. Itaque ob rationem, quam affert Tillemontius, a vero aliena mihi non videtur supra relata ex Patrum Apophthegmatis historia, ac proin Celliorum, quæ ex hac eruitur, origo sat verosimilis apparet.*

§ IV. Sanctus e vivis excedit; tempus, quo hoc evenerit, aliaque nonnulla, ad Ammonem pertinentia, exponuntur.

Ammon diem extremum claudit.

Annos duos supra viginti, intra quos bis quotannis sanctissimam dilectissimamque uxorem suam invisit, in solitudine exegit S. Ammon, *corpus suum sævissime castigans, durissimoque vitæ genere assidue macerans. Docet id in Vita edenda Palladius, aliique, qui res a* S. Ammone *gestas litteris sunt complexi, unanimi fere consensu omnes. At vero, tempore illo expleto, felici e vivis excessu Sanctus migravit ad Dominum, uti iterum Palladius, aliique fere omnes testantur. Ast, sciscitabere, quo tempore id evenit? Annum determinatum nemo sane facile assignet.* D *Verum, utut id ita sit, definire annum, ante quem Sanctus mortalem hanc vitam cum immortali commutarit, nullum plane facessit negotium. Etenim anno* 356, *uti apud nos tom. II Januarii probatum invenies, vivere desiit S. Antonius; ante hunc autem* Ammon *omni dubio procul mortem obiit. Liquet id ex iis, quæ in Vita S. Antonii memoriæ prodita reliquit S. Athanasius.* Iterum, *inquit*, in monte (*sanctus Antonius*) cum sederet, sublatis oculis, vidit in aere quemdam efferri, et magnum eorum gaudium, qui ipsi irent obviam, admiratus ille, atque ejusmodi cœtum beatum prædicans, rogabat, ut, quid illud esset, ediceret; voxque statim ad illum facta est, esse Amunis in Nitria monachi animam. Is ad obitum usque in ascetæ statu perseverarat. Atque a Nitria distat mons, in quo erat Antonius, tredecim dierum itineris intervallo. Qui cum Antonio erant, cernentes admirantem senem, rogabant, quid id esset, audierequ: Jam obiit Amun. Erat quippe notus, quod frequens istuc se conferret, multaque per eum ederentur signa. *Ita hactenus Athanasius, cujus omnia verba huc volui transcribere, non tantum quod doceant, animam* Ammonis *ad cælum deferri vidisse Antonium; verum etiam quod usui postea adhuc futura sint. Hoc præmonito, in annum quo circiter obierit Sanctus noster,* E *pergo inquirere.*

Id ante annum 356.

24 *Habemus utique ex Athanasii verbis, jam recitatis, obiisse illum ante S. Antonium, ac proin ante annum, quo hic Sanctus obiit, trecentesimum quinquagesimum sextum. At vero, an etiam annus anterior, ante quem* Ammon *obierit, assignari non potest? Apud nos tom. III Maji in SS. Pachomio et Theodoro abbatibus exstat epistola, ab Ammonio episcopo, Tabennensi quondam monacho, ad Theophilum, patriarcham Alexandrinum, de conversatione et particulari Vita SS. Pachomii et Theodori abbatum conscripta. Porro in hac primo narrat Ammon episcopus, qui in monasterio Tabennensi monachum induerit, idque sub finem anni* 332 *factum, num.* 4 *indicat. Deinde vero num.* 21 *sic scribit:* Inde cum tertius mihi inter monachos degenti ageretur annus, nonnemo e patris mei amicis ad monasterii fores cum me una cum Bessarione, egregio Dei servo et id temporis janitore, conspexisset, multis obsecravit, nuntians, qua ratione mater mea, ex quo die propinquos et familiares deseruerat, magno fuisset dolore oppressa; pater vero universa Ægypti ac Augustamnicæ monasteria adiens, ubi me nullibi reperire potuit, haud aliter quam vita functum deflevisset. Quibus ego auditis, virum Dei Theodorum oravi, monachos mihi ut binos adjungeret, in quorum comitatu matrem F videre et consolari, ac deinde cum ipsis redire ad monasterium daretur.

imo etiam ante annum 355.

25 Tum ille ad me: Matrem quidem tuam Christianis esse adscriptam scias; tu vero hisce in partibus deinceps non versabere. Quapropter auctor tibi sum, in Monte Nitriæ ut domicilium deligas: illo siquidem loco Viri degunt sanctitate conspicui, Deoque gratissimi. Theodorum indicare volebat eum, qui cum Ammone versabatur, *seu hujus fuerat discipulus,* (ad huc quippe is in vivis erat) et Ælurionem, et Ammonium, qui non diu post defuncti sunt. *Fuit ergo Ammon episcopus, cum tertium jam ageret in monasterio Tabennensi annum, secedere ex hoc compulsus, ac proin anno verosimiliter* 355, *cum ex dictis idem monasterium sub finem anni* 352 *primum fuisset ingressus. Tunc autem* (*vide verba proxime recitata*) *Theodorus, Tabennensium abbas, ei suasit, ut ad montem Nitriæ atque adeo ad Theodorum,* Ammonis, *quo de nimirum hic agimus, quondam discipulum, sese conferret. Porro cum Ammon episcopus, in vivis adhuc tunc, cum id ipse consilii a Theodoro, Tabennensi abbate, accepit, exstitisse superstitem Theodorum Nitriensem, verbis mox recitatis diserte affirmet, nihilque simile de* Ammone, *hujus magistro, quem tamen etiam nominat, memoriæ prodat, sat aperte indicat, vita hunc jam tum functum*

A *functum fuisse. Adhæc* Ammonem *jam tum, cum Theodori Tabennensis suasu montem Nitriæ petiit Ammon episcopus, e vivis fuisse sublatum, etiam apparet ex eo, quod Ammon episcopus inter viros, in monte Nitriæ sanctitate conspicuos, nominet Theodorum Nitriensem, non autem hujus magistrum* Ammonem, *qui tamen alioquin, utpote vir sanctissimus, supremusque montis Nitriæ abbas, primo loco nominandus fuisset. Itaque, cum ex dictis Ammon episcopus anno 333 fuerit a Theodoro Tabennensi missus ad montem Nitriæ, anno illo Sanctus noster non amplius fuerit in vivis superstes, ac proin verosimiliter non serius quam anno 334 vitam hanc mortalem cum immortali commutarit. Verum an id etiam citius non evenit?*

non tamen ante annum 345 aut 346,

27 *Sanctus, ut Menologium Basilianum simulque, quemadmodum apparet, supra huc ex Menæis Ambrosianis transcriptum elogium perhibet, in eremum seu montem Nitriæ, Maximiano imperatore rerum potiunte, sese recepit; quapropter, cum Maximianus anno 305 ex calculo, apud eruditos omnes nunc recepto, sese imperio abdicarit,* S. Ammon, *utpote qui ex testimonio Palladii et Sozomeni, a cunctis hic admisso, duobus dumtaxat annis supra viginti in vita ascetica, seu in monte Nitriæ expletis, obierit, ultra annum 327 aut 328, si duobus illis Fastis sacris standum sit, vitam non protraxerit. Verum*

B *tam Menologium Basilianum quam Menæa Bibliothecæ Ambrosianæ Mss. sublestæ admodum fidei, ut sæpius in Opere nostro indicatur, monumenta sunt, ac proin ex his tempus, quo circiter vivere desierit* Ammon, *sat tuto definiri non potest; quod, potiori etiam in duobus illis monumentis Græcis admissa fide, fieri tamen vel idcirco non posset, quod Socratis historici sequantur errorem num. 9 et seq. refutatum, quo Sanctus, statim atque matrimonium contraxerat, in eremum statuitur ingressus. Alio itaque, ut annum circiter, quo non citius, ad Dominum migrarit* Ammon, *hic determinemus, recurrendum est. Sozomenus loco supra plus semel citato sub Constantino Magno, paulo antequam de synodo Nicæna, in causa Arii congregata, agat, monasticam seu asceticam* S. Ammonis *vitam ponit. Videtur adeo secundum hunc scriptorem Sanctus noster non diu ante synodum Nicænam, anno 325 contra Arium celebratam, in Nitriensem eremum sese recepisse, vitam dienceps monasticam seu asceticam ducturus. Fuerit proinde ex mente Sozomeni id anno circiter vel 325 vel 324 factum. Quapropter, cum secundum Palladium atque ipsummet etiam Sozomenum* S. Ammon *in Nitriensi eremo, postquam hanc ingressus est, annos duos supra viginti exegerit, ex posterioris hujus scriptoris mente non ante annum 345 aut etiam non ante annum 346*

C *mortalem hanc vitam Sanctus noster terminarit.*

imo vero nec forte ante annum 349

28 *Verum an ex eo, quod Sozomenus synodo Nicænæ præponat Sancti nostri in eremum Nitriensem secessum, necesse omnino est, ut hic ante illam ac proin anno vel 325 vel 324 evenerit? Sozomenus temporis ordinem, quo res gestæ sunt, non ubique, ut a pluribus notatum, rigide observat, ac proin nihil obstat, quo minus* Ammonis *in Montem Nitriæ secessus aliquot etiam annis post synodum Nicænam differatur, si modo, cur id fiat, ratio aliunde queat afferri. Dispiciendum adeo est, an id locum hic obtineat. Papebrochius noster (vide verba ejus num. 13 et seq. huc transcripta) Appendiculam, Vitæ S. Frontonis seu Frontonii apud nos ad quartum decimum Aprilis diem subjunctam, mendosam prorsus putat, sicque illam pronuntiat esse restituendam :* Hæc sub Ammonio Nitriensium monasteriorum præfecto ac primo institutore, et Constantio imperatore gesta sunt tertio decimo anno imperii ejus. *Placet hæc mihi Papebrochii opinio. Jam vero, cum res, de quibus in Appendicula, ita ad mentem Papebrochii restituta, sermo est, anno tertio decimo Constantii imperatoris simulque sub* Ammonio, *primo Nitriensium institutore, gestæ dicantur, hic utique* Ammonius, *qui alius non est a Sancto nostro, anno Constantii imperatoris tertio decimo, qui partim cum anno Christi 349, partim cum anno 350 congruit, in vivis adhuc fuit superstes. Hinc porro jam consequitur, ut Sancti nostri, utpote qui viginti duos ante obitum annos in monte Nitriæ vitam asceticam duxerit, in montem hunc secessus aliquot etiam post synodum Nicænam annis ob rationem aliunde petitam possit differri.*

AUCTORE C B.

29 *Ne vero quis memoratam Appendiculam, prout a Papebrochio restituta est, vel ex eo forsan, quod* Ammonem *anno 349 aut etiam anno 350 contra Sozomenum vivis adhuc annumeret, rejiciendam putet, Sanctum anno 349 aut etiam anno 350 in vivis adhuc fuisse superstitem, alio insuper argumento probo. Tom. I Operum S. Athanasii recentioris Benedictinorum editionis pag. 959 et binis seqq. exstat epistola, ab hoc sancto Patre ad Amunem monachum, quem plerique eruditi cum Sancto nostro faciunt eumdem, conscripta. Quæstio quædam apud monachos exorta epistolæ occasionem dedit. Nonnulli quippe hos inter erant, qui nocturnis illusionibus temerari animi corporisque puritatem contenderent. Hac adeo de re ab* Amune, *Sancto nostro, per epistolam interrogatus S. Athanasius, non inesse ei rei, dum absit propositum, plus peccati, quam egerendis quibuslibet corporis excrementis, ea respondet auctoritate, quæ episcopum, inquit tom. VII Monumentorum Ecclesiasticorum pag. 673 Tillemontius, jam seniorem dumtaxat decet; eratque, ut apparet, S. Athanasius, cum id fecit, vel Alexandriæ vel in loco ab hac urbe non multum remoto constitutus. Quam ob rem, cum ante annum 341 sanctus* E *ille pater, utpote anno 326 ad cathedram Alexandrinam dumtaxat promotus, nondum fuerit senior episcopus; ab anno autem 341, quo sede sua a Gregorio pseudo-episcopo fuit ejectus, ad annum usque 349 Alexandria procul exsularit, videtur præfatam epistolam non ante annum 349 aut etiam 350 ad* Amunem, *Sanctum nostrum, dedisse, ac proin hic ad annum usque 349 aut etiam 350 in vivis adhuc fuit superstes. Non citius adeo, quam altero e binis hisce annis mortem obierit. Jam vero, cum secundum jam dicta id etiam non serius quam anno 334 evenerit, fuerit verosimiliter Sanctus inter annum 349 et 334 ac proin anno circiter 350 e vivis sublatus.*

vel etiam 350, evenit;

atque id quidem, contra ac Latinus Palladii textus fert,

30 *Atque ita quidem jam definivimus annum, quo circiter Sancti obitus contigerit, enitamur modo, ut et locum determinemus. Sanctus Antonius, uti apud Rosweydum in Vitis Patrum Latinus Palladii textus, a nobis hic edendus prodit,* Ammoni *instare obitum ex divina revelatione edoctus, Virum sanctum, quo et ejus alloquio frui, alterque pro altero Dominum precari queat, ad sese accersit, venientem imminentis obitus, quem divina revelatione didicerit, certiorem facit, locoque separato positum, ne ex hoc ante suam ad Superos translationem egrediatur, hortatur. Ita quantum ad substantiam Latinus Pal-* F *ladii apud Rosweydum textus, secundum quem proinde* S. Ammon *non in monte Nitriæ, sed in monte Troico, qui communiter* Mons S. Antonii *dicitur, diem extremum clauserit. Verum illa Latini textus Palladii narratio, quæ hoc exigit, quæque jam compendio hic data est, nec in Græco Palladii textu occurrit, nec in Heraclidis apud Rosweydum in Vitis Patrum Paradiso, qui tamen etiam* S. Ammonis *historiam complectitur.*

in Nitriensi monte seu eremo.

31 *Cotelerius tom. III Monumentorum Græcorum pag. 139 exhibet quidem textum Græcum, in quo id ipsum, quod in textu Latino Palladii referri jam docui, etiam narratur; verum, inquit Tillemontius tom. VII Monumentorum Ecclesiasticorum pag. 672, textus ille Græcus adeo est barbarus, ut Palladii esse minime videatur. Nescio, an eamdem, quam in Græco textu per Cotelerium allato hic deprehendit Tillemontius, styli barbariem quisque deprehensurus sit; verum, utut id sit,* Ammonem *in Monte Nitriæ vita functum esse, certum fit atque indubitatum ex verbis Athanasii num. 23 huc transcriptis; quibus etiam, quæ hic sanctus pater miraculo de Lyco fluvio, per* S. Ammonem *prodigiose transmisso, proxime subjungit, hæc adde :* Monachi porro, quibus mortem Amunis renuntiaverat Antonius, obervato die, advenientes post dies triginta

AUCTORE C. B.

ex Nitria fratres interrogarunt, atque compererunt, ea ipsa die et hora obiisse Amunem, qua ejus animam sursum ferri senex viderat. Ac utrique puritatem animæ Antonii summopere mirati sunt, qui a triginta (*imo tredecim, ut Græce habetur*) dierum itineris intervallo statim rem didicerat, animamque sursum ferri conspexerat. *Ita Athanasius, non obscure sane tum his, tum verbis num.* 23 *recitatis indicans,* Ammonem, *non in monte S. Antonii; sed in Nitriensi solitudine obiisse.*

Synesius in Dione de Ammone nostro,

32 *Verum hæc de loco, quo Sanctus obierit, dicta sufficiant. Ad aliud, quod de Sancto adhuc restat, progredior. Synesius in Dione seu de ipsius Vitæ instituto, agens de ingenita quorumdam animis vi, ut sine subsidio litterarum seu scientiarum quæque tractare possint, ait :* Ὁποῖος Ἀμοῦς ὁ Αἰγύπτιος οὐκ ἐξεῦρεν, ἀλλ' ἔκρινε χρείαν γραμμάτων· τοσοῦτον αὐτῷ σοῦ νοῦ περιῆν. Qualis Amus Ægyptius, litterarum usum non reperit, (*malim ego hic cum Rosweydo vertere* acquisivit) sed judicavit. Tanta in eo erat mentis vis. *Ita Petavius et Cotelerius Græca illa Synesii verba interpretantur. Verum, cum sensum forment admodum obscurum, opportune, ut Rosweydus in Vitis Patrum pag.* 69 *docet, in Ms. Mediceæ Codicis margine ita a Scholiaste apponitur :* Ἐρομένου τινὸς αὐτὸν, εἰ ἀναγκαῖα τὰ γράμματα, ἔφη. Εἰ ὁ νοῦς ἐῤῥωται, τίς χρεία γραμμάτων; Τὸ δὲ οὐκ ἐξεῦρεν, ἀλλ' ἔκρινε χρείαν γραμμάτων, ἀντὶ τοῦ, οὐκ ἐχρήσατο αὐτὸς γράμμασιν, ἀλλ' ἀπεφήνατο τούτους δεῖσθαι γραμμάτων, οἵτινες οὐ μέγεθος εὐτύχησαν νοῦ, ἵνα τὴν ἐνδειαν ἐντεῦθεν ἐπανορθῶνται. Cum quidam eum (Ammonem *nimirum*) interrogaret, si litteræ necessariæ essent, inquit : Si mens sana est, quis litterarum usus? Hoc vero, quod hic dicitur, litterarum usum non acquisivit, sed judicavit, ideo dicitur, quod ipse non usus sit litteris, sed edixerit, eos litteris seu scientiis indigere, quibus parum mentis obtigit, ut inde mentis defectum supplere et corrigere possint. *Porro Petavius putat, illa Synesii hujusque Scholiastæ verba de* Ammone *Ægyptio seu Sancto nostro esse intelligenda. Verum idem fere responsum, quod his concipitur, S. Antonio attribuit S. Athanasius.*

B

non autem de Ammone, cujus Plutarchus meminit, verosimilius debet

33 *Hinc nonnullis creditur memoria lapsus esse Synesius, perperamque, quod Antonio Ægyptio attribuendum erat,* Ammoni *Ægyptio attribuisse. At vero hæc mihi illorum opinio non probatur. Quid ni enim bis idem simileve ad eamdem quæstionem responsum datum esse potuerit, altera quidem vice ab Antonio, altera vero ab* Ammone *Ægyptio? Cotelerius tom. III Monumentorum Græcorum col.* 364 *in Notis ita scribit :* Mihi vero... suspicio oritur, Synesio in mente fuisse Amun Ægyptium veterem illum, cujus mentio habetur apud Plutarchum lib. de Iside et Osiride, et Jamblichum de Mysteriis sect. 8, cap. 3 tamquam mentis et occulti, occultorumque declaratoris, nec non præsidis veritatis. Nam non multo post iterum scribit Synesius : Ἐυμοιρήσαντος ἐκείνην τῆς ψυχῆς τὴν ἀξίαν, ἣν Ἀμοῦς, ἡ Ζωροάστρης, ἡ Ἑρμῆς, ἡ Ἀντόνιος. Eximiam illam animæ conditionem feliciter adeptos, quam Amus, aut Zoroastres, aut Hermes, aut Antonius habuerunt. Vides, Amun præponi Zoroastri et Hermi, atque disjungi ab Antonio? Quamquam nolim circa rem obscuram contendere. *Ita hactenus loco citato Cotelerius. Verum, inquit Tillemontius tom. VII Monumentorum Ecclesiasticorum pag.* 673, *cum Synesius postea repetens, quod de Amune pronuntiarat, Antonium ei adjungat, nec Cotelerius ethnicum, de quo intelligatur, Antonium, inveniat, imo vero Synesii dicta ad Antonium, anachoretarum patrem, videatur referre, non video, qua de causa Ammon seu Amun, quem tantopere laudat Synesius, credinequeat* Ammon *Nitriensis, ut credidit Petavius. Nitria non multum erat remota a Libya, ubi degebat Synesius. Quod autem ponat Synesius Amonem ante Zoroastrem et Hermetem; Antonium vero post illos, nimis infirma est ratio, ut* Amonem *credatur his omnibus facere antiquiorem. Hæc fere quantum ad substantiam Tillemontius, Petavii aliorumque, qui Ammonem Synesii statuunt a nostro non diversum, opinionem amplectens.*

C

D

intelligi : id tamen vel ex Sancti cum aliis homonymia potest revocari in dubium.

34 *In hanc et ego veluti verosimiliorem non illubenter concedo, ac proin de Sancto nostro etiam intelligo Synesium, quando alibi* Amonem *et Antonium cum iis, quæ maxima antiquitatis existimabat lumina, comparans, ita etiam fere de illis profatur : Homines hujusmodi scientiarum præsidio haud indigent, utpote pollentes ingenio, cui et velle et exsequi æque sit facile, seque, si quempiam hujusmodi offenderet, venerationem ei omnem, et tantum non adorationem, impensurum. Porro quamvis quidem Synesius verosimiliter debeat in Opere laudato de* Ammone *nostro intelligi, potest tamen id vel ex Sancti cum aliis homonymia merito etiam, uti ex jam dictis facile colliges, revocari in dubium. Pari jure dubitari etiam potest, an omnia prorsus, quæ sparsim in libris de* Ammone *Nitriota commemorantur, re etiam vera ad Sanctum nostrum spectent, ac nominatim quidem, an ei recte attribuatur consilium, quo monachus, ut in Monumentis Græcis apud Cotelerium tom. I pag.* 392 *et seq. refertur, periculosa tentatione prodigiose fuerit liberatus. Etenim præter Ammonem episcopum, supra jam memoratum, Tabennensem quondam monachum, multi adhuc alii monachi, Sancto nostro homonymi, quibus illa convenire queant, in Ægypti eremis vixere. Ac plures quidem* E *apud nos tom. II Januarii pag.* 722 *et seq. ex Vitis Patrum recensentur, omnes vel sanctitatis et miraculorum fama vel certe vita in eremis piissime rigidissimeque acta illustres. His porro ibidem additur et alter, qui Dioscorum, Eusebium et Euthymium fratres habuit, quique quamvis ab episcopis, velut hæreticus, fuisse damnatus, ab Hieronymo epistola ad Ctesiphontem affirmetur, vitam tamen et ipse inter severissima pœnitentiæ opera in eremo exegit.*

VITA

Auctore Palladio,

Ex Historia Lausiaca apud Rosweydum cap. 8.

Dicebat autem Amon hoc modo vixisse *a*. Cum esset, inquit, parentibus orbatus Adolescens circiter viginti duos annos natus, vi a suo patruo *b* mulieri junctus est matrimonio, et cum non posset resistere necessitati, quam ei afferebat patruus, visum est ei et corona redimiri *c*, et sedere in thalamo, et omnia sustinere, quæ fiunt in matrimonio. Postquam autem omnes essent egressi, qui in thalamo et lecto dormituros collocaverant, surgit beatus Amon, et claudit fores : et sedens vocat beatam et germanam suam conjugem, et ei dicit : Adesdum, domina soror. Deinde, rem tibi narrabo, hoc, quo conjuncti sumus, matrimonium, nihil habet eximium.

Ammon, ad nuptias a patruo compulsus,

a

b

c

F

2 Recte ergo faciemus, si abhinc unusquisque nostrum seorsum dormierit, ut Deo placeamus, intactam nostram reddentes virginitatem. Et cum e sinu suo parvum libellum *d* protulisset, tamquam ex persona Apostoli et Servatoris legebat puellæ, quæ erat ignara litterarum, plurimam lectionis partem adjiciens ex sua divinitus inspirata doctrina et in vita, in virginitate et castitate degenda eam instituens. Quo factum est, ut illa, Christi gratia repleta diceret : Ego quoque, Domine mi, persuasum habeo, fore ut castam vitam libenter agam; et si quid jubes, hoc deinceps faciam. Ille vero, Ego, inquit, jubeo et rogo, ut unusquisque nostrum seorsum maneat.

muori castitatem persuadet;

d

3 Ea vero hoc non tulit, dicens : Maneamus in eadem domo, sed in diversis lectis. Vivens ergo cum ea decem et octo annos in iisdem ædibus, toto die vacabat horto et balsameto *e*. Operabatur enim balsamum, quæ balsamus instar vitis plantatur, ut in qua colenda et putanda multum laboris ponitur. Vespere ergo domum ingrediens, et faciens orationes, cum ea comedebat. Et rursus nocturnas preces

huic tamen, tori tantum, non domus, separationem volenti, 18 annos cohabitat;

e

A preces fundens et synaxim peragens, summo mane ibat in hortum. Cum hæc sic fierent, et pervenisset uterque ad impatibilitatem *f*, vim et efficaciam habuere preces Ammonis.

f

post quos, illa tandem domo etiam sejungi consentiente,

4 Postremo autem ei dicit illa beata : Est aliquid, quod tibi dicam, Domine mi, ut, si me audieris, mihi plane constabit, quod vere ex Deo me diligas. Is vero ei dicit : Dic, quod velis. Ea vero dicit illi : Æquum est, ut tu, qui es vir pius et religiosus, et exerces justitiam, et similiter ego, qui* eandem viam instituti sum secuta, seorsum maneamus, et multi ex eo capiant utilitatem. Non par est enim, ut propter me tanta et talis occultetur tua virtus philosophiæ, qui mecum propter Christum cohabitas in castitate. Is vero, cum ei gratias egisset, et gloriam Deo dedisset, ei dicit : Recte tibi visum est, domina soror, et si hoc tibi placet, tu habeto hanc domum; ego vero abibo, et aliam mihi domum faciam.

** l. quæ*

in montem Nitriæ secedit, ibique vita sanctissime acta, patratisque variis,

g

5 Qui cum ab ea esset egressus, ingressus est interiora montis Nitriæ. Nondum enim tunc illic erant frequentia monasteria *g*, et sibi fecit duos cellarum tholos. Et cum vixisset alios viginti duos annos, et recte summam exercitationis virtutem exercuisset, in vita obiit monastica, vel potius translatus est sanctus Amon, natus sexaginta duos annos, bis in anno videns beatam vitæ suæ consortem. Cum is ergo solus esset in Netriis, ferunt ad eum puerum rabie exagitatum, vinctum catenis. Canis enim rabiosus mordendo illi rabiem dederat. Seipsum ergo totum laniabat, ut qui intolerabilem morbum ferre non posset.

B

quorum unum

6 Postquam ergo vidit ejus parentes ad supplicandum procedentes, Quid mihi, inquit, labores exhibetis, o homines, ea petentes, quæ mea merita superant, cum in vestris manibus præsto sit auxilium. Reddite enim viduæ bovem, quem clanculum occidistis, et sanus reddetur vobis puer. Illi ergo, cum convicti essent, læti fecerunt, quæ jussa fuerant, et, eo orante, puer sanus evasit. Accesserunt autem alii ejus visendi gratia, ad quos dixit Vir sanctus tentandi eorum animi gratia.

et alterum,

7 Afferte ad me dolium unum, ut habeam satis aquæ ad eos, qui veniunt, excipiendos. Ii autem promiserunt, seipsos allaturos. Cum autem alterum pœnituisset, ubi in vicum venissent, dicit alteri : Nolo occidere camelum, neque ei dolium imponere, ne moriatur. His auditis, alius, suis junctis asinis, magno labore dolium sursum portavit. Præveniens autem Amon ei dixit : Quid quod socii tui camelus est mortuus, interim dum huc venisti?

h

Is autem reversus invenit eum a lupis devoratum *h*.

C Multa quoque alia hic Vir fecit.

ac tertium etiam hic refertur, miraculis,

i

8 Hoc autem miraculum narravit beatus Athanasius, Alexandriæ episcopus, scribens in Vita Antonii *i*, quod, cum aliquando monachi ad ipsum missi essent ab Antonio, erat enim in interiori solitudine Antonius, cum ad ipsum venissent, surrexit senex, et ambulabat cum eis, et cum esset transiturus Lycum fluvium *k* cum ejus discipulo Theodoro, verebatur exui, ne seipsum videret aliquando nudum, et interea dum de ea re dissereret, inventus est trans fluvium, ut qui absque cymba in ecstasi trajecisset, translatus ab angelo. Fratres autem natatu transmiserunt.

k

apud S. Antonium, qui animam ejus ad cælum ferri videt, vita defungitur.

9 Postquam autem accessit ad Antonium, primus ei dixit Antonius : Cum Deus mihi multa de te revelasset, et tuam translationem mihi significasset, te ad me accersivi necessario, ut, cum nobis invicem frui licuisset, pro nobis invicem intercederemus. Cum autem eum collocasset in quodam loco longe separato, hortatus est, ne recederet ante translationem. Cum autem ipse seorsum fuisset consummatus, vidit Antonius ejus animam in cælum assumptam ab angelis *l*. Hic est ergo Amon, qui sic vixit, et sic obiit. Hunc Lycum fluvium ego cum metu pontone aliquando transmisi. Est enim fossa Magni Nili.

l

ANNOTATA.

a *Quæcumque hujus Vitæ auctor de* Ammone *hic refert, didicit ex Arsisio, Montis Nitriæ monacho, qui* Ammonem *erat intuitus, eumque verosimiliter etiam habuerat magistrum. Liquet id ex verbis, quæ dicendis de* S. Ammone *cap.* 7 *proxime præmittit, uti hoc inspicienti patescet.*

b *Dissonat hic a Palladio Rufinus, scribens,* Ammonem *non a patruo, sed a parentibus ad nuptias fuisse compulsum. Utri potius assentiendum sit, ex Commentario num.* 7 *et seq. collige.*

c *In more scilicet olim positum erat, ut nuptiarum die tam sponsus, quam sponsa corona redimiretur. Claudianus de nuptiis Honorii ita canit:*

Tu festas, Hymenæe, faces, tu, Gratia, flores
Elige, tu geminas Concordia necte coronas.

Plura de hoc argumento videsis apud Rosweydum in Onomastico ad titulum Corona redimiri.

d *Verosimillime Novi Testamenti librum; in hoc enim tum Christus ipse, tum Paulus Apostolus multa in cælibatus commendationem commemorat.*

e *Secundum Socratem, cui Menologium Basilianum suffragatur, se Sanctus non diu post contractas nuptias a conjuge sua separavit non tantum* E *lecto, verum etiam habitatione et domo. Adi Commentarium num.* 9 *et seq., ubi etiam invenies, Palladio hic fidem potius esse attribuendam.*

f *Ita hic explicatur, quæ in Græco textu adhibetur a Palladio, vox* Ἀπαθεία; *quam uti ad Ctesiphontem scribit Hieronymus,* Nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere, quando numquam animus ullo perturbationis vitio commovetur; et, ut simplicius dicam, vel saxum, vel Deus est. *Itaque vox* Ἀπαθεία; *a Palladio Græce adhibita, quæ hic* impassibilitas *Latine redditur, idem Latine sonat atque* affectuum perturbationumque vacuitas. *Uti autem hæc Deo inest naturaliter, ita et virtutum exercitio, impigro Dei cultu, perpetuaque cum Creatore interna animi conversatione comparari ab homine in hac vita non perfecte, sed eo dumtaxat modo potest, quo fieri id humana permittit fragilitas. Nec enim homo in hac mortali vita ad illud summæ perfectionis fastigium unquam conscendit, quo deinceps ab omnibus omnino animi perturbationibus sit liber. Hic ergo caute, ut recte monet Rosweydus, legi debet Palladius, qui erroneæ damnatæque Apatheitarum opinioni videtur adhæsisse.*

g *Indicat hic Palladius aliquot etiam in monte Nitriæ, antequam eo se conferret* Ammon, *exstitisse monasteria. Verum vide, quæ in Commentario* F *num.* 13 *et seqq. disputata sunt.*

h *Duo hæc miracula absunt et ab Heraclidis Paradiso apud Rosweydum, et a textu Græco Palladii apud Meursium.*

i *Apud nos tom. II Januarii num.* 80 *et in recentiori Operum S. Athanasii per Benedictinos editione, quam et in Comment. sum secutus, tom. I, parte* II, *pag.* 841 *et seq.*

k *Ortelius in Ægypti Tabula Mæridem inter et Mareotidem paludes ponit Lycum fluvium; verum, cum fluvius, trans quem* Ammon *divina virtute fuerit transvectus, infra vocetur* Fossa Magni Nili, *dubito, an de Lyco Ortelii hic sermo sit, licet interim alium in Ægypto fluvium nomine* Lycum *non norim.*

l *Pugnat hic Latinus Palladii textus cum S. Athanasio, et cum omnibus aliis scriptoribus, qui res, ad* Ammonem *spectantes, litteris mandarunt. Adi disputata Comment. num.* 30 *et seq.*

A D

DE S. PETRONIO, EPISCOPO CONF.

BONONIÆ IN ITALIA.

J. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Petronii apud martyrologos et veteres scriptores mentio, et natales.

CIRCA ANNUM CCCCL. *Sancti,*

Illustrem Bononiensium præsulem juxta ac patronum S. Petronium, *de civitate sua, si quisquam alius, optime meritum, a generis claritudine, doctrina, virtute, miraculis, rebusque præclare gestis, cum martyrologi, tum scriptores alii impense laudarunt: ab illis exordium facio. Martyrologium Usuardi Florentinum ad diem 4 Octobris ita habet :* Item S. Petronii, episcopi et confessoris. *Usuardinum Greveni:* Item, Petronii, episcopi Bononiensis et confessoris, qui Vitas Patrum conscripsisse fertur. *Idem Molani, anno* 1583 *typis editum :* Bononiæ sancti Petronii, episcopi et confessoris. *Germanicum, Canisio vulgo adscriptum :* Item S. Petronii, Bononiensis episcopi et confessoris, qui natione Græcus, imperatorio stemmate oriundus, Græcis Latinisque litteris apprime imbutus, in aula Theodosii II, cujus gener erat, spectatissimus, orationi et eleemosynis se dedit : post Arianæ hæreseos causa Romam venit, a Pontifice episcopus consecratus, Bononiam missus est; ubi populum verbo et exemplo fideliter pavit, et post laudabilem vitam obdormivit in pace. *Constantius Felicius :* Petronius, episcopus Bononiensis, cujus festum solemne et tutelare est. Floruit tempore Theodosii II. *Galesinius :* Bononiæ sancti Petronii, episcopi et confessoris, ab adolescentia, in monachalis vitæ institutis, doctrina, sanctitate et miraculis clarissimi. *Martyrologium Romanum :* Bononiæ S. Petronii, episcopi et confessoris, qui doctrina, miraculis et sanctitate claruit.

B

tum apud nonnullos

2 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ :* Petronius, Petronio patre, prætorii præfecto, Constantinopoli natus, moribus et litteris egregie excultus, a Theodosio juniore imperatore ad Cælestinum Papam adversus Nestorium, patriarcham Constantinopolitanum hæreticum, legatus mittitur. Quo tempore, cum Bononienses Romam ad episcopum deposcendum venissent, Pontifex a B. Petro Apostolo in somnis admonetur, ut, mortuo Felice, eum Bononiæ episcopum consecraret, qui ab imperatore propediem ad se legatus mitteretur. Quare Petronius, etsi invitus, a Pontifice episcopus ordinatus, Bononiam venit; ubi, reliquiis Arianorum dissipatis, multas per urbem parochias instituit : templa plura, in quibus S. Stephani protomartyris, ædificavit cum cœnobio. Vitam, SS. Martinum Turonensem, et Eusebium Vercellensem imitatus, cum monachis ut plurimum duxit. Constantinopolim ad imperatorem profectus, multa inde Sanctorum reliquias, in iis, S. Floriani et sociorum martyrum, S. Hadriani et Nataliæ uxoris, Bononiam detulit. Demum multis pro ecclesia sua laboribus perfunctus, multisque clarus miraculis (in quibus mortuum, qui, dum S. Stephani templum construeretur, casu columnæ marmoreæ oppressus, interierat, ad vitam revocavit) cessit e vita IV Nonas Octobris anno salutis CCCCL, Theodosio et Valentiniano imperantibus. Cujus corpus in æde S. Stephani conditum est.

C

martyrologos,

3 *His etiam plura Constantinus Ghinius in Sanctorum canonicorum Natalibus scribit :* Bononiæ, *inquit,* S. Petronii, episcopi et confessoris, qui doctrina, miraculis et sanctitate claruit. Hic Constantinopoli, illustri Petronio (qui præfecturam prætorii gessit) patre natus, humanis ac divinis, Græce et Latine, doctrinis eruditus, pietate et devotione insignis; Ægypti monachos et Hierosolymæ sacra redemptionis loca invisit. A Theodosio Romam ad Cælestinum Papam contra Nestorium missus, ab eodem summo Pontifice, nutu divino, post S. Felicem Bononiæ datus fuit episcopus : fæces Arianæ hæresis in ea civitate extinxit, ecclesias, a barbaris devastatas, restituit, ac de novo construxit, et sacris reliquiis, a Constantinopoli, aliisque locis allatis, ditavit, ac civitatem munivit. In ecclesia S. Stephani memorias et locorum Terræ sanctæ nomina expressit; clerum ampliavit et regulariter vivere docuit. Fabrum (columna super se decidente) extinctum oratione a mortuis suscitavit, ac multa alia mirabiliter gessit. Tandem morbo correptus, obitum sibi instare cognoscens, clericos suos ad se vocans, eisque Ecclesiam et fidem Orthodoxam commendans; Deum sancte precatus, migravit ad cælum, forte anno CCCCXLI. Corpus, in eadem ecclesia S. Stephani sepultum, post mortem etiam miraculis coruscavit : ejusque nomini augustissimum templum, ac canonicorum collegium dicatum est et advocatus et patronus civitatis et populi Bononiensis devotissime honoratur. *Sed hos ex martyrologis produxisse sufficiat.*

E

tum scriptores

4 *Ex antiquis vero scriptoribus, qui* S. Petronii *non sine laude meminerunt, agmen ducat S. Eucherius Lugdunensis episcopus; is in egregia illa, quam ad Valerianum de mundi contemptu dedit, Epistola, exempla summorum virorum, qui, spretis dignitatibus opibusque sæculi, ad cælestis regni militiam se contulerunt, nepoti suo imitanda proponit; atque inter hos SS. Hilarium et* Petronium *hunc laudat in modum :* Hilarius nuper, et in Italia nunc antistes Petronius, ambo ex illa plenissima, ut aiunt, mundanæ potestatis sede, unus in religionis, alter in sacerdotii nomen ascendit. *S. Prosper Aquitanus in Chronico ad consulatum Merobaudis et Saturnini :* Petronius, Bononiensis episcopus, vir studiis et sanctitate clarus moritur. *Si tamen locus hic vere est Prosperi; nec enim hæc in Prospero apud Pithœum, aliosque leguntur; nec his consulibus, ut suo loco dicetur,* S. Petronius *e vita discessit; nec denique in hunc errorem S. Prosperum, Sancto nostro supparem, impegisse, credibile est.*

antiquiores mentio,

5 *Gennadius in Catalogo illustrium virorum :* Petronius, Bononiensis ecclesiæ Italiæ episcopus : vir sanctitate vitæ et monachorum studiis ab adolescentia exercitatus : scripsisse putatur Vitas patrum Ægypti monachorum, quas velut speculum ac normam professionis suæ, monachi amplectuntur. Legi sub ejus nomine de Ordinatione episcopi, ratione et humilitate plenum, tractatum : quem lingua elegantior ostendit non ipsius esse : sed, ut quidam dicunt, patris ejus, eloquentissimi et eruditissimi in litteris sæcularibus viri : et credendum : Nam præfectum prætorio se fuisse, in ipso tractatu designat. Moritur Theodosio, Arcadii filio, et Valentiniano regnantibus. *Floruit Gennadius sub finem sæculi quinti, Ecclesiam moderante Gelasio I. Gennadium sæculo* IX *secutus est Ado, archiepiscopus Viennensis in Chronico, Ætate sexta, ad annum* 425 *ita scribens :* Petronius, Bononiensis episcopus Italiæ, vir sanctitate vitæ et monachorum studiis ad adolescentia exercitatus, cujus pater Petronius, præfectus prætorii, vir secularibus litteris eruditus, moritur : *nimirum inter annum* 425 *et* 432, *ut Ado definit. Similiter et sæculo duodecimo Honorius, Augustodunensis ecclesiæ presbyter lib. de Luminaribus Ecclesiæ, sive de scriptoribus ecclesiasticis :* Petronius, Bononiensis ecclesiæ episcopus, vir sanctæ vitæ et monachorum studiis ab adolescentia exercitatus, scripsit Vitas Patrum Ægypti

F

A Ægypti monachorum : floruit sub Theodorico. *Vincentius Bellovacensis, sæculi* XIII *scriptor, lib.* XX *cap.* 23 *alterius libri, partim soluto, partim stylo ligato, velut a* S. Petronio *compositi, meminit; verum de hoc alibi.*

et Acta 6 *Atque hæc quidem sunt antiquiorum scriptorum de* S. Petronio *testimonia: exstat vero ejus Vita apud Sigonium lib.* I *de Episcopis Bononiensibus,* quam, *teste Argelato in Monito ad vitam* S. Petronii, ex probatis auctoribus, et vetustis monumentis se excerpsisse, professus est (*Sigonius*) et edita primo fuit in Officio a Gabriele Palæoto, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali (*qui anno* 1566 *Bononiensem cathedram adiit*) restituto : deinde eam Laurentius Surius in Vitis Sanctorum recudit ad diem IV Octobris. *At illam, Sigonii quidem nomine editam, sed a Galesinio conscriptam, non solum Surius asserit, sed et ipse Galesinius in Annotatis ad diem* IV *Octobris:* Nos, *inquit,* Vitam illius (S. Petronii) scripsimus, quæ apud Surium extat, Sigonii nomine. *Alter præterea in vitam* S. Petronii *commentarius Bononiæ apud monachos S. Stephani fuit asservatus, quem Sigonius lib.* I *de Episcopis Bononiensibus ad annum* 429 antiquissimum *appellat. Chronici illum nomine indigitat Antonius Casalius in Opere suo Italico, quod* Nova Jerusalem *inscribitur; incipitque his*
B *verbis:* In exordio, *ut ibidem cap.* 2 *ait. Sub finem vero cap.* 4 *binos ex illo descriptos textus exhibet; quorum alter ita sonat :* Illo vero egrediente de navi; ecce adsunt legati, quos Papa miserat sibi, quatenus eum reverenter et cum honestate deducerent ad Lateranense palatium. Securus namque præstolabatur adventum ejus. *Alter vero sic :* Cumque servus Dei Petronius palatium ingrederetur, illico Cælestinus Papa gaudio repletus est valde, et gratanter eum suscipiens, præcepit illum hospitare prope se in palatio, omniaque necessaria abunde sibi largiri jussit.

duplicia. 7 *Tertium textum, ex eodem fonte derivatum, ad calcem cap.* 3 *exhibet:* Qui cum appropinquaret suæ diœcesi, omnis civitas gaudio coronatur. Turba vero utriusque sexus in laudibus et hymnis spiritualibus se prorumpunt, et non cessant laudare Dominum, qui talem et tantum sibi contulit Pastorem et Patrem. *Alii insuper passim apud Casalium textus occurrunt, quos ex eodem, ut vocat, Chronico descriptos, Operi suo idem auctor inseruit. Servatur et in Museo nostro* S. Petronii *Vita, cui non modo initium idem est, verum etiam in qua iidem textus verbis iisdem expressi leguntur, ut nullus dubitem, quin hæc illius apographum sit, quamquam satis vitiose descriptum. Ætatem porro suam, qui eam conscripsit, in Epilogo prodit his verbis :* Nos
C igitur, fratres, præsentis diei solemnitatem, in qua egregius pater noster Petronius animam cælo feliciter reddidit, devotissime celebrare studeamus, ejusque venerabili ac preciosissimo corpori annualiter occurramus. *Unde liquet, non ante inventum* S. Petronii *corpus, Vitam illam fuisse exaratam; id est, non ante annum* 1141. *Pullienus de Vita* S. Petronii *pag.* 9 *Bononiense Chronicon, cui Sancti nostri Vita inserta est, a patre quodam Benedictino anno* 1180 *die* 15 *Novembris absolutum scribit, quod in ipso codice exaratum verosimillime invenit. Itaque non magnæ auctoritatis esse hæc Acta, me etiam tacente, consequitur, maxime cum antiquiora monumenta, quæ certam fidem faciant eorum, quæ narrat, non habeantur. Hæc de Actis; ad Sancti natales me converto.*

Natus est verosimillime Petronio patre, 8 S. Petronium, *Petronio patre natum esse, tum Galesinius, tum auctores ceteri passim aiunt. Ita de illius natalibus in Notis ad Martyrologium Romanum Baronius scribit :* Petronii genus indicat Gennadius, dum ait, ejus parentem, Petronium quoque dictum, prætorii præfecturam administrasse. *Contenditne Baronius, e verbis Gennadii consequi, tum patri, tum Filio idem inditum fuisse* Petronii *nomen? At non video, qui id e Gennadii verbis certo deduci queat.* Legi, *inquit ille,* sub ejus (Petronii, *episcopi Bononiensis*) nomine de Ordinatione episcopi, ratione et humilitate plenum tractatum : quem lingua elegantior ostendit non ipsius esse : sed, ut quidam dicunt, patris ejus eloquentissimi et eruditissimi in sæcularibus litteris viri : et credendum : nam præfectum prætorio se fuisse, in ipso tractatu designat. *Opus igitur illud* Petronii *nomen præferebat; essetne hoc nomen patri et Filio commune, an secus, Gennadius non edixit. At, inquies, si non fuerit idem utrique nomen, cur lucubrationem alii Filio, alii vero patri adscripserunt? Respondeo, illis sufficere potuisse præfixum Operi* Petronii *nomen; his vero stylus elegantior, quo Filium pater superabat : sic Vitas Patrum* Petronii *episcopi nomine scripsisse Rufinum, Tillemontius censet, qua de re infra sermo recurret. Idem tamen utrique nomen fuisse, inficiari nolim, quod usque adeo inusitatum non erat, ac fortasse propterea nonnullos Filio adscripsisse Opus, quod patris esse, Gennadius aliique sunt arbitrati. Certe* S. Petronii *patrem Filio fuisse cognominem, jam inde a sæculo* IX *Ado credidit, ut ex illius verbis, num.* 3 *adductis, liquet : verum id absque dubitatione et veluti omnino certum adstrui debere, non autumo, præsertim cum id nec e verbis Gennadii, nec ex aliis antiquitatis testimoniis, certa fide dignis, certo evinci posse videatur, nec ea sit*
Adonis, qui, quæ de S. Petronio *ejusque patre* E
scripsit, e Gennadio verosimiliter hausit, antiquitas vel auctoritas, ut citra injuriam certa et indubitata illi fides denegari hic non possit.

sed inter varios 9 *Minus perspicuum est, quis is fuerit Petronius, qui Sancti nostri pater passim, ut dixi, audit. Unum fuisse ex iis, qui vel sub finem sæculi* IV, *vel initium* V *prætorii præfecturam gessere, temporis ratio postulat, et ex Gennadio verosimillimum est. Itaque varios hujus nominis prætorio præfectos prius distinguemus, quam auctorum ea de re opiniones referamus. Primus sit is, cujus lib.* XXVII, *cap.* 11 *ad annum* 368 *Ammianus meminit his verbis :* Per hæc tempora, Vulcatio Rufino, absoluto vita, dum administrarat, ad regendam præfecturam prætorianam ab urbe Probus accitus, claritudine generis et potentia et opum amplitudine cognitus orbi Romano, per quem universum pene patrimonia sparsa possedit. *Quem Ammiani locum ita commentatur Valesius.* Fuit (*hic Probus*) primo proconsul Africæ, Datiano et Cereale Coss., ut discimus ex lege 3 (*imo* 13) Cod. Theod. Quorum appellat., ac deinde præfectus prætorio quater, ac postremo consul cum Gratiano anno 371, ut docent veteres inscriptiones apud Gruterum pag. 401. Primam quidem præfecturam prætorii, quam hic commemorat Marcellinus, gessit Valentiniano Nob. P. et Victore Coss., ut elicitur ex F
Cod. Theod., *id est, anno* 369. Fuit autem Cælii Probini filius, Petronii Probiani nepos, quorum uterque consul fuerat : ut ex vetusta inscriptione docuit me Jac. Sirmundus. Itaque ex avi nomine dictus est Sextus Petronius Probus.

hujus nominis 10 *Geminam huic Petronio, prætorii præfecto dicatam, inscriptionem pag.* 430 *Gruterus exhibet, quarum altera sic habet :* Sexto. Petronio. Probo. Anicianæ domus culmini Proconsuli Africæ præfecto prætorio quater Italiæ. Illyrici, Africæ. Galliarum. consuli ordinario. consulum patri. Anicius Hermogenianus Olybrius V. C. consul ordinarius. et Anicia. Juliana C. F. ejus devotissimi filii dedicarunt : *Alter vero :* Sexto Petronio Probo V. C. Proconsuli Africæ præfecto prætorio quater Italiæ Illyrici Africæ Galliarum consul ordinario patri consulum Anicius Probinus V. C. consul. ordinarius et Anicius Probus V. C. Quæstor candidatus filii munus singulari religioni debitum dedicarunt. *Unde filios tres Sexto Petronio Probo, anno* 371 *consuli, fuisse colliges, Olybrium, Probinum et Probum; quod et S. Augustinus habet infra citandus. Ex his Olybrius et Probinus anno* 395 *Consulum Fastis Relandinis inscripti sunt. Probus autem anno* 406 *una cum Arcadio consulatum gessit, et in Fastis consularibus*

AUCTORE J. B.

AUCTORE J. B.

consularibus apud Panvinium, Sextus Anicius, *Sexti* (*Anicii Petronii Probi*) *filius*, Petronius Probus *appellatur. En alterum, si non præfectum prætorio, saltem Petronium.*

viros illustres, 11 *Tertium tomo X Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 682 *Tillemontius adducit in medium, nimirum Petronium, Hispaniarum anno* 395 *et duobus proxime sequentibus vicarium, cui inscriptæ legentur l. unic.* Quorum bonorum; *l.* 151 *de* Decurionibus; *l.* 5. Unde vi. *Hunc vero, sub initium sæculi* V *præfectum prætorio Galliarum fuisse, ex Papirio Massono de Calamitatibus Galliæ apud Chesnium tom. I Scriptorum Galliæ pag.* 83, *Tillemontius asserit. Narrat eo loci Papirius Massonus, statuisse Honorium et Theodosium, ut Arelate septem Galliæ provinciarum quotannis conventus haberetur. Profert eam in rem Massonus eorumdem Augustorum ad virum illustrem Agricolam, præfectum prætorio Galliarum, legem, in qua Petronii, unius, ut apparet, ex Agricolæ decessoribus, isthæc mentio fit :* Siquidem hoc (*ut quotannis septem Galliæ provinciarum Arelate conventus celebraretur*) rationabili plane probatoque concilio jam vir illustris Petronius observari debere, præceperat. *Data est Honorio* XII *et Theodosio* VIII *Consulibus. Codici Justinianeo lib.* XI, *tit.* 75 de Collatione fundorum

B fiscalium *inserta lex est, Petronio præfecto prætorii inscripta, data vero ab Arcadio, Honorio et Theodosio, inter annum* 402 *et* 408; *quorum altero Theodosius augustus creatus est, altero Arcadius obiit. Hunc nonnulli cum Petronio Hispaniarum confundunt. Mitto alios hujus nominis viros, quos apud Gothofredum in Posographia Codicis Theodosiani videre est, vel quod a* S. Petronii *ætate nimium sint remoti, vel quod de eorum præfectura non constet, vel denique quod a modo recensitis non fuerint fortasse diversi.*

quis illi 12 *De duobus potissimum inter auctores controversia est; de Sexto Petronio Probo anno* 406 *una cum Arcadio consule, ad calcem num.* 10 *memorato, et de Petronio Hispaniarum vicario. Primum* S. Petronii *patrem Baronius facit in Annotatis ad diem* 4 *Octobris :* Petronii, *inquit*, genus indicat Gennadius, dum ait, ejus parentem, Petronium quoque dictum, prætorii præfecturam administrasse, quem illum esse opinor, qui Sextus Petronius dictus, gessit consulatum cum Arcadio; nam et præfecturæ munere functum esse, data ad eum imperatoris rescripta testantur. *Baronio Benedictus XIV tom. X, cap.* 22 *de* S. Petronio *nuper adhæsit :* Ut a prima (*quæstione, an* S. Petronius *patrem habuerit Sextum Petronium Probum, præfectum prætorii*) ordiamur,

C etsi Tillemontius Adnotatione 1 in S. Petronii Vitam dubitare videatur, an Sextus Petronius, prætorii præfectus, S. Petronii pater exstiterit, dubitari tamen merito ea de re videtur non posse, nam ex Gennadii superius allato testimonio constat, Petronium, S. Petronii patrem, præfecturam gessisse. *Cuinam id honoris tribuat, dubius hæret Reinesius classe* 1 *Syntagmatum Inscriptionum antiquarum num.* 58. An Petronius, *inquit*, episcopus Bononiensis post, anno Christi CCCCXXX, factus, hujus potius (Petronii Hispaniarum vicarii) quam Probi consulis (anno) CCCCVI filius fuit? *Tillemontius vero tom. XV Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 30 *in eam magis propendet sententiam, qua Petronius, Hispaniarum vicarius ac dein præfectus prætorio Galliarum,* S. Petronii *pater statuitur. Verba ejus Latine reddo :* S. Petronius, quem ecclesia Bononiensis modo ut patronum et protectorem habet, alterius Petronii, præfecti prætorii, eloquentissimi viri, scientiarumque humanarum peritissimi, filius erat.... Hunc Baronius Anicium Probum anni CCCCVI consulem, cui etiam Petronio nomen esse potuit, arbitratus est, quod fundamento carere videtur. At verosimilius credi potest, hunc fuisse Petronium, qui Hispaniarum vicarius fuisse reperitur annis CCCXCV, CCCXCVI, CCCXCVII, et Galliarum præfectus ante tyrannos, id est, ante annum CCCCVIII.

pater fuerit, 13 *Neque Baronii, neque Tillemontii sententia quidquam certi pro* S. Petronii *natalibus suppeditat.* D *Non Baronii : nam* 1, *esti verosimile sit, Probum, anni* 406 *una cum Arcadio consulem,* Petronium *quoque dictum fuisse, non secus ac pater ejus in antiquis inscriptionibus, supra adductis, id tamen certo probari non potest : dein, quotquot nominatim illius meminerunt veteres, non* Petronium, *sed* Probum *tantummodo nominarunt. Adhæc Tillemontius negat, testari imperatorum rescripta, Probum anni* 406 *cum Arcadio consulem, præfectum prætorio fuisse; eaque Probo, anni* 371 *una cum Gratiano consuli, adscribi posse, contendit; nec, ut videtur, immerito : Probus enim anno* 371 *consul,* quoad vixit, potestates, *ut loquitur Ammianus loco, num.* 9 *citato,* intervallavit, *quod etiam ex inscriptionibus num.* 10 *allatis liquet. Rursum Ammianus lib.* XXX, *cap.* 5 *eumdem Probum, Gratiano III et Æquitio consulibus, sive anno* 374 *præfecturam prætorii, scilicet Illyrici, primitus nactum scribit. Imo et præfectum prætorio fuisse anno* 383, *quo Gratianus imperator, Maximi tyranni dolo, interemptus est, e Socrate colligitur Historiæ ecclesiasticæ lib.* V, *cap.* 11, *ubi de illo sic scribit :* In Italia vero cum Valentinianus adhuc admodum puer esset, rerum cura penes Probum erat virum consularem, qui tum præfecturam prætorii administrabat. *Et paulo infra :* Probus tamen, Maximi potentiam reformi- E dans, ad partes Orienti propiores secedere studuit.

incertum est; 14 *Jam vero, quæ in Codice Theodosiano apud Gothofredum Probo, prætorii præfecto, inscripta sunt imperatorum rescripta, eo temporis intervallo sunt data, quod ab anno* 366, *aut paucis serius, usque ad annum* 384 *effluxit, ut adeo, quo minus ad Probum anni* 371 *cum Gratiano consulem referantur, nihil vetare videatur. Neque in Rescripto Honorii et Theodosii ad Agricolam dato, de quo num.* 11, *Probi anno* 406 *cum Arcadio consulis mentio fieri videtur : alias enim* Probus *potius, quam* Petronius *dictus fuisset. Idem quoque de altero imperatorum rescripto, eodem num. memorato, dicendum videtur. Adde, quosdam non* Petronio, *sed* Centronio *legere, quamvis forsan vitiose. Denique non video, quo certo indicio, aut testimonio, Probus, anni* 406 *una cum Arcadio consul, idem esse dicatur, qui Petronius in binis hisce rescriptis memoratus. Sed neque Tillemontius sententiam suam certius probat. Pari enim jure dubitare nobis licet, num Petronius, Hispaniarum vicarius, is Galliarum prætorio præfectus umquam fuerit, cujus apud Massonum mentio est; cum nec id ipse ullis documentis probet : favet tamen illi utcumque, quod sine addito* Petronius *nominetur, tam Petronius Hispaniarum vicarius, quam Petronius Galliarum prætorio præfectus. Ex quibus* F *demum efficitur, plane incertas esse, quæ de* S. Petronii *patre fiunt, conjecturas, sive Tillemontium sequare, sive Baronium.*

forte Probus anni 406 consul, 15 *Ceterum si forte Baronii hic opinione standum est, natus est* S. Petronius *loco sane splendidissimo : in hac enim avus ejus paternus fuit Sextus Anicius Petronius Probus, anno* 371 *una cum Gratiano consul, trium liberorum, pariter consulum, pater, Probini, Olybrii et Probi : avia Anicia Faltonia Proba, mulier illa insignis, quam effusis laudibus S. Hieronymus Epist.* 97, *alias* 8, *ad Demetriadem prosecutus est.* Proba, *inquit*, illa omnium dignitatum, et cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomen illustrius : cujus sanctitas et in universos effusa bonitas, etiam apud barbaros venerabilis fuit; quam trium liberorum, Probini, Olybrii et Probi non fatigarunt ordinarii consulatus, et cum, incensis direptisque omnibus, in Urbe captivitas sit, nunc habitas venumdare dicitur possessiones, et facere sibi amicos de iniquo mammona, qui se recipiant in æterna tabernacula. Ut erubescat omnis ecclesiastici ministerii gradus, et cassa nomina monachorum emere prædia, tanta nobilitate vendente. Vix barbarorum effugerat manus, et avulsas de complexu suo virgines fleverat; quum subito intolerabili, quod numquam timuerat, amantissimi filii (*Olybrii*) orbitate percutitur, et quasi futura virginis

A virginis (*Demetriadis*) avia, spe futurorum mortiferum vulnus excipit : probans, in se verum esse, quod in Lyrico carmine super justi præconio dicitur :

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

amplissima ortus familia:

16 *De Olybrio vero,* S. Petronii *in hac sententia patruo, Demetriadis patre, ita habet :* Pius filius, vir amabilis, clemens dominus, civis affabilis, consul quidem in pueritia, sed morum probitate illustrior : felix morte sua, qui non vidit patriam corruentem : imo felicior sobole, qui Demetriadis proaviæ nobilitatem insigniorem reddidit, Demetriadis perpetua castitate. *Olybrio Juliana nupsit, Probæ, quam S. Augustinus Julianæ socrum vocat libro de Bono Viduitatis cap.* 24, *proinde nurus, non filia, contra ac tom. IV Annalium num.* 13 *Baronio visum est. Is porro fuit hujus familiæ splendor et æstimatio, ut nullus in ea vel rarus fuerit, teste Hieronymo citato, qui non meruerit consulatum. Immensas illius opes ex Ammiano, num.* 13 *laudato, intelliges. Narrat quoque Paulinus in Vita S. Ambrosii, duos sapientissimos et potentissimos Persarum viros, cum ad Theodosium Mediolanum venissent, inde Romam profectos,* illic volentes cognoscere potentiam illustris viri Probi, qua cognita, ad pro-
B pria remearunt. *Petroniorum gentem origine fuisse plebeiam, et e Sabinis oriundam indicat Valerius Maximus lib.* IV, *cap.* 7, *num.* 3; *et lib* I, *cap.* 1, *num* 13. *Aniciorum autem prosapiam (quam cum Petroniana coaluisse, aiunt) non solum imperatoribus atque consulibus, sed martyribus etiam et confessoribus nobilitatam fuisse, Baronius scribit in Annotatis ad diem* 31 *Maji, quem de his consule.*

id certum, licet præfectus prætorio fuisse non videatur,

17 *At quacumque tandem* S. Petronius *familia ortus fuerit, nobili illustrique loco natum esse, tum Gennadius, tum S. Eucherius, num.* 4 *et* 3 *citati, abunde testatum faciunt : quia vero S. Eucherius* Petronium ex illa plenissima mundanæ potestatis sede *in sacerdotii nomen ascendisse, scribit; hinc* S. Petronium, *præfectura prætorii pariter functum esse, Baronius suspicatur : etenim præfectura prætorii* Amplissima sedes *in Theodoris Coss. v.* 22 *vocatur a Claudiano, et lib.* XXVI de Cohortalibus. Amplissima potestas *lib.* XVI de Pœnis, *aliisque hujusmodi titulis insignitur alibi sæpe. Verum levis momenti ea conjectura est : primum enim, cur non inde pariter Baronius conficit, sanctum quoque Hilarium præfecturam prætorii administrasse : quoniam Eucherius eadem orationis forma utrumque complexus est? Deinde cur id intelligi nequeat de alia quacumque insigni dignitate, quam* Petronius *gesse-*
C *rat; vel ad quam aspirare quidem non frustra potuit, noluerit tamen sanctioris vitæ desiderio? Sane Gennadius,* S. Petronium *parum sese rebus immiscuisse politicis innuere videtur, cum ab adolescentia vitæ sanctitate et monachorum studiis exercitatum scribit. Præterea Baroniana suspicio Gennadii verbis parum congruere videtur, si paulo attentius considerentur. Negat is, librum de Ordinatione episcopi a* S. Petronio *fuisse elaboratum : qua de causa? Opus nimirum erat* S. Petronio *eruditioris in litteris sæcularibus viri; atque adeo patris ejus, ut Gennadius credidit : hanc vero opinionis suæ rationem assignat :* Nam præfectum prætorio se fuisse (S. Petronii *pater*) in ipso tractatu designat. *Scilicet ad hujusmodi munera viros eruditos, eloquentia præstantes et juris peritos eligi mos erat : unde Theodoricus apud Cassiodorum lib.* I *variarum, Epist.* 12 *Eugeniti scribit :* Hinc est, quod te litterati dogmatis studia laudabiliter exequentem, pridem ad quæsturæ culmen elegimus, ut honesti laboris tui fieret præmium dignitas litterarum. *At quæ tandem foret ea Gennadii ratio, si* S. Petronium *id muneris, æque ac patrem, gessisse existimasset? Quem autem hoc in puncto sequamur, Gennadio antiquiorem non habemus.*

nobilissimo loco Sanctum fuisse natum.

18 *Certum nihilominus est,* S. Petronium *generis nobilitate fulsisse : incertum vero, quo patre, quibus proavis ortum duxerit. Genus eum a Constantio et Constantino imperatoribus duxisse, anonymus num.* 1 *et Rerum Bononiensium scriptores aliquot asserunt; adduntque, propterea Theodosium II Eudociam,* S. Petronii *sororem, sibi delegisse uxorem. Primum Sigonius, seu potius Galesinius, omnino reticuit; procul dubio quia vel a veritate alienum, vel certe solidis rationibus destitutum norat : alterum vero Sigonius lib.* I *Hist. Bononiensis ad annum* 429 *his verbis refutat :* Qui vero ipsum (*S. Petronium*) Eudoxiæ, uxoris Theodosii, fratrem fuisse, produnt, hi, quod in ecclesiasticis Historiis omnibus constantissime scriptum est, parum attendunt : *nempe Theodosium Athenaidem, Leontii philosophi Atheniensis filiam, hortatu Pulcheriæ, sororis suæ, sibi despondisse, cum a patre hæreditate spoliata, atque a fratribus, Valerio et Actio, domo ejecta, ad Pulcheriam injuriam conquestura accessisset, et, Pulcheriæ rogatu Christianis sacris imbuta, sumpsisset Eudociæ nomen. Sic sane rem fere narrant Theophanes, Nicephorus, Socrates, Sozomenus aliique; quorum in re clara atque perspicua in medium adducere testimonia, non est necesse. Dicere autem, unum eumdemque fuisse Petronium et Leontium, qui* Petronius Leontius *dictus sit; aut Theodosio uxores duas fuisse cognomines, quarum altera* S. Petronii *soror, altera Leontii philosophi filia fuerit; quid est aliud, nisi ad arbitrium fingere, quorum apud veteres ne vestigium quidem invenias? Verum hæc de* E
S. Petronii *natalibus dixisse, sufficiat.*

AUCTORE J. B.

§ II. Sancti in juventute mores et gesta.

Anno incerto natus,

Antonius *Casalius lib. de Basilica S. Stephani, quem* Hierosolymam novam *nuncupavit, cap.* 2, S. Petronium *Constantinopoli anno* 386 *natum scribit; neque absque prodigio : nato enim Puero, splendidissima cælitus, ut ait, luminis flamma affulsit, puritatis, sanctitatis et caritatis, qua orbem illustraturus esset, prænuncia. Ut vidit cæleste prodigium Constantinopolitanus episcopus, mox eo se contulit, sublatumque manibus Puerum non sine admiratione comtemplatus, nutricique reddens in hæc verba prorupit :* Accipite Puerum, de quo benignitas Dei grandia pollicetur. *Si vera Casalius narrat, is episcopus Constantinopolitanus Nectarius fuit, qui eo tempore Constantinopolitanam rexit ecclesiam, ac annis aliquot post defunctus, S. Chrysostomum habuit successorem, ut apud Theophanem est, et in Catalogis Patriarcharum tom. I Antiquitatum Constantinopolitanarum lib.* VIII. *Dixi,* Si vera Casalius narrat; *nihil enim de anno, quo lucem* F
primo aspexit S. Petronius, *aut de illo miraculo anonymus noster in ejus Actis, nihil Galesinius. Pullienus quoque pag.* 21 *anno* 386 *natum vult, et in Prospero pro* moritur, *legendum autumat* oritur. *Sed neutrum Prosperi esse videtur, ut num.* 4 *dixi; vereorque multum, ut ita se res habeat, aut ostendi confirmarive possit, documentis satis antiquis, fideique probatæ.*

non modicam a liberalibus disciplinis,

20 *Annum itaque, quo natus est* S. Petronius *tutius in incerto relinquimus, quo circiter episcopatum adeptus sit, quo ex hac vita migrarit, infra videbitur. Interim de ejus juventute, iisque, quæ ejus episcopatu priora sunt, agamus. Patrem habuisse generis claritudine, munerum amplitudine, et eloquentiæ eruditionisque laude insignem, e Gennadio jam vidimus : atque adeo vel hinc fit admodum probabile, ut hic non indiligenter curarit, ne ea, quibus ipse splendebat, Filio litterarum et eruditionis ornamenta deessent. Ita censuit anonymus Vitæ auctor, num.* 1 *ita scribens :* Postea vero, cum adolevisset, a parentibus traditus est gymnasio philosophorum, et liberalium disciplinarum et ecclesiasticorum sacramentorum magistris. *Luculente autem parentum spem exspectationemque implevisse* Petronium, *verbis, quæ mox subdit, exponit.* Et ita, Deo largiente, imbutus est, ut in omnibus philosophiæ et præsertim spiritualibus floreret studiis : et insuper tam Græco, quam Latino

AUCTORE J. B.

Latino eruditus est magisterio. *Consonant anonymo Galesinius, et plerique recentiores.*

quas verosimiliter Constantinopoli hausit,

21 *Constantinopoli eum liberalibus artibus operam dedisse, verisimile est, ubi Lycæum Constantinus Magnus erexerat, ne quid alteri Romæ sive ad utilitatem, sive ad ornamentum deesset : Græcas illic, Latinasque litteras tradi solitas, colligitur ex l. un.* de Professoribus publicis *Constantinopolitanis, in qua sic loquitur Theodosius,* XI *consul, anno* 425 : Habeat igitur auditorium, specialiter nostrum, in his primum, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, oratores tres numero, decem vero grammaticos : in his etiam, qui facundiæ Græcitatis pollere noscuntur etc. *Sed neque philosophiam illic neglectui fuisse, produnt, quæ sequuntur :* Et quoniam non his artibus tantum adolescentiam optamus institui, profundioris quoque scientiæ atque doctrinæ memoratis magistris sociamus auctores. Unum igitur adjungi ceteris volumus, qui philosophiæ arcana rimetur. *Neque vero hinc concludas, philosophiæ studia tum primum, sive anno* 425 *Constantinopoli instituta esse, ac vigere cœpisse : et proin sero nimis, ut* S. Petronius, *quinquennio fere post Bononiensium præsul factus, philosophorum gymnasium frequentare potuerit : non enim hujusmodi ministeria tum primum instituit Theodosius, sed ante instituta, certis, delectu habito, hominibus demandari præcepit. Vide*
B *Gothofredi Chronologiam ad annum* 425.

et a sacris litteris laudem

22 *Quoniam vero,* S. Petronium *ecclesiasticorum sacramentorum magistris etiam traditum a parentibus, anonymus scribit, satis innuit, nihilo segniorem in sacris divinisque Litteris discendis operam studiumque posuisse, probavitque abunde reipsa* S. Petronius; *si modo illius sunt, quæ illi a nonnullis solent adscribi. Illud interim dicere mihi videor posse,* S. Petronium *non vulgari doctrinæ laude claruisse. Secus Tillemontio visum est : quamquam enim illum, ut fatetur, ad litterarum studia natalium splendor, et paterna eruditio ultro impellere debuerit, ea tamen neglexisse, credidit, quamvis non alia de causa, quam quod solidiorem sanctioremque eruditionem consectaretur : has vero opinionis suæ causas affert; tum quod Gennadius dicat, librum de Ordinatione episcopi partum non fuisse* S. Petronii, *eo quod elegantior esset; tum quod, eodem Gennadio teste, a teneris monasticis exercitationibus assueverit. At neutra efficax est : non prima : licet enim Gennadius innuat,* S. Petronium *eruditione profana inferiorem patri exstitisse, non ideo tamen eruditorum numero illum excludit. Non altera : quasi vero monasticæ vitæ exercitationes et eruditio non possint in una eademque persona componi. Confecta omnino res esset adversus Tillemontium, si vera anonymus de S. Hieronymo*
C *scriberet,* S. Petronium *inter viros illustres ab illo his verbis fuisse relatum :* Petronius, Bononiæ civitatis episcopus, vir sanctitatis et liberalium artium scientia plenus, descripsit Vitas SS. Patrum *etc. Verum id Catalogo Virorum illustrium de* S. Petronio *nihil Hieronymus.*

nec non a pietate sibi comparat

23 *Præclaros dein* S. Petronii *in juventute mores, quos nullus in dubium vocet, anonymus et Galesinius exponunt : hic tantum ait brevi fecisse in virtute et sanctitate progressum; ut populo Constantinopolitano in ore esset. Laudat vero maxime ad orationis studio, et puritate intentionis, qua, quidquid ageret, ad Deum unice referebat. Ille vero, nusquam lubentius versari solitum ait, quam in templis, sequ Dei obsequio omnino devovisse. Plusculum, quam Galesinius, his verbis dicit anonymus num.* 2. Cum igitur fama sanctitatis ejus crebrescente, ac per totam scilicet Constantinopolim polleret, idem ipse Augustus, levir ejus, non moderate fervens in amore illius, diligebat ultra, quam fas sit dicere; adeo quod primatum totius monarchiæ et S. Palatii tribueret super cunctos degentes in palatio suo etc. : *quæ prudenter Galesinius reticuit, quod non solido fundamento niterentur. Exercitationibus quoque monasticis ab adolescentia sua animum adjecisse, præ mox citatis,* D *testis luculentior Gennadius est. Florebant ea ætate magna sanctitatis opinione monachi, Ægypti solitudinum incolæ, multaque de eorum virtutibus, pieque vivendi instituto inaudierat ex aliorum relatu* Petronius : *itaque ut ejusmodi instituto a puero delectatus fuerat, ita adultior factus, quæ absens de illis perceperat, coram ipse per se inspicere voluit, ut Galesinius ait num.* 3, *eaque de causa in Ægyptum abiit, celebriorum sanctitate monachorum exemplis et documentis ad perfectiorem virtutis gradum magis magisque incitandus. Quin et Palæstinam quoque, quo S. Hilarion monachalis vitæ rationem invexerat, sive illorum monachorum invisendorum gratia, sive pro pietatis in Deum, pro salutate humana passum, affectu, peragravit, locaque non pauca, in quibus redemptionis nostræ mysteria fuere peracta, non modo venerabundus adiit, verum etiam eorum formam, situm, distantiam, omnemque rationem sedulo scrutatus, ac dein, Bononiæ imitatus est.*

Opera illi varia tribuuntur, maxime

24 *Describitur istud in Ægyptum iter eo libro Vitarum SS. Patrum, qui apud Rosweydum secundus est; si tamen hujus auctor* Petronius *fuit : nam et aliæ lucubrationes illi tribuuntur, quæ utrum ab illo profectæ sint, non constat. Solent vero* Petronio *tribui liber de Ordinatione episcopi, liber de Vitis Patrum Ægypti, Homiliæ Evangeliorum plures, quibus Vincentius Bellovacensis Petronii Satyricon,* E *partim ligato, partim soluta oratione conscriptum, adjunxit. Quod ad librum de Ordinatione episcopi spectat, hunc* S. Petronio *Gennadius, verbis num.* 3 *citatis plane abjudicat, et ejus patri adscribit : quo in hoc puncto standum est, cum nullus sit veterum, qui hic ei adcersetur. Apud Prosperum quidem studiis claruisse* Petronius *legitur; sed neque Prosperum hæc scripsisse, ut supra dixi, certum est, neque determinati alicujus Petroniani Operis meminit. Ado vero et Honorius Augustodunensis, num.* 3 *citati, libri de Ordinatione episcopi, quasi a* Petronio *compositi, verbum nullum faciunt; atque adeo tacite Gennadio forsitan subscripserunt. Scripseritne* S. Petronius *librum de Vitis Patrum eadem Gennadii auctoritas dubium facit, cum ait :* Scripsisse putatur Vitas Patrum Ægypti monachorum; *quæ verba non affirmantis, sed dubitantis sunt. Id quidem Honorius, proxime citatus, plane affirmat, sed viri, sancti quidem, sed tot sæculis* S. Petronio *posterioris, auctoritas rem certam efficere nequit; nedum recentiorum, etsi non fuerint numero pauci. Idem quoque de Homiliis Evangeliorum, quarum non est apud antiquos mentio, judicium esto. Denique Vincentius Bellovacensis, si Petronii Satyricon, huic nostro* Petronio, *quem ab adolescentia pii honetique cultorem fuisse scribit, affingat* (*ut facere videtur*) *rectius sane Petronio Arbitro,* F *Neronianæ nequitiæ magistro, aut alteri ejusdem furfuris homini id Operis tribuisset, quod a calamo, nisi impurissimo et salacissimo, proficisci non potuit.*

iber de Vitis Patrum, apud Rosweydum secundus,

25 *Ad librum de Vitis Patrum Ægypti revertor; qui huc maxime spectat. Mira est scriptorum in designando hujus libri auctore dissensio, ut apud Rosweydum in Prolegomenis videre est. Libri cujusdam,* quasi de monachis *conscripti, meminit S. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem; quem ita describit, ut lib.* II *de Vitis Patrum Rosweydiano apprime conveniat : nam, ut ait Hieronymus, in illo enumerat auctor, Ammonium, Eusebium, Euthymium, Euagrium, Or, Isidorum, aliosque non paucos; de quibus omnibus agit liber* II *de Vitis Patrum apud Rosweydum; ut adeo liber hic, et liber* quasi de monachis, *ab Hieronymo memoratus, unus idemque videatur. Jam vero libri illius auctorem vel Euagrium Hyperboritam, vel Rufinum auctorem facit Hieronymus : posteaquam enim Euagrii scriptorum aliquot mentionem fecit, ita prosequitur :* Hujus (*Euagrii*) libros per Orientem Græcos, et interpretante discipulo ejus Rufino, Latinos plerique in Occidente lectitant. Qui librum quoque scripsit quasi de monachis, multosque in eo enumerat, qui numqnam fuerunt, et quos fuisse

A fuisse scribit, Origenistas ab episcopis damnatos esse, non dubium est; Ammonium videlicet, et Eusebium et Euthymium et ipsum Euagrium, Orquoque et Isidorum et multos alios, quos dinumerare tædium est.

quem a Rufino Sancti nomine conscriptum,

26 *Dubium videri potest, ad quem verba,* Qui librum quoque scripsit quasi de monachis, *referenda sint, an ad Euagrium, an ad Rufinum: verum ad hunc, cujus proxime meminerat Hieronymus, referenda videntur; tum quod de ipso Euagrio scripsisse illum dicat, tum quod de Rufino sint intelligenda, quæ subdit Hieronymus*: Illam autem temeritatem, immo insaniam ejus, quis digno possit explicare sermone, quod librum Xysti Pythagoræi, hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine, Sixti martyris, et Romanæ Ecclesiæ episcopi, prænotavit? Fecerat hoc et S. Pamphili martyris nomine, ut librum primum sex librorum defensionis Origenis, Eusebii Cæsariensis; quem fuisse Arianum, nemo est, qui nesciat, nomine Pamphyli martyris prænotaret. *Itaque secundum Hieronymum libri de Vitis Patrum auctor videtur esse Rufinus, non* Petronius. Unum hoc D. Hieronymi testimonium, *inquit Rosweydus in prolegomenis* § 10, sufficere judico, ut liber hic Ruffino asseratur. Omitto suffragari Mss. complures, ut

B Audomarensem notæ optimæ, et a vetusta manu, quo præcipue in recensendis his libris usus sum; ut alios, quos vidisse se asserit Henricus Gravius, Notis ad Epist. D. Hieronymi ad Ctesiphontem, de qua jam actum.

Tillemontius ait,

27 *Quod si libri de Vitis Patrum auctor Rufinus est, non* S. Petronius, *nec* S. Petronii *iter esse videtur, quod illic describitur. Et sane, si vera Galesinius, Bombacius, Pullienus, Falconius scribunt, Constantinopoli primum in Ægyptum* S. Petronius *peregre abiit, eaque perlustrata, tum demum sacra Palæstinæ loca invisit: contra is, cujus iter libro laudato describitur, Hierosolymis, atque adeo e Palæstina in Ægyptum una cum sociis profectus est, quod ex cap.* 1 *manifestum fit: illic enim, Joanni Lycopolitano, ad quem diverterant, unde et qua de causa ad se accessissent, sciscitanti respondisse leguntur, se Hierosolymis profectos, animæque suæ progressus causa, id itineris suscepisse. Rufini igitur potius, quam* S. Petronii *id iter fuerit, si quidem librum illum Rufinus exararit. Verum difficultatem hic movet Tillemontius lib.* XV *Monumentorum ecclesiasticorum, ubi de* S. Petronio. *Fatetur is quidem, librum* 2 *de Vitis Patrum Rufino adscribendum, sed ita, ut non loquatur nomine suo, sed alterius, nempe* Petronii, *cujus describendo itineri calamum suum commodarit. Ita concludit ex eo, quod illius*

C *libri auctor se nonnulla oculis usurpasse scribat in Ægypto, quæ Rufinus vidisse non potuit. Hinc porro factum esse, contendit, ut* S. Petronius *libri illius auctor habitus fuerit, ut Gennadius scribit.*

fundamento,

28 *Sed quam hæc fidem mereantur, videamus, concesso etiam, libro de Vitis Patrum non Rufini, sed alterius per Palæstinam et Ægyptum iter describi. Num igitur* S. Petronii *illic iter describitur? imo vero, inquiet Tillemontius; unde enim nata dicetur opinio, qua librum illum* S. Petronius *scripsisse putabatur? Atqui nasci hæc aliunde potuit. Fieri enim potuit, ut liber ille primum in Oriente, neque a* S. Petronio, *neque a Rufino, sed a scriptore quodam anonymo, ab utroque diverso, Græco fuerit sermone conscriptus. Fieri præterea etiam potuit, ut librum hunc Græcum* S. Petronius, *utpote studiis monasticis valde addictus, Latine vertendum Rufino dederit; is vero id* Petronii *nomine dein, sed suo more, præstiterit, suppresso pariter primi auctoris nomine. Hinc vero putari in Occidente potuit Gennadii tempore,* S. Petronium *vel librum illum Græce composuisse, atque adeo sui ipsius iter in illo descripsisse; vel saltem Latino sermone donasse; atque ita etiam potuit libri de Vitis Patrum, seu Græce, seu Latine conscripti, auctor putari. Quæ si revera contigisse, fingamus, habebimus, unde ea orta sit in Occidente opinio, qua* S. Petronius *librum de Vitis*

Patrum scripsisse seu Græce, seu Latine, existimatus sit; nec tamen ipsius Petronii *iter in illo descriptum esse consequetur.* AUCTORE J. B.

ut apparet,

29 *Neque vero absurde hæc quisquam re ipsa contigisse conjecerit. In primis enim Rufinum multa a Græcis ad Latinos transtulisse, ex S. Hieronymo liquet num.* 26 *citato; scribitque de illo Gennadius cap.* 17. Ruffinus Aquileiensis ecclesiæ presbyter non minima pars fuit doctorum Ecclesiæ, et transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit: denique maxima parte Græcorum bibliothecam Latinis exhibuit. *Dein librum de Vitis Patrum secundum a Timotheo, episcopo Alexandrino, compositum fuisse, docere videtur e Græcis Sozomenus lib.* VI *cap.* 29: Ubi, *inquit Rosweydus in Prolegomenis in Vitas Patrum* § 1, cum de Apollone, qui in Thebaide vixerat, egisset, addit: Sed quænam fuerit ejus disciplinæ ratio, et quanta, quamque divina fecerit miracula, Timotheus, ecclesiæ Alexandrinæ antistes, accurate narrat; qui non illius modo, sed aliorum etiam complurium, de quibus facta est a me mentio, Vitas litteris persecutus est. Atqui capite præcedenti, *pergit idem Rosweydus*, mentio facta monachorum Joannis, Or, Amon, Beni, Theonæ, Copri, Helle, Eliæ, Apellis, Isidori, Serapionis, Dioscori, et Eulogii, quorum omnium Vitæ (*quamquam non omnes omnino a Ti-* E *motheo conscriptæ*) in hoc secundo Vitarum Patrum libro habentur. *Tum vero subdit post pauca:* Mihi certe omnino verosimile fit, plerasque libri hujus Vitas ex Timotheo (*excessit e vivis circa annum* 383) adumbratas. *Denique aliquam saltem in illo libro partem habuisse* S. Petronium, *ex Gennadii verbis fit probabile, etsi fortasse non tantam, quantam Tillemontius adstruit, ut adeo hac ex parte etiam, sitne* S. Petronii *in Ægyptum iter, lib.* II *de Vitis Patrum descriptum, maneat plane incertum.*

haud satis solido.

30 *Addo, anonymum etiam, quantum quidem ex Actis conjicere fas est, istud* Petronii *iter ignorasse: nam num.* 10 *quidem ait, illum Hierosolymis aliquando versatum: verum de itinere Ægyptiaco ne verbum quidem facit uspiam. Denique Tillemontius ipse, de* S. Petronio *agens tom. XV pag.* 31 *fatetur, hominem illum, cujus memorato jam sæpe libro iter describitur, ita se ubique depingere, ut se vita et professione monachum fuisse, prodat.* S. Petronius *monasticis exercitationibus ab adolescentia quidem addictus fuit: at professione monachum fuisse, non reperi; neque id Galesinius in Actis dicit. Anonymus vero, clericum quidem fuisse, ait num.* 2; *at paulo post sacri palatii præfectum fuisse, addit; quod munus tum temporis clericis demandatum fuisse, non autumo. Et rursum num.* 4, *ubi Theodosium veluti* F *deliberantem inducit, quem in causa Nestorii Romam mitteret; de* Petronio *ait:* Qui per aliquantum temporis spatium divino cultui se mancipavit: *quibus verbis innuere videtur anonymus,* S. Petronium *non admodum diu a statu laico ad ecclesiasticum transivisse, antequam Romam mitteretur a Theodosio, et mox a Cælestino Papa Bononiensis episcopus crearetur; quod mihi sane verosimilius apparet; maxime cum* S. Petronium *dicat S. Eucherius, non e monachi statu, sed* ex illa plenissima mundanæ potestatis sede *ad sacerdotii nomen seu episcopale munus ascendisse. Stricti igitur nominis monachus* S. Petronius *verosimilius non fuit; atque adeo nec is, cujus in lib.* II *de Vitis Patrum iter describitur, ut illud hic, Tillemontii exemplo, fuse describere, minime necessarium videatur.*

§ III. Sancti ad Cælestinum Papam legatio et in episcopum Bononiensem consecratio.

Emergenti Nestorianæ hæresi

Anonymus noster, cum pauca haberet, quæ de gestis S. Petronii, *ante susceptum ab illo Bononiensem episcopatum, diceret, mox num.* 3 *ad iter ejus Romanum, cujus occasione factus est Bononiensium*

AUCTORE J. B.

præsul, gradum facit. Obierat anno 427 Sisinnius, Constantinopolitanus antistes: de successore dissidebat clerus, his Proclum, Cyzicenæ ecclesiæ episcopum, illis Philippum presbyterum Sisinnio subrogare conantibus. Cum autem viæ ulla concordiæ spes affulgeret, Theodosius imperator, hujus nominis II, Antiochia ad Constantinopolitanas insulas evocavit Nestorium, virum eruditionis et facundiæ laude ea tempestate celebrem, et simulatæ sanctitatis specie hominum oculos mentesque fallentem. Mox anno proxime sequenti IV *Idus Aprilis episcopus magna omnium gratulatione est effectus, brevique suis artibus id effecit, ut aulæ et multitudinis animos sibi teneret obstrictos. Hisce præsidiis fretus, impium virus, quod dudum animo foverat, ore blasphemo in Christum Deum, Deique Matrem cœpit evomere, quo Divinitatem Christo, Virgini vero divinum partum impius hæresiarcha denegabat: unde magni sunt excitati animorum motus. Restiterunt in Christum ejusque Matrem furenti hæretico laici, monachi, presbyteri, episcopi, præ ceteris vero S. Cyrillus, Alexandrinus antistes. Verum his nihil territus Nestorius, quas cœperat ciere turbas, quibus potuit fraudibus, auxit quotidie, in summumque discrimen suorum fidem et salutem adduxit. Cælestinus itaque Papa, habita Romæ synodo, Cyrillo*
B *litteris, anno 430 die 11 Augusti scriptis, mandavit, ut Nestorium, nisi intra decimum a denuntiatione diem errorem revocaret, depositionis pœna multaret; quod demum anno 431 in Synodo œcumenica Ephesina contigit.*

mox se opponit Theodosius, ut anonymus,

32 *Jam vero, qui se in hisce motibus Theodosius habuerit, ex anonymo audiamus. Cum pullulare cœpisset Nestoriana hæresis, ejusque virus per Orientem diffundi, ubi id audivit Theodosius, mox, teste anonymo,* exhorruit, *statuitque serpenti malo obviam ire. Convocat igitur Theodosius principes; causam exponit; quid in hoc rerum articulo agendum sit, rogat. Censent universi, Cælestino Pontifici Romano mittendum legatum, qui Pontificem ea, quæ in Oriente geruntur, edoceat; nemo denique ad id aptior visus est,* S. Petronio: *is itaque legatus mittitur ad Cælestinum, ut patriam ab errore, divina gratia largiente, funditus absolvat. Ita fere anonymus num.* 3 *et* 4. *Itaque secundum anonymum Theodosius Nestorianam hæresim ab ortu suo exhorruit, atque adeo jam tum auctoris ejus conatus infringere studuit: verum id Actis Concilii Ephesini, tom. III Collectionis Labbeanæ insertis, haud satis conforme apparet; ex quibus colligitur, Theodosium emergentis hæresis principio minus æquo in S. Cyrillum, fidei Catholicæ defensorem præcipuum,*
C *animo fuisse; contra favisse Nestorio, cum nondum illius hypocrisin fraudesque perspectas haberet.*

sed invitis concilii Ephesini Actis scribit,

33 *Testes appello ipsas Theodosii litteras, quas ad Cyrillum dedit anno 430 die 19 Novembris et Labbeus tomo citato exhibet pag. 433. In his Cyrillus, non modo quasi Theodosium inter et sororem ejus Pulcheriam dissidia committere voluisset, verum etiam velut perturbatæ ecclesiasticæ pacis auctor arguitur: ita ibi Augustus:* Nunc igitur tua pietas exponat, quid ita nobis, quibus religionem tantopere curæ esse, non ignorabas; sacerdotibusque, quotquot circumquaque degunt (quos utique in unum locum congregatos, natam de religione controversiam discutere dirimereque par erat) despectis, hasce turbas discordiasque inter ecclesias, quantum in te est, concitaris. *Mitto alia non minus dura ad Cyrillum a Theodosio perscripta; cum tamen ille id tantum adversus Nestorium egerit, quod a Pontifice Romano in mandatis habebat: vetuit idem Theodosius, post damnatam Romæ Nestorii hæresim, decretamque ejus exauctorationem, nisi præfixo tempore resipisceret, ne qua ante Synodum Ephesinam anno 431 celebrandam immutatio fieret; id postulante Nestorio. Itaque quæ de Theodosii in recens natam hæresim odio anonymus narrat, a vero abesse videntur. Propterea tamen falsum esse non existimo, missum esse ad Pontificem Romanum Nestorianæ hæresis initio* S. Petronium, *qui Pontificem de his, quæ in Oriente gererentur, certiorem* D *faceret, illiusque opem ad sedandas turbas imploraret. Verum quo anno secundum anonymum,* S. Petronius *Constantinopoli profectus, Romam appulsus est?*

et Romam S. Petronium legatum mittit

34 *Sub initium Nestorianæ hæresis Romam missus fuit* S. Petronius *secundum anonymum: verum nota hæc chronica nimis vaga est, ut annus Petroniani in urbem adventus determinetur. Alteram anonymus suggerit num.* 5 *his verbis.* Tunc ingressus navem (Petronius) Deo volente, prospero cursu post dies aliquot venit ad Tiberina littora eo die, in quo Papa, Cælestinus nomine, cum Catholicis episcopis statuerat concilium. *At quoniam, quale fuerit istud concilium, aut qua de causa coactum, non edicit anonymus, neque hinc in præsenti negotio concludi quidquam potest. Porro duplex in causa Nestorii Romæ synodus coacta fuit; altera anno 429, post festa, ut videtur, Paschalia; altera anno 430, mense Augusto. Prioris Cyrillus meminit in prima ad Nestorium Epistola his verbis:* Quid postremo faciam? Tempus enim loquendi est, vel conferendi cum veneratione tua, interrogante de chartulis quibusdam, quæ nescio, quo modo Romam perlatæ sunt, reverendo ac religiosissimo Romanorum episcopo Cælestino, cum omnibus, qui cum eo sunt, episcopis venerandis, quia utrum E sint religionis tuæ, an non, habetur incertum: scribunt enim nobis inde vehementer offensi. *In altera damnationis sententia Romæ in Nestorium lata est, hujusque exsecutor S. Cyrillus constitutus. De neutra synodo anonymus videtur posse intelligi.*

sub finem ann 429 vel sequentis initium:

35 *Etenim eodem numero tertiam notam chronicam subjicit, secundum quam* S. Petronius, *tempore inter utramque synodum medio Romam venisse videtur. Ita habet:* Illo vero (S. Petronio) egrediente de navi, ecce adsunt legati, quos Papa miserat sibi, quatenus eum reverenter et cum honestate deducerent ad Lateranense palatium. Securus namque præstolabatur adventum ejus, quoniam quidem in præterita nocte in somnis apparuit ei B. Petrus Apostolus dicens: scias, quia Felix Bononiensis episcopus de hac luce migravit in pace, et cave, ne in ecclesia illa alium ordines nisi legatum imperatoris, quem die crastina, Deo volente, videbis. *Ignorabatur igitur adhuc Romæ S. Felicis Bononiensis episcopi obitus, cum illuc* S. Petronius *adventavit; atque adeo non diu post S. Felicis obitum id secundum anonymum contigisse, necesse est. Jam vero, S. Felicem anno 429, ex hac vita migrasse, passim scriptores rerum Bononiensium tradunt, ut Sigonius, Vizani, Ghirardaccius, Bombacius, Masinius, et novissime Benedictus XIV de Sanctis Bononiensibus cap. 25;* F *nimirum, ut verosimile est, die 4 Decembris, quo colitur: unde consequitur,* S. Petronium *Romam verosimiliter advenisse sub finem anni 429 aut sequentis initium, seu tempore illo, quod inter primam et secundam synodum in causa Nestorii habitam, ut supra dicebam, fluxit. Et sane aliunde a vero alienum non apparet, Theodosium, cum Nestorii causam Romæ agi cœptam, audisset, legatum illuc suum direxisse. Hæc de anonymo: quid ea de re Galesinius?*

et anno 430 inter Augustum et Novembrem secundum Galesinium,

36 *Hic eadem fere narrat num.* 4 *et* 5, *quæ anonymus: quædam tamen adjungit, quæ anonymi dictis, et constitutæ ex illo Petroniani ad Urbem accessus epochæ haud satis congruere videantur. Sic scribit num.* 5: De re autem Nestoriana, quam ille (S. Petronius) Theodosii nomine retulerat, collaudata primum religiosi principis pietate, privatim ei respondit (*Cælestinus*) se, ne ea pestifera hæresis latius serperet, œcumenicam, ut moris esset, synodum indicturum, quæ synodus Ephesi prior sequenti anno (431) celebrata est, frequenti ducentorum episcoporum conventu. *Et rursum num.* 6: Itaque datis, ut Pontifex jusserat, ad Theodosium litteris de synodo contra Nestorium Ephesi convocanda (S. Petronius) Bononiam Roma profectus est una cum legatis Bononiensibus. *Hæc autem si dixisset*

A *dixisset Pontifex, tempore inter utramque synodum medio, S. Cyrillum latæ in Urbe anno 430, mense Augusto, in Nestorium sententiæ exsecutorem, nisi intra dies decem ille resipisceret, non statuisset. Itaque secundum Acta a Galesinio conscripta, anno 430 Romam* S. Petronius *venit, sed non ante mensem Augustum. Galesinium, sub nomine Sigonii, secutus Baronius, ad annum 430, num. 61 ita scribit:* Quam ob rem Theodosius imperator rem eo progressam ratus, ut opus esset universali concilio (quippe quod non Nestorius tantum, sed et Cyrillus reus criminis hæresis diceretur) apud Cælestinum Romanum Pontificem egit de convocando Ephesi in annum sequentem universali concilio. Factum id quidem Cælestini Romani Pontificis auctoritate, requirente Theodosio per virum illustrem Petronium, postea creatum Bononiensis ecclesiæ episcopum, ejus Vitæ Acta testantur. *Idem iisdem fere verbis Henschenius scripsit tom. II Januarii in Commentario in Vitam S. Cyrilli pag.* 850.

quod Garnerius, 37 *Multa hic contra Galesinium movet Garnerius Dissertatione* 2 *de Synodis habitis in causa Nestorii.* Occasione legatorum, *inquit,* dicendum breviter de Petronio, quem a Theodosio ad Celestinum Papam in causa Nestorii missum aiunt, litterasque imperatoris detulisse, quibus respondit Pontifex,

B se, ne hæresis latius serperet, œcumenicam, ut moris esset, synodum indicturum. Quæ synodus Ephesi prior sequenti anno celebrata est, frequenti ducentorum episcoporum conventu. Si qua fides adhibenda esset scriptori hujusmodi Actorum, non impulsu Nestorii, sed odio, Theodosius procurasset cogendam synodum; non eam ipse indixisset, sed Celestinus; non eo tempore, quo indicta est, tulisset Pontifex damnationis sententiam, sed ferendam synodo mandasset; non executoren sententiæ Cyrillum constituisset, sed totam synodum. Verum nutat fides Actorum, quantumvis eam, interpolatis veteribus monumentis, Sigonius (*seu potius Galesinius*) firmare conatus sit : nam Nestorius ipse petitam a se synodum fatetur. Unde et synodi petitor a Celestino dicitur : legati Sedis Apostolicæ, ipseque inprimis studiosissimus Pontificiæ dignitatis assertor Philippus, non a Celestino, sed ab imperatoribus indictum concilium testatus est; et eo tempore indictum est, quo sententia Pontificis in Nestorium lata mandanda erat executioni, et executionem Cyrillo, non œcumenicæ synodo, Celestinus commisit, ut ex litteris Nestorii, Celestinique et Actis concilii aperte constat. *Ita Garnerius.*

licet multis oppugnet, C 38 *Theodosium non eo odio in Nestorium flagrasse, quo tum anonymus, tum Galesinius flagrasse, innuunt, ex dictis num.* 33 *et seq. habemus. Verum pariter est, Theodosium, synodum indixisse, eo tempore, quo jam tulerat Romæ in Nestorium sententiam Pontifex, hujusque exsecutorem Cyrillum constituerat. Verum item est, Nestorium apud Theodosium egisse, ut œcumenica synodus cogeretur, ut hoc pacto decretos in se a Pontifico ictus evaderet. Sed an propterea, non consulto Pontifice, Theodosius synodum indixit? Sane, inquit, Garnerius : nam id rerum gestarum ordo omnino exigit. Cælestinus enim anno* 430 *latæ in Nestorium sententiæ exsecutorem statuit S. Cyrillum, datis ad illum litteris* III *Idus Augusti, seu die* 11 *ejusdem mensis; atque adeo tum temporis de synodo œcumenica, sequenti anno Ephesi celebranda, nondum cogitabat. Eodem tempore Pontifex scripsit Nestorio, clero Constantinopolitano, Joanni Antiocheno, Rufo Thessalonicensi, Juvenali Hierosolymitano, Flaviano Philippensi. Omnes hæ litteræ per Possidonium Alexandriam ad Cyrillum primum delatæ sunt non ante medium Septembrem; dein Alexandria Antiochiam, quæ ad Joannem scriptæ erant litteræ, propter locorum intercapedinem ante affectum Octobrem pervenire non potuerunt. Joannes, acceptis Pontificiis litteris, Nestorium monuit, quanta capiti suo tempestas impenderet : Nestorius vero tum primum agere apud Theodosium cœpit, ut concilium generale indiceretur; quod is indixit die* 19 *Novembris anni* 430. *Jam vero, inquit Garnerius, ab Octobri ad finem vergente ad diem* 19 *Novembris dies nimium pauci sunt, ut eo temporis intervallo ad Pontificem de cogenda œcumenica synodo Theodosius scriberet, et, acceptis Roma Pontificiis litteris, synodum Ephesinam potuerit die* 19 *Novembris indicere.*

AUCTORE J. B.

certo falsi non evincit 39 *Verum his omnibus falsi convinci non video, quæ Baronius, et post eum Henschenius scripsit : quod enim sibi sumit Garnerius, Nestorium scilicet apud Theodosium de convocanda œcumenica synodo tum primum agere cœpisse, cum Joannis Antiocheni litteras accepit, haud satis mihi certum apparet. Fieri enim potuit, ut vel Nestorius, vel Theodosius e litteris, Roma Constantinopolim recta perscriptis, quid Romæ in causa Nestorii decretum esset, intellexerit; ac mox Theodosius, Nestorii rogatu, ad Cælestinum* Petronium *miserit, acceptisque litteris, quibus sententiæ Romæ in Nestorium latæ exsecutionem a Cyrillo in synodum Ephesinam sequenti anno congregandam transferri Pontifex permittebat, mox etiam illam die* 19 *Novembris indixerit. Ita fere Baronius, qui hanc difficultatem proponit, eique respondet his verbis :* Quoniam vero angustia temporis haud patitur, ut post redditas hoc anno Nestorio Constantinopoli litteras Cælestini, quas scriptas fuisse vidimus Romæ tertio Idus Augusti, et E Alexandriam ad Cyrillum perlatas, et post habitam illic synodum easdem Constantinopolim Nestorio allatas : haud, inquam, fert ratio temporis, ut post hæc omnia admoneri a Theodosio potuerit Cælestinus, atque accepta ab eo responsione, de convocando in annum sequentem concilio litteras ad episcopos Theodosius scriberet hoc anno (430) tertio decimo Kalendas Decembris, quibus datæ eædem sub hujus anni consulibus reperiuntur : hæc cum ita se habeant, in eam adducimur sententiam, ut existimemus, haud Theodosium exspectasse Cælestini Papæ litteras Nestorio reddi, cum ipse agere cœpit apud Cælestinum de convocanda synodo adversus Nestorium. Quis enim dubitare poterit, rem tantam Romæ in publicis comitiis in synodo pertractatam, non fuisse vel per Valentinianum ipsum Augustum, vel alios, per litteras Theodosio significatam? cum his percognitis, consulturus ipse paci Orientalis ecclesiæ, ad omnesque prorsus dissensiones dirimendas, de cogenda Ephesi synodo remedium excogitavit, agereque cœpit de ea re cum Cælestino Romano Pontifice : indixit vero, ubi a Cælestino litteras redditas accepisset. *Plura in hanc rem vide apud Baronium citatum num.* 37.

et multo minus Tillemontius. 40 *Quidquid sit de modo, quo synodum Ephesinam Theodosius indixit, equidem sive anonymum, sive Galesinium sequi malis, anno* 429 *vel* 430 S. Petronii *in Urbem adventus illigandus videtur.* F *Tillemontius tom. XV Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 33, *ab anno circiter* 427, *vel aliquando citius* S. Petronium *Bononiensem episcopum fuisse, scribit. Si igitur Romam prius venerit, quam factus sit Bononiensium episcopus, citius anno* 429 *vel* 430 *Romam venisse, oportet. Censuit nimirum Tillemontius, S. Eucherii Epistolam ad Valerianum, in qua* Petronii, *velut antistitis, mentio facta est, scriptam fuisse anno* 427 *vel* 428, *paulo ante, quam Hilarius sedi Arelatensi admotus esset, quod anno* 429 *contigit. Sed hæc fundamento haud satis solido niti videntur : verba Eucherii iterum describo :* Hilarius nuper, et in Italia nunc antistes Petronius, ambo ex illa plenissima, ut aiunt, mundanæ potestatis sede, unus in religionis, alius in sacerdotii nomen ascendit. *Num, quia* Petronium *vocat* antistitem, *id de Hilario negat Eucherius? non id quidem agere mihi videtur. Quid igitur? Paulo latius vox* Nuper *mihi accipienda videtur, ut significet, jam annos aliquot, cum scribebat, fuisse elapsos, ex quo Hilarius, relicta sæculi pompa, religiosæ vitæ institutis sese manciparat; nempe ab anno* 426, *aut aliquando citius; quasi dicat : Valeriane, si te splendor generis a religione abstrahit, vide Hilarium nostrum, nobilissimo*

AUCTORE J. B.

lissimo loco natum, qui abhinc annis aliquot a sæculo ad religionem transiit : quod si recentius exemplum quæris, vide Petronium, *Bononiensem in Italia episcopum, qui, relicto sæculo, nunc, seu recens in sacerdotii nomen ascendit. Scripsisse igitur videtur Eucherius memoratam ad Valerianum Epistolam pauco post annum* 429 *vel* 430 *tempore; quod etiam confirmare videtur nota chronica, Epistolæ apud Rosweydum pag.* 20 *ab Eucherio inserta; sic habet :* Cum ab ortu hujus regni (*Romanorum*) centesimus et octogesimus quintus fere supra millesimum vertatur annus : *hic autem annus incidit in annum Christi* 432 *aut* 433. *Quare cum dicat Eucherius :* fere vertatur, *deme annum unum aut alterum, ab annis mox assignatis prope aberis.*

Romam appulsus S. Petronius Bononiensis episcopus consecratur,

41 *Quo tempore Romam* Petronius *venit, eodem quoque, si tam anonymo, quam Galesinio credimus, illuc advenerant Bononiensium legati, qui S. Felici episcopo, e vivis erepto, successorem a Cælestino Pontifice peterent : hic monitus paulo ante in somno fuerat a S. Petro Apostolo, ne quemquam, præter* Petronium, *Bononiensibus episcopum ordinaret; quod et præstitit, reluctante licet primum, sed dein divinæ voluntati morem gerente* Petronio. *Itaque secundum hos auctores anno* 429 *ad finem vergente, vel sequenti* S. Petronius *a Cælestino Papa episcopalibus infulis redimitus fuit; quod utinam certioribus testibus firmare possem! Secus Pullieno Luparo visum est : negat enim is, anno* 430 S. Petronium *creatum fuisse episcopum, propterea quod et sublatæ e vivis die* 7 *Februarii S. Julianæ funus extulerit, ac mense Majo proxime subsecuto a Cælestino Pontifice indulgentiam S. Stephani ædem visitantibus impetrarit. Itaque secundum Pullienum* S. Petronius *anni* 429 *principio episcopatu Romæ initiatus est; inde Bononiam venit, mox Constantinopolim abiit : prius tamen, quam abiret, condendæ interim S. Stephani ædis formam modumque præscripsit : sub initium vero anni* 430, *Bononiam Constantinopoli redux, in eadem æde S. Julianæ justa persolvit, cui illa condendæ non levem operam subsidiumque contulerat.*

B

quod contigisse citius Pullienus,

42 *Sed primo, unde Puellieno liquet, S. Julianam sub initium anni* 430 *e vivis abiisse? Alii certe usque ad annum* 433 *vitam protraxisse, aiunt :* Funus (*S. Julianæ*) *inquit Henschenius tom. II Februarii pag.* 32, non sine totius urbis luctu, a S. Petronio splendide elatum. Annos vitæ enumerant universim circiter septuaginta quinque, ab CCCLX ad CCCCXXXV, probabili calculo. *Dein bulla, qua indulgentiam S. Stephani templum frequentantibus concessisse fertur Cælestinus, non Cælestini I, sed, si genuina est, III fuit, qui, exeunte sæculo* XII, *Eccle-*

C *siæ clavum tenuit. Etenim omnium Sanctorum celebritas, cujus bulla meminit, primum initio sæculi* VII, *Bonifacio IV Pontifice, Romæ fuit instituta, et ad ceteras Occidentis ecclesias sub Gregorio, hujus nominis IV, postmodum propagata. Præfixum habet bulla* (*vide tom. II Febr. pag.* 48) *hunc titulum :* Cælestinus episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus salutem et Apostolicam benedictionem. *Hac autem scribendi formula ante Joannem V et Sergium I sæculo* VII *nullus Pontificum usus fuisse dignoscitur, ut tradit Mabillonius de Re diplomatica, corollario* 1 *ad calcem libri* VI *adjecto. Denique, si Cælestino I rescriptum illud tribuendum foret, ante annum* 429 *episcopalem sedem* Petronius *adiisset; datum est enim anno* 3 *Cælestini, id est, anno* 428, *ut observat Henschenius; cum Septembri mense anni* 423 *Pontifex renuntiatus fuerit. Ex quibus id etiam efficitur, rescriptum Sixti, quo eædem indulgentiæ confirmantur, ad Sixtum IV pertinere, et ea parte vitiatum, qua Cælestinus, hujus nominis I, in illo memoratur.*

Tillemontius vero a Cælestino certo non factum, perperam aiunt.

43 *Tillemontius, tom. XV res gestas* S. Petronii *recensens, nusquam ejus ordinationis, velut a Pontifice Romano factæ, meminit : sed Annotatione* 3 *in* S. Petronium *mentem suam aperte prodit, ubi ait, Bononienses certo non adiisse Pontificem Romanum, ut sibi episcopum peterent, sed episcopum Mediolanensem metropolitanum suum; eo quod electio Pontificis tum temporis ad clerum et populum pertineret, quæ deinde a Metropolitano examinabatur, et firmitatem accipiebat. Fatetur Benedictus XIV, ante* Petronii *electionem Mediolanensi metropoli subjectam fuisse Bononiam; fatetur etiam, examen electionis secundum leges ad metropolitam pertinuisse.* Sed quis est, *inquit,* qui ignoret, res quamtumvis ab habente auctoritatem decretas, non statim sortiri suum effectum. Fuit quidem Bononia constituta sub jure metropolitico archiepiscopi Mediolanensis a tempore sancti Ambrosii, sed nullo documento nobis constat, ipsum tale jus exercuisse. *Metropolitas vero non semper jus suum exercuisse, Joannis Angeloptes exemplo conatur ostendere.* Simile exemplum habemus, *inquit,* in jure metropolitico Ravennæ, quod inductum et constitutum fuit tempore Joannis Angeloptes, qui tamen nullum suffraganeum sacrare potuit, quod munus primus omnium exercuit sanctus Petrus Chrysologus. *Quo quidem pacto efficitur contra Tillemontium, certum non esse,* S. Petronium *a Cælestino Pontifice Bononiensem episcopum ordinatum non fuisse; dubium tamen relinquitur, num id Cælestinus re ipsa præstiterit, quod neque anonymi, neque Galesinii auctoritas indubitatum facere potest.* D

E

§ IV. Sanctus Bononiæ Arianorum reliquias dissipat, collapsas ecclesias instaurat, novasque condit.

Bononiam Sanctus tenet;

Sanctus Petronius, *ut Galesinius scribit num.* 6, *honorifice habitus a Cælestino, dum Romæ fuit, et in episcopum consecratus, una cum legatis Bononiam properavit : quo cum pervenisset, summa omnium ordinum lætitia et gratulatione exceptus est. Nihil vero novus Præsul habuit antiquius, quam ut Deo, cujus singulari monitu tantam dignitatem recens adeptus erat, gratias ageret; quapropter ad S. Petri ecclesiam deduci voluit, cujus originem ita Sigonius describit lib.* I *Historiæ Bononiensis ad annum* 270 : Is (*S. Zama, Bononiensis episcopus*) urbem ut monumenta Bononiensium referunt, anno Christi ducentesimo septuagesimo ingressus, cum alia memorabilia opera edidit, tum ut templum Petro, Apostolorum principi, construeretur, auctor fuit, atque id ipse non solum dedicavit, sed presbyteris etiam et diaconis, qui ibi ex instituto sacris operarentur, pro eorum temporum ratione, et piorum hominum copia a se constitutis ornavit. Id templum, extra urbem in via Æmilia a parte Mutinam vergente positum, aliquamdiu post Bononiensis episcopi sedes ac domicilium fuit. *Subterraneam* F *fuisse, quales pleræque erant id temporis, ob gentilium persecutiones, ecclesiæ, Masinius scribit Bononiæ perlustratæ, tertio impressæ, pag.* 60, *variasque ejus vicissitudines explicat; dirutam nimirum fuisse, persequente ecclesiam Diocletiano sub initium sæculi* IV; *instauratam vero a S. Faustiniano circa annum* 343 : *at rursus sub Juliano apostata destructam fuisse, et a S. Felice pristino splendori restitutam, verum sub titulo SS. Naboris et Felicis; propterea quod alteram, S. Petro sacram, intra urbis ipsius sinum S. Faustinianus anno* 330 *condere cœpisset, cui manum extremam anno* 330 *S. Basilius admovit. Porro hodieque SS. Naboris et Felicis titulo gaudere, et olim a monachis S. Benedicti Casinensibus habitatam, anno* 1342 *ad moniales S. Claræ transiisse, ait Alexander Macchiavellus in suis ad Sigonium citatum Annotatis. Plura apud Masinium vide.*

sed a barbaris

43 *Eo tum temporis loco erat Bononiensium res, ut efficaci promptoque remedio indigeret : etenim, Bononiam adeunte* Petronio, *ut Galesinius num.* 7 *refert,* hæresis Arrianæ reliquiæ nondum prorsus extinctæ erant, tum nefaria eorum impietate, ac barbarorum simul, qui proxime in Italiam irruperant, immani feritate, ecclesiæ multæ eversæ, ac prostratæ jacebant. *Triplicem hi sæculo* V, *ut*

lib. X

A *lib.* x *de Occidentali imperio Sigonius refert, in Italiam impetum fecerunt. Primi Sigonius meminit ad annum* 401 *et* 402 : *is sub Alarico, Gothorum rege, contigit, qui cum agrum Venetum et Liguriam pertransisset, Pado trajecto, Hastam, ubi Honorius imperator versabatur, obsidione cinxit : at Stilichonis exercitu appropinquante, motis inde castris, Pollentiam, Liguriæ oppidum, petiit, ubi atrocissimum a Gothis Romanisque commissum est prælium, victoria, licet non incruenta, Stilichonis arma sequente. Brevi post, iterato in campis Veronensibus prælio, Alaricus, victus fugatusque, trans Alpes fugere compulsus est. Pollentiacam pugnam ad annum* 402, *Arcadio et Honorio V Coss., Prosper et Cassiodorus in Chronicis referunt.*

misere vastatam 46 *Hanc in Italiam Gothorum incursionem excepit altera anno* 403, *Stilichone iterum Anthemioque Coss., qua Radagaisus immenso militum apparatu sese in Italiam intulit. Mox Venetam* (narrante Sigonio *ad annum* 403) *regionem ingressus, receptis in fidem Aquileia, Concordia, Altino, Pataviumque prætergressus, Romam, cujus maxime opibus inhiabat, recto itinere contendit. Itaque, superato Pado, mox per Æmiliam, agrumque Bononiensem in Hetruriam numerosum trajecit exercitum, et Florentiam oppugnare aggressus est. Hærentem, conclusumque*

B *montibus barbarum adortus Stilicho, tanta felicitate pugnavit, ut hostilem exercitum ad internecionem usque deleverit. Qua de re S. Augustinus meminit lib.* v *de Civitate Dei. Prosper in Chronico : Stilichone II et Anthemio Coss.* Radagaisus in Tuscia, multis Gothorum millibus cæsis, ducente exercitum Stilichone, superatus et captus est. *Zozimus lib.* v, *cap.* 26 : Barbaros nec opinantes adgressus (*Stilicho*) universas hostium copias ad internecionem cecidit : adeo quidem, ut horum prope nullus evaderet. *Atque hunc quidem exitum habuit altera Gothorum, aliarumque gentium, quas sibi adjunxerant, in Italiam expeditio.*

invenit : 47 *Sublato e vivis Stilichone, denuo in Italia belli aleam experiri Alaricus voluit, ipsamque Romam tandem cepit sub annum* 409, *captamque diripuit. Bis ea expeditione in agro Bononiensi versatum esse Alaricum, Sigonius refert : primum quidem, cum in ipso in Italiam accessu castellum Bononiæ,* Oecubariam *nomine, adiit; iterumque, cum post captam Romam civitates Æmiliæ, imperium Attali, quem imperatoriis insignibus ornari jusserat, recusantes, cum exercitu adiit, et Bononiam ipsam, sed frustra, oppugnavit. Libro vero* 1 *Historiæ Bononiensis ad annum* 410 *rursum ait Sigonius, eumdem Alaricum, cum Romam pergeret, omnia per Æmiliam (in qua*

C *Bononia) igne ferroque miscuisse. Sub Radagaiso igitur, et Alarico, a Gothis, Ariana lue infectis, verisimile admodum est, Bononiensium ecclesiam plurimis oppressam fuisse calamitatibus, suaque ædificia, præsertim sacra, eversa prostrataque gemuisse. Radagaisus homo crudelis fuit, et idolorum cultui deditus : Alaricus quidem, capta Roma, ut Jornandes de Rebus Geticis cap.* 30 *scribit, locis Sanctorum injuriam irrogari passus non est, Æmiliam tamen illum post pugnam Pollentiacam devastasse, idem Jornandes loco citato fatetur.*

templa antiqua restaurat novaque condit, 48 *Tantis ecclesiæ Bononiensis calamitatibus* S. Petronius, *ut primum illuc advenit, mederi constituit : eo primum curas omnes intendit, ut Bononiensem agrum Arianæ hæreseos reliquiis expurgaret, collapsumque divinum cultum majori, si posset, splendori restitueret, urbemque ipsam tum sacris, tum profanis ædificiis exornaret. Itaque in primis aut temporis diuturnitate collapsa, aut barbarorum injuriis jacentia templa instauravit, quæ numero plurima fuisse num.* 12 *scribit anonymus : quin et multa a fundamentis excitavit. Cetera templa, quæ condidit, alii plura, alii pauciora enumerant. Benedictus XIV de Festo* S. Petronii *e Rerum Bononiensium scriptoribus hanc eorum enumerationem instituit : templum unum S. Theclæ dicatum; templa duo, quorum alterum S. Agathæ, alterum S. Luciæ virginibus et martyribus sacrum; duo item S. Bartholomæo Apostolo, et S. Marco Evangelistæ dicata : præterea templum S. Martino, Turonensi episcopo, sacrum, uti et aliud S. Barbatiano; quibus denique templa S. Stephani, et S. Joannis Evangelistæ accedunt. Eadem fere Sigonius recenset lib.* 1 *de Episcopis Bononiensibus tomo tertio Operum suorum; ubi Rabbius de templis, a* S. Petronio *conditis, hæc universim annotavit :* Exstant adhuc, sed mutata adeo facie, ut videatur nihil antiqui remansisse, nisi nomen. Quin a duabus primis ecclesiis (*S. Bartholomæi et S. Marci*) jam dudum episcopi jus ac titulum parochiæ in alias ecclesias transtulerunt. *Porro ex his templis aliud anno* 430, *alia* 432 *et duobus sequentibus condita sunt a* S. Petronio, *ut quidem Masinius in Bononia perlustrata scribit; ex cujus potissimum fide de singulis annoto, quæ sequuntur.*

AUCTORE J. B.

templum in primis S. Stephani, 49 *S. Stephani templum, ut Masinius affirmat, condidit* S. Petronius *jam inde ab anno* 430, *ad imitationem templi Hierosolymitani sanctæ Crucis et S. Sepulcri, conjunxitque cum ecclesia S. Petri jam ante exstructa : universum porro templum in septem sacella divisit, quæ varia Redemptionis humanæ mysteria adumbrarent; multa quoque illuc intulit Sanctorum pignora, quin et adjecit monasterium, ubi una cum monachis, ex Ægypto evocatis, habitavit ab anno* 433. *Exstinctis vero temporum* E *lapsu Ægyptiacis monachis sub annum* 542, *monachi Benedictini successerunt; qui, ingruentibus in Italiam Gothis, recondita apud se Sanctorum pignora absconderunt; ac tandem monasterium suum, posteaquam anno* 903 *ab Hungaris vastatum, et anno* 1210 *igne consumptum fuerat, anno* 1447 *reliquerunt; in quorum denique locum monachi Cælestini suffecti fuere anno* 1469. *Inter corporis vero, quæ illic servari Masinius scribit, occurrunt corpora S. Floriani et sociorum* 40 *martyrum, et corpus ipsius* S. Petronii. *Hæc quidem, aliaque non pauca de S. Stephani templo et monasterio, a* S. Petronio *conditis, Masinius scribit; sed cum nulla in medium afferat monumenta satis antiqua, quibus dicta sua confirmet, fidem indubiam, maxime quantum ad antiqua, non meretur.*

quod si a fundamentis non erexit, 50 S. Petronio *quidem S. Stephani templum, velut conditori, adscribunt Cælestinus III et Sixtus IV, summi Ecclesiæ Pontifices; ille in bulla, qua statis diebus templum illud visitantibus indulgentias concedit, his verbis :* Cum itaque in templo gloriosi prothomartyris Stephani, quod dicitur Hierusalem de Bononia, quod servus Dei Petronius, ejusdem civitatis episcopus, instar sepulchri Domini nostri Jesu Christi in Hierusalem erexit et construxit. *Sixtus vero his :* Sane dudum felicis recordationis F Cælestinus, Papa primus (*imo III*) prædecessor noster, omnibus Christi fidelibus, vere pœnitentibus et confessis, ad ecclesiam S. Stephani Bononiensis, Hierusalem nuncupatam, per sanctæ memoriæ Petronium, episcopum Bononiensem, ad instar sepulchri Domini erectam et constructam, accedentibus etc. *Sigonius insuper lib.* 1 *de Episcopis Bononiensibus hæc Gregorii VII et Alexandri III verba refert :* Monasterium sancti Stephani, quod vocatur Hierusalem, quod divus Petronius episcopus ædificavit ad usum ejusdem ecclesiæ cum mercato sancti Joannis Baptistæ, quod ibidem fit.

saltem instauravit, vel insigniter auxit, 51 *Non desunt tamen, quibus ea ecclesia videatur prius fuisse exstructa, quam* S. Petronius *Bononiensibus præfuit : antiquum enim Isidos templum fuisse legitur in Descriptione civitatis Bononiæ antiquæ et hodiernæ, quod sacello auxerit Julius Cæsar, testante id inscriptione veteri,* Cæsare inchoante, *quodque conversi ad fidem Catholicam Bononienses, effuso sanguine SS. Hermetis, Aggæi, Caji, Vitalis, Agricolæ, Proculi, qui sub Diocletiano et Maximiano martyrium subierunt, ad veri Numinis cultum transtulerint, et S. Stephano consecrarint. Sunt etiam, qui S. Eusebium, S. Felicis et* S. Petronii *decessorem, in S. Stephani basilica tumulatum fuisse, opinentur; atque adeo primum condi a* S. Petronio *non potuisse. Pullienus pag.* 39 *et seq. viam mediam terit, aitque,*

AUCTORE J. B.

aitque, conditum quidem a Petronio *monasterium, S. Stephani templo adjectum, at non templum ipsum, nempe integrum, adjectis antiquo SS. Petri et Pauli templo ædibus 4, quas a fundamentis erexit. Neque omnino a vero alienum putat, S. Stephani ecclesiam* S. Petronii *ætate fuisse omnino eversam, ab eoque a fundamentis instauratam. Habuerit igitur* S. Petronius *partem aliquam in S. Stephani templo; sed utrum illud a fundamentis excitarit, an repararit tantum vel auxerit, quis certo definiat?*

et in septem sacella divisum,

52 *Porro S. Stephani templum in septem ædes sacras, veluti membra,* S. Petronius *distinxit, inquit Patricellius, ad instar septem ecclesiarum, quas Christiani Romæ potissimum invisere solent; ut nimirum ea ratione Bononienses cives S. Stephani templum et septem ejus ædes sacras, in honorem et reverentiam septem Romanarum basilicarum, frequentes inviserent. Verum advertisse non videtur Patricellius, nondum ea tempestate septem celebriores Urbis ecclesias visitandi morem in usu fidelibus fuisse : neque enim is de omnibus simul fuit institutus, sed a paucioribus ad alias aliasque dudum post propagatus. Audi Onuphrium cap.* 1 *de septem Urbis Ecclesiis.* Illud vero scitu dignum, *inquit*, anno jubilei antiquitus a Bonifacio VIII Papa instituti, ejus temporis Christianos non nisi basilicas Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum visitasse. Quibus tertiam Lateranensem anno jubilei secundo MCCCL Clemens VI adjunxit. At Gregorius XI ob Deiparæ Virginis devotionem in futuro anno tertii jubilei quartam addidit sanctæ Mariæ Majoris, quæ omnes patriarchales erant. Inde illud mirum, quintam patriarchalem ecclesiam præteritam fuisse, dignam alioqui propter ejus excellentiam, quæ eodem anno, ut aliæ patriarchales, celebraretur. *Quatuor igitur tantum habemus hactenus Romanas ecclesias, a fidelibus frequentari potissimum solitas : qui vero earum dein numerus accreverit, audi ex eodem Onuphrio : paulo ante sic habet :* Cumque a sancto Paulo ad Lateranum iter facturi essent, incongruum iis visum est, ecclesiam sancti Sebastiani, cœmeterium Callisti, Catacumbas, tot Sanctorum corporibus referta, invisa transire, præsertim cum eadem fere via procedendum esset; atque ita hac ratione quinque ecclesiis, quæ visitari solebant, sextam adjunxerunt. Eadem ratio septimam addidit medio itinere inter Lateranensem et S. Laurentii extra muros basilicas sitam, ecclesiam videlicet sanctæ Crucis in Hierusalem, maximis et ipsam reliquiis condecoratam. *Atque ita habemus, quo circiter tempore frequentari cœperint septem Urbis ecclesiæ, adjecta prioribus quatuor S. Laurentii ecclesia, certe diu post* S. Petronii *tempora.*

ut commodius redemptionis mysteria repræsentaret,

53 *Alia igitur de causa id fecit* S. Petronius, *sive ut commodius redemptionis nostræ mysteria in memoriam fidelibus ita revocaret, sive ut templum Hierosolymitano S. Sepulchri non admodum absimile conderet, ut Pullienus censet. Sane* S. Petronium *Passionis Christi admodum studiosum fuisse, loca sacra Hierosolymis diligenter inspexisse, ad eorumque similitudinem non pauca Bononiæ effinxisse, Acta utraque satis produnt. Quod vero addit anonymus num.* 12, *collegisse nempe* S. Petronium *per totam Judæam vectigalia, nimis infirmum est, ut certo illi assentiar; cum fundamentum aliud habere non videatur, quam* S. Petronii *cum Theodosio imperatore affinitatem, quæ et veterum scriptorum auctoritati repugnat, et commenti loco habenda videtur. Vide, quæ de illa diximus num.* 18. *Cautior in scribendo Galesinius fuit num.* 11, *qui* S. Petronium *multum auctoritate et gratia apud Theodosium valuisse, tantum scripsit, quod longe verosimilius est.*

variis Sanctorum reliquiis ditavit, quibus,

54 *Addit ibidem Galesinius,* S. Petronium, *pro ea, qua valebat apud Theodosium, auctoritate multas Constantinopoli Bononiam Sanctorum reliquias advexisse, et conditis a se templis, distribuisse, in primis vero, quo de agimus, S. Stephani templo, quarum enumerationem, qui* S. Petronii *corporis anni* 1141 *inventionem descripsit, bene longam instituit : has inter S. Floriani et sociorum martyrum corpora, licet suppresso nomine, recenset num.* 3, *quem Bononienses plerique sequuntur. Dubium est admodum, quis fuerit S. Florianus, cujus corpus* S. Petronius *Bononiam transtulit. Non videtur is, qui ad diem 4 Maji Mrl. Romano inscribitur. Hujus enim, in Norico Ripensi seu Superiore Austria passi, corpus ex Austria Romam, Roma in Poloniam translatum fuit, ut tomo I Maji pag.* 467 *videre est. Nec is, qui ad diem* 17 *Decembris in eodem Mrl. memoratur: passus enim hic dicitur temporibus Heraclii imperatoris, id est, dudum post* S. Petronii *ætatem. S. Floriani cujusdam corpus tum apud Vicentinos, tum Æsii servari dicitur; atque adeo a S. Floriano Bononiensi uterque diversus videtur. Eusebius de Martyribus Palæstinæ cap.* 13 *undequadraginta Martyrum, Maximini jussu in Palæstina occisorum, meminit; sed horum dux Sylvanus episcopus fuit, non Florianus. At quisquis tandem fuerit, cujus exuvias Bononia possidet, Florianus; simile vero est, inter tot martyres, qui tum in Palæstina, tum alibi sub Diocletiano pro fide sanguinem fuderunt, fuisse etiam S. Florianum quemdam, cujus reliquias Bononiæ in S. Stephani templo* Petronius *collocarit, ut censet Benedictus XIV de Festis aliquot Sanctorum Bononiæ celebr. cap.* 26.

non modo sancti cujusdam Floriani,

55 *Sic quidem S. Floriani, quisquis hic tandem fuerit, reliquias a* S. Petronio *Bononiam fuisse allatas, inter Bononienses scriptores satis convenit : at, idemne censendum sit de S. Floriani sociis, in controversiam venit. Sigonius solius Floriani meminit : de sociis ne verbo quidem. Floriani quidem et sociorum ejus, in S. Stephani quiescentium, diserte mentionem facit bulla Cælestini III, sed illi S. Floriani socios interpolatione insertos, ait laudatus supra Pontifex, eadem ratione, qua Cælestino III, ibidem substitutus legitur Cælestinus I. Porro, ne id cuipiam videatur ambiguum, factam, quam modo retuli, in Cælestini III bulla interpolationem duplici argumento confirmat; alterum in eo situm est, quod in S. Floriani honorem Bononiæ semper recitatum fuerit Officium de Communi unius Martyris; cum alias procul dubio de Communi plurimorum Martyrum recitandum esset; alterum vero in eo, quod, aperta anno* 1640 *S. Floriani urna, præter Bononiensium, ut ait, opinionem solius S. Floriani reliquiæ in ea repertæ sint.*

sed etiam sociorum corpora

56 *Ita quidem eruditissimus Pontifex; cui tamen, quamquam de re scribit, quam perspectam habere potuit optime, hoc loco assentiri non ausim. Ansam illi ita scribendi Sigonius, solum Florianum memorans, præbuisse videtur; cui ego Inventionis auctorem, rei gestæ non modo æqualem, sed testem etiam oculatum oppono, qui quadraginta non martyrum tantum, sed sociorum martyrum corpora seu reliquias, anno* 1141 *inventas, memorat. Sic habet num.* 5 : Intra quas (*arcas, in pavimento repertas*) sanctorum XL martyrum pretiosa continentur corpora : in unius vero (*S. Floriani*) pectore pulcherrima crux reperitur aurea : qui quidem omnes in uno collocati sunt tumulo, ut, sicut in Christi fide inventi fuere unanimes et concordes, ita in corporis perseverantia sint semper uniti atque continui. *Accedunt anonymo scriptores Bononienses passim. Neque, quæ profert Pontifex argumenta, hujusmodi sunt, ut anonymi, ejusque sequacium auctoritatem convellere videantur. Quod enim Bononiæ semper recitatum fuerit Officium de Communi unius Martyris, profectum inde verosimiliter fuerit, quod unum Florianum Bononienses in singularem urbis suæ patronum adsciverint, non quod ejus socios nullo modo agnoverint : Quod vero anno* 1640 *solius Floriani corpus, aperta ejus urna, inventum sit, nihilo magis videtur urgere.*

annnmeranda videntur,

57 *Omnes quidem anno* 1141 *in eodem tumulo collocatos, mox laudatus scribit anonymus, sed de S. Floriani tantum sociis fortasse intelligendus : sed utut etiam de S. Floriano intelligi debeat, equidem non modo anno* 1640, *quo S. Floriani urna aperta fuit, sed ante etiam et post dictum annum alio S. Floriani*

A *riani, alio loco sociorum ejus reliquiæ conservatæ fuerunt; Floriani quidem in sacello, suo nomini consecrato, supra altare,* della Benda *seu* Vittæ beatissimæ Virginis *nuncupatum: sociorum autem in sacello S. Joannis Evangelistæ. Primum Bombacius, qui paucis post dictam urnæ apertionem mensibus scripsit, docet de Sanctis Bononiensibus pag.* 5; *alterum Pullienus Luparus, monachus Cælestinus, qui scripsit anno* 1600, *partim pag.* 45, *partim* 62; *et ante illum Patricellius mihi pag.* 19 *versa, et pag.* 22; *tertium Masinius Bononiæ illustratæ, anno* 1666 *tertio editæ auctæque, ad diem* 16 *Decembris pag.* 558; *ut adeo mirum non sit, S. Floriani corpus, privatæ urnæ separatim a sociorum corporibus inclusum, ea aperta, sine istis inventum esse. Denique si, ut laudatus Pontifex docet, credibile sit, inter tot martyres in Palæstina sub Diocletiano passos, fuisse unum aliquem, Florianum nomine, cujus* S. Petronius *reliquias Bononiam attulerit; ecquid tandem causæ erit, cur id ipsum de illius sociis credi non possit? Quamquam aliunde non desit dubitandi ratio, num* S. Petronius *id revera præstiterit, quam infra in Annotatis, inventionis descriptioni ad litt.* ee *subnectendis, exponam.*

condito etiam monasterio, ditavit.

58 *S. Stephani templo monasterium adjecisse* S. Petronium, *supra ex Masinio retuli: idem Sigonius lib.* I *de Episcopis Bononiensibus his verbis*

B *scribit:* Etenim in æde S. Stephani, montis, in quo Christus Dominus noster cruci fuit affixus, et sepulchri, in quo mortuus est situs, expressit imaginem, atque ei monasterium adjecit, quod Hierusalem appellavit, ubi ipse inter monachos habitavit, more a S. Eusebio, Vercellensi episcopo, atque a S. Martino Turonensi retento. *Cujus vero instituti fuerint monachi illi, incertum. Constantius Rabbius in suis in Sigonium Annotatis, S. Pachomii regulis adstrictos fuisse, scribit, quarum ea ætate frequens fuerit in Italia usus secundum S. Hieronymum; at S. Basilii regulam secutos Casalius affirmat in Descriptione Novæ Hierosolymæ, lib.* II, *cap.* 5. *Fertur etiam alendis hujus cœnobii monachis S. Juliana, vidua Bononiensis, de qua apud nos actum ad diem* 7 *Februarii, bonorum partem attribuisse: quod quidem a Benedicto XIV tom.* X *Latinæ editionis secundæ lib.* III, *cap.* 5 *num.* 11 *inter ea recensetur, quæ validis documentis innixa, de S. Juliana circumferuntur. Sigonius quoque de illa sic habet lib.* I *Hist. Bonon.* : Juliana vero, eximiæ pietatis studio inflammata magnam fortunarum suarum partem, erat enim locupletissima, alendis in cœnobio divini Stephani monachis attribuit, atque eorum numero filium unicum (*Laurentium, uti nonnullis placet, cujus Ambrosius meminit in Hortatione ad virginitatem*) ut pie Deo serviret, adscripsit. *Denique et in S. Stephani templo a* S. Petronio *sepultam scribunt.*

C

Aliud S. Joanni

59 *Constructo* S. Petronii *opera S. Stephani templo, S. Joannis Apostoli et Evangelistæ ecclesiam mox subjungit anonymus: de qua ita Sigonius lib.* I *de Episcopis Bononiensibus:* In æde autem sancti Joannis Euangelistæ, quam in monte ex tumulo terræ, de industria aggesto, construxit, montem Oliveti effinxit, in quo Christus, postquam est suscitatus a mortuis, cum discipulis suis stans, ipsis aspectantibus, in cælum ascendit, qui locus nunc, aucta jam pridem æde, in medio ipso templo cruce lapidea signatus invisitur. Quæ vero inter hæc duo fana (*SS. Stephani et Joannis*) loco summissiore planicies intercedit, ea celebrem Josaphatis vallem repræsentavit, in qua idem judicium de vivis et mortuis ultimo die facturus creditur, atque hæc omnia ad eorum locorum exemplum fecit, quæ ipse Hierosolymis spectaverat tum, eum eas regiones pietatis ergo perlustravit. *Eadem fere Galesinius scribit in Actis* S. Petronii *num.* 8: *sequenti vero ornamenta quædam sacra, ut columnam et crucem Christi, ut triclinium, in quo cum discipulis suis Dominus discubuit, aliaque ad excitandum Dei amorem in primis idonea, enumerat, quibus* S. Petronius *S. Stephani templum decoravit.* Quæ omnia, *inquit,* sanctissimæ religionis monimenta adhuc magna Bononiensis populi pietate coluntur, augustioremque reddunt ipsam S. Stephani ecclesiam, quam ille Hierosolymæ nomine appellavit, eamque ob causam vicus nunc etiam, eidem ecclesiæ conjunctus, Hierusalem nominatur. AUCTORE J. B.

Evangelistæ sacrum,

60 *Ceterum hæc S. Joannis ecclesia e parœcialibus una est, et canonicorum Regularium Lateranensium administrationi concredita. Jam inde ab Agapeti Pontificis temporibus Bononiensis episcopi juribus subjectam fuisse, ex Gregorii VII rescripto colligitur, quod ad annum* 1075 *Sigonius lib.* II *de Episcopis Bononiensibus exhibet: multis illam reliquiis ditavit* S. Petronius, *quas anno* 1427 *die* 8 *Augusti Cardinalis Ludovicus Arelatensis, Martini V legatus, et anno* 1430 *Cardinalis Bessarion, legatus pariter Apostolicus, visitarunt. Fundamenta illius* S. Petronius, *cujus brachium possidet, posuit anno* 433, *eamque consecravit biennio fere post. Ampliori forma donata est anno* 1221, *et pulcherrima dein ornata testudine, anno* 1640 *ad umbilicum perducta. In choro sacelli majoris inventa est arcula cum inscriptione hujusmodi:* Capellam hanc majorem a D. Jo. Euangelista, angelorum turba comitato, designatam, fœmina quedam, cum sæpius clarissime vidisset apparitionem, ex Dei præcepto mox curavit, et a fundamentis erigendam anno Domini MDXVII; *nimirum B. Helena de Oleo, de qua actum est in Actis nostris ad diem* 25 *Septembris; ubi multa de B. Helena in vulgus sparsa fuisse commenta dicuntur; quibus annumerari in primis illud potest, quo e* S. Petronii *familia fingitur oriunda. Multa quoque, quæ parum probabilia videntur, de revelationibus apparitionibusque ipsi factis circumferuntur: quidquid de apparitione S. Joannis Evangelistæ, ipsi facta, dicendum sit, eam, sicut et alia pleraque hoc numero, retuli ex fide Masinii Bononiæ perlustratæ, tertio editæ, pag.* 122 *et sequenti.* E

alia SS. Bartholomæo et Marco,

61 *De S. Bartholomæi et S. Marci templis ex eodem Masinio pag.* 133 *et* 289 *nonnulla huc transcribo. Utrumque* S. Petronius *condidit anno* 432, *S. Bartholomæi vero templum anno* 1210 *ignis corripuit, qui, ut Sigonius scribit in Historia Bononiensi ad hunc annum, fortuito in porta Ravennate excitatus, præter S. Bartholomæi ædem, SS. Stephani, Vitalis et Donati templa, per vicinas domos dilapsus, eodem casu involvit. S. Bartholomæi vero templum Gozzadinorum familia anno* 1298 *suis e cineribus excitavit. Anno* 1599 *Patribus Theatinis cessit, annuente Clemente VIII: animarum vero curam, quæ huic annexa erat, Alfonsus Paleotus, Bononiensium antistes, vicinis parœciis distribuit. Veteri huic S. Bartholomæi templo novum successit, eidem Sancto, et S. Cajetano, PP. Theatinorum institutori, sacrum, cui initium dedit annus* 1632, *primum novæ fabricæ lapidem ponente Hieronymo Lomellini, S. R. E. Cardinali et legato Bononiensi: divina vero officia celebrari illic cœperunt anno* 1664 *die* 14 *Decembris. De templo S. Marci præter jam dicta citatus Masinius pauca hæc annotavit, nempe S. Marci olim parœciam anno* 1366 *die* 9 *Aprilis unitam fuisse parœciæ S. Donati, ipsam vero S. Evangelistæ ecclesiam ejusdem Sancti sodalitio concessam anni ejusdem mense Augusto, die vero* 24. F

Fabiano et Sebastiano,

62 *Neque hic stetit* S. Petronii *in condendis hoc anno ecclesiis labor: etenim, si Masinio fides habenda est, alia quoque hoc anno Sanctis templa excitavit, alterum nimirum SS. Fabiano et Sebastiano, alterum S. Martino Turonensi, tertium S. Luciæ, quartum denique S. Barbatiano. SS. Fabiani et Sebastiani templo ad portam castri, seu* di castello *dictam, sito ingens terræ motus ruinam intulit anno* 1503, *de quo Sigonius lib.* V *de Episcopis Bononiensibus ad prædictum annum universim scribit:* Biennio post urbs duabus gravissimis calamitatibus afflictata est, insigni terræ motu, et rei frumentariæ difficultate. Tremore vero ita concussa est, ut altissima ac maxima quæque ædificia labefactata, ac pinnis, verticibusque sint exuta. Quo metu percussa civitas per multos

AUCTORE J. B.

multos dies sub dio in campis urbis sibi tabernacula fixit, atque ibi mente in primis sollicita pernoctavit: *sed postmodum instauratum fuit. Anno* 1595 *die* 13 *Junii jussu Clementis VIII auctum est parte paræciæ S. Lucæ, cujus pars altera S. Columbani paræciæ cessit. Servari in illo quasdam* S. Petronii *reliquias, pag.* 205 *Masinius ait; sed, quænam eæ sint, non edicit.*

Martino Turonensi,

65 *Hæc de templo SS. Fabiano et Sebastiano* S. Petronii *opera erecto: porro duplex Bononiæ visitur templum S. Martino sacrum; alterum, de quo Sigonius lib.* II *de Episcopis Bononiensibus ad annum* 1217 *hæc scribit:* Anno millesimo ducentesimo septimo decimo titulus S. Martini ad Aposam conditus est. *Quia vero proxime dixerat Sigonius:* Eodem sedente Henrico (*a Fracta*) aliæ etiam, minus insignes ecclesiæ excitatæ; *prioribus Sigonii verbis Carolus Rabbius hanc annotationem subjecit:* Crevit autem mox in insignem ecclesiam, amplumque cœnobium PP. Ordinis sanctæ Mariæ de monte Carmelo, qui huc venerunt anno MCCXCIII. Modo illud incolunt PP. ejusdem Ordinis congregationis Mantuæ, quibus locum concessit Joannes Soreth, Prior generalis, anno MCCCCLXVI. *Alterum vero eidem S. Martino sacrum et in valle Aposæ situm, quod* S. Martini, *vulgo* Dalla croce de sancti *appellatur.*

B *Hoc autem S. Martino sacrum esse, voluit* S. Petronius *haud ita dudum ab illius obitu.* Aposani *nomen utrique dedit Aposa fluvius urbem permeans.*

Luciæ,

64 *Quæ vero ad S. Luciæ, virginis martyris templum præcipue spectant, ex Carolo Rabbio disces, qui Sigonio ad annum* 1541, *Societatis nostræ Patres ad S. Luciam prima vestigia fixisse, referenti subjecit, quæ sequuntur:* Ecclesia ædificata, sedente D. Petronio, circa annum CCCXXXII, diruta postmodum anno DCCCCIII ab Hungaris. Solum possedere diu canonici Lateranenses, qui illud cesserunt Savino Saxoferato anno MCCVIII, ut ecclesiam reædificaret: eo mortuo iterum canonici tenuerunt, ecclesiamque constructam coluerunt ad usque annum MCCCCXVIII, a quo tempore possederunt sæculares presbyteri titulo Rectoris; ad hujusmodi erat Hieronymus Casalinus, qui D. Franciscum Xaverium domi recepit. Modo antiquæ ecclesiæ S. Luciæ ne vestigium quidem apparet, quippe eo in loco visitur nobile atrium amplissimi collegii PP. Societatis. At proxime sub ejusdem Virginis ac Martyris nomine visitur magnificum templum, quod construi cœpit anno MDCXXIII, Angelo Gozzadino, archiepiscopo Niciensi, et suffraganeo Bononiensi,

C primum lapidem ponente XIV Kal. Majas.

quod non ita liquet de S. Barbatiano;

63 *Sigonius lib.* I *Historiæ Bononiensis ad annum* 430 *S. Barbatiani templum inter ea, quæ* S. Petronius *Bononiæ vel condidit vel reparavit, diserte annumerat: sed lib.* I *de Episcopis Bononiensibus eadem recensens, de S. Barbatiani æde ne verbum quidem facit: ad annum vero* 485, *monasterium S. Barbatiani S. Jocundi, quem tertium a* S. Petronio *Bononiensium præsulem ponit, tempore constructum fuisse, conjicit. Dubitavitne Sigonius, num* S. Petronius *re vera S. Barbatiano templum erexerit? Docet enim Benedictus XIV, Sigonium librum de Episcopis Bononiensibus serius conscripsisse, in eoque, quæ in Historia Bononiensi minus caute scripserat, emendasse. Utut sit, equidem anno* 432, *quod Masinius ait, S. Barbatiano templum* S. Petronius *erexisse non videtur; nam tum temporis, quantum quidem apparet, S. Barbatianus e vivis nondum excesserat. Illius obitum anno* 444 *illigat Hieronymus Fabri lib. de Antiquitatibus sacris Ravennatibus p.* 195; *Rubeus lib.* II *de rebus Ravennatibus inter ann.* 438 *et* 444 *collocat. Obiisse Ravennæ legitur in Actis apud Agnellum t. II p.* 39 *Appendicis, cum condendo Arimini S. Stephani templo Galla Placidia erat intenta; quod anno* 438 *contigisse, scribat Cæsar Clementinius lib.* II *Rerum Ariminensium. Ceterum, teste Masinio, pag.* 370, *S. Barbatiani ecclesia olim penes canonicos Lateranenses fuit, sed ab his ad monachos S. Hieronymi de Observantia translata anno* 1480; *quod etiam Sigonius ad annum mox laudatum testatur his verbis:* Inde anno MCCCCLXXX monachis eremitis S. Hieronymi ædem S. Barbatiani vacantem ex Pontificis (*Sixti IV*) decreto communicavit, cum hospitium habere optarent. *Quibus subjicit Rabbius:* Instituti fuere a B. Petro de Pisis circa annum MCCCLXX, locus ipsis datus an. MCCCCLXXX die XVI Augusti. D

denique Agathæ et Theclæ pariter excitavit,

66 *Binis proxime sequentibus annis S. Joanni Apostolo et Evangelistæ, et SS. Theclæ Agathæque virginibus martyribus templa erexit; S. Joanni quidem et S. Agathæ anno* 435, *S. vero Theclæ anno* 454, *si quidem vera Masinius scribit: non enim convenit inter auctores omnes, quibus annis templa singula, jam enumerata, sive a fundamentis excitasse, sive collapsa instaurasse* S. Petronius *perhibetur. De templo S. Joannis egi num.* 59 *et seq. Superest igitur, ut de SS. Agathæ et Theclæ templis pauca subjiciam. Masinius pag.* 223 *et seq. S. Agathæ ecclesiam paræciis Bononiensibus annumerat, et olim* S. Mariæ di Castiglioni *nuncupatam ait, additque, ruinam olim passam, primum anno* 1196, *dein anno* 1653 *fuisse instauratam. Postremo S. Theclæ ecclesiam olim saltem in paræciarum Bononiensium numero fuisse, ex instrumento quodam anni* 1375, *idem Masinius pag.* 461 *et sequenti affirmat, hodieque sæcularium presbyterorum administrationi commissam, ac denique* S. Petronii *reliquiis ditatam.* E

sacrisque reliquiis locupletavit.

67 *Neque vero* S. Petronio *satis fuit tot templa Bononiensibus excitasse, sed etiam plurimis Sanctorum exuviis ditanda et munienda censuit:* His operibus perfectis, *inquit Sigonius lib.* I *Historiæ Bononiensis ad annum* 430, Constantinopolim ad Theodosium, sive privati, sive publici officii caussa repetiit, ac pro ea, qua apud imperatorem valebat, auctoritate multas Constantinopoli sacras reliquias auferendi potestatem obtinuit, quibus domum regressus cum alia templa a se constructa, tum in primis ipsum Divi Stephani fanum ac sacella ad cruces quatuor collocata ornavit: *nimirum præter templa jam enumerata ad quatuor urbis portas totidem etiam cruces lapideas* S. Petronius *excitavit, quæ dæmoni quidem terrori, Bononiensibus vero præsidio, et perpetuo ad fortiter pro Deo, et salute sua dimicandum, incitamento essent.*

§ V. Sanctus Bononiam reparat et amplificat.

Bononiam semirutam,

S. Petronius, *Bononiam veniens, non modo sacra, sed profana etiam ædificia sus deque conversa invenit; quæ quidem sors Bononiæ cum multis Italiæ civitatibus erat ea tempestate communis, ut ex* F *S. Ambrosii Epistola intelligitur, qua Faustinum, sororis suæ amissionem ægrius ferentem, ita consolatur:* Sed doles, quod dudum florentissima repente occiderit. Verum hoc nobis commune non solum cum hominibus, sed etiam cum civitatibus, terrisque ipsis est. Nempe de Bononiensi veniens urbe a tergo Claternam, ipsam Bononiam, Mutinam, Rhegium derelinquebas, in dextera erat Brixillum, a fronte occurebat Placentia, veterem nobilitatem ipso adhuc nomine sonans, ad lævam Apennini inculta miseratus, et florentissimorum quondam populorum castella considerabas, atque affectu relegebas dolenti. Tot igitur semirutarum urbium cadavera, terrarumque sub eodem conspectu exposita funera, non te admonent, unius, sanctæ licet et admirabilis feminæ, decessionem consolabiliorem habendam *etc. Certa itaque est Bononiensium clades; at quo auctore illata?*

quum cladem

69 *Rem ita contigisse, nonnulli volunt. Gratiani imperatoris jugum, defuncto Valentiniano, Bononienses excusserunt, initaque cum Mutinensibus ac Rhegiensibus societate, finium suorum dilatandorum causa, vicinis Claternatibus bellum intulere. Re cognita, Gratianus Asclipium quemdam, Spoleti morantem, cum exercitu Bononiam misit, qui et Claternates imperio vindicavit, et Bononienses ipsos ad deditionem compulit, impositoque civitati præfecto, qui*

A *qui eam in officio contineret, Spoletum rediit. Verum hæc omnia lib.* 1 *Historiæ Bononiensis Sigonius explodit, tum quod hæc veterum Annalium auctoritate destituta sint, tum quod verosimile non videatur, iis tum viribus fuisse Bononienses eorumque socios, ut adversus integras adhuc Romani imperii opes arma capere ausi fuerint; quod ne opulentissimæ quidem per ea tempora civitates cogitarunt; tum quod vel ab ipso motuum exordio per Liguriæ consularem, cui parebant, facile potuissent in officio contineri. Sed narrationis seriem repetamus.*

Theodosio I nonnulli male adscribunt.

70 *Exstincto Gratiano, ad Theodosium, hujus nominis I, imperii summa devoluta est: hic, ut aiunt, antiquis urbium, provinciarumque magistratibus novos pro arbitrio substituit, Bononiamque in primis hominem Græcum, sibi quidem carum, sed avarum, superbum, et intemperantem misit; qui cum minis et precibus nobilis matronæ Bononiensis pudicitiam tentaret, rem illa marito patefecit. Is modeste hominem monuit, ut ab incepto desisteret, sed colaphum abstulit: qua re percitus matronæ conjux, illatum sibi probrum ulcisci volens, stricto mox gladio, imperatorium præfectum interfecit. Hinc Bononienses, male sibi metuentes a Theodosio, ne, quod Thessalonicensibus haud ita pridem evenerat, sibi*
B *quoque contingeret, in civem suum profugum, quibus modis potuere, animadverterunt; occisi vero corpus multo honore terræ mandarunt. At ne hoc quidem modo Theodosii iram effugerunt: adveniens enim paulo post in Italiam imperator, Bononienses Thessalonicensium sortem subire coegit. Qua de causa S. Ambrosius Theodosium, cum Mediolani esset, templi aditu prohibuit, et anathemate percussit, quo prius illum solvere noluit, quam legem condidisset, ne quis morti traderetur, nisi dies effluxissent* 30, *posteaquam in reum lata esset mortis sententia.*

et fabulosis admodum

71 *Hisce anonymus noster partim consonat, partim nonnulla addit, partim repugnat. Si enim, quæ modo relata sunt, sequimur, imminentem cladem Bononienses non prospexerunt modo, sed etiam a sese avertere studuerunt: si vero anonymum, nihil tale suspicantes inopinata clade oppressi sunt.* Ipsi vero, *inquit num.* 17, ignorantes pestem futuram, fecerunt secundum edictum regis. *Quæ vero de suo addit hæc fere sunt: primum, significasse Bononiensibus Theodosium, ut cuidam nepoti suo decentem sepulturam adornarent, quem apud illos tumulatum vellet; quo nimirum incautos repentino impetu obrueret, et benevolentiæ specie tegeret vindictæ libidinem. Alterum, commotam rei indignitate S. Ambrosium sanxisse, ne quis regum Bononiam dienceps ingrederetur, neve cujuspiam funus in urbem in-*
C *ferretur.*

adjunctis

72 *Porro edictum Ambrosianum, ut quidem contendunt, apud Patricellium his verbis concipitur.* Servus Christi Ambrosius Mediolanensis episcopus. Dilectissimi fratribus universis utriusque ordinis, majoris scilicet et minoris, in Domino eternam salutem. Cunctis Italiæ regni subversionem Bononiæ civitatis credimus fore notissimam, quam non vera justitia, sed calva occasione, Theodosica rabie, crudeliter perpessa est. Quam ob rem, dignum æquumque fore censuimus et ex parte Dei, et sancti Petri, cujus vocabulo Bononiensis ecclesia decoratur, damnatam, ac irrevocabilem sententiam anathematis obnixe statuimus atque firmamus, ut nemo regum modo urbem Bononiam ingrediatur. Si quis autem tam audax forte extiterit; qui huic sententiæ non satisfecerit, et prædictam urbem temere ingressus fuerit: præsenti anno, illius vita finiatur, et ne ultra dilatetur. Corpus quoque mortui cujusque minime deferatur in urbem, ne simili occasione tale amplius detrimentum patiatur. *Addit anonymus noster, id edictum S. Ambrosii jussu ad partem muri civitatis Orientalem, quæ intacta permanserat, marmorea in tabula appensum; tamdiu substitisse, dum tandem crebris incendiis in cineres abiit.*

vestiunt:

73 *Hæc vero cum anonymus noster, aliique scribunt, næ illi manifesto produnt, anilibus fabulis se nimium credulos. In ore quidem omnium est Theodosii in Thessalonicenses immoderata ultio, et probis antiquitatis testimoniis consignata: at de illata a Theodosio Bononiensibus strage nihil Ambrosius ipse, nihil uspiam veteres meminerunt. Neque necesse est pluribus fabulam refellere; quam prudenter in Actis* S. Petronii *suppressit Galesinius, et rerum Bononiensium cautiores eruditioresque scriptores non admittunt. Audi Sigonium lib.* 1 *Historiæ Bononiensium ad annum* 375 : Hanc autem historiam (*cædis Thessalonicensis*) tum ipsius Ambrosii scriptis, tum omnium ecclesiasticorum scriptorum monumentis consignatam vulgo ad Bononiam ita traducunt, ut totam rem longe aliter, ac gesta sit, explicent. *Dein, fabulam paucis exponens, sic pergit:* Quæ quam aliena sint, ut cetera omittam, illud non dubio esse argumento potest, quod probabile non videtur, Bononienses recenti adhuc, ut ipsi scribunt, clade a Gratiano accepta infirmos, suis viribus nixos, tantum facinus esse aggressos (*arreptis nempe repente armis, et occiso magistratu, a Theodosio descivisse*) et, quod Pontifex Maximus in tanta gentilium et Arrianorum perfidia et contumacia non edixisset, id alienæ civitatis episcopum edixisse.

AUCTORE J. B.

alii vero ad Maximum, aliosque tyrannos,

74 *Hisce igitur missis, ad verisimiliores de Bononiensium clade opiniones accedamus. Baronius ad annum* 387 *num.* 60 *Maximo tyranno illam his verbis adscribit:* Porro ipse ingressus Maximi in Italiam, sicut repentinus, ita terribilis visus est: E instar enim exundantis torrentis montium angustiis coarctati, in planiciem se totum effundentis, cunctaque sibi obviam secum trahentis, eam Italiæ partem, quæ ipsi post Alpium descensum occurrit, immensa affecit clade; nobilesque tunc civitates Placentiam, Rhegium, Claternam, Mutinam, Bononiam, et alias dire exagitavit, prædatis divitiis, adductis civibus in captivitatem, ut Pacatus affirmat, quæ et pertingit S. Ambrosius in Epistola ad Faustinum. *Ambrosii verba supra num.* 67 *recitavimus, e quibus tamen non liquet, quo tempore, quove auctore clades, cujus meminit, Bononiensibus illata sit; hæc vero tantum de Italia Pacatus in Panegyri Theodosii scribit :* Alta licet vulnera (quod fatendum est) proximus nobis Italus, contiguus ostendat Hispanus, sed in dolore suo habet uterque solatium. Tyrannidem ille non vidit, hic tyrannicidium vidit. *Reliqua, quæ proxime citata mox verba præcedunt et sequuntur, ad Gallias pertinent. Alta igitur vulnera sub Maximo, teste Pacato, accepisse videtur Italia; num etiam Bononia? Neque firmioribus fundamentis ii nituntur, qui eam contigisse volunt sub Eugenio, qui anno* 394 *bellicis motibus concussit Italiam, et a Theodosio victus* F *usurpati imperii pœnas dedit.*

vel Constantinum Magnum verosimilius referunt,

75 *Ad Constantini Magni ætatem recurrit Sigonius, ut vastatæ Bononiæ tempus assignet; sic enim habet lib.* 1 *Epp. Bononiensium :* Idem etiam (S. Petronius) præcipuus auctor imperatori (*Theodosio juniori*) fuisse prædicatur, ut urbem (*Bononiensem*) restitueret, quam ætate sua semirutam fuisse, sanctus refert Ambrosius : clademe nempe notans, quam bello Maxentiano una cum reliquis Æmiliæ urbibus a Constantino accepit. *Sigonio Benedictus XIV nuper accessit, ubi de* S. Petronio *agit.* Invenit ipse, *inquit,* in hac urbe in statu deplorabili omnia, ita ut jure ac merito nostræ regiones appellatæ fuerint a S. Ambrosio in citata Epistola ad Faustinum reliquiæ infelices, et cadavera urbium, quas propemodum prostraverant et oppresserant clades a Maxentio illatæ et civilia bella sub tyrannide. *Id tamen inter utrumque discriminis intercedit, quod ille Constantinum, hic vero Maxentium una forte cum reliquis tyrannis harum calamitatum auctorem præcipuum faciat; ut utriusque verba conferenti manifestum fiet.*

Petronius non modo reparat,

76 *Constantinus sub annum* 312 *e Galliis in Italiam adversus Maxentium movens exercitum primum Segusiensium civitatem vi cepit, ad Alpium radices sitam. Injectæ urbis portis faces, longius progressæ, urbis partem consumpserunt: sed Con-*

AUCTORE J. B. *stantini opera ignis exstinctus est, ut legitur in Nazari Panegyrico, eidem dicto. Hinc Taurinum progressus, Maxentii copias fudit, et Taurino, aliisque Italiæ urbibus, Alpes inter et Padum sitis, se sponte dedentibus, pŏtitus est. Mediolanum quoque accessit, benigneque habuit urbes, quæ ultro ejus amplectebantur imperium. Altero apud Brixiam hostem prælio fudit, ac mox apud Veronam tertio. Cessit et hæc victori Constantino. Aquileiam quoque et Mutinam, et urbes Italiæ alias oppugnavit, ut illius panegyrista mox laudatus his verbis refert:* Prætereo te, Aquileia, te, Mutina, ceterasque regiones, quibus propter insecutas incredibilium bonorum commoditates gratissima fuit oppugnationis injuria. *Sicut ergo oppugnare Mutinam coactus est, ita verosimile visum est Sigonio, neque abs re, Bononiam aliasque vicinas urbes obsidione cinxisse, iisque, saltem dum se dederent, usitata bellorum damna intulisse. Favet Sigonio Zosimus, qui libro* II *ait, Constantinum iis urbibus, quæ se sponte dedebant, nihil damni intulisse, contra subvertisse, quas sibi repugnantes habebat. Quod vero ad Maxentium attinet, is quidem exactionibus, libidinibus, cædibus fœdavit Italiam, at nescio, an sibi parentes urbes oppidaque diruerit. Sigonii itaque sententiæ malim subscribere, quamquam nec inficiari velim, etiam sub Maximo*
B *aliisve tyrannis Bononiensium civitatem in varias calamitates incurrere potuisse.*

sed etiam ampliori 77 *At quisquis fuerit harum calamitatum auctor, illud equidem certum est, pessimo loco fuisse Bononiensium rem, cum* S. Petronium, *rerum suarum instauratorem, divino munere sunt consecuti. Principio quidem, ut memorant, ambitu haud magno Bononia fuit, ut prisca ferebant sæcula. Binis dumtaxat portis ad illam aditus patebat, quarum altera Orientem, Occidentem altera spectabat; illa Ravennam versus ducebat, hæc Mutinam. His tertiam quartamque sub imperatoris Gratiani imperio adjectas ferunt. Cum vero Bononiam* S. Petronius *reparavit, portas alii novem, duodecim alii exstructas volunt; itaque non solum olim collapsa restituit, sed civitatem ampliori etiam forma donavit, ut* S. Petronium, *velut alterum urbis suæ conditorem non immerito habeant Bononienses. Quæ quidem Galesinius in Actis* S. Petronii *num.* 11 *ita breviter complexus est:* Ne vero quid offitii, quod a se proficisci posset, erga populum Bononiensium prætermitteret, Theodosii imperatoris, cui carissimus erat, et civium Bononiensium, quos unice in
C Christo diligebat, auxilio usus, urbis ambitum auxit.

forma donat, 78 *Sigonius vero lib.* I *Historiæ Bononiensis in hunc modum scribit:* Postremo Petronius ne quid officii erga Bononienses prætermitteret, quod a se proficisci posset, imperatoris ac Bononiensium auxilio usus, urbis ambitum longius, quam adhuc fuerat, protulit, qui quantus ad eam usque ætatem esset, portæ illius quatuor indicant, quæ fuerunt in iis locis, ubi adhuc rei monumento sunt cruces lapideæ quatuor ejusdem ibi Petronii opera excitatæ. Novos autem per ea spatia muros circumduxit, in quibus portæ vetustæ aliquot in orbem erectæ hodieque visuntur, quæ Turricularum nomine appellantur. *Addit anonymus num.* 19 *a Theodosio I, Ambrosii jussu, Bononiæ partem instauratam fuisse, perfecisse vero* Petronium, *quod Theodosianæ operæ deerat: porro imperatoris ministros* Petronio *copiose suppeditasse quidquid ad instaurandam Bononiam necessarium erat; quod ut verum fortasse sit, falsum tamen videtur, quod addit anonymus, propterea id illos fecisse, quod imperatoris esset affinis, quod quam parum verisimilitudinis habeat; in superioribus dictum est, et tum Sigonius, tum Galesinius silentio sibi prætereundum, prudenter existimarunt.*

et schola publica ornandam curat, 79 *Quam sacris profanisque ædificiis auxerat* S. Petronius *Bononiam, etiam scholæ publicæ jure a Theodosio ornandam curasse, Bononienses tradunt; qua de re ita Sigonius sæpe citatus lib.* I *Historiæ Bononiensis scribit.* Adhæc tot ac tanta Petronii erga se beneficia, illud in primis etiam se D ei debere, civitas profitetur, quemadmodum veteribus ipsa in monumentis notatum, ac posteriorum imperatorum auctoritate confirmatum habet, quod jus publicæ scholæ, quo postea Bononia præter ceteras Italiæ civitates præcipue floruit, idem a Theodosio impetrarit, honesta jam inde a primis imperatoribus studiorum fovendorum consuetudine instituta. *Mirum vero est, eumdem Sigonium lib.* I *de Episcopis Bononiensibus, ubi de* S. Petronio *agit, de re tam præclara nihil meminisse, nihil sæpe laudatum Galesinium in Actis* S. Petronii, *nihil denique anonymum, qui his facem prætulit. Quænam sint monumenta illa, quibus a Theodosio erectum apud se Lycæum, Bononienses edocti sunt, hoc saltem loco Sigonius non edicit. At Benedictus XIV Theodosiani cujusdam Privilegii meminit, cujus quidem autographum anno* 1513 *combustum fuerit,* exemplar *tamen* in S. Petronii basilica insculptum, et in ærea tabula, Ludovici Bolognini opera, anno MDVII in templo S. Dominici descriptum sit.

ut quidem Bononienses 80 *Theodosiani privilegii exemplar Muratorius edidit tom. III Antiquitatum medii ævi, Diss.* 34, *quod tum ob prolixitatem, tum ob exiguam, quam meretur fidem, huc transferre, necesse non judicavi: audi tamen Muratorii de illo judicium:* Temporis, *inquit,* essem prodigus, immo et erudito lectori E injurius, si vel unum verbum impenderem ad ostendendam diplomatis falsitatem, quippe quæ apertissime in oculos omnium, nemine etiam indicante, incurrat. *Ne vero cuipiam mirum videatur, Sigonium supra laudatum, scriptorem diligentem et cautum, hujusmodi figmento manus dedisse, ita pergit:* Non improbata quidem videtur solemnis hæc impostura Sigonio nostro in Historia Bononiensi. At mihi justa suspicandi causa est, Operi illi, post ejus mortem edito, laciniam ab aliquo assutam fuisse. Vide, quæ dixi in ejusdem Sigonii Vita, ejus Operibus in novissima Mediolanensi editione præposita. *Alterum Theodosiani Privilegii exemplar Ughellus affert tom. II Italiæ sacræ auctæ col.* 9, quod, *inquit,* exstat in marmorea tabula incisum apud ecclesiam S. Petronii; tametsi sua ipsius narratione apud cordatos viros, rerumque antiquarum peritos claudicare videatur. *Brevius istud quidem est, et propterea huc transcribendum; sed sic, ut illud recitasse, simul etiam sit, refutasse.*

evincere conati sunt, 81 *Ita habet:* Ne bonæ artes, cunctarum disciplinarum dogmata depereant, cum mores, sanitas, judicia, cæteraque id genus optimis doctrinis gubernentur: Nos Theodosius Dei gratia Rom. imperat. Augustus commoditate, et fertilitate loci capti V ac XX mensium pensitato consilio, summo F Pontifice Cælestino, Cardinalibus XII, archiepiscopis, episcopisque innumeris, aliisque in variis dignitatibus constitutis principibus ac ducibus Christianis, Balduino quoque Flandren. ac Gualterio Pictaviensi comitibus legatis, quorum alter Ludovici Franciæ, alter Philippi Angliæ regum illis arduis negotiis addictus, vicem gessere, sedente etiam centum senatorum collegio, Bononiam omnium scientiarum fontem, arcanorum nostrorum armarium, perennem studii sedem, fore hac inviolabili indulgentia decernimus, volentes insuper, ut omnes sententiæ a judicibus, qui in alma hac civitate per quinquennium saltem non studuerint, latæ, nullæ penitus existant: et si quis ad magistratus promotus dignitatem, ab alio quam ab archidiacono Bononiensi librum magistralem susceperit, quamquam id quarumlibet facultatum periti præstiterint, approbaverintque, eum auctoritate nostra omni dignitate privamus. Si quis vero scholasticos ad hoc studium euntes abeuntesque ausu temerario offenderit, capite puniatur. Hoc ni præses exequatur, eadem illum pœna affici jubemus. Hujus autem sacræ Constitutionis exemplar, bulla aurea majestatis nostræ munitum, manuque Ciceronis, curiæ nostræ notarii, scriptum ad perpetuam rei memoriam, Petronio episcopo, ex cæsarum Constantinopolitanorum sanguine orto, idem summis

A summis precibus efflagitanti, ac procuranti, gubernandum, custodiendum, omnibusque viribus exequendum tradimus ac concedimus. Romæ in Capitolio, anno Dominicæ Nativitatis CCCXXXIII, die IX Maji.

sed hactenus exteris non persuasere.

82 Bononienses, *inquit Benedictus XIV*, monumenti (*de quo num.* 79 *in fine*) sinceritatem communiter defendunt, Ghirardaccius, Vizanus, Gagius, Orlandus in Notitia Scriptorum Bononiensium; sed exteri nonnulli validis argumentis impugnant. *Subdit dein Muratorii verba num.* 80 *adducta, additque, Alexandrum Macchiavellum Apologiam pro ea concinnasse; sed quæ Bochmero minime satisfecerit; aliunque præterea in eodem argumento jam tum, cum de* Petronio *scribebat Pontifex, multis annis versatum esse, sed cujus ea de re notitias nondum acceperat: quorum lucubrationes, cum non viderim, æquum non foret, de illis judicium ferre; quamvis verear, ut in sententiam suam exteros pertrahere possint. Benedictus XIV Sigonii sententiam (si tamen Sigonii re vera fuit) amplectitur; non tam Bononiensium monumentis, quam Sigonii, quantum apparet, judicio et auctoritate motus; vel spe fore, ut solidius et clarius, quam hactenus ostensa esset, Bononiensium industria et labore, quorum id maxime interest, Lycæi Bononiensis origo et antiquitas ostenderetur.*

B

§ VI. Sancti obitus, miracula et cultus.

Sanctus, ut cœperat, suos pie regere pergit,

Sanctum Petronium, *postquam sacris profanisque ædificiis Bononiam auxerat et ornaverat, instituto etiam in Orientem itinere, magnam inde vim reliquiarum ad suos reducem avexisse et conditis a se monasteriis dispertiisse, præsertim vero S. Stephani templo, jam diximus, quarum in Actis Inventionis, ab æquali auctore conscriptis, et post* S. Petronii *Vitam edendis, enumerationem videre est. At quo anno Constantinopolim profectus, aut quamdiu illic moratus sit, haud satis exploratum habetur: quid vero a reditu suo Bononiæ egerit, nusquam, quod quidem sciam, litteris mandatum est: minime tamen dubito, quin plurima optimi sanctissimique pastoris specimina suis præbere perrexerit, cujus tam præclara fuere principia, dum tandem naturæ debitum solvit. Non una auctoribus opinio sedet de anno, quo e vivis excessit: Faber in Monumentis Ravennatibus* Petronii, *velut anno* 483 *in vivis adhuc existentis, meminit; Alberti anno* 460 *mortuum putat; Vizzanius anno* 451, *Ghirardaccius anno* 430; *Ghinius anno* 441; *Prosper Aquitanicus, sed vitiatus,*

C *anno* 385; *Sigonio etiam annus* 430 *placuit.* Demum, *inquit hic,* mirandis multis virtutibus clarus, imperantibus adhuc Theodosio et Valentiniano, anno quadringentesimo quinquagesimo, magno sui desiderio omnibus relicto, IV Nonas Octobris migravit ad Dominum.

et obit sub annum 430;

84 *Gennadium sequitur Sigonius : ille vero de* Petronii *morte ita scribit :* Moritur Theodosio, Arcadii filio, et Valentiniano regnantibus. *Cum igitur anno* 430 *Theodosius diem suum obierit, nec ultra hunc annum obitus* S. Petronii *differri potest; citius tamen, salvis Gennadii verbis, potuit contigisse; imo et forte re ipsa contigit : nam ex Gennadii verbis* Petronio *superstes fuit Theodosius; hunc vero Theodorus Lector die* 28 *Julii, Theophanes die* 20 *Junii obiisse scribunt : Menæa quoque Theodosii ad diem* 29 *Julii meminerunt; atque adeo saltem ante mensem Augustum anni* 430 *obiisse dicendus est. Contra* S. Petronium *die* 4 *Octobris obiisse, passim Bononienses cum Sigonio, numero superiore laudato, scribunt; quod si ita esse existimemus, jam inde ab anno* 449 *e vivis sublatus fuerit. Si vero anno* 430 *obiisse ponamus, dies* 4 *Octobris* S. Petronio *olim consecratus fuerit; non quod illo die obierit, sed translatæ fuerint ejus reliquiæ, aut alia quacumque ex causa, mihi non perspecta. Atque hæc quidem effecerunt, ut* S. Petronii *annum emortualem sub annum* 430 *Commentarii hujus principio collocarim. Defuncti corpus in S. Stephani templo honorifice reconditum fuit; ubi, temporum lapsu hominum memoriæ subtractum,* AUCTORE J. B. *anno* 1141, *singulari Numinis beneficio, sub Bononiensi episcopo Henrico repertum est, ut fuse narrat Inventionis auctor, post Vitam* S. Petronii, *ut dixi, edendæ. Ceterum, ut de anno* S. Petronii *emortuali non convenit inter auctores, ita neque de ejus successore. Hunc S. Paternianum fuisse, Sigonius censuit, quem eruditiores plerique sequuntur.*

miraculis

85 *Vivus mortuusque prodigiis claruit : sed eorum, quæ vivus fecit, non pauca, ut par est credere, posteritatis memoriæ invidit edacitas temporis : ex his unum alterumve tantum tum anonymus, tum Galesinius describit. Primum anonymus num.* 19 *et seq. hunc refert in modum* : Dum quadam die idem venerabilis Pater ingenti cura et sollicitudine super hujuscemodi operis magistros assisteret, divinitus (*factum*) est, quod quidam ex artificibus, cum vellet erigere columnam in superiori ordine columnarum, toto corporis nisu junctis brachiis amplexus est eam in giro, ut erectam subsisteret, quousque ab aliis artificibus sustentaretur quibuslicet argumentis. Sed vir ille, mole tanti ponderis prægravatus, deficientibus viribus, non diu sub tam gravi onere subsistere valens cum eadem columna, insertis brachiis in circuitu, celeri rotatu de sursum ruit in terra, quem confessor Domini S. Petronius, cernens in hujus periculi discrimine E positum, labi præcipiti lapsu, ad cælum protinus oculos erigens, signavit cum signo sanctæ Crucis; meritis quidem sæpe nominandi Patris, Deus illico solita pietate respexit ad votum famuli sui Petronii; quod columna illa alicujus fracturæ vel fixuræ detrimentum minime passa est, verum solida, uti prius, illæsa permansit : operarius vero, nihil mali sentiens, molem instantis periculi evasit, sicut idem solitus erat ita referre : Cum ego, totis visceribus expergefactus, angebar, undique pariter turbatus, irrevocabili cursu labi cœperam, quidam niveis stolis indutus, similis beato Petronio, astitit juxta me, qui manu sua columnam sustinuit, et me incolumem servavit.

non modo tum adhuc

86 *Ita hic opifex mortis quidem periculo* S. Petronii *precibus ereptus, sed non a morte ad vitam revocatus est, si verba spectentur anonymi : rem tamen Galesinius aliter refert, unaque explicat, quod templum conderetur, dum istud prodigium accidit.* Dum autem, *inquit num.* 10, ecclesia ipsa (*S. Stephani, de qua illi proxime sermo fuerat*) construitur, mirifici operis in Dei nomine edendi occasio est oblata. Nam faber quidam non tam viribus corporis, quam ingenio fretus, obnixe columnam marmoream, operis et instrumentis adjuvantibus, erigebat : sed funibus, quibus tollebatur, effractis, ille, repentina columnæ ruina oppressus, interiit. Ea re audita, beatus Petronius accurrit, orationeque ad Deum habita, fabrum, qui mortuus jacebat, ad vitam divinitus revocavit. *Vides, quæ inter utrumque auctorem in recensendis hujus prodigii adjunctis discrepantia intercedat; unde fas est conjicere, prodigii adjuncta tam dissimilia non nisi ex vulgi traditione, et haud satis constanti quidem, ab auctore utroque, a re gesta multis sæculis remoto, in litteras esse relata, et fidem proin integram non mereri : beneficium tamen huic opifici non sine prodigio fuisse collatum, non invitus admisero.*

in vivis erat,

87 *Alterum anonymus* S. Petronii, *in vivis existentis, prodigium deinde prosequitur : nimirum cum Constantinopoli sacris operaretur* S. Petronius, *accidit, ut Capuanus quidam nobilis, homicidii reus, atque hac de causa multatus pœnitentia publica, ecclesiam cum ceteris fidelibus ingredi non auderet; sed ante fores illius moraretur, ut ferebat eorum tum temporis mos, qui ob enormiora delicta erant a fidelium communione secreti. Id cum,* revelante Spiritu sancto, *ut credit anonymus, didicisset* S. Petronius, *iterum atque iterum ecclesiam ingredi jussum, nec tamen audentem, tertio monuit per ministrum : paruit ille tandem, cum a* S. Petronio, *cujus famam norat, vocari se, intellexisset :* Petronius *vero hominem, ne in similia crimina sese abripi deinceps sineret,*

AUCTORE J. B.

sineret, sedulo monitum, summa benignitate reconciliavit Ecclesiæ. Rei interfuit imperator ipse, si anonymo credimus, qui una cum reliquis, qui aderant, dignas Deo laudes egere, quod eo miraculo servum suum Petronium *illustrare dignatus esset. Vellem, ut qualecumque hoc prodigium potiori teste stabilire possem, quod intactum Galesinius præterit.*

sed post mortem etiam

88 *Ex eorum vero numero, quæ ex hac vita ad immortalem translatus, effecit, celebre illud in primis est, quod templo magnifico* S. Petronii *nomini condendo occasionem præbuit. Refert id Sigonius de Episcopis Bononiensibus ad annum* 1307, *quo contigit, hoc modo :* Sequenti (*anno* 1307) maximum voluptatis fructum ex repentina quadam populi religione (*Hubertus Placentinus, Bononiensium præsul*) cepit. Cum enim multi passim in urbe languerent, forte aquam sedandæ sitis causa ex proximo puteo, qui est sub altari S. Petronii in æde S. Stephani, haurire cœperunt : inde in die Pentecostes plerique, qui ex ea biberant, febribus suis repente soluti, summæ omnibus admirationi fuerunt. Itaque, ea re animadversa, magnus inde ad hauriendum puteum concursus populi factus, multisque subinde sanatis, prisca erga S. Petronium civitatis religio instaurata, eaque summa occasio fuit magnifici postea templi illi in foro
B constituendi. *Subdit in suis ad Sigonium Annotatis Rabbius, Bononiensium in* S. Petronium *religionem eo anno unius præcipue mendici occasione excitatam fuisse, qui sitis levandæ causa, hausta e puteo S. Stephani ecclesiæ aqua, et implorata* S. Petronii *ope, illico convaluerit; unde factus est populi concursus, et maxime ægrorum; e quibus non pauci, sanitate donati, domum redierunt. Addit Benedictus XIV ex comite Valerio Zani in Vita* S. Petronii : Tunc enim vero (*sanato ægro, de quo mox sermo fuit*) ex propinquis pagis et terris illuc confluere cœperunt magno in numero cæci, surdi, mutili, et membris capti, ita ut in publico archivio adhuc asserventur Acta, in quibus narratur, qua providentia usi sint magistratus, et quomodo ipsorum jussu erecta sint tentoria in platea basilicæ proxima, in quibus ægroti hospitio exciperentur, ex quibus quinquaginta supra centum convaluerunt ad invocationem sancti Petronii.

illustratus :

89 Hæc miraculorum series, *inquit Benedictus XIV sæpe laudatus,* cui accessit celebris victoria, reportata ad ejusdem Sancti invocationem contra aggressorem Vicecomitem, qui sibi Bononiæ dominium usurpare conabatur, in causa fuit, ut novum amplumque templum in ipsius honorem extrueretur in platea Majori anno MCCCLXXXX. *Alterum hoc*
C S. Petronii *miraculum quoque refert Valerius Zani, aitque, illum una cum beatissima Virgine, cum Bononia obsidione premeretur, in defensionem urbis apparuisse; quo spectaculo territi hostes urbis muris appropinquare non sunt ausi, campoque cesserunt. Cum vero id miraculum inter annum* 1307 *et* 1390 *contigerit; opinor Vicecomitem, de quo Benedictus, et obsidionem Bononiensem, de qua Valerius Zani, designari a Sigonio, cum ait ad annum* 1339 *et seqq., Bernabovem, Mediolanensem vicecomitem, Bononiensis urbis imperium sibi vindicare conatum, maxima ecclesiis suburbanis detrimenta dedisse, sed et maxima dein clade a Bononiensibus, inito cum ejus exercitu, primo ab urbe lapide, acri certamine, attritum fuisse, ac dein pacem cum Bononiensibus iniisse. Addit denique ex Leandro Valerius Zani,* S. Petronii *patrocinio lapsæ e sublimi puellulæ vitam fuisse restitutam anno* 1444, *et Sancti intercessione, sua etiam ætate, beneficia plurima iis conferri solita, qui in illo fiduciam suam collocatam haberent. Neque sane mirum, cæli civibus insertum* Petronium, *iis maxime propitium esse, de quibus, dum in hac vita degeret, bene mereri non destitit.*

quem Bononienses inde ab obitu suo, maxime vero a sæculo XII,

90 *Qui innumera prope, quibus* S. Petronius *Bononiam cumulavit, beneficia, et egregiam Viri sanctitatem animo perpenderit, is facile persuasum sibi habiturus est, Bononienses haud diu distulisse, sancto suo Præsuli sacros honores impendere, et ejus clientelæ sese subjicere : et sane id ita accidisse, lib.* II D *Historiæ Bononiensis de Ordinibus Religiosorum Sigonius refert.* D. Petronii, *inquit,* episcopi, quem jam inde a morte et consecratione illius civitas præcipua religione venerabatur, ara in æde D. Stephani dicata tanta diligentia colebatur, ut etiam episcopus et canonici, cunctusque clerus quotannis eam in festo ejus adirent, ac rem divinam ibi rite conficerent, thure a monachis et aqua lustrali excepti, et certis ad cibum potumque muneribus, ut illa erant tempora, culti, cujus consuetudinis aliqua in hunc usque diem vestigia remanserunt. *Ceterum quamvis minime dubium videatur, quin* S. Petronius *semper in honore et veneratione Bononiensibus fuerit, paucæ tamen, ut ait Benedictus XIV tom. XI, Institutione* 74 *publicæ venerationis monumenta suppetunt, quæ quidem corporis ipsius inventione, anno* 1141, *Innocentio II Pontifice, Bononiensium vero episcopo Henrico, facta, sint antiquiora : verum exinde* S. Petronii *cultus insigne incrementum accepit. Anno* 1211, *ut Masinius scribit, ejus nomini sacra ædes erecta est, quæ nunc vulgo* Petronii veteris *dicitur; et dein sub Octaviano Ubaldino Juniore, Bononiensium episcopo, Patribus Servitis concessa fuit : altera item, quæ* Castelli Bononiensis *nuncupatur; nosocomium quoque ejus nomini extra portam S. Felicis dicatum fuisse, cujus* E *anno* 1375 *rector fuerit Dinadanus Sala, idem Masinius scribit.*

condito etiam ejus nomini anno 1590

91 *At longe augustius Patrono suo templum, et, ut Benedictus XIV proxime laudatus ait, inter præclarissima Italiæ delubra merito annumerandum sæculo* XIV *Bononienses erexerunt.* Anno millesimo tercentesimo nonagesimo, *inquit Sigonius lib.* III *de Episcopis Bononiensibus,* episcopus nullus in urbe fuit. Eo vero anno res acta est omnium maxime, ut a libero populo, ad memoriam illustris. Etenim cum civitas templum adhuc, S. Petronio episcopo et patrono suo dicatum, nullum haberet, pridie Kal. Februarias decretum a concilio factum est, ut nobilissimum atque amplissimum in foro constitueretur, ac multis privatis domibus, et aliquot etiam ædibus sacris inde amovendis ingens ad id area pararetur. Quibus rebus eximia mox diligentia atque industria expeditis, VIII (*alii scribunt* VII) Idus Junii, clero, magistratibusque astantibus, primus lapis in basilica S. Petri sacratus in angulo templi sinistro, Orientem versus, est constitutus. Quin etiam cum ædes S. Sylvestri et S. Teclæ, quæ superioribus annis translata in forum fuerat, exarsisset, populus eam reficere abnuit; sed cruce ibi lapidea posita, quam post quoque summovit, propagavit. F

insigni templo,

92 Posteriore anno, *ut idem Sigonius refert, Bonifacius Pontifex, Bononiensibus reconciliatus, præter alia, quæ Sigonius enumerat, privilegia,* civitati Jubilæum, quo novum basilicæ opus proveherent, impertivit. Qua de re magna publice lætitia celebrata, tabernæ edicto publico per triduum clausæ, et ludi aliquot editi sunt IV Nonas Octobris. Bartholomæus, nondum episcopus consecratus, die S. Petronii, prima, quæ in nova basilica facta sunt, Missarum solemnia celebravit ad quartum ab Oriente sacellum, quod forte primum omnium a Bologninis fuerat absolutum. *Magnificum istud opus idem Bonifacius IX, et Joannes XXII, alias XXIII, summi Pontifices non parum promoverunt. Ille enim novum* S. Petronii *templum die 4 Octobris visitantibus quotannis lucrandas indulgentias concessit, similes iis, quæ S. Mariam Angelorum Assisii die primo et secundo Augusti, et S. Marcum Evangelistam Venetiis in festo Ascensionis Domini visitantibus concessæ sunt. Joannes vero XXII etiam reditibus auxit anno Pontificatus sui secundo; ut in ejusdem Pontificis bulla apud comitem Valerium Zani in Vita* S. Petronii *pag.* 257 *videre est. Quin et canonicorum collegio* S. Petronii *templum, a Pio II instituto, et a Philippo Calandrino, Bononiensium episcopo, approbato, auctum est anno* 1463, *teste Sigonio, ac sequenti tandem*

8 *Kal.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A 8 *Kal. Octobris tecto ejus fastigium impositum est :* Quod, *inquit,* ut Pontifex Pius audivit, haud invitus liberalissima peccatorum venia omnes affecit, qui die illius festo basilicam invisissent. *Qui plura de insigni hoc* S. Petronii *templo desiderat, Ughellum, Masinium, aliosque Rerum Bononiensium scriptores consulat.*

ac decretis in ejus honorem solemnibus supplicationibus,

93 *Nec conditis tantum templis aut sacris ædibus suum in* S. Petronium *amorem et venerationem Bononienses testatum esse voluerunt, sed solemnes etiam in ipsius honorem supplicationes, recepto a majoribus more, frequenter instituerunt; qua de re Benedictus XIV Institutione 74* : Die IV Octobris de more celebrabitur festum S. Petronii, episcopi Bononiensis, cujus patrocinio ac tutela hæc civitas ac diœcesis commendantur. In pervigilio ejusdem celebritatis, nempe tertia die Octobris, sacrum illius caput a templo S. Stephani ad illud S. Petronii, solemni supplicatione indicta, transferetur; peractis deinde Vesperis, die quarta Octobris, sacrum caput eadem pompa in pristinum locum restituetur, ut fieri quotannis consuevit. *Subdit ibidem Pontifex* S. Petronii *Festum proprio Officio ac Missa cum Octavo jam olim fuisse celebratum; quod ab ipsa sacri ejus corporis inventione in usu fuisse, Galesinius ad calcem Actorum his verbis affirmat :*

B Itaque invento beati Petronii corpore, sancitum est, ut quo die illius obitus, eodem coleretur inventio, biennii indulgentia in octo sequentes dies concessa. Quam ob causam canonicarum horarum Officium, jam inde ab eo tempore in ejus honorem sancte institutum, illis octo diebus, pie religioseque perpetuo celebrat Bononiensis ecclesia.

et tum Missa, tum Officio proprio,

94 *Argelatus tum Officium, tum Missam propriam* S. Petronii, *ex ejusdem sancti Episcopi Vita a presbytero anonymo Italice scripta et anno 1721 Bononiæ edita, tom. III Operum Sigonii col. 575 et seqq. inseruit. Ita habet Officium :*

Hymn. ad Mat.

Audi, Redemptor optime,
Tibi preces quas fundimus,
Et quas tuo Petronio
Laudes canentes dicimus.
Nestoriana nuncius
Ab usque Thracum litore
De peste missus, tu Christi
Vicem gerentem consulis.
Edoctus ille somniis,
Nil cogitantem te gregi,
Nostris rogatus patribus,
Bononiensi præficit.
Relicta tollis protinus
C Sectæ Arianæ semina,
Cujus profano diruta
Furore templa construis.
Sopita morte corpora
Virtute Christi suscitans,
In septa cujus aurea
Oves reducis devias.
Te nostra supplex civitas
Colit, rogatque, luminum
A Patre nobis impetres
Remissionem criminum.

huc e Sancti Vita Italica,

95 Hymn. ad Laud.

Rogamus inde Te, Pater,
In veste pura supplices,
Tuo dicatam nomini
Ædem benignus aspice.
Tu sacra, tu nostras preces,
Tu vota præsens accipe,
Pestem, famemque et prælia
Nostris repelle finibus.
Tu civitatem candidæ
Innecte pacis vinculo,
Sancto fruens ut ocio,
Se tota Christo dedicet.
Sit Trinitati gloria,
Deo Patri, atque Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

Antiphona ad Laudes his verbis concipitur : Qui magna fecit in omni terra, suscepit beatum Petronium, sacerdotem magnum, et beatificavit illum in gloria. *Versus :* Ora pro nobis *etc. : Responsorium :* Ut digni *etc. :* Exultet, Domine, populus tuus in sancti Petronii confessoris tui atque pontificis commemoratione, ut, cujus votivo lætatur Officio, relevetur auxilio. Per Christum etc.

auctore J. B.

96 Hymn. ad Vesp.

anno 1721 Bononiæ edita,

Ut via cælum facili teneres,
Sancte Petroni, procul a paternis
Sedibus, Nili peragrata cursu
Antra petisti.
Alloqui sanctos tibi cura patres,
Corpus et victu tenui domare,
Et sacris almæ documenta vitæ
Tradere chartis.
Impulit magnæ pietatis ardor
Celsa te Christi juga pressa plantis
Visere, et cælum, puer unde lumen
Hausit amatum.
Nec semel juvit tepidis rigare
Lachrymis sanctum Domini sepulchrum,
Quæque divinum tetigere corpus,
Saxa vereri.
Nunc tuas multo veneramur aras
Thure solemnes, ferimusque cælo, E
Hic ubi vita frueris beata,
Carmine laudes.
Præsulem, quisquis solio sedebit
In tuo, lectos famulos, patresque
Supplices, per te, Deus, atque alumnam
Prosperet urbem.
Hoc pius præstet Pater, atque Natus
Quique procedens ab utroque sanctus
Spiritus, mira bonitate cunctum
Temperat orbem. Amen.

Subditur Hymno Antiphona hujusmodi : In sanctitate et justitia serviamus illi, qui dedit nobis tam pium Patrem et sollicitum Pastorem, non sua, sed, quæ Christi sunt, quærentem. *Reliqua, ut supra ad Laudes.*

transcriptis, impense coluerunt.

97 *Missa vero, in solemnitate* S. Petronii *celebrari solita, hæc est : Introitus :* Statuit ei Dominus etc. *Psalmus :* Memento, Domine, David etc. *Oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, solemnitatem hujus diei propitius intuere, et Ecclesiam tuam, intercessione beati Petronii, confessoris tui atque pontificis, perpetua fac celebritate gaudere. Per Dominum etc. *Epistola :* Ecce Sacerdos magnus etc. *Graduale :* Ecce Sacerdos etc. *Versus :* Non est inventus etc. *Responsorium :* Tu es Sacerdos etc. *Evangelium :* Ego sum Pastor bonus etc. Credo *per totam Octavam. Offertorium :* Inveni David etc. *Secreta :* Hujus, Domine, Sacrificii munus tua petimus manu contingi : quod beati Petronii, confessoris tui atque pontificis, festivitate offerimus exultantes. Per Dominum etc. *Communio :* Beatus servus etc. *Postcommunio :* Beati confessoris tui atque pontificis Petronii, Domine, gaudia votiva celebrantes, da, quæsumus, ut per hæc sancta, quæ sumpsimus, misericordiæ tuæ auribus ipse commendet. Per Dominum etc. F

§ VII. Benedictus XIV caput S. Petronii a PP. Cælestinis dono accipit.

S. Petronii caput,

Sacro S. Petronii *apud Bononienses cultui Benedicti XIV, nuperi Pontificis summi, cura operaque ingens quoque accessio facta est. Cathedralis ecclesia insignes ejus reliquias possidebat; in æde S. Joannis in Monte Sancti brachium depositum erat, Dominica secunda Octobris fidelium venerationi exponi solitum, ut pag. 486 Masinius scribit; sacrum* Petronii *corpus S. Stephani possidebat ecclesia, sic tamen ut a reliquo corpore separatum esset Sancti caput, quo ad Patroni sui reliquias concurrentium pietati cumulatius satisfieret. Conditum hoc erat in urna, opere Gothico fabrefacta, cujus hæc erat inscriptio :*

Currente

AUCTORE J. B.

Currente MCCCLXXX hoc insigne opus factum fuit tempore libertatis regiminis popularis et artium communis Bononiens. ad ornamentum sacri capitis hujus sanctissimi Protectoris : et Jacobus, dictus Rosetus, fecit. *Ne alio transferretur, lato excommunicationis, ipso facto incurrendæ, anathemate, vetuerat Clemens VIII, nisi id forte causa gravissima, aut diei sancto* Petronio *sacræ celebritas exigeret.*

in S. Stephani hactenus servatum, cultumque,

99 *Mos enim iste jam olim apud Bononienses obtinuerat, ut supra partim retuli, ut pridie Festi* S. Petronii *sacrum illius caput syndico fabricæ Petronianæ ecclesiæ traderetur, publico ibidem fidelium cultui exponendum; unde die postero non sine ingenti pompa solemnique supplicatione ad ædem S. Stephanni quotannis referebatur; cui tam pio laudabilique instituto detractum nihil voluit Clemens. Par vero videbatur, ut augustis* S. Petronii *ædibus a Patroni sui capite novum tandem decus et ornamentum accederet, quod etiam civium erat justum æquumque desiderium. Idem porro Benedicto XIV jam pridem in votis fuerat. A Bononiensi igitur sede ad summi Pontificatus apicem evectus, id sedulo egit, ut S. Stephani cœnobitæ, penes quos hactenus fuerat* S. Petronii *caput, Petronianæ id largirentur ecclesiæ. Ii vero haud inviti compotem voti*
B *sui fecere Pontificem, pioque Bononiensium desiderio haud gravate obsecundarunt. Transmissum itaque est ingenti celebritate ad* S. Petronii *ecclesiam sacrum illius caput, in illius ecclesiæ potestate et thesauris perpetuo futurum; cujus servandi rationem Pontifex, modumque præscripsit, et proprium hujus translationis Officium, sed in ipsa dumtaxat urbe recitandum, concessit. Quæ omnia e confectis hac de re monumentis, et ab ipso Pontifice Benedicto tom.X a pag.* 723 *evulgatis, plenius apparebunt.*

Benedicto XIV

100 *Cælestini Patres, cognito Pontificis desiderio, coactoque capitulo, ut vocant, definitoriali, in monasterio SS. Petri et Catharinæ ad Magellam de Neapoli die* 25 *Novembris anni* 1741, S. Petronii *caput perpetui muneris loco obtulerunt, ut ex instrumentis, ea de re confectis, liquet. Ita habent :* In nomine Domini. Amen. Per præsens publicum instrumentum cunctis ubique pateat evidenter, et notum sit, quod anno a Partu Virginis millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Indictione Romana quinta, die vero XXIV Martii, feliciter sedente Sanctissimo Domino nostro Benedicto, divina favente Clementia, Papa XIV. Anno illius secundo, quem diu incolumem Altissimus servare dignetur. *Quæ sequuntur, Italico sermone exarata sunt, quæ adeo Latinitate donamus, sensum*
C *verborum subinde magis, quam verba secuti.*

Congregatio PP. Cælestinorum

101 Congregatio monachorum Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti, ut erga summos Pontifices pios admodum et obsequentes semper fovit tum venerationis, tum filialis obedientiæ sensus; sic semper abstrata est, nihil honorificentius accidere sibi umquam posse quam idoneam opportunitatem aucupari, testandi desiderium prompte exsequendi summorum Pontificum jussa. Quapropter suam erga hodiernum Pontificem summum, Benedictum XIV, pietatem modo plane singulari professa est eadem Congregatio, quam ille clementissimæ beneficentiæ, et certis atque irrefragabilibus paternæ dilectionis argumentis perpetuo dignatus est. Cum igitur eadem Congregatio, inter dotes ceteras, quæ Sanctitatis suæ nomen tantopere illustrant, singularem quoque perspexerit pietatem erga S. Petronium, suum olim in archiepiscopatu Bononiensi decessorem, nunc vero patronum maxime beneficum ejusdem civitatis; zelumque itidem singularem promovendi, etiam in aliis, laudati Sancti cultum, excitandique ad ejusdem Sancti venerationem fidelium pietatem; cumque penes se haberet eadem Congregatio corpus et caput supradicti Sancti in insigni basilica S. Stephani Bononiensis; rata est, suum erga Sanctitatem suam obsequium probari opportunius non posse, quam sacri illius pignoris portionem devote tribuendo, et venerabundi muneris loco, quantum D quidem penes se esset, offerendo caput ejusdem Sancti, cujus viva imago, sanctique mores in eodem Pontifice ad vivum expressi reperiuntur.

dono dare decernit,

102 Itaque, coacto die XXV Novembris anni proxime elapsi MDCCLI capitulo definitoriali ejusdem Congregationis Cœlestinæ in regali et venerabili monasterio SS. Petri et Catharinæ ad Magellam de Neapoli, præsentibus tum P. abbate generali, tum patribus definitoribus ceteris, primariisque Ordinis Cœlestini superioribus, iidem, ob declaratam in dictum Sanctum Sanctitatis suæ pietatem, unaque demissi sui in Pontificem obsequii magis magisque testandi causa, unanimi consensu, et deliberatione concordi, caput dicti Sancti, quantum in se esset, aut esse posset, suæ Sanctitati venerabunde offerendum decreverunt; persuasum sibi habentes, gratum habituram illius rei munus, quam illi propriam, et omnino a plena, libera, et suprema ejus auctoritate dependere, agnoscebant et profitebantur capituli Patres. Hujus vero decreti vi (cujus apographum authenticum præsenti instrumento inseritur, tenoris, ut in fine) injunctum est P. abbati D. Cœlestino Orlando, procuratori generali, ut totius religionis nomine pios hosce sensus Pontifici exprimat, et, dando donum sacri capitis S. Petronii, non solum dictam donationem viva voce E confirmet, sed etiam vi facultatis, ex decreto acceptæ, scripto relinquat perpetuum et irrefragabile testimonium cum publico solemnique instrumento, aliisque Actis quibuslibet, menti Pontificiæ consonis. Hinc idem P. Orlandus, procurator generalis totius Congregationis, postquam pontificio throno oblatus, et voce tenus, consentiente etiam Eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Riviera, apud sanctam Sedem Cœlestinorum protectore, prædicta Pontifici attestatus est, publico rem instrumento declarandam judicavit, ut injunctam sibi provinciam omni ex parte expleret.

et per P. Orlandum

103 Constitutus igitur prædictus P. procurator generalis coram me, notario publico et testibus infrascriptis, inhærendo facultati, illi a pleno definitorio dicto die XXV Novembris MDCCXLI injunctæ, repetitoque expresse et verbatim condito in illo, publicatoque decreto, conscio et consentiente supradicto Eminentissimo protectore, ex pleno, liberoque arbitrio, neque aliter, nomine totius Religionis offert, dat, conceditque per modum irrevocabilis donationis Sanctitati suæ, Domino nostro Papæ Benedicto XIV, dictum sacrum caput S. Petronii, episcopi et patroni Bononiensis, quod in decenti hierotheca custoditur et publicæ veneration exponitur in basilica S. Stephani Bononien- F sis; precando, nomine, ut supra, Beatitudinem suam, ut id accipiat in tesseram venerationis et reverentiæ, quam Congregatio Cœlestina professa est, ut id deinceps vel apud se retineat, vel de eo disponat ex arbitrio; nomine prædictæ Congregationis declarando, religionem suam, ex quo prædictum decretum tulit, et multo magis a præsenti stipulatione, prædictas reliquias custodire velle, velut merum depositum, et solius supremæ dispositionis postmodum exsequendæ ergo, quam de donato sibi irrevocabiliter dicto sacro capite, quantum id penes Cœlestinam Religionem est, aut esse potest, Sanctitas sua præscribere dignabitur. Declarat eodem tempore P. Procurator generalis nomine totius Congregationis suæ, illam novi Pontificiæ beneficentiæ speciminis loco habituram, si pretiosum id pignus in debitæ filialis agnitionis argumentum haud gravetur admittere, et velut acquisitum habere, quod alias suum est, et Religionem suprema Pontificia beneficentia, ut solet, tueri, securamque reddere pergat.

offert,

104 *Hisce Latine subdit Notarius publicus :* Super quibus omnibus præmissis hoc publicum edidi instrumentum requisitus etc. : Actum Romæ in venerabili collegio Cœlestino S. Mariæ in Posterula, et in ædibus dicti reverendissimi patris, procuratoris generalis, præsentibus illustrissimis dominis

A dominis D. Francisco Maria Martini bon. mem. Martini thesaurario, et tertia dignitate cathedralis ecclesiæ Uritanæ, et D. Josepho Formica bon. mem. Nicolai Monopolitano, testibus ad hæc vocatis, habitis specialiter atque rogatis, qui sese cum dicto patre reverendissimo subscripsere, videlicet :

D. Cælestinus Orlandus, abbas S. Mariæ in Posterula de Urbe procurator generalis Congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti approbo, ut supra etc.

Ego D. Franciscus Maria Thesaurarius Martini interfui, ut supra.

Ego Joseph Formica interfui, ut supra.

suum ea in re 105 *Decreti capituli definitorialis, num.* 102 *memorati, hic tenor :* Cum multis nominibus plurimum debeat Congregatio Cœlestina Ordinis S. Benedicti sanctissimo Domino nostro Benedicto Papæ XIV, præsertim vero se illi devinctam agnoscat, quod supremæ, qua potitur, auctoritatis oblitus, non principis, ut poterat, sed parentis optimi consilia inierit, et perspectam eidem Congregationi tantum voluerit pietatem suam erga S. Petronium, emeritum Bononiæ olim antistitem, nunc vero patronum munificentissimum, cujus sacrum corpus in basilica S. Stephani penes no-

B stram Cœlestinam familiam custoditur et colitur ; Congregatio prædicta id sua maxime interesse censuit, si uno, eodemque tempore, tum Pontifici Maximo filialis obedientiæ, ac officiosæ voluntatis exhiberet argumenta, tum quoque studium, operamque conferret, ut pietas ipsa summi Pastoris, ac visibilis Ecclesiæ Capitis Christi fideles ad S. Præsulis devotionem, et cultum impensius excitaret. Qua de re ejusdem Cœlestinæ Congregationis patres, penes quos est agendarum rerum potestas, in definitorio coacti, etsi satis intelligerent, ex sacri pignoris, nulla ex parte imminuti, custodia plurimum basilicæ S. Stephani dignitatis, plurimum quoque sibi ipsis splendoris accedere, et ornamenti ; nihilo tamen minus conjunctis suffragiis ac libera, concordi, imo enixa omnium animorum consensione, S. Petronii caput, quod seorsim a corpore in dicta Basilica decenter asservatur, Pontifici Maximo dono dandum, consultissime deliberarunt.

ad Pontificem 106 Consonum quippe iis visum est, sacri Antistitis exuviis potiri Benedictum XIV, qui sponsam eamdem Bononiensem ecclesiam, proposita sibi tanti Prædecessoris imagine, verbo, et exemplo saluberrime instituere, zelo divini hono-

C ris incendere, ejusque commodum omnibus pastoralis ministerii partibus provehere numquam prætermisit. Qua de re reverendissimus Pater abbas generalis, aliique patres definitoriales ad explicandum uberius obsequentes Cœlestinæ Congregationis sensus, et ad nova in diem sibi comparanda Pontificiæ auctoritatis, et dilectionis præsidia, conjunctis studiis, plenisque suffragiis delegarunt patrem abbatem D. Cœlestinum Orlandum, procuratorem generalem, qui ad pedes sanctissimi Domini nostri humillime provolutus, eidem communi totius Congregationis nomine venerandum S. Petronii caput, quantum ad eamdem nostram Congregationem pertinet, dono daret, quique super libera et irrevocabili donatione hujusmodi, summo Pontifici facta, verbo, et scripto, et publico etiam instrumento ea omnia declararet, gereret, et exequeretur, quæ tum consona essent Pontificiæ menti, tum quoque Cœlestinæ Congregationis gratum, devinctumque animum luculenter testarentur. Id vero potissimum assereret, munus ipsum amplo fœnore satis rependi, si Congregationi Cœlestinæ, in Pontificiam veluti clientelam adscitæ, tanti principis auctoritate et præsidio foveri contingat.

delegatum : 107 *Porro legitimum esse hoc capituli definitorialis decreti apographum patet ex sequenti testimonio, huic decreti apographo apud Benedictum XIV subnexo :* Extracta est præsens copia ex Libro, seu Regestro Actorum capitularium nostræ Cœlestinæ Congregationis Ordinis S. Benedicti, qui incipit ab anno MDCCXL et præsertim ex paginis quadragesima nona et quinquagesima dicti Regestri, in quibus paginis continentur Acta capituli definitorialis celebrati in venerabili ac regali monasterio SS. Petri et Catharinæ ad Magellam de Neapoli per me D. Josephum Palatium, reverendissimi Patris abbatis generalis secretarium, et dicti capituli actuarium, factaque de verbo ad verbum collatione, concordat cum suo originali. In cujus rei testimonium de mandato ejusdem reverendissimi Patris abbatis generalis sigillum apposui, meque subscripsi. AUCTORE J. B.

D. Joannes Palatius secretarius et actuarius.

Loco ✠ sigilli.

Et quia D. successor quondam Petri Nicolai Cantarelli curiæ Capitolii notarius de præmissis rogatus existit ; Ego Franciscus Maria Lorenzinus, civis Romanus, et publicus Dei gratia, et Apostolica auctoritate notarius ejusdem curiæ Capitolii, præsens instrumentum pro eo subscripsi, et publicavi, meoque solito signo munivi requisitus etc. salvo tamen semper etc.

Locus ✠ sigilli.

E

108 *Donationi capitis* S. Petronii, *Benedicto XIV a congregatione Cælestina factæ, accessit quoque consensio Eminentissimi Cardinalis Nerii Corsini, basilicæ S. Stephani abbatis commendatarii, ut fidem facit sequens instrumentum :* In nomine Domini. Amen. Per Per præsens publicum instrumentum cunctis ubique pateat evidenter, et notum sit, quod anno a Partu Virginis millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Indictione Romana quinta, die vero vigesima quarta Martii, feliciter sedente Sanctissimo Domino nostro, divina favente clementia, Papa Benedicto XIV. Anno illius secundo, quem diu incolumem Altissimus servare dignetur. *Italico sermone conscripta sunt, quæ sequuntur, omnia, usque ab subjectam instrumento clausulam :* Super quibus omnibus *etc.* *consentiente donationi*

109 Eminentissimus et reverendissimus dominus Nerius, tituli S. Eustachii S. R. E. diaconus Cardinalis Corsinus, abbas commendatarius abbatiæ S. Stephani Bononiensis, etsi semper collimaverit, velut in muneris sui partem, non tantum in abbatiæ suæ bonorum, sed etiam jurium, splendorisque conservationem ; et sacrum depositum integri corporis S. Petronii, dictæ civitatis patroni, quod in ecclesia dictæ suæ abbatiæ asservatur, eorum, quæ huc faciunt, forte præstantissimum, F semper maximi pro meritis fecerit, habueritque velut præstantissimum abbatiæ suæ ornamentum : nihilo minus cum pridem Eminentissimo domino Cardinali Prospero Lambertino, archiepiscopo Bononiensi (nunc sanctissimo patri nostro Benedicto XIV) in mentem venerit æquissima cogitatio, insigni collegiatæ ecclesiæ, eidem sancto Patrono dicatæ, sacri illius depositi partem procurandi ; cumque prædictum Eminentissimum abbatem commendatarium benigne rogarit assensum, donumque capitis prædicti Sancti, quod olim a reliquo corpore sejunctum, et in pretiosa hierotheca argentea, quo commodius publicæ venerationi exponeretur, collocatum fuit ; non solum ob petitionis æquitatem, verum etiam quod a vigilantissimo pastore, tam bene de Bononiensi ecclesia merito, et summæ apud Eminentissimum Cardinalem, abbatem commendatarium, venerationis, profecta est ; favit hic, qua potuit, promptitudine, quantum penes se esset, vigilantissimi pastoris desideriis.

110 Cum vero exinde tam bene meritus ad *Cardinali* solium Pontificium pervenisset, inter sollicitudines *Nerio Corsino,* Apostolicas, quidquid e patriæ suæ et ecclesiæ Bononiensis splendore et emolumento esset, præ oculis habere non desiit, nec ipsum inter alia S. Petronii capite ecclesiam, illi dicatam, ditandi propositum. Quod quidem vix ad aures Eminentissimi

AUCTORE J. B.

simi domini Cardinalis Corsini pervenit, quin illud dono dare suæ Sanctitati statuerit, quantum quidem id penes se esset, una cum hierotheca, qua modo includitur, ut illo utatur pro arbitrio et ad majorem sancti Episcopi gloriam. Hinc coram me et infrascriptis testibus Eminentissimus dominus Cardinalis Corsinus, tamquam supradictæ abbatiæ S. Stephani abbas commendatarius, quantum penes se est, donatione irrevocabili dat et concedit Sanctissimo domino nostro Benedicto Papæ XIV, sacrum caput S. Petronii, episcopi et patroni dictæ civitatis Bononiensis, quod olim a reliquo corpore sejunctum, et in pretiosa hierotheca argentea, quo commodius publicæ venerationi in venerabili ecclesia dictæ suæ abbatiæ exponeretur, collocatum fuit, ut illo utatur pro arbitrio et ad majorem dicti Sancti Episcopi gloriam. Declarante dicto Eminentissimo domino Cardinali Corsino, abbate commendatario dictæ abbatiæ S. Stephani Bononiensis, se, a stipulatione præsentis instrumenti, quantum penes se est, dictas sacras reliquias in dicta venerabili S. Stephani ecclesia custodiendas curaturum, velut merum depositum, solius supremæ dispositionis postmodum exsequendæ ergo, quam Sanctitas sua de supradicto capite S. Episcopi Petronii, irrevocabiliter, ut
B supra, oblato demisse in donum, una cum hierotheca, qua includitur, et non aliter etc., præscribere dignabitur.

S. Stephani abbate commendatario.

111 Super quibus omnibus præmissis hoc publicum edidi instrumentum requisitus etc. : Actum Romæ in Palatio dicti Eminentissimi D. Cardinalis Corsini, posito in via Lungariæ, præsentibus illustrissimo domino Philippo Cantagalli, equite Hierosolymitano, filio bon. mem. illustrissimi D. comitis Vincentii, patritio Fulginatense, et illustrissimo D. Carolo Nappi Cancellieri, equite sacri militaris Ordinis Divi Stephani Papæ et Martyris, filio illustrissimi D. comitis Francisci, nobile Cingulano, testibus ad hæc vocatis, habitis specialiter atque rogatis, qui sese cum dicto Eminentissimo domino Cardinali Corsini subscripsere, videlicet :

Nerius Cardinalis Corsini, abbas commendatarius abbatiæ S. Stephani Bononiæ, approbo, ut supra etc.

Ego Philippus eques Cantagalli, interfui, ut supra.

Ego Carolus eques Nappi Cancellieri interfui, ut supra.

Ego Ludovicus Riccius, Dei gratia, et Apostolica auctoritate notarius publicus, et consulatus natio-
C nis Florentinorum Urbis cancellarius, de præmissis rogatus præsens publicum supra dictæ sacræ reliquiæ donationis instrumentum subscripsi, et publicavi, meoque solito signo munivi requisitus.

Loco ✠ Signi.

§ VIII. S. Petronii caput ejusdem Sancti canonicis donat, et translationis illius celebrandæ ritum præscribit Pontifex.

Sacrum pignus Benedictus XIV.

Benedictus XIV, quod dono acceperat a Cardinali Corsino et PP. Cælestinis S. Petronii *caput, Bononiensibus collegiatæ ecclesiæ ejusdem Sancti canonicis transcripsit, cujus rei testes laudato suo Operi inseruit litteras, ultro citroque missas. Pontificis quidem litteræ, quibus præter alia, sacri pignoris servandi ratio præscribitur, ita habent:*

Dilectis filiis capitulo et canonicis collegiatæ ecclesiæ S. Petronii Bononien.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi plurimi semper fecerimus urbem Bononiæ, patriam nostram dilectissimam, scientiarum, et bonarum artium matrem, rebusque a civibus præ- D
clare gestis illustrem : eo tamen potissimum nomine commendari digna visa est, quod inclyta Bononiensium natio S. Petronio, Antistiti olim, Patrono nunc suo, templum extruxerit, et elegantia et amplitudine celeberrimum, et in ævum permansurum pietatis suæ testimonium posteritati reliquerit. Verum quo amplioribus referri laudibus consuevit majorum nostrorum avita religio in sacra et augusta æde excitanda : eo major nos incessit cupiditas, ut sacrum ejusdem et venerabile caput, quod in Basilica S. Stephani seorsim a reliquo corpore, ibidem jacente, custoditur, et colitur, in hujusmodi templum aliquando transferretur ad augendam loci amplitudinem, et majestatem, et fidelis populi cultum impensius excitandum. Itaque ex illa die, quo Nos, utpote patritia geniti Bononiensi familia in advocatorum aulæ consistorialis spectabile collegium allecti fuimus (cui sane amplissimo muneri ampliora, quæ postea obivimus, jure ducimus referenda) atque ecclesiæ vestræ jura in foro asserenda, ac propuganda suscepimus, studia etiam nostra, et officia in hunc scopum conferenda censuimus. Sed in aliud longe tempus solicitudinem hanc nostram rejecerunt et ipsa rei difficultas, et interjecta se nobis undique impe- E
dimenta.

quod in animo

113 Subinde vero nobis ad munus secretarii Congregationis, concilii Tridentini interpretis, evectis, et negotia Congregationis monachorum Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti, ad quam ecclesia S. Stephani pertinere dignoscitur, rite expedientibus, quamvis conciliandæ nobis eorumdem monachorum voluntatis, instaurandique concepti jam diu consilii occasio non semel oblata fuerit : attamen a quovis officiorum genere temperandum duximus, ne justitiæ partes, sedulo a nobis pro munere custodiendæ, in spem favoris, aut gratiæ traduci viderentur. A præclaro illo, quem diu obtinuimus, loco in amplissimum S. R. E. Cardinalium collegium cooptati fuimus a Sanct. mem. Benedicto XIII, prædecessore nostro, qui Nos etiam, licet tanto muneri impares, Anconitanæ præfecit ecclesiæ; deinque singulari munificentia summi Pontificis Clementis XII ad regimen ecclesiæ Bononiensis evocati, ne ab avita Majorum pietate degeneres videremur, acrius obtinendi sacri pignoris spe, a qua numquam disjecti fuimus, Nos incendi intelleximus. Qua de re vota nostra, quibus tandem compotes fieri nitebamur, aperuimus collegæ tunc nostro, dilecto filio Nereo Cardinali Corsino, basilicæ S. Stephani abbati commendatario, qui F
prono, libentique prorsus animo ecclesiam vestram præcipua illa sacrarum exuviarum parte ditari posse censuit, dummodo Cœlestinæ Congregationis assensus, et Apostolicæ authoritatis munimen donationi accederent. Egregia hæc, atque officii plena collegæ nostri voluntas, quamvis Nobis jam currentibus stimulos adderet, atque ad rem cum monachis impensius urgendam commoveret : nihilominus ad diem, comitiis generalibus præstitutam, differendam comperimus, ut in illis rite, atque ex ordine perficeretur; ipsique monachi, penes quos est agendarum rerum potestas, in definitorio coacti, consultissime de hujusmodi negotio deliberarent.

jam dudum habuerat,

114 Interea supremum hoc Catholicæ Ecclesiæ culmen non minus inviti, quam immerentes, Deo sic jubente, conscendimus; ac rati advenisse tandem plenitudinem temporis, quo voti compotes fieri possemus : dilecto filio nostro Dominico Card. Riveræ Congregationis Cœlestinæ apud Nos, et sanctam hanc Sedem protectori, nec non dilecto filio abbati Cœlestino Orlandi, procuratori dictæ Congregationis in Urbe generali, desiderium nostrum apud eosdem monachos reliquimus studiose promovendum. Iis porro agentibus, res eo feliciter perducta est, ut ejusdem Congregationis abbas generalis, aliique PP. definitoriales conjunctis suffragiis, et libera, imo enixa omnium animorum consensione,

A consensione, ad nova sibi in diem comparanda Pontificiæ nostræ dilectionis præsidia, S. Petronii venerabile caput, una cum theca, qua includitur, quantum ad eos pertinet, dono nobis obtulerint. In id etiam collimavit diu comperta, ac luculentis probata argumentis officiosa erga Nos voluntas dilecti filii Nerei Cardinalis Corsini, qui oblatum Nobis inclytum munus pro virili parte ratum habuit, explicata etiam uberius filialis in Nos studii significatione. Verum etsi non mediocri Pontificiæ mentis solatio munus sacri capitis acceperimus; veterem tamen capsam, aliis custodiendis reliquiis idoneam, in basilica S. Stephani penes Cœlestinam familiam relinqui volumus; quippe præclarum munus per se tanti pretii est, ut nullo augeri possit ornamento.

præscripto illius servandi,

115 At ne ullæ diligentiæ nostræ partes ad operis complementum desiderari videantur; arculam affabre eleganterque compactam in Urbe fieri curavimus, in qua sacrum caput includetur. Nostro præterea arbitrio relictum est, certam diem præstituere, qua arcula sacro ditata thesauro solemni ritu, ac pompa, quantaque fieri potest cleri et populi celebritate in ecclesiam vestram transferatur. Vestrum erit interim, aptum designare locum, quo illustre hoc munus tuto ac honorifice custodiatur

B sub duplici clavi, altera a XL Virorum Bononiensium decano, altera a primicerio insignis vestræ collegiatæ ecclesiæ perpetuo retinenda. Ubi vero intra biennium, a nostris hisce litteris computandum, absolutum sit altare magno sumptu, ac nitore construi cœptum a dilecto filio et concive nostro Pompejo Cardinali Aldovrandi, unaque simul intra id temporis perfici contingat repositorium pro sacro capite asservando, in ejusdem altaris orthographia, ac forma nobis præmonstratum, volumus ac mandamus, sacrum caput in eo collocari, duabusque clavibus addi tertiam a primogenitis pro tempore familiæ Aldovrandæ custodiendam. Sin autem præscripto a Nobis tempore infectum opus adhuc fuerit; Nostrum erit, si vita suppetet, sacri pignoris custodiæ opportune consulere, vel, si mors interceperit, aut archiepiscopatu cesserimus, existentis tunc Bononiensis archiepiscopi erunt partes, aptum ad id locum designandi.

colendique ritu,

116 Sacrum præterea caput semel istuc invectum amoveri, atque alio transferri posse expresse prohibemus: festo tamen sancti Præsulis die, vel alia etiam, archiepiscopo Bononiensi bene visa, fidelium venerationi exponetur in ara principe ecclesiæ vestræ; ac in pervigilio ejusdem festi sup-

C plicabundo ritu ab eadem ecclesia per Majus forum eidem proximum circumferetur, tributa etiam eidem archiepiscopo potestate id toties peragendi per alia urbis istius loca, quoties publicas supplicationes duxerit pro suo arbitrio indicendas. Insuper ut majori, quo fieri potest cultu juxta veterem, atque optime in ecclesia institutum morem solemnis translationis memoria recolatur, volumus, ac præcipimus, annua ejusdem translationis recurrente die, Officium proprium, nuperrime a Nobis edi jussum, recitari ab omnibus, utriusque sexus Christi fidelibus, qui isthac in urbe ad Horas canonicas tenentur.

Bononiensibus S. Petronii canonicis transcribit:

117 Nostris hisce litteris, vobis reddendis a sacerdote Philippo Maria Mazzi, nostrorum istic negotiorum gestore, publicas adjecimus tabulas, quibus consignatæ sunt donationes sacri capitis Nobis exhibitæ, tum a dilecto filio Nereo Cardinali Corsino, tum etiam a dilectis filiis monachis Congregationis Cœlestinæ: Pontificiam vero nostram liberalitatem, qua vobis, et ecclesiæ vestræ sacrum idem Pignus una cum pretiosa theca dono dedimus, satis perspectam, omnibusque testatam esse censemus in ævum permansuro hujus nostræ Apostolicæ paginæ documento. Muneris idcirco erit vestri hujusmodi monumenta, ne temporis injuria intercidant, in vestri capituli tabularium inferre, atque ad illorum custodiam, qua par est fide, et diligentia incumbere. Nostræ demum in vos collata paternæ dilectionis, et largitatis argumenta memori, gratoque animo a vobis accepta intelligemus, si vestra non deerunt studia, in excitanda Christiani populi erga sacrum Antistitem pietate, et cultu, vestraque etiam apud eumdem non deerunt precum officia, ut ejus nos ope in tanta temporum difficultate adjuti, ministerium, quod accepimus a Christo Jesu, licet curarum, et sollicitudinis plenum, impigre ac fideliter impleamus; et Apostolicam benedictionem ex animo vobis impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, die decima Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

AUCTORE J. B.

118 *Æquum sane erat, ut pro tantæ benevolentiæ significatione, munereque tam præclaro summo Pontifici gratias agerent* S. Petronii *canonici; itaque rescripsere:* Beatissime Pater. Cum primum te, beatissime Pater, in summum istum, et cælo proximum dignitatis, atque amplitudinis gradum, divino plane consilio, summaque omnium voluntate evectum esse, faustissimum nuncium accepimus, et incredibili quadam lætitiæ voluptate perfusi sumus, et certa nobis spes animo suborta est, fore nimirum, ut ad majorem protectoris nostri Petronii cultum, nostrique capituli decus et ornamentum, id quamprimum, te largiente, assequeremur, quod non modo nobis, sed et Majoribus nostris in E votis erat, ut sacrum ejusdem beatissimi Petronii caput apud nos et in ipso hoc ejus templo, tamquam propria sede, perpetuo asservaretur. Nunc vero: cum Apostolicis tuis literis certiores facti sumus de collato nobis hoc tanto munere, quo maximam cæteris prope innumerabilibus tuis in nos meritis accessionem fieri intelligimus, quanta sit nobis, atque adeo universæ civitati parta lætitia, neque opus est declarare verbis, nec vero si esset, paribus ad faciendum viribus valeremus. Quid si ad præclari, ac prope divini muneris magnitudinem, quod largitus es, ipsam largiendi rationem, formamque omnem, incredibilis erga nos clementiæ plenissimam, addiderimus?

hi vero Pontifici

119 Nam et de sacri capitis dono Apostolicas litteras præstantissimas, id est, tuas, cum ad alios posses, ad nos ipsos, et ad capitulum nostrum inscribere maluisti, et ejusdem sacri capitis apto loco condendi, interea dum illustrior eidem paratur sedes, munus esse nostrum voluisti; et ipsius pretiosissimi pignoris servandi, custodiendique capitulum nostrum, in præsens quidem excelsi senatus socium, imposterum vero nobilissimæ præterea Aldrovandorum familiæ decrevisti; denique, ne per singula discurrendo molesti simus, vel in ipso earumdem Apostolicarum literarum tuarum ingressu ea nos, et capitulum nostrum propensis- D simæ vel ab ipsa adolescentia tua in nos voluntatis, vel potius strenuæ invictæque nostri, rerumque nostrarum tutelæ, ac patrocinii commemoratione extollere, atque illustrare dignatus es, ut nihil nobis aut ad gloriandum præclarius, aut ad lætandum jucundius, aut ad fauste et feliciter ominandum firmius, tutiusque evenire umquam potuisset. Pro quibus omnibus a te acceptis beneficiis gratias tibi agimus, beatissime Pater, cumulatissimas, majoresque etiam habemus, atque animi tui magnitudinem, ac plane singularem erga nos liberalitatem devinctissimi cordis obsequio prosequimur, colimus, prædicamus, ejusque memoriam fore apud nos sempiternam, pollicemur. Interim sanctissimis tuis pedibus provoluti oscula humillime infigimus; quodque reliquum est, preces nostras universi populi precibus cumulatas, quas novissimi doni tui causa fervidiores fore confidimus et curabimus, ad Deum, divumque Petronium assidue effundemus, ut totius reipublicæ Christianæ bono diu Pontifex vivas, quem tantæ dignitatis excellentia dignum vivere, boni ac sapientes omnes confitentur, ac prædicant.

gratias agunt.

Bononiæ die XX Julii MDCCXLIII.

BEATITUDINI VESTRÆ

humillimi, deditissimi et obsequentiss.

AUCTORE J. B.

tiss. famuli ac subditi primicerius, ac canonici capituli S. Petronii.

Missa et Officium

120 *Missa vero et officium proprium, de quo Pontifex num.* 116 *meminit, die translationis intra urbem tantum sub ritu duplici minori recitanda, fiunt ut in Festo ejusdem* S. Petronii, *exceptis propriis, quæ sunt hujusmodi: Oratio:* Deus, cujus nutu per diversa loca ipsa quoque Sanctorum corpora disponuntur; tribue, quæsumus, ut, qui beati Petronii confessoris tui atque Pontificis translationem colimus, ipsi etiam a pravitate nostra ad pie vivendi restitudinem transferamur. Per Dom. etc. *Lectio* IV. Postquam Petronius, Bononiensium, episcopus, urbem nostram, civili externoque bello attritam, ac fere confectam, præsenti ope restituit, purgavit erroribus, verbo et exemplo saluberrime instituit: tandem regnantibus Theodosio, Arcadii filio, ac Valentiniano, IV Nonas Octobris sancto fine quievit. Sacræ illius exuviæ conditæ in ecclesia S. Stephani protomartyris, quam ipse inter alias extruxerat, et ornaverat, ibidem (ut ea ferebant tempora) humili, ipsisque civibus postea ignoto loco ad undecimum Christi sæculum jacuere. Sedente Innocentio II, Romano Pontifice, Henricus, Bononiæ episcopus, ad perquirendas ea in æde Sanctorum reliquias eximia pietate excitus, S. Petronii corpus primus offendit, quod copia miraculorum non solum Bononiensi, sed finitimis etiam populis celeberrimum reddidit. Nec multo post piissimi cives, quo clarius gratum animum erga S. Præsulem testarentur, eidem templum in nobiliore urbis sui parte, publico in id collato ære, decreverunt, tantæ majestatis et amplitudinis, ut memoriæ proditum sit, Carolum V cæsarem a Clemente Papa VII imperiali corona ibidem fuisse donatum.

B

proprium, quibus

121 *Lectio* V. In illo igitur templo cum S. Petronii natalis dies quotannis festa et solemnis haberetur, reliquias vero alibi quiescentes veneraretur civitas Episcopo et Patrono suo addictissima: ad augendam diei celebritatem, in more positum fuit, sacrum Petronii caput, a reliquo corpore avulsum, solemni instituta supplicatione, magna cleri, omniumque ordinum frequentia ab æde S. Stephani ad alteram S. Antistiti dicatam, pridie transferri, et in ara principe fidelium venerationi exponi; posteraque die ad priorem ecclesiam, unde allatum fuerat, referri, populis etiam finitimis sacrum illud pignus prece, votis, ac muneribus, grata religione prosequentibus. Et ne quid communi deesset lætitiæ, temperata eo die legum animadversio, rei, quos publica potestas in vinculis habuit, e custodia educti, ac libertati restituti.

C

sacri capitis translationem

122 *Lectio* VI. Novissime Benedictus XIV, Summus Pontifex, idemque archiepiscopus Bononiæ, veteri incensus studio, ac pietate augendi pro viribus cultum S. Antistiti, prædecessori suo, illius sacrum caput, inclusum pretiosiore arca, et eleganti opere extructa in basilicam eidem erectam insigni pompa, ac celebritate transferri voluit, et præcipuam hanc sacrarum exuviarum partem eidem basilicæ dono munificentissime addixit. In pervigilio tamen festi, quotannis recurrentis, ad servandum veterem, atque optime institutum morem, idem caput ab ecclesia S. Petronii per Majus forum, eidem proximum, supplici ritu circumferri, atque in prædicta ecclesia denuo condi, et asservari præcepit. Demum ut præclari muneris, et solemnis translationis perenne extaret monumentum, rei gestæ memoriam hac die anniversaria recoli apostolica auctoritate mandavit.

posthac celebrari voluit Pontifex.

123 *Missam hanc et Officium non modo approbavit Benedictus XIV, ut ex num.* 116 *liquet, sed etiam edi, et intra civitatem quotannis anniversaria translationis die recitari jussit, ut liquet tum ex eodem numero, tum ex iis, quæ sequuntur, et prædictis Missæ et Officio apud citatum Pontificem proxime subjiciuntur:* Suprascriptas Orationem et Lectiones secundi Nocturni pro Missa et Officio in die anniversaria translationis capitis S. Petronii, episcopi et protectoris principalis civitatis Bononiæ e basilica S. Stephani ad insignem collegiatam ecclesiam, eidem Sancto dicatam, sanctissimus dominus noster Benedictus XIV benigne approbavit, ac singulis annis dicta die anniversaria ipsius translationis ab omnibus sæcularibus et regularibus utriusque sexus præfatæ civitatis tantum, qui ad Horas canonicas tenentur, sub ritu duplicis minoris recitari mandavit.

D

Hac die XX Augusti MDCCXLIII.

Fr. J. A. Card. Guadagni Pro-præfectus.

Loco ✠ sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus secretarius.

§ IX. Capitis S. Petronii e S. Stephani ad S. Petronii templum translatio.

P. Felicem Antonium Sgarzi, S. Stephani abbatem, hortatur

Scriptis ultro citroque supra exhibitis litteris, in id incumbere cœpit Pontifex, ut translatio capitis e S. Stephani basilica in S. Petronii *templum mature exsecutioni mandaretur. Die igitur* 28 *Augusti anni* 1745 *ad Felicem Antonium Sgarzi, abbatem conventualem S. Stephani Bononiensis, litteras dedit, quibus eum hortatus est, ut* S. Petronii *caput episcopo Amathuntæ traderet, illud Pontificis nomine propediem requisituro. Ita porro hæ habent.*

E

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte fili, salutem et Benedictionem Apostolicam.

Postquam plurimis compertam argumentis veterem erga Nos Cœlestinæ Congregationis observantiam, ac filiale studium luculentius declaravit oblatum nobis superiore anno inclytum et præclarum munus capitis S. Petronii, episcopi Bononiensis: ea cordi nostro infixa semper fuit solicitudo, ut sacrum illud pignus, quo nihil potuit nobis jucundius ac præstantius contingere, in ecclesiam collegiatam sancto Præsuli erectam, tamquam ad sedem stabilem, transferretur.

Pontifex, ut S. Petronii caput Amathuntæ episcopo tradat:

125 Cum itaque, re in promptu tandem posita, solemni translationi quamprimum certa dies præstituenda sit ab episcopo Amathuntæ, cui ecclesia Bononiensis regenda, et administranda credita nuperrime fuit, quique mentem te nostram docebit; erit nobis gratissimum, si operam et studium conferes, ut S. Petronii venerabile caput, e veteri, in qua jacet, arca eductum, ac altera elegantiori inclusum tradatur eidem episcopo, nostro illud nomine requirenti, et quemadmodum is tecum statuet, ita quam celerrime res ipsa transigatur. Id autem dum cumulate præstiturum te fore, satis superque nobis pollicetur officiosa tua, ac tuorum monachorum voluntas, testem Pontificiæ charitatis, hoc potissimum nomine tibi conciliandæ, Apostolicam benedictionem tibi amantissime impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XXVIII Augusti MDCCXLIII Pontificatus nostri anno quarto.

F

ille id se facturum,

126 *Rescripsit Pontifici S. Stephani abbas pridie Nonas Septembris ejusdem anni:* Beatissime Pater. Nihil umquam honorificentius meæ Cœlestinorum Congregationi accidere potuit, neque fore, ut imposterum accidat, puto, quam quod antehac feliciter gestum est, dum sacrum caput S. Petronii, Bononiæ episcopi, Sanctitati tuæ, quantum sua intererat, dono humiliter obtulit. Cum enim quæcumque nobis Cœlestinis usui, et custodiæ sunt tradita, omni jure tuæ auctoritati subjiciantur, Sanctitas tamen tua, quod suum erat, humanissime repetens, tamquam a subditorum voluntate derivatum dignata est recognoscere. Etsi autem Cœlestinorum omnium animos summa admiratione compleverit humanissima benignitas tua, qua nostram Congregationem hac in re mirum in modum

es

A es prosecutus : id tamen omnem prorsus vicit expectationem nostram, quod super venerandi capitis translatione propediem peragenda ad me scribere voluisti. Ut candide fatear, quod sentio, dubitatio exinde mihi primum exorta est, an sublimi Pontificis dignitati vitio verti possit tam diffusa erga nos Magnitudinis tuæ liberalitas.

pollicetur. 127 Evanuit autem omnino, cum recogitare cœpi inter innumeras animi tui dotes, quarum prædicationes magis honorificæ, laudesque crebriores numquam sane extiterunt, humanitatem, comitatemque non ultimum tenere locum, qua omnium animos ita tibi devincire soles, ut quidquam simile nusquam accidisse, uno omnium ore ubique feratur. Quod itaque nobiscum gerere benignissime dignatus es, perpetuum erit nostræ Cœlestinorum Congregationis decus, Pontificiæ Majestatis æterna laus, immortalis præclarissimi nominis tui gloria. Ad nos autem quod attinet, cum nihil sit in nobis omnibus, per quod Sanctitas tua ad tantam benignitatem adducta esse videatur; beneficiorum tuorum onus tam grande sustinemus, ut gratis agendis impares omnino simus, intus tamen in animo jugiter geramus, preces Deo corde, tibi devinctissimo, effundentes, ut totius reipublicæ Christianæ bono te diu incolumem servet, tibique
B omnia prospera, et felicia semper largiatur. Amathuntæ episcopo me ad omnia paratum ac promptum jam exhibui, eique in omnibus ita morem geram, ut nihil solicitudinis et curæ in mandatis tuis exequendis mihi deesse videatur. Pedibus demum Sanctitatis tuæ provolutus, eosque humillime deosculans, in me, meamque Cœlestinorum Congregationem Apostolicæ benedictionis munus supplex exoro.

SANCTITATIS TUÆ

Bononiæ ex monasterio S. Stephani
pridie Nonas Septembris MDCCXLIII.

Humillimus addictissimus famulus, et filius obsequentiss.

D. Anton. Felix Sgarzi Exgener.
Cœlest. abbas conv. S. Steph.

Abbas S. Stephani caput S Petronii 128 *Die itaque* 2 *Octobris anni* 1743 *Pontificis nomine Amathuntæ episcopus, Lactantius Felix Sega, S. Stephani ædem adiit, et e veteri theca in novam transtulit* S. Petronii *caput, rite recognitum, et postridie e S. Stephani ad* S. Petronii *templum solemniter transferendum; qua de re instrumentum publicum sæpe citatus Pontifex hujusmodi exhibet :* In Dei nomine. Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis ubique pateat evidenter, et sit
C notum, quod anno a salutifera Nativitate D. N. J. C. millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Indictione sexta, die vero secunda mensis Octobris, sedente sanctissimo D. N. D. Benedicto XIV, divina providentia Pontifice Maximo, reverendissimus P. D. Felix Antonius Sgarzi, exgeneralis ven. Congregationis RR. monachorum Cœlestinorum Ordinis S. Benedicti abbas conventualis monasterii S. Stephani Bononiæ ad effectum ea quæ prælibatus Sanctissimus D. N. D. Benedictus Papa XIV feliciter regnans sibi commissa voluit in Literis Apostolicis, datis Romæ apud S. Mariam Majorem XXVIII Augusti, proxime præteriti, ut par erat, prompte explendi, inhærensque requisitioni nomine Sanctitatis suæ, sibi factæ ab illustrissimo et reverendissimo D. Lactantio Sega, nobili patritio Bononiæ, episcopo Amathuntino, ecclesiæ metropolitanæ Bononiæ præposito, ejusdem sanctissimi D. N. Papæ cubiculario secreto, ab eoque, curam, et gubernium Bononiensis ecclesiæ adhuc retinente, deputato, sacrum caput S. Petronii, Bononiæ episcopi, et principalis protectoris adhuc veteri tabernaculo inclusum, et sigillis munitum, hesterna die in ipso tabernaculo a repositorio SS. reliquiarum in ecclesia inferiori basilicæ S. Stephani existente extractum, dictoque reverendissimo P. abbati Sgarzi consignatum, prout liquere dicitur ex rogitu excellentissimi D. Michaelis Lotti abbatiæ divi Stephani, et uniter notarii Cancellarii, ad ecclesiam superiorem dictæ basilicæ translatum, in eaque super altare Majus usque in præsens publicæ Christi fidelium venerationi expositum retentum, præsentibus, ac continue adstantibus in eadem ecclesia superiori prope dictum altare Majus;

AUCTORE J. B.

coram testibus, 129 Pro illustrissimo, et reverendissimo capitulo eccles. metropolitanæ, illustrissimis et reverendissimis DD. archidiacono co. Alexandro Formagliari, nob. patritio Bonon. J. U. D. collegiato, lectore publico; canonico Ludovico Scali Paltroni, nobili patritio Bononiæ J. U. et S. Theologiæ Doct. Colleg. Lect. pub. dictæque metropolit. Majori pœnitentiario; canonico Jo. Guidotti, nobili patritio Bononiæ J. U. D. collegiato, lectore publico; et canonico Floriano Dolfi, nob. patritio Bonon. J. U. D. collegiato, et publico lectore. Pro illustriss. et reverendiss. capit. perinsig. colleg. basilicæ S. Petronii, illustrissimis ac reverendissimis DD. primicer. marchione Francisco Zambeccari, nob. patritio Bonon. ac SS. D. N. Papæ prælato domestico; Decano Alexandro Garofali J. U. et S. Theologiæ doctore collegiato, lectore publico; canonico Sebastiano Rocho de comitibus J. U. D. collegiato, et canonico Felice Riccardi de Ortona Bocchi, protonotario Apostolico. Pro illustrissimo et reverendissimo capitulo collegiatæ ecclesiæ E
S. Mariæ Majoris illustrissimis ac reverendissimis DD. Priore Phillippo Cagnoli sac. Theologiæ doctore collegiato, lect. publico; canonico Marco Antonio Pandini, et canonico Jo. Jacobo Amadei.

hic nominatis, 130 Pro illustrissimo et excelso senatu, illustrissimis et excelsis DD. senatoribus, marchione Ludovico Ratta, et marchione Joanne Nicolao Tanari. Magistratibus præfectis, et deputatis, Co. Guidone Ascanio Orsi, et Co. Vincentio Marescalchi. Abbatiæ S. Stephani Præfectis et deputatis, marchione Aloysio Albergati, præside reverendæ fabricæ Sancti Petronii, et Co. Francisco Marescotti Fabricense, ejusdem reverendæ fabricæ S. Petronii, et deputatis omnibus nobilibus, et patriciis hujusce civitatis Bononiæ. Pro illustrissimis et excellentissimis collegiis DD. Doctorum, illustrissimis et excellentissimis DD. Petro Antonio Roversi J. U. D. collegiato, lectore publico, et sanctissimæ Inquisitionis consultore, Priore collegii Juris Pontificii; reverendiss. Præposito Philippo Vernizzi J. U. D., lectore publico, sanctissimæ Inquisitionis consultore, et Priore collegii juris Cæsarei; Paulo Baptista Balbi Philosophiæ et Medicinæ doctore, lect. publico, anatom. professore, et collegii Medicinæ Priore, et Marco Antonio Laurenti Philosophiæ et Medicinæ doctore, F
lect. publico, anatom. professore, et Priore collegii Philosophiæ.

Amathuntino episcopo tradit, qui illud, rite recognitum 131 Præsentavit præfato illustrissimo et reverendissimo D. episcopo Amathuntino, ut supra, præsenti, qui illud in præsentia, ut supra, recipiens, attente inspecto dicto tabernaculo, eoque bene clauso, et sigillis, quibus munitum erat, penitus intactis repertis, recognovit, declaravitque constare de identitate sacri capitis S. Petronii, Bononiæ episcopi, et principalis protectoris, intus idem tabernaculum existen. cujus sacræ insignis reliquiæ descriptio habetur in Relatione illustrissimi et excellentissimi D. Joseph Pozzi, cubicularii secreti, ac medici extraordinarii prælibati sanctissimi D. N. Papæ, in universitate Bononiæ lectoris Philosophiæ et Medicinæ doctoris collegiati, publici anatomes professoris emeriti, ac instituti scientiarum, in fine præsentis instrumenti registranda successive, qui is illustrissimus et reverendissimus D. Episcopus Amathuntinus in præsentia, pariter ut supra, fractis dictis sigillis, dictum tabernaculum ea, qua decuit, veneratione aperuit, ex eoque dictum sacrum caput extraxit, ac immediate reposuit, collocavitque intus pretiosiorem ac elegantiorem thecam reliquiarum in alma Urbe elaboratam, ac a munificentissima liberalitate prælibati Sanctissimi D. Papæ cum ipso sacro capite

AUCTORE J. B.

capite dono datam illustrissimis DD. canonicis, et ecclesiæ perinsigni collegiatæ S. Petronii hujus civitatis :

et obsignatum, in posterum diem servandum abbati committit.

152 Quam quidem thecam reliquiariam bene clausam parvo ejus sigillo, in cera rubra Hispana liquata impresso, in utroque angulo anteriori obsignavit, adjectis in uno ex angulis posterioribus dictæ thecæ sigillo illustrissimi et excelsi Bononiæ senatus, in altera vero sigillo illustrissimi et reverendissimi capituli et canonicorum dictæ ecclesiæ perinsignis collegiatæ, in simili cera Hispana impressis, deindeque dictum sacrum caput intus dictam novam thecam repositum, ac sigillis, ut præfertur, munitum per dictum reverendissimum P. abbatem exgeneralem denuo expositum fuit super dicto altare inibi usque ad subsequentem diem illius solemnis translationis retinendum, super quibus omnibus nos infrascripti notarii præsens publicum confecimus instrumentum requisiti. Tenor vero relationis, supra enunciatæ sequens est ultra. *Hanc Latine verto.*

Recognitionis,

153 Cum Sanctitatis suæ, Benedicti Papæ XIV, feliciter regnantis, jussu e veteri in magnificam ac elegantissimam thecam, liberali Beatitudinis suæ pietate dono datam, venerabile caput S. Petronii, episcopi ac præcipui civitatis nostræ Bononiensis patroni, transferendum esset illustrissimo et reverendissimo domino Lactantio Felici Sega, Amathuntino episcopo, is propterea mihi, infrascripto lectori publico, anatomico ejusdem civitatis, e mandato Pontificis præcepit, ut, quod in dicto sacro capite e professionis meæ instituto maxime notatu dignum est, diligenter observem et referam. Dico igitur, præmissis debitis formulis, ut in Actis etc. : sacram veterem thecam die 2 Octobris MDCCXLIII supradictum episcopum Amathuntinum reclusisse, et observatum fuisse cranium, magna ex parte coopertum pileo holoserico rubro, et auro exornato, cujus vertici exigua crux, plana et ex auro fusa, erat imposita. B

moxæ memoratæ

154 Sublato hoc tegmine, inventum est sacrum caput, aut verius, superior capitis pars (aberat enim tota inferior mandibula, et pars superioris non exigua) colligata, circumdata, et velut omnino inclusa argenteæ thecæ, cujus basi planities frusti superioris mandibulæ, cranii ossibus unitæ, incumbit. Patuere adstantium oculis ossa frontalia, parietalia, occipitalia, et e basilaribus aliquantulum, parte capitis reliqua cooperta manente, et colligata modicis laminis argenteis, quæ, deorsum thecæ basi unitæ, sursum in cranii vertice, ad partium lateralium, anteriorum et posteriorum firmitatem, decussantur. Hæ laminæ non ita cranii vertici adaptantur, ut huic totæ adhæreant, sed, velut manubrii vice, sacræ thecæ attollendæ inserviunt, quem in finem in puncto decussationis, majoris firmitatis causa, gemma reperitur, uno Julio larga, quæ S. Petronii, vestibus episcopalibus induti et benedictionem impertientis, incisam iconem exhibet. Cranium haud magnum est, nec crassum; unde conjici posset, Sanctum corpore fuisse non magno, parumque nervoso. Sed cum hujusmodi conjectura fallacissima esse possit, et ad rem nostram parum faciat, alieno propterea illam judicio relinquo. C

descriptio,

155 In parte sinistra sincipitis fissura apparet, cujus longitudo dimidii pollicis longitudinem, latitudo minoris digiti crassitudinem adæquat, qua ossium cranii, quod gossipio oppletur, crassitudo examinari potest. Ossa neque colore cinericio sunt, neque candido, sed subrufo, eorumque suturæ non multum apparent, eo quod hinc et inde subtilibus telarum, gummi aliove glutine infectarum, laminis cooperiuntur; quod manifesto est argumento, sacrum caput primo inventum fuisse magna parte in fragmenta divisum et corrosum, unde illi copulando firmandoque arte opus fuit. Nunc vero causam non præbet, ob quam ad quamcumque operam recurrere necesse sit, cum in illo nec chartæ, nec fragmenta, nec nimia mobilitas ossium inveniantur. Et hæc quidem sunt, quæ a me supremi Pontificis jussu diligenter observata fuerunt. In quorum fidem huic relationi subscripsi Josephus Pozzi cubicularius secretus, et medicus extraordinarius domini nostri Benedicti XIV, lector publicus universitatis Bononiensis, doctor Philosophiæ et Medicinæ collegiatus, publicus anatomicus emeritus, et scientiarum Instituti academicus. *Hactenus Italice Josephus Pozzi; Latine exaratæ sunt, quæ sequuntur testium subscriptiones.* D

et testimonia.

156 Actum Bononiæ in dicta ecclesia superiori basilicæ S. Stephani prope dictum illius altare Majus, ibidem præsentibus nedum omnibus et singulis prænarratis, verum etiam admodum R. D. Josepho Cuppini, sacerdote Bononiæ, cæremoniarum præfecto, et parocho ecclesiæ metropolitanæ, et admodum R. D. Jo. Antonio Cardinali, et admodum R. D. Julio Parisi ejusdem Metropolitanæ mansionariis, testibus ad prædicta omnia et singula adhibitis, vocatis atque rogatis.

De prædictis rogatus extiti ego Tarsitius Maria Folesani Rivieri in solidum cum infrascripto perillustri domino Antonio Nanni cive, et notario collegiato hujusce civitatis J. U. D. civ. et publicus notarius collegiatus ibidem Bononiæ Apostolicusque, et imperialis : in quorum fidem etc. E

Locus ✠ Signi.

De prædictis etc. : rogatus extiti ego Antonius olim D. Jo. Baptistæ de Nannis filius, civis et publicus Bononiæ notarius collegiatus, Apostolicus quoque, et imperialis, curiæque archiepiscopalis Bononiæ actuarius decanus, una cum suprascripto perillustri, et excellentissimo D. doctore Tarsitio Maria Folesani Rivieri similiter cive, ac publico Bononiæ notario collegiato. In quorum fidem etc. : hic me subscripsi etc. requisitus etc.

Locus ✠ Signi.

Dein 3 Octobris idem episcopus

157 *His die 2 Octobris rite peractis, postero Lactantius Felix Sega, Amathuntinus episcopus,* S. Petronii *caput e S. Stephani templo ad* S. Petronii *basilicam transtulit, instituta solemni admodum supplicatione, ad quam ingens cujusvis ordinis multitudo construxit, ut iterum e sequenti instrumento liquebit :* In Christi nomine. Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod anno a salutifera Nativitate ejusdem D. N. J. C. millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Indictione sexta, die vero tertia mensis Octobris, sedente Sanctissimo D. N. D. Benedicto Papa decimo quarto, feliciter regnante, absoluta Missa, cum interventu illustrissimi et reverendissimi D. Bononiæ prolegati, illustrissimi et excelsi D. justitiæ vexilliferi, ac excelsorum DD. Antianorum, universi cleri, ac magistratum omnium, totiusque illustrissimi et excelsi senatus, ac omnis ritus solemnitate celebrata ab illustrissimo et reverendissimo D. Lactantio Felice Sega, nobili patritio Bononiæ, Amathuntæ episcopo, ecclesiæ metropolitanæ Præposito, prælibati Sanctissimi D. N. Papæ cubiculario secreto, ab eoque, curam et gubernium Bononiensis ecclesiæ adhuc retinente, deputato, ad altare Majus ecclesiæ superioris basilicæ S. Stephani hujus civitatis, super quo publice Christi fidelium venerationi expositum habebatur sacrum caput D. Petronii episcopi et principalis Bononiæ protectoris; F

ad ecclesiam Sancto dicatam

158 Hesterna die, servatis servandis, solemniter recognitum a veteri reliquiaro extractum, ac intus pretiosiorem ac elegantiorem thecam reliquiariam a munificentissima liberalitate Sanctitatis suæ transmissam, ac cum ipso sacro capite illustrissimo ac reverendissimo DD. canonicis, et ecclesiæ perinsigni basilicæ collegiatæ S. Petronii Bononiæ dono datam, repositum, sigillisque præfati illustrissimi et reverendissimi D. Amathuntæ episcopi in utroque angulo anteriori dictæ thecæ munitum, in angulis vero posterioribus sigillo hujus illustrissimi

A simi et excelsi senatus, ac altero illustrissimi et reverendissimi capituli perinsignis collegiatæ S. Petronii obsignatum, moxque ad dictam perinsignem collegiatam solemniter transferendum, idem illustrissimus et reverendissimus dominus Amathuntæ episcopus in præsentia nostrum notariorum, ac testium infrascriptorum, præsentata sibi, atque dimissa per reverendissimum Patrem D. Felicem Antonium Sgarzi, exgeneralem venerabilis Congregationis RR. monachorum Cœlestinorum, abbatem conventualem ven. monasterii S. Stephani Bononiæ prædescripta theca reliquiaria, illam reverenter recipiens, attente inspexit, eaque bene clausa, et sigillis super illa, ut præfertur, appositis penitus intactis, et cum documento enuntiatarum recognitionis, collocationis, et sigillationis heri per nos notarios recepto, confrontare inventis, recognovit, declaravitque de identitate sacri capitis Divi Petronii, episcopi et principalis protectoris Bononiæ, intus illam existentis legitime constitisse atque constare omni etc.

magna solemnitate

159 Successiveque pro effectu solemnis translationis dictæ sacræ insignis reliquiæ, ut præmittitur, faciendæ, præcedentibus omnibus universitatibus sæcularium artium, deinque confraternitatibus spiritualibus, postea vero regularibus Religionum,

B Mendicantium nuncupatarum, cum intortitiis accensis, eadem sacra insignis reliquia, in ipsa pretiosa theca existens, ministerio RR. sacerdotum, sacris vestibus indutorum, elevata ac collocata super magnifica machina, ad hujusmodi effectum a prælibato Sanctissimo D. N. Papa similiter transmissa, illam gestantibus dictis RR. sacerdotibus, ut supra indutis, præfatisque illustrissimo et reverendissimo D. pro-legato, illustrissimo et excelso D. vexillifero, ac excelsis DD. Antianis, universo clero, magistratibus, et excelso senatu cum intortitiis, pariter accensis, circum eamdem sacram insignem reliquiam devote incedentibus, ac post illos subsequente innumero populo, ab sacram solemnem supplicationem confluente, cujus pars magna cum intortitiis accensis, translata fuit ad dictam perinsignem collegiatam basilicam S. Petronii inibi collocanda, et retinenda juxta legem prælaudatæ donationis Sanctitatis suæ : super quibus omnibus nos notarii infrascripti præsens publicum confecimus instrumentum, requisiti.

transfert

140 Præsentibus perillustribus DD. Alexandro Fabri; olim D. Joannis Pauli, Bononiæ notario, et Nicolao Pinoli Pederzani, olim excellentissimi D. doctoris Petri Lazari, Bononiæ cive, capellæ

C S. Joannis Baptistæ Cœlestinorum, ambobus præfati illustriss. et excelsi senatus cancellariis, et D. Ferdinando Cajetano Mazzoni, olim D. Joannis Baptistæ, Bononiæ pariter cive, capellæ S. Proculi, testibus ad prædicta omnia et singula adhibitis, vocatis specialiter atque rogatis.

De prædictis rogatus extiti ego Tarsitius Maria Folesani Rivieri, olim D Bartholomæi filius, J. U. D. civis Bononiæ notarius collegiatus, Apostolicusque et imperialis in solidum, cum infrascripto perillust. D. Antonio Nanni, itidem notario publico collegiato Bononiæ pariter de prædictis, ut supra etc. cum me etc. rogato. In quorum fidem etc.

Locus ✠ signi.

De prædictis rogatus extiti ego Antonius, olim D. Joannis Baptistæ de Nannis filius, civis et publicus Bononiæ notarius collegiatus, Apostolicus quoque et imperialis, curiæque archiepiscopalis Bononiensis actuarius decanus in solidum cum suprascripto perillust. et excellentissimo D. doctore Tarsitio Maria Folesani Rivieri, itidem publico Bononiæ notario collegiato similiter rogato etc. In quorum fidem etc. hic me etc.

Locus ✠ signi.

141 *Demum* S. Petronii *caput episcopus Amathuntinus Sancti canonicis tradidit, quod hi in choro Parvo Petronianæ basilicæ collocarunt, dum interim Cardinalis Pompeji Aldrovandi munificentia recipiendo custodiendoque sacro huic capiti ara nova conderetur; ut sequens instrumentum docet:* In Dei nomine. Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis ubique pateat evidenter, et notum sit, quod anno a salutifera Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Indictione sexta, die vero tertia mensis Octobris, sedente Sanctissimo Domino nostro, Domino Benedicto Papa XIV feliciter regnante. In mei etc. testiumque etc. illustrissimus et reverendissimus DD. Felix Lactantius Sega, nobilis patritius Bononiæ, episcopus Amathuntinus, metropolitanæ ecclesiæ Bononiensis præpositus, nec non prælibati sanctissimi D. N. D. Papæ Benedicti XIV cubicularius secretus, ab eodemque sanctissimo D. N. Papa, hujus Bononiensis ecclesiæ curam et gubernium adhuc retinente, deputatus, ad effectum sibi a Sanctitate sua specialiter in hac parte commissa debitæ executioni demandandi;

AUCTORE J. B.

S. Petronii caput, et

142 Cum eo existentibus illustrissimis et reverendissimis DD. dignitatibus, et canonicis dictæ metropolitanæ ecclesiæ, totoque clero, sacrum caput divi Petronii, episcopi et principalis protectoris, hactenus in basilica S. Stephani Bononiæ asservetum, Pontificia liberalitate prælibati sanctissimi D. N. Papæ Benedicti XIV, una cum pretiosa theca ab Urbe transmissa donatum illustrissimis et reverendissimis canonicis perinsignis collegiatæ basilicæ S. Petronii, eorumque ecclesiæ, ut ex ejus Apostolicis Litteris in forma Brevis dat. Romæ die x Julii proxime præteriti, ad quas etc. tenoris infra inserendi, nuperrime vero a reverendissimo P. D. Felice Antonio Sgarzi, exgenerali ven. monasterii S. Stephani prædicti dominationi suæ illustrissimæ et reverendissimæ illud Pontificio nomine petenti in reliquiario veteri, intus quod bene clausum, sigillisque munitum asservabatur, traditum, juxta contenta in aliis Litteris Apostolicis Sanctitatis suæ dicto reverendissimo P. abbati exgenerali directis, dat. Romæ apud S. Mariam Majorem XXVIII Augusti proxime præteriti, ad quas pariter etc. tenoris infra similiter inserendi, deindeque per eamdem dominationem suam illustrissimam et reverendissimam, prævia illius recognitione, servatis servandis, facta, intactum repertum, et declaratum.

S. Petronii canonicis,

E

143 Ac subinde eductum e veteri tabernaculo, dictæ basilicæ relicto, ac immediate reverenter repositum et collocatum intus pretiosam dictam argenteam thecam, ab Urbe per Sanctitatem suam, ut præfertur, transmissam bene clausam, parvoque dominationis suæ illustrissimæ et reverendissimæ sigillo dupliciter munitam, ac etiam sigillo illustrissimi, et excelsi senatus Bononiensis, ac altero illustrissimi et reverendissimi capituli dictæ perinsignis collegiatæ obsignatam, ut in præcedenti recognitionis ac sigillationis hujusmodi rogitu per excellentissimum D. Tarsitium Folesani Rivieri, notarium Bononiæ collegiatum, dictique illustrissimi et excelsi senatus cancellarium, meque notarium recepto, ad quem etc. et ita collocatum ritu solemni, ac pompa, eaque majori, qua fieri potuit, cleri, et populi celebritate in ecclesiam dictæ perinsignis collegiatæ translatum pro consummatione Pontificiæ donationis, et totali complemento mentis sanctissimi D. N.

novæ thecæ inclusum,

F

144 Præsentibus et audientibus illustrissimo ac reverendissimo D. Joanne Carolo Molinari, utriusque signaturæ sanctissimi D. N. Papæ referendario, abbate commendatario perpetuo abbatiæ Claravallen., protonotario Apostolico Participan. ac Bononiæ pro-legato, illustrissimo et excelso D. Co. Jacobo Insulano, vexillifero justitiæ, illustrissimis et excelsis DD. Antianis, tribunis plebis, totoque excelso senatu, tradidit, consignavit atque dimisit præfatis illustrissimis et reverendissimis DD. canonicis dictæ perinsignis collegiatæ S. Petronii præsentibus, ac ea, qua decuit, veneratione pro eorum capitulo,

possidendum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ANONYMO.

capitulo, et ecclesia prædictis acceptantibus, illudque super altare Majus collocantibus, postea tuto ac honorifice custodiendum pro nunc in Parvo choro ejusdem ecclesiæ sub duplici clave, altera ab illustrissimo et excelso D. quadraginta Virorum Bononiensium pro tempore decano :

servandumque

145 Altera vero ab illustrissimo et reverendissimo D. dictæ perinsignis collegiatæ primicerio retinenda, quas claves idem illustrissimus ac reverendissimus D., mediante persona illustrissimi et excellentissimi D. Philippi Mariæ Mazzi, agentis generalis a Sanctitate sua pro hac ejus reverenda mensa archiepiscopali Bononiæ deputati, tradidit, respectu unius, nob. viro D. co. Philippo Aldrovandi, patricio Bononiæ ac senatori decano, et respectu alterius illustrissimo et reverendissimo D. marchioni Francisco Zambeccari, nob. patricio Bononiæ, prælibati sanctissimi D. N. Papæ prælato domestico, dictæque perinsignis collegiatæ primicerio præsentibus et acceptantibus, donec absolutis altari in eadem ecclesia ab eminentissimo et reverendissimo DD. Pompejo S. R. E. Cardinale Aldrovandi, ac repositorio pro dicto sacro capite, in ejusdem altaris Orthographia collocetur, in omnibus, et per omnia juxta per Sanctitatem suam præscripta in dictis Litteris Apostolicis præfatis
B illustrissimis et reverendissimis DD. capitulo et canonicis directis, ad quas etiam in hac parte etc. Super quibus omnibus etc.

consignat.

146 Ego notarius suprascriptus et infrascriptus hoc publicum instrumentum confeci requisitus etc. Hic omisso, de voluntate petentium, tenore supra enuntiatarum Litterarum Apostolicarum. Actum in dicta ecclesia perinsigni basilica S. Petronii prope altare Majus, præsentibus ibidem nob. viris D. abbate Antonio, clame. olim nob. viri D. Joannis Elephantuzzi capellæ S. Proculi, D. marchione Antonio Amorini, cl. me. olim nob. viri D. Joannis Andreæ, capellæ S. Marini, et D. Co. Ludovico, filio nob. viri D. Co. Francisci Malvasia capellæ SS. Gervasii et Prothasii, omnibus patriciis Bononiæ, testibus ad prædicta omnia, et singula adhibitis, vocatis specialiter atque rogatis.

De prædictis etc. rogatus extiti ego Antonius, olim D. Joannis Baptistæ de Nannis filius, civis et publicus Bononiæ notarius collegiatus, Apostolicus quoque et imperialis, curiæque archiepiscopalis Bononiensis actuarius decanus etc. In fidem etc. hic me subscripsi requisitus etc.

L. ✠ S.

C

VITA

Auctore anonymo.

Ex Chronico monachorum S. Stephani Bononiæ.

CAPUT I.

Sancti natales, mores in juventute, et in episcopum consecratio.

Illustris genere, doctrina,

In exordio hujus historiæ *a* primum adnectendum est, unde oriundus extitit, et ex qua linea genealogiam duxit, vel qualis et quantus in vita fuit; ut et plerique, qui se fatentur scire, viva voce perhibent *b*, hunc fore Græcum natione, et ex imperiali linea duorum regum, videlicet Constantii, Constantini et Constantis *c* originem feliciter trahere. Unde factum est, ut Theodosius secundus, imperator Romanorum cælitus factus, sororem ejus in conjugem sibi asciverit, et cum tripudio totius Constantinopolitanæ urbis eam legaliter susceperit *d*. A cunabulis autem a Christianis parentibus ablactatus et educatus est Postea vero cum adolevisset, a parentibus traditus est gymnasio philosophorum *e*, et liberalium disciplinarum et ecclesiasticorum sacramentorum magistris. Et ita Deo largiente, D
imbutus est, ut in omnibus philosophiæ et præsertim spiritualibus floreret studiis : et insuper tam Græco quam Latino eruditus est magisterio *f*. *f*
Quem etiam B. Hieronymus, eximius doctor, interperes divinarum legum, in Catalogo illustrium virorum inter hagiographos commemorans ait : Petronius, Bononiæ civitatis episcopus, vir sanctitatis et liberalium artium scientia plenus, descripsit Vitas SS. Patrum in Ægypto *g* : et legitur, extitisse tempore Theodosii Junioris imperatoris *h*. Templum *g*
denique corporis sui adhuc in infantia positus, omnibus modis Christi subdidit famulatui. Legerat enim : Nulla dignitas major, quam servire Christo. Dehinc Ecclesiæ Dei patrocinia *i* adeo sedule frequentare cœpit, ut magis psalmodiarum studio per cunctas ecclesias vacabat, quam terrenis domiciliis deservisset, dicente Psalmista : « Elegi » abjectus esse in domo Dei magis, quam habitare » in tabernaculis peccatorum *k*. » *k*

2 Clericale namque adeptus est officium *l*, peni- *virtute, officiisque in aula Theodosii :*
tus se totum Creatoris, cui cuncta obediunt elementa, subegit servitio, pene omni relicto patrimonio. Pernox itaque in assidua oratione vigebat, jejuniis et orationibus et crebris vigiliis se mancipabat : corpus quoque suum absque contagione libidinis pudice regebat; ita ut et innumerabilis E
utriusque sexus turba in Constantinopolitana urbe ejus sequeretur sancta vestigia. Eleemosynas egenis libenter tribuebat, prout facultas sibi ministraverat; pauperes recreabat, nudos vestiebat, infirmos visitabat, aliorum calamitatem suam putabat. Cum igitur fama sanctitatis ejus crebresceret, ac per totam scilicet Constantinopolim polleret, idem ipse Augustus levir *m* ejus non moderate fervens in *m*
amore illius, diligebat eum ultra, quam fas sit dicere; adeo quod primatum totius monarchiæ et sacri palatii tribueret sibi super cunctos degentes in imperio suo, sive dederat ei facultatem distribuendi universa regalia tributa ad votum viri sanctissimi Petronii, prout cuique moris fuerat; et imperiali fisco suscipere munuscula : siquidem et vectigalia, quæ de cunctis orbis terrarum partibus solita conditione annualiter a veredariis universarum provinciarum afferebantur, in ærario palatii custodiri præceperat. Ita etiam cuncta in manu sua data fuerant, quatenus quodcumque vellet, egenis ac pauperibus erogare de vectigalibus juxta libitum distribuebat et Domino Christo famulantibus. Cumque famulatum pauperum constanter, in quantum valebat, secrete ageret, nitebatur, sicut scriptum est : Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua *n*. Sed *n*
lucerna posita supra candelabrum non potest ab- F
scondi, quin luceat omnibus, qui in domo sunt *o* : *o*
ita et iste non poterat latere; quin ab omnibus cognosceretur, teste Evangelista, qui ait : Nihil opertum, quod non reveletur, et occultum, quod non sciatur *p*. *p*

3 Eo autem talia operante, principes Constanti- *S. Petronius,*
nopolitanæ urbis, ac potior pars populi mira veneratione cœperunt eum amplecti et immenso desiderio ut patrem, pro gratia tantæ religionis sibi divinitus collata : quoniam quidem solitus fuerat eos divino pabulo ad plenum saginare, hortando videlicet ac docendo, ut Dei ac proximi dilectionem, juxta præceptum in se retinere satagerent; ut Scriptura docet : « Fides sine operibus mortua » est *q*. » Cumque his et hujuscemodi, quæ modo *q*
longum est enarrare, sancto redundaret eloquio, nec non et civitas tota recreata dulcibus et suavibus monitis ejus debitas gratias agens Domino, qui sibi talem contulit ministrum benevolentiæ congratulabatur gaudio pacis et lætitiæ. Interea diabolica instigante versutia, feritas pravorum hæreticorum *r* et Judæorum, qui Christum negantes, *r*
multaque mirabilia videntes, semper extiterunt increduli, nec non perfidorum gentilium *s* crudeli- *s*
ter pululat per *... patrias paulatim de loco ad ** forte per patriam*
locum, præsertim profanos admodum exercuerat : quemadmodum

A quemadmodum tempore S. Sylvestri summi Pontificis, qui assertores ejusmodi fallaciæ in conspectu Constantini Augusti, ac reginæ matris ejus Helenæ, datis assertionibus Veteris ac Novæ Legis, Deo inspirante, devicit *t*.

t pullulante Nestorianismo,

4 Tunc Theodosius Junior, Romanorum imperator, cæsar augustus, auctor justitiæ, divinæ legis amator, audiens tantum facinus, exhorruit *u;* et se reum apud Deum existimans, si tam pestiferam hæresin in patria propaginare permiserit. Convocatis itaque universis principibus illius provinciæ, Deum recte colentibus, imperator eos alloquitur, dicens: Universi, qui astatis in isto concilio, audite, quid dicturus sim de Auctore omnium seculorum, quem sæva feritas quorumdam nititur dividere ab unica Prole, et a sancto Spiritu *x*. Ad hæc unus, qui cæteris præerat, plenus Spiritu divino, ait: Quapropter utile nobis videtur et salubre consilium, quatenus hæc per idoneum nuncium, qui pleniter sciat divinæ legis paginam, notificetur Romano Pontifici *y*, et Apostolicæ Sedis poscat auctoritate, quæ supereminet omnem sæculi dignitatem: id vero omnibus placuit. Tunc Augustinus* dixit eis: Quem ergo poterimus dirigere, qui utiliter dilucidare sciat omnem rei ordinem hujus venenosæ superstitionis? Omnes unanimiter consona

u

x

y

* *l.* Augustus

B voce hoc dederunt consilium: Neminem infra imperii vestri potentiam novimus, qui tam idoneus ac utilis ad hoc opus exequendum existat, ut est Petronius Dei famulus, charus vester et cognatus vehementer dilectissimus; qui novit omnem Græcam et Latinam sermocinationem, et qui non mediocriter est eruditus scientia Veteris ac Novi Testamenti, et qui per aliquantum temporis spatium divino cultui se mancipavit. Imperator dixit: Ideo dignum fore duximus, ut dictis vestris, precibusque nostris clementer annuat etc...* patriam ab errore, divina gratia largiente, funditus absolvat.

* *nihil deesse videtur. Romam Theodosii II jussu profectus,*

5 Beatus namque Petronius, præceptis imperialibus illico satisfaciens, constanter iter cœpit arripere, Augusto eum comitante usque ad portum, ubi navis præparabatur: dotavit eum multis muneribus ac ornamentis preciosis, auro gemmisque variis decoratis, lachrymans osculatus est eum. et ait:

z

O venerande, vale, Levir *z*, mihi semper amate,
Clavigeri Petri pergas, rogo, limina, Levir,
Lætior ac sospes sacrum mihi dogma reportes,
Hæreticos pravos quod damnet sive profanos,
Et Deitas simplex credatur denique triplex.
In Patris et Nati, sed nomine Spiritus almi
Et freta dira maris mitescant, et tua navis

C Transeat incertas ventis ac imbre procellas.

aa

Tunc ingressus navem *aa*, Deo volente, prospero cursu post dies aliquot venit ad Tiberina littora eo die, in quo Papa, Cœlestinus nomine, cum Catholicis episcopis statuerat concilium *bb*. Illo vero egrediente de navi, ecce adsunt legati, quos Papa miserat sibi, quatenus eum reverenter et cum honestate deducerent ad Lateranense palatium *cc:* securus namque præstolabatur adventum ejus; quoniam quidem in præterita nocte in somnis apparuit ei B. Petrus Apostolus, dicens: Scias, quia Felix, Bononiensis episcopus, de hac luce migravit in pace *dd*, et cave, ne in ecclesia illa alium ordines, nisi legatum imperatoris, quem die crastina, Deo volente, videbis.

bb

cc

dd

ex divina revelatione

6 Cumque servus Dei Petronius palatium ingrederetur, illico Cœlestinus Papa gaudio repletus est valde, ac gratanter eum suscipiens, præcipit illum hospitare prope se in palatio, omniaque necessaria sibi largiri jussit. Altera vero die cum sanctus Apostolicus resideret in basilica Constantiniana *ee* cum pluribus episcopis ad sacrum concilium exequendum; cives Bononienses universi ordinis affuerunt in medio concilio, postulantes sibi dari pastorem *ff*. Ad hæc Papa Apostolico ore locutus est: « Quos Deus præscivit et prædestinavit, illos et » magnificavit *gg*. » Et Propheta inquit: « A Domino » factum est hoc, et est mirabile in oculis nostris *hh*. » Cœpit quoque referre juxta tenorem præteritæ visionis, cunctis, qui aderant, attentius intelligentibus. Omnes ergo unanimiter laudantes huic sacræ ordinationi assensum præbuere. Cumque illustris Domini vir Petronius circa se Dei voluntatem intelligeret, nec diutius posset resistere, tacite illud Apostoli considerans, qui ait: « Qui » potestati resistit, Dei ordinationi contradicit *ii*. » Christi vero famulus cognoscens hoc, divino Spiritu revelante, quamquam invitus, tamen devote pedibus summi Pontificis provolutus plorando ait: « Non mea voluntas, sed tua fiat *kk*. »

ee

ff

gg

AUCTORE ANONYMO.

hh

ii

kk

7 Tunc Papa Cœlestinus, tenens virgam in manu, sic loquendo perrexit:

Bononiensium præsul consecratur

Hac tibi committo virga simul indice Christo
Bononiæ sedem, populum cunctumque fidelem,
Ut monitis serves sacratis, atque gubernes,
Et tecum plaudat cælestis Regis in aula,
Angelicisque modis cum pace fruatur amoris,
Et monitis pastis ovibus satieris in astris,
Ac gregis electi potiaris fonte perenni.
A Domino missus, sis tali munere dignus,
Et virtute Dei fungaris luce diei,
Ac plausum laudis merearis habere
Moribus et vita studiis bonitatis amica,
Sit tibi cura satis solido moderamine talis:
Ecclesias autem pastoris more restaures,
Semper adoptivas soboles generabis opimas.

E

His ita prædictis, consignans sic benedixit:
Accipe virtutem, qua possis ferre salutem;
Nectendi tibi terras solvendique potestas
Sit libitu Frater proprio vehementer amate,
Nexaque dissolvas, non nexa ligesque resolvas.
Illius et cunctis caput et gratulantibus unxit.

8 Hoc ait et statim tali sermone beavit:

a Cælestino Papa, cui

A Christo missus, tu semper sis benedictus,
Cælitus impendat Christus tibi dona superna,
Gratia sit tecum Domini sine fine per ævum,
Tergas quo sordes, rogo, plebis facta reformes,
Ne lupus intentus, malefidus prædo cruentus
Quemque peragrantem seu circumquaque vagantem
Glutiat, et perdat, laceret, scindatque, repellat,
Ex me rite tibi concesso gratis ovili,
Quem Deus ascivit nunc, Bononiæque reliquit,
Ut sata servaret, seu vivo fonte rigaret,
Cunctos ad votum gestaret in arce polorum.
Præsul adis urbem, quæ te lætatur eunte,
Et solitis gentes monitis solare merentes.
Urbs concessa tibi periit *ll*.....

ll

Portarum fortes ceciderunt ordine postes,
Mænia celsa cadunt et thermæ deliciarum.

F

Quod superest..... cito prorsus erit ruiturum,
Ac opus antiquum totum solvetur ad imum.
Sed, pietate Dei, citius reparare valebis,
Saltem sic demum per te reparetur,
Auxiliare sibi, quod sit destructa ruinis.
Te Deus observet, benedicat sive gubernet,
Te Pater et Proles, te Spiritus atque;
Ac olei, vini, mellis, piperisque.....
Antidotique novi, nec non nardi pretiosi,
Sis tritici plenus, frumenti, sive dierum
Et copia tanta velut et Jacob patriarcha.

9 Quem pater his dictis Isaac sanctus benedixit.

longam et ineptam orationem

A Domino regum, qui te benedixit in ævum,
Et benedicatur, paradisi luce fruatur.
Et maledictus erit, qui te maledicere quærit.
His Abraham fultus fuit olim denique justus,
Tres cernens et ovans, tunc unum gratis adorat,
Hujus et arcanum fore justum credo putatum,
Credidit ille Deo tunc primum corde.....
Estque Dei fidus tunc appellatus amicus,
Cum Trinitatis opes putat unius esse decorem *mm*.

mm

Hac ope firmatus mox fit patriarcha beatus *nn*,

nn

Fiat ut auxit eum, pater amplæ gentis in ævum,
Tunc Abrahæ dictis Dominus nunc talibus infit:
Multiplicabo tuum mundi per climata fusum
Semen, et extensum copiis magnisque refectum,
Et maris haud vere velut eumerantur arenæ,

Et

AUCTORE ANONYMO.

Et velut astra poli nullis numerantur in horis;
Sic ita nec vulgo numero concluditur ullo.
Sunt Jacob de stirpe senis patres duodeni,
Quos Deus altavit natis et multiplicavit.
Ut genitas proles fovit quoque patris amore,
Manna pluit cælo de sursum nocte sereno,
Et dapibus pavit pius et pater et satiavit,
Ac laticem fudit sterilis de vertice rupis,
Legifer et Moyses descripsit grammate leges.
e suo genio 10 Hinc Samuel vates sterili fitque ex sene matre,
Qui caput infudit regali more Saulis,
Post fit rite Dei David rex munere veri,
Carmina dictavit rex psalterii quoque David.
Post Domino templum Salomon construxit honestum,
Quem satis aptavit ritu sapientia matris.
Dux tibi sitque comes Raphael sanansque dolores,
Qui Medicina Dei vocitatur culmine cœli.
Et tibi præcursor sit cultos atque reductor,
Qui satis in vitam defendit ab hoste Tobiam,
Et sanum duxit cæco patrique reduxit,
Tunc patris post hoc oculos curavit utrosque,
Ut prius, ad præsens illum fecitque videre.
affingit anonymus. 11 Hinc regum sedes, reges, gentesque fideles
Ac fortes gentes creverunt sive furentes.
B Assunt inde senes patriarchæ sive prophetæ,
Clari primates, mulieres valde beatæ,
Ex David fido Christi processit origo,
Qui genus humanum crudeli cæde necatum
A nexu leti proprioque cruore redemit,
Agmina Sanctorum, quæ laudant sede polorum,
Discipuli Christi sunc hac de stirpe ministri,
Qui rutilasque togas, sortiti sunt quoque stolas
Auro contextas, simul et hiacyntina serta,
Et fiunt primi nunc Omnipotentis amici,
Cum quibus et regnum merearis habere supernum.
Angelus hinc tecum Domini bonus et comitetur,
Et bene disponat, nec non tua fausta reponat
In cœli sudo, non est ubi prorsus erugo.
Nec erit ablatum, superest bene quodque locatum,
Quo cives cæli decantant carmina leti,
Et laudant Christum sublimi voce benignum,
Te quoque conservet, custodiat atque gubernet,
Donec in hoc seclo steteris quandoque sereno,
Usque sed in finem te protegat hic et ubique,
Atque locum demum paradisi donet amœnum.

ANNOTATA.

C a *Descripta est hæc* S. Petronii *Historia seu Vita ex Chronico monachorum S. Stephani, cui ultima manus anno* 1180 *adjecta fuit : sæculo* v S. Petronius *fuit; unde quantum illi, ratione antiquitatis suæ, tribuendum sit, statues. Menda habet non pauca apographum nostrum, quæ ob multitudinem fere intacta reliqui.*

b *Popularis ergo suæ ætatis traditio anonymum docuit, quæ de Sancti genealogia dicere instituit, non monumenta vetera, fideive indubitatæ scriptores. Porro eodem fonte non pauca manarunt, quæ in hujus Vitæ decursu narrabuntur.*

c *Hi Constantino Magno patre nati sunt, et ab illius obitu partiti imperium : tres igitur nominandi erant :* Petronium *vero Constantini Magni liberis satum fuisse, omnis antiquitas tacuit.*

d *Fabula est, a Sigonio merito explosa. Vide num.* 18 *Comment. prævii.*

e *Probabiliter Constantinopoli, ubi et natum aiunt, et publicum artium liberalium gymnasium erat. Adi num.* 21 *Comment. prævii.*

f Petronii *eruditioni plusculum, quam par sit, ob rationes haud satis efficaces Tillemontius detrahit; qua de re consule num.* 22 *Comment. prævii.*

g *Gennadius, num.* 3 *laudatus, ait:* Scripsisse putatur. *Librum de Vitis Patrum, qui apud Rosweydum secundus est,* Petronium *scripsisse, nonnulli contendunt, quod plane incertum. Vide num.* 23 *et seqq. Fieri etiam potuit, ut alio libro, sed argumentum simile persecutus fuerit, qui jam pridem perierit, aut eadem fere, suppresso nomine, de Ægypti monachis scripserit, quæ passim ab aliis etiam de iisdem perscripta Gennadius invenerat, suppresso pariter auctorum nomine; dubitaritque hic propterea,* Petronione, *an alteri tribui deberet liber de Vitis Patrum, quiscumque demum sit hoc titulo liber, de quo Gennadius.* D

h *Non sunt ista Hieronymi; sed alterius, quem Hieronymum existimarit anonymus. Obiit Theodosius II anno Christi* 350, *a morte Arcadii patris circiter* 42.

i *Quam frequentes in nocturnis diurnisque Officiis, in Ecclesia celebrandis, fuerint in Oriente non clerici modo, sed laici etiam, Thomassinus docet tom. I de veteri et nova Ecclesiæ Disciplina parte* I, *lib.* II, *cap.* 54, *adducto etiam illustri Theodosii Junioris, et totius curiæ, pium principem æmulantis, exemplo.*

k *Psalm.* 83, ℣ 11.

l *Parum verosimile mihi videtur,* S. Petronium, *jam clericis adscriptum, sacri palatii magistrum, et primarium Orientalis imperii ministrum egisse, quod paulo post anonymus ait : non enim hujusmodi munera ea tempestate clericis committi solebant; neque* Petronius, *ut e Gennadio videtur colligi, multum rebus sese politicis miscuit : illustri quidem quodam munere fortassis functum, non tamen præfectura prætorii, innuere videtur Eucherius; sed qui hic cum Gennadio ad concordiam revocari possit, vide num.* 17 *Comment. prævii. Quod si illustre quoddam munus per se gesserit* S. Petronius, *illo deposito, ad clerum transiisse videtur annis fortasse aliquot, priusquam Romam mitteretur; quod num.* 4 *indicare videtur anonymus, de* Petronio *scribens :* Qui per aliquantum temporis spatium divino cultui se mancipavit. E

m *Non Theodosius* Petronii, *sed hic illius levir erat:* Petronii *namque sororem, ex anonymi sententia, Theodosius duxerat : erat ergo Theodosius* Petronii *gener stricte dicendus.*

n *Matt.* 6, ℣ 5.

o Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. *Matt.* 5, ℣ 15.

p Nihil enim est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur. *Matt.* 10, ℣ 26.

q *Jacobi* 2, ℣ 20.

r *Nestorium, ejusque asseclas intelligit : sedere Constantinopoli Nestorius cœpit anno* 428, *ac paulo post hæreseos virus evomere, Christo Divinitatem, divinum Virgini Matri partum impie abjudicans. Vide num.* 31. F

s *Judæorum gentiliumque errores Nestorianis attribuit, vel quod hi Judæis et gentilibus, Deum, qui, ut impie causabantur, ceterorum hominum more natus esset, agnoscere renuentibus, hoc in puncto, eoque gravissimo, assentirentur; vel Patrum exempla secutus. Proclus in Epist. ad Armenos Nestorium Judæo pejorem habet.* Hanc quoque, *inquit,* nuper fabricatam novamque blasphemiam *(fugiamus)* quæ Judaismum, quod ad blasphemiæ magnitudinem, longe superat. Illi namque, dum eum, qui Filius est, reprobant, ramo radicem privant : hi vero, qui ultra hunc, qui Filius est, alium adjicientes, intemerabilem naturam, tamquam multigenam, denotant. *Nestorianos Judæis comparat et Cyrillus in Homilia, post dejectum Nestorium habita, inquiens :* Enimvero Christiani hominis personam induunt, sed mentem interim judaizantem obtinent : *gentilibus vero Nestorium apud Labbe tom. III Conc. pag.* 586 : Omnem gentem nefariis lasciviis et dissolutionibus indulgentem, hic sua malitia excessit.

t *Celebrem S. Sylvestri disputationem cum Judæis habitam indigitat, cujus historia sancti Pontificis Actis inserta est, sed iis inquinata fabulis, quarum falsitas manifesto appareat. Adi Baronium ad annum* 315 *num.* 10 *et seqq., et Pinium tom. III Augusti pag.* 559 *et seq.*

u *Theodosius*

A u *Theodosius non adeo infensus Nestorio fuit, imo adversus Cyrillum favit, cum nondum hæretici fraudes perspectas haberet. Vide num.* 32 *et seq.*

x *Nestorius nimirum, Christum in duas personas, duos Dei Filios, et duos Christos distraxit: audi Vincentium Lirinensem, qui sub Theodosio et Valentiniano fuit, in Commentario apud Baluzium p.* 333 *et seq. Nestorianam hæresim ita explicantem:* Nestorius autem contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas; et inaudito scelere duos esse vult Filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem; unum, qui ex Patre, alterum, qui sit generatus ex Matre. Atque ideo asserit, sanctam Mariam, non Theotocon, sed Christotocon esse dicendam: quia scilicet ex ea, non ille Christus, qui Deus, sed ille, qui erat homo, natus sit. Quod si quis eum putat, in litteris suis unum Christum dicere, et unam Christi prædicare personam, non facile credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est etc. *Pag. vero* 340 *ita habet:* Anathema Nestorio, neganti ex Virgine Deum natum, adserenti duos Christos, et, explosa Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. *Porro omnem, quam hic Theodosio orationem anonymus tribuit, e suo penu deprompsit, quod et alias fecisse illum, me tacente, in Actorum decursu quivis facile deprehendet.*

B y *Ephesinum concilium, inscio Cælestino, Pontifice Romano, a Theodosio indictum fuisse, Garnerius argumentis non levibus, non tamen omnino convincentibus, contendit; et proinde negat, illius petendi causa* Petronium *Romam legatum ivisse. Vide dicta num.* 37 *et seqq.*

z *Vide Annotata ad litt.* c, d, m.

aa *Probabilius sub finem anni* 429 *vel sequentis initium. Adi num.* 34 *et seqq.*

bb *Quale illud concilium fuerit, silet anonymus: in causa Nestorii duo Romæ celebrata fuerunt, alterum anno* 429 *post festa, ut videtur, Paschalia; alterum anno* 430, *mense Augusto: verum de neutro anonymus videtur posse commode intelligi. Vide num.* 34 *et seq.*

cc *Pontificum Romanorum olim domicilium, prope basilicam Constantinianam conditum, ut creditur, a S. Sylvestro Constantini Magni sumptibus, ut Panvinius scribit de septem Urbis ecclesiis pag.* 168, *Constantini palatium fuisse, tradit Aringus lib.* IV *Romæ subterraneæ cap.* 44. Cum interim Constantinus, *inquit,* Silvestri exemplo permotus, ecclesiis munifice extruendis manum admovit. In suo quippe Lateranensi palatio Salvatori ædem construxit.

dd *His anonymi verbis inhærendo, prius Romam* Petronius *venerat, quam illic de S. Felicis, Bononiensis episcopi, obitu renuntiatum esset, atque adeo*
C *diebus haud multis ab illius obitu: porro obiisse creditur S. Felix anno* 429, *die* 4 *Decembris, quo colitur.*

ee *De illa basilica ita Panvinius mox laudatus pag.* 106: Basilica S. Salvatoris, quæ a loco Lateranensis, a conditore Constantiniana, ab ornamentis Aurea vocata est, ædificata fuit cum propinquo patriarchio (*seu Lateranensi palatio*) Romanorum Pontificum usui, a pio Constantino imperatore in Cœlii montis dorso, et a S. Silvestro v Idus Novembris consecrata, circiter annum Christi cccxx. *Addit cap.* 1: Nunc S. Joannis dicitur.

ff *Tillemontius ait, Bononienses ad Romanum Pontificem, novum sibi episcopum petituros, certo non recurrisse, propterea quod in more tunc positum esset, ut Mediolanensis metropolitanus, cui sedes Bononiensis subjecta erat, ea de causa adiretur. Sed ex recepto passim more non certo sequitur, hunc semper et ubique observatum fuisse, ut ait Benedictus XIV. Vide num.* 43.

gg *Ad Romanos* 8, ŷ 29 *et seq.:* Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit. AUCTORE ANONYMO.

hh *Psalm.* 117, ŷ 23.

ii *Ad Romanos* 13, ŷ 2. Itaque, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

kk *Lucæ* 22, ŷ 42.

ll *Vide num.* 68 *et seqq.*

mm *At quando primum Deo credidit Abraham, et Dei amicus appellatus est? Num cum tres angelos vidit, et unum adoravit? An vero, ut anonymi verbis utar, cum Trinitatis opes unius decorem esse putavit, seu, cum quoquo modo SS. Trinitatis, quod mox citatis verbis innuere videtur anonymus, mysterium credidit? Alterutrum enim ex anonymi verbis sequitur: sed, utrum dixeris, perinde est. Non enim tunc primum Deo Abraham credidit; nam angelorum Abrahamo facta apparitio Gen. cap.* 18 ŷ 1 *et seqq. refertur. Cap. autem* 15 ŷ 6 *legitur:* Credidit Abram Deo (*innumeram illi posteritatem pollicenti*) et reputatum est illi ad justitiam; *quo etiam spectat illud Jacobi cap.* 2 ŷ 23: Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. *Ceterum quod spectat ad Mysterium SS. Trinitatis ab Abrahamo, tres vidente et unum adorante, agnitum, ita in hunc locum Estius commentatur:* August. libro tertio contra Maxim. cap. 26 vult Abraham in his tribus agnovisse Trinitatem; et dicit illud: « Tres vidit, et unum adoravit, » quod canit Ecclesia. Non quin et homines, aut angelos E
humana specie esse putavit (nam eis et pedes lavare, et cibos apponere voluit, imo apposuit, ipsique, ut videbatur, comederunt) sed, quod interea instinctu divino tres recipiendo, et unum tantum alloquendo, hoc Mysterium indicarit. *Cornelius vero a Lapide, postquam dixit, Abrahami hospites primo ut homines, dein vero ut angelos Dei et legatos fuisse ab illo sensim agnitos, eosque symbolice SS. Trinitatem significasse, ita disserit:* Hinc sequitur, quod Abraham hos angelos, ut angelos Deique legatos primo adorarit dulia; secundo agnoscens eos repræsentare Deum, et SS. Trinitatem in eis repræsentatam, adorarit latria, ut docet S. Augustinus, qui enim hic apparet et loquitur cum Abrahamo, semper vocatur Jehoua, quod est nomen proprium Dei, cui debetur latria. *Ita illi.*

nn *Similiter jam ante Abraham a Deo patriarcha fuerat constitutus, ut Gen. cap.* 17 ŷ 5 *liquet:* Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te.

CAPUT II.

Sanctus Bononiam instaurat.

Omnibus itaque pontificalibus sacramentis ac *Sacris profa-*
benedictionibus rite perfectis solito more præsu- *nisque*
lum, cives Bononienses læti redeunt ad suam F
urbem cum consecrato Præsule. Qui, cum appropinquaret suæ diœcesi, omnis civitas gaudio coronatur. Turba vero utriusque sexus in laudibus et hymnis spiritualibus se prorumpunt, et non cessant laudare Dominum, qui talem ac tantum sibi contulit Pastorem ac Patrem. Cumque venerandus Pater in throno pontificali resideret, primum quidem suarum virtutum spirituale jecit fundamentum laborando scilicet ad reparationem ecclesiarum*... ** supple* Theodosis
vastatione dirutarum, ibidem quamplurimas repa-
ravit *a*. Monasterium quoque extra civitatem in *a*
via, quæ vergit ad Orientem, in honore S. Stephani prothomartyris a fundamentis miro opere condidit *b*. Ædificia namque ejusdem monasterii spatiosa *b*
valde et sublimia sunt, variis intexta lapidibus, circumdata per girum plurimis columnis pretiosis de porphyretico lapide, aliisque lapidibus diversi coloris cum basibus et capitellis suis, insignitis variis figuris hominum, quadrupedum ac volucrum; illo plurimo labore typice gessit opus mirifice constructum instar Dominici sepulchri, secundum ordinem, quem viderat, et provida cura cum ca-

AUCTORE ANONYMO.

lamo diligenter mensus fuerat, cum esset Hierosolymæ; ibi enim per aliqua dierum curricula sibi fuerat per totam Judæam colligere vectigalia *c*. Etiam parietes sepulchri intus undique per gyrum cum juncturis suis sunt erecti, et lapidibus quadratis et sectis nimio candore pollentibus.

ædificiis instar sacrorum

13 Aliud quoque ædificium, idque plurima varietate columnarum a fundamentis ædificavit *d*, cum atrio in circuitu, cum duobus ordinibus preciosarum columnarum cum basibus et capitellis suis, signis multiciplibus decoratis, ita ut super inferiorem ordinem columnarum alius pretiosior supereminebat, tali modo extendebatur usque ad locum, qui figurate Golgotha, hoc est, Calvaria, nuncupatur, ubi crux, in qua Christus pro salute mundi fixus est, posita fuit. Ille vero locus variis imaginibus diversi coloris depictus est; pavimentum autem totius operis stratum est Pario lapide et porphyretico, et lapidibus diversæ varietatis. Ita pulchra et prælucida sunt cuncta loci hujus ædificia, ut, qui semel ea prospexerit, iterum videre ardentissimo amore desiderat. In eodem vero loco, qui Golgotha dicitur, posuit ligneam crucem, quæ in longitudine et latitudine undique per totum facta fuerat ad instar Crucis Christi. Post longa autem annorum curricula sæva gens Ungarorum cum plurima vastitate invaserunt totam provinciam *e*: una pars, quæ crudelior fuerat, vidit
B crucem ibi positam, cupiens delere, ut a Christicolis deinceps non adoraretur, lignis ac paleis replevit illud omne ædificium, ignemque pariter succendit, ut crucem combureret, et tantum decus præclari operis rueret in præcipitium : non meritis ullius, sed divina clementia actum est, quod sancta crux a nefandorum feritate inlæsa permansit, sicut est hodie : et præcipuum opus ædificii a valido calore ignis inustum per virtutem sanctæ crucis extitit.

Palæstinæ locorum,

14 Aliud vero, quod magno opere gessit, non est reticendum. Et mensus est, cum esset Hierosolymæ, quot calamis Golgotha distaret a monte Oliveti : eodem modo ibi et mensus est*; in grata planitie illius loci montem condidit, qui usque in præsentem diem Mons Oliveti vocatur, quem cum magno sudore et exercitio inaltavit; et aliunde ex imperiali edicto terram fodere et conducere fecit. Si quidem in vertice montis hujus monasterium in honore S. Joannis Euangelistæ omni diligentia cum *an columnis? eminentiori ædificio, excelsis....* studiose construxit *f*. In medio autem templi atrium cum columnis pretiosorum lapidum tereti circulo mire exornavit, et vestibulum, quod erat ante atrium, vestivit variis lapidibus lactei coloris cum cælaturis suis. Parietes autem totius ædificii atrii et vestibuli circumquaque in circuitu per girum pulchris picturis decorare studuit. A pede montis hujus usque ad verticem ascensus erat per mar-
C moreos gradus. In medio atrii est locus, ex quo cernentibus discipulis, Christus ascendit in cælum. In eodem vero loco Spiritus Sanctus venit super eos, et dedit illis scientiam omnium linguarum : illic nimirum posita est crux, ut in posterum signum esset tantæ sanctitatis. Spatium autem, quod distat inter Golgotha et montem Oliveti est vallis, quæ nuncupatur Josaphat : in ea vero est ager Hakeldamach, qui emptus est a Judæis ex triginta argenteis, quos Juda retulit, in sepulturam peregrinorum, sicut legitur in Passione Domini *g*. Aliud quoque opus, quod solerter exercuit, non est prætermittendum, quin literis dilucidare satagemus. Fecit quoque tipice ingenti cura piscinam, secundum quod calamo mensus fuerat in Jerusalem instar natatoriæ Siloe, de qua nato cæco Dominus ait : « Vade ad natatoria Siloe et lava *h*: » fecit etiam cæcus, quod sibi imperaverat, abiit et lavit et vidit et credidit Deo.

Bononiam,

15 Igitur intimandum est posteris nostris, videlicet Bononiensibus civibus de calamitate ac subversione urbis Bononiæ, quæ et quanta olim perpessa est a tyrannide impiissimi Theodosii imperatoris *i*. Cum Theodosius, Romanorum imperator augustus, de Constantinopoli Romam ve- D
nisset *k*, misit legatos suos per universas provin- *k*
cias : demum autem quemdam, qui in regia aula primatum tenebat super cunctos, sive qui sibi magis charus erat, direxit ad civitatem Bononiensem, quæ erat hortus Romæ, in qua est sedes imperii : ideoque Bononiensis civitas Hortus Romæ antiquitus dicitur, quia hortus quidem est locus, qui, quamquam parvus esse videatur, tamen ab agricolis gratiosior ac charior habetur omnibus arvis : est quidem consitus arboribus omnium generum; illic sunt poma ad comedendum acceptabilia, ibi et olera per totius anni circulum; illic nascuntur herbæ salutiferæ spirantes odores suavissimos, croceos quoque et purpureos flores producentes, specie diversi coloris. Hujusmodi vero locus magis omnibus diligitur et custoditur ab agricolis. Quapropter urbs eadem non incongrue dicta est Hortus Romæ : propria enim ethimologia, specialique vocabulo hoc nomen.....* Bononia sibi *nihil videtur* inditum est *l*; eo quod universis opibus sit copiosa, *deesse.* omnibusque bonis ad plenum referta; adeo vini- *l*
fera, quod nulla tellus audeat certare laudibus illius : ita quoque fertilis est, quod non solum terra illius diœcesis producat fructus frumenti, hordei ac tritici diversi generis, sed etiam, quemadmodum in Gestis Francorum legitur, Bononienses arbores messes protulerunt aliquando, mirabile dictum. Eadem vero civitas montium tenus sita est, E
gratas planities, piscosasque paludes vicinas sibi possidet. Incolæ illius urbis bonæ fidei, doctique armis, pollentesque consilio naturaliter existunt. Illinc quondam fuit arena, miro opere constructa, in qua ab Augustis sæpius fiebant concilia *m*. Ibi *m*
quoque ei regalia palatia, et thermæ *n*, intus et *n*
extra cum columnis pretiosorum lapidum, et celaturis suis mirifice decorata, erant constructa. Est autem hæc civitas principium Romanæ provinciæ et Æmiliæ *o*. *o*

16 Ad hanc vero tam præclaram urbem, direxe- *quam Theodo-*
rat imperator chariorem sibi, quatenus regalia *sius I, ultus*
tributa ex vicinis civitatibus colligeret, et ad Bo- *amici cædem*
noniam usque perduceret : quoniam illic statuerat degere per plurimorum spacia dierum. Ipse autem legatus ceu stolidus, pro benevolentia regis, quæ circa se extiterat, inani gloria tumescens, in tanta jactantia se prorupit, quod minime se credebat a regia dignitate distare. Nemo enim tam bonæ indolis in tota illa urbe erat, quem non inhonestaret turpiter, et quod est dictu nefas, quam atrociter verberaret. Quadam vero die idem furiis plenus, visus est quemdam ex primatibus prædictæ urbis dedecorare cum verbere : protinus omnis civitas versa est in tumultum. Ipse autem, qui talia passus fuerat, in eum quasi amens viriliter insurgens, conto, quem manu tenebat, ferit illum in pectore, F
qui illico ruens vomit vitam cum sanguine. Cumque fama hujus rei ad imperatoris aures perveniret, rex inde valde tristari cœpit : verum ne tantus dolor a quolibet agnosceretur, fingens, se hujusmodi factum vilipendere; sed mox alium nuncium ad eamdem urbem direxit, ac, simulata fraude, in ore ejus in hunc modum posuit verba pacifica in dolo : Scitote gratiam regis erga vos plurimam adesse, neque pro fastu cujusdam, levitate inanis gloriæ intumescentis, velle illius...,. dirimetur a fidelium suorum libitu; illum etiam vobis pacatissimum jugiter fore credite : ea quidem, quæ in adventu tanti principis paranda sunt, oportet, ut decenter præparentur, quem statuto die, vita comite, solito more patris intuemini.

17 Nepos interea Theodosii Augusti, qui dudum *misere vasta-*
ex multis retro diebus infirmabatur, cum appro- *rat,*
pinquaret civitati, graviori molestia corporis detentus, antequam perveniret ad urbem, fudit animam per auras. Unde imperator non minimo mærore turbatus statim misit legatum ad urbem, deferentem verba in hunc modum : Nolumus vos ignorare de morte nepotis imperatoris : unde dominus noster imperator satis pacifice per me vobis intimare

A intimare mandavit, quatenus eum cum exanimi cadavere chari nepotis sui in civitatem recipiatis, quousque in episcopio corpusculum ejus regia dignitate tumuletur. Cives etenim præparaverant cuncta necessaria in palatium, quod erat extra urbem : ipsi vero ignorantes pestem futuram, fecerunt secundum edictum regis. Factum est autem, juxta quod statuerat rex, cum exercitu suo ingrediens civitatem, profectus est ad palatium : a civibus quippe est diligenter susceptus. Sepulto autem illo, exit edictum, ut cuncta militaris cohors in eos insurgeret, quod et factum est : civium enim alios interemerunt, alios catenis vinxerunt, totamque urbem præda et igne vastaverunt; alta mœnia urbis, turres et palatia, insuper Dei ecclesias a fundamentis destruxerunt; et Mediolanum profectus est. Quod ergo cum beatus Ambrosius Mediolanensis antistes cognovit, regi aditum ingrediendi
p ecclesiam denegavit *p*, donec asseruerat, se cuncta reædificaturum. Præcepit igitur rex, ut civitas muro clauderetur quolibet modo, sed non in priori
q fundamento *q*.

ægre id ferente S. Ambrosio,

18 Beatus vero Ambrosius, sciens hujusmodi periculum ac diras strages utriusque sexus, ruinam nihilominus murorum, calamitatemque viduarum ac pupillorum, compunctus pietate more patris, ne deinceps huic tam desertæ civitati tale aliquid accideret; sub excommunicationis vinculo ita in-
B quit servus Christi : Ambrosius episcopus dilectissimis fratribus utriusque ordinis, majoris scilicet et minoris, in Domino salutem æternam. Cunctis Italiæ regni subversionem Bononiæ civitatis credimus fore notissimam, quam non vera justitia, sed calva occasione, Theodosica rabie crudeliter perpessa est. Quamobrem dignum æquumque fore conspicimus ex parte Dei et S. Petri, cujus vocabulo Bononiensis ecclesia decoratur, damnatam ac irrevocabilem sententiam anathematis obnixe statuimus atque firmamus, ut nemo regum amodo urbem Bononiam ingrediatur. Si quis autem tam audax forte extiterit, qui huic sententiæ non satisfecerit, et prædictam urbem temere ingressus fuerit, præsenti anno illius vita finiatur, et ne ultra dilatetur. Corpus quoque cujusque mortui minime deferatur in urbem, ne simili occasione civitas illa tale detrimentum patiatur. Hoc quidem sancti sacerdotis et egregii confessoris Christi edictum, eo jubente, exaratum est in marmorea tabula, quam idem Domini confessor poni jussit in muro ejusdem civitatis, qui a Theodosica rabie illæsus permansit, et qui vergit ad Orientem; quatenus cunctis posteris in testimonium fieret. Post hæc prædicta urbs multoties ab igne cremata est; ipsa vero tabula crebro igne combusta, ac plurimis fragmentis est
r resoluta *r*.

instaurat, et insigne

19 Vir itaque Domini Petronius, intuens suam civitatem nuper eversam, ut dictum est, a Theo-
C dosio Augusto, qui paululum ante regnaverat, mœniaque diruta, nec non et palatio a fundamentis funditus destructa, cœpit diligenter restaurare ea, quæ a Theodosio minime reparata fuerant, quæve imperfecta reliquerat, ex imperiali tributo. Cuncti namque præfecti, prætores, tribuni et præcones omnium provinciarum hujus regni, audita fama regiæ affinitatis, et quod regis cognatus esset, undique confluebant ad eum, deferentes sibi regia vectigalia. Dum quadam die idem venerabilis Pater ingenti cura et sollicitudine super hujuscemodi
** supple* fa- operis magistros assisteret,* divinitus est, quod
ctum quidam ex artificibus, cum vellet erigere columnam in superiori ordine columnarum, toto corporis nisu junctis brachiis amplexus est eam in giro, ut erectam subsisteret, quousque ab aliis artificibus sustentaretur quibuslibet argumentis.

miraculum patrat.

20 Sed vir ille, mole tanti ponderis prægravatus, deficientibus viribus non diu sub tam gravi onere subsistere valens, cum eadem columna insertis brachiis in circuitu celeri rotatu de sursum ruit in terra : quem confessor Domini sanctus Petronius cernens in hujus periculi discrimine positum labi præcipiti lapsu, ad cælum protinus oculos erigens, signavit cum signo sanctæ Crucis : meritis quidem sæpe nominandi Patris, Deus illico solita pietate respexit ad votum famuli sui Petronii; quod columna illa alicujus fracturæ vel fixuræ detrimentum minime passa est, verum solida, uti prius, illæsa permansit : operarius vero nihil mali sentiens, molem instantis periculi evasit, sicut idem solitus erat ita referre : Cum ego totis visceribus expergefactus angebar, undique pariter turbatus irrevocabili cursu labi cœperam, quidam niveis stolis indutus, similis beato Petronio astitit juxta me, qui manu sua columnam sustinuit, et me incolumem servavit *s*. Tunc omnis populus, qui *s*
hæc viderant, glorificaverunt Deum, dicentes : Benedictus Dominus Deus Israel, qui nobis indignis talem ac tantum Patronum, non nostris meritis, sed sua largiente gratia contulit. Et ex illa hora magis ac magis debita veneratione cœperunt eum amplecti. O quam mira, quam laudanda est immensa Domini pietas, quæ nec diu distulit competenter subvenire Famulo suo fidenti in se, sicut ait Scriptura : « Omnia possibilia sunt credenti » *t* : *t*
priusquam pius pater Petronius a Domino implorare posset auxilium; jam enim ruinæ periculum imminebat in præcipitium : Deus autem qui est cognitor secretorum, respiciens fidem ejus misericorditer in ipso tribulationis articulo ei divinitus auxiliatus est : ita et iste juxta fidem celerius ade- E
ptus est, quod concupierat de salute artificis in periculo, quam fari posset.

ANNOTATA.

a *Ecclesiarum, a* S. Petronio *Bononiæ seu a fundamentis excitatarum, seu reparatarum, auctarumve enumerationem habes num.* 48 : *qui vero vastitatem Bononiensibus ædificiis sacris intulisse dicantur, videsis num.* 43 *et seqq.*

b Monasterium *idem hic valet ac* templum; *quamquam S. Stephani templo monasterium, strictius acceptum, etiam* S. Petronius *adjecerit : utriusque notitiam dedi num.* 49 *et seqq.*

c *Non alio forte nititur fundamento hæc vectigalium per* S. Petronium *collectio, quam affinitate cum Theodosio imperatore contracta, quod sane perexiguum est. Si tamen re ipsa locum habet, laicum, non clericum aut monachum tum fuisse* S. Petronium *arguit. Vide etiam Annotata in cap.* 1 *littera* l.

d *Pars est templi S. Stephani, vulgo* La chiesa dell'atrio *dicta; eo quod atrium Pilati adumbraret.*

e *Hanc Hungarorum in Italiam incursionem Luitprandus universim describit lib.* II *cap.* 4 *et binis seqq. Historiæ sui temporis. Regino lib.* II *Chronicorum sic scribit :* Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCI gens Hungarorum, Longobardorum fines ingressa, cædibus, incendiis, ac rapinis cuncta D
crudeliter devastat : cujus violentiæ ac beluino furori cum terræ incolæ, in unum agglobati, resistere conarentur, innumerabilis multitudo ictibus sagittarum periit. *Enucleatius in rem nostram Sigonius lib.* I *de Episcopis Bononiensibus :* Nongentesimo tertio insignis Lombardiæ ecclesiis, et præsertim Bononiensi, calamitas accidit. Quippe Hungari, gens illa ætate in Pannonia ferocissima, per Forum Julium in Lombardiam populabundi se intulerunt, ac cum alia loca occurrentia devastarunt, tum in primis monasteria extra urbes posita incenderunt, præcipue autem Nonantulæ S. Sylvestri, et Bononiæ S. Stephani cum adjuncta civitatis basilica concremarunt, atque ut alias hujus provinciæ ecclesias, sic etiam Bononiensem gravissimis incommodis affecerunt, et ad summam inopiam redegerunt.

f *De hoc templo egi num.* 39 *et seq.*

g *Matt.* 27, ℣ 7 *et* 8. Consilio autem inito, emerunt ex illis (*relatis ad principes sacerdotum et seniores a Juda triginta argenteis*) agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

h *Joannis*

AUCTORE ANONYMO.

h *Joannis cap.* 9, ỹ 11.

i *Meliori nomine Theodosius dignus erat. Ceterum longam hic orditur anonymus fabulam. Vide num.* 69 *et seqq.*

k *Sub annum* 390.

l *Alii a Bono, Etruscorum rege, sic dictam volunt; prius vero Felsinam a Felsino, seu Celsino, Etruscorum pariter rege. Contendunt alii* (*sunt enim similia plerumque incerta*) *a Bojis hodiernum illius nomen derivatum, ut ab illis primum* Boji *et* Bojonia, *dein* Bononia *nuncupata fuerit, quasi* Bona omnia. *Addunt ab iisdem Bojis amnem, qui urbem permeat, in memoriam Rheni Gallici, Rhenum quoque dictum esse.*

m *Bononiensis amphiteatri et arenæ Gladiatoriæ mentionem habet Tacitus lib.* II *Historiarum cap.* 67: Tertiadecimani struere amphitheatra jussi. Nam Cæcina Cremonæ, Valens Bononiæ spectaculum gladiatorum edere parabant; *et cap.* 71. Exin Bononiæ a Fabio Valente gladiorum spectaculum editur, advecto ex urbe cultu. *Vide etiam descriptionem Bononiæ Antiquæ apud Blavium in Theatro Italiæ.*

n *De his consule Carolum Cæsarem Malvasia libro, cui titulus:* Marmora Felsinea, *Sect.* 3.

o *Italiam Augustus imperator in* 11 *regiones divisit, quarum octavam* Galliam Cispadanam *vocavit, in duasque regiunculas Æmiliam et Flaminiam a Placentia Bononiam et Bononia Ariminum usque distribuit: in prima sita est Bononia ad radices Apennini, in Lombardiæ et Romaniolæ confinio.*

p *Sub annum* 390 *seditionem Thessalonicenses, vincti cujusdam postulati, sed non impetrati causa, commoverant, in eaque Buthericum, magistrum militum, interfecerant: Theodosius aulicorum suorum suasu id crimen inultum noluit; sed ultio, non sine ingenti innocentium cæde peracta, modum excessit. Mediolanum imperator ingressus, orandi causa ad templum accessit; sed a S. Ambrosio illius aditu, dum pœnitentia crimen rite expiasset, prohibitus fuit; et a sacorum mysteriorum communione rejectus. Hæc vera negati Theodosio ad templum aditus causa fuit, quam autem hic anonymus affert, probatis auctoribus ignota est, nec arridere cuipiam potest, nisi nimium credulo.*

q *Protracto nimirum illius ambitu.*

r *Ne sic quidem dictis suis fidem facit anonymus: liquet enim decretum illud Ambrosianum purum putum esse figmentum.*

s *Vide num.* 86.

t *Marci cap.* 9, ỹ 22.

CAPUT III.

Reliqua Sancti gesta et obitus.

Constantinopolim petit; unde,

His peractis, pius Pater Constantinopolim rediit *a*. Cumque quadam die in basilica, quæ est patriarchatus *b*, imperatore astante cum universis principibus suis, Missam celebraret, cum converteret se ad benedicendum populum, confestim peregrinum quemdam dissolutis crinibus ante fores templi intuitus est, qui pro homicidio, quod perpetraverat, ita peregre proficiscebatur. In illis diebus enim fuerunt duo viri in civitate, quæ dicitur Capua *c*, qui magno cum descrimine per dies plurimos objurgati sunt ad invicem, ita quod inter se perfecto odio dediti sunt vehementer, e quibus unus iste fuit: quadam die cum iste more solito decenter ornatus iret ad curiam principis tantum militandi studio, stipatusque militibus progrederetur ante inimici sui palatium, repente accidit, non causa studii, quod unus ex vernaculis illius, qui sursum aderat in palatio, apprehendit pelvim quandam aqua plenam, ut aquam in stillicidio projiceret; cursus itaque totius aquæ in verticem militis descendit: miles vero tritus et frendens, non lento gradu circumibat universos affines, vicinos sibi domesticos, amicosque intimos, ut unanimiter omnes juvamen sibi inferrent ad ulciscendum tanti dedecoris opprobria: inito igitur statim civili certamine, princeps Capuæ civitatis *d*, ut hoc audivit factum, non segnis, agili curru loricatus progressus, ut dirimeret bellum, cucurrit in medio certamine ferocioris pugnæ, ubi pondus totius prælii crudeliter vexabatur densis telis: tunc iste miser amens et penitus oblitus sui, de longe cernens dominum suum principem huc atque illuc diffluentem (furor enim arma ministrat) putavit illum esse hostem, hujusmodi contumeliæ patratorem, illico librans hastam ingenti robore viriliter jecit eam intus inguine principis, et mortuus est. Protinus cuncti dimissis vocibus plorando concurrunt ad exanime cadaver principis; triste ministerium finito certamine belli.

d

reconciliato Ecclesiæ homicidii reo, e

22 Iste vero clam fugam petiit, et dilaceratis crinibus genisque sectis unguibus, ita ejulando cursim processit ad palatium Archiepiscopi *e*, ac provolutus pedibus illius, petere cœpit sibi indulgentiam pœnitentiæ: moxque, allata sibi pœnitentia, nudis pedibus totoque corpore contecto duro cilicio, peregre profectus est: terentem quoque lapidem gestavit in ore, quem neque manducando seu bibendo sive dormiendo, numquam ex ore suo projecit. Hunc quidem egregius Pastor ante fores ecclesiæ cernens assistere, quod Spiritu Sancto revelante actum esse credimus, misit ministrum suum ad eum, ut hæc verba sibi dicat: Dominus meus misit tibi, ut ad eum venias: ille vero venire noluit; misitque secundo similiter, et venire distulit: iterum autem tertio misit eumdem ministrum ad eum dicens: Vade et dic ei: Petronius, Bononiæ civitatis episcopus, tibi præcipit, ut domum Dei ingrediaris, et ne amplius differas venire ad eum. Ille vero, audito nomine tanti Præsulis (audierat enim multotiens famam bonæ opinionis illius) statim prosternens se in pavimento, geniculatim lento tramite venit ad pedes ejus: tunc pius Pater clementer infit:

Fili, surge cito, mox percipe, quæ tibi dico;
Incipe tu laudare Deum, qui regnat in ævum,
Qui cælum, terram, pontum cunctumque gubernat,
Et quod in ore tenes, frater, nunc mihi præbe.
Quidquid in ore fuit, mixtum cum sanguine fudit.

Tunc ait et Præsul divino pneumate plenus:

Est tibi peccatum totum non sponte patratum,
Te populique salus fecit pietate renatum,
Ut caveas ultra, talem committere culpam.

Tunc imperator et universi, qui simul cum eo aderant, hoc signum videntes, egerunt dignas gratias Deo cum ingenti lætitia, qui talia operatur per servum suum Petronium *f*.

f

ad suos reduæ annis aliquot post in pace quiescit;

23 Igitur non multum post aliquod temporis intervallum cum hæc et alia plurima agerentur, sanctus autem recordandæ virtutis vir Domini Petronius plenus gratia et benignitate, recordatus est filiorum suorum, quos reliquerat, non diu passus est deserere eos, ne antiquus hostis tenderet insidias ad capiendum oves sibi creditas. Data namque est jussio a Theodosio cæsare juniore, cognato suo, per omnes provincias Italiæ, ut omnes populi ex diversis regionibus obtemperarent præceptis beatissimi confessoris Christi Petronii, Bononiensis episcopi. Imperator vero cupiens eum dotari multis muneribus, sibi ait: Quodcumque præceperis et petieris a nobis, dabitur tibi. Ad hæc beatus Petronius respondit, dicens: Nullo quolibet munere de facultatibus vestris indigeo, nisi patrociniis Sanctorum *g* tantummodo: quare præcepit dare sibi quinque corpuscula Puerorum Innocentium *h*, quos Herodes jugulare pro Dei Filio crudeli sententia jussit. Suscepta itaque licentia ab Augusto, lætus properat ad suam urbem Bononiensem: quo viso, cives et cuncta turba fidelium gaudio magno repleti sunt de reverso Pastore *i*. Postmodum quoque prædicans et confirmans eos spiritualibus alimentis æternæ vitæ, sine intermissione perseverebat, et usque ad extremum vitæ suæ

g

h

i

A suæ verba vitæ et salutis prædicare non cessavit. Hic autem venerabilis et pius Pater aliquos honeste et pacifice gerens annos feliciter migravit ad Dominum. Defunctus autem est beatus Christi confessor Petronius cum hymnis ac laudibus, ab Angelicis choris victor ac triumphator est evectus ad desiderata gaudia paradisi. Et sepultus est in basilica S. Stephani, quam ipse a fundamentis construxit *k* debito honore ac summa diligentia.

cujus, aliorumque Sanctorum patrocinium

24 Jocundare, præclara urbs Bononia, ac plurima suavi modulatione vocum et angelicis tripudiis oportet et exultare, quoniam multorum Sanctorum patrociniis es decorata feliciter. O quam beata es Bononiensium civitas, et quam a confinibus civitatibus veneranda, quia revera quinque corpuscula sanctorum Innocentium, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; nec non insignium martyrum Vitalis et Agricolæ *l* corpora in te requiescunt; quorum alter cruce, alter diversis tormentorum generibus sidereas aulas feliciter sunt adepti, et alia multa Sanctorum corpora, quæ a Bononiensium civibus incognita habentur; seu et illustris ac egregii martyris Christi Proculi *m* corpus præclarum, qui pro Domini famulatu, a nefandis idolorum cultoribus missus est capitalem subire sententiam: atque preciosa sanctissimorum Hermetis, Aggei et Caji *n* martyrum cadavera, qui B largiente divina gratia jacent in via, quæ antiquitus dicitur Salaria in loco, qui vergit ad Orientem; de quibus Psalmista ait: « Exultabunt Sancti in » gloria, lætabuntur in cubilibus suis » *o*: seu et sanctæ Julianæ *p* venerabile corpus, quam beatus Ambrosius Mediolanensis civitatis archiepiscopus, cum revelaret corpora sanctorum Vitalis et Agricolæ ore proprio collaudans, ita ait: Ea vero est sancta Juliana, quæ Domino templum obtulit atque paravit *q*. Similiter et corpus beatissimi Isidori *r*, confessoris Christi et luculentissimi doctoris, in te requiescit; qui cum rediret a Roma, apud hanc urbem hospitatus, ac gravi molestia corporis detentus, permittente Deo, ibique vitam finivit, et illic ab orthodoxis viris plebis sepultus est. Nec non et veneranda corporum sanctorum illius civitatis Pontificum, videlicet Felicis *s*, discipuli beati Ambrosii, Parthenii *t* et Tertulliani *u*, Jocundi *x* et Theodori *y*, et aliorum plurimorum, qui in sidereas sedes collocati fruuntur delitiis paradisi Dei; cum istis, quos supra diximus, sanctis et aliorum plurimorum Sanctorum reliquiis; et præcipue beatæ Chaterinæ virginis martyrisque *z* in prædicta S. Stephani ecclesia, quæ vocatur Jerusalem, diversis in locis intra argenteas et aureas capsas C tumulare curavit. Idem beatissimus Christi confessor Petronius in patria ista fruitur consortio; quatenus eorum obtentu ac pia intercessione a Rege Christo Domino nostro ab hostium feritate salvata sit Bononiensis civitas; quoniam inter cunctas vicinas urbes, liberior et charior absque fræno duræ potestatis felici securitate semper consistit.

Bononiensibus Vitæ auctor gratulatur.

25 Gratulemur itaque nos, Fratres charissimi, omnique veneratione exultemus, B. Petronii patroni nostri hodie sollemnia celebrantes *aa*, sicut ille hodie Euangelicis choris lætatur in cælis, ita et nos gaudeamus in terris. Nos igitur, Fratres, præsentis diei sollemnitatem, in qua egregius pater noster Petronius animam cælo feliciter reddidit, devotissime celebrare studeamus, ejusque venerabili ac pretiosissimo corpori annualiter occurramus, quatenus, Christo propitio, sedulum intercessorem in omnibus necessariis habere possimus, et cum ipso ad societatem supernorum civium feliciter pervenire mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Quo anno iter id susceperit, nihil suppetit, unde definiam, cum lateat, quantum temporis condendis, reparandisque ecclesiis, tum ab anonymo recensitis, tum ceteris impenderit. Pullienus Luparus pag.* 22 *statim a suo Bononiam adventu, nondum perfecto S. Stephani templo, Constantinopolim abiisse anno* 429 S. Petronium, *et anno* 430 *die septimo Februarii, quo S. Julianam, a* S. Petronio *sepultam, obiisse credit, Bononiam reducem fuisse, affirmat: in quo ab anonymo discedit: neque sat certum est, anno* 430 *obiisse S. Julianum. Vide num.* 42 *et seq.* AUCTORE ANONYMO.

b *Hæc celebris S. Sophiæ Constantinopoli basilica est, divinæ Sapientiæ, seu Christo a Constantino Magno excitata, a posteriori us Orientis imperatoribus subinde instaurata auctaque, de qua vide plura, si voles, apud Cangium sub principium libri* III *de Constantinopoli Christiana pag.* 3 *et seqq.*

c *Campaniæ Felicis civitas archiepiscopalis ad Vulturnum fluvium.*

d *Intellige civitatis præfectum: nondum enim eo tempore suos aut comites aut principes Capuani habebant, quos non ante sæculum* IX *acceperunt.*

e Petronii *ætate suos quidem habebat Capua episcopos; sed non archiepiscopos: horum primus fuit Joannes, Landulphi Capuani principis frater, cujus basilicam ad metropolitanam sub annum* 968 *Joannes XIII, Romanus Pontifex, Roma pulsus Capuæque exceptus, evexit.* E

f *Sola, quod sciam, Bononiensium traditione id miraculum nititur.*

g *Id est, reliquiis Sanctorum, quorum patrocinia invocantur.*

h *Recondidit illa* S. Petronius *in ecclesia S. Stephani: unde duo ex illis quinque anno* 1165 *ad metropolitanam S. Petri ecclesiam translata fuerunt, ut scribit Masinius part.* I *Bononiæ illustratæ ad diem* 28 *Decembris, mihi pag.* 367.

i *Tempus Petroniani reditus æque incertum, ac discessus.*

k *Nonnulla, propter quæ dubitari queat, num* S. Petronius *S. Stephani templum a fundamentis excitarit, adduxi num.* 31 *Comment. prævi.*

l *Coluntur die* 4 *Novembris: eorum corpora Bononiæ invenit S. Ambrosius anno circiter* 392, *et reliquias aliquot Florentiam Bononia detulit, et in Ambrosiana basilica, nunc* S. Laurentii *dicta, reposuit. Vide Benedictum XIV de Festis celebr. Sanctorum Bonon. cap.* 3 *et* 23, *et Masinium citatum ad diem* 4 *Novembris.*

m *Actum de illo est apud nos tom. I Junii ad Kalendas Junii pag.* 50. *Jacet illius corpus in templo monachorum Casinensium, ipsi dicato,* ut constat, *inquit Benedictus citatus cap.* 15, ex lapide erecto anno Domini MCCCLXXX, ubi etiam legitur, quingentos annos ante reposita ibi fuisse F corpora dictorum sanctorum martyrum, *Proculi nimirum militis, de quo hic anonymus, et Proculi episcopi.*

n *Notantur in Martyrologio Romano* 4 *Januarii; coluntur Bononiæ* 28 *ejusdem mensis: Eusebius, Bononiensis episcopus, inventa eorum corpora in sacello, quod in loco martyrii erectum est, hodieque exstat in via S. Vitalis, collocavit.*

o *Psalm.* 149, ℣ 5.

p *Colitur die* 7 *Februarii, ad quem habet locum in Actis nostris tom. I Februarii. Corpus ejus in S. Stephani servatur.*

q *Verba Ambrosii libro de Exhortatione Virgin. cap.* 1 *et* 2 *Florentiæ recitato, hæc sunt:* Ea igitur vidua Sancta est Judæa, quæ hoc Domino templum paravit atque obtulit, quod hodie dedicamus etc. *Sed Julianam, de qua hic Ambrosius, Florentinam esse et a Bononiensi Benedictus XIV, aliique, quos laudat cap.* 3, *diversam arbitrantur.*

r *Vide infra Annotata, sacrarum reliquiarum Inventioni subnexa, ad lit.* h.

s S. Petronii *decessor fuit. Obiisse illum aiunt anno* 429. *Quiescit corpus in templo SS. Naboris et Felicis: caput in metropolitana ecclesia. Dies illi sacer* 4 *Decembris.*

t *Nullum hujus nominis episcopum Rerum Bononiensium*

AUCTORE ANONYMO.

niensium scriptores memorant. Sigonius ad annum 539 lib. 1 de Epp. Bononiensibus non Parthenium, sed Basilium in S. Stephani templo reconditum putat, quod ceterorum quidem Bononiensium episcoporum sepultura sit nota; non tamen Basilii, qui S. Stephani templum, sub nomine tamen SS. Petri et Pauli, vel inchoavit, vel a Faustiniano inchoatum perfecit. Contra Masinius pag. 61 in ecclesia SS. Naboris et Felicis scribit Basilii corpus asservari. Pullienus Luparus, reliquiarum in S. Stephani templo servatarum summam pag. 262 iniens, dubius hæret, utrum Basilii, Parthenii, vel Paterniani reliquiæ hoc loci intelligendæ veniant : at Paterniani corpus in æde SS. Naboris et Felicis sepultum esse, ibidemque servari, aiunt Sigonius et Masinius. Casalius Parthenium, hic memoratum, martyrem censet Romanum, una cum Calocero sub Decio occisum et in cœmeterio ad S. Xystum ab Anatolia sepultum, de quibus tom. IV Maji ad diem 19 Maji pag. 301 et seq. actum est : ubi quidem eorum in Gallias translatio memoratur; de Bononiensi vero altum silentium. Bini præterea ejusdem nominis Romani martyres eodem tomo ad diem 17 Maji pag. 26 referuntur. Ut adeo nec mihi quidquam certi ad manum sit, quod de hoc Sancto seu Parthenio, seu Parthemio asseverem.

B u S. Petronium *Paternianus, hunc in sede Bononiensi Tertullianus excepit, ut quidem Sigonius tradit. Sedit ab anno circiter 470 usque ad annum forte 485. Corpus conditum in æde S. Felicis. Colitur die 27 Aprilis, ad quem quoque locum habet in Opere nostro.*

x *Tertulliani successor, secundum Sigonium : colitur die 14 Novembris. Exuviæ ejus in æde SS. Felicis et Naboris quiescunt, et in ara, quæ dicitur* Crucifixi, *venerationi exponuntur.*

y *Colitur 5 Maji, quem diem vide in Actis.*

z *Illius pedem in S. Stephani templo servari, Masinius scribit.*

aa *Innuit hæc phrasis, Vitam hanc festo* S. Petronii *pro concione dictam fuisse.*

VITA BREVIOR

Auctore Galesinio.

CAPUT I.

Sancti natales, juventus, legatio, et in episcopum consecratio.

C Petronius, Bononiæ episcopus, patre natus est Petronio *a*, cive Constantinopolitano viro clarissimo et homine literrarum disciplinis egregie erudito. Nam cum is præfecturam prætorii gessit, quæ dignitas apud imperatores amplissima fuit, tum librum de episcopi Ordinatione conscripsit, plenum doctrinæ et Christianæ pietatis *b*. Hic igitur, ut Græce et Latine doctus erat, sic filium Petronium erudiendum, Christianisque moribus inprimis, atque optimarum artium doctrina instituendum curavit. Itaque Puer brevi in magna rerum cognitione progressus, in sancte vivendi institutis ita profecit, ut frequenti civium sermone ejus sanctitas celebraretur. Spiritu enim Dei ductus, cum rei omnis initium ab oratione fieri oportere, intelligeret, nihil aggredi solebat, nisi primo ecclesiam ingressus, sanctioribus precibus rei agendæ auxilium a Deo imploraret, ad eum unum referens cogitationes, actiones, et studia sua.

S. Petronius Cpoli claro genere natus, *a*

b

perlustratis Ægypti solitudinibus,

2 Confirmata jam ætate, ardore quodam Christianæ religionis vehementius inflammatus, monachorum in primis amore flagravit, quorum eo tempore disciplina erat in Ægypti solitudinibus quam florentissima. Quare etsi quæcumque illi pie, religioseque agerent, ab aliis ipse cognorat. tamen, cum ad instituti sui rationem non satis esse putaret, ea auribus percepisse, oculis perlustranda existimavit, tum loca, tum cætera omnia, quæ studiose audierat. Itaque in Ægyptum venit *c*, ubi in intimam eremum penetrans, singulorum colloquio uti non destitit, quoad plane cognovit sancta eorum vitæ instituta; inde domum reversus, illam disciplinam tam vehementer amavit, ut literarum monimentis tradiderit monachorum Vitas *d*, quas religiose conscriptas, valdeque probatas, iidem monachi amplexi sunt, quasi certas quasdam regulas, in quibus maxime eluceret omnis optima monastici instituti sui ratio. D *c* *d*

3 Omni igitur cura et cogitatione Vir religiosus defixus in sanctissimis Christianæ fidei institutis, quo magis in dies comtemplatione accenderetur, Ægypti solitudine jam peragrata *e*, Hierosolymam peregrinari statuit *f*. Ubi peractæ redemptionis nostræ impressa vestigia Christus reliquit verus Deus et Homo. Itaque cum ad eam urbem venit, totus meditationis studio exardescens, Domini sepulchrum inprimis, et reliquia illius sacra rerum gestarum monimenta, ac singula loca, quæ absens intima pietate coluerat, præsens veneratus est sancte et religiose. Cumque omnia tandem perlustrasset, incredibili quodam mentis ardore, quo tamen magis ad contemplationem fixa in animo illa hærerent, singulari etiam diligentia eorum situm ac rationem notavit. Quamobrem merito quidem Theodosii Minoris, qui tum imperabat, religiosissimi principis gratiam, et amorem sibi ita conciliavit, ut is sanctitatis opinione, non minus auctoritatis apud illum obtineret, quam pater obtinuisset rerum gerendarum industria *g*. *et sacris Palæstinæ locis,* *e* *f* E *g*

4 Nam pietate ad Dei religionem attentissimi Viri, et prudentia cognita, Theodosius ejus opera uti voluit in rei gravissimæ tractatione. Conabatur enim eo tempore Nestorius, Constantinopolitanus episcopus, divinarum literarum studio intemperanter abusus, sanctissimam Catholicæ fidei doctrinam violare perverso dogmate *h* : ei rei pius princeps Theodosius mature occurrendum arbitratus, universæ Ecclesiæ pastorem et gubernatorem Pontificem Romanum sibi consulendum existimavit. Itaque Petronium, virum sibi probatissimum, Romam legatum misit *i*, qui rem cum Pontifice Cœlestino diligenter ageret. Factum est autem Dei consilio, ut, a quo tempore is a Theodosio missus Romam venit, legati quoque adessent, quos, mortuo Felice, Bononiæ episcopo, qui intimus S. Ambrosii, Mediolani episcopi, sodalis extiterat, Bononienses Pontificem rogatum miserant, ut in illius locum successorem sibi episcopum substitueret. *a Theodosio uniore, rem Catholicam turbante Nestorio,* *h* *i* F

5 Paulo autem ante, quam ii legati Romam adventassent, divina voluntate a S. Petro Apostolo in somnis Cœlestinus Pontifex admonitus est, ut, quando Felix, Bononiæ episcopus, e vita hac migrasset, Petronium, qui legatus a Theodosio imperatore missus ad Urbem propediem adfuturus erat, Bononiensibus episcopum præficeret; cum neminem esse idem affirmaret, qui et episcopatus munere religiosus perfungeretur, et Bononiensium desiderium sane justum expleret. Qua quidem re commotus Pontifex, cum jam Petronius simul et Bononienses adessent, ac sua utrique postulata exposuissent, quæ per quietem acceperit, eis ostendit, atque Petronium idoneum Felicis successorem se dare pronunciavit. De re autem Nestoriana, quam ille Theodosii nomine retulerat, collaudata primum religiosi illius principis pietate, privatim ei respondit, se, ne ea pestifera hæresis latius serperet, œcumenicam, ut moris esset, synodum indicturum *k*, quæ synodus Ephesi prior sequenti anno *l* celebrata est frequenti ducentorum episcoporum conventu. *Romam ad Cælestinum mittitur; a quo* *k* *l*

6 Divinæ igitur voluntatis significatione declaratus a Pontifice Bononiæ episcopus Petronius, ut is, qui cerneret, episcopale onus grave esse, neque facile sustineri, nisi singulari quadam divinarum virtutum præstantia, id primo recusare contendit; at cognita constanti voluntate Pontificis, qui divinitus *Bononiensibus præsul datur.*

A nitus delatum ei munus plane repudiari nolebat; illius jussui obtemperavit. Itaque datis, ut Pontifex jusserat, ad Theodosium literis de synodo contra Nestorium Ephesi convocanda, Bononiam Roma profectus est una cum legatis Bononiensibus. Ubi vero ad urbem accessit, effusa omnium ætatum atque ordinum gratulantis civitatis multitudine exceptus, basilicam sancti Petri, quæ tum extra urbem sedes episcopi erat, ingressus, Deo, ut ab ineunte ætate instituti sui erat, religiosis precibus gratias egit. Inde ad explendas optimi pastoris partes, et commoda civitatis procuranda se contulit.

ANNOTATA.

a *Verosimillimum id quidem fit ex verbis Gennadii num.* 5 *exhibitis; non tamen omnino certum : ceterum dubium est admodum, quis fuerit Petronius* S. Petronii *pater, num Petronius una cum Arcadio consul, num Hispaniarum vicarius, num denique alius quisquam. Vide num.* 9 *et seqq.*

b *Eadem de* S. Petronii *patre Gennadius diserte affirmat.*

c *De Ægyptiaco* S. Petronii *itinere verbum non facit anonymus : iter tamen ipsum inficiari nolim, tum quod partim inde fortasse etiam nata sit opinio, illum scripsisse librum de Vitis Patrum, tum quod vitæ monasticæ studiosus admodum fuerit, ut Gennadius tradit.*

B d *Vide num.* 23 *et seqq. Comment. prævii. Item Annotata ad cap.* 1 *Vitæ prioris lit.* g.

e *Vide Annotata ad lit.* c *proxime præcedentem.*

f *Quod ad iter* S. Petronii *in Palæstinam attinet, hic Galesinius anonymum sibi consonum habet num.* 12.

g *Prudenter Galesinius* Petronii *cum Theodosio affinitatem silet, ab anonymo non semel repetitam, illiusque apud hunc auctoritatem et gratiam in vitæ morumque sanctitatem probabilius, quam in dictam affinitatem, refundit.*

h *Vide num.* 31 *et seqq. Commentarii prævii.*

i *De* S. Petronii *ad Cælestinum legatione vide dicta num.* 34 *et seqq.*

k *Rerum gestarum in causa Nestoriana series absolute non impedit, quo minus Theodosius post damnatum Romæ Nestorium ad Cælestinum litteras dederit de convocanda in annum sequentem Ephesina synodo, eamque, accepto Pontificis responso, die* 19 *Novembris Theodosius indixerit. Vide num.* 39.

l *Cum igitur celebrata sit Ephesina synodus anno* 431, Petronius *secundum Galesinium Romam venit anno* 430 : *quod ante mensem Augustum, quo Cyrillum Alexandrinum sententiæ, Romæ in Nestorium latæ, exsecutorem statuit, fieri non potuit, si cum Galesinio ponas, a* Petronio *Theodosii nomine petitam, et a Cælestino impetratam concilii Ephesini celebrationem. Vide num.* 36 : *Ex anonymo autem*

C *consequi videtur,* Petronium *Romam venisse sub finem anni* 429, *vel principium* 430.

CAPUT II.

Sancti reliqua gesta et cultus.

Inde exstinguendis Arianæ perfidiæ reliquiis,

a

Quo autem tempore Bononiam venit, ad pastoralem ecclesiæ suæ sedem, cum hæresis Arrianæ reliquiæ nondum prorsus extinctæ erant, tum nefaria eorum impietate ac barbarorum simul, qui proxime in Italiam irruperant, immani feritate ecclesiæ multæ eversæ ac prostratæ jacebant *a*. His malis in primis, cum is, zelo domus Dei accensus, sibi occurrendum existimaret, primum doctrina et sanctæ vitæ offitiis civitatem instruere, propositoque sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi exemplo, fidem Catholicam, Arriana perfidia violatam, restituere summopere contendit. Deinde templa Dei disturbata atque eversa refecit, et alia item nova, quo major ad Dei cultum in dies accessio fieret, summo Bononiensium studio ædificavit. Quorum unum Bartholomæo Apostolo, alterum Marco Euangelistæ, tertium Fabiano et Sebastiano Martyribus, quartum Martino, quintum Barbatiano Confessoribus, sextum Agathæ, septimum Luciæ Virginibus et Martyribus consecravit *b*.

AUCTORE GALESINIO.

b

et condendis,

8 Quin etiam templa duo, non longo inter se intervallo disjuncta, magnis rerum divinarum significationibus dedicavit, unum Stephano Protomartyri, alterum Joanni Euangelistæ. In hoc, quod in monte, ex tumulo terræ de industria aggesto, construxit, religiose effinxit montem Oliveti, ubi Christus Dominus, postquam resurrexit a mortuis, stans, discipulis videntibus, ascendit in cœlum. In illo, quod, sancto Stephano dicatum, cum ecclesia sanctorum Petri et Pauli, a beato Ambrosio consecrata, conjunxit, diligenter expressit imaginem, et montis, ubi in ara Crucis Dominus sanguinem pro generis humani salute effudit, et sepulchri, in quo idem mortuus conditus est. Quæ vero inter hæc duo templa *c* planities loco submissiore intercedit, ejus situ celebrem illam, quæ Josaphat vocatur, vallem repræsentavit.

c

non modo sacris ædificiis,

9 Ut autem solicitus Pastor gregis sui mentes vehementius etiam excitaret ad ardentem Dei caritatem, propositis, quas colerent, sacris imaginibus ad similitudinem eorum locorum, quæ ipse jam præsens Hierosolymis veneratus erat, in ecclesia S. Stephani hæc sancte exprimenda atque effingenda curavit : columnam, ad quam Christus Dominus flagellis est verberatus : Crucem, cui est E affixus : triclinium, in quo idem cum discipulis discubuit : locum item, quo Petrus Apostolorum princeps, postquam se Christi discipulum esse negavit, peccati sui pœnitens secessit : et cubiculum præterea, in quo Gabriel angelus, de cœlo missus, Deiparam Virginem salutavit. Quæ omnia sanctissimæ religionis monimenta adhuc magna Bononiensis populi pietate coluntur, augustioremque reddunt ipsam sancti Stephani ecclesiam, quam ille Hierosolymæ nomine appellavit, eamque ob causam vicus, nunc etiam eidem ecclesiæ conjunctus, Hierusalem nominatur.

insigni interrim prodigio decoratus,

d

10 Dum autem ecclesia ipsa construitur, mirifice operis in Dei nomine edendi occasio est oblata *d*. Nam faber quidam non tam viribus corporis, quam ingenio fretus, obnixe columnam marmoream, operis et instrumentis adjuvantibus, erigebat : sed funibus, quibus columna tollebatur, effractis, ille repentina columnæ ruina oppressus interiit. Ea re audita, beatus Petronius accurrit, orationeque ad Deum habita, fabrum, qui mortuus jacebat, ad vitam divinitus revocavit, omnibus, qui aderant, cum rei admirabilis spectaculo obstupescentibus, tum Petronii episcopi sanctitatem certatim inter se collaudantibus.

sed etiam profanis incumbit,

F

11 Quin etiam rogatu sanctæ Julianæ viduæ ecclesiam sanctis Vitali et Agricolæ consecravit, quam exædificandam eo loco pecunia sua curarat, ubi illi martyres excruciati fuerant. Ne vero quid offitii, quod a se proficisci posset, erga populum Bononiensem prætermitteret, Theodosii imperatoris, cui carissimus erat, et civium Bononiensium, quos unice in Christo diligebat, auxilio usus, urbis ambitum auxit *e*. His igitur operibus perfectis, beatus Petronius episcopus, Constantinopolim reversus, pro ea, qua multum apud Theodosium valebat, auctoritate, sacras multas ex ea urbe, aliisque locis reliquias transferendi facultatem impetravit. Quibus reliquiis mox demum inde regressus, cum alia Dei templa a se constructa, tum in primis ipsam sancti Stephani ecclesiam, ac sacella ad cruces quatuor *f*, quas idem erexerat, collocata religiose pieque ornavit.

e

f

dum circa annum 430 *infulas cum vita ponit, non gregis patrocinium.*

12 Cum ergo, quod ex literarum, sanctæque vitæ studiis, jam adolescens Petronius prudenter ac pie conceperat, id episcopus, tamquam populi sui parens et magister, exemplo vitæ, pietatisque operibus, atque omni pastoralis solicitudinis offitio comprobasset, ecclesia Bononiensi aliquot annos administrata, mirifice profuit et civitatis pietati, et urbis ornamento. Demum, cum in morbum incidisset,

AUCTORE GALESINIO.

disset, quo in dies ingravescente, obitus sui tempus instare sentiret, clericos ad se suos vocavit, eisque Ecclesiam, ac fidem orthodoxam, quam gravissima potuit, oratione commendavit. Paulo post, cum omnia Sacramenta religiose percepisset, Deum sancte precatus, Theodosio et Valentiniano imperatoribus, migravit ad cœlum *g*, qui multis etiam post obitum miraculis clarus *h*, ut præcipua a Bononiensibus coleretur religione, promeruit *i*. Ejus corpus in ecclesia sancti Stephani sepultum est, quod multis post seculis, divino consilio, civitati ignotum, Innocentio secundo Pontifice, inventum est *k*, dum sacras reliquias Henricus episcopus recenseret, quas in ea ecclesia extare, a majoribus traditum erat. Itaque, invento beati episcopi Petronii corpore, sancitum est, ut, quo die illius obitus, eodem coleretur inventio, biennii indulgentia in octo sequentes dies concessa. Quam ob causam canonicarum horarum Offitium, jam inde ab eo tempore in ejus honorem sancte institutum, illis octo diebus pie religioseque perpetuo celebrat ecclesia Bononiensis *l*.

ANNOTATA.

a *Vide num.* 45 *et seqq. Comment. præv.*

b *Consule de his dicta num.* 48 *et seqq. Comment. præv.*

B c *Vide de binis hisce templis num.* 49 *et seqq. Comment. præv.*

d *Vide de illo miraculo dicta num.* 86 *et seq. Comment. præv.*

e *Vide num.* 77 *et seqq. Comment. præv.*

f *Vide num.* 67 *Comment. præv.*

g *Sub annum* 450. *Vide num.* 85 *et seq. Comment. præv.*

h *De miraculis vide num.* 85 *et seqq.*

i *Vide de cultu* S. Petronii *Commentarium prævium a num.* 90.

k *Inventio corporis* S. Petronii *aliarumque reliquiarum contigit anno* 1141; *cujus descriptio, ab auctore æquali et rei gestæ teste oculato facta, mox subjicietur.*

l *Officium et Missam* S. Petronio *propria dedi a num.* 94.

INVENTIO

Reliquiarum S. Petronii, aliorumque Sanctorum

Auctore anonymo

C *Ex Chronico monachorum S. Stephani Bononiæ.*

Ex occultis gnoratisque

Cum omnis eloquentiæ præclara urbs Bononia doctrinis inter ceteras mirifice splenderet, variis et altividi in omnibus honoris deferret eminentiam, inclitam S. Stephani ecclesiam, a beatissimo olim Petronio, sanctæ Bononiensis ecclesiæ episcopo, a primævo ædificatam *a*, et Jerusalem typice vocatam, divina pietas visitare dignata est; quam quidem idem Reverendissimus præclaris decoraverat honoribus, et plurimorum pretiosissimis Sanctorum ditaverat reliquiis, easque ne perfidis iniqua aliqua subripiendi crudelissima, aut violenter auferendi quandoque panderetur audacia, diversis occultandi tumulis exhibere curavit solertiam *b* : quarum vero scriptura, non loca, publice dumtaxat nomina posteris denotaverat : inventa enim ipsa scriptura in quodam libro fuerat, quæ intra tres Sanctorum pignora fuisse capsas in prædicta ecclesia asserebat abscondita. Cum autem, jam plurimis exactis temporibus, oblivioni quasi ab omnibus mandarentur, neque a quolibet colerentur, quia ab omnibus ignorabantur, Dominus, inquam, Jesus Christus, qui ante reges et præsides suum sanctissimum nomen jusserat a suis fidelibus præsentari, eosque fulgidis fecerat coronis decorari, ipsorum noluit memoriam ab humanis laudibus semper fieri mentibus incognitam vel oblitam, sed ut præclaris laudibus et dignis quotidie a fidelibus celebrentur eorum merita voluit honoribus. Perspecta itaque atque sæpius præmemorata scripta ab abbate, monachis præfatæ sanctissimæ ecclesiæ perlecta, inter se invicem diligenter multotiens quærere cœperunt, et, ubi perscriptæ latuissent capsæ, ab antiquioribus perquirere studuere. Cumque de hoc sæpissime eorum animos variis aggravarent opinionibus, ad eorum... *c* quandam sub S. Isidori arca absconditam revocaverunt * : nec enim intueri a quolibet poterat; sed cum præfati S. Isidori basilica noviter ædificaretur, antiqui, qui tunc aderant, ab una parte eam perspexerunt, et prædicto abbati atque monachis ea omnia multotiens retulerunt. D

c

* *l.* reperunt

2 Quibus itaque omnibus auditis atque percognitis, prælibatus abbas cum domino Henrico *d*, reverendissimo sanctæ Bononiensis ecclesiæ episcopo, et quibusdam monachis et sapientioribus vicinis communicato consilio, prædictam arcam inquirere cœperunt, et eam, in qua beati Isidori *e* corpus jacebat, seorsum amoverunt, et sic demum cum magno labore vix ad prædictam attingere valuerunt : erat quippe fortissimo muro circumclausa, et desuper inter eam et superiorem terram et marmoribus valde onerata, atque super eam in marmore quodam insculptum nomen fuerat Symon *f*. Interea vero cum præsente prædicto domno episcopo et abbate atque monachis *g*, et quamplurimis aliis, qui ad hoc opus exercendum extiterant, prædicta aperiretur, ineffabile corpus invenerunt, et ab utraque parte arcæ litteras postpositas de præfato nomine perspexerunt. His itaque omnibus ita gestis, quæ S. Isidori etiam fuerat, aperuerunt : qua vero aperta, beatissimi corpus *h* aliorumque plurimorum et præcipue Parvulorum ossa, qui pro Christo ab Herode interempti sunt *i*, atque pulcherrimam argenteam capsam, argentea catena colligatam et confixam, invenerunt : quam vero prædictus episcopus cum his, qui secum aderant, diligenter inspiciens, fuisque manibus accipiens, vix eam aperire valuerunt; in qua vero copiosam multitudinem sanctarum reliquiarum intra mirificum pallium involutam invenerunt. Præ tanto gaudio omnes flere cœperunt : impletum ergo in hoc esse intellexerunt, quod Euangelicus sermo declarare videtur dicendo : » Petite et accipietis, » quærite et invenietis *k*. » Quibus nempe omnibus ita prudenter inspectis, maximas omnipotenti Deo gratias reddentes, de ceteris inveniendis maxima cum diligentia quærere studuerunt. E F

S. Petronii aliorumque Sanctorum.

d

e

f

g

h

i

k

3 Cumque de hoc inter se invicem altercarent, ad sanctam Crucem in loco, qui a B. Petronio figuraliter Golgotha *l* appellatur, unanimiter pervenerunt, et post ipsam in muro ipsius ecclesiæ divino nutu cum malleis perquirere cœperunt, in quo, divina favente clementia, aliam thecam preciosis reliquiis plenam invenerunt : intra quam etiam capsulam auream pretiosam et aliam argenteam pulcherrimam perspexerunt. In aurea vero quamdam unius clavi partem, defixi in manibus vel pedibus Domini, perspexerunt : in argentea autem quædam de sudario Domini particula continetur, sic enim et antiqua videtur declarari scriptura. Sublata igitur omni scriptarum rerum funditus hæsitatione, de ceteris nempe quæstio inter eos vehementissime subintravit : sed qui inter maris procellas Petri sanctissimi dubitationem penitus evacuavit, et potentiæ suæ dextera erigere solet elisos, solvere compeditos, velocissimum inveniendi, quod concupierant, consilium salubre impertire dignatus est. Est enim in ipsa S. Stephani ecclesia ad instar ejus, in quo Dominus noster Jesus Christus positus fuerat, sepulchrum a B. Petronio fabricatum : in ingressu autem ejus a dextris marmoribus pretiosis arca pulcherrima reperitur condita, in qua S. Petronius manna *m* et varias atque innumerabiles Sanctorum reliquias recondere curavit :

reliquiis, aliæ

l

m

A curavit : a sinistris autem ea constructa esse videtur, in qua B. Petronii corpus sanctissimum requiescit : quam cum maximo aperuissent timore, ipsum Sanctissimum aspexerunt, et juxta eum aliam capsam præclaris et innumerabilibus Sanctorum reliquiis repletam invenerunt; tres quoque vitreas phialas intra se sanctissima habentes dona eodem in loco intuentur.

anno 1141 die 4 Octobris,

4 Perspectis ergo his atque percognitis a præfato domino celeberrimo episcopo, et a nobis omnibus, qui ad hoc tam sacrum spectaculum insistebamus *n*, factum est in crastinum, gloriosissima ut hujus rei fama a venerabili episcopo per totam urbem, imo per totam terram Bononiensium episcopii divulgaretur : omnes vero viri et mulieres diversarum regionum, coactis etiam maximis in unum turmis, ad tantum mysterium cum muneribus, quibus poterant, venire studuerunt. Idem vero sacer episcopus per omnes sui episcopii plebes sacras direxit, præcipiendo legationes, ut unusquisque archipresbyter suis clericis et populis hanc sanctissimam sollicite notificaret inventionem, et ut omnes ad tantam honorifice festinanter cum processione et letaniis venirent solemnitatem. Insuper etiam omnibus, qui ad hanc deinceps venire studuerunt festivitatem, octo diebus ante et totidem B postea semper suorum omnium peccatorum duorum annorum prædictus domnus episcopus fecit cum omnibus suis clericis devotissime remissionem. Consules autem et cives Bononienses ante prædictam ecclesiam jurejurando firmaverunt, ut omnes, qui ad hanc tam præclaram dienceps celebritatem de quibuscumque locis accesserunt, ut prædictum est, octo diebus ante et postea, salvi et securi ipsi et eorum res semper existerent. Patrata vero sunt hæc omnia apud urbem Bononiensium in prædicta ecclesia S. Stephani anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo, quarto Nonas Octobris, in ipsa festivitate beatissimi confessoris Christi sancti Petronii : in qua præclara namque solennitate constitutum est, firmiterque a præfato domno reverendissimo Bononiensi episcopo, omnique clero statutum est, ut prænemorata Sanctorum Inventio et sanctissimi Petronii solemnitas exinde ab omni Bononiensi populo et totius episcopii in perpetuum fideliter celebretur, et laudibus præcipuis et dignis honoribus decoretur *o*.

n

o

aliæ aliquanto post

5 Post aliquod itaque parcissimum temporis cum a prædictæ ecclesiæ abbate et monachis initum fuisset consilium, ut ecclesia sanctæ Crucis, in qua Golgotha a S. Petronio locus appellatus fuerat, a fundamento murus undique destrueretur, et firmius reficeretur : quem vero, uti statuerant, C fodientes, in pavimento ipsius ecclesiæ pretiosas reperierunt arcas cum bitumine firmissime coangustatas, intra quas sanctorum quadraginta martyrum pretiosa continentur corpora *p* : in unius *q* vero eorum pectore pulcherrima crux reperitur aurea : qui quidem omnes in uno collocati sunt tumulo, ut, sicut in Christi fide inventi fuere unanimes et concordes, ita in corporis perseverantia sint semper uniti atque continui *r*. Interea vero cum prædictæ ecclesiæ murus circumquaque dirumperetur; in ipso quippe muro prope terram tres capsæ cypressi pulcherrimæ pari magnitudine, ejusdemque qualitatis separatim fuere repertæ : in unaquaque nempe earum argentea capsa... commissa intra pulcherrimum pallium involuta, inventa fuit posita : quæ quoque singulæ æquali quantitate et simili qualitate videntur fabricatæ, et subtilissimo panno et aliis quamplurimis videntur repleri muneribus.

p q

r

in S. Stephani templo deteguntur,

6 Dic, inquam, dic, quæso, beatissime Petroni, hujus ecclesiæ ædificator atque constructor, si tam parvissimæ utilitatis et nullius bonitatis, quæ intra has continentur capsas, intellexisti; quare eas ab humanis obtutibus subtraxisti, et tam latenter infra humum inclusisti, et capsam intra capsam tam diligentissime immisisti? neque de eorum nomine aliquid explicuisti? Si tantæ honestatis eos dignos cognovisti; quare de eorum nomine nihil explicuisti? Respondeat ergo pro te et veraciter dicat perfecta fides nostra, quia præclaræ dignitatis et miræ magnitudinis eas perspexisti; quia vero loci cognitionem et nominis notificationem indagare noluisti, non de ignavia vel de vecordia hæc processerunt, sed de maxima industria sanctaque providentia hoc emanare intellexisti : latronibus enim et raptoribus spem furandi et iniquissimam audaciam deprædandi omnimode sustulisti, ipsumque locum semper sanctum custodire et inviolatum voluisti, ipsaque recondita ineffabili sanctitate consistere indicasti *s*. Quod autem in his tribus esse reticendum, sanctissime Præsul, decrevisti, in ceteris, inquam, omnium requiescentium nomina apertissime omnibus descripsisti; eamque scripturam nobis ad memoriam quasi in testamento reliquisti. Eorum autem, quæ in prima capsa habentur, nomina hæc esse, ut credimus, insinuasti.

AUCTORE ANONYMO.

s

7 De pallio, unde involvit Maria Jesum. De præsepio et de sputo *t*. De mensa, ubi cœnavit, et de reliquiis cœnæ. De corrigia, et de columna, ubi ligatus fuit, et de ligno Crucis. De pallio et de corona spinea. De clavis, cum quibus confixus fuit. De vestimentis et de sepulchro ejus. De loco montis Oliveti, unde ascendit in cælum. Reliquiæ S. Mariæ, E de vestimentis videlicet et de sepulchro ejus. De pallio memoriæ S. Michaelis *u*. Reliquiæ S. Joannis Baptistæ, de corpore et de vestimentis. Reliquiæ S. Petri, de corpore et capillis et de barba. Reliquiæ S. Pauli. Reliquiæ S. Andreæ. De pallio S. Joannis Euangelistæ. Reliquiæ S. Jacobi, fratris ejus. *x*. Reliquiæ S. Thomæ. Reliquiæ S. Bartholomæi, uncia pollicis. Reliquiæ S. Jacobi, fratris Domini *y*. Reliquiæ S. Lucæ Euangelistæ. Reliquiæ S. Matthæi. Reliquiæ de omnibus Apostolis. Reliquiæ S. Marcialis, patella geniculi. Reliquiæ S. Stephani prothomartyris, caro et sanguis, et unus dens, et de lapidibus, cum quibus lapidatus fuit. Reliquiæ S. Mauritii. Reliquiæ S. Juliani. Reliquiæ S. Alexandri. Reliquiæ SS. Tiburtii et Valeriani et Maximi. Reliquiæ SS. Nazarii et Celsi. Reliquiæ S. Christophori. Reliquiæ SS. Viti et Modesti. Reliquiæ SS. Marcellini et Petri. Reliquiæ S. Silvestri. Reliquiæ S. Urbani. Reliquiæ S. Laurentii. Reliquiæ S. Genesii. Reliquiæ S. Germani *z*. Reliquiæ trium puerorum Ananiæ, Azariæ et Mizaelis. Reliquiæ S. Ermen. Reliquiæ S. Agathæ. Reliquiæ S. Christinæ. Reliquiæ S. Cæciliæ, Reliquiæ S. Petronillæ. Reliquiæ S... *aa*. Reliquiæ S. Martini *bb*. Reliquiæ S. Simeonis. Reliquiæ SS. Primi et Feliciani. Reliquiæ S. Quintini. Reli- D quiæ S. Sixti Papæ. Reliquiæ S. Joseph. Reliquiæ S. Felicitatis. Reliquiæ S. Regundis.

quas,

t

u

x

y

z

aa

bb

8 In alia capsa de tunica S. Mariæ. De capillis S. Petri. Reliquiæ SS. Cosmæ et Damiani. Reliquiæ S. Germeri. Reliquiæ S. Remedii. De sanguine S. Leodegarii *cc*. De sudario Domini, cum quo in sepulchro jacuit. Reliquiæ S... *dd*. Reliquiæ S. Nicolai. Reliquiæ S. Sophiæ. Reliquiæ S. Simphoriani. Reliquiæ SS. Fabiani et Sebastiani. Reliquiæ S. Hilarii. Reliquiæ S. Justi. Reliquiæ S. Anastasiæ martyris, de capillis ejus. Reliquiæ S. Benedicti abbatis *ee*, de cilicio ejus, de calciamentis Domini.

singillatim

cc

dd

ee

9 In tertia capsa, Reliquiæ S. Petri Apostoli. Reliquiæ S. Andreæ. Reliquiæ S. Farulphi. Reliquiæ S. Maxentii. Reliquiæ S. Suplicii. Reliquiæ S. Remigii. Reliquiæ S. Marculfi. Reliquiæ S. Marciani *ff*. Reliquiæ S. Joannis Baptistæ. Reliquiæ S. Bibiani *gg*. Reliquiæ S. Martini. Reliquiæ S. Paladii. Reliquiæ S. Aviti. Reliquiæ S. Boniti. Reliquiæ S... *hh*. Reliquiæ SS. Cornelii et Cypriani. Reliquiæ S. Crisanti. Reliquiæ S. Cassiani. Reliquiæ S. Frontini. Reliquiæ S. Amandi. Reliquiæ S. Candidi. Reliquiæ S. Euphemiæ, de sanguine ejus. Reliquiæ S. Stephani urbis Romæ.

hic expressas,

ff

gg

hh

10 Istis autem prædictis, et aliorum quam plurium Sanctorum, S. Stephani ecclesia decoratur patrociniis, qui cœlestis regni cives cum Christo existunt

habes.

AUCTORE ANONYMO.

existunt eximii, quorum omnium piissimis et assiduis intercessionibus, nostris omnibus purgemur occultis, et eorum consortia fine sine mereamur consequi; annuente ipso Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæculorum sæcula. Amen.

ANNOTATA.

a *De S. Stephani templo vide num.* 49 *et seqq., ubi id, saltem integrum, et primo a* S. Petronio *conditum fuisse, haud omnino certum esse, reperies.*

b S. Petronium, *quas sive ex Oriente, sive aliunde Sanctorum exuvias conquisiverat, et partim in S. Stephani templo deposuerat; illic quoque, ne forte quemquam eas furto auferendi libido incesseret, abscondisse, anonymi conjectura est parum verosimilis. Quo quidem tempore, qua barbarorum in Italiam incursione hominum conspectui simul et venerationi subtractæ fuerint, haud exploratum habetur; quamquam non desint, qui id, ineunte sæcula decimo, Hungarorum, cædibus incendiisque Italiam fœdantium, metu factum velint : at ipsius* S. Petronii *opera abditas fuisse in tenebris, ægre credet, opinor, qui Sanctorum exuvias, non ut lateant, sed ut pro meritis a fidelibus honorem cultumque consequantur, passim conquiri solere, animadverterit. Quid quod ipsa reconditarum a* S. Petronio, *u tanonymo nostro*
B *placet, reliquiarum enumeratio non unius forte Sancti,* S. Petronio *longe recentioris, reliquias suggerat? Vide Annotata hic ad litt.* ee.

c *Hiatum Ms. nostri ex Patricellio, qui eamdem Inventionem e monachorum, ut apparet, S. Stephani Chronico describit, suppleo : refert itaque is, S. Stephani abbatem et monachos, cum ex codice quodam, multa Sanctorum pignora, tribus inclusa capsis, in S. Stephani templo latere intellexissent, ad eorum perquisitionem animum serio adjecisse, natu grandiores consuluisse, num quid de reliquiarum latebris, sive a se olim visum, sive a majoribus acceptum, compertum haberent : quos inter nonnulli fuerint, qui dicerent, visum a se olim sepulcrum in S. Petri sacello marmoreum, sub altaris majoris ambone situm, et humo deinde, cum id sacellum instauraretur, coopertum. Itaque loci abbatem, inito una cum episcopo consilio etc.*

d *Nimirum hujus nominis I, qui ab anno* 1130 *Bononiensibus præfuit, et Gerardum anno* 1143 *habuit successorem.*

e *Vide infra lit.* h.

f *Hinc ea, ut Casalius refert lib.* VII *de S. Stephani basilica cap.* 2, *manavit in vulgus opinio, S. Petri, Apostolorum principis, corpus in illa basilica, illuc a* S. Petronio *delatum, delitescere; eoque*
C *sensim crevit, ut immensam illuc alliceret hominum multitudinem. Male id habuit Eugenium IV, Pontificem Romanum, quod magna inde pietati, in S. Petri corpus exhiberi in Urbe solitæ, decessio fieret. Ergo inscriptionem memoratam auferri, sacellum humo oppleri, ingressum crasso pariete obturari jussit. Evolutis exinde annis* 62, *rogatu Juliani, tum S. Petri ad Vincula Cardinalis, Alexandri vero VI, Romani Pontificis, indulgentia, fidelium pietati denuo patuit : at non absque anathematis fulmine, si quis, S. Petri, Apostolorum principis, corpus eo loci quiescere, asseveranter adstrueret. Corpus S. Petri Romæ, etiam diu post* S. Petronii *ætatem, diligentissime fuisse servatum, vel ex sola Gregorii Magni ad Constantiam Augustam Epistola liquet, aliaque monumenta non pauca ostendunt. Papebrochium consule tom. V Junii pag.* 458. *Vide interim, quam levi subinde indicio et causa fiat, ut nominatissimorum etiam Sanctorum reliquiis minus cauti, aut proprii splendoris plus æquo amantes, licet alibi servatis, glorientur.*

g *Quos inter ipse Inventionis auctor fuit. Vide infra lit.* n.

h *En scopulum alterum, in quem Rerum Bononiensium scriptores aliquot impegerunt. Sancti cujusdam, nomine Isidori, corpus inventum est : Isidori Hispalensis continuo creditum est; qui tamen Hispali mortuus, et inter S. Leandrum fratrem, et S. Flo-* D *rentinam sororem medius sepultus est. Vide illius Vitam ad diem* 3 *Aprilis nostro in Opere illustratam. Constantinus abbas Cajetanus Isidori Siculi corpus Bononiæ servari autumat, qui Bononia transiens mortalitatem explerit; quo etiam accedit Constantinus Rabbius in suis in Sigonium Annotationibus.*

i *Corpora SS. Innocentium* S. Petronius *quinque Bononiam attulisse et in S. Stephani templo collocasse fertur : tria ex his S. Stephani templum retinuit; reliqua duo Martinus, abbas S. Stephani commendatarius, metropolitanæ ecclesiæ dono dedit; anno* 1165, *ut notat Masinius pag.* 567. *Errore typographico, ut opinor, apud Casalium lib.* VII *cap.* 4 *legitur annus* 860.

k *Joan.* 16 ℣. 24.

l *Mons est prope Hierosolymam* (Calvarium *Latini dicunt*) *in quo Christus cruci affixus est.*

m *Nimirum ex illo, quo Deus populum Israeliticum in deserto pavit : at rem, per se haud satis certam, Pullienus Luparus et Patricellius magis etiam mihi suspectam faciunt, cum aiunt, in singulis illius, quod in S. Stephani servatur, granis signum crucis naturaliter impressum apparere. Manna Exodi* 16 *et numerorum* 11 *litteræ sacræ describunt, sed crucis illi impressæ nuspiam mentionem faciunt.* E
Manna *quidem* pilo tonsum Corpus Christi in cruce significat, *ut Beda docet in cap.* 16 *Exodi; sed, ut vides, pilo tunsum, non crucis signo conspicuum. Absit tamen, ut* S. Petronium *inde culpemus : nam et Sanctorum reliquias aliquot perperam hic illi adscribi, videbitur infra.*

n *Testem igitur repertarum reliquiarum oculatum habemus, quod num.* 56 *monui.*

o *Eadem fere Sigonius lib.* II *de Epp. Bononiensibus ad annum* 1140 *et seq. his verbis refert :* Verum ex ejus (*Henrici episcopi, hujus nominis I*) rebus nihil præclarius, atque ad famam posteritatis splendidius extitit, quam quod sacrum thesaurum, nempe ipsum S. Petronii corpus, civitati illa tempestate incognitum, reperit, ac populo indicavit. Etenim cum sequenti anno (1141) in festo ipsius, sanctarum reliquiarum, quæ in æde S. Stephani ab antiquo tempore servarentur, recensionem fieri placuisset, cum alia præclara, tum præcipue ossa ipsius S. Petronii in sepulchro Domini sunt inventa, quæ tum in ignoratione omnium versabantur. Potestate autem inspiciendi populo per ipsum episcopum facta, omnibus et sacris et profanis ordinibus advocatis, celebris pompa ac supplicatio est adhibita, atque ut is dies apud posteros insignis maneret, ex consilii decreto consules edi- F
xerunt, ut in posterum quicumque ad solemne S. Petronii convenissent, diebus octo, festum antecedentibus et totidem subsequentibus, ab omni creditorum molestia tuti essent, ac merces sine professione inferre et offerre quascumque possent. Episcopus autem indulsit, ut, quicumque eo die crimina rite confessus esset, eorum biennem indulgentiam obtineret. Institutum inde mansit, ut, qua die S. Petronii memoria, eadem etiam Inventionis sanctarum reliquiarum celebraretur.

p *Nimirum S. Floriani et sociorum martyrum; de quibus vide num.* 34 *et seqq.*

q *S. Floriani, ceterorum ducis.*

r *Hæc de S. Floriani sociis intellige : vel certe, si tum temporis tum S. Floriani, tum sociorum ejus reliquias idem tumulus texit, postmodum ab invicem sejunctæ fuerint, vel anno* 1333, *quo S. Joannis Evangelistæ sacellum fuit exstructum, ut Masinius ad diem* 16 *Decembris scribit, vel tempore quovis alio. Vide Comment. prævium locis paulo supra citatis.*

s *Consule Annotata hic ad lit.* b.

t *Non meminit illius Patricellius in earumdem reliquiarum Catalogo.*

u « Per pallium memoriæ S. Michaelis » forte intelligit pallium rubrum, quo altare ecclesiæ S. Michaelis in Monte Gargano repertum fuit contectum, secundum

secundum Acta Apparitionis S. Michaelis tom. VIII Septembris pag. 62, num. 7 sub finem : verum hæc apparitio post S. Petronii tempora contigit. Vide eumdem tomum pag. 57 ad lit. F. *Oedipus non sum, qui, quæ hic, qualesve reliquiæ memorentur, divinem. Servatas in S. Stephani templo reliquias enumerant Patricellius, Pullienus Luparus, Casalius : at ex his nullus similes reliquias memorat. Ineptus igitur illarum descriptor vel vitiose in chartam ista conjecerit, vel absurde adjecerit ceteris.*

x *Seu* Majoris *dicti.*

y *Seu* Minoris, *Hierosolymitani episcopi.*

z *Omissæ apud Patricellium.*

aa *Sancti nimirum Hilarii, ex Patricellii Catalogo.*

bb *Apud Patricellium omissæ.*

cc *Cujus? Leodegarius, episcopus Augustodunensis et martyr, notissimus est, sed fuit tantum sæculo* VII. *Recenseri hic interdum reliquias Sanctorum, qui* S. Petronio *etiam sæculis aliquot posteriores sunt, non vana est suspicio; quod in S. Benedicto paulo post patebit.* AUCTORE ANONYMO.

dd *S. Mennæ. Ex Patricellii Catalogo.*

ee *Nequit hic intelligi Sanctus, Benedicto, Ordinis monastici apud Occidentales instauratore, antiquior, qui sæculo sexto agere in terris desiit : atque adeo procul dubio hujus reliquias in S. Stephani templo* S. Petronius *non recondidit. Hinc porro non infundata suspicio enascitur, et alias quoque hic reliquias* S. Petronio *aceptas ab anonymo referri, quas serius S. Stephani ascetæ sibi compararunt et humi occultarunt, quod paulo ante monui.*

ff Macrini, *legit Patricellius.*

gg *Lege :* Bibianæ, *ut Patricellius.*

hh *S. Dindymi. Ex eodem.*

DE S. QUITINO MARTYRE

IN TURONIA, GALLIÆ PROVINCIA.

SYLLOGE.

C. S.

B E

De cultu, martyrii causa, loco et tempore.

POST MED. SÆC. VI. *Hodie annuntiatur*

Hunc S. Quintinum, *longe diversum a celebri cognomini martyre apud Veromanduos passo, cultoque die* 31 *hujus mensis Octobris, hodie annuntiat Ms. codex Daveronensis, inter Auctaria Usuardina apud Sollerium nostrum relatus. Sic autem habet :* In pago Turonico, sancti Quintini martyris. *Iisdem plane verbis eodemque die ipsum memorant nostrum Ms. Florarium Sanctorum, Usuardini Martyrologii editio Lubeco-Coloniensis, Grevenus et Molanus; atque ex hoc Philippus Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, ubi similiter ait :* In territorio Turonensi, S. Quintini martyris. *Paulo plura, nec tamen meliora, de eodem scripsit Andreas Saussayus in Martyrologio suo Gallicano ad hunc diem,* Item apud Turones, *inquiens,* S. Quintini martyris, qui Christi nominis ferventissimus propugnator sanguinem pro eo libenter profudit, morteque immortalitate commutata, de supplicio ad triumphum perennem evectus est. *Qui hæc legerit, vix dubitabit, quin hic* S. Quintinus *pro Christiana religione asserenda, uti Quintino Veromanduensi obtigit, sub ethnicis fuerit passus : at non ita esse, mox constabit.*

C

in aliquot Martyrologiis;

2 *Castellanus in Martyrologio Universali ampliorem illius notitiam tradit, ac martyrii causam et locum exponit verbis Gallicis, quæ Latine subjicio.* In Turonia S. Quintinus, ex Villa-Parisiaca oriundus, pro castitate trucidatus in ripa fluvii Angerisci. Sunt ex ejus reliquiis in Meldensi ecclesia S. Stephani. *Etiam clarius loquitur auctor Martyrologii Parisiensis, anno* 1727 *Parisiis editi, in quo inter Addenda et emendanda ad hunc diem* 4 *Octobris, pag.* 13 *sic legitur Latine :* In territorio Turonensi, sancti Quintini, apud villam Parisiacam nati et enutriti; qui cum in exercitu Gunthramni regis militaret, ad illicitos amores ab impudica muliere frustra sollicitatus, ejusdem insidiis ad Agneriscum (*lege* Angeriscum) amnem cæsus est. Ejus reliquiis aliquot ditata est cathedralis ecclesia sancti Stephani Meldensis. *Secundum hæc* Quintinus *ille, non fidei Christianæ assertæ, sed pudicitiæ castitatisque servandæ causa; nec ab ethnicis, sed ex impudicæ mulieris machinatione passus est, vere tamen martyr, utpote pro virtute ad Christianam religionem spectante occisus.*

sed postridie colitur in Turonensi ecclesia S. Martini,

3 *Hactenus de Martyrologiis, in quibus* S. Quintini *memoriam hoc die signatam reperi. Verum in Breviario insignis ecclesiæ S. Martini Turonensis, anno* 1638 *typis edito, idem ille Officio trium lectionum celebratur postridie, seu* 5 *Octobris; quod tamen non alia de causa fieri puto, quam quod dies quartus impeditus sit festo S. Francisci Assisiatis, qui Officium novem lectionum in eodem obtinet. Oratio hæc ibidem præscripta est :* Beati Quintini martyris nos faciat, Domine, passio veneranda lætantes; et, ut eam sufficienter recolamus, efficiat promptiores. Per Dominum. *Lectiones vero sic habent :* Lectio I. Quintinus nobilis quidem genere, sed moribus præstantior, ex pago, ut credimus, Parisiaco nobis prolatus est, Meldis vero civitate genitus est. Is pergens ad pagum Turonicum, ibi cujusdam Gunthranni ducis ac comitis se subdidit obsequio. Qui cum esset egregia forma et virtutibus ornatus, domina quædam, nomine Aga, cœpit illius amore flagrare, ita ut eum adulterinis obtutibus et nefariis suasionibus ad impudicitiam frequenter provocare conaretur.

ex cujus Breviario Lectiones proprias

4 Lectio II. Verum, quo major erat mulieris impudentia, eo constantior fuit Quintini pudicitia, qui nec impudicæ mulieris blanditiis nec muneribus adduci potuit, ut ei ullo modo acquiesceret; sed pestiferum illius consilium detestatus, se domini sui matrimonium non fraudaturum, spopondit. F Itaque Quintinus remeans ad injunctum sibi officium, in loco, qui est super Ageriscum fluvium, ibi aliquantisper commoraturus, domino suo temporale obsequium exhibebat. Interim Aga videns, suis blandimentis non posse Quintinum allicere ad consentiendum stupro, ira excandescens meditatur, quonam pacto Adolescentis injuriam ulcisceretur.

hic expendendas damus.

5 Lectio III. Direxit itaque impia sceleratos satellites, ut Quintino necem inferrent, præcipiens imprimis spiculatori, ut Juveni non parceret gladio, qui dedignatus fuerat suo sociari thoro. Evaginato igitur mucrone, amputatum est caput gloriosi Martyris, sicque duplicem, virginitatis et martyrii, palmam assecutus migravit in cælum. Sublatum, ut aiunt, caput a propriis membris, propriis bajulans manibus, in fonte, qui nunc usque in eodem loco emanat, aquis baptizavit; hincque non longe abiens, propria quievit voluntate. *Hactenus laudatæ tres Lectiones insignis ecclesiæ S. Martini Turonensis, quæ licet de martyrii causa cum Castellano et Parisiensi Martyrologio consentiant, in aliquibus tamen narrationis adjunctis dissonant. Singulæ paululum expendamus.*

Non satis certum mihi est, an Meldis, an in Villa-Pa-

6 *Meldisne, quæ Galliæ civitas episcopalis et Briæ provinciæ caput est, decem circiter leucas Gallicas Parisiis dissita, vernacule* Meaux *appellata; an in* Villa-Parisiaca, *Gallis* Ville-Parisis *dicta, quæ in*

AUCTORE C. S. *risiaca natus sit.*

in tabulis geographicis paulo plus medio itinere Parisiis Meldas ad lævam visitur; hocne, inquam, in loco, an in Meldensi civitate natus S. Quintinus *sit, ex certioribus instrumentis nequeo decernere. Pro Meldis stat auctor Breviarii Turonensis, simul tamen agnoscens,* Quintinum *non Meldis, sed* ex pago Parisiaco *in Turonensem advenisse, additisque vocibus* Ut credimus, *insinuans, hanc opinionem non certo aliquo sat antiquo testimonio, sed traditione aut argumento non omnino evincente niti. Breviarium hoc videre potuerunt Martyrologii Parisiensis scriptor et Castellanus; ac nihilominus his in Tabula topographica Martyrologii sui Universalis sanctum Martyrem expresse notavit* natum *esse in* Villa-Parisiaca; *ille vero, in eadem et* natum *et* enutritum *asseruit; ut suspicari liceat, his duobus auctoribus aliquid certius de natali Sancti loco innotuisse. Attamen inter hos ac Turonensem id interest, quod hic suspectus esse nequeat de nimio illo amore patriæ, qui ex alienis Sanctis suos sæpe facit populares.*

Si constaret, unam e Guntramus regis uxoribus

7 *De vocabulo domini, cui* S. Quintinus *servivit, convenit martyrologo Parisiensi cum auctore Breviarii Turonensis;* Guntrannus *enim et* Gunthramnus *idem nomen est : at Parisiensis Gunthramnum illum* regem *dixit; Turonensis autem* ducem ac comitem; *nise forte obscura ejus phrasis aliter exponenda sit. Verba ejus repeto.* Ibi, *inquit,* cujusdam Guntranni ducis ac comitis se subdidit obsequio. *Obvius horum sensus est, Guntrannum, cujus obsequio Sanctus se subdidit, quemdam ducem ac comitem fuisse; verum hic quoque sensus, etsi minus obvius, esse potest; Sanctum se subdidisse obsequio* cujusdam, *qui erat Guntranni dux ac comes. Per Gunthramnum regem non alius designari potest, quam hujus nominis sanctus rex Burgundionum, in Opere nostro datus die* 28 *Martii, qui post patris sui Clotharii mortem regnum suum auspicatus est anno* 561, *annoque* 595 *moriens reliquit. Hinc Parisiensis martyrologus* S. Quintini *quoque cædem ante eumdem annum* 595 *accidisse, in margine annotavit; ac recte, si hæc sub laudato rege contigerit.*

auctorem fuisse cædis S. Quintini,

8 *De conditione procacis mulieris, quæ ab impudico amore ad Sancti cædem progressa est, non constat. In Breviarii Turonensis Lectione prima dicitur* domina quædam, nomine Aga; *sed in Lectione* 2 *non obscure indicatur, eamdem fuisse uxorem domini, cui* Quintinus *serviebat, cum hic sollicitanti mulieri dicatur respondisse,* se domini sui matrimonium non fraudaturum. *Ponamus itaque paulisper, Guntrannum, de quo ibidem sermo fit, regem Burgundionum fuisse, ac videamus, quanta cum verisimilitudine aliqua ejusdem regis uxor in tanti sceleris suspicionem possit vocari. Ex S. Gregorio Turonensi in Historia lib.* IV, *cap.* 25 *tres notæ sunt Gunthramni regis uxores. Nam primo quidem ancillam quamdam, nomine* Venerandam, *concubinam, ut loquitur sanctus historicus, sibi junxit, ex eaque Gundobaldum suscepit; deinde uxorem duxit* Marcatrudem, *qua expulsa et mortua,* Austrigildam, *cognomento* Bobilam. *Post cujus obitum, qui anno* 580 *vel sequenti contigit, reliquum vitæ suæ in cœlibatu traduxit; etsi filium non haberet, cui regnum suum posset relinquere.*

martyrium hujus figi posset inter annos 561 *et* 580 *vel* 581,

9 *Harum uxorem aliquam fuisse cognominatam* Agam, *nusquam legi; at certe duæ postremæ non ea indole ac moribus fuere, ut dicti sceleris suspicio in eas cadere non possit. Etenim Marcatrudis privignum suum, Gunthramni regis ex Veneranda filium, Gundobaldum veneno interfecit, et ab eodem rege abjecta fuit; Austrigilda vero moriens Herodiano more virum suum rogavit, obtinuitque, ut in morte sua duo medici, qui ipsi servierant, occiderentur, ut eorum quoque consanguinei in sua morte lugerent; teste eodem S. Gregorio lib.* V, *cap.* 36, *ubi etiam dicitur illa* nequam spiritum *exhalasse. Quam ob rem, si constaret,* S. Quintini *interfectricem fuisse aliquam e Gunthramni regis uxoribus, illarum neutram sua virtus ab ejusdem criminis suspicione satis eximeret; sanctique* Quintini *martyrium figendum esset inter annum* 561, *quo Gunthramnus regnare cœpit, annumque* 580 *vel* 581, *quo postrema ejusdem sancti regis uxor Austrigilda obiit.*

sed forte illa fuit uxor alterius Gunthramni, eidem regi synchroni.

10 *Verum cum in sæpe dicto Breviario Turonensi non dicatur* S. Quintinus *in obsequiis Gunthramni regis fuisse, sed vel cujusdam Guntranni, qui erat dux et comes; vel cujusdam ignoti nobis nominis, qui erat dux et comes Guntramni regis, potest hic alius Guntrannus indicari, cujus uxoris crimine Sanctus occisus sit. Eodem enim tempore vixit quidam Guntrannus alter, cognomento* Boso, *seu* Gunthramnus-Boso *appellatus, qui fuit dux exercitus regis Sigiberti I, annoque* 587, *jubente Gunthramno rege, Viroduni interfectus, uti apud laudatum S. Gregorium Turonensem in Historia Francorum legere licet. Eumdem etiam uxoratum fuisse, pariter constat, sed nomen uxoris ipsius nusquam proditum reperi. De hoc ergo forsitan sermo est in laudato Breviario. Statuat eruditus lector, quod volet; nam mihi quidem aliunde nihil occurrit, quod ad designandam certam cædis auctorem, aut alterutrum Gunthramnum determinandum sat ponderis habeat.*

Alia scriptorum discrepantia : consensus in locum martyrii

11 *Discrepant etiam laudati Breviarii ac Martyrologii Parisiensis auctores de genere obsequii, quo* S. Quintinus *apud dominum suum functus est. Nam militare ei adscribitur, in Martyrologio, in Breviario autem potius videtur solum tribui servitium domesticum vel familiaris rei cura in quadam villa Guntranni apud fluvium Angeriscum sita. Si* Quintini *nobilitas tam certa esset, quam in Breviario Turonensi asseritur, magis ipsi conveniret militare obsequium, quam domesticus famulatus aut rei familiaris cura. Sancti Martyris palæstram adducti martyrologi omnes in pago Turonico statuunt; eamdemque Castellanus, Martyrologium Parisiense et Turonense Breviarium distinctius ponunt apud fluvium, qui ab hoc* Ageriscus, *ab illis* Angeriscus *Latine, Gallice vero* l'Aindroix *appellatur; atque alibi etiam* l'Indrois *scribitur.*

in pago Turonensi apud fluvium Angeriscum.

12 *Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum agens de fluvio Ingere, alias etiam Anger, Angera, et Andria dicto, qui in Bituricensi provincia ortus, Turonensem agrum perfluit, et infra Monbasonium Ligeri miscetur, ad propositum nostrum hæc subdit :* Est et Andrisius vel Andria, L'INDROIS, quasi MINOR ANDRIA, qui villam Lupæ, Villeloin, et Montem Thesauri (*vulgo* Montresor) præterlapsus Andria recipitur. *Bruzen la Martiniere in Lexico geographico eumdem fluvium ortum scribit in Turonia apud vicum* Ecueille, *ad confinia ducatus Bituricensis, atque hinc intra eumdem pagum Turonicum præterfluere* Villeloin, Montresor, Saint Quentin et Chedigni, *atque in Angerem, vulgo* l'Indre *exonerari. Noverint indigenæ, a quo* S. Quintino, *hodierno, an Veromanduorum martyre, vicus ille seu paræcia appelletur; at, nisi contrarium constet, mihi verisimillimum est, eumdem vicum ab hodierni* S. Quintini *cæde aut sepultura nomen suum accepisse. Porro, an et quantum ex ejusdem Sancti corpore, præter reliquias Meldis in cathedrali S. Stephani ecclesia honoratas, hic aut alibi supersit, non legi.*

Quæ ex dictis pro certis aut verisimillimis habenda sint.

13 *Ex hactenus allegatis pro sat certis habenda videntur martyrium, ejusdemque causa et locus. Imo etiam verisimillimum apparet martyrii tempus, nempe post medium sæculum* VI, *quo ambo Gunthramni vixerunt. Quod de sublato per ipsum Martyrem lotoque capite atque electo quietis loco in Turonensi Breviario additur, fabula videtur, quam et ipsemet Breviarii auctor sibi suspectam fuisse, insinuavit, studiose addens voculas :* Ut aiunt. *Figmento occasionem dare potuerunt* S. Quintini *icones, amputatum caput suis manibus gestantes ad martyrii genus exhibendum, ut sæpe alibi in Opere nostro observatum est. Plura de hoc sancto castitatis Martyre non habeo.*

DE

A

DE S. AUREA VIRGINE ABBATISSA

D

PARISIIS IN FRANCIA.

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS.

J. G.

§ I. Sanctæ in Martyrologiis annuntiatio : ejus cultus et Officium ecclesiasticum, Actorum notitia, eorumque sublesta fides.

ANNO CIRCITER DCLXVI. *S. Aurea ab Adone aliisque prætermissa,*

Lutetiam Parisiorum, urbem Galliarum primariam, suarum splendore virtutum et pretiosa in conspectu Domini morte illustriorem reddidit S. Aurea *virgo, quam S. Eligius, postmodum Noviomensis episcopus, trecentis puellis in cœnobio, a se Parsiis exstructo, præfecerat abbatissam. Hanc* Deo dignam Puellam, *quo nomine S. Audoenus in Vita S. Eligii eam appellat, mirum est, antiquis Martyrologiis classicis, si Usuardinum excipias, ignotam, aut certe prætermissam fuisse.* Aurea, Parisiensis virgo, *inquit Sollerius noster in suo Usuardo illustrato,* pure Usuardina est, omnibus aliis Martyrologis antiquis ignota, saltem prætB terita. *Nam quod Adoniana quædam apographa* Auream *virginem hoc die signent, id Sollerii effato minime officit. Esse enim augmentum aliena manu Martyrologio Adonis insertum, non ex unius aut alterius codicis, sed ex plurium pervetustorum diligenti collatione rectissime consuerunt Mosander et Rosweydus noster, qui* Auream *proinde in Appendicem amandarunt. Accedit, quod B. Notkerus eamdem pariter omiserit, id verisimiliter non facturus, si eam apud Adonem, quem non secus ac Hieronymiana et Rabani Martyrologia, passim describit, commemoratam invenisset. Neque hinc etiam arguas, cum pariter Usuardinum Martyrologium maxima ex parte coaluerit ex Adone,* S. Auream, *quam Usuardus annuntiat, fuisse in Adonis Martyrologio ab eo repertam. Nam non sic illum Usuardus secutus est, ut latiori quandoque via incedere, et notiores sibi Sanctos, præsertim Parisienses, ab Adone prætermissos, commemorare sibi vetitum duceret.*

ab Usuardo variisque martyrologis

2 *Porro laudati supra Usuardi Martyrologium, a Sollerio nostro editum, sic eam ad hunc diem commemorat :* Civitate Parisius, sanctæ Aureæ virginis, *legiturque eadem hæc annuntiatio in codicibus Pratensi, Heriniensi aliisque, quos ex Sollerio recensere longum foret. Consonant illis Hagiologion Franco-Galliæ, a Labbeo ex antiquo Martyrologio abbatiæ* C *S. Laurentii Biturícensis excerptum, Florarium nostrum, anno 1486 manu exaratum, Martyrologium Germanicum, vulgo Canisio adscriptum, Galesinius aliique martyrologi, quorum annuntiationes huc non transcribam, propterea quod vix aut ne vix quidem in ipsis vocibus ab adducta Usuardi annuntiatione discrepent. Aliorum tamen additamenta, tam quæ veritate nitantur, quam quæ a veritate deflectant, hic recensere lubet, ut hinc paucis nonnulla lector prænoscat, quæ postmodum pluribus de* S. Aurea *tractanda venient. Ac primo quidem memoratæ supra Usuardinæ annuntiationi Muneratus apposite hæc adjicit :* Cujus (S. Aureæ) corpus requiescit in ecclesia S. Eligii prope palatii, *seu* prope palatium, *ut ex Grammaticæ regulis Molanus scripsit. Addit itidem aliquid Bruxellensis codex Usuardinus Ms., rectissime ita referens :* Parisiis civitate, depositio beatæ Aureæ virginis, quam beatus Eligius præfecit puellarum monasterio, quod ipse ibi (*ut infra num.* 20 *ostendetur*) construxit; *ipsum vero tempus, quo* S. Aurea *floruerit, ita Maurolycus sua annuntiatione designat,* Parisii sanctæ Aureæ virginis, tempore Heraclii : *præfuit enim imperio Heraclius eodem tempore, quo Dagobertus I, Galliarum rex, Parisiis ædes illas S. Eligio tradidit, quas hic in sacrarum virginum cœnobium conversas, sanctæ Abbatissæ nostræ vigili curæ et sollicitudini commisit. Atque hinc vide, quantum a vero aberraverit Felicius, cum illam tempore Henrici imperatoris, cujus nominis nullus ante sæculum* x *imperitavit, floruisse et martyrio affectam fuisse, comminiscitur, sic scribens :* Aurea V. et M. celebris Parisiis tempore Henrici imp.

recentioribus, etiam monasticis annuntiatur,

3 *Sed Baronium potius aliosque martyrologos, melius de Sancta nostra instructos, hic audiamus. Sic ille in Martyrologio Romano hodierno :* Lutetiæ Parisiorum S. Aureæ virginis, *quam temporibus Dagoberti I, regis Francorum, circa annum Domini* 630 *floruisse, recte in Notis suis statuit. Castellanus Baronianæ annuntiationi, sermone Gallico expressæ, in marginali adnotatione subdit, fuisse* primam abbatissam S. Martialis Parisiis sub Regula S. Columbani. *Consonat Martyrologium Parisiense, anno* 1727 *impressum, cum ad diem* 4 *Octobris ita refert :* Parisiis, sanctæ Aureæ virginis, E monasterio sancti Martialis intra civitatem, a S. Eligio, qui trecentas ibi puellas congregaverat, sub Regula S. Columbani degentes, præfectæ abbatissæ. *Rursus ad diem* 5 *:* Eodem die festum S. Aureæ, quæ die hesterna obiit. *Saussayus vero in suo Martyrologio Gallicano ad diem* 4 *Octobris* S. Auream *non tantum Baronianis verbis annuntiat, sed elogium eis superaddit, prolixum illud quidem, sed, ut sæpe alias, non omni ex parte veritate nixum, a quo proin melius abstinuisset. Wion, Menardus, Bucelinus aliique Benedictini, cum* S. Auream *suis accensendam existiment, eam Fastis sui Ordinis ad hunc diem inscripserunt; qua in re sequacem habuere Arturum a Monasterio in suo Gynæceo, ubi illam vocat* Abbatissam Benedictinam, vitæ sanctimonia et miraculorum præstantia celeberrimam. *Rectene hæc, an secus, in medium prolata sint, suus erit infra disputandi locus. Abest certe* S. Aurea *a nonnullis Benedictini Ordinis Martyrologiis; neque etiam ullus mihi post diligentem indagationem vel synchronus vel suppar auctor occurrit, qui prodigia illa, quibus* S. Auream *in vivis celeberrimam fuisse, vulgo ferunt, suo testimonio firmata reliquerit.*

coliturque præcipue Parisiis,

4 *Canonici Regulares S. Genovefæ Parisiensis, Congregationis Gallicanæ, in Breviario ad usum suæ insignis et regalis abbatiæ tum veteri, tum novo,* S. Auream, *non quidem ut suam, sed patriæ communis ejusque reliquiarum, Parisiis exsistentium, titulo, Kalendario suo inseruerunt, eamque ritu semiduplici, ut vocant, ad diem* 5 *Octobris venerantur; quo ritu et die etiam Sancta colitur in Breviario ecclesiæ Parisiensis. Quod autem ipso emortuali suo die cultum sibi proprium hæc Sancta non habeat, facit S. Francisci Assisiatis die* 4 *Octobris celebranda Parisiis festivitas : hinc sanctæ Virginis festum in sequentem diem, quæ* 5 *est transfertur, ut ex Mrl. et Breviario Parisiensi superius ostensum est. Id tamen, teste Bailleto, speciale habent geminæ Parisienses ecclesiæ, altera S. Paulo, ubi* Aurea *sepulta fuit, altera S. Eligio et* S. Aureæ, *ubi hujus reliquiæ asservantur, dicata, ut in his sanctæ Abbatissæ festum in Dominicam diem, quæ festum proxime antecedit, plerumque prævertatur, et ritu, qui ecclesiarum patronis deferri solet, semper celebretur. Sed hæc distinctius meliusque exponit Kalendarium Spirituale Parisiense, quod penes nos est, anno 1686 excusum et sequentibus annis continuatum, Ex hoc patet,* S. Aureæ *festum in ecclesia S. Pauli Dominica prima Octobris, sive hæc natalem ejus in cælis diem præcedat, sive subsequatur, solemni semper venerationis ritu celebrari, prout præfert eidem Dominicæ adscripta annuntiatio, ita* F

Latine

AUCTORE J. G.

Latine sonans : In S. Pauli S. Aurea, festum secundi patroni, concio, post Vesperas ad ejus tumulum supplicatio. *At vero in S. Eligii ecclesia, et in sacello monialium, quæ a* S. Aurea *nomen habent, die* 5 *Octobris, sive in hanc dies Dominica, sive quævis alia incidat feria, sanctæ Abbatissæ constanter festa lux agitur, ut ex eodem Kalendario liquet, in quo ad hunc diem in præfata ecclesia hæc annuntiantur :* Ad S. Eligium Barnabitarum, festum S. Aureæ, ut secundi patroni, expositio venerabilis Sacramenti et concio; per Octavam ejus lipsanotheca detegitur; *hæc vero in memorato sacello :* Ad S. Auream festum titulare, expositio Vener. Sacramenti et concio.

alibique in Gallia; imo et Romæ veneretionem habet.

5 *Atque hinc, qualis quantaque in his ecclesiis veneratio sanctæ Abbatissæ nostræ deferatur, abunde innotescit. Neque Parisiis tantum, sed et in variis Galliæ diœcesibus puta Meldensi, Leonensi et Bellovacensi Cælitum honores, seu ecclesiastico Officio, seu Lectionis unius aut orationis ejus recitatione* S. Aureæ *exhibentur; imo, quod fortasse mireris, in ipsa urbe Roma S.* Aurea *speciali veneratione non caret, prout in suo Hagiologio testatur Castellanus et ex eo Bailletus. Ne quis autem existimet, in Romana S. Eusebii ecclesia non* Auream *Parisiensem, sed Auream V. et M. Ostiensem coli, prohibet tum*
B *ipsa* Aureæ Parisiensis *usitata Romæ nomenclatura, tum ipse Pancirolus, scriptor Italus, in suis Thesauris urbis Romæ, ubi verbis Italicis, a me Latine redditis, pag.* 167 *ita loquitur :* Et quamquam in media navi (*ecclesiæ S. Eusebii*) depicta cernatur S. Aureæ virginis historia, non id tamen ratione advectarum illuc ejus reliquiarum factum fuisse, existimandum est (*nec enim de translatis Romam* S. Aureæ *nostræ reliquiis quisquam scriptor meminit*) sed quia antiquitus Cardinales Galli, hoc titulo gaudentes, hujus Parisinæ Virginis, quæ sanctissime in monasterio trecentarum monialium, a S. Eligio exstructo, vitam egit, memoriam innovarunt. *Hæc Pancirolus, qui recte etiam* S. Auream *Parisiensem ab homonyma virgine et martyre Ostiensi loco citato et pag.* 758 *distinxit. Hæc quippe virgo martyr, non vero Parisiensis* Aurea, *contra ac innuere varii scriptores videntur, in Ostiis Tiberinis dicatam Deo sub sui nominis invocatione basilicam habet, aliamque etiam Romæ habuit, quæ hocce tempore, teste laudato Pancirolo pag.* 758, S. Spiritus Neapolitanorum *vocitatur.*

Officii ejus ecclesiastici notitia datur,

6 *Ast in Franciam, unde digressi sumus, revertamur, quæque de Sanctæ cultu dicenda supersunt, absolvamus. Præter tres secundi Nocturni Lectiones, ex apocryphis* S. Aureæ *Actis desumptas, veteremque hanc Antiphonam Rhythmicam :* Venit ergo Parisius
C virginitatis radius et latuit sub modio humilitatis gaudio, *quæ nunc abrogatæ sunt, elapsis sæculis omnia in ecclesiastico Sanctæ Officio de Communi unius virginis legebantur. Verum anno* 1729 *pro monialibus, quæ a* S. Aurea *nomen habent, conditum fuit aliud, omni ex parte novum propriumque Officium, quod illustrissimus archiepiscopus Parisiensis, Carolus Gaspar Guillelmus de Vintimille anno* 1731 *approbavit et in sacello monialium istarum die* S. Aureæ *sacro recitari posse, censuit editoque decreto sancivit. Oratio, quæ per totum hoc Officium et in Missæ Collecta legitur, hæc est :* Deus, qui virginem Auream in sponsarum tuarum regimen multiplici charismatum dono cumulasti, da, ut ejus exemplis et præsidiis delectationes noxias calcantes, unctione tua cœlesti perfundamur. Per Dominum etc. *Hymni vero, qui in utrisque Vesperis, Matutino et Laudibus recitantur, uti et sic dicta* Prosa, *quæ ante Evangelium in Missa legitur, vario metro* S. Aureæ *gesta complectuntur, iisque, quæ S. Audoenus de ea scripsit, consonant; quare et hic exhiberi merentur.*

tresque ex hoc Hymni, alter ad utrasque Vesperas,

7 *Ita se Hymnus ad utrasque Vesperas habet :*

Virgines inter, Parisina tellus
Quas Deo vovit, veneranda præses,
Mille virtutum decorata gemmis,
Aurea fulget.
Congregat Virgo comites trecentas, D
Æmulas votis paribus, virili
Corde spondentes crucis et beatum
Tollere pondus.
Sive præclaris titulis nitescant,
Et trahant altam seriem parentum;
Sive dejecto lateant sub ortu;
Suscipit omnes.
Tota concentu modulans superno
Turba certatim ferit astra, nullo
Frangitur carnem domitans labore,
Abdita mundo.
Civitas castos stupefacta cœtus
Inde miratur, tot amat columbas,
Astra spectantes, gemitu serenas,
Condere muris.
Summa laus Patri, genitoque Verbo,
Et tibi compar utriusque Flamen,
Quo flagrant sponsæ, docilesque Christi
Jussa sequuntur. Amen.

8 *Ad Matutinum vero sic Hymnus sonat :* *alter ad Matutinum,*

Instaurat ædes munere regio,
Quas virginali mox replet agmine
Sanctisque decretis gubernat
Elegius, bene notus urbi.
Quin copiosos et reditus parat,
Fundatque sacram, Paule, tibi domum, E
Qua sub decoro tum reponat
Virgineos cineres sepulcro.
O qualis unam præficit Auream!
Quam candidatos docta regit greges!
Quam laudat æternis triumphis
Progenies numerosa Matrem.
Huc huc, puellæ, rumpite vincula
Pompasque digno spernite labiles
Fastu superbæ; carcer aula
Clarior hic super astra transfert.
Intendit uni nupta cohors Deo,
Et se supernis fontibus ebriat,
Cælo voluptatis fluenta
Donec orans reserata potet.
Laus summa Patri summaque Filio,
Sit par et almo laus quoque Flamini,
Quo turba sponsarum coruscat
Virgineis redimita sertis. Amen.

9 *Hunc Hymnum alter in Laudibus excipit, his concinnatus verbis :* *et tertius ad Laudes*

Fulget læta dies, qua venerabilis
Arces, deposito corpore, lucidas
Sanctis ingrederis, Virgo, sodalibus
Et sponso frueris Deo.
Astris admonitam non pavor occupat,
Non morbi saniem, non fugis exitum : F
Quas invita regis, sponte doces mori,
Vale dicis et ultimum.
Inflammatus amor non patitur moras.
Terris exuvias linquis et æmulas
Jungit plaga tibi, mox tumulo pari
Dulcis consociat sopor.
Fœlix interitus, somnus amabilis,
Quo Christi placidum sponsa petens sinum
Immortale jubar, vivida gaudia
Vinclis exiliens rapis.
Quam virtutis apex, virgineus nitor,
Commendatque fides, ardor et ætheris,
Nos o concilies, Aurea, nunc Deo :
Plebem protege deditam.
Urbem Diva fove, quæque pericula
Victis invigilans hostibus amove :
Fac nullus quatiat turbo Lutetiam :
Christus regnet in omnibus.
Patri maxima laus, maxima Filio,
Amborumque tibi maxima, Spiritus,
Qui cælo niveis lucida virginum
Cingis tempora liliis. Amen.

10 *Quæ autem in Missa post Graduale exstat Prosa, ita* S. Aureæ *laudes etiam celebrat :* *una cum Prosa in Missa,*

Deo fidelis Aurea
Dum sæculo renuntiat,
Regna quærit ætherea,

Jesu

Jesu sponso se satiat.
Ter centum Deo virginum
Dum militant examina,
Ad usque vitæ terminum
Dux voti præit fœmina.
Preces, labor continuus,
Vigiliæ, silentia,
Fletuum fons irriguus,
Hic vigent et jejunia.
Sed ecce sub splendentibus
Fœlicem post interitum
Astas, Eligi, vestibus
Præfectæ signans obitum.
Quæ, mille votis anxia,
Sponso frui desiderat,
Diem rapit et gaudia
Labori promissa parat.
Præter triumphi comites,
Dicit vale sororibus,
Divinisque superstites
Consolatur sermonibus.
Tuis lætam exuviis,
Virgo, serva Lutetiam;
Et muniens præsidiis,
Fac hostibus imperviam.
At cunctos inter ordines
Hanc blanda turbam respice,
Quæ priscas sequi virgines
Christo contendit auspice.
Cuncta contemnens terrea,
Sub tuis signis militat:
Coronari fac laurea,
Quæ cælo te nobilitat.
Suprema Patri luminum
Sit laus hic et in patria,
Sit æqua Sponso virginum,
Sit par Amori gloria. Amen.

ceteris prætermissis, exhibentur.

11 *Cetera, quæ in hoc ecclesiastico sanctæ Abbatissæ nostræ Officio propria sunt, huc non transcribam, tum quod non æque commemoratione digna mihi videantur, tum quod jam abrogata etiam sint, cum præter desumptas ex S. Audoeno Lectiones nihil ei proprium in ecclesiastico Officio nunc recitetur, ut mihi, in Sanctæ cultum investiganti, significavit ab eruditione non minus, quam ab humanitate, laudandus vir, dominus Mercier, regalis abbatiæ S. Genovefæ Parisiensis bibliothecæ præfectus, quem sine grati animi testificatione commemorare non possum ob datam ab eo sedulam investigandis* S. Aureæ *genuinis Actis aliisque instrumentis operam, tametsi conatui ejus, ut ipse dolet, egoque multum lugeo, par fructus non responderit: ut adeo, quantavis adhibita diligentia, alia nancisci Acta non potuerim, quam quæ jam dudum in supellectili nostra litteraria servata, aut a nonnullis jam typis edita fuerunt, de quorum antiquitate et fide nunc disserendum est.*

Acta ejus, ex Bodecensi Ms. codice descripta,

12 *Fuerunt ex omni fere hominum ordine et gente scriptores aliqui, qui uberrime* S. Aureæ *gesta miraculaque quasi certatim celebrasse videantur; ut adeo, si solus biographorum numerus, quorum alter alterum descripsit, Sanctorum Actis auctoritatem fidemque indubitatam conciliare posset,* S. Aureæ *Acta tum Mss., tum excusa, immerito in falsi suspicionem vocarentur. At, si S. Audoenum in Vita S. Eligii et Jonam Bobiensem in Vita S. Eustasii, qui obiter de ea meminerunt, ex numerosa illa scriptorum turba excipias, nemo unus ex illis omnibus est, qui Sanctæ coævus aut suppar fuerit, vel qui ex puro fonte sua hausisse, dici possit. Ut hæc non tam asseram, quam probem, haud pluribus opus est, quam Actorum Mss. subministrasse notitiam, ejusque biographorum, typis editorum, indicasse ætatem. A prioribus initium duco. Quatuor jam a multo tempore in supellectile nostra litteraria exstant* S. Aureæ *manuscripta Actorum apographa, de quibus generatim edici potest, faciem non esse omnibus unam, sed nec diversam tamen: utut enim alia aliis ampliora aut verbis correctiora sint, parentem suum fabulatorem esse clamant, seque ex eodem luteo fonte educta fuisse, testantur. Horum apographorum primum submisit nobis R. P. Joannes Gamans,* S. *J. vir de Museo nostro alias sæpe bene meritus. Descriptum illud fuit ex cœnobii Bodecensis canonicorum Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis, Passionali pergameno insigni, mensis Octobris, fol.* CXXII, *pag. B. Ut autem quanti hæc Acta pretii sint, lector judicet, illorum ex mox citato apographo, iisdem fere adhibitis verbis, specimen aliquod subjungo.*

AUCTORE J. G.

quorum compendium traditur,

13 *Sic igitur anonymus illorum auctor de* S. Aurea *statuit: nobilissimo genere orta et e finibus Syriæ Parisios peregre profecta, ibi* 300 *puellarum abbatissa constituitur. Cum autem in villis sororum esset, nuntiatur ei defuncta celleraria ac clavigera sua; Abbatissa ad cœnobium revertitur, triduo mortuam, ex cujus manibus claves officinarum extorqueri non potuerant, proprio nomine compellat et ad vitam revocat; jubet administrati officii rationes reddere, quibus peractis, remigrandi ad Dominum facultatem ei impertit. Mox ad aliud prodigium delabitur anonymus: Ne Sancta murmurationibus sororum, cum panes forte iis deessent, locum det, ecce tibi, clibanum intrat, prunas ardentes cineresque illæsis manicis suis foras expellit, fornacem mundat, atque ut miraculum duplicetur, nemine pulsante, sorores et vicini campanarum festivum sonitum audiunt; convolant moniales et Hymnum* Te Deum laudamus E *concinunt, ac dein optimi panes ipsis subministrantur. Mirabilium, quæ anonymus narrat, hic nondum finis. Sed his ego referendis supersedeo, ultimum adhuc referre contentus. Abbatissa quædam in Syria, civitate transmarina, oculos quidem habens, sed minime videns, ab angelo in visu monita, ut virginem* Auream, *a Syriæ finibus peregrinam, Parisiis inquireret, et illic humatam e terra levaret, rem episcopo civitatis defert, cum eo iter in Gallias arripit; at ipsa defatigata in via remanet; dum interim episcopus iter prosequitur, illa ex ejus jussu scrinium, quo* S. Aureæ *corpus recondat, fabricari jubet. Levatur Parisiis de terra corpus, Sanctæ brachium unum abscinditur, et ecce sanguis e venis fluit; hoc episcopo Syro conceditur, qui gaudens in patriam remeat, et abbatissam Syriæ civitatis invenit, cui brachium abscissum tradit. Pretiosum hoc munus in scrinio illo collocatur et mox illa visum recipit, atque in perennem tanti miraculi memoriam nobile in Syria monasterium condit.*

ac vitia detegutur.

14 *Ex tam male congestis prodigiis, ex commentitia illa civitate, quæ* Syria *dicitur, ex suppressis episcopi Parisiensis et Syri præsulis nominibus atque ex vago res enarrandi modo, apparet, anonymum illum sæculis aliquot a temporibus* S. Aureæ *remotum fuisse, ac forte scripsisse sæculo* X *vel* XI, *quo* F *tempore nihil magis scriptoribus plerisque usitatum erat, quam prodigiis suas lucubrationes farcire, visiones et angelorum apparitiones referre haustaque ex sola populari traditione, ac proin valde incerta et sæpe falsa, vago quodam modo verbisque generalibus adstruere, imo et quandoque* pro pietate mentiri, *ut merito de iis conquesti sunt emunctæmaris scriptores aliqui, iis coævi. Tam insulsam farraginem postquam non pauci typis ediderunt, mihi visum non est iterum recudere. Illam, cui ad id animus est, integram legat apud Bellovacensem in suo Speculo Historiali lib.* XXIII, *cap.* 69 *et seqq., vel apud Gononum in Vitis Patrum Occidentis lib.* III, *pag.* 136. *Et, nisi me mea fallat opinio, minime nobis succensebit prudens lector, quod ejusmodi Acta in lucem denuo non protrudamus, nec eorum insistamus vestigiis, qui vel patriæ vel professionis, seu veræ, seu prætensæ, conditione adstricti, vel suas ipsi tenebras amant clausis oculis prægressos sequuntur, modo inde decus aliquod vel patriæ suæ vel Ordini, quem profitentur, obventurum sperent. His prudentior Joannes Mabillonius, aliud nihil de gestis* S. Aureæ, *licet eam monialibus sui Ordinis annumeret, edendum in Sæculo Benedictino censuit, quam quod apud laudatum S. Audoenum in Vita S. Eligii de ea litteris commendatum invenit. Nunc cetera Actorum apographa paucis expendamus.*

15 *Ejusdem*

AUCTORE J. G. *aliaque Actorum apographa, tum Mss.,*

13 *Ejusdem furfuris sunt, quæ nobis* S. Aureæ *miracula et gesta exhibet Pragensis codex Ms., in quo, ut præfert apographum, Vitæ quædam, a Bernardo Guidonis scriptæ, exstant. Nec est inter gemina jam adducta Actorum apographa notabile aliquod discrimen, quam quod interpolatione nonnihil creverint Pragensia Acta, cetera nohilo Bodecensibus meliora. Præter hæc tertium nobis ad manum est Actorum apographum, desumptum ex codice Ms. pergameno monasterii S. Marci PP. Prædicatorum Florentiæ post Vitam S. Eligii. Sed neque hoc, neque geminos sermones in solemnitate* S. Aureæ *quondam dictos, neque rhythmica, quæ post Officii Lectiones illic exhibentur, carmina, digna censui, quæ typis committantur. Illam prolixitate non minus, quam ineptiis horridam farraginem ut paucis noscas, sic habe. Relatis jam mox ex Bodecensi apographo miraculis alia multis verbis superaddit prodigia, nihilo minus stupenda, at æque incerta, ne dicam ridicula. Acta hæc Sanctæ patriam assignant* in partibus Orientis in civitate, *nulli geographo nota,* quæ dicitur SYRIA; *abbatissam illam, cujus postulatione Sanctæ corpus de terra levatum ferunt, etiam* ex civitate, quæ nuncupatur SYRIA, quæ trans æquoreas plagas est, *peregrinantem in Gallias statuunt. Hæc credo, aliaque commenta, quæ lubens*
B *prætereo, abunde sufficiunt, ut ne declamatoris illius prolixis næniis chartas nostras commaculemus, at potius ejusmodi Acta pro meritis explodamus. Quartum idque ultimum Actorum apographum, quod ex quodam Ms. codice Chiffletiano habemus, cum verbo tenus ineptæ illius declamationis magnam partem exprimat, morari nos nullatenus debet, ad examinanda jam typis excusa Acta properantes.*

tum excusa, sublestæ fidei esse ostenduntur.

16 *A memoratis jam apographis si interpolationes nonnullas communesque rhetorum locos demas, eadem habebis Acta, quæ Vincentius Bellovacensis, sæculi* XIII *scriptor, suo Speculo Historiali lib.* XXIII, *cap.* 69 *et tribus seqq. inseruit, et quæ Petrus de Natalibus lib.* IX, *cap.* 23, *ac S. Antoninus parte* 2 *Historiarum, titulo* 13, *cap.* 6, § 10 *de verbo fere ad verbum transcripserunt. Et quamquam hæc non contemnenda alias sint scriptorum nomina et rebus assertis fidem conciliare apta; hinc tamen præfatis* S. Aureæ *Actis pretium vel pondus nullum accedit. Etenim in rebus historicis, ætatem suam multum præcedentibus, non major eorum est auctoritas, quam sit scriptorum illorum, quos ipsi testes adducunt. Innuit hoc Bellovacensis ipse in Operis totius Prologo cap.* 4, *ubi illud non simpliciter Opus suum, sed eorum potius esse dicit, ex quorum verbis fere totum illud contexuit, subjungens, illud auctoritate*
C *ipsorum esse, suum vero sola partium ordinatione. Cum igitur Vincentius Bellovacensis, Petrus de Natalibus ac S. Antoninus non tam dici possint, voluisse se eorum, quæ referrent, vades constituere, quam simpliciter ipsa, quæ invenerant, monumenta historica posteris relinquere, tametsi id non magno admodum delectu ubique præstiterint, injurius certe nemo ipsis fuerit, qui relata ab ipsis Acta monumentave spuria pro meritis rejiciat, vel dubia ad criticæ regulas expendat. Laudatis jam mox auctoribus novi quidem adstipulari Jacobum Bergomensem, Trithemium, Wionem, Gononum, Arturum a Monasterio, Yepezium aliosque recentiores tum Gallos, tum Hispanos, tum Germanos scriptores, qui* S. Aureæ *Vitam suo quique idiomate ediderunt : verum cum hi Vincentio Bellovacensi aliisque jam laudatis antiquis, si non meritis et scientia, ætate certe inferiores sint, suaque omnia vel ex præfato anonymo, vel ex ipso Bellovacensi descripserint, me neutiquam sua auctoritate eo adducent, ut, qui Bellovacensem in subjecto argumento non sequor, illos præeuntes sequar. Relictis igitur eorum additamentis locisve communibus, illa hic tantummodo illustrabo, quæ de* S. Aurea *ab auctoribus majori fide dignis, puta S. Audoeno, Rothomagensi episcopo, et Jona Bobiensi nobis scripto commissa sunt.*

D

§ II. Sanctæ patria, parentes, monastica præfectura, probabilius sub Regula S. Columbani gesta.

S. Aurea, de qua obiter S. Audoenus et Jonas Bobiensis memi-nerunt,

I*d Sanctorum biographis aliisque historiographis persæpe usu venit, ut, cum sibi, ad suscepti Operis exitum festinantibus, adjuncta quædam, ad institutum suum proxime non spectantia, occurrunt, ea cursim perstringant, atque illico ad illa progrediantur argumenta tractanda, quæ pro suscepta a se provincia fusius enucleanda veniunt. Ex quo fit, ut, dum in adjunctis illis indicandis breves esse volunt, non raro vel obscuri fiant, aut saltem posteris disputandi ansam præbeant : quod tum præcipue locum habet, cum nemo alius coævus aut subæqualis scriptor reperitur, qui uberius de adjunctis illis ex instituto egerit. Ita S. Audoenus et Jonas Bobiensis, Sanctorum gesta, quorum Vitam scribendam sibi assumpserant, fuse prosecuti sunt, de* S. Aurea *autem, utpote ad adornandam sibi provinciam proxime non spectante, obiter tantum meminisse contenti, vix quidquam ediderunt, quod aut disputationi obnoxium non sit, aut majori disquisitione non indigeat, præsertim eo quod vel nullus antiquus scriptor* S. Aureæ *Vitam ex professo litteris commiserit, vel* E *certe, quod lucubratio illa ad nos non pervenerit. Hinc de natali Sanctæ loco, de Religiosæ vitæ instituto, sub quo vixit, de exstructo Parisiis a S. Eligio monasterio, an nempe simplici, seu ex solis monialibus composito, an vero duplici, seu ex monialibus et monachis simul adunato, dubitandi vel disputandi occasionem posteri sumpserunt.*

probabilius nata in Galliis,

18 *Ac primo quidem, qua in regione nata sit* S. Aurea, *non leviter inter scriptores controvertitur : alii quippe, iique sat antiqui, eam in Syria; alii, iique in primis scriptores Galli recentiores, eam in Galliis ortam dixerunt. Qui eam faciunt Syrissam, ut Bellovacensis, Petrus de Natalibus, S. Antoninus aliique multi, videntur cum præfato anonymo pro Quiria, Sanctæ matre, Syriam patriam ei assignasse, vel* S. Auream *nostram confudisse cum homonyma virgine et martyre Ostiensi, quam S. Hippolytus, ante in Arabia, Syriæ contermina, diu versatus, in Tiberinis Ostiis sepelivit : qua de re vide tom. IV Augusti pag.* 506 *et* 756, *item Cointium Annal, eccles. Francorum ad annum* 671 *num.* 22. *Alii contra, qui natam in Galliis volunt, ut Gerardus du Bois in Historia eccles. Parisiensis tom. I pag.* 202, *aliique recentiores, hac ratione opinionem suam tuentur, quod Maurini et Quiriæ parentum ejus nomina nihil quicquam Syriace sonent, sed* F *vocabula sint Romana, seu ex iis Gallicanis, quæ adhuc Romanam sonabant originem, quodque S. Audoenus, eos peregrinos fuisse, nusquam insinuet. Horum mihi sententia, quandoquidem nemo coævus aut* S. Aureæ *suppar auctor contrarius ei est, ex hoc capite etiam præplacet, quod S. Audoenus, si quando in Vita S. Eligii de exteris mentionem facit, soleat eorum natale solum, puta Saxoniam, Sueviam aliasve regiones diserte exprimere, natale vero solum plerumque non exprimat, cum de ipsis Galliarum indigenis sermonem facit; ut adeo vel ex ipso, quod de natali solo* S. Aureæ *servat, silentio, eam Galliarum indigenam fuisse, verosimile fiat. Accedit, quod facile credi non debeat, S. Eligium nobilibus Franciæ matronis, quas una cum aliis puellis congregaverat, præpositurum fuisse virginem Syrissam, quæ eas cum potestate abbatissæ gubernaret.*

parentibus Maurino et Quiria,

19 *Quod vero attinet ad parentum ejus nomina, quæ Jacobus Bergomensis cap.* 40 *de Claris Mulieribus pag.* 127, *aliique scriptores, litteris prodita fuisse, negarunt; oportet, ut vel illi Vitam S. Eligii, a S. Audoeno scriptam, non viderint, aut certe mutilum vel vitiatum codicem præ oculis habuerint. Etenim in laudata S. Eligii Vita, quæ exstat tomo II Spicilegii Acheriani, anno* 1723 *editi, lib.* I, *cap.* 17 *expresse sic loquitur laudatus Rhotomagensis antistes :* Cœpit (*S. Eligius*) intra domum suam, quam

A quam in eadem urbe (*Parisiensi*) ex munere regis perceperat, virginum Christi ædificare domicilium : *ac paucis interjectis, addit :* Quibus et abbatissam, Deo dignam puellam, nomine Aureamm, filiam scilicet Maurini et Quiriæ constituit. *Perspicuum igitur ex his verbis est, non incognita esse parentum* S. Aureæ *nomina; at quidnam illi præclare egerint, quave in urbe Galliarum sedem fixerint, an Aureliæ, ut quidam contendunt, an Parisiis alibive, nullo antiquitatis testimonio exploratum habeo. Nec magis compertum mihi est, an sub parentum, an sub piissimæ alicujus matronæ disciplina virtutum earum semina jecerit, ob quas postea merita sit a S. Audoeno* digna Deo Puella *vocari. Utut sit, id minime dubium videtur, non vulgarem fuisse virtutum ejus aliarumque dotum splendorem, cum eam S. Eligius pro singulari sua prudentia trecentis puellis, in cœnobio suo Parisiensi congregatis, præficiendam duxerit, ut districta Regulæ disciplina, quam ipse ibi constitutam volebat, sub ejus moderamine ad amussim ab omnibus servaretur.*

cœnobio, a S. Eligio Parisiis exstructo, præficitur;

20 *Rem illam ipsiusque monasterii exstructionem cum nemo certius nobis exponere possit, quam laudatus jam supra Rothomagensis præsul, scriptor non tantum coævus, sed et oculatus testis et amicitia cum S. Eligio conjunctissimus, illius verba huc*

B *transcribo. Sic ergo ipse lib.* I *Vitæ S. Eligii cap.* 17 *rem illam enarrat :* Cogitabat (*S. Eligius*) Parisius in urbe fabricare xenodochium; sed excellentiore consilio, Deo inspirante, concepto, cœpit intra domum suam, quam in eadem urbe ex munere regis (*Dagoberti I*) perceperat, virginum Christi ædificare domicilium : in quo opere diu multumque instantissime desudans, dignum tandem sanctarum virginum construxit archisterium, ubi districtam Regulæ disciplinam constituens, usque ad trecentarum numerum puellarum ex diversis gentibus, tam ex ancillis suis, quam ex nobilibus Franciæ matronis congregavit; quibus et abbatissam, Deo dignam puellam, nomine AUREAM, filiam scilicet Maurini et Quiriæ, constituit : terræ etiam redditus copiosos delegavit, atque ex integro omne suum illic studium convertit : videres et illuc trahere undique veluti utilissimam apem cuncta monasterio necessaria, vasa simul et vestimenta, nec non et sacra volumina aliaque quam plurima ornamenta : nam quidquid huic sexui (*cui, ut supra dictum est, abbatissa præerat* S. Aurea) congrue necessarium foret, ut piissimus pater, satis solerti in omnibus diligentia ac sollicita cura providit... Igitur, *ut idem sanctus scriptor cap.* 18 *prosequitur,* cuncto opere monasterii peracto, atque

C omnibus ædificiis ancillarum Dei expletis, pro quibus mercedem laboris adeptus est, ædificavit postremo basilicam in honore S. Pauli Apostoli ad ancillarum Dei corpora sepelienda, cujus tecta sublimia operuit plumbo cum elegantia; qua in basilica beatus quoque Quintilianus jacet abbas humatus. Ædificavit etiam, imoque renovavit basilicam in honore S. Martialis, Lemovicensium pontificis et confessoris, qua utique urbane stabilita, plumbo ejus operuit tecta.

in quo, num sub Regula S. Benedicti,

21 *Atque hæc sunt præcipua S. Audoeni verba, quibus Abbatissæ nostræ præfecturam ejusque cœnobii exordia commemoravit, et quæ proinde verba hic locum suum habere, necesse fuit. Cogunt me quidem jam inchoatam vitæ* S. Aureæ *seriem interrumpere : at, quando id veritatis inquirendæ necessitas exigit, ferendum est. Itaque, quænam sit* dictricta Regulæ disciplina, *a S. Audoeno memorata, quidve de alio num.* 17 *proposito dubio auctores sentiant, aut sentire meo judicio deberent, lectori erudito hic exponam. Benedictini multi scriptores, ubicumque in conciliis, regum Capitularibus, Sanctorum Actis aut documentis post Benedictinæ Regulæ promulgationem editis,* districtam Regulæ disciplinam, Regulam sanctam *aliasve ejusmodi voces expressas reperiunt, eas sic intelligi debere contendunt, ut iis non alia, quam S. Benedicti Regula significetur : unde* S. Auream, *quæ, teste S. Audoeno jam sæpius laudato, sub* districta Regulæ disciplina *Deo militavit, Benedictinis monialibus libere et intrepide accensent. Verum tantum abest, ut, quod ipsi tam generatim adstruunt, æque solide ac manifeste probent, ut vel ipsum Mabillonium, rei Benedictinæ præstantissimum vindicem, et Galliæ Christianæ auctæ editores in sua generali hac assertione adversarios habeant, prout ex istius Præfatione ad* I *Sæc. Benedictinum num.* 75, *et Præf. ad* II *Sæc. Bened. num.* 14, *atque ex eorum dictis tom. VII Galliæ Christ. auctæ col.* 280 *dilucide ostenditur. Censet enim iste locis citatis, per* Regulam sanctam *ab Eutropio abbate in Epistola Apologetica memoratam, Benedictinam Regulam non intelligi, nec a Jona Bobiensi in Vita S. Columbani eamdem intellectam fuisse; hi vero loco citato,* S. Auream, *quam ex S. Audoeno sub* districta Regulæ disciplina *vixisse noverant, eam tamen sub Regula S. Cæsarii Deo servisse, probabilius esse existimant.*

AUCTORE J. G.

an sub alia vixerit, multum controvertitur :

22 *Ut ergo variorum de Religioso vitæ instituto, quod* S. Aurea *secuta est, sententias exponam, pro Regula S. Cæsarii stant jam laudati editores Galliæ Christianæ loco citato; pro institutis S. Columbani certant Henschenius noster, Cointius, Castellanus, Bailletus, Ludovicus Bulteau tom. I Compendii histor. Ord. S. Benedicti pag.* 445, *auctor Vitæ* E S. Aureæ, *Gallice in epitomen contractæ, et anno* 1729 *novo ejus Officio præfixæ, auctor Martyrologii Parisiensis aliique etiam scriptores eruditi. Pro Regula S. Benedicti decertant Benedictini scriptores plurimi; pro eadem Patris sui Regula, cum institutis S. Columbani conjuncta, pugnat Mabillonius part.* I, *Præf. in* IV *Sæc. Bened. initio. num.* 151, *et, quod non facile quivis intelliget, in fine ejusdem numeri pro Regula S. Donati, seu pro triplici Regula SS. Cæsarii, Columbani et Benedicti, a S. Donato, Vesontionensi episcopo, monialium usibus accommodata, certat idem scriptor. Tanti nominis auctores inter se dissentientes componere, adductisque omnium et singulorum argumentis litem illam decidere, vetat tum ipsa rei prolixitas, tum ipsa controversiæ natura, quæ cum eo demum adduci posset, ut definite statueretur, quamdiu S. Columbani Regula sine consortio Benedictinæ Regulæ in cœnobiis Columbanianis observata sit, videtur potius ad Vitam S. Columbani die* 21 *Novembris in nostro Opere, si Superis placet, illustrandam spectare, quam hic in antecessum pertractanda. Quando tamen rem illam prorsus intactam hoc loco præterire instituti mei ratio non sinit, quid de relatis jam mox variorum sententiis ego ipse censeam, exponendum judicavi.* F

ostenditur tamen, eam non sub Regula S. Cæsarii,

23 *Ac primo quidem mirari subit, eccur laudati editores Galliæ Christianæ auctæ tom. VII, col.* 280 *a majorum suorum sententia abierint, et contra expressum Jonæ Bobiensis testimonium eo propendeant, ut* S. Auream *sub S. Cæsarii, Arelatensis antistitis, Regula Deo militasse affirment. Eorum verba audi :* Auream (*S. Eligius*) præfecit abbatissam sub Regula S. Columbani, ut tradit Jonas de Bobio in Vita sancti Eustasii cap. 17 et post eum Bailletus; melius tamen fortassis sub Regula S. Cæsarii, quam hic Sanctus pro parthenone, a S. Cæsaria sorore gubernato, condiderat, quamque S. Radegundis sacris sui Pictaviensis cœnobii virginibus proposuerat. *Nam quod ipsi ex Actis S. Radegundis adducunt, piissimam hanc reginam sacris sui Pictaviensis cœnobii virginibus S. Cæsarii Regulam servandam præscripsisse, id nihil ad rem nostram facit, nedum quidquam evincit. Istud quippe de S. Radegunde scriptores antiqui et fide dignissimi litteris testatum liquere, ut in Opere nostro ad diem* 13 *Augusti et in Vita S. Cæsarii ad* 27 *ejusdem mensis ostensum est. At vero nihil tale de* S. Aurea *antiquus aliquis affirmavit, ut potius oppositum ex S. Audoeno in Vita S. Eligii erui possit, et contraria laudatis editoribus sententia, ipsis fatentibus, a Jona Bobiensi, S. Eustasii biographo et* S. Aureæ *contemporaneo, diserte tradatur. Etenim credibile non apparet, S. Eligium aliunde accersi-*

AUCTORE J. G.

visse Religiosæ vitæ institutum, cui moniales suas subderet, quam ex Luxoviensi monasterio, quo ipse sanctæ conversationis æstuans desiderio, (*ut loquitur laudatus jam sæpe S. Audoenus in ejus Vita lib.* I, *cap.* 21) maxime properabat.

sed sub institutis S. Columbani

24 *Quippe, ut idem auctor subdit,* Luxovium (*quod erat alumnorum S. Columbani archimonasterium*) erat eo tempore cunctis eminentius atque districtius; neque enim tam crebra erant adhuc in Galliis monasteria, et sicubi essent, non sub regulari quidem disciplina, sed erant prorsus in malitia fermenti veteris sæcularia. Præter Luxovium ergo, quod solum, ut dictum est, districtionem Regulæ (*nonne S. Columbani, fundatoris et institutoris sui?*) solerter tenebat, Solemniacense monasterium in partibus Occiduis hujus religionis exstitit caput, ex quo demum multi sumpserunt et initium et exemplum, adeo ut nunc quoque, propitia Divinitate, innumera per omnem Franciam et Galliam habeantur sub Regulari disciplina, alma utriusque sexus cœnobia. *Quis hinc non colligat id, quod mox asseruerat, non voluisse S. Eligium aliam seu monachis seu monialibus, quibus cœnobia excitaverat, servandam Regulam præscribere, quam illam ipsam, quam Luxovii tam sancte observatam sæpius viderat? Hanc autem S. Cæsarii Regulam fuisse, nescio, an*
B *vel unus hactenus somniarit. Aut quis inter* innumera *illa* utriusque sexus cœnobia, *ex* Regulari *Luxoviensium* disciplina *erecta, reponendum non existimet illud, quod S. Eligius Parisiis condiderat, et cui* S. Auream *dignam Deo puellam, præfecerat abbatissam?*

Deo militasse; ut adeo non videatur

25 *Hæc si te non convincant, laudatum supra Jonam Bobiensem audi, et, nisi scriptorem illum synchronum multisque titulis æstimatissimum, mendacii arguas, mecum, arbitror, judicium feres. Sic igitur ipse in Vita S. Eustasii apud nos tom. III Martii pag.* 789 *et apud Mabillonium sæc.* II *Bened. pag.* 122, *num.* 17 : Abellenus vero vel ceteri Galliarum episcopi post ad roboranda Columbani instituta adspirant (*nimirum post habitam anno Christi* 623, *uti in Annal. Bened. Mabillonius statuit, Matisconensem synodum, in qua, ut hujus titulus apud Sirmondum tom. V Concil. col.* 1686 *præfert,* Regula beati Columbani ab Agrestini calumniis per Eustasium abbatem defensa atque approbata est) Quammulti (*episcoporum*) jam in amore Columbani et ejus Regulæ monasteria construunt, plebes adunant, gregem Christi congregant. Inter quos illuster tunc vir Elegius, qui modo Virimandensis ecclesiæ pontifex præest,... juxta Lemovicensem urbem monasterium nobile, Sole-
C mniacum nomine, (*idem, de quo supra S. Audoenus*) construxit supra fluvium Vicennam (*Gallice* la Vienne) distans a supradicta urbe millibus quatuor, et alia multa in iisdem locis cœnobia : sed et in Parisiis puellarum monasterium, quod de regio munere susceperat, ædificat, in quo Christi virginem, AUREAM nomine, præfecit. *Mitto recensere alia monasteria, quæ laudatus Jonas Bobiensis* ex B. Columbani Regula *a variis excitata asserit, et ex S. Audoeni et Jonæ recitatis verbis has duas consectiones deduco : alteram, quam infundate editores Galliæ Christianæ auctæ contra auctorum æqualium testimonium* S. Auream *dixerint, potius sub S. Cæsarii, quam sub S. Columbani Regula vixisse; alteram, quam solida auctoritate nitantur Henschenius noster, Cointius, Castellanus aliique, qui sub S. Columbani institutis, quæ hujus discipuli, teste Jona in Prologo Vitæ ejus,* suis plebibus *seu alumnis* servanda tradiderunt, *Sanctam nostram Deo militasse contendunt.*

stricte Benedictina dici posse, nec eo sensu, quo varii Benedictini,

26 *Ab Henschenio aliisque jam laudatis scriptoribus dissentiunt Benedictini illi, qui volunt, SS. Benedicti et Columbani normam perpetuo atque ab ipso hujus initio unam fuisse, vel qui S. Columbani Regulam Benedictini instituti Appendicem vel Commentarium solummodo esse contendunt; ut adeo, cum, prout in scholis loquuntur, a nobiliori parte denominatio petenda sit,* S. Auream, *etsi ejus cœnobium* in amore Columbani et ejus Regulæ *conditum fuerit, nihilominus tamen germanis manialibus Be-* D *nedictinis accensendam esse, contendant. Sed hæc eorum sententia tam fragili fulcimine nititur, ut Mabillonius alio tramite incedendum sibi esse, existimarit, quo* S. Aureæm *ad suum Ordinem adduceret. Quin ipsemet in Præf. ad* II *Sæc. Bened. num.* 14 *sodales suos refellit in hæc verba :* Columbanus, ut mihi quidem videtur (*et rectissime quidem*) diversum a Benedictino vivendi genus in Galliam invexisse, non immerito dici potest. Primo enim ex Hibernia, seu ex Bancorensi monasterio, venit in Galliam, antequam Regula S. Benedicti in Britanniam insulam, adeoque in Hiberniam penetravisset. Deinde in Gallia constitutus, monachis Regulam peculiarem scripsit, quam in Codice Regularum, una cum ipsius Pœnitentiali legere licet. In ea nullum fere vestigium Benedictinæ Regulæ apparet. Præterea Jonas in Actis Columbani ejusque discipulorum sæpe S. Columbani, nusquam S. Benedicti Regulam memorat. Equidem aliquot in locis Regulam sanctam laudat, quo nomine concilia S. Benedicti Regulam commendare solent. At Jonas Columbani Regulam, quam ipse professus erat, designasse videtur. Adhæc Columbanus et monachi ab eo instituti Scottorum habitum, tonsuram aliosque ritus præferebant, uti ex concilio Matisconensi, Agrestii causa coacto, (*de quo vide* E *num.*23) apparet. Denique in eo concilio conquestus est Agrestius, teste Jona in vita S. Eustasii, quod Columbani discipuli a ceterorum more descisce-rent. *Cum igitur, fatente rursus eodem Mabillonio part.* I *Præf. in* IV *Sæc. Bened. num.* 127, *monasticum S. Columbani genus a Benedictino diversum ac separatum initio fuerit, et Columbaniani monachi peculiarem Regulam, uti certum est, primitus observarint, ruit undequaque eorum opinio, qui, memorato supra fulcimine nixi,* S. Auream *germanis monialibus Benedictinis annumerarunt.*

nec eo, quo vult Mabillonius, qui diversam a sodalibus viam invit,

27 *Aliam, ut jam mox dixi, Mabillonius viam init, ut* S. Auream, *Sæc.* II *Bened. pag.* 38 *in Indice Sanctorum Prætermissorum inter germanas Ordinis S. Benedicti moniales a se collocatam, aliosque viros feminasque sanctitate illustres suo Ordini inserat. Hinc num.* 14 *supra citato, ita disserit :* His argumentis (*quæ superiori num. transcripsimus*) adductus inclinat animus, ut monasticum B. Columbani genus a Benedictino diversum æc separatum principio fuisse, concedam. At utrumque paullo post in unum vivendi genus, quibusdam ritibus detractis et temperatis coaluisse, mihi persuasum est. *Et post pauca interjecta ita concludit :* At in Gallia post synodum Matisconensem anno DCXXV (*in Annalibus suis Bened. annum assignat* 623) ha- F bitam, Columbani ritibus eamdem (*Benedictinam*) Regulam accessisse, nemo jure negaverit. *Mabillonis igitur si credimus, conjuncta statim post Matisconensem illam synodum SS. Benedicti et Columbani Regula, ipsa est illa* districta Regula *eaque* Norma, *ex qua in Galliis tempore S. Eligii condebantur utriusque sexus monasteria.* Hæc itaque est, *inquit num.* 151 *parte* I *Præf. ad* IV *Sæc. Bened.*, illa Norma seu Regula sacra, quam sectabantur Sollemniacenses, aliique ad eorum exemplum informati, ex Audoeno : Id est, Regula Beatissimorum Patrum Benedicti et Columbani; uti explicat Eligius ipse in Testamento suo pro conditione cœnobii Sollemniacensis. Hæc est, inquam, Regula, cui parebant sanctimonialium parthenones, per ea tempora instructi, qualis S. Aureæ parthenon, apud Parisios ab Eligio erectus, ubi Regulam Donati viguisse, existimo.

et cujus opinio

28 *Ita quidem Mabillonius; cujus rationum momenta antequam expendere aggrediar, fateor, nescire me, quo pacto ejus verba, ultimo loco adducta, conciliare inter se apte queam. Quippe, cum eruditus vir de Religiosæ vitæ instituto, ex Regulis SS. Benedicti et Columbani in unum conflato, disserit, geminæ huic Regulæ ita unitæ, quam* Regulam sacram *appellat, asserit* paruisse sanctimonialium parthenones, per ea tempora instructos, qualis

S. Aureæ

A S. Aureæ parthenon ab Eligio erectus; *et mox, nulla interposita voce, non jam geminam illam Regulam, in unum Religiosæ vitæ institutum conflatam, sed Regulam S. Donati, ipsomet hoc Sancto teste, ex tribus Religiosæ vitæ institutis seu ex Regulis SS. Cæsarii, Benedicti et Columbani adunatam, in eodem* S. Aureæ *parthenone viguisse, affirmat. At enim, vel Regulam SS. Benedicti et Columbani, in unum Religiosæ vitæ institutum conflatam, solam Mabillonius computat pro* districta Regula, *seu* norma sacra, *cui parebant sanctimonialium parthenones, per ea tempora instructi; vel sub eodem* Regulæ *et* Normæ *nomine etiam instituta S. Cæsarii et Regularum S. Donati Enchiridion comprehendit; si primum; necesse est sequi, ut vel in Eligiano parthenone S. Donati Regula non viguerit, aut, si hanc illic Mabillonius viguisse velit, ut ad Solemniacensium monachorum exemplum, qui S. Donati Regulam, solis feminis concinnatam, numquam secuti sunt, Eligianus parthenon Parisiensis informatus non fuerit, vel certe non nude et simpliciter* Regulæ sacræ *paruisse dici possit, cum præter hanc aliud Religiosæ vitæ institutum, solis feminis a S. Donato adaptatum, in eo parthenone viguisse, contendat. Si vero nomine* Districtæ Regulæ *seu* Normæ sacræ, *etiam S. Cæsarii institutum et Regularum S. Donati*
B *Enchiridion Mabillonius comprehensa voluit; nimium quantum, ut mihi quidem videtur, incompleta ac manca erit eruditi viri oratio, cum, his Regulis alto silentio involutis, de sola S. Benedicti et S. Columbani adunata Regula ita superius locutus est :* Hæc est, inquam Regula, cui parebant sanctimonialium parthenones, per ea tempora instructi, qualis S. Aureæ parthenon.

expenditur, quæ, quantum ad Regulam S. Donati,

29 *At in rem ipsam inquiramus, et, num sub annum* 632 *viguerit in* S. Aureæ *parthenone S. Donati Regula, nunc investigemus, postmodum de S. Benedicti Regula, quam illic cum S. Columbani institutis statim observatam fuisse, Mabillonius asserit, suo loco acturi. Legenti mihi S. Donati, Vesontionensis episcopi, gesta, qui, ut ipse refert, ex SS. Cæsarii, Benedicti et Columbani Regulis,* collectis in unum flosculis adinstar Enchiridion excerpsit, *quam* Regulam S. Donati *vocant, minime videtur fieri posse, ut hæc in Eligiano sanctæ Abbatissæ nostræ cœnobio a principio viguerit. Ut ita sentiam, hæc me impellunt. Nullam prorsus ab initio conditi hujus parthenonis viguisse illic Regulam, nemo credet; si qua autem viguit, ut diffiteri nemo jure potest, non potuit hæc S. Donati Regula fuisse, quam necdum anno* 631, *imo nec* 633, *quo anno certe conditum erat* S. Aureæ *monasterium, a Sancto*
C *illo Vesontionensi episcopo adornatam fuisse, apparet. Etenim, ut apud nos tom. II Augusti pag.* 198 *ostendit Boschius, S. Donatus natus est circa annum* 594, *unde anno* 631 *vel etiam* 633 *quadraginta circiter annos dumtaxat numerabat; cum autem præfatam Regulam adornavit, non juvenis episcopus, sed caligans fractusque senex, aut certe homo quinquagenarius exstitisse videtur, prout laudatus Boschius noster pag.* 199 *num.* 9 *ostendit, et ipsemet S. Donatus in Prologo Regulæ suæ innuit, ubi se asserit, diu multumque antea renisum, tandem monialium postulatis satisfacere, et ex tribus mox memoratis Regulis Enchiridii ad instar unam conficere Regulam enixum fuisse,* in quantum pro assidua corporali infirmitate divina pietas possibilitatem dedit et sensus obtusi caligo permisit. *Si itaque, ut maxime verisimile est, S. Donatus non nisi senior seu certe post annum* 634 *Regulam suam concinnarit, nescio, qua ratione, eam in* S. Aureæ *Parthenone, anno* 632, *vel certe* 633 *exstructo, ab initio viguisse, adstrui possit.*

cui S. Auream subdit, refellitur.

30 *Ceterum, cum ipsa S. Benedicti Regula non ante a monialibus in Gallia recepta fuerit, quam S. Donatus, Vesontionensis episcopus, eam feminis aptasset, prout ipse Mabillonius Præf. in Sæc.* I *Bened. num.* 48 *fatetur, consequens est, ut nec cum Regula S. Columbani in parthenone* S. Aureæ *ea observata fuerit ante annum* 633, *quo jam sancta Abbatissa trecentis monialibus, a S. Eligio congregatis, præerat. Asserit illic quidem laudatus Mabillonius, Regulam Benedictinam circa annum* 620 *feminis aptatam, atque adeo ante conditum Eligianum Parisiis parthenonem in vigore fuisse; sed oppositum num. præcedenti satis ostensum arbitror; ut proin vel ex hoc solo capite, quod Benedictina Regula ante S. Donati compositam Regulam, judice ipso Mabillonio, a sanctimonialibus in Gallia recepta non fuerit,* S. Aurea *e numero monialium Benedictinarum excludi merito posset. At inquies, ut ut hæc de tempore editæ a S. Donato Regulæ sese habeant, nemo jure negaverit, a Mabillonio Præf. in Sæc.* II *Bened. num.* 15, *recte exponi modum, quo post habitam Matisconensem synodum, supra memoratam, Columbani ritibus Benedictina Regula accesserit, proinde geminas illas Regulas potuisse in* S. Aureæ *parthenone ab exordio ejus observari, imo re ipsa illic primitus viguisse. Respondeo, Mabillonianam facti illius expositionem, quam, qui vult, perlegat, nequaquam loco probationis haberi debere, neque ea, quæ laudatus scriptor, tum citato numero, tum sæpe alibi in Præfationibus suis testimonia adducit, tam firma esse, ut post Matisconensem synodum illico cum S. Columbani institutis conjunctam ubique Benedictinam Regulam et in* S. Aureæ *cœnobio observatam ab initio fuisse, fateri* E *unumquemque cogant. Itaque præcipua, quæ Mabillonius in sententiæ suæ confirmationem adduxit, testimonia separato articulo nunc expendamus, ut sic, libratis in utramque partem rationum momentis, æquus lector dijudicet, an merito jure* S. Aurea *monialibus Benedictinis, proprie dictis, ab eo accenseatur, an vero contra ut Benedictino Ordini adscitilia habèri debeat.*

AUCTORE J. G.

§ III. An alia Mabillonii sententia, secundum quam S. Aurea monialis Benedictina proprie dicta ab eo statuitur, sat firmis testimoniis nitatur; et an monachi Benedictini simul cum monialibus in S. Aureæ parthenonem a S. Eligio introducti fuerint.

Mabillonius neque ex rebus in Matisconensi

Relatis *ex Jona Bobiensi, quas in Matisconensi synodo contra S. Columbani Regulam Agrestius intentaverat, accusationibus, Mabillonius, ut probet, ante S. Eustasii, anno Christi* 623 *defuncti, mortem, et per consequens ante Eligiani parthenonis exstructionem unitas inter se fuisse S. Benedicti et S. Columbani Regulas, ita disserit num.* 13 *Præfationis in Sæc. Bened.* II : Eustasius (*fuit hic S. Columbani alumnus*) aliis Agrestii calumniis fecit satis : ad tonsuræ accusationem, quia rem dissimulare non poterat, nec aliis forsitan approbari posse putabat, nihil respondit. *Et paulo post :* Reversus e concilio Matisconensi Eustasius, ut scandalum de tonsura (*Scottorum*) inusitata, aliisque moribus ab Ecclesia Romana alienis excuteret, S. Benedicti Regulam cum Columbani institutis conjunxit. *At profecto, quominus Mabillonio hæc adstruenti credam, obstant imprimis, quod ea, quæ Agrestius in illa synodo contra Luxoviensium, seu Columbani discipulorum tonsuram objecit, ut* garruli calumniatoris *verba etiam a Matisconensibus patribus habita fuisse, appareat, et quæ non alio responso dignatus est S. Eustasius, quam* microloga et frivola callulantem *seu effutientem Agrestium intra præsentis anni circulum ad divinum judicium citando, ubi reipsa infra eumdem annum comparuit Agrestius, a servo suo, quem ipse redemerat, interfectus; prout Jonas Bobiensis in Vita S. Eustasii apud nos tom. III Martii pag.* 788, *num.* 12, *et pag.* 789, *num.* 13 *fusius enarrat.*

in Matisconensi F

concilio gestis,

32 *Jam vero, an credi debet, frivolam garruli hominis calumniam tantæ apud episcopos auctoritatis meritum et pondus habuisse, ut novam idcirco Regulam Luxoviensibus S. Columbani alumnis servandam*

AUCTORE J. G.

vandam præscriberent? Aut, an magis credibile est, Luxovienses monachos, postquam sui patris, S. Columbani, instituta, tanto cum honore in Matisconensi synodo a calumniis vindicata et approbata viderant, extraneam Regulam in suum cœnobium introducere voluisse, idque ab ipso Eustasio, Columbanianæ Regulæ glorioso vindice, fuisse statim exsecutioni mandatum? Hæc si fecisset Eustasius, non jam se victorem, sed victum, Agrestium vero non futilem calumniatorem, sed justum æquumque accusatorem re ipsa professus fuisset, quod factum, adeo hominis triumphantis genio adversans, etiam diserte affirmanti scriptori synchrono vix quisquam crederet. At non tantum nemo antiquus id diserte retulit, sed Jonas expresse contrarium affirmat, dum num. 16 *laudatæ Vitæ S. Eustasii refert,* Galliarum episcopos post ad roboranda Columbani instituta aspirasse, multosque in amore Columbani secundum ejus Regulam monasteria construxisse, *inter quæ ipsummet* S. Aureæ *parthenonem, a S. Eligio exstructum, annumerat, ut adeo ex rebus, in Matisconensi synodo gestis, nihil præsidii habeat Mabillonius, quo ante conditum Eligianum parthenonem S. Columbani et S. Benedicti Regulas unitas fuisse, probet, eoque*

B *titulo* S. Auream *germanis Benedictinis accenseat.*

nec ex anonymi auctoris Vitæ S. Salabergæ

33 *Confugit vir eruditus ad auctorem Vitæ S. Salabergæ et ad Prologum S. Donati, Vesontionensis episcopi, et, ut inde opinionem suam stabiliat, ita ibidem loquitur :* Hinc auctor libri de Vita B. Salabergæ, supra laudatus, affirmat, sub Waldeberti, qui Eustasio paullo post concilium successit, regimine complura monasteria ex Regula dumtaxat SS. Benedicti et Columbani ædificata fuisse : quod etiam S. Donati aliorumque testimonio confirmavimus. *Exstat S. Salabergæ Vita apud nos tom. VI Septembris pag.* 521 *et seqq. scripsitque illius auctor post annum* 680, *seu, ut ipse loquitur,* post civile bellum inter reges Francorum Theodoricum (*III*) et Dagobertum (*II*) exortum; *quid porro in Vita S. Salabergæ de S. Waldberto seu Waldeberto ad rem nostram dicatur, audiamus. Descriptis S. Salabergæ illustribus natalibus, educatione, sanatione prodigiosa, ipsiusque conjugio, ac demum S. Eustasii, cujus precibus ipsa sanata fuerat, beato ad Superos transitu, Parergon de Waldeberto, S. Eustasii successore, Vitæ S. Salabergæ inseritur, quo ille in regimine fratrum S. Eustasio successisse narratur, ac post pauca de eodem hæc recensentur :* Hujus (*Waldeberti*) tempore per Galliarum provincias agmina monachorum et sacrarum puellarum examina, non solum per agros, villas vicosque atque castella, verum etiam per eremi vastitatem ex Regula dumtaxat beatorum pa-

C trum Benedicti et Columbani pullulare cœperunt: cum ante illud tempus monasteria pauca illis reperirentur in locis. *Demus, Parergon illud non fuisse ab interpolatore Vitæ S. Salabergæ subdole insertum; demus, in ipsius Vitæ apographis nulla reperiri errata, quæ et librariorum audacia et temporum longinquitas induxit; quid tamen inde pro Mabillonii sententia confici possit, videamus.*

verbis, quorum expositio datur,

34 *Ex his anonymi verbis, prout in excusis apographis exstant, concludi evidenter posset, provecto sæculo* VII *in Galliis non incognitam fuisse S. Benedicti Regulam, adeoque corrigendum esse Dervensem monachum Benedictinum, qui libro Miraculorum S. Berycharii num.* 9 *apud Mabillonium Sæc.* II *Bened. pag.* 847 *ita scripsit :* Regula etenim sanctissimi patris nostri Benedicti adhuc inaudita hominibus Francorum imperii, solertissima industria istius principis (*Rodulfi*) jubar suæ claritatis (*sæculo* X) plurimis infudit ecclesiis. *At non ita ex prioris anonymi verbis confici potest, jam tum ab anno* 625, *quo Waldebertus Luxoviensis abbas creatus est, ne unum quidem, seu Parisiis, seu in aliis Galliæ urbibus, ex S. Columbani Regula excitatum monasterium fuisse, quin simul cum hac Regula institutum Benedictinum eo introductum fuerit. Et certe, vel alio sensu, quam quo vult Mabillonius, illa biographi S. Salabergæ verba exponi debent, eo nimirum, ut ab anno* 625 *usque ad* 665, *quo tem-* D *poris decursu Luxoviensibus S. Waldebertus præfuit, Columbaniani Ordinis monasteria multiplicari cœperint, dum eodem tempore ex S. Benedicti Regula pullulare alia cœperunt : quo quidem sensu admisso, nihil hoc Parergo ineptum assereretur, nec quidquam Waldeberto detractum esset; vel, si ab anno* 625 *unitæ inter se in Galliarum cœnobiis fuerint S. Benedicti et S. Columbani Regulæ; nec hujus institutum sine Benedictino propagatum fuerit, necesse erit, fateri, Jonam Bobiensem, scriptorem S. Walberto et* S. Aureæ *coævum, auctoritatis et bonæ fidei palmam anonymo, multo juniori, cedere debere et nihil minus fecisse, quam quod se facere profitetur, videlicet* nemini panegyrico carmine favere, *et* digna memoriæ commendare.

suam sententiam valide probat,

35 *Etenim si stat Mabillonnii expositio, nonne de studio partium, imo nonne de Benedictinæ Regulæ odio accusari merito Jonas poterit, quod nusquam illius meminerit, et solam Columbani Regulam commendarit, cum tamen, ut Mabillonius contendit, S. Benedicti instituta jam ab anno* 625 *in unum vitæ genus cum Columbaniana Regula coaluissent, et tum, cum facta est illa Regularum conjunctio, Columbaniana semper, ut minus præcipua, Benedictina vero, ut nobilior, habita sit, atque ab hac, ut in scholis loquuntur, denominatio Ordinis* E *S. Benedicti desumenda fuerit. Adhæc qua potuisset sinceritatis specie laudatus Jonas scribere, quod Abellenus ceterique Galliarum episcopi aspirarint* ad corroboranda Columbani instituta, *in Matisconensi synodo Patrum calculis probata, quodque* in amore Columbani et ejus Regulæ monasteria construxerint, *si statim post synodum illam, ut num.* 23 *vult Mabillonius, vel etiam ante eam, ut quidam Benedictini volunt, non alio modo instituta S. Columbani fuerint roborata, quam injuncta horum sectatoribus alterius Regulæ observatione? Aut quis demum credat, laudatum Jonam, qui* digna memoriæ se commendare *profitetur, silentio prætermissurum fuisse rem apud viros Religiosos summi momenti, qualis est instituti unius in aliud mutatio, vel alterius Regulæ ad priorem accessio, si re vera ea suo tempore mutatio in Columbaniana monasteria introducta jam erat, aut introduci tum cœperat? Quid? quod non solus Jonas Bobiensis ea de re altum sileat, sed et biographus S. Philiberti Sæc.* II *Bened. pag.* 819 *aperte asserat, etiam post mortem S. Agili, quæ sub annum* 650 *contigit, multa Galliarum cœnobia* sub norma S. Columbani *degisse, itaque distincte Basilii charismata, Macarii Regulam, Benedicti decreta et Columbani instituta ab invicem segreget, ut non magis S. Columbani Regulam cum Benedictina,* F *quam cum Basiliana aut Macariana, in unum Religiosæ vitæ institutum coaluisse, innuat. Mitto alios horum temporum scriptores, qui S. Waldeberti alumnos* S. Columbani monachos *constanter vocitant.*

sed nec ex Prologo Regularum S. Donati,

36 *Neque vero ex Prologo Regularum S. Donati multum præsidii Mabilloniana habet sententia. Nam etiamsi ea, quæ num.* 29 *de S. Donati Regula disseruimus, adversarii solidis rationibus, quod tamen futurum non existimo, refellerent, nihilo magis tamen inde opposita nobis opinio confirmaretur. S. Donati verba, quæ Mabillonius Præf. ad Sæc.* II *Bened. num.* 10 *partim adducit, ita habent :* Quam ob causam sæpius mihi injungitis, ut explorata S. Cæsarii, Arelatensis episcopi, Regula, quæ specialius Christi virginibus dedicata est, una cum beatissimorum Benedicti quoque et Columbani abbatum, ut puta, quibusdam, ut ita dixerim, collectis in unum flosculis ad instar Enchiridion excerpere vobis vel coacervare deberem. *Ex his S. Donati verbis, quibus Gauthstrudem ceterasque cœnobii, a matre sua Flavia quondam constituti, moniales compellat, hæc infert Mabillonius :* Quorsum, quæso, virgines Jussanenses in vicinia Luxoviensium monachorum consistentes, a Donato, S. Columbani discipulo, poscunt aptari sibi S. Benedicti Regulam, nisi quia, a monachis circum positis observari hanc advertebant, eosque cupiebant imitari? *Hæc scisci-*

tanti

AUCTORE J. G.

A *tanti Mabillonio atque inde num.* 15 *inferenti, etiam vivente S. Eustasio, Luxovii alibique conjunctam fuisse S. Benedicti et S. Columbani Regulam, responsio hæc non longe petita in promptu est : Jussanenses sanctimoniales, ut patet ex ipso S. Donati Prologo, tres illas Regulas legere aut saltem de iis quædam audire potuisse, in iisque nonnulla advertere, quæ provide utiliterque sancita existimabant; quapropter hæc, ut suo sexui sapienter aptarentur, enixe desiderantes, S. Donatum, Religiosæ vitæ peritissimum ducem, instantissime rogasse, ut ex singulis S. Cæsarii, S. Benedicti et S. Columbani Regulis præstantissimos flosculos excerperet ex iisque sibi Enchiridion componeret. Neque, ut tam justa moniales postulent, necesse esse video, ut apud vicinos monachos SS. Benedicti et Columbani conjuncta Regula prius viguerit, aut eorum solum monachorum exemplo adductæ, moniales tam æqua postulaverint. Nec magis arbitror, ex S. Donati verbis id consequi, quod intendit Mabillonius, quam ex Enchiridio, quod nunc quis Religiosæ vitæ peritus director ex constitutionibus S. Francisci, S. Dominici et S. Ignatii monialibus adaptaret, inferri legitime posset, in uno aut pluribus virorum cœnobiis simul duas aut tres ex memoratis Regulis indivulso consortio nunc observari aut antea observatas*

B *fuisse.*

aut a deposita, ut contendit, a Luxoviensibus Scotica tonsura

37 *Porro eodem num.* 13 *Præf. in Sæc.* II *Bened. propositum suum ita Mabillonius urget :* Et certe quis credat, Audoenum, Eligium, Nivardum ex Luxoviensi monasterio arcessituros fuisse monachos Simoniaca distinctos corona, quam homines Romanis moribus addicti adeo aversabantur? *Quibus verbis contendit, jam a tempore S. Eligii seu paulo post Matisconensem synodum Luxovienses monachos, deposita corona Scotica, Benedictinum institutum amplexos fuisse. At undenam probat Mabillonius, Scoticam Luxoviensium tonsuram a Matisconensibus Patribus pro vere Simoniaca ac scandalosa fuisse habitam, minusque eis visam fuisse tolerabilem, quam diu post visa sit ipsi S. Ceolfrido, abbati Wiremuthensi, qui, quamquam eam tonsuram minime probaret, eos tamen, qui illam gerebant, non judicavit condemnandos.* Neque vero, *inquit in sua ad Naitanum, Pictorum regem, epistola, quam Beda lib.* V *cap.* 22 *Historiæ suæ recenset,* me hæc ita prosecutum æstimes, quasi eos, qui hanc tonsuram habent, condemnandos judicem, si fide et operibus unitati Catholicæ faverint; immo vero confidenter profiteor, plurimos ex eis sanctos ac Deo dignos exstitisse. *Cum ergo, eodem Ceolfrido teste,* tonsuræ discrimen non noceat, quibus pura in Deum fides et caritas in proximum

C sincera est, *et Agrestii adversus Luxovienses de tonsura Scotica accusatio, ut frivola et responso indigna in Matisconensi synodo habita fuisse videatur, haud facile crediderim, statim post synodum illam Luxovienses tonsuram suam mutasse. Suadet id mihi etiam antiquum manuscriptum Elnonense seu abbatiæ S. Amandi, in quo, ut refert Longuevallius Hist. eccles. Gall. tom. IV, pag.* 134, *post S. Amandi Testamentum illius effigies ceterorumque præsulum, qui eidem subscripserunt, exhibetur, quos inter S. Mommolenus, in Noviomensi sede S. Eligii successor, et antea Luxoviensis monachus, comparet, Scoticam tonsuram gestans. Sed quid si Mabillonio concederetur, non diu post Matisconensem synodum S. Columbani in Gallia alumnos, ut se Romanis moribus magis conformarent, Scoticam suam tonsuram deposuisse; an tonsuram Romanam non æque assumere potuerunt sine Regulæ Benedictina, quam Romanam celebrandi Paschatis normam ante Matisconensem synodum admiserint, ut tamen propterea ante eamdem synodum S. Benedicti Regulam non fuerint amplexi?*

aliisque testimoniis etiam sufficienter firmat.

38 *Accumulat deinde Mabillonius num.* 17 *et seqq. ac dein in aliis Præfationibus suis testimonia varia, quibus assertionem suam vel stabilire vel illustrare nititur. Sed cum hæc illos potius feriant, qui nimis seram Benedictinæ Regulæ propagationem statuunt, quam faciant contra eos, qui statim post Matisconensem synodum S. Columbani Regulæ Benedictinam in Galliis unitam negant, prætermissis illis, unum dumtaxat adductum ab illo testimonium adhuc discutiam, unde ejus sententia, si quo ex capite, potissimum contra hos probari posse videatur. En illud : S. Eligius in charta, pro monasterio Solemniacensi anno* 631 *data, prout eam Mabillonius in Addit. et Correct. ad Sæc.* II *Bened. pag.* 1091 *edidit, dicit, asceterium illud a se dotatum esse,* ea interposita conditione, ut (*monachi*) tramitem religionis sanctissimorum virorum Luxoviensis monasterii consequantur et Regulam beatissimorum PP. Benedicti et Columbani firmiter teneant. *Cum autem S. Eligius merito dici possit, eamdem Regulam, quam in Solemniacense cœnobium introduxerat, voluisse etiam Parisiis in asceterio* S. Aureæ *omni custodia teneri, evidens videbitur, jam tum ab anno* 631 *adeoque paucis annis post Matisconensem synodum conjunctam fuisse utramque jam memoratam Regulam, et* S. Auream *proinde, quæ S. Columbani Regulæ paruit, justissimo certissimoque titulo Benedictinis Fastis inscribi; unde nil verbis opus, nec conveniendum fuisse Mabillonium, dices, dum parte* I *Præf. in Sæc.* IV *Bened. num.* 131, *et Sæc.* II *in Indice Prætermissorum* S. Auream *iis accensei, qui germani Benedictini sunt.*

E

S. Eligii charta pro monasterio Solemniacensi, cujus apographa dissonant,

39 *Rem penitius inspiciamus : Mabillonius, cum loco citato chartam illam typis vulgaret, ait, se eam descriptam accepisse ex Ms. codice Solemniacensi; Benedictini vero editores Galliæ Christianæ auctæ tom. II inter Instrumenta ecclesiæ Lemovicensis col.* 183 *et seqq., unde eam habeant, non edicunt; id etiam tacet Cointius, dum eam refert tom. IV Annal. eccles. Franc. pag.* 861 *et seqq. Est porro inter has chartæ editiones nonnulla discrepantia : Mabillonius horrendas illas imprecationes, quibus Eligius eos ferit, qui dispositioni a se factæ refragari tentaverint, substituta earum loco aliquot punctorum serie, præter unam, omnes omisit; Benedictini vero, jam laudati, nullam ex his imprecationibus suppresserunt; Cointius vero, excepta una, omnes prætermisit, non substituta tamen, ut fecit Mabillonius, punctorum aliquot continua serie. Unde non convenire exactissime inter se illius chartæ apographa videas. Est et aliud inter hujus chartæ editiones discrimen, quod huc maxime spectat, et unde, si autographum illius exstaret ac consuli posset, facilius hæc controversia dirimeretur. Verba hæc :* Ut Regulam beatissimorum PP. S. Benedicti et Columbani firmiter teneant, *leguntur quidem in Præf. ad Sæc.* II, *num.* 23 *et apud editores Galliæ Christianæ auctæ, cum hoc tamen exiguo discrimine, quod in Galliæ Christianæ tomo II citato non magis Benedicto quam* F *Columbano* Sancti *titulus præponatur; verum memorata superius verba eruditus auctor Annalium eccles. Franc., qui sibi persuasum habet, in monasteriis S. Columbani hoc tempore susceptam non fuisse Benedictinam Regulam, indubitanter abradenda censet, chartamque illam interpolatam asserit. Adversus hunc acriter insurgit Philippus Bastide, Benedictinus monachus, pag.* 74 *et* 75 *de Ordinis S. Benedicti propagatione. Sed num merito Cointius hic vapulet, judicium lectori relinquo.*

et autographum flammis consumptum fuit,

40 *Profecto, qui ex pancharta Caroli Calvi, anno* 865 *data, quam habes apud Bouquetum tom. VIII, pag.* 396, *perspectum habet, Solemniacense* monasterium quondam fuisse paganorum igne crematum cum omnibus, quas (*monachi illius*) visi fuerunt habuisse præceptorum regum, sive harum cartarum auctoritatibus, per quas res et aliquod donum ad eandem ecclesiam tradita fuerant, *seu, ut in Privilegio, a synodo Suessionensi anno* 866 *Solemniacensibus dato, dicitur, qui novit,* Nortmannorum crudelitate crassante, priora (*monasterii Solemniacensis*) instrumenta incendio fuisse concremata, *ideoque postmodum omni studio et industria laborasse Bernardum, Solemniacensem abbatem, ut* vice crematorum præceptorum sive cartarum, *per factam earum regia et ecclesiastica auctoritate*

AUCTORE J. G.

auctoritate innovationem Solemniacenses deinceps securi, *et, ut pancharta illa etiam loquitur,* nullam patientes inquietudinem, consistere possent; *hæc, inquam, qui novit et æquo animo expendit, ambigere vix aut ne vix quidem poterit, quin autographa S. Eligii charta, a Dagoberto I firmata, qua Solemniacensis fundus monachis attribuitur, tunc quoque Normannorum incendiis interierit; prout etiam ipsemet Mabillonius lib.* 1 *de Arte Diplomatica cap.* 7, *num.* 6 *non obscure indicat, asserens, Solemniacenses privilegia chartasque suas, seu priora instrumenta, indistincte Nortmannorum incendio concremata, a principibus episcopisque resarciri seu innovari flagitasse; unde nec illico quilibet Eligianæ chartæ, ut est a laudato scriptore Sæc.* II *Bened. edita, certam indubitatamque ex omni parte fidem adjunget, neque in Cointium tam acriter, ut fecit Philippus Bastide, insurgendum esse existimabit, propterea quod ille, nixus Jonæ Bobiensis, scriptoris Eligio coævi, auctoritate et fide, nullam in autographa charta Regulæ S. Benedicti mentionem habitam fuisse, contenderit, illudque documentum, ut est a Benedictinis vulgatum, aliqua ex parte ab interpolatione non immune pronuntiarit.*

non servato, ut videtur, undequaque

B

41 *Quin imo cum credi non debeat, Solemniacensibus ascetis de chartarum suarum apographis majorem, quam de ipsis autographis servandis curam et sollicitudinem fuisse, dato etiam, quod ante Normannorum incursiones atque incendia Eligianæ chartæ apographum Solemniaci exstiterit, ægerrime quis sibi in animum inducet, illud præ autographo subductum flammis fuisse. Quare non omnino temere suspicari quis poterit, Eligianam Mabillonii chartam originem suam Solemniacensi cuidam monacho debere, qui, cum ante Normannorum sæc.* IX *Solemniaco fatalem excursionem autographam chartam ejusve forte apographum legisset, eis nunc incendio absumptis, sed postea tamen legitima auctoritate, quantum ad attributas attinet possessiones, generatim confirmatis, vicarium instrumentum, ad perpetuam S. Eligii, fundatoris sui, commendationem substituere conatus sit, in quo ille, ratus, earumdem Regularum ab initio inter suos viguisse observationem, quæ suo tempore in usu erat, Eligianis de Luxoviensi instituto verbis, de suo hæc addiderit:* Et Regulam beatissimorum patrum Benedicti et Columbani firmiter teneatis. *Et sane mirum adeo non esset, si in Eligianam hanc chartam, æque ac in alias, quæ ad supplendam veterum instrumentorum ex bellis incendiisque jacturam de novo compositæ fuerunt, saltem adjuncta quædam, ad summam rei nil proxime facientia, irrepsissent, quæ pro indubitatis haberi non debent, cum alias innovatis hoc*

C

modo diplomatis inserta nonnulla sint, quæ a veritate historica certo aliena esse deprehendantur.

genuino ejus exgrapho,

42 *Quod si quis dicat, felici quodam, at ignoto casu, Solemniacenses immune a flammis servasse Eligianæ chartæ, quod Regulæ S. Benedicti meminit, genuinum apographum, illudque postmodum in Ms. Codicem Solemniacensem, unde illam Mabillonius exaratam accepit, exactissime transcriptum fuisse; quærere ex eo liceat, an tempore laudati Bernardi illud apographum apud Solemniacenses exstiterit, an vero postmodum tantum adeo feliciter repertum fuerit. Si tempore Suessionensis synodi, jam laudatæ, apud illos erat, cur in ipsa causæ suæ coram Suessionensibus Patribus expositione Solemniacensis abbas Bernardus illud loco exusti autographi* præ manibus habuisse *et Patribus* recensendum obtulisse, *non legitur? Aut si illud ad manum erat, iisdem verbis, ut Mabillonio exhibetur, conceptum, qua fronte ausus est nonnulla aliter de cœnobii sui fundatione referre, quam Eligiana Mabillonii charta diserte exprimit? Etenim, ut alia omittam, ipse a S. Eligio monachos Solemniacenses institutos fuisse refert, ut* normam S. Benedicti inviolabiliter tenerent, *dum ex adverso Eligiana Mabillonii charta eos institutos fuisse, diserte asserit,* ut ipsi et successores eorum tramitem religionis sanctissimorum virorum Luxoviensis monasterii consequerentur et Regulam beatissimorum patrum Benedicti et Columbani firmiter tenerent. *Si quis vero post synodum Suessionensem, anno Christi* 866 *habitam, illud apographum feliciter inventum, ac demum Solemniacensi codici Ms. accurate inscriptum fuisse, adstruat; quibus argumentis factum hoc probabit? Qua ratione apographum illud authenticum, undequaque sincerum, ab omni librariorum mendo immune esse ostendet? Eccur Mabillonius codicem illum Solemniacensem, unde submissa ad se charta descripta fuit, ab antiquitate aliove titulo non commendat, cum tamen alias codicum suorum, si ab antiquitate aut alio nomine commendabiles sint, ætatem indicare eorumque auctoritatem celebrare soleat?*

D

etiam evidenter non ostendit, S. Auream proprie Benedictinam fuisse,

43 *At, inquies, laudatus jam abbas Solemniacensis innuit, suos primitus* Normam S. Benedicti inviolabiliter tenuisse. *Audio: sed cujus hic auctoritas præferri merito debet, an Bernardi hujus, S. Eligio ducentis et ultra annis recentioris, an vero Jonæ Bobiensis, scriptoris S. Eligio synchroni, asserentis Sæc.* II *Ben. pag.* 122, *cœnobium illud* in amore Columbani et ejus Regulæ constructum *fuisse, cum nempe Columbaniana Regula in Matisconensi synodo glorioso exitu jam triumphasset, et* Abellenus vel ceteri Galliarum episcopi ad roboranda Columbani instituta adspirarent. *Neque vero*

E

ea, quæ in Suessionensi synodo laudatus Bernardus retulit, ab ipsa synodo omnia confirmata dixeris; cum Patres Suessionenses hoc unum intendisse videantur, ut Solemniacense monasterium, a S. Eligio conditum, consumptis antea incendio authenticis chartis, ab omni usurpatione immune redderent, ac dato novo privilegio chartarum veterum jacturam resarcirent, de cetero parum solliciti in illud sedulo inquirere, an Solemniacenses monachi sub sola S. Columbani Regula, an simul sub S. Benedicti institutis ab exordio vixissent. Ut ut hæc se habeant, malim cum Cointio, num. 39 *laudato, Solemniacensem S. Eligii chartam, ut est a Benedictinis edita, in subjecta materie interpolatam dicere, vel certe a dubia ejus aliarumve similium auctoritate in hac re recedere, quam contra Jonæ Bobiensis recensita num.* 23 *testemonia adductasque rationes contemptim eundo, Solemniacenses monachos sanctamque* Auream *cum suis monialibus eo tempore Benedictinæ Regulæ subdere, quo eorum monasteria* in amore S. Columbani et ejus Regulæ *condita fuisse, tam diserte litteris traditum, reperio. Qua quidem in opinione eo fortius confirmor, quo minus verosimile est, conditis sub Waldeberti regimine ejusve opera Columbanianis cœnobiis, alias ab eo leges præscriptas fuisse, quam sancti Patris sui*

F

institutum, quod, teste Jona Bobiensi, S. Eustasius, decessor suus, in omnibus *secutus est, quodque hunc* suis plebibus *seu alumnis ac præsertim S. Waldeberto exactissime observandum tradidisse, dilucide idem Jonas innuit.*

opinio vero, quæ duplex fuisse S. Aureæ monasterium,

44 *Ad tertium nunc procedo disceptationis caput, et, num a S. Eligio Parisiense monasterium, cui* S. Auream *præfecit, sic conditum fuerit, ut illud etiam simul monachi Benedictini, sejunctis tamen ædibus, incolerent, ad eam nempe normam, quæ in cœnobio Fontis-Evraldi servatur, examinare aggredior. Monasterium hoc, a sancto Eligio Parisiis exstructum,* duplex fuisse, virorum scilicet ac mulierum, *autumant editores Galliæ Christianæ auctæ tom. VII, col.* 280, *consentque, id* colligi ex Breulio Antiquitatum Parisiensium *pag.* 169, ubi Quintilianus (*vide num.* 20) a S. Audoeno Beatus nuncupatus, legitur abbas S. Aureæ seu S. Eligii. *His præiverant Felibianus et Lobineau tom. I Hist. urbis Paris. pag.* 31, *num.* 65, *ubi de basilica S. Pauli, a S. Eligio ædificata, quam ipsi perperam* sacellum *vocant, ita suo idiomate loquuntur:* Antequam Parisiensis urbis pomœria augerentur, ei sacello A Campis cognomen erat, nunc e præcipuis urbis parochiis est. Colitur hic sanctus aliquis abbas Quintilianus, vivente S. Audoeno, ibidem sepultus. Erat hic monachorum, qui moniales

S. Aureæ

A S. Aureæ gubernabant, superior; etenim pleraque monialium cœnobia sæculo VI et sæculo VII duplicia erant, ita ut præter monialium cœtum, qui numerosior erat, intra eadem septa monachorum etiam congregatio degeret, sejunctis tamen ædibus, ad hunc fere modum, quo id hodieque in abbatia Fontis-Ebraldi (*Gallice* Fontevrault) fieri videmus. *Similia Quetifus in Vita* S. Aureæ *pag.* 24 *edit. anni* 1625 *jam ante recensuerat, diserte etiam asserens, Quintilianum illum aliosque monachos, qui magno numero* S. Aureæ *cœnobium incolebant, Benedictinos fuisse. Ita quidem laudati scriptores existimant : at, cum antiquorum testimonia in medium non protulerint, multo facilior expeditiorque erit eorum, quam Mabillonii supra conventi, refutatio.*

nimirum monialium et monachorum Benedictinorum statuit,

45 *Fuerint, ut ipsi adstruunt, sæculis* VI *et* VII *pleraque virginum monasteria duplicia : at certe omnia duplicia fuisse, non probant. Hinc non, nisi conjectando, asseri potest, ita conditum fuisse a S. Eligio* S. Aureæ *cœnobium, ut non tantum trecentæ moniales inter se domicilii et mensæ et rerum omnium communione illic juncta viverent, sed etiam intra illius septa, quamquam in separatis ædibus, monachorum cœtus degeret, qui, si numerosam illam monialium catervam multitudine non æquabat, haud ita tamen multo inferior numero esset. Sed inanem*

B *hanc eorum conjecturam evertit S. Audoeni, de hoc parthenone agentis, altissimum de monachis illis silentium. Adhæc nemo sibi facile in animum inducet, centum et sexaginta moniales uno tempore cum sua abbatissa* S. Aurea *peste sublatas fuisse, monachorum vero, inter eadem septa habitantium, exstinctum neminem; aut, si ab ea lue monachi immunes non fuerint, cur non de his æque ac de illis eadem occasione S. Audoenus mentionem fecerit. Refert quidem laudatus antistes, in basilica S. Pauli, quam S. Eligius sepeliendis monialium corporibus destinarat, jacuisse beatum quemdam Quintilianum seu Quintianum abbatem; (de quo ad diem* 6 *Octobris ex Menardo in Opere nostro sermo recurret) sed hunc S. Audoenus nusquam* abbatem monasterii S. Aureæ *vocavit, nec eum ascetarum Benedictinorum, quos supra memorati recentiores illic degisse volunt, superiorem seu præpositum fuisse, indicat. Potuit Quintilianus ille a sancto Audoeno* abbatis *nomine compellari, quod spiritualis forte monialium pater fuerit, qui, sacerdotali charactere præditus, sacrosancta salutis adminicula ipsis administravit : hujusmodi autem* abbas, *seu spiritualis pater, æque ex sæculari clero, quam ex monachis assumi poterat; et utut monachus is fuisset, an ideo statim Benedictinus, et Benedictinorum ascetarum, in* S. Aureæ

C *parthenone degentium, superior?*

multo minus solide probatur.

46 *Adhæc, ridiculum esset etiam suspicari, interdictum a S. Eligio aut quovis alio fuisse, ne in cœmeterio illo sacerdos aliquis aut monachus, maxime sanctitate illustris, sepeliri posset, nisi is Benedictinus asceta fuisset. Demum, si vel tum in cœnobio illo Benedictini monachi agebant, sat numeroso cœtu monialibus trecentis præpositi, edisserat mihi aliquis, cur in charta Galonis, Parisiensis episcopi, quam tom. VII Galliæ Christianæ auctæ col.* 42 *inter Instrumenta ecclesiæ Parisiensis habes, nulla de his mentio fiat. Asserit illic e contrario Parisiensis episcopus,* monasterium S. Eligii (*cui ab hoc* S. Aurea *præfecta fuerat*) Ordini... monacharum (*seu monialium*) antiquitus fuisse deputatum; *affirmatque idem Parisiensis præsul, se* altiori religionis ordine, cum Dei auxilio, sanctum locum decorare, *cum in eum, pro monialibus, monachos eosque Benedictinos anno* 1107 *introducit. Hi igitur antea, seu a S. Eligio eo introducti non fuerant. Ait etiam mox laudatus antistes,* institutum *tunc esse,* ut duodecim ad minus monachi cum suo Priore ad serviendum Deo illic apponantur, qui juxta Regulam S. Benedicti ad ordinem tenendum sufficere videantur. *Cum ergo primum* XII *sæculo* S. Aureæ *monasterium ex concessione Galonis episcopi possidere Benedictini cœperint, evidens est, eos primitus in eodem monasterio non adunatos, nedum tanto cœtu cum monialibus fuisse, ad eam ferme normam, quæ hodiedum in cœnobio Fontis-Ebraldi servatur.*

AUCTORE J. G.

§ IV. S. Aureæ instans obitus prænuntiatus, ejus mors, sepultura, corporis translationes, lipsanotheca.

Sancta ex cœlesti apparitione S. Eligii

Præclarus Rothomagensium antistes, S. Audoenus, de cujus verbis num. 20 *recensitis, fusius, quam vellem, disputandi necessitas fuit, sanctam Abbatissam nostram* dignam Deo Puellam *vocasse contentus, de illius virtutibus et rebus ad usque obitum præclare gestis, cum hæ ad Vitam S. Eligii, quam scribebat, non spectarent, summum tenuit silentium. Neque, quod dolendum, alius quisquam antiquus auctor exstat, aut saltem hactenus notus est, qui de his pro meritis verba fecerit. Hinc malim eas etiam silentio præterire, quam ex recentioribus multa desumere, quæ quidem ad ejus laudem mirifice faciunt, at antiquitatis testimonio destituta, fidem facere sat certam nequeunt. Existimare tamen quilibet poterit, illustribus eam fulsisse virtutibus Deoque inprimis gratam fuisse, quæ de instanti sibi morte non vulgari prodigio præmonita fuerit, et præsaga mente nonnullas ex monialibus suis designarit, quas in morte* E *comites habitura esset. Factum hoc S. Audoenus, jam sæpe laudatus, lib.* II *Vitæ S. Eligii cap.* 33 *his verbis narrat :* Factum est igitur, cum nefanda clades depopularetur urbem Parisiacam, et nonnullæ jam virgines ex monasterio sancti viri (*Eligii*) ubi Aurea nomine præerat abbatissa, ad Dominum præcessissent, apparuit quadam die beatus Eligius cuidam adolescenti in basilica puellarum veste candida amictus, togarum velamine comptus : cumque is, qui aderat, nimio pavore perterritus, latibulum quæreret, blande eum leniterque compellans vir beatus, præcepit, ut iens cito diceret Matri virginum, quod ad se quantocius cum deputatis properaret virginibus.

de instanti sibi multisque monialibus morte

48 Currens autem is, qui audierat, et citius Auream præveniens : Surge, inquit, velociter, quia dominus Eligius in ecclesiam te vocat. Quod cum illa audisset, gaudio magno repleta, sine mora properavit; sed tamen, cum venisset, visio beati viri jam abolita erat; ecclesia vero ad firmitatis indicium, quod illic esset visus, nebula quadam repleta monstrabatur, in tantum, ut candelabra quoque et vela subita roris inundantia distillare viderentur. Tunc ergo prædicta Aurea in sese reversa, intellexit, se ex hoc mundo vocari; et protinus convocans omnes sorores, cœpit valedicere singulis, sequestrans ex eis nonnullas, quæ eam F comitarentur inter cæteras : deinde jam ipsa migrante ad Dominum, et reliquæ nihilominus subsequutæ sunt demum, adeo ut ea tempestate ex eodem monasterio usque ad numerum centum sexaginta monachæ morerentur. *Atque hic fuit* S. Aureæ *ad Superos, ex hac vita transitus, prævia S. Eligii apparitione etiam memorabilis, quem hoc titulo S. Audoenus inter cetera a S. Eligio, jam defuncto, patrata miracula minime silentio involvendum censuit, atque ita, ut supra relatum est, tempore grassantis Parisiis luis factum fuisse, se didicisse testatur, sic lib.* II *Vitæ S. Eligii cap.* 32 *loquens :* Inter cætera vero neque illud puto silendum, quod tempore mortalitatis Parisius didici gestum; *non utique ex mera vulgi fama, cui gravissimus ac prudentissimus scriptor, S. Audoenus, parum, imo nihil fidei tribuisset, sed, ut merito credi debet, ex unanimi constantique monialium,* S. Aureæ *superstitum, testimonio, quæ mox dicta vel ex proprio sanctæ Abbatissæ ore audierant, vel oculis ipsæ viderant, quæque in re tanti momenti S. Audoeno imponere minime ausæ fuissent.*

præmonita, pie ante illas moritur

49 *At hic institui quæstio posset, qua ratione dici queat* S. Aurea *instantem sibi multisque e suis monialibus obitum divinitus præscivisse, cum, teste ipso S. Audoeno, S. Eligii apparitio seu visio jam prius*

AUCTORE J. G.

prius abolita esset, quam sancta Abbatissa cum deputatis virginibus in cœnobii basilicam sese contulisset, atque adeo obitum sibi suisque imminentem certo præcognoscere hoc modo non potuerit. Verum respondeo, utut S. Eligii visio seu apparitio jam tum desiisset, non potuisse tamen S. Auream *de illa apparitione facta merito dubitare, quandoquidem prout idem S. Audoenus asserit,* ecclesia ad fimitatis indicium, quod illic (*S. Eligius*) esset visus, nebula quadam repleta monstrabatur, in tantum, ut candelabra quoque et vela subita roris inundantia distillare viderentur. *Itaque et memorati a S. Audoeno adolescentis testimonio et tam insolito nebulæ rorisque inundantis prodigio de facta S. Eligii apparitione redditam certiorem Abbatissam, crediderim, fusis ad Deum sanctumque parthenonis sui fundatorem, Eligium, impensissimis precibus, quid apparitio illa prodigiumque illud portenderent, sibi divino lumine patefieri postulasse, eique vel extra se raptæ, vel admiratione stupefactæ, manifestata quædam, immissamve divinitus præsensionem fuisse, unde,* in sese reversa, intellexit, se *nonnullasque ex suis monialibus* ex hoc mundo vocari, *quas proinde nominatim designarit, utque se ad mortem Christiane et pie brevi obeundam pararent, pro materna sua sollicitudine adhortata sit. Prædictioni respondit eventus, atque, ut supra refert S. Audoenus,* B jam ipsa (S. Aurea *ante alias*) migrante ad Dominum, et reliquæ subsequutæ sunt, adeo ut ea tempestate ex eodem monasterio usque ad numerum centum sexaginta monachæ morerentur.

monasticæ suæ præfecturæ anno 34 vel 35,

50 *Ceterum ex hac S. Audoeni narratione ejusdemque verbis jam mox recensendis, statuere, quam proxime fieri potest, conabor, quanto tempore Eligianis monialibus* S. Aurea *præfuerit, quove anno sublata e vivis sit. Præfectam iis fuisse post exstructum Solemniacense monachorum cœnobium, patet ex sequentibus, quæ repeto, S. Audoeni verbis lib.* I *Vitæ S. Eligii cap.* 17, *ubi parthenonis Parisiensis originem ita describit :* Isto igitur (*Solemniacensi, de quo capp.* 15 *et* 16 *egerat*) cœnobio in omni opere perfecto, omnique ex parte cum solertia stabilito, cogitabat (*S. Eligius*) Parisius in urbe fabricare xenodochium; sed excellentiore consilio, Deo inspirante, concepto, cœpit intra domum suam, quam in eadem urbe ex munere regis perceperat, virginum Christi ædificare domicilium : in quo opere diu multumque instantissime desudans, dignum tandem sanctarum virginum construxit archisterium, ubi districtam Regulæ disciplinam constituens, usque ad trecentarum numerum puellarum ex diversis gentibus, tam ex ancillis suis, quam ex nobilibus Franciæ matronis congregavit : quibus C et abbatissam Deo dignam puellam, nomine Auream, filiam scilicet Maurini et Quiriæ, constituit. *Itaque, cum Solemniacense monasterium ex communi eruditorum consensu, non ante annum Christi* 631 *exstructum fuerit, eoque cœnobio in omni opere perfecto, cœperit S. Eligius, teste eodem S. Audoeno, intra domum suam Parisiis virginum Christi ædificare domicilium, quibus* S. Auream *abbatissam constituit, consequens est, ut eodem ipso anno, quo credibile non est, ædificatum fuisse Parisiis spatiosum virginum Christi domicilium,* S. Aurea *Eligianis monialibus præfecta non fuerit, tametsi de monastica ejus præfectura Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 631 *mentionem fecerit. At vero, si cum Cointio in Annal. eccles. Francorum num.* 11 *ad annum* 632 *facta parthenonis hujus exstructio probabilius referatur, cui S. Eligius vel eodem vel insequenti anno* S. Auream *præfecerit, consectaneum est, ut hæc* 34 *vel* 35 *annis Eligiani parthenonis regimen tenuerit, si quidem, ut vulgo creditur, anno* 666 *ad Superos migrarit. Hoc autem qua veritatis specie nitatur, investigare ex re hic erit.*

anno vero Christi 666, *ut communis fert sententia.*

51 *Memoratam supra S. Eligii apparitionem anno saltem uno serius quam felicem ejus ad Superos transitum contigisse, sat clare innuit S. Audoenus, dum, narrata lib.* II *cap.* 47 *corporis S. Eligii translatione, quæ, ipso teste, non nisi vertente, seu elapso anno depositionis ejus, facta est, nonnulla, ad* D *ejus tumulum eo tempore patrata, miracula recenset, iisque cap.* 53 *ea demum verba subjungit, quæ supra a nobis de obitu* S. Aureæ *agentibus, transcripta sunt. Ex his igitur aperte conficitur, S. Abbatissam nostram anno saltem uno post S. Eligii obitum in vivis fuisse. Hinc, sive S. Eligii obitum ad annum* 658 *cum Pagio referas, sive eum anno* 659 *cum Cointio, Bailleto, Longuevallio, Bouqueto aliisque innectas, sive etiam cum Jacobo le Vasseur in Annalibus Noviomensibus sancti episcopi mortem ad usque annum* 665 *removeas, anno saltem uno diutius* S. Aureæ *præfecturam monasticam protrahere per consequens debebis. At vero, cum hujus loci non sit de ordinandis figendisque episcopatus S. Eligii annis, pluribus disputare, (qua de re ad diem* 1 *Decembris ex instituto agendum erit) ponamus interim cum Cupero nostro tom. IV Augusti pag.* 799, *S. Audoenum una cum S. Eligio probabilius anno* 640 *episcopum fuisse consecratum, ac dein cum Cointio, Bailleto aliisque, supra laudatis, S. Eligium anno* 659 *defunctum statuamus : ex hac sententia necessario consequetur, ut* S. Aurea, *quæ, ut supra diximus, de instanti sibi morte occasione apparitionis S. Eligii præmonita fuit, anno* 660 *vel* 661 *adhuc in vivis fuerit. Cum autem adducta S. Audoeni verba ejusmodi sint, ut salva eorum veritate, apparitio illa ad tres* E *quatuorve annos extendi ulterius possit, non male ex communi eruditorum opinione* S. Aureæ *obitus anno circiter* 666 *illigabitur, postquam nempe annos* 34 *vel* 35 *monasterio puellari, a S. Eligio Parisiis exstructo, summo studio maternaque sollicitudine præfuisset.*

Ejus in sublaudatus urbana basilica S. Pauli

52 *Porro, tametsi S. Audoenus, jam sæpissime laudatus, nec cap.* 35 *nec alio loco expresse edicat, ubinam loci* S. Aurea *sepulta fuerit; tamen ex iis, quæ in citata S. Eligii Vita lib.* I, *cap.* 18 *litteris commendavit, tuto asseverare licet, eam in basilica S. Pauli, tum temporis extra Parisiensis urbis pomœria sita, primum sepulturæ datam fuisse. Etenim cum S. Eligius, teste S. Audoeno lib.* I, *cap.* 18, *ad ancillarum Dei, in suo parthenone Parisiensi defunctarum, corpora sepelienda hanc basilicam destinasset, credibile non est, alibi* S. Auream *ejusque moniales sepeliri voluisse, quam in illo ipso loco, quem sanctus suus Fundator ad id designarat. Nec vero potuisse intra cœnobii sui septa, aut in ecclesia parthenonis sui, S. Martiali sacra, sanctæ Abbatissæ et monialium una defunctarum, exuvias deponi, ex eo ostenditur, quod lex illa, a Romanis antiquitus lata, ne mortuorum corpora intra urbem sepelirentur, Parisiis non secus, atque in aliis Galliæ urbibus, hocce tempore adhuc vigeret, assentque adeo tum temporis cœmeteria extra urbium muros. Unde* F *hodieque illa oppida, quæ ab antiquis temporibus pomœria sua non dilatarunt, sua cœmeteria extra murorum suorum ambitum habent, ut recte Breulius Antiq. Paris. pag.* 817 *advertit. Ex hac S. Pauli basilica Parisiis tum suburbana, post quinquennium translatum in ipsam urbem fuisse sacrum* S. Aureæ *corpus, eamque corporis translationem variis decoratam fuisse miraculis, scribunt Jacobus Quetifus variique recentiores, penes quos fides sit. Quod vero ad ipsam translationem attinet, quam etiam Cointius anno* 671 *seu quinquennio post* S. Aureæ *mortem annexuit; hæc, si re ipsa anno* 671 *contigit, (nam instrumenta vetera id non asseverant) lapsus certe est Antiquitatum Parisiensium auctor, et cum eo Quetifus, dum Rodobertum seu Chrodobertum, episcopum Parisiensem, qui, ut habet Gallia Christiana aucta tom. VII col.* 23, *ante annum* 671 *defunctus erat, translationi* S. Aureæ *interfuisse, scribunt.*

Parisios olim delatum, in loculum argenteum transfertur,

53 *Reliqua, quæ de hac translatione idem Quetifus narrat, hic recensere mihi animus non est, cum potius commenta, quam historica facta sint, aut saltem antiquitatis testimonio careant. Id certum,* S. Aureæ *reliquias aliquando delatas fuisse in ipsam Parisiensem urbem, depositasque in ecclesia S. Martialis, seu monasterii, cui ipsa præfuerat, ubi hodieque a clericis*

A clericis Regularibus, qui vulgo Barnabitæ dicuntur, religiose asservantur magnaque in veneratione habentur. Verum quandonam hæc translatio contigerit, ex antiquis, ut supra innui, documentis compertum nondum est. Refert porro laudatus Breulius in Theatro Antiquitatum Parisiensium editionis anni 1612 pag. 101, primam S. Aureæ lipsanothecam ex ligno vitroque confectam fuisse, in eaque remansisse sanctæ Virginis exuvias, donec Guilielmus de Corbigny, ex asceta S. Germani de Pratis Prior S. Eligii, eas in argenteum loculum die 3 Aprilis anno (ut ipse perperam vult) 1421 transferri curaverit, prout etiam Benedictini scriptores Galliæ Christianæ tom. VII col. 282 commemorant. Hi tamen a Breulio in hoc dissentiunt, quod propriis Corbignii sumptibus exstructum fuisse loculum argenteum, dicant; ille autem exstructionem illius, ex Joannis Rabeli fide liberalitati Isabellæ Bavaricæ, Caroli VI, Galliarum regis, conjugis, magnam partem adscribat. Ut ut sit, nam uberius de re ea disputare nec operæ pretium est, nec controversiam ex æquo decidere ob instrumentorum inopiam facile quis poterit, id mihi indubitatum est, varios hallucinari recentiores scriptores, cum illam reliquiarum translationem assignato supra anno 1421 die 3 Aprilis

B contigisse referunt.

non anno 1421, si hodiernum annorum computum sequimur,

34 Ne autem id a me gratis asseri, videatur, dicam, quid rei eos in errorem impulerit. In instrumento aliquo Ms., apud Barnabitas Parisienses servato, legerant, lipsanothecam argenteam, recondendis S. Aureæ reliquiis destinatam, 3 Aprilis anni 1421 confectam fuisse, in eaque hoc die sanctæ Abbatissæ nostræ, S. Eligii, aliorumque Sanctorum exuvias a Guilielmo de Corbigny fuisse depositas, ac subsequenti Dominica, quæ Palmarum dicitur, solemni supplicantium agmine ad S. Pauli ecclesiam delatas, præsentibus, præter ingentem præsulum, nobilium virorum et populi turbam, episcopis duobus, Morinensi et Bellovacensi, nec non abbatibus Vezeliacensi et S. Crispini Suessionensi : hinc documenti hujus auctoritate nixi, translationem reliquiarum S. Aureæ optima fide anno 1421 passim innexuerunt. Verum, cum non advertissent scriptores illi, prædictum instrumentum antiquius esse celebri illo Caroli IX, Galliarum regis, edicto, anno 1564 edito, quo injunctum erat, ut in publicis privatisque tabulis non amplius a festo Paschæ, sed a Kalendis Januariis deinceps annorum repeteretur exordium, pronum ipsis fuit hac in re hallucinari, et quæ ex veteri annorum computo, in Galliis sæculo XV adhuc usitato, anno MCCCCXXI ante Pascha contigisse legerant, eidem anno 1421 absolute adscribere, cum tamen ex hodierna anno computandi ratione, translatio illa

C anno 1422 ante Pascha re ipsa contigisset.

sed anno 1422 ante Pascha,

35 Etenim, ut patet ex littera Dominicali E, utque in suis Miscellaneis et parte I Concordiæ chronologicæ recte statuit Labbeus, incidit Pascha anno 1421 in diem 23 Martii, in ejusque pervigilio, qui erat dies 22 Martii, a Gallis victi fugatique fuerunt Angli, prout etiam scribit Daniel in Historia Galliæ. Eo igitur anno Dominica Palmarum octodecim diebus diem 3 Aprilis præcessit, atque adeo fieri non potuit, ut argentea S. Aureæ lipsanotheca, quæ die 3 Aprilis dumtaxat perfecta fuerat, ipsa Dominica Palmarum solemni supplicantium agmine ad S. Pauli ecclesiam delata fuerit. Contra vero, si hæc ex hodierno computo anno 1422 facta fuisse statuantur, sua huic instrumento fides stabit, et cum anno 1422 Pascha in 12 Aprilis inciderit, potuit lipsanotheca illa, 3 Aprilis confecta, subsequenti Dominica Palmarum, quæ 3 dies ejusdem mensis erat, ex Eligiani prioratus templo ad ecclesiam S. Pauli deferri, atque hinc illa oriri consuetudo, ut in hujus translationis memoriam quotannis Dominica Palmarum die, comitante supplicantium longo ordine, ad prædictam S. Pauli ecclesiam lipsanotheca illa deportata olim fuerit, prout Breulius pag. 102 asserit. Porro, si cui plura de diversa apud Gallos, exordiendi anni ratione noscere lubeat, adeat is eruditissimi Cangii Glossarium, verbo An-

nus, ubi argumentum hoc, quantum Glossarii institutum patitur, indicatis auctorum locis, qui de eo ex professo Commentarios ediderunt, doctissime pertractatur.

AUCTORE J. G.

36 Translationis jam nunc memoratæ historiam variaque ejus adjuncta uberrime et ex professo prosecutus est laudatus Jacobus Quetif, bis typis edito libello, cui titulum Gallice inscripsit : Vita et miracula beatæ virginis S. Aureæ, abbatissæ 300 monialium Ordinis S. Benedicti. Sed et ipse hoc Opusculo in communem sui temporis scriptorum errorem incidit, eamque reliquiarum translationem anno 1421 inseruit, cum tamen insequenti anno, ut jam nunc ostensum est, eam innectere debuisset. Hanc ipsi Vitam scribenti Theatrum Antiquitatum Parisiensium auctore Breulio, vel forte instrumenti, apud Barnabitas Parisienses servati, apographum præluxisse videtur. Est tamen, in quo Breulio recte contradicit; hic enim non tantum antiquitus, sed suo etiam tempore id moris viguisse innuit, ut S. Aureæ reliquiæ e templo Eligiano ad S. Pauli ecclesiam quotannis solemni ritu deferrentur : et tamen, ut Quetifus pag. 86 asserit, numquam ab anno 1590 sacra hæc lipsanotheca, ex templo, ubi asservatur, deportata alio fuit. Et paulo post : Ter dumtaxat quotannis, ut incolarum devotioni fiat satis, veneranda hæc theca e superiori loco demittitur, ge-

E minis nempe diebus S. Eligio sacris, ac demum ipso S. Aureæ festo, qua in re ei consentit Kalendarium Spirituale Parisiense num. 4 citatum. Ut adeo mos ille ab anno 1422 introductus, de quo Breulius num. præcedenti, non ita diu tenuerit. Ceterum, si laudato Quetifo, Gerardo du Bois tom. I Historiæ eccles. Parisiensis pag. 202, aliisque scriptoribus credimus, S. Aureæ præsens auxilium urbs Parisiensis sæpius experta est, seu exundante Sequana, seu igne urbem devastante. At quoniam scriptores illi de temporibus, quibus hæc contigisse narrant, nos certiores non reddunt, nec instrumenta certæ fidei adducunt, non est, quod prodigiis illis examinandis aut illustrandis opera impendatur nostra.

utut contradicat Quetifus, qui hujus translationis historiam descripsit.

§ V. Cur de Eligiani monasterii Parisiensis statu et vicissitudinibus hic agatur : an diversum non fuerit a monasterio Christivili : quando et qua ratione jure beneficiario episcopo Parisiensi traditum : cur inde tandem moniales expulsæ.

F

Ex pollicitatione Sollerii agitur de parthenone Eligiano,

Sollerius noster, posteaquam in suo Usuardo illustrato ad hunc diem de S. Aurea nonnulla observasset, pollicitus est fore, ut, quæ ad hujus Abbatissæ parthenonem, ab Eligio, ut num. 20 ostendimus, Parisiis conditum, sed deinde extinctum spectant, ex monumentis fide dignis ad hunc diem in Opere nostro elucidarentur. Quapropter ut promissa præstem, præter ea, quæ num. 20 et 23 de illa abbatia ex S. Audoeno et Jona Bobiensi attigimus, nunc, quis fuerit subsequentibus sæculis parthenonis illius status, quamque variæ illius vicissitudines, collectis variorum testimoniis, curioso lectori exponendum censui. Ut autem a minus certis ad certiora progrediar, initium ab iis duco, quæ Benedictini monachi in sua Gallia Christiana aucta tom. VII, col 280 de hoc cœnobio scripserunt. Sic illi loco citato : Hoc Mabillonius suspicatur esse monasterium domni Christivili, de quo in charta Vandemiris, viri illustris, et Ercambertæ, ejus uxoris, ubi agitur de donationibus factis in complura monasteria et ecclesias tempore Sigifridi episcopi Parisiensis, inclinante sæculo septimo. Verba chartæ illius apud Mabillonium de Arte Diplomatica pag. 472 sic se habent : Simile modo donamus ad domno Christivilo monistirio puellarum in Parisius, ubi Landetrudis abbatissa præesse veditur. Ad quæ verba ita laudatus Mabillonius pag. 473 loquitur : Quid sit

AUCTORE J. G.

Christivilum puellarum cœnobium... ignoramus, nisi forte Christivilum sit S. Aureæ parthenon, a B. Eligio fundatus.

quem aliqui gratis confundunt cum monasterio Christivili.

38 *Verum cum abbatissarum Eligiani parthenonis catalogus interciderit, ut ipsimet fatentur Galliæ Christianæ auctæ editores, nec alio ex capite ostendatur, memorata Landetrudis fuisse parthenonis hujus abbatissa, aliudve puellari huic monasterio, quam a S. Martiale, basilicæ ejus patrono, et a S. Eligio fundatore nomen fuisse tum temporis inditum, infirma admodum illa Mabillonii conjectatio est, seu, ut verbis Gerardi du Bois tom. I Hist. eccles. Paris. pag.* 213 *utar,* nulla hæc (*Mabillonii*) conjectura ratione fulcitur. *Verosimilius mihi est, suadetque id nominum vicinitas, monasterium domni Christivili diversum non fuisse a monasterio S. Christophori, a nonnullis, teste Castellano in Vocabulario hagiologico,* Christovel et Ghristofol *in Gallia vocitati, ex quo nomine* Christovel *facile derivari potuerit ipsa* Christivili *nomenclatio. Ut ut sit, mihi quidem sic videtur, neutiquam in illo diplomate sub nomine* monistirii domni Christivili *de Eligiano nostro parthenone actum fuisse, ut per consequens ex Vandemiris et Ercambertæ largissimis donationibus nihil incrementi in rebus temporaneis Eligiano parthenoni accesserit. Huic meæ opinioni de hujus parthenonis*

B *a monasterio Christivili diversitate adstipulantur laudatus Castellanus et auctores Historiæ Parisiensis anno* 1725 *Gallice editæ, tom. I pag.* 61, *ubi adducta superius verba sic Gallice exprimunt,* les filles de saint Christophle, *seu, prout voces Latine sonant,* moniales S. Christophori, *quo nomine Eligianas moniales Parisienses nusquam, arbitror, designatas reperies.*

Post 240 *circiter a fundatione abbatiæ Eligianæ annos,*

39 *Certiora de Eligiano parthenone, cui* S. Aurea *præfuit, suppeditant nobis tres chartæ antiquæ, quarum prima est Caroli Calvi, Francorum regis, apud Baluzium tom. II Capitularium col.* 1492; *secunda Ludovici Balbi ibidem col.* 1501, *quas etiam refert Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. I pag.* 498 *et seq.; tertia vero Benedicti Papæ VII, edita inter Instrumenta ecclesiæ Parisiensis tom. VII Galliæ Christianæ auctæ col.* 20 *et seqq. Ex his nimirum discimus, Eligianam hanc abbatiam, postquam, ut S. Audoenus lib.* I *Vitæ S. Eligii cap.* 19 *narrat, invalescenti per totam fere Parisiensem urbem incendio prodigiose sui Fundatoris precibus subducta fuisset, ac deinde, ut aliunde patet, ducentis et quadriginta circiter annis aliorum puellarium cœnobiorum more stetisset, petenti Ingelwino, Parisiensi episcopo, apud Carolum Calvum plurimum gratioso, non modo ad*

C *tempus aliquod beneficiario jure datam, sed et illi ejusque successoribus episcopis in potestatem et jus ecclesiasticum perpetuo concessam ab eodem Carolo Calvo anno* 871 *fuisse. Editum ab eo hac de re diploma, quod a Ludovico Balbo anno* 878 *et a Benedicto PP. VII anno circiter* 980 *confirmatum fuit, cum ad parthenonis hujus historiam plurimum faciat, integrum huc ex Baluzio transcribere visum est. En illud :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Karolus gratia Dei rex. Si ecclesiarum negotiis consulendo, eorum statum ad emendationem ob Christi amorem deducimus, ab ipso non dubitamus accipere retributionem, pro cujus hæc peragimus honore. Noverit itaque omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque ad præsens et subsecutura sagacitas, quoniam Ingelwinus, venerabilis sanctæ ecclesiæ Parisiensis antistes, ad nostræ humiliter accedens sublimitatis mansuetudinem, deprecatus est ob nostræ mercedis conjugisque reginæ nostræ Richeldis, ac Virginis intemeratæ Genitricis Dei Mariæ emolumentum abbatiam S. Eligii, in potestate ecclesiæ sibi creditæ sitam, eique jure beneficiario nostra munificentia concessam, jam dictæ ecclesiæ Genitricis Dei sanctæ Mariæ, sibique post se Dei nutu futuris pastoribus in potestatem et jus ecclesiasticum habendum concederemus, et concedendo imprævaricabilis nostræ auctoritatis præcepto confirmaremus.

60 Cujus petitionibus concessimus libentius, D
quo nostræ utilitati futurum perspeximus amplius, *Ingelwinus Parisiensis Ep. hujus dominium*
et ob Domini nostri Jesu Christi, suæque Virginis ** al.* utrarumque
Mariæ amorem atque ob * utrarum ecclesiarum,
olim a paganis devastatarum, invicem emeliorationem, et utilissime nobis in salutem populi Christiani a Genitrice Virgine prolis attributionem, hoc nostræ privilegitatis præceptum fieri et sigillari jussimus, per quod supradictam abbatiam cum omni suarum integritate rerum, jam dictæ ecclesiæ præsenti futurisque pastoribus delegando perpetualiter ad habendum concedimus et concedendo inviolabiliter manere decernimus atque de nostro jure in jus et dominationem Dominæ meæ Genitricis Dei mei Mariæ sollemni more transferimus, taliter ut quidquid ex inde statutus a Deo præsul secundum Dei suamque voluntatem facere voluerit, quemadmodum ex aliis sibi creditis ecclesiasticis rebus canonico in faciendo potiatur arbitrio. Eo siquidem pacto, ut diem depositionis patris nostri præcellentissimi imperatoris Ludovici, quod est XII Kal. Maii * et matris nostræ glorio- * Jul.
sissimæ Imperatricis Judith quod est XIII Kal. Aprilis, diem quoque nativitatis nostræ Idibus Junii, nec non et diem a Deo nobis concessæ unctionis, qui post obitum in diem ipsum in celebrando transfundetur, nativitatem præterea amaE
bilissimæ conjugis nostræ. Richeldis reginæ Kalendis Augusti, et copulam secundum Dei voluntatem nostræ conjunctionis, insuper et ortum prolis nostræ, si a fœcunda Virgine impetrando data fuerit, sub continua orationum Missarumque assiduitate cum omni clero sibi commisso præsens futurusque antistes celebret et refectio in utraque congregatione in die ortus prolis nostræ, si, ut diximus, a Genitrice Dei data fuerit, studiosissime peragatur.

61 De cetero vero pro hac utriusque ecclesiæ *a Carolo*
majorata emendatione omnis præsul pro nobis, con- *Calvo rege*
juge et prole, regnique statu Dei misericordiam exo- *adeptus,*
rare indesinenter accedat. Ut autem hujus nostræ piissimæ largitionis auctoritas potiorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, de bulla nostra insigniri jussimus et manu propria eam subter firmavimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Adalgarius notarius ad vicem... recognovit. Datum IV Idus Maii, Indictione IV, anno VI regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Silvagio palatio in Dei nomine feliciter. Amen. *Hactenus Caroli Calvi, anno Christi, ut Bouquetus tomo VIII scriptorum Rerum Gallicarum pag.* 655 *scribit,* 871 *editum diploma, in quo, prout laudatus scriptor post Baluzium advertit pro anno* 6, *annus legendus* F
est 31, *imo potius* 32; *cum hoc serius emissum sit, quam ejusdem regis pro monasterio Elnonensi gemina diplomata, quæ apud eumdem Bouquetum tom. VIII pag.* 652 *et* 655 *annum regni ejus* 32 *signatum exhibent. Porro omissum in Baluziana editione archicancellarii nomen, Bouquetus jam laudatus rectissime supplevit hoc modo :* ad vicem (Gozleni) *ejus nimirum, qui Ludovico, Caroli Magni ex filia Rotrude nepoti suoque fratri defuncto in summi cancellariatus dignitatem, ut pag.* 426, *tomo VIII ipse scribit, successit. Silvagii vero notitiam idem scriptor pag.* 655 *subnectit his verbis :* Silvagium seu Silviacum nunc vicus SERVAIS dictus, dimidia leuca remotus a Fara oppido.

62 *Ceterum tametsi ad usque annum Christi* 871, *in ecclesiæ*
quo diploma illud datum est, monasticæ disciplinæ *suæ vel etiam*
observantia inter Eligianas moniales floruisse vi- *abbatiæ utili-*
deatur, nec quidquam ab iis admissum fuisse, appa- *tatem*
reat, ob quod Parisiensis episcopi animadversionem in se merito converterent, nedum bonis possessionibusque suis exui commererent, hujus tamen diplomatis vigore sic illius abbatiæ bona in jus possessionemque Parisiensis antistitis et cathedralis ecclesiæ Parisiensis transierunt, ut nullum fere jus penes abbatissam resideret. Tantæ rerum monasterii facultatumque imminutioni occasionem præbuisse videntur frequentes Normannorum in Gallias irruptiones

A *ruptiones. Etenim cum hi sub Carolo Calvo non tantum Gallias populabundi percurrerent, sed anno* 857 *Lutetiam Parisiorum secundo occupassent;* Basilicam beati Petri et S. Genovefæ, *ut Annales Bertiniani ad hunc annum tradunt,* incenderunt et cæteras omnes præter domum sancti Stephani (*quæ cathedralis ecclesia erat*) et ecclesiam sancti Vincentii atque Germani, præterque ecclesiam sancti Dionysii, pro quibus, tantummodo ne incenderentur, multa solidorum summa soluta est. *Ergo hæc funesta Lutetiæ clades, quam etiam Paschasius Radbertus lib.* IV *in Lamentationes Jeremiæ amare luxit, potuit Ingelwino, Parisiensi episcopo, idoneam subministrasse causam, cur ad annum* 871 *apud regem, in cujus aula id temporis auctoritate plurimum valebat, securus instaret, ut condita Parisiis a S. Eligio abbatia in jus dominiumque ecclesiæ suæ transfunderetur, quo acceptis abbatiæ bonis ecclesiæ suæ, quæ se magna pecuniæ vi ab incendio redimere coacta erat, jacturam resarciret; vel etiam ut re ipsa puellare hoc monasterium, quod ab incendio Normannico immune fuisse non legitur, sua cura et auctoritate utcumque instauraret, ac moniales, si quæ adhuc dispersæ erant, colligeret, vel collectas sub regulari disciplina, quantum calamitas temporum*

B *sinebat, incolumes servaret.*

donationem sibi factam, Ludovici fialbi

63 *Sive igitur Ingelwinus utilitatis hujus parthenonis rationem habuerit, sive privato ecclesiæ suæ commodo, cum abbatiam illam sibi suisque successoribus expeteret, servire potius voluerit, haud difficulter a Carolo Calvo rege hoc, quod postulabat, obtinuit, præsertim cum id temporis vel ipsis laicis abbatias concedere inusitatum in Galliis non esset. Ne autem post mortem Caroli Calvi, anno* 877, *ut Frodoardus in Chronico, auctor Chronici Floriacensis aliique scribunt, defuncti, concessa sibi ab eo abbatia e manibus forte eriperetur, sedulo idem Ingelwinus cavit, et factam a Carolo Calvo donationem hoc Ludovici Balbi diplomate anno* 878 *confirmari et roborari curavit, quod hic ex laudato Baluzio in Appendice ad Capitularia col.* 1501 *subjicio :* In nomine Domini Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus misericordia Dei rex. Si ecclesiasticis negotiis consulendo, quorum statum ad emeliorationem ob Christi amorem deducimus, ab ipso non dubitamus accipere retributionem, pro cujus hoc honore peragimus. Noverit igitur omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque præsens et futura sagacitas, quoniam Adelaidis carissima nostra conjux et Gauzlinus venerabilis abbas ad nostram accedentes mansuetudinem deprecati sunt, ut in nostræ mercedis augmentum semperque Virginis intemeratæ Genitricis Mariæ

C emolumentum Yngeluvino, venerabili Parisiensis urbis episcopo, et suæ ecclesiæ, quæ est in honore sanctæ Mariæ Matris Domini ædificata, per nostrum denuo præceptum, patris nostri imitantes liberalitatem, abbatiam S. Eligii, quæ est infra muros Parisii civitatis ad jus ecclesiasticum habendam et ab ipso et ab omnibus successoribus suis æternaliter possidendam reconcederemus. Sed jam dictus venerabilis episcopus Yngeluvinus deprecatus est, ut ex ipsa abbatia quandam villulam, quæ vocatur Gentiliacus, cum ecclesia et omnibus ad eandem villulam pertinentibus memoratæ suæ matri ecclesiæ ad luminaria per hoc ipsum nostræ auctoritatis præceptum perpetualiter habendam concederemus, cujus etiam preces spernere noluimus.

diplomate roborari curat,

64 Unde ob Domini nostri Jesu Christi suæque Genitricis amorem nostræ concessionis iterum fieri præceptum et jam dicto Yngeluvino, venerabili episcopo, atque suæ matri ecclesiæ dari jussimus, per quod supradictam abbatiam cum omnium suarum rerum integritate tam ipse quam et omnes post eum futuri pontifices libere teneant, sicut a genitore nostro institutum est, et more ecclesiastico perenniter possideant, eo scilicet ordine sicut et alias res, quæ eidem matri ecclesiæ concessæ habentur, verum præfatam villulam Gentiliacum proprie ad luminaria jugiter teneat; quam volumus, ut nullus episcoporum per accedentia tempora ad suam proprietatem detentet aut alicui dare præsumat, sed tantum ad luminaria deserviat. Eo siquidem pacto, ut diem a Deo nobis concessæ unctionis, quæ est VI Idus Decembris, et diem nostri futuri obitus præsul memoratus atque sui successores sub continua orationum Missarumque assiduitate cum omni clero sibi commisso celebret, et refectiones in jam dictis diebus in utraque congregatione studiosissime peragantur. Ceterum pro præsenti utriusque ecclesiæ emolumento a nobis restabilito omnis præsul pro nobis, conjuge et prole regnique statu Domini misericordiam indesinenter exorare procuret. Et ut hæc nostræ denuo reconfirmationis auctoritas per omnia tempora inviolabiliter conservetur, manu propria subter firmavimus et anulo nostro insigniri jussimus. Vulfardus Notarius ad vicem Gozlini recognovit et subscripsit præceptum hujus exemplariæ. Datum IV Non. Aprilis indictione XI anno I regni Domni Ludovici gloriosissimi regis. Actum Parisius civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

AUCTORE J. G.

cui post accessit Benedicti Papæ VII confirmatio.

65 *Firmata in hunc modum Caroli Calvi concessione, Eligiana abbatia cum omnium rerum suarum integritate sic inposterum obnoxia exstitit Parisiensi antistiti, ut* sine hujus assensu et absque charta sigillo ejus et sigillo cancellarii firmata, *ne* E *unam quidem* ancillam monasterii libertate donare abbatissa posset, *quemadmodum in charta Galonis, Parisiensis episcopi, tom. VII Galliæ Christianæ auctæ inter Instrumenta ecclesiæ Parisiensis col.* 43 *videre est. Tandem geminis his diplomatibus regiis accedente circa annum* 980, *ut prius dictum est, Benedicti Papæ VII Pontificia Bulla, qua ecclesiæ Parisiensis res, quas inter Eligiana abbatia primo loco computatur, et privilegia idem Pontifex confirmavit, non fuit Eligianis monialibus spes ulla super, fore, ut ad pristinum redire statum sibi unquam liceret. Præfati Pontificis Bullam integram videsis tom. VII Galliæ Christianæ auctæ inter Instrumenta ecclesiæ Parisiensis col.* 20 *et seqq. Nos ex ea, quantum necesse est, ut superius asserta manifesta fiant, solummodo decerpemus. Hæc inter alia in ea leguntur :* Noscat igitur vestræ excellentiæ laudabilis mansuetudo, quod Elysiardus (*hic anno Christi circiter* 980 *sedem Parisiensem ascendit*) Parisiacæ sedis episcopus adiens limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli Romæ, instantia ostendens regalia præcepta, quæ pro remedio animarum suarum nec non et antecessorum nostrorum privilegia ecclesiæ B. Dei Genitricis et Virginis Mariæ et S. protomartyris Stephani prædicti loci firma conscriptione tradiderunt. Hac autem ratione com-

F motus, supplici devotione deprecatus est nobis, quatenus Apostolica auctoritate ei reconfirmaremus prædictas conscriptiones et episcopatum præfatæ sedis cum omnibus pertinentiis vel adjacentiis suis, videlicet abbatiam S. Eligii... Nos vero inspectis piissimorum Augustorum et paternis præceptionibus, libuit nobis petitionibus ejusdem episcopi assensum præbere, ut sub jure et patrocinio sanctæ Romanæ et Apostolicæ sanctæ Matris Ecclesiæ omnia firma atque inviolata jugiter maneant.

Abbatia hæc, sub finem sæc. IX *ædificiis minui cœpta,*

66 *Præiverat Pontificiæ regiorum diplomatum confirmationi alia Eligiani parthenonis rerum facultatumque defectio. Quippe labente sæculo nono, quo tempore Parisiensis episcopi dominio jam subjectus erat, amplissima ejus basilica, sub titulo S. Martialis Deo dicata, in duas secta fuit partes, platea intermedia, ita ut, quemadmodum laudatæ Galliæ Christianæ editores tom. VII col.* 280 *scribunt,* ex choro (*basilicæ S. Martialis*) facta sit parochia, quæ sancti Martialis nomen retinuit, altera ex navi pro sanctimonialibus nomen assumpserit S. Eligii fundatoris. *Rem hanc enucleatius tradit Gerardus du Bois tom. II Histor. eccles. Parisiensis pag.* 63 : Quid est vero, *inquit,* quod modo basilica sancti Martialis extra ambitum cellæ Eligianæ sit, et sit ipsa non amplius illius veteris monasterii basilica, sed baptismalis ecclesia; et

AUCTORE J. G.

et ipsa monasterii seu cellæ basilica sub nomine sancti Eligii dedicata sit? Dicam, *inquit*, quod sentio. Dum sæpius Normanni (*de quibus consule num.* 67) agrum Parisiensem vastant, qui foris extra insulam agebant, se in urbem tamquam in tutum propugnaculum (*aut saltem barbarorum furori minus expositam sedem*) receperunt. Cumque urbs angustior vix multitudinem caperet, necesse fuit novas ædes in spatiis amplioribus extruere. Et eo tempore, ut existimo, in ea parte, qua diffundebat se ambitus Eligiani monasterii, ædificia facta sunt et aperti vici. Id temporis forte contigit, quod scriptores antiquitatum Parisiensium memorant, basilicam monasterii Eligiani, quæ amplior quæque vetustior collapsa erat (*aut forte Nortmannico furore exusta*) in duas sectam partes (*cum nempe collapsa ædificia instaurari cæperunt*) posterioremque partem remansisse ecclesiam sancti Martialis; et, quia circumquaque extructæ ædes fuerant, baptismalis ecclesia fuit. Ubi vero anterior prioris basilicæ pars fuit extructa sub nomine sancti Eligii : facta est altera basilica, quæ ipsa fuerit cellæ seu monasterii Eligiani ecclesia, quæ quidem haud ita fuit ampla, sed tamen pauciorib puellis, quæ tum in monasterio versabantur, capiendis plus quam idonea. *Ita eruditus Historiæ ecclesiasticæ Parisiensis scriptor.* B

uti et monialium numero, ob harum vitia, quorum una

67 *Ut autem præ iniquitate temporum Eligianarum monialium numerus non mediocriter decrevit, ita, quod magis dolendum, primævus monasticarum legum vigor sanctaque morum institutio sic sensim remittere ac demum deficere apud illas cœpit, ut in gravissimos animi morbos prolapsæ, de cœnobio suo, annuentibus Romano Pontifice Paschale II et Galliarum rege Philippo I, a Galone, Parisiensi episcopo, anno* 1107 *expulsæ fuerint. Quæ autem fuerit tanti mali occasio, qua ratione quove pacto ad Fossatenses monachos Benedictinos, ejectis monialibus, Eligianum monasterium transierit, tam accurate enarrat laudatus Gerardus du Bois tom. I Hist. eccles. Parisiensis pag.* 763 *et segq., ut verbis ejus vix addi quidquam possit, demi autem, salva narrationis claritate, vix aliquid queat. Ipsum ergo juverit, loco citato, loquentem audire :* Alias exordia hujusce monasterii a nobis relata sunt, et diximus hocce monasterium conditum dotatumque a S. Eligio, Aureamque virginem ab eo huic monasterio præpositam esse, constatque, tunc temporis et pietate et disciplina floruisse, et, ut existimo, sequentibus annis disciplina monastica et præclara morum institutio in eo loco magnopere celebrata est. Verum haud diffiteor, primum illum vigorem, annis labentibus, senium et cariem contraxisse, et puellas demum in gravissimos animi morbos longa annorum serie incidisse. Duas, *inquit*, præsertim res huic malo contulisse existimo, domestica scilicet bella, et barbarorum incursiones, quæ sæpius Lutetiam afflixerunt post mortem Ludovici Pii, *seu ab anno* 845, *quo urbem hanc, nemine obsistente, primum barbari occuparunt, ad usque ferme sæculi* IX *exitum, quo labente temporis spatio, rursus eam ceperunt, ac dein iterum obsidione cinxerunt, prout ad annos* 845, 858, 885 *aliosque tradunt varii rerum Gallicarum scriptores apud Bouquetum supra laudatum tomis VII, VIII et IX. Cum itaque, ut recte observat laudatus du Bois, difficile sit, armis undequaque obstrepentibus, puellas eumdem vitæ tenorem retinere, pronum fuit, Eligianas moniales ab antiqua monasticarum legum institutione, non nihil primum remittere, ac disciplina solutiore uti, cui malo temporis lapsu accrescenti aliud tandem accessit, quod Eligiano parthenoni exitium intulit.* C

atque altera occasio refertur, tandem

68 *De hoc ita cit. loco idem Gerardus du Bois :* Sed nihil magis, puto, relaxandæ disciplinæ (*apud Eligianas moniales*) fecit locum, quam vicinitas regiæ domus; cum enim plures in aula reperiantur, qui otio et voluptatibus diffluant, facile fuit ex vicinitate, quasi ex contagione, malum cum puellis communicare. Diximus alias, palatia regum Francorum extra insulam (*Parisiensem*) et in suburbanis extructa esse. Verum illa palatia penitus destructa sunt, cum reges Carolinæ gentis, posthabita Lutetia, villas et curtes regias incolere cœperunt. Comites deinde, absentibus regibus, domos sibi Lutetiæ extruere, non quidem amplius, quemadmodum reges in suburbanis, sed intra ipsius insulæ ambitum, ut se urbemque a barbaris tuerentur. Ita Odo, ac deinde Robertus et Hugo commorati sunt in insula, in eoque loco, qui modo juri dicundo sacer est. Hic veterem fuisse regiam Francorum Capetianæ gentis, norunt, qui vel primoribus labris res nostras attigerunt. Cum igitur palatium regum esset juxta puellarum monasterium, facile aulici cum puellis societatem jungere, principio quidem, ut fit, honeste confabulari, verum ex frequenti usu et crebra consuetudine sensim cum puellis suos mores communicare. Quod semel pravis colloquiis corrupta est honestas animi, et abiit virgineus pudor; tum puellæ ire præcipites, quo cæca eas cupiditas raperet, atque deinceps in vita nullum modum habere. D

Fossatensibus monachis, ejectis monialibus, traditur.

69 Sæpius Pontifices prava earum consortia arguerant, modo sapientissimis monitis, modo minis eas ad sanitatem revocare moliti fuerant : sed frustra. Reges quoque ægre patiebantur, virgines Deo devotas omnem exuisse verecundiam et eas per hominum ora traduci. Paschalis (*II*) summus Pontifex, Galoni (*Parisiensi episcopo*) hoc monasterium maxime commendaverat, præceperatque, ut monasterium vel emendaret vel aboleret. Galo cum agnovisset, eas ita in pravum induruisse, ut prius frangi, quam corrigi posse viderentur, communicato cum rege consilio, puellas e monasterio (*anno Christi* 1107) dejecit, earumque ædes bonaque Fossatensibus monachis (*sub indicandis infra conditionibus*) attribuit, hoc eo libentius perfecit, quod Paschalis PP. (*II*) qui eo anno Parisios venerat, hoc illi iterato commendaverat. *Hactenus laudatus jam sæpe Gerardus du Bois; qui mox ex Chartulario Fossatensi subjicit chartam Galonis et regium Philippi I ea de re præceptum, quæ, ne longior sim, hic non recudam. Legi hæc possunt apud eumdem du Bois tom. I Hist. eccles. Paris. pag.* 765 *et seqq., item tom. VII Galliæ Christianæ auctæ inter Instrumenta ecclesiæ Parisiensis col.* 42 *et seqq. Atque hæc fuit tristissima monialium Eligianarum catastrophe, tanto vehementius deploranda, quanto sanctioris vitæ splendore hæ primitus sub* S. Aureæ *moderamine subsecutisque sæculis monastico Ordini ornamento fuerant.* E

§ VI. Eligianus parthenon a Fossatensibus tamquam minus canonice sibi traditus, Parisiensi episcopo dimittitur : denuo iis redditur : unitur episcopatui Parisiensi : monachis in eo substituti presbyteri seculares, atque his tandem clerici Regulares dicti Barnabitæ. F

Eligiana abbatia, quam Fossatenses prius dimiserant,

Ejectis igitur, quemadmodum supra dictum est, puellis istis ex Eligiano monasterio, quod pravis moribus suis dehonestaverant, eo cum suo Priore Fossatenses monachi Benedictini sub conditionibus, infra memorandis, introducti fuere a Galone, episcopo Parisiensi, hocque monasterium sub titulo Cellæ *seu* Prioratus, *qui, teste Gallia Christiana aucta tom. VII, col.* 280, *ante medium sæc.* XII Prioratus S. Eligii et S. Aureæ *vocatus fuit, anno* 1107 *possidere inceperunt, sub Fossatensis monasterii abbate Theobaldo II, seu, ut ibidem in regio Philippi I præcepto appellatur, Tebbaldo, de quo vide tom. VII Gall. Christ. auctæ col.* 292. *Non diu tamen penes Fossatenses monachos Eligianum monasterium quiete stetit. Quippe sub annum* 1125, *quo Stephanus Parisiensem cathedram occupabat, pupugit Theobaldi animum, non quidem, ut editores Galliæ Christ. auctæ cit. tomo col.* 293 *contendunt,* nimia religio, *sed, quemadmodum ipse Stephanus,*

A *Stephanus, Parisiensis episcopus, affirmat, juris canonici in adeunda monasterii possessione neglecti conscientia. Ergo, cum Theobaldus illud Parisiensi episcopo reddere constituisset, Stephanus recepit, retinuitque usque ad annum* 1134, *quo illud ad Innocentii Papæ II et Ludovici VI Francorum regis preces Fossatensibus restituit. At vero sciscitabitur quispiam, quid tandem in hac re ejusve adjunctis* minus canonice, quam deceret, *commissum fuit, aut quid* inordinate (*ita enim quoque loquitur idem Stephanus*) nec ita, ut oporteret secundum Deum, actum est? *Certe, ut omittam allegatas a Gerardo du Bois rationes, non fuerant moniales istæ falsis criminationibus oppressæ; nihil ad earum expulsionem contulerant impostorum aut falsariorum industriæ et mali doli, non fuerant ad illegitimum tribunal traductæ, sed ab episcopo suo damnatæ; tantumque abest, ut summus Pontifex contra earum ejectionem reniteretur, ut potius episcopum Parisiensem ad illarum expulsionem debite perficiendam incitaret, postquam nempe moniales illæ ob admissa flagitia tantam infamiam incurrissent, ut inemendabili pravitate induratæ vulgo haberentur.* Quid igitur, *inquit idem du Bois tom. II Hist. eccles. Paris. pag.* 47, Fossatenses monachos remordebat? *Aut quid tandem causæ excogitari potest, cur acceptam*
B *ab episcopo Parisiensi Eligianam abbatiam ei reddendam dimittendamque Fossatenses censuerint?* Sed, *reponit laudatus scriptor eadem pag.* 47, si quid conjectura assequi possum, asseram, non omnino observatum canonicum ordinem in expellendis puellis, neque formam judiciorum eo in negotio legitime custoditam.

ut illegitime possessam, anno 1134

71 *Qua vero in re præscriptus a canonibus ordo, minus fuerit observatus, ita mox aperit :* Famosæ quidem erant puellæ (*monasterii Eligiani*) ob morum turpitudinem; contempserant sæpius monita Pontificum, qui eas ad honestatem vitæ revocare conabantur : digna expulsione flagitia perpetraverant ante omnium oculos et in conspectu regiæ civitatis; quod notius erat, quam ut cuiquam lateret. *At hæc rectissime negat eruditus scriptor, ad canonicam legitimamque earum expulsionem sufficisse. Nam* etsi, *ut pergit,* constabat de facto; haud tamen licitum erat foras ejicere puellas, Deo sacras, sine legitimo et canonico judicio : inquisitio facienda in corruptos earum mores, adducendæ erant ad audientiam episcopi; testes producendi, (*iique integræ fidei, ut jura exigunt*) instrumentis publicis approbanda vitæ flagitiosæ acta; his ad examen allatis, tandem canonicum decernendum erat de illis judicium, deque earum monasterio abolendo. Cum vero ex nullis Actis neque ex ipsis
C litteris Galonis (*Parisiensis episcopi*) appareat, quidquam ejusmodi factum esse; haud dubium est, quin plures conquesti sint, quod forma nulla judiciorum in earum expulsione sit habita, et quod monachi Fossatenses res puellarum haud legitime retinerent. Illæ querelæ pupugerunt abbatem et monachos, qui clamoribus popularium et conscientiæ stimulis exciti, monasterium cum rebus monasterii Stephano Parisiensi (*episcopo*) reddiderunt. Cum jam prope triginta anni post earum ejectionem effluxissent, et jam paucæ aut forsan nullæ hujus monasterii puellæ essent superstites, tum ex jure liberum fuit episcopo ipsum monasterium relictum et desertum cuilibet usui ecclesiastico destinare. Stephanus haud amplius dubitavit, (*præsertim id petentibus Innocentio Papa II et rege Ludovico VI*) illud tradere Fossatensibus; neque illi hoc ipsum recipere abnuerunt : cum nulla amplius causa esset illud repudiandi.

a Stephano, Ep. Parisiensi, ut ex diplomate ejus

72 *Ipsas Stephani, Parisiensis episcopi, litteras, quibus Eligianum monasterium Fossatensibus reddit, cum Galonis, Parisiensis itidem episcopi, litteras verbotenus fere exprimant, nec hæ superius datæ sint, non alieno loco ex tom. II Hist. eccles. Paris. pag.* 48 *hic exhiberi posse, existimavi. En illas :* Exempla patrum nos ammonent et ratio nos consulit, ordinem et munditiam domus Domini sic amare, ut ea, quæ Sanctorum auctoritatibus non concordant, rigore judiciali studeamus corrigere, et ea, quæ justitia et honestas commendant, paterno affectu peroptemus in suo statu et ordine conservare; ut et male viventes ab enormitatibus suis judicii timore reprimamus, et bene et honeste viventes ad meliorem vitæ viam paterno amore accendamus, et saluti nostræ et suæ ita providеamus. Ego igitur Stephanus, Dei gratia Parisiensis episcopus, notum fieri volo cunctis fidelibus tam posteris, quam præsentibus, monasterium sancti Eligii Parisiensis Ordini sanctimonialium fuisse antiquitus deputatum. Verum pro nimia illius sexus fragilitate, qui voto castitatis rupto et proposito religionis abjecto, ad intolerandam turpitudinis prolapsus erat miseriam, ita ut templum Dei effecisset fornicationis speluncam; venerabilis et bonæ memoriæ prædecessor noster Galo, Parisiensis episcopus, tantam pestem non ferens, infames et incorrigibiles personas pro turpitudine vitæ a prædicto eliminavit et prorsus alienavit monasterio. Volens etiam sanctum locum altiori ordine decorare, prædictum sancti Eligii monasterium cum omnibus ad illud pertinentibus ecclesiæ beati Petri Fossatensis jure perpetuo habendum, minus tamen canonice, quam deceret, donavit et concessit. Quod siquidem donum, quia inordinate, E nec ita ut oporteret secundum Deum, actum est; abbas ecclesiæ Fossatensis Theobaldus, vir quidem discretus et honestus, suæ et subditorum famæ consulens et saluti, prædictum beati Eligii monasterium nobis in nostra manu reddidit et dimisit, et se et monachos Fossatenses prædictum monasterium nec secundum Deum adeptos esse, nec bene possedisse cognovit.

AUCTORE J. G.

patet, eis indicolenda restituitur,

73 Cum vero idem monasterium in manu nostra diu tenuissemus; tandem misericordia, quæ omnis humilitatis amica est, oculis nostris se offerens visa est nobis exigere, ut, quod prædictus abbas nobis dimisit timore Dei et humilitate compunctus, ecclesiæ Fossatensi misericorditer donaremus. Dignum enim non erat, ut ex hoc, quod gratia humilitatis fecisse videbatur, aliquod ei damnum vel incommodum sequeretur. Imo, quod amor humilitatis videbatur, ut ita dicamus, abstulisse, misericordia, quæ illius amica est, debebat restituere. Amore itaque misericordiæ inclinati, et petitione domni Papæ Innocentii, et prece domni Ludovici, illustris et gloriosi Francorum regis, inflexi, et religiosorum virorum inductu, assensu et Bernerii decani et capituli nostri prædictum sancti Eligii monasterium cum omnibus ad illud pertinentibus Ascelino abbati, et ecclesiæ beati Petri Fossatensis perpetuo habendum, salvo quidem in omnibus jure F nostro et successorum nostrorum, et salvis in omnibus et per omnia consuetudinibus ecclesiæ Parisiensis, donamus et concedimus; ita scilicet, ut abbas Fossatensis præscriptum monasterium tamquam cellam suam possideat, et in monachos, ibi Deo militantes, plenam et perfectam abbatis potestatem exerceat, dum ipse, et successores sui abbates, et monachi Fossatenses in nostra et successorum nostrorum episcoporum Parisiensium subjectione permanserint; et Parisiensi ecclesiæ, et nobis jus et honorem nostrum et consuetudines nostras in omnibus conservaverint et reddiderint. Institutum tamen est, ut duodecim ad minus monachi cum suo Priore ad serviendum Deo illic apponantur, qui juxta Regulam sancti Benedicti ad ordinem tenendum sufficere videantur.

sub certis tamen conditionibus

74 Sciendum vero est, quia eamdem illam potestatem, quam prædecessores nostri in monasterium sancti Eligii, et in abbatissam, quæ ibi antiquitus fuerat, habuerunt, nos in abbatem Fossatensem ex integro habemus et in perpetuum retinemus, quantum scilicet ad cœnobium sancti Eligii et ad res illius monasterii pertinere videtur Sed, ut totius altercationis molestia in posterum excludatur, quid potestatis episcopus, quid juris aut consuetudinis canonici sanctæ Mariæ, tam in abbatissam,

AUCTORE J. G.

abbatisam, quam in monasterium illud prius possederint, et modo possideant, evidenter et aperte distinximus. Sciendum igitur est, quod, quoties Parisiensis episcopus ad justitiam vocavit, illa procul dubio omnem executura justitiam ante episcopum se præsentavit. Si autem servus, vel ancilla, vel hospes illius monasterii contra personam episcopi, aut contra proprias res illius aliquid foris fecisset : abbatissa, audito prius episcopi mandato, illos in præsentiam episcopi ad justitiam faciendam adduxisset; et post justitiam episcopi abbatissa suos districtus accepisset, si voluisset. Quod si abbatissa servos vel ancillas monasterii libertate donare, aut terram alienare, aut manufirmam facere voluisset; nullam id faciendi licentiam habuisset absque assensu episcopi et absque charta sigillo ejus et sigillo cancellarii firmata. Hanc ergo potestatem in abbatissam et in monasterium sancti Eligii prædecessores nostri habuisse noscuntur; et nos quoque in abbatem Fossatensem eamdem retinemus potestatem, nihil nostri juris relinquentes vel relaxantes.

onerosis aliisque, quæ nominatim

75 Canonicis vero beatæ Mariæ prædictum monasterium singulis annis duos pastus ex debito persolvit, unum in festivitate sancti Pauli, alterum in festo sancti Eligii. Itaque uterque pastus in re-
B fectorio canonicorum recipitur. Consuetudo etiam est, ut præfati cœnobii conventus una cum canonicis beatæ Mariæ processiones faciant, in die Rogationum et in die Ascensionis et in funeribus canonicorum : alias etiam processiones aut pro aeris serenitate, aut pro aliqua tempestate sive necessitate, si canonici facere disposuerint; necesse est, prædictum conventum canonicorum instituta sequi, eosque, si mandaverint, in his processionibus comitari. Præterea, quoties mater ecclesia a divino officio cessaverit, cœnobium sancti Eligii ex necessitate cessabit. Sub hac igitur distinctione cœnobium sancti Eligii ecclesiæ Fossatensi in cellam possidendum concedimus, eo scilicet tenore, ut, quoties Fossatensis abbas debitam professionem in Parisiensi ecclesia fecerit, præsente episcopo, fateatur, cœnobium sancti Eligii ex dono episcopi et beneficio Parisiensis ecclesiæ se habere. Volumus et determinare, quod homines prædicti cœnobii in exercitum regis, inconsulto episcopo, non debent ire; sed abbas aut Prior ex præcepto episcopi illos debent in exercitum mittere.

hic recensentur;

76 Definitum est etiam, ut in festo sancti Eligii canonici sanctæ Mariæ dextrum chorum, monachi sinistrum teneant; ita ut cum canonico, qui chorum
C tenuerit, aut Prior aut cantor monachorum chorum teneat, nec alia persona ad illud admittatur; Missam vero aut abbas aut Prior cantabit. Quod si uterque aberit, aliquis ex clero nostro illam celebrabit. Sciendum vero est, quia die illo prædictus pastus redditur ex sex porcis vivis et sanæ carnis, ex duobus modiis vini et dimidio ad mensuram nostri claustri, et tribus sextariis frumenti bene vanati. Pastus vero, qui redditur in festo sancti Pauli, de octo constat arietibus et duobus modiis vini, et dimidio sextario, et ex duobus sextariis et dimidio frumenti bene vanati, et ex sex nummis et obolo. Ut autem hoc ratum et inconcussum permaneat; præsentem chartam fieri præcepimus, et sigillo nostro signavimus, et manibus canonicorum nostrorum firmandam tradidimus. Signum Stephani episcopi. S. Bernerii decani etc. Actum publice in capitulo sanctæ Mariæ anno Incarnati Verbi MCXXXIV, regnante Ludovico rege anno XXVII, Ludovico rege in regem sublimato anno III, anno episcopatus Stephani XI. Datum per manum Algrini cancellarii.

sed post annos circiter 400 monachis substituti illic sunt presbyteri seculares

77 *Sic fuerat per anno circiter quadringentos a Fossatensibus Benedictinis Eligianum monasterium titulo cellæ seu prioratus possessum, cum rerum illius facies rursus mutata est. Audi editores Galliæ Christianæ tom. VII, col.* 280 : At vero, *inquiunt,* tandem hic prioratus sortem abbatiæ S. Mauri secutus est; cum enim... episcopatui Parisiensi D unita fuisset anno 1333, unitus fuit et prioratus, in quem Johannes du Bellay, episcopus Parisiensis, (*de quo vide tom. cit., col.* 160) et primus sancti Mauri Fossatensis decanus, presbyteros seculares iuduxit. *Clementis Papæ VII bullam et commissariorum litteras, quæ citato tomo VII Galliæ Christianæ inter Instrumenta ecclesiæ Parisiensis col.* 141 *et sequentibus exstant, curiosus lector adeat. Sufficiet mihi ex illis hujusce mutationis causas factique rationes recensere. Præfatus Joannes du Bellay, Parisiensis episcopus, ipsique Benedictini Fossatenses, interponente se ad eamdem rem Francisco I Galliarum rege, apud Clementem VII Papam impense institerant, ut, quoniam antiqui fructus episcopatus Parisiensis ad commodam episcopi sustentationem, temporum et rerum qualitate pensata, pro quadrimestri non sufficiebant; monachi vero S. Mauri a Regularis disciplinæ observantia ac Regulari vivendi modo plurimum a fidelium multitudine ad ecclesiam suam devotionis causa accedentium distrahebantur, placeret Romano Pontifici Apostolica sua auctoritate non modo nomen monasterii et prioratuum omnino supprimere, ac in ecclesia monasterii S. Mauri Regularem monachorum statum in statum canonicorum presbyterorum et clericorum sæcularium immutare, sed et in prioratibus presbyteros idoneos sæculares vel quorumvis Ordinum Regulares, qui curam animarum illis incumbentem exercerent, constitui permitteret, bona vero monasterii ac prioratuum in Parisiensis episcopi emolumentum et erigendi sæcularis capituli sustentationem cederent. Pontifex, data anno* 1533 *Idibus Junii bulla, rei exsecutionem demandavit tribus nominatis deputatisque commissariis, Philippo, abbati monasterii S. Genovefæ Parisiensis, Germano de Brie, archidiacono Albiensi, et Nicolao Quelin, thesaurario omnium Sanctorum de Mauritania* (*Gallice* de Mortagne) *Sagiensis diœcesis, atque hi tandem anno* 1536, *die* 17 *Augusti lata, ut vocant, definitiva sententia, quod fuerat a Parisiensi episcopo et Fossatensibus monachis postulatum, exsecutioni rite mandarunt. Ita Eligianum monasterium, quod a monialibus Columbanianis ad Fossatenses Benedictinos, ab his ad Stephanum, Parisiensem episcopum, ab hoc rursus ad Fossatenses transierat, denuo ad Parisiensem episcopum rediit, qui, testibus Felibiano et Lobineau tom. II Hist. Urbis Parisiensis pag.* 993, *Benedictinis monachis sæculares presbyteros, sacro illic ministerio functuros, substituit.*

et his demum clerici Regulares, dicti Barnabitæ.

78 *His tandem eodem loco successerunt clerici Regulares S. Pauli, a concessa ipsis Mediolani S. Barnabæ ecclesia,* Barnabitæ *vulgo dicti, qui collapsam S. Eligii ecclesiam summo labore parique industria restaurarunt, ibique hodiedum Deo deserviunt. De hoc argumento fuse idiomate Italico egit Franciscus Barelli tom. II Monumentorum Originis et Progressus Congregationis clericorum S. Pauli, qui vulgo* Barnabitæ *dicuntur, lib.* VIII, *cap.* 9, *pag.* 642 *et seqq. Gallice vero idem argumentum succinctius tractant Felibianus et Lobineau tom. II Historiæ Urbis Parisiensis pag.* 1349 *et seq. Præcipua, quæ huc spectant, eo ferme compendio redeunt. Posteaquam primus Parisiensium archiepiscopus, Joannes Franciscus de Gondi* (*de quo vide Galliam Christianam auctam tom. VII, col.* 174 *et seqq.*) *retentis sibi cum prioratus titulo Eligiani prioratus redditibus, anno* 1629 *Eligianam domum cum omni suppellectili sacra Barnabitis concessisset, prima horum clericorum cura fuit, collapsam Dei domum suis sumptibus instaurandi; at cum manum operi admovissent, incepta perficere sacra civilique auctoritate primum prohibiti fuerunt : verum inhibitione hac feliciter sublata, cum archiepiscopus Parisiensis donationis a se factæ instrumentum per publicum notarium anno* 1651 *legitime confici curasset, eodem illo anno in prioratus Eligiani possessionem integram Barnabitas misit, neve iis subsecuturo tempore molestia de hujus ædis possessione crearetur, factam a se donationem solemni formula ratam*

A *ratam habuit anno* 1639, *eamque senatus regis rite approbavit. Hunc in modum Barnabitis, qui* 9 *Maji anno* 1636 *decreto supremi senatus Parisiensis admissi Parisiis fuerant, pacifice Eligianum* S. Aureæ *asceterium, tot vicissitudinibus obnoxium, possidere inposterum licuit.* D

DE S. PETRO EPISCOPO MARTYRE, FORTE EODEM CUM S. PETRO CAPITOLIO,

IN ARABIA.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

C. B.

Quis sit hic Sanctus et quando martyrio affectus.

ANNO DCCXLIII. *Per S. Petrum, qui a Romano et Castellano hodie annuntiatur,*

Baronius aliique eruditissimi viri, qui Martyrologium Romanum reformarunt, hodie in hoc S. Petrum, *episcopum martyrem, ita annuntiant :* Damasci, sancti Petri, episcopi et martyris, qui accusatus apud Agarenorum principem, quod fidem Christi doceret, lingua, manibus pedibusque amputatis, cruci affixus, martyrium consummavit. *Castellanus eadem etiam annuntiatione, totidem fere verbis concepta, in Martyrologio suo Universali, utpote cui totum Romanum, Gallice redditum, inseruit,* S. Petrum, *episcopum martyrem, hodie commemorat. Verum, inquiet non nemo, nec Martyrologium Romanum, nec Universale Castellani civitatem exprimit, cujus Petrus, quem celebrant, fuerit episcopus. Quo ergo de S. Petro, episcopo martyre, in binis illis Fastis sacris sermo est? An forte de* S. Petro, *Damasci metropolita, cujus ad annum secundum Constantini Copronymi in sua Chronographia meminit Theophanes? Antequam meam hac super re promam sententiam, quoniam hic usui sæpe futurum est, quod de* S. Petro, *Damasci metropolita, sanctus ille, Sancto huic coævus, chronographus memoriæ prodit, totum id hic in medium adduco; ac ipsa quidem Græca Theophanis verba huc transcribo, ut ita suum ferre queat eruditus lector judicium de nova versione Latina, quam iis subjuncturus sum, quod antiquitus ab Anastasio bibliothecario novissimeque a Jacobo Goaro sat accurate, ut apparet, Latine reddita non sint.*

B

S. Petrus, Damasci metropolita, de quo hic Theophanes,

Sic habent : Οὐαλὶδ δὲ Πέτρον τὸν ἁγιώτατον μητροπολίτην Δαμασκοῦ γλωττοτομηθῆναι ἐκέλευσε, ὡς ἀναφανδὸν ἐλέγχοντα τὴν τῶν Ἀράβων καὶ Μανιχαίων δυσσέβειαν. Ἐξώρισεν δὲ αὐτὸν κατὰ τὴν εὐδαίμονα Ἀραβίαν, ἔνθα καὶ τελειοῦται μαρτυρήσας

C ὑπὲρ Χριστοῦ, καὶ τρανῶς ἐκφωνήσας τὴν θείαν λειτουργίαν, ὡς οἱ διηγησάμενοι φασὶν ἰδίαις ἀκοαῖς πεπληροφορεῖσθαι. *En nunc adornatam a me versionem Latinam :* Porro Valid (*Arabum scilicet princeps*) Petro, sanctissimo Damasci metropolitæ, utpote Arabum et Manichæorum impietatem palam redarguenti, linguam jussit præscindi. Adhæc illum in Felicem Arabiam relegavit; ubi etiam martyrio consummatur, cum Christo perhibuit testimonium, diviñumque Missæ Sacrificium clara voce celebravit, uti, qui retulerunt, propriis se auribus percepisse, affirmant. *Ita Theophanes, brevi, quæ ad S. Petrum, Damasci metropolitam, spectant, elogio exponens. Inquiro nunc, de quo S. Petro, episcopo martyre, in binis Fastis sacris supra laudatis sermo instituatur. Sanctus* Petrus, *Damasci episcopus, seu potius metropolita, de quo verbis huc jam transcriptis Theophanes, a Galesinio ad 4 Januarii annuntiatur; apud nos autem ad eumdem diem inter Prætermissos refertur hoc modo :* « S. Petrus, episcopus Damascenus, martyr. » Galesin. De eo Martyrol. Roman. IV Octobr. *Fuerunt itaque, uti ex his verbis nemo non intelliget, in ea opinione Majores nostri, ut per* Petrum, *episcopum martyrem, qui hodie Romano inseritur, designari existimarint.* S. Petrum, *Damasci metropolitam, ab Arabibus, uti ex Theophane apparet, martyrio affectum.*

designari ostenditur

3 *Porro eamdem etiam opinionem amplexi sunt Castellanus in Sanctorum Tabula, Martyrologio suo Universali subjecta, et auctor Indicis ad Martyrologium Romanum, anno* 1701 *typis Moretianis excusum; his autem, uti etiam Majoribus nostris, in eadem sententia jam præiverat Baronius. Etenim in suis, quas Martyrologio Romano adjecit, Annotationibus hodie in Petrum, episcopum martyrem, ita observat :* De eodem (Petro *scilicet, episcopo martyre*) hac die Græci in Menologio (*Sirletiano scilicet, quod Menologio Græcorum Baronius semper intelligit*) ejusque certamen describunt... Meminit E ejusdem (Petri, *episcopi martyris*) Cedren. in Compend. anno secundo Copronymi. *Petrus, de quo ad* 2 *Constantini Copronymi annum in suo Historiarum Compendio Cedrenus, alius non est, quam* S. Petrus, *Damasci metropolita, ab Arabibus, teste Theophane, pro fide occisus, ac proin hunc Sanctum hodie celebrari in Romano, vult Baronius. Quapropter cum eruditissimus hic Martyrologii Romani reformator compertum utique habuerit, de quibus in hoc Sanctis faceret sermonem, ei ego hic, decessorum meorum motus exemplo, propense assentior, deque* S. Petro, *Damasci metropolita, ab Arabibus occiso, qui præterea Martyrologio Romano nuspiam alibi inscribitur, hodie in hoc agi, persuasum habeo. Nec, ut contrarium sentiam, movere me potest, quod* Petrus, *episcopus martyr, a Romano, cui inscribitur, Damasci ponatur;* Petrus *autem, Damasci metropolita, non ibi, sed in Arabia, uti ex Theophanis verbis, supra huc transcriptis, liquet, vitæ cursum terminarit.*

Hic S. Metropolita a S. Petro Capitolio, Menologio Sirletiano

4 *Cum enim, etsi Damasci non consummarit, inceperit tamen, teste Theophane,* Petrus, *Damasci metropolita, ibidem martyrium, potuit hinc, etsi etiam cultum ecclesiasticum, Sanctis deferri solitum, ratione cujus posset Damasci poni, ibidem apud Christianos, sub Saracenorum jugo gementes, verosimiliter adeptus non fuerit, diu nihilominus in honorifica celebrique apud illos manere memoria, eaque de causa Damasci a Martyrologii Romani conditoribus reponi. Verum alia longe gravior difficultas hic occurrit. Etenim per hodiernum Romani Martyrologii* Petrum, *episcopum martyrem, etiam designatur* Petrus, *Sirletiano Græcorum Menologio hodie inscriptus et* Capitolius *vocatus. Id verbis num. præced. huc transcriptis a Baronio sat aperte innuitur, patetque vel ex sola de* S. Petro, *episcopo martyre, Romani Martyrologii annuntiatione, utpote ex elogio, quo* Petrus *Capitolius in Sirletiano hodie ornatur, maximam partem manifestissime deprompta. Quapropter, cum ex supra dictis per hodiernum Romani* Petrum *etiam designetur* Petrus, *Damasci metropolita, ab Arabibus necatus, necesse est, ut hic a* Petro *Capitolio non distinguatur. At vero est etiam, cur inter* Petrum, *Dasmasci metropolitam, et* Petrum *Capitolium distinctio facienda non immerito queat videri. Hic enim in Sirletiano hodie ita memoratur :* Eodem die (*4 Octobris*) commemoratio sancti martyris Petri Capitolii. Hic, cum sapientia multis præstaret, legitimo matrimonio copulatus, cum tres filios genuisset, monasticam vitam subiit; presbyter vero creatus ab episcopo Bostrensi, tanquam Christianorum magister, accusatus est apud Agarenorum principem. Itaque

propter

AUCTORE C. B.

propter Christi confessionem ad Damascenorum regionem ductus, lingua ei exciditur : sed, cum apertius et velocius loqueretur; dextera manu et pedibus truncatur, postea, effossis oculis, cruci affigitur, atque, abscisso capite, in ignem traditus, in flumen demersus est.

aliisque sacris Græcorum Fastis inscripto,

5 *Itaque, si his Sirletiani verbis standum sit,* Petrus *Capitolius non in Felici Arabia, ubi de* Petro, *Damasci metropolita, refert Theophanes, sed in Damascenorum regione gloriosum pro fide martyrium consummavit. Atque hæc prima est ratio, ob quam* Petrus *Capitolius a* Petro, *Damasci metropolita, distinguendus queat videri. Alteram nunc addo. Menæa Græcorum excusa, quæ in suo Menologio, moderna Græcorum lingua conscripto, presse iterum de more hic sequitur Maximus Margunius,* S. Petrum *Capitolium elogio, quod Sirletiano jam dato fere ad amussim consonat, quodque proinde huc non transcribo, hodie etiam celebrant; elogio autem hanc annuntiationem præmittunt :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρα τοῦ ἁγίου μάρτυρος Πέτρου Καπετωλείων, *id est,* Eodem die sancti martyris Petri Capitoliorum ; *qui sensus utique imperfectus est ac mutilus ; vocabulo autem* episcopi *aut alio synonymo, proxime post vocem* Capitoleorum *adjecto, videtur supplendus. Menæa enim, ut mihi equidem apparet, illo*

B *significatum volunt,* Petrum, *quem memorant, Capitoleorum fuisse episcopum. Ita autumo, quod idem* Petrus, *qui in Menæis, hodie etiam in Menologio Basiliano memoretur ; in elogio autem, quo in posteriori hoc sacro Græcorum monumento ornatur, Capitoleorum fuisse episcopus, diserte affirmetur. Jam vero, cum id ita sit, simulque* S. Petrus, *Damasci metropolita, quem Theophanes, laudat, Capitoleorum episcopus haud fuerit, consequens est, ut hic Sanctus Metropolita a* Petro *Capitolio, si modo Menæis ac præsertim quidem Basiliano Menologio certa sua constet fides, indubie sit diversus. Atque ita, studiose lector, bina jam habes argumenta, quæ* Petri, *Damasci metropolitæ, a* Petro *Capitolio distinctionem suadere sint nata. An plane etiam eam evincant, nunc inquiro.*

diversus seu distinctus,

6 *Nullum monumentum, nullus auctor antiquus* Petri *cujuspiam, ab Arabibus pro fide occisi, qui Capitoleorum episcopus fuerit, mentionem uspiam facit; Menæa autem et ambo Menologia jam laudata, quæ* Petrum, *qui Capitoleorum episcopus fuerit, exstitisse innuunt, certam atque indubitatam fidem non merentur hac in re, utpote quæ omni antiquitatis testimonio destituta, ac præterea aliunde in dubium revocari queat, prout jam nunc ostendo. Secundum Menologium Basilianum, cujus pariter de*

C S. Petro *Capitoliorum, ut ait, episcopo, elogium huc transcribere visum non est,* ἑλλὴν, *id est,* ethnicus *seu* gentilis (*perperam enim in editione, studio et opera Eminentissimi Annibalis Albani adornata,* Græcus *vertitur*) *fuit is* S. Petrus, *multosque ethnicorum, cum jam Christi doctrinam fuisset amplexus, ad fidem convertit; at vero si Menæa Sirletianumque, quod ex his, ut apparet, est depromptum,* Petri *Capitolii elogium spectes, hic Sanctus e Christianis parentibus natus, nec umquam ethnicus fuisse, videtur. Adhæc secundum Basilianum idem* S. Petrus *ab idololatris, mota in Christianos persecutione, fuit occisus; verum secundum Sirletianum et Menæa non ab idololatris, sed ab Agarenis seu Saracenis, qui utique idololatræ non erant, fuit id perpetratum. Scriptores adeo, qui sacros illos Græcorum Fastos condiderunt, inter sese hic plurimum dissident, fasque proinde videtur suspicari, nullum ex his habuisse, quæ ad* S. Petrum, *quem celebrant, spectarent, sufficienter comperta. Hinc porro dubitari etiam, ut apparet, non immerito potest, an non iidem sacrorum Fastorum conditores, qui præterea sæpissime alibi a vero deprehenduntur devii, e civitate Capitoleiensi, in qua, ut Menæa tradunt,* S. Petrus, Capitolius *inde dictus, natus et enutritus est, civitatem aliam, cui is episcopus præfuerit, perperam fecerint; item an non Damascenorum regionem, in qua* S. Petrus, *Damasci metropolita, incepit martyrium, pro Felici* D *Arabia, in qua id consummavit, inepte notarint. Forte itaque nullus umquam* S. Petrus, *qui Capitoliorum fuerit episcopus, in rerum natura exstitit, ac proin is, quem sacri Græcorum Fasti celebrant, alius forsan non est, quam* Petrus, *Damasci metropolita, uno atque altero aut forte etiam pluribus falsis coloribus per Græcos depictus.*

utut secus sentire videatur Lequienus, forsan non est;

7 *Quod ut quis credat propensius, moveri etiam potest ex eo, quod saltem Theophanem inter et laudatos sacros Græcorum Fastos quantum ad primum, quod* S. Petrum, *Damasci metropolitam, et* S. Petrum *Capitolium apud Damascenos subiisse narrant, supplicii genus, hujus causam miraculumque Sancti, absque lingua loquentis, sat recte conveniat. Lequienus nihilominus in suo Oriente Christiano* Petrum, *Damasci metropolitam, a* Petro *Capitolio distinguere videtur. Illum enim Operis illius tom. II, col.* 836 *et seq. Damascenos inter metropolitas; hunc vero tom. III col.* 718 *Capitoleienses inter episcopos recenset. Adhæc posteriori e binis hisce locis dubitare se, innuit,* num Petrus, *quem Menologium Basilianum et Sirletianum seu Canisianum memorant,* Capitoliadis reipsa episcopus fuerit, et quandonam martyrium subierit. *Quam ob rem, cum priori loco* S. Petri, *Damasci metropolitæ, necem, ut apparet, anno* 743 *affigat, vi-* E *detur utique vel ex hoc solo capite* Petrum *Damasci metropolitam, a* Petro *Capitolio facere diversum. Verum, quidquid sit de Lequieni hac in parte sententia, Baronius equidem, uti ex jam dictis facile colliges, et Castellanus in sua Sanctorum Tabula supra citata,* Petrum, *Damasci metropolitam, cum* Petro *Capitolio opinantur esse eumdem, ego autem, rationibus jam adductis impulsus, binis illis scriptoribus non illubenter assentior; quod nihilominus sub hac restrictione dumtaxat facio, ut eorum opinionem omnino certam non asseram. Jam vero, si hæc veritati reipsa forte consonet, in Martyrologio Romano aliisque etiam omnibus Fastis sacris tam* Petrus *Capitolius, quam* Petrus *Damasci metropolita, memorari utique dignus erit; quod si autem contra a veritate sit devia, iisdem omnibus* Petrus, *Damasci metropolita, de cujus sanctitate e Theophane, integræ fidei scriptore, constat, inscribi certo merebitur, non etiam* Petrus *Capitolius; utpote qui sic e solis sacris, qui subinde etiam indignos Sanctis accensent, Græcorum Fastis notus fuerit; quibus cum insuper absque temporis nota sit inscriptus, dubitare etiam sinet, an ante, an post exortum Photianum schisma floruerit, ac proin an cultum ab orthodoxis Græcis sibi delatum umquam habuerit.* F

fuit autem, quod Arabum impietatem palam arguerit,

8 *Atque hinc est, cur ea dumtaxat, quæ ad* Petrum, *Damasci metropolitam, pertinent, dilucidare jam nunc aggrediar. Passus est hic Sanctus noster, quod Arabum seu Saracenorum, Manichæorumque impietatem, uti Theophanes num.* 2 *docet, palam redargueret. Arabes scilicet seu Saraceni Mahometanæ sectæ asseclæ, sæculo octavo, quo Sanctus Damascenæ ecclesiæ episcopus præerat, in tota late Syria, inque ipsa amplissimæ regionis hujus civitate Damasco dominabantur. His vivebant immixti repullulantes denuo impiæ non minus sectæ homines, Manichæi, qui subinde etiam Mahometanos Arabum principes adversus fideles Catholicos exstimulabant. Sedulam interim pro fide tutanda curam gerere non destitit sanctus Præsul. Testatum id adhuc faciunt duo Opuscula, a Joanne Damasceno jussu ejus conscripta. Ambo exstant tom. I Operum, quæ, S. Joannis Damasceni nomine inscripta, Lequienus anno* 1712 *in lucem publicam dedit, a pag.* 590 *usque ad pag.* 429 *inserta. Alterum complectitur fidei professionem, hæreticæ pravitati sane plurimum adversam, quam emisit,* Petroque, *Damasci metropolitæ, tradidit Elias episcopus, qui ab hæresi ad orthodoxam fidem, adnitente, ut apparet,* S. Petro, *Damasci metropolita, erat conversus; alterum insignis est adversus Jacobitas hæreticos libellus, nomine* Petri, *sanctissimi episcopi Damasci, ad episcopum Tudaræ Jacobitam destinatus. Porro*

S. Joannes

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *sincera circa Christi fidem animi sensa in binis illis Opusculis indubie expressit, ac proin, cum hæc nihil non plane orthodoxum contineant, non modo eximiam ejus pro Ecclesiæ doctrina curam, verum etiam intaminatam fidem, qua duas inter spurcissimas sectas medius eluxit, manifestissime produnt. At vero, cum ad summam fidei puritatem parem insectandi hæreses ardorem adjungeret, veram Christi fidem deprimi, impiaque dogmata tenere principatum, non ferens, Mahometanos juxta ac Manichæos palam redarguere, non formidavit. Verum, re sive ab his, sive ab illis ad Mahometanum Arabum principem seu chalifam delata, jussit hic sanctissimo Viro linguam præscindi, itaque mutilatum in Arabiam Felicem relegavit.*

anno 743, 9 *Princeps ille Arabum, qui Theophani Valid, supra* Ουαλὶδ, *dicitur, Elmacino et Abul-pharaio infra citandis est* Walid, *aliasque adhuc nominis sui efformationes sortitur, uti apud nos tom. III Februarii in Petro Majumeno num. 3 exponitur; quo propterea, studiose lector, te remitto, ad annum, quo Sanctus noster passus sit, determinandum modo festinans. Theophanes, ubi verbis num. 2 huc transcriptis* S. Petri, *Damasci metropolitæ, relegationem ad annum secundum Constantini Copronymi narravit, mox etiam ad eumdem annum S. Petri Ma-*

B *jumeni refert martyrium. Quo ergo Christi anno in Felicem Arabiam relegatus est Sanctus noster, eodem etiam, etsi, ut apparet, paulo serius, Petrus Majumenus gloriosam pro fide mortem oppetiit. Hanc Bollandus noster tom. III Februarii jam cit. in Petro Majumeno cum anno Christi 743 componit; eamdem autem Augustinus Lubin in Tabulis suis ecclesiasticis, Martyrologio Romano adjectis, pag. 330 aliique nonnulli recentiores, utut Bollandum sibi præluentem habuerint, anno æræ Christianæ 742 innectunt. Verum Bollandus pro martyrii, a Petro Majumeno tolerati, epocha annum 743 recte assignat, quod ut tandem extra controversiam ponam, simulque ad tempus, quo ad Dominum migrarit Sanctus noster, definiendum viam sternam, fuisse hunc eo ipso anno 743 in Felicem Arabiam a Valid, Saracenorum seu Arabum principe, relegatum, paulo operosius jam nunc ostendere, operæ pretium existimo.*

uti ex initi a Valid secundum Elmacinum, 10 *Elmacinus, scriptor Arabs, qui sub finem sæculi* XI *et initio sequentis floruit, in sua Saracenica seu Saraceno-Arabum historia, e scriptoribus, uti in Prologo indicat, antiquioribus desumpta, lib. 1, cap. 18 de Walido, qui Sanctum nostrum relegavit, secundusque exstitit hujus nominis Arabum princeps seu chalifa, ita memorat :* Hic cognominatus fuit

C Abulabbas; et creatus est chalifa eo die, quo obiit patruus ejus Hisjamai, (quod ita præcepisset illi pater ejus Jezidus, ut Hisjamo nempe succederet) id est, sexto nempe Rabii posterioris, anni 125 Hegiræ. *Hisjamus ergo, seu Isamus, ut scribit Theophanes, proximus Walidi secundi in Arabum seu Saracenorum principatu decessor, anno Hegiræ 125, sexto Rabii posterioris die excessit e vivis, eoque ipso die ei in chalifatum suffectus primum est Walidus. Annus Arabicus seu Hegiræ 125 anno æræ Christianæ 742, quarta Novembris die initium; anno vero sequenti, vigesima quarta Octobris die, finem accepit. Rabii ergo posterioris, qui quartus est anni Arabici mensis, dies sexta anno Hegiræ 125 in sextam Februarii nostri, ut computanti patebit, diem incidit. Walidus itaque non ante annum Christi 743, ad sextam Februarii diem provectum, Arabibus seu Saracenis dominari incepit. Certum hoc apparet atque indubitatum; neque enim est, cur hic mendi suspectus habeatur Elmacini calculus. Errores quidem chronologicos in patriarcharum Alexandrinorum Chronologia, quam Elmacinus suppeditat, non paucos nec leves cubare, Sollerius tom. V Junii in chronologica eorumdem patriarcharum Historia loco non uno dilucide ostendit; ast simul in hac num. 370 ingenue fatetur, scriptorem illum in iis, quæ ad gentem suam spectant, accuratum in paucis esse chronographum.* Facem nobis, *inquit,* præferet Elmacinus, rerum Saracenicarum scrutator diligentissimus, et in observanda temporum ratione in iis, quæ ad gentem suam spectant, in paucis accuratus. AUCTORE C. B.

11 *Quam ob rem, cum de tempore, quo Saracenorum chalifa principatum sit exorsus, faciamus sermonem, ac proin versemur in re, quæ utique ad Saracenos seu Arabes, Elmacini gentem, pertinet, non est, cur hic eum in debita observanda temporum ratione non accuratum, putemus, aut forte etiam in ea erroris habeamus suspectum. Adhæc Elmacino, quem etiam in chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum Historia, tom. III Maji præfixa, num. 132 Papebrochius noster ab accuratione commendat, Abulpharajius juxta ac Theophanes suffragatur. Hic enim ad annum tertium Constantini Copronymi scribit, Validum, unico imperii anno expleto, Arabum factione 16 Aprilis die violenta nece e vivis esse sublatum; quod proinde anno Christi 744 (hunc enim designat tertius, mense Aprili notatus, Constantini Copronymi annus) evenisse prodit. Jam vero, cum annus seu menses duodecim, a 16 Aprilis anni 744 ordine retrogrado computati, deducant dumtaxat ad anni 743 Aprilem, optime sane cum Theophanis calculo convenit, ut Validus seu Walidus ante 6 diem Februarii anni 743 Arabibus dominari non inceperit, ac proin Elmacino, qui ex* E *dictis Walidum non ante hoc tempus dominari cœpisse, docet, sanctus ille chronographus suffragatur. Quod jam ad Abulpharajium attinet, hic in sua dynastiarum Historia pag. 136 hæc prodit memoriæ:* Interfectus est (*Walid secundus, Arabum chalifa*) biduo ante finitum Giomadam posteriorem, anno (*Hegiræ scilicet*) centesimo vicesimo sexto. Chalifatu functus est annum et tres menses. *Annus 126 Hegiræ a 25 Octobris anni 743 usque ad 12 Octobris anni 744 excurrit, diesque antepenultima Giomadæ posterioris, seu, ut ab aliis scribitur, Jomadæ, qui sextum anni Arabici mensem constituit, incidit in anni 744 sextam decimam Aprilis diem. Walid itaque etiam ex Abulpharajii calculo 16 Aprilis die, anno 744 diem extremum obiit : licet autem is scriptor addat, chalifatu functum esse Walid annum unum, menses tres, hocque temporis spatium, ordine retrogrado computatum, deducat ad diem, qui sexta Februarii anni 743 sit anterior, Elmacino tamen suffragatur ex eo, quod equidem ejus ex calculo initium initi a Walido principatus cum anno 743 concurrat.* *cui etiam Theophanes et Abulpharajius suffragantur,*

12 *Adhæc potest Abulpharajius e tribus mensibus incompletum tertium, cui, ut completus esset, dies tantum septem aut octo deerant, accepisse pro completo; quod a plurium scriptorum more non abhorrere, eruditorum etiam vulgo notum est. Quod si vero id ita reipsa fecit Abulpharajius, ad amussim consonat Elmacino, qui loco citato de Walido etiam ita notat :* Imperavit annum unum, menses duos et dies viginti duos; *quod tempus, a 16 Aprilis anni 744, quo secundum Theophanem et Abulpharajium Validus seu Walidus fuit occisus, ordine retrogrado computatum, deducit ad anni 743 sextam Februarii diem, ad quam principatus, a Walido initi, principium jam supra retulerat præfatus scriptor, quo, ut opinor, ob jam dicta nemo non stet. Certum itaque ac fixum jam maneat, Walidum non ante anni 743 sextam Februarii diem Saracenis seu Arabibus dominari cœpisse. Jam vero, cum* S. Petrus, *Damasci metropolitæ,* (*ad hoc enim, ob quod initi a Walido principatus initium operose hic definii, jam progredior*) *a Walido in exsilium, lingua præcisa, pulsus fuerit, id utique non ante anni 743 sextam Februarii diem evenit. Atque ita quidem jam tempus, post quod Sanctus noster in Felicem Arabiam relegatus fuit, definii : nunc illud, ante quod etiam hoc evenit, pariter definio. Theophanes ad annum 2 Constantini Copronymi relegationem Sancti cum Indictione undecima componit; quam ob rem, cum hic chronographus annorum et Indictionum initium a Kalendis Septembris repetat, fueritque Indictio undecima a Kalendis Septembris anni 742* *principatus initio probatur, in Arabiam relegatus :* F

AUCTORE C. B.

usque ad Kalendas Septembris anni 745 in cursu, consequens est, ut Sanctus ante posterioris hujus anni Kalendas Septembrias relegatus fuerit, ac proin ex dictis eo tempore, quod anno 745 inter sextam Februarii et primam Septembris diem medium efflaxit; quando etiam omni dubio procul accidisse S. Petri Majumeni martyrium ex jam supra dictis facile colliges.

ubi etiam vitam eodem, ut apparet, anno terminavit,

13 *Verum enim vero eodemne etiam anno 745, temporeque, quod tunc inter Septembrem et sextam Februarii diem intercessit medium, Sanctus noster felici e vivis excessu ad Superos migravit? Rem ita se habere, ex Theophane equidem apparet. Etenim* (*adi num.* 2) *ubi is auctor scripsit,* ἐξώρισεν δὲ αὐτὸν κατὰ τὴν ἐυδαίμονα Αραβίαν, relegavit (*Walid*) eum (*sanctum* Petrum) in Felicem Arabiam, *mox subdit :* ἔνθα καὶ τελειοῦται, Ubi etiam (S. Petrus *scilicet*) martyrio consummatur; *verbum autem præsentis temporis* τελειοῦται, consummatur martyrio, *verbo præteriti temporis* relegavit *hic subjectum, facere videtur sensum parum aptum. Quis enim apte dictum putet,* S. Petrus, Damasci metropolita, anno 2 Constantini Copronymi Indictione undecima in Arabiam Felicem relegatus est, ubi etiam consummatur martyrio? *Hinc Theophanes verbo præteriti temporis,* relegavit, *verbum præsentis temporis,* consummatur, *eo fine, eaque ratione, quæ ab eo ineptæ locutionis notam removet, subdidisse videtur. Fecerit id scilicet, ut ita Sanctum nostrum, quem anno secundo Constantini Copronymi, Indictione undecima in Felicem Arabiam relegatum docet, ibidem etiam eodem anno eademque Indictione consummatum fuisse martyrio, significaret. Quod si enim is chronographus scripsisset,* Ἔνθα καὶ ἐτελειώθη, Ubi etiam consummatus est martyrio, *nihil omnino, ut mihi equidem apparet, impedimento fuisset, quo minus Sancti obitus ultra annum secundum Constantini Copronymi undecimamque Indictionem potuisset differri; cum autem scripserit,* Ἔνθα καὶ τελειοῦται, Ubi etiam consummatur martyrio, *Sancti obitus non serius quam secundo Constantini Copronymi anno Indictioneque undecima potest locari. Ita existimo, quod de iis, quæ anno illo Indictioneque gesta sunt, ibidem agat Theophanes, soleantque chronologi, cum de rebus ad annum aliquem gestis tractant, ea dumtaxat, quæ hoc ipso anno, non, quæ etiam sequentibus evenere, præsentis temporis verbis exprimere. Itaque Sanctus noster anno secundo Constantini Copronymi, Indictioneque undecima, uti ex Theophane videtur, consummavit martyrium; quod proin etiam anno 745, inter sextam Februarii diem et Kalendas Septembris, evenit, uti ex jam supra dictis pronum est colligere.*

quamquam interim de die,

14 *Hinc porro jam consequitur, ut dies* S. Petro, *Damasci metropolitæ, emortualis non sit 4 Octobris, qua eum Romano hodierno inscriptum statuunt Baronius, Castellanus aliique supra laudati. Partim nihilominus ex hodierna Romani annuntiatione, qua* Petrus, *episcopus martyr, annuntiatur, factum reor, ut etiam Castellanus, qui jam tamen ad 21 Februarii S. Petri Majumeni martyrium cum anno 745 recte conjunxerat, Sancti nostri martyrium anno 742 perperamilligarit. Cum enim hinc quidem Sanctum hodie Romano inseri; illinc autem ejus martyrium cum Indictione undecima a Theophane componi, cerneret, id anno 742 innectendum censuit, quod secundum Theophanem hoc anno, non sequenti, quarta Octobris dies cum Indictione undecima congruat. At vero, inquiet modo nonnemo, dubitandum quidem ob jam supra dicta non apparet, quin Sanctus quartam Octobris diem anni 742 emortualem haud habuerit; verum, cum ex dictis eo temporis spatio, quod a 6 Februarii die ad Kalendas Septembris anno 745 excurrit, martyrium consummarit, diesne huic definita, quæ in dicto temporis spatio comprehensa sit, assignari potest? S. Petrus, Damasci metropolita, posteriori Kalendario Coptico Seldeni ad 15 Februarii inscribitur; hinc autem quis forte existimet, de Sancto nostro, utpote qui etiam fuerit Damasci metropolita, in laudato Kalendario esse sermonem. Verum in Opere nostro ad præfatum Februarii diem in Prætermissis hæc leguntur :* « Petrus metropolita Damasci, » inscriptus posteriori Kalendario Coptico Seldeni. Quis sit, nescimus. Occisus est ab Arabibus Damasci S. Petrus Majumenus, sive, ut in Romano Martyrol. scriptum, Mavimenus, XXI Febru. aliusque S. Petrus episcopus Damascenus (qui hic est fortassis) IV Octobris.

quo id accidit,

15 *Dubitarunt ergo, uti ex his verbis liquet, Majores nostri, an Petrus, Damasci metropolita, posteriori Kalendario Coptico Seldeni inscriptus, esset* S. Petrus, *episcopus Damascenus, hodie in Romano annuntiatus. Quam ob rem, cum hunc cum* Petro, *Damasci metropolita, quo de hic agimus, pariter fecerint eumdem, simul etiam an hic et Petrus, Damasci metropolita, in Kalendario Coptico Seldeni memoratus, unus idemque sit, revocarunt in dubium. Et vero, cum Petrus metropolita, a nostro diversus, vir apprime Catholicus, Damascenam ecclesiam, ut Lequienus in suo Oriente Christiano tom. II, col. 835 docet, Anastasio imperatore, moderatus sit, alius forsan ab hoc in Kalendario Coptico Seldeni Petrus Damasci metropolita non annuntiatur, ac proin non immerito potest ambigi, an hic a nostro diversus non sit. Sed, fac tamen, diversum non esse, nec sic tamen certum evadet, Sanctum nostrum 15 Februarii die felici e vita transitu evolasse ad Superos; uti enim sacri Latinorum Græcorumque Fasti Sanctos non iis semper diebus, quibus hi vita functi sunt, commemorant, ita nec Fasti Coptici id faciunt. Argumento est, quod S. Petrus, Damasci metropolita, qui Kalendario Coptico Seldeni ad 15 Februarii inscribitur, in Kalendario item Coptico Jobi Ludolfi ad 21 mensis ejusdem annuntietur; ut sane, nisi forte utrobique, contra ac verisimile apparet, de diversis esse sermonem, velis, in altero e binis hisce Kalendariis non eo die, quo obiit, celebretur.*

uti etiam de mortis genere merito dubitet,

16 *Nec est, quod certe in Kalendario Seldeni verum diem, quo* Petrus, *Damasci metropolita, seu, ut tantisper dedimus, Sanctus noster migrarit ad Dominum, assignari arguas ex eo, quod Petrus Majumenus, qui paulo ante Sanctum nostrum vita functus, ex Theophane videtur, Romano hodierno ad 21 Februarii diem sit inscriptus; qui enim, quæso, S. Petrum Majumenum die illo subiisse martyrium, sat certo probabis? Omnibus itaque expensis, quo die Sanctus vitam cum morte commutarit, incertum apparet. Nec etiam, qui id factum sit, indubitatum existimo. Quamvis enim Sanctum martyrio finisse vitam, num. 2 indicare videatur Theophanes, ad significandam tamen Sancti consummationem seu obitum utitur verbo* τελειοῦσθαι, *quod subinde non martyrio, sed morte dumtaxat consummari, significat. Adhæc genus supplicii, quo Sanctus vitam terminarit, ne obscure quidem verbo ullo indicat. Romanum quidem, num. 1 productum, enumerat varia supplicia, quibus post linguæ resectionem* Petrus, *quem memorat, martyrium consummarit; verum hæc dumtaxat habet ex Menologio Sirletiano, aliisque Fastis Græcorum sacris supra laudatis; quapropter, cum hi ex dictis, si* Petrus *Capitolius cum Sancto nostro, uti forte revera est, unus sit atque idem, non unum in hujus elogio admittant errorem, est utique, cur ambigatur, an Sanctus noster iis suppliciis, quæ Romanum enumerat, affectus migravit ad Dominum. Verum, utut id ita sit, Græcum nihilominus præsentis temporis verbum* τελειοῦται *Latine interpretatus sum* martyrio consummatur, *Sanctumque appellavi* martyrem, *idcirco autem id feci, quod, quamquam quo genere martyrii, imo etiam, an martyrio Sanctus in Arabia vitam terminarit, non omnino appareat certum, ex Theophane tamen probabile autumem, reipsa id martyrio, novisque accidisse suppliciis, quæ forte diversa non fuerint a suppliciis, quæ Romanum sæpiusque laudati Græcorum Fasti recensent.*

DE

DE S. MAGDALVEO EPISCOPO CONFESSORE
PROPE VIRODUNUM IN LOTHARINGIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. C. B.

§ I. Varia nominis efformatio, memoria in Fastis sacris et apud scriptores, e quorum uno Acta edenda.

PROBABILIUS ANNO DCCLXII. *Sanctus, cujus nomen varie effertur,*

Haud procul a Viroduno seu Verodunо, aut etiam Virduno, celeberrima Galliæ Belgicæ civitate, cujus brevis apud nos tom. II Junii, pag. 974 *datur notitia, ad dextram Mosæ ripam Septemtrionem versus situs est vicus, Latine* Nova-Villa, *Gallice* Neuf-ville *nuncupatus, non tam frugum ubertate, quam felici* S. Magdalvei *obitu memorabilis. Hic sanctus Verodunensium Antistes, qui Gallice* Mauve *aut etiam* Mauvis *appellatur, varias apud varios scriptores sortitur Latinas nominis sui efformationes. Ab aliis enim* Madelvæus, Madelveus *aut* Madalveus *seu* Madalfeus; *ab aliis autem* Magdalveus *seu* Magdelveus *au etiam* Magdelvæus *effertur. Sunt quoque, a quibus (verosimillime tamen corrupte)* Maduleus, Madulutus, Madalneus, Magdalucus, Madaleveus, Maldaveus, *aut etiam tandem* Madulphus *vocitetur. At vero, sciscitabitur non nemo, quænam e diversis hisce Sancti nomenclationibus amplectenda est? Labbeus tom. VI Conciliorum, col.* 1702 *Fragmentum conventus Attiniacensis, sub Pipino Brevi, Francorum rege, celebrati, simulque episcopus septem supra viginti, abbatesque septemdecim, ei subscriptos, adducit in medium; comparet autem illos inter Sanctus noster, vocaturque* Madalfeus. *Quapropter, cum monumentum, in quo Sanctus occurrat, conventu illo Attiniacensi antiquius haud reperiatur, est sane, cur appellandus videatur* Madalfeus. *Attamen, cum ejus nomen ibidem ex sola forte amanuensium oscitantia ita scribatur, nuncque communiter ab eruditis exaretur* Madelveus *aut* Magdalveus, *præstare videtur, ut altero e binis hisce modis efferatur; et posteriorem quidem ego hic deligo. Quamquam enim in antiquo, quod anno* 1625 *est impressum, Virdunensi Breviario sit* Madelvæus, *atque insuper ab Hugone Flaviniacensi, sæculi undecimi scriptore, plerumque signetur* Madelveus, *in antiquiori tamen, quod apud nos exstat, quodque anno* 1534 *excusum notatur, Virdunensi Missali est* Magdalveus. *Adhæc apud Acherium tom. XII Spicilegii, pag.* 238, *unius dumtaxat litteræ discrimine* Magdelveus *scribitur a Berthario seu Bercario, qui scriptorum omnium, qui de Sancto tractasse noscuntur, longe est antiquior.*

variis Fastis sacris inscribitur, binisque prolixioribus,

2 *Hisce de multiplici Sancti nomenclatione, ne ad hanc in decursu studiosus lector hæreat, jam præmissis, ad rem ipsam progredior; quod ut præstem a monumentis scriptoribusque præcipuis,* Magdalveum *commemorantibus, duco initium. Sanctus tam heri quam hodie variis Fastis sacris inscribitur. Fasti, quibus heri seu ad diem præcedentem inseritur, enumerati jam sunt in ejusdem diei Prætermissis, a quo etiam die ad hodiernum, et merito quidem, utpote quo obiit atque apud Virdunenses colitur, fuit remissus; Fasti vero, in quibus hodie celebratur, duo inprimis sunt Usuardi aucti, alter Greveni, alter Molani, seu potius eorum, qui posteriores anni* 1573 *et anni* 1583 *Molani editiones curarunt. Accedunt Florarium nostrum Ms., Catalogus Generalis Sanctorum Ferrarii, Martyrologium Universale Castellani, Fasti Sanctorum Rosweydi et Martyrologium Parisiense. Atque hæc quidem omnia Hagiologia Sanctum hodie absque addito elogio dumtaxat annuntiant; bina autem etiam sunt, quæ annuntiationi, qua* Magdalveum *hodie memorant, elogium subjungunt; alterum, quod* Martyrologium Gallicanum *vocatur, ab Andrea Saussayo; alterum, quod* Sanctorum Canonicorum Natales *inscribitur, a Constantino Ghinio contextum; qui posterior hagiologus cur etiam* S. Magdalveo *inter sanctos canonicos locum concedat, infra aperiam. Describo nunc tam elogium, quo is, quam elogium, quo Saussayus Sanctum exornat.*

quæ huc ex Saussayo

3 *Postremum sic habet :* Veroduni in Lotharingia sancti Magdaluci, illius civitatis episcopi et confessoris. Hic eadem in urbe natus, ab ineunte ætate eruditus literarum studiis, maxime vero divinarum Scripturarum scientia, Christo carnis suæ integritatem consecravit. Obque castissimos mores in clerum cooptatus, obeunte diem Agronio Virdunensi præsule, Pipino rege omnium votis annuente, ejus in locum suffectus est. Sedem, quam desolatam invenit bellorum turbinibus, sanctorum operum admirandorumque splendore, pristino decore reparavit. Hinc devotione fervens, Christi cunabula ac funera, profectus Hierosolymam, visitavit : ubi susceptus ab Eusebio patriarcha ob spectatam sanctimoniam religiosis muneribus oneratur. Quæ reversus ad propriam civitatem in sacrario summi templi Deiparæ ubi decenter collocasset, tandem virtutes virtutibus accumulans, Vir Deo dignus, in beatæ mortis requie obdormivit. Mox ac spiritum efflavit Sanctus Præsul, duæ columbæ nive candidiores ab æthere, cunctis videntibus, lapsæ super crucem, quæ ante corpus ejus posita erat, sederunt; et per omnes exequiarum moras, usque quo traditum est sepulturæ, manserunt, sicque intuentibus, qui astabant, iterum poli secreta petierunt. Cum autem sepulchrum ejus quotidianis virtutum prodigiis coruscaret, et crebris populorum frequentaretur excubiis, quadragesimo post obitum suum anno sacrum ejus corpus a Petro antistite exhumatum, velut soporatum et vivens, candoreque liliorum ac roseo rubore respersum, miroque fragrans odore inventum est : quibus indiciis meritorum ejus magnitudo decusque gloriæ, qua Beatus fruitur apud Deum, apparuit.

et Ghinio transcribuntur, elogiis ornatur.

4 *Primum vero his verbis concipitur :* Viroduni S. Magdalvei episcopi XXIII. Hic litteris eruditus, virginitatem suam Deo vovit; factus episcopus, sedem suam, bellorum turbine desolatam, inveniens, Deo adjuvante, doctrina et opere reformavit : sepulchrum Domini devote visitavit, et dum esset in mari, exortam tempestatem oratione sedavit. Reversus ad propria, virtutes virtutibus accumulans, in senectute bona ad Christum transivit, et statim duæ columbæ, videntibus cunctis, e cœlo elapsæ, super crucem, quæ ante corpus ejus erat, quiescentes, usque ad funus expletum perstiterunt; inde, admirantibus cunctis, cœlum repetierunt. Cum autem ad sepulchrum ejus magis ac magis miracula coruscarent, post quadragesimum annum illud reserantes, ut corpus elevarent, invenerunt illud omnino incorruptum, veluti soporatum, et vivens, candore liliorum et roseo colore respersum, odorem suavissimum spirans. Sedit annos pene 27. Obiit autem ann. Dom. DCCLXII. *Duo hæc Sancti Elogia omni ex parte probanda non videntur, uti ex infra dicendis quilibet intelliget. Verum, utut id ita sit, Saussayus et Ghinius, horum conditores, aliique hagiologi supra laudati* Magdalveum, *Verodunensem episcopum, veluti Sanctum, Fastis sacris a se concinnatis merito inseruere. Etenim pro Viri hujus sanctitate tam valida, uti ex dicendis quisque haud difficulter colliget, argumenta militant, tamque antiquus illius apud Verodunenses cultus ecclesiasticus certus est atque indubitatus, ut vix dubitem, quin, si vel hunc solum habuissent compertum,*

AUCTORE C. B.

compertum, qui Romanum hodiernum reformarunt, fuissent in hoc S. Magdalveo, *utut Martyrologiis Classicis non inscripto, hodiernos inter Sanctos locum concessuri. A Fastis sacris, quibus Sanctum jam docui insertum, ad scriptores, qui ejus Acta sive compendio sive prolixiori narratione sunt complexi, aut* Magdalvei *etiam dumtaxat meminere, sermonem jam converto.*

Bertharius in brevi, quam contexuit, episcoporum Virodunensium

5 *Duo hic præsertim commemorandi veniunt, quorum tamen neuter Sancto nostro fuit æqualis aut etiam suppar. Alter est Hugo, Flaviniacensis abbas, alter vero Bertharius, seu, ut ab aliis scribitur, Bercharius, ecclesiæ Virdunensis presbyter. Hic, qui Hugone Flaviniacensi multo est antiquior, centum nondum annis a felici* S. Magdalvei *obitu elapsis, sæculoque nono, uti ipsemet in sua Chronographia indicat, ultra mediam sui partem jam provecto, est natus. A teneris unguiculis fuit in Ecclesiæ Virdunensis schola educatus, ibique, uti ipsemet docet, sub Berhardo episcopo, statutisque ab hoc moderatoribus humanas divinasque litteras didicit. Cum sæculi decimi initio primaria seu cathedralis Virdunensis ecclesia, infelici incendio, quo chartas suas fere omnes, aliaque monumenta amiserat, fuisset consumpta, animum ad scribendum appulit, sibique, ut aliquot saltem ecclesiæ Virdunensis hi-*
B *storiæ Fragmenta, uti ipsemet initio indicat, posterorum memoriæ servaret, laborandum duxit. Hunc in finem eo ipso tempore, uti apud nos tom. II Februarii in S. Paulo Virdunensi episcopo, num.* 1 *et* 2, *apud Acherium tom. II Spicilegii recentioris editionis pag.* 255, *ac tandem apud Historiæ Litterariæ Franciæ scriptores tom. VI, pag.* 134 *probatum invenies, compendio in litteras misit, quidquid de episcoporum Virdunensium serie rebusque præcipuis per hos gestis vel in antiquis scriptoribus monumentisque legerat, vel facta sibi a fidelibus traditione acceperat. Verane ubique ex hisce fontibus hauserit, pro certo quis asserat? Falsa forte etiam subinde hausisse, non immerito forte quis suspicetur vel ex eo, quod cum Gregorio Turonensi in iis, quæ hic sanctus historicus de Desiderato, nono Virdunensium episcopo, lib.* III, *cap.* 34 *memoriæ prodit, exacte non congruat. A sinceritate nihilominus, judicio rerumque, quas scripsit, delectu commendari certo meretur. Opere illo, quod Acherius tom. XII Spicilegii anno* 1675 *primo typis in lucem protulit, quodque Dadoni, Virodunensi episcopo auctor inscripsit, omnes omnino, qui Virodunensem ecclesiam, a prima hujus origine ad usque sæculi decimi initium, moderati sunt, episcopos complectitur.*

Historiæ Vitæ Sancti compendium,

6 *Alios ex his nominetenus dumtaxat, alios, adjecto etiam brevi vitæ eorum compendio, recenset. Posteriores inter locum tenet* S. Magdalveus; *in*
C *cujus enarrandis Actis, utut, spectata compendiosa, quam sequitur, scribendi methodo, paulo sit prolixior, re tamen vera brevissime illa pertractat. Utcumque nihilominus brevis sit, brevitatem ejus ferrem facilius, si modo res, quas narrat, pluribus notis Chronicis communiret, in iis, quas suppeditat, ubique sibi sat certo constaret, sicque easdem in præsenti instituto absque omni scrupulo sequi liceret. Verum hoc fieri non posse, patescet ex iis, quæ, cum in annum Sancti nostri emortualem inquiram, adducam in medium. Porro, etsi ex dictis Bertharius ubique veritati forte non consonet, cum tamen uno dumtaxat circiter sæculo post Sancti nostri obitum floruerit, eoque scriptorem, qui de* Magdalveo *tractet, nec meliorem, nec antiquiorem habeamus, iis omnino standum puto, quæ in suo, quod de Sancto nostro exhibet, compendio tradit. Hoc in ipso hujus Commentarii limine, quod in decursu sæpius citandum atque cum Vita edenda comparandum sit, jam nunc huc transcribo. Sic habet :* Post hunc (*Pepponem seu Popponem, Virodunensem episcopum*) exstitit Volscisus episcopus, et Agroinus episcopus, et post istum fuit multis diebus episcopatus vacuus. Deinde exstitit domnus Magdelveus episcopus, qui fuit de familia hujus (*Virodunensis scilicet*) ecclesiæ, et exstitit Vir sanctus et justus, cujus industria et studio fertur per precariam obtinuisse eum Vua- D
snaum et Vuarnunci curtem, et Ramisbatium, et alia plurima, sicut egomet in Cartis ejus manibus roboratis legi.

quod hic datur,

7 Cujus etiam tempore domus istius (*cathedralis Virodunensis*) ecclesiæ, peccatis exigentibus, fuit succensa, et ob hoc per Galliam, et Italiam et sic per Græciam et Joppen cum magna viarum angustia Hierosolymam pervenit, et a patriarcha ipsius loci multorum Sanctorum reliquias obtinuit, et eas cum calice crystallino, opere mirifico sculpto, Virdunum apportavit, et in principali ecclesia nostra venerabiliter eas collocavit. Reliquias vero, quæ fuerunt in antiquiori ecclesia in dextera parte altaris sanctæ Mariæ, in crypta subterranea reposuit. Fuit enim tempore Pipini regis usque ad tempus Caroli Magni et obiit in proxima villa, quæ dicitur Nova-villa. Cum vero inde portaretur ad Sanctum Petrum sive ad S. Vitonum, fertur, quod super crucem, videntibus cunctis, duæ columbæ candidæ sicut nix venerint, et in eadem usque dum corpus ejus sepulturæ traditum fuisset, sederunt. Multa siquidem bona in ista ecclesia, *id est, diœcesi Virodunensi*, constituit. Nam et ecclesias in ista civitate valde bene construxit, et clerum et populum istius ecclesiæ venerabiliter ordinavit, et evidens pater et episcopus istius ecclesiæ exstitit. Res etiam, E
quæ sunt in Equitania, antiquitus isti ecclesiæ subjectæ, id est, abbatia Sancti Amantii in Rodenia sita, et Marderniacum et Puliniacum frequenter visitabat, et gesta prædictorum episcoporum nostrorum (*aliquot nimirum Virodunenses episcopos, sanctitate claros, supra recensuit*) secum ferebat, ut per illorum merita illas res longius sitas liberius possidere quivisset; et pro hac occasione dicunt, quod miracula sancti Agerici in Massilia descripta habentur, et Vita sancti Vitoni et sancti Pauli per contigua loca ultra Ligerim reperiri feruntur, cujus corpus, dictu mirabile! post quadraginta annos integrum repertum est, et ubi nunc jacet, venerabiliter reconditum est.

suppeditat; Hugo autem Flaviniacensis Virdunensi, quod concinnavit,

8 *Hactenus Vitæ compendium, a Berthario de Sancto nostro suppeditatum. In hoc porro tum hic, tum in Annotatis Vitæ edendæ subdendis plura observanda erunt. Venio nunc ad Hugonem, abbatem Flaviniacensem. Hic scriptor ducentis circiter annis post Bertharium, de quo jam actum, mundo natus est, parique fere temporis spatio post eumdem excessit e vivis; sub initium autem sæculi* XII, *uti Historiæ Litterariæ Franciæ scriptores tom. X in Hugone Flaviniacensi recte docent, ad insigne Chronicon, quod Labbeus tom. I Bibliothecæ Novæ Mss. publici juris fecit, contexendum manum admovit. Opus hoc,* F
quod ab aliis Flaviniacense, *ab aliis melius* Virdunense Chronicon *vocatur, partitus est Hugo duas in partes, quarum altera a nativitate Domini nostri ad finem usque sæculi decimi, altera ab anno* 1002 *ad annum usque* 1102 *rerum historicarum seriem evolvit. Posterior præsertim auctori suo Historici nomen idcirco promeruit, quod, quamquam omni prorsus errore vacua non sit, res tamen nec paucas, nec parum memoratu dignas, quæ alioquin nos laterent, in Gallia Belgica sæculo undecimo gestas, edoceat. Prior longe minoris est momenti, tum quod ea, quæ prodit, ab aliis, iisque primævis, scriptoribus fusius accuratiusque descripta, plerumque inveniantur, tum quod errores quamplurimi in eam irrepserint. Non paucos ex his notat Bouquetus in succinctis observationibus, quas subjecit quinque diversis Fragmentis, quæ ex priori Hugonis Flaviniacensis Chronici parte in Scriptorum Franciæ tom. III, V, VI, VII et VIII intulit. Porro quamvis Hugo in hac Chronici sui parte, cui plura præterea, quæ in antiquis Chronologis legerat, absque ullo delectu, judicio, sæpiusque etiam absque ordine inseruit, generalem temporum, quæ a Verbi Incarnati anno primo ad annum usque millesimum excurrere, historiam contexere, propositum sibi habuerit, seriem tamen episcoporum, qui interea Virdunensem ecclesiam moderati sunt, ex instituto etiam prosequitur. Quod dum*

præstat,

A *præstat, non illorum tantum nomen, verum etiam, quæ litteris consignata reperit, gesta præcipua recenset; quamquam autem ad id brevi dumtaxat oratione plerumque utatur, multo tamen prolixiori* S. Magdalvei *Acta exponit.*

Chronico prolixiora Acta, hic edenda, inseruit,

9 *Utinam modo qua prolixitate, eadem etiam accuratione id faceret! Sed quis hic, auditis, quæ de prima Virdunensis Chronici parte, cui gesta illa inserta exstant, in medium jam protuli, ab Hugone accurationem exspectet? Et vero, uti in Fragmentis, a Bougueto mox laudato in Franciæ Scriptorum collectionem illatis, ita etiam hic errores, præsertim chronologicos, non paucos committit. Attamen, utut id ita sit, pleniorem equidem rerum, ad* S. Magdalveum *spectantium, notitiam suppeditat, hancque ipsemet e monumentis scriptoribusque antiquioribus, utut nec ubique accuratis, nec sufficientes notas chronicas exhibentibus, omni dubio procul deprompsit. Unus ex his fuit Bertharius, ecclesiæ Virdunensis presbyter: hunc quippe scriptorem, ejusque de Virdunensium Pontificum Actis lucubrationem, jam supra expensam, cum laude commemorat. Verum, utut id faciat, annum tamen, quo* S. Magdalvei *felix ad Superos transitus contigerit, characteribus chronicis, a Berthario suppeditatis, minime consonum assignat. Diversane forsan a Bertharii Opusculo*

B *monumenta etiam hujusmodi, quibus potius standum duxerit, sibi prælucentia Hugo habuerit? Cum hic historicus in iis, quæ a Berthario commemorata invenit, plerumque ab hoc auctore non recedat, est sane, cur id forte suspicetur non nemo. Verum, utut res hæc se habeat, Bertharine hic, an Hugonis præstet calculus, infra uberius discutiam. Nunc, quæ de Sancti nostri Actis, ab Hugone descriptis, edocenda hic restant, expedio. Hæc, utut accurate haud scripta, edenda hic idcirco sunt, quod de Sancto plura, quam Vitæ compendium, a Berthario suppeditatum, edoceant, reliquisque, si hoc unum exceperis, monumentis, Sancti gesta evolventibus, antiquitatis palmam præcipiant. Accedit, quod fides, a Majoribus tom. II Junii, pag.* 982 *data, liberanda sit. Itaque Acta illa, qualiacumque etiam sint, in capita ac numeros pro more nostro divisa, Commentario huic e primo Labbei Bibliothecæ Novæ Mss. tomo supra laudato subjungam, additis etiam Annotationibus, quibus illa non tantum elucidentur, verum etiam errores, quibus laborant, indicentur, ubi id in Commentario sufficienter præstitum non fuerit.*

eique, qui de Sancto etiam tractant, scriptores alii accedunt.

10 *Porro* S. Magdalvei *Acta seu Vitam fusiori etiam stylo describit Galliæ Belgicæ Antiquitatum lib.* II *Wasseburgius, ecclesiæ Virdunensis medio sæc. sexto decimo archidiaconus, qui ad hoc tum antiquis, uti loco non uno indicat, ecclesiæ suæ chartis*

C *ac monumentis, tum etiam Bertharii de Virdunensibus episcopis lucubratione, utpote quam frequenter citet, præsertim est usus. Hæc Wasseburgii lucubratio plurimis pariter scatet erroribus, sæpiusque cum Actis, ab Hugone Flaviniacensi in litteras missis, atque a nobis jam supra memoratis, apertissime pugnat, ac præcipue quidem in annis, quibuscum res, a* Magdalveo *gestas conjungit. Virdunense scilicet Hugonis Flaviniacensis Chronicon præ oculis non habuit. Id enim nec citat uspiam, nec forte, si lucubrationem hujusmodi vidisset, tam frequenter ab ea fuisset dissensurus. Ita apparet, quod ex dicendis ecclesiæ Virdunensis monumenta, quibus usus est, verosimiliter sequioris fuerint auctoritatis, quam Virdunense Hugonis Chronicon. Verum sive hoc prælu-xerit, sive non prælu-xerit Wasseburgio, Vita equidem Sancti nostri, ab eo contexta, subinde etiam in hoc Commentario adducetur in medium, sive ut cubantes in ea castigentur errores, sive ut iis, quæ adducam in medium, utcumque confirmandis subserviat. Addo nunc scriptores aliquot alios, pariter recentiores, qui de* S. Magdalveo *etiam tractant, aut ejusdem saltem meminere. Surius Sancti nostri Vitam, prout eam in pervetusto, uti vocat, codice Ms. invenit, e prolixis, ut apparet, Actis, ab Hugone Flaviniacensi scriptis, contractam, quarto suo Sanctorum Trimestri inseruit, eamdemque deinde Franciscus Haræus et Zacharias Lippelous e Surio in Sanctorum, quas collegerunt, Vitas intulere. Hisce accedunt Demochares, Claudius Robertus, Sammarthani, Joannes Chenu; qui in suis episcoporum Virdunensium Catalogis* S. Magdalveum *recensent, ac tandem, qui his omnibus longe est recentior, etiam Calmetus. Hic in sua Lotharingiæ Historia e scriptoribus antiquioribus supra laudatis de Sancto nostro sat prolixe tractat, eritque proinde in decursu a nobis non semel laudandus. Ad res, quæ* S. Magdalveum *propius spectant, nunc progredior.*

AUCTORE C. B.

§ II. Sancti patria, parentes, tempus nanale, studia in juventute, clericatus susceptus, virtutes.

Sanctus in civitate Virodunensi verosimiliter natus est;

Hugo *Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, paulo antequam* S. Magdalvei *Acta recensere incipiat, apud Labbeum tom. supra citato pag.* 103 *ita memorat:* Anno ab Incarnat. Dom. DCCXI natus est in Virdunensi urbe domnus Madeleveus ex familia ecclesiæ; *deinde vero pag.* 104, *Acta illa seu Sancti Vitam litteris consignaturus, lucubrationem suam hunc in modum orditur:* Anno igitur ab Incarnatione humani Verbi DCCLIII suscipit præsulatum E Virdunensis ecclesiæ domnus Madelveus. Hic in eadem urbe Christianis et inclytis parentibus est editus. *Civitatem ergo Virdunensem Sancto obtigisse natalem, diserte constanterque docet Hugo Flaviniacensis, idque etiam Wasseburgius lib.* II *Galliæ Belgicæ Antiquitatum, pag.* 150 *ex antiquis, ut ait, ecclesiæ Virdunensis Chartis monumentisque (hæc tamen ex dicendis parvæ sunt fidei) non minus diserte affirmat; nullum autem uspiam, qui contrarium contendat, scriptorem invenire quivi, ac proin non est, cur hic scriptori huic et Hugoni denegem assensum. His quidem hac in re non suffragatur Bertharius; verum quid tum? Etiam non adversatur, cum solum* S. Magdalvei *natale alto silentio involvat. Saltem itaque verosimile apparet, Sancto ipsam Virdunensem urbem, cui deinde episcopus præfuit, obtigisse natalem. Velim, verosimilitudine non minori definiri modo queat, quos qualesve Sanctus nactus fuerit parentes.*

etsi autem e Virodunensis ecclesiæ familia, e qua fuisse dicitur,

12 *Bertharius (adi num.* 6) *hæc dumtaxat, quæ huc facere possint, initio suppeditat:* Deinde exstitit domnus Magdelveus episcopus, qui fuit de familia hujus (*Virdunensis nimirum*) ecclesiæ; *hæc autem verba, uti ex infra dicendis patescet, sensum non unum patiuntur. Sanctum e Virdunensis ecclesiæ familia natum, significari iis a Berthario, Hugo, ut* F *apparet, sibi persuasum habuit, hincque videtur factum, ut* S. Magdalveum *reipsa ex ecclesiæ Virdunensis familia natum, verbis num. præced. recitatis scripserit. Verum Sanctus alio etiam modo, quam nativitate de seu e familia Virdunensis ecclesiæ potest fuisse. Id sic probo: Quondam ii juris seu e familia cujuspiam ecclesiæ esse dicebantur, tam qui ex propria voluntate, quam qui ex obligatione generi, a quo oriundi erant, annexa, servitio istius ecclesiæ erant obnoxii, au tsaltem ad censum annuum eidem solvendum tenebantur. Ita apte colligitur ex iis, quæ in Glossario suo ad vocabula* familia *et* censualis *docet Cangius. Manifestum illud cuique evadet, qui utrumque hunc locum, uti etiam tom. IV Annalium Benedictinorum pag.* 286, *quo etiam lectorem remittit Cangius, voluerit consulere. Itaque jam admittatur tantisper,* S. Magdalveum, *utut e liberis parentibus natum, sese sponte sua ecclesiæ Virdunensis* censualem *constituisse, seu sese ad solvendum ei censum annuum obligasse, fuerit utique, hoc dato, Sanctus ex ecclesiæ Virdunensis familia, nec ad hoc ejus natales quidquam contulerint. En nunc alium adhuc modum, a natalibus pariter non petitum, quo Sanctus etiam ex ecclesiæ Virdunensis familia esse potuerit.*

13 S. Magdalvei *ætate, cum nondum in Galliis regnaret Pipinus, iis, qui dicebantur* canonici, *fecerat*

AUCTORE C. B.

alio modo, quam nativitate esse potuerit,

rat hoc nomen non professio, uti postea accidit, servandorum instar Regulæ canonum, verum matricula seu canon ecclesiæ, cui, veluti beneficiarii, quibus canon, id est, dimensum seu justa redituum stipendiorumque ecclesiæ portio dispensaretur, erant inscripti. Ita Thomassinus de Veteri et nova Ecclesiæ disciplina part. I, *lib.* III, *cap.* 8 *et sequentis initio ex variis conciliorum synodorumque statutis recte docet. Porro illi canonici seu clerici, qui canoni seu matriculæ cujuspiam ecclesiæ erant inscripti, servitio seu ministerio ecclesiæ, cujus canoni nomen habebant insertum, erant obnoxii. Id cuique, qui Thomassinum locis proxime citt. evolverit, palam evadet. Jam vero, cum ex supra dictis olim ii, qui servitio cujuspiam ecclesiæ erant obstricti, ex ecclesiæ illius dicerentur familia, statuatur tantisper* S. Magdalveus *ecclesiæ Virdunensis sensu mox exposito fuisse canonicus, fuerit sane, hoc dato, ex Virdunensis ecclesiæ familia, utut ex parentibus, qui ex ejusdem ecclesiæ familia non fuerint credatur progenitus. Hinc Acherius ad hæc Bertharii supra adhuc recitata verba,* Fuit (S. Magdalveus *scilicet*) de familia hujus ecclesiæ, *ita in margine annotat:* Id est, canonicus. *Voluit scilicet hic scriptor, ecclesiæ Virdunensis canonicis per verba, in quæ id notat, accenseri a Berthario* S. Magdalveum. *Et sane Sanctum reipsa*

B *etiam ecclesiæ cathedralis Virdunensis sensu jam dato fuisse canonicum, vero mihi minime apparet absimile. Præterquam enim, quod nihil omnino suadeat contrarium, ad illud credendum propensius, etiam impellor ex eo, quod Sanctus Virodunensi S. Vitoni abbatiæ fuerit ex dicendis abbas præfectus, solerentque, ut Thomassinus cap.* 8 *proxime cit. etiam docet, ante Pipini et Caroli Magni ævum ecclesiarum cathedralium canonici abbatiis non numquam donari.*

re tamen ipsa parentes ecclesiæ Virodunensis servitio addictos,

14 *Verum, utut id sit, habemus equidem ex jam dictis,* S. Magdalveum *alio etiam modo, quam nativitate ex ecclesiæ Virdunensis familia esse potuisse, ac proin ex Bertharii verbis, quibus de seu ex ecclesiæ Virdunensis familia asseritur, Hugoni Flaviniacensi non fuisse, cur natales ejus Virdunensis ecclesiæ familiæ parentibusve, qui ecclesiæ hujus servitio fuerint obnoxii, certo adscriberet. Ast id forte non solis Bertharii verbis, sed aliis insuper rationibus impulsus fecerit is auctor. Lubet hinc nunc dispicere, an Sanctus fortassis re etiam vera e parentibus, ecclesiæ Virdunensis servitio obstrictis, natus non fuerit. Ita sane verbis num.* 11 *recitatis dissertissime affirmat Hugo Flaviniacensis. Verum enim vero, inquiet non nemo, ea in assertione non sat sibi constare videtur is auctor. Etenim verbis, num.* 11 *pariter recitatis, Sanctum e parentibus*

C *inclytis ac proin, ut apparet, nobilibus natum prodit; stare autem posse non videtur, ut fuerint simul* S. Magdalvei *parentes genere nobiles, et simul ecclesiæ Virdunensis servitio obstricti; quod, ut apparet, famulis dumtaxat, ignobilisque conditionis hominibus convenit. Ita argumentari queunt, qui Sanctum quidem e nobili stirpe, non tamen e familia Virdunensis ecclesiæ natum, contra Hugonem Flaviniacensem voluerint contendere. Verum his ita potest reponi. Familiæ, quas vel Virdunensis ecclesia vel quæcumque aliæ in Neustrasia Austrasiaque olim habuere, in triplicem classem verosimillime erant distinctæ, in ministerialem scilicet, servilem et censualem. Censualis solis censibus solvendis, servilis servitiis insuper corpore etiam præstandis erat obstricta; quod vero ad ministerialem pertinet, videtur iis, qui ex hac classe erant, quique, ut apparet, ab ecclesiis stipendia merebant, id unice fere oneris incubuisse, ut ecclesiæ, cujus ministeriales erant, præposito id præcipiente, arma capesserent. Adi Cangium in Glossario ad vocabula* Familia, Censualis, Servilis *et* Ministerialis, *ibique, quæ jam de tribus diversis classibus, in quas ecclesiarum familiæ erant divisæ, prolixius exposita invenies.*

generoque etiam nobiles,

15 *Porro, cum ii, qui e priori familiarum ecclesiasticarum classe erant, censibus dumtaxat pendendis; ii vero, qui e posteriori classe erant, soli militari servitio præstando videantur fuisse obstricti, quid* D *ni, quæso, ex alterutra familiæ ecclesiæ Virdunensis classe, simulque nihilominus genere nobiles esse potuerint* S. Magdalvei *parentes? Nonne hi eo modo, quo Gysa, nobilis matrona, monasterii S. Michaelis ad Mosam censualem se constituisse, tom. IV Annalium Benedictinorum pag.* 286 *refertur, censuales pariter se constituere, id est, ad censum ecclesiæ Virdunensi quotannis solvendum sese obligare potuere, sicque ex ecclesiæ Virdunensis fieri familia? Non est itaque, cur Hugo Flaviniacensis non sat sibi constare videatur ex eo, quod* S. Magdalveum *ex inclytis seu nobilibus parentibus, simulque ex ecclesiæ Virdunensis familia, id est, e parentibus, ecclesiæ istius ministerio obstrictis, natum fuisse, memoriæ prodat. Verum an propterea Hugoni, Sanctum ex ecclesiæ Virdunensis familia natum asserenti, absque omni prorsus dubio assentiendum est? Cum Hugo, uti jam supra docui, sæpe sæpius in iis, quæ in Virdunensis Chronico commemorat, a veritatis tramite deflectat, indubitatam fidem assertioni, qua Sanctum ex ecclesiæ Virdunensis familia natum, nullo antiquitatis testimonio certo subnixus, scribit, adhibere vix ausim; attamen cum huic scriptori nemo equidem hic adversetur, volueritque forte Bertharius verbis num.* 12 *recitatis etiam significare, Sanctum esse ex ecclesiæ Virdunensis familia natum,* E *ex hac eum esse etiam reipsa natum, sat probabile apparet. Porro idem etiam de generis nobilitate, quam Hugo* S. Magdalveo *ejusque parentibus attribuit, esto judicium. Quamquam enim hanc ne obscure quidem verbo ullo indicet Bertharius, nihil tamen etiam, ex quo Sanctum genere non fuisse nobilem, colligas, uspiam suppeditat, nec omnia, quæ ad Sanctum pertinent, litteris mandavit, uti jam supra sufficienter innui.*

at non item illustrem e Pipinorum stirpe originem, forsan habuerit.

16 *Wasseburgius Sanctum non modo a parentibus genere nobilibus genitum; verum etiam ex prænobili Pipinorum stirpe prognatum, loco non uno indicat, idque se ex antiquis ecclesiæ Virdunensis Tabulariis Chartulariisque didicisse, affirmat. Verba, quibus id præsertim facit, lib.* II *Antiquitatum Galliæ Belgicæ, pag.* 150 *invenies. Latine a me reddita sic habent:* Porro ut ad episcopum nostrum Magdalveum revertamur, ejusque tam natales, quam educationem noscamus, ex antiquis ecclesiæ nostræ Tabulariis Chartulariisque comperimus, fuisse illum in civitate nostra Virdunensi ex antiqua nobili stirpe Pipinorumque stemmate prognatum. *Ita ille: verum, cum Wasseburgius non edicat, quantæ quidem, quæ laudat, ecclesiæ Virdunensis Tabularia Chartulariaque antiquitatis fuerint, multum ego dubito, an hæc ea fuerint antiquitatis prærogativa,* F *ut illustrem Sancti, quam docuerunt Wasseburgium, e Pipinorum stemmate originem facere utcumque queant indubitatam. Et vero ea antiquitatis prærogativa verosimiliter non fuisse, ex dicendis patescet. Sanctum interim tam alta tamque illustri stirpe satum esse, dubium mihi etiam fit vel ex eo, quod nullam plane rei hujus, utut memoratu dignissimæ, mentionem faciat Hugo Flaviniacensis, qui tamen ex dictis Sanctum nostrum ex inclytis parentibus natum, memoriæ prodit, quique, si tam illustri origine* S. Magdalveus *fuisset, illam utique alicunde cogniturus; cognitam autem silentio non suppressurus fuisse videtur in Actis, in quibus, quæcumque in Sancti nostri laudem comperire fas fuit, sermone prolixo exponit. Itaque quamvis quidem Sanctum nostrum ex inclytis seu nobilibus parentibus natum, utcumque credam, non parum tamen ambigendum puto, an etiam ex illustri Pipinorum stirpe ducat originem.*

Sæculi porro VIII *initio natus videtur, nec citius id.*

17 *Sed hæc de nobili Sancti ortu dicta sufficiant. Nunc in tempus, quo natus sit, inquiro. Bertharius nihil iterum hic suppeditat, quo annum* Magdalvei *natalem utcumque definias. Illum anno septingentesimo undecimo natum, Hugo Flaviniacensis verbis num.* 11 *huc transcriptis diserte affirmat. Wasseburgius Bertharium hic sequitur, nullumque etiam annum Sancti nostri natalibus assignat. Verum cum*

ex

A *ex dicendis eum anno septingentesimo trigesimo quinto ad cathedram Virdunensem promotum scribat, est utique, si modo vera memoret hic scriptor, omnino necesse, ut Sanctus citius, quam anno* 711, *cui ab Hugone Flaviniacensi ejus nativitas innectitur, mundo natus fuerit; neque enim adstruendum apparet, fuisse Sanctum nostrum, uti S. Remigio, Remensi archiepiscopo, aliisque nonnullis Sanctis accidisse legitur, ad episcopalem dignitatem promotum ante annum ætatis trigesimum, quem ut minimum sæculo octavo in promovendis ad episcopales cathedras exigebant sacri canones. Fuerit itaque* S. Magdalveus, *ex hoc Wasseburgii calculo certe non serius quam anno* 705 *natus. Verum, cui hic assentiendum est, Wasseburgione, an Hugoni Flaviniacensi? Cum Sanctus forte non fuerit ante annum* 735, *aut, quemadmodum ex dicendis probabilius apparet, non citius quam anno* 742 *Virdunensis episcopus creatus, non est sane, cur rejiciatur annus* 711, *pro anno* S. Magdalvei *natali ab Hugone Flaviniacensi assignatus. Adhæc cum omni etiam ex dicendis prababilitate non careat opinio, qua Sanctus ad Virodunenses infulas anno* 735 *promotus statuitur, fuerit forte etiam* Magdalveus *non serius quam anno* 705 *natus. Quam ob rem, cum et annus* 711 *et annus* 705 *sint equidem e primis sæculi*

B *octavi annis, Sancti nativitatem, quo aliquid hic certi habeatur, sæculi octavi initio affigo, nec poni eam posse citius, contendo.*

quæ Wasseburgius ex ecclesiæ Virodunensis Tabulariis,

18 *Verum, inquiet non nemo, refert etiam loco proxime cit. Wasseburgius, Sanctum a prima juventute sua Pipini Heristallii aulam esse secutum, illiusque hunc principem, cui maxime erat in amoribus, in quibuscumque negotiis consilia adhibuisse. Pipinus Heristallius, uti inter eruditos omnes convenit, anno* 714 *vita functus est. Quod si ergo Sanctus noster non citius quam sæculi octavi initio natus sit, credibile nequaquam est, consiliis ejus in quibuscumque negotiis usum esse Pipinum Heristallium, ac proin, si hoc revera, ut narrat Wasseburgius, fecerit hic princeps, necesse omnino est, ut annis aliquot, ac nepaucis quidem,* S. Magdalveus *ante sæculi octavi initium natus statuatur. Eo deducit Wasseburgius. Fateor, sic habet; imo vero etiam Sanctum nostrum, octogenario jam majorem, anno* 762 *obiisse, lib. supra cit., fol.* 135 *vers. scribit is auctor; quod sane pariter exigit, ut diu ante sæculi* VIII *initium natus fuerit* S. Magdalveus. *Verum hic Wasseburgio assentiendum non est. Sanctum enim ad ætatem adeo provectam venisse, absque ullo antiquitatis testimonio tradit. Adhæc nullus omnino scriptor sive antiquior sive etiam dumtaxat recentior sancti* Magdalvei *nati-*

C *vitatem ante sæculi octavi initium ponit. Ut autem hæc tam cito ponatur, fundamentum sufficiens non videtur, quod de Sancto, per Pipinum ad consilia adhibito, affirmat Wasseburgius. Hoc ipsum enim scriptoris hujus assertum omni prorsus antiquitatis testimonio destituitur. Laudat quidem Wasseburgius antiqua ecclesiæ Virdunensis, primariæ scilicet seu cathedralis, Tabularia Chartulariaque. Verum antiqua hæc ecclesiæ Virdunensis monumenta mihi admodum sunt suspecta. Etenim præterquam quod Bertharius apud Acherium tom. XII Spicilegii pag.* 251 *in brevi episcoporum Virodunensium Historia memoriæ prodat, omnia fere ecclesiæ Virdunensis monumenta ætate sua, id est, sæculi* X *initio, flammis fuisse absumpta, Laurentius Leodiensis, secundus Historiæ Pontificum Virdunensium, a Berthario inceptæ continuator, qui sæculo duodecimo floruit, apud eumdem Acherium pag.* 275 *sic scribit:* Laudanda est tamen Bertharii pia industria, qui de ipsis cineribus et ruinis incensæ urbis et ecclesiæ omnia prout potuit, prædecessorum saltem præsulum vel nuda nomina eruit, vel quædam gestorum nobis scintillavit. Nam ipsam tantillam de nostris præsulibus notitiam ab ipso accepimus.

sequioris tantum, ut apparet, ævi monumentis, refert,

19 *Laurentii ergo ætate, id est, sæc.* XII, *nullam Virdunensium antistitum, Berthario scilicet antiquiorum, habebant notitiam, nisi ex brevi scriptoris hujus de Virdunensibus episcopis Historia haustam. Antiqua adeo ecclesiæ Virdunensis Tabularia Chartulariaque, quæ laudat Wasseburgius, ætate Laurentii seu sæculo* XII *videntur recentiora. Sane sæculo* XI *antiquiora non esse, certum apparet. Id sic ostendo: idem Laurentius apud Acherium tom. cit., pag.* 280 *ita memorat:* Secundo anno..... (*Theodorici* XL *Virdunensium antistitis, anno* 1048 *ad hanc cathedram evecti*) ipse dux (*Lotharingiæ Godefridus*) et Balduinus comes Flandrorum cum manu validâ hanc urbem (*Virdunensem scilicet*) irruperunt, et in odio cæsaris succenderunt, multimoda strage commissa. Volebat autem dux monasteria urbis illæsa ab igne servare, sed subito majorem ecclesiam sanctæ Dei Genitricis victrix flamma comprehendit, et duce turmaque militari frustra obnitente, penitus absumpsit. Plurimus thesaurus, et litteralia monimenta rerum ecclesiæ ibi combusta sunt. *Medio ergo sæculo* XI *litteralia majoris seu cathedralis, quæ sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ sacra est, ecclesiæ Virdunensis monumenta flammis fuere absumpta, ac proin, quæ laudat Wasseburgius, ecclesiæ Virdunensis monumenta, sæculo utique* XI *antiquiora non sunt. Adhæc, cum ex jam dictis litteraria ecclesiæ Virdunensis monumenta sæculi* X *initio, iterumque medio sæculo* XI *fuerint combusta, fuerint verosimiliter Tabularia (nisi forsan quid etiam deterius statuendum sit) Chartulariaque, a Wasseburgio* E *laudata, monumentorum combustorum loco suffecta, atque id quidem a scriptore, dictis sæcc.* X *et* XI *fortassis etiam multo recentiori, rerumque historicarum parum perito. Illa itaque ecclesiæ Virdunensis monumenta, sive eorum antiquitas, sive etiam auctor spectetur, infirmæ admodum fidei auctoritatisque mihi videntur, ac proin ex his mihi minime probatum est a Wasseburgio,* S. Magdalveum *a Pipino Heristallio ad consilia fuisse adhitum.*

AUCTORE C. B.

evenisse evincunt. Viris religiosis, ut litteris imbuerentur, traditus,

20 *Jam vero, cum id ita sit, hinc sane non evincitur, Sancti nativitatem ante sæculi octavi initium locandam.* Magdalveum *ergo anno circiter* 701 *natum credamus, atque ad alia, quæ ad illum pertinent, discutienda gradum nunc faciamus. Sanctum, teneræ admodum adhuc ætatis puerum, litteris imbuendum curarunt parentes. Docemur id ex edendis Sancti Actis, quæ ex dictis Hugo Flaviniacensis contexuit, idcirco* Sancti biographus *subinde hic a me appellandus. Illa num.* 3 *sic habent:* His diebus ablactatus almus puer Madelveus religiosis viris traditus est litteris imbuendus. *Verba hæc in rigore accipienda hic non sunt; neque enim credibile est,* Magdalveum, *ut primum a lacte seu a matris uberibus fuit remotus, litteris imbuendum traditum fuisse. Videtur itaque his dumtaxat significatum velle biographus, factum id jam tum fuisse, cum teneræ admodum adhuc ætatis esset* Magdalveus. *Primum* F *hoc est, quod in verba biographi, proxime recitata, erat notandum. Alterum etiam nunc accipe. Viris religiosis Sanctum traditum, affirmant. Hi indubie alii non fuere, quam Deo devoti monasterii S. Vitoni Virdunensis incolæ. Indicat id ipsemet Sancti nostri biographus, num.* 34 *ita memorans:* Imminente vero resolutionis suæ tempore, cum cognovisset (S. Magdalveus *nimirum*) revelatione divina, se mundanis liberandum tumultibus, in ecclesia, in qua adoleverat quotidiano virtutum provectu, cui primo pastor et rector institutus, de qua etiam ad pontificium promotus fuit, sepulturæ suæ locum delegit. *Ecclesia, cui Sanctus primo pastor ac rector seu abbas fuit præfectus, et e qua deinde ad Pontificiam ecclesiæ Virdunensis cathedram fuit evectus, alia ex dicendis non est, quam ecclesia seu monasterium Virdunense S. Vitoni. Quam ob rem, cum in hac adolevisse verbis recitatis Sanctus dicatur, dubitandum non apparet, quin ejusdem ecclesiæ seu monasterii fuerint viri illi religiosi, quibus* Magdalveus *litteris imbuendus traditus fuit.*

magnum in his et in virtute facit progressum clericusque efficitur.

21 *At vero, sciscitabitur modo non nemo, cujus professionis fuere viri illi religiosi, monachine, an clerici? Clericos, in communi viventes ecclesiæque S. Vitoni servientes, fuisse apparet. Cur ita existimem, § seq. aperiam, cum de* S. Magdalvei *ad ecclesiæ*

AUCTORE C. B.

siæ illius seu monasterii præfecturam promotione tractabo. Pauca nunc de Sancti sub religiosorum illorum virorum disciplina tum in litteris, tum in virtute progressu adhuc hic addo. Magdalveus, *ut primum litterarum elementa fuerat edoctus, mox in Grammaticam, deinde in Rhetoricam, Philosophiam, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam ac tandem in sacræ Scripturæ doctrinam impigerrime incubuit, conatui respondente in omnibus hisce scientiis tum sacris, tum profanis non mediocri successu. Nec virtutem interim Sanctus neglexit. Contra hanc ita excoluit, ut et Deo et hominibus placuerit, despectisque mundi illecebris, clero sese adjunxerit. Docet hæc omnia num.* 3 *et binis seqq. Hugo Flaviniacensis; qui deinde etiam agens de Sancto, jam facto clerico, virtutes non paucas, quas hic tunc præcipue exercuerit, recenset, nec ei sane quantum ad pronum* Magdalvei *in virtutes animum, magnumque in his et in litteris progressum dissentiendum reor. Quod vero ad scientiarum modo enumeratarum, quibus Sanctum dedisse operam, tradit, multitudinem pertinet, fidem penes ipsum stare volo, et ad res,* § *seq. tractandas progredior.*

§ III. Sanctus fit sacerdos, dein monasterii S. Vitoni abbas, ac tandem ecclesiæ Virdunensis episcopus.

B

Sanctus, sacerdotii gradu insignitus,

Sancti biographus, seu Hugo Flaviniacensis, eximiis prorsus rarisque virtutibus, quibus S. Magdalveus *in ætate nondum provecta eminuit, enumeratis, mox ejus ad sacerdotium, nulla prorsus prævie vel diaconatus vel subdiaconatus mentione facta, promotionem refert.* Posthæc, *inquit num.* 6, ad majora conscendens (S. Magdalveus *videlicet*) presbyterii honorem electus accepit, justificatus obtinuit. *Nullo porro amplius adjecto verbo, ex quo utcumque tempus, quo id factum sit, eruas, mox subjungit :* Constituitur itaque (*sanctus* Magdalveus) unanimi consensu, electione omnium, rector et abba ecclesiæ S. Vitoni, quem *, et studio spiritualis exercitii et rebus temporalibus melioratam, exemplo et doctrina ad divini famulatus amorem accendit. *Hic biographi textus duo mihi discutienda hic offert. Alterum est, quo circiter tempore* S. Magdalveus *abbatiæ S. Vitoni præfectura fuerit donatus; alterum vero, quod qualeve aut cujus professionis illud fuerit S. Vitoni monasterium. A priori duco initium. Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum tom. V ad annum* 749, *num.* 69 *ita scribit :* Illis temporibus, cum Gorziense monasterium in diœcesi Metensi conditum est, ecclesia Virodunensis

* quam

C

interpontificio laborabat. Tunc autem in suburbio Virodunensi florebat insignis abbas Madelveus, qui post aliquot annos sub Pipino rege Virodunensem episcopatum obtinuit. *Hæc ille; addens deinde ad annum* 732, *num.* 98 : In diœcesi Virodunensi tria florebant monasteria, sancti Vitoni, sancti Michaelis, et Bellus-locus. Cœnobium sancti Vitoni regebat abbas Madelveus. *Cum Sanctus ex dicendis etiam tum, cum jam Virdunensis creatus esset antistes, ecclesiæ seu monasterii S. Vitoni præfecturam gesserit, Cointio sane, qui Sanctum anno* 749 *et anno* 732 *ecclesiæ seu monasterio S. Vitoni præfuisse, verbis recitatis indicat, non illubenter assentior.*

inter annum circiter 730 *et* 740 *Vitoniano monasterio,*

25 *Quamquam enim in opinione quidem, qua ex Hugonis Flaviniacensis testimonio Sanctus ad Virodunensem cathedram anno* 733 *statuitur promotus, nihil omnino impediat, quo minus non citius, quam anno* 749 *monasterii S. Vitoni præfectura credatur fuisse donatus, cum tamen* S. Magdalveus *non anno* 733, *sed nonnihil citius, anno scilicet, uti ex dicendis probabilius apparet,* 742 *circiter Virdunensium episcopus fuerit creatus, annisque aliquot, antequam sacram hanc dignitatem si consecutus, monasterii S. Vitoni, uti apud omnes in confesso est, præfecturam gesserit, necesse est, ut hac probabilius jam fuerit donatus ab anno circiter* 733. *Imo vero ex dictis jam ab anno circiter* 730 *S. Vitoni monasterium abbatis munere moderandum* S. Magdalveus D *acceperit, si modo ea, quæ Sanctum ad Virodunenses infulas anno* 733 *evectum statuit, veritati consonet opinio. Quam ob rem, cum hæc ex dicendis sua probabilitate non careat, reque ipsa forsan veritati etiam congruat, Sanctus eo tempore, quod inter annum* 730 *et* 740 *effluxit medium, monasterii seu abbatiæ S. Vitoni præfectura verosimiliter fuerit donatus; quod ut tunc re ipsa factum credatur, minime etiam, ut consideranti patebit, obstat opinio, mihi ex dictis et porro dicendis probabilior, quæ Sancti ad Virodunenses infulas promotionem anno* 742 *innectit. Atque ita quidem utcumque jam determinatum est tempus, quo Sanctus Vitoniano monasterio fuerit præfectus; dispiciamus modo, monachorumne hoc, an clericorum exstiterit.*

quod tunc non a monachis,

24 *Mabillonius Annalium Benedictinorum lib.* XXII, *num.* 76 *ad annum* 733 *ita memorat :* Eodem tempore (*anno* 733) ad episcopatum Virdunensem promotus est Madalveus, basilicæ sancti Vitoni abbas, quo nullum alium priorem ejus loci abbatem invenimus. Hæc insignis basilica, olim extra muros, nunc in ipsa urbis arce posita, jam inde a primis receptæ Christianæ religionis temporibus condita creditur, primorum illius urbis sanctorum episcoporum sepultura celebris. Illic sepulti inter alios sancti confessores ac pontifices Pulcronius atque E Vitonus, quorum posterior basilicæ jam dudum nomen tribuit. Monachos sæculo decimo a Berengario episcopo in illa basilica institutos fuisse, ibique ad nostrum tempus perseverasse, constat, magno loci honore et ornamento, qui sanctissimorum inde monachorum et antistitum seminarium fuit, et congregationis ævo nostro sub sancti Vitoni titulo inclytæ caput. Qualis ejus loci status ante Berengarium fuerit, vix conjicere, nedum certo rescire, possumus, deficientibus idoneis instrumentis, quæ injuria temporum perierunt, præter quædam Fragmenta ab Hugone, abbate Flaviniacensi, ejus loci olim monacho, relata. *Ita Mabillonius, sat aperte indicans, sese dubitare, cujus professionis fuerint religiosi basilicæ seu monasterii S. Vitoni incolæ, cum illud sæculo octavo* S. Magdalveus *abbatis munere moderandum accepit. Verum tunc sacram illam ædem non monachis, sed clericis, in communi viventibus, fuisse inhabitatam, verosimile est. Id sic probo. Berengarius, qui sæculo* X *Virodunensem ecclesiam moderatus est, clericis monachos in Vitoniano monasterio substituit. Fatetur id verbis recitatis ipsemet Mabillonius. Et vero negari non potest, utpote apud Acherium tom. XII Spicilegii, pag.* 262 *ab Historiæ episcoporum Virdunensium, a Berthario inceptæ, continuatore anonymo, qui sæculo undecimo in Vitoni monasterio monachum egit, apertissime traditum.* F

sed a clericis verosimillime erat inhabitatum,

25 *En verba :* Hic (*Berengarius, Virodunensis episcopus*) basilicam sanctorum Apostolorum (*ita etiam olim Vitonianum monasterium fuit vocatum*) Petri et Pauli, in qua requiescit corpus beati Vitoni cum multis decessoribus, successoribusque suis, in meliorem reddidit statum, auxit et ornavit, clericosque in ea degentes et multis vilibus negotiis deservientes abjecit, monachosque inibi Domino servituros constituit. *Jam vero, cum clericos, Virodunensem ecclesiam sæculo decimo moderante Berengario, in Vitoniana basilica exstitisse, ex his verbis liqueat, nec illos jam antea monachis, quibus ibidem præsse potuerit* S. Magdalveus, *fuisse substitutos, ullo ex monumento appareat, verosimillimum sane est, religiosos viros, quibus Sanctus in monasterio S. Vitoni fuit præfectus, clericos, in communi viventes, professione fuisse. Porro, quæ opinionem hanc firmant, ipsemet suppeditat Mabillonius, verbis supra recitatis mox hæc subdens :* Integrum super est diploma Pippini Heristallensis, ejusque conjugis Plectrudæ editum in Miscellaneis Labbeanis, quo Pippinus, ejusque conjux commutationem faciunt quorumdam prædiorum cum viro apostolico Armonio, episcopo Virdunensi et venerabili viro Angeberto archidiacono, qui basilicæ sancti Vitoni præerat.

A præerat. Et Pippinus quidem hæc commutatione locum, nomine Pararitum, transfert ad partem ecclesiæ domni Vitoni, donatque iis, « qui ibidem » præfuerint, vel clericis ibidem deservientibus; » ac vicissim Armonius episcopus et Angebertus archidiaconus tradunt locum dictum Commenarias, quem Pippinus ipse ejusque conjux postea per chartulam cessionis sancto Vitono donaverunt. *Facta est hæc commutatio, uti ipsi commutationis instrumento, teste Mabillonio, adjungitur, Childeberti, Francorum regis, anno septimo; quam ob rem, cum hic annus cum anno Christi* 702 *congruat, ex verbis Mabillonii huc jam transcriptis liquet, annis dumtaxat triginta circiter, antequam* S. Magdalveus *monasterio Vitoniano fuerit præfectus, clericos in hoc, Deo deservientes, exstitisse.*

abbas fuit præfectus, ac dein Virdunensium creatus episcopus.

26 *Jam vero, cum id ita sit, nec verosimile appareat, inter annum* 702 *et tempus inter annum* 730 *et* 740 *medium, quo ex dictis Sanctus abbatiæ seu monasterii S. Vitoni regimini fuit admotus, clericis monachos fuisse in illo substitutos, sane ex Mabillonii verbis, proxime jam recitatis, non parum firmatur opinio, qua religiosi viri, quibus Sanctus in monasterio Vitoniano præfuit, professione clerici statuuntur fuisse. Illam itaque ego, his omnibus perpensis, veluti admodum probabilem studioso lectori*

B *propono et ad episcopalem dignitatem, ad quam deinde Sanctus e S. Vitoni monasterio fuit assumptus, sermonem jam converto. Hugo Flaviniacensis seu Sancti biographus, narrata num.* 6 *Sancti ad Vitoniani monasterii præfecturam promotione, de eo ita prosequitur :* Fuit... humilitate præcipuus, caritate diffusus, prudentia mirabilis, sobrietate laudabilis, justitia insignis, fortitudine spectabilis, et, licet cunctos dignitate præcelleret, erat tamen obedientia cunctis subditus, patientia probatus, forma factus gregi ex animo, ut in eo subditus quisque agnosceret, quam sibi vivendi normam assumeret. Hæc de eo fama ubique ferebat, hic rumor omnium in ore continuus erat, Madelvei pietas, ejusque probitas lustrabat patrias, replebat plateas, ædes pulsabat palatinas. His præcurrentibus nunciis, cunctorum votis in pontificatu eligitur Virdunensis urbis. Quod licet timore Dei plenus omni conamine rejecerit, totoque adnisu recusaverit, multorum tamen

* *an* Dei ? sententia, Deo * gratia præcedente, prævaluit, ac una cleri populique concordia episcoporum judicio dignus in cathedra pontificali exaltatus, benedictione firmatus, unctione sacratur.

Hanc dignitatem nec eo.

27 *Fuit ergo* Magdalveus *a clero populoque Virodunensi, raris, ut apparet, Sancti virtutibus impulso, communibus omnium suffragiis, liberaque prorsus electione ad episcopale Virodunensis ecclesiæ culmen*

C *evectus. Ita statuo ex Hugonis Flaviniacensis fide, cui etiam utcumque suffragatur Wasseburgius, lib.* II *Antiquitatum Galliæ Belgicæ, fol.* 130 *scribens, pacifica cleri electione Sanctum fuisse ad cathedram Virodunensem promotum. Hæc, cum id accidit, ab Agroini, aliis Agronii, proximi ante Sanctum Virdunensis antistitis, obitu vacaverat jam dudum. Testatur id verbis, num.* 6 *huc transcriptis, Bertharius; testatur et Hugo, Sancti biographus, num.* 2 *Vitæ edendæ ita memorans :* Virdunensis civitas... defuncto Agronio episcopo, diebus multis mansit vacua, pastore viduata. *Wasseburgius lib. proxime cit., fol.* 129 *verso tempus, quo tunc Virdunensis sedes vacarit, triennali circiter spatio (rectene, an secus, ex dicendis facile colliges) etiam definit. Adhæc causam, ob quam Virdunensis sedes tamdiu vacarit, rationemque, qua tandem vacare cessarit, non admodum, ut apparet, probabilem affert. Oratio non nihil prolixior, qua id facit, in compendium contracta ita fere habet : Anselinus comes simulque civitatis Virodunensis gubernator, Agroino, proximo* Magdalvei *in sede Virdunensi decessore, e vivis sublato, cathedram hanc ambiebat, viqueetiam aperta impediebat, quo minus alius in defuncti locum sufficeretur. Hinc, cum nihilominus clerus Anselinum eligere nollet episcopum, diu ut vacaret Virdunensis sedes, est factum. At vero Carolus Martellus, Au-*

strasiæ Neustrasiæque major-domus, rei factus certior, Guarinum Lotharum, ducem gubernatoremque Metensem, qui Anselinum reprimeret, canonicamque electionem fieri curaret, Virodunum submisit. AUCTORE C. B.

28 *Eo porro duce, quæ in mandatis acceperat, fideliter exsequente, factum est, ut tandem* S. Magdalveus, *servatis ad amussim sacrorum canonum statutis, Verodunensium fuerit electus episcopus. Ita quantum ad substantiam Wasseburgius. Verum narratio, qua ea memoriæ prodit, partim saltem ex fictitia Historia, vulgo* Roman, *quæ Latine* Guarinus Lotharus, *Gallice* Guerin le Loheran *inscribitur, omniumque similis furfuris historiarum, seu potius fabularum, idiomate Gallico conscriptarum, antiquior habetur, verosimillime est deprompta. Ita in sua Lotharingiæ Historia, tom. I, col.* 345 *affirmat Calmetus, eique etiam, cum fictitiam illam Guarini Lothari Historiam sese evolvisse, recitato etiam sub tomi ejusdem finem insigni ex eadem Fragmento, probet, credendum hic reor. Quam ob rem, cum in hujusmodi historiis seu potius figmentis vix quidquam, quod re ipsa factum sit, studioso lectori proponatur, est sane, cur merito revocetur in dubium, tum an ex Anselini ambitione, ut diu vacarit Virdunensis sedes, acciderit, tum etiam, an hæc, mittente Carolo Martello, qui Anselinum reprimeret, tandem, suffecto in locum defuncti Agroini* Mag- E *dalveo, vacare cessarit. Imo vero, cum Anselinus quispiam, qui Virodunensis comes fuerit, nuspiam apud probatæ fidei historicos occurrat, dubitari etiam potest, an Anselinus, quem memorat Wasseburgius, in rerum umquam natura exstiterit. Quod autem ad Carolum Martellum pertinet, principem hunc nullam plane operam contulisse, ut tandem canonica* Magdalvei *electione vacare desineret Virdunensis cathedra, verosimile fiet ex iis, quæ jam nunc disputaturus de anno, quo* Magdalveus *creatus sit episcopus, adducam in medium.* quo tradit Wasseburgius, modo,

29 *Hugo, Sancti biographus, pro epocha* Mag- *nec anno* 733 *dalvei, ad sedem Verodunensem evecti, annum* 733 *videtur con-Vitæ edendæ num.* 1 *statuit his supra adhuc recitatis verbis :* Anno... ab Incarnatione humani * Verbi DCCLIII suscipit præsulatum Virdunensis ecclesiæ domnus Madelveus. *Hunc Hugonis calculum Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum* 733, *ac post eum Pagius in Criticis ad annum* 767 *et* 776 *sunt amplexi. Verum ille mihi idcirco non sat probatur, quod nullus omnino inter eos, qui de Sancto tractarunt, ac ne ipse quidem Hugo Flaviniacensis, durationem sedis, a* Magdalveo *occupatæ, paucioribus annis quam viginti circumscribat; ab anno autem* 733 *ad annum usque* 762, *quo Sanctum nostrum obiisse, probabilius ex Berthario contra Hugonem secundum di-* F *cenda apparet, anni dumtaxat novem excurrant. Accedit, Democharem, Joannem Chenu, Claudium Robertum, Sammarthanosque Fratres, Galliæ Christianæ Antiquæ scriptores, in suis Virdunensium episcoporum Catalogis Sancti nostri ad episcopatum Virdunensem promotionem cum anno* 733 *conjungere; quamquam autem scriptores illi omnes, uti etiam Catalogi, quos producunt, tantæ auctoritatis non sint, ut epocham, quam aditæ a Sancto Virdunensi cathedræ assignant, certam omnino atque indubitatam facere queant, opinioni tamen, qua* S. Magdalveus *ante annum* 733 *ad ecclesiæ Virdunensis cathedram statuitur evectus, pondus adjiciunt.* * *imo* divini *videtur consecutus,*

30 *Ita autumo, quia, etiamsi quidem Democharesuti etiam nec aliique scriptores mox laudati eos, quos suppeditant, anno* 733 : *episcoporum Virdunensium Catalogos e Wasseburgio vel totos vel majori saltem ex parte descripserint, hicque auctor, quæ de episcopis Virdunensibus memoriæ prodit, ex ecclesiæ Virdunensis Tabulariis Chartulariisque, fidei ex dictis parum certæ monumentis, plerumque hauserit, annum tamen* 733, *cui Sancti ad episcopales infulas promotionem innectit, non ex memoratis, utpote quæ hic non citet, Tabulariis Chartulariisque, sed ex aliis melioris notæ documentis forsan didicit; hinc autem fit, ut opinio, qua* Magdalvei *ad sedem Virdunensem promotio anno* 733

AUCTORE C. B.

secundum laudatos scriptores, Catalogosque, quos producunt, affigitur, omni sane probabilitate non careat, ac proin, ut ex ea ad opinionem, qua S. Magdalveus *ante annum 735 ad sedem Virdunensem evectus statuitur, pondus accedat. Porro, quamquam quidem ex jam dictis opinio, quæ Sanctum anno 735 creatum fuisse episcopum statuit, omni probabilitate haud careat,* Magdalveum *tamen jam tum episcopali dignitate fuisse ornatum, idcirco asseverare non ausim, quod id equidem nonnihil serius evenisse, probabilius appareat, uti jam nunc ostendere aggredior.*

cum enim sub Carolo Martello, uti ex epistolis ab Hincmaro,

31 *Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. XI, col.* 18 *ita memorant.* Vergente... ad interitum prima regum nostrorum dynastia, pleræque sive Francorum, sive Germanorum ecclesiæ episcopis destitutæ cedebant aut militibus in stipendium, aut conductoribus et publicanis in pecuniæ suæ repræsentationem; adeo ut veros legitimosque pastores recuperare non cœperint nisi anno circiter DCCXLII in ea imperii Francici parte, quæ Carolomanno regi (*imo majori-domus*) parebat; anno vero circiter DCCXLIII in reliquis provinciis, quæ dominationem Pipini agnoscebant. *Hæc illi; quibus quam non immerito, quantum ad regni etiam Austrasiani ecclesias, quæ episcopis, Carolo Martello rerum potiunte, usque ad annum 742 manserint orbatæ,* B *præberi hic mereatur assensus, ex iis, quæ jam dicam, illico patescet. Hincmarus, Remensis sæculo nono archiepiscopus, epistola sexta, ad diœcesis Rhemensis episcopos data, cap. 19 hunc fatur in modum :* Tempore Caroli (*Martelli*) principis, quando propter discordiam et contentionem de principatu inter eum et Raganfredum, et frequentia ac civilia, imo plus quam civilia, quia

* *an* bella : intestina et parricidalia verba *, in Germanicis et Belgicis, ac Gallicanis provinciis omnis religio Christianitatis pene fuit abolita, ita ut, episcopis in paucis locis residuis, episcopia laicis donata et rebus divisa fuerint. *Fuerunt ergo ex Hincmari testimonio, Carolo Martello majore-domus, in regionibus, Francorum potestati subjectis, plerique episcopatus a laicis seu personis secularibus occupati, suisque facultatibus exuti.*

ab Hadriano summo Pontifice,

32 *Ne vero quis ob ea, quæ apud nos ad 20 Februarii in S. Eucherio dicta sunt, suspectam hic forte habeat Hincmari fidem, scriptori huic suffragatur epistola Hadriani, summi Pontificis, ordine 13 ad Tilpinum, sæculo octavo Rhemensem archiepiscopum, conscripta. In hac quippe Pontifex ita loquitur :* Tua fraternitas nobis retulit; quia, faciente discordia inter Francos, archiepiscopus Remensis, nomine Rigobertus, a sede contra ca- C nones dejectus et expulsus fuit sine ullo crimine et sine ullo Apostolicæ Sedis consensu, vel interrogatione; sed solummodo quod antea non consensit in parte illius, qui postea partem illam de regno in sua potestate accepit, in qua parte Remensis civitas est : et donatus atque magis usurpatus contra Deum et ejus auctoritatem fuit ille episcopatus simul cum alio episcopatu, et aliis ecclesiis, a secularibus potestatibus, Miloni cuidam sola tonsura clerico, nihil sapienti de ordine ecclesiastico; et alii episcopatus de ipsa diœcesi Remensi diverso modo essent divisi, et aliqui ex magna parte sine episcopis consistentes, et ad alios metropolitanos episcopi et clerici ordinationes aliquando accipientes erant, et refugia indebita habebant. *Ita hactenus Hadrianus; cum autem dumtaxat hic de Remensi metropoli, subjectisque huic episcopatibus, qui sæculo* VIII *absque episcopis fuerint, faciat sermonem, aliud adhuc testimonium in medium adduco, ex quo etiam, quod huc præcipue spectat, manifestum evadat, fuisse pariter in regni, in quo Virodunensis civitas sita erat, Austrasiani parte plerosque episcopatus, rerum potiunte Carolo Martello, a laicis seu secularibus hominibus occupatos.*

33 *S. Bonifacius, Germaniæ apostolus, in litteris gratulatoriis, quas ad Zachariam, Romanum Pontificem anno 741 creatum, dedit, quasque ad hunc annum in Annalibus suis Ecclesiasticis recitat Baronius, ita commemorat :* Notum similiter sit Paternitati vestræ, quod Carolomannus dux Francorum me accersitum ad se rogavit, ut in parte regni Francorum, quæ in sua est potestate, faciam synodum congregari; et promisit, se de ecclesiastica religione, quæ jam longo tempore, id est, non minus quam per sexaginta vel septuaginta annos calcata et dissipata fuit, aliquid corrigere et emendare velle. Quapropter si hoc, Deo inspirante, veraciter emendare voluerit, consilium et præceptum vestræ auctoritatis habere debeo. Franci enim (ut seniores dicunt) plusquam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt, nec archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte civitates et episcopales sedes traditæ sunt laicis, cupidis ad possidendum, vel clericis scortatoribus, vel publicanis secullariter ad perfruendum. *Pagius in Criticis ad annum 741, num. 24, recitatis hisce S. Bonifacii verbis, ita observat :* Sanctus Bonifacius, quando ait, Carolomannum sese rogasse, ut in parte regni Francorum synodum faceret congregari, Franciæ nomine Austrasianæ Franciæ partem intelligit; quam interpretationem ipsemet Bonifacius his verbis clarissime confirmat : « Franci, ut seniores dicunt, E » plusquam per tempus octoginta annorum sy- » nodum non fecerunt, nec archiepiscopum ha- » buerunt. »

episcopatus, bonaque ecclesiastica a secularibus hominibus fuerint occupata,

34 Reliquam Franciam per illos annos LXXX (*nimirum ab anno circiter 660 usque ad annum 741 elapsos*) suos habuisse metropolitas, in eaque varias synodos celebratas esse, licet multarum memoria perierit, certum est. *Hæc Pagius, volens scilicet probansque, et recte quidem, S. Bonifacio de sola regni Austrasiani parte esse sermonem. Verum, utut id ita sit, Bonifacii equidem ex verbis jam recitatis habemus, sedes episcopales in illa regni Austrasiani parte, quam Sanctus ille designat, laicis seu secularibus personis maxima ex parte fuisse tunc occupatas. Hinc porro, simulque ex supra huc transcriptis tum Hadriani, summi Pontificis, tum Hincmari, Remensis archiepiscopi, verbis verosimillimum fit, fuisse pariter in ea regni Austrasiani parte, quæ Verodunensem civitatem complectebatur, quæque* Lotharingia *seu* Lotharii regnum *postea fuit vocata, episcopales sedes non paucas, id est, earum bona, prædia, villas, reditus, a laicis seu secularibus personis occupata. At vero, sciscitabitur modo non nemo, quo modo quave auctoritate res, sacris canonibus adeo adversa, fuit patrata? Scriptores non pauci id a Carolo Martello factum affir-* F *mant. Alii contra ab hac ignominiæ nota principem illum vindicant. Hos inter primus occurrit Henschenius noster, ac deinde, qui secutus eum est, Cointius; atque hic quidem in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum 741, num. 41; ille vero ad 20 Februarii, in Commentario prævio ad Vitam S. Eucherii, Aurelianensis episcopi, num. 32 ait, nullum laicum, cui Carolus episcopatum dederit, posse produci, commentumque proinde esse, quod a variis traditur, Carolum episcopatus laicis dedisse.*

Verodunensem ecclesiam, ut innuit Hugo Flaviniacensis,

35 *Verum audi, quid ad hæc Pagius in Criticis loco proxime cit. reponat.* His sancti Bonifacii in citata epistola (*adi num. 33*) verbis : « Modo » maxima ex parte civitates et episcopales sedes » traditæ sunt laicis, » plane evertitur, quod idem Cointius anno currenti num. XLI scribit, scilicet nullum laicum produci posse, cui episcopatum Carolus dederit, ideoque et commentum esse, quod a variis traditur, Carolum plures episcopatus laicis dedisse; cum enim is Austriæ tot annis præfuerit, imo et reliquæ Galliæ, non video, quomodo fieri potuerit, ut bona ecclesiastica a laicis hominibus sine ejus concessione aut consensu possessa fuerint. *Hactenus Pagius : verum, an undequaque recte? Non pauca quidem Carolus Martellus, bellorum, a Saracenis, Saxonibus, Frisiis, aliisque hostibus ingruentium, necessitate compulsus, bona ecclesiastica*

et a S. Bonifacio, Germaniæ apostolo, scriptis, intelligitur,

A *ecclesiastica militibus suis in stipendia videtur concessisse; verum plures pariter episcopatus seu potius integros plurium episcopatuum reditus a principe illo laicis seu secularibus hominibus fuisse impertitos, non facile credidero. Quamquam enim sub Carolo Martello non paucas in Francia episcopales sedes a laicis fuisse occupatas, ex verbis S. Bonifacii, et Hadriani Pontificis jam recitatis constet, nihil tamen obstat, quo minus id a ducibus comitibusque, provinciarum ac urbium præfectis, principe illo nec adnitente, nec concedente, sed tantum, ne militum a se alienaret, animos, sufficienter haud obsistente, peractum fuisse credatur. Utut sit, plures equidem, Carolo Martello rerum potiunte, in Francia episcopatus penes laicos exstitisse, bonisque fuisse orbatos, ex omnibus jam dictis certum apparet. Hinc porro fit, ut omnia prorsus, quæ huc facientia num.* 13 *et* 14 *Vitæ edendæ tradit Hugo, rejicienda non putem.*

eadem forte fuisse afflictam, verosimile evadit.

36 *Sic habent :* Non est veritus (*Carolus Martellus*) ipsos episcopatus laicis dare, fautoribus videlicet suis et consentaneis, adeo ut archiepiscopatus Trevirensem et Remensem Milo quidam tonsura clericus, moribus, habitu et actu irreligiosus laicus, multo tempore pessumdans obtinuerit; Viennensem quoque et multos alios episcopatus per terras diversas possiderent laici, ut
B historiæ referunt, et per manum laicam investiti: si qui erant episcopi, aut ei omnino favebant, aut res ecclesiasticæ diripiebantur, aut certe illis obeuntibus, in locum illorum neophytus quilibet, et, quos canonicæ sanctiones non recipiunt, substituebantur. Ab hac autem direptione civitas illa quantulumcumque immunis erat, quæ ei favebat, vel quæ ei adjutorium præbebat; cui enim innitebatur, illam per se suosque a se suisque tuebatur. Hinc est, quod inter innumeras, quas attriverat, Virdunensem tempore Pepponis episcopi prædiis auxit, quia Peppo idem, ut superius relatum est, in tempore dissensionis et partibus ejus favit, et familiarius ei servivit. Verumtamen, illo defuncto, quod aliæ patiebantur, et eadem quoque experta est. *Ita hactenus Hugo, nihil fere, si quod de episcopatibus a Carolo Martello in laicos translatis affirmat, exceperis, his verbis affirmans, quod vel in Hincmari, Hadriani et Bonifacii epistolis, supra citatis, vel in aliis monumentis fundatum non sit. Quam ob rem, cum civitatibus, quæ bonis ecclesiasticis sub Carolo Martello fuere privatæ, adjungat civitatem Virdunensem, verosimile sane mihi apparet, hanc civitatem, Poppone seu Peppone vita functo, bonis ecclesiasticis, sufficienter haud repugnante Carolo Martello, sub Volschiso et Agroino, qui proxime*
C *Pepponi in Virdunensem sedem successere, fuisse orbatam. Hinc porro jam fit, ut verosimile etiam appareat, civitatem seu ecclesiam Virdunensem, Volschiso et Agroino vita functis, ad eam fuisse Caroli conniventia pauperiem jam redactam, ut, præ hac clericis seu canonicis (adi Vitam edendam num.* 9) *in diversa dilapsis, canonica episcopi electio fieri nequiverit.*

Hinc autem ob rationem, hic additam,

37 *Id sane hic statuendum videtur, nisi forte, quod ob jam supra dicta sat etiam verosimile appareret, episcopatu in laicum translato, nova fieri electio omnino nequierit. Jam vero, cum vel ex episcopatus in personam laicam translatione, vel præ nimia pauperie, ad quam is erat redactus, Agroino vita functo, novus haud fuerit substitutus episcopus, fueritque id, utrolibet ex capite ortum duxerit, Carolo Martello connivente, factum, cui, quæso, verosimile appareat, fuisse in defuncti Agroini locum anno* 735, *vivente adhuc Carolo, substitutum* Magdalveum? *Restituine forsan, quæ ecclesiæ Virdunensi fuerant ablata, curaverit is princeps? Anne episcopatum, qui jam forte in laicas manus transierat, his tandem ereptum libera electione* S. Magdalveo *conferri omni modo voluerit? Neutrum sane mihi probabile apparet. Bona enim ecclesiastica, quæ occupari non impedierat Carolus, militibus in stipendia cesserant; quæcumque autem his ita obvenerant, ea eainde iisdem non abstulit. Argumento esse potest, quod apud Acherium tom. XII Spicilegii pag.* 258 *in Peppone, Virodunensium episcopo scribit Bertharius. En verba:* Hujus (*Pepponis*) tempore exstitit seditio non modica inter Carolum primum, qui dicitur Carolus Martellus et Rainfridum, Francorum principem, et quia Peppo partibus Caroli tempore seditionis favit, obtinuit pretio cum Carolo et quodam nobili vassallo ejus Calmontem villam cum omnibus appendiciis suis. Postquam vero Carolo Deus solidavit Francorum regnum, dedit etiam ecclesiæ nostræ Pontem Petrium et suo scripto nobis eum solidavit: Merlam vero et Casam Petriam, quia eas sui satellites invaserant, retinuit, et adhuc Casa Petria retenta est.

AUCTORE C. B.

38 *En Carolum ecclesiæ Virodunensi beneficum, et tamen eidem bona, per satellites suos seu milites erepta, non restituit; quod cum hic, utut in Pepponem, Virdunensem episcopum, benevolo admodum foret animo, non fecerit, id eum vel alias forte numquam vel certe rarissime fecisse existimo. Uti porro bona ecclesiastica, quæ vel militibus suis in stipendia dederat, vel rapi per hos, non impedierat, dominis suis deinde non restituit, ita etiam episcopatus, in laicorum manus delapsos, eripi deinde ex his verosimiliter non curarit. Quam ob rem, cum ex dictis Verodunensis episcopatus, vita functo Agroino, vel*
E *in laicas manus fuerit translatus, vel facultatibus omnibus orbatus, clericis hinc alio majori ex parte dilapsis, eligendo novo episcopo locum non dederit, verosimile sane mihi non apparet, Agroino successorem, vivente adhuc Carolo Martello, fuisse substitutum. Itaque, rationum momentis utrimque sedulo libratis, probabilius autumo, Sanctum tandem anno* 742 *ad sedem Virdunensem esse evectum sub Carolomanno, pio admodum principe, qui anno illo in Austrasiæ majoratum domus patri suo Carolo successerat, quique brevi post synodum, in qua illapsi in ecclesiam emendarentur pravi mores, celebrari curavit, tresque novos in Austrasia sibi subjecta episcopatus institui permisit. Et sane Sanctum non ante annum* 742, *uti jam definii, Virodunensium creatum esse antistitem, confirmatur etiam ex eo, quod hæc Bertharii de Sancto verba,* Fuit enim tempore Pipini regis usque ad tempus Caroli Magni, *ita ex infra dicendis interpretanda sint, ut significent,* Magdalveum *ab anno* 741 *circiter, quo Pipinus Brevis Carolo Martello patri in majoratum domus Neustriæ successit, usque ad tempus, quo Carolus Magnus rex unctus est, sedem Virodunensem occupasse. Sed hæc de anno, quo* S. Magdalveus *creatus fuerit Virodunensium episcopus, disputata sufficiant, ad ea, quæ in episcopatu gessit, discutienda nunc progredior.*

Sanctus probabilius non ante annum 742 *Verodunensium episcopus fuit creatus.*

F

§ IV. Res a Sancto in episcopatu ante iter Hierosolymitanum gestæ.

In lugubri statu ecclesiam suam Sanctus invenit.

Ecclesiæ Virdunensis, cum hanc regendam accepit S. Magdalveus, *lugubri admodum loco res fuisse, docet nos Hugo, Sancti biographus.* Erat tunc, *inquit num.* 8 *et* 9, civitas ipsa (*Virodunensis*) insectatione barbarica bellis attrita, obsidionibus fatigata, calamitatibus repleta, templa Domini in ea polluta, sanctuaria exusta, ministeria violata, officia diurna vel nocturna neglecta. Clerici alii fugati, quidam necati, qui remanserant multa paupertate addicti plus propriis seu terrenis, quam cælestibus studebant negotiis. *Vix dubitem, quin auxesi hic utatur Hugo, miserumque ecclesiæ Virodunensis statum nonnihil exaggeret; neque enim uspiam invenio, sub Carolo Martello aut proxime ante annum* 742, *quo circiter ex dictis Sanctus creatus est Virodunensium antistes, civitatem Virdunensem pluribus obsidionibus fuisse fatigatam, ut verba recitata indicant. Attamen, cum, quæ his refert, ut supra monui, partim saltem ex scriptoribus monumentisve antiquioribus verosimiliter hauserit Hugo, militibusque in stipendia, Carolo Martello ante Sancti ad episcopales insulas promotionem in Neustria*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

Neustria Austrasiaque rerumpotiunte, verosimillime cesserint ecclesiæ Virdunensis bona, est sane, cur hanc ad summas angustias miserumque omnino statum fuisse redactam, asserenti Hugoni credamus. Verum Sanctus, utut ex istis ecclesiæ, quam curæ suæ commendatam recens acceperat, angustiis eo, quo par erat, dolore afficeretur, animo minime despondit, sed quo majora erant mala, eo gnaviorem magisque assiduam iis removendis operam impendendam est ratus.

Gregem suum ad virtutem excitat.

40 *Ac primo quidem populum, curæ suæ commissum, ad verum Dei cultum ac timorem, sinceræ pœnitentiæ opera, charitatem mutuam, misericordiamque in pauperes, concione habita, excitavit.* Gressu ergo celeri, *inquit de Sancto num.* 10 *biographus*, ecclesiam intravit, clerum popolumque advocavit, judicia Domini vera innotuit, crimina vel peccata alterutrum confiteri monuit, fructus dignos pœnitentiæ facere suasit, ecclesiam frequentare, orationibus cum lacrymis incumbere, laudes Domini cum silentio et reverentia audire, eleemosynas pro posse libenter dare, hospitalitatem sine murmuratione servare, discordantes ante solis occasum ad pacem redire, pacem falsam non dare, gehennam timere, vitam æternam sperare præcepit et docuit. *Nec verbis tantum, verum etiam exemplo ad has virtutes gregem exstimulabat sanctus*
B *sollicitusque Pastor.* Instabat, *ait iterum num. cit. biographus*, prædicationibus, firmabat plebem benedictionibus, incitabat ad meliora sacris exhortationibus, quod dicebat verbis, monstrabat exemplis. *Bertharius* (*adi num.* 7) *hic quidem cum Hugone minime pugnat; verum hæc pauca dumtaxat, quæ huc faciunt, suppeditat:* Clerum, *inquit*, et populum istius (*Virdunensis*) ecclesiæ venerabiliter ordinavit. *Ita primus Verodunensium Antistitum Historiæ scriptor sedulam, quam* Magdalveus, *Verodunensium creatus episcopus, pro grege sibi commisso gesserit, curam brevissime exponit. Quamquam porro hæc universum quidem spectarit Virodunensem populum, ad clerum tamen, utpote quem aliis bono probatæ vitæ morumque exemplo prælucere conveniret, sese præcipue extendit. Hugo, Sancti biographus, opportune ad hoc argumentum hæc prodit memoriæ:* Clericos deinde, *inquit num.* 10, regulariter vivere, septies in die laudes Domino dicere, et noctu ad confitendum illi surgere, ecclesiastica sanctione instituit, victumque illis quotidianum de proprio, prout potuit, ordinavit. *Crediderim sane,* S. Magdalveum, *jam episcopum, dilapsos alio, ut dictum est, reipublicæ motibus, ex bello ortis, Virdunenses canonicos Verodunum ad sese revocasse, simulque tum his, tum aliis, qui Veroduni*
C *remanserant aut jam huc ex fuga sponte redierant, summamque erant ad pauperiem redacti, victum quotidianum ex propriis facultatibus ea lege suppeditasse, ut ad canonicam vivendi normam vitam exigerent. Atque illud quidem a Sancto, ut primum ecclesiæ Virdunensis regimini fuit admotus, factum apparet.*

Clero, ut apparet, novum vitæ genus præscribit.

41 *Ita autumo, partim quod inter res, priori loco a Sancto, jam episcopo, gestas, narrationis ordine ab Hugone referatur, partim quod par sit, ut episcopus singulari quadam cura, clerum suum complectatur. Verum, canonicis illis seu clero Virodunensi novum quoddam vitæ genus a* S. Magdalveo *fuisse præscriptum, verbis proxime recitatis etiam indicare Hugo videtur. Vultne forsan hic scriptor, a Sancto institutum fuisse, ut Verodunenses canonici, claustro inclusi, ad canonum ecclesiasticorum normam vitam communem ducerent? Id sane existimarit Constantinus Ghinius, hincque verosimillime Fastis sacris, quos* Sanctorum Canonicorum Natales *vocavit, quosque etiam Sanctis, de canonicorum Regularium Ordine dumtaxat bene meritis, auxit,* S. Magdalveum *inscripsit. Et sane a Sancto diversum quoddam ab antiquo vitæ genus, quod sequerentur Verodunenses canonici, fuisse præscriptum, vero mihi minime absimile apparet. At vero, inquiet non nemo, si id re etiam ipsa locum fortassis habuit, non citius verosimillime, quam inter annum* 750 D *et* 760 *evenerit. Ita statuendum videtur ex eo, quod Chrodegandus, Metensium episcopus, suam canonicorum Regulam ante annum* 750 *non scripserit; is autem, ut plerisque equidem eruditis videtur, primus sit episcopus, qui ecclesiæ cathedralis, cui præerat, canonicos ad vitam in claustro communem in Galliis adegerit. Jam vero si non citius, quam inter annum* 750 *et* 760 *novum vitæ genus canonicis suis Sanctus præscripsit,* Magdalveus *utique, cum id ex dictis episcopatus ejus initio factum appareat, non ante annum circiter* 750, *contra ac supra docuimus, Virdunensem cathedram occuparit. Ita potest argui contra opinionem, qua verbis Hugonis proxime recitatis etiam indicari statuitur, novam vitæ normam a Sancto fuisse Verodunensibus canonicis præscriptam. Verum respondeo, vel ab Hugone, quod sane hujus scriptoris auctoritas dicere non vetat, rerum gestarum in narrando ordinem non servari, vel Sanctum non Chrodegandi, Metensium episcopi, sed S. Rigoberti, Remensis archiepiscopi, qui diu ante Chrodegandi tempora clero suo commune ærarium instituit, exemplo impulsum, novam vivendi normam clericis suis præscripsisse. Neutrum sane a vero indubie abhorret.* E

Novas ecclesiæ suæ possessiones acquirit; hoc autem, etsi Hugo,

42 *Porro Sanctus non tantum cleri sui reformationi, verum etiam novis ecclesiæ suæ acquirendis possessionibus operam dedit. Bertharius opportune ad hoc institutum num.* 6 *sic habet :* Cujus (*sancti* Magdalvei) industria et studio fertur per precariam obtinuisse eum Vuasnaum et Vuarnunci curtem, et Ramisbatium, et alia plurima, sicut egomet in Cartis ejus manibus roboratis legi. *Ita brevis Virdunensium episcoporum Historiæ auctor. Quid per precariam hic velit, num.* 35 *exponam. Hæc interim, quæ hic bona commemorat, Sanctus ipso etiam statim episcopatus initio forte acquisivit. Præterquam enim, quod Bertharius acquisitionis hujus, antequam de rebus aliis a Sancto jam episcopo gestis loquatur, verbis recitatis mentionem faciat, id singularis plane Sancti pro clero suo, ad summam tunc egestatem redacto, cura suadet. Attamen Hugo Flaviniacensis num.* 11 *Vitæ edendæ, in hanc scribit sententiam :* Curiam interea (*S. Magdalveus*) adiit, Pippino, qui ex auctoritate Stephani Papæ ex præfecto palatii rex constitutus fuerat, vastitatem urbis, calamitatemque plebis, quam regendam susceperat, innotuit, auxiliumque ab eo ex regali largitione quæsivit et obtinuit. Collatione siquidem fidelium quædam prædia suscepit, Wasnaum scilicet seu Warnunci curtem, Ramisbatium etiam, aliaque quamplurima, quæ Chartis manu propria inseruit, quas et regis annulus roboravit, et ec-
F clesia Virdunensis ex tunc non amisit. Civibus præterea regis munificentia non defecit, clerum lætificavit, ecclesiam ornavit, remuneratum Pontificem gaudenti populo repræsentavit. *His autem verbis clarissime indicat, memorata prædia tunc primum, cum Pipinus jam rex esset, ac proin non ante annum* 752, *quo princeps ille Francorum rex primum unctus est, a* S. Magdalveo *fuisse acquisita; quod adeo ipso episcopatus ejus initio non evenit. Ita potest objici contra opinionem, qua memorata prædia a Sancto, nondum diu episcopo, ecclesiæ Virdunensi fuisse forsan acquisita arbitramur.*

in quem hic

43 *Verum, cum e scriptoribus monumentisve antiquioribus, nullas forte, ut jam satis innui, aut paucas admodum notas exhibentibus chronicas, Hugo Flaviniacensis, quæ de Sancto nostro consignavit litteris, facta hauserit, hæcque vel quod fuerint prorsus destituta notis chronicis, vel etiam, quod eas, quibus communita erant, perperam fuerit interpretatus, annis sæpe non suis illigarit, non est, cur ejus testimonio indubitatum putemus, prædia, quæ memorat, ante annum* 752, *quo Pipinus creatus primum est Francorum rex, a* S. Magdalveo *non fuisse Virdunensi ecclesiæ obtenta. Legerit scilicet fortassis Hugo in antiquiori quopiam sive monumento sive scriptore, prædia supra nominata* Pipini regis temporibus *a Sancto nostro fuisse obtenta, hincque concluserit,*

A *concluserit, id ante illud tempus, quo Francorum solium jam occuparat Pipinus, non evenisse. Verum hoc inde certo non potuisse concludi, sic probo. Paulus diaconus apud nos tom. I Martii, pag.* 432 *in brevi Vitæ S. Godegrandi seu Chrodegrandi, Metensis episcopi, compendio ita de hoc Sancto scribit :* Pippini regis temporibus pontificade decus promeruit. *Et tamen S. Godegrandus anno circiter* 742, *cum nondum Pipinus Francorum solium occuparat, ad Metensem cathedram, uti apud omnes in confesso est, fuit evectus; ut adeo dicendum sit, vel tempus, quo Chrodegrandus Metensem sedem obtinuit, perperam notari a Paulo diacono, vel certe scriptoris hujus verbis mox recitatis necessario non significari, fuisse Chrodegrandum tunc primum, cum Francorum rex esset creatus Pipinus, ad Metenses insulas promotum. Primum idcirco dici non potest, quod Paulus diaconus ex Angilramno, proximo Chrodegrandi in sedem Metensem successore, res ad Chrodegrandum spectantes (adi Opus nostrum loco proxime cit.) optime potuerit habere perspectas; restat ergo, ut asseramus secundum.*

quædam observantur,

44 *Et vero* Pippini regis (*adi iterum Opus nostrum loco proxime cit. in S. Chrodegrando num.* 7) temporibus pontificale decus promeruisse *Chrodegrandum, idcirco scripsit Paulus diaconus,*

B *quod anno* 742, *quo Chrodegrandus Metensem cathedram obtinuit, Pipinus cum fratre Carolomanno absque alio rege præsset regno Francorum. Jam vero, cum id ita sit, quid si, ut reipsa etiam fortassis factum est, Hugo Flaviniacensis idcirco, quod a* S. Magdalveo *prædia, quæ memorat,* Pipini regis temporibus *fuisse obtenta, alicubi legisset, id is scriptor tunc, cum jam Pipinus Francorum rex unctus esset, et quidem hujus principis, non autem Carolomanni, quod tamen verosimilius apparet, liberalitate factum esse, in litteras miserit; moveri ejus narratione non debemus, ut a Sancto tunc primum, cum Pipinus in Francorum solium jam esset evectus, prædia, quæ memorat, principis hujus munificentia fuisse obtenta, certo credamus. Quam ob rem, cum a* S. Magdalveo *ante annum* 752, *quo Pipinus creatus primum est Francorum rex, ea, de quibus hic disserimus, prædia ecclesiæ Virdunensi fuisse obtenta, Hugonis auctoritas certum atque indubitatum non faciat, illud anno circiter* 742, *ipso aditi a Sancto nostro episcopatus initio fortassis factum, ob rationes jam supra dictas existimo.*

et Wasseburgius opinioni huic adversantia scribant,

45 *Attamen indubie haud ante annum* 752, *quo Pipinus a S. Bonifacio, Moguntiacensi episcopo,*

C *Francorum rex coronatus fuit, imo non ante annum* 753 *prædia præfata obtinuerit* S. Magdalveus, *si modo, quæ de hoc argumento litteris mandat Wasseburgius, veritati consonent. Etenim hic scriptor lib.* II *Antiquitatum fol.* 151 *ita fere quantum ad substantiam memorat : cum Stephanus secundus, summus Pontifex, qui Pipini, Francorum regis, invitatu anno* 753 *venerat in Galliam, principem hunc binosque ejus filios Carolomannum et Carolum Francorum reges unxit, plures visitavit Franciæ seu Neustriæ ecclesias, post venit in Austrasiam, petiit Metas, dein Verodunum, magnumque erga* Magdalveum *concepit affectum, raris Sancti virtutibus allectus. Tunc enim summa clarebat sanctitatis fama. De hoc argumento (ita fere pergit Wasseburgius) tractans Bertharius, Virdunensis historicus, memoriæ prodit, tunc præfatum Pontificem, calamitatum, exactionum, damnorumque, quæ a comite Anselino perpessa fuerat Virdunensis ecclesia, redditum certiorem, a Pipino rege non pauca, quæ in memoratæ ecclesiæ commodum* Magdalveo *dedit, prædia dominiaque impetrasse; quæ inter Bertharius recenset Vuasnaum, Vuarnuncicurtem et Ramisbaccium. Hæc hactenus quantum ad substantiam Wasseburgius, mox etiam, paucis dumtaxat interpositis, adjungens, Pipinum Virodunensi civitati varia tunc privilegia, prærogativas immunitatesque contulisse, idque etiam scripto testatum haberi a Berthario. Verum ego totam episcoporum Virodunensium Historiam semel, iterum ac tertio evolvi, nec verbum de privilegiis immunitatibusque, quas Virodunensi civitati impertitus fuerit Pipinus, invenire ullum quivi.*

AUCTORE C. B.

46 *Idem accidit investiganti, an Stephanus, summus Pontifex, Vuasnaum, Vuarnunci-curtem et Ramisbatium seu Ramisbaccium a Pipino rege impetrarit, impetrataque* S. Magdalveo *contulisse, Bertharius testetur. Ea enim prædia seu dominia aliaque plurima obtinuisse* Magdalveum, *refert dumtaxat Bertharius; idne autem Stephani, an Pipini regis aut etiam alterius liberalitate factum sit, non edicit. Adhæc ne Stephani quidem uspiam meminit. Jam vero, cum id ita sit, est sane, cur merito revocetur in dubium, non tantum, an non absque Stephani interventu, verum etiam an non ante hujus in Gallias accessum, qui anno* 753 *accidit, prædicta prædia* Magdalveus *impetrarit. Hinc porro jam consequitur, ut, spectatis etiam, quæ refert Wasseburgius, æque maneat incertum, an ante, an postquam Pipinus jam conscendisset Francorum solium, prædictam prædiorum dominiorumve donationem impetrarit* S. Magdalveus; *ut adeo id, ut dictum est, ipso forte aditi a Sancto episcopatus initio evenerit. Hinc dubium mihi etiam fit, an veritati consonet id, quod de ecclesia S. Michaelis, in eo, qui veteris modo Monasterii appellatione distinguitur, loco tunc sita, quam Stephanus Papa, in Galliis versans, consecrarit, memoriæ prodit, seque e bullis antenticis* E *hausisse, affirmat Wasseburgius. Verum, utut hæc ita se habeant, Sanctus equidem prædicta prædia seu dominia (testantur id enim etiam Bertharius et Hugo) ecclesiæ suæ impetravit, liquetque vel hinc cura, quam pro ea sanctus Antistes gesserit. Nec minus hæc liquet ex sollicitudine omnino pastorali, qua non tantum singulas diœcesis sibi commissæ ecclesias lustravit, verum etiam dirutas aut fere collapsas instauravit.*

ipso forte episcopatus, a Sancto aditi, initio evenit.

47 Sacerdos eximius, *inquit num.* 13 *Sancti biographus,* episcopum * pastorali sollicitudine circumiens, ecclesias, in quibus non erant, locis extinxit *, dirutas vel inveteratas restauravit, ministeria divina ordinavit, plebes salutari doctrina edocens, et episcopali benedictione sacrique chismatis * unctione confirmans. *Hæc Hugo : quamquam autem antiquioris scriptoris testimonio suffulta non sint, fidem tamen merentur idcirco, quod cuilibet sancto Episcopo conveniant. Porro uti ex dictis Sanctus novis ecclesiæ suæ possessionibus acquirendis, ita etiam antiquis servandis, utut etiam procul ab episcopatu suo in Aquitania sitis, gnavam operam impendit. Testatur id ipsemet Bertharius. Verba, quibus id facit, num.* 7 *recitata, hæc sunt :* Res etiam, quæ sunt in Equitania antiquitus isti ecclesiæ (*primariæ scilicet Virodunensi*) subjectæ, F id est, abbatia sancti Amantii, in Rodenia sita, et Marderniacum et Puliniacum frequenter (*sanctus* Magdalveus) visitabat, et gesta prædictorum episcoporum nostrorum secum ferebat, ut per illorum merita illas res longius sitas liberius possidere quivisset. *De eodem argumento ita memorat num.* 18 *Hugo, Sancti biographus :* Aquitania sanctitatis ejus (*sancti* Magdalvei) accepit magnalia, illius sæpe gressibus lustrata, lacrymis rigata, doctrinis roborata et miraculis glorificata. Res quippe, quas Virdunensis ecclesia antiquitus in ipsa regione possedit, frequenter visitabat, et Vitas seu Miracula prædecessorum suorum pontificum secum ferebat, ut per illorum merita res illas liberius possideret, vel pagensibus dominatio carior, subjectio esset humilior. *Hactenus Hugo, nihil fere tradens, quin in Berthario sit fundatum, aut certe cum hoc scriptore non pugnet.*

Diœcesim lustrat Sanctus abbatiamque S. Amantii :
*episcopium
*exstruxit
*chrismatis

48 *Verum verbis, jam recitatis, mox hæc subdit :* Fuerunt autem res istæ, abbatia sancti Amantii in Rotena urbe cum Appendiciis, fiscus etiam regius Maderniacus, et alius Puliniacus nomine, donata servitorum sancti Petri et sancti Vitoni usibus ipsius beati Amantii largitione. *His autem docet, abbatiam sancti Amantii, una cum Maderniaco et Puliniaco, non ecclesiæ primariæ Virdunensi, quæ sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ sacra est, sed ecclesiæ*

hæc, quam Vitonianomonasterio ab ipso S. Amantio

AUCTORE C. B.

ecclesiæ SS. Petri et Vitoni primitus fuisse ab ipsomet S. Amantio concessam; quod nec in Berthario fundatur, nec veritati videtur conforme. Etenim abbatia S. Amantii ætate S. Magdalvei, *ut verbis num. præced. innuit Bertharius, antiqua erat ecclesiæ primariæ seu cathedralis Virdunensis possessio, nec hanc, antequam in dictæ primariæ Virdunensis ecclesiæ jus transiret, spectasse umquam ad SS. Petri et Vitoni ecclesiam, uspiam inveni, utut re diligentissime examinata. Hic itaque in errorem, ut mihi equidem apparet, prolapsus est Hugo. Sed, quid, quæso, scriptori huic errandi hic ausam præbuit? Jam ab uno amplius sæculo ætate Hugonis ad SS. Petri et Vitoni ecclesiam seu monasterium a Berengario, Virodunensi episcopo, fuerat translata abbatiæ S. Amantii possessio. Liquet id ex iis, quæ monachus S. Vitoni anonymus, qui primus brevem Virodunensium antistitum Historiam, a Berthario inceptam, prosecutus est, apud Acherium tom. XII Spicilegii, pag.* 262 *memoriæ prodit. Verba, quæ scriptor hic ibidem suppeditat, hæc sunt :* Quorum (*monachorum in S. Vitoni monasterio clericis substitutorum*) victui delegavit (*Berengarius scilicet, Virodunensium antistes*) Scantiam villam cum banno : abbatiam quoque sancti Amantii in Aquitania cum multis ecclesiis hujus B episcopii.

donatam fuisse, perperam scribit Sancti biographus,

49 *Berengarius, qui abbatiam S. Amantii monasterio S. Vitoni donasse hic narratur, sæculo* X *media sui parte jam elapso excessit e vivis, ac proin abbatia illa ætate Hugonis, qui sub finem sæculi* XI *floruit, jam uno amplius sæculo in monasterii Vitoniani jus transierat. Ignoraritne id forsan Hugo, hincque præfatam abbatiam Vitoniano monasterio ab ipso S. Amantio fuisse donatam, scripserit? Minime vero : ipsemet enim Hugo, qui in ea, qua de Sancto nostro tractat, Chronici sui parte donationem illam monasterio Vitoniano a S. Amantio factam scribit, postea in eodem Chronico integram recitat chartam, qua præmemoratam abbatiam aliaque bona monasterio Vitoniano Berengarius concessit. Itaque crediderim ego, Hugonem, cum Sancti nostri gesta litteris mandaret, animum non advertisse ad jam dictam, quam postea recitavit, chartam, a Berengario monasterio Vitoniano concessam, hincque donationem, quæ hac a Berengario primum facta est, ipsimet S. Amantio perperam attribuisse. Atque ita sane vel hoc etiam argumento est, quam parum ab accuratione Hugo commendari mereatur. Porro de hoc S. Amantii monasterio seu abbatia, quam in burgo Ruthenensis civitatis, Gallice* Rhodès *dictæ, sitam fuisse, Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. I, col.* 233 *docent, Hugo, Flaviniacensis in suo Virdunensi Chronico apud Labbeum tom. I Bibliothecæ Mss. pag.* 183 *ita memorat :* Accepit (*anno* 1028, *grassante fame, abbas S. Vitoni Richardus*) pecuniam non parvam a comite Rutenensi, concessa loco vadii abbatia S. Amantii, quæ erat juris ecclesiæ S. Petri, quam omnino pauperibus partitus est. Verum comes, data pecunia, et abbatiam sibi usurpavit cum redditibus et fundis, et, ut asserunt habitatores Ruthenæ urbis, antequam pecunia recepta fuisset ex ejusdem abbatiæ fundis, ipse morte præventus est, et sic abbatia a successoribus ejus retenta est, quamquam ab inhabitantibus non tota S. Amantii abbatia, quæ latissima est, et possessionis enormis, juris ecclesiæ Virdunensis esse dicatur, sed pars quædam, videlicet abbatia sancti Marii de Utra... bra, ut moderni testantur etiam nunc.

anno 1286 *in prioratum commutata jam erat. Sanctus suo exemplo,*

50 *Hactenus Virdunensis chronographus; cujus etiam verbis, loco proxime cit. productis, Galliæ Christianæ auctæ scriptores col. seq. hæc addunt :* Anno MLXXIX Pontius, Ruthenensis episcopus, subjecit monasterium S. Amantii S. Victoris Massiliensis abbati. Vide in Instrumentis chartam secundam. An. vero MLXXXX datur Rodulpho abbati. *Ita illi, docentes etiam deinde col.* 233, *abbatiam S. Amantii jam anno* 1286 *in prioratum fuisse mutatam. Hanc tandem, quam plures etiam aliæ in Galliis subiere abbatiæ, sortem subiit ditissima amplissimaque, ut verbis proxime recitatis docet Hugo Flaviniacensis, Ruthenensis S. Amantii abbatia, quam summa cura Sanctus noster olim fuerat complexus, communicatis etiam, ut Bertharius verbis supra huc transcriptis indicat, cum religiosis ejusdem incolis SS. Vitoni, Agerici et Pauli, decessorum suorum, qui quondam Virdunensem ecclesiam eximia vitæ sanctitate illustrarant, miraculis ac gestis. Sed hæc jam de S. Amantii abbatia disseruisse sufficiat. Ad aliam modo, de qua jam antea adhuc actum, abbatiam, Virdunense scilicet SS. Petri et Vitoni monasterium, quod singulari pariter cura* S. Magdalveus *fuit complexus, sermonem iterum converto. Tanto in id Sanctus ferebatur affectu, ut illius regimen, quod ex dictis nondum episcopus gesserat, sibi etiam retinuerit, cum jam gravissimo universam moderandi Virdunensem ecclesiam onere esset gravatus.* Ipsam autem, *inquit num.* 13 *Hugo, Sancti biographus,* ecclesiam beati Vitoni, cui ante perceptam Pontificatus gratiam pastor et rector institutus fuerat, tanta semper dilectione excoluit et provexit, ut curam ejus, etiam sumpto episcopatu, non dimitteret; quin potius omni eam conamine, et divinis famulatibus illustrem reddidit, prædiis quoque et ecclesiasticis utensilibus ampliavit, ob prædecessorum suorum ibidem quiescentium beatam memoriam a quibus nec corpore, nec spiritu volebat disjungi, sed in loco requiei eorum optabat consepeliri. Dedit ergo eidem ecclesiæ de suo proprio Raherii curtem cum appendiciis pro tumulatione sui corporis, et alia perplura, ut ostendit chartarum notitia.

et forte etiam hortatu duas obtinet Vitoniano monasterio donationes.

51 *Produnt certe hæc,* S. Magdalveum *eodem semper affectu, quem semel conceperat, in SS. Petri et Vitoni Virdunense monasterium flagrasse. Recenset deinde Hugo, Sancti biographus, duas donationes, eidem monasterio a binis, pietate præstantibus viris, factas, in quibus Sanctus noster, utpote quas, ut apparet, vel apertis verbis, vel suo verosimiliter benevolentiæ in illud exemplo fieri suasit, partem sane qualemcumque et forte non minimam habuit. Verba, quibus posteriorem e binis dictis donationibus refert Hugo, huc transcribo, quod commentatione indigeant. Sic habent :* Cujus (*Sarcionis, in S. Vitoni monasterium benefici*) exemplum secutus et beati Patris (*sancti* Magdalvei) amore ductus Grimbertus possessor et ipse fundi ipsius et hæreditarii juris particeps, quidquid in eodem loco possidebat, basilicæ sancti Vitoni condonavit in mansis, campis, oleis, pratis, pascuis, concisis, silvis, aquis, aquarumque exitibus et decursibus. Qui exinde postmodum, precaria facta, res ipsas a beato Viro jure beneficiaro recepit, denominato censu viginti librarum olei singulis annis in festivitate sancti Vitoni ad luminaria ecclesiæ ejus, in qua preciosus idem confessor requiescit, præscripto etiam spatio, quo Sanctus ea deberet meliorata recipere. Quod testamentum precariæ beatus Pontifex et abba auctoritate sua firmavit anno tertio regni Carlomanni, qui fuit frater Caroli Magni, die Calendarum Julii anno ab Incarnatione Domini DCCLXX, Indictione VIII.

Vitium in notis chronicis, quibus una ex his signatur,

52 *Jam supra satis monui, Hugonem Flaviniacensem facta instrumentaque, quæ annis Christi destituta invenit, iis æræ Christianæ annis signasse, quos iisdem factis instrumentisque ex aliis, quas exhibebant, notis chronicis competere arbitrabatur, sæpiusque successu parum felici id præstitisse. Quam verum autem id sit, iterum hic liquet ex anno Carolomanni tertio, quem cum anno Christi* 770, *ad Julium usque provecto, verbis proxime recitatis componit. Etenim Carolomannus, Pipini Brevis filius, quo de hic sermo est, ante anni* 768 *Septembrem regnare non incepit, ac proin anno Christi* 770, *ad Julium dumtaxat provecto, tertius regni ejus annus, utpote qui mense Septembri anni* 770 *tantummodo incepit, nondum erat in cursu. Porro, cum Hugo, ut sæpissime alibi, etiam hic in assignanda temporum ratione hallucinetur, dubitari non immerito potest, an donatio, qua de hic agimus, diu ante annum* 770, *cui*

A *a scriptore illo innectitur, sub Carolomanno, Caroli Martelli filio, Austrasiæ majore-domus, ex quo Hugo Carolomannum regem, Caroli Magni fratrem, perperam hic faciat, non evenerit, ac proin ex illa, utut Sancto nostro adnitente facta, serius hunc, quam anno, contra ac infra statuimus, 762 diem clausisse extremum, concludi non potest. Hoc est, quod quantum ad chronologiam in recitata Hugonis verba erat notandum. Aliud in eadem præterea observo. Dicit iis Hugo, Grimbertum a* S. Magdalveo *eas ipsas res, quas prius ecclesiæ seu monasterio SS. Petri et Vitoni tradiderat, beneficiario jure, facta precaria, accepisse.*

et quid sit contractus precariæ, declaratur.

33 *Ut itaque, quid hic significatum velit Hugo, intelligatur, hæc annoto :* Precaria, *ut Cangius in Glossario ad hanc vocem docet,* est libellus seu charta, qua quis alodium vel prædium ab ecclesia sub annuo censu ad vitam utendum accipit, illud precario possessurus. *Porro precariæ seu contractus, qui vocabatur* Precaria, *diversas species seu modos ad dictam vocem in Glossario assignat laudatus Cangius. Unum hos inter ita exponit :* Interdum per precarias quis res proprietatis suæ ecclesiæ tradebat, easque postmodum sibi dari postulabat, sese annuo censui astringens. *Contractus precariæ, quem Grimbertum inter et* Magdalveum *intercessisse*

B *refert Hugo, eo modo, quem jam dedi, fuit initus, ea tamen adjecta conditione, ut Grimbertus res, quas antea ecclesiæ SS. Petri et Vitoni dederat, quasque ab hac contractu precariæ accepiebat, præstituto per eumdem contractum tempore præmemoratæ ecclesiæ meliori statui redditas restitueret. Porro eodem fere modo initus verosimillime fuerit contractus, quem verbis num.* 6, *iterumque num.* 42 *recitatis memorat Bertharius. Quisque, quantum opinor, veritati hæc existimabit consona, si modo Hugonis verba proxime huc transcripta itemque, quæ Bertharius locis mox dictis suppeditat, attento animo expenderit. Atque hæc sunt, quæ notanda ratus sum in verba, quibus Hugo alteram e binis donationibus, Virdunensi SS. Petri et Vitoni ecclesiæ factam, exponit. Nec quidquam invento præterea, quod hic commemorandum sit circa curam, qua Sanctus jam Verodunensium antistes tam monasterii S. Vitoni quam gregis sibi commissi commoda promovit eo tempore, quod inter suam ad cathedram Virdunensem promotionem, et consilium itineris, quod deinde Hierosolymam versus suscepit, intercessit medium.*

§ V. Sanctus Hierosolymam petere statuit; adjuncta aliquot iter hoc prægressa.

C *Sanctus Hierosolymam petere statuit. Consilio huic*

Sanctus, compositis jam melioremque etiam ad statum adductis diœcesis suæ rebus, invisendi loca Hierosolymorum sacra, ipsismet sanctissimi Servatoris ac Redemptoris nostri pedibus sanctificata, desiderium animo concepit, reque etiam ipsa sanctam civitatem invisit. Testatur id num. 27 *Hugo, Sancti biographus; hac autem in re sibi prælucentem habuit Bertharium, Virodunensium antistitum historicum, sæpissime jam laudatum. Verum binos inter hos scriptores, utut ambo Sanctum Hierosolymam petiisse, memoriæ prodant, in hujus tamen itineris causa seu occasione convenire, non videtur. Etenim Bertharius (adi num.* 7) *ita rem exponit :* Cujus (*sancti* Magdalvei) etiam tempore domus istius (*cathedralis Virdunensis*) ecclesiæ, peccatis exigentibus, fuit succensa, et ob hoc per Galliam et Italiam, et sic per Græciam et Joppen cum magna viarum angustia Hierosolymam pervenit, et a patriarcha ipsius loci multorum Sanctorum reliquias obtinuit, et eas cum calice crystallino, opere mirifico sculpto, Virdunum apportavit, et in principali ecclesia nostra venerabiliter eas collocavit; *his autem verbis indicare videtur, infortunatum incendium, quo cathedralis Virdunensis ecclesia fuit absumpta, causam seu saltem occasionem exstitisse, qua factum sit, ut Sanctus Hierosolymam iter susceperit.*

AUCTORE C. B.

occasionem ex parte dedisse videtur ecclesiæ cathedralis incendium.

33 *Verum Hugo Flaviniacensis num.* 20 *in hanc scribit sententiam :* Dum igitur (*sanctus* Magdalveus) multiplici virtutum flagraret desiderio, incidit ei cogitatio ad sepulchrum vitæ Principis Hierosolymam pergere peregrinando. Festinavit itaque implere voluntaria exhibitione, quod mente concepit divina inspiratione, dumque in administratione itineris necessaria quæque prævidentur, principalis ecclesia, peccatis exigentibus, igne apprehenditur ac, sæviente incendio, succenditur. *His autem verbis apertissime docemur, cathedralem Virodunensium ecclesiam non prius, quam cum jam itineris Hierosolymitani consilium a Sancto fuisset initum, incendio fuisse absumptam, ac proin hoc, cur Sanctus Hierosolymam petierit, occasionem seu causam non fuisse. Pugnare ergo hic videtur Hugo cum Berthario. Verum hujusne hic, an Hugonis narratione standum est? Erit sane, quantum opinor, non nemo, qui Hugoni ea in re propensius assentiatur. Quis enim, inquiet, Sanctum ex ecclesiæ suæ cathedralis incendio ad iter Hierosolymitanum fuisse excitum, in animum inducat? Quis eum infausto hujusmodi casu Veroduni, ut exustam reædificari curaret ecclesiam, retinendum non potius fuisse, existimet. Verum, utut hæc habeant, Berthario nihilominus ita assentior, ut Sanctum partim saltem incendio, quo cathedralis Virdunensis ecclesia* E *arserat, impulsum fuisse rear ad Hierosolymitanum iter, in quod jam antea propendebat ex singulari, quo tenebatur, desiderio visendi sancta, loca, quæ quondam sanctissimis Servatoris nostri pedibus calcata, sacratissimoque ejus sanguine ac sudore fuerant respersa. Ea scilicet olim invaluerat consuetudo, ut cum ecclesia vel nova a fundamentis exstruenda, vel antiqua seu collapsa, esset reædificanda, sacras, undecumque et quascumque possent, reliquias, in hanc inferendas, omni studio ac labore conquirerent. Hinc, quidquid etiam opponi queat, vero mihi absimile non videtur,* S. Magdalveum, *sacrarum reliquiarum, quas in novam exstruendam Virdunensem cathedralem ecclesiam inferret, percupidum, partim saltem ex laudabili hac ævoque suo accommodata cupiditate Hierosolymam petiisse.*

Sanctus ante discessum cuncta ei reædificandæ necessaria paravit;

36 *Utut sit, Sanctus equidem plures sacras, quas ab Hierosolymitano patriarcha obtinuit. Hierosolyma in Galliam secum advexit reliquias, easque in cathedralem, cum jam hæc reædificata esset, Virodunensem ecclesiam intulit. Id ex Bertharii verbis proxime recitatis liquet, pluribusque dicetur, cum de Sancti ex urbe Hierosolymitana reditu infra faciam sermonem. Ut res ad* Magdalveum *spectantes ordine exponam, de aliis adhuc adjunctis, quæ iter ejus Hierosolymitanum prægressa narrantur, ante omnia* F *tractandum nunc est. Dubitandum non est, quin Sanctus, antequam iter adeo longinquum periculosumque susciperet, omnia omnino, quæ tum ad illud, tum ad novæ ecclesiæ structuram necessaria utiliaque arbitrabatur, diligentissime curarit, tuncque demtaxat discesserit, cum omnia etiam, quæ ad episcopatum, ipso absente, apte ordinateque administrandum conducerent, ipsos edocuisset, quos sui interim vicarios constituebat.* Tunc (*combusta nimirum cathedrali Virodunensi ecclesia*) mens Madelvei, *inquit Hugo, Sancti biographus, num.* 20, in diversa rapitur, spiritus anxiatur, corque turbatur. Tandem in se reversus, illiusque memor proverbii : Non est magnus magnum putans, quod ruunt ligna et lapides, et moriuntur mortales : temporale damnum patienter tulit, ac statim in meliorem statum reparare fabricam jussit. Conventione porro facta cum artificibus, deputatisque custodibus, et, ordinatis necessariis sumptibus, suadet, precatur, imperatque, opus inchoare maturius, accelerare attentius, explere diligentius : *ac, paucis deinde interpositis, ita subdit :* Eorum denique (*episcoporum scilicet vicinorum*) consilio ordinatur (*Verodunensis*) ecclesia, commendatur plebs commissa.

37 *Ita Hugo, quæ Sanctus, ut combusta Virdunensis ecclesia reædificaretur, simulque episcopatus, sese*

AUCTORE C. B. *ad id tamen nec ab Hildulpho, Trevirensi,*

sese absente, apte gubernaretur, provide curarit, dumtaxat fere generatim exponens. Verum Wasseburgius, postquam eadem fere omnia, quæ verbis jam proxime recitatis Hugo, in litteras misit, ita quantum ad substantiam lib. II *Antiquitatum sæpius jam cit., fol.* 131 *vers. prosequitur. At vero, cum magna opus esset ad id (novæ scilicet ecclesiæ structuram iterque Hierosolymitanum) pecuniæ summa, ad archiepiscopum Trevirensem, metropolitam suum, vicinosque episcopos, Metensem scilicet, Remensem et Tullensem, a quibus ecclesiæ suæ reædificandæ magnam obtinuit pecuniæ vim, Sanctus confugit. Hildulphus, ut ait, tunc erat Trevirensis archiepiscopus, e nobili Galliæ Belgicæ stemmate Tornaci, Nerviorum civitate, oriundus, atque ad metropoliticam illam sedem promotus invitus. Quod vero etiam ad Metensem, Remensem et Tullensem ecclesias, quarum episcopos in Sanctum quoque fuisse munificos affirmat, jam spectat, priorem S. Chrodegandus, secundam Abel, ac tertiam denique Jacob moderabatur. Hæc Wasseburgius : verum e quatuor jam memoratis episcopis, quos largas* S. Magdalveo *eleemosynas in novæ cathedralis ecclesiæ structuram contulisse refert, omni dubio procul id Hildulphus, Trevirensium archiepiscopus, non fecit. Hic enim insigni sanctitatis fama illustris præsul, non anno*

B *(adi Henschenium in Diatriba de tribus Dagobertis lib.* IV, § 5, *Mabillonium in Annal. Bened. lib.* XV, *num.* 58, *et Operis nostri tom. III Julii in S. Hildulpho)* 738 *circiter, ut nonnullis olim perperam est visum, sed anno circiter* 666 *ad Trevirensem cathedram fuit evectus; hac autem anno* 671 *abdicata, in solitudinem montis Vosagi secessit, ibique felici e vivis transitu anno sequentis sæculi septimo evolavit ad Superos; ut sane cathedrali Virdunensi ecclesiæ reædificandæ, quæ sub* S. Magdalveo *ac proin serius quam anno* 707, *prout ex jam dictis et porro dicendis facile colliges, incendio fuit absumpta, ingentem pecuniæ vim in eleemosynam Sancto nostro conferre nequierit.*

nec, ut apparet, ab Abele, Remensi archiepiscopo, binisque hic memoratis

38 *Quod jam ad tres alios supra memoratos episcopos, Abelem scilicet Remensem, Jacobum Tullensem et Chrodegandum Metensem, pertinet, nihil quidem suppetit, ut nullum ex his Sancto nostro, quo exustam reædificaret cathedralem suam ecclesiam, succurrisse eleemosyna, indubitanter asseverem; attamen an ullus ex his re etiam ipsa id fecerit, dubium mihi vel idcirco apparet, quod solum, qui rem narret, habeamus Wasseburgium, hicque scriptor, utpote recentior, hocque ipso loco S. Hildulphum eleemosyna in Sanctum nostrum perperam faciens beneficum, fidem certam absque idoneo antiquitatis testimonio haud mereatur. Atque hinc*

C *quidem, tum an S. Abel, Remensis archiepiscopus, tum etiam an S. Chrodegandus Metensis et S. Jacobus Tullensis episcopus Sancto nostro eleemosynam contulerit, dubium efficitur. At vero sunt etiam, quæ dubium illud nominatim circa Abelem, Remensem archiepiscopum, non parum augent. Ac primo quidem, sancti hujus archiepiscopi in ecclesiam Virdunensem liberalitatem sese ex ecclesiæ Virdunensis Chartulariis hausisse, Wasseburgius lib.* II *Galliæ Belgicæ Antiquitatum, fol.* 132 *vers. diserte affirmat. Quam ob rem, cum ex dictis illa ecclesiæ Virdunensis monumenta sequioris sint ætatis ac fidei, nequit ex his pia S. Abelis in Sanctum nostrum munificentia ita haberi certa, quin revocari merito possit in dubium.*

episcopis ingenti pecuniæ summa fuit adjutus.

39 *Adhæc S. Abel anno circiter* 744, *ut plerisque videtur, ad archiepiscopatum Remensem fuit evectus, nec eum, ut apparet, diutius occupavit, quam ad annum usque* 748; *ita quippe ex iis, quæ in Opere nostro ad* 3 *Augusti diem in S. Abele disputata sunt, probabilius videtur. Jam vero, cum id ita sit, simulque S. Abelem tunc, cum adhuc sedem Remensem occuparet, Sancto nostro non parvam pecuniæ vim reædificandæ Virdunensi ecclesiæ contulisse in eleemosynam, velle videatur Wasseburgius, nequit hoc consistere cum aliis scriptoris hujus assertis, ex quibus, prout ex dicendis pronum erit colligere, omnino fit consequens, ut Verodunensis* D *ecclesia* S. Magdalvei *tempore non citius, quam anno circiter* 756 *fuerit combusta. Accedit, temporis spatio, inter annum* 744 *et* 748 *medio, quo forte et verosimillime non alio, Remensem cathedram tenuit S. Abel, afflicta adeo in rebus temporalibus (adi iterum Opus nostrum loco proxime cit.) conditione ecclesiam illam fuisse, ut ejusdem antistes magis esset ad accipiendam eleemosynam, quam ad dandam comparatus. Sed fac,* S. Magdalveo *eleemosynam, qua de hic agimus, ab Abele non fuisse collatam, nisi cum hic cedere Remensi cathedra jam fuisset compulsus, Abeli etiam tunc eas, quibus id faceret, facultates defuisse, quis non verosimilius putet? Itaque, re mature discussa, Sancto nostro Abelem, ingenti in eleemosynam collata pecuniæ summa, reædificandæ Virdunensi ecclesiæ suppetias tulisse, parum mihi probabile apparet. Verum, etsi id ita se habeat, Sanctusque ex dictis nihil forte etiam pecuniarum a Chrodegrando, Metensi episcopo, et Jacobo Tullensi, quibus tamen ad id divitiarum affatim fuisse videtur, ecclesiæ Virdunensi acceperit, huic equidem reædificandæ necessaria, sive aliunde, sive ex propriis episcopatus sui facultatibus accepta, omni studio ac diligentia comparavit. Hoc autem facto, datoque mandato, ut novi ædificii structuræ, sese absente, admoverentur manus, itineri, petiturus Hierosolymam, quo jam* E *votis anhelabat, sese commisit.*

§ VI. Hierosolymitanam peregrinationem conficit, locaque sancta invisit.

Magdalveus, Orientale imperium Constantino Copronymo,

Hierosolymam *peregrinatum fuisse* S. Magdalveum, *Bertharius verbis num.* 7 *et alibi jam adhuc recitatis brevissime ita declarat :* Per Galliam et Italiam et sic per Græciam et Joppen cum magna viarum angustia Hierosolymam pervenit, et a patriarcha ipsius loci multorum Sanctorum reliquias obtinuit. *Verum Hugo, Sancti biographus, et Wasseburgius præcipuas etiam, per quas* Magdalveus *transierit, civitates, hasque inter Romam et Constantinopolim, recensent. Adhæc quis tunc Romæ S. Petri cathedram, quis Constantinopoli Orientalis imperii habenas tenuerit, etiam exponunt. Verum hic binos inter illos scriptores minime convenit. Etenim secundum Hugonem Hadrianus, secundum Wasseburgium autem Paulus supremam Ecclesiæ universæ sedem, cum Romam* S. Magdalveus *venit, occupabat. Adhæc secundum posteriorem scriptorem Constantinus Copronymus, secundum priorem autem Constantinus Leonis IV filius, una cum matre Irene, dum Constantinopolim appulit Sanctus noster, Orientale imperium suprema potestate moderabatur. At* F *vero, petet modo non nemo, Wasseburgione hic, an Hugoni potius assentiendum est? Constantinus Copronymus ab anno* 741 *ad annum usque, uti inter eruditos convenit,* 775, *quo obiit, Orientali imperio præfuit; Constantinus autem, Leonis IV filius, cum matre Irene ante annum* 780, *uti inter eruditos pariter convenit, moderari non incepit Orientis imperium. Quam ob rem, cum* S. Magdalveus *omni dubio procul ante annum* 780, *utpote tunc ex dicendis jam dudum e vivis sublatus, Hierosolymitanum iter susceperit, perperam sane scribit Hugo, Orientali imperio tunc, cum Sanctus, iter illud conficiens, Constantinopolim venit, cum matre Irene præfuisse Constantinum, Leonis IV filium. Contra vero, cum Sanctus, uti ex jam dictis et porro dicendis pronum est colligere, illo temporis spatio, quod inter annum* 741 *et annum* 775 *effluxit medium, iter Hierosolymitanum confecerit, recte utique asserit Wasseburgius, Constantinum Copronymum, utpote qui ex dictis ab anno* 741 *ad annum usque* 775 *regnarit, Orientali imperio tunc, cum iter illud obiens Constantinopolim venit* Magdalveus, *suprema potestate præfuisse.*

universam vero Ecclesiam moderante Paulo, Hiero-

61 *Atque ita quidem jam habemus, imperatorem, qui tunc, cum Constantinopoli Hierosolymam petiit Sanctus noster, Orientale imperium moderatus est, recte assignari a Wasseburgio, proximum est, ut*

nunc

AUCTORE C. B.

A nunc discutiam, hicne etiam scriptor, an potius
solymam peregrinatus est. Hugo recte assignet Pontificem, qui tunc, cum S. Magdalveus Roma Hierosolymam petiit, Romanam S. Petri cathedram occupavit. Paulus Papa, sub quo secundum Wasseburgium Sanctus Roma Hierosolymam petierit, ab anno 757, Hadrianus vero Papa, sub quo id secundum Hugonem Flaviniacensem acciderit, ab anno 772 sedere incepit. Quam ob rem, cum Sanctus ex dicendis probabilius anno 762, non autem, ut notat Hugo Flaviniacensis, anno 776, vitam cum morte commutarit, probabilius etiam Paulus, a Wasseburgio assignatus, non autem Hadrianus, ab Hugone propositus, Romanam S. Petri cathedram tunc, cum Sanctus Roma Hierosolymam peregrinatus est, occuparit. Neque est, quod opponas, Sanctum forte citius, quam anno 757 Hierosolymam esse peregrinatum, ac proin id neque sub Paulo, neque sub Hadriano Pontifice evenisse. Cum enim Hugo, qui Sancti obitum cum anno 776 componit, Hierosolymitanam ejus peregrinationem ex dictis non ante annum 772, Wasseburgius autem non ante annum 757 eamdem peregrinationem collocet, hanc equidem ambo illi scriptores in extremam Sancti ætatem unanimiter differunt. Et sane recte hoc ab illis fieri, verosimile apparet vel ex eo, quod Sanctus Hierosolymam, nisi jam compositis pacatisque episcopatus sui rebus, peregrinatus non sit.

B Cum enim ex dictis probabilius ante annum 742 S. Magdalveus *haud acceperit episcopi munere moderandam Virodunensem ecclesiam, hujusque tum res, ut num. 39 docui, perturbato admodum ac lugubri in statu invenerit, non mediocri verosimiliter, ut eas componeret, pristinoque tranquillitatis statui restitueret, temporis spatio eguerit. Quam ob rem, cum Sanctus etiam verosimillime non statim atque ecclesiæ suæ res essent compositæ, sed tantum aliquamdiu post Hierosolymam, peregrinatione suscepta, petierit, vel ex eo sane, quod* Magdalveus *itineri illi, nisi jam compositis ecclesiæ suæ rebus, sese non accinxerit, verosimile evadit, non fecisse hoc illum, nisi cum jam ad extremam fere ætatem esset provectus, annusque circiter 757 ageretur. Verum alia hic sese offert difficultas.*

Hujus urbis sedem tunc, non, ut ea, 62 *Etenim Hugo et Wasseburgius, de Sancto, jam Hierosolymam advecto, facientes sermonem, aiunt, eum a loci patriarcha honorifice admodum fuisse exceptum. Ac prior quidem e binis illis scriptoribus hunc patriarcham nominat Eusebium; posterior vero, etiamsi tunc ex nonnullorum opinione in Hierosolymitana cathedra patriarcham sedisse Eusebium, fateatur, hanc tamen, cum Hierosolymam* S. Magdalveus *advenit, patriarcham, nomine* Basilium, *occupasse, contendit. At vero Papebrochius*

C *noster in Chronologica Patriarcharum Hierosolytanorum Historia, tom. III Maji præfixa, num. 167 et seq. in eam opinionem propendet, ut Eusebium Patriarcham, ab Hugone Flaviniacensi et Wasseburgio memoratum, ab anno 735 ad annum usque 742 in Hierosolymitana cathedra sedisse, existimet. Verba ejus huc transcribo. Sic habent:* Sed neque Joanni (*sexagesimo secundo Hierosolymitanorum patriarchæ*) sub annum DCCXXXV mortuo, immediate potuit successisse Theodorus. Extat enim illius synodica epistola de sua fide et electione, probata in actione III synodi II Nicænæ, prout directa fuit ad patriarchas alios Orientales duos, Cosmam Alexandrinum et Theodorum Antiochenum, qui non nisi circa annum DCCXLII ordinationem suam ipsimet acceperunt. Huic ergo annorum VI aut VII hiatui supplendo Eusebium quemdam nobis offert Vita S. Madalvæi, Virdunensis episcopi, qui colitur die IV Octobris, quemque ab anno DCCXXXV ad DCCLXII cathedram illam tenuisse, satis evidenter demonstrat Richardus Wassenburgius lib. 2 Antiquitatum Galliæ Belgicæ; quantumcumque alii aliter senserint, quia ex Vita ipsa, non valde accurate nec a coævo scripta, nihil certi elici quoad tempus potest.

63 *Hæc Papebrochius; mox autem etiam subdit, quibus innuit, Eusebium, quem verbis proxime recitatis memorat, in patriarchali S. Jacobi, fratris Domini, throno tunc sedisse, cum Hierosolymam, peregrinatione ad sanctam hanc civitatem suscepta, Sanctus noster pervenit. Quam ob rem, cum ex dictis in opinionem, qua Eusebium ab anno 735 usque ad annum circiter 742 Hierosolymitanam sedem occupasse autumat, verbis proxime recitatis Papebrochius etiam propendeat, fuerit ex mente ejus* S. Magdalveus *eo temporis spatio, quod ab anno 735 usque ad annum circiter 742 est elapsum, Hierosolymam peregrinatus, contra ac supra nobis est visum. Cum porro, ne tam cito Hierosolymitana Sancti nostri statuatur peregrinatio, obstet Wasseburgius, in præfata Historica patriarcharum Hierosolymitanorum Chronologia num. 168 idem Papebrochius noster in hæc verba prosequitur :* Prædictus quidem Wassenburgius iter istud (*Hierosolymitanum* (S. Madalvæi usque ad extremam fere senectutem ejus annumque circiter DCCLVII differt; sed nulla, cur id faciat, ratione allata. *Ita ille. Verum, quamquam Wasseburgius nullam, cur Hierosolymitanum* S. Magdalvei *iter usque ad extremam fere ejus senectutem differat, rationem adducat in medium, ei tamen ob ea, quæ num. 61 dicta sunt, refragandum non videtur. Adhæc Sanctus, ut § 3 ostendi, probabilius non ante annum 742 ad Virdunensem sedem fuit promotus. Quam ob rem cum non prius Hierosolymam, quam cum jam esset* E *episcopus, fuerit peregrinatus, probabilius etiam id non ante dictum annum 742 fecerit, ac proin non eo temporis spatio, quod ab anno 735 ad annum usque 742 excurrit.*

quæ Papebrochio præplacuit, fert opinio,

patriarcha Eusebius, 64 *Ait quidem Papebrochius verbis num. 62 recitatis, a Wasseburgio lib. II Antiquitatum Galliæ Belgicæ satis evidenter demonstrari,* S. Magdalveum *ab anno 735 ad annum 762 Virodunensem cathedram tenuisse; verum, cum Sancti Vitam, in qua id demonstrari ait a Wasseburgio,* non valde accurate nec a coævo scriptam, *mox fateatur, illa sane Wasseburgii demonstratione rem plane evinci, non existimarit. Utut sit, equidem Henschenio nostro, utpote qui tom. IV Junii in S. Jacobo, Tullensi episcopo, pag. 384 suscepti a sancto nostro Virodunensis episcopatus initium ab anno 735 longe sejungit, ita quantum ad annum, cui* S. Magdalvei *ad episcopales infulas promotionem innectit Wasseburgius, non est visum. Et vero rationibus, ab hoc scriptore adductis, minime evinci, Sanctum jam ab anno 735 ad Virodunensem sedem fuisse evectum, ex iis, quæ num. 30 et seqq. dicta sunt, quisque, quantum opinor, sine tergiversatione concludet. Maneat itaque, Sanctum nostrum probabilius non ante annum 742, ut § 3 ostendi, creatum esse Virodunensem episcopum, ac proin etiam non ante eumdem annum, cum jam Hierosolymorum patriarcha non amplius* F *esset Eusebius, Hierosolymam esse peregrinatum; quod postremum sane citius, dato etiam,* Magdalveum *jam ab anno 735 Virodunensium fuisse antistitem, verosimiliter factum vel idcirco adhuc haud fuerit, quod Sanctus, ut Hugo et Wasseburgius testantur, ratioque ipsa suadet, iter Hierosolymitanum non prius susceperit, quam cum jam episcopatus sui res essent compositæ, pacificoque loco constitutæ; hæ autem ab anno 735 usque ad annum 742, Carolo Martello in vivis adhuc superstite, tali in statu verosimillime non fuerint, uti ex iis, quæ § 3 disserui, pronum est colligere.*

Eusebius, Tullensis episcopus, pag. 384 suscepti a sancto nostro Virodunensis episcopatus initium ab anno 735 longe sejungit, ita quantum ad annum, cui S. Magdalvei *ad episcopales infulas promotionem innectit Wasseburgius, non est visum. Et vero rationibus, ab hoc scriptore adductis, minime evinci, Sanctum jam ab anno 735 ad Virodunensem sedem fuisse evectum, ex iis, quæ num. 30 et seqq. dicta sunt, quisque, quantum opinor, sine tergiversatione concludet. Maneat itaque, Sanctum nostrum probabilius non ante annum 742, ut § 3 ostendi, creatum esse Virodunensem episcopum, ac proin etiam non ante eumdem annum, cum jam Hierosolymorum patriarcha non amplius esset Eusebius, Hierosolymam esse peregrinatum; quod postremum sane citius, dato etiam,* Magdalveum *jam ab anno 735 Virodunensium fuisse antistitem, verosimiliter factum vel idcirco adhuc haud fuerit, quod Sanctus, ut Hugo et Wasseburgius testantur, ratioque ipsa suadet, iter Hierosolymitanum non prius susceperit, quam cum jam episcopatus sui res essent compositæ, pacificoque loco constitutæ; hæ autem ab anno 735 usque ad annum 742, Carolo Martello in vivis adhuc superstite, tali in statu verosimillime non fuerint, uti ex iis, quæ § 3 disserui, pronum est colligere.*

sed Theodorus verosimiliter occupabat. 65 *At vero, inquiet modo non nemo, cum Sanctus ex jam disputatis verosimillime equidem non ante annum 742 Hierosolymam fuerit peregrinatus, ac proin tunc, cum eo advenit, in patriarchali sanctæ civitatis throno non sederit Eusebius, a Papebrochio supra memoratus, quis tandem patriarcha, cum Hierosolymam advenit* Magdalveus, *thronum illum occupavit? An forte Basilius, ut in Sancti Vita, a se concinnata, lib. II Antiquitatum fol. 133 vult Wasseburgius? Theodorus, patriarcha Hierosolymitanus, anno circiter 742, ut Papebrochius in Patriarchis Hierosolymitanis docet, ordinationem suam accepit, sanctæque Civitatis thronum anno circiter 767*

AUCTORE C. B.

adhuc occupabat, uti liquet ex synodicis, quas ad Paulum I, Romanum Pontificem, scripsit, fidei litteris, hoc anno (adi Pagium in Criticis ad annum 767, num. 5) a Constantino, pseudo-Pontifice, qui post Pauli obitum Romanam sedem invaserat, Hierosolyma acceptis. Quam ob rem, cum ex dictis S. Magdalveus *probabilius ante annum 742 non fuerit Virodunensium antistes, certeque ante annum 762 vita functus non sit, verosimillimum sane apparet, Hierosolymitanæ ecclesiæ clavum tunc, cum Hierosolymam venit Sanctus noster, tenuisse mox memoratum Theodorum.*

Nec propterea tamen opinio, qua vel inter Joannem et Theodorum,

66 *Ita mihi omnino ob omnia jam dicta statuendum videtur; quamquam autem sic, uti hinc atque etiam ex aliis hic jam statutis sequitur, Hierolymitanam Sancti peregrinationem, contra ac facit Papebrochius noster, nec cum temporis spatio, quod ab anno 735 usque ad annum 742 excurrit, conjungam, nec etiam sub patriarcha Eusebio ponam, non propterea tamen certo rejiciendam puto opinionem, quæ eidem Papebrochio, ut verba ejus supra recitata indicant, etiam placuit, quæque Eusebium, seu etiam vel hunc vel Basilium, a Wasseburgio propositum, inter Joannem et Theodorum, patriarchas Hierosolymitanos, ab anno 735 usque ad 742 sedisse statuit. Cum enim Hierosolymis, dum eo peregrinatus est* Magdalveus, *patriarchalem sedem occupasse Eusebium, Hugo, Sancti biographus, prodat, hinc saltem mihi, utut a vero hic verosimillime aberret Hugo, suspicio oritur, Eusebium quempiam sæculo* VIII, *sive ante, sive post Sancti nostri iter Hierosolymitanum, patriarchali Hierosolymorum ecclesiæ præfuisse. Idem de Basilio, quem tunc, cum Hierosolymam venit* Magdalveus, *patriarcham Hierosolymitanum statuit Wasseburgius, esto judicium. Sic, quamquam quidem a Wasseburgio S. Hildulphus, Trevirensis archiepiscopus, veluti in Sanctum nostrum anno circiter 737 pie munificus, perperam ex dictis producatur, ille tamen sanctus Trevirensium archiepiscopus sæculo* VIII, *utpote non ante ann. 707 vita functus, in vivis adhuc erat superstes.*

vel hunc inter et Eliam Eusebius medius statuitur

67 *Item, quamquam quidem ab Hugone Orientali imperio tunc, cum Constantinopoli Hierosolymam petiit* Magdalveus, *Constantinus cum matre Irene præfuisse, perperam ex dictis asseratur, Constantinus tamen cum matre Irene anno 780 imperii Orientalis habenas capessivit. Didicerint scilicet ex scriptoribus monumentisve antiquioribus Hugo et Wasseburgius res factas; annos vero, quibus hæ factæ essent, ignorarint, aut certe non sat habuerint compertos. Quam ob rem, quamquam quidem Hugo Eusebium et Wasseburgius Basilium Hierosolymis tunc, cum eo peregrinatus est Sanctus noster, patriarchalem occupasse cathedram, perperam memoriæ prodant, tam Basilium tamen quam Eusebium sæc.* VIII *Hierosolymitanam cathedram occupasse, vero non puto absimile. Hinc porro jam fit, ut, cum equidem tempus, quo vel Eusebius vel Basilius in sede Hierosolymitana sederit, appareat ex dictis incertum, certo rejicienda non sit opinio, qua Papebrochius noster, ut medium inter Joannem, patriarcham Hierosolymitanum, anno 735 vita functum, et Theodorum, patriarcham item Hierosolymitanum, anno 742 ad hanc dignitatem evectum, hiatum suppleat, Eusebium vel Basilium ab anno 735 ad annum 742 Hierosolymitanam sedem occupasse, existimavit aut saltem dubitantis modo statuit. Adhæc, cum forte etiam inter Theodorum, patriarcham Hierosolymitanum, et Eliam, patriarcham item Hierosolymitanum, alius insuper patriarcha intercesserit medius, certo pariter refragandum non videtur Papebrochio, in Patriarchis Hierosolymitanis num. 170 ita scribenti :* Manet interim, quod Hierosolymitanus Theodorus ordinatus fuerit saltem DCCXLII. Quando autem obierit, non æque facile est definire; sicuti nec dicere, utrum, qui tempore synodi Nicænæ II vivebat, Elias princeps pastorum Æliæ, sicuti nominatur in Vita S. Tarasii, mediate vel immediate successerit Theodoro.

68 Quare hic etiam locus esset Eusebio, si hunc sedisse post Theodorum constaret, pro anno DCCLXXI, sicut vult Hugo Flaviniacensis; et ante eumdem Theodorum dari posset locus Basilio Wassenburgii, si de eo etiam certius aliquid haberetur. *Hæc, quæ forte etiam vera sunt, non asseverantis, sed dubitantis, tantum seu suspicantis in modum, et recte quidem, Papebrochius. Attamen tam ex hoc capite, quam ex eo, quod in opinionem, quæ Eusebium ab anno 735 usque ad annum 742 sedem Hierosolymitanam tenuisse statuit, quæque sane veluti certo falsa rejicienda non est, verbis supra huc transscriptis propendeat, a Pagio in Criticis ad ann. 767, num. 7 hunc convenitur in modum :* Papebrochius... in Hist. Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum, quam tom. III SS. mensis Maii præfixit, secutus Richardum Wassenburgium lib. 2 Antiquit. Galliæ Belgicæ existimat, Joannem inter et Theodorum (*patriarchas scilicet Hierosolymitanos, de quibus supra*) sedisse Eusebium, et Theodorum ad thronum Hierosolymitanum circa annum septingentesimum quadragesimum primum evectum fuisse. Suspicatur etiam Papebrochius, Basilium post Theodorum ecclesiam Hierosolymitanam obtinuisse, Basiliumque Wassenburgius in Vita S. Madalvei Eusebio substituendum contendit. At, cum ex dictis constet, Theodorum Joanni successisse, annoque DCCLXVI et currenti sedem illam adhuc rexisse, manifestum est, Wassemburgium Vitam S. Madalvei potius perturbasse, quam explicasse, et Basilium, quem sine fundamento obtrudit, episcopum fictitium esse. *Ita Pagius, duo hic præcipue contra Papebrochium contendens, primum est, perperam ab eo Wasseburgii seu Wassemburgii exemplo inter Joannem et Theodorum, patriarchas Hierosolymitanos, medium statui Eusebium; alterum est, Basilium, quem Papebrochius forte post Theodorum in Hierosolymitana cathedra sedisse autumat, certissime in sede illa, utpote episcopum dumtaxat fictitium, non sedisse.*

a Papebrochio, pro certo falsa rejicienda est. Hanc enim

rationibus, quas Pagius

69 *Verum enim vero duo illa, quæ hic confidentissime, veluti certissima, pronuntiat Pagius, minime certa atque indubia mihi videntur. Quod enim ad primum pertinet, unde sat certo novit Pagius, in sede Hierosolymitana inter Joannem et Theodorum patriarchas medium non sedisse Eusebium? Verbis num. præced. recitatis hæc præmittit :* Theodorus, patriarcha Hierosolymitanus, qui anno DCCXXXV Joanni successerat, anno incerto mortuus est, et Eusebium successorem habuit. Nam in Vita sancti Madelvei, Virodunensium episcopi, ab Hugone Flaviniacensi in Chronico descripta, legitur, hunc Sanctum sub anno DCCLXX sepulchrum Christi in Hierusalem visitasse, et Eusebium patriarcham eum perhonorifice accepisse, et cum Hierosolymis discessit, calicem chrystallinum, multasque reliquias ei dedisse. Mortuus est autem S. Madalveus anno septingentesimo septuagesimo sexto, IV Nonas Octobris, cujus transitum tot notis ad eum annum Hugo firmavit, ut, si qui in eo characteres reperiantur, qui huic opinioni super obitu Madalvei refragentur, absque ulla hæsitatione corrigendi sint, ut recte scribit Cointius anno DCCLXXVI, num. 33 : quod et de aliis characteribus chronologicis, in quibus is auctor sibi aliquando non constat, etiam asserendum. Quæ enim ad Madalveum spectant, egregie calluit, licet cum sub finem seculi XI Chronicon suum scripserit, in his, quæ ad historiam generalem pertinent, non raro offenderit. *In sede ergo Hierosolymitana inter Joannem et Theodorum patriarchas ideirco ex mente Pagii medius non sedit Eusebius, quod hic non ante, sed dumtaxat post Theodorum sedem illam occuparit.*

sive ex Hugone Flaviniacensi,

70 *Ita Pagius : verum unde vel quomodo probat hic scriptor, Theodoro in Hierosolymitanam cathedram successisse Eusebium? Ex sola nimirum Sancti nostri Vita, ab Hugone Flaviniacensi litteris mandata, in qua* S. Magdalveus, *cum Hierosolymam venit, honorifice fuisse a patriarcha Eusebio exceptus narratur; verum ex hac seu potius ex Hugone, ejus auctore, utpote in errores turpissimos sæpissime*

A *sæpissime prolapso, nihil sat certi definiri potest vel quantum ad tempus, vel quantum ad ordinem, quo Eusebius ad Hierosolymitanam cathedram fuerit evectus. Ait quidem Pagius, ut ab Eusebio, in opinione ejus ante annum* 767 *ad sedem Hierosolymitanam non promoto, Sanctum Hierosolymis fuisse exceptum, fiat credibile, e vivis hunc non citius quam anno* 776 *excessisse, hacque in re Hugoni, utut pluribus erroribus scatenti, standum esse contendit; verum probabilius hic ab Hugone recedendum, infra ostendam, cum de anno, quo Sanctus noster obiit, tractabo. Præterea ait quidem etiam Pagius, ut Hugoni, Eusebium anno circiter* 770 *fuisse patriarcham Hierosolymitanum, innuenti, fidem conciliet, egregie illum calluisse, quæ ad* Madalveum *spectant. Verum an Hugo egregie saltem calluerit, quis tunc, cum Sanctus noster Hierosolymam petiit, patriarchalem civitatis hujus thronum tenuerit, dubitari non immerito potest vel idcirco, quod equidem quis tunc Orientali præfuerit suprema potestate imperio, citra omnem controversiam, uti ex jam supra dictis liquet, penitus ignorarit, imo ei præfuisse Constantinum cum matre Irene manifesto errore scripserit.*

sive aliunde petitas affert,

71 *Quapropter, cum id ita se habeat, quis non ambigat, an pariter, quis tunc, cum Hierosolymam*

B *venit Sanctus noster, in sede Hierosolymitana sederit, Hugo non ignorarit; imo vero an non Eusebium, qui jam diu obiisset, sedem illam tunc occupasse, ex errore notarit? Meliusne forte Hugo patriarcharum Hierosolymitanorum, quam imperatorum Orientalium chronologiam habuerit perspectam? Fundamentum sane, cui hoc possit superstrui, nullum novi. Verum, ne equidem Joannem inter et Theodorum patriarchas locus esse queat Eusebio, addit Pagius, Theodorum Joanni successisse, atque id quidem constare ex iis, quæ jam ante protulit in medium. Fateor, Joanni successit Theodorus. Verum, constatne forsan ex iis, quæ ante dixit Pagius, nullo alio id medio factum esse? Audi verba, quibus ad annum* 749, *num.* 2 *refert, Joanni successisse Theodorum. Sic habent :* In Tabulis... eidem (*Chronographiæ Theophanis*) insertis, ad annum Incarnat. secundum Alex. DCC., qui Kalend. Septemb. anni Christi DCCVII inchoatur, dicitur, Joannem patriarcham Hierosolymorum sedisse annos XXX, annumque illum esse sedis ejus tertium. Quare ecclesiam Hierosolymitanam usque ad annum Christi DCCXXXV aut circiter rexit, post quem nullus ibidem memoratur patriarcha, qui ei successerit, ideoque vel ea ecclesia aliquo tempore sine episcopo fuit, vel ei tempore incerto successit

C Theodorus, qui, ut infra videbimus, anno DCCLXIII Hierosolymorum patriarcha erat. *Sedes ergo Hierosolymitana secundum Pagium vel aliquamdiu post mortem Joannis vacavit, vel tempus, quo ei successor fuerit suffectus, assignari non potest; hinc autem, ui consideranti patebit, minime fit consequens, ut Joanni Theodorus absque alio patriarcha medio in sedem Hierosolymitanam proxime successerit, ac proin ex Pagii dictis, quod ad nostrum institutum sufficit, certo non constat, inter Joannem et Theodorum non intercessisse hiatum, cui idcirco supplendo perperam a Papebrochio assignetur Eusebius aut etiam Basilius.*

a vero indubie alienam esse, is scriptor non probat.

72 *At vero, quod jam ad hunc posteriorem, patriarchis Hierosolymitanis a Papebrochio dubitanter adscriptum pertinet, episcopum hunc esse fictitium, Pagius verbis num.* 68 *recitatis affirmat, hac scilicet ratione ductus, quod Joanni Theodorus successerit, hicque anno* 766 *et seq. sedem Hierosolymitanam adhuc occuparit. Verum hinc non evincitur, quod vult Pagius. Quamquam enim ex eo, quod Joanni successerit Theodorus, hicque sedem Hierosolymitanam anno* 767 *adhuc tenuerit, recte concluseris, Hierosolymorum ecclesiæ tunc, cum ad civitatem illam, utpote quod ex dictis anno circiter* 737 *evenit, Sanctus noster peregrinatus est, patriarcham non præfuisse Basilium, non propterea tamen, quemadmodum jam supra dicta consideranti patebit, fit consequens, ut Basilius ille vel inter Joannem et Theodorum, vel inter hunc et Eliam in sede Hierosolymitana certe non sederit; neque enim, ut jam dictum est, certum habetur, Eusebium proxime Theodoro, huncque iti dem proxime Joanni successisse. Itaque, re attento animo expensa, minime mihi displicet Papebrochii opinio, qui hiatui, quem inter Joannem et Theodorum reperit, supplendo Eusebium vel Basilium assignat, eosdemque deinde iterum* sub gratiosa, *ut loquitur,* restrictione *ac disjunctione proponit, ut locus inter Theodorum et Eliam, qui forte alias sit vacaturus, impleatur. Porro notandum hic etiam est, a vero insuper aberrare Pagium, dum verbis supra huc transcriptis ait, Papebrochium nostrum, dum Joannem inter et Theodorum in Hierosolymitano throno sedisse Eusebium, Theodorumque ad hunc anno circiter* 741 *evectum scribit, Wasseburgii hac in re sequi exemplum. Wasseburgius enim ne Theodori quidem vel Joannis mentionem facit, ut adeo nec tempus, quo ad thronum Hierosolymitanum fuerit evectus Theodorus, nec hunc inter et Joannem sedisse Eusebium, litteris consignet, ac proin ut illud ejus exemplo citra omne dubium Papebrochius haud scripserit.*

AUCTORE C. B.

Magdalveus, Hierosolymam delatus, loca sancta invisit,

73 *Sed hæc pro vindicando Papebrochio, assignandoque patriarcha, qui Hierosolymorum ecclesiæ, cum eo advenit Sanctus, clavum tenuerit, disputasse sufficiat. Dispiciamus modo, quid in illa civitate, quæ tum gemebat, jamque dudum gemuerat sub durissimo Saracenorum jugo, egerit* S. Magdalveus, *sibique a patriarcha loci, Theodoro ex dictis, impetrarit. Bertharius (adi num.* 7) *hæc dumtaxat, quæ huc faciant, pauca verba suppeditat :* Et a patriarcha ipsius loci (*civitatis Hierosolymitanæ*) multorum Sanctorum reliquias obtinuit et eas cum calice crystallino, opere mirifico sculpto, Virdunum apportavit. *Sancto plures quoque Sanctorum reliquias una cum calice crystallino, qui opere mirifico sculptus esset, a patriarcha Hierosolymitano datas fuisse, Hugo etiam, Sancti biographus, a quo nec Wasseburgius dissentit, memoriæ prodit. Verum bini hi scriptores id dumtaxat tunc, cum Sanctus Hierosolymis jamjam esset discessurus, factum indicant; Hugo autem, a quo iterum Wasseburgius non multum hic abludit, num.* 27 *antequam Sancti discessum referat, nonnulla præmittit. Sunt autem præcipue hæc :* Apprehendens post hæc (*sanctus* Magdalveus) Hierosolymam diu desideratam, et jam concupiscenti animo oblatam, introivit in tabernacula ejus, omnem locum sanctum fide et amore frequentans, qui est super omnia, Dominum in eis adorans, sepulchrum Jesu Nazareni crucifixi lacrymarum imbre die quotidie rigans, Christum resurgentem a morte glorificans et adorans.

E F

honorificeque a patriarcha loci excipitur, muneribusque donatus dimittitur.

74 Nuntiatur interea patriarchæ Eusebio, qui tempore illo sanctam gubernabat ecclesiam Sion, Madelvei reverentissimi erga Christum devotio, circa loca sancta diurna frequentatio, jugis pernoctatio, carnis propriæ maceratio. Hic igitur, his auditis, moram pati nesciens in quærendo, inventum amplectitur continuo, miratus in eo vultum angelicum, sermonem modestum, mitem gressum, habitum reverendum. Posthæc introduxit eum in domum matris suæ et in cubiculum genitricis suæ et dedit ei poculum ex vino condito et mustum malorum granatorum. *Hæc Hugo, subdens deinde, patriarcham Hierosolymitanum tanto in Sanctum fuisse amore abreptum, ut de eo Hierosolymis apud se retinendo cogitarit; verum revelatione divina, ne id faceret, monitum, amicissime a se* Magdalveum, *iis, quæ jam dixi, muneribus donatum, dimisisse. Eadem fere etiam memorat Wasseburgius; verum, quod pertinet ad revelationem, qua patriarcha Hierosolymitanus, ut Sanctum a sese dimitteret, divinitus fuerit admonitus, fides stet penes ipsos, hocque ipsum etiam, quantum ad procellosum tempestateque vehementissima turbatum mare, quod Sanctus, sive Hierosolymam proficiscens, sive inde in patriam revertens, miraculo sedarit, locum obtineat. Ea nunc, quæ Sanctus Viroduni, Hierosolymis redux, gesserit, commentari aggredior.*

§ VII.

AUCTORE C. B.

§ VII. Quid Sanctus, Hierosolymis Virodunum redux, præcipue adhuc gesserit.

Sanctus in novam suam ecclesiam,

Quanto omnium plausu ac lætitia Sanctus, Hierosolymis reversus, Viroduni fuerit exceptus, nihil hic attinet dicere. Exponit id num. 31 biographus, mox etiam subdens, ex quibus liquet, nihil mox Sancto tam curæ fuisse, quam ut sacras, quas secum attulerat, reliquias loco congruo ac decenti deponeret, ibidem servandas, donec in primariam basilicam seu cathedralem ecclesiam, quam ex dictis reædificari, Sanctus Hierosolymam discedens, jusserat, possent solemni ritu inferri. Fuisse illam jam tum, cum Sanctus Hierosolymis Virodunum erat reversus, ad apicem perductam, num. 32 indicare videtur Hugo, Sancti biographus. Etenim ibidem in hanc scribit sententiam : Postera die, (a reditu scilicet Magdalvei) lustrata novæ ecclesiæ fabrica, * remunerata laudata artificum industria, renumerata * custodum diligentia, ordinat tempus et diem consecrationi habilem, cunctis religione venerabilem. Quæ ubi illuxit, Præsul cum sacris ordinibus ecclesiastico ritu, omnibus exterius interiusque rite peractis, reliquias Hierosolymitanas in principali absida B locis congruis venerabiliter collocavit. Quæ vero in antiquiori fuere ecclesia, in parte altaris dextera in crypta subterranea decenter composuit. *His autem verbis Sanctum eo ipso die, qui reditum ejus proxime excepit, novam Virodunensem ecclesiam lustrasse, diemque huic consecrandæ aptum præstituisse, apertissime docet Hugo, ac proin secundum hunc scriptorem fuerit, ut apparet, illa jam tum, cum primum Hierosolymis Virodunum rediit* Magdalveus, *ad umbilicum adducta. Hinc verosimillime factum est, ut Calmetus tom. I Historiæ Lotharingicæ col. 545, verbis Gallicis, Latine a me redditis, ita scripserit :* Maldaveus, Virodunum reversus, ecclesiam suam instauratam invenit.

quæ tamen, ut primum Hierosolymis redierat, perfecta nondum fuerit,

76 *Verum enim vero nescio, an futurum sit, ut, novæ Virodunensis ecclesiæ structuram tam cito fuisse perfectam, quisque sat verosimile autumet. Operi enim, uti ex supra dictis facile colliges, manus dumtaxat fuit admota, vel cum Sanctus Hierosolymam jamjam esset discessurus, vel cum saltem in procinctu staret, ut discederet; Sanctus autem itineri Hierosolymitano annum verosimiliter ne quidem integrum, aut certe temporis spatium non multo amplius impendit. Quam ob rem, cum nova, quam Sanctus exstrui jussit, cathedralis ecclesia non exiguæ molis opus verosimillime fuerit, quis facile credat, ædificio hujusmodi ad apicem perducendo unius dumtaxat anni spatium aut paulo amplius* C *suffecisse? Hinc mihi multo melior videtur Wasseburgii narratio, qua hic scriptor opportune ad præsens institutum verbis Gallicis, quæ Latina facio, lib.* II *Antiquitatum fol.* 133 *ita de Sancto memorat :* Ad civitatem nostram Verodunensem, ubi ab unoquoque magna lætitia fuit exceptus, est reversus, omnique deinde diligentia perfici atque ad umbilicum adduci suam jussit ecclesiam, huicque consecrandæ diem præstituit. *Hæc quippe verba non exigunt, ut ecclesia Virodunensis jam tum, cum Virodunum reversus esset Sanctus, ad culmen fuerit perducta; imo contra indicant, illud tum nondum factum fuisse; quod sane mihi ob jam mox dicta verosimillimum videtur, quamquam interim tempus, quo sacro illi ædificio ultima fuerit admota manus, nemo facile definiat.*

oblentas ex itinere Hierosolymitano reliquias transfert,

77 *Verum, utut res ita habeat, Hugonis equidem et Wassenburgii, quibus Bertharius minime adversatur, consona narratio, ratioque ipsa quodammodo mihi suadet, Sanctum nihil habuisse antiquius, quam ut in novam Virodunensem ecclesiam, ut primum hanc ad apicem vidit perductam sacrisque pignoribus intra se digne recipiendis aptam, sacras Sanctorum, quas ex itinere Hierosolymitano Virodunum secum attulerat, reliquias deferret. Fecit id Sanctus ritu admodum solemni, venerationeque, quam potuit, maxima : et sacra quidem lipsana, quæ ex itinere* D *suo Hierosolymitano retulerat, in præcipua totius ecclesiæ abside deposuit; quæ vero ante incendium in antiquiori fuerant ecclesia, illa in cryptam, quæ ad altaris, principis scilicet secundum mox recitanda Bertharii verba, dexteram sita erat, subterraneam intulit. Ita verbis proxime recitatis testatur Hugo, eique Bertharius, utut absidis, in qua Sanctus reliquias, ex itinere Hierosolymitano relatas, deposuit, mentionem non faciat, etiam suffragatur : hunc quippe (videsis num. 7) scribit in modum :* In principali ecclesia nostra venerabiliter eas (*Sanctorum reliquias, ex itinere Hierosolymitano relatas*) collocavit. Reliquias vero, quæ fuerunt in antiquiori ecclesia, in dextera parte altaris sanctæ Mariæ in crypta subterranea reposuit.

dentemque! S. Magdalenæ, qui has inter fuit, in sacello, a se exstructo, deponit.

78 *Hæc opportune de præsenti argumento Bertharius. Verum hic scriptor et Sancti biographus, etiamsi ambo reliquias, a Sancto ex itinere Hierosolymitano relatas, non paucas numero fuisse, utcumque insinuent, nec quæ, qualesve hæ fuerint, exprimunt, nec Sanctos, e quorum corporibus fuerint acceptæ, verbo ullo produnt. Wasseburgius nihilominus (fides stet penes ipsum) lib.* II *Antiquitatum fol.* 133 *memoriæ prodit, illas inter fuisse binos S. Mariæ Magdalenæ dentes; atque horum quidem unum, uti idem Wasseburgius scribit, in ecclesiam* E *suam cathedralem intulit; alterum vero una cum ejusdem Sanctæ crinibus deposuit in sacello, quod sub S. Magdalenæ invocatione exstruxerat, adjectis etiam ei nonnullis ædibus, monasterii formam referentibus, in quibus mulieres pœnitentes ad Magdalenæ peccatricis exemplar religiosam inter varia pœnitentiæ opera vitam exigerent. Porro ducentis prope annis (ita pergit Wasseburgius) subtitit hæc fundatio; verum, sacello monasterioque bellis ruinam passo, dissipatisque redditibus, ecclesiæ Virdunensis cathedralis archidiaconus, nomine Hermenfridus, ædem sacram (adi etiam apud Acherium tom. XII Spicilegii pag.* 267 *Historiæ episcoporum Virodunensium Continuationem) anno* 1018 *instauravit, amplioremque, quam antea fuisset, reddidit. Adhæc in ea canonicorum fundavit collegium, quod hodieque, S. Magdalenæ nomine insignitum, subsistit, uti quantum ad hoc postremum caput in sua Lotharingiæ Historia tom. I, col.* 545 *docet Calmetus. Hæc sunt, quæ de Sancto vel occasione vel causa reliquiarum, quas ex itinere suo Hierosolymitano retulit, commemoranda comperio. Ad alia nunc, quæ, Hierosolymis jam redux, Viroduni adhuc ante obitum gessit, exponenda progredior.*

F

Corpori suo sepeliendo locum in ecclesia S. Vitoni deligit,

79 *Sanctus, jam iis, quæ modo explanata sunt, post iter Hierosolymitanum peractis, reliquum, quod sibi supererat, vitæ in assiduo Dei cultu exigendum ratus, totum se et gregis sui curæ, et virtutibus deinceps addixit, tantumque in eis fecit progressum, ut et signis et prodigiis divinitus decorari meruerit.* Pastorali, *inquit num.* 33 *biographus,* sollicitudine (*sanctus* Magdalveus) gregi sibi credito invigilans alios cælestis doctrinæ verbis erudivit, multos religiosæ vitæ exemplis roboravit, plurimos quoque ab omni infirmitatum molestia curavit, quosdam etiam a dæmoniacis spiritibus liberavit, omnibusque exemplar et speculum totius sanctitatis se præbuit. *Ita Hugo, mox etiam, quem Sanctus, cum jam obitus sui tempus cerneret propinquum, corpori suo sepeliendo locum delegerit, his verbis exponens :* Imminente vero resolutionis suæ tempore, cum cognovisset revelatione divina, se mundanis liberandum tumultibus, in ecclesia, in qua adoleverat quotidiano virtutum provectu, cui primo pastor et rector institutus, de qua etiam ad pontificium provectus fuit, sepulturæ suæ locum delegit. Licet enim omnium ecclesiarum insudaret utilitatibus, hanc tamen præ omnibus locis post primam, quæ sedes est episcopalis, coluit, amplificavit et provexit. *Ecclesia, cui Sanctus primo pastor et rector seu abbas fuit præpositus, et e qua deinde ad episcopale seu pontificium munus fuit promotus, alia ex jam dictis non est, quam Virdunensis S. Vitoni.*

Quam

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *Quam ob rem, cum Sanctum in hac, imminente jam obitus die, corpori suo sepeliendo locum delegisse, verbis jam recitatis prodat Hugo, reque ipsa id tum Sanctum dumtaxat fecisse, verosimillimum appareat, multum dubito, an hic scriptor, in narrando rerum gestarum servet ordinem, dum Sanctum, antequam de Hierosolymitano ejus itinere faciat sermonem, eidem S. Vitoni* ecclesiæ de suo proprio Raherei curtem cum appendiciis pro tumulatione sui corporis, et alia perplura *dedisse, num.* 16 *refert.*

huicque anno vitæ suæ penultimo possessiones aliquos acquirit;

80 *Hæc a* S. Magdalveo *ecclesiæ S. Vitoni facta donatio, aptius forte, quantum ad tempus, quo evenit, adjungeretur donationi, quam a Theuthardo quodam Sanctus noster ecclesiæ S. Vitoni acquisivit, quamque Hugo num.* 37 *aperit his verbis:* Huic ergo loco (*ecclesiæ S. Vitoni*) beatus Madelveus anno vitæ suo penultimo dono Teuthardi adquisivit res quasdam sitas in Virdunensi pago, loco, qui dicitur Offebris curtis, et in fine Bettiliniaca, in fine quoque Vindelinse, quas idem Teutgardus a genitore suo Gunthero sibi relictas jure possidebat hæreditario in terris, mansis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, et basilicam sancti Martini, in ipsa villa Bettiliniaca constructam, quæ omnia, sicut habebat et possidebat, sancto Vitono et huic Patri nostro idem contulit
B perpetualiter possidenda anno Inc. Dom. DCCLXXV. Indictione XIV. regnante Carolo Magno, anno regni ejus octavo, die quinto Idus Novembris, in ipsa scilicet solemnitate sancti patris nostri Vitoni. *Fuit hæc Theuthardi donatio, uti his verbis expresse notat Hugo, penultimo, quo Sanctus noster vixit, anno ecclesiæ Virodunensi facta. Quapropter, si, ut verosimile apparet, eo ipso tempore, quo hæc facta est, etiam accidit mox memorata* Magdalvei *donatio, hanc anno vitæ suæ penultimo Sanctus fecerit. Verum, an etiam 775 æræ Christianæ anno, quo verbis recitatis ab Hugone notatur Teuthardi donatio? Minime vero: hanc ipsam enim illo æræ Christianæ anno non esse factam, probabilius, quantum opinor, apparebit ex dicendis, cum in annum Sancti emortualem inquiram. Notet interim hic studiosus lector, binas illas donationes, Teuthardi scilicet et Sancti nostri, si modo Theuthardi donationem cum penultimo, quo Sanctus noster vixit, anno recte componat Hugo, anno 761 in opinione nostra, utpote qua Sancti obitum anno 762 innectemus, faciendas fuisse.*

suæ tamen ecclesiæ, utut id asserat Wasseburgius, vicum Novam-Villam,

81 *Porro Wasseburgius alteram adhuc, quam Sanctus, non quidem penultimo vitæ suæ anno, sed jamjam moriturus, ecclesiæ Virdunensi sibique in hujus regimen successuris episcopis fecerit, donationem commemorat. Verba Gallica, quibus id lib.* II *Antiquitatum, fol.* 133 *verso facit, Latine a me reddita sic habent:* Tandem (*sanctus* Magdalveus) anno
C circiter DCCLXII, cum in vico, civitati Virodunensi propinquo, dicto Nova-Villa, qui ex antiquo ejus erat patrimonio, versaretur, in gravem morbum, ex quo sese e vita discessurum norat, est prolapsus. Hanc ob rem de omnibus bonis suis disposuit, testamentoque præfatum Nova-Villanum vicum, una cum ditione, castelloque huic annexo, episcopis Virdunensibus, sibi successuris, legavit, spiritumque deinde Deo reddidit. *Vicum ergo, qui* Nova-Villa *nuncupatur, a Sancto fuisse testamentaria donatione Virodunensi episcopatui collatum, verbis jam huc transcriptis vult Wasseburgius. Verum hic scriptor hac in re verosimillime fallitur. Etenim vicus ille, uti ipsemet innuit, alius non est, quam vicus, in quo Sanctus felici e vivis excessu migravit ad Superos; vicum autem, in quo Sanctus obiit, Virodunensis episcopatus feudum fuisse, verbis num.* 83 *recitandis biographus diserte affirmat. Adhæc num. ultimo etiam hunc scribit in modum:* Inveniemus, quod (S. Magdalveus *scilicet*)... in proximo epi-
* episcopii scopi * fundo, qui dicitur Nova-Villa, ad Dominum migraverit. *Ne vero Hugonem, quod vicus ille,* Nova-Villa *cognominatus, Sancti donatione in Virodunensis ecclesiæ jus jam transisset, ita forte loqui, quisquam reponat, omnino obstat Bertharius.*

82 *Etenim hic scriptor in brevi sua episcoporum Virodunensium Historia, in S. Agerico hæc prodit memoriæ:* Rex prælibatus (*Francorum, Childebertus II*) cum per Virdunum iter habuisset, et prædictus sanctus antistes (*Agericus*) non nisi parum vini in uno vasculo habuisset, et Omnipotens Dominus ipsius meritis sic illud dilatasset, ut * rex cum suis omnibus de ipso omnem sufficientiam habuisset, plus inveniretur vini in ipso vasculo in fine quam in initio, rex tanto perterritus miraculo audivit, quod ita ecclesia (*Virodunensis*) non habuisset locum, unde colligeret vinum; idcirco ergo dedit isti ecclesiæ duos amandos * super Mozellam et Modinum, et quidquid intra Luceium et Bavam est, et omne, quod subtus Treviris habemus. Addidit etiam Marceium et Sampiniacum et Commenias, et Marcast-Villam, et Harici-Villam, et contiguas villas isti (*Virodunensi scilicet*) civitati, Carmacum et Novam-Villam, multaque alia loca, quæ sunt oneri hic enumerare, quæ pro reverentia tanti Viri rex et sui fideles isti ecclesiæ ad habendum tradiderunt. *Vicus Nova-Villa, Viroduno contiguus, quem ecclesiæ Virodunensi donasse Childebertus II, Francorum rex, a Berthario hic narratur, a vico Nova-Villa, per Wasseburgium memorato, utpote qui et ipse Viroduno contiguus seu proximus fuerit, omni dubio procul diversus non est. Quam ob rem, cum vicum illum a Childeberto II,* E *Francorum rege, qui anno 579 ad Francorum solium evectus, anno 596, ac proin diu ante* S. Magdalvei *ætatem vita functus est, ecclesiæ Virodunensi donatum fuisse, verbis proxime recitatis testetur Bertharius, perperam sane Wasseburgius donationem illam Sancti nostri testamento ecclesiæ Virdunensi, seu potius episcopis, in hujus regimen* Magdalveo *successuris, factam commemorat.*

AUCTORE C. B. *utpote quem ea ante S. Magdalvei ævum a Childeberto rege acceperit,*
* *supple* cum
* mansos, *i. e.* terræ modos,

jam morituros non dedit:

83 *Hinc non possum non mirari, Calmetum nihilominus, qui et brevem episcoporum Virodunensium Historiam, a Berthario conscriptam vidit, et res, ad Lotharingiam, in qua Virodunensis episcopatus situs est, spectantes, studiosius examinandas suscepit, in sua Lotharingiæ Historia tom.* I *col.* 346 *Wasseburgio hic assentiri, litterisque mandare,* S. Magdalveum *tunc, cum in morbum lethalem incidit, in vico Nova-Villa, qui e patrimonio ejus erat, exstitisse, eumdemque vicum ecclesiæ suæ cathedrali dono tunc dedisse. Animumne forte non adverterit hic scriptor ad Bertharii verba, proxime recitata, secundum quæ Childebertus secundus, Francorum rex, qui diu ante* S. Magdalvei *ætatem floruit, vicum Novam-Villam, civitati Virodunensi vicinum, S. Agerico, Virodunensium antistiti, seu ecclesiæ Virodunensi contulit? Utut sit, ob jam dicta equidem Calmeti, recentioris scriptoris, auctoritate minime* F *moveor, ut Wasseburgio, qui Novæ-villæ donationem a* S. Magdalveo *jam morituro ecclesiæ Virodunensi factam, tradit, subscribam. Et vero non esse, cur hic tanti a me fiat Calmeti auctoritas, liquet vel ex eo, quod hoc ipso loco, quo cum Wasseburgio Novæ-villæ donationem, ecclesiæ Virodunensi factam,* S. Magdalveo *attribuit, felicem hujus obitum, de quo ut nunc agam, rerum ad Sanctum spectantium ordo postulat, quinta Octobris die accidisse, affirmet; qua in re et ipsum Wasseburgium, et Hugonem Flaviniacensem, omnesque alios, qui diem Sancti emortualem notarunt, adversantes habet. Hi enim unanimi consensu omnes, Sanctum quarta Octobris die migrasse ad Dominum, litteris consignant.* Obiit autem, *inquit de Sancto num.* 42 *biographus,...* in proximo episcopii feudo, quod dicitur Nova-Villa, quarto Nonas Octobris; *Hocque ipsum num. ultimo iterum repetit.* Spiritum Deo reddidit, *inquit lib.* II *Antiquitatum fol.* 133 *verso Wasseburgius,* ejusdem anni (762 *scilicet*) quarta Octobris die.

quarta autem Octobris die

84 *Aliorum scriptorum, eumdem diem Sancto assignantium emortualem, verba non transcribo, quod verosimiliter fere omnes id dumtaxat fecerint, vel Wasseburgii vel Hugonis exemplo impulsi; scriptorem enim, Hugone antiquiorem, qui diem Sancti emortualem signet, Berthario hunc reticente, non novi.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. B.

novi. At vero, inquiet non nemo, cum id ita sit, verum forte diem, quo Sanctus obiit, Calmetus assignat; neque enim sola Wasseburgii et Hugonis, utpote a vero sæpissime aberrantium, auctoritate certum omnino atque indubitatum esse potest, S. Magdalveum *quarta Octobris die excessisse e vivis. Fateor, sic habet : verum cum omnes equidem, quos quidem norim ac evolverim, scriptores, uno dumtaxat excepto Calmeto, Sancti obitum quarta Octobris die consignent, hic scriptor, unice, ut suspicor, ex errore, cujus infra, cum de Sancti cultu ecclesiastico agam, fontem aperiam, quintam Octobris diem Sancto emortualem notat. Videtur adeo absque omni scrupulo assentiendum hic esse Wasseburgio et Hugoni, qui Sanctum quarta Octobris die evolasse ad Superos tradunt, solumque sibi hac in re contrarium habent Calmetum, scriptorem nimis recentem, ut sola sua auctoritate quæ Wasseburgius et Hugo memoriæ produnt, possit convellere.*

in ipso illo vico diem extremum obiit.

85 *Verum enim vero, utut Wasseburgius quidem et Calmetus in Novæ-Villæ donatione* Magdalveo *adscribenda, hicque insuper scriptor posterior in die, quo Sanctus obierit, assignando ab Hugone Flaviniacensi, aliisque scriptoribus dissentiant, apprime tamen cum his congruunt quantum ad locum, quo Sanctum in morbum lethalem incidisse, beatoque e*
B *vita transitu migrasse ad Superos, memoriæ produnt. Id enim in vico illo, de quo jam mox, Virodunensi civitati vicino,* Nova-Villa *nuncupato, cujus brevem num. 1 dedi notitiam, accidisse, una cum Hugone Vitæ edendæ num. 42 et ultimo, aliisque omnibus, qui locum Sancti emortualem signant, scriptoribus affirmant; cum autem Bertharium (adi iterum num. 7) sibi etiam hac in re assentientem habeant, locus hinc, quo Sanctus obiit, multo etiam, quam dies, exploratior habetur, uti ex jam dictis facile colliges. Sanctum adeo in vico,* Nova-Villa *nuncupato, vita functum esse, absque ullo scrupulo mihi persuasum habeo. Utinam modo, qua securitate locus, eadem etiam annus Sancti emortualis definiri queat! Verum, quamquam quidem Sanctum anno 762 excessisse e vivis, secundum dicenda probabilius appareat, id tamen reipsa tunc accidisse, absque omni scrupulo asserere vix ausim ob difficultates, hac in re occurrentes, quæ tantæ sunt, ut his discutiendis, annoque, quo Sanctus obierit, determinando integros binos seqq. §§ adhibendos duxerim.*

§ VIII. Hugonis Flaviniacensis de anno Sancti emortuali sententia discutitur.

C *Sanctum anno 776 obiisse, Hugo tradit.*

Anno, inquit in Chronico Virdunensi apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ Mss. pag. 117 Hugo Flaviniacensis, DCCLXXVI, qui erat regni Caroli (*cognomento* Magni) nonus, obiit Madelveus episcopus, cum obsideret Caroli exercitus in Tharavisæ Italiæ civitate Stabiliarum socerum Chrotgandi, qui contra Carolum rebellaverat. *Annalista Nazarianus apud Chesneum tom. II Scriptorum pag. 4 ita memoriæ prodit* : Anno DCCLXXVI. Carolus rex perrexit in Longobardiam, interfecto Rotgauzo. Postea Maii campus ad Wormacia. Et Carolus rex cum Francis in Saxonia, jam sine bello; *Annalista vero Petavianus tom. item 2 apud laudatum Chesneum pag. 8 de eodem argumento ita scribit :* DCCLXXVI. Perrexit domnus rex Karolus in Italiam, et, occiso Hrotgaudo, qui illi rebello extiterat, obsideruntque Stabilinium socerum suum Taraviso civitate. Eo capto, dispositisque omnibus, prosper redit cum suis in Franciam. *Carolus ergo, uti ex binis hisce Annalistis eruditi omnes colligunt, anno 776 civitatem Taravisinam in potestatem suam redegit. Quapropter, cum postea eo ipso anno Carolus, uti ex prioris annalistæ verbis huc transcriptis intelligitur, suorum conventum mense Maio apud Wormatiam adhuc celebrarit, civitas Taravisina ante anni 776 Maium et obsessa et subacta fuerit a Carolo. Hugo ergo, qui Sanctum ex dictis quarta Octobris die obiisse, statuit, perperam id tunc, cum Carolus Magnus obsideret Taravisium, accidisse affirmat.* D *Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum 776, num. 33 fatetur hunc Hugonis errorem, et tamen annum 776, cui Hugo verbis proxime recitatis Sancti obitum innectit, omnino amplectendum, indubitanter contendit.*

87 *Verba Cointii, quod hic a me fusius examinanda sint, huc transcribo, utut etiam paulo sint prolixiora. Sic habent :* In eadem Belgica prima Madelveus, Virodunensis episcopus et abbas sancti Vitoni, de quo sæpe locuti sumus, ad Dominum migravit hoc anno, quo bellum Foro-Juliense feliciter a Carolo rege confectum est. Hugo, Flaviniacensis abbas, in Chronico Virdunensi gesta sancti Madelvei copiose describit, et, quamvis in characteribus chronologicis aliquando sibi non constet, illius episcopi transitum tot notis ad hunc annum confirmat, ut omnem dubitationi locum sustulisse videatur. Imprimis annum penultimum ejusdem Antistitis per mensem Novembrem, ut anno priore jam observavimus, cum anno Christi septingentesimo septuagesimo quinto, Caroli regis octavo jam inchoato, et Indictione decima quarta pariter inchoata sic comparat : « Beatus Madelveus » (*error hic cubat num. 115 notandus*) « anno vitæ suæ pe- » nultimo omnia, sicut habebat et possidebat, » sancto Vitono contulit perpetualiter possidenda, E » anno Inc. Dom. DCCLXXV., Indictione XIV., re- » gnante Carolo Magno, anno regni ejus octavo, die » quinto Idus Novembris, in ipsa scilicet solemni- » tate sancti Vitoni. » Deinde annum obitus per mensem Octobrem cum anno ejusdem episcopi vicesimo-quarto tum currente, cum anno Caroli regis nono jam inchoato, cum Indictione decimaquinta jam cœpta, id est, cum anno Christi septingentesimo septuagesimo sexto sic componit : « Anno » regni Caroli nono, hic Beatus hominem exuit, » cum obsideret Carolus Tarovisam Italiæ urbem, » vigesimo-quarto pontificatus sui anno, in pro- » ximo episcopi * fundo, qui dicitur Nova-Villa, * episcopii » quarto Nonas Octobris, Indictione XV. »

Notæ chronicæ, quibus id facit,

88 Et paulo post addit annum Christi septingentesimum septuagesimum-sextum sic : « Anno DCCLXXVI, *hic proponuntur. Ob has Cointius* » qui erat regni Caroli nonus, obiit Madelveus » episcopus, cum obsideret Caroli exercitus in Tha- » ravisa Italiæ civitate Stabiliarium socerum Chrot- » gandi, qui contra Carolum rebellaverat. » Denique annum ab obitu Madelvei duodecimum anno Christi septingentesimo duodenonagesimo sic illigat : « Fuit episcopatus Virdunensis per duodecim » annos vacuus, quia successor in episcopatu per » tempus præscriptum receptus non est, et, post » præscriptum annorum spatium concessum est F » illi civitatem ingredi et episcopatu potiri anno » ab Incarnatione Domini DCCLXXXVIII. » Si quos igitur reperias in hoc auctore characteres, qui nostræ opinioni super obitu Madelvei refragentur, illos corrige absque ulla hæsitatione, et ea, quæ de Tarvisii seu Tharavisiæ vel Tarovisæ obsidione ex eodem Chronico descripsimus, benigne sic interpretare, ut Madelveum ex hac vita sublatum et in monasterio sancti Vitoni sepultum eo quidem censeas anno, quo civitas illa fuit obsessa, sed non eo tempore, quo duravit obsidium, quia Carolus rex Tarvisium cum Stabiliario seu Stabilinio prius cepit, quam rebus humanis ereptus est Madelveus episcopus. *Hactenus Cointius, ob plures notas chronicas, verbis hisce comprenhensas, quibus* S. Magdalvei *obitum cum anno 776 Hugo conjungit, scriptori huic assentiendum existimans.*

89 *In Cointii porro opinionem manibus pedibusque, ut loquimur, postea etiam concessit Pagius in Criticis, uti liquet tum ex verbis ejus, num. 69 huc transcriptis, tum ex iis, quæ ad annum 776, num. 15 suppeditat. Mabillonius, utut Hugonis non meminerit, cum Cointio tamen Sancti nostri obitum anno 776 illigat. Etenim in Annalibus Benedictinis lib. XXIV, num. 68, ad annum 776 sic scribit :* Incidit in idem tempus (*annum 776*) obitus Madalvei. episcopi Virdunensis, qui (*error idem, quem num. 87 admittit*

et Pagius scriptori illi assentiuntur.

A *admittit Cointius, hic cubat*) anno vitæ penultimo sua omnia sancto Vitono donavit in ipsa sancti Vitoni solemnitate, v. Idus Octobris, *imo Novembris. Calmetus in episcoporum Virodunensium Catalogo, quem, tom. I Historiæ Lotharingicæ a se conscriptæ præfixit, Sancti obitum anno circiter 775 innectit, ut adeo et hic scriptor non multum abludat a Cointio, qui, Hugonis Flaviniacensis auctoritate motus,* S. Magdalvei *obitum cum anno Christi 776 componit. En profecto scriptores recentiores sat multi, atque ii quidem, eruditione et doctrina non contemnendi, qui Hugoni, Sancti nostri beatum ad superos transitum variis notis chronicis anno 776 illiganti, suffragantur aut etiam propense consentiunt. At vero, an etiam e scriptoribus pariter recentioribus, qui Hugoni adversentur, reperire non est aliquos? Wasseburgius, uti ex jam supra dictis satis liquet, Sanctum nostrum anno 762 obiisse, scribit, atque hoc quidem ab illo scriptore sat clare demonstrari, Papebrochius noster, utut Hugonem Flaviniacensem præ oculis habuerit, verbis, num. 62 recitatis, diserte affirmat. En adeo duos jam scriptores recentiores, qui Hugoni Flaviniacensi sunt contrarii. His porro accedit in Martyrologio suo Universali Castellanus, qui, quamquam etiam Virdunense Chronicon, ab Hugone Flaviniacensi conscriptum, atque insuper Cointium et Pagium habuerit præ oculis, ratio-*

B *nesque proinde, ob quas bini hi posteriores Hugoni assentiantur, ponderare potuerit, Sancti nihilominus obitum, positis in margine numeris, cum anno Christi 762 componit.*

Verum annus Sancti emortualis, quod Hugo in hoc assignando

90 *Democharem præterea, Chenutium, Claudium Robertum et Sammarthanos fratres, qui omnes ad annum 762 Sancto successorem Amalbertum in suis episcoporum Virodunensium Catalogis sufficiunt, scriptoribus proxime laudatis adjungo, horumque opinionem probabiliorem affirmo; quod, quam merito faciam, jam nunc dicenda aperient. Tota Cointii supra huc transcripta ratiocinatio eo recidit, ut Sancti nostri obitum anno 776 idcirco is scriptor velit innecti, quod Hugo Flaviniacensis plures notas chronicas, quæ Sanctum tunc obiisse exigunt, assignet. Verum inde annus Sancti emortualis sat tuto, ut apparet, erui non potest. Quid enim? Exploratumne habuit Cointius, illas ipsas notas chronicas, quas Hugo suppeditat, adulterinas non esse? Verum nullum omnino, quo id probet, argumentum adducit in medium, quod tamen ante omnia hic erat necessum. Et vero an notæ illæ, ab Hugone assignatæ, genuinæ sint, merito potest ambigi vel idcirco, quod hic scriptor in plures manifestos errores, etiam circa ipsosmet characteres chronicos, quibuscum annum*

C *Sancti emortualem componit, prolabatur. Ait quidem verbis num. 88 recitatis Cointius, characteres, anno Christi 776, cui* Magdalvei *obitum illigari vult, minime consonos, absque ulla hæsitatione esse corrigendos, annumque nihilominus 776 pro epocha mortis, a Sancto nostro obitæ, esse retinendum. Verum characteres illi chronici tanto sunt numero, tamque aperte adulterini et erronei, ut magis magisque dubium efficiant, an pariter notæ chronicæ, ab Hugone assignatæ, quæ Sanctum anno 776 obiisse postulant, erroneæ atque adulterinæ non sint. Verba, in quibus multiplices illi characteres chronici adulterini cubant, juverit huc, adnotatis etiam in fine erroribus, transcripsisse.*

plures etiam characteres chronologicos

91 *Num. ultimo Vitæ edendæ hæc exstant, sicque habent:* Hinc iterum numeratis annis xv, quibus postea Pipinus solus regnavit, et octo annis regni Caroli, quia nono hic Beatus (S. Magdalveus *scilicet*) hominem exuit, cum obsideret Carolus Tarovisam, Italiæ urbem, inveniemus, quod vigesimo quarto pontificatus sui anno pro perituris cælestia et æterna commutans, in proximo episcopi * fundo, qui dicitur Nova-Villa, ad Dominum migraverit quarto Nonas Octobris ætatis suæ anno LXVIII. Indictione XV. Epacta XXVII. Anno pontificatus Adriani Papæ sexto, ab Incarnatione Domini DCCLXXVII, Constantini et Irenes temporibus, anno regni eorum sexto, uno ante septimam synodum anno.

* episcopii

En nunc, quos complectuntur, varii errores. Constantinus et Irene primum anno 780, *ut jam supra dictum, imperii Orientalis habenas capessivere, fuitque, his imperantibus, anno demum* 787 *pro restituendo imaginum cultu septima synodus Nicæa in Bithynia celebrata. Duplicem ergo manifestissimum errorem hic admittit Hugo, dum annum Sancti nostri emortualem, sive hunc anno Christi* 777, *ut hic, sive anno, ut supra,* 776 *innectat, cum anno Constantini et Irenes sexto, simulque cum anno septimam synodum proxime prægresso componit. Accedit, ab eodem scriptore, utpote qui Sanctum ex dictis anno* 711 *natum, annoque vel* 776 *vel* 777 *vita functum statuit, perperam hoc postremum tunc, cum jam* Magdalveus *sexagesimum octavum vitæ suæ annum ageret, factum esse affirmari. Quod si enim ab anno* 776, *aut ab anno* 777, *cui hic Sancti obitum illigat, subducantur anni* 68, *quibus vitæ ejus durationem definit, anni relinquentur residui* 708 *vel* 709, *fueritque secundum hunc calculum contra ac ante docuit, Sanctus anno* 708 *vel* 709 *natus, ac proin Hugo vel in assignando anno, quo Sanctus natus sit, vel in assignanda ætate, qua obierit, omni dubio procul a veritate aberrat.*

AUCTORE C. B.

92 *Adhæc, quamquam etiam ea, quæ de Tarvisii seu Tharavisiæ aut etiam Tarovisæ obsidione verbis proxime recitatis prodit Hugo,* benigne, *ut num.* 88 *cupit Cointius,* sic interpretemur, ut Madelveum ex hac vita sublatum et in monasterio sancti Vitoni sepultum, eo quidem censeamus anno, quo civitas illa fuit obsessa, sed non eo tempore, quo duravit obsidium, *perperam tamen adhuc et errore manifesto civitatis Tharavisinæ obsidionem cum anno nono Caroli Magni conjungit. Hæc enim, uti Annalistæ supra laudati tradunt, omnesque fatentur eruditi, anno æræ Christianæ* 776 *ante mensem Maium evenit; hoc autem Christi anno, ad mensem Maium nondum provecto, annus nonus Caroli Magni, utpote ante Septembrem anni* 768 *regnare non auspicati, necdum erat in cursu, ut consideranti patebit. Atque ita, ut omittam etiam, tam annum* 776 *quam* 777 *cum Epacta* 27 *perperam componi, habes jam errores circa chronologiam præcipuos, qui in Hugonis verbis, quibus annus Sancti emortualis signatur, proxime huc transcriptis cubant. Ecquis modo, tot in unico textu nec admodum longo characteribus chronicis erroneis atque adulterinis notatis, dubitandum non putet, an notæ aliæ, ab Hugone assignatæ, quæ Sanctum anno* 776 *obiisse, postulant, erroneæ atque adulterinæ pariter non sint? Minime vero, inquiunt, qui pro Hugone militant, ac præcipue quidem Pagius, qui verbis num.* 69 *recitatis ait, Hugonem, etiamsi in his, quæ ad historiam generalem pertinent, non raro offenderit, egregie tamen ea, quæ ad* Magdalveum *spectant, calluisse. Verum, si egregie, ut ait Pagius, ea, quæ ad Sanctum nostrum spectant, calluerit Hugo, qui, amabo, vel in ipso anno ejus emortuali assignando tam parum sibi constat, ut modo hunc anno æræ Christianæ* 776, *modo anno* 777 *innectat? Amanuensiumne forte errore in textu biographi proxime recitato ann.* 777 *pro anno* 776 *scriptum dices? Verum id a vero alienum idcirco apparet, quod præfatum Hugonis textum pariter afficiat quarta Octobris dies et annus Adriani Papæ sextus, sicque, cum Adrianus secundum omnes anno* 772 *die nona mensis Februarii consecratus fuerit Pontifex, annus Christi* 777 *designetur, ut computanti patebit.*

adulterinos suppeditet,

E

F

93 *Sed, etsi Hugo in assignando emortuali* Magdalvei *anno apprime sibi ubique constaret, nullosque prorsus, qui hunc anno Christi* 776 *illigari refragentur, characteres chronicos proferret, nec sic tamen omnia, quæ ad Sanctum pertinent, egregie calluerit. Id jam supra uno alterove probavi argumento, iterumque, ut eo evadat certius, probo ex hisce, ab ipsomet Hugone num.* 46 *suppeditatis verbis:* Cum sepulchrum ejus (S. Magdalvei *nimirum*) quotidianis virtutum floreret prodigiis, et crebris populorum frequentaretur excubiis, erat tamen situm negligentius, quam posceret debitæ venerationis

resque ad Sanctum spectantes,

AUCTORE C. B.

venerationis cultus. Quare dignum duxit tunc temporis episcopus clerusque omnis et populus illud mutare decentius. Præsidebat eo tempore Virdunensi ecclesiæ Berhardus episcopus, vir Catholicus et religiosus, et in fide sancta nominatissimus, imperante Lothario, Ludovici Pii filio, cujus regnum fuit Italia cum urbe Roma et parte Franciæ, quam Mosa et Rhenus inter se claudunt. Quod cum, uti deliberaverant animo, certarent effosso implere sarcophago, subito illis inæstimabilis ostensa est visio. Nam, ablato sepulchri cooperculo, vident cadaver ante quadraginta annos defunctum, velut viventem hominem soporatum, candore liliorum et rubore rosarum perfusum, nulla macula nec aliquo mortis signo fœdatum. *Sacrum* Magdalvei *corpus quadraginta, postquam Sanctus obiisset, annis de terra fuit levatum, uti infra pluribus dicetur, satisque his verbis indicat ipsemet Hugo. Id ergo, si cum Hugone Sancti obitum vel ann.* 776 *vel anno* 777 *innectamus, anno circiter* 816 *acciderit. Jam vero Berhardus, uti Bertharius, Virodunensi huic episcopo coævus, in brevi sua Virodunensium episcoporum Historia sæpissime jam citata apud Acherium tom. XII Spicilegii pag.* 261 *aperte docet, ante obitum Lotharii Junioris, Lotharingiæ regis, qui ex opinione, plerisque eruditis probata, anno* 869 *diem extremum clausit, ad Virodunensem* B *sedem evectus non est. Quam ob rem, cum secundum Hugonem quidem, ut jam dictum est, anno* 816, *secundum nos autem ex infra dicendis anno* 802 *sacrum* S. Magdalvei *corpus de terra fuerit levatum, hoc utique sub Berhardo, Virodunensi episcopo, non evenit, ac proin, cum a vero hac in re deviare Hugonem, hinc pateat, argumento sane id est, res prorsus omnes ad Sanctum nostrum spectantes, scriptorem hunc egregie non calluisse.*

aut certe episcoporum Virdunensium chronologiam probe non norit,

94 *Quid, quæso, ad hæc Pagius? Reponetne forsan, Hugonem, utut episcoporum principumque annos, cum quibus res, ad* S. Magdalveum *spectantes, componendæ sint, non sat habuerit perspectos, perfectam tamen harum absolutamque habuisse notitiam? Verum, sit ita: cum equidem Sancti nostri de terra levationem, quæ secundum ipsummet Hugonem anno* 816 *facta est, sub Berhardo, Virodunensi episcopo, qui ante annum* 869, *imo ante annum* 870 *sedem hanc non occupavit, scriptor ille collocet, indicio id saltem est, non habuisse illum episcoporum Virodunensium chronologiam sufficienter exploratam; quod præterea argumentis aliis non paucis posset ostendi. Jam vero, cum id ita sit, ecquis, amabo, merito ambigendum non putet, an Hugo Sancti nostri, proximorumque ejus successorum, Virodunensium antistitum, chronologiam habuerit sat probe compertam? Ecquis absque scrupulo credat, erroneas non esse notas chronicas, ab Hugone assignatas, quibus Cointius et Pagius impulsi annum Sancti emortualem anno Christi, ut illæ exigunt,* 776 *innectunt? Ego sane annum Sancti emortualem tuto ex his determinari non posse autumo, atque id quidem idcirco, quod ex iis, quæ huc usque adducta sunt in medium, generatim omnium præmemoratarum notarum valor ac sinceritas revocetur in dubium: ut autem quam non immerito ita existimem, magis appareat, singillatim fere etiam eas omnes discutere ac ponderare nunc lubet.* Beatus Madelveus anno vitæ suo pe- C nultimo *a Teuthardo plura, quæ hic habebat et possibebat, sancto Vitono et sibi adquisivit* perpetualiter possidenda, anno Inc. Dom. DCCLXXV, Indictione XIV, regnante Carolo Magno, anno regni ejus octavo, die quinto Idus Novembris, in ipsa scilicet festivitate sancti Vitoni.

nequaquam potest e notis illis, cum præsertim priores

95 *Donatio hæc ab Hugone Vitæ edendæ num.* 57 *memoratur, primaque est e notis, quibus Cointius firmari ait opinionem, quæ Sanctum nostrum anno* 776 *obiisse statuit. Fateor, cum donatio illa a Theuthardo anno* 775, *Indictione* XIV, *anno octavo regni Caroli Magni et* V *Idus Novembris, id est, nona Novembris die, facta, ab Hugone notetur, consectarium omnino hinc fieri, ut Sancti obitus, qui quarto Octobris die evenit, in annum æræ Christianæ sextum supra septuagesimum inciderit.* D *Verum, etiamsi credam quidem donationem, ab Hugone memoratam, re etiam ipsa a Teuthardo, cum penultimum vitæ suæ annum ageret Sanctus noster, nono Novembris die in S. Vitoni festivitate factam fuisse, multum tamen dubito, tum an ea anno Caroli Magni octavo, tum etiam an anno Christi seu æræ Christianæ* 775 *evenerit. Cum enim ante finem sæculi* VIII *Acta Instrumentaque publica annis Christi notari fere non cœperint, hosque etiam ante illud tempus in scriptis suis plerumque non usurparint scriptores, ægre mihi persuasero, Hugonem eam, qua de hic sermo est, donationem vel in publico illa super confecto instrumento, vel apud scriptorem quempiam, Sancto nostro æqualem, anno Christi* 775 *invenisse signatam. Adhæc cum Hugo non edicat, donationemne, quam fecisse memorat Teuthardum, ex publico ea de re instrumento, an ex scriptore quopiam didicerit, dubito etiam, an illam anno regni Caroli Magni octavo notatam repererit. Scriptum scilicet alicubi forsan invenerit, donationem præfatam anno vitæ suæ penultimo, nona Novembris die a Teuthardo impetrasse* S. Magdalveum, *hinc que id anno quidem octavo Caroli Magni, anno autem æræ Christianæ* 775 *factum esse, concluserit. Et idcirco quidem id fecerit, quod tum, cum id scriberet,* S. Magdalveum *anno* 776, *quarta Octobris die,* E *excessisse e vivis, existimaret ob rationem verosimillime eamdem, ob quam deinde alias adhuc notas chronicas, a Cointio num.* 87 *et* 88 *assignatas, suppeditans, annum Sancti emortualem primo quidem cum anno Caroli Magni nono, Indictione quinta decima notato, post autem cum anno Christi* 776 *expresse componit.*

ex ultima, quæ ex ipsomet Hugone proponitur,

96 *At vero, inquiet modo non nemo, quæ qualisque est ratio, quæ Hugonem, ut id faceret, impulerit? Hæc ipsammet ultimam notam, a Cointio num.* 88 *assignatam, quæ Sanctum anno* 776 *obiisse exigit, comprehendit, estque hujusmodi, ut, si subsistat, veritatique sit conformis, omni dubio procul assentiendum sit opinioni, quæ annum Sancto emortualem anno Christi* 776 *innectit. Necesse ergo est, ut an ratio illa seu ultima nota, ab Hugone suppeditata, quæ Sanctum anno* 776 *extremum diem obiisse postulat, veritati congruat ac subsistat, nunc inquiram. Ut id faciam, verba prius, quibus apud Labbeum tom. I Bibliothecæ Novæ Mss., pag.* 117 *ab ipsomet Hugone Flaviniacensi proponitur, huc transcribo. Sic habent:* Anno DCCLXXVI, qui erat regni Caroli nonus, obiit Madelveus episcopus, cum obsideret Caroli exercitus in Tharavisæ Italiæ civitate Stabiliarum socerum Chrotgandi, qui contra Carolum rebellaverat, et pro... Carolo Italiam ingresso F in bello occisus erat. Erat in eadem civitate Petrus vir Italicus, a quo tradita est civitas, et ob hoc de Virdunensi episcopatu honoratus est. Quo in tempore præerat ecclesiæ sancti Vitoni abbatis nomine et officio Fremodo diaconus et abbas, post sanctum Madelveum locum ipsum regendum suscipiens.... Tunc fuit episcopatus Virdunensis per duodecim annos vacuus, sed quidam servus Dei, Amalbertus nomine, juxta morem temporis illius factus chorepiscopus, regebat ipsam (*Virdunensem scilicet*) ecclesiam, et in quodam oratorio sub honore omnium Apostolorum, quasi solitariam vitam ducebat. Et tunc perdidit ipsa ecclesia quædam, quæ sibi collata possederat, et hoc in tempore Caroli Magni. Licet enim Petrus præfatus vir Italicus pro traditione Tharovisæ de ipso episcopatu fuisset ab eo honoratus, quia tamen semper suspecti sunt traditores, in episcopatu per tempus præscriptum receptus non est. Tamen ne verbum regis esset inane et vacuum, post præscriptum annorum spacium concessum est illi civitatem ingredi et episcopatu potiri anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXVII, fuitque per XXV annos et passus est multa adversa.

nec subsistit, sint deductæ, tuto determinari.

97 Certe etiam infidelitatem imperatoris objecerunt illi, et ob id per duodecim annos non fuit ausus imperatorem videre. Sed postea a filiis ecclesiæ

A siæ ipsius coram principe recte purgatus adiit illius præsentiam, et in diebus ejus ecclesiam* sibi non solum non acquisivit, sed et perdidit plurima. Difficile enim est, ut bono terminentur exitu, quæ malis sunt inchoata principiis. *Putavit ergo, uti ex his verbis fas est colligere, Hugo Flaviniacensis, Petrum Italicum, quem memorat, proxime a* S. Magdalvei *obitu per Carolum Magnum, quod huic anno 776 civitatem Tharavisinam prodidisset, episcopatu Virodunensi fuisse donatum; huncque nihilominus ab anno 776 ad annum 788, quod non reciperetur Petrus, absque episcopo fuisse per annos duodecim, quibus durantibus, quidam servus Dei, Amalbertus nomine, factus chorepiscopus, Virodunensem ecclesiam moderatus fuerit. Atque hæc ultima est, quæ Sanctum nostrum anno 776 obiisse exigit, nota chronica, verbis Cointii supra recitatis comprehensa: ex hac autem, quantum equidem opinor, verosimillime factum est, ut Hugo Flaviniacensis priores notas chronicas, iisdem Cointii verbis pariter contentas, quæ Sancti obitum tunc accidisse, vel postulent, vel expresse notent, usurparit. Cum enim ex dictis absque medio non tantum episcopo, verum etiam temporere, quo Virdunensis sedes vacarit,* S. Magdalveo *proxime in hanc Petrum Italicum, ob*

B *civitatem Taravisinam anno 776 Francis proditam, successisse existimaret, hinc verosimillime, nec immerito, concluserit,* S. Magdalveum *eo ipso anno 776 fuisse et vivis sublatum, ac per consequens annum quidem Sancti emortualem et expresse cum anno 776, et cum anno Caroli Magni nono, Indictione quinta decima notato; Teuthardi autem (adi num. 95) donationem, quam anno vitæ Sancti penultimo factam repererat, cum anno 775 conjunxerit. Verum Hugo Petrum Italicum Sancto nostro absque ullo medio sive episcopo, sive tempore, quo Virdunensis cathedra vacarit, proxime in hanc successisse, perperam tradit, uti ex iis, quæ § seq. dicam, probabilius evadet, ac proin ex omnibus notis chronicis, ab Hugone assignatis, laudatisque a Cointio, annus Sanctis emortualis certo determinari non potest.*

* *l.* ecclesia

§ IX. Annus, quo Sanctus probabilius obierit, determinatur.

Sedes Virdunensis, antequam in hanc sufficeretur successor, 12 annis

C *Bertharius, Hugone secundum dicta multo antiquior, nec apertorum, ut ipse, convictus errorum, in brevi sua Virodunensium episcoporum Historia apud Acherium tom. XII Spicilegii pag. 259 luculenter docet, proxime a Sancti nostri obitu sedem Virodunensem per duodecim annos vacasse, tuncque tandem, cum interea Amalbertus chorepiscopus ecclesiam Virodunensem fuisset moderatus, Petrum Italicum eidem a Carolo Magno, quod Papiam huic tradidisset, fuisse præfectum. Verba, quibus id docet Bertharius, rebus ad* S. Magdalveum *spectantibus proxime subduntur, suntque hæc:* Post hunc (S. Magdalveum *nimirum*) episcopatus istius (*Virodunensis scilicet*) ecclesiæ per duodecim annos vacuus exstitit; sed quidam servus Dei, Amalbertus nomine, juxta morem illius temporis chorepiscopus factus, ipsam regebat ecclesiam, et in quodam oratorio sub honore omnium Apostolorum quasi solitariam vitam ducebat, et tunc perdidit ista ecclesia Vuaflogium, et Tilliacum et Stagnum et Merlam et Casam Petriam et alia quamplurima. Fuit enim hoc sub tempore Caroli Magni. Post hunc (*Amalbertum videlicet*) exstitit Petrus, vir Italicus. Nam cum esset exercitus Francorum circa Papiam et obsideret eam, ab isto, ut fertur, tradita est, et ob hoc a Carolo Magno de isto episcopatu honoratus est. Fuit enim in episcopatu per vigniti quinque annos et passus est in eo multo adversa. Certe etiam infidelitatem imperatoris objecerunt illi et ob hoc per duodecim annos imperatorem videre non est ausus; sed a filiis istius coram principe recte purgatus est. Postea illius ad præsentiam multas precarias inutiles fecit, et in diebus illis multæ res ab ista (*Virodunensi nimirum*) ecclesia subtractæ sunt.

AUCTORE C. B.

99 *Hactenus Bertharius, luculenter sane, ut jam dixi, docens, Petrum Italicum non proxime a Sancti nostri obitu, sed tunc tantum, cum jam sedes Virodunensis duodecim annis vocasset, fuisse in hanc a Carolo magno, Papia seu Ticino jam potito, suffetum. Hinc porro ita nunc arguo. Carolus Magnus, Francorum rex ac deinde imperator, Papiam seu Ticinum, munitissimum in Italia Longobardorum propugnaculum, una cum Desiderio, horum rege, ejusque uxore et filia, anno 774, uti inter scriptores omnes convenit, in potestatem accepit. Quam ob rem, cum tunc demum ex Bertharii calculo in sedem Virodunensem, duodecim jam annis a* S. Magdalvei *obitu vacuam seu episcopo orbatam, a Carolo Magno suffectus fuerit Petrus Italicus, ex Berthario, nullo plane relicto dubitandi loco, necesse est, ut Sanctus noster anno 762, utpote ad quem anni duodecim, quibus sedes Virdunensis ab ejus obitu vacarit, ordine retrogrado ab anno 774 computati, deducunt, vitam hanc mortalem cum immortali commutarit. Atque hæc est epocha, quam, veluti probabiliorem, felici beatæque* Magdalvei *in cælis nativitati assignamus; quamquam autem ex dictis Hugonem Flaviniacensem nobis hac in re omni dubio procul* E *habeamus contrarium, non scriptoris hujus, in manifestissimos errores tum chronologicos, tum alios, etiam in ipsis Sancti nostri Actis, sæpissime prolapsi, sed Bertharii, scriptoris ætate simul et fide longe præstantioris, auctoritate standum putamus.*

a Sancti morte vacavit. Hinc hunc anno 762 obiisse, arbitramur;

100 *Nec est, cur hic opponas conventum Attiniacensem, sub Pipino Brevi celebratum, cujus Labbeus tom. VI Conciliorum col. 1702 producit decretum, quo episcopi et abbates, in illo congregati,* statuerunt, ut unusquisque illorum, quorum nomina in... indiculo (*qui scilicet decreto subjicitur*) subterscripta reperiuntur, quando quislibet de hoc sæculo migraverit, centum psalteria, et presbyteri ejus speciales Missas centum cantent. Ipse autem episcopus per se xxx Missas impleat, nisi infirmitate aut aliquo impedimento prohibeatur: tunc roget alterum episcopum pro se cantare. Abbates vero, qui non sunt episcopi, rogent episcopos, ut vice illorum xxx Missas expleant: et presbyteri eorum centum Missas, et monachi centum psalteria psallere meminerint; *quamquam enim ibidem huic decreto una cum episcopis sex supra viginti abbatibusque septemdecim subscribat* Madalfeus episcopus civit. Wirdunis, *ille tamen conventus, in quo hoc decretum est conditum, non anno 765, ut Labbeo, Cointio aliisque nonnullis est visum, sed anno 762, ad mensem* F *Majum provecto, fuit celebratus; conventus autem pariter Attiniaci (quod oppidum,* Attigni *Gallice dictum, in Campania ad lævam Axonæ ripam situm est) anno 765 celebratus, a conventu Attiniacensi, cui Sanctus noster interfuit ac subscripsit, debet distingui. Rem sic probo.*

contrarium autem ex Attiniacensi, cui Magdalveus subscripsit,

101 *Wandelbertus, Prumiensis monasterii monachus et diaconus, sæculi* IX *scriptor, Mrl. Metrico notissimus, librum de Miraculis S. Goaris conscripsit; in hoc autem, qui apud nos tom. II Julii exstat insertus, ibique in capita et numeros pro more nostro est divisus, num. 38 de Assuero, qui primus Prumiense monasterium, anno 762 conditum, abbatis munere moderatus est, hunc scribit in modum:* Cum ergo quodam tempore iter a monasterio (*Prumiensi nimirum*) in Vangionum (*urbs Vangionum est Vormacia, vulgo* Worms) provinciam ageret, et occasione viæ ad S. Goarem declinasset, ubi tum rectoris nomine præerat quidam, Herpingus nomine, neque commoditatem aliquam rerum necessariarum nancisci potuisset, rem, ut erat gesta, paulo post principi (*Pipino Brevi, Francorum regi*) retulit, pessimum esse, dicens, eo loco humanitatem hospitalitatis omnis negari, ubi quondam sub beato viro (*Goare videlicet*) singulariter virtus eadem viguisset. Pollicetur rex, hæc fore emendanda, cum temporis opportunitas arrisisset. Itaque non multo post positus in palatio, quod Atiniacum

conventu, utpote qui a conventu, cui Assuerus,

AUCTORE C. B.

vocatur, cum ad generalem populi conventum simul abbas Assuerus venisset, evocatum ad se princeps super his, quæ de Cella beati Viri dicta ab eo fuerant, commonefacit, eique regendam committit. *Assuerus ergo, Prumiensis abbas, conventui Attiniacensi, per Wandelbertum hic memorato, interfuit, atque in eo quidem Cellam S. Goaris obtinuit. Quam ob rem, cum nihilominus inter abbates septemdecim, qui conventui Attiniacensi, per Labbeum memorato, subscripsere*, Assueri *nomen non occurat, posterior hic conventus Attiniacensis a conventu Attiniacensi, cui Assuerus interfuit, videtur diversus. Porro Attiniacensis conventus, cui Assuerus interfuit, anno 765 fuit celebratus. Ita Cointius, Pagius, Mabillonius aliique statuunt, recteque hoc ab illis fieri, vel ex eo liquet, quod conventus ille, uti ex jam recitatis Wandelberti verbis intelligitur, ante erectum jam aliquamdiu, seu fundatum, quod anno 762 (adi ad hunc annum num. 3 Pagium in Criticis) demum evenit, Prumiense monasterium celebratus non fuerit; post annum autem 762 seu post conditum Prumiense monasterium conventus Attiniaci sub Pipino habitus, ab Annalista Loiseliano, Bertiniano, Laureshamensi, Metensi, Reginone aliisque scriptoribus omnibus, si unum exceperis Appendicis ad Fredegarii continuationem auctorem, non signetur, nisi ad annum 765.*

B

Prumiensis abbas, interfuit, sit diversus,

102 *Jam vero, cum ex dictis Attiniacensis, cui Assuerus interfuit, conventus anno 765 fuerit celebratus, hicque a conventu Attiniacensi, per Labbeum memorato, videatur distinctus, conventum hunc posteriorem, uti ex jam dictis fit consequens, ante annum 765 celebratum fuisse, necesse est. Anno autem 762 factum id esse, mox dicam, cum Cointium, qui, quamquam quidem Attiniacensem, cui Assuerus, Prumiensis abbas, interfuit, cum anno 765 conventum componit, hunc tamen cum conventu, per Labbeum memorato, putat eumdem, tantisper convenero. Hic itaque scriptor, ut opinionem hanc tueatur, in suis Ecclesiasticis Francorum Annalibus ad annum 765, num. 1, recitatis, quæ supra huc transcripsi, Wandelberti verbis, ita subjungit :* Inter abbatum subscriptiones, Attiniacensi placito (*decreto supra huc transcripto*) subjectas, desideratur Assueri Prumiensis abbatis nomen, quod ex præcitato Wandelberti textu restituendum censetur. *Hæc Cointius, volens scilicet, Assuerum conventui Attiniacensi, per Labbeum memorato, interfuisse, tantumque ex omissione factum esse, ut nomen ejus inter abbates, qui conventui illi seu potius decreto in hoc condito subscripsere, non reperiatur; quod Cointii assertum si veritati foret consonum, unus utique*

C

idemque cum conventu Attiniacensi, per Labbeum memorato, foret conventus, cui Assuerus interfuit. Verum audi, quid ad illam Cointii responsionem seu assertum Pagius in Criticis, duplicem conventum Attiniacensem distinguendum, recte contendens, ad annum 762, num. 3 reponet. Nec satisfacit, *inquit*, responsio Cointii dicentis, Assueri nomen ex libello Wandelberti laudato (*verbis scilicet num. præced. ex hoc recitatis*) restituendum (*in subscriptionibus conventus Attiniacensis, a Labbeo productis*) esse, quod alius Francorum conventus, *quam is, cui Assuerus interfuit*, apud Attiniacum post erectum Prumiense monasterium a Pipino rege celebratus non inveniatur.

annoque 762, ad Maium tantum provecto, fuerit

103 Wandelbertus enim intelligit conventum anno DCCLXV habitum, ad quem referri non potest decretum (*in conventu Attiniacensi, per Labbeum memorato, conditum supraque recitatum*) a XVII abbatibus subscriptum; cum in eo Assueri nomen non legatur, et ex Wandelberto, qui annum congregati conventus non exprimit, restitui non possit. *Ita Pagius : cum vero Cointii responsio præcipue fundetur in eo, quod post erectum Prumiense monasterium, seu post annum 760, quo hoc primum, utut perperam, statuit exstructum, unus dumtaxat conventus, qui anno 765 fuerit habitus, apud Attiniacum a Pipino inveniatur celebratus, ita porro Pagius prosequitur :* In Annalistis Francorum loca, in quibus Francorum conventus per hæc tempora habiti sunt, memorantur; sed qua in villa aut oppido conventus hoc anno (762 *scilicet*) habitus fuerit, nullibi legitur; indeque elicio, illum Attiniaci indictum fuisse, in eoque supra dictum decretum, in quo Assueri nomen cum aliis abbatibus non apparet, statutum. *Ex eo ergo, quod a Francorum annalistis, aliisque scriptoribus antiquis non exprimatur locus, quo conventus, olim a Francis mense Maio haberi quotannis solitus, anno 762 fuerit celebratus, Pagius concludit, fuisse tunc conventum, qui alius proinde non sit, quam conventus Attiniacensis, a Labbeo memoratus, Attiniaci celebratum. Et vero, cum duo equidem ex dictis, simulque tamen non plures, distinguendi videantur conventus Attiniacenses, a Pipino Brevi post annum 760 celebrati, alterque ex his, cui Assuerus, Prumiensis abbas, interfuit, anno 765 fuerit celebratus, illam sane Pagii conclusionem admittendam autumo, maxime cum præstare etiam videatur, ut posterior hic Attiniacensis conventus, cui Assuerus interfuit, a conventu, per Labbeum memorato, statuatur diversus, quam ut decretum, in hoc conditum, in abbatum, quas exhibet, subscriptionibus mendosum asseratur cum Cointio; qui, ut hoc assertum suum probet, nullam plane rationem convincentem affert.*

D

E

celebratus, nequit evinci; nec id etiam ex Bertharii textu, hic recitato,

104 *Fuerit itaque ex jam disputatis conventus Attiniacensis, a Labbeo memoratus, cui Sanctus noster interfuit ac subscripsit, non anno 765, sed anno 762, ad mensem Maium tantum provecto, celebratus, ac proin nequit ex hoc argui, Sanctum nostrum, qui quarta Octobris obiit, ultra annum 762, quo eum vita functum, ex Berthario supra contendimus, ætatem protraxisse. At vero, opponet non nemo ulterius, Bertharius (adi num. 7) etiam in hanc de* S. Magdalveo *scribit sententiam :* Fuit enim tempore Pipini regis usque ad tempus Caroli Magni; *his autem verbis indicare videtur, Sanctum ab eo circiter tempore; quo Pipinus Francorum rex factus est, usque ad tempus, quo Carolus Magnus regnare incepit, Virodunensem ecclesiam esse moderatum. Quapropter, cum Pipinus quidem ante annum 752; Carolus Magnus autem ante annum 768 regnare exorsus non sit, necesse est secundum Bertharium, ut ante annum quidem 752 Virodunenses infulas adeptus non sit* S. Magdalveus; *ante annum autem 768 non excesserit e vivis. Validissima sane hæc est objectio, meque initio dubitare fecit, an in Sancti nostri chronologia sat sibi constaret Bertharius, ac proin an ex scriptoris hujus fide Sancti nostri obitus cum anno 762 sat tuto posset componi. Verum, re maturius discussa, comperi, Bertharii verba, proxime huc transcripta, utut sensus, quem fert objectio, sint capacia, non necessario tamen eo esse interpretanda. Ita enim possunt accipi, ut dumtaxat significent, Sanctum ab eo tempore, quo floruit Pipinus, floruisse usque ad tempus, quo Carolus Magnus florere incepit. Jam vero, cum Sanctus sæculi* VIII *initio, Pipinus anno 714, et denique Carolus Magnus anno 742 natus sit, quid, quæso, contra opinionem, qua Sancti obitus anno Christi 762 illigatur, elici potest ex verbis Bertharii, sensu jam dato, acceptis?*

F

utpote qui sensum opinioni nostræ

105 *Adhæc illis hic scriptor potest etiam dumtaxat significatum voluisse,* S. Magdalveum *ab eo tempore, non quo Francorum rex primum factus est Pipinus, sed quo post Caroli Martelli patris obitum major-domus in Neustrasia hic princeps evasit, ecclesiam Virodunensem fuisse moderatum usque ad tempus, non quo Carolus Magnus post patris Pipini obitum regnare in Francia primum incepit, sed quo primum hic princeps cum fratre Carolomanno a Stephano Papa rex unctus est. Jam vero, cum Pipinus quidem anno 741 post patris obitum major-domus Neustrasiæ evaserit; Carolus Magnus autem anno 753 a Stephano Papa rex unctus fuerit, nihil pariter contra opinionem, qua Sanctum anno 762 obiisse, credimus, potest haberi ex iisdem Bertharii verbis, sensu jam proxime dato, acceptis,*

A *acceptis. Ne vero quis jam forte contendat, locutionem, qua Sanctum tempore Pipini regis fuisse ait Bertharius, ita non posse accipi, ut significet, Sanctum jam ab eo tempore, quo Pipinus factus est Neustrasiæ major-domus, ecclesiæ Virodunensi præfuisse episcopum, revoco in memoriam, quæ Commentarii hujus num. 43 et seq. dicta sunt. Etenim Paulus diaconus, qui res ad S. Chrodegandum, Metensem episcopum, spectantes, tempusque, quo hæ gestæ essent, probe habuit perspectum, verbis ibidem recitatis tradit, sanctum hunc præsulem temporibus Pipini regis ad Metensem sedem fuisse evectum; quod tamen serius non evenit quam anno 742, quo sane Pipinus Francorum rex nondum erat. Ea scilicet loquendi formula usus est Paulus diaconus, quod, quamquam quidem tunc seu anno 742, cum Metensium episcopus creatus est Chrodegandus, regis titulo nondum gauderet Pipinus, re tamen ipsa, utpote tunc nullo regni Francici coronam gestante principe, regiam auctoritatem in Francos exerceret.*

accommodatum patiatur recte conclu-seris.

106 *Quam ob rem, cum idcirco Paulus diaconus, quod sub Pipino, dumtaxat adhuc majore-domus, accidisse, norat, Pipini regis temporibus gestum scripserit, quid ni eamdem ob causam simili loquendi formula scripsisse credatur Bertharius, Sanctum nostrum tempore Pipini regis ad Virodunensem ca-*

B *thedram fuisse evectum, utut id sub hoc principe, adhuc dumtaxat majore-domus, factum novisset? Porro, cum Bertharius, spectato contextu, de tempore, quo Sanctus Virodunensem cathedram tenuerit, verbis proxime recitatis facere videatur sermonem, hæc idcirco non eo sensu, quem prius dedi, sed eo potius, quem jam mox assignavi, malim accipere, imo vero eo, uti inde verosimile fit, necessario etiam accipienda videntur. Jam vero, cum id ita sit, hinc etiam opinio, qua Sanctum ad Virodunensem sedem jam ab anno 742 statuimus evectum, probabilior efficitur, simulque habetur, ex iis, de quibus disserimus, Bertharii verbis necessum non esse, ut Sancti nostri obitus ultra annum 762 differatur. Quod si porro reponas, illis equidem Bertharii verbis, in sensu magis obvio acceptis, significari, Sanctum ab eo tempore, quo Pipinus primum factus est Francorum rex, usque ad tempus, quo Carolus Magnus regnare incepit, Virodunensi ecclesiæ præfuisse episcopum, id equidem non ibo inficias. Verum quid tum? Scriptorum verba in sensu magis obvio accipienda non sunt, si quando, ne ita accipiantur, ratio sat solida impediat; hoc autem hic locum indubie obtinet, cum putandum non sit, pugnantia scripsisse Bertharium, hicque scriptor, uti num. 98 et seq. jam docui, ea prodat memoriæ, e quibus necessario, nullo prorsus*

C *relicto in oppositum interpretationi loco, consequens evadit, ut Sanctus anno 762 vitam hanc mortalem cum immortali commutarit. Sed hæc jam, quantum opinor, dicta sufficient, ut, quamquam quidem omnem de modo, quo præmemorata Bertharii verba accipienda sint, scrupulum fortassis non tollant, cuique saltem eo, quo postremo diximus, modo accipienda esse, probabilius appareat. Aliud nunc insuper, quod huc etiam spectat, difficultatis caput discutiendum pariter atque dissolvendum hic est.*

In hac porro, ututalii aliter sentiant, ratio etiam,

107 *Hugo Flaviniacensis* (*adi Commentarii hujus num.* 96) *verbis ibidem adhuc recitatis ita habet :* Tunc (*cum scilicet a* S. Magdalvei *obitu in sedem Verodunensem anno 776 a Carolo Magno suffectus fuisset Petrus Italicus*) fuit episcopatus Virdunensis per duodecim annos vacuus, sed quidam servus Dei, Amalbertus nomine, juxta morem temporis illius factus chorepiscopus, regebat ipsam ecclesiam... Licet enim Petrus præfatus, vir Italicus, pro traditione Tharovisæ de ipso episcopatu fuisset ab eo (*nempe Carolo Magno*) honoratus, quia tamen semper suspecti sunt traditores in episcopatu per tempus præscriptum receptus non est. Tamen ne verbum regis esset inane et vacuum, post præscriptum annorum spatium concessum est illi civitatem ingredi et episcopatu potiri anno ab Incarn. Domini DCCLXXXVIII; *hæc Hugo, rationem reddens, ob quam,* S. Magdalveo *vita functo, Virodunensis ecclesia duodecim annis caruerit antistite, tantumque a chorepiscopo ad annum usque* 788 *fuerit administrata. At vero, inquient modo, qui Sanctum ad annum usque* 776 *vixisse, sedemque Virodunensem ab hoc anno ad annum usque* 788 *vacasse volunt, nequit in opinione eorum, qui Sanctum anno* 762 *obiisse, sedemque Virdunensem ab hoc anno ad annum usque* 774 *episcopo exstitisse vacuam, ex Berthario statuunt, ratio utcumque sat probabilis afferri, ob quam ab anno* 762 *ad annum usque* 774 *sub Pipino Brevi, hujusque filio, Carolo Magno, piis admodum principibus, Virodunensis episcopatus antistite vacuus exstiterit, totoque illo temporis spatio a chorepiscopo dumtaxat fuerit administratus. Ita præterea sententiæ nobis adversæ patroni possunt arguere.*

AUCTORE C. B.

108 *Verum næ hic multum illi falluntur : cum enim, ut supra docui, cathedralem Virodunensem ecclesiam, quæ infelici incendio fuerat absumpta, quique tantæ molis operi ad umbilicum adducendo fuere impendendi, verosimile sane fit, Virodunensem ecclesiam ære alieno, quod illum in finem verosimiliter fuerit contrahendum, multum etiam post Sancti obitum mansisse gravatam. Hinc porro factum esse potest, ut, vita functo* Magdalveo, *episcopatus Virodunensis, quo interim ex hujus redditibus annuis æs* E *alienum, ab ecclesia contractum, exsolveretur, antistite vacuus fuerit relictus, datusque pro more temporis chorepiscopo administrandus. En ergo rationem, et quidem, ut apparet, sat probabilem, ob quam in opinione, qua Sancti obitus anno* 762 *innectitur, potuerit ab hoc anno ad annum usque* 774 *episcopatus Virodunensis vacasse. Hinc etiam, qui Virodunensis ecclesiæ, administrante hanc Amalberto chorepiscopo, bona omnia, a Berthario verbis num.* 98 *recitatis enumerata, amittere potuerit, facile jam colliges, etiamsi cum Hugone sedum Virodunensem, cum jam ad hanc a Carolo Magno nominatus fuisset Petrus Italicus, vocasse non statuas. At vero, inquiet modo non nemo, ratio hic a nobis adducta, ob quam post* S. Magdalvei *obitum Virodunensis sedes forsan vacarit, in nullo antiquitatis testimonio fundatur. Fateor, sic habet : verum quid tum? Vero equidem sat similis apparet, idque insuper habet, quod ex iis, quæ Bertharius, scriptor utique antiquus, memoriæ prodit, sit deducta.*

ob quam Virdunensis sedes 12 *annis vacarit, potest afferi;*

109 *Nec repudianda est, quod ratio longe diversa et a Wasseburgio et ab Hugone assignetur. Etenim nec Hugone nec Wasseburgio hic standum est. Rem sic probo : Ait lib.* III *Antiquitatum fol.* 137 *verso Wasseburgius, Virodunensem sedem a Sancti nostri obitu duodecim annis idcirco vacasse, quod Pipinus* F *quidem et Carolus Magnus, qui nominandi ad episcopatus, in Galliis vacaturos, facultatem Pontificia concessione acceperant, bellis continuis distracti, toto illo temporis spatio a civitate Verodunensi abfuerint. Verum cui verosimile appareat, principes illos, etiamsi Viroduno subinde tum procul abfuerint, ad vacuam urbis hujus cathedram nominare non potuisse episcopum, aut etiam de hoc faciendo nec monitos fuisse, nec sponte sua cogitasse? Certe Carolus Magnus Viroduni non versabatur, dum ad episcopalem civitatis hujus sedem Petrum Italicum nominavit. Quod jam pertinet ad rationem, ab Hugone verbis supra huc transcriptis expressam, præterquam quod hæc ab auctore, qui Hugone sit antiquior, memorari non inveniatur, repetitur a populo cleroque Virdunensi, qui Petrum Italicum, utut a Carolo Magno episcopum jam designatum, in civitatem suam recipere, idcirco noluerit, quod odioso proditoris nomine laboraret. Verum sat verosimile non apparet, clerum populumque Virodunensem eo processisse audaciæ, ut episcopum, a Carolo Magno, penes quem ad sedes in Galliis vacuas aut porro vacaturas nominandi erat facultas, sibi designatum, ausus fuerit non recipere. Adhæc quamquam quidem Bertharius nullam, ob quam a Sancti obitu sedes Virdunensis duodecim annis vacarit, rationem assignet, Hugo tamen cum hoc scriptore in assignanda, ob quam Virdunensis sedes tamdiu vacarit, ratione jam memorata pugnat.*

Hugo autem in ratione, ob quam id factum prodit.

110 *Ita*

AUCTORE C. B. *verosimiliter falsus est,*

110 *Ita autumo, quod hæc requirat, ut sedes Virodunensis non prius, quam cum ad hanc jam nominatus fuisset Petrus Italicus, episcopo vacua fuerit relicta; quod sane cum Bertharii assertis, utpote sedem Verodunensem ante Petri nominationem vacasse exigentibus, apertissime pugnat. Jam vero, cum id ita sit, Bertharii*que*, utpote scriptoris Hugone longe præstantioris, assertis potius standum sit, quis rationem, ob quam Virdunensem sedem vacasse vult Hugo, non repudiet, aut certe falsitatis non habeat admodum suspectam? Quid si Hugo, cum sedem quidem Virodunensem duodecim annis a Sancti nostri obitu vacasse ex Berthario resciret, rationem autem, cur tamdiu hæc vacarit, ignoraret, rationem idcirco, quam allegat, absque ullo antiquitatis testimonio finxisse adstruatur? Id sane Hugo, ut mihi equidem apparet, re ipsa forsan fecerit, vel sane, quod non nemini verosimilius forsan videbitur, rationem illam ex auctore minime probato hauserit. Utrumlibet statuatur, equidem ex jam disputatis habemus, non tantum in opinione, qua Sancti obitum anno* 762 *illigamus, rationem posse afferri non improbabilem, ob quam, vita functo* Magdalveo, *sedes Virdunensis diutissime vacarit; verum etiam rationem, ob quam id factum prodit Hugo, verosimiliter*
B *in veritate fundatam non esse. Atque ita quidem prostrema hæc difficultas, contra opinionem, qua Sanctus anno* 762 *obiisse statuitur, moveri nata, dissoluta etiam jam est. Restat nunc, ut alteram etiam dissolvam, quæ, quamquam quidem Sanctum anno demum* 776 *obiisse, non postulet, id tamen serius quam anno* 762, *cui nos felicem ejus e vivis transitum innectimus, evenisse exigit.*

uti et in urbe, ob quam proditam Petrum scribit factum episcopum:

111 *Secundum Bertharium Petrus Italicus ob Papiam, secundum Hugonem autem ob Taravisinam civitatem, Francis traditam, a Carolo Magno ad Virodunenses insulas fuit promotus. Jam vero, cum in Francorum potestatem anno* 776 *venerit Taravisina civitas, atque ab hoc anno anni duodecim, quibus secundum nos a Sancti obitu ante Petri ad episcopales insulas promotionem vacavit Virodunensis sedes, ordine retrogrado computati deducant ad annum* 764, S. Magdalvei *obitus cum hoc ipso anno* 764 *debebit componi, si modo Hugoni, Petrum Italicum a Carolo Magno ob traditum Tarovisum Virodunensi episcopatu donatum asserenti, assentiendum sit. Verum enim vero Bertario, qui id non ob Tarovisum, sed ob Papiam traditam factum affirmat, potius iterum hic assentiendum est, quam Hugoni. Etenim hic scriptor, ne cetera jam ante adducta, ob quæ deterioris, quam Bertharius, est*
C *fidei, etiam hic repetam, donationem, ut jam docui, abbatiæ S. Amantii, a Berengario, qui Virodunensium sæculo decimo fuit episcopus, monasterio S. Vitoni factam, ab ipsomet S. Amantio, qui sæculo* V *floruit, factam esse, perperam affirmat. Adhæc gloriosam, ut pariter jam docui, corporis* S. Magdalvei *de terra levationem, quæ secundum ipsummet sæculi* IX *initio facta est, sub Berhardo, Virodunensi episcopo, ad hanc dignitatem ante annum* 870 *non promoto, evenisse, manifesto errore litteris consignat. Jam vero, cum Hugo tam in donatore, qui in monasterium S. Vitoni fuerit munificus, quam in episcopo, qui Sancti nostri corpus sæculi* IX *initio de terra levarit, assignando aberret, pro certo quis asserat, non errare eum pariter in assignanda civitate, ob quam Francis traditam Petrus Italicus fuerit in Sancti defuncti locum a Carolo Magno suffectus.*

id adeo ob proditam Papiam, ut tradit Bertharius, qui nec hic

112 *Bertharii itaque, qui indubitati erroris nuspiam convincitur, quique Petrum Italicum ob traditam Papiam Virodunensium antistitem creatum tradit, amplectenda potius videtur narratio. Verum, opponet modo non nemo, Papia post longam sex ut minimum mensium obsidionem, peste et fame ad extremas angustias redacta, a Desiderio, Longobardorum rege, qui huic sese cum uxore et filia incluserat, Carolo Magno tandem ex pacto fuit tradita nec ullum proditionis, qua Francis a quopiam civitas illa fuerit in manus data, in antiquis historicis, Papiensem seu Ticinensem obsidionem, a Carolo* D *Magno factam, commemorantibus, vestigium occurrit. Fateor, sic habet; verum quid tum? Nihil etiam habetur ex antiquis historicis, ut Taravisinam civitatem fuisse a quopiam proditione Francis traditam, affirmes. Attamen, cum equidem Bertharius, Papiam fuisse a Petro Italico proditione Francis traditam, sat aperte innuat, juverit hic, ne indubitati erroris Bertharium forte quisquam arguat, quo sensu illud, utut ab historicis non traditum, verosimilius veritati sit consonum, exponere. Wasseburgius lib.* III *Antiquitatum fol.* 140 *ait, Desiderio, Longobardorum regi, Francis obsidentibus Papiam, duos fuisse celebrioris nominis consiliarios, quorum alter fuerit Paulus diaconus, alter Petrus, ad episcopatum Virdunensem postea evectus. Non unius hi erant opinionis. Prior enim, fidei in Desiderium, dominum suum, prorsus incorruptæ, omni modo Francis resistendum, protractaque obsidione, suppetias esse exspectandas forteque afferendas contendebat; posterior vero, qui fidei erga Desiderium adeo integræ non erat, pecunia forte aut promissionibus a Francis corruptus, nullam suppetiarum spem superesse, deditionemque proinde, attentis gravissimis, quæ incolæ ex obsidione paterentur, incommodis, absque ulteriori mora faciendam esse,* E *aiebat, tantumque suis verbis et suasionibus effecit, ut tandem Desiderius Papiam, sese ipsum, uxorem et filiam, certis pactis conditionibus, Francorum potestati permiserit.*

erroris convincitur, verosimilius factum fuerit,

113 *Ita fere quantum ad substantiam Wasseburgius. Petrus igitur secundum hunc scriptorem Papiam non aperta vi aut fraude, sed consilio dumtaxat occultoque dolo, ex prava in Desiderium voluntate profecto, Francis prodiderit, aut citius certe, quam alias factum fuisset, dedendam curarit; cum autem, quæ de insigni Pauli diaconi in Desiderium fide memoriæ hic prodit Wasseburgius, e probatæ fidei documentis constent, didicerit forte tam ea, quæ de Petro, quam quæ de Paulo diacono narrat, ex antiquiori quopiam auctoritatis non contemnendæ scriptore, ac proin non est, cur certo falsum putetur, quod de civitate Ticinensi, seu Papia, quam consilio suo Francis tradi fecerit Petrus Italicus, litteris consignat. Jam vero, cum ea, quæ consilio dumtaxat doloque occulto geruntur, passim non tam nota sint, quam quæ aperta vi efficiuntur, fieri potest, ut Papiam a Petro Italico consilio occultoque dolo Francis fuisse proditam, scriptores ignorarint, ac proin ex eo, quod rem hi silentio prætereant, consectarium non est, ut civitatem illam Francis a Petro Italico fuisse traditam seu proditam, certo atque indubitato errore scribat Bertharius. Qua-* E *propter, cum id ita habeat, vel ob solam Bertharii, qui nec hic erroris convincitur, auctoritatem verosimilius autumo, Petrum Italicum, utut Hugo aliter scribat, Francis seu Carolo Magno eo forte, quem jam exposui, modo prodidisse Papiam, hancque ob causam fuisse episcopatu Virodunensi a principe illo donatum. Jam vero, cum Carolus Magnus anno* 774 *in potestatem suam Ticinum seu Papiam acceperit, annique duodecim, quibus tunc ex jam dictis episcopatus Virodunensis vacarat, retrogradiendo computati deducant ad annum* 762, *firma manet nostra opinio, qua anno huic, non autem anno* 764, *Sancti obitum supra affiximus.*

mœnetque, proinde, quid-quid contra Cointius et Pagius argumentur,

114 *Hanc porro opinionem, utut in sola Bertharii auctoritate fundatam, opinione jam supra discussa, quæ Sancti obitum anno* 776 *innectit, quæque notis chronicis, ex Cointio num.* 87 *et seq. propositis, ab Hugone firmatur, probabiliorem esse, magis magisque, omnibus jam consideratis, existimo. Ea autem, ut præcipua opinionis nostræ fundamenta breviter hic repetam, præsertim idcirco sedet sententia, quod Bertharius uno dumtaxat circiter sæculo post Sancti nostri ætatem floruerit, ac proin potiorem, quam Hugo, qui tribus circiter sæculis ab ea abfuit, fidem mereatur, maxime cum nullius prorsus aperti, indubitatique erroris sit convictus; Hugo autem tam frequentes tamque manifestos, uti*

ex

A *ex jam supra disputatis liquet, errores præsertim chronologicos admittat, ut ei etiam tum, cum notis pluribus chronicis, apprime invicem congruentibus, eumdemque Christi annum designantibus, factum aliquod communit, tuto fidi haud queat, ac proin ut, quamquam notis chronicis supra productis, optime invicem congruentibus annumque Christi 776 designantibus, Sanctum hoc anno obiisse, luculentissime indicet, fidem sat certam hac in re mereri haud possit. Contrarium quidem ex dictis Cointius et Pagius contendunt. Verum quidquid bini hi scriptores, qui opinionem suam nullo prorsus argumento stabiliunt, indubitanter hic loquantur, quidquid asseverent, quidquid argutentur, ego quidem, ut contra Bertharii fidem Sanctum anno 776 obiisse credam, neutiquam possum induci solo Hugonis testimonio, qui in errores, ut jam sæpe monui ac probavi, apertissimos frequenter prolabitur, quique, cum pleraque, quæ in prima Chronici sui parte tradit, ex auctoribus antiquioribus (adi num. 8) absque delectu et judicio deprompserit, forte etiam supra memoratas, quibus Sanctum anno 776 excessisse e vivis indicat, notas chronicas, seu potius (adi num. 93 et binos seqq.) harum unam, e qua profluxerint reliquæ, hauserit dumtaxat ex sequioris fidei scriptore, cui præ Berthario, quem tamen ha-*

B *buit ante oculos, ex prudentis criseos defectu duxerit assentiendum.*

opinio, qua Sancti obitum anno 762 innectimus.

115 *Et vero multum dubito, anne Cointius, et Pagius præcipue, qui conventum Attiniacensem, cui Sanctus interfuit, anno 762 innectit, opinionem mutaturi non fuissent, si brevem episcoporum Virodunensium Historiam, in qua Sanctum anno 762 obiisse, apertissime indicat Bertharius, habuissent præ oculis. Verum hanc anno primum 1675 typis vulgavit Acherius, ut forte visa non fuerit, imo ne videri quidem Cointio potuerit, dum hic scriptor sextum, jam ab anno 1676 luci datum, Annalium suorum tomum, in quo Sancti obitum anno 776 illigat, prelo appararet. Quod vero pertinet ad Pagium, potuit quidem hic brevem illam videre Bertharii lucubrationem; verum hanc, utpote quam non citet, verosimillime haud consuluit, reque non sat discussa, Cointium præpropere videtur secutus. Idem dicendum videtur de Mabillonio, qui, quamquam quidem, uti Cointius et Pagius, notas omnes chronicas ab Hugone suppeditatas annumque Christi 776 designantes, non memoret, Sanctum tamen ex dictis hoc anno obiisse, indicat. Ita autumo, vel ex eo, quod Sanctum anno vitæ suæ penultimo omnia sua S. Vitono dedisse, manifesto errore, in quo ei (adi num. 87) prævit Cointius, verbis num. 89 recitatis scribat. Sanctus enim (videsis Vitam edendam num. 37) anno vitæ*

C *suæ penultimo omnia sua S. Vitono non dedit, sed tantum a Theuthardo plura, quæ hic habebat et possidebat, S. Vitono adquisivit. Itaque, ut tandem, omnibus jam expensis, § huic finem imponam, quamvis Cointius, Pagius, hisque etiam adjunctus Mabillonius* S. Magdalvei *obitum cum anno 776 conjungant, horum ego, ut idem faciam, auctoritate minime moveor, sed opinioni, quæ Sanctum anno 762 obiisse statuit, veluti probabiliori, firmiter adhæreo, futurumque puto, ut mihi assentiantur, quicumque, quæ de Hugone et de Berthario in medium adduximus, attento præjudiciisque vacuo animo expenderint.*

§ X. Sancti sepultura, variæ translationes et cultus ecclesiasticus.

Sanctus in ecclesia S. Vitoni fuit sepultus,

Quod pluribus viris, felici beatoque e vivis excessu ad Superos translatis, ob insignem plane, qua vitam exegerant, sanctimoniam evenit, id quoque Sancto nostro a supremo meritorum ejus prorsus insignium remuneratore Deo fuit concessum, ut multis claruerit ab obitu miraculis. Cum vero, *inquit de Sancto seu potius de sacro ejus cadavere num. 7 Comment. hujus Bertharius*) inde (*e Nova-Villano vico*) portaretur ad sanctum Petrum sive ad sanctum Vitonum, fertur, quod super crucem, videntibus cunctis, duæ columbæ candidæ sicut nix venerint, et in eadem usque dum corpus ejus sepulturæ traditum fuisset, sederunt. *En insigne plane, quo Sanctus ab obitu fuerit illustratus, miraculum! pro hoc tamen, utpote quod ipsemet Bertharius ex dubitantis, quam adhibet, loquendi formula, pro certo habuisse non videtur, spondere neutiquam ausim. Sancti biographus num. 43 rem paulo aliter narrat. En verba.* Statim... (*inquit*) ut cælo (S. Magdalveus *nimirum*) spiritum reddidit, duæ columbæ candidiores nive ab æthere, cunctis videntibus, lapsæ super crucem, quæ ante corpus erat, sederunt, et per omnes exequiarum moras, usquequo sepulturæ traditum est, manserunt, sicque, videntibus illis, iterum poli secreta petierunt. *Ita Hugo, qui, quidquid sit de columbarum, quæ sancti funeri adfuerint, prodigio, mox subjungit, Sancti corpus in Virdunensi S. Vitoni ecclesia solemni ritu, præsentibus vicinarum urbium episcopis, terræ fuisse mandatum; qua sane de re, quam etiam verbis proxime recitatis insinuat Bertharius, dubitandum non est.*

AUCTORE C. B

cumque ad tumulum multis illustraretur miraculis,

117 *Miraculorum porro multitudo, qua, ut jam innui, Sanctum ab obitu illustravit divina benignitas, ad tumulum, quem in ecclesia illa nactus est, evenit. Testatur id Hugo num. 43 his verbis:* Humato Patris (*sancti* Magdalvei) corpore, ut ostenderetur in cælis semper vivere, ad ostendenda præclara ejus merita fiebant ad sepulchrum ejus divina miracula. *Ita Sancti biographus. Quamquam autem Bertharius miraculorum, quæ ad* S. Magdalvei *tumulum ab ejus obitu fuerint patrata, ne verbo quidem meminerit, Hugonem tamen hic a veritate minime esse devium, vel ex eo fas est concludere, quod sacrum* Magdalvei *corpus quadragesimo, postquam hic vita functus esset, anno de terra, qui honor tum etiam, cum id factum est, tantummodo viris, sanctitatis miraculorumque fama claris, impendi solebat, solemni ritu fuerit levatum. Pauca Bertharii verba, quibus Sanctum quadragesimo, postquam obiisset, anno de terra levatum, simulque tunc sacrum ejus corpus repertum fuisse incorruptum, docet, huc transcribo. Sic habent:* Cujus (S. Magdalvei *videlicet*) corpus, dictu mirabile! post quadraginta annos integrum repertum est, et, ubi nunc jacet, venerabiliter reconditum est. *Fuisse sacrum* S. Magdalvei *corpus quadragesimo, postquam hic ad Superos jam evolasset, anno de terra levatum incorruptumque repertum, etiam docet Hugo, Sancti biographus.*

E

sacrum ejus corpus probabilius anno 802,

118 *Et quidem nonnihil prolixiori, quam supra ex parte huc transcripsi, oratione id præstat. Tota in compendium contracta sic habet: cum quotidianis Sancti sepulchrum illustraretur miraculis, frequensque propterea ad id populi fieret concursus, sacrum* Magdalvei *cadaver e terra educere, honoratiorique loco deponere, episcopo Virodunensi, clero populoque est visum. At ecce, dum referatur loculus, mirum sese offert adstantibus spectaculum. Cadaver, quod jam annis quadraginta in terra jacuerat reconditum, inveniunt prorsus incorruptum, nulla vel macula vel signo ex morte fœdatum, suavissimumque a se odorem diffundens. Hærent omnes prodigio attoniti, simulque lætitia perfusi sacrum pignus de terra summa veneratione educunt, inque præparatum ad id mausoleum transferunt. Virodunensi ecclesiæ episcopus tum præerat Berhardus; Occidentali autem imperio Lotharius, Ludovici Pii filius. Ita fere quantum ad substantiam Hugo, duos in chronologiam admittens errores; alterum quidem, quod sub Berhardo, Virodunensi episcopo, alterum vero, quod sub Lothario, Ludovici Pii filio, Sancti translationem factam scribat. Priorem ex his num. 93 ob oculos jam posui; proximum est, ut alterum nunc demonstrem. Hunc in finem, quo Christi anno sacrum Sancti cadaver de terra fuerit levatum, prævie aperio. Id anno ab obitu Sancti quadragesimo tam secundum Bertharium, uti ex jam dictis liquet, quam secundum Hugonem evenit. Quam ob rem, cum ex*

F

nostra

AUCTORE C. B. *nostra quidem opinione probabilius anno 762, ex Hugonis autem calculo anno 776 Sanctus obierit, consequens est, ut quidem secundum Hugonem anno 816, probabilius autem anno 802 sacrum Sancti cadaver de terra fuerit levatum.*

summi forte Pontificiis vel jussu vel consensu

119 *Jam vero, cum Lotharius, Ludovici Pii filius, ante annum 840 patri in imperium non successerit, illam Sancti nostri, qua de hic agimus, translationem,* imperante Lothario, Ludovici Pii filio, *factam esse, perperam notat Hugo, Sancti biographus, alterumque proinde errorem hic admittit, etiam in opinione, qua Sancti obitum anno 776, ac proin translationem anno 816 innectit, satis gravem; in opinione vero ex jam supra dictis probabiliori, qua Sancti obitum anno 762 ac proin translationem anno 802 illigamus, longe graviorem. Porro Hugo non tantum in ea, qua Sancti de terra levationem refert, narratione errores jam ostensos admittit, verum etiam, quod nobis hic accidit incommodum, nihil omnino suppeditat, ex quo utcumque colligas, an sacra illa solemnitas, summo Pontifice jubente, aut saltem consentiente, fuerit peracta. Eodem etiam defectu laborat Bertharii narratio. Verum Wasseburgius lib. II Antiquitatum fol. 133 vers. auctoritate summi Pontificis Sancti corpus de terra fuisse levatum, diserte affirmat. Verba ejus in compendium redacta*

B *ita habent: Austrannus, Virodunensis episcopus, anno post Sancti obitum quadragesimo ad populi petitionem sepulcrum ejus aperiri, levari corpus, levatumque in capsam argenteam inferri, summi Pontificis, Leonis III, auctoritate jussit. Ita Wasseburgius, luculenter sane, ut dixi, docens, Sancti nostri de terra levationem, summi Pontificis interveniente auctoritate, fuisse peractam. Verum hicne scriptori illi certo assentiendum? Cum equidem neque Bertharius, neque Hugo quidpiam scribat, quod Wasseburgio hic adversetur, fuisse Sanctum, uti hic auctor prodit, summi Pontificis auctoritate de terra levatum, sat credibile existimo; id tamen pro certo asseverare idcirco non ausim, quod ad id Wasseburgii, scriptoris a re nimium remoti, auctoritas neutiquam sufficiat, reperiaturque etiam, subinde olim et cultum ecclesiasticum Sanctis decretum, et sacra horum corpora episcoporum dumtaxat auctoritate e terra fuisse levata.*

interveniente, de terra levatum,

120 *Utut interim res hæc habeat, Wasseburgius equidem Sancti translationem sub Leone III, summo Pontifice, et sub Austranno, Virodunensium antistite, recte collocat. Leo enim, uti inter eruditos satis convenit, ab anno 796 ad annum usque 816 Romanam S. Petri cathedram occupavit; Austrannus autem, ut Bertharius apud Acherium tom. XII Spicilegii pag. 239 et seq. docet, Virodunensem ecclesiam, postquam hanc, quæ prævie a Sancti nostri obitu seu*

C *ab anno 762 duodecim annis vacarat, annis viginti quinque moderatus fuisset Petrus Italicus, gubernandam accepit, quinorumque deinde annorum spatio prudentissime gubernavit, ut adeo anno 802 episcopi munere adhuc Virodunensibus præfuerit. Quapropter, cum ex dictis sacrum* S. Magdalvei *cadaver probabilius anno 802 de terra fuerit levatum, id sub Leone III, summo Pontifice, et sub Austranno, Virodunensium antistite, accidisse referens Wasseburgius minime est carpendus, veritatique etiam probabilius ejus congruit narratio. Atque hæc sunt, quæ in primam Sancti nostri translationem observanda habui; ad aliam jam progredior. Hugo Flaviniacensis in secunda Chronici sui Virdunensis parte, in qua, quod res ævo suo seu sæculo* XI *gestas dumtaxat ibidem tractet, fidem ex dictis longe potiorem meretur, apud Labbeum Bibliothecæ novæ Mss. pag. 163 refert, Richardum (de hoc apud nos tom. II Junii actum est) ab Heimone, Virodunensium antistite, anno 1004 ordinatum fuisse Vitoniani in civitate Virodunensi monasterii abbatem, ac dein, postquam a venerabili hoc viro novam, eamque priori seu antiqua ampliorem ac elegantiorem præfato monasterio seu abbatiæ ecclesiam fuisse exstructam, pag. 164 narravit, ita deinde pag. seq. subjungit:* Ædificata igitur nova ecclesia majori ambitu et elegantiori opere, necessarium fuit, ut corpora quorumdam D sanctorum pontificum transmutari debuissent.

inter annos dein 1003 et 1047 in vas marmoreum translatum

121 Tunc corpus sancti Madelvei incorruptum repertum est, et in cripta sanctæ Mariæ sub altari in vase marmoreo decenter repositum. *En adeo alteram Sancti nostri translationem; quæ dum facta est, sacrum ejus corpus iterum, teste Hugone, repertum est incorruptum. Hæc porro Sancti translatio, utpote post novam ecclesiam, uti ex Hugone intelligitur, a Richardo jam abbate, qui anno ex dictis 1004 ad hanc dignitatem primum fuit evectus, Vitoniano monasterio exstructam facta, ante annum 1004 non evenit: hanc autem etiam post annum 1046 factam non esse, fas est colligere ex iis, quæ Hugo Flaviniacensis in secunda iterum Chronici sui parte apud Labbeum tom. cit. Bibliothecæ pag. 189 memoriæ prodit. Etenim ibidem, narratis prædicti abbatis Richardi sepultura ac obitu, sic scribit:* Requiescit autem (*Richardus abbas*) in cripta subterranea ante altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ et S. Joannis Euangelistæ, et super eum majus altare S. Petri stabilitum est. In eadem cripta subtus altare præfatum S. Mariæ sanctus requiescit Madelveus, ab eodem patre nostro (*Richardo nimirum*) ibidem transpositus et reverenter tumulatus. *Ita Hugo, luculentissime sane docens, Sancti nostri translationem, a*

E *translatione proxime memorata utique non diversam, a Richardo, Vitoniano abbate, fuisse peractam. Quam ob rem, cum anno 1046, uti iterum Hugo apud Labbeum tom. cit. pag. 190 testatur, vita functus sit Richardus, Sancti indubie, qua de hic sermo est, translatio post annum 1046 facta non fuerit. Jam vero cum hæc translatio, qua Sancti corpus e tumulo seu potius mausoleo antiquo in novum, id est, in vas marmoreum subtus sanctissimæ Dei Genitricis altare (vide utrumque Hugonis textum jam proxime recitatum) fuit transpositum, secundum jam dicta etiam ante annum 1004 facta non sit, consequens fit, ut inter annum 1003 et 1047 evenerit*

ac tandem pretiosiori capsæ anno 1477 fuit inclusum:

122 *Ceterum nihil suppetit præterea, quo propius determinem tempus, cui innectenda sit secunda hæc Sancti translatio. Hujus, quod mirum videri potest, ne verbo quidem meminit in sua Lotharingiæ Historia Calmetus; verum, ubi priorem, quæ ex dictis anno 802 probabilius facta est, translationem tom. jam sæpius cit. col. 546 narravit, verbis Gallicis, Latine a me redditis, ita subjungit:* Tunc (*cum scilicet Sancti, quadraginta dumtaxat annis defuncti, prima facta est translatio*) fuit illud (*sacrum* Magdalvei *cadaver*) capsæ inclusum, populique venerationi expositum; verum anno MCDLXXVII Matthæus, abbas S. Vitoni, novam ei (S. Magdalveo *videlicet*) capsam multo pretiosiorem confici fecit, fuitque in hanc illius corpus translatum. *Hæc Calmetus; qui,*

F *quamquam quidem secundum jam memoratam Sancti translationem silentio involvat, tertiam tamen, cujus alibi mentionem invenire non quivi, opportune nos docet. Fuerit porro capsa seu theca, in quam tunc, cum hæc facta est, Sancti corpus illatum ait, ex argento verosimillime constructa. Etenim Wasseburgius, qui, quod tamen mirum est, duarum posteriorum, quas ex Hugone et Calmeto jam proposui, Sancti translationum ne verbo quidem mentionem facit, hasque proinde ignorasse videtur, in suo de Galliæ Belgicæ Antiquitatibus Opere, quod anno 1549 typis vulgavit, fol. 133 verso memoriæ prodit, quadragesimo post obitum Sancti anno factum esse, ut sacrum ejus cadaver, repertum incorruptum, in capsam argenteam, uti tum adhuc cernebatur, ab Austranno, Virodunensium episcopo, fuerit illatum. Erat ergo Wasseburgii ævo seu sæculo sexto decimo sacrum* Magdalvei *corpus capsæ argenteæ inclusum; quod cum sæculo* XI (*vide, quæ num. 121 dicta sunt*) *in vas dumtaxat marmoreum e loco, in quo ante jacuerat, a Richardo abbate fuerit illatum, capsa argentea, cui Wasseburgii ævo includebatur, verosimillime non ante, contra ac num. 119 sentit Wasseburgius, sed post Sancti translationem, a Richardo abbate factam, fuerit confecta.*

123 *Quam ob rem, cum post hanc a Richardo sæculo*

A *sæculo undecimo factam translationem nova Sancto hierotheca præter capsam, in quam anno 1477 sacrum ejus corpus translatum, verbis proxime recitatis tradit Calmetus, fuisse exstructa non inveniatur, hæc verosimillime fuerit ea ipsa capsa argentea, cui Wasseburgii ætate Sancti corpus exstabat inclusum, ac proin capsa pretiosior, quam, teste Calmeto, anno 1477 Sancto confici fecit Matthæus, S. Vitoni abbas, verosimillime fuerit ex argento constructa. Atque hæc sunt, quæ de variis Sancti translationibus commemoranda habui. Porro Virodunenses insignem suam in Sanctum venerationem non tantum tribus jam memoratis, quibus sacras ejus affecerunt exuvias, translationibus probavere, verum etiam cultu Officioque ecclesiastico, quo ejus quotannis recoluere memoriam, hodieque adhuc verosimillime recolunt. Et festivæ quidem huic luci quartam Octobris diem, qua Sanctus migravit ad Dominum, quondam consecrarant; verum dubito, an, mutatione quapiam facta, Sancti festum in quintam Octobris diem hodie non differant. Etenim Calmetus in Lotharingiæ Historia tom. I, col. 546 Sanctum quinta Octobris die apud Verodunenses coli affirmat, atque hinc forte factum est, ut, cum* Magdalveum *quinta Octobris die olim etiam apud Verodunenses cultum fuisse, ex errore putaret, hac illum pariter die obiisse, litteris*

B *ibidem contra Hugonis aliorumque omnium scriptorum fidem perperam mandarit. Attamen, cum Calmetus in rebus, quas de Sancto nostro scribit, ubique, uti ex supra dictis facile colliges, omnimodæ accurationis laudem haud mereatur,* S. Magdalveum *hodie non quarta, sed quinta Octobris die a Virodunensibus coli, pro certo asseverare non ausim. Utut sit, Sancti equidem memoriæ quartam Octobris diem olim apud Virodunenses fuisse consecratam, certum est atque indubitatum.*

124 *Etenim apud nos exstat Breviarium Virodunense, quod anno* 1625, *et Missale item Virodunense, quod anno* 1534 *typis notatur excusum; ex ambobus autem hisce monumentis constat, Sanctum tunc, cum typis fuere excusa, ad quartam Octobris diem apud Verodunenses cultum fuisse. Etenim ad hanc diem in Missali quidem Missa de* S. Magdalveo, *in qua tamen hic nihil sibi habet proprium, dicenda proponitur; in Breviario autem recitandum præscribitur novem lectionum Officium, in quo hæ omnes Sancto sunt propriæ, atque ex ejus Actis, per Hugonem Flaviniacensem descriptis atque huic Commentario subjiciendis, omnes depromptæ, uti ex facta illarum cum his collatione manifestum evadit. Jam vero, cum hæc ita sint, certum fit, non tantum Sanctum olim ad quartam Octobris diem cultu Sanctis Officiŭ ecclesiastici recitatione festique annui celebratione deferri solito Viroduni fuisse affectum,*

C *verum etiam cultum illum satis esse antiquum. Et vero multo etiam is, quam bina jam producta documenta indicent, est antiquior. Intelligitur id iterum ex secunda Chronici Virodunensis parte. Etenim in hac Hugo Flaviniacensis apud Labbeum tom. Bibliothecæ Novæ Mss. jam sæpissime cit., pag.* 190 *factum esse refert, ut Rodulfo, qui tertius a Richardo supra memorato monasterium S. Vitoni sub sæculi* XI *finem moderatus est, mente sæpius volventi, scireque aventi, an Richardus ille suus decessor tantæ quidem, quantæ putaretur, sanctitatis fuisset, visio in somnis, cum ad illius pernoctaret sepulcrum, fuerit oblata, qua angelum sibi viderit adstantem atque hæc audiverit dicentem:* Diu te cogitatio tua morosa curiositate detinuit, ut scires, cujus meriti hic, cujus sepulchro adsistis, esset, et ne te diutius fatigandum protrahat, missus sum hæc tibi expedire

125 Duo sunt in hac cripta quiescentes, et diem Domini, quo duplici stola remunerentur, exspectantes, hic abbas Richardus, et confessor Christi præcipuus Madalveus, cujus vos festivitatem suo tempore et die devotis, ut dignum est, honoratis officiis; utpote quem Deus in numero Sanctorum suorum et sorte Justorum adscivit. Et iste quidem digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit Justorum. Hic autem, cujus adsto sepulchro, pari vobis nec minori devotione venerandus in terris, quem pari sorte, nec inferiori gloria, Deus decoratum sublimavit in cælis. Multa sanctitatis ejus fama in terris, quam tamen nec ad medium nostis, quia Vir gratia Dei inluminatus humilitati studuit et vilitati, nec actus suos prodere maluit, sed occultare. Sed noveris, quia magnum patronum et Deo carissimum præmisistis, et quæ de eo dicuntur, vera sunt, quamquam ampliora dici possent. Placeat tibi devotio filiorum ejus erga memoriam ejus et quæ tibi missus a Deo refero, hac ipsa die omnibus in commune edicito, ut gaudeant de felici successu patris, quem habent suffragatorem et devotum interventorem in cælis. Tu itaque, his de beato Viro agnitis, viam, quam cœpisti, ne deseras, mortificationi carnis, humilitati, vilitati et castimoniæ invigila, lucrandis animabus operam da, ut cum hoc et aliis doneris beatitudine æternæ jocunditatis.

AUCTORE C. B.

126 *Hæc Hugo, veluti Rodulpho, monasterii Vitoniani sub sæculi* XI *finem abbati, ab angelo in somnis dicta, proponens; quamquam autem vel ex eo, quod sæculi* X *et* XI *scriptores in credendis confingendisque visionibus ac prodigiis mire fuerint proclives, merito possit ambigi, an Rudolpho vere fuerit, quam Hugo memorat, cælestis oblata visio, e verbis tamen, quæ hic scriptor, utpote qui non serius quam sæculi* XII *initio floruerit, veluti ab angelo prolata refert, fas est colligere,* S. Magdalvei *festivitatem quotannis, verosimillime quarta Octobris, Viroduni sæculo* XI *et* XII, *cum Hugo Flaviniacensis floruit, devotis officiis, ac proin verosimiliter sacrosancti Missæ sacrificii celebratione, Officiique ecclesiastici recitatione fuisse honoratam. Cultum ergo Sanctis deferri solitum, festumque Officio ecclesiastico celebrandum diu etiam ante sæculum* XVI, *ut supra asserui, Viroduni nactus est* S. Magdalveus; *quod pariter ei diu etiam ante ipsum sæculum undecimum obtigisse, verosimillimum mihi vel idcirco apparet, quod ut supra vidimus, et miraculis ab obitu patratis, frequenti hinc ad tumulum suum populi concursu illustratus, ac deinde quadragesimo dumtaxat, postquam obiisset, anno de terra summa veneratione fuerit levatus.*

ipse autem Sanctus quotannis apud Virdunenses 4 Octobris

cultu ecclesiastico jam inde a sæculo XVI, *imo etiam, uti ex Hugonis verbis,*

e Chronico Virdunensi huc transcriptis,

eruitur, a sæculo XI, *ac multo etiam citius fuit affectus.*

E

VITA

auctore Hugone, Flaviniacensi abbate,

Ex Chronico Virdunensi apud Labbeum tom. I Bibliothecæ novæ Mss.

CAPUT I.

F

Sancti natales, studia et virtutes in juventute, clericatus susceptus, promotio ad sacerdotium, ad abbatis munus, ac deinde ad episcopatum; gesta hujus initio.

Anno igitur ab Incarnatione Humani *a* Verbi DCCLIII suscipit præsulatum Virdunensis ecclesiæ domnus Madelveus *b*. Hic in eadem urbe Christianis et inclytis parentibus est editus *c*. Qui statim renatus ex aqua et spiritu in septem baptismatis gradibus septem comprehendit dona Paracleti Spiritus. Accepit deinde carnes Agni immaculati cum sanguine, candidatus virginitatis veste, decoratus immortalitatis lampade. Ardebat ea tempestate omnis Belgica quotidiana bellorum instantia *d*. Nam regalis dignitas, quæ a Meroveo rege sumpserat initia, in Childericum regem, qui jussu Stephani, Romani Pontificis, detonsus et in monasterium trusus est *e*, porrecta, illo in tempore nullius vigoris erat, nec quicquam in se, præter inane regis vocabulum, præferebat *f*.

Sanctus Virodunі natus est.

a
b
c
d
e
f

2 Opes quippe et redditum affluentia, regni administratio, seu omnia, quæ vel domi, vel foris agenda ac disponenda erant, penes præfectos palatii,

Lugubris rerum in Gallia Belgica status.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE HUGONE FLAV.

latii, qui Majores domus dicebantur, manebant. Qua præfectorum licentia crevit morum insolentia, adolevit dominorum crudelis potentia, nec defuit invidia, quæ pessumdedit regnorum jura. Inflatur unus adversus alium, invadit quisque nomen regium. Hac crescente discordia, urbes depopulantur, ecclesiæ incenduntur, ministeria divina detrahuntur, monasteria virorum diruuntur, puellarum deluduntur, et cuncta vastantur : fuitque illo tempore non minor in ecclesiis gemitus, quam Decianeis, Diocletianeisque temporibus *g*. Quo turbine Virdunensis civitas exagitata, defuncto Agronio episcopo, diebus multis mansit vacua pastore viduata *h*.

g

h

Litteris imbuendus traditur ac magnum

i

3 His diebus ablactatus almus puer Madelveus religiosis viris traditus est litteris imbuendus *i*, quarum elementis brevi datis memoriæ, dedit operam intelligere præcepta artis Grammaticæ, per quæ vera agnoscere, vitia quiret vitare. Posthæc tribunal ascendit Rhetoricæ : sed quia rhetor est traditor eloquentiæ, eloquentia vero sine sapientia nimium obest plerumque, prodest numquam : omissa exercitatione dicendi, in rectissimis atque honestissimis studiis rationis omnem suam consumpsit operam, studium rectæ rationis ad divina, studium honesti officii referens ad humana. Hinc

B

res omnes, quæ in dictis et factis et in toto mundo aguntur, decem esse intelligens, quæ Prædicamenta dicuntur, argumentorum fucos et syllogismorum perplexiones sagaci animo discrevit, et in eis aciem sui docilis sensus ad unguem exercuit.

in his facit progressum.

4 Intrat ex hoc quadruvium, ubi cubos Arithmeticæ, sonos Musicæ, modos Geometriæ, radios Astronomiæ perspicaci percipiens mente ad perfectionem duplicis thesis ; id est, theoricæ pervenit et practicæ. Puerilibus igitur annis, ut patriarcha Jacob, simpliciter domi transactis, pulsabat adolescentiæ fores proficiens et placens tam Deo, quam hominibus. Sane post flores Rhetoricos ac angues syllogismicos, Scripturæ divinæ ingreditur campos, ubi audiens ab Apostolo : Omnis, qui caste vivit, templum est Spiritus sancti ; item in Apocalypsi : Qui mulieribus non sunt coinquinati, hi sequuntur Agnum, quocumque ierit *k*, statim primariam suam ætatulam Christo Domino consecravit ; illi toto animo placere ac servire gestiens, qui est pars et hæreditas ejus, cogitansque vias suas, convertit pedes suos in testimonia Jesu, quærens videre bona Domini in terra viventium.

k

Fit clericus, totumque se virtuti addicit.

5 Adeptus tandem clericatus honorem, accepit a Domino benedictionem, et misericordiam a Deo salutarem : quotidiano siquidem provectu ibat de

C

virtute in virtutem, latam et spatiosam viam, quæ ducit ad mortem, horrens, artam et angustam, qua itur ad astra, sequens, confixit timore Domini carnes suas, mortificans membra sua cum vitiis et concupiscentiis, spiritu ambulans, desideria carnis non perficiens, misericordiæ operibus studens, vigiliis et jejuniis corpus affligens, orationi insistens vel meditationi inserviens, aures ab auditione mala coercens, oculos a vanitate avertens, odor bonus Domino in omni loco esse satagens, os suum a multiloquio et vaniloquio custodiens, manus ab omni munere excutiens, consilium opusque suum ad Dominum semper convertens, in omni actu suo Dei, non suam, gloriam quærens.

Vivebat studiis Adolescens justus in istis,
Ordinibus sacris respondens moribus aptis.

Sacerdotio suscepto, monasterii S. Vitoni abbas

l

6 Post hæc ad majora conscendens presbyterii honorem electus accepit, justificatus obtinuit. Constituitur itaque unanimi assensu, electione omnium, rector et abba ecclesiæ S. Vitoni *l*, quam et studio spiritualis exercitii, et rebus temporalibus meliorata, exemplo et doctrina ad divini famulatus amorem accendit. Fuit enim humilitate præcipuus, caritate diffusus, prudentia mirabilis, sobrietate laudabilis, justitia insignis, fortitudine spectabilis, et licet cunctos dignitate præcelleret, erat tamen obedientia cunctis subditus, patientia probatus, forma factus gregi ex animo, ut in eo subditus quisque agnosceret, quam sibi vivendi normam assumeret. D

ac dein Virdunensis creatur episcopus. Tunc Metensi ecclesiæ Chrodegandus ; m

7 Hæc de eo fama ubique ferebat, hic rumor omnium in ore continuus erat, Madelvei pietas, ejusque probitas lustrabat patrias, replebat plateas, ædes pulsabat palatinas. His præcurrentibus nunciis, cunctorum votis in pontificatu eligitur Virdunensis urbis *m*. Quod licet timore Dei plenus omni conamine rejecerit, totoque adnisu recusaverit, multorum tamen sententia, Deo gratia præcedente, prævaluit, ac una cleri populique concordia episcoporum judicio dignus in cathedra pontificali exaltatus, benedictione firmatus, unctione sacratur. Regebat tunc Romanam Ecclesiam Stephanus secundus, Francis vero principabatur Pippinus, Caroli Tuditis *n* filius, ex Majore domus et præfecto palatii rex constitutus *o*, a quo Chrodegandus abba, vir egregius et omnibus efferendus præconiis in palatio præfati Caroli nutritus, ejusque referendarius, ab ipso et Francis omnibus electus Romam missus est, ut prælibatum Stephanum Papam ad Gallias, ut cunctorum vota anhelabant, evocaret *p* ; quod et fecit, a quo etiam in pontificem Mettensis ecclesiæ, adstante rege et populo consecratus pallium promeruit cum nomine archiepiscopi *q*.....

m

n

o

p

q

Tullensi autem præerat Godo. Luctuoso in statu

r

8 Tullensibus quoque præerat Godo venerandus episcopus *r*, qui immunitatem civitatis et recuperationem chartarum igne consumptarum apud præfatum regem Pippinum suæ adquisivit ecclesiæ. Inter hoc beatus Madalveus virtutum radiabat decore, et dignitatem pontificalem bonorum operum E adornabat nitore. Quod officium, quamvis rudis acceperit tempore, aptus accessit assueta bonitatis ubertate. Instabat prædicationibus, firmabat plebem benedictionibus, incitabat ad meliora sacris exhortationibus, quod dicebat verbis, monstrabat exemplis. Erat tunc civitas ipsa insectatione barbarica bellis attrita, obsidionibus fatigata, calamitatibus repleta, templa Domini in ea polluta, sanctuaria exusta, ministeria violata, officia diurna vel nocturna neglecta.

Virodunum Magdalveus invenit :

s

9 Clerici alii fugati, quidam necati, qui remanserant multa paupertate addicti plus propriis seu terrenis, quam cælestibus studebant negotiis *s*. Hoc respectu Vir Domini amaro cum esset animo, posuit spem suam in Domino, clamans illi spiritu humiliato : Omnia, quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti ; quia peccavimus tibi et mandatis tuis non obedivimus. Cui mox Dominus : Invoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te et honorificabis me. At ille humili prece : Deus meus, misericordia mea, tu es refugium meum a F tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me a circundantibus me angustiis et filiorum necessitatibus. Nec mora consolatio ex ore veritatis affuit. Primum, inquiens, quærite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis. Tunc ille gratulabundus : Auditui meo, ait, Domine, dadis gaudium et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata.

gregem hinc ad virtutem exstimulat, clerum reformat,

10 Gressu ergo celeri ecclesiam intravit, clerum populumque advocavit, judicia Domini vera innotuit, crimina vel peccata alterutrum confiteri monuit, fructus dignos pœnitentiæ facere suasit, ecclesiam frequentare, orationibus cum lacrymis incumbere, laudes Domini cum silentio et reverentia audire, eleemosynas pro posse libenter dare, hospitalitatem sine murmuratione servare, discordantes ante solis occasum ad pacem redire, pacem falsam non dare, gehennam timere, vitam æternam sperare præcepit et docuit. Clericos deinde regulariter vivere, septies in die laudes Domino dicere, et noctu ad confitendum illi surgere, ecclesiastica sanctione instituit, victumque illis quotidianum de propriis, prout potuit, ordinavit *t*.

t

u

novasque acquirit ecclesiæ suæ possessiones.

11 Curiam interea adiit, Pippino, qui ex auctoritate Stephani Papæ ex præfecto palatii rex constitutus fuerat *u*, vastitatem urbis, calamitatemque

A temque plebis, quam regendam susceperat, innotuit, auxiliumque ab eo ex regali largitione quæsivit et obtinuit. Collatione siquidem fidelium quædam prædia suscepit, Wasnaum scilicet seu
x y Warnunci curtem *x*, Ramisbatium *y* etiam, aliaque quamplurima, quæ Chartis manu propria inseruit, quas et regis annulus roboravit, et ecclesia
z Virdunensis ex tunc non amisit *z*. Civibus præterea regis munificentia non defecit, clerum lætificavit, ecclesiam ornavit, remuneratum Pontificem gaudenti populo repræsentavit. Multa autem erant, quæ eum erga ipsam ecclesiam diligendam, promovendam et ampliandam accendere debebant, videlicet Pepponis episcopi in Carolum Tuditem patrem suum amor profusus, gratuita fidelitas et in tempore seditionis contra Rainfredum, Francorum principem, ipsius Caroli æmulum indivisa laboris et periculi subeundi dualitas, pro quo
aa etiam idem Peppo multa perpessus est adversa *aa*.

Hæc in calamitatem, in qua erat, a Carolo Martello,

12 Sed quiddam eum specialius ad dilectionem, redintegrationem et communem tuitionem omnium ecclesiarum impulit, quod non abs re videtur in laudem hujus Patris nostri huic opusculo innectere, ad comprimendum tumorem regum et principum *bb*, et ut evidentius agnoscatur, quæ fuerit
bb B causa desolationis Trevirensis et Virdunensis ecclesiarum. Qui igitur historias legerunt et veterum scripta rimantur, hujus Caroli Tuditis actus et prælia noverunt, qui ideo Tudites appellatus est, quod est malleus fabri, quia sicut malleo universa tunduntur ferramenta, ita ipse contrivit omnia regna sibi vicina. Per viginti septem enim annos, quibus principatum obtinuit sub regibus Dagoberto Juniore, Chilperico, Theoderico, Clotario,
cc Childeberto et Childerico *cc*, postquam de manu Rainfredi Majoris domus in regno Francorum per multa bella eundem principatum sustulit, tanta clade omnia regna sibi vicina, id est, Saxoniam, Bavariam, Provinciam usque Massiliam, Wasconiam, Frisiamque contrivit et Alamannicam, ut multæ ecclesiæ usque in hodiernum diem desolationem sui factam sub eo lugeant, et tribulationis ipsius calamitatem obliterare in se nulla vetustate prævaleant.

qui militibus suis ecclesiarum bona dedit,

13 Tanta enim profusione thesaurum totius ærarii publici dilapidatus est, tanta dedit militibus, quos Soldarios vocari mos obtinuit, qui ex omnibus mundi partibus causa quæstus ad eum concurrebant, quorum genus infestum et improbum tempore ejus sumpsit initium, ut non ei suffecerit thesaurus regni, non deprædatio urbium, non multimodæ vastationes regnorum exterorum, non expoliatio ecclesiarum et monasteriorum, non
C tributa provinciarum. Ausus est etiam, ubi hæc defecerunt, terras ecclesiarum diripere, et eas commilitonibus illis contradere. Postremo non est veritus ipsos episcopatus laicis dare, fautoribus videlicet suis et consentaneis, adeo ut archiepiscopatus Trevirensem et Remensem Milo quidam
dd tonsura clericus *dd*, moribus, habitu et actu irreligiosus laicus, multo tempore pessumdans obtinuerit; Viennensem quoque et multos alios episcopatus per terras diversas possiderent laici, ut historiæ referunt, et per manum laicam investiti: si qui erant episcopi, aut ei omnino favebant, aut res ecclesiasticæ diripiebantur, aut certe illis obeuntibus, in locum illorum neophytus quilibet, et, quos canonicæ sanctiones non recipiunt, sub-
ee stituebantur *ee*.

fuerat conjecta.

14 Ab hac autem direptione civitas illa quantulumcumque immunis erat, quæ ei favebat, vel quæ ei adjutorium præbebat; cui enim innitebatur, illam per se suosque a se suisque tuebatur. Hinc est, quod inter innumeras, quas attriverat, Virdunensem tempore Pepponis episcopi prædiis auxit, quia Peppo idem, ut superius relatum est, in tempore dissensionis et partibus ejus favit, et
ff familiarius illi servivit *ff*. Verumtamen, illo defuncto, quod aliæ patiebantur, et eadem quoque experta est. In tantum autem vastitate præfata Trevirensis metropolis afflicta fuit, ut, pro multimoda ejus calamitate et conculcatione vacante ea, Mediomatricæ civitatis *gg* præsules postmodum fungerentur archiepiscopi dignitate et nomine. Vastata quoque et dissipata Lugdunensi et Virdunensi provincia aliquot annis sine episcopis utraque fuit ecclesia *hh*. Wiliarius enim Viennensis, qui
hh Austroberto successerat, videns Viennensem ecclesiam indecenter humiliari ob cladem Saracenorum Septimaniæ et Viennensi et Lugdunensi provinciis imminentium, laicis sacrilege et barbare res sacras obtinentibus, relicto episcopatu, monasterium Agaunense expetiit, ubi et vitam venerabilem duxit, et hoc in tempore Stephani Papæ, qui Zachariæ successerat. Rexit autem post eum Viennensem ecclesiam Bertericus, cui successit Paulus *ii*..... *ii*

AUCTORE HUGONE FLAV.

gg

ANNOTATA.

a *Verbum, pro nobis incarnatum, non humanum est, sed divinum. Quamquam autem Hugo illud hic vocet* humanum, *hoc tamen ab eo, utpote qui hæresi. Verbi divinitatem negante, non fuerit infectus, non ex mentis pravitate, sed ex solo sufficientis accurationis defectu factum putato.*

b *Sanctum probabilius anno circiter 742 Virodunensium creatum esse antistitem, § 5 Commentarii prævii contra Hugonem, ejusque sequaces ostendi.* E

c *De Sancti parentibus, loco et tempore natali Commentarii num. 11 et seqq. actum est.*

d *Perturbate admodum hic loquitur Hugo, sibique ipsi in designando tempore, quo totam bellis Belgicam arsisse ait, videtur contrarius. Spectatis enim, quæ præmittit, respicere videtur ad tempus, quo Sanctum vel natum vel ætate jam crescentem exhibet, aut etiam ad Virodunensem cathedram scribit promotum; spectatis vero, quæ subjungit, bellicos illos tumultus, quibus flagrarit Belgica, referre videtur ad illud decennale circiter temporis spatium, quod ab anno 742, quo Childericus III, e stirpe Merovingica postremus, Francorum rex regnare incepit, usque ad annum 752, quo hic princeps fuit exauctoratus, medium effluxit. Verba Hugonis consideranti, res evidens evadet.*

e *Childericus III Francorum rex, auctoritate, non Stephani, sed Zachariæ, Romani Pontificis, interveniente, fuisse videtur exauctoratus. Adi Henschenium nostrum in Diatriba de Tribus Dagobertis lib.* III, § 6, *Papebrochium in Paralippomenis ad Conatum de Pontificibus Romanis, Pagium in Criticis ad annum 751 num. 4 et seq., aliosque scriptores, de Childerici exauctoratione Pipinique ad regnum Francicum promotione tractantes.*

f *Quam verum id sit, a Papebrochio loco cit. et a Pagio in Criticis ad dictum annum num. 1 et 2 probatum invenies.* F

g *Hæc, quæ hic tradit Hugo, referenda potius videntur ad tempus, quo Carolus Martellus rerum in Francia est potitus, quam ad tempus, quo Childericus sub Pipino Brevi, dumtaxat adhuc majore-domus, regem umbratilem egit.*

h *Democharis, Chenutius, aliique, num. 29 Commentarii prævii nominati, tempus, quo Virodunensis sedes ab obitu Agronii seu Agroini vacarit, triennio definiunt; verum sedem illam, si anno, ut notant, 752 vita functus sit Agronius, diutius vacasse, ex iis, quæ § 5 disputata sunt, verosimilius apparet.*

i *Quoniam* S. Magdalveum, *quem Hugo (adi Comment. num. 17) anno 711 natum affirmat, teneræ adhuc ætatis puerum, litteris imbuendum traditum fuisse, a scriptore illo hic (videsis Commentarii num. 20) significatur, fuerit secundum Hugonem verosimiliter id factum, cum Sanctus ad annorum circiter septem ætatem jam pervenisset, ac proin tunc, cum jam majoratum-domus in Austrasia (hunc enim anno 715 adeptus est) obtineret Carolus Martellus, deque rerum summa adversus Ragenfredum, Neustriæ majorem-domus, confligeret. Quapropter, cum per voces* his diebus *biographus seu Hugo tempus illud, quo lugubrem fuisse rerum in Francia statum, verbis proxime præcedentibus scripsit, indubie hic designet, quæcumque his de*

AUCTORE HUGONE FLAV.

ecclesiarum incendio, de monasteriorum eversione, aliisque calamitatibus memoriæ prodit, manifeste refert ad tempus, quo Carolus Martellus rerum potitus est; ut adeo, spectato tempore, ad quod ea (vide dicta ad lit. d.) *etiam jam antea retulit, perturbate admodum Hugo loquatur.*

k *Cum textus sacri, quos subinde in medium adducit Hugo, e Scriptura plerumque ad verbum deprompti non sint, quibus hujus illi locis habeantur, annotare visum non est.*

l *Quo circiter tempore verosimilius id factum sit, Commentarii prævii num.* 23 *edocui.*

m *Pro anno, quo circiter hoc factum sit, adi Comment. præv.* § 3.

n Tudes *seu* tudites *significat* fabri malleum; *Carolus autem, Pipini Brevis pater, appellatus fuit* Martellus *seu* Tudites, *quod, ut fabri tudite seu malleo ferrum, ita ille hostes in prœliis ense contuderit. Paulo aliter Hugo infra loquitur.*

o *Hugo ex opinione, qua Sanctum anno* 733 *Virodunensium creatum fuisse antistitem, arbitratus est, has notas chronicas suppeditat; verum hæ in opinione nostra, qua Sancti ad sedem Virodunensem promotionem anno circiter* 742 *innectimus, deferendæ sunt, cum Pipinus Brevis, de quo hic sermo, ad Francorum solium, et Stephanus II ad Pontificale*
B *culmen ante annum* 752 *non fuerint evecti.*

p *Apud nos tom. I Martii, ad sextam mensis hujus diem, de Chrodegando, Metensium episcopo, qui die illa ut Sanctus colitur, actum jam est; ex iis autem, quæ ibidem de sancto hoc antistite in Commentario historico* § 2 *et* 3 *disseruntur, veritati liquet esse consona, quæ huc usque de illo memoriæ hic prodit Hugo. Verum hic scriptor deinde etiam indicat, Chrodegandum a Stephano II, in Galliis existente, consecratum fuisse Metensium antistitem; hoc autem a vero indubie alienum est. Etenim Stephanus II ante annum* 753 *in Gallias non venit; tunc autem Chrodegandus jam ab anno circiter* 742 *Metensium fuerat episcopus, uti in Operis nostri Commentario proxime cit. num.* 7 *traditur, atque ab eruditis omnibus admittitur. Porro, quamquam quidem proinde Chrodegandus a Stephano, in Galliis existente, non fuerit Metensium consecratus episcopus, ab eo tamen, quod etiam addit Hugo, archiepiscopi nomen, imo etiam pallium et potestatem consecrandi episcopos accepisse videtur. Adi Pagium in Criticis ad annum* 766, *num.* 7.

q *Quædam hic, quod ad institutum nostrum non faciant, omittenda duxi; iis autem, cur aliquot insuper præter Chrodegandum Metenses episcopi tulerint archiepiscopi nomen, rationem reddit Hugo;*
C *remne acu tangat, ex Pagio in Criticis ad annum* 766, *num.* 8 *intelliges.*

r *Calmetus in Episcoporum Tullensium Catalogo, quem tom. I Historiæ suæ Lotharingicæ præfixit, notat Godonem jam anno* 735 *fuisse Tullensium antistitem; quod si adeo, ut hic Hugo indicat, Tullensium ecclesiam tunc, cum jam Francorum rex esset Pipinus, adhuc gubernarit, præfuerit sane Godo Tullensi ecclesiæ, cum Sanctus noster anno circiter, ut opinamur,* 742 *Virodunensem moderandam accepit.*

s *Cum Sanctus in tam lugubri statu, uti hic tradit Hugo, ecclesiam suam invenerit, vel hinc concludendum videtur, eum proxime a Caroli Martelli obitu anno circiter* 742 *aut certe diu ante annum* 733 *Virodunensium creatum fuisse antistitem. Anno enim* 735, *quo hoc factum scribit Hugo, ecclesiæ Virdunensis res, cum tunc decennio circiter partim Carolomannus, partim Pipinus majoratum-domus in Austrasia gessisset, lugubri adeo loco fuisse non videntur. Hæc iis adde, quæ de anno, quo Sanctus creatus sit episcopus,* § 3 *disputata sunt.*

t *Biographus hic indicare videtur, novum quoddam vitæ genus clero Virdunensi a Sancto fuisse præscriptum; qua de re quid sentiendum sit, Comment. præv. num.* 41 *exposui.*

u *Fuit quidem Pipinus a Stephano II, qui anno* 753 *venerat in Franciam, Francorum rex unctus; verum is princeps fuerat jam antea, inter-*
veniente Zachariæ Papæ auctoritate, diademate D
Francico insignitus. Vide dicta ad lit. e.

x *In geographica episcopatus Virodunensis Tabula, quam Historiæ suæ Lotharingicæ tom. I præfixit Calmetus, quatuor circiter aut quinque leucis horariis a Viroduno Occidentem versus ad Arolam fluvium vicus occurrit, nomine* Vraincourt; *diversus forsan hic non est a vico, qui hic vocatur* Warnunci-curtis.

y *Vicum, qui nomine huic sit satis affinis, in Tabulis geographicis invenire non quivi; vicus tamen, qui hic vocatur* Ramisbatium *seu* Ramisbaccium, *ab antiquis idem esse asseritur, ut ait lib.* II *Antiquitatum fol.* 131 *Wasseburgius, cum vico, qui modo appellatur* Rambercourt.

z *De prædiis, quæ ecclesiæ suæ impetrasse Sanctum, hic refert Hugo, uti etiam de tempore, quo hoc factum sit, Commentarii prævii num.* 42 *et quatuor segg. fuse disserui.*

aa *Neustrasii ægerrime tulerant, Pipinum Heristallium, hominem Austrasium, æque in Neustrasia atque Austrasia obtinere majoratum-domus. Hinc pars illorum, cum hic princeps anno* 714 *excessisset e vivis, adversus Theudoaldum, ejus ex filio nepotem atque in majoratum-domus successorem, cui Plectrudis avia Austrasiique adhærebant, arma assumpsit; cum autem anno* 715 *profligatus fuisset* E
Theudoaldus, pauloque post obiisset, apud Neustrasios (adi Pagium in Criticis ad annum 715 *num.* 2 *et* 3) *Rainfredus seu Raginfredus, aut etiam, ut ab aliis scribitur, Ragenfredus constitutus est major-domus, resque Austrasianæ in summo versabantur periculo. Verum interea Carolus, Pipini Heristallii ex Alpaide filius, postea* Martellus *dictus, e custodia, in qua a noverca Plectrude detinebatur, feliciter elapsus, fractos Austrasiorum animos erexit, sævissimoque Raginfredum simul et Chilpericum II, quem Raginfredus et Neustrasii in Dagoberti III, Francorum regis, anno etiam* 715 *vita functi, locum suffecerant, bello appetiit, cui tandem hi, ut Francorum historici passim tradunt, secundo ac tertio profligati succubuere. Caroli porro partibus (vide verba num.* 37 *Commentarii ex Berthario, Virodunensium antistitum historico, recitata) favit Peppo, Virdunensis episcopus ordine vigesimus.*

bb *Respicit hic indubie Hugo ad creditam olim, qua S. Eucherio, Aurelianensi episcopo, revelata fuerit Caroli Martelli ob direpta usurpataque, ut putabatur, ecclesiæ bona damnatio, cælestem visionem. Hanc enim mox infra narrat.*

cc *Carolus Martellus, uti inter eruditos satis convenit, ab anno* 715 *ad annum usque* 741, *cujus*
mense Octobri obiit, per annos viginti sex mensesque F
sex majoratum-domus gessit; verum toto illo tempore rex, nomine Childebertus, Francorum solium haud occupavit; Childericus autem III, quem hic haud dubie memorat Hugo, in eo ante annum 742, *quo jam obierat Carolus Martellus, sedere non cœpit. Hugo ergo in regibus, sub quibus majoratum-domus gesserit Carolus, enumerandis hic errat.*

dd *Milo hic memoratus anno* 715, *uti inter eruditos convenit, sedem Trevirensem invasit, ac dein anno* 717, *cum S. Rigobertus, Remensis archiepiscopus, fuisset a Carolo Martello in exsilium pulsus, sedem etiam Remensem usurpavit. Anno porro* 733, *cum venationi vacaret, ab apro percussus miserrime interiit.*

ee *Vide, quæ de plerisque, Carolo Martello ab Hugone hic imputatis, Commentarii prævii* § 3 *adduxi in medium.*

ff *Videsis quæ ad litt.* aa *in fine jam dicta sunt.*

gg *A Julio Cæsare aliisque antiquioribus Lotharingiæ urbs, quæ recentioribus* Metæ *dicitur,* Mediomatrice *vocatur.*

hh *Ado in Chronico ætate sexta sic habet :* Vastata et dissipata Viennensi et Lugdunensi provincia, aliquot annis sine episcopis utraque ecclesia fuit; *videtur adeo ex hoc Adonis loco, quæ hic de Virdunensi et Lugdunensi ecclesiis scribit, Hugo deprompsisse, Viennensique ecclesiæ Virodunensem substituisse;*

A *substituisse; quod etiam concludendum videtur ex iis, quæ de Wiliario, Viennensi archiep., mox subdit, ex Adonis Chronico, ætate cit., pariter desumpta.*

ii *Sammarthani Galliæ Christianæ tom. I, p. 797, Claudius Robertus, aliique, quos viderim, omnes Berterico successorem sufficiunt non Paulum, sed Proculum. Porro subditur hic ab Hugone visio jam supra memorata, qua S. Eucherio, Aurelianensi episcopo, Caroli Martelli damnatio fuerit revelata. Verum, cum visio illa modo ab eruditis, nec immerito, habeatur pro commento, prolixa admodum Hugonis de illa verba, quæ præterea ad institutum nostrum etiam non conducunt, satius duxi in Sancti, quam hic edo, Vita omittere, uti et nonnulla alia, quæ ad Sanctum nostrum pariter non spectant.*

CAPUT II.

Sanctus diœcesim lustrat, templa collapsa instaurat, res ecclesiæ suæ sedulo curat, hisque compositis, Hierosolymam peregrinatur.

B *Sanctus diœcesim suam lustrat, ecclesiasque collapsas instaurat,*
* episcopium
* exstruxit
* chrismatis

Igitur Sacerdos eximius, episcopum * pastorali sollicitudine circumiens, ecclesias, in quibus non erant locis, extinxit *, dirutas vel inveteratas restauravit, ministeria divina ordinavit, plebes salutari doctrina edocens, et episcopali benedictione sacrique chismatis * unctione confirmans. Ipsam autem ecclesiam beati Vitoni, cui ante perceptam Pontificatus gratiam pastor et rector institutus fuerat *a*, tanta semper dilectione coluit et provexit, ut curam ejus, etiam sumpto episcopatu, non dimitteret : quin potius omni eam conamine, et divinis famulatibus illustrem reddidit, prædiis quoque et ecclesiasticis utensilibus ampliavit. ob prædecessorum suorum ibidem quiescentium beatam memoriam, a quibus nec corpore, nec spiritu volebat disjungi, sed in loco requiei eorum optabat consepeliri.

a

monasterio S. Vitoni munificum se præbet, aliique in id

16 Dedit ergo eidem ecclesiæ de suo proprio Raherei curtem *b* cum appendiciis pro tumulatione sui corporis et alia perplura, ut ostendit chartarum notitia. Quidam etiam Sarcio nomine, ad extrema veniens et in atrio præfatæ ecclesiæ se sepeliri deposcens, testamento facto, ipsam ecclesiam de rebus suis, quas possidebat in pago Virdunense, in loco, qui dicitur Ex propter fluvium ejusdem nominis *c* ibidem decurrentem, hæredem instituit, ut exinde sanctus Vitonus, et hic pater noster beatus Madelveus episcopus et abba, custodesque

b

c

C sancti corporis hæredes essent perpetui.

ex Sancti amore fiunt benefici.

17 Cujus exemplum sequutus et beati Patris amore ductus Grimbertus possessor et ipse fundi ipsius, et hæreditarii juris particeps, quidquid in eodem loco possidebat, basilicæ sancti Vitoni condonavit in mensis, campis, oleis, pratis, pascuis, concisis, silvis, aquis, aquarumque exitibus et decursibus. Qui, exinde postmodum precaria *d* facta, res ipsas a beato Viro jure beneficiario recepit, denominato censu viginti librarum olei singulis annis in festivitate sancti Vitoni ad luminaria ecclesiæ ejus, in qua preciosus idem confessor requiescit, præscripto etiam spatio, quo Sanctus ea deberet meliorata recipere. Quod testamentum precariæ beatus Pontifex et Abba auctoritate sua firmavit anno tertio regni Carlomanni, qui fuit frater Caroli Magni, die Calendarum Julii anno ab Incarnatione Domini DCCLXX. Indictione VIII *e*.

d

e

Res ecclesiæ Virdunensis, in Aquitania sitas, sedulo curat,

18 Ceterum Aquitania sanctitatis ejus accepit magnalia, illius sæpe gressibus lustrata, lacrymis rigata, doctrinis roborata, et miraculis glorificata. Res quippe, quas Virdunensis ecclesia antiquitus in ipsa regione possedit, frequenter visitabat, et Vitas seu Miracula prædecessorum suorum Pontificum secum ferebat, ut per illorum merita res illas liberius possideret, vel pagensibus dominatio carior, subjectio esset humilior. Fuerunt autem res istæ : Abbatia sancti Amantii in Rotena urbe cum appendiciis, fiscus etiam Regius Maderniacus, et alius Puliniacus nomine, donata servitorum sancti Petri et sancti Vitoni usibus ipsius beati Amantii largitione *f*.

AUCTOR HUGONE FLAV.

f

compositis dein episcopatus sui rebus, Hierosolymam petere statuit,

19 Anno vero ordinationis suæ XIII, qui erat Dom. Incarnat. DCCLXV *g*, delata sunt ab urbe Roma per venerabilem Grodegandum Mettensem archiepiscopum corpora sanctorum Gorgonii, Naboris et Nazarii, a successore Stephani Paulo Papa sibi concessa nono Papatus sui anno, et sequenti anno uterque decessit a sæculo Indictione quinta, et Grodegandus in monasterio, quod Gorzia dicitur, quod ipse construxerat, tumulatus veneratur, ubi postea positum est corpus sancti Gorgonii anno post obitum ejus quarto, videlicet anno Incar. Dom. DCCLXVIII, regnantibus jam post Pippinum filiis ejus Carlomanno et Carolo *h*. Dum igitur multiplici virtutum flagraret desiderio, incidit ei cogitatio ad sepulcrum vitæ Principis Hierosolymam pergere peregrinando.

g

h

reque ipsa, postquam ecclesiæ suæ cathedralis reædificationi prospexit,

20 Festinavit itaque implere voluntaria exhibitione, quod mente concepit divina inspiratione. Dumque in administratione itineris necessaria quæque prævidentur, principalis ecclesia, peccatis exigentibus, igne apprehenditur ac sæviente incendio succenditur.

Turbantur plebes, tolluntur ad æthera voces, E

Unus in urbe dolor, communis civibus horror.

Tunc mens Madelvei in diversa rapitur, spiritus anxiatur, corque turbatur. Tandem in se reversus, illiusque memor proverbii : Non est magnus magnum putans, quod ruunt ligna et lapides, et moriuntur mortales; temporale damnum patientur tulit, ac statim in meliorem statum reparare fabricam jussit. Conventione porro facta cum artificibus, deputatisque custodibus, et ordinatis necessariis sumptibus, suadet, precatur, imperatque opus inchoare maturius, accelerare attentius, explere diligentius.

His ita collatis datur alternatio votis.

gregemque vicinis episcopis commendavit,

21 Præparantur sumptus ac vehicula tanto itineri necessaria, eliguntur comites amore Christi ferventes, in prosperis humiles, in adversis fortes. Favor Metropolitani quæritur, assensus comprovincialium episcoporum petitur, nec negatur. Tristantur tanti comparis absentia, lætantur de ejus justitia, precantur, illi adesse Christi præsentiam, non defore Spiritus Sancti gratiam. Benedictionem rogant rogati, salutant salutati. Eorum demum consilio ordinatur ecclesia, commendatur plebs commissa. Sic accepta benedictione, et data, exit novus Hospes in cordis lætitia.

iter illud suscipit,

22 Fulcitur cuneis, quos nectit amor pietatis :
Fletus ora rigant, singultus pectora quassant.
Flet pius ipse gregem prospectans flere sequentem : F
Compulit, ut redeant, illi ferventius instant,
Ora, manusque pedes stringunt, mulcetque gementes,
Ingeminatur Ave, Salve, felixque Valeto.

Vixque posthæc multis precibus elapsus eorum manibus iterum firmat eos benedictionibus, monens et deprecans sollicitius divinis invigilare cultibus, ac animarum salutem quærere propensius. Sic tandem eos commendans Domino, graditur aggere publico, fretus Dei auxilio *i*.

i

Romam, ubi benigne a Pontifice excipitur,

23 Itaque emensa nativa Gallia, post aspera ac devia Alpium itinera excepit eum Italia deducens Romam ad Apostolorum limina : ubi per diversa martyrum cœmeteria quærens orationum juvamina, pernoctavit vigiliarum instantia, frequentius beati Petri revisens oratoria. Præsidebat eo tempore Romanæ Ecclesiæ Adrianus *k*, vir Apostolicus, cui nunciatus est Madelveus sacratissimus peregrinus, benigne est ab eo exceptus, benignius diebus multis retentus, benignissime probata ejus voluntate, cum Apostolica benedictione dimissus.

k

l

m

n

Campaniam et Apuliam prætergressus, mari se committit,

24 Prætergressa ergo Nursiæ provincia *l*, suscepit novum Hospitem Campania *m*, quem exinde amplexa est in Gargano *n* Archangeli ecclesia, cujus

AUCTORE HUGONE FLAV.

cujus pro foribus aliquantis excubans noctibus confortatur Angelicis consolationibus, exhilaratur divinis revelationibus. Præstolabatur eum gaudens Appulia *o*, vulgante fama ejus sanctitatis insignia : quem ut vidit, mirata proclamavit cum Psalmista : Sicut audivimus, ita et vidimus. Post diversa autem locorum diverticula pontica ingreditur littora. Hinc turbidi imminent fluctus, procellosi occurrunt spiritus. Suscipiunt Madelveum pontificem peregrinum vita religiosum, innocentia gloriosum. Dat naulum navigio, credens se maris periculo pastus cælesti sacrificio.

o

tempestatem exortam sedat,

25 Protelatur navigatio multorum dierum curriculo. Instat Sacerdos prædicationibus, informat nautas doctrinis salutaribus. Continuis jejunat diebus, vigiliis pernoctat et orationibus. Cum vero die quadam assuetum nautæ concinerent celeuma, garrulitateque perstroperent nautica, tempestas oritur repentina. Navis autem mediis jactabatur fluctibus, suisque solvebatur compagibus. Turbatis cunctorum animis, ablata spe salutis, sola suberat formido mortis. Tunc Præsul beatissimus, non sorte dejectus velut Jonas fugitivus, sed sanctitate conspicuus, cui * probatus Domini servus, voce omnium rogatus pulsat cælum singultibus, vocat Christum gemitibus. Illico cælum ejus patuit pre-

* *l.* ceu

B cibus, et oratio ad supernos pervenit auditus. Nec mora aeris serenitas, marisque redit tranquillitas, ac animorum jocunditas *p*.

p

Constantinopolim appellit,

26 Inde Byzanteum *q* lætantes tenuerunt portum. Constantinopolitanum in illis diebus regebat imperium Constantinus cum Irene matre *r* in rebus bellicis strenuus, in cultibus divinis devotissimus. Hic accipiens, justum advenisse Madelveum, quærere et suis conspectibus præsentare præcepit inventum. A quo multa audiens utilia, suæque saluti proficua, ut pro se Dei misericordiam orare dignaretur, prece quæsivit humillima, preciosaque ei offerens exenia *, quæ ille contempsit omnia, optatæ viæ dimisit eum cum reverentia. Quem Græcia excipiens peregrinum mirata est inter suos Philosophum, extra suos Theosophum. Erat quippe vere sapiens, potens in verbo et doctrina.

q

r

* *l.* xenia, *i. e.* dona hospitibus dari solita.

lustrataque deinde Epheso, Hierosolymam tandem delatus, loca sacra invisit.

27 De ore ejus procedebat mel, dulcedo mellis in lingua ejus, favus distillans labia ejus, ex dulcedine sermonis præbens cunctis incendium amoris. Descendit interea Ephesum *s* orare ad Joannis Theologi sepulcrum, ubi effudit multarum flumina precum circumferens, In principio erat Verbum, recolens et edocens, Verbum caro factum. Inde pervenit Joppem *t* diversis viæ periculis perquirens tunicas et vestes, et eleemosynas Dorcadis, stu-

s

t

C pensque cum Petro linteum quatuor initiis de cælo submissum, jussus in eo mactare quadrupedia et reptilia terræ in mortificatione vitiorum, ac manducare, fructus dignos pœnitentiæ faciendo. Apprehendens posthæc Hierosolymam diu desideratam et jam concupiscenti animo oblatam, introivit in tabernacula ejus, omnem locum sanctum fide et amore frequentans, qui est super omnia, Dominum in eis adorans, sepulcrum Jesu Nazareni crucifixi lacrymarum imbre die quotidie rigans, Christumque resurgentem a morte glorificans et adorans.

Honorifice excipitur a loci patriarcha,

28 Nuntiatur interea patriarchæ Eusebio *u*, qui tempore illo sanctam gubernabat Ecclesiam Sion, Madelvei reverentissimi erga Christum devotio, circa loca sancta diurna frequentatio, jugis pernoctatio, carnis propriæ maceratio. Hic igitur, his auditis, moram pati nesciens in quærendo, inventum amplectitur continuo, miratus in eo vultum angelicum, sermonem modestum, mitem gressum, habitum reverendum. Posthæc introduxit eum in domo matris suæ et in cubiculum genitricis suæ et dedit ei poculum ex vino condito et mustum malorum granatorum.

u

x

qui ne Sanctum, ut statuerat, apud se retineret, divinitus monitus,

29 Cumque eum retinere cogitaret diebus vitæ suæ omnibus, revelatione est divina admonitus *x*, ne propriis intentus aliorum invideret utilitatibus, neu vellet habere peregrinum, quem suspirabant filii patrem angelicum. Hoc tonitruo perculsus, dixit ad eum tremebundus : Voluntatis meæ fuit, D Frater mi, te a me umquam nolle separari : sed quia Deo nequimus reniti, revertere, dilecte mi, egredere et abi post vestigia gregum tuorum, pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum, cape nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, sub umbra illius, quem desiderasti, sede, qui introduxit te in cellam vinariam, ordinavit in te caritatem, fulciens te floribus, stipans te malis, ac veniat Dilectus tuus in hortum suum et comedat fructum pomorum suorum, læva ejus sub capite tuo et dextera ejus amplexetur te.

sacris cum reliquiis calice-que crystallino donatum dimittit.

30 His dictis, multorum pretiosas Sanctorum reliquias efferens cum calice crystallino opere mirifico sculpto et obtulit *y*, dicens : Accipe, o care meus, hoc mutui amoris pignus. Annuat Christus Dominus, his ac reliquis Sanctis intervenientibus, ut iterum nos videamus cum gaudio in cœlestibus. Tandem ora, manus oculosque alterutum exosculantes, bona prosperaque sibi imprecantes, ab invicem divisi sunt flentes. Madelveus itaque sepulcrum Domini locumque Ascensionis, ubi steterunt pedes ejus, iterum iterumque revisens ac deosculans, nativum solum revisere deliberavit gaudens et exultans, Dominum in adjutorium suum intendere petens et exorans.

y

E

ANNOTATA.

a *Sanctus Virodunense S. Vitoni monasterium, priusquam Virodunensium fieret antistes, abbatis munere moderatus est. Vide Hugonem supra num. 6 et 7, vel etiam Commentarium* § 3.

b *In Geographica episcopatus Virodunensis Tabula, Historiæ Lotharingicæ tom. I a Calmeto præfixa, haud procul ab Axonæ fontibus vicum invenio,* Riocourt *Gallice nominatum : idemne is forte est cum vico, qui hic* Raherei-curtis *appellatur?*

c *Nec fluvius, nec vicus nominis hujus occurrit, nisi forte quis hic Axonam seu Assonam fluvium, vicumque fere cognominem velit intelligi.*

d *Quid sit Precaria seu potius contractus precariæ num. 53 Commentarii exposui.*

e *Videsis, quæ in has notas chronicas, a biographo adhibitas, Comment. prævii num. 52 observata sunt.*

f *Abbatiam S. Amantii Vitoniano monasterio ab ipsomet S. Amantio, de quo ad quartam Novembris diem, memoriæ ejus sacram, erit agendum, donatam non fuisse, num. 45 et tribus seqq. probatum invenies.*

g *Annum Christi 765 cum anno tertio decimo ordinationis episcopalis, a Sancto nostro susceptæ,* E *idcirco hic componit Hugo, quod eum anno 735 ad Virodunensem cathedram statuat promotum. Verum vide, quæ de hac Sancti promotione* § 3 *disputata sunt.*

h *Pro his, quæ de SS. Gorgonii, Naboris et Nazarii reliquiis, Roma in Galliam a S. Chrodegando, Metensium episcopo, translatis, memoriæ hic prodit Hugo, videsis tom. III Februarii Comment. prævium de B. Joanne, abbate Gorziensi, tom. I Martii Comment. de S. Chrodegando, tom. II Junii de SS. Basilide et Sociis, ac tandem tom. III Septembris prævium de SS. Dorotheo et Gorgonio martyribus Commentarium, idcirco præcipue etiam hic consulendum, quod varii in eo, quos hic admittit Hugo, errores num. 34 accurate notentur.*

i *Quo circiter tempore iter Hierosblymitanum arripuerit Sanctus, Comment. prævii* § 6 *utcumque definii.*

k *Dum Sanctus Roma Hierosolymam peregrinatus est, S. Petri cathedram* (*adi Commentarium præv. num. 61*) *ibidem probabilius occupabat Paulus, Wasseburgio memoratus; est autem hic nominis hujus Papa primus, qui ad 28 Junii diem, qua propterea etiam de eo apud nos actum est, Martyrologio Romano* Sancti *titulo inscribitur.*

l Nursia, urbs Italiæ, *inquit Baudrandus,* in Sabinis Livio, Ptolemæo et aliis, nunc etiam Norcia,

A Norcia, urbs parva ditionis Ecclesiæ in Umbria. *Per Nursiæ ergo provinciam Hugo hic intelligit non ipsam Nursiam, sed Umbriam, quam verosimillime idcirco, quod Nursiam urbem in se concludat, Nursiæ provinciam appellat.*

m *Provincia hæc est Italiæ sub dominio summi Pontificis sita, quæ, quod in se Romam complectatur,* Campania Romana, *incolis* la Campagna di Roma *solet vocari.*

n *Mons hic est, in Apulia Daunia ad mare Adriaticum positus, apparitione et cultu S. Michaelis archangeli celebris. Accurata ejus descriptio tom. VIII Septembris in historico de omnibus Angelis Commentario* § 19 *suppeditatur; quo propterea curiosum lectorem brevitatis ergo remitto.*

o *Italiæ Meridionalis regio, hodierni Neapolitani regni pars, dupliciter, ait Baudrandus in Geographia,* sumebatur ab antiquis, nempe Apulia lata et Apulia proprie dicta; *dividebatur autem Apulia propria in Apuliam Peucetiam et Apuliam Dauniam. Quam ob rem, cum mons Garganus, uti ad lit. præced. dixi, in Apulia Daunia situs sit, minus recte Hugo hic insinuat, Sanctum ex monte Gargano petendo Apuliam iter suum Hierosolymam versus promovisse.*

p *Miraculum hic factum verosimillime vult Hugo;*
B *verum adi Commentarii prævii num.* 74.

q *Adjectivum a nomine proprio* Byzantium, *quo Constantinopolis, urbs Thraciæ, quæ ex imperatorum Græcorum sede Turcarum tandem regia evasit, quondam vocabatur.*

r *Constantinus cum matre Irene ante annum* 780 *imperii Constantinopolitani seu Orientalis habenas non tenuit, uti in Commentario prævio num.* 60 *docui. Hugo adeo, qui Sancti obitum anno* 776 *innectit, certissime hic errat.*

s *Urbs hæc est Asiæ Minoris maritima, quæ commodo in ora maris Ægei et sinus Jonii portu gaudet, sanctique Joannis Evangelistæ gloriatur tumulo.*

t *Urbs hæc in Palæstina ad oram maris Mediterranei sita est, ex eaque Hierosolymam terrestri itinere venitur. In civitate illa habitavit mulier, nomine* Tabitha *seu* Dorcas, *quæ pauperibus viduis, ut Act. cap.* 9 *narrâtur, vestes faciebat et tunicas, atque per S. Petrum Apostolum a mortuis fuit resuscitata. Item in eadem civitate versatus est Petrus, quando ei obtigit visio. Act.* 10 *memorata, qua per linteï, e cælo in terram submissi omniaque animalium genera concludentis, aspectum didicit, gentes esse ad Evangelium admittendas. Ad hanc Petri visionem, et ad Dorcadis in pauperes pietatem occasione civitatis Joppensis, per quam Sanctus Hierosolymam petiit, verbis sequentibus alludit biographus.*

C u *Cum Sanctus Hierosolymam advenit, sanctæ hujus civitatis patriarcha erat non Eusebius, sed Theodorus. Videsis Commentarium num.* 65.

x *Revelationis hujus fidem penes Hugonem stare volo. Adi Commentarium num.* 74.

y *Sanctum multas reliquias una cum calice crystallino a patriarcha Hierosolymitano accepisse, testatur etiam Bertharius. Vide Commentarium num.* 7.

CAPUT III.

Reliquias in novam cathedralem ecclesiam transfert, totum virtuti et gregi suo se dedit, plures possessiones monasterio S. Vitoni acquirit, in morbum lethalem incidit et moritur.

Sanctus Hierosolymis reduæ, magna lætitia Virodani excipitur,

Inde longo ac vario labore itineris redditus est finibus patriis. Recepit Alumnum læta tellus Gallica : occurrit Pastori læta plebs Virdunica : Lætentur cæli et exultet terra, vox consonat urbana et rusticana : fluunt lacrymæ gaudio plenæ, madent lætitia genæ : coronatur civitas : plateas replet hilaritas, ecclesias jocunditas. Pontifex egregius Dei auxilio fultus, Sanctorum reliquiis onustus, intrat ecclesiam devotus, orat Dominum corpore terræ prostratus. Consurgens episcopalem ascendit thronum, salutat clerum ac populum, dans omnibus pacis osculum, adjungens benedictionis signaculum. AUCTORE HUGONE FLAV.

52 Quisque sua repetit, sacraria Præsul adivit, Pignera deposuit, post hæc sua tecta subivit. Singula perquirit, si pax, si vita salubris : Omnia, quæ voluit, fore prospera protinus audit, Ore Deo grates persolvit, pectore laudes. *reliquias, Hierosolymis allatas, in novam ecclesiam transfert,*

Postera die lustrata novæ ecclesiæ fabrica, laudata artificum industria, renumerata * custodum diligentia, ordinat tempus et diem consecrationi habilem, cunctis religione venerabilem *a*. Quæ ubi illuxit, Præsul cum sacris ordinibus ecclesiastico ritu omnibus exterius, interiusque rite peractis, reliquias Hierosolymitanas in principali absida loco congruis venerabiliter collocavit *b*. * remuneratæ *a* *b*

53 Quæ vero in antiquiori fuere ecclesia, in parte altaris dextera in crypta subterranea decenter composuit. Erat autem hic Præsul beatissimus studio castitatis mundus, abstinentiæ robore validus, doctrinæ dapibus refertus, patientiæ longanimitate humilis, auctoritatis fortitudine erectus, pietatis gratia benignus, justitiæ securitate districtus. Qui pastorali sollicitudine gregi sibi credito invigilans, alios cælestis doctrinæ verbis erudivit, multos religiosæ vitæ exemplis roboravit, plurimos E quoque ab omni infirmitatum molestia curavit, quosdam etiam a dæmoniacis spiritibus liberavit, omnibusque exemplar et speculum totius sanctitatis se præbuit. *claret miraculis,*

54 Imminente vero resolutonis suæ tempore, cum cognovisset revelatione divina se mundanis liberandum tumultibus, in ecclesia, in qua adoleverat quotidiano virtutum provectu, cui primo pastor et rector institutus, de qua etiam ad pontificum promotus fuit, sepulturæ suæ locum delegit *c*. Licet enim omnium ecclesiarum insudaret utilitatibus, hanc tamen præ omnibus locis sacris post primam, quæ sedes est episcopalis, coluit, amplificavit et provexit. Quod etiam omnes prædecessores ejus fecisse novimus, utpote qui, exceptis perpaucis, omnis in ea sedem habent requietionis. *corpori suo sepeliendo ecclesiam S. Vitoni deligit,* *c*

55 Accepit hoc privilegii donum ecclesia ipsa a beato Patre, debito cum honore nominando Sanctino, suo fundatore, primoque Christianæ religionis et nominis apud ipsam urbem doctore, ut post matrem ecclesiam ipsa esset caput omnium Virdunensis diœcesis ecclesiarum *d*, a qua et mater ecclesia ipsa subsistendi accepisset initium : quæ etiam est ab antiquo ab ipsis scilicet nascentis ecclesiæ primordiis cœmeterium episcoporum et reliquorum fidelium Christianorum. Quod privilegium F ita permanet et permansit inconvulsum, ut in ea fere omnes ejusdem urbis pontifices legantur divinis aptati servitiis, tonsorati, nutriti, edocti, consecrati, excepta ipsa inunctione Pontificalis dignitatis, quam constat esse matris ecclesiæ, et frequentius, qui in ea functi sunt abbatis officio, per virtutum studia inthronizati sunt in solio episcopali *e*. *huicque, quæ prærogativa, a S. Sanctino accepta,* *d* *e*

56 Et merito veneratur ab omnibus locus ille, merito expetitur, merito diligitur, quem apex tantæ dignitatis attollit, quia, etsi eis, qui illo oraturi conveniunt, qui Domino inibi famulantur, qui corpora sua ob Sanctorum patrocinia illic tumulari precantur, si desunt bona acquisita, per meritum sufficere possunt, quæ a loci fundatore sancto Sanctino, a Sanctis inibi quiescentibus præstabuntur, tamen prout fides petentium merebitur. Attestatur huic nostræ astipulationi domni Bertarii memorialis antiquitas, qui sanctorum Virdunensium Pontificum Acta replicans, basilicæ quoque hujus meminit in hæc verba : Basilica, inquiens, in qua prædicti episcopi requiescunt, est in honore sancti Petri constructa, et habet multorum episcoporum sepulcra, et propter hoc multum a fidelibus veneranda *f*. *multorumque episcoporum sepultura habetur illustris,* *f*

57 Huic ergo loco beatus Madelveus anno vitæ suæ penultimo, dono Theuthardi adquisivit res quasdam *anno vitæ suæ penultimo*

AUCTORE HUGONE FLAV.

quasdam sitas in Virdunensi pago, loco, qui dicitur Offebris-curtis *g*, et in fine Bettiliniaca *h*, in fine quoque Vindelinse *i*, quas idem Teutgardus a genitore suo Gunthero sibi relictas jure possidebat hæreditario in terris, mansis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, et basilicam sancti Martini in ipsa villa Bettiliniaca constructam, quæ omnia, sicut habebat et possidebat, sancto Vitono et huic Patri nostro idem contulit, perpetualiter possidenda anno Inc. Dom. DCCLXXV. Indictione XIV. regnante Carolo-Magno anno regni ejus octavo, die quinto Idus Novembris, in ipsa scilicet solemnitate sancti patris Vitoni *k*. Diligebatur autem ab omnibus totius regni primoribus et ab ipso præcellentissimo rege Carolo, quia et congruum erat, ut quem Dominus persuderat gratia, ab omnibus amaretur.

quasdam possessiones acquirit, g h i

k

38 Studebat omnibus per omnia placere, non eo modo, quo placetur hominibus, quorum Dominus dissipavit, ossa, ut repleantur confusione ab indignatione ejus, sed illo, quo omnibus per omnia placebat Apostolus, non quærens, quod sibi esset utile, sed multis, ut salvi fierent. Ideo bona conscientia dicere poterat auditoribus suis cum eodem Apostolo : Imitatores mei estote, sicut et ego Christi; qui utique volebat sine offensione esse B Ecclesiæ Dei, ita scilicet temperandam docens conversationem, ne quis in ea scandalum pateretur. Sed quid nos in laude ejus tentamus, quod non sufficimus explicare? Ipse enim laus ejus est, qui in Sanctis suis laudabilis est. Quo ergo nos ducit oratio? Quo moras innectimus? Quid felicem ejus e mundo transitum replicare tricamur? Adsit ipse nobis propitius, ut digna fari valeamus, aspiret cordi nostro ejus meritis Spiritus sanctus et nostris infundatur visceribus. Dicamus itaque, quid dederit ipse, de quo loquimur, et quomodo de mundo ad Christum, cui devotus serviebat, migraverit, breviter ipsi indagemus.

dumque omnibus semper obsequi studet,

39 Advenerat jam tempus resolutionis ejus, et Beatus ipse ad quemdam episcopii fundum transierat causa conservandarum *l* ecclesiarum, ubi tactus digladiabili sorte naturæ, acri cœpit fatigari dolore. O beatum et vere felicem, qui sciens, imminere transitus sui diem, fatiscentes artus spiritui servire cogebat, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si in tam pio, tam celebri Dei servitio expenderet, quod reliquum erat attriti corporis virium. Fecerat itaque votis satis. Consecravit namque vici illius ecclesias, et consecratio ipsa viget usque in hodiernum diem. Tanta enim erat tunc et nunc est auctoritas Viri sancti, ut nullus episcoporum, quamvis sanctus, C quamvis justus, consecrationem ipsam reiterare, vel immutare audeat, sed perennis est apud cunctos tunc facta dedicatio, et erit perpetualiter.

ædes sacras consecraturus acri dolore corripitur, hocque, cum jam consecratio facta esset, l

40 Tota ergo urbe, imo tota regione adstante, et ad verbum oris ejus pendente, sermonem fecit omnibus de ipso festo ecclesiæ, et quia præsentialiter ibidem Sanctus sanctorum advenerit, cunctis adnuntiavit, atque, ne consecratio reiteraretur prohibuit *m*. Tandem omnibus valedixit, suumque exitum maturius affuturum, prædixit. O quantus in voce hac luctus omnium! quæ suspiria juvenum! qui gemitus dolentium! Et quis non fleret, ubi tantus Vir suum a sæculo nunciabat excessum? Quis se cohiberet a lacrymis, ubi tanta erat destitutio omnium in absentia tanti Patris? Igitur consueta salutis documenta replicans, seque illis commendans, omnibus benedixit, et, ut Dei memorarentur, ammonuit, et sic, expleto officio, domum rediens lauguore invalescente acrius cœpit anxiari.

vehementius invalescente,

m

41 Dehinc relatus ad ecclesiam, exitus sui præstolabatur horam gaudens, et verba vitæ omnibus annuncians. Plena erat ecclesia lacrymarum, plena gemituum, plena plangentium et dolentium. Solus ipse gaudebat, qui, quo vocabatur agnoscebat, et vocationem suam precibus commendabat. Cum clamarent omnes, Cui nos, Pater, deseris, cui tuas oves desolatas relinquis? Ipse omnium miserabatur, omnibus compatiebatur, omnes a lacrymis temperare docebat. Nec multo post venit hora Sancto optabilis, grata spiritibus angelicis, mæsta filiolis et Servum suum post diuturna præliorum exercitia Christus invitabat ad præmia. Præsentibus ergo ecclesiæ suæ filiis post dulcia vitæ monita, post ultima consolationis affamina Viatico cælesti pastus, pace data omnibus, in bona confessione spiritum Deo reddens, patribus suis est appositus, adeptus optimam partem, quæ non auferetur ab eo, quia in pace fuit locus ejus, et in Sion habitatio ejus. D

inter adstantium gemitus cælesti Viatico pastus

42 Fuit autem beatus Maduleus a tempore Pippini, qui Ansegiso ortus Carolum Tuditem genuit, qui pater Pippini, ex quo Carolus Magnus est genitus *n*, cujus usque ad tempora hic Justus vixit vita sobria, juventute casta, complens cursum vitæ præsentis in senectute bona. Senectutem autem ipsam dicimus, quæ ab anno hominis quinquagesimo in septuagesimum septimum porrigitur, quando jam a statu suo minorari et infirmari virtus humana incipit. Obiit autem, terra plorante, cælo plaudente, in proximo episcopii feudo, quod dicitur Novavilla *o*, quarto Nonas Octobris, anno ætatis suæ septuagesimo sexto *p*, in ipso initio albescentis senectutis, exuens corruptibilem carnis tunicam, induens deificam immortalitatis stolam. E

in vico Novavilla quarta Octobris die excedit e vivis, n

o

p

43 Hoc accepto elogio *, civitas tota turbatur, populus omnis mœrore afficitur. Nec mora, omnis ætas, uterque sexus indiscrete corpori obviam ruunt, lacrymarum imbres fundunt, plangoribus aera tundunt. Nec defuere exequiis beati corporis cælestes exequiarum ministri, qui beatum funus, dum suo ambiunt apparatu, odorem dulcissimum sua præsentia exhibuerunt, ut palam cunctis daretur intelligi, advenisse illic ipsum quoque Auctorem suavitatis. Et revera. Ipsa enim clemens afficit * divinitas consolans lugentium lacrymas, notificans, quæ in defuncto pietas, quanta simplicitas, quæ cordis fuerit puritas. Statim namque ut cælo spiritum reddidit, duæ columbæ candidiores nive ab æthere, cunctis videntibus, lapsæ super Crucem quæ ante corpus erat, sederunt, et per omnes exequiarum moras, usque quo sepulturæ traditum est, manserunt, sicque videntibus illis, iterum poli secreta petierunt *q*.

sacrumque ejus corpus, cui, dum humatur, binæ columbæ, cælo delapsæ, assident,

* *i. e.* ingrato nuncio

* *l.* affuit

q

44 Cum tanta ergo cælestis exercitus frequentia curatum est corpus Patris pia filiorum diligentia, et sic cum omni veneratione dignissima delatum est ad ecclesiam beati Petri, Apostolorum Principis *r*, quæ sita ad Septentrionalem plagam urbis, in qua preciosus Domini confessor Vitonus cum multis prædecessoribus seu successoribus suis requiescit præsulibus sanctis, ubi Officio solemniter ex more celebrato, occurrentibus vicinarum urbium episcopis, terræ est mandatum cum gloria. Felix ecclesia tanti Patris humatione digna! Felix locus tanti thesauri largitione ditatus! Beatum dixerunt populum tanti Pastoris regimine sublimatum, benedictione protectum, miraculis jocundatum. Etenim si gloria ecclesiæ laus doctoris est, quantæ erant, imo quantæ sunt hujus ecclesiæ gloriæ, cujus Doctorem tanta Deus omnipotens approbabat laude? Ecce ad exequias ejus cælestes excubabant ministri, ut agnosceretur in terris, quanta hunc Dominus gloria donasset in cælis. F

in ecclesia S. Vitoni honorificeque terræ mandatur,

r

45 Beata plane exequiarum funera talium testium visitatione digna. Et quid est columbas de cœlo venisse, funeri obsequium et solatium præbuisse, iterum cunctis videntibus, cæli secreta petisse, nisi Christum in specie alitis innocue fidelibus populis de morte Patris mœrentibus suamque destitutionem lugentibus patenter ostendere voluisse, illum, cujus funus erat, in innocentia et simplicitate vixisse, sine felle amaritudinis vitam piam, timoratam, circumspectam, sollicitam, societatis Sanctorum avidam, ab omni malitiæ nævo immunem exegisse, et consortia Sanctorum in gloria curiæ cælestis pia devotione meruisse. Accedant adhuc et potiora miracula, glorificetur Dominus in Sanctis suis, qui est mirabilis in operibus suis.

illudque, dum ad Sancti tumulum crebro fiunt miracula,

Humato

A Humato enim Patris corpore, ut ostenderetur in cælis semper vivere, ad ostendenda præclara ejus merita fiebant ad sepulcrum ejus divina miracula. Et quia pia Dei clementia illum a puero ob omni inquinamento carnis abluit, mentemque ejus castificans ab illusione diabolica potenter defendit, isque sibi mundo corde et casto corpore servivit, ejus post obitum evidentius manifestatum.

quadragesimo post anno de terra levatur.

46 Ut enim ipsius mens inviolata libidine, ita caro mansit incorrupta putredine. Si quidem cum sepulcrum ejus quotidianis virtutum floreret prodigiis et crebis populorum frequentaretur excubiis, erat tamen situm negligentius, quam posceret debitæ venerationis cultus. Quare dignum duxit tum temporis episcopus clerusque omnis et populus illud mutare decentius. Præsidebat eo tempore Virdunensi ecclesiæ Berhardus episcopus *s*, vir catholicus et religiosus, et in fide sancta nominatissimus, imperante Lothario, Ludovici Pii filio *t*, cujus regnum fuit Italia cum urbe Roma et parte Franciæ, quam Mosa et Rhenus inter se claudunt. Quod cum, uti deliberaverant animo, certarent effosso implere sarcophago, subito illis inæstimabilis ostensa est visio. Nam, ablato sepulcri cooperculo, vident cadaver ante quadraginta annos defunctum, velut viventem hominem soporatum, candore liliorum et rubore rosarum perfusum, nulla macula nec aliquo mortis signo fœdatum.

s

t

B

atque in præparato mausoleo deponitur.

47 Quo viso miraculo, odoreque perfusi suavissimo, cœperunt flere præ gaudio, levantesque corpus Sancti cum reverentia et jubilo in præparato transponunt mausoleo, ubi extunc operatur divinitas, cunctosque Dei medetur pietas. Sopitur omnis ibi infirmitas, fugatur cæcitas, erigitur curvitas, roboratur debilitas, omnibus redditur sanitas. Habet jam beatus Vitonus in cælis socium et concivem, quem habuit aliquando in terris alumnum et devotum successorem. Conjunctus est Sanctis in gloria, quibus devotus servivit in hac vita laboriosa. Quæramus et nos eum Patronum et tutorem, et cum reliquis Sanctis pium apud Dominum intercessorem, quem meruimus habere doctorem et veritatis præconem. Illic ergo positus nos hic orantes exaudiat, tueatur et protegat, et quos habet in terris supplices veneratores, obtineat suos in cœlis fore concives.

Misera ecclesiarum in Francia sub majoribus-domus facies

48 Si ergo hujus beati Viri amore ductus diligens lector studiosius cupit addiscere, quo in tempore natus, quove sit ad episcopatum promotus, quot annis ante episcopatum et quot in episcopatu vixerit, et quo hominem exuerit, teneat Chronicam memorialis ejus, et sic per succedentium sibi regum

C et Romanorum Pontificum tempora, quod quærit, inveniet. Relatum est superius, quod ante ordinationem ejus per multa dierum curricula absque pastore fuerit plebs Virdunica. Non enim ferebat præfectorum, qui et majores-domus dicebantur, improba licentia, ecclesias uti libertate propria, cum ipsas quoque urbes nimium attriverit, maxime tamen Virdunum, quæ, sita in confinio Neustriæ et Austrasiæ, utrobique incursioni diripientium patuit et rapinæ.

anno demum 755 cessavit, u

49 Duravit hæc vastitas per annos complures, a tempore scilicet Theoderici *u* et principis Ebroini, quorum bestialis et non humana sævitia maculavit regnum Francorum sanguine procerum et magnatorum, usque ad secundum Pipini regis Francorum annum, quo institutus est a Stephano Papa rex Francorum, sicut et prædecessor ejus Zacharias constituerat, qui fuit annus ab Incarnatione Domini DCCLIII. Tunc primum discussa caligine horribilis turbinis nova lux oriri visa est Galliarum populis, et plebes, quæ carebant pastore, suum quasque * certatim rapere, quo anno inthronizatus est hic Beatus auctoritate Stephani *x* Papæ et Pipini principis laude.

* *l.* quæque *x*

tuncque Sanctus, quadraginta am annis natus,

50 Dum ergo referat Chronica, quid fuerit a tempore Pippini, qui Austrasio ortus Carolum Tuditem genuit, usque ad Caroli tempora, teneamus annum ab Incarnatione Domini DCCXII, quo Beatus hic natus Indictione XIII *y;* et sic computando ascendentes habebimus ipsos annos, quibus Pippinus *z* superavit; annos etiam XXVII, quibus Carolus obtinuit principatum post patrem *aa*, sex etiam, quibus filii ejus Carlomannus et Pippinus post eum communiter dominati sunt, quatuor quoque, quibus ante unctionem solus principatum obtinuit, ipsum etiam annum, quo in regem elevatus est, et sic summam numeri colligentes inveniemus, quod XLIII ætatis suæ anno consecratus sit electione superna, eo scilicet anno, quo Pippinus rex constitutus a Papa est *bb*.

AUCTORE HUGONE FLAV.

episcopus creatus est,

y

z

aa

bb

51 Hinc iterum numeratis annis XV, quibus postea Pippinus solus regnavit, et octo annis regni Caroli, quia nono hic Beatus hominem exuit, cum obsideret Carolus Tarovisam, Italiæ urbem *cc*, inveniemus, quod vigesimo quarto pontificatus sui anno pro perituris cœlestia et æterna commutans, in proximo episcopi * fundo, qui dicitur Novavilla, ad Dominum migraverit, quarto Nonas Octobris ætatis suæ anno LXVIII. Indictione XV. Epacta XXVII. Anno Pontificatus Adriani Papæ sexto, ab Incarnatione Domini DCCLXXVII. Constantini et Irenes temporibus, anno regni eorum sexto, uno ante septimam synodum anno *dd*. Ergo felix Madelvei ortus, felicior vitæ cursus, felicissimus fuit occasus præstante Jesu Christi gratia, cui est honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen.

annoque 777 excessit e vivis.

cc

* episcopii

dd

E

ANNOTATA.

a *Indicare hic videtur Hugo, Sanctum, ut primum Virodunum Hierosolymis fuerat reversus, cathedralem Virdunensem ecclesiam, quam reædificari, discedens jusserat, ad apicem invenisse perductam. Verum quid hac de re sentiendum sit, Commentarii num.* 76 *edixi.*

b *De reliquiis, a Sancto ex itinere Hierosolymitano relatis, consule num.* 75, 77 *et* 78 *Commentarium.*

c *Vide, quid occasione loci, quem corpori suo sepeliendo* S. Magdalveum, *ex itinere, uti ex contextu liquet, Hierosolymitano jam reversum, delegisse, scribit biographus, a nobis in hunc sit scriptorem Comment. num.* 79 *observatum.*

d *Bertharius apud Acherium tom. XII Spicilegii pag.* 232 *in brevi sua Virodunensium antistitum Historia primum hos inter locum concedit S. Sanctino: ex iis tamen, quæ ibidem etiam addit, consequi videtur, ut Sanctinus non Virodunensium, utpote quibus dumtaxat ex occasione Evangelium prædicarit, sed Meldensium proprie fuerit episcopus. Adhæc etiam Hugo, cum non episcopi Virdunensis,* F *sed tantum ecclesiæ Vitonianæ fundatoris titulo Sanctinum hic honoret, fuisse hunc primum Virodunensium antistitem, pro indubitato habuisse non videtur; et sane non immerito, uti intelligetur, ex iis, quæ ad* 11 *mensis hujus diem, quo Meldis colitur S. Sanctinus, quoque proinde de eo in Opere nostro agemus, adducentur in medium. Jam vero, cum res ita habeat, privilegium, quod a S. Sanctino ecclesiæ Vitonianæ, de qua hic sermo, fuisse concessum, Hugo hic affirmat, minime indubitatum apparet. Quis enim indubitanter credat, S. Sanctinum concessisse, seu potius concedere potuisse, ut Vitoniana ecclesia primum a matre Virdunensi ecclesia seu cathedrali obtineret locum, si huic illi numquam præfuit episcopus, sed tantum ex occasione Viroduni primus Evangelium annuntiavit? Porro Vitoniana ecclesia S. Sanctini ætate* S. Petri *nomine erat distincta, posteaque dumtaxat, veteri paulatim obsolescente nomine, a S. Vitono, qui in illa (vide biographum num.* 17) *jacebat sepultus,* Vitoniana *cœpit vocari. Certum hoc est, cum S. Vitonus diu post S. Sanctinum floruerit, uti palam fiet ex iis, quæ ad* 9 *Novembris diem, quo S. Vitonus Viroduni colitur, disputaturi de hoc Sancto sumus.*

e *Plures revera ex abbatibus Vitonianis creatos fuisse, uti hic prodit Hugo, Virodunensium antistites, docet nos horum apud Acherium tom. XII Spicilegii Historia,*

AUCTORE HUGONE FLAV.

Historia, a Berthario inchoata atque a nonnullis aliis deinde continuata.

f *Liquet hinc, uti in Commentario num.* 9 *monui, brevem episcoporum Virodunensium Historiam, a Berthario usque ad ævum suum productam, præ oculis habuisse Hugonem. Verba tamen, quæ ex illa hic recitat, a genuinis Bertharii verbis nonnihil sunt diversa. Hæc enim apud Acherium tom. XII, pag.* 234 *occurrunt, sicque habent :* Basilica siquidem, ubi prædicti (*Virodunenses antistites*) requiescunt Sancti, in honore sancti Petri Apostoli est antiquitus constructa, quæ etiam pro antiqua dignitate habet multa corporum sepulcra, et propterea a fidelibus cunctis multum est veneranda.

g *Vicum hujus aut affinis nominis invenire non valui.*

h *In Geographica episcopatus Virdunensis Tabula, jam sæpius citata, haud procul a Viroduno Occidentem versus notatur vicus,* Bettinviller *Gallice vocatus. De hoc forte Hugoni hic sermo est.*

i *Ad Axonam fluvium situs est vicus, qui Gallice* Vailli, *Latine* Viduliacum *nominatur. Is ipse forsan ab Hugone, corrupta nomenclatione, hic designatur. Cum enim locus, qui hic vocatur* Vindelinse, *in Virdunensi torritorio, uti hic ipsemet Hugo indicat, situs fuerit, diversum illum esse puto a Vindelensi*
B *seu Vindoilensi territorii Bellovacensis pago, de quo ad vocabula* Vindoilisus pagus *in Notitia Galliarum Adrianus Valesius.*

k *Pro notis chronicis, quibus donationem, monasterio seu ecclesiæ S. Vitoni a Teuthardo, ut narrat, factam, Hugo Flaviniacensis seu Sancti biographus hic signat, videsis Commentarii prævii num.* 80, 94 *et tres seqq.*

l *Legendum* consecrandarum, *ut ea, quæ deinde Hugo subjungit, consideranti manifestum evadet.*

m *Stet penes Hugonem fides omnium, quæ de ecclesiis, a Sancto morti vicino consecratis, adjunctisque, consecrationem hanc comitatis, litteris hic prodit.*

n *Pipinus Heristallius Ansegisum patrem, Beggam autem, Pipini Landensis filiam, matrem habuit. Genuit porro ex Alpaide Carolum Martellum, qui Pipinum Brevem, primo majorem-domus, ac dein Francorum regem, Caroli Magni patrem procreavit. Certa hæc sunt atque admittuntur ab omnibus, ut saltem a veritate Hugo hic non deviet.*

o *Vicus hic est, Viroduno haud procul dissitus, cujus qualemcumque num.* 1 *Comment. dedi notitiam.*

p *Cum Hugo Sancti quidem nativitatem (vide Comment. num.* 11 *et* 17) *anno* 711; *obitum vero (adi Comment.* § 8) *anno* 776, *aut certe anno* 777
C *affigat,* Magdalveus *secundum hunc scriptorem ætatis suæ anno non septuagesimo sexto, sed sexagesimo sexto obierit. Error adeo hic indubie cubat; hunc tamen, cum Hugonem equidem tam parum sibi constare non autumem, librariorum potius quam scriptoris hujus vitio puto admissum.*

q *Videsis de hoc miraculo Commentarii prævii num.* 116.

r *Hæc postea a S. Vitono* Vitoniana *fuit nuncupata. Vide dicta ad lit.* d, *et verba Mabillonii, Commentarii prævii num.* 24 *huc transcripta.*

s *Longissime ab episcopo Virodunensi, sub quo Sancti nostri corpus de terra fuit levatum, hic aberrat Hugo. Adi Commentarium prævium num.* 93.

t *En alium adhuc Hugonis hic errorem Comment. num.* 118 *et* 119 *expositum.*

u *Theodoricus III, Francorum rex, de quo hic indubie Hugoni sermo est, fratri suo Childerico II, violenta nece e vivis sublato, in Francorum regnum, quod antea adhuc post fratris Clotharii obitum tenuerat, anno* 675, *uti inter eruditos convenit, iterum fuit suffectus, majoremque domus habuit Ebroinum. Fuerint ergo secundum Hugonem Galliarum ecclesiæ ab anno* 675 *ad annum usque* 733 *misero admodum* D *ac lugubri in statu, multæque ex illis, uti verbis sequentibus indicare videtur, ac in primis quidem Virdunensis, ad præfatum usque annum* 733 *episcopo caruerint. Atque hinc forte factum est, ut Sancti ad cathedram Virdunensem promotionem eidem anno* 733 *innectendam duxerit scriptor ille. Verum Pipinus Brevis, præcipueque ejus frater Carolomanus, major-domus Austrasiæ, ab anno* 742 (*adi ad hunc annum Pagium in Criticis*) *curam habuere, ut res Ecclesiæ meliori statui restituerentur. Ac posterior quidem hic princeps, in cujus majoratu sita erat Virodunensis civitas, pro instauranda, quæ penitus collapsa erat, ecclesiastica disciplina synodum Germanicam I, cui præsedit S. Bonifacius, Germaniæ apostolus, anno* 742 *celebrari curavit, ac deinde anno* 743 *concilium Liptinense, in quo (vide ad hunc annum Pagium in Criticis) Abel quidem Remensis, Ardobertus vero seu Arthertus Senonensis constitutus est archiepiscopus. Adhæc S. Chrodegandus anno circiter* 742, *uti apud nos tom. I Martii in Historico de hoc Sancto Commentario num.* 7 *docetur, civitatis Metensis, quæ in eodem, in quo Virodunum, sita erat Austrasiæ regno, creatus est episcopus, ut adeo nihil obstet, quo minus Sanctus eodem circiter tempore creatus fuisse credatur Virodunensium antistes, ac proin ut ob calamitates, quæ sæculo septimo* E *et seq. Galliarum ecclesias afflixere,* Magdalvei *ad sedem Virodunensem promotionem in annum usque* 733 *differre, Hugo non debuerit. Adi etiam Commentarii num.* 31 *et* 38.

x *Cum Sanctus anno circiter* 742 (*vide Comment.* § 3) *creatus sit Virodunensium antistes, id utique auctoritate Stephani, utpote ante annum* 752 *ad Pontificale culmen non evecti, factum non est.*

y *Alibi Sancti nativitatem (videsis Comment. num.* 11 *et* 17) *anno* 711 *Hugo affigit; alterne autem ex his annis, an anterior potius præligendus sit, quis edicat? Utut sit, Indictio equidem* 13, *cum qua hic biographus annum* 712 *componit, nec cum hoc anno, nec cum anno* 711 *congruit.*

z *Pipinus Heristallius, de quo hic Hugo, anno* 714 *vita functus est, uti fert eruditorum prorsus omnium opinio, fuitque proinde in Hugonis opinione* Magdalvei *nativitati annis circiter tribus superstes.*

aa *Carolus Martellus, ab Hugone hic designatus,* rexit populum Francorum, *ut Annalista Metensis scribit,* annis XXVI, mensibus VI; *Hugo ergo, cum anni incompleti pro completis a scriptoribus subinde non inepte numerentur, annis septem supra viginti Caroli regimen recte hic definit.*

bb *Pipinus Brevis, anno* 741, *quo pater ejus Carolus Martellus obiit, majoratum-domus in Neu-*F *strasia adeptus, una cum fratre suo Carolomanno, qui tunc quoque Austrasiæ major-domus est factus, Francorum regnum administravit ad annum usque* 747, *quo Carolomannus, mundo nuntium remittens, monachum induit. Jam vero, cum anni quatuor, quibus deinde Pipinus rerum summam, tam in Austrasia quam in Neustrasia, solo adhuc majoris-domus titulo obtinuit, alterque annus, quo demum Francorum rex est creatus, anno* 747 *adjecti dumtaxat deducant ad annum* 752, *sibimetipsi iterum contrarius hic videtur biographus, cum Sanctum quidem vel anno* 711, *vel anno* 712 *natum, anno autem* 733 *ad episcopatum supra scribat promotum.*

cc *Sanctum obiisse tunc, cum Carolus Magnus, seu principis hujus exercitus, Tarovisam Italiæ urbem obsideret, perperam hic scribit Hugo. Adi Comment. num.* 86.

dd *Notæ chronicæ diversæ, quibus hic annum Sancti emortualem biographus definit, variis iisque manifestissimis laborant erroribus chronologicis, quos Commentarii* § 8 *majori ex parte notatos invenies.*

DE

A

D

DE S. FRANCISCO CONFESSORE,

FUNDATORE ORDINIS MINORUM,

ASSISII IN UMBRIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C. S.

§ I. Scriptores præcipui, qui de S. Francisco egerunt, quorum postremus S. Bonaventura: Vitæ hic edendæ cum supplementis.

ANN. MCCXXVI. *E sex Vitis a Waddingo nominatis*

Ad gesta S. Francisci *Assisiatis illustranda jam aliquo tempore diligentem operam pro more suo impenderat Joannes Stiltingus noster, jamque non pauca conscripserat, quando morbo correptus, ad ejusdem aliorumque Sanctorum, in quorum Actis enarrandis plurimos annos exegerat, felix consortium a Deo evocatus fuit, ut certe confidere possumus ac debemus. Parata ab illo mihi* B *magno usui erunt, et, prout ipse cœperat, a biographis ordior. Lucas Waddingus in Annalibus Minorum primæ editionis Lugdunensis anni 1625 (qua per hujus Commentarii decursum, nisi ubi aliter monuero, usurus sum) ad annum 1230 num. 7 eos sic enumerat.* Primus omnium ejus Vitam conscripsit ex præcepto Gregorii IX (a quo Legenda ipsa denominata) Thomas Celanus, provinciæ Pennensis, nunc S. Bernardini dictæ, sancto Patri familiaris, a quo, vel a sociis, accepit cuncta, quæ retulit. Secundus venerabilis dominus Joannes de Ceperano, notarius Apostolicus, in sanctum Virum summe propensus. Tertius Anglicus quidam Legendam illam Celani ad metrum gravis et docti carminis heroici reduxit. Quarto diffusius ejus acta retulerunt socii tres, Leo, Angelus et Ruffinus, ex præcepto Ministri generalis, Fratris Crescentii. Quinto ad ejusdem mandatum prænominatus Celanus ampliorem, quam ante, scripsit sancti Viri Historiam, cui secundam addidit partem, ita præcipiente Joanne Parmensi, Ministro generali; atque hæc illa, quæ communiter nuncupatur LEGENDA ANTIQUA. Sexto gravem et candidam ex omnibus Legendam contexuit S. Bonaventura, id rogante universo ferme sodalitio: deinde breviorem concinnavit aliam, quæ distribuitur per Officium recitandum in solemnitatibus S. Francisci.

C

habemus primam ex abbatia Longipontis,

2 *Pergit ad alios Waddingus: at nos tantisper hic sistamus; quamvis enim præcipua documenta, quæ S. Bonaventuræ præluxerunt, enumeraverit, id tamen vir eruditissimus satis accurate præstare non potuit, forte quod non omnes illas Vitas vidisset, licet non pauca earumdem fragmenta in Annalibus allegaverit, ex aliis nonnumquam, ut suspicor, descripta. Dubitandi ratio est, tum quod nusquam asserat, eas omnes penes se esse, tum quod nonnumquam aliter scripturus fuisse omnino videatur, si omnes consuluisset, uti suis locis indicabo. Fortasse Vita per Bovaventuram scripta ob eximiam sancti doctoris auctoritatem effecerit, ut priores negligerentur. Certe nullam ex prioribus hactenus typis editam novimus. Casimirus Oudinus tom. III de Scriptoribus ecclesiasticis col. 105 de primæ Vitæ per Celanum exemplari sic habet:* Opus hoc quidem anonymum extat Ms. in membrana in bibliotheca Longipontis, Ordinis Cisterciensis, in Suessionensi tractu, has antiquitatis habens notas, ut codex originalis videri possit. Hujus exemplum a Johanne Baptista Desnoiville, hujus abbatiæ Priore, ad me transmissum, meis curis ad Danielem Papebrochium destinatum ac receptum est.

jubente Gregorio IX, scriptam a Thoma Celanensi

3 *Sic est, habemus illud ab Oudino cum epistola missum, dum ille ante suum ad heterodoxos transfugium subpriorem agebat in abbatia Buciliacensi, Ordinis Præmonstratensis, in diœcesi Laudunensi. Præclara admodum Vita est, scriptorem præferens doctum et pium; qui nomen quidem silet suum, sed cum in Prologo dicat, se scribere,* jubente domino et glorioso Papa Gregorio, *multisque in locis insinuet, se* S. Francisci *discipulum fuisse, non dubito, quin is sit laudatus a Waddingo Thomas Celanus seu de Celano, qui solus, saltem ex Fratribus Minoribus, eodem mandante Pontifice, Vitam* S. Francisci *conscripsit. Accedit et ea ratio, quod plurima, quæ Waddingus velut ex Legenda Thomæ Celanensis,* E *quam Gregorii IX passim dixit, allegavit, in hac reperiantur. Hunc autem esse primum* S. Francisci *biographum, abunde ostendit ipsum Prologi initium, quod subjungo.* Actus et vitam beatissimi patris nostri Francisci pia devotione, veritate semper prævia et magistra, seriatim cupiens enarrare, et quia omnia, quæ fecit et docuit, nullorum ad plenum tenet memoria, ea saltem, quæ ex ipsius ore audivi, vel a fidelibus et probatis testibus intellexi, jubente domino et glorioso Papa Gregorio, prout potui, verbis licet imperitis, studui explicare. *Hic Prologus, non Vita, integer editus exstat apud Martenium tom. I. Anecdotorum col. 956.*

ac in tres libros divisam,

4 *Porro tota Vita hæc non solum in duas, ut Waddingus de secunda Celani lucubratione supra insinuavit, sed in tres partes seu libros divisa est, ut auctor ipse in Prologo exponit. Liber primus, passim servato ordine temporis, exhibet* S. Francisci *gesta et miracula usque ad penultimum ipsius vitæ annum, æræ Christianæ 1224. Secundus refert acta duorum postremorum annorum, sacra stigmata tunc impressa, Sancti infirmitates, beatam mortem et honorificam sepulturam. Tertius denique enarrat ejusdem canonizationem factam anno 1228, et priora post mortem miracula. Sed tacet de translatione corporis, quæ secuta est anno 1230. Quapropter illa Vita per-* F *fecta fuit ante translationem, quam ille alias non siluisset; ut forte nondum elapso a Sancti obitu anno, mandante Gregorio IX, scribi cœpta sit; nam primus liber, imo et secundus perfici potuit ante canonizationem, et post hanc tertius addi.*

quam non satis novit Waddingus.

5 *Itaque non est hujus auctoritas minor, quam Vitæ per S. Bonaventuram scriptæ, si tempus spectes, et oculati familiarisque scriptoris testimonia; meruitque pius iste doctusque biographus hoc Opusculo suo ampliora elogia, quam ei dederit Waddingus tam in Bibliotheca Scriptorum, quam in Annalibus. Verum, quod jam monui, eruditus ille Annalista videtur hoc Opusculum non habuisse. In Bibliotheca pag. 323 Thomæ de Cellano (sic nomen ibi scribitur) duplicem Legendam pariter attribuit. De priori ait:* Alteram Legendam Minorem prius ediderat, quæ legebatur in choro. *Consentit in Annalibus ad annum 1244, num. 10; sed addit Minorem illam a Celano compositam* ex mandato olim fel. rec. Gregorii IX. *De altera, quam multo serius scriptam statuit, nempe sub Crescentio generali Ordinis ministro, disputabo inferius. Potuit Celanus, jubente Gregorio, post* Francisci *canonizationem, anno 1228 ab eodem Pontifice celebratam, aliquam Legendam minorem ad usum chori composuisse; verum nostra, quam ejusdem Gregorii jussu a Celano scriptam constat, nec brevis est, nec ad eum usum accomodata,*

AUCTORE C. S.

estque translatione sacri corporis, anno 1230 facta, prior. Quapropter si laudatus Annalista hanc nostram integram habuisset, aliter, opinor, de Celani Opusculis fuisset locutus; nam ex fragmentis, quæ alicunde accepit, non potuit eam satis noscere.

Illius auctor ab ipsomet S. Francisco in Ordinem admissus fuit.

6 *At certum est, quod idem Annalista Minorum ait, ipsum e discipulis* S. Francisci *fuisse. Quo autem fere tempore sese illi adjunxerit, videtur mihi ipsemet humilibus verbis utcumque insinuasse in Vita edenda, dum num.* 56 *narrans,* S. Franciscum *in Hispania impeditum morbo fuisse, ne trajiceret in Africam, hoc modo loquitur:* Sed bonus Deus, cui mei et multorum placuit recordari, cum jam ivisset in Hispaniam... ægritudine intenta, eum a cœpto itinere revocavit. Revertente quoque ipso ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Portiuncula, tempore non multo post quidam litterati viri, et quidam nobiles ei gratissime adhæserunt. *Ex his litteratis viris verisimiliter fuit Celanus ipse: quam ob rem cum is Sancti ex Hispania reditus ann.* 1215 *affigendus sit, videtur Thomæ ad illius sodalitium accessus eodem, vel subsecuto anno contigisse. Sane anno* 1222 *non fuit ille tiro in Ordine, sed vir magnæ autoritatis, si verum est, quod Waddingus ibidem num.* 24 *scribit, ipsum jam tunc custodem, ut vocant, conventuum Moguntinensis, Wormatiensis*
B *et Coloniensis a Cæsario Germaniæ Ministro, ac mox etiam hujus vicarium, constitutum fuisse. Waddingus ad annum* 1221, *num.* 6 *eumdem vocavit* Thomam de Zelchio *vel* Celano; *at* Celanum *aut* Celanensem *dictum, existimo, ab oppido* Celano, *quod est prope lacum Fucinum, vulgo* de Celano *nuncupatum in Marsis. Hæc satis de viro, quem etiam Vita edenda commendabit, quippe scripta pie, erudite et eleganter, certe si quasdam minutias grammaticales auctoris sæculo condonemus.*

Eidem attribuuntur etiam aliæ ejusdem Sancti Vitæ,

7 *Quod spectat ad alteram Vitam, Waddingus in Bibliotheca loco citato de ea sic habet:* Thomas de Cellano, provinciæ Pennensis, S. Francisci discipulus et socius, edidit ex præcepto Crescentii generalis Ministri et generalium comitiorum Januensium librum de vita et miraculis S. Francisci, quem Gregorius nonus, eidem Sancto summe familiaris, approbavit. Incipit: PLACUIT SANCTÆ UNIVERSITATI VESTRÆ. Communiter vocatur a Fratribus LEGENDA ANTIQUA. *Eadem tradidit in Annalibus ad annum* 1244, *quo dicta comitia Januis habita fuere, num.* 10; *sed ibi rectius non dixit, Legendam hanc a Gregorio IX approbatam fuisse. Sane Gregorius IX, anno* 1241 *vita functus, non potuit probare Legendam, quæ ex mandato comitiorum generalium, anno* 1244 *celebratorum, scribi cœpta est.*
C *Duplicem* S. Francisci *Legendam a Celano scriptam esse, me etiam monuerunt RR. PP. Conventuales Romani in monumentis, quæ ad nos humanissime miserunt, quæque mihi magno usui erunt. Laudant illi Chronicon Ms. in membrana, Romæ in bibliotheca excellentissimi principis de Comitibus, Poli ducis, servatum, sed mutilum, auctore Salimbeno Parmensi in Ordinem Minorum recepto a Fratre Helia anno* 1238, *uti constare aiunt ex ejusdem Chronici pag.* 246. *In eo pag.* 285 *de Crescentio generali Ministro ad propositum nostrum legi asserunt sequentia.*

quarum præcipuam alii Ceperano adscribunt,

8 Hic præcepit F. Thomæ de Celano, qui primam Legendam B. Francisci fecerat, ut iterum scriberet alium librum, eo quod multa inveniebantur de B. Francisco, quæ scripta non erant; et scripsit pulcherrimum librum, tam de miraculis, quam de vita, quem appellavit MEMORIALE B. FRANCISCI IN DESIDERIO ANIME... Sed processu temporis a F. Bonaventura Geñli Miñro ex iis omnibus compilatus est unus optime ordinatus. Incipit Prologus hujus Legendæ: PLACUIT SANCTE UNIVERSITATI OLIM CAPITULI GENERALIS, ET VOBIS, REVERENDISSIME PATER. *Prioris Legendæ, ut putant, copiam ex sui conventus Assisiensis codice Ms. iidem humanissimi patres nobis obtulerunt, quorum beneficentia etiam hic usus fuissem, si temporis angustiæ permisissent, nec defectum hunc Vita, quam habemus, et S. Bonaventura, qui ex omnibus de* S. Francisco *lucubrationibus, illo* D *prioribus, Vitam concinnavit, satis compensasset. At scrupulum mihi hic injiciunt iidem RR. Patres, dum ex Chronico viginti quatuor Generalium eadem fere de Thoma Ceperano recensent, consentiente Rodulphio, de quo Waddingus in Annalibus ad annum* 1244, *num.* 10 *de eodem argumento loquens ait:* Celano substituit Rodulphus Ceparanum, similitudine appellationis deceptus. *Rectene hæc, an secius, non perspicio: at laudati Chronici verba mox dabo inferius.*

nec sat constat de ceteris. Quæ vocetur Legenda antiqua,

9 *Porro ex hactenus dictis consequeretur, Thomam Celanensem gesta sui sancti Patris quater scripsisse; primo scilicet, mandante Gregorio IX, Legendam breviorem ad usum chori; secundo ampliorem, eodem jubente, quam edam; tertio ex præcepto Crescentii Ministri generalis, ac denique quarto jussus a Joanne Parmensi, qui anno* 1247 *in generale ministerium Crescentio successerat. Facilius apud me fidem inveniret, qui diceret, Celanensem Vitæ, quam habemus ab illo compositam, ex laudati Pontificis aut alterutrius e nominatis Ministris generalibus præcepto addidisse partem, seu librum quartum, in quo translatio sacri corporis, ante quam tres priores libros scripserat, et posteriora miracula exponerentur; quod tamen an fecerit, non est mihi exploratum. Non* E *parum etiam ambiguum mihi apparet, an, dum Waddingus in Annalibus laudat* Vitam antiquam, *hæc vere illa altera sit, cujus supra meminit Salimbenus; tum quod ex Waddingo certo colligere nequeam, hanc ab illo visam esse; tum quod nomen* Legenda antiqua *fallere possit; nam et aliæ Vitæ sic vocari potuerunt a scriptoribus, qui Waddingo præluxerunt. Quin et ipsemet verbis num.* 8 *datis agnovit, eam, quam Ceperanus scripsisse creditur, a Rodulphio* Legendam antiquam *appellari, quod etiam asseritur in Chronico viginti quatuor Generalium verbis mox recitandis. Apud Pisanum quoque in libro Conformitatum aliquoties laudatur* Legenda antiqua; *sed fere pro quibusdam* S. Francisci *monitis ac dictis, ut non videatur per* Legendam antiquam *Vita ibi indicari, sed potius quædam ejusdem Sancti dictorum collectio. Hactenus de Celano.*

Aliam Vitam Joannes vel Thomas Ceperanus,

10 *De secundo* S. Francisci *biographo pauciora habet Waddingus, quam de primo. Verbis num.* 1 *datis vocatur* Joannes de Ceperano, *diciturque fuisse* notarius Apostolicus, in sanctum Virum summe propensus. *In Annalibus ad annum* 1244 *num.* 10 *appellatur* Thomas Ceparanus, *et additur:* Hic fuit sæcularis, officio protonotarius; etiam de mandato Gregorii noni B. Franciscum stylo prosequutus est. *At in Bibliotheca Minorum legitur:* Thomas de Ceperano, Cellanensem (*de quo mox* F *egimus*) imitatus, scripsit etiam ex mandato ejusdem Generalis (*Crescentii*) Vitam S. Francisci. *Undecumque hæc variatio nata sit,* Thomas *etiam vocatur et Ordinis Minorum fuisse dicitur, et ex præcepto Crescentii scripsisse legitur in Chronico viginti quatuor Generalium, cujus verba ex Ms. membraneo archivi conventus* S. Francisci *Assisiensis descripta, a supra laudatis laudandisque RR. PP. Conventualibus accepi. Hujus Chronici auctor anonymus postquam dixerat, ex præcepto Crescentii in comitiis Januensibus dato multa de* S. Francisco *a multis atque inter hos a Tribus Sociis scripta et ad Crescentium transmissa esse, sic perrexit:* Et post F. Thomas de Ceperano de mandato ejusdem Ministri et Generalis capituli primum tractatum Legendæ B. Francisci, de vita scilicet et verbis et intentione ejus circa ea, quæ pertinent ad Regulam, compilavit, que dicitur LEGENDA ANTIQUA, que dicto Generali et capitulo dirigitur cum Prologo, qui incipit: PLACUIT SANCTE UNIVERSITATI VESTRE. Quam Legendam postea F. Bernardus de Bessa ad compendiosiorem formam reduxit.

secularis aut Minorita, scripsisse dicitur,

11 *Rursum ibidem in Vita Fratris Joannis Parmensis hæc legi aiunt:* Hic Generalis præcepit, multiplicatis litteris, F. Thome de Ceperano, ut Vitam B. Francisci, que ANTIQUA LEGENDA dicitur, perficeret; quia solum de ejus conversione et verbis

in

A in primo tractatu, de mandato F. Crescentii compilato, fecerat mentionem; et sic secundum tractatum, qui de ejusdem S. Patris agit miraculis, compilavit. Quem cum epistola, que incipit, RELIGIOSA NOSTRA SOLICITUDO, misit eidem Generali. *Hæc omnia, si non eadem sunt, certe tantam affinitatem habent cum iis, quæ de Thoma Celanensi narravit Waddingus, ut viæ possim dubitare, quin ex utriusque biographi nominis similitudine quædam, quæ ad hunc pertinebant, isti, vel contra, attributa fuerint. Quoque etiam minus dubitem, auctorem Vitæ a Bernardo de Bessa in compendium contractæ laudatus chronologus* Thomam Ceperanum, *Waddingus* Thomam de Celano *dixit in Bibliotheca, cujus verba dabimus infra, dum de Bernardo de Bessa sermo erit. Utcumque sit, scripsi pro laudato Ceperani Opere, sive is* Joannes, *sive* Thomas *dictus fuerit, sive secularis sive Frater Minor, a benignissimis PP. Conventualibus Romanis obtinendo; at illi dolenter negarunt, illius apud se exemplar esse, quod sciant. In hisce tenebris cogor dubitare, an, quod Waddingus ad annum 1244, num. 10 asseruit, revera non fuerit aliquis Thomas Ceperanus, secularis protonotarius, qui tempore Gregorii IX gesta* S. Francisci *post Celanensem scripserit. Cur ita*

B *suspicer, exponam.*

si secularis fuerit, illius esse potest Vita, quam in codice habeo,

12 *Exstat in Museo nostro spissus codex membraneus, olim Isaaci Vossii, notatus P. Ms.* 10, *qui exaratus videtur circa finem sæculi* XIII *aut initium sequentis. In hoc ad diem 4 Octobris legitur Vita* S. Francisci, *quam ex omnibus, quas quidem vidi, secundam esse, non inaniter conjicere licet, scriptamque non multis annis post* 1230. *Hujus Vitæ auctor procul dubio ad manus habuit primam, scriptam a Celano, cum eam passim sequatur, factaque in illa relata eodem fere ordine, sed aliis sæpissime verbis pauloque brevius, enarret. At cum prima Vita non producatur usque ad corporis translationem anno* 1230 *factam, hanc illa addidit, nihilque præterea, nisi quod generatim memoret, miracula post translationem impetrata fuisse. Hinc manifestum est, hanc Vitam compositam fuisse post primam. Scripsisse auctorem illius sub Gregorio IX, colligitur ex modo loquendi de Gregorio, de quo semper scribit velut de vivente, secus ac de duobus ejusdem decessoribus, Honorio III et Innocentio III. S. Claræ quoque ut viventis meminit, dum* S. Francisci *corpus ad ipsam delatum ab eaque visum narrat. Tertia ratio petitur ex collatione reliquarum Vitarum, quarum postremam scripsit S. Bonaventura. Etenim ex collatione dictæ Vitæ cum Legenda Trium Sociorum, anno* 1246 *vel* 1247 *scripta, cumque alia*

C *ejusdem fere temporis relatione Ms. inferius laudanda, ac denique cum scripta per Bonaventuram, deprehenditur, hæc tria Opuscula ignota fuisse scriptori Vitæ, de qua agimus.*

quæ vere antiqua est,

13 *Præterea, quod antiquitatem illius etiam certius commendat, ex hac et prima accepit, imo fere descripsit Vincentius Bellovacensis, quæ ante scriptam a Bonaventura Vitam suo Speculo Historiali lib.* XXIX, *cap.* 97 *et duobus sequentibus, ac rursum lib.* XXX, *cap.* 99 *et aliquot sequentibus de* S. Francisco ex Gestis *ejusdem inseruit, ut cuicumque hæc cum laudatis Vitis conferenti indubium fiet. Et vero, exstitisse saltem duas* S. Francisci *Vitas ante annum* 1246 *vel* 1247, *liquet ex Opusculo Trium Sociorum, infra memorando, quod illi alterutro anno una cum epistola sua ad Crescentium generalem Ministrum transmiserunt. Nam in Epistola aiunt :* Per modum Legendæ non scribimus, cum dudum de vita sua (*id est*, ejus, *seu* S. Francisci) et miraculis... sint confectæ Legendæ. *Neque has unius solius scriptoris fuisse, agnoscunt, dum de collectis a se aiunt :* Credimus enim, quod, si venerabilibus, qui præfatas confecerunt Legendas, hæc nota fuissent, ea minime præterissent. *Fidem quoque earumdem Vitarum gravissima sua auctoritate probant, dicentes, se multa prætermittere,* quæ in prædictis Legendis sunt posita, tam veridico, quam luculento sermone. *Ex Vitis autem illis prima sine dubio est Thomæ Celanensis. Si altera auctorem habuit* Joannem *vel* Thomam *Ceperanum, hicque fuit vir* secularis, notarius Apostolicus, *vel* officio protonotarius, *ut Waddingus in duobus Annalium locis asseruit, vehementer suspicor, illius Opusculum esse, quod in laudato codice nostro habemus; nam et hujus auctor nullibi se indicat fuisse Ordinis Minorum, et cetera, ut dixi, congruunt.*

AUCTORE C. S.

14 *Hinc minime mirum est, huic nostræ non præfigi Prologum, cujus initium recitat auctor anonymus Chronici viginti quatuor Generalium et cui simillimum secundo Celanensi Opusculo tribuit Salimbenus supra num.* 8, *multo antiquior isto anonymo, quippe qui Chronicon istud ad annum usque* 1374 *perduxisse legitur. Quid multa? Opus Ceperani, quod iste anonymus laudat, non potest esse omnium secunda* S. Francisci *Vita, cum istud, teste eodem anonymo, posterius sit Opusculo Trium Sociorum; hæc vero ex dictis multo prior. Forsitan Sancti Vitam diversis temporibus scripserint duo* Ceperani, *unus* Joannes *dictus et notarius Apostolicus sub Gregorio IX; alter* Thomas *Ordinis Minorum ex mandato Crescentii sub Innocentio IV. Primi potest esse, quam habemus, non secundi. Non æque tamen existimo, nostrum scripsisse, jubente Gregorio IX, cum id auctor nullibi dicat, nec sat idonea occurrat ratio, cur laudatus Pontifex idem* E *scriptionis argumentum, a Celanensi Sancti discipulo optime tractatum, seculari viro denuo exponendum jussisset, isque Celanensis lucubrationem fere tantum fuisset secutus. Sane digna essèt hæc Vita, quæ secundo loco ederetur, si aliquid primæ adderet præter Prologum et corporis translationem. Quapropter malo totam illam ordine temporis, quantum licebit, huic Commentario sparsim inserere, ut et verba primæ rarius veniant alleganda, et lectores* S. Francisci *gesta ex monumento optimæ notæ per Commentarium disposita habeant.*

quamque huic Commentario membratim inseram,

15 *Hoc consilio totam Præfationem illius hic præmitto.* In nomine Domini introitus in Vitam S. Francisci. Ad hoc quorumdam, quos speciali meritorum prærogativa Dominus privilegiare disposuit, priora quædam in divinis eloquiis commemorantur infirma Sanctorum, quatinus inscrutabilem divini consilii profunditatem mirantes pariter et laudantes, quos * lapsi quidam excellentioribus super plerosque justorum meritis sublimantur, nec innocentes, quasi de sua confisi justitia, in imo vitiorum prostratos despiciant; nec tamen de suis impii flagitiis desperantes, pro venia postulanda propinquare ad fontem misericordiæ Deum pertimescant. Sic nimirum pia justorum humilitas Domini judicis justitiam metuit, ne ruinosus eos præsumptionis tumor extollat : sic tam firma, F quam discreta, lapsorum spes de pii Patris benignitate præsumit, ne horrenda ipsos vorago desperationis absorbeat. Sic quoque stupenda in omnibus laudanda, magnificentia Domini gloria * prædicatur; quæ et gratuito diligens sustentat justos, ne corruant, et benigne commiserans erigit elisos, ne pereant. Hinc, Christum negasse primum ejusdem vicarium; hinc et ipsum vas electionis Christi, legimus, Ecclesiam perfecutum. Ob hoc etiam Publicanus ille, qui et Apostolus et Euangelista vocatur; sed et illa specialis discipula septem dæmoniis obsessa narratur. Hinc gloriosi confessoris et levitæ Christi, Francisci breviter utcumque gesta scripturi, priora quædam infirma præmittimus, ut conversationis ejus ultimis, quæ plene vel digne explicare non possumus, ad prima collatis, conversionis illius Auctor magnifice ab omnibus collaudetur, pia innocentibus humilitas augeatur, firmiorque prolapsis de venia spes donetur. *Fortasse hoc Prologo auctor se munivit, quia noverat, nonnullos conquestos de adolescentis* Francisci *gestis in Vita prima candide expositis.*

Prologo hic præmisso.

* *l.* quo

* *an* gloriæ?

16 *Tertius* S. Francisci *biographus Waddingo est Anglicus, qui primam per Celanum Vitam carmine heroico expressit. Hic forte ille est, de quo Patres*

Vitam metricam per Anglicum non

AUCTORE C. S. *curamus; sed Opusculum*

Patres Conventuales Romani in suis ad me scriptis sic aiunt : Extat quidem in eodem archivo (*conventus S. Francisci Assisiensis*) codex item membraneus sæculi XIII, in quo aliam S. Francisci Legendam rudioribus exametris versibus fuse productam, et Gregorio IX dicatam deprehendimus. Sed hæc numquam nobis loco primæ Celanensis erit, tum quia carmine illam fuisse exaratam, nemo unquam asseruit, tum quia frequentiores hæc habet chronologiæ lapsus, rerumque minus cohærentium mixturas. *Certum apparet, Celanensem non scripsisse metrice gesta* Francisci, *etsi vero constaret, Assisiensem illam ex prosaica Celani mox ab alio metricam factam, eam non magnopere requirimus, tum ob memoratos lapsus, tum quia prosaicam ipsam habemus. Est tamen apud nos metrica quædam carmine heroico, sine nomine auctoris edita Cracoviæ anno 1594, quam Waddingus in Scriptoribus Hieronymo Maripetro Veneto tribuit, aitque, primum impressam Venetiis anno 1531, et Clementi VIII* (septimo *voluit dicere*) *dedicatam. Junior hic scriptor est, quam ut nobis possit esse usui. Quarta* S. Francisci *Vita* (*si tamen illa metrica locum tertiæ mereatur*) *apud Waddingum est Legenda Trium ejusdem Sancti Sociorum communi labore composita. Qua de causa hi scripserint, exponit laudatus Annalista ad annum 1244, num. 8, agens de comitiis generalibus, eodem anno Januæ celebratis :* In eo capitulo, *inquit,* mandavit tam Generalis, quam omnes Patres, datis per orbem universum litteris, quidquid de vita, sanctitate et miraculis sancti patris Francisci occurreret, scriptis traditum ad ipsum Generalem mitteretur. B

a tribus Sancti sociis, mandante Crescentio Generali, scriptum,

17 Hoc speciatim tribus beati Patris sociis injunctum est; nempe sancto fratri Leoni, qui a confessione et secretis fuit sancti Patris, item sanctis fratribus Angelo de Reate et Ruffino, qui inter primos ejus duodecim socios sunt adsciti. Hi gnaviter operi incumbentes, Legendam, quam TRIUM SOCIORUM vocant, dictarunt, in qua id præcipue suppletur, quod ab aliis est omissum. Opus perfecerunt in loco Græcii, provinciæ Romanæ, III Idus Augusti, anno MCCXLVI; perfectum vero scriptis sequentibus litteris ad Generalem direxerunt, quæ litteræ deinceps præfationis loco insertæ præficiuntur Operi. *Tum dictam recitat epistolam, quæ ibi legitur* data Græciæ III Idus Augusti, an. MCCXLVI; *at in nostro apographo sic habetur :* Data in loco Græcii III Idus Augusti, anno Domini MCCXLVII. *Si recte se habeat chronotaxis Waddingi de Crescentio, ad quem ea epistola scripta est, mense Julio ejusdem anni 1247 ab officio amoto, sine dubio legendum est* anno MCCXLVI. *Nihil tamen ad propositum nunc interest, unone an altero scripta fuerit ista lucubratio, quam ex ejusdem Crescentii in comitiis Januensibus mandato a laudatis fratribus confectam esse, etiam chronologus viginti quatuor Generalium supra memoratus, expresse affirmat; nec video, hac de re posse dubitari.* C

velut primæ Vitæ supplementum

18 *Æque constat, tres illos fuisse* S. Francisci *socios; an tamen fuerint e duodecim primis, atque ex iis Leo eidem Sancto a confessionibus, hic non inquiro. At monuerunt me supra laudati PP. Conventuales, fuisse, qui contenderent, Opus, quod horum Trium Sociorum nomine venit, fœtum esse cujusdam sycophantæ e Fratricellis hæreticis, in eoque S. Bonaventuram inter damnatos censeri. Sed iidem Patres recte suspicantur, aut illis aliud, quam quod in Chronico viginti quatuor Generalium memoratur, Opusculum, aut certe alicujus impostoris malitia interpolatum præluxisse. Certe, quod edemus, Bonaventura prius est, nec de Bonaventura meminit; nihilque nisi auctoribus, quos præfert, dignissimum continet; ut procul ab illis fuerit ejusmodi blasphemiam protulisse, aut etiam potuisse proferre. Accepimus autem Opusculum istud ex codice Ms. RR. PP. Minorum conventus Lovaniensis in Belgio nostro. Ante Epistolam Trium Sociorum hæc posita annotatio est :* Hæc sunt quædam scripta per Tres Socios B. Francisci de vita et conversatione ejus in habitu sæculari, de mirabili et perfecta conversatione ipsius, et de perfectione originis et fundamento Ordinis in ipso et in primis fratribus. *Sequitur Epistola, ex qua clarissime intelligitur, tribus illis sociis non fuisse propositum integram Sancti Vitam scribere, sed tantum aliqua illius gesta, ab aliis prætermissa vel non satis exposita, quæ proinde, si ita videretur, Vitis, quæ exstabant, possent inseri.* D

edemus. Aliud anonymi Perusini

19 *Hoc eorum propositum ipsa lucubratio confirmat : multa enim in ea adduntur de* S. Francisci *gestis in statu sæculari, quæ primi biographi non memoraverant; aliaque prolixius exponuntur, quam apud illos, alia item brevius, aut etiam tacentur, quæ apud istos pluribus legere erat. Quapropter hoc Trium Sociorum Opusculum, stilo admodum simplici conscriptum, subjiciam Vitæ primæ, tamquam supplementum illius aut Appendicem : neque enim recte vocabitur* Vita, *cum pleraque sancti Institutoris gesta in eo sint omissa ob rationes datas. Hinc rursum cogor suspicari, hanc lucubratiunculam non satis notam fuisse Annalistæ Minorum, quod eam* fusius *ab illis scriptam crediderit, quam quæ Celanensem auctorem habet, quæ illa multo est prolixior. Est et alia ad manum mihi lucubratio, mutila in posteriori parte ex Ms. Perusino, ex quo ad diem 23 Aprilis apud nos data sunt Acta B. Ægidii, unius e primis sociis* S. Francisci. *Papebrochius noster, qui illam describi curavit, hoc ei adjecit monitum :* Hæc habebantur in Ms. Perusino, de quo ad Vitam B. Ægidii XXIII Aprilis, inter cujus Collationes et miracula hæc scripta legebantur. Est forte Fratris Leonis. E

in Commentario adhibendum.

20 *Patres Conventuales Romani, jam alias laudati, longe aliter opinantes asserunt, eamdem censeri* Opus anonymi Ultramontani, qui sæculo XV inter mortales agebat, *et bona mixta malis continere. Non possum ego suspicioni Papebrochianæ suffragari; sed neque Conventualium opinioni assentiri, quod eam nullo argumento probent; ipseque auctor sese fuisse discipulum* S. Francisci, *aut certe sociorum illius profiteatur. Porro quamvis inter B. Ægidii Collationes et miracula legatur, Ægidii non esse, probat elogium, quo ipse in eadem ornatur. Quam ob rem hoc quoque Opusculum suis locis in hoc Commentario adhibebo. Hunc titulum præfixum habet :* De inceptione et actibus illorum Fratrum Minorum, qui fuerunt primi in Religione et socii B. Francisci. *Subditur hæc brevis Præfatio :* Quoniam servi Domini non debent ignorare viam et doctrinam sanctorum virorum, per quam ad Dominum valeant pervenire; ideo ad honorem Domini et ædificationem legentium et audientium ego, qui acta eorum vidi, verba audivi, quorum etiam discipulus fui, aliqua de actibus beatissimi fratris nostri Francisci et aliquorum fratrum, qui venerunt in principio Religionis, narravi et compilavi, prout mens mea divinitus fuit docta. E

Ejusdem Vitam etiam scripsit S. Bonaventura,

21 *Ex omnibus medio sæculo* XIII *prioribus instrumentis tandem S. Bonaventura Vitam* S. Francisci *composuit, uti ex collatione luculenter perspicere licet; præcipua tamen hausit ex Vita prima, auctore Celanensi, ac cetera addidit partim, ut opinor, ex documentis jussu Crescentii Generalis per varios ante conscriptis; partim ex relatione sociorum* S. Francisci, *qui, eo scribente, supererant plurimi. Testatur enim ipsemet in Præfatione sua, sese ea de causa profectum esse Assisium, ibidemque diligenter ac frequenter contulisse* cum familiaribus *Sancti sociis* superviventibus, *ac* maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus et conscii fuerunt et sectatores præcipui, quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem fides est indubitabilis adhibenda. *Hinc sanctus doctor, etsi annis facile triginta post Celanum scripserit, et* Franciscum *non nisi puer quinquennis videre potuerit, copia tamen instrumentorum illum longe superavit; ideoque nil mirum est, multa in hac posteriori Vita reperiri, quæ desiderantur in prima. Nec propterea tamen negligenda est prima; cum in hac etiam multa sint,*

quæ

A *quæ minus expresse tradidit Bonaventura, forte ne Opusculum suum nimis excresceret.*

rogatus a suis in comitiis Narbonenstibus,

22 *Quæ fuerit huic Sancto causa post alios hanc Vitam scribendi, Waddingus ad annum* 1260, *num.* 18 *loquens de comitiis generalibus eodem anno Narbonæ celebratis, narrat his verbis :* In iisdem comitiis rogaverunt patres sanctum primicerium (*id est, Ministrum generalem Bonaventuram*) ut ablata varietate multarum Legendarum, ex diversis historiarum fragmentis, quæ de S. Francisco circumferebantur, gravem et sinceram ipse concinnaret historiam. Quibus licet responderit, plures sibi superesse curas officii, quam ut ad seria studia posset attendere, tandem acquiescens in se assumpsit onus gesta sui Institutoris enarrandi. *Hæc probat Waddingus ipsis S. Bonaventuræ verbis, et subdit :* Legendam autem hanc compilavit anno sequenti (*id est,* 1261) Parisiis, nihil sacræ admiscens historiæ, nisi probatum et certum, candidis testimoniis assertum; *quod ut verum credamus, omnino persuadet eximia S. Bonaventuræ eruditio et sanctitas. Mitto hujus Vitæ elogia, a Waddingo ex aliquot recentioribus ibidem relata : satis enim sanctus doctor seipsum commendat, ipsaque Vita seipsam suis commendabit lectoribus. Deinde rursus Waddingus* Legendam, *inquit,* hanc in plures

B sectiones distributam in compendium redegit vir sanctus (*Bonaventura*) ad preces cujusdam episcopi Galli, quæ Legenda Legenda Minor nuncupatur, et per dies Octavæ S. Francisci leguntur in Officio divino.

quæ præ cæteris in usu fuit; sed nunc in duobus locis

23 Utramque Historiam, longiorem et breviorem, obtulit triennio post in comitiis Pisanis patribus Ordinis, quas reverenter cum gratiarum actione, suppressis aliis quibusque Legendis, admiserunt. *Verisimile est, hinc factum, ut antiquiores Vitæ deinceps in tenebris ineditæ latuerint. Non omnino tamen neglectas fuisse apud scriptores Ordinis Minorum, patet ex Waddingo, qui eas non raro allegavit in margine, nec pauca recitavit Vitæ primæ fragmenta, forte ex Mariano Florentino, de quo in Epistola ad lectorem ait* : Præ omnibus opi fuit Mariani Florentini Historia Ms., quinque libris distincta, *aut ex aliis medii temporis scriptoribus, quos laudavit. Verum, quæ modo exstant istius Legendæ Majoris editiones, imo et exemplaria Mss. non ab omni interpolatione pura esse, probant sæpe laudati PP. Conventuales, quorum verba hic transcribo.* Interpositum ergo aliena manu asserimus id, quod probare jam possumus, vel potius fateri compellimur, ut ea, quæ addidit F. Hieronymus de Asculo, postea summus Pontifex Nicolaus IV.

C Addidit autem tum visionem notissimam Innocentii Papæ III, tum illud miraculum de cæco, effossis oculis, luce donato in cap. De cæcis Illuminatis insertum.

aliquot exemplaria interpolata habet : hæc quoque edenda est.

24 Primum constabat et Chronico supra citato viginti quatuor Generalium in Vita F. Hieronymi de Asculo, ubi pag. 110 hæc leguntur : « Hic » Generalis addidit Legendæ B. Francisci, per do- » minum Fratrem Bonaventuram compilatæ, illam » visionem domini Papæ Innocentii III, quando » B. Franciscum, tamquam ignotum, repulit in- » dignanter ab illo loco : Cum igitur esset Christi » vicarius in loco, qui dicitur Speculum etc. Quam » dominus Ricardus tit. S. Angeli diaconus Cardi- » nalis, nepos ejusdem domini Papæ, prout ab » eodem avunculo acceperat, devote revelavit. » Constat insuper additio eadem ex collatis Mss. archivi nostri Assisiensis, in quo ex undecim exemplaribus, sex nempe Legendæ Majoris, ac quinque Minoris B. Bonaventuræ, duo dumtaxat visionis præfatæ narrationem habent, quorum etiam unum solummodo infra textum, alterum vero ad marginem appositam exhibent. Secundæ vero additionis testes sunt tum Waddingus ad annum mccx, tum Epistola ejusdem F. Hieronymi de Asculo, cujus apographum authenticum ex abundanti inter alia monumenta transmittimus. *Hisce ego omnino consentiens, utramque narrationem e Vita recisam solum inter Annotata reponam, ubi etiam de laudatis Hieronymi Asculani litteris faciam mentionem. In ceteris sequar editionem Henrici Sedulii, eamque cum editionibus Vaticana, Suriana et Waddingiana, et codice Ms. Musei nostri conferam.*

auctore C. S.

§ II. Quid censendum sit de Speculo Vitæ S. Francisci, sæpius varie edito, et apud nos Ms.; scriptores alii, qui de eodem Sancto egerunt, antiqui et recentiores.

Habemus editionem Speculi Metensem anni 1509.

Inter vetusta instrumenta, quæ in Annalibus allegat Waddingus, occurrit Speculum Vitæ S. Francisci et sociorum ejus, *sæpius impressum et apud nos etiam Ms., illudque haud dubie multo crebrius allegasset, si omnia in eo contenta pro veris certisque habuisset. Habemus in Museo nostro tres hujus Speculi editiones, quarum primæ in fine locus, annus et auctor impressionis sic indicatur* : Impressum Metis per Jasparem Hochffeder anno Dñi 1509. *Opusculo præfixus hic titulus est :* Speculum vite beati Francisci et sotiorum ejus. *Initium hoc est, sed vocibus abbreviatis :* Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi et sanctissimi patris nostri Francisci. Et hic scripta quædam notabilia de E beato Francisco et sotiis ejus, et quidam actus eorumdem mirabiles, que in Legendis ejus prætermissa fuerunt, que etiam valde utilia et devota. *Verum hæc non sunt in editionibus posterioribus, neque in apographo nostro. Tum sequuntur aliquot notabilia usque ad folium* 5 *versum, ubi demum sic legitur :* Incipit Speculum vitæ beati Francisci et sotiorum ejus.

alteram Antverpiensem anni 1620,

26 *Neque hic tamen videtur antiquum Opusculum inchoari, cum folio* 7 *verso rursus legatur :* Incipit Speculum perfectionis Fratrum Minorum. *Ut autem existimem, hoc loco inchoari Opusculum, quod* Speculum *vocatur, facit, quod ibi etiam incipiat in Ms. apographo nostro, addita tamen hac annotatione :* Istud Opus compilatum est per modum Legendæ ex quibusdam antiquis, quæ in diversis locis scripserunt et scribi fecerunt socii beati Francisci. *Alteram Speculi editionem curavit Guilielmus Spoelberch, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, provinciæ Germaniæ Inferioris definitor, typis Antverpiensibus anno* 1620. *Multum hæc differt ab altera, nec tamen puram non esse, auctor dissimulavit in Epistola ad generalem Ministrum de eadem candide dicens,* Qui (*liber*) cum jam quasi exolevisset, multorum pio desiderio et rogatu permotus, eum, uti videtis, restitui, in alium ordinem congessi, notulis F quibusdam pro mea exiguitate collustravi, pauca hinc inde, quæ vel in scripto divi Bonaventuræ habemus, vel quæ nasutum hodie seculum offendere poterant, suppressi.

ac tertiam Coloniensem anni 1625, *invicem differentes.*

27 *Secuta est anno* 1623 *alia editio per Philippum Bosquierum, Minorem provinciæ Flandriæ, impressa Coloniæ Agrippinæ, quæ hunc titulum præfert* : Antiquitates Franciscanæ, seu Speculum vitæ beati Francisci et Sociorum ejus, auctoribus FF. Fabiano et Hugelino, et aliis Minoritis D. Francisco coævis. *Nulla consilii sui in recudendo Speculo causam reddidit Bosquierus, neque exemplaria, quibus usus est, nominavit. Sed librorum censor in approbatione testatur,* Speculum hoc vitæ B. Francisci et sociorum ejus cum aliis exemplaribus fideliter impressis collatum, in nullo ab iis discrepare : *Quod quidem testimonium universim admitti nequit, nisi solum significet, in hac editione nihil referri, quod non referatur in aliis; nam in eadem multa prætermissa sunt, quæ habentur in Metensi. Præter has aliæ editiones non exstant in Museo nostro. Waddingus, mox uberius laudandus, memorat editionem Venetam anni* 1504; *sed hanc Metensi prorsus similem esse suspicor, quod, quæ in Veneta assignat folio* 77 *et* 78, *iisdem plane foliis in Metensi legantur.*

28 *Quemadmodum magna est differentia inter editiones*

AUCTORE C. S. *Differunt item tria exemplaria Mss., et in his omnibus*

editiones Speculi, sic non exigua est in tribus exemplaribus Mss., Lovaniensi, Bruxellensi et Antverpiensi, quæ tempore Majorum nostrorum inter se et cum dictis editionibus collata fuere. Porro de auctoribus Speculi laudatus Spoelberchus in Præfatione ad lectorem hæc ait: Si quid apud te valet Bartholomæus Pisanus, libri Conformitatum sancti Francisci author; si alicujus apud te auctoritas est historicorum omnium, re et nomine, Cæsar Baronius; crede hujus Operis authores esse fratrem Leonem, fratrem Ruffinum et fratrem Angelum: hos enim ille scriptores citat. *De his tribus scriptoribus Baronius revera meminit in Annotatis ad Martyrologium Romanum ad hunc diem; verum ibi quidem ait, illos de* S. Francisci *gestis scripsisse, sed non dicit, fuisse auctores Speculi; Pisanus quoque eorumdem Legendam subinde laudat, non Speculum. Dabimus illam, ut dictum est, sed a Speculo omnimodis diversam. Tres illos non esse auctores Speculi, vidit Bosquierus, qui in ipso titulo alios nominavit auctores, at non probavit. Hinc neque Bosquieri opinio placuit Waddingo, qui ad annum* 1226, *num.* 44 *occasione litterarum Fratris Heliæ, quas Spoelberchus Speculo inseruit, mentem suam de Speculo, ejusdemque auctoribus utcumque declaravit, uti subdo.*

B

multa leguntur apocrypha et frivola.

29 Quas (*Heliæ litteras*) Guilielmus Spoelberch, provinciæ Germaniæ Inferioris definitor, transcripsit in editum et limatum a se Speculum, neglectis multis apocryphis et frivolis narrationibus, quæ in vetusta editione habebantur; quod etiam consultius fecisset Philippus Bosquierus, provinciæ Flandriæ, in alia posteriori, quam fieri curavit anno proxime elapso Coloniæ Agrippinæ. *Ex his intelligitur, quid laudatus annalista de tribus illis editionibus censuerit. Censuit nimirum, in Veneta* (*cui ob rationem datam num.* 27 *Metensis prorsus similis videtur*) multas *haberi* apocryphas et frivolas narrationes, *quas doluit non prætermissas fuisse a Bosquiero. Multas tamen hic prætermisit, ut liquet ex collatione; sed non sat multas, ut visum Waddingo est. Spoelberchus vero multo plures expunxit; sed alia editioni suæ inseruit, quæ nec in aliis editionibus, nec in Mss., ex quibus factum est apographum nostrum, reperias. Quapropter certum fit, nullam istius Speculi editionem puram esse; quod abunde colligitur ex Mss., in quibus multo pauciora leguntur, licet nec ipsi codices Mss. interpolationibus careant. Hæc de ipso Speculo.*

Illius auctores non fuerunt Sancto synchroni aut coævi,

C

30 *De auctoribus ejusdem contra Bosquierum Waddingus ibidem sic prosequitur :* A quo illud scire cupierim : Unde accepit, FF. Fabianum et Hugelinum cum aliis Minoritis S. Francisco coævis ejus libelli authores fuisse? Sed et Henricus Sedulius, vir eruditus et pius, ejus conditores vult Leonem, Angelum et Ruffinum, S. Francisci comites perpetuos. Hi sane sancti Patris Legendam compilarunt, non Opusculum hoc; ex illa multa hic inserta, ab aliis longe posterioribus recentiora addita. Compilator hujus Operis vixit post annum MCCC; idque admittet pater Bosquierus, si antiquum legat volumen vetustæ impressionis Venetæ anni MDIV fol. 77 et 78 (*aut etiam editionis Metensis anni* 1509) aut a se noviter editum, centuria prima, cap. 96, ubi ex quodam eventu anni MCCCIII confirmatur veritas indulgentiæ S. Mariæ de Portiuncula : et cap. 97 ad id ipsum aliorum inducitur testimonium sub anno MCCCX. Non itaque librum scribere potuerunt tres illi socii a Sedulio assignati, neque coævi illi a Bosquiero relati, neque certo ullo argumento aut probata Operis inscriptione hucusque constitit de legitimo ejus authore. *Hactenus Waddingus, probans, Speculum istud sæculo* XIV *antiquius non esse, nec negans, eo etiam esse recentius.*

cum in eo leguntur facta sæculi 14 l;

31 *Sane ante sæculum* XIV *scriptum non fuit illud, ex quo editiones Metensis ac Bosquieri prodierunt. In harum priori fol.* 99, *in altera centuria* 2, *cap.* 13 *narratur factum quoddam anni* 1343. *Initium capitis ex Metensi accipe.* Anno siquidem Domini MCCCXLIII cum causa visitationis sacrum locum montis Alvernæ accederem *etc. : quæ verba si compilatoris Speculi sint, probant, illum saltem non esse vetustiorem medio sæculo* XIV, *at, quod verosimilius est, si sint alterius, et ab auctore Speculi mere adoptata, nihil obstat, quin hic ad sæculum* XV *referri queat. A Stiltingo nostro piæ memoriæ inter cetera annotata habeo sequentia.* Curiose quæsivi in Opere Bartholomæi Pisani, qui floruit et scripsit sub finem seculi XIV, an memoratum Speculum allegaret, aut ex eo videretur multa de S. Francisco asserta hausisse. Verum ex omnibus, quæ hunc in finem consideravi, nequaquam advertere potui, Speculum vitæ S. Francisci vel cognitum fuisse Pisano. Neque enim illud in ejus Opere laudatum video; plurimaque in solo asserta Speculo apud Pisanum non invenio. Si qua vero Pisanus habet, quæ non reperiuntur apud antiquiores, et quibus similia in Speculo leguntur, collector Speculi ex Pisano potius censendus est hausisse, quam Pisanus e Speculo. Cum enim Pisanus fuerit scriptor magis pius et credulus, quam crisi severa usus, multo plura e Speculo adoptasset, eique verbis ipsis magis consonaret, si illa, quæ cum illo utcumque similia habet, ex eo fonte hausisset, librumque prolixum sibi prælucentem habuisset. Quapropter omnino mihi persuadeo, Speculum Pisano posterius esse, collectumque seculo XV.

D

E

imo illud forte tantum colligi cœptum est sæculo 15 :

32 *Huic Stiltingi judicio favet ætas codicum Mss., quos novi. Codex Ms. Lovaniensis, teste R. P. Matthia Grouwels infra sæpius laudando, scriptus est anno* 1454, *sicut apud nos dictum est tom. II Augusti pag.* 454. *In Ms. Antverpiensi sequens legitur annotatio :* Expliciunt quædam notabilia valde devota et utilia, extracta ex quadam antiqua Legenda sanctissimi patris nostri Francisci. Ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula. Amen. Anno Domini MCCCCLXXII, XII die mensis Augusti, Claræ sanctæ virginis in festo. *Videtur itaque hoc anno ac die codex ille absolutus fuisse. De Bruxellensi notatum invenio, illum scriptum esse anno* 1349. *Nullus ergo e tribus codicibus medio sæculo* XV *antiquior est, ut ex hoc capite major Speculo ætas nequeat adscribi. Porro ex hactenus dictis mihi verisimile fit, illud collectum fuisse præcitato sæculo* XV *ab auctore incerto, multisque modis interpolatum; cum nec editi, nec Mss. codices invicem consentiant. Quilibet videtur illi aliquid addere voluisse, a qua libertate nec Spoelberchus in sua editione abstinuit. Quapropter tam incertum Opusculum minime recudendum censui, imo nec in Commentario hoc prævio adhidendum; quamvis enim in illo multa vera ac certa sint, illa ipsa certiora tamen sunt ex Vitis edendis, quæ auctores graves ac pios, certaque fide historica dignissimos habent.*

F

quare hoc Opusculo non utemur ;

33 *Si Thomæ Celanensi, scriptori* S. Francisci *discipulo, diligenti, pio ac docto, præ multitudine gestorum illius aliqua exciderunt, hæc Tres ejusdem Sancti Socii Leo, Ruffinus et Angelus, atque alius, Anonymus Perusinus, magna ex parte addiderunt; et si qua horum diligentiam præterea fugerunt, habuit S. Bonaventura, non solum horum Opuscula, verum etiam, quæ alii e mandato Crescentii generalis Ministri annotarunt, quæque ipsemet ex superstitibus sancti Patris discipulis intellexerat. Si qua vero ex ejusmodi schedis antiquis compilator ac interpolatores Speculi insuper retulerunt, verisimile est, hæc majori saltem ex parte a sancto doctore vel improbata, vel minus certa et negligenda ei visa fuisse. Quam ob rem, meo quidem judicio, non sunt addiscenda* S. Francisci *gesta ex illo tam incertæ auctoritatis Speculo, dum tam proba instrumenta habemus, quæ sanctissimum Virum longe majorem, prudentiorem, sanctioremque, stilo etiam concinniori, quam in illo legatur, nobis repræsentant. Censuit quidem laudatus pater Grouwels, Speculum scribi cœptum a Tribus* Francisci *Sociis, ac deinde ab aliis* usque ad annum MDVI *continuatum; at nihil adducit, quo id persuadeat, nisi quod insertæ sint quædam, velut*

Sociorum

A *Sociorum illius narrationes: quod cur a compilatore, qui certe nullam stili curam habuit, fieri non potuit? Itaque plura de hoc Opusculo non addam.*

uti nec Vinea S. Francisci, etiam minus antiqua.

34 *Supra laudatus annalista Minorum subinde etiam allegat* Vineam S. Francisci, *velut librum antiquum et ad cognoscenda illius gesta idoneum; sed ex aliis tantum, ut existimo : nam librum hunc sermone nostro Belgico conscriptum verisimiliter non novit. Liber hic, quem ad manus habeo, impressus Antverpiæ est anno 1518, ac certe non diu ante compositus, cum in eo referantur non pauca, quæ eodem sæculo* XVI *contigerunt. Verisimile est, vetustiorem visum fuisse Waddingo, quia eumdem non raro laudatum legerat apud Henricum Sedulium, ac forte alios Belgas, qui Vineam sermone vernaculo legere potuerunt. Multa in eo Opere narrantur ex vetustis auctoribus, sed et quædam subinde admiscentur ex fontibus non æque puris, ut aliquot exemplis ostendit Sollerius noster tom. III Julii, pag.* 823 *in S. Bonaventura. Inutile igitur hoc nobis Opusculum est ad* S. Francisci *acta illustranda, dum suppetunt alia meliora, certæque fidei documenta. Ceterum de hac Vinea et Speculo hic egi, etiamsi reperiantur alii scriptores antiquiores; quod duo illa, licet revera non sint admodum vetusta,* B *inter vetustiora tamen invenerim allegata.*

Opusculum Bernardi a Bessa, sive unum sive geminum sit,

35 *Regredior ad Waddingum, ad annum* 1230, *num.* 7 S. Francisci *biographos recensentem. Post primos sanctumque Bonaventuram ita pergit eos memorare :* Septimo Bernardus a Bessa, Bonaventuræ socius, ejusdem Sancti (*Francisci*) gesta longiori complexus est historia. *Hæc ibi : at in Scriptoribus inter ejusdem Bernardi Opera recensuit primo* Libellum de triplici statu Religionis Minorum, quorum primo compegit Vitam S. Francisci, adjectis multis ejusdem miraculis. In secundo Chronica generalium Ministrorum usque ad Fratrem Bonagratiam, in ea serie decimum. In tertio miracula et attestationes divinas pro approbatione triplicis status, seu Ordinis, a S. Francisco instituti, videlicet Minorum, Clarissarum et Pœnitentium, collegit. *Tum, uno libello apologetico interposito, ibidem subdit :* Legendam S. Francisci, a Thoma de Celano diffusius scriptam, ad compendium reduxit, et cultiori stylo repurgavit : Incipit PLENAM VIRTUTIBUS. Opus ipsum : QUASI SOL ORIENS. *De hoc posteriori Opere consonans in Annalibus ad annum* 1244, *num.* 10, *cum dixisset, Thomam Celanensem ex præcepto Crescentii generalis Ministri aliquam* S. Francisci *Legendam scripsisse, adjecit :* Eam mox in compendium contraxit Frater Bernardus de Bessa, provinciæ Aquitaniæ, S. Bonaventuræ so- C cius, cujus initium est : QUASI SOL ORIENS.

non habemus, nec magnopere desideramus.

36 *Ex his omnibus statuendum est, aut Bernardum de Bessa duas sancti Patris sui Vitas scripsisse, aut Waddingum unicam bis memorasse, tamquam gemina fuisset. Unicam ab eo scriptam esse, verisimilius est : quorsus enim scripsisset geminam ? Errori (si tamen erravit Waddingus) locum dare potuit, quod forte eadem unica tum in capite libelli de triplici statu Religionis Minorum relata fuerit, tum etiam seorsum vulgata, hæcque Waddingo magis nota fuisse videtur, quam laudatus libellus, cum non hujus, sed illius initium annotaverit. Utut sit, non multum verosimile est, longiorem ab eo compositam esse, postquam suam satis prolixam jam ediderat S. Bonaventura, cujus ille erat socius. Si vero ante scripserit, Vitam illam ergo habuerit Bonaventura, ex eaque acceperit, quæ scitu digna certaque putavit; ut adeo hoc Bernardi Opus, si vere exstat, non vehementer desideremus. Etiam minus requirimus alterum, compendium scilicet Vitæ per Thomam Celanensem scriptæ, quam integram dabimus.*

Pisanus sub finem sæculi 14 scripsit librum conformitatum.

37 *Bernardo a Bessa Waddingus ad annum* 1230, *num.* 7 *subdit Bartholomæum Albisium, a patria sua* Pisanum *appellatum, qui sub finem sæculi* XIV *scripsit.* Octavo, *inquit,* Bartholomæus Pisanus, quidquid omnes narrarunt, per suas Conformitatum et fructuum sectiones ita distribuit, ut operosum sit quicquam ex eo secundum methodum historicam decerpere. *Sæpe tamen illum in iisdem Annalibus laudavit Waddingus, iis etiam in locis, in quibus vetustissima documenta potius laudare potuisset, si fuissent ad manum. Librum hunc idem annalista in Scriptoribus ex Rodulphio sic memorat :* Opus Conformitatum sancti Francisci cum Christo. Habetur Ms. Urbini in bibliotheca ducali. Prodiit Mediolani per Zariorum Castilioneum anno MDXIII in folio, et alibi sæpe. *Non est tamen hæc antiquior hujus Operis editio, uti etiam docet Waddingus, post aliqua dicens, illud* sub typographiæ infantia *prodiisse* Venetiis et Mediolani anno MDX. *Mediolanensem hujus anni benignissime accommodavit mihi ex insigni bibliotheca sua domestica Antverpiensi clarissimus vir ac prænobilis dominus Carolus de Proli, sacræ Cæsareæ ac Regiæ Apostolicæ Majestatis rei classicæ in Scaldi supremus præfectus, quem vulgo* Amiralium *vocamus. Editi libri locus, typographus et annus in fine leguntur hoc modo :* Impressum Mediolani per Gotardum Ponticum : cujus officina libraria est apud templum sancti Satiri. An. Dom. M. CCCCCX. Die. XVIII. Mensis Sept.

AUCTORE C. S.

varie editum,

38 *Hæc typographus; qui vero Opus prelo paravit curavitque typis excudi, fuit* Frater Franciscus Zeno Mediolanensis, Fratrum Minorum de Observantia in Cisalpinis vicarius generalis, *uti in ejusdem litteris ibidem editis legere est. De anno etiam,* E *quo Pisanus ipse illud vulgavit vel absolvit, ista in Prologo præmittitur annotatio, sed vocibus compendiosis :* In nomine Domini nostri Jesu Christi et beatissime Virginis Marie, Matris suæ, ac beati patris nostri Francisci, incipit Opus, quod intitulatur de Conformitate vitæ beati Francisci ad vitam Domini Jesu Christi, Redemptoris nostri, editum a fratre Bartholomeo de Pisis Ordinis Minorum sacre theologie magistro, ob reverentiam sui patris precipui beati Francisci. anno Domini. M. CCC. LXXXV. *Dixi: De anno, quo* vulgavit vel absolvit; *nam ex ipsiusmet Pisani litteris, responsoque Henrici generalis Ministri patrumque in generalibus comitiis anno 1399 congregatorum, quæ in calce Operis exstant, discimus, Pisanum hoc posteriori anno ab illis petiisse obtinuisseque licentiam hunc librum suum vulgandi. Editiones Venetam ac Mediolanensem anni 1515, a Waddingo laudatas, non habeo, sed præter primam Mediolanensem, ut dixi, habeo alteram Musei nostri, Bononiæ factam anno 1590, at variis locis a prima nostra discrepantem, imo et auctam a Jeremia Bucchio, Ordinis Minorum, uti in libri frontispicio legitur. Non satis quoque certum est, an omnia, quæ in prima editione Mediolanensi anni 1510 leguntur, vere Pisani sint. Cum enim Franciscus a S. Columbano, ejusdem Ordinis* F *provinciæ Mediolanensis vicarius, in Præfatione sua, quam Zeni Prologo præfixit, expresse dicat, Zenum Pisani librum Conformitatum* primo castigandum, inde imprimendum *tradidisse, nescimus, an ista castigatio non æque adjectione, quam resectione facta fuerit.*

nec in omnibus paris auctoritatis:

39 *Pisanus hoc Opus suum librum* Conformitatum *appellavit, quia in eo probare intendit,* Franciscum, *ut vere fuit, fuisse egregium Christi Domini nostri imitatorem. Hinc multa de gestis ejus collegit ex antiquioribus, sive Vitis edendis; sed et alia multa adjecit, quæ unde accepta sint, non exposuit. Quapropter non possunt omnia illius asserta ejusdem pretii esse: nam quæ ex vetustioribus illis hausit, etsi hos non nominet, historice certa sunt; cetera vero, quorum auctores nec ipse indicat, nec aliunde novimus, non nisi dubiæ fidei esse queunt, cum Pisanus annis fere* 130 *vel* 160 *post* S. Francisci *obitum scripserit, nec tali vixerit sæculo, ut accurata crisi defectum ætatis suæ supplere potuerit. His de causis ipsum in hoc Commentario solum allegabo, dum disputanda venient, pro quibus ejusdem auctoritas a recentioribus laudatur.*

quem calumniati sunt hæretici,

40 *Hæretici tempore Lutheri hoc Pisani Opus multis calumniis impetierunt: ejusdem defensionem suscepit Henricus Sedulius Ordinis Minorum, scripto Apologetico adversus Alcoranum Franciscanorum*

AUCTORE C. S.

norum pro libro Conformitatum, editoque typis Plantinianis Antverpiæ anno 1607. *Vel in solo Prologo ostendit, quam impotenter Lutherus et Erasmus Alberus, Germanus Brandeburgensis contra librum illum Conformitatum declamaverint, quamque impudenter mentiti sint, dum non erubuerunt dicere, hunc librum* non alio loco habitum *a Catholicis,* quam Alcoranum a Turcis, *et* a Franciscanis loco Euangelii. *Quis umquam alcujus nominis scriptor Catholicus librum illum tanti fecit, tantisve elogiis extulit? Quis fidei dogmata ex eo stabilire, confirmare, aut defendere voluit?*

apologetico defendit Sedulius.

41 *Ipsemet defensor libri Sedulius candide agnovit, illum a vitiis non immunem : sic enim in Prologo loquitur :* Hoc tamen do tibi, mi Albere, liberius nonnulla in eo scripta pro sæculi simplicitate. Verum, ut vinum non esse vinum desinit, si paucæ in eo guttulæ aquæ, sic nec hic improbus liber propter nonnulla vitia. *Si novæ illius religionis conditores volebant librum Conformitatum impugnare, æquum erat, ut ab apertis mendaciis fœdisque calumniis abstinerent. Nihilominus mendacia illa etiam nostro sæculo recusa fuere Latine et Gallice; atque in alio Opere, cujus auctor nomen suum suppressit, lingua Belgica partim ex Pisano, partim ex Speculo supra memorato, eadem fere, aut certe similia, contra Franciscanos, contra Catholicos, contra ipsum* S. Franciscum *petulanter ac impie intorquentur. Ego non omnia probo, quæ in eodem Pisani libro et in Speculo leguntur; sed nec lubet mihi ulterius attingere homines, qui hæreseos suæ fundamento tam parum confidunt, ut dolis, mendaciis, calumniisque sibi opus esse credant ad Catholicos oppugnandos. Itaque ad Waddingum regrediamur.*

B

De Sancto etiam scripsisse dicuntur

42 Nono, *inquit ille,* Jacobus Oddo Perusinus per duodecim virtutum partitiones omnem Francisci vitam dispertivit vetusto idiomate Italico. *In Scriptoribus Opus hoc Italicum vocat* Speculum Ordinis Minorum, *aitque, vulgariter dici* Francischinam. *Ejusdem meminit ad an.* 1474, *n.* 14, *quo anno illum huic lucubrationi finem imposuisse scribit. Junior ergo hic auctor est, quam ut illum multum requiramus. Subdit Waddingus :* Plura item fragmenta scripserunt frater Hugolinus de Montemajori, frater Jacobus de Senis, et frater Jacobus Guarini, quorum omnium Opusculis in referenda huc usque vita et morte Francisci usi sumus, et potiora transcripsimus. *Primus ex his in Scriptoribus vocatur* Hugolinus de sancta Maria in Monte, *diciturque* S. Francisci synchronos, *et scripsisse* Historiam (quam FLORETUM prænotavit) in qua narrat vitam et gesta sancti Francisci ac sociorum ejus usque ad Pontificatum Alexandri IV. Habeo (*addit Waddingus*) penes me nitido charactere membranis exaratam.

C

varii alii Franciscani,

43 *Hugolini Floretum ad manum non habeo; verum Waddingus ipsemet facit me de illius ætate dubitare. Etenim in Annalibus ad annum* 1322 *num.* 48 *asserit,* Hugolinum de Monte Mariæ *scripsisse* ex oculata fide *gesta R. Joannis Firmani eodem anno* 1322 *defuncti. Similia jam præmiserat ad annum* 1272, *num.* 23, *ubi ille* Hugolinus de Monte S. Mariæ *appelatur, videturque idem esse, qui verbis supra datis* Hugolinus de Monte-Majori, *et in Scriptoribus* Hugolinus de sancta Maria in Monte *nominatur. Quod si ita sit, aut Hugolinus ille non scripsit gesta B. Joannis Firmani, aut synchronus* S. Francisci *non fuit, nisi quis ipsum centenario multo majorem fuisse credere malit, dum B. Joannis gesta scribere cœperit. An forte Waddingus in Scriptoribus credidit, auctorem Floreti, quia historiam ad Pontificatum Alexandri IV, qui anno* 1254 *sedere cœpit, solum perduxerat,* S. Francisco *synchronum fuisse? At non omnes scriptores historias ad sua usque tempora perducunt; ideoque non satis certum ex eo capite foret argumentum, etiamsi constaret, Historiæ Hugolini exemplar, quod habuit Waddingus, plenum ac integrum fuisse.*

44 *Jacobo de Senis in Scriptoribus tribuuntur* brevia Chronica Ordinis Minorum, *atque ipse floruisse dicitur* circa annum MCCCXXX. *De hujus ætate pluribus non investigo, cum vel sic* S. Francisco *nec cœvus fuerit, nec suppar.* Jacobum Guarini *Waddingus in Scriptoribus non memorat, nisi forte sit* Jacobus Garibi, *qui ibidem dicitur* Vitam S. Francisci *versu Italico composuisse, et Francisco Gonzagæ, totius Ordinis Ministro, dedicasse. Floruit ergo Jacobus ille non parum post medium sæculum* XVI, *dum Gonzaga generale Ordinis Minorum Ministerium gessit, et aliunde exigua spes nobis est ex poemate Italico aliquid ad propositum nostrum discendi. Addit Franciscum Maurum, alium poetam; recentiores autem, licet illos frequenter laudaverit, ibidem præterit, videlicet Marianum Florentinum, cujus Chronicon Ms. Florentiæ perlustravit Henschenius noster. In hujus autem huc transmissa notitia dicitur constare id Chronicon quinque tomis in folio justæ molis; productum esse usque ad annum* 1486, *auctorem vero obiisse anno* 1523, *pro quo mortis anno laudatur Dionysius Pulinarius in Proœmio Chronicæ Tusciæ. Spectat igitur Marianus ad sæculum* XVI, *etiamsi forte sæculo* XV *scribere cœperit.*

D

qui hic recensentur, inter quos sunt Marianus Florentinus,

Marcus Ulyssiponensis, Petrus Rodulphius, Franciscus Gonzaga,

45 *Alter e recentioribus, quem frequenter sequitur Waddingus, est Marcus Ulyssiponensis, qui Lusitanico sermone, ut legitur in Scriptoribus, composuit Chronica, ab aliis translata in linguam Hispanicam, Italicam et Gallicam. Scripsit Marcus Ulyssiponensis circa medium sæculum* XVI, *obiitque episcopus Portugallensis* circa annum MDLXXX, *teste Waddingo in Scriptoribus. Tertius ejusdem sæculi scriptor, a Waddingo sæpe laudatus, est Petrus Rodulphus seu Rodulphius e Tossiniano, qui Seraphicam Historiam composuit, et defunctus est episcopus Senogalliensis. Henricus Sedulius, quem non raro quoque memoravit Waddingus, varia scripsit sub initium sæculi* XVII, *et Vitam* S. Francisci, *a Bonaventura factam, Commentario illustravit, ediditque in Historia Seraphica Antverpiæ anno* 1621. *Circa idem tempus floruerat Franciscus Gonzaga, Ordinis Minorum generalis Minister, deinde archiepiscopus Mantuanus, cujus Opus* de Origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ *etc. apud Waddingum similiter crebro allegatur. Mitto alios ab eodem Annalista rarius memoratos, uti et fere alios omnes Ordinis Minorum scriptores, Waddingo posteriores; cum hunc fere fuerint secuti.*

E

Haroldus Fremautius et Chalippus,

46 *Nihil itaque dicam de Francisco Haroldo, qui Waddingi Annales in Epitomen contraxit; nihil de Benigno Fremautio, qui multa Belgice; nihil de aliis, qui variis linguis* S. Francisci *gesta post Waddingum celebrarunt. Candidus Chalippe, qui anno* 1720 *Vitam ejusdem sancti Institutoris idiomate Gallico prolixe vulgavit, in Præfatione profitetur, voluisse se Waddingo presse inhærere, quod et a reliquis Ordinis Franciscani scriptoribus, qui post laudatum Annalistam scripsere, factum asserit. Fecit id revera Chalippus, sed ut vir eruditus; ideoque hujus Opus minime negligendum duco. Consulam similiter Supplementa ad Waddingi Annales, composita ab Antonio de Macro, quæ anno* 1710 *Taurini impressa sunt, et in postrema Waddingi Annalium editione Romana suis quæque locis inserta. Dum tamen Annales Waddingi laudabo, editionem Lugdunensem a me designari, miminerit lector, nisi aliter monuero.*

F

Scripserunt item Vincentius Bellovacensis, Jacobus de Voragine,

47 *Verumtamen non soli Franciscani, sed aliorum quoque Ordinum scriptores non pauca de* S. Francisco *in suis Operibus memorarunt. De Vincentio Bellovacensi, Ordinis Prædicatorum, qui ante S. Bonaventuram scripsit, superius jam facta est mentio. Ejusdem Ordinis fuit Jacobus de Voragine, sed ad Genuensem episcopatum promotus, apud quem non pauca de* S. Francisco *compendiose relata legere est. Floruit quidem hic eodem, quo Sanctus obiit, sæculo; non tamen ei synchronus fuisse dici potest; utpote aliquot annis post illius mortem natus, et defunctus anno* 1298. *Pleraque ex antiquioribus hausit, sed præ ceteris mirabilia compendio suo inseruit. Sæculo* XV *scripsit S. Antoninus, ex eodem Ordine*

A *Ordine factus archiepiscopus Florentinus, qui, unde acceperit, quæ de* S. Francisci *gestis ac miraculis refert, insinuavit tit.* 24, *cap.* 2, *pro titulo præmittens:* De beato Francisco ex Speculo Vincentii Historiali, et Legenda secundum Jacobum de Voragine, et Chronicis Minorum hæc extracta sunt.

S. Antoninus, omnes ex Ordine Prædicatorum,

48 *Hæc verba non obscure docent, S. Antonino nec Vitas priores, nec pleniorem a Bonaventura conscriptam præluxisse. Habuit tamen primæ et secundæ qualecumque compendium in Speculo Vincentii, in quo etiam cum quædam facta minus recte aut confuse exponantur, mirandum non erit, si in Antonini relatione subinde aliquid confusionis occurrat; quandoquidem illi difficillimum fuisset ad rectum ordinem reducere relata a Jacobo de Voragine, et sine antiquarum Vitarum subsidio restituere pauca confusa a Vincentio. Si vero ex Chronicis Minorum aliqua hauserit, aut etiam ex Jacobo de Voragine, quæ nequeant certa veterum auctoritate firmari, ea per decursum ponderabimus. Hoc certum est, Antoninum, ut sanctum virum decebat, fideliter expressisse præcipua* S. Francisci *decora, quæ apud scriptores, quos sequebatur, invenit. Quod vero non habuerit Vitas præcipuas, condonandum est ætati ejus; scripsit enim ante inventam vel usitatam artem typographicam, qua factum est, ut libri facilius vulgarentur.*

Petrus de Natalibus, postea episcopus Equilinus,

B 49 *Diu ante S. Antoninum, sed integro fere sæculo post Jacobum de Voragine, sive provecto post mediam partem sæculo* XIV *scripsit Petrus de Natalibus, tum temporis plebanus Sanctorum Apostolorum Venetiis, postea episcopus Equilinus. Is in Catalogo Sanctorum lib.* IX, *cap.* 18 *gesta* S. Francisci *perstringens, multa habet similia cum Jacobo de Voragine, sed pauciora. Neque apud ipsum* S. Franciscus *totus agnoscitur; magis enim mirabilia illius breviter referuntur, quam gesta. Errores etiam quidam auctori obrepserunt, ut proinde elogium istud minime legendum sit volentibus* S. Francisci *gesta cognoscere. Plures antiquos, ac nonnullos etiam coævos, de eodem Sancto quædam scripsisse, per hujus Commentarii decursum patebit, quorum ætatem fidemque indicabo, quando venient allegandi. De duobus tamen, qui ambo utcumque contemporanei* Francisco, *sed loco ab eo longe dissiti fuere, paucis hic agam.*

Richerius Senonensis et Matthæus Parisius.

50 *Primus est Richerius, monachus Senonensis in Vosago, qui in Chronico Senonensi, apud Acherium in Spicilegio lib.* IV, *cap.* 17 *de* S. Francisco *et instituto per illum Ordine meminit, sed tanta cum negligentia, totque brevi illi relationi immixtis erroribus, ut ex incerto vulgi rumore scripsisse*

C *videatur. Alter est Matthæus Parisius, monachus Anglus, qui in Historia Majori ad annum* 1227 *pluscula quidem de eodem Sancto annotavit, sed pari usus negligentia, variosque pariter miscens errores. Ex amborum relatione perspicio, ne synchronis quidem scriptoribus indubitatam fidem semper habendam esse, maxime quando longo terrarum spatio a rebus, quas tractant, remoti scripserunt. Nolim tamen certo asserere, omnia a Parisio scripta esse, sicut ibidem edita leguntur. Denique reliquos historicos, vetustiores recentioresque, ex quibus aliquid subsidii haberi poterit, suis locis nominabo. Attamen Waddingi in Annalibus diligentia facit, ut nihil aut parum, quod alicujus momenti sit, apud alios requiramus.*

Waddingi Annales præcipue adhibendi.

51 *Hujus igitur asserta potissimum venient ponderanda, sive de chronotaxi agendum sit, sive de Sancti gestis, quorum alia aliis sunt certiora, ut solet in Actis omnium Sanctorum, præsertim illorum, qui tam antiqui sunt, ut ad Vitas vetustiores multa lapsu temporum ex traditione populi et conjecturis, aut etiam ex probatis monumentis accesserint. Velim igitur, ut prudens lector intelligat, Lucam Waddingum mihi esse annalistam venerabilem, sincerum, diligentem et eruditum; neque alia de causa ab ipso me umquam dissensurum, quam quod pro instituto Operis nostri cogar omnia diligenter examinare, ac non modo veritatem unice quærere, sed etiam, quantum facere possum, dubia a certis secernere.*

AUCTORE C. S.

§ III. S. Francisci, cujus Ordo prædictus creditur, ortus, patria, parentes, nomen in baptismo impositum, deinde mutatum.

Creduntur Sanctus, et calamitosis temporibus ab eo institutus Ordo

Waddingus, *qui Annales Ordinis Minorum conscribendos suscepit, cum mihi solum propositum sit, ejusdem Ordinis Institutoris gesta elucidare, in Apparatu ad eosdem Annales multa disserit, quæ mihi aut omnino prætereunda, aut tantum leviter attingenda censeo. Idem fiet per decursum hujus Commentarii, ne moles nimium accrescat. Hinc lectorem ad ipsum remitto pro addiscendis calamitatibus, quibus Ecclesia premebatur circa tempus, quo* SS. Franciscus *et* Dominicus *nati sunt, quas late prosequitur* § 1, *proque generalibus scriptorum assertis de subsidio, adversus tot mala Ecclesiæ præstito per insignes Religiosos Ordines ab iisdem duobus Sanctis institutos. Vitæ tamen, quas edam, satis ostendent, miserum eo tempore fuisse rerum statum, deque allato per* S. Franciscum *animabus auxilio certissima subministrabunt documenta.*

varie prædicti.

53 *In secundo* § *recensuit vaticinia, quibus* S. Franciscus *ejusque Ordo prædicti fuerint, quæ ego similiter solum leviter perstringam. Adducit Sibillam Erythræam, Zachariam prophetam, Joannem Evangelistam in Apocalypsi, et Joachimum abbatem Florensem. De prioribus non ausim judicium interponere, præsertim cum sua hic non proferat Waddingus, sed asserta ab aliis, et hos inter viris mihi magis venerandis, quam ut eorum opinionem de locis admodum obscuris ad trutinam revocare tentem. De B. Joachimo abbate Florensi actum in Opere nostro est tom. VII Maji, ubi Papebrochius noster pag.* 141 *illius de* SS. Francisco *et Dominico prophetias utcumque examinavit, nisusque probare est, laudatorum duorum Sanctorum Ordines ab eodem Joachimo fuisse luculentissime prædictos, uti et ingentes fructus, quos producturi essent. Perrexit etiam alia examinare ad eosdem Ordines spectantia, quæ ibidem legi possunt, neque hic sunt repetenda.*

E

Natus est Sanctus verisimiliter non anno 1181,

54 *Nativitatem* S. Francisci *Marianus Florentinus, aliique aliquot apud laudatum Waddingum, anno æræ Christianæ* 1181 *illigarunt; a quibus Waddingus dissentiens, eamdem uno anno serius reponit. Pro hac sua opinione laudat Cardinalem Baronium in Annalibus Ecclesiasticis ad hunc annum, quemque hic secutus fuit, Albertum Stadensem abbatem, aliosque plures recentiores. Gravis est hic Alberti*

F *Stadensis auctoritas, quippe qui utcumque synchronus fuit* S. Francisco, *relictaque abbatia sua, illius Ordini Minorum anno* 1240 *se adjunxit; ut facile intelligamus, ipsum in annum natalem Sancti diligenter ac feliciter inquirere potuisse. Addit aliud argumentum Waddingus, petitum ab ætate, quam Antoninus Sancto morienti tribuit. Etenim parte* 3 *Historiali, tit.* 24, *cap.* 7, § 6 *scribit, illum obiisse anno ætatis suæ quadragesimo quinto; quare cum etiam aliunde constet, eumdem Sanctum vivere desisse anno* 1226, *die* 4, *sive aliter computando, die* 3 *mensis Octobris; concludit, morienti contra communem opinionem tribuendos fore annos* quadraginta sex, *si anno* 1181 *in primam lucem editus fuisset.*

sed 1182, *Assisii, quæ civitas Umbriæ est*

55 *Verum non concludit hæc ratiocinatio. Etenim cum de mense natali nihil sciatur, ponamus* Franciscum *natum esse anno* 1181 *post mensem Octobrem, vel sic cucurrisset tantum annus ejus ætatis quadragesimus quintus, quando anno* 1226 *die* 4 *vel* 3 *Octobris obiit, ut computanti patebit. Ex Vitis antiquis nihil hac in re statui potest, nisi Sanctum tempore mortis suæ annum ætatis quadragesimum quintum verosimiliter nondum explevisse. Præferenda nihilominus est opinio Waddingi propter auctoritatem Alberti Stadensis, Mariano Florentino longe antiquioris, quæque hodiedum passim communis scriptorum sententia est, neque ullam*

AUCTORE C. S.

difficultatem patitur: Stadensis verba in Chronico hæc sunt: Anno Domini M. C. LXXXII. Puer Franciscus natus est in civitate Assisii, patre Petro de Bernardone. *De loco natali Waddingus ita disserit:* Patriam sedem obtinuit in Umbria, antiquissima et bellicosissima olim Italiæ regione, licet Tuscus quispiam ad suæ regionis laudem abraserit in Mariani Chronicis nomen UMBRIA et apposuerit TUSCIA; et Thomas Walsinghamus ex errore FRANCISCUM TUSCUM nominarit, atque ex simili lapsu Chronicon Magnum Belgicum ex Alberico, Ordinem Minorum in Tuscia apud Assisium ortum dixerit: nisi velis cum Isidoro Hispalensi Urbriam Tusciæ partem dicere, et obinde Franciscum TUSCUM cognominare. Sed modo regio illa, quæ Umbria dicitur, communiter distinguitur a cosmographis ab Hetruria.

et ditionis Pontificiæ,

56 *Ita ille, addens plura de origine et nomine Umbrorum, nobis minime hic necessaria. Nunc vero Umbria, aut magna ejus pars, passim* Ducatus Spoletanus vocatur, *ut ipse etiam observat;* et a plurimis sæculis ditionis est Pontificiæ. In hac porro regione ad finem vallis Spoletanæ arduo in colle sita est Assisia civitas (Assisium *aut etiam* Asisium *sæpius dicta*) *quæ certe admodum antiqua est civitas, sed civilibus discordiis multum passa, a pristino splendore suo non parum degeneravit. Inclyta tamen*
B *hoc quoque tempore haberi debet, quod ortum dederit* S. Francisco *et celeberrimo sacro Ordini per illum instituto, uti et* S. Claræ, *ac Pauperum Dominarum sive Clarissarum Ordini, quem ille pariter instituit, hæc prima amplexa est atque ex illius præscripto gubernavit; quodque utriusque corpora miraculis clara possideat. Hæc de civitate, in qua* S. Franciscum *natum esse, omnes Vitæ consentiunt, dicta interim sufficiant.*

patre Petro Bernardoni et matre Pica,

57 *Sancti parentes idem annalista sic memorat:* Hujus tanti Viri progenitores fuerunt Petrus Bernardoni, ita cognominatus a patre, et honestissima fœmina, domina Pica, inter Assisiates præcipui. Licet enim mercaturæ pater intenderet, non exinde censendus ignobilis; cum plurimi per Italiam optimates etiam ex iis, qui titulari fulgent dignitate, suos habeant apud exteros contractus et opulenta cum alienigenis commercia. *Plura addit ibidem Waddingus, quibus insinuare videtur,* S. Franciscum *nobili stirpe natum fuisse, quod probare nequeo ex Vitis edendis, in quibus pater ejus, ut dives, aut saltem ut non omnino mediocris pannorum mercator repræsentatur. Est tamen in iis unus et alter locus, in quibus nescio, an ipsius generis nobilitas asseratur, an negetur. Unus est apud Celanensem num.* 5, *ubi dicitur:* Nobilis quidam civitatis Assisii militaribus armis se non mediocriter præparat.... Quibus auditis, Franciscus... ad eundum conspirat
C cum illo, generis nobilitate impar, sed magnanimitate superior, pauperior divitiis, sed profusior largitate. *Dubium, inquam, est, utrum hoc loco Celanensis omnem generis nobilitatem* Francisco *negare, an solum minorem (uti minores illius, quam laudati militis, divitias dixit) asserere voluerit. At cum tam Celanensis, quam auctor Vitæ, quam secundam appellamus, militem istum* nobilem *appellent, neque hunc titulum iidem aut Tres Socii, aut Bonaventura* S. Francisco *umquam adscribant, verisimilius apparet, Celanensis dicta primo modo accipienda esse.*

de quorum familiis

58 *Imo vero dicti Tres Socii in Appendice num.* 4 *nobilitatem generis illius non obscure negant, ubi agunt de carcere Perusino, in quo ipse cum multis aliis Assisiatibus tempore belli per annum detentus fuit. Ibi enim de* Francisco *hæc observant :* Quia nobilis erat moribus, cum militibus (*id est, cum viris nobilibus*) captivus est positus. *Quid ista aliud indicent, nisi* Franciscum, *licet non esset nobilis genere, fuisse tamen nobilibus moribus ornatum, ac propter hos ipsi inter nobiles captivos eo in carcere locum datum esse? Vide etiam Vitam primam n.* 35, *ubi legitur Sanctus ipse fratri suo eum* rusticum, mercenarium et inutilem *vocanti applausisse, dicens:* Benedicat tibi Dominus, quia dixisti verissima: talia enim licet audire filium Petri de Bernar- D
done; *additque biographus:* Sic loquens, nativitatis suæ HUMILIA primordia recolebat. *Forte tamen Waddingus solum dicere voluit, Sancti parentes non omnino mediocris conditionis fuisse, sed honestæ honoratæque inter cives fortunæ. Hoc si velit, certo habet Vitas edendas sibi faventes. Chalippus in Vita Gallica, etsi alias Waddingo passim consentiens, pag.* 2 *patrem illius sine ulla nobilitatis mentione* divitem mercatorem *dixit; sed in Annotatis ibidem quædam observavit ex Opusculo Octavii Assisiatis episcopi anno* 1701 *typis edito. Anno scilicet* 1689 *huic antistiti Lucæ in Etruria exhibitum fuit a quodam canonico Lucensi vetustum documentum, in quo legebantur, quæ ex Gallicis Latina subjicio.*

aliqua partim incerta.

59 Erant Lucæ duo fratres mercatores, MORICO dicti. Horum unus mansit in patria; alter, nomine Bernardus, profectus Assisium, ibi fixit domicilium, ubi cognominatus est Bernardonus. Uxorem duxit, habuitque filium, quem appellavit Petrum, qui jam dives duxit filiam e nobili familia, nomine Picam. S. Franciscus, horum filius, sui contemnendi gratia aliquando nominabat se FILIUM PETRI BERNARDONI, nolens uti nomine familiæ, quod erat MORICO. *Addidit laudatus episcopus, teste Chalippo, Lucenses Moricones, qui suo tempore Lucæ superant; inter nobiles habitos fuisse. Si cui documentum hoc sat antiquum certumque videatur, probabit* E
primo; paternam S. Francisci *familiam* Morico *dictam fuisse; secundo, posteros ejusdem familiæ, qui Lucæ remanserunt, vel ante vel post, nobilitatem consecutos fuisse; tertio Sancti matrem nobilem fuisse. At forte malent credere, Sancti proavum proprio nomine* Moricum *appellatum. Waddingus ait, se a nobili Assisiate, antiquitatum civitatis suæ indagatore, accepisse paternam lineam* non longe a Francisci morte descriptam, *ex qua ab illius avo orsa sic scribit:* Avus paternus fuit Bernardonis Morico; pater Petrus Bernardoni; fratrem habuit germanum unum dumtaxat, se juniorem, Angelum. *Jam vero quandoquidem* S. Francisci *pater proprio suo nomine dictus fuerit* Petrus, *et a Paterno nomine cognominatus* Bernardoni *vel* de Bernardone; *cur non suspicemur, ejusdem Sancti avum suo proprio nomine* Bernardonum *dictum, a sui patris nomine similiter* Morici *vel* de Morico *cognomen habuisse; et hunc* Moricum *fuisse* Francisci *proavum? Nam si nomen* Morico *jam ante Petrum,* Francisci *patrem, ejus familiæ adhæsisset, ille non fuisset vocatus* Petrus Bernardoni, *vel* Petrus Morico.

quædam etiam de posteris, observantur.

60 *Accepi et ego a RR. PP. Conventualibus Romanis arborem genealogicam exceptam ex codice membranaceo conventus eorum Assisiensis, litteris Gothicis scripto anno* 1381, *et a Blasio Epiphani, notario publico Assisiensi de concordantia cum originali subnotatam, quam cum lectore hic communico.* S. Francisci *avus dicitur* Bernardonus, *pater* Petrus, *mater* domina Pica, *germanus frater* Angelus; *huic duo filii tribuuntur,* Picardus, *qui tunc etiam* vixisse continens, *seu cælebs mansisse notatur, et* Johannes, *qui* Ciccolum *genuit,* Ciccolus *autem dicitur habuisse duas filias,* Francischinam maritatam *et* Claram abbatissam Pantii, *ac quatuor filios,* Franciscutium, *postea* Guardianum S. Damiani, Antonium, *postea* de Ordine Minorum lectorem Parisiis, Petrutium, *et* Bernardum, *qui genuit* Johannem. *Post hæc subditur:* Et ulterius non processit genealogia sancti Francisci, deficiens in mortalitate. *Ad* Franciscum *vero adjecta hæc sunt:* Iste generavit in Christo infinitos filios in XXXXIIII provinciis per totum orbem, inter quos fuit unus Papa. *Hæc ibi: sed Waddingus in Apparatu* § 3 *adductis publicis civitatis Assisiensis litteris, docet saltem anno* 1334 *superfuisse duos ex ejusdem Sancti familia, qui velut pauperes piis fidelibus in iisdem litteris commendantur. Quæ vero de ejusdem gentilitio insigni ibidem disserit, non lubet mihi attingere. Factis et virtutibus suis eluxit* S. Franciscus, *non proavorum insignibus aut titulis, quos nec desideravit.*

61 *Idem*

Traditio de Sancto in stabulo nato

A 61 *Idem Annalista citato loco nullum testem laudans, aliqua refert de ipsius nativitate, quæ nec apud antiquos inveni, nec ipse alicujus scriptoris testimonio confirmat. Verba accipe:* Illud autem singulare in Viri sancti ortu, quod per plures dies parturiente, magnisque cruciatibus laborante, nec fœtum edere valente fœlicissima genitrice, ad ostium domus accesserit quidam (cœlestis creditur nuncius) in specie peregrini, dixeritque, non in pretioso thalamo, sed in stabulo, parituram; nec Prolem in sericis, sed in fœno edendam: consuluitque, ut quamprimum transveheretur in stabulum domui vicinum. Res licet nova et ferme inanis videretur, attamen ut laborantis prospiceretur periculo (ut nihil in hujusmodi angustiis intentatum relinquitur) delata est in destinatum locum, ubi (mirum!) absque plurimo adjutorio aut labore jacens in fœno, sydus hoc edidit clarissimum. O beatum Puerum, qui ex primo vitæ limine suo assimulatur Creatori! Stabulum adhuc magno in honore haberi, ipse vidi, constructumque ibi sacellum in Viri sancti honorem, vulgariterque vocari San Francesco il piccolo, *id est:* S. Franciscus parvus. Inscripta habet in superliminari ostii lapide characteribus aureis, sed vetustis, hæc duo inconcinni metri carmina:

B Hoc oratorium fuit bovis et asini stabulum,
In quo natus est Franciscus mundi speculum.

Non longe distat ad finem ejusdem plateæ ab ipsis ædibus paternis, ejusque curam et possessionem habent patres Conventuales. *Ab his eamdem inscriptionem Roma accepi, servato charactere, quo facta est; sed in eo hæc differt a Waddingiana, quod uno continuato versu legatur, et* Francisci *nomini præposita sit vox* Sōs, *seu* Sanctus, *quæ tamen discrimina nescio, an varietatem in describendo, an ipsiusmet inscriptionis a tempore Waddingi mutationem arguant.*

nunc in sacellum converso

62 *Mallem ego ista in aliquo antiquo probatoque scriptore, quam in incertæ ætatis aurata inscriptione legere. Laudati sæpeque laudandi Patres Conventuales Romani in suis Notitiis Mss. ad me missis laudant quidem pro eo loco natali quinque scriptores, quos* veteres *vocant,* Hungarum, *alias* Hugarium Pesthiensem, Pelbartum a Themesvar, Marcum Ulyssiponensem et Ludovicum Thyphernatem, *omnes Ordinis Franciscani alumnos, et eorum verba referunt; sed horum antiquiorem Pelbartum Waddingus in Scriptoribus Minorum* anno MD sub Alexandro VI, summo Pontifice, *claruisse, docet; ut proinde non possit eorumdem auctoritas alicujus hic ponderis esse. Addunt, et ex transmisso*
C *instrumento jurato et publica notarii auctoritate munito, probant, eamdem historiam pictam visi in choro ecclesiæ suæ in terra Montis Falci, diœcesis Spoletanæ; sed neque hujus picturæ sat magna antiquitas est; cum in eodem instrumento dicatur de ea ibidem sic legi:* In nomine Ssmæ Trinitatis hanc capellam pinsit Benotius Florentinus sub annis Domini millesimo quadracentesimo quinquagesimo secundo. *Hinc constat, eam opinionem saltem jam a medio sæculo* XV *in Umbria receptam fuisse. Sed an etiam multo citius? Laudati Patres Conventuales, hinc consequi, putant, eam Assisii prius viguisse, ac statuendum videri, istud Assisiense sacellum jam ante finem sæculi* XIV *consecratum fuisse, inscriptumque lapidem de stabulo in ecclesiam conversum.*

testimonio caret satis antiquo,

63 *Id vero ego eruditis istis viris nequeo assentiri propter altum hac de re Bartholomæi Pisani silentium, quod hic non potest non esse ponderis gravissimi. Scripsit ille, eodem sæculo* XIV *exeunte, Conformitates* Francisci *cum Christo, orsusque a prophetis, qui Christum Dominum prædixerunt, quædam pariter vaticinia de* Francisco *interpretatus est. Quid deinde ad ipsius propositum aptius poterat excogitari, quam utriusque in stabulo nativitas? Silet tamen. At quam hujus silentii causam allegabimus, nisi quod exeunte sæculo* XIV *nondum nata esset ea, quam vocant, traditio; neque eo titulo exstaret Assisii sacellum, quod ipsum alioquin solo obvio aspectu suo vel invitum monuisset de non omittenda tam singulari conformitate. Forsitan ob hoc omnium antiquorum silentium Henricus Sedulius, licet et ipse Ordinis Minorum, in Commentario ad Vitam sancti patris sui* Francisci *cautius sic locutus est:* Vidi ædiculam Assisii, D. Francisco sacram, quod aiunt stabulum fuisse, in quo natus sit. *Non sunt hæc verba istud natale stabulum asserentis, sed alienam de eo opinionem dubitanter referentis. Neque ego possum istud ex sola traditione, mihi non satis probata antiqua, neque ex incerti temporis inscriptione, cujus characteres sæculum* XV *non prævertunt, neque ex ejusdem sæculi pictura Montis Falci, nec denique ex scriptoribus hac certo recentioribus certum facere. Nullus tamen dubito, quin sacra illa ædicula non sine peculiari quadam causa dicata fuerit* S. Francisco; *forte quod ea, dum ille natus est, pars esset paternarum ædium. Si vero constiterit, eum in alia æde adolevisse, non vel sic conjectura de eodem ibidem, etsi non in stabulo, nato fiet improbabilis, cum parentes illius alias tempore nativitatis ejus ædes inhabitare potuerint, alias dum puer erat aut adolescens.*

AUCTORE C. S.

necsatisfirma est, uti et altera de susceptore

64 *Quid si alia omnino de causa, nobis ignota, ædicula illa huic Sancto dicata fuerit, et, quemadmodum basilica Liberiana, quia reliquis beatissimæ Dei Genitricis in urbe Romana ecclesiis præstantior est, vulgo* Maria Maggiore *seu* Maria Major *appellatur; ita* S. Francisci *minor ecclesia Assisii (nam magnam præterea basilicam paucis ab ejusdem obitu annis erectam ibidem præterea habet)* San Francesco il piccolo *seu* S. Franciscus parvus *dicta fuerit, eaque appellatio occasionem lapsu temporis dederit, ibidem illum natum dicendi, et ad majorem cum Christo conformitatem cetera addendi. Utut sit, minus etiam verisimile est, matrem* Francisci *jam plures dies in partu laborantem, ex ignoti peregrini consilio ad alterius ædis stabulum portatam esse, ut pareret. Aliam de ejusdem Sancti baptismo traditionem sine ullo pariter antiquo teste refert Waddingus ibidem* § 4, Adfuit, *inquiens,* baptismali ministerio peregrinus, vestitu et incessu gravis, qui ultro elevando et sacro fonte Infantulo se obtulit. Sed, ut oblatum præstitit obsequium, et mysteriosæ terminatæ sunt functiones, a circumstantium oculis disparuit, relictis genuum, quæ ad altaris propitiatorium flexit, vestigiis in marmore, quod usque in hodiernum diem inter cæteras reliquias asservari, crate ferrea munitum, in ecclesia cathedrali S. Ruffini, ubi res ipsa successit, ad lævam ingredientis ipse vidi, traditionemque hanc universalem esse per continua sæcula in illa civitate et æde, ab F omnibus accepi.

ceptore E

e sacro fonte, qui hactenus superest.

65 Extat etiam adhuc in eadem ecclesia baptisterium, in quo sacro purgatus est lavacro Franciscus, necnon, ut fertur, beata Clara. Forma est satis antiqua; materia rudis durusque lapis. Superfixam habet hanc Italicam inscriptionem: « Questo e il » fonte, doue fu battizzato il Serafico padre san » Francesco. » *Quam Latine sic vertas:* Hic est fons, in quo baptizatus est Seraphicus pater sanctus Franciscus. *Itaque hæc sola traditione nituntur, quam neque Chalippus potuit ullo veterum testimonio firmare. Quod tamen ait Waddingus, fontem illum eumdem esse, in quo* Franciscus *baptizatus fuit, id omnino verisimile est, neque tam singulare, ut veterum scriptorum auctoritate egeat. Quippe postquam* Franciscus *anno ciciter* 47 *aut* 48 *a nativitate sua inter Sanctos solemniter relatus fuit, facile sciri potuit, ubi ille baptizatus fuisset, isque fons cœpisse propterea in veneratione haberi; biographorum vero nihil intererat, fontem illum indicare. At, quod de peregrino susceptore additur, si sic vere contigerit, non æque debuit ab iisdem prætermitti. Hinc sola illa populi Assisiensis traditio factum istud mihi certum facere nequit; cum parum verisimile sit, munus e sacro fonte elevandi ignoto peregrino permissum fuisse.*

66 *Addit continuo Waddingus aliud mirabile.*

sic

AUCTORE C. S.

Post baptismum dicitur peregrinus quidam

sic pergens: Ut domum jam Christianus (*Franciscus baptizatus*) rediit, et nutricis gestaretur in ulnis, venit velut ad stipem præ foribus alius, sive ipse idem peregrinus, Puerumque ut videre et tangere liceret, efflagitat. Quem ut a nutrice suscepit, velut alter Symeon, cum gaudio sacrum tenens pignus, brachiisque dulciter amplectens et blande osculatus, ejus humero dextero Crucis signum impressit, egregium mox futurum Christi Militem tanquam tessera condecorans, et veluti jam ratione usum amatoriis et mysteriosis alloquitur verbis. Reddidit demum nutrici, et, ut sollicitam ejus gereret curam, commendavit, dicens: Scias, Infantulum, ut major evaserit, magnum etiam coram Domino futurum, et ad eum perventurum perfectionis gradum, ut inter perfectissimos orbis viros veniat connumerandus. Hanc ei invident dæmones virtutem, cave, ne tua negligentia, vel illorum

* *an* pereat? pateat * insidiis. Hoc dicto, citius disparuit, nec diligenter perquisitus, in urbe amplius potuit inveniri.

ad paternas illius ædes apparuisse, Puerumque amplexus,

67 *Pro hisce laudat in margine Legendam antiquam, Sedulium in Apologetico lib.* I, *cap.* 5, *num.* 4, *et Rodulphum lib.* I, *fol.* 14, *prætermisso Pisano, qui eadem fere habet lib.* I, *Conformitate* 4, *parte* II, *allegatque similiter Legendam antiquam. Quæ hæc*

B *sit, mihi ignotum est, cum in nostris nihil ea de re legatur. Nec fuit, opinor, notior Waddingo, quam mihi, cum nullum ex ea verbum transcripserit. Potest fuisse aliqua post Bonaventuram scripta post finem sæculi* XIII, *eaque de causa velut* antiqua *sæculo* XIV *decrepito a Pisano citari. Hunc igitur audiamus, qui ex hoc facto intendit probare,* Franciscum *infantem ita fere ostensum fuisse angelo, sicut Christus fuit Simeoni seni et Annæ prophetissæ.* Ut enim (*ait*) Legenda pandit antiqua, et frater Nicolaus de Assisio guardianus post Spoleti, habuit a domina Margarita, sua matre, vicina et nota matri beati Francisci, matre referente et pedissequa seu famula beati Francisci *etc. Si Pisani mentem recte assequor, mater* S. Francisci *ejusque famula factum narrarunt dominæ Margaritæ, vicinæ suæ, hæc filio suo Nicolao, et hic demum laudatæ Legendæ scriptori. Nunc ex Pisano audiamus facti relationem, quam verbis mox datis subnexuit.*

cruce signasse, ac de eodem vaticinatus evanuisse ex oculis:

68 Ipso die, quo beatus Franciscus natus est, ad hostium domus beati Francisci quidam advenit angelus in specie peregrini, petens instanter a famula, ut puer Franciscus eidem ad videndum et tangendum exhiberetur. Sed cum famula timeret hoc agere, ac iste in rogatu persisteret, tandem mandato matris beati Francisci peregrino Fran-

C ciscus est oblatus. Qui eum in suis ulnis accipiens, stringens et osculans, ejus humeris in parte dextra crucem impressit. Dixitque: Hodie in isto vico sunt nati duo pueri, hic Franciscus, et alius. Hic erit de melioribus hominibus de mundo; et alius erit de pejoribus. Demum prædixit, infantulum Franciscum in magna custodia gubernandum propter insidias demonum, qui de ejus ortu turbati ad necandum eum multas insidias prepararent eidem. Atque his dictis, statim disparuit, nullibi in dicta Assisii civitate amplius visus. *Hæc Pisanus in prima editione Mediolanensi. Si modo hoc testimonium conferamus cum silentio S. Bonaventuræ ceterorumque, qui ante hunc scripserunt, oportebit fateri, memoratum factum minus certum esse, quam si apud unum ex illis fuisset relatum, nec tamen sua probabilitate carere, quam etiam aliunde augeri mox videbimus.*

quæ licet in primis Vitis non legantur,

69 *Etenim ab ipsa Sancti matre et ancilla ejus, quæ illud initio solæ sciverunt, per duas tantum personas intermedias, videlicet ejusdem matris vicinam dominam Margaritam, hujusque filium Nicolaum, dicitur innotuisse ignoto nobis scriptori Vitæ* S. Francisci. *Huic autem potuit sic innotuisse aliquot annis post scriptam a S. Bonaventura Vitam, imo etiam sub finem sæculi* XIII, *si Nicolaus de Assisio multo junior erat* S. Francisco, *et jam senex factum biographo narravit. Potuit etiam Sancti mater factum prudenter diu siluisse, ne vanæ de Filio suo existimationis accusaretur, aut aliis etiam* D *velut stulte credula risum moveret; deinde tamen cum ancilla secretum suum vicinæ Margaritæ commisisse. Hac ratione non erit mirandum, si ea res primos biographos ipsumque S. Bonaventuram latuerit.*

ex Pisani tamen narratione et aliunde

70 *Aliunde quoque verisimile fit,* S. Francisci *matri aliquid contigisse, ex quo in spem fuerit inducta de futura Filii sanctitate. In appendice Vitæ primæ per Tres Socios scripta, quorum unus certe Assisias erat et Sancti matrem noverat, num.* 2 *conquerentibus de prodigalitate juvenis* Francisci *illa respondisse legitur:* Quid de Filio meo putatis? Adhuc erit filius Dei per gratiam. *Responsio hæc videtur peculiarem quamdam matris de futura Filii sui sanctitate notitiam fiduciamque insinuare. Magis etiam observatu dignum est, quod ibidem num.* 4 Franciscus *ipse ante conversionem suam in carcere Perusino detentus dixisse referatur:* Quid putatis de me? Adhuc adorabor per totum mundum. *Qui horum verborum causa* Franciscum *hic vaticinatum, credunt, non satis considerarunt, quam parum id levissimis illius eo tempore moribus congruat. Rectius Chalippus cum Waddingo dicta tantum narrat, nulla facta de vaticinio mentione. Mihi verisimilius apparet,* Franciscum *aliquid de prædicto ignoti viri vaticinio a matre sua inaudisse, atque* E *inde ex juvenili levitate sic locutum esse, licet nondum studeret mores suos tantæ spei congruos facere.*

fiunt verisimilia.

71 *His ergo rationibus illa de futura* Francisci *sanctitate prædictio mihi non improbabilis videtur, etiamsi fortasse stilo liberiori exposita sit, et nonnihil amplificata. Forte etiam hæc Infantis in ulnas peregrini acceptio occasionem dedit alteri asserto, quo idem Infans a peregrino e sacro fonte levatus dicitur, quod et omni veterum testimonio caret, ac tanto tamen magis eo eget, quanto difficilius quilibet, maxime honestioris fortunæ, hujusmodi officium ignoto peregrino sese ultro offerenti commissurus est. Cum stabulo quoque, in quo esset Sanctus, non satis congruit iste peregrini accessus ad ædes, nisi quis velit, matrem statim a partu e stabulo domum suam relatam fuisse. Nam, teste Pisano, peregrinus ille* ipso die, quo beatus Franciscus natus est, *non ad stabulum, sed* ad hostium domus beati Francisci advenit, *id est, opinor,* ad ostium ipsius domus paternæ, *et in eadem, in qua Puer, domo mater tunc erat, ut colligitur ex relatione Pisani. Quod Waddingus addit de energumeno, cujus ore dæmon fassus fuerit, insidias vitæ Pueri a dæmonibus frustra structas, ut acceptum a recentioribus ac minoris momenti prætereo.*

In baptismo a matre nominatus fuit Joannes,

72 *Quod ad Sancti nomen attinet, ex Tribus ejusdem Sociis in Appendice primæ Vitæ num.* 2 *constat, illum Assisii natum esse, absente in Gallia patre, nomenque* Joannis *jussu matris ei datum in baptismo, idque a reverso e Gallia patre in* Francis*cum mutatum fuisse, forte quod ille de imponendo nomine non fuisset rogatus et auctoritatis suæ esset tenacior. Duo priores biographi et S. Bonaventura in Vita edenda de primo nomine ejusque mutatione non meminerunt, quia gesta ejus scribere cœperunt a juventute illius, omissis nativitate et annis pueritiæ. Meminit tamen idem S. Bonaventura in Expositione ad Regulam ejusdem Sancti cap.* 1, *ubi illa illius verba* Frater Franciscus *sic excipit:* Hoc Sancti nomen fuit adventitium, cum JOANNES nomine proprio in regeneratione imponi * diceretur primo a matre. *Waddingus pro eadem re laudat etiam ejusdem sancti doctoris Legendam Minorem de* S. Francisco, *ignotam mihi. Inde aliqui de auctore ac tempore mutati nominis varie opinati sunt.*

F

* *an* imposito?

sed deinde a patre peregre reverso Franciscus.

73 *Sed clara sunt verba Trium Sociorum loco mox allegato, ubi hæc aiunt:* Franciscus de civitate Assisii oriundus... JOANNES prius vocatus est a matre; a patre vero, tunc redeunte a Francia, in cujus absentia natus erat, FRANCISCUS est postmodum nominatus. *Si hanc Legendam totam, non solum illius apud alios fragmenta, habuisset Waddingus, non puto, illum de nomine disserturum fuisse, aut*

A *aut certe non quæsiturum mysteria, ubi nulla esse videntur. Neque enim aliud insinuant hæc verba, nisi patrem e Francia reducem ægre tulisse, se inconsulto, nomen Puero inditum, eidemque pro sua auctoritate aliud imposuisse, quod rarum quidem eo tempore erat, sed non prorsus novum, ut credidit Waddingus, alios secutus, sicut jam annotavit Chalippus in Vita Gallica tom. I. pag. 3. Jacobus de Voragine, passim ludens in nominibus Sanctorum, id etiam fecit in nomine* S. Francisci, *ex eoque aliqui suas hac super re conjecturas hauserunt. Hunc igitur audiamus.*

Jacobus de Voragine variasmutati nominis causas allegans,

74 Franciscus (*ait*) prius dictus est JOANNES; sed postmodum, mutato nomine, FRANCISCUS vocatus est. Cujus nominis mutationis multiplex causa fuisse dicitur. Primo ratione miraculi connotandi: linguam enim Gallicam miraculose a Deo recepisse cognoscitur. Unde dicitur in Legenda sua, quod semper, cum ardore sancti Spiritus repleretur, ardentia foris verba eructans, Gallice loquebatur. Secundo ratione officii divulgandi. Unde dicitur in Legenda, quod divina providentia sibi hoc vocabulum indidit, ut ex singulari et insueto nomine opinio ministerii ejus toti citius innotesceret orbi. Tertio ratione effectus consequendi, ut scilicet per hoc daretur intelligi, quod ipse per se, et per filios
B suos, multos servos peccati et diaboli debebat Francos et liberos facere. Quarto ratione magnanimitatis in corde: nam Franci a ferocitate sunt dicti, quod eis inest naturalis feritas et magnanimitas animorum. Quinto ratione virtuositătis in sermone; quia ejus sermo instar securis vitia incidebat. Sexto ratione terroris in dæmonum effugatione. Septimo ratione securitatis ex virtute et operum perfectione et honestatis in conversatione. Aiunt enim, FRANCISCAS dici signa quædam instar securium, quæ Romæ ante consules ferebantur, quæ erant in terrorem et in honorem.

frustra agit.

75 *Hæc omnia Jacobus de Voragine, quæ plane frigida aut frivola esse, facile perspiciet, quisquis vetustas Vitas et hæc ipsa ratiocinia consideraverit. Quod miraculo didicerit* Franciscus *linguam Gallicam, ex nulla vetustiori Vita colligi potest, neque ipse admittit Waddingus, verius existimans,* Franciscum *a patre dictum fuisse* ex Gallicano affectu, promptequeapprehensalingua Francica, *quam expedite loquendo, quasi* Francus *evasisse poterat videri. Hunc in finem probat, id temporis vocem* Franciscus *idem significasse, quod* Francicus *et* Francus; *idque verum est. Ex Vitis quoque novimus,* Franciscum *lingua Gallica libenter usum fuisse, sed addunt Tres Socii mox laudandi;* Licet ea recte loqui nesciret.

C *Denique ne credam, inde nomen* Francisci *ei datum esse, obstant iidem Socii, ex quorum relatione omnino dicendus videtur nomen illud accepisse a patre in infantia sua, ac proinde antequam linguam Gallicam didicerat. Incertum porro est, an id pater ita voluerit, quod ille natus esset sibi versanti in Francia; an, quod idem nomen jam haberet in cognatione sua, sive alia de causa mihi ignota.*

§ IV. Sancti pueritia, adolescentia et juventus : propositum non negandi stipem pauperibus : annua detentio in carcere Perusino.

Puer litteras discit; item linguam Gallicam

De *pueritia* S. Francisci *nihil fere traditur in Vitis antiquis. Auctor secundæ agens de loco primæ sepulturæ illius in ecclesia S. Georgii in civitate, tantum observat, ipsum in eodem loco primis litterarum elementis imbutum fuisse.* Tunc, *inquit,* perlatum est in civitatem corpus sanctissimum, et in loco, ubi primum litteras Puerulus ipse didicerat... est sepultum. *Consentit S. Bonaventura, priorem secutus, in Vita num.* 219 *scribens:* Pretiosum thesaurum, quem portabant (*nimirum corpus S. Francisci*) in ecclesia S. Georgii cum omni reverentia condiderunt. In eo siquidem loco Puerulus litteras didicit. *Linguam Gallicam utcumque scivisse, jam dixi supra, constatque ex Thoma Celanensi, biographo secundo et Bonaventura, qui pari consensu scribunt, ipsum laudes Deo Gallice cecinisse. Haud dubie curaverat pater ipsum ea imbui propter commercium, quod cum Gallis exercebat, et cui eumdem admovere decreverat. Non tamen illum dicta lingua perfecte uti valuisse, docent Tres Socii in Appendice num* 10 *his verbis:* Libenter lingua Gallica loquebatur, licet ea recte loqui nesciret. AUCTORE C. S.

et Latinam; deinde admovetur mercaturæ.

77 *Latinis quoque litteris addiscendis illum in adolescentia vel juventute operam dedisse, nec earum fuisse prorsus ignarum, argumento est, quod habet Celanensis in Vita num.* 22. *Scilicet* Franciscum, *cum inter Missarum sollennia* verba Euangelica, *quæ utique Latine legebantur,* intellexisset, *ad sanctiorem vitam incitatum fuisse. Eadem narrant biographus secundus et S. Bonaventura in Vita num.* 26, *qui etiam ibidem num.* 1 aliqualem litterarum notitiam *ei tribuit, priusquam animum ad mercaturam adjecit. Eodem item teste, paternam hanc artem sic tractavit, ut* nec inter cupidos, *seu avaros* mercatores, quanquam intentus ad lucra *esset, haberi posset, nec speraret* in pecunia et thesauris. *Hoc ipsum insinuant reliqui omnes biographi, ut nulla possit esse suspicio de injusto commercio, ad quod immoderata lucrandi cupiditas* E *sæpe impellit.*

Fuit molliter educatus, in juventute vanis oblectamentis,

78 *Quod ad* Francisci *educationem in paternis ædibus spectat, primus biographus invehitur in negligentiam parentum, qui pueros mundanis et perversis moribus imbuere student, illisque* Francisci *genitores accenset. Auctor Vitæ secundæ, forte Ceperanus, cui prima præluxit, sic orditur:* Fuit igitur in Vallis Spoletanæ finibus, civitate Assisio, vir quidam, nomine Franciscus, negotiator officio, prædives transitoriis opibus, sed justitiæ pauper operibus. Nam primævo ætatis suæ tempore in mundi vanitatibus indecenter nutritus, suis etiam nutritoribus insolentior est effectus. Quid multa? Hic seculi miserrimæ felicitati et gloriæ penitus intendebat, ceterosque in hiis præire conatus, inquieti cordis lasciviam jocis et lusibus, gestu et habitu, verbis impudicis (*vide correctionem inferius*) et cantibus ostendebat. Et cum esset pecuniarum cautissimus conquisitor, etsi in dispensando vel retinendo largitatis medium non tenebat; plus tamen in partem prodigalitatis, quam avaritiæ, declinabat.

captandæ inani gloriæ ac prodigalitati deditus, F

79 Unde, cum propter inanem suorum dissipationem videretur affabilis et humanus, multorum ob hoc sibi cohærentium caudam post se traxit iniquam, qui ipsum velut caput et ducem sequebantur præcipites ad ruinam. Sic suorum complicum stipatus agminibus usque ad annum ætatis suæ vicesimum quintum in via perditionis incessit; donec ad declarandam mirabilium suorum gloriam Domino complacuit, ut miranda in illo dexteræ Excelsi mutacio, et in stuporis exemplum posteris fieret, respirandique in gratiam peccatoribus spem præberet. *Hæc paulo brevius, sed iisdem tamen fere verbis expressit Bellovacensis lib.* XXIX, *cap.* 97, ex Gestis, *id est, ex hac ipsa Vita, quam* secundam *nominamus. Thomas Celanensis, qui secundo biographo præivit, juvenem* Franciscum *de* impudicis verbis *non arguit, sed de* scurrilibus *tantum; licet alias plura dicat de ferventi illius ætate, aliisque non favorabilibus phrasibus utatur, quæ mox discutiemus, ut impudicitiæ notam, quam aliqui non satis considerate juventuti illius inusserunt, amoveamus.*

non tamen impudicitiæ, a qua eum Tres Socii

80 *Tres Socii, qui præ ceteris omnibus* Franciscum *juvenem noscere potuerunt, in Appendice ad Vitam primam, præ reliquis arguunt prodigalitatem ipsius et fastum in ornatu vestium, ultra quam ferebat ejusdem conditio, indicantque, jocis et lusibus vehementer deditum fuisse, atque etiam* lascivum *appellant. Non in eo tamen sensu hanc vocem usurpant, ut* impudicum *fuisse velint : imo ab hac labe vindicant ibidem num.* 3 *verbis, quæ subdo.* Erat tamen quasi naturaliter curialis (*id est, comis et urbanus*)

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S. * *an* dicens ?

urbanus) in moribus et in verbis, juxta cordis sui propositum, nemini dicentis * verbum injuriosum vel turpe: immo cum sic esset juvenis jocosus et lascivus, proposuit turpia sibi dicentibus minime respondere. Unde ex hoc fama ejus quasi per totam provinciam est adeo divulgata, ut a multis, qui cognoscebant eum, diceretur aliquid magni futurus. *Quid ista aliud indicant, quam juveniles jocos et vana oblectamenta sectantem, sed simul studiose caventem, ne quid impudici dicto factove immisceret, aut etiam sociis id inceptantibus consentiret. Quæ sane in hujusmodi juvene continentia admirationem sui apud alios merito parere potuit, atque aliquid magni de illo videri portendere.*

et S. Bonaventura

81 *Prædictorum aliorumque de* S. Francisco *scripta vidit S. Bonaventura, utque de illius gestis penitus instrueretur, profectus Assisium,* cum familiaribus ejus *tum* superviventibus collationem de iis *habuit* frequentem ac diligentem, et maxime cum quibusdam,... quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem fides est indubitabilis adhibenda, *ut ipsemet loquitur in Prologo num. 4. Post tam accuratam inquisitionem, qua majorem nemo merito requirat, favorabilius de adolescentia et juventute* Francisci *scripsit, illumque impudicum fuisse, negavit. Ut res clarior evadat, juverit verba ejus recitasse. Caput 1 sic orsus est:* Vir erat in civitate Assisii, Franciscus nomine, cujus memoria in benedictione est, pro eo, quod Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benigne præveniens, et de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, et cælestis gratiæ donis affluentur implevit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios, juvenili ætate nutritus in vanis, et post aliqualem litterarum notitiam lucrativis mercationum deputatus negotiis, superno tamen assistente præsidio, nec inter lascivos juvenes, quamvis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit, nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucra, speravit in pecunia et thesauris.

B

vindicant:

82 *His verbis Bonaventura juvenem* Franciscum *eodem modo a petulantia carnis, quo ab avaritia vindicavit; quodque ab hac utraque labe fuerit immunis, divino præsidio adscripsit; avarum fuisse, etiam priores biographi expresse negarunt. Itaque hæc simul cum Trium Sociorum verbis abunde mihi sufficiunt, ut cum Waddingo omnino existimem,* Francisci *corpus nulla umquam impudicitiæ labe fuisse pollutum. Neque id asseruit Bellovacensis, nec S. Antoninus, nec ullus antiquus; ut mirari liceat, unum et alterum a Waddingo relatum virginitatis gloriam illi abjudicasse. Plura pro virginitate eidem vindicanda allegat ibidem laudatus Annalista scriptorum testimonia, sed quæ, utpote recentiorum, pondus non addunt antiquis. Quæ vero addit de testimonio Leonis, confessarii illius, deque divina revelatione hac super re eidem facta, habentur apud Pisanum Conformit.* 23, *part.* 2 *circa finem, neque apud antiquiores reperi. Si quis tamen crediderit, in Vita prima et secunda saltem insinuari, non abhorruisse Juvenem a verbis et cantibus inhonestis, huic quædam hic consideranda propono.*

C

quæ vero in Vita prima videntur contraria,

83 *Parum verisimile est,* S. Franciscum *fuisse cognitum Thomæ Celanensi, priusquam hic in illius societatem admissus fuit. Celanum enim, apud lacum Fucinum in Aprutio situm, longius abest Assisio, quam ut sine teste veri appareat simile, Juvenis Assisiatis mores illi satis perspectos fuisse. Quapropter cum Celanensis in Prologo profiteatur, se narraturum, quæ* ex ore ipsius *Sancti* vel a fidelibus et probatis testibus *audiverat, vix dubitandum mihi videtur, quin ea, quæ de mundana illius vita retulit, saltem pleraque ex ore ipsius Sancti, adolescentiam suam accusantis, acceperit. Hoc posito, advertendum ulterius est, quantum humillimus ille sui Contemptor suos qualescumque defectus soleret exaggerare; quantum arguere sua facta, in quibus ne severissimus quidem censor invenisset, quod carperet. Unum afferam exemplum e Vita prima, ubi num.* 52 *narratur factum sane stupendum, ab aliis similiter relatum.* Infirmitate gravatus aliquantulum pullorum carnium *ederat. Quis hoc merito reprehendat? Attamen voluit Sanctus duci per civitatem, func ad collum alligato; voluit, ut socius, idemque ductor, clamaret:* Ecce glutonem, qui impinguatus est carnibus Gallinarum *etc.*

D

collata cum aliis explicantur.

84 *His præmissis, sedulo perpendamus primi biographi verba, quæ magis adversari videntur, at simul meminerimus testimonia Trium antiquorum Sociorum et S. Bonaventuræ, qui cum Celanensi non collidendi, sed, si fieri potest, conciliandi sunt. Num.* 2 *ait:* In jocis curiosis, in scurrilibus et inanibus verbis, in cantilenis, in vestibus mollibus et fluidis. *Nihil in his impudici est, nisi quis propriam verborum significationem mutare voluerit. Duriora sunt, quæ ibidem dicit num.* 3. Cum adhuc Vir ille juvenili calore fervesceret in peccatis, et lubrica ætas ad explenda juvenilia jura ipsum impelleret insolenter, ac mansuescere nesciens, antiqui serpentis esset virulentia concitatus, adest subito divina ultio vel unctio super eum. *Graviora hæc videri possunt, non tamen de peccatis impudicitiæ necessario accipienda. Non enim ad hæc sola* juvenilis calor *incitat, neque hunc sensum ingerunt* juvenilia jura, *sed potius immoderatum cordis affectum sectandi jocos, otiosa consortia, convivia, vanos corporis ornatus, inanem gloriam, liberioris vitæ genus,* E *prodigalitatem, et cetera hujusmodi, quæ inconsulta juventus sibi licita esse, haud difficulter sibi persuadet. Nihilo magis evincit* Lubrica ætas, *cum hæc ad varia vitia pro diversitate ingeniorum impellat. Cum igitur Tres Socii sanctusque Bonaventura omnem impudicitiæ labem a* Francisco *removeant, Celanensis vero nullum verbum faciat, quo oppositum certo affirmetur; dicendus hic quoque* S. Francisci *pudicitiæ favere, etiamsi alia Juvenis vitia, quæ forte ex ejusdem ore nonnihil exaggerata intellexerat, candide retulerit, ut Dei gratia in illius conversione magis eluceret.*

Neque audiendi hic sunt secundus biographus aliique,

85 *Secundæ vitæ auctor, quem Ceperanensem fuisse suspicamur, minus favet honestati verborum* Francisci *in adolescentia et juventute, sed minoris debet auctoritatis reputari. Ceperanum quoque longius abest Assisio, quam ut satis verisimile sit,* S. Franciscum, *dum juvenis erat, huic scriptori satis fuisse cognitum; in Vita vero scribenda præ oculis habuit Celanensem, quem non recte interpretatus est, dum de* Francisco *ait:* Inquieti cordis lasciviam jocis et lusibus, gestu et habitu, verbis impudicis et cantibus ostendebat. *Hæc verba ex ipso adoptavit Vincentius Bellovacensis, et ex Bellovacensi S. Antoninus, qui proinde excusandi sunt, non audiendi. Omnes enim corrigendi sunt ex Celanensi, qui eorum primo præluxit, et ex Tribus Sociis, qui et ætate et loco propinquiores fuerunt; maxime cum hi diutius Assisii, ubi ea contigerunt, cum ipso Sancto habitaverint, atque horum gravissimo testimonio post novum diligensque examen accesserit etiam testimonium S. Bonaventuræ, quibus sine ullo dubio cedere debet Ceperanensis, vel si quis alius est auctor Vitæ secundæ.* F

sed Sancto sua virginitas et pudicitia asserenda.

86 *Denique in nulla Vita usquam vel minima mentio fit de Juvenis familiaritate cum mulieribus, a quarum consortio non solent abstinere, qui turpi libidini addictum animum habent. Quapropter maneat illibata sua* S. Francisco *virginitas, historice certa; maneat pudica in verbis non minus, et factis, quam liberalis, ac honesta et benigna in omnes ejus conversatio. Si vero ultra modum largus fuit et prodigus, ut constat ex biographis; si laudem et gloriam ardentius aucupatus est; si sumptuosiori, quam ejus ferebat conditio, ornatu vestium mundanum fastum imitabatur; si jocis et lusibus nimium indulgebat; si denique inter æquales excellere nitebatur, vitia hæc fuerunt educationis, quæ animum illius ad mundana magis, quam ad divina a teneris annis inclinaverant. At inter ipsa Adolescentis vitia magnus eminebat animus, qui ubi semel, divina operante gratia, ad meliora se convertit, se magis magisque erexit, multoque ardentius divina appetiit, quem ante terrena,*

A *rena, uti per hujus Commentarii decursum luce clarius apparebit.*

Cum semel pauperem repulisset, statuit deinceps

87 *Inter illius in juventute virtutes emicuit in primis eximia in pauperes liberalitas, de qua luculentum testimonium dederunt Tres Socii in Appendice ad Vitam* 1, *num.* 5, *et S. Bonaventura num.* 6, *occasionemque narrant, qua ille decrevit deinceps nulli eleemosynam, pro amore Dei petenti, negare. Consentit de illa occasione Vita* 1, *num.* 17, *sed extra ordinem; atque hinc etiam scriptor Vitæ secundæ post narratam prius Sancti conversionem et alia quædam, de eodem facto sic habet:* Alios vero pauperes et afflictos, cum adhuc seculo deditus esset, pio semper cum passionis * affectu respexit, et libentissime se pro Deo petentibus misericordiæ manum porrexit. Exprobans autem præter morem quadam vice pauperi, se pro Deo roganti, mox super hoc compunctus gravissime doluit, et nimis arbitratus indignum, denegare quidquam pro tanti Regis nomine postulanti, ita ex hoc a se pro Deo pauperibus aliquid petituris statuit repulsam non facere: quod et pro posse suo sollicite studuit custodire.

* *an* compassionis ?

in nomine Dei petentibus stipem numquam negare,

88 *Anonymus auctor in Ms. nostro Perusino, quem* anonymum Perusinum *propterea vocabo, qui Sanctum forte noverat, eadem ita refert:* Qui cum quadam die in apotheca, in qua pannos consueverat vendere, circa hujusmodi negotia secum sollicitus cogitaret, apparuit pauper quidam, postulans ab eo, pro Domino eleemosynam sibi dari. Cui dictus Franciscus, illectus cogitatione divitiarum et cura supradictorum, data licentia, elemosinam denegavit. Quo recedente, divina perspectus * gratia, cepit seipsum redarguere magnæ rusticitatis, dicens: Si pro aliquo comite vel barone magno pauper hujusmodi postulasset, petita porrexisses petenti; quanto magis pro Rege regum et omnium Domino hoc facere debuisti? Cujus rei causa in corde suo proposuit, pro tanto Domino postulata de cetero se nemini negaturum: et vocans dictum pauperum, sibi caritatem (*id est, ipsi stipem*) est largitus.

B

* *an* perstrictus ?

quod et fecit: quidam eidem bene præsagit.

89 *Addit auctor vocibus utcumque corruptis, hanc misericordiam multum profuisse* Francisco: *hunc in finem adducit locum Isaiæ cap.* 58, ℣ 10: Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. *Et hæc* ℣ 7 *et* 8: Frange esurienti panem tuum... Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et antebibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. *Addit et alia virtutum semina S. Bonaventura, et narrat vaticinium vel præsagium cujusdam viri Assisiatis, qui* Francisco *per civitatem incedenti pallium aliquando stravit, dicens, illum magna effecturum. Hoc apud alios antiquiores quidem, quos habemus, non legitur, certum tamen facit sancti doctoris auctoritas, qui et ab aliis collecta habuit, nec nisi post diligens examen, habitumque cum ipsiusmet* S. Francisci *sociis colloquium, Vitam conscripsit. Fortasse vir ille aliquid seiverit de vaticinio, quod matri et ancillæ editum dicitur, uti num.* 66 *relatum est. De anno, quo hæc contigerunt, non constat; attamen cum Tres Socii pium istud Sancti de non recusanda eleemosyna propositum narrent ante ejusdem Perusinum carcerem, qui conversionem illius paucis annis præcessit, conjicere licet, istud ad priores sæculi* XIII *annos pertinere.*

C

Tempore belli a Perusinis captus, annuo carcere detinetur,

90 *Waddingus ibidem num.* 18 *post relatum istud viri vaticinium agit de carcere, in quem* Franciscus, *nondum ad meliora conversus, a Perusinis conjectus fuit, in margine laudans Chronicon Minorum, Marianum, et Pisanum in Conformitate* 5. *Chronici istius antiquitatem non novi; Pisanus vero, Mariano prior, sub finem sæculi* XIV *scripsit. Verum etsi hac de re nec Celanensis, nec secundus biographus, nec demum ipsemet S. Bonaventura meminerunt, certa tamen est ex Tribus Sociis, apud quos in Appendice num.* 4 *refertur, ubi legi potest. Consona habet Pisanus loco citato, cujus verba subjicio ex editione Mediolanensi anni* 1510. Secularis dum esset, et guerra esset inter Perusium et Assisium, captus cum pluribus ex suis civibus, in carcerem missus, ibidem per annum stetit, donec pax inter Assisinates firmata esset et Perusinos. In quo carcere dum esset, cum displicentiam habere deberet ex his, que in carceribus habentur; et libertate, qua carent; vir Dei Franciscus, aliis concaptivis dolentibus et tristantibus, ipse jocundus stabat et alacer, adeo ut ad stultitiam sibi imputaretur. Super quo ab uno reprehensus ex sociis, cur tanto gaudio letaretur, respondit viva voce: Quid putatis de me? Adhuc adorabor per totum mundum.

AUCTORE C. S.

hilari interim animo et comis:

91 Concaptivus ergo manens Perusii, velut alter Tobias, suis concaptivis serviebat, ut poterat. Ac uni militi *, qui injuriam alteri irrogarat, propter quod emissus * erat ab aliis, beatus Franciscus nec societate deseruit, nec administratione cessavit. *Hausit hæc Pisanus ex prælaudata Appendice, præterquam quod ait de* Francisco *aliis ministrante; sed in Appendice de illo additur:* Quia nobilis erat moribus, cum militibus (*id est, cum viris nobilibus*) captivus est positus. *Non exprimunt biographi, utrum* Franciscus *in pugna aliqua, aut saltem militiæ Assisiati adscriptus, fuerit captus a Perusinis, an solum interceptus, quod Perusini omnes Assisiates, quos poterant, captivos abducerent. Belli tamen ibidem etiam meminerunt Tres Socii, his verbis:* Quodam tempore guerra inter Perusium et Assisium exeunte, captus est Franciscus cum multis aliis suis concivibus *etc. Potuit ergo ille tunc pro patria sua arma tulisse, a quorum tractatione non alienum animum aliquando gestasse, infra patebit. Potuit etiam aliter, ut dictum est, capi, quia tunc militasse non dicitur.*

* *l.* unum militem

* *i. e.* desertus

E

detentionis annus incertus;

92 *Apud Waddingum in prima editione, qua utor, factum hoc per errorem verisimillime typographicum anno* 1120 *innexum est, pro quo in novissima editione substitutus est annus* 1201, *et utrobique occasio belli Perusinos inter et Assisiates repetitur* a Marcomaldo, aliis Marquardo, imperii Senescallo, *ut præmiserat,* invadente terras Ecclesiæ, et tyrannice possidente seu retinente in Piceno, Æmilia et Umbria. *Verum Marquardus ille jam ab anno* 1198 *possessione Marchiæ Anconitanæ exutus fuerat, annoque sequenti multa cœpit movere in regno Neapolitano et in Sicilia, ubi etiam anno* 1201 *vel* 1202 *mortuus est, ut videri potest apud Muratorium in Annalibus Italiæ. Non ergo cum allegato anno* 1201 *Marquardi vel Marcomaldi in Piceno dominatio potest componi. At quæcumque fuerit illius belli, in quo Sanctus captus fuit, seu causa seu occasio (nam calamitosis illis temporibus non rara ejusmodi inter civitates Italiæ erant dissidia) si annus a Waddingo recte signatus sit, Sancti e carcere Perusino in libertatem restitutio ad annum* 1202 *referenda est. Neque hic annus multum potest aberrare, cum Tres Socii ab eo facto per hæc verba* Post paucos vero annos *transeant ad aliud, quod necessario figendum est anno* 1203, *aut* 1206, *quandoquidem contigerit modico tempore ante illius conversionem, anno* 1206 *ex dicendis illigandam.*

F

ejusdem mentio in Vita B. Columbæ Reatinæ.

93 *De memorata* S. Francisci *apud Perusinos captivitate bis meminit Vita B. Columbæ Reatinæ, in qua in Opere nostro ad diem* 20 *Maji num.* 30 *hæc leguntur:* Simile prorsus habetur de S. Francisco, qui adolescens, cum una cum pluribus a Perusinis captus et diro fuisset carceri mancipatus, dolentibus aliis, hic solus exultavit; et redargutus super hoc a concaptivis, respondit: Ideo me exultare noveritis, quia adhuc Sanctus per totum seculum (*id est, per totum mundum*) adorabor. *Ex Vita nostra istud Sancti dictum est acceptum, sed modice mutatum. Jam monui, eadem verba non videri ex spiritu prophetico prolata, sed potius ex spe, quam Juvenis concepisse potuit ex vaticinio matri facto; vel etiam ex præsagio hominis illius, qui pallium suum* Francisco *stravit et magna illum gesturum, prædixerat; si tamen hoc contigerit ante carcerem Perusinum. Rursum in eadem B. Columbæ Reatinæ Vita*

AUCTORE C. S.

Vita num. 74, ubi narraverat, quomodo B. Columba cum patre suo aliisque, postquam Tiberim per pontem S. Joannis in territorium Perusinum transierat, detenta fuerit a sceleratis hominibus, hæc auctor addit: Memini, me legisse, hoc eodem loco B. Franciscum, tunc juvenem, cum pluribus sodalibus carceri mancipatum. *Viderit biographus ille etiam alia de captivitate* S. Francisci *documenta; nam de loco, in quo ille captus fuit, in nostris nihil legitur.*

§ V. Francisci ad meliora conversio per morbum inchoata, et variis modis paulatim promota.

E morbo convalescens mundana fastidit,

Emissus ex annuo carcere Franciscus *et ad patrem suum reversus, pristinam pannorum mercaturam tractavit usque ad conversionem suam, quæ paucis annis post secuta est. De conversionis initio prolixe agit Vita prima cap.* 1, *brevius Bonaventura num.* 8. *Tres Socii, quorum potior cura fuit prætermissa a primis biographis supplere, morbum, a quo illa cæpta fuit, tacitum præterierunt. At secundus biographus, cujus verba de nimio* Francisci *ad mundana affectu num.* 78 *et sequenti dedimus, ad eum ita procedit:* Aggreditur itaque primum divina miseratio ad
B illius multorumque salutem corporalibus molestiis erroneum revocare, et variis correptum languoribus coegit jam solitis dissimilia cogitare: sicque factum est, ut inciperet, etsi non plene, mansuescere sub flagellis, quod ante nesciebat in prosperis. Tandem namque tantillo virium resumpto, ut baculi adminiculo sustentatus incederet, totam ei circumjacentem contemplanti provinciam quodam modo tædium generabat, quicquid visu pulcrum in desiderio prius habuerat; sed et talium amatores stultissimos reputabat.

sed paulo post statuit militatum ire in Apuliam:

95 Sed quoniam prosperitas post periculum facile consuevit incautos decipere; cepit Vir iste, arridentibus iterum prosperis, adhuc sibi majora prioribus de seculi vanitate promittere, qui plene necdum perversæ virtutis * jugum excusserat de cervice. Nam quodam nobili civitatis Assisii vanis laudibus augendisque pecuniis inhiante, et ob hoc militaribus ornamentis ad eundum in Apuliam se parante, Franciscus, jam pristino corporis recuperato vigore, non minus divitiarum et gloriæ cupidus, eidem nobili sociare se studuit, veluti qui levis animi jamjam paternæ correptionis non meminit. Sed in hoc satis est divini dispositio miranda consilii, quod is, qui jam pridem mansuescere ceperat per languores, meritoque ad plenum corrigi per flagella debuerat, jam nunc secundo cepit
C inde mirabilius a suo proposito revocari, unde rationabiliter videbatur ad hoc debuisse potius animari. *Hæc postrema dicit auctor de proposito militandi in Apulia. Censuit enim,* Franciscum *somnio mox referendo, ad sectandam militiam magis animari debuisse, sed eo tamen ab illa magis fuisse avocatum.*

**l. servitutis*

pretiosas vestes suas donat nobili pauperi:

96 *In hanc opinionem abductus fuit, quod solam vidisset Vitam primam, in qua non refertur præcipua ratio, qua Sanctus a militandi proposito, etiamsi in eo per somnium fuisset confirmatus, penitus abstinuit. Ut omnia in ordinem reducamus, præmittendum est, quod somnio illi militari præivit, quodque a duobus primis biographis fuit prætermissum. Tres Socii in Appendice num.* 5 *et S. Bonaventura in Vita num.* 8 *præmittunt insignem Sancti in virum nobilem liberalitatem, cujus præmium in subsecuto somnio significatum fuisse, idem sanctus doctor asserit. Est tamen inter hunc et illos aliqua in narrando differentia. Bonaventura enim, nulla adhuc facta de militandi desiderio mentione, refert,* Franciscum, *postquam vires corporis plane receperat,* sibi vestimenta decentia more solito *comparasse; cumque obvium haberet* militem (*id est, nobilem*) generosum quidem, sed pauperem et male vestitum, *misericordiæ commotum affectu, his* illum protinus, se exuto, *vestivisse. Unde et subdit ibidem sanctus doctor, ita a Sancto factum esse,* ut simul in uno geminum impleret pietatis officium, quo et nobilis militis verecundiam tegeret, et pauperis hominis penuriam relevaret. D

circa quum donationem quædam annotantur.

97 *At Tres Socii vel geminam vestium donationem post conceptum militandi desiderium memorant, vel unam eamdemque varie narrant, nisi forte vitium sit in apographo nostro. Nam num.* 5 *sic aiunt:* Quidam nobilis de civitate Assisii militaribus armis se præparat, ut... in Apuliam vadat. Quo audito, Franciscus ad eandem (*forte* eundum) cum illo aspirat, ut a quodam comite gentili miles fiat; pannos pro posse præparat præciosiores concivi suo, pauperior divitiis, sed profusior largitate. *His verbis indicant,* Franciscum *ex quadam prodigalitate pretiosiores vestes, quam ipsemet sibi paraverat, donasse nobili ditiori, se; nisi forte pro* concivi suo *legendum sit* concive suo, *adeo ut* Franciscus *dicatur, licet minus dives esset, quam nobilis ille, pretiosiores tamen, quam ille, vestes sibi comparasse. Verum huic expositioni, præterquam quod lectionem mutet, non congruunt ista:* profusior largitate. *Utut sit, num.* 6 *postquam militandi propositum somniumque retulerunt,* Quoddam tamen, *inquiunt,* magnæ curiositatis et nobilitatis indicium in eo præcesserat die immediate præcedente visionem prædictam, quod ipsius visionis non modica occa- E
sio creditur exstitisse. Nam omnia indumenta sua, quæ de novo fecerat sibi, curiosa et cara, cuidam pauperi militi donaverat illa die. *Hæc certe illa donatio est, de qua meminit S. Bonaventura, qui cum Trium Sociorum Opusculum habuerit, credendus non est eamdem sine causa, contra ac illi fecerant, una cum visione seu somnio præposuisse proposito militandi. Quapropter illius auctoritate standum puto.*

Nocturno somnio excitatus ad militiam

98 Nocte vero sequenti, *ut prosequitur Bonaventura, obtigit Sancto memoratum somnium,* ut misericordiam, *inquit,* pro summi Regis amore pauperi exhibitam militi, præostenderet, incomparabili compensandam esse mercede. *Somnium hoc, quod narrant omnes biographi, secundus his verbis exposuit:* Nam quadam nocte, cum ad iter Apuliæ consummandum tota se deliberatione dedisset, ostensa est ei per visionem domus sua militaribus apparatibus plena, quæ venalium esse consueverat pannorum cumulis occupata. Stupendi igitur ad eventum rei insolitum responsum est, hæc omnia fore sua militumque suorum. Evigilans autem, quamvis hujusmodi visionem suo proposito videret applaudere, et ad illud exequendum prosperitatis eam præsagium reputaret; subito tamen et mirabiliter circa hæc eadem, quæ conceperat, cepit tepescere, ita ut ad hæc explenda jam a seipso vim F
fieri sibimet oporteret; donec tandem non multo post ire in Apuliam penitus recusaret. Sic novæ militiæ dux futurus, ex hac ipsa sui permutatione perpendit, jam dictam visionem longe aliud, quam crediderat, importare. Sic armis cælestibus, quibus postmodum contra omnes temptationes viriliter utebatur, acceptis, cepit ex tunc mores pristinos ad plenum mutare. *Hisce consonat Vita prima, ex qua hausta sunt: at vera ratio, ob quam a sequendo somnio abstinuit* S. Franciscus, *mox dabitur ex aliis.*

aggreditur iter versus Apuliam,

99 *Tres Socii, S. Bonaventura et anonymus noster Perusinus omnino consentiunt, Sanctum militari hoc somnio in ingentis mundanæ amplitudinis spem erectum fuisse, atque ita animatum iter versus Apuliam aggressum, imo* Spoletum usque *aut* ad proximam *Assisio* civitatem, *ut loquitur S. Bonaventura, pervenisse, sed ibi alia visione dedoctum et a cœpto itinere revocatum. Anonymum nostrum Perusinum audiamus.* Huic beato Viro, *inquit,* tempore præcedente accidit, quod indignum puto silentio transeundum; quia, cum nocte dormiret in stratu suo, apparuit ei quidam, qui vocans eum ex nomine, duxit in quoddam indicibile speciosæ amenitatis palatium, plenum armis militaribus, resplendentibus clypeis et ad murum pendentibus undecumque.

undecumque. Quo (*Francisco*) interrogante, cujus essent hæc arma tanto fulgore splendentia, et palatium sic amenum, responsum accepit ab eo, qui ducebat: Hæc omnia sunt tua cum palatio, militumque tuorum. Et expergefactus cepit seculariter cogitare, tamquam qui nondum plene spiritum Domini gustaverat, se debere in his magnifice principari. Qua de re eo multiplicante cogitatione *, deliberavit fieri miles, ut principatum hujusmodi sibi militi afferret.

* *an* cogitationes?

100 Unde disposuit ad comitem gentilem, præparatis sibi pannis (*id est, vestibus*) pretiosis, ut potuit, quatenus ab eodem comite miles fieret, in Apuliam proficisci. Et ex hoc lætior effectus solito ab omnibus mirabatur. Quibus de hac nova lætitia interrogantibus, unde esset, respondebat: Scio, me magnum principem affuturum. Et assumpto scutifero, ascendens equum, versus Apuliam equitabat. Cum autem Spoletum pervenisset sollicitus sui itineris, et nocte facta se deposuisset ad dormiendum, audivit semidormiens vocem quandam, ipsum, quo vellet ire, interrogantem. Cui per ordinem totum suum propositum revelavit. Cui vox iterum: Quis potest tibi melius facere, Dominus, an servus? Qui respondit, dicens: Dominus. Quare ergo relinquis pro servo Dominum, Principem pro cliente? Cui Franciscus, Quid, Domine, vis faciam? Revertere, ait, in terram tuam, facturus, quod tibi Dominus revelabit. Qui sibi divina gratia * in virum, ut sibi videbatur, alterum est mutatus. *Hactenus anonymus ille: nunc vero pauca observanda sunt.*

sed in via cælesti voce ab incepto revocatus revertitur.

* *adde* opitulante

Expenduntur quædam facta adjuncta

101 *Omnes antiqui hanc* Francisci *animi mutationem sic narrarunt, ut in aliquot minoris momenti adjunctis varient. Hoc indicio intelligimus, anonymum Perusinum non hausisse ex Trium Sociorum Opusculo, sed rem narrasse, prout vel ex ipso* S. Francisci *ore, vel ex prioribus illius sociis, vel denique ex Assisiatibus, quibus credendum censuit, intellexerat. Verum ex iisdem fontibus etiam hauserunt Treş Socii, multaque certius ex ipso* Francisco *didicerunt, quo præ reliquis usi sunt familiarius. Bonaventura autem illorum omnium scripta habuit, et nonnullos præterea Sancti socios diligenter consuluit. Videamus ergo, quorum dicta, dum variant, hic præferenda sint. Parum interest, an* Francisco *in primo somnio domus paterna militaribus armis instructa visa fuerit, uti Celanensis et secundus biographus referunt; an palatium pari modo ornatum, ut habent Tres Socii, anonymus Perusinus et Bonaventura. Standum tamen potius pro palatio est, quia Tres Socii, etsi serius, quam Celanensis, scripserint, citius tamen ac familiarius, quam ille, Sanctum ipsum cognoverunt, iisdemque aliunde instructus anonymus Perusinus consonuit, et post accuratum examen consensit Bonaventura.*

apud biographos

102 *Iisdem de causis, utut taceant isti duo priores biographi, omnino admittenda est revelatio mox memorata, quæ* Francisco *plane excussit desiderium militandi, quod ex præcedenti somnio in eo excitatum vel magis accensum fuerat. Hæc addo, quia non satis certum apparet, an cogitationem sequendi militiam conceperit ex viso in somnis illo bellico apparatu, ut insinuat Bonaventura, cui etiam favet anonymus Perusinus; an vero ante illam visionem statuisset militare, uti habent Vita prima et secunda, consentiuntque Tres Socii antiquiores. Waddingus S. Bonaventuram secutus est; neque id mirandum, cum non videatur aliorum Opuscula integra habuisse. At mihi contrarium probabilius est: nam Celanensis, Auctor Vitæ secundæ Tresque Socii de præcedente proposito militandi conveniunt; Bonaventura vero et anonymus Perusinus id non negarunt, sed tantum omiserunt. Solus S. Bonaventura num.* 9 *tradidit, militaria arma ineodem somnio, ut dictum est, visa,* Crucis Christi signaculo *insignita apparuisse; quod verisimillime Assisii ex Sancti sociis didicit, quodque futuræ* Francisci *spirituali militiæ, quam illa visio portendebat, apprime congruit.*

103 *Aliquid etiam dubitationis movet Waddingus,*

an Sanctus tunc Spoletum usque pervenerit, ibique militandi animum deposuerit, quia Bonaventura solum dicit, illum usque ad proximam civitatem *profectum fuisse. Dubium suum, simul ac scriptores conciliandi modum ibidem exponit his verbis*: Iter aggressum, Spoletum pervenisse, referunt Tres Socii in ejus Legenda, et Pisanus, licet PROXIMAM CIVITATEM non præteriisse, dicat Bonaventura, cum Spoletum non sit prima ab Assisio civitas in via Flaminia, qua tendatur in Apuliam; alia forsan incessit via, nec ullam ante Spoletum ingressus est civitatem, ita ut verum asseruerit Bonaventura, hoc sensu proximam vocando... Communiter autem in hoc conspirant scriptores, ut in ipsa Spoleti urbe ab incepto itinere a Deo sit revocatus sequenti visione; *nimirum, quam jam retulimus. Hisce addi potest, Spoletum forsitan a Bonaventura* proximam civitatem *hic dictam esse, non quod eo in itinere situ suo omnium proxima Assisio sit, sed quod Sancto proxima fuerit ad prima nocte quiescendum: cum enim illa civitas tantum viginti millia passuum aut paulo plus distet Assisio, commode illuc, ut erat eques, uno die potuit pertingere. Nulla itaque ratio suadet, ut istam juvenis* Francisci *mutationem alibi, quam Spoleti contigisse suspicemur.*

AUCTORE C. S. *non eodem modo relata.*

E

Quis fuerit comes, ad quem Sanctus voluit proficisci.

104 *Inquirit etiam laudatus Annalista, quis videatur comes ille fuisse, ad quem* Franciscus *in Apuliam se voluit conferre, existimatque, fuisse Gualterum Brennensem, seu a Brenna, qui sæculo* XIII *ineunte pro Innocentio III Papa bellum in hodierno Neapolitano regno strenue gessit, ibidemque anno* 1205 *vulneratus captusque obiit. Hinc illa conjectura satis probabilis est, non tamen certa, maxime cum id temporis etiam alii comites in istis partibus militaverint. Certior est ejusdem Waddingi observatio, corrigentis aliquot recentiores, qui comitem, sub quo Sanctus voluit mereri, statuunt, proprio nomine fuisse* Gentilem *appellatum: quamvis enim ille apud Tres Socios* comes gentilis *dicatur, non videtur vocabulum* gentilis *ei magis proprium fuisse, quam vocabulum* Liberalis *apud S. Bonaventuram in Vita num.* 9, *ubi hic eumdem* liberalem comitem *dixit. Occurrit quidem in Muratorii Annalibus Italiæ ad annum* 1200 *comes aliquis* Gentilis, *ut apparet, dictus, in Sicilia, sed hunc in Apulia bellasse, non legi.*

Corrigitur error anonymi Perusini.

105 *Ab illo tempore, sive hæc anno* 1205 *vergente ad finem, sive anno* 1206 *contigerint, quod mihi hactenus ambiguum est, cœpit* Franciscus *meliora meditari, non tamen tam cito avulsus a mundanis fuit, quam insinuat anonymus Perusinus, qui reliquis omnibus contraria hic scripsit, quia duo* Francisci *itinera confudit. Nam post relatam visionem, qua Spoleti a militaribus studiis abstractus fuit, statim ille subjunxit*: Mane autem facto, revertit, ut sibi fuerat (*cælesti voce*) imperatum, et iter faciens, cum Fulgineum devenisset, vendidit equum, cui insidebat, et vestimenta, quibus ad eundum in Apuliam se ornaverat, vilioribus se induens vestimentis *etc. Subduntur hic eadem, quæ contigerunt post aliud Sancti iter Assisio Fulginium, in quo et equum suum et alia vendidit, uti suo loco dicemus; at multa hic præmittenda sunt, quæ utrique itineri intercessere. Tres Socii testantur,* Franciscum *festinanter lætumque Assisium rediisse, ut, quod cælesti voce jussus erat, divinæ voluntatis indicium exspectaret.*

F

Sanctus in convivali pompa repletus divina dulcedine,

106 *Reversus autem Assisium, ut iidem habent num.* 7, non post multos dies quodam sero a sociis suis eligitur in dominum, ut secundum voluntatem suam faceret expensas. Fecit ergo tunc sumptuosam commestionem parari, sicut multociens fecerat. *Verum Deus, qui Juvenem vocare jam cœperat, inter hæc ipsa vana oblectamenta animum ejus ad potiora allexit. Dum enim post epulas a convivalibus sociis velut dominus seu rex convivii cum cantu et pompa per civitatem ducitur,* ecce subito (*ita inquiunt Tres Socii*) visitatur a Domino, tantaque dulcedine repletur cor ejus, quod nec loqui, nec moveri poterat, nihilque aliud sentire vel audire, nisi dulcedinem

AUCTORE C. S.

cedinem illam, valebat; quod ita ipsum alienaverat a sensu carnali (*ut*) sicut ipse postea dixit, si fuisset tunc totus frustatim incisus, non potuisset se de loco movere *etc, stupentibus interim sodalibus, causamque tam insolitæ rei inquirentibus. Hæc quidem soli referunt Tres Socii, silentibus reliquis antiquis biographis et Bonaventura; sed illorum sufficit auctoritas, cum ipsummet* S. Franciscum *testem allegent.*

totusque mutatus, precibus ac lacrymis

107 *Porro* ab illa hora (*ita subdunt iidem Tres Socii num.* 8) cœpit sibi vilescere, et illa contemnere, quæ prius habuerat in amore; non tamen plene, quia nondum erat penitus a sæculi vanitate solutus. *Itaque hæc,* quæ non post multos dies *ab illius Assisium reditu acciderunt, præmittenda sunt iis, quæ alii laudati biographi de ejusdem insigni mutatione, velut mox a reditu facta, tradiderunt, et de quibus post Vitam primam sic ait auctor secundæ :* Franciscus itaque jam a publicæ negotiationis tumultu se subtrahens, Evangelicus negotiator efficitur, et quasi bonas margaritas, donec unam pretiosam inveniat, quærit; dum ad videndum, quid Deo placentius inchoet, diversarum meditatio virtutum officinas ingreditur. Cumque sic in agrum Dominicum meditari secedit, thesaurum illic absconditum invenit et recondit, eumque, cum agro
B venditis omnibus, comparare proposuit. Jam novi propositi novum consiliarium quærit; Deum, quid agat, unicum consulit, nullique mortalium, quid intendat, exponit.

in loco solitario voluntatem Dei exquirit ;

108 Solum tum quemdam sibi præ ceteris familiarem gaudii sui participem esse desiderans, quin potius occasionem, ut verbis aliquam lætitiam mentis exprimeret, quærens; ipsum ad loca secretiora sæpius evocabat; et quidem illi sub ænigmate loquens, sed omnino propositi sui secreta non reserans, magnum se pretiosumque thesaurum reperisse, dicebat. Congratulabatur sibi vir ille non modicum, lætanter cum ipso, quotiescumque vocabatur, egrediens, et de thesauro utcumque loquenti libentissime colloquens. Intrabat autem crebro Vir novo perfusus spiritu quandam criptam, socio deforis expectante, et, quid intus ageret, penitus ignorante : ibique cum lacrymis cælestem exorabat in abscondito Patrem, ut viam ipsius dirigens, suam ei plenius ostenderet voluntatem. Sic jugiter in oratione persistens et semetipsum graviter affligebat, et, donec divinitus, qualiter inchoandum, cognosceret, affectionum sibi invicem succedentium importunitas ipsum quiescere non sinebat. Alternabantur namque in illo gaudium præ gustati dulcedine spiritus, dolor gravissimus pro peccatis
C præteriti temporis, timor non modicus de futuris, fervensque desiderium super his, quæ conceperat, consummandis.

eaque cognita, mire exsultat,

109 Tandem miseratione divina plenius invocata, pro optato meruit exaudiri, cælicoque infallibiliter indicio, quid ageret, edoceri. Tantoque deinceps perfusus est gaudio, ut jam se continere non valens, quædam etiam nolens in publicum verbotenus depromeret, ire quidem in Apuliam recusaret, sed grandia se facturum in propriæ nationis terra promitteret. Mirantibus cunctis et sciscitantibus, an ducere vellet uxorem, sponsam se ducturum, respondit, plus sapientem, plus nobilem, plus omnibus, quas unquam viderint, amabilem et decoram. *Hæc omnia aliis fere verbis legi possunt in Vita prima. Bonaventura num.* 12 *scribit, voluntatem Dei Sancto tunc manifestatam fuisse per apparitionem Christi velut cruci affixi. Nam, ut subditur,* intellexit per hoc nempe Vir Dei, illud Evangelicum sibi dici : Si vis venire post me, abnega temetipsum, et tolle crucem tuam, et sequere me. *Tres Socii istud Sancti de uxore ducenda tropicum dictum ab illo tum hic, tum antea prolatum scribunt, quando, ut supra dictum est, cum sodalium turma per civitatem incedens cælesti dulcedine perfusus hæsit. Ænigma autem ibidem sic exponunt :* Ipse vero dixit hoc non a se, sed inspiratus a Deo; nam ipsa sponsa fuit vera religio, quam suscepit, ceteris nobilior, ditior et pulcrior paupertate. D

et precibus largas eleemosynas adjungit.

110 *Iidem tres Socii num.* 8 *et* 9 *frequenti orationi addunt majorem Sancti eo tempore in pauperes et ecclesias liberalitatem. Nimirum qui antea in sumptus inutiles ac profanos multa prodigebat, conniventibus parentibus, tunc sumptibus non pepercit, ut indigentibus, magis quam antea, provideret. Quæ de orationibus in crypta fusis dicuntur, illi paulo serius reponunt. Supplentur ab illis etiam nonnulla alia, quæ integram* Francisci *conversionem præcesserunt, eaque omnino figenda videntur eo ordine, quo narrantur : neque enim est ratio, cur historiæ ordinem ab iis inversum fuisse, credamus. Quo tempore ea Juvenis de piæ vitæ genere assumendo deliberatio cœpta fuerit, nequit accurate assignari; verum integra conversio videtur sub finem an.* 1206 *contigisse, ideoque deliberatio etiam pro majori saltem parte ad eumdem annum referenda esse. Certe omnia, quæ ex Opusculo Trium Sociorum mox subjiciam, eodem anno* 1206 *evenisse, existimo.*

Romæ in habitu mendici stipem petit :

111 *Primum est peregrinatio, quam ad veneranda sanctorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra suscepit. Waddingus hanc post alia posuit, haud dubie secutus Marianum Florentinum in Chronico, cujus caput* 2, § 5 *allegavit in margine. Testantibus Tribus Sociis num.* 10, *voluit* Franciscus *experimentum capere, an posset inter mendicos publice stipem petere, et quo id laturus esset animo. Itaque cum devotionis causa Romam accessisset, cujusdam mendici vestes commodari sibi, ibidem* secrete *petiit, iisque indutus* in gradibus ecclesiæ (*S. Petri, ut præmiserant*) cum aliis pauperibus eleemosynam Gallice postulabat... Postea vero exuens dictos pannos (*id est, vestes mendici*) et proprios resumens, rediit Assisium. *Bonaventura eadem nonnullis aliis etiam postponens, scribit,* S. Franciscum uni ex eis, *nimirum mendicis,* magis egenti proprias *largitum esse* vestes; *et* diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus jocunditate *transegisse. Postremum non negant Tres Socii, qui, ut de largitione vestis cum S. Bonaventura concilientur, explicandi sunt de resumptis a* S. Francisco *vestibus propriis, non quas mendico dederat, sed quas præterea secum Assisio attulerat, et in suo habebat diversorio. De pia ejus munificentia in ecclesiam S. Petri lege auctores citatos.* E

leprosos osculatur et eis stipem largitur :

112 *Aliam non minorem Sancti de semetipso victoriam subjungunt ibidem laudati Socii num.* 11, *a S. Bonaventura quoque memoratam num.* 11, *imo et a Thoma Celanensi in Vita prima num.* 17, *sed extra locum suum occasione similium factorum. Hinc et secundus biographus de eadem extra ordinem agens,* Antea tamen, *ait,* hujusmodi (*leprosos, de quibus ibi sermo fit*) in tantum despexerat, quod non solum illos e vicino, sed et eorum domos e longinquo prospiciens, nares manibus obturare consueverat. At ubi sua eum Dominus gratia visitavit, adhuc in seculari habitu constituto quidam fortuito leprosus occurrit : quo cum solito more horreret aspecto, vim tamen sibimet faciens vicit seipsum, et constanter accedens, osculatus est illum. Ex hoc itaque ad sui contemptum ferventius ardescens, bella sibi ipsi continuo cepit ingerere, donec desuper ei daretur perfectam de se victoriam optinere *. Fecit igitur, sicut ipse postmodum de se testatus est, misericordiam cum leprosis, quos et videre non poterat, cum adhuc viveret in paccatis. *Ita ille : Tres Socii addunt,* Franciscum, *dum leprosum vidit, ex equo, cui insidebat, descendisse, ut ei eleemosynam daret, tuncque manum illius osculatum esse; deinde vero ad leprosorum domos accessisse, et omnibus, quos ibi reperit, stipem pariter cum manus osculo impertitum esse. Bonaventura credidit, Christum leprosi specie ei apparuisse, quia, ubi ille equum rursus ascenderat, leprosum amplius non vidit. Hoc non habent priores; at sanctus doctor id discere potuit ex aliis* S. Francisci *Sociis, quos consuluit.* F

* obtinere

insistit orationi, invito dæmone; imaginationi,

113 *Ab hac secunda victoria Tres Socii transeunt ad ea, quæ de* Francisci *orationibus in crypta, relicto foris socio, ex aliis jam retuli. Addunt tentationem,*

A *go Crucifixi illum alloquitur.*

tionem, qua dæmon novum Pugilem terrere et a felicibus cœptis avocare frustra conatus est. Tum num. 13 *narrant allocutionem imaginis Crucifixi in ecclesia S. Damiani, per quam ille ad aliam plane vitam, quam ante vixerat, perductus fuit, aut ad dudum cœptam ad meliora conversionem perficiendam plurimum incitatus. Hoc factum etiam refert Bonaventura num.* 13 *et de loco consentit, nempe de ecclesia S. Damiani, in qua Deus per imaginem Crucifixi* Franciscum *allocutus est, jussitque domum suam reparare. Id unum inter illorum narrationem interest, quod hic scribat, easdem voces a sacra illa imagine* ter *fuisse editas, illi vero de unica vice meminerint. Celanensis et secundus biographus silent de allocutione; consentiunt tamen cum aliis, Sanctum multum laborasse ad prædictam S. Damiani ecclesiam reparandam; ita enim arbitrabatur, sibi per Crucifixi voces mandatum fuisse.*

§ VI. Perfecta Francisci conversio, et certamina cum patre, cui tandem coram episcopo omnia bona, ipsaque vestimenta cedit.

B *Ad reparandam S. Damiani ecclesiam pannos et equum vendit,*

Sæpe *laudati Tres Socii et S. Bonaventura relatæ Crucifixi allocutioni attribuunt, quod* Franciscus *continuo aliquot venales pannos e paterna domo acceperit, eosque equo impositos vexerit Fulginium, quod Umbriæ civitas est, vulgo* Foligno *appellata, et decem circiter milliaria Romana versus Spoletum Assisio dissita. Fulginii eosdem pannos et equum vendidit, confectamque ex illis pecuniam Assisium pedes retulit, ut supra dictam S. Damiani ecclesiam (quod sibi mandatum credebat) reparandam curaret. Thomas Celanensis in Vita prima num.* 8 *factum similiter narravit; sed cum nesciret, Crucifixi imaginem* Francisco *fuisse locutam, illum velut deliberantem, quid de illa pecunia ageret, ad ecclesiam S. Damiani perduxit, ibique eum ait ex conspecto ejusdem sacræ ædis misero statu, de eadem reparanda primum cogitasse. Aberrantem Thomam secutus est biographus secundus, cujus verba subjicio :* Jam Vir divino munere confirmatus, pium mentis desiderium complere non distulit; sed facultate se temporis offerente, lætus exurgens, confidenter se Crucis signo munivit, assumptisque secum pannis venalibus pretiosis, ad vicinam, quæ Fulgineum dicitur, civitatem perrexit : quibus ibidem cum equo, cui insederat, venditis, onustus pecunia repedavit.

C *et confectam ex eis pecuniam presbytero loci*

113 Tum statim totus in opere Dei fervens, piis illam pauperum usibus, piis aliarum necessitatum obsequiis mancipare disposuit. Jam tam graviter ipsa pecunia, cor a curis liberum esse procurans, offendit, quod et ejus, quam velut arenam reputabat, gravamen non sustinens, quantocius illam deponere festinavit. *Sic ille biographus divinans scripsit, quod ignoraret, pecuniam illam non alia mente a* Francisco *corrasam fuisse, quam ut dicta ecclesia repararetur. Hinc subdit ibidem :* Invenit itaque prope Assisium quamdam ecclesiam, olim in honore S. Damiani constructam, sed jam ruinæ præ nimia vetustate propinquam. Cujus ipse continuo (*imo jam ante*) necessitatem miseratus, reverenter introivit in illam. Ubi invento quodam paupere presbytero, primum illi reverentiam, manibus deosculatis, exhibuit; deinde pecuniam pro resarciendis ecclesiæ parietibus obtulit. Videns autem sacerdos Virum, quem paulo ante totum seculo deditum noverat, vehementer in facto ejus obstupuit; et ab eo sibi illudi existimans, pecuniam non recepit.

frustra offert; hoc Sancti factum calumniatur hæreticus.

116 Denique propositum suum plenius exponenti vix credens, ad ultimum, ut secum morari posset, instanter roganti concessit; pecuniam tamen metu parentum illius omnino recipere renuit; quam ut refutari, verus ille pecuniæ Contemptor aspexit, in quadam fenestra dejectam, velut pulverem, vilipendit. *Priusquam cetera subjungo, pauca hic observemus. Hæc reliquis consona sunt. De eadem quoque reloquitur anonymus Perusinus, aitque, dictum presbyterum fuisse* Petrum *appellatum; sed prævium Sancti de reparanda ecclesia propositum ignoravit; de quo tamen dubitandum non est, cum ex eo intelligamus, cur ille pannos et equum vendiderit. Erasmus Alberus Brandeburgensis, ex illa hæreticorum classe, qui nihil antiquius habent, quam Sanctos Dei calumniari,* Franciscum *in hisce satis convictum peccati pronuntiat ex illa Salomonis sententia Proverbiorum cap.* 28, ℣ 24: Qui subtrahit aliquid a patre suo, et a matre, et dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. *Acerbitatem censuræ scriptoris heterodoxi non redarguit Henricus Sedulius in Apologetico,* Franciscum *hic, ut hominem, reum peccati agnoscens : at rectius Waddingus § 4 hanc etiam labem a sancto Patre removendam credidit. Fecit id tum ostendendo, non constare, pannos equumque, quos vendidit* Franciscus, *patris aut matris fuisse, potuisseque tunc habuisse Juvenem, viginti quatuor annorum, de quibus sine parentum injuria potuerit disponere; tum alio argumento, quod ejusdem verbis recitabo.*

AUCTORE C. S.

117 Accepit (*inquit Waddingus*) a Christo sensibiliter et palam loquente præceptum, ut ecclesiam repararet; et licet alio tenderet præcipientis intentio, attamen de illa æde resarcienda injunctam sibi curam intellexit. Perquam optime novit, Christum impossibilia non jubere; intulitque non improbabiliter, ut divino obsequeretur mandato, sibi licere bonis se ingerere paternis, si propria non suppetebant, neque tunc mendicare fas esse, nec si ad stipem sedere liceret, adeo facile aut brevi colligi potuisse, quæ omnia necessaria erant, ut, quod accepit præceptum, exequi valeret. Qui ergo posset ruinosam reædificare ecclesiam, vel ejus imminenti ruinæ statim occurrere, qui sui juris nihil habebat? aut quomodo supremi Domini obtemperaret mandato, si paterni dominii jura omnino vellet illæsa? Non dubitavit, quod ipse idem, qui filiis Israel Ægyptiorum pretiosa supellectilia licite potuit concedere propter supremum et excellens in res humanas dominium, ei etiam, qui ex privilegio hæredis quasi paternorum bonorum dominus esse existimabatur, authoritatem possit tribuere, ut ex bonis paternis Deo jubenti valeat ministerium præbere.

sed ab acerba ejusdem censura

E

118 Dei, inquit, divus Thomas, sunt omnia, et cui voluerit, tribuet illa; quare etiam, si velit, in sua non accipiat obsequia? Qui ergo ad Dei ministerium, ad divinum delubrum patulo ipsius Dei imperio reparandum aliquid accepit, quod patris videbatur, non secundum illud Salomonis edictum particeps est homicidæ, præsertim cum aliunde et ex multiplici ancipitique illius loci sensu, tanti sceleris communionem aut pœnam possit Franciscus evadere. *Plura ibi legi possunt; mihi dubium non est, quin* Franciscus *id sibi licitum putaverit, sive quod præcipienti Christo crediderit sic obtemperandum esse, sive quod non paterna, sed sui proprii juris usurpaverit. Primum mihi verisimilius apparet propter ea, quæ a furibundo patre in illum mox gesta videbimus; nec tamen his alterum improbabile fit, ut ostendit Waddingus. Sane S. Bonaventuræ hoc* Francisci *factum non modo non reprehensibile, sed laudabile visum fuit in Vita num.* 16, *ubi propterea ab illo* felix mercator *appellatur. Nunc historiam prosequamur.*

recte vindicat Waddingus,

F

119 *Mansit igitur* S. Franciscus *apud pauperculum presbyterum in suburbana ecclesia S. Damiani, ut jejuniis precibusque tranquillius vacaret. Interea pater, de absentia Filii sollicitus, tandem intellexit, ubi ille moraretur. Quæ inde secuta sunt, eodem fere modo referunt biographi : quare secundum audiamus, cum reliqui suis locis in Vitis edendis consuli possint. Sic ille habet :* Igitur pater illius, quidnam de ipso factum esset, ignorans, quam plurimum sollicitus esse non destitit, donec ei tandem post longam inquisitionem innotuit, qualiter in loco præfato Filius ejus misere vivendo delituit.

Apud prædictum presbyterum latitans a patre frustra quæritur:

Turbatus

AUCTORE C. S.

Turbatus itaque non mediocriter ad subitum rei eventum, convocatis amicis et notis, sine mora cucurrit ad locum. Sed novo Christi militi adventum minasque persequentium audienti, iræ locum dare complacuit; et ne videretur a patre, cuidam caveæ, quam ad hoc ante prævideral, se immisit. In hac ergo quasi per mensem integrum latenti ab uno solo, forsitan locum scienti, clandestinum impendebatur obsequium: et inde raro vix aliqua necessitate compulsus egrediens, divinam illic clementiam in jejuniis et fletu non desiit implorare, ut a persequentium manibus ipsum dignaretur eripere.

sed non satis constat de prodigio parietis

120 *Hæc omnia etiam habent Thomas Celanensis in Vita prima, et Tres Socii in appendice. Solus Bonaventura pro mense, quem alii* integrum *latitanti tribuunt, dixit* diebus aliquibus. *At verisimile non est, Bonaventuram sic loquendo voluisse dissentire ab aliis, qui Sanctum noverant, fuerantque illius discipuli et Socii. Hinc etiam Waddingus easdem latebras* per mensem integrum *extendit. Verum idem Annalista ibidem num.* 23 *relatis addit miraculum, quod quo teste asserat, ignoro. Agens enim ibi de audito adventu patris, ita pergit:* At ipse (*S. Franciscus*) quia novus erat Christi athleta.... prope ecclesiam in sacerdotis cubiculo se abscondit; supervenientis vero repente patris furiam B declinare haud commode valens, ut ad ostium paternas minas audivit, ad portæ lævam muro, qua potuit collectione membrorum, adhæsit, qui ultro suos sinus aperiens, timidum Tyronem in se recepit, ita ut duriorem invenerit patrem, quam parietem, murusque hominem vicerit humanitate. Adhuc extat hæc muri concavitas in monasterio S. Damiani reverenter observata, cui ego, quo potui affectu et reverentia, memet immersi.

ipsum sinu suo excipientis.

121 *Allegantur in margine Legenda Trium Sociorum et Antoninus. Hinc Chalippus Waddingi asserta adoptans, dixit, miraculum hoc a Tribus scriptoribus synchronis, nimirum a Tribus illis Sociis affirmari. Atego, qui horum Legendam editurus sum, nihilo magis in hac, quam in S. Antonino prodigium istud parietis sese aperientis invenio. Par est silentium in S. Bonaventura et in Vita prima; par etiam in Ms. Perusino, et apud alios antiquos, quos legi. Quam ob rem suspicari licet, Waddingum idem prodigium accepisse a recentiori aliquo, apud quem prædicta Legenda et S. Antoninus laudabantur pro facto abscondentis se* Francisci, *non pro miraculo in pariete, quod forte originem suam debet levibus conjecturis, ex veneratione loci, ubi Sanctus latuit, petitis. Nam hujusmodi conjecturæ, ubi ex nimia credulitate semel admissæ fuere, paulatim* C *transeunt in traditiones populares. Ceterum quod ille Sancti latebrarum locus postea fuerit in veneratione habitus, ac modo pars monasterii S. Damiani, non est, cur ambigamus.*

In publicum prodiens pessime excipitur et a patre

122 *Itaque dum* Franciscus *apud S. Damiani ecclesiam in presbyteri cavea, ut dictum est, perpetuis precibus ad divinum auxilium implorandum instaret,* infusa est proinde (*ut post verba num.* 119 *recitata pergit biographus secundus*) in tenebris exoranti mira quædam et inexperta lætitia, ex qua subito in tantam mentis animatur constantiam, ut non solum, persecutoribus spretis, in publicum prodeat, verum etiam, quia signiter latuerit, torporis et ignaviæ se graviter arguat. Videntes itaque noti ejus Virum a statu pristino penitus alteratum, macieque et squalore confectum, non id supernæ gratiæ, sed dementiæ potius imputabant; et eidem miserabiliter insultantes, luto eum et lapidibus impetebant. Sed Vir Dei nulla fractus injuria, velut aure surda, transibat, et gratias illi, a quo desuper confortabatur, agebat. Tandem rumor auribus patris insonuit, suum Filium taliter comparuisse: qui non paterno, sed ferali modo festinus accurrens, cepit in illum plus ceteris omnibus insanire.

domestico carceri includitur, et a

123 Domi namque satis inhoneste pertractum, putans ab incepto per adversa reflectere, primo quidem contumeliis verberibusque crudeliter affi- D cit; sed deinde vinculatum in carcerem, omni miseratione subtracta, detrudit. Quanto autem in Christi Militem tribulationis pressura desævit, tanto amplius validum reddit et firmum; nec valet a statu rectitudinis per adversa deflecti, cui est Dominus in tribulatione refugium. Accidit autem quadam die, patrem ejus a domo causa rei familiaris abscedere; cum mater illius, factum mariti non approbans, blandis Filium allocuta est sermonibus: sic illum a suo attemptabat proposito revocare. Quod cum se non posse conspiceret, materna pietate commota, latenter vincula rupit, Filioque soluto, liberum abire permisit. At ille, veluti jam in temptatione probatus, solito securior est effectus, et gratias omnipotenti Domino referens, in magna animi libertate ad locum, in quo prius fecerat *, est reversus.

matre dimissus redit ad presbyterum,

* fuerat

124 Quod factum est *, ut domum rediens pater agnovit, iratus uxorem contumeliis lacessivit: Nec adhuc cessans, animo post Filium effrenato cucurrit. Nitebatur enim, ut eum saltem ab illius terræ confinio penitus elongaret, si illum a suo proposito flectere non valeret. Cujus adventui se Filius liber et intrepidus offerens, jam patris furiæ non cedebat, ut antea fecerat; sed adhuc majora pati pro Christo gratanter se velle, clamabat. Videns igitur E pater inflexibilem ejus constantiam, demum ad pecuniam convertitur extorquendam. Qua, ubi Vir sanctus illam projecerat, inventa pariter et sublata, jam erga Filium mitius agere cœpit; quia avaritiæ sitis paulisper extincta furorem simul animi temperavit. *Verumtamen his non contentus durus pater Filium suum etiam apud episcopum Assisiensem accusavit, institiitque, ut adigeretur coram ipso reliquam, quam habebat, pecuniam reddere, omnibusque facultatibus et juri, quod in illas habere poterat, illi cedere, uti mox ejusdem biographi verbis referemus, cui etiam consentiunt Thomas Celanensis et S. Bonaventura.*

a patre denuo conventus pecuniam ei cedit.

* abundat est

Expenditur quædam difficultas

125 *Sed Tres Socii inserunt aliquid a reliquis prætermissum, nec de modo, quo pater pecuniam recepit, videntur convenire cum illis, nisi commoda explicatione concilientur. Tres, inquam, Socii de illo patris cum* Francisco *in ecclesia S. Damiani congressu, in quo destinatam ad ejusdem ecclesiæ reparationem pecuniam recepit, altum silent. Hujus silentii ratio ea potest allegari, quod congressum illum et in eo gesta jam satis ab aliis exposita scirent; sed iidem aiunt, patrem post emissum e carcere Filium accessisse ad consules civitatis, petiisseque,* ut pecuniam, quam a spoliata domo asportaverat (*Filius*) facerent sibi reddi. *Subdunt,* Franciscum F *a consulibus, ut coram se compareret, citatum, se compareret, citatum, se excusasse, ne veniret; et excusatione admissa, patrem eadem de causa adiisse ad episcopum, et quod postulabat, impetrasse. Utramque patris actionem Waddingus receptæ in ecclesia S. Damiani pecuniæ recte postposuit; sed qua ergo ratione pater a consulibus petiit,* ut pecuniam, quam a spoliata domo asportaverat (*Filius*) facerent sibi reddi; *quomodo id etiam postulavit ab episcopo, hicque apud eosdem Socios legitur tunc* Francisco *dixisse:* Si vis Deo servire, redde illi (*nimirum patri*) quam pecuniam habes, quæ quoniam forte est de injuste acquisitis, non vult Deus, ut eroges eam in opus ecclesiæ, propter peccata patris tui, cujus furor mitigabitur, ea recepta.

ex biographorum relationibus orta,

126 *Similis est difficultas ex aliis biographis, qui unanimi consensu tradunt, Sanctum post redditam in prædicta ecclesia pecuniam a patre suo, non quidem apud consules, sed apud episcopum, eadem tamen de causa in jus vocatum fuisse. Ego hæc omnia sic explicanda existimo.* Franciscus *patri repetenti pecuniam, quam ex venditis collegerat, restituit in ecclesia S. Damiani, retenta reliqua, quam vel e proprio peculio, ipsius olim usibus concesso, vel aliter accepto a matre, quando, patre peregre profecto, ab illa dimissus e carcere est; neque enim verisimile est, matrem, quæ misericordia mota illum*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *illum solvit, abeunti non prospexisse, unde vitam suam utcumque sustentaret. At vero furibundus pater hanc quoque illi invidens, ac forte etiam plura per illum ablata suspicans, aut credi volens, primo eum ad consules, deinde ad episcopum citavit, ut quidquid haberet, redderet, et juri hereditario renunciaret. Pecuniam autem, quam pater tunc exigebat, saltem aliquo titulo fuisse* Francisci, *ex eo colligere licet, quod episcopus, ut hunc ad illam cedendam induceret, non monuerit de restitutione facienda ex justitia, sed ex religione, nempe quod pecunia illa, etsi etiam a parentibus acceptam juste possideret, forte tamen parta esset ex injusta patris mercatura.*

qui mutuo conciliantur. 127 *Juverit episcopi verba ex Trium Sociorum Appendice repetisse. Sic ille Sanctum allocutus ibi legitur :* Si tu vis Deo servire, redde illi (*patri*) quam pecuniam habes, quæ quoniam forte est de injuste acquisitis, non vult Deus, ut eroges eam in opus ecclesiæ, propter peccata patris tui. *Neque urget illum lege justitiæ, sed fiducia in Deum ad cedendum hortatur, subdens :* Habeas ergo, Fili, fiduciam in Domino, et viriliter age, nolique timere; quia ipse erit adjutor tuus, et pro ecclesiæ opere (*id est, pro ecclesia S. Damiani restauranda*) abundanter tibi necessaria ministrabit. *Non hæc sunt verba episcopi debitam pecuniæ restitutionem*
B Francisco *imperantis, sed ad suam ex amore Dei cedendam animantis. Neque obstat, quod ibidem præmiserint Tres Socii, patrem accurrisse ad consules civitatis,* ut pecuniam, quam a spoliata domo asportaverat (*Filius*) facerent sibi reddi; *non enim ibi probant dicta patris, sed solum referunt. Conciliatis hoc modo omnibus biographis, secundi verba recitare pergamus.*

Coram episcopo omnia, quæ habet, 128 *De rebus apud episcopum Assisiensem hac in lite gestis ita ille prosequitur :* Post hæc (*scilicet post receptam pecuniam in ecclesia S. Damiani*) illum ad episcopum loci perduxit (*Filium pater*) ut et cuncta coram illo, quæ habuit, redderet, omnesque facultates suas in ipsius manibus resignaret. At ille promtus et hylaris ad hoc ipsum, prius etiam, quam postularetur, se offerens, omnia, quæ habuit, indumenta, nec femoralibus quidem retentis, deponens, ea patri restituit, sicque omnino nudus coram omnibus remanens in mundo se exulem designavit. Episcopus vero tantum Viri fervorem ammirans, nequaquam hæc sine nutu divino fieri posse, cognovit. Et ex tunc illi paternæ caritatis affectu paratus assistere, intra brachia sua collectum pallio, quo induebatur, obtexit. Jam se Vir Dei nudus in cruce Nudato conformat, jam perfecte consilium de omnibus renuntiandis
C impleverat, quem a divino contuitu jam nil terrenum, nisi solus carnis paries, separabat. *Tres Socii addunt, etiam pecuniam, quam pater repetebat, a Sancto super vestimenta positam fuisse, consentitque fere anonymus Perusinus mox laudandus. De qua pecunia hoc intelligi possit, supra exposui.*

patri libens gaudensque cedit, 129 *Verum alia ex relatis exsurgit dubitatio, quam ab aliis non satis discussam legi. Consentiunt omnes antiqui Vitæ scriptores,* S. Franciscum *omnia vestimenta sua atque etiam femoralia coram episcopo deposuisse, et patri reddidisse. Primus num.* 15 *ait :* Continuo depositis et projectis vestimentis, restituit ea patri; insuper etiam nec femoralia retinens, totus coram omnibus denudatur. *Secundi verba jam dedi. Anonymus Perusinus sic habet :* Coram episcopo Assisino pecuniam ipsam et vestimenta, quibus tegebatur, nudus sub pelle (*id est, pallio*) dicti episcopi, qui ipsum amplexatus est nudum, remanens patri alacriter resignavit. *S. Bonaventura num.* 19 *et sequenti :* Continuo depositis omnibus vestimentis, restituit patri. Inventus est autem tunc Vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando fervore spiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur *etc. Supersunt audiendi Tres Socii, qui cum rei gestæ et tempore et loco præ reliquis fuere propinqui, de eadem penitius instrui potuerunt.*

AUCTORE C. S. *etiam vestes et femoralia.*

130 *Illam num.* 20 *hoc modo exposuerunt. Post verba episcopi, Sanctum ad cedendam patri suo pecuniam adhortantis, quæ num.* 127 *dedi,* Surrexit, *inquiunt,* Vir Dei lætus et confortatus in verbis episcopi, et coram ipso portans pecuniam, ait illi : Domine, non tantum pecuniam, quæ est de rebus suis (*nempe patris*) volo ei reddere gaudenti animo, sed etiam vestimenta. Et intrans cameram episcopi, exuit omnia vestimenta de suis rebus (*id est, de rebus patris, sive quæ a patre acceperat*) et ponens pecuniam super ipsa coram episcopo et patre, aliisque astantibus, nudus foras exivit, et dixit : Audite omnes et intelligite : Usque modo Petrum Barnardonis vocavi Patrem meum; sed quia Deo servire proposui, reddo illi pecuniam, pro qua erat turbatus, et omnia vestimenta, quæ de suis rebus habui, volens amodo dicere : PATER NOSTER, QUI ES IN COELIS; non : PATER PETRE BARNARDONIS. Inventus est autem Vir Dei tunc cilicium habere ad carnem sub vestibus coloratis. *Consentiunt denique prædictis biographis, Sanctum sic denudatum in brachia ab episcopo, illius fervorem admirante, susceptum et sub pallio retentum fuisse.*

Credunt alii qui, Sanctum tunc nullo velamine
E 131 *Porro hoc* S. Francisci, *ut multa alia gesta, calumniati sunt hæretici, quibus respondit Waddingus num.* 19 *et sequentibus, multis probare nisus, Sanctum ex singulari instinctu divino id egisse. Nec ego dubito, quin divina peculiaris gratia illum ad hæc impulerit; sed quod ille quasi certum admittit, fuisse scilicet* Franciscum *tunc omni prorsus corporis velamento exutum, mihi ne satis quidem probabile apparet ex relatis. Trium Sociorum narratio, uti reliquis explicatior est, ita etiam verisimilior debet videri. In hac de Sancto dicitur :* Intrans cameram episcopi, exuit omnia vestimenta de suis (*patris*) rebus. *Quorsum hoc, nisi ut honestius solus se exueret? vel quorsum hæc cautio, si illico post indecore nudus voluisset coram eodem episcopo et adstantibus apparere? Rediit revera ad eos paulo post, sed* inventus est... tunc cilicium habere ad carnem sub vestibus coloratis, *ut ibidem legitur, consentiique S. Bonaventura. Non erat ergo sic plane nudus, quin saltem cilicio texerit, quæ tegenda alioquin suadet honestas. Neque audiendi sunt Jacobus de Voragine et Petrus de Natalibus, qui contra antiquorum dicta, atque ipso etiam Waddingo improbante, cilicii indumentum cessioni vestium postposuerunt quasi* Franciscus *cilicio se primum contexisset, postquam jam comparuerat nudus.*

usum esse; sed hoc non evincitur ex biographis,
F 132 *Non satis etiam certum apparet, an, sicut constat, eum sub vestibus delicatis gestasse cilicium, ita sub femoralibus, quæ exuit, non habuerit subligaculum aliquod rudius. Dubitandi ratio est, quod S. Bonaventura expresse dicat, datum illi ab episcopo esse vile agricolæ mantellum* ad membra corporis contegenda, *sed de datis femoralibus, quod utique magis exegisset honestas, non meminerit. At enim, inquies, si Sanctus subligaculum sibi et cilicium servaverit, qua ratione tunc omnia patri restituit, totusque coram omnibus* nudus *vel* nudatus *comparuit? Ad primum respondeo, apud Tres Socios non frustra tertio adhiberi voces* de rebus suis, *paternis scilicet, uti manifestum ex sensu est. Jussus enim ab episcopo* Franciscus *pecuniam reddere, respondit :* Domine, non tantum pecuniam, quæ est DE REBUS SUIS, volo ei tradere... sed etiam vestimenta. Et intrans cameram episcopi, exuit omnia vestimenta DE REBUS SUIS, *scilicet, ut supra, paternis. Demum ea omnia ad episcopum afferens, dixisse legitur :* Reddo illi (*patri*) pecuniam, pro qua erat turbatus, et omnia vestimenta, quæ DE SUIS REBUS habui. *Non gratis, inquam, videntur hic eædem illæ voces tertio additæ, sed studiose, ut daretur intelligi, pauca ac vilia, quæ honestatis gratia servaverat, non fuisse e rebus paternis comparata, sed aliunde accepta, forte a presbytero S. Damiani, apud quem hospitabatur.*

ex quibus constat, saltem cilicio fuisse tectum
133 *Hinc fluit responsio ad quæsitum alterum. Etenim dum apud Thomam Celanensem sanctumque Bonaventuram dicitur :* Totus coram omnibus denudatur, *exponendi illi sunt modo mox dicto, nempe de*

AUCTORE C. S.

de nudato vestimentis omnibus, etiam femoralibus, in quæ iniquus pater jus aliquod potuisset sibi arrogare. Certe nec Bonaventura, nec Tres Socii asserunt, Franciscum *etiam exuisse cilicium, quod* habere ad carnem *tunc visus est. Vere autem et* totus denudatus *et* nudus *fuisse dici potest, qui rebus omnibus paternis, etiam quibus induebatur, exutus erat; neque aliud corporis velamen retinuerat, quam aliunde acceptum cilicium, ac forte etiam subligaculum, ne indecore nudus compareret. Quapropter cum ista biographorum asserta commode sic exponi possint, imo debere videantur, cur sine ulla necessitate, sine convincente antiquorum testimonio, factum sancto Juveni attribuamus, quod minime imitandum est, et pro quo excusando probandoque necesse sit ad singularem instinctum divinum recurrere.*

quique hoc factum merito laudarunt.

134 *Nudationem* Francisci *dato sensu intellectam merito laudant omnes biographi, in eaque* divinum consilium *et* mysterium *agnoscunt. De illa primus dicit:* Ecce jam nudus cum nudo luctatur, et depositis omnibus, quæ sunt mundi, solius divinæ justitiæ memoratur. Studet jam sic propriam contemnere vitam, omnem pro illa sollicitudinem deponendo, ut sibi pauperi par esset in obsessa via, et solus carnis paries ipsum a divina visione interim separaret. *De hac S. Bonaventura, postquam dixerat, vile pallium ab episcopo donatum ei fuisse, ex quo* operimentum *sibi formaverat* crucifixi hominis et seminudi, *exclamat :* Sic igitur Servus Altissimi nudus (*honeste tamen, ut patet, opertus*) relictus est, ut nudum sequeretur Christum dominum, quem amabat. *Hanc denique laudant et alii biographi, quorum nullus tamen innuit, in ea quidquam mirandum magis, quam imitandum fuisse, aut episcopo, aliisve adstantibus aliquid pudoris incussum. Quare omnino existimo,* S. Franciscum, *ut iniquo patri etiam ultra, quam ille exspectaverat, indulgeret, omnia quidem vestimenta ab eodem accepta deposuisse, sed non omnia alia, ut de cilicio clare asserunt Tres Socii.*

B

Abeunte cum vestibus patre, episcopus Sancto vile pallium donat.

135 *Porro, ut intermissam narrationem de gestis apud episcopum Assisiatem absolvamus, durus pater hisce omnibus nihilo mitior factus, in suo perstitit consilio. Postquam enim jam omnia cesserat, ut dictum est, sanctus Filius,* Surgens ergo, *addunt Tres laudati Socii,* pater ejus, nimio dolore et furore succensus, accepit denarios et omnia vestimenta. Quæ dum portaret ad domum, illi, qui ad hoc spectaculum fuerant, indignati sunt contra eum, quia de vestimentis Filio reliquerat nihil, ut* super Franciscum vera pietate commoti, cœperunt fortiter lacrymari. Episcopus autem animum Viri Dei diligenter attendens, atque fervorem et constantiam ejus vehementer admirans, ipsum inter brachia sua recollegit, operiens eum cum pallio suo. *De hoc facto episcopi meminerunt etiam Thomas Celanensis et S. Bonaventura, qui addit, episcopum præterea mandasse suis, ut ad tegendum illum aliquid afferrent. Tunc* oblatus est... ei (*ut subjicit*) mantellus pauper et vilis cujusdam agricolæ, servientis episcopo; quem ipse gratanter suscipiens, cum cœmento, quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria consignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis et pauperis seminudi. *Cum alia vestimenta* Francisco *episcopus, quem biographi ex illo tempore ei maxime favisse testantur, nulla dedisse legatur, verisimile est,* Franciscum *alia respuisse, ac mox inde recessisse, permittente episcopo, ne divino consilio, quod in illo agnoscebat, obsisteret.*

* *l.* et

C

D

§ VII. Chronotaxis conversionis, abdicationis omnium rerum coram episcopo, ac mutati postea habitus, congregationis primorum sociorum, et Ordinis ab Innocentio III approbati.

Omnium rerum abdicatio non est necessario figenda anno 1206;

Post *prædicta* S. Francisci *gesta coram episcopo Waddingus inquirit in tempus, quo illa peracta sunt, relatisque aliquot opinionibus recentiorum, quorum aliqui a vera chronotaxi certe aberrarunt, ipse cum S. Antonino aliisque recentioribus conversionem illius figit anno* 1206, *atque ita ratiocinatur.* Cum enim vigesimo anno a mundi contemptu communiter referatur vita defunctus, obieritque anno MCCXXVI (*addamus die 4, seu nostro loquendi modo die 3 Octobris*) consequens videtur, ut conversus dicatur anno Christi MCCVI, et XXV suæ ætatis, sub quo ad meliorem frugem redactum, communiter dicunt historici. Nos vero jam supra statuimus, natum fuisse anno MCLXXXII. Subductis ergo calculis, exacte numerabitur ejus conversionis annus millesimus ducentesimus sextus, saltem inchoatus. *Hoc ratiocinium, quod infra firmabitur, non adeo stringit, quin ad unum æræ Christianæ annum possit aberrare. De anno ac mense emortualibus nullum plane est dubium : nam ex omnium antiquorum consensu constat,* S. Franciscum *anno* 1226, *die 4, seu 3 Octobris obiisse. Quare, si vigesimo conversionis suæ anno mortuus sit, nequit conversio ejus figi ante dictum diem Octobris anni* 1206, *figi tamen etiam poterit ante Octobrem anni* 1207.

E

sed figi etiam potest anno 1207 : *expenduntur*

137 *Annus natalis, qui minus certus est, minus etiam urget. Ponamus enim,* S. Franciscum *certo natum esse anno* 1182, *sed sub finem vel etiam medium, ut annum ætatis suæ vigesimum quintum ante conversionem suam fere explevisset, conversio illius rursus incidet in eumdem annum* 1207. *Porro loquendi modi, quibus antiqui biographi in designando ejusdem conversionis tempore usi fuere, difficultatem non satis dilucidant. Celanensis num.* 2 *scribit,* Franciscum *ante illam* fere usque ad vigesimum quintum annum ætatis suæ *tempus perdidisse. Hæc autem verba duplicem sensum patiuntur. In primo, qui magis obvius est, dicendus est Sanctus, fere expletis viginti quatuor suæ vitæ annis, at nondum inchoato vigesimo quinto, conversus fuisse. In secundo autem, qui minus accuratus est, subaudienda erit vocula* completum, *dicendusque ille ante conversionem tempus suum perdidisse* fere usque ad completum vigesimum quintum annum ætatis suæ.

F

dicta biographorum de tempore conversionis illius,

138 *Idem num.* 109 *ait, Sanctum obiisse, quando* conversionis suæ tempus jam erat viginti annorum spatio consummatum; *sive, ut præmisserat num.* 88, expletis *ab ea* viginti annis : *simili modo in Vita secunda de tempore mortis illius dicitur :* jam viginti annorum spatium erat elapsum, ex quo primum... consiliis Evangelicæ perfectionis adhæserat. *De eodem tempore apud Tres Socios num.* 68 *legitur :* Post viginti annos, ex quo perfectissime Christo adhæsit, Apostolorum vitam et vestigia sequens. *Consonat et anonymus Perusinus, mortuum scribens,* viginti... annis expletis, postquam... Evangelicæ perfectioni adhæsit. *Qui hæc sola legerit, non dubitabit dicere, inter* Francisci *conversionem obitumque annos viginti plenos intercessisse, ac proinde illum non* anno vigesimo, *sed* vigesimo primo conversionis suæ *ex hac mortali vita migrasse. Hoc autem posito, poterit eadem conversio etiam anno* 1205 *contigisse. Verum aliter statuendum est tum ex ipso Celanensi, qui num.* 119 *Sancti obitum* vigesimo conversionis suæ anno *affixit; tum ex S. Bonaventura, qui, cum prædictas Vitas omnes aut certe earumdem præcipuas legisset, ac novum insuper examen, consultis, qui supererant, præcipuis* S. Francisci *sociis, instituisset, in Vita num.* 208, *ipsius mortem* anno... a sua conversione vigesimo *illigavit, ita priorum dicta exponens aut corrigens; hujusque auctoritate standum puto.*

139 *Itaque*

quæriturque, a quo facto illud orsus sit Celanensis,

A 139 *Itaque annis novemdecim completis, sive viginti incompletis ab anno Christianæ Æræ* 1226, *die* 4 *Octobris abductis, ad annum* 1206 *vel* 1207 *veniemus pro ratione tempestatis anni, in quam conversio inciderit. Adhæc inquirendum est, a quo facto Celanensis conversionem* S. Francisci *ordiatur, seu unde annos conversionis enumerare incipiat. Num.* 2 *de annis eidem conversioni præviis ita loquitur, ut dictum est :* Fere usque ad vigesimum quintum annum ætatis suæ tempus suum miserabiliter perdidit. *Hoc tempus conversioni sine dubio præmittit. Deinde num.* 3 *refert morbum illius, eoque animum ejus mutatum dicit, sed* non plene tamen ac vere, *ut subdit num.* 4; *quia scilicet paulo post militatum in Apuliam ire voluit; ita ut nec ab hoc morbo initium conversionis fixisse Celanensis credendus sit. Tum num.* 6 *quasi plenam ejusdem conversionem narrat, dum ait, illum ex itinere versus Apuliam cœpto reducem secessisse* a seculari tumultu, *frequenter orasse in crypta, arsisse* intus amore divino, *aliaque refert, plenam conversionem innuentia.*

et ex his ostenditur, conversionem

140 *Ab hoc igitur tempore numerasse potuit annos conversionis* Francisci, *qui meliora tunc vere agressus fuerat, licet de vivendi norma etiam hæreret ambiguus. Potuit tamen ordiri quoque ab eo, quod*

B *ait num.* 7 : Ostensum est ei, quid ipsum agere oporteret; *potuit denique a reditu e civitate Fulginii, unde post venditos ibi pannos equumque reversus Assisium, apud pauperculum presbyterum ecclesiæ S. Damiani moratus fuit, seu latuit, ac nihil deinde cum mundo voluit habere commune, ut narrat Celanensis num.* 8. *Postremum hoc mihi verisimilius apparet; quidquid tamen ex illis sit verius, certe non existimo, primum illum biographum annos conversionis* Francisci *a depositis coram episcopo vestibus inchoasse, cum ab eo tempore, quo apud laudatum ecclesiæ S. Damiani presbyterum latuit, precibus, jejuniis, vigiliis, ceterisque corporis afflictationibus insistens, nihil plane defuerit, quod ad plenam conversionem possit requiri.*

figendam esse anno 1206, *abdicationem bonorum anno sequenti;*

141 *Itaque cum* S. Franciscus *ex communi sententia annum ætatis suæ quadragesimum quintum, conversionis vero vigesimum egerit, quando an.* 1226 *die* 4 *seu* 3 *Octobris obiit, contigit illa anno ætatis ipsius vigesimo quinto, cumque eadem saltem aliquot mensibus ante bonorum coram episcopo abdicationem cœperit, figenda est anno* 1206 *vergente ad finem, sive annis fere viginti ante mortem. Pro eodem anno stat etiam gravissima auctoritas Alberti, Stadensis abbatis, qui in Chronico ait :* Anno Domini MCCVI beatus Franciscus a seculi vanitatibus se convertit.

C *Cessio vero bonorum omnium, coram Assisiensi episcopo facta, spectat ad annum* 1207, *ac verisimillime ad hujus mensem Aprilem, ut mihi quidem indicare videtur anonymus noster Perusinus, qui post præfationem sic orsus est :* Postquam impleti sunt anni ab Incarnatione Domini MCCVII mense Aprilis, XVI Kalendas Maii, videns populum suum Dominus, quem unigeniti sui Filii sanguine redemerat pretioso, mandatorum ejus oblitum, beneficiisque ingratum, cuilibet * digno morte, multo tempore misertus fuerat, adhuc tamen nolens mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, sua benignissima misericordia motus voluit operarios mittere in messem suam, et illuminavit virum, qui erat in civitate Assisio, nomine Franciscum, mercatoremque officio *etc.*

* *l.* cui, licet

ut ostenditur ex anonymo Perusino

142 *His verbis, quibus certe nequeunt præcedentia* S. Francisci *gesta indicari, anonymus omnino dicendus est designasse cessionem bonorum, per quam sanctus Institutor velut primum lapidem Ordinis Minorum posuit, solidumque fundamentum jecit. Quod ad annum pertinet, non potest hic alius ab illo designatus esse, quam æræ Christianæ millesimus ducentesimus septimus, licet dicatur :* Postquam impleti sunt anni ab Incarnatione Domini MCCVII. *Vel enim accurate loquens secutus est computum Dionysianum, annosque* ab Incarnatione Domini *numeravit, et hoc modo die* 16 *Aprilis anni* 1207 *nostræ æræ Christianæ vulgaris, quæ a Kalendis Januariis incipit, revera jam erant impleti anni mille ducenti et septem; cum anni Incarnationis incipiant a die* 25 *Martii, annumque nostrum vulgarem uno fere anno præveniant : vel minus accurate locutus est idem anonymus, eaque phrasi dicere voluit, jam tantum temporis ab Incarnatione Domini tunc impletum fuisse, ut jam numeraretur more vulgari annus* 1207. *Hoc indubitatum est, abdicationem bonorum non posse in annum nostrum vulgarem* 1208 *differri; nec aliunde verisimile est, anonymum illum, qui et mensem et diem studiose annotavit, errasse in anno.*

AUCTORE C. S.

collato cum altero Ms. Perusino, Vita B. Ægidii

143 *Optime vero cum hac epocha congruunt, quæ Majores mei ad* 23 *Aprilis dederunt de B. Ægidio, qui biennio post inter primos* S. Francisco *se adjunxit. Quippe in Commentario prævio num.* 2 *ibidem allegantur hæc verba :* In eadem sacristia (*Fratrum Minorum Perusii*) servatur liber Ms. in membrana, satis antiquus, catenulis ferreis clausus, in quo descripta sunt Vita, collationes et miracula B. Fr. Ægidii lingua Latina satis rudi, ubi sub finem ista habentur : « Anno Do- » mini MCCIX venerabilis pater Fr. Ægidius asso- » ciatus est S. Francisco et factus est Frater Minor : » et MCCLXII tempore Domini Papæ Urbani, X Kal. » Maii migravit ad cælum : unde vixit in Religione E » Fratum Minorum LII annis. » *Hæc de tempore, quo Ægidius se* S. Francisco *sociavit, accurata videntur. Ad eumdem annum* 1209 *accessum illum retulit Waddingus, additque diem S. Georgio sacrum, qui est* 23 *mensis Aprilis. De hoc die consentit Vita ejusdem B. Ægidii apud nos edita, quæ num.* 2 *sic habet :* Hinc post dies octo (*a conversione Bernardi et Petri, primorum sociorum* S. Francisci) accidit, quod, cum supradictus Ægidius quodam sero esset in domo sua, parentes ejus narrare cœperunt, quod F. Bernadus et F. Petrus fecerant : quo audito, sibi plurimum placuit.

et Tribus Sociis in Appendice.

144 Sequenti vero mane tempestive surgens, de sua salute sollicitus perrexit ad ecclesiam S. Georgii, cujus eo die celebrabatur festivitas; et ingressus est adorans. Oratione autem expleta, ecclesiam egressus cogitabat, qualiter posset B. Franciscum et socios invenire. *Mox narratur, quo modo ad* S. Franciscum *pervenerit, ab eoque in sodalitium fuerit receptus. Itaque cum die* 23 *Aprilis anno* 1209 *ad* S. Franciscum *accesserit Ægidius, et alii duo ante ipsum octiduo citius, ut etiam habent antiquissima monumenta inferius laudanda, jam accessissent;* Franciscus *primos socios admisit circa medium Aprilem præcitati anni* 1209. *At testibus Tribus Sociis in Appendice num.* 27, innotescente F autem apud multos beati Francisci tam simplicis doctrinæ veritate, quam vitæ, cœperunt post duos annos a sua conversatione (*id est, post inchoatam ab illo vitam pauperem*) viri quidam exemplo ipsius ad pœnitentiam animari, et eidem, rejectis omnibus, habitu vitaque conjungi; quorum primus extitit frater Bernardus sanctæ memoriæ *etc. Tum rursus num.* 32 : Post aliquot autem dies vir quidam Assisinus, Ægydius nomine, venit ad eos, et cum magna reverentia et devotione, flexis genibus, rogavit Virum Dei, ut eum in suam societatem reciperet *etc. Numeremus igitur ordine retrogrado a medio Aprili anni* 1207 *annos duos, et perveniemus ad medium Aprilem anni* 1209, *cujus mensis die* 16 *noster anonymus Perusinus,* S. Franciscum *omnia abdicasse, proinde recte annotavit.*

Huic sententiæ etiam favent antiqui,

145 *Audiamus etiam unum et alterum synchronos et suppares, qui institutionem Ordinis Minorum eidem anno* 1207 *illigarunt, quia* S. Franciscus *hoc anno terrenis omnibus renuntiando fundamentum sui Ordinis posuit. Albericus monachus Trium Fontium, qui certe* S. Francisci *tempore vixit, in Chronico ad annum* 1207 *ait :* Cœpit insuper hoc eodem anno (*alibi* tempore) alius Ordo novus in Tuscia (*imo in Umbria*) apud Assisium, et isti FRATRES MINORES ob humilitatem et abjectionem corporis appellantur. Habent propriam Regulam et approbatam a Papa Innocentio

AUCTORE C. S.

Innocentio tertio, quam beatus Franciscus, cooperantibus viris religiosis et peritis, edidit : sed et morem legendi et psallendi secundum ritum Ecclesiæ Romanæ eis instituit. Superiorem habent, quem Ministrum generalem appellant. *Consonat, ac etiam clarius loquitur Bernardus Guidonis, qui quidem Sancto synchronus non fuit, sed suppar, in Vita Innocentii III, tom. III, parte* I *Scriptorum Italiæ pag.* 481, *ubi primo generatim dicit, Ordines Prædicatorum et Minorum sub eodem Pontifice esse institutos, deinde de hujus institutione subjungit sequentia.*

qui initium Ordinis Minorum ad eumdem annum retulerunt.

146 Ordinem vero Fratrum Minorum incœpit sanctus Franciscus, qui ante suam conversionem (*imo infans a baptismo usque ad reditum patris sui e Gallia*) vocabatur Johannes, prope civitatem Assisii apud Sanctam Mariam de Portiuncula anno Domini MCCVII, Pontificatus domni Innocentii Papæ (*nimirum ejus nominis tertii*) anno X, a primo suæ conversionis exordio computando. *Postremis his verbis clare indicat Bernardus, sese initium Ordinis Minorum repetiisse ab abdicatione bonorum, ab ejusdem sancto Institutore facta, (ut dixi ex anonymo Perusino, die* 16 *Aprilis anni* 1207) *quo tempore cœperat quoque currere annus decimus Pontificatus Innocentii III, quippe ad eum evecti mense Januario*
B *anni* 1198. *Alius quidem scriptor Vitæ ejusdem Pontificis, sed recentior, ibidem tom. III, part.* II *editus, pag.* 379 *institutionem ponit anno* 1206; *verum hic minoris auctoritatis est, et eodem in loco fallitur; dum de* S. Francisco *ait :* Ordinem Fratrum Minorum incœperat ordinare et publicare, videlicet anno a Nativitate Domini MCCVI; *quod certe falsum est, cum id temporis nec Socios habuerit, nec forsitan de Ordine instituendo, nedum* publicando, *cogitaverit.*

Expenditur narratio S. Antonini,

147 *Implexi sunt de his S. Antonini calculi, parte* III, *tit.* XXIV, *cap.* 7, *ubi de* S. Francisco *ita loquitur :* Primo per duos annos honestum habitum et eremiticum gerens, portando baculum in manibus, accinctus corrigia, calciatis incedens pedibus, per civitatem Assisii mendicando: nunc latebat in eremis, nunc ecclesiarum reparationibus insistebat devotus. Incepit autem vitam istam anno Domini MCCVI, Pontificatus domini Innocentii III anno XIIII. Anno vero Domini MCCIX... calciamenta deposuit, peram et pecuniam abdicavit, rejectisque baculo et corrigia, una contentus tunicula, pro cingulo funem sumpsit, et sic ad servandam vitam Euangelicam se totis viribus recollegit. Quo tempore secundum opinionem veriorem in lapide isto fundamentali Ordo Fratrum Minorum initium et
C fundamentum accepit. Quumque sic a mundo abstractus, a multis reputatus insanus, per duos annos in maxima austeritate, paupertate et patientia soli Domino deserviret, quidam vir venerabilis de nobilioribus, prudentioribus et ditioribus civitatis Assisii, Bernardus nomine *etc., quibus Bernardum hunc ad* S. Francisci *societatem tunc pervenisse, pluribus exponit S. Antoninus.*

qui conversionem cum abdicatione confudit.

148 *At non immerito visus Waddingo est hoc in loco pugnantia scribere : quo modo enim, si an.* MCCVI *illam vitam incipiens, solum* per duos annos honestum habitum et eremiticum *gessit, hunc non nisi anno* 1209 *cum duriori illo commutavit? Hæc certe non congruunt : sed nec obscura quoque est vitiatorum calculorum causa. Antoninus enim hic conversionem* Francisci, *quæ anno* 1206 *ad finem vergente accidit, confudit cum abdicatione facta anno* 1207, *in qua seculares vestes deposuit, et eremiticam deinde induit, quam biennio post demum in duriorem habitum commutavit, ut ostendemus infra. Hinc in tantum favet nobis sanctus historicus, quod duos annos ab assumpta veste eremitica numeret usque ad habitum Minorum, anno* 1209 *indutum. Forte tamen error solum typographicus est in* anno Domini MCCVI, *pro eoque legendus est annus* 1207; *qualis error manifestus est in* anno XIIII *Pontificatus Innocentii III, cujus anni nonus et decimus concurrerunt cum annis Domini* 1206 *et* 1207. *Denique duo anni, post quos* S. Franciscus *primos socios admisit, non sunt inchoandi ab anno* 1209, *uti facere videtur Antoninus, sed ab anno* 1207, *quemadmodum mox probatum est. Imo id ex ipso etiam sequitur Antonino, qui ibidem* § 4 *scribit,* S. Francisci *Regulam ab Honorio III confirmatam fuisse anno Christi* 1223, *et* ex quo Beatus cepit habere fratres, anno XV. *Etenim annos* 15 *incompletos sive completos* 14 *ab anno Christi* 1223 *subtrahas non ad annum* 1207 *pervenies, sed ad* 1209, *quo proinde ex ipsiusmet S. Antonini sententia* cepit habere fratres. *Chronotaxim prosequamur.* D

In latrones incidit, in culina servit, indutus veste eremitica redit Assisium,

149 *Exutus omnibus bonis paternis* S. Franciscus *et seminudus, in silva quadam incidit in latrones, a quibus male habitus et in foveam nive plenam conjectus fuit. Hoc factum paulo post abdicationem bonorum contigit, id est, paulo post medium mensem Aprilem, quo tempore superesse poterant hibernæ nives in foveis, soli minus expositis, congruitque etiam huic tempori, quod de frigore nulla apud biographos mentio fiat. Eodem mense famulatus est in culina cujusdam monasterii, victum comparandi gratia, etiam tum male tectus. Non multo post venit Eugubium, ubi a quodam veteri amico vestem accepit. Tum etiam aliquo tempore servivit leprosis, ac demum est Assisium reversus, verisimiliter mense Majo. Assisii apud presbyterum S. Damiani, cujus* E *supra meminimus, habitans, cœpit mendicare, tum ad vitam suam sustentandam, tum ad reparandam S. Damiani ecclesiam, uti antea ex sua pecunia voluerat facere. Perfecto hoc opere, verisimiliter eodem anno* 1207, *mutavit locum, alteramque ejusmodi ecclesiam, prope Assisium S. Petro dicatam, mendicando et laborando similiter reparare aggressus est; deinde et tertiam, S. Mariæ Angelorum, sive de Portiuncula dictam, utramque verisimiliter anno* 1208.

ubi tres ecclesias reparat.

150 *Ut vero, lector, minus mireris, potuisse illum non toto biennio tres ecclesias reparare, observandum est primo, has verosimillime non fuisse, nisi exiguas, sive sacella, ut conjicere licet ex postrema, hactenus superstite, quæ, ut suo loco latius dicemus, in latitudinem habet solum pedes circiter septemdecim, in longitudinem triginta sex. Observandum secundo est, non omnes tres æquali reparatione eguisse. Tertio denique, vix posse dubitari, quin Assisienses jam tum suspicere cœpissent Concivis sui virtutes, ac proinde tum opere, tum largis eleemosynis illum libenter juverint ad pia illa loca restauranda : quod in primis verisimillimum est de episcopo, qui illius virtutem in abdicatione omnium rerum admirabundus probaverat, et* ex tunc factus est ejus adjutor, exhortando et fovendo ipsum, ac diligendo et amplexando in visceribus charitatis, *ut loquuntur Tres Socii* F *num.* 20, *et ante illos Celanensis num.* 15. *Porro postquam sacras illas ædes, seu sacella reparaverat, perrexit Sanctus prope Assisium commorari et habitum gestare eremitico similem.*

Audita Evangelii lectione, alium habitum induit,

151 *Verum aliquo tempore post, quando jam* conversionis ejus annus tertius agebatur, *teste Thoma Celanensi num.* 21 *et* 22, *audita lectione Evangelii de missione Apostolorum, pro eremitico alium assumpsit habitum, vitamque orsus est Evangelii de missione Apostolorum verbis congruam. Verba autem illa, ut docet S. Bonaventura num.* 26, *fuerunt ex Matthæi cap.* 10, *nimirum hæc :* Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris : non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. *Alii quoque biographi eadem Evangelii verba insinuant, et consentit Waddingus, qui hoc factum anno* 1208 *innexuit, ab eoque Annales Minorum exorsus est. Quod ad annum attinet, ita ille statuit, quia Sancti conversionem et rerum omnium abdicationem, quarum primam ad annum* 1206 *vergentem ad finem, alteram ad mensem Aprilem anni* 1207 *pertinere, diximus, ille eidem anno* 1206 *illigavit, et ab eodem consequenter repetiit biennium, quo Sanctus eremiticum habitum gestavit. Sed biennium illud incompletum inchoandum erat a rerum abdicatione, vel completum, a conversione :*

nam,

A *nam, ut expresse docet Celanensis,* conversionis ejus annus tertius agebatur, *quando eremiticum habitum cum altero illo commutavit.*

aliamque vitam ordiitur, quod contigit

132 *Diem, quo hæc mutatio habitus contigit, qui ad annum stabiliendum pariter conducit, Marcus Ulyssiponensis ex conjectura dixit, fuisse* 18 *Octobris,* Euangelistæ Lucæ sacrum. *At Waddingus observat, hanc conjecturam fallacem esse; tum quia in festo S. Lucæ aliud legitur Evangelium, nempe de missione septuaginta duorum discipulorum ex ejusdem Lucæ cap.* 10, *in quo non prohibentur omnia, quæ ex Evangelii verbis sibi interdixit* Franciscus; *tum quia in nulla Apostolorum festivitate hoc tempore legitur dictum Evangelium, cujus verba* Franciscus *tunc audivit, ac mox sibi observanda proposuit. Addit tamen, forte olim in aliqua Apostolorum vel etiam S. Lucæ festivitate, illud, de quo agitur, Evangelium lectum fuisse, et hujusmodi Missale forsan præluxisse Marco Ulyssiponensi. Vera est ea Waddingi observatio. Sed, quod certius est, habemus in Museo nostro Missale Spirense, excusum ante annum* 1540, *ut adscriptum legitur; sed annus impressionis, qui forte in primo folio, quo caret, habebatur, nullibi annotatus est. In hoc autem die* 24 *Februarii in Missa de S. Matthia apostolo habetur memoratum Evangelium ex Matthæi cap.* 10 *de mis-*

B *sione duodecim Apostolorum, eadem verba continens, quæ* S. Franciscum *permovisse, antiqui biographi testantur.*

anno 1209, *forte die* 24 *Februarii.*

133 *Martenius quoque Tractatu de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis Officiis pag.* 562 *notat ex Scultingo, in Missa ejusdem S. Matthiæ secundum Regulares legi idem Evangelium ex Matthæi* 10: Misit Dominus duodecim discipulos. *Addit tamen,* Strigoniæ, Romæ, Treviris, legi Euangelium: « Confiteor tibi, domine Pater. » *Hæc suspicari me faciunt,* S. Franciscum *sæpe dicta verba in festo S. Matthiæ audivisse, maxime quia hoc pacto recte conveniunt calculi ab antiquis adducti. S. Antoninus part.* 3, *tit.* XXIV, *cap.* 7 *a postrema vestium mutatione velut a fundamento exordium Ordinis Minorum repetens, annum* 1209 *signavit verbis, quæ num.* 147 *data sunt. Thomas Celanensis in Vita prima verbis num.* 151 *pariter datis, scribit, Sanctum tunc conversionis suæ annum tertium egisse; quam si nobiscum anno* 1206 *vergenti ad finem statuas, tertius ille annus vere cucurrerit anno* 1209 *die* 24 *Februarii, quo S. Matthiæ festum celebratum fuit. Secundum omnes biographos* Franciscus, *mutato habitu, mox cœpit prædicare, sive ad pœnitentiam et emendationem vitæ verbis hortari, nec multo post primos socios admisit. Atqui hos ex supra*

C *dictis admisit circa medium Aprilem, cum ex illis unus sit B. Ægidius, qui octiduo serius, quam duo omnium primi, eodem anno* 1209 *die* 23 *Aprilis ab eo fuit susceptus. Adeo ut secundum hanc opinionem meam non duo integri menses inter mutatum habitum et admissos socios intercesserint, quod biographorum narrationi optime congruit.*

Hoc etiam anno Innocentius Regulam viva voce approbavit;

134 *Eodem anno* 1209 *viva voce probatus fuit Ordo Minorum ab Innocentio III, ut omnino statuendum est ex Vita prima et tempore, quo Otto IV imperator ad accipiendam coronam imperii Romam profectus est. Etenim Celanensis post relatam Ordinis approbationem, agit de* S. Francisci *sociorumque reditu Roma versus vallem Spoletanam, ac num.* 34 *narrat, eos venisse* ad quendam locum prope civitatem Orten:em, *ibique commoratos esse* fere per dies quindecim; *deinde vero ultra progressos habitasse prope Assisium* in loco, qui dicitur Rugustortus, *ut habet apographum nostrum num.* 42, *vel* Rivus-tortus, *ut correctius legitur apud Waddingum. Dum autem hic degebant, contigit, ut* imperator Otho ad suspiciendan coronam terreni imperii per partes illas cum magno strepitu et pompa transiret, *inquit rursum Celanensis num* 43. *Itaque approbatus Ordo fuit ante coronationem Ottonis. Jam vero ex communi omnium consensu constat, Ottonem IV, de quo hic sermo est, anno* 1209 *Romæ ab Innocentio III Papa imperatorem coronatum*

fuisse. De die ac mense dubitatur, aliis, ut Muratorius in Annalibus Italiæ ad eumdem annum observavit, assignantibus diem 27 *Septembris, aliis* 4 *Octobris; quæ modica differentia nihil facit ad præsens propositum nostrum. Id interim certum est, approbationem Ordinis sui a* S. Francisco *impetratam fuisse anno* 1209, *uno circiter vel forte duobus mensibus ante Romanam coronationem Ottonis.* AUCTORE C. S.

neque id in annum 1210 *differri putantur*

135 *Waddingus eamdem approbationem rejecit ad annum* 1210, *et mihilominus Ottonis transitum prope Rivum-tortum* ad finem mensis Septembris *dicti anni* 1209 *etiam reposuit, laudans in margine Corium in Historia Mediolanensi, Vincentium Bellovacensem et Marianum Florentinum. At nemo veterum dixit,* S. Franciscum *ante approbatam Regulam eo in loco habitasse, et Celanensis eumdem transitum approbationi tam clare postposuit, ut de eo dubitari nequeat, videaturque hic rursum Waddingus non habuisse integram illius lucubrationem, quam alioquin rectius potuisset citare, quam recentiores, quos laudavit in margine. Sanctus quoque Bonaventura non de alio illius sociorum commorationis loco, quam apud S. Mariam de Portiuncula meminit ante iter Romanum, pro approbatione Regulæ petenda susceptum: sed in eorumdem reditu primum ad Rivum-tortum accessum, tacito loci nomine, sic memorat num.* 41 : Recollegit itaque se Vir Dei E cum ceteris sociis in quodam tugurio derelicto juxta civitatem Assisii, in quo secundum sanctæ paupertatis formam in labore multo et inopia victitabant.

dicta biographorum

136 *Juverit hoc ipsum etiam e Tribus Sancti Sociis probasse. Num.* 32 *aiunt :* Vir autem Dei Franciscus duobus, ut dictum est, Fratribus (*nimirum Bernardo et Petro, qui omnium primi ab eo admissi fuere*) sociatus, cum non haberet hospitium, ubi cum eis maneret (*hactenus enim ille habitaverat apud presbyterum ecclesiæ S. Damiani*) simul cum ipsis ad quandam pauperculam ecclesiam derelictam se transtulit, quæ Sancta Maria de Portiuncula dicebatur, et fecerunt ibi unam domunculam, in qua aliquando pariter morarentur. *Hæc ibi: tum num.* 34 *postquam narrarunt B. Ægidii accessum, et iter, quod tunc quatuor effecti, bini et bini instituerunt,* redierunt (*inquiunt*) ad dictum locum Sanctæ Mariæ. *Deinde relata trium aliorum accessione, alioque itinere, num.* 41 *subdunt:* Statuto termino omnes ad Sanctam Mariam de Portiuncula sunt reversi, *adducentes alios, quos in itinere susceperant, ut ibidem præmittitur.*

collata cum tempore coronationis Ottonis IV imperatoris.

137 *Demum agentes de eorumdem reditu post Regulam Romæ approbatam, non amplius aiunt, illos reversos esse ad S. Mariam de Portiuncula; sed tunc cœpisse habitare apud Rivum-tortum, satis insinuant postea, dum referunt, eos ex hoc loco ad vetus suum domicilium commigrasse. Illorum verba num.* 35 *hæc sunt :* Conversabatur autem adhuc Pater cum filiis in quodam loco juxta Assisium, qui dicitur Rivus-tortus, ubi erat quoddam tugurium, ab hominibus derelictum *etc. Mox memorant emigrandi causam, subduntque :* Reliquerunt ergo dictum tugurium ad usum pauperum leprosorum, transferentes * ad Sanctam Mariam de Portiuncula, juxta quam in una domuncula fuerant aliquando commorati. *Itaque ex hisce omnibus constat,* S. Franciscum *cum Sociis suis non nisi post approbatam Regulam apud Rivum-tortum habitasse, ac proinde hanc jam probatam fuisse, quando Otto IV* ad suscipiendam coronam terreni imperii, *dum Sanctus in eodem loco cum sociis suis morabatur, illuc anno* 1209 *transivit.* F

* *adde se*

Sanctus eodem anno ante dictam approbationem

138 *Mirabitur forsan lector, quod tam exiguum tempus inter primorum sociorum adventum et approbationem Regulæ reponam. Verum ita omnino exigunt biographi synchroni aliaque optimæ fidei documenta, ex quibus hanc chronotaxim composui. Ne tamen, quæ interim gesta ab iisdem referuntur, tam brevi tempori intermedio adversari videantur, opertet etiam hæc paucis percurrere. Ex supra dictis duo primi socii ad* S. Franciscum *venere anno* 1209

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S.

die 15 *vel* 16 *Aprilis; B. Ægidius die* 28 *ejusdem mensis. Post hujus accessum narratur sanctus Pater, missis in aliam partem duobus sociis, cum B. Ægidio* Marchiam Anconitanam, *regionem vicinam circuivisse, atque inde reversum Assisium. Iter illud forte fuerit octo vel decem dierum; neque enim dicuntur totam provinciam circumivisse. Saltem nihil cogit huic itineri plus temporis impensum dicere.* Paucis autem diebus (*post reditum*) elapsis, venerunt ad eos tres alii Fratres, *ut testantur Tres Socii in Appendice num.* 33, *quod fieri potuit ante medium mensem Maium. Eodem fere tempore accesserat et alter, ut habent alii; ut una cum* S. Francisco *octoni esse potuerint medio mense Maio. Tum vero Sanctus illos binos et binos rursum misisse legitur, sed quam procul illi tunc Assisio recesserint, non invenio. Duos solum, scilicet Bernardum et B. Ægidium, Florentiam adivisse, ibique aliquot diebus moratos esse, tradunt Tres Socii et anonymus Perusinus.*

undecim socios aggregaverat.

159 *Hæc missio sic narratur a Celanensi num.* 30, *quasi prima Sancti intentio fuisset; ut in longinquas regiones proficiscerentur;* sed, *addit,* modico tempore jam elapso, *illum petiisse a Deo, ut omnes rursum congregaret, itaque factum esse; quod etiam tradunt biographus secundus et S. Bonaventura. Alii de illa Sancti intentione non meminerunt, sed*
B *indicant iter in diversas partes, non tamen longinquum. Post hoc iter, a quo ante finem Maii reduces esse potuerunt, quatuor alii socii prioribus additi fuerunt, partim, vel forte etiam omnes, in ipso itinere admissi; adeo ut tunc omnes fuerint collecti, quibuscum* S. Franciscum *Romam profectus est, ut approbationem Ordinis sui a summo Pontifice flagitaret. Congregatis autem illis consilium suum proposuit, brevem Regulam scripsit, et cum iisdem Romam pergens, intra paucos a suo adventu dies, quod desiderabat, obtinuit, sed viva tantum voce Pontificis. Hæc igitur approbatio forte obtenta fuit mense Junio vel Julio, aut si etiam aliquid plus temporis concedere velis supra dictis rebus gestis, etiam mense Augusto. Intra mensem ab Ordine approbato videtur* S. Franciscus *in Rivo-torto habitare cœpisse, proindeque ibi habitare potuit mense Septembri, dum Otto imperator ad accipiendam imperialem coronam illac Romam transivit, modo obtenta fuerit approbatio mense Augusto.*

§ VIII. Gesta Sancti a bonorum abdicatione usque ad habitum mutatum, sive annorum MCCVII, et MCCVIII, ac partim anni MCCIX.

C

In foveam nive plenam conjicitur a latronibus

Regredimur *ad tempus, quo* S. Franciscus *paternis bonis cessit, ut gesta, quæ in præcedenti § ad chronologicum ordinem reduximus, latius exponamus. Tres Socii, cum sibi proposuissent non Legendam scribere, sed aliqua tantum sui sancti Patris gesta, eaque præcipua, vel a prioribus biographis prætermissa, posteritati tradere, in Appendice num.* 21 *post dictam bonorum abdicationem mox agunt de illius reditu ad ecclesiam* S. *Damiani, omissis, quæ hunc inter et illam contigerunt. Quid ipsi acciderit, postquam ex episcopi palatio et civitate Assisiensi mox excesserat, narrat primus biographus num.* 16; *cui secundus consona scribit hoc modo :* Postquam ergo beatus Franciscus inhumanitatem paternæ persecutionis evaserat, accidit die quadam, ut ipse legis novæ zelator in quodam nemore seminudus incederet, et sic Domino laudes in Gallica lingua decantans, subito in latrones incideret.

prius verberibus affectus et tunica spoliatus.

161 Quibus ferali modo, quisnam esset, quærentibus, nil trepidans prophetice sic respondit : Præco sum magni Regis. Quid ad vos? At illi indignantes, Servum Dei in foveam nivibus plenam post verbera projecerunt, et futuro Dominici gregis Pastori taliter insultantes dixerunt : Jace, rustice præco Dei. Ipse vero, recedentibus illis nefariis, de fovea lætus exiliit, et omnium Creatori laudes alacriori voce personuit. *Waddingus in Apparatu* D
§ 3 *ait, illum, priusquam in foveam projiceretur,* paupercula lacerna *sua, quam scilicet (ut supra dictum est) ex vili agricolæ pallio sibi fecerat, ab iisdem latronibus spoliatum fuisse. Verisimile id fit ex sequentibus; nam ambo laudati biographi subdunt, ipsum post hæc* in sola vili camisia, *id est,* subucula *ad quoddam monasterium accessisse, cumque ibidem nemo daret, quo se vestiret, profectum esse Eugubium, ibique a veteri amico* tuniculam *accepisse. Exutus ergo tunc fuerat priori tunica Assisiensi, solaque* vili camisia, *ac verisimillime non melioribus femoralibus tectus manserat. Factum hoc quoque retulit S. Bonaventura in Vita num.* 21, *ubi etiam sequens brevissime attigit.*

Servit in culina monachorum; hinc abire coactus,

162 *Secundus biographus post primum ita pergit :* Tandem, qui pretiosis uti consueverat indumentis, in sola vili camisia venit ad quoddam cœnobium monachorum, ubi nimirum nec agnitus nec reputatus, cum victus penuria viliter in coquina permissus est, *videlicet servire, ut reliquorum servulus abjectissimus;* donec viso, quod nuditatem ejus miserationis oculis nemo respiceret, post plures dies sola necessitate compulsus abiret. *Eamdem, nec aliam, hinc discedendi causam clarissime allegat Celanensis his verbis :* Cum, omni miseratione subtecta (*forte legendum est :* subtracta) nullum posset E
vel vetustum acquirere indumentum, non motus ira, sed necessitate coactus, inde progrediens devenit ad Eugubii civitatem. *Quapropter oportet, hunc utriusque biographi locum visum non fuisse a Waddingo, qui Legendam Gregorii IX et Marianum laudans in margine, longe aliam discessus causam attulit :* At sentiens, *inquit,* se parum ibidem inter offas et ollas in spiritu profecisse, nec a monachis ad spiritualia excitari, sed ad servilia mancipari, illinc, cœnobii incolis humane salutatis, brevi recessit. *Waddingum secutus Chalippus est.*

pœnitente postea Priore, Eugubii vestitur vili tunica.

163 *Brevi post pœnituit Priorem loci inhumanitatis suorum, teste utroque biographo nostro; nam, ut habet secundus;* Postea tamen, (a modico tempore jam elapso, *ait primus*) cum sanctitatis ejus circumquaque fama crebresceret, Prior loci graviter ob curam tanti Viri neglectam compunctus, usque ad illum dolens pervenit, et humiliter ab eo pro se suisque veniam postulavit. *Hæc quoque non leguntur apud Waddingum et Chalippum.* Progressus igitur (*ita rursum subjicit secundus biographus*) a monasterio supradicto Pauperculus Jesu Christi, veniens in civitatem, cui non Eugubium, illic quendam suum, quem noverat, amicum pristinum requisivit, qui ob veterem amicitiam tunicula nuditatem illius obtexit. *Celanensis hæc* F
rectius præmisit veniæ per Priorem petitæ, brevius inquiens : Inde (*ex prædicto monasterio scilicet*) progrediens devenit ad Eugubii civitatem, ubi a quodam, olim amico ejus, sibi tuniculam acquisivit. *Consentit S. Bonaventura his verbis :* Inde vero progrediens, devenit Eugubium, ubi a quodam amico pristino agnitus et susceptus, paupere tunicula, ut Christi pauperculus, est contectus. *Omnino verisimile mihi est, quod Waddingus cum aliis censuit, pauperem hanc tuniculam ipsum esse habitum eremiticum, quem ab illo gestatum biennio esse, biographi nostri testantur. Sunt, qui volunt, eremiticum hunc habitum fuisse Religiosum Eremitarum Ordinis S. Augustini; sed horum opinioni omnes biographi refragantur.*

Leprosis inservit, et pauperes, pauper ipse, pie fovet.

164 *Pergo ex Vita secunda, cui consonat prima num.* 17 *et S. Bonaventura num.* 22, *quæ deinde secuta sunt, enarrare.* Post hæc humilis sui Contemptor, et jam se ab omnibus contempni contemnens, ad leprosos se transtulit; quibus devotissime serviens, et eorum humiliter ulcera lavit, saniemque detergere non abhorruit. Antea tamen hujusmodi in tantum despexerat, quod non solum illis e vicino, sed et eorum domos e longinquo prospiciens, nares manibus obturare consueverat. *Verum jam ante vidimus, quam strenue sese hac in re vicerit initio conversionis suæ, et verba, quæ hic sequuntur*

A *sequuntur, dedimus num.* 112. *Subjungit Bonaventura*, S. Franciscum *propter hæc pietatis officia* in spiritualibus et corporalibus morbis expurgandis mirabilem efficaciam *a Deo obtinuisse, atque inter cetera id generis mirabilia solo osculo horribilem immedicabilemque maxillæ plagam subito curasse. Crescebat eodem tempore illius misericordia in pauperes, quam semper perrexit exercere, licet ipse esset pauperrimus, et de qua in eadem Vita secunda post factum, quod suo loco retuli num.* 87, *hæc sequuntur:* Quo autem post conversionem erga pauperes compassionis spiritu moveretur, etsi satis perpendi valeat ex præsenti, postmodum tamen aliquantulum plenius exponetur. *Ceterum hæc omnia, quæ in hoc* § *modo exposuimus, quæque facta sunt extra civitatem Assisii, videntur spectare ad menses Aprilem et Maium anni* 1207; *probabilius enim cœpta sunt die* 17 *vel* 18 *Aprilis; neque multum temporis exigunt.*

Reparat ecclesiam S. Damiani ex elecmosynis collectis,

165 *Mense igitur Maio potuit* S. Franciscus *in habitu eremitico, quem Eugubii ab amico acceperat, Assisium reversus fuisse, quod nollet deesse mandato divino de reparanda, ut certe putabat, S. Damiani ecclesia. De hac reparatione agit Vita prima num.* 18, *et post illam biographus secundus his verbis :* Verum, cum Sanctus adhuc, quæ sibi ventura forent, penitus ignoraret, primam post hæc B inter alia, quæ fecit, operam pietatis impendit, ut ecclesiam S. Damiani, apud quam primitus moram fecerat, resarciret. Quod utique opus, sicut imminentis ruinæ necessitate compassus incepit, sic et in brevi, Domino cooperante, complevit. Hic est ille locus celebri memoria dignus, in quo illa tantarum virtutum plenitudine prædicta, pauperum videlicet dominarum virginumque sanctarum religio, ab eodem sancto Viro quasi post sextum suæ conversionis annum felix exordium sumpsit; quam non modicæ perfectionis prærogativa laudabilem hodie Dominus per diversas Italiæ partes magnifice dilatavit. *De instituto ibidem Pauperum Dominarum, uti tunc vocabantur, seu Clarissarum, Ordine agam suo loco.*

ex quibus etiam vivit inter multas sannas et maledicta etiam patris,

166 *Mendicasse* Franciscum *Assisii, ut necessarios ad eam reparationem sumptus compararet, docet S. Bonaventura num.* 23. *De eadem re pluribus agunt Tres Socii a num.* 21, *adduntque alia, quæ contigerunt, dum pio huic operi insisteret; nimirum illum propriis humeris lapides portasse; a multis derisum, sannisque, tamquam insanum, impetitum fuisse, nec ab hujusmodi injuriis patrem fratremque illius temperasse. Sanctum, dum cum aliis proprio labore fabricam promovebat, ad transeuntes et loci vicinos, ut suam quoque operam opemque conferrent,* C *alta voce vaticinantem clamasse :* Venite et adjuvate me in opere ecclesiæ S. Damiani, quæ futura est monasterium dominarum, quarum fama et vita in universali Ecclesia glorificabitur Pater noster cœlestis. *Præterea docent, eumdem initio victum accepisse a presbytero ejusdem ecclesiæ, qui licet ipse pauper, Viri tamen virtutem admirans, specialia quædam obsonia ei parabat; sed Sanctum, hoc comperto, etiam victum mendicando sibi quæsivisse, eaque occasione magnam vim intulisse tam verecundiæ suæ, quam naturali horrori vescendi ostiatim quæsitis et in unam scutellam collectis.*

quibus opponit benedicta senis pauperis, et omnia patienter fert:

167 *Quod iidem adjiciunt de adoptato per illum pauperculo patre, cujus bene precantia verba maledictis sui carnalis patris opponeret, refert etiam anonymus noster Perusinus, cujus verba hic transcribo.* Et ubicumque pater ejus inveniebat eum, vehementi dolore repletus maledicebat eidem. At beatus Vir quemdam senem pauperem, nomine Albertum, assumebat (*videlicet* in patrem, *ut addunt alii, eique dabat partem eleemosynarum, quas sibi collegerat*) postulans benedictionem ab eo. Multi quoque alii deridebant eum, et verba ei injuriosa dicebant, et pro insano quasi ab omnibus habebatur. Ipse autem nihil curabat, nec eis respondebat; sed cum omni sollicitudine studebat opere adimplere, quæ ostendebat ei Dominus : nec in doctis humanæ scientiæ verbis, sed in ostensione et virtute spiritus ambulabat. *Hactenus de reparatione primæ ecclesiæ, sive S. Damiani, quam, non obstantibus illis omnibus, Sanctus,* gratia ipsum Altissimi comitante, in brevi... tempore reparavit, *ut testatur Celanensis num.* 18.

AUCTORE C. S.

simili modo reparat ecclesiam S. Petri, gestans habitum eremiticum,

168 *De duabus aliis sacris ædibus reparatis non loquuntur Tres Socii, quia, ut jam alias monui, prætermissa potius ab aliis supplere, quam novam Vitam scribere, sibi proposuerant. At de illis agunt Celanensis num.* 21, *et Bonaventura num.* 23 *et sequenti. Secundus biographus, primi vestigia sequens, de eodem argumento hæc habet :* Interea Dei Servus, habitum mutans, ad alium non longe ab Assisio locum migravit, ubi et quamdam ecclesiam similiter ruinosam reædificare incipiens, donec cœptum perficeret, non cessavit. *Sistamus paulisper, ne quis ex hoc loco statuat, eremiticum, de quo hic agitur, habitum alium esse ab ea veste, quam* S. Franciscus *Eugubii ab amico accepit, et præter quam verisimillime nullam aliam ab illo gestatam, antequam Minorum habitum induit, supra dixi. Verba illa* habitum mutans *etc. reducenda sunt ad mentem Thomæ Celanensis, quem pene perpetuo ille secutus est. Celanensis autem mutationem habitus in eremiticum reparatæ ecclesiæ præposuit num.* 21, *ubi, postquam occasione ejusdem restaurationis institutionem Ordinis Clarissarum alieno tempore retulit, ad rerum seriem rediens, ita ait :* Interea Sanctus E Dei, mutato habitu, et prædicta ecclesia (*S. Damiani*) reparata, migravit ad locum alium *etc.*

qui videtur fuisse vestis ab amico Eugubii accepta,

169 *Hoc ipsum etiam clarius docent Tres Socii in Appendice, qui num.* 21, *priusquam de cœpta reparatione ecclesiæ S. Damiani ullum verbum fecerunt,* Fecit, *inquiunt,* sibi quasi heremiticum habitum; *ac* deinde *Sanctum mox ad eam reparationem colligendis eleemosynis et opera manuum suarum admovent. Atque hi quidem prius de illius Assisium reditu, quam de assumpta veste eremitica loquuntur, dicentes :* Revertensque (*post abdicationem bonorum coram episcopo factam*) ad ecclesiam S. Damiani, gaudens et servens, fecit sibi quasi heremiticum habitum : *sed, ut supra jam monui, iidem prætermiserunt, quæ inter eamdem abdicationem reditumque ad civitatem Assisiensem contigerunt, ex quibus unum est tuniculæ acceptio ab amico Eugubino. Quapropter illa verba sic accipienda sunt, ut dicatur Sanctus pro secularibus vestibus, coram episcopo depositis, fecisse sibi habitum eremiticum, scilicet ope prædicti amici Eugubini. Constabat autem habitus hic ex prædicta tunicula, quam corrigia stringebat, et sub qua ex dicendis videtur interulam induisse, habebatque calceatos pedes, et virgam seu scipionem in manu.* F

Reparat item ecclesiam S. Mariæ in Portiuncula,

170 *Redeo ad secundum biographum, qui ita pergit narrare :* Post hæc ad locum tertium, qui Portiuncula dicitur, haud longe a prædicta civitate se transtulit, ubi quondam ecclesia fuerat in honore gloriosissimæ Genitricis Dei Mariæ constructa, sed tunc desolata pariter et evulsa. Cujus ruinæ misertus, sed et devotione, quam in beata Virgine specialiter habebat, inductus, ibidem assidue morabatur, donec annus conversionis tertius, reparata jam dicta ecclesia, volvebatur. Non hoc, arbitror, absque dignioris rei mysterio gestum, quod videlicet iste Sanctus tres ecclesias supradictas erexit. At illud nimirum nutu Dei prævio per hoc existimo figuratum, quod et ipse simplex mirabiliter adimplevit, qui tres celebres Ordines, de quibus suo loco vel breviter tangendum est, inchoans, ipsos ad perfectionis statum vita verboque provexit. *His consona habent Vita prima, sanctusque Bonaventura, ex quibus tamen corrigendus est prædictus biographus, dum verbis mox datis eamdem ecclesiam* evulsam *ait. Nam in prima num.* 21 *de hac tantum dicitur :* Deserta tunc a nemine intrabatur : *apud Bonaventuram vero num.* 23 : Deserta tunc a nemine curabatur. *Non itaque* evulsa, *sive penitus destructa illa erat, sed prorsus neglecta ac proinde verisimiliter ruinosa, dum eam* S. Franciscus *restaurare aggressus est.*

171 *Waddingus*

AUCTORE C. S. *quod postremum nomen videtur olim loci fuisse, non ecclesiæ.*

171 *Waddingus in Apparatu* § 3 *scribit, illam sexcentis tantum passibus a civitate Assisiensi remotam esse, disserensque de ejusdem vocabulo ait,* B. Mariæ Angelorum nomine aliquando celebrem *fuisse. Hoc constat ex S. Bonaventura in Vita num.* 24, *ubi dicitur :* Sentiens autem (*Franciscus*) juxta nomen ipsius ecclesiæ, quo ab antiquo S. Mariæ de Angelis vocabatur, angelicarum ibi visitationum frequentiam *etc. Idem Annalista, ibidem disserens de alio ejusdem ecclesiæ nomine, mentem suam sic exponit :* Ipse autem situs, non vero ecclesia, primitus Portiuncula vocabatur propter paucos agellos et aliquot jugera terræ, quæ velut terræ portiunculam in ampla illa campi planitie possidebant patres Benedictini. *Quidquid sit de causa nominis, locum ipsum* Portiunculam *dictum fuisse, præter biographum secundum supra relatum, tradunt etiam Thomas Celanensis num.* 21, *et S. Bonaventura num.* 23. *Aliæ item hac super re sententiæ videri possunt ibidem; mihi præplacet mox exposita. Ceterum de hac sacra ædicula, quam nunc ampla ac magnifica superstructa ecclesia complectitur, pluribus erit agendum inferius ratione celeberrimæ indulgentiæ* Portiunculæ *vulgo appellatæ; atque etiam*
B *latius in Gloria posthuma.*

Audita Evangelii lectione in eadem ecclesia,

172 *Post reparatas prædictas tres ecclesias perrexit Sanctus in Portiuncula habitare, veste utens, ut dictum est, quasi eremitica, donec tertius agebatur conversionis illius annus, ac fere biennio, postquam ille vestes seculares coram episcopo deposuerat. Qua vero occasione tunc aliam vestem elegerit, (quod forte factum esse, diximus, in festo S. Matthiæ die* 24 *Februarii) Vita prima exponit num.* 22, *cui secunda consentiens, sic habet :* Beatus itaque Franciscus, trium, ut dictum est, ecclesiarum opere consummato, habitum adhuc heremiticum tunc habuit, baculumque manu gestans, pedibus calciatis, et corrigia cinctus incessit. Audiens autem die quadam inter Missarum solemnia ea, quæ Christus in Evangelio missis ad prædicandum discipulis loquitur; ne videlicet aurum vel argentum possideant; ne peram in via vel sacculum, ne virgam vel panem portent; ne calciamenta vel duas tunicas habeant; intelligensque hæc eadem postmodum plenius ab ipso presbytero, indiciali (*in margine legitur* indicibili) gaudio mox repletus, Hoc, inquit, est, quod quæro, hoc est, quod totis præcordiis concupisco!

eremiticam vestem mutat in aliam.

173 Igitur cunctis, quæ audierat, tenaci memoriæ commendatis, lætanter hiis ad implendum innititur, duplicibusque sine mora depositis, ex hoc jam virga, calceamentis, sacculoque vel pera non utitur. Fecit proinde tunicam plurimum con-
C temptibilem et incultam, rejectaque corrigia, funiculo cinxit illam. *Eadem plane leguntur apud Tres Socios num.* 25, *consentitque Bonaventura num.* 26 *et* 27, *qui tamen rectius omittit vocem* panem : *nam locus Evangelicus desumptus est ex Matthæi cap.* 10, *ubi ea vox non legitur. Recte etiam Celanensis ibidem meminit de præcepto Apostolis a Christo dato prædicandi* regnum Dei; *hoc enim, æque ac alia,* S. Franciscus *ex eodem Evangelio sibi servandum statuit, ac etiam mox facere aggressus est. Idem biographus tradit, ecclesiam, in qua Sanctus Evangelium illud audivit, fuisse hanc ipsam, de qua nunc egimus, in Portiuncula; quod Bonaventura quoque non obscure indicat num.* 26, *ex cujus sententia Sanctus ibidem tunc* meritis Matris misericordiæ concepit ac peperit spiritum Evangelicæ veritatis, *secundum quem Ordinem suum instituit.*

Quidam volunt, Sanctum biennio fuisse Eremitam Augustinianum,

174 *Ex relatis de mutatione vestium inter scriptores recentiores gemina nata est controversia. Nam ex habitu* eremitico, *vel* quasi eremitico, *quem* Franciscus *fere biennio gestavit, crediderunt aliqui, eumdem Ordini Eremitarum S. Augustini fuisse adscriptum. Joannes Marquez, eruditus scriptor Ordinis Augustiniani, in Opere Hispanico, quod habemus impressum Salmanticæ anno* 1618, *hanc controversiam prolixe exposuit, et tum auctoritatibus tum rationibus contendit,* S. Franciscum *ante Ordinis Minorum institutionem revera aggregatum* D *fuisse Eremitis Congregationis B. Joannis Boni. Contra Waddingus non minus prolixam Dissertationem texuit, cui hunc titulum fecit :* Apologeticus de prætenso monachatu Augustiniano sancti Francisci, in quo deteguntur et refelluntur varii errores ex hac controversia exorti. *Chalippus in Vita Gallica pag.* 16 *asserit, oppositam sententiam post hanc Waddingi Apologiam esse desertam. Nec immerito.*

cui sententiæ omnes Vitæ nostræ refragantur.

175 *Quapropter ego de his multa disserere nolo, et ad eam confutandam solæ mihi sufficere videntur quatuor Vitæ* S. Francisci *antiquissimæ, quarum tres integras post hunc Commentarium recitabo, quartam eidem Commentario, ut cœpi, inseram. Hæ, inquam, ad refutandam* S. Francisci *monachatum Augustinianum affirmantem sententiam mihi omnino sufficiunt; nec dubito, quin mecum sensurus sit, quisquis, nullis olim disputantium partibus addictus, eas legere voluerit. Clare enim perspiciet, Sanctum toto illo biennio, quo eremiticum vel quasi eremiticum habitum gessit, nulli fuisse Religioso Ordini adscriptum, sed vitam egisse pœnitentis, et post modica itinera, quibus Eugubium usque processerat, ubi et vestem illam eremiticam a veteri suo amico accepit, reversum esse Assisium, et in hujus civitatis vicinia, non in eodem tamen semper loco, mansisse, tresque ibi reparasse ecclesias, ac tandem ex audita lectione* E *Evangelica assumpsisse habitum Minorum; nulla interim occurrente vel levissima mentione inchoati apud alios tyrocinii vel Religiosæ professionis. Quod vero iter Romanum intra illud biennium illi attribuit in eodem Apologetico* § 5, *num.* 4 *Waddingus, caret fundamento, et ex lapsu memoriæ assertum esse, colligitur ex eo, quod ibidem laudet S. Bonaventuram cap.* 2, *et Apparatum suum* § 5, *num.* 3, *quo utroque loco manifeste agitur de profectione Romana, non* S. Francisci, *sed alterius* cujusdam de comitatu Spoletano, *cui a liminibus Apostolorum reduci* S. Franciscus *fœdum oris maxillæque incurabile malum solo osculo exemit.*

Habitus posteros stremo assumptus, et eodem spectantiæ

176 *Altera inter ipsos* S. Francisci *Religiosos posteros orta controversia est de forma vestis, quam Sanctus post eremiticam assumpsit ac deinde usque ad mortem gestavit. Ne hæc quidem nos diu occupabit, cum modica habitus mutatio exigui momenti sit, majoremque laudem mereantur, qui eximias sancti Patris virtutes, quam qui antiquum ejusdem habitum scrupulosius imitari conantur. Ex vetustorum biographorum consensu certum est,* S. Franciscum *eo tempore tunicam induisse magis vilem, asperam et contemptibilem, quam ante gesserat, eamque fune cinxisse; calceamenta quoque et baculum rejecisse, pro quibus cum non legatur alia substituisse, verisi-* F *millimum est, illum saltem eo tempore pedibus omnino nudis incessisse. Caput habuit tectum caputio, quod ipsi tunicæ annexum, sive ejusdem tunicæ pars fuisse videtur ex Vita prima num.* 22, *ubi dicitur :* Parat sibi ex tunc tunicam, crucis imaginem præferentem; *nimirum quia pars illa tunicæ, qua caput tegebatur, seu caputium, ut vocant, satis exstabat supra humeros, ut crucis apicem, manicæ vero, ut transversum ejusdem stipitem utcumque possent repræsentare.*

ex vetustis Vitis exponuntur.

177 *Non legitur, an Sanctus in hac mutatione aliquid sibi proposuerit de palliolo contra frigus gestando vel non gestando, quo aliquoties usum esse, liquet ex pluribus locis apud sæpe dictos vetustos biographos. Sic eum post accepta stigmata etiam* pedibus calceatis *incessisse, ut illa tegeret, testatur Bonaventura in Vita num.* 200. *Sed nequeo ex iisdem Vitis certo colligere, an ante id temporis plantas pedum soleis munierit. Antiquæ imagines, quas plurimas dedit Zacharias Boverius in Dissertatione de vera habitus forma illius, dubitationem non tollunt : nam aliæ plantas nudas exhibent, aliæ soleis armatas. Si conjecturis uti liceat, crediderim, sanctum Virum in mutatione habitus sui nec de pallio nec de soleis cogitasse; sed unica uti tunica statuisse, et nudis incedere pedibus; postea tamen justis de causis pallio aliquando usum esse, (quod certum est) ac subinde etiam*

A *etiam soleis, ne læsæ pedum plantæ piis longisque itineribus perferendis impares fierent, et prædicationem verbi Dei morarentur. Intellexerit enim, hujusmodi usum pallii ac solearum minime repugnare Evangelio aut præceptis a Christo Domino Apostolis suis datis. Sed nec de his fuit inter ejusdem discipulos disceptatio.*

Disceptatum fuit de ejusdem et caputii forma,

178 *Verum de capucio præ ceteris prolixam Dissertationem scripsit laudatus Boverius, quam post primum tomum Annalium Capucinorum vulgavit. Quæ disserit de capucio verisimilia sunt : nec tamen displicet Waddingi observatio ad annum* 1208 *num.* 4, *ubi ait,* Franciscum *eodem quidem habitus genere deinde usum esse,* ea solum admissa non magna differentia, ut aliquando parumper longiorem largioremque secundum offerentium liberalitatem vel tenuitatem, pannique mensuram, portaret, et caputium aliquando magis vel minus pyramidale aut acuminatum adfueret. *Hanc observationem confirmant plurimæ tunicæ* S. Francisci *et sociorum ejus, quarum formas exhibet Boverius; harum enim caputia alia aliis magis sunt oblonga et acuminata, sicut et in antiquis picturis apud eumdem expressis. Hinc Waddingus ita pergit :* Id porro constat, ipso, quos gessit, habituum conspectu. Etenim, ut ego vidi, et ante me adnotavit Sedulius, Assisii in

B ædeS. Georgii, quæ monialium est S. Claræ, asservatur tunica sancti Viri, et caputium quadrata prope forma parumper acuminatum. Ejusdem formæ alius est habitus in monte Alvernæ; itemque alter Florentiæ in Hetruria, quem ferebat, quando suorum vulnerum numero, forma et colore eum Christus tam dignanter, quam mirabiliter affecit. *Illum ipsum, aliosque similes habes apud Boverium.*

de qua ex ipsiusmet Sancti tunicis,

179 *Cum Waddingo prosequamur.* Hunc posteriorem maxima habent in veneratione serenissimi Hetruriæ duces, christallinaque observant in arca, pluribus seris obfirmata. *Post aliqua idem Annalista habitum illum describit his verbis :* Color perfecte cinereus, qualitas sagi vilis, nec tamen rudissimi : Hispani Sayal vocant, Itali Panno rigato. Strictioris observantiæ Citerioris, seu Taraconensis, Hispaniæ Patres asperiorem gestant, ea, quam habui præ manibus, particula : strictus nimis non est, nec pannosus valde, aut præsegmina habet alterius panni, nisi ad imam lævam manicam uno, quo resarciri indiguit, loco. Lætatus sum, tam vastis sæculis adhuc in plurimis provinciis non tam superare, quam superari sanctissimi Institutoris, saltem in exteriori veste, asperitatem, conscissæque et laceræ undique resarcitæ tunicæ in filiis augeri vilitatem. Forma paterni

C illius habitus ipsa est, quam in suo gestant filii; manicas habet a cubito ad corpus laxiores, quam patiantur strictioris hodiernæ observantiæ leges.

quæ hactenus servantur, et picturis antiquis

180 In eo a communi Minorum tegumento differt, quod capitium habeat quadratum absque orbiculari illa parte ad pectus pendente, et sine rotundo aut pleno illo capitis obvelamento, modo omnibus a Bonaventuræ tempore, ut suo loco dicam, consuetudinario. Quadraturam hanc ita explicem, ut, si ab habitu dissuas capitium, et semel plices, vel latera jungas, duangulum efficiat inferius, alterum superius; sed hujus duanguli a parte posteriori angulus acutior est, vel acumen majus aut prominentius. Religiossimi patres congregationis Capuccinorum plus ceteris ad hanc formam accedunt, si non excedunt : nec enim tam oblongum et acuminatum, ut illi ad scapulas dimittunt, facile judicaverim sanctum Patrem gestasse. *Nequeo improbare hoc Waddingi judicium, præsertim cum ille apte respondeat ad aliquot picturas antiquas, in quibus apparet capitium magis oblongum et acuminatum, iisque alias opponat. Verum tam exigui res momenti videtur, sive paulo longius et acuminatius fuerit* S. Francisci *capitium, sive brevius minusque acuminatum, ut plura de his scribere nec lubeat, nec vacet.*

nonnulla annotantur.

181 *Etiam minus lubet examinare, an illud orbiculare tegumentum, quod a tempore S. Bonaventuræ usitatum dixit Waddingus, sed recentius existimavit Boverius, revera tam antiquum sit; non lubet, inquam, id examinare, cum certe eo usus non fuerit* S. Franciscus, *cujus gesta hic illustro. Illud tantum ex Waddingo observo, talem ab illo assumptum habitum esse,* qualem... deferre *consueverant* agrestes homines illius regionis *et temporis, talemque,* qui formam Crucis insigni quodam mysterio repræsentabat, et omnis mundanæ gloriæ et ornatus contemptum alta quadam despectione ostendebat, ut esset dumtaxat nuditatis operimentum, necessitatis fomentum, veræ humilitatis indicium, et improperii crucis Christi Jesu, quæ semper fixa erat in animo, singulare contra hostes remedium.

AUCTORE C. S.

§ IX. Primorum trium sociorum ad S. Franciscum accessio, ejusdemque cum B. Ægidio excursio in Marchiam Anconitanam.

Sanctus incipit publice hortari ad pœnitentiam,

Post *depositam vestem eremiticam, magisque austeram et viliorem assumptam,* S. Franciscus, *sicut toto habitu suo pœnitentiam prædicabat, ita et verbis eam suadere aliis cœpit, ut alterum Evangelicæ lectionis mandatum impleret. Hæc narrat Thomas Celanensis num.* 23, *utens verbo* prædicare, *etiamsi* E *Sanctus proprie non prædicaverit ante sui Ordinis approbationem, ut ostendam inferius. Secundus Vitæ scriptor relatæ vestium mutationi similiter hæc subdit :* Omnem ergo sollicitudinem cordis apponens, qualiter auditus * novæ gratiæ verba perficeret, cœpit instinctu divino Euangelicæ perfectionis annuntiator existere; cœpit in publicum simpliciter verba proponere. Erant autem ipsius eloquia non inania, nec risu digna; erant virtute sancti Spiritus plena; erant medullas cordis penetrantia, et in vehementem audientes stuporem provocantia. Sed et, sicut postmodum ipse testatus est, quod hujusmodi salutationem, Domino revelante, didicerat, ut diceret : Dominus det tibi pacem, sic in omni prædicatione sua pacem annuncians, populum in sermonis exordio salutabat. Subito ergo spiritu prophetarum perfusus, juxta sermonem propheticum annunciabat pacem, prædicabat salutem; factumque est, ut salutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui discordes prius a Christo exstiterant, a salute longinqui.

* an audita?

pacem omnibus impertiens magno cum fructu.

183 *Incertum est, an* S. Franciscus, *dum ait, se illud de pace impertienda,* Domino revelante, *didicisse, de peculiari revelatione divina sibi facta loquatur, an de revelatione publica in Evangelio; nam in Matthæi capite* 10, *quo audito, ille hæc aggressus* F *est,* ℣. 12 *legitur :* Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui. *Ut ut sit, addunt Tres Socii in Appendice num.* 26, *quemdam alium ante* S. Francisci *conversionem fuisse Assisii, qui omnes frequenter salutabat his verbis :* Pax et bonum, pax et bonum; *et postea non amplius comparuit. Celanensis num.* 23 *scribit,* S. Franciscum *primitus prædicare cœpisse eo in loco,* ubi, cum adhuc esset infantulus, didicerat legere, in quo etiam loco honorifice sepultus est; *id est, in ecclesia S. Georgii; quod dubito tamen, an de primis illis exhortationibus, de quibus nunc agimus, recte dici possit. Ceterum tam hic, quam alii antiqui biographi, assertum a secundo biographo sermonum illius fructum confirmant. Simplici illa prædicatione primi ad illum pertracti sunt socii, ut consentiunt iidem omnes biographi; secundus, suppressis eorumdem nominibus, post data verba id ita pergit narrare.*

Socios sibi adjungit, quorum primus Bernardus,

184 Innotescente igitur apud multos beati Francisci tam doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ, cœperunt post modicum viri quidam ipsius exemplo ad pœnitentiam annunciari *, et eidem, relictis omnibus, habitu vitaque conjungi. Ut autem novis filiis Sancti jam merita remunerari cœperunt, cœpit et amplius ipse nova spiritali consolatione repleri, cœpit et illorum diligentius invigilare saluti. Hinc paterno eos affectu demulcens et fovens,

* animari

AUCTORE C. S.

vens, novis non destitit monitis informare, docens ipsos sanctæ paupertatis et veræ simplicitatis viam indeclinabiliter ambulare. *Hæc ille; at multa omittens ab aliis biographis tradita, ac nominatim a Tribus Sociis, qui uti loco et tempore proximi fuerunt, præ reliquis etiam videntur primorum sociorum accessum ad* S. Franciscum *accuratissime exposuisse. Verum inter primum biographum et reliquos hic aliqua est dissensio, saltem apparens, in ordine, quo primi socii* S. Francisco *aggregati fuerunt. Etenim Tres Socii in Appendice, S. Bonaventura in Vita, Anonymus noster Perusinus, et recentiores omnes, asserunt,* Bernardum *ex illis omnibus primum fuisse. At vero Celanensis num.* 24 *alium illi præponit, dicens :* Inter quos (*primos* S. Francisci *sectatores*) quidam de Assisio puer, ac simplicem spiritum gerens, Virum Dei primo devote secutus est. Post hunc frater Bernardus *etc.*

non alter quidam, qui licet prior Sancto adhæserit,

185 *Sane hæc verba indicant, illum, qui vel ætate, vel potius a servitio ac simplicitate sua,* puer *vocatur, adhæsisse* S. Francisco *ante Bernardum; atque hac ratione Bernardus solum erit secundus illius discipulus, et B. Ægidius, qui a reliquis tertio inter discipulos loco censetur, reponendus erit quarto. Porro,* puerum *illum fuisse vere unum e Sancti sociis, liquet ex eodem Celanensi ibidem* B *num.* 25, *ubi post aliorum quatuor accessum Philippus, qui quintus venisse ibi narratur,* septenarium *eorumdem numerum, simul cum ipso sancto Patre adimplevisse dicitur; cum hi omnes solum sex numero fuissent, nisi* puer *ille adnumeretur. Quapropter, ut hæc apparens biographorum dissensio tollatur, existimo, hunc ut assiduum quidem auditorem familiaremque adjutorem et discipulum initio Sancto adhæsisse, non tamen ab eo eodem, quo hic utebatur, habitu donatum inque perpetuum socium adscitum fuisse ante Bernardum et paucos alios, ante quorum accessum Sanctus forsitan de sociis sibi aggregandis nondum quidquam statuerat, vel etiam cogitaverat.*

non tamen ante Bernardum habitu donatus fuit.

186 *Hoc modo cum Celanensi facile conciliabuntur reliqui biographi, qui Bernardum inter* S. Francisci *socios primum statuunt. Hanc conjecturam meam firmat ipse modus loquendi Celanensis; nam de anonymo illo puero tantum ait :* Virum Dei primo devote secutus est; *nihil memorans de facultatibus suis, si quas habuerit, datis pauperibus, aut habitu mutato. Sed de Bernardo longe aliter loquitur, inter alia referens, ipsum redactam ex omnibus bonis suis divenditis pecuniam pauperibus distribuisse, ac tandem subdens :* Quo facto, vita et habitu sancto Francisco associatus C est etc. *Bernardus itaque omnino habendus est primus* S. Francisci *socius eo, quo dixi, modo; licet eodem die etiam accesserit alter, Petrus appellatus. Quo ordine deinde admissus sit alter ille* puer *dictus, non invenio; at forte iste fuerit Sabbatinus aut Moricus, quos non nominavit Celanensis. Hac difficultate discussa, audiamus modum, quo conversus est Bernardus, imo et Petrus, qui plerisque rebus eo conducentibus adfuisse videtur.*

Bernardus ille et Petrus ex consilio Sancti

187 *Motus* S. Francisci, *quem hospitio suo frequenter exceperat, virtutibus Bernardus, vir dives, illum consuluit, quid de opibus suis sibi faciendum suaderet. At sanctus hac super re Deum ex inspecto Evangelii libro consulendum respondit; quod et postridie fecerunt, ut narrant Tres Socii in Appendice num.* 28 *et* 29, *qui etiam innuunt, tunc adfuisse Petrum, licet de Bernardo tantum loquantur, quia hic erat præcipuus. Anonymus noster Perusinus eadem paulo brevius refert, et Petrum adfuisse, clarius indicat, sic inquiens :* Videntes autem hæc et audientes (*de prædicatione S. Francisci*) duo viri de civitate illa, visitatione divinæ gratiæ inspirati ad eum humiliter accesserunt. Unus ex his fuit frater Bernardus, et alius frater Petrus, et dixerunt ei simpliciter : Volumus esse tecum de cetero, et facere, quæ tu facis. Dic ergo nobis, quid de rebus nostris facere debeamus. Qui de adventu et voto eorum exultans benigne respondit eis : Eamus, et a Domino consilium requiramus. D

Evangelium consulunt, eoque edocti omnia sua dant pauperibus :

188 Abierunt ergo ad quandam civitatis ejusdem ecclesiam, et intrantes in eam, positis genibus, humiliter in oratione dixerunt : Domine Deus, pater gloriæ, rogamus te, ut per tuam misericordiam ostendas nobis, quid facere debeamus. Expleta autem oratione, dixerunt sacerdoti ejusdem ecclesiæ, qui præsens erat : Domine, ostende nobis Euangelium nostri Domini Jesu Christi. Et cum aperuisset sacerdos librum, quia ipsi adhuc bene legere nesciebant (*nempe Latine*) invenerunt statim locum, ubi scriptum erat : « Si vis perfectus esse, » vade et vende omnia, quæ habes, et da paupe- » ribus, et habebis thesaurum in cœlo. » Et iterum revolventes, invenerunt : « Qui vult venire post » me etc. » Et iterum revolventes, reperierunt : « Nihil tuleris * in via etc. » Audientes autem hoc, gavisi sunt gaudio magno valde, et dixerunt : Ecce, quod desiderabamus; Ecce, quod quærebamus. Dixitque beatus Franciscus : Hæc erit regula nostra. Deinde ait illis duobus : Ite, et, sicut audistis, consilium Domini faciatis.

* tuleritis

quod dum agunt, Silvester presbyter pecuniam a Sancto inique exigit, E

189 Abiit ergo frater Bernardus, et quia dives erat, venditis omnibus possessionibus suis, fecit multam pecuniam. Ille vero frater Petrus pauper fuerat temporalibus, sed jam dives spiritualibus factus erat. Facit ergo et ipse, sicut habuerat consilium Domini; congregantesque pauperes civitatis, ipsis pecuniam, quam de facultatibus suis venditis tulerant, erogabant. Dum hoc facerent, et beatus Franciscus adesset, venit quidam sacerdos, Silvester nomine, a quo beatus Franciscus emerat lapides pro ecclesia S. Damiani resarcienda, apud quam et morabatur (*nimirum ad tempus*) antequam socios haberet fratres. Videns ergo dictus sacerdos illos taliter pecuniam expendentes, avaritiæ anhelans, concupivit de illa pecunia sibi dari; et cœpit murmurare, dicens : Francisce, non bene persolvisti mihi de lapidibus, quos emisti a me. Audiens autem beatus Franciscus illum injuste murmurantem, qui a se omnem avaritiam repulerat, accessit ad fratrem Bernardum, et mittens manum in chlamidem ejus, ubi erat pecunia, extraxit manum plenam denariis, deditque sacerdoti. Iterumque manum ponens in chlamidem, extraxit denarios, ut semel jam fecerat, et iterum dedit dicto presbytero, dicens ei : Habes adhuc plene solutionem? Plene, inquit. Quo facto, sacerdos lætus ad domum suam regreditur.

sed paulo post pœnitens, tandem in ejusdem disciplinam transit, F

190 Post paucos dies idem sacerdos a Domino inspiratus cœpit super his, quæ beatus Franciscus ei fecerat, cogitare, dicens : Nonne ego miser sum, qui, cum sim senex, bona temporalia concupisco et quæro; et hic Juvenis ea pro Dei amore despicit et abhorret? Nocte itaque sequenti vidit in somnis crucem immensam valde, cujus summitas cœlos tangebat, pes autem ejus in ore Francisci stabat : latera autem crucis ab una parte mundi usque ad partem alteram tendebant. Evigilans ergo ille sacerdos credidit, beatum Franciscum esse vere amicum Domini, et quod esset per universum mundum Religio, quam cœperat, dilatanda. Et sic cœpit deinde timere Dominum et pecuniam (*lege* pœnitentiam, *ut habent Tres Socii*) agere in domo sua; et parvo post tempore evoluto, Fratrum Ordinem est ingressus, et bene vixit, et religiose finivit. *Eadem hæc de Silvestro leguntur etiam apud Tres Socios num.* 30 *et sequenti, ut pro certis habenda sint et indubitatis, licet ea omiserit Thomas Celanensis, et qui eum secutus fuit ac fere contraxit, biographus secundus.*

et in illius Ordine pie moritur.

191 *De petita per Silvestrum pecunia etiam siluit Bonaventura, forte ut famæ consuleret viri, qui deinde in Ordine pie vixit ac mortuus est, et hac pœnitentia culpam illam abunde delevit. At non prætermisit sanctus doctor visionem illam de cruce, cui alteram simul oblatam addidit, et utramque tertio repetitam, quam deinde secuta est ejusdem Silvestri conversio et ad Ordinem accessus. Consule illum in Vita edenda num.* 30. *Hæc adjuncta discere potuit*

S. Bonaventura

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *S. Bonaventura ex diligenti, quod instituit de sancti Patris sui gestis, examine et quos consuluit, illius sociis superstitibus. De eodem Silvestro, qui non diu post approbatum a Romano Pontifice Ordinem* S. Francisco *se adjunxit, sermo infra redibit. Quod ad petitionem pecuniæ spectat, credibile est, laudatum Silvestrum partem, quæ solutioni deerat,* S. Francisco *in pium opus ecclesiæ reparandæ antea condonasse, sed cum deinde nummos ex ejusdem Sancti consilio tam liberaliter egenis distribui videret, occasionem inconsulto arripuisse male recuperandi, quod bene expenderat. Utut res se habeat, delictum suum laudabili pœnitentia eluit, non modo non recte accepta, verum etiam aliter possessa relinquendo, seque sancto Patri, cui injurius fuerat, sub religiosa disciplina subjiciendo.*

Primus Sancti socius Bernardus notissimus est; secundus

192 *Pauca modo dicenda sunt de duobus illis primis* S. Francisci *sociis, Bernardo et Petro. Primus in Ordine suo notissimus est, et apud Waddingum passim vocatur* Bernardus a Quinta valle. *Multis ille claruit virtutibus, et annis pluribus sancto Patri suo, cui erat amicissimus, superfuit, de eoque sermo recurret.* Beatus vocatur *ab Arturo in Martyrologio Franciscano, aliisque Franciscanis scriptoribus; verum hunc titulum nomini ejus non sunt ausi adscribere decessores mei, quos consule in Prætermissis*

B *ad diem* 10 *Julii; neque ego propter eamdem rationem audeo, maxime cum nec in Martyrologiis Ordinum* S. Francisci *ad calcem Martyrologii Romani, auctoritate Benedicti XIV editi, adjectis nomen ejus reperiam. Alter, Petrus scilicet, a Waddingo aliisque passim creditur fuisse* Petrus Cathanii, *qui postea totius Ordinis vicarius a* S. Francisco *creatus fuit. De conversione illius Waddingus ad annum* 1209, *num.* 9 *hæc ait:* Eodem ipso die (*quo Bernardum*) humilia sua veste donavit Vir Dei Petrum Cathanii, ecclesiæ cathedralis, divo Ruffino sacræ, canonicum, qui Bernardi motus præludiis eum comitatus est, donec eidem instituto una nomen dedere, prior Bernardus, posterior Cathanius.

Petrus, passim creditur fuisse Petrus Cathanii;

193 *Forte hujus sententiæ primus auctor est Bartholomæus Pisanus, vel qui illius librum Conformitatum typis excudi curavit Mediolani anno* 1510, *in qua editione fol.* 52 *verso, col.* 2 *sic legitur:* Frater Petrus Cathanii fuit sanctus frater, et filius ac socius beati Francisci. Istum beatus Franciscus, cum esset canonicus majoris ecclesiæ de Assisio, distractis omnibus una die, cum sancto fratre Bernardo de Quintavalle ad Ordinem recepit et fratrem fecit. Hic frater Petrus primo fuit beati Francisci vicarius, et demum, beato Francisco renunciante officio generalatus coram fratribus,

C ipse frater Petrus factus est generalis Minister. *Tam clara hæc est Pisani, vel certe primi ejusdem editoris sententia, ut mirandum non sit, illam passim ab omnibus Franciscanis admissam esse. At sunt nonnulla, quæ eamdem mihi ancipitem faciunt. Prima difficultas oritur ex tempore, quo Petrus, qui cum Bernardo ad* S. Franciscum *accessit, in Ordine vixisse dicitur a Thoma Celanensi, collato cum tempore, quo Petrum Cathanii obiisse, scribit Waddingus, nimirum anno* 1221, *die* 10 *Martii; ac proinde anno ab ingressu in Ordinem duodecimo fere completo.*

sed non desunt rationes, quæ diversum ab illo esse,

194 *Celanensis enim, qui Petrum certe noverat, num.* 23 *de eodem ait:* Statim autem (*post Bernardum*) vir quidam Assisii civitatis eum secutus est, qui valde in conversatione laudabilis exstitit; et quod sancte cœpit, sanctius post modicum consummavit. *Illud* post modicum *quid aliud indicat, quam secundum illum* S. Francisci *socium non nisi exiguo tempore vel paucis annis in Ordine vixisse? Id autem non videtur dici potuisse de Petro Cathanii, qui totius Ordinis generalis Minister, seu potius* S. Francisci *vicarius fuit, et annos fere duodecim in Ordine explevit. Idem biographus ibidem de B. Ægidio dicit:* Qui longo tempore durans *etc., etsi annis tantum septem vel octo post mortem Petri Cathanii ista scriberet, sive annis fere viginti post ingressum Ægidii. At, qui annos viginti vocavit* longum tempus, *non videtur annos duodecim dicturus fuisse* modicum. *Altera difficultas petitur a canonicatu Petri Cathanii, dictisque Trium Sociorum et anonymi nostri Perusini. Tres Socii, quibus Petrus, secundus* S. Francisci *discipulus, procul dubio probe notus fuerat, num.* 28 *asserunt, hominem simplicem fuisse, neque in lectione Evangelica versatum: de eo enim simul ac de* S. Francisco *et Bernardo aiunt:* Simplices erant, et nescierunt invenire verbum Euangelii de renunciatione.

AUCTORE C. S.

195 *Deinde num.* 29 *et seq. insinuant, Petrum, de quo agimus, pauperem fuisse, dum de Bernardi divitiis, bonisque omnibus venditis et in pauperes distributis expresse meminerunt, de Petro autem solum inquiunt:* Petrus etiam pro posse divinum consilium adimplevit. *Hoc ipsum etiam apertius asserit Anonymus Perusinus verbis illis jam datis:* Ille vero frater Petrus pauper fuerat temporalibus. *Itaque nescio, an modo dicta simplicitas et paupertas satis conveniant in canonicum ecclesiæ cathedralis Assisiensis. Accedit et altera dubitandi ratio, quod S. Bonaventura in Vita num.* 28 *et* 29 *loquens de primis* S. Francisci *sociis, solos nominet Bernardum et Ægidium, de reliquis vero tantum generatim dicat:* Non multo post (*ab accessu Bernardi*) vocatis eodem spiritu quinque viris, filiorum Francisci senarius numerus completus est, inter quos tertium sortitus E est locum sanctus pater Ægidius. *Secundum locum certe obtinuit Petrus noster, isque præ reliquis nominandus erat, si Petrus Cathanii fuisset canonicus cathedralis ecclesiæ, postea vicarius generalis sub* S. Francisco, *et morum sanctitate commendatus. Quam ob rem hæc me dubitare cogunt, an secundus* S. Francisci *socius Petrus non sit alius a Petro Cathanii, qui forte primum post approbatam eodem anno ab Innocentio III Religionem ad eam accesserit.*

potius suadeant.

196 *Tertium e sociis* S. Francisci *fuisse B. Ægidium, cujus Acta apud nos data sunt ad diem* 23 *Aprilis, consentiunt S. Bonaventura et tres Socii num.* 32, *ubi dicunt, illum venisse* post aliquot dies *ab adventu duorum primorum. Anonymus Perusinus ejusdem conversionem ita narrat.* Postquam vero dicti frater Bernardus et frater Petrus, venditis facultatibus suis, earum pretium, ut diximus, pauperibus erogarunt, induti sunt, sicut vir Dei beatus Franciscus indutus erat, et associati sunt ei. Non habentes autem hospitium, ubi manerent, abierunt et invenerunt ecclesiam quandam (*dudum* S. Francisco *notam*) pauperculam, quasi derelictam, quæ Sancta Maria de Portiuncula dicebatur; et fecerunt ibi unam domunculam, ubi pariter morabantur. *De illa ecclesia hic primum meminit auctor, ideoque* F *de eadem loquitur, sicut loquendum erat, antequam eam reparaverat* Franciscus. *Tum de Ægidio subjungit:* Post dies octo (*ab adventu primorum*) iterum venit ad eos alius vir, nomine Egidius, de civitate eadem, homo devotissimus et fidelissimus, cui Dominus gratiam multam dedit.

Tertius Sancti socius fuit B. Ægidius,

197 Et cum devotione magna et reverentia flexis genibus, beatum Franciscum rogavit, ut eum in societatem suam recipere dignaretur. Quod audiens et videns beatus Franciscus, lætus efficitur, et recepit eum alacriter et libenter. Et sic isti quatuor habuerunt immensam lætitiam et spirituale gaudium magnum valde. *Hæc ille de B. Ægidio, quæ etiam omnia prolixius referuntur in supra laudata ejusdem Beati Vita, ex qua nonnulla huc transfero. De* S. Francisco *ibi multa dicuntur relatis consona; narratur Bernardi et Petri conversio, eamque dicitur Ægidius* post dies octo *intellexisse ex parentibus suis. Illorum autem excitatus exemplo, postridie, præmissis ad Deum precibus,* S. Franciscum *quæsivit et invenit. Audito illius desiderio,* Franciscus *Ægidium allocutus fuisse dicitur hoc modo:* Frater, ita fecit tibi Dominus, sicut faceret imperator, si modo ad civitatem istam accederet, et vellet sibi eligere aliquem pro suo dilecto familiari; omnes dicerent singillatim: Utinam eligat me! Et ita Dominus elegit te. Commonuitque eum

cujus ad illum accessus

et

AUCTORE C. S.

et confortavit, ut in vocatione, qua vocatus erat, fideliter permaneret. *Tum dicuntur gavisi illi* quatuor, *additurque :* Et necdum erant plures.

ex aliis exponitur, quique que paulo post

198 *Deinde subjungitur :* Ipsa itaque die venit quædam pauper, eleemosynam ab eis petens : cumque S. Franciscus, qui proposuerat in corde suo non renuntiare alicui petenti pro Domino, donec haberet, quod daret, ut impleret Euangelicum illud : « Omni petenti te tribue ; » vocans Ægidium, diceret ei, ut daret illi pauperi chlamydem suam (nondum enim indutus erat) ad jussionem ejus festinavit, et alacriter dedit ei... Altera die vestivit eum B. Franciscus. *Plura de B. Ægidio ibi legi possunt, uti et iter ejus cum* S. Francisco *per Marchiam Anconitanam, de quo etiam agunt Tres Socii num.* 35, *silentibus Celanensi et S. Bonaventura. Illud hic referam ex anonymo Perusino, qui vetustior est, quam biographus B. Ægidii.* Dehinc assumpsit beatus Franciscus fratrem Egidium, et eum in Anchonitanam Marchiam secum duxit, et duo alii remanserunt (*secundum Tres Socios profecti sunt alio.*) Euntes autem in Domino non modicum exultabant. Vir autem Domini Franciscus voce clarissima exultavit, Gallice decantans, laudans et benedicens Dominum.

cum illo ivit in Marchiam Anconitanam,

B

199 Magna siquidem in eis lætitia abundabat, quasi ab eis esset thesaurus maximus acquisitus : multum enim gaudere poterant, quia multum reliquerant, et tamquam stercora reputaverant, quæ consueverunt homines contristare, considerantes proinde amaritudines, quas seculi dilectores in delectationibus secularium patiuntur, in quibus multa miseria et tristitia reperitur. Dixit autem beatus Franciscus ad comitem suum fratrem Egidium : Similis erit Religio nostra homini piscatori, qui mittit retia sua in aquam, capiens multitudinem piscium copiosam : videns autem piscium multitudinem, magnos eligit in vasis suis, parvos in aqua relinquens. Miratus est ergo dictus Egidius de prophetia, quam Sanctus protulit ore suo, cum sciret, parvum numerum fratrum esse. *De hoc vaticinio eodem loco et tempore etiam Tres Socii meminerunt num.* 35, *et addunt :* Sicque prophetavit, Ordinem dilatandum, *quod sane, ipso Sancto in vivis superstite, luculenter impletum fuit, et ad hæc usque nostra tempora stabili experientia confirmatur. Meminit etiam Celanensis in Vita prima num* 28, *sed paulo serius una cum aliis prædictionibus.*

de quo itinere pauca referuntur.

C

200 *Redeo ad anonymum, qui sic pergit :* Adhuc non prædicabat populo Vir Dei : quando tamen per civitates et castella transitum faciebant, hortabatur viros et mulieres, ut timerent et amarent Creatorem cæli et terræ, et pœnitentiam agerent de peccatis suis. *Hac scilicet de causa jam ante dicitur prædicasse, ut monui supra num.* 182. *Hinc etiam Tres Socii, qui anonymo nostro hic præluxerunt, num.* 33 *aiunt :* Licet autem Vir Dei nondum plene populo prædicaret, quando tamen per civitates et castella transibat, hortabatur omnes *etc. Sequitur apud anonymum :* Frater vero Egidius respondebat, dicens : Optime dicit; credatis ei. Qui eos audiebant, dicebant ad invicem : Qui sunt isti, et quæ verba dicunt? Quidam eorum dicebant, quia stulti vel ebrii videntur : alii autem dicebant : Non sunt verba stultorum ea, quæ proferunt ex ore suo. Respondens unus eorum dixit : Propter summam perfectionem Domino adhæserunt, aut insani facti sunt; quia vita corporis eorum desperata videtur. Nudis pedibus ambulant, viles vestes induti sunt, parco cibo utentes. Adnuc tamen non sequebantur eos. Mulieres autem juvenculæ, videntes eos a longe, fugiebant paventes, ne forte stultitia tenerentur. Quamvis autem minime ipsos sequerentur, timorati nihilominus remanebant, visa forma sanctæ conversationis, qua insigniti pro Domino videbantur. Cumque circuissent illam provinciam, ad dictum locum Sanctæ Mariæ Portiunculæ sunt reversi.

D

§ X. Quatuor aliorum sociorum ad S. Franciscum accessus, qui illos instruit, et binos in varias regiones mittit : brevi tamen post omnes ad S. Mariam in Portiuncula redeunt, et rursus aliorum quatuor accessu, una cum Sancto, fiunt duodecim.

Quatuor alios socios admittit,

Quæ hic exponenda proposui, leguntur in Vita prima num. 23 *et sequentibus; sed nonnulla in eis sunt obscuriora, et quæ facile in errorem inducerent, nisi ope aliorum instrumentorum explicentur. Secundum Tres Socios num.* 35, paucis *a* S. Francisci *reditu e Marchia Anconitata* elapsis diebus, *tres Assisiates simul ad eum accesserunt, videlicet* Sabatinus, Moricus et Joannes de Capella. *De tribus illis consentit Anonymus Perusinus, cujus verba recitabo inferius. S. Bonaventura non satis distinxit tempus, quo singuli advenerunt; cetera consonat. At Thomas Celanensis, qui præposito sociis omnibus quodam, quem* puerum *appellavit, B. Ægidium a tertio loco ad quartum perperam amovit, relato hujus adventu, subjunxit num.* 23 : His autem uno alio apposito, frater Philippus septenarium (*nempe* E *ipso* Francisco *annumerato*) adimplevit. *At inter Ægidium et Philippum ab aliis tres ponuntur intermedii, ac passim creditur Philippus octavus, solusque accessisse, atque is ipse esse, de quo, tacito nomine, ait laudatus Celanensis num.* 29 : Eodem tempore (*videlicet post aliqua mox referenda*) quodam alio bono viro Religionem intrante, ad octonarium numerum processerunt. *Hic, inquam, octavus Philippus fuisse creditur, licet ab aliis non nominetur.*

quorum ultimus fuit Philippus. Sanctus de suis sollicitus,

202 *S. Bonaventura num.* 31 *iisdem fere verbis accessum illius memoravit, sed* septenarium numerum *filiorum* S. Francisci *tunc impletum dixit, ut octavus esset ipse* S. Franciscus. *Potuit primus biographus, qui illis rebus non adfuit, in eum errorem facile incidisse, ut septimum cum* Francisco *posuerit Philippum, qui sine* Francisco *erat septimus. Audiamus modo secundum biographum, qui omnia compendiosius tradidit, et tam accessum sociorum, quam sancti Patris monita, apud primum uberius relata, stilo suo sic expressit :* Jam sex fratrum septimus ipse Pater jocunda societate gaudebat, qui inter Minores in omnibus non ut major, sed ut minimus, se gerebat : cum adhuc sui suorumque processum prorsus ignorans, scire pusilli gregis exitum vehementer optabat. *Jam antea Sanctus* F *quædam de futura Ordinis sui magnitudine prædixerat B. Ægidio, ut supra vidimus; ideoque non sic accipienda sunt secundi biographi verba, quasi tunc eidem Sancto nihil hac super re innotuisset; neque id asseruit Celanensis, ex quo ille hæc hausit, sed solum sollicita prece petiisse a Deo, ut* conversationis suæ suorumque processum *sibi indicaret.*

Ordinem suum mire dilatandum cognoscit, eosque animat,

203 *His breviter observatis, pergo cum laudato biographo secundo.* Cum ergo (*inquit ille*) se quadam die devotus devotius, uti consueverat, orationi dedisset, et super impensis sibi divinitus beneficiis gratias agens, annosque male transactos in amaritudine animæ suæ recogitans, Domino tremebundus assisteret, cœpit passim menti ipsius mira suavitas et lætitia perfundi, in tantum, ut etiam a seipso deficeret; donec tandem de peccatis concreta caligo penitus fugaretur, sibique usque ad quadrantem novissimum remissionis debiti culparum certitudo daretur. Dehinc supra se raptus et in quadam mirandi luminis claritate totus absorptus est; ubi dilatato mentis sinu, certificari de hiis, quæ desideraverat, meruit, et ex omni natione suorum multiplicationem luculente prospexit. Non solum autem hæc, sed et alia plura de futuris archana contemplans, tandem ad se reversus cuncta per ordinem fratribus enarravit, spirituque nimirum totaliter innovatus, nec de ipsorum, nec de

A de sua eos simplicitate diffidere monuit ; sed veluti usque ad fines orbis multipliciter dilatandos, in Domino confortavit.

et in quatuor orbis plagas mittit ;

204 Eo tempore appositus est eis quidam vir alius, et sic octonarius ipsorum impletus est numerus. Tunc cans (*lege* convocans, *nam pars vocis erasa est*) universos, et ad mittendum in diversas mundi partes binos binosque confederans, plura illis de regno Dei, de mundi suique contemptu dulciter et intente proposuit, et inter alia præcipue de patientia et humilitate præcepit. Gaudet igitur grex humilis ad vocem Pastoris, et ad recipiendum salutaris obedientiæ mandatum gratanter obtemperans, ad pedes ejus humiliter se provolvit; quos ipse Pastor benignissimus erigens, et affectuose, velut filios mater, amplectens, singulos ad oscula suscipit, singulos illo prophetico sermone communit : « Jacta cogitatum tuum in Domino; et ipse te » enutriet. » Hoc verbum frequenter, quotiescumque mittebat, pronuncians, omnem fratrum sollicitudinem in Deum dirigere voluit, sic erroneam illis et interminam cupiditatis viam præcludere,

* *l.* æs

sic et in zonis es * pro crastino cor prorsus a curis extraneum non providit. *Hæc omnia etiam videri*

B *potuerunt in Vita prima.*

non tamen diuturna fuit hæc peregrinatio, nam, Sancto orante,

205 *Sequitur ibidem profectio omnium octo ad quatuor diversas mundi partes, ut loquuntur Celanensis et Bonaventura, quasi longa indicare voluissent aggressos itinera. Laudatus enim Celanensis num.* 30 *ait :* Tunc frater Bernardus cum fratre Ægidio versus sanctum Jacobum (*Compostellam indicat in Hispania*) iter arripuit. *Verum, si ista intentione revera recesserint Assisio in Etruriam, ubi eosdem tunc fuisse videbimus, certe mutarunt consilium, licet etiam in Vita B. Ægidii innuatur, illum tunc Compostellam profectum esse : hæc enim B. Ægidii peregrinatio multo serius figenda est. Ita omnino exigit temporis ratio; sanctusque Bonaventura clare docet, itinera illa minime longa fuisse. Nam num.* 33 *asserit quidem,* S. Franciscum *cum socio suo* versus unam orbis partem *perrexisse,* reliquis sex ad modum crucis tribus aliis mundi partibus deputatis; *sed mox addit, sanctum Patrem,* modico elapso post tempore, *desiderasse et a Deo petiisse, ut omnes redirent, atque ita factum, ut* post modicum temporis *omnes denuo convenerint apud Assisium. Eadem habet Celanensis num.* 30, *qui S. Bonaventuræ præluxit.*

omnes post modicum tempus apud Assisium rursum convenerunt.

206 *Consonat de more auctor Vitæ secundæ, apud quem de eodem itinere hæc legere est :* Igitur sex illorum binis in diversas regiones ad pacem cum pœnitentia nunciandam divisis, ipse quoque in aliam mundi partem, uno secum retento, secessit. Sed paternus affectus absentiam novæ prolis

C non sustinens prorogari, cœpit ad videndum eos non multo post affici desiderio vehementi. Quæsivit ergo ad optinendum *, quod concupierat, oratio-

* obtinendum

nis consuetæ refugium; et sic a Domino meruit exaudiri, ut in brevi omnes improvise et mirabiliter congregarentur in unum. *Hoc itaque omnium iter non fuerit, opinor, nisi paucarum hebdomadarum aut unius fere mensis, cum Sanctus,* modico elapso post *omnium discessum* tempore, *eorum absentiam dolens, reditum a Deo flagitaverit, et* post modicum temporis *desiderium suum mirabiliter expletum viderit. Quid porro in eodem itinere egerint et passi fuerint, silent laudati biographi; sed plura de his scribunt Tres Socii num.* 37 *et seqq., et ad hoc tempus revocant* formulam *orandi a* S. Francisco *sociis traditam.*

Anonymi narratio de injuriis illis illatis,

207 *Hisce, quoad gesta consentit Anonymus noster Perusinus, cujus verba nondum data ab adventu trium sociorum hic subjicio, ut hinc conjiciat lector, quanta viri illi instructi fuerint virtute, qui talia patienter ferrent, et cœptis insisterent. Verba accipe :* Paucisque diebus elapsis (*a reditu* S. Francisci *e Marchia Anconitana*) tres alii viri de civitate Assisii venerunt ad eos, videlicet frater Sabbatinus, frater jobs (*Joannes cognomento de Capella*) et frater Moricus parvus, beato Francisco, ut eos in socie-

tatem suam reciperet, humiliter supplicantes. Qui benigne et alacriter recepit eos. Quando vero petendo eleemosinam per civitatem ibant, vix volebat aliquis eis dare, sed dicebant eis : Dimisistis res vestras, et vultis comedere alienas. Et sic patiebantur penuriam multam valde. Parentes quoque eorum et consanguinei persequebantur eos, et alii de civitate illa parvi et magni, masculi et feminæ despiciebant et deridebant eos, tamquam insensatos et stolidos, nisi solus episcopus civitatis, ad quem ibat frequenter beatus Franciscus ad consilium postulandum. Propter hoc autem persequebantur eos parentes eorum et consanguinei, et alii deridebant, quia eo tempore nullus inveniebatur, qui omnia sua relinqueret, et iret petendo eleemosinam hostiatim.

AUCTORE C. S.

de Sancti gestis cum episcopo, de instructis ab illo

208 Quadam vero die, cum adiisset beatus Franciscus dominum episcopum, episcopus dixit ei : Dura multum mihi videtur et aspera vestra vita, nihil possidere in hoc seculo, nec habere. Cui Servus Domini sic respondit : Domine, si possessiones aliquas haberemus, arma ad protegendum necessaria nobis essent; quia inde quæstiones oriuntur et lites plurimæ, et solet dilectio Domini et proximi impediri. Idcirco nolumus in hoc seculo temporale aliquid possidere. Et placuit episcopo hoc responsum. Sanctus autem Franciscus, cum E Spiritus sancti gratia plenus esset, quæ ventura erant, fratribus suis prænuntiavit; et convocans ad se sex istos fratres suos, quos habebat, in silva, quæ erat juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ de Portiuncula, ad quam ipsi de orationem frequenter ibant, dixit eis : Consideremus, carissimi fratres, vocationem nostram; quia misericorditer vocavit nos Dominus, non tantum pro nostra, sed pro multorum utilitate et salute. Eamus ergo per mundum, exhortantes et docentes homines et mulieres verbo et exemplo, ut agant pœnitentiam de peccatis suis, et mandatorum Domini recordentur, quæ oblivioni tanto tempore tradiderunt.

et ad prædicandum missis discipulis,

209 Et iterum dixit eis : Nolite timere, pusillus grex, sed in Domino fiduciam habeatis; et nolite dicere : Inter nos insipientes sumus sine litteris; quomodo prædicabimus? Sed memores estote verborum Domini, quæ locutus est discipulis suis, dicens : « Non enim vos estis, qui loquimini, sed » Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Ipse enim Dominus dabit vobis spiritum et sapientiam ad exorandum et prædicandum viris et mulieribus suorum viam et opera mandatorum. Invenietis autem fideles homines, mansuetos, humiles et benignos, qui vos et verba vestra recipient cum gaudio et amore. Invenietis alios infideles, super- F bos et blasphemos, resistentes et exprobrantes vobis et verbis vestris. Ponite ergo in cordibus vestris patienter et humiliter hæc omnia tolerare. Cumque fratres hæc verba audissent, formidinem habuerunt. Videns autem beatus Franciscus, eos timere, dixit eis : Nolite expavescere; scitote enim, non post multum temporis venient ad vos multi sapientes et prudentes et nobiles; eruntque nobiscum, prædicabunt gentibus et populis, regibus et principibus; et multi ad Dominum convertentur, et per universum mundum multiplicari faciet Dominus suam familiam et augeri. Et cum consummasset omnia verba hæc, benedixit eis, et abierunt. *Alia quoque prædixit in Vita prima; sed his minime contraria.*

traditoque iisdem prædicandi modo,

210 *Pergo cum anonymo.* Cum autem per viam Christi devotissimi servi Domini ambularent, et aliquam ecclesiam habitabilem vel derelictam inveniebant, sive crucem aliquam secus viam, ad eas se ad orationem devotissime inclinabant, dicentes: Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, et ad universas ecclesias tuas, quæ sunt in universo mundo, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Et ibi credebant et sentiebant, se locum invenire. *Peculiarem hunc orandi modum illos a* S. Francisco *doctos fuisse, tradunt alii biographi, licet de tempore non conveniant. Thomas Celanensis*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S.

in Vita prima num. 43 istud S. Francisci *documentum ad illud tempus retulit, quo ille cum sociis suis post approbatum ab Innocentio III Papa Ordinem Roma redux, apud Rivum-tortum vel apud S. Mariam de Portiuncula habitavit; consonatque S. Bonaventura in Vita edenda num. 42. At Tres Socii, quos Anonymus hic secutus est, eodem, quo hic, tempore de eadem oratione meminerunt num. 37, ex quo loco etiam postrema Anonymi verba sic sunt emendanda, vel exponenda :* Credebant enim semper invenire locum Dei, ubicumque crucem vel ecclesiam invenissent. *Ceterum ex horum Trium Sociorum testimonio saltem probabile fit, usum dictæ orationis prius, quam apud Celanensem et Bonaventuram dicitur, a sancto Patre discipulis suis commendatum fuisse.*

et injuriis, quas in hoc itinere sustinuerunt.

211 *Nunc ex eodem Anonymo audiamus, quæ et quanta illi eo in itinere passi fuerint.* Quicumque vero, *inquit,* videbant eos, mirabantur, dicentes : Numquam tales Religiosos vidimus, sic indutos. Omnibus enim habitu et vita dissimiles, silvestres homines videbantur. Quando intrabant civitatem aliquam, castellum aut domum, pacem annunciabant. Ubicumque enim inveniebant homines vel mulieres in viis vel in plateis, confortabant eos, ut timerent et amarent Creatorem cæli et terræ, et
B ut mandatorum ejus, quæ oblivioni tradiderant, recordantes, ea studerent ammodo opere adimplere. Et quidam eorum libenter eos cum gaudio audiebant; alii autem e contrario deridebant : a multis multipliciter interrogabantur ; et valde laboriosum erat eis tot et tantis interrogationibus respondere; quia in novis rebus novæ interrogationes sæpius oriuntur. Quidam enim interrogabant eos : Unde estis? Alii vero dicebant : De quo Ordine estis? Illi autem simpliciter respondebant : Pœnitentes sumus, et in civitate Assisio nati sumus. Adhuc enim Religio fratrum non nominabatur Ordo. Et multi, qui videbant et audiebant eos, deceptores vel fatuos existimabant; et aliquis inter eos dicebat : Nolo eos in domum meam recipere, ne forte furentur res meas. Et propter hoc in multis locis inferebantur injuriæ multæ eis : unde sæpe hospitabantur in ecclesiarum porticis * vel domorum.

* *l.* porticibus

Illorum duo Florentiæ hospitio exclusi,

212 Eodem tempore erant duo fratres apud civitatem Florentiæ, qui per civitatem ibant hospitium exquirentes, et nullatenus poterant invenire. Venientes ergo ad quandam domum, cui quidam * porticus erat ante, et in porticu clibanus quidam; qui dixerunt ad invicem : Hic poterimus hospitari. Rogaverunt ergo dominam illius domus, ut in domo sua eos recipere dignaretur. Qua statim
C hoc facere recusante, deprecati sunt eam, ut vel juxta clibanum eos illa nocte permitteret hospitari; quæ concessit eis. Cum venisset autem vir ejus, et fratres in porticu juxta clibanum respexisset, dixit eis * : Quare ribaldis (*id est,* nebulonibus) istis hospitium contulisti? Quæ respondit : Ego eos in domo nolui hospitari, sed extra in porticu jacere permisi, ne intus nobis possent aliquid furari, nisi forte ligna. Et propter suspicionem istam noluerunt fratribus ad cooperiendum aliquid dare, licet magnum eo tempore frigus esset. *Ex chronotaxi nostra mense Maio hæc facta sunt : poterat tunc Florentiæ nocturno tempore intensius frigus esse, quam ut una induti paupercula tunica et nudipedes noctem sine alio tegumento in porticu commode traducerent.*

* *l.* quædam

* *forte* ei

sed deinde cognita eorum virtute,

213 Surgentes autem Fratres (*ita pergit Anonymus*) nocte illa ad Matutinum ad magis vicinam sibi ecclesiam perrexerunt. Mane autem facto, mulier illa, vadens ad ecclesiam ad audiendam Missam, respexit eos in oratione devote et humiliter permanentes; dixitque intra se : Si homines isti malefactores essent, sicut vir meus dicebat, orationi non sic insisterent reverenter. Cumque hoc multi cogitarent *, ecce, vir quidam, nomine Guido, per ecclesiam illam ibat, et pauperibus, quos inveniebat, eleemosinas tribuebat. Qui cum accessisset ad Fratres, et denarium unum cuilibet, sicut aliis, vellet dare, illi accipere renuerunt. Quibus ille dixit : Quare denarios non accipitis, D sicut ceteri pauperes, cum ita vos videam inopes et egenos? Respondit ei unus ex eis frater, Bernardus nomine : Verum est utique, quod pauperes sumus; sed paupertas nostra non ita gravis est, ut pauperum aliorum, quia per Domini gratiam, et ejus consilium adimplendo, pauperes facti sumus. Admirans homo ille interrogavit eos, si adhuc in seculo aliquid habuissent : qui responderunt, se aliquid habuisse, sed amore Dei pauperibus tribuisse. Considerans autem dicta mulier, Fratres denarios recusasse, accedens ad eos, dixit eis : Christiani, si ad meum vultis redire hospitium, ego vos recipiam intra domum. Cui Fratres humiliter responderunt : Dominus retribuat tibi.

* an multis cogitaret ?

a viro pio benigne excipiuntur ; ab aliis socii pessime habiti,

214 Cum vidisset ergo vir ille, quod fratres non poterant hospitium invenisse, apprehendens eos duxit in domum suam, et dixit eis : Ecce hospitium, quod vobis Dominus præparavit; manete in eo secumdum beneplacitum vestrum. At illi gratias egerunt Domino, qui fecit misericordiam suam cum illis, et exaudivit clamorem pauperum; et manserunt apud eum per dies aliquot. Et sic propter eorum verba, quæ audivit, et exempla bona, quæ vidit, multa postea pauperibus est largitus. Iterum * enim apud homines Fratres viles deputabantur, ut multi parvi et magni facerent eis et dicerent, sicut E domini servis suis. Et licet haberent vilissima indumenta et paupercula, tamen eis libenter auferebant. Cumque sic nudi remanerent (*solis scilicet tecti femoralibus*) quia unam tantum habebant tunicam; sæpius tamen formam Euangelicam observabant, non ea auferentibus repetentes : si tamen illi pietate commoti volebant restituere, recipiebant libenter. Et quibusdam lutum in capite jactabant : cuidam quoque eorum taxili in manu fuerunt positi, si vellet ludere, invitando; quidam autem post dorsum cujusdam portatus fuit, appensus per caputium, quantum portitori placuit. Hæc eis et alia multa faciebant, affligentes eos; qui * idcirco non dicimus, ne verba nostra multum dilatemus. In tantum enim vilissimos eos reputabant, qui secure et audacter affligebant eos, quasi malefactores essent. Insuper et in fame et in siti, frigore et nuditate multas tribulationes et angustias tolerabant. *Hæc posteriora, uti et sequentia, videntur non de solis illis duobus, sed de omnibus sociis dici.*

* *forte* Interim

* *an* quæ ?

patientia sua tandem multos movent, aliquos in societatem admittunt,

215 Hæc autem omnia constanter et patienter, sicut a beato Francisco moniti fuerant, sustinebant. Non contristabantur, nec conturbabantur, sed, sicut homines in magno lucro positi, exultabant in tribulationibus, et gaudebant, et Dominum sollicite pro suis persecutoribus exorabant. Cumque F viderent eos homines in suis tribulationibus exultare, et eas patienter pro Domino tolerare, et ab oratione devotissima non cessare, pecuniam quoque non recipere, non portare, sicut recipiebant alii pauperes indigentes, et magnam invicem dilectionem habere, in qua esse discipuli Domini noscebantur; multi benignitate Domini corde compuncti sunt, et venientes ad eos, de offensis in eos veniam postulabant; ipsi autem ex corde remittentes eis, alacriter respondebant : Dominus parcat vobis. Et sic eos libenter postmodum audiebant; et quidam rogabant eos, ut in suam eos societatem recipere dignarentur; et ex eis plurimos receperunt, quia tunc temporis propter paucitatem Fratrum unusquisque habebat a beato Francisco potestatem recipere, quos volebat. Et in termino sibi statuto ad sanctam Mariam de Portiuncula sunt reversi.

et revertuntur ad S. Mariam de Portiuncula.

216 *Eodem fere modo Tres Socii, quos Anonymus præ oculis habuit; rectius tamen hi pro* Plurimos receperunt *num. 41 habent* : Aliquos receperunt; *nam* quatuor *tantum post hoc iter veste donatos videbimus. Verum in illis verbis* in termino sibi statuto, *vel, ut habent Tres Socii,* statuto termino omnes ad Sanctam Mariam de Portiuncula sunt reversi, *latet difficultas. Etenim apud Celanensem*

in

A *in Vita prima num.* 29 *et* 30, *et apud S. Bonaventuram num.* 32 *et* 33 *omnino videntur a* S. Francisco *in longa itinera missi, dicunturque post modicum tempus, eorumdem reditum a Deo precante* Francisco, *omnes* absque humana vocatione, *et, ut expresse addit Bonaventura,* omnes ex insperato post modicum temporis,... divina operante clementia, non sine ipsorum admiratione pariter *convenisse Assisium. Qua vero ratione hæc omnia vera sunt, si* statuto termino, *vel* in termino sibi statuto *redierint? Mihi verisimillimum apparet,* terminum *illum nec de spatio temporis, quod peregrinationi præfixerat Sanctus, nec de loco, ad quem usque illa ex ejusdem mandato extendenda erat, explicandum esse, sed de loco, ad quem redeundum erat, quique a Sancto statutus fuerat terminus seu finis totius peregrinationis. Sensus ergo hic erit :* Ad terminum sibi statutum, *nempe* ad Sanctam Mariam de Portiuncula sunt reversi.

Sanctus forte tunc ad Reatinam vallem profectus fuerat;

217 *In quas partes* S. Franciscus (*nam ex dictis ipse quoque unam sibi elegerat*) *cum socio suo tunc processerit, nemo veterum biographorum, quos quidem habeo, memoriæ prodidit. Forte tamen iverit in Vallem Reatinam, in Sabinis Umbriæ, ad quam illum eodem anno, sed alio tempore ante mox memoratum iter profectum fuisse, scribit Waddingus ad*

B *hunc annum* 1209, *num.* 24, *laudans Marianum et Angelum Reatinum. Ait nemque ibidem ex laudatis scriptoribus Waddingus,* Franciscum *discipulos suos eo consilio illuc eduxisse, ut a patria urbe remoti* stipem majori peterent fiducia et absque duriori acciperent contumelia. *Angelus ille in Scriptoribus Minorum ab eodem Annalista vocatur* Angelus Tancredus, *patria* Reatinus, *diciturque ultimus ex undecim* S. Francisci *sociis fuisse, ac scripsisse* Historiolam de gestis S. Francisci in urbe et valle Reatina, *atque* Vitam ejusdem sancti Patriarchæ, simul cum aliis duobus sociis, Leone et Ruffino. *Vitam hanc, quam Appendicem appellamus, jam frequenter nominavi, sed cum Historiolam illam alteram non habeam, de ea nequeo pronunciare. Verumtamen si memorata Sancti ad Reatinam vallem cum omnibus suis profectio ad hunc annum in eadem narretur, nequeo satis mirari, cur nec in prima nec in secunda Vita, nec in Appendice Trium Sociorum, quorum unus fuit Angelus ille Reatinus, nec denique in S. Bonaventura, vel levissimum illius profectionis vestigium invenire sit.*

nam alia ante hanc ad eamdem profectio non satis certa est.

C 218 *Quapropter si in dubiis conjectare liceat, nonnihil suspicor,* S. Franciscum, *Angelo teste, cum uno socio in vallem Reatinam profectum esse, quando, ut supra dictum est, alios sex socios in diversas orbis partes misit; Angelumque hujus profectionis ac missionis causam a Waddingo ex ipso allegatam, attulisse, sed a Mariano, qui tribus fere sæculis junior est, creditum, ipsum de communi omnium sociorum ad vallem Reatinam profectione locutum; unde facile induci potuerit Waddingus, ut trinam eodem anno illorum profectionem distingueret; primam scilicet, dum* S. Franciscus *cum B. Ægidio ivit in Marchiam Anconitanam; secundam hanc communem, ac tertiam denique, quando ex supra dictis socios omnes, binos et binos, in quatuor partes destinavit. Attamen hæc solum conjectura est, quia in vetustis Vitis, quas habeo, nullum prorsus exstat pro hoc tempore vestigium istius mediæ profectionis, quæ forsan alio anno contigit, et ad hunc ex levi conjectura a Mariano relata fuit. Nunc reversos ex itineribus suis ad sanctam Mariam in Portiuncula socios revisamus.*

Congratulantur invicem reversi; et quatuor novi socii

219 *Magno gaudio perfusos fuisse amantissimum suorum* Franciscum, *omnesque socios, quando incolumes se reduces viderunt, tum ratio ipsa suadet, tum etiam docet Vita prima num.* 30, *ubi subjungitur, quanta sese caritate complexi sint, ac aliorum quatuor ad societatem accessus narratur. De reversorum gaudio breviter etiam meminerunt Tres Socii num.* 41, *et Bonaventura num.* 33. *At secundus biographus primum sequens, hæc ait :* Quibus taliter adunatis, non mirum, si pius Pater jocundatur in filiis. Congratulabantur quoque filii gaudio Patris, mirantesque pariter et lætantes glorificabant unanimiter magnificentiam Salvatoris. Referebat ille, quo ordine desiderium suum Dominus adimpleverat : illi quoque beneficia sibi divinitus impensa narrabant, et humiliter de omnibus semetipsos ingratitudinis arguebant. Factum est autem post hæc, ut eidem pusillo gregi quatuor alii viri idonei jungerentur, ut sic duodenarius fratrum numerus impleretur. Cœpit itaque sancti Viri suorumque jam latius fama diffundi; sed et, quo super peccatorum conversione sine personarum acceptione gaudebant, illorum in Domino cotidie gaudium augmentari.

AUCTORE C. S.

sacro habitu induuntur.

220 *Quatuor illi, qui post Sancti reditum Franciscano habitu donati dicuntur, vel omnes vel illorum aliqui in ipso itinere, ut vidimus, a sociis admissi fuere. Nomina eorum in antiquis Vitis nostris non exprimuntur; at catalogus primorum sociorum* (*annumerato* Francisco) *in editione Speculi per Spoelberchum, parte* 2, *cap.* 2 *excusus, ea sic exhibet :* Nonus F. Joannes de Constantino. Decimus F. Barbarus. Undecimus F. Bernardus de Violente. Duodecimus F. Angelus de Reate. *Horum primus in Annotatis ibidem, ab aliis vocatus dicitur* Constantius, *apud Waddingum* Constantius *vel* Joannes de S. Constantio; *tertius in Annotatis* E Bernardus Vigilantius, *uti et apud Waddingum, alias* Bernardus de Viridante *dictus legitur; quartus,* Angelus *scilicet, unus ex Tribus Sociis est, qui Appendicem ad Vitam primam scripserunt. Laudatus Waddingus ad annum* 1209 *num.* 38 *pro Angelo quartum posuit Silvestrum, Angelumque primum anno sequenti a* S. Francisco *admissum credidit, quando hic pro confirmatione Regulæ suæ a summo Pontifice impetranda Romam petens, Reatinam urbem pertransiit; ita ut ex ejusdem Annalistæ sententia Angelus ille tunc sociorum* S. Francisci *numerum duodenarium,* Francisco *non annumerato, compleverit. Verum hanc opinionem suo loco expendemus. Porro, licet de numero undecim* S. Francisci *sociorum mihi constet, non tamen contendere velim, Angelum unum ex his undecim fuisse; quia non possum omnium illorum, qui in prædicto Speculi catalogo recensentur, nomina et accessus ordinem ex vetustioribus documentis confirmare.*

§ XI. Aliquot sociorum virtutes : Sanctus scribit Regulam, pro cujus approbatione cum omnibus undecim sociis Romam proficiscitur, et eam cum facultate prædicandi ab Innocentio III F obtinet.

Sociorum occupationes, orandi studium, mutua caritas,

De *mutua sociorum caritate aliisque eorumdem virtutibus multa præmissis adduntur in Appendice ad Vitam primam a num.* 41. *Similia habet Anonymus Perusinus, cujus verba hic habe.* Quando autem se revidebant (*ex itinere, præcedenti* § *relato*) tanta jucunditate et spirituali gaudio replebantur, quod nihil recordabantur adversitatis et maximæ paupertatis, quam patiebantur. Solliciti erant quottidie in oratione et labore manuum suarum, ut omnem otiositatem, animæ inimicam, a se penitus effugarent. Noctibus vero similiter solliciti surgere media nocte, juxta illud Prophetæ «Media » nocte surgebam ad confitendum tibi » orabant cum devotione multa et lacrimis frequenter. Amore intimo se invicem diligebant. Serviebat quoque et nutriebat unus alterum, sicut mater servit et nutrit filium suum. Tantus ardebat in eis caritatis ignis, quod eis facile videbatur tradere corpora sua, non solum pro nomine Domini nostri Jesu Christi, sed etiam unus pro alio, et libenter. Quadam enim die, cum duo Fratres per quamdam viam transitum facerent, unum fatuum invenerunt, qui in eos lapides jaciebat. Alter illorum fratrum, dum in fratrem suum videret jactari lapides, accurrens et lapidum ictibus se opponens, potius

AUCTORE C. S.

potius voluit se percuti, quam fratrem suum, propter flagrantem mutuam caritatem. Hæc et his similia sæpius faciebant.

humilitas, obedientia, cura fraternæ caritatis servandæ,

222 In humilitate radicati et fundati erant, et unus reverebatur alium, quasi dominus esset suus. Quicumque inter eos officio vel gratia præcellebat, humilior et vilior ceteris videbatur. Omnes quoque se totos ad obediendum tradebant, quando aperiebat os præcipientis *, pedes suos ad ambulandum, manus quoque ad operandum continuo præparantes. Quidquid præcipiebat eis, putabant, præceptum esse secundum Domini voluntatem : et ideo suave erat eis et facile omnia adimplere. Abstinebant se a carnalibus desideriis, et ne vindicarent semetipsos, sollicite judicabant. Nam si casu unus alteri diceret verbum, quod forte posset ei displicere, tantum a conscientia reprehendebatur, quod non poterat quiescere, donec diceret suam culpam, et prosternens se in terram, licet inviti, pedem ejus super os suum faceret sibi poni. Et si ille nullatenus vellet ponere; si prælatus erat, qui verbum dixerat, præcipiebat ei hoc facere; alioquin a prælato præcipi faciebat, ut effugaretur ab eis malitia, et plena semper inter eos dilectio servaretur. Et sic contra vitia singulas virtutes opponere satagebat.

* *l.* præcipiens

B

communis rerum usus, paupertas, in egenos liberalitas,

223 Quicquid habebant, librum vel tunicam, communiter utebantur; et nullus, suum aliquando esse, dicebat. Sic fiebat in Apostolorum Ecclesia primitiva. Cum autem in eis paupertas nimia abundaret, semper tamen largi erant, et omnibus, amore Domini se petentibus, libenter compartiebantur eleemosinas sibi datas. Quando autem ibant per viam, et pauperes sibi petentes inveniebant, aliqui ex ipsis, non habentes aliud, quod præberent, de vestimentis suis pauperibus erogabant. Quidam enim eorum capucium divisit a tunica, et pauperi petenti tribuit; alius quoque manicam separavit, et dedit; alii vero partem aliquam, alii autem de tunica sua dabant, ut verbum illud Evangelicum observarent : « Omni petenti te » tribue. » Quadam vero die venit quidam pauper ad ecclesiam Sanctæ Mariæ de Portiuncula, ubi ipsi demorabantur, et eleemosinam fratribus * postulavit. Erat autem ibi quædam chlamys, quam quidam eorum habuerat, cum adhuc erat in seculo. Beatus autem Franciscus dixit illi fratri, cujus fuerat chlamys illa, ut eam illi pauperi erogaret : qui libenter et velociter dedit illi. Statim autem propter reverentiam et devotionem, quam frater habuerat in donando, visum est ei, quod eleemosina illa cælum ascenderet, et sensit protinus novo spiritu se repletum. *Hoc factum jam ante retuli de B. Ægidio, in cujus Vita eadem leguntur.*

* a fratribus

C

modus agendi cum divitibus et consanguineis; pœna ob tactam pecuniam

224 Quando autem declinabant ad eos divites hujus mandi, recipiebant eos alacriter et benigne, et eos invitabant, ut revocarent eos a malo, et ad faciendam pœnitentiam provocarent. Sollicite illo tempore postulabant, ne mitterentur in terras, unde fuerant oriundi; ut sic effugerent conversationem et familiaritatem consanguineorum, suorum, verbumque propheticum observarent : « Extraneus factus sum fratribus meis, et pere- » grinus filiis matris meæ. » In paupertate plurimum lætabantur, quam * divitiæ ab eis non concupiscebantur. Aurum et argentum numquam possidebant, et omnes mundi hujus divitias contemnebant; maxime tamen pecuniam sub pedibus conculcabant. Quadam vero die, cum fratres morarentur apud Sanctam Mariam de Portiuncula, venerunt quidam homines et intraverunt ecclesiam, et ipsis nescientibus, super altare denarios posuerunt. Quidam vero frater intrans ecclesiam inventos accepit denarios, et in ejusdem ecclesiæ fenestra quadam posuit eos. Quidam vero alius frater, inventa pecunia, ubi frater eam posuerat, retulit sancto Francisco.

* *l.* quia

cuidam fratri a Sancto imposita.

225 Quod cum audisset beatus Franciscus, fecit diligenter inquiri, quis fratrum ibi hanc pecuniam posuisset. Quo invento, jussit eum venire ad se, et ait : Quare hoc fecisti? Nesciebas tu, me velle, quod fratres non solum pecunia non utantur, sed quod nec tangant eam? Quo audito, frater inclinavit se, et dixit flexis genibus suam culpam, rogans, ut pœnitentiam sibi daret. Ipse vero imposuit ei, ut illam pecuniam extra ecclesiam ore proprio exportaret, donec stercum * asini inveniens frater ille, poneret ore proprio, quo gerebat. Quod frater diligenter adimplevit. Et exinde fratres admonuit, ut, ubicumque pecuniam invenirent, vilipenderent et pro nihilo reputarent. Continue gaudebant, quia, unde turbari posse *, non habebant. Quanto namque a mundo erant divisi, tanto magis cum Domino erant convicti *. Isti intraverunt per semitam artam, veram viam, et custodierunt asperitatem ejus; super saxa conculcaverunt spinas, et sic nobis facta est via plana. *Hæc omnia etiam habent Tres Socii : at procul dubio aliqua ab ordine temporis avulsa sunt : sicut enim B. Ægidius pallium suum citius pauperi dedit, quam hic pro exemplo refertur, sic pœnitentia ob tactam pecuniam serius data est, cum ecclesiam S. Mariæ in Portiuncula non acceperint Minores, nisi post Ordinem approbatum.*

D

* stercus

* possent

* conjuncti

Sanctus sibi suisque scribit Regulam brevem,

226 *Redeo ad tempus supra indicatum probatumque, quo* S. Franciscus *approbationem Ordinis sui ab Innocentio III summo Pontifice petiit et impetravit. Rem gestam narrat Thomas Celanensis in Vita prima num.* 32 *et sequenti. Adjutores Romæ Sanctus habuit Guidonem, episcopum Assisiensem, et Joannem de S. Paulo, Cardinalem episcopum Sabinensem, seu verius adjutorem habuit Deum ipsum, qui per laudatum Guidonem dedit illi prædictum Cardinalem suffragatorem, ut consentiunt biographi. Ante hoc Romanum iter* Franciscus *brevem quamdam Regulam scripsit, quam Innocentio III probandam offerret. De hac sic legitur in Vita prima num.* 32 : Scripsit sibi et fratribus suis, habitis et futuris, simpliciter et paucis verbis vitæ formam et Regulam, sancti Euangelii principue sermonibus utens, ad cujus perfectionem solummodo inhiabat. Pauca tamen inseruit alia, quæ omnia omnino ad conversationis sanctæ usum necessario innuebant; *forte legendum est :* necessaria inveniebat. *Consonat biographus secundus his verbis :* Brevi ergo Regulam sermone conscripsit, interpositis in illa sacris Euangelii verbis. *Similiter Tres Socii in Appendice num.* 31 *de eadem aiunt :* Regulam, quam scripserat verbis simplicibus, utens sermonibus sancti Euangelii *etc : et S. Bonaventura in Vita num.* 34 : Scripsit sibi et fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ, in qua, sancti Euangelii observantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quædam alia inseruit, quæ ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur.

E

quam Waddingus credidit eam, quam edidit;

227 *Waddingus tam in Opusculis* S. Francisci *a pag.* 155, *quam in Annalibus ad annum* 1210, *num.* 2 *edidit Regulam viginti et tribus capitibus distinctam, quibus fere novem paginas Annalium in folio, ut vocant, implevit, hancque primam omnium, de qua modo agimus, esse existimavit. Verum ego Regulam tam prolixam nequeo conciliare cum dictis biographorum, maxime primi ac secundi. Qua enim ratione dicetur illa* paucis verbis *ac* brevi sermone *conscripta, quæ multo prolixior est, quam ea sit, quam Honorius III postea approbavit, quippe quæ in iisdem Annalibus ad annum* 1223 *a num.* 12 *edita vix quatuor cum dimidia paginas occupat. Accedit et altera ratio; nimirum quod in ejusdem Regulæ capite* 2 *legatur,* juxta mandatum domini Papæ *non licere Minoribus post emissam professionem suam* ad aliam Religionem *accedere; quæ prohibitio tom. I Bullarii Franciscani primum facta dicitur anno* 1220 *ab Honorio III, Innocentii III successore, quod Waddingus in Annotationibus ad Regulam, quam vocat* secundam, *num.* 8 *agnoscens, cogitur dicere, ea verba ab ipso* Francisco *Regulæ, quæ ipsi prima est, inserta fuisse, simul ac ista Honorii prohibitio fuit edita.*

F

228 *Nullus dubito, quin ita senserit eruditus vir, quod*

AUCTORE C. S.

A *quod non satis verisimile est; videturque Waddingiana illa*

quod non nisi duæ exstent Regulæ Minorum a S. Francisco *scriptæ, quarum brevior certe postrema est; quoque nesciret, plures (etiam præter eam, quam frater Elias amisit, aut clam destruxit) ab eodem Sancto compositas fuisse. Hoc tamen expressis verbis docent Tres Socii in Appendice num.* 33, *ubi de* Francisco *hæc aiunt* : Cuncta transitoria, et præcipue pecuniam, contempsit in tantum, ut in omnibus Regulis suis commendaret potissime paupertatem, et omnes fratres sollicitos redderet de pecunia vitanda; plures enim Regulas fecit, et illas expertus est, prius quam faceret illam, quam ultimo reliquit fratribus. Unde in una ipsarum dixit in detestationem pecuniæ : « Caveamus, qui » reliquimus omnia, ne pro tam modico regnum » cælorum perdamus. Et si pecuniam in aliquo » loco inveniremus, non curemus plus, quam de » pulvere, quem sub pedibus calcamus. » Plures *ergo* Regulas *fecit* S. Franciscus *ante illam, qua nunc utuntur Minores; neque inter illas* plures *numerari potest ea, quam amisit Elias, cum hæc eadem fuerit, ac omnium ultima; et si inter eas numeranda esset, non recte* plures, *sed solum* duæ *ante ultimam scriptæ fuisse dicendæ essent.*

una esse ex aliis, quas Sanctus post primam fecit.

229 *Allegata a Tribus Sociis ex* una ipsarum plurium *verba leguntur cap.* 8 *Regulæ, velut omnium primæ apud Waddingum editæ; at si hæc revera fuerit omnium prima, aut unica tantum ante postremam conscripta, cur Tres Socii eamdem non* primam *aut* unicam, *sed unam* ipsarum plurium *dixerunt? Non esse autem primam, suadent mihi rationes, quas allegavi. Quapropter ne a Tribus Sociis, quorum præcipua hic esse debet auctoritas, recedamus, credo equidem, omnium primam, quam Innocentius III approbavit, admodum brevem fuisse, ac* paucis verbis *conscriptam; sed dudum intercidisse; eam vero, quæ Waddingo omnium prima visa fuit, unam esse ex aliis, quas* S. Franciscus *deinde ante ultimam scripsit, servatis semper primæ Regulæ substantia ac primariis præceptis. Nam hac ratione et salva stabit primorum biographorum fides, et Regula illa Waddingo* prima *visa recte dicetur ab Innocentio III, ut in Præfatione ibidem legitur, approbata fuisse, et de prohibitione ab Honorio III anno* 1220 *facta in eadem sine ulla interpolatione fieri potuit mentio. Audiamus modo secundum biographum, qui de hisce ita fatur.*

B

Pro hac approbanda iter Romam cum undecim sociis,

230 Cernens ergo beatus Franciscus, passim accrescere numerum fratrum, plenius illis exposuit cordis sui propositum, nec non et divinæ revelationis archanum. Brevi ergo Regulam sermone conscripsit, interpositis in illa sacris euangelii verbis, ad cujus perfectionem, quantum poterat, anhelavit. Desiderans autem, quæ scripserat, a summo Pontifice confirmari, undecim, quos habebat secum, fratres assumpsit, et sic Romam cum illis duodecimus ipse perrexit. *De numero undecim sociorum, qui cum* S. Francisco *Assisio discesserunt, convenit inter omnes; sed Waddingus ad annum* 1210, *ad quem hanc profectionem distulit, et Silvestrum presbyterum inter socios undecimum fecit, num.* 3 *scribit, rursum alterum socium in hoc ipso itinere Romam versus reliquis adjunctum fuisse, adeo ut* S. Franciscus *cum* 11 *quidem sociis iter inceperit, sed cum* 12 *Romam pervenerit atque inde reversus sit. In hanc sententiam allegat ipsum, quem tunc adjunctum credidit, Angelum Tancredum Reatinum in sua Historiola de Gestis* S. Francisci *in urbe et valle Reatina, quam superius ex ipso laudavi. Quandoquidem libro illo caremus, Waddingi verba recitabo.*

C

quibus in via Angelum Reatinum additum

231 Deflexerunt autem (*Franciscus et undecim socii, Romam petentes*) paulisper ad civitatem Reatinam, in qua per unum vel alterum manentes diem, obvium habuit Franciscus nobilem quemdam militem, Angelum Tancredum nuncupatum; cui, licet antea ignoto, Dei instinctu ex tempore dixit : Domine Angele, baltheum, ensem et calcaria militaria sat longo cinxisti tempore : oportet, te modo ferre pro cingulo rudem funem, pro ense Christi crucem, pro calcaribus pulverem et lutum plateârunt. Me ergo sequere, et faciam te militem Christi. Mirabile dictu! Statim Spiritus sancti gratia adeo cor hominis ad suam flexit voluntatem, ut, omnibus continuo relictis, Virum Dei secutus sit, et sequenti die paupercula hac leucophæa veste se humiliter induerit, duodenariumque Franciscani collegii numerum (*non annumerato Francisco*) compleverit. Breviter hic noto, Bonaventuram, Vincentium Belluacensem, et alios docere, cum undecim tantum discipulis Franciscum Romam perrexisse; quia non plures habuit, cum Assisio discessit, nec hujus Angeli in itinere initiati meminerunt. Suæ conversionis seriem ipse Angelus ad amussim humiliter expressit in illo, quod scripsit Opusculo de Francisci gestis in partibus Reatinis. *Hactenus laudatus Annalista Minorum.*

scribit Waddingus,

232 *Ego factum ipsum non ausim revocare in dubium; sed ne in hoc itinere Romam versus cœpto contigisse credam, omnino suadet biographorum auctoritas. Certe undecim tantum socios ante iter illud admissos fuisse, præter S. Bonaventuram et Bellovacensem, etiam tradit Celanensis; nec Sanctum cum pluribus Romam adventasse, docet num.* 32 *dicens* : Venit proinde Romam cum omnibus dictis fratribus, *nimirum cum* 11, *quos memoraverat. Tres Socii, quorum unus, fatente Waddingo, ipsemet* E *Angelus fuit, num.* 46 *de* Francisco *cum omnibus suis Romam profecturo aiunt* : Dixit illis undecim, ipse duodecimus dux et pater eorum *etc.; deinde num.* 52 *de iisdem Roma recessuris rursum inquiunt* : Suscepta itaque benedictione a summo Pontifice, et visitatis Apostolorum liminibus, datisque tonsuris beato Francisco et aliis fratribus, sicut dictus Cardinalis procuraverat, volens, omnes illos duodecim esse clericos, relinquens Urbem Vir Dei cum dictis fratribus in orbem profectus est.

quod antiquis Vitis nostris non est conforme.

233 *Sane ex his testimoniis non possum equidem non persuasum habere, nec plures, quam undecim, socios cum Sancto Romam profectos, indeque reversos, nec inter illos ullum presbyterum fuisse, qualem constat fuisse Silvestrum, priusquam sese Sancto adjunxit. Adde, quod Assisio Romam euntibus minime transeunda sit urbs Reatina, cum valle sua plane extra viam sita ad lævam; nec aliunde satis verisimile sit,* Franciscum, *qui hoc iter unice susceperat, ut Regulam suam a summo Pontifice approbandam curaret, tantum e via sua deflectere voluisse. Quapropter probabilius mihi est, si prædicta Angeli Tancredi conversio contigerit eodem anno, quo Sancti iter Romanum, contigisse eam uno circiter mense citius, quo tempore* Franciscum *forte in valle Reatina fuisse, observavi supra num.* 217 *et sequenti.* F *Hoc posito, potuit laudatus Angelus fuisse undecimus* S. Francisci *socius, ut habet catalogus num.* 220 *allegatus, in cujus Angeli locum Waddingus substituit Silvestrum presbyterum, ut cum antiquis biographis Sancto iter aggredienti undecim socios tribueret, quos alioquin solum invenisset decem, Angelo deinde in itinere primum admisso.*

Post iter pie ac prospere exactum, Romam veniens,

234 *Tres Socii num.* 46 *quædam habent de modo peregrinandi, quem in hac Romana profectione observarunt. Eadem refert Anonymus Perusinus, ex quo descripsi sequentia :* Cumque per viam incederent, dixit eis (*nempe S. Franciscus* :) Faciamus unum de nobis ducem nostrum, et habeamus eum nobis quasi vicarium Jesu Christi. Quocumque ei declinare placuerit, declinemus; et quando hospitari voluerit, hospitemus. Et elegerunt fratrem Bernardum, qui primus a beato Francisco receptus fuerat; et sicut dixerant, opere perfecerunt. Gaudentes ibant, et verba Domini loquebantur, et nullus eorum audebat aliquid dicere, nisi quod ad laudem Domini et gloriam pertineret, et quod esset ad utilitatem animarum ipsorum; vel orationi vacabant. Dominus autem eis hospitium et cibum necessitatis eorum tempore præparabat. *Hæc de itinere; de gestis vero Romæ præmitto iterum secundum biographum, primi vestigiis sic inhærentem, ut tamen (quod Bonaventura quoque fecit) omiserit,*

AUCTORE C. S.

omiserit, quæ de episcopo Assisiensi, invento Romæ, habet primus cum Tribus Sociis et Anonymo Perusino.

a Cardinale episcopo Sabinensi benigne excipitur,

235 *Secundi verba accipe.* Quo (*Romam*) perveniens, ad quendam ex episcopis Cardinalibus, virum approbatum et discretum, accessit, eique per ordinem adventus sui causam plenius explanavit. Qui, diligenter audito pauperum Christi negotio, etsi propositum tam laudabile non immerito commendaret, in primis tamen illi suggessit, ut ad vitam heremiticam sive monasticam (*ad aliquam scilicet ex probatis*) se transferret. Sed Famulus Christi, cœpto perseveranter insistens, persuasiones hujusmodi, quanto poterat humilius, non admisit. Qui et usque adeo tandem, Domino cooperante, prævaluit, donec eodem episcopo fideliter procurante, ad summi Pontificis audientiam res pervenit. Concomitabatur quoque beatum Virum divina providentia in omnibus, quæ agebat, et securum per crebras revelationes visionesque reddebat. Vidit etiam tunc temporis visionem, suo domini Papæ consensum proposito pollicentem; quamdam videlicet arborem magnam miræque proceritatis, cujus ipse cacumen manibus leviter ad terram usque deflexit. *Hæc visio significabat, Innocentium III a* Francisco *facile ad consensum*

B *inclinandum, ut videri potest in Vita prima num.* 33; *nam in secunda verba hic vitiosa sunt, quæ propterea non transcripsi.*

opera episcopi Assisiatis,

236 *Anonymus noster Perusinus, magis consonans Tribus Sociis, nec tamen ab aliis dissentiens, docet,* Franciscum *in laudati Cardinalis episcopi notitiam gratiamque tunc venisse per episcopum Assisiatem Guidonem, vel, ut in Ughelli Italia sacra appellatur, Vidonem; eum ipsum scilicet, coram quo Sanctus ante biennium bonis omnibus paternis, atque ipsis etiam, quibus indutus erat, vestibus cesserat.* Cumque venisset, *ait Anonymus,* Romam, invenerunt episcopum civitatis Assisii, qui Romæ tunc temporis morabatur. Qui vidit eos cum ingenti gaudio, et suscepit, Episcopus notus erat cuidam Cardinali, qui Joannes de Sancto Paulo dicebatur, et erat bonus homo, religiosus, et servos Domini plurimum diligebat, Cui dictus episcopus patefecerat propositum et vitam beati Francisci et fratrum suorum. Qui, his auditis, beatum Franciscum et aliquos de fratribus suis videre cum desiderio affectabat. Cumque audisset, quod essent in Urbe, misit pro eis, et ad se venire fecit. Videns autem eos, cum devotione et amore suscepit illos. Cum autem paucis diebus cum eo morati fuissent, et, quod de ipsis audiverat, videret opere refulgere, eos intime diligebat.

C *et eodem Cardinale curante, ad summi Pontificis colloquium admissus,*

237 Et dixit beato Francisco : Recommendo me vestris orationibus, et volo, ut sicut unum de vestris fratribus me de cetero habeatis. Dicite ergo mihi, quare venistis. Tunc beatus Franciscus totum ei suum propositum revelavit, et quod Domino Apostolico loqui volebat, et de voluntate ejus et præcepto prosequi, quod agebat. Cui respondit : Ego volo esse procurator vester in curia domini Papæ. Et sic pergens ad curiam, dixit domino Papæ Innocentio III : Inveni Virum perfectissimum, qui secundum formam sancti Euangelii vult vivere, et perfectionem Euangelicam observare; per quem, credo, quod velit Dominus per universum mundum totam suam Ecclesiam renovare. Quo audito, dominus Papa miratus est, et dixit ei : Ducas eum ad me. Sequenti vero die dixit ipsum ad eum. Beatus ergo Franciscus domino Papæ totum suum propositum patefecit, sicut antea dixerat Cardinali. Respondit dominus Papa : Nimis est dura et aspera vita vestra, si volentes congregationem facere, nihil vultis in hoc seculo possidere. Unde enim necessaria vobis pervenient? Respondit beatus Franciscus : Domine, confido in meo Domino Jesu Christo; quamquam promittit nobis dare in cælo vitam et gloriam, non subtrahet nobis necessaria corporis in terra tempore opportuno.

238 Respondit Papa : Verum est, Fili mi; tamen humana natura fragilis est, et nunquam in eodem statu permanet : sed vade, et ex toto corde Dominum deprecare, ut meliora et utiliora animabus vestris tibi dignetur ostendere; et rediens illa mihi renuncia, et ego ea postmodum concedam. Tunc abiens ad orationem, oravit ad Dominum puro corde, ut per suam ineffabilem pietatem hoc ei ostendere dignaretur. Cumque jam in oratione perseverasset, et totum cor suum ad Dominum collegisset, factum est verbum Domini in cor ejus, et per similitudinem dixit ei : Fuit in regia cujusdam magni regis mulier quædam, paupercula plurimum, sed decora, quæ in oculis regis placuit, et ex ea plures filios generavit. Quadam vero die cœpit mulier illa cogitare intra se, dicens : Quid faciam ego paupercula, cui nati tot sunt filii? Non possessiones habeo, unde vivere possint. Cum vero in corde suo talia cogitaret, et pro multitudine cogitationum tristis facies ejus videretur, apparuit rex, et dixit ei : Quid habes, quia cogitantem te video, et esse tristem? At illa dixit ei omnes animi sui cogitationes. Respondit rex, dicens : Noli timere de tua nimia paupertate, neque de filiis tuis natis et plurimis nascituris; quoniam cum multi mercenarii in domo mea abundent panibus, nolo ego, quod filii mei fame pereant.

D *post imperatas ab illo preces ad eumdem rediens,*

E *et visionem habitam exponens, obtinet approbationem Regulæ,*

239 Intellexit statim beatus Franciscus, se per mulierem illam pauperculam designari : ex hoc ergo Vir Domini suo proposito stabilivit sanctissimam paupertatem de cetero observare; et surgens eadem hora, ivit ad Apostolicum, et ea, quæ sibi Dominus revelaverat, indicavit. Audiens autem hoc dominus Papa, miratus est vehementer, quoniam Homini tam simplici suam Dominus revelaverat voluntatem; et cognovit, quoniam non in sapientia hominum ambulabat, sed in ostensione spiritus et virtute. Deinde inclinavit se beatus Franciscus, et promisit domino (Papæ *ut addunt Tres Socii*) perpetue obedientiam et reverentiam humiliter et devote : et alii fratres, quia obedientiam nondum promiserant, secundum præceptum domini Papæ beato Francisco obedientiam et reverentiam similiter promiserunt. Et dominus Papa concessit ei Regulam (*quam attulerat, ut addunt Tres Socii*) et fratribus ejus præsentibus et futuris. *Hæc omnia paulo uberius leguntur in Appendice per Tres Socios scripta, ab iisque parabola de muliere paupercula exponitur modo utcumque diverso, sic tamen, ut illa ad idem propositum tendat, et æque, aut etiam expressius probet, filios unice Deo adhærentes, non deserendos ab optimo Patre, qui etiam mercenarios liberaliter alit. Verissimam juxta ac piissimam* S. Francisci *cogitationem jam ultra quinque sæcula in Ordine illius confirmavit confirmatque*

F *eventus.*

et facultatem prædicandi sibi suisque, qui omnes etiam tonsurantur.

240 *Nec hic stetit Pontificis benevolentia; sed, ut mox sequitur apud eumdem Anonymum,* et dedit ei auctoritatem prædicandi ubique, sicut ei Spiritus sancti gratia largiretur, et quod possent etiam fratres alii prædicare, quibus esset a beato Francisco officium prædicatoris concessum.... *Ac rursum post aliqua intermedia subdit :* Dictus autem Cardinalis (*episcopus Sabinensis*) propter devotionem, quam habebat in Fratrem, omnibus illis duodecim fratribus clericam fecit dari, *videlicet* tonsuram, *uti etiam docent Tres Socii, eodem Cardinale Joanne de S. Paulo procurante, factum esse, in Appendice num.* 32; *de qua tonsura Bonaventura quoque meminit in Vita num.* 38. *Hæc* S. Francisci *cum Innocentio III gesta brevius perstrinxit biographus secundus, sola ista tradens :* Dans igitur duodenario (*numero*) fratrum pium summus Pontifex de Regula confirmanda consensum, dans et eisdem de pœnitentia prædicanda mandatum, cum gaudio illos, data benedictione, dimisit. Sed et eisdem adhuc ampliora multiplicatis in posterum compromisit. Beatus igitur Franciscus magnum non immerito reputans, se tanta a Christi vicario beneficia consecutum, divinæ super omnibus clementiæ gratias egit, et visitatis Principis Apostolorum liminibus,

A minibus, gaudenter cum suis ab Urbe recessit.

Ad hæc concedenda dicitur Pontifex

241 *Restant nonnulla eodem pertinentia hic examinanda. Tres Socii num.* 31 *præter allatas rationes, quæ Innocentium ad approbandam Regulam impulerunt, adducunt aliam visionem. Vidisse scilicet in somnis Pontificem, antequam* Franciscus *ipsum accesserat, ecclesiam Lateranensem ruinam minitantem, et a quodam viro religioso et despecto sustentari; cumque post paucos dies* Franciscum, *ut dictum est, vidisset, audissetque, tacite sibi dixisse :* Vere hic est ille vir religiosus et sanctus, per quem sublevabitur et sustentabitur Ecclesia Dei! *Similia habet S. Bonaventura num.* 38; *at silent reliqui biographi. Illorum relatio tamen etiam roborari potest ex testimonio Ricordani Malaspina, qui certe sæculo* XIII *scripsit, ac verisimiliter vixit, quando Ordo Minorum approbatus fuit. Hic ergo in Historia Florentina cap.* 92, *apud Muratorium tom. VIII Scriptorum ad propositum nostrum habet Italice, quæ Latine subjicio.*

etiam alia visione inductus fuisse.

242 Hoc tempore inchoatus est sanctus Ordo Fratrum Minorum, Pontificatum administrante Innocentio III. Illius Fundator fuit sanctus Franciscus, natus in civitate Assisio. Per memoratum autem Pontificem confirmatus et acceptatus est dictus Ordo; quia tota ejus Regula fundata est in B humilitate, caritate et paupertate, sequens in omnibus sanctum Christi Euangelium, et fugiens omnes delicias humanas : et vidit dictus Pontifex in visione, S. Franciscum humeris suis sustinere ecclesiam Lateranensem. *Hæc Ricordanus Malaspina. Similis visio etiam dicitur Honorio III Papæ oblata pro confirmando Ordine Prædicatorum, de qua vide die* 4 *Augusti in Commentario prævio ad Acta S. Dominici* § 22, *a num.* 417. *Porro Waddingus ad annum* 1210, *num.* 14 *recte observat, prædictam Innocentii visionem non portendisse Lateranensis basilicæ structuræ restaurationem et fulcimentum, postea primo a Nicolao IV, ac deinde a Sixto IV, ex Ordine Minorum ad summum Pontificatum evectis, curata; sed explicandam de insigni auxilio, quod universæ Ecclesiæ allaturus erat Ordo Minorum, quodque reipsa sexto jam sæculo pergit afferre.*

Expenditur et altera de hisce relatio,

243 *Rursum alia ejusdem Pontificis visio in Bonaventura apud Sedulium legitur, quam veluti Bonaventuræ suppositam e texto Vitæ sustuli ob rationes superius datas num.* 23 *et sequenti. Waddingus ad prædictum annum* 1210, *num.* 8, Visionem hanc, *inquit,* multi referunt ex cap. 3 Legendæ D. Bonaventuræ; nec tamen ipse eam huic suo Opusculo inseruit; sed Hieronymus Asculanus, Bonaventuræ in generalatu successor, postea summus Pontifex C Nicolaus IV renunciatus, qui eam accepit a Richardo Hannibaldensi de Molaria, diacono Cardinali tituli S. Angeli in foro Piscium, a Gregorio IX creato... Huic rem omnem retulit ipse Gregorius IX, Innocentii III patruelis fratris filius, cui jam a se creato Cardinali tituli S. Eustachii visionem sibi factam expandit Innocentius. *Consona hæc sunt relatis a me in hoc Commentario num.* 23 *et sequenti; nec est, cur ea tam affirmate scribenti Annalistæ non credamus. Neque porro mirandum est, etiam ceteris biographis ignotam fuisse : potuerunt enim tum ipse Innocentius, tum Gregorius IX, visionem, quæ tantam* Francisci, *ejusque Ordinis magnitudinem portendebat, noluisse vulgari; tandemque Hieronymus Asculanus a Richardo Hannibaldensi auditam S. Bonaventuræ Legendæ inserere.*

quæ non caret difficultate

244 *Utut sit, res idem refertur his verbis.* Cum autem (*Franciscus*) ad Romanam curiam pervenisset, et adduceretur ante conspectum summi Pontificis; essetque Christi vicarius in palatio Lateranensi, in loco, qui dicitur Speculum, deambulans, altis occupatus meditationibus, Christi Famulum tamquam ignotum repulit indignanter. Quo humiliter foras egresso, sequenti nocte hujusmodi revelatio facta est a Deo ipsi summo Pontifici. Videbat namque, inter pedes suos palmam paulatim succrescere et in arborem pulcherrimam elevari. Et eo mirante, quid hæc visio vellet ostendere, divina lux impressit menti ipsius Christi vicarii, quod hæc palma illum Pauperem, quem in præcedenti die repulerat, designabat. Et mane sequenti mandavit, per suos famulos per urbem dictum Pauperem quæri. Quem inventum juxta Lateranum in hospitali sancti Antonii, ante conspectum suum celeriter jussit adduci *etc. Quæ sequuntur, satis congruunt cum supra relatis ex aliis, satisque cohærerent cum præcedenti Bonaventuræ narratione, licet tota ista, quæ inserta dicitur, relatio penitus abesset.*

AUCTORE C. S.

ex aliorum biographorum testimoniis,

245 *Major tamen difficultas est, ut primus ille* S. Francisci *ad Pontificem accessus, repulsa et revocatio, quales ibi narrantur, concilientur cum assertis Thomæ Celanensis, Trium Sociorum et Anonymi Perusini, apud quos omnes nulla horum umbra apparet, Sanctusque opera Cardinalis de Sancto Paulo ad Innocentium introductus fuit et strenue adjutus. Quin et ipse quoque S. Bonaventura testatur num.* 36, *eumdem Cardinalem refutasse præcipuam rationem, quam Pontifex et nonnulli alii Cardinales proferebant, ne Regula, quæ omnes possessiones excludebat, admitteretur. Itaque visio illa, quæ S. Bonaventuræ Opusculo addita dicitur, vera quidem esse potest, sed reliqua adjuncta ex certioribus testimoniis non sunt satis verisimilia. Hoc certum est, formam vitæ et* E *Regulæ Minorum anno* 1209, *ut ante probavi, ab Innocentio III Papa oretenus approbatam fuisse.*

et quid ex eadem admitti possit, ostenditur.

246 *Id autem mihi videtur sic peractum.* Franciscus *per episcopum Assisiensem innotuit Joanni de S. Paulo, Cardinali episcopo Sabinensi. Postquam huic vitæ suæ normam Regulamque probavit, commendatus ab illo est Innocentio et ad eum introductus. Pontifex ipsum benigne excepit, sed Regulam illius nimis arduam censens, eam approbare distulit, illumque post fusas ad Deum preces redire ad se jussit. Post hunc congressum forte habuit Pontifex memoratam visionem de palma excrescente in arborem pulcherrimam : verosimiliter etiam tunc Cardinales consuluit de Regula, ejusque patrocinium feliciter suscepit laudatus Cardinalis contra alios secus opinantes. Post hæc reversus ad Pontificem* Franciscus *parabolam de muliere paupercula, num.* 238 *relatam, exposuit; Pontifex vero, miratus parabolam admodum opportunam, ac simul memor tam visionis de basilica Lateranensi a viro paupere sustentata, quam recentioris de palma,* S. Francisco *desideratam Regulæ approbationem et prædicandi facultatem concessit, ut supra dictum est.*

§ XII. Francisci et sociorum discessus Roma : cibus illis in via mirabiliter F datus : commoratio in loco deserto prope Hortanum, deinde apud Rivumtortum prope Assisium : reditus ad Portiunculam, et concessa ipsi ecclesia : aliqua gesta ibidem.

Roma revertentes, in loco solitario

Pergimus *in examinandis rebus anno* 1209 *secundum chronotaxim a nobis datam gestis, quas Waddingus ad annum* 1210 *differendas censuit.* Franciscus, *obtenta Ordinis sui approbatione et pœnitentiam prædicandi facultate, cum undecim, cum quibus venerat, sociis, clericali tum, ut ipse, capitis tonsura donatis, continuo Roma discessit, et versus vallem Spoletanam, seu Assisium iter direxit, testibus Thoma Celanensi in Vitâ prima num.* 34, *et S. Bonaventura num.* 39. *Ambo addunt, itinerantes tam pie seduloque de rebus Ordinis sui, et ad animarum suarum perfectionem conducentibus, locutos fuisse, ac de corporum cura tam parum sollicitos, ut aliquando, cum ea cibis reficiendi tempus adesset, in solitudinem venerint, ubi nulla illos habendi spes erat; sed divinam providentiam servis suis non defuisse, dum deerat humana. Secundus biographus primi vestigiis inhærens, post relatum recessum ab Urbe hæc sic narrat :* Movebat protinus eum (*Franciscum*)

AUCTORE C. S.

ciscum) dati ratio, ne forsitan remaneret ingratus, piaque cum fratribus incepit tractare consilia, qualiter in observando Regulam, primum in semetipsis per virtutum incrementa proficerent; adhuc qualiter ædificando proximos, sibi credita Domino fœnerarent.

divinitus reficiuntur : morantur apud Hortanum. * *adde* in

248 Hæc et hiis similia pie conferentibus illis accidit, ut quendam * locum desertum, jam hora diei progrediente, venirent, ubi humano destituti videbantur auxilio, cum refectione corporis pro labore itineris indigerent. Sed pauperibus suis divina providentia non defuit, quæ mirabiliter illis panem per quendam inopinate venientem, et subito disparentem, porrexit. Comedentes itaque pariter et mirantes, gratias Domino retulerunt, et non modicum confortati, in cœpto itinere processerunt. Venerunt ergo ad locum quendam solitarium prope civitatem Ortensem, ubi quibusdam eorum in eadem civitate mendicantibus, in magna necessariorum penuria fere per dies quadraginta manserunt, ibique cum ingenti gaudio sanctæ paupertatis initia renovantes, pacto illam perpetuo firmaverunt. Orta, *de qua hic, alias* Horta *et* Hortanum, *Tusciæ civitas est ad Tiberim fluvium, ubi Narem recipit, estque dominii Pontificii ac Romam inter et Assisium sita; proindeque Roma Assisium*
B *pergentibus obvia. De hac commoratione silent Tres Socii et Bonaventura; sed Celanensis in Vita num. 34 eam multo breviorem facit, dicens :* Ibidem fere per dies quindecim sunt morati; *consentitque Waddingus ad annum* 1210, *num.* 21, *ut forte ex solo describentium errore pro* quindecim *legatur* quadraginta *in Vita secunda, cujus auctor sua passim ex prima hausit. Gesta in illo loco videri possunt apud laudatum Celanensem; nam quæ Waddingus ex Mariano, ut apparet, addidit, non æque certa sunt.*

Inde migrant ad Rivum-tortum prope Assisium,

249 *Ex territorio Hortensi Sanctus cum suis ulterius processit versus Assisium, ut habent laudati biographi, et cum iisdem habitare cœpit in quodam tugurio non procul ab hac civitate sito. Locus hic in Vita prima vocatur* Rugus-tortus, *in secunda* Rigus-tortus, *apud Tres Socios in Appendice* Rivus-tortus; *Bonaventura nomen non expressit. De eodem Waddingus ad citatum annum* 1210, *num.* 23 *hæc scribit :* Recollegit itaque se Vir Dei cum cæteris sociis in eo, quod supra insinuavimus, tuguriolo juxta civitatem Assisii, Ritus-tortus seu sinuosus dicto, quod adeo angustum fuisse commemorant Bernardus de Bessa et Jacobus Oddo Perusinus, ut vix in eo omnes simul sedere, nequaquam protenso corpore jacere valerent. Ut commodius absque
C alternis molestiis vel quiescerent vel orarent, suum cuique statuit locum devotus Pater, signatis omnium nominibus super sublicias seu trabes humilis ædiculæ. *Quæ de loci angustia, aliisque ibi factis refert Waddingus, abunde legi possunt in Vitis edendis, sed iisdem plane contrarium est, quod ratione suæ chronotaxis idem Annalista* S. Franciscum *cum suis etiam ante iter Romanum ibidem habitasse, dixit : nam, ut supra jam probavi, in nulla illarum de eo loco fit mentio, nisi post istud iter et Regulæ approbationem ab Innocentio III impetratam.*

ubi in angusto tugurio habitant.

250 *Pro mora in hoc loco post laudatum iter tracta consule Vitam primam num.* 42, *Tres Socios num.* 55, *et S. Bonaventuram num.* 41; *apud secundum biographum hæc legere est :* Recollegerat autem se verissimus ille paupertatis Zelator cum fratribus suis in quodam prædicti loci (*quem* Rigum tortum *vocaverat*) domicilio derelicto, ut ibidem se utcumque ab æstu pluviaque defenderent. Quod videlicet adeo strictum fuit, ut etiam commode in illo requiescere non valerent. Sed tamen loci angustia cordis latitudinem non artavit, quin ibidem lætanter in summa penuria viverent, et in continua gratiarum actione et laude persisterent. Scribebat quoque Vir sanctus per tigna domunculæ nomina fratrum, ne quis alterum, quiescere vel orare volentem, inquietare vel modicum posset, sed locum sibi deputatum unusquisque cognoscere, *De penuria, quam ibi passi fuere, plura dant* D *alii biographi; infra vero dicemus, qua de causa deinde hinc alio migraverint, postquam quædam alia, quæ partim in hac commoratione facta sunt, expenderimus.*

Sanctus animarum lucra præferens solitudinis quieti,

251 *Thomas Celanensis num.* 33, *et S. Bonaventura num.* 40 *docent,* S. Franciscum *post regressum in vallem Spoletanam, sive dum adhuc in itinere erat, sive etiam ad prædictum tugurium jam pervenerat, deliberasse cum fratribus suis, utrum expediret in solitariis locis manere, an inter homines conversari; et postremum hoc post fusas ad Deum preces decrevisse. Secundum biographum illis consentientem audiamus.* Post hæc vallem Spoletanam intrantes, pium novæ justitiæ zelatores habuere tractatum, utrum in locis solitariis, an potius inter homines, foret illis morandum. At vero sanctus Vir, veluti de sua diffidens industria, devotis orationum studiis negotia cuncta præveniens, ibi, quid ageret, infallibiliter didicit, zeloque ductus divino, proximorum lucris intendere, quam sibi soli vivere, intendit. *Profecto sera fuisset hæc deliberatio, si dubitatum fuisset, an prædicarent pœnitentiam; quippe quod et ipsi facere dudum decreverant, et cum approbatione Regulæ summus mandaverat Pontifex. Quare mihi videntur solum deliberasse, præstaretne domicilia sua prope urbes* E *vel etiam in urbibus figere, an in locis solitariis, e quibus nonnumquam ad prædicandum prodirent in publicum. Electa est pars prior, velut proximi saluti utilior : nec tamen in ipsa civitate Assisii, sed prope eam primum suum fixum domicilium habuerunt.*

multis in locis prædicat macum fructu,

252 *Ab illo etiam tempore cœpit* Franciscus *civitates et vicos majori cum fiducia circumire, ut pacem et pœnitentiam prædicaret. Adi Vitam primam a num.* 36, *cui plane consonat secunda, ex qua hæc habe :* Tunc sanctus Franciscus in Domino confortatus, ex auctoritate Apostolica fiducialius agere cœpit, et per civitates villasque et castella, circuiens, pœnitentiam constantissime prædicavit. Curabat præcipue semetipsum irreprehensibilem in omnibus exhibere, ne veritatem cogeretur verbis adulatoriis palliare. Mirabantur viri litterati ejus, quem homo non docuerat, verborum virtutem; videntes ad ipsum nobiles et ignobiles, divites et egenos, turbatim confluere, eique, veluti novo sideri in tenebris orienti, solerter intendere. Omni namque ordini, conditioni, ætati et sexui congruenter documenta salutis impendit. Omnibus vivendi regulam tribuit, cujus hodie felicem ducatum in utroque sexu sequentium triumphare se, gaudet Ecclesia, triplici militia salvandorum. F

triumque Ordinum institutor socios suos exemplis

253 Tres enim, ut supra tetigimus, Ordines ordinavit; quorum primum ipse professione simul et habitu super omnes excellentissime tenuit, quem et Ordinem Fratrum Minorum, sicut in Regula scripserat, appellavit. Secundus etiam, qui supra memoratus est, Pauperum Dominarum et virginum felix ab eo sumpsit exordium. Tertius quoque non immediocris * perfectionis Ordo Pœnitentium dicitur, qui clericis et laicis, virginibus et continentibus conjugatisque communis, sexum salubriter utrumque complectitur. *Nota, quæ hic dicuntur de secundo et tertio Ordinibus a* S. Francisco *institutis, posteriora esse, et suis in locis magis elucidenda. Huc propius spectant, quæ sequuntur ibidem.* Verum qualiter ipse B. Franciscus Ordinem Fratrum Minorum in omni virtutum culmine magnifice supererogando servaverit, qualiterque ad omnia, quæ sunt veræ religionis, suos fratres et filios informaverit, quis enarrare per singula poterit? Nam in omnibus, quæ facta sunt, doctrinæ Spiritus sancti gratia sufficienter instructus, omnem in semetipso perfectionem voluit experientia teste cognoscere; et sic fratres omnia primum factis edocuit, quæ et postmodum ipsos frequentia melliflui sermonis admonuit. * mediocris

et verbis insiguiter instruit, nihil in se vel in aliis

254 Qualiter autem et fratres, sub tanto Duce personaliter militantes, ad illius exemplum et documenta in omni perfectione profecerint, potius arbitror

A arbitror subticendum, quam diminute etiam cum sermonis pluralitate dicendum. Summa namque vigilantia Vir beatus super suam suorumque custodiam stabat : summa continue diligentia præcavebat, ne non solum forsitan aliquem manifestum peccati pateretur incursum, verum etiam ne qua latens cogitatio germinaret in vitium : sed et ne quis sub virtutis specie, vel necessitatis occasione se dolus ingereret, aut per incautas exteriorum sensuum aperturas ad interiorem forsitan hominem mors intraret. Non est passus in se vel in aliis, ut quidquam disciplina plectendum impune transiret, ne forte remissa manus negligentiæ torporem induceret. Tantum quippe in seipso justitiæ rigorem exercuit, quod, si quando, ut assolet, temptatio carnis surreperet, hyemali tempore in locum glacie vel nivibus plenum usque ad illiciti motus abscessum se mergeret.

reprehensibile impunitum ferens, et sensus cohibens.

235 Provocabantur quoque fratres alii similiter facere, videntes illum sub tanta se districtione tenere. Tanto quippe, ut dictum est, Vir Dei non solum carnis incentiva rigore repressit, verum etiam corporis sensus, ne quicquam vanitatis haurirent, summæ cautelæ repagulis obfirmavit. Nam, cum moram in loco, qui dicitur Rigus-tortus, prope Assisium faceret, accidit, ut Romæ coro-
B nandus imperator cum magno illac comitatu et pompa transiret. Beatus vero Franciscus cum secus viam cum suis fratribus moraretur, ad videndum imperatorem nec ipse, nec aliquis suorum, egredi saltem vel aspicere de tugurio voluit, præter unum solum ex ipsis, cui, hujusmodi gloriam modicum duraturam, eidem imperatori constanter nunciare præcepit. *Consonat Vita prima; atque ex hoc facto, quod contingere debuit sub initium aut medium mensis Septembris anni* 1209, *supra* §7 *monstravi, Ordinis approbationem per Innocentium III, non anno* 1210, *sed* 1209 *figendam esse; quia constat, Ottonem IV, de quo ibi agitur, præcitato anno* 1209 *sub finem Septembris vel initium Octobris ab eodem Innocentio coronam imperii Romæ accepisse.*

Certis de causis et Rivotorto discedens cum suis

236 *Si ordo rerum recte digestus est in Vita prima et secunda, ut mihi probabilius pro hisce apparet, nunc reddenda est ratio, ob quam* S. Franciscus *ex hoc tugurio Rivi-torti se cum suis receperit ad S. Mariam in Portiuncula, ubi ante iter Romanum fuerat commoratus. Silente Bonaventura, causam referunt Celanensis num.* 44, *et Tres Socii num.* 36. *Hisce addo verba Vitæ secundæ.* Quadam vero die vir quidam cum asino venit ad locum, et ad umbram fortasse quærendam, volens introire
C tugurium, ut sine repulsa liberius intraret, allocutus est asinum : Ingredere; quia huic loco bene faciemus adhuc. Sed Homo Dei verbum viri et intentionem graviter ferens (qui videlicet eos illic pro domibus ædificandis et dilatando vel appropriando sibi locello credidit adunatos) domicilium mox reliquit, et ad locum, qui Portiuncula dicitur, ubi gloriosæ Virginis ecclesiam reædificaverat, transmigravit. *Vidit sanctus Pater, tugurium illud pro* sua *possessione haberi, eaque de causa illud deseruisse hic dicitur, vel umbram fugitans possessionis, ut clarius ait laudatus Celanensis,* Nihil, *inquiens,* volebat proprietatis habere.

redit ad tugurium prope ecclesiam S. M. de Portiuncula,

237 *Aliam rationem addunt Tres Socii, quorum unus ibi adfuit, nempe* quia ille (*rusticus*) tumultum magnum fecerat cum suo asino, inquietans omnes fratres, qui tunc silentio et orationi vacabant. *Hoc scilicet exemplo intellexit Sanctus, locum illum orationi minime esse accommodatum, ac propterea, ut ibidem sequitur, dixit fratribus :* Scio, fratres, quod non vocavit nos Deus ad præparandum hospitium asino, et ad habendum hominum frequentationes, sed ut hominibus quandoque viam salutis prædicantes, et salutaria consilia exhibentes, orationibus et gratiarum actionibus principaliter insistere debeamus. *Atque hinc, ut subditur,* reliquerunt ergo dictum tugurium ad usum leprosorum, transferentes * ad Sanctam Mariam de

* *adde* se

Portiuncula. *Prorsus alias e Rivo-torto migrandi rationes allegat Waddingus ad annum* 1210, *num.* 26, *quarum prima est, quod plures peterent eorum collegio aggregari, quos illius loci angustiæ non permittebant admitti; altera, quod prospiciendum esset de ecclesia, in qua et omnes possent divino Missæ Sacrificio assistere, et Horas canonicas persolvere, et post obitum sepeliri. Verum licet minime ineptæ hæ rationes sint, eas tamen in antiquis Vitis nostris non invenio; nec ipse pro iisdem ullum hic laudat auctorem.* AUCTORE C. S.

quam, non tunc, sed postea, in illorum usum

238 *Consequenter ad hanc suam opinionem idem Annalista Minorum insinuat,* S. Franciscum *e Rivo-torto non migrasse, priusquam post frustra petitam ab episcopo et canonicis ecclesiam aliquam, tandem prædictam S. Mariæ ecclesiam in Portiuncula a Patribus Benedictinis, quorum illa erat, obtinuisset. Hoc quoque antiquioribus biographis nostris non satis congruere videtur. Nam Celanensis quidem post relatum factum rustici hæc subjicit :* Statimque S. Franciscus egrediens inde, relicto tugurio illo propter rustici verbum, transtulit ad alium se locum, non longe ab illo, qui Portiuncula dicitur, ubi, sicut supra dictum est, ecclesia Sanctæ Mariæ ab illo ante fuerat reparata. *Pari modo biographus secundus num.* 256 *relatus scribit :* Domicilium mox reliquit *etc. Non igitur distulit emigrationem, donec* E *illam obtinuit ecclesiam; sed mox recessit* ad domunculam, *quam post admissos tres primos socios, Bernardum, Petrum et B. Ægidium, ibidem sibi exstruxerat, et ex qua cum iisdem sociis discesserat Romam, et ad quam denique sine Benedictinorum licentia poterat redire. Hinc non ait Celanensis,* Franciscum *se transtulisse ad ecclesiam S. Mariæ in Portiuncula, sed* ad alium... locum non longe ab illo, qui Portiuncula dicitur *etc.*

ipsi concessit abbas monasterii Montis Subasii.

239 *Id etiam innuere mihi videntur Tres Socii, dum in Appendice post relatam num.* 55 *hanc commigrationem, mox num.* 56 *subdunt :* Postmodum vero ab abbate S. Benedicti de Monte Subasio, prope Assisium, B. Franciscus... eum (*lege* eam, *nimirum ecclesiam*) acquisivit. *Videtur ergo Sanctus sæpe dictam ecclesiam paulo serius obtinuisse, sed de tempore non constat mihi. Waddingus ad annum* 1212, *num.* 43, *laudato in margine Mariano Florentino, affirmat,* S. Francisci *decretum de capitulo quotannis bis celebrando ad eumdem annum* 1212 *pertinere; quod cum Tres Socii num.* 57 *post obtentam ecclesiam ab eo latum, clarissime asserant, hæc illi saltem non serius concessa fuisse dici potest, si certa sit decreti epocha assignata. Præterea Waddingus ad annum* 1210, *num.* 26 *et sequentibus varia narrat de transactis abbatem Benedictinum* F *inter sanctumque* Franciscum *pro concessione ejusdem ecclesiæ, aliisque ad eam spectantibus, ac num.* 29 *apparitionem quamdam Sancto in illa pernoctanti factam; quæ ego nec negare velim nec affirmare, quia de illis tacent antiquiores. De multis quoque eo in loco a sancto Patre in Ordinem admissis fuse prosequitur, quæ ad Annales Minorum, quos ille condebat, magis pertinent, quam ad Vitam* S. Francisci, *quam solam illustrandam suscepi.*

Sanctus suis tradidit formulam precandi,

260 *Regredior igitur ad Vitas antiquas, quarum prima post relatam transmigrationem ad locum de Portiuncula continuo narrat, quomodo* S. Franciscus *discipulos suos docuerit orare. Secundus biographus, primi vestigia legens, de eo hæc habet :* Rogatus a fratribus eo tempore beatus Franciscus, ut eos orare doceret; simpliciter illis hujusmodi formam tradidit, dicens : Cum orabitis, dicite : « Pater noster; et, Adoramus te, Domine Jesu » Christe, ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt in » toto mundo, et benedicimus tibi, quia per » sanctam crucem tuam redemisti mundum. » Quod ipsi fratres humiliter exequentes, et verbum simpliciter pro mandato obedientiæ reputantes, se etiam ad ecclesias, quas e longinquo prospicere poterant, inclinabant, et proni in terram, prout instructi fuerant, adorabant. *Hanc precandi formulam eodem fere tempore a Sancto sociis traditam*

AUCTORE C. S.

memorat S. Bonaventura in Vita num. 42 : *sed Tres Socii et Anonymus Perusinus de illa velut jam ante Romanum iter apud fratres usitata loquuntur, ut dixi num.* 210; *cujuscumque tamen temporis sit, certe documentum est* S. Francisci.

de qua pauca annotantur ; discipuli ejus

261 *Waddingus ad annum* 1210, *num.* 24 *ad præsens argumentum ait :* Aram crucis erexit (*Franciscus, dum etiam in Rivo-torto manerent*) in medio tugurioli, defixa in terra mediocris mensuræ lignea cruce, circa quam omnes in orbem acti magna veneratione et summo affectu dicebant : « Ado- » ramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per » sanctam crucem tuam redemisti mundum; » et deinde sæpius repetebant orationem Dominicam. *Pro his allegat in margine Marianum et Oddonem Perusinum; eaque vera esse possunt, modo habitationem apud Rivum-tortum itineri Romano postponas. Verumtamen si locos veterum biographorum, tum hic, tum supra num.* 210 *a me productos consulas, videbitur ista precandi formula extra ædes procedentibus potius commendata fuisse, quam versantibus domi; quamvis et hic in usu esse potuerit. Eadem oratio, paucis mutatis, legitur in ejusdem Sancti Testamento inferius recitando. His observatis, pergo secundi biographi, primum secuti, interruptam narrationem describere.* Fratres quoque, B tunc sacerdotes Ordinis non habentes, confitebantur secularibus sacerdotibus indifferenter, bonis et malis; nec peccatum in aliquo considerabant; sed ad exemplum et doctrinam sancti Patris maximam omnibus reverentiam exhibebant.

pie simplices maxime venerabantur sacerdotes,

262 Hoc enim ipse Vir Catholicus et totus Apostolicus in prædicatione sua principaliter monuit, ut Romanæ Ecclesiæ fides inviolabiliter servaretur, et ob Dominici Sacramenti, quod ministerio sacerdotum conficitur, dignitatem, in summa sacerdotalis Ordo reverentia teneretur. Sed et divinæ Legis doctores et omnes ecclesiasticos ordines, docebat, summo opere reverendos. Erat autem tanta fratrum simplicitas, quod, cum quidam sacerdos, qui non ignorabatur infamis, uni ex fratribus diceret : Vide, ne sis ypocrita *, ipse frater, se esse ypocritam, certissime crederet; eo quod, sacerdotem mentiri non posse, putaret. Cumque diu super hoc dictus frater gravissime turbaretur, ad sancti Patris ignitum eloquium, quo frequenter omne nubilum a fratrum cordibus fugabatur, tandem consolationem recepit, qui verbum sacerdotis et intentionem sagaciter excusavit. *Uno in loco recessit hic scriptor a primo, qui non dixit, soluisse fratres* indifferenter bonis et malis *sacerdotibus confiteri.*

**hypocrita*

nec de iis quidquam poterant mali suspicari.

263 *Sed solum ait, illos tantæ in sacerdotes venerationis tantæque simplicitatis fuisse, ut de nullo eorum auderent male suspicari, aut sinistris de illis rumoribus assentiri. Id vero tunc probat gemino* C *exemplo, quorum primum sic habet :* Nam dum cuidam sacerdoti ex secularibus, qui meritis valde infamis erat, et enormitate scelerum ab omnibus contemnendus, confiterentur sæpe peccata sua, et per multos eis innotuisset ejus nequitia, nullo tamen modo credere voluerunt; nec propterea obmiserunt peccata sua ei solito confiteri, nec debitam impendere reverentiam. *Alterum exemplum conforme est relato in Vita secunda et ex utroque constat, istos tunc summo studio cavisse, ne de aliis male suspicarentur, maxime de sacerdotibus, quos nec mentiri quidem posse, eorum aliquis ex simplicitate et veneratione sibi potuit persuadere. Lege, si lubet,* S. Francisci *Testamentum infra num.* 625, *ubi loquens de honorandis sacerdotibus inter alia ait :* Nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei cerno in ipsis. *De his silent Tres Socii et Bonaventura; sed quod mox sequitur, horum ultimus num.* 43 *factum memorat apud Rivum-tortum, aut certe in pauperculo habitaculo in Portiuncula.*

Corpore absens, suis mirabili modo apparet ;

264 *Refertur illud post jamjam dicta in Vita prima num.* 47, *et a secundo biographo sic exponitur.* Crebris quoque revelationibus fratrum simplicitas consolabatur tunc temporis, quas utique recipere meruerunt ex præsentia tanti Patris. Nam cum D nocte quadam se beatus Franciscus absentasset, ecce circa mediam noctis horam, quibusdam fratribus quiescentibus, aliis autem orantibus, currus igneus per ostiolum domus introiens, huc illucque per domunculam pluries se convertit, super quem globus non mediocris, speciem solis habens, ipsas quoque sua claritate noctis tenebras effugavit, Convenientibus ergo cunctis, et invicem, quid hoc esset, cum magno stupore quærentibus, celebri memoria digna res accidit; quod videlicet ex virtute mundi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt igitur, hanc animam esse Patris sanctissimi, quam ob præcipuam sui puritatem in filiorum solatium ipse sic meruerat transfiguratam ostendi. Vere hic est * Sanctus triplicis militiæ, de qua supra dictum est, currus et auriga digne dici meruit, qui in solari specie quadriga vectus ignea, adhuc vivens in carne mortali prærogativam transfigurationis optinuit *.

** abundat est*

** obtinuit*

eorumdem arcana novit, iisque varia

265 *Eadem habent Celanensis et Bonaventura, nisi quod apud horum primum currus ille, non* plu- ries, *sed* bis et ter, *apud alterum* tertio *per domicilium se convertisse legatur. Causam absentiæ illius Bonaventura num.* 43 *docet his verbis :* Vir sanctus die quadam Sabbathi civitatem Assisii intravit, prædicaturus mane diei Dominicæ, ut moris erat, E in ecclesia cathedrali. Cumque in quodam tugurio, sito in horto canonicorum, Vir Deo devotus in oratione more solito pernoctaret *etc., quæ ex secundo biographo jam recensui. Post hæc tam Thomas Celanensis, quam Bonaventura prosequuntur ad cognitionem arcanorum mentium, qua* S. Franciscus *divinitus fuit instructus. Secundæ Vitæ auctor de eadem sic disserit.* Reversus itaque corporaliter ad fratres suos Vir Dei, cœpit conscientiarum illorum subtiliter archana rimari, quæ et ipsum non latere, fuerant crebro non inexperti. O res utique nostris temporibus stuporis et gaudii plena! infirmum scilicet hominem alienarum mentium dijudicare secreta. Multis namque cordium suorum occulta Vir iste gloriosus aperuit; absentium quoque fratrum multotiens acta cognovit; aliis quidem in sompnis, ne hoc vel hoc facerent, prohibens; aliis autem istud vel illud agendum præcipiens.

prædicit : longe item absens apparet in capitulo Arelatensi,

266 Multorum etiam, qui boni in facie videbantur, mala dampnabilia prævidens nunciavit : sed et eorum, qui mali, dona gratiarum futura prædixit. Vere duplex in ipso prophetarum spiritus requievit, qui et tantis, ut in parte patebit, in vita miraculis claruit, et de futuris, quorum pauca prosequimur, tanta prævidit. Sæpius quoque fratribus suis Vir Dei solatia gaudii spiritualis impendit, F quibus ipse corpore quidem absens, sed spiritu præsens fuit. Referam breviter unum de multis. Nam tempore quodam, fratre Johanne de Florentia capitulum in Provincia celebrante, ubi a beato Francisco minister fuerat constitutus, intererat eidem capitulo venerabilis ille frater, qui nunc sanctus et glòriosus Christi confessor extat, Antonius (*passim* de Padua *dictus, et anno* 1232 *Sanctis adscriptus.*) Ubi dum Sanctus iste, in exponendis divinarum paginarum eloquiis sapientiæ spiritu plenus, super hac materia, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, fratribus adunatis verbum exhortationis affectuose proponeret, frater quidam, Monaldus nomine, sacerdos, vir simplex et multarum (*virtutum*) ornatu præclarus, faciem suam ad ostium domus convertit; viditque corporeis oculis, qualiter beatus Franciscus in aere sublevatus, velut manibus in cruce protensis, fratres, qui aderant, benedixit.

ubi S. Antodius prædicabat.

267 Tantumque subito singulis et universis gaudium spiritus est infusum, ut, quod idem sacerdos postea de eadem visione narrabat, cunctis miran- tibus, ipsa faceret experientia (*fide*) dignum. *Eamdem apparitionem narrat Celanensis num.* 48, *et S. Bonaventuaa num.* 53; *sed omnes ordinem temporis neglexerunt, ut ad idem argumentum spectantia conjungerent. Waddingus eam ad ann.* 1224 *retulit*

A *retulit num.* 42, *non alios citans auctores, quam laudatum S. Bonaventuram et Surium in Vita S. Antonii cap.* 10, *apud me* 12 : *verum hi factum quidem referunt, at non certo anno affigunt. In Actis S. Antonii, apud nos ad diem* 13 *Junii datis, ejusdem apparitionis bis mentio fit, primo in Vita num.* 11, *atque iterum in libro Miraculorum num.* 8, *ad quorum primum locum Papebrochius noster lit.* e *annotavit, videri sibi, eam rem contigisse anno* 1226, *vel paulo citius; atque ita a Waddingo aut nihil aut parum dissensit. Mihi aliunde ad manum non est, unde tempus proprius definiam; at certe serius figi non potest, quam anno* 1226, *quo* S. Franciscus *obiit. Solum ex Bonaventura observo, contigisse* in Arelatensi capitulo *in Provincia Galliæ.*

Fratri Richerio arcanum timorem eximit.

268 *De arcanorum cognitione aliud exemplum sine ordine temporis subdit biographus secundus;* Qualiter autem, *inquiens,* alienorum cordium sæpius occulta pandebat, unum de plurimis enarrare sufficiat. Frater quidam, Richerius nomine, tam moribus quam genere nobilis, in tantum de beati Francisci meritis præsumebat, ut divinam profecto mereri gratiam crederet, si quis ipsius Sancti dono benevolentiæ potiretur; aut si quis illa careret, Dei nichilo minus iracundiam mereretur. Cumque ad optinendum familiaritatis ipsius beneficium vehe-
B menter aspiraret, timuit valde, ne quid in ipso vitii Vir sanctus occulte forsitan deprehenderet, cujus occasione se ab illius gratia magis elongari contingeret. Igitur hujusmodi timore jam dictum fratrem continue et graviter affligente, nec illo cogitationem suam cuiquam hominum revelante, accidit, ipsum die quadam solito more turbatum ad cellulam, in qua sanctus Franciscus orabat, accedere. Cujus adventum simul et animum Vir Dei cognovit, et benigne ad se vocato sic ait : Nullus te timor de cetero, nulla te, fili, conturbet temptatio, quoniam karissimus michi es, et inter præcipue caros speciali caritate te diligo. Securus ad me, cum tibi placuerit, venias, et a me libere pro tua voluntate recedas. Obstupuit non modicum et lætatus est frater in sermonibus sancti Patris, et deinceps de ipsius dilectione securus, crevit etiam, sicut crediderat, in gratia Salvatoris.

Huic factum simile

269 *Eadem plane habet Thomas Celanensis in Vita prima num.* 49 *et* 50. *At nomen fratris siluit Bonaventura in Vita num.* 165 : *atque hic factum reor, quod Waddingus, cum Celanensis ac Trium Sociorum Opuscula non haberet, ad annum* 1226, *num.* 13 *recurrerit ad Pisanum Conformitate* 8, *ubi de Rizerio, quem Waddingus diversum a laudato apud Bonaventuram anonymo crediderit, res modo*
C *plane diverso narratur. Laudat quidem etiam S. Antoninum et Vincentium Bellovacensem, qui conformia habent Vitis primæ ac secundæ, sed ausus non est, ut opinor, illos sequi, quia fontem, ex quo hi hauserant, non habebat perspectum. Porro ut lector intelligat, quam parum fidere possimus Pisano, qualis exstat, totum illius locum ex prima editione Mediolanensi anni* 1510 *hic referam.* Frater autem Rizerius, dicti fratris Peregrini socius in terris, et nunc concivis in celis, per activam vitam, dum viveret, ambulans, et Deo ac proximo fideliter serviens, factus est familiarissimus et charissimus B. Francisco, et multa ab ipso B. Francisco didicit, et de pluribus veritatem, et in agendis cognovit Domini voluntatem. Et secundum B. Francisci vaticinium frater Rizerius fratribus serviens, factus est Minister provinciæ Marchiæ Anconitanæ; et propter zelum Dei, qui semper ardebat in corde suo, cum pace maxima et discretione ipsam provinciam regebat, sequens Christi exemplum, qui prius voluit facere, quam docere.

aut potius idem plurimum deformatum,

270 Post multum vero temporis permisit Deus, in lucrum animæ tentationes gravissimas sibi evenire, ut probaretur, tamquam aurum in fornace; propter quas tentationes se affligebat in abstinentia et disciplinis, lachrimis et orationibus, sed a tentatione liberari non poterat, et multotiens ducebatur ad desperationem. Nam propter immanitatem tentationis credebat se a Deo derelictum. In ultima vero desolatione et desperatione positus cogitavit in corde suo, dicens : Surgam et ibo ad patrem meum B. Franciscum; et si ostenderit mihi familiaritatem, credo, quod Deus propitius erit mihi peccatori; sin autem, signum erit, quod sum a Domino derelictus. Et arripiens iter ibat ad B. Franciscum securitate maxima et affectu. Beatus autem Franciscus jacebat in palacio episcopi Assisinatis valde infirmus : et cogitanti de Domino Jesu Christo, revelatus fuit sibi a Deo ordo tentationis et adventus et propositum dicti fratris Rizerii. Et statim vocans socios suos, scilicet fratres Masseum et Leonem, dixit : Ite in occursum filii mei, fratris Rizerii, et ex parte mea ipsum amplexantes, osculantes et salutantes, dicite illi ex parte mea, quod inter omnes fratres, qui sunt in mundo, singulariter ipsum diligo. Illi vero, sicut obedientiæ filii, statim exierunt in occursum fratris Rizerii; et invenientes eum, sicut dixerat B. Franciscus, amplexantes et recipientes, amicabilia et amabilia verba Patris ita animam illius consolationibus repleverunt, quod totus fuit quasi liquefactus ex gaudio.

AUCTORE C. S.

271 Quanto vero gaudio fuerit tunc plenus et lætitia, et gratias Deo exhibuerit, non posset effari; quia Dominus prosperum iter fecerat suum. Perveniens autem ad locum, ubi jacebat pater noster E Franciscus, et licet esset graviter infirmus, surrexit et venit in occursum illius, et amplexans cum dulcedine dixit : Charissime fili, frater Rizeri, inter omnes fratres, qui sunt in mundo universo, te diligo. Et imprimens ei signum crucis in fronte, et ipsum amantissime osculans in eodem loco, dixit : Fili mi charissime, frater Rizeri, hæc tentatio data tibi fuit ad maximum tuum lucrum : sed si non vis amplius istud lucrum, non habeas. Mirabile dictu! Statim cessavit omnis illa tentatio diabolica, ac si in vita sua numquam sensisset, et mansit in Domino consolatus. *Hæc omnia leguntur etiam in omnibus tribus editionibus Speculi* S. Francisci, *quas habemus in Museo, et quidem iisdem sæpe verbis, ut viæ dubium sit, quin vel primo Speculi editori Pisani Opus præluxerit, vel primus hujus editor Speculum præ oculis habuerit. Jam vero nemo non facile perspiciet, hanc relationem admodum similem esse præcedenti, quam ex Vita secunda recensui, ac necessario dicendum, aut agi de gemina tentatione Richerii, Rixerii vel Rizerii, ut nomen varie scribitur, qui primo, dum juvenis erat, modo supra relato tentatus fuerit, ac deinde rursum alia graviori tentatione pulsatus, dum jam præerat Marchiæ Anconitanæ; aut in secunda relatione hanc historiam prorsus esse deformatam.* F

narratur in Conformitatibus Pisani

272 *Lubens ego judicio lectorum permittam, ut, quam velint, partem eligant. At mihi prima relatio historice certa est ex auctoritate Thomæ Calanensis, qui procul dubio Richerium illum noverat; secunda ne probabilis quidem apparet, utpote satis antiquo et idoneo teste destituta, primæque tam affinis, ut ex hac facile sic deformari potuerit a scriptore incauto, qui sciebat, Richerium aliquando provinciæ Marchiæ Anconitanæ præfuisse. Quod autem Waddingus ista ad annum* 1226 *retulerit, non alio nititur fundamento, quam quod in Pisano et Speculo, ut dictum est,* S. Franciscus, *adveniente Richerio, infirmus jacuisse dicatur in palatio episcopi Assisiatis, in quo ipsum eodem anno* 1226 *non diu ante beatum obitum suum decubuisse, constat aliunde. Quo vero tempore ejusdem Richerii accessus, a primo et secundo biographo memoratus, contigerit, plane incertum est; sed ex ipso narrandi modo videtur tunc Richerius, non in diverso, sed in eodem, in quo* S. Franciscus, *loco commoratus fuisse.*

et editionibus Speculi S. Francisci.

§ XIII.

AUCTORE C. S.

§ XIII. Cura paupertatis servandæ, vitæ austeritas, humilitas, aliæque Sancti virtutes : S. Claræ anno MCCXII ad strictiorem vitam conversio, ejusque Ordo inchoatus : primum Ordinis Minorum capitulum : iter in Syriam ab illo frustra mari tentatum.

Paupertatem arctat, miram in victu abstinentiam servat ;

Jam aliqua dicere cœpi de virtutibus et mirabilibus S. Francisci, *quæ in Vitis non sunt certo tempori illigata, neque certis argumentis ad determinatos annos possunt revocari, etiamsi Waddingus singulis annis nonnulla narraverit, prout invenit apud alios scriptores non satis vetustos ad ejusmodi chronologicam seriem sine aliis testibus stabiliendam. Ego malo in iis, quæ incerti temporis sunt, ordinem primæ Vitæ sequi, donec perveniam ad gesta, quorum tempora certis rationibus possunt comprobari. Celanensis in Vita prima a num.* 51 *sedulam Sancti de suis subditis curam, ingensque studium sanctæ paupertatis servandæ commendat. Sequitur biographus secundus, cujus verba accipe.* Sanctus Christi confessor Franciscus omni studio præcavebat, ne sanctæ summæque paupertatis metas transiliens, B ad superflua quoquo modo diffluëret, ita ut magis semper ad indigentiam, quam ad habundantem sufficientiam vel excessum declinans, usque ad maximæ necessitatis exigentiam vix vasculum saltem in domo relinqueret. Quid de cibariis delicatis aut vini potu, quid de aliorum etiam vilium superfluitate dicamus; quod rarissime coctis utens, ea cineribus vel aqua frigida commisceret, et de ipsa sufficienter aqua non biberet? Difficillimum enim asserebat, necessitati satisfacere, et voluptati non obedire.

innocuum carnis esum in se vindicat,

274 Sæpius quoque, cum pœnitentiam prædicans circuiret, et invitatus refectionem in domibus secularium sumeret, visus quidem comedere carnes, ad os manum ducebat, sed tantum propter Euangelii verbum, quo dicitur : « Edentes et bibentes, quæ apud illos sunt; » minimum quid perraro degustans, reliquias in sinum subtili cautela mittebat. Nuda humus dormire coacto, tunicula tantum interposita, lectus erat; et sæpius sedens, quam jacens, inclinato ad lignum vel ad lapidem capite, dormitabat. Accidit quoque, ut infirmitatis necessitate de pullo quadam vice manducans, viribus postmodum utcumque resumptis, cuidam fratri districte præciperet, ut, collo ipsius fune ligato, eum tamquam latronem per medium civitatis Assisii duceret, et præconia nichilominus voce clamaret : Ecce, videte glutonem, qui se gallinarum C carnibus impinguavit, quas secreto, vobis ignorantibus, manducavit. Factumque est, ut multi ad tam mirandum compuncti spectaculum lacrimabili nimirum * voce lugerent, seseque miserrimos, velut cotidianis voluptatibus deditos, proclamarent.

* *an* nimium?

utque ab omnibus contemnatur.

275 Multa quoque in hunc modum sæpius faciebat, ut semetipsum perfecte contempneret, et ad sui contemptum ceteros provocaret. Sed et hic verissimus sui Contemptor, cum non immerito magnificaretur ab hominibus, mirabiliter favorem hominum, solus se vilissimum reputans, arcebat pro foribus. Cum enim extolli se laudibus humanis audiret, alicui fratrum per obedientiam, graviter hoc ferens, injunxit, ut viriliter ipsum a latere verbis contumeliosis afficeret, et adversus laudantium mendacia veritatis verba proferret. Quem dum frater invitus RUSTICUM et MERCENARIUM INUTILEM appellaret, sanctissimus ille jocundo applausu subrisit, et sic exprobranti respondit : Benedicat tibi Dominus, fili karissime, quia verissima loqueris, et talia Filium Petri de Bernardone decet audire. *Ne quis existimet, in hisce fratris illius dictis exiguam curam habitam fuisse veritatis, observo, ea, si recte expendantur, certo sensu fuisse vera.* Rusticum *dicere potuit, quia exteriori habitu morumque simplicitate rusticos potius, quam nobiles, imitabatur.* Mercenarium, *quia, licet ex puro amore potius, quam mercedis causa, Deo serviebat, exspectabat tamen amplam ab illo mercedem.* Inutilem *eo sensu, quo dixit Dominus Lucæ* 17, ℣. 10 : Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus. D

mirifice laborat. Brevis observatio ad nonnulla,

276 *Præmissis hæc denuo subdit laudatus biographus :* Cupiens quoque, se perfecte inutilem ab omnibus reputari, peccata sua non erubuit in prædicatione publica confiteri. Sed et, si quid sinistri surreperet levi cogitatione de aliquo, id ipsum eidem, de quo cogitaverat, confitens humiliter. veniam postulavit ab illo. Et hoc ipso etiam leviter advertenti patebit, qualiter Vir iste murmurationis et detractionis verba vitavit. Quid plura? In omni genere perfectionis usque ad summum apicem pertingere cupiens, favorem summopere devitabat humanum, et ut, conscientia teste, vas sanctificationis interius possideret, factus est sibimetipsi exterius tamquam vas perditum. *Similia habet etiam S. Bonaventura, sed non eodem semper ordine. Multa quoque possent ex Speculo adjungi de rigore, quo voluit* S. Franciscus *paupertatem observari, uti et de vitæ austeritate, humilitate et contemptu sui; verum cum illa sint minus certa, et Commentarius hic aliunde sat futurus sit prolixus,* E *solum paucis perstringam, qua Waddingus ad annos* 1210 *et* 1211 *ad propositum nostrum pluribus commemoravit, ut deinde transeamus ad gesta anno* 1212. *Itaque laudatus Annalista ad ann.* 1210 *a num.* 32 *agit de conversione et ingressu in Ordinem Minorum fratrum Leonis, Ruffini, Massæi, aliorumque multorum, quos fuisse præclaros viros a* S. Francisco *in Ordinem admissos novimus; sed annos, quibus id contingit, apud antiquos non reperimus, nec investigandos nobis putamus.*

quæ Waddingus annis 1210 *et sequenti illigavit.*

277 *Præterea etiam particularia aliqua, quæ inter eos sanctumque* Franciscum *accidisse dicuntur, et pleraque ex Speculo desumpta sunt. Deinde de illius virtutibus multa disserit, quæ partim in Vitis edendis, partim in eodem Speculo legere est. Dum autem num.* 59 *ait :* Hæc porro, quæ retulimus, hoc anno peracta esse, docent Marianus, Legenda antiqua Celani et alii, licet, quæ ex Bonaventura transcripsimus, nullo apud eum anno signentur, qui prudens et sciens, se ad chronologiam non respexisse, præfatur; *dum, inquam, hæc ait, dicere voluit, opinor, Celanum laudari a Mariano, qui ea ad memoratum annum reposuit. Celanus enim pro his, non magis, quam S. Bonaventura, certum annum indicavit. Nihilo magis ex vetustis Vitis discere potui, an anno* 1211 *contingerint omnia, quæ de* F S. Francisci *virtutibus, miraculis et itineribus ad eumdem annum, duce Mariano, narravit Waddingus, uti et de ingressu multorum in Ordinem, exstructisque in usum fratrum Minorum domiciliis in variis Italiæ locis. Nequeo, inquam, ex laudatis colligere, an hæc omnia præcitato anno* 1211, *an serius, figenda sint. Quædam enim ex ibidem relatis serius facta esse, Vitæ utcumque innuunt; sed hæ rerum gestarum ordinem non semper accurate observant, et S. Bonaventura præ ceteris frequentius ab ordine recedit, magis curans ordinem* aptæ juncturæ, *quam temporis, ut in Prologo fatetur. Itaque prætermisso chronotaxis illius et rerum narratarum examine, transeo ad annum* 1212, *cui facta aliqua certius possunt illigari.*

Anno 1212 *datum est initium Ordini S. Claræ,*

278 *Memorabilis est hic annus* 1212 *initio secundi Ordinis* S. Francisci, *a prima, quæ illum professa est,* S. Claræ *appellati, cujus institutio communi scriptorum consensu ad hunc annum refertur. Confirmatur hæc epocha ex Thoma Celanensi in Vita edenda num.* 18, *ubi post narratam ecclesiæ S. Damiani per* Franciscum *reparationem, cujus supra meminimus, ita pergit :* Hic est locus ille beatus et sanctus, in quo gloriosa Religio et excellentissimus Ordo Pauperum dominarum (*sic initio vocabatur Ordo S. Claræ*) et sanctarum virginum, a conversione B. Francisci fere sex annorum spatio jam elapso,

A elapso, per eumdem beatum Virum felix exordium sumpsit. *Currebat sextus* S. Francisci *conversionis annus circa Pascha anni* 1212, *et perrexit currere usque ad menses fere posteriores ejusdem anni. Fugit autem e paternis ædibus S. Clara et mundo plane valedixit nocte post Dominicam Palmarum, quæ eo anno in diem* 18 *Martii incidit, ac mox a* S. Francisco *in ecclesia S. Mariæ de Portiuncula attonsa fuit, ut in ejusdem Sanctæ Vita, ab auctore coævo scripta, et apud nos ad diem* 12 *Augusti edita, fusius explicatur. Tota conversionis illius series ibi legi potest; quapropter pauca tantum huc transferam, quæ ad* S. Franciscum *propius pertinent.*

quæ nobilis virgo Assisiensis, monitis S. Francisci instructa,

279 *Erat Clara virgo genere, opibus et virtutibus illustris, habitabatque Assisii in patria sua ac ædibus paternis.* Audiens vero (*ait illius biographus num.* 5) tunc celebre nomen Francisci, qui velut novus homo obliteratam in mundo viam perfectionis novis virtutibus renovabat, mox eum audire desiderat et videre, suadente hoc ipsum Patre spirituum, cujus jam uterque, licet differenter, acceperat primitiva. Nec minus ille tam gratiosæ puellæ celebri fama perflatus, videre hanc et alloqui cupit, si quo modo, qui totus inhiabat ad prædam, regnumque mundi depopulaturus advenerat, nobilem istam prædam seculo nequam possit eripere, suoque Domino vendicare. Visitat ille istam, et sæpius B ista illum, visitationum suarum tempora moderantes, quibus divinum illud studium nec percipi ab homine possit, nec rumore publico detractari. Nam unica tantum familiari socia comitante, paternos lares puella egrediens, clandestinos ad Virum Dei frequentabat accessus, cujus sibi verba flammantia, cujusque ultra hominem opera videbantur. Hortatur eam pater Franciscus ad mundi contemptum; spem seculi aridam et speciem deceptivam vivo sermone demonstrat : instillat auribus ejus dulcia connubia Christi, suadens, virginalis pudicitiæ margaritam beato illi Sponso, quem amor humanavit, fore servandam.

e paterna domo noctu fugiens ad S. Mariam de Portiuncula,

280 Quid immorer multis? Instante Patre sanctissimo, et more fidelissimi paranymphi solerter agente, non trahit in longum virgo consensum. Aperitur ei protinus æternorum intuitus gaudiorum, quorum conspectu mundus ipsi vilesceret... Extunc Francisci consilio se totam committit, ipsum post Deum statuens suæ directionis aurigam. Pendet exinde anima ejus ad sacra illius monita, et de bono Jesu calido excipit pectore, quidquid promit ille sermone... Protinus, ne speculum illibatæ mentis mundanus pulvis ulterius inquinet,... properat Claram educere pius Pater de seculo tenebroso. Instabat Palmarum dies solennis, cum ad C Virum Dei puella fervido corde se confert, sciscitans, de sua conversione quid et qualiter sit agendum. Jubet pater Franciscus, ut in die festo compta et ornata procedat ad palmam cum frequentia populorum, ac nocte sequenti exiens extra castra, mundanum gaudium convertat in luctum Dominicæ passionis. Die itaque Dominico veniente, in turba dominarum splendore festivo puella perradians cum reliquis intrat ecclesiam... Nocte sequenti ad Sancti mandatum se præparans, optatam fugam cum honesta societate aggreditur. Cumque ostio consueto exire non placuit, aliud ostium, quod lignorum et lapidum pondera obstruebant, miranda sibi fortitudine propriis manibus reseravit.

pœnitentiæ habitu ab eodem donatur,

281 Igitur domo, civitate et consanguineis derelictis, ad Sanctam Mariam de Portiuncula festinavit; ubi fratres, qui in aula Dei sacras excubias observabant, virginem Claram cum luminaribus receperunt. Mox ibi rejectis sordibus Babylonis, mundo libellum repudii tradidit : ibi manu fratrum crines deponens, ornatus varios dereliquit. Nec decuit, alibi florigeræ virginitatis Ordinem ad vesperam temporum excitari, quam in ejus aula, quæ prima omnium atque dignissima sola extitit Mater et Virgo. Hic locus ille est, in quo nova militia pauperum, duce Francisco, felicia sumebat primordia, ut liquido videretur utramque Religionem Mater misericordiæ in suo diversorio parturire. Cum autem coram altari beatissimæ Mariæ sanctæ pœnitentiæ suscepisset insignia, et quasi ante thorum hujus Virginis humilis ancilla Christo nupsisset, statim eam ad ecclesiam S. Pauli (*quod puellare monasterium Ordinis S. Benedicti erat*) S. Franciscus deduxit, donec aliud provideret Altissimus, in eodem loco mansuram. *Tum narrantur consanguineorum conatus ad Claram reducendam, quos illa constanti animo viriliter superavit et irritos reddidit.* AUCTORE C. S.

282 *Post hæc num.* 10 *subjicit auctor :* Paucis interjectis diebus, ad ecclesiam S. Angeli de Panso (*quod Benedictinum quoque monasterium erat juxta Assisium*) transivit; ubi cum non plene mens ejus quiesceret, tandem ad ecclesiam S. Damiani, beati Francisci consilio, commigravit. Ibi mentis anchoram quasi in certo figens, non jam pro loci mutatione ulterius fluctuat, non pro arctitudine dubitat, nec pro solitudine reformidat. Hæc est illa ecclesia, in cujus reparatione Franciscus miro desudavit studio, cujusque sacerdoti pecuniam obtulerat pro opere reparando. Hæc est, in qua dum Franciscus oraret, vox ad eum de ligno crucis dilapsa insonuit : Francisce, vade, repara domum meam, quæ, ut cernis, tota destruitur. In hujus locelli ergastulo pro cælestis amore Sponsi virgo se Clara conclu- E sit *etc. Sic anno* 1212 *inchoatus est Ordo S. Claræ, ad quam soror ejus Agnes, aliæque accesserunt, quæ a professione sua* Pauperes Dominæ, *et a prædicta habitatione etiam* Damianitæ *fuerunt appellatæ, vixeruntque aliquot annis sub institutione* S. Francisci *et Cardinalis Hugolini, donec scriptam Regulam sibi propriam ab eodem Sancto compositam obtinuerunt, quod Waddingus ad annum* 1224 *retulit; ubi de ea redibit mentio.*

ac post unum et alterum commorationis locum, apud S. Damiani fixit sedem.

283 *Eodem anno* 1212, *ut observat idem Annalista num.* 45, *sanxit* Franciscus, *ut in posterum sui Ordinis comitia,* Capitulum *vocant, bis in anno apud S. Mariam de Portiuncula haberentur. De hoc decreto consentiunt Tres Socii in Appendice num.* 17, *sed nihil dicunt de tempore, nisi istud conditum fuisse* post prædictum... locum S. Mariæ (*de Portiuncula*) obtentum a præfato abbate, *nimirum Benedictino monasterii Montis Subasii, ut supra dictum est. Hinc conjicere licet, eam ecclesiam forte circa initium anni* 1212, *aut sub finem præcedentis* S. Francisco *et sociis concessam fuisse, quamvis ab anno saltem* 1210 *in quadam juxta illam domuncula jam habitassent. De eodem decreto meminit Anonymus Perusinus,* Postea, *inquiens,* ordinavit beatus Franciscus, quod fieret capitulum bis in anno, in Pentecoste et in festo beati Michaelis, *videlicet die* 29 F *Septembris. Dubitare quoque non possum, quin eodem anno prima ejusmodi congregatio habita fuerit in Pentecoste, et ad eam convocati omnes fratres absentes, qui venire poterant : nam, ut ibidem asserunt laudati Tres Socii,* in Pentecoste conveniebant omnes apud S. Mariam. *Quibus autem de rebus congregati conferrent, ibi quoque legi potest, uti et apud Anonymum Perusinum, qui illos secutus, hæc scribit.*

Sanctus quotannis capitulum bis habendum sanxit in Portiuncula,

284 In Pentecoste conveniebant omnes fratres ad capitulum apud ecclesiam Sanctæ Mariæ de Portiuncula. In quo capitulo tractabatur, qualiter possent aliam meliorem Regulam observare. *Apud Tres Socios non legitur vox* aliam, *sed solum :* qualiter melius possent Regulam observare. *Non ausim tamen Anonymum certi erroris arguere : si enim, iisdem Tribus Sociis num.* 55 *testibus,* S. Franciscus plures... Regulas fecit, et illas expertus est prius, quam faceret illam, quam ultimo reliquit fratribus, *potuit etiam in comitiis tractare de Regula, quam primo scripserat, perficienda, addendisque nonnullis, quæ ad eam melius observandam opportuna videbantur; quo sensu forsitan exponendus Anonymus est. Utut sit, ille sic prosequitur de rebus agi solitis in capitulis generalibus.* Et constituebant fratres per singulas provincias, qui populo prædicarent, et quod * fratres in sua provincia collocarent. Sanctus autem

maxime in Pentecoste, ubi ipse præsidens, verbo et opere,

* *l.* quot

AUCTORE C. S.

autem Franciscus admonitiones, reprehensiones et præcepta fratribus faciebat, sicut ei, prius consulto Domino, videbatur. Omnia autem, quæ dicebat eis in verbis, affectuose et sollicite eis opere ostendebat. Venerabatur prælatos et sacerdotes sanctæ Ecclesiæ, seniores etiam reverebatur; nobiles vero et divites honorabat; pauperes quoque intime diligebat, et compatiebatur eis; universis denique se subditum exhibebat.

obedientiam præferens imperio,
** l.* tamen

285 Cumque omnibus fratribus esset sublimior, unum autem * de fratribus secum morantibus guardianum suum et dominum suum constituebat, cui obediebat humiliter et devote, ut a se omnem occasionem superbiæ effugaret. Humiliabat hic Sanctus caput suum inter homines usque ad terram, et ideo inter Sanctos et electos suos illum Dominus exaltavit in cælis. *Ad istud singulare humilis* Francisci *inventum, quo obedientiæ meritum cum summa Ordinis præfectura conjungeret, paulisper subsistamus. Waddingus ad annum* 1221, *num.* 27 *sic loquitur, quasi* Franciscus *non petisset guardianum, nisi post depositam præfecturam. Ita ille nempe credidit ex Bonaventura, quem laudat, quique in Vita num.* 76 *de eodem Sancto ait :* Ut autem pluribus modis Negotiator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum, non
B tam præesse voluit, quam subesse; nec tam præcipere, quam parere. Idcirco generali cedens officio, guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. *Verum infra* § 17 *ostendam, ista Bonaventuræ verba non necessario accipienda esse de suprema Ordinis prælatura reipsa deposita, et Tres Socii, quos anonymus Perusinus secutus est, num.* 57 *nullum relinquunt dubium, quin* Franciscus, *dum toti præerat Ordini, aliquem sibi constituerit, cui, velut subditus guardiano suo, pareret in omnibus, quæ ad se, sive ad suum vivendi modum, non tamen, quæ ad regimen Ordinis pertinebant : oppositum enim mox subdunt, et ex ipsis idem Anonymus, cujus verba rursum sunt, quæ sequuntur.*

fratres instruebat, optimisque et eorum statui congruis

286 Admonebat eos, ut sollicite observarent sanctum Euangelium et Regulam, quam promiserant, et maxime, ut circa Officia ecclesiastica et ordinationes essent reverentes, solliciti et devoti Missam audirent, et viderent corpus Domini nostri Jesu Christi, et in reverentia haberent sacerdotes, qui tractant hæc veneranda et maxima Sacramenta; et in quocumque loco illos invenirent, caput eis flecterent, et reverentiam eis facerent, et nedum manus eis oscularentur, sed et pedes equorum, si quis equitaret, propter reverentiam potestatis ipsorum. Admonebat autem eos, ut nullum hominem judicarent aut despicerent, nec autem * eos,
** l.* etiam
C qui delicate bibunt et comedunt et induuntur; sicut etiam in Regula continetur. Nam Dominus noster eorum est Dominus, et, qui vocavit nos, potest vocare illos, et, qui voluit justificare nos, potuit justificare illos. Et ipse dicebat : Ego volo eos tanquam nostros fratres et dominos revereri. Fratres mei sunt, quia omnes sumus ab uno Creatore. Domini isti mei sunt, quia adjuvant nos ad pœnitentiam faciendam, necessaria corporis nobis dantes. Hoc quoque dicebat eis : Talis fiat vobis vestra conversatio inter gentes, ut, quicumque vos viderit vel audierit, Patrem vestrum, qui est in cælis, glorificet et collaudet. Magnum namque desiderium ei erat, ut ipse et fratres ejus semper
** l.* Dominum opera facerent, de quibus Domino * laudarent.

præceptis imbuebat, nimiam vitæ austeritatem improbans,

287 Et dicebat eis : Sicut vos ore pacem nunciatis, ita et in cordibus vestris pacem Apostoli habeatis, ut nullus per vos provocetur ad iram et ad scandalum; sed omnes per vestram pacem et mansuetudinem ad pacem et benignitatem revocentur; quia ad hoc vocati sumus, ut vulneratis medeamus
** medeamur*
*, alligemus confractos, et erroneos revocemus. Multi videntur vobis membra diaboli, qui adhuc discipuli Christi erunt. Arguebat autem eos de multa austeritate, quam suo corpori faciebant; quia tunc temporis fratres jejuniis et vigiliis et corporalibus exercitationibus nimium insudabant, ut cuncta in se carnis reprimerent incentiva. Tan- D tam afflictionem sibimet faciebant, quod quilibet videbatur habere odio semetipsum. Audiens et videns hæc beatus Franciscus, arguebat eos, ut diximus, et ne tantum facerent, injungebat. Tam plenus erat gratia et sapientia Salvatoris, quod admonitionem devote, reprehensionem rationabiliter, et præceptum dulciter faciebat. Inter fratres, qui ad capitulum conveniebant, non audebat aliquis eorum invicem negotia secularia recitare; sed colloquebantur de vitis Sanctorum patrum, aut de perfectione alicujus fratris, vel quomodo melius possent in Domini gratiam pervenire.

et afflictos consolans. Primum hujusmodi capitulum generale

288 Si quis autem de fratribus convenientibus ad capitulum habebat aliquam tentationem a carne vel a mundo, vel aliam tribulationem, audiendo beatum Franciscum, qui ferventer et dulciter loquebatur, et videndo ejus præsentiam, cessabant ab eis tentationes. Compatienter namque loquebatur eis, non sicut judex, sed sicut pater filiis et infirmo medicus, ut impleretur in eo verbum Apostoli : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis » scandalizatur, et ergo non uror? » *Hactenus scriptor ille de modo, quo* S. Franciscus *in comitiis generalibus se gerebat, rebusque, quæ in iisdem tractabantur. Hujusmodi autem comitia hoc ipso anno* 1212 *celebrata fuisse, mihi omnino persuadeo. Prima* E
ratio est, quia legem de habendis bis in anno comitiis hoc eodem anno latam affirmat Waddingus; nec illam serius latam esse, colligo ex Vitis, in quibus prima eadem mentio sic fit, ut non diu post concessam S. Francisco *et sociis ecclesiam S. Mariæ in Portiuncula condita videatur. Hanc autem ecclesiam jam habebat* Franciscus *ante Pascha dicti anni* 1212, *quando S. Claram pœnitentis habitu in ea induit. Cur ergo credamus, legem tunc a sancto Institutore sancitam, nec tamen observatam fuisse, dum nullum argumentum in contrarium profertur.*

hoc anno 1212 *celebratum credimus.*

289 *Imo, quæ altera ratio est, urgebat tunc peculiaris causa pro comitiis habendis. Hoc ipso enim anno, ut videbimus,* S. Franciscus *voluit in Syriam navigare; eumque in finem se mari commisit. Verosimillimum igitur est, noluisse illum tam longum ac periculosum iter aggredi, nisi rebus omnibus Ordinis sui in congregatione generali recte ordinatis, substitutoque sibi vicario, qui fratribus interim præesset in Italia. Fateor, hic a me dissentire Waddingum, qui ad annum* 1216, *num.* 1 *primam hoc anno congregationem generalem habitam esse censuit, contra sententiam aliorum, qui eamdem usque ad annum* 1219 *distulerunt, et famosum illud capitulum Storearum primum generale Ordinis fuisse, credide-* F
runt. Verum, quemadmodum Waddingus ibidem recte observavit, nihil obstare, quo minus aliud generale ante celebre illud Storearum convocari potuerit, ita ego pariter existimo, illud, quod ante tentatum iter in Syriam anno 1212 *coactum fuit, generale dici potuisse, etiamsi multo minus fuerit numerosum, quod necdum tantus esset fratrum numerus, quantus erat anno* 1216; *sicut nec hoc anno erat tantus, quantus anno* 1219. *Ceterum quanto minus erant numerosi fratres, minusque late per orbem dispersi, tanto facilius poterant convocari et in unum locum convenire.*

Ex capitulis in provincias mittebantur : domicilia exstruebant,
** l.* quos
** l.* eloquentiam

290 *Audiamus modo ex eodem Anonymo Perusino, quid post hujusmodi capitula fieri soleret.* Expleto autem capitulo (*S. Franciscus*) benedicebat omnibus fratribus in capitulo, et per provincias, quibus * volebat, singulos destinabat. Quicumque ex eis habebant spiritum et loquentiam * ad prædicandum, clerici, sive laici, dabat eis licentiam et obedientiam prædicandi. Ipsi vero recipiebant benedictionem illius cum lætitia magna et gaudio in Domino Jesu Christo. Ibant per mundum, tanquam advenæ et peregrini, nihil portantes per viam, nisi tantum libros, in quibus possent dicere Horas suas. Ubicumque inveniebant sacerdotem, pauperem vel divitem, inclinantes se, sicut a beato Francisco docti fuerant, eis reverentiam faciebant. Et quando erat hora hospitandi, libentius hospitaban-
tur

A tur apud eos, quam apud alios seculares. Et quando apud eos habere hospitium non valebant, interrogabant, quis in terra illa esset homo spiritualis et timens Deum, apud quem possent honeste hospitari. Et pauco post tempore inspiravit Dominus unum timentem se per civitates singulas, et castella, ubi erant venturi, quod eis hospitia præpararet, donec ipsi postmodum ædificaverunt loca sua in urbibus et in castris.

multosque ad tres Ordines aggregabant.

291 Dedit eis Dominus verbum et spiritum secundum opportunitatem temporis ad proferenda verba acutissima, penetrantia multorum corda audientium, et maxime juvenum, plus quam senum. Qui relinquentes patrem et matrem et omnia sua, sequebantur eos, sanctæ Religionis habitum assumentes. Et tunc temporis maxime in ista Religione adimpletum est verbum Domini, in Euangelio sic dicentis : « Non veni mittere pacem in terram, sed » gladium : veni enim separare homines adversus » patrem suum, et filiam adversus matrem suam. » Illos autem, quos fratres recipiebant, ad beatum Franciscum adducebant, ut induerentur ab eo. Similiter et multæ mulieres, virgines etiam non habentes viros, audientes prædicationem eorum, veniebant corde compuncto ad eos, dicentes : Quid faciemus autem nos? Vobiscum esse non possu-

B mus. Dicite ergo nobis, quomodo salvare nostras animas valeamus. Ad hoc ordinaverunt per singulas civitates, quibus potuerant, monasteria reclusa ad pœnitentiam faciendam. Constituerunt autem unum de fratribus, qui esset visitator et correptor earum. Similiter et viri uxores habentes dicebant : Uxores habemus, quæ dimitti se non patiuntur. Docete ergo nos, quam viam tenere salubriter valeamus. At illi ordinaverunt ex ipsis Ordinem, qui Pœnitentium Ordo vocatur, facientes hoc a summo Pontifice conservari, *seu* confirmari. *Quæ de monasteriis puellaribus erectis ait, spectant ad Ordinem S. Claræ, anno* 1212, *ut dictum est, inchoatum, et paulatim auctum; Pœnitentium vero Ordinem serius institutum esse, postea videbimus.*

Sanctus ex martyrii desiderio versus Syriam navigans,

292 *Ad peculiaria* S. Francisci *gesta redeamus. Illum ardenti desiderio martyrii flagrasse, testantur biographi, illique attribuunt, quod* sexto conversionis suæ anno, *ut habent Thomas Celanensis num.* 33, *et Bonaventura num.* 129, *in Syriam voluerit navigare. Sextus conversionis illius annus cucurrit cum anno Christi* 1212, *cui etiam Waddingus hoc iter illigavit. Sed neuter e duobus laudatis biographis indicavit, in quo Italiæ portu Sanctus se mari commiserit; verum ambo tradunt, navem, qua ille vehebatur, a contrariis ventis rejectam fuisse* in partes

C Sclavoniæ; *unde conjicere licet, ipsum ex aliquo maris Adriatici portu solvisse. Addunt, eumdem, cum jam omnem eo anno in Syriam trajiciendi spem abjecisset, navigasse Anconam, non sine admirabili Dei erga Servum suum providentia, quæ et ceteris, qui in eadem navi erant, saluti fuit. Secundus biographus illis consona scribit hoc modo :* Ardentissimo martyrii desiderio fervens beatus Franciscus, sexto conversionis suæ anno ad partes Syriæ voluit proficisci, ut ibidem Saracenis annunciaret Euangelium Jesu Christi.

vi ventorum ad Sclavoniæ partes appellit; unde Anconam navigans,

293 Igitur ad eundum quidem in Syriam iter arripuit, sed ventis contrariis flantibus, in Sclavoniæ partes navis, in qua ducebatur, applicuit. Audiens a nautis, eo anno navem illam in Syriam transire non posse, voto suo fraudatus, in aliam, quæ Anchonam (*quæ dominii Ecclesiastici civitas est cum celebri portu ad mare Adriaticum*) tendebat, a nautis, expensarum defectum timentibus, vix permissus intravit; in qua et Dominus per eum mirabilium suorum memoriam fecit. *Celanensis et Bonaventura clare dicunt, Sanctum, postquam a nautis frustra petierat in navim admitti, cum socio in eam* latenter *et clam omnibus ingressum esse; sed addunt, id eum fecisse,* plurimum de Domini bonitate *confisum. Neque vero fefellit illum pia sua fiducia, quæ et nautis quoque ceterisque vectoribus mirabiliter profuit.* Gravi namque, *ut apud se-*

AUCTORE C. S.

cundum biographum sequitur, et diutina maris tempestate suborta, jam demum propter longos labores ipsis nautis cibaria deerant, dum, cui prius introitum navis defectus victualium timore negaverant, illius tunc subsidio mortis evasere jacturam.

ipse cum ceteris a divina providentia pascitur.

294 Nam quædam, etsi non tanta, ut multis quoquo modo sufficerent, beatus Franciscus, Domino sibi providente, latenter intulerat, quæ tunc ad ipsius merita tantum sumpsere devinitus incrementum, ut habundanter usque ad portum Anchonæ necessitatibus omnium subvenissent, quamvis adhuc dies plures itineris superessent. Quod nautæ videntes, immensas agebant omnium Salvatoris clementiæ gratias, qui de mortis eos per famulum suum Franciscum periculo liberaverat. *De multiplicatis cibariis consentiunt Celanensis et S. Bonaventura; at docent, illa non a* S. Francisco, *ejusve socio, in navem illata fuisse, sed ab alio quopiam, divinitus, ut creditur, in utriusque gratiam monito. Bonaventuræ verba ex num.* 150 *accipe :* Adfuit quidam, a Deo, ut creditur, pro Paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quendam timentem Deum de navi ad se vocatum sic alloquutus est : Hæc pro pauperibus Fratribus, in navi latitantibus, conserva fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra. *Similiter* E *et Celanensis ait :* Affuit divina providentia tunc quidam, omnibus ignorantibus, secum necessaria victus ferens, qui quendam Dei timentem de navi vocavit, et ait ad eum : Tolle tecum hæc omnia, et pauperibus necessitatis tempore fideliter exhibebis. *Ex his satis liquet, ea non modo non a* S. Francisco *aut socio ejus in navim allata fuisse, verum etiam iisdem verisimillime insciis, a divina providentia servis suis provisa.*

Quædam alia eidem anno illigata a Waddingo,

295 *Waddingus multa alia narrat ad hunc annum* 1212 *de exstructione aliquot domiciliorum et de ingressu multorum in Ordinem. Pro his secutus est Marianum, qui, nescimus, an sat idonea argumenta habuerit ad singula suis temporibus affigenda; ideoque hæc malumus Annalium conditori relinquere, quam suscipere examinanda. Id unum ex Celanensi num.* 56 *constat, Sanctum, simul ac in terram regressus fuit, rursum prædicare cœpisse magno cum fructu, multosque idoneos viros suo Ordini aggregasse, quod et secundus biographus paucis etiam his verbis annotavit :* Ut autem Vir sanctus in terram e mari descendit, divini rursum verbi semina jacere cœpit, fructumque ex illis de sequentibus ipsum plurimis viris idoneis recollegit. *Multa quoque de virtutibus ejusdem ad eumdem annum retulit laudatus Annalista Minorum, et* F *nonnulla miracula, quorum pleraque in Vitis leguntur, sed sine certa temporis nota. Quapropter nec horum chronotaxim discutimus.*

de quorum tempore non constat.

296 *Romam quoque hoc anno, ante tentatum iter in Syriam, profectum scribit ibidem num.* 33, *ibique egisse cum Innocentio Papa de mirabili sui Ordinis incremento et fructu; ac denique ab illo impetrasse licentiam in Syriam navigandi. Admodum verisimile est,* Franciscum, *qui auctor et dux erat Ordinis, ab eodem Innocentio approbati, non suscepisse tantum iter, illo inconsulto, licet hoc ex vetustis Vitis nequeat confirmari. Neque id mirandum est, cum illarum scriptores pro genio sæculi sui fere solum narraverint facta mirabilia, ex quibus sanctitas maxime eluceseret. Hinc etiam verisimile fit, Sanctum eo tempore aliquoties Romæ prædicasse, eaque occasione inchoatam amicitiam, quæ arcta intercessit ipsum inter et illustrem matronam Romanam, Jacobam de Septisoliis, quæ* Franciscum, *ejusque Ordinem multis prosecuta est beneficiis, quæque in ejusdem morte recurret memoranda.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S.

§ XIV. Sanctus in Africam trajecturus, morbo in Hispania impeditus, redit ad Portiunculam, ubi plures in socios admittit: causam sui Ordinis agit in concilio Lateranensi: anno MCCXV celebrat comitia: Romæ contrahit amicitiam cum S. Dominico.

Sanctus ex martyrii desiderio proficisci vult in Africam,

Sæpe laudatus laudandusque Annalista Minorum ad 1212, *num.* 32 *scribit,* Franciscum *eodem anno in febrim incidisse tertianam, quæ deinde in quartanam mutata est, ac decubuisse Assisii in palatio episcopi, qui id ægre impetraverat; ibique plurimos, e variis Italiæ partibus a fratribus illuc missos, sacro Ordinis habitu ab illo donatos fuisse. Rursum ad annum* 1213, *num.* 1 *ait, hoc etiam anno ipsum febribus, modo tertianis, modo quartanis, laborasse: sed nec ipse pro his testes laudat, nec ego illarum ulla in antiquis Vitis indicia reperio. Imo etiam parum verisimiles videntur mihi diuturnæ istæ febres, quibus Sanctus inter abruptum iter in Syriam et inchoatum aliud in Africam afflictus fuisset. Ratio est, quod Thomas Celanensis, qui non diu post* B *admissus in Ordinem fuit, non modo de illis non meminerit, verum etiam* Franciscum *post reditum a mari sedulo et cum fructu populis prædicantem exhibeat, ac tum subjungat:* Sed licet electissimorum fructuum palmes ex se copiam producat, martyrii tamen sublime propositum et desiderium ardens in eo nullo modo frigescit. Post non multum enim temporis versus Marrochium iter arripuit *etc. Nullum quoque inter duo ista itinera morbum memoravit Bonaventura, nullum biographus secundus, qui ad iter alterum enarrandum verbis, quæ subdo, processit.*

sed in Hispania morbo correptus, ab ulteriori itinere prohibetur.

298 Verum adhuc in ipso martyrii fervor non tepuit, quin ad fidem Christi Miramolino suisque complicibus prædicandam versus Marrochium non multo post iter arripiens, tanto ad hoc aliquoties impetu festinaret, ut et peregrinationis suæ comitem præ spiritus ebrietate solus præcurrendo desereret. Sed cum usque in Hispaniam ferventissime processisset, Domino ad multorum aliorum salutem aliud ordinante, eique per gravissimas corporis ægritudines occursante, rursus in Ytaliam rediit. *Pauca hic annotanda sunt.* Miramolinus, *quem Sanctus adire voluit, erat rex Marrocani regni in Africa: at non est hoc proprium istius regis nomen, sed commune erat regibus Maurorum. Ille, de quo hic agimus, proprio nomine* Mahomet *vocabatur, isque præter Marrocanum simul varia regna* C *tenebat in Hispania, ubi anno* 1212 *a Christianis regibus prælio victus est cum ingenti strage numerosissimi exercitus sui, fugiensque in Africam non diu post obiisse dicitur. Forsitan voluit Sanctus per Hispaniam proficisci, ut Mahometem, si in Hispania degeret, ibi conveniret, sin, ex Hispania in Africam trajiceret.*

Sunt, qui volunt, hoc Hispanicum iter fuisse terrestre,

299 *Non explicant biographi, an* Franciscus *tunc terrestri, an maritimo itinere Hispaniam petierit. Pro priori magis propendet Waddingus ad annum* 1213 *num.* 38 *ita disserens:* Id movet, ut asseram, per Galliam perrexisse, quod ex nostris aliorumque monumentis mihi probetur, quod per Navarræ regnum, Galliæ conterminum, primo Juliobrigam, vulgo Logronium, olim Cantabrorum, modo Castellæ Veteris, quam vocant, urbem, pervenerit. *Verum mihi non satis urgens hoc apparet argumentum: nam si ad aliquem Cataloniæ portum appulisset, potuisset æque Juliobrigam itinere terrestri procedere. Antonius Melissanus de Macro in Supplemento Annalium Waddingi, ad annum* 1213 *de* S. Francisci *itinere per Italiam, quod terrestre fuisse, non dubitavit, multa addidit, quæ brevi argumento relata sic perstrinxit:* Enarratur S. Francisci iter per Liguriam supra Sabatium in Chairum, Curtemilliam, Astam, Cherium, Montem-Calerium, Taurinum, Avillianam et Secusiam; quibus in locis stationem pro se et suis fratribus acceptavit, loquelam cuidam filiæ restituit, et, quid usurario impœnitenti post mortem acciderit, refertur. D

multaque ab eo interim monasteria erecta;

300 *Quemadmodum longo tempore in regionibus Alpinis vicinisve subsistere debuit* S. Franciscus, *si hæc omnia anno* 1213 *in itinere, quo Africam adire cogitabat, revera facta sint; sic et Waddingus multas monasteriorum in Italia fundationes, anno præcedenti factas, eidem attribuit, et ante hæc omnia molestas febres, modo tertianas, modo quartanas. Ut verum fatear, non satis perspicio, qua ratione tot ac tanta in unum annum conjecta sint; longitudo vero itineris ex Umbria in Hispaniam potius suspicari me facit, Sanctum ex aliquo Italiæ portu navigasse in Hispaniam, maxime cum ad Miramolini congressum tam vehementer anhelaret, nullaque hujus itineris indicia exstent in Gallia, cujus pars ei fuisset transeunda. Neque obstat, quod ille aliquoties* peregrinationis suæ comitem præ spiritus ebrietate solus præcurrendo desereret; *id enim facere potuit, tum antequam mari se commiserat, tum etiam postquam in Hispaniam appulerat. Si autem Sanctus sub finem æstatis navigare cœperit, facile fieri potuerunt, quæ Waddingus narravit, etiam admisso aliquo morbo prævio, cujus tamen, non magis quam eorumdem gestorum, tempus ex antiquis possum assi-* E *gnare.*

at verisimilius illuc navigavit;

301 *At quæ in Supplemento ab Antonio Melissano addita sunt de variis Sancti per Alpinas regiones itineribus et fundationibus difficulter componi poterunt cum illius navigatione in Hispaniam, nisi ex aliquo hodiernæ Provinciæ Gallicæ portu solverit. Hoc ipsum tamen non apparet satis verisimile; neque enim annum, quo fundationes, quæ in Supplemento referuntur, in Pedemontio inchoatæ sunt, tam certum esse existimo, ut credere cogar,* Franciscum *pedestri itinere per Longobardiam, Pedemontium et Galliam in Hispaniam, aut etiam tantum in Provinciam pervenisse. Denique testantur antiqui biographi, ipsum summa in hoc itinere festinatione usum fuisse, ut ad Marrocani regis alloquium citius pertingeret. Ad hunc autem finem multum conducebat iter maritimum, plurimumque ei oberat iter terrestre, ac mora fundandis conventibus impensa. Quam ob rem mihi probabilius videtur, Sanctum serius in Pedemontio fuisse. De gestis vero illius in Hispania nihil prorsus tradunt biographi nostri, quos hoc Commentario explicamus, nisi, ipsum ibidem morbo impeditum fuisse, ne in Africam trajiceret, eaque de causa rediisse in Italiam. Itaque hic non examino asserta Waddingi de ejusdem gestis in Hispania ad anno* 1213 *et* 1214, *ubi multa itinera, multæque monasteriorum fundationes narrantur.* F

neque oppositum satis evincitur

302 *Agnoscit ipsemet Waddingus ad annum* 1214, *num.* 4, *nesciri, aut certe a nullo exacte traditum esse,* ubi *tunc* ægrotaverit Franciscus, vel quam peragraverit in hac peregrinatione regionem. *Tum post pauca,* Hæc tamen, *ait,* de rebus Hispanicis ab omnibus nostris, etiam Italis, observata; quod Hispaniam lustrarit, S. Jacobi corpus Compostellæ coluerit, quod in Lusitaniam trajecerit, quod universum ferme Aragoniæ regnum et vincina perambularit; demum unum vel alterum ejus inibi factum referunt prodigium. Nihil tam nobis in Hispanico hoc itinere facem præferre potest, quam populorum perpetua (ut fertur) et probata traditio... Hanc egomet ipse constantem esse et sacram in multis urbibus et oppidis, diversisque regnis Hispaniæ comperi; cui si refragari quis velit, non impunis nec absque effrontis nota effugiet; adeo pro magno pius populus et in Franciscum propensus semper duxit, ejus se præsentia visitari. Neque aliunde, quam ex hac diuturna et numquam interrupta traditione illustrissimus Gonzaga primorum Hispaniæ conventuum in Franciscum refert originem; nec profecto inaniter aut leviter, me judice, id præstitit, ut ex singulis domiciliis statim constabit. Ex horum situ et geographia si nos itineris sancti

Viri

A Viri cursum deducamus, non leviter divinare, sed veluti quibusdam faculis et Ariadnæ filo in dubio et cæco gressu duci ab æquis judicibus merito censebimur.

ex rationibus a Waddingo allatis.

305 *Hactenus Annalista Minorum, qui continuo* S. Franciscum *ad varias urbes circumducit, et in multis monasteria fundantem facit. At ego non ausim per tam obscuras semitas sequi, quia non habeo, ubi certum pedem figam. Novimus, Sanctum in Hispania fuisse, ac omnino credimus, ibi fuisse anno* 1213 *vel sequenti; nec rejicimus traditionem populorum, qui existimant, sese a* S. Franscisco *præsentia sua honoratos fuisse; nec denique negamus, aliquot ab illo tunc ibidem monasteria fundata, maxime unum apud Compostellam, de quo instrumentum authenticum, ipsiusmet Sancti manu subscriptum, ibi in Benedictina abbatia S. Pelii servari, asserit Waddingus num.* 7. *Hæc, inquam, omnia non negamus, sed neque singula confirmare possumus, ac multo etiam minus ex conventibus Ordinis Minorum, in istis regionibus incerto nobis tempore erectis, ejusdem Sancti per Hispaniam iter ordinare. Attamen Lucas Tudensis, qui eodem tempore in Hispania floruit, in Chronico mundi ad æram Hispanicam* 1255, *seu ad annum æræ Christianæ* 1217, *sub S. Ferdinando, qui eodem anno Castellæ et Legionis regna a*

B *matre sua Berengaria accepit, primum meminit de monasteriis Minorum in Hispania erectis,* Eo tempore, *inquiens,* per totam Hispaniam Fratrum Prædicatorum et Fratrum Minorum construunt monasteria.

Verisimilius quoque non terrestri itinere,

304 *Utcumque hæc se habeant, Waddingus* S. Franciscum *deinde terrestri rursum per Galliam itinere versus Italiam reducit, et initio anni* 1213 *in Longobardiam pertigisse statuit. Illum tunc fuisse Perpiniani in ultimis Hispaniæ, qua hæc Galliæ adjacet, finibus, credi vult ex ejusdem civitatis incolarum traditione, quæ fert, eumdem ibidem suis domicilium obtinuisse. De reliquo per Galliam itinere sic loquitur :* E finibus egressus Hispaniæ quid amplius egerit Franciscus in itinere, donec redierit in Italiam, non constat. Vel celeriter absque sparso semine verbi Dei propter turbulentas tunc Gallorum res, per Galliam transiit Narbonensem et Gothicam, vel si quæ egit, nostrorum incuria cuncta nos latent, præterquam quod dumtaxat referatur (*apud Marianum Florentinum, quem laudat in margine*) in Montepessulano,... qui tunc sub hæresi Albigensium asylo tutoque refugio Catholicis fuit, prædicasse et prophetice prædixisse in ipso, in quo hospitabatur, xenodochio suis fratribus construendum fore domicilium, quod circa annum MCCXX

C inceptum est, sed ad annum MCCXXX completum. *Mihi hæc non sufficiunt, ut Gallicum illud iter, ex solius Mariani auctoritate anno* 1214 *illigatum, pro certo admittam.*

sed navi pariter vectus, anno 1213 *vel sequenti in Italiam rediit.*

305 *Etenim cum* S. Franciscus *in Africam trajicere cogitans, postquam jam in Hispaniam pervenerat, gravi morbo correptus, ab eo itinere abstinere compulsus fuisse dicatur a vetustis biographis, suspicari malo, ipsum navi potius per mare, quam terrestri per Galliam itinere in Italiam reversum esse. Nam valetudo, utcumque restituta facile sat firma fuisse potuit, ut mari se committeret; contra vero contracta ex gravi morbo corporis debilitas, quæ Africanum iter et subeundos in Africa labores impediebat, minime apta erat longissimis illis itineribus per Hispaniam Galliamque suscipiendis; maxime cum ille soleret terrestria itinera pedes conficere, nec nisi postremis vitæ annis, dum omnino cogebat necessitas, asino vectus fuisse legatur. Huic opinioni meæ plurimum favet scriptorum omnium* (*solo forte excepto Mariano*) *altum, ut ipse Waddingus agnoscit, silentium de Sancti gestis ac itinere in Gallia, ad quam nec* celeriter *peragrandam satis firmæ vires illi fuisse videntur. Hinc mihi probabilius est,* Franciscum *in reditu æque ac in accessu navi usum fuisse; ac omnino ambiguum, utrum ipso anno* 1213, *quo in Hispaniam profectus creditur, an sequenti, in Italiam reversus fuerit.*

AUCTORE C. S.

Ad Portiunculam reduæ aliquot viros insignes in sodalitium recipit :

306 *Porro Annalista Minorum ad annum* 1213 *a num.* 1 *Sanctum per Pedemontium et Longobardiam Assisium usque perduxit, narrans unum et alterum miraculum velut in itinere factum, quod, quia de tempore nobis non constat, inter Analecta referemus. Postquam ad S. Mariam de Portiuncula rediit, vidit aliquot viros nobiles, aliosque litteratos, in illius disciplinam Ordinemque transire cupientes, quos et benigce admisit; ut habet Thomas Celanensis in Vita num.* 57, *qui ipse verisimillime unus ex litteratis illis fuit, ut observavi supra num.* 6. *Consonat biographus secundus, post assertum Sancti in Italiam reditum dicens :* Veniensque, aliquantulum apud Sanctam Mariam de Portiuncula moram fecit. Eo quoque tempore quosdam litteratos ad Ordinem nobilesque recepit, quibus discretione præcipua, qua in illos pollebat, curam digne et decenter adhibuit. *Post hæc biographi narrant* S. Francisci *iter in Syriam, non quod id eodem anno contigerit* (*spectat enim ad annum* 1219) *sed ut in eodem persistant argumento de martyrii obeundi ardore, quo ille flagrabat.*

anno 1213 *inter alia gesta habet comitia generalia.*

307 *Nullum tamen dubium est, quin* Franciscus *multa egerit tempore inter utrumque iter intermedio, et ex his certe aliqua sint, quæ iidem biographi de illius prædicationibus, virtutibus ac miraculis retulerunt; cum tamen pleraque sine serie chronologica* E *recensuerint, malo ego eadem eodem ordine, quo in duabus primis Vitis relata sunt, commemorare, quam sine certis argumentis ad determinata tempora referre. Prætermittam interim alia similia, quæ solum inveni apud recentiores, de quibus in Analectis agetur. Porro sive Sanctus ipso anno* 1213, *quo in Hispaniam profectus fuerat, redierit in Italiam, sive tempore verno anni* 1214, *ut consueta Ordinis comitia in Pentecoste celebraret, sive denique, ut visum Waddingo est, sed mihi parum verisimile apparet, sub initium anni* 1213 *Italiam attigerit, certum est, illum hoc anno* 1213 *in Italia fuisse; neque scitur eodem anno ex illa excessisse. Hinc dubitari etiam nequit, quin eodem anno generalibus Ordinis sui comitiis apud S. Mariam in Portiuncula interfuerit, cum nulla ratione verisimile sit, non fuisse ab illo observatam legem, quam de hujusmodi comitiis eo in loco ac tempore quotannis celebrandis, anno* 1212 *ipse tulerat.*

eodem anno creditur ab Innocentio III Romæ obtinuisse,

308 *Eodem anno* 1213 *mense Novembri inchoatum Romæ est celebre concilium generale Lateranense* IV, *cui ipsemet summus Pontifex Innocentius III præsedit. Aderat tunc Romæ S. Dominicus cum Fulcone episcopo Tolosano, adiitque Innocentium, ut Ordinis Prædicatorum institutionem impetraret. Remissus autem est in partes Tolosanas ad fratres suos, jussusque aliquam ex approbatis Regulis cum iisdem* F *eligere, ac tum demum pro confirmanda Regula Romam redire. Hæc fusius exposita et idoneis antiquorum testimoniis probata habes apud nos ad diem* 4 *Augusti in S. Dominico* § 22. *Ratio, ob quam sanctus ille institutor aliquam ex probatis Regulis eligere jussus fuit, eruitur ex laudati concilii canone* 15, *qui ex recensione Labbei tom. XI Concil., col.* 165 *sic habet :* Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat : sed quicumque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter, qui voluerit Religiosam domum fundare de novo, Regulam et institutionem accipiat de Religionibus approbatis.

ut ordo Minorum in concilio Lateranensi

309 *Poterat hic canon etiam officere Ordini* S. Francisci, *cujus Regula plane nova erat, nulloque tunc Pontificis scripto, sed verbis tantum, confirmata. Poterat, inquam, canon ille officere, maxime in regionibus longius dissitis, uti postea factum videbimus in Germania et Hungaria, ubi de confirmatione a Pontifice sola voce facta non constabat. Cum vero idem* S. Francisci *Ordo ex allegato canone nullum in regionibus Italiæ videatur passus detrimentum, verisimillimum mihi est, quod ait Waddingus,* Franciscum *tempore ejusdem concilii Romam venisse,*

AUCTORE C. S.

venisse, obtinuisseque, ut Pontifex coram congregatis Patribus approbationem Regulæ a se factam declararet. Laudat hic Waddingus ad annum 1215, *num.* 33 *Marianum, Leonem in Legenda Trium Sociorum et B. Angelum Clarenum in Proœmio Expositionis in Regulam, et caput primum ejusdem, quam, ut inquit, Ms. habebat. Ex Mariano hæc recitat :* Dominus Papa coram omnibus Ordinem suum (*id est, S. Francisci*) esse approbatum pronunciare fecit, et Regulam per ipsum prius sine bulla approbatam manifestare fecit.

pro probato declararetur,

310 *Tres Socii, quorum unus frater Leo fuit, aiunt quidem num.* 32 *et* 62, *regulam* S. Francisci *a laudato Pontifice Innocentio viva voce probatam fuisse; sed non dicunt, id ab eo declaratum in concilio Lateranensi. Nescio, quid de eodem argumento dicat B. Angelus Clarenus, (de quo apud nos actum est ad diem* 15 *Junii) quia Opusculum ejus, a Waddingo laudatum, non vidi. Clarius loquitur ejusdem sæculi* XIV *scriptor Jordanus de Saxonia in Vitis Fratrum lib* I, *cap.* 14, *ubi de Ordinibus Prædicatorum et Minorum in eodem concilio Lateranensi receptis ita scribit :* In quo concilio Ordines Fratrum Prædicatorum et Minorum, qui tunc recenter surrexerant, in favorem Ecclesiæ recepti sunt, sed nondum confirmati; quia idem Innocentius ad eorum confirmationem durus fuit. *Eadem*

B

habet S. Antoninus in Historia tit. 24, *cap.* 14, § 3. *Poterat utrique sacro Ordini favor Ecclesiæ exhiberi, modo tamen diverso, nimirum Ordini Prædicatorum ut nascenti et Regulam electuro, Ordini vero Minorum ut jam ante nato, et ad varia loca jam propagato.*

nullam tamen etiam tunc sollennem confirmationem scripto accepit.

311 *Nullum tamen confirmationis scriptum tunc obtinuit, aut verisimiliter etiam petiit* S. Franciscus, *ut liquebit ex sequentibus. Hinc collige, quo sensu accipienda sint ista illustrissimi Gonzagæ verba, quæ ibidem num.* 34 *recitavit Waddingus :* Sub Innocentio III celebratum fuit Romæ concilium generale, in quo ab Ecclesia receptus, approbatus et confirmatus est Ordo Minorum. *Certe solemnis Ordinis Minorum confirmatio Pontificiis litteris primum facta fuit anno* 1223 *per Honorium III, Innocentii III successorem, ut agnoscit ipse Waddingus. Sanctus scilicet Institutor prima per Innocentium approbatione viva voce concessa, cui et Patres concilii Lateranensis consenserunt, contentus fuisse videtur, nec de confirmatione scripto obtinenda laborasse, donec eventus postea docuit, hac omnino opus fuisse in regionibus longe dissitis, ut fratres fidem ac religionem suam probarent, nec velut impostores, aut certe suspectæ fidei homines, expellerentur. Sed de hac re fusius infra.*

C

Anno 1216 *rursum celebrat comitia generalia,*

312 *Subsecuto anno* 1216 *in Italia rursum mansit* S. Franciscus *et consueta generalia comitia in Pentecoste apud S. Mariam in Portiuncula celebravit. Laudatus Annalista Minorum ad eumdem annum num.* 1 *existimavit, celebriorem quemdam fuisse conventum, ita ordiens :* Publicata, uti diximus, in concilio Lateranensi approbatione Regulæ et Ordinis sui, Franciscus, dissoluto Patrum consessu, Assisium abiit, scriptis ex Urbe litteris convocatoriis ad fratres suos hinc inde dispersos, ut ad comitia generalia convenirent apud ædem sanctæ Mariæ Angelorum, Ordinis primævam, in quibus de ejusdem propagine et fratrum missione ad communem hominum salutem communibus ageretur suffragiis. Adfuerunt, quibus licuit, ad statutum a Viro sancto Penthecostes diem, qui eo anno incidit in tertium * Kalendas Junii, quo felix dedere suo consessui principium. Primum hoc fuit generale capitulum, ut vocant, Religionis, licet alii celeberrimum illud Storearum anno MCCXIX habitum pro primo recenseant. *Ita ipse : at ego existimo, jam alia singulis annis generalia capitula præcessisse ab anno* 1212, *quo sanctus Institutor legem sanxit de generalibus comitiis annuis in Pentecoste apud S. Mariam de Portiuncula habendis. Vide dicta num* 289. *Non dubito tamen, quin præcedentia fuerint minus numerosa ob minorem fratrum numerum.*

* *imo* quartum

313 *Non possum etiam eidem Annalistæ assentiri,* D
dum in hoc eodem capitulo ministros et prælatos pro omnibus fidelium partibus *statutos fuisse ait; quod non ante annum* 1219 *factum esse, arbitror, ut ex Vitis ibidem probabo. Asserit præterea,* S. Franciscum *in iisdem comitiis missionem in Franciam sibi delegisse; et tamen illum in Italia detinet usque ad initium anni sequentis. Si ex ceteris Sancti gestis, quæ in antiquis Vitis leguntur, de hoc illius proposito conjicere liceat, minus verisimile apparebit; non enim tam tarde proposita sua moliri aut exsequi solebat. Hæc igitur ad alia comitia potius referenda sunt, ut infra ostendam. Sic et alia forte ad posteriores annos removenda sunt, quæ Waddingus in iisdem comitiis facta credidit. Recte tamen ex scriptoribus Ordinis Prædicatorum huic anno* 1216 *inseruit* S. Francisci *accessum ad Urbem Romanam, contractamque, dum in ea morabatur, amicitiam cum S. Dominico, qui illuc quoque reversus erat pro confirmatione Regulæ ac Ordinis sui, quam et eodem anno obtinuit ab Honorio III, qui Innocentio III tum nuper successerat.*

in quibus quædam gesta non satis certa.

Eodem anno Sanctus cum S. Dominico contrahit amicitiam;

314 *Rem narrat Gerardus de Fracheto, scriptor Ordinis Prædicatorum, in Vitis Fratrum part.* I, *cap.* 1, *cujus verba videri possunt in Commentario prævio de S. Dominico ad diem* 4 *Augusti num.* 442. *Ex ejus verbis nequit intelligi, utrum anno* 1215, *an* 1216, *seu utrum in prima, an in secunda, S. Dominici commoratione in Urbe contigerit, cum facta dicatur,* cum esset Romæ B. Dominicus, et pro Ordinis confirmatione apud Deum et apud dominum Papam instaret. *Verum Theodoricus de Appoldia, ejusdem Ordinis, suppar S. Dominici biographus, in Vita apud nos ibidem data num.* 65 *eamdem secundæ commorationi Romanæ clarissimis verbis innexuit, sic scribens :* Postquam vir Dei Dominicus juxta mandatum Apostolicum de eligenda Regula locutus est fratribus, Romam, Domino comitante et ipsum in omnibus dirigente, profectus est. Interea dominus Papa Innocentius defunctus est, et Honorius succedens Apostolicæ Sedis dignitatem accepit. Egit ergo apud eumdem Christi vicarium Sanctus Dei, ut contra hostes Ecclesiæ Prædicatorum Ordinem confirmaret. E

quod tamen alii ad annum 1215 *referendum censent,*

315 *Nemo negabit, hæc omnia ad secundam S. Dominici commorationem Romanam, quæ sine dubio anno* 1216 *contigit, pertinere, ac proinde ex ejusdem Theodorici sententia ad primam referri non posse visionem, S. Dominico tunc oblatam, et contractam ab eo cum* S. Francisco *amicitiam, quam ibidem subdit verbis mox recensendis. Hinc non dubitavit Cuperus noster eadem ad secundam illam commorationem referre; ac omnino referenda sunt, nisi deserere velimus laudatum Theodoricum de Appoldia tam clare loquentem. At eruditi conditores Annalium Ordinis Prædicatorum, nuper editorum tom. I, pag.* 362, *neglecto Theodorici testimonio, imo nec facta quidem illius mentione, eamdem in prima commoratione annoque* 1215 *consignarunt, ex suo laudati Gerardi de Fracheto codice Ms., ex quo ista recitant :* Cum esset Romæ beatus Dominicus circa concilium Lateranense anno Domini MCCXV celebratum *etc. Fatentur tamen ibidem, postrema verba ista :* circa concilium *etc., omissa esse in editione Duacensi, quæ omnium prima est; jubentque dicta conferri cum Roderico Cerratensi in Vita S. Dominici* § 13, *in Appendice ejusdem tomi primi Annalium edita, col.* 318 *et sequenti; et apud Echardum tom. I Scriptorum Ord. pag.* 13 *in not. col.* 1. F

nec satis certis rationibus

316 *Hos ergo consului. Apud Echardum loco citato eadem verba* circa concilium *etc., in textu Gerardi, quem ibi recitat, æque absunt, quam in editione Duacena; absunt quoque in nostro codice Ms. membranaceo, in quo idem Opusculum continetur; ut merito dubitari possit, an prædicta verba non fuerint potius alicui codici addita, quam in aliis prætermissa. Suspicionem auget Theodoricus de Appoldia, qui, ut vidimus, factum, de quo agimus, secundæ S. Dominici commorationi Romanæ clarissime affixit, licet nulla sit ratio dubitandi, quin*

is

A *is Gerardi Opusculum habuerit, quippe quod Humbertus, Ordinis Prædicatorum magister generalis, toti Ordini voluit esse commune. Quorsum vero Theodoricum ita sensisse credamus, nisi quod in suo Gerardi exemplari eadem verba non repererit; nisi malis dicere, ipsum aliunde edoctum fuisse, ut a Gerardi sententia recederet : id enim gratis fecisse non est credendus. Hæc de loco Gerardi Frachetensis.*

evincunt : inita autem est hæc amicitia

317 *Quod ad Rodericum Cerratensem attinet, hic revera factum illud ad primam commorationem retulit. Videndum igitur est, an sola illius auctoritas sufficiat dubio penitus tollendo.* Rodericus Cerratensis Hispanus (*inquiunt laudati eruditi Annalium conditores in Præfatione num.* 18) qui anno circiter MCCLXX eam S. Dominici Vitam conscripsit, quæ extat in Appendice hujus vol. col. 512 et seqq., memoratus nulli umquam, quem viderim, scriptorum aut Hispanorum, aut Dominicanorum fuit. *Nomen et patriam suam ipse scriptor uno in loco indicat; professionem vero suam alio in loco, ubi de Calerueg̃ano Dominicanarum virginum monasterio loquens ait :* Ubi religiosæ feminæ nostri Ordinis Domino Deo famulantur. *In hoc monasterio virgines illæ constitutæ fuerunt anno* 1270; *ac propterea supra dicitur Rodericus ille eo circiter anno scripsisse; cetera vix notus est. Codex autem, in qua laudata*

B *S. Dominici Vita per Rodericum scripta continetur, quem præcipue memorant, est ecclesiæ Segobiensis in Hispania, quem* extremo fere *sæculo* XIII, aut summum ineute XIV perfectum *aiunt. Floruit ergo eodem tempore, quo Gerardus de Fracheto, qui ex eorumdem annalistarum pag.* 30 *et* 31 *calculo* librum VITAS FRATRUM inscriptum, post annum MCCLVI perfecit. *Floruit tunc etiam Theodoricus ab Appoldia, ambo notiores, quam Rodericus ille, et quorum primus, ut vidimus, pro qua parte stet, dubium est, alter omnino est pro anno* 1216. *Sentiat quisque, quod volet, mihi Roderici Cerratensis auctoritas pro hac qualicumque controversia dirimenda non sufficit.*

visione oblata S. Dominico, in qua B. V. hunc et S. Franciscum

318 *Utrolibet tamen anno acciderit, rem ipsam Theodoricus de Appoldia ita narrat, verbis num.* 314 *datis hæc subdens :* More autem solito nocte in ecclesia vigil Dominicus, sedentem ad Patris dexteram Filium exsurgere in ira sua, vidit, ut interficeret omnes peccatores terræ et disperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat autem in æthere aspectu terribilis, et contra mundum in maligno positum lanceas tres vibrabat; unam, qua superborum cervices erectas transfigeret; alteram, qua cupidorum viscera effunderet; tertiam, qua concupiscentiis carnis deditos perforaret. Cujus iræ dum nemo posset resistere, occurrit propitia Virgo

C Mater, et pedes amplectens ejus rogavit, ut parceret eis, quos redemerat; et justitiam misericordia temperaret. Ad quam Filius, Nonne vides, inquit, quantæ mihi irrogantur injuriæ? Justitia mea tanta mala non sustinet impunita. Tunc Mater, Tu scis, ait, qui omnia nosti, quia hæc est via, per quam eos ad te traduces. Habeo servum fidelem, quem mittes in mundum, ut verba tua annuntiet eis; et convertentur ad te omnium Salvatorem. Alium quoque habeo servum, quem ei dabo adjutorem, ut similiter operetur.

Christo obtulit ad emendandum peccatores.

* *al.* faciet

319 Filius dixit : Ecce, placatus suscepi faciem tuam. Verumtamen ostende mihi, quos velis ad tantum officium destinare. Tunc Domina mater obtulit beatum Dominicum Domino Jesu Christo. Et ait dominus Matri : Bene et studiose faciat *, quæ dixisti. Obtulit quoque sanctum Franciscum, quem similiter Dominus laudavit. Sanctus igitur Dominicus in visione diligenter considerans Socium, quem prius non noverat, in castinum cum in ecclesia invenisset eum, ex iis, quæ nocte viderat, cognovit eum, et in oscula sancta ruens et sinceros amplexus, dixit : Tu es socius meus; tu curres pariter mecum; stemus simul, nullus adversarius prævalebit. Visionem etiam narravit illi. Ex tunc ergo facti sunt cor unum et anima una in Domino; quod etiam posteris mandarunt in perpetuum [observari.] Hujus visionis seriem et cognitionem per sanctum Franciscum meruimus accipere *etc. Hactenus Theodoricus. Gerardus de Fracheto de accepta ejusdem visionis notitia sic loquitur :* Frater quidam Minor, religiosus et fide dignus, qui socius beati Francisci multo tempore fuit, narravit quibusdam fratribus, quorum unus hæc magistro Jordano (*post S. Dominicum Ordinis generali magistro*) scripsit.

AUCTORE C. S.

320 *Itaque S. Dominicus visionem narravit* S. Francisco, *hic socio suo, idemque socius quibusdam Fratribus Prædicatoribus, et horum demum unus ad B. Jordanum perscripsit. Plura vide in Commentario prævio ad Vitas S. Dominici* § 23. *Waddingus eadem refert ad annum* 1216 *num.* 14, *ac deinde num.* 16 *de visione hæc addit :* Franciscum etiam eamdem ipsam habuisse, expresse asserit ex aliis S. Vincentius Ferrerius, et pie judicat Ferdinandus Castillo atque Ludovicus Rebolledo, qua moneretur, quid de tanto viro sibi in socium dato, et de semetipso Deus ex alto statueret, quantoque operi et oneri eos dedicarit. *Res vera esse potest; cum tamen hi scriptores minus antiqui sint, quam alii, a quibus visio illa soli S. Dominico oblata dicitur, nequeunt illi tantam probabilitatem conciliare pro simili visione etiam* S. Francisco *attribuenda. Nihil dicam hic de colloquio prophetico* SS. Francisci *et Dominici cum S. Angelo Carmelita, quod idem Annalista Minorum ad eumdem annum* 1216 *reposuit; nam de eo abunde actum est a Papebrochio nostro ad diem* 3 *Maji in S. Angelo, et a Cupero in S. Dominico pag.* 443.

Incertum est, an hanc visionem etiam habuerit Franciscus.

E

§ XV. Mors Cardinalis de S. Paulo : inchoata Sancti amicitia cum Cardinale Hugolino, postea primo Ordinis protectore : Sancti in comitiis annuis præsentia : celebria comitia anni MCCXIX : an hæc sint capitulum storearum, cui ultra quinque millia interfuere.

Moritur Cardinalis de S. Paulo,

Circa postremos annos Pontificatus Innocentii III, qui anno 1216 *obiit, e vivis quoque excessit Joannes de S. Paulo, Cardinalis episcopus Sabinensis, qui primus e Patribus purpuratis* S. Franciscum *in obtinenda Ordinis Minorum approbatione apud laudatum summum Pontificem Innocentium feliciter adjuvit, uti dictum est* § 11. *De ejusdem in eumdem Ordinem beneficiis agunt Tres Socii in Appendice num.* 61, *docentque, post illius mortem Hugolinum Cardinalem episcopum Ostiensem, qui postea ad summum Pontificatum evectus Gregorius IX dictus est, præcipuam vereque paternam de eodem Ordine curam gessisse. Horum dicta Anonymus noster Perusinus his verbis exposuit :* Venerabilis autem pater Joannes de S. Paulo Cardinalis, qui beato Francisco consilium et protectionem frequenter impendebat, vitam et actus beati Francisci et omnium fratrum ejus omnibus aliis Cardinalibus commendabat. His auditis, commota sunt viscera eorum ad diligendos fratres; et unusquisque desiderabat ex fratribus in sua curia habere, non pro servitio aliquo recipiendo ab eis, sed propter devotionem et amorem, quem habebant plurimum erga fratres.

F

cujus in Ordinem Minorum insignia merita perstringuntur.

322 Quadam autem die cum venisset beatus Franciscus ad curiam, petierunt ab eo de fratribus singuli Cardinales : at ille benigne concessit eis secundum voluntatem eorum. Defunctus est autem prædictus dominus Joannes et requievit in pace, qui pauperes sanctos dilexit. *Hæc satis probant, Cardinalem Joannem consilio et opera sua vere se Ordinis Minorum protectorem exhibuisse; at non talem tamen, quales deinde a summis Pontificibus cum certis prærogativis et potestate eidem Ordini concessi fuere. Hinc Waddingus ad annum* 1217 *num.* 3 *primum hujusmodi stricte dictum sui Ordinis protectorem assignat Cardinalem Hugolinum, de quo plura dicemus.* Primus, *inquit,* hic fuit Ordinis protector (*Minorum scilicet*) postulatus et obtentus a sancta Sede

AUCTORE C. S.

Sede Romana; quamvis enim vere protectoris, defensoris et benigni patroni officium egerit opere et affectu vir ille optimus Joannes a sancto Paulo Cardinalis, cujus nos mentionem et laudem supra præmisimus; attamen non assignatus a Pontifice, nec communi fratrum exoratus instantia, sed innata pietate et sponte tantam gratiam fratribus præstiterat. *Vide plura ibidem : ego hæc annotanda censui, quia Joannes de S. Paulo apud Ciaconium et Oldoinum tom. I Vitarum Pontificum etc. col.* 1161 *ejusdem Ordinis primus Protector vocatur.*

Post hunc ejusdem Ordinis patrocinium suscipit Hugolinus,

323 *Redeo ad Anonymum, qui de divina providentia erga sacrum illum Ordinem, tunc paucis annis natum, optimique patroni obitu afflictum, ibidem ita prosequitur :* Post hoc inspiravit Dominus quendam de Cardinalibus, nomine Ugolinum, episcopum Ostiensem, qui beatum Franciscum et fratres ejus dilexit intime, non sicut amicus tantum, sed potius tanquam pater. Audita autem fama illius, accessit ad eum beatus Franciscus. Viso autem eo, Cardinalis suscepit eum cum gaudio, dicens ei : Offero vobis me ipsum ad consilium et auxilium et protectionem ad vestrum placitum; et volo, quod me commendatum in vestris orationibus habeatis. Beatus vero Franciscus gratias Altissimo reddidit, qui ad dandum consilium et auxilium et protectionem inspiravit cordi illius : et dixit ad eum : Volo B libenter mei et fratrum nostrorum omnium patrem te et dominum nos habere; et volo, quod fratres omnes pro vobis rogare Dominum teneantur. Deinde rogavit eum, ut venire ad capitulum fratrum in Pentecosten dignaretur. At ille annuit, et singulis annis veniebat. Quando autem veniebat, exibant ei obviam processionaliter fratres omnes in capitulo congregati : ille vero, venientibus fratribus, descendebat de equo, et ibat pedes cum fratribus usque ad ecclesiam propter devotionem, quam erga ipsos habebat, et eis sermonem postmodum faciebat, et celebrabat Missam, et beatus Franciscus Euangelium decantabat.

eum quo Sanctus amicitiam ante contraxerat Florentiæ

324 *De his omnibus consentiunt Tres Socii, quos ille secutus est; consentit et Celanensis, ut mox videbimus; sed de tempore, quo isthæc Sancti cum laudato Cardinale Hugolino amicitia cœpta videatur, paulum inquiramus. Waddingus ad annum* 1217, *num.* 1 *primum* Francisci *cum illo congressum contigisse, scribit, hoc anno Florentiæ, dum hic legatione Apostolica in Tuscia fungebatur, Sanctusque in Galliam meditabatur transire; sed iter hoc, dissuadente Hugolino, tunc fuisse prætermissum. Deinde refert,* Franciscum *eodem anno Romam profectum, ibique a summo Pontifice Honorio III, qui Innocentio III successerat, impetrasse, ut laudatus Cardinalis, qui et ipse Romæ tunc aderat, Apostolica auctoritate Protector Ordinis Minorum constitueretur. Quod ad locum congressus meditatumque iter in Galliam attinet, id aperte tradidit Thomas Celanensis in Vita num.* 74, *sic inquiens :* Cum enim tempore quodam dominus ille (*Hugo seu Hugolinus*) legatione, sicut sæpe solebat, pro Sede Apostolica in Tuscia fungeretur, beatus Franciscus, non multos adhuc fratres habens, et volens in Franciam ire, devenit Florentiam, ubi jam tunc dictus episcopus (*Ostiensis Hugolinus*) morabatur; nondum alter alteri præcipua familiaritate conjunctus; sed sola fama beatæ vitæ mutuali eos junxerat caritate.

anno incerto, sed verisimillime ante 1217.

325 *De tempore, ad quod idem ille primus congressus referendus sit, multum me ambigere faciunt mox relata verba Celanensis. Si enim contigerit, quando* S. Franciscus non multos adhuc fratres *habebat, videtur congressus ille potius figendus esse ante annum* 1217, *quo Sanctus verisimiliter plures Socios habuit, quam allegata verba Celanensis insinuant. Etenim, si Minores, vivente* Francisco, *qui anno* 1226 *obiit, aliquando fuerint* ultra quinque millia *in comitiis congregati, uti S. Bonaventura in Vita num.* 32 *testatur, non videntur illi anno* 1217 *tam pauci fuisse, ut prædicta Celanensis verba iis congruant. Hæc ratio etiam magis urget in sententia Waddingi, secundum quam numerosa hæc* ultra quinque millia *fratrum comitia celebrata fuere* D *anno* 1219, *id est, biennio postquam ex testimonio Celanensis totus Ordo non multos adhuc fratres complexus fuisset. Hinc vix dubitare possum, quin asserta* S. Francisci *cum Cardinale Hugolino amicitia saltem uno alterove anno citius cœpta sit. Forte id contigerit anno* 1214, *cum Sanctus probabilius ipso anno* 1213, *quo in Hispaniam profectus fuerat, redierit in Italiam.*

Non videtur Hugolinus iter Gallicum

326 *Quæ de dissuaso per Cardinalem Hugolinum, ideoque prætermisso, quod* S. Franciscus *sibi proposuerat, itinere Gallico addit Waddingus, nullum testem laudans, apud veteres biographos non invenio; imo oppositum affirmat Thomas Celanensis in Vita prima, dum post verba num.* 324 *data, et alia quædam de Hugolini in Sanctum amore, num.* 73 *hæc subjungit :* Monuit proinde ipsum (*Cardinalis*) cœptum perficere iter (*in Franciam utique, de quo locutus fuerat*) et ad curam et custodiam eorum, quos Dominus Deus sibi commiserat, sollicite vigilare. *Hoc mihi longe probabilius est, quam oppositum assertum recentiorum, non alio forsan fundamento nixum, quam conjectura alicujus, qui Vitam per Celanensem scriptam non viderat, aut allegatum locum non perpenderat. Neque etiam video, cur Hugolinus, qui anno* 1219 *non dissuasit Sancto iter in Syriam, ut videbimus, eidem multo breviorem mi-* E *nusque periculosam in proximam Franciam excursionem dissuadere voluisset. Sunt præterea et aliæ rationes, quæ mihi persuadent,* Franciscum *in Galliæ partes, quæ Italiæ viciniores sunt, aliquando penetrasse, eumdemque notabili tempore mansisse in regionibus Alpinis. Nam quæ ad annos* 1213, 1214 *et* 1215 *late prosequitur Melissanus in Supplemento ad Annales Waddingi, talia sunt, ut prudenter negari nequeat,* S. Franciscum *aliquando per Alpes ivisse in Galliam, aut in Italiam redivisse, multisque in locis præsentem fuisse. Uti autem hæc minime probant, illum terrestri itinere in Hispaniam profectum et regressum esse, ita verisimillimum faciunt, eumdem per Alpes in Galliam aliquando profectum esse; maxime cum apud Celanensem dicatur in Galliam proficisci voluisse, utque id faceret, a Cardinale Hugolino Florentiæ etiam animatum fuisse.*

Sancto tunc dissuasisse; forte tamen hic ob instantia comitia,

327 *Forte tamen tunc non longe in Galliam penetraverit, eaque causa fuerit, quod Waddingus existimaverit, iter hoc a laudato pio Cardinale dissuasum, et a Sancto prætermissum fuisse. Ratio vero iter non longius protrahendi ea esse potuit, quod appropinquaret festum Pentecostes, quo generalia comitia annua erant celebranda. Ut autem lector intelligat, quam non inanis hæc ratio sit, observabo hic nonnulla de annuis illis comitiis, quibus, ut saltem in Pentecoste interesset* S. Franciscus, *itinera* F *sua semper ordinasse videtur. Legem hac super re antea latam Tres Socii in Appendice num.* 57 *sic memorant :* Ordinavit beatus Franciscus, quod ibi (*apud S. Mariam de Portiuncula*) capitulum bis fieret in anno, scilicet in Pentecoste, et in Dedicatione sancti Michaelis. *Horum posterius minus numerosum fuisse videtur, cum de solo priori ibidem addant Tres Socii :* In Pentecoste conveniebant omnes fratres. *Hoc sancti Institutoris statutum observatum fuit, donec in altera Regula, quam Honorius III anno* 1223 *confirmavit,* prolongatus est terminus capituli propter vitandum laborem fratrum, qui in remotis partibus commorantur, *ut habent Tres Socii num.* 62. *Ex iisdem verbis colligitur, eos etiam, qui in provinciis longe dissitis versabantur, ad comitia in Pentecoste venisse. Præterea, ut iidem testantur num.* 59, *Sanctus,* expleto capitulo,... ad singulas provincias singulos destinabat.

quibus ille singulis annis, quando potuit,

328 *Hinc mihi nullum relinquitur dubium, quin omnes, qui in regiones magis dissitas mittebantur, sic sua ordinarint itinera, ut ad sequentis anni comitia in Pentecoste ad S. Mariam de Portiuncula reduces esse possent, de gestis suis reddituri rationem, deque agendis mandata excepturi. Præ ceteris autem id ipsum* S. Franciscum *pro ea, quam de novello Ordine*

A *Ordine suo sollicitudinem gerebat, curasse existimo; quippe qui in comitiis illis de profectu suorum, et fructu, quem retulerant, inquirere facilius poterat, et quibus officiis obeundis singuli apti, ad quas regiones destinandi essent, et cetera hujusmodi cognoscere. Ipse enim comitiis præsidebat, ibique Ordinem suum proprie regebat, et, ut apud Tres Socios num.* 57 *legitur,* Faciebat admonitiones, reprehensiones et præcepta, sicut ei juxta consilium Dei videbatur, *etc., quæ ibidem pluribus exponuntur. Ipse denique,* expleto capitulo,... ad singulas provincias singulos destinabat; *ut adeo illius in his comitiis præsentia præ ceteris fuerit necessaria, ac proinde ipse censendus sit, quantum per alia pia opera licuit, curasse, ut adesset. Hanc annuam* S. Francisci *in capitulis generalibus præsentiam videtur mihi non obscure indicasse S. Bonaventura in Vita num.* 32, *ubi, postquam dixerat, quid Sanctus in iis ipse præsens facere soleret, subjunxit :* Capitulis vero provincialibus, quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per sollicitam curam regiminis, instantiam precis et efficaciam benedictionis, spiritu præsens erat; quamvis aliquando, mira Dei faciente virtute, visibiliter appareret. *Cur non similia dixit Bonaventura de comitiis generalibus in Pentecoste, si ab his quoque aliquoties*
B *sanctus Pater abfuerit? Ex hoc porro illius in dictis comitiis sese exhibendi studio facile intelligitur, cur itinera quædam, quæ magnis animis cœperat, abruperit; nimirum ne huic muneri suo a comitiis absens deesset. Juverit hæc uno alteroque exemplo illustrasse.*

interesse conabatur, iter illud aut prætermisit,

329 *Anno* 1212 *post Pentecosten commisit se mari, navigaturus in Syriam, quo pervenire potuisset ante autumnum, si prospere navigasset. Poterat itaque aut eodem anno aut tempore verno anni sequentis, redire, et adesse apud Portiunculam circa Pentecosten. Verum cum adversa tempestate in littus Illyricum ejectus, vix speraret, se posse eo anno in Syriam pertingere, non exspectavit ibidem in sequentem annum, ut cœptum iter perficeret, sed iter abrupit, et in Italiam est reversus, ut sequentis anni comitiis posset interesse. Hoc ipso, ut arbitror, anno* 1213, *post habitum in Pentecoste solitum capitulum annuum navigavit in Hispaniam, transfretaturus in Africam, ut Marrochiani principis conversionem tentaret, aut martyrio beretur. Sed in Hispania morbo correptus, dimisso denuo Africano itinere, reversus in Italiam est. Quorsum vero putabimus,* Franciscum *non exspectasse in Hispania, donec, jam satis confirmatis viribus, inde in Africam trajiceret potius, quam paulo citius rediret in Italiam? Mihi quidem nulla ratio verisimilior apparet, quam ita*
C *eum fecisse, ut consuetam curam suam et solatium in comitiis anni* 1214 *impenderet.*

aut non diu prosecutus est.

330 *Simili modo post hæc comitia potuit in Galliam cogitasse, et in hoc itinere suo Florentiæ convenisse Hugolinum Cardinalem, ut docet Celanensis, ac deinde varia regionum Alpinarum loca pro more suo prædicando circumivisse : uti ex Melissano supra conjecimus. Quo usque tamen in Galliam penetraverit, non inveni; nec certo quidem dicere possum, an in eam reipsa ingressus fuerit. Forsitan tunc Pedemontium et Sabaudiam tamdiu peragravit, ut ulterius progrediendum sibi non crederet, sed redeundum ad futura comitia anni* 1213. *Atque hæc ex conjecturis dicta sunto, ut et præmissum Celanensis testimonium de cogitato itinere Gallico, et Sancti in regionibus Alpinis commoratio a Melissano asserta, et abrupta quædam itinera, ac denique ejusdem Sancti in Generalibus comitiis annuis necessaria præsentia verisimili modo exponantur, recteque concilientur. Porro, licet Cardinalis Hugolinus apud Waddingum narretur eodem anno, quo peculiarem illam amicitiam cum* Francisco *in urbe Florentina primum constituit, ab eodem Sancto sui Ordinis protector postulatus et a summo Pontifice Honorio III concessus fuisse, id tamen non nisi anno* 1223 *factum esse, suo loco infra probabo : nec alia de causa de sæpe dicto primo congressu et stabilita amicitia hic memini, quam quod Waddingus hæc ad annum* 1217 *retulerit, neque certum illis annum possem assignare.*

AUCTORE C. S.

Sanctus Assisium redux consueta comitia generalia

331 *Transimus ad annum* 1219, *quo credimus habita a* S. Francisco *celebria comitia generalia, e quibus ille multos in varias etiam longe dissitas provincias misit, et post quæ ipsemet profectus in Syriam est. Ut hæc comitia ad præcitatum annum* 1219 *cum Waddingo referamus, suadent Tres Socii, qui in Appendice num.* 62 *eadem sic memorarunt :* Expletis itaque undecim annis ab inceptione Religionis, et multiplicatis numero et merito fratribus, electi fuerunt ministri, et missi cum aliquot fratribus universas per mundi provincias, in quibus fides Catholica colitur. *Eadem habet Anonymus Perusinus : nec dubium esse potest, quin hic de comitiis agatur; nam ex dictis in hoc Commentario num.* 290 S. Franciscus *in eorumdem fine* per provincias, quos volebat, singulos destinabat; *congruebatque, ut ejusmodi ministrorum electio fieret in comitiis, utpote ad quæ omnes fratres etiam e longinquis provinciis ex lege lata quotannis debebant convenire. Quod ad annum horum comitiorum attinet, is quidem ab antiquis biographis nostris non exprimitur, sed ex iisdem Trium Sociorum verbis aliisque eruendus est.*

apud S. M. de Portiuncula celebrat anno 1219,

E

332 *Dicunt illi, hæc contigisse,* expletis annis undecim ab inceptione Religionis. *Hi anni ex chronotaxi nostra numerandi sunt a mense Aprili anni* 1209, *quo primos socios* S. Francisco *se adjunxisse, supra diximus, et a quo propterea tempore initium Ordinis Minorum repetendum putamus. At vero si iidem undecim anni, ut verba præferunt, completi accipiantur, deducent ad Pentecosten anni* 1220; *si autem incompleti, annus solummodo undecimus paululum inchoatus curret in Pentecoste anni* 1219. *Priorum sociorum accessum Waddingus quoque eidem anno* 1209, *sed incerto mensi affixit, ut nec hac quoque ratione undecim anni completi ab ista epocha inveniri queant in Pentecoste anni* 1219. *Verum ille initium Religionis ab anno* 1208, *quo sanctum Institutorem, audita sancti Evangelii lectione, vestem mutasse, arctioremque, quam antea, paupertatem et habitum amplexum fuisse, statuit, quod ego ad annum* 1209 *referendum puto. At morari nos hic non debet iste loquendi modus* expletis annis undecim, *quo minus totidem annos incompletos intelligamus; nam iidem Socii num.* 68 *asserunt, eumdem Sanctum* post viginti... annos, ex quo perfectissime Christo adhæsit, *adeoque anno ab illa adhæsione vigesimo primo, mortuum esse; ac nihilominus S. Bonaventura, qui Tres illos Socios procul omni dubio legerat, ista eorum verba sic interpretatus est, aut correxit, ut annos illos incompletos acce-*
F *perit, num.* 208 *in Vita dicens, ipsum* anno... a sua conversione vigesimo obiisse. *Ut igitur Tres Socii hic minus accurate locuti, pro* anno vigesimo *dixerunt :* Post viginti annos, *ita censendi sunt annum ab inceptione Religionis undecimum per undecim expletos annos expressisse. Hæc de anno sufficiant, qui cetera nullam difficultatem patitur.*

in quibus multos ministros provinciales creat,

333 *Fuerunt hæc anni* 1219 *comitia præcedentibus celebriora; primo, quia in hisce creati videntur omnium primi ministri provinciales. Etenim Tres Socii, qui iisdem certe interfuere, horum creationem, velut quamdam novam rem observant verbis num.* 331 *recitatis, consonatque Anonymus Perusinus pariter inquiens :* Expletis autem annis undecim ab inceptæ Religionis [*exordio*] et multiplicato fratrum numero, electi fuerunt ministri, et missi cum aliquibus fratribus per universas mundi provincias, ubi fides Catholica colebatur. *Annalista Minorum aliquos quidem ad annum* 1216 *num.* 3 *nominat fratres, quos in variis Italiæ provinciis eo anno ministros fuisse existimat, ast pro sua opinione non alium laudare videtur, quam Marianum Florentinum, qui, cum sæculo* XVI *obierit, exiguam hac in parte habere potest auctoritatem. Certe apud antiquiores nostros nullum ejus rei vestigium invenio, et titulus huic capiti apud Tres Socios in Ms. nostro præfixus etiam clarius opinioni Annalistæ adversatur,*

AUCTORE C. S.

satur, quam ipsa verba superius data : est enim talis: De electione ministrorum primorum. *Quomodo dixere* primorum, *si ante hos alii triennio ante fuerint electi?*

illosque cum multis sociis in varias regiones mittit,

334 *Alterum, quod hæc comitia celebriora prioribus reddidit, fuit fratrum in regiones longinquas missio, ut divinum, quo ipsi flagrabant, ignem latius accenderent, Ordinemque dilatarent.* Franciscus *ipse ex martyrii desiderio in Ægyptum profectus est, ut infra pluribus exponemus. Ad Marrocanum in Africa regnum, quo ipsemet anno* 1213 *contendere volens, in Hispania morbo prohibitus fuerat, sex alios ex his comitiis misit, quorum unus, isque aliis præfectus, in Hispania item morbo detentus fuit; reliqui quinque coronam martyrii anno sequenti Marrochii in Africa adepti sunt, de quibus apud nos actum est tom. II Januarii pag.* 62. *Ex iisdem comitiis creditur etiam B. Benedictus Aretinus, de quo vide Opus nostrum tom. VI Augusti pag.* 809, *cum sociis missus in Græciam; quod si verum est, post reditum potius, quam ante, fuerit minister Marchiæ Anconitanæ. Alii quoque in Galliam destinati sunt, alii in Hispaniam, alii in Germaniam, alii in Hungariam, alii denique in alias Christiani orbis provincias, quos omnes investigare longe operosius ac difficilius esset, quam necesse sit ad* S. Francisci *Acta, quod solum suscepi, illustranda. Tantum* B *breviter observo, illos non æque bene in omnibus provinciis receptos fuisse; sed, quia Regula eorum nullis Pontificiis litteris hactenus confirmata fuerat, multis in locis pro suspectæ fidei viris habitos.*

quorum aliqui, quia Regula nondum confirmata fuerat,

335 *Ita discimus ex Tribus Sociis in Appendice num.* 62, *quorum dicta Anonymus noster Perusinus sic exposuit.* In quibusdam provinciis recipiebantur, sed in eis ædificare habitacula nullatenus sinebant : a quibusdam vero expellebantur, quia timebant, ne fratres non essent Christiani fideles, quia adhuc non habebant fratres confirmatam apprehensam Regulam, sed concessam. Et propterea multas tribulationes passi a clericis et laicis, et a latronibus spoliati, reversi sunt ad beatum Franciscum, angustiati plurimum et afflicti. Et hæ tribulationes eis factæ fuerunt in Ungaria et Alemannia, et aliis provinciis ulterius. *Tres Socii aiunt :* Hoc enim passi erant quasi in omnibus ultramontanis partibus, ut in Alemannia et in Ungaria et pluribus aliis. *Rationem repulsæ iidem etiam clarius explicant his verbis :* Quia, licet præfatus dominus Innocentius tertius Ordinem et Regulam approbasset ipsorum, non tamen hoc suis litteris confirmavit. *Declaraverat quidem verbis idem Pontifex in concilio Lateranensi* IV, *versus* C *finem anni* 1215 *celebrato, Minorum Ordinem a se fuisse probatum; verum hæc declaratio non æque ubique nota erat, nec poterant eam Minores illi scripto testimonio comprobare, et aliunde adversabatur iisdem canon* XIII *ejusdem concilii, supra num.* 508 *relatus, quo cavetur,* ne quis de cætero novam Religionem inveniat; *qualis tunc erat, aut certe in longinquioribus illis provinciis Ordo Minorum esse videbatur.*

et idiomatis ignari erant, in variis provinciis

336 *Waddingus ad annum* 1216 *num.* 10 *aliam addit istarum afflictionum causam, quæ pro Germania, Hungaria, reliquisque earum partium regionibus, ad quas tunc pervenerint, admodum verisimilis est, maxime si non generatim sumatur. Illius verba, quæ ad hunc annum* 1219 *potius pertinent, huc transfero.* Missio vero Germanica, *inquit,* omnino fuit irrita. Dure enim recepti sunt fratres, Theutonici idiomatis prorsus ignari; crudeliterque in fugam et reditum ex universa provincia acti propter metum et suspicionem hæreticorum; quia ex Italia illuc tunc declinabant. Simplicitatem autem fratrum et idiomatis imperitiam, lepidam huic sævæ repulsæ occasionem ministrasse, ferunt Chronica Mss. provinciarum Saxoniæ, Argentinæ et Germaniæ Inferioris, quorum penes me sunt exemplaria; quam etiam illustrissimus recenset Gonzaga his verbis. Fratribus Theutoniam aggredientibus, cum quidam occurrissent, rogassentque, an hospitari vellent, illos Germanice JA, quod D Latine sonat ITA, respondentes, perhumaniter exceperunt, et eis cibum et potum subministrarunt.

pessime multati, Assisium redierunt.

337 Quare, cum Theutonicum idioma ignoraret, præfatam responsionem cuicumque interrogationi accommodare statuerunt, arbitrantes, semper ex illa similes eleemosynas se reportaturos, et hujusmodi beneficiis prosequendos fore. Attamen contra evenit : nam aliis percontantibus, an hæretici essent, et ad avertendam a fide Catholica Theutonicam illuc accessissent, cum suum statutum responsum in medium proferrent, ab ipsis non solum comprehensi et in vincula conjecti sunt, sed etiam ludibria publica atque varia supplicia subierunt. Quare in Germania se nihil posse proficere, conspicientes, in Italiam remearunt, narrantes confratribus ea, quæ in Germania fuerant perpessi. *Hæc sufficient ad affundendam aliquam lucem iis, quæ apud Tres Socios de eodem argumento leguntur. Non esse autem ista figenda ante annum* 1219, *liquet etiam ex iis, quæ ad ejusmodi afflictiones imposterum præcavendas salubriter statuta fuere, inter quæ fuit Regulæ confirmatio, ab Honorio III non ante annum* 1223 *obtenta.*

Waddingus credidit, hæc illa esse comitia, E

338 *Quantus in iisdem comitiis fuerit fratrum numerus, nullus antiquorum biographorum exposuit, imo nec eorum ullus insinuavit, ea præter modum aut consuetudinem numerosa fuisse. Quæ de incremento quoque Ordinis habent, non suadent, ut credamus, Minores jam inde ab anno* 1219 *ad quinque millia excrevisse, neque plus exigunt, quam ut totum Ordinem eo tempore ex aliquot centuriis constitisse, putemus. At Waddingus, forsan alios recentiores secutus, S. Bonaventuræ verba de comitiis,* ultra quinque millia *fratrum complexis, ad comitia anno* 1219 *habita retulit. Verba S. Bonaventuræ in Vita num.* 32 *accipe.* Processu quoque temporis, multiplicatis jam fratribus, cœpit eos Pater sollicitus, in loco Sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale capitulum convocare, ut in funiculo distributionis divinæ in terra paupertatis eorum unicuique tribueret obedientiæ portionem. Ubi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficientia suberat, et salus comitabatur corporea, et spiritualis jucunditas affluebat. *De his comitiis, quæ a nonnullis* Capitulum storearum *appellantur, multo plura scripserunt recentiores, nimirum Pisanus, auctor Speculi* S. Francisci, *aliique, postmodum examinanda; neque enim omnia satis probata videntur.*

quibus ultra quinque millia fratrum interfuisse, F

339 *Quod vero ad relata S. Bonaventuræ verba attinet, quæ pro certis et indubitatis habeo, non satis capio, cur laudatus Annalista eadem de comitiis anni* 1219 *accipienda putaverit, cum ipsemet hujus opinionis difficultatem agnoverit ibidem num.° 4, ita disserens :* Sane incredibile videretur, in tam paucis annis pauperculum Institutum adeo excrevisse, ut præter eos, qui in cœnobiis ad divina et domestica remanserunt officia, tot convenirent, nisi oculati testes, Francisci Socii, viri sanctitate et doctrina commendabiles, Bonaventura, ejus socius Bernardus a Bessa, innumerique alii id firmiter asseverarent. Illud mihi incredibilius, aut vero minus simile, quod habetur in Sermone 16 eorum, quæ sub Extraordinariorum nomine D. Bernardino tribuuntur tom. IV; videlicet, quibusdam post hunc annis, impressis jam Francisco stigmatibus, convenisse triginta millia fratrum ad alium generalem conventum. Non dubitem, satis jam aucta sodalitate, ingentem convenisse numerum ad ultima comitia a Francisco celebrata, vel ea potissimum allectum et attractum ratione, ut Patrem suum et Institutorem videret nostræ redemptionis pignora gestantem, et vivam Salvatoris idæam effectum. Attamen ad ter dena millia pervenisse, nec putem; nec credam, illorum Sermonum authorem (*diversum a S. Bernardino*) hunc numerum statuisse, sed auctos a chalcographo calculos, sive notas adjectas,

et

A et pro 3 millibus ex errore apposuisse 30 millia. *Hactenus Waddingus, cujus verba recitavi, ut conjecturam meam lector facilius intelligat.*

testatur S. Bonaventura; verum anno 1219

340 *Ne cui propter ingentem illam fratrum multitudinem, ex S. Bonaventuræ Opusculo allegatam, suspicio fiat de numeris in eo similiter corruptis, observo, tam in Ms. codice nostro, quam in editionibus, quas vidi, constanter legi* ultra quinque millia, *huncque numerum etiam affirmari a Bartholomæo Pisano, ab auctore Speculi, aliisque; ut de eo per S. Bonaventuram asserto nullum sit dubium. Modica tamen est differentia inter editionem Waddingi et alias codici nostro consonas : nam Waddingiana habet* ultra quinque millia conveniret; *in codice autem nostro et aliis editionibus additur vox* aliquando; *ex qua et dicendis apparet, non passim, sed semel, vivente* Francisco, *ultra quinque millia fratrum Minorum ad comitia generalia convenisse. Jam vero, cum* S. Franciscus *mense Octobri anni* 1226 *obierit, quo argumento statuemus, numerosa illa ultra quinque millia fratrum comitia anno* 1219 *habita fuisse, cum ab hoc anno usque ad confirmatam ab Honorio III anno* 1223 *Regulam singulis annis generalia comitia ex primæ Regulæ præcepto debuerint celebrari, ac sine dubio fuerint celebrata. Nam, testibus Tribus Sociis in Appendice num.* 62, *primum* in Regula, *quam Honorius anno* 1223 *confirmavit,* prolongatus est terminus capituli propter vitandum laborem fratrum, qui in remotis partibus commorantur. *Et in ipsa hæc Regula cap.* 8 *sancitum est, ut congregatio illa fiat* semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a prædicto ministro (*generali*) fuerit ordinatum.

B

non videntur tam numerosa fuisse, et comitia a Bonaventura memorata

341 *Quam modo rationem allegabimus, cur ultra quinque millia fratrum credamus convenisse ad comitia anni* 1219 *potius, quam ad anni* 1223, *in cujus mense Decembri, ideoque post Pentecosten ejusdem anni, confirmata fuit Regula, quæ præceptum de annuis comitiis primum antiquavit. Mihi quidem assertus ille a S. Bonaventura ad comitia convenientium fratrum numerus tantus apparet, ut, quanto serius convenisse dicatur, tanto fiat verisimilior. Atqui anno* 1223 *procul omni dubio plures erant Franciscani socii, quam anno* 1219; *quia, quo ad plures illi pertingebant provincias, plura obtinebant domicilia, pluresque suo sodalitio adscribebant. Pro anno* 1219 *nihil omnino probant verba Waddingi : Bonaventura enim nullum annum signavit; nec id fecit auctor Speculi, nec Pisanus. Tres Socii, quos, ut conjicio, ex aliis non recte laudavit Waddingus, ne numerum quidem congregatorum expresserunt. Bernardi de Bessa Opus mihi ignotum est,* C *quod an ipsi Waddingo ad manum fuerit, dubitare cogor, quia ipsa illius verba non solet recensere. Hinc nescio, an ille et numerum fratrum et annum comitiorum, de quo agimus, vere signaverit. Quare, cum singulis annis numerus fratrum Minorum, vivente* Francisco, *excreverit, et quanto plures essent, tanto plures convenire potuerint, suspicor, ingentem illam ultra quinque millia fratrum multitudinem potius convenisse aut anno* 1223, *quo petenda erat Regulæ confirmatio, aut aliquo e sequentibus annis ante mortem* S. Francisci, *mense Octobri anni* 1226 *obitam.*

potius ad annum 1223 aut etiam serius figenda sunt.

342 *Dubitandi ratio est, quod certe plures fuerint fratres, quando ultima ante mortem sancti Institutoris comitia celebrata fuere; sed non æque omnes convocarentur. Nam in Regula cap.* 8 *de capitulo Pentecostes solum legitur :* In quo provinciales ministri teneantur semper in simul convenire. *Hi soli autem tam ingentem numerum non potuerunt facere. Verum de annuis comitiis ante habitis Tres Socii num.* 57 *ita asserunt :* In Pentecoste conveniebant omnes fratres; *idque continuatum usque ad annum* 1223 *jam vidimus, ut hoc anno ingens fratrum multitudo convenire debuerit, sed longe minor anno* 1219. *Quapropter, cum S. Bonaventura haud dubie datis verbis memoraverit comitia, quæ omnium fuerant numerosissima, prout illius propositum exigebat, dicendus est locutus fuisse de comitiis anno* 1223, *aut de posterioribus, si* S. Franciscus *post illum annum omnes suos adhuc semel more pristino convocaverit. Forte id factum est anno* 1224, *quo post confirmatam priori anno Regulam celebrata ab illo comitia videbimus, in quibus rursum ministri provinciales creati fuere, et cum potestate alios in Ordinem recipiendi missi in provincias, e quibus antea fuerant expulsi, ut suo loco latius dicemus.*

AUCTORE C. S.

Numerosissimis illis non adfuit S. Dominicus.

343 *Ex dictis collige, S. Dominicum non interfuisse comitiis Ordinis Minorum, quæ omnium numerosissima fuere, cum sanctus ille Ordinis Prædicatorum Institutor anno* 1219 *obierit. An vero comitiis anni* 1219, *aliisve Franciscanis adfuerit, examinabitur post Acta edita in Analectis, in quibus agetur de nonnullis* S. Francisci *gestis minus certis, aliisque, quæ ex scriptoribns coævis nequeunt probari, aut quibus, in hac Commentario, quo Vitas antiquas proprie elucidamus, non erat locus opportunus.*

§ XVI. Iter S. Francisci in Syriam et Ægyptum : clades ab eo prædicta Christianis ante Damiatam : accessus ad Soldanum Ægypti, gestaque cum eo : fabulosa quædam a recentioribus addita. E

Sanctus martyrii cupidus navigat in Syriam,

Post *comitia anni* 1219, *de quibus præcedenti* § *egimus, figendum est mense Junio aut Julio* S. Francisci *iter in Syriam, de quo Thomas Celanensis loquitur in Vita num.* 57, *quodque ibidem illigavit* decimotertio anno conversionis *illius, quæ cum ex chronotaxi nostra, anno* 1206 *senescente, contigerit, hi calculi ad hunc annum* 1219 *rectissime perducunt. Mentem Celanensis expressit Anonymus noster in Vita secunda, ex qua hæc accipe :* Porro Vir sanctus, quamvis suum cogeretur vel invitus protelare propositum (*de trajiciendo in Africam, quod impedierat morbus in Hispania*) tamen accepto * martyrii fervore non destitit, donec tandem tertiodecimo conversionis suæ anno ad partes Syriæ transmeavit. Et licet cotidiana tunc inter Christianos et infideles prælia gererentur, ipse tamen in Domino confisus, adire Soldanum, nec cum evidenti periculo, verebatur. Unde et multis gravibus verberibus et injuriis, antequam veniret (*id est, perveniret ad Soldanum*) affectus, tandem ipsius Soldani conspectu personaliter est potitus. Sed narratui * longum foret, in quanta mentis constantia coram illo perstiterit, quantaque facundia fidei Christianæ oblatrantium verba retuderit. F

* an a cœpto?

* an narratu?

et Soldano Ægypti frustra prædicat, a quo benigne excipitur.

345 Soldanus vero cum ingenti honore illum suscepit, pluraque et preciosa valde donaria sibi protulit. Quæ Sancto Dei, veluti quasdam immunditias vilipendente, ipse Soldanus tanquam de Viro cunctis dissimili magis obstupuit, et illius eo diligentius verbis intendit; sed nimirum in hiis omnibus suum Vir beatus desiderium (*pro Christo moriendi*) non implevit; cui mirabilius in singularis gratiæ prærogativam gerenda suorum Dominus insignia stigmatum reservavit. *Eadem latius explicat S. Bonaventura a num.* 155, *additque,* Franciscum, *ut Soldanum (sic principem suum vocabant Saraceni) de Christianæ fidei veritate convinceret, obtulisse ei pro eadem asserenda in ardentem rogum ingredi, si quis Saracenorum sacerdos tantumdem vellet pro sua secta præstare. Recusante hanc conditionem Soldano, quod diceret, nullum e sacerdotibus suis hoc tentaturum; reposuisse Sanctum, paratum sese esse solum id facere, modo, si inde illæsus evaderet, ille cum gente sua Christi fidem vellet suscipere, sin in eo cremaretur, id Soldanus ipsius peccatis adscriberet. Sed nec hoc permittere voluisse Soldanum, gentis seditionem veritum, quæ ibidem pluribus legi possunt. Deinde num.* 154 *et* 155 *refert, eumdem Sanctum Christianis, apud Damiatam adversus Saracenos pugnare parantibus, cladem prædixisse,*

si

AUCTORE C. S.

si tunc congrederentur; quod verum fuisse vaticinium, infelix pugnæ exitus probavit. Ex sociis, quos Franciscus *hoc in itinere habuit, Bonaventura unum solum nominavit fratrem* Illuminatum; *de aliis nec ipse, nec priores biographi meminerunt.*

Referuntur quædam non satis certa de sociis

346 *Verum hisce, quæ certa sunt, Waddingus multa adjunxit ex scriptoribus minus vetustis, quæ singula paulo accuratius hic examinanda sunt a Sancti discessu ex Italia usque ad reditum. In primis de anno discessus consentiens, ibidem num.* 34 *scribit, duodecim socios illum comitatos esse, et ex his quinque propriis nominibus exprimit, videlicet, Petrum Catanii, Barbarum, Sabbatinum, omnes Assisiates et ex primis ipsius discipulis; deinde Leonardum item Assisiatem, et Illuminatum Reatinum. Hunc ultimum cum* S. Francisco *in Ægypto fuisse et ad Soldanum accessisse, constat ex S. Bonaventura; de ceteris nihil possum affirmare. Verisimile est, plures cum illo mare transmisisse, et horum aliquos in Syria relictos, ut affirmat Waddingus, licet antiquos scriptores non habeam, ex quibus id confirmem. Verisimile item est, quod ait, ipsum cum sociis suis e portu Anconitano solvisse; sed nec hic vetustos scriptores possum producere. Haud æque admisero, quæ de electis in eodem portu itineris sociis narrat ex Pisani conformitate* 11, *cujus verba ex*
B *prima editione Mediolanensi huc transfero.*

ipsum tunc comitatis et itinere,

347 Cum tertiodecimo anno a sua conversione ad partes Sirie, ut Soldano predicaret, ire disponeret, multi fratres (*quos præter duodecim sibi adscitos socios Waddingus ab eo in via ad Ordinem admissos ait*) eum usque ad partes Anconæ sunt sequuti, volentes cum ipso illuc accedere. Sed ipse hæc considerans, et, quam grave esset, tot fratres simul nautis deducere, nec ipse vellet aliquem desolatum dimittere, eos, dum esset in portu Anconæ, sic est alloquutus: Charissimi fratres, omnes vos vellem pro vestra consolatione ducere mecum, sed nautæ non permittunt; et quia ego unum eligendo, et alium dimittendo, vobis materiam præberem scandali et divisionis; ideo super hoc placeat vobis velle consulere Domini voluntatem, quam sic sciemus. Nam vocavit unum parvum puerum, qui neminem illorum agnoscebat, et dixit fratribus: Interrogemus hunc puerum, si vobis placet; et cum omnibus placuisset, dixit beatus Franciscus puero: Estne voluntas Dei, ut omnes isti fratres transeant mecum? Respondit: Non. Et quos vult Deus transfretare mecum? Respondit, tangendo fratres: Iste, et iste, et ille; et sic tetigit undecim fratres de illis, et dixit beato Francisco: Isti tecum ibunt; quia sic est voluntas Dei. Et tunc
C omnes fuerunt contenti, qui tacti non fuerant per puerum, Dei voluntatem agnoscentes. Beatus autem Franciscus, dictis fratribus assumptis, navim intravit *etc. Hæc Pisanus, pro quibus ego certiorem vadem requiro; maxime quia hæc non sunt congrua moribus* S. Francisci, *qui suavi imperio solverat suos, quo volebat, destinare.*

quod ipse instituit. Fuit prius apud Damiatam,

348 *Sancti iter ex Mariano sic describit laudatus Waddingus. Ancona navigavit in Cyprum, atque hinc post unius et alterius dierum moram Ptolemaidem, seu Aconem, Syriæ civitatem, ubi in diversas partes prædicaturos misit socios suos; ipse vero post aliquot dies in vicinis Syriæ oppidis prædicationi utiliter impensos rursus cum fratre Illuminato navim conscendens, in Ægyptum appulit, et ad Christianum exercitum, qui Damiatam obsidebat, contendit. Hæc omnia vera esse possunt, sed ex sola Mariani auctoritate non fiunt certa. Si Sanctus in Cyprum tunc appulerit, potuit ibidem audivisse, Christianum exercitum apud Damiatam esse, missisque aliquot in Syriam sociis, ipse recta in Ægyptum navigasse. Hoc certum est,* S. Franciscum *cum suo socio Illuminato in Christianorum exercitu apud Damiatam fuisse eo anno, mense Augusto, cum illis prædixerit cladem ejusdem mensis die* 29 *acceptam. De prædictione constat ex Bonaventura in Vita num.* 134 *et sequenti; de tempore autem cladis acceptæ ex anonymo, qui Historiam Tyrii de Bello sacro Gallice continuavit, et cujus Opus editum est* D *apud Martenium tom. V Collectionis amplissimæ; constat item ex Vitriaco, qui in exercitu aderat, aliisque; ut annus et dies acceptæ cladis indubitati sint.*

ubi Christiano exercitui cladem prædixit.

349 *De prædicto Sancti vaticinio cum S. Bonaventura consentit Joannes Iperius in Chronico S. Bertini cap.* 46, *parte* 19, *agens de obsidione Damiatæ, et hæc scribens, anno tamen non satis distincto:* Erat in hac obsidione beatus Franciscus, qui videns, Christianos se contra Sarracenos ad pugnam præparare, quasi prophetice dixit eis, quod, si foret acceptus congressus, non cederet prospere Christianis: cujus spreta prophetia, statim pugna committitur, totaque in fugam convertitur acies Christiana. *Uno etiam anno præpropere illud reposuit Marinus Sanutus, Iperio antiquior, in Secretis fidelium Crucis lib.* III, *parte* XI, *cap.* 7, *ubi ait:* Fuit et in ipsa obsidione angelicus vir Franciscus, qui gratia prædicandæ fidei et desiderio martyrii ad partes infidelium jam tertio festinabat. Dum igitur Christiani pararent ad pugnam, Christi Servus vehementer ingemuit, dixitque socio: Si belli fuerit acceptus congressus, non cedet prospere Christianis. Ille cognoscens in Sancto vere spiritum prophetiæ, suadet, ut exponat periculum Christianis. Tunc exiliens Christi Præco, salutaribus monitis Christianos aggreditur, prohibet bellum, denuntiat casum. Fit veritas in fabulam, contemnitur Propheta: induraverunt cor suum, et noluerunt reverti. Igitur pugna committitur et bellatur: tota in fugam convertitur acies Christiana, finem belli opprobrium regerens, non triumphum. *Hactenus Sanutus, cui præluxit S. Bonaventura. Non tamen tunc soluta fuit obsidio Damiatæ, sed eam Christiani eodem anno* 1219, *die* 5 *Novembris expugnarunt.* E

Hinc ad castra Saracenorum transiens, multa passus,

350 *Tempore intermedio, ac verisimiliter non diu post illam infelicem pugnam,* S. Franciscus *cum socio suo, fratre Illuminato, accessit ad Meledinum, Babyloniæ seu Ægypti Soldanum; qui in vicinia sua castra habebat, ut obsessæ urbi succurreret. Laudatus Sanutus de hoc* Francisci *heroico facinore cap.* 8 *ex Bonaventura sic loquitur:* Libet hujus Sancti præconio modicum immorari. Ut enim Soldani Babyloniæ posset adire præsentiam, multis se periculis constanter exposuit. Exierat enim a Soldano crudele edictum, ut, qui Christiani caput afferret, Bizantium aureum pro mercede acciperet. At intrepide Christi Miles in castris hinc inde in campo locatis iter arripuit, mortis pavore non territus, sed desiderio provocatus. Procedente itaque eo cum fratre Illuminato, viro utique luminis et virtutis, occurrerunt satellites Saraceni, et Servos F Dei feraliter comprehensos, crudeliter et contemptibiliter contrectarunt, afficientes convitiis, affligentes verberibus, et vinculis alligantes.

Soldano Christum intrepride prædicat,

351 Adductos quoque coram se Soldanus interrogat, a quibus, aut ad quid, aut qualiter missi essent. At Christi servus Franciscus intrepido corde respondit, se missum non ab hominibus, sed a Deo, ut ei et populo suo viam salutis ostenderet, et annunciaret Euangelium veritatis. Tanta vero mentis constantia, tantoque fervore spiritus prædicto Soldano prædicavit Trinum Unicumque Deum, et Salvatorem omnium Jesum Christum, quod Soldanus admirandum in Viro Dei fervorem conspiciens et virtutem, libenter ipsum audiebat, et ad moram secum contrahendam instantius invitabat. At ille superno illustratus miraculo, Si vis, inquit, cum tuo converti populo ad Christum, ob ipsius amorem vobiscum libentissime commorabor. Quod si hæsitas propter fidem Christi legem dimittere Mahumeti, jube ignem accendi permaximum, et ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel sic cognoscas, quæ fides verior et certior sit tenenda. Ad quem Soldanus: Non credo, quod aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti.

352 At vir sanctus subintulit: si conversionem promitis,

A promittis, ignem solus intrabo : et si combustus
sed nihil proficiens, et oblata munera respuens, ad Christianos redit.
fuero, meis ascribatur peccatis; sin autem, Christum, Dei virtutem et sapientiam, verum Deum et Dominum cognoscatis. Soldanus, optionem hanc accipere se non audere, respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit autem ei multa munera pretiosa, quæ paupertatis Amator sprevit omnia, quasi lutum. Ex quo Soldanus admiratione permotus majorem erga ipsum devotionem concepit, rogavitque Famulum Christi, ut prædicta susciperet, pro salute ipsius Christianis pauperibus et ecclesiis eroganda. Ipse vero, quia pondus fugiebat pecuniæ, et in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquievit. Et cum ad conversionem gentis illius nihil proficeret, ad partes fidelium divina revelatione commonitus remeavit, privilegiato consecrandus martyrio passionis et vulnerum Jesu Christi. *Hæc Sanuti relatio conformis est S. Bonaventuræ, quem fere descripsit.*

Recitatur continuatoris Historiæ Tyrii narratio
333 *Lubet hic et alterum antiquiorem addere, jam laudatum scilicet Historiæ Tyrii Continuatorem anonymum, qui inter annos* 1275 *et* 1295 *scripsit antiquo idiomate Gallico, et apud Martenium tom. V Collectionis amplissimæ excusus est. Hic col.* 689, *tacitis* Francisci *ejusque socii nominibus, de hoc argumento Gallice habet, quæ reddo Latine.* Porro
B referam, duos in exercitu, qui Damiatæ erat, fuisse clericos, eosque venisse ad Cardinalem (*legatum Pontificium*) et eidem dixisse, ituros se ad prædicandum Soldano; sed eo ire velle, accepta ab eo facultate. Reposuit Cardinalis, non ituros bona sua venia : noverat enim, non evasuros, si irent. Verumtamen rogarunt, ut sineret ire, multisque precibus apud eum institerunt. Quando intellexit Cardinalis, tanto illos teneri desiderio eundi, ipsis dixit : Nequaquam novi cogitationes vestras : verum, si adeatis, curate, ut corda vestra Domino Deo semper adhæreant. At illi asseruerunt, non velle se ire, nisi ingentis boni gratia, si id possent consequi. Itaque respondit Cardinalis, illis licitum esse ire, si vellent.

de eodem Sancti cum socio accessu ad Meledinum,
334 Quapropter discesserunt a castris Christianorum, et accesserunt ad castra Saracenorum. Dum Saraceni, qui excubias agebant, venientes conspexerunt, putarunt, eos aut ad nuntiandum aliquid, aut ad renuntiandum fidei Christianæ advenire; et obviam processerunt, captosque ad Soldanum adduxere. Dum in Soldani conspectum pervenerunt, salutaverunt eum, et hic illos pariter salutavit. Tum quæsivit, an venirent ut nuntii, an ad fidei suæ renuntiandum. Responderunt, non futuros se Saracenos, sed venisse ut Dei nuntios,
C et ad salutem ei afferendam, si fidem præstare vellet. Nam vere affirmamus, te esse perditum, si moriaris in ista lege; ideoque huc ad te venimus. Et si nos audire volueris et intelligere, coram sapientissimis regionis tuæ viris solida ratione demonstrabimus, vos omnes esse perditos, et omnes nihil esse. Soldanus reposuit, sibi esse archiepiscopum et episcopos legis suæ, viros insigniter eruditos; nec sine ipsis posse se illis dicturis aures præbere. Responderunt Clerici : Hac de re multum gaudemus : eos arcesse. Soldanus eos advocari jussit; et illi ad tentorium venerunt.

gestisque apud illum,
335 Ibidem igitur aderant ex præcipuis ac sapientissimis illius regionis * viris, et duo illi Clerici ibi pariter aderant. Dum advenerant, Soldanus exposuit, qua de causa illos arcessivisset, eisque narravit, quid sibi dixissent Clerici. Responderunt : Domine rex, tu es legis gladius, illamque tueri debes et servare. Nomine Mahometi, qui legem nobis dedit, tibi præcipimus, ut capita illis jubeas resecari. Nam nihil audiemus de illis, quæ dicent. Lex enim vetat fidem dare ulli prædicationi, eaque de causa tibi mandamus, ut capita iis amputari jubeas. His dictis, valedixerunt et abscesserunt : mansit Soldanus, uti et duo Clerici. Tunc accessit Soldanus, eisque dixit : Domini, nomine Mahometi et legis mihi præceperunt, ut capita vobis amputari faciam : nam ita lex mandat. Sed faciam contra mandatum : male enim compensarem vos, quod periculo mortis vos exposueritis, ut animæ meæ procuraretis salutem. Postea dixit, se illis daturum multas terras et amplas possessiones, si secum vellent manere. Dixerunt, se nequaquam mansuros, sed libenter reversuros, si ipse ita imperaret.

* *Gallice* de la terre

AUCTORE C. S.

et reditu ad Christianos;
336 Respondit Soldanus, se libenter curaturum, ut salvi reducerentur. Deinde afferri illi jussit aurum et argentum et pannos sericos ingenti multitudine, præcepitque, ut ex illis caperent, quæ vellent. Dixerunt, se nihil ex illis accepturos, quandoquidem efficere non possent, ut ejus anima Deo adhæreret; magis se desiderare, ut anima illius Deo conciliaretur, quam ut omnes ejusdem possiderent facultates : si tamen bene vellet facere, cibum juberet ad vescendum apponi, cum sibi abeundum esset, quod aliter facere non possent. Soldanus illis abunde dedit ad manducandum et bibendum; ubi vero manducaverunt, Soldano valedixerunt, isque eos duci jussit usque ad castra Christianorum. *Hæc anonymus ille, sed verbis, ut supra monui, antiquo idiomate Gallico expressis. De varietate rei gestæ adjunctorum infra quædam observabo, postquam alterius scriptoris synchroni, qui* S. Franciscum *in Ægypto tunc vidit, de eodem facto testimonium recitavero.* E

de quibus etiam Jacobus de Vitriaco
337 *Jacobus de Vitriaco, tunc episcopus Aconensis, postea S. R. E. Cardinalis, qui tunc in Christianorum erat exercitu, in Historia Occidentali cap.* 58, *ubi agit de Ordine Minorum, ad propositum nostrum hæc habet :* Vidimus primum hujus Ordinis Fundatorem magistrum, cui tamquam summo Priori suo alii obediunt, virum simplicem et illiteratum, dilectum Deo et hominibus, fratrem Francinum (*lege* Franciscum) nominatum, ad tantum ebrietatis excessum et fervorem spiritus raptum fuisse, quod, cum ad exercitum Christianorum ante Damiatam in terra Ægypti devenisset, ad Soldani Ægypti castra intrepidus et fidei clypeo communitus accessit. Quem cum in via Saraceni tenuissent; Ego sum Christianus, inquit; ducite me ad dominum vestrum. Quem cum ante ipsum pertraxissent, videns eum bestia crudelis (*Soldanus*) in conspectu Viri Dei in mansuetudinem conversa, per dies aliquot ipsum sibi et suis Christi fidem prædicantem attentissime audivit. Tandem vero metuens, ne aliqui de exercitu suo, verborum ejus efficacia ad Dominum conversi, ad Christianorum exercitum pertransirent, cum omni reverentia et securitate ad nostrorum castra reduci præcepit, dicens ei in fine : Ora pro me, ut Deus legem illam et fidem, quæ magis F
sibi placet, mihi dignetur revelare.

honorifice meminit.
338 *Hæc ibi; rursumque in epistola, quam ad familiares et notos suos* in Lotharingia, *seu in ejus parte, quæ nunc* Brabantia *dicitur, post captam anno* 1219, *die* 5 *Novembris urbem Damiatam dedit, sic scripsit :* Magister vero illorum fratrum (*Minorum*) frater Franciscus nominatur; qui adeo amabilis est, ut ab omnibus hominibus veneretur. Cum venisset ad exercitum nostrum, zelo fidei accensus ad exercitum hostium nostrorum ire non timuit. Et cum multis diebus Saracenis verbum Domini prædicasset, et cum parum profecisset, tunc Soldanus rex Ægypti ab eo in secreto petiit, ut pro se Domino supplicasset, quatenus Religioni, quæ magis Deo placeret, divinitus inspiratus adhæreret. *Si quis modo relationes omnes datas de celebri hoc* S. Francisci *facinore conferre et expendere voluerit, deprehendet, multam quidem in eis esse varietatem; at nihil tamen occurrere, quod aut incredibile sit, aut aliis contrarium.*

Observantur nonnulla ad præmissas relationes,
339 *Facultatem e Christianis castris ad Saracenica transeundi* Franciscum *a legato Apostolico impetrasse, solus habet Historiæ Tyrii continuator Gallus anonymus; hoc tamen verisimillimum est, Sanctique erga Romanos Pontifices et Ecclesiæ prælatos observantiæ omnino congruum. S. Bonaventura, aliique antiqui, quibus consonat Sanutus,*

AUCTORE C. S.

docent, Franciscum *cum socio suo contumeliis verberibusque a Saracenis excubitoribus affectum esse, priusquam ad Meledinum adductus fuit. De his silent idem Anonymus et Vitriacus; forte, quod Sanctus de hac re conquestus non fuisset in castris Christianorum; postea tamen aut ipse aut ejus socius illa fratribus suis retulerit. Certe etiam alii scribunt, illos a Saracenorum excubiis captos fuisse, vixque credibile est, id contigisse sine illatis contumeliis ac verberibus, saltem antequam barbari eos ad principem suum perducere decreverant. De mira Soldani, utut barbari hominis, humanitate consentiunt omnes.*

quæ etsi variæ sint,

360 *Solus anonymus addidit, advocatos ab eo fuisse sacerdotes Saracenos, quos* archiepiscopum *et* episcopos *appellavit, usus vocabulis apud Christianos usitatis, non apud Saracenos : solus item asserit, mandasse sacerdotes Soldano, ut* Francisco *et socio amputari capita juberet. Utrumque admodum verisimile est, et postremum Mahometanorum feritati ac moribus congruum, nec aliorum relationibus adversatur. Eodem solo teste anonymo, Soldanus* Francisco *amplas possessiones obtulit, si apud ipsum vellet manere. Favent Bonaventura et post hunc Sanutus, dum asserunt, Sanctum ab eodem principe rogatum fuisse, ut apud ipsum maneret. Dubitari interim potest, utrum hæc illius munificentia ex serio animo pro-*

B *cesserit, an tentandi gratia, an iste nullo, ut toto habitu præferebat, temporalium rerum desiderio teneretur, atque hinc liceret de Monitoris sui sinceritate ac virtute judicare. Sponsio de subeundo igne heroicæ sancti Viri fidei certæque in Deum fiduciæ adscribenda est, quam tamen verisimilius est, non prius eum fecisse, quam postquam omnem spem abruptam vidit disputandi cum sacerdotibus Saracenis, qui causæ suæ nimium diffidebant, ut hoc discrimen subirent, nedum ut in arenam ignitam descenderent.*

minime tamen incredibiles aut invicem contrariæ.

361 *Potuit denique eodem spiritu animatus* Franciscus *coram Soldano solus voluisse ignem experiri, ut hoc velut postremam machinam nutanti barbaro admoveret; sed cum nec verbis, nec aliter se proficere cerneret, abeundi licentiam petiit, quam nec gravate concessit Soldanus, ac forte etiam, (licet antea, ne recederet, petiisset) sponte suasisset, quia, ut Vitriacus indicavit, metuebat,* ne aliqui de exercitu suo, verborum ejus efficacia ad Dominum conversi, ad Christianorum exercitum pertransirent. *Abituro pretiosa munera obtulisse Soldanum, consentiunt omnes; idque minus mirabimur, si consideremus, veram virtutem ipsis etiam barbaris sæpe admirationi esse, ac proinde credendus sit Meledinus maluisse Hominem, cujus virtutem simplicemque eloquentiam probaverat, donatum dimittere, quam cum periculo minuendi exercitus sui, aut excitandæ a sacerdoti-*

C *bus seditionis, diutus apud se retinere. Eadem illius de sancto Viro æstimatio fecerit, ut ad castra Christiana redeunti ductores Saracenos daret.*

Refelluntur quædam de hoc Sancti accessu ad Soldanum,

362 *Hisce, quæ historice certa haberi possunt, alia quædam adduntur apud Waddingum in Annalibus, sed quæ partim ex scriptoribus suspectis accepta sunt, partim ex errore profecta videntur. Leguntur illa in Speculo Vitæ* S. Francisci *editionis Bosquieri part.* 1, *cap.* 80, *ex quo omnia hic describo, debitis observationibus castiganda.* Sanctissimus pater noster B. Franciscus, zelo fidei et fervore martyrii incitatus, cum duodecim sanctissimis fratribus, suis sociis, ultra mare transivit, proponens recto tramite pergere ad Soldanum. Cum ergo venisset ad quasdam paganorum partes, in quibus tam crudeles homines custodiebant itinera, quod nullus Christianus poterat mortem evadere; Deo disponente, mortem quidem evaserunt, tamen capti, multipliciter afflicti et ligati durissime, ducti sunt ad Soldanum. *In his corrigendum, quod auctor duodecim socios cum* S. Francisco *ad soldanum adductos insinuet, quodque innuat longa eorum ad illum itinera; cum ex prædictis constet, Sanctum non nisi cum uno socio Illuminato ex castris Christianorum ad vicina Soldani castra contendisse. Pergamus auctorem Speculi prosequentem audire.*

363 In cujus (*nimirum Soldani*) conspectu B. Franciscus, a Spiritu sancto doctus, tam divine D de sancta fide Catholica prædicavit, quod per ignem hanc se obtulit approbare. Quod tremens Soldanus, magnam in ipso devotionem concepit, tam constantia fidei, quam per contemptum mundi, qui nihil ab ipso recipere voluit, cum esset pauperrimus, quam etiam pro fervore martyrii. Ex tunc eum libentissime audiebat, et rogavit, ut ad ipsum frequenter veniret. *Hæc recte; at non æque accuratum videtur, quod sequitur :* Et insuper S. Francisco et sociis suis liberaliter concessit, quod, quocumque vellent ire in regno suo, possent ire, et possent libere prædicare. Et dedit eis quoddam signaculum, quo viso, a nemine lædebantur. *Hoc certe nec ab antiquis traditum legi, nec illorum dictis congruit. Sine dubio falsum est, quod ibidem subditur.* Habita hac igitur licentia, S. Franciscus illos suos electos socios binos hinc inde transmisit in diversas paganorum partes; elegit ipse cum socio suo partem unam. *Si hæc diceretur* Franciscus *sponte sua fecisse, simul atque aut in Cyprum aut alibi e navi egressus fuerat, id fieret verisimile. Verum ille non nisi uno comitatus socio ad Christiana primo castra, deinde ad Soldanum accessit, nec tamdiu inter Saracenos commoratus est, uti præferunt verba Speculi.*

de licentia prædicandi ipsi et Sociis ab eodem data,

E

364 *Etiam apertius fabulosum mihi apparet, quod post hæc Sancto ibidem inter Saracenos contigisse legitur.* Qui cum ad quoddam hospitium pervenisset, ubi sibi erat pro quiete necessarium commorari, invenit ibidem quandam mulierem, speciosissimam quidem, quantum ad faciem, sed mente turpissimam, quæ S. Franciscum de actu nequissimo requisivit. Ait ad illam : Accepto, quod dicis. Eamus ergo, et lectum paremus; et ego ostendam tibi lectum pulcherrimum. Et duxit illam ad maximum ignem, qui tunc in illa domo fiebat; et in fervore spiritus se exspolians, se in lare illo ignito nudum, tanquam in lecto locavit. Et vocans illam, dicebat : Expolia te, festina frui hoc lecto splendido ac florido et mirando; quia hoc oportet esse, si vis obedire mihi. Ille autem ignis nihil sanctum Franciscum læsit; sed super larem illum ardentem, illum ignitum, quasi super flores, facie hilari decubabat. Illa vero mulier tam miranda cernens et stupens, non solum a stercore peccati, sed etiam a tenebris infidelitatis conversa est ad Dominum, et affecta tam mirandæ sanctitatis gratiæ, quod, juvantibus meritis sancti Francisci, multas animas Domino in illis partibus acquisivit.

deque Sancto nudo cubante in igne,

ut impudicam mulierem repelleret,

F

365 *Eadem, paucis verbis mutatis, leguntur in editione Speculi per Spoelberchum, uti et in Metensi cap.* 74, *quod Waddingus laudavit in margine. Leguntur item in Pisano lib.* 1, *conformitat.* 10 *in utraque editione, Mediolanensi scilicet ac Bononiensi. Laudat præterea idem Annalista Hugolinum cap.* 33, *et Marcum Ulyssiponensem, quorum hic junior est, quam ut ipsius auctoritate stare possimus, alter, cujus Opus non vidimus, forte antiquior non est sæculo* XIV *adulto, uti num.* 42 *et* 43 *ex ipsomet Waddingo observavimus. Poterat hæc, ut ego quidem existimo, annumerari ceteris apocryphis narratiunculis, quas Waddingus alibi in eodem Speculo merito agnovit et repudiavit. Ego maluissem hanc verbo uno perstringere, nisi in illius eruditi viri Annalibus utcumque mitigata legeretur. At, quam verisimilis sit, paulisper expendamus. In primis dicitur insolens istud et Viri sanctissimi simul ac prudentissimi moribus minime congruum factum contigisse, postquam a Soldano facta licentia in omnibus ditionibus illius prædicandi, socios suos binos et binos quaquaversum miserat prædicatum, et ipse cum socio suo in unam regionis partem processerat.*

quæ omnia ignota sunt antiquioribus,

366 *At nec ullos ibi socios, præter unum, habuit, quos mitteret, nec tam ampla prædicandi facultas convenit cum assertis antiquiorum, ex quibus dicendus Soldanus benigne quidem sanctum Virum habuisse, ac initio etiam libenter auscultasse; sed, reclamantibus Saracenorum sacrificulis, apud se in castris*

A *castris suis vix satis potuisse tutari; imo etiam, teste Vitriaco, veritus, ne qui e suis Christum amplecterentur, et ad proxima Christiana castra transirent, illum ad hæc amice reduci præcepisse, additis ductoribus, qui viam ei tutam præstarent. Quam parum hæc conformia sint assertis in Speculo, judicet æquus lector, ac proinde de fide, quam ibidem mereatur Speculi auctor, apud se statuat. Deinde qua veritatis specie dicitur* S. Franciscus *impudicæ mulierculæ sollicitanti respondisse :* Accepto, quod dicis : eamus ergo, et lectum paremus, *uti habent ejusdem Speculi editiones Metensis et Bosquieri? Tolerabilius Pisanus dictorum verborum partem mulierculæ attribuit hoc modo :* Cui (*mulieri*) Sanctus respondit : Si tu vis, quod ego tibi assentiam, volo, etiam tu mihi consentias. Ait illa : Accepto, quod dicis : eamus ergo, et lectum paremus. Sanctus vero Franciscus ait : venias mecum, et ducam te ad lectum pulcherrimum.

nec verisimilia; uti nec simile factum,

367 *Paulo conformius ad hæc, nec tamen satis recte, Waddingus ait :* Vir sanctus dixit, se concubiturum, at in eo lecto, quem ille sibi vellet eligere. *Hoc modo nonnihil mitigantur crudius dicta in Speculo; non proinde tamen verisimilia redduntur sine certiori vade, quam sint illi, quos produci diximus. Sane, licet iidem omnes consentiant,*

B S. Franciscum *sese coram petulanti ista muliere nudum in magno igne, vel, ut maluit loqui Waddingus, super ignis carbonibus, reposuisse; et (quod Waddingus solus omisit) dixisse mulieri, ut se similiter denudaret, imprudens fabula mihi semper reputabitur. Antiquiores biographi omnes de hac Sancti tentatione, deque tam insolenti tentationem vincendi, aut tentantem repellendi modo altum silent. Unde ergo ea posteri didicerunt, maxime cum res gesta referatur in regione tam longinqua, unde non facile haberi potuerunt testes idonei præter unicum Sancti socium, ex quo eam non accepisse scriptores synchronos, nec S. Bonaventuram, commune eorum silentium docet. Verum ecce etiam alteram priori similem relationem, de repulsa Barii in Apulia in aula imperatoris Frederici II ejusmodi venere Waddingus ad annum* 1222, *num.* 16 *habet.*

quod Barii in Apulia contigisse aiunt;

368 *Narrat scilicet,* Franciscum, *tentandæ pudicitiæ gratia a dicto imperatore ibidem ad cœnam invitatum, ac deinde dimissum ad cubiculum, in quo impudica mulier latebat, iterasse, quod fecerat in Ægypto. Pro his, quorum nulla pariter est apud primos biographos mentio, in margine laudat Legendam antiquam, et Pisanum in Conformitate* 15. *Legendam hanc non novi; at Pisanus loco citato in utraque editione sæpe memorata sic habet :* Invitatus

C a muliere prava, clausa et absconse posita in camera in palatio imperatoris Federici de actu nephario B. Franciscus, dum super prunas ardentes se nudum posuisset, dicens mulieri, quod in tali lecto esset secum (*id est, ut in tali lecto cubaret secum*) ab igne tandem surgens, in nullo fuit læsus aut adustus. *In notitiis Mss. PP. Conventualium dicitur locus, ubi contigit, esse* turris, quæ (*inquiunt*) in hunc diem exstat media urbis illius (*Barii*) maritimæ in arce, quamque nostris oculis vidimus, militari sub ditione et custodia, in sacellum conversam, religioseque asservatam et cultam, apposita altari tabula grandioris ævi, factum repræsentante, signatisque locis, tum ubi Sanctus cubavit in igne, tum unde meretrix immissa, tum tandem, unde rex ipse ex insidiis exitum aucupabatur. *Hæc quidem suspicionem movent de structis* S. Francisco *ibidem hospitanti a meretricula insidiis, eaque ab illo fortiter repulsa; verum id eo, quo supra dicitur, factum modo esse, nobis non persuadent, quia is a Sancti prudentia sensisque abhorret, et aliunde novimus, quam crebro ejus generis facta alienis adjunctis vulgares traditiunculæ deturpent.*

nec congruunt Sancti prudentiæ ac moribus.

369 *Si* S. Franciscus, *qualis erat vestitus, ad percellendam horrore meretriculam simile quid fecisse diceretur, vero propius posset videri; suspectum tamen esset ex silentio veterum. Quanta cum cautela Sanctus ille cum mulieribus conversari tum ipse soluerit, tum suos docuerit, tradit S. Bonaventura in Vita num.* 63, *unde sequentia huc transfero;* Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, sollicitus * evitari jubebat, asserens, per hujusmodi debilem frangi, et fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta Scripturam in igne ambulare, et non comburere plantas. Si quidem ipse adeo averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quod (sicut aliquando socio dixit) quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse, putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem... Ex nimia securitate minus cavetur hostis; et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito crescere facit in trabem. *Quis credat, Virum, cujus hæc erant castissima sensa et prudentissima consilia, semetipsum coram muliercula denudasse, eaque, quæ retulimus, cum eadem habuisse colloquia? Itaque scriptores, qui fabulas illas toto sæculo post primi tradiderunt, nullam hic merentur fidem : hæretici vero, qui ista adversus* Francisci *sanctitatem objecerunt, more suo fecere, dum notissimam celeberrimi* E *Viri contestatamque sanctitatem hisce ineptiis impetere, quam illas refutare, maluerunt.*

* *forte* solicitius

AUCTORE C. S.

Fabulosa item sunt, quæ de salute eidem Soldano promissa,

370 *Redeo ad auctorem Speculi, qui alterius generis fabulam narraturus, de eodem Sancto hæc subjicit :* Videns autem B. Franciscus, quod fructum ibidem facere non valebat, Domino sibi revelante, disposuit, congregatis sociis, redire ad partes fidelium. Et rediens ad Soldanum, de suo reditu propositum indicavit. *Pauca hic intersero. Cum uno solo socio* Franciscus *adivit Soldanum, et cum eodem socio ad Christianorum castra reversus est, postquam intellexit, se in Soldano suam operam perdere : reliqua gratis sunt addita. At rursum pergit scriptor ille :* Soldanus vero dixit : Frater Francisce, ego libenter ad fidem converterer; sed timeo modo facere, quia isti me et te occiderent, et statim cum sociis tuis, si sentirent. *Similia forte cogitaverit princeps iste; sed, an dixerit, nescimus. Sequentia magis sunt improbabilia.* Cum tu adhuc possis multum proficere (*ita Soldanus locutus dicitur*) et ego quædam magna negotia pro salute animæ habeam expedire, nollem libenter mortem meam et tuam ita inopinatam inducere. Sed indica mihi modum, quo salver, et libenter sum paratus in omnibus obedire. Dixit ei S. Franciscus : Domine, ego quidem modo recedam; sed postquam F ad partes meas rediero, et ad cœlum, Domino vocante, transiero, post mortem meam secundum dispositionem divinam mittam tibi duos de Fratribus meis, a quibus baptismum recipies; et salvus eris, sicut mihi revelavit Dominus Jesus Christus. Tu autem interim ab omni negotio te dissolve, ut, cum gratia Dei venerit, inveniat te in fide et devotione paratum. Cui Soldanus gaudenter assentiens, fideliter obedivit. Sanctus autem Franciscus valefaciens ei, rediit ad partes fidelium cum illo sanctorum sociorum collegio. *Jam dixi, unicum tantummodo socium* S. Francisco *adfuisse, dum ad Soldanum accessit, atque ab illo recessit.*

collatoque ipsi per duos Fratres baptismo dicuntur:

371 Post aliquot annos (*ita sequitur in Speculo*) prædictus Soldanus infirmatus est, ex expectans Sancti promissionem, qui jam ad vitam migraverat, posuit exploratores in portuum exitibus, ut, si quando duo Fratres S. Francisci habitu apparerent, ipsos ad eum festinanter ducerent. In illo autem tempore apparuit B. Franciscus duobus suis Fratribus, et præcepit illis, ut sine mora pergerent ad Soldanum Babyloniæ, et ejus salutem, sicut ei promiserat, solicite procurarent. Qui perfecerunt devote mandatum, et mare transeuntes, ad dominum Soldanum per exploratores prædictos adducti sunt. Quos ut vidit Soldanus, gavisus est gaudio magno, dicens : Nunc scio vere, quia misit Dominus

AUCTORE C. S. * *adde* sicut

Dominus servos suos; quia * Sanctus promisit, Domino revelante, ita mihi servavit, pro salute mea solicite transmittendo. Recipiens Soldanus a prædictis Fratribus fidei documenta et sanctum baptisma, in ipsa infirmitate regeneratus in Domino migravit ad gaudia sempiterna; quia salva facta est anima ejus meritis S. Francisci ad laudem Domini nostri Jesu Christi. *Hæc eadem leguntur etiam, iisdemque fere verbis, apud Pisanum in Conformit.* 59, *et apud Spoelberchum in sua Speculi editione. Waddingus non omnia quidem illorum asserta adoptavit; credidit tamen, eumdem Soldanum aliquot annis post per duos Fratres Minores, quibus* S. Francisco *in Syriæ partibus apparens ita mandaverat, Christianis præceptis imbutum, et sacro fonte ablutum obiisse.*

neque hic Soldanus umquam baptizatus fuit;

372 *Verum ego cogor eadem omnia pro fabulosis habere. Verisimiliter primus hujus historiæ auctor ex errore existimaverit, Soldanum, de quo hic agimus, sub finem vitæ suæ ad Christum fuisse conversum; hocque posito, reliqua pro suo genio inventa liberaliter addiderit. Certe error in persona eruditum Waddingum induxit, ut prædictis fidem partim haberet; cum ad annum* 1219 *num.* 62 *pro hac conversione laudaverit Vitriacum et S. Antoninum, qui tamen ambo locis ab eo citatis non loquuntur de*
B *Ægypti seu Babyloniæ Soldano, qui Saracenis præerat, sanctumque* Franciscum, *ut vidimus, benigne excepit; sed agunt de alio principe, Iconii scilicet Soldano, qui in Minori Asia Turcis dominabatur. Ambos scriptores audiamus. Vitriacus lib.* III *Historiæ Orientalis, ad annum* 1219 *de morte illius Soldani, ita fatur :* Mortuus est Soldanus Ichonii, qui creditur baptizatus fuisse. Qui tantæ benignitatis erat in Christianos, ut treugam (*forte* post treugam, *sive post inducias*) cum Saracenis solvi juberet Christi cultores, quos vinculatos invenit in munitionibus, quas expugnavit, et in optione eorum posuit, utrum in patriam suam redire vellent, an acceptis ab eo solidis *, sub ipso militare potius eligerent. Idem Christianos in tantum familiares habuit, ut custodes sui corporis constitueret eosdem. *Sic ille.*

* *i. e.* stipendiis

sed forte Soldanus Iconii, ab illo diversus.

373 *Sanctus Antoninus vero tit.* 23, *cap.* 3, § 3 *de eodem Turcarum principe scribit :* Eodem anno mortuus est Soldanus Iconii, quem propter dilectionem ad Christianos ac familiaritatem cum eis aliqui existimaverunt baptismum suscepisse. Nam adeo de eis confidebat, ut non nisi Christianos, et maxime Latinos, pro custodia corporis sui habere voluerit. *Hæc omnia manifeste dicuntur de Soldano Iconii, principe multum diverso a Soldano Ægypti*
C *seu Babyloniæ. Apud hunc, constat,* S. Franciscum *fuisse* 1219; *sed Iconii Soldanum, cujus mors eodem illo anno figitur,* Franciscus *numquam vidit, nec ante illum mortuus est, sed aliquot annos eidem supervixit. Verumtamen, quæ de Iconiensi legerat Waddingus, ad Ægyptium retulit, atque ita facile credidit aliis, qui mirabilem illam hujus conversionem primi commenti sunt. Si autem vir ille eruditus et sincerus ex hujusmodi hallucinatione in eum errorem labi potuit; multo minus mirari debemus, scriptores alios, facto longissime posteriores, aut etiam medii ævi, quos ex aliorum defectu nonnumquam sequitur, in similes errores incidisse.*

§ XVII. Nonnulli in Ægypto aut Palæstina Minorum Ordini aggregati : ejusdem Ordinis elogium : S. Francisci reditus in Europam : comitia anno MCCXX de more habita.

In Ægypto et Palæstina multi Ordini se aggregant.

Jam *aliquot vicibus laudatus Jacobus de Vitriaco, episcopus Aconensis, qui in Christianorum exercitu ante Damiatam erat, quando* S. Franciscus *illuc advenit, et ad Soldanum Babyloniæ, ut diximus, transiit, in epistola post captam eodem anno* 1219 *die* 5 *Novembris eamdem civitatem ad familiares et notos suos in Lotharingia, seu in hodierna Brabantia data,* D *docet, aliquot insignes viros Ordini Minorum se adjunxisse in Ægypto vel in Palæstina, vel etiam in utraque. Verba ejus ex fine laudatæ epistolæ accipe :* Dominus Reinerus, Prior S. Michaelis, tradidit se Religioni Minorum Fratrum. Quæ Religio valde multiplicatur per universum mundum, eo quod expresse imitatur formam primitivæ Ecclesiæ, et per omnia vitam Apostolorum. Magister vero illorum fratrum frater Franciscus nominatur *etc., quæ jam recitavi num.* 338. *Tum seguitur :* Eidem Religioni tradidit se Colinus Anglicus, clericus noster, et alii duo de sociis, scilicet Michael et dominus Matthæus, cui curam ecclesiæ sanctæ (*nimirum Aconensis*) commiseram. Cantorem et Heinricium et alios vix retineo. *Quandoquidem hæc verba insinuant, dominum Matthæum fuisse ipsius Vitriaci episcopi in ecclesia Aconensi vicarium, ac reliquos ejusdem ecclesiæ clericos, atque alios denique ecclesiasticos ministros suos vix ab illo potuisse detineri; facili conjectura assequi licet, ingentem fuisse numerum, qui cum in castris in Ægypto, tum in Palæstina* S. Francisci *Ordinem tunc amplexi fuerunt.*

Vitriacus in insigni Ordinis elogio

375 *Ut autem studiosus lector perspiciat, quibus illecebris pauperculi isti habituque despecti Fratres,* Francisco *vivente magistro, tot tamque insignes viros in suam traxerint societatem, referam hic amplum* E *eorumdem elogium, quod laudatus Vitriacus, vir pietate ac eruditione præstans, et Romana purpura postea decoratus, posteritati reliquit. Itaque cap.* 38 *Historiæ Occidentalis de Minorum Ordine habet sequentia :* Prædictis tribus, eremitarum, monachorum et canonicorum Religionibus, ut regulariter viventium quadratura fundamenti in soliditate sua firma subsisteret, addidit Dominus in diebus istis quartam Religionis institutionem, Ordinis decorem et Regulæ sanctitatem. Si tamen Ecclesiæ primitivæ statum et ordinem diligenter attendamus, non tam novam addidit Regulam, quam veterem renovavit, relevavit jacentem, et pæne mortuam suscitavit Religionem in vespere mundi tendentis ad occasum, imminente tempore filii perditionis, ut contra Anti-Christi periculosa tempora novos athletas præpararet, et Ecclesiam præmuniendo fulciret. Hæc est Religio vere pauperum Crucifixi et Ordo prædicatorum, quos Fratres Minores appellamus, vere Minores, et omnibus hujus temporis Regularibus in habitu et nuditate et mundi contemptu humiliores.

Fratrum Minorum zelum animarum, vitam apostolicam,

376 Habent autem unum summum Priorem, cujus mandatis et regularibus institutis reverenter obediunt minores Priores, ceterique ejusdem Ordinis fratres, quos per diversas mundi provincias causa prædicationis et salutis animarum ipse transmittit. Adeo autem primitivæ Ecclesiæ religionem, F paupertatem et humilitatem in se reformare diligenter procurant, puras Euangelici fontis aquas cum siti et ardore spiritus haurientes, quod non solum Euangelica præcepta, sed et consilia, vitam apostolicam expressius imitantes, modis omnibus adimplere laborant; omnibus, quæ possident, renuntiantes, seipsos abnegantes, crucem sibi tollendo nudi Nudum sequentes, relinquentes pallium cum Joseph, et hydriam cum Samaritana, expediti currunt, ambulant ante faciem suam, et non revertuntur, posteriorum obliti in anteriora semper et passibus continuis extenduntur, volantes ut nubes, et sicut columbæ, ad fenestras suas, ne mors per ipsas intrare valeat, cum omni diligentia et cautela providentes. Regulam autem ipsorum dominus Papa confirmavit, et eis authoritatem prædicandi, ad quascumque veniunt ecclesias, concessit; prælatorum tamen loci ob reverentiam requisito consensu. Mittuntur autem bini ad prædicandum, tanquam ante faciem Domini, et ante secundum ejus adventum.

paupertatem, regimen, rerum mundanarum contemptum,

377 Ipsi autem Christi pauperes neque sacculum in via portant, neque peram, neque panem, neque æs sive pecuniam aliquam in zonis suis; non possidentes aurum, neque argentum, neque calciamenta

A menta in pedibus suis habentes : nulli enim hujus Ordinis fratri licet aliquid possidere. Non habent monasteria vel ecclesias, non agros vel vineas, vel animalia, non domos vel alias possessiones, neque, ubi caput reclinent. Non utuntur pellibus, neque lineis, sed tantummodo tunicis laneis caputiatis; non cappis vel palliis vel cucullis, neque aliis prorsus induuntur vestimentis. Si quis eos ad prandium vocaverit, manducant et bibunt, quæ apud illos sunt. Si quis eis aliquid misericorditer contulerit, non reservant in posterum. Semel autem vel bis in anno tempore certo ad locum determinatum generale capitulum celebraturi conveniunt, exceptis his, qui nimio tractu terrarum vel mari interposito separantur. Post capitulum iterum ad diversas regiones, provincias et civitates duo vel plures pariter a superiori suo mittuntur. Non solum autem prædicatione, sed et exemplo vitæ sanctæ et conversationis perfectæ multos non solum inferioris ordinis homines, sed generosos et nobiles ad mundi contemptum invitant; qui, relictis oppidis et casalibus et amplissimis possessionibus, temporales divitias et spirituales felici commercio commutantes, habitum fratrum Minorum, id est, tunicam vilis pretii, qua induuntur, et funem, quo accinB guntur, assumpserunt.

Ordinis incrementum, et sanctitatem divinam in eos providentiam,

378 Tempore enim modico adeo multiplicati sunt, quod non est aliqua Christianorum provincia, in qua aliquos de fratribus suis non habeant, qui in se ipsis, velut in speculo mundissimo, mundanæ vanitatis contemptum oculis respicientium repræsentant; præsertim cum nulli ad Religionem suam transeunti gremium claudant, nisi forte matrimonio vel aliqua Religione fuerit obligatus. Tales enim sine licentia uxorum vel præpositorum suorum, sicut ratio exigit, nec volunt, nec debent recipere. Alios autem omnes in amplitudine Religionis suæ tanto confidentius absque ulla contradictionis molestia suscipiunt, quanto divinæ munificentiæ et providentiæ sese committentes, unde eos Dominus sustentare debeat, non formidant. Ipse* enim funiculum cum tunica venientibus ad se largientes, quod reliquum est, supernæ procurationi relinquunt. Adeo autem ministris suis Dominus in hoc seculo centuplum restituit, et in via hac, qua gradiuntur, firmat super ipsos oculos suos, quod in eis ad litteram completum agnovimus, quod scriptum est : Dominus amat peregrinum, et dat ei victum et vestitum. Fœlices enim se reputant, a quibus hospitalitatis obsequium vel eleemosynas servi Dei suscipere non recusant. Non solum autem Christi fideles, sed etiam Saraceni et obtenebrati homines, eorum humilitatem et perfectionem admirantes, quando causa prædicationis ad ipsos intrepidi accedunt, grato animo necessaria providentes, libenter eos recipiunt. *Tum sequuntur verba de* S. Francisco, *ejusque gestis apud Soldanum, quæ cum jam dederim num.* 337, *hic prætermitto.*

* Ipsi

C

eorumdemque etiam apud infideles gratiam exposuit;

379 *Post illa vero laudatus auctor de Minoribus iterum subjungit :* Saraceni autem omnes prædictos fratres Minores tamdiu de Christi fide et Euangelica doctrina prædicantes libenter audiunt, quo usque Mahometo, tanquam mendaci et perfido, prædicatione sua manifeste contradicunt. Ex tunc autem eos impie verberantes, et, nisi Deus eos mirabiliter protegeret, pœne trucidantes, de civitatibus suis expellunt. Hic est Fratrum Minorum sanctus Ordo, et apostolicorum virorum admiranda et imitanda Religio, quos Dominus contra perditionis filium antichristum et ejus prophanos discipulos, credimus, in diebus novissimis suscitasse : qui lectulum Salomonis, tanquam fortissimi Christi milites ambiendo, et de porta ad portam cum gladiis transeundo, super muros Hierusalem constituti sunt custodes, diebus ac noctibus a divinis laudibus et sanctis exhortationibus non cessantes, vocem suam, quasi tubam, in fortitudine exaltantes, et facientes vindictam in nationibus, increpationes in populis, et gladios suos non prohibentes a sanguine, mactantes et manducantes, circumeuntes civitatem, et famem patientes, ut canes. Qui tanquam sal terræ cibos suavitatis et salutis condientes, carnes desiccant, vermium putredinem et vitiorum fœtorem amoventes; et tanquam lux mundi multos ad scientiam veritatis illuminant, et ad fervorem charitatis accendunt et inflammant. Hic autem perfectionis Ordo et spatiosi claustri amplitudo infirmis et imperfectis congruere non videtur, ne forte descendentes mare in navibus, et facientes operationem in aquis multis, fluctibus procellosis involvantur, nisi sederint in civitate, donec induantur virtute ex alto.

AUCTORE C. S.

de quibus pauca observantur,

380 *Elegantissimum hoc Ordinis Minorum elogium totum recitare volui, quia optime congruit cum iis, quæ primi Vitæ* S. Francisci *scriptores de Ordine suo tradiderunt, continetque verissimam laudem, quæ redundat in illum, qui, Deo opitulante, Ordinem illum talem instituit, suisque præceptis et exemplis talem fecit. Paucula tamen in eodem elogio modice potius explicanda videntur, quam emendanda. Dum num.* 377 *dicitur :* Non habent monasteria vel ecclesias,... non domos,... neque, ubi caput reclinent; *forte hic vox* monasterium, *uti sæculo* XIII *non raro fiebat, accipitur pro* ecclesia, *solumque negatur, Minoribus eo tempore fuisse majores ecclesias ad convocandum populum capaces, talesve, ex quarum proventibus viverent. Huic expositioni favet, dum ibidem* E *asserit, illos non habuisse* agros, vineas, animalia, domos, vel alias possessiones, *ex quorum scilicet fructibus aut elocatione victum et vestitum sibi possent comparare.*

et explicantur.

381 *Sane non credo, negasse Vitriacum, ejus temporis Minoribus fuisse paupercula monasteria, seu, ut vocant, conventus, et exigua oratoria, qualia certe* S. Franciscus *habuit, tum apud S. Mariam de Portiuncula, tum etiam alibi alia. At difficultas est, quod addatur :* Neque, ubi caput reclinent. *Mihi verosimillimum est, aut hic solum agi de illis, qui bini et bini in varias provincias mittebantur ad prædicandum, aut solum negari Minoribus dominium vel tantilli loci, ubi caput reclinarent, non usum conventuum, quos fidelium pietas illis erexerat. Quæ deinde de vestimentis asseruntur, satis conveniunt cum antiquis biographis : prætermissa tamen hic sunt* femoralia, *quibus tempore* S. Francisci *non carebant Minores, qui et* palliis *quandoque contra frigus induebantur. Lex de capitulo* semel aut bis in anno *celebrando, ut jam alias diximus, atque infra dicemus, observata fuit usque ad annum* 1223, *quo ex novæ Regulæ præscripto tempus comitiorum generalium habendorum justis de causis prorogatum fuit.*

F

Non constat, quanto tempore Sanctus manserit in Oriente;

382 *Modo inquirendum in tempus est, quo* S. Franciscus *reversus sit in Europam. Si priores biographos sanctumque Bonaventuram consulamus, nullum deprehendemus indicium, ex quo suspicari debeamus, illum diu in Orientalibus partibus, seu in Ægypto et Palæstina moratum fuisse. Nam tantum duo ipsius facta ibi narrant, videlicet prædictionem cladis, quæ non diu post ejusdem in castra cruce signatorum adventum illata per Saracenos Christianis est die* 29 *Augusti; ejusdemque accessum ad Soldanum Ægypti, qui verisimillime figendus est mense Septembri; cum ea sola de causa in prædicta castra advenisse dicatur, ut ad Soldanum transiret, eumque convertere tentaret, pro magno lucro habiturus, si in tam pio conatu sanguinem fundere liceret. Credendum itaque non est, Virum martyrii desiderio æstuantem, hoc propositum suum, cujus causa mare trajecerat, diu distulisse. Hoc ipsum etiam insinuat Vitriacus verbis num.* 337 *et sequenti jam relatis, priori loco de* Francisco *dicens :* Cum ad exercitum Christianorum ante Damiatam in terra Ægypti devenisset, ad Soldani Ægypti castra intrepidus et fidei clypeo communitus accessit; *posteriori autem loco similiter scribens :* Cum venisset ad exercitum nostrum, zelo fidei accensus ad exercitum hostium nostrorum ire non timuit. *Ita ipse, acsi nulla vel certe exigua inter Sancti adventum in castra cruce signatorum, discessumque ad Soldanum intercessisset.*

Quapropter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S. *Quapropter dubitare nequeo, quin Sanctus mense Septembri non multum inchoato Soldanum adierit.*

non videtur tamen ibi tamdiu mansisse,

385 *Ejusdem apud eumdem principem commorationi, quæ ex antiquis Vitis minime diuturna fuisse dicenda est, Vitriacus verbis supra datis modo* dies aliquot, *modo* multos dies *tribuens, satis indicat, eam saltem non multarum hebdomadarum fuisse; ac proinde quoque nil obstat, quo minus jam circa finem Septembris* Franciscus *ad Christianos redux esse potuerit. Recedendi causam Vitriacus num.* 537 *relatus in Soldanum refert, qui, ut ait,* metuens, ne aliqui de exercitu suo verborum ejus efficacia ad Dominum conversi, ad Christianorum exercitum pertransirent, cum omni reverentia et securitate ad nostrorum castra reduci præcepit. *Bonaventura in Vita num.* 138 *nihil de principis timore memorans, redeundi causam infelici prædicationis successui divinæque revelationi adscripsit.* Videns etiam, *inquit,* se non proficere in conversione gentis illius, nec suum assequi posse propositum, ad partes fidelium divina revelatione præmonitus remeavit. *Amborum dicta facile possunt componi, si dicatur Sanctus divinitus monitus, ne laborem et operam ibi diutius perderet, Soldano ex dicto metu discessum amice imperanti libens consensisse, nec longiorem*
B *moram flagitasse.*

quam quidam existimarunt,

384 *Incertum porro est, quanto tempore ante suum in Europam reditum deinde in Christianis castris permanserit. Si Sanuto credimus, in illis commoratus est saltem usque ad captam Damiatam, sive diem 5 Novembris. Nam lib.* III, *part.* XI, *cap.* 8, *postquam felicem hunc eventum retulit, mox subdidit :* Sed, qui talia munera receperunt de manu Domini, cito obliti sunt mandatorum ejus, et recesserunt de via, quam ostenderat eis Deus; ita ut sanctissimus pater Franciscus, multiplicari cernens homicidia, adulteria, furta, inde recesserit, quia nollent ad Deum converti ejus monitis et exemplis. *Hæc insinuant,* S. Francisci *e Christianis castris abscessum non diu post expugnationem Damiatæ contigisse. Non sic tamen omne mihi dubium tollunt, an non ante captam Damiatam Sanctus inde recesserit. Dubitandi ratio est, quod Vitriacus, qui non diu post eamdem expugnationem supra laudatam epistolam scripsit, Sanctumque, ut vidimus, plurimum pro meritis laudavit, non dixerit, illum tunc adhuc ibi adfuisse; quodque Sanutus primum scripserit sæculo* XIV, *et quæ de* Francisci *in Ægypto gestis narravit, fere acceperit ex S. Bonaventura; ut propterea ambigam, an non ex conjectura potius, quam ex certo auctore, ejusdem Sancti discessum*
C *expugnationi Damiatæ postposuerit, dictamque recedendi causam allegaverit.*

neque tanta ibidem egisse,

385 *Waddingus ad eumdem annum* 1219 *num.* 63 *et sequenti narrat,* Franciscum *ex Ægypto contendisse* in Palæstinæ regionem, Syriamque et Galilæam peragrasse; *de quo itinere dubitari non posset, si legeretur in* Legenda antiqua Thomæ Celani, *quam præter* vetusta Ordinis Chronica *ibidem laudavit. Verum ego nihil simile in ejusdem Thomæ Celani Legenda reperio. Quare rursus suspicari cogor, Waddingum vel ex aliorum fide auctoritatem Celani hic laudasse, vel aliam quamdam habuisse Legendam, ejusdem Thomæ nomine forte inscriptam. Subdit Annalista,* Franciscum Antiochiam Celesyriæ *perrexisse per Montanam Nigram, ubi ab insignis monasterii monachis Benedictinis, sacro ritu festive obviam procedentibus, honorifice susceptus fuit, eosque omnes in suum Ordinem admisit. Sed postremum hoc ipsemet merito ibidem revocavit in dubium, impugnavitque; neque pro toto illo itinere satis idonei testes sunt incerta Legenda antiqua, Pisanus et Marcus Ullyssiponensis, ex quibus ista accepit. Breviter dico, me ista itinera apud nullum legisse antiquum, cui multum possim confidere, et ex optimæ notæ biographis non modo non posse utcumque confirmare, sed nec verisimilia facere.*

quo minus ante finem anni 1219 *inde*

386 *Admittere quoque nequeo, quod laudatus Annalista ad annum* 1220, *num.* 4 *scribit,* S. Franciscum *tunc rediisse ad Soldanum, ut ei vale diceret, priusquam rediret in Europam. Hoc enim ignotum* D *est antiquioribus, qui docent,* Franciscum *semel ad Soldanum accessisse, ac post aliquam, non longam moram, vel sponte sua, quod se frustra laborare cerneret, vel divina revelatione monitum, inde recessisse, vel a Soldano, sui exercitus jacturam metuente, ad Christianos remissum esse; at nemo de ejusdem ad Saracenum illum principem reditu meminit. Ex hactenus dictis, etsi certum illius ex Oriente recessus tempus assignare nequeam, vix tamen dubito, quin ante finem anni* 1219 *se mari commiserit, ut in Italiam navigaret. Præcipua ratio est, quod* Franciscus *quotannis adesse soluerit comitiis generalibus in Pentecoste, in quibus, ut supra observatum est, potissimum regebat suos, quæque ad conservandum dilatandumque Ordinem pertinere videbantur, coram disponebat.*

recessisse credatur,

ut sequentis anni comitiis interesset,

387 *Aderat tum etiam peculiaris causa, ne a sequentis anni comitiis abesset, nimirum, ut præsens cognosceret, quem successum habuissent, quos ille ex similibus comitiis eodem anno* 1219 *in varias regiones miserat, ut* § 15 *dictum est. Cum igitur* S. Franciscus *jam expertus esset, sese in conversione Soldani gentisque illius nihil proficere, nec spem superesse subeundi martyrii; cumque pro longiori in Oriente mora gestisve illius nihil suggerant antiqui biographi, vix possum dubitare, quin ille prima usus opportu-* E *nitate in Europam trajecerit, ut solitam curam suo Ordini impenderet in comitiis generalibus, ex præscripto Regulæ apud Portiunculam habendis in Pentecoste, quæ anno* 1220 *in diem* 17 *Maji incidebat. Neque deerant tunc temporis transfretandi occasiones, cum e cruce signatis multi ultro citroque navigarent, et onerariæ naves, quæ pro Christiano exercitu victualia aliaque necessaria ex Europa continuo advehebant, similiter remeare deberent.*

quæ præcipuæ redeundi causa fuisse videtur.

388 *Quod ad causam reditus attinet, Waddingus ad annum* 1220 *longe aliam protulit, ex Angelo Clareno et Mariano asserens, Sanctum in Europam rediisse revocatum a suis per litteras a fratre Stephano ad ipsum perlatas, quibus eum obsecrabant, ut quantocyus in Italiam rediret, ad compescendum fratrem Eliam, qui ab illo relictus vicarius nova in Regulam moliebatur. Marianus junior est, quam ut eo solo stari hic possit. Antiquior illo, nec tamen* S. Francisco *synchronus est B. Angelus Clarenus, quippe qui anno* 1337 *vel forte anno* 1348 *obiit, ut ostensum apud nos est in ejusdem gestis ad diem* 13 *Junii pag.* 1092. *Quid Angelus hac super re scripserit, cetera incompertum mihi est : at certe hanc reditus causam primi biographi non attigerunt; imo S. Bonaventura aliam, divinam scilicet revelationem, allegavit. Difficile quoque intellectu est, qua* F *ratione laudati amatores Regulæ in Italia tunc noverint, quo in loco* Franciscus *tunc degeret, ut fratrem Stephanum cum litteris ad eum potuerint destinare. Credit quoque Waddingus, Sanctum, dum mari navigaret, primo in Candiam, Mediterranei maris insulam, deinde Venetias appulisse.*

Forte tunc Venetias appulit et aves habuit obsequentes.

389 *Pro adventu Venetias citat Andream Dandulum in Chronico, quod nunc excusum exstat apud Muratorium tom. XII Scriptorum Italiæ, ubi col.* 343 *de avibus eidem Sancto mire obsequentibus hæc legere est :* Beatus Franciscus, de ultra mare rediens, in paludibus Venetorum deambulabat; et invenit maximam avium multitudinem, canentium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium : Sorores aves laudant Creatorem suum. Nos igitur in medio earum euntes, Horas canonicas Domino decantemus. Cum igitur in medium earum intrassent, non sunt motæ de loco; et quoniam propter garritum earum se mutuo audire non poterant, conversus Vir sanctus dixit ad aves : Sorores, a cantu cessate, donec laudes Deo debitas persolvamus. At illæ continuo tacuerunt, et persolutis laudibus, cantum resumserunt. *De hoc mirabili facto, quod postea pluribus referam, constat ex S. Bonaventura, non item de tempore, quod Dandulus sæculo sequenti, forte ex sola conjectura, addidit. At certe erravit, dum* Francisci *ex ultramarinis partibus adventum*

ibidem

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *ibidem illigavit anno* decimo octavo *ducatus Petri Ziani, qui cum vulgaris æræ Christianæ anno* 1222 *et* 1223 *cucurrit, quorum neutro* Franciscus *mare transmisit.*

Anno 1220 *comitia de more celebravit in Pentecoste,*

390 *In Europam prospere redux* Franciscus, *anno* 1220 *generalia Ordinis sui comitia de more celebravit, de quibus sic consentit Waddingus, ut putet, in tempore modoque variatum fuisse. Etenim ad eumdem annum num.* 19 *scribit, sanctum Patrem, dum Venetias appulerat, hæc comitia indixisse per litteras, eaque num.* 23 *ait, non in Pentecoste, sed in festo S. Michaelis, seu die* 29 *Septembris habita fuisse. Existimavit scilicet vir eruditus,* Franciscum *diutius hæsisse in Oriente, quam ut ad Portiunculam redux esse potuerit in Pentecoste, quæ anno* 1220 *in diem* 17 *Maji incidit. Quapropter, quia ad comitia in festo S. Michaelis non conveniebant omnes fratres, uti convenire debebant ad comitia in Pentecoste, necesse credidit, scriptas fuisse a sancto Institutore quaquaversum litteras, quibus extraordinaria comitia generalia ad festum S. Michaelis indiceret. Atque hæc quidem recte, admissa longiori illa in Ægypto aut Palæstina mora, quam cum ego minime admittendam esse, supra satis me ostendisse autumem, in ea sum opinione, ut credam, tam hujus, quam aliorum annorum generalia comitia, prius habita, more*

B *solito celebrata fuisse in Pentecoste, quo tempore sine litterarum ope, ex fixa lege omnibus, qui poterant, quotannis conveniendum erat ad Portiunculam. Nam, ut habent Tres Socii num.* 37, In Pentecoste conveniebant omnes fratres ad S. Mariam, et tractabant, qualiter melius possent Regulam observare.... Sanctus autem Franciscus faciebat admonitiones *etc.*

in quibus nonnulli credunt, ipsum generale ministerium deposuisse,

391 *Modo alia rursus ejusdem Annalistæ, aut quos ille secutus fuit, opinio examinanda venit. Scribit nimirum num.* 23, *totius Ordinis præfecturam in prædictis comitiis depositam fuisse a sancto Institutore, eique subrogatum Petrum Cathanii, atque hoc factum a Sancto tum ex humilitate, qua se tanto oneri imparem reputabat, tum* propter multiplices infirmitates; *additque de ipso :* Et prosternens se in terra ad pedes ejus (*Petri Cathanii*) ei promisit omnem obedientiam et reverentiam, tanquam generali Ordinis Ministro. *Pro hac opinione in margine laudantur Marianus et Pisanus; addi poterat et Speculum, in quo apud Bosquierum pag.* 59 *leguntur eadem, sed anno non designato. Marianus recentior est; Pisanus vero, vel forte ejus editor, in Conformit.* 8, *part.* II *editionis Mediolanensis, de hoc argumento sic habet :* Frater Petrus Cathanii fuit sanctus frater, et filius ac socius beati Francisci...

C Hic frater Petrus primo fuit beati Francisci vicarius, et demum beato Francisco renunciante officio generalatus coram fratribus, ipse frater Petrus factus est generalis minister. A fratre Petro isto, dum beatus Franciscus abrenunciasset generalatus officio, petiit ipse beatus Franciscus, ut sanctæ obedientiæ haberet meritum, sibi unum de sociis in suum dari guardianum, cui humiliter obediret, quod et factum est. Cui beatus Franciscus vivendo et moriendo firmiter obedivit.

eique in hoc munere suffectum Petrum Cathanii;

392 *Præluxerunt illis haud dubie verba S. Bonaventuræ, qui in Vita agens de* S. Francisci *humilitate num.* 76 *sine ulla temporis nota, aut comitiorum mentione, ita loquitur :* Non tam præesse voluit, quam subesse; nec tam præcipere, quam parere.

* *al.* generalis Idcirco generali * cedens officio, guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Imo et fratri socio, cum quo ire solebat, semper obedientiam promittere consueverat et servare. *Ita ipse : at ego non dubito, quin hæc verba aliter accipienda sint, quam laudatis scriptoribus sit visum. Nequeo enim ex vetustioribus Vitis colligere, vivente* Francisco, *ullum alium fuisse Ordinis ministrum generalem, maxime ab anno* 1120. *Certe anno* 1223 *non alius, quam* S. Franciscus *generale illud tenuit ministerium, ut manifestum est ex nova Regula, ab eo tunc composita, et ab Honorio III Romano Pontifice confirmata, in qua cap.* 1 *sic legitur :* Fr. Franciscus promittit obedientiam et reverentiam D. Papæ Honorio ac successoribus ejus, canonice intrantibus, et Ecclesiæ Romanæ; et alii Fratres teneantur fratri Francisco et ejus successoribus obedire. *Hæc tam clara sunt, ut Waddingus ipse ibidem num.* 17 *ad illa annotaverit sequentia.*

AUCTORE C. S.

sed verius est, Sanctum hoc officium gessisse, quamdiu vixit,

393 In confirmatione hac (*Regulæ per Honorium III Papam*) ex illis verbis Regulæ ET ALII FRATRES TENEANTUR FRATRI FRANCISCO ET EJUS SUCCESSORIBUS OBEDIRE constitutus est Vir sanctus denuo generalis omnium minister, seu potius in ipso eodem ministeriatus officio confirmatus, quod nunquam permiserunt fratres, ut deponeret, quantumvis ille cupiebat, et suo loco fratrem Eliam constituit, quem non nisi vicarium nuncupari permittebant. *Ut mentem Waddingi intelligas, observo, apud ipsum ad annum* 1221, *num.* 3 *et* 4 *præmitti, Petrum Cathanii eodem anno mortuum, eique suffectum Eliam esse. Hinc modo statuit,* S. Franciscum *vel relatis in confirmatione Regulæ verbis denuo constitutum fuisse totius Ordinis generalem ministrum, vel numquam hoc deposuisse officium, et Eliam, qui Petro suffectus fuerat, non nisi ipsius Sancti fuisse vicarium. Ego facile credam, Petrum Cathanii, ac deinde etiam Eliam, sic vicarios generales creatos fuisse, ut* S. Franciscus, *dum ad remotiores regiones proficiscebatur, omnem illis facultatem regendi mandandique concesserit, saltem quando res tantam non patiebantur moram, ut usque ad annua comitia generalia differri possent.* E

adscito tamen vicario in regimine Ordinis,

394 *Sanctus enim Apostolicam vitam ducens, præter comitiorum tempora passim regiones, etiam longius dissitas, prædicando obibat, ut testatur Celanensis num.* 97 *his verbis :* Per decem et octo annorum spatium, quod erat expletum, vix aut numquam requiem habuerat caro sua, (*de* Francisco *loquitur*) varias et longissimas circuiens regiones, ut spargeret ubique semina verbi Dei,... ita ut uno die quatuor aut quinque castella, vel etiam civitates, sæpius circuiret *etc. Itaque cum Sanctus raro degeret in primario totius Ordinis monasterio apud S. Mariam in Portiuncula, nec certo loco diu consisteret, congruum fuisse videtur, ut aliquem in eodem monasterio vicarium relinqueret, ad quem omnes in subitis negotiis recurrerent, quique extra tempus comitiorum necessaria posset mandata dare, sive obire officium ministri generalis. Forsitan hoc modo explicandus Bonaventura est, dum ait;* Generali, *vel, ut Waddingus edidit,* Generalis cedens officio *etc.; nimirum quod exercitium illius officii vicario suo plerumque relinqueret, ut prædicationi verbi Dei diutius liberiusque posset insistere. Quod vero addit,* Guardianum petiit, *seu* F *rectorem, cui obediret, non probat, depositum ab illo fuisse generale ministerium : nam, ut haberet obedientiæ meritum, poterat pro se suoque vivendi modo rectorem aliquem petiisse, eique in omnibus ad personam suam spectantibus, obtemperare, et vel sic supremam Ordinis præfecturam retinere. Pari scilicet modo, quo, ut ibidem subditur,* fratri socio (*qui certe illius non erat superior*) cum quo ire solebat, semper obedientiam promittere consueverat et servare.

alioque, cui, ab obedientiæ meritum sponte pareret,

395 *Imo, quo allegata Bonaventuræ verba magis perpendo, eo magis placet alter eadem exponendi modus, qui ex toto contexto magis naturalis videtur.* Franciscus non tam præesse voluit, quam subesse, nec tam præcipere, quam parere, *ne obedientiæ merito careret. Summa Ordinis, qua fungebatur, prælatura omnes Minores ipsi, ipsumque nulli eorum subjiciebat. Hanc præfecturam deponere nec sui nec summus Pontifex permisisset. Invenit igitur pium Vir humillimus consilium, quo et illam retineret, et obedientiæ merito potiretur.* Generali, *vel* Generalis cedens officio, *sive juri, quod ipsum velut generalem totius Ordinis Ministrum, singulorum jurisdictione eximebat, sponte sua,* guardianum *sibi assignari* petiit, cujus voluntati per omnia, *quæ ad Ordinis regimen non pertinebant,* subjaceret. Imo et fratri socio, cum quo ire solebat, semper obedientiam

AUCTORE C. S.

dientiam promittere consueverat et servare. *Utut sit, difficulter credere potere Pisano, aut ejus editori, supremum Ordinis ministerium a sancto Institutore suo sic depositum fuisse, ut ea depositio a fratribus Minoribus fuerit admissa : multoque etiam difficilius id crederem, si certa essent, quæ ex Waddingo supra retuli de eodem Sancto, ex Oriente per amatores Regulæ in Italiam revocato, ut Eliæ, quem vicarium reliquerat, prava molienti resisteret; recentia enim illa Eliæ molimina persuasissent utique, periculosum tunc fuisse, alteri, quam Institutori suo id munus permittere. Potuit id voluisse humillimus verusque obedientiæ æstimator* Franciscus; *sed a suis prudenter fuisse prohibitus.*

Hanc opinionem confirmaret, si admittenda esset

396 *Waddingus ipse ad annum* 1221 S. Franciscum, *Petro Cathanio post paucorum mensium spatium generali magisterio (ut credidit) immortuo, sic tamen loquentem et scribentem inducit, ut magis ipse videatur præcipere, quam parere. Præterea in ipso Speculo editionis Spoelberchi agitur de eodem Petro, velut in vicariatu, non in generali ministerio, mortuo. Verba accipe ex parte* 2, *cap.* 10. Quidam frater Petrus de Assisio, antea canonicus majoris ecclesiæ ibidem, ad Ordinem admissus, vicarius fuit B. Francisci. Hic nihil proprium habere volens, præcipue voluntatem propriam ita studuit
B mortificare, ut eam nulla in re sequi vellet. Existens itaque vicarius, Patre causa prædicationis longius profecto, in morbum incidit, ex quo et mortuus sepultus est in loco Sanctæ Mariæ de Angelis. Post mortem vero tantis cœpit coruscare miraculis, ut populus utriusque sexus e diversis partibus ad ejus sepulcrum cum oblationibus et cereis confluueret. Unde fratres valde inquietati beato Francisco ad eum locum reverso obitum ejus sui vicarii, ejusque miraculorum frequentiam indicarunt, conquerentes niholominus de inquietudine sua ob populi confluxum.

narratio de Petro post mortem suam

397 Eorum querelis permotus accessit sepulcrum, et altius clamans, dixit : Frater Petre, tu mihi, dum viveres, humiliter obedisti; modo etiam cupio, mihi obedias. Quia enim nimis molestamur a secularibus propter te, præcipio tibi per sanctam obedientiam, quod cesses ab istis miraculis. Mirum certe! cessarunt deinceps miracula, neque ulla amplius contigere. *Hæc ipsa leguntur in Speculi editione Metensi extra Ordinem circa finem; non tamen in editione Bosquieri, nec apud Pisanum, ut relatio hæc videatur Pisano recentior et Speculo postmodum adjecta. Verumtamen Waddingus ad annum* 1221 *num.* 3 *similiter narrat, Petrum post mortem claruisse miraculis, et hæc cessasse, jubente* S. Francisco, *quem et ad defunctum sic locutum*
C *ait :* Frater Petre, dum vixisti, semper et prompte mihi obedieras; neque tardiorem a te modo exigo obedientiam. Nimis molestamur a tui sepulchri veneratoribus, paupertatem enervant, silentium violant, disciplinam relaxant. Præcipio itaque tibi per obedientiam, ut deinceps cesses a miraculis patrandis. Mirum sane! obediente Deo voci Hominis, ad sancti viri sepulchrum nullum imposterum apparuit miraculum. *Hæc si vera esse putarem, non satis viderem, qua ratione ea cum totius Ordinis præfectura, Petro commissa, possem conciliare.*

ex ejusdem Sancti mandato a miraculis cessante.

398 *Qua enim ratione* S. Franciscus *generali Ordinis ministro, cui obedientiam promiserat, et ad ejusdem mortem usque obedierat, dixisset :* Dum vixisti, semper et prompte mihi obedieras; neque tardiorem a te modo exigo obedientiam... Præcipio tibi per obedientiam *etc.? Non videntur hæc mihi recte convenire; ideoque illi, qui* Franciscum *defuncto Petro ita præcipientem primi induxerunt, non crediderunt, Petrum, dum obiit, supremum Ordinis ministrum fuisse, sed solum* S. Francisci *vicarium, qualem illum expresse nominat utraque laudata Speculi editio. Quam ob rem facile quidem credidero, humillimum* Franciscum *de abdicanda summa Ordinis præfectura aliquando cogitasse, idque etiam in comitiis facere voluisse; sed persuasum mihi habeo, eumdem, quamdiu vixit, ea* D *functum esse, licet videatur vicarium habuisse, primo ut liberius quaquaversum posset ad prædicandum excurrere; deinde etiam, quia duobus ultimis vitæ suæ annis tot conflictatus fuit corporis infirmitatibus, ut in regimine Ordinis vehementer dilatati necessario sublevandus fuerit per vicarium. Quod vero spectat ad miracula Petri Cathanii, de iis apud antiquos nihil reperio, uti nec de mirabili illo* S. Francisci *præcepto, quod ut fidem apud peritos prudentesque hagiophilos inveniat, vetustioribus opus est testibus, quam hactenus adducti sunt. Porro de aliis* S. Francisci *gestis, quæ aliunde, quam ex primis biographis, nota sunt, aut referuntur, loquendi locus erit in Analectis.*

§ XVIII. Mirabilia incerti temporis : mansuetudo Sancti in animantia rationis expertia; horum in ipsum reverentia : fructus prædicationis illius : miracula in vita : amor solitudinis et orationis : conflictus cum dæmone : prædicatio coram Honorio III Papa.

E

S. Franciscus incerto mihi tempore

Quemadmodum Thomas Celanensis in Vita varios conjunxit S. Francisci *ad convertendos infideles, aut ad martyrii coronam obtinendam conatus, etiamsi hi ad diversa tempora spectent, et ultimus septem annos posterior sit primo, sic et alia plura conjunxit ob similitudinem argumenti, licet tempore ab invicem multum distent : idque presse secutus est anonymus scriptor Vitæ secundæ, uti et S. Bonaventura, quamvis non ubique eumdem ordinem adoptaverit. Hinc factum, ut in* S. Francisci *gestis multa sint historice certa, quæ ad certam chronotaxim nequeunt reduci. Waddingus quidem sua plerisque tempora voluit assignare potissimum ex Chronico Mariani Florentini; at cum hic sæculo* XVI *vixerit, vereor, ne frequenter conjecturas, easque incertas dederit. Non ausim igitur tentare, quod sine crebro errandi periculo fieri posse, diffido. Non ansim, inquam, in certum chronologicum ordinem redigere* S. Francisci *gesta, quorum tempora nec antiqui signarunt, nec unde signari possint, adjuncta expresserunt. Facta vero ipsa elucidabo eadem serie, qua leguntur in Vita prima, et si quod forte alibi pro determinando tempore reperero, suis locis indicabo.*

prædicavit avibus, eas ad Dei laudem exhortans,

400 *Itaque postquam laudatus Thomas Celanensis* Franciscum *a tentata Soldani Saracenorum conversione ex Ægypto in Europam reduxit, cumulavit multa mirabilia de reverentia, qua bruta animantia sanctum Virum prosecuta fuere. Primum narrat num.* 38, *contigisse in itinere prope Mevaniam, oppidum Umbriæ, quod secundæ Vitæ scriptor his verbis exposuit :* Beatus Franciscus, vir columbina simplicitate, dum more solito quadam vice per vallem Spoletanam transitum faceret, accidit, ut non longe a castello, cui nomen Mevanium, multitudinem magnam diversi generis avium convolasse videret. Et quoniam ob præcipuum Creatoris amorem miro in omnes etiam creaturas ducebatur affectu, sociis in via relictis, alacriter contra locum, ubi stabant adunatæ, cucurrit, easque, prout ei consuetudinis erat, velut rationis humanæ participes salutavit. Videns autem, quod propter ipsum loco non cederent, ammirans usque ad illas accessit; sed nunc * una quidem illarum, dum
F

* *l.* nec *vel* ne

adveniret, abscessit. Repletus itaque gaudio magno Vir Dei sollicite illas ad audiendum Domini verbum intendere monuit, et hiis similia simpliciter eis inter alia plura proposuit.

easque miro modo quasi attendentes habuit,

401 Fratres mei volucres, multum tenemini vestrum laudare et diligere Creatorem, qui plumis vos induit, qui pennis a terra vos subvehit, qui vobis inter creaturas nobilibus in puriori mansiones aere tribuit; qui nec serentes nec metentes, nec in horrea congregantes, absque vestra sollicitudine

A tudine vos enutrit, et habundanter in omnibus, quæ vobis sunt opportuna, providit. Ipsæ vero aviculæ rostris apertis, alis collisque protensis, suo modo mirabiliter gestientes, Sanctum Dei talia proponentem intuebantur, et verbis suis diligenter intendere videbantur. Sanctus vero Franciscus, per medium illarum transiens et revertens, tunica eas tangebat, ut voluit; nec illis quidem se prius a loco moventibus, donec benedictæ cum signo crucis, et licentia eis data, similiter ipse recessit. Tunc cœpit se magnæ negligentiæ incusare coram fratribus, eo quod hactenus omiserat avibus prædicare. Igitur ab illo tempore Vir Dei, cujus ori semper laus affuit (laus utrique Salvatoris) non solum homines, ut laudarent, ipse laudans ammonuit, sed et aves et bestias et quaslibet alias creaturas Fratrum vel Sororum nominibus nuncupans, ad omnium Conditoris laudem sollicite invitavit.

solitus quævis animantia Fratres aut Sorores appellare;

402 Sed et hic, qui totum se nutui Creatoris subjecerat, non immerito creaturis sibi inferioribus, Altissimi nomen invocans, imperabat, quarum obedientiam ipsa frequenter experientia cognoscebat. *Hactenus secundus biographus noster, primo consonans. Eadem narrat S. Bonaventura in Vita num.* 174, *qui et ante num.* 109 *observaverat eam* S. Francisci *consuetudinem etiam bruta*
B *animantia* fratrum *ac* sororum *nomine compellandi, hujusque rei hanc dederat rationem :* Considerationem quoque, *inquit,* primæ originis omnium, abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet parvas, FRATRIS vel SORORIS appellabat nominibus, pro eo, quod sciebat, eas unum secum habere principium. *Ita nimirum Vir humillimus in memoriam sibi revocabat, æque ex nihilo se productum, ac bruta animantia; ejusdem Creatoris, qui illa creavit, gratuita benevolentia se creatum esse, non minus sine ullo suo merito anima rationali donatum, quam bruta animalia usu sensuum; aliaque similia, quibus vera humilitas suæ ex nihilo originis memoriam solet frequenter renovaret.*

quæpia sancti Viri facta

403 *Si simili humilitate ornati fuissent hæretici, qui* S. Franciscum *hanc ob rem ausi sunt carpere, linguam et calamum continuissent, nec Virum Deo probatum tam temere arguissent. Si iidem ea saltem Dei amicos prosecuti essent reverentia, ut ea, quæ non intelligebant, in illis improbare non sustinerent, cavissent eumdem volucribus aliisve bestiis prædicantem dicteriis suis impetere. Quis sanæ mentis accuset Davidem, quia non solum bestias et volucres pennatas, non solum serpentes, dracones et universa pecora, sed et ignem et grandinem et nivem et glaciem et spiritum procellarum, ac demum montes et colles*
C *et arbores etc. ad laudandum Deum invitavit? Quis arguat Ananiam et socios, quod in camino Babylonico lucem et tenebras, fulgura et nubes, fontes, maria et flumina, cete piscesque et universa Domini opera ad persolvendas Creatori suo laudes adhortati sint?*

quidam heterodoxi imperite ac inepte sugillarunt.

404 *Si autem hi arguendi non sint, quia creata omnia, etiamsi quædam ratione, quædam sensu, quædam vita careant, suo tamen qualicumque modo laudant Creatorem suum et enarrant mirabilia ejus, cur arguendus* Franciscus *est, quod regii Vatis, triumque Hebræorum exemplo edoctus, veritatem istam coram avibus prædicando repetierit; quod bonitatem Conditoris omnium, recensendo beneficia avibus præstita, sibi repræsentaverit; quod ad Dei amorem, omni dilectione dignissimi, pia consideratione etiam minimorum animantium sese excitaverit. Si censores illi iniquissimi æstimare potuissent amorem, quo in Deum suum rapiebatur* Franciscus, *quas in facto tam simplici, tam pio, tam ingenioso, non potius laudes invenissent, quam causas accusandi! Scilicet ingeniosus est amor Dei; ex minima etiam occasione fervescit et in flammas agitur : neque dubitare possum, quin tales ex hac prædicatione fructus retulerit Sanctus, ac propterea deinde doluerit, quod serius cœpisset avibus prædicare. Verum hæc satis adversus homines istos, quibus nihil antiquius est, quam Dei Amicos injuriis incessere.*

AUCTORE C. S.

405 *Waddingus hoc factum retulit ad annum* 1212, *ubi illud num.* 31 *enarravit. Verum ex Vita prima dubitari potest, an non potius anno* 1214, *vel paulo etiam serius contigerit. Etenim in laudata Vita Thomas Celanensis num.* 56 *narrat Sancti meditatum iter in Africam, morbo impeditum in Hispania; tunc num.* 57 *subdit reditum ad Portiunculam,* Revertente quoque ipso, *inquiens,* ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Portiuncula, tempore non multo post quidam litterati viri et quidam nobiles ei gratissime adhæserunt. *Demum num. sequenti ad prodigium avium, de quo agimus, sic progreditur :* Interea dum, sicut dictum est, multi appositi sunt ad fratres, beatissimus pater Franciscus iter faciebat per vallem Spoletanam *etc. Si ergo certum esset, quod verisimile est, inter multos illos appositos ad fratres a Celano numerari litteratos istos ac nobiles, de quibus ante memineral, prædicta prædicatio ad aves sine dubio reponenda esset post reditum ex Hispania in Italiam, quam* § 14 *ostendimus sub finem anni* 1215 *vel ante Pentecosten anni* 1214 *contigisse, quemque Waddingus usque ad annum* 1215 *maluit differre. Si tamen Thomas per multos illos solum indicare voluerit eos, quos num.* 56 *post aliud iter, quod Sanctus anno* 1212 *inchoavit, similiter ab eo in Ordinem admissos fuisse, dixerat, prædicatio illa potuit sub finem anni* 1212, *aut initio sequentis contigisse.* E

Prædictum prodigium nequit certo anno illigari.

Hirundines ab eo jussæ silere, obediunt:

406 *Non minus mirabile est sequens, quod nulla temporis nota præditum narratur in eadem Vita prima num.* 59, *et apud S. Bonaventuram num.* 175. *Habe illud ex Vita secunda utrique consentiente.* Et ut referam pauca de multis, accidit die quadam apud castrum, quod dicitur Albianum (*alias* Alviano *in Umbria*) ut cum Dei verbum populo illic adunato proponere vellet, pro nimio strepitu et multitudine hyrundinum, ibidem nidificantium, audiri non posset. Quibus ita garrientibus taliter est locutus : Sorores meæ hyrundines, jam tempus est, ut ego loquar; quia vos quidem satis usque nunc estis locutæ : sed deinceps, usque dum sermo Domini compleatur, loqui omnino cessate. At illæ, velut rationis capaces, continuo tacuerunt, nec ab eo loco, donec consummaretur prædicatio, se moverunt. Quo viso miraculo, cuncti, qui aderant, Deum glorificabant, et beati Viri saltem vestimenta contingere cupiebant.

lepus, cuniculus, piscis ei blandiuntur.

407 *Sequuntur et alia in Vita prima, quæ apud Bonaventuram leguntur a num.* 113, *et in secunda Vita sic recensentur :* Confugiebant quoque sæpius ad beatum Franciscum bestiæ silvestres, veluti ad portum tutissimum, acsi ratione ductæ ipsius erga se cognoscerent pietatis affectum. Nam, cum moram faceret apud castellum, nomine Grecium F (*vulgo* Greccia *in valle Reatina*) quendam lepusculum, laqueo captum, vivum a quodam fratre vidit adductum. Ad quem pietate magna permotus, sic ait Vir ille mitissimus : Frater lepuscule, veni ad me. Quare sic te decipi permisisti? Qui dimissus a fratre, statim velut securus, ad Virum Dei cucurrit, et in sinu ejus, domiti animalis more, quievit. Quotiens autem a beato Viro super terram depositus est, ut abiret, totiens ad illum, non aliam libertatem quærendo, recurrit, donec tandem ad vicinum nemus ipsum a fratribus asportari præcepit. De cuniculo quoque, quod animal valde indomabile est, huic simile quidem * fecit, quando in insula * an quoddam! laci Perusini tempore quodam mansit. Similiter quadam vice, cum in lacu Reatino resideret in navi, piscis quidam non parvus, qui vulgo Tenea vocatur, vivus oblatus est ei. Quem ipse Vir sanctus, non manducandum, sed libertati restituendum hylariter et benigniter recipiens, ipsum FRATREM PISCEM vocavit, oransque et nomen Domini benedicens, in aquam reposuit. Persistente autem ipso in oratione et laudibus, piscis in aquis ludens a navicula non recessit, donec ei licentiam B. Franciscus, oratione completa, concessit.

Aqua ei vertitur in vinum

408 Sic igitur gloriosus Christi Confessor, non solum sensibilibus, de quibus longum esset narrare

AUCTORE C. S. *in eremo S. Urbani.*

per singula, bestiis videlicet et avibus, imperavit, sed ad ipsius obsequium in alteram naturam insensibilia etiam Dominus elementa convertit. Nam cum ipse Vir sanctus apud heremum S. Urbani quadam die graviter ægrotaret, aqua sibi mirabiliter in vinum (*quod, teste Bonaventura in Vita cap.* 3, *nullum tunc aderat*) mutata est; factumque est, ut ad gustum illius tam facile sanitatem reciperet, quod divinum hoc esse miraculum, nullus ambigeret. *Waddingus ad annum* 1213 *eadem memorans, solitarium illum locum situm fuisse, ait,* in comitatu Narniensi apud castrum S. Urbani; *sed corrigendum hic illum, monent Joannes Benedictus Mittarelli abbas et Anselmus Costadoni, monachi presbyteri Congregationis Camaldulensis, in sui Ordinis Annalibus tom. IV, pag.* 252, *unde transcribo sequentia.* Nullum in Narniensi comitatu, quod asserit Waddingus, castrum hujus nominis (*nempe S. Urbani*). Prodigium autem hocce (*mutatæ in vinum aquæ*) contigit in prædiis monasterii nostri S. Urbani prope Æsinantem.

cujus loci notitia datur.

409 Cum enim S. Franciscus veniens hoc anno (1213) ex oppido S. Severini in castrum Apiri visitasset monachos Vallis-fucinæ prope montem Suavicinium, et alios monachos S. Clementis, transiit etiam ad monasterium S. Urbani
B Æsinantis, cujus abbas ei obtulit locum prope castrum ejusdem nominis, et juxta aliud castrum, appellatum Faëta, quæ erant juris sui monasterii, in quo loco S. Franciscus aliquot humiles casas fundavit. Hinc nova habitatio EREMUS S. URBANI. Ibi nimirum miraculum illud etiam edidit ad vitam revocandi puerum, ut in descriptione ejus conventus narrat pater magister Horatius Tivalli a Macerata, minister provincialis Minorum Conventualium anno MDXCIV. Ibi quoque supra relatum prodigium mutandi in vinum aquam patravit. Extat ibidem balneum aquæ prodigiosæ S. Francisci. De hac eremo loquitur in Vita ejusdem Sancti alter Sanctus, Bonaventura. Castrum Faëtæ est inter confinia urbis Æsii et inter castrum Retorsii *etc. Porro, quæ in hoc* § *ex secundo biographo retuli, eodem ordine leguntur in Vita prima, et apud Bonaventuram cap.* 8, *sed ordine nonnihil mutato, additisque pluribus aliis; ultimum vero de mutata in vinum aqua cap.* 3, *ubi et alia recensentur similia* S. Francisco *præstita beneficia. In Vita secunda sequitur hic caput* De affectu ipsius ad omnes creaturas propter amorem Creatoris *etc.; sed illa serius leguntur in Vita prima, cujus ordinem sequor.*

Prædicat cum ingenti fructu, magnoque applausu

C 410 *Quæ modo cum Vita prima subjiciam de prædicationibus et miraculis* S. Francisci, *rursum temporis sunt incerti, possuntque extendi ab anno* 1209, *quo Regula ab Innocentio III probata fuit, Sanctoque concessa prædicandi facultas, usque ad annum* 1224, *quo* Franciscus *sacra stigmata accepit, multisque corporis infirmitatibus cœpit affligi. Leguntur ista apud Thomam Celanensem cap.* 8, *et apud Bonaventuram cap.* 12. *Anonymus noster Vitæ secundæ auctor hic etiam ordinem mutavit; sed singula reducam ad seriem Vitæ primæ, in qua num.* 62 *mox refertur, quanta cum sollemnitate* S. Franciscus *exceptus fuerit in civitate, quæ in apographo nostro dicitur* Hesculana, *pro qua legendum esse suspicor,* Asculanam, *in Marchia Anconitana sitam, ubi Waddingus ad annum* 1212, *num.* 33 *scribit, triginta simul, partim clericos, partim laicos, ab eo in ordinem tunc receptos fuisse, de quibus Celanensis hic meminit. Anonymus in Vita secunda nomen civitatis omisit, at de* S. Francisci *gestis ibidem hæc inquit.*

a populo excipitur: multa patrat miracula:

411 Sanctus vir Dei Franciscus eo tempore, quo volucribus, ut dictum est, prædicavit, per civitates et castella longe lateque circuiens, tantorum divina virtute ad pœnitentiam corda commovit, quod et aliquotiens ad Religionis habitum simul triginta recepit. *Semel id factum, ac verisimiliter, ut observavi, in civitate Asculana, tradidit Celanensis, a quo ille recessit, dum dixit:* aliquociens. *Pergit idem Anonymus:* Tanto namque desiderio turmatim populus confluebat ad ipsum, ut, si quis vel ejus D vestimenta contingere posset, felicem se pro devotione permaxima reputaret. Introeunte ipso civitatem aliquam vel castellum, pulsatis illum campanis sollempniter exceperunt, et cum ingenti gaudio adventum ejus unanimiter applaudentes, obviam sibi quandoque cum ramis arborum processerunt. Confundebatur hæretica pravitas, fides extollebatur Catholica, quam non solum hic Sanctus vita magnificavit et verbis, sed et plurimis extulit miraculorum prodigiis. Nam et omnem languorem, divini nominis invocata virtute, curavit, verbo magnifice dæmones effugavit, nullaque oranti necessitas, seu periculi difficultas, obsistere potuit. Cujus miracula, etsi prolixiori tractatui reservemus, pauca tamen huic Opusculo breviter inseremus.

panes ab eo benedicti et res contrectatæ multos sanant,

412 *Quæ sequuntur, habet Celanensis num.* 63; *noster ea narrat hoc modo:* Panes etiam ad benedicendum sæpius beato Francisco offerebantur, de quibus ægri gustantes a diverso languoris incommodo resurgebant. Crebro quoque pius Pater quasi seminudus a populo derelictus est, eo quod tunicam illius per particulas cum cultellis inciderent, easque devote contra diversa pericula pro salutis remedio conservarent. *Hæc item habet primus biographus, apud quem mox subduntur, quæ secundus* E *paulo ante expressit.* Hæc et his similia plura (*ait*) per beati Francisci non solum corporalem præsentiam gesta sunt, verum etiam, si qua fortasse vel manu contingeret, erant in ejus absentia contra diversas clades salubre remedium. Nam in finibus civitatis Aretii supra modum quædam mulier gravida torquebatur, eo quod virtutem pariendi parturiens non haberet, ita ut omnino spes de ipsius salute non esset.

ut experta est parturiens, imposito freno equi, cui ille insederat,

413 Accidit autem tunc temporis, B. Franciscum propter infirmitatem corporis et debilitatem ad heremum quandam in equo fuisse deductum, et eundem equum reduci a quodam fratre per illum locum. Videntes autem homines loci fratrem, ipsum esse beatum Franciscum, sperabant; qui quem * jam aliunde transierat, illac transiturum, audierant. Cumque non sine gravi dolore comperissent, ipsum non esse; nec tamen adhuc penitus desperantes, ceperunt rem aliquam, a sancti Viri manibus attrectatam, diligenter inquirere. Invenientes autem freni habenas, quas manu Vir Dei tenuerat, ipsum frenum ab equi ore velociter extrahebant, ponentes id super mulierem, quam periclitari videbant. Factum est, ut statim illa cum gaudio pareret, et ultra periculum penitus non sentiret.

* *l.* quia quum

et alii, pota aqua ipsius cingulo benedicta.

414 *Post hæc Anonymus cum Celanensi procedit ad aliud, ut sequitur:* Vir quidam religiosus (*moribus, non vitæ professione*) Gaufredutius nomine, Castrum-Plebis habitans, quendam devote penes se funiculum conservabat, quo se beatus Franciscus F quandoque præcinxerat. Accidit autem, in eodem castello plurimos utriusque sexus graviter infirmari; cum jam dictus vir infirmantium loca circuiens, ipsius funiculi Famuli Dei partem in aqua tinxit, et eidem aquæ de illo minimum quid immiscuit, et sic in ægritudinis loco decubantibus potum dedit. Sicque mirabiliter factum est, ut, si qui languentium ex hujusmodi potione gustarent, optimam continuo sanitatem reciperent. *De his omnibus consentit S. Bonaventura cap.* 12, *ubi deinde num.* 187 *piam de* S. Francisci *prædicationis, quam tot miracula confirmabant, efficacitate observationem adjungit.*

Sanctus puerum claudum ac debilem,

415 *Quod in Vita prima num.* 63 *sequitur, reliquis præposuit in secunda Anonymus, cujus verba hæc sunt:* In civitate Tuscanella (*alias* Tuscania, *Italis* Toscanella, *ditionis Pontificiæ in Patrimonio Ecclesiæ*) miles quidam (*id est, vir nobilis*) beatum Franciscum hospitio devote collegerat; cujus filius unicus, etiamsi jam annos ablactationis transierat, adhuc tamen in cunabulis claudus et toto corpore debilis decubabat. Hic beati Viri pedibus humiliter se

A se prostravit, eumque flebiliter pro filii sui sanitate rogavit. Sed Dei Famulus, ad talia indignum se reputans, nequaquam primitus acquievit, donec ad ultimum Justus instantia deprecantis ad orationem se contulit, factoque deinde signo crucis, in nomine Domini puerum allevavit. Puer autem, cunctis videntibus, in continenti surrexit, et sanus per domum huc atque illuc, prout voluit, ambulavit. *Consonat S. Bovaventura in Vita num.* 180.

virumque omnibus membris captum

416 *Pergit Anonymus noster cum Thoma Celanensi,* Alio tempore, *inquiens,* quidam vir, Petrus nomine, in civitate, quæ Narnium dicitur (*alias* Narnia, *Italice* Narni, *ditionis Pontificiæ in Umbria*) sic omnium membrorum fuerat officio destitutus, ut per quinque mensium spatium quasi truncus immobilis jacens, linguam saltem utcumque moveret, et oculos miserabiliter aperiret. Hic, audito, quod beatus Franciscus illic applicuisset, mox ad episcopum loci suppliciter rogans misit, ut ad se divinæ pietatis intuitu Servum Dei venire rogaret, eo quod ex ipsius præsentia sanitati restituendum se crederet. Ad quem Vir Dei pietate motus accedens, signum crucis super eum a capite usque ad pedes pertraxit; et mox omni morbo fugato, in virtute Altissimi sanum erexit. *Miraculum hoc Bonaventura etiam breviter retulit num.* 180.

B *Redeo ad Anonymum.*

et mulierem cæcam signo crucis sanat : paralyticæ tactu medetur.

417 In eadem civitate quædam mulier oculorum lumen amiserat, quæ etiam a beato Francisco illuminari cum gaudio meruit, statim ut ab eo super oculos signum crucis accepit. *Hujus etiam meminit S. Bonaventura num.* 182, *ubi et alterius cæcæ, et pueri lusci curationem enarrat, præmisitque num.* 181 *aliam contractæ, quam ex Anonymo nostro subnecto.* Quædam mulier civitatis Eugubii (*similiter ditionis Pontificiæ in ducatu Urbinate*) sic ambas habebat manus contractas, ut ad omne opus agendum penitus essent inutiles; quæ cum beatum Franciscum illic advenisse cognosceret, mœstitiæ plena cucurrit ad illum, ut suam ei miserandam necessitatem ostenderet. Quam visam Vir Dei commiserans, tetigit ac sanavit, ita ut illa propriis manibus caseatam (*hoc est, placentam ex caseo*) continuo præpararet, eamque Famulo Dei (de qua et ipse paulisper ob devotionem mulieris accepit) offerret.

Religiosum a dæmone crudeliter vexatum liberat,

418 Frater quidam miseranda, nescio cujus infirmitatis, angustia torquebatur, nisi quod pessimum a plerisque fuisse dæmonium putatur. Nam nunc allisus volutabatur, spumans et aspectu horribilis, nunc autem rigidus et extensus, nunc curvus jacuit et contractus, nunc vero ad staturam hominis a C terra, pedibus æquatis capiti, levabatur, miserabiliter illico relapsurus. Ad quem, infirmitate illius agnita, Pater sanctus accessit; primo quidem orationem pro eo fundens ad Dominum, ac deinde signum crucis exprimens super illum. Ad quod subito mirabiliter factum est, ut frater ille sic immunis a passione hujusmodi pessima fieret, * ne vel motum prorsus ex tunc exiguum de illa sentiret. *Consentit Celanensis in Vita num.* 68; *at Bonaventura num.* 184 *dissentiens de modo, quo ille sanatus fuit, ait, id factum esse per comestionem buccellæ panis, ex quo Sanctus manducaverat, quamque hic hunc in finem infirmo miserat. Quare cum S. Bonaventura post istos tambos scribens, novis curis omnia examinaverit, credibile est, ipsum non sine certo teste istud rei adjunctum mutasse.*

* *adde* ut

ex duabus energumenis

419 *Ibidem denuo sic prosequitur noster Anonymus :* Apud castellum sancti Gemini quodam tempore beatus Franciscus prædicans regnum Dei, cum tribus fratribus domum cujusdam viri devote receptus intravit; cujus uxorem, sicut omnibus loci illius incolis notum fuit, dæmonium male vexavit. Pro qua Vir sanctus eo quod hominum timeret applausum, diu, antequam acquiesceret, exoratus, tandem victus prece, tres fratres suos in tribus angulis domus ad orandum pro illa constituit, et in quartum, similiter oraturus, ipse secessit. Post hæc ad mulierem miserabiliter se gerentem confidenter accessit, et in Christi nomine dæmoni, ut exiret, per obedientiam imperavit. Qui, Domino id ad humilitatem Famuli sui conservandam agente, tam subito horrende stridens egressus est, ut Vir Dei, sibi fuisse illusum, certissime crederet, statimque a loco cum vultus suffusione recederet. Unde etiam alia vice per idem castellum transitum faciens, ipsam mulierem pro se ut ei loqueretur, devote currentem, et vestigia pedum ejus deosculantem, videre vel alloqui noluit, donec, illam vere dæmoniacam fuisse, cunctis id testantibus, tandem vix credidit. *Quod ad locum attinet, Bonaventura ex editione Sedulii recudenda num.* 183 *pro* Castello S. Gemini *habet in* castro S. Geminiani, *cujus nominis locus recensetur in Hetruria mediterranea apud Leandrum Albertum pag.* 56 *editionis Venetæ anni* 1688. *At editio Vaticana Vitæ, a S. Bonaventura scriptæ, etiam habet* S. Gemini, *uti et Celanensis in Vita prima num.* 69, *ubi, cum addat, hoc castrum in episcopatu Narniensi situm esse, inter cujus loca Orlendius quoque tom. II Orbis sacri et profani pag.* 630 *oppidum* S. Gemini *recenset, liquet, posteriori modo legendum esse, idque castrum vel oppidum in Umbria ponendum.*

AUCTORE C. S

dæmones expellit

420 Erat quoque in civitate de Castello (*quæ alias* Tifernum Tiberinum, *Italis* Citta di Castello *dicitur, estque ditionis Pontificiæ civitas in Umbria*) E quædam mulier habens dæmonium, quæ, adveniente illuc beato Francisco, perducta venit ad ipsum. Aderat autem multitudo populi ad rogandum pro illa, quæ se crebra ipsius dæmoniacæ gravatam conquerebatur insania. Quam ut audivit beatus Franciscus clamantem pro foribus et furentem; scire volens, an esset vere dæmonium, emisit ad illam primitus quendam fratrem. Quem illa videns, novit, non esse beatum Franciscum, et nequiter subridens, quasi pro modico duxit illum. Interim autem Vir Dei in oratione prostratus, ea tandem completa, ad mulierem fiducialiter est egressus. Cujus illa non valens sustinere præsentiam, volutabatur coram illo cum fremitu super terram : ipse vero per obedientiam imperavit exire spiritum; qui egrediens, nec ad momentum resistere valuit imperanti. *Hæc omnia, quæ consequenter recitavi, leguntur eodem ordine ac sine notabili differentia in Vita prima, et brevius apud S. Bonaventuram a num.* 180, *ubi et alia quædam addita sunt, prætermissa a Celanensi, qui num.* 70 *profitetur, se multa ex miraculis omisisse.*

plurimisque fulget miraculis.

421 *Anonymus vero noster post alia quædam, jam data vel danda, subjungit :* Tot et tantis refulsit beatus Franciscus, tum adhuc vivens in carne, tum post excessum vitæ, miraculis, quod ea plenius explicare multo prolixioris esset operis. Nam præter alia quasi innumera, quæ in diversis ægritudinum, necessitatum seu periculorum generibus gessit, multos etiam mirifice mortuos suscitavit; quorum, etsi de pluribus non simus incerti, numerum tamen ad præsens certum non ponimus, nisi quod undecim esse, a viris fide dignis accepimus. Hæc igitur de miraculis ejus in præsentiarum utcumque tetigisse sufficiat, ne cursum vitæ ejus breviter audire volentes tædio miraculorum narratus afficiat. Quid enim miraculis, quæ sanctitatem magis ostentant, quam faciunt, immoremur, cum et miraculosæ ejus conversationis insignia, quorum pauca perstringimus, plurima propter brevitatem subticere cogamur. Paucissimas enim, arbitror, esse virtutes, in quarum exercitiis Vir iste beatus notabilia multa non gesserit, quæ ad narrandum forent utique potiora, miraculis. F

In locis solitariis orat, frustra deterrentibus dæmoniis :

422 *Post hæc Anonymus pergit sequi Vitam primam, et cum eadem transit ad* S. Francisci *conjunctionem cum Deo, ad amorem solitudinis et conflictum cum dæmone, ipsum in locis solitariis turbare conante. Sic igitur habet :* Ad omnia vero, quæ gloriosus pater Franciscus intendit et fecit, tutissimum ejus refugium oratio crebra fuit. Nam etsi ardentissimo zelo proximorum lucris intenderet, studuit tamen summopere, ne sui ipsius curam in omni perfectionis

AUCTORE C. S.

perfectionis experimento negligeret. Ad hoc solitaria loca quæsivit, ad hoc in heremi vastitate resedit, et inter homines habitans, ad ecclesias domosve desertas solus nocte perrexit. O quantos in hujusmodi locis terrores, quantaque diaboli machinamenta devicit! Cui non solum intus malignus ille pestifera sæpe suggessit, sed et in aliqua horrenda effigie manu ad manum cum illo conflixit. Talia, inquam, loca intrepidus, ut in oratione sibimet invigilaret, elegit; ibi prius didicit, quæ postmodum alios docuit. Didicit autem, non ut curiose, quæ loqueretur, verba confingeret; sed sic supra modulum eruditionis humanæ ex affluentia doctrinæ cælestis uberrime bibens, ut non tam verbis, quam virtute, semper ad eructandum proximis opportuno tempore plenus esset.

intrepride prædicat, etiam coram summo Pontifice.

423 Nam etsi, quando hæc vel illa dicere cogitasset, accidit, ut ad prædicandum veniens omnium eorum, quæ cogitarat, oblitus omnino, quid diceret, non haberet; sed nec tum quidem [defectum] suum confiteri coram cunctis erubuit, et sic subito mira verborum eloquentia affluere cœpit. Sic spe tota jugiter in solius Domini provida largitate suspensus, de propria penitus diffidebat industria : eademque mentis constantia multis loquebatur, ut
B paucis; eadem diligentia uni soli prædicavit, ut multis. Nullius quoque reverebatur personam, quin æquanimiter sapientibus et indoctis, magnisque loqueretur et parvis. Nam et Cardinalibus, coram Domino Papa Honorio congregatis, constantissime prædicavit, non utique tam simplicitate verborum movens ad risum, quam mirando semper fervore compunctionis extorquens suspirium. *Hactenus Anonymus, non dissentiens a Vita prima, nisi quod ibi cap.* 9 *omnia multo uberius exposita sint. Vox* defectum, *quam uncis inclusi, non est in Ms. codice nostro, sed pro ea duæ aliæ nihil significantes mendose sunt scriptæ. De iisdem egit S. Bonaventura in locis diversis : nam multo plura de* S. Francisci *oratione in locis solitariis et conflictu cum dæmonibus dedit cap.* 10; *de prædicationibus vero non eodem plane modo egit cap.* 12. *Sed prædicatio coram summo Pontifice spectat ad annum* 1223, *quando Regula Ordinis ab Honorio III confirmata fuit, ut ibidem dicemus.*

§ XIX. Sancti misericordia et liberalitas in pauperes : tener affectus erga bruta animantia, maxime erga agnos : Deum in omnibus creatis contemplatur : nomen Domini pio affectu mire veneratur.

C

Sanctus in pauperes mire misericors, pauperrimus ipse

Thomas Celanensis in Vita prima, cap. 9, num. 76 *agit de eximia* S. Francisci *misericordia in pauperes. Secutus illum est auctor Vitæ secundæ, sed, ordine mutato, præmisit quædam de ejusdem pio etiam in bruta animantia affectu, quæ postposuerat Celanensis. Itaque ut de more sequamur Ordinem primæ Vitæ, de Sancti misericordia in egenos secundus biographus hæc ait :* Quanto autem, putas, erga pauperes homines compassionis fervore ardebat, qui tanta non solum ad animalia bruta, verum etiam ad insensibiles et infimas affluebat pietatis dulcedine creaturas? Nam hic vere pauperum Patriarcha, omnium pauperrimus esse desiderans, etsi supra vilem tunicam nichil possessionis appeteret, noluit tamen in hac unica necessitate parcere sibi ipsi, quin et illam plures * indigenti cuiquam promptissime cuperet impertiri. Vestes quoque diversas a divitibus in hieme postulabat, quas, illis libentissime dantibus, ita ut nec ad restitutionem teneretur, accipiens, eas egenis, quos prius habere contingeret obvios, in frigore porrigebat.

** an* pluris

etiam vestes suas partiebatur cum ipsis,

423 Gravissimum erat illi, si alicui pauperum verbo vel facto perciperet quicquam molestiæ fieri. Audiens enim tempore quodam unum e fratribus pauperi cuidam hujusmodi verbum invectionis in- D
ferre; Vide, ne forsitan falso simules paupertatem; durius increpatum fecit coram eodem paupere nudum procidere, et pedibus ejus deosculatis, humiliter ab ipso veniam postulare. Ait enim : Qui pauperi maledicit, Christo facit injuriam, cujus nobile signum gerit, qui voluntarie pauperem pro nobis in hoc mundo se fecit. *In his Anonymus noster passim recte secutus est primum biographum; modice tamen in uno ab illius mente recessit, dum ait,* Franciscum *cupivisse tunicam suam indigenti* impertiri : *nam primus solum duxit, desiderasse illum tunicam* cum aliquo *paupere* dividere. *De eodem argumento agens S. Bonaventura num.* 108, Nulli prorsus, *inquit,* rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris, quin omnia hæc, dum posset, ut pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. *De tunica tamen, quam is unicam habebat, dividenda potius, quam danda, id exponendum est; uti verba facile admittunt. Neque raram fuisse in scola* S. Francisci *piam hujusmodi liberalitatem, habemus etiam ex Anonymo Perusino, qui de primis illius discipulis id ipsum quoque asseruit verbis supra num.* 223 *datis, ac proinde hic non repetendis.* E

suisque humeris illorum onera sublevabat;

426 *Subdit auctor Vitæ secundæ :* Ipse quoque, etsi minimum quid haberet corporalium virium, humeros tamen proprios sæpius ad sublevanda posuit honera pauperum, quorum et pio zelo multa alia faciebat frequentius in hunc modum, quæ, nisi brevitati studeremus, scribere non fuisset indignum. *Eadem leguntur in Vita prima his verbis :* Frequenter proinde inveniens pauperes lignis vel aliis sarcinis oneratos, ad juvandos illos proprios humeros, licet nimium debiles, supponebat. *Consonat S. Bonaventura num.* 108 *inquiens :* Pluries, cum oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat. *Præter hæc pietatis in egenos exempla, quæ in laudatis Vitis legi possunt, Waddingus aliquot alia memoravit, quæ licet haud ita certos auctores habeant, conformia tamen sunt misericordissimi* Francisci *ingenio, atque esse possunt ex eis, quæ auctor Vitæ secundæ brevitatis studio a se prætermissa ait, quæque Bonaventura generaliter indicavit, dicens :* Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis *etc.*

ac nefas reputabat, etiam cum suo incommodo

427 *Ad annum* 1211, *num.* 10 *hæc scribit :* Ejus (*S. Francisci*) nuditati et infirmæ valetudini compatiens quidam Cortoniensis, obtulit ei palliolum, quod dum paucis gestaret diebus, accessit ad eum mulier paupercula, duos circumducens filiolos seminudos. Petiit a Paupere pauper quidpiam ad F
parvulorum membra tegenda; cui ex tempore Vir sanctus, quo se tegebat, largitus est mantellum. Socius vero beato Patri compatiens, manu apprehendens palliolum, dixit ad mulierem : Dimitte, et redde Patri, qua indiget, vestem, et quidquam aliud ego tibi acquiram. Cui beatus Pater : Genuflexus dic culpam tuam, et absque mora dimitte huic pauperculæ, quam acceperat, charitatem. Illud mihi palliolum accomodatum fuit, quo usque pauperior occurreret. Qui aderant ad tam pium spectaculum, magnopere ædificati in bonum, paupertatis amorem in sancto Viro digne extulerunt. *Sequitur ibidem num.* 11 : Aliud porro palliolum cum ei socii acquisivissent, et ad portam cœnobioli occurreret ei pauperculus quidam Cortoniensis, mortuam uxorem, et absque solatio vel remedio derelictos aliquot deploraret infantulos, et quippiam sibi dari pro Dei amore efflagitaret, exuens se exteriori illo amiculo beatus Pater, ei porrexit, subjungens : Frater, hoc tibi do mantellum ea lege et conditione, ut nulli quantumvis reposcenti illud reddas, nisi justum aut æquum tibi solverit pretium.

quidquam recusare petenti, qui videbatur pauperior:

428 Quod ut resciverunt fratres, et beatus Pater recessit, pauperculum insecuti, reddi sibi postulaverunt, quod accepit palliolum, dicentes, nullum, ipso largitore, pauperiorem, et ob extremum frigus tenuemque

A tenuemque valetudinem esse ipsi, plus omnibus, opus. At mendicus recordatus sancti Patris præmonitionis, velut suum defendebat mantellum, nec redditurum absque æquo pretio, dicebat; nec reddidit, donec ad domum benevoli cujusdam viri eum duxerunt, qui, data pecunia, pallium redemit. *Hactenus ille; qui, cum nullum testem hic laudet, forte ea in Chronico Mariani Florentini ad eumdem annum relata invenerit. Posterius etiam legitur in Speculo ex recensione Bosquieri centuria* 1, *cap.* 30, *ubi insuper in aliquot capitibus anterioribus ac posterioribus similia misericordiæ exempla referuntur. Aliud, at non multum dissimile, etiam habet S. Bonaventura in Vita num.* 108, *ubi ait,* S. Franciscum, *Senis redeuntem, palliolum, quo infirmitatis causa amictus erat, occurrenti pauperi donasse, socioque suo id impedire conanti dixisse :* Pro furto mihi reputo a magno Eleemosynario (*Deo*) imputandum, si hoc, quod fero, non dedero magis egenti. *Factum hoc Waddingus ex Mariano ad annum* 1215 *num.* 23 *reposuit. Itaque, licet, ut dixi, duo ista exempla a Waddingo adducta satis certis auctoribus destituta sint, aliunde tamen satis fiunt verisimilia.*

dumque nihil aliud suppetebat, etiam sacrum librum donasse dicitur :

429 *Ex eodem Mariani Chronico laudatus Annalista Minorum ad annum* 1221, *num.* 28 *et sequenti rursum scribit :* Tunc etiam innatam suam, quæ ab utero cum eo crevit, ostendit erga pauperes (*S. Franciscus*) commiserationem : nam cum ad Portiunculæ ædem vetula quædam, duorum fratrum Minorum genitrix, eleemosynam petiisset, B jussit, ut quidpiam ei daretur, quo suæ miseriæ possit occurrere. Respondente loci præfecto, nihil sibi esse, quod erogari possit præter Testamenti Novi volumen, quo ad sacræ Scripturæ lectionem utebantur fratres in choro; dixit, id ipsum erogandum fratrum genitrici, ut ex illius precio sibi subveniret. Credo enim, inquit, plus Deo placiturum, ut pauperis fœminæ sublevetur egestas, quam ut librum hunc legamus in choro. Quæ Religioni duos dederat filios, quid erit nostrum, quod non suo jure reposcat? *Hæc ibi, quibus simillima habentur in Speculo apud Bosquierum centuria* 1, *cap.* 37, *ubi domus præfectus dicitur fuisse Petrus Cathani* generalis Minister, *quod ultimum non de suprema Ordinis prælatura, sed de vicariatu explicandum esse, liquet ex supra dictis.*

aliaque referuntur

430 *Porro in fine ejusdem capitis adduntur ista :* Illud potest dici et scribi de illo, quod legitur de B. Job : Ab utero matris meæ egressa est et crevit mecum miseratio. Unde nobis, qui cum ipso fuimus, non solum ea, quæ de charitate et pietate ejus circa fratres et alios pauperes ab aliis intelleximus, sed et quæ oculis nostris vidimus, longum esset et valde difficile scribere vel narrare. *Hinc videtur, caput hoc a compilatore Speculi ex ipsiusmet* C S. Francisci *sociorum testimonio scripto acceptum esse, ac proinde magnæ auctoritatis. Favet etiam hisce S. Bonaventura verbis num.* 423 *jam datis.*

hujusmodi misericordiæ exempla,

431 *Pergit ibidem Waddingus, ex Mariani Chronico aliud subnectens.* Alias, *inquit,* ad eamdem ædem venit quidam pauperculus seminudus, petens pro Dei amore, ut sibi daretur pannicularia aliqua vestis, vel pannorum præsegmina, quibus aliquantisper nudam contegeret carnem; jussit Vir sanctus socium, ut ex angulo aliquo neglectam quamdam vestem extraheret, quam porrigeret. Nulla inventa, ipse se in diverticulum quoddam retraxit, et assuta habitui præsegmina dissuebat, ut daret. Audivit guardianus, et accedens præcepit, ne panniculos corpori debili fovendo necessarios dissueret. Ita se facturum, dixit, propter obedientiam prælati; tamen aliunde debere subveniri pauperis nuditati, alias molestum et scrupulosum sibi futurum integro et subdititio vestiri indumento, tremente præ foribus nudo mendico. Neque ab ostio recessit, aut a fovendo destitit paupere, donec amiculum quempiam ei dedit guardianus, per

* nuditati

quem et pauperis nuditatem * et Francisci compassioni adhibuit levamen.

432 Alias etiam cuidam servulo, hero maledicenti, quod per vim ei quidpiam sustulerit, insuper et blasphemias addenti, quod Deus pauperibus hujus generis injurias inferri permittat; Vir sanctus mantellum suum libenter donavit hac conditione, ut a maledictionibus et blasphemiis cessaret. *His simillima legere est in Speculo editionis Bosquieri centuria* 1, *capp.* 31 *et* 34. *At si vera sint, quæ de guardiano imperante dicuntur, intelligenda sunt de voluntaria subjectione* S. Francisci, *qui, uti superius observatum est, ne obedientiæ merito careret, etiam in suprema sui Ordinis præfectura guardianum sibi dari voluit, cui sponte pareret. Cetera sunt et hæc sic exposita satis verisimilia; non tamen a sat antiquis, quos quidem novimus, testibus tradita. Mitto alia ejusmodi ex eodem Speculo narrare, et ad certiora progredior.*

AUCTORE C. S. *at non omnia æque certa.*

Ex brutis animantibus oves peculiari prosequebatur affectu :

433 *Thomas Celanensis num.* 77 *Vitæ a* S. Francisci *misericordia in pauperes transit ad ejusdem pium affectum erga animantia rationis expertia, in quibus Creatorem omnium Deum contemplabatur, quæque ob communem Factorem soluerat* Fratrum *ac* Sororum *nomine compellare. Scriptor Vitæ secundæ, qui, ut dictum est, ordinem hic invertit, sic de his loquitur :* Tanta B. Francisci mentem divini amoris dulcedo repleverat, ut in omnibus opera Creatoris miranda considerans, maxima etiam erga cunctas afflueret pietatis teneritudine creaturas. E Inter alias tamen illas præcipue diligebat, quas, ut puta oviculas, simplicioris et mansuetioris naturæ videbat, quarum etiam in omnibus Christum ob aliquam similitudinem figurari in Scripturis, audierat. Nam tempore quodam per Marchiam Anchonæ cum fratre Paulo, quem ibidem ministrum constituerat, transiens, quendam hyrcorum et caprarum vidit in pascuis non modicum gregem, et unicam inter omnes jam dicti gregis pecudes oviculam depascentem. Ad cujus intuitum graviter ingemiscens, dixit ad fratrem : Nonne vides hanc solam oviculam inter hyrcos et capras simpliciter ambulantem? Sic utique Christus, innocens, mansuetus et humilis inter scribas et phariseos et sacerdotum principes ambulavit. Solvamus ergo, fili karissime, precium, et educamus illam de medio gregis caprarum.

quarum semel unam redemit et pascendam curavit,

434 Cumque nichil aliud præterquam viles tunicas habentes de ove redimenda solliciti starent, ecce quidam mercator transiens, se ad hoc voluntarius obtulit, precioque soluto, ipsam ovem sancto Viro reliquit. Qui gaudens illam secum in civitatem, quæ dicitur Auximum, quo tendebat, adduxit, et ad ejusdem loci episcopum hospitandi gratia declinavit. Miranti igitur primum episcopo, quare sic oviculam duceret, longam parabolam de illa F cœpit retexere, donec et ipse episcopus Altissimo gratias ageret, non modicum de tanta Hominis Dei compunctus simplici puritate. Sequenti autem die per quoddam claustrum dominarum apud sanctum Severinum Vir Dei transitum fecit, ubi eisdem Christi famulabus oviculam commendavit; quam illæ ob Sancti reverentiam devotissime suscipientes, diligenter eam longo tempore nutrierunt, donec tunicam de ipsius tandem lana texentes, illam beato Viro munus acceptissimum de fratre ovicula transmiserunt. *Accepit hæc laudatus auctor ex Vita prima, cui plane consonat; sed omissa sunt a S. Bonaventura et Tribus Sociis; Bonaventura tamen de tenero illo erga hujusmodi animantia affectu diserte meminit, ut infra videbimus. Pergo secundi biographi dicta describere.*

uti et duos agnellos,

435 Alio quoque tempore per eamdem Marchiam, jam dicto fratre comite, transiens invenit in itinere quendam virum, qui duos in humeris portabat agniculos ad vendendum; quos ut pius Pater balantes audivit, commota sunt ex intimis viscera ejus, et accedens benigne eos, veluti mater plorantes filios, attrectavit. Dixit autem ad virum : Quare fratres meos agniculos sic ligatos et suspensos excrucias? Qui cum respondisset, quod eos ad forum pretii necessitate deferret; quærentique, quid de illis postea fieret, vir, eos mactandos, assereret;

AUCTORE C. S.

sereret; ait Sanctus : Absit, ut hoc fiat; quin potius mantellum hunc, quo contegor, accipe, et fratres meos agniculos michi relinque. Acquievit voluntarius homo ille; multo enim majoris pretii erat mantellus, quem Vir Dei, frigoris necessitate compulsus, a quodam fideli mutuaverat ipsa die. Igitur acceptis agniculis, quid ipsis ageret, sollicitus extitit. Tandem cum socio fratre deliberans, gubernandos eidem viro commisit, et ne vel illos venderet ullo tempore, læderetve, districte præcepit.

imo et sæpe alios, teste S. Bonaventura.

436 *Accepit et hæc biographus ex Thoma Celanensi in Vita prima num.* 79; *silent denuo Tres Socii; sanctus autem Bonaventura, num.* 109 *multa paucis perstringens, affirmat, Sanctum plus vice simplici eadem de causa agnos redemisse,* Redemit, *inquiens,* frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor Agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. *Addit deinde exemplum commiserationis illius ob agniculum, quem recens natum sus necaverat, prolatumque ab illo in eamdem suem maledictum et pœnam, atque alia nonnulla de animantibus, quæ eidem Sancto obsecuta fuere, non secus ac ratione prædita fuissent. Ceterum nemo debet offendi ex eo, quod* S. Franciscus *palliolum,* quod a fideli mutuaverat ipsa die, *dicatur dedisse in pretium agnellorum; nemo debet,*

B *inquam, hinc offendi, quasi ille alienum dedisset; nam quisquis ejus generis res ei commodabat, tacitam aut expressam potestatem simul faciebat de iisdem disponendi, uti vellet. Sic, teste S. Bonaventura in Vita num.* 108 de omnibus, quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis relevandam, solitus erat a dantibus licentiam petere, ut licite posset, si magis egenus occurreret, erogare. *Haud dubie etiam satis noverat Sanctus, quidquid de pallio fecisset, ratum habendum a domino.*

Quæ de turturibus ab eodem redemptis,

437 *Ad argumentum de pietate in innocua animalia etiam spectant, quæ Waddingus ex Hugolino, Mariano et Speculi parte* 1, *cap.* 77 *ad annum* 1216, *num.* 20 *memoravit, ita scribens :* Cum autem ad ipsam civitatem Senarum appropinquaret, occurrit ei quidam juvenis auceps, qui, quos cepit, turtures vivos deferebat in civitate vendendos. Ut erat Franciscus compassivus et pietate plenus, præcipue erga mansueta et casta animalia, tenerrime inquit ad aucupem : Bone adolescens, quam affectuose te deprecor, ut meæ fidas custodiæ innocentes has aviculas, quibus in sacra Scriptura castæ et fideles animæ comparantur; neque velis illas tradere in manus crudeles occisorum. Commotus pietate Viri, aliisque, quas adjunxit, rationibus adolescens, libere, quas portabat, ei tradidit

C volucres; qui eas in gremio recipiens, tanquam rationis capaces, sancta quadam simplicitate ita colloquebatur : Sororculæ meæ turtures, simplices, innocentes et castæ, ut quid ita vos capi permisistis? Sane si in alterius avidioris aucupis, quam in hujus adolescentis, manus incideretis, certum vobis imminebat mortis periculum, a quo nunc ego juvenis istius liberalitate vos eripiam, faciamque vobis nidos, ut fructificetis, et secundum Domini primævam illam rerum dispositionem crescatis et multiplicemini.

et in arbore, quæ ex baculo excreverat, nidificantibus referuntur,

438 Deductisque secum usque ad locum fratrum in Rauacciano prope mœnia Senarum, præ cœnobiolo baculum, quod manu gestabat, fixit in terram, quod die sequenti inventum est in proceram et opacam ilicem excrevisse, quæ etiamnum revirescit. In hanc dimissis turturibus jussit, ut incolerent, et ibidem suis temporibus nidificarent, quod in plurimos annos fecerunt, ita familiares fratribus effecti, ut ad cibum accederent, veluti domesticæ gallinæ. Adolescenti vero id reddidit pro accepto dono mercedis, ut ei prædiceret, in suo sodalitio religiose victurum, regnumque acquisiturum æternum. Quod vere prædixisse, juvenis non diu protracta initiatio et sancta ejus in Ordine conversatio persuaserunt. Quo modo factum est, ut turturibus temporalem, et adolescenti Vir sanctus vitam procurarit æternam. *Hæc ibi.*

439 *Ex auctoribus vero ab Annalista laudatis Hugolinus secundum dicta num.* 43 *floruit sæculo* XIV; *Marianus num.* 44 *dicitur obiisse anno* 1325; *ac denique ex num.* 52 *Speculum non ante sæculum* XV *colligi cæptum fuisse videtur. Quapropter, licet factum non sit incredibile, nec a* S. Francisci *moribus alienum, exiguam tamen ab istis habere potest auctoritatem. Sed neque omnia Speculi exemplaria de adjunctis conveniunt : nam de baculo illo, qui a Sancto terræ infixus postridie* in proceram et opacam ilicem *excrevisse dicitur, nulla prorsus exstat mentio in Ms. nostro exemplari Lovaniensi, nulla in editionibus Metensi, Antverpiensi anni* 1620 *per Spoelberchum, et Coloniensi anni* 1623, *adeo ut hæc arbor ab Hugolino aut Mariano inventa fuisse videatur, quantoque magis prodigiosa est, tanto antiquiori testimonio egeat. Demum si vera sit ista de turturibus redemptis narratio, videtur ea etiam nonnihil exaggerata in numero turturum, qui in omnibus prædictis exemplaribus* magna multitudo *vel* magna quantitas *fuisse dicuntur. De arbore tamen fortasse quædam venient dicenda in Gloria posthuma inter loca,* S. Francisci *memoria celebria, alibive.* D

non satis antiquos testes habent.

440 *Longe majoris fidei sunt, quæ post data num.* 433 *habet scriptor Vitæ secundæ sic prosequens :* Non solum autem his bestiis (*agniculis, de quibus ibi egerat*) et dignioribus creaturis, sed et aliis vilibus et minimis simili affectu compassionis adhæsit. Nam quia de Amatore (*Christo*) legitur : « Ego sum vermis, et non homo » vermiculos etiam, ne contererentur, multociens de via legebat; sed et apibus, ne deficerent, forte vinum vel mel in hyeme ministrabat. Diligenter enim, non tam illarum, quam et aliarum creaturarum, efficaciam attendebat, et quicquid ammirationis, delectamenti, seu cujuscumque valoris in unaquaque perpendere poterat, id totum in omnium Factoris gloriam regerebat. Quid, putas, in sole, luna, firmamentoque et stellis; quid in elementis et eorum effectibus, sive ornatibus; quid, inquam, in omnibus omnium Creatoris potentiam, sapientiam, bonitatemque contemplans, veræ cognitionis dulcedinis hausit et gratiæ; utique quempiam mortalium, non arbitror, hoc posse verbis exprimere. Et quoniam ad unum principium omnia retorquebat, propter hæc omnia ad unius Conditoris laudem continuus ipse in laudibus invitabat. *Eadem paulo fusius habet Thomas Celanensis num.* 80 *et sequenti; sanctus autem Bonaventura parcius et generaliter num.* 123, *agens* de fervore caritatis ejus.

In omnibus rebus creatis Deum venerabatur, E

441 *Pergit scriptor Vitæ secundæ cum Celanensi ad teneram pietatem reverentiamque, qua Sanctus nomen Domini prosequebatur.* Ipso vero, *inquit,* nomen Domini nominans totus supra hominis intellectum afficiebatur, totus in jubilo, totus alterius seculi videbatur. Propterea et tantam nomini Salvatoris reverentiam exibebat *, quod et qualecumque scriptum inveniret inhoneste locatum, reverenter illud recolligens, in loco reponebat honesto, ne forsitan verba divina vel nomina, vel etiam litteræ, quibus illa scribuntur, continerentur in illo. *Consuli potest Vita prima num.* 82, *unde ista potuit accepisse. Breviter etiam anonymus Perusinus ait :* Portabat enim Dominum in corde, laudabat in ore, glorificabat in operibus. Et si aliquis Dominum nominaret, sic dicebat : Cælum et terra deberet se inclinare in nomine isto.

ejusdemque nomen miro modo honorabat. F

* exhibebat

442 *Sequitur in Vita prima a num.* 83 *quædam* S. Francisci *elegans mentis corporisque verbis proposita effigies ac velut virtutum illius morumque compendium. Tum subditur ejusdem ardens desiderium ac perpetuum studium Evangelica præcepta et consilia exactissime observandi, nec non jugis meditatio de mysteriis Christi, maxime de humilitate in Incarnatione et charitate in passione exercitis, quæ ibidem legi possunt. Tandem narratur, quanta cum animi exultatione sanctissimus Vir* triennio ante gloriosi obitus sui diem *festum natale Christi celebraverit*

Alia quædam huc non spectantia.

A *braverit in castro Grecii; hisque Thomas Celanensis primum librum Vitæ clausit. Leguntur hæc etiam in Vita secunda, quæ cum ad annum* 1223 *spectent, præmittenda hic sunt, quæ annis intermediis contigisse novimus.*

§ XX. Comitia generalia anno MCCXXI de more celebrata : an ex his denuo tentata missio Germanica? Tertius Ordo institutus, scriptaque pro hoc a S. Francisco Regula, non a Nicolao IV PP. Alia quædam ad annos MCCXXI et MCCXXII a Waddingo relata, alibi danda.

Sanctus celebrat comitia, quibus interest S. Antonius;

Ab incerti temporis gestis regredior ad annum Christi 1221, *ad quem usque chronologica rerum series perducta fuerat* § 17. *Waddingus ad hunc annum num.* 4 *scribit, generalia Ordinis comitia eodem anno in festo Pentecostes, quod tunc in diem* 30 *Maii incidit, præsente* S. Francisco, *celebrata fuisse. Qua de re dubitandum non est, cum comitia illa ex ejusdem sancti Institutoris decreto*

B *quotannis habenda essent in Pentecoste apud S. Mariam de Portiuncula; nec ulla dari possit ratio, ob quam vel hæc tunc prætermissa sint, vel ipse præter morem ab iis abfuisse credatur. His etiam interfuit S. Antonius, a civitate, in qua sacrum corpus illius miraculis clarum magnifice quiescit, Patavinus cognominatus. Colitur hic die* 13 *Junii, ad quam diem in Opere nostro Vita ejus, auctore anonymo valde antiquo, a Papebrochio data, num.* 3 *ad propositum nostrum sic habet :* Instabat autem eo tempore (*scilicet anno* 1221, *ut ibidem in Annotatis observatum fuit*) fratrum generale capitulum, quod in brevi celebrandum erat apud Assisium. Quod ut Antonio per fratres innotuit, illuc (ut erat debilis et infirmus) utcumque pervenit *etc.*

si in his Elias Petro Cathanio successerit,

444 *Ex gestis in eodem capitulo laudatus Annalista duo præcipue memorat, nimirum fratrem Eliam in demortui Petri Cathanii locum ab ipso* S. Francisco *substitutum fuisse totius Ordinis vicarium generalem; fratrumque manipulum cum præfecto suo, fratre Cæsario, in Germaniam missum. Si Elias revera hoc anno Petro Cathanio in id munus successerit, dicendus est eidem non mortuo, sed deposito vel sponte cedenti substitutus fuisse; non enim hic, ut Waddingus, dum hæc scriberet, credidit, hoc anno vivere desiit. Fefellit eruditum virum ejusdem*

C *Petri inscriptio sepulcralis, qualis exstat in ecclesia S. Mariæ de Portiuncula saxo vitiose incisa, tempus emortuale exhibens hoc modo :* MCC. IVII d. Martii; *quas quidem notas ipse sic interpretatus est :* MCCXXI. VI. id. Martii. *Sed errorem detexit illustrissimus Octavius episcopus Assisiensis in Opere Italico de Indulgentia Portiunculæ, in quo easdem notas sic interpungendas monuit :* MCCXXIV. II d. Martii; *id est, anno* millesimo ducentesimo vigesimo quarto, secunda die Martii.

suffectus fuit ille non mortuo sed viventi.

445 *Plura in hanc rem videri possunt apud Chalippum in Vita Gallica* S. Francisci *lib.* III, *pag.* 205 *in Annotatis. Quin ipsemet Waddingus laudatum Petrum inter vivos superstitem produxit anno* 1223, *ad quem num.* 1 *scribit, ipsum unum e tribus sociis fuisse, qui* S. Franciscum *ad figendum indulgentiarum Portiuncula diem Romam comitati fuerunt. Præterea in adnotationibus ad Epistolam* 8, *quas inter Opuscula* S. Francisci *ante ediderat, ex Rodulphio dixerat, eumdem Petrum* per biennium eo munere *vicarii generalis functum esse, quod tempus deinde ad annum* 1221 *ex allegata inscriptione aliisque contraxit, sed forsitan etiam melius paulo extendisset. Ceterum hæc breviter observasse juverit, quia in Opere quoque nostro tom. II Martii inter Prætermissos ad diem* 10 *ex aliorum fide seu errore, Petrus ille Cathanius pari modo dicitur obiisse* quinque annis *ante* S. Franciscum, *cujus beata mors certo contigit anno* 1226.

446 *Ex iisdem, ut dixi, comitiis anni* 1221, *censuit Waddingus, in Germaniam missos fratres, iisque præfectum Cæsarium Spirensem; sed quia eadem missio ante fuerat infeliciter tentata, fratresque in istis regionibus pessime excepti et expulsi, non fuisse tunc hanc datam provinciam, nisi sponte volentibus ac petentibus, hosque magnos progressus fecisse. Pro his omnibus auctorem laudat* Chronicon German. Franc. Ms. Balduini de Brunsvicke, *quod alibi etiam* Chronicon Saxoniæ *appellat. Profitetur porro, sese, quæ de hoc argumento narrat, ex illo accepisse, hæcque anno* 1221 *illigasse contra Gonzagam, qui eamdem missionem ad annum* 1218 *retulerat. Cum Balduini illius ætatem nusquam, quod quidem sciam, Waddingus indicaverit, incerta mihi est ejusdem Chronici auctoritas; ex Vitis autem vetustissimis, quas commentor, cogor, hanc missionem biennio serius reponere, aut, si anno* 1221 *iterum tentata fuerit, credere, eam non tam prospere successisse, quam legitur apud Waddingum.*

AUCTORE C. S.

Neque in his comitiis missio Germanica,

447 *Etenim in laudatis Vitis solum duo memorantur comitia, e quibus Minores in Germaniam ac ulteriores provincias fuisse missi dicuntur. Horum prima anno* 1219 *celebrata, diximus* § 13, *ubi etiam retulimus infelicem successum eorum, qui ex his comitiis in Germaniam, Hungariam etc. missi fuerant. Altera hujusmodi comitia, in quibus denuo decreta fuit Germanica missio, fratresque ad eam* E *designati, in iisdem Vitis dicuntur habita post confirmatam ab Honorio III Papa Regulam Minorum, id est, anno* 1223, *uti* § 23 *pluribus probabo. Interim pauca hic prælibanda sunt. Tres Socii in Appendice ad Vitam primam num.* 62 *narrant, Fratres, qui (ex comitiis generalibus anni* 1219, *ut* § 15 *probavi) in Alemanniam missi fuerunt, pessime habitos, compulsosque fuisse in Italiam redire, adduntque :* Hoc enim passi erant quasi in omnibus ultramontanis partibus, ut in Alemannia, et in Ungaria et pluribus aliis. *Causam quoque, cur tam indignis modis fratres ibidem habiti fuerint, hanc allegant :* Quia, licet præfatus dominus Innocentius tertius Ordinem et Regulam approbasset ipsorum, non tamen hoc suis litteris confirmavit. Et propterea fratres (*velut suspectæ fidei homines*) a clericis et laicis tribulationes plurimas sunt perpessi *etc.*

quæ anno 1219 *infeliciter tentata fuerat,*

448 *Subdunt Tres Socii, Cardinalem Hugolinum, ut huic malo deinceps occurreret, curasse, ut* S. Francisci *Regula, quam hic nonnihil mutaverat, ab Honorio III, qui Innocentio successerat, confirmaretur. Addunt præterea,* Franciscum *ab eodem Pontifice impetrasse, ut laudatus Cardinalis Hugolinus Ordini suo protector daretur, et ab hoc aliisque Cardinalibus ad varios regionum prælatos,* qui persecutiones intulerant fratribus, *scriptas litteras* F *fuisse, quibus Minorum sanctitas et approbata a Sede Apostolica Religio commendabatur. Tandem ibidem num.* 66 *hæc subjiciunt* : In sequenti ergo capitulo data licentia ministris a beato Francisco recipiendi fratres ad Ordinem, misit ad supradictas provincias, portantes litteras Cardinalium cum Regula, bulla Apostolica confirmata. *Tum sequitur ibidem felicissimus ejusdem missionis successus. Itaque secundum Tres Socios, qui iisdem comitiis verisimillime interfuere, et quibus Anonymus noster Perusinus consentit, Germanica missio, quæ anno* 1219 *infeliciter cœpta fuerat, resumpta non fuit ante annum* 1223, *aut, si quid in ea interim tentatum fuit, non multo melius, quam anno* 1219, *successit. Plura de his ad præcitatum annum* 1223.

resumpta fuisse videtur, sed anno 1223.

Sanctus anno 1221 *instituit Tertium Ordinem,*

449 *Porro ad annum* 1221 *tam a Waddingo, quam etiam ab aliis recte, ut videtur, refertur institutio Tertii Ordinis, qui æque ac duo alii, Minorum scilicet ac Pauperum Dominarum, seu ut nunc passim vocantur Clarissarum, auctorem habet* S. Franciscum, *ac* Tertius *dicitur, quia post istos duos institutus fuit. Annum, quo ille cœptus est, signavit S. Antoninus parte* III, *tit.* XXIV, *cap.* 7, § 3, *ubi sic legitur :* Anno Domini MCCXXI B. Franciscus instituit Tertium Ordinem, qui dicitur Pœnitentium, propter illos, qui matrimonio juncti facere pœnitentiam

AUCTORE C. S.

tentiam flagitabant, quorum primus fuit quidam sanctus homo, dictus Lucius. *Bartholomæus Pisanus, Antonino antiquior, Conformit.* 10 *ejusdem Ordinis initia* S. Francisco *attribuit* post annum quasi quartum decimum a sua conversione, *quam si de rerum omnium abdicatione interpreteris, hancque anno* 1207 *nobiscum illigaveris, Pisano recte cum S. Antonino conveniet. Verum Pisanus ibidem habet etiam aliud adjunctum, quod cum eodem anno componi non posse, arguit Chalippus in Vita Gallica lib.* IV, *pag.* 210.

quod an contigerit in itinere apud S. Bonaventuram cap. 12 *relato,*

430 *Scilicet loco citato Pisanus institutionem Tertii Ordinis ad iter illud refert, quod* S. Franciscus *ad prædicandum suscepit, simul atque ex S. Claræ fratrisque Sylvestri responso ad quæsitum suum, utrum prædicare, an cælestia meditari, sibi expediret, intellexit, divinæ voluntatis esse, ut in prædicandi munere persisteret, ut docet S. Bonaventura in Vita num.* 170 *et aliquot sequentibus. Hoc enim responso* Franciscum *animatum, scribit Pisanus, ad prædicandum mox prosiliisse, et castri Canarii incolis, per sermones suos vehementer commotis, prima Tertii Ordinis fundamenta jecisse. Pisanum secutus est Helyotus. tom. VII Historiæ Ordinum Religiosorum etc. pag.* 215, *cetera Waddingo inhærens, si annum excipias, quem prætermisit, nomenque loci, quem pro* Canario *appellavit* Carnerio. *At Chalippus hanc Pisani et Helyoti opinionem duplici ex capite falsam putat. Primo, quod* S. Franciscus *post acceptum memoratum S. Claræ ac Sylvestri responsum non ad oppidum Canarii, sed Mevaniam advenerit, teste laudato S. Bonaventura; secundo, quod idem illud iter, anno* 1212, *non* 1221, *contigerit.*

B

ut Pisanus asserit, negatque Chalippus,

431 *Certa esset hæc Chalippi observatio, si constaret, dictum iter anno* 1212 *contigisse. Verum pro eo non alium vadem citavit, quam Waddingum, et hic S. Bonaventuram et Marianum Florentinum : Bonaventura autem de anno non meminit; et Mariani, qui Pisano multo est junior, auctoritas nequit eum certum facere. Quam ob rem ego acta in eodem itinere inter incerti temporis gesta recensui* § 18. *Neque plus evincitur ex eo, quod* S. Franciscus *apud Bonaventuram non legatur tunc venisse* Canarium, *sed* Bevanium; *Canarium enim, vulgo* Canaria *vel* Cannara, *in novissima Tabula geographica Status Ecclesiastici, a Patribus Christophoro Maire et Rogerio Boscovich facta, medio fere itinere ponitur inter Assisium et Bevanium, alias Mevaniam, Italis* Bevagna, *ut Sanctus Assisio veniens facile potuerit Canarium adiisse, priusquam advenit Bevanium.*

non constat.

C

432 *Non obstat etiam silentium Bonaventuræ, qui duo dumtaxat loca, in hac excursione apostolica ab illo adita nominatim expressit,* Bevanium *scilicet et* Alvianum, *totoque illo capite* 12, *quod* de efficacia prædicandi et gratia sanitatum *inscripsit, fere tantum egit de miraculis, quibus Deus Servi sui prædicationem auditoribus mirifice commendavit. Nimirum sanctus doctor in Prologo ad eamdem Vitam num.* 4 *professus est, sese in ea non* ordinem temporis, *sed* magis aptæ juncturæ *et* materiæ *servasse, eoque consilio cum jam data occasione de institutione Tertii Ordinis num.* 25 *et* 46 *antea meminisset, facile potuit de eadem hic siluisse, etiamsi in hoc ipso itinere facta esset. Adhæc non video, cur* S. Francisci *dubium, utrum prædicare, an contemplari, sibi expediret, non æque ad annum* 1221, *quam ad* 1212 *referri queat; cur enim non potuerit ille anno* 1221 *dubitasse, an post tot exantlatos in salutem proximi labores non esset melius, reliquum vitæ suæ tempus soli Deo sibique impendere? Mihi quidem, etsi Pisani opinionem adoptare nolim, non tamen hæc tam certo falsa aut improbabilis videtur, quam visa sit Chalippo.*

Hic Ordo, de quo omnes biographi meminerunt,

433 *De ejusdem Ordinis institutione agunt omnes Vitæ antiquæ, non tamen loco suo, seu non observatis tempore ac serie rerum, sed occurrente occasione de ea opportune loquendi. Thomas Celanensis in Vita prima illam breviter indicavit num.* 73; *auctor Vitæ secundæ in hoc Commentario relatus num.* 170, 252 *et sequenti; Tres Socii in Appendice num.* 60; *Anonymus Perusinus verbis in hoc Commentario similiter datis num.* 291; *ac denique S. Bonaventura in Vita edenda num.* 25 *et* 46. *Verba illorum, quæ citatis locis legi possunt, hic non repetam præter pauca ex Anonymo Perusino, quibus recte indicatur causa, ob quam Ordo ille institutus fuit. Anonymus hic agens de* S. Francisci *discipulis, Ordines ab illo institutos propagantibus, primo ait, multos viros ab eis in primum Ordinem, qui Minorum est, adductos esse. Tum subdit, multas quoque virgines viduasque ad eosdem accessisse, dicentes :* Quid faciemus autem nos? Vobiscum esse non possumus. Dicite ergo nobis, quomodo salvare nostras animas valeamus; *atque has ait Anonymus ad monasteria Pauperum Dominarum, seu Clarissarum transmissas.* D

utriusque sexus conjugatos, ac cœlibes, laicos

434 *Deinde sic pergit ad Ordinem Tertium :* Similiter et viri uxores habentes, dicebant : Uxores habemus, quæ dimitti se non patiuntur. Docete ergo nos, quam viam tenere salubriter valeamus. At illi ordinaverunt ex ipsis Ordinem, qui Pœnitentium Ordo vocatur, facientes hoc a summo Pontifice conservari, *id est,* confirmari. *Quamvis autem hic de solis viris uxoratis fiat mentio, comprehendendi tamen sunt etiam juvenes laici et clerici, virginesque ac mulieres conjugatæ et viduæ, quos vel status vitæ vel vires aut animus, aliave ratio non permittebant primum vel secundum Ordinem amplecti. In hoc enim conveniunt omnes, id fuisse* S. Francisci *inventum, ut hujusmodi utriusque sexus hominibus normam traderet, ex qua in sæculo Christiane pieque viventes Religiosorum vivendi rationem quodam modo imitarentur; ac propterea, ut habet S. Bonaventura num.* 46, hic status clericos et laicos, virgines et conjugatos in utroque sexu *admittit.* E

ac clericos complectitur; non tamen stricte dicta Religio est

435 *S. Antoninus supra laudatus cap.* 2 *de eorumdem Tertiariorum instituto ita loquitur :* Tertius (*Ordo a* S. Francisco *institutus*) est Pœnitentium. Hi dicuntur Pinzocgori, seu Fratres de tertio Ordine, qui active deserviunt. Hi proprie non dicuntur Religiosi; sed habent quemdam modum vivendi religiosum, qui tamen non est completa Religio obligans ad essentialia Religionis. Nam et proprium habent et possunt habere, et uxorati manere. Et quamvis licite non possint contrahere in tali statu, si tamen contraherent, matrimonium teneret; quod nullo modo esset in completa Religione. Obedire tenentur magistro suo in iis præcise, quæ pertinent ad Regulam suam, quæ etiam approbata est ab Apostolica Sede. Et licet aliqui vel aliquæ, viri et mulieres, sub tali habitu Tertio et Regula vivant in congregatione aliqua arctius, quam contineat Regula earum, abrenunciantes propriis, non propter hoc mutant statum illum, ut possit dici completa Religio *etc.* F

ex sua prima institutione.

436 *Hæc Antoninus de Tertio Ordine, qualis a* S. Francisco *fuit institutus : nam lapsu temporis fuerunt variæ Tertiariorum congregationes, tam vivorum, quam mulierum, quæ, Sede Apostolica probante, completam Religionem professæ sunt, hodieque profitentur.* Pinzocgoro, *quo nomine S. Antoninus Tertiarios primæ institutionis appellatos, asserit, in Lexico Italico academiæ de la Crusca dicitur is,* qui in seculo vivens religiosum habitum gestat; *quod sane congruit Tertiariis, quibus sanctus Institutor modestam vestem cinerei coloris cum nodosa chorda gestandam præscripsit. Observat porro Waddingus in Præfatione ad eorum Regulam, eos etiam* Mantellatos *dictos, sed a* S. Francisco *rectius* Fratres *vel* Sorores de pœnitentia *appellatos fuisse. Ordo vero ipse, ut supra jam monui, passim* Tertius *dicitur, quia post duos alios, Fratrum Minorum scilicet et Pauperum dominarum, a* S. Francisco *institutus fuit. His pro notione Ordinis præmissis, pergamus reliqua institutionis illius adjuncta exponere.*

Hujus Ordinis institutioni occasio

437 *Pisanus superius laudatus locum et occasionem sic exponit :* Ad quoddam castrum, nomine Canarium (*S. Franciscus*) devenit, ubi in tanto prædicavit

AUCTORE C. S.

A prædicavit fervore, quod per prædicationem ejus omnes de castro illo mares et fœminæ volebant, relicto castro, ire post eum. Sanctus vero Franciscus ait ad eos : Non faciatis; quia ego ordinabo pro salute vestra, quid agere debeatis : et ex tunc cogitavit facere tertium Ordinem, qui dicitur CONTINENTIUM, seu FRATRUM et SORORUM DE POENITENTIA : et sic fecit. *Exaggerata haud dubie hic est multitudo, Sanctum sequi volentium. Waddingus Pisano consentiens, in Præfatione ad Regulam Tertiariorum de eodem argumento ita loquitur :* Quam (*pœnitentiam*) dum cælesti fervore et cumulato fructu in multis Italiæ locis beatus hic Legislator noster prædicaret, sed præcipue in oppido Canarii, quod in Umbria in valle Spoletana per quatuor millia passuum ab Assisio distat, oppidani omnes, et ex aliis pagis et civitatibus turmatim ad Virum Dei, ejus prædicationis igne succensi, undique confluebant, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, et se novis pœnitentiæ legibus vincire velle, significabant.

data dicitur in oppido Canario,

ut ad vitam pœnitentem aspirantibus satisfieret;

458 Qui, ne imbecilles mulieres et periculis facile expositas consortium præsidio orbaret, nec homines uxorum licita et optata societate privaret, et loca urbesque penitus depopulare videretur, nec hos in Religiosorum sodalitium recipere, nec illas B infra sanctimonialium claustra recludere, consultum judicavit. Unde commune utrisque hoc institutum præscripsit ad XIV suæ plenæ conversionis annum, et Virginei partus MCCXXI, in quo utriusque sexus omne genus, tam sæcularium, quam ecclesiasticorum, facillime et sub suavi jugo, sub propriis tectis, propria gaudens hæreditate, Deo inserviret. Ordinem suis statutis firmavit, legibus munivit, et propria Regula corroboravit. *Simillima habet in Annalibus ad annum* 1221, *num.* 15, *ubi pro notitia loci, seu oppidi, ut ibi scribit,* Canariæ, *addit, infra illud fluvium* Asium, *alias* Clasium, *Italis* il Chiascio, *in Tinnam seu Tiniam, nunc vulgo* il Topino, *illabi. Eo in loco revera in Tabulis geographicis visitur quoddam oppidulum vel castrum* Cannara *vel* Canara, *quod haud dubie Pisani ac Waddingi* Canarium *et* Canaria *est.*

quod et factum in Etruria est; sed vestem Ordinis

459 *Post hæc Waddingus in Annalibus ad hunc annum* 1221, *num.* 13 *scribit,* S. Franciscum *eadem, quæ Canarii, in variis Tusciæ urbibus, maxime Florentiæ, fecisse, compulsumque fuisse hujusmodi Regulam propediem tradendam promittere, ut effervescentes animos nonnihil sedaret. Tunc quoque Florentiæ, ut Annalistæ verbis utar,* Franciscus inchoatum a civibus sacrarum virginum monasterium invenit, et plurimos sub una congregatione C ipse reduxit; *a quibus præterea asserit, exstructum fuisse xenodochium infirmis curandis et fovendis senibus, in eoque caritatis exercitio congrua viris feminisque dispertita officia. Demum ad rem nostram propius hæc subdit :* Instituta hac congregatione (*de Pœnitentia*) Vir sanctus venit in villam Gagiani non longe ab oppido Podii Bonantis, aliis Bonitii, olim Imperialis dicti, prope ædem S. Petri ad Elsam fluvium, ubi occurrit ei Luchesius, humilis olim et avarus mercator, Guelphæ factionis intrepidus sectator. A quibusdam jam mensibus vitam mutaverat in meliorem, et ad pie Christianeque vivendum induxerat Bonam Donnam, suam consortem. Erga pauperes liberalis, erga miseros compassivus in xenodochiis infirmorum curam agebat, peregrinos hospitio excipiebat.

primus cum conjuge sua induit B. Luchesius

460 His virtutum exercitiis jam aliquantum in rebus cælestibus instructus, a Francisco petierat amplius edoceri, sibi suæque consorti viam ostendi bonam, per quam ambularent secure. Paulo ante se cogitasse, commonuit Vir sanctus, de Tertio Ordine instituendo, in quo conjugati Deo perfecte possent inservire; neque quicquam sibi tunc visum consultius, quam ut illum assumerent. Serio de hac re colloquentibus, normam vivendi et genus indumenti pententibus præcepit vestem cineream modestam et cingulum nodosum, formulasque quasdam verbo tenus tradidit, donec Regulam quantocius compilaret. Primos hos veste hac peregrina donavit, a quibus ad Florentinos et ceteros fama transivit... Præter hos pios conjuges admisit ad novum sodalitium Vir sanctus Petrum de Colle, Brunam quemdam, ac Mortolensem alium, quampluresque vicinorum oppidorum et vallis Elsæ incolas, viros pios; ad quorum preces et instantiam hoc anno vel sequenti, quam subjicimus, eis præscripsit Regulam, licet aliquantulum auctam et mutatam per Nicolaum IV summum Pontificem, ejusdem confirmatorem. *Hactenus laudatus Annalista Minorum.*

in oppido Podii-Bonitii, ubi habitabat,

461 *Luchesius iste, S. Antonino* Lucius *dictus, et ab aliis* Lucensis *quoque appellatus, cum titulo* Beati *inscriptus est Martyrologio Trium Ordinum* S. Francisci *ad diem* 13 *Aprilis cum sequenti elogio :* Apud Podium Bonitium in Etruria, beati Lucii confessoris, qui plurimis virtutibus exornatus, habitu Tertii Ordinis suscepto, in vita sanctis operibus, post obitum multis miraculis, coruscavit. *Ad eumdem diem memoratur in Martyrologio Minorum Capuccinorum, ubi* Lucius a sancto Cassino *vocatur : at in Martyrologio Seraphici Ordinis ad diem* 28 *ejusdem mensis sic legitur :* Apud Podium Bonitium in Etruria, beati Lucii confessoris, Tertii Ordinis sancti Francisci, sanctitatis atque miraculorum fama illustris. *Ad hunc postremum diem de eodem* E *actum est in Opere nostro, et gemina ipsius Vita data. Ex utraque discimus, Luchesium vel Lucium cum uxore sua, Bonadonna dicta, primo habitasse in villa Gagiani seu Gaggiani, quæ erat juris Florentinorum in confiniis Senensium sita, atque ab ipsa urbe Senarum septem vel octo millibus passuum dissita; verum inde commigrasse Podium-Bonitium, vulgo* Poggi-Bonzi, *tunc temporis Senensibus subditum, et a prædicta villa viginti circiter passuum millia distans; eoque in castro cum sua prædicta conjuge jam habitasse, dum Tertiarii vestem a* S. Francisco *ibidem accepit. Quam ob rem non satis accurate locutus Waddingus est, dum hæc in villa Gagiani facta ait.*

de quo Beato ex Vitis apud nos datis

462 *Nunc juverit quædam ex Epitome antiquioris Vitæ B. Luchesii, ad diem* 28 *Aprilis apud nos edita, hic recitasse. Num.* 2 *in ea hæc habentur :* His igitur actibus (*divitiis conquirendis ac secularibus negotiis*) implicatus (*Luchesius*) una dierum solitudini vacans, cogitare cœpit Dei summam potentiam, sapientiam et clementiam in creatione, gubernatione et benigna peccatorum tolerantia et receptione; qui ad se reversus optime, labentis hujus miseræ vitæ proposuit cuncta deserere, ac Christo Jesu perpetuo deservire... Quod ut uxori exposuit, Deo laudes multas dedit, et eum de his plurimum confortavit, et se paratam esse ipsum sequi, ejus provoluta pedibus irremediabilibus F lacrymis et singultibus, ut sequeretur inspiratum divinitus, postulare omni instantia procuravit. Tunc vir Dei omnia conjugis assensu vendidit, habitum Fratrum Tertii Ordinis Seraphici Francisci una cum uxore sua sumpsit; ex aliqua parte pecuniæ, quam ex suis bonis accepit, unum hortum quatuor jugerum emit, et totum superfluum, omni mora deposita, pauperibus erogavit *etc.*

quædam hic annotantur.

463 *Similia habet Bartholomæus de Tolomæis, qui Vitam alteram anno* 1520 *scripsit, in qua apud nos cap.* 1, *num.* 7 *de habitu Luchesio aliisque per* S. Franciscum *collato hæc ait :* Benigne condescendens (*S. Franciscus precanti Luchesio*) una cum conjuge sua Bonadonna, quæ ejusdem voti erat, sacro Tertii Ordinis habitu consignivit, necnon et secum viros humiles et devotos, Brunum et Maretolensem, nonnullosque alios convicinorum locorum et vallis Elsæ incolas... non sine magno adstantium fletu, lacrymosis gemitibus et mira cordis compunctione, ejusdem fraternitatis glutino compilavit *etc. Plura ibidem legi possunt. Porro ex his omnibus statuendum est, Tertium hunc Ordinem utcumque quidem cœptum in oppido Canarii seu Cannara in valle Spoletana in Umbria, ac deinde apud Florentinos, sed in castro vel oppido Podii-Bonitii, ut docent ambæ Vitæ B. Luchesii, magis*

 perfectum,

AUCTORE C. S.

perfectum, peculiari Ordinis habitu eidem Beato ejusque conjugi per ipsummet S. Franciscum *tradito, qui deinde Tertiariis omnibus, nisi quos justa ratio eximendos suadebat, communis factus fuit.*

Sunt, qui velint, Tertiam Regulam a Nicolao IV scriptam;

464 *Ejusdem Ordinis Regulam ex Ms. codice conventus Assisiensis aliisque editis recitat Waddingus cum in Annalibus ad hunc annum* 1221, *tum inter Opuscula* S. Francisci, *ibidemque in Præfatione, de qua supra jam memini, postquam dixit, Regulam illam* S. Franciscum *habere auctorem, subjecit:* Sunt vero, qui contrarium putent, et omnino negent, Regulam concinnatam Tertiariis dedisse, et hanc, quæ sequitur, ejus esse, sed Nicolai IV (non tertii, ut habet Sedulius in principio Annotationum ad Vitam divæ Elisabethæ) licet Franciscus eis quædam præscripsisset statuta. *Tum refert aliquot hujus opinionis scriptores, quos ita refellit, ut tamen facile se crediturum profiteatur,* Nicolaum quædam ex suis inseruisse, aliquidve pro temporis et ipsius Ordinis ratione immutasse, quorum, inquit, utrumque ipse Nicolaus insinuavit non obscure in Bulla UNIGENITUS, quam refert Sillin. præcitatus tom. II, part. 7. *Æqua hæc mihi videtur Waddingi sententia : nam, quod ad* S. Franciscum *attinet, omnes antiqui biographi ipsum non minus faciunt auctorem Tertii Ordinis, quam duorum priorum, quibus constat, Regulam ab eo traditam fuisse. Unam et alterum scriptorem producamus.*

B

at nobis dubium non est, quin illa S. Franciscum auctorem habeat;

465 *Thomas Celanensis in Vita num.* 37 Egregius nempe, *inquit,* artifex (*Franciscus*) ad cujus formulam, Regulam et doctrinam efferendo præconio in utroque sexu Christi renovatur Ecclesia, et trina fide (*id est, tribus Ordinibus*) triumphat salvandorum, omnibus tribuebat normam vitæ. *Tres Socii in Appendice num.* 60 : Per beatum Franciscum... Dei Ecclesia in tribus Ordinibus renovatur,... quorum Ordinum quilibet tempore suo fuit a summo Pontifice confirmatus; *utique per confirmationem Regulæ a* S. Francisco *præscriptæ, uti constat de Ordine primo et secundo. S. Bonaventura in Vita num.* 23 : Ipsius sancti Viri ducatu secundum datam ab eo formam, Regulam et doctrinam, Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia salvandorum, sicut et nunc cernimus esse completum. *Rursum num.* 46 : Prædicationis ipsius fervore succensi quamplurimi utriusque sexus, in conjugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam a Dei Viro acceptam, novis se pœnitentiæ legibus vinciebant; quorum vivendi modum idem Christi Famulus, Ordinem Fratrum de Pœnitentia nominari decrevit. *Hæc illi, qui cum ex dictis* § 1 *omnes scripserint multis annis ante Pontificatum Nicolai IV, seu ante annum* 1288,

C

non potuerunt per formulam, normam vitæ, Regulam *et* Ordinem a summo Pontifice confirmatum *designasse bullam, cui Regula inserta est, a laudato Nicolao anno* 1289 *editam. Eadem temporis ratio non patitur, ut iidem biographi censeri possint per* summum Pontificem *ibidem indicasse Nicolaum III; nam ex eodem* § 1 *constat, eosdem laudatos biographos multis pariter annis scripsisse ante ann.* 1277, *cujus mense Novembri Nicolaus III summum Pontificatum accepit. Porro data biographorum dicta interpretari de vitæ norma solum viva voce a* S. Francisco *tradita, mihi cavillari esse videtur.*

quod etiam ex litteris Nicolai quarti

466 *Credo tamen, oppositæ opinioni occasionem natam esse ex laudata bulla Nicolai IV, quod in ea sic loquatur Pontifex, velut ipse insertæ Regulæ conditor esset. Incipit illa :* Supra montem Catholicæ fidei; *exstatque apud Laertium Cherubinum tom. I Bullarii Romani a pag.* 126. *Sic autem in eadem loquitur laudatus Nicolaus post Breve proœmium cap.* 1 : Nos igitur Ordinem ipsum opportunis favoribus prosequentes, ad ejus augmentum benignius attendentes, statuimus, ut omnes, quos ad servandum hujusmodi vitæ formam assumi contigerit, ante assumptionem, seu receptionem ipsorum, de fide Catholica et obedientia erga præfatam Ecclesiam diligentiori examinationi subdantur. *Verum ita loqui potuit Nicolaus, quia Regulam auctoritate Apostolica confirmabat. Nam in ipsa Regula a Waddingo edita caput* 1 *sic incipit :* Si qui voluerint hanc vitam observare, et illos ad eam observandam assumi contigerit, ante assumptionem et receptionem ipsorum *etc., ut ex bulla recitavi. Certe Nicolaus nusquam in ea asserit, Regulam, quam ibidem recitat, Opus suum esse, sed* Francisco *non obscure adscribit.*

D

colligitur, et aperte asseruit Leo decimus.

467 *Præmiserat enim in Proœmio :* Gloriosus Christi confessor B. Franciscus, hujus Ordinis (*Tertii*) institutor, viam ascendendi ad Dominum verbo pariter et exemplo demonstrans, ipsius sinceritate fidei (*Catholicæ*) suos filios erudivit, eosque illam profiteri, constanter tenere, similiter ac opere voluit adimplere, ut per ejus semitam salubriter incedentes mererentur, post præsentis vitæ egastulum, æternæ beatitudinis effici possessores. *Non aliter, quam nos, hanc bullam interpretatus est Leo X, qui apud Cherubinum tomo citato pag.* 541, *anno* 1521 *Tertiam* S. Francisci *Regulam Fratribus et Sororibus, sub religiosis votis in congregatione viventibus, adaptans, hæc ait :* Dudum siquidem hujus gratia Nicolaus Papa IV, prædecessor noster, Tertiam Regulam B. Francisci, quam de Pœnitentia appellavit, per quam almus Confessor homines utriusque sexus fideles, Spiritu Dei plenus, salvare contendebat, CONFIRMAVIT et APPROBAVIT. Verum quia E temporis decursu, spirante illo Spiritu sancto, non solum viri conjugati, mundique hujus incolæ, pro quibus a B. FRANCISCO PRÆFATA TERTIA REGULA EDITA FUERAT, verum etiam innumerarum virginum chori tribus essentialibus... votis... præfati Tertii Ordinis jugo sua colla subdiderunt *etc. Profecto non potuit Leo X Regulam ipsam* S. Francisco, *ejusdemque Regulæ confirmationem Nicolao IV clarioribus verbis attribuere.*

Quædam tamen eidem adjecit idem Nicolaus,

468 *Assentior quoque Waddingo, ab eodem Nicolao aliqua adjecta Regulæ, qualis nunc passim exstat, ac forte etiam quædam in eadem justis de causis fuisse mutata. Sane ita ipsemet Nicolaus testatus est in bulla* Unigenitus, *anno* 1290 *data adversus quosdam, qui priori bullæ obtemperare noluerunt, editaque a Waddingo tom. II Annalium pag.* 195. *Ita, inquam, ipsemet testatus est, dum de priori bulla loquens, ait :* Ordinem ipsum approbando, ordinationes nonnullas salutaris persuasionis nostris litteris in eodem Ordine duximus observandas. Inter cæteras eisdem Fratribus paterno consulentes affectu, ut hujusmodi normam vivendi sequerentur, et sequendo amplecterentur eamdem. Et cum naturalis persuadeat ratio, et rationi æquitas acquiescat, ut prædicti Ordinis professores, ob ipsius Confessoris reverentiam, dilectorum filiorum nostrorum F Ordinis Minorum dirigantur et regulentur doctrina, qui utriusque (*Ordinis*) almus extitit institutor, de Ordine supradicto Fratrum Minorum visitatores et procuratores assumere procurent. Verum quia, proh dolor! nonnulli ex Ordine prædicto Pœnitentium... adversus persuasionem et consilium hujusmodi consurgentes, non metuunt affirmare, quod hujusmodi nostro consilio acquiescentes, illosque sequi volentes, salvari nequeunt in eodem Ordine Pœnitentium *etc.*

ac forte alia quædam in eadem mutavit.

469 *Ut rem clarius lector intelligat, Regula ex Ms. codice a Waddingo edita, cap.* 16 *sic habet :* Visitatorem habeant sacerdotem, qui alicujus approbatæ Religionis existat, quique illis de commissis excessibus injungat pœnitentiam salutarem. Nec quivis alius possit eis hujusmodi visitationis officium exhibere. *His verbis Nicolaus in sæpe dicta bulla anni* 1289 *subdidit :* Quia vero præsens vivendi forma institutionem a B. Francisco prælibato suscepit, consulimus, ut visitatores et informatores de Fratrum Minorum Ordine assumantur, quos custodes vel guardiani ejusdem Ordinis, cum super hoc requisiti fuerint, duxerint assignandos. Nolumus tamen, congregationem hujusmodi a laico visitari. *Hæc omnia absunt a Ms. codice Assisiensi, quem Waddingus in ejusdem Regulæ editione secutus est. Nicolaus itaque visitatorem Fratrum de Pœnitentia,*

A *tia, qui ex Regula* S. Francisci *quilibet sacerdos alicujus Religionis ab Ecclesia approbatæ esse poterat, voluit ex Ordine Minorum assumi; ægreque tulerunt quidam, datam a* S. Francisco *Regulam hac in parte a summo Pontifice mutatam fuisse, quos proinde ille altera bulla anno* 1290 *coercuit. Fortasse eidem Pontifici etiam attribuenda est altera manifesta mutatio facta in ejusdem Regulæ cap.* 5, *ubi cum in codice Assisiensi tempus, quo laborantes ter in die cibum licite sumere possunt, determinetur* a Dominicæ Resurrectionis festo usque ad festivitatem B. Michaelis, *in Regula bullæ Nicolai IV inserta, figitur* a Dominicæ Resurrectionis festo usque ad festivitatem B. Francisci; *quod ultimum a* S. Francisco *certe non fuit statutum. An præter hæc laudatus Pontifex alia mutaverit, non inquiro, quia ex his satis constat de mutatione in Regula ab illo facta.*

Primigeniam Regulam Honorius tertius aut Gregorius nonus approbavit.

470 *At si quis modo roget, a quo igitur Romano Pontifice prima illa a* S. Francisco *scripta Regula approbata fuerit, dicam ego, certum esse, approbatam fuisse non post annum* 1246 *vel* 1247, *quorum alterutro Appendicem suam absolverunt Tres Socii, quibus testibus, trium* Ordinum quilibet tempore suo fuit a summo Pontifice confirmatus. *Dicam secundo, mihi pariter certum videri, id viva voce fa-*

B *ctum ab Honorio III, vel, (si forte illius litteræ, mox laudandæ, agant de aliis Pœnitentibus) ab ejusdem successore Gregorio IX. Ut ita sentiam, faciunt utriusque Pontificis litteræ in favorem Tertiariorum editæ, quæ exstant in Bullario Franciscano, typis Romanis anno* 1759 *excuso; quarum primæ sunt Honorii III, datæ die* 16 *Decembris anni* 1221, *id est, ejusdem anni, quo Ordinem illum a* S. Francisco *institutum fuisse, dixi. Harum exordium est* : Significatum est nobis, *exstantque tom. I, pag.* 8. *In eodem tomo pag.* 50 *leguntur litteræ Gregorii XI, (quæ certe de Tertiariis Franciscanis loquuntur) incipientes* : Nimis patenter, *datæ anno* 1227, *die* 25 *Junii; rursum aliæ ejusdem Gregorii pag.* 51 *signatæ* 22 *Augusti anno* 1229 *cum hoc exordio* : Cum illorum, qui sua novissima; *aliæque pag.* 63 *datæ die* 7 *Junii* 1230, *quæ incipiunt* : Cum dilecti filii, Fratres Tertii Ordinis sancti Francisci. *Itaque cum duo laudati Pontifices Ordinem illum suis privilegiis per memoratas litteras honoraverint, dubium non est, quin ejusdem Regulam, saltem viva voce, approbaverint. Dixi saltem* viva voce, *quia hactenus nullum legi, qui confirmationem ab alterutro*

C *scripto datam protulerit aut indicarit. Pergamus ad alia.*

De indulgentiis Portiunculæ et de quibusdam aliis

471 *Waddingus ad præcitatum annum* 1221 *refert quædam alia, quæ partim incerti temporis ac fidei sunt, partim alibi memoranda; quædam etiam ad propositum meum non pertinentia præter ea, quæ habet ibidem a num.* 22 *de celebrium indulgentiarum per* S. Franciscum *a Christo Domino impetratione visitantibus ecclesiam S. Mariæ Angelorum in Portiuncula, quas sexto jam sæculo mirus omnium populorum consensus magno in pretio habere pergit. Duplicem harum epocham statuit laudatus Annalista; primam ab hoc anno* 1221, *quo illas* Francisco *sine determinato die ab ipsomet Christo, patrocinante Virgine Matre, concessas, et ab Honorio III vivæ vocis oraculo confirmatas affirmat; alteram repetit ab anno* 1223, *quo easdem a Christo denuo ipsi apparente, ait, affixas fuisse diei secundæ Augusti, ducto initio pridie a primis vesperis.*

gestis hujus anni et sequentis agam alibi.

472 *Hinc annum* 1223 *ab hoc facto orditur, totamque illarum historiam prolixe exponit, atque ex vetustis scriptoribus, episcoporum litteris, Pontificum bullis, magni nominis virorum consensu, populorum ad sua usque tempora frequentissimo concursu, aliisque argumentis partim probat, partim confirmat. Exigebat temporis ratio, ut et ego ad utrumque annum de indulgentiis agerem; verum argumenti amplitudo persuasit, ut illud ad Analecta differam. Prolixa enim scribenda erit ea de re dissertatio, in qua et indulgentiæ veritas idoneis instrumentis probetur, et obtrectatorum aliterve opinantium argumenta refellantur. Idem Annalista ad annum* 1222 *multa alia Sancti gesta refert, quorum alia certa quidem sunt ex primis biographis, sed non certi temporis; alia iisdem biographis ignota, ac propterea in Analectis pariter memoranda. De comitiis hoc anno* 1222 *in Pentecoste de more habitis nihil ambigo, at nihil quoque singulare in iisdem actum legi; quare cogor ad annum* 1223 *festinare.*

AUCTORE C. S.

§ XXI. S. Franciscus Regulam compendiosiorem facit in monte, Spiritu sancto inspirante : varia hujus historiæ adjuncta a nonnullis tradita, sed non omnia satis firma.

Sanctus divinitus monitus

Hactenus *Ordo Fratrum Minorum, quem* S. Franciscus *e tribus primum instituerat atque ipsemet profitebatur, usus fuerat Regula ab illo conscripta, annoque* 1209 *ab Innocentio III summo Pontifice vivæ vocis oraculo approbata quidem, sed nullis Apostolicis litteris confirmata. Hoc anno* 1223 *sanctus Institutor de obtinenda ab Honorio III, qui Innocentio successerat, suæ Regulæ confirmatione, scripto consignata, serio cogitavit. Non tamen eamdem, si verba spectes, quam laudatus Innocentius verbo approbaverat, Honorio confirmandam obtulit.* E *Audiamus S. Bonaventuram in Vita edenda num.* 34 *hac super re loquentem.* Cum autem (*inquit*) dilatato jam Ordine, vivendi formam, per dominum Innocentium approbatam, disponeret per successorem ipsius Honorium in perpetuum facere roborari, hujusmodi fuit a Deo revelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere.

in monte jejunans, inspirante Spiritu Sancto, Regulam dictat,

474 Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei desuper ait : Francisce, unam de omnibus micis hostiam facito, et manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicunque illud non devote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti notabiles apparebant. Recitat mane Vir sanctus hæc omnia sociis, dolens, se non percipere mysterium visionis. Sequenti vero die, cum vigil in oratione persisteret, hujusmodi vocem de cælo delapsam audivit : Francisce, micæ præteritæ noctis verba Euangelica sunt; hostia Regula; lepra iniquitas. *Per hanc visionem intellexit* Franciscus, *Regulam, cujus confirmationem desiderabat, compendiosius esse scribendam. Hinc subdit Bonaventura :* Volens igitur confirmandam Regulam, ex verborum Euangelii aggregatione profusius traditam, ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat visio F monstrata, redigere, in montem quendam cum duobus sociis, Spiritu sancto ducente, ascendit; ubi pane tantum contentus et aqua jejunans, conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat.

amissamque ibidem renovat, quam confirmavit Honorius Papa.

475 Quam cum de monte descendens servandam suo vicario commisisset, et ille, paucis elapsis diebus, assereret, per incuriam perditam; iterato sanctus Vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, acsi ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit, et per supradictum dominum Papam Honorium octavo Pontificatus illius anno, sicut optaverat, obtinuit confirmari. Ad cujus observantiam fratres ferventer inducens, dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Jesu digito Dei vivi, tanquam bulla summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam Regulæ et commendationem Auctoris. *Visum fuit hæc, etsi paulo prolixiora, ex S. Bonaventura describere, quia modum, quo Regula illa scripta fuit, aliaque adjuncta continent, ab aliis prioribus biographis prætermissa, ex sola tamen sancti doctoris auctoritate omnino historice certa.*

Tres

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S.

Tres Socii num. 62 *de Regula per Honorium III confirmata solum aiunt, fuisse* aliam (*a prima scilicet ab Innocentio III approbata*) Regulam a beato Francisco, Christo docente, compositam.

Præmissæ S. Bonaventuræ relationi

476 *Waddingus præter S. Bonaventuram laudans Marianum suum, alia addidit adjuncta, quæ Marianus partim accepit ex Pisano, quem proinde antea audiamus. Lib.* 1, *Conformitate* 9, *editionis Mediolanensis anni* 1510, *postquam ex S. Bonaventura retulit visionem de hostia ex multis micis panis compingenda et porrigenda fratribus etc., sic prosequitur Pisanus :* Qua visione beatus Franciscus prænonitus, assumptis duobus sociis, fratre videlicet Leone et fratre Bonizo de Bononia, ad montem fontis Polumbæ juxta Reate perrexit, ubi pane tantum contentus et aqua jejunans, Regulam fecit scribi, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. Quam cum de monte descendens servandam fratri Heliæ suo vicario tradidisset, ille, ea perlecta cum sibi non placeret, ipsam destruxit, dicens, se per incuriam eam perdidisse seu amisisse. Sed iterato Vir sanctus ad montem rediens præfatum, et jejunans, eam adinstar prioris, acsi ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit, et per Honorium octavo sui Pontificatus anno, ut B optaverat, confirmari obtinuit.

Pisanus multa addidit,

477 *Huc usque satis presse secutus est Bonaventuram; sed post pauca huc non facientia, ita perrexit :* Sciendum, quod, cum beatus Franciscus Regulam, vicario traditam et amissam, iterato vellet reparare, frater Helias, qui Regulam viderat et tenorem sciebat, ministris notificavit, beatum Franciscum talem Regulam velle facere. Qui ad ipsum congregati inducebant fratrem Heliam, ipsius beati Francisci vicarium, ut ad ipsum iret, et sibi diceret pro parte ipsorum, quod Regulam ipsam faceret pro se, et non pro eis; quia ad ipsam nolebant esse obligati. Sed frater Helias timens beati Francisci reprehensionem, respondit eis, quod ire nolebat : sed instantibus ipsis, quod iret, dixit, se nolle ire sine ipsis. Et tunc omnes simul iverunt. Cumque esset frater Helias prope locum, ubi erat beatus Franciscus, vocavit ipse frater Helias beatum Franciscum. Quo respondente, et videnter prædictos ministros, dixit : Quid volunt isti fratres? Et frater Helias respondit : Isti sunt ministri, qui audientes, quod facis novam Regulam, et timentes, quod facias eam nimis asperam, dicunt et protestantur, quod nolunt esse obligati ad eam : facias eam pro te, et non pro eis.

et alia item Marianus apud Waddingum; secundum quos C

478 Quo audito, vertit faciem suam beatus Franciscus ad cælum, et loquebatur Christo sic : Domine, nonne bene dixi tibi, quod ipsi non crederent mihi. Tunc audierunt omnes vocem Christi respondentem in aere : Francisce, nihil est in Regula de tuo, sed totum est meum, quicquid ibi est. Et volo, quod Regula sic servetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glosa, sine glosa, sine glosa. Et addidit Christus : Ego scio, quantum potest humana fragilitas, et quantum volo eos juvare. Qui ergo nolunt eam servare, exeant de Ordine. Tunc beatus Franciscus vertit se ad illos fratres, et dixit eis : Audistis, audistis : vultis, quod iterum faciam vobis dici? Tunc ministri seipsos inculpantes, confusi et territi recesserunt. *Hactenus Pisanus : nunc ad Waddingum veniamus.* Volens igitur, *inquit,* confirmandam Regulam, ex verborum Euangelii aggregatione profusius traditam, ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat visio monstrata, redigere, ad vallem Reatinam descendit.

Franciscus tunc 40 diebus jejunavit : Elias cum aliis

479 Deinde simul cum fratribus Leone et Bonizio in montem Columbæ, seu Rainerii, ab urbe Reatina secundo lapide ad Meridiem, Spiritu sancto ducente, conscendit, ubi in altissimæ petræ scissura per quadraginta dies in pane tantum et aqua jejunans eam fecit conscribi, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. *Post hæc, interjectis quibusdam de tempore, quo hæc contigerunt, correctoque errore Abrahami Bzovii, qui eadem anno* 1216 *innexuerat, ex S. Bonaventura refert supra dicta de Regula vicario tradita, et per incuriam, uti hic asserebat, amissa, ideoque in eodem monte denuo scripta. Sed cum Pisano addit, Heliam vicarium, dum* S. Franciscus *montem secundo ascenderat, indicasse ministris, quid Sanctus ageret, cum iisque, ut num.* 477 *dictum est, illuc quoque ascendisse, ut intercederet. In eo tamen variat, quod non dicat,* Franciscum *ab Helia fuisse vocatum, sed ex divina revelatione illorum adventus causam intellexisse. Illius verba habe :* Perrexerunt omnes unanimiter novæ Regulæ reluctari; sed, dum erant in via, nihil non revelatum Francisco, qui montis supercilium superantibus ex petræ crepidine prosiliens occurrit, ad indignantis modum fratrem Heliam interrogans, quid sibi vellet ipse, aut ministrorum comitatus? D

pervicaciter Regulæ intercessit, sed illa a Christo coram illis

480 Ille humili voce demissisque oculis, timens, sanctum Patrem offensum iri, dixit : Ministri audierunt, novam sibi efformari Regulam, humanis viribus superiorem, induxeruntque me huc, ut pro vicarii ratione de temperando agerem instituto; neque enim duriori se volunt adstringere. Turbatus spiritu Franciscus infremuit, vultumque oculosque ad cælum convertens, vehementi affectu dixit : Domine, nonne prædixi, hos mihi non credituros? Ut quid me in vanum laborare coegisti? E Ego institutum hoc cum pauperculis meis sociis ad mortem usque servabo; nolentes hos et dure resistentes compellere nequibo. Dictu mirum! Statim in lucida nube apparuit super Hominem Christus Dominus, qui, audientibus cunctis, dixit ei : Homuncio, quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? Tune legislator, tune hujus vitæ præceptor? Nonne omnia Regulæ præcepta a me præscripta, nonne tabulæ hæ a me formatæ? Tu dumtaxat tenue hujus operis instrumentum et calamus scribentis.

approbata fuit; intercessores redarguti,

481 Novi ego, quid dictaverim, novi, quid velim præcipere; vires humanæ mihi compertæ; scio, quid possint, et quantum ego valeo et volo præstare subsidium. Volo proinde, ut Regula hæc observetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glosa, sine glosa, sine glosa. Si ergo nolunt isti observare, deturbatis, tanquam discolis et rebellibus, ex hac sodalitate, illorum loco alios substituam, et si opus fuerit, noviter nasci et oriri faciam, atque de lapidibus istis sinceros hujus instituti sectatores resuscitabo. Ad hæc verba trementibus subjunxit Vir sanctus ex eminenti, in qua hærebat genuflexus, petræ scissura : Charissimi fratres, plus satis vobis constat, in hac vestra conspiratione Dei voluntati vos restitisse, neque tam ad Dei circa nos providentiam, quam ad humanos F sensus et infirmam vestram prudentiam vos respexisse. Audistis, audistis ipsi vocem claram de nube delapsam? Quodsi adhuc non tinniunt aures vestræ, faciam, iterum eandem demitti. Confusi illi et territi obmutuerunt, cecideruntque in facies suas et timuerunt valde.

ac deinde animati, petierunt, paupertatem nonnihil relaxari,

482 Tunc benignus Pater, de scissura petræ descendens in areolam, accedens ad filios, pieque confortans, singulos apprehendit, dicens : Surgite, et nolite timere; sed velut milites Christi, accipite armaturam Dei, et induimini arma lucis, ut possitis in die malo resistere dæmonis insidiis, quas absque dubio vobis sternet in via hac, qua ambulatis. Condita porro et absoluta Regula, velut alter Moyses portans tabulas Legis, descendit de monte, facie ignita et coruscanti, ut iis, qui aderant in vicino tuguriolo, ostenderet acceptam a Christo vitæ normam, eamque transmitteret per præcipuas Ordinis provincias, ut unusquisque, quid sibi videretur, exponeret. Præsentibus id visum, ut juxta cæterarum Religionum consuetudinem saltim quidquam in communi eis liceret habere : brevi enim tempore adeo crevisse, allegabant, sodalitium, ut verosimile sit, ante plures annos tot consodales futuros, ut intra strictæ paupertatis metas non possint contineri.

483 Ille ad locum, unde venit, reversus, cum vero

quod consultus a Sancto Christus abnuit: de adjunctis

A vero Legislatore et Magistro (*Christo*) iniit consilium, a quo ita responsum : Ego pars et hæreditas eorum ero; nolo, ut immisceantur terrenis curandis : omnium hujus vitæ virorum me constituo œconomum, nec permittam, ut quidquam ex necessariis vitæ elementis eis deficiat, dum illi curaverint hanc Regulam observare. Quo major eorum numerus, eo major videbitur mea providentia; dum in me jactaverint cogitatum suum, enutriam eos, neque in æternum dabo fluctuationem justis. Cunctis per ordinem relatis, acquieverunt Ministri Dei voluntati et salutaribus Francisci consiliis, cum quo Assisium redierunt, ubi iterum expansa Regula, et ab omnibus approbata, deinde ad provinciarum præfectos transmissa, ut examinaretur, antequam peteretur Pontificis confirmatio. *Hæc Waddingus* (*quem secutus Chalippus est*) *ex Chronico Mariani Florentini. Manifestum autem est, Vitam* S. Francisci *a Bonaventura scriptam præluxisse Pisano et Mariano; nisi hic solo Pisano usus sit, vel Waddingus ipse addiderit, quæ cum laudato sancto doctore habet communia. Pisanus Bonaventuræ narrationi addens nomina Fratrum, qui cum* S. Francisco *montem ascenderunt, vocat illos* Leonem *et* Bonizum; *montemque ipsum Pisanus* Fontis Polumbæ, *Waddingus* Columbæ

B seu Rainerii *dixit, et ambo eum prope urbem Reatinam statuerunt.*

scriptores variant: sed historiam

484 *Sed Waddingus addidit,* S. Franciscum in altissimæ petræ scissura *ibidem tunc commoratum esse. Eumdem solo pane et aqua contentum jejunasse, post S. Bonaventuram Pisanus asseruit; at neuter spatium temporis indicavit, quod Waddingus ex suo, opinor, Mariano* per quadraginta dies *produxit. Bonaventura ait, vicarium, cui Sanctus Regulam, in monte conscriptam, servandam dederat, paucis post diebus dixisse, eam* per incuriam perditam; *nec negat, id ita revera factum esse : Pisanus narrat, ita quidem ab Helia vicario simulatum, sed Regulam, quia displicebat, re ipsa ab ipso fuisse destructam; Waddingus solum refert, Heliam simulasse amissam Regulam, quia æquo asperior ei videbatur. De ejusdem Heliæ et Ministrorum adversus Regulam conspiratione et intercessione nullum prorsus verbum fit apud S. Bonaventuram; nec magis de Christo respondente in aere, sive tunc vox illa solum audita fuerit, ut insinuat Pisanus, sive etiam Christus tunc apparuerit supra* Franciscum in nube lucida, *uti ex Mariano tradidit Waddingus. Par est ejusdem sancti doctoris silentium de postulatione Ministrorum pro aliquibus rebus in communi possidendis, deque propterea iterato sancti Institutoris in*

C *eumdem montem ascensu, ceterisque adjunctis, quæ ex Waddingo retuli. Solus item hic ex laudatis scriptoribus, aut Marianus, dixit,* Franciscum, *dum secundo descendit de monte, fuisse, velut alterum Moysen,* facie ignita et coruscanti. *Mitto minores variationes, quæ in eorumdem relationibus occurrunt.*

improbabilem faciunt silentium veterum, quam refert

485 *Ego quo magis historiam hanc expendo, eo magis* (*si ea, quæ ex Bonaventura continet, excipias*) *cogor pro fictitia habere, non una ductus ratione. Prima est veterum scriptorum de re tam memorabili publicaque silentium, quam nec ignorare poterant, nec taceri permittebat totius Ordinis Minorum utilitas : quid enim et ad hunc exteris commendandum, et ad exactam Regulæ observationem illius alumnos exstimulandos aptius validiusque dici poterat, quam hanc coram præcipuis ejusdem Ordinis prælatis manifesta Christi Domini sententia probatam atque* sine *ulla* glosa ad litteram *observari jussam fuisse? Silet tamen in primis ipsemet* Franciscus *in Testamento suo infra recitando, licet ejusdem Regulæ observationem in eodem diligenter commendet, glosasque in ea facere vetet, utque id melius inculcet, dicat :* Sicut dedit mihi Dominus, pure et simpliciter dicere et scribere Regulam... ita simpliciter et pure sine glosa intelligatis et cum sancta operatione usque in finem observetis. *Atqui erat hic profecto de divina ista confirmatione monendi locus, ne quis prædicto Ministrorum exemplo provocatus eidem Regulæ reluctari auderet. Silet pariter Thomas Celanensis, silet anonymus scriptor Vitæ, quam secundam appellamus; silent Tres Socii in Appendice edenda, quamvis his propositum fuerit supplementum aliquod ad priores Vitas scribere. Atque horum quidem silentium etiam magis urget, si Leo, unus eorum, cum* S. Francisco *tunc fuisse dicatur in monte, dum res contigit, ut Pisanus supra affirmavit.*

AUCTORE C. S.

Ordinis interat; personarum probitas,

486 *Silet denique S. Bonaventura, qui post illos* S. Francisci *Vitam scripsit, cui si ea res nota fuisset, procul omni dubio pro ejusdem Regulæ commendatione cælestem illam vocem adjecisset duobus argumentis, quæ supra num.* 473 *pro eadem ab ipsius* S. Francisci *veraci testimonio et impressis ipsi sacris stigmatibus petiit. Par omnino de eodem facto apud ipsum silentium est in aliis illius Opusculis, in quibus Ordinem Minorum instruxit et adversus calumniatores tutatus est, ac nominatim in eo, quod* Expositio in Regulam Fratrum Minorum inscribitur, *in qua scribendi argumentum non potuisset ipsum non admonere, ne præteriret, quod ad eam Regulam commendandam præ ceteris omnibus valebat. Atque hæc de silentio veterum; nunc rem ipsam expendamus. Suspectæ mihi sunt istæ fratris Heliæ aliorumque Ministrorum Ordinis adversus* S. Franciscum *Regulamque conspiratio et intercessio* E *audax, ad quas compescendas Christus ipse intervenisse perhibetur. Durum enim est, nec satis, opinor, æquum, sine certioribus vadibus credere, si minus Heliam* (*quem tamen ultra meritum culpari, alias observabo*) *saltem ceteros illos Minorum Ministros, viros utique graves ac pios, fuisse tam pervicaciter reluctatos* Francisco, *quem omnes velut amantissimum patrem suum, et Spiritu Dei plenum merito venerabantur, et cujus eximiam sanctitatem miramque cum Deo conjunctionem multis argumentis et miraculis perspectam habebant.*

et perperam allegata reluctantiæ causa,

487 *Adhæc reluctantiæ causa, quam allegant, nempe quod Regula ista asperior esset priori, mihi non videtur subsistere. Etenim Regula, quam veluti omnium primam edidit Waddingus, vel ipsis etiam verbis conformis est approbatæ ab Innocentio III, vel solum sensu seu præceptis, ut mihi potius visum est* §11; *utro modo malis, non deprehendo inter hanc eamque, quam confirmavit Honorius III, tantum intercedere discriminis, ut, qui priorem dudum professi fuerant, potuerint posterioris observantiam nimiæ severitatis titulo detrectare. Id discriminis inter utramque etiam non advertit Honorius III, qui posteriorem, velut a priore non diversam reputans, in bulla confirmationis ait :* Ordinis vestri Regulam a bonæ memoriæ Innocentio Papa, Præ- F decessore nostro approbatam, annotatam præsentibus authoritate vobis Apostolica confirmamus. *Imo vero, si utramque Regulam a Waddingo editam conferamus, posteriorem minus severam, quam primam deprehendemus. In prioris capite* 2 *dicitur :* Qui promiserunt obedientiam (*id est, Ordinem professi sunt*) habeant unicam tunicam cum caputio (*id est, tunicam superiorem*) et aliam sine caputio (*id est, interiorem*) si necesse fuerit. *In posterioris Regulæ cap.* 2 *omissis illis :* Si necesse fuerit, *substituta sunt ista mitiora :* Qui voluerint habere; *additurque, de quo in prima nulla exstat mentio, usus calceamentorum, dum necesse videbitur his verbis :* Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta.

cum secunda Regula minus severa sit,

488 *Rursum in primæ cap.* 3 *dicebatur :* Omnes fratres jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Natale, et ab Epiphania, quando Dominus noster Jesus Christus incepit jejunare, usque ad Pascha : *in secundæ cap.* 3 *præceptum de jejunio ab Epiphania tollitur et mutatur in consilium his verbis :* Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, qui voluntarie eam jejunent, benedicti sint a Domino, qui vero nolunt, non sint adstricti. *Hinc Waddingus ad hunc locum annotavit sequentia :* In præcedenti Regula jejunium hoc non erat spontaneum,

AUCTORE C. S.

taneum, et ad Pascha Resurrectionis protendebatur. Vide cap. 5. *Item in primæ cap.* 15 *fornicationis pœna statuitur exspoliatio habitus Minoritici et ex Ordine expulsio; quod non fit in secunda, sed in hujus capite* 7 *jubentur superiores eis, qui* mortaliter peccaverint, cum misericordia *pœnitentiam injungere. Denique tempus conveniendi ad capitulum generale in Pentecoste ad S. Mariam in Portiuncula, quod in primæ cap.* 18 *Ministris, in ultramarinis partibus non versantibus, præstitutum fuerat annuum, in secundæ cap.* 8 *ad triennium dilatum est,* vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a prædicto Ministro fuerit ordinatum. *Cur autem id factum sit, Tres Socii apud me in Appendice sic tradunt :* In qua Regula prolongatus est terminus capituli propter vitandum laborem fratrum, qui in remotis partibus commorantur.

quam prima : nec historia illa sat aptum testem habet.

489 *Porro, ut in hisce secunda Regula certe minus severa fuit priori, ita in hac frustra quæsivi, quod austeritate sua reluctandi occasionem dare potuerit priorem jam ante professis. Urgent hæc maxime in sententia Waddingi, qui, quam primo loco typis vulgavit, pro prima habet, quam vivæ vocis oraculo Innocentius III approbavit; mihi enim ob rationes* § 11 *datas multo verisimilius apparet, eamdem præceptis quidem omnium primæ conformem, non tamen etiam verbis omnium primam fuisse; sed unam ex iis, de quibus Tres Socii in Appendice num.* 33 *aiunt :* Plures Regulas fecit (*S. Franciscus*) et illas expertus est, priusquam faceret illam, quam ultimo reliquit fratribus, *id est, quam Honorius III confirmavit. Ex dictis collige, quid censendum sit de altero eorumdem Ministrorum conatu pro quarumdam rerum communi possessione, Sanctique propterea in montem regressu; qui quidem conatus etiam minus verosimilis videri deberet, si constaret, Regulam, quæ hujusmodi possessionem vetat, eo, quo supra dicti scriptores narrant, modo coram iisdem Ministris ab ipsomet Christo confirmatam fuisse. Nam ego quidem difficulter inducar, ut credam, religiosos illos viros ausos fuisse petere mutationem in Regula, cujus præcepta omnia a Christo præscripta, et ad litteram sine glossa observanda esse, ex ipso Christi ore paulo ante audivissent.*

B

Incerta sunt, quæ de quadraginta dierum jejunio ;

490 *Ignotum mihi est, unde didicerit Marianus, sæculi* XV *scriptor,* S. Franciscum, *dum Regulam dictabat in monte,* per quadraginta dies *in pane et aqua jejunasse, fuisseque* facie ignita et coruscanti, *quando e monte descendit. Vehementer tamen suspicor, hisce duobus adjunctis historiæ addendis occasionem natam esse ex qualicumque similitudine, quæ inter modum Veteris Legis Moysi divinitus datæ, modumque hujus Regulæ dictatæ intercessit. Nam, quemadmodum ex divinis libris novimus, Moysen post quadraginta dierum ac noctium sine ullo cibo potuque jejunium Tabulas Legis a Deo accepisse in monte Sinai; hisque ob idololatriam populi confractis, duas alias, quas ipse ad eumdem montem attulerat, similiter digito Dei inscriptas, eique traditas fuisse : ita, teste Bonaventura,* S. Franciscus *ad scribendam Regulam in quemdam montem ascendit,* ubi pane tantum contentus et aqua jejunans, conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat; *eumque hanc vicarius ejus, cui servandam tradiderat,* assereret, per incuriam perditam, iterato sanctus Vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, acsi ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit.

C

et Sancti facie coruscante ea occasione narrantur.

491 *Propter hanc quamcumque similitudinem Pisanus ejusdem Regulæ dignitatem pensans,* Sic ergo, *inquit,* apparet ex dictis, quali modo est confecta Regula nostra, quam profitemur; quia scilicet jejunio et oratione. Quali in loco? quia in monte. Quali auctore? quia videlicet Domino Jesu Christo eam beato Francisco revelante : unde ad instar Legis Moysi jejunio in monte, et Deo dictante, facta est et data. *Ita Pisanus, nec inepte; verum apud Marianum (puto, ut major esset similitudo)* Francisci *jejunium, cujus durationem non expressit Bonaventura, ad quadragenarium dierum numerum extensum est; utque in libro Exodi cap.* 34, ℣ 29 *legitur :* Cumque descenderet Moyses de monte Sinaï, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini; *sic apud Marianum de* S. Francisco *dicitur :* Velut alter Moyses portans tabulas Legis, descendit de monte, facie ignita et coruscanti, ut iis, qui aderant in vicino tuguriolo, ostenderet acceptam a Christo vitæ normam. *Ne pluribus lectorem morer, narratio S. Bonaventuræ, quam dedi, indubitatam fidem historicam exigit; pro reliquis adjunctis certiores vades non habeo, quam Bartholomæum Pisanum, qui scripsit sub finem sæculi* XIV, *et Marianum Florentinum, Pisano juniorem, neutrum rei, quam hic referunt, satis propinquum, vel sat magnæ auctoritatis.*

D

Ministrorum provincialium consensus pro petenda Regulæ confirmatione

492 *Ex opinione Waddingi num.* 485 *relata, postquam Regula a fratribus, qui Assisii aderant, tandem approbata fuerat, etiam fuit* ad provinciarum præfectos transmissa, ut examinaretur, antequam peteretur Pontificis confirmatio. *Haud scio, an hæc ille ex aliquo vetusto scriptore didicerit, an solum ita conjecerit, quia æquum videbatur, ut ad Regulam perpetuo stabiliendam expeteretur consensus provincialium ministrorum, qui in partem regiminis Ordinis adsciti erant. At cur id non potius factum credamus in ejusdem anni* 1223 *generali capitulo Pentecostes, ad quod ex fixa lege omnes isti ministri convenire debebant, et in quo ea res multo melius certiusque coram perfici poterat, quam inter absentes et in provinciis longe dissitis commorantes, quos per litteras consulere, ac forte diversa opinantes in eamdem sententiam adducere, operosius fuisset ac temporis longioris.*

E

verisimillime in comitiis generalibus obtentus fuit

493 *Nihil autem cogit nos credere, Regulam scriptam non fuisse ante festum Pentecostes, quod eodem anno* 1223 *incidit in diem* 22 *Maji; nam Waddingus ipse statuit,* S. Franciscum *mense Januario ejusdem anni Assisio Romam profectum, ut de determinando die celebris indulgentiæ Portiunculæ cum summo Pontifice ageret, eoque determinato, inde secessisse in montem Rainerii, ut Regulam formaret. Nulla quoque ratio apparet, ob quam* S. Franciscus *credatur ab hujus anni generalibus comitiis præter morem abfuisse. Quapropter, si consensus ministrorum provincialium pro petenda confirmatione Regulæ (quod verisimillimum est) reipsa petitus fuit, id in generalibus comitiis factum existimo.*

§ XXII. S. Franciscus Regulæ suæ confirmationem anno MCCXXIII ab Honorio III obtinet : coram Pontifice concionatur : protectorem Ordinis ab eodem impetrat : aliæ ejusdem Pontificis litteræ in favorem Ordinis datæ.

F

Præcipua causa petendi confirmationem Regulæ fuit,

Diximus *præcedenti* §, S. Franciscum *ea mente Regulam novis curis concinnasse, ut eam a summo Pontifice Honorio III, qui anno* 1216 *Innocentio item III successerat confirmandam curaret; idque hoc eodem* 1223 *feliciter perfecit. De hoc argumento, silente Thoma Celanensi, agunt Tres Socii in Appendice num.* 62, *Anonymus Perusinus, cujus verba dabo inferius, sanctusque Bonaventura in Vita num.* 34 *et sequentibus. Cur sanctus Institutor, qui Regula solo vivæ vocis oraculo ab Innocentio III approbata hactenus contentus fuerat, nunc pro ejusdem confirmatione scripto obtinenda laboraverit, S. Bonaventura verbis num.* 473 *datis non aliam causam allegavit, quam quod ille Ordinem suum jam mirifice propagatum videret. Erat hæc certe sufficiens ratio, nimirum ut fratribus suis, longe lateque dispersis, per Apostolicam Romani Pontificis auctoritatem certum præsidium, totique Ordini stabilitatem conferret. Eamdem rationem Tres Socii confirmant, aliamque præterea tum magis urgentem adjiciunt.*

495 *Ex illis et Anonymo Perusino* § 15 *narravi-*

nus

A *mus, fratres, qui ex comitiis generalibus anni* 1219 *ad ultramontanas, nominatim Allemanniæ Hungariæque, provincias missi fuerant, pro suspectæ fidei hominibus habitos, et post multas acceptas atroces injurias inde recedere compulsos; eo quod Minorum Ordo, licet ab Innocentio III viva voce approbatus, adhuc nullis Pontificiis litteris canfirmatus esset, quibus id illi possent probare. Aiunt ergo laudati Tres Socii, ut huic malo imposterum caveretur, Hugolinum Cardinalem Ostiensem,* S. Francisco *et Ordini Minorum mire deditum, curasse, ut sæpe dicta Regula ab Honorio III, qui Innocentio in Pontificatum successerat, Apostolica bulla confirmaretur. His consentientia narrat Anonymus Perusinus, qui etiam paulo plus Hugolino hic attribuit. Verba ejus, quibus fratres in prædictis provinciis pessime habitos ejectosque ait,* quia adhuc non habebant fratres confirmatam apprehensam Regulam, *dedi supra num.* 535; *quæ vero huc spectant, subjicio.* Notificaverunt autem hoc fratres dicto Cardinali, domino Ostiensi. Qui vocato ad se B. Francisco, duxit eum ad dominum Papam Honorium, quia dominus Innocentius fuerat jam defunctus; et fecit scribi sibi aliam Regulam, et confirmari. Et B Dominus Papa sigilli munimine roboravit.

quod Minores in aliquot provinciis pessime excepti fuissent,

uti expresse docent Tres Socii.

496 *Hæc eadem etiam infra confirmabuntur, ubi de comitiis anni* 1224 *agam, ostendamque, vexationes, Minoribus in supra dictis provinciis ultramontanis ante suscitatas, cessasse, postquam illi cum Regula Pantificiis litteris confirmata, aliisque Cardinalium epistolis commendatitiis muniti ad eas redierunt. Waddingus ad annum* 1219 *num.* 18, *ac rursum ad annum* 1220 *num.* 56 *Honorii III litteras recitat, in quibus Minorum Ordinem ab Ecclesia approbatum asserens, eos commendat. Primæ inscriptæ leguntur* archiepiscopis et episcopis, abbatibus et decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prælatis; *posteriores vero,* venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, ac aliis ecclesiarum prælatis per regnum Franciæ constitutis. *Ambæ si recte signatæ sunt, confirmationem Regulæ certo præcesserunt. Quia tamen Tres Socii sic loquuntur, quasi nullæ hujusmodi litteræ eamdem præcessissent, quasque ad annum* 1220 *retulit Waddingus, eæ ad solos prælatos Franciæ directæ sunt, forsitan aliæ illæ anno* 1219, *sed sine loco signatæ, vel ad particularem aliquam provinciam, cujus nomen exciderit ex apographis, destinatæ fuerunt, vel in provincias Alemanniæ Hungariæque numquam illatæ; aut certe dicendæ sunt in iisdem provinciis desiderato successu caruisse, ac propterea a Tribus Sociis non* C *fuisse memoratæ.*

Honorius anno 1223 *confirmat Regulam*

497 *Rebus ita, ut dictum est, constitutis,* S. Franciscus *Romam profectus, adjuvante Cardinale Hugolino, Regulæ suæ confirmationem litteris Apostolicis consignatam ab Honorio III obtinuit. Waddingus ibid. num.* 16 *eidem confirmationi de Honorio hæc præmittit :* Qui lectam dum rigidam nimis putaret, velletque quædam mutari, Franciscus gravissime sanctissimeque confirmavit, ne verbum quidem unum de suo ibi positum, sed omnia, ut erant a Christo Domino inventa et dictata. *Potuit revera ita videri Honorio, uti visum fuisse Innocentio III, testantur Tres Socii num.* 49 *et Bonaventura num.* 35; *id tamen de Honorio apud veteres non lego. Nec magis apud illos invenio istud* S. Francisci *responsum; sed S. Bonaventura num.* 56 *tradit, ipsum eadem dixisse fratribus, ut hos ad exactam Regulæ observantiam induceret. De tempore confirmatæ Regulæ constat ex ipso Honorii diplomate, quod tum in tomo I Bullarii Romani, tum in novo Bullario Franciscano, alibique datum legitur* Laterani tertio Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno octavo. *Hæc indicant præcitatum Christi ann.* 1225, *cujus die* 29 *Novembris currebat annus octavus Pontificatus Honorii III, qui mense Julio anni* 1216 *Innocentio III sucesserat. Andreas Dandulus in Chronico apud Muratorium tom. XII Script. Italiæ col.* 345 *pro anno* octavo *Pontificatus* nonum *posuit his verbis :* Honorius Papa anno IX ejusdem Ordinem Minorum confirmavit. *Reponendum esse* octavo *pro* nono, *indubitatum est; alias enim ejusdem Regulæ confirmatio illiganda esset anno Christi* 1224, *quod certo falsum est.*

AUCTORE C. S.

498 *Optime S. Antoninus part.* III *Histor., tit.* XXIV, *cap.* 7, § 4, *postquam dixerat,* S. Franciscum *priorem Regulam anno* 1223 *in compendiosiorem contraxisse, ait :* Eodem anno fuit Regula illa per Honorium tertium approbata, Pontificatus ipsius anno VIII, ab inceptione Ordinis, ex quo Beatus cepit habere fratres, anno XV, *id est, ab anno* 1209, *uti* § 7 *ac num.* 148 *probatum est. Diploma Honorii apud Waddingum aliosque sic habet:* Honorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis, fratri Francisco et aliis fratribus de Ordine Fratrum Minorum, salutem et Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impartiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati, Ordinis vestri Regulam, a bonæ memoriæ Innocentio Papa, Prædecessore nostro, approbatam, annotatam præsentibus, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, et præsentis, scripti communimus. Quæ talis est. *Hic subditur tota Regula, in duodecim capita distincta, sub hoc titulo :* In nomine Domini, incipit E Regula Fratrum Minorum. *In fine hæc sequitur clausula :* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani tertio Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno octavo.

bulla edita, cujus initium et finis recitatur.

499 *Tres Socii in Appendice num.* 62 *solum unius decreti, quo hæc Regula a prima per Innocentium approbata differt, meminerunt his verbis :* In qua Regula (*ab Honorio III confirmata*) prolongatus est terminus capituli propter vitandum laborem fratrum, qui in remotis partibus commorantur. *Ut hæc intelligantur, repetendum est, quod de* S. Francisco *uno alterove anno post probatam ab Innocentio primam Regulam dixerant num.* 57. Post prædictum autem locum Sanctæ Mariæ (*de Portiuncula*) obtentum a præfato abbate, ordinavit beatus Franciscus, quod ibi capitulum fieret bis in anno, scilicet in Pentecoste, et in Dedicatione sancti Michaelis. In Pentecoste conveniebant omnes fratres apud sanctam Mariam, et tractabant, qualiter melius possent Regulam observare, atque constituebant fratres per diversas provincias *etc. Itaque* S. Franciscus, *obtento loco S. Mariæ de Portiuncula, Regulæ ab Innocentio approbatæ tunc adjecit ordinationem de capitulo generali quotannis celebrando, vel, si id in priori illa Regula jam ordinasset, locum et diem, aut certe locum adjecit. Annuum tunc fuisse capitulum generale, diserte etiam tradit Bartholomæus Pisanus lib.* II, *conform.* 4, *in editione Mediolanensi fol.* CLXIX *verso, ubi ait :* Semel cum appropinquaret tempus capituli generalis, quod fiebat omni anno apud sanctam Mariam de Portiuncula *etc.*

In hac Regula tempus comitiorum generalium,

500 *Hoc* Francisci *decretum etiam agnovit Waddingus in Annalibus ad annum* 1212 *num.* 45, *et in Annotationibus ad ejusdem Sancti Epistolam* 10 *allegatum Pisani locum laudavit. Observatum ergo id fuit usque ad novæ Regulæ confirmationem,* in qua Regula, *testibus tribus Sociis,* prolongatus est terminus capituli propter vitandum laborem fratrum, qui in remotis partibus commorantur. *Revera sic factum est in ejusdem Regulæ cap.* 8, *quod de* electione generalis ministri hujus fraternitatis, et de capitulo Penthecostes inscriptum est. *In hoc enim sic legitur :* Quo (*generali Ministro*) decedente, electio successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Penthecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper in simul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum.

quæ hactenus fuerant annua, prolongatum fuit : unde rursum liquet,

AUCTORE C. S.

stitutum. Et hoc semel in tribus annis vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a prædicto ministro fuerit ordinatum. *Ecce, quam recte ea dixerint Tres Socii, cum tempus comitiorum generalium, quæ hactenus fuerant annua, modo ex judicio ministrorum generalium ad triennium vel etiam ultra potuerit prolongari. Hinc rursum patet, Regulam, quam Waddingus velut primam edidit, non esse illam, qua Minores usque ad confirmationem alterius usi fuere, uti jam dictum est* § 11. *Rationem suggerit ipsa Regula, velut omnium prima edita apud Waddingum, cujus caput* 18, *sub titulo* Qualiter ministri conveniant ad invicem, *totum hic subjungo.*

primam Regulam non fuisse eam, quam dedit Waddingus.

501 Quolibet anno unusquisque minister cum fratribus possit convenire, ubicumque placuerit eis, in festo S. Michaelis archangeli, de his, quæ ad Deum pertinent, tractaturus. Omnes vero ministri, qui sunt in ultramarinis et ultramontanis partibus, semel in tribus annis, et alii ministri semel in anno veniant ad capitulum in festo Pentecostes apud sanctam Mariam de Portiuncula, nisi a ministro et servo totius fraternitatis aliter fuerit ordinatum. *Confer modo utramque Regulam, frustraque quæres prorogationem temporis comitiorum generalium, quam in gratiam* fratrum, qui in remotis
B partibus commorantur, *in secunda factam esse, Tres Socii testantur. Quam ob rem, ut alibi dixi, dicendum est, Regulam, quam Innocentius approbavit, nunc perditam esse aut latere; quam vero Waddingus veluti primam edidit, unam aliam esse ex pluribus illis, quas* S. Franciscus *apud laudatos Tres Socios num.* 33 *dicitur scripsisse*, priusquam faceret illam, quam ultimo reliquit fratribus. *Ceterum justissima causa fuit in postrema Regula prorogandi tempus capituli generalis, quod ea tunc latius propagata fuerat, ac etiam latius propaganda erat per ejusdem confirmationem Apostolicam, ex cujus solius defectu eam respuerant provinciæ Alemannicæ et Hungaricæ. Progredior ad alia.*

Eodem tempore Sanctus coram Papa concionaturus

502 *Ad majorem Ordinis sui firmitatem et cautelam sanctus Institutor in eadem, ut putamus, mora Romana duo insuper alia ab eodem summo Pontifice obtinuit. Primum est, ut Cardinalis Hugolinus, episcopus Ostiensis, qui jam inde ab obitu Cardinalis Joannis de S. Paulo protectionem ejusdem Ordinis auctoritate propria libens admiserat, eam nunc auctoritate Pontificia susciperet. De facto constat apud omnes, non item de tempore. Ego illud colligo ex Tribus Sociis, qui concessionem protectoris confirmationi Regulæ proxime subnectunt. Ad eam gratiam obtinendam videtur* S. Franciscus *fuisse usus tempore opportuno, quo coram ipso summo Pontifice*
C *et collegio Cardinalium concionatus, eorumdem animos magno pietatis affectu accenderat. Concionem hanc Tres Socii petitioni protectoris præponunt, ideoque et ego eam hic præmittendam censeo. Ipsum coram Honorio prædicasse, testantur Thomas Celanensis in Vita num.* 75, *scriptor Vitæ secundæ apud me fol.* 268 *verso, Tres Socii in Appendice num.* 64 *sanctusque Bonaventura in Vita edenda num.* 178. *Vita secunda sine ulla nota temporis sic habet :* Nullius quoque verebatur præsentiam, quin æquanimiter sapientibus et indoctis, magnisque loqueretur et parvis. Nam et Cardinalibus coram domino Papa Honorio congregatis constantissime prædicavit, non utique tam simplicitate movens ad risum, quam mirando semper fervore compunctionis extorquens suspirium.

a Cardinale Hugolino introductus, id optime præstitit,

503 *Celanensis hoc factum scribit,* cum *Sanctus* tempore quodam, causa Religionis poscente, ad urbem Romam venisset, *et a Cardinale Hugolino, qui plenus* timore, *ne res ei male succederet, ac* lætitia *propter* sancti Viri fervorem et simplicem... puritatem, *flagitanti consenserat, ad Honorium introductus esset, ac felici plane successu prædicasset, dum interim* in mirabili... dominus Ostiensis timore suspensus erat, totis orans viribus ad Dominum, ne beati Viri contemneretur simplicitas; quoniam in eum Sancti gloria resultabat, et dedecus ei erat (*ejusdem opprobrium*) eo quod erat pater super ejus D
familiam constitutus. *Hæc Celanensis. Bonaventura duo rei adjuncta reliquis adjecit, videlicet* S. Franciscum, *suggerente eodem Cardinale, priusquam ad Pontificem concionaturus accederet, sermonem memoriter didicisse; cumque hic coram sacro consessu ei penitus excidisset, post publice agnitam infirmitatem suam, invocatumque Spiritum Sanctum, excellentissime concionatum fuisse. Juverit sancti doctoris verba recitasse.*

licet sermonis, quem didicerat, plane esset oblitus.

504 Cum semel prædicaturus coram Papa et Cardinalibus, ad suggestionem domini Hostiensis sermonem quendam studiose compositum commendasset memoriæ, stetissetque in medio, ut ædificationis verba proponeret, sic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino nesciret. Verum, cum hoc veridica humilitate narrasset, conferens se ad Spiritus Sancti gratiam invocandam, tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur. *De sermone prius mandato memoriæ, deinde ex ea elapso, ac mox extemporali habito, silent alii biographi nostri : favent tamen hisce Tres Socii, dum aiunt :* Prædicavit eis, sicut fuerat sola Sancti Spiritus unctione præmonitus; *favet item* E
asserta a Celanensi Cardinalis Ostiensis pro Francisco *trepidatio, tanto utique justior, si ipse Concionatori, quem ad Papam introduxerat, mandatum memoriæ sermonem excidisse intellexerit. Ceterum videntur omnes de eodem Sancti sermone loqui; nam illum plus semel coram summo Pontifice concionatum fuisse, nullus insinuavit.*

Observatur dissonantia, quæ apud Tres Socios et Celanensem

505 *Difficultas tamen est in Thoma Celanensi cum Tribus Sociis conciliando. Celanensis minime obscure affirmat,* S. Franciscum *sponte sua a Cardinale Hugolino expetiisse, ut sibi liceret coram Pontifice ac Cardinalibus sermonem habere; Hugolinum vero non nisi spem inter metumque, ne res secus, ac desiderabat, illi cederet, consensisse.* Cum tempore quodam, *inquit,* causa Religionis poscente, ad urbem Romam venisset, loqui coram domino Papa Honorio et venerabilibus Cardinalibus plurimum sitiebat. Quod intelligens dominus Hugo Ostiensis episcopus... timore ac lætitia repletus, admirans sancti Viri fervorem, et simplicem intuens puritatem; sed confidens de misericordia Omnipotentis,... eum coram domino Papa Honorio et reverendis Cardinalibus introduxit. *Contra ex Trium Sociorum sententia ipse Cardinalis Sancto auctor fuit, ut coram Pontifice concionaretur, eumdemque ex humilitate reluctantem ac pene invitum ad id impulit.* F
Verba accipe : Venit Romam, et visitavit dominum Hostiensem, qui imposuit S. Francisco, ut sequenti die mane iret secum ad curiam, quia volebat quod ipse coram domino Papa et Cardinalibus prædicaret, atque suam Religionem devote et affectuosissime commendaret. Licet autem B. Franciscus se excusaret de hoc, dicens, se esse simplicem idiotam, oportuit tamen, ipsum ire cum illo ad curiam *etc.*

in uno rei adjuncto occurrit.

506 *Ut verum fatear, non video, quo pacto duas has assertiones componam, si ad unam eamdemque concionem referendæ sint; nec aliunde satis solidam rationem invenio, ut easdem de duabus diversis concionibus possim interpretari. Quapropter, etsi magna apud me sit Thomæ Celanensis auctoritas, malo tamen Tribus Sociis adhærere; tum quod horum narratio hic magis consentanea sit* S. Francisci *humilitati, tum etiam quod laudati Tres Socii, qui æque ac Celanensis* S. Francisco *familiares fuere, ac numero illius auctoritatem superant, paulo post Celanensem scripserint, ac proinde sicubi ab hoc discrepent, aberrantem emendare voluisse merito credendi sint. Cum eorumdem dictis recte etiam possunt conciliari verba Bonaventuræ; dicendo, Cardinalem Ostiensem reluctanti* Francisco *suamque imperitiam humiliter causanti suasisse, ut sermonem aliquem memoriæ mandaret; cumque hunc sermonem volenti dicere*

A *dicere coram Pontifice excidisse, adverteret, trepidasse, doluisseque Cardinalem, quod Virum sanctum in hujusmodi periculum summæ existimationis suæ adduxisset. Waddingus ad annum* 1217 *num.* 3, *in margine laudans Legendam eorumdem Trium Sociorum et S. Bonaventuram, omnium dicta sic componit, ut* S. Francisco *attribuat desiderium Pontificem alloquendi; Cardinali vera consilium de sermone eadem occasione coram eodem sacroque collegio habendo. Verum hæc expositio apta quidem est ad conciliandum Thomam Celanensem cum Bonaventura, at non Tres Socios cum eodem Celanensi, cujus integrum Opusculum non videtur Waddingus habuisse.*

Sanctus protectorem Ordinis ab Honorio obtinet;

307 *Post felicissimum sermonis successum Tres Socii mox incipiunt narrare, quo modo* S. Franciscus *ab Honorio protectorem Ordinis sui petierit et impetraverit.* Postea, *inquiunt,* dixit beatus Franciscus summo Pontifici *etc. Rationem petendi hanc allegant, ut haberet virum, qui pauperem gregem suum adversus malevolos tutaretur, quique pro negotiis Ordinis facilius accedi posset, quam summus Pontifex, gravioribus Ecclesiæ curis sæpe præpeditus. Accedebat etiam et visio quædam ante paucos annos Sancto divinitus oblata de gallina parva, quæ tot pullos habebat, ut nequiret omnes sub alis suis continere; unde intellexerat, quærendum suis esse a*

B *Romana Ecclesia subsidium. Adi Appendicem ad Vitam primam num.* 63 *et sequenti. Supplicantem benigne excepit Pontifex, et petita concessit, ut ibidem habent Tres Socii, ac brevius noster Anonymus Perusinus,* Et petiit, *inquiens,* beatus Franciscus a domino Papa unum de Cardinalibus, qui esset istius Religionis gubernator et protector et corrector, sicut in eadem Regula continetur. Et concessit eis dictum dominum Ostiensem. *Locus Regulæ, quem laudat, exstat in cap.* 12 *his verbis :* Ad hæc obedientiam injungo ministris, ut petant a domino Papa unum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector hujus Fraternitatis *etc.*

quod non anno 1217, *sed* 1223

308 *Nunc reddenda ratio est, cur laudatum* S. Francisci *sermonem, obtentumque post hunc ab Honorio Papa Cardinalem protectorem ad annum* 1223 *referendum putemus, licet Waddingus et Chalippus utrumque anno* 1217 *illigaverint. Hanc in rem nihil discere possumus ex Thoma Celanensi, qui capite* 9 *varias Sancti virtutes, atque inter has eximium illius in concionando fervorem et constantiam celebrans, ea occasione sermonis coram Pontifice habiti, et Cardinalis protectoris mentionem fecit. Nullam quoque temporis notam ad propositum nostrum habet num.* 100, *ubi paulo pluribus egit de protectione*

C *Ordinis Hugolino collata. Nihilo plus nobis hic suggerit S. Bonaventura, qui in Prologo fassus est, se non semper historiam* secundum Ordinem temporis *texuisse; caputque* 12, *ex quo supra relata accepimus,* de efficacia prædicandi et gratia sanitatum *sine temporis serie inscripsit. At vero Tres Socii talem ibi servant rerum Ordinem, qui mihi dubium non relinquit, quin et sermo ille et primi protectoris Minorum concessio anno* 1223 *consignanda sint. Ut hæc probem, oportebit quædam ex jam dictis obiter repetere. Laudati Tres Socii in Appendice ad Vitam primam num.* 62 *scribunt,* expletis... undecim annis ab inceptione Religionis *in comitiis electos fuisse ministros, et aliquot fratres ad varias provincias missos,* sed, quia, licet... Innocentius tertius Ordinem et Regulam approbasset ipsorum, non tamen hoc suis litteris confirmavit; *propterea aiunt, multos eorum, in variis provinciis pessime acceptos expulsosque, ad sanctum Patrem suum rediisse. Hæc comitia Waddingus ad annum* 1216 *retulit; ego vero ad* 1219 *ob rationes, quas* § 15 *proposui.*

factum esse, probatur ex serie rerum, quæ apud Tres Socios

309 *Post hæc iidem narrant, Cardinalem Ostiensem, ut huic malo caveretur in posterum, curasse, ut nova* S. Francisci *Regula ab Honorio III* cum bulla præcedente *solemniter confirmaretur. Consentit nobiscum Waddingus, et aliunde certum est, hanc Regulæ confirmationem ad annum* 1223 *pertinere. Num.* 63 *et* 63 *addunt et alterum adversus Ordinis*

impugnatores subsidium, Cardinalem protectorem, rogante S. Francisco, *a Pontifice constitutum, idque, ut mox vidimus, sermoni per Sanctum habito coram Pontifice postponunt, uti etiam fecit Waddingus ad annum* 1217 *num.* 4. *Tandem num.* 66 *de felici utriusque consilii successu sic pergunt :* Habito domini Papæ mandato (*de Ordinis protectione suscipienda, Cardinalis Ostiensis*) revera sicut bonus protector ad defendendos fratres manum extendit, scribens multis prælatis, qui persecutiones intulerant fratribus, ne ulterius essent eis contrarii, sed potius ad prædicandum et habitandum in suis provinciis consilium et auxilium eis darent, tamquam bonis et sanctis Religiosis, auctoritate Sedis Apostolicæ approbatis. Similiter et alii quam plures Cardinales ad idem suas litteras transmiserunt. AUCTORE C. S.

concessionem protectoris præcessisse ac subsecutæ

310 In sequenti ergo capitulo data licentia ministris a beato Francisco recipiendi fratres ad Ordinem, misit eos ad supradictas provincias, portantes litteras Cardinalium cum Regula, bulla Apostolica confirmata. Quæ omnia prædicti prælati videntes, et exhibita fratribus testimonia cognoscentes, ædificare, habitare et prædicare in suis provinciis liberaliter concesserunt *etc. Itaque ex primo capitulo, post constitutum a summo Pontifice protectorem Ordinis habito, missi sunt fratres in varias provincias cum ejusdem protectoris litteris et* E Regula, bulla Apostolica confirmata. *In confesso autem est etiam apud Waddingum et Chalippum, confirmationem, de qua hic sermo est, non esse priorem anno* 1223; *ac proinde nec protector Ordinis ante eumdem annum constitutus fuisse dicendus est. Adversus hæc objici posset, apud Celanensem legi Hugolinum magno metu suspensum fuisse de successu concionantis* Francisci, *cujus gloriam dedecusque sua reputabat,* eo quod erat pater super ejus familiam constitutus : *quibus verbis innui videtur, laudatum Cardinalem non post eumdem sermonem, sed ante, forte etiam diu, protectorem fuisse constitutum.*

leguntur. Protector suo munere egregie functus est.

311 *Fateor; sed eadem difficultas etiam solvenda manet Waddingo et Chalippo, qui æque ac ego sermonem illum ex Trium Sociorum testimonio creationi protectoris præmiserunt. Mihi verisimillimum apparet, Celanensem, nisi hic lapsus memoria sit, sic fuisse locutum, quia Hugolinus etiam diu, antequam id muneris a Pontifice accepit, oblatam a* S. Francisco *Ordinis protectionem benigne admiserat, eaque ratione jam tum dici potuit* pater super ejus familiam constitutus *fuisse. Quam porro strenue Hugolinus suas protectoris partes egerit, pluribus exposuit Celanensis lib.* I *cap.* 2, *ac rursum lib.* II, *cap.* 2 *multa memorans, quæ ille partim ante, partim post demandatam sibi ab Honorio protectionem Ordinis* F *præstitit. Hæc ibi legi possunt, uti et aliqua alia, quæ in hujus Commentarii* § 15 *ex nostro Anonymo Perusino recitavi.*

Aliæ litteræ infavorem Ordinis ab Honorio datæ.

312 *Alterum, quod supra insinuavi a sancto Institutore pro stabilitate Ordinis sui hoc anno Romæ procuratum fuisse, fuerunt ejusdem Pontificis litteræ, datæ Laterani* 14 *Kalendas Januarii, Pontificatus illius anno octavo, id est, versus finem anni* 1223. *Exhibent illas Waddingus ad hunc annum, et Bullarium Franciscanum tom. I pag.* 19; *sed ibi, forte rectius,* XV Kalendas Januarii *notantur. Scriptæ illæ sunt ad universos ecclesiarum prælatos, ne fratres, post annuum tirocinium professos, ab Ordine transfugas recipiant, utque eos, maxime si a superioribus suis excommunicati sint, omnino evitent, iisdemque superioribus requirentibus, excommunicatos publice denuntient. Causa autem hæc mandandi fuit, quod, ut Pontifex ibidem conqueritur, quidam prælati aliquos hujusmodi transfugas, a superioribus suis excommunicationis sententia constrictos, non curassent vitari; unde et ipsis major previcacia accesserat, et Ordini quædem nota infamiæ. Credibile est, hanc quoque culpabilem conniventiam prælatis istis obrepsisse ex eo, quod Minorum Regula hactenus nullis Pontificiis litteris fuisset confirmata. Ex dicendis* S. Franciscus *veri-*

similiter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S.

similiter Roma jam excesserat, quando has litteras Honorius dedit.

§ XXIII. Sanctus Nativitatem Domini peculiari modo celebrat, et Evangelium cantat: ex quo tempore videatur diaconatu initiatus fuisse: anno MCCXXIV habet comitia generalia, in quibus intermissam missionem Germanicam feliciter instaurat; secedit in montem Alvernum.

Sanctus jam diaconus, cum licentiæ Pontificis

Rebus tam feliciter Romæ gestis, S. Franciscus *ante Honorii litteras postremo loco relatas ex Urbe discessit, Christi Domini festum natalitium celebraturus Græcii, quod castrum est in valle Reatina, vernacule* Greccia *dictum, paucisque milliaribus ab ipsa urbe Reate dissitum. Quia vero id singulari modo facere desiderabat, assensum et licentiam summi Pontificis petiit et obtinuit, uti expresse observavit S. Bonaventura in Vita edenda num.* 149 *lectorem sic præmanens :* Ne vero hoc levitati posset adscribi, a summo Pontifice petita et obtenta venia, fecit præpari præsepium *etc. Marianus* B *apud Waddingum addit, laudatum Pontificem etiam indulgentias largitum esse omnibus, qui eidem solemnitati pie essent interfuturi; quod ego ejusdem chronistæ fidei relinquo. Præter Bonaventuram solemnitatem illam referunt Thomas Celanensis in Vita prima a num.* 84, *et auctor Vitæ secundæ in codice nostro Ms. fol.* 267 *verso et sequenti; omnesque conveniunt, tertio ante ipsius Sancti obitum anno contigisse.*

festum Nativitatis Domini peculiari modo celebraturus,

514 *Ad paranda festivitati necessaria Sanctus usus est opera cujusdam viri nobilis, nomine Joannis, ejusdem castri incolæ* (*utque verbis Celanensis utar*) bonæ famæ, melioris vitæ, quem B. Franciscus amore præcipuo diligebat; quoniam, cum in terra sua et honorabilis (*forte legendum :* dives et honorabilis) plurimum extitisset, carnis nobilitate calcata, nobilitatem animi est sequutus. *Waddingo teste, Joannes ille cognominabatur* Velita. *Rem gestam ex secunda Vita de more recensebo. Sic habet :* Accidit præterea res quædam mirabilis anno ante felicem B. Francisci transitum tertio, quam multis aliis prætermissis, digne recolendam existimo. Ipse namque Vir sanctus ea præcipue, quæ circa Christum gesta sunt, assidua meditatione revolvens, noluit eorum, quæ sacris Euangelii voluminibus enarrantur, pro sua possibilitate vel C unicum iota vel apicem transgredi : quin in omnibus, quæ de Christo scripta perpendit, super omnia, quæ in hujus vitæ volubilitate geruntur, jugum ipsius Domini suavissimum, onusque levissimum cuperet experiri.

speciem stabuli Bethleemitici pacare jubet.

515 Igitur sollempnitate quadam Dominicæ Nativitatis instante, humilem nascentis in Bethleem Salvatoris infantiæ paupertatem similitudine, qua poterat, Vir Dei repræsentare desiderans, ad castellum de Grecio quemdam virum religiosum et nobilem, nomine Johannem, præmisit; qui ad hoc bovem sibi et asinum cum præsepio contra * ventura festivitatis gaudia præparavit. *Pauca hic claritatis gratia inserenda sunt ex Vita prima, in qua sic legitur :* Hunc vero (*præfatum Joannem*) B. Franciscus, sicut sæpe solebat, per quindecim dies ante Nativitatem Domini fecit ad se vocari, et dixit ei : Si desideres, ut apud Græcium præsentem festivitatem Domini celebremus, festina præcedere, et, quæ tibi dico, præpara diligenter. Volo enim illius Pueri memoriam agere, qui in Bethleem natus est, et infantilium necessitatum ejus incommoda, quomodo in præsepio reclinatus, et quomodo, astante bove atque asino, super fœnum positus extitit, utcumque corporeis oculis pervidere. Quod audiens vir bonus atque fidelis, cucurrit citius, et omnia in prædicto loco, quæ Sanctus dixerat, præparavit. *Secundum hæc Joannem arcessivit ad se* Franciscus *quindecim diebus* D *ante natalem Domini nostri; ex quo conjicere licet, ipsum ex Urbe jam recessisse ante Honorii litteras* XIV *vel* XV *Kalendas Januarii signatas, de quibus in calce præcedentis* § *memini. Waddingus tamen ait, Joannem hac de re ab illo monitum fuisse per litteras; nescio, quo nixus testimonio.*

** i. e.* ad

sacramque noctem in eo sollenniter exigit :

516 *Pergo historiam ex secunda Vita describere.* Advenit denique nox sollempnis, aderatque B. Franciscus, pluribus illic secum fratribus adunatis. Præparato itaque præsepio fœnum imponitur : adducti bos et asinus ad præsepium collocantur; et cum gaudio sic vigiliæ celebres inchoantur. Confluente igitur e diversis locis multitudine populi, facta est nox illa jucunditatis insolitæ plena; facta est cereis et fascibus * luminosa, novoque ritu celebrantur Bethleem novæ sollempnia. Fratres quoque laudes Domino debitas exsolvebant; sed et cuncti, qui aderant, novis lætitiæ canticis applaudebant. Stabat autem coram præsepio B. Franciscus; stabat tamquam suspiriis præ gaudio plenus; stabat indicibili suavitate perfusus. Tandem super ipsum præsepe sacra Missarum aguntur sollempnia, cum et ipse sanctus Dei Levita sollempnibus ornamentis indutus Euangelium voce sonora pronuntiat, ac deinde populo de nato in Bethleem Rege paupere melliflua prædicat. Tanta vero pietatis E dulcedine circa jam dicti Regis afficiebatur infantiam, ut, si quando JESUM CHRISTUM nominare deberet, ipsum vero veluti balbutiens, PUERUM DE BETHLEEM præ nimia amoris teneritudine nuncuparet.

** l.* facibus

quam pietatem cælestis visio et beneficia subsecuta probarunt.

517 Sed et ne facta putentur hæc omnia sine nutu divino, miranda talis ibidem cuidam viro virtutis (*quem S. Bonaventura supra dictum dominum Joannem fuisse, scribit*) ostensa est visio. Vidit namque ad sæpe dictum præsepe B. Franciscum accedere, et quendam, qui in illo jacere videbatur exanimis, velut a sompno * sopore puerum excitare. Creditur namque non immerito suam dominus Jesus Christus infantiam recolenti in hujusmodi formula non absurde monstratus; quippe qui multorum cordibus per oblivionem quasi sopitus et mortuus, veluti per B. Francisci doctrinam et exemplum evigilans ad memoriam est reductus. Finitis igitur tantis cum exultatione sollempniis, unusquisque lætus ad propria remeavit. At vero de feno præsepii conservato plura diversimode postmodum ab utriusque sexus hominibus sunt remota pericula, necnon et brutis animalibus morbidis sanitatis collata remedia. Porro locus præsepii templum Domino consecratur, et altare super ipsum præsepe constructum ad sancti Patris honorem et facti memoriam dedicatur. *Hæc* F *omnia etiam habet Thomas Celanensis, qui eadem narratione librum primum Vitæ terminavit : at S. Bonaventura de ecclesia vel sacello in eodem loco erecto non meminit, cetera consonat.*

** an* suo ?

Nescitur tempus, quo ille diaconatum suscepit;

518 *Quoniam hoc loco prima ad certum annum mentio fit de* S. Francisci *Ordine levitico seu diaconatu, hactenus distuli agere de tempore, quo ille eodem initiatus fuisse videatur. Tres Socii, qui mox relatam Natalis Domini celebrationem, utpote ab aliis satis expositam, prætermiserunt, Sancti diaconatum alio in loco aliaque occasione affirmarunt. Nam in Appendice num.* 61 *de Cardinale Hugolino ad annua comitia in Pentecoste venire solito sic aiunt :* Ille autem, venientibus fratribus, descendebat de equo, et ibat pedes cum eis usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ, eisque postea faciebat sermonem, et celebrabat Missam, in qua vir Dei Franciscus Euangelium decantabat. *Consonat Anonymus Perusinus, eisdem fere verbis inquiens :* Ille vero, venientibus fratribus, descendebat de equo, et ibat pedes cum fratribus usque ad ecclesiam propter devotionem, quam erga ipsos habebat, et eis sermonem postmodum faciebat, et celebrabat Missam, et beatus Franciscus Euangelium decantabat. *Quid plura? de diaconatu illius consentiunt omnes biographi, apud nullum tamen eorum tempus, quo is eidem collatus sit, annotatum reperio.*

519 *Verumtamen*

AUCTORE C. S.

A *id factum non esse, quando prima Regula probata fuit,*

519 *Verumtamen Marianus Florentinus apud Waddingum ad annum* 1210, *num.* 16 ex Legenda Trium Sociorum *affirmat, factum id esse eo tempore, quo Sanctus primam Regulam suam ab Innocentio III approbari obtinuit; et ea quidem ratione, ut ipsemet summus Pontifex* Franciscum *tunc usque ad diaconatum promoverit, sociosque illius laicos minoribus Ordinibus initiaverit. Hinc Chalippus in Vita Gallica pag.* 45 *hanc opinionem indubitanter amplexus est, pro eaque ibidem in annotatis, non Marianum, sed Tres Socios, veluti certissimos testes, allegavit. Sane nullus hic superesset dubio locus, si de horum Trium Sociorum testimonio constaret; quod mihi non videtur verisimile. Saltem in apographo nostro solum dicuntur* S. Franciscus *ac socii ejus tonsura tunc donati fuisse, nec ullum fit hos inter illumque discrimen, ut suspicari quis possit, nedum affirmare, ei peculiare quid præ ceteris tunc collatum fuisse. Sociorum verba hæc sunt :* Suscepta itaque benedictione a summo Pontifice, et visitatis Apostolorum liminibus, datisque tonsuris beato Francisco et aliis fratribus, sicut dictus Cardinalis (*Joannes de S. Paulo*) procuraverat, volens omnes illos duodecim esse clericos, *Urbem* Franciscus *reliquit.*

ostenditur ex Legenda Trium Sociorum,

B 520 *His duodecim annumerandum esse* S. Franciscum, *jam satis probatum puto, supra num.* 232 *et seq. : sed licet ille tertiusdecimus fuisset, non sic tamen aliud, quam tonsuram ei tunc datum esse, ex allato testimonio constaret. Clarius hoc est, quam ut credere possim, dicta Mariani sine ulla censura ab erudito Waddingo adoptanda fuisse, si ipsum Trium Sociorum Opusculum habuisset ad manus; ac proinde rursum cogor existimare, ipsum, quoties Legendam Trium Sociorum laudat, id ex aliorum fide facere. Par est nostri Anonymi Perusini silentium de* Francisco *tunc ordinato diacono, apud quem simili modo solum breviter legitur :* Dictus autem Cardinalis propter devotionem, quam habebat in Fratrem (*Franciscum*) omnibus illis duodecim fratribus clericam fecit dari. *Observandum autem est, hunc Anonymum Legendam Trium Sociorum in quoddam compendium redegisse, atque adeo nec in apographo autographove, quo ille usus fuit, ista, quæ Marianus retulit, lecta esse, cum verisimile non sit, Anonymum eadem, quæ Sancto honorifica erant, fuisse prætermissurum.*

sed verisimilius contigit postea anno incerto,

521 *Obscurius loquitur S. Bonaventura in fine capitis* 3 *de Innocentio hoc modo :* Postulata concessit, et adhuc concedere plura promisit : approbavit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, et laicis fratribus omnibus, qui Ser-
C vum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere prædicarent. *Ex hoc loquendi modo posset aliqua suboriri suspicio, cum* Franciscus *ibi inter tunc tonsuratos non videatur memorari, illum jam inde ante socios aliquo etiam altiori sacro Ordine initiatum fuisse; nisi ex clarioribus verbis Trium Sociorum oppositum dicendum esset. Eadem ratio facit me credere,* Franciscum *alio potius posteriori tempore diaconatum suscepisse, licet alias satis verisimile videri possit, Innocentium ei altiorem ecclesiasticum Ordinem contulisse, quam ceteris, quorum illum caput constituerat. Non ausim tamen id differre usque ad hunc annum* 1223, *quo Honorius Regulam confirmavit, quia iidem Tres Socii in Appendice num.* 61 *jam aliquot annis ante de illius diaconatu meminerunt, nimirum ab eo fere tempore, quo Hugolinus post obitum Joannis Cardinalis Sabinensis de S. Paulo protectionem Ordinis Minorum, a* S. Francisco *rogatus, privata auctoritate suscepit, de qua re adi* § 15.

sed ante annum 1223, *ordinante episcopo Assiensi.*

522 *Inter alia enim ibidem aiunt :* Postea rogavit eum beatus Franciscus, ut in Pentecoste dignaretur fratrum capitulo interesse; qui statim benigne assensit, atque ex tunc interfuit eorum capitulo omni anno... et celebrabat Missam, in qua vir Dei Franciscus Euangelium decantabat. *Jam tum ergo erat diaconus, nisi quis adverbium* Postea *referre voluerit ad tempus, quo laudatus Hugolinus auctoritate Honorii protector Minorum constitutus fuit; quod mihi minus verisimile apparet, quia Tres Socii videntur frequentiorem protectoris ad comitia accessum indicare, quam haberi potuerit post finem anni* 1223, *post quem* S. Franciscus *non toto triennio supervixit. Hisce omnibus mature perpensis, existimo,* S. Francisci *diaconatus initium non melius statui posse, quam anno aliquo intermedio inter* 1209, *quo prima Regula ab Innocentio III probata fuit, annumque, quo Hugolinus Ordinis protectionem primo suscepit mox ab obitu Cardinalis de S. Paulo, quod factum esse diximus circa finem Pontificatus Innocentii, anno* 1216 *defuncti. Verisimile quoque mihi est, tam subdiaconatum quam diaconatum collatos ei esse, non a Romano Pontifice, sed a Vidone, Assiensi episcopo, qui ipsum a conversionis illius initio benignissime complexus fuit, ac deinde semper etiam magis fovit, uti alias ostendimus. Hoc posito, minus mirabimur scriptorum de eadem Sancti initiatione silentium, quam si hanc summo Pontifici Innocentio aut Honorio attribuamus.*

Anno 1224 *celebrata sunt comitia generalia,*

523 *Prætereo quædam alia, quæ Waddingus ad annum* 1223 *retulit, quæque ego partim alibi memorabo. Interim nunc ad annum* 1224 *progredior. Laudatus Annalista Minorum de comitiis, eo anno apud Portiunculam in Pentecoste ex primæ Regulæ præscripto celebrandis, non meminit, quasi hæc jam* E *tum prætermissa fuissent. Mihi vero certum est, ea hoc anno etiam celebrata fuisse. Licet enim generale illud capitulum, quod hactenus annuum fuerat, ex novissima Regula ad triennium et ultra, si generali Ordinis ministro ita videretur, in gratiam fratrum, in remotis regionibus degentium, posset differri, urgebat tamen tunc peculiaris ratio illud convocandi, si alias non fuisset habendum. Ita exigebat novæ Regulæ promulgatio, aliaque huc spectantia, quæ non melius peragi poterant, quam in comitiis generalibus, ad quæ conveniebant omnes, uti ex Tribus Sociis alibi sæpius observavi. Imo revera habita fuisse, satis liquet ex iisdem Sociis, qui verbis num.* 510 *datis exponunt, quid in* sequenti *post confirmatam Regulam et constitutum protectorem* capitulo *factum sit. Hoc autem sequens capitulum serius, quam hoc anno, figendum, nulla ratio suadet.*

quibus forte interfuit Cardinalis Hugolinus,

524 *Dubitandum quoque non est, quin ad illud invitatus fuerit, et, si per negotia licuit, accesserit Cardinalis Hugolinus, sub finem anni præcedentis protector totius Ordinis auctoritate Apostolica constitutus, ac singulis annis, ut Tres Socii testantur, ad capitulum Pentecostes venire solitus. Adeo ut huc partim pertinere possint, quæ Anonymus Perusinus post Tres laudatos scriptores tradidit :* Rogavit eum (*S. Franciscus Hugolinum*) ut venire ad capitulum F fratrum in Pentecosten dignaretur : at ille annuit, et annis singulis veniebat. Quando autem veniebat, exibant ei obviam processionaliter fratres in capitulo congregati : ille vero, venientibus fratribus, descendebat de equo, et ibat pedes cum fratribus *etc., quæ num.* 518 *recitavi. Quidquid tamen sit de Hugolini in hujus anni comitiis præsentia, vix dubito, quin fratres, qui anno præcedenti ad capitulum generale convenerant, jussi fuerint hoc anno redire, tum quia sic præcipiebat Regula, quam approbaverat Innocentius, tuncque nondum per confirmationem novæ antiquaverat Honorius; tum etiam ut in hujusmodi generali Ordinis conventu decernerentur ea, quæ post confirmatam Regulam utiliter statuenda viderentur, quæque non parvi momenti fuisse, mox videbimus.*

et in quibus missio Germanica, quæ ante non successerat,

525 *Actum in iis fuit de fratribus in varias ultramontanas provincias, quas antea infeliciter tentaverant, remittendis, Ordineque in iis propagando. Quapropter revocanda hic sunt in memoriam, quæ* § 15 *diximus. Ex comitiis scilicet anni* 1219 *multos in varias regiones missos, sed non ubique pari successu exceptos; imo vero ex nonnullis provinciis fœde expulsos, aliterve excedere coactos, ac nominatim ex* Ungaria, Alemannia et aliis provinciis ulterius, *ut habet Anonymus Perusinus, aut etiam, ut Tres Socii addunt,* quasi in omnibus ultramontanis provinciis *pessime*

AUCTORE C. S.

pessime mulctatos. Hujusce vero rei causam ex iisdem Sociis ostendimus fuisse, quia, licet præfatus dominus Innocentius tertius Ordinem et Regulam approbasset ipsorum, non tamen hoc suis litteris confirmavit. *Diximus insuper, ut huic malo imposterum occurreretur, anno præterito die 29 Novembris impetratam esse ab Honorio III confirmationis bullam, ejusdemque Pontificis auctoritate constitutum Ordinis protectorem, Cardinalem Hugolinum, et scriptas tam ab hoc, quam ab aliis Cardinalibus, commendatitias litteras ad prælatos ecclesiarum, ubi fratres tam indignis modis fuerant excepti.*

denuo decreta fuit, missis eo fratribus.

526 *Hisce ita comparatis, certa spes melioris successus sancto Institutori affulsit.* In sequenti ergo capitulo (*utique in Pentecoste anni proxime subsecuti, seu anni* 1224) data licentia ministris a B. Francisco recipiendi fratres ad Ordinem, misit eos ad supradictas provincias, portantes litteras Cardinalium (*quarum mox memini*) cum Regula bulla Apostolica confirmata; *uti subdunt ibidem Tres Socii, quorum hæc verba sunt, et quibus consona habet Anonymus Perusinus, de Hugolino protectore Ordinis ab Honorio constituto sic dicens :* Post hoc, habito dicti Papæ mandato, extendens manum suam ad protegendum fratres, dominus Ostiensis misit multis prælatis litteras, apud quos fratres tribulationes passi fuerant, ut non essent
B fratribus contrarii, sed potius ad prædicandum et habitandum in suis provinciis consilium et auxilium eis darent, tanquam bonis et Religiosis viris, ab Ecclesia approbatis. Et plures ex aliis Cardinalibus miserunt litteras suas similiter ad hoc idem; et sic in alio capitulo data a B. Francisco licentia ministris recipiendi fratres ad Ordinem, fratres in illis provinciis sunt remissi, portantes Regulam confirmatam et litteras, ut diximus, Cardinalium.

cum felicissimo successu.

527 *Exspectationi respondisse eventum, subdunt ibidem Tres Socii et Anonymus Perusinus, qui verbis mox relatis hæc addit :* Videntes itaque prælati Regulam a summo Pontifice confirmatam; Cardinali quoque domino Ostiensi cum aliis Cardinalibus bonum de fratribus testimonium perhibente, eis ædificare et habitare et prædicare in suis provinciis concesserunt. Quo facto, et fratribus ibi habitantibus et prædicantibus, videntes multi conversationem eorum humilem, mores quoque honestos et verba ipsorum dulcissima, venerunt ad fratres, et sanctæ Religionis habitum assumpserunt. *Inter hasce provincias numeranda videtur Bohemia, si accurata sint monumenta Mss., ex quibus Antonius Melissanus de Macro in Supplemento Annalium Waddingi ad eumdem annum* 1224 *sequentia annotavit :* Hoc anno... quidam pauper-
C culi fratres, Patris sui præcepto obaudientes, ex Italia Pragam Boemiæ, Religionem propagaturi, profecti, a Primislao Otthogari, sive Ottischgari an
* Ottischaro? Otthogaro * perbenigne excepti fuere, eisdemque conventum cum prægrandi ecclesia, Divo Jacobo apostolo nuncupata, quæ etiamnum in urbe veteri extat et a patribus Conventualibus colitur, regia magnificentia construxit, ut novissima provinciæ Boemiæ strictioris observantiæ monimenta, mihi transmissa anno MDCXCIV aperiunt. *Præterea ait, hoc item anno Minoribus locum concessum in urbe Turonensi in Gallia ; et Waddingus ex suo Ms. Chronico Saxoniæ varias missiones in Germania feliciter tentatas; quæ si sat certa sint, optime congruunt supra relatis.*

Waddingus hæc comitia cum aliquot aliis adjunctis

528 *At mirari licet, cur idem eruditus annalista Waddingus, qui probe noverat, tum primam illam fratrum in prædictas provincias infelicem missionem, tum hanc alteram properrimam, cur, inquam, ille non meminerit de hujus anni comitiis, in quibus secundam hanc missionem decretam esse, ex Trium Sociorum testimonio constat. Mihi hujus silentii causa potissima fuisse videtur, quod illorum Opusculum, etsi sæpius ex aliis laudet, ipsemet non habuerit, ideoque jam ad annum* 1221 *similem ex comitiis generalibus missionem retulisset ex Chronico Ms. Saxoniæ, seu Balduini de Brunsvicke, cujus narrationem, profitetur, se ibi non tam secutum* D *esse, quam descripsisse; corrigendum proinde monens illustrissimum Gonzagam, quia eamdem missionem anno* 1218 *illigavit. Balduini narrationis hæc summa apud Waddingum est. Congregatis in capitulo patribus* S. Franciscus *per Eliam, vicarium suum, significavit, placere sibi, ut missio Germanica instauraretur; sed, quia fratres, qui illam ante tentaverant, pessime fuerant habiti, resque erat plena periculi, nolle se id oneris cuiquam, nisi sponte expetenti, imponere.*

triennio citius fixit ex Chronico Saxoniæ.

529 *His auditis, circiter nonaginta fratres, martyrii cupidi, se ad eam rem alacriter obtulerunt. Designatus ergo est minister Germaniæ frater Cæsarius, isque cum electis, quos ex illo numero voluit, susceptam provinciam prospere aggressus est. Ita fere, sed prolixius, ex laudato Chronico Waddingus. Mihi dubium non est, quin hic de eadem, de qua Tres Socii, missione egerit ignotus ille mihi Balduinus, etsi in adjunctis variet, quod ignoraret, quibus humanis subsidiis, bulla scilicet Apostolica et Cardinalium litteris, illa denuo tentata fuerit, ac feliciter promota. Certe apud Tres Socios, quorum auctoritas magna hic esse debet, non nisi gemina in istas provincias fratrum missio memoratur; prima* elapsis... annis undecim ab inceptione Religionis, *id est, anno Christi* 1219, *quæ prospero eventu* E *caruit; secunda vero post Regulam ab Honorio III confirmatam. Tempore autem intermedio fuisse aliam ad easdem provincias destinatam, neque ex antiquis Vitis eruere possum, neque Trium Sociorum assertis conforme est.*

ego malo Tribus Sociis adhærere

530 *Quare, si fratres Minores ante annum* 1224 *in Germania aliquot conventus habuerint, dicendum est, vel non omnes primos, qui anno* 1219 *illuc profecti fuerant, inde fuisse expulsos; vel, si alia intercesserit missio, hanc veluti minoris momenti a Tribus Sociis prætermissam; quamquam nec hoc eorumdem narrationi satis consonum est. Nisi vehementer fallar, si Waddingus horum Opusculum habuisset, comitia, ex quibus primi in Germaniam destinati fuere, anno* 1219, *atque altera, in quibus eadem missio denuo ac felicius decreta fuit, anno* 1224 *illigasset. Unum in chronotaxi nostra forte quis mirabitur, nimirum inter primam et secundam missionem integrum quinquennium intercessisse : verum ita omnino exigit Trium Sociorum narrationis series, idemque annorum intermedium spatium reperitur in chronotaxi Waddingi, qui primam missionem ad annum* 1216, *secundam ad* 1221 *reposuit.*

Eodem anno 1224 *Sanctus secedit*

531 *Thomas Celanensis, ut jam monui, librum primum Vitæ, in quo* S. Francisci *gesta* usque ad octavumdecimum conversionis suæ annum *complexus est, cum Christi Domini festis Natalitiis* F *apud Græcium celebratis claudens, librum secundum, in quo* gesta ipsius a penultimo vitæ suæ anno *recensuit, orsus est a commendatione ejusdem eminentis sapientiæ, eximiarum virtutum, doctrinæque omni hominum generi perutilis ac miraculis comprobatæ. Profitetur tamen, se non omnia illius gesta hic relaturum, sed* ea sola, quæ necessaria magis occurrunt... ut, qui plus his dicere cupiunt, quid addant, semper valeant invenire. *Quod ad tempus attinet, eodem modo loquitur in Prologo, ubi dum partitionem Opusculi sui exponit, sic ait :* Secundum autem Opus a penultimo vitæ suæ anno usque ad felicem ipsius obitum gesta narrat. *Porro cum idem biographus in eodem capite* 1 *libri* II, S. Franciscum *obiisse scribat* anno... Dominicæ Incarnationis MCCXXVI... IV Nonas Octobris, *credi posset, omnia, quæ in hoc libro* II *narrantur, ad annos* 1225 *et* 1226 *referenda esse, aut saltem posteriora esse, die* 4 *Octobris anni* 1224. *At non tam stricte voces illas* a penultimo vitæ suæ anno *usurpavit Celanensis : nam et ipse ibidem num.* 94 *gestis illis accensuit sacrorum stigmatum impressionem, quam ipsemet asserit contigisse* duobus annis, antequam *Sanctus* animam redderet cælo, *et aliunde constat, partim ad Augustum, partim ad Septembrem anni* 1224 *pertinere.*

A 552 *Laudatus Celanensis, post memoratum de* S. Francisco *elogium narraturus peculiarem sacrorum stigmatum acceptorum prærogativam, notat, ipsum, ut soluerat tempus suum inter sacra cum Deo otia et instructionem proximi sedulo partiri, tunc* in quemdam locum quietis et secretum solitudinis (*infra* heremitorium *appellatur*) *secessisse cum paucis sociis,* quibus (*ut ipse ait*) ejus conversationis sancta, magis quam cæteris, nota erant, ut tuerentur eum ab incursu et conturbatione hominum, et suam quietem in omnibus diligenter adjuvarent. *Secedendi causam eam allegat, quod Sanctus cuperet turbas sæcularium hominum, qui* ad audiendum et videndum *ipsum* quotidie concurrebant, *tantisper* vitare, et extergere, si quid pulveris sibi inhæserat ex conversatione hominum. *Eremitorium illud ibidem infra dicitur* a loco, in quo positum est, AUMNA *nominatum, solo, nisi fallor, apographi nostri vitio : nam et Tres Socii, et S. Bonaventura, et Anonymus, qui Celanensis Opusculo maxime usus fuit in Vita secunda, locum* montem Alvernæ *appellant, isque alias etiam* Alvernus, *Italis* il monte Alverno *dictus, mons Tusciæ est in Appenniño ad confinia status Ecclesiastici situs.*

in montem Alvernum,

cujus notitia hic datur, et ibidem

B 553 *Waddingus ad annum* 1213 *a num.* 30 *de illo pluribus agit ex Rodulpho : mihi suffecerit pauca hic ex eodem Annalista præmisisse. Sic habet :* Est autem mons hic in arduis Apennini jugis altitudine procerus, ab aliis montibus separatus, super quos caput extulit omnes, tribus a lateribus, præcipitibus quasi quibusdam altissimis mœnibus cinctus. Duplici flumine Tiberi et Arno alluitur, a Bibiena nobili oppido et agro Cusentino distans septem millibus passuum.... Mons iste est sublimis, cujus summum cacumen nemo scandere auderet, nisi frequens fagus prospectum discriminis auferret, et casuris promitteret obicem. Fagi amplæ sunt in cacumine, herbæque et virentia prata, quibus novas faciunt umbras..... Amœnissimus est modo mons et maximis virentibusque arboribus coronatus, cum antea calvus, inhospes et horridus esset. In loco Francisco familiari apparent impenetrabiles cavernæ, abrupti et suspensi lapides, inaccessæ undique rupes, in barathra hiatus profundissimi, quos horror erit aspicere *etc.*

in honorem S. Michaelis jejunans,

554 *Waddingo ibidem teste, comes quidam Orlandus, montis dominus, eumdem jam ab anno* 1213 S. Francisco *ejusque sociis incolendum concesserat, curaveratque tuguriolum quoddam ibi fieri, de cujus donatione, Annalista asserit, instrumentum publicum in ejusdem loci archivo suo etiam tempore servatum. Adjecit deinde idem comes etiam parvulam ecclesiam, titulo S. Mariæ de Angelis Deo sacram.*

C *Hæc sufficiant de sacri loci notitia, de quo plura dicenda venient in Gloria posthuma et Analectis. Itaque cum* S. Franciscus *anno* 1224 *in hoc eremitorio sacris contemplationibus precibusque totus incumberet, et, ut S. Bonaventura addit,* juxta solitum morem Quadragesimam ibidem ad honorem sancti archangeli Machaelis jejunare cœpisset, *incessit illum vehemens desiderium divinæ de se voluntatis cognoscendæ.* Immissum est igitur (*verba S. Bonaventuræ sunt in Vita num.* 189) menti ejus per divinum oraculum, quod in apertione libri Euangelici revelaretur ei a Christo, quod Deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum. *Nempe simili modo, quo olim, dum duos primos socios, Bernardum et Petrum, sibi adscivit, eos ex trina apertione libri Evangeliorum docuerat, bona sua vendenda et danda pauperibus, tollendamque post Christum crucem, ut in hoc Commentario num.* 188 *legere est.*

Dei voluntatem exquirit, et aperto libro Evangeliorum,

555 *Auctor Vitæ secundæ factum sic explicavit :* Igitur Vir iste sanctissimus, qui sibi et proximis utiliter dividere tempora novit, quadam vice, relictis ex more secularibus turbis, locum solitudinis petiit, paucosque, qui ab omni incursantium (*nempe eorum, qui illum videndi et audiendi causa indies adventare solebant*) tumultu quietem defenderent, secum duxit. Cupiebat enim ad tempus soli Deo vacare, et, si quis * pulveris ex hominum conversatione forsitan contraxisset, extergere. Cumque mentis aliquantulum continuata quiete, contemplationis fructum sapidius degustasset, totis præcordiis desiderabat agnoscere, quid agendo sacrificium de se Domino magis gratum posset offerre. Jamque Vir mirandæ virtutis consummaverat, cum se adhuc vix incepisse credebat. Summum ejus studium fuerat ad anteriora se semper extendere, et retro acta quasi in nichilum computare. Cupiebat igitur adhuc de novo omnes corporis passiones cunctasque mentis pati angustias, quo perfectius compleretur in ipso beneplaciti divini voluntas.

AUCTORE C. S.
* *l.* quid

cognoscit, multa sibi toleranda esse :
* *l.* anhelaret

556 Cumque huic desiderio, quando diutius, tanto ferventius anelaret *, die quadam in heremitorio, quo manebat, ad altare devotus accessit; super Euangeliorum librum cum reverentia et timore se deposuit. *Alii rectius aiunt, librum Evangeliorum ab illo fuisse altari impositum. Pergit noster :* Post humiliter se coram altari in oratione prosternens, quanta poterat devotione, clamavit ad Dominum, ut in prima libri apertione sui de ipso beneplaciti dare dignaretur indicium. Tandem corde contrito ab oratione consurgens, se Crucis signo munivit, librumque de altari reverenter acceptum aperuit. Cui cum Domini nostri Jesu E Christi Passio primum occurreret, suspicatus est, ne casu hoc forsitan accidisset. Unde et rursus librum claudens, rursus aperuit, pluriesque hoc ipsum reiterans, idem, quod prius, vel simile prorsus invenit. *Pauca hic inseramus. Thomas Celanensis, qui laudato Anonymo præluxit, tantum habet, librum ab illo* bis et ter *apertum fuisse, non* pluries. *De* trina libri apertione *solum etiam meminit S. Bonaventura, isque eam, non ab ipsomet* S. Francisco, *sed eodem jubente ac præsente,* in sanctæ Trinitatis nomine *factam per socium illius,* virum utique Deo devotum et sanctum. *Potuit hoc rei adjunctum sanctus doctor didicisse ex ipsius* S. Francisci *sociis, quos diligenter a se consultos fuisse, testatur in Prologo.*

quapropter ad quævis patiendum alacer anhelat.

557 *Pergo secundi biographi verba recitare :* Ad hoc Christi Miles intrepidus non expavit; et qui jam dudum martyr desiderio fuit, iterum se ad omne, quod pro Christo sustineri poterat, flagrantius animavit. *Simillima habent Thomas Celanensis et S. Bonaventura, cujus verba hic adjicio :* Sane cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit Vir Deo plenus, quod, sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. Et F licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, crucisque Dominicæ bajulationem continuam imbecillis jam esset corpore, nequaquam est territus, sed magis ad martyrii sustinentiam vigorosius animatus. *Ita ille. Quamvis autem commune martyrium numquam passus a persecutore sit, sustinuit quoddam suavius ab amore divino, dum paulo post sacris Christi stigmatibus acceptis, velut cruci fixus fuit. Sed et reliquum biennium, quod supervixit, multis conflictatus doloribus ac molestiis exegit, cum jam spontaneis corporis cruciatibus etiam illa stigmata, et fracto laboribus corpusculo continuæ infirmitates ac morbi accessissent. Dicemus ista pluribus infra; interim ad speciale quinque vulnerum cæleste donum, quod tam Celanensis, quam biographus secundus, sanctusque Bonaventura præmissis subnectunt, progrediamur.*

§ XXIV. Eodem anno MCCXXIV in eodem monte Alverno quinque sacris stigmatibus insignitur.

Recitatur fratris Eliæ testimonium de sacrorum stigmatum impressione,

Frater Elias, S. Francisci, *dum hic viveret, vicarius et primus defuncti successor, qui et morienti adstitit, in Epistola, quam de ejusdem obitu ad fratres suos Minores, in Francia degentes, dedit, inter causas*

AUCTORE C. S.

causas in communi luctu lætandi hanc protulit : Annuncio vobis gaudium magnum et miraculi novitatem. A sæculo non est auditum tale signum, præterquam in Filio Dei, qui est Christus Deus. Non diu ante mortem Frater et Pater noster apparuit crucifixus, quinque plagas, quæ vere sunt stigmata Christi, portans in corpore suo : nam manus ejus et pedes, quasi puncturas clavorum habuerunt ex utraque parte confixas, reservantes cicatrices et clavorum negredinem ostendentes, latus vero ejus lanceatum apparuit, et sæpe sanguinem evaporavit. *Exstat Epistola hæc, quam suo loco dabimus, apud Waddingum ad annum* 1226, *num.* 43, *accepta, ut asserit, ex autographa in conventu Recollectorum Valencenis in Belgio asservata. Quod Elias his breviter annuntiavit, multo prolixius et accuratius biographi exposuerunt.*

a biographis latius exposita.

539 *Porro hujus specialis miraculi magnitudo, ac nonnullorum propterea, partim malevolorum, partim etiam non recte instructorum, dubitatio impulerunt me, ut illud contra servatam hactenus in hoc Commentario methodum ex omnibus vetustissimis Vitis, quas habeo, totidem fere verbis, quibus in singulis legitur, recenserem, ut tam probis certisque testibus probatum, si vel sic iniquas censuras evadere nequeat, saltem bonis æquisque lectoribus, inanes scrupulos (si quos habent) eximat. Primus omnium* B S. Francisci *biographus, idemque socius, Thomas Celanensis, primum locum obtineat. Hic postquam narravit vere heroicum* Francisci *desiderium pro Deo patiendi, ingentemque fervorem ad divinam voluntatem, quam ex ter aperto Evangeliorum libro cognoverat, perfectissime explendam, processit ad sacrorum stigmatum impressionem, velut tantæ virtutis præmium, enarrandam his verbis.*

Sanctus vidit ad se volantem Seraphinum, quasi crucifixum,

540 Manebat proinde (*S. Franciscus*) inconcussus et lætus, et sibi et Deo in corde sua lætitiæ cantica decantabat. Propterea majori revelatione dignus habitus est, qui sic de minimo exultavit; et in modico fidelis constituitur supra multa. Faciente ipso moram in eremitorio, quod a loco, in quo positum est, Aumna * nominatur, duobus annis antequam animam redderet cælo, vidit in visione Dei virum unum, quasi Seraphim, sex alas habentem, stantem supra, manibus extensis, ac pedibus conjunctis, cruci affixum. Duæ alæ supra caput elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ denique totum velabant corpus. Cumque ista videret beatus Servus Altissimi, admiratione permaxima replebatur; sed, quid sibi vellet hæc visio, advertere nesciebat. Gaudebatque quam plurimum et vehementius lætabatur in benigno et gratioso respectu, quod Seraphim videbat; quia pulchritudo C inæstimabilis erat nimis; sed omnino ipsum crucis affixio et passionis ipsius acerbitas deterrebat. Sicque surrexit (ut ita dicam) tristis et lætus; et gaudium atque mœror suas in ipso alternabant vices.

* *l.* Alverna

advertitque, se quinque sacris stigmatibus insignitum,

541 Cogitabat sollicitus, quid posset hæc visio designare; et ad capiendum ex ea intelligentiæ sensum anxiabatur plurimum spiritus ejus. Cumque liquido ex ea intellectu aliquid non perciperet, et multum ejus cordi visionis ejus novitas insideret, cœperunt in manibus et pedibus ejus apparere signa clavorum, quemadmodum paulo ante Virum sanctum supra se viderat crucifixum. Manus et pedes ejus in medio clavis confixi videbantur, clavorum capitibus interiori parte manuum, et superiori pedum apparentibus, eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erant enim signa illa rotunda interius in manibus, exterius autem oblonga; et caruncula quædam apparebat, quasi summitas clavorum retorta et repercussa, quæ carnem reliquam excedebat. Sic et in pedibus impressa erant signa clavorum, et a carne reliqua relevata. Dextrumque latus, quasi lancea transfixum, cicatrice obducta * erat, quod sæpe sanguinem emittebat, ita ut tunica ejus cum femoralibus multociens respergeretur sanguine sacro.

* *an* obductum?

542 Heu! quam pauci, dum viveret crucifixus Servus Domini Crucifixi, sacrum lateris vulnus D cernere meruerunt. Sed felix Elias, qui, dum viveret Sanctus, utrumque illud (*nimirum vulnus lateris et defluentem ex eo sanguinem*) videre meruit : sed magis felix Ruffinus, qui propriis manibus contrectavit. Enimvero cum semel dictus frater Ruffinus manum suam in sinum sanctissimi Viri (*ægrotantis*) ut eum scalperet, immisisset, dilapsa est manus ejus, ut sæpe contingit, ad dextrum latus ipsius, et occurrit illi pretiosam illam contingere cicatricem. Ad cujus tactum Sanctus Dei non modicum doluit, et manum a se repellens, ut ei parceret Dominus, acclamavit. Studiosissime namque abscondebat hoc ab externis, celabat cautissime a propinquis, ita ut et tolerabiles fratres et ejus devotissimi secutores hoc per multum temporis ignorarent. *Hæc ibi; at deinde cap.* 4 *tradit, eadem illa quinque stigmata post ejusdem Sancti obitum a plurimis visa tactaque fuisse, quod et alii expresse observarunt. Infra quoque videbimus, quibus modis Sanctus, dum viveret, illa celare studuerit, utque jam morti propinquus laterale vulnus occulere conatus sit.*

quæ aliqui in vita ejus, multi post mortem conspexerunt.

Hæc eadem historia

543 *Secundæ Vitæ scriptor, forte Ceperanus, priori de more consonans, verbis num.* 537 *datis subnexuit sequentia :* Et quoniam pro hiis omnibus Domino lætitiæ cantica corde jocundo deprompsit, E propterea non multo post majoris revelatione misterii dignus fuit. Nam duobus annis, antequam Vir ille beatus felicem Domino spiritum redderet, in heremitorio, quod Alverna dicitur, moram faciens, vidit in visione quasi Seraph unum in aere, sex alas habentem, cruci manibus extensis pedibusque conjunctis affixum. Alarum vero duas super caput erectas, et duas ad volandum extensas habebat; porro duabus totum corpus tegebat. Obstupuit vehementer Vir sanctus ad visum, et alternabantur in ipso timor et gaudium. Delectabat eum speciei illius mirabilis pulchritudo; deterrebat plurimum horrenda crucis affixio. Sed et hoc lætificabat, quod gratiose se respici ab illo videbat. Cumque diutius anxio spiritu cogitaret, quid hujus visionis novitas importaret, nichil de illa liquido intelligere poterat, donec in se ipso tandem vidit gloriosissimum illud miraculum, miraculum, inquam, omnibus, ut arbitror, retro actis seculis inauditum.

refertur ex auctore Vitæ secundæ,

544 Apparebant namque in manibus ejus et pedibus quasi fixuræ clavorum, latusque ipsius dexterum veluti lancea perforatum. Manuum videlicet interior et pars pedum superior supereminentia quædam ex ipsa carne veluti clavorum capita protendebat; manus autem exterius, et F pedes interius signa quædam oblonga gerebant, veluti retorta clavorum acumina, quæ et ipsam carnem similiter reliquam excedebant. In latere vero dextro cicatrice obductum vulnus apparuit, quod et sacrum sanguinem sæpius evaporans tunicam ipsius nec non et aliquotiens femoralia tinxit. Talibus igitur in se, Vir Dei, resultantibus margaritis, studuit summopere pretiosissimum illum thesaurum, qua speciali illum Dominus prærogativa ditaverat, ab omnium omnino viventium oculis conservare reconditum, ne quod vel minimum conscii cujusquam familiaritatis occasione fortassis incurreret detrimentum. Unde et quia rarissime perpaucis præcipua consueverat revelare misteria, ea quoque, quæ tam gratiose parebant in ipso, maxime sibi familiaribus diu erant incognita.

quæ primæ consonat.

545 Periculosum enim existimans, inclitum apparere in oculis hominum, sed et pro magno non reputans, occulta quorumlibet bona non esse majora hiis, quæ proferuntur in publicum; ruminabat multotiens illud in ore propheticum : « In corde » meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. » Fratribus quoque circa ipsum conversantibus dederat tale signum, ut, si quando eum, cum extraneis occupatum, prædictum versiculum recitare perciperent, illum, ne forte in verba sibi nociva defflueret, curialiter ab eorumdem colloquiis expediret.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A dirent. Itaque vulnus lateris, quoad usque vixit in corpore, diligenter Viro Dei celante, solus hoc frater Helyas casu utcumque percipere meruit; frater vero Rufinus, ad eum scalpendum admissus, manu illud sensibiliter, sed fortuito, contrectavit; ad cujus contactum Vir sanctus remurmurans, gravissime doluit, et jam dictum fratrem inculpans, ut hoc sibi * Dominus indulgeret, adjunxit.

* *i. e.* illi

Recensetur item ex Tribus Sociis

546 *Tertio loco, ordine scriptionis, non temporis vel auctoritatis, recensendi sunt Tres Socii, quippe qui ipsius* S. Francisci, *æque ac Thomas Celanensis, discipuli fuere, quod de secundo biographo certo dici nequit. In Appendice ad Vitam primam apud me num.* 69 *et sequenti de eadem re hæc tradiderunt.* Cujus (*Francisci*) dilectionis fervorem et jugem passionis Christi memoriam, quam gerebat in corde, volens ipse Dominus ostendere toti mundo, singulari privilegio, mirabili prærogativa ipsum adhuc viventem in corpore mirabiliter decoravit. Cum enim Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et in illum, qui charitate nimia crucifigi voluit, transformaretur dulcedine compassiva, quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, cum oraret in latere montis, qui dicitur Alverna, duobus scilicet annis ante obitum suum, apparuit ei Seraph unus, sex alas

B habens, et inter alas gerens formam pulcherrimi hominis crucifixi, manus quidem et pedes extensos habentis in modum crucis, effigiemque Domini Jesu clarissime prætendentis. Duabus enim alis velabat caput, et duabus reliquum corpus usque ad pedes; duæ vero ad volandum extendebantur.

in Appendice et breviter ex anonymo Perusino.

547 Qua visione disparente, admirabilis in anima ipsius remansit ardor amoris; sed in carne ejus mirabilior apparuit impressio stigmatum Domini Jesu Christi, quæ Vir Dei pro posse abscondit usque ad mortem, nolens publicare Domini sacramentum; licet hæc * penitus celare nequiverit, quin saltem familiaribus sociis fuerit manifestum. Sed post felicissimum ejus transitum omnes Fratres, qui aderant, et sæculares quam plurimi manifestissime viderunt corpus suum * Christi stigmatibus decoratum. Cernebant enim in manibus et pedibus ejus, non quasi clavorum puncturas, sed ipsos clavos, ex ejus carne compositos et eidem carni innatos; ferri quoque nigredinem : dexterum vero latus, quasi lancea transfixum, verissimi ac manifestissimi vulneris rubea cicatrice erat obtractum, quod etiam sacrum sanguinem, dum viveret, sæpe effundebat. *Addunt, eadem sacra stigmata deinceps tot miraculis divinitus fuisse illustrata, ut, qui de illorum veritate male senserant, eorumdem*

C *laudatores sint facti. Hactenus Tres Socii. Brevissime eadem annotavit Anonymus Perusinus, in hoc Commentario sæpe laudatus. En verba ejus :* Volens Dominus nobis ostendere dilectionem, quam habebat in eum, posuit in membris ejus et latere ejus stigmata dilectissimi Filii sui.

* *an* hoc ?

* *i. e.* ejus

Eamdem S. Bonaventura in Vita edenda

548 *At pluribus illa exposuit S. Bonaventura, qui eo tempore scripsit, quo etiam vivebant aliquot* S. Francisci *socii, quos diligenter consuluit.* Cum igitur Seraphicis, *ait,* desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, dum oraret in latere montis, vidit Seraph unum, sex alas habentem tam ignitas quam splendidas, de cælorum sublimitate descendere. Cumque volatu celerrimo pervenisset ad aeris locum Viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus et pedes extensos habentis, et cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque mœrore gaudium cor ejus incurrit. Lætabatur quidem in gratioso aspectu, quo a Christo sub specie Seraph, cernebat, se conspici; sed crucis affixio compassivi doloris gladio ipsius animam pertransibat. Admirabatur quam plurimum in tam inscrutabilis visionis aspectu, sciens, quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conveniret.

AUCTORE C. S.

prolixius exposuit

549 Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio sic divina providentia suis fuerat præsentata conspectibus, ut Amicus Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi similitudinem transformandum. Disparens igitur visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, sed in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus ejus et pedibus apparere cœperunt signa clavorum, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat. Manus enim et pedes in ipso medio clavis confixi videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum et superiori pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra, ipsa vero acumina oblonga, retorta et quasi repercussa, quæ de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant. Dexterum quoque latus, quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia respergebat. Cernens autem Christi Servus, quod stigmata carni tam luculenter impressa socios E familiares latere non possent, timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno positus fuit dubitationis agone; utrum videlicet, quod viderat, diceret, vel taceret.

cum aliquot adjunctis

550 Vocavit proinde aliquos ex fratribus, et generalibus verbis loquens, dubium coram eis proposuit, et consilium requisivit. Quidam vero ex fratribus, gratia Illuminatus et nomine, intelligens, quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus; dixit ad Virum sanctum : Frater, non solum propter te, sed etiam propter alios, scias, tibi ostendi aliquando sacramenta divina. Timendum propterea jure videtur, ne, si, quod pluribus profuturum accepisti, celaveris, pro talento abscondito reprehensibilis judiceris. Ad cujus verbum motus Vir sanctus, licet alias dicere solitus esset, « Secretum meum mihi; » tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis præfatæ; addens, quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ numquam, dum viveret, alicui homini aperiret. *Deinde post multa de miraculis in confirmationem eorumdem stigmatum factis, sic rursum prosequitur sanctus doctor Seraphicus :* Ipse vero, licet thesaurum inventum in agro multa diligentia studeret abscondere, latere tamen non potuit, quin aliqui stigmata manuum F viderent et pedum : quanquam manus quasi semper portaret contectas, et pedibus ex tunc incederet calceatis.

probatisque testimoniis,

551 Viderunt enim, dum viveret, fratres plurimi, qui, licet propter sanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum, sic esse, ac se vidisse, tactis sacrosanctis, juramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum Viro sancto habebant, aliqui Cardinales, laudes sacrorum stigmatum porsis et hymnis et antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem, veraciter inserentes; qui tam verbo, quam scripto, perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex dominus Alexander (*hujus nominis quartus*) cum populo prædicaret, coram multis fratribus et me ipso affirmavit, se, dum Sanctus viveret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plus quam quinquaginta fratres, virgoque Deo devotissima Clara cum ceteris sororibus suis, et sæculares innumeri, ex quibus, quemadmodum suo loco dicetur, quam plurimi et osculati sunt ex devotionis affectu, et contrectaverunt manibus ad testimonii firmitatem. Vulnus autem lateris tam sollicite occultavit, ut illud nemo posset, nisi furtim, contueri, dum viveret.

552 Unus etenim frater, qui ei sedule ministrare solitus

AUCTORE C. S. *prætermissis ab aliis biographis prioribus.*

solitus erat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induxisset, attente respiciens, vidit plagam; cui etiam tres veloci contractu digitos applicans, tam visu quam tactu, vulneris quantitatem agnovit. *Subdit S. Bonaventura, idem vulnus ab altero fratre visum et ab altero manu tactum fuisse, nimirum ab Elia et Russino, ut supra ex aliis dictum est; sed addit :* Propterea (*ne scilicet simile quid in posterum contingeret*) portabat ex tunc femoralia ita facta, ut usque ad axillas pertingerent ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque, qui illa lavabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inveniebant eam sanguine rubricatam, indubitanter per evidens signum in cognitionem sacri vulneris pervenerunt; quod postmodum in morte, revelata facie, ipsi cum aliis plurimis contemplati simul et venerati sunt. *Exponit ista cap.* 15, *ubi de Sancti obitu ac sepultura agit, aitque, clavos nigri, velut ferrum, coloris fuisse, atque ita carni innatos,* quod, dum a parte qualibet premerentur, protinus quasi continui et duri ad partem oppositam resultabant. *De plaga laterali ibidem inquit :* Vulnus autem lateris rubeum, et ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum, rosa quædam pulcherrima videbatur *etc.*

B

Expenduntur prædictorum scriptorum fides

553 *Mitto plura, quia ibi legi possunt, debitasque ad prædicta observationes adjicio. Ex hujus Commentarii* § 1 *nequit merito negari, Thomam Celanensem, quem primo loco produxi, fuisse* S. Francisci *discipulum, neque ex junioribus; scripsisse Vitam sancti Patris sui ante annum* 1230, *id est, eamdem non serius, quam biennio vel ad summum triennio post illius obitum absolvisse; scripsisse, jubente Gregorio IX summo Pontifice, qui eidem Sancto usque ad hujus mortem, anno* 1226 *obitam, mire familiaris fuit, annique subsecuti mense Martio ad Romanam S. Petri Cathedram evectus. Eumdem Thomam fuisse virum gravem, pium doctumque, ipsa, quam scripsit, Vita probabit legenti; hocque ejusdem Pontificis in ipso præ ceteris ad Vitam intimi Amici sui scribendam eligendo judicium etiam confirmat. Fuerunt ergo in Thoma conditiones omnes, quas sanus criticus in biographo historica fide dignissimo jure requirat. Nec vero hujusmodi scriptori domestico facile fuit falli in re tanta, nec tutum fallere in re nupera summum Pontificem, paulo ante* S. Francisci *consiliis intimum, totius Ordinis eximium protectorem, eoque titulo ac munere etiam ejusdem Sancti Ordinisque arcanorum*

C

præ ceteris conscium.

et auctoritas, ceteraque adjuncta,

554 *Etenim qua fronte ausus fuisset vir ille religiosus summo Pontifici, de Ordine suo optime merito, tam impudenter imponere, factumque obtrudere velut certissimis plurimorum testimoniis ex visu tactuque Assisii comprobatum ac publicum; quod et propter suam insolentiam difficulter credi poterat, et ob temporis locique vicinitatem, ceteraque adjuncta, facillime examinari; et, si fabula esset, fœdi mendacii convinci. At numquam illud ab illo mendacii convictum, sed contra probatum, litterisque etiam Apostolicis adversus impugnatores editis confirmatum fuisse, constabit ex dicendis. Idem factum pro indubio certe etiam habuit post Celanensem supra laudatus auctor Vitæ secundæ, qui sive Ceperanus sit, sive alius vir sæcularis, scripsit quidem post annum* 1230, *non tamen post* 1241, *quo obiit Gregorius IX, de quo ille tamquam de vivente semper loquitur. Adi, si lubet, Commentarium nostrum* § 1. *Hunc quoque igitur idoneum historiæ sacrorum stigmatum assertorem habemus, quippe qui in eam mox post scriptam a Celanensi Vitam potuit inquirere, et ob temporis propinquitatem, non minus quam Celanensis, ab Assisiensibus redargui, si illum cæcorum more secutus, fabulam pro contestato facto venditasset.*

ex quibus conficitur, impressionem stigmatum

555 *Pluris etiam facienda est tertio loco adducta Trium Sociorum auctoritas, qui, licet Opusculum suum anno* 1246 *vel* 1247 *primum absolverint, fuerunt tamen* S. Francisci *discipuli, quocum vixerant familiariter; imo eorum unus is ipse frater* D *Ruffinus est, qui a Celanensi supra num.* 541 *dicitur, dilapsa fortuito manu, sacrum lateris vulnus contrectasse. Prætereo Anonymum Perusinum, quem ea solum de causa hic laudavi, ne suspicari lector posset, sacra stigmata huic vel ignota vel improbata fuisse. S. Bonaventuram summa fide Vitam scripsisse, nemo sine injuria neget. De adjumentis, quibus usus est, egi in hoc Commentario* § 1. *Id unum hic repeto, non fuisse illum contentum præmissis Vitis, aliorumque annotationibus, quas Crescentius generalis Minister, in comitiis anni* 1244 *fieri mandaverat, verum etiam se contulisse Assisium, ut aliquot sancti Patris sui quondam socios consuleret, de quibus sic loquitur in Prologo :* Ut igitur Vitæ ipsius veritas, ad posteros transmittenda, certius mihi constaret et clarius, adiens locum originis, conversationis et transitus Viri sancti, cum familiaribus ejus adhuc superviventibus collationem de iis habui frequentem ac diligentem, et maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus et conscii fuerunt et sectatores præcipui, quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem fides est indubitabilis adhibenda. *Quis aut certiores testes, aut plus diligentiæ requirat in biographo, quem et generale Ordinis Ministerium, quo tunc fungebatur, et sua sanctitas ac eruditio* E *aliunde commendabant?*

historiæ certam esse, nec de ea prudenter posse dubitari.

556 *Nec vero frustra fuerunt hi sancti doctoris conatus : quamvis enim prioribus biographis de historia impressionis stigmatum omnino consentiat, adjunxit tamen nonnulla ab illis prætermissa, aut non satis explicata, quæ ad ejusdem historiæ integritatem ac clariorem narrationem pertinent. Inter alia docuit, quo pacto celebris illa Seraphini crucifixi apparitio, cujus præter* Franciscum *nemo fuerat conscius, ad notitiam fratrum pervenerit; qua ratione manuum pedumque stigmata celare nisus sit; qua occasione laterale vulnus, dum viveret, conspectum simul et palpatum fuerit; qua cautela Sanctus usus sit, ne id simili casu deinceps contingeret; unde didicerint socii, ex eodem vulnere sæpe sanguinem fusum. Addidit et alia, atque hoc in primis, stigmata manuum pedumque, utut ipse ea abscondere conabatur, visa esse, dum vivebat, a plurimis fratribus,* qui (*ut inquit*) licet essent propter sanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum, sic esse, ac se vidisse, tactis sacrosanctis, juramento firmarunt; *visa quoque ab aliquibus Cardinalibus, ab iisque tum scriptis tum verbis asserta, ac nominatim ab Alexandro IV summo Pontifice, in publica concione testato,* se, dum Sanctus viveret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. *Quid* F *plura? Qui enim tam certis testibus manus dare recusat, nescio, quos tandem in re historica exigat.*

Eamdem historiam etiam affirmavit

557 *Quamquam autem sacrorum stigmatum* S. Francisco *impressorum historiam ex testimoniis adductis satis superque extra omne dubium positam esse, credam; sunt tamen et alia, quæ ad ejusdem veritatem confirmandam proderit attulisse. In primis ne quis prædictos scriptores suspectos esse, utut inepte, causetur, quod illi omnes, excepto forsitan auctore Vitæ secundæ, Ordinis Minorum sint, adjiciam unum et alterum synchronum, in quos ejusmodi suspicio cadere nequit. Lucas Tudensis in Hispania episcopus, eximius rerum Hispanarum, teste Nicolao Antonio tom. II Bibliothecæ veteris Hispanæ, historicus,* S. Francisco *synchronus, at numquam illius Ordinis alumnus fuit. Hic in Opere, quod adversus Albigenses hæreticos scripsit, quodque exstat in Bibliotheca Patrum, editionis Lugdunensis tom. XXV a pag.* 194, *lib.* II, *cap.* 11 *sacra* Francisci *stigmata pro tam certis indubitatisque habuit, ut non dubitaverit ex hisce argumentum desumere adversus eos, qui Christum Dominum nostrum tribus tantum, non quatuor, clavis affixum cruci fuisse, contendebant. Ipsum ergo audiamus.*

558 Illud etiam (*ait*) beatissimi patris Francisci, cujus humilitate ac simplicitate sanctissima Deus nostris

Lucas Tudensis in Hispania episcopus,

A nostris temporibus mundi contrivit superbiam, et scientiam reprobavit, qui stigmata Jesu Christi in suo gestavit corpore, specialius ad fulciendum testimonium veritatis in medium proferamus, ut veritas enucleatius luceat, et falsitas offuscetur. Etenim vero, ut in ejus sacra reperitur Legenda, et multorum Religiosorum, clericorum, laicorum et secularium, qui manibus contrectare meruerunt, vel corporeis oculis ante quinquennium aspexerunt, pium perhibet testimonium, in manibus et pedibus B. Francisci quatuor apparuerunt signa clavorum, in Christi Milite demonstrantes * perfectam de luctamine mundi victoriam, et sui Regis Jesu Christi sequelam existere signo quatuor clavorum Dominicæ passionis. Scriptum quippe reperitur in ejus Legenda, quod post quandam crucifixi Seraphim beatificam visionem cœperunt in manibus et pedibus eius apparere signa clavorum, quemadmodum paulo ante virum supra se viderat cruci fixum.

* *l.* demonstrantia

scriptor synchronus,

559 *Pergit Tudensis stigmata clavorumque modum ac formam, et sacrum lateris vulnus exponere verbis Thomæ Celanensis apud me in Vita edenda num.* 95 *positis, ut dubium non sit, quin hanc Vitam præ manibus habuerit, et supra per* sacram Legendam *designaverit. Ibidem etiam ex eadem probare intendit, Christo in cruce pendenti dextrum, non*
B *sinistrum, latus lancea apertum fuisse, ita disserens :* Alii nulla fulti auctoritate asserebant, tribus tantum clavis cruci fuisse affixum (*Christum*) et non dextrum latus ejus, sed sinistrum lancea vulneratum. Sed omnipotens Deus, qui infirma mundi elegit, ut fortia quæque confundat, per Servum suum, litterarum elementis fere rudem, Franciscum occulta * fide illorum elusit argumenta fallacia, ut etiam inviti cedant manifestissimæ veritati. Si autem quis forsitan adhuc audeat dicere, ista miraculose et non adinstar passionis Christi in B. Francisco fuisse gesta, audiant, quod in ejus obitu legitur manifeste : Resultabat in eo revera forma crucis et passionis Agni immaculati, qui lavat crimina mundi, dum quasi recenter e cruce videretur depositus, manus et pedes clavis confixos habens, et dextrum latus quasi lancea vulneratum. Erat in medio manuum et pedum ipsius mirabile cernere, non clavorum quidem puncturas, sed ipsos clavos ejus clavos compositos (*vide mox annotanda*) ferri retenta nigredine, ac dextrum latus sanguine rubricatum.

* *an* oculata?

in Opere suo adversus Albigenses;

560 *Accepta hæc sunt ex Vita prima secundum partitionem meam num.* 112 *et sequenti, unde pro istis* ejus clavos compositos *lege :* in eis impositos.
C *Tandem Tudensis pro quatuor Christi clavis dextrique lateris vulnere concludens, post alia inquit :* Hoc etiam Dominus in beati patris Francisci corpore clamare videtur. *Quod ad propositum nostrum attinet, mihi ex istis sine dubio concludere licet, sacra* Francisci *stigmata tam certa contestataque visa esse Tudensi, ut crederet, a nemine posse negari, aut negantem facile posse convinci. Alioquin inepte argumentum petiisset ab historia, cujus seu falsitas seu sublesta fides facili negotio, nec sine scriptoris dedecore, ab adversariis potuisset demonstrari; cum ista scripserit dumtaxat quinquennio post obitum* S. Francisci, *ac proinde viventibus plurimis omnis conditionis hominibus, a quibus illa stigmata tunc visa, manibusque palpata fuisse, asserebat. At, inquies, non alia hic est Lucæ Tudensis auctoritas, quam Thomæ Celanensis, cujus ille Opusculum nactus, scripsit in Hispania. Imo vero longe alia est, eaque Celanensis Opusculo simul ac historia stigmatum non parum ponderis addit.*

cujus hac in re auctoritas

561 *Joannes Mariana in Præfatione ad ejusdem Lucæ libros adversus Albigenses observat, ipsum ante episcopatum tum alias regiones, tum etiam Italiam Romamque adiisse, quod et ex iisdem libris constat. Lib.* III, *cap.* 14 *Lucas ipse refert aliqua, quæ se didicisse, testatur,* narrante viro sanctissimo fratre Helia, successore beatissimi patris Francisci; *ac rursum alia quædam ibidem cap.* 15, narrante quoque prædicta fratre Helia venerabili viro. *Frater ille Elias* S. Francisco *mense Octobri anni* 1226 *defuncto successit, rexitque Minorum Ordinem usque ad annum* 1230, *quo a Gregorio IX Papa ab eo munere amotus fuit, eique suffectus Joannes Parens. Intra hos ergo annos dicendus est Lucas Tudensis in Italia fuisse et convenisse Eliam, verisimiliter Assisii, ubi erat ordinaria totius Ordinis Ministri sedes. Minime quoque ambigi potest, quin laudatus Lucas, vir doctus sciendique avidus, in eo itinere Italico tum alibi, tum maxime Assisii, si ibi fuerit, de stigmatibus illis diligenter interrogaverit, non solum Eliam et fratres ejus, verum etiam Assisienses incolas, qui biennio vel triennio ante* S. Francisci *cadaver spectaverant, et quorum testimonia præ reliquis minus poterant esse suspecta.*

AUCTORE C. S.

magni facienda esse ostenditur.

562 *Deinde in Hispaniam reduc, allata tunc vel postea accepta* S. Francisci *Vita per Thomam Celanensem composita, quinquennio post ejusdem Sancti obitum scribens libros suos adversus Albigenses, inseruit eis, ut vidimus, argumentum, ab iisdem quinque stigmatibus sumptum, nixus tum vita prælaudata, tum integerrimis testibus, quos nuper consuluerat. Ita mihi quidem indicare videtur, dum verbis supra jam datis ait :* Etenim vero, ut in ejus sacra reperitur Legenda, et multorum Religiosorum, clericorum, laicorum et secularium,
E qui manibus contrectare meruerunt, vel corporeis oculis ante quinquennium aspexerunt, pium perhibet testimonium, *etc. Hæc testimonia certe non didicit ex laudata Vita, in qua eorum nulla fit mentio; nec didicisse potuit ex altera per S. Bonaventuram multo serius scripta. Igitur Vitam a Celanensi tunc nuper editam confirmare voluit testimoniis, quæ ipsemet acceperat in itinere Italico; atque ita Legendæ, etiam alias optimæ fidei, novum pondus adjecit, et veritatem sacrorum stigmatum etiam magis confirmavit.*

Eamdem etiam memorarunt duo alii synchroni, Bellovacensis

563 *Scriptori Hispano, Tudensi episcopo, addo Vincentium Bellovacensem, natione Gallum, professione Religiosum Ordinis Prædicatorum, qui eodem sæculo ante scriptam a Bonaventura Vitam* S. Francisci *suum Speculum Historiale composuit in Gallia, hujusque libris* 29 *et* 30 *multa de eodem Sancto memoravit ex Gestis ejus, ut præmittitur ibidem lib.* XXIX, *cap.* 97. *Hic ergo, ut tempore proximus, ita conditione ac loco diversus, eamdem illam vulnerum impressionem eodem modo recensuit toto capite* 109 *libri* 30. Gesta *autem, quæ ibidem secutus est, non sunt Opusculum Celanensis, quod Lucæ Tudensi præluxisse diximus, sed Vita, quam* secundam *appellamus, uti manifestum erit cuilibet Bellovacensis dicta loco proxime citato conferenti*
F *cum verbis, quæ ex eadem Vita recitavi supra num.* 543 *et segq. Porro hinc duo licet colligere; nimirum sæpe dictam stigmatum historiam jam ante medium sæculum* XIII (*quod tempore Bellovacensis scripsit*) *in Gallia fuisse agnitam, et Vitam illam* secundam, *cujus auctor se synchronum fuisse prodit, vere priorem esse, scripta per S. Bonaventuram.*

et Matthæus Parisiensis; verum hic cum adjunctis

564 *Eodem fere tempore fama tanti miraculi etiam in Angliam perlata fuit; sed incertis tantum rumoribus, si adjuncta spectes. Id liquet ex Matthæo Parisiensi, Congregationis Cluniacensis in eadem insula monacho Benedictino, qui in Historia Majore Angliæ ad annum* 1227 *illud tam diverso a vero modo memoravit, ut sui simile non sit, videaturque e vulgi narratione relatum. Etenim ibi sine ulla apparitionis Seraphini, montisve Alverni mentione dicuntur primo* quintadecima die *ante* S. Francisci *mortem apparuisse* vulnera in manibus ejus et pedibus, sanguinem jugiter emittentia, sicut in mundi Salvatore in ligno pendente apparuerant, cum crucifigeretur a Judæis. Latus quoque ejus dextrum adeo apertum et cruore respersum *apparuisse*, ut etiam secreta cordis intima perspicua viderentur. *Subditur, Sanctum ipsum, ab accurrente populo et Cardinalibus causam tanti prodigii interrogatum, respondisse, id factum esse in confirmationem prædicationis suæ de Christo crucifixo, mortuo et re-*

 suscitato,

AUCTORE C. S. *plane fabulosis :*

suscitato, utque simul constaret, se Crucifixi servum esse.

565 *Quin etiam dicitur adjecisse :* Hæc vulnera, quæ in me ita videtis aperta et sanguine cruentata, statim cum defunctus fuero, adeo sana erunt et cohærentia, ut carni cæteræ similia videantur. *Demum addit Matthæus :* Qui continuo absque omni angustia corporis et carnis cruciatu, corpore solutus spiritum suo reddidit Creatori. Quo defuncto, nulla vulnerum prædictorum in latere vel pedibus, sive manibus, stigmata remanserunt. *Hæc ille, ex quibus liquet, constitisse quidem ipsi de stigmatibus* S. Francisco *impressis, sed de tempore, modo ac reliquis miraculi adjunctis, pessime fuisse instructum. Figmenta quivis facile corriget ex Vitis jam allegatis, ut necesse non sit eadem hic exponere : neque alia de causa hunc auctorem produxi, quam ut ostenderem, etiam a monacho Benedictino, ante medium sæculum* XIII *in Anglia scribente, asserta fuisse* S. Francisci *stigmata, etsi propter locorum distantiam vera illorum historia eumdem tunc latuerit.*

sed rectius de ea meminit Jacobus de Voragine, ejusdem sæculi episcopus.

566 *Prædictis scriptoribus paulo quidem junior, at eodem tamen sæculo* XIII *natus et mortuus Jacobus de Voragine, ex Ordine Prædicatorum episcopus Januensis, æque ac illi, mirabile illud factum velut minime dubium suæ Legendæ Sanctorum breviter, sed recte, inseruit hoc modo :* In visione Dei Servus supra se Seraphim crucifixum aspexit, qui crucifixionis suæ signa sic ei evidenter impressit; ut crucifixus videretur et ipse. Consignantur manus et pedes et latus crucis caractere; sed diligenti studio ab omnium oculis ipsa stigmata abscondebat. Quidam tamen hæc in vita viderunt, sed in morte plurimi conspexerunt. Quod autem hæc stigmata per omnia vera extiterint, multis miraculis ostensum est; quorum duo, quæ post ejus obitum contigerunt, hic inserere sufficiat *etc. Mitto laudare S. Antoninum, ex eodem Ordine Prædicatorum sæculo* XV *archiepiscopum Florentinum, aliosque, qui eamdem historiam, velut minime dubiam, scriptis consignarunt.*

§ XXV. Eadem sacra stigmata duorum synchronorum Pontificum, Gregorii IX et Alexandri IV, litteris Apostolicis asserta et vendicata : tempus, quo illa S. Francisco impressa fuere.

Stigmata etiam probarunt duo summi Pontifices Sancto synchroni,

567 *Testibus hactenus allegatis, quos nemo prudens respuat, addo et duos alios, quos præter temporis rationem et amicitiam cum* S. Francisco *habitam etiam summa in Ecclesia dignitas venerandos fecit. Cardinalis Baronius in Annotatis ad suum Martyrologium Romanum die* 17 *Septembris, ubi* commemoratio impressionis sacrorum stigmatum *annuntiatur, duos hujusmodi summos Ecclesiæ Catholicæ præsides, qui illa suis litteris confirmaverunt ac tutati sunt, laudat his verbis :* Extant de tam immenso miraculo Apostolicæ litteræ summorum Pontificum, nimirum Gregorii IX ad universos Christi fideles per Teutoniam constitutos, datæ Viterbii II Kal. April., sui Pontificatus anno undecimo. Aliæ itidem ad episcopum Olomucensem anno decimo scriptæ, in ejus Registris in Biblioth. Vatic. Exstant etiam adhuc aliæ Apostolicæ litteræ eodem argumento conscriptæ ab Alexandro quarto. *Illarum primam præter alios edidit Laertius Cherubinus tom. I Bullarii Romani pag.* 58 *sub titulo :* Approbatio veritatis sacrorum stigmatum S. Francisci de Assisio. *Eam etiam recitavit Odoricus Raynaldus in continuatione Annalium Ecclesiasticorum Baronii ad annum* 1237, *num.* 60, *Waddingus ad eumdem annum, ubi affirmat, acceptam esse ex autographo in archivo sui Ordinis asservato, et Joannes Hyacinthus Sbaralea, S. T. magister Ordinis Minorum Conventualium, in Bullario Franciscano, typis Romanis anno* 1759 *excuso.*

568 *De anno locoque conveniunt omnes, at non de die ac personis, ad quas scripta fuerit. Raynaldus cum Baronio eam ad universos Germanos directam ait, signatamque refert* II Kal. Aprilis, *seu die* 31 *Martii. Apud Waddingum ex autographo* universis Christi fidelibus *inscripta legitur, dataque* Nonis Aprilis; *notat tamen ibidem Annalista, eamdem in Regesto Vaticano datam dici* ad universos per Teuthoniam constitutos, *signatamque* die 2 Aprilis. *nimirum, ut existimat,* variato..... die, quo *litteræ* scriptæ sunt, secundum varia, quæ data sunt exemplaria. *Waddingo consentiens laudatus Sbaralea tom. I Bullarii pag.* 214 *in Annotatis ex ista variatione conjicit,* binas hac de re litteras a Pontifice datas; primas ad Teutonicos 2 Kalend. April., alteras ad universos fideles Nonis Aprilis; ejusdem tamen tenoris. *Equidem huic conjecturæ non repugno, solumque observo, binas ejusdem tenoris admittendas litteras esse ad Teutonicos datas, si in Regesto Vaticano unum earumdem exemplar vere recteque signatum legatur* II Kal. April., *id est, die* 31 *Martii, ut habent Baronius et Raynaldus; atque alterum die* 2 Aprilis, *ut refert Waddingus.* D

quorum primus Gregorius IX

ad universos fideles Apostolicas litteras dedit,

569 *Scribendi causam Raynaldus eam Pontifici fuisse, ait, ut Germanicæ nationi, quæ peculiari affectu sacra* Francisci *stigmata prosequebatur, gratum faceret, eamdemque in hac pia veraque devotione magis confirmaret. Agnoscit tamen, eodem tempore fuisse in Moravia episcopum Olomucensem, qui contrarium sentiebat, ac credi volebat : qua de re infra latius. Waddingus de eadem ad universos fideles scribendi causa hæc præmittit :* Dum per hoc tempus Minores institutoris sui S. Francisci excellentiam, et singularem sacrorum stigmatum prærogativam dignis celebrarent encomiis, et fidelibus e nostris persuaderent, non defuerunt, qui vel zelo ducerentur contrario, vel tantæ Viri sancti gloriæ inviderent, ejusque laudibus et discipulorum fidei detraherent, contraria publice prædicarent, et sanctum Patriarcham cum stigmatibus depingi, ultro prohiberent. Moverunt hæc Pontificem, ut testimonium perhiberet veritati, et scriberet ad universos fideles, ut persuasum sibi vellent rarum hoc et inauditum in Francisci corpore vulnerum prodigium, scirentque ex his stigmatibus causam se habuisse peculiarem eumdem Confessorem Cœlitibus adnumerandi; *quod fecerat anno* 1228, *ut suo loco exponam. Nunc ipsas Gregorii IX litteras ex recensione Waddingi accipe.* E

in quibus eorumdem veritatem luculente asseruit

570 Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Confessor Domini gloriosus beatus Franciscus qualis vitæ mentis * processerit ad patriam perpetuæ claritatis, explicare litteris, arbitramur fore superfluum; cum id fere pervenerit ad fidelium notitiam singulorum. Verumtamen grande ac singulare miraculum, quo ipsum Sanctorum splendor et gloria, Dominus Jesus Christus, mirabiliter decoravit, universitati vestræ tenore præsentium non indigne duximus exprimendum; videlicet, quod idem Sanctus, cum adhuc spatium præsentis vitæ percurreret, et postquam illud feliciter consummavit, manibus, latere ac pedibus specie stigmatum divinitus extitit insignitus. Quo ad nostram et fratrum nostrorum deducto notitiam, et cum cæteris eisdem * miraculis per testes fide dignissimos probato solemniter, ex ipso specialem causam habuimus, quod Confessorem eumdem de dictorum fratrum et omnium prælatorum consilio, qui tunc apud Sedem Apostolicam existebant, Sanctorum catalogo duximus adscribendum.

* *l.* meritis F

* *al.* ejus *vel* ejusdem

commendavitque, et contraria asserentes

571 Igitur cum id ab universis fidelibus credi firmiter, cupimus, devotionem vestram rogamus et hortamur in Domino Jesu Christo, in remissionem vobis peccaminum * injungendo, quatenus ab assertione contrarii aures de cætero penitus avertentes, Confessorem eumdem apud Deum pia vobis reddatis veneratione propitium, ut ejus meritis et precibus, et in præsenti a Domino prosperitatis gaudium, et in futuro felicitatis æternæ percepisse solatium,

* *al.* vestrorum peccatorum

A solatium, exultetis. Datum Viterbii Non. Aprilis, Pontific. nostri anno undecimo. *Id est, anno Christi* 1237, *die* 5 *Aprilis. Gregorius IX, cujus hæ litteræ sunt, is ipse est, qui ante Pontificatum ipsi ab eodem* S. Francisco *sæpe prædictum, annoque* 1227 *aditum, Hugo et Hugolinus,* Cardinalis Ostiensis *dictus, miro favore tum Sanctum ipsum, tum institutum ab eo Ordinem, complexus fuerat, eumdemque anno* 1228, *nondum integro post obitum biennio, in Sanctorum numerum magna cum solemnitate retulerat.*

repellendos esse, admonuit.

372 *Poterat ergo hic Pontifex, imo non poterat non, de* Francisci *stigmatibus in primis fuisse edoctus, cum ex familiaritate, quam cum ipso habuerat, tum ex testibus fide dignissimis, quos in processu canonizationis auditos fuisse, testatur, quibus haud dubie annumerandi videntur, quos Lucas Tudensis supra num.* 358 *generatim laudavit, itemque illi, de quibus S. Bonaventura in Vita num.* 200 *scripsit :* Viderunt enim (*stigmata Francisci*) dum viveret, fratres plurimi, qui, licet essent propter sanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum, sic esse, ac se vidisse, tactis sacrosanctis, juramento firmarunt *etc. Quam ob rem nil mirum est, laudatum Pontificem peculiarem hanc gloriam, tam evidenter comprobatam, Viro sanctissimo, olim sibi amicissimo, ab*

B *eoque inter Sanctos relato, vendicare voluisse adversus quosdam æmulos, qui forte eo audacius illam impugnabant, quod de eadem nullam, specialem saltem aut distinctam, in bulla canonizationis mentionem factam legerent.*

Alias item scripsit ad episcopum Olomucensem,

373 *Præcipue tamen, ac forte solum, ista gloria tum temporis impetebatur in Moravia, ubi Fridericus episcopus Olomucensis publicas adversus eam litteras ediderat. Enimvero exarsit erga hunc episcopum Pontifex, acriterque redarguit litteris ad eumdem datis, quas supra laudavit Baronius, et Waddingus ad hunc annum* 1237 *recensuit, quales ex ipso hic subjicio :* Gregorius episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Venerabili fratri episcopo Olomucensi salutem et Apostolicam benedictionem. Usque ad terminos orbis terræ præsumptionis tuæ signa protendens, patentes litteras, exhibendas universis Christi fidelibus, cuidam ad sobrietatem spernenti sapere, ac damnabiliter dedito blasphemiis, manu lubrica concessisti, quas inter aliqua pietati conformia, et quædam obnoxia pravitati, continere percepimus, quod (cum solus Patris æterni Filius fuerit pro humana salute crucifixus, et ipsius duntaxat vulnera devotione supplici adorare debeat religio Christiana) nec B. Franciscus, nec Sanctorum ali-

C quis cum stigmatibus sit in Ecclesia Dei depingendus; et quod peccat contrarium asserens; nec illi, tanquam inimico fidei, credulitas adhiberi ulla debet *.

* *al.* debeat *quem, quia adversus illa litteras publicas ediderat,* * *al.* causa * *al.* in oblivione detur

374 Super quo non modico admirantes, quæ sit causæ * suasionis hujus, non indigne providimus perscrutari; ut, si forte bona sit (quod impossibile creditur) commendabilis habeatur; quod si non, in oblivionem *; et tu inductus spiritu pœnitudinis ad suggerendum salutare contrarium promptus et facilis habearis. Etenim super his ex eo sumpsisti forsitan argumentum, quod sit indecens in subditis, ut planta sibi prætendat insignia capitis. Ad hæc quidem providentes, propositum seu compendiose prolatum esse, dummodo suppleret, Nisi de speciali gratia cuique bene merito insignia hujusmodi sunt concessa; etsi non multa, quæ possumus, tamen breviter quædam præsidium perspicuæ rationis habentia respondemus; videlicet quod Dei Sapientia, quæ de limo terræ similem sibi

* *al.* illi formans hominem, similis sibi * fieri per Incarnationis mysterium, ut ipsum a morte redimeret, non contempsit, dilectum sibi beatum Franciscum suorum specie stigmatum decoravit. Quæ temeritas, quod peccatum, si tam singulare privilegium, ad Indulgentis gloriam, picturæ testificatione pateat oculis devotorum?

375 Nonne, ut sileamus de aliis, Princeps Apostolorum eximius, licet positione dissimili, quandoque pingitur crucifixus? Sed dicis intrepidus alia, dum pactum reformat ratio, quia cum præteriri nequiverat, quod de cruce futurum Veritas indicavit; neque improprie suspensus in cruce dicitur, neque incongrue tali damnatus suplicio figuratur. Sed de Francisci cruce vel stigmatibus quod veritatis indicium? quod probabile argumentum? De cruce siquidem nota sæculis vita ipsius respondeat, quod, postquam religionis assumpsit habitum, vacando virtutibus, carnis continuum subiit cruciatum : de stigmatibus vero plures fide dignissimi, quos miraculi tanti conscios divinæ placuit reddere pietati *, testimonium veritati perhibeant, et ad ipsum hoc fidelis mater Ecclesia suffragetur, quæ ex hujusmodi miraculo, cum aliis debita solennitate probato, causam specialem habuit, quod eundem Sanctum Beatorum catalogo revereuter adscripsit. Quid ad ista, quasi mundo publica, et tibi per consequens non ignota, nisi quod voluntatis arbitrium prætendens vel præferens consilio, rationi *, nos, vel Deum potius, gratis offendis, ac utique dilectorum fratrum Minorum Ordinem et devotos eidem nimis improvide perturbas?

AUCTORE C. S. *acerrime reprehendit, ac refellit,*

* *al.* potestati

* *al.* et rationi

E

376 Ad cor igitur, qui os in cælum ponere præsumpsisti (ut de reliquo taceatur) sine mora revertere; ad iram superni Judicis mitigandam studia suscipe pœnitentis prompta diligentia, si forte sit possibile, provisurus, ut scandalum, quod, quantum in te fuit, universitati fidelium per prædictas intulisti litteras, deleatur, et dictorum fratrum collegia sint in Theutoniæ partibus in reverentia consueta. Quod ut tanto facilius, auctore Deo, provenire valeat, quanto pium fore dignoscitur, ut in futuro vulneris, quæ salutis sunt, etiam operetur, fraternitati tuæ in virtute obedientiæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus cordi tuo pro solemni voto constituens, quod aliquis *aliquid de cætero, ex quo provocari superna Majestas, vel Sedes Apostolica juste conturbari valeat, non attentans, prædictum privilegium, quo Celsitudinis divinæ dignatio sui Confessorem nominis reddidit gloriosum, damnabiliter infligere aut impingere calumniis non præsumas; sed celebre in eisdem partibus ad honorem Conditoris, dum sicut et in aliis habeatur, quantum in te fuerit, humili devotione procures; firmiter crediturus, quod idem Sanctus, cum adhuc nostræ mortalitatis habitum baiularet, prædictis stigmatibus extitit insignitus; et licet illa visa pluribus ipse tanquam contemnens laudes hominum, vacansque contemplandæ dulcedini cælestium organorum, celare semper studuerit, ea tamen migrans ad paradisi patriam concurrentium obtutu publicavit. Datum Viterbii 2 Kalen. Aprilis Pontific. anno undecimo.

utque resipisceret, mandavit.

* *al. deest* aliquis

F

Observantur quædam circa has litteras.

377 *Diem datæ epistolæ sic edidit Waddingus, quia ita invenit apud alios, licet ibidem præmisisset, in Registro Vaticano sub num.* 19 *eamdem datam notari* 2 Idus Aprilis, *et observasset, numerum secundum diei apud Latinos non esse in usu in computo Kalendarum aut Iduum. Sbaralea, in Bullario Franciscano Waddingum secutus est, quod sic etiam apud alios legisset. Utrum diem malis, nil interest, cum ex adscripto anno undecimo Pontificatus Gregorii constet, hanc epistolam ad annum Christi* 1237 *pertinere. Baronius quidem supra num.* 367 *pro anno* undecimo decimum *exhibet; verum id verisimillime vel ejusdem memoriæ lapsui vel typothetæ vitio attribuendem est. Si utraque epistola modo ex Waddingo relata recte subsignata sit, hæc, quæ ad episcopum Olomucensem data est, aliquot diebus præcessit primo loco recitatam, eamque Gregorius ad universos Christi fideles scripsisse videtur, ut occurreret malo, quod ex ejusdem episcopi publicis litteris ubicumque spargi potuerat, caveretque, ne alii antistites simile quid temere moverent. Porro episcopum Olomucensem, de quo hic, dictum fuisse Fridericum, discimus ex tempore sedis illius, signato in Historia episcoporum Olomucensium per Augustinum, ejusdem*

AUCTORE C. S.

ejusdem ecclesiæ decanum, ubi Fridericus decimo sexto loco recensetur, nihilque memorabile gessisse dicitur. Verisimile est, ipsum summi Pontificis mandatis obtemperasse, cum plura hac super re non legerim.

Jussit et alium obtrectatorem coerceri.

578 *Prædictis litteris etiam alias addidit Gregorius ad superiores cujusdam sacri Ordinis, cujus unus alumnus, haud dubie dicti episcopi auctoritate nixus, eadem stigmata oppugnavisse dicebatur. In his litteris Pontifex cum magni doloris significatione indicavit, se accepisse, illum* cum pervenisset Opaniam (*alibi* Opaviam *dicitur*) Moraviæ * civitatem, *publice dicere ausum,* quod in laude B. Francisci per quosdam ex discipulis suis pie proposita deberent habere pro reprobis; quod in ejus corpore Christi stigmata non fuissent. *Unde ibi subjicit Gregorius.* Quid ultra? Nec Christo, qui Sanctum eundem manibus, pedibus ac latere hujusmodi stigmatum privilegio decoravit; nec nobis, qui ex tanto miraculo, cum cæteris probato solemniter, causam specialem habuimus, quod ipsum adscripsimus catalogo Beatorum, deferendo, dicti fratris elatio in tantam prorupit insaniam, quod discipulos memoratos coram populo quæstuarios et falsos prædicatores appellans, impudenter asseruit, quod in ipsos et consimiles auctoritate nostra excommunicationis posset sententiam promulgare *etc. His* B *de causis in virtute obedientiæ mandat Pontifex, ut, si accusatio vera sit, ipsum, ubicumque degeret, a prædicationis officio suspensum ad se mittant, pro meritis puniendum. Exstat hæc epistola apud laudatum Waddingum, et in Bullario Franciscano, ubi similiter signata notatur* 2 Kalen. Aprilis Pontific... undecimo : *in Bullario locus additur, nempe* Viterbii.

* *nunc* Silesiæ

Alter summus Pontifex Alexander IV

579 *Alter Romanus Pontifex, pro eodem argumento a Baronio laudatus, fuit Alexander IV, et ipse aliquando* S. Francisco *synchronus ac notus, Ordinisque Minorum protector, qui Gregorio IX post Cælestinum IV et Innocentium itidem IV, anno* 1254 *mense Decembri in summum Pontificatum successit. Hoc ipsum observaverat S. Antoninus in Historiæ part.* 3, *tit.* 24, *cap.* 11, § 10 *de Alexandro hæc scribens :* Eodem anno Anagniæ existens, misit unum servum, Christi fidelibus literas deferentem juxta seriem literarum Gregorii de sacris stigmatibus beati Francisci, in quibus innuit, se illa propriis oculis vidisse. *Exstant illæ inter ejusdem Alexandri constitutiones in Bullario Romano tom. I, pag.* 83 *sub titulo :* Comprobatio veritatis stigmatum S. Francisci de Assisio, cum pœnarum impositione adversus aliter affirmantes, *scriptæque sunt ad universos Ecclesiæ prælatos, ac datæ Anagniæ* C 4 *Kalendas Novembris anno Pontificatus ipsius primo, id est, anno* 1255. *Consentiunt Waddingus in Annalibus, et Sbaralea in Bullario Franciscano. Eorumdem initium est :* Benigna operatio divinæ voluntatis in cælo potens *etc.*

in suis quoque litteris ad universos Ecclesiæ prælatos missis

580 *Ego ne longior sim, ea tantum ex editione Sbaraleæ hic describam, quæ præsens argumentum magis postulat. Fere circa medium post insigne* S. Francisci *elogium ita progeditur :* Porro quia longum esset, nedum exarare per singula, verum etiam succincta relatione perstringere clara virtutis divinæ prodigia, quæ tam in operationibus sanctitatis, quam etiam in aliis mirabilibus argumentis, probaverunt, eumdem Confessorem tenere cum Sanctis solium gloriæ in excelsis; signanter vobis ante oculos proponere volumus recolenda frequentius et vehementius admiranda illa saltem * jucunda Dominicæ passionis insignia; quæ in ejusdem Sancti corpore manus cælestis operationis impressit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes, et certissimi palpantium digiti palpaverunt, quod in manibus ejus et pedibus expressa undique similitudo clavorum de subjecto proprio carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit; quæ equidem idem Sanctus studiose ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viveret, abscondebat.

* *al.* satis

581 Inventa est patentius in ipsius Defuncti D corpore, non inflicta humanitus nec facta, plaga vulneris lateralis, quasi aliquid instar lateris Salvatoris, quod salvationis et redemptionis humanæ in Redemptore nostro protulit sacramentum. Quæ quidem plaga, sicut quosdam ex fratribus sibi familiariter adhærentibus latere non potuit propter defluxum humoris, sic diu ante viruerat in vivente. Hæc igitur mira et decora navæ demonstrationis indicia magnæ debent esse devotionis divitiæ Christianis, et inæstimabiles religiosis * deliciæ in spiritualibus communis Ecclesiæ orthodoxæ * : cum ex his sincera fides Christi accipiat, quod etiam illi possint esse passionis Christi sine extrinseco persequutore consortes, qui pro ejus amore carnem suam cum vitiis et concupiscentiis voluntarie crucifigunt. Sane de præfato Sancto hæc certius asserentes, indoctas fabulas, seu vanæ inventionis deliramenta, non sequimur; cum ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum, quando videlicet in minoribus constituti, Confessoris ejusdem familiarem ex munere divino meruimus habere notitiam, præfati prædecessoris nostri (*Gregorii IX*) domesticis obsequiis tunc temporis insistendo.

S. Francisci stigmata affirmavit, velut sibi omnino perspecta,

* *al.* religionis

* *al. add.* thesauris

præcepitque, ut ea suis commendarent, et eisdem obtrectantes punirent.

582 *Post hæc omnes ecclesiarum prælatos hortatur, et per Apostolica scripta mandat, ut tam eximii Confessoris merita et* annua celebritate *et* prædicatione frequenti *et* veneratione assidua *celebrent, et subditos suos ad ejusdem devotionem excitent, illiusque gloriæ obtrectatores severe castigent. Observa* E *hic, studiose lector, hunc ipsum esse Alexandrum IV, de cujus alio testimonio S. Bonaventura supra relatus in Vita num.* 200 *diserte ait :* Summus etiam Pontifex, dominus Alexander, cum populo prædicaret, coram multis fratribus et me ipso confirmavit, se, dum Sanctus viveret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse; *quæ apprime conveniunt cum ejusdem Poutificis verbis mox datis :* Hæc certius asserentes, indoctas fabulas... non sequimur; cum ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum, quando videlicet nos... Confessoris ejusdem familiarem ex munere divino meruimus habere notitiam *etc. Cum pleniorem fidem, seu certam notitiam* S. Francisci *stigmatum sibi dudum comparatam asserat ex familiari usu cum eodem, non obscure innuit, eadem a se visa fuisse. Forte id ipsum etiam significavit, supra dicens :* Viderunt namque oculi fideliter intuentes *etc. Sic nempe etiam existimavit S. Antoninus loco supra citato de eisdem Alexandro ac litteris inquiens :* In quibus innuit, se illa (*stigmata*) propriis oculis vidisse. *Simile quid idem Papa indicare videtur in aliis litteris in Bullario Franciscano tom. II, pag.* 169 *relatis, in quibus de iisdem stigmatibus inquit :* Cum igitur tam insigne F amoris divini signum, quod utique ante ejus obitum patuit, et nobis etiam tunc notum fuit *etc.*

Præterea scripsit ad episcopos Castellæ et Legionis,

583 *Non obstantibus his litteris, fuerunt deinde nonnulli in regnis Castellæ et Legionis, qui hoc miraculum, tam evidenter probatum confirmatumque, nihilominus in dubium vocare aut etiam negare perrexerunt. Certe Waddingus ad annum* 1259, *et Sbaralea tom. II Bullarii Franciscani pag.* 338 *et sequenti proferunt alias ejusdem Alexandri IV litteras, signatas Anagniæ* 3 *Kalendas Augusti, Pontificatus illius anno quinto, seu prædicto Christi anno* 1259, *quibus ille acerbe conquestus, quod prioribus litteris suis, quas præmisi, ipseque his fere inseruit, non esset obtemperatum, dictorum regnorum præsulibus mandavit, ut promulgari faciant, omnes, qui in posterum parere detrectaverint, ipso facto excommunicationis sententia, Sedi Apostolicæ reservata, innodandos esse, aliisque pœnis coercendos. Describo solum ex laudato Bullario verba, quibus Pontifex obtrectatorum ausa exposuit, ac similia ausuris meritas pœnas intentavit.*

mandans, ut prohibentes Sanctum cum stigmatibus pingi,

584 Verum, *inquit,* post hujusmodi nostras exhortationes et litteras, ex relationibus quorumdam fide dignorum dolentes accepimus et referimus conturbati, quod nonnulli Religiosi et clerici seculares de Castellæ et Legionis regnis circa dictum Confessorem

A Confessorem et dignam * reverentiam gerere contemnentes, quandoque in publico et frequenter asserunt in occulto, quod idem Confessor non habuerit stigmata memorata. Ipsi etiam in tantam prorumpunt insaniam, quod de imagine Confessoris ejusdem, ubicumque illam depictam inveniunt, stigmata ipsa damnabiliter abolent et faciunt aboleri, prohibentes pictoribus, ne præfatum Confessorem cum stigmatibus depingant eisdem; propter quod ipsius Confessoris honori, et devotioni fidelium multum adimitur, ac venerandæ Religioni dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Minorum gravissime derogatur.

* *al.* condignam, *omisso* et

gravissimis Ecclesiasticis pœnis percellerent,

585 Cum itaque super his ad honorem Altissimi opportunum per nos deceat remedium adhiberi; Apostolica auctoritate decernimus, ut omnes de regnis prædictis, qui de imagine Confessoris ejusdem hujusmodi stigmata aboleverint, seu abolere fecerint, et qui prædicaverint, dictum Confessorem ipsa stigmata nullatenus habuisse, cujuscumque ordinis vel conditionis existant, eo ipso laqueum excommunicationis incurrant, a qua non possint absolvi, nisi personaliter Apostolicam Sedem adeant, super hoc absolutionis beneficium petituri. Et si forte tales doctores, seu lectores in Theologia, seu quacumque alia facultate fuerint, lectionis, si doctores; prædicationis officii, si prædicatores, si
B vero potestatem audiendi confessiones habeant, ea sint omnino privati; et quilibet ipsorum nihilominus, qui hujusmodi officia vel potestatem simul habuerit, similem horum privationem incurrat *etc.*

similia scripsit ad archiepiscopum Januensem.

586 *Similis argumenti litteras ab eodem Pontifice ad archiepiscopum Januensem datas, memorat S. Antoninus, verbis num.* 579 *recitatis addens :* Item alias literas misit archiepiscopo Genuensi, præcipiendo, ut illis *, qui de imagine sancti Francisci in ecclesia sanctæ Mariæ de Vineis, et monasterio sancti Xisti malitiose deleverant stigmata, citaret personaliter coram ipso, pro meritis recepturos ultionem; inhibendo sub interminatione anathematis, ne quis de cetero similia attentaret. *Supersedeo pluribus, et hactenus latius exposita compendio repetens, ad argumenti conclusionem procedo : nam de eorumdem sacrorum stigmatum memoria Romano Martyrologio inscripta, Officio ad universam Ecclesiam extenso, montis Alvernæ, in quo ea* S. Francisco *divinitus impressa fuerunt, religione, ceterisque huc spectantibus agam in Gloria posthuma.*

* *l.* illos

Hactenus allegata pro stigmatibus

587 *Itaque* S. Francisci *stigmata divinitus collata asseruit frater Elias in epistola, de illius obitu ad fratres Minores in Francia commorantes data. Eadem disertissimis verbis scripto consignavit primus ejusdem Sancti biographus ac discipulus Thomas Celanensis, paulo post mortem ejus Vitam scribere jussus a Gregorio IX Papa, qui cum eodem Sancto fuerat familiariter conversatus, quique tum ex officio protectoris Ordinis, quod gesserat, tum ex instituto tunc nuper processu canonizationis perspectiora habebat spectantia ad* Franciscum, *quam ut quis suspicari possit, Celanensem ipsi, maxime in re tanti momenti, imponere ausum fuisse, aut potuisse. Vivebant id temporis plurimi non solum fratres Minores, sed et plures viri feminæque Assisienses; vivebant, qui processui canonizationis instruendo discutiendoque præfuerant, a quibus biographi impostura publice detegi potuisset, si insolitæ rei commentum pro facto oculis manibusque Assisiensium comprobato impudenter obtrusisset.*

C

compendiose expenduntur,

588 *Idem factum tradidit auctor Vitæ secundæ, verisimiliter vir sæcularis, qui, eodem Gregorio vivente, scripsisse videtur. Tradiderunt etiam tres alii* S. Francisci *socii, Leo, Ruffinus et Angelus, quorum medius a Celanensi dicitur sacrum viventis laterale vulnus propria manu palpasse. Pluribus etiam exposuit Bonaventura, vir sanctitate ac eruditione clarissimus, post diligentissimam inquisitionem, consultosque* S. Francisci, *qui supererant, olim socios, qui propter vitæ sanctimoniam omni fide dignissimi reputabantur. Affirmavit factum a plurimis jurejurando assertum, ab aliquot Cardinalibus oculatis testibus celebratum prosis et hymnis; auditum a se Alexandrum IV, in publica concione suos quoque oculos pro iisdem stigmatibus testes allegantem. Bonaventuræ temporibus vixerunt duo illi summi Pontifices, Gregorius IX et Alexander IV,* S. Francisco *olim familiariter usi; hique sacra illa stigmata non modo non improbarunt, verum etiam suis litteris Apostolicis plus semel confirmarunt, et contraria dictitantes, veluti testatissimæ veritati, Deoque,* S. Francisco *ac sibi iniquissime reluctantes, acriter redarguerunt, gravibusque ecclesiasticis pœnis coerceri curarunt.*

AUCTORE C. S.

et pro eorumdem certa fide historica pronuntiatur.

589 *Eorumdem primus in iisdem litteris suis diserte testatus est, sese ex stigmatibus illis specialem causam habuisse, ut* Franciscum *sanctorum Confessorum numero adscriberet; alter, quod S. Bonaventura de audita ex ore illius eorumdem oculari notitia postmodum asseruit, non obscuris verbis scripto affirmavit. Prætereo alios synchronos ac suppares, quos laudavi, ac finem huic dissertationi imponens, concludo, qui his omnibus allegatis testimoniis stare noluerit, hunc non multo minori cum insania cuilibet humanæ historiæ certam fidem posse abnegare. Quare, ne tempus frustra teram, non refutabo quorumdam heterodoxorum impia dicteria, nec aliorum intemperantis crisis ineptas opiniones, quibus vel ex malevolentia invidiaque, vel ex inscitia*
E *et quælibet carpendi prurigine, nullo fulti argumento, factum tam celebre ac evidens eludere, aut clarissima integerrimorum testium verba ad sensum prorsus alienum detorquere conati sunt. Videri de his potest Chalippus in peculiari Historia stigmatum* S. Francisci, *quam ejusdem Vitæ Gallicæ tom. II adjecit.*

Impressio horum stigmatum contigit anno 1224.

590 *Superest tamen, ut pauca de tempore acceptorum stigmatum dicamus. In annum consentiunt omnes; nempe id contigisse biennio, antequam* S. Franciscus *ex hac vita migravit, quod posterius cum factum constet die 4 seu 5 Octobris anni* 1226, *primum anno* 1224 *innectendum est. Addunt Tres Socii et S. Bonaventura :* Circa festum Exaltationis sanctæ Crucis; *quod die* 14 *Septembris celebratur. Eadem S. Bonaventuræ verba recitantur in Romano ac Franciscano breviariis die* 17 *Septembris in festo Stigmatum; at in eodem Romano die 4 Octobris in Natali ejusdem Sancti, Lect.* 6 *pro illis legitur* festo die Exaltationis sanctæ Crucis, *cujus mutationis causam Gavantus in Thesauro sacrorum Rituum, per Meratium aucto, tom. II, part.* 1, *pag.* 341 *repetiit a revelatione post S. Bonaventuræ obitum facta, de qua mox fiet mentio. Marcus Ulyssiponensis lib.* II, *cap.* 55 *apud Waddingum* vigiliam ejusdem festi *determinavit : Bernardinus Corvis, ibidem laudatus,* diem S. Euphemiæ, *sive diem* 16 *Septembris; non tamen indicans, unde id didicerit. At Waddingus ipse probabilius existimavit, factum in ipso festo Exaltationis sanctæ Crucis, tum quod apud Pisanum legisset, ita anno* 1282 *revelatum fuisse cuidam pio Fratri laico; tum quod decens putaverit, ut sacræ Dominicæ passionis memoria hoc prodigio in* Francisci *membris renovaretur eodem die, quo sancta Salvatoris nostri Crux ab Heraclio imperatore in monte Calvariæ fuerat restituta. De eadem revelatione meminit S. Antoninus part.* III, *tit.* 24, *cap.*7, § 4 *dicens :* Anno vero Domini MCCXXIV... circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, vel (ut in quadam revelatione divina continetur) in eodem festo Crucis, B. Franciscus sacris stigmatibus in monte Alverniæ quasi bulla Regis altissimi sigillatus *fuit.*
F

circa festum Exaltationis sanctæ Crucis.

591 *Verum mihi nimis incerta est laudata revelatio, ut tempus acceptorum stigmatum ex eadem ausim pressius determinare, quam didici ex Tribus Sociis sanctoque Bonaventura, qui, dum id contigisse, aiunt,* quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, *alium potius diem, quam ipsum festum videri possunt indicasse. In Romano ac Franciscanis Martyrologiis impressio eorumdem stigmatum recolitur die* 17 *ejusdem mensis Septembris, at nec hinc solidum habemus argumentum pro figendo die, quo facta fuit. Hinc collige primo, quomodo sit exponendus*

AUCTORE C. S. *exponendus S. Bonaventura, dum in Vita num.* 55 *et* 56 *agens de confirmata Regula per Honorium III, asserensque,* Franciscum *suis affirmasse, omnia, quæ in eadem Regula continentur, sibi fuisse* divinitus revelata, *subdidit :* Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Jesu *etc. Nempe pauci illi dies numerandi sunt ab assertione* Francisci, *non a confirmatione Regulæ, inter quam, anno* 1223 *die* 29 *Novembris signatam, ac sequens festum Exaltationis sanctæ Crucis novem cum dimidio menses intercesserunt. Collige secundo, nimium a vero aberrasse Matthæum Parisiensem, qui verbis num.* 564 *datis impressionem stigmatum non nisi* quintadecima *die ante Sancti obitum contigisse narravit : omnes enim biographi biennium inter utrumque reponunt.*

§ XXVI. Postremo vitæ biennio morbis affligitur : asello circumvectus prædicat : curandi oculos gratia Reate defertur, sed malum augetur. An tunc denuo prædicaverit, et revectus Assisium sit.

B *Postremo vitæ suæ biennio præteritis fractus laboribus,*

Quamvis S. Francisci *vita ab initio perfectæ conversionis suæ fuerit quoddam perpetuum, ut ita dicam, spontaneum martyrium, biennium tamen, quod post accepta Christi stigmata supervixit, fuit longe molestius, cum et corpus pluribus infirmitatibus premeretur, et spiritus divino amore proximique charitate vehementius accensus ad novos labores, quos corporis vires ferre amplius nequibant, continue anhelaret. Thomas Celanensis ad hæc enarranda post relatum stigmatum prodigium lib.* II, *cap.* 2 *procedens, numeravit tunc* decem et octo annorum spatium... expletum, *ex quo, ut inquit,* vix aut nunquam requiem habuerat caro ejus, varias et longissimas circuiens regiones, ut spargeret ubique semina verbi Dei. *Hoc tamen annorum spatium non ab initio prædicationis illius repetendum esse, sed ab ejusdem conversione anno* 1206 *perfecte inchoata, liquet tum ex supra disputatis, tum etiam ex auctore Vitæ secundæ, qui Celanensis mentem de conversione hic exposuit, et cujus verba dabo inferius. Verum, quia aliunde non constat, a quo mense anni* 1206 *illa conversio inchoata fuerit, nec quanto tempore tunc expletum illud octodecim annorum spatium, dum Sanctus cœpit solito acrius infirmitatibus concuti, non satis quoque certum est, an harum initium posteriori parti anni* 1224, *an ineunti* 1225

C *affigendum sit.*

multisque afflictus languoribus pergit prædicare,

593 *De iisdem etiam agit S. Bonaventura cap.* 14, *quod* de patientia ipsius et transitu mortis *inscripsit, et in quo ipsum tot modis tamque graviter laborasse scribit,* ut vix in eo membrum aliquod maneret absque ingenti passionis dolore, *utque tandem,* consumptis jam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret; *dum ipse interim cum gratiarum actione ad majora toleranda paratum Deo se exhiberet. Apud Tres Socios in Appendice nihil de his peculiare legitur, non alia, opinor, de causa, quam quod ista jam satis exposita legissent apud Celanensem et auctorem Vitæ secundæ, cujus verba de more transcribo.* Jam beatissimus pater Franciscus, annis a conversione ejus decem et octo peractis, nullam vel modicam carni requiem dederat, sed per diversas mundi partes prædicando laboriose circuiens, inusitatis eam et novi generis disciplinis affligere non cessarat; et quamvis eum * multis languoribus effluxissent dies præteriti, duobus tamen annis, qui adhuc vitæ ejus erant residui, gravioribus cœpit et magis continuis infirmitatibus perurgeri.

* *l.* ei

asino vectus, maxime quia stigmata pedum

594 Et licet caro naturali corruptelæ necessarioque se præsentaret * propinquare defectui, non tamen adhuc dissensit, quantum poterat, sub assueti rigoris lege teneri. In tantum enim Vir reverendus se sibi subjecerat, tantaque corpus armonia spiritui concordarat, ut et carnis repugnantiam vix sentiret in omnibus, quæ spiritus agenda dictabat. Igitur Vir sanctus ad omne bonum promptissimus, qui tanto hactenus animarum zelo ferbuerat, adhuc in prædicatione non desistens intendere proximorum saluti, corpus emortuum fecit in asino per civitates et castella circumvehi. *Anonymi texto pauca hic inseramus. Præcipuam usus asini causam S. Bonaventura in Vita num.* 205 *attribuit molestiæ, quam enati in pedibus ejus, dum stigmata accepit, clavi procreabant. En verba ejus :* Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castra circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam ceteros animaret.

asino vectus, maxime quia stigmata pedum
* *an* præsentiret?

D

595 *Sane non poterant dicti clavi, quales ex eodem S. Bonaventura ceterisque antiquis biographis supra descripsimus, non esse molesti, et incessum impedire, licet non admittatur, quod Waddingus ad annum* 1224 *num.* 17 *ex Pisano, S. Antonino, Speculo, aliisque observavit, stigmata manuum pedumque fuisse patula vulnera perpetuo sanguine manantia. Verba S. Antonini part.* III, *tit.* 24, *cap.* 7, § 9 *sic habent :* Huic soli (*fratri Leoni*) tanquam fideliori amico, B. Franciscus sua sacra stigmata committebat tangenda, ut novas petiolas (*id est, linteola*) apponeret, amotis aliis sanguine cruentatis. Nam qualibet die inter clavos illos mirabiles et carnem reliquam ad tenendum sanguinem, et mitigandum dolorem tales illi petiolas renovabat. Die vero Jovis sero et per totum diem Veneris nullum apponi remedium permittebat, ut illo die crucifixionis in sacris stigmatibus sentiret Crucifixi dolores. *Ita quidem ille, sed ad antiquiorum dicta parum consone, cum hi omnes unanimi consensu velut peculiare quid vulneris lateralis observaverint, quod hoc sæpe sanguinem fuderit; nullus vero eorumdem de emisso vel minimo ex manuum pedumve stigmatibus sanguine meminerit. Cur autem credamus, hoc, si verum esset, prætermissum ab illis omnibus, licet cetera tam studiosis in iisdem stigmatibus describendis?*

gressum impediebant, etsi non videantur sanguine manasse.

E

Suadente Elia, medicinam oculis adhibet,

596 *Redeo ad Anonymum in Vita secunda.* Suadebant autem fratres, eique cum omni precum instantia supplicabant, ut infirmitatibus suis medicorum auxilio subveniri permitteret; videntes utique, quod de die in diem magis magisque deficeret. Ipse vero consentire in hoc fratribus penitus recusabat, veluti qui hactenus curam carnis non egerat, jamque dissolvi et esse cum Christo, multo melius anelabat *. Verum, quamvis stigmata Domini Jesu Christi in corpore suo portaret, quia tamen in ipso oportuit, ea, quæ passionum Christi deerant, adhuc amplius adimpleri, cœpit et aliis languoribus infirmitas oculorum gravissima superaddi. Tunc supradictus frater Helyas, quem veluti loco matris elegerat, et adhuc vivens gregi suo pastorem præfecerat, compulit eum et rationibus induxit, ut sibi mederi permitteret, timens, ne forte per incuriam penitus oculorum lumen amitteret. Cui Vir sanctus humiliter obtemperans, tanquam patri, plura suis ex tunc oculis medicamina patiebatur apponi, quamvis, ingravescente malo, nullius essent remedii.

* anhelabat

F

ac propterea vectus Reate, a curia Pontificia optime recipitur,

597 Tandem Reatam curandæ jam dictæ infirmitatis occasione perductus est, ubi et domino Honorio Papa tertio moram tunc temporis faciente, honorifice a curia Romana devoteque susceptus est. *Priusquam progrediamur, pauca rursum claritatis gratia inseramus.* Reata *sive* Reate, *nunc vulgo* Rieti, *Sabinorum civitas est ad Velinum fluvium, ditionis Pontificiæ in confinio regni Neapolitani, quadraginta millia passuum Roma distans. Cur ad hanc civitatem potius, quam ad aliam propinquiorem Assisio, Sanctus medendi oculis gratia tunc vectus fuerit, indicat Thomas Celanensis; nimirum quia ibi* illius infirmitatis curandæ morari vir peritissimus dicebatur. *De* Francisci *in hanc civitatem adventu auctor Vitæ secundæ sic progreditur :* Familiarius tamen ei præ ceteris dominus Hugo, tunc Hostiensis episcopus, affuit, quem Vir sanctus, eodem domino Honorio annuente, in patrem ac dominum

præ

A præ cunctis elegerat, cujus se cum universo Ordine suo tutelæ commiserat, nec non et obedientiæ mandato subjecerat, sed et eumdem, prophetico spiritu ductus, Apostolico honori provisum fore, non solum verbis prædixerat, sed et factis multimode præsignarat.

maxime a Cardinale Hugolino, cui Pontificatum prædixit,

598 *Summum Pontificatum huic Hugoni, seu, ut alias appellatur, Hugolino, Cardinali episcopo Ostiensi, a* S. Francisco *prædictum fuisse, tradunt omnes biographi nostri et Bonaventura, inter quos Celanensis ait, Sanctum suas ad ipsum litteras inscribere soluisse :* Reverentissimo patri, sive domino Hugoni, totius mundi episcopo. *Consentit Anonymus Perusinus, apud quem hæc refertur litterarum illius ad ipsum inscriptio :* Venerabili in Christo patri episcopo totius mundi. *Apud Tres Socios num.* 67 *dicitur :* Et quoniam revelatione Dei prævia, sciebat, eum futurum summum Pontificem, semper ei hoc prænuntiabat in litteris, quas scribebat eidem, vocans ipsum PATREM TOTIUS MUNDI. Sic enim scribebat sibi * : VENERABILI IN CHRISTO PATRI TOTIUS MUNDI *etc. Prædictionem probavit eventus; Hugo enim mense Martio anni* 1227, *postquam* S. Franciscus *anno tunc proxime elapso obierat, Honorio III suffectus fuit, assumpto nomine* Gregorii IX, *Ordinemque Minorum, cujus eximium protectorem se exhibuerat, singulari favore jam Pontifex prosecutus est.*

* *i. e.* eidem

B

et ex cujus consilio medicamentis, sed frustra, usus est,

599 Hic igitur (*verba rursum e Vita secunda sunt*) erga Virum sanctum mirando dilectionis affectu flagrabat; hic Pauperculo Jesu Christi, tanquam famulus domino, ministrabat. Contestabatur idem ipse postmodum ad Apostolicam dignitatem evectus, se nunquam in tanta perturbatione fuisse, quin omne mentis nubilum in solo Viri Dei contuitu vel affatu discederet, subitaque serenitatis suavitas et jocunditatis dulcedo rediret. Unde et quotiens ipsum videbat, ei tanquam Christi apostolo reverentiam exibebat *. Hic itaque beatum Franciscum, ut curam sui gereret, instanter ammonuit : cui et ipse Sanctus in hoc humiliter, sicut et in aliis omnibus, obedivit. Factis igitur cocturis (*per cauterium, opinor*) in capite, venis incisis, colliriis et emplastris adhibitis, nichil penitus ad sanitatem profecit; quin potius ipsum malum, medicaminibus multiplicatis, accrevit. Ipse vero tot incommoda corporis in omni patientia et gratiarum actione sustinuit; despectisque corporalium membrorum molestiis, totam ad Deum intentionem, spiritu confortato, direxit.

* exhibebat

et quatuor fratribus curam sui commisit. Ad hoc tempus

600 Et ut internæ consolationi liberius posset intendere, quatuor fratrum, virorum virtutis, deputabatur custodiæ, qui et omni sollicitudine insistebant ipsius non solum necessitudini corporis procurandæ, verum etiam quietudini spiritus observandæ. *Thomas Celanensis in Vita num.* 102 *hos quatuor fratres pariter plurimum laudavit; sed eorum nomina, quia illi tum etiam in vivis erant, sciens volensque subticuit,* ipsorum *scilicet, ut ait,* verecundiæ parcens, quæ tanquam spiritualibus viris satis est familiaris et amica. *Horum tamen unum fuisse fratrem Rufinum, colligere licet ex eadem Vita num.* 95. *Waddingus ad hunc ann.* 1225, *num.* 3 *refert, quæ apud Bonaventuram num.* 67 *leguntur de cauterio, quod* S. Franciscus *medelæ causa* ab aure usque ad supercilium *ductum sine ulla doloris sensu sustinuit. Verisimile id est eo, quod in hac mora Reatina simile remedium ad curandos illius oculos adhibitum fuisse, mox viderimus. In eadem quoque infirmitate (licet forte primum anno sequenti Assisii) concessa eidem fuerit cælestis musica, cum ille, teste Bonaventura num.* 69, *gravissimis corporis doloribus cruciatus aliquid hujusmodi ad recreandum spiritum desiderasset.*

C

quidam referunt aliqua gesta partim certa,

601 *Ad hanc denique infirmitatem a laudato Annalista ibidem num.* 3 *merito refertur digna illa* Francisco *sententia, quam apud Bonaventuram reposuisse legitur medico suadenti, ut, si oculis consultum vellet, a jugibus piis lacrymis temperaret; respondit enim :* Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum, quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. *Præter hæc Waddingus ad præcitatum annum nonnulla Reatini itineris morbique adjuncta narrat, ac in primis scribit,* S. Franciscum, *dum, ut dictum est, ad civitatem Reatinam asello veheretur, audito in via, Reatinos magno numero in occursum sibi venire, turbas declinandi ergo divertisse ad ecclesiam S. Fabiani, duo milliaria a dicta civitate dissitam, ibidemque apud loci parochum hospitatum esse. Dum autem hic morabatur, domesticos optimatum Reatinorum ac Cardinalium, qui ipsum invisebant, parvam vineam domui contiguam, comestis uvis, sic vindemiasse, ut vix racemi superessent. Conquestum propterea parochum hospitem, quod annuo quatuordecim mensurarum vini proventu, in suos usus necessario et sufficienti, frustratus esset; sed a Viro sancto jussum in Deo confidere, ex residuis racemis collegisse viginti mensuras vini, cum antehac numquam ultra quatuordecim ex eadem vinea percepisset.*

AUCTORE C. S.

sed incerti temporis, partim minus certa.

602 *In margine lectorem remittit ad annum* 1217 (*nam annus* 1207 *ibidem mendose expressus legitur*) *num.* 18, *ubi laudans Gonzagam in Provincia Romana, conventu* 32, *dixerat, Reatinos,* Francisci *sanctitate, eoque miraculo motos, eodem in loco cœnobiolum exstruxisse,* S. Mariæ de Foresta *appellatum. Revera scribit Gonzaga, ejusdem cœnobii ædificandi causam, præter agnitam Sancti eximiam virtutem, fuisse eam,* quod *ille* ex paucis racemulis, ex sæcularis cujusdam sacerdotis vinea residuis, plus vini, quam exesa a frequenti populo uva præstare potuisset, expressisset; *sed nec tempus memorat, nec occasionem, nec cetera adjuncta a Waddingo relata. Ex Mariani igitur Chronico forsan illa didicerit. Addit Waddingus ad annum* 1217, *num.* 18 : Hujus loci ecclesiam sub invocatione sanctæ Mariæ de Foresta vel de Nemore, quia inter densas sylvas et lucos ædificatus *, ipse Gregorius (*Papa, hujus nominis IX*) ob sancti Viri devotionem consecravit, in qua dicti miraculi expressa sunt adhuc vestigia. *Ego, quia de hisce omnibus in nulla e Vitis nostris vere antiquis quidquam reperio, eorumdem fidem relinquo penes scriptores, a Waddingo laudatos, quorum vetustior scripsit sæculo* XV *vel sequenti.*

E

* *l.* ædificata est

Dicitur etiam tunc vectus fuisse aderemitorium Fontis-Columbæ,

603 *Eodem, quantum mihi apparet, auctore Mariano, Waddingus ad annum* 1223, *num.* 2 S. Franciscum *e domo mox dicti parochi perducit in civitatem Reatinam, ubi ipsum hospitatum ait in ædibus pii civis, nomine* Thedaldi Saraceni, *atque ibi angelica illa melodia, cujus supra memini, recreatum fuisse. Addit, Sanctum, cum ex remediis ibi nihil proficeret, abiisse* ad eremitorium Fontis-Columbæ, secundo ab illa urbe lapide *distans, hocque in loco cauterium sine dolore sustinuisse, a piis lacrymis abstinere recusasse; unicum, quod habebat, palliolum suum pauperculæ mulieri dono misisse; medicum suum prandio a divina providentia opportune misso excepisse; atque hunc insuper pro sedula sua cura et liberali pharmacorum subministratione mirabiliter a Deo compensatum fuisse. De cauterio et lacrymis vide mox dicta : donationem pallioli ad hunc locum annumque potius, quam ab alium, reposuit verisimiliter ex Mariano, quem etiam laudat pro prandio medici. Altera ejusdem remuneratio accepta est ex S. Bonaventura in Vita num.* 99, *ubi tradit, medicum patulæ scissuræ domus suæ, quæ, licet nuper exstructa, inevitabilem ruinam minabatur, aliquid e* S. Francisci *capillis vesperi inseruisse, ac postridie eam tam solide restitutam reperisse,* ut nec reliquias (*Sancti capillos*) ibi positas posset extrahere, nec scissuræ prioris vestigium aliquod invenire. Factumque est, ut, qui ruinoso corpusculo Servi Dei sedule ministrarat, ruituræ domus propriæ periculo præcaveret.

F

ubi illum aliquando ægrotasse, constat ex S. Bonaventura,

604 *Tempus quidem non exprimit sanctus doctor, sed adjuncta tamen favent Waddingo. Nam hanc narrationem suam ibidem sic orsus est :* Tempore, quo

AUCTORE C. S.

quo infirmus jacebat in eremitorio prope Reate, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. *Favent, inquam, Sancti infirmitas et eremitorium apud Reate, nec tamen evincunt, prædictum miraculum tempore supremi morbi* S. Francisci *contigisse. Forte enim ille alio tempore in eodem eremitorio æger decubuit, et Marianus forsan eo solo argumento ejusdem ex urbe Reatina ad illud commigrationem ad annum 1225 asseruit, quod ipsum in eo eremitorio aliquando ægrotasse, ex allegato S. Bonaventuræ loco didicisset. Si tamen se tunc illuc revera tranferri Sanctus curavit, verisimiliter id fecerit, ut a Pontificia curia paulo remotior, eoque etiam a visitantium turbis liberior, divinis rebus quietius vacaret : at simul etiam erat Reatino medico, ob cujus peritiam Reate perductus fuerat, incommodior ad ipsum accessus.*

indeque relatus Reate, clericum sanasse etc.,

603 *Utut sit, Waddingus ipse* Franciscum *post aliquot dies Reate reducem facit, ibidemque in ædibus episcopalibus decumbentem. Addit, tunc allatum ad ipsum fuisse quemdam clericum, quem ille signo Crucis sanavit, addito vaticinio, fore ut pœnas Deo lueret, si carnis luxuriæ deinceps se traderet; quod et miser iste haud ita multo post malo suo expertus fuit. Factum narrat S. Bonaventura in Vita n.* 158, *favetque, ut ad supremum hunc Sancti morbum referatur, dum contigisse, ait,* tempore, quo Vir sanctus Reate jacebat infirmus. *Post præmissa scribit laudatus Annalista Minorum,* Franciscum mitigatis *ibidem* aliquantulum doloribus, *fecisse* se avehi per castella et oppida, ut animas Christo lucrifaceret, *ac nominatim* Umbriam, confinesque terminos et loca quædam regni Neapolitani *percurrisse.*

B

postea ad prædicandum circumvectus, varia fecisse.

606 *Tunc etiam aliqua, velut in hoc itinere facta, narrat; nimirum fratrem quemdam, qui sanctioris vitæ desiderium prætendens, Minorum Ordinem deseruerat, tumque facti pœnitens ad sanctum Patrem suum accedebat, ab eo receptum in gratiam, monitumque ejusmodi insidias dæmonum deinceps vitare; alterius item conscientiæ scrupulos ab illo curatos; benigno hospiti instantem mortem cum felici successu prædictam; pauperculæ palliola ad nuditatem suam tegendam donata; contractum erectum; pluviam divinitus obtentam; coaxantes ranas tacere compulsas; quæ ego partim jam retuli inter incerti temporis gesta, partim non reperio apud auctores, quos laudavit, inter quos etiam est Marianus Florentinus, cujus Chronicon non habemus. Chalippus in Vita Gallica ad idem iter referri posse, censuit, sanationem S. Bonaventuræ, quam hic ipsemet in Prologo ad Vitam* S. Francisci *huic Sancto acceptam retulit. Verum hoc beneficium* S. Francisco *jam in cælos recepto potius adscribendum esse, ostendit Sollerius noster in S. Bonaventuræ Gestis ad diem 14 Julii illustratis § 3; quod Chalippus quoque non improbabile esse, candide fatetur.*

C

Sanctus, aucto morbo,

607 *Porro certum mihi est ex Thoma Celanensi in Vita num.* 101, *infirmitatem oculorum* S. Francisci *non diminutam fuisse in urbe Reatina, sed auctam; nam* factum est, *(inquit)* ut in pluribus locis decocto capite, incisis venis, superpositis emplastris et immissis colliriis, nihil proficeret, sed quasi semper deterius se haberet. *Ex eodem quoque constat, ipsum inter gravissimas corporis infirmitates invicto spiritu majora semper pro Dei gloria facere meditatum; ut omnino verisimile sit, eumdem, quotiescumque iter aliquod fecit, dumque per attritas morbo vires utcumque licuit, ad accurrentem populum prædicasse. Sed ex eodem Celanensi fatendum pariter est, illum in hac extrema vitæ suæ periodo, potius solitarium vivere divinisque contemplationibus vacare, quam apostolicis laboribus insistere, desiderasse; propterea enim quatuor fratribus curam sui commiserat,* ut ipse liberius suam intentionem poneret ad Deum, et beatarum visionum in cælo positarum, frequenter mente excedens, circuire posset ac ingredi officinas, et in pinguedine gratiæ coram placidissimo et serenissimo universorum Domino se in cælestibus præsentare; *ut loquitur Celanensis num.* 102.

608 *Ceterum pias invicti animi illius inter ista corporis incommoda affectiones auctor Vitæ secundæ his verbis exposuit :* Jam gloriosus Pater in tantarum non mediocriter virtutum gratia consummatus, transegisse se dies vacuos reputavit; et quanvis esset ad exteriora corporis exercitia prorsus inutilis, semetipsum tamen adhuc ad triumphos novi certaminis incitavit. Dicebat enim : Incipiamus Deo servire, fratres; Incipiamus, inquit, et proficiamus. Quam parum huc usque profecimus! Volebat rursus ad simplicitatis redire primordia; volebat leprosis contemptibiliter de novo servire, et ab hominum conversatione ad loca remotissima se transferre. Ab omni cura se quoque regiminis cupiebat eximere, eo quod multis de causis periculosum assereret, maxime in hoc tempore, prælationis locum tenere; esse vero plurimis utile magis, regi, quam regere. *Hæc ille, quæ ejusdem Sancti per castella et oppida ad prædicandum tunc temporis circumvectioni a Waddingo assertæ parum favent.*

D

ad perfectiora semper aspirans, et contemplationi intentus.

609 *Ex Thoma Celanensi in Vita num.* 105 *certum quoque est,* S. Franciscum pro *eadem* infirmitate curanda *Senas vel in agrum Senensem profectum fuisse, ibidemque moratum* mense sexto ante obitus sui diem; *sed nescimus, an hæc profectio ad posteriorem partem anni* 1225, *an ad priorem anni* 1226 *referenda sit, et utrum Sanctus e civitate Reatina Senas tunc vectus fuerit, an prius Assisium. Waddingus geminam profectionem distinxit, primam anni* 1225 *Assisium, alteram anni subsecuti Assisio Senas. Ad priorem annum, postquam dixerat,* Franciscum, *mitigatis aliquantulum apud Reatinos doloribus, fecisse se per oppida et castella prædicandi causa circumvehi, num.* 12 *ita pergit:* Tandem in reditu ad Appennini montis radices in oppidulo quodam supra civitatem Nuceriæ intumuit pedibus, et excrescentibus occumbere oportuit doloribus. Timentes autem Assisiates, ne apud exteros moreretur, miserunt ex senatu quosdam cum militibus, qui eum domum reducerent. Hi cum redirent, Virum Dei comitantes, ad humile oppidum comitatus Assisii, nomine Sarthianum, devenerunt, ubi ad prandii horam requieverunt.

ad Senenses ducitur. Waddingus scribit, illum hoc eodem anno

E

610 *Tum narrat, laudatos viros Assisiates, cum nihil ad vescendum, quamvis oblato duplo pretio, ibi obtinere potuissent, a Sancto jussos pro Dei amore petere, moxque ciborum affatim gratis accepisse. Dein subdit :* Ductus (*Franciscus*) in episcopium (*Assisii*) ibi per multos jacuit dies, solicite devoto antistite omnia ministrante. Quodam autem die cibos fastidiens, dixit, solum se sensisse appetitum squali piscis manducandi. Non prius dixit, quam ingrederetur nuncius ministri Reatini, fratris Gerardi, afferens tres hujus speciei pisces magnos, et pastillum pulpamenti gammarorum, speciebus aromaticis conditi. Per quod experti sunt socii providam Dei circa suos curam, qui hæc, quæ aspera tunc hieme videbantur non adeo inventu facilia, ad sancti Viri desiderium fecit, ut essent in promptu. *Hactenus ispe, in margine laudans* Legendam antiquam, *nescio quam (nam in nostris nil tale legitur) sanctumque Bonaventuram cap.* 7.

ab Assisiensibus reductum, in palatio episcopali decubuisse;

F

611 *Hic vere ibidem apud me num.* 98 *hæc habet :* Accidit enim, ut infirmitate gravatus Domini Servus in loco Nuceriæ, reduceretur Assisium per solennes nuncios, ad hoc Assisinatis populi devotione transmissos. Qui Christi Famulum deducentes, ad villam quandam devenerunt pauperculam, nomine Sarthianum etc., *quæ de petitis obtentisque pro amore Dei cibis mox retuli. Hæc certa igitur sunt ex auctoritate sancti doctoris; at cum hic, neglecto, ut passim alias, ordine temporis, ista cap.* 7, *in quo agit de amore paupertatis, quo* S. Franciscus *mire excelluit, solummodo in exemplum adduxerit; videtur Waddingus eadem non alia de causa ad hunc annum* 1225 *reposuisse, quam quod* Franciscum *eo anno graviter ægrotasse, constaret. Nec mihi ea displicet conjectura : quamvis enim Sanctus etiam aliquando alias morbis conflictatus fuerit,*

quod satis verisimile est ex S. Bonaventura,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *fuerit, ad nullam tamen, quam ad hanc infirmitatem, data S. Bonaventuræ narratio aptius referri posse videtur. Est tamen hic nonnulla difficultas in locis assignatis, quam Assisienses, sui agri periti, forsan facile poterunt diluere.*

de cujus narratione

612 *Waddingus* Locum Noceriæ, *ut habet Bonaventura, interpretatus est per* oppidulum quoddam supra civitatem Nuceriæ *positum;* Sarthianum *vero, quod Bonaventura* villam quandam pauperculam *dixit, et cujus situm siluit, ille* humile oppidum comitatus Assisii *appellavit. Nota est* Nuceria, *Italis* Nocera, *episcopalis civitas Umbriæ, ad radices Apennini et in confinio Marchiæ Anconitanæ condita, undecim circiter milliaribus Romanis Assisio distans. Quare facile potuerunt Assisiensium legati (quibus Waddingus, non Bonaventura,* milites *addit) in Nucerinum agrum procedere, ut sanctum Civem suum in suam civitatem reducerent, ne alibi moriens, patriam sacro sui corporis thesauro frustraret. Sed difficultas est in assignando* Sarthiano, *quod inter agrum Nucerinum, Assisiumque interjaceat. Ego quidem nec in Lexicis nec in Tabulis geographicis ullum* Sarthianum, *vel* Sathrianum, *ut habet Vita* S. Francisci *per Bonaventuram in codice nostro Ms., vel* Sathianum, *ut legitur in editione*

B *Surii, in agro Assisiensi reperio.*

pauca observantur.

613 *Est quidem* Sartianum *quoddam Etruriæ oppidum in agro Senensi, paucis milliaribus a Clusio, vulgo* Chiusi, *quod in eodem agro confinioque ditionis Ecclesiasticæ civitas est prope paludem Clanim; sed de hoc* Sarthiano *hic sermo esse non potest. Malim suspicari,* Sartianum, *de quo S. Bonaventura, fuisse potius* villam quandam pauperculam, *ut dixit sanctus doctor, et ignobilem, quam* humile oppidum; *sic enim minus mirum erit, nullam ejus in Tabulis Lexicisque geographicis fieri mentionem, sive illud modo perierit, sive adhuc exstet, quod Assisiensibus censendum relinquo. Porro si Sanctus tunc sic reductus Assisum fuerit, verisimile quoque est, eumdem tunc hospitatum fuisse in palatio episcopali : nam et episcopum Assisiensem habebat sibi admodum faventem, et ad ejusdem ædem relatus fuit, postquam morbi excreverant in cella Cortonensi. Pro allatis squalis et pulpamento Waddingus laudavit Legendam Trium Sociorum, in qua ego id non invenio.*

§ XXVII. In agro Senensi gravius ægrotans, defertur ad Cellam Cortonensem, atque hinc Assisium, ubi in palatio episcopali decumbit : transfertur ad

C ædem Portiunculæ : condit testamentum : Jacobæ de Septemsoliis accessus ad ipsum expenditur.

In agro Senensi, medendi oculis causa degens,

Pertigimus ad supremum S. Francisci *inter mortales semestre tempus, quod viginti annorum vitam laboriosissimam simul ac virtutibus plenam, ærumnoso, si corpus spectes, at si animam, felicissimo fine anno* 1226 *coronavit. Sive ille anno præcedenti Assisium delatus fuerit, atque hinc primo vere ad initium mensis Aprilis hoc anno* 1226 *salubrioris aeris et peritorum medicorum gratia Senas perductus, ut censuit Waddingus; sive aliunde aliove tempore ad ultimo dictam civitatem vectus, constat, ipsum sexto ante mortem suam mense ægrum in Senensi agro decubuisse. Ita diserte docet Thomas Celanensis, qui libri* II *caput* 5 *orsus his verbis est :* In mense autem sexto ante obitus sui diem, cum esset apud Senas pro infirmitate oculorum curanda, cœpit in reliquo corpore graviter infirmari; et fracto stomacho infirmitate diuturna, et vitio hepatis, sanguinem multum evomuit, ita quod visus est morti appropinquare.

gravissime laborat : quam ob rem ad cellam Cortonensem

615 *Consentit biographus secundus, paulo brevius dicens :* Cumque moram faceret apud Senas, quasi mense sexto ante obitum suum toto corpore gravius, quam solebat, attritus, propinquare videbatur ad exitum. *Locum, ubi tunc decubuit, nullus pressius assignavit; non fuisse tamen hunc ipsam civitatem Senensem, discimus ex laudato Celanensi, qui deinde eumdem* villam *vocat; ex quo conjicere licet, fuisse villam aliquam in agro Senensi non procul ab ipsa urbe dissitam, ut et liberiori aere frui, et facilem medicorum ad se accessum habere ægro liceret. Tam afflictæ valetudinis nuncius perculit fratrem Eliam, quem Sanctus constituerat suum vicarium, isque sine mora* citissime cucurrit ad eum. In cujus adventu sanctus Pater in tantum convaluit, ut, relicta villa illa, cum ipso ad cellam de Crotona veniret; *ut ibidem prosequitur Celanensis. Similiter biographus secundus ait :* Festinato itaque de longinquo frater Helyas accurrit, eumque in adventu suo paululum respirantem secum ad cellam de Cortona perduxit.

AUCTORE C. S.

transvehitur a fratre Elia;

616 *Priori loco pro* Cortona *in apographo nostro legitur* Crotona, *sive describentis vitio, sive ab antiquo vocabulo* Croto, *quo civitas illa a Græcis antiquis dicitur fuisse appellata. Est autem illa Etruriæ civitas sub dominio Magni ducis in confinio Umbriæ, paucis milliaribus a lacu Trasimeno, nunc vulgo* il lago di Perugia *dicto. Jam inde ab anno* 1211, *si Waddingus ibidem num.* 9 *tempus recte annotaverit, apud* locum Cellæ dictum, *Cortonensium ope adjutus, pauperculum conventum suum exstruxerat, ad quem nunc profectus fuisse* E *dicitur. Causa Sanctum huc transferendi fuisse potuit, quod locus hic medio fere itinere, quam urbs Senensis, propior esset Assisio, prædilectæque illi ecclesiæ S. Mariæ de Portiuncula, ad quam proinde tanto facilius posset transferri, si ipse exigeret. Causam alteram innuit Waddingus ad annum* 1226, *num.* 15, *quod Elias Cortonæ parentes et amicos haberet, ex quorum liberalitate sanctus Pater in proximo suo cœnobiolo commode poterat curari.*

atque hinc, ingravescente morbo, Assisium,

617 *Verum hæc postrema sollicitudo frustra fuit; nam, ut addit Celanensis,* ipso ibidem per tempus aliquod faciente moram, intumuit venter ejus, turgere crura, tumueruntque pedes, et stomachi magis ac magis defectum incurrit, ut cibum aliquem recipere non valeret. *Quapropter desideravit Assisium revehi, ac, teste Celanensi,* rogavit deinde fratrem Eliam, ut eum Assisium faceret deportari. Fecit bonus filius, quod benignus Pater petiit, et præparatis omnibus, ipsum ad concupitum locum perduxit. *Hæc eadem brevius refert biographus secundus hoc modo :* Ubi (*in cella Cortonensi*) cum stetisset (*id est, moratus esset*) per modicum, acrius invalescente morbo, deduci se rogavit Assisium. *Moxque de ejusdem in civitatem Assisiensem adventu adjungit* : Quo postquam pervenit, facta est non modica totius exultatio civi- F tatis; et gratias agentes laudaverunt unanimiter Dominum, quod tantum penes se recondi speravere thesaurum.

ubi cum applausu exceptus, hospitatur in palatio episcopali.

618 *Hanc etiam civium lætitiam lætitiæque causam ante illum memoraverat Celanensis, ibidem dicens :* Lætata est in adventu Patris beati civitas, et omnium populorum ora laudabant Deum. Universa namque multitudo populi Sanctum Dei sperabat in proximo moriturum; et hæc erat exultationis tantæ materia; *nimirum quia in civitate sua Demortui corpus possessuri erant, quo fuissent carituri, si ille alibi diem suum obiisset. Pergo secundi biographi verba recitare.* Adductus igitur (*Franciscus*) in palatium Assisiani episcopi, cœpit non multo post totius corporis virtute destitui, et tam acriter per singula membra torqueri, ut interrogatus, an potius martyrium a carnifice sustineret; triduanam hujusmodi passionem, etsi pro voluntate divina sibi placitam et acceptam, graviorem tamen quovis martyrio responderit. *Paulo aliter hic loquitur Celanensis, de re ipsa plane consentiens; et quamvis de Sancti ad ædes episcopales translatione hoc loco non meminerit, infra tamen num.* 108, *eumdem in illis decubuisse, diserte affirmat,* Erat, *inquiens,* tunc temporis manens in palatio Assi-

AUCTORE C. S.

sinati * episcopi. *Voluit haud dubie id obsequii Amico suo præstare Vido episcopus, qui virtutem illius jam ab eo tempore, quo is bonis paternis coram illo cessit, admiratus fuerat, ac in dies magis magisque suspexerat.*

Appropinquante obitu, quem a biennio præsciverat,

619 *Redeo ad Vitam secundam.* Cernens itaque (*Franciscus*) proximare diem vitæ novissimum, quem per revelationem jam biennio ante didicerat, convocavit ad se fratres, quos voluit, singulisque, prout sibi dabatur desuper, benedixit. *Bonaventura in Vita num.* 208 *tantum scribit, Sanctum* obitum suum longe ante *præscivisse; sed Celanensis, quem noster hic, ut alibi, secutus fuit, biennium determinat num.* 109, *ubi tradit, fratri Eliæ Fulginii noctu apparuisse sacerdotem grandævæ ætatis, qui diceret :* Surge, frater, et dic fratri Francisco, quoniam expleti sunt decem et octo anni, ex quo mundo renuntians, Christo adhæsit; et duobus tantum annis dehinc in hac vita manens, viam universæ carnis, vocante ipsum ad se Domino, introibit. Sicque factum est, ut sermo Domini, quem diu ante prædixerat, constituto termino compleretur. *Consentit etiam, sanctum Patrem, vocatis ad se in ædem episcopalem filiis suis, bene precatum fuisse, ac maxime Eliæ, cui sui Ordinis curam commiserat. His consona leguntur in Vita secunda, ex qua sequentia accipe.*

B

filiis suis bene precatur, seque transferri jubet

620 Cumque, caligantibus oculis (*seu, ut Celanensis habet :* externorum oculorum lumine privatus et usu) videre non posset, sicut quondam patriarcha Jacob, manibus cancellatis, dexteram patri fratri, qui a sinistris ejus sedebat, imposuit; interrogansque, quis esset, et intelligens, fratrem esse Helyam, quem, ut dictum est, substituerat loco sui; sic se velle respondit. Primum igitur illi, ac deinceps universis in ejus persona fratribus benedixit, et bona illi plurima imprecatus, benedictiones in eo multimodas confirmavit. Quibus completis, adjecit : Valete, filii omnes, in timore Domini, et permanete semper in ipso; quoniam tribulatio vobis approximat, et maxima super vos est futura temptatio. Felices autem illi sunt, qui in hiis bonis perseveraverint, quæ ceperunt. *Post hæc Sanctus, ne in episcopali palatio moreretur sollicitus fuit.* Tunc *enim* sine mora, *ut ibidem sequitur,* ad S. Mariam de Portiuncula se transferri poscebat, volens illic animam reddere Domino, ubi primo, ut dictum est, perfecte viam veritatis agnoverat.

ad prædilectam ædem S. Mariæ de Portiuncula.

621 *Simillima habet Celanensis; et Bonaventura quoque num.* 208, *licet de illius hospitio in episcopali palatio ibi non meminerit, ait tamen :* Ad sanctam Mariam de Portiuncula se portari poposcit; C quatenus, ubi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. *Quanti hunc locum* Franciscus *semper fecerit, tum alibi dictum est, tum hic rursum observavit biographus secundus, mox addens :* Illum quoque locum in omni reverentia et honore fratribus custodire præceperat. Hunc specialiter, asserebat, divinis obsequiis et orationibus congruum; hunc supernorum, dicebat, spirituum frequentia visitatum. *De eodem argumento plura legi possunt apud S. Bonaventuram num.* 24 *et* 208, *et apud Celanensem num.* 106, *ubi inter alia dicitur* S. Franciscus *fratres suos sæpe sic fuisse allocutus :* Videte, o filii, ne quando hunc locum relinquatis. Si ab una parte foras pelleremini, ex alia reintrate. Nam locus iste sanctus et habitatio Dei est *etc. Laudati biographi deinde festinant ad enarrandum Sancti obitum, ante quem quædam alia aliunde accepta memoranda veniunt.*

Dictat testamentum, in quo initia conversionis suæ repetens,

622 *Waddingus ad hunc annum* 1226, *num.* 35 *asserit,* S. Franciscum, *cum morti jam appropinquaret, testamentum, quod filiis suis relinquere volebat, dictasse, scribente frater Angelo, quod ibidem num.* 36 *totum subjungit. Ediderat illud etiam inter ejusdem Sancti Opuscula lib.* 1 *a pag.* 120, *præmissis variis scriptoribus, apud quos exstat editum, vel cum laude memoratur; et subnexis annotationibus suis. Sane quia vere dignum* Francisco *est, ejusdemque sanctitatem ac simplicitatem spirat, ac simul* D *vitam illius, qualem hactenus retuli, multum confirmat, visum est, illud hic quoque ex Waddingi editione, postremo loco laudata, recensere, prætermissis tamen lectionibus variantibus et Annotatis, quæ ibidem legi possunt. Sic itaque se habet :* Dominus ita dedit mihi fratri Francisco incipere facere pœnitentiam; quia cum essem in peccatis meis, nimis mihi videbatur amarum, videre leprosos; sed ipse Dominus adduxit me inter illos; et feci misericordiam cum illis; et recedente me ab ipsis, id, quod videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animæ et corporis. Et postea parum steti, et exivi de sæculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in ecclesiis suis, ut ita simpliciter adorarem, et dicerem : « Adoramus, te, sanc» tissime Domine Jesu Christe, hic et ad omnes » ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo; et bene» dicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam » redemisti mundum.

suos ad reverentiam erga presbyteros et divina mysteria,

623 Postea dedit mihi Dominus et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, propter Ordinem ipsorum, quod, si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes hujus sæculi, in ecclesiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra E voluntatem ipsorum. Et ipsos et omnes alios volo timere, amare et honorare, sicut meos dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei cerno in ipsis, et domini mei sunt. Hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc sæculo de ipso altissimo Filio Dei, nisi sanctissimum Corpus et Sanguinem suum, quod ipsi recipiunt, et ipsi soli aliis administrant. Et hæc sanctissima mysteria volo super omnia honorari et venerari, et in locis pretiosis collocari. Sanctissima nomina et verba ejus scripta, ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere, et rogo, quod colligantur, et in loco honesto collocentur. Et omnes theologos, et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare et venerari, sicut eos, qui ministrant nobis spiritum et vitam.

paupertatem, laborem manuum, patientiam,

624 Et postquam Dominus dedit mihi curam de fratribus, nemo ostendebat mihi, quid deberem facere; sed ipse Altissimus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti Euangelii. Et ego paucis verbis et simplicibus feci scribi, et dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia, quæ habere poterant, pauperibus erogabant. Et erant contenti tunica una, intus et foris repetiata F (qui volebant) cum cingulo et braccis; et nolebamus plus habere. Officium dicebamus nos clerici secundum alios clericos: laici dicebant: PATER NOSTER. Et satis libenter manebamus in ecclesiis pauperculis et derelictis, et eramus idiotæ, et subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam et volo laborare, et omnes alii fratres, firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant; non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum, et ad repellendum otiositatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. Salutationem hanc revelavit mihi Dominus, ut diceremus : DOMINUS DET TIBI PACEM. Caveant sibi fratres, ut ecclesias et habitacula, et omnia alia, quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus; semper ibi hospitantes, sicut advenæ et peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam fratribus universis, quod, ubicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in curia Romana per se, nec per interpositam personam, nec pro ecclesia, nec pro alio loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum; sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant ad aliam terram,

ad

A ad faciendum pœnitentiam, cum benedictione Dei.

obedientiam, etc., hortatur, et non Catholicos puniri jubet:

623 Et firmiter volo obedire generali ministro hujus Fraternitatis, et illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare. Et ita volo esse captus iu manibus suis, ut non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia dominus meus est. *Loquitur hic* S. Franciscus *ex desiderio aliis parendi, si liceret; non enim ipsum cuiquam suorum subditum tunc fuisse, manifestum fit ex verbis, quibus toti suo Ordini in hoc eodem testamento* per obedientiam *præcipit. Pergit ipse:* Et quamvis simplex et infirmus, tamen semper volo habere clericum, qui mihi faciat Officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alii fratres ita teneantur similiter obedire Guardianis suis, et facere Officium secundum Regulam. Et si aliqui inventi essent, qui non facerent Officium secundum Regulam, et vellent alio modo variare, aut non essent Catholici; omnes fratres, ubicumque sunt, per obedientiam teneantur, quod, ubicumque invenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant præsentare. Et custos teneatur per obedientiam pisum firmiter custodire, sicut hominem in vinculis diu noctuque; ita quod non possit eripi de manibus suis, donec propria sua

B persona ipsum repræsentet in manibus sui Ministri. Et Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales fratres, qui die noctuque custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis, donec repræsentent ipsum coram domino Ostiensi, qui est dominus protector et corrector istius Fraternitatis.

commendat hujus testamenti et Regulæ observantiam,

626 Et non dicant fratres: Hæc est alia Regula; quia hæc est recordatio, admonitio et exhortatio, et meum testamentum, quod ego frater Franciscus, parvulus vester, facio vobis fratribus meis benedictis propter hoc, ut Regulam, quam Domino promisimus, melius Catholice observemus. Et generalis Minister, et omnes alii Ministri et custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere, vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum juxta Regulam, et in omnibus capitulis, quæ facient, quando legunt Regulam, legant et ista verba. Et omnibus fratribus meis, clericis et laicis, præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant Glosas in Regula, nec in istis verbis, dicendo: Ita volunt intelligi. Sed, sicut dedit mihi Dominus pure et simpliciter dicere, et scribere Regulam et ista verba, ita simpliciter et pure sine glosa intelligatis, et cum sancta operatione usque in finem

C observetis.

et observaturis bene precatur.

627 Et quicumque hæc observaverit, in cælo repleatur benedictione altissimi Patris cælestis, et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paracleto, et omnibus virtutibus cælorum et omnibus Sanctis. Et ego frater Franciscus, parvulus, et vester servus in Domino, quantumcumque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem, Amen. *Hactenus Testamentum* S. Francisci, *Auctore suo dignissimum, ex recensione Waddingi tomo, seu libro* I *Opusculorum ejusdem sancti Institutoris sui, cujus Annotationes brevitatis causa prætermisi. Solum hic addo ex ipsius Annalibus ad annum* 1226 *a num.* 14, *a fratribus Minoribus deinde dubitatum fuisse, quæ et quanta ex eodem Testamento imposita sibi esset obligatio; ideoque eos ad Gregorium IX summum Pontificem, antea Hugolinum Cardinalem Ostiensem, et Ordinis Minorum protectorem, recurrisse, cujus rescriptum ibi legi potest.*

Dicitur Sanctus, volens Jocobæ de Septemsoliis scribere,

628 *Prætereunda hic non sunt, quæ de Jacobæ de Septemsoliis, nobilis matronæ Romanæ, ad* S. Franciscum *accessu refert Waddingus ad annum* 1226, *num.* 26 *et sequenti verbis, quæ subnecto:* Decumbens apud fratres (*S. Franciscus ex ædibus episcopi ad conventum S. Mariæ de Portiuncula jam translatus*) socium jussit, ut atramentarium cum charta afferret monituro sæpius supra memoratam dominam Jacobam de Septemsoliis de imminenti jam morte; æquum esse, dicens, ut hæc ei daretur consolatio, quæ discessuro multas præbuit in vita. Scripsit itaque hoc, quod subjungo, epistolæ fragmentum: « Dominæ Jacobæ, servæ Altissimi, » Fr. Franciscus, pauperculus Jesu Christi, salu- » tem et societatem Spiritus Sancti in Domino Jesu » Christo. Scias, charissima, quod mihi Christus » benedictus per suam gratiam vitæ meæ termi- » num futurum in proximo, revelavit. Quapro- » pter, si vis me invenire vivum, visis his litteris, » ad sanctam Mariam de Angelis venire festina. » Nam si post diem Sabbathi veneris, me vivum » invenire non poteris; et porta tecum pannum » et * cilicium, in quo corpus meum involvas, et * *al.* vel » ceram pro sepultura. Rogo etiam, quod portes » de illis comestionibus, quas mihi consuevisti » dare, quando infirmabar Romæ. »

AUCTORE C. S.

ejusdem adventum divinitus cognovisse,

629 Hæsit hic (*ita narrationem suam resumit Annalista*) elevatis oculis in cælum, jussitque, ut scriba calamo parceret, et nullus mitteretur Romam tabellarius (jam enim parabatur) addens, jam sibi constare, ferme præ foribus esse heroidem, cuncta, quæ scribebantur, portantem. Paulo post pulsato ostio, janitor, ita esse, comperit: magno enim comitatu vidit advenisse nobilem fæminam, duobus filiis associatam, portasseque multam ceram pro funere, et pro funerali habitu pannum E griseum, illius (inquit speciali quadam observatione codex Ms. chronologicus, ante annum MCCCCXX scriptus, Venetiis ad me delatus) coloris, quem gestant fratres Cistercienses ultramontani; cibumque illum, quem affectabat, vulgari nomine tunc Romanis (ut monent Legendæ antiquæ) dictum MORTARIOLUM, ex saccaro, amigdalis, aliisque hujusmodi mixturis compactum. Ut annunciavit hæc sancto Viro ostiarius, interrogavit, an intra monasterii claustra reciperet fæminam, non obstante rigorosa ab ipso edita constitutione de nulla admittenda in monasteriis Fratrum, præcipue in illo S. Mariæ Angelorum.

hæcque ipsi aliquot dies ministrasse,

630 Respondit, hanc a tali lege eximendam, et digne introduci in fratrum domicilium, cujus ædes fratribus semper patebant. Introducta ad sanctum Virum statim procidit ad pedes sacris stigmatibus insignitos, quos tenere osculata, lachrimis, velut altera Magdalena, rigavit. Interrogata demum a fratribus, quomodo non vocata advenerit, et, quæ advexit, paraverit, dixit, omnia sibi noctu cælitus injuncta, angelumque monuisse, ne quicquam illorum prætermitteret. Inservivit itaque diligentissime per aliquot dies sancto Patri; putansque, per plures supervicturum, voluit remittere omnem familiam in Urbem. Prohibuit Franciscus, dicens, non ultra quatuor sibi vitæ dies superesse; quibus F transactis, justis sibi solutis, posset ipsa regredi cum suis. *Ad hæc observat Waddingus, hujus dignissimæ matronæ, licet ab omnibus, ut asserit, sui Ordinis scriptoribus juste laudatæ, familiam aut progeniem a nemine traditam, sed communiter* de Septemsoliis *cognominari; fateturque, se post diligens examen deprehendere nequivisse ullum hujusmodi cognominis familiæ apud Romanos vestigium. Hinc ipse mavult suspicari, illud non familiæ cognomentum esse, sed matronam ipsam eo vocabulo sic designatam fuisse a loco Urbis Romanæ, in quo habitabat, qui* Septisolium *vocabatur; ac proinde ipsam magis proprie* de Septisolio, *quam* de Septemsoliis *appellandam fuisse.*

verum hæc narratio, ab antiquioribus non tradita,

631 *Non inquiro de causa cognomenti hujus Jacobæ, quam et nobilem et piam matronam fuisse, et Romæ habitasse, scio ex S. Bonaventura in Vita num.* 112, *ubi de illius cum* S. Francisco *sancta amicitia alia occasione meminit; sed de veritate facti hujus pro munere meo inquirendum mihi est. Laudat Waddingus Speculum Vitæ* S. Francisci *part.* I, *cap.* 105; *Marcum Ulyssiponensem lib.* II, *cap.* 67, *Marianum cap.* 30, *Legendam antiquam, et prædictum codicem Ms. chronologicum, Venetiis acceptum; quibus addere poterat Pisanum, ceteris omnibus vetustiorem, qui lib.* III, *Conformitate* 4, *parte* II, *fol.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S. *fol.* CCXL *primæ editionis Mediolanensis, eamdem historiam, paucis variatis, enarrat. Antiquissimus igitur, quem pro hoc facto auctorem habemus, scripsit sub finem sæculi* XIV, *cujus anno* 99 *Pisanus suos Conformitatum libros a generali capitulo Minorum approbari obtinuit. Suum cuique esto judicium : at mihi tam dubiæ fidei istiusque ætatis scriptores non facile plane persuadebunt,* S. Franciscum *permisisse mulieri, utut piæ beneque meritæ, non modo ut ad illum ægrotantem in conventum intromitteretur, verum etiam ut per aliquot dies, ad mortem scilicet usque, eidem inserviret,* non obstante rigorosa ab ipso edita constitutione de nulla (*muliere*) admittenda in monasteriis fratrum, præcipue in illo S. Mariæ Angelorum; *quippe quod ceteris omnibus velut sanctioris observantiæ normam propositum volebat.*

parum verisimilitudinis habet 632 *Quantum ego quidem* S. Franciscum *ex lectis relectisque ejusdem indubitatæ fidei Vitis noscere potui, non erat illius ingenii, legibus, quas subditis suis præscripserat, quocumque modo derogare. Deinde si, tacentibus de hoc facto vetustissimis biographis, ex aliis Sancti gestis dictisque liceat opinari, non apparebit, existimo, illud satis verisimile. Quantum ille a familiaritate mulierum fuerit alienus, irrefragabilis testis est S. Bonaventura, cujus locum ex num.* 63 *oportet hic recensere.* Mulierum
B familiaritates (*inquit de S. Francisco*) colloquia et aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, solicitus * evitari jubebat, asserens, per hujusmodi debilem frangi, et fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta Scripturam in igne ambulare, et non comburere plantas. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quod (sicut aliquando socio dixit) quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse aiebat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem.

* *an* sollicitius ?

ex S. Bonaventura. 633 Asserebat etiam, frivolum esse mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione brevissima, juxta quod et saluti expedit, et congruit honestati. Quæ sunt, inquit, Religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis; et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito crescere facit in trabem. *Hi erant, teste Bonaventura,* S. Francisci *sensus de consortio mulierum, de quibus caute tractandis etiam in utraque Regula sua, in priori scilicet cap.* 12, *in*
C *altera cap.* 11 *diserte monuerat. Atque ex his judicet eruditus lector, quam verisimile sit, eumdem Sanctum sub finem vitæ suæ permisisse, ut mulier in conventum suum introduceretur, illaque ægrotanti* per aliquot dies *ibidem ministraret. Non erat quidem ipsi timendum ab illa, sed nonne intererat, ut, quod ipse hactenus dictis factisque docuerat, in supremo morbo suo confirmaret; nec exemplo suo aliquando relaxandæ legi occasionem præberet?*

aliisque. 634 *Id mihi etiam minus verisimile apparet, si, ut Waddingus ibidem num.* 31 *ex Legenda, quam vocat* Gregorii IX, *asserit,* S. Franciscus *in eodem illo morbo ac loco vetuerit, non modo, ne femina, sed neque ullus vir præter mox nominandos, umquam illuc introduceretur. Ita enim ipsum loquentem inducit :* Volo etiam, quod nulla persona et nullus frater intret in illum locum; nisi generalis Minister et fratres, qui serviunt illis, et cum Ministro, quando visitaverit eos. *Quin etiam subdit ibidem num.* 32 : Sane multo tempore ita factum, ut testatur Thomas Celanus in sua Legenda his verbis : « Servabatur, inquit, ibidem rigidissima in » omnibus disciplina... Nemini, nisi fratribus spe» cialiter deputatis, illuc patebat ingressus, et » omni sæculari personæ omnis penitus præclude» batur introitus. » *Si hæc, inquam, omnia ita se habeant (nam in nostro Thomæ Celanensis apographo non leguntur) minus mihi verisimilia apparent,* D *quæ, silentibus antiquioribus, alii de prædicto Jacobæ ad Sanctum ægrotantem accessu et ministerio narraverunt. Forsitan laudata matrona de propinquo sancti Magistri sui obitu, sive divinitus sive aliter admonita, Assisium accurrerit, et ut ante vivo, ita tunc mortuo, munificam se in funere exhibuerit, indeque nata occasio sit cetera addendi. Attamen nec hoc ex antiquioribus Vitis licet colligere. In Notitiis Mss. Patrum Conventualium sæpe allegatis et allegandis, dicitur Jacoba illa credi nupta fuisse nobili viro Sancio Frangipani, et sepulta in* S. Francisci *basilica prope Assisium, sub suggestu cum picta illius imagine et hac epigraphe :* Hic requiescit Jacoba sancta nobilisque Romana; *ac denique pretiosus pannus sacro* Francisci *cadaveri involvendo ab ea allatus, ex perpetua traditione ibidem inter sacrarii reliquias hactenus servari.*

§ XXVIII. Ultima S. Francisci gesta et beatus obitus : trina illius mox post mortem apparitio : litteræ Eliæ de ejusdem obitu ad Minores in Francia.

Instantem mortem suam lætus nuntiat : fratribus culpas remittit, E

Auctor *Vitæ secundæ ad felicissimum* S. Francisci *obitum cum Thoma Celanensi properans, verbis num.* 621 *datis subnectit sequentia.* Igitur in loco sibi desiderato (*S. Mariæ de Portiuncula*) paucis diebus quievit, donec tandem mortis horam instare cognoscens, duos ad se fratres vocavit, quibus de transitu ejus vicino laudes alacriter Domino decantare præcepit. Ipse vero, prout potuit, in hunc psalmum prorupit : » Voce mea ad Dominum cla» mavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. » Unus autem de fratribus, qui astabant, pro cunctis sollicitus, dixit ad eum : Heu! Pater benigne, ecce filii tui remanent sine Patre. Recordare igitur orphanorum, quos deseris, et omnibus culpis remissis, tam præsentes, quam absentes tua sancta benedictione consolari digneris. Cui piissimus Pater respondit : Ecce, ego quidem jam vocor a Domino, fili; fratribus vero meis, tam absentibus quam præsentibus, omnes offensas et culpas remitto, et eos, sicut possum, absolvo. Quibus tu hæc, fili, denuntians, ex parte mea omnibus benedicas.

et benedicit. Fertur etiam tunc singularem benedictionem 636 *Bonaventura, qui* S. Francisci *in palatio episcopali, antequam ad ædem S. Mariæ in Portiuncula translatus fuit, hospitium prætermisit, num.* 211 *scribit hic ipsum, omnibus fratribus suis,* in modum crucis brachiis *super eos* cancellatis, *bene precatum fuisse, iisque vale dixisse verbis, quæ* F *ex Celanensi et biographo secundo ab illo in prædicto palatio adhibita esse, num.* 619 *dixi. At facile potuit Sanctus eadem hic repetiisse. Waddingus præter duas jam relatas faustas precationes, addit et tertiam solis fratribus Bernardo et B. Ægidio, ac maxime priori impertitam. Juverit ipsius verba ex num.* 29 *recitasse.* Collacrymantibus deinde omnibus, vocavit fratrem Bernardum. Ubi est, inquit, primogenitus meus Bernardus? Cui accedenti, Veni, inquit, fili mi, ut benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Quo posito ad lævam, et fratre Ægidio ad dextram lecti partem genibus flexis, cancellatis manibus, velut alter Jacob, eis benedixit, posita dextra super caput fratris Bernardi, quem ex tactu cognovit. Concurrisse cum fratre Bernardo fratrem Eliam, alias dixi in Opusculis S. Francisci ex authoribus, quos ad finem Benedictionis sextæ recensui.

impertiisse Bernardo, quæ vel ab ipso Sancto 637 Modo ex Legenda Gregorii IX, ex illa, quæ Sociorum dicitur, et Mariano citato duplicem benedictionem impertiisse manibus in Crucis modum actis, probabilius putaverim, primam Eliæ, secundam Bernardo in hunc modum : « Benedicat te » Pater Domini nostri Jesu Christi in omni bene» dictione spirituali in cælestibus in Christo. Sicut » primus et * electus in Ordine isto ad dandum » bonum exemplum Euangelicum, et ad imitandum » Christum

* an es ?

A » Christum in Euangelica paupertate, cui non so-
» lum tua liberaliter obtulisti, sed et temetipsum
» in odorem suavitatis contulisti; ita benedictus
» sis a Domino Jesu Christo, et a me suo pauper-
» culo servo, benedictionibus sempiternis, ingre-
» diens et egrediens, vigilans et dormiens, vivens
» et moriens. Qui benedixerit tibi, benedictionibus
» repleatur, et qui maledixerit tibi, non erit im-
» munis. Esto dominus fratrum tuorum, et tuo
» imperio cuncti subjaceant. Quoscumque volueris
» recipere ad Ordinem istum, recepti sint, et quos-
» cumque emittere volueris, emittantur. Nullus
» super te potestatem habeat, et quocumque vo-
» lueris, libere possis pergere et morari. » *Hactenus Benedictio, ad quam ibidem hæc observat Waddingus :* Scripsit quidam ex circumstantibus Benedictionem, quæ in posteriora servata est sæcula, quam Rodulphus perperam putavit ipsius sancti Patriarchæ manu fuisse exaratam.

vel ab alio scripta exstat: sed auctores, aliunde non satis antiqui,

638 *Huc spectant, quæ idem Annalista tom. III Opusculorum* S. Francisci *pag.* 496 *et sequenti ad eamdem Benedictionem annotavit, dicens :* Hanc benedictionem, asserit Rodulphus citatus, asservari in conventu Assisii, B. Francisci manu scriptam, in ipso sacrario inter Reliquias Sanctorum. Sed cum ego omnes observarem, solam supra memoratam, quam beatus Pater B. Leoni impertivit,
B vidi; neque vero probabile puto, ad suæ mortis horam beatum Patrem, quam oretenus elargitus est benedictionem, postea scriptis sua manu commendasse, nec proinde hic aut alibi custodiri. *Atque hæc quidem recte; sed quo satis certo auctore, probabit Waddingus, eamdem benedictionem a quodam circumstantium scriptam, vel etiam a* S. Francisco *prolatam fuisse? Certe neutrum in Legenda Thomæ Celanensis, quæ etiam Legenda Gregorii IX potest appellari, nec apud Tres Socios in Appendice legitur. In priori quidem apud me num.* 109 *dicitur* S. Franciscus *tunc vocasse* ad se duos fratres et suos filios speciales, *eisque præcepisse, ut de illius propinqua morte laudes Deo alta voce cantarent. Potuerunt hi fuisse Bernardus et B. Ægidius; quod tamen Celanensis non explicat, nec de data tunc alterutri speciali benedictione meminit. Minus etiam hac de re agunt Tres Socii, saltem in apographo nostro. De Mariano, quia ejus Chronicon non habeo, nihil possum statuere, nisi illum non satis antiquum esse, ut fidem certam faciat.*

de adjunctis variant,

639 *Neque hanc facere possunt reliqui a Waddingo laudati tom. III Opusculorum pag.* 496, *nempe Pisanus, Rodulphus, Speculum Vitæ* S. Francisci *et Floretum, quorum antiquior Pisanus sub finem sæculi* XIV *scripsit, et quorum fide nec Wad-*
C *dingus ipse in Annalibus standum putavit in eo, quod ex ipsis in eodem loco Opusculorum ante retulerat hoc modo :* In obitu beati Patris collacrymantibus omnibus fratribus pro subtractione tanti Patris et tam solliciti Pastoris, ait (*S. Franciscus*) ad circumstantes : Ubi est primogenitus meus frater Bernardus? Cui accedenti, Veni, inquit, fili mi, ut benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Sed Bernardus pro sua humilitate, ne sibi videretur assumere, quod pro officii dignitate et præfecturæ eminentia putabat deberi fratri Eliæ, tunc generali Ordinis vicario et putativo beati Viri successori, suggessit eidem, ut ad dexteram morientis accederet, et oblatam reciperet benedictionem. Quo ante Virum Dei prostrato, ille, etsi præ lacrymarum assuetudine cæcutiret, plenus tamen prophetico spiritu manus super caput ejus imposuit, et dixit : Hoc non est caput mei primogeniti fratris Bernardi. Et cancellatis in modum crucis manibus, velut alter patriarcha Jacob, dexteram ponens super caput Fratris Bernardi, qui ad lævam, utroque flexo poplite, Patri assidebat, eum benedixit his verbis *etc.; tum sequitur Benedictio, quam jam retuli.*

et benedictionem sua singularitas suspectam facit.

640 *Cum itaque hæc omnia ad Eliam hic spectantia, quæ non minus affirmate, quam ipsa Benedictio, ab istis scriptoribus narrantur, Waddingus verbis num.* 637 *datis non censuerit admittenda, licebit mihi quoque dubitare de ipsamet benedictione, pro qua non profertur antiquior auctor, quam unus ex istis Bartholomæus Pisanus. Porro si Benedictionem ipsam expendamus, ea fiet parum verisimilis. Aut enim* Franciscus *per hanc Bernardum constituit sibi in generali Ordinis prælatura successorem, vel non. Primum aliunde nequit admitti, nec admisit Waddingus, ut ibidem ex sequentibus liquet. Sin autem id non fecerit* Franciscus, *difficile captu est, quo pacto Bernardo dixerit :* Esto dominus fratrum tuorum, et tuo imperio cuncti subjaceant... Nullus super te potestatem habeat *etc. : his enim verbis videtur Bernardus ab omnium fratrum, etiam Ministri generalis, imperio eximi; qui per Regulam, quam professus fuerat, tenebatur* fratri Francisco et ejus successoribus obedire. *Ut candide fatear, non apparet mihi hujus privilegii concessio verisimilis, nec sancti Legislatoris de obedientia rectoque ordine æstimationi conformis.*

AUCTORE C. S.

Expenditur alia narratio de buccellis panis

641 *Præmiserat ibidem Waddingus num.* 29 *et aliud* S. Francisci *factum, cujus nulla mentio exstat in Vitis antiquis, quas edam.* Pridie, antequam morereturr, *inquit,* vocatis a se fratribus denuo benedixit, et panis a se Crucis signo consecrati fragmenta dedit singulis, ut in signum unitatis et corcordiæ de eodem comederent. Devote id fece- E
runt omnes, contemplantes in sancto Viro Christum cum suis ultimam cœnam peragentem. Solus Elias non comedit, flens ad tanti Patris discessum proxime futurum. Frustum, quod manu devote tenebat, petiit ab eo frater Leo, quod diligenter asservatum fuit postea infirmis multis causa salutis. *Pro hisce laudat rursus Marianum et* Legendam, *quam vocat* antiquam, *sed quæ certo diversa est a nostris, in quibus ista frustra quæras. Nescio equidem, an illa antiquior sit Pisano, qui lib.* III, *Conformitate* 1, *parte* II *editionis Mediolanensis scribit,* Franciscum *hoc etiam alias, ac specialiter ter, fecisse in vita, et de postrema vice habet :* Tertio istam cenam B. Franciscus exercuit die Jovis, ut credidit ipse, ante mortem suam, quæ fuit die Sabbati sequentis de sero. Unde sciens B. Franciscus diem et horam sui transitus ex hoc mundo ad Patrem, ut Christum, suum magistrum, quem sedule fuerat prosecutus in vita, sic et sequeretur in morte, fecit omnes fratres existentes in loco ad se vocari, jussitque panes apportari, et eos benedixit, atque in plurimas partes frangi fecit, quia ipse præ nimia debilitate frangere non valebat.

a Sancto in discipulos tunc, ut fertur, distributis.

642 Et accipiens, unicuique fratri particulam porrexit, præcipiens, ut totam quilibet manducaret; in signum dilectionis hoc faciens fratribus. Et quod ad similitudinem faceret Christi (*in ultima cœna*) patuit, quia ipse Franciscus quæsivit, si F
esset tunc quinta feria, etsi esset dies alia, ipse tamen putavit, quod esset feria quinta. Unus ex fratribus unam particulam de ipso pane servavit, quam post mortem B. Francisci plurimi gestantes * a variis sunt morbis liberati. *Clarum est, Pisanum hic de eodem facto, de quo supra Waddingus, agere, licet sileat nomen fratris, qui particulam panis servavit. At in secunda ex tribus illis vicibus nominavit, ut Waddingus, fratres Eliam et Leonem, pariterque asseruit, per particulam quoque illam* multa miracula *facta esse; sed Eliam eamdem non ex tristitia, sed ex contemptu, servasse et dedisse Leoni petenti. Tres editiones Speculi, quas habemus, magis consonant Pisano, tertiam vicem narranti, quam Waddingo. Ego Pisano, ubi in Eliam iniquior est, minime assentior; quod vero spectat ad factum ipsum, prout etiam in Speculo aut apud Waddingum narratur, mallem pro eo vetustiorem testem allegatum legere.*

* *an* gustantes.

Evangelium sibi prælegi jubet : cubat in cinere et cilicio :

643 *Redeamus nunc ad biographum secundum, apud quem verbis num.* 633 *relatis subnectuntur sequentia :* Porro Euangelium secundum Johannem ab eo loco, ubi incipit : ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ, sibi legi poposcit. Deinde se cilicio superponi, cinereque

AUCTORE C. S.

cinereque conspergi præcepit. *Prævit hic rursum huic anonymo Celanensis; verum hic, nisi transcribentis vitium sit, in texto Evangelico recitando erravit. Sic enim habet :* Jussit denique codicem Euangeliorum deportari, et Euangelium secundum Joannem sibi legi poposcit ab eo loco, ubi incipit : ANTE DIES SEX PASCHÆ, SCIENS JESUS, QUIA VENIT HORA EJUS, UT TRANSEAT EX HOC MUNDO AD PATREM. *Ex laudato anonymo pro* Ante dies sex Paschæ, *substitue* Ante diem festum Paschæ, *et locus erit ex cap.* 13 *Joannis, quod Evangelium quotannis legitur in Cœna Domini. Sed duo præterea observavit Celanensis; primum, ministrum, qui aderat, nondum cognita* S. Francisci *voluntate, habuisse in animo istud Evangelium ægrotanti tunc prælegere; alterum,*

* *forte* primi

idem Evangelium quærenti mox in prima * libri apertione *occurrisse, licet* tota et plena esset bibliotheca, *in qua liber ille quærendus erat. De cubatione in cilicio et cinere pariter consentit,* Jussit proinde, *inquiens,* se superponi cilicio, et conspergi cinere, quia terra et cinis mox erat futurus.

an tunc, et qualiter nudus ?

644 *Bonaventura fere eadem quidem, quæ isti, referens, non tamen eumdem ordinem semper servavit, ac maxime singulare quid retulit de modo, quo Sanctus humi tunc decubuit : quod cum ceteris omnibus ab illo in æde Portiunculæ tunc gestis præ-*

B *posuerit, forsan accipiendum est de cubatione diversa ab illa, de qua duo priores biographi meminerunt. Nimirum num.* 209 *et sequenti scribit,* S. Franciscum, *cum in ædem S. Mariæ de Portiuncula illatus esset, nudum se in nudam humum prostravisse, dexteri lateris vulnere, ne conspiceretur, interim tecto opposita manu sinistra; donec a quodam fratre, quem ille guardiani loco habere solebat, jussus est vestes suas ac femoralia, eleemosynæ nomine commodata, denuo induere. Addit Bonaventura, deinde illum etiam suis præcepisse,* ut, cum viderent, eum jam esse defunctum, per tam longum spatium nudum super humum jacere permitterent, quo unius miliarii tractum suaviter quis perficere posset. *Suaserunt hæc Viro sanctissimo humilitas et amor paupertatis; non sic tamen vocem* nudus *accipiendam hic existimo, quasi ille indecore nudus jacuerit : nam ipse Bonaventura in eadem Vita num.* 20 *eumdem etiam alias coram episcopo Assisiensi omnibus denudatum fuisse scripsit, ac nihilominus ibidem num.* 19 *præmiserat, tunc inventum fuisse* cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. *Credendum itaque est,* Franciscum, *dum nudum se humi prostravit, toto corpore sic fuisse*

C *nudatum, ut simul consultum esset honestati.*

Humi in cilicio et cinere cubans sancte moritur,

645 *In substrato igitur cilicio humi cubans, cinere, ut petierat, conspersus fuit,* et sic (*teste rursum biographo secundo*) filiis circumstantibus et lugentibus, Pater sanctus in Domino feliciter obdormivit. *Consonat Celanensis : sed Bonaventura, in ordine, ut monui, nonnihil varians, præmittit Sancti admonitionem ad filios, tum prælectionem Evangelii ex cap.* 13 *Joannis; deinde recitationem Psalmi* 141 Voce mea ad Dominum clamavi *etc., quo ad finem usque seu ad hæc verba* Me expectant justi, donec retribuas mihi *per ipsum perducto, denique addit :* Tandem cunctis in eum completis mysteriis, anima illa sanctissima carne soluta, et in abyssum divinæ claritatis absorpta, beatus Vir obdormivit in Domino. *Haud facile dictu est, utrum S. Bonaventura, an Thomas Celanensis, quem biographus secundus secutus est, ista mortis adjuncta suo ordine rectius retulerint : nam Celanensis præstat ætate, ipsi* S. Francisco *synchronus, ejusque discipulus, Bonaventura vero, etsi paulo junior, convixit tamen aliis ejusdem Sancti sociis, quos, dum hanc Vitam scripsit, diligenter consuluit. Forsitan* S. Franciscus *eumdem Psalmum bis recitaverit; quo posito, ambæ narrationes simul stare possunt.*

et in specie stellæ præfulgidæ ad cælum ascendit;

646 *Pergit Anonymus secundus,* Unus autem, *inquiens,* ex illis specialis ejus discipulus, vir fama non modicum celeber, cujus nomen ideo subticetur, eo quod tanto nollet præconio gloriari, dum viveret, vidit illam gloriosam animam, carne D solutam, in stellæ grandis et radiantis effigie, vidit, inquam, velut super aquas multas candida subvectam nubecula in cælum directe conscendere. Sic nimirum, qui contemptibiliter in area vitæ hujus laboriosæ spicam carnis terendo confregerat, jam excussa palea, granum purum in horrea summi Regis ingreditur; sic mortali vita defunctus, æternaliter victurus, vivo Pani conjungitur, qui turbam Christi famelicam, ne in via deficeret, de paupertatis horreo satiarat. Et bene super aquas multas in specie stellæ, candida subvectæ nubecula, videbatur ascendere; quippe qui mundus ex aquis terrenæ delectationis assumptus, multitudini populorum tam miraculis, quam vita, splenduerat et doctrina; quibus in lata perditionis via, quasi cæcis, errantibus luminosum iter pandens ad gloriam, eam, quæ prius stricta, paucis in illa gradientibus, timebatur, ampliaverat se turmatim sequentibus vitæ viam. Regnat igitur dives in patria pro paupertatis transitoriæ copia, regnat, inquam, sibi regibus hujus mundi subtractis *, quos hic misera rerum pereuntium ditat inopia.

* *an* substratis?

apparet etiam moribundo, et episcopo Assisiensi, E

647 *Præmissam visionem ante ipsum retulit Celanensis, apud quem num.* 110 *legitur felix illa anima fuisse visa,* quasi stella, quodammodo lunæ immensitatem habens, solis vero utcumque retinens claritatem, et candida subvecta nubecula. *Retulerunt etiam Tres Socii in Appendice num.* 68, *sanctusque Bonaventura num.* 213, *quorum Tres priores aiunt, fuisse* stellam luminis immensitatem habentem, et claritatem solis prætendentem; *Bonaventura autem solum dicit, apparuisse* sub specie stellæ præfulgidæ *etc. Hic sanctus doctor addit duas alias ejusdem beatæ animæ ad cælum ascendentis apparitiones, quas alii biographi nostri prætermiserunt. Primam compendio accipe. Fratri Augustino, Minorum Ministro in Terra laboris, quæ provincia regni Neapolitani est, ex morbo ad extrema perducto apparuit, isque exspirans, sanctum Patrem ad cælum secutus est. Alteram sic paucis memoravit num.* 214 : Episcopus Assisinas ad oratorium S. Michaelis in monte Gargano tunc temporis peregrinationis causa perrexerat; cui B. Franciscus apparens nocte transitus sui, dixit : Ecce, relinquo mundum, et vado ad cælum.

Elias scribit litteras de morte sancti Patris,

648 *Non diu post* S. Francisci *e vivis excessum frater Elias, ejusdem vicarius generalis, pro munere suo hac super re ad omnes sui Ordinis provincias litteras dedit.* Harum exemplar litterarum (*ait Waddingus ad hunc annum* 1226 *num.* 44) ad provincialem Franciæ missarum, accepimus ex conventu Recollectorum Valencenarum in Belgio, F ubi servantur originariæ, quas Gulielmus Spoelberch, provinciæ Germaniæ Inferioris definitor, transcripsit in editum et limatum a se Speculum Vitæ S. Francisci et sociorum ejus. *Ita reipsa testatus est Spoelberchus parte* II, *pag.* 102 *Speculi, anno* 1620 *Antverpiensibus typis vulgati. Verum Chalippus, qui post utrumque, anno scilicet* 1728 *Vitam* S. Francisci *Gallice edidit, parte* II, *pag.* 346 *negat, autographum illud suo tempore in conventu Valencennesi superfuisse, suspicaturque, a religiosis ejusdem loci inquilinis, alio commigrantibus, dum ea urbs in alterius principis potestatem transivit, asportatum fuisse. Addit, ibidem remansisse apographum Waddingiano simillimum, cujus item alterum, a notario Apostolico Gildardo du Flos collatum, ad Recollectos Parisienses missum asserit.*

in quibus causas doloris ac lætitiæ

649 *His præmissis, litteras ipsas ex Waddingo transcribo.* Dilecto sibi in Christo F. Gregorio, Ministro fratrum, qui sunt in Francia, cum omnibus fratribus suis et nostris, F. Helias peccator salutem. Antequam loqui incipiam, suspiro et merito; quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus, quia timor, quem timebam, evenit mihi, evenit et vobis; et quod verebar, accidit mihi, accidit et vobis; quia longe a nobis factus est consolator, et qui portabat nos, velut agnos, in brachio suo, peregre profectus est in regionem longinquam.

Dilectus

A Dilectus Deo et hominibus receptus est ad lucidissimas mansiones, qui legem vitæ et disciplinæ docuit Jacob, et testamentum pacis tradidit Israel. Gaudendum nimis est propter eum; sed dolendum nobis, quos, ipso absente, circumdant tenebræ, et operit umbra mortis. Commune damnum, sed meum singulare periculum, quem in ipso tenebrarum medio dereliquit multis occupationibus circundatum, et oppressum flagellis innumeris. Propterea deprecor, dolete mecum, fratres, quia ego nimis doleo, ex condoleo vobis, quoniam pupilli sumus absque Patre, et orbati lumine oculorum nostrorum.

eum brevi Sancti elogio exponit,

630 Vere, vere lumen erat præsentia fratris et patris nostri Francisci, non solum nobis, qui eramus prope, sed et his, qui longe erant a nobis professione et vita. Erat enim lux a vera Luce emissa, illuminans his, qui in tenebris erant, et in umbra mortis sedebant, ut dirigeret pedes eorum in viam pacis. Quod et fecit, prout verus Meridies oriens ex alto illustrabat cor ejus et accendebat voluntatem igne amoris sui, prædicans regnum Dei, et convertens corda patrum ad filios, et imprudentes ad prudentiam justorum, et in universo mundo paravit Domino plebem novam. Ad insulas longe divulgatum est nomen ejus, et miratæ sunt uni-
B versæ terræ mirabilia opera ejus. Propterea nolite, * filii et fratres, tristari, quod excedat modum; quoniam orphanorum pater Deus consolabitur nos consolatione sua sancta : et si fletis, fratres, super vos ipsos flete, non super illum : nam media vita in morte sumus; ipse vero transiit de morte ad vitam. Jocundamini, quia, antequam tolleretur a nobis, tanquam alter Jacob, omnes filios suos benedixit, et omnibus remisit culpas, quæ in eum factæ fuissent, vel cogitatæ ab aliquo nostrum.

memoratque illius stigmata sacrique cadaveris pulchritudinem,

631 Et his dictis, annuncio vobis gaudium magnum et miraculi novitatem. A sæculo non est auditum tale signum, præterquam in Filio Dei, qui est Christus Deus. Non diu ante mortem Frater et Pater noster apparuit crucifixus, quinque plagas, quæ vere sunt stigmata Christi, portans in corpore suo. Nam manus ejus et pedes quasi puncturas clavorum habuerunt ex utraque parte confixas, reservantes cicatrices, et clavorum nigredinem ostendentes; latus vero ejus lanceatum apparuit, et sæpe sanguinem evaporavit. Dum adhuc vivebat spiritus in corpore, non erat in eo aspectus sed despectus vultus ejus, et nullum membrum in eo remansit absque nimia passione. Ex contractione nervorum membra ejus rigida erant, sicut solent esse hominis mortui, sed post mortem ejus pul-
C cherrimus aspectus est, miro candore rutilans, lætificans videntes; et membra, quæ prius rigida erant, facta sunt mollia nimis, sese vertentia huc atque illuc secundum positionem suam, tanquam pueri delicati. Ergo, fratres, benedicite Deum cœli, et coram omnibus confitemini illi, quia fecit nobiscum misericordiam suam : et habete memoriam patris et fratris nostri Francisci ad laudem et gloriam ejus, qui magnificavit eum inter homines, et coram angelis glorificavit illum. Oretis pro ipso, sicut antea a nobis postulavit, et ipsum orate, ut Deus nos cum ipso efficiat suæ gratiæ sanctæ participes. Amen.

et preces omnibus suis indicit :
** al. et*

632 Quarto Nonas Octobris, die Dominica, prima hora noctis præcedentis pater et frater noster Franciscus migravit ad Christum. Vos ergo *, charissimi fratres, ad quos literæ præsentes pervenerint, Israelitici populi sequentes vestigia, deplorantis Moysen et Aaron, inclytos duces suos, viam demus lachrymis, tanti Patris solatio destituti. Licet enim pium sit congaudere Francisco, pium est tamen flere Franciscum. Revera pium est congaudere Francisco; quoniam ipse non obiit, sed ad cælestes nundinas abiit, saccum pecuniæ secum ferens, et in plenilunio reversurus. Pium est flere Franciscum; quoniam, qui egrediebatur et ingrediebatur, tanquam Moyses et Aaron, et ferens nobis de thesauro suo nova et vetera, et consolans nos in omni tribulatione nostra, de medio nostri sublatus est, et nunc pupilli dicimur absque patre. Sed quoniam scriptum est : « Tibi derelictus est » pauper, orphano tu eris adjutor; » omnes, fratres charissimi, oretis instanter, quod, si laguncula testea confracta est in valle filiorum Adam, summus tamen ille Figulus aliam honorificam restaurare dignetur, quæ sit super multitudinem gentis nostræ, et nos, sicut verus Machabæus, antecedat ad prælium. Et quia non est superfluum orare pro mortuis, pro anima ejus oretis ad Dominum. Quilibet sacerdos dicat tres Missas, singuli clerici Psalterium, laici quinque PATER NOSTER, clerici dicant solemniter vigiliam in communi. Amen. Frater Helias peccator.

AUCTORE C. S.

633 *Hactenus epistola, quæ licet forte primum data fuerit post* S. Francisci *sepulturam, visum tamen mihi fuit, eam hic recitandam, quia de sola ejus morte meminit, nec alibi opportunius poterat recenseri. Mira sacri corporis pulchritudo in eadem asserta, sequenti* § *confirmabitur. Ceterum mirandum non est, quod preces indicantur pro anima, de cujus cælesti gloria tam manifesta habebantur indicia : id enim duplici ex causa fieri potuit : nempe tum, quia Sanctus ipse vivens ita fieri mandaverat, ut observat Elias; tum quia Apostolica Sedes pro ejusdem sanctitate et gloria cælesti nondum pronuntiaverat. At dubium mihi est, an non duæ epistolæ in unam hic constatæ sint. Ratio est, quod prima ejus pars, quæ non secus atque altera, in fine numeri* 631 *in voce* Amen *terminatur, multo elegantioris ac purioris stili sit, quam secunda, adeo ut diversi scriptoris esse possit videri; quodque in hac causæ in* S. Francisci *obitu lugendi lætandique parum opportune repetantur, quæ in priori jam erant elegantius expositæ. Eodem tamen modo, quo apud Waddingum, exstat etiam apud Spoelberchum, qui si illam, ut asserit, revera ex Eliæ autographo acceperit hoc meum qualecumque dubium libens depono.*

circa quæ pauca observantur.

E

§ XXIX. Assignantur annus, diesque mensis ac hebdomadæ, et ætas, qua Sanctus obiit : alaudæ sacro funeri applaudunt : accurrunt Assisienses : corpus, dum fertur Assisium, S. Claræ et sociabus ejus ostenditur : Assisii in ecclesia S. Georgii tumulatur.

De tempore obitus sic loquuntur passim biographi,

F

E*mortualem* S. Francisci *annum et mensem accurate annotarunt omnes biographi; sed de die pro suo Italico computandi more sic locuti fuere, ut exteris in eo errandi occasionem dederint, imo etiam Francisco Pagio illius mortem toto anno præmaturandi. Thomas Celanensis in Vita num.* 88 *sic ait :* Anno siquidem Dominicæ Incarnationis MCCXXVI, XIV Indictione, IV Nonas Octobris, die Dominico, beatissimus pater noster Franciscus,.... expletis viginti annis, ex quo perfectissime adhæsit Christo,... egressus de carnis ergastulo, ad cælestium spirituum mansiones... felicissime convolavit. *Tres Socii in Appendice num.* 68 *sic :* Post viginti autem annos, ex quo perfectissime Christo adhæsit, apostolicam vitam et vestigia sequens, apostolicus vir Franciscus anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVI, IV Nonas Octobris, die Dominico, felicissime migravit ad Christum. *Currebat ea anno mensque Indictio* 14 *Pontificia, a Celanensi assignata; erat dies* 14 *Nonas Octobris dies Dominicus, ut liquet ex littera Dominicali* D; *convenitque tempus ab inchoata austeriori vita repetitum.*

quasi is incidisset in diem Dominicum concurrentem eum 4 Octobris;

635 *Ad hæc Gregorius IX summus Pontifex in bulla canonizationis anno* 1228 *edita annuam* Francisci *festivitatem* IV Nonas Octobris die videlicet (*verba Gregorii sunt*) quo a carnis ergastulo absolutus ad ætherea regna pervenit, *jussit celebrari; uti etiam observarunt Celanensis num.* 126 *et Tres Socii num.* 71. *Qui hæc sola consideraverit, non dubitabit, quin* S. Francisci *felix obitus inciderit in* 4 *Nonas*

AUCTORE C. S.

4 Nonas Octobris, sive in diem 4 ejusdem mensis, quo etiam in Romano ceterisque fere Martyrologiis memoria illius inscripta est et annuo Officio ecclesiastico recolitur. Verum uno in loco paulo aliter loquitur biographus secundus, ita inquiens : Transiit autem idem venerabilis Pater ex hujus mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto et quarto Nonas Octobris die Dominico sepultus, ut dictum est, in civitate Assisii. *Ambiguum est, an hæ voces* et quarto Nonas Octobris die Dominico *ad Sancti obitum, an ad sepulturam ex scriptoris mente referendæ sint.*

sed ex Bonaventura discimus, incidisse in Sabbatum

656 *Præter loquendi modum ambigendi ratio est, quod ex omnibus biographis constet,* S. Franciscum *postridie obitus sui sepultum fuisse, quodque S. Bonaventura in Vita num.* 219 *verbis ejusdem biographi sic usus sit, ut mortem* Sabbato, *sepulturam* diei Dominico *illigaverit. Hunc igitur audiamus.* Transiit autem venerabilis Pater ex hujus mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto Nonas Octobris die Sabbati in sero, sepultus in die Dominico. *Hic ergo illas secundi biographi voces* quarto Nonas Octobris *ad Sancti mortem retulit, istas vero* die Dominico *ad sepulturam. Quod autem diei tempus indicatum voluerit per voces* in sero, *manifestum fit ex eadem Vita num.* 214, *ubi sanctus doctor tradit, alaudas* hora transitus sancti Viri, cum jam esset noctis sequuturæ crepusculum, *supra tectum, ubi ille obiit, volatu cantuque suo illius funus celebrasse. Quam ob rem ex Bonaventuræ sententia dicendus* Franciscus *est obiisse die Sabbato vesperi, dum post solis occasum nocturnæ tenebræ jam ingruerent.* B

vesperi, ut etiam habet Pisanus, faveique Elias.

657 *Bonaventuram secutus Pisanus lib.* III, *Conformitate* 4, *parte* II *mortis ac sepulturæ tempora sic expressit :* Transiit autem venerabilis pater Franciscus ex hujus mundi naufragio ad Dominum MCCXXVI, quarto Nonas Octobris, Sabbato de sero, anno a sua conversione XX, et ab impressione stigmatum biennio elapso, et sepultus est die Dominico. *Alium quidem hebdomadæ diem nominavit, sed idem diei tempus aliis verbis signavit Elias,* S. Francisci *vicarius ac successor, in Epistola, quam de ejusdem obitu ad fratres suos in Francia ab eo datam supra recensui, in qua dicitur :* Quarto Nonas Octobris die Dominica, prima hora noctis præcedentis, pater et frater noster Franciscus migravit ad Christum. *Ad cum hic quoque, qui verum mortis diem nequiit ignorasse, uti nec ceteri biographi (secundo forte excepto)* diem Dominicum *pro emortuali assignaverit, inquirendum est, cur solus Bonaventura, et post ipsum Pisanus* Sabbatum *dixerint. Ratio petenda est ex more Italorum dies suos civiles computandi.* C

Hæc discrepantia oritur ex variis modis

658 *Itali enim civilem diem ordiuntur pridie a solis occasu, et per viginti quatuor horas productum cum sequenti occasu solis terminant; tuncquo denuo sequentem diem computare incipiunt. Hinc factum est, ut Celanensis Tresque Socii, qui Itali erant et in Italia scripsere, eam partem diei, quæ more alibi in Europa communius recepto usque ad horam duodecimam nocturnam postrema pars erat diei quinti Nonas Octobris et Sabbati, dixerint* quartum Nonas Octobris *ac* Dominicum. *Verum ne ex hujusmodi die Italico, in duos dies nostrates excurrente, ambiguum maneret, in utram illorum partem mors Sancti inciderit, caute addidit Elias* primam horam noctis præcedentis ; *nimirum quæ, ut monui, more Italico prima subsequentis diei, at nostro communiorique dies computandi modo postrema pars Sabbati erat, hora duodecima nocturna primum complendi. Eadem de causa S. Bonaventura, qui Parisiis in Francia scripsit, rectissime ait :* Transiit..... die Sabbati in sero (*id est,* vesperi *post solis occasum*) et sepultus in Dominico : *nam ex iisdem biographis constat,* Franciscum *postridie obitus sui, sepulturæ traditum fuisse. Consentit Pisanus num.* 657 *relatus, mortem illius in Sabbatum, sepulturam in diem Dominicum incidisse, non minus clare affirmans.*

659 *Restat tamen difficultas, cur idem sanctus doctor et Pisanus, licet more nostro et per Europam communiori sanctum Patrem suum* die Sabbati *mortuum scribant, nihilominus* Sabbatum *componant cum* quarto Nonas Octobris, *qui dies ex eodem nostro computandi modo nonnisi a completa subsecuta hora duodecima nocturna simul cum die Dominico currere cœpit. Suspicatus, mendum esse in editione Sedulii, consului etiam alias, sed eodem modo habent editiones Surii, Waddingi, et Vaticana anni* 1596, *uti et codex noster Ms., nec alibi aliter reperi. Certum tamen est, totum Sabbatum, de quo agimus, secundum nostrum loquendi modum, quem ibidem secutus Bonaventura est, non in* quartum, *sed in* quintum Nonas Octobris *incidisse. Verisimile est, sanctum scriptorem, (ut facile fit) diem* quartum Nonas Octobris *ex antiquis Vitis nihil suspicantem Operi suo inseruisse. Sabbato illum vita functum esse, etiam dicunt Waddingus in Annalibus ad hunc annum num.* 37, *et Chalippus, qui vesperam addit, in Vita Gallica tom. II, pag.* 342, *retento tamen utrobique* quarto Nonas Octobris, *seu* die quarto Octobris, *atque confuso utroque modo loquendi, Italico scilicet ac communiori Europæo.* D

dies civiles inchoandi; at nostro modo loquendi

Sanctus obiit die 3 Octobris, qui anno 1226 Sabbatum erat.

660 *Ne longior sim, ex allegatis indubitatum est, felicissimum* S. Francisci *ex hac calamitosa ad beatam æternamque vitam transitum contigisse anno* 1226, *et, si Italos in computandis diebus civilibus sequaris, die* 4 *Octobris ac Dominico, hora prima noctis præcedentis; si vero receptiori per Europam methodo inhæreas, eodem anno die* 3 *Octobris, Sabbato vesperi post occasum solis. Eodem modo exponendi sunt Gregorius IX, dum in bulla canonizationis illius velut rationem assignans, cur festun ejus* quarto Nonas Octobris *affigat, subdit :* Die videlicet, quo a carnis ergastulo absolutus ad ætherea regna pervenit ; *ac Tres Socii et Celanus, dum hunc bullæ locum allegant. Porro cum Ecclesiastica festa incipiant a primis vesperis, festum* S. Francisci *etiam secundum nostrum computandi modum inchoatur die, quo obiit, sive die* 3 *Octobris, cujus vespera post solis occasum more Italico initium est diei quarti ejusdem mensis. Eæ eadem Gregorii constitutione ejusdem Sancti memoria Romano aliisque Martyrologiis ad diem* 4 *Octobris inscripta est : inter auctoria tamen Usuardina apud Sollerium nostrum unus est codex Ms., olim serenissimæ reginæ Sueciæ, notatus num.* 428, *in quo pridie, sive ad diem* 3 *Octobris annuntiatur hoc modo :* Item ipso die, sancti Francisci confessoris. E

Franciscus Pagius ad hos modos non advertens,

661 *Franciscus Pagius, Ordinis Minorum Conventualium, in Breviario Pontificum Romanorum tom. III, pag.* 260, *cum legisset in Vita per Bonaventuram scripta,* S. Franciscum *obiisse* quarto Nonas Octobris, die Sabbati in sero, *sepultumque* in die Dominico; *idque etiam expresse tradi a Matthæo Parisiensi in Historia Angliæ, et a Gregorio IX in laudatis litteris canonizationis, statuit, ejusdem Sancti mortem toto anno citius reponendam esse, sic autem arguit :* Cum itaque constet, ejus obitum contigisse die quarto Octobris in Sabbato, necessario conjungendus est cum anno MCCXXV, quo dies quartus Octobris concurrebat cum Sabbato; anno autem sequenti MCCXXVI concurrebat cum die Dominica : ex quibus sequitur, errorem irrepsisse in textum S. Bonaventuræ, in quo annus MCCXXVI legitur. Character enim Sabbati, et in eo et in Matthæo Parisio expressus, rem extra omne dubium ponit. Ad quem errorem, mirum est, Waddingum, auctorem diligentem, animum non advertisse. F

mortem Sancti toto anno maturavit.

662 *At longius aberravit Pagius, quam Waddingus, qui minoris accurationis solum insimulari hic potest, quod non adverterit, monueritve lectorem, diem* quartum Nonas Octobris *apud S. Bonaventuram et Antoninum, quos ibidem nominatim laudavit, explicandum more Italico, ut supra ostendimus. Si hoc ipsemet advertisset Pagius, minime affirmasset, apud Bonaventuram annum* 1225 *reponendum esse pro* 1226, *quem etiam tota* S. Francisci *chronotaxis exigit, quemque ante Bonaventuram Thomas Celanensis, auctor Vitæ secundæ, Tresque Socii, ac post ipsum*

A *ipsum Bartholomæus Pisanus et S. Antoninus, aliique signarunt. Ad hæc incidit quidem anno* 1225 *Sabbatum in diem* 4 *Octobris; sed quo pacto cum hoc anno componi poterunt dicta laudatorum biographorum fratrisque Eliæ, qui non minus* diem Dominicum, *quam* quartum Nonas Octobris, S. Franciscо *emortualem assignant, quosque S. Bonaventura, non corrigendos, sed explicandos putavit, mortem illius Sabbato, sepulturam Dominico pro nostro ac Francorum more loquendi affigendo? Sane vel secundum illos ex sententia Pagii dicendus erit* Franciscus *obiisse die Dominico, et feria secunda sepultus; vel apud eosdem non solum annus, verum etiam hebdomadæ dies erunt mutandi. Hoc autem nec chronotaxis, nec biographorum consensus permittit; satisque ostensum reor, quo modo illi sint exponendi.*

Obiit autem anno ætatis suæ quadragesimo quinto,

663 *Nunc aliqua de ætate, in qua Sanctus obiit, addamus. Celanensis num.* 2 *Vitæ scribit, illum* fere usque ad vigesimum quintum annum ætatis suæ tempus suum miserabiliter *perdidisse; num. autem* 88, *mortuum esse* expletis viginti annis, ex quo perfectissime adhæsit Christo; *seu, ut loquitur num.* 119, vigesimo conversionis suæ anno; *ex quo posteriori loco liquet, non esse necessario hosce viginti annos pro completis habendos, uti videri posset ex priori. Agebat ergo* S. Franciscus *annum ætatis*

B *suæ quadragesimum quintum, quando ad laborum suorum mercedem ex hac vita migravit, ut habet communis sententia, ac diserte etiam tradunt Pisanus supra num.* 637, *et S. Antoninus part.* III, *tit.* XXIV, *cap.* 7, § 6, *ubi cum etiam alias notas chronologicas accurate addiderit, ejus verba hic recito.* Anno autem Domini MCCXXVI, IIII Nonas Octobris, Pontificatus domini Honorii III anno XI, ætatis vero suæ, scilicet beati Francisci, XLV anno, a prima conversione anno XX, ab institutione Religionis XVIII, ex quo scilicet cœpit habere fratres, post diutinam infirmitatem et gravissimos dolores ex hoc seculo migravit ad cœlum.

quæ ætas cum chronotaxi nostra recte cohæret.

664 *Libet hic paucis observare, quam bene allegatæ notæ temporum conveniant cum nostra chronotaxi. Num.* 34 *et sequenti dictum est,* S. Franciscum *verisimilius natum esse anno* 1182; *Honorius III Innocentio item III in Pontificatum suffectus fuit mense Julio anni* 1216; *rursum in Commentario* § 7 Francisci *conversio inchoata dicitur anno* 1206; *primorum Sociorum ad ipsum accessio relata est ad annum* 1209. *Hisce singulis epochis adde annos incompletos, a S. Antonino singulis adscriptos, omnes deducent ad tempus emortuale, seu ad annum* 1226, *cujus Octobris die* 4 *more Italico, seu secundum nostrum computandi modum, die* 3 S. Franciscum

C *mortuum esse, probavimus. Sed de his modo satis, pergamus ad ea, quæ tam beatum obitum subsecuta fuere.*

Alaudæ applaudunt mortuo : accurrunt Assienses,

665 *Solus ex antiquis biographis Bonaventura prodigium alaudarum, velut* S. Francisco *gratulantium, refert in Vita num.* 214, *et sua auctoritate historice certum facit. En verba.* Alaudæ, aves lucis amicæ, et crepusculorum tenebras horrescentes, hora transitus sancti Viri, cum esset noctis secuturæ crepusculum, venerunt in multitudine magna super tectum domus (*ubi scilicet obierat*) et diu cum insolita quadam jubilatione rotantes, gloriæ Sancti, qui eas ad divinas laudes invitare solitus erat, tam jocundum, quam evidens, testimonium perhibebant. *Hæc de alaudarum obsequio et applausu apud alios omissis sanctus doctor, qui deinde ad sacrorum stigmatum, tunc omnium intuentium oculis ac palpantium manibus expositorum, descriptionem progreditur; uti etiam faciunt Thomas Celanensis cap.* 4, *et ex illo secundæ Vitæ scriptor, præmissa tamen mentione de accursu Assisiensium, simul ac illius mortis nuntius ad eos pervenit. Secundi biographi verba subnecto.*

spectatur corpus quinque stigmatibus insignitum

666 Factus est itaque (*audito Sancti e vivis excessu*) concursus populorum civitatis Assisii, Deum unanimi jocunditate laudantium, eo quod tantum illis dignaretur commendare depositum. Erat autem primitus pro tanti Patris subtractione planctus filiorum non modicus, qui non multo post in lætitiæ canticum est conversus. Videbant namque novum illud, quod fecerat Dominus super terram; videbant, inquam, non planctu, sed plausu dignum miraculum, sacrum videlicet corpus, Christi stigmatibus decoratum. Aspiciebant membra ejus, morbida prius et rigida, jam tractabiliter pro tangentis se voluntate flectentia; carnem quoque, duram prius et lividam, veluti pueri teneritudine jam resumpta, mirando candore nitentem, et quasi carnis glorificatæ speciem præ decoris magnitudine prætendentem. Gloriosum erat tunc in carne tam candida videre similitudinem fixuræ clavorum, immo nigros, ut ferrum, clavos ex ipsa carne formatos in medium * pedum et manuum, dextrumque latus illius sacro sanguine rubricatum. Lacrimabantur itaque filii præ gaudio cordis, et osculabantur in Patre signacula summi Regis.

AUCTORE C. S.

* *an* in medio?

ac mirabiliter decorum.

667 *Vide hæc eadem elegantius ac prolixius exposita apud Celanum loco supra laudato, ubi etiam tradit, visum esse* vultum ejus, quasi vultum angeli; quasi viveret, non quasi mortuus esset. *Lege quoque Tres Socios in Appendice ad Vitam primam num.* 70, *sanctumque Bonaventuram in Vita cap.* 13, *quorum verba jam recensui in hoc Commentario* § 24, *ubi de sacris stigmatibus copiose disserui. E plurimis secularibus, quibus sacrum* Francisci *corpus tunc oscu-* E *lari et stigmata tractare manibus concessum fuit, Waddingus unam nominat nobilem matronam, Jacobam de Septemsoliis, aitque, illud panno ab illa hunc in finem allato, seu tunica ex eodem facta, ad sepulturam indutum fuisse; quod non difficulter admitti potest, etiamsi pro suspectis habeamus, quæ de obsequiis eidem Sancto ægrotanti ab illa præstitis sine satis idoneo teste narrari, dictum est* § 27. *Certiora ex Vita secunda pergo recitare.*

Postero mane magna cum pompa fertur versus Assisium,

668 Facta est igitur nox illa, in qua Sanctus decessit, in divinis laudibus, in multitudine populi et luminarium claritate sollempnis, donec mane facto, cum universis, qui ex circumjacentibus locis copiose confluxerant, illic civitatis Assisii communitas tota (*et* cum omni clero, *ut addit Celanensis*) convenit, *nempe ad conventum S. Mariæ in Portiuncula, ut sacrum corpus in civitatem suam sollemni cum pompa deferrent ac sepelirent. Verisimiliter ita illi properarunt, ne tantus thesaurus extra civitatem relictus pateret cupiditati vicinorum, quibus forte religio non esset, illum sibi comparare.* Sublatum autem (*subdit biographus*) sacrum corpus, *arcæ, ut videbimus, inclusum,* cum hymnis et landibus, tubarumque clangoribus honorifice detulerunt, et sacras exequias solempniter exequentes, ramos arborum nichilominus in manibus acceperunt. *Bo-* F *naventura eamdem funebrem pompam num.* 219 *referens, de* arborum ramis et cereorum multiplicatis luminibus *pariter meminit, at non de* tubis, *quas, ut cetera omnia memoravit Thomas Celanensis, adeo ut hæc Sancti ad civitatem suam reductio, non tam funeris, quam triumphalis accessus speciem prætulerit.*

per viam S. Claræ et sociabus ejus ostenditur.

669 *Sacrum funus cum secundo biographo prosequamur :* Portantes autem filii pium Patrem, ad ecclesiam sancti Damiani, quam primam, ut dictum est, ipse construxerat (*seu reparaverat*) substiterunt; eumque filiabus ipsius (*decem tunc fuisse, notavit Celanensis*) quas ibidem primo plantaverat, pauperibus videlicet dominabus et sacris virginibus, ostenderunt. *Modum, quo hæc sacris illis virginibus sanctum Patrem suum postremum videndi copia facta fuit, exponit Celanensis in Vita num.* 116, *dicens :* Aperta est fenestra parvula, per quam ancillæ Christi constituto tempore communicare solent Dominici Corporis Sacramento; aperta est arca, in qua portabatur *corpus* S. Francisci. *Hæc ille; at sequentia rursum ex Vita secunda sunt.* Et ecce pia mater illarum, prima scilicet illius Religionis planta, re Clara et nomine, ad videndum corpus dilectissimi Patris cum filiabus admissa, cœpit miserande nimium plangere super illam; nimirum cui ex cunctis mortalibus tam irrecu-

AUCTORE C. S.

perabile subtrahebatur solatium. Sed et ceteræ, quantum pudori virgineo licuit, complanxeruut; tandemque singulæ manus illius pretiosissimis gemmis (*id est, sacris stigmatibus*) ornatas deosculatæ sunt : et sic efferendum, prout oportuit, cum dolore permaximo dimiserunt. *Consentiunt Celanensis et S. Bonaventura, qui suis locis consuli possunt.*

An ipsa tunc clavum e manu evellere conata est?

670 *At Waddingus duo hic addidit; ac in primis, impletum tunc fuisse* S. Francisci *vaticinium, quo in supremo morbo suo a S. Clara ejusque sociabus rogatus, eas per litteras consolans, spoponderat, fore ut ab illis etiam videretur; uti præmiserat Annalista ad eumdem annum num.* 21, *laudans Speculum cap.* 100 *et Legendam antiquam, mihi ignotam. Alterum ibidem num.* 42 *narrat his verbis :* Laboravit autem primiceria Clara, *dum sacrum corpus, sicut dictum est, in ecclesia S. Damiani spectabat*, pro extrahendo uno clavorum, qui prominebant ex palmis, nec potuit : intinxit tamen sanguine linteolum, et mensus * sancti Patris corpus, ad cujus staturam postea curavit fieri quoddam receptaculum ad tribunæ dorsum, ubi et ejus imaginem fecit depingi. *Non docet Waddingus, unde hæc acceperit, nisi forte ex Mariano, quem ad præcedentem numerum in margine notavit. In Vitis nostris nihil tale legere est; neque scio, qua ista auctoritate nitantur.*

* mensa est

B *Id solum observo, in nulla ex illis Vitis mentionem fieri de sanguine e sacris* Francisci *stigmatibus post ejusdem obitum emanante.*

Sacrum corpus defertur in civitatem, et deponitur in ecclesia S. Georgii,

671 *Pauca supersunt, quæ de sacro funere ad sepulturam usque biographi præterea tradidere. Noster secundus hæc habet :* Tunc perlatum est in civitatem corpus sanctissimum, et in loco, ubi primum litteras Puerulus ipse didicerat, ubique postmodum prædicaverat, primitus est sepultum; ut convenienter felix initium, medium felicius, ac felicissimam consummationem per hoc sibi confluxisse pateret in unum gloriæ cumulum. *Breviter quoque Celanensis de sepultura ait :* Pervenientibus denique omnibus ad civitatem cum jucunditate magna et exultatione, in sacro loco, sed sacriori de cætero, posuerunt sanctissimum corpus; ubi ad gloriam summi omnipotentis Dei novorum multiplicitate miraculorum mundum illuminat, sicut hactenus eum in sanctæ prædicationis doctrina mirabiliter illustravit. Deo gratias. Amen. *Sequitur hic pia Thomæ Celanensis ad sanctum Patrem suum, a quo in Ordinem admissus fuerat, apostrophe, qua liber secundus clauditur. Verum observa, dum hæc ille scripsit, corpus* S. Francisci *adhuc jacuisse in primæ suæ sepulturæ loco, ex quo illud anno* 1230 *ad aliam ecclesiam translatum fuisse, infra ostendam.*

C

ubi ille primo didicerat litteras, ac primo prædicaverat.

672 *Ex secundæ Vitæ verbis mox datis utcumque dubitari potest, utrum vox* primitus *ad priora, an ad posteriora verba referenda sit, seu an* S. Franciscus *ibi dicatur in eadem civitatis Assisii ecclesia, in qua primum litteras didicerat, etiam primam concionem suam habuisse, an primam obtinuisse sepulturam. Dubium tollit Celanensis in Vita num.* 23 *sic scribens :* Mirum est dictu certe; quia cœpit ibi primitus prædicare, ubi, cum adhuc esset infantulus, didicerat legere; et in quo etiam loco honorifice sepultus est. *Consonat S. Bonaventura, qui præterea nomen ecclesiæ a prioribus prætermissum (nam neque apud Tres Socios hac super re quidquam legitur) solus tradidit in Vita num.* 219, *ubi ait :* Pervenientes denique ad civitatem cum jubilo, pretiosum thesaurum, quem portabant, in ecclesia S. Georgii cum omni reverentia condiderunt. In eo siquidem loco Puerulus litteras didicit, ibique postmodum primitus prædicavit; postremo ibidem locum primum quietis accepit.

D

§ XXX. Gregorius IX Papa inquiri jubet in gesta et miracula Francisci : canonizationem decernit Perusii, et sollenniter exsequitur Assisii, diemque festum annuum indicit : Litteræ hac super re ab eodem datæ.

Innocentio III et Honorio III, in S. Franciscum benignis,

Tertium, *qui et ultimus est Vitæ* S. Francisci *liber, Thomas Celanensis orsus est ab illius sollenni canonizatione, anno* 1228, *id est, biennio post ejusdem obitum, facta Assisii per Gregorium IX, tunc summum Pontificem, qui, dum Cardinalis Ostiensis esset,* Hugo *et* Hugolinus *dictus, illi fuerat amicissimus, ejusdemque Ordinis primus egerat protectorem auctoritate Pontificia constitutum. Ab eadem etiam biographus secundus ultimum Vitæ caput inchoavit, præmissis tamen nonnullis, quæ de tempore emortuali supra dedi, ac paucis etiam repetens, quæ de summorum Pontificum erga eumdem Sanctum benevolentia per decursum Vitæ retulerat.* Cœperat autem (*inquit*) cursum suum Vir iste beatus sub illustri viro, domino Papa Innocentio III, quem feliciter sub ejusdem successore domino consummavit Honorio. Quorum prior, sicut in omnibus Viro Dei, ut supra dictum est, de Ordinis institutione consensit; sic et alter, ut in Regula tangitur, omnia eidem Francisco benigne postmodum confirmavit.

E

suffectus Gregorius IX, motus frequentia miraculorum

* hortulanus

674 Quibus salubriter dominus Gregorius Papa succedens, qui videlicet in minori officio constitutus novellam ejusdem Religionis plantationem ab evellentium importuno impulsu defenderat, et, donec firmiter radicaret, nutrierat, ac videlicet fidelissimus ortulanus * ad multimodum cum Dei adjutorio fructum provexerat, ipsum Patrem sanctissimum, non solum innumeris et probatis famosum miraculis, verum etiam cujus miraculosam conversationem sensibiliter ipse cognoverat, amplius magnificandum duxit in terris, quem glorificatum jam non dubitabat in cælis. *Hujus narrationi inserenda hic sunt, quæ ab ipso ad finem festinante prætermissa aliunde novimus. Celanensis lib.* III, *cap.* 1 *multa generaliter præmisit de frequentia miraculorum, populorumque magna de* Francisco *existimatione, quæ ad ejusdem canonizationem maturandam plurimum contulerunt. Ut multa paucis complectar, inter alia ait :* Veniunt ab Oriente et Occidente, veniunt a Meridie et Septemtrione, qui ejus patrocinio sublevati, hæc ita fore, comprobent testimonio veritatis. *Franciam nominatim appellat plurimorum testem, ubi* capitale, *seu cervical, quo* Franciscus *in infirmitate sua usus fuerat, jam tum magno in honore habitum, piisque regis, reginæ et optimatum osculis honoratum fuisse, affirmat.*

F

et nota illius sanctitate, in illa jubet inquiri,

675 *Nil mirum, si Gregorius IX, qui ex familiari* Francisci *usu et intima conjunctione sanctitatem ejus probe perspectam habebat, frequentia miraculorum facile motus fuerit, ut ad processum canonizationis illius procederet. Verum interim ille a factiosis Romanis, qui Frederici II imperatoris partibus studebant, compulsus est Roma excedere; quod ejus temporis chronologi in festis Paschalibus anno* 1228 *factum scribunt. Profectus tunc est, teste Celanensi, ad civitatem Reatinam, atque hinc Spoletum, utrobique, ut æquum erat, honorifice exceptus. Post paucos dies se contulit Assisium, ubi* Francisci *sepulcrum pie veneratus, miracula ejus examinari mandavit.* Mox, *ut habet Celanensis,* concurrunt undique multi, qui per Sanctum Dei fuerant a suis cladibus liberati, et miraculorum maxima multitudo hinc inde coruscant, approbantur, verificantur, audiuntur, recipiuntur. *Inter hæc Pontificem nova causa Perusium evocavit; nec tamen ille cœptum intermisit, sed, ut Celanensis verbis utar, ibi super eadem* in camera domini Papæ venerabilium Cardinalium celebratur sacer conventus. Concordant et dicunt ad ipsum omnes; miracula legunt

et

A et plurimum venerantur, summisque præconiis vitam beati Patris et conversationem extollunt. Ideoque, Non indiget, inquiunt, miraculorum attestatione Sanctissimi vita sanctissima, quam oculis nostris vidimus, contrectavimus manibus, magistra veritate, probavimus.

et canonizationem illius decernit Perusii:

676 *Non tamen omissum fuit diligens miraculorum examen, ut manifestum est tam ex præmissis, quam dicendis; imo* S. *Bonaventura in Vita num.* 221 *addit, hoc commissum fuisse Cardinalibus, quorum fides ex peculiari in* Franciscum *aut Ordinem Minorum benevolo affectu non poterat esse suspecta. Sic enim ait:* Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione Viri sanctissimi, inventa miracula et scripta et testibus idoneis approbata, examinari fecit (*Gregorius IX*) per illos, qui minus inter Cardinales favorabiles negotio videbantur. *Post miraculorum discussionem probationemque processus ad finem perductus Perusii fuit, ibidemque decreta sollennis* Francisci canonizatio. *Hac de causa, existimo, Benedictus XIV in suo erudito Opere de Servorum Dei beatificatione etc. lib.* I, *cap.* 36, *num.* 2 *scripsit, Gregorium IX hanc canonizationem* in civitate Perusina *fecisse. His tam feliciter peractis Perusii, Pontifex cum curia sua reversus Assisium est, ca-*
B *nonizationis sollennia ibidem celebraturus in ecclesia S. Georgii, in qua, ut dictum est,* Francisci *corpus tumulatum jacebat. Hæc modo ex secunda Vita referamus verbis, quæ ejus auctor post ea, quæ num.* 674 *dedimus, proxime annexuit.*

deinde Assisium veniens, ipsum Sanctis adscribit

677 Nam anno Dominicæ Incarnationis millesimo CCXXVIII, habito cum Cardinalibus et aliis plurimis ecclesiarum prælatis super ipsius Sancti canonizatione tractatu, cum totius curiæ Romanæ frequentia et omnium prælatorum, qui tunc penes eandem curiam residebant, nec non et principum terræ, et infinita populi multitudine, personaliter a civitate Perusina ad sepulchrum illius accessit, eumque glorifice cum Missarum mysteriis et exhortatione sermonis, miraculorum recitatione, indumentorum gloria, luminarium rutilatione, campanarum sonitu, tubarum clangoribus, laudantium concentu et jubilo, lætantium applausu et tripudio, necnon et maximis, quæ longum foret enarrare, sollempniis, de communi universorum consensu, cathalogo Sanctorum adscripsit, ejusque festivitatem die obitus sui, id est, quarto Nonas Octobris, universaliter per totius mundi partes sollempniter celebrandam instituit ac mandavit; sicut et ipse suis postmodum litteris declaravit. Facta est autem hæc ipsa beati Francisci canoni-
C zationis præclara sollempnitas die Dominico, die Kalendarum Augusti XVII.

cum magna solennitate, cujus modus

678 *Hæc pluribus exposuit Thomas Celanensis, qui inter alia docet, Pontificem sermonem suum exorsum esse ab illis ex Ecclesiastico verbis cap.* 50, ℣ 6 *et* 7: Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna in diebus suis plena, et quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei. *Sermone expleto, ait, miracula, quæ ante discussa probataque fuerant, alta voce populo prælecta esse ab* uno e subdiaconibus domini Papæ, nomine Octaviano, *qui apud Waddingum* Octavianus Cardinalis diaconus, consobrinus Innocentii III... tituli SS. Sergii et Bacchi *dicitur; ac deinde a* Ramario *diacono Cardinale* (*puto,* Raynerium Capoccium *hic designari*) *eleganti sermone ibidem publice commendata; Gregorio interim cum iisdem præ gaudio suspiriis piisque lacrymis indulgente. Miracula illa idem Celanensis recitat libro* III *Vitæ cap.* 2 *et sequenti, ubi illa dabimus. Verba autem, quibus Pontifex in* Francisco *Sanctis adscribendo tunc usus fuit, sic recitat:* Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et gloriosæ Virginis Mariæ, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et ad honorem gloriosæ Ecclesiæ Romanæ, beatissimum patrem Franciscum, quem Dominus glorificavit in cælis, venerantes in terris, consilio fratrum nostrorum et aliorum prælatorum, in catalogo Sanctorum decernimus adnotandum, et festum ejus die obitus sui celebrari.

AUCTORE C. S.

ac præcipua adjuncta referuntur.

679 *Subdit Celanensis, his dictis, Cardinales una cum Papa in hymnum* Te Deum laudamus *prorupisse, populo lætis vocibus succlamante. De Missa quoque ab illo in hac sollennitate celebrata expresse meminit his verbis:* Descendit denique de solio excelso felix Papa Gregorius, et per inferiores gradus ad offerenda vota et sacrificia sanctuarium intrat, tumbamque continentem sacrum et Deo dicatum corpus felicibus labiis osculatur; offert et multiplicat preces, celebratque mysteria. *Si has Vitas legisset illustrissimus Phœbeus, archiepiscopus Tarsensis et olim Congregationis sacrorum rituum secretarius, a Benedicto XIV lib.* I, *cap.* 36, *num.* 23 *et sequenti eruditi Operis sui de Servorum Dei beatificatione etc. laudatus, non retulisset* S. Francisci *canonizationem inter illas, quæ sine celebratione Missæ a summis Pontificibus peractæ fuerunt. Waddingus, etsi cetera, quæ reluti, canonizationis adjuncta recenseat, de Missa per Pontificem celebrata silet; non alia, opinor, de causa, quam quod neutram Vitam habuerit. Imo hoc ipsemet indicare mihi videtur, dum num.* 1 *in margine laudavit quidem Legendam antiquam et Marianum, sed hunc solum sibi præluxisse potius innuit, sic ordiens:* Celebrem hunc annum reddidit canonizatio S. Francisci, E quam diffuse et ex circumstantiis refert ex Thoma Celano Marianus. Brevius graviora exscribimus. *Waddingum secutus Chalippus est.*

Corpus Sancti non fuit tunc a Gregorio e tumba elatum,

680 *Alterum hujus canonizationis adjunctum memorabile, si verum esset, narrat Albertus abbas Stadensis, scriptor synchronus, in Chronico ad hunc annum* 1228, *quem Krantzius lib.* VIII *Saxoniæ cap.* 4, *et lib.* VII *Metropolis cap.* 43, *aliique secuti fuere. Alberti Stadensis verba accipe:* Papa Gregorius, veniens Assisium, canonizavit ibi in conspectu maximæ multitudinis, quæ de diversis regionibus confluxerat, B. Franciscum, sic dicens alta voce: « Ad laudem et ad gloriam omnipotentis » Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti » *etc., quæ ex Celanensi mox dedi, ideoque hic non repeto. Deinde sequitur:* Statim Cardinales TE DEUM LAUDAMUS incipiunt, et populi in laudes voces depromunt. Papa de solio descendit, et cum Cardinalibus sanctum corpus levavit de tumba. *Qui hæc cum dictis Thomæ Celanensis conferre voluerit, facile agnoscet, hunc præluxisse Stadensi, qui ipsius verba contraxit. Verum apud Celanensem dicitur quidem Pontifex* tumbam continentem sacrum et Deo dicatum corpus felicibus labiis osculatus *fuisse; at non corpus levasse de tumba; quod ultimum nullus quoque ex aliis vetustis nostris biographis tradidit.* F

uti aliqui post abbatem Stadensem crediderunt.

681 *Imo vero oppositum potius probant tum illorum hac super re silentium, tum expressa mentio de piis osculis a Gregorio tumbæ, sacrum corpus continenti, infixis, apud Celanensem facta, tum etiam, quæ infra dicemus de ejusdem sacri corporis translatione biennio post peracta* de loco, ubi prius fuerat sepultum, *ut expresse addunt Tres Socii in Appendice num.* 72: *ex quo loquendi modo verisimilius est,* S. Francisci *corpus non fuisse anno* 1228 *e tumba sua levatum, sed in eadem remansisse usque in annum* 1230, *quo alio translatum fuit. Mihi ex ipsomet laudato Chronico, cum Vitis collato, certum est, abbatem Stadensem ex exiguo illo fere biennii spatio, quod inter canonizationem translationemque intercessit, hanc, non præsente, sed mandante eodem Pontifice institutam, cum illa perperam conjunxisse. Ut ita sentiam, persuadent mihi, quæ ibidem præmiserat in serie Romanorum Pontificum de eodem Gregorio IX dicens:* Hic beatum Franciscum canonizavit, et in die B. Urbani Papæ de tumulo levavit. *Recte sane, si primum ad annum* 1228 *referatur, alterumque de eodem Pontifice mandante dictum ad annum* 1230, *cujus mense Majo die* 23, *qui S. Urbano Papæ martyri sacer est, id factum fuisse, constat ex S. Bonaventura in Vita num.* 222. *Itaque Albertus Stadensis, duo ista, quæ hoc loco sine annis breviter simul annotaverat, deinde ad annum*

AUCTORE C. S.

num 1228 *incaute etiam conjunxit; aliosque, velut scriptor synchronus, sine ulteriori examine sibi facile assentientes habuit.*

Facta est hæc canonizatio anno 1228, 16 Julii, die Dominico.

682 *De loco, anno, mense ac die canonizationis peractæ consonat Thomas Celanensis,* Facta sunt hæc autem, *inquiens,* in civitate Assisii, secundo anno Pontificatus domini Papæ Gregorii, XVII die Kalendarum mensis Augusti. *Successerat Gregorius Honorio III in Pontificatum mense Martio anni* 1227; *ac proinde currebat annus illius secundus mense Julio anni* 1228. *Eosdem æræ Christianæ ac Pontificatus Gregorii annos signarunt Tres Socii in Appendice num.* 71: *Bonaventura vero in Vita num.* 221, *omisso Pontificatus anno, eumdem Christi annum, diemque mensis, quem* Dominicum *fuisse, cum secundo biographo adjunxit. En verba ejus:* Veniensque (*Gregorius*) personaliter ad civitatem Assisii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octavo, decimo septimo Calendas Augusti, die Dominico, cum maximis, quæ longum foret enarrare, sollemaniis beatum Patrem catalogo Sanctorum adscripsit. *Concurrisse autem eo anno diem Dominicum cum decimo septimo Calendas Augusti, seu die* 16 *Julii, liquet ex littera Dominicali* A.

Franciscus Pagius credidit, eamdem referendam esse

B

683 *Tam clara hæc sunt, ut extra omne dubium posita esse dicenda sint; neque ego plura hic adderem, nisi me detineret Franciscus Pagius, qui tom. III Breviarii Romanorum Pontificum pag.* 259 *et sequenti de anno consentiens, de die dissensit, mensemque dubium facere conatus est. Juverit ipsum suis verbis disserentem audisse.* « Gregorius Papa » (inquit Richardus de S. Germano) « de Perusio » venit Assisium, ubi fratrem Franciscum, Mi» norum Fratrum Ordinis inventorem, propter » duo, (*imo plurima*) quæ fecerat miracula in » aperto, in cæco videlicet uno, et claudo, quibus » visum et gressum reddiderat, canonizavit; et » Perusium rediens, ibi anniversarium magnifice » celebrat Innocentii Papæ, prædecessoris sui; » qui dies anniversarius in diem decimum sextum vel decimum septimum Julii incidit; ideoque et ante eumdem diem canonizatus est S. Franciscus; imo et ante diem nonum ejusdem mensis, quo Pontifex ad Gallicanos præsules litteras dedit, PERUSII VII IDUS JULII, PONTIFICATUS ANNO SECUNDO; ut eum Cœlitum honoribus prosequerentur. Eas litteras refert Raynaldus eo anno num. 36; qui et num. 29 alias ejusdem Pontificis literas recitat ad professores Theologiæ Parisiensis, datas PERUSII NONIS JULII, PONTIFICATUS ANNO SECUNDO; ideoque die septima Julii Perusii erat; cum tamen Assisio Perusium (*sic legendum monet in Erratis corrigendis*)

C

reversus sit post TRIDUUM canonizationis, ut scribit auctor Vitæ Gregorii apud eumdem Raynaldum num. 33.

ad finem Junii vel initium Julii;

684 Ex quibus evincitur, S. Francisci canonizationem a Gregorio Papa, vel Junio exeunte, vel Julio ineunte, peractam esse; non vero die decima sexta Julii, ut habet Waddingus in Annalibus Minorum anno MCCXXVIII, num. 4; neque die quarta Octobris, ut suspicatus est Ciaconius. *Hactenus Pagius, cujus argumenta singula nunc perpendamus. Magni merito æstimanda est auctoritas Richardi de S. Germano, quippe qui res sui temporis cum accurationis laude conscripsit; non tamen is hoc loco comparandus est Thomæ Celanensi, biographo secundo ac S. Bonaventuræ, quorum duo primi, æque ac Richardus, synchroni* S. Francisco *vixere, primus insuper etiam ejusdem fuit discipulus; tertius quoque utcumque synchronus, eruditione illis longe præferendus; quique, quantum tempore illis cessit, diligenti inquisitione facile supplevit; qui denique omnes non obiter, sed ex professo Vitam* S. Francisci *scripserunt. Nec est tamen, cur hic recusemus auctoritatem Richardi, qui ipsimet Pagio partim luculenter adversatur, partim cum biographis nostris facile potest conciliari; et proinde ex sana crisi debet.*

685 *Richardi de S. Germano Chronici triplicem editionem in Museo nostro habemus. Prima est Ferdinandi Ughelli, qui illud in Italia sua sacra editionis Romanæ anni* 1647 *post tom. III a col.* 955 *excudi curavit. Altera est ejusdem Operis editio Veneta anni* 1722, *cura et opera Nicolai Coleti facta, in cujus tomo X a col.* 173 *exstat. Tertia demum est Ludovici Muratorii tom. VII Scriptorum Italiæ, anno* 1725, *typis Mediolanensibus vulgata a col.* 967. *In his autem omnibus textus a Pagio allegatus sic incipit:* Gregorius Papa mense Julio de Perusio vadit Assisium *etc; quæ voces a Pagio, nescio, quo casu prætermissæ, probant, canonizationem, de qua agimus, peractam non esse* Junio exeunte, *sed aliquo die mensis Julii. Porro ne id die* 16 *ejusdem mensis contigisse credamus, suaderi nequit ex eo, quod ibidem sequatur:* Et Perusium rediens, ibi anniversarium magnifice celebrat Innocentii Papæ, prædecessoris sui. *Etenim, si Gregorius eo anno anniversarium Innocentii die* 17 *Julii, qui sepulturæ erat, Perusii celebraverit, non tam longe hæc civitas (nimirum tantum duodecim circiter milliaribus Romanis) distat Assisio, quin post peractam hic die* 16 *Julii canonizationem Perusium reverti potuerit, anniversarium decessoris sui diem postridie ibidem celebraturus. Aut si idem Pontifex, nonnisi post triduum a canonizatione Perusium rediit, quo argumento adversus tam claram trium biographorum assertionem probasset Pagius. Gregorium eo anno non alio die, quam* 16 *vel* 17 *Julii, id est, emortuali vel sepulcrali Innocentii III, illius anniversarium celebrasse Perusii, nec Assisii fuisse?*

D

sed rationes ab eo productæ hoc minime evincunt

E

adversus testimonia superius allegata.

686 *Sane multo certiores testes, synchronos scilicet ac partim domesticos, habemus pro Gregorii die* 16 *Julii præsentia Assisii asserenda, quam ut in dubium revocari possit ex anonymo scriptore Vitæ Gregorii, quem Pagius ipse pag.* 233 *ausus non est, non juniorem sæculo* XIII *dicere, quique in eodem, qui allegatur, loco apud Raynaldum eamdem canonizationem, sine dubio vitiose,* quarto Kal. (*vel, ut ibidem in margine annotatur,* quarto Nonas) Octobris *illigavit. Adde, quod idem ille anonymus etiam adversetur Pagio dubitanti, an eadem canonizatio non contigerit, exeunte mense Junio. Litteræ ab eodem Gregorio ad Gallicanos præsules de canonizatione datæ* Perusii VII Idus Julii, Pontificatus anno secundo, *quas ex Raynaldo laudavit Pagius, nos morari non debent, cum sine dubio vitiosus sit dies aut mensis, uti in iisdem certe etiam mendose legitur annua* S. Francisci *festivitas* V Nonas Octobris *ab eodem Pontifice affixa fuisse. Plura hac super re videri possunt apud Waddingum ad hunc annum num.* 77, *et in Annotatis ad Bullarium Franciscanum tom. I, pag.* 43. *Minus quoque patrocinari Pagio possunt aliæ Gregorii litteræ, eodem anno Perusii* Nonis Julii *ad professores Theologiæ Parisienses datæ. Nam et in his nulla exstat de* S. Francisco *mentio, et nihil obstat, quo minus potuerit Gregorius illas Nonis Julii scribere Perusii, ac nono post die prædictam solemnitatem Assisii peragere.*

F

Gregorius scribit litteras ad omnes Ecclesiæ prælatos,

687 *Porro reversus Perusium Gregorius, triduo post canonizationem bullam seu litteras Apostolicas ad universos Ecclesiæ prælatos dedit, in quibus eos de relato inter Sanctos* Francisco *monuit, diemque* 4 *Octobris illius annuæ festivitati dicavit. Exstant illæ apud Laertium Cherubinum tom. I Bullarii Romani inter constitutiones Gregorii IX num.* 2; *in Bullario Franciscano, anno* 1759 *edito, tom. I, pag.* 42 *et duabus sequentibus, ubi etiam alii eorumdem editores recensentur, et apud Waddingum ad annum* 1228 *num.* 76, *ex quo ego illas sic recudam, ut unum et alterum locum vitiose editum emendaturus sim ex prædicto Bullario Franciscano, et ex eodem adjecturus in margine paucas lectiones variantes. Sic itaque se habent.*

in quibus de Dei charitate et providentia præfatus,

688 Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus archiepiscopis, episcopis etc. Mira circa nos divinæ pietatis dignatio et inæstimabilis dilectio charitatis, qua Filium pro servo tradidit redimendo, dona suæ miserationis non deserens, et vineam, dextera ejus plantatam,

continua

A continua protectione conservans, in illam, qui salubriter ipsam excolant, evellentes sarculo ac vomere, quo Samgar sexcentos Philistæos percussit, spinas et tribulos ex eadem, operarios etiam in undecima hora transmittit, ut superfluitate palmitum resecata, et vitulaminibus spuriis, radices altas non dantibus, necnon sentibus extirpatis, fructum suavem afferat et jucundum, qui prælo patientiæ defœcatus in æternitatis cellarium transferatur. Impietate profecto velut igni succensa, et frigescente charitate multorum, in ejusdem maceriam diruendam irruentibus Philistæis, potione terrenæ cadentibus voluptatis; ecce in hora undecima Dominus, qui, cum diluvii aqua terram deleret, justum per lignum contemptibile gubernavit, super sortem justorum virgam peccantium non relinquens, excitavit servum suum beatum Franciscum, virum utique secundum cor suum, apud cogitationes divitum lampadem quidem contemptam, sed paratam ad tempus statutum, illam in vineam suam mittens, ut ex ipsa spinas et vepres evelleret, prostratis illam impugnantibus Philistæis, illuminando patriam; et reconciliaret Deo, exhortatione sedula commonendo.

insigne Francisci elogium texens,

689 Qui, audita interius voce invitantis Amici, impiger surgens, mundi vincula blandientis, quasi alter Sampson, gratia divina præventus dirupit, B et spiritu fervoris concepto, asinique arrepta mandibula, prædicatione siquidem simplici, nullis verborum persuasibilium humanæ sapientiæ coloribus adornata, sed tamen Dei virtute potenti, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæcumque confundat; non tantum mille, sed multa millia Philistinorum, eo, qui tangit montes, et fumigant, favente, prostravit, et in spiritus servitutem redegit carnis illecebris antea servientes. Quibus vitiis mortuis, et Deo viventibus, jam non ipsis, quorum pars pessima periit, ex mandibula ipsa egressa copiosa est aqua, reficiens, abluens et fœcundans, lapsos, sordidos et arentes, quæ in vitam æternam saliens, absque argento et commutatione aliqua potest emi; cujus rivuli longe lateque diffusi vineam irrigant, usque ad mare palmites et usque ad flumen propagines extendentem.

eximias virtutes illius

690 Hic denique patris nostri Abrahæ imitatus vestigia, mente de terra et cognatione sua, necnon domo patris ejus egrediens, iturus in terram, quam sibi Dominus divina inspiratione monstrarat, ut

al. expeditius

expeditus * curreret ad bravium vocationis cælestis, et per angustam portam posset facilius introire, sarcinam terrenæ substantiæ deposuit, se illi conformans, qui, cum dives esset, pro nobis factus est pauper; eamque dispersit, dedit pauperibus, ut C sic ejus justitia in sæculum sæculi permaneret : et in terram visionis accedens, super unum sibi montium demonstratum, videlicet excellentiam fidei, carnem suam, quasi filiam unigenitam, quæ ipsum interdum deceperat, cum Jephte Domino in holocaustum obtulit, igne supposito charitatis, illam fame, siti, frigore ac nuditate, vigiliis multis et jejuniis macerando; quæ cum vitiis et concupiscentiis crucifixa dicere poterat cum Apostolo : « Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me » Christus; » quoniam jam non sibi vixerat, sed Christo potius, qui pro peccatis nostris mortuus est, et resurrexit propter justificationem nostram, ut nullatenus peccato ulterius serviamus.

meritaque in proximum et Ecclesiam,

691 Vitia quoque supplantans, et contra mundum, carnem et potestates aereas luctamen assumens viriliter, uxore, villa, bobus, a cœna magna retrahentibus invitatos, penitus abdicatis, cum Jacob, Domino jubente, surrexit, et gratia Spiritus septiformis accepta, octoque sibi assistentibus, beatitudinibus Euangelicis, Bethel domum Dei,

al. eisdem

quam seipsum præparavit eidem *, per quindecim gradus virtutum, qui mystice in Psalterio continentur, ascendit. Et ibidem altare cordis Domino

al. contrahens

construens *, aromata devotarum orationum obtulit super eo, per manus angelicas in conspectu Domini deferenda, concivis angelicus mox futurus. Ne vero sibi soli proficeret in monte, tantummodo Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, sed sterili, ad Liæ interdictum * descendit cubiculum, minaturus gregem, gemellis fœtibus fœcundatum, ad interiora deserti pro vitæ pascuis perquirendis, ut illic, ubi manna cœlestis dulcedinis reficit a sæcularium strepitu segregatos, cum lachrimarum effusione semina sua mittens, cum exultatione manipulos ad æternitatis horrea reportaret, cum populi sui principibus collocandus, corona justitiæ coronatus.

AUCTORE C. S.

* *an melius interdum ?*

quibus ille cælum rapuit, multum commendat,

692 Qui nimirum non, quæ sua sunt, quærens, sed potius, quæ sunt Jesu Christi, et eidem, velut apis argumentosa deserviens, necnon quasi stella matutina in medio nebulæ, ac quasi luna plena in diebus suis, et sicut sol in Ecclesia Dei fulgens, lampadem ac tubam in manus assumpit, ut lucentium operum documentis humiles attraheret ad gratiam, et protervos a noxiis retraheret excessibus, dura increpatione terrendo. Ac sic virtute charitatis afflatus in castra Madianitarum, Ecclesiæ judicium declinantium per contemptum, eo juvante, qui dum virginali utero clauderetur, mundum suo circuibat imperio universum, intrepidus irruit, et abstulit arma, in quibus confidebat fortis armatus, atrium suum custodiens; et distribuit spolia, quæ tenebat, ejusque captivitatem captivam reduxit in obsequium Jesu Christi. Hoste E itaque triplici, in terra positus, superato, regno cælorum vim intulit, et illud rapuit violenter, et post hujus vitæ quam plura gloriosa certamina mundum triumphans, fœliciter migravit ad Dominum, multos præveniens scientia præditos, scienter nescius et sapienter indoctns.

propter quæ, et multa miracula, significat,

693 Sane, licet ejus vita tam sancta, tam strenua, tam præclara, sibi sufficeret ad obtinendum consortium Ecclesiæ Triumphantis; quia tamen Militans, quæ solummodo videt in facie, non præsumit de his, qui de suo foro non sunt, authoritate propria judicare, ut illos pro vita tantum venerandos assumat, præsertim quia nonnumquam angelus satanæ in lucis angelum se transformat; omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, quod prædictus Famulus Christi digne sibi et laudabiliter deservivit, tantam laternam absconsam * sub modio remanere, non patiens, sed eam

* *al.* abscondi-tam

volens super candelabrum collocari, his, qui sunt in domo, luminis solatium præbituram; vitam ejus sibi fuisse acceptam, et ipsius memoriam esse a militanti Ecclesia venerandam, multis et præclaris miraculis declaravit.

illum Sanctis adscriptum, festumque ipsius annuum quarto Octobris affigit.

694 Cum igitur gloriosæ vitæ ipsius insignia ex multa familiaritate, quam nobiscum habuit in minori officio constitutis, plene cognita nobis essent, et de miraculorum coruscatione multiplici per testes idoneos nobis facta fuerat plena fides, confidentes per Dei misericordiam, nos et gregem F nobis commissum ejus suffragiis adjuvari, et, quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cælis; habito fratrum nostrorum consilio et assensu, ipsum ascribi decrevimus Sanctorum catalogo venerandum; statuentes, ut IV Nonas Octobris, die videlicet, quo a carnis ergastulo absolutus ad ætherea regna pervenit, ab universali Ecclesia natalitia ejus devote ac sollenniter celebrentur. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipsius divinis laudibus alacriter insistentes, ejusdem patrocinia humiliter imploretis, ut, ipsius intercedentibus meritis, ad ejus mereamini consortium pervenire, illo præstante, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. Datum Perusii XIV Calend. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo; *id est, æræ Christianæ* 1228.

Idem Pontifex etiam alias hac super re

695 *Post has litteras Annalista Minorum ibidem num.* 77 *subjicit sequentia :* Præter hoc diploma dedit idem Pontifex literas ad ecclesiarum prælatos, quibus eos ad sancti Viri venerationem et diei festi cultum hortatur. Illas ferme omnes nostri authores

AUCTORE C. S.

thores exscripserunt; sed mire discrepant circa diem, imo et circa annum, quo datæ sunt. Firmamentum et Henricus Sedulius datas volunt ANNO QUARTO, quibus contradicunt cæteri omnes et bullæ originales, quibus inscriptus est ANNUS SECUNDUS; atque ita sane habet Rodulphus, ex quo tamen innuit Sedulius, eas se exscripsisse. Item numerat VII IDUS JULII anni secundi; quod constare non potest; cum in eisdem literis referatur canonizatio sancti Viri, quæ ex Bonaventura, Mariano, Thoma Celano et aliis facta est, ut superius dixi, XVII Kalendas Augusti. Verius monumenta et Speculum Ordinis cum aliis habent, IX KALENDAS MARTII; quod mihi originalis bulla archivi Aræ cæli sub num. 75 plene confirmavit. Suo itaque loco anno sequenti, in quem hoc tempus incidit, commodius hoc diploma reponemus, quod etiam videre licet in Regesto Vaticano num. 21.

litteras dedit, hic non recitandas.

696 Illinc fortasse conciliari possit temporis datæ epistolæ differentia, quod successive et vario temporis decursu ad varios ecclesiarum præsides fuerint transmissæ. Universales sane invenio ad omnes prælatos, et alibi peculiares ad solos prælatos Galliarum; item ad sacrum Prædicatorum institutum sub hac inscriptione : « Dilectis filiis, » magistro et capitulo Ordinis Prædicatorum »
B datas Perusii decimo tertio Kalendarum Januarii, Pontificatus anno 2. *Quidquid sit de causa varii temporis istis litteris adscripti, ob servo ex erudito Opere Benedicti XIV de Servorum Dei beatificatione etc., lib.* I, *cap.* 36, *num.* 38, *haud insolitum esse summis Pontificibus præter canonizationis diploma alias quoque litteras dare, vel ad universam Ecclesiam, vel ad unius nationis præsules, vel ad aliquem cœtum Religiosum, vel denique ad aliquos principes; tum ad indicandam eis factam canonizationem, tum ad Sanctorum cultum commendandum; idque ibidem tam hoc Gregorii IX, quam Cælestini III, Honorii III, Innocentii IV et Joannis XXII exemplis probatur. Laudatas Gregorii litteras, cum nihil peculiare contineant, atque apud Waddingum et in Bullario Franciscano legi possint, non recudam. Illarum initium est :* Sicut phialæ aureæ, quas vidit Joannes *etc., earumque maxima pars sunt, quas, velut* VII Idus Julii, Pontificatus anno secundo *signatas et a Raynaldo relatas, supra vidimus.*

§ XXXI. Destinatur locus ecclesiæ ædificandæ, in quam Sancti corpus erat transferendum : Gregorius IX Papa
C fabricam plurimum promovet; primum ejusdem lapidem jacit : eamdemque privilegiis exornat.

Ad ædificandam ecclesiam in sepulturam sacri corporis

Redeo ad Vitas, quas in hoc Commentario illustrandas suscepi. *Primus* S. Francisci *biographus, Thomas Celanensis, postquam lib.* III, *cap.* 1 *sollennem illius, quam præcedenti* § *exposui, canonizationem enarravit, mox cap.* 2 *et tertio breviter recensuit miracula post ejusdem obitum a Deo concessa, quæ, prout ipse testatur,* coram domino Papa Gregorio, ut dictum est, prælecta sunt, et populo nuntiata; *atque his ille Opusculum suum, seu Vitam* S. Francisci *in tres libros distinctam, conclusit. At secundus biographus, Tres Socii et S. Bonaventura canonizationi subjunxerunt ejusdem sacri corporis translationem, biennio post, id est, anno* 1230 *festivissime factam, de qua Celanensis in suo Opusculo meminisse non potuit, quia illud ante id temporis jam perfecerat, edideratque. Priusquam verba secundi biographi, cui consonant alii laudati, de more proferam, præmittam nonnulla partim ex iisdem, partim aliunde accepta, quæ eamdem translationem præcesserunt,*

donatur locus prope muros Assisii,

698 *Vidimus supra* § 29, *corpus* S. Francisci *postridie mortis suæ anno Christi* 1226 *ex suburbano conventu S. Mariæ de Portiuncula, ubi mortuus fuerat, translatum fuisse in civitatem Assisiensem,* D *ibique in ecclesia S. Georgii tumulatum; forte quod exiguum Portiunculæ sacellum nimis angustum, minusque ad eam rem accommodatum videretur, nec satis tutum tanto thesauro servando. Incertum mihi est, an hic ibi tunc stabili sepulturæ fuerit commissus, an solum interim depositus, donec de alio loco esset provisum; quod posterius mihi longe verisimillimum apparet. Sane antequam sacri honores* Francisco *decreti fuerant, de ecclesia, in qua conderetur, ædificanda serio actum fuit. Oblatus est hunc in finem Gregorio IX locus prope Assisium, qui dicitur* Collis Paradisi, *ut ipsemet testatus est litteris anno* 1230 *datis, atque infra recensendis. Donatorem loci, annum, diem ceteraque donationis adjuncta breviter indicat Sbaralea in Annotatis ad easdem litteras, tom. I Bullarii Franciscani pag.* 60 *lit.* c, *laudans autographum archivi Assisiatis conventus* S. Francisci, *vulgatum, ut inquit, ab erudito viro P. Mag. Azzoguidio.*

699 *In eo donationem dici factam, ait,* anno *ante Collis inferu, deinde Collis paradisi dictus.*
MCCXXVIII, die XXX Martii a Simone Puzarelli, fratri Heliæ recipienti pro domino Gregorio Papa IX, coram domino Guidone, judice cummunis Assisii, aliisque testibus. *Waddingus et alii scribunt, eumdem locum tunc fuisse supremis sceleratorum hominum suppliciis deputatum, eaque de causa* Collem E inferni *appellatum; sed hoc nomen ab eodem Pontifice in* Collem paradisi *mutatum.* Collem inferni *antea dictum fuisse, ex laudato instrumento donationis ibidem ad lit.* d *etiam asserit Sbaralea, sed de causa vocabuli silet. Waddingo consentit Pisanus lib.* III, *Conformitate* 6, *parte* II; *at Rodulphius in Historia Seraphica lib.* II, *fol.* 250 *verso, cetera consonans, aliam causam profert hoc modo :* Unde, qui locus latebræ et receptaculum latronum fuerat, piorum virorum et Deo se dicantium (*structa scilicet ibi ecclesia cum conventu*) refugium et portus factus est; et, quo scelestissimi homines se abdiderunt, dicebaturque Collis inferni, nunc viri Religiosi, charitatis pleni, laudes divinas celebrant, et Gregorius IX summus Pontifex, Collem paradisi appellari voluit. *Ultra causa verior sit, haud quidem possum dicere; verumtamen, si collis ille supremis sceleratorum suppliciis deputatus tunc fuerit, cur non a magistratu Assisiensi, sed a privata persona donatus fuit? Aliqui denique cum Waddingo credunt, translato in eam ecclesiam* S. Francisci *corpore, impletum fuisse illius desiderium ac vaticinium, cum vivens petiisset, ut in abjectissimo loco humaretur; quod ego confirmare nequeo ex antiquiori teste, quam ex Pisano, loco mox citato.* F

Ad hoc opus stipem conferentibus indulgentias promittit Gregorius IX,

700 *Sbaralea in Bullario Franciscano tom. I, pag.* 40 *ex archivo conventus* S. Francisci *Assisiensis recitat crebro laudati laudandique Pontificis Gregorii litteras, quibus hic omnes Christi fideles hortatur, ut eleemosynis suis ad eam ecclesiam exstruendam concurrant, eosque quadraginta dierum indulgentiis ad tam pium opus invitat. Leguntur autem ibi datæ* Romæ III Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno primo; *id est, ut ibidem in margine annotatur, anno Christi* 1228, *die* 29 *Aprilis. Verum in fine ejusdem tomi inter errata monuit, legendum esse* Reate, pridie Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno secundo. *Indubie vitiosa est prior subscriptio; quia Gregorius anno* 1228 *die* 29 *Aprilis, secundum Pontificatus sui annum jam inchoaverat, nec Romæ morabatur. Quapropter cum nesciam, an Sbaralea eamdem ex autographo Assisiensi, an, quod verisimilius apparet, aliunde emendaverit, suspectæ sunt istæ litteræ, in quibus etiam* Beati *titulus* Francisco *præmature tribuitur. Ceterum incipiunt hæ litteræ :* Recolentes, qualiter sancta plantatio Fratrum Minorum Ordinis *etc., quibus verbis inchoantur etiam aliæ ejusdem Pontificis litteræ, per quas ille eamdem ecclesiam, quæ ædificabatur, soli sibi et successoribus suis subjectam voluit.*

locumque ac ecclesiam co nstruendam

701 *Habe illas, quales Rodulphius lib.* II *Historiæ Seraphicæ pag.* 250 *edidit, acceptas ex conventu Assisiensi, ubi asservari asserit in sacrario.* Gregorius

A rius Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis, Ministro et fratribus Ordinis Minorum salutem et Apostolicam benedictionem. Recolentes, qualiter sancta plantatio vestri Ordinis sub beatæ memoriæ patre Francisco incepit, et mirabiliter profecit, per gratiam Jesu Christi flores sanctæ conversationis longe lateque proferens et odores, ita quod in deserto hujus mundi sacræ Religionis honestas ab eodem Ordine procedere videatur; dignum esse prævidimus * et conveniens, ut pro ipsius Patris reverentia ecclesia, in qua recondendum est corpus ejusdem, speciali prærogativa gaudeat libertatis, ut idem Pater, per quem tantus fructus provenisse dignoscitur, honorificetur etiam in hoc, quod eadem ecclesia libertati donata, nulli alii, quam Romano Pontifici sit subjecta. Quare sub speciali Apostolicæ Sedis tutela consistens, affici non possit injuriis, sed quiete, sicut libertate, plenius perfruatur.

* *an* providimus ?

soli Romano Pontifici subdit sub annuo censu, * *l.* in

702 Eapropter fundum pietatis obtentu nobis oblatum pro ecclesia ac ædificiis construendis, ubi recondi debeat corpus Patris prædicti, et * jus et proprietatem Sedis Apostolicæ recipimus, de speciali gratia statuentes, ut dicta ecclesia omnino sit libera, et nulli alii, quam Apostolicæ Sedi, subsit. Ad indicium autem hujus libertatis, ab Ecclesia Romana perceptæ, unius libræ ceræ censum per-
B solvet ecclesia nobis et nostris successoribus annuatim. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Reate II Kalen. Maii, Pontificatus nostri anno secundo. *Easdem litteras recuderunt Waddingus in Regesto Pontificum ad hunc annum num. 4, et Sbaralea tom. I Bullarii Franciscani pag. 46, ambo laudantes Rodulphium, quasi hic illas ex autographo Assisiensi descripsisset; et tamen ambo pro die* II Kalen. Maii *habent :* II *vel* XI Kal. Novembris, *lectore non monito de mutatione. Benedictus quoque XIV illas in bulla, anno 1754 die 23 Martii in favorem ejusdem ecclesiæ edita, memoravit, retento die* XI Kalendas Novembris.

per litteras anns 1228 die 31 Aprilis datas.

703 *Errorem suum postea agnovit Sbaralea, ideoque inter Addenda et corrigenda in fine tomi ad ista verba* XI Kal. Novemb. *addenda hæc monuit :* Codex Rom. Castri S. Angeli habet : II KAL. MAII; et rectius : nam mense Octobri Pontifex Perusii erat, non Reate. Retrahenda est igitur hæc epistola post XXI, pag. 41 : *Recte sane; nam præter hanc rationem est alia, quam ipsa epistola lectoribus suggerit. Etenim cum Gregorius nullam in ea mentio-*
C *nem faciat de canonizatione* Francisci; *cum eidem non alium titulum, quam* beatæ memoriæ *adscribat; cumque concessi privilegii eam solam rationem alleget, quod* Franciscus *tam sancti ac fructiferi Ordinis institutor promotorque eximius fuerit; manifestum fit, eamdem epistolam datam esse, antequam* Franciscus *relatus est in catalogum Sanctorum, quod ejusdem anni* 1228 *die* 16 *Julii, ac proinde ante mensem Octobrem, factum esse, probavimus. Retinendus ergo est in Gregorianis litteris dies* 2, *sive* XI Kalendas Maii *apud Rodulphium signatus. De hujus ecclesiæ libertate et annuo censu propterea pendendo mentio fit in libro censuum Romanæ Ecclesiæ apud Muratorium tom. V Antiquitatum medii ævi col.* 865, *ubi legitur :* Ecclesia S. Francisci de Assisio, quæ libera est, UNAM LIBRAM CERÆ. *Hæc omnia tum ab eodem, tum ab aliis summis Pontificibus confirmata, novisque privilegiis aucta inferius videbimus.*

Idem primum ecclesiæ lapidem jacit et largitur in sumptus,

704 *Initium hujus ecclesiæ ædificio datum esse eodem anno statim, postquam* Franciscus *die* 16 *Julii inter Sanctos fuerat relatus, scribit Annalista Minorum ad hunc annum num.* 79, *alia insuper huc spectantia referens his verbis :* Non prius discessit Pontifex (*Assisio*) quam alta tantæ molis in ipso collis declivio struerentur fundamenta, cujus primarium lapidem propriis manibus ipse jecit, velut suis literis, quas ad quartum Pontificatus dabimus annum, aperte testatur, Cardinalibus et principibus viris alios cum magno jubilo et populi concursu superaddentibus; assignavitque Pontifex pro sumptibus annuos redditus multarum ecclesiarum vallis Spoletanæ; quos ad expeditam ædificii formam non sufficere, judicans Helias, collectas pecuniarias indixit provinciis : quod ægre nec sine dolore audierunt sancti Viri socii, ejusque paupertatis æmulatores, ut sequenti anno dicemus. *Laudatas Gregorii litteras, ex quibus constat, primum ab eo lapidem in fundamenta jactum fuisse, ego quoque infra recitabo, consentiuntque hac super re biographus secundus ac Tres Socii; licet autem de tempore non constet, ad nullum verisimilius, quam ad assignatum a Waddingo, potest referri. Iidem tradunt, dictæ ecclesiæ multa ab eo donata esse,* partim ad ejusdem fabricæ... impensas, *ut secundus annotavit.*

AUCTORE C. S.

dumque illius fabrica, curante fratre Elia,

705 *Prætereo, quæ idem Annalista, aliisque narrant de fratris Eliæ, qui sancto Institutori in generale Ordinis ministerium successerat, nimiis pecuniarum in eamdem fabricam exactionibus, quæque hinc natæ sunt, turbis; aliis severioris disciplinæ, sibi a sancto Patre suo traditæ, eximiis cultoribus, causantibus, neque has æquitati, neque tantæ amplitudinis ecclesiam suæ, quam profitebantur, paupertati congruere. Hæc, inquam, omnia, ad Ordinis Minorum Annales, non ad propositum meum spectantia, tacitus prætereo. At certe Elias vastum illud ædificium tam strenue promovit, ut jam ante medium annum* 1230 *corpus* S. Francisci *in eo tuto ac pro dignitate reponi potuerit. Waddingus ex Chronico Mariani scribit, ex tribus ecclesiis, quibus basilica illa constare dicitur, solum infirmam sive subterraneam tunc absolutam firmiterque concameratam fuisse; negantibus aliis, plures, quam duas ecclesias invicem impositas, eo ædificio contineri : verum de hac inter Minores controversia opportunius agam in Analectis, ubi de* S. Francisci *corporis statu situque disputandum erit.*

E

feliciter promovetur, edit bullam,

706 *Interea dum fabrica illa tam feliciter promovebatur, nec solum ad* S. Francisci *corpus recipiendum parabatur, verum etiam ejusdem nomine dicanda erat, Gregorius privilegium, quod anno* 1228 *dederat, anno* 1230, *priusquam sacrum corpus in illam inferretur, novis litteris confirmavit, aliaque adjunxit. Priores litteras dedi num.* 701 *et sequenti; posteriorum Tres Socii in Appendice ad Vitam primam num.* 72 *sic meminerunt.* Quam quidem ecclesiam ab omni jurisdictione inferiori eximens (*Gregorius IX*) auctoritate Apostolica ipsam caput et matrem totius Ordinis fratrum Minorum instituit, ut patet in privilegio publico et bullato, in
F quo Cardinales communiter subscripserunt. *Waddingus illas, sed mutilas, suis Annalibus ad annum* 1230 *num.* 2 *inseruit ex codice Vaticano, in quo deerant tempus concessionis et nomina Cardinalium, qui subscripserunt. Easdem ex autographo, Assisii in sacrario ejusdem ecclesiæ servato, integras edidit auctor Collis paradisi, ex eoque in Bullarium Franciscanum tom. I pag.* 60 *et sequenti transtulit Sbaralea, ex quo eas hic subjicio.*

in qua post Sancti ejusque Ordinis elogium

707 Gregorius etc. Dilectis filiis, Ministro Ordinis Fratrum Minorum, ejusque fratribus morantibus apud ecclesiam beati Francisci in loco, qui dicitur Collis Paradisi, tam præsentibus, quam futuris in perpetuum. Is, qui Ecclesiam suam semper nova prole fœcundat, dignatus hæc moderna tempora prioribus conformare, beati confessoris Francisci spiritum in charitatis amore per inspirantem gratiam excitavit, ut Apostolorum vestigia imitatus, in paupertate, in qua plus charitas proficit, relictis omnibus, solum sequutus fuerit æternæ beatitudinis Largitorem; et velut fidelis servus et prudens, laudabiliter operatus in talentis ei creditis, fructum in Ecclesia Dei attulit copiosum. Ab ipso enim Ordinis vestri sancta plantatio, cooperante divina gratia, processum habuit et progressum; quæ palmites honestatis longe lateque producens,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S.

producens, flores protulit, et odores effudit ad resecanda nociva, et salubria inserenda.

eamdem ecclesiam soli Romano Pontifici subjicit, Ordinis caput constituit,

708 Cum igitur apud Assisium in fundo, nobis et Ecclesiæ Romanæ oblato, in loco, qui dicitur Collis Paradisi, in ejusdem Confessoris honore construatur ecclesia, in qua recondi debet tam pretiosus thesaurus, sanctum videlicet corpus ipsius, qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, ut pro peccatis populorum fieret intercessor; Nos, cum dignum sit et congruens, ut eadem ecclesia prærogativa libertatis et honoris gaudeat propter eum, quem in cœlis Dominus exaltavit, pro ejus reverentia ecclesiam ipsam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ecclesia ipsa, nisi * Romano Pontifici sit subjecta; et vestri Ordinis, cujus institutor et pater exstitit Confessor prædictus, caput habeatur et Mater, ac in ea per Fratres ejusdem Ordinis perpetuo serviatur. Prohibemus insuper, ne quis audeat in eamdem ecclesiam excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare; quam si proferre contigerit, tanquam contra Sedis Apostolicæ indulta prolatam, decernimus, non tenere.

**al. nulli, nisi*

variisque privilegiis dotat, B

709 Pro consecratione vero altarium, pro Oleo sancto, vel quolibet alio Ecclesiastico Sacramento nullus ab eadem ecclesia sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam valeat extorquere; sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat; alioquin liceat, quemcumque malueritis, Catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Quod si Sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis : sic tamen, ut ex hoc in posterum proprio episcopo nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum eadem ecclesia non habet loci diœcesani copiam, si quem episcopum, Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire, contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes fratrum clericorum, auctoritate Apostolicæ Sedis recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina Officia celebrare.

et pœnas in perturbatores statuit. C

710 Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Ad indicium autem hujus libertatis, ab Apostolica Sede perceptæ, unius libræ ceræ censum nobis et successoribus nostris annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus bona auferre, nec ablata retinere, seu quomodolibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sanctissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum benedictionis percipiant, et apud districtum Judicem præmium æternæ pacis inveniant. D Amen.

711 Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Nomina Pontificis ac Cardinalium, qui huic diplomati subscripserunt.

Ego Jo. Sabinen. episcopus.

Ego Jacobus Tusculanus episcopus.

Ego Thomas tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis.

Ego Joannes tituli S. Præxedis presbyter Cardinalis.

Ego Bartholomæus S. Pudentianæ presbyter Cardinalis et pastor.

Ego Gutfredus tituli S... presbyter Cardinalis.

Ego Sigebaldus tituli S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis.

Ego Stephanus S. Mariæ Transtyberim presbyter Cardinalis.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus Cardinalis.

Ego Rainerius S. Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis.

Ego Romanus S. Angeli diaconus Cardinalis.

Ego Petrus S. Georgii ad Velum aureum diaconus Cardinalis.

Ego Rainaldus S. Eustachii diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Laterani per manum Martini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii x Kal. Maii Indict. 2. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXX Pontificatus domini Gregorii Papæ IX anno quarto. E

Gregorius PP. IX.

Loco ✠ Plumbi.

Sbaralea, ex quo hoc diploma descripsi, asserit, illud asservari Assisii in folio membranaceo altitudinis trium palmorum. *Notat quoque primo,* Gutfredum, *cujus titulus, sive detritus, sive aliter deest, fuisse Cardinalem* S. Marci, *qui postea* Cælestinus IV *dictus summum Pontificatum brevissimo tempore tenuit. Notat secundo, ex amanuensis incuria,* Indictionem 2, *pro* Indictione III, *quæ vere tunc currebat, substitutam esse. Pontifices, qui hoc diploma confirmarunt, nominabo in Gloria Posthuma.*

§ XXXII. Sancti corpus ad novam basilicam sollenniter translatum : translatio turbata ab Assisiatibus, quos Pontifex pœnis minisque ad officium revocavit.

Convocatis Assisium Minoribus ad translationem et capitulum F

Ecclesiæ *fabrica eo usque jam perducta, ut ad sacrum* Francisci *corpus cum decore recipiendum idonea esset, missæ sunt quaquaversum litteræ encyclicæ ad Fratres Minores, per universas Europæ provincias dispersos, quibus illi ad translationem communis Patris sui, anno* 1230 *die* 25 *Maji, in vigilia Pentecostes solennissime peragendam, et ad celebranda generalia Ordinis comitia invitarentur. Sperabatur etiam adfuturus summus Pontifex Gregorius, ac pro suo erga* S. Franciscum, *quem* Patrem *suum appellare non dubitabat, singulari affectu verisimillime adfuisset, nisi urgentiora Ecclesiæ Dei negotia illum Romæ detinuissent. Misit tamen ad patres in comitiis illis congregatos litteras, in quibus insinuans, cur adesse non possit, mortuum tunc nuper in Germania a* S. Francisco *vitæ restitutum nuntiat; illos ad sancti Institutoris sui virtutes imitandas hortatur; consilium de transferendo illius corpore probat, et indulgentias omnibus, qui ad translationem pie convenissent, largitur.*

Gregorius IX per litteras congratulans.

713 *Habe illas, quales exstant in Bullario Franciscano tom. I pag.* 64 *et sequenti, rescissis tamen, quæ ad historiam non spectant :* Gregorius etc. Ministro et Fratribus Ordinis Minorum, in generali capitulo constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Mirificans misericordias suas Dominus, quæ super omnia opera ejus sunt, ut unicæ suæ sponsæ renovet, sicut aquilæ, juventutem, innovat signa et immutat mirabilia, fulgura et pluviam faciendo, dum Ecclesiæ filios legitime certantes feliciter in cœlo coronat; et quorum animas beata immortalitate

A immortalitate glorificavit in patria, horum corpora miraculorum coruscatione in terra clarificans, matrem salutis gaudio reficit, et fœcunditatis rore perfundit. Sic enim fides Ecclesiæ roboratur, convalescit spes, et charitas recalescit : sic confutatur hæretica pravitas, lapsus delinquentium cohibetur, et inducitur conversio peccatorum.

nuntiat, mortuum nuper a S. Francisco vitæ redditum,

714 Quare inter pressuras innumeras et angustias infinitas, quas plus ferre possumus, quam referre, consolationis et gaudii materiam resumentes, gratias et laudes, quas possumus maximas, referimus Redemptori, qui beatum Franciscum, Patrem nostrum et vestrum, forte autem magis nostrum, quam omnium vestrum, adhuc in carne viventem insignibus præveniens muneribus gratiarum, tanta nunc eum cum ipso regnantem clarificat gloria, quod præter alias virtutes magnificas nuper in Theutonia, ipsius Sancti celebri nomine invocato, mortuum mirifice suscitavit; sicut nobis est solemniter intimatum, ut nos in ejusdem Sancti magis ac magis pio amore succensi totis affectibus in ipsius laudibus delectemur; sperantes, ut, quos in seculo extra seculum vivens tota mente dilexit,

* *al.* charius

et nos nunc clarius * amplexatur, quo illum, qui est vera charitas, vicinius intuetur, pro nobis intercedere non desistat *etc. Post aliqua, quibus et*

B *illorum precibus se commendat, et illos ad sectanda* S. Francisci *vestigia hortatur, in rem nostram hæc subdit.*

et translationi adfuturis etc. indulgentias largitur :

715 Ceterum cum gloriosum corpus Sancti prædicti ad ecclesiam ipsius nomini dedicandam cupiatis devote transferre, nos desiderium vestrum favore debito prosequentes quia dignum est, ut veneremur in terris, quem Dominus sic honorat in cœlis; de misericordia Jesu Christi, et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus, qui ad translationis ejus solemnia devote convenerint, vel usque ad Nativitatem Virginis gloriosæ proxime venturam ipsius ecclesiam visitaverint, transfretantibus mare tres annos, transeuntibus Alpes duos et ceteris unum; et qui in anniversario translationis illius usque ad octavam diem reverenter accesserint, annum unum similiter de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani XVII Kalend. Junii. Pontificatus nostri anno quarto; *id est, anno Christi* 1230 *die* 16 *Maji. Apud Sbaraleam legitur* XVII Kalend. Julii, *at correxi tum ex Waddingo, qui habet* decimo septimo Kalendas Junii, *tum etiam ex ipso Sbaralea, qui ad initium ejusdem epistolæ in margine adscripsit :* Anno 1230 die XVI Maii, *adeo ut forte solo typothetæ vitio in fine* Julii *pro* Junii

C *legatur. Postremo autem modo legendum esse, constat ex eo, quod hæc epistola certo data sit ante translationem, quæ eodem anno, die* 25 *Maji contigit.*

circa quæ annotantur pauca.

716 *Ejusdem epistolæ, memoratique in ea miraculi mentionem facit secundus biographus, cujus verba dabo; consentitque S. Bonaventura in Vita* § 2 de mortuis suscitatis *num.* 246 *paucis inquiens :* Quemdam alium mortuum in Alemania suscitavit, de quo dominus Papa Gregorius tempore translationis ipsius Sancti fratres omnes, qui ad translationem et capitulum convenerant per Apostolicas litteras certos reddidit et gaudentes. Miraculi hujus seriem, quia ignoravi, non scripsi, credens, Papale testimonium omnis assertionis excellere instrumentum. *Eadem occasione Gregorius ad translationem magnificentius celebrandam misit pretiosa vasa, indumenta, aliamque ecclesiasticam supellectilem, de quibus vide Tres Socios in Appendice ad Vitam primam num.* 72, *et auctorem secundæ inferius referendum. Waddingus ad hunc annum num.* 1 *scribit, viros quoque principes missis per Europam litteris ad hanc translationem invitatos fuisse; et Sbaralea in Annotatis ad mox relatam epistolam affirmat ex auctore Collis paradisi, eam ipsam epistolam ad illos a Gregorio missam, rescissis, quæ ad solos Fratres Minores spectabant, ea ratione, ut post illa verba,* Ipsius laudibus, delectemur; *substituta fuerint ista :* Ceterum, cum dilecti filii, Minister et fratres Minores, quos jam Sanctus instituit, divinitus inspirati, gloriosum corpus ad ecclesiam ejus nomini dedicandam transferre desiderent; nos eorum desiderium favore debito prosequentes, quia dignum est *etc., sicut in recitata epistola usque ad finem.*

AUCTORE C. S.

Idem Pontifex multa donaria mittit,

717 *His, quæ translationem præcesserunt, prænotatis, translationem ipsam ex secundo biographo enarremus.* Anno vero Domini MCCXXX non modica Fratrum multitudine pro ipsius Sancti translatione, necnon et generali capitulo celebrandis ad sæpe dictam civitatem (*Assisium*) e diversis mundi partibus adunata, jam præfatus eorumdem specialissimus pater, dominus Papa Gregorius, cujus certa sperabatur ad hanc translationis solempnitatem præsentia personalis, sed tunc temporis aliis quibusdam urgentibus Ecclesiæ præpediebatur negotiis, sollempnes illuc cum suis litteris nuntios destinavit, quibus suæ non solum insperatæ causam absentiæ necessariam declaravit, sed et filiis, quos paterno consolabatur affectu, de quodam mortuo per beatum Franciscum resuscitato certius intimavit. Ad hæc per eosdem nuntios crucem auream, opere quidem gemmario preciosam, sed omni auro preciosius lignum Crucis Dominicæ complectentem; insuper ornamenta et vasa quæque ad altaris ministerium pertinentia, necnon et decentissima E sollempnibus usibus indumenta transmisit. Quæ omnia preciosissima basilicæ beati Francisci, (quæ ab omni jurisdictione inferiori exempta sua construebatur auctoritate, cujus et ipse primarium lapidem fundamenti fu posuit *) assignavit; sed et alia non modica tam ad ejusdem fabricæ, quam ad instantis sollempnitatis impensas, donaria deputavit.

* *an* supposuit?

et Sancti corpus transfertur 25 *Maji anno* 1230 *in basilicam suam,*

718 Translatum est igitur corpus sanctissimum ad eamdem constructam foris per muros prope civitatis (*lege :* Foris prope muros civitatis) ecclesiam, Sabbato, Kalendarium Junii die VIII cum tanto videlicet apparatu sollempni, qui brevi sermone describi non potest; tantaque, quæ ad ipsius translationis festa confluxerat, multitudine populi, ut, civitate illam capere non valente, gregum more turmatim circunquaque per campos accumberent. *Eosdem annum et diem assignat S. Bonaventura in Vita num.* 222; *Tres Socii in Appendice num.* 72 *solum aiunt, id factum esse* post duos annos a sua canonizatione, *non completos scilicet, cum hæc ex dictis contigerit die* 16 *Julii anni* 1228. *Erat porro anni* 1230 *dies* 25 *Maji Sabbatum, ut recte adjunxit biographus secundus et quidem vigilia Pentecostes, in qua scilicet festivitate ex præscripto Regulæ statutis temporibus celebranda erant comitia* F *generalia, quæ tunc etiam habita fuere. Celebris hujus rei memoria in Martyrologiis Ordinum* S. Francisci *ad eumdem diem* 25 *Maji consignata est, imo et in Romano, in quo ibi legitur :* Assisii in Umbria translatio sancti Francisci confessoris, tempore Gregorii Papæ noni. *Sed de his in Gloria posthuma plura dicemus.*

præsente in numero populo, et miraculis divinitus concessis.

719 *Multitudo quoque, quæ ad hanc solennitatem convenisse apud secundum biographum dicitur, etsi sileant Tres Socii et S. Bonaventura, non est, cur in dubium revocetur : nam et eam verisimillimam facit magna nominis* Francisci *celebritas, eximia sanctitate ac miraculis comparata; et auctor, qui illam asserit, synchronus est, ac facile potuit hujusmodi translationis adjunctum ab aliis præteriri. Waddingus ex Chronico Mariani Florentini refert, ultra duo millia fratrum Minorum ibi tunc adfuisse, quod etiam minus mirabimur, si meminerimus, vivente* Francisco, *aliquando* ultra quinque millia Fratrum *ad generalia comitia Assisium convenisse, uti expresse testatur S. Bonaventura in Vita num.* 52. *Contra vero de miraculis in ipsa translationis festivitate factis silent etiam Tres Socii cum biographo secundo, de quibus tamen dubitare nos non sinit S. Bonaventura, qui in Vita num.* 222 *ait :* Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus, bulla Regis altissimi consignatus, miracula

AUCTORE C. S.

plurima ille, cujus effigiem præferebat, operari dignatus est.

Assisiatos translationem turbant,

720 *Aliquot translationis adjuncta, sed partim sine indicato teste, refert Waddingus ad eumdem annum num.* 3, *cujus hæc verba sunt:* Multis præmissis præludiis, et magna præparata solemnitate, tandem in profesto Pentecostes, die XXV Maii, facta est translatio; elevata e terra, magno cum clangore tubarum aliorumque instrumentorum, capsa lignea, in qua sanctum corpus occludebatur, impositaque plaustro, seu currui pulcherrimo, mira et pretiosa varietate ornato, quem ob ingentem molem trahebant boves purpura cooperti. Vi et armis voluerunt esse præcipui actores in hoc spectaculo cives Assisiates, adhibitis multis custodibus et valida militum manu, ne dolo aut arte surriperetur, vel præcisis ullis partibus minueretur adeo insignis thesaurus. Constituti erant Minister generalis et alii graves Ordinis patres Pontificis nomine et authoritate commissarii hujus translationis; quibus tamen non adeo liberum fuit eam per se facere: nam civitatis rectores id sibi muneris assumpserunt; et, ut ventum erat ad ecclesiam, restiterunt communi omnium desiderio, corpus videre volentium. Nam rapientes illud in superbia et tumultu, translationis mysterium damnabiliter prophanarunt; non passi, a fratribus prædicto corpori debitam venerationem exhiberi, dum omnia perturbarunt, omnia confuderunt. Ita refert Pontifex gravissimo de hac re diplomate, statim subjiciendo. B

quos propterea Pontifex acriter reprehendit,

721 *Subjicit illud ibidem ex Regesto Vaticano num.* 38, *ut inquit; sed in adscripto die certe vitiosum, nempe velut datum* XVI Kalend. Junii, Pontificatus *Gregorii* anno quarto, *id est, die* 17 *Maji anno Christi* 1230, *cujus anni die* 23 *Maji translatio primo facta est. Rectius Sbaralea post alios ex codicibus Vaticano et Assisiate signatum exhibet* XVI Kalend. Julii, *sive die* 16 *Junii, qui erat post translationem dies vigesimus secundus. Quia vero ex his litteris tota narratio hausta est, eas ex recensione Sbaraleæ tom. I, pag.* 66 *et sequenti Bullarii Franciscani hic recudo.* Gregorius etc. Perusino et Spoletano episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Speravimus hactenus, ut Potestas, Consilium et Populus Assisiensis multiplicem gratiam, qua eos adhuc in minori officio constituti prævenimus et sumus continuo prosequuti, sicut convenit, agnoscentes, sectarentur cognitam, reverenter nostris beneplacitis omnimodis obsequendo, ut semper in gratiam crescerent ampliorem. Sed, quod non sine amaritudine referimus vehementi, ipsi gratis ingrati nobis malum pro bono iniquia vicissitudine rependentes, in eo nos acriter provocarunt, in quo debuerant nobis summo studio potissime complacere. C

datis litteris ad episcopos Perusinum et Spoletanum,

722 Cum enim beatum Franciscum glorificatum in cœlis clarificantes in terris, adscripserimus catalogo Confessorum, et in honorem ejus ecclesiam fundari volentes, de manibus nostris lapide ibi primario posito, ipsam duxerimus eximendam, ut libertatis titulis decorata semper niteret celebris et insignis; ipsi non attendentes innumera bona, quæ civitati eorum, quin etiam universis et singulis, exinde poterant provenire, omnia perturbarunt, omnia confuderunt in animarum suarum periculum, famæ dispendium, et jacturam etiam temporalem. Sciunt siquidem, quod nos sanctissimum corpus Confessoris prædicti pio amore venerabiliter amplexantes, translationem ejus dilectis filiis, generali Ministro, et quibusdam aliis Fratribus Ordinis Minorum, viris religiosis et timoratis, tamquam vicariis nostris, commisimus confidenter, cum non nisi auctoritate Apostolicæ Sedis esset translatio facienda; ibique illam concessimus indulgentiam, quæ limina beatorum Petri et Pauli visitantibus concedi consuevit.

quibus mandat, ut Assisiatibus pœnas denuntient,

723 Sed ipsi vesano spiritu concitati, non attendentes, quod sacra mysteria non nisi a sacris sunt tractanda ministris, prædictum corpus ausu sacrilego rapientes, in superbia et tumultu translationis mysterium damnabiliter prophanarunt, non passi, a Fratribus prædicto Sancto veneration nem debitam exhiberi. Oh! quæ insania ipsos taliter fascinavit, ut sacerdotale sibi officium usurpantes, rem divinam, Deo, contrectarent, invito? Nonne sciunt, quod Oza, inclinatæ Arcæ Domini manum apponens, a Domino percussus interiit, qui videbatur utcumque verosimiliter excusandus, quia, ne Arca caderet inclinata, manum apposuit adjutricem? Nonne audierunt, quod Ozias ingressus templum Domini, quia super altare thymiamatis incensum voluit adolere, percussus est lepra; ut perfecte detur intelligi, quod contrectatio Divinorum est laicis penitus interdicta? Nonne possunt ex simili culpa similes pœnas formidare? Ceterum, ut sciant, quam graviter nos, immo Dominum offenderunt, auctoritatem nobis in Sancto prædicto volentes adimere; nos prædictam ecclesiam, quam exemimus, episcopi et capituli Assisiatis subjicimus ditioni, prohibentes, ut ibi de cetero nullatenus generale capitulum celebretur, nec aliqui de fratribus commorentur, et locum supponimus Ecclesiastico interdicto, donec nobis de tanta injuria satisfiat. D

eosque excommunicent, nisi eorumdem legati satisfaciant:

724 Ne vero contra eos severius procedere compellamur, universitati eorum nostris damus litteris firmiter in præceptis, ut infra quindecim dies post susceptionem earum viros idoneos universitatis nomine ad nostram præsentiam destinare procurent, paratos satisfactionem plenariam exhibere, ac de stando mandatis nostris præstare sufficientes cautiones. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si Potestas, Consilium et Populus prædicti præceptum nostrum neglexerint adimplere, vos in Potestatem et Consilium excommunicationis, et in terram interdicti sententias, appellatione postposita, promulgantes, faciatis eas usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Laterani XVI Kalend. Julii, Pontificatus nostri anno quarto. *Hoc tempore Perusinum episcopatum tenebat Joannes de Comitibus, ut videre licet apud Ughellum tom. I Italiæ sacræ; Spoletano vero tunc præfuisse Nicolaum de Castro Arquato a Porta, annotavit Sbaralea.* E

quod Assisiates

725 *Ex his litteris, quas etiam Raynaldus in continuatione Annalium Ecclesiasticorum ad hunc annum num.* 22 *recensuit, constat de temerario facto Assisiensium, quos Pontifex velut ejusdem facti auctores redarguit;* licet aliqui *e Minoribus, (ut advertit Waddingus, cujus verba describo)* culpam omnem rejiciant in Heliam, cui plura ultra veritatem imposita: quod fit frequenter his, qui regunt; præsertim iis, quorum semel deperiit opinio, ut facile, quidquid sit mali, in eos refundatur, et dubiæ noxæ quarum auctor incertus, illis affingantur. Fortasse in eo laboravit Helias, ut non pateret rapinæ corpus, et ut ab omnium auferretur oculis ea arte, ut nulli innotesceret locus, in quo recondebatur, nec cuniculus, aut ostiolum, per quod descendebatur ad ecclesiam subterraneam. *Hæc ille; ego quoque malo illud temerario Assisiensium consilio, ab inconsiderata pietate petito, adscribere, quam molitionibus Eliæ, quem non culpat Gregorius, quique ad occultandum sancti Patris sui corpus potius ac tutius adhibiturus fuisset paucos e suis, quam tumultuantes cives Assisienses.* F

præstitisse videntur.

726 *Veterum biographorum de his turbis silentium potuit fuisse prudens cautio, ne rem indecoram ac civitati Assisiensi minime honorificam ad posteritatem transmitterent; maxime cum Assisiates culpam suam prompta pœnitentia apud Gregorium jam tum eluissent, ut omnino credendum est, quia de eorumdem pertinacia pœnisve a Pontifice ulterius inflictis nulla prorsus exstat memoria. Forte tamen propter easdem turbas biographi eamdem translationem jejunius breviusque commemorarunt, quam argumentum poscere videtur. Ceterum inter omnes recentiores convenit,* S. Francisci *corpus numquam ex illa ecclesia ablatum fuisse; sed in quo ejusdem ecclesiæ loco tunc*

A *tunc fuerit depositum, et an ibidem hodieque sua carne integrum et in pedes erectum supersit; an contra jaceat resolutum in cineres, gravissima est inter ejusdem Sancti sectatores controversia, in Analectis fusius tractanda.*

In eadem basilica Sancti corpus mansit, tam hic quam a ibi

727 *De eodem sacro thesauro in ista ecclesia suo tempore asservato hæc subdit biographus secundus :* Porro, sicuti gloriosus hic Sanctus multis in vita clarueral miraculorum prodigiis, sic et a die transitus sui usque in præsens ad ipsius patrocinia, non solum in loco, ubi preciosus ossium suorum thesaurus reconditur; verum etiam quacumque parte terrarum pie et fideliter implorata, innumeris

* *an* gaudet ? miraculis choruscare se, gaudeat * Ecclesia. Nam cæcis et surdis, mutis et claudis, ydropicis et paraliticis, demoniacis et leprosis, naufragis et captivis omnium ipsius meritis ægritudinum, necessitatum seu periculorum remedia conferuntur. Sed et multi mirifice mortui suscitantur, operante hæc omnia virtutis Altissimi magnificentia, cui soli est omnis honor et gloria per infinita seculorum secula. Amen. *Sic clauditur in codice nostro hoc anonymi Opusculum, nisi quod ibidem sequatur initium Evangelii, quod in Missa* S. Francisci *legitur, nimirum ex Matthæo :* In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et

B terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua. Igitur Pater *etc.*

miraculis clari. 728 *Tres Socii quoque post breviter relatam sacri corporis translationem, concessumque a Gregorio sæpe dictæ ecclesiæ immunitatis privilegium, elucubrationi suæ finem imponunt, coronidis loco addentes, multos post* S. Francisci *obitum viros nobiles ac litteratos, atque utriusque sexus et omnis conditionis viros ac mulieres, Ordinibus ab illo institutis se subdidisse. Iisdem fere verbis, quibus biographus secundus, S. Bonaventura caput* 15 *Vitæ terminavit; sed adjunxit caput* 16 *et ultimum, in decem* §§ *partitum, in quibus* aliqua ex probatis... miracula, *ut ipsemet ibidem præfatur, recensuit, quæ apud nos recusa legi poterunt. Interim ego, cum quatuor Vitas, quas illustrandas suscepi, in hoc Commentario jam percurrerim, ex illis tres cum adjectis pro more nostro Annotatis, subnecto; deinde ceteram Gloriam posthumam et Analecta daturus.*

VITA PRIMA INEDITA,

A uctore Thoma de Celano, Sancti discipulo.

C *Ex codice Ms. Longi-pontis, Ord. Cisterciensis.*

PROLOGUS.

Biographus fidem in scribendo, scribendi auctorem et Operis ordinem exponit.

Actus et Vitam beatissimi patris nostri Francisci pia devotione, veritate semper prævia et magistra, seriatim cupiens * enarrare : et quia omnia, quæ fecit et docuit, nullorum ad plenum tenet memoria, ea saltem, quæ ex ipsius ore audivi, vel a fidelibus et probatis testibus intellexi, jubente domino et glorioso Papa Gregorio *a*, prout potui, verbis licet imperitis, studui explicare. Sed utinam ejus merear esse discipulus, qui semper locutionum vitavit ænigmata, et verborum phaleras ignoravit! In tribus quoque Opusculis divisi omnia, quæ de ipso Beato colligere potui, per singula capitula universa distinguens, ne varietas rerum gestarum confunderet ordinem, et in dubium adduceret veritatem *b*. Primum itaque Opus historiæ ordinem servat, ac puritati beatæ conversationis et vitæ suæ, sanctisque moribus et salutaribus documentis ejus potissimum dedicatur. In quo etiam miracula pauca de multis, quæ, ipso vivente in carne, Dominus Deus noster per eum operari dignatus est, inseruntur. Secundum autem Opus a penultimo vitæ suæ anno usque ad felicem ipsius obitum gesta narrat. Tertium vero miracula multa continet, et plura tacet; quæ cum Christo regnans in cœlis gloriosissimus Sanctus operatur in terris. Reverentiam quoque refert, honorem, laudem et gloriam, quam ei felix Papa Gregorius, et cum eo universi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales devotissime persolvunt, eum in Sanctorum catalogo conscribentes. Gratiæ omnipotenti Deo, qui semper in Sanctis suis admirabilem et amabilem se ostendit *c*.

AUCTORE THOMA CELAN.

c

ANNOTATA.

a *Nimirum Gregorio IX, qui ante Pontificatum* Hugo *vel* Hugolinus *dictus, et Cardinalis Ostiensis erat,* S. Francisco *amicissimus vixit, eumque biennio post illius mortem Sanctis sollenniter adscripsit. Adi Commentarium* § 1, *ubi hujus Vitæ auctorem diximus Thomam de Celano, seu Celanensem, et tempus, quo eam composuit, docuimus.*

b *Per tria Opuscula tres designat libros, qui singuli in plura capita, sed sine titulis, sunt divisi. Ego pro more nostro plura faciam capita, adjectis titulis, et in margine appositis veterum capitulorum numeris.*

c *Huic Prologo in codice abbatiæ Longi-pontis, ex quo apographum nostrum habemus, præmittebatur :* Incipit Prologus in Vitam S. Francisco confessoris; *in ejusdem fine subdebatur :* Explicit Prologus; *ac denique sequebatur :* Incipit Vita S. Francisci confessoris. E

LIBER I.

De gestis Sancti usque ad penultimum vitæ annum.

CAPUT I.

Francisci vita sæcularis et libera : conversio ejus ad pietatem miris modis promota.

CAP I. *Franciscus Assisii in Umbria a parentibus male educatus.*

Vir erat in civitate Assisii, quæ in finibus vallis Spoletanæ sita est *a*, nomine Franciscus *b*, qui a primævo ætatis suæ anno a parentibus secundum sæculi vanitatem nutritus insolenter, et ipsorum miseram vitam diu imitatus et mores, vanior ipse atque insolentior est effectus. Quoniam hæc pessima consuetudo apud eos, qui Christiano censentur nomine, sic undique inolevit, et perniciosa doctrina hæc, velut lege publica, ita ubique firmata est et præscripta, ut ab ipsis cunabulis remisse nimis et dissolute filios suos studeant educare. Primo namque cum fari vel balbutire incipiunt, turpia quædam et execrabilia valde signis et vocibus edocentur nondum * nati : et cum tempus ablactationis advenerit, quædam luxu et lascivia plena non solum fari, sed et operari coguntur. Non audet aliquis illorum, ætatis timore coactus, honeste se agere, quoniam ex hoc duris subjacet disciplinis. Ideo bene ait secularis poeta : Quia inter exercitationem parentum crevimus, ideo a pueritia nos omnia mala secuntur *. Testimonium hoc verum est, cum eo inimiciora sint filiis vota parentum, quo cessere felicius. Sed et cum paulo plusculum ætate profecerint, se ipsis interpellantibus, semper ad deteriora opera dilabuntur. Ex vitiata namque radice arbor vitiosa succrescit; et quod semel male depravatum est, vix reduci potest ad regulam æquitatis. Cum vero adolescentiæ portas cœperint introire, quales eos fieri arbitraris? Tunc profecto omni genere fluitantes, eo quod liceat eis explere, quod libet, omni se studio tradunt flagitiis deservire. Sic enim voluntaria servitute servi effecti peccati, arma iniquitatis exponunt omnia membra sua, et nihil in se Christianæ religionis in vita seu in moribus præferentes, solo Christianitatis nomine se tuentur.

F

* vixdum

* sequuntur

2 Simulant

AUCTORE THOMA CELAN. *et usque ad annum 25 ætatis suæ factus vitiosior,*

2 Simulant miseri plerumque, se nequiora fecisse, quam fecerunt, ne videantur abjectiores, qui innocentiores existunt. Hæc sunt misera rudimenta, in quibus Home iste, quem Sanctum hodie veneramur, quoniam vere Sanctus est, a pueritia versabatur, et fere usque ad vigesimum quintum annum ætatis suæ tempus suum miserabiliter perdidit et consumpsit. Immo supra coætaneos suos in vanitatibus male proficiens, incentor malorum et æmulator stultitiæ abundantius existebat: admirationi omnibus erat, et in pompa vanæ gloriæ præire cæteros nitebatur. In jocis curiosis, in scurrilibus et inanibus verbis, in cantilenis, in vestibus mollibus et fluidis; quia prædives erat, non avarus, sed prodigus; non accumulator pecuniæ, sed substantiæ dissipator; cautus negotiationum, sed vanissimus dispensator: homo tamen humanius agens, habilis et affabilis multum, licet ad insipientiam sibi, quoniam multi ad hoc post ipsum abibant factores malorum et criminum incentores: sicque constipatus agminibus iniquorum sublimis et magnanimis incedebat, tunc agens per medium Babylonis platearum, quo usque respiceret de cælis Dominus, et propter nomen suum longe faceret furorem suum ab eo, et infrenaret os ejus laude sua, ne penitus interiret. Facta est
B proinde super eum manus Domini, et immutatio dexteræ Excelsi, ut per eum daretur peccatoribus fiducia in gratiam respirandi, et conversionis ad Deum fieret ad exemplum.

II. *incidit in morbum, ex quo convalescens, meliora meditatur;*

3 Enimvero cum adhuc Vir ille juvenili calore ferveseeret in peccatis, et lubrica ætas ad explenda juvenilia jura ipsum impelleret insolenter, ac mansuescere nesciens, antiqui serpentis esset virulentia concitatus *c*, adest subito divina ultio, vel unctio super eum. Et aggreditur primo sensum erroneum revocare, animo angustiam et corpori molestiam inferendo, juxta illud Propheticum: « Ecce ego » sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam mace- » ria *d*. » Sicque diu infirmitate attritus, ut meretur pervicacia hominum, quæ vix nisi suppliciis emendatur, cœpit intra se alia solito cogitare: cumque jam paululum respirasset, et baculo sustentatus, causa recuperandæ sanitatis cœpisset huc atque illuc per domicilium ambulare, die quadam foras exivit, et circa adjacentem planiciem cœpit curiosius intueri: sed pulchritudo agrorum, amœnitas, et quidquid visu pulchrum est, in nullo potuit eum delectare. Mirabatur propterea subitam sibi * immutationem, et prædictorum amatores stultissimos reputabat. Ab ea itaque die cœpit seipsum vilescere sibi, et in contemptu quodam habere, quæ prius
C in admiratione habuerat et amore.

c

d

* *an* sui?

sed mox ad pristina conversus, in Apuliam militatum ire statuit:

4 Non plene tamen et vere; quia nondum solutus erat a vinculis vanitatum, nec perversæ servitutis jugum excusserat de cervice. Gravissimum enim est assueta relinquere, et animo semel injecta non de facili enervantur. Recurrit animus longo tempore segregatus ad rudimenta principii, et assiduitate plerumque vitium vertitur in naturam. Tentat proinde Franciscus divinam fugere manum, et paternæ correctionis paulisper oblitus, arridentibus sibi prosperis, cogitabat, quæ sunt mundi. At ignorans consilium Dei, de gloria et seculi vanitate facturum adhuc maxima se, promittit. Nam nobilis quidam civitatis Assisii militaribus armis se non mediocriter præparat, et inanis gloriæ vento inflatus, ad pecuniæ vel honoris augenda lucra iturum in Apuliam se, spopondit. Quibus auditis, Franciscus, quia levis animo erat, et non modicum audax, ad eundum conspirat cum illo, generis nobilitate impar, se magnanimitate superior, pauperior divitiis, sed profusior largitate.

sed ab hoc consilio per somnium revocatus,

5 Nocte igitur quadam, cum ad hæc consummanda tota se deliberatione dedisset, et desiderio æstuans ad iter agendum anhelaret, qui percusserat eum in virga justitiæ, per visionem nocturnam visitat eum in dulcedine gratiæ *e*: et quia gloriæ cupidus erat, gloriæ fastigio eum allicit et exaltat.

e

Videbatur ei namque domum suam totam habere D
plenam militaribus armis, sellis scilicet, clypeis, lanceis, et cæteris apparatibus; gaudensque plurimum, quid hoc esset, secum tacitus mirabatur. Non enim consueverat talia in domo sua videre, sed potius pannorum cumulos ad vendendum. Cumque ad subitum rerum eventum stuperet non modicum, responsum est ei, omnia hæc arma sua fore, militumque suorum. Expergefactus quoque, animo gaudenti mane surrexit, et præsagium magnæ prosperitatis reputans visionem, prosperum futurum iter suum in Apuliam, securatur. Nesciebat enim, quid diceret, et munus sibi de cælo datum adhuc minime cognoscebat. In eo tamen perpendere poterat, visionis hujus suam interpretationem non esse veram, quia, licet satis rerum gestarum utcumque similitudinem contineret, tamen animus ejus non circa talia solito lætabatur. Vim namque sibimet quandam facere oportebat, ut cogitata perficeret, et iter concupitum effectui manciparet *f*. Et quidem pulchre satis primo de armis fit mentio, et opportune multum arma traduntur contra fortem armatum Militi pugnaturo, ut quasi alter David in nomine Domini Dei exercituum ab inveterato inimicorum opprobrio liberet Israelem.

f

III. *assiduis precibus, maxime in quadam crypta voluntatem Dei exquirit,*

6 Immutatus quoque, sed mente, non corpore, ire in Apuliam jam recusat, et voluntatem suam studet dirigere ad divinam; sicque parumper a seculari tumultu se subtrahens et negotio, studet in interiori homine recondere Jesum Christum *g*. Abscondit velut prudens negotiator margaritam inventam oculis illusorum, et occulte nititur eam, venditis omnibus, comparare. Nam, cum vir quidam in civitate Assisii magis inter cæteros sibi dilectus existeret, unius quidem cum eo erat ætatis, et assidua familiaritas mutuæ dilectionis ad communicanda secreta sua ipsi præberet ausum, eum ad loca remota et apta consiliis sæpius perducebat, quemdam thesaurum pretiosum et magnum se, asserens, invenisse. Exultat homo ille, ac de auditis existens sollicitus, libenter cum eo graditur, quotiens advocatur. Crypta quædam erat juxta civitatem, ad quam frequenter euntes, de thesauro mutuo loquebantur. Intrabat Vir Dei, qui Sanctus jam sancto proposito erat, cryptam illam, socio deforis expectante, et novo ac singulari perfusus spiritu, Patrem suum in abscondito exorabat. Gestiebat, neminem scire, quid ageret intus, et occasione boni melius sapienter occultans, solum Dominum in suo sancto proposito consulebat. Orabat devotus, ut Deus æternus et verus F
dirigeret viam suam, et suam illum doceret facere voluntatem. Maximam sustinebat animi passionem, et donec opere compleret, quod conceperat, corde quiescere non valebat. Cogitationes variæ sibi invicem succedebant, et ipsarum importunitas eum duriter perturbabat. Ardebat intus igne divino, et conceptum ardorem mentis celare deforis non valebat. Pœnitebat eum, peccasse tam graviter, et offendisse oculos Majestatis, nec jam mala præterita seu præsentia delectabant; sed nondum receperat plene continendi fiduciam a futuris. Propterea cum foras revertebatur ad socium, ita erat labore confectus, ut alius exiens, alius videretur intrans.

g

E

eaque divinitus cognita, mire exsultat.

7 Quadam vero die, cum Domini misericordiam plenissime invocasset, ostensum est ei a Domino, quid ipsum agere oporteret *h*, tantoque deinceps repletus est gaudio, quod non se capiens præ lætitia, etiam nolens ad aures hominum aliquid eructabat. Sed, licet præ magnitudine inspirati amoris silere non posset, cautius tamen aliquid et in ænigmate loquebatur. Sicut enim speciali amico, ut dictum est de thesauro abscondito, sic et cæteris loqui figuraliter nitebatur. Dicebat, se in Apuliam nolle ire; sed in patria, promittebat, nobilia et ingentia se facturum. Putabant homines, quod uxorem ducere vellet, ipsumque interrogantes dicebant: Uxoremne ducere vis, Francisce? Qui respondens

h

A respondens, aiebat : Nobiliorem et pulchriorem sponsam, quam umquam videritis, ducam, quæ cæteris forma præmineat, et sapientia cunctis excellat. Et quidem immaculata Dei Sponsa est vera religio, quam suscepit, et thesaurus absconditus est regnum cælorum, quod tanto desiderio exquisivit, quia necessario erat omnino vocatio Euangelica in eo explenda, qui Euangelii erat minister in fide et veritate futurus.

ANNOTATA.

a *De Assisio,* S. Francisci *patria, plura vide in Commentario prævio num.* 55 *et* 56.

b Joannes prius vocatus est a matre (*nempe in baptismo*) a patre vero tunc redeunte a Francia, in cujus absentia natus erat, Franciscus est postmodum nominatus, *inquiunt Tres Socii in Appendice num.* 2. *Consule Commentarium prævium num.* 72 *et sequentibus. Ibidem etiam* § 3 *multa diximus de adjunctis illius nativitatis, baptismi et parentibus, quæ hic non repetemus. Nativitatem vero ipsam ad annum* 1182 *verisimillime referendam statuimus.*

c *Hæc, æque ac præmissa, Thomæ Celanensis de juvene* Francisco *dicta paulo mitius exponenda sunt ex Tribus Sociis et S. Bonaventura, quorum hic in*
B *Vita num.* 6 *negat, ipsum* inter lascivos juvenes, quamvis (*esset*) effusus ad gaudia, post carnis petulantiam *abiisse; illi vero num.* 3 *asserunt, eumdem nec* verbum injuriosum vel turpe *cuiquam dicere voluisse, nec* turpia sibi dicentibus... respondere, *ut propterea quasi per totam provinciam esset omnibus admirationi. Consule Commentarium prævium num.* 78 *et sequentibus.*

d *Oseæ cap.* 2, ℣ 6.

e *S. Bonaventura num.* 8 *et* 9 *nocturnæ visioni, quæ subditur, præmittit piam* S. Francisci *in egenum virum nobilem largitatem, cujus præmium eamdem visionem fuisse, existimat.*

f *Hæc omnia paulo aliter narrat S. Bonaventura loco mox citato; ac in eo maxime discrepat, quod Sanctum per visionem illam non revocatum a militia, sed ad eam incitatum fuisse affirmet; deinde vero num.* 10 *referat aliud divinum somnium, quo ipsum militandi desiderio vale dixisse, asserit; quod secundum somnium cum ignoraret Celanensis, tam subitæ mutationis causam nequivit assignare. Adi Commentarium prævium num.* 94 *et sequentibus, ubi etiam de biographorum hac in parte dissonantia plura leges.*

g *Inserenda hic sunt, quæ tradunt Tres Socii in Appendice num.* 7 *de mirabili dulcedine spiritus, quam Deus illi paucis diebus, postquam Assisium*
C *redierat, in media sociorum suorum turba pompaque infudit, quæque velut ultimum eidem ad sanctiorem vitam stimulum incussit. Inserenda sunt et alia, apud eosdem Socios legenda.*

h *Seu rectius :* Ostendit ei Dominus, quod sibi (*id est,* eidem Francisco) diceretur in proximo, quid ipsum agere oporteret; *uti diserte dicunt Tres Socii, qui prætermissa a Celanensi suppleverunt. Quo tamen modo id fuerit ipsi* ostensum a Domino, *nec illi exponunt. An forte in apparitione Jesu Christi, quam memorat S. Bonaventura in Vita num.* 12, *sed gestis jam relatis præponit? Forte tamen Celanensis vocem Crucifixi in ecclesia* S. Damiani, *quam ipse non retulit, cum alia priori confudit. Vide mox dicenda ad caput sequens.*

CAPUT II.

Prosecutio conversionis : certamina Sancti cum patre, cui omnia abdicat, etiam vestimenta.

IV. *Pecuniam, quam e pannis et equo venditis con-*

Ergo sic affectus beatus Servus Altissimi, et Spiritu sancto confirmatus, quoniam aderat tempus, statutum *, illum beatum impetum animi sui, quo ad optima bona, calcatis secularibus, itur, non licere de cætero facere moram; quia lethalis morbus ubicumque jam in tantum excreverat, et multorum sic omnes occupaverat artus, ut, aliquantisper medico retardante, arriperet vitam, vitali spiritu intercluso *a*. Surgit proinde, et signo sanctæ Crucis se muniens, præparato equo, super eum ascendit, assumptisque secum pannis scapulatis *b* ad vendendum, ad civitatem, quæ Fulgineum *c* vocatur, festinus devenit. Ibi ex morte venditis omnibus, quæ portabat, caballum, cui tunc insederat felix Mercator, assumpto pretio, derelinquit. Regressusque inde, depositis sarcinis, quid ageret de pecunia, religiosa mente tractabat. Mirum in modum mox totus in Dei opere conversus, gravatum valde se sentiens, pecuniam illam una hora portare, ac velut arenam reputans omne illius emolumentum, ad deponendam illam cito festinat. Cumque versus civitatem Assisii remearet, reperit juxta viam quandam ecclesiam, quæ in honorem sancti Damiani fuerat antiquitus fabricata, quæ casum proximum ex vetustate nimia minabatur *d*.

9 Ad quam novus Christi Miles adveniens, pietate tantæ necessitatis commotus, cum timore ac reverentia introivit : et invento illic quodam paupere sacerdote, magnaque cum fide osculatis ejus manibus sacris, pecuniam obtulit ei, quam portabat, et propositum suum per ordinem enarravit. Obstupefactus sacerdos, et ultra, quam credi potest, subitam rerum conversionem admirans, quæ audiebat, credere recusavit. Et, quia putabat, illudi sibi, noluit apud se oblatam pecuniam retinere. Viderat enim eum, ut ita dicam, pene altera die enormiter vivere ultra cognatos et notos, et supra ceteros suam stultitiam exaltare. At ipse pertinacius insistens, verbis suis fidem facere nitebatur, orans enixius et deprecans sacerdotem, ut eum secum morari pro Domino pateretur. Acquievit tandem sacerdos de mora illius : sed timore parentum pecuniam non recepit *e*. Quam verus Contemptor pecuniarum in quamdam fenestram *f* projiciens, de ipsa velut de pulvere nunciavit. Cupiebat enim possidere sapientiam, quæ est auro melior, et prudentiam acquirere, quæ pretiosor est argento.

10 Moram igitur faciente in prædicto loco Servo Dei excelsi, pater ejus circuit usquequaque sedulus, tamquam explorator, scire cupiens, quid de Filio actum sit. Et dum intellexisset, eum in loco jam dicto taliter conversari, tactus dolore cordis intrinsecus, ad subitum rerum eventum turbatus est valde nimis : convocatisque amicis ac vicinis, citissime cucurrit ad locum, in quo Dei Famulus morabatur. At ipse, quia novus athleta Christi erat, cum audiret persequentium minas, ac eorum præsentiret adventum, dare locum iræ volens, in quandam occultam caveam, quam ad hoc ipsemet paraverat, se mergebat. Erat in domo fovea illa uni tantum forte cognita soli, in qua per mensem unum sic continuo latitavit, cum ad causam humanæ necessitatis egredi vix auderet. Cibus siquando dabatur, in fovea occulte edebat eum clam, festinum quia ei impendebatur obsequium : oransque orabat jugiter lacrymarum imbre perfusus, ut liberaret eum Dominus de manibus persequentium animam suam, et ut pia vota sua benigno favore compleret, in jejunio et fletu exorabat clementiam Salvatoris, et de sua diffidens industria, totum jactabat in Domino cogitatum. Et licet esset in fovea et in tenebris constitutus, perfundebatur tamen indicibili lætitia quadam, hactenus inexpectata, in qua totus ignescens, relicta fovea, palam se persecutorum exposuit maledictis.

11 Surrexit itaque protinus impiger, festinus et alacer, et ad præliandum pro Domino scutum fidei proferens, magnæque fiduciæ armis munitus, versus civitatem aggressus est viam, et divino calore succensus, cœpit semetipsum segnitiei et ignaviæ plurimum incusare. Quo viso, cuncti, qui noverant eum, comparantes ultima primis, cœperunt illi

AUCTORE THOMA CELAN.

fecerat,
* *an statuit?*

a

b
c

d

conatur impendere ad reparandam S. Damiani ecclesiam,
E

e
f

V. *apud quam dum a patre quæritur, in cavea per mensem latitat.*

F

Hinc in civitatem palam prodiens, a civibus afficitur contumeliis,

AUCTORE THOMA CELAN.

illi miserabiliter exprobrare, et insanum ac dementem acclamantes, lutum platearum ac lapides in ipsum projiciunt. Cernebant ipsum a pristinis moribus alteratum; et a carnis maceratione valde confectum. Ideo totum, quod agebat, exinanitioni et dementiæ imputabant. Sed, quia melior est patiens arrogante, Famulus Dei surdum in omnibus se præstabat, et nulla immutatus injuria, pro his omnibus gratias Deo referebat. In vanum namque iniquus persequitur ad honesta tendentem, quia plus * fuerit ille percussus, fortius triumphabit. Generosum animum ait quidam per dedecus fortiorem.

* *an* quo plus?

et a patrê captus, cæsusque ac domi vinctus et reclusus,

12 Cumque diu rumor ac plausus hujuscemodi de ipso per plateas ac vicos discurreret civitatis, et huc atque illuc illudentium sonitus resultaret; inter multos, quorum tetigit aures, horum fama tandem pervenit ad patrem. Qui cum audisset Filii sui nomen, et in eo tale negotium a concivibus intorqueri, continuo surgit, non ad deliberandum eum, sed potius ad perdendum; nullaque moderatione servata, tamquam lupus ad ovem, advolat, et torvo ac truci vultu respiciens, injecta manu, inverecunde ac inhoneste satis ad propriam domum pertraxit eum. Sicque, omni miseratione subtracta, per plures dies eum in tenebroso loco reclusit *g* : et putans animum ejus flectere ad sui consensum, primo verbis, deinde verberibus et vinculis agit. Ipse vero ex hoc ad exequendum propositum sanctum promptior et validior reddebatur. Et nec exprobratus verbis, nec vinculis fatigatus, patientiam dereliquit. Non eum per flagella et vincula potest a mentis recta intentione declinare aut statu; nec a Christi grege abduci, cui præcipitur in tribulatione gaudere; nec trepidat in diluvio aquarum multarum, cui est refugium a pressura Filius Dei, qui, ne nostra videantur aspera, nobis semper sua ostendit esse majora, quæ pertulit.

g

B

VI. *tandem a matre dimissus, ad ecclesiam S. Damiani regreditur,*

13 Factum est autem, cum pater ejus, causa urgente, aliquantulum a propria domo discessisset, et Vir Dei vinctus in domus ergastulo permaneret; mater ejus, quæ sola domi cum eo remanserat, factum viri non probans, blandis sermonibus Filium allocuta est. Cumque videret, quod eum a suo proposito revocare non posset, commota sunt materna viscera super eum, et confractis vinculis, liberum eum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Domino referens, ad locum, in quo fuerat prius conditus, est reversus. Majorum enim jam utitur tentationum documentis, probatus et per multiplicia bella, et imaginem lætiorem, et securiorem ex injuriis receperat animum : ubicumque pergens, magnanimior incedebat. Revertitur interea pater, et eo non invento, peccata pro peccatis accumulans, ad convicia uxoris convertitur. Cucurrit ad locum deinde fremens et perstrepens, ut, si eum revocare non posset, saltem de provincia effugaret. Verum, quia timor Domini fiducia fortitudinis est, ut audivit carnalem patrem gratiæ Filius ad se venientem, securus et lætus ultro se obtulit, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula et verbera ejus, insuper attestatur, se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum.

C

ubi a furibundo patre frustra tentatus, ad episcopum adducitur,

14 Videns autem pater, quod ab incepto itinere eum revocare non posset, totus ad extorquendam pecuniam instigatur. Desideraverat Vir Dei, eam in pauperum victu et illius loci ædificiis totam expendere ac præbere : sed, quia pecuniam non amabat, nulla de ipsa specie boni decipi potest : et qui nullo ipsius detinebatur affectu, ad ejus amissionem in aliquo non turbatur. Inventa itaque pecunia, quam maximus terrenorum contemptor, et cælestium divitiarum nimis cupidus exquisitor in pulverem dum * fenestram excusserat, sævientis patris aliquantulum extinguitur furor, et avaritiæ sitis inventionis vapore utcumque restinguitur. Ducit deinde coram episcopo civitatis, ut in ipsius manibus ejus renuntians facultatibus, omnia redderet, quæ habebat *h*. Quod non solum ipse non renuit; sed multum gaudens prompto animo acceleravit facere postulata.

* *forte* pulverulentam

D

h

15 Cumque productus esset coram episcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo; imo nec verba expectat, ut faciat; sed continuo depositis et projectis vestimentis, restituit ea patri : insuper etiam nec femoralia retinens, totus coram omnibus denudatur *i*. Episcopus vero animum ejus attendens, fervoremque ac constantiam nimis admirans, protinus consurrexit, et inter brachia sua ipsum recolligens, pallio, quo indutus erat, contexit eum. Intellexit aperte, divinum esse consilium, et facta Viri Dei, quæ præsentialiter viderat, cognovit mysterium continere. Factus deinceps propterea adjutor ejus, et fovens ipsum atque confortans, amplexatus est eum in visceribus caritatis *k*. Ecce jam nudus cum nudo luctatur, et depositis omnibus, quæ sunt mundi, solius divinæ justitiæ memoratur. Studet jam sic propriam contemnere vitam, omnem pro illa sollicitudinem deponendo, ut sibi pauperi par esset in obsessa via, et solus carnis paries ipsum a divina visione interim separaret *l*.

coram quo, etiam vestes redi ens, bonis omnibus cedit.

i

k

l

ANNOTATA.

E

a *Præmittenda hic sunt, quæ Tres Socii in Appendice num.* 13, *et S. Bonaventura in Vita num.* 13 *tradunt demandato ecclesiæ reparandæ, quod* S. Franciscus *in ecclesia S. Damiani ab imagine Crucifixi Domini accepit.*

b *Quid per* pannos scalpulatos *indicet, plane nescio. Tres Socii num.* 16 *dicunt :* Pannos diversorum colorum; *S. Bonaventura num.* 16 : Pannos venales. *Fecit autem hoc* S. Franciscus, *ut horum pretium conferret in S. Damiani ecclesiæ reparationem, quam sibi a Christo mandatam credebat.*

c Fulginium, *Italis* Foligno, *Umbriæ civitas est, decem circiter milliaribus Romanis Assisio dissita.*

d *Causam itineris Fulginium suscepti et venditarum mercium et equi nescivit Celanensis, ut jam monui supra; propterea hic ex Tribus Sociis sanctoque Bonaventura corrigendus est. Vide dicta mox ad litt.* a *et* b.

e *Sunt, qui istud* S. Francisci *factum calumnientur, atque ipsum ex ablatis parentum rebus furti reum agere non verentur : verum his responsum est in Commentario prævio num.* 116 *et duobus sequentibus.*

f *Waddingus in Apparatu* § 3, *num.* 20 *sic ait :* Adhuc illa exstat fenestra, hoc pecuniarum contemptu celebris, invisiturque a Francisci rerum indagatoribus, ad dextram ingredientis ædiculam.

F

g *Waddingus ibidem num.* 26, Vidi ego, *inquit,* non absque pietate angulum ipsum, obscurum et tetrum, quo sub scala ædificii arcta clausus est custodia, servaturque ad hujus pii Mancipii memoriam in ipsa ecclesia, quæ noviter constructa est in ædibus paternis, absque ulla structuræ injuria vel elegantis ædificii difformitate.

h *Tres Socii in Appendice num.* 19 *præmittunt, patrem, antequam Filium ad episcopum adduxit, frustra laborasse, ut coram magistratu civico comparere cogeretur. Vide dicenda ibidem.*

i *Nonnulli credunt,* S. Franciscum *omni prorsus tegumento corporis nudatum comparuisse, quorum ego opinioni non possum subscribere ob dicta in Commentario prævio num.* 131 *et sequentibus.*

k *Hic episcopus Assisiensis apud Ughellum in Italiæ sacræ auctæ tom. I, col.* 479 *vocatur* Vido (*ab aliis* Guido) de familia Secunda Romanus. *At ibi de eodem additur :* Seraphicum Assisinatem Franciscum e paterna domo nudum egressum atque ad sua genua provolutum excepit, vilique sacco et detrito a se indutum, ut novum vitæ genus constantissime auspicaretur, maxime juvit. *In his corrige, quod Sanctum* e paterna domo nudum egressum *ait; neque enim ille se in paterna domo vestibus exuit, se in palatio episcopi, ut eas patri cederet. Cetera vera sunt; nam et vili sacco vel pallio rustico*

A *rustico Franciscum, priusquam inde discederet, ab episcopo donatum fuisse, constat ex S. Bonaventura in Vita num.* 20; *et Vidonem ipsius eximium adjutorem fautoremque deinceps semper fuisse, infra videbimus.*

1 *Hanc rerum omnium abdicationem, quæ velut fundamentum Ordinis Fratrum Minorum fuit, figendam credimus anno* 1207. *Adi Commentarium* § 7.

CAPUT III.

Sanctus patitur a latronibus : servit in culina monasterii : vestem accipit Eugubii : inservit leprosis : rediens Assisium, mendicando tres reparat ecclesias, auditisque Evangelii verbis, durum magis assumit habitum.

AUCTORE THOMA CELAN.

VII. *A latronibus male mulctatur ; servit in culina; veste donatur,*

Jam enim cum Semicintiis *a* pergeret, qui quondam clavatis *b* utebatur, et per quamdam sylvam laudes Domino lingua Francigena *c* decantaret, latrones super eum subito irruerunt. Quibus ferali animo eum, quis esset, interrogantibus, confidenter Vir Dei plena voce respondit, dicens : Præco sum magni Regis, quid ad vos? At illi percutientes eum, in defosso loco, pleno magnis nivibus, projecerunt, dicentes : Jace, Rustice præco Dei. Ipse vero se huc atque illuc revolvens, nive a se discussa, illis recedentibus, de fovea exilivit; et magno exhilaratus gaudio, cœpit alta voce per nemora laudes Creatori omnium persolvere *d*. Tandem ad quoddam claustrum monachorum veniens, per plures dies in sola vili camisia garcio in coquina *e* existens, cupiebat vel de brodio *f* saturari. Verum, cum omni miseratione subtecta *, nullum posset vel vetustum acquirere indumentum, non motus ira, sed necessitate coactus, inde progrediens devenit ad Eugubii *g* civitatem, ubi a quodam olim amico ejus sibi tuniculam acquisivit. Post hæc a modico tempore jam elapso, cum Viri Dei ubique fama crebresceret, et nomen ejus divulgaretur in populis, Prior monasterii supradicti, quod factum fuerat in Virum Dei, recolens et intelligens, venit ad eum, ob reverentiam Salvatoris ab eo suppliciter pro se suisque veniam postulavit,

B

a

b

c

d

e

f

* *an* subtracta ?

g

leprosis, a quibus adhorruerat, inservit, in paupeves jam olim largus.

17 Deinde vero totius humilitatis sanctus Amator se transtulit ad leprosos, eratque cum eis, dilectissime serviens omnibus propter Deum, et lavans putredinem omnem ab eis, etiam saniem ulcerum extergebat, sicut ipse in testamento suo loquitur, dicens : Quia, cum essem in peccatis, nimis amarum mihi videbatur videre leprosos, et Dominus conduxit me inter illos, et feci misericordiam cum illis *h*. In tantum namque (ut dicebat) aliquando amara ei leprosorum visio existebat, ut, cum tempore vanitatis suæ per duo fere millia eminus ipsorum domos respiceret, nares suas manibus propriis obturaret. Sed, cum jam gratia et virtute Altissimi sancta et virilia inciperet cogitare, in seculari adhuc habitu constitutus leprosum unum obvium habuit die quadam, et semetipso fortior effectus, accessit et osculatus est eum *i*. Exinde quoque cœpit seipsum magis ac magis contemnere, quo usque misericordia Redemptoris ad perfectam suimet victoriam perveniret. Major quoque pauperum, in seculo manens et adhuc seculum sequens, erat adjutor, non habentibus porrigens mane misericordiæ manum, et afflictis gerens compassionis affectum. Nam cum die una præter morem suum, quia curialissimus erat, cuidam pauperi, postulanti ab eo eleemosynam, exprobrasset, statim pœnitentia ductus cœpit ducere intra se magni vituperii magnique dedecoris, petenti pro nomine tanti Regis subtrahere postulata. Posuit deinde in corde suo nemini pro Deo a se petenti secundum posse de cætero aliquid denegare *k*, quod et diligentissime fecit et implevit, quo usque totum omnino præbuit semetipsum, Euangelici consilii primitus executor, quam doctor, effectus. Qui petit (inquit) da ei, et volenti a te mutuari, ne avertaris *l*.

C

h

i

k

18 Primum itaque opus Franciscus aggreditur, liberatione sui de manu carnalis patris obtenta. Domum construit Deo, illamque non de novo facere tentat, sed veterem reparat, vetustam resarcit; non fundamentum evellit, sed super illud ædificat, prærogativam, licet ignorans, semper reservans Christo. Fundamentum enim nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus *m*. Cumque ad locum, in quo, sicut dictum est, ecclesia sancti Damiani antiquitus fuerat constructa, reversus foret, gratia ipsum Altissimi comitante, in brevi eam tempore reparavit *n*. Hic est locus ille beatus et sanctus, in quo gloriosa Religio et excellentissimus Ordo Pauperum dominarum et sanctarum virginum, a conversione B. Francisci fere sex annorum spatio jam clapso, per eumdem beatum Virum felix exordium sumpsit *o*. In quo domina Clara, civitate Assisii oriunda, lapis pretiosissimus atque fortissimus, cæterorum superpositorum lapidum extitit fundamentum. Nam cum post initiationem Ordinis Fratrum dicta domina sancti Viri monitis ad eum conversa fuisset, multis extitit ad profectum, et innumeris ad exemplum, nobilis parentela, sed nobilior gratia; virgo carne, mente castissima; ætate juvencula, sed animo cana; constans proposito, et in divino amore ardentissima desiderio; sapientia prædita, et humilitate præcipua; Clara nomine, vita clarior, clarissima moribus *p*.

VIII. *Reparat ecclesiam S. Damiani, ubi S. Claram*

m

n

o

E

p

admisit ad novum Ordinem Paupetum dominarum,

19 Super hanc quoque pretiosissimarum margaritarum nobilis structura surrexit, quarum laus non ex hominibus, sed ex Deo est, cum nec angusta meditatio eam cogitare sufficiat, nec brevis locus explicare. Præcipua namque ante omnia in eis viget virtus mutuæ ac continuæ caritatis, quæ ita ipsarum in unum copulat voluntates, ut, cum quadraginta pariter alicubi commorentur, idem velle ac idem nolle unum in iis spiritum faciat de diversis. Secundo in unaquaque rutilat humilitatis gemma, quæ collata bona et de cœlis habita sic conservat, ut virtutes cæteras mereatur. Tertio virginitatis et castitatis lilium sic respergit odore mirabili universas, ut terrenarum cogitationum oblitæ sola desiderent cælestia meditari. Et tantus ex ipsius flagrantia in ipsarum cordibus æterni Sponsi amor exoritur, ut integitas sacræ affectionis omnem ab eis consuetudinem vitæ prioris excludat. Quarto sic omnes altissimæ paupertatis sunt titulo insignitæ, ut extremæ necessitati victus et vestitus vix, aut nunquam, satisfacere acquiescant.

F

cujus Ordinis elogium datur,

20 Quinto vero sic abstinentiæ ac taciturnitatis adeptæ sunt gratiam singularem, ut ad cohibendum carnalem motum infrænandam linguam *q* vim minime patiantur. Inde et quædam ipsarum ita sunt collocutionibus dissuetæ, ut, cum necessitas exigit, eas loqui, vix verba formare, prout expedit, recordentur. Sexto quippe in his omnibus virtute patientiæ tam mirabiliter adornantur, ut nulla tribulationum adversitas vel molestiarum injuria ipsarum frangat animum vel immutet. Septimo denique contemplationis summam taliter meruerunt, ut in ea discant omne, quod agendum eis, seu vitandum sit. Et feliciter noverunt mente Deo excedere, nocte ac die divinis laudibus et orationibus insistentes. Dignetur æternus Deus gratia sua secundum principium exitu concludere sanctiori. Et hæc ad præsens de virginibus Deo dicatis et devotissimis ancillis Christi dicta sufficiant, cum ipsarum vita mirifica et institutio gloriosa, quam a domino Papa Gregorio, tunc temporis Ostiensi episcopo, susceperunt *r*, proprium opus requirat et otium.

q

r

21 Interea Sanctus Dei, mutato habitu *s*, et prædicta ecclesia reparata, migravit ad locum alium juxta civitatem Assisii, in quo ecclesiam quamdam *t*, dirutam propemodum, reædificare incipiens,

s

t

AUCTORE THOMA CELAN.

IX. *Reficit aliam ecclesiam, ac tertiam B. M. de Portiuncula dictam.*

piens, a bono proposito non destitit, quo usque ad perfectum duceret universa. Inde vero ad alium se transtulit locum, qui Portiuncula nuncupatur, in quo ecclesia beatæ Matris Virginis Dei antiquitus constituta extiterat, sed deserta tunc a nemine intrabatur. Quam cum Dei Sanctus cerneret sic destructam, pietate commotus, quia devotione fervebat erga totius bonitatis Matrem, cœpit ibidem assiduus commorari. Factum est autem, cum jam dictam ecclesiam reparasset, conversionis ejus annus tertius agebatur *u*. Quo in tempore quasi heremiticum ferme habitum, accinctus corrigia, et baculum manu portans, calceatis pedibus incedebat *x*.

u

x

Audito quodam Evangelii loco, vestem mutat et normam vivendi.

22 Sed cum die quadam Euangelium, qualiter Dominus miserit discipulos suos ad prædicandum, in eadem ecclesia legeretur, et Sanctus Dei assistens ibidem verba Euangelica intellexisset, celebratis Missarum solemniis, a sacerdote sibi exponi Euangelium suppliciter postulavit. Quod * cum ei cuncta enarrasset, audiens S. Franciscus, discipulos non debere aurum, sive argentum, vel pecuniam possidere, non peram, non sacculum, non panem, non virgam in via portare, non calceamenta, non duas tunicas habere; sed regnum Dei et pœnitentiam prædicare *y;* continuo exultans in Spiritu Dei, Hoc est, inquit, quod volo: hoc est, quod quæro: hæc totis medullis cordis facere concupisco. Festinat proinde Pater sanctus, superabundans gaudio, ad impletionem salutaris auditus. Nec moram patitur aliquam præterire, quin operari devotus incipiat, quod audivit. Solvit protinus calceamenta de pedibus, baculum deponit e manibus, et tunica una contentus, pro corrigia funiculum immutavit. Parat sibi ex tunc tunicam, crucis imaginem præferentem *z*, ut in ea pulset omnes dæmoniacas phantasias: parat asperrimam, ut carnem in ea crucifigat cum vitiis et peccatis: parat denique pauperrimam et incultam, quæ a mundo nullatenus valeat concupisci. Cætera vero, quæ audierat, summa cum diligentia, summa cum reverentia facere gestiebat. Non enim fuerat Euangelii surdus auditor, sed laudabili memoriæ, quæ audierat, cuncta commendans, ad litteram diligenter implere curabat.

* *l.* Qui

y

B

z

C

ANNOTATA.

a Semicintium *hic accipiendum non est in sua propria significatione pro zona minus lata; sed pro vili ac brevi veste, qua totum corpus tegi nequibat; quam ob rem ab auctore Vitæ secundæ Sanctus tunc* seminudus *fuisse dicitur.*

b Clavatis *supple* vestimentis, *qualia nimirum ditioris fortunæ primæque conditionis homines gestare solent.*

c *Amabat enim Gallice loqui, quamvis non satis calleret, ut alibi observavi.*

d *Eadem narrantur in Vita secunda et apud S. Bonaventuram.*

e *Id est,* Servulus *ad infima coquinæ obsequia deputatus.*

f Brodium, *italis* Broda et Brodo, *Latinis est carnium elixarum jusculum.*

g Eugubium, *vernacule* Gubbio, *episcopalis civitas est ducatus Urbinatis in ditione Ecclesiæ, tredecim circiter milliaribus Assisio distans Urbinum versus.*

h *Dignum hoc* S. Francisco *Testamentum dedi in Commentario prævio, ubi num.* 622 *verba a Celanensi hic allegata reperies.*

i *Vide hæc paulo latius exposita apud Tres Socios in Appendice num.* 11, *et apud S. Bonaventuram in Vita, item num.* 11.

k *Vide hæc quoque apud Tres Socios num.* 3, *sanctumque Bonaventuram, num.* 7.

l *Ex Matthæi cap.* 3, ŷ 42.

m *Ita loquitur auctor, ut indicet, restaurationem ecclesiæ S. Damiani figuram quamdam fuisse instaurationis multorum bonorum operum in Ecclesia Dei, quam effigies Crucifixi* Francisco *primario mandaverat, atque ipse cum suis erat effecturus.* D

n *Reparavit autem ex eleemosynis, quas Assisii publice mendicans inter multorum sannas collegit, ac propriis humeris donatos lapides afferendo. Consule Tres Socios in Appendice num.* 21.

o *Adi Commentarium prævium* § 7, *num* 278 *et sequentibus, ubi Pauperum dominarum, quæ nunc* Clarissæ *vocantur, Ordinis initium ad annum* 1212 *cum aliis retuli.*

p *Colitur S. Clara die* 12 *Augusi, quo ejusdem gesta illustrata sunt in Opere nostro. Adi etiam, si lubet Commentarium prævium loco mox indicato.*

q *Lege* in frænando linguam, *vel,* et frænandam linguam.

r *Fuit hic Hugo vel Hugolinus, de quo ob intimam cum* S. Francisco *familiaritatem in Vitis sæpius recurret mentio. De Regula Clarissis scripta loquar in Analectis.*

s *Hic lapsus memoria videtur Celanensis, si mutationem habitus inter utriusque ecclesiæ reparationem contigisse significet. Sanctus enim assumptam eremiticam vestem non deposuit, nisi postea, ut suo loco videbimus.*

t *Erat hæc ecclesia S. Petri, longius, quam prædicta S. Damiani, Assisio distans, ut docet S. Bonaventura in Vita danda num* 23. *Merito censuit Waddingus in Apparatu, hanc citius, quam priorem, ab eo reparatam fuisse, quia, crescente sancti Viri fama, augebantur eleemosynæ, quas hunc in finem mendicabat.* E

u *A prima scilicet illius conversione, quam anno* 1206 *contigisse credimus. Qua ratione tam exiguo tempore tres memoratas ecclesias reparasse credi possit, dixi in Commentario prævio num.* 130.

x *Sunt, qui velint, Sanctum tunc temporis Eremitam Ordinis S. Augustini fuisse, quod sane cum Vitis edendis nullo modo convenit.*

y *Hoc Evangelium fuisse ex Matthæi cap.* 10, *liquet ex S. Bonaventura. Contigerunt autem hæc secundum chronotaxim nostram anno Christi* 1209, *ac forte die* 24 *Februarii. Lege Commentarium prævium num.* 131 *et sequentibus.*

z *Habitus ille* Crucis imaginem *prætulisse dicitur; quia suprema illius pars, qua caput tegebatur, sive caputium, satis eminebat supra humeros, ut crucis apicem, manicæ vero, ut transversum stipitem quoquo modo referre possent. Adi Commentarium prævium num.* 176 *et sequentibus, ubi de* S. Francisci *habitu plura reperies.*

CAPUT IV.

Sanctus pœnitentiam prædicare incipit: primorum sociorum accessus: monita eis data: aliorum accessus, quo universi fiunt numero duodecim. F

X. *Prædicat cum magno fructu. discipulos colligit,*

Exinde cum magno fervore spiritus et gaudio mentis cœpit omnibus pœnitentiam prædicare, verbo simplici, sed corde magnifico ædificans audientes. Erat verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordium. Et omnium mentes admiratione replebat. Totus alter videbatur, quam fuerat, et cælum intuens, dedignabatur respicere terram. Et mirum est dictu certe, quia cœpit ibi primitus prædicare, ubi, cum adhuc esset infantulus, didicerat legere; in quo etiam loco honorifice sepultus est *a*. Primum ut felix initium consummatio commendaret: ubi didicit, ibi et docuit; et ubi cœpit, ibi feliciter consummavit. In omni prædicatione sua, priusquam convenientibus proponeret verbum Dei, pacem imprecabatur, dicens: Dominus det vobis pacem: hanc viris et mulieribus, hanc et obviantibus semper devotissime nuntiabat. Propterea multi, qui oderant pacem pariter et salutem, Domino cooperante, pacem amplexati sunt toto corde, facti et ipsi filii pacis et æmuli salutis æternæ.

a

24 Inter

A

primo puerum, deinde Bernardum, virum insignem,

b

24 Inter quos quidam de Assisio puer, ac simplicem spiritum gerens, Virum Dei primo devote secutus est. Post hunc frater Bernardus legatam pacem amplectens, ad mercandum regnum cælorum post Sanctum Dei cucurrit alacriter *b*. Hic enim frequenter susceperat beatum Patrem hospitio, cujus vitam et mores intuitus et expertus, refectusque sanctitatis ejus odore, concepit timorem et salutis spiritum parturivit. Videbat tota nocte eum orantem, rarissime dormientem, laudantem, Deum et gloriosam Matrem ejus mirabatur, atque dicebat : Vere hic Homo est a Deo. Accelerat proinde vendere omnia sua : pauperibus, non parentibus, elargitus est ea, et perfectioris vitæ titulum apprehendens, sancti Euangelii consilium adimplevit : « Si vis perfectus esse, vade, » et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, » habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere » me *c*. » Quo facto, vita et habitu sancto Francisco associatus est, eratque cum eo semper, quo usque, multiplicatis fratribus, cum obedientia pii Patris ad alias transmissus est regiones : cujus namque ad Deum conversio forma extitit convertendis in venditione possessionum et elargitione pauperum.

c

ac quatuor alios, inter quos fuere B. Ægidius et Philippus ;

d

B

25 Sanctus Franciscus vero de tanti viri adventu et conversione gavisus est gaudio magno valde, eo quod Dominus videretur ejus habere curam, dans ei socium necessarium et amicum fidelem. Statim autem vir alter Assisii civitatis *d* eum secutus est, qui valde in conversatione laudabilis extitit; et, quod sancte cœpit, sanctius post modicum consummavit. Hunc vero post non multum temporis sequitur frater Ægidius, vir simplex et rectus ac timens Deum, qui longo tempore durans, sancte, juste ac pie vivendo, perfectæ obedientiæ sanctæque contemplationis nobis reliquit exemplum *e*. His autem uno alio apposito, frater Philippus septenarium numerum adimplevit *f*, cujus Dominus munditiæ calculo labia tetigit, ut loqueretur de ipso dulcia et melliflua eructaret. Scripturas sacras quoque intelligens et interpretans, cum non didicerit, illorum imitator effectus est, quos idiotas et sine litteris fore, Judæorum principes causabantur *g*.

e

f

g

XI.

quibuscum dum viveret, inter orandum in ecstasi

26 Beatus igitur pater Franciscus consolatione ac gratia Sancti Spiritus quotidie implebatur, omnique vigilantia a sollicitudine novos filios novis institutionibus informabat, sanctæ paupertatis beatæque simplicitatis viam gressu indeclinabili eos edocens ambulare. Quadam vero die, cum Domini misericordiam super impensis sibi beneficiis miraretur, et conversationis suæ, suorumque processum concupisceret sibi a Domino indicari, locum

C

orationis petit, sicut et sæpissime faciebat, ubi cum diu perseveraret, cum timore et tremore Dominatori universi assistens, et in amaritudine animæ suæ annos male expensos recogitaret, frequenter replicans verbum illud : Deus, propitius esto mihi peccatori; quædam lætitia indicibilis et suavitas maxima sensim cœpit cordis ejus intima superfundere, semet cœpit a semetipso deficere, compressisque affectibus ac tenebris effugatis, quæ timore peccati fuerant in corde suo concretæ, infusa est sibi certitudo remissionis omnium delictorum, et fiducia in gratiam respirandi. Raptus deinde super se, atque in quodam lumine totus absorptus, dilatato mentis sinu, quæ futura erant, luculenter aspexit. Recedente deinde suavitate illa cum lumine, spiritu innovatus, jam mutatus in alterum videbatur.

futurum sui Ordinis magnitudinem cognoscit,

27 Sicque reversus, gaudenter dixit ad fratres : Confortamini carissimi, et gaudete in Domino; nec, quia pauci, efficiamini tristes; nec vos deterreat mea vel vestra simplicitas; quoniam, sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, in maximam multitudinem faciet vos crescere Deus, et usque ad finem orbis multipliciter dilatabit. Ad vestrum quoque profectum dicere cogor, quod et utique magis silere liberet, nisi caritas me cogeret vobis referre : Vidi multitudinem hominum ad me venientium, et in habitu sanctæ Religionis Regula * nobiscum volentium conversari. Et ecce adhuc sonitus eorum in auribus meis, euntium et redeuntium secundum obedientiæ sanctæ mandatum. Vidi quasi vias ipsorum multitudine plenas ex omni fere natione in his partibus convenire. Veniunt Francigenæ, festinant Hispani; Theutonici et Anglici currunt, et aliarum diversarum linguarum accelerat multitudo. Quod cum audissent fratres, repleti sunt gaudio salutari, sive propter gratiam, quam Dominus contulerat Sancto suo, sive quia proximorum lucra sitiebant ardenter, quos desiderabant salvi * esse, et in id ipsum quotidie augmentari.

AUCTORE THOMA CELAN.

* *an* et Regula

* salvos

iisdemque deinde exponit.

28 Et ait ad eos Sanctus : Ut fideliter et devote Deo nostro super omnia dona sua gratias referamus, et ut sciatis, qualiter cum præsentibus et futuris sit fratribus conversandum, futurorum processuum intelligite veritatem. Nunc in principio nostræ conversationis inveniemus poma quædam dulcia et suavia nimium ad edendum; sed paulo post quædam minoris suavitatis ac dulcedinis afferentur; postremo vero quædam amaritudine plena dabuntur, quibus non poterimus vesci, quoniam præ acerbitate sua erunt inesibilia universis, licet quandam exteriorem olentiam ac pulchritudinem repræsentent. Et vere, sicut locutus sum, in magnam gentem nos Dominus augmentabit. Sed ultimo sic eveniet, quemadmodum si homo jactet retia sua in mare vel in aliquem lacum, et concludat multitudinem pisciuin copiosam, et cum omnes miserit in naviculam suam, præ multitudine omnes portare fastidiens, eligat majores et sibi placentes in vasis suis, cæteros autem foras emittat. Hæc omnia, quæ Sanctus Dei prædixit, quanta veritate præfulgeant, quanta se manifestatione aperiant, satis manifestum est considerantibus in spiritu veritatis *h*. Ecce quomodo spiritus prophetiæ requievit in S. Francisco!

E

h

XII.

Post accessum alterius, bini et bini invicem abscedunt prædicatum,

29 Eodem quoque tempore quodam alio bono viro Religionem intrante, ad octonarium numerum processerunt. Tunc beatus Franciscus omnes ad se convocavit, et plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis et proprii corporis subjectione pronuntians, binos illos in partes quatuor segregavit; et ait ad eos : Ite cautissimi, bini et bini per diversas partes orbis, annuntiantes pacem hominibus et pœnitentiam in remissionem peccatorum. Et estote patientes in tribulatione; securi, quia propositum suum et promissum Deus adimplebit. Interrogantibushumiliter respondete, persequentibus benedicite; vobis injuriantibus et calumniam referentibus gratias agite : et pro his regnum vobis paratur æternum. At illi cum gaudio et lætitia suscipientes obedientiæ sanctæ mandatum, coram S. Francisco supplices se prosternebant in terram. Ipse vero amplexans eos dulciter et devote, singulis dicebat : Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet. Hoc verbum dicebat, quotiens ad obedientiam fratres aliquos transmittebat.

F

et paulo post orante Sancto, denuo conveniunt;

i

30 Tunc frater Bernardus cum fratre Ægidio versus sanctum Jacobum iter arripuit *i*. Sanctus vero Franciscus cum suo aliam mundi elegit partem, reliqui quatuor, incedentes bini, partes reliquas tenuerunt. Sed modico tempore jam elapso, sanctus Franciscus, eos videre desiderans, orabat Dominum, qui congregat dispersos Israel, ut eos in brevi congregare misericorditer dignaretur : sicque factum est, ut in modico secundum desiderium suum, absque humana vocatione, gratias agentes Deo, pariter convenirent. Convenientibus vero in unum divisione magni Pastoris, magna gaudia celebrant, et se sic uno convenisse desiderio admirantur. Referunt deinde bona, quæ Misericors fecerat eis; et, si negligentes et ingrati aliquatenus extitissent, correptionem et disciplinam a sancto Patre humiliter petunt, et diligenter suscipiunt. Sic enim consueverant facere semper, cum veniebant ad eum; nec ab eo cogitationem minimam, vel primos etiam motus animi occultabant :

AUCTORE THOMA CELAN.

bant : et cum omnia implevissent, quæ ipsis præcepta erant, servos se inutiles reputabant. Sic etiam totam illam primam beati Francisci scholam puritatis spiritus possidebat, ut, cum utilia et sancta et justa operari sciret, de ipsis gaudere inaniter penitus ignoraret.

quos ille lætus suscipit, ejusque fama celebris evadit.

31 Beatus vero Pater nimia caritate filios amplectens, cœpit eis aperire propositum suum; et quæ sibi revelaverat Deus, indicare. Statim autem alii quatuor boni et idonei viri appositi sunt ad eos, et secuti sunt Sanctum Dei. Factus est proinde rumor magnus in populo, et fama Viri cœpit longius dilatari. Erat certe illo in tempore S. Francisco et fratribus suis exultatio magna nimis et gaudium singulare, quando aliquis, quicumque vel qualiscumque, dives, pauper, nobilis, ignobilis, vilis, carus, prudens, simplex, clericus, idiota, laicus, in populo Christiano, Spiritu Dei ductus, veniebat sanctum Religionis habitum suscepturus. Erat in secularibus viris de omnibus viris admiratio multa et humilitatis exemplum, eos provocans ad emendationis vitæ viam et pœnitentiam peccatorum. Nulla ignobilitas, vel nulla paupertatis infirmitas obsistebat, quin ædificarentur in opere Dei, quos volebat ædificare Deus, qui esse cum abjectis et cum simplicibus delectatur.

B

ANNOTATA.

a *Nempe in ecclesia S. Georgii intra civitatem Assisiensem, ad quam defuncti corpus e conventu S. Mariæ in Portiuncula postridie mortis illius anno* 1228 *honorifice delatum fuit, et ex qua deinde anno* 1230 *ad ecclesiam eidem dicatam, ubi hactenus colitur, translatum est, ut constabit ex dicendis. Verum, cum Celanensis ante postremum annum scripserit, non potuit, nisi de prima illius sepultura in ecclesia S. Georgii meminisse.*

b *Hunc Bernardum, quem de* Quintavalle *cognominant, omnes agnoscunt, primum fuisse* S. Francisci *socium; ut omnino dicendum sit, puerum, qui hic præmittitur, non fuisse saltem ante Bernardum habitu a Sancto donatum. Consule Commentarium prævium* § 9, *ubi de hujus insignis viri ad* S. Franciscum *accessu, qui anno* 1209 *contigit, pluribus actum est. Lege etiam Tres Socios in Appendice num.* 27 *et segg.*

c *Ita fere Matthæi cap.* 19, ŷ 21.

d *Fuit hic nominatus* Petrus, *de quo vide Tres Socios in Appendice num.* 29.

e *Vivebat is adhuc, dum hæc scripsit Celanensis: quare verbum* Reliquit *interpretare per* Dedit. *De eo vide apud nos die* 25 *Aprilis.*

C

f *Annumeratis ipso* S. Francisco *et puero, de quo supra.*

g *Actor. Apost. cap* 4, ŷ. 13.

h *Hoc sanctissimi Viri vaticinium hodieque cum magna Ecclesiæ Dei utilitate impleri, totus orbis experitur.*

i *Nimirum Compostellam in Gallæcia, ubi S. Jacobi apostoli corpus magna peregrinorum accurrentium pietate colitur. Attamen eo usque tunc non pertigerunt laudati Bernardus et Ægidius, quia nimis breve spatium inter eorumdum discessum reditumque intercessisse, mox videbemus.*

CAPUT V.

Ordo S. Francisci ab Innocentio III approbatus : cibus ei sociisque in loco deserto allatus : multa de Sancto ejusque primis sociis.

XIII. *Romam profectus, juvantibus episcopo Assisiate et Cardinale Sabinensi, a*

Videns beatus Franciscus, quod Dominus Deus quotidie augeret numerum in idipsum, scripsit sibi et fratribus suis, habitis et futuris, simpliciter et paucis verbis vitæ formam et Regulam, sancti Euangelii præcipue sermonibus utens *a*, ad cujus perfectionem solummodo inhiabat. Pauca tamen inseruit alia, quæ omnia omnino ad conversationis sanctæ usum necessario innuebant *. Venit proinde Romam cum omnibus dictis fratribus *b*, desiderans sibi nimirum a domino Papa Innocentio III, quæ scripserat, confirmari. Erat tunc temporis Romæ venerabilis Assisii natus episcopus, nomine Guido *c*, qui sanctum Franciscum et omnes fratres in omnibus honorabat et speciali venerabatur dilectione : cumque vidisset S. Franciscum et fratres, causam nesciens, ipsorum adventum [ægere *d*] tulit. Timebat enim, ne patriam vellent deserere, in qua Dominus per servos suos jam cœperat operari. Gaudebat plurimum tantos viros in suo episcopatu habere, de quorum vita et moribus maxime præsumebat. Sed audita causa, et eorum intellecto proposito, gavisus est in Domino valde, respondens eis, se ad hoc consilium et præsidium fore. Accessit præterea S. Franciscus ad reverendum dominum episcopum Sabinensem, nomine Joannem de S. Paulo *e*, qui inter alios Romanæ curiæ principes et majores terrena videbatur despicere, et amare cælestia. Nam illum benigne atque caritative suscipiens, ipsius voluntatem et propositum plurimum commendavit.

D

* *forte* innuebat.

b

c

d

e

33 Verum, quia homo erat providus et discretus, cœpit eum de multis interrogare, et, ut ad vitam monasticam seu eremiticam diverteret, suadebat. At sanctus Franciscus suasionem ejus humiliter, prout poterat, recusabat : non suasa despiciendo, sed alia pie affectando, altiori ferebatur. Mirabatur dominus ille fervorem ipsius, et timens, ne a tanto proposito resiliret, ei planiora itinera ostendebat. Tandem ejus constantia victus, precibus acquievit, et coram Domino studuit ejus negotia de cætero promovere. Præerat tunc temporis Ecclesiæ Dei Innocentius Papa III *f*, ut gloriosus doctrina, affluentissimus quoque sermone, clarissimus zelo justitiæ, cum fidei cultus eam poscebat. Hic cum virorum Dei votum agnovisset, discretione prævia, petitioni eorum assensum præbuit, et effectu prosequentiæ complevit : atque de plurimis cohortans et monens eos, benedixit S. Francisco et fratribus ejus, dixitque eis : Ite cum Domino, fratres, et prout Dominus inspirare vobis dignabitur, omnibus pœnitentiam prædicate. Cum enim omnipotens Dominus vos numero multiplicabit et gratiam *, ad me cum gaudio referetis, et ego vobis his plura concedam, et securius majora committam *g*. Vere Dominus erat cum S. Francisco, quocumque pergebat, eum revelationibus lætificans et beneficiis exhortans. Nam cum nocte quadam se sopori dedisset, visum est ei per quandam viam ambulare, juxta quam arbor magnæ proceritatis stabat. Arbor illa pulchra, fortis, grossa et alta nimis. Factum est autem, dum appropinquaret ad eam, et sub ea stans, ejus pulchritudinem et altitudinem miraretur, ut cacumen arboris tangeret, eamque manu capiens facillime inclinaret ad terram. Et revera sic actum est, cum dominus Innocentius, arbor in mundo excelsior et sublimior, ejus petitioni et voluntati se tam benignissime inclinavit.

approbationem Regulæ et potestatem prædicandi sibi suisque a Papa impetrat.

E

f

* *forte* gratia

g

F

XIV. *Roma cum suis revertens, in via divinitus reficitur,*

34 Sanctus Franciscus de munere ac gratia tanti patris et domini plurimum exultans, gratias egit omnipotenti Deo, qui ponit humiles in sublimi, et mœrentes erigit sospitate; statimque venit visitare limina B. Petri. Et oratione completa, egressus ex Urbe, versus vallem Spoletanam iter arripiens, cum sociis est profectus. Conferebant ad invicem, dum irent, quanta et qualia eis clementissimus Deus dona contulerit, qualiter a Vicario Christi, domino et patre universæ Christianæ nationis, gratissime sunt recepti : qualiter etiam monita et præcepta ipsius adimplere valerent : qualiter Regulam, quam susceperant, possent sincere servare et indeclinabiliter custodire : qualiter moniti * sanctitate et religione coram Altissimo ambularent : qualiter deinde vita et mores ipsorum per incrementa sanctarum virtutum forent proximis ad exemplum. Cumque novi Christi discipuli de hujusmodi

* *an* muniti ?

A hujusmodi in schola humilitatis sufficienter disputassent, dies multum ascendit et hora *h* præteriit. Pervenerant tunc ad desertum locum, præ lassitudine itineris fatigati, et usurientes refectionem aliquam invenire non poterant, eo quod locus ille ab hominum habitatione valde remotus erat. Statimque, divina gratia procurante, occurrit homo, afferens manu panem, deditque eis, et abiit. Ipsi vero non cognoscentes eum, mirati sunt in cordibus suis, et ut magis de misericordia divina confiderent, devote alter alterum admonebat.

h

* *forte* non modicum

Sumptoque cibo, et ex ipso non modico * confortati, venientes ad quemdam locum prope civitatem Ortensem *i*, ibidem fere per dies quindecim sunt morati. Aliqui eorum intrantes civitatem, acquirentes necessaria victus, et modicum illud, quod acquirere poterant ostiatim, ad fratres alios deportantes, cum gratiarum actione ac lætitia cordis pariter manducabant. Si quid vero residuum erat, quoniam alicui dare non poterant, recondebant illud in quodam sepulchro, quod aliquando conservaverat corpora mortuorum, ut idem iterum manducarent.

i

et prope civitatem Hortensem aliquot dies in deserto loco moratus,

35 Locus ille desertus erat atque relictus, et rarorum aut nullorum frequentabatur accessu. Erat eis exultatio magna, cum nihil haberent, aut viderent, quod eos posset vane seu carnaliter delectare. Cœperunt propterea cum sancta paupertate ibidem habere commercium, et in defectu omnium, quæ sunt mundi, nimium consolari. Disponebant, sicut ibi erant, et ubique perpetuo adhærere. Et quia, deposita omni sollicitudine terrenorum, sola eos divina consolatio delectabat, statuunt et confirmant, nullis impulsi tentationibus ab ejus amplexibus resilire. Sed licet ipsius loci amœnitas, quæ ad corrumpendum verum vigorem animi non mediocriter potest, eorum non detineret affectus, ne saltem longioris moræ assiduitas vel solum exterius eis aliquid proprietatis innecteret, loco ipso relicto *k*, sequentes felicem Patrem, vallem Spoletanam tunc temporis intraverunt. Conferebant pariter veri cultores justitiæ, utrum inter homines conversari deberent, an ad loca solitaria se transferre. Sed S. Franciscus, qui non de industria propria confidebat, sed sancta oratione omnia præveniebat negotia, elegit non sibi vivere soli, sed ei, qui pro omnibus mortuus est, sciens se ad hoc missum, ut Deo animas lucraretur, quas diabolus conabatur auferre.

B

k

xv.

in civitatibus et castellis prædicat

36 Circuibat proinde fortissimus miles Christi Franciscus civitates et castella, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina et virtute spiritus, annuncians regnum Dei, prædicans pacem, docens salutem et pœnitentiam in remissionem peccatorum. Erat in omnibus fiducialius agens ex authoritate Apostolica sibi concessa *l*, nullis utens adulationibus, nullis seductoribus blandimentis. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione percutere. Quoniam primo sibi suaserat opere, quod verbis aliis suadebat; et non timens reprehensorem, veritatem fidentissime loquebatur, ita ut litteratissimi etiam viri, gloria et dignitate potentes, mirarentur sermones, et timore utili ejus præsentia terrerentur. Currebant viri, currebant et fœminæ; festinabant clerici, accelerabant Religiosi, ut viderent et audirent Sanctum Dei, qui homo alterius seculi videbatur. Omnis ætas, omnisque sexus properabat cernere mirabilia, quæ novit Dominus, quæ per Servum suum operabatur in mundo. Videbatur certe tempore illo, sive per præsentiam S. Francisci, sive per famam quædam nova lux e cælo missa, in terris fugans universam tenebrarum caliginem, quæ pene totam sic occupaverat regionem, ut vix aliquis sciret, quo foret pergendum. Sic enim alta profunditas oblivionis Dei, et negligentiæ sopor mandatorum ejus fere omnes oppresserat, ut vix excitari a veteribus et inveteratis malis aliquatenus paterentur.

C

l

37 Radiabat quasi stella fulgens in caligine noctis, et quasi mane expansum super tenebras. Sicque factum est, ut in brevi totius provinciæ facies sit immutata, et lætiori vultu appareret, ubique deposita pristina fœditate. Fugata est prior ariditas et seges in scalenti * campo surrexit cito. Cœpit etiam inculta vinea germinare, et germen odoris et honestatis pariter parturivit. Resonabat ubique gratiarum actio et vox laudis, ita ut multi, secularibus curis abjectis, in vita et doctrina beatissimi patris Francisci suam reciperent notitiam, et ad Creatoris amorem et reverentiam aspirarent. Cœperunt multi de populo nobiles, ignobiles, clerici et laici divina inspiratione compuncti, ad S. Franciscum accedere, cupientes sub ejus disciplina et magisterio perpetuo militare. Quos omnes Sanctus Dei, velut cælestis gratiæ rivus uberrimus, charismatum imbribus rigans, agrum cordis ipsorum virtutum floribus exornabat : Egregius nempe Artifex, ad cujus formam, regulam et doctrinam efferendo præconio in utroque sexu Christi renovatur Ecclesia, et trina fide triumphat *m* salvandorum. Omnibus tribuebat normam vitæ, et salutis viam in omni gradu veraciter demonstrabat.

AUCTORE THOMA CELAN.

cum miro populi concursu parique fructu.

* *l.* squalenti

m

38 Sed de Ordine, quem caritate pariter et professione assumpsit et tenuit, præcipue sermo in manibus est. Quid enim? Ordinem Fratrum Minorum primitus ipse plantavit, et ea scilicet occasione hoc ei nomen imposuit. Cum enim sic in Regula scriberetur : Et sunt minores : ad cujus sermonis prolationem ea quidem hora, Volo, inquit, ut Ordo fratrum Minorum fraternitas hæc vocetur *n*. Et vere Minores, qui omnibus subditi existentes, semper quærebant locum vilitatis et officium exercere, et in quo quædam fore injuria videretur, ut sic in solido veræ humilitatis fundati mererentur, ut felici dispositione in eis consurgeret omnium virtutum fabrica spiritalis. Revera constantiæ fundamentum caritatis nobilis structura surrexit, in qua vivi lapides ex omnibus mundi partibus coacervati sunt in habitaculum Spiritus Sancti. O quanto caritatis ardore flagrabant novi Christi discipuli! Quantus in eis piæ societatis vigebat amor! Cum enim alicubi convenirent pariter, vel in via, ut moris est, sibi invicem obviarent, ibi spiculum spiritalis amoris resultabat, super omnes veræ dilectionis seminarium spargens. Quid illud? Casti amplexus, suaves affectus, osculum sanctum, dulce colloquium, risus modestus, animus simplex, lingua placabilis, responsio mollis, idem propositum, promptum obsequium et indefessa manus.

Socii seu discipuli ejus, quos Minores vocari voluit,

E

n

39 Et quidem cum terrena cuncta despicerent, et seipsos nunquam amore privato diligerent, totius affectum in communi refundentes, seipsos dare in pretium satagebant, ut fraternæ necessitati pariter subvenirent; desiderabiliter conveniebant, delectabilius simul erant, et gravis erat utrinque separatio socialis, amarum divortium, acerba disjunctio. Sed nihil sanctæ obedientiæ præceptis audebant præponere obedientissimi milites, qui, antequam perficerent, obedientiæ se ad exequendum imperium præparabant, nihil scientes discernere in præceptis, ad quæque injuncta, omni remota contradictione, quasi præcipites concurrebant. Paupertatis sanctissimæ sectatores, quia habebant nihil, amabant nihil, perinde nihil perdere verebantur. Sola tunica erant contenti, repetiata *o* quandoque intus et foris. Nullus in ea cultus, et despectus multus et vilitas apparebat, ut in ea crucifigi penitus mundo viderentur. Fune succincti, femoralia vilia gestabant, et in his omnibus permanere, nihilque amplius habere, propositum pium habebant. Securi propterea erant ubique, nullo timore suspensi, nulla cura distracti, sine ulla sollicitudine diem crastinum expectabant : nec de serotino hospitio, in magno frequenter itineris discrimine positi, anxiabantur. Nam cum sæpe in maximis frigoribus necessario carerent hospitio, clibanus recolligebat eos *p*, vel certe in cryptis

in omni virtutum genere excellunt,

F

o

p

AUCTORE THOMA CELAN.

cryptis seu speluncis humiliter latitabant. Diebus vero manibus propriis, qui noverant, laborabant, existentes in domibus leprosorum, vel in aliis locis honestis, servientes humiliter et devote.

aliisque præ-lucent, q

40 Nullum officium exercere volebant, de quo posset scandalum exoriri *q*, sed semper justa et sancta, honesta et utilia operantes, omnes, cum quibus conversabantur, ad humilitatis exemplum et patientiam provocabant. Ita eos virtus patientiæ circumdederat, ut potius quærerent, ibi esse, ubi persecutionem suorum operum paterentur, quam ubi possent, sanctitate ipsorum cognita vel laudata, mundi favoribus sublevari. Nam multoties opprobriorum contumeliis affecti, denudati, verberati *r*, ligati, carcerati, nullius patrocinio se tuentes, cuncta sic viriliter sustinebant, ut in ore ipsorum non nisi sola vox laudis et gratiarum actio resonaret. Vix aut nunquam a laude Dei cessabant, sed continua discussione, quidquid recolligentes, pro bene actis gratias Deo, pro neglectis et incaute commissis gemitus et lacrymas persolvebant. Relictos a Deo se fore, putabant, si non se in spiritu devotionis solita pietate jugiter cognoscerent visitari. Cum enim orationibus incumbere vellent, ne ipsos arriperet somnus, aliquo adminiculo tuebantur. Aliquis suspensus funibus fulciebatur, ne per somni

r

B subreptionem oratio turbaretur : aliqui se instrumentis ferreis circumdabant : aliqui vero ligneis ergastulis se cingebant. Si quando ciborum copia vel potus, ut assolet, eorum sobrietas turbaretur, vel itineris lassitudine necessitatis metas vel in modico pertransiret, multorum dierum abstinentia se acerbissime cruciabant. Tanta denique maceratione incentiva carnis reprimere satagebant, ut in frigidissima glacie non abhorrerent sæpius se nudare, ac totum corpus spinarum aculeis compungentes, effusione sanguinis irrigare.

ita scilicet a sancto Patre suo instituti.

41 Ita enim omnia terrena strenuissime conterebant, ut extrema vitæ necessaria recipere paterentur, et tam longa consuetudine a corporea consolatione disjuncti quæque aspera non timerent. In his omnibus pacem et mansuetudinem cum omnibus sequebantur, et pudica semper et pacifica operantes, summo studio cuncta scandala devitabant. Vix enim tempore necessario loquebantur, nec de ipsorum ore scurrile aut otiosum quippiam procedebat, ut in omni vita et conversatione ipsorum non posset impudicum quid vel inhonestum aliquatenus inveniri. Actus eorum omnis disciplinatus, incessus modestus, sensus omnes ita mortificati erant in eis, ut vix audire seu videre, nisi quod eorum intentionem exposceret, pate-

C rentur. Defixis in terra oculis, mentem in cælo habebant. Nulla invidia, nulla malicia, nullus rancor, nulla oblocutio, nulla suspicio, nulla amaritudo in eis locum habebant; sed concordia multa, quies continua, gratiarum actio, et vox laudis

* *an* erant ? erat * in eis. Hæc sunt documenta pii Patris, quibus non verbo tantum et lingua, sed opere et veritate maxime, novos filios informabat.

ANNOTATA.

a *Waddingus existimavit, hanc eam Regulam esse, quam ipse Waddingus e duabus primam edidit. Mihi verisimilius est, Regulam, quam* S. Franciscus *omnium primam scripsit, periisse aut latere; eam vero, quam laudatus Annalista Minorum primam credidit, unam esse ex aliis, quas Tres Socii in Appendice num.* 35 *ab eodem sancto Institutore scriptas asserunt,* prius quam faceret illam, quam ultimo reliquit fratribus. *Rationem habes in Commentario prævio num.* 227 *et sequenti.*

b *Nimirum undecim, quibus ipse* Franciscus *junctus erat duodecimus. Porro hoc iter et Regulæ approbationem cogimur anno* 1209 *affigere ob rationes datas in Commentario prævio num.* 154 *et sequentibus.*

c *Ab Ughello in Italia sacra* Vido *vocatur, isque ipse est, qui* S. Franciscum, *patri bona omnia atque etiam vestes cedentem, pene nudum in brachia sua* D *suscepit, suoque pallio texit.*

d *Vocem* ægre, *quæ in apographo nostro desiderabatur, addidi et uncis inclusi.*

e *Insigne hujus Cardinalis, e familia Columnensium nati, elogium habes apud Ciaconium et Oldoinum tom. I Vitarum Romanorum Pontificum et Cardinalium col.* 1161 *et sequenti. Ibidem etiam dicitur fuisse primus Ordinis Minorum protector; quod verum est, si curam et officia spectes; sed infra videbimus, primum ejusdem protectorem Pontificia auctoritate potestateque constitutum, fuisse Cardinalem Hugolinum seu Hugonem, episcopum Ostiensem, qui postea ad summum Pontificatum evectus* Gregorius IX *dictus fuit.*

f *Innocentius III, Cælestino III succedens, Romanam S. Petri Cathedram ab anno* 1198 *usque ad* 1216 *tenuit.*

g *Multa hic compendiose complexus est, atque aliqua prætermisit Celanensis, quæ uberius exposuerunt Tres Socii in Appendice cap.* 4, *et S. Bonaventura cap.* 3, *apud quos ea legi possunt. Ceterum hæc Regulæ approbatio solo vivæ vocis oraculo sine scriptis facta fuit.*

h *Puto, hic excidisse vocem* cœnæ, *aut* reficiendi *vel similis significationis.*

i Orta, *seu* Horta *et* Hortanum, *episcopalis civitas* E *est in provincia Patrimonii S. Petri, ad Tiberim atque in ipso Umbriæ limite sita.*

k *De tota hac apud Hortanum mora silent Tres Socii et S. Bonaventura : meminit tamen biographus secundus; sed in hujus apographo nostro, forte ex solius describentis vitio, illa, quæ solum* fere quindecim *dierum fuisse a Celanensi dicitur, per* quadraginta dies *protracta est.*

l *Videlicet, quia Innocentius III ipsi sociisque illius potestatem fecerat pœnitentiam prædicandi, ut præmissum est num.* 33.

m *Insinuat tres Ordines ab eo institutos, scilicet Fratrum Minorum, Pauperum dominarum, quas nunc* Clarissas *vocamus, et Pœnitentium.*

n *In Regula primo loco a Waddingo edita cap.* 6 *legitur :* Et nullus vocetur Prior, sed generaliter omnes vocentur Fratres Minores : *atque hic est primus locus hujus Regulæ, in quo vox* Minores *occurrit. Quapropter oportet, Celanensem hic locutum esse de alia Regula, in qua præmittebantur istæ voces,* Et sunt Minores, *quarum occasione* S. Franciscus *voluit Ordinem suum appellari* Fratrum Minorum. *Hæc certe non est Regula omnium ultima, in qua istæ voces non sunt; sed verisimillime omnium prima, quæ latere vel periisse videtur.*

o Repeciata, *id est,* assutis centonibus resarta. *Galli dicunt* Rapiécé, *a* pièce *Latine* frustum, F cento *etc. In utraque quoque Regula Minorum a Waddingo edita cap.* 2 *legitur :* Fratres omnes vilibus vestibus induantur, et possint eas repeciare de saccis et aliis peciis.

p *Hujusmodi exemplum habes apud Tres Socios in Appendice num.* 38.

q *Consona habet Regula primo loco edita a Waddingo cap.* 7, *quod* de modo serviendi et laborandi *inscriptum est.*

r *Hujus generis exempla referunt Tres Socii in Appendice num.* 40, *aliaque per decursum Vitarum videbimus.*

CAPUT VI.

Habitatio S. Francisci in Rivo-torto : Sociorum instructio, quos docet orare : virtutibus fulget, occulta cordium et futura novit.

XVI. *Habitat cum fuis in Rivo-torto, ubi exemplo suo a*

Colligebat se beatus Franciscus cum cæteris juxta civitatem Assisii in loco, qui dicitur Rugus-tortus *a :* quo in loco tugurium quoddam relictum erat, sub cujus umbra vivebant, magnarum et pulchrarum domuum strenuissimi contemptores, et tuebantur se ibidem

A ibidem a turbinibus pluviarum. Nam, ut ait Sanctus : Citius de tugurio, quam de palatio in cælum ascenditur. Conversabantur in eodem loco cum beato Patre filii et fratres in labore multo et inopia universarum rerum, sæpissime omnis panis solatio destituti, solis contenti rapis, quas per planiciem Assisii huc atque illuc in angustia manducabant. Locus ille tam angustissimus erat, ut in eo sedere aut quiescere vix valerent. Nullum pro his murmur resonat, nulla querimonia; sed corde placido mens plena gaudio conservat patientiam. S. Franciscus quotidianam, immo continuam sui et suorum inquisitionem diligentissime faciebat, et nil in eis residere patiens lubricum, ab ipsorum cordibus omnem negligentiam abigebat, rigidus in disciplina, super custodiam suam erat vigilans omni hora. Nam si qua, ut assolet, carnis temptatio eum quandoque pulsaret, in quadam fovea glacie plena, cum hyems existeret, se immergebat, in ea tandiu persistens prolixissime, quoad usque carnis omnis recederet corruptela. Et quidem tantæ mortificationis exemplum cæteri ferventissime sequebantur.

et verbis illos ad sui abnegationem instituit ;

45 Docebat eos, non solum mortificare vitia et carnis incentiva reprimere, verum etiam et ipsos exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam. Quoniam, cum illo tempore imperator Otho B ad suscipiendam coronam terreni imperii per partes illas cum magno strepitu et pompa transiret *b*, sanctissimus Pater cum reliquis juxta viam ipsius transitus existens, tugurio nec ad videndum foras exivit, nec aliquem respicere pertulit, præter unum, qui constantissime illi annuntiaret, gloriam hanc sibi tempore modico duraturam *c*. Erat enim gloriosus Sanctus secum habitans; et deambulans in latitudine cordis sui, in se dignum Deo habitaculum præparabat. Et ideo aures ejus non rapiebat clamor exterior, nec aliqua * excutere poterat seu interrumpere ingens negotium, quod habebat in manibus. Apostolica in eo vigebat authoritas, et ideo regibus et principibus adulari penitus recusabat. Dabat semper in se simplicitati operam, nec sinebat locum angustum cordis latitudinem impedire.

b

c

* *adde* res

inde recedit ad S. Mariam in Portiuncula.

44 Sciebat * præterea nomina fratrum per tigna et domicilium, ut unusquisque, orare volens aut quiescere, recognosceret locum suum, et ne angusta loci modicitas mentis silentium perturbaret. Cumque ibidem morarentur, accidit, ut quadam die asinum ducens deveniret ad umbraculum, in quo Vir Dei cum sociis morabatur. Et ne pateretur repulsam, adhortans asinum suum ad ingrediendum, locutus est verba hæc : Vade intus, quia loco C huic benefaciemus. Quod verbum S. Franciscus audiens graviter tulit, illius viri intentionem cognoscens. Putabat enim ille, ipsos ibidem morari velle ad augendum locum, et ut domum domui copularent. Statimque S. Franciscus egrediens inde, relicto tugurio illo propter rustici verbum, transtulit ad alium se locum, non longe ab illo, qui Portiuncula dicitur, ubi, sicut supra dictum est, ecclesia sanctæ Mariæ ab illo ante diu fuerat reparata. Nihil volebat proprietatis habere, ut omnia posset plenius in Domino possidere.

* Scribebat

XVII.

Suos orare docet, at illi in omnibus obsequentes,

45 Deprecati sunt eum fratres tempore illo, ut doceret eos orare, quoniam in simplicitate spiritus ambulantes, adhuc * ecclesiasticum Officium ignorabant. Quibus ipse ait : Cum orabitis, dicite : Pater noster, Adoramus te Christe *d*, et ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt in mundo universo, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Hoc autem ipsi fratres, pii Magistri discipuli, summa cum diligentia observare curabant, quia non ea tantum, quæ beatus Franciscus pater dicebat eis, superno consilio, seu paterno imperio, verum etiam si ea, quæ cogitabat vel meditabatur ipse, aliquo scire possent indicio, studebant efficacissime adimplere. Dicebat enim eis ipse beatus Pater, veram obedientiam fore, non solum prolatam, sed excogitatam; non solum audientiam imperatam, sed desideratam; hoc est, si frater, fratris prælati subditus, non solum audiat vocem, sed comprehendat voluntatem, statim ad obedientiam totum se debet colligere, ac facere, quod eum velle, signo aliquo comprehendet. In quocumque loco præterea aliqua ecclesia constructa foret, etiamsi præsentes non erant, tantum possent eam utcumque cernere de remotis, inclinabant se versus eam proni super terram, et inclinato homine, adorabant Omnipotentem, dicentes : Adoramus te, Christe, et ad omnes ecclesias, sicut eos docuerat sanctus Pater. Et, quod non minus est admirandum, ubicumque crucem vel crucis signum intuebantur, sive in terra, sive in pariete, sive in arboribus, sive in sepibus viarum, faciebant hoc idem.

d

mira mentis morumque simplicitate elucent.

46 Sic enim eos repleverat sancta simplicitas, sic eos innocentia vitæ docebat, ut duplicitatem animi penitus ignorarent; quia sicut una fides, ita unus spiritus erat in eis, una voluntates, una caritas; animorum cohærentia, semper morum concordia; virtutum cultus, conformitas in æternum, et pietas actionum. Nam dum cuidam sacerdoti ex secularibus, qui meritis valde infamis erat, et enormitate scelerum ab omnibus contemnendus, confiterentur sæpe peccata sua, et per multos eis innotuisset ejus nequitia, nullo tamen modo credere noluerunt * : nec propterea obmiserunt peccata sua ei solito confiteri, nec debitam impendere reverentiam *e*. Et quidem cum ipse vel alius sacerdos cuidam e fratribus quadam die dixisset : Vide, frater, ne sis hypocrita; statim propter sacerdotis verbum credidit, se, frater ille, hypocritam esse : propter quod die ac nocte lamentabatur, nimio dolore affectus. Quærentibus autem ab eo fratribus, quid vellet tanta mœstitia et tantus insuetus mœror, respondit, dicens : Sacerdos quidam tale mihi verbum locutus est, de quo tanto dolore afficior, quod vix possum aliquid cogitare. Consolabantur eum et, ne sic crederet, hortabantur. Quibus ipse dicebat : Quid est, quod dicitis, fratres? Sacerdos est, qui locutus est verbum hoc. Potestne mentiri sacerdos? Cum ergo sacerdos non mentiatur, necesse igitur est, ut, quod locutus est, esse verum credamus. Sicque diu in hac simplicitate perdurans, verbis tandem Patris beatissimi acquievit, qui ei verbum sacerdotis exposuit, et intentionem sagaciter excusavit. Vix alicui fratrum tanta posset mentis inesse turbatio, quod ad ejus ignitum eloquium non discederet omne nubilum, rediretque serenum.

* voluerunt

E

e

XVIII.

Apparet iisdem in curru igneo :

47 Ambulantes coram Deo simpliciter et coram hominibus confidenter, meruerunt tunc temporis fratres divina revelatione lætificari. Dum enim igne Spiritus Sancti succensi, non solum constitutis horis, neque etiam quælibet compediret eos terrena sollicitudo, vel molesta curarum anxietas occuparet, sed PATER NOSTER in melodia spiritus vitæ suppliciter decantarent; beatissimus sanctus Franciscus nocte quadam se ab eis corpore absentavit. Et ecce fere media noctis hora, quibusdam e fratribus quiescentibus, quibusdam vero in silentio affectuose orantibus, per ostium domus currus igneus splendidissimus intrans, bis et ter huc atque illuc per domicilium se convertit, supra quem globus maximus residebat, qui solis habens aspectum, nocte clarescere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, exterriti sunt dormientes, et non minus cordis, quam corporis, senserunt claritatem. Convenientibus quoque in unum, cœperunt quærere inter se, quid hoc esset. Sed ex vi et gratia tantæ lucis unius alteri erat conscientia manifesta. Intellexerunt denique ac noverunt, animam sancti Patris extitisse fulgore tam maximo radiantem, qui ob præcipuæ puritatis suæ gratiam et magnæ pietatis in filios curam tanti muneris benedictionem a Domino meruit obtinere *f*.

F

f

eorum arcana cognoscit, longe remoti, adest, arcana cognoscit;

48 Et quidem manifestis indiciis sæpius hoc probarant et experti fuerant, occulta cordis eorum Patrem sanctissimum non latere. O quotiens, nullo docente homine, sed Spiritu Sancto revelante, absentium

AUCTORE THOMA CELAN.

sentium fratrum acta agnovit, occulta cordium aperuit, et conscientiam exploravit! O quantos in somno admonuit, quibus et agenda præcepit et non agenda prohibuit! O quantorum futura mala prædixit, quorum præsentia bona in facie videbantur! Sic et iniquitatum finem plurimorum præsciens, futuram in multis salutis gratiam nuntiavit. Immo, si quid *, puritatis et simplicitatis spiritu, meruit illustrari visionis ejus modo, cæteris inexperto, consolatione potius * est singulari. Referam unum inter alia, quæ, fidelibus testibus referentibus, agnovi. Cum tempore quodam frater Joannes de Florentia esset a S. Francisco Minister fratrum in Provincia *g* constitutus, et capitulum fratrum in eadem provincia celebrasset, Dominus Deus solita pietate ostium ei sermonis aperuit, et fratres omnes ad audiendum reddidit benevolos et attentos. Erat inter eos super eos sacerdos fama clarus, sed clarior vita, Monaldus nomine, cujus virtus in humilitate fundata, oratione frequenti adjuta, scuto patientiæ servabatur. Intererat etiam illi capitulo frater Antonius *h*, cujus Dominus aperuit sensum, ut intelligeret Scripturas, ut super mel et favum de Jesu verba dulcia eructaret in populo universo. Qui cum fratribus ferventissime ac devotissime prædicaret, hoc scilicet verbum : JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM; dictus frater Monaldus respexit ostium domus, in qua erant fratres pariter congregati, et vidit ibi corporeis oculis beatum Franciscum in aere sublevatum, extensis velut in cruce manibus, benedicentem fratres. Repleti quoque videbantur omnes consolatione Spiritus Sancti : et de concepto salutis gaudio satis credibile fuit eis, quod de visione ac præsentia Patris gloriosissimi audierunt.

* *l.* si quis

* *forte* potius

g

h

B

fratremque Richerium, de ejusdem amicitia sollicitum

49 Quod vero alienorum cordium occulta cognoverit, inter multa, quæ multi sæpius sunt experti, unum, de quo nulla potest oriri dubitatio, in medium proferatur. Frater quidam, Richerius nomine, nobilis genere, sed nobilior moribus, amator Dei, et sui contemptor, cum suo spiritu et voluntate plenissime ducitur, ut sancti patris Francisci gratiam perfecte posset assequi et habere, timebat valde, ne S. Franciscus eum occulto aliquo judicio abhorreret, et sic a gratia dilectionis suæ ipsum redderet alienum. Putabat frater ille, quoniam timoratus erat, quemcumque S. Franciscus intima caritate diligeret, dignum etiam fore divinam gratiam promereri : e regione vero, cui non se benivolum ostenderet et placatum, arbitrabatur eum iram superni Regis incursurum. Hæc autem frater dictus volvebat in animo, hæc secum frequenter tacitus loquebatur, nulli prorsus revelans suæ cogitationis arcanum.

C

divinitus instructus solatur.

50 Cæterum, cum die quadam beatus Franciscus pater in cellula esset orans, et dictus frater, solita cogitatione turbatus, venisset ad locum, Sanctus Dei et adventum ejus cognovit, et quod volvebat animo, intellexit. Statim proinde fecit eum ad se vocari, et dixit ad eum : Nulla te conturbet tentatio, fili, nulla cogitatio exacerbet; quoniam carissimus mihi es, et inter præcipue mihi caros. Mea dilectione ac familiaritate dignum te noveris : securus ad me intra, quando volueris, et de familiaritate sume facundiam *. Miratus est dictus frater admiratione permaxima, et exinde reverentior factus, quantum crevit in gratia sancti Patris, tantum cœpit in Dei misericordia fiducialius dilatari. Quam egregie *, sancte Pater, tuam debent absentiam ferre, qui omnino desperant in terris ultra tui similem invenire! Juva tua intercessione, quos obvolutos cernis noxia labe peccati. Cum esses omnino justorum spiritu jam repletus, futura et prævidens et præsentia sciens, ut omnem jactantiam fugeres, sanctæ simplicitatis semper imaginem præferebas. Sed ad superiora recurramus, historiæ ordinem percurrentes.

* *an* fiduciam!

* *an* ægre?

D

ANNOTATA.

a *Apud scriptorem Vitæ secundæ legitur* Rigus-tortus, *apud Tres Socios* Rivus-tortus, *quod proprium loci nomen fuisse videtur. S. Bonaventura nomen reticuit.*

b *Fuit hic Otto IV, qui ex communi omnium scriptorum consensu anno* 1209 *coronam imperialem ab Innocentio III Romæ accepit, die* 27 *Septembris, ut aliqui existimant, vel, ut alii volunt, 4e Octobris. Cum igitur ex hoc Thomæ Celanensis loco certum sit, probationem Regulæ* S. Francisci *priorem esse Romana coronatione Ottonis, compulsus fui eamdem approbationem anno* 1209 *affigere, atque ita recedere ab erudito Waddingo, qui illam anno* 1210 *illigavit. Vide disputata in Commentario prævio, num.* 134 *et sequentibus.*

c *Veritatem vaticinii luctuosus Ottonis IV eventus docuit.*

d *Alibi rectius legitur :* Hic et ad omnes *etc. : ita enim etiam in ipsius* S. Francisci *Testamento legitur in Commentario prævio, num.* 622.

e *Nimirum ex sancta simplicitate et reverentia erga sacerdotes non poterant credere, vera esse, quæ de isto dicebantur, ac in eodem magis considerabant sacrum Ordinem, quam delicta : ita nempe instituti a sancto Patre suo, qui in laudato Testamento apud me num.* 623 *reverentiam erga sacerdotes suis commendans inter alia ait :* Et ipsos et omnes alios (*sacerdotes*) volo timere, amare et honorare, sicut meos dominos. Et nolo in ipsis considerare peccata, quia Filium Dei cerno in ipsis, et domini mei sunt *etc.*

E

f *Eamdem mirabilem apparitionem narrat S. Bonaventura in Vita num.* 43 *et sequenti, significans, eam contigisse apud* Rivum-tortum, *quando* Vir sanctus die quadam Sabbathi civitatem Assisii intravit, prædicaturus mane in ecclesia cathedrali; cumque *ibidem* in quodam tugurio, sito in horto canonicorum... in oratione Dei more solito pernoctaret.

g *In* Provincia *scilicet Galliæ, vulgo* la Provence.

h *Indicatur* S. Antonius, *vulgo cognominatus* Patavinus, *in cujus Vita apud nos ad diem* 13 *Junii edita, num.* 11 *fere eadem referuntur, et in Annotatis lit.* e Arelate *facta dicuntur vel anno* 1226 *vel paulo citius. Waddingus eadem anno* 1224 *affixit.*

CAPUT VII.

F

Cura subditos corrigendi et paupertatem servandi : vitæ austeritas, mirando exemplo confirmata : humilitas et contemptus sui, iter in Asiam, et deinde in Africam frustra susceptum : gesta cum Soldano : miracula Sancti, cui animantia obediunt.

XIX.

In subditos invigilat, severam in victu

Regressus est Vir beatissimus corporaliter ad fratres suos, a quibus, sicut dictum est, nunquam spiritualiter recedebat, tanta ex * diligenti examinatione omnium acta perquirens, felici semper curiositate in subditis ferebatur, nihil impune relinquens, sicut magis et minus recipi, deprehenderet, perpetrata. Et primo quidem spiritualia vitia decernebat; deinde eradicabat corporalia, ad ultimum extirpans occasiones omnes, quæ peccatis solent aditum aperire. Omni studio, omni sollicitudine custodiebat sanctam paupertatem et * dominam *a*, non patiens (ne quando ad superflua pervenirent) nec vasculum in domo aliquod residere, cum sine utraque *b* posset extremæ necessitatis evadere servitutem. Impossibile namque fore, aiebat, satisfacere necessitati, et voluptati non obedire. Cocta cibaria vix aut rarissime admittebat; admissa vero sæpe aut confundebat cinere, aut condimenti saporem aqua frigida extinguebat. O quotiens

* *an* et?

* *an* ut?

a

b

A quotiens per mundum ambulans ad prædicandum Euangelium Dei, vocatus ad prandium a magnis principibus, qui eum miro venerabantur affectu, gustatis parumper carnibus propter observantiam sancti Euangelii *c*, reliquum, quod comedere videbatur, deponebat in sinu, manu ori adducta, ne quis posset perpendere, quid agebat. De potu vini quid dicam, cum nec ipsam aquam, desiderio sitis æstuans, ad sufficientiam bibere pateretur?

c

abstinentiam servat : ex humilitate eximia

32 Accubitum vero suum ubique, receptus hospitio, nullis sinebat stramentis seu vestibus operiri, sed nuda humus, tunica interposita, nuda suscipiebat membra. Quandoque, cum corpusculum suum somni beneficio recrearet, sæpius sedens, nec aliter se deponens, dormiebat. Pro cervicali ligno vel lapide utebatur. Cum comedendi aliquid suscitaretur, ut moris est, appetitus, vix acquiescebat illud postmodum manducare. Accidit autem quadam vice, cum infirmitate gravatus aliquantulum pullorum carnium comedisset, resumptis utcumque corporis viribus, introivit Assisii civitatem. Cumque pervenisset ad portam civitatis, præcepit cuidam fratri, qui cum eo erat, ut funem collo ejus ligaret, et sic eum quasi latronem per totam traheret civitatem, voce præconis clamans, et dicens : Ecce, videte glutonem, qui impinguatus
B est carnibus gallinarum, quas, vobis ignorantibus, manducavit. Accurrebant proinde multi ad tam ingens spectaculum, et ingeminatis suspiriis collacrymantes, aiebant : Væ nobis miseris, quorum vita tota versatur in sanguine, et in luxuriis et ebrietatibus corda et corpora enutrimus : sicque compuncti corde ad melioris vitæ statum tanto provocabantur exemplo.

conatur seipsum apud omnes

33 Multa quoque in hunc modum sæpissime faciebat, ut et seipsum perfecte contemneret, et ad honorem perpetuum cæteros invitaret. Factus erat sibi tamquam vas perditum, nullo timore, nulla sollicitudine pro corpore oneratus, strenuissime objiciebat ipsum contumeliis, ne ipsius amore temporale aliquid concupiscere cogeretur. Verus sui contemptor, omnes seipsos contemnere verbo et exemplo utiliter instruebat. Quid enim? Magnificabatur ab hominibus, et laudabili judicio efferebatur a cunctis, sed solus ipse se vilissimum reputabat, solus ardentissime contemnebat. Sæpe namque ab omnibus honoratus, dolore nimio sauciabatur, et favorem humanum pro foribus arcens, faciebat sibi e regione ab aliquo exprobrari, vocabatque ad se fratrem aliquem, dicens ei : Per obedientiam tibi dico, ut mihi duriter injurieris, contra istorum mendacia vera loquaris. Cumque frater ille, licet
C invitus, eum Rusticum, Mercenarium, et Inutilem diceret, subridens et applaudens plurimum, respondebat : Benedicat tibi Dominus, quia dixisti verissima : talia enim licet audire filium Petri de Bernardone *d*. Sic loquens, nativitatis suæ humilia primordia recolebat *e*.

d

e

contemptibilem reddere

34 Nam ut se perfecte contemptibilem demonstraret, et veræ confessionis exemplum cæteris præberet; cum in aliquo delinquebat, non erubescebat illud in prædicatione coram omni populo confiteri. Imo, si forte sinistra cogitatione tangeretur de aliquo, vel casu in quoquam invectionis emitteret verbum, statim cum omni humilitate illimet, de quo sinistrum quippiam cogitaverat vel dixerat, ab eo, peccatum confitens, veniam postulabat. Totius innocentiæ conscientia testis non sinebat eum quiescere; omni sollicitudine se custodiens, donec vulnus mentis mulcendo sanaret. In omni certe genere vacabilium proficere, non prospici cupiebat, modis omnibus fugiens admirationem, ne unquam incurreret vanitatem. Heu nobis, qui sic te amisimus, sancte Pater, totius beneficentiæ ac humilitatis. Justo quippe judicio amisimus, quem, cum haberemus, cognoscere non curavimus.

XX.

Versus Syriam navigans, appellit in Slavoniam, hinc Anconam, a divina providentia nutritus.

35 Amore divino fervens beatissimus pater Franciscus, studebat semper ad fortiora mittere manum, et dilatato corde, viam mandatorum Dei ambulans, perfectionis Dei summam attingere cupiebat. Sexto namque conversionis suæ anno sacri martyrii desiderio maxime flagrans, ad prædicandam fidem Christianam et pœnitentiam Sarracenis et cæteris infidelibus, ad partes Syriæ voluit transfretare *f*. Qui cum navem quandam, ut illuc tenderet, intravisset, ventis contrariis flantibus, in partibus Sclavoniæ *g* cum cæteris navigantibus invenitur. Videns autem a tanto desiderio se fraudatum, facto modico temporis intervallo, nautas quosdam Anconam *h* tendentes, ut eum secum ducerent, exoravit; quoniam in anno eo vix illa navis potuit ad partes Syriæ transmeare *i*. Verum illis hoc agere pertinacius recusantibus propter defectum expensarum, Sanctus Dei confidens plurimum de Domini bonitate, navim latenter cum socio introivit. Affuit divina providentia tunc quidam, omnibus ignorantibus, secum necessaria victus ferens, qui quendam Dei timentem de navi vocavit, et ait ad eum : Tolle tecum hæc omnia, et pauperibus *k* necessitatis tempore fideliter exhibebis. Sicque factum est, ut, cum tempestate nimia exorta, per multos dies laborantes in remigando cibaria omnia consumpsissent, sola paupertatis cibaria Francisci superessent, quæ in tantum divina gratia et virtute multiplicata sunt, ut, cum
E adhuc plurium dierum forent navigationis itinera, ex sui copia usque ad portum Anconæ omnium necessitatibus plenissime pervenirent. Videntes itaque nautæ, se per servum Dei Franciscum maris pericula evasisse, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in Servis suis mirabilem se ostendit.

AUCTORE THOMA CELAN.

f

g

h

i

k

In Africam cogitans, morbo detinetur in Hispania.

36 Servus Dei excelsi Franciscus, relinquens mare, terram deambulat, eamque verbi vomere scindens, semen vitæ seminat, fructum proferens benedictum. Statim namque plures et idonei viri, clerici et laici, fugientes mundum, et diabolum eludentes, gratia et voluntate Altissimi, vita et proposito eum devote secuti sunt. Sed licet electissimorum fructuum palmes ex se copiam producat, martyrii tamen sublime propositum et desiderium ardens in eo nullo modo frigescit. Post non multum enim temporis versus Marrochium iter arripuit, ut Miramolino et complicibus suis Christi Euangelium prædicaret *l*. Tanto namque desiderio ferebatur, ut peregrinationis suæ quandoque relinqueret comitem, et ad exequendum propositum spiritu ebrius festinaret. Sed bonus Deus, cui mei et multorum sola benignitate placuit recordari, cum jam ivisset usque in Hispaniam, in faciem restitit, et ne ultra procederet, ægritudine intenta eum a cœpto itinere revocavit.

l

F

unde redux, discipulos admittit : adit Soldanum in Ægypto, a quo benigne excipitur.

37 Revertente quoque ipso ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Portiuncula, tempore non multo post quidam litterati viri *m* et quidam nobiles ei gratissime adhæserunt. Quos ipse, ut erat animo nobilissimus et discretus, honorifice atque digne pertractans, quod suum erat, unicuique piissime impendebat. Revera discretione præcipua præditus, considerabat prudenter in omnibus cunctorum graduum dignitatem. Sed nondum valet quiescere, quin beatum impetum animi sui *n* adhuc ferventius exequatur. Nam decimo tertio anno conversionis suæ *o* ad partes Syriæ pergens, cum quotidie bella inter Christianos et paganos fortia et dura ingruerent, assumpto secum socio *p*, conspectibus Soldani Sarracenorum *q* se non timuit præsentare. Sed quis enarrare sufficiat, quanta illi animi virtute loquebatur, quanta facundia et fiducia legi Christianæ insultantibus respondebat? Nam primo, quom ad Seldanum accederet, captus a complicibus, contumeliis affectus, attritus verberibus, non terretur, comminatis suppliciis, non veretur, morte intenta, non expavescit. Et quidem, licet a multis satis hostili animo et mente adversa exprobratus fuisset; tamen a Soldano honorifice plurimum est susceptus. Honorabat eum, prout poterat, et oblatis muneribus multis ad divitias mundi animum ejus flectere conabatur. Sed cum vidisset, eum strenuissime

m

n

o

p

q

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE THOMA CELAN.

nuissime omnia, velut stercora, contemnentem, admiratione maxima repletus est, quia Virum omnibus disimilem intuebatur *r*. Permotus est verbis ejus valde, et eum libentissime audiebat. In omnibus his Dominus desiderium ipsius non implevit, prærogativam illi reservans gratiæ singularis *s*.

r

s

XXI. *Prædicanti aves ausculant, applaudunque,*

58 Interea, dum, sicut dictum est, multi appositi sunt ad fratres, beatissimus pater Franciscus iter faciebat per vallem Spoletanam : qui ad locum quendam applicuit prope Menanium *t*, in quo diversi generis congregata erat avium multitudo maxima, columbarum scilicet, cornicularum, et aliarum, quæ vulgo Monaclæ *u* vocantur. Has cum vidisset beatissimus servus Dei Franciscus, quia homo maximi fervoris erat, magnum etiam circa inferiores et irrationales creaturas pietatis atque dulcedinis gerens affectum, alacriter cucurrit ad eas, in via sociis derelictis. Cum autem satis jam prope esset, videns, quod eum præstolarentur, ipsas more solito salutavit. Sed admirans non modicum, quod aves non surrexissent in fugam, ut facere solent, ingenti gaudio humiliter deprecatus est eas, ut verbum Dei deberent audire. Et inter plura, quæ locutus est eis, hoc quoque adjunxit : Fratres mei aves, multum debetis laudare Creatorem vestrum et ipsum diligere semper, qui dedit

t

u

B vobis plumas ad induendum, pennas ad volandum, et quidquid necesse fuit vobis. Nobiles vos fecit inter creaturas suas, et in puritate aeris vobis contulit mansionem; quoniam, cum neque seminetis, neque metatis, nihilominus sine omni vestra sollicitudine vos protegit et gubernat. Ad hæc aviculæ illæ (ut dicebat, et qui cum eo fuerunt) miro modo secundum naturam suam stantes, inceperunt extendere collum, prodere alas, aperire os, illum respicere. Ipse vero transiens per medium illarum ibat et revertebatur, cum tunica sua capita earum contingens et corpora. Benedixit denique ipsis, et signo crucis facto, licentiam tribuit, ut ad alium

x

locum transvolarent *x*. Beatus autem Pater ibat cum sociis suis, per viam suam gaudens, et gratias agebat Deo, quem omnes creaturæ supplici confessione venerantur. Cum esset autem simplex gratia, non natura, cœpit se negligentiæ incusare, quod olim non prædicaverit avibus, postquam audirent cum tanta reverentia verbum Dei : sicque factum est, ut ab illo die cuncta volatilia, cuncta animalia, cunctaque reptilia, et inter * creaturas, quæ non sentiunt, ad laudem et amorem Creatoris hortaretur *y* : quoniam quotidie, invocato nomine Salvatoris, propria experientia ipsarum obedien-

* *forte* interdum

y

C tiam cognoscebat.

hirundinibus silentium imperat,

59 Nam cum die quadam ad castrum, nomine Albianum *z*, ut verbum Dei proponeret, advenisset, ascendens in eminentiori loco spectandus ab omnibus, cœpit silentium postulare. Silentibus vero cunctis et reverenter astantibus, irundines * quam plures, garrientes et perstrepentes multum, nidificabant in eodem loco. Quibus garrientibus, quia beatus Franciscus ab hominibus audiri non poterat, avibus locutus est, dicens : Sorores meæ irundines, quia tempus est, ut loquar et ego, quia vos usque modo satis dixistis, audite verbum Domini et estote in silentio, et quiescite, donec sermo Domini compleatur. At illæ aviculæ, stupentibus et mirantibus omnibus, qui assistebant, statim conticuerunt, nec motæ sunt de loco illo, quoadusque prædicatio finiretur. Illi vero viri, cum vidissent hoc signum, repleti sunt admiratione, dicentes : Vere hic Homo sanctus est et amicus Altissimi. Et festinabant devotione maxima vel ejus saltem contingere vestimenta, laudantes et benedicentes Deum. Et mirum certe tunc temporis, quod irrationabiles creaturæ ipsius erga se affectum pietatis agnoscerent et amorem dulcissimum præsentirent.

z

* hirundines

60 Nam cum tempore quodam apud castrum

aa

Græci *aa* moraretur, lepusculus unus, captus laqueo, a fratre quodam vivus apportatus est ei : quem videns Vir beatissimus, pietate motus, ait : Frater lepuscule, veni ad me; quare sic te decipi permisisti? Statimque a fratre dimissus, qui eum tenebat, ad Sanctum confugit, et velut in tutissimo loco, nullo cogente, in ejus sinu quievit. Cumque aliquantulum quievisset ibidem, Pater sanctus, eum materno demulcens affectu, dimisit eum, ut liber ad nemus rediret. Qui cum sæpe in terra positus, ad Sancti sinum recurreret, jussit eum tandem ad sylvam, quæ propinqua erat, a fratribus deportari. Simile quidem * contigit de quodam cuniculo, qui animal valde indomesticum est, cum esset in insula laci Parvi *bb*. Eodem quoque pietatis affectu erga pisces ducebatur, quos, cum opportunitatem haberet, captos in aquam vivos rejiciebat, præcipiens eis, cavere sibi, ne iterum caperentur.

D *lepusculum et cuniculum sibi obedientes habet,*

* *an* quiddam?

bb

61 Cum enim tempore quodam in lacu Reatino *cc* juxta quemdam portum in navicula resideret, piscator quidam, piscem magnum capiens, qui vulgo Tinca dicitur, devotus obtulit ei. Qui eum hilariter et benigne suscipiens, fraterno nomine ipsum revocare cœpit; et extra naviculam eum in aqua reponens, cœpit devotus benedicere nomen Domini : sicque aliquandiu, dum in oratione persisteret, dictus piscis juxta naviculam ludens in aqua, non recedebat de loco, in quo eum posuerat, donec, oratione completa, Sanctus Dei recedendi

ut et alias piscem: aqua ipsi in vinum versa.

cc

E sibi licentiam exhiberet. Sic enim gloriosus pater Franciscus in via obedientiæ ambulans, et divinæ subjectionis perfecte amplectens, in creaturarum obedientia magnam coram Deo est adeptus dignitatem. Nam et aqua ei in vinum conversa est, cum tempore quodam apud eremum sancti Urbani *dd* ægritudine gravissima laboraret : ad cujus gustum tanta facilitate conscientia * affuit, ut divinum fore miraculum, sicut et erat, ab hominibus crederetur. Et vere Sanctus, cui sic obediunt creaturæ, cujus et ad nutum in alteros usus temporalia transeunt elementa.

dd

* *an* convalescentia ?

ANNOTATA.

a *Sic solebat ille paupertatem appellare.*

b *Mendosa hæc phrasis est, in qua videtur deesse vox aliqua, ad quam possit vox* utraque *referri. Secundus biographus ista sic exposuit :* Omni studio præcavebat, ne sanctæ summæque paupertatis metas transiliens, ad superflua quoquo modo diffflueret; ita ut magis semper ad indigentiam, quam ad habundantem sufficientiam vel excessum, declinans, usque ad maximæ necessitatis exigentiam vix vasculum saltem in domo relinqueret.

c *Lucæ cap.* 10, ℣ 8 *dicit Christus septuaginta duobus discipulis suis :* Manducate, quæ apponuntur vobis. *Hinc etiam in Regula Minorum primo loco edita a Waddingo cap.* 3 *legitur :* Liceat eis (*Fratribus Minoribus*) manducare de omnibus cibis, qui apponuntur eis, secundum sanctum Euangelium. *Eadem habet Regula ultima, capite item tertio.*

F

d *Singularia sunt hæc humilitatis exempla, quæ sanctissimo Viro suasit suus humillimus de se sensus. Quo modo autem hæc cum veritate possint componi, exposui in Commentario prævio, num.* 275.

e *Non favent hæc opinio, quæ* S. Francisco *nobilitatem generis adscribit.*

f *De hoc itinere, quod* S. Franciscus *anno* 1212 *frustra tentavit, pluribus egi in Commentario prævio num.* 292 *et sequentibus.*

g *Sclavoniam impropriam intellige, puta Illyricum, seu hujus partes mari Adriatico adjacentes.*

h Ancona *primaria Marchiæ Anconitanæ civitas episcopalis est, in ditione Pontificia, ac celebre emporium in ora maris Adriatici.*

i *Verisimillimum est, Sanctum noluisse usque in annum sequentem in Illyrico opportunitatem in Syriam navigandi opperiri, ne cogeretur abesse a comitiis generalibus, anno sequenti Assisii de more celebrandis.*

k *S. Bonaventura in Vita num.* 130 *eadem referens,*

A *rens, virum illum sic loquentem inducit :* Hæc pro pauperibus Fratribus in navi latitantibus conserva fideliter *etc.; ut adeo non quibuslibet pauperibus, sed* S. Francisco *ac socio ista destinata fuerint.*

l *Hoc iter videtur ad annum* 1213 *referendum esse. De illo pluribus egi in Commentario prævio num.* 297 *et sequentibus. Solum hic addo,* Marochum, *seu regnum Marocanum, esse amplam Africæ regionem in Barbaria, ad Oceanum Atlanticum.* Miramolinus *ille, quod nomen commune Maurorum regibus erat, vocabatur* Mahomet, *variaque regna etiam in Hispania tunc obtinebat.*

m *Biographus videtur unus ex hisce fuisse, quantum conjicere licet ex hoc loco, collato cum præcedenti.*

n *Nempe desiderium sanguinis sui pro Christo fundendi, quo accensus jam duo alia itinera frustra susceperat; unum scilicet versus Syriam, alterum versus Africam, ut supra dictum est.*

o *Anno Christi* 1219.

p *Hunc S. Bonaventura in Vita* Illuminatum *dictum fuisse, ait.*

q *Fuit is soldanus Babyloniæ, seu Ægypti, qui eo anno* 1219 *haud procul a Christiano Cruce-signatorum exercitu, Damiatam obsidente, castra habebat, ut urbi succurrere tentaret.*

B r *Hæc omnia pluribus exposuit S. Bonaventura in Vita a num.* 132, *quam consule, uti et num.* 134 *et sequenti, ubi alia occasione iterum agitur de* S. Francisco *tunc versante in castris Christianorum ante Damiatam. Consule etiam Commentarium prævium §§* 16 *et* 17, *in quibus de eodem Sancti itinere ac gestis in Ægypto, reditu in Europam, aliisque eodem spectantibus, satis prolixe actum est.*

s *Id est, non permisit, ipsum a Saracenis martyrio affici, sed servavit illum, ut ex peculiari privilegio quinque sacris Christi stigmatibus postea insigniretur.*

t *Legendum est* Mevanium, *seu* Mevaniam, *ut habent alii, quæ ditionis Pontificiæ in Umbria oppidum est, vulgo* Bevagna *dictum, paucisque milliaribus Assisio dissitum.*

u *Forte legendum est* Monachæ; *nam in Lexicis Italicis invenio, voces* Monachino, Monacchia, Monacchina, *et* Monachella *quamdam avium speciem significare.*

x *Factum hoc, quod etiam a secundo biographo et a S. Bonaventura in Vita num.* 174 *memoratur, quidam heterodoxi imperite sugillarunt, quos redargui in Commentario prævio num.* 103 *et sequenti. Ceterum nequeunt hoc et alia aliaque ejusdem generis gesta certis temporibus illigari, quæ propterea inter incerti temporis facta in eodem Commentario*
C *prævio reposui.*

y *Scilicet exemplo Trium puerorum in fornace Babylonica, Danielis cap.* 3; *et regii Prophetæ in Psalmis.*

z *Alias* Alvianum, *in Umbria non procul a Tiberi et ab Ameria civitate.*

aa Grecium, *Italis* Greccia, *castrum est in valle Reatina, non multis milliaribus ab ipsa urbe Reate distans.*

bb *Pro* Pravi *legendum puto* Perusini, *ut habet S. Bonaventura in Vita num.* 113.

cc *Italis* il Lago di Rieti, *ditionis Ecclesiæ in Umbria, in limite Sabinæ, inter urbem Reatinam et Velinum lacum.*

dd *Apud Waddingum ad annum* 1213, *num.* 14 *dicitur hic locus esse* in comitatu Narniensi apud castrum S. Urbani.

CAPUT VIII.

Fructus prædicationum S. Francisci : plurima ejusdem miracula.

XXII. *Socios aggregat, prædicat miro cum populi studio :*

Tempore illo, in quo, sicut dictum est, venerabilis pater Franciscus prædicavit, civitates et castella circuiens, et ubique benedictionum semina spargens, ad civitatem Hesculanam *a* applicuit. In qua cum verbum Dei more solito ferventissime loqueretur, immutatione dexteræ Excelsi tanta gratia et devotione pene universus populus est repletus, ad audiendum et videndum cum anhelantes, ut omnes se invicem conculcarent. Nam et triginta viri, clerici et laici, tunc temporis ab ipso sanctæ religionis habitum susceperunt. Tanta erat fides virorum et mulierum, tanta mentis devotio erga Sanctum Dei, ut felicem se pronunciaret. qui saltem vestimentum ejus contingere potuisset. Ingrediente ipso civitatem, lætabatur clerus, pulsabantur campanæ, exultabant viri; congaudebant feminæ, applaudebant pueri, et sæpe ramis arborum sumptis, psallentes ei obviam procedebant. Confundebatur hæretica pravitas, extollebatur fides Ecclesiæ, et fidelibus vigilantibus, hæretici latitabant. Nam tanta in eo apparebant signa sanctitatis, quod nemo se audebat verbis opponere, cum ad ipsum solummodo respiceret frequentia populorum. Inter omnia et super omnia fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ servandam, venerandam et imitandam fore, censebat, in qua sola salus consistit omnium salvandorum. Venerabatur sacerdotes, et omnem Ecclesiasticum ordinem amplexabatur affectu. AUCTORE THOMA CELAN. *a*

63 Offerebant ei populi panes ad benedicendum, quos longo reservantes (tempore *b*) ad eorum gustum *c* a diversis ægritudinibus sanabantur. Sic et multotiens fide maxima freti, ejus tunicam incidebant, ut quasi nudus aliquando remaneret. Et quod magis est admirandum, si rem aliquam manu tangeret sanctus Pater, per eam etiam nonnullis E sanitas reddebatur. Nam cum mulier quædam, in partibus Aretii *d* villulam quamdam inhabitans, gravida esset, veniente tempore partus, in pariendo diebus pluribus laboravit, sicque incredibili attrita dolore, nec mors nec vita sibi aliquatenus præstabatur. Vicini et cognati ejus audierunt, beatum Franciscum per viam illam fore ad quamdam heremum transiturum. Expectantibus autem illis, accidit, beatum Franciscum ad dictum locum per aliam viam transire. Iverat enim equo, eo quod erat debilis et infirmus. Sed perveniente ipso ad locum, per quemdam fratrem, nomine Petrum, equum dimisit ad illum virum, qui sibi eum concesserat intuitu pietatis. Frater Petrus, reducens equum, per viam illam transivit, in qua mulier torquebatur. Quem videntes viri terræ illius, festini cucurrerunt ad eum, putantes, ipsum esse Franciscum. Sed cognoscentes, ipsum non esse, tristati sunt valde nimis. Tandem cœperunt quærere inter se, si posset res aliqua inveniri, quam manu tetigisset beatus Franciscus. Cumque in his quærendo diu facerent moram, demum invenerunt frem * et habenas, quas ipse manu tenuerat equitando. Extrahentesque frenum ex equi ore, cui sanctus Pater insederat, posuerunt super mulierem habenas, quas propriis manibus contrectaverat ipse. Quæ in continenti, periculo remoto, cum gaudio peperit. *panes ab eo benedicti, resque, quas contrectaverat, b c d* F * *lege* frenum

64 Gualfredutius, Castrum-plebis *e* inhabitans, homo religiosus, timens et colens Deum cum omni domo sua, corrigiam apud se habebat, quam beatus Franciscus quandoque succinctus fuerat. Accidit autem, ut in terra illa multi viri et mulieres non paucæ variis infirmitatibus et febribus laborarent : ibatque prædictus vir per infirmantium domos, et intincta corda in aqua, vel ex pilis ipsius aliquid commiscens in ea, dabat bibere patientibus : et ita in Christi nomine sanitatem consequebantur omnes. Hæc autem in absentia beati Francisci fiebant; ex * his multo plura, quæ a nobis non possent sermone longissimo aliquatenus explicari. Verbum * de his, quæ per ejus præsentiam dignatus est operari Dominus Deus noster, pauca quædam huic Operi breviter inseremus. *adversus varias infirmitates feliciter adhibita. e* * *l.* et * *l.* Verum

XXIII. *Tuscaniæ puerum claudum ac debilem sanat,*

65 Cum tempore quodam ad evangelizandum regnum Dei S. Franciscus regiones longas et varias circuiret, pervenit ad civitatem quamdam, quæ dicitur Tuscanella *f* : in qua cum more solito spar- *f*

AUCTORE THOMA CELAN.

geret semen vitæ, miles *g* quidam civitatis ejusdem eum suscepit hospitio, cui filius unicus erat claudus et toto corpore debilis. Qui, licet ætate puerulus, ablactationis transierat annus * et adhuc in cunabulis morabatur. Pater vero pueri, videns Virum Dei tanta præditum sanctitate, projecit se ad ejus pedes humiliter, filii sui ab eo postulans sanitatem. Qui cum tantæ virtutis et gratiæ se indignum et inutilem reputaret, diu hoc facere recusavit. Tandem precum illius instantia victus, oratione præmissa, manum imposuit puero, et benedicens eum allevavit. Qui statim, cernentibus singulis, in nomine Domini nostri Jesu Christi surrexit incolumis, et huc atque illuc cœpit per domicilium ambulare.

g

* *forte* annos

Narniæ virum toto corpore paralyticum: h

66 Quodam vero tempore, cum Narnium *h* advenisset vir Dei Franciscus, et ibidem diebus pluribus moraretur, vir quidam ejusdem civitatis, nomine Petrus, paralyticus in lecto jacebat. Qui per quinque mensium spatium ita fuit omnium membrorum officio destitutus, quod nullo modo surgere poterat, nec aliquatenus se movere; et sic pedum, manuum ac capitis totaliter auxilio perdito, solam linguam movere poterat et oculos aperire. Audiens, quod S. Franciscus Narnium advenisset, transmisit nuntium ad episcopum civi- B tatis, ut divinæ pietatis intuitu Servum Dei altissimi ad se venire, precari dignaretur, confidens, ab infirmitate, qua tenebatur, ex ejus visione ac præsentia liberari. Sic utique factum est, ut, cum beatus Franciscus accessit ad eum, signum crucis a capite usque ad pedes faciens, statim, omni fugato morbo, eum pristinæ restitueret sanitati.

h

XXIV. *ibidem cæcæ lumen reddit; Eugubii contractæ usum manuum. i*

67 Mulier quædam civitatis supradictæ, oculorum cæcitate percussa, per signum crucis a B. Francisco super oculos lumen recipere meruit concupitum. Apud Eugubium *i* mulier erat, quæ manus ambas contractas habens, cum eis non poterat operari : quæ cum cognovisset, S. Franciscum civitatem intrasse, statim cucurrit ad eum, et facie miserabili, mœstitiaque plena, contractas ei manus ostendens, cœpit rogare ipsum, ut eas tangere dignaretur. Qui pietate permotus, manus ejus tetigit et sanavit : statimque mulier, domum rediens lætabunda, casseatam *k* unam propriis manibus fecit, ipsamque obtulit sancto Viro. Ipse vero parumper ex eadem casseata caritative suscipiens, reliquum jussit mulierem cum familia manducare.

i

k

XXV. *Unum e Fratribus terribili malo liberat;*

68 Frater unus infirmitatem maximam et horribilem visu patiebatur frequenter, quam quo nomine censeam, nescio, cum quidam, malignum C fuisse diabolum, opinentur. Nam totus sæpe allidebatur, et mirabili * aspectu respiciens volutabatur spumans. Nunc membra illius contrahebantur, nunc extendebantur; nunc plicata et torta, nunc rigida efficiebantur et dura. Quandoque totus extensus et rigidus, pedibus æquatis capiti, elevabatur in altum, quantum viri statura est, et subito residebat * ad terram. Cujus languorem gravissimum sanctus pater Franciscus miseratus, ivit ad eum, et facta oratione, signavit eum et benedixit : qui subito sanus effectus, infirmitatis hujus molestias aliquas minime postmodum toleravit *l*.

* *an* miserabili?

* *an* recidebat?

l

in Castro S. Gemini dæmonem ex muliere expellit, m

69 Quadam die cum transiret beatissimus Franciscus pater per episcopatum Narniensem devenit ad castrum quoddam, quod dicitur Sancti Gemini *m* : et euangelizans ibi regnum Dei, a quodam viro, timente atque colente Deum, satis bonæ famæ in terra illa, cum tribus fratribus hospitio est susceptus. Uxor autem ejus a dæmonio vexabatur, sicut notum erat omnibus inhabitantibus terram illam. Rogavitque beatum Franciscum vir ejus pro illa, confidens, illam posse ipsius meritis liberari. Sed quoniam plus desiderabat in simplicitate sua contemptui haberi, quam de ostensione sanctitatis mundi hujus favoribus extolli, facere hoc penitus recusabat. Tandemque (Deus in causa erat) rogantibus eum multis, victus precibus acquievit; vocavitque tres fratres ad se, qui erant cum eo, et in singulis illius domus angulis singulum, fratrem constituens, dixit eis : Oremus, fratres, ad Dominum pro muliere hac, ut jugum diaboli ab ea excutiat Deus ad laudem et gloriam suam. Stemus separatim (inquit) in angulis domus, ne spiritus iste malignus nos fugere aut decipere valeat, quærens diverticula angulorum. Completaque oratione, beatus Franciscus in virtute spiritus accessit ad mulierem, quæ miserabiliter torquebatur, et horrende clamabat, et ait : In nomine Domini nostri Jesu Christi per obedientiam præcipio tibi, dæmon, ut exeas, ab ea, nec audeas ipsam amplius impedire. Vix verba compleverat, et tam velocissime cum furore atque stridore egressus est, quod propter subitam sanitatem mulieris, et tam citissimam obedientiam dæmonis, sanctus Pater sibi putaret fore illusum; statimque cum rubore de loco illo recessit, divina providentia id gerente, ne posset inaniter gloriari. Unde factum est, quod, cum alia vice per eundem locum beatus Franciscus transiret, frater Helias cum eo erat; et ecce mulier, ut cognovit adventum ejus, continuo surrexit, et accurrens, per plateam clamabat post eum, ut sibi eloqui dignaretur. Ipse vero nolebat eloqui, sciens, eam esse mulierem illam, quam exposuerat *, quando virtute divina dæmonium ejecit ab ea. At ipsa deosculabatur vestigia pedis ejus, gratias agens Deo, et S. Francisco servo ejus, E qui de manu mortis liberaverat eam. Tandem frater Helias compulit Sanctum prece, qui locutus est ei, certificatus per multos de infirmitate, ut dictum est, et liberatione sua.

D

* *an* extimuerat?

XXVI. *ut et alibi ex altera. n*

70 Apud Civitatem *n* etiam mulier de Castello quodam obsessa erat a dæmonio : in qua civitate cum esset beatissimus pater Franciscus, perducta est mulier ad domum, in qua ipse manebat. Mulier autem illa stans cœpit frendere dentibus et torvo vultu miserabili voce garrire sicut mos est spirituum immundorum. Multi enim de civitate illa utriusque sexus accedentes, rogabant S. Franciscum pro muliere. Diu namque ille malignus et eam vexavit torquens, et eos turbavit garriendo. Sanctus Pater misit tunc ad eam fratrem, qui erat secum, volens experiri, utrum esset dæmonium, an deceptio mulieris. Quem videns mulier illa, cœpit deridere ipsum, sciens, S. Franciscum minime fore. Pater sanctus intus erat orans, finitaque ejus oratione, foras exivit; mulier autem cœpit fremere ac volutari super terram, non sustinens virtutem ejus. Quam vocans ad se S. Franciscus : In virtute obedientiæ præcipio tibi, immunde spiritus, exi ab ea. Qui confestim dimisit eam sine aliqua læsione, satis indignabundus recedens. F Gratias omnipotenti Deo, qui omnia in omnibus operatur. Verum, quia non miracula, quæ sanctitatem non faciunt, sed ostendunt; sed potius excellentiam vitæ ac sincerissimam conversationis ejus formam decrevimus explanare; his præ nimietate obmissis, salutis æternæ opera retexemus.

n

ANNOTATA.

a *Lege* Asculanam. *Est autem geminum in Italia Asculum, unum cognominatum* Apulum, *in regno Neapolitano; alterum* Picenum, *ditionis Pontificiæ in Marchia Anconitana.*

b *Deerat hæc vox in apographo nostro.*

c *Id est,* comestionem.

d Aretium, *Italis* Arezzo, *civitas Hetruriæ est.*

e *Verisimiliter indicatur hic* Castrum plebis, *tunc oppidum, nunc civitas Umbriæ, a Clemente VIII episcopatu illustrata, et* Civitas Plebis, *Italice* Citta della Pieve *etiam appellata.*

f *Alias* Tuscania, *Italice* Toscanella, *parva civitas episcopalis est ditionis Ecclesiæ, in provincia Patrimonii.*

g *Id est :* Vir nobilis : *nam ea ætate nobiles* milites *vocabantur, uti alibi observavi.*

h Narnia, *vulgo* Narni, *ditionis Pontificiæ in Umbria civitas episcopalis est.*

i Eugubium,

A i Eugubium, *vernacule* Gubbio, *etiam civitas Umbriæ est in ducatu Urbinate.*

k *In Vita secunda dicitur* caseata, *quæ placenta ex caseo est.*

l *De facto consentiunt scriptor Vitæ secundæ et S. Bonaventura; verum hic num.* 184 *ait, Religiosum illum, non a præsente* S. Francisco *per signum Crucis, sed per missam ab eodem buccellam panis, ex quo comederat, sanatum fuisse. Verisimile est, istud adjunctum non sine diligenti examine a sancto Doctore fuisse variatum.*

m *Apud S. Bonaventuram in Vita edenda num.* 183 *legitur :* In castro S. Geminiani. *Vide Commentarium prævium num.* 419, *ubi ostendi, legendum esse* S. Gemini, *quod Umbriæ castrum et oppidum est.*

n *Est quidem in Apulia vicus quidam, olim civitas episcopalis,* Civitas *appellata; verum cum S. Bonaventura in Vita edenda num.* 183 *similem energumenæ per* S. Franciscum *liberationem* in Civitate de Castello *breviter memoret, eique consentiat auctor Vitæ secundæ; dubito, an non idem hic indicetur locus. Vide Commentarium prævium num.* 420.

CAPUT IX.

B *Conjunctio Sancti cum Deo in oratione : constantia in prædicando, prædicatio coram Papa et Cardinalibus : amicitia cum Hugolino Ostiensi : amor pauperum et quorumdam animalium.*

XXVII. *Orationi perpetuo intentus, dæmonis tentationes*

Vir Dei Franciscus doctus erat, non sua quærere, sed quæ aliorum saluti præcipue cerneret expedire. Super omnia tamen desiderabat dissolvi et esse cum Christo. Propterea summum ejus erat studium ab omnibus, quæ in mundo sunt, liber existere, ne vel ad horam contagione alicujus pulveris ejus mentis serenitas turbaretur. Insensibilem omnibus, quæ perstrepunt exterius, se reddebat et totis visceribus in se undique sensus exteriores recolligens ac motus animi cohibens, soli vacabat Deo; in foraminibus petræ nidificabat, et in caverna maceriæ habitatio ejus. Felici certe devotione circuibat cælibes mansiones, et in vulneribus Salvatoris exinanitus totus diutius residebat. Eligebat proinde frequenter solitaria loca, ut ex toto animum in Deum posset dirigere : nec tamen pigritabatur, cum tempus cerneret opportunum, se negotiis ingerere, ac saluti liberius intendere proximorum. Nam ejus tutissimus portus erat oratio, non unius existens momenti, vacuane, an * præsumptuosa; sed longa tempore, plena devotione, humilitate placita. Si sero incipiebat, vix mane finiebat : ambulans, sedens, comedens, bibens, orationi erat intentus. In ecclesiis derelictis et in deserto positis solus ad orandum pergebat : in quibus, divina gratia protegente, multos timores multasque angustias superavit.

* *l.* vacuave aut

C

et insultus contemniti, constantissime prædicat,

72 Manu ad manum cum diabolo confligebat, cum in ejusmodi locis non solum tentationibus ipsum pulsaret interius, verum etiam exterius ruinis et subversionibus deterreret. Sed sciens fortissimus Miles Dei, Dominum suum ubique omnia posse, terroribus non cedebat; sed aiebat in corde suo : Non amplius, o malevole, potes in me malitia tua arma excutere, quam si in publico coram hominibus maneremus. Revera constantissimus erat valde, et in nullo, nisi quod erat Domini, attendebat. Nam cum inter multa millia hominum verbum Domini sæpissime prædicaret, ita securus erat, acsi cum familiari socio loqueretur. Populorum maximam multitudinem, quasi virum unum, cernebat, et uni, quasi multitudini, prædicabat. De puritate mentis providebat sibi securitatem dicendi sermonem, et non præcogitans, mira et inaudita omnibus loquebatur. Si quando vero aliqua meditatione præveniret sermonem, congregatis populis et meditata quandoque non recordabatur, et loqui alia ignorabat; absque rubore aliquo confitebatur populis, se multa præcogitasse, quorum nihil penitus poterat recordari. Sicque de subito tanta eloquentia replebatur, ut in admirationem converteret animos auditorum. Quandoque vero nihil sciens loqui, benedictione data, ex hoc solo maxime prædicatos populos dimittebat.

AUCTORE THOMA CELAN.

etiam coram Honorio Papa gaudente Cardinale Ostiensi,

73 Sed cum tempore quodam, causa Religionis poscente, ad urbem Romam venisset *a*, loqui coram Domino Papa Honorio et venerabilibus Cardinalibus plurimum sitiebat. Quod intelligens dominus Hugo Ostiensis episcopus, qui Sanctum Dei singulari venerabatur affectu, timore ac lætitia repletus, admirans sancti Viri fervorem et simplicem intuens puritatem; sed confidens de misericordia Omnipotentis, qui pie se colentibus necessitatis tempore nunquam deest, eum coram domino Papa Honorio et reverendis Cardinalibus introduxit *b*. Qui coram cunctis principibus assistens, licentia et benedictione suscepta, intrepidus loqui cœpit; et quidem cum tanto fervore spiritus loquebatur, quod non (se *c*) capiens præ lætitia, cum ex ore verbum proferret, pedes quasi saliendo movebat, non ut lasciviens, sed ut igne divini amoris ardens; non ad risum movens, sed planctum doloris extorquens. Multi enim ipsorum corde compuncti sunt, divinam gratiam et tanti Viri gratiam admirantes. In mirabili episcopus venerabilis dominus Ostiensis timore suspensus erat, totis orans visceribus ad Dominum, ne beati Viri contemneretur simplicitas; quoniam in eum Sancti gloria resultat *, et dedecus * ei erat, eo quod erat pater *d* super ejus familiam constitutus.

a

b

c

E

* *l.* resultabat

* *l.* decus

d

qui sanctum et socios ejus paterno fovebat animo,

74 Adhæserat ei namque S. Franciscus, tanquam filius patri et unicus matri suæ, securus in sinu clementiæ suæ dormiens et requiescens. Pastoris certe ille implebat vicem et faciebat opus, sed sancto Viro reliquerat nomen. Beatus Pater necessaria providebat, sed felix ille dominus provisa effectui mancipabat. O quanti, maxime in principio, cum hæc agerentur, novellæ plantationi insidiabantur, ut perderent! O quanti electam vineam, quam Dominica manus benignissime novam in mundo plantabat, suffocare studebant! Quam multi primos et purissimos ejus (fructus *e*) furari et consumere nitebantur! Qui omnes tam reverendi patris et domini gladio interfecti, et ad nihilum sunt redacti. Erat rivus eloquentiæ, murus Ecclesiæ invictus, assertor humilium. Benedicta proinde et memorabilis dies illa, qua Sanctus Dei tam venerabili domino se commisit. Cum enim tempore quodam dominus ille legatione, sicut sæpe solebat, pro Sede Apostolica in Tuscia fungeretur, F beatus Franciscus, non multos adhuc fratres habens, et volens in Franciam ire, devenit Florentiam, ubi jam tunc dictus episcopus morabantur; nondum alter alteri præcipua familiaritate conjunctus, sed sola fama beatæ vitæ mutuali eos junxerat caritate.

e

et jam ante in clientelam suam accepe-rat.

* *an* Cæterum quia?

* *an* episcopos?

75 Cæterumque * moris erat B. Francisci, cum aliquam civitatem et terram ingrederetur, ad ipsos * vel sacerdotes accedere; audiens de præsentia pontificis tanti, magna cum reverentia ejus se clementiæ præsentavit. Quem dominus episcopus videns, humili devotione suscepit, sicut et semper omnibus sacram Religionem prætendentibus faciebat, et illis præcipue, qui beatæ paupertatis et beatæ simplicitatis insigne nobile deferebant. Et quoniam sollicitus erat pauperum supplere inopiam, et ipsorum negotia specialiter pertractare, causam adventus ipsius diligenter quæsivit, et ejus propositum benignissime intellexit. Quem cum cerneret supra cæteros terrena omnia contemnentem, et illo igne ferventem, quem Jesus misit in terram, anima sua et tunc animæ illius conglutinata est, devote ipsius petens orationem, et gratissime ei suam offerens in omnibus protectionem. Monuit proinde ipsum, cœptum perficere iter, et ad curam et custodiam eorum, quos Dominus Deus sibi commiserat, sollicite

AUCTORE THOMA CELAN.

licite vigilare. Videns autem S. Franciscus tam reverendum dominum, sicut parvuli, gerere animum, affectum dulcem, sermonem efficacem, gavisus est gaudio magno valde : et exinde procidens ad pedes ejus, seipsum et fratres suos devoto ei animo tradidit et commisit.

XXVIII. *Sanctus pauperes honorari vult, eosque re et opera juvat.*

76 Pater pauperum, pauper Franciscus, pauperibus omnibus se conformans, pauperiorem se quempiam conspicere gravabatur, non inanis gloriæ appetitu, sed solius compassionis affectu. Et licet tunica vili et hispida foret contentus, illam multotiens cum aliquo paupere dividere cupiebat. Sed ut ditissimus pauper, magno pietatis affectu ductus, posset utcumque pauperibus subvenire, postulabat in magnis frigoribus a divitibus hujus seculi mantellum seu pelles præstari. Quod cum devote libentius id facerent, quam ab eis Pater beatissimus postularet, dicebat eis : Tali tenore hoc a vobis recipiam, quod rehabere de cætero non expectetis. Cumque aliquis ex pauperibus ei primitus obviaret, exultans et gaudens, ex accepto pauperem induebat. Molestissimum erat ei, cum alicui pauperum cerneret exprobrari, vel in aliquam creaturam maledictionis verbum audiret ab aliquo intorqueri. Unde accidit, ut frater quidam cuidam pauperi, eleemosynam postulanti, B verbum invectionis inferret, dicens : Vide. ne forte sis dives, et simules paupertatem : quod audiens pater pauperum S. Franciscus, graviter doluit, et fratrem talia proferentem durissime increpavit, præcepitque ei, ut se coram paupere denudaret *f*, ac pedes ejus deosculans, veniam postularet. Aiebat namque : Qui pauperi maledicit, Christo injuriam facit, cujus portat nobile signum, qui pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Frequenter proinde inveniens pauperes, lignis vel aliis sarcinis oneratos, ad juvandos illos proprios humeros, licet nimium debiles, supponebat.

f

Præ ceteris brutis animantibus diligebat agnos, quorum unum

77 Affluebat spiritu caritatis, pietatis viscera gestans, non solum erga homines necessitatem patientes, verum etiam erga muta brutaque animalia, reptilia, volatilia, et ceteras insensibiles creaturas; sed in omni genere animalium speciali dilectione et promptiori affectu agniculos diligebat, eo quod Domini nostri Jesu Christi humilitas in Scripturis sacris agno assimilatur frequentius, et convenientius coaptatur. Sic et omnia illa, præcipue in quibus fidei posset aliqua similitudo alegoriæ reperiri, amplexabatur carius, et libentius videbat. Nam cum tempore quodam iter faceret per Marchiam de Ancona, et in eadem civitate verbum Dei prædicasset, ac versus Auximum *g* cum domino Paulo *h*, quem Ministrum constituerat omnium C fratrum in eadem provincia, iter arripuisset; invenit in campis pastorem quemdam, caprarum et hircorum gregem pascentem; eratque inter caprarum et hircorum pluralitatem ovicula una pergens, humilius et quietius pascens. Quam videns beatus Franciscus, lixit gradum et tactus dolore cordis intrinsecus, altius ingemiscens, dixit ad fratrem, qui comitabatur eum : Nunquid non ovem hanc cernis, quæ inter has capras et hircos sic ambulat mansueta? Ita dico tibi, quia Dominus noster Jesus Christus inter Pharisæos et principes sacerdotum sic humilis ambulabat. Rogo te propterea, fili, per caritatem ipsius, ut mecum huic compatiaris oviculæ, et, soluto pretio, de medio istarum caprarum et hircorum educamus eam.

g
h

ex caprarum hircorumque grege redemit, et nutriendum curavit;

78 Frater Paulus vero, ejus dolorem admirans, cœpit ipsemet condolere. Cum autem nihil præter viles tunicas, quibus induebantur, haberent, et solliciti de solvendo pretio existerent, quidam statim mercator iter agens affuit, et pretium obtulit, quod optabant. At ipsi gratias agentes Deo, accepta ove, Auximum pervenerunt. Et introeuntes ad episcopum civitatis, ab ipso magna cum reverentia sunt suscepti. Miratus est dominus episcopus et de ove, quam Vir Dei ducebat, et de affectu, quo erga eam ducebatur. Sed cum Christi Servus longam sibi de ove sermonis parabolam retegisset *, corde compunctus, gratias egit Deo. Die vero sequenti egressus D est de civitate, et cogitans, quidnam de ove faceret, consiliis consocii et fratris sui eam in quodam claustro famularum Christi apud Sanctum Severinum *i* tradidit conservandam. Venerabiles ancillæ Christi, velut magnum munus a Deo sibi datum, gaudentes oviculam susceperunt : quam temporibus multis sollicite custodientes, de lana ipsius tunicam texuerunt, et eam beato patri Francisco apud ecclesiam B. Mariæ de Portiuncula tempore cujusdam capituli transmiserunt. Quam cum magna reverentia et animi exultatione Sanctus Dei amplexans, deosculabatur eam, invitans ad gaudium circumstantes eum.

i

* retexisset

79 Alia vero vice, cum per eamdem Marchiam transiret, eodem fratre ipsum alacriter comitante, viro cuidam obviavit, qui agniculos duos suspensos et ligatos in humero suo ad forum, ut venderet, deportabat. Cumque agnos balantes beatus Franciscus audisset, commota sunt ejus viscera, et appropinquans tetigit eos, quasi mater super plorantem filium, affectum compassionis ostendens; et ait ad virum : Quare sic fratres meos agnos ligatos et suspensos excrucias? Qui respondens ait : Eos ad forum porto, ut vendam, pretii necessitate compulsus. Et ait Sanctus : Quid postea fiet de illis? Ad quem ille, Emptores, inquit, eos interficient et manducabunt. Absit, respondit Sanctus, E non fiat istud, sed tolle, pro pretio mantellum, quem porto, et agnos mihi concede. Qui alacri animo agniculos tribuit, et mantellum suscepit, quoniam multo majoris pretii erat mantellus, quem causa frigoris expellendi Sanctus a quodam fideli viro mutuo susceperat *k* ea die. Cæterum apud se Sanctus, susceptis agniculis, quid de ipsis faceret, sollicitus cogitabat, et habito consilio fratris associantis cum eo, viro illi reddidit gubernando, præcepitque sibi, ne ullo tempore venderet eos, nec malum eis quid inferret, sed conservaret, nutriret et regeret studiose.

et alios duos, qui ad forum venales ferebantur.

k

ANNOTATA.

a *Ut Regulam suam, ab Innocentio III summo Pontifice dudum vivæ vocis oraculo approbatum, ab ejusdem successore Honorio III scriptis confirmari obtineret; prout suo loco dixi in Commentario prævio, et infra dicetur.*

b *Tres Socii, qui Appendicem Vitæ dandam scripserunt post Thomam Celanensem, tradunt,* S. Franciscum, *non sponte sua, sed a Cardinale Hugone seu Hugolino, Ostiensi episcopo, compulsum coram Honorio et Cardinalibus prædicasse. Vide dicta in Commentario prævio num. 505 et sequenti.*

c *Hanc voculam, quæ in apographo nostro exciderat, addidi.* F

d *Id est, protector Ordinis illius; tunc quidem propria sua voluntate et rogatus a* S. Francisco, *at paulo post auctoritate Pontificia.*

e *Hanc quoque voculam, quæ deesse videtur, adjunxi.*

f *Denudationem hanc non nimis crude interpreteris.*

g Auximum *vel* Auxumum, *Italis* Osimo, *ditionis Ecclesiasticæ civitas episcopalis est in Marchia Anconitana.*

h *Infra* Frater Paulus *dicitur.*

i S. Severini fanum, *alias etiam* Septempeda, *Italis* San-Severino *dictum, item episcopalis civitas est ad Potentiam fluvium, in eadem Marchia Anconitana.*

k *Nempe palliolum istud sic mutuum, seu commodatum, acceperat Sanctus, ut, quemadmodum alias vidimus, de eo, si vellet, posset disponere.*

CAPUT

A

CAPUT X.

Sanctus in omnibus laudat Deum : mores ejusdem, virtutes, corporis figura late descripta. Christum imitari conatur, Natalem ejus mira solemnitate celebrat : miracula in eo loco facta, et ecclesia Sancto dedicata.

XXIX. *Sanctus Deum in omnibus creatis contemplans,*

Longum esset nimis et impossibile, omnia numerare et recolligere, quæ gloriosus pater Franciscus fecit et docuit, donec in carne vixit. Quis enim umquam posset summum ejus affectum exprimere, quo in omnibus, quæ Dei sunt, ferebatur? Quis enarrare dulcedinem, qua fruebatur, contemplans in creaturis sapientiam Creatoris, potentiam et bonitatem ejus? Revera miro atque ineffabili gaudio ex hac consideratione sæpissime replebatur, cum respiciebat solem, cum lunam cernebat, cum stellas et firmamentum. O pietas simplex, et o simplicitas pia! Circa vermiculos etiam nimio flagrabat amore, quia legerat de Salvatore dictum : Ego sum vermis, et non homo. Et idcirco colligebat de via, in tuto recondens loco, ne transB euntium vestigiis detererentur. Quid de aliis inferioribus dicam creaturis, cum et apibus in hyeme, ne frigoris algore deficerent, mel, sive optimum vinum, faceret exhiberi : quarum efficaciam operum et ingenii excellentiam ad Domini gloriam tanto præconio extollebat, ut diem unum plerumque in earum creaturarum laudibus consummaret. Sicut enim olim tres pueri, in camino ignis ardentis positi, ad laudandum et glorificandum Creatorem universitatis elementa omnia
a invitabant *a*, sic et ille Vir, Spiritu Dei plenus, in omnibus creaturis Creatorem omnium ac Gubernatorem glorificare, laudare et benedicere non cessabat.

ejusdem laudem miro cum affectu prædicabat;

81 O quantam putas ejus menti exhilarationem florum speciositas importabat? Cum eorum venustatis cerneret formam, et suavitatis olentiam persentiret, statim ad illius Floris pulchritudinem considerationis oculum deflectebat, qui lucidus in vernali tempore de radice Jesse progrediens, ad odorem suum suscitavit innumera millia mortuorum. Cumque florum copiam inveniret, ita prædicabat eis, et ad laudem eos Dominicam invitabat, acsi ratione vigerent. Sic et segetes, vineas, lapides et sylvas, et omnia speciosa camporum, irrigua fontium, et hortorum virentia, terramque et ignem, aerem et ventum sincerissima puritate
C ad divinum monebat amorem et libens obsequium hortabatur, Omnes denique creaturas FRATRES nomine nuncupabat *b* : et modo præcellenti atque cæteris inexperto creaturarum occulta cordis acie decernebat, utpote qui jam evaserat in libertatem filiorum gloriæ Dei *c*. Nunc in cælis, o bone Jesu,
b te admirabilem laudat cum angelis, qui certe amabilem in terra positus omnibus te prædicabat creaturis.

miris item modis nomen Domini venerabatur.

82 Nam supra hominum intellectum afficiebatur, cum nomen tuum, sancte Domine, nominaret, et totus existens in jubilo, ac jucunditate castissima plenus, novus certe homo et altius * seculo videbatur. Propterea ubicumque scriptum aliquid, sive divinum, sive humanum, in via, in domo seu in pavimento inveniebat, reverentissime colligebat illud, et in sacro vel honesto reponebat loco, ea reverentia quidem, ne ibi esset nomen
d Domini, vel ad id pertinens scriptum *d*. Enimvero, cum a quodam fratre quadam die fuisset interrogatus, ad quid etiam paganorum scripta, et ubi
e [nihil *e*] erat Domini, sic studiose colligeret; respondit dicens : Fili, quia litteræ sunt, ex quibus componitur gloriosissimum Dei nomen. Bonum quoque, quod ibi est, non pertinet ad paganos, neque ad aliquos homines, sed ad solum Deum, cujus est bonum. Et quod non minus est admirandum, cum litteras aliquas salutationis vel admonitionis gratia faceret scribi, non patiebatur, ex eis delere * litteram aliquam aut syllabam, licet superflua sæpe aut incompetens poneretur.

AUCTORE THOMA CELAN.

* deleri

Illius animi corporisque effigies datur.

83 O quam pulcher, quam splendidus, quam gloriosus apparebat in vitæ innocentia, et in simplicitate verborum, in puritate cordis, in dilectione Dei, in caritate fraterna, in fragranti obedientia, in concordi obsequio, in aspectu angelico! Dulcis in moribus, natura placidus, affabilis in sermone, commodissimus in exhortatione, fidelissimus in commisso, providus in consilio, in negotio efficax; gratiosus in omnibus, mente serenus, animo dulcis, spiritu sobrius, contemplatione stabilis, gratia perseverans, et in omnibus idem : ad indulgendum velox, ad irascendum tardus, liber ingenio, memoria luculentus, subtilis in disserendo, circumspectus in eligendo, et in omnibus simplex : rigidus in se, pius in aliis, discretus in omnibus; facundissimus homo, facie hilaris, vultu benignus, immunis ignaviæ, insolentiæ expers : statura mediocris, parvitati vicinior. Caput mediocre ac rotundum, facies utrinque oblonga et protensa, frons parva et plana; mediocres oculi, nigri et simplices, fusci capilli, supercilia recta; nasus subtilis, æqualis et rectus, aures erectæ et parvæ, et tempora plana : lingua E placabilis, ignea et acuta; vox vehemens, dulcis, clara atque sonora; dentes conjuncti, æquales et albi; modica labia, atque subtilia : barba nigra, pilis non plene respersa : subtile collum, humeri recti, brevia brachia, tenues manus, digiti longi, ungues producti, crura subtilia, parvuli pedes, tenuis cutis, caro paucissima : aspera vestis, somnus brevissimus, manus largissima : et quia erat humillimus, omnem mansuetudinem ostendebat ad omnes homines, omnium moribus utiliter se conformans. Sanctior inter sanctos, inter peccatores quasi unus ex illis. Adjuva igitur peccatores, peccatorum amator, Pater sanctissime, et quos cernis miserabiliter in delictorum sordibus jacere, dignare eos misericordissime tuis gloriosissimis suffragiis elevare.

XXX. *Evangelium perpetuo meditabatur, maxime Christi incarnationem passionemque,*

84 Summa ejusdem intentio, præcipuum desiderium supremumque propositum ejus erat, sanctum Euangelium in omnibus et per omnia observare, ac perfecte omni vigilantia, omni studio, toto desiderio mentis, toto cordis fervore, Domini nostri Jesu Christi doctrinam sequi, et vestigia imitari. Recordabatur assidua meditatione verborum ejus et sagacissima consideratione ipsius opera recolebat : præcipue incarnationis humilitas et caritas passionis ita ejus memoriam occupabant, F ut vix valeret aliud cogitare. Memorandum proinde ac reverenti memoria recolendum, quod tertio anno ante gloriosi obitus sui diem *f* apud castrum, *f* quod Grecium dicitur, fecit in die natalis Domini nostri Jesu Christi. Erat in terra illa vir quidam, nomine Joannes, bonæ famæ, melioris vitæ, quem beatus Franciscus amore præcipuo diligebat; quo-
* *an.* dives et? niam, cum in terra sua et * honorabilis plurimum extitisset, carnis nobilitate calcata, nobilitatem animi est sequutus. Hunc vero beatus Franciscus, sicut sæpe solebat, per quindecim dies ante Nativitatem Domini fecit ad se vocari, et dixit ei : Si desideras, ut apud Grecium *g* præsentem festivi- *g* tatem Domini celebremus, festina præcedere, et, quæ tibi dico, præpara diligenter. Volo enim illius Pueri memoriam agere, qui in Bethlehem natus est, et infantilium necessitatum ejus incommoda, quomodo in præsepio reclinatus, et quomodo, astante bove atque asino, super fœnum positus extitit, utcumque corporeis oculis pervidere. Quod audiens vir bonus atque fidelis, cucurrit citius, et omnia in prædicto loco, quæ Sanctus dixerat, præparavit.

cujus festum natale singulari solemnitate

85 Appropinquavit autem dies lætitiæ, tempus exultationis advenit : e pluribus locis vocati sunt Fratres, viri et mulieres terræ illius secundum posse suum, exultantibus animis, cereos et faces præparant

AUCTORE THOMA CELAN.

præparant ad illuminandam noctem, quæ scintillanti sydere dies omnes illuminavit et annos. Venit denique Sanctus Dei, et inveniens omnia præparata, vidit et gavisus est : et quidem præparatur præsepium, apportatur fœnum : bos et asinus adducuntur, honoratur ibi simplicitas, exaltatur paupertas, humilitas commendatur, et quasi nova Bethlehem de Grecio facta est. Illuminatur nox, ut dies, et hominibus atque animalibus deliciosa extitit : adveniunt populi, et ad novum mysterium novis gaudiis adlætantur. Personat sylva voces, et jubilantibus rupes respondent. Cantant Fratres, Domino laudes debitas persolventes, et tota nox jubilatione resultat. Stat Sanctus Dei coram præsepio suspiriis plenus, pietate constrictus, et miserabili * gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solennia persæpe *h*, et nova fruitur consolatione sacerdos *i*.

* *l.* mirabili

h

i

et cum ingenti populi concursu celebravit Grecii,

86 Induitur leviticis ornamentis, quia levita erat, et voce sonora Euangelium cantat. Et quidem vox ejus vox vehemens, vox dulcis, vox clara, voxque sonora, cunctos invitans ad præmia summa. Prædicat deinde populo circumstanti, et de nativitate pauperis Regis, et Bethlehem parvula civitate melliflua ruptat *. Sæpe quoque, cum vellet Jesum Christum nominare, amore flagrans nimio, eum Puerum de Bethlehem nuncupabat, et more balantis

* *l.* eructat

B ovis Bethlehem dicens, os suum sic magis dulci affectione totum implebat : et labia sua, cum Puerum de Bethlehem vel Jesum nominaret, quasi lingebat lingua, felici palato degustans et deglutiens dulcedinem verbi hujus. Multiplicantur ibi

k dona Omnipotentis, et a quodam viro virtutis *k* mirabilis visio cernitur. Videbat enim in præsepio puerulum unum, jacentem exanimem, ad quem

l videbat accedere sacerdotem Dei *l*, et eumdem puerum quasi a sommo suscitare. Nec inconveniens visio ista, cum puer Jesus in multorum cordibus oblivioni fuerit datus, in quibus, ipsius gratia faciente, per servum suum sanctum Franciscum resuscitatus est, et impressus memoriæ diligenti. Finiuntur deinde solemnes excubiæ, et unusquisque cum gaudio ad propria remeavit.

ubi in ejus rei memoriam ecclesia postmodum ædificata fuit.

87 Conservatur fenum in præsepio positum, ut per ipsum jumenta et animalia salva faciat Dominus, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam sanctam. Et revera sic actum est, ut animalia, diversos morbos habentia, per circum adjacentem regionem, manducantia de hoc feno, a suis sint ægritudinibus liberata. Imo et mulieres, partu gravi et longo laborantes, de prædicto feno sibi superimponentes, partu pariunt salutari : atque a diversis cladibus utriusque sexus concursus desi-

C deratam ibidem obtinent sanitatem. Consecratus est denique locus præsepii templum Domino : et in honorem beatissimi patris Francisci supra præ-

m sepe altare construitur, et ecclesia dedicatur *m*; ut, ubi animalia quandoque feni pabulum comederunt, ibi de cætero ad sanitatem animæ et corporis manducent homines carnes Agni immaculati Jesu Christi Domini nostri, qui summa et ineffabili caritate dedit seipsum nobis, cum Patre et Spiritu sancto vivens et regnans Deus æternaliter gloriosus per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Danielis cap.* 3.

b Consideratione... primæ originis omnium (*inquit S. Bonaventura in Vita num.* 109) abundantiori pietate repletus, creaturas, quantumlibet parvas, Fratris vel Sororis appellabat nominibus; pro eo, quod sciebat, eas unum secum habere principium.

c *Ex Epistola S. Pauli ad Romanos cap.* 8, ℣ 21.

d *Huc spectant, quæ de divini nominis veneratione Sanctus ipse suo Testamento inseruit his verbis :* Sanctissima nomina et verba ejus (*Dei*) scripta, ubicumque invenero in locis illicitis (*id est, in locis vilibus*) volo colligere, et rogo, quod colligantur, D et in loco honesto collocentur.

e *Vocem uncis inclusam addidi, ut sensum perficerem.*

f *Id est, anno* 1225; *nam obiit* S. Franciscus *anno* 1226, *die* 4, *seu* 3 *Octobris.*

g *Lege Annotata ad cap.* 7, *litt.* aa.

h *Puto, hic legendum esse :* Super præsepe, *uti habent Vita secunda et S. Bonaventura. Porro quia hic natalem Domini celebrandi modus plane novus ac insolens fuit, S. Bonaventura in Vita num.* 149 *lectores præmonuit, hæc non sine Honorii III Papæ consensu facta esse;* Ne vero, *inquiens,* hoc levitati posset adscribi, a summo Pontifice petita et obtenta venia, fecit præparari præsepium *etc. Vide Commentarium prævium* § 23, *ubi eamdem festivitatem etiam ex biographo secundo enarravi.*

i *Id est,* S. Franciscus, *qui, cum Levita, seu diaconus solum esset, ut sequitur, improprie vocatur hic* sacerdos, *forte quia ipse primarius hujusce sollennitatis auctor et actor erat. Pari modo mox infra idem Sanctus* Sacerdos Dei *vocatur, ut annotabo lit.* l.

k *Fuit hic idem Joannes, de quo supra, teste S. Bonaventura.*

l *Ipsummet* S. Franciscum, *ut docent scriptor Vitæ secundæ sanctusque Bonaventura, et ex sequentibus liquet. Vide etiam mox annotata ad lit.* i. E

m *Eadem habet biographus secundus; at S. Bonaventura de ceteris consentiens, de ecclesia, haud dubie exigua, eo in loco exstructa silet.*

LIBER II,

Referens gesta duobus posterioribus Vitæ S. Francisci annis.

CAPUT I.

Excellentia vitæ S. Francisci et utilitas ejus doctrinæ : mirabilis visio, in qua eidem sacra stigmata imprimuntur.

CAP I.

Auctor in Sancti laudem excurrens,

Superiori quidem tractatu, quem gratia Salvatoris congruo fine conclusimus, vitam et actus beatissimi patris nostri Francisci usque ad octavum decimum conversionis suæ annum *a* enarrandum utcumque conscripsimus. Reliqua vero gesta ipsius a penultimo vitæ suæ anno *b*, prout potuimus scire, recte huic Opusculo breviter adnectemus; et ea sola, quæ, necessaria magis occurrunt, ad præsens intendimus adnotare; ut, qui plus his dicere cupiunt, quid addant, semper valeant invenire. F Anno siquidem Dominicæ Incarnationis MCCXXVI, XIV Indictione, IV Nonas Octobris, die Dominico, beatissimus pater noster Franciscus in civitate Assisii, de qua ortus est, apud Sanctam Mariam de Portiuncula, ubi Ordinem Fratrum Minorum ipse primo plantavit, expletis viginti annis, ex quo perfectissime adhæsit Christo, Apostolorum vitam et vestigia sequens, egressus de carnis ergastulo, ad cælestium spirituum mansiones, perfecte, quæ cœpit, consummans, felicissime convolavit *c*. Cum hymnis et laudibus in illa civitate sacrum et sanctum corpus ipsius collocatum est, et honorifice reconditum, ubi ad gloriam Omnipotentis multis coruscat miraculis. Amen.

a 89 Hic vero, cum in via Dei ipsius cognitionis a primævo juventutis flore parum vel nihil esset institutus, in natali simplicitate ac vitiorum fervore tempore non pauco *d* perdurans, immutatione dexteræ Excelsi justificatus a peccato, gratia et virtute Altissimi super omnes tempore suo repertus divina sapientia est repletus. Nam cum doctrina Euangelica, etsi non particulariter, sed generaliter, ubicumque * multum per opera defecisset, missus est, ut universaliter per totum mundum Apostolorum exemplo perhiberet testimonium veritati : sicque factum est, ut doctrina sua omnem mundi

ipsius eminentem, sapientiam sanctimoniam,

d

* *an* ubique?

A mundi sapientiam ostenderet evidentissime fore stultam, et brevi spatio temporis ad veram sapientiam Dei per stultitiam prædicationis mundum generavit in Christo duce; quoniam in novissimo tempore novus Euangelista, quasi unus ex paradisi fluminibus, in toto terrarum orbe fluenta Euangelii pia irrigatione diffudit, et viam in eo Filii Dei, atque doctrinam Veritatis opere prædicavit. Facta est proinde in eo et per eum orbis terrarum insperata exultatio et sancta novitas, antiquæ religionis germen inveteratos diu et veteres multum subito innovavit, datus est spiritus novus in cordibus electorum, et in medio eorum effusa est unctio salutaris; cum, velut unum de luminaribus cæli, Christi Servus et sanctus, et novo ritu et novis signis desuper radiavit. Renovata sunt per eum antiqua miracula, dum in deserto mundi hujus ordine novo, sed antiquo more, plantata est vitis fructifera, proferens flores suavitatis in odorem sanctarum virtutum, ubique sacræ Religionis palmites extendendo.

doctrinamque omnibus utilem, et miracula commendat.

90 Nam licet fuerit similis nobis passibilis, non fuit tamen contentus præcepta communia observare, sed ferventissima æstuans caritate, totius perfectionis arripuit viam, perfectæ sanctitatis apprehendit summam, et omnis consummationis vidit

B finem. Omnis proinde ordo, omnis sexus, omnis ætas, omnes in ipso doctrinæ salutaris evidentia documenta habent, et sanctorum operum exempla præcipua. Si qui ad fortia proponunt mittere manus, et excellentioris vitæ charismata meliora æmulari nituntur, respiciant in speculum vitæ et omnem perfectionem adjiciant. Si qui vero ad humiliora et planiora se conferunt, timentes ambulare per ardua, et montis ascendere verticem, in hoc gradu etiam apud eum invenient congrua monimenta. Si qui denique signa et miracula quæcumque * ipsius interrogent sanctitatem, et, quod postulant, consequentur, ut, quod gloriosa vita ipsius Sanctorum priorum perfectionem in lumine clariori probat, hoc passio Jesu Christi et ejus plenissime manifestat. Revera in quinque partibus corporis et passionis et crucis signaculo Pater venerabilis est signatus, acsi in cruce cum Dei Filio pependisset. Sacramentum hoc magnum est, et prærogativæ dilectionis indicat majestatem: sed arcanum in eo latet consilium, et reverendum contegitur mysterium, quod soli Deo cognitum, et per ipsum Sanctum ex parte quadam revelatum. Propterea in ejus laudibus non expedit multum tentare, cujus laus ab ipso, qui est laus omnium, fons et honor, dans fortissimis præmia lucis. Benedicentes igitur

C Deum, sanctum, verum et gloriosum, ad historiam recurramus.

* *adde* desiderent,

II. *Sacris secessibus vacans, totusque ad perfectionem Deumque aspirans,* *e*

91 Tempore quodam *e* beatus et venerabilis pater Franciscus, relictis sæcularibus turbis, quæ ad audiendum et videndum eum quotidie devotissime concurrebant, locum quietis et secretum solitudinis / petit, cupiens ibi vacare Deo, et extergere, si quid pulveris sibi inhæserat ex conversatione hominum. Mos ejus erat tempus impensum sibi ad gratiam promerendam dividere, et, prout oportere videbat, aliud proximorum lucris impendere, aliud contemplationis beatis secessibus consummare. Assumpsit proinde secum socios valde paucos, quibus ejus conversationis sancta, magis quam cæteris nota erant, ut tuerentur eum ab incursu et conturbatione hominum, et suam quietem in omnibus diligenter adjuvarent. Cumque cum illis diu permansisset, et oratione continua et frequenti contemplatione divinam familiaritatem modo ineffabili fuisset adeptus, quid æterno Regi de se et in se foret acceptum, aut esse posset, cognoscere cupiebat. Curiosissime exquirebat, et piissime anhelabat scire, quali modo, quali via, aut quali desiderio Domino Deo valeret juxta consilium et beneplacitum voluntatis suæ perfectus adhærere. Hæc summa philosophia semper fuit, hoc summum desiderium in eo, quoad vixit. Semper flagravit, ut quæreret a simplicibus et sapientibus, a perfectis et imperfectis, qualiter posset viam apprehendere veritatis, et ad maius propositum pervenire.

f

92 Nam cum esset perfectorum perfectior, perfectum abnuens *g*, imperfectum se penitus reputabat. Gustaverat et viderat, quam dulcis, suavis et bonus foret his Deus Israel, qui recto sunt corde, et in simplicitate pura, et in puritate vera quærunt illum. Infusa namque in se dulcedo et suavitas, rarissimis raro data, quam sibi desuper senserat aspirare, cogebat eum totum a seipso diffidere: et tanta jucunditate repletus, cupiebat modis omnibus illuc ex toto transire, ubi excedendo seipsum jam parte processerat; paratusque erat Homo, spiritum Dei habens, omnes animi pati angustias, omnesque corporis passiones tolerare, si tandem optio sibi daretur, et voluntas Patris cælestis misericorditer compleretur in eo. Accessit deinde die quadam ante sacrum altare, quod in heremitorio, in quo ipse manebat, erat constructum; et accepto codice, in quo sacra Euangelia erant conscripta, reverenter altari superposuit illum; sicque prostratus in oratione quotidie non minus corde, quam corpore, humili prece poscebat, ut benignus Pater, Deus misericordiarum, et Deus totius consolationis, suam sibi dignaretur ostendere voluntatem, et ut perfecte consummare valeret, quod olim simpliciter et devote inceperat: quid si * esset oportunius agere, in prima libri apertione indicari, simpliciter precabatur. Sanctorum quippe ac perfectissimorum exemplo ducebatur, qui pia devotione in desiderio sanctitatis simile aliquid fecisse leguntur *h*.

ac illius voluntatem inquirens, divinitus cognoscit, *g*

E

* *an* sibi?

h

multa sibi toleranda esse, ad quæ se parat alacriter.

93 Surgensque ab oratione, in spiritu humilitatis animoque contrito, ac signaculo sanctæ crucis se muniens, de altari librum accepit, eumque cum reverentia et timore aperuit. Factum est autem, cum aperuisset librum, occurrit sibi primo passio Domini nostri Jesu Christi, et id solum, tribulationem eum passurum, demonstrabat. Sed ne hoc casu evenisse, possit aliquatenus suspicari, bis et ter librum aperuit, et simile, vel idem, scriptum invenit. Intellexit tunc Vir spiritu Dei plenus quod per multas tribulationes, per multas angustias, et per multas pugnas oporteret, eum intrare in regnum Dei. Sed non turbatur fortissimus Miles ad ingruentia bella, nec animo decidit, præliaturus Domini prælia in castris sæculi hujus. Non veritus est succumbere hosti, qui non cedebat sibi, etiam cum diu supra modum humanarum virium laborasset. Revera ferventissimus erat, et, si retroactis sæculis socium habuit in proposito, nemo tamen F eo superior inventus est in desiderio. Nam et levius perfecta operari, quam dicere, non cognoscebat; semper, non verbis, quæ bonum non faciunt, sed ostendunt, sed sanctis operibus efficax studium et operam præbens. Manebat proinde inconcussus et lætus, et sibi et Deo in corde suo lætitiæ cantica decantabat. Propterea majori revelatione dignus habitus est, qui sic de minimo exultavit, et in modico fidelis, constituitur supra multa.

III. *Videt Seraphinum, velut crucifixum, et ipse sacris stigmatibus* *i*

94 Faciente ipso moram in eremitorio, quod a loco, in quo positum est, Aumna *i* nominatur, duobus annis, antequam animam redderet cælo, vidit in visione Dei virum unum, quasi Seraphim, sex alas habentem, stantem supra, manibus extensis, ac pedibus conjunctis, cruci affixum. Duæ alæ supra caput elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ denique totum velabant corpus. Cumque ista videret beatus Servus Altissimi, admiratione permaxima replebatur; sed quid sib ivellet hæc visio, advertere nesciebat. Gaudebatque quam plurimum et vehementius lætabatur in benigno et gratioso respectu, quod Seraphim *k* videbat, quia pulchritudo inæstimabilis erat nimis: sed omnino ipsum crucis affixio et passionis ipsius acerbitas deterrebat. Sicque surrexit (ut ita dicatur) tristis et lætus; et gaudium atque mœror suas in ipso alternabant vices. Cogitabat sollicitus, quid posset hæc visio designare, et ad capiendum ex ea intelligentiæ

k

AUCTORE THOMA CELAN

intelligentiæ sensum anxiabatur plurimum spiritus ejus. Cumque liquido ex ea intellectu aliquid non perciperet *l*, et multum ejus cordi visionis ejus novitas insideret; cœperunt in manibus et pedibus ejus apparere signa clavorum, quemadmodum paulo ante Virum sanctum supra se viderat crucifixum.

l

mirabiliter insignitur : quæ, quantum potuit,

95 Manus et pedes ejus in medio clavis confixi videbantur, clavorum capitibus interiori parte manuum et superiori pedum apparentibus, eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erant enim signa illa rotunda interius in manibus, exterius autem oblonga; et caruncula quædam apparebat, quasi summitas clavorum retorta et repercussa, quæ carnem reliquam excedebat. Sic et in pedibus impressa erant signa clavorum, et a carne reliqua relevata *m*. Dextrumque latus, quasi lancea transfixum *n*, cicatrice obducta, erat quod sæpe sanguinem emittebat, ita ut tunica ejus cum femoralibus multociens respergeretur sanguine sacro. Heu! quam pauci, dum viveret crucifixus Servus Domini crucifixi, sacrum lateris vulnus cernere meruerunt! sed felix Helias *o*, qui, dum viveret Sanctus, utrumque illud videre meruit : sed magis felix Ruffinus *p*, qui propriis manibus contrectavit.

m

n

o

p

B Enimvero cum semel dictus frater Ruffinus manum suam in sinum sanctissimi Viri, ut eum scalperet, immisisset, dilapsa est manus ejus, ut sæpe contingit, ad dextrum latus ipsius, et occurrit illi pretiosam illam contingere cicatricem. Ad cujus tactum Sanctus Dei non modicum doluit, et manum a se repellens, ut ei parceret Dominus, acclamavit. Studiosissime namque abscondebat hoc ab externis, celabat cautissime a propinquis, ita ut et tolerabiles fratres et ejus devotissimi secutores hoc per multum temporis ignorarent.

celare semper nisus est.

96 Et licet tantis ac talibus margaritis, tanquam pretiosissimis gemmis, Servus et amicus Altissimi se videret ornatum, atque supra omnium hominum gloriam et honorem mirifice decoratum, non evanuit tamen in corde suo; non quæsivit alicui per appetitum vanæ gloriæ complacere. Sed et ne humanus favor datam sibi gratiam furaretur, modis omnibus, quibus poterat, hæc abscondere satagebat. Mos etenim ipsius erat raro aut nulli pretiosum revelare secretum, timens specie præcipuæ dilectionis ex eorum dilectione, sicut solent facere prædilecti, pati aliquod in data sibi gratia detrimentum. Colebat semper in corde suo, et in ore frequenter habebat propheticum illud : « In corde » meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi *q*. »

q

C Quotiens vero ex sæcularibus ad eum convenissent aliqui, ab eorum collocutione cupiens abstinere, fratribus et filiis, qui secum morabantur, tale dederat signum, ut, cum videlicet prædictum versiculum recitaret, statim eis, qui convenerant, modeste licentiam exhiberent. Expertus namque fuerat, magnum fore malum, cuncta communicare, et spirituale sciebat esse non posse, perfectiora secreta, cujus et plura non sunt, quam ea, quæ in facie videntur, et ex apparentia possunt in una parte ab hominibus indicari *r*. Invenerat enim aliquot sibi exterius concordantes et interius dissidentes; applaudentes coram, irridentes retro, qui judicium sibi acquisierunt, et rectos ei suspectos aliquantulum reddiderunt. Sæpe malitia denigrare nititur puritatem, et propter mendacium familiare multis, paucorum non creditur veritati.

r

ANNOTATA.

a *Ex chronotaxi nostra conversus est* S. Franciscus *anno* 1206; *cui si annos* 17 *completos addas, pervenies usque in annum Christi* 1223, *in cujus fine, nempe die* 23 *Decembris, ipse Nativitatem Christi Domini peculiari modo Grecii celebravit, cum qua festivitate Celanensis primum Vitæ librum terminavit.*

b *Ita etiam præmisit in Prologo : verumtamen oportet hic* penultimum vitæ S. Francisci annum *latius accipere pro toto biennio completo cum aliquot mensibus ante Sancti obitum. Ratio est, quod ipsemet Celanensis in eodem capite num.* 94 *impressionem sacrorum stigmatum referat, hancque ibidem factam dicat* duobus annis, antequam *Sanctus* animam redderet cælo; *ex Bonaventura vero in Vita num.* 191 *habeamus, eamdem impressionem contigisse* circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, *seu circa diem* 14 *Septembris; atque adeo certo ultra integrum biennium ante diem* 4 *seu* 3 *Octobris anni* 1226, *quo* S. Franciscus *ex ejusdem Celanensis sententia ex hoc mundo ad cælum emigravit.* D

c *Omnes allegatas epochas recte se habere, ostendi in Commentario prævio* § 29. *Observandum tamen est, ut feci ibidem, dies mensis et hebdomadæ a Celanensi, in Italia scribente, more Italico expressos esse; ita ut pro nostro more computandi* S. Franciscus *obiisse dicendus sit, non* IV Nonas Octobris, *nec* die Dominico, *sed* V Nonas Octobris, die Sabbati post solis occasum. *Observandum secundo est, minus accurate hic dici,* Franciscum *obiisse,* expletis viginti annis *a conversione sua; cum idem scriptor deinde num.* 119 *mortem ejus figat* vicesimo conversionis suæ anno, *quod etiam expresse asserit S. Bonaventura in Vita danda num.* 208.

d *Nempe* fere usque ad vigesimum quintum annum ætatis suæ, *ut præmisit num.* 2.

e Cum... juxta solitum morem Quadragesimam... ad honorem sancti archangeli Michaelis jejunare cœpisset, *inquit S. Bonaventura in vita num.* 189; *ac proinde mense Septembri vel circa finem Augusti, et, quia biennio ante obitum, anno* 1224. E

f Montem Alvernæ *fuisse, docet S. Bonaventura num.* 188, *qui mons Hetruriæ est in agro Florentino, vernacule* il Monte Alverno *dictus.*

g *Id est, non credens, se perfectum esse.*

h *De his legi potest Waddingus ad annum* 1209, *num.* 7.

i *Legendum esse* Alverna, *constat ex aliis biographis; nisi forte pars montis Alvernæ* Aumna *dicta fuerit, quod tamen nusquam reperi.*

k *S. Bonaventura in Vita num.* 192 *tradit, non Seraphinum, sed ipsum Christum Seraphini specie apparuisse, sic dicens :* Lætabatur quidem (*Franciscus*) in gratioso aspectu, quo a Christo sub specie Seraph cernebat se conspici *etc.*

l *Laudatus S. Bonaventura ait :* Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio sic divina providentia suis fuerat præsentata conspectibus, ut Amicus Christi prænosceret, se, non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. *Potuit sanctus doctor istud adjunctum, quod Celanensi latuit, didicisse ex aliis* S. Francisci *discipulis, quos diligenter a se consultos, in Prologo testatur.* F

m *Consentiunt Tres Socii in Appendice num.* 70, *ubi aiunt :* Cernebant enim in manibus et pedibus ejus (*mox ab obitu*) non quasi clavorum puncturas, sed ipsos clavos ex ejus carne compositos, et eidem carni innatos: ferri quoque nigredinem, *nimirum in iisdem clavis, ita ut hi, etsi carnei essent, ferri speciem referrent. Consentit quoque S. Bonaventura in Vita num.* 195; *unde colligas, non esse accuratas* S. Francisci *imagines, quæ* in manibus et pedibus ejus... quasi clavorum puncturas, *seu sola vulnera, non* ipsos clavos, ex ejusdem carne compositos *repræsentant.*

n *Veritatem hujus historiæ in Commentario prævio totis* §§ 24 *et* 25 *tot tamque irrefragabilibus testimoniis probavi, ut nesciam, quid vir prudens ad certam fidem historicam faciendam præterea posset requirere.*

o *Is est Elias,* S. Francisci *vicarius et in generale Ordinis ministerium successor, de quo sæpe meminimus in Commentario prævio, sermoque recurret.*

p *Fuit hic unus ex Tribus illis Sociis, qui Appendicem ad hanc Vitam scripserunt.*

q *Psalmo* 118, ℣ 11.

r *Obscura admodum hæc periodus, ac forte describentis vitio deformata est.*

CAPUT

A

CAPUT II.

Sanctus semper fervens, multis corporis infirmitatibus afficitur : ejus amicitia cum Cardinale Hugolino, postea Gregorio IX, et hujus laudes : virtutes S. Francisci.

IV. *Sanctus, emacerato attritoque ex diuturnis laboribus corpore,*

Per ejus igitur temporis curriculum cœpit corpus suum variis urgeri languoribus, et vehementioribus, quam prius solitum esset : frequentes namque patiebatur infirmitates, utpote qui perfecte castigaverat corpus, et illud in servitutem redegerat ex multis præcedentibus annis. Nam per decem et octo annorum spatium, quod tunc erat expletum *a*, vix aut nunquam requiem habuerat caro sua, varias et longissimas circuiens regiones, ut spargeret ubique semina verbi Dei. Spiritus ille promptus, sanctus * ille devotus, spiritus ille fervens, qui eam inhabitabat, replebat omnem terram Euangelio Christi, ita ut uno die quatuor aut quinque castella, vel etiam civitates, sæpius circuiret, euangelizans unicuique regnum Dei, et non minus exemplo, quam verbo, ædificans audientes. De toto corpore fecerat linguam : tanta enim in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientia, quod, cum ille omnem niteretur apprehendere sanctitatem, ipsa nihilominus non solum non repugnabat, sed et procumbere satagebat, juxta quod scriptum est : « Sitivit in te anima mea, quam » multipliciter tibi caro mea *b*. » Assiduitas vero subjectionis fecerat eam voluntariam, et inclinatione sui habitum apprehenderat tantæ virtutis, quia consuetudo sæpe vertitur in naturam.

a

* *f.* spiritus

B

b

incidit in varias infirmitates, maxime oculorum,

98 Sed quoniam propter naturæ humanæ conditionis modum, necesse est, quod de die in diem homo exterior corrumpatur, licet is, qui intus, renovetur, illud pretiosissimum vasculum, in quo cælestis thesaurus erat absconditus, cœpit undique conquassari, et virium omnium pati defectum. Verum quia, cum consummatus fuerit homo, tunc incipiet, et, cum finierit, operabitur *c*, in carne infirma spiritus promptior efficiebatur. Tantum quoque animarum diligebat salutem et proximorum sitiebat lucra, ut, cum per se ambulare non posset, asello vectus circuiret terras. Frequenter eum monebant Fratres, illi omni precum instantia suggerentes, ut infirmum corpus et valde debilitatum medicorum auxilio utrum * recreare deberet. Ille autem illo suo spiritu nobili in cælum dejecto *, qui solvi solummodo cupiebat et cum Christo esse, hoc facere recusabat. Verum, quia nondum impleverat ea, quæ passionum Christi deerant, in carne sua, licet stigmata ejus in corpore suo portaret, infirmitatem oculorum incurrit gravissimam; quemadmodum multiplicavit misericordiam suam Deus. Cumque de die in diem infirmitas illa succresceret, et ex incuria videretur quotidie augmentari; frater Elias tandem, quem loco matris elegerat sibi, et aliorum fratrum fecerat patrem *d*, compulit eum, ut medicinam non abhorreret, sed eam reciperet in nomine Filii Dei, per quem creata sunt cuncta, sicut scriptum est : « Altissimus de terra » creavit medicinam, et vir prudens non abhorre» bit eam *e*. » Sanctus Pater vero tunc benigne acquievit, et humiliter obtemperavit sermonibus se monentis.

c

* *f.* utcumque

* *f.* directo

C

d

e

V. *ad quos curandos ivit Reate, ubi in curia Pontificia tunc erat*

f

99 Factum est, cum plures accelerarent suis eum medicaminibus adjuvare, non invento remedio, accessit ad civitatem Reatinam *f*, in qua illius infirmitatis curandæ morari vir peritissimus dicebatur. Perveniente igitur eo ibidem, benigne et honorifice susceptus est a tota Romana curia, quæ in eadem civitate tunc temporis morabatur; præcipue tamen a domino Hugone Ostiensi episcopo devotissime susceptus est, qui morum honestate ac sanctitate vitæ præfulgebat. Hunc vero beatus Franciscus patrem et dominum elegerat super universam religionem et Ordinem fratrum suorum ex assensu et voluntate domini Honorii Papæ *g*, eo quod illi beata paupertas multum placebat, et sancta simplicitas in maxima reverentia existebat. Conformabat se dominus ille fratrum moribus, et in desiderio sanctitatis cum simplicibus erat simplex, et cum humilibus erat humilis, et cum pauperibus erat pauper, frater inter fratres, inter Minores minimus, et velut unus ceterorum, in quantum licitum erat, in vita et moribus gerere se studebat. Sollicitus erat ubique sacram Religionem plantare, et in remotis partibus fama clara clarioris vitæ ipsius Ordinem plurimum ampliabat. Dedit illi Dominus linguam eruditam, in qua confundebat adversarios veritatis, in qua refellebat inimicos crucis Christi, in qua reducebat errantes ad viam, in qua discordes pacificabat et concordes fortioris caritatis vinculo colligebat *. Erat in Ecclesia quasi lucerna ardens et lucens, et sagitta electa, parata in tempore opportuno.

AUCTORE THOMA CELAN.

g

* *f.* colligabat

100 O quoties, depositis pretiosis vestibus, vilibus indutus, discalceatis pedibus, quasi unus de fratribus, incedens, rogabat ea, quæ ad pacem sunt! Hæc inter virum et proximum suum, quoties oportebat; hæc inter Dominum et hominem semper sollicite faciebat. Præterea paulo post elegit eum Dominus Pastorem, et in universa terra, et in Ecclesia sua sancta exaltavit caput ejus in tribubus populorum *h* : quod ut inspiratum divinitus, et Christi Jesu voluntate operatum esse sciatur, longe ante beatus pater Franciscus hæc verbis prædixit et opere præsignavit. Nam cum Ordo et Religio fratrum, divina gratia faciente, satis inciperet dilatari, et velut cedrus in paradiso Dei, et in cælestibus sanctorum attolleret verticem meritorum, et tanta vinea electa sacros produceret palmites in latitudinem orbis terræ; sanctus Franciscus accessit ad dominum Papam Honorium, qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, simplici petens prece, ut Hugonem episcopum Ostiensem sui fratrumque suorum patrem et dominum ordinaret. Annuit dominus Papa precibus Sancti, et benigne obtemperans, suam illi super Ordinem fratrum contulit potestatem; quam ille reverenter et devote suscipiens, tanquam fidelis servus et prudens constitutus supra familiam Domini, studebat omnibus modis cibum æternæ vitæ sibi commissis ministrare in tempore opportuno. Propterea sanctus Pater modis omnibus se subjiciebat ei, et miro ac reverenti eum venerabatur affectu. Spiritu Dei ducebatur *, quod postmodum erat in oculis omnium sic futurum. Nam quoties familiaris religionis urgente causa, vel potius caritate Christi, qua erga ipsum flagrabat, scribere vellet ei, nequaquam acquiescebat, ipsum in litteris suis vocari episcopum Ostiensem seu Velletrensem, sicut ceteri utebantur in salutationibus consuetis; sed, assumpta materia, sic aiebat : « Re» verentissimo patri sive domino Hugoni, totius » mundi Episcopo. » Sæpe namque benedictionibus inauditis salutabat eum, et, licet esset devota subjectione filius, dictante tamen spiritu, quandoque ipsum patrem consolabatur colloquio, ut confortaret super eum benedictiones patrum, donec veniret desiderium collium æternorum *i*.

Cardinalis Ostiensis, protector Ordinis, Sanctoque conjunctissimus,

E

h

* *f.* dicebat

F

i

101 Nimio quoque amore ducebatur dominus dictus erga sanctum Virum, et ideo, quidquid Vir beatus loquebatur, quidquid faciebat, placebat ei, et in sola visione ipsius sæpe totus afficiebatur. Testatur ipse *k* de eo, quod nunquam esset in tanta perturbatione seu animi motu, quod visione ac collocutione S. Francisci non omne mentis nubilum discederet, rediretque serenum, effugaretur accidia *, et gaudium desuper aspiraret. Ministrabat ille beato Francisco, tanquam servus domino suo, et quoties videbat eum, tanquam Christi apostolo, reverentiam exhibebat, et inclinato utroque homine, sæpe manus deosculabatur ore sacrato. Curabat sollicitus atque devotus, quomodo beatus Pater recuperare posset oculorum pristinam sani-

ex cujus consilio Sanctus majorem sui corporis curam deinceps admisit,

k

* *i. e.* mœror

AUCTORE THOMA CELAN.

tatem, sciens eum sanctum et justum, Ecclesiæ Dei necessarium et utilem valde, nimis compatiebatur super eum universæ congregationi fratrum, et filios miserabatur in Patrem *an* Patre? *. Monebat proinde sanctum Patrem, curam gerere suæ infirmitatis, necessaria non abjicere, ne ad peccatum aliquod potius, quam ad meritum, horum deputaretur incuria. Sanctus Franciscus vero, quæ sibi a tam reverendo domino et tam carissimo patre dicebantur, humiliter observabat, cautius deinde agens et securius necessaria curæ suæ. Sed ita jam creverat malum, quod ad remedium qualecumque acutissima requirebat ingenia et acerbissima medicamina exposcebat: sicque factum est, ut in pluribus locis decocto capite *l*, incisis venis, superpositis emplastris et immissis colliriis *, nihil proficeret, sed quasi semper deterius se haberet.

l

* collyriis

VI. *committens eam quatuor e sociis suis,*

102 Hæc fere per duos annos in omni patientia sustinuit et humilitate, in omnibus gratias agens Deo. Sed, ut ipse liberius suam intentionem poneret ad Deum, et beatarum visionum in cælo positarum, frequenter mente excedens, circuire posset ac ingredi officinas, et in pinguedine gratiæ coram placidissimo et serenissimo universorum Domino se in cælestibus præsentare, quibusdam fratribus, merito sibi valde dilectis, commiserat B curam sui. Erant viri illi virtutum, devoti, Deo placentes, sancti, gratiosi hominibus, super quos, velut domus super columnas quatuor, beatus Franciscus innitebatur. Eorum namque nec * nomina supprimo, ipsorum verecundiæ parcens, quæ tanquam spiritualibus viris satis est familiaris et amica: verecundia enim est omnium ornatus ætatum, innocentiæ testis, pudicitiæ mentis indicium, disciplinæ virga spiritualis, gratia conscientiæ, famæ custos, et totius honestatis insigne. Hæc virtus adornaverat istos, hæc amabiles et benevolos eos reddebat hominibus. Utique hæc gratia omnibus erat communis, sed singulos virtutis * singula decorabat. Erat discretionis præcipuæ, patientiæ singularis, gloriosæ simplicitatis alius et alius: reliquus vero secundum corporis vires robustus, et secundum mores animi placabilis. Ii vero omni vigilantia, omni studio, omni voluntate, beati Patris animi quietem excolebant, infirmitatem corporis procurabant, nullas declinantes angustias, nullos labores, qui totos se Christi servientio manciparant.

nec redundat

f. virtus

dum ipse interim perfectiora semper meditabatur,

103 Sed licet gloriosus Pater jam esset coram Deo in gratia consummatus, et operibus sanctis rutilaret inter homines mundi hujus, cogitabat tamen perfectiora incipere, et tanquam devotissimus miles in castris Dei, provocato adversario, C excitare iterum nova bella. Proponebat, Christo duce, ingentia se facturum, et fatiscentibus artubus, jam emortuo corpore, novo certamine sperabat de morte triumphum. Vera namque virtus temporis finem ignorat, cum mercedis expectatio sit æterna. Flagrabat deinde desiderio magno valde ad humilitatis reverti primordia, et ad præmia, amoris immensitate semper gaudens, cum corpus suum ad tantam jam devenisset extremitatem, revocare cogitabat ad pristinam servitutem. Amputabat a se penitus omnium creaturarum obstacula, et cunctarum sollicitudinum strepitum plenissime compescebat. Cumque infirmitatis suæ occasione rigorem pristinum temperaret, dicebat: Incipiamus, fratres, servire Domino Deo, qui huc usque vix vel parum in nullo * profecimus. Nam non arbitrabatur, se adhuc comprehendisse, et infatigabilis durans in sanctæ novitatis proposito, semper inchoare sperabat. Volebat ad serviendum leprosis redire denuo, et haberi contemptui, sicut aliquando habebatur; hominum conversationem fugere proponebat, et ad loca remotissima se conferre, ut sic exutus omni cura, et aliorum sollicitudine deposita, solus carnis paries inter se * interim separaret.

an ullo?

adde et Deum,

104 Videbat enim, multos ad magisterii regimina convolare, quorum temeritatem detestans, ab hujusmodi peste sui exemplo revocare studebat D eos. Dicebat enim, fore bonum, Deo et acceptabile curam gerere aliorum, et sollicitudinem animarum aiebat eos suscipere debere, qui dumtaxat in ea nihil de suo quærerent, sed divinam semper in omnibus attenderent voluntatem; qui videlicet propriæ saluti nihil præponerent, et subditorum applausibus non attenderent, sed profectibus, non coram hominibus pompam, sed gloriam ante Deum: qui prælationem non affectarent, sed timerent; quos habita non extolleret, sed humiliaret; et ablata non dejiceret, sed exaltaret. Sed præcipue in tempore hoc, in quo tantum superexcrevit malitia, et superabundavit iniquitas, periculosum dicebat, regere, regi vero, affirmabat utilius. Dicebat, quosdam prima opera reliquisse, et novis inventionibus pristinam oblitos esse simplicitatem. Propterea lamentabatur eos, qui quandoque magis superioribus toto desiderio intendebant, ad infima et vilia descendisse, * per frivola et inania in campo · *adde* et vacuæ libertatis, relictis veris gaudiis, discurrere et vacare. Orabat proinde divinam clementiam pro liberatione filiorum, et servari eos in data gratia, devotissime precabatur.

et aliquorum ambitionem humillimus Pater deflebat.

ANNOTATA.

a *Perducta ergo hic est historia vitæ usque in annum* 1225. E

b *Psalmo* 62, ℣. 2.

c *In vulgata ecclesiastici cap.* 18, ℣. 6: Cum consummaverit homo, tunc incipiet, et cum quieverit, aporiabitur.

d *Videlicet vicarium suum in regimine Ordinis.*

e *In vulgata Ecclesiastici cap.* 38, ℣. 4: Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.

f Reate, *Italis* Rieti, *episcopalis civitas est ditionis Pontificiæ in Umbria in confinio regni Neapolitani.*

g *Contigit id anno* 1223, *quando* S. Franciscus *etiam confirmationem Regulæ suæ ab eodem Honorio III, summo Pontifice, scripto obtinuit; fuitque Hugo, seu Hugolinus ille primus Ordinis Minorum protector Pontificia auctoritate constitutus.*

h *Honorio III mortuo in summum Pontificatum successit anno* 1227, Gregorius IX *dictus, eximius Ordinis Minorum fautor. Obierat autem anno præcedenti* S. Franciscus.

i *Simillima ex secundo biographo jam retuli in Commentario prævio, et in Appendice Trium Sociorum, atque in Vita per S. Bonaventuram scripta legemus.*

k *Vivebat enim et Pontificatum tenebat Gregorius IX, quando Thomas Celanensis hanc Vitam ex ejusdem mandato scribebat.* F

l *Cauterio scilicet, ut aliunde novimus.*

CAPUT III.

Crescunt Sancti infirmitates: pia ad mortem præparatio, et felix obitus: anima in cælum ascendere visa.

VII. *Apud Senas gravius laborans, defertur ad cellam de Crotona, deinde Assisium*

In mense autem sexto ante obitus sui diem, cum esset apud Senas *a* pro infirmitate oculorum curanda, cœpit in reliquo corpore graviter infirmari, et fracto stomacho, infirmitate diuturna, et vitio hepatis sanguinem multum evomuit, ita quod visus est morti appropinquare. Quo comperto, frater Elias citissime cucurrit ad eum. In cujus adventu sanctus Pater in tantum convaluit, ut, relicta villa *b* illa, cum ipso ad cellam de Crotona *c* veniret. Ipso ibidem et per tempus aliquod faciente moram, intumuit venter ejus, turgere crura, tumueruntque pedes, et stomachi magis ac magis defectum incurrit, ut cibum aliquem recipere non valeret. Rogavit deinde fratrem Eliam, ut eum Assisium faceret deportari. Fecit bonus filius, quod benignus Pater petiit, et præparatis omnibus, ipsum ad concupitum locum perduxit. Lætata est in

a

b c

A in adventu Patris beati civitas, et omnium populorum ora laudabant Deum. Universa namque multitudo populi Sanctum Dei sperabat in proximo moriturum, et hæc erat exultationis tantæ materia *d*. Dei quoque nutu factum est hoc, ut sancta anima carne soluta, inde ad cælorum regna transiret, ubi sibi adhuc in carne manenti primo data est notitia supernorum et infusa unctio salutaris.

d

ob desiderium S. Mariæ de Portiuncula, quem locum suis commendat :

106 Nam cum in omni sede terrarum cælorum regna constituta cognosceret, et in omni loco divinam gratiam electis tribui, crederet; expertus tamen erat eum locum S. Mariæ de Portiuncula gratia uberiori repletum, et supernorum visitatione spirituum frequentatum. Aiebat proinde fratribus sæpe : Videte, o filii, ne quando hunc locum relinquatis. Si ab una parte foras pelleremini, ex alia reintrate. Nam locus vere iste sanctus et habitatio Dei est. Hic, cum pauci essemus, augmentavit nos Altissimus : hic luce sapientiæ suæ illuminavit suorum pauperum corda : hic igne amoris sui nostras voluntates accendit : hic, qui oraverit corde devoto, quod petierit, obtinebit, et offendens gravius punietur. Propterea, filii, omni honore dignum habete locum habitaculi Dei in toto corde; in voce exultationis et confessionis ibi confitemini Deo.

morbi molestias ad nutum Dei patientissime tolerat :

107 Infirmitate crescente, omne robur corporis ejus elanguit, et omnibus viribus destitutus nullo modo poterat se movere. Siquidem * a quodam fratre fuisset interrogatus, quid vellet tolerare, hanc scilicet diuturnam et sic longam infirmitatem, an a carnifice quantumcumque grave martyrium sustinere, respondit : Illud mihi, fili, carius, illud dulcius acceptiusve semper extitit et existit, quod Domino meo magis in me et de me fieri placet; cujus utique voluntati solum semper desidero, concors et obediens per omnia inveniri : sed in cujuslibet martyrii compensatione hanc infirmitatem pati vel per tres dies molestius mihi foret; quod non pro mercedis remuneratione loquor, * pro sola, quam ingerit, molestia passionis. O martyr, qui ridens et gaudens libentissime tolerabat, quod erat acerbissimum omnibus intueri! Revera nullum in eo remanserat membrum absque nimio passionis dolore, et calore naturali sensim amisso, ad extrema quotidie propinquabat. Stupebant medici, mirabantur fratres, quomodo spiritus vivere posset in carne sic mortua, cum, consumptis carnibus, sola cutis ossibus adhæreret.

* *adde* cum

B

* *adde* sed

filiis suis benedicit, et ad S. Mariam de Portiuncula jubet se portari,

108 Cum vero videret, imminere diem extremum, quod etiam per revelationem divinam duobus annis ei fuerat indicatum; vocans ad se fratres, quos volebat, unicuique, sicut desuper dabatur, velut olim patriarcha Jacob suis filiis, benedixit. Imo velut alter Moyses ascensurus in montem, quem constituit ei Deus, filios Israel benedictionibus ampliavit. Cumque a sinistris ipsius resideret frater Elias, circumsedentibus reliquis filiis, cancellatis manibus dexteram posuit super caput ejus, et exteriorum oculorum lumine privatus et usu, Super quem, inquit, teneo [dextram *e*] meam? Super fratrem Eliam, inquit. Et, Ego sic volo, ait. Te, inquit, fili, in omnibus, et per omnia benedico, et sicut in manibus tuis fratres meos et filios augmentavit Altissimus, super te et in te omnibus benedico. In cælo et in terra benedicat te omnium Dominus Deus. Benedico, sicut possum, et plus quam possum; et quod non possum ego, possit in te, qui omnia potest. Recordetur Deus operis ac laboris tui, et in tribulatione * justorum sors tua fervetur. Omnem benedictionem, quam cupis, invenias, et quod digne postulas, impleatur. Valete, filii omnes, in timore Dei, et permanete in ipso semper, per quem futura est super vos tentatio maxima et tribulatio. Appropinquent ad Deum felices, qui in his, quæ cœperunt, perseverabunt. Ego enim ad Dominum propero, et ad Deum meum, cui devote in spiritu meo servivi, jam ire confido. Erat tunc temporis manens in palatio Assisinati episcopi *f*, et propterea rogavit fratres, ut eum ad locum S. Mariæ de Portiuncula deportarent. Volebat enim ibi animam reddere, ubi, sicut dictum est, primo perfecte viam veritatis agnovit.

C

e

* *an* retributione?

f

AUCTORE THOMA CELAN.

VIII.

mortem propinquam sciens ex revelatione biennio ante accepta ; ac rursum benedicens suis,

109 Conversionis suæ tempus jam erat viginti annorum spatio consummatum *g*, sicut sibi divina innotuerat voluntate. Nam, cum ipse beatus Pater et Elias tempore quodam apud Fulgineum moraretur, et nocte quadam, cum se sopori dedisset, astitit fratri Eliæ sacerdos quidam albis indutus, grandævæ ac provectæ ætatis, aspectu venerabilis, dicens : Surge, frater, et dic fratri Francisco, quoniam expleti sunt decem et octo anni, ex quo mundo renuncians, Christo adhæsit, et duobus tantum annis dehinc in hac vita manens, viam universæ carnis, vocante ipsum ad se Domino, introibit. Sicque factum est, ut sermo Domini, quem diu ante prædixerat, constituto termino compleretur. Cum igitur in loco sibi valde desiderato paucis quievisset diebus, et cognosceret, tempus propinquum mortis instare, vocavit ad se duos fratres et suos filios speciales, præcipiens eis de morte propinqua, imo de vita sic proxima, in exultatione spiritus alta voce laudes Domino decantare. Ipse vero, prout potuit, in illum Davidicum psalmum erupit : « Voce mea ad Dominum clamavi, voce » mea ad Dominum deprecatus sum *h*. » Frater autem quidam de assistentibus, quem Sanctus satis diligebat, de more pro fratribus omnibus plurimum existens sollicitus, cum hæc intueretur, et Sancti agnosceret exitum propinquare, dixit ad eum : Benigne pater, heu! absque patre remanent filii, et oculorum privantur lumine vero; recordare igitur orphanorum, quos deseris, et, omnibus culpis dimissis, tam præsentes, quam absentes omnes, tua sancta benedictione lætifica. Ad quem Sanctus : Ecce, inquit, vocor a Deo, fili : fratribus meis, tam absentibus, quam præsentibus, offensas omnes et culpas remitto, et eos, sicut * absolvo : quibus tu hæc denuntians, ex parte mea omnibus benedices.

g

h

E

* *adde* te

lecta Passione Domini, in cinere et cilicio emittit animam,

110 Jussit denique, codicem Euangeliorum deportari, et Euangelium secundum Joannem sibi legi poposcit ab eo loco, ubi incipit : « Ante sex » dies Paschæ *i* sciens Jesus, quia venit hora ejus, » ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. » Hoc etiam Euangelium legere proposuit sibi minister, priusquam ei præciperetur : hoc etiam in prima libri apertione occurrit, cum tota et plena bibliotheca esset, in qua hoc Euangelium legi debebat *k*. Jussit proinde se superponi cilicio et conspergi cinere, quia terra et cinis mox erat futurus. Convenientibus itaque multis fratribus, quorum ipse pater et dux erat, reverenterque astantibus et exspectantibus omnibus exitum beatum et consummationem felicem, sanctissima anima illa carne soluta est, qua in abysso claritatis absorpta, corpus obdormivit in Domino. Unus autem ex fratribus et discipulis ejus, fama modicum * celebris, cujus nomen non æstimo recitandum, quoniam, dum vivit in carne, non vult tanto præconio gloriari, vidit animam sanctissimi Patris recto tramite in cælum conscendere super aquas multas. Erat enim quasi stella, quodammodo lunæ immensitatem habens, solis vero utcumque retinens claritatem, et candida subvecta nubecula *l*.

i

k

F

* *l.* non modicum

l

quæ instar stellæ lucidæ in cælum ferri visa est.

111 Libet propterea sic exclamare de ipso : O quam gloriosus est iste Sanctus, cujus animam in cælum ascendere vidit, quæ pulchra ut luna, electa ut sol, in nube candida cum ascenderet, gloriosissime rutilabat! O vere mundi Lucerna, sole splendidior lucens in Christi Ecclesia; ecce jam lucis tuæ radios subtraxisti, et in illa luminosa patria secedens, pro nobis miseris angelorum et Sanctorum frequentiam commutasti! O insignis præconii almitas gloriosa, noli filiorum te cura exuere, licet exutus jam sis consimili carne. Nosti, revera nosti, in quanto eos discrimine positos reliquisti, quorum labores innumeros et frequentes angustias sola tua præsentia felix omni honore misericorditer relevabat. O vere misericors Pater sanctissime, qui peccantibus

AUCTORE THOMA CELAN.

peccantibus filiis misereri semper et parcere benigne paratus eras! Tibi ergo benedicimus, benigne Pater, cui benedixit Altissimus, qui semper est Deus benedictus super omnia. Amen.

ANNOTATA.

a *Notissima est celebris urbs Hetruriæ* Sena, *Italis* Siena, *tunc libera et cognominis reipublicæ caput, nunc Magno Hetruriæ duci subdita. Porro antequam* S. Franciscus *medelæ causa ad Senensem agrum fuit advectus, Waddingus ipsum prius ad eremitorium Fontis-Columbæ ac deinde Assisium ductum fuisse, asserit, aliaque narrat, de quibus vide Commentarium prævium* § 26.

b *Non igitur in urbe Senensi, sed in ejusdem agro decumbebat.*

c *Seu de* Cortona, *quæ pariter Hetruriæ civitas est in dominio Magni ducis, in confinio Umbriæ, in cujus civitatis agro* S. Franciscus *in loco* Cella *dicto, pauperculum conventum habebat, ut observavi in Commentario prævio num.* 616.

d *Non, quod instanti illius morte gauderent, sud quod, cum illum in civitate sua brevi morituram adverterent, ejusdem corpus possessuri essent, quod sperare non poterant, si ille alibi moreretur.*

e *Vocem uncis inclusam, quæ exciderat, addidi.*

f *Vivebat etiam tunc episcopus Vido, seu Guido,* B *coram quo* S. Franciscus *a viginti fere annis bona sua atque ipsas etiam vestes patri cesserat, quique ipsum exin plurimum fuerat veneratus, libensque in domum suam tunc receperat, ut commodius posset curari.*

g *Infra num.* 119 *idem biographus scribit,* Franciscum *obiisse* vicesimo conversionis suæ anno, *quod chronotaxi conformius est. Numerabat tunc Sanctus annum ætatis suæ quadragesimum quintum. Adi Commentarium prævium num.* 663.

h *Psalmo* 141, ℣ 2.

i *Lege* Ante diem festum Paschæ, *ut habet S. Joannes cap.* 13, ℣ 1, *et Tres Socii ac S. Bonaventura.*

k *Obscura hæc sunt ac forte vitiata in apographo nostro. Fortasse voluit indicare, Evangelium illud in bibliotheca, libris plena, inventum fuisse in prima apertione libri, qui primus inciderat in manus quærentis.*

l *Hanc visionem etiam referunt Tres Socii in Appendice num.* 68, *et S. Bonaventura in Vita num.* 215, *qui deinde præterea duas alias sanctissimæ animæ mox ab excessu e corpore apparitiones subnectit.*

CAPUT IV.

C *Concursus populi ad defunctum : sacra stigmata et pulchritudo corporis mortui : honorifice portatur ad civitatem, et ad monasterium S. Claræ, ac demum sepelitur.*

IX. *Mortui corpus candidum pulchrumque*

Factus est propterea concursus populorum multorum, laudantium Deum, ac dicentium : Laudatus et benedictus tu, Domine Deus noster, qui nobis indignis tam pretiosum depositum commendasti; laus et gloria sit tibi, Trinitas ineffabilis. Catervatim tota civitas Assisii ruit, et omnis accelerat regio videre magnalia Dei, quæ in Servo sancto suo gloriose ostenderat Dominus Majestatis. Unusquisque autem cantabat canticum lætitiæ, prout cordis gaudium suggerebat, et de impleto desiderio *a* benedicebant universi Omnipotentem. Verumtamen filii lamentabantur, tanto Patre orbati, et pium cordis affectum lacrymis et suspiriis ostendebant. Sed temperabat mœstitiam gaudium inauditum, et miraculi novitas eorum mentes in stuporem nimium convertebat. Versus luctus in canticum et ploratio est in jubilationem. Nunquam enim audierant aut legerant in Scripturis, quod oculis monstrabatur, quod et persuaderi vix potuisset eis, si non tam evidenti testimonio probaretur. Revera resultabat in eo forma crucis et passionis Agni immaculati, qui lavit crimina mundi, dum quasi recenter ex D cruce depositus videbatur, manus et pedes clavis confixos habens, et dextrum latus quasi lancea perforatum. Intuebantur carnem illius, quæ nigra erat prius, candore nimio renitentem, et ex sui pulchritudine beatæ resurrectionis præmia pollicentem. Cernebant denique vultum ejus, quasi vultum angeli, quasi viveret, non quasi mortuus esset, et cetera membra ejus conversa in teneritudinem et habilitatem innocentiæ puerilis.

115 Non sunt contracti nervi ejus, ut mortuorum solent, non indurata cutis, non rigida effecta sunt membra; sed huc atque illuc vertenti a se veluti ponebantur. Cumque tam mira pulchritudine cunctis cernentibus resplenderet, et caro ejus nive candidior esset effecta, cernere mirabile erat in medio manuum et pedum ipsius, non clavorum quidem puncturas; sed ipsos clavos in eis impositos ex ferri recenti nigredine *b*, ac dextrum latus sanguine rubricatum. Non incutiebant horrorem mentibus intuentium signa martyrii, sed decorem multum conferebant et gratiam, sicut in pavimento albo nigri lapilli solent. Accurrebant fratres et filii : collacrimantes deosculabantur manus et pedes pii Patris, eos derelinquentis, nec non et dextrum latus, in cujus plaga illius memoria celebris agebatur, qui ex eo loco sanguinem et aquam pariter fundens, mundum reconciliavit Patri. Maximum sibi donum exhiberi credebat quivis de populo, si E admittebatur, non solum ad osculandum, et * ad videndum sacra stigmata Jesu Christi, quæ S. Franciscus portabat in corpore suo. Quis enim fletui, hæc videns, et non magis gaudio, esset intentus? Etiamsi fleret, magis non præ lætitia, quam præ dolore id faceret? Cujus tam ferreum pectus non moveretur ad gemitum? Cujus tam lapideum cor non scinderetur ad compunctionem? Non accenderetur ad divinum amorem? Non animaretur ad bonam voluntatem? Quis tam hebes et tam insensibilis, qui manifesta non cognosceret veritate, Sanctum illum, sicut singulari munere honoratum in terris, sic ineffabili gratia magnificatum in cælis?

ac quinque sacris stigmatibus insignitum spectatur ab omnibus;

b

* *forte* sed

114 O singulare donum, et prærogativæ dilectionis indicium, iisdem gloriæ armis Militem adornari, quæ soli Regi excellentissima dignitate conveniunt! O æterna memoria dignum miraculum, et sine omni intermissione admirabili reverentia memorabile sacramentum, quod occulta fide illud mysterium repræsentat, in quo Agni immaculati sanguis, per quinque foramina copiosissime manans, lavit crimina mundi! O sublime decus crucis mirificæ, mortuis præstans vitam, onus, quod tam premit suaviter, et tam dulciter pungit, ut hæc mortua caro vivat, et infirmus spiritus roboretur! Hic te dilexit multum, quem sic gloriosissime decorasti. Gloria et benedictio soli Sapienti, qui innovat signa et immutat mirabilia, ut infirmorum mentes novis revelationibus consoletur, et per visibilium mirabile opus ipsorum corda in amore invisibilium rapiantur. O mira et amabilis dispositio, qua, ut nulla de miraculi novitate posset oriri suspicio, primo misericorditer ostendit in eo, qui de cælis erat, quod mirabiliter paulo post futurum erat in eo, qui degebat in terris *c*. Et quidem indicare voluit verus Pater misericordiarum, quanto præmio dignus sit, qui eum diligere studuerit toto corde, ut in superiori scilicet ac sibi memori supercælestium spirituum ordine collocetur. Quod poterimus utique indubitanter adipisci, si more Seraphim duas extenderimus super caput alas, habentes videlicet beati Francisci exemplo in omni opere bono intentionem puram et operationem rectam; * his directis ad Deum, soli sibi placere in omnibus infatigabiliter studuerimus, quæ ad revelandum caput necessario conjunguntur, quia rectitudinem operis absque puritate intentionis, et e converso, Pater luminum minime acceptabit; ideo dicente *d* : « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus » tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, » totum corpus tuum tenebrosum erit. » Oculus autem

F

quam Sancti prærogativam auctor commendans, hortatur omnes

c

* *adde* et

d

A autem simplex non est, qui non videt, quod est videndum, cognitione veritatis carens; aut, quod non videndum fuit, intuetur, intentionem puram non habens. In primo non simplicem, sed cæcum; in secundo nequam ipsum aperta ratio indicabit. Pennæ harum alarum sunt amor Patris salvantis misericorditer, et timor Domini judicantis mirabiliter, qui in animis electorum malos motus reprimendo, et castos ordinando, affectus debent suspendere a terrenis. Duabus quoque alis volandum est ad impendendam duplicem proximo caritatem, reficiendo videlicet animum verbo Dei, et corpus terreno subsidio sustentando : quæ alæ rarissime conjunguntur, quia vix utrumque valet ab aliquo adimpleri. Pennæ harum divisa sunt opera, quæ ad consilium et auxilium requiruntur, proximo exhibenda. Duabus quoque alis tegendum est corpus nudum meritis, quod tunc ordinate impletur, cum scilicet, quoties, peccato interveniente, fuerit denudatum, contritionis atque confessionis innocentia revestitur. Pennæ harum multimodæ affectiones sunt, quæ ex peccatorum execratione et appetitu justitiæ procreantur.

ad imitanda opera, quibus ipse eam promeruit.

115 Hæc omnia beatissimus pater Franciscus perfectissime adimplevit, qui Seraphim imaginem tenuit atque formam, atque in cruce perseverans, ad sublimium spirituum gradum meruit advolare. B Semper enim in cruce fuit, non subterfugiens laborem, tantum ut posset in se et de se voluntatem Domini adimplere. Norunt præterea, qui cum illo conversati sunt; fratres, quoniam quotidiana et continua collatio de Jesu fuerit in ore ipsius, quam dulcis et suavis confabulatio, quam benigna et amore plena collocutio. Ex abundantia cordis os loquebatur, et fons illuminati amoris, replens omnia viscera ejus, ebulliebat foras. Multa illi utique cum Jesu : Jesum in oculis, Jesum in manibus, Jesum in reliquis membris semper portabat. O quoties, cum sederet ad prandium, audiens vel * *forte* escæ nominans vel cogitans Jesum, corporalis esse * oblitus est! Et, ut de Sancto legitur, videns non videbat, audiens non audiebat. Imo et multoties, cum per viam iret, meditans et cantans Jesum, obliviscebatur itineris, et omnia invitabat ad laudem Jesu. Et quia miro amore semper in corde suo gerebat Christum Jesum, et hunc crucifixum, propterea signaculo suo gloriosissime supra cæteros est signatus. Quem etiam mente excedens contemplabatur in gloria indicibili et incomprehensibili sedentem ad dexteram Patris, cum quo ipse coaltissimus Altissimi Filius in unitate Spiritus Sancti C vivit et regnat, vincit et imperat, Deus æternaliter gloriosus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

x.

Postridie cum ingenti pompa defertur ad ecclesiam S. Damiani,

116 Patres ergo et filii, qui convenerant, cum omni multitudine populorum, quæ ex vicinis civitatibus tantis adgaudebat interesse solemniis, totam noctem illam, in qua obiit Pater, divinis laudibus consummare, ita ut præ jubilationum charitate fore angelorum excubiæ viderentur. Mane autem facto, convenit multitudo civitatis Assisii cum omni clero, et tollentes corpus sacrum de loco, in quo obierat, cum hymnis et laudibus, clangentibus tubis, ipsum ad civitatem portaverunt. Acceperunt singuli ramos olivarum aliarumque arborum, sacras obsequias solemniter exequentes, multiplicatis luminaribus, omnia vocibus altisonis exsolvebant. Cumque, portantibus filiis Patrem, et grege sequente Pastorem, ad Pastorem * *f.* omnium ovium * properantem, perventum esset ad locum, in quo Religionem et Ordinem sacrarum virginum et dominarum pauperum ipse primo plantavit, deponentibus eum in ecclesia S. Damiani, in qua decem filiæ suæ, quas Domino acquisiverat, morabantur, aperta est fenestra parvula, per quam ancillæ Christi constituto tempore communicare solent Dominici Corporis Sacramento; aperta est arca, in qua portabatur a paucis, qui multos portare solebat : et ecce domina Clara, quæ erat aliarum mater, et prima plantula hujus sancti Ordinis fuit, venit cum reliquis filiabus ad videndum Patrem, non loquentem eis, non reversurum ad eas, sed ad Dominum properantem.

AUCTORE THOMA CELAN.

117 Et ingeminatis suspiriis cum magno cordis gemitu et lacrymis multis respicientes eum, suprema voce clamare cœperunt : Pater, pater, quid faciemus? cur nos miseras deseris, aut cui nos desolatas relinquis? Cur nos, quo vadis, non præmisisti gaudentes, quas sic hic dimittis dolentes? Quid præcipis, nos facturas in isto carcere sic reclusas, quas nunquam, ut soles, disponis ulterius visitare? Tecum nostra consolatio tota recedit, et simile solatium non remanet sæculo tumulatis. Quis in paupertate tanta non minus meritorum, quam rerum, sociabitur nobis, o pauperum Pater, paupertatis amator? Quis in tentatione succurret, o innumeras tentationes expertus, tentationum examinator, incautas *. Quis in tribulatione consolabitur tribulatas, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis? O amarissima separatio! o inimica absentatio! o nimis horrenda mors, quæ millia filiorum et filiarum tanto Patre orbata trucidas, cum irrevocabiliter elongare festinas illum, per quem nostra studia, si qua sunt, floruerunt. Sed virgineus pudor multo fletui imperabat, et super illum plangere nimis erat incongruum, in cujus transitu frequens concurrit exercitus angelorum, et lætati sunt cives Sanctorum et domestici Dei. Sicque inter lætiE tiam * positæ deosculabantur splendidissimas * *adde* et mæmanus ejus, ornatas pretiosissimis gemmis et rorem coruscantibus margaritis *e*. Et ablato eo, clausa *e* est illis janua, quæ minime vultui tanto patebit. O quantus luctus omnium erat in harum miseranda et pietate plena reclamatione! Quanta præcipue mœrentium lamenta filiorum! Singularis eorum dolor, communis omnium erat, ita quod vix quisquam posset abstinere a fletu, cum angeli pacis amare flerent.

* *l.* incautis

Assisium, ubi tumulatur et miraculis coruscat

118 Pervenientibus denique omnibus ad civitatem cum jucunditate magna et exultatione, in sacro loco *f*, sed sacriori de cætero, posuerunt sanctissimum corpus; ubi ad gloriam summi omnipotentis Dei novorum multiplicitate miraculorum mundum illuminat, sicut hactenus eum in sanctæ prædicationis doctrina mirabiliter illustravit. Deo gratias. Amen. Ecce, sanctissime ac benedicte Pater, debitis ac dignis, licet insufficientibus, laudibus te prosecutus sum, et tua gesta utcumque perstrinxi narrando. Da propterea mihi misero ita digne vita præsenti te sequi, ut misericordiam consequi merear in futuro. Recordare pie pauperum filiorum, quos præter te unicum et singulare solatium vix aliqua consolatio confortaret. Nam licet tu, eorum potior et prima portio, angelorum F choris admixtus, et in throno gloriæ Apostolis insertus, jacent ipsi nihilominus in lecto * fecis * *f.* loco obscuri, in carcere sic flebiliter ad te clamantes : Repræsenta, Pater, Jesu Christo, Filio summi Patris, sacra stigmata ejus, et lateris ac pedum et manuum crucis signacula prode, ut dignetur ipse misericors ostendere propria vulnera Patri, qui nobis miseris revera propter hoc semper placabilis erit. Amen. Fiat, fiat.

ANNOTATA.

a *Nempe de impleto desiderio possidendi sacri illius corporis thesaurum.*

b *Forte legendum est :* Et ferri recentis nigredinem.

c *Obscurum est, quid hic velit biographus. Forte tamen indicat, stigmata illa prius in Seraphino, qui* S. Francisco *apparuit, visa esse, ac paulo post in* Francisco.

d *Subintellige hic* Luca, *aut* Euangelio : *nam textus, qui subditur, ita fere legitur apud Lucam cap.* 11, ℣. 34.

e *Id est, sacris stigmatibus.*

f *In ecclesia S. Georgii, in qua sepultum quievit usque in annum* 1230, *quo ad magnificam ecclesiam, illius nomine Deo exstructam, translatum fuit, uti*

ex

AUCTORE THOMA CELAN. *ex Tribus Socius sanctoque Bonaventura videbimus; de qua translatione non potuit meminisse Celanensis, qui ante id temporis hoc suum Opusculum absolvit.*

LIBER III.

CAPUT I.

Franciscus ritu solemni in numerum Sanctorum relatus.

CAP. I. *Increbres centibus quotidie Sancti miraculis.*

Gloriosissimus pater Franciscus vicesimo conversionis suæ anno feliciorem finem felici connectens principio, felicissime cælo spiritum commendavit, ubi gloria et honore coronatus, et locum sortitus, in medio lapidum ignitorum *a* throno Divinitatis assistens, eorum, quos reliquit in terris, studet efficaciter negotia pertractare. Revera quid illi poterit denegari, in cujus sacrorum stigmatum pressura forma resultat illius, qui cœqualis Patri existens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis, splendor, ignis et figura substantiæ Dei, purgationem faciens peccatorum? Quid ni exaudiatur, qui configuratus morti Jesu Christi in societate passionum ejus, manuum et pedum atque lateris
B sacra vulnera repræsentat? Lætificat certe jam mundum novo gaudio sospitatum, et vere salutis offert commoda universis. Miraculorum luce clarissima mundum irradiat, et veri sideris fulgore totum illustrat. Lugebat olim mundus, ejus se fraudatum præsentia; quadam tenebrarum voragine ad ejus occasum se viderat occupatum. Sed jam, velut in meridie et novæ lucis exortu, fulgentioribus radiis illustratus, sentit, se universam caliginem amisisse. Cessavit jam (benedictus Deus) omnis querimonia ejus, cum quotidie virtutibus, novis exultationibus in sanctarum virtutum fascibus ex ipso copiosissime cumuletur. Veniunt ab Oriente et Occidente; veniunt a Meridie et Septemtrione, qui ejus patrocinio sublevati, hæc ita fore, comprobent testimonio veritatis. Ideoque Vir in carne supernorum Amator præcipuus nihil in mundo proprietatis accepit, ut universitatis bonum plenius et jucundius
* *forte* noluit possideret. Factus est proinde in toto, qui voluit * esse in parte, et æternitatem pro tempore commutavit : ubique omnibus adest, etveræ universitatis Amator participii detrimenta non novit *b*.

b *et crescente veneratione in populis,*

120 Vivens adhuc inter peccatores, universum peragrat et prædicat orbem. Regnans jam cum angelis, in ecclesiis et populis omnibus præstat beneficia gloriosa. Tota proinde universitas popu-
C lorum honorat eum, veneratur, glorificat et collaudat. Revera communi bono participantur omnes. Quis enumerare sufficiat, quanta, quis dicere valeat, qualia per eum ubique Dominus dignatus est miracula operari? Quanta nempe in sola Francia Franciscus miracula patrat, ubi ad deosculandum et adorandum capitale *c*, quo sanctus Franciscus in infirmitate fuerat usus, Francorum rex *d*, et regina, et universi magnates occurrunt, ubi sapientes orbis et litteratissimi viri, quorum copiam super omnem terram Parisius *e* maximam ex more producit, Franciscum, virum idiotam et veræ simplicitatis totiusque sinceritatis amicum, humiliter et devotissime venerantur, admirantur et colunt. Et vere Franciscus, qui super omnes cor francum et nobile gessit. Norunt quippe magnanimitatem ejus experti, quam liber, quam liberalis fuit, quam securus et in omnibus impavidus extitit; quanta virtute, quanto fervore animi cuncta sæcularia conculcavit. Verum quid de aliis partibus mundi
* in loquar, et * quibus per semicinctia sua morbi discedunt, fugiunt ægritudines, et ad solam nominis ejus invocationem utriusque sexus frequentia multa suis a cladibus liberatur?

c

d

e

sternitur via ad canonizationem.

121 Ad cujus quoque tumbam assidue nova miracula fiunt, et multiplicatis intercessionibus, eo in loco animarum et corporum gloriosa beneficia impetrantur. Cæcis restituitur visus, surdis reparatur auditus, claudis redditur gressus. Mutus loquitur, salit podagricus, leprosus mundatur, turgens
D subtiliatur *f*, et diversa variaque infirmitatum gravamina patientes desideratam obtinent sanitatem, ut mortuum corpus viva corpora sanet, sicut vivens mortuas animas suscitabat. Audit hæc et intelligit Romanus Pontifex *g*, omnium pontificum summus, omnium Christianorum dux, dominus orbis, pastor Ecclesiæ, Christus Domini, vicarius Christi, gaudet et exultat et lætatur, cum temporibus suis novis mysteriis et antiquis mirabilibus Ecclesiam Dei videat innovari, et hoc in Filio suo, quem sacro portavit in utero, fovit in gremio, lactavit verbo, et educavit cibo salutis. Audiunt et ceteri custodes Ecclesiæ, pastores gregis, fidei defensores, amici Sponsi, collaterales ejus, mundi Cardinales, congratulantur Ecclesiæ, congaudent provinciæ, glorificant Salvatorem, qui summa et ineffabili sapientia et incomprehensibili gratia, summa et inæstimabili bonitate, stulta et ignobilia mundi elegit, ut scilicet ad se fortia trahat. Audit et applaudit totalitas orbis, et universa monarchia, Catholicæ fidei parens, superabundat gaudio, et sancta consolatione perfunditur.

f

g

Interim tumultuantibus Romanis, Gregorius IX ex Urbe recedit

122 Sed sic subita conversio rerum et nova in-
E teritus causa emergit in mundo, turbatur protinus pacis jucundum, et ardescente invidiæ face, domestico et intestino bello Ecclesia laceratur. Romani, seditiosum hominum genus et ferox, in vicinos ex more desæviunt, et temerarii ad sancta manus mittunt. Studet egregius Papa Gregorius exortam compescere malitiam, sævitiam reprimere, impetum temperare, et velut munitissima turris tuetur Ecclesiam. Multa pericula ingruunt, exitia multa crebrescunt, et adversus Deum reliquo in orbe peccatorum cervix erigitur. Quid enim? Experientissime futura dimetiens, præsentia ponderans, seditiosis reliquit Urbem *h*, ut orbem a seditionibus liberet et defendat. Venit proinde ad civitatem Reatinam *i*, ubi honorifice suscipitur, sicut debet. Inde progrediens Spoletum *k*, ab hominibus magna cum reverentia honoratur; ubi paucis diebus commorans, causa Ecclesiæ informata, comitantibus ipsum venerabilibus Christi, ad famulas mundo mortuas et sepultas *l* benignus advenit: quarum conversatio sancta, paupertas altissima, et institutio gloriosa ipsum cum reliquis movet ad lacrymas, ad contemptum provocat sæculi, ad cælibem vitam accendit. O admirabilis gratiarum omnium nutrix humilitas! Princeps orbis terrarum, successor Principis Apostolorum, visitat pauperculas mulieres, accedit ad abjectas et humiles carceratas, et licet digna judicio justo, insueta exemplo tamen humilitas hæc, et multis
F retroactis sæculis inexperta.

h

i

k

l

et Assisii Sancti sepulcrum veneratus, canonizationis causam tractat,

123 Properat jam, properat Assisium, ubi sibi gloriosum depositum conservatur, ut in eo passio universa et tribulatio ingruens exturbetur. Ad ejus ingressum tota jubilat regio, civitas exultatione repletur, pauperum turba magna gaudium celebrat, et luminosa dies novis luminaribus inclarescit. In ejus occursum omnis homo procedit, et solemnes excubiæ ab omnibus excoluntur. Egreditur obviam ei pauperum Fratrum pia societas, et unusquisque Domini dulcia cantica promit. Applicat ad locum Christi Vicarius, et in primo descensu sepulcrum sancti Francisci reverenter salutat. Ingeminat suspiria, pectus tundit, lacrymas fundit, et uberiori devotione reverendum caput inclinat. Fit interea de Sancti canonis actione solemnis collatio, et super hujuscemodi negotio egregia Cardinalium concio sæpius convocatur. Concurrunt undique multi, qui per Sanctum Dei fuerant a suis cladibus liberati, et miraculorum maxima multitudo hinc inde coruscart, approbantur, verificantur, audiuntur, recipiuntur. Urget interim officiosa necessitas, nova imminet causa: Perusium it *m* beatus Papa, ut superabundanti et singulari gratia pro summo negotio iterum revertatur. Convenitur denique Perusii rursum, et super hanc causam in camera

m

A camera domini Papæ venerabilium Cardinalium celebratur sacer conventus. Concordant et dicunt ad * ipsum omnes, miracula legunt, et plurimum venerantur, summisque præconiis vitam beati Patris et conversationem extollunt.

* an id?

eamque Perusii prosecutus, redit Assisium,

124 Ideoque non indiget, inquiunt, miraculorum attestatione Sanctissimi vita sanctissima, quam oculis nostris vidimus, contrectavimus manibus, magistra veritate probavimus. Tripudiant universi, lætantur, lacrymantur. Et quidem in lacrymis illis benedictio multa. Jam namque diem constituunt benedictum, in quo totum mundum repleant gaudio salutari *n*. Adest quoque dies solemnis toto venerabilis ævo, non solum terras, sed cælicas officinas, sublimiori tripudio spargens. Convocantur episcopi, adveniunt abbates, et de remotis partibus prælati Ecclesiæ adsunt. Regalis se offert præsentia comitum, et procerum advenit nobilis multitudo. Comitantur deinde universi Dominum omnis orbis, et cum ipso Assisii civitatem felici pompa ingrediuntur. Venitur ad locum, tam solemni occursu Cardinalium præparatum, et beato Papæ gloriosorum Cardinalium, episcoporum et abbatum conglomeratur frequentia tota. Ibi sacerdotum et clericorum concursus eximius: ibi Religiosorum felix et sacer conventus: ibi sacri velaminis verecundior

n

B habitus: ibi omnium populorum maxima turba, et utriusque sexus pene innumerabilis multitudo. Accurritur undique, et desideratissime omnis ætas tanto se conventui præsentat. Parvus et magnus ibi sunt, servus et liber a domino suo.

ibique Franciscum

125 Astat Pontifex summus, Christi Ecclesiæ sponsus, tantorum filiorum varietate circumdatus, et corona gloriæ in capite suo, signo sanctitatis, indutus, in ligatura auri, opere lapidarii sculptilis. Astat Christus Domini in magnificentia gloriæ decoratus, et vernantibus figuratis gemmis coopertus, omnes sollicitat ad videndum. Circumdant eum Cardinales et episcopi, splendidioribus ornati monilibus, et niveis fulgoribus candidati, supercælestium pulchritudinum imaginem præferunt, et glorificatorum gaudium repræsentant. Expectat omnis populus vocem gaudii, vocem lætitiæ, vocem novam, vocem omni dulcedine plenam, vocem laudis, vocem perpetuæ benedictionis. Prædicat primitus populo universo Papa Gregorius, et affectu mellifluo, voce sonora, nuntiat præconia Dei: sanctum quoque Franciscum patrem nobilissimo sermone collaudat, et conversationis ejus recolens et annuncians puritatem, totus lacrymis madidatur. Sermo ejus tale sumit exordium: « Quasi stella matutina in medio nebulæ, et

C » quasi luna in diebus suis plena, et quasi sol refulo » gens, sic ille refulsit in templo Dei *o*. » Completur itaque sermo fidelis et omni acceptione dignus. Et unus ex subdiaconibus domini Papæ, nomine Octavianus *p*, miracula Sancti coram omnibus voce *q* altissima legit. Dominus Ramarius *q* diaconus Cardinalis perspicaci pollens ingenio, pietate ac moribus clarus, ea sacris loquelis, lacrymis perfusus edisserit. Tripudiat Pastor Ecclesiæ, ac de intimis visceribus longa suspiria trahens, et salutares singultus ingeminans, lacrymarum rivulos educit. Cæteri quoque prælati lacrymarum profluvia spargunt, et sacri ornatus earum exuberantia irroran-tur. Plorat denique cunctus populus, et desiderabili expectatione suspensus vehementius fatigatur.

o

p

q

Sanctis solemnissime adscribit anno 1228, die 16 Julii.

126 Clamat deinde voce altisona Papa beatus, et protensis ad cœlum manibus, inquit: Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et gloriosæ Virginis Mariæ, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et ad honorem gloriosæ Ecclesiæ Romanæ, beatissimum patrem Franciscum, quem Dominus glorificavit in cœlis, venerantes in terris, consilio fratrum nostrorum et aliorum prælatorum in catalogo Sanctorum decernimus adnotandum, et festum ejus die obitus sui

r

celebrari *r*. Ad hanc quoque vocem cœperunt venerandi Cardinales cum domino Papa, Te Deum Laudamus alta voce cantare. Attollitur proinde clamor populorum multorum, laudantium Deum, et universas resonat terra voces, repletur jubilationibus aer, et tellus lacrymis madidatur. Cantantur cantica nova, et in melodia Spiritus jubilant servi Dei. Audiuntur ibi organa melliflua, et carmina spiritualia modulatis vocibus decantantur. Ibi suavissimus odor respirat, et jucundior melodia omnium movens affectus resultat ibidem. Emicat aula, et splendidioribus radiis coloratur. Ibi olivarum virentes rami, et reliquarum arborum comæ virentes. Ibi festivus ornatus, lucidus, incandescens cunctos exornat, et pacis benedictio convenientium lætificat mentes. Descendit denique de solio excelso felix Papa Gregorius, et per inferiores gradus ad offerenda vota et Sacrificia sanctuarium intrat, tumbamque, continentem sacrum et Deo dicatum corpus, felicibus labiis osculatur *s*. Offert *s*
et multiplicat prece, celebratque Mysteria *t*. Stat *t*
circa illum corona Fratrum, laudans, adorans et benedicens omnipotentem Deum, qui fecit magna in omni terra. Ampliat universus populus laudes Dei, et in honorem Trinitatis excelsæ sancto Francisco persolvunt sacrarum munera gratiarum. Amen. Facta sunt hæc autem in civitate Assisii secundo anno Pontificatus domini Papæ Gregorii, xvii die Kalendarum mensis Augusti *u*. *u*

E

ANNOTATA.

a *Ex Ezechielis cap.* 28, ℣. 14.

b *Id est, qui aliis succurrendo nihil amittit.*

c *Id est,* pulvinar *ad caput reclinandum.*

d *Regnabat tunc in Francia Ludovicus IX, et ipse post obitum suum inter Sanctos merito relatus.*

e Parisius *pro* Parisii, *seu pro* Lutetia Parisiorum *ea ætate sæpe usurpabatur.*

f *Hoc est,* detumescit.

g *Gregorius IX summum Pontificatum adeptus est anno* 1227, *sexto mense post obitum* S. Francisci, *cui fuerat familiaris ac mire deditus.*

h *Seditiosis Romanis, quos Fredericus II imperator in suas partes adversus Gregorium IX attraxerat, et a quibus hic compulsus fuit Roma excedere anno* 1228 *in festis Paschalibus, ut testantur ejus temporis chronologi, seu* feria secunda Resurrectionis Dominicæ, *ut addit ejusdem Pontificis Vitæ scriptor.*

i Reate, *Italice* Rieti, *ditionis Ecclesiasticæ in Umbria Episcopalis civitas est, ut supra annotavi.*

k Spoletum, *olim ducatus Spoletani caput, civitas in Umbria est ditionis Pontificiæ.*

l *Indicat* Pauperes Dominas, *quæ prope Assisium apud ecclesiam S. Damiani sub S. Clara Regulam* F
S. Francisci *profitebantur.*

m Perusium *vel* Perusia, *Umbriæ caput et civitas Episcopalis est sub dominio summi Pontificis, circiter duodecim milliaribus distans Assisio.*

n *Quia decretum hoc Perusii factum est, Benedictus XIV in suo eximio Opere de Servorum Dei beatificatione etc.; lib.* i, *cap.* 36, *num.* 2. Francisci *canonizationem a laudato Gregorio* in civitate Perusina *factam ait, quamvis ejusdem sollemnitas, ut mox videbimus, paulo post Assisii peracta sit.*

o *Ex Ecclesiastici cap.* 50, ℣. 6 *et* 7.

p *Apud Waddingum ad annum* 1228 *num.* 4 *dicitur hic fuisse* octavianus Cardinalis, consobrinus Innocentii III, ab eodem creatus tituli SS. Sergii et Bacchi.

q *Apud laudatum Annalistam vocatur hic* Rainerus Cappoccius Viterbiensis, diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

r *Obiit* S. Franciscus *Italico more computandi* quarto Nonas Octobris, *cui diei Gregorius IX illius festum affixit; sed nostro, eoque per Europam magis recepto more, obiit* quinto Nonas Octobris *post solis occasum. Consule Commentarium prævium* § 29.

s *Solum ergo osculatus est tumbam continentem sacrum et Deo dicatum* (*Francisci*) corpus, *non* corpus levavit de tumba, *ut quidam crediderunt, quos*

in

AUCTORE THOMA CELAN.

in Commentario prævio num. 680 *et sequenti refutavi.*

t *Non recte igitur hæc* S. Francisci *canonizatio refertur inter eas, quæ sine celebratione Sacrificii Missæ a summis Pontificibus peractæ fuere. Adi Commentarium prævium num.* 679.

u *Id est, anno æræ Christianæ* 1228, *die* 16 *Julii, consentientibus reliquis biographis. Lege Commentarium prævium num.* 682 *et sequentibus, ubi etiam refutavi Franciscum Pagium, qui eamdem solemnitatem sub finem Junii vel initio Julii contigisse, credidit.*

CAPUT II.

Miracula post mortem patrata.

II. *Puellæ tortum collum restituitur :*

Jesu Christi Domini nostri suppliciter gratiam invocantes, ad excitandam præsentium devotionem et futurorum corroborandam fidem, miracula, quæ coram domino Papa Gregorio, ut dictum est, perlecta sunt, et populo nuntiata *a*, Christo duce, breviter, sed veraciter, conscribemus. Eo namque die, quo sanctum et sacrum corpus beatissimi patris Francisci reconditum fuit, velut pretiosissimus thesaurus, magis supercœlestibus aromatibus, quam terrenis speciebus, inunctum *b*, apportata est puellula quædam, jam per annum habens collum monstruose plicatum, et caput humero annexum, nec poterat, nisi ex obliquo sursum aspicere. Quæ dum sub arca, in qua pretiosissimi Sancti reconditum corpus jacebat, caput aliquamdiu submisisset, statim meritis sanctissimi Viri collum erexit, et in condecenti statu caput extitit reparatum, ita quod puella ex subita sui immutatione exstupefacta nimis, cœpit fugere ac plorare : fovea namque apparebat quædam in humero, cui caput fuerat applicatum, propter situm, quem fecerat infirmitas diuturna.

a

b

B

puer contractam distortamque tibiam habens, c

128 In comitatu Narniensi *c* puer quidam erat, qui tanta contractione tibiam tortam gerebat, quod, nisi duorum baculorum suffragio, nullo modo poterat ambulare. Erat enim mendicans, et tanta infirmitate per plures annos gravatus, patrem proprium et matrem minime cognoscebat. Qui meritis beatissimis patris nostri Francisci a dicto periculo sic extitit liberatus, ut absque baculorum sustentaculo liber incederet usquequaque, laudans et benedicens Deum et Sanctum ejus.

vir sinistrum crus gravissime affectum; d

C

129 Nicolaus, de Fulgineo *d* quidam civis, cum haberet crus sinistrum dolore gravatum, ad recuperandam pristinam sanitatem tanta expendit in medicis, quod ultra velle ac posse se debitis obligavit. Tandem, cum eorum auxilio in nullo sibi penitus profecisset, dolore permaximo sauciatus est in tantum, quod ingeminatis clamoribus vicinos de nocte non permittebat obdormire, vovens se Deo et S. Francisco, fecit se ad ejus tumulum deportari, cumque per noctem orans coram Sancti tumulo moraretur, extenso crure, magno exhilaratus gaudio, sine baculo ad propria remeavit.

item puer alter contractam tibiam, e

130 Puer unus etiam crus habens contractum, ita quod genu pectori et calcaneum natibus adhæreret, ad sepulcrum beati Francisci accedens, patre ipsius carnem propriam cilicio macerante ac pro ipso graviter affligente, ita plena et subita sanitate convaluit, quod sanus et lætus, gratias [agens *e*] Deo et S. Francisco, posset discurrere per plateas.

aliusque præterea ulcerosam, habentes f

131 In Fanensi *f* civitate quidam contractus erat, cujus tibiæ, ulceribus plenæ, natibus adhærebant, quæ tantum exhalabant fœtorem, quod eum hospitalarii recipere non poterant, nec tenere; qui meritis beatissimi patris Francisci, cujus misericordiam invocatum *, se paulo post gavisus est liberatum.

* *l.* invocabat

ac puella omnium membrorum usu destituta, sanantur.

132 Quædam puella Eugubina *g*, cum, contractis manibus, omnium membrorum officium per annum penitus amisisset, ad obtinendam gratiam nutrix ejus cum imagine cerea ipsam ad beatissimi patris Francisci tumulum deportavit. Cumque ibidem per octo dierum spatium moraretur, die una ita propriis usibus restituta sunt omnia membra ejus, quod ad pristina officia idonea solito haberentur.

D

g

Puer paralyticus per miram ad illius sepulcrum visionem, h

133 Collius quoque puer de Monte-nigro *h* ante fores ecclesiæ, ubi requiescit corpus beati Francisci per dies plures decubans, quia nec ire poterat, nec sedere, a cingulo infra omnibus erat viribus et membrorum officio destitutus : quadam vero die intrans ecclesiam, ad tactum sepulcri beatissimi patris Francisci, foras sanus et incolumis est regressus. Dicebat autem ipse puer, quod, dum coram tumulo gloriosissimi Sancti jaceret, astitit ei juvenis quidam, habitu Fratrum indutus, supra sepulcrum existens; qui pira in manibus portans, vocavit eum, et præbens ei pirum, ut surgeret, confortavit eum. Quod pirum de manibus ipsius suscipiens, respondebat : Ecce contractus sum, et nullo modo surgere possum. Pirum vero exhibitum manducavit, et ad aliud pirum, quod a juvene offerebatur, cœpit extendere manum. Qui dum iterum eum, ut surgeret, hortaretur, infirmitate gravatum se sentiens, non surgebat. Sed dum ad pirum manum extenderet, dictus juvenis, exhibito illo piro, manum ejus apprehendit, et foras adducens eum, disparuit ab oculis. Qui sanum et incolumem factum se videns, cœpit alta voce clamare, quod factum fuerat, omnibus manifestans.

E

mulier paralytica, atque alter contractus, i

134 Mulier quædam de castro, quod dicitur Cucoranum *i*, ad sepulcrum gloriosi patris Francisci oblata est. In nullo enim membrorum, præterquam in sola lingua, operationis cujusquam remanserat usus. Moram igitur faciens ante tumbam sanctissimi Viri, surrexit optime liberata. Quidam alius, civis Eugubinus, cum filium suum in cista contractum ad sancti Patris tumulum detulisset, sanum et incolumem recepit eum : fuerat enim tanta enormitate contractus, quod tibiæ natibus adhærentes forent penitus arefactæ.

virque, cui tibia aruerat, mirabiliter curantur.

135 Bartholomæus de Narnii civitate, homo pauperrimus et egenus, cum sub umbra cujusdam nucis quodam tempore obdormivisset, evigilans, ita se contractum reperit, quod nunquam ire poterat : crescente autem sensim infirmitate, tibia cum pede subtili curva et arida facta est, incisionem ferri non sentiens, nec ignis adustionem aliquatenus pertimescens. Sed verus Amator pauperum, et omnium egenorum pater, Franciscus sanctissimus, nocte quadam se illi per visionem somnii manifestat, præcipiens, ut ad balneum quoddam accedat. In tantæ miseriæ *, pietate permotus, vult eum ab hac ægritudine liberare. Sed expergefactus nesciens, quid faceret, episcopo civitatis narravit per ordinem visionem. Episcopus vero adhortans eum, ut ad imperatum balneum properaret, signavit ac benedixit eum. Cœpitque baculo sustentatus ad locum utcumque, ut melius poterat, pertrahere semetipsum. Cumque mœstus pergeret, nimio labore confectus, audivit vocem dicentem sibi : Vade cum pace Domini, ego ille, cui te vovisti. Appropinquans deinde ad balneum, quia nox erat, erravit a via, et audicit vocem dicentem sibi, quod non recto itinere ambularet : quæ et versus balneum eum direxit. Cumque venisset ad locum, et balneum fuisset ingressus, manum unam super pedem sensit imponi sibi, et aliam super tibiam ipsam quietius extendentem. Continuo proinde liberatus, ex balneo exilivit, laudans et benedicens omnipotentem Creatorem et beatum Franciscum, servum ejus, qui tantam ei gratiam contulit et virtutem. Sex enim annorum spatio contractus et mendicus fuerat homo ille, ac plena ætate provectus.

* *an* in tanta miseria?

F

III. *Cæci ac lusca visu donantur.*

136 Mulier quædam Sibilia nomine, cæcitatem oculorum per plures annos perpessa, ad sepulcrum Viri Dei cæca, tristis adducitur. Recuperato vero pristino lumine, gaudens et exultans domum revertitur. Claudus * de Spello *k* coram tumulo sacri corporis, visum diu perditum reinvenit.

* *forte* Claudius

k

Collia

A Collia vero mulier de Camerino *l*, cum esset dexteri oculi lumine privata ex toto, pannum, quem beatus Franciscus tetigerat, parentes ejus super perditum oculum posuerunt, et sic, voto facto, de recuperato lumine Domino Deo et sancto Francisco gratias persolvunt. Simile aliquid cuidam mulieri de Eugubino * accidit, quæ, voto facto, pristinam se sanitatem rehabere lætatur. Civis quidam de Assisio, per quinquennium perdito lumine oculorum, qui *, cum adhuc viveret, beatus Franciscus familiaris fuerat, ei semper, cum oraret, pristinam familiaritatem commemorans, ad tactum sepulcri ejus extitit liberatus. Albertinus quidam de Narnio fere per annum oculorum lumen ex toto amiserat, ita quod palpebræ usque ad genas dependerent : qui beato Francisco se vovit, et statim, lumine reparato, ad gloriosum sepulcrum ejus visitandum se præparans devenit.

l

* *an* Eugubio?

* cui

Energumenus ad Sancti tumbam liberatus, m

137 Vir erat in civitate Fulginei, nomine Petrus, qui dum vice quadam ad visitanda limina beati Michaelis archangeli *m*, sive ex voto, sive ex pœnitentia sibi injuncta, pergeret, ad fontem applicuit. Qui cum ex lassitudine itineris sitiret, illius fontis aquam degustans, visum est sibi dæmones imbibisse. Sicque per tres annos ab ipsis obsessus, horribilia visa et dicta pessima faciebat. Veniens quoque ad tumulum beatissimi Patris, furentibus dæmonibus et crudelissime discerpentibus eum, claro et manifesto miraculo ad tactum sepulchri ejus mirifice liberatus est.

B

aliique dæmonum vexationibus erepti.

138 Mulier quædam in civitate Narnii cum furia maxima duceretur, et, mente perdita, horribilia faceret, et inconvenientia loqueretur; apparuit ei tandem beatus Franciscus in visione dicens : Facias tibi crucem. Et respondente illa : Non possum; Sanctus illi signum crucis impressit, et omnem fugavit ab ea insaniem passionis et dæmoniacam fantasiam. Viri quoque multi et feminæ, variis dæmonum cruciati suppliciis et decepti præstigiis, ab ipsorum potestate sancti et gloriosi Patris præclaris meritis sunt expediti. Verum quia illud hominum genus sæpe solet implicare deceptio falsitatis, de his nos breviter expedientes, ad maxima transeamus.

ANNOTATA.

a *Sunt ergo hæc miracula authentica, diligenti scilicet examine discussa, et a probis testibus probata et comperta. De iisdem ita loquitur Alexander IV Papa in litteris anno* 1255 *die* 29 *Octobris datis, relatisque in Bullario Franciscano tom. II, pag.* 85 *et sequenti :* Multis cum (*forte* eum, Franciscum *scilicet*) divina potentia adhuc militantem inter homines, et demum in Sanctorum agminibus triumphantem, dignata est clarificare miraculis, quæ felicis record. Gregorius Papa, prædecessor noster, ne illa vel perverteret æmula sanctitatis iniquitas, vel oblivionis digitus, qui rebus gestis cito superducitur, abolesceret, solertissimis inquisitionibus indagata, et comperta fidelissimis documentis, fecit ad laudem Dei, et augmentum fidei, et instructionem salubrem, tam præsentium, quam etiam futurorum, monumentis perpetuis commendari. *Monumenta hæc Bullarii editor Sbaralea ibidem annotavit, hoc ipsum Thomæ Celanensis Opusculum esse; quod mihi quoque verisimillimum apparet, nisi forte sint aliud instrumentum, ex quo ille miracula descripserit.*

C

b *Ex hoc loco dubitari potest, an Sancti corpus ante primam sepulturam suam unguentis fuerit inunctum; qua de re tamen apud alios biographos nulla fit mentio.*

c Narnia, *incolis* Narni, *Pontificiæ ditionis in Umbria civitas episcopalis est, ad Narem fluvium.*

d Fulginium, *Italice* Foligno, *similiter episcopalis civitas Umbriæ est, et ditionis Ecclesiæ.*

e *Hanc voculam, quæ in apographo nostro desideratur, adscripsi.*

f Fanum, *de quo hic, alias* Fanum Fortunæ, *Italice* Fano *dictum, Umbriæ civitas episcopalis est ditionis Pontificiæ, in littore maris Adriatici inter Pisaurum et Senogalliam sita.*

g *Id est, ex civitate* Eugubio, *cujus brevem notitiam supra jam dedi; nec in posterum de locis, quorum notitia præmissa est, hic quidquam annotabo, ne frustra prolixus sim.*

h *Verisimiliter indicatur mons et vicus in Sabinis, paucis milliaribus ab urbe Reatina distans, Italice* Monte Nero *dictus.*

i *Leander Albertus in Descriptione Italiæ Castrum vel Castellum* Cuccaro *memorat in Lucania seu Basilicata, quatuor milliaribus a littore dissitum. Hocne, an aliud hic per* castrum Cuccoranum *indicetur, incertum mihi est.*

k Spello, *Latine* Hispellum, *oppidum Umbriæ est ditionis Pontificiæ.*

l Camerinum *civitas episcopalis est ditionis Ecclesiæ in Marchia Anconitana.*

m *Nimirum ad Montem Garganum in Apulia, S. Michaelis archangeli apparitione celebrem.*

AUCTORE THOMA CELAN.

CAPUT III.

Reliqua miracula.

IV. *Puer mortuus proximus mirabili modo subito convalescit :* *a*

Puer quidam, Matthæus nomine, de civitate Tuderti *a*, per octo dies quasi mortuus in lecto jacens, ore penitus intercluso et lumine oculorum sublato, cute vultus, manuum ac pedum ipsius ad modum ollæ totaliter denigrata, et de salute vitæ ejus ab omnibus desperatus, ad votum matris suæ mirabili velocitate convaluit. Emittebat enim marcidum sanguinem per os suum, per quod etiam credebatur emittere intestina. Statim vero, ut mater ejus S. Francisci nomen flexis genibus invocavit, surgens * ab oratione, cœpit puer oculos aperire, lumen videre, ac sugere mammas; et paulo post decidente corio nigro, caro pristina rediit, et convalescentiam viresque resumpsit. Protinus namque, ut convalescere cœpit, interrogavit eum mater ejus, dicens : Quis te liberavit, fili? Et ille balbutiendo respondebat : Ciccu, Ciccu. Non enim poterat propter infantiam plene loqui, et ideo nomen beati Francisci sic loquens dimidiabat.

E

* *l.* dum surrexit

juvenis e lapsu, alii aliter de vita periclitantes sanantur :

140 Juvenis quidam, cum in quodam altissimo loco moraretur, ex eodem loco corruens, loquelam et omnia membrorum officia perdidit. Tribus quoque diebus non manducans neque bibens, neque aliud sentiens, mortuus credebatur. Mater vero illius nullorum medicorum requirens suffragium, a B. Francisco ejus postulat sanitatem. Et sic, voto facto, vivum eum recipiens et incolumem, laudare cœpit omnipotentiam Salvatoris. Alius quidam, Martinus nomine, infirmatus ad mortem, et de liberatione sua penitus ab omnibus desperatus, invocato utcumque nomine beati Francisci, subita sanitate convaluit. Puer quidam de Aretio *b*, Galterus nomine, continuis febribus laborans, et duplici apostemate cruciatus, ab omnibus medicis desperatus, voto parentum beato Francisco exhibito, concupitæ restitutus est sanitati. Alius vero morti propinquus, facta imagine cerea, priusquam perfecta esset *c*, ab omni passione in continenti extitit liberatus.

F

b

c

alii ab aliis infirmitatibus

141 Mulier quædam per plures annos in lecto infirmitatis suæ decubans, nec se aliquo modo valens volvere, vovit se Deo et beato Francisco, et ab omni liberata est ægritudine, et implevit necessaria officia vitæ suæ. In civitate Narniensi quædam mulier erat, quæ per octo annos manum sic habuit desiccatam, quod nihil cum ea posset operari. Tandem beatus Franciscus per visionem apparuit, et manum ejus extendens, alteri adæquavit. Juvenis quidam in ea civitate per decem annos gravissima infirmitate detentus, totus erat immobilis effectus, ita quod ei nulla prodesse poterat medicina. Qui meritis beati Francisci, voto a matre emisso, statim recepit commodum sanitatis. Erat in civitate Fanensi quidam Hydropisis morbo detentus, cujus membra erant horribiliter tumefacta :

AUCTORE THOMA CELAN:

qui per beatum Franciscum ab eadem infirmitate plene meruit liberari. Civis quidam de Tuderto in tantum gutta arthritica *d* gravabatur, quod nec sedere poterat, nec quiescere ullo modo. Tantum ei dictæ passionis vehementia frigus præstabat continuum, quod totus ad nihilum redigi videbatur. Vocavit medicos, multiplicavit balnea, medicinas adhibuit multas, nec tamen ullo modo potuit horum remedio sublevari. Die vero quadam, quodam sacerdote præsente, votum emisit, ut sanctus Franciscus ei pristinam redderet sanitatem, sicque precibus ad ipsum fusis, mox se conspexit pristinæ redditum sanitati.

d

per ejusdem Sancti opem evadunt incolumes.

142 Mulier quædam in Eugubii civitate paralitica jacens, tertio invocato nomine beati Francisci, ab infirmitate sua dimissa est et sanata. Quidam, nomine Bantadosus, cum in pedibus et manibus sustineret gravissimam passionem, ita quod nec movere se poterat, nec ad partem aliquam declinare, cibo jam perdito atque somno; mulier quædam die quadam venit ad eum, monens et suggerens, ut, si ab hac infirmitate vellet citissime liberari, beato Francisco se devotissime devoveret. Respondebat autem vir ille : Non credo, ipsum esse Sanctum. Muliere illi pertinacius devote suggerente, vir ille tandem se vovit in hunc modum : Voveo me (inquit) sancto Francisco, et ipsum credo Sanctum, si me infra trium dierum terminum ab
B hac ægritudine liberabit. Qui meritis Sancti Dei mox liberatus, ambulavit, requievit et manducavit, dans gloriam omnipotenti Deo.

Apparens vulnerato, docet modum extrahendi sagittam;

e

143 Vir unus, cum esset in capite sagitta ferrea graviter vulneratus, et sagitta illa intrans per cassam oculi *e*, remansisset in capite, nullo poterat medicorum auxilio adjuvari. Vovit se deinde devotione sancto Dei Francisco, sperans, se posse illius suffragio liberari. Qui, dum aliquatulum quiesceret et dormiret, dictum est ei a sancto Francisco in somnis, quod per posteriorem partem capitis faceret eam trahi : sicque, prout in somnis viderat, die sequenti faciens, sine difficultate magna extitit liberatus.

herniosum curat;

f

144 Homo quidam in castro, Spelli *f*, nomine Imperator, per duos annos rupturam adeo graviter passus est, quod per inferiores exitus intestina omnia defluebant, neque poterat per magnum temporis spatium ea intus reducere et nec locare, ita

g

quod eum habere unum plumatum *g*, oportebat, in

h

quo intestina interius retineret. Recurrit ad medicos ipsorum solatium petens, qui dum ab eo pretium insufficiens *h* postularent, cum unius diei expensis careret et victu, de illorum auxilio penitus desperavit. Convertit se tandem ad divinum auxilium, et merita beati Francisci cœpit in via,
C in domo, et ubicumque foret, suppliciter invocare. Sicque factum est in brevi temporis spatio per Dei gratiam et beati Francisci merita, ut integræ foret restitutus sanitati.

item laborantem in iliis vel costis sanat.

145 Frater quidam in Marchia de Ancona, sub obedientia nostræ Religionis militans, in iliis vel costis gravissimum morbum fistulæ tolerebat, ita quod ab omni curatione medicorum ob immensitatem morbi jam fuerat desperatus. Petiit deinde a Ministro, sub cujus obedientia morabatur, licentiam veniendi ad visitandum locum, in quo corpus beatissimi Patris quiescebat, gerens fidem, per ipsius Sancti merita curationis suæ se gratiam adepturum. Minister vero ipsius eum prohibuit, dubitans propter nives et pluvias, quæ tunc temporis erant, ne magis ex itineris fatigatione incurreret detrimentum. Cumque de non habita licentia frater ille aliquantulum turbaretur, nocte quadam sanctus pater Franciscus astitit, dicens : Fili, noli de hujusmodi de cetero anxiari, sed exuere pelliceo, quo indueris, et emplastrum projice; observaque Regulam tuam, et liberaberis. Qui mane surgens, juxta præceptum ejus omnia fecit, et de subita liberatione gratias egit Deo.

146 Apud Sanctum Severinum in Marchia de

* *an* Otto

Ancona juvenis quidam erat, nomine Octo *, qui totus lepra infectus existens, medicorum judicio leprosus in omnibus habebatur. Omnia enim membra ejus tumefacta, ingrossata erant, et extensione et inflatione venarum inconvenienti cuncta aspectu cernebat. Non poterat ambulare, sed in lecto ægritudinis miser assidue jacens, parentibus suis dolorem atque tristitiam ingerebat. Pater vero ipsius dolore nimio sauciatus, quid de ipso ageret, nesciebat. Tandem venit in cor suum, ut beato Francisco ipsum modis omnibus devoveret, et ait ad filium suum : Vis te, fili, vovere beato Francisco, qui multis utique coruscat miraculis, ut ei placeat te ab hac ægritudine liberare? Qui respondens ait : Volo, pater. Fecit statim pater ejus apportari papyrum, et filii statum faciens in longitudine ac grossitudine mensurata, Erige te, inquit, fili, et beato Francisco te devove, et, liberatione donata, candelam sibi tuæ longitudinis singulis annis, dum vixeris, apportabis. Qui ad jussum patris utcumque se erigens, junctis manibus, cœpit beati Francisci misericordiam suppliciter invocare. Suscepta itaque mensura papyri et completa oratione, illico a lepra sanatus est, et surgens, dans gloriam Deo et beato Francisco, cœpit ambulare. In civitate Fani quidam juvenis, nomine Bonus-homo, qui a medicis universis habebatur paralyticus et leprosus, a parentibus suis beato Francisco devote offertur, mundatus a lepra, et effugato morbo paralisis, plenam consecutus est E sanitatem.

D

v.

Duo leprosi, quorum alter etiam erat paralyticus, curantur.

VI.

Puer surdus et mutus natus

i

147 Apud Castrum Plebis *i* puer unus erat pauperrimus et mendicus, qui ex toto mutus et surdus erat a nativitate sua, habebatque linguam brevissimam atque curtam, quæ multoties a pluribus exquisita, incisa penitus videretur. Sero *k* vero quodam

k

accessit ad domum cujusdam viri ejusdem Castri, qui Marcus vocabatur, per signum, ut solent muti, ab eo petens hospitium. Inclinavit caput, ex latere maxillæ supponens manum, ut per hoc intelligeretur, quod nocte illa desiderabat hospitari cum eo. Vir autem ille hilariter suscepit eum in domo sua, et libenter tenuit eum secum; quia competenter famulabatur juvenis ille, et bonæ indolis erat puer. Quia, licet surdus et mutus esset a cunabulis, tamen quoque per signum noverat imperata. Cœnante viro prædicto nocte quadam cum uxore sua, astante puero coram eis, dixit uxori suæ : Hoc ego maximum miraculum reputarem, si beatus Franciscus huic auditum redderet et loquelam.

post factum a quodam votum auditu et loquela donatur.

148 Et adjecit : Voveo Domino Deo, si beatus Franciscus hoc dignabitur operari, propter amorem suum hunc puerum habebo charissimum, et expensas ei conferam toto tempore vitæ suæ. Mirum! Dicto completo, statim puer locutus est, dicens : Vivit sanctus Franciscus. Et subsequenter suscipiens, rursum ait : Video S. Franciscum hic superius stantem, qui venit, ut loquelam impendat mihi. Et adjecit puer : O quid ego jam populo dicam? Respondit homo ille : Laudabit * Dominum, et salvabit homines multos. Surrexit denique homo ille, gaudens et exultans multum, et quod factum fuerat, coram omnibus publicavit. Concurrunt omnes, qui eum prius viderant non loquentem, et admiratione repleti et stupore, laudes Deo et beato Francisco suppliciter retulerunt. Crevit lingua illius et conveniens facta est ad loquendum, et quasi omni tempore puer fuisset locutus, cœpit verba formata proferre.

F

* *f.* laudabis

Duo alii muti quorum unus insuper gressu privatus,

149 Alius quoque puer, nomine Ulla, nec loqui poterat nec ambulare, pro quo mater fidei voto certam imaginem faciens, ad locum, in quo beatus pater Franciscus requiescit, magna cum reverentia deportavit. Quæ domum regrediens, ambulantem reperit filium et loquentem. Homo quidam in episcopatu Perusii, loquela et verbo privatus, omnino semper os ferens apertum, horribiliter oscitabat et anxiabatur. Habebat enim guttur valde tumidum et inflatum. Cumque pervenisset ad locum, in quo requiescit sanctissimum corpus, et per gradum ad sepulchrum ejus vellet attingere, sanguinem multum

A multum evomuit, et peroptime liberatus, cœpit loqui et os claudere, et, sicut expedit, aperire.

ac mulier arefacta lingua, atque alter surdus et mutus sospitantur.

130 Mulier quædam tam magnum dolorem patiebatur in gutture, quod præ nimio dolore lingua adhærens palato arida facta est. Non enim poterat loqui, non comedere, nec bibere, et emplastris appositis medicinisque adhibitis, nullam infirmitatis allevationem in his omnibus sentiebat. Tandem in corde suo, quia loqui non poterat, devovit se Sancto, et subito caro crepuit, et de gula egressus est capillus * unus rotundus, quem manu suscipiens, et omnibus ostendens, mox extitit liberata. In castro Grecii juvenis quidam erat, qui auditum perdiderat, memoriam et loquelam, nec erat intelligens vel sentiens quidquam. Parentes vero, quia magnam fidem habebant in sancto Francisco, ei supplici devotione dictum juvenem devoverunt. Qui, expleto voto, cunctis, quibus carebat, sensibus affluenter gloriosissimi patris Francisci gratia est ditatus, ad laudem et honorem et gloriam Jesu Christi Domini nostri, cujus regnum, imperium solidum et immobile perseverat per omnia secula seculorum. Amen.

* *an* lapillus ?

VII. *Auctoris brevis epilogus.*

B 131 Diximus pauca de miraculis beatissimi Patris nostri, et plura omisimus, relinquentes volentibus ejus vestigia novæ benedictionis gratiam, studium exquirendi, ut, qui verbo, vita, doctrina mundum omnem gloriosissime illuminavit, mentes diligentium nomen Domini semper dignetur supercælestium charismatum novis imbribus irrigare. Obsecro propter amorem Pauperis crucifixi, et per sacra stigmata ejus, quæ beatus Franciscus portavit in corpore suo, universos ista legentes et audientes, ut coram Deo mei meminerint peccatoris. Amen.

Sanctus pater atque rectus
Est Franciscus, cælo vectus
Transmigrans a sæculo.
Fit obliquus per hunc rectus,
Et, qui ligno fuit vectus,
Redit absque baculo.
Per hunc dæmon est ejectus
Sanitatumque profectus
Confertur in populo.
Qui repebat super pectus
Firmus vadit et erectus
Ejus adminiculo.
Per hunc cæcus intuetur,
Mutus loqui prohibetur
Nec linguæ vincticulo.

ANNOTATA.

C a Tudertum, *seu* Tuder, *vulgo* Todi, *Pontificiæ ditionis in Umbria civitas est, episcopatu insignita.*

b Aretium, *Italis* Arezzo, *episcopalis civitas Hetruriæ est, in dominio Magni ducis.*

c *Significat haud dubie, aliquem pro laborante vovisse imaginem ceream ad Sancti tumbam appendendam, et antequam imago illa perfecta esset, ægrum convaluisse.*

d *Id, est* arthritide.

e Cassa *vox Italica, Latine* capsa, arca, theca. Cassa oculi *igitur est* orbita *seu* cavum oculi, *quia oculus in eo, velut in theca ossea, insertus est.*

f *Vide Annotata ad caput præcedens lit.* k.

g *Nescio, quid* plumatum (*quod apud sequioris ævi scriptores nunnumquam pro* pulvinari *usurpatur*) *hic proprie significet, nisi cingulum, quo herniosi utuntur.*

h *Hoc est, quantum infirmus nequibat sufficere, uti patet ex sequentibus.*

i *Duo hujus nominis loca in Italia reperi, unum vernacule* la Pieve *aut* la Pieve di Cadore *dictum, oppidum Cadubrii tractus caput in ducatu Fori Julii; alium, civitatem Umbriæ, de qua supra jam memini.*

k *Id est, vesperi.*

APPENDIX INEDITA

D

AD VITAM PRIMAM,

Auctoribus Tribus ipsius Sancti Sociis, Leone, Rufino et Angelo,

Ex codice Ms. conventus Fratrum Minorum Lovanii in Belgio.

PROLOGUS AUCTORUM.

Causa, ratio et modus hujus Appendicis scribendæ exponitur.

Reverendo *a* in Christo patri, fratri Crescentio, Dei gratia generali Ministro, frater Leo, frater Rufinus, et frater Angelus, olim socii, licet indigni, beatissimi patris Francisci, reverentiam in Domino debitam et devotam. Cum de mandato Christi, præteriti capituli generalis et vestro *b* teneantur fratres signa et prodigia beatissimi Francisci, quæ scire vel reperire possunt, vestræ paternitati dirigere, visum est nobis, qui secum, licet indigni, fuimus diutius conversati, pauca de multis gestis ipsius, quæ per nos vidimus, vel per alios sanctos fratres scire potuimus, et specialiter per fratrem Joannem, visitatorem pauperum dominarum, fratrem Illuminatum de Arce, fratrem Masseum de Merignano, et fratrem Joannem, socium venerabilis patris fratris Ægidii, qui plura de his habuit de eodem sancto fratre Ægidio, et sanctæ memoriæ fratre Bernardo, primo socio *c* beati Francisci, sanctitati vestræ, veritate prævia, intimare, non contenti narrare solum miracula, quæ sanctitatem non faciunt, sed ostendunt; sed etiam conversationis ejus insignia, et pii beneplaciti voluntatem ostendere cupientes ad laudem et gloriam summi Dei, et dicti Patris sanctissimi, atque ædificationem volentium ejus vestigia imitari; quæ tamen per modum Legendæ non scribimus, cum dudum de vita sua et miraculis, quæ per eum Dominus operatus est, sint confectæ Legendæ *d* : sed velut de amœno prato quosdam flores, qui arbitrio nostro sunt pulchriores, excerpimus, continuantem historiam non sequentes, sed multa seriose relinquentes, quæ in prædictis Legendis sunt posita, tam veridico quam luculento sermone; quibus pauca, quæ scribimus, poteritis facere inseri, si vestra discretio viderit esse justum *e*. Credimus enim, quod, si venerabilibus viris, quæ * præfatas confecerunt Legendas, hæc nota fuissent, ea minime præterissent, nisi saltem pro parte ipsa suo decorassent eloquio, et posteris ad memoriam reliquissent. Semper integre valeat vestra sancta paternitas in Domino Jesu Christo, in quo nos filios vestros devotos sanctitati vestræ recommendamus humiliter et devote. Data in loco Græcii III idus Augusti anno Domini MCCXLVII *f*.

E

a

b

c

d

e

* *l.* qui

F

f

ANNOTATA.

a *In apographo nostro ante Prologum ista leguntur :* Hæc sunt quædam scripta per tres Socios B. Francisci de vita et conversatione ejus in habitu sæculari, de mirabili et perfecta conversatione ipsius, et de perfectione originis et fundamenti Ordinis in ipso et in primis Fratribus. *De his auctoribus, quorum fidem ipsa hæc Appendix commendabit, consule Commentarium prævium* § 1.

b *Hoc capitulum generale Fratrum Minorum, cui præsedit Crescentius, Ordinis Minister, habitum fuit Januæ anno* 1244. *Adi eumdem Commentarium num.* 16 *et sequenti.*

c *Ex his, quos dicendorum testes hic laudant Tres Socii, cætera ignotus mihi est* Joannes, *pauperum Dominarum, seu Clarissarum, visitator;* Illuminatum S. Francisco *apud Soldanum in Ægypto socium attribuit S. Bonaventura in Vita num.* 154; *sed hunc Waddingus aliique a patria sua* Aretinum, *non* de Arce *appellant. Notior in Ordine est* Massæus de Marignano, *qui Menologio Franciscano Hueberi ad* 17 *Novembris inscriptus est, ubi de illius cultu poterit inquiri. Gesta* B. Ægidii, *qui tertius* S. Francisci

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

S. Francisci *socius fuit, illustrata apud nos sunt ad diem* 23 *Aprilis. De eodem Beato, uti et de Bernardo, quædam etiam jam diximus in Commentario prævio, et in edendis sermo recurret.*

d *Vide, quæ ex hoc et similibus Trium Sociorum locis observavimus in Commentario prævio num.* 12 *et* 13.

e *Non est ergo hoc Opusculum proprie dicta* Vita S. Francisci, *sed* Appendix *ad Vitas tum ante editas.*

f Græcium, *vel* Grecium, *Italice* Greccia, *castrum vel oppidulum est in valle Aretina, apud quod* S. Franciscus *eremitorium quoddam seu conventum acceperat. De eodem in edendis redibit mentio; Pro anno* MCCXLVII *Waddingus legit annum* 1246. *Vide dicta in Commentario prævio num.* 17.

Vetus capitum partitio.

CAP. I. De nativitate beati Francisci, et de vanitate et curiositate et prodigalitate ipsius, et qualiter ex his pervenit ad largitatem et charitatem circa pauperes.

II. Qualiter captivatus fuit Perusii, et de duabus visionibus, quas habuit, volens fieri miles.

III. Qualiter Dominus primo visitavit cor ejus mirabili dulcedine, virtute cujus cœpit proficere per contemptum sui et omnium vanitatum, atque per orationes et eleemosynas et amorem paupertatis.

B IV. Qualiter a leprosis cœpit vincere seipsum, et sentire dulcedinem in his, quæ prius erant sibi amara.

V. De prima allocutione Crucifixi ad ipsum, et qualiter ex tunc portavit in corde passionem Christi usque ad mortem suam.

VI. Qualiter primo fugit persecutionem patris et propinquorum, stando cum sacerdote sancti Damiani, in cujus fenestra projecerat pecuniam.

VII. De maximo labore et afflictione ipsius pro reparatione ecclesiæ sancti Damiani, et qualiter cœpit vincere seipsum, eundo pro eleemosyna.

VIII. Qualiter, auditis et intellectis consiliis Christi in Euangelio, statim mutavit habitum exteriorem, et induit novum habitum perfectionis interius et exterius.

IX. De modo vocationis fratris Sylvestri, et de visione, quam habuit ante ingressum Ordinis.

X. Qualiter prædixit sex sociis suis omnia, quæ ventura erant illis euntibus per mundum, exhortans eos ad patientiam.

XI. De receptione aliorum quatuor fratrum, et de ardentissima charitate, quam habebant ad invicem primi Fratres, et de sollicitudine laborandi et orandi, et de perfecta obedientia ipsorum.

XII. Qualiter beatus Franciscus cum undecim
C sociis ivit ad curiam Papæ, ut notificaret ei suum propositum, et faceret confirmari Regulam, quam scripserat.

XIII. De efficacia prædicationis ipsius, et de primo loco, quem habuit, et qualiter fratres stabant ibi, et quomodo inde recesserunt.

XIV. De capitulo, quod fiebat bis in anno in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula.

XV. De morte domini Joannis, primi protectoris, et de assumptione domi Hugolini Hostiensis in patrem et protectorem Ordinis.

XVI. De electione Ministrorum primorum, et qualiter fuerunt missi per mundum.

XVII. De sacratissima morte beati Francisci, et qualiter per biennium ante receperat stigmata Domini nostri Jesu Christi.

XVIII. De canonizatione ipsius.

CAPUT I.

Sancti patria, indoles et vitia in adolescentia et juventute; captivitas, ad meliora conversio et pius in Christum passum affectus.

Franciscus de civitate Assisii oriundus, quæ in finibus Spoletanæ vallis est sita, JOANNES prius vocatus est a matre, a patre vero tunc redeunte a Francia, in cujus absentia natus erat, FRANCISCUS est postmodum nominatus *a*. Hic postquam fuit adultus, et subtilis ingenii factus, artem patris, id est, negociationem exercuit *b;* sed dissimiliter valde, quoniam ipse liberalior valde et hilarior, deditus iocis et cantibus, civitatem Assisii die noctuque circumiens, sibi similibus est associatus; in expendendo largissimus, adeo ut omnia, quæ habere poterat et lucrari, comestionibus et aliis rebus consumeret; propter quod multotiens arguebatur a parentibus, dicentibus ei, quod tam magnas expensas in se et in aliis faceret, ut non eorum filius, sed cujusdam magni principis videretur. Quia tamen divites erant parentes ejus, et ipsum tenerrime diligebant, tolerabant eum, in talibus ipsum turbare nolentes. Mater autem ejus, cum de prodigalitate sua sermo a convicinis fieret, respondebat : Quid de Filio meo putatis? Adhuc erit filius Dei per gratiam *c*. Ipse vero non solum in his erat largus, immo prodigus, sed etiam in indumentis multipliciter excedebat, cariores pannos faciens, quam ipsum decebat habere. In curiositate etiam tantum erat vanus, quod aliquando in eodem indumento pannum valde carum panno vilissimo consui faciebat.

D *Franciscus, ante dictus Joannes, in juventute jocosus et prodigus,*

a

b

c

E 3 Erat tamen quasi naturaliter curialis in moribus et in verbis, juxta cordis sui propositum nemini dicentis verbum injuriosum vel turpe; immo cum sic esset juvenis jocosus et lascivus, proposuit turpia sibi dicentibus minime respondere; unde ex hoc fama ejus quasi per totam provinciam est adeo divulgata, ut a multis, qui cognoscebant eum, diceretur aliquid magni futurus *d*. A quibus virtutum naturalium gradibus ad hanc provectus est gratiam, ut diceret ad seipsum conversus, Ex quo largus et curialis es apud homines, a quibus nil recipis, nisi favorem transitorium et inanem; justum est, ut propter Deum, qui largissimus est in retribuendo, pauperibus sic curialis et largus. Libenter igitur ex tunc videbat pauperes, tribuens eis eleemosynas ferventer. Et licet esset mercator, erat vanissimus opulentiæ sæcularis. Cum autem quadam die in apotheca, ubi pannos vendebat, circa hujusmodi staret sollicitus, venit quidam pauper ad eum, petens eleemosynam amore Dei; cumque cupiditate divitiarum et mercationis cura detentus illi eleemosynam denegasset, divina prospectus gratia, seipsum arguit magnæ rusticitatis, dicens : Si pro magno comite vel barone pauper ille a te aliquid postulasset, certe postulatum sibi dedisses, quanto ergo magis pro Rege regum et omnium Domino illud facere debuisti? Cujus rei causa exinde in F corde suo proposuit, quod pro tanto Domino postulata de cetero non negaret *e*.

pudicus tamen, statuit nulli in Christi nomine petenti stipem negare:

d

e

4 Quodam tempore, guarra *f* inter Perusium et Assisium exeunte, captus est Franciscus cum multis suis concivibus, et Perusii captivatus; tamen, quia nobilis erat moribus, cum militibus captivus est positus *g*. Cum autem quadam die concaptivi sui tristarentur, ipse, qui naturaliter erat hilaris et jucundus, non videbatur tristari, sed quodammodo jucundari; propter quod unus de sociis suis reprehendit eum, tanquam insanum, quia scilicet lætabatur in carcere constitutus. Ad quem Franciscus viva voce respondit : Quid putatis de me? Adhuc adorabor per totum mundum *h*. Cumque unus de militibus, quibus erat adjunctus, uni de concaptivis injuriam intulisset, et ob hoc omnes alii vellent illum deserere, solus Franciscus ei societatem non denegat, sed et alios hortatur ad idem. Expleto autem anno, reformata pace inter civitates prædictas, Franciscus cum sociis concaptivis Assisium est reversus.

II. *captivitatem hilariter fert, et virum nobilem solatur.*

f

g

h

5 Post paucos vero annos quidam nobilis de civitate Assisii militaribus armis se præparat, ut ad pecuniæ vel honoris lucra agenda in Apuliam vadat. Quo audito, Franciscus ad eandem * cum illo aspirat, ut a quodam comite gentili *i* miles fiat;

Militiam meditans, et ad eam animatus somnio,

* *an eundum?*

i

A fiat; pannos pro posse præparat, præciosiores concivi suo, pauperior divitiis, sed profusior largitate *k*. Nocte igitur quadam, cum ad hujusmodi consummanda tota se deliberatione dedisset, et ad iter agendum desiderio æstuaret, visitatur a Domino, qui eum, tanquam gloriæ cupidum, fastigio gloriæ per visionem allicit et exaltat. Cum enim illa nocte dormiret, apparuit ei quidam, vocans eum ex nomine, ac ducens ipsum in quoddam spatiosum et amœnum palatium *l*, plenum militaribus armis, scilicet splendentibus clipeis, ceterisque apparatibus ad murum pendentibus, ad militiæ decorem spectantibus; qui cum gaudens plurimum, quid hoc esset, secum tacitus miraretur, interrogavit, cujus essent hæc arma tanto splendore fulgentia, et palatium sic amœnum. Et responsum est illi, hæc omnia cum palatio sua esse, militumque suorum. Expergefactus itaque gaudenti animo mane surrexit, sæculariter cogitans, tanquam qui nondum spiritum Dei plene gustaverat, si in hoc debere magnifice principari; atque præsagium magnæ prosperitatis reputans visionem, iter arripere deliberabat in Apuliam, ut miles fieret a comite supradicto. Tanto vero lætior solito est effectus, ut pluribus admirantibus, et quærentibus, unde sibi tanta esset lætitia, responderet : Scio, me magnum principem affuturum.

proficiscitur versus Apuliam ; sed divinitus monitus redit Assisium.

6 Quoddam tamen magnæ curiositatis et nobilitatis indicium in eo præcesserat die immediate præcedente visionem prædictam, quod ipsius visionis non modica occasio creditur extitisse. Nam omnia indumenta sua, quæ de novo fecerat sibi, curiosa et cara, cuidam pauperi militi donaverat illa die *m*. Cum ergo iter arripiens ivisset usque Spoletum *n*, ut in Apuliam pergeret, cœpit aliquantulum ægrotare. Solicitus autem nihilominus de suo itinere, cum se sopori dedisset, audivit semidormiens quendam interrogantem ipsum, quo tendere cupiebat. Cui Franciscus cum totum suum propositum revelasset, adjecit ille : Quis potest tibi melius facere, Dominus, aut servus? Qui cum respondisset : Dominus. Iterum dixit illi : Cur ergo relinquis pro servo Dominum, et principem pro cliente? Et Franciscus ait : Quid me vis facere, Domine? Revertere, inquit, in terram tuam, et tibi dicetur, quid sis facturus : nam visionem, quam vidisti, oportet te aliter intelligere. Evigilans autem cœpit de hac visione cogitare diligentissime Et sicut in prima visione fuerat quasi totus extravagatus præ magna lætitia, prosperitatem desiderans temporalem; sic in ista collegit intus se totum, vim ejus admirans et considerans adeo diligenter, quod illa nocte ultra dormire nequivit *o*.

C Mane itaque facto, versus Assisium revertitur festinanter, lætus et gaudens quam plurimum, expectans voluntatem Domini, qui sibi hoc ostenderat, et de salute sua ab ipso consilium sibi dari; immutatusque jam mente in Apuliam ire recusat, et se voluntati divinæ desiderat conformare.

III. *Divinæ gratiæ dulcedine subito allectus*

7 Postquam vero Assisium est reversus, non post multos dies quodam sero a sociis suis eligitur in dominum, ut secundum voluntatem suam faceret expensas. Fecit ergo tunc sumptuosam comestionem parari, sicut multociens fecerat : cumque refecti de domo exissent, sociique simul eum præcederent, euntes per civitatem cantando, ipse portans in manu baculum, quasi dominus, parum retroibat post illos, non cantando, sed diligentius meditando. Et ecce, subito visitatur à Domino, tantaque dulcedine repletur cor ejus, quod nec loqui, nec moveri poterat, nihilque aliud sentire vel audire, nisi dulcedinem illam, valebat; quod ita ipsum alienaverat a sensu carnali, sicut ipse postea dixit *, si fuisset tunc totus frustratim * incisus, non potuisset se de loco movere. Cum autem socii ejus retro aspicerent, et * viderunt eum ita remotum ab ipsis, revertentes ad illum, territi tenuerunt ipsum, quasi in virum alterum jam mutatum. Et interrogavit eum *, dicens : Quid cogitasti, quod non venisti ad nos? Forsitan uxorem accipere cogitasti? Quibus ille viva voce respondit : Verum dixistis; quia nobiliorem ac ditiorem et pulchriorem sponsam, quam unquam videratis, accipere cogitavi. Et deriserunt eum. Ipse vero dixit hoc non a se, sed inspiratus a Deo; nam ipsa sponsa fuit vera Religio, quam suscepit, ceteris nobilior, ditior et pulchrior paupertate.

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

8 Ab illa itaque hora cœpit sibi vilescere, et illa contemnere, quæ prius habuerat in amore; non tamen plene, quia nondum erat penitus a sæculi vanitate solutus, parum aut * a sæculari tumultu se subtrahens, studebat in interiore homine recondere Jesum Christum, et margaritam, quam comparare, venditis omnibus, cupiebat, oculis illusorum abscondens. Sæpe, et quasi quotidie, ad orationem ibat secreto, ad hoc ipsum urgente quodammodo prælibata dulcedine, quæ sæpius eum visitans, ipsum ad orationem de platea et aliis locis impellebat. Licet vero dudum jam fuisset pauperum benefactor, ex tunc tamen firmius in corde suo proposuit, nulli pauperi, pro Domino petenti se, ulterius denegare, sed liberius et affluentius solito eleemosynas facere. Semper igitur quicumque pauper ab ipso extra domum eleemosynam postulabat, de denariis providebat illi, si poterat; carens vero denariis, vel corrigiam dabat ei, ne pauperem dimitteret vacuum. Si vero de his non habebat, E ibat ad aliquem locum occultum, et se camisiam *p* exuens, illuc pauperem mittebat secreto, ut eam sibi tolleret propter Deum. Emebat etiam utensilia ad ecclesiarum ornatum pertinentia, et ea sacerdotibus pauperibus secretius transmittebat.

orationi instat, piam munificentiam exercet,
* *l.* autem

p

9 Cum vero, patre suo abeunte, remanebat in domo, etiamsi solus cum matre in domo comederet, implebat mensam panibus, ac si pro tota familia præpararet. Unde cum interrogaretur a matre, cur tot panes in mensa poneret, respondit, se hoc facere pro eleemosynis dandis pauperibus, eo quod proposuerat omni petenti pro Deo eleemosynam elargiri. Mater autem, quia eum præ ceteris filiis diligebat, ipsum tolerabat in talibus, observans, quæ ab illo fiebant, multumque super his in corde suo admirans. Sicut enim solebat cor apponere ad eundum post socios, cum vocabatur ab eis, et in tantum erat illorum societate illectus, ut multociens surgeret a mensa, etiamsi parum comedisset, relinquens in afflictione parentes propter sic inordinatum recessum; ita nunc cor suum totum erat, ut pauperes videret, vel audiret, quibus eleemosynam elargiretur *q*.

miroque affectu prosequitur pauperes.

q

10 Divina igitur gratia sic mutatus, licet adhuc esset in sæculari habitu, cupiebat esse in aliqua civitate, ubi tanquam incognitus proprios pannos exueret, et alicujus pauperis indumenta mutuo accepta indueret, probaretque amore Dei eleemosynas postulare. Factum est autem, ut tunc temporis Romam causa peregrinationis accederet. Et ingrediens ecclesiam sancti Petri, consideravit, oblationes quorumdam quod essent modicæ, et ait intra se : Cum princeps Apostolorum sit magnifice honorandus, cur isti tam parvas oblationes in ecclesia faciunt, ubi corpus ejus quiescit? sicque cum magno favore manum ad bursam ponit, et plenam denariis traxit, eosque per fenestram altaris projiciens, tantum sonum fecit, quod de tam magnifica oblatione omnes astantes plurimum sunt mirati. Exiens autem ante fores ecclesiæ, ubi multi pauperes aderant ad eleemosynas petendas, mutuo accepit secrete panniculos cujusdam pauperculi hominis, et suos deponens, illos induit, atque stans in gradibus ecclesiæ cum aliis pauperibus eleemosynam Gallice postulabat, quia libenter lingua Gallica loquebatur, licet ea recte loqui nesciret *r*. Postea vero exuens dictos pannos, et proprios resumens, rediit Assisium, cœpitque orare Dominum, ut dirigeret viam suam : nemini enim pandebat suum secretum, nec ullius in hac parte consilio utebatur, nisi solius Dei, qui viam ejus dirigere cœperat, et aliquando episcopi Assisii;

inter quos Romæ in mendici habitu stipem petit :
F

r

* *adde* ut,
* *l.* frustatim
* *an* ut ?

* *adde* unus

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

IV. *vincit horrorem suum a leprosis:* *s*

sisii; quia tunc temporis apud nullos erat vera paupertas, quam desiderabat super omnia hujus mundi, volens in ea vivere atque mori *s*.

11 Cum autem quadam die Dominum ferventer oraret, responsum est illi, Francisce, omnia, quæ carnaliter dilexisti, et habere desiderasti, oportet te contemnere ac odire, si meam vis cognoscere voluntatem. Quod postquam inceperis facere, quæ tibi præsens suavia et dulcia videbantur, erunt tibi importabilia et amara. Atque in his et in Deo confortatus, cum prope Assisium equitaret, leprosum quendum obvium habuit. Et quia consueverat multum horrere leprosos, vim sibimet ipsi faciens, descendit de equo, et obtulit sibi denarium, osculans illi manum. Et accepto osculo pacis ab ipso, readscendit equum, et persequitur iter suum. Exinde cœpit magis et magis seipsum contemnere, donec ad sui victoriam perfecte Dei gratia perveniret. Post paucos autem dies assumens multam pecuniam ad hospitale leprosorum se transtulit, et congregans omnes simul, dedit cuilibet eleemosynam, osculans ejus manum. Recedente autem eo, vere, quod prius erat sibi amarum, id est, de leprosis videndis et tangendis, in dulcedinem est conversum. In tantum enim, ut dixi, amara fuerat ei visio leprosorum, ut non
B solum nollet eos videre, sed nec eorum habitaculum appropinquare. Et si aliquando contingebat, ipsum juxta domos eorum transire, aut eos videre, licet pietate moveretur ad faciendum eis eleemosynam per interpositam personam, vultum tamen semper avertens, nares suas propriis manibus obturabat. Sed per Dei gratiam ita factus est leprosorum familiaris et amicus, quod, sicut in Testamento suo testatur, inter illos manebat, et eis humiliter serviebat *t*.

t *voluntatem Dei precibus inquirit, frustra obtinente dæmone.* *u*

12 Alteratus *u* autem post leprosorum visitationes, bonum quendam socium suum, quem multum dilexerat, ad loca remota secum ducens, dicebat illi, se quendam magnum et preciosum thesaurum invenisse. Et exultans vir ille non modicum et libenter vadit cum illo, quotiens advocatur; quem Franciscus ad quandam criptam juxta Assisium sæpe ducebat, et ipse solus intrans, sociumque de thesauro habendo sollicitum foris relinquens, novo ac singulari spiritu perfusus Patrem in abscondito exorabat, cupiens, neminem scire, quid ageret intus, præter solum Deum, quem de cælesti thesauro habendo assidue consulebat. Quod attendens humani generis inimicus ipsum ab incepto bono retrahere nititur, ei timorem incutiens et horrorem. Nam quædam mulier erat Assisii gibbosa deformiter, quam dœmon,
C Viro Dei apparens, sibi ad memoriam reducebat, et comminabatur eidem, quod gibbositatem illius mulieris jactaret in ipsum, nisi a concepto proposito resiliret *x*. Sed Christi Miles fortissimus, minas diaboli vilipendens, intra criptam devote orabat, ut Deus dirigeret viam suam. Sustinebat autem maximam passionem et anxietatem mentis, non valens quiescere, donec opere compleret, quod mente conceperat, cogitationibus variis invicem succedentibus, quarum importunitas eum durius perturbabat. Ardebat enim interius igne divino, conceptum mentis ardorem fervoremque deforis celare non valens; pœnitebat ipsum, peccasse tam graviter, nec jam eum mala præterita vel præsentia delectabant, et nondum tamen receperat continendi fiduciam a futuris. Præterea, cum extra criptam exibat ad socium, in virum alterum mutatus videbatur.

x

v. *Audit vocem imaginis Crucifixi, quam non recte interpretatur;* *y*

13 Quadam vero die, cum misericordiam Dei ferventius imploraret, ostendit ei Dominus, quod sibi diceretur in proximo, quid ipsum agere oporteret *y*. Ex tunc autem tanto repletus est gaudio, quod non capiens se præ lætitia, etiam nolens, de hujusmodi secretis in aures hominum aliquid eructabat. Caute tamen et in ænigmate loquebatur, dicens, se in Apuliam nolle ire, sed in patria propria nobilia et ingentia se facturum. Ut autem socii ejus viderunt eum ita mutatum, a quibus erat D elongatus mentaliter, licet adhuc corporaliter aliquando sociaretur eisdem, quasi ludendo rursum interrogant eum: Visne uxorem ducere, Francisce? Quibus respondit sub quodam ænigmate, sicut superius est præmissum *z*. Paucis autem diebus *z* elapsis, cum ambularet juxta ecclesiam sancti Damiani, dictum est illi in spiritu, ut in eam ad orationem intraret. Quam ingressus cœpit orare ferventer coram quadam imagine Crucifixi, quæ pie ac benigne locuta est, dicens: Francisce, nonne vides, quod domus mea destruitur? Vade igitur, et repara illam mihi. Et tremens ac stupens ait: Libenter faciam, Domine. Intellexit enim, de illa ecclesia sancti Damiani dici, quæ præ nimia vetustate casum proximum minabatur *aa*. De illa autem allocutione tanto repletus fuit gaudio et lumine illustratus, quod in anima sua veraciter sensit Christum crucifixum, qui locutus est ei. Exiens vero ecclesiam invenit sacerdotem juxta eam sedentem, mittensque manum suam ad bursam, obtulit ei quandam pecuniæ quantitatem, dicens: Rogo te, domine, ut emas oleum, et facias continue ardere lampadem coram illo Crucifixo. Et ad hoc cum consumpta fuerat hæc pecunia, iterum offero tibi, quantum fuerit oportunum. E

aa

14 Ab illa itaque hora vulneratum et liquefactum est cor ejus ad memoriam Dominicæ passionis, quod semper, dum vixit, stigmata Domini Jesu in corde suo portavit; sicut postea luculenter apparuit ex renovatione eorumdem stigmatum, in corpore ipsius mirabiliter facta, et clarissime demonstrata. Exinde tanta se maceratione carnis afflixit, quod sanus et infirmus corpori suo nimis austerius * existens, vix aut nunquam voluit indulgere sibi, propter quod, die mortis ejus instante, confessus est, se multum peccasse in fratrem azimum *bb*, id est, corpus. Quadam autem die solus ibat prope ecclesiam sanctæ Mariæ de Portiuncula plangendo et ejulando alta voce; quem audiens quidam vir spiritualis, putavit, ipsum pati infirmitatem aliquam vel dolorem. Et pietate motus cirra eum, interrogavit illum, cur fleret. At ille dixit: Plango passionem Domini mei Jesu Christi, pro quo non deberem verecundari alta voce ire plorando per totum mundum. Ille similiter cœpit cum ipso alta voce plangere. Sæpe etiam, cum ab oratione surgebat, videbantur ejus oculi pleni sanguine, quia fleverat multum amare; non solum autem affligebat se in lacrymis, sed etiam abstinentia cibi et potus ob memoriam Dominicæ passionis.

et ex illo tempore passionem illius continue meditatur,

* austerus

bb

15 Unde, cum sederet aliquando ad manducandum cum sæcularibus, et dabantur ei aliqua cibaria delectabilia corpori suo, parum gustavit ex eis, aliquam excusationem prætendens, ne videretur ea propter abstinentiam dimisisse. Et quando comedebat eum fratribus, in cibis, quos edebat, sæpe ponebat cinerem, dicens fratribus in abstinentiæ suæ velamen, fratrem *cc* cinerem esse castum. Cum autem semel ad manducandum sederet, dixit ei frater quidam, quod beata Virgo in hora comestionis ita fuerat paupercula, quod non habebat, quid daret Filio ad manducandum. Quod audiens Vir Dei, suspiravit cum magno dolore, mensaque relicta, panem super nudam terram comedebat. Multociens vero, cum sederet ad manducandum, parum post comestionis initium subsistebat, non comedens neque bibens, suspensus circa cælestia meditanda; nolebat enim tunc verbis aliquibus impediri, alta suspiria ex intimo cordis emittens. Dicebat enim fratribus, ut semper, cum audirent eum taliter suspirantem, laudarent Deum, et pro ipso fideliter exorarent. Hoc de sua abstinentia diximus incidenter, ut ostenderemus, ipsum post visionem et allocutionem imaginis Crucifixi fuisse usque ad mortem semper Christi passioni conformem.

et corpus vehementer afflixit. F

cc

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Adi Commentari prævii* § 3 *a num.* 72.

b Franciscum *cum patre suo mercaturam pannorum exercuisse, consentiunt omnes biographi; at S. Bonaventura in Vita num.* 6 *mercaturæ præmittit* aliqualem litterarum peritiam.

c *Vide in Commentario prævio num.* 70 *suspicionem meam de facto, quod matri tam bonam de Filio suo prodigo opinionem injicere potuit.*

d *Hæc breviter laudavi in Annotatis ad Vitæ primæ caput* 1, *lit.* c *adversus Thomæ Celanensis duriusculum de juvenis* Francisci *moribus loquendi modum.*

e *Hoc* S. Francisci *factum omisit Thomas Celanensis; sed refertur etiam a S. Bonaventura in Vita num.* 7.

f Guarra *vel* guerra, *Gallice* la guerre, *Latinis est* bellum. *Id temporis solebant satis frequentia esse ejusmodi inter civitates Italiæ dissidia : ad quem tamen annum hoc referendum sit, non potui deprehendere; nec scire, an* S. Franciscus *in eodem arma ferens, an solum ut inimicæ civitatis incola, e Perusinis captus fuerit.*

g *Hæc minime favent sententiæ, quæ* S. Franciscum *e nobilibus parentibus natum statuit; nam si id ita esset, cur Tres Socii causam, quod ille cum*
B militibus, *id est, cum viris nobilibus, inclusus fuerit, non illius nobilitatem natalium, sed solum morum allegassent?*

h *Vide, quid in Commentario num.* 70 *observaverim de hoc dicto.*

i *Quis fuerit comes ille, non satis constat; vide tamen dicta in Commentario prævio num.* 104.

k *Vide dicta in Commentario num.* 96 *et sequenti.*

l Palatium *etiam vocat S. Bonaventura in Vita num.* 9; *at Celanensis supra num.* 3 *dixit* domum suam, *id est, paternam ipsius* S. Francisci.

m *De hac donatione etiam meminit Bonaventura in Vita num.* 8, *sed eam desiderio militandi præposuit.*

n Spoletum *Umbriæ civitas est in ditione Pontificia, Spoletani olim ducatus caput.*

o *Hanc revelationem seu divinum somnium nesciens Celanus, non potuit allegare veram causam, ob quam* S. Franciscus *tam subito fuerat mutatus; verum hanc etiam assignat S. Bonaventura in Vita num.* 10.

p *Lege* camisia, *Latine* interula, *seu* indusio.

q *Hæc peculiaria* S. Francisci *misericordiæ opera, hoc ac sequenti numero relata, prætermiserat Celanensis.*

r *Hinc collige, quam inepte quidam putent,*
C Franciscum *a linguæ* Francicæ *peritia, aut etiam ab ejusdem scientia prodigiose accepta, dictum fuisse.*

s *Quæ hoc quoque numero referuntur, etiam omisit Celanensis.*

t *Laudatum Testamentum, cui ex hoc Trium Sociorum testimonio multum auctoritatis accedit, recitavi in Commentario prævio* § 27, *ubi num.* 622 *hæc leguntur huc spectantia :* Dominus ita dedit mihi fratri Francisco incipere facere pœnitentiam; quia, cum essem in peccatis meis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos; sed ipse Dominus adduxit me inter illos, et feci misericordiam cum illis; et recedente me ab ipsis, id, quod videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animæ et corporis.

u Alteratus, *id est, velut alter vir factus, seu totus mutatus animo. Porro postquam Tres Socii prædicta de Sancti misericordia in leprosos, suique ipsius victoria, a Celanensi etiam prætermissa, retulerunt, deinde pergunt cum illo de frequenti ipsius in locis secretis oratione agere.*

x *De vexationibus, a dæmonibus* S. Francisco *in locis solitariis oranti illatis, meminerunt etiam alii biographi; at soli Tres Socii hanc peculiarem narrant.*

y *Vide Annotata ad Vitæ primæ caput* 1, *lit.* h.

z *Nimirum num.* 7.

aa *Hanc allocutionem nesciens Thomas Celanensis, in nonnullis erravit, ut supra ad Vitam primam observatum est.* AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

bb *Lege :* asinum; *ita enim Sanctus corpus suum appellare consueverat. Verumtamen hæc non sic accipias, quasi illum austeritatis in corpus suum tunc pœnituerit; sed ut pium dictum, quo adstantes suo exemplo doceret, quo loco habenda sint corporis commoda.*

cc *Solebat scilicet Sanctus, ut suo loco latius dixemus, creaturas omnes* Fratrum *nomine compellare.*

CAPUT II.

Sancti gesta a sua conversione usque ad assumptum habitum Fratrum Minorum, cœptumque novum vitæ genus.

VI. *Pecuniam offert pro restauranda ecclesia S. Damiani; ibidem latitat,*

Ex dicta igitur visione et allocutione Crucifixi gavisus surrexit, signo crucis se muniens, et ascendens equum, assumensque pannos diversorum colorum, ad civitatem, quæ dicitur Fulginium *a*, pervenit, atque ibi venditis equo et omnibus, quæ portaverat, ad ecclesiam sancti Damiani est reversus; ut invento illo sacerdote pauperculo *b*, cum magna fide et devotione osculans manus ejus, obtulit illi pecuniam, quam portabat, et propositum suum per ordinem enarravit. Obstupefactus igitur sacerdos, et subita ejus conversione miratus, recusabat hæc credere; et sibi putans illudi, noluit apud se pecuniam retinere. At ipse pertinaciter insistens, verbis suis fidem facere nitebatur, et sacerdotem orabat enixius, ut eum secum permitteret commorari. Acquievit tandem sacerdos de mora illius, sed timore parentum pecuniam non recepit. Quare verus pecuniarum Contemptor in quandam fenestram projiciens ipsam, velut pulverem vilipendit. Moram igitur faciente ipso in loco præfato, pater ipsius, ut sedulus explorator, circuivit quærens, quid actum sit de Filio suo, et cum audisset, eum sic mutatum in loco jam dicto taliter conversari, tactus dolore cordis intrinsecus, et ad subitum rerum eventum turbatus, convocatis amicis et vicinis, citissime cucurrit ad eum. Ipse autem, qui erat novus miles Christi, ut audivit minas persequentium, eorumque adventum præscivit, dedit locum iræ paternæ, et ad quandam occultam caveam, quam ad hoc sibi paraverat, accedens, ibi per mensem integrum latitavit; quæ cavea uni tantum de domo patris erat cognita *c*, ubi cibum sibi quandoque oblatum edebat, occulte orans jugiter lacrymarum imbre perfusus, ut Dominus liberaret eum a persecutione nociva, et ut pia vota ipsius benigno favore compleret.

a
b
E
c
F

hinc prodiens, a civibus male mulctatur, et a patre in vinculis detinetur.

17 Cumque sic in jejunio et fletu ferventer ac assidue Dominum exorasset de sua diffusus * virtute et industria, spem suam totaliter jactavit in Dominum, qui eum, licet in tenebris manentem, perfuderat quasi ineffabili lætitia et illustraverat mirabili claritate. Ex qua nimirum totus ignitus, fovea relicta, iter arripuit versus Assisium, impiger, festinus et lætus. Et fiduciæ Christi armis munitus, divinoque calore succensus, seipsum arguens de pigritia et vano timore, manibus et ictibus persequentium exposuit se manifeste. Quem videntes illi, qui prius noverant eum, sibi * miserabiliter exprobrabant, insanumque ac dementem clamantes, lutum platearum et lapides projiciebant in eum, cernentes eum sic a pristinis moribus alteratum et carnis maceratione confectum, totum, quod agebat, exinanitioni et dementiæ deputabant. Sed Miles Christi his omnibus ut surdus pertransiens, nulla fractus aut mutatus injuria, Deo gratias referebat. Cum autem rumor hujus fieret per plateas et vicos civitatis de ipso, tandem pervenit ad patrem. Qui audiens, talia in ipsum a concivibus fieri, statim surgit quærere ipsum, non ad liberandum, sed potius ad perdendum; nulla enim moderatione servata, currit tanquam lupus ad ovem,

* diffusus

* *i. e.* eidem

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

ovem, et torvo oculo et hirsuta facie illum respiciens, injecit impie manus in ipsum. Pertrahens autem ipsum ad domum, et per plures dies in carcere tenebroso recludens, nitebatur ejus animum verbis et verberibus flectere ad sæculi vanitatem.

emissus a matre redit ad ecclesiam S. Damiani;

18 Ipse vero nec motus verbis, nec vinculis, aut verberibus fatigatus, patienter omnia portans, ad sanctum propositum exequendum propensior et valentior reddebatur. Patre namque ipsius recedente a domo, causa necessitatis urgente, mater ejus, quæ sola cum illo remanserat, factum viri sui non approbans, blandis sermonibus alloquitur Filium. Quem cum a sancto proposito revocare non potest, commotis ejus visceribus super ipsum, confregit vincula, eumque liberum abire permisit. At ipse gratias Omnipotenti referens, ad locum, ubi fuerat prius, revertitur, et majori libertate utens, tanquam dæmonum tentationibus probatus, et tentationum documentis instructus, recepto animo securiori, ex injuriis liberior et magnanimior incedebat. Interea pater revertitur, et non invento Filio, peccata peccatis accumulans intorquet convicia in uxorem.

unde a patre frustra evocatus ad consules, comparet coram episcopo,

19 Deinde currit ad palatium communitatis, conquerens de Filio coram consulibus civitatis, postulansque, ut pecuniam, quam a spoliata domo asportaverat, facerent sibi reddi. Consules autem videntes sic eum turbatum, Franciscum, ut coram eis compareat, citant sive advocant per præconem. B Qui præconi respondens, dixit, se per Dei gratiam jam factum liberum, et consulibus amplius non *d* teneri, eo quod esset solius altissimi Dei servus *d*. Consules vero nolentes ei vim facere, dixerunt patri : Ex quo servitium Dei est aggressus, de po- *e* testate nostra exivit *e*. Videns ergo pater, quod coram consulibus nihil proficeret, eandem quæri- *f* moniam proposuit coram episcopo *f* civitatis. Episcopus vero, discretus et sapiens, vocavit eum debito modo, ut compareret, super patris quærimoniam responsurus. Qui respondit nuntio dicens : Ad dominum episcopum veniam, qui est pater et dominus animarum. Venit igitur ad episcopum, et ab ipso cum magno gaudio est receptus. Cui episcopus ait : Pater tuus dure est contra te turbatus, et scandalizatus valde; unde, si tu vis Deo servire, redde illi, quam habes pecuniam; quæ quoniam forte est de injuste acquisitis, non vult Deus, ut eroges eam in opus ecclesiæ, propter peccata patris tui, cujus furor mitigabitur, ea recepta. Habeas ergo, Fili, fiduciam in Domino, et viriliter age, nolique timere; quia ipse erit adjutor tuus, et pro ecclesiæ suæ opere abundanter tibi necessaria ministrabit.

patrique pecuniam exigenti etiam vestes suas restituit.

20 Surrexit igitur Vir Dei lætus et confortatus in verbis episcopi, et coram ipso portans pecuniam, ait illi : Domine, non tantum pecuniam, quæ est C de rebus suis *g*, volo ei reddere gaudenti animo, *g* sed etiam vestimenta. Et intrans cameram episcopi, exuit omnia vestimenta de suis rebus, et ponens pecuniam super ipsa coram episcopo et patre, aliisque astantibus, nudus foras exivit et dixit : Audite omnes et intelligite. Usque modo Petrum Barnardonis vocavi patrem meum; sed, quia Deo servire proposui, reddo illi pecuniam, pro qua erat turbatus, et omnia vestimenta, quæ de suis rebus habui, volens amodo dicere : Pater noster, qui es in cælis; non : Pater Petre Barnardonis. Inventus est autem Vir Dei tunc cilicium *h* habere ad carnem sub vestibus coloratis *h*. Surgens ergo pater ejus, nimio dolore et furore succensus, accepit denarios et omnia vestimenta. Quæ dum portaret ad domum, illi, qui ad hoc spectaculum fuerant, indignati sunt contra eum, quia de vestimentis Filio reliquerat nihil, ut * super Franciscum vera pietate commoti, cœperunt fortiter lacrymari. Episcopus autem animum Viri Dei diligenter attendens, atque fervorem et constantiam ejus vehementer admirans, ipsum inter brachia sua recollegit, operiens cum pallio suo : intelligebat enim aperte, facta ipsius ex divino esse consilio; et agnoscebat, ea, quæ viderat, non parvum ministerium * continere; sic quod ex tunc factus est ejus adjutor, exhortando et fovendo ipsum ac diligendo et amplexando in visceribus charitatis. D

* an mysterium ?

21 Servus igitur Dei Franciscus nudatus ab omnibus, quæ sunt mundi, divinæ vacat justitiæ, primamque vitam contemnens, divino servitio se mancipat modis omnibus, quibus potest. Revertensque ad ecclesiam sancti Damiani *i*, gaudens et fervens, fecit sibi quasi heremiticum habitum *k*, et sacerdotem illius ecclesiæ confortavit eodem sermone, quo ipse fuerat ab episcopo confortatus. Deinde surgens et introiens civitatem, cœpit per plateas et vicos civitatis, tanquam ebrius spiritu, Dominum collaudare. Finita vero hujusmodi collaudatione Domini, ad acquirendos lapides pro reparatione dictæ ecclesiæ se convertit, dicens : Qui mihi dederit unum lapidem, unam habebit mercedem; qui autem duos dederit, duas habebit mercedes; qui vero tres, totidem mercedes habebit, sic et multa alia verba simplicia in fervore spiritus loquebatur, quia idiota et simplex electus a Deo non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed simpliciter in omnibus se habebat. Multum autem deridebant eum, putantes ipsum insanum; alii vero pietate commoti movebantur ad lacrymas, videntes, eum de tanta lascivia et sæculi vanitate ad tantam ebrietatem divini amoris tam cito venisse. At ipse derisiones contemnens, in fervore spiritus Deo gratias egit. Quantum vero laboraverit in opere supradicto, longum et difficile esset narrare. Ipse enim, qui tam delicatus fuerat in domo paterna, propriis humeris lapides ferebat, in Dei servitio multipliciter se affligens *l*.

VII.

In veste eremitica publice mendicat pro reparanda S. Damiani ecclesia,

i

k

E

l

et victum suum ostiatim petit, alios cibos respuens,

22 Sacerdos autem prædictus, considerans ejus laborem, quod scilicet tam ferventer ultra vires divino se obsequio manciparet, licet esset pauperculus, procurabat pro eo fieri aliquid spetiale * ad victum. Sciebat autem, ipsum delicate vixisse in sæculo. Quippe, ut ipse Vir Dei confessus postea est frequenter, electuariis et confectionibus utebatur, et a cibis contrariis abstinebat. Cum autem die quadam advertisset, quod faciebat sacerdos pro ipso, ad se conversus ait : Invenies tu hunc sacerdotem quocumque ieris, qui tibi tantam præstat humanitatem? Non est hæc vita pauperis hominis, quam eligere voluisti; sed, sicut pauper, vadens ostiatim, porta in manu paropsidem, et necessitate coactus diversa in eam cibaria coaduna; ita voluntarie oportet te vivere amore illius, qui pauper natus, pauperrime vixit in sæculo, ac remansit nudus et pauper in patibulo, sepultusque est in alieno sepulcro. Surgens igitur quadam die, accepit paropsidem, et ingressus civitatem ivit F petendo eleemosynam ostiatim. Cumque diversa cibaria poneret in scutella, mirabantur multi, qui sciebant, eum tam delicate vixisse, videntes ipsum ad tantum sui contemptum sic mirabiliter transmutatum. Quando autem voluit comedere illa diversa cibaria simul posita, horruit primo, quia non solum comedere, sed nec velle videre talia consueverat; tandem vincens seipsum, cæpit comedere, et visum est illi, quod in comedendo electuarium aliquod nunquam fuerat sic delectatus. Proinde tantum cor ejus in Domino exultavit, quod caro ipsius, licet debilis et afflicta, corroborata est ad quæcumque aspera et amara lætanter pro Domino tolleranda; gratias insuper egit Deo, quod amarum sibi in dulce mutaverat, et eum multipliciter confortaverat. Dixit ergo illi presbytero, quod de cetero aliqua cibaria non faceret, nec fieri procuraret.

* speciale

et maledicta et sannas etiam proprii patris, patienter ferens,

23 Pater vero ipsius, videns eum in tanta vilitate positum, dolore nimio replebatur; quia enim multum dilexerat ipsum, verecundabatur; et dolebat tantum super eum, videns carnem illius quasi mortuam ex afflictione nimia et algore, quod, ubicumque reperiebat ipsum, maledicebat ei. Vir autem Dei maledictiones patris attendens, hominem quendam pauperculum et despectum assumpsit sibi in patrem.

A patrem. Et ait illi : Veni mecum, et dabo tibi de eleemosynis, quæ mihi dabuntur. Cum autem videris patrem meum maledicentem mihi, ego quoque dixero tibi : Benedic mihi, pater, signabis me ac benedices me vice illius. Sic igitur benedicente sibi paupere illo, dicebat Vir Dei ad patrem : Non credis, quod Deus potest mihi dare patrem benedicentem mihi contra maledictiones tuas? Præterea multi deridentes eum, videntesque, ipsum sic derisum patienter omnia sustinere, stupore nimio mirabantur. Unde tempore hiemali cum orationi quodam mane insisteret contentus pauperculis indumentis, frater ejus carnalis, prope ipsum transiens, cuidam suo concivi dixit ironice : *m* Dicas Francisco, quod saltem unam nummatam *m* de sudore vendat tibi. Quod audiens Vir Dei, gaudio salutari perfusus, in fervore spiritus Gallice respondit : Ego, inquit, Domino meo care vendam sudorem istum.

et de eadem ecclesia vaticinatur.

24 Cum autem laboraret assidue in opere ecclesiæ memoratæ, volens, in ipsa ecclesia luminaria jugiter esse accensa, ibat per civitatem [ad] oleum mendicandum; sed cum prope quandam domum venisset, videns ibi homines congregatos ad ludendum, verecundatus coram eis eleemosynam petere, retrocessit; in seipsum vero conversus arguit, se B peccasse, currensque ad locum, ubi ludus fiebat, dixit coram omnibus astantibus culpam suam, quod verecundatus fuerat petere eleemosynam propter eos. Et fervente spiritu, ad domum illam Gallice petiit oleum amore Dei pro illuminaribus ecclesiæ supradictæ. Cum aliis autem laborantibus in opere præfato persistens, clamabat alta voce in gaudio spiritus ad habitantes et transeuntes juxta ecclesiam, dicens Gallice eis : Venite et adjuvate me in opere ecclesiæ sancti Damiani, quæ futura est monasterium dominarum, quarum fama et vita in universali Ecclesia glorificabitur Pater noster cælestis. Ecce, quomodo spiritu prophetiæ repletus vere futura prædixit! Hic est enim locus ille sacer, in quo gloriosa religio et excellentissimus Ordo pauperum dominarum virginum sacrarum, a con- *n* versatione *n* beati Francisci, fere sex annorum spatio consummata, per eum beatum Franciscum felix sumpsit exordium. Quarum vita mirifica et institutio gloriosa a sanctæ memoriæ domino Papa Gregorio nono, tunc temporis Hostiensi episcopo, auctoritate Sedis Apostolicæ est plenius confirmata *o*.

o

VIII.

Audito Evangelio, habitum mutavit, cœpitque pœnitentiam

25 Beatus itaque Franciscus, ecclesiæ sancti Damiani perfecto opere, habitum heremiticum portabat, baculumque manu gestans, pedibus calceatus, et cinctus corrigia incedebat *p*. Audiens autem quadam die inter Missarum solemnia ea, quæ Christus discipulis ad prædicandum missis *p* C loquitur, ne scilicet aurum vel argentum vel peram, nec panem nec virgam portent in via, nec calceamenta, nec duas tunicas habeant : intelligens hujusmodi postea clarius ab ipso presbytero, indicibili repletus gaudio, Hoc, inquit, est, quod cupio totis viribus adimplere. Igitur cunctis, quæ audierit *, commissis memoriæ, lætanter his adimplendis innititur, duplicibusque sine mora demissis *, ex tunc jam virga, calceamentis, sacculo vel pera non utitur : faciens autem sibi tunicam valde contemptibilem et incultam, rejecta corrigia, pro cingulo funem sumpsit *q*. Omnem quoque sollicitudinem cordis novæ gratiæ verbis apponens, qualiter illa possit opere perficere, cœpit instinctu divino Euangelicæ perfectionis annunciator existere, pœnitentiamque simpliciter in publicum prædicare. Erant autem verba ejus non inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena, cordis medullas penetrantia, ita ut in stuporem vehementer converterent audientes.

* *an audierat?*

* dimissis

q

et pacem publice magno cum fructu prædicare.

26 Sicut autem ipse postmodum testatus est, hujusmodi salutationem. Domino revelante, didicerat, videlicet : Dominus det tibi pacem. Et ideo in omni prædicatione sua pacem annuncians, populum prædicationis exordio salutabat. Et mirum certe, nec sine miraculo admittendum, quod ad hanc salutationem annunciandum ante suam conversionem habuerat quendam præcursorem, qui frequenter iverat per Assisium salutando per hunc modum : Pax et bonum, pax et bonum; creditum est firmiter, quod, sicut Joannes Christum prænuntians, Christo incipiente prædicare, defecit; ita et ipse, velut alter Joannes, beatum Franciscum præcesserit in annunciatione pacis, qui etiam post adventum ipsius non comparuit, sicut prius *r*. Subito ergo Vir Dei Franciscus spiritu prophetarum perfusus, juxta sermonem propheticum statim post dictum suum præconem annunciabat pacem, prædicabat salutem, ejusque salutaribus monitis plurimi vera pace fœderabantur, qui discordes a Christo extiterant, a salute longinqui.

AUCTORIBU TRIBUS SOCIIS.

r

ANNOTATA.

a *Consule Annotata ad Vitæ primæ lib.* 1, *cap.* 2, *lit.* c.

b *De quo egerunt cap.* 1, *num.* 13.

c *Celanensis in Vita prima num.* 10 *tantum dixerat :* Erat in domo fovea illa (occultam caveam *mox appellaverat*) uni tantum forte cognita soli : *hæc modo explicant Tres Socii, nimirum, caveam illam* uni tantum de domo patris *ipsius, puta, fido præ ceteris famulo, notam fuisse; nam illam procul omni* E *dubio etiam noverat presbyter, in cujus domo erat.*

d *Chalippus in Vita Gallica tom. I, pag.* 14 *scribit,* S. Franciscum *coram consulibus Assisiensibus, ut ab his jussus fuerat, comparuisse, atque ista respondisse, quod Waddingus quoque, quem ille secutus est, sensisse videtur. At contrarium liquet ex hoc Trium Sociorum loco.*

e *At qua, inquies, ratione immunitatem a foro civili sibi hic asseruit* Franciscus, *et consules agnoverunt? Waddingus existimavit, ita ipsum locutum esse, quia ex divina revelatione noverat, sese in sortem ecclesiasticam vocatum; vel quia forte jam fuerat tonsura clericali donatus, etsi habitum nondum induisset. Mihi ex ipsis Trium Sociorum verbis verisimilius apparet, Sanctum sic simpliciter respondisse præconi, ut molestam dicam evitaret, asserendo, causam suam ecclesiastici potius, quam civilis, fori esse; cum hæc circa statum vitæ eligendæ proprie versaretur; consules vero, qui et novisse poterant documenta patientiæ constantiæque, quæ* Franciscus *tum ante, tum in ipso domestico carcere ac post dederat, ac præterea scire, ejusdem matrem facta conjugis minime probare; consules, inquam libenter causam hanc ad episcopum remisisse.*

f *Adi Annotata ad libri* 1, *cap.* 2 *Vitæ primæ, lit.* k. F

g *Vide, quæ de hac pecunia disserui in Commentario prævio num.* 125 *et duobus sequentibus.*

h *Ergo non plane ac indecore nudus tunc apparuit, sed saltem indutus cilicio; ut adversus aliquos ostendi in Commentario prævio num.* 151 *et sequentibus.*

i *Hoc loco inserenda sunt, quæ apud Celanensem de Sancti in latrones incidentis hilari patientia, de ejusdem ministerio in cujusdem cœnobii culina, et accessu ad amicum Eugubinum etc., num.* 16 *et* 17 *narrantur; quæ forte hi Socii prætermiserunt, quod ea ab illo satis exposita viderent.*

k *Hunc* heremiticum habitum *non alium esse credimus, quam quo ipsum ab amico Eugubino donatum fuisse, scribit Celanensis.*

l *Hæc adjuncta modumque, quibus* S. Franciscus *in dictæ ecclesiæ reparatione usus fuit, prætermiserat Celanensis.*

m Nummata *pretium seu valor unius nummi est.*

n *Lege* a conversione, *a qua annus sextus secundum chronotaxim nostram currebat anno* 1212, *cui illigandum est Pauperum dominarum, seu Clarissarum, Ordinis initium. Adi Commentarium prævium* § 7.

o *Lege Annotata ad lib.* 1 *Vitæ primæ, capite* 3 *lit.* r.

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

p *Prætermissa hic sunt, quæ de duabus aliis ecclesiis, una scilicet S. Petri, atque altera S. Mariæ in Portiuncula, a* S. Francisco *reparrtis, Thomas Celanensis lib.* 1, *cap.* 3, *et S. Bonaventura cap.* 2 *tradiderunt.*

q *De his omnibus vide dicta in Annotatis ad lib.* 1 *Vitæ primæ caput* 3.

r *Quis fuerit hic, incompertum est.*

CAPUT III.

Sanctus admittit socios, qui ab illo egregie instituti virtutibus clarent.

Admittit duos socios Bernardum

a

b

B

c

d

Innotescente autem apud multos beati Francisci tam simplicis doctrinæ veritate, quam vitæ, cœperunt post duos annos a sua conversatione *a* viri quidam exemplo ipsius ad pœnitentiam animari, et eidem, rejectis omnibus, habitu vitaque conjungi, quorum primus extitit frater Bernardus *b* sanctæ memoriæ, qui considerans constantiam et fervorem beati Francisci in divino servicio, quomodo scilicet cum multo labore destructas reparabat ecclesias, asperamque vitam ducebat, cum sciret, ipsum delicate vixisse in sæculo; proposuit in corde suo omnia, quæ habebat, erogare pauperibus, et illi vita et habitu firmiter adhærere. Quadam die secreto ad Virum Dei accedens, ei suum propositum revelavit, condixitque cum illo, ut tali sero *c* veniret ad eum. Beatus autem Franciscus, gratias agens Deo, tamquam nullum adhuc socium habens *d*, gavisus est valde; maxime, quia dominus Bernardus erat homo ædificationis magnæ.

et Petrum qui ex illius consilio, Deique voluntate,

e

C

28 Venit ergo beatus Franciscus ad domum ejus statuto sero cum magna cordis exultatione, et cum illo tota illa nocte permansit. Cui inter alia dixit beatus Bernardus : Si quis a domino suo haberet multa vel pauca, quæ tenuisset per multos annos, et nollet ea amplius retinere, quid de ipsis agere posset, quod melius esset? Beatus Franciscus respondit, quod ea domino suo deberet reddere, a quo eadem recepisset. Et dominus Bernardus dixit : Ego, Frater, omnia mea bona temporalia volo erogare amore Domini mei, qui contulit ea mihi, sicut tibi videtur melius expedire. Cui Sanctus dixit : Summo mane ibimus ad ecclesiam, et per Euangeliorum codicem cognoscemus, quomodo Christus discipulos suos docuit. Surgentes igitur mane cum quodam alio, Petro *e* nomine, qui etiam cupiebat fieri frater, venerunt ad ecclesiam sancti Nicolai juxta plateam civitatis Assisii. Quam ad orationem ingressi, quia simplices erant, et nescierunt invenire verbum Euangelii de renunciatione sæculi, Dominum rogabant devote, ut in prima libri apertione voluntatem suam eis ostendere dignaretur.

ex Euangelio cognita, omnia bona sua distribuunt pauperibus;

f

g

h

* *i.* gratiis

29 Oratione autem finita, beatus Franciscus accipiens librum clausum, flexis genibus coram altari, aperuit ipsum, et in prima ejus apertione occurrit illud consilium Domini : « Si vis » perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo *f*. » Quo comperto, beatus Franciscus gavisus est valde, et gratias egit Deo; sed quia verus Cultor Trinitatis tertio voluit confirmari, secundo et tertio librum aperuit. Et in secunda apertione occurrit illud : « Nihil tuleritis in via etc. *g*. In tertia vero illud : « Qui vult venire post me, abneget » semetipsum *h*. » Beatus ergo Franciscus, in qualibet apertione libri gratias * Deo exhibitis, pro firmatione sui propositi et desiderii dudum concepti, tertio divinitus sibi exhibita et demonstrata, dixit prædictis viris, scilicet Bernardo et Petro : Fratres, hæc est vita et regula nostra, et omnium, qui voluerint nostræ societati conjungi. Ite igitur, et sicut audistis, implete. Abiit itaque dominus Bernardus, qui erat dives valde, et venditis omnibus, quæ habebat, multaque pecunia congregata, pauperibus civitatis distribuit universa. Petrus etiam pro posse divinum consilium adimplevit. Distractis autem omnibus, habitum, quem paulo ante Sanctus assumserat, postquam reliquit heremiticum habitum, ambo pariter susceperunt, et ab illa hora simul cum ipso vixerunt secundum formam sancti Euangelii a Domino illis ostensam. Et ideo beatus Franciscus dixit in Testamento suo : « Ipse Dominus mihi relavit, ut » deberem vivere secundum formam sancti Euan- » gelii *i*. »

D

i

quod dum sit, Sylvester pecuniam inique petit et obtinet a Sancto,

IX.

30 Cum autem, ut dictum est, dominus Bernardus bona sua pauperibus largiretur, aderat beatus Franciscus, intuens virtuosam operationem Domini, et ipsum Dominum in corde suo glorificans et collaudans. Venit autem quidam sacerdos, nomine Sylvester, a quo beatus Franciscus emerat lapides pro reparatione ecclesiæ sancti Damiani. Et videns, totam pecuniam expendi consilio Viri Dei, cupiditatis igne succensus dixit ad eum : Francisce, non bene solvisti mihi pro lapidibus, quos emisti a me. Audiens avaritiæ Contemptor illum murmurantem injuste, accessit ad dominum Bernardum, mittensque manum in chlamydem ejus, ubi erat pecunia, cum magno fervore spiritus extrahit eam plenam denariis, et dedit presbytero murmuranti. Et iterum secundo implens manum pecunia, dixit illi : Habes adhuc plenam solutionem, domine sacerdos? Respondit : Habeo, Frater, plene; et lætus reversus est ad domum suam cum pecunia sic accepta.

E

deinde divino somnio illustratus, ejusdem disciplinæ se postea tradit.

31 Post paucos autem dies idem sacerdos inspiratus a Domino, cœpit super his, quæ beatus Franciscus egerat, cogitare; et dicebat intra se : Nonne sum miser homo, qui, cum sum senex, temporalia concupisco et quæro; et hic Juvenis pro Dei amore ea despicit et abhorret. Sequenti autem nocte vidit in somnis crucem immensam, cujus consummitas cælos tangebat, et pes ejus stabat fixus in ore Francisci; ipsius latera ab una parte mundi ad alteram tendebantur. Evigilans ergo sacerdos, cognovit et credidit firmiter, Franciscum esse verum amicum Dei et servum, atque religionem, quam cœperat, esse per universum mundum protinus dilatandam. Sicque cœpit Deum timere, et in domo sua pœnitentiam agere. Tandem vero post modicum tempus, ingressus est Ordinem jam inceptum *k*, in quo optime vixit et gloriose finivit.

k

Habitant apud Portiunculam, ubi admittitur B. Ægidius,

l

F

32 Vir autem Dei Franciscus duobus, ut dictum est, fratribus sociatus, cum non haberet hospitium, ubi cum eis maneret, simul cum ipsis ad quandam pauperculam ecclesiam derelictam se transtulit, quæ Sancta Maria de Portiuncula *l* dicebatur, et fecerunt ibi unam domunculam, in qua aliquando pariter morarentur. Post aliquot autem dies vir quidam Assisinus, Ægydius nomine, venit ad eos, et cum magna reverentia et devotione, flexis genibus, rogavit Virum Dei, ut eum in suam societatem reciperet. Quem cum Vir Dei videret fidelissimum et devotum, et quod multam gratiam consequi a Deo poterat, ut postea patuit per effectum, libenter eum recepit *m*. Conjuncti vero hi quatuor cum immensa lætitia et gaudio Spiritus Sancti ad majorem profectum se taliter diviserunt.

m

quocum Sanctus, duobus aliis alio missis, perambulat

n

33 Beatus Franciscus assumens fratrem Ægydium secum, ivit in Marchiam Anchonitanam *n*. Alii vero duo in regionem aliam perrexerunt. Euntes vero in Marchiam exultabant vehementer in Domino, sed Vir sanctus, alta et clara voce laudes Domini Gallice cantans, benedicebat et glorificabat Altissimi bonitatem. Tanta vero erat in eis lætitia, quasi magnum thesaurum invenissent in Euangelico prædio dominæ paupertatis, cujus amore omnia temporalia velut stercora liberaliter et libenter reliquerant. Dixit autem sanctus Franciscus ad fratrem Ægydium : Nostra religio similis erit piscatori, qui mittit retia sua in aquam, capiens piscium multitudinem copiosam, et parvos in

A in aqua relinquens, magnos eligit in vasa sua; sicque prophetavit, Ordinem dilatandum. Licet autem Vir Dei nondum plene populo prædicaret, quando tamen per civitates et castella transibat, hortabatur omnes, ut amarent et timerent Deum, atque pœnitentiam agerent de peccatis. Frater autem Ægydius admonebat audientes, ut ei crederent; quia eis optime consulebat.

Marchiam Anconitanam, ac redit ad Portiunculam.

34 Qui vero eos audiebant, dicebant: Qui sunt isti, et quæ sunt hæc verba, quæ dicunt? Erat enim tunc amor et timor Dei quasi ubique extinctus, et via pœnitentiæ penitus nesciebatur; immo stultitia reputabatur. Nam in tantum prævaluerat carnis illecebra, mundi cupiditas et superbia vitæ, quod totus mundus in his tribus malignitatibus penitus occupatus videbatur. Erat igitur de his viris Euangelicis diversa opinio. Alii enim dicebant eos stultos vel ebrios, alii autem asserebant, quod talia verba non ex stultitia procedebant. Unus vero de audientibus dixit: Aut propter summam perfectionem Domino adhæserunt, aut certe insani sunt, quia desperata videtur vita eorum, cum parco cibo utantur, et nudis pedibus ambulent, atque vilissimis vestibus sint induti. Inter hæc

* *an* quidam?

tamen, licet quidem * timorem incurrerent, visa

B forma sanctæ conversationis eorum, nec eos adhuc aliqui sequebantur; sed mulieres et juvenculæ, videntes eos a longe, fugiendo pavebant, ne forte stultitia et insania ducerentur. Cumque circuissent

o illam provinciam *o*, redierunt ad dictum locum sanctæ Mariæ.

Admittit tres alios, quibuscum magnam penuriam patitur,

35 Paucis autem diebus elapsis, venerunt ad eos tres alii fratres, vel viri de Assisio, videlicet Sabatinus, Moritus et Joannes de Capella *p*, supplicantes beato Francisco, ut eos in fratres reciperet; et ipse recepit eos humiliter et benigne. Quando autem eleemosynam per civitatem petebant, vix aliquis dabat eis, sed improperabant illis dicentes, quod res suas dimiserunt, et comederunt alienas; et ideo maximam penuriam sustinebant. Eorum quoque parentes et consanguinei persequebantur illos. Aliique de civitate deridebant illos, tanquam insensatos et stultos; quia tempore illo nullus relinquebat sua, ut peteret eleemosynam ostiatim. Episcopus vero civitatis Assisii *q*, ad quem

q pro consilio frequenter ibat Vir Dei, benigne ipsum recipiens, dixit ei: Dura videtur mihi vita vestra et aspera, nihil scilicet in sæculo possidere. Cui Sanctus ait: Domine, si possessiones aliquas haberemus, nobis essent necessaria arma ad pro-

C tectionem nostram. Nam inde oriuntur quæstiones et lites, soletque ex hoc amor Dei et proximi multipliciter impediri, et ideo nolumus in hoc sæculo aliquid possidere temporale. Et placuit episcopo multum responsio Viri Dei, qui cuncta transitoria, et præcipue pecuniam, contempsit in tantum, ut in omnibus Regulis suis commendaret potissime paupertatem, et omnes fratres sollicitos redderet de pecunia vitanda; plures enim Regulas fecit, et illas expertus est, prius quam faceret illam, quam

r ultimo reliquit fratribus *r*. Unde in una ipsarum dixit in detestationem pecuniæ: « Caveamus, qui » reliquimus omnia, ne pro tam modico regnum » cælorum perdamus. Et si pecuniam in aliquo » loco inveniremus, non curemus plus quam de

s » pulvere, quem sub pedibus calcamus *s*.

x. *eosque egregie institutos ad prædicandum mittit;*

36 Sanctus autem Franciscus, cum jam plenus esset gratia Spiritus Sancti, convocans ad se dictos sex fratres suos, dixit ad illos, quæ ventura eis erant. Consideremus, inquit, fratres carissimi, vocationem nostram, qua misericorditer vocavit nos Deus, non tantum pro nostra, sed pro multorum salute, ut eamus per mundum, exhortando plus homines exemplo, quam verbo, ad agendum pœnitentiam de peccatis suis, et habendam memoriam mandatorum. Nolite timere, quia pusilli et insipientes videmini; sed secure annunciate simpliciter pœnitentiam, confidentes in Deo, qui vicit mundum, quod spiritu suo loquitur per vos et in vobis ad exhortandum omnes, ut convertantur ad ipsum, et ejus mandata observent. Invenietis autem quosdam homines fideles et mansuetos et benignos, qui cum gaudio vos et verba vestra recipient, aliosque plures infideles, superbos et plasphemos, qui exprobrantes resistent vobis, et his, quæ dicetis. Ponite ergo in cordibus vestris patienter et humiliter omnia tolerare. Cumque fratres hæc audissent, timere cœperunt. Ad quos Sanctus ait: Nolite timere, quoniam non post multum tempus venient ad vos multi sapientes et nobiles, eruntque vobiscum prædicantes regibus et principibus, et populis multis; multi vero convertentur ad Dominum, qui per universum mundum multiplicabit suam familiam et augebit.

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

illi vero obsequentes, multa indigna ferunt patienter.

37 Et cum hæc dixisset illis ac benedixisset, abierunt viri Dei, devote ejus monita observantes. Cum autem inveniebant aliquam ecclesiam sive crucem, inclinabant se ad adorationem, et devote dicebant: Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi propter omnes ecclesias, quæ sunt in universo mundo, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum *t*. Credebant enim semper invenire locum Dei, ubicumque crucem vel ecclesiam invenissent. Quicumque autem eos videbant, plurimum mirabantur, eo quod habitu et vita dissimiles erant omnibus, et quasi sylvestres homines videbantur.

t

E Quocumque vero intrabant, civitatem scilicet vel castellum; aut villam, vel domum, annunciabant pacem, confortantes omnes, ut timerent et amarent Creatorem cæli et terræ, ejusque mandata servarent. Quidam libenter eos audiebant; alii econtra deridebant, plerique eos quæstionibus fatigabant, quibusdam dicentibus: Unde estis? Aliis quærentibus, quis esset Ordo ipsorum. Quibus, licet esset laboriosum tot quæstionibus respondere, simpliciter tamen confitebantur, quod erant viri pœnitentiales de civitate Assisii oriundi; nondum enim Ordo eorum dicebatur Religio.

Narratur hujusmodi exemplum in Bernardo cum socio Florentiæ,

38 Multi vero eos deceptores, vel fatuos judicabant, et nolebant eos recipere in domum suam, ne tanquam fures res suas furtim auferrent. Propterea in multis locis post illatas eis multas injurias hospitabantur in ecclesiarum porticibus vel domorum. Eodem tempore duo ex ipsis erant Florentiæ *u*, qui per civitatem mendicantes, hospitium non poterant invenire. Venientes autem ad quandam domum, habentem porticum, et in porticu clibanum, dixerunt ad invicem: Hic poterimus hospitari. Rogantes autem dominam domus, ut eos reciperet intra domum, et illa hoc facere recu-

u

sante, dixerunt humiliter, ut saltem juxta clibanum

F permitteret eos quiescere illa nocte. Hoc autem concesso per illam, venit vir ejus, et dixit illi: Quare istis ribaldis *x* hospitium in porticu nostro * contulisti? Respondit illa, quod noluerat eos in domo recipere, sed eis concesserat extra in porticu jacere, ubi non poterant, nisi ligna furari. Noluit ergo vir, quod daretur eis aliquod tegumentum, licet esset tunc magnum frigus: quia putabat, eos esse ribaldos et fures. Illa autem nocte cum usque ad matutinum satis sobrio somno juxta clibanum quievissent, calefacti solo calore divino et cooperti tegumento dominæ paupertatis, iverunt ad vicinorem ecclesiam pro matutinali Officio audiendo.

x

* nostra

quorum tamen sanctitas ibidem mox agnita est,

39 Et mane facto, ivit illa mulier ad eandem ecclesiam; et videns, ibidem fratres illos in oratione devote persistere, dixit intra se: Si homines isti essent ribaldi et fures, ut vir meus dicebat, non sic in oratione persisterent reverenter. Cumque hoc cogitaret, ecce vir quidam, Guido nomine, pauperibus in ipsa ecclesia manentibus eleemosynam tribuebat; qui cum venisset ad fratres, et vellet dare cuilibet eorum pecuniam, sicut dabat aliis; recusaverunt illi pecuniam, et accipere noluerunt. At ille dixit eis: Quare vos, cum sitis pauperes, non accipitis denarios, sicut alii? Respondit frater Bernardus: Verum est, quod pauperes sumus; sed nobis non est gravis paupertas, sicut aliis pauperibus; nam per Dei gratiam, cujus consilium complevimus, voluntarie pauperes facti sumus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

sumus. Admirans vir ille super his, et interrogans eos, si unquam aliquid possedissent, audivit ab eis, quod multa possederant, sed amore Dei omnia dederant. Hic namque, qui sic respondit, fuit ille frater Bernardus, a beato Francisco secundus, quem sanctissimum fratrem hodie veraciter credimus; qui primo pacis et pœnitentiæ legationem amplectens, post sanctum Dei cucurrit, venditis omnibus, quæ habebat, et erogatis pauperibus, secundum perfectionis Euangelicæ consilium perseverans usque in finem in sanctissima puritate. Considerans ergo dicta mulier, quod fratres denarios noluissent, ad eos accedens, dixit, quod libenter eos reciperet intra domum suam, si vellent illuc accedere gratia hospitandi. Cui fratres humiliter responderunt: Dominus tibi retribuat pro bona voluntate. Prædictus autem vir audiens, quod fratres non potuissent invenisse hospitium, duxit eos in domum suam, dicens: Ecce hospitium a Domino vobis paratum; manete in eo secundum beneplacitum vestrum. Ac illi gratias Deo agentes, manserunt apud illum diebus aliquibus, ædificando tam exemplo quam verbo in timore Domini, ita quod postea multa pauperibus erogavit.

ut et aliorum alibi, qui post multas acceptas injurias

B

40 Licet autem sic benigne tractarentur ab ipso, apud alios tamen in tantum vilissimi habebantur, quod multi parvi et magni exprobrarent, et injuriarentur eis, auferentes quandoque etiam vestimenta, quæ habebant. Cumque Servi Dei manerent nudi, quia secundum formam Euangelii unam tantum tunicam portabant, non repetebant, ablata sibi restitui *y*. Si qui pietate moti reddere volebant eis ablata, libenter recipiebant. Quidam autem lutum super eos jactabant; alii vero ponentes taxillos in manibus eorum, invitabant eos, si ludere volebant. Alii capientes capucia eorum a tergo, post dorsum suum sic suspensos eos portabant. Hæc et his similia faciebant illis, reputantes eos tam viles, quod audacter affligebant ipsos, sicut volebant. Insuper in fame, siti, frigore, et nuditate immensas tribulationes et angustias tollerabant, quæ omnia constanter et patienter, ut a beato Francisco fuerint * moniti, sustinentes, non tristabantur nec turbabantur, nec maledicebant inferentibus eis mala; sed, sicut viri perfecti et Euangelici, et in magno lucro positi, exultabant vehementer in Domino, omne gaudium existimantes, cum in tentationes et tribulationes hujusmodi incidebant, atque juxta verbum Euangelii pro suis persecutoribus orabant sollicite et ferventer.

y

* fuerant

XI.

eum nonnullis ad Ordinem admissis ad locum Portiunculæ redierunt.

C

41 Videntes igitur homines, quod fratres in suis tribulationibus exultabant, orationi et devotioni sollicite et devote instabant, non recipiebant pecuniam, nec portabant, et maximam charitatem ad invicem habebant, per quam noscebantur vere esse discipuli Domini, multi corde compuncti veniebant ad eos, de offensis, quas fecerant eis, veniam postulantes. Ipsi vero ex corde remittebant, dicentes: Dominus parcat vobis; atque eos de salute sua salubriter admonebant. Quidam ipsos fratres rogabant, ut reciperent eos in societatem suam: et quia omnes illi sex habebant auctoritatem recipiendi ad Ordinem a beato Francisco propter paucitatem fratrum, in societatem suam aliquos receperunt, cum quibus sic receptis statuto termino omnes ad sanctam Mariam de Portiuncula sunt reversi. Quando autem se invicem revidebant, tanta jucunditate replebantur et gaudio, ac si nihil recordarentur eorum, quæ fuerant passi ab iniquis. Solliciti erant quotidie orare, et laborare manibus suis, ut omnem ociositatem, animæ inimicam, a se penitus effugarent. Surgebant in media nocte solliciti, et orabant devotissime cum immensis lacrymis et suspiriis; amore intimo se invicem diligebant, et serviebat unus alteri, ac nutriebat eum, sicut mater filium unicum ac dilectum. Tanta charitas ardebat in eis, quod facile ipsis videbatur tradere corpora sua morti, non solum pro Christi amore, sed etiam pro salute animæ, vel corporum suorum confratrum.

42 Unde quadam die, cum ex ipsis fratribus simul irent, invenerunt quendam fatuum, qui cœpit lapides jactare in eos. Videns ergo unus eorum, lapides jactari in alterum, opposuit se statim ictibus lapidum, volens potius, se percuti, quam fratrem suum, propter charitatem mutuam, qua flagrabat; sicque parati erant unus pro altero ponere vitam suam. Erant enim in humilitate et charitate fundati, et radicati in tantum, ut unus revereretur alterum, quasi patrem et dominum; atque illi, qui officio prælationis vel aliqua gratia præcellebant, humiliores et viliores ceteris viderentur. Omnes se quoque totos ad obediendum præbebant, ad præcipientis voluntatem se continuo præparantes, non discernebant inter justum et injustum præceptum *z;* quia, quidquid præcipiebatur, putabant, esse secundum Domini voluntatem. Et ideo implere præcepta erat eis facile et suave. A carnalibus autem desideriis abstinebant, semet ipsos sollicite judicantes, atque caventes, ne unus alterum offenderet ullo modo.

D

Recensentur insignes virtutes,

z

43 Et si quando contingebat, ut unus alteri dicebat * verbum, quod posset ipsum turbare, conscientia mordebatur, quod non poterat quiescere, donec dicebat culpam suam, prosternens se in terram humiliter, et pedem fratris faceret poni super os suum. Quod si frater turbatus pedes super os alterius ponere nolebat, si erat prælatus ille, qui turbaverat alterum, præcipiebat illi, ut pedem poneret super os suum; si non erat, subditus faciebat hoc illi præcipi à prælato: sicque studebant, ut omnis rancor et malitia fugaretur ab eis, et perfecta inter ipsos semper dilectio observaretur, satagentes pro posse singulis vitiis singulas virtutes opponere, præveniente et coadjuvante eos gratia Jesu Christi. Nihil insuper sibi proprium vendicabant, sed libris et aliis collatis, eisdem utebantur communiter secundum regulam ab Apostolis traditam *aa* et conservatam. Cum autem in eis esset vera paupertas, erant tamen liberales et largi de omnibus sibi pro Domino collatis, libenter dantes amore ipsius omnibus petentibus, et maxime pauperibus, eleemosynas eis datas.

quibus excelluerunt, in ipsa quoque egestate

* *imo* diceret

E

aa

44 Quando vero ibant per viam, et inveniebant pauperes, petentes aliquid ab eis amore Dei, cum non habebant aliud, quod præberent, dabant aliquam partem de vestibus suis, licet vilibus. Quandoque enim dabant capucium, dividentes ipsum pro tunica, quandoque manicam, quandoque partem aliam, dissuentes ipsam a tunica, ut Euangelii illud impleretur: « Omni petenti te tribue *bb* ». Quadam autem die venit quidam pauper ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Portiuncula, apud quam fratres aliquando morabantur, et eleemosynam petit. Erat autem ibi quædam chlamys, quam quidam habuerat frater sæcularis *cc*. Cui cum dixisset beatus Franciscus, ut eam illi pauperi daret, libenter et velociter dedit ei. Statim propter reverentiam et devotionem, quam habuerat frater ille in dando chlamydem illi pauperi, visum est ei, quod eleemosyna illa in cœlum ascendisset, et sensit, novo gaudio se perfundi.

misericordes mireque liberales.

bb

F

cc

45 Quando vero declinabant divites hujus mundi ad eos, recipiebant ees alacriter et benigne, studentes eos revocare a malo, et ad pœnitentiam provocare. Sollicite etiam petebant, ne mitterentur in terras, unde erant oriundi, ut fugerent familiaritatem, et conversationem consanguineorum suorum, verbumque servarent propheticum: « Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ *dd*. » In paupertate plurimum lætabantur; quia non concupiscebant divitias, sed omnia transitoria spernebant, quæ possunt a mundi hujus amatoribus concupisci. Præcipue vero pecuniam, quasi pulverem, pedibus conculcabant; et, sicut a beato Francisco edocti, ipsam cum stercore asini æquali precio et pondere ponderabant. Gaudebant in Domino continue, non habentes inter se, unde possent aliquid contristari. Quanto enim a mundo magis erant divisi, tanto magis erant

Aliæ eorumdem virtutes.

dd

A erant Domino conjuncti, per viam crucis et semitas justitiæ incedentes, de arta via pœnitentiæ et observationis Euangelicæ offendicula removebant, ut posteris iter planum fieret et securum.

ANNOTATA.

a *Id est, anno æræ Christianæ* 1209, *uti alibi probavi. Pro* conversatione *lege* conversione.

b *Celanensis præposuit alium quemdam, sive ætate, sive alias* puerum, *de quo vide Vitam primam num.* 24, *et Annotata ibidem.*

c *Hoc est,* Vesperi.

d *Ergo alter ille* puer, *a Celanensi laudatus, nondum erat proprie* S. Francisci *in suo vitæ genere habituque* socius.

e *Waddingus et alii credunt, hunc fuisse Petrum Cathaneum, Assisiensem canonicum, postea* S. Francisci *vicarium; quod mihi non apparet satis verisimile ob rationes allegatas in Commentario prævio* § 9, *num.* 192 *et seqq.*

f *Matthæi cap.* 19 ŷ 21.

g *Lucæ cap.* 9 ŷ 3 : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

h *Lege Matth. cap.* 16, ŷ 24, *vel Luc. cap.* 9
B ŷ 23.

i *Hoc Testamentum dedi in Commentario prævio* § 27, *ubi num.* 624 *eadem, paululum mutatis vocibus, sic legere est :* Ipse Altissimus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti Euangelii.

k *Per voces,* ingressus est Ordinem jam inceptum, *videntur mihi indicare, Sylvestrum eidem Ordini nomen suum primum dedisse, postquam idem Ordo ab Innocentio III summo Pontifice fuerat approbatus.*

l *Quam ipse paulo ante reparaverat, ut vidimus in Vita prima.*

m *In Commentario prævio num.* 143 *et sequenti ostendi, hæc contigisse anno* 1209, *ac verisimiliter die* 23 *Aprilis. B. Ægidii gesta exposita habes in Opere nostro ad eumdem diem Aprilis; vide tamen etiam huc spectantia in meo Commentario prævio num.* 196 *et sequentibus.*

n *Lege* Marchiam Anconitanam, *Italis* la Marca d'Ancona, *quæ ampla ditionis Ecclesiæ provincia est, contermina Umbriæ.*

o *Non sunt hæc stricte accipienda: cum ex rerum chronotaxi non potuerit hæc peregrinatio diuturna fuisse.*

p *Breve* Sabatini *elogium dedit Waddingus in*
C *Annalibus ad annum* 1209 *num.* 17; *ubi cum ille* ignotæ regionis *fuisse dicatur, oportet, Waddingum vel non habuisse hanc Appendicem, vel non advertisse, in ea Sabatinum, æque ac duos alios, dici fuisse* de Assisio. *Ibidem num.* 28 *laudatus Annalista plura annotavit de* Morito, *quem ipse aliique* Moricum *appellant; ac denique num.* 29 *de* Joanne de Capella, *velut de altero Juda meminit, ejusdemque lepram, ac infelicem per laqueum, sibimet injectum, mortem enarravit.*

q *Hic ipse erat Vido vel Guido, coram quo* S. Franciscus *omnibus paternis bonis libens cesserat.*

r *Waddingus inter* S. Francisci *Opuscula duas edidit pro Fratribus Minoribus ab illo scriptas; sed plures fuisse, liquet ex hoc loco.*

s *Leguntur hæc cap.* 8 *Regulæ Minorum, quam Waddingus omnium primam putavit.*

t *De hac oratione* S. Franciscus *in Testamento suo sic loquitur :* Dominus dedit mihi talem fidem in ecclesiis suis, ut ita simpliciter adorarem et dicerem : « Adoramus te, sanctissime Domine Jesu » Christe, hic et ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt » in toto mundo; et benedicimus tibi, quia per » sanctam crucem tuam redemisti mundum. » *Hinc corrige errorem, qui in apographum nostrum Appendicis irrepsit.*

u *Haud dubie indicatur hic vulgo notissima civitas Florentia, Tusciæ primaria, magnique ducatus Hetruriæ caput.*

x Ribaldo *Italis est homo vilissimus ac nequam.* AUCTORIBUS

y *Secundum illud Luc.* 6, ŷ 30 : Qui aufert, quæ TRIBUS SOCIIS.
tua sunt, ne repetas.

z *Noli hæc rigorose interpretari; non enim quælibet mandanti superiori obtemperare licet. Significant solum, illos, quia certi erant, nihil mali sibi præcipiendum, sine tergiversatione mandanti obsequi soluisse.*

aa *Videlicet Act. Apost. cap.* 2, ŷ 44 : Habebant omnia communia.

bb *Lucæ cap.* 6, ŷ 30.

cc. *Hic B. Ægidius fuisse, factumque contigisse pridie, quam sacro habitu a* S. Francisco *indutus fuit, legitur in ejusdem Beati Vita in Opere nostro edita ad* 23 *Aprilis.*

dd *Psalm.* 68, ŷ 9.

CAPUT IV.

Approbatio Regulæ ab Innocentio III Romæ impetrata : reditus in vallem Spoletanam et gesta ibidem : Regula ab Honorio III confirmata et ab eodem obtentus protector Ordinis : comitia generalia anno MCCXXIV, *ex quibus multi* E
in varias provincias feliciter missi.

XII.

Sanctus cum iisdem Romam proficiscitur,

Videns autem beatus Franciscus, quod Dominus fratres suos numero et merito augmentaret, cum jam essent duodecim viri fortissimi, scientes id ipsum, dixit illis undecim, ipse duodecimus, dux et pater eorum : Video, fratres, quod Dominus congregationem nostram vult misericorditer augmentare. Euntes ergo ad matrem nostram sanctam Romanam Ecclesiam, notificemus summo Pontifici, quæ Dominus per nos facere cœpit, ut de voluntate et præcepto ipsius, quod cœpimus, prosequamur. Cumque placuisset aliis fratribus dictum Patris, et simul cum eo iter arripuissent ad curiam, dixit eis : Faciamus unum ex nobis ducem nostrum, et habeamus ipsum quasi vicarium Jesu Christi, ut, quocumque declinare voluerit, declinemus; et quando hospitari voluerit, hospitemur. Et elegerunt fratrem Bernardum, primum post beatum Franciscum, et sicut Pater dixerat, servaverunt. Gaudentes igitur ibant, et verba Domini loquebantur, non audentes aliquid loqui, nisi quod ad laudem et gloriam Dei et ad utilitatem animæ pertinebat, et frequenter orationi vacabant. Dominus F
autem semper eis præparabat hospitium, faciens, illis necessaria ministrare.

ubi ille ope episcopi Assisiatis et Cardinalis Sabinensis

47 Cum autem venissent Romam, et invenissent ibi episcopum civitatis Assisii, ab ipso cum ingenti gaudio sunt recepti. Nam beatum Franciscum et omnes fratres speciali vererabatur affectu; nesciens tamen causam adventus eorum, cœpit turbari, timens, ne propriam patriam vellent deserere, in qua Dominus cœpit per eos mirabilia operari. Gaudebat enim vehementer, tantos Viros in suo episcopatu habere, de quorum vita et moribus maxime præsumebat; sed audita causa, eorumque intellecto proposito, gavisus est valde, spondens eis ad hoc consilium et juvamen. Erat autem idem episcopus notus cuidam Cardinali episcopo Sabinensi, qui dicebatur dominus Joannes de Sancto Paulo *a*, vere gratia Dei plenus, diligens plurimum *a*
servos Dei; huic præfatus episcopus patefecerat vitam beati Francisci et fratrum suorum; propterea ipse affectabat videre Virum Dei et aliquos de fratribus suis. Audiens autem, quod essent in Urbe, misit pro illis, et recepit eos cum magna reverentia te amore.

Innocentium tertium accedit, approbationem Regulæ petens ;

48 Paucis vero diebus morantes cum ipso, ita ædificaverunt eum sanctis sermonibus et exemplis, quod videns in opere fulgere, quod de ipsis audierat, recommendavit se eorum orationibus humiliter et devote. Petivit etiam de gratia speciali, quod volebat ex tunc sicut unus de fratribus reputari.

Denique

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

Denique interrogans beatum Franciscum, quare venisset, et audiens ab eo totum suum propositum et intentum, obtulit se procuratorem suum in curia *b*. Perrexit ergo ad curiam dictus Cardinalis, et dixit domino Papæ Innocentio tertio : Inveni Virum perfectissimum, qui vult secundum formam sancti Euangeli vivere, et Euangelicam perfectionem in omnibus observare : per quam *, credo,* Dominus velit in toto mundo fidem * sanctæ Ecclesiæ reformare. Quod audiens dominus Papa miratus est valde, et sic eidem Cardinali imposuit, ut ad se duceret beatum Franciscum.

b

* *an* quem ?
* *adde* quod
* *l.* fideles

a quo benigne susceptus, jubetur voluntatem Dei adhuc paululum inquirere,

49 Sequenti ergo die Vir Dei a dicto Cardinali est coram summo Pontifice præsentatus, cui totum suum propositum patefecit. Ipse vero Pontifex, cum esset discretione præcipua præditus, votis Sancti debito modo assensit, et exhortans ipsum, ac fratres suos de multis, benedixit eis, dicens : Ite cum Domino, fratres, et sicut ipse vobis inspirare dignabitur, omnibus pœnitentiam prædicate. Cum autem omnipotens Deus vos multiplicaverit numero majori et gratia, referatis nobis, et nos plane his concedemus, ac majora vobis securius committemus. Volens autem dominus Papa facere, ut concessa et concedenda essent secundum Dei voB luntatem, priusquam Sanctus ab ipso recederet, dixit ei et sociis : Filioli nostri, vita vestra videtur nobis nimis dura et aspera ; licet enim credimus, vos esse tanti servoris, quod de vobis non oporteat dubitare, tamen considerare debemus pro illis, qui secuturi sunt vos, ne hæc via nimis aspera ipsis videatur. Cumque videret eorum fidem, constantiam et anchoram spei firmissime roboratam in Christo, ita ut nollent a suo fervore divertere, dixit beato Francisco : Fili, vade et ora Deum, ut tibi revelet, si id, quod quæritis, de sua voluntate procedit, quatenus nos scientes Domini voluntatem, tuis desideriis annuamus.

quo facto motus parabola, Sancto oranti suggesta,

50 Orante itaque Sancto Dei, sicut et suggesserat dominus Papa, locutus est ei Dominus in spiritu per similitudinem, dicens : Quædam mulier paupercula et formosa erit in quodam deserto, cujus pulchritudinem rex quidam magnus admirans, concupivit eam accipere in uxorem, quia poterat ex ipsa pulcros filios generare. Contracto autem et consummato matrimonio, multi filii sunt geniti, et adulti, quos mater sic alloquitur, dicens : Filii, nolite verecundari ; quia filii regis estis. Ite ergo ad curiam ejus, et ipse vobis omnia necessaria ministrabit. Cum ergo venissent ad regem, miratus est rex eorum pulchritudinem, videnscque C in eis suam similitudinem, dixit illis : Cujus estis filii ? Cui cum respondissent, se esse filios mulieris pauperculæ in deserto morantis, rex cum magno gaudio amplexatus est eos, dicens : Nolite timere, quia filii mei estis ; si enim de mensa mea nutriuntur extranei, multo magis vos, qui estis mei legitimi. Mandavit itaque rex mulieri prædictæ, ut omnes filios ex se conceptos ad suam curiam mitteret nutriendos. His igitur sic ostensis per visum beato Francisco oranti, intellexit Vir sanctus, se per illam mulierem pauperculam designari *c*.

c

et visione, quam ipsemet habuerat, libens annuit,

51 Et oratione completa, repræsentavit se summo Pontifici, et exemplum, quod ei Dominus ostenderat, sibi per ordinem intimavit, dixitque : Ego sum, domine, illa mulier paupercula, quam Dominus amans per suam misericordiam decoravit, et ex ipsa placuit sibi filios legitimos generare. Dixit autem mihi Rex regum, quod omnes filios, quos ex me generabit, nutriet, quia, si nutrit extraneos, bene debet legitimos nutrire. Si enim Deus peccatoribus donat bona temporalia propter nutriendorum filiorum amorem, multo magis viris Euangelicis, quibus hæc debentur ex merito, largietur. His auditis, dominus Papa miratus est vehementer, maxime quia ante adventum beati Francisci viderat in visione, quod ecclesia sancti Joannis Lateranensis minabatur ruinam, et quidam vir religiosus, modicus et despectus, eam sustentabat proprio dorso submisso *d*. Evigilans vero stupefactus et territus, ut discretus et sapiens, consideD rabat, quid sibi vellet hæc visio. Sed post paucos dies, cum venisset ad eum beatus Franciscus, et ei suum propositum revelasset, ut dictum est, petissetque ab eo confirmari sibi Regulam, quam scripserat verbis simplicibus, utens sermonibus sancti Euangelii, ad cujus perfectionem totaliter inhiabat, respiciens eum dominus Papa ita ferventem in Dei servitio, atque conferens de visione sua et de prædicto exemplo ostenso Viro Dei, cœpit intra dicere : Vere hic est ille vir religiosus et sanctus, per quem sublevabitur et sustentabitur Ecclesia Dei.

d

omnibusque prædicandi licentiam dat, et tonsurari eos facit.

52 Et sic amplexatus est eum, et Regulam, quam scripserat, approbavit. Dedit etiam sibi * licentiam prædicandi ubique pœnitentiam ac fratribus suis, ita tamen, quod, qui prædicaturi erant, licentiam a beato Francisco obtinerent. Et idem postea in consistorio approbabant *e*. His ergo concessis, beatus Franciscus gratias egit Deo ; et genitus flexis, promisit domino Papæ obedientiam et reverentiam humiliter et devote. Alii autem fratres secundum præceptum domini Papæ beato Francisco similiter obedientiam et reverentiam promiserunt. Suscepta itaque benedictione a summo Pontifice, et visitatis Apostolorum liminibus, datisque tonsuris beato E Francisco et aliis fratribus, sicut dictus Cardinalis procuraverat, volens omnes illos duodecim *f* esse clericos ;

* *i. e.* eidem

e

f

Roma discedit cum suis lætus de successu,

53 Relinquens Urbem Vir Dei cum dictis fratribus in orbem profectus est, mirans valde de suo desiderio sic facile adimpleto, crescensque quotidie in spe et fiducia Salvatoris, qui sanctis revelationibus suis, quæ gesta fuerant, ei primitus demonstrarat. Nam antequam obtineret prædicta, quadam nocte, cum se sopori dedisset, videbatur sibi, quod per quandam viam incideret, juxta quam erat arbor magnæ proceritatis, pulcra, fortis et grossa. Cumque appropinquaret ad eam, et stans sub ipsa, cujus * celsitudinem et pulcritudinem miraretur, subito ad tantam altitudinem devenit ipse Sanctus, et ramum arboris tangebat, eamque usque ad terram facillime inclinabat. Et revera sic actum est, cum dominus Innocentius, arbor in mundo sublimior, pulcrior, et fortior, ejus petitioni et voluntati se tam benignissime inclinavit *g*.

* *l.* ejus

g

XIII. *prædicat magno cum fructu,*

54 Exinde beatus Franciscus circuiens civitatem *, et castra, cœpitque ubique prædicare, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina et veritate et virtute Spiritus sancti annuncians fiducialiter regnum Dei. Erat enim veridicus, prædicator, ex auctoritate Apostolica corroboratus, nullis utens adulationibus, verborumque respuens blandimenta ; quia, quod verbo aliis suadebat, hoc sibi prius suaserat opere, ut veritatem fidelissime loqueretur. Mirabantur sermonum ejus virtutem ac veritatem, quam non homo docuerat, etiam litterati et docti ; et plurimi ipsum videre et audire, velut hominem alterius sæculi, festinabant. Cœperunt proinde multi homines, nobiles et ignobiles, clerici et laici, divina inspiratione inflati, beati Francisci vestigiis adhærere, abjectisque sæcularibus curis et pompis, sub ipsius vivere disciplina.

* *forte* civitates

F

habitat in Rivo-torto ; hinc migrat ad S. Mariam de Portiunculam,

55 Conversabatur autem adhuc Pater cum filiis in quodam loco juxta Assisium, qui dicitur Rivustortus *h*, ubi erat quoddam tugurium ab hominibus derelictum, qui locus tam erat artus, quod ibi sedere vel quiescere vix valebant. Ibi etiam sæpissime pane carentes solas rapas edebant, quas hinc inde in angustia mendicabant. Scribebat Vir Dei nomina fratrum super trabes illius tugurii, ut quilibet volens quiescere, vel orare, cognosceret locum suum, et ne ex angustia loci vel modicitate rumor insolens mentis silentium perturbaret. Quadam autem die existentibus fratribus in prædicto loco, accidit, ut quidam rusticus cum suo asino veniret illuc, volens in ipso tugurio cum assino hospitari ; et ne repelleretur a fratribus, ingrediens cum asino, dixit ad suum asinum : Intra, intra ; quia

h

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A quia benefaciemus huic loco. Quod sanctus Pater audiens, et verbum et intentionem rustici cognoscens, motus est animo, super eo maxime, quia ille tumultum magnum fecerat cum suo asino, inquietans omnes fratres, qui tunc silentio et orationi vacabant. Dixit ergo Vir Dei ad fratres : Scio, fratres, quod non vocavit nos Deus ad præparandum hospitium asino, et ad habendum hominum frequentationes, sed ut hominibus quandoque viam salutis prædicantes, et salutaria consilia exhibentes, orationibus et gratiarum actionibus principaliter insistere debeamus. Reliquerunt ergo dictum tugurium, ad usum pauperum leprosorum, transferentes [se *i*] ad Sanctam Mariam de Portiuncula, *i*
juxta quam in una domuncula fuerant aliquando commorati *k*, priusquam ipsam ecclesiam obti- *k*
nerent.

quam ab abbate obtinet, et de qua visio refertur, f an eam ?

56 Postmodum vero ab abbate sancti Benedicti de Monte Subasio, prope Assisium, beatus Franciscus, voluntate et inspiratione Dei prævia, humiliter eum * acquisivit *l*. Quam ipse Sanctus notabiliter et affectuosissime recommendavit generali Ministro et omnibus fratribus *m*, tanquam locum præ cunctis locis et ecclesiis hujus sæculi *l*
dilectum a Virgine gloriosa. Ad ipsius autem loci *m*
B commendationem et affectum multum fecit quædam visio, quam quidam frater vidit adhuc existens in sæculo, quem beatus Franciscus singulari dilexit affectu, quamdiu fuit cum ipso, familiaritatem præcipuam ostendendo eidem. Ille ergo cupiens servire Deo, sicut postea in religione fideliter servivit, videbat in visione, omnes homines hujus sæculi esse cæcos, et stare genibus in circuitu sanctæ Mariæ de Portiuncula, junctisque manibus, et in cælum cum facie elevatis, voce magna et lacrymabili Dominum precabantur, ut omnes illuminare misericorditer dignaretur. Quibus sic orantibus, videbatur, quod splendor magnus exiret de cælo, et descendens super illos, illuminabat omnes
n lumine salutari *n*. Evigilans ille proposuit firmus Deo servire; et parum post sæculo nequam cum suis pompis penitus derelicto, intravit religionem, ubi permansit in Dei servitio humiliter et devote.

XIV. *Ibidem geminum quotannis capitulum instituit,*

57 Post prædictum autem locum Sanctæ Mariæ obtentum a præfato abbate, ordinavit beatus Franciscus, quod ibi capitulum fieret bis in anno, scilicet in Pentecoste, et in Dedicatione sancti Michaelis. In Pentecoste conveniebant omnes fratres apud sanctam Mariam, et tractabant, qualiter
C melius possent Regulam observare, atque constituebant fratres per diversas provincias, qui populo prædicarent, et fratres alios in suis provinciis collocarent. Sanctus autem Franciscus faciebat admonitiones, reprehensiones, et præcepta, sicut ei juxta consilium Dei videbatur. Omnia vero, quæ dicebat eis per verba, affectuose et sollicite operibus ostendebat. Venerabatur prælatos et sacerdotes sanctæ Ecclesiæ, atque seniores, nobiles, et divites honorabat; pauperes quoque intime diligebat, eis viscerose compatiens; omnibusque sese subditum exhibebat. Cumque omnibus fratribus esset sublimior, unum tamen de fratribus, secum morantibus, constituebat Gardianum suum et dominum, cui, ut effugaret a se omnem occasionem superbiæ, obediebat humiliter et devote *o*. Humi- *o*
liabat enim inter omnes caput suum usque ad terram, ut inter Sanctos et electos Dei mereretur in conspectu divino aliquando exaltari. Admonebat sollicite fratres, ut sanctum Euangelium, et Regulam, quam promiserant, firmiter observarent, et ut circa divina officia et ecclesiasticas ordinationes essent reverentes et devoti, audientes devote Missam, et corpus Domini devotissime adorantes. Sacerdotes vero, qui tractabant veneranda et maxima Sacramenta, voluit singulariter a fratribus honorari, in tantum, ut ubicumque illos invenirent, caput coram eis flectentes, oscularentur manus eorum, et cum ipsos equitantes invenirent, volebat, ut osculerentur non solum manus eorum, sed etiam pedes equorum, super quos equitarent, propter reverentiam potestatis eorum.

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS. *cui ipse præsidens, omnes salutaribus monitis ac præceptis erudiebat,*

58 Admonebat etiam fratres, ut nullum hominem judicarent, neque despicerent illos, qui delicate vivunt, ac curiose et superflue induuntur; nam Deus est noster et ipsorum Dominus, potens illos ad se vocare, et vocatos justificare. Dicebat enim, quod volebat, ut fratres revererentur tales, ut fratres et dominos suos; quia fratres sunt, in quantum ab uno Creatore creati; domini dicuntur, in quantum bonos adjuvant ad pœnitentiam faciendam, eis necessaria corporis ministrantes. Hujusmodi quoque dicens, addebat : Talis deberet esse fratrum conversatio inter gentes, ut, quicumque audiret vel videret eos, glorificaret Patrem cælestem et devote laudaret. Magnum namque desiderium ejus erat, ut tam ipse, quam fratres sui, talibus operibus abundarent, pro quibus Dominus laudaretur. Et dicebat illis : Sicut pacem annunciatis ore, sic in cordibus vestris, et amplius, habeatis. Nullus per vos provocetur ad iram vel scandalum, sed omnes per mansuetudinem vestram [ad *p*] pacem, benignitatem et concordiam provo- *p*
centur. Nam ad hoc vocati sumus, ut vulneratos curemus, alligemus confractos, et erroneos revo- E
cemus. Multi enim videntur nobis esse membra diaboli, qui adhuc Christi discipuli erunt.

et in varias provincias destinabat; illi vero obsequentes.

59 Arguebat præterea pius Pater fratres suos, qui nimis erant sibi ipsis austeri, vigiliis, jejuniis, et corporalibus exercitiis nimium insudantes. Quidam enim se tam graviter affligebant, ut cuncta in se carnis exprimerent *q* incentiva, quod quili- *q*
bet videbatur odire seipsum. Quos Vir Dei prohibebat, admonens eos benigne, et rationabiliter reprehendens, atque ipsorum vulnera alligans salutarium vinculis præceptorum. Inter fratres vero, qui ad capitulum veniebant, nullus audebat negotia sæcularia recitare; sed colloquebantur de vitis sanctorum patrum, et quomodo perfectius et melius possent invenire gratiam Domini Jesu Christi. Si qui autem de fratribus, qui ad capitulum venerant, aliquam tentationem, vel tribulationem habebant, audiendo beatum Franciscum loquentem ita dulciter et ferventer, ejusque videndo pœnitentiam, liberabantur a tentationibus, et tribulationibus sublevabantur mirifice. Compatienter namque loquebatur eis, non ut judex, sed ut pater misericors filiis, et medicus bonus infirmis, sciens cum infirmantibus infirmari, et cum tribulatis affligi. Corripiebat nihilominus debite omnes delinquentes, atque contumaces et rebelles animad- F
versione debita coercebat. Expleto autem capitulo, benedicebat omnibus fratribus, et ad singulas provincias singulos destinabat. Quicumque ex ipsis spiritum Dei habebat, et eloquentiam idoneam ad prædicandum, sive clericus, sive laicus esset, dabat ei licentiam prædicandi *r*. Ipsi vero reci- *r*
pientes benedictionem illius, cum magno gaudio spiritus tamquam peregrini et advenæ ibant per mundum, nihil in via portantes, nisi tantum libros, in quibus possunt dicere Horas suas. Ubicumque autem inveniebant sacerdotem, divitem vel pauperem, bonum vel malum, inclinantes se humiliter ei reverentiam faciebant. Et quando erat hora hospitandi, libentius erant cum sacerdotibus, quam cum laicis sæculi.

virtutum odore multos ad tres S. Francisci Ordines attraxerunt.

60 Quando vero apud sacerdotes hospitari non poterant, quærebant magis spirituales et Deum timentes, apud quos possent honestius hospitari, donec per singulas civitates et castra, quæ fratres visitare volebant, Dominus inspiravit aliquibus Deum timentibus, ut illis hospitia pararent, quo usque pro ipsis ædificata sunt loca in urbibus et in castris. Dedit autem illis verbum et spiritum Dominus secundum temporis opportunitatem, ad proferendum verba acutissima, penetrantia corda juvenum atque senum, qui relinquentes patrem et matrem, et omnia, quæ habebant, sequebantur fratres, eorum religionis habitum assumendo. Vere tunc separationis gladius missus est in terram, dum juvenes

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

juvenes veniebant ad religionem, dimittentes parentes suos in fecibus peccatorum. Illos tamen, quos recipiebant ad Ordinem, ducebant ad beatum Franciscum, suscepturos ab eis * religionis habitum humiliter et devote. Non solum autem viri sic convertebantur ad Ordinem; sed etiam mulieres, virgines et viduæ, ad eorum prædicationem compunctæ, secundum ipsorum consilium per civitates et castra monasteriis ordinatis, recludebant se ad pœnitentiam faciendam *s*, quibus unus ex fratribus constitutus fuit visitator et corrector earum. Similiter et viri uxorati, et mulieres maritatæ, a lege matrimonii non valentes, de fratrum salubri consilio se in domibus propriis artiori pœnitentiæ committebant *t*. Et sic per beatum Franciscum, sanctæ Trinitatis cultorem perfectum, Dei Ecclesia in tribus Ordinibus renovatur; sicut trium ecclesiarum præcedens reparatio *u* figuravit, quorum Ordinum quilibet tempore suo fuit a summo Pontifice confirmatus.

* *an* ab eo ?

s

t

u

XV. *Defuncto Cardinale de S. Paulo, protector Ordinis fit Cardinalis Hugolinus.*

61 Venerabilis autem pater dominus Joannes de sancto Paulo Cardinalis prædictus *x*, qui beato Francisco consilium et protectionem sæpius impendebat, vitam et actus ipsius Sancti ac fratrum suorum omnibus aliis Cardinalibus commendabat; quorum mentes sunt commotæ ad diligendum Virum Dei cum suis fratribus, in tantum, quod unusquisque eorum habere desiderabat in curia de fratribus, non pro aliquo servicio recipiendo ab ipsis, sed propter sanctitatem fratrum et devotionem, qua fervebant ad eos. Defuncto vero eo domino Joanne de sancto Paulo, inspiravit uni Dominus ex Cardinalibus, nomine Hugolino, tunc Hostiensi episcopo *y*, ut beatum Franciscum et fratres ejus intime diligeret, protegeret et foveret. Qui revera ferventissime se habuit circa eos, acsi esset omnium pater, immo plus quam patris carnalis dilectio ad carnales filios se naturaliter extendat, amor hujusmodi spiritualiter ferbuit ad Virum Dei cum suis fratribus diligendum in Domino et fovendum. Cujus famam gloriosam Vir Dei audiens, quia famosus erat inter ceteros Cardinales, accessit ad eum cum fratribus suis. Ille autem cum gaudio suscipiens ipsos, ait eis : Offero meipsum vobis; auxilium et consilium, atque protectionem paratus impendere, secundum vestrum beneplacitum; et volo, quod propter Deum me recommendatum in vestris orationibus habeatis. Tunc beatus Franciscus, gratias Deo agens, dixit eidem domino Cardinali : Libenter volo, domine, vos habere in patrem et protectorem nostræ religionis, et volo, quod omnes fratres vos habeant semper in suis orationibus recommendatum. Postea rogavit eum beatus Franciscus, ut in Pentecoste dignaretur fratrum capitulo interesse, qui statim benigne assensit, atque ex tunc interfuit eorum capitulo omni anno. Quando vero ad capitulum veniebat, exibant processionaliter obviam ei omnes fratres in capitulo congregati. Ille autem, venientibus fratribus, descendebat de equo, et ibat pedes cum eis usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ, eisque postea faciebat sermonem, et celebrabat Missam, in qua vir Dei Franciscus Euangelium decantabat.

x

B

y

C

XVI. *Sanctus, ut suis consulat, Regulam suam scripto confirmari*

62 Expletis itaque undecim annis, ab inceptione religionis *z*, et multiplicatis numero et merito fratribus, electi fuerunt Ministri, et missi cum aliquot fratribus, quasi universas per mundi provincias, in quibus fides Catholica colitur et servatur; qui recipiebantur in quibusdam provinciis, sed non permittebantur habitacula construere; de quibusdam vero expellebantur, ne forte essent homines infideles. Quia, licet præfatus dominus Innocentius tertius Ordinem et Regulam approbasset ipsorum, non tamen hoc suis litteris confirmavit. Et propterea fratres a clericis et laicis tribulationes plurimas sunt perpessi : unde ex hoc fratres compulsi sunt fugere de diversis provinciis, atque sic angustiati atque afflicti, nec non a latronibus spoliati et verberati, ad beatum Franciscum cum magna amaritudine sunt reversi. Hoc enim passi erant quasi in omnibus ultramontanis partibus, ut in Alemannia et in Ungaria et pluribus aliis. Quod cum notificatum fuisset dicto domino Cardinali, vocavit ad se beatum Franciscum, et duxit eum ad dominum Papam Honorium, domino Innocentio jam defuncto, et aliam Regulam a beato Francisco, Christo docente, compositam, fecit per eundem dominum Honorium cum bulla præcedente solemniter confirmari *aa*, in qua Regula prolongatus est terminus capituli propter vitandum laborem fratrum, qui in remotis partibus commorantur *bb*.

z

D

aa

bb

63 Poposcit autem beatus Franciscus a dicto domino Papa Honorio unum de Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ quasi in patrem sui Ordinis, videlicet præfatum dominum Hostiensem, ad quem fratres possunt recurrere pro suis negociis. Viderat enim beatus Franciscus quandam visionem, quæ ipsum poterat induxisse ad petendum Cardinalem, et ad recommendandum Ordinem Romanæ Ecclesiæ. Viderat namque gallinam quandam parvam et nigram, habentem crura pennata in pedibus in modum columbæ domesticæ, quæ tot pullos habebat, quod non poterat eos sub alis propriis congregare; sed ibant in circuitu gallinæ, exterius remanentes. Evigilans autem a somno cœpit cogitare de hujusmodi visione, statimque per Spiritum Sanctum cognovit, se per illam gallinam singulariter designari. Et ait : Ego sum illa gallina, statura pusillus, nigerque, nam qui * debeo esse simplex, sicut columba, et affectibus, pennis virtutum, volare ad cælum; mihi autem Dominus per misericordiam suam dedit et dabit filios multos, quos protegere mea virtute non potero. Unde oportet, ut eos sanctæ Ecclesiæ recommendem, quæ sub umbra alarum suarum eos protegat et gubernat *.

obtinet ab Honorio tertio Papa,

E

* *an* namque?

* *an* gubernet?

64 Elapsis autem paucis annis post visionem prædictam, venit Romam, et visitavit dominum Hostiensem, qui imposuit sancto Francisco, ut sequenti die mane iret secum ad curiam, quia volebat, quod ipse coram domino Papa et Cardinalibus prædicaret, atque suam religionem devote et affectuosissime commendaret. Licet autem beatus Franciscus se excusaret de hoc, dicens, se esse simplicem idiotam, oportuit tamen, ipsum ire cum illo ad curiam. Cumque beatus Franciscus se coram domino Papa et Cardinalibus præsentasset, visus est ab eis ingenti gaudio. Et surgens prædicavit eis, sicut fuerat sola Sancti Spiritus unctione præmonitus. Finita vero prædicatione, recommendavit religionem suam domino Papæ, et Cardinalibus universis. De prædicatione autem ipsius ædificati fuerunt quam plurimum dominus Papa et domini Cardinales, eorumque viscera ad religionis amorem affectuosius sunt commota *cc*.

coram quo etiam concionatur,

F

cc

65 Postea dixit beatus Franciscus summo Pontifici : Domine, compatior vobis super sollicitudinem et laborem continuum, quo vos oportet pro Dei Ecclesia vigilare, multumque enim * verecundor, quod pro nobis fratribus Minoribus tantam curam et sollicitudinem habeatis. Cum enim multi nobiles, et divites ac Religiosi quam plurimi ad vos intrare non possunt, magnus timor et verecundia debet esse nobis, qui sumus magis pauperes et despecti, ceteris Religiosis, non solum ingredi ad vos, sed etiam stare ante ostium vestrum, et præsumere pulsare tabernaculum virtutis Christianorum. Præterea * sanctitati vestræ supplico humiliter et devote, quatinus hunc dominum Hostiensem nobis dignemini pro patre concedere, ut ad eum tempore necessitatis possint fratres recurrere, salva semper vestræ præminentiæ dignitate. Et placuit hæc petitio domino Papæ, concessitque beato Francisco præfatum dominum Hostiensem, instituens ipsum super religionem suam dignissimum protectorem.

et Cardinalem Hugolium suo Ordini protectorem dari impetrat,

* *an* etiam !

* *an* Propterea?

66 Quia habito domini Papæ mandato, revera sicut bonus protector ad defendendum fratres manum extendit, scribens multis prælatis, qui persecutiones intulerant fratribus, ne ulterius essent

A essent eis contrarii, sed potius ad prædicandum et habitandum in suis provinciis consilium et auxilium eis darent, tamquam bonis et sanctis Religiosis, auctoritate Sedis Apostolicæ approbatis. Similiter et alii quam plures Cardinales ad idem suas litteras transmiserunt. In sequenti ergo capitulo data licentia Ministris a beato Francisco recipiendi fratres ad Ordinem, misit eos ad supradictas provincias, portantes litteras Cardinalium cum Regula, bulla Apostolica confirmata *dd*. Quæ omnia prædicti prælati videntes, et exhibita fratribus testimonia cognoscentes, ædificare, habitare et prædicare in suis provinciis, liberaliter concesserunt. Sic itaque morantibus et prædicantibus fratribus in illis provinciis, multi videntes eorum humilem et sanctam conversationem, atque audientes eorum verba dulcissima, moventia et inflammantia mentes ad amorem Dei, et ad pœnitentiam faciendam, venerunt ad ipsos, et sanctæ religionis habitum ferventer et humiliter susceperunt *ee*.

cujus aliorumque opera Ordo ultra montes multum promotus fuit,

dd

ee

quique Honorio in Pontificatum successit.

67 Videns autem beatus Franciscus, fidem et dilectionem, quam habebat ad fratres dictus dominus Hostiensis, ipsum cum intimis cordis affectuosissime diligebat. Et quoniam revelatione Dei prævia, sciebat, eum futurum summum Pontificem, semper ei hoc prænunciabat in litteris, B quas scribebat eidem, vocans ipsum Patrem totius mundi; sic enim scribebat sibi * : Venerabili in Christo patri totius mundi etc. *ff*. Post modicum ergo tempus, mortuo domino Honorio Papa tertio, ipse dominus Hostiensis electus est in summum Pontificem, vocatus Gregorius nonus *gg*, qui tam fratrum, quam aliorum Religiosorum, et maxime pauperum Christi, usque in finem vitæ suæ extitit benefactor præcipuus et defensor : unde non immerito creditur, ipsum esse Sanctorum collegio sociatum.

* *i. e.* eidem

ff

gg

ANNOTATA.

a *Vide Annotata ad lib.* I *Vitæ primæ cap.* 5, *lit.* e.

b *Hæc aliaque rerum tunc in Urbe pro obtinenda Regulæ approbatione gestarum adjuncta, prætermisit Celanensis, ad ipsam approbationem narrandam festinans.*

c *De hac parabola silet Celanensis, sed eamdem etiam memorat S. Bonaventura in Vita num.* 38, *ac paulo aliter Anonymus Perusinus in Commentario relatus num.* 238 *et sequenti.*

d *Hoc quoque divinum somnium, a Celanensi prætéritum, retulit S. Bonaventura in Vita num.* 39.

e *An* approbavit, *vel* approbaverunt Cardinales?

f *Ergo solum undecim fratres cum* S. Francisco, C *qui duodecimus et pater eorum erat, Romam pervenerunt; nec inter illos omnes duodecim ullus erat clericus.*

g *Accepta hæc sunt ex Vitæ primæ num.* 33. *Consentit fere S. Bonaventura in Vita num.* 34.

h *In Vita prima num.* 42 *dicitur* Rugus-tortus; *sed, ut aliunde apparet, vitiose.*

i *Hanc vocem addidi, ut sensum perficerem.*

k *Scilicet fuerant ibi commorati, donec simul Romam profecti sunt pro obtinendi Regulæ approbatione ab Innocentio III, ut supra vidimus.*

l *De tempore, modoque acceptæ a Benedictinis ecclesiæ vide Commentarium prævium a num.* 237.

m *Hoc etiam testatur Thomas Celanensis. De peculiari disciplina, quam* S. Franciscus *in hoc conventu semper observatam voluisse dicitur, lege Waddingum ad annum* 1226, *num.* 31 *et* 32.

n *Eadem habet S. Bonaventura in Vita num.* 24, *in quo loco, censent aliqui, sanctum doctorem insinuasse celebrem indulgentiam Portiunculæ, cujus figuram fuisse credunt eamdem visionem. Verum de hac suo loco latius agemus in Analectis.*

o *Iis scilicet in rebus, quæ ad sui ipsius directionem pertinebant; nam cetera negotia agebat ipsemet* S. Franciscus, *totius Ordinis pater et Minister generalis.*

p *Deerat hæc vox in apographo nostro.*

q *Id est, extinguerent.*

r *Hanc enim potestatem Sanctus acceperat ab Innocentio III summo Pontifice, ut videre licet supra num.* 32.

s *Loquitur hic de* Pauperibus dominabus, *quæ nunc* Clarissæ *passim vocantur.*

t *Erant hi Tertiarii, qui* Fratres *et* Sorores de Pœnitentia *dicebantur.*

u *Videlicet ecclesiarum S. Damiani, S. Petri, et S. Mariæ Angelorum in Portiuncula.*

x *Vide supra num.* 47 *et seqq.*

y *De hoc eximio viro, qui postea summus Pontifex factus, Gregorius IX appellatus fuit, multa jam dixímus, ac deinde dicemus.*

z *Hos* undecim annos *in Commentario prævio* § 15 *incompletos computavi, et ab anno* 1209 *repetii, comitiaque, de quibus mox agetur, in eodem* § *ad annum* 1219 *referenda putavi. Vide dicta ibidem, ubi etiam de iisdem comitiis plura reperies.*

aa *Hanc Regulæ confirmationem, de qua consule Commentarium prævium* § 22, *concessit Honorius III anno* 1223, *die* 29 *Novembris.*

bb *Supra num.* 37 *dixerant* : Post... locum S. Mariæ obtentum... ordinavit B. Franciscus, quod ibi capitulum fieret bis in anno, scilicet in Pentecoste, et in Dedicatione S. Michaelis. In Pentecoste conveniebant omnes fratres apud S. Mariam. *Hoc itaque conveniendi tempus ob allegatam* E *rationem in posteriori Regula mutatum seu ampliatum fuisse docent. Lege Commentarium prævium num.* 499 *et* 500.

cc *Sermonis coram laudato summo Pontifice a* S. Francisco *feliciter habiti etiam alii biographi meminerunt, sed non omnes in adjunctis consentiunt, de quibus cum sat multa dixerim in Commentario prævio num.* 502, *lectorem eo remitto.*

dd *Ex hoc loco discimus primo, Cardinalem Ostiensem, etsi jam tum ab aliquot annis protectorem Ordinis auctoritate privata sese exhibuisset; non tamen ante annum* 1223 *vergentem ad finem auctoritate Apostolica in eo munere confirmatum fuisse. Secundo, celebre illud capitulum generale, ex quo fratres Minores in Allemanniam, Hungariam, aliasque provincias, ex quibus antea fuerant expulsi, prospero successu remissi fuere, celebratum esse anno* 1224; *cum hoc primum sit, quod post constitutum auctoritate Apostolica protectorem Ordinis Hugolinum, et confirmatam ab Honorio III in Bulla Regulam, haberi potuit in Pentecoste. Vide Commentarium prævium* §§ 22 *et sequenti.*

ee *Ab eodem ergo anno* 1224 *repetendum initium est Ordinis Minorum per easdem provincias feliciter propagati. Adi Commentarium prævium loco mox citato.*

ff *Similia habet Celanensis in Vita prima* F *num.* 100.

gg *Obiit Honorius III mense Martio anni* 1227, *eodemque anno ac mense successit ipsi laudatus Hugolinus seu Gregorius IX.*

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

CAPUT V.

Sancti obitus post accepta ante biennium sacra stigmata : sollennis canonizatio : ecclesia ejus nomine condita, translatumque ad hanc sacrum illius corpus.

XXVII. *Sanctus moritur* 4 *Octobris anno* 1226.

Post viginti autem annos *a*, ex quo perfectissime Christo adhæsit, Apostolorum vitam et vestigia sequens, apostolicus vir Franciscus anno Dominicæ Incarnationis CIↃCCXXVI, quarto Nonas Octobris, die Dominico *b*, felicissime migravit ad Christum; post multos labores requiem æternam adeptus, et digne Domini sui conspectibus præsentatus. Cujus animam vidit unus ex discipulis ejus sanctitate famosus, quasi stellam luminis immensitatem habentem, et claritatem solis prætendentem super aquas

a

b

AUCTORIBUS TRIBUS SOCIIS.

multas, subvectam a nubecula candida, recto tramite in cælum ascendere *c*. Laboraverat enim multum in vinea Domini, sollicitus et fervens in orationibus, jejuniis, vigiliis, prædicationibus, et salutariis * itineribus, in cura et compassione proximorum, suique abjectione, a suo * conversionis initio usque ad transmigrationem ipsius ad Christum, quem ex toto corde dilexerat, assidue memoriam ejus habens in mente, ipsumque ore collaudans et glorificans operibus fructuosis. Sic enim ferventissime et cordialiter Deum dilexit, quod audiens eum nominari, liquefactus interius totus exterius prorumpebat, dicens : Cælum et terra deberent ad nomen Domini inclinari.

c

* salutaribus

* *an* suæ ?

69 Cujus dilectionis fervorem et ignem * passionis Christi memoriam, quam gerebant * in corde, volens ipse Dominus ostendere toti mundo, singulari privilegio, mirabili prærogativa, ipsum adhuc viventem in carne mirabiliter decoravit. Cum enim Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et in illum, qui charitate nimia crucifigi voluit, transformaretur dulcedine compassiva, quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis *d*, cum oraret in latere montis, qui dicitur Alverna *e*, duobus scilicet annis ante obitum suum, apparuit ei Seraph unus sex alas habens, et inter alas gerens formam pulcherrimi hominis crucifixi,

postquam biennio ante signatus fuisset stigmatibus Christi,

* *forte* jugem

* *l.* gerebat

d

e

B manus quidem et pedes extensos habentis in modum crucis, effigiemque Domini Jesu clarissime prætendentis. Duabus enim alis velabat caput, et duabus reliquum corpus usque ad pedes, duæ vero ad volandum extendebantur. Qua visione disparente, admirabilis in anima ipsius remansit ardor amoris; sed in carne ejus mirabilior apparuit impressio stigmatum Domini Jesu Christi, quæ Vir Dei pro posse abscondit usque ad mortem, nolens publicare Domini sacramentum, licet hæc * penitus celare nequiverit, quin saltem familiaribus sociis fuerit manifestum.

* *an* hoc

70 Sed post felicissimum ejus transitum omnes fratres, qui aderant, et sæculares quam plurimi manifestissime viderunt corpus suum * Christi stigmatibus decoratum. Cernebant enim in manibus et pedibus ejus, non quasi clavorum puncturas, sed ipsos clavos ex ejus carne compositos, et eidem carni innatos, ferri quoque nigredinem; dexterum vero latus, quasi lancea transfixum, verissimi ac manifestissimi vulneris rubea cicatrice erat obtractum, quod etiam sacrum sanguinem, dum viveret, sæpe effundebat *f*. Quorum scilicet stigmatum infringibilis veritas non solum in vita et in morte ejus per visum et contactum potentissimum luculenter apparuit; verum etiam post mortem ipsius per multa miracula, in diversis mundi partibus

quæ tam in vita, quam et maxime post obitum manifesta fuere.

* ejus

f

C ostensa, Dominus ipsam veritatem clarius patefecit, quibus etiam miraculis multorum corda, qui de Viro Dei recte non senserant, et de ejus stigmatibus dubitaverant, ad tantam fidei magnitudinem sunt mutata, quod, qui prius detractores ejus fuerant, bonitate Dei operante, et ipsa veritate cogente, ipsius laudatores et prædicatores fidelissimi extiterunt *g*.

g

XVIII. *Sollemniter canonizatur a Gregorio IX anno* 1228,

71 Cum igitur in diversis jam mundi partibus nova miraculorum luce clarescerat, qui * maxima et singularia beneficia Domini meritis ipsius experti fuerant, supradictus dominus Papa Gregorius de consilio Cardinalium et aliorum quam plurium prælatorum, lectis et approbatis miraculis, quæ Dominus per eum fuerat operatus, ipsum in catalogo Sanctorum annotavit, mandans, festum ejus die sui obitus solemniter celebrari *h*. Facta sunt autem hæc in civitate Assisii in præsentia multorum prælatorum, et maximæ multitudinis principum et baronum, ac innumerabilium populorum de diversis mundi partibus, quos ad ipsam solemnitatem idem dominus Papa fecerat convocari, anno Domini CIↃ. CCXXVIII. Pontificatus ipsius domini Papæ anno 2.

* *an* quæ ?

h

72 Item etiam ipse summus Pontifex dictum Sanctum, quem viventem summe dilexerat, non solum canonizando tam mirifice honoravit, verum D etiam ecclesiam in honore ejus constructam, in cujus fundamento ipse dominus Papa primum lapidem posuit, sacris ditavit muneribus et preciosissimis ornamentis, ad quam post duos annos a sua canonizatione sacrosanctum corpus ejus de loco, ubi prius fuerat sepultum, honorifice est translatum *i*. Misit enim ad ipsam ecclesiam crucem auream, lapidibus pretiosis ornatam, in qua erat lignum Crucis Dominicæ inclusum, atque ornamenta et vasa, et plura alia ad altaris ministerium pertinentia, cum multis pretiosis et solemnibus indumentis. Quam quidem ecclesiam ab omni jurisdictione inferiori eximens, auctoritate Apostolica ipsam caput et matrem totius Ordinis fratrum Minorum instituit, ut patet in privilegio publico et bullato, in quo Cardinales communiter subscripserunt *k*.

ac biennio post ad ecclesiam illius nomine dedicatam transfertur,

i

k

73 Verum, quia parum esset, Sanctum Dei rebus insensibilibus honorari, nisi per eum, corpore mortuum et spiritu viventem in gloria, Dominus quam plurimos converteret et sanaret, non solum promiscui sexus personæ indifferentes post ejus obitum meritis ipsius conversi sunt ad Dominum, sed etiam multi magni et nobiles cum filiis suis habitum sui Ordinis susceperunt, reclusis propriis uxoribus, et filiabus suis in monasteriis Pauperum dominarum. Similiter et multi sapientes et litteratissimi viri, tam seculares, quam clerici præbendati, spretis carnis illecebris ac impietate et sæcularibus desideriis penitus abdicatis, præfatum Minorum Ordinem intraverunt, paupertati ac vestigiis Christi et servi sui sancti Francisci in omnibus juxta mensuram Dominicæ gratiæ se conformantes, ut ad cælestem gloriam pervenirent. Amen *l*.

multique ad Christianum vitam et Ordinem Minorum convertuntur.

E

l

ANNOTATA.

a *Non completos, ut alibi ostendi.*

b *Hæc intellige more Italico; nam communiori Europæorum computandi modo obiit* S. Franciscus quinto Nonas Octobris, die Sabbati post occasum solis.

c *Consentit fere Celanensis in Vita prima num.* 110; *et S. Bonaventura num.* 213.

d *Festum illud celebratur die* 4 *Septembris, currebatque tunc annus Christi* 1224.

e Alverna *vel* Alvernus, *Italis* il Monte Alverno, *mons Hetruriæ est in agro Florentino.*

f *Consonat Celanensis in Vita prima num.* 94, 95, 112 *et* 113; *et sanctus Bonaventura in Vita num.* 191 *et sequentibus.*

g *Lege S. Bonaventuram in Vita cap.* 16, § 1, *quem* De virtute sacrorum stigmatum *inscripsit.* F

h *Colitur festum ejus quarto* Nonas Octobris; *seu nostro etiam more computandi die* 4 *Octobris; sed de die obitus ejusdem vide mox Annotata ad litteram* b.

i S. Francisci *corpus anno* 1226 *postridie mortis illius tumulatum fuit Assisii in ecclesia S. Georgii; anno vero* 1230 *hinc sollennissime translatum ad novam ecclesiam, sub ejusdem invocatione Deo erectam prope Assisium, in qua hactenus digne colitur. Thomas Celanensis, cum ante id tempus scripserit, nec de nova illa ecclesia, nec de translato sacro corpore meminit; meminerunt tamen secundus biographus et S. Bonaventura.*

k *Hanc bullam edidi in Commentario prævio a num.* 707.

l *Subditur hic in apographo nostro :* Expliciunt miracula cum vita beatissimi patris Francisci.

VITA

A

VITA ALTERA,

Auctore S. Bonaventura.

Ex editione Sedulii, collata cum editione Suriana, Romana, Waddingiana et codice nostro Ms.

PROLOGUS.

Sanctus doctor eximiam sanctitatem et officium Francisci,

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis in Servo suo Francisco, omnibus vere humilibus et sanctæ paupertatis amicis; qui superadfluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, impietatem et sæcularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter vivere, et ad beatam spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque, ut vere pauperculum et contritum, tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quod non solum de mundialis conversationis pulvere suscitavit egenum, verum etiam Euangelicæ perfectionis professorem, ducem atque præconem effectum, in lucem dedit credentium, ut testimonium perhibendo de lumine, viam

B lucis et pacis ad corda fidelium Domino præpararet. Hic etenim, quasi stella matutina in medio nebulæ, claris vitæ micans et doctrinæ fulgoribus, sedentes in tenebris et umbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem; et, tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ, signum in se Dominici fœderis repræsentans, pacem et salutem euangelizavit hominibus, existens et ipse angelus veræ pacis. Secundum imitatoriam quoque similitudinem Præcursoris *a* destinatus a Deo, ut viam parans in deserto altissimæ *b* paupertatis, tam exemplo quam verbo, pœnitentiam prædicaret; primum supernæ gratiæ præventus donis, dehinc virtutis invictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, nec non et angelico *c* deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, et ut vir hierarchicus curru igneo sursum vectus, sicut ex ipsius vitæ decursu luculenter apparet; rationabiliter comprobatur venisse in spiritu et virtute Eliæ.

a
b
c

quem in Apocalypsi designatum ait, suspiciens,

2 Ideoque alterius amici sponsi, apostoli et Euangelistæ Joannis, vaticinatione veridica sub similitudine angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei vivi habentis, astruitur non immerito designatus. Sub apertione namque sexti sigilli; « Vidi (ait Joannes in Apocalypsi *d*) alterum ange» lum ascendentem ab ortu solis, habentem signum » Dei vivi. » Hunc Dei nuncium amabilem Christo,

d

C imitabilem nobis, et admirabilem mundo, Servum Dei fuisse Franciscum, indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiæ sanctitatis advertimus, qua inter homines vivens, imitator fuit puritatis angelicæ; qua * et positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum et pie, non solum inducit officium, quod habuit vocandi ad fletum et planctum, calvitium et cingulum sacci, signandique Thau super frontes virorum gementium et dolentium *e* signo pœnitentialis crucis, et habitus cruci conformis : verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viventis, Christi videlicet crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam spiritus Dei vivi *f*.

* *Sur.* qui

e

f

exponit, cur audeat, debeatque ejus vitam scribere,

3 Ad hujus tam venerabilis Viri vitam, omni imitatione dignissimam, describendam indignum et insufficientem me sentiens, id nullatenus attentassem, nisi me fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque capituli concors induxisset instantia *g*, et ea, quam ad sanctum Patrem habere teneor, devotio compulisset *; utpote qui per ipsius invocationem et merita in pueruli ætate (sicut recenti memoria teneo) a mortis faucibus erutus *h*, si præconia laudis ejus tacuero, sceleris timeo argui, ut ingratus. Est et hæc *i* penes me caussa præcipua hunc assumendi laborem; ut ego, qui vitam corporis et animæ a Deo mihi conservatam recognosco per ipsum, et virtutem ejus in meipso expertus agnovi, vitæ illius virtutes, actus et verba, quasi fragmenta quædam partim neglecta, partimque dispersa, quamquam plene non possem, utcunque colligerem, ne morientibus iis, qui cum Famulo Dei convixerant, deperirent.

g

* *Ms.* contulisset

AUCTORE S. BONAVENTURA.

h
i

4 Utigitur vitæ ipsius veritas, ad posteros transmittenda, certius mihi constaret et clarius, adiens locum originis, conversationis, et transitus Viri sancti *k*, cum familiaribus ejus adhuc superviventibus *l* collationem de iis habui frequentem *m* ac diligentem, et maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus et conscii fuerunt et sectatores præcipui, quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem fides est indubitabilis adhibenda. In descriptione autem eorum, quæ per Servum suum Deus dignanter effecit, curiosum styli ornatum negligendum esse putavi; cum legentis devotio plus simplici sermone, quam phalerato, proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem vitandam; sed potius ordinem servare studui magis aptæ junctura, secundum quod eodem peracto tempore diversis materiis, vel diversis patrata temporibus eidem E materiæ congruere videbantur. Initium autem vitæ ipsius, progressus, et consummatio quindecim distincta capitulis describuntur inferius adnonatis *n*.

et quibus usus sit adjumentis ac stilo,

k
l m

n

5 Agitur enim primo, de conversatione ipsius in habitu sæculari.

Secundo, de perfecta conversione ejus ad Deum, et de reparatione trium ecclesiarum.

Tertio, de institutione religionis, et approbatione Regulæ.

Quarto, de profectu Ordinis sub manu ipsius, et confirmatione Regulæ prius approbatæ.

Quinto, de austeritate *o* vitæ, et quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

Sexto, de humilitate et obedientia, et de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum.

Septimo, de amore paupertatis, et mira supplete defectuum.

Octavo, de pietatis affectu, et quomodo ratione carentia affici videbantur ad ipsum.

Nono, de fervore caritatis, et desiderio martyrii.

Decimo, de studio et virtute orationis.

Undecimo, de intelligentia Scripturarum et Spiritu prophetiæ.

Duodecimo, de efficacia prædicandi, et gratia sanitatum. F

Decimo tertio *p*, de Stigmatibus sacris.

Decimo quarto, de patientia ipsius, et transitu mortis.

Decimo quinto, de canonizatione, et translatione ipsius.

Postremo, de miraculis, post transitum ejus felicem ostensis, aliqua subnectuntur *q*.

ac denique Vitæ capita seu capitum titulos recenset.

o

p

q

ANNOTATA.

a *Id est, S. Joannis Baptistæ.*

b *Surius minus recte habet* altissima. *Porro hujusmodi minutias in posterum inobservatas relinquam.*

c *In codice nostro Ms., signato P. MS.* 1, *quem cum editionibus Sedulii, Surii, Waddingi et Vaticana anni* 1596 *confero, pro* angelico *legitur* Evangelico.

d *In editione Waddingiana deest :* In Apocalypsi, *cujus cap.* 7 ℣ 2 *ista legere est; ut ipse quoque Waddingus ibidem in margine adscripsit.*

e *Verba sunt ex Ezechielis cap.* 9, ℣ 4.

f *Designat quinque sacra stigmata, de quibus infra latius.*

g *Nimirum*

AUCTORE S. BONAVENTURA.

g *Nimirum Comitia generalia anno* 1260 *Narbonæ habita id postularunt ab eo, dum generale Ordinis Ministerium gerebat. Adi Commentarium prævium num.* 23 *et sequenti.*

h *Sunt, qui velint, S. Bonaventuram a* S. Francisco *inter vivos degente id beneficium obtinuisse; verum lege Commentarium de eodem sancto doctore,* § 3, *in Opere nostro ad diem* 14 *Julii, ubi illud ab eodem* S. Francisco *in cælis jam triumphante collatum fuisse, multo verisimilius asseritur.*

i *In editionibus Vaticana et Waddingiana, et in codice nostro Ms. legitur :* Et hæc *etc., omisso verbo* est, *et quidem, ut apparet, rectius. Sedulio consonat Surius.*

k *Is locus est civitas Assisiensis, in qua* S. Franciscus *natus, educatus, ad meliora conversus, conversatus ac mortuus est.*

l *Elapsi a* S. Francisci *obitu tunc erant anni circiter* 34, *ut facile superesse potuerint multi, qui cum illo vixerant familiariter.*

m *Vox* frequentem *etiam legitur in codice nostro Ms., sed abest ab editionibus Vaticana, Suriana et Waddingiana.*

n *Waddingus :* Quindecim distincta capitulis describentur. Sit ergo, *ac mox subdit* Caput 1. De conversatione ejus in habitu sæculari ; *omisso capitulorum catalogo. Sed Sedulio consentiunt duæ aliæ laudatæ editiones et codex noster Ms.*

B o *Legebatur hic apud Sedulium :* De auctoritate, *verum ex editionibus Vaticana et Suriana, et codice nostro Ms. substitui vocem* austeritate, *quam Sedulius ipse deinde capiti* 3 *præfixit et ejusdem capitis argumentum postulat.*

p *Editio Vaticana cum codice nostro Ms. habet :* Tertiodecimo, *et infra,* quartodecimo, quintodecimo.

q *Ego Vitam cum eadem capitum partitione, capitumque titulis recudam. Apud solum Sedulium subditur hic* Bulla Canonizationis Gregorii PP. IX : *verum hic titulus Bonaventuræ non est, sed a Sedulio additus.*

CAPUT I.

De conversatione S. Francisci in habitu sæculari.

Sanctus Assisii natus et vane educatus in mercatura,

Vir erat in civitate Assisii, Franciscus nomine, cujus memoria in benedictione est, pro eo, quod Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benigne præveniens, et de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, et cœlestis gratiæ donis affluenter implevit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios juvenili ætate nutritus in vanis, et post aliqualem litterarum notitiam *a* lucrativis mercatio-
a
C num deputatus negotiis, superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lascivos juvenes, quamvis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit; nec inter cupidos mercatores, quanquam intentus ad lucra *, speravit in pecunia et thesauris. Inerat namque juvenis Francisci præcordiis divinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleverat, ut jam Euangelii non surdus auditor omni proponeret se petenti tribuere *b*, maxime si divinum allegaret amorem.

* *al* lucrum

b
bonæ indolis indicia, maxime misericordiæ in pauperes specimina dedit.

7 Cum autem semel * negotiationis intentus tumultibus, pauperem quendam pro amore Dei petentem eleemosynam, præter morem solitum, vacuum repulisset, statim ad cor reversus, cucurrit post ipsum; et eleemosyna clementer impensa, promisit Domino Deo, quod nunquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret; quod usque ad mortem indefessa pietate observans, copiosa in Deum dilectionis et gratiæ incrementa promeruit. Aiebat enim post, cum jam perfecte Christum induerat, quod etiam existens in habitu sæculari vocem divini expressivam amoris audire vix unquam sine cordis immutatione valebat. Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia et tractabilitas supra D humanum modum, munificentiæ largitas ultra suppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis Adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quædam videbantur esse præludia, quod copiosior super eum foret in posterum divinæ benedictionis abundantia diffundenda.

* *Sur.* solis

Quidam ei bene vaticinatur : ægrotat, vestes suas donat nobili egeno :

8 Quidam sane vir de Assisio valde simplex (ut creditur, eruditus a Deo) cum aliquando per civitatem eunti obviaret Francisco *c*, deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum; asserens, omni fore Franciscum reverentia dignum : utpote qui esset in proximo magna facturus et ob hoc ab universitate fidelium magnifice honorandus *d*. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consilium Dei, pro eo, quod tam jussione patris ad exteriora distractus, quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari cœlestia, nec assueverat degustare divina. Et quia Spirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio, facta est super eum manus Domini, et immutatio dexteræ Excelsi; diutinis languoribus ipsius corpus affligens, ut coaptaret animum ad Sancti Spiritus unctionem. Cumque resumptis corporis viribus, sibi vestimenta decentia more solito præparasset, obvium habuit militem quendam generosum quidem, sed pauperem, et male vestitum, cujus pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus, se exuto, vestivit : ut simul in uno geminum impleret pietatis officium, quo et nobilis militis verecundiam tegeret, et pauperis hominis penuriam relevaret.
c
d
E

divinum somnium male interpretatus, pergit militatum in Apuliam,

9 Nocte vero sequenti, cum se sopori dedisset, palatium speciosum et magnum, cum militaribus armis, crucis Christi signaculo insignitis *e*, clementia sibi divina monstravit, ut misericordiam pro summi Regis amore pauperi exhibitam militi, præostenderet, incomparabili compensandam essent mercede. Unde et cum quæreret, cujus essent illa omnia, sua fore, militumque suorum, superna fuit assertione responsum. Evigilans itaque mane, cum nondum haberet exercitatum animum ad divina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam invisibilium veritatem; magnæ fore prosperitatis indicium æstimabat insolitam visionem. Disposuit itaque, divinæ adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quendam liberalem comitem se conferre, in ipsius sperans / obsequio decus adipisci militiæ, ut ostensa sibi visio prætendebat.
e
f

sed noctu divinitus monitus, redit Assisium, omnino alter factus.

10 Cumque paulo post iter aggressus, ivisset usque ad proximam civitatem *g*, audivit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem : Francisce, quis potest melius facere tibi, Dominus an servus? dives an pauper *h*? Cui cum Franciscus respondisset, quod tam Dominus quam dives facere melius potest; intulit statim : Cur ergo relinquis pro servo Dominum, et pro paupere homine divitem Deum? Et Franciscus : Quid me vis, Domine, facere? Et Dominus ad eum : Revertere in terram tuam; quia visio, quam vidisti, spiritualem præfigurat effectum, non humana, sed divina in te dispo-
g
h
F
sitione complendum *i*. Mane itaque facto, cum festinatione revertitur Assisium *k* securus et gaudens; et jam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem. Ex tunc, a publicæ negotiationis tumultu se subtrahens, supernam devote precabatur clementiam, ut, quid sibi foret agendum, ostendere dignaretur. Cum autem ex frequenti * orationis usu flamma desiderii cælestis in eo vehementer succresceret; et jam pro amore supernæ patriæ, terrena omnia despiceret quasi nihil; thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac velut prudens negotiator margaritam inventam excogitabat venditis omnibus comparare.
i
k

* *Wadd.* frequentis

Sui victor osculatur leprosum, qui mox evanescit ex oculis,

11 Adhuc tamen, qualiter id ageret, ignorabat; nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio a mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit a sui ipsius victoria inchoanda. Quadam

A Quadam itaque die, dum equitaret per planitiem, quæ subjacet civitati Assisii, leprosum quendam habuit obvium, cujus inopinatus occursus ei non parvum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente jam conceptæ propositum, et recolens, quod seipsum oporteret primum devincere, si vellet effici Christi miles; ad deosculandum eum, equo lapsus *l* adcurrit. Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet *, pecuniam cum osculo reportavit. Statim autem equum ascendens, et se circumquaque convertens, cum campus pateret undique liber, leprosum illum minime vidit *m*. Admiratione itaque repletus et gaudio, laudes cœpit Domino decantare devote; proponens ex hoc semper ad majora conscendere.

l * *Wadd.* prætenderet

m

Solitarie oranti Christus cruci affixus apparet; unde ille pie affectus,

12 Solitaria proinde loca quærebat, amica mœroribus; in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet, post longam precum instantiam a Domino meruit exaudiri. Dum enim una dierum sic sequestratus oraret, et præ nimietate fervoris totus esset absorptus in Deum, apparuit ei Christus Jesus, veluti cruci confixus; ad cujus conspectum liquefacta est anima ejus, et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo *n* impressa medullitus, ut ab illa hora, cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset a lachrymis et gemitibus exterius contineri *; sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe Vir Dei illud Euangelicum sibi dici : « Si vis venire » post me, abnega temetipsum, et tolle crucem » tuam, et sequere me *o*. »

n

* *Vatic.* continere

B

o leprosos sæpe visit, iisque ac aliis indigentibus succurrit.

13 Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, et affectum intimæ pietatis. Nam cum prius leprosorum, non solum consortium, verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret, jam propter Christum crucifixum, qui juxta verbum Propheticum contemptibilis ut leprosus apparuit *p*, ut semetipsum plene *q* contemneret, humilitatis et humanitatis obsequia leprosis benefica pietate præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, libéraliter *r* eleemosynas erogabat; et cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur et ora. Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verum etiam seipsum cupiebat impendere; aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens, ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reverenter subveniebat et pie, præcipue in ornamentis altaris; quo et cultus divini particeps fieret, et cultorum inopiæ supplementa præberet.

p q

r

Romæ commutatis cum paupere vestibus, inter mendicos diem exigit etc.

14 Cum autem religiosa devotione tunc temporis limina visitaret apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores ecclesiæ, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, uni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, et semicinctiis contectus illius diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus jocunditate transegit, ut et sæcularem gloriam sperneret, et ad perfectionem Euangelicam gradatim conscendendo perveniret. Mortificationi carnis invigilabat attentius, ut Christi crucem, quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Agebat autem hæc omnia vir Dei Franciscus, nondum habitu, vel convictu sequestratus a mundo.

C

ANNOTATA.

a *Ubi Puerulus primas litteras didicerit, et quarum linguarum aliqualem notitiam acquisiverit, exposui in Commentario prævio* § 4, *num.* 76 *et sequenti.*

b *Lucæ cap.* 6, ℣ 30 : Omni autem petenti te, tribue.

c *Ita etiam habent codex noster Ms., et editio Surii, at Vaticana et Waddingiana* Franciscus.

d *Hoc factum solus e biographis Bonaventura tradidit, cujus auctoritate historice certum est.*

e *Arma crucis signaculo insignita fuisse, hic solus e biographis tradidit. Waddingi et Vaticana editio pro* insignitis *habent* insignitum : *sed Seduliana rectius : consentiunt Suriana et codex noster Ms.*

AUCTORE S. BONAVENTURA.

f *Verbum* sperans *desideratur in nostro codice Ms.*

g Spoletum *dicunt Tres Socii.*

h *Editiones Waddingiana et Vaticana legunt :* Dominus, aut servus? dives, aut pauper?

i *Hæc nescivit Celanus, ut supra jam monui.*

k *In aliis editionibus et codice nostro :* Versus Assisium, *vel* Assisium versus.

l *Codex Ms.* De equo lapsus, *id est, ex equo descendens.*

m *Innuit hic sanctus doctor, leprosum illum non vulgarem hominem fuisse, sed spectaculum divinitus oblatum. Ceterum, non semper eumdem hic, qui apud Tres Socios est, rerum ordinem servari, facile advertet lector; sive quod auctor, uti alias monuit, ordinem temporis non servaverit, sive, quod Tres Socios hic crediderit corrigendos.*

n *Apud Waddingum desideratur :* Adeo.

o *Ex Matthæi cap.* 16, ℣ 24.

p *Lege Isaiam cap.* 53, ℣ 4.

q *Vox* plene *desideratur in editione Waddingiana; in Vaticana vero male legitur* plenum.

r *Codex Ms. :* et liberaliter eis *etc.; vocem* eis *etiam addunt editiones Vaticana, Suriana et Waddingiana.*

E

CAPUT II.

De perfecta conversione ejus ad Deum, et de reparatione trium ecclesiarum.

A Crucifixo jussus ecclesiam S. Damiani, ut putabat, reparare,

Quoniam antem Servus Altissimi doctorem non habebat aliquem in hujusmodi, nisi Christum, addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiæ visitare dulcedine. Dum enim die quadam egressus ad meditandum in agro, deambularet juxta ecclesiam S. Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, et in eam, instigante se spiritu, causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumque lachrymosis oculis intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipsa cruce dilapsam ad eum corporeis audivit auribus ter dicentem : Francisce, vade, et repara domum meam, quæ, ut cernis, tota destruitur. Tremefactus Franciscus, cum esset in ecclesia solus stupet ad tam mirandæ vocis auditum; cordeque percipiens divini virtutem * eloquii, mentis alienatur excessu.

* *Vatic.* virtute

pecuniam ex rebus Fulginii confectam ad eam defert, ubi commoratus,

16 In se tandem reversus, ad obediendum se parat, et totum se recolligit ad perficiendum mandatum, de materiali ecclesia reparanda; licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit; sicut eum Spiritus Sanctus edocuit, et ipse postmodum fratribus revelavit. Surrexit proinde, signo crucis se muniens, et assumptis pannis venalibus, ad civitatem, quæ Fulgineum dicitur, festinus accessit : ibique venditis, quæ portaverat, equum, cui tunc insederat, felix Mercator, assumpto pretio, dereliquit. Rediensque Assisium, ecclesiam, de cujus reparatione mandatum acceperat, reverenter intravit; et invento illic sacerdoti * pauperculo reverentiam decentem exhibuit, et ad reparationem ecclesiæ, et pauperum usum, pecuniam obtulit; et, ut secum se morari, pateretur ad tempus, humiliter requisivit. Acquievit sacerdos de mora ipsius; sed timore parentum pecuniam non recepit *a*, quam verus pecuniarum Contemtor in quandam fenestram projiciens, abjectam velut pulverem vilipendit.

F

* *Vatic. et Wadd.* sacerdote

a

17 Moram autem faciente Servo Dei cum sacerdote prædicto, cum hoc intellexisset * pater ipsius, perturbatus animo cucurrit ad locum. At ipse, quia novus Christi erat athleta, cum audiret persequentium

* *Vatic.* et *Wadd.* intelle. xit

AUCTORE S. BONAVENTURA.

quentium minas, et eorum præsentiret adventum, dare locum iræ volens, in quadam occulta fovea *b* se abscondit, in qua diebus aliquibus latitando rogabat Dominum incessanter, lachrymarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam, et pia, quæ * inspiraverat vota, benigno favore compleret. Igitur excessiva quadam completus lætitia, cœpit de pusillanimitatis ignavia semetipsum arguere; relictaque fovea, et abjecto pavore, versus civitatem Assisii iter aggressus est *c*. Quem cum cives cernerent facie squalidum et mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent a sensu, luto platearum et lapidibus impetebant, et tamquam insano et dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autem Domini nulla fractus aut mutatus injuria, ut surdus in omnibus pertransibat.

et a patre frustra quæsitus, deinde in publicum prodiens, a populo pessime excipitur.

b

* *Wadd.* quæ pia

c

18 Cumque clamorem hujusmodi pater audisset, statim accurrens, non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum, omni miseratione subtracta, petractum domi primo verbis, deinde verberibus et vinculis angit. Ipse autem ad exequendum *d*, quod cœperat, promptior ex hoc *e* et validior reddebatur; recolens illud Euangelii verbum : « Beati, » qui persecutionem patiuntur propter justitiam : » quoniam ipsorum est regnum cælorum. » Post modicum vero tempus, patre a patria discedente, mater ejus factum mariti non approbans, et inflexibilem Filii constantiam emolliri posse, non sperans, a vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens, ad locum, in quo prius fuerat, est reversus. Rediens autem pater, et eum non inveniens domi, convitiis illatis uxori, fremens cucurrit ad locum, ut, si eum revocare non posset, saltem de provincia effugaret.

a patre domestico carceri mancipatur, ex quo a matre emissus,

d

e

B

et a patre rursus male affectus et ad episcopum adductus

19 Franciscus vero confortatus a Deo obvium ultro se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula et verbera ejus; insuper et contestans, se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum. Videns *f* itaque pater, quod eum revocare non posset, ad extorquendam pecuniam se convertit; qua tandem inventa in fenestrenula *g* quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, avaritiæ siti utcumque per haustum pecuniæ temperata. Tentabat deinde pater carnis Filium gratiæ, pecunia jam nudatum, ducere coram episcopo civitatis, ut in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, et omnia redderet, quæ habebat; ad quod faciendum se promptum exhibuit verus paupertatis Amator. Perveniensque coram episcopo, nec moras patitur, nec cunctatur * de aliquo, nec verba expectat *h*, nec facit; sed continuo depositis omnibus vestimentis *i*, restituit ea patri. Inventus est autem tunc Vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis *k*.

f

g

* *Wadd.* arctatur

h

i

k

hereditati suæ cedit, ipsique etiam vestibus redditis, pene nudus manet.

20 Insuper ex admirando fervore spiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur *l*, dicens ad patrem : Usque nunc vocavi te Patrem in terris; amodo autem secure dicere possum : Pater noster, qui es in cælis, apud quem omnem thesaurum reposui, et omnem spei fiduciam collocavi *m*. Hoc cernens episcopus, et admirans tam excedentem in Viro Dei fervorem, protinus exsurrexit, et inter brachia sua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius et bonus, pallio, quo erat amictus, operuit, præcipiens suis, ut aliquid sibi * darent ad membra corporis contegenda. Oblatus est autem et mantellus *n*, pauper et vilis cujusdam agricolæ, servientis episcopo *; quem ipse gratanter suscipiens, cum cœmento, quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria consignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis et pauperis seminudi. Sic igitur Servus Regis altissimi nudus relictus est, ut nudum sequeretur crucifixum * Dominum, quem amabat; sic utique cruce munitus, ut animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio salvus exiret.

C

l

m

* *i. e.* eidem

n

* *Vatic.* episcopi

* *Wadd.* Christum

21 Solutus exinde mundi Contemtor a vinculis mundanarum cupidinum, civitate relicta, securus et liber secretum solitudinis petiit, ut solus et silens supernæ audiret allocutionis arcanum. Dumque per silvam quandam iter faciens, laudes Domino lingua Francorum vir Dei Franciscus decantaret cum jubilo, latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo, quis esset, interrogantibus, Vir Dei * confidentia plenus, Prophetica voce respondit : Præco sum * magni Regis. At illi percutientes eum, in defossum locum plenum nivibus projecerunt, dicentes : Jace, rustice Præco Dei. Ipse vero, recedentibus illis, exilivit de fovea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori cœpit voce per nemora laudes Creatori omnium personare *o*. Et veniens ad quoddam vicinum cœnobium, eleemosynam petiit, ut mendicus, et recepit ut incognitus et despectus *p*. Inde vero progrediens, devenit Eugubium, ubi a quodam amico pristino agnitus et susceptus, paupere tunicula, ut Christi pauperculus, est contectus.

D

A latronibus conjicitur in foveam; mendicat, vestitur ab amico :

* *in Ms. deest* Dei

* *ibid. add.* inquiens

o

p

22 Exinde totius humilitatis Amator se transtulit ad leprosos; eratque cum eis, diligentissime serviens omnibus propter Deum. Lavabat ipsorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem, et saniem abstergebat. Osculabatur etiam ex miranda devotione ulcerosas plagas ipsorum, Euangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam est a Domino consequutus virtutem, ut in spiritualibus et corporalibus morbis * mirabiliter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret. Referam unum de multis, quod accidit, Viri Dei fama postmodum latius clarescente *q*. Cum enim cujusdam de comitatu Spoletano os pariter et maxillam morbus quidam horribilis depascendo corroderet, nec subveniri posset eidem * aliquo medicinæ remedio, contigit, ut propter Sanctorum * exposcenda merita, Apostolorum visitatis liminibus, de peregrinatione rediens, Servo Dei occurreret. Cumque præ devotione vellet ipsius osculari vestigia, Vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes, osculum oris dedit. Dum autem leprosorum servus Franciscus mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contingeret, omni fugato morbo, subito æger ille sanitatem recuperavit optatam *r*. Nescio, quod horum magis sit merito admirandum; an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas *s* in miraculo tam stupendo.

inservit leprosis, horribilem plagam osculo sanat.

E

* *apud Wadd. deest* morbis

q

* *Ms.* ei de

* *Sur* ipsorum Sanctorum

r

s

23 Fundatus jam in Christi humilitate Franciscus ad memoriam reducit obedientiam sibi e cruce injunctam de S. Damiani ecclesia reparanda *t*, et tanquam verus obediens Assisium rediit, ut saltem mendicando voci divinæ pareret. Depositaque omni verecundia, propter amorem pauperis Crucifixi mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat, debile corpus, attritum jejuniis, oneribus lapidum supponendo. Prædicta igitur ecclesia, juvante se Domino, et devotione civium assistente, refecta, ne post laborem corpus torperet ignavia, transtulit se ad reparandam ecclesiam, quondam B. Petri, longius a civitate distantem, ob devotionem specialem, quam ad Apostolorum Principem sinceræ fidei puritate gerebat. Hac tandem ecclesia * consummata, pervenit ad locum, qui Portiuncula dicitur, in quo ecclesia beatissimæ * Virginis Genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat, sed deserta tunc a nemine curabatur.

Reparat ecclesias S. Damiani, S. Petri et S. Mariæ de Angelis,

t

F

* *apud Wadd. deest* ecclesia

* *Ms. add.* Mariæ

24 Quam cum Vir Dei sic derelictam conspiceret ob devotionem ferventem, quam habebat ad Dominam mundi, cœpit illic assidue pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem juxta nomen ipsius ecclesiæ, quo ab antiquo S. Maria de Angelis vocabatur, * Angelicarum ibi visitationum frequentiam, pedem fixit ibidem, propter reverentiam angelorum, amoremque præcipuum Matris Christi. Hunc locum Vir sanctus amavit præ ceteris mundi locis. Hic etenim humiliter cœpit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummavit : hunc in morte fratribus, tanquam Virgini carissimum commendavit *u*. De hoc frater quidam Deo devotus

apud quam sedem fixit, quam præ ceteris amavit, cælesti visione claram.

* *Ms. add.* propter

u

A tus ante conversionem suam visionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percussos, facie in cælum directa, et genibus flexis, in hujus ecclesiæ stare circuitu; qui omnes, protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes et lumen. Et ecce, ingens de cælo splendor advenit, se per omnes diffundens, qui lumen unicuique tribuit, et salutem desideratam concessit *x*.

x et in qua Ordinem Minorum inchoavit, trium Ordinum Institutor.

25 Hic est locus, in quo Fratrum Minorum Ordo a S. Francisco per divinæ revelationis instinctum inchoatus est. Divinæ namque providentiæ nutu, qua Christi Servus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit ecclesias, antequam Ordinem inchoans, Euangelium prædiceret, ut non solum a sensibilibus ad intelligibilia, a minoribus ad majora, ordinato progressu conscenderet, verum etiam, ut, quid esset facturus in posterum, sensibili foris opere mysterialiter præsignaret. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ, ipsius sancti Viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam et doctrinam, Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia salvandorum, sicut et nunc cernimus esse completum.

ANNOTATA.

a Non recepit *etiam legitur in codice nostro Ms., at editiones Vaticana, Suriana et Waddingiana legunt:* Recusavit

B b *Ab aliis etiam* cavea *dicitur.*

c *Hæc post abscessum patris contigerunt.*

d *Omnes tres aliæ editiones hic addunt vocem* Domino.

e *In editione Surii desideratur:* Ex hoc.

f *Editiones Vaticana et Waddingiana pro* Videns *habent* Ardens.

g *In codice nostro Ms., et editionibus Vaticana et Waddingiana:* Fenestrula, *in Suriana:* Fenestrella.

h *Codex noster Ms.:* Nec verba expectat, ut, quod petebatur, faciat, sed continuo *etc.*

i Intrans cameram episcopi (*seorsum scilicet recedens*) exuit omnia vestimenta de suis (*paternis*) rebus, *inquiunt Tres Socii num.* 20; *quod ut magis congruum honestati, ita et verisimilius est.*

k *Accepit hæc S. Bonaventura ex Tribus Sociis in Appendice cap.* 2, *num.* 20, *ubi similiter legitur:* Inventus est autem Vir Dei tunc cilicium habere ad carnem sub vestibus coloratis: *quo loco tum ibi, tum in Commentario usus sum ad mitigandas aliorum phrases duriusculas de sancti Viri nuditate.*

l *Cilicio tamen tectus, ut mox vidimus; imo forte etiam subligaculo.*

m *In editione Waddingi desiderantur, quæ ab initio hujus numeri huc usque recensui: habentur tamen etiam in codice nostro atque editionibus Vaticana et Surii, sanctoque Bonaventuræ præiverunt Tres Socii in Appendice num.* 20.

C n *Id est,* palliolum.

o *In editione Waddingi desiderantur omnia a vocibus* Dumque per silvam *huc usque; pro quibus ibidem tantum legitur:* Dumque per silvas et nemora pergeret, altiori voce laudes Creatori omnium personabat. Veniensque ad quoddam vicinum cœnobium *etc. Verum Sedulio consentiunt codex noster Ms. cum editionibus Vaticana et Surii; atque ipsemet Waddingus in Apparatu ad Annales* § 6, *num.* 1 *eadem narravit, laudans hunc ipsum locum ex S. Bonaventura.*

p *Adde, illum in hoc monachorum cœnobio saltem paucis diebus in culina servivisse; sed nuditate compulsum inde, ut sequitur, Eugubium recessisse.*

q *Waddingus totam hanc periodum,* Referam unum *etc. prætermisit. At Sedulio consentiunt codex noster Ms., et editiones Vaticana et Surii.*

r *Solus Waddingus hæc aliter legit; nam prætermissa, ut ad præcedentem litteram annotavi, una periodo, præcedentia cum sequentibus ita connexuit:* Ut visum est in quodam paupere Spoletano, quem Romæ osculans in ipso putrefacto ulcere, statim sanum et integrum reddidit. *Videntur hæc cujusdam abbreviatoris esse, non S. Bonaventuræ: nam Sedulio consentiunt codex noster Ms., et editiones Vaticana et Surii. Neque etiam satis recte abbreviata sunt; cum in iisdem exemplaribus iste leprosus, non Romæ, ut apud Waddingum legitur, sed,* Apostolorum visitatis liminibus, de peregrinatione rediens, S. Francisco *occurrisse, ab eoque sanatus esse dicatur.*

s *In codice nostro Ms.:* Virtutis præclaræ raritas. *Waddingus pro* Nescio, quod *habet:* Nescio, quodnam, *et omisit vocem* merito.

t *Consule hanc ipsam Vitam supra num* 15.

u *Waddingus brevitatis gratia, ut opinor, omissis, quæ sequuntur, secundum caput clausit his verbis:* Tres itaque reparavit ecclesias, tres prænuntiantes ab eo Ordines instituendos, quibus tripliciter Dei Ecclesiam repararet.

x *Putant aliqui, per hanc visionem præsignatas fuisse celebres indulgentias,* Portiunculæ *vulgo dictas, de quibus fuse agam in Analectis.*

AUCTORE S. BONAVENTURA.

CAPUT III.

De institutione Religionis, et approbatione Regulæ.

E In ecclesia igitur Virginis Matris Dei *a* moram faciente servo ipsius Francisco, et apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratiæ et veritatis, continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur Advocata ipsius, meritis Matris misericordiæ concepit * ac peperit spiritum Euangelicæ veritatis. Dum enim die quodam Missam * de Apostolis devotus audiret, perlectum est Euangelium illud, in quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Euangelicam in vivendo; ne videlicet possideant aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam *b*. Quod audiens et intelligens, ac memoriæ commendans Apostolicæ paupertatis Amicus, Indicibili mox perfusus lætitia, Hoc est, inquit, quod cupio; hoc, quod totis præcordiis concupisco.

Audita Evangelii lectione, Apostolicam vivendi normam amplectitur,

a

* *Ms. add.* ipse

* *ibid.* quamdam Missam

b

27 Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit *c*, et pecuniam execratur, unaque contentus tunicula, rejecta corrigia, pro cingulo funem sumit, omnem solicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, et Apostolicæ rectitudinis regulæ per omnia se coaptet. Cœpit ex hoc Vir Dei divino instinctu Euangelicæ perfectionis æmulator existere, et ad pœnitentiam ceteros invitare. Erant autem ipsius eloquia non inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena *d*, medullas cordis penetrantia; ut in vehementem stuporem audientes converterent. In omni F prædicatione sua pacem annuncians, dicendo; DOMINUS DET VOBIS PACEM, populum in sermonis exordio salutabat. Hanc quippe salutationem, Domino revelante, didicerat, sicut ipse postmodum testabatur. Unde factum est, ut juxta sermonem Propheticum et ipse Prophetarum spiritu afflatus annunciaret pacem, prædicaret salutem, ac salutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui discordes a Christo prius extiterant a salute longinqui.

aliosque ad pœnitentiam incipit exhortari.

c

d

28 Innotescente itaque apud multos Viri Dei tam doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ, cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, et eidem, rejectis omnibus, habitu * vitaque conjungi; quorum primus extitit * vir venerabilis Bernardus, qui vocationis divinæ particeps factus, Patris beati primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis, quam privilegio sanctitatis. Hic enim Servi Christi sanctitate * comperta, ipsius exemplo disponens perfecte contemnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, consilium requisivit. Quo audito, Dei Famulus, pro primæ * prolis conceptu sancti Spiritus consolatione repletus, A Deo est,

In societatem admittit Bernardum, virum sanctum,

* *Ms.* habituque

* *Wadd.* erat

* *Sur.* paupertate

* *Sur.* propriæ

AUCTORE S. BONAVENTURA.

est, inquit, hoc consilium requirendum. Intraverunt proinde ecclesiam sancti Nicolai, mane jam facto; et oratione præmissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Euangeliorum librum aperuit, trino exposcens a Deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: SI VIS PERFECTUS ESSE, VADE, ET VENDE OMNIA, QUÆ HABES, ET DA PAUPERIBUS. In secunda: NIHIL TULERITIS IN VIA. In tertia vero: QUI VULT VENIRE POST ME, ABNEGET SEMETIPSUM, ET TOLLAT CRUCEM SUAM, ET SEQUATUR ME *e*. Hæc est (ait Vir sanctus) vita et Regula nostra, omniumque, qui nostræ voluerint societati conjungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, et perfice, quæ audisti.

e

dein quinque alios, inter quos fuit B. Ægidius, *f*

29 Non multo post vocatis eodem spiritu quinque viris, filiorum Francisci senarius numerus completus est, inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Ægidius *f*, vir utique Deo plenus, et celebri memoria dignus. Hic etenim postmodum virtutum sublimium exercitatione præclarus (sicut Famulus Domini de ipso prædixit) quanquam esset idiota, et simplex, ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem *g*. Nam per multa curricula temporum, sursum actionibus incessanter intentus, adeo crebris in Deum rapiebatur excessibus, (quemadmodum et ego ipse oculata fide conspexi) ut magis censeretur inter homines vitam angelicam agere, quam humanam.

g

B

ac Sylvestrum sacerdotem, mira visione inductum. *h*

30 Illo quoque tempore cuidam sacerdoti civitatis Assisii, nomine Silvestro, honestæ conversationis viro, quædam a Domino fuit ostensa visio non tacenda. Cum enim modum et vitam *h* Francisci fratrumque suorum humano spiritu abhorreret, ne periclitaretur pro temeritate judicii, respectu fuit supernæ gratiæ visitatus. Videbat namque in somnis, totam Assisii civitatem a dracone magno circundari, præ cujus magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio subjacere. Contuebatur post hæc crucem quandam auream ex ore procedentem Francisci, cujus summitas cœlos tangebat, cujusque brachia protensa in latum, usque ad mundi fines videbantur extendi; ad cujus etiam aspectum præfulgidum draco ille teter et horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstraretur, divinum æstimans *i* esse oraculum, Viro Dei et fratribus suis per ordinem enarravit; ac non multo post tempore mundum relinquens, vestigiis Christi sic perfecte adhæsit, quod vita ipsius in ordine authenticam reddidit * eam, quam in sæculo habuerat, visionem. Ex hujus visionis auditu Vir Dei non in gloria est elatus humana, sed bonitatem Dei in suis beneficiis recognoscens, fortius animatus est ad hostis antiqui fugandam versutiam, et Crucis Christi gloriam prædicandam.

i

* *Vatic.* reddit

In ecstasi multa cognoscit, solatur suos, admittit septimum socium. C

31 Quadam autem die, dum in quodam solitario loco annos suos in amaritudine recogitans deploraret, Sancti Spiritus in eum superveniente lætitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quæ circa se et filios suos futura erant, luculenter aspexit. Post hoc reversus ad fratres; Confortamini, ait, carissimi et gaudete in Domino; nec, quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas: quoniam, sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos * Deus crescere, suæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit *k*. Eodem quoque tempore, quodam alio bono viro *l* religionem intrante, ad septenarium numerum Viri Dei soboles benedicta pervenit.

* *Ms.* Vos

k

l

Discipulos suos instruit et in quatuor partes mittit ad prædicandum, *m*

32 Tunc pius Pater omnes ad se filios convocavit, et plura eis de regno Dei, de contemtu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporisque castigatione pronuncians, propositum suum de mittendo illos in quatuor partes orbis aperuit. Jam enim sterilis et paupercula simplicitas sancti Patris pepererat septem filios *m*, et desiderabat universitatem fidelium, ad pœnitentiæ lamenta vocatam Christo Domino parturire. Ite, inquit dulcis Pater ad filios, annunciantes hominibus pacem: prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, et in beneficiis grati; quia pro his omnibus regnum vobis præparatur æternum *n*. At illi coram Servo Dei humiliter se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiæ sanctæ mandatum.

D

n

precibusque rursum congregat: quatuor alios admittit. *o*

33 Ipse vero dicebat unicuique sigillatim: « Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enu- » triet *o*. » Hoc verbum dicere solitus erat *, quotiescunque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc et ipse sciens, se datum aliis in exemplum, ut prius faceret, quam doceret, cum uno sociorum versus unam orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum crucis tribus aliis mundi partibus deputatis. Modico autem elapso post tempore, benignus Pater, caræ prolis exoptans præsentiam, cum in unum eos per se convocare non posset, per eum, orabat, hoc fieri, qui dispersiones congregat Israelis. Sicque factum est, ut absque humana vocatione, omnes ex insperato post modicum temporis, juxta ejus desiderium divina operante clementia, non sine ipsorum admiratione pariter convenirent. Illis quoque diebus, quatuor sibi adhærentibus viris honestis, ad duodenarium numerum *p* excreverunt.

* *Wadd.* solebat

p

Scribit Regulam, pro qua approbanda, E

34 Cernens autem Famulus Christi, paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi et fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ, in qua sancti Euangelii observantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quædam alia inseruit, quæ ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur *q*. Desiderans autem, per summum Pontificem approbari, quæ scripserat, disposuit cum illo simplicium cœtu Apostolicæ Sedis adire præsentiam, de sola confisus directione divina. Cujus desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos simplicitatis suæ consideratione perterritos, ostensa Viro Dei visione hujusmodi, confortavit.

q

confirmatus visione pergit, Romam; ubi a Papa *r*

35 Videbatur siquidem ei, quod per quandam viam incederet, juxta quam stabat arbor celsitudinis magnæ, ad quam cum appropinquasset, et sub ea stans ipsius altitudinem miraretur, subito tantum divina virtute levabatur in altum, ut cacumen contingeret arboris, ejusque summa facillime curvaret ad ima. Hujus visionis præsagium, Vir Deo plenus intelligens, referri ad condescensionem Apostolicæ dignitatis *r*, exhilaratus est spiritu, fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis agressus est *s*. Videns autem *t* Christi Vicarius, dominus Innocentius Tertius, vir utique sapientia clarus, admirandam in Viro Dei simplicis animi puritatem, propositi constantiam ignitumque *u* voluntatis sanctæ fervorem, Christi Pauperem mentis amore complectens, inclinatus est animo, ut pium supplicanti præberet assensum. Distulit tamen perficere, quod Christi postulabat Pauperculus, pro eo, quod aliquibus de Cardinalibus novum aliquid et supra vires humanas arduum videretur.

s *t*

u

F

jubetur voluntatem Dei exquirere, *x*

36 Aderat autem inter Cardinales vir venerandus dominus Joannes de sancto Paulo, episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator, et auditor *x* pauperum Christi; qui divino spiritu inflammatus summo Pontifici dixit, et fratribus suis: Si petitionem Pauperis hujus *, tanquam nimis arduam novamque refellimus, cum petat, confirmari sibi formam Euangelicæ vitæ, cavendum est nobis, ne in Christi Euangelium offendamus. Nam si quis, intra Euangelicæ perfectionis observantiam et votum ipsius, dicat, contineri aliquid novum aut irrationabile, vel impossibile ad servandum, contra Christum, Euangelii auctorem, blasphemare convincitur. Quibus propositis, successor apostoli Petri conversus ad Pauperem Christi, dixit: Ora fili, ad Christum, ut suam nobis per te voluntatem ostendat; qua certius cognita, tuis piis desideriis securius annuamus.

* *ap. Sur.* deest hujus

37 Omnipotentis autem Dei Famulus, totum se conferens

A conferens ad orandum, precibus devotis obtinuit, et quod * exterius ipse proferret, et quid * interius Papa sentiret. Nam cum parabolam de divite rege, cum muliere formosa et paupere contrahente gratanter, et de prole suscepta, præferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut a Deo acceperat, retulisset: ex illius interpretatione subjunxit: Non est formidandum, quod fame pereant æterni Regis filii et hæredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, et ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione * paupercula generandi *y*. Si enim Rex cælorum imitatoribus suis regnum promittit æternum, quanto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis et malis?

quo facto, proposita parabola evincit Pontificem,
** Ms.* quid
** al.* quod

** Ms.* regione

38 Hanc ergo parabolam, et intellectum ipsius Christi Vicarius cum diligenter audisset, miratus est valde; et indubitanter Christum loquuntum in Homine recognovit *z*. Sed et visionem, quam tunc temporis e cælo perceperat, in hoc Viro fore complendam, Spiritu divino suggerente, firmavit. Videbat namque in somnis (ut retulit) Lateranensem basilicam fore proximam jam ruinæ; quam quidam homo pauperculus, modicus et despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. Vere, inquit, hic est ille, qui opere et doctrina Christi B sustentabit Ecclesiam. Inde præcipua devotione repletus, petitioni ejus se per omnia inclinavit, ac Christi Famulum speciali semper amore dilexit. Proinde postulata concessit et adhuc concedere plura promisit: approbavit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, et laicis fratribus omnibus, qui servum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri *aa*, ut verbum Dei libere prædicarent.

qui etiam cælesti visione motus Regulam approbat, aliaque largitur.
z

aa

ANNOTATA.

a *Waddingus legit :* Virginis Mariæ.

b *Pro his aliisque ad habitus vitæque mutationem, anno* 1209 *factam, spectantibus lege Commentarium prævium num.* 131 *et aliquot sequentibus.*

c *In Ms. nostro codice et apud Surium deest :* Rejicit.

d *In eodem Ms., et in editione Vaticana :* Plena erant.

e *Leguntur hæc etiam apud Tres Socios in Appendice num.* 29

f *Tertius hic fuit* S. Francisci *discipulus : nam secundus fuit Petrus, qui, ut alibi vidimus, cum Bernardo venit, quemque Bonaventura primum ex istis quinque, suppresso nomine, voluit indicare. Lege Vitæ primæ caput* 4.

C g *Hanc periodum Waddingus sic habet :* Fuit enim inter ceteros virtutum sublimium exercitatione præclarus (sicut Famulus Domini de ipso prædixit) quamquam esset idiota et simplex, ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem. *B. Ægidius colitur die* 23 *Aprilis, ubi de eo actum est in Opere nostro.*

h *Ms. Codex, Surius et editio Vaticana legunt :* Viam.

i *In editione Vaticana, Waddingi et Surii :* Existimans.

k *Apud Waddingum tota hæc periodus sic paucis redditur :* Tunc fratres verbis consolatoriis admonuit, parvum gregem in magnam familiam a Domino dilatandum.

l Alio bono viro *desideratur in editione Waddingi.*

m *In Ms. et Surio deest :* Filios.

n *In editione Waddingiana pro hac brevi allocutione legitur :* Misit ergo eos prædicare pœnitentiam: *ac tunc subditur :* Qui humiliter coram Servo Dei se prosternentes in terram *etc.*

o *In vulgata Psalm.* 54, ℣ 23 *est :* Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.

p *Annumerato* S. Francisco.

q *Hæc alia Regula nobis fuisse videtur ab ea, Octobris Tomus II. quam velut omnium primam edidit Waddingus, ut alibi dictum est.*

AUCTORE S. BONAVENTURA.

r *Consonat Celanensis in Vita prima num.* 33, *et Tres Socii in Appendice num.* 33.

s *Narrationem, quæ hic subditur in editionibus Seduliana, Vaticana et Suriana, atque etiam in nostro codice Ms., veluti S. Bonaventuræ Opusculo insertam, prudens prætermitto. Rationes exposui in Commentario prævio num.* 23 *et sequenti; ac rursus num.* 243 *et tribus sequentibus, ubi eamdem recitavi et expendi.*

t *Waddingus, qui omissam narrationem, tamquam Bonaventuræ suppositam, brevius recensuit, præcedentia cum sequentibus sic conjunxit :* Videns itaque *etc.*

u *Waddingus :* Ingenitumque.

x Adjutor *rectius legitur in aliis editionibus et Ms. nostro. Huic Cardinali negotium suum ante commendaverat* S. Franciscus, *teste Celanensi in Vita num.* 32 *et sequenti; in ejusque notitiam venerat per Vidonem vel Guidonem, episcopum Assisiensem, ut habent Tres Socii in Appendice num.* 47.

y *Consule Tres Socios in Appendice num.* 30.

z *Apud Waddingum plura post hæc verba,* Quod interius Papa sentiret, *compendiose traduntur hoc modo :* Nam proposita quadam parabola de rege divite, et sponsa paupere, quibusdam additis verbis, Pontificis animum ad Regulam approbandam inclinavit. *Post hæc etiam reliqua omittuntur usque ad initium capitis* 4. E

aa *Etiam ipsi* S. Francisco, *ut expresse asserunt Tres Socii in Appendice num.* 32.

CAPUT IV.

De profectu Ordinis sub manu ipsius, et confirmatione Regulæ prius adprobatæ.

Fretus exinde Franciscus superna gratia et auctoritate Papali, cum fiducia multa versus vallem Spoletanam iter arripuit, ut Euangelium Christi faceret et doceret. Dum autem in via conferret cum sociis, qualiter Regulam, quam susceperant, sincere servarent; qualiter in omni sanctitate et justitia coram Deo incederent; qualiter in se ipsis proficerent, et essent aliis in exemplum, diutius collatione protracta, hora pertransiit. Et cum jam * lassati essent ex diuturnitate laboris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sane cum omnis via deesset, qua possent sibi de victu necessario providere, statim affuit providentia Dei. Nam subito apparuit homo, afferens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit, subitoque disparuit, incognitus, unde venerit, aut quo iret.

Cum sociis Roma rediens, a divina providentia pascitur:

** in Ms. deest* jam

40 Cognoscentes autem per hoc pauperes fratres, supernum sibi in comitatu Viri Dei adesse præsidium, magis dono liberalitatis divinæ, quam cibo carnis propriæ sunt refecti. Insuper divina consolatione repleti, statuerunt firmiter, et irrevocabiliter confirmaverunt, nullius inediæ aut tribulationis impulsu a sanctæ paupertatis resilire promisso. Exinde in vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes, tractare cœperunt, utrum inter homines conversari deberent, an ad loca solitaria se conferre *a*. Sed Christi servus Franciscus, non de sua vel suorum confidens industria, per orationis instantiam divinæ super hoc voluntatis beneplacitum requisivit.

Post consultum precibus Deum,

a

41 Supernæ igitur revelationis illustratus oraculo intellexit, se ad hoc missum a Domino, ut Christo lucraretur * animas, quas diabolus conabatur auferre : ideoque magis omnibus, quam sibi soli, vivere præelegit, illius provocatus exemplo, qui unus pro omnibus mori dignatus est. Recollegit itaque se Vir Dei cum ceteris sociis in quodam tugurio derelicto juxta civitatem Assisii *b*, in quo secundum sanctæ paupertatis formam in labore multo et inopia victitabant, magis lacrymarum, quam deliciarum, panibus refici sata-

habitat apud Rivum-tortum,
** Wadd.* lucrifaceret

b

AUCTORE S. BONAVENTURA.

gentes. Vacabant enim ibidem divinis precibus incessanter, mentaliter potius, quam vocaliter, studio intendentes orationis devotæ, pro eo quod nondum ecclesiasticos libros habebant, in quibus possent horas Canonicas decantare; loco tamen illorum librum crucis Christi continuatis aspectibus, diebus ac noctibus, revolvebant, exemplo Patris et eloquio eruditi, qui jugiter faciebat eis de cruce Christi sermonem.

tradit illis formam orandi.

42 Rogantibus autem fratribus, ut eos doceret orare, dixit : Cum orabitis, dicite, Pater noster. Et : « Adoramus te, Christe, ad omnes Ecclesias » tuas, quæ sunt in toto mundo, et benedicimus » tibi; quia per Crucem tuam sanctam redemisti » mundum. » Docuit insuper eos *c*, Dominum laudare in omnibus et ex omnibus creaturis; honorare præcipua reverentia sacerdotes, fidei quoque veritatem, secundum quod sancta Romana tenet et docet Ecclesia, et firmiter credere, et simpliciter confiteri. Servabant illi Patris sancti documenta per omnia, et ad omnes ecclesias et cruces, quas e longinquo videre poterant, juxta datam sibi formam orantes, se humiliter prosternebant.

c

Absens fratribus miro modo apparet in curru igneo

43 Contrahentibus autem fratribus moram in loco præfato, Vir sanctus die quadam Sabbathi civitatem Assisii intravit, prædicaturus mane diei Dominicæ, ut moris erat, in ecclesia cathedrali. Cumque in quodam tugurio, sito in horto canonicorum, Vir Deo devotus in oratione Dei more solito pernoctaret, corporaliter * absentatus a filiis, ecce fere * media noctis hora, quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam perseverantibus in orando, currus igneus mirandi splendoris per hostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit, super quem globus lucidus residebat, qui solis habens aspectum, noctem clarere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes, et non minus senserunt cordis claritatem, quam corporis, dum ex * virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit.

B

* *apud Sur. deest* corporaliter

* *Wadd.* vere

* *ap. Wadd. deest* ex

cum mirabili effectu : multa de Ordine prædicit.

44 Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum Patrem absentem corpore, præsentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus, et ardoribus inflammatum supernaturali virtute, in curru splendenti simul et igneo, sibi demonstrari a Domino, ut tanquam veri Israelitæ post illum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat a Deo currus et auriga. Credendum sane, quod ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci, ut viderent magnalia Dei, qui oculos quondam aperuerat pueri ad videndum montem plenum equorum et igneorum curruum in circuitu Elisæi *d*. Regressus autem Vir sanctus ad fratres, cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari; confortare ipsos de visione illa mirabili, et de profectu Ordinis multa futura prædicere. Cumque patefaceret plurima, quæ sensum transcendebant humanum, vere cognoverunt fratres, super servum suum Franciscum Spiritum Domini in tanta plenitudine quievisse, quod post ipsius doctrinam et vitam erat eis proficisci tutissimum.

C

d

Tertium Ordinem instituit,

e

* *Sur.* Domini

45 Post hæc pusilli gregis pastor Franciscus ad sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum fratrum numerum *e*, superna gratia præeunte, deduxit; ut, ubi meritis Matris Dei * Minorum sumpserat Ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus præco, civitates circuibat et castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuncians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi : quippe qui mente ac facie in cælum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Cœpit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, et productis ex se floribus suavitatis, honoris, et honestatis, uberes fructus afferre.

46 Nam prædicationis ipsius fervore succensi quam plurimi utriusque sexus *f* in conjugali pudicitia Domino famulantes secundum formam a Dei Viro acceptam, novis se pœnitentiæ legibus vinciebant; quorum vivendi modum idem Christi Famulus Ordinem Fratrum de pœnitentia nominari decrevit *g*. Nimirum, sicut in cælum tendentibus pœnitentiæ viam omnibus, constat, esse communem, sic et hic status, clericos et laicos, virgines et conjugatos in utroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit. Convertebantur etiam virgines ad perpetuum cælibatum, inter quas virgo Deo carissima Clara, ipsarum plantula prima, tanquam flos vernans et candidus, odorem dedit, et tanquam stella præfulgida radiavit. Hæc nunc glorificata in cœlis, ab Ecclesia digne veneratur in terris, quæ filia fuit in Christo sancti patris Francisci pauperculi, et mater pauperum dominarum *h*.

D

magno cum fructu, ut et pauperum dominarum, præunte S. Clara.

f

g

h

Augetur Ordo fratribus et virtutibus,

47 Multi etiam non solum devotione compuncti, sed et perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contemta, Francisci vestigia sequebantur; qui quotidianis succrescentes profectibus, usque ad fines orbis terræ celeriter pervenerunt. Faciebat namque sancta paupertas, quam solam deferebant pro sumtibus, ipsos ad omnem obedientiam promtos, robustos ad labores, et ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti; tanquam qui absque mentis turbatione vivebant, et sine sollicitudine diem crastinum et serotinum hospitium expectabant. Multa quidem eis in diversis partibus orbis * inferebantur convitia, tanquam personis despicabilibus et ignotis : verum amor Euangelii Christi adeo ipsos patientes effecerat, ut quærerent potius ibi esse, ubi persecutionem paterentur in corpore, quam ubi, cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari favore.

E

* *ap. Wadd. deest* orbis

quorum voluntariam paupertatem Saracenus suspexit.

i

48 Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur ubertas, dum juxta consilium Sapientis pro magno ipsis minimum complacebat *i*. Sane cum ad infidelium partes aliqui ex fratribus pervenissent, contigit, ut quidam Saracenus, pietate commotus, pecuniam eis offerret pro necessario victu : illis autem recusantibus arripere, admiratus est homo, cernens, quod inopes essent. Intellecto tandem, quod pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant, tanta est eis affectione conjunctus, ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quam diu facultatum sibi aliquid superesset. O inæstimabilis pretiositas paupertatis, cujus miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miserationis est immutata dulcedinem! Horrendum est proinde ac nefarium scelus, ut hanc margaritam nobilem vir Christianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Saracenus.

F

Moricum divinitus sanat et in Ordinem recipit;

k

49 Eo tempore Religiosus quidam de Ordine Cruciferorum *k*, Moricus nomine, in hospitali quodam prope Assisium languore tam gravi, tamque prolixo laborans, ut jam morti foret adjudicatus a medicis, Viro Dei supplex factus, per nuncium postulabat instanter, ut pro se ad Dominum intercedere dignaretur. Cui beatus Pater benigne assentiens, oratione præmissa, panis micas accepit, et cum oleo accepto de lampade, quæ coram Virginis ardebat altari, commiscens, quasi quoddam electuarium per manus fratrum infirmanti transmisit, dicens : Medicinam hanc fratri nostro deferte Morico; quia * ipsum Christi virtus non solum plene sanitati restituet, verum etiam robustum bellatorem effectum aciei nostræ perseveranter adjunget. Statim autem ut antidotum illud sancti Spiritus adinventione confectum æger homo gustavit, sanus exsurgens tantum mentis et corporis a Deo vigorem obtinuit, ut paulo post Viri sancti Religionem ingressus, et unica tantum operiretur

* *al.* qua

operiretur tunicula, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, et crudis duntaxat cibariis, herbis videlicet *, leguminibus, fructibusque contentus, per plura temporum lustra, nec panem gustaret nec vinum, fortis tamen et incolumis perseverans *l*.

* *Sur.* vel

l *item insignem musicum mira visione ververbisque illius motum,*

30 Crescentibus quoque virtutum meritis in parvulis Christi, odor opinionis bonæ circumquaque diffusus ad præsentiam sancti Patris videndam plurimos e diversis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam sæcularium cantionum curiosus inventor, qui ab imperatore propter hoc *m* fuerat coronatus, et exinde Rex versuum dictus, Virum Dei contemptorem mundialium adire proposuit. Cumque apud castrum sancti Severini eum prædicantem reperisset in monasterio quodam, facta manu Domini super se, vidit eumdem Crucis Christi prædicatorem Franciscum duobus transversis ensibus valde fulgentibus, in modum crucis signatum; quorum unus a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur. Non noverat facie Servum Christi, sed tanto monstratum miraculo mox agnovit.

m

qui etiam signum Thau in fronte ejus vidit, et primus Minister in Francia fuit

31 Subito stupefactus ad visum incipit meliora proponere: tandemque verborum ipsius compunctus virtute, tamquam si esset gladio spiritus ex ejus ore procedente transfixus, sæcularibus pompis omnino contemtis, beato Patri professione cohæsit. Propter quod videns ipsum Vir sanctus ab inquietudine sæculi ad Christi pacem perfecte conversum, Fratrem Pacificum appellavit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, antequam fieret Minister in Francia (siquidem primus ibidem ministerii gessit officium) meruit iterato magnum Thau in fronte Francisci videre, quod colorum varietate distinctum faciem ipsius miro venustabat ornatu. Hoc quippe signum Vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, et in eis, quas dirigebat, litterulis manu propria suscribebat, tamquam si omne ipsius studium foret signare Thau, juxta dictum Propheticum, super frontes virorum gementium et dolentium *n*, ad Christum Jesum veraciter conversorum.

n *Comitia celebrat, Deo victum procurante,*

32 Processu quoque temporis multiplicatis jam fratribus, cœpit eos Pastor solicitus in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale capitulum convocare, ut in funiculo distributionis divinæ in terra paupertatis eorum unicuique tribueret obedientiæ portionem *o*. Ubi, licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando *p*, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficientia suberat, et salus comitabatur corporea, et spiritualis jucunditas affluebat. Capitulis vero provincialibus, quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per solicitam curam regiminis, instantiam precis, et efficaciam benedictionis, spiritu præsens erat, quamvis aliquando, mira Dei faciente virtute, visibiliter appareret.

o

p

absens apparens in aere, congregatos gaudio replet.

33 Dum enim egregius prædicator, qui et nunc Christi præclarus confessor, Antonius *q*, de titulo crucis, Jesus Nazarenus, Rex Judæorum, in Arelatensi capitulo fratribus prædicaret, quidam frater probatæ virtutis, Monaldus nomine, ad ostium capituli, divina commonitione *r* respiciens, vidit corporeis oculis beautum Franciscum in aere sublevatum, extensis velut in cruce manibus, benedicentem fratres. Tanta vero, et tam insolita fratres omnes censolatione spiritus repletos se fuisse, senserunt, ut de vera sancti Patris præsentia certum eis intra se spiritus testimonium perhiberet, licet postmodum id non solum per evidentia signa, verum etiam per ejusdem sancti Patris verba exteriori fuerit attestatione compertum. Credendum sane, quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium, pium et *s* sacrum antistitem, tumulationi gloriosi concessit interesse Martini *t*, ut pium Pontificem pio veneraretur officio, etiam servum suum Franciscum prædicationi præsentavit veracis sui præconis Antonii, ut approbaret veritatis eloquia, præcipue Crucis Christi, cujus erat baiulus et minister.

q

r

s

t

AUCTORE S. BONAVENTURA.

34 Cum autem dilatato jam Ordine, vivendi formam, per dominum Innocentium approbatam, disponeret per successorem ipsius Honorium *u* in perpetuum facere roborari, hujusmodi fuit a Deo revelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circunstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei desuper ait : Francisce, unam de micis omnibus hostiam *x* facito, et manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicunque illud non devote recipiebant aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti notabiles apparebant. Recitat mane Vir sanctus hæc omnia sociis, dolens, se non percipere mysterium visionis.

divina visione voceque edoctus secundam Regulam

u

x

bis dictat, suggerente Spiritu sancto, quam Honorius III confirmavit,

35 Sequenti vero die, cum vigil in oratione persisteret, hujusmodi vocem de cælo delapsam audivit : Francisce, micæ præteritæ noctis verba Euangelica sunt, hostia Regula, lepra iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam, ex verborum Euangelii aggregatione profusius * traditam, ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat visio monstrata, redigere, in montem quendam cum duobus sociis *y*, Spiritu Sancto ducente, conscendit; ubi pane tantum contentus et aqua jejunans *z*, conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. Quam cum de monte descendens servandam suo vicario commisisset, et ille paucis elapsis diebus assereret per incuriam perditam *aa;* iterato sanctus Vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit, et per supradictum dominum Papam Honorium, octavo Pontificatus illius anno *bb*, sicut optaverat, obtinuit confirmari.

* *Wadd.* perfusius

y

z

aa

bb

et Christus sacris stigmatibus Sancto impressis signavit.

36 Ad cujus observantiam fratres ferventer inducens, dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata *cc*. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Jesu *dd*, digito Dei vivi, tanquam bulla summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam Regulæ, et commendationem Auctoris; sicut post suarum enarrationem virtutum suo loco inferius describetur.

cc

dd

ANNOTATA.

a *Cum munus prædicandi pœnitentiam a summo Pontifice accepissent, non erat, cur hac de re deliberarent. Quapropter existimo, solum deliberasse eos, præstaretne sibi habitare in locis solitariis, ex quibus aliquoties ad prædicandum prodirent; an in civitatibus, vel juxta eas, quo proximo suo magis prodessent.*

b *Nimirum in* Rugo-torto, *vel* Rivo-torto, *ut docent alii biographi.*

c *Præmissa ab initio hujus numeri rursum contracta leguntur in editione Waddingi his verbis :* Quos et breviter orare docuit, et Dominum laudare *etc.*

d *Lib.* IV *Regum, cap.* 6, ℣. 17.

e *Nempe ipse Sanctus erat duodecimus. Occasionem e Rivo-torto illuc commigrandi vide supra in Vita prima num.* 44.

f *In codice nostro Ms. et in editione Surii desunt hæ voces :* utriusque sexus.

g *Extra locum suum institutio hujus Ordinis hic relata est, cui* S. Franciscus *initium dedit anno* 1221, *ut videre licet in Commentario prævio* § 20.

h Pauperum dominarum, *seu, ut nunc passim vocantur,* Clarissarum *Ordinis institutio præcessit Ordinem Fratrum et Sororum de Pœnitentia, quippe facta anno* 1212. *Adi Commentarium prævium* § 15.

i *Ecclesiastici cap.* 29, ℣. 30 : Minimum pro magno placeat tibi, et improperium peregrinationis non audies.

k *Extinctus*

AUCTORE S. BONAVENTURA.

k *Extinctus hic in Italia Ordo est ab Alexandro VII anno* 1636 *per Bullam, quæ incipit :* Vineam Domini, quæ est ejus Ecclesia; *quæque exstat in Bullario Romano tom. VI.*

l *Tota hæc Morici ad Ordinem Minorum accessio, seu totus hic numerus a capite usque ad calcem, desideratur in editione Waddingi. Ceterum voces istæ initio positæ* Eo tempore *late accipiendæ sunt; quia Tres Socii in Appendice eamdem Morici accessionem expresse præmittunt itineri Romano supra relato.*

m Propter hoc *deest apud Surium : Waddingus legit :* Propterea.

n *Ezechielis cap.* 9, *v.* 4.

o *Tres Socii in Appendice num,* 57 *scribunt, id factum esse,* post... locum sanctæ Mariæ obtentum a præfato abbate, *nimirum* de Monte Subasio; *tuncque a* S. Francisco *sancitum fuisse, ut in posterum* ibi capitulum fieret bis in anno, scilicet in Pentecoste, et in Dedicatione sancti Michaelis. *Statutum hoc in Commentario prævio num.* 283 *cum Waddingo retuli ad annum* 1212.

p *Vox* aliquando *desideratur in editione Waddingi, sed exstat etiam in Vaticana et Suriana, et in codice nostro Ms. Annus autem, quo comitia tam numerosa fuere, incertus est; at verisimilius fuerit unus e supremis vitæ* S. Francisci, *quando illius Ordo jam plurimum erat propagatus.*

B q *S. Antonius, cognominatus* Patavinus. *Vide Annotata ad Vitæ primæ lib.* 1, *cap.* 6, *lit.* h.

r *Apud Waddingum est :* Divina virtute et commonitione.

s *In codice Ms. desideratur* pium et; *in Vaticana legitur* pium sacrum.

t *Examinanda hæc venient ad diem* 11 *Novembris, quo S. Martinus Turonensis episcopus colitur.*

u *Honorius III Innocentio III successit an.* 1216.

x *Id est,* panem, *qualis usus est in Sacrificio Missæ ad Corpus Domini conficiendum.*

y *Waddingus ad annum* 1223, *num.* 9 *duos hos socios* Leonem *et* Bonizium, *montem vero* Columbæ seu Rainerii, ab urbe Reatina secundo lapide ad Meridiem *situm, appellavit, in margine præter S. Bonaventuram laudans Marianum et Platum.*

z *Laudatus Waddingus jejunium hoc* quadraginta *dierum fuisse, fortasse ex eodem Mariano, asserit.*

aa *Idem Annalista ibidem num.* 10 *scribit, vicarium Eliam* dissimulasse, *seu* simulasse, *eam* perditam, *quasi revera perdita tunc non fuerit, sed quod nimis aspera videretur, occultata vel aliter amissa. Ibidem etiam alia narrat ad hanc Regulam spectantia, quæ certioribus testimoniis cuperem probari. Adi Commentarium prævium num.* 485 *et seqq.*

bb *Id est, anno Christi* 1223, *mense Novembri, ut alibi ostensum est. Ceterum causam, quæ sanctum*
C *Institutorem ad Regulæ confirmationem scriptam petendam impulit, ceteraque huc spectantia lege in Appendice Trium Sociorum num.* 62 *et sequentibus.*

cc *Huc faciunt, quæ S. Brigitta lib.* VII *Revelationum cap.* 20 *a Christo sibi dicta asseruit, scilicet hæc :* Istius Francisci Regula, quam ipse incepit, non fuit dictata et composita ab ipsius humano intellectu et prudentia, sed a me secundum voluntatem meam. Quodlibet enim verbum,
* *i. e.* eidem quod in ea scriptum est, a Spiritu meo fuit sibi * aspiratum; et postea ipse aliis Regulam illam protulit et porrexit.

dd *Confirmata fuit, ut dictum est, Regula anno* 1223, *mense Novembri exeunte; sacra vero stigmata* S. Francisco *accepit anno* 1224 *circa medium Septembrem, ideoque decimo mense post Regulæ confirmationem; quapropter paucos illos dies, quos S. Bonaventura inter utrumque medios facit, latius accipiendi sunt. Adi Commentarium prævium num.* 391.

D

CAPUT V.

De austeritate vitæ ejus, et quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

Cum igitur cerneret vir Dei Franciscus, suo exemplo ad crucem Christi baiulandam ferventi spiritu plurimos animari, animabatur et ipse, tanquam bonus dux exercitus Christi, ad palmam victoriæ per culmen invictæ pervenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum : « Qui » autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt » cum vitiis et concupiscentiis *a;* » ut crucis armaturam suo ferret in corpore, tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat, necessitati corporis satisfacere et pronitati sensuum non parere *b;* propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat, et raro; admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ ut plurimum E reddebat insipidum. De potu vini *c* quid dicam? cum et de aqua frigida * dum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet

Sanctus corpus suum subjicit jejuniis, *

a

b

c

* *in Ms. deest* frigida

58 Modos adinveniebat abstinentiæ potioris *, et quotidie exercitatione crescebat; licetque jam perfectionis culmen attingeret, tanquam incipiens semper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius, propter verbum Euangelii *d,* conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum; cum tamen ad interiora regressus districte servaret rigidam abstinentiæ parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subjectum Euangelio Christi, per omnia reddens; non solum abstinendo, verum etiam manducando, præbebat ædificationis exemplum. Nuda humus, ut frequentius, lectus erat lassato corpusculo, et sæpius sedens, ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat, unica paupere contentus *e* tunicula, in nuditate Domino serviebat et frigore. Interrogatus aliquando, quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris austeritate * tueri, in spiritus fervore respondit : Si supernæ patriæ flamma per desiderium contingeremur *f* interius, frigus istud exterius facile portaremus.

nisi ratio aliter poscat, humi cubationibus, frigore,
* *Wadd.* potiores

d

e

* *al.* asperitate

f

59 Vestis horrebat molliciem, asperitatem amabat; asserens, propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum *g.* Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius, quia non in casulis pauperum, sed in palatiis principum, juxta Veritatis verbum, vestimentorum dicebat requirendam esse molliciem *h.* Experientia enim certa didicerat, dæmones asperitate terreri; delitiosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari. Unde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum præter solitum morem cervical de pluma positum haberet ad caput, dæmon in illud ingressus, ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode, a sanctæ orationis studio perturbavit; donec vocato socio, pulvinar cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum pulvinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit et usum; quo usque ad vocem sancti Patris, hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus cordis et corporis sibi fuit plenarie restitutus.

aspera tunica, expertus in molli pulvinari dæmonem tentatorem

g

h

F

60 Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat; curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda. Quapropter circa conversionis suæ primordia, tempore hiemali, in foveam glacie plenam seipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subigeret *, et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio præservaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter, asserebat, magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel

Ab eodem fallaciter invitatus ad vitam molliorem,

* *Vatic. et Wadd.* subjiceret

A vel modicum sentire in menti *i*. Cum autem apud
i
k eremum de Sarthiano *k* nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus, tertio dicens : Francisce, Francisce, Francisce. Cui cum, quid quæreret, respondisset, fallaciter ille subjunxit * : Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus; sed quicunque semetipsum pœnitentia dura necaverit, misericordiam non inveniet in æternum.

* *Sur.* subjungit

carnisque tentationem sentiens, se nudatum flagellat, nivibus immergit,
l

61 Statim Vir Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quo modo nisus fuerit eum ad tepida revocare : nam hoc sequens indicavit eventus. Continuo enim post hoc, ad insufflationem illius, cujus halitus prunas ardere facit *l*, gravis ipsum carnis tentatio apprehendit. Quam ut præsensit castitatis Amator, deposita veste, chorda cœpit se verberare fortissime; Eia, inquiens, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deservit, sanctitatis signaculum præfert : furari eam libidinoso non licet. Si quo vis pergere, perge. Insuper et mirando fervore spiritus animatus, aperta cella, foras exivit in hortum, et in magnam demergens nivem corpusculum jam nudatum, septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur.

dæmonem delusum fugat, deinceps a carnis motibus liber :
B

62 Ecce, inquit, hæc major uxor tua est; quatuor istæ duo filii et duæ filiæ; reliquæ duæ servus, et ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigora moriuntur. Si vero eorum multiplex solicitudo molestat, uni Domino solicite servi. Illico tentator victus abscessit, et Vir sanctus cum victoria in cellam rediit : quia dum bene pœnaliter arsit *m* foris, ardorem interius sic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia, luna clarius incedente, prospexit. Comperto Vir Dei, quod hæc ille nocte vidisset, reseraus ei tentationis processum, præcepit, ut, quamdiu ipse viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret *n*.

m

n
coercet sensus et coercendos docet, maxime ab aspectu et colloquio mulierum :
o

63 Non solum autem mortificari debere, docebat, vitia carnis, et ejus incentiva frænari; verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, solicitus *o* evitari jubebat; asserens per hujusmodi debilem frangi, et fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta Scripturam in igne ambulare et non comburere plantas *p*. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne hujusmodi
p
C vanitatem viderent, quod (sicut aliquando socio dixit) quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Asserebat etiam, frivolum esse mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione brevissima, juxta quod et saluti expedit et congruit honestati. Quæ sunt, inquit, Religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis; et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito crescere facit in trabem.

etiamet inania verba vetat et castigat :

64 Otium autem, omnium malarum cogitationum sentinam, docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans, rebellem carnem et pigram disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum Fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, et vili pabulo sustentandum. Si quem vero cernebat, otiosum et vagum aliorum velle manducare labores, Fratrem muscam nominandum censebat; eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando : Volo, fratres meos laborare et exercitari, ne otio dediti per illicita corde aut lingua vagentur *q*. Euangelicum siquidem * volebat a fratribus observari silentium, ut videlicet ab omni otioso verbo omni tempore abstinerent solicite, tanquam reddituri in die judicii de hujusmodi rationem *r*. Sed et si quem invenisset fratrem verbis assuetum inanibus, acriter arguebat *f*, taciturnitatem modestam et puri cordis affirmans custodiam, et non modicam esse virtutem, pro eo quod mors et vita fore dicuntur in manibus linguæ *t*, non tam ratione gustus, quam ratione loquelæ.

q
* *in Wadd. deest* siquidem
r
s
t

facto et verbis docet, severitatem vitæ charitate temperandam.

63 Licet autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret, non tamen ei placebat districtionis severitas, quæ pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condita. Cum enim quadam nocte unus ex fratribus præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus nullam posset habere quietem; intelligeretque pius Pastor, ovi suæ imminere periculum, vocavit fratrem, apposuit panem, et, ut ruborem illi tolleret, cœpit ipse prior comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare. Deposuit frater verecundiam, sumsit cibum, gavisus quamplurimum, quod per circunspectam condescensionem Pastoris et corporis evasisset dispendium, et non modicum accepisset ædificationis exemplum. Mane facto, fratribus con-
E vocatis in unum Vir Dei referens, quod acciderat nocte, provida commonitione subjunxit : Sit vobis, fratres, non cibus, sed caritas in exemplum. Docuit insuper eos discretionem sequi *u*, ut auri-
u gam virtutum, non eam, quam caro suadet, sed quam edocuit Christus; cujus sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar.

Ex continuis lachrymis periclitans de visu
x

66 Et quoniam Agnum sine macula, Christum *x* crucifixum, non est possibile homini, carnis infirmitate circumdato, sic perfecte sectari, quin aliquas contrahat sordes; ideo documento certo firmabat, eos, qui perfectioni vitæ invigilant et intendunt, quotidianis debere se lacrymarum emundare fluentis. Licet enim *y* jam * esset adeptus cordis et corpo-
y ris puritatem mirabilem, non cessabat tamen lacry- * *Vatic.* tam marum imbribus jugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando jacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, suadente sibi medico, quod abstineret a lacrymis, si corporei visus cæcitatem vellet effugere, Vir sanctus respondit : Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum : quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit *z*. Malebat siquidem corporalis visus lumen
z amittere, quam lacrymas, quibus oculus mundatur F interior, ut Deum videre valeat, repressa * devo- * *Sur.* regressa tione spiritus impedire.

cauterium sine dolore sustinet,
aa

67 Cum autem semel daretur consilium a medicis, et instanter suaderetur a fratribus, ut pateretur sibi per remedium subvenire cocturæ *aa*, humiliter Vir Dei assensit; quia salutiferum hoc simul et asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit chirurgus *, instrumentum ferreum igni submittens * *Vatic.* chirurgicus ad faciendam cocturam. At Christi Servus, corpus jam horrore concussum confortans, sicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens : Mi, frater ignis, præ ceteris rebus æmulandi decoris, virtuosum, pulchrum et utilem te creavit Altissimus; esto mihi hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere. Oratione finita, contra igne candescens ferreum instrumentum signum crucis edidit, ac deinceps intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans ferrum in tenera carne, et ab aure usque ad supercilium coctura protracta. Quantum irrogaverit ignis ille dolorem, Vir ille * sanctus expressit. * *apud Wadd. deest* ille Laudate, inquit ad fratres, Altissimum, quia vere dico vobis, nec ignis ardorem sensi, nec carnis ullum dolorem. Et conversus ad medicum : Si non est,

AUCTORE S. BONAVENTURA.

est, inquit, caro bene decocta, imprime iterum *.

68 Expertus medicus in * invalida carne virtutem spiritus tam potentem, miratus est, et divinum hoc miraculum extulit, dicens: Dico vobis, fratres, vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam pervenerat * puritatem, ut caro spiritui, et spiritus Deo harmonia mirabili concordarent, divina ordinatione fiebat, ut creatura Creatori * suo deserviens, voluntati et imperio ejus mirabiliter subjaceret. Alio enim tempore apud eremum S. Urbani *bb* Servo Dei ægritudine gravissima laborante, cum ipse, naturæ defectum sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse, jussit quam adferri, et allatam signo crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura; et quod deserti loci paupertas non potuit, Viri sancti puritas * impetravit. Ad ejus gustum tanta protinus facilitate convaluit, ut saporis novitas, et innovatio sanitatis gustabile ac gustantem supernaturaliter innovantes, perfectam in ipso exspoliationem veteris hominis et induitionem novi *cc* duplici attestatione firmarent.

69 Non solum creatura Servo Dei serviebat ad nutum, sed et Creatoris ubique providentia condescendebat ad placitum. Cum enim tempore quodam, ex multarum infirmitatum concursu aggravato corpore, ad jucunditatem spiritus excitandam B alicujus audiendi soni harmoniaci desiderium habuisset; nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum, adfuit angelorum obsequium ad Viri sancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam, vigilante ipso, et meditante de Domino, repente insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, et suavissimæ melodiæ. Non videbatur aliquis; sed transitum et reditum citharœdi ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcisono carmine suavitate perfruitus, ut aliud se putaret sæculum commutasse. Hoc et fratres sibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessivis et crebris consolationibus a Domino visitari, ut nec ipsas omnino occultare valeret.

70 Alio quoque tempore, Viro Dei prædicationis causa inter Lombardiam et Marchiam Tervisinam *dd* iter agente cum fratre socio juxta Padum, tenebrosa noctis supervenit obscuritas. Cumque via esset exposita periculis magnis et multis propter tenebras, fluvium et paludes, dixit socius ad Virum sanctum: Ora, Pater, ut de instantibus periculis liberemur. Cui Vir Dei cum fiducia multa respondit: Potens est Deus, si placet suæ dulcedini *ee*, tenebrarum effugata caligine, beneficium C nobis impendere lucis. Vix sermonem compleverat, et ecce, tanta lux illico cœpit circa eos superna radiare virtute, ut nocte aliis * existente obscura, ipsi luce clara viderent non solum viam, verum plurima circumquaque: cujus lucis ducatu corporaliter directi, et spiritualiter confortati, usque ad locum hospitii per non modicum viæ spatium cum divinis hymnis et laudibus incolumes pervenerunt. Perpende, quam mirandæ fuerit Vir iste munditiæ, quantæque virtutis, ad cujus nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, angelica præbet melodia solatium, et lux divina ducatum, ut sic sanctificatis Viri sancti sensibus, omnis probetur mundi machina deservire.

* *ibid. add.* ferrum *stupente chirurgo; potu aquæ in vinum conversæ subito convalescit.*
* *in Ms. deest* in
* *Sur.* devenerat
* *Ms.* Factori *bb*
* *Wadd.* Viri sanctitas
cc
Graviter ægrotans cœlesti musica recreatur;
ætra nocte cum socio per viam divinitus illustratur.
dd
ee
* *Ms.* alias

ANNOTATA.

a *In Epistola ad Galatas cap.* 5, ŷ 24. *In editione Waddingi deest vox* autem.

b *In editione Waddingi desunt ista* Difficile namque *etc. huc usque.*

c De potu vini *etiam habet codex noster Ms.; sed editiones Vaticana, Suriana et Waddingiana solum* de potu. *Videtur tamen prior lectio præferenda, quia mox sequitur:* Cum et de aqua *etc.*

d *Nimirum quia Christus Dominus in Evangelio* D *Lucæ cap.* 10, ŷ 8 *septuaginta duos discipulos mittens ad prædicandum ait:* Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.

e *In Ms. nostro et tribus sæpe dictis editionibus:* contectus, *quæ lectio videtur genuina; ut suspicer,* contentus *ex solo typothetæ vitio apud Sedulium legi.*

f *Consentit codex noster Ms.; sed editio Vaticana et Suriana habent:* contegeremur. *Waddingus vero totam hanc periodum prætermisit.*

g *Matthæi cap.* 11, ŷ 8.

h *Vide Matthæum loco mox citato.*

i *Hæc quoque tota periodus deest in editione. Waddingi.*

k Sarthianum *Hetruriæ oppidum est in agro Senensi, non procul a civitate Clusio, vulgo* Chiusi, *prope quod oppidum, secundo scilicet ab illo lapide,* S. Franciscus *pauperculum conventum construxisse dicitur apud Waddingum ad annum* 1212, *num.* 1.

l *Lib. Job cap.* 41, ŷ 12.

m Arsit *etiam legit Surius; sed sine dubio legendum est:* Alsit *cum codice nostro Ms. et editione Vaticana, in qua legitur* Alxit.

n *Surius post præmissa verba* ipsum carnis tentatio apprehendit, *cetera huc usque paucis his verbis non satis accurate reddidit:* Quam ut Vir Dei sensit, illico se durissimis cædendo flagellis et in nives se projiciendo effugavit. E

o *Codex noster Ms. cum editionibus Vaticana et Suriana rectius habent:* sollicitius. *Waddingus hic rursum omnia usque ad finem hujus numeri omisit.*

p *Proverbiorum cap.* 6, ŷ 28.

q *Hæc quoque a vocibus* Propter quod *desiderantur in editione Waddingi.*

r *Matthæi cap.* 12, ŷ 36.

s *Reliqua usque ad finem hujus numeri desunt apud Waddingum.*

t *Proverbiorum cap.* 18, ŷ 21.

u *Tres quoque Socii in Appendice num.* 39 *observant, soluisse Sanctum in comitiis generalibus arguere Fratres,* qui nimis erant sibi ipsis austeri, vigiliis, jejuniis et corporalibus exercitiis nimium insudantes *etc.*

x *In Ms. nostro et editionibus Vaticana et Suriana deest:* Christum.

y *Surius:* Ipse vero, licet.

z *Deest hæc periodus apud Waddingum.*

aa *Id est,* cauterii. *Vaticana et Waddingi editiones pro* subvenire *rectius habent:* subveniri.

bb *Waddingus ad annum* 1213, *ad quem factum hoc ex Mariano retulit, castrum S. Urbani situm ait* in comitatu Narniensi, *ac prope illud* S. Franciscum *habuisse* eremiticum quemdam et derelictum in asperrimo monte... locum. *Sed in Commentario* F *prævio* § 18 *monuimus, castrum illud locumque fuisse in Piceno apud Æsinates. Lege dicta ibidem.*

cc *A Collossenses cap.* 3, ŷ 9 *et* 10.

dd *Editiones Vaticana et Waddingiana habent:* Tervisanam. *Est autem* Marchia Tarvisina, *cujus caput* Tarvisium *episcopalis civitas est, ampla Italiæ provincia sub dominio serenissimæ reipublicæ Venetæ.*

ee *Waddingus:* Si sibi placet.

CAPUT VI.

De humilitate ejus et obedientia, et de condescensionibus divinis ei factis ad nutum.

Omnium virtutum custos et decor humilitas copiosa Virum Dei ubertate repleverat. In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator; cum in veritate speculum esset et splendor omnimodæ sanctitatis. Super hanc studuit ædificare seipsum, ut sapiens architectus fundamentum præjaciens, quod a Christo didicerat. Dicebat, propter hoc Filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia

Humilitatis sectator eximius horret a laudibus.

A despicabilia *a* descendisse, ut tam exemplo, quam verbo, Dominus et Magister humilitatem doceret. Propter quod studebat, tanquam Christi discipulus, in oculis suis et aliorum vilescere; a summo dictum esse Magistro, commemorans : « Quod altum est » apud homines, abominatio est apud Deum *b*... Sed et verbum hoc dicere solitus erat : Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, et non plus.

a

b

delectatur opprobriis, suos defectus publice manifestat

72 Stultum proinde judicans, mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis et de laudibus tristabatur *c*. Malebat quidem de se vituperium audire, quam laudem; sciens, quod hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum. Et ideo sæpe, cum populi merita in eo sanctitatis extollerent, præcipiebat alicui fratri, ut in contrarium verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret. Cumque frater ille, licet invitus, eum rusticum, et mercenarium imperitum et inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quam facie, respondebat : Benedicat tibi Dominus, fili carissime, quia tu verissima *d* loqueris, et talia filium Petri Bernardonis decet audire. Ut autem se ceteris despicabilem redderet, non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus.

c

d

et pene nudus, funeque ad collum alligato protractus

B 73 Accidit semel, ut infirmitate gravatus rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis utcunque resumptis, verus sui contemptor ad propriæ carnis animatus opprobrium, Non est, inquit, conveniens, ut populus abstinentem me credat, et ego e contrario carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea sanctæ humilitatis spiritu inflammatus, et in platea civitatis Assisii populo convocato, solenniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, majorem introivit ecclesiam, funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus *e* solis in oculis omnium se trahi præcepit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari *f*. Super quem conscendens, licet quartanarius *g* esset et debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicavit.

e

f

g

ad concionem dicens coram populo

74 Audientibusque cunctis, asseruit se, non tanquam spiritualem honorandum fore; quinimo, tanquam carnalem et glutonem, ab omnibus contemnendum *h*. Igitur qui convenerant, tam ingenti viso spectaculo, admirati sunt; et quia ipsius austeritatem jam noverant, devotione compuncti, humilitatem hujusmodi magis admirabilem, quam imitabilem, proclamabant *. Licet autem id magis videatur portentum fuisse, instar prophetalis vaticinii, quam exemplum; tamen vere documentum exstitit humilitatis perfectæ, quo Christi sectator instruitur, transitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque jactantiæ comprimere fastum, et fraudulentæ simulationis mendacium confutari *i*. Multa quidem in hunc modum sæpius faciebat, ut exterius tanquam vas perditum fieret *k*, et sanctificationis spiritum interius * possideret.

h

* *Ms.* proclamant

C

i

k

* *Wadd.* intus

cælestia dona sibi collata celat, de se demisse sentit ac loquitur.

75 Studebat * bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpe cum beatificaretur a pluribus, verbum hujusmodi proferebat : Filios et filias adhuc habere possum *l*, nolite laudare nondum securum *m*. Nemo laudandus, cujus incertus est exitus. Ista quidem laudantibus; ad se autem sic : Latroni si tanta contulisset Altissimus, gratior te, foret, Francisce. Dicebat fratribus sæpe : De omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator, ait, jejunare potest, orare, plangere, carnemque propriam macerare : hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus; si fideliter servientes, ipsi, quicquid donat, fideliter adscribimus *n*.

* *Wadd.* add. etiam

l

m

n

Abdicato generalatu, cupit subesse guardiano, exemplis et verbis

76 Ut autem pluribus modis Negotiator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum, non tam præesse voluit, quam subesse, nec tam præcipere, quam parere. Idcirco generali * cedens officio, guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret *o*. Tam enim uberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transiret *p*. Unde et fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueverat, et servare. Dixit aliquando sociis : Inter alia, quæ dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mihi guardianus daretur, sicut antiquissimo et secretissimo *q* fratri. Subditus, inquit, prælatum suum non hominem considerare debet; sed illum, pro cujus est amore subjectus. Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

* *Vatic. et Wadd.* Generalis

o

p

q

obedientiam et humilitatem commendans et similitudine illustrans;

77 Cum vero vice quadam quæreretur ab eo, quis esset verus obediens judicandus; corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit. Tolle, inquit, corpus exanime, et ubi placuerit, pone : videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui, cur moveatur, non dijudicat; ubi locetur, non curat; ut transmutetur, non instat; evectus ad officium solitam tenet humilitatem; plus honoratus plus reputat se indignum. Dixit aliquando socio suo : Non mihi videor frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. E Ecce, prælatus existens fratrum, vado ad capitulum, prædico, et commoneo fratres, et in fine dicitur contra me : Non convenis nobis, quia illiteratus es, elinguis, idiota et simplex : tandem ejicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, et eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, frater Minor nequaquam sum. Et addebat : In prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animæ * lucrum est. Cur ergo periculis plus, quam lucris, attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum?

* *Vatic.* animi

fratres suos Minores vocavit, et ad ecclesiasticas dignitates noluit promoveri.

78 Hac igitur de causa humilitatis forma Franciscus *r* fratres suos voluit vocari Minores, et prælatos sui Ordinis dici Ministros, ut et verbis uteretur Euangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli ejus, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Jesus Christus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit : « Quicumque voluerit inter vos major fieri, » sit vester minister : et quicunque voluerit inter » vos primus esse, erit vester servus *s* ». Cum autem requireret ab eo Dominus Hostiensis, Ordinis Minorum protector et promotor præcipuus (qui postmodum, juxta quod idem Vir sanctus prædixerat, ad summi Pontificatus sublimatus honorem, Gregorius Nonus est dictus) utrum sibi placeret, quod fratres sui promoverentur ad ecclesiasticas dignitates, respondit : Domine, MINORES ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. Si vultis, ait, ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum, et ad prælationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis.

r

s

F

Videt socius ejus sedem ejecti angeli ipsi paratam :

79 Et quoniam humilitatem tam in se, quam in subditis, cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus altioribus ipsum dignum judicabat fastigiis, secundum quod uni fratri, viro virtutis et devotionis præcipuæ, visio cælitus ostensa monstravit. Cum enim esset in comitatu Viri Dei, et una cum ipso in quadam ecclesia deserta ferventi oraret affectu *; in ecstasi factus, vidit inter multas in cælo sedes unam ceteris digniorem, pretiosis ornatam lapidibus, et omni gloria refulgentem. Miratus intra se præcelsi refulgentiam throni, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audivit inter hæc vocem dicentem sibi : Sedes ista unius de ruentibus *t* fuit, et nunc humili servatur Francisco.

* *Sur.* hominum

* *ibid.* effectu

t

80 Reversus demum frater ad se ab orationis excessu, Virum beatum exterius prodeuntem solito fuit

AUCTORE S. BONAVENTURA

fuit more secutus. Cumque incedentes per viam de Deo invicem loquerentur, frater ille, visionis suæ non immemor, solerter ab eo quæsivit, quid de seipso sentiret. Ad quem humilis * Christi Servus, videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cum frater diceret ex adverso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire; subjunxit : Si quantumcunque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane, quod multo, quam ego, Deo gratior esset. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Euangelio sacro testante, cognoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus ejicitur, vere humilis exaltetur *u*.

ipse vero se peccatorum maximum reputat.

* *Sur.* humiliter

u

Sacræ reliquiæ ex ejus voto divinitus transferuntur.

81 Alio quoque tempore, cum in deserta quadam oraret ecclesia, in provincia Massæ, apud montem Casalem *x*, intellexit per spiritum, sacras ibidem remansisse reliquias, quas cum longo jam tempore defraudatas honorificentia debita, non sine mœrore conspiceret; præcepit fratribus, ut eas cum reverentia deferrent ad locum *y*. Sed, cum poscente causa discessisset ab eis, mandati Patris immemores filii, obedientiæ meritum neglexerunt. Die vero quadam, cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento submoto, ossa pulcherrima et redolentia nimis non sine admiratione reperiunt, intuentes reliquias, quas B non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reversus paulo post Vir Deo devotus, diligenter cœpit exquirere, si, quod de reliquiis mandaverat, esset impletum. Verum neglectæ obedientiæ culpam fratres confitentes humiliter, cum pœna veniam meruerunt. Et ait Vir sanctus : Benedictus Dominus Deus meus, qui per seipsum implevit, quod vos facere debuistis. Considera diligenter *z* divinæ providentiæ curam circa pulverem nostrum *, et humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutem. Nam cujus jussis non paruit homo, votis obedivit Deus.

x

y

z

* *Sur.* Sanctorum

Episcopum Imolensem humilitate sibi devincit :

82 Quodam tempore deveniens Imolam *aa*, civitatis episcopum adiit, humiliterque poposcit, ut cum ipsius beneplacito posset populum ad prædicationem vocare. Cui episcopus dure respondens, Sufficit, inquit, frater, quod ego prædicem populo meo. Inclinavit caput verus humilis, et foras egressus, post modicam horam regreditur intro. A quo cum episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam corde, quam voce respondit : Domine, si pater filium uno pepulerit * ostio, alio sibi reintrandum est. Humilitate victus episcopus, alacri vultu eum amplexatus * est, dicens : Tu, et omnes fratres tui de cetero in episcopatu meo, generali mea licentia, prædicetis : C quia illud humilitas sancta promeruit.

aa

* *Vatic.* repulerit

* *ibid.* amplexus

Aretinos dissidentes, fugatis dæmonibus, conciliat ;

83 Contigit, ipsum aliquando Aretium devenire, cum tota civitas, intestino bello quassata, propinquum sui minabatur excidium. Hospitatus vero in suburbio, vidit supra civitatem exsultantes dæmones, ac perturbatos cives ad cædem mutuam succendentes *. Ut autem seditiosas illas effugaret aereas potestates, fratrem Silvestrum, columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem præmisit, dicens : Vade ante portam civitatis, et ex parte Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, ut exeant festinanter. Accelerat verus obediens Patris jussa perficere, et præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam civitatis cœpit clamare valenter : Ex parte omnipotentis Dei, et jussu servi ejus Francisci, procul hinc discedite, dæmones universi. Redit ad pacem continuo civitas et civilitatis in se jura cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsa quippe dæmonum furibunda superbia, quæ civitatem illam velut obsidione vallaverat, superveniens sapientia pauperis, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit, urbemque salvavit.

* *Ms.* succedentes

ab his male excipitur in palatio,

84 Humilis enim obedientiæ ardua promerente virtute, super spiritus illos rebelles atque protervos tam potestativum fuerat assecutus imperium, ut et ipsorum feroces protervis premeret, et D importunas violentias propulsaret. Fugiunt quidem superbi dæmones excelsas virtutes humilium, nisi cum interdum ad humilitatis custodiam divina eos clementia colaphizari permittit; sicut et Paulus apostolus de seipso scribit *bb*, et Franciscus experimento probavit. Rogatus enim a domino Leone Cardinale sanctæ Crucis *cc*, ut secum aliquantulum moraretur in Urbe, acquievit humiliter ob ipsius reverentiam et amorem. Prima igitur nocte, cum post orationem vellet quiescere, supervenerunt dæmones, in Christi Militem atrociter insurgentes. Quem cum diu verberassent ac dure, ad ultimum quasi seminecem reliquerunt.

bb

cc

ex quo postero mane discedit;

85 Discedentibus illis, socius vocatus advenit. Cui cum Vir Dei rei narrasset eventum, subjungens ait : Credo, frater, quod dæmones, qui nihil possunt, nisi quantum providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam spem præfert mansio mea in curia magnatum *. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes, me cum Cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan, implicari mundanis, efferri honoribus, et deliciis abundare. Ideo melius judico, eum, qui ponitur in exemplum, fugere curias, et humiliter inter humiles in locis conversari humilibus, ut sustinentes penuriam fortes efficiat similia sustinendo. Veniunt ergo mane, et E humili excusatione proposita, valefaciunt Cardinali.

* *al.* magnatorum

pœnitentem de inobedientia clementer punit, Deo factum miraculo probante.

86 Abhorrebat nempe Vir sanctus superbiam, omnium malorum originem *dd*, et inobedientiam, ipsius pessimam prolem; sed non minus humilitatem pœnitentiæ acceptabat. Accidit semel, ut eidem præsentaretur quidam frater, qui contra legem obedientiæ aliquid fecerat, disciplina justitiæ corrigendus. Videns autem Vir Dei, fratrem illum per signa evidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ incentivum esset aliis delinquendi, jussit ablatum fratri capitium * in medio flammarum projici, ut omnes adverterent, quanta qualique vindicta offensa sit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram capitium fuisset in medio ignis, præcepit ipsum flammis detrahi, reddique fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu! Extrahitur capitium de medio flammarum, nullum habens adustionis vestigium : sicque factum est, ut hoc uno Deus miraculo, et sancti Viri virtutem, et humilitatem pœnitentiæ commendaret. Digne itaque sectanda est Francisci humilitas, quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, ut Deum inclinaret ad votum, et hominis immutaret affectum *, dæmonum protervitatem suo jussu propelleret, et flammarum voracitatem solo nutu refrænaret. Re vera hæc est, quæ possessores suos exaltans, dum omnibus reverentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

dd

* *al.* caputium

* *Wadd. add.* multoties

F

ANNOTATA.

a Ad nostra despicabilia *ac mox infra* Dominus et Magister *desunt apud Waddingum.*

b *In Vulgata Lucæ cap.* 16 ℣ 15 : Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

c *Apud Waddingum denuo omissa hic sunt a vocibus* Propter quod, *huc usque.*

d *Quo sensu hæc vere dici potuerint, exposui in Commentario prævio num.* 275.

e *Ita legendum esse, patet tum ex re ipsa, tum ex codice nostro Ms. et editionibus Vaticana et Suriana. In Seduliana legebatur* femoribus.

f *Vitiosam vocem hic habet Ms. nostrum.*

g *Id est,* Licet quartana febri laboraret.

h *Vide etiam Vitam primam num.* 52.

i *Waddingus hic rursum prætermisit omnia, quæ toto hoc ac præcedenti numero recitata sunt; utque præcedentia cum sequentibus connecteret, post illa verba* proprios manifestaret defectus, *in fine numeri* 72 *posita, ita prosecutus est :* Sicque conatus est

A est Christi Sectator transitoriæ laudis præconium contemnere, et tumentis jactantiæ fastum comprimere. Multaque in hunc modum *etc., quæ hic subduntur.*

k *Ex Psalmo* 30, ℣ 14.

l *In codice nostro Ms., et editionibus Vaticana et Suriana :* possem.

m *In eodem codice et editione Vaticana* : Nolite laudare securum : *in Suriana :* Ut securum.

n *Hæc denuo omnia a verbis illis* quod posset occasio esse ruinæ *desiderantur in editione Waddingi.*

o *Ex hoc loco credunt aliqui,* S. Franciscum *aliquando generale Ordinis ministerium sponte sua deposuisse; sed, ut mihi quidem videtur, perperam. Consule Commentarium prævium num.* 394 *et sequentibus.*

p *Hæc periodus desideratur apud Waddingum, qui præcedentia cum subsequentibus connexuit hoc modo :* Imo et fratri socio, cum quo ire solebat, semper obedientiam promittere consueverat, et servare. In omnibus rebus et factis obedientiam et humilitatem sectabatur. *Post hæc rursum rescidit omnia usque ad initium numeri* 78.

q *Ms. codex noster et duæ aliæ laudatæ editiones melius habent :* Discretissimo.

B r *Waddingus* : Ob humilitatis formam fratres suos voluit vocari Minores.

s *Matthæi cap.* 20 ℣ 26 *et sequenti. Apud Waddingum rescissa sunt sequentia usque ad initium num.* 79.

t *Id est, unius ex angelis rebellibus.*

u *Waddingus hæc omnia compendiose sic retulit :* Et quoniam humilitatem tam in se, quam in subditis, cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus altioribus ipsum dignum judicabat fastigiis, secundum quod cuidam fratri, sancti Viri socio, ostendit, fulgentissimam in cælis sedem, quæ unius ex ruentibus angelis erat, sibi (*id est* illi) reservari, ut ad excellentiam gloriæ, de qua superbus ejectus est angelus, vere humilis exaltaretur.

x *Waddingus ad annum* 1215, *num.* 17 *hæc referens,* montem Casalem supra Burgum sancti Sepulchri *situm ait. Quod si ita sit, per* provinciam Massæ *videtur hic indicari* Massa, *quæ, ut ab aliis distinguatur,* Trabaria *appellatur, estque tractus in ducatu Urbinate et ditionis Pontificiæ.*

y *Waddingus :* Fratrum deferrent ad locum; *quod certe sensui conforme est.*

z *Waddingus :* Considera, quæso lector.

aa Imola, *olim* Forum Cornelii, *episcopalis civitas est ditionis Pontificiæ in provincia Romandiolæ.*

C *Codex noster Ms. hic mendose habet :* In Nosam *pro* Imolam. *In editione Waddingi omnia desiderantur, quæ toto hoc ac tribus sequentibus numeris referuntur.*

bb *Ad Corinthios* 2, *cap.* 12, ℣ 7; *cujus tamen loci explicationem lege apud interpretes.*

cc *Waddingus factum hoc anno* 1223 *affigens, num.* 18 *Cardinalem hunc* Leonem Brancaleonem *appellat.*

dd *Waddingus narrationem hic resumens, sic habet :* Superbiam etiam Vir sanctus, tamquam malorum omnium originem, et inobedientiam, ipsius pessimam prolem, in subditis abhorrebat, et non minus humilitatem patientiæ in eisdem acceptabat.

CAPUT VII.

De amore paupertatis, et mira suppletione defectuum.

Eximiæ paupertatis exemplar et doctor

Inter cætera charismatum dona, quæ a largo Datore Franciscus obtinuit, prærogativa quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere per altissimæ paupertatis amorem. Hanc Filio Dei Vir sanctus familiarem attendens, et jam quasi toto orbe repulsam, caritate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem matremque reliquit; verum etiam, quæ habere potuit, universa dispersit. Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis; nec thesauri custodiendi solicitior ullus, quam iste hujus Euangelicæ margaritæ. In hoc præcipue suos offendebatur aspectus, si quicquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret. Re vera ipse a principio Religionis usque ad mortem tunica, chordula, et femoralibus dives, iis contentus fuit. AUCTORE S. BONAVENTURA.

88 Christi Jesu paupertatem et Matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem : inde hanc virtutum asserens esse reginam, quia in Rege regum, et in regina Matre ipsius tam præstanter effulsit *a*. Nam et fratribus in conclavi quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat : Paupertatem noveritis, fratres, specialem * viam esse salutis, tanquam humilitatis fomentum, perfectionisque * radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Euangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia *b;* et quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad hujus, inquit, culmen qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentiæ, verum etiam litterarum peritiæ renunciare quodammodo debet, ut tali expropriatus possessione introeat in potentias Domini, et nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim sæculo perfecte renuntiat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat.

eam fratribus suis maxime commendabat

a

* *Sur.* spiritualem

* *Vatic.* profectionisque

b

E

89 Sæpe vero de paupertate sermonem faciens, ingerebat fratribus Euangelicum illud : « Vulpes » foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius » autem hominis non habet, ubi caput suum re» clinet *c*. » Propter quod docebat fratres *d*, ut pauperum more pauperculas casulas erigerent, quas non inhabitarent ut proprias, sed sicut peregrini et advenæ alienas. Leges namque peregrinorum esse, dicebat, sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacifice pertransire. Mandabat, dirui aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoveri, si aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset Euangelicæ paupertati *e*. Hanc sui dicebat Ordinis fundamentum, cui substrato primarie sic omnis structura Religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, et eversione funditus evertatur.

nihil passus huic Ordinis fundamento contrarium :

c d

e

90 Docebat proinde, sicut revelatione didicerat, sacræ Religionis ingressum ab illo fore inchoandum Euangelico verbo; Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus *f*. Ideoque non nisi expropriatos et nihil penitus retinentes admittebat ad Ordinem; tum propter verbum sancti Euangelii, tum etiam ne forent in scandalum loculi reservati *g*. Unde in Marchia Anconitana cuidam petenti ad Ordinem recipi, verus pauperum Patriarcha respondit : Si vis Christi pauperibus jungi, pauperibus * tua distribue. Quo audito, perrexit homo, et ductus amore carnali sua suis reliquit, nilque pauperibus. Verum cum hæc, illo referente, Vir sanctus audisset, dura eum increpatione feriens dixit : Vade viam tuam, frater musca; quoniam nondum existi de domo et cognatione tua. Consanguineis tuis dedisti, et defraudasti pauperes, dignus non es pauperibus sanctis sociari *h*. Incepisti a carne; ruinosum fundamentum spirituali fabricæ collocasti. Rediit animalis homo ad suos, et repetiit sua, quæ pauperibus relinquere nolens, virtutis propositum citius dereliquit.

repellit, qui sua consanguineis, nihilque pauperibus, distribuerat :

f

F

g

* *Ms.* mundi pauperibus

h

91 Alio quoque tempore, cum in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula tanta esset inopia, quod non posset hospitibus fratribus supervenientibus secundum necessitatis exigentiam provideri, adiit Virum Dei vicarius suus, allegans penuriam fratrum, et petens, ut intrantium novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore oportuno. Ad quem Vir sanctus, superni consilii non ignarus, Absit, inquit, a nobis, frater carissime, ut pro

vetat, aliquid a novitiis dari :

AUCTORE S. BONAVENTURA.

quovis homine impie agamus in Regulam. Malo, te altare Virginis gloriosæ nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum et observantiam Euangelii, aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo, sancti Euangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam altari suo ornato *, Filii sui promissum consilium prætermitti.

* *Ms.* vestito

92 Transiens autem quodam tempore Vir Dei cum suo socio per Apuliam juxta Barrum *i*, invenit in via bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem, quam usitato vocabulo, FUNDAM appellant *. Monetur a socio Pauper Christi, et instanter inducitur, ut bursa tollatur e terra, et pecunia pauperibus erogetur. Renuit Homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in bursa inventa, et fratrem non suadere rem meriti, sed peccati, aliena scilicet surripere ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere cœptum. Sed nondum quiescit frater vacua pietate delusus, Virum Dei molestans, quasi qui de relevanda pauperum penuria non curaret. Acquievit tandem Vir mitis redire ad locum; non ut fratris voluntatem perficeret, sed ut detegeret diabolicam fraudem. Reversus est ergo ad Fundam cum fratre, et juvene quodam, qui erat in via. Oratione præmissa, jubet B socio illam levare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum jam præsentiens monstrum; propter obedientiæ tamen sanctæ mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpens non modicus de bursa exsiliens, simulque cum ipsa subito evanescens, diabolicam deceptionem fratri monstravit. Hostilis itaque versutiæ deprehensa fallacia, dixit Vir sanctus ad socium : Pecunia servis Dei, o frater, nihil aliud est, quam diabolus et coluber venenosus.

in bursa, quæ videbatur pecunia plena, dæmonem latere ostendit.

i

* *Ms.* appellavit

93 Accidit post hæc *k* quoddam mirabile Viro sancto, dum se ad civitatem Senensem, causa exigente, transferret. Tres quidem mulieres pauperculæ, statura, ætate ac facie per omnia similes, in quadam ei magna planitie inter Campilium et Sanctum Quirinum *l* occurrerunt, novum salutationis munusculum ei offerentes. Bene veniat, inquiunt, domina paupertas. Quo audito, verus paupertatis Amator indicibili repletus est gaudio; utpote qui nihil in se salutandum ab *m* hominibus tam libenter haberet, quam quod illæ decreverant. Subito disparentibus illis, considerantes fratres socii tam admirabilem in eis similitudinem *, salutationis, occursus, et disparentiæ novitatem, mysticum aliquid designari circa Virum sanctum non irrationabiliter perpenderunt. Sane per illas tres, ut videbatur, mulieres pauperculas, sic uniformi facie occurrentes, sic salutantes insolite, sic subito disparentes, Euangelicæ perfectionis formositas, quantum ad castitatem scilicet, obedientiam et paupertatem, satis convenienter ostenditur in Viro Dei pari forma C perfecte fulsisse; licet gloriari præelegerit in privilegio paupertatis, quam modo Matrem, modo Sponsam, modo Dominam nominare solebat.

Obvias habet tres pauperculas, mox evanescentes ex oculis :

k

l

m

* *Ms.* similitudinis

94 In hac ceteros cupiebat excedere, qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando igitur * pauperiorem, se, quempiam secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens, excitabat ad simile, tanquam si æmula paupertate concertans, vinci se timeret in illo *n*. Accidit enim, ut pauperculum quemdam obvium haberet in via, cujus cum nuditatem aspiceret, compunctus corde lamentabili voce dixit ad socium : Magnam verecundiam intulit nobis hujus inopia; quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus, et ecce, magis relucet in isto.

cupit omnium esse pauperrimus :

* *al. deest* igitur

n

95 Propter sanctæ paupertatis amorem omnipotentis Dei Famulus eleemosynis ostiatim quæsitis utebatur multo libentius, quam oblatis. Si quando enim invitatus a magnis personis mensis esset profusioribus honorandus, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopia discumbebat. Et cum aliquando id fecisset, invitatus a domino Hostiensi, qui Pauperem Christi præcipuo complexabatur affectu, D conquerenti episcopo, quod suo derogasset honori; utpote qui in ejus comesturus domo *, pro eleemosynis isset, Servus Dei respondit : Magnum, mi domine, vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi : siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, et ea maxime, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus Jesus egenus factus assumpsit, ut sua nos ditaret inopia, ac vere pauperes spiritu regni cælorum reges instituret et hæredes, nolo relinquere pro feudo * divitiarum falsarum, nobis * ad horam concesso.

pransurus apud magnates, cibum prius mendicat ostiatim :

* *Ms.* hospitio

* *Ms.* feodo

* *Vatic.* vobis

96 Nonnunquam fratres ad petendum eleemosynam hortans, verbis utebatur hujusmodi : Ite, inquit, quoniam hac novissima hora fratres Minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a Judice commendentur, illud audientes suavissimum verbum : « Quam diu feci- » stis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feci- » stis *o*. » Jucundum proinde dicebat, sub fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione justorum Euangelicæ veritatis Magister ore suo tam signanter expressit. In festis quoque præcipuis *p*, ubi opportunitas auderat, mendicare solitus erat, dicens, in sanctis pauperibus propheticum illud impleri : « Panem angelorum manducavit E » homo *q*. » Illum sane panem angelicum * esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, et beatis suggerentibus angelis, pro ipsius caritate largitum, sancta paupertas colligit ostiatim.

fratres suos ad mendicandum hortatur,

o

p

q

* *Ms.* perperam Euangelicum

97 Unde cum semel die sancto Paschæ moram faceret in eremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non posset, memor illius, qui discipulis euntibus in Emaus ipso die in specie peregrini apparuit *r*, ab ipsis fratribus eleemosynam petiit, ut peregrinus et pauper. Quam cum accepisset humiliter, sacris eos informavit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum, tanquam peregrini et advenæ, verique Hebræi, Pascha Domini, hoc est, transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus continue celebrarent. Et quoniam in petendis eleemosynis non quæstus agebatur cupidine, sed spiritus libertate, pater pauperum Deus specialem de ipso curam gerere videbatur.

a quibus ipse met, cum ab aliis non posset, aliquando mendicavit:

r

98 Accidit enim, ut infirmitate gravatus Domini Servus in loco Noceriæ reduceretur Assisium per solennes nuncios, ad hoc Assisinatis populi devotione transmissos; qui Christi Famulum deducentes, ad villam quandam devenerunt pauperculam, nomine Sarthianum *s;* ubi cum fames et hora cibum expeterent, euntes et nihil invenientes venale, vacui redierunt. Ad quos Vir sanctus : Ideo nihil invenistis, quia plus in muscis vestris, quam in Domino, confiditis : muscas nempe denarios vocavit. Sed revertimini, ait, per domos, quas F circuistis, et amorem Dei offerentes * pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. Nec falsa id æstimatione verecundum putetis aut vile : quoniam universa in eleemosyna * post peccatum dignis et indignis Eleemosynarius ille magnus largiflua pietate concessit. Deponunt erubescentiam milites *t*, et eleemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore, quam denariis, emunt. Siquidem divino nutu corde compuncti pauperes incolæ non solum sua, sed et seipsos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, ut inopiam, quam pecunia relevare non poterat, Francisci pauperies opulenta suppleret *u*.

nobiles ex ejus consilio cibos, quos pecunia obtinere nequiverant, pro Dei amore accipiunt.

s

* *Vatic.* offerentis

* *Ms. et Sur.* in eleemosynam

t

u

99 Tempore, quo infirmus jacebat in eremitorio prope Reate *x*, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam, liberalissimus Deus, ne ipsum sine præsenti remuneratione dimitteret, pium ejus obsequium hoc novo * beneficio, vice Pauperis, compensavit. Hujus enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo de novo construxerat, parietum patula scissione a summo usque deorsum, adeo de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur

Obsequium medici illius Deus mirabiliter pensat,

x

* *Ms.* uno

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A debatur per humanæ artis industriam possibile ipsius casu obviare. Ipse vero de sancti Viri meritis plene confidens, cum magnæ fidei devotione petivit a sociis ejus aliquid sibi concedi, quod idem Vir Dei manibus contrectasset. Cum igitur modicum de capillis ipsius, multa precum obtentum
y instantia, posuisset de sero *y* intra muri scissuram, mane consurgens tanta invenit aperturam illam soliditate conclusam, ut nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissuræ prioris vestigium aliquod invenire. Factumque est, ut, qui ruinoso corpusculo Servi Dei sedule ministrarat, ruituræ domus propriæ periculo præcaveret.

aquam e rupe educit sitienti in Sancti obsequio,

100 Alio quoque tempore Vir Dei ad quandam eremum transferre se volens, ut ubi liberius contemplationi vacaret: quia debilis erat, cujusdam Viri pauperis vectabatur asello. Cumque diebus
z æstivis, Famulum Christi sequendo, vir ille montana conscenderet, asperioris et longioris vitæ *z* itinere fatigatus, nimioque sitis ardore deficiens, instanter cœpit clamare post Sanctum : En morior, inquit, siti, nisi poculi alicujus beneficio continuo refociller. Absque mora Vir Dei prosilivit de asino, et fixis in terra genibus, palmas tetendit in cælum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita, Festina, inquit viro, ad petram, et illic aquam vivam invenies, quam tibi hac hora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ servis
B suis tam facile se inclinat. Bibit sitiens homo
aa aquam de petra, orantis virtute productam *aa*, et poculum hausit de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidem ante non fuit; nec, ut est diligenter quæsitum, deinceps potuit inveniri.

et cibos multiplicat Sancto, iisque, qui cum illo navigabant.

101 Qualiter autem per merita sui Pauperis Christus multiplicaverit cibos in mari, cum suo sit loco inferius adnotandum *bb*, hoc tantum commemorasse sufficiat, quod de eleemosyna modica sibi collata nautas a famis et mortis periculo per dies plurimos liberavit: ut ex hoc liquido possit adverti, quod omnipotentis Dei Famulus, sicut in eductione * aquæ de petra conformis exstitit Moysi; sic in multiplicatione victualium Elisæo *cc*. Procul igitur a pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Francisci adeo copiosæ sufficientiæ fuit, ut subvenientium sibi * defectus tam * mira virtute suppleret, quod nec cibus, nec potus, nec domus deesset, cum pecuniæ et artis et naturæ facultas defecerat; multo magis illa merebitur, quæ usitato divinæ providentiæ ordine communiter conceduntur. Si, inquam, petræ siccitas ad Pauperis vocem abundans poculum sitienti propinavit pauperculo, nil jam inter omnia suum denegabit obsequium his, qui pro Auctore omnium omnia reliquerunt.

bb

* *Sur.* ductione

cc

* *Sur.* subvenientiam cibi
* *Vatic.* jam

ANNOTATA.

C a *Quæ sequuntur usque ad* Hanc sui dicebat, *desiderantur in editione Waddingi.*

b *Matthæi cap.* 13, ℣ 44.

c *Matthæi cap.* 8, ℣ 20; *et Lucæ* 9, ℣ 58.

d *Ms. codex noster :* Præcepit fratribus, *et mox infra* casas *pro* casulas.

e *Quantam hujus rei curam sanctus Institutor habuerit, liquet etiam ex Testamento suo, in quo ait :* Caveant sibi fratres, ut ecclesias et habitacula, et omnia alia, quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus, semper ibi hospitantes, sicut advenæ et peregrini.

f *Matthæi cap.* 19, ℣ 21.

g *Quæ sequuntur usque ad finem numeri* 92, *desunt in editione Waddingi.*

h *In Suriana editione deest* sanctis; *in codice nostro Ms. et editione Vaticana non legitur* sociari.

i *Ms. codex et editio Vaticana habent :* Barum. *Est porro* Barium, *Italis* Bari, *regni Neapolitani civitas archiepiscopalis in Apulia, Bariani agri caput, et S. Nicolai Myrensis episcopi corpore celebris.*

k *Waddingus :* Accidit semel; *ac mox infra omittit :* Causa exigente. AUCTORE S. BONAVENTURA.

l Sanctum Quiricum *legendum est cum Ms. nostro ac tribus aliis editionibus sæpe laudatis. Est autem* Fanum S. Quirici, *incolis* San-Quirico, *oppidulum Hetruriæ in agro Senensi, inter montem Radicofanum et Senas. Non procul a Radicofano versus prædictum fanum in Tabulis geographicis invenio vicum vel castrum* Campiglia, *quod forte est* Campilium *hic in Vita memoratum.*

m *In Ms. nostro et editionibus Vaticana et Waddingiana non legitur* ab.

n *Sequentia usque ad illa verba :* In festis, *num.* 99 *posita, desiderantur in editione Waddingiana.*

o *Matthæi cap.* 25, ℣ 40.

p *Hic telam narrationis resumit Waddingus :* In festis præcipuis, ubi opportunitas aderat, mendicare solitus erat; *sed cetera rursus rescidit usque ad initium numeri sequentis.*

q *Psalmo* 77, ℣ 25.

r *Lucæ cap.* 24.

s *Ms. codex* Sathrianum; *Surius* Sathianum. *Vide, quæ de hoc ac* Noceriæ *loco, eodemque Sancti itinere dixi in Commentario prævio num.* 611 *et duobus seqq.*

t *Id est,* viri nobiles, *qui ea ætate* milites *dicebantur.*

u *Hæc denuo rescidit Waddingus, præmissa cum sequentibus sic connectens :* Et quoniam in petendis E
eleemosynis non quæstus agebatur cupidine, sed spiritus libertate, Pater pauperum Deus specialem de ipso curam gerere videbatur; ut, cum nec eleemosynam petere poterat, nec necessitatibus supervenientibus, aut hospitibus adventantibus, necessaria aderant, provide et misericorditer Deus omnia ministrabat, et ei benefacientibus aut ministrantibus largissima præmia impendebat. Cujus unum vel alterum exemplum breviter proponam. *Tum subdit, quæ hic sequuntur in Vita, quam edo.*

x *Adi Commentarium prævium num.* 605 *et sequenti.*

y *Id est,* vesperi.

z *Cum Ms. nostro et Surio lege* viæ. *Editiones Vaticana et Waddingiana habent :* Asperiori et longiori itinere.

aa *Vox* productam *non legitur in Ms. nostro, nec in aliis tribus editionibus.*

bb *In editione Waddingi desunt ista :* Cum suo sit loco inferius adnotandum. *Annotatur autem infra in hac Vita cap.* 9.

cc *De Moyse vide Exodi cap.* 17; *de Eliseo lib.* IV *Regum, cap.* 4.

CAPUT VIII.

De pietatis adfectu, et quomodo ratione carentia adfici videbantur ad ipsum. F

Vir piissimus plangit animarum jacturas, ac magni facit concionatores,

a

* *Ms add.* viscera

* *apud Wadd.* deest Christo

b

Pietas vera, quæ secundum Apostolum ad omnia valet *a*, adeo cor Francisci repleverat ac penetraverat *, ut totum videretur Virum Dei in suum dominium vendicasse. Hæc est, quæ ipsum per devotionem sursum agebat in Deum, per compassionem transformabat in Christum, per condescensionem inclinabat ad proximum, et per universalem conciliationem ad singula refigurabat ad innocentiæ statum. Cumque per hanc pie moveretur ad omnia, specialiter tamen animas, Christi Jesu sanguine pretioso redemptas, cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas, tanquam mater, in Christo quotidie parturiret. Et hæc penes ipsum caussa præcipua venerandi verbi Dei ministros, quod semen fratri suo defuncto, Christo * videlicet, pro peccatoribus crucifixo, per ipsorum conversionem et pia solicitudine suscitent, et solicita pietate gubernent *b*. Istiusmodi miserationis officium Patri misericordiarum, omni sacrificio, firmabat, acceptius; maxime si studio fuerit perfectæ caritatis impensum :

AUCTORE S. BONAVENTURA.

impensum : ut ad id laboretur magis exemplo, quam verbo, magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone.

qui non tam verbo, quam exemplo, eas Christo lucrantur.

105 Plangendum proinde dicebat prædicatorem, tanquam vera pietate privatum, sive qui in prædicatione non animarum quærit salutem, sed propriam laudem; sive qui pravitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendum huic dicebat fratrem simplicem et elinguem, qui bono exemplo alios provocat * ad bonum. Illud quoque verbum: « Donec sterilis peperit plurimos *c*, » taliter exponebat: Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio plurimos; quia, quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suæ gloriæ tunc Judex adscribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur; quia prædicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc, se nil proprii habere in eis.

* *Ms.* provocaret

c

hinc bonis bona, malis mala precatur. Deusque illum

104 Cum igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret, et fervida æmulatione zelaret, suavissimis se dicebat repleri odoribus, et quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum, per orbem distantium, odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Ex * talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam, qui Religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam. A te, Domine, inquit, sanctissime, et * a tota cælesti curia, et a me parvulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt, quod per sanctos fratres Ordinis hujus ædificasti, et ædificare non cessas.

* *Vatic.* Et

B

* *in Vatic. deest* et

pro offensam dantibus orantem sola tur.

105 Tanta frequenter afficiebatur mœstitia super scandalo * pusillorum, ut deficere se putaret, nisi divinæ fuisset clementiæ consolatione suffultus. Cum autem semel malis turbatus exemplis, anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro filiis, responsum hujusmodi reportavit a Domino: Cur tu, pauper homuncio, conturbaris? An ego te super Religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicem ad hoc te constitui, ut, quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ adscribantur. Ego vocavi, servabo, et pascam, et aliis excidentibus alios subrogabo: ita ut, si nati non fuerint, faciam illos nasci. Et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæe concussa Religio, salva semper meo munere permanebit.

* *ibid. et Sur.* scandala

Sanctus detractores odit, et vult severe castigari:

106 Detractionis quoque vitium, inimicum fonti pietatis et gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum, et atrocissimam pestem, et piissimo Deo abominabile fore firmabat, pro eo, quod detractor animarum sanguine pascitur, quos * gladio linguæ necat. Audiens semel, fratrem quendam denigrare famam alterius, conversus ad vicarium suum dixit: Surge, surge, discute diligenter, et, si accusatum fratrem innocentem reperis *, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem. Nonnunquam vero eum, qui fratrem suum famæ gloria spoliaret, judicabat habitu spoliandum; nec ad Dominum oculos posse levare, nisi prius, quod abstulerat, reddere pro posse curaret. Tanto major est (aiebat) detractorum impietas, quam latronum, quanto lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum, quam corporum, nos astringit optare salutem.

* *l.* quas

C

* *al.* repereris

in afflictis et egenis Christum contemplans, punit verbum durius pauperi dictum,

107 Afflictis quoque qualicunque corporali molestia mira passionis * teneritudine condescendens, si quid penuriæ, si quid defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus ejus ad pauperes et infirmos; et quibus non poterat manum, exhibebat affectum *d*. Contigit semel, ut pauperi cuidam eleemosynam importune petenti unus e fratribus durius responderet; quod audiens pauperum pius Amator, fratri præcepit, ut ad illius pauperis pedes se nudatum *e* prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet et veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter Pater adjecit: Dum pauperem vides, o frater, speculum tibi proponitur Domini, et pauperis Matris ejus. In infirmis similiter infirmitates, quas assumpsit, considera.

* *al.* compassionis

d

D

e

108 Cumque in pauperibus cunctis, et ipse Christianissimus pauper, effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat, verum etiam, ac si illorum propria essent, judicabat esse reddenda *f*. Accidit semel, ut eidem redeunti de Senis pauper quidam occurreret, cum occasione infirmitatis super habitum palliolo quodam esset amictus. Cujus miseria oculo clementi conspecta, Oportet, inquit ad socium, ut reddamus mantellum pauperculo isti, nam ipsius est: mutuo enim ipsum accepimus, donec pauperiorem invenire contingeret. Socius autem, pii Patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne provideret alii, se neglecto. At ille: Pro furto, ait, mihi reputo a magno Eleemosynario imputandum, si hoc, quod fero, non dedero magis egenti. Propterea de omnibus, quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis relevandam, solitus erat a dantibus licentiam petere, ut licite posset, si magis egenus occurreret, erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris, quin omnia hæc, dum posset, ut pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. Pluries, cum oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat

nec sibi, nec ulli rei parcit, dum succurrat egentibus.

f

E

Creaturas omnes tenere amabat, maxime agnos: ob quorum unum necatum

109 Consideratione quoque primæ originis omnium abundantiori pietate repletus, creaturas, quantumlibet parvas, Fratris vel Sororis appellabat nominibus; pro eo, quod sciebat, eas unum secum habere principium. Illas tamen viscerosius complexabatur et dulcius, quæ Christi mansuetudinem piam similitudine naturali prætendunt, et Scripturæ significatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem *g*, illius memor Agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hospitato quadam vice Servo Dei apud monasterium sancti Verecundi *h*, de episcopatu Eugubii, ovicula quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morsu necavit. Hoc audito, pius Pater mira compassione commotus, et Agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi, coram omnibus dicens: Heu me, frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repræsentans! maledicta sit impia, quæ te interfecit, nullusque de ea comedat homo, vel bestia.

g

h

porcæ maledicit: oves sibi applaudentes habet.

110 Mirabile dictu *. Statim infirmari cœpit porca maleficia, et tribus diebus corpoream pœnam exsolvens, ultricem tandem pertulit necem. Projecta autem in vallem * monasterii, ibique longo tempore jacens, in modum tabulæ desiccata, nulli fuit esca famelico. Advertat igitur humana impietas, quali pœna sit ferienda finaliter, si tam horrenda morte percussa est ferocitas bestialis. Perpendat et fidelis devotio, quam in Servo Dei pietas fuerit admirandæ virtutis, et copiosæ dulcedinis, ut ei applauderet suo modo etiam natura brutorum. Iter enim faciens juxta civitatem Senensem, invenit in pascuis magnum ovium gregem. Quas cum benigne (ut erat solitus) salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum; levantesque capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum, ut et pastores mirarentur et fratres, cernentes circa ipsum tam ovium agnos, quam ipsos arietes, sic mirabiliter exsultantes.

F

* *Wadd.* Mirum!

* *al.* vallum

111 Alio quoque tempore apud Sanctam Mariam de Portiuncula quædam Viro Dei fuit ovis oblata, quam propter innocentiæ et simplicitatis amorem, quas

AUCTORE S. BONAVENTURA.

A quas ovis natura prætendit, gratanter suscepit. Monebat pius Vir oviculam, ut et laudibus divinis intenderet, et ab omni fratrum offensa caveret. Ovis autem, quasi Viri Dei pietatem adverteret, informationem ipsius solicite observabat. Nam audiens, fratres in choro cantare, et ipsa * ecclesiam ingrediens, sine alicujus informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis, Matris Agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper et cum elevaretur sacratissimum Christi corpus inter Missarum solennia, flexis curvabatur poplitibus, tanquam si reverens pecus de irreverentia indevotos argueret, Christoque devotos ad Sacramenti reverentiam invitaret.

Alit ovem in conventu de Portiuncula, mire obsequentem,

* *Ms.* et ipsam

112 Tempore quodam agniculum in Urbe *i* secum habuerat ob reverentiam illius mitissimi Agni, quem nobili matronæ, dominæ scilicet * Jacobæ de Septem-Soliis *k*, in suo recessu conservandum commisit. Agnus vero, quasi in spiritualibus eruditus a Sancto, dominæ ad ecclesiam eunti, stanti et revertenti, societate inseparabili cohærebat. Si matutinali hora domina tardaret * exsurgere, agnus impellebat eam corniculis *, et balatibus excitabat, gestibus adhortans et nutibus, ut ad ecclesiam properaret. Propter quod agnus, Francisci discipulus, devotionis jam magister effectus, ut mirabilis et amabilis a domina servabatur.

atque Romæ, quam nobili matronæ de Septem-Soliis commisit.

i

* *apud Wadd.* deest scilicet

k

* *ibid.* tardabat

* *al.* cornulis

Alibi lepusculum, alibi cuniculum sibi mire blandientes habet ;

B 113 Alio quoque tempore apud Græcium vivus Viro Dei oblatus fuit lepusculus ; qui liber in terra positus, cum posset, quo vellet, effugere, vocante se Patre benigno, in sinum illius propero cursu saltavit. Quem ipse pio cordis affectu circumfovens, videbatur eidem compati quasi mater ; dulcique allocutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberum abire permisit. Cumque pluries in terra positus, ut abscederet, semper in sinum Patris rediret (tanquam si sensu quodam occulto cordis ipsius perciperet pietatem) tandem jussu Patris a fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Modo quoque consimili in insula lacus Perusini cuniculus quidam captus, et Viro Dei oblatus, cum ceteros fugeret, manibus ejus et sinui se domestica securitate commisit.

simile quid experitur in avi fluviatili et pisce.

114 Per lacum Reatinum eidem ad eremum de Græcio properanti piscator unam ex devotione fluvialem obtulit avem, quam cum libenter susceptam apertis invitaret manibus ad recessum, nec illa vellet abire, erectis in cælum oculis, diu in oratione permansit ; et quasi aliunde post longam horam ad se reversus, dulciter iterato mandavit aviculæ, ut Dominum laudatura recederet. Susceptа itaque cum benedictione licentia, gestu corporis quoddam prætendens gaudium, avolavit *l*. In eodem lacu similiter oblatus fuit ei piscis magnus et vivus, quem more solito fraterno nomine vocans, in aquam reposuit juxta navem. Piscis vero coram Viro Dei ludebat in qua, et quasi amore illius allectus, nullatenus recessit a navi, nisi prius ab eodem cum benedictione licentia sibi data.

l

C

Inter aves ambulans, eis silentium et cantum imperat :

115 Alio quoque tempore ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiarum, invenit maximam avium multitudinem, residentium et cantantium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium : Sorores aves laudant Creatorem suum : nos itaque in medium ipsarum euntes, laudes et horas canonicas Domino decantemus. Cumque in medium ipsarum intrassent, non sunt aves motæ de loco. Et quia propter garritum ipsarum in dicendis horis se mutuo audire non poterant, conversus Vir sanctus dixit ad aves : Sorores aves, a cantu cessate, donec laudes Deo debitas persolvamus. At illæ continuo tacuerunt, tamdiu in silentio persistentes, quamdiu dictis horis spatiose, et laudibus persolutis, a Sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis Viro Dei licentiam, statim more solito cantum suum resumpserunt *m*.

m

cicadam sibi obsequentem ac familiarem experitur,

116 Apud sanctam Mariam de Portiuncula, juxta cellam Viri Dei, super ficum cicada residens et decantans, cum Servum Domini (qui etiam in parvis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat) ad divinas laudes cantu suo frequentius excitaret, ab eodem quadam die vocata, velut edocta cælitus, super manum volavit ipsius. Cui cum dixisset : Canta, soror mea cicada, et Dominum Creatorem tuo jubilo lauda ; sine mora obediens canere cœpit ; nec destitit, donec jussu Patris ad locum proprium revolavit. Mansit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando, et recedendo ejus jussa perficiens. Tandem Vir Dei ait ad socios : Demus jam sorori nostræ cicadæ licentiam ; satis enim nos suo cantu lætificans ad laudes Dei octo dierum spatio excitavit. Et statim ab eo licentiata recessit, nec ultra ibidem apparuit ; ac si mandatum ipsius non auderet aliquatenus præterire *n*.

n

et alibi phasianum mirabiliter addictum.

117 Eidem Senis infirmo phasianus quidam, de novo captus, a nobili quodam transmissus est vivus ; qui continuo, ut Virum sanctum audivit et vidit, tanta ei amicabilitate cohæsit, ut nullo modo pateretur ab ipso sejungi. Nam pluribus vicibus extra locellum fratrum in vinea positus, ut abiret, si vellet, rapido semper cursu redibat ad Patrem, tanquam si ab eodom omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex devotione Servum Dei visitare solebat, velut sibi molestum foret a pii Patris absentari conspectu, escam recusavit omnino. Reportatus tandem ad Famulum Dei, statim ut conspexit eundem, quibusdam hilaritatis præsentis gestibus, avide manducavit.

In eremo Alvernæ ab avibus lætanter excipitur,

o

E 118 Cum ad eremum pervenisset Alvernæ propter Quadragesimam celebrandam in honorem archangeli Michaelis *o*, diversi generis aves circa ipsius cellulam volitantes concentu sonoro et lætitiæ gestibus, quasi de ejus adventu gaudentes, Patrem pium invitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viso, dixit ad socium : Cerno, frater, voluntatis esse divinæ, quod hic aliquamdiu commoremur ; tantum sorores aviculæ de nostra videntur præsentia consolari.

miroque falconis obsequio utitur.

119 Cum igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans magno se illi amicitiæ fœdere copulavit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua Vir sanctus ad divina officia surgere solitus erat, cantu suo prævenіebat et sono ; quod Famulo Dei gratissimum erat, eo quod tanta solicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret. Cum vero Servus Christi infirmitate plus solito gravaretur, parcebat falco, nec tam tempestivas indicebat * vigilias ; siquidem velut instructus a Deo, circa diluculum suæ vocis campanam levi tactu pulsabat. Divinum certe videtur fuisse præsagium, tam in exsultatione multimodi generis avium, quam in cantu falconis ; cum Dei Laudator et Cultor, pennis contemplationis subvectus, tunc foret illic apparitione Seraphica sublimandus *p*.

* *Wadd.* indicabat

F

p

Pœnitentiam acturis spondet et præstat

120 Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Græcii, loci illius indigenæ malis multiplicibus vexabantur. Nam et luporum rapacium multitudo non solum bruta, sed et homines consumebat, et grando annua tempestate blada *q* et vineas devastabat. Dum igitur sic afflictis Præco sacri Euangelii prædicaret, dixit ad eos : Ad honorem et laudem Dei omnipotentis fidejubeo vobis, quod pestilentia hæc omnis abscedet, et respiciens vos Dominus, multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes misereamini vestri, ut, vera * confessione præmissa, dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuncio vobis, quod, si beneficiis ingrati ad vomitum conversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, et major * in vos ira desæviet.

q

* *Sur.* vestra

* *Vatic.* et *Wadd.* majori

immunitatem a luporum ferocia et grandine.

121 Ab illa utique * hora, pœnitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt clades, periere pericula ; nec molestiæ quicquam lupi intulere, vel grandines. Imo, quod majus est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. Cessavit * grando, servaverunt et lupi pactionem Servi Dei ; nec contra

* *Ms.* itaque

* *Ms.* servavit

AUCTORE S. BONAVENTURA.

tra pietatis legem in homines ad pietatem conversos attentaverunt amplius desævire, quamdiu juxta condictum contra piissimas Dei leges impie non egerunt. Pie igitur sentiendum est de pietate Viri beati, quæ tam miræ dulcedinis et virtutis fuit, ut domaret ferocia, domesticaret silvestria, mansueta doceret, et brutorum naturam, homini jam lapso rebellem, ad sui obedientiam inclinaret. Vere hæc est, quæ cunctas sibi creaturas confœderans, valet ad omnia, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ *r*.

r

ANNOTATA.

a *Epist.* 1 *ad Timotheum cap.* 4, ℣ 8.

b *Sequentia usque ad initium numeri* 107 *rescidit Waddingus.*

c *Libro* I *Regum cap.* 2, ℣ 5.

d *Sequentia usque ad finem hujus numeri non sunt apud Waddingum.*

e *Retentis tamen haud dubie femoralibus.*

f *Sequentia usque ad verba* Propterea de omnibus, *omissa sunt in editione Waddingi.*

g *Exempla habes in Vita prima num.* 77 *et duobus seqq.*

h *Augustinus Lubinus in brevi Notitia abbatiarum Italiæ pag.* 124 *et sequenti, vocat hanc abbatiam* titulo S. Verecundi de Spirtis, Ordinis S. Benedicti, *notatque aliter etiam appellari* S. Verecundi de Spissis *et* de Spicis, *ac sitam esse*
B septem circiter mill. pass. ab Eugubio, *etin* colle, dicto VALL'INGEGNO.

i *Id est,* Romæ.

k *Waddingus in Annalibus ad annum* 1226, *num.* 28 *fatetur, sese in hujus illustris feminæ, apud scriptores Franciscanos celebris, familiam frustra inquisivisse. Hæc eadem matrona creditur* S. Francisco *moribundo, ejusdemque funeri adfuisse. Lege Commentarium prævium* § 27.

l *In editione Vaticana vitiose:* Advolavit. *Waddingus hoc de ave fluviatili omittens, ad sequens prodigium sic perrexit:* In lacu Reatino ex devotione fuit etiam oblatus *etc.*

m *Andreas Dandulus hujus prodigii etiam meminit in Chronico, ac contigisse scribit, quando* B. Franciscus, de ultra mare rediens, in paludibus Venetorum deambulabat; *ut dixi in Commentario prævio num.* 389.

n *Sequentia omnia usque ad finem numeri* 117 *desiderantur in editione Waddingi.*

o *Hoc quadragesimale jejunium a* S. Francisco *quotannis observari soluisse, docet idem sanctus biographus infra num.* 189.

p *Dum scilicet sacra Christi stigmata accepit; uti cap.* 13 *latius exponetur. Contigerunt ergo ista anno* 1224.

q *Id est,* segetes.

r *Epist.* 1 *ad Timotheum cap.* 4, ℣ 8 : Pietas au-
C tem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.

CAPUT IX.

De fervore caritatis ejus, et desiderio martyrii.

Divino amore totus accensus

Caritatem ferventem, qua Sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque, quasi quidam carbo ignitus, divini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur; quasi plectro vocis extrinsecæ chorda
a cordis interior tangeretur *a*. Talem pro eleemosynis censum offerre, nobilem prodigalitatem dicebat, et eos, qui minus ipsum, quam denarios reputarent, esse stultissimos, pro eo, quod solius divini amoris impretiabile pretium ad regnum cælorum sufficiat comparandum, et ejus, qui nos multum amavit, multum sit amor amandus.

125 Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum, exsultabat in cunctis operibus manuum Domini, et per jucunditatis specula * in vivificam consurgebat rationem et caussam. Contuebatur in pulchris Pulcherrimum, et per impressa rebus vestigia prosequebatur ubique Dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus. Inauditæ namque devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tanquam in rivulis, degustabat, et quasi cælestem concentum perciperet, in consonantia virtutum et actuum, eis datorum a Deo, ipsas ad laudem Domini more Prophetæ David dulciter hortabatur *b*.

D *Deum in omnibus creatis speculatur et laudat.*
* *Ms.* spectacula

124 Christus Jesus crucifixus intra suæ mentis ubera, ut myrrhæ fasciculus jugiter morabatur *c*, in quem optabat per excessivi amoris incendium totaliter transformari. Prærogativa quoque peculiaris devotionis ad ipsum ab Epiphaniæ festo, usque ad continuos quadraginta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudinis loca declinans, cellaque reclusus, quanta poterat artitudine cibi et potus, jejuniis et orationibus et laudibus Dei sine intermissione vacabat *d*. Tam fervido quidem in Christum ferebatur affectu, sed et Dilectus * illi tam familiarem rependebat amorem, ut videretur ipsi Famulo Dei, quasi jugem præ oculis ipsius Salvatoris sentire præsentiam, sicut aliquando sociis familiariter revelavit.

b *Amor ejus in Christum crucifixum,*

c

d

* *Wadd.* Illectus

E *in Sacramentum Eucharistiæ, in Virginem Matrem,*
* *Wadd.* dignissimam

125 Flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam carissimam dignationem et dignantissimam * caritatem. Sæpe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum. Matrem Domini nostri Jesu Christi *e* indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum Majestatis fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consequuti. In ipsa post Christum præcipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit, et ad honorem ipsius a festo Apostolorum Petri et Pauli usque ad festum Assumtionis devotissime jejunabat *f*.

e

126 Angelicis spiritibus, ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, et electorum animas inflammandas, inseparabilis erat amoris vinculo copulatus, et ob devotionem ipsorum ab Assumtione Virginis gloriosæ quadraginta diebus jejunans, orationi jugiter insistebat *g*. Beato autem Michaeli archangelo, eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore devotior propter fervidum, quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum. Ex recordatione Sanctorum omnium, tanquam lapidum ignitorum, in Deificum recalescebat incendium; Apostolos omnes, et præcipue Petrum et Paulum, propter fervidam caritatem, quam habuerunt ad Christum, summa devotione complexans, ob quorum reverentiam et amorem quadragesimæ specialis jejunium Domino dedicabat *h*.

f *in angelos, in Sanctos omnes, maxime Apostolos, et varia illius jejunia.*

g

F *h*

127 Non habebat aliud Christi Pauper, nisi duo minuta, corpus scilicet * et animam, quod * posset liberali caritate largiri. Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continue, ut quasi omni tempore per rigorem jejunii corpus, et per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, et in templo interius concremans thymiama. Sic autem eum caritatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut ejusdem affectuosa * benignitas ad naturæ consortes et gratiæ dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitis imagine, et sanguine redemptis Auctoris, germaniorem Christi caritas faciebat.

Animam suam per amorem, corpus per jejunium Christo continue offert,
* *in Ms. deest* scilicet
* *ibid.* quæ
* *Wadd.* effectuosa

128 Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse, dicebat, eo maxime probans, quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, et in exemplis dandis excessus *i*. Unde, quoties austeritas nimia reprehenderetur

cujus Sanguine redemptas animas indefesse quoque curat.

i

A reprehenderetur in ipso, respondebat, se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens ejus caro, quæ jam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas; tamen exempli causa renovabat illi pœnas et onera, custodiens propter alios vias duras. Dicebat enim: Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem in meipso non habeam, et proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihil nihil.

Ex martyrii desiderio in Syriam navigans, in Sclavoniam ventis pellitur;

129 Ferventi quoque caritatis incendio gloriosum sanctorum Martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea, et ipse illa perfecta caritate succensus, quæ foras mittit timorem, per martyrii flammam hostiam Domino se offerre viventem, ut et vicem Christo pro nobis morienti rependeret, et ad divinum amorem ceteros provocaret. Sexto namque conversionis suæ anno *k*, desiderio martyrii flagrans, ad prædicandam fidem Christianam et pœnitentiam Saracenis et aliis infidelibus, ad partes Syriæ transfretare disposuit. Cumque navem quandam, ut illuc tenderet, conscendisset, ventis contrariis flantibus, compulsus est in Slavoniæ partibus applicare.

k

hinc navem, Anconam petentem cum socio clam ingressus,

130 Cum igitur moram aliquandiu contraxisset ibidem, nec invenire posset navem tunc temporis transfretantem, fraudatum a suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anconam tendentes, ut amore Dei eum secum ducerent, exoravit *l*. Verum

l

B illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, Vir Dei plurimum de Domini bonitate confisus navem cum socio latenter conscendit. Adfuit quidam, a Deo, ut creditur, pro Paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quendam timentem Deum de navi ad se vocatum sic alloquutus est: Hæc * pro pauperibus fratribus in navi latitantibus conserva fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra.

* *Ms.* hæc omnia

ex modica eleemosyna victoribus omnibus succurrit.

131 Sicque factum est, ut nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, et sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna superesset. Quæ cum esset permodica *, tantum divina virtute suscepit augmentum, ut diebus plurimis *, in mari propter tempestatem continuam contrahentibus moram, usque ad portum Anconæ omnium necessitatibus plenarie subveniret. Videntes itaque nautæ, per Servum Dei multa se mortis evasisse discrimina, tanquam qui maris horrenda pericula senserant, et miranda opera Domini viderant in profundo, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis et servis mirabilem et amabilem se ostendit. Cum *m* autem,

* *Vatic. et* * *Sur.* modica
* *Vatic.* pluribus

m

C relicto mari, terram perambulare cœpisset, jactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos.

Eadem de causa navigaturus in Africam, morbo impeditus ex Hispania ad suos redit.

132 Verum quia martyrii fructus adeo cor ejus allexerat, ut pretiosam pro Christo mortem super omnia virtutum merita peroptaret, versus Marrochium iter arripuit, ut Miramolino et genti ejus Christi Euangelium prædicaret, si quo modo ad concupitam palmam valeret attingere *n*. Tanto namque desiderio ferebatur, ut, quamvis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem; et ad exsequendum propositum festinus, et tanquam spiritu ebrius advolaret. Sed cum jam usque in Hispaniam perrexisset, divina dispositione, quæ ipsum reservabat ad alia, gravissima ei supervenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequivit. Sentiens igitur Vir Dei, quod necessaria erat adhuc proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamvis mortem sibi lucrum putaret esse, rediit ad pascendum * oves suæ sollicitudini commendatas.

n

* *Wadd.* pascendas

Profectus ad Soldanum Babyloniæ, cum Christianis bellantem,

133 Verum caritatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatanda, versus infideles proficisci tentavit *o*. Tertio decimo namque conversionis suæ anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, ut

o

Soldani *p* Babyloniæ posset adire præsentiam. Inter Christianos enim ac Saracenos tunc bellum tam implacabile * erat, exercituum castris hinc inde in campo cominus ex adverso locatis *q*, ut via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat siquidem * a Soldano edictum crudele, ut, quicumque caput alicujus Christiani afferret, Bisantium *r* aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus, sperans in proximo suum adipisci posse * propositum, definivit iter arripere, mortis pavore non territus, sed desiderio provocatus.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

p

* *Ms.* guerra tam implacabilis

q

* *Wadd.* namque

r

* *Apud Wadd. deest* posse

ab illius satellitibus captus, pessimeque mulctatus, et ad ipsum adductus

134 * Oratione namque præmissa, confortatus a Domino, confidenter illud propheticum decantabat: « Nam etsi ambulavero * in medio umbræ » mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum » es *s*. » Assumpto igitur socio fratre, Illuminato nomine, viro utique luminis et virtutis, cum iter cœpisset, obvias habuit oviculas duas; quibus visis, exhilaratus Vir sanctus, dixit ad socium: Confide, frater, in Domino, nam in nobis Euangelicum illud impletur: « Ecce, ego mitto vos, sicut oves in » medio luporum *t*. » Cum autem processissent ulterius, occurrerunt ei satellites Saraceni, qui tanquam lupi celerius accurrentes ad oves, servos Dei feraliter comprehensos crudeliter et contemtibiliter pertractarunt *u*, afficientes convitiis, affligentes verberibus, et vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter et attritos ad Soldanum, divina disponente providentia, juxta Viri Dei *x* desiderium perduxerunt.

* *Ms.* in
* *ibid.* ambulem

s

t

u

x

Christum libere prædicat stupenti faventique Soldano,

E 135 Cum igitur princeps ille perquireret, a quibus, et ad quid, et qualiter missi essent, et quomodo advenissent; intrepido corde respondit Christi servus Franciscus, non ab homine, sed a Deo altissimo se fuisse transmissum, ut ei et populo suo viam salutis ostenderet, et annunciaret Euangelium veritatis. Tanta vero mentis constantia, tanta virtute animi, tantoque fervore spiritus prædicto Soldano prædicavit Deum trinum et unum, et Salvatorem omnium Jesum Christum, ut Euangelicum illud in ipso claresceret veraciter esse completum: « Ego dabo vobis os, et sapientiam, cui » non poterunt resistere, et contradicere omnes » adversarii vestri *y*. » Nam et Soldanus admirandum in Viro Dei fervorem Spiritus conspiciens et virtutem, libenter ipsum audiebat, et ad moram contrahendam cum eo, instantius invitabat *z*. Christi vero Servus superno illustratus oraculo, Si vis, inquit, converti tu cum populo tuo ad Christum, ob illius amorem libenter vobiscum commorabor.

y

z

fidem suam per ignem probare paratus; quod Soldanus, suos metuens, abnuit;

136 Quod si hæsitas, propter fidem Christi legem Mahumeti * dimittere, jube ignem accendi permaximum; et ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel sic cognoscas, quæ fides certior et sanctior non immerito tenenda sit. Ad quem Soldanus: Non credo, quod aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti. Viderat enim, statim quendam de presbyteris suis, virum authenticum et longævum, hoc audito verbo, de suis conspectibus aufugisse. Ad quem Vir sanctus: Si mihi velis promittere pro te et populo tuo, quod ad Christi cultum, si ignem illæsus exiero, veniatis; ignem solus introibo: et si combustus fuero, imputetur, peccatis meis; si autem divina me protexerit virtus, Christum Dei virtutem et sapientiam, verum Deum et Dominum Salvatorem omnium agnoscatis. Soldanus autem optionem hanc accipere se non audere, respondit; quia seditionem populi formidabat.

* *Ms.* Machomedi, *Sur.* Mahometi

F

sed multa ei dona offert, quæ Sanctus acceptare recusans,

137 Obtulit tamen ei multa munera pretiosa, quæ Vir Dei, non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia *, quasi lutum. Soldanus autem videns Virum sanctum, tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, majorem erga ipsum devotionem concepit. Et quamvis ad fidem Christianam transire nollet, vel forsan non auderet, rogavit tamen devote Famulum Christi, ut prædicta susciperet pro salute ipsius,

* *ap. Wadd. deest* omnia

AUCTORE S. BONAVENTURA.

ipsius, Christianis pauperibus vel ecclesiis eroganda. Ipse vero, quia pondus fugiebat pecuniæ, et in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquievit.

nihilque se profecturum cognoscens, ad Christianos regreditur.

138 Videns etiam, se non proficere in conversione gentis illius, nec suum assequi posse propositum *aa*, ad partes fidelium, divina revelatione præmonitus, remeavit. Sic itaque Dei ordinante clementia, et sancti Viri promerente virtute, misericorditer et mirabiliter factum est, quod Christi Amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, et tamen nullatenus inveniret; ut et merito non careret optati martyrii, et insigniendus servaretur in posterum privilegio singulari *bb*. Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, ut post potentius * evaporaret in carne. O vere beatum Virum, cujus caro, etsi tyrannico ferro non cæditur, occisi tamen Agni similitudine non privatur! O, inquam, vere ac plene beatum, cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit!

aa

bb

* *Ms.* patentius

ANNOTATA.

a *Sequentia usque ad finem hujus numeri omissa sunt in editione Waddingi.*

B b *Lege Psalmum* 148, *ac luce clarius agnosces, quam inepte et impie quidam heterodoxi sugillare ausi sint sermones* S. Francisci, *bruta animantia ad Dei laudem exhortantis.*

c *Ex Canticorum cap.* 1, ℣ 12.

d *In Regula a Waddingo primo loco edita cap.* 3 *inter jejunia Ordinis præcipitur jejunium* ab Epiphania, quando Dominus noster Jesus Christus incepit jejunare, usque ad Pascha. *At in altera, qua nunc utuntur Fratres Minores, cap.* 3 *dicitur:* Sanctam vero quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino; et qui nolunt, non sint adstricti. *Hinc Waddingus ad priorem locum hæc annotavit:* In secunda Regula cap. 3 jejunium hoc spontaneum est, nec eo (*ad Pascha*) usque protenditur, sed tantum per quadraginta dies. *De hoc dierum numero videtur hic loqui S. Bonaventura.*

e *In Ms. nostro :* Matrem Domini Jesu.

f *Festum sanctorum apostolorum Petri et Pauli celebratur die* 29 *Junii; festum assumptionis beatissimæ virginis Mariæ* 15 *Augusti, diebus quadraginta sex inter hoc et illud intermediis.*

C g *Nimirum usque ad festum Dedicationis S. Michaelis archangeli, quod quadragesimo quinto die post festum Assumptionis sanctissimæ Dei Genitricis, seu die* 29 *Septembris colitur.*

h *Libet hic paucis advertere,* S. Franciscum *quinque jejunia quadragesimalia, quorum quodlibet quadraginta dies complectebatur, aut etiam excedebat, quotannis observare soluisse; nam tribus in hoc capite memoratis addenda sunt annuum quadragesimale ex præcepto Ecclesiæ observandum, alterumque a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini in Regula Minorum cap.* 3 *præscriptum; nullum e tribus prioribus voluit suis esse præceptum.*

i *Quæ sequuntur usque ad finem hujus numeri, rescidit Waddingus.*

k *Id est, anno Christi* 1212, *uti ostensum est in Commentario prævio* § 13, *num.* 292, *ubi plura de itinere in Syriam frustra tentato leges. De eodem itinere agit Celanensis in Vita prima lib.* 1, *cap.* 7; *ubi etiam consule Annotata, hic non repetenda.*

l *Sequentia fere usque ad finem numeri* 151 *prætermisit Waddingus.*

m *Waddingus, recisis, ut mox monui, præmissis, ita hic pergit :* Cum autem illi (*naulæ*) eum in Italiam portassent, terram perambulare cœpit, et jactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos.

n *De hoc quoque suscepto versus Africam itinere anno* 1215, *quod* S. Francisci *morbus in Hispania abrupit, scribit Celanensis in Vitæ primæ lib.* 1, D *cap.* 7, *et ego pluribus egi in Commentario prævio* § 14; *quapropter ne actum agam, lectorem ad utrumque locum remitto.*

o *Hoc tertium iter, quod in annum Christi* 1219 *incidit, etiam legitur apud Celanensem in eodem libro* 1, *cap.* 7, *quod consule, uti et Commentarium prævium toto* § 16 *et* 17.

p *Surius pro voce Soldanus, quæ Mahometanorum* regem *aut* principem *significat, semper habet* Sulthanus, *quæ vox ejusdem significationis est.*

q *Loquitur S. Bonaventura de exercitibus Crucesignatorum, qui anno* 1219 *urbem Damiatam in Ægypto obsidebant, et Saracenorum, qui cum principe suo, Soldano Babyloniæ seu Ægypti, haud procul inde sua castra habebant, ut urbi succurrerent. In ista Christianorum castra* S. Franciscum *tunc advenisse, narrat alia accasione Bonaventura inferius num.* 134 *et sequenti; et Jacobus de Vitriaco, testis oculatus, cujus testimonium recitavi in Commentario prævio num.* 537 *et* 538.

r *In Ms. nostro et editione Vaticana :* Bizantium; *apud Surium et Waddingum :* Byzantius. *Est autem* Byzantius aureus *nummus seu moneta quædam imperatorum Constantinopolitanorum, sic dicta a* Byzantio, *quo nomine Constantinopolis etiam veniebat.* E

s *Psalmo* 22, ℣. 4.

t *Matthæi cap.* 10, ℣. 16. *In editione Surii desunt hæ voces :* Sicut oves.

u *Waddingus :* Qui tamquam lupi celerius accurrentes ad eos, veluti ad oves, servos Dei feraliter pertractarunt.

x Viri Dei *etiam legitur in Ms. nostro ; at in aliis tribus editionibus omittitur* Dei.

y *Lucæ cap.* 21, ℣. 15.

z Videns eum bestia crudelis (*Soldanus Ægypti*) in conspectu Viri Dei in mansuetudinem conversa, per dies aliquot ipsum sibi et suis Christi fidem prædicantem attentissime audivit, *inquit Cardinalis de Vitriaco, laudatus in Commentario prævio num.* 537.

aa *Videlicet* martyrium.

bb *Intelligit sacra stigmata, ut sequitur.*

CAPUT X.

De studio et virtute orationis.

Orationi, quam facit maximi, F

Sentiens Christi servus Franciscus, corpore se peregrinum a Domino, cum jam ad terrena foris desideria per Christi caritatem totus esset insensibilis factus, ne foret absque consolatione Dilecti, sine intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionum, angelorum concivis jam factus, ferventi desiderio quærebat Dilectum, a quo solus eum carnis paries disjungebat. Erat et operanti præsidium, dum in omnibus, quæ agebat, de sua diffidens industria, et de superna pietate confidens, per ipsius instantiam, totum in Domino cogitatum jactabat.

perpetuo et ubique intentus;

* *Ms.* prospe-rare

140 Orationis gratiam viro religioso desideranda super omnia, firmiter asserebat, nullumque credens sine ipsa in Dei prosperari * servitio, modis, quibus poterat, fratres suos ad ejus studium excitabat. Nam ambulans et sedens, intus et foris, laborans et vacans, orationi adeo erat intentus, ut illi videretur, non solum, quicquid erat in eo cordis et corporis, verum etiam operis et temporis, dedicasse. Solitus erat nullam visitationem Spiritus cum negligentia præterire. Siquidem cum offerebatur, sequebatur eam, et quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cum autem intentus itineri divini Spiritus aliquos sentiret afflatus, sociis præcedentibus, gradum figebat, novamque inspirationem ad fruitionem convertens, gratiam non recipiebat in vacuum.

141 Suspendebatur multoties tanto contemplationis

AUCTORE S. BONAVENTURA.

A tionis excessu, ut supra semetipsum raptus, et ulta humanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exterius, ignoraret *a*. Transiens namque semel per Burgum sancti Sepulchri *b*, castrum utique populosum, pro debilitate corporis subvectus asello, obvias habuit turbas, in eum præ devotione ruentes. Tractus autem et detentus ab eis, compressus quoque, ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, et velut exanime corpus, de iis, quæ fiebant circa ipsum, nihil penitus advertebat. Unde cum jam diu transito castro, turbisque relictis, pervenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliunde rediens, cælestium Contemplator, solicite requisivit, quando propinquarent * ad Burgum. Mens quidem ipsius, in cælestibus fixa splendoribus, varietates non senserat locorum, nec temporum, nec occurrentium personarum. Quod ipsi accidisse frequentius, sociorum ejus experientia multiplex comprobavit.

hinc illi frequentes ecstases, qualis accidit Burgum sancti Sepulchri transeunti.

a

b

* *Ms.* propinquaret

142 Et quia in oratione perceperat, Sancti Spiritus desideratam præsentiam tanto familiarius se offerre precantibus, quanto plus invenit elongatos a strepitu mundanorum, ideo loca solitaria quærens, ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat, ubi dæmonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse vero armis munitus cælestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute, et ferventior reddebatur in prece *c*, fidenter dicens ad Christum: « Sub umbra alarum » tuarum protege me a facie impiorum, qui me » afflixerunt *d*. » Ad dæmones autem: Facite, quicquid in me valetis, maligni spiritus, et fallaces; non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat, et ego ad perferendum omnia, quæ illa infligenda decreverit, cum omni jucunditate paratus assisto: quam mentis constantiam superbi dæmones non ferentes abscedebant confusi.

In solitariis locis orare solitus a dæmonibus frustra imperitur:

B

c

d

143 Vir autem Dei, solitarius remanens et pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, et quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat Judici, ibi supplicabat Patri, ibi colloquebatur Amico. Ibi quoque a fratribus ipsum pie observantibus aliquoties auditus est clamosis *e* gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam, Dominicam passionem. Ibi visus est nocte orans, manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra, et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam, sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi et occulta divinæ Sapientiæ pandebantur; quamvis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi urgebat caritas, et proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim: Levi mercede rem impretiabilem contingit amitti, et illum, qui dedit, ad non dandum iterum facile provocari *f*.

ibidem divinis gaudet favoribus et in aerem sublevatus conspicitur.

e

C

f

144 Quando a privatis redibat orationibus, quibus pene in virum alterum mutabatur, summopere studebat conformare se cæteris, ne forte, quod foris ostenderet, aura favoris intus a mercede evacuaret. Cum in publico subito afficeretur visitatus a Domino, semper aliquid objiciebat astantibus, ne Sponsi familiares attactus *g* forinsecus vulgarentur. Exsecrationes, gemitus, duros anhelitus, extrinsecos nutus, orans inter fratres devitabat omnino; sive quia diligebat secretum, sive quia ad interiora reintrans, totus ferebatur in Deum. Sæpe *h* talia familiaribus dixit: Quando Servus Dei orans visitatur divinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cælo misisti, Domine, et ego illam tuæ committo custodiæ; quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se paupérculum et peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus.

Cælestes favores occulere studet, suosque instruit.

g

h

145 Orante autem Viro Dei in loco de Portiuncula, contigit, assisinatem episcopum venire ad eum, ut erat solitus, visitandum *. Qui mox, ut locum fuit ingressus, ad cellam, in qua Christi Servus orabat, plus debito fidenter accessit: pulsatoque ostiolo, intraturum se ingerens, dum caput immisit, Sanctumque orantem conspexit, repentino timore concussus, obrigescentibus membris, etiam loquelam amisit; subitoque voluntate divina per vim foras propulsus, retrogrado pede procul abductus est. Stupefactus episcopus, ad fratres festinavit, ut potuit, Deoque sibi restituente loquelam, primo verbo confessus est culpam.

Assisiensis episcopus, ad orantem temere ingressus, divinitus repellitur:

* *Ms. et Wadd.* ad visitandum

146 Contigit *i* tempore quodam, abbatem monasterii sancti Justini de episcopatu Perusii, obviam Famulo Christi. Quo viso, abbas devotus celeriter de equo descendit, ut et Viro Dei reverentiam faceret, et de salute animæ aliqua cum ipso conferret. Tandem habita collatione suavi, abbas abscedens, orari pro se, humiliter petiit. Cui Vir Deo carus respondit: Orabo libenter. Parum itaque discedente abbate, dixit fidelis Franciscus ad socium: Expecta, frater, modicum; quia debitum volo solvere, quod promisi. Orante autem * illo, subito abbas insolitum calorem et dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu: ita quod in excessu mentis effectus totus a seipso in Deum defecit. Parva morula substitit, et in se reversus, virtutem orationis sancti Francisci cognovit. Majore proinde circa Ordinem semper amore flagravit, multisque factum pro miraculo retulit.

quidam abbas mirabilem illius orationis vim experitur.

i

* *Ms.* namque

E

147 Solitus erat * Vir sanctus Horas canonicas non minus timorate Deo persolvere, quam devote. Nam licet oculorum, stomachi, splenis et hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere, dum psalleret; sed Horas semper erectus, et sine capitio *, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa *k* persolvebat. Siquando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, hujusmodi consuetudinem reverentem et sacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Dicebat enim: Si quiete comedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca; cum quanta pace et tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ *l*? Graviter etiam se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissime muscas hujusmodi pateretur.

Horas canonicas ubique reverenter persolvit; evagationes mentis expiat.

* *Wadd.* solebat

* *al.* caputio

k

l

F

148 Fecerat in Quadragesima quadam vasculum unum, ut minutias temporis, ne omnino excideret, occuparet. Quod cum dicenti Tertiam in memoriam veniens paululum ipsius animum distraxisset, motus fervore spiritus vasculum igne consumpsit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit *m*. Psalmos cum tanta mentis et spiritus attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet; et cum nomen Domini in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. Ipsum quoque Domini nomen, non solum cogitatum, verum etiam prolatum et scriptum, reverentia volens honorare præcipua, fratribus persuasit aliquando, ut omnes schedulas scriptas, ubicunque repertas, colligerent, mundoque loco reponerent, ne forte sacrum illud nomen ibi scriptum, contingeret, conculcari *n*. Nomen autem Jesu cum exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus * sonus ipsius immutasset auditum.

et vindicat: nomen Domini eximie veneratur, eoque suaviter afficitur.

m

n

* *al.* harmoniacus

149 Contigit autem anno tertio ante obitum suum, ut memoriam nativitatis pueri Jesu, ad devotionem excitandam, apud castrum Græcii disponeret agere, cum quanto majori solemnitate valeret *o*. Ne vero hoc levitati posset adscribi *p*, a summo Pontifice petita et obtenta licentia, fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bovem et asinum ad locum adduci. Advocantur fratres, adveniunt populi, personat silva voces, et venera-

Christi diem natalem peculiari sollemnitate celebrat.

o p

AUCTORE S. BONAVENTURA.

bilis illa nox luminibus copiosis et claris, laudibusque sonoris et consonis, et *q* splendens efficitur et solennis. Stabat Vir Dei coram præsepio, pietate repletus, respersus lachrymis, et gaudio superfusus. Celebrantur Missarum sollennia super præsepe, levita Christi Francisco sacrum Euangelium decantante. Prædicat deinde populo circunstanti de nativitate Regis pauperis, quem cum nominare vellet, PUERUM DE BETHLEHEM præ amoris teneritudine nuncupabat.

et puerum Jesum amplecti conspicitur : factum miracula confirmarunt.

150 Miles autem quidam virtuosus et verax, qui, propter Christi amorem seculari relicta militia, Viro Dei magna fuit familiaritate conjunctus, dominus Joannes de Græcio *r*, se vidisse, asseruit, puerulum quendam valde formosum in illo præsepio dormientem; quem beatus pater Franciscus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur a somno. Hanc siquidem * devoti militis visionem non solum videntis sanctitas credibilem facit, sed et designata veritas comprobat, et miracula subsecuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum a mundo, excitativum est cordium, in fide Christi torpentium; fœnum præsepii, reservatum a populo, mirabiliter sanativum fuit brutorum languentium, et aliarum repulsivum pestium diversarum *s*, glorificante Deo per omnia Servum suum, sanctæque orationis efficaciam evidentibus miraculorum prodigiis demonstrante.

* *Ms.* quidem, *Wadd.* equidem

ANNOTATA.

a *Sequentia usque ad voces*, Mens quidem ejus *omissa sunt in editione Waddingi.*

b Burgum S. Sepulchri, *Italis* Borgo di S. Sepolcro, *nunc civitas Umbriæ est prope Tiberim in limite Hetruriæ, olim ditionis Pontificiæ, sed nunc dudum Magni ducis, et sæculo* XVI *a Leone* X *Papa episcopatu illustrata.*

c *Reliqua usque ad voces* Quam mentis constantiam *non habet Waddingus.*

d *Psalmo* 16, ℣. 8 *et* 9.

e *Ms. nostrum, editiones Vaticana et Waddingiana:* clamorosis.

f *Hæc ultima periodus prætermissa est apud Waddingum.*

g *Monet hic in margine Sedulius, alibi legi* attractus, *uti etiam legit Waddingus.*

h *Hæc usque ad finem hujus numeri rescidit Waddingus.*

i *Sequentia usque ad finem hujus numeri prætermisit Waddingus.*

k Id est, sine interruptione.

l *Hæc quoque periodus non est in editione Waddingi.*

m *Præmissa ab initio hujus numeri omisit Waddingus.*

n *Hæc etiam leguntur in Vitæ primæ lib.* I, *cap.* 10, *ubi vide Annotata ad lit.* d.

o *Contigerunt hæc anno Christi* 1223. *Consule etiam Vitam primam lib.* I, *cap.* 10 *et Annotata ibidem.*

p *In Ms. nostro desunt ista :* Ne vero hoc levitati posset adscribi.

q *Vocem* et *non habent editiones Vaticana et Waddingiana; at Sedulio consonant Ms. noster codex et Surius.*

r *Is ipse, qui, petente* S. Francisco, *omnia ad hanc sollennitatem paraverat, ut habemus ex Vita prima, lib.* I, *cap.* 10, *num.* 84.

s *Consentit Celanensis in Vita prima, loco mox laudato, num.* 87; *sed addit, ob rei gestæ memoriam in eodem loco ecclesiam fuisse exstructam.*

CAPUT XI.

De intelligentia Scripturarum, et spiritu prophetiæ.

Divinitus illustratus sacras Scripturas intelligit,

Ad tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum Virum Dei perduxerat, ut, quamvis non habuerit sacrarum Litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita; et ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat Amantis. Legebat quandoque in libris sacris, et, quod animo semel injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ : quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ devotionis ruminabat affectu.

quarum studium vult cum oratione et simplicitate conjungi :

152 Quærentibus aliquando fratribus, utrum sibi placeret, quod litterati, jam recepti ad Ordinem, intenderent studio sacræ Scripturæ, respondit : Mihi quidem placet; dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur, quam legisse, orationis studium non omittant : nec tantum * studeant, ut sciant, qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, et cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, fratres meos discipulos Euangelicos esse, sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas Magister eximius ore suo benedicto conjunxit *a*.

* *Vatic.* tamen

a

difficiles quæstiones solvit.

153 Interrogatus Senis a quodam religioso viro, Theologiæ sacræ doctore, de quibusdam quæstionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ divinæ sapientiæ patefaciebat arcana, ut vehementer stuperet vir ille peritus, et cum admiratione referret : Vere Theologia sancti Patris istius, puritate et contemplatione, tanquam alis in altum subvecta, est aquila volans; nostra vero scientia ventre graditur super terram. Licet enim esset imperitus sermone, scientia tamen plenus enodabat dubia quæstionum, et abscondita producebat in lucem. Nec absonum, si Vir sanctus Scripturarum a Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere, et per Sancti Spiritus unctionem plenariam doctorem earum apud se haberet in corde.

Exercitui Christiano apud Damiatam prædicit stragem, si pugnet,

154 Adeo etiam in ipso claruit spiritus prophetiæ, ut et prævideret futura, et cordium contueretur occulta; absentia quoque velut præsentia cerneret, et se præsentem absentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namque, quo Damiatam Christianorum obsidebat exercitus, aderat Vir Dei, non armis, sed fide munitus *b*. Cum igitur die belli Christiani pararentur ad pugnam, hoc audito, Christi Servus vehementer ingemuit, dixitque socio suo *c* : Si belli fuerit attentatus congressus *, ostendit mihi Dominus, non prospere cedere Christianis. Verum, si hoc dixero, fatuus reputabor : si tacuero, conscientiam non evadam. Quid igitur tibi videtur? Respondit socius ejus, dicens : Frater, pro minimo tibi sit, ut ab hominibus judiceris; quia non modo incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam, et Deum magis time, quam homines.

b

c

* *al.* ingressus

isque, spreto Sancti monito, cæditur.

155 Quo audito, exsiliens Christi Præco, salutaribus monitis Christianos aggreditur; prohibet bellum, denunciat casum. Fit veritas in fabulam; induraverunt cor suum, et noluerunt reverti. Igitur * committitur et bellatur, totaque in fugam vertitur militia Christiana, finem belli opprobrium regerens, non triumphum *d*. Tanta vero strage Christianorum imminutus est numerus, ut circa sex milia fuerint inter mortuos et captivos. In quo evidenter innotuit, quod spernenda non erat sapientia Pauperis, cum anima viri justi enunciet *e* aliquando vera, quam septem circunspectores, sedentes in excelso ad speculandum.

* *al.* Itur

d

e

Invitatus ad prandium, hospiti suo proximam mortem prædicit,

156 Alio quoque tempore, cum post reversionem ipsius de ultra mare, Celanum / prædicaturus accederet, miles *g* quidam supplici eum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitum exsultavit ingressu. Ante vero quam cibum sumerent, juxta solitum morem Vir mente devotus offerens Deo preces et laudes, oculis stabat elevatis

f

g

A elevatis in cælum. Oratione completa, benignum hospitem, familiariter advocatum in partem, sic allocutus est : Ecce, frater hospes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam intravi : meis nunc cito monitis acquiesce; quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus; nec in te remaneat quicquam, quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem; quoniam tanta devotione suos pauperes suscepisti.

qui ad eam se comparant subito pie moritur.

137 Acquievit continuo vir ille sermonibus Sancti, socioque ipsius universa peccata in confessione detegens, disposuit domum suam, et ad mortem suscipiendam se, quantum valuit, præparavit. Intraverunt tandem ad mensam, et incipientibus aliis mauducare, hospes subito spiritum exhalavit, juxta verbum Hominis Dei repentina morte sublatus. Sicque factum est, hospitalitatis gratia promerente, ut juxta verbum Veritatis prophetam recipiens, mercedem prophetæ acciperet *h*, dum per sancti Viri prænunciationem * propheticam miles ille devotus sibi contra mortis subitationem providit, quatenus armis pœnitentiæ præmunitus perpetuam damnationem evaderet, et in æterna tabernacula introiret.

h

* *Vatic.* pronuntiationem

Luxurioso pejora minatus, si ad vomitum rediret, sanitatem confert,

138 Tempore, quo Vir sanctus Reate jacebat infirmus, præbendarius *i* quidam, nomine Gedeon, lubricus et mundanus, infirmitate gravi correptus * lectulo decubans, cum ad eum fuisset delatus, lacrymose rogabat cum simul astantibus, ut ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille : Cum vixeris olim secundum desideria carnis, non veritus judicia Dei, quomodo te cruce signabo? Verum propter devotas intercedentium preces signo te crucis signabo in nomine Domini. Tu tamen scito, te graviora passurum, si ad vomitum redieris liberatus; propter peccatum enim ingratitudinis semper pejora prioribus inferuntur. Signo itaque crucis super eum facto, statim, qui contractus jacuerat, surrexit sanus, et in laudem Dei prorumpens : Ego, inquit, sum liberatus. Insonuerunt autem ossa renum ejus, audientibus cunctis, veluti cum manu ligna sicca franguntur.

i

* *Ms. add.* et

B

at ille non stans promissis, sub corruente domo exspirat.

139 Paucis autem interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit : cumque sero quodam cœnasset in domo cujusdam canonici, nocteque illa dormiret ibidem, subito super omnes corruit tectum domus. Ceteris autem evadentibus mortem, solus ille miser interceptus atque interemtus est. Justo igitur Dei judicio facta sunt novissima hominis illius pejora prioribus propter ingratitudinis vitium, Deique contemtum, cum de

C accepta venia gratum esse oporteat, et duplo displiceat flagitium iteratum.

Nobili matronæ prædicit subitam viri sui emendationem ;

160 Alio quoque tempore mulier quædam nobilis, Deo devota, venit ad Sanctum, ut suum ei explicaret dolorem, ac remedium postularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem adversarium patiebatur in servitio Christi, et ideo petebat a Sancto, quatenus oraret pro illo, ut sua Deus cor ipsius dignaretur emollire clementia. Ipse vero hoc audiens, ait illi : Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo consolationem tibi de proximo adfuturam. Et adjecit : Dices ei ex parte Dei et mea, quod nunc est tempus clementiæ, postmodum æquitatis. Benedictione accepta, revertitur mulier, invenit virum, denuntiat verbum. Cecidit super eum Spiritus Sanctus, et novum factum de veteri sic facit cum mansuetudine respondere : Domina, serviamus Domino, et salvemus animas nostras. Suadente igitur sancta uxore, pluribus annis cælibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migraverunt. Miranda certe in Viro Dei spiritus prophetici virtus, qua et membris jam arentibus restituebat vigorem, et duris imprimebat cordibus pietatem.

alteri viro quædam alia, alteri secretum scrupu-

161 Quanquam non minus ejusdem spiritus sit stupenda limpiditas, qua sic futurorum præcognoscebat eventum, ut etiam conscientiarum scrutaretur arcanum *k*, quasi alter Elisæus duplicem Eliæ spiritum assequutus. Nam cum Senis viro cuidam sibi familiari quædam superventura finaliter prædixisset, et vir ille peritus (de quo supra mentio facta est *l*, quod de Scripturis cum eo conferebat aliquando) his auditis, ab eodem sancto Patre dubitando perquireret, an hæc ipse dixisset, quæ illius viri relatione cognoverat, non solum, se illa dixisse, asseruit, verum etiam quærenti alienum eventum, proprium exitum prophetando prædixit. Quod ut certius cordi ejus imprimeret, quendam secretum conscientiæ illius scrupulum, quem nulli viventi vir præfatus expresserat, et mirabiliter revelando explicuit, et salubriter consulendo reseravit *. Ad quorum omnium firmitatem accidit, quod vir * ille religiosus, sicut Christi Famulus ei prædixit, sic finaliter consummavit.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

lum explicat et vitæ exitum prænuntiat.

k

l

* *Ms.* resecavit

* *ibid. deest* vir

162 Eo *m* quoque tempore, quo revertebatur de ultra mare, socium habens fratrem Leonardum de Assisio, contigit, eum fatigatum et lassum parumper asellum conscendere. Subsequens autem socius, et ipse non modicum fessus, cœpit dicere intra se, humanum aliquid passus : Non de pari ludebant parentes ejus et mei *n;* en ipse equitat, et ego pedester asinum ejus duco. Hæc * illo cogitante, protinus descendit de asino Vir sanctus, et ait : Non, frater, convenit, ut ego equitem, tu venias pedes; quia nobilior et potentior in sæculo tu me E fuisti. Obstupuit illico frater, et rubore suffusus, deprehensum se recognoscens, procidit ad pedes ipsius, et lacrymis irrigatus nudum exposuit cogitatum, veniamque poposcit.

Cuidam fratri illius vanam cogitationem insinuat;

m

n

* *Vatic.* Hoc

alterum secreta cogitatione anxium pie solatur :

163 Frater quidam *o*, Deo devotus et Famulo Christi, frequenti cogitatione versabat in pectore, superna fore gratia dignum, quem Vir sanctus familiari complecteretur affectu; quem vero tanquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputandum a Deo. Cum igitur cogitationis hujus * crebrius vexatus impulsu, Viri Dei familiaritatem vehementer optaret; nec tamen cordis sui secretum revelaret alicui, advocans eum ad se, dulciter Pater pius sic alloquutus est : Nulla te turbet cogitatio, fili; quoniam te carissimum habens inter præcipue mihi caros, libenter tibi munus familiaritatis et dilectionis impendo. Miratus exinde frater, factusque devotior ex devoto, non solum in amore * crevit Hominis sancti, verum etiam per Spiritus Sancti gratiæ munus donis est majoribus cumulatus.

o

* *Vatic.* hujusmodi

* *Vatic. et Sur.* in amorem

alii, ut diu optaverat, occul. tam tentationem scripto suo tollit.

164 Cum autem * in monte maneret Alvernæ, cella reclusus, unus et sociis magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum, manu ipsius breviter annotatum; gravem enim, qua * vexabatur, tentationem, non carnis, sed spiritus, ex hoc credebat evadere, vel certe levius ferre. Tali desiderio languens anxiabatur interius; quia verecundia victus reverendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, spiritus revelavit. Portari namque sibi jussit a fratre prædicto atramentum et chartam, laudesque Domini juxta fratris desiderium propria manu scripsit, et ultimo benedictionem ipsius, dicens : Accipe tibi chartulam istam, et usque ad diem mortis tuæ custodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum; et statim omnis illa tentatio effugatur. Servatur littera *p*, et cum in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit.

* *Wadd.* etiam * *Ms.* cum qua

F

p

aliorumque lapsus ac emendationem prævidet ac prædicit.

165 Frater *q* quidam erat, quantum a foris videbatur, sanctitate præclarus, conversatione insignis; tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium observabat, quod consueverat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autem, sanctum Patrem venire ad locum, videre fratrem, et de ipso cum aliis fratribus habere sermonem. Commendantibus autem omnibus et magnificantibus illum, respondit Vir Dei : Sinite, fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quod diabolica tentatio est, et deceptio fraudulenta. Dure acceperunt hoc fratres, tanquam impossibile judicantes, quod tot perfectionis indiciis fraudis se commenta fucarent.

q

AUCTORE S. BONAVENTURA.

fucarent *. Verum non post multos dies eo Religionem egresso, evidenter apparuit, quanta luculentia interioris contuitus Vir Dei cordis ejus secreta perspexit. Multorum quoque per hunc modum, qui stare videbantur, ruinam, sed et plurium perversorum conversionem ad Christum immobili veritate prænuncians, appropinquasse videbatur ad æternæ lucis speculum contemplandum, cujus fulgore mirabili absentia corporaliter, tanquam si essent præsentia, mentis ejus cernebat obtutus.

* *al.* fuscarent

Absens inobedientiam cujusdam videt, et per nuncium salubriter corrigit.

166 Quodam namque tempore vicarius suus tenebat capitulum; ipse vero, in cella orans, sequester erat et medius inter fratres et Deum. Cum igitur unus ex ipsis, defensionis quodam contectus palliolo, non se subderet disciplinæ; videns hoc Vir sanctus in spiritu, vocavit quendam de fratribus, et dixit ad eum : Vidi, frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum ejus tenentem astrictum, qui tali sessore subactus, obedientiæ freno spreto, instinctus ejus sequebatur habenas. Et cum rogarem Deum pro fratre, subito dæmon confusus abscessit. Vade igitur, et dic fratri, ut obedientiæ sanctæ jugo collum sine mora submittat. Monitus per internuncium frater, statimque conversus ad Deum, ad pedes vicarii humiliter se projecit. B

Duobus, eorum desiderio divinitus cognito, bene precatur ;

167 Alio quoque tempore contigit, duos fratres ad eremitorium Græcii de remotis venire, ut Virum Dei cernerent, et benedictionem multo desideratam jam tempore reportarent. Venientes autem, et non invenientes, quia de publico jam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cum de ipsorum adventu vel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset, præter solitum morem egressus e cella, clamavit post eos, et ipsos, juxta quod optaverant, signo crucis facto, in Christi nomine benedixit.

alterius perversi lapsum vaticinatur.

168 Duo fratres venerunt aliquando de terra Laboris *r*, quorum antiquior nonnulla intulit scandala juniori. Cum autem pervenissent ad Patrem, quæsivit ille a juniore, qualiter erga ipsum se frater socius habuisset in via : quo respondente : Utique satis bene; subjunxit : Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris; scio enim, scio, sed expecta modicum, et videbis. Miratus est perplurimum frater, quomodo tam absentia per spiritum cognovisset. Igitur non post multos dies, contemta Religione, foras egreditur, qui scandalum fecerat fratri, et a Patre non petierat veniam, nec correctionis debitam receperat disciplinam, simulque duo in una illius claruere ruina; æquitas scilicet C divinæ justitiæ, et perspicacitas spiritus prophetiæ.

r

Absentibus apparet.

169 Qualiter autem absentibus se præsentem exhibuit, divina faciente virtute, evidenter ex superioribus innotescit, si revocetur ad mentem, qualiter absens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit; et quomodo se Arelatensi capitulo in crucis effigie præsentavit *s*. Quod factum esse divina dispositione credendum est, ut ex præsentiæ corporalis apparitione mirabili patenter claresceret, quam præsens et pervius spiritus ejus luci sapientiæ foret æternæ, quæ omnibus mobilibus, mobilior est, et ubique attingens propter sui munditiam, per nationes * in animas sanctas se transfert, et Dei amicos et prophetas constituit *t*. Simplicibus enim * et parvulis sua solet pandere mysteria Doctor excelsus, sicut prius apparuit in David, prophetarum eximio, et post in Apostolorum principe Petro, et tandem in pauperculo Christi Francisco. Hi enim, eum essent litterarum imperitia simplices, facti sunt Sancti Spiritus eruditione illustres; is quidem pastor, ut gregem pasceret synagogæ de Ægypto eductum; iste piscator, ut sagenam repleret Ecclesiæ multiformitate credentium; hic autem negotiator, ut margaritam emeret Euangelicæ vitæ, venditis et dispersis omnibus propter Christum.

s

* *Wadd.* rationes

t

* *al. deest* enim

ANNOTATA.

D

a *Totum hunc numerum omisit Waddingus.*

b *Lege supra caput* 9, *num.* 133, *et Annotata ibidem.*

c Fratri Illuminato, *ut videre est supra loco mox citato.*

d *Adi Commentarium prævium num.* 348 *et duobus sequentibus.*

e *Waddingus habet :* Plus annuntiet; *sed in Vulgata Ecclesiastici cap.* 37, ℣ 18, *unde hæc sumpta sunt, legitur :* Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores, sedentes in excelso ad speculandum.

f *Oppidum est prope lacum* Fucinum, *in Marsis, seu in Aprutio Ulteriori, in regno Neapolitano, a quo oppido Thomam, primum* S. Francisci *biographum,* De Celano, Celanum *aut* Celanensem *dictum puto. Waddingus rursum prætermisit omnia, quæ toto hoc numero et quatuor sequentibus referuntur.*

g *Id est,* vir nobilis, *ut alibi annotavi.*

h *Matthæi cap.* 10, ℣ 41.

i Præbenda *est beneficium ecclesiasticum. Hinc* præbendarius, *qui hujusmodi beneficium obtinet.*

k *Waddingus, omissis, quæ supra diximus, ita hic progreditur :* Miranda certe in Viro Dei spiritus prophetici virtus, qua non solum futurorum præcognoscebat eventum, sed etiam conscientiarum scrutaretur arcanum. E

l *Nempe num.* 133.

m *Hæc et quæ sequuntur usque ad initium numeri* 164 *prætermisit Waddingus.*

n *Proverbium est, quo frater Leonardus significabat, suos sanctique* Francisci *parentes non fuisse paris fortunæ, sed suos scilicet opulentioris nobiliorisque, ut mox sequitur.*

o *Hunc dictum fuisse* Richerium, *docet Celanensis in Vita prima num.* 49, *ubi et numero sequenti idem factum refert.*

p *Sedulius in Commentario ad hanc Vitam ex Bartholomæo Pisano asserit, fratrem illum fuisse* Leonem, *scriptumque signo* Thau *signatum, continuisse hanc benedictionem :* Benedicat tibi Dominus, et custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Dominus benedicat fratrem Leonem. *Waddingus in Annalibus ad annum* 1224, *num.* 7 *idem scriptum eodem fere, quo Sedulius, modo recitat, subditque :* Post mortem ejus (*Leonis*) diligenter in hunc usque diem inter reliquias adservatum in sacrario S. Francisci Assisii, miraculose multis reddidit sanitatem.

q *Sequentia usque ad initium numeri* 167 *non sunt in editione Waddingi.* F

r Terra Laboris, *Italis* la Terra di Lovaro, *regni Neapolitani provincia est in ora maris Tyrrheni. Hæc et sequentia usque ad finem hujus numeri omissa sunt in editione Waddingi.*

s *Utrumque legesis supra cap.* 4.

t *Lege librum Sapientiæ cap.* 7, ℣ 24 *et* 27.

CAPUT XII.

De efficacia prædicandi et gratia sanitatum.

Sanctus dubitans, utrum Deo magis placeat orare,

Fidelis re vera famulus et minister Christi Franciscus, ut cuncta fideliter et perfecte perageret, illis potissime virtutum exercitiis intendebat, quæ, sacro dictante Spiritu, Deo suo magis placere, cognoverat. Qua de re contigit, illum in magnam dubitationis cujusdam agoniam incidere, quam multis diebus, ab oratione rediens, terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, fratres, consulitis, quid laudatis? An, quod orationi vacem, an, quod prædicando discurram; siquidem ego parvulus, simplex et imperitus sermone, majorem orandi accepi gratiam, quam loquendi. Videtur

AUCTORE S. BONAVENTURA.

A Videtur etiam in oratione lucrum et cumulatio gratiarum; in prædicatione distributio quædam donorum cælitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, et unitio ad unum verum et summum Bonum, cum vigoratione virtutis; in prædictione spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa, et relaxatio disciplinæ.

an prædicare, fratres suos diu consulit,

171 Tandem in oratione Deum alloquimur, et audimus, et quasi angelicam vitam agentes, inter angelos conversamur; in prædicatione multa oportet condescensione uti ad homines et humane inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere et audire. Sed unum est in contrarium, quod videtur præponderare his omnibus ante Deum, quod videlicet Unigenitus Dei Filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutum de sinu Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis et pretio redimeret et emundaret lavacro, et poculo sustentaret, nihil sibi omnino reservans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere secundum exemplar eorum, quæ videmus in ipso, tanquam in monte sublimi, videtur magis Deo placitum, quod, intermissa quiete, foras egrediar ad laborem *a*. Cumque

a

B per multos dies verba hujusmodi ruminaret cum

b

fratribus *b*, certitudinaliter nequibat percipere, quid horum sibi foret, ut Christo vere acceptius, eligendum.

divinamque voluntatem inquiri jubet per fratrem Sylvestrum

172 Cum enim miranda nosset per spiritum prophetiæ, hanc per seipsum quæstionem dissolvere non valebat ad liquidum; Deo melius providente, ut prædicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum, et Servi Christi humilitas servaretur. Non erubescebat a minoribus parva quærere verus Minor, qui magna didicerat a Magistro supremo; studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali via, qualique modo Deo * posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deservire. Hæc summa ejus philosophia, hoc summum ejus desiderium exstitit, quoad vixit, ut quæreret a sapientibus et simplicibus, perfectis et imperfectis, parvulis et grandævis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius pervenire valeret. Assumens itaque duos ex fratribus, misit ad fratrem Sylvestrum, qui crucem egredientem viderat de ore ipsius *c*, et tunc in montem * supra Assi-

* *ap. Wad. deest* Deo

c

* *al.* in monte

sium jugiter orationi vacabat, ut divinum super dubitatione hujusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret.

et S. Claram; qua cognita, ad prædicandum prosilit.

173 Hoc ipsum demandavit sacræ virgini Claræ, ut per aliquam puriorem et simpliciorem de virginibus sub ipsius disciplina degentibus, et ipsa cum sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini

C voluntatem. Concordaverunt autem mirabiliter in idipsum, superno eis revelante Spiritu, venerabilis sacerdos, et virgo Deo dicata, beneplaciti scilicet esse divini, quod Christi Præco ad prædicandum exiret. Revertentibus * itaque fratribus, et Dei, juxta quod acceperant, indicantibus voluntatem, exsurgens continuo succinxit se, nulla * prorsus contracta mora, iter agressus est. Ibat autem cum tanto fervore, ut divinum exsequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si, facta manu Dei super eum, novam induisset e cælo virtutem.

* *Wadd.* revelantibus

* *al.* et nulla *vel* nullaque

Aves auscultantes habet:

d

174 Cum igitur appropinquaret Bevanio *d*, ad quendam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat; quas cum Sanctus Dei vidisset, alacriter cucurrit ad locum, et eas velut rationis participes salutavit. Omnibus vero expectantibus et convertentibus se ad eum, ita ut, quæ in arbustis erant, inclinantibus capitibus, cum appropinquaret ad eas, insolito modo in ipsum intenderent, usque ad eas accessit, et omnes, ut verbum Dei audirent, solicite admonuit, dicens: Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit, et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris, et sine vestra solicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc et his similia loqueretur, aviculæ modo mirabili gestientes, cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra, et in illum attente respicere. Ipse vero cum spiritus fervore mirando per medium ipsarum transiens, tunica contingebat easdem; nec tamen de loco aliqua mota est, donec signo crucis facto, et licentia data, cum benedictione Viri Dei omnes simul avolarunt *. Hæc omnia contuebantur socii, expectantes in via. Ad quos reversus Vir simplex et purus, pro eo, quod hactenus avibus non prædicaverat, cœpit se de negligentia inculpare.

* *Vatic. male:* advolarunt

hirundinibus silentium imperat,

e

175 Exinde prædicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam, nomine Alvianum *e*, ubi congregato populo, et indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco, magnisque garritibus perstrepentes, audiri vix poterat. Quas Vir Dei, omnibus audientibus, allocutus est, dicens: Sorores meæ hirundines, jam tempus est, ut loquar et ego; quia vos usque modo satis dixistis; audite verbum Dei, tenentes silentium, donec sermo Dei compleatur. At illæ, tanquam intellectus capaces, subito tacuerunt, nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio consummata. Omnes igitur, qui viderunt, stupore repleti glorificaverunt Deum. Istius miraculi fama E circumquaque diffusa multos ad Sancti reverentiam et fidei devotionem accendit.

quod et quidam alter fecit hirundini in ejusdem nomine.

176 In civitate namque Parisiensi scholaris quidam indolis bonæ, cum sociis aliis studio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cujusdam infestaretur hirundinis, dicere cœpit ad socios: Hæc hirundo una de illis est, quæ virum Dei Franciscum prædicantem aliquando, donec silentium eis imponeret, molestabant. Et conversus ad hirundinem fiducialiter ait: In nomine servi Dei Francisci præcipio tibi, ut ad me veniens continuo conticescas. At illa, Francisci audito nomine, quasi Viri Dei disciplinis edocta, et statim conticuit, et ipsius manibus, tanquam tutæ custodiæ, se commisit. Stupefactus scholaris statim eam libertati restituit, et ejus garritum amplius non audivit.

Miro naviculæ obsequio utitur.

177 Alio quoque tempore cum Famulus Dei Cajetæ *f* prædicaret in littore maris, turbis præ devotione ruentibus * ut eum contingerent, horrens Christi Servus tantum populorum applausum, in unam hærentem littori naviculam prosilivit solus. Illa vero tanquam si rationis particeps motore moveretur intrinseco; sine aliquo remige, cernentibus et mirantibus cunctis, se longius a terra protraxit. Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu Vir sanctus turbis expectantibus in littore prædicavit. Cumque audito sermone et viso miraculo, ac benedictione accepta, multitudo re-

* *Ms. et Wadd.* irruentibus

f

F cederet *, ne ipsum amplius molestaret, navicula proprio ductu ad terram reversa est. Quis igitur tam * obstinatæ mentis esset et impiæ, ut prædicationem Francisci contemneret, cujus miranda fiebat virtute, ut non solum carentia ratione disciplinam susciperent; verum etiam inanimata corpora, tanquam animata, prædicanti servirent?

* *Ms.* cederet

* *in Vatic. et Wadd. deest* tam

Præparati sermonis oblitus coram Papa eximie prædicat:

178 Aderat equidem servo suo Francisco, ad quæcunque pergeret, is, qui eum unxerat et miserat, Spiritus Domini, et ipse Dei virtus et sapientia Christus, ut sanæ doctrinæ verbis affluerent, et magnæ potentiæ miraculis coruscaret. Erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat; cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret. Nam cum semel prædicaturus coram Papa et Cardinalibus, ad suggestionem domini Ostiensis sermonem quendam studiose * compositum commendasset memoriæ, stetissetque in medio, ut ædificationis verba proponeret, sic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino nesciret. Verum cum hoc veridica humilitate narrasset, conferens se ad Spiritus sancti gratiam invocandam, tam

* *Ms.* studiose copiose

AUCTORE S. BONAVENTURA.

tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur *g*.

g potens opere et sermone magnos fructus refert.

179 Et quoniam primo sibi suaserat opere, quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timens, veritatem fidentissime * prædicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur et parvis; eademque spiritus jocunditate paucis loquebatur et multis. Omnis ætas, omnisque sexus properabat Virum novum, mundo cælitus datum, et cernere et audire. Ipse vero per diversas regiones progrediens, euangelizabat ardenter, « Domino cooperante, et sermonem con- » firmante, sequentibus signis *h* ». In virtute namque nominis ejus veritatis præco Franciscus ejiciebat dæmonia, sanabat infirmos; et, quod majus est, sui sermonis efficacia et * obstinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat et cordibus *i;* sicut aliqua comprobant operum ejus, exempli gratia inferius adnotanda.

* Wadd. fidelissime

h

* *al. non est* et

i

Puerum contractum, paralyticum, ac tertium fœde turgidum sanat:

180 In civitate Tuscanella *k* a milite *l* quodam hospitio devote susceptus, filium ejus unicum, a nativitate contractum, ad multam ipsius instantiam manu allevans, sic subito incolumem reddidit, ut, videntibus cunctis, protinus consolidarentur omnia corporis membra; et puer sanus et fortis effectus, confestim exsurgeret ambulans, et exsiliens et laudans Deum. In civitate Narniensi *m*, cum paralyticum quemdam, membrorum omnium destitutum officio, signo crucis a capite usque ad pedes ad instantiam signasset episcopi, perfectæ * restituit sanitati. In episcopatu Reatino puer quidam sic turgidus a quatuor annis, ut nullo modo propria crura cernere posset, a matre cum lacrymis præsentatus eidem, statim, ut Vir sanctus tetigit eum manibus sacris, incolumis est effectus.

k l

m

B

* *Vatic. et Wadd.* perfecte

duobus aliis contractis membrorum usum:

181 Apud civitatem Ortensem *n* puer unus ita conglomeratus, ut caput pedibus portaret applicitum * et haberet ossa nonnulla confracta, signo crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodem suscepto, subito extensus extitit, et illico liberatus. Mulier quædam civitatis Eugubii, ambas contractas et aridas habens manus, adeo ut nihil per illas operari valeret, signo crucis ab eodem in nomine Domini sibi facto *o*, tam perfectam * obtinuit sospitatem, quod statim rediens domum, cibos *p* in ministerium ejus et pauperum, quasi altera socrus Simonis *q*, propriis manibus præpararet.

n

* *Ms.* applicatum

o

* *Wadd.* perfecte

p q

duabus cæcis utriusque oculi, lusco alterius usum, restituit.

182 Puellæ cuidam in castro Mevanii *r*, oculorum privatæ luminibus, cum in Trinitatis nomine, sputo suo ter ipsius oculos linivisset, lumen concupitum restituit. Mulier quædam civitatis Narnii *, oculorum cæcitate percussa, signum crucis ab eodem suscipiens, lucem recuperavit optatam *s*. Bononiæ *t* puer quidam unum oculorum macula adeo habens obtectum, ut nihil prorsus videre posset, nec aliquo juvari remedio; post signum crucis, a capite usque ad pedes per servum Domini sibi factum, visum recuperavit tam limpidum, ut postmodum fratrum Minorum Ordinem ingressus, se longe clarius videre, assereret, de oculo prius infirmo, quam de oculo semper sano.

* *Ms. male :* Nardii

r

s t

Sui hospitis uxorem energumenam, alteramque alibi dæmone liberat.

183 In castro sancti Geminiani *u* Servus Dei a quodam devoto viro susceptus hospitio, cujus uxor a dæmonio vexabatur, post orationem factam in virtute obedientiæ imperavit dæmoni, ut exiret; eumque potestate divina tam subito effugavit, ut vere claresceret, quod obedientiæ sanctæ virtuti pervicacia dæmonum non obsistat *x*. In civitate de Castello *y* quidam furibundus et nequam spiritus quandam obsidens mulierem, a Viro sancto obedientiæ accepto mandato, indignabundus discessit; mente simul et corpore liberam, obsessam prius feminam, derelinquens.

u

x

y

184 Frater quidam infirmitate tam horribili gravabatur, ut magis esse vexatio dæmonis, quam naturalis infirmitas, a pluribus firmaretur. Nam totus sæpe allidebatur et volutabatur spumans; membris corporis nunc contractis, nunc extensis, nunc plicatis, nunc tortis, nunc rigidis effectis et duris. Quandoque totus extensus et rigidus, pedibus æquatis capiti, levabatur in altum, horribiliter illico relapsurus. Hunc sic miserabiliter et irremediabiliter ægrotantem plenus misericordia Christi Servus commiserans, buccellam sibi panis, de quo edebat, transmisit. Tantam vero gustatus panis contulit ægro virtutem, ut deinceps hujus infirmitatis molestiam non sentiret *z*.

D

Religiosum a dæmone horribiliter vexatum, misso frusto panis sui, reddit incolumem.

z

In partu pericl itans, tacto freno equi, cui Sanctus insederat, prospere parit:

185 In comitatu Aretii cum diebus pluribus mulier quædam laborasset in partu, essetque jam proxima morti, nullum omnino desperanti de vita supererat remedium, nisi Dei. Cum autem equo vectus propter corporis infirmitatem Christi Famulus per partes illas transitum habuisset, contigit reduci animal per villam, in qua mulier torquebatur. Homines vero loci, viso equo, cui Vir sanctus insederat, extraxerunt frænum, ut superponerent mulieri; ad cujus contactum mirificum, omni remoto periculo, mulier illico peperit cum salute *aa*.

aa

chorda, qua cinctus fuerat, panisque ab eo tactus multis salutares.

186 Vir quidam de Castro Plebis, religiosus ac timens Deum, chordam apud se, qua cinctus fuerat sanctus Pater, habebat. Cumque multitudo virorum ac mulierum in castro illo variis infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domos, et intincta chorda in aqua, dabat bibere patientibus : sicque per hunc modum plurimi sanabantur *bb*. Sed et de panibus a Viro Dei contactis gustantes ægroti, divina operante virtute, consequebantur celeriter remedia sanitatum *cc*.

E

bb

cc

Conclusio auctoris de Sancti prædicatione.

187 Cum his et aliis multis miraculorum prodigiis Præco Christi prædicans coruscaret, attendebatur his, quæ dicebantur ab eo, acsi angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso prærogativa virtutum, prophetiæ spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prædicando cœlitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio ejus a Spiritu sancto præter humanam doctrinam, prædicandi auctoritas a summo Pontifice non sine revelatione concessa; insuper et Regula, in qua forma prædicandi exprimitur, ab eodem Christi vicario confirmata, summi quoque Regis signacula per modum sigilli corpori ejus impressa, tanquam testimonia decem toti sæculo indubitanter affirmant, Christi præconem Franciscum et venerandum officio, et doctrina authenticum, et admirabilem sanctitate, ac per hoc, tanquam vere Dei nuntium, Christi Euangelium prædicasse.

F

ANNOTATA.

a *Waddingus præcedentia post verba,* placere cognoverat, *sic contraxit :* Qua de re contigit, illum, an potius prædicationi, quam orationi, debuisset incumbere, satis anxie dubitasse.

b *Waddingus :* Cumque per multos dies circa dubium hoc fratres consuleret.

c *Consule hujus Vitæ caput* 3, *num.* 30.

d Bevanium, *alias* Mevania, *Italis* Bevagna, *oppidum Umbriæ est ditionis Pontificiæ, ut supra dixi ad Vitæ primæ lib,* 1, *cap.* 7, *lit.* t.

e *Vide Annotata ad Vitæ primæ locum mox laudatum lit.* z.

f Cajeta, *indigenis* Gaeta, *episcopalis civitas regni Neapolitani est in Terra Laboris et in ora maris Tyrrheni, probe munita, amploque portu instructa.*

g *Vide, quæ de hoc sermone, quem* S. Franciscus *anno* 1223 *coram Honorio III Pontifice et sacro Cardinalium collegio habuit, annotavimus in Commentario prævio num.* 302 *et aliquot sequentibus.*

h *Marci cap. ultimo* ℣. *ultimo.*

i *Waddingus hic subdit :* Nullumque erat, quod non perpetrabat miraculum : unum autem vel alterum,

A alterum, dimissis innumeris, subjiciemus. *Deinde pauca tantum miracula refert, de quibus lectorem suis in locis monebo.*

k Tuscania, *Italis* Toscanella, *ditionis Pontificiæ civitas est in provincia Patrimonii, de qua supra jam memini.*

l *Id est,* viro nobili.

m *De hac quoque civitate superius facta fuit mentio. Miraculum hoc etiam legitur apud Waddingum.*

n *Alias* Hortensem, *sive* Hortanam, *cujus jam crebro memini.*

o *Eadem habet Celanensis in Vita prima num.* 67; *sed ibi dicitur mulier illa, tactis a Sancto manibus suis, sanata fuisse. Forsan Sanctus et tactum et signum crucis adhibuit.*

p Casseatam, *seu* caseatam, *id est, placentam ex caseo fuisse, scribit Celanensis mox laudatus. Hoc et sequens miraculum etiam retulit Waddingus.*

q *Lege Matthæi cap.* 8.

r *Vaticana et Suriana editiones :* Bevanii. *Vide mox Annotata hic ad lit.* d.

s *In Ms. nostro codice hic legitur :* Signo Crucis ab eodem lumen recuperavit optatum.

t Bononia, *incolis* Bologna, *clarissima civitas, Romandiolæ primaria, notissima est.*

B u *Editio Vaticana :* S. Gemini. *Vide Annotata ad Vitæ primæ librum* I, *cap.* 8, *lit.* m.

x *Celanensis in Vita num.* 69 *etiam alia addens adjuncta, ait, mulierem hanc tam subito liberatam fuisse, ut* S. Franciscus *crederet, eam non fuisse energumenam, sed sibi ab illa illusum esse.*

y *Verisimiliter indicatur* Tifernum Tiberinum, *Italis* Citta di Castello *dictum, quæ ditionis Pontificiæ episcopalis civitas est in Umbria. Vide etiam Vitæ primæ num.* 70 *et Annotata ibidem.*

z *Lege etiam Vitam primam num.* 68 *et Annotata ibidem. Sequentia usque ad finem hujus capitis etiam habet editio Waddingi.*

aa *Adi Vitam primam num.* 65, *ubi hoc factum paulo latius refertur.*

bb *Hæc quoque habet Celanensis in Vita num.* 64, *ubi vir iste religiosus, Castri-plebis incola,* Gualfredutius *vocatur, diciturque aquam,* intincta corda, vel ex pilis ipsius (*Sancti*) aliquid (*eidem aquæ*) commiscens, *infirmis potandam dedisse.*

cc Offerebant ei populi (*inquit Celanensis in Vita num.* 63) panes ad benedicendum, quos longo reservantes tempore, ad eorum gustum a diversis ægritudinibus sanabantur.

CAPUT XIII.

C

De stigmatibus sacris.

Sanctus tempus inter contemplationem proximique curam dividens, *a*

Mos erat angelico viro Francisco nunquam otiari a bono : quin potius instar supernorum spirituum in scala Jacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum *a*. Nam tempus sibi concessum ad meritum dividere sic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Unde cum secundum exigentiam locorum et temporum alienæ condescendisset procurandæ saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat, locumque quietis, quo liberius Deo vacans extergeret, si quid pulveris sibi ex conversatione hominum adhæsisset. Biennio itaque antequam spiritum redderet cælo *b*, divina providentia duce, post labores multimodos perductus est in locum excelsum seorsum, qui dicitur Mons Alvernæ.

b

dum in monte Alvernæ quadragesimam S. Michaelis servat, *c*

189 Cum igitur juxta solitum morem Quadragesimam ibidem ad honorem sancti archangeli Michaelis *c* jejunare cœpisset, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cœlestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire. Ferebatur quidem in altum, non ut curiosus Majestatis perscrutator opprimendus a gloria *d;* sed tanquam servus fidelis et prudens, investigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimode summo peroptabat ardore. Immissum est igitur menti ejus per divinum oraculum, quod in apertione libri Euangelici revelaretur ei a Christo, quod * Deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

d

* *al.* quid

190 Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Euangeliorum librum de altari sumptum in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo * devotum et sanctum *e*. Sane cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit Vir Deo plenus, quod, sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. Et licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, crucisque Dominicæ baiulationem continuam, imbecillis jam esset corpore, nequaquam est territus; sed ad martyrii sustinentiam vigorosius animatus. Excreverat quidem in eo insuperabile amoris incendium boni Jesu in lampades ignis atque flammarum, ut atquæ multæ caritatem ejus tam validam extinguere non valerent *f*.

ex libro Evangeliorum intelligit, sibi adhuc multum patiendum esse.

* *Sur. male :* a Deo

e

f

Ibidem videt ad se volantem Seraphinum crucifixum, *g*

E

191 Cum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis *g*, dum oraret in latere montis, vidit Seraph unum, sex alas habentem tam ignitas quam splendidas de cælorum sublimitate descendere : Cumque volatu celerrimo pervenisset ad aeris locum Viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus et pedes extensos habentis, et cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus.

intelligitque, se per amorem in Christi similitudinem transformandum.

* *Ms. perperam* gaudio

192 Hoc videns, vehementer obstupuit, mixtumque mœrore gaudium cor ejus incurrit. Lætabatur quidem in gratioso aspectu, quo a Christo sub specie Seraph cernebat se conspici; sed crucis affixio compassivi doloris gladio * ipsius animam pertransibat. Admirabatur quamplurimum in tam inscrutabilis visionis aspectu, sciens, quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conveniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio sic divina providentia suis fuerat præsentata conspectibus, ut Amicus Christi prænosceret, se non per martyrium carnis *g*, sed per incendiem mentis, totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum.

h

F

Evanescente visione, ipse quinque sacris stigmatibus insignitus mansit,

* *l.* confixi

193 Disparens igitur visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem; sed et in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus ejus et pedibus apparere cœperunt signa clavorum; quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat. Manus enim et pedes in ipso medio clavis confixæ * videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum, et superiori pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra, ipsa vero acumina oblonga, retorta, et quasi repercussa, quæ de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant. Dexterum quoque latus, quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia respergebat.

et quod gestum fuerat, cum timore sociis narravit.

194 Cernens autem Christi Servus, quod stigmata, carni tam luculenter impressa, socios familiares latere non possent, timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno positus fuit dubitationis agone, utrum videlicet, quod viderat, diceret, vel taceret. Vocavit proinde aliquos ex fratribus, et generalibus verbis loquens, dubium coram eis proposuit, et consilium requisivit. Quidam vero ex fratribus, gratia Illuminatus et nomine

AUCTORE S. BONAVENTURA

mine *i*, intelligens, quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus, dixit ad Virum sanctum : Frater, non solum propter te, sed etiam propter alios, scias, tibi ostendi aliquando sacramenta divina. Timendum propterea jure videtur, ne, si, quod pluribus profuturum accepisti, celaveris, pro talento abscondito reprehensibilis judiceris. Ad cujus verbum motus Vir sanctus, licet alias dicere solitus esset : « Secretum meum mihi *k;* tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis præfatæ *l*, addens, quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam, dum viveret, alicui hominum aperiret. Credendum sane, tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph, in cruce mirabiliter apparentis, eloquia, quod forte non liceret hominibus ea loqui *m*.

i

k

l

m

Stigmata, quæ Sanctus occultare nititur, miraculis inclarescunt.

195 Postquam igitur verus Christi amor in eandem imaginem transformavit Amantem, quadraginta dierum numero, juxta quod decreverat, in solitudine consummato; superveniente quoque solennitate archangeli Michaelis, descendit angelicus vir Franciscus de monte, secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. Et quoniam sacramentum regis abscondere bonum est, ideo secreti regalis Vir conscius, signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verum quia Dei est ad gloriam * suam magna revelare, quæ facit, Dominus ipse, qui signacula illa secrete impresserat, miracula quædam aperte per ipsa monstravit, ut illorum occulta et mira vis stigmatum manifesta pateret claritate signorum.

B

* *Wadd.* ad magnam gloriam

Pestis animalium abigitur aqua, qua Sancti manus pedesque fuerant loti.

196 In provincia namque Reatina *n* pestis invaluerat valde gravis, quæ oves et boves omnes sic consumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam, timens Deum, nocte fuit per visionem commonitus, ut ad eremitorium fratrum festinanter accederet, et loturam manuum ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam super animalia cuncta respergeret. Mane itaque surgens, venit ad locum, loturaque hujusmodi per socios sancti Viri latenter obtenta, oves et boves languentes ex ea respersit. Mirabile dictu! Statim ut aspersio animalia languida et in terra jacentia quantumcumque paululum attingebat, pristino recuperato vigore, surgebant continuo, et tanquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant. Sicque factum est, ut per virtutem mirandam aquæ illius, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensque morbus a gregibus fugaretur.

n

C

Apud montem Alvernæ cessat solita tempestas.

197 Circa præfatum montem Alvernæ, antequam Vir sanctus ibi contraheret moram, nube ex ipso monte surgente, grandinis violenta tempestas, fructus terræ consuetudinarie devastabat; sed post illam apparitionem felicem non sine incolarum admiratione grando cessavit; ut cœlestis illius visionis excellentiam, et stigmatum ibidem impressorum virtutem, serenata * præter morem ipsa cæli facies declararet.

* *al.* serenati

Hiemali tempore sub rupe pernoctans, pauperem, frigus non ferentem,

198 Contigit quoque, eum tempore hiemali, propter debilitatem corporis, et asperitatem viarum, hominis unius pauperis subvectum asello, sub rupis cujusdam prominentis pernoctare crepidine, ut nivis et noctis supervenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus ad hospitii locum non valuerat pervenire. Cum autem Vir sanctus, hominem illum, querulosis submurmurantem gemitibus, hinc inde seipsum jactare sensisset, tanquam qui tenui operimento contectus quiescere præ frigoris acerbitate nequibat, divini amoris fervore succensus manu illum protensa palpavit.

solo manus attactu calefacit.

199 Mirabile certe! Repente ad * illius sacræ manus contactum, quæ Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore, tantus in virum intus et extra calor advenit, ac si quædam in eum vis flammea ex fornacis spiraculo processisset.

* *In Vatic. deest* ad

Nam illico et mente et corpore confortatus, suavius inter saxa et nives usque mane dormivit, quam unquam in proprio lecto pausaverat, sicut ipse postmodum asserebat. Certis itaque constat indiciis, sacra illa signacula illius impressa fuisse virtute, qui operatione Seraphica purgat, illuminat et inflammat : cum ipsa, forinsecus expurgando a peste, salutem, serenitatem, et calorem corporibus, efficacia mira conferrent; sicut et post mortem evidentioribus est demonstratum prodigiis, suo loco posterius adnotandis *o*.

D

o

Stigmata in manibus ac pedibus, dum viveret multi viderunt,

200 Ipse vero licet thesaurum inventum in agro multa diligentia studeret abscondere, latere tamen non potuit, quin aliqui stigmata manuum viderent et pedum; quanquam manus quasi semper portaret contectas, et pedibus extunc incederet calceatis *. Viderunt enim, dum viveret, fratres plurimi, qui licet essent propter sanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amovendum, sic esse *, ac se vidisse, tactis sacrosanctis, juramento firmarunt *p*. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum Viro sancto habebant, aliqui Cardinales; laudes sacrorum stigmatum prosis et hymnis et antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem, veraciter inserentes *q*, qui tam verbo, quam scripto perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex dominus Alexander *, cum populo prædicaret, coram multis fratribus, et me ipso, affirmavit, se, dum Sanctus viveret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse *r*. Viderunt in morte plus quam quinquaginta fratres, virgoque Deo devotissima Clara cum ceteris sororibus suis, et sæculares innumeri, ex quibus, quemadmodum suo loco dicetur *s*, quamplurimi et osculati sunt ex devotionis affectu, et correctaverunt manibus ad testimonii firmitatem.

* *in Ms. deest* sic esse

p

q

E

* *Wadd. add.* quartus

r

s

sed vulnus lateris pauci, quod tamen post mortem ab innumeris conspectum.

201 Vulnus autem lateris tam solicite occultavit, ut illud nemo posset, nisi furtim, contueri, dum viveret. Unus etenim frater, qui ei sedule ministrare solitus erat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induxisset, attente respiciens, vidit plagam : cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam visu, quam tactu, vulneris quantitatem agnovit. Cum simili * cautela vidit etiam frater ille, qui tunc temporis erat vicarius ejus *t*. Frater vero socius mirandæ simplicitatis, dum infirmitatis caussa languentes scapulas contrectaret, manu per capitium * missa, et casualiter vulneri sacro illapsa, magnum ei dolorem inflixit *u*. Proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, ut usque ad axillas * pertingerent, ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque, qui illa lavabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inveniebant eam sanguine rubricatam *x*, indubitanter per evidens signum in cognitionem sacri vulneris pervenerunt; quod postmodum in morte, revelata facie, ipsi cum aliis plurimis contemplati simul et venerati sunt.

* *Vatic. et Wadd.* consimili

t

* *ibid.* caputium

u

* *Ms. et Vatic.* ascellas

F

x

Sanctus doctor sancto Patri suo de his pie gratulatur,

202 Eia nunc, strenuissime Miles Christi ipsius fer arma invictissimi Ducis, quibus munitus et insignitus * omnes adversarios superabis. Fer vexillum Regis altissimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores divini exercitus animentur; fer nihilominus sigillum summi Pontificis Christi, quo verba et facta tua, tanquam irreprehensibilia et authentica, merito ab omnibus acceptentur. Jam enim propter stigmata Domini Jesu, quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi esse molestus; quin potius quilibet Christi servus omni esse tenetur affectione devotus. Jam per hæc signa certissima, non duobus aut tribus testibus ad sufficientiam. sed quamplurimis ad superabundantiam comprobata, testimonia Dei, in te et per te credibilia facta * nimis, omne tollunt infidelibus velamen excusationis, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiducia * sursum agunt, et igne charitatis accendunt.

* *Ms.* munitus insigniter

* *Ms. add.* sunt

* *Vatic. et Wadd.* fiduciam

203 Jam vere impleta est prima visio, quam vidisti : videlicet, quod dux in militia Christi futurus, armis deberes cælestibus, signoque crucis, insignibus

A insignibus decorari *y*. Jam in principio tuæ conversionis Crucifixi visio compassivi doloris gladio mentaliter te transfigens, sed et auditus vocis de cruce, tanquam de throno Christi sublimi, et secreto propitiatorio, procedentis *z* (juxta quod tuo sacro firmasti eloquio) vera indubitanter fuisse creduntur. Jam in tuæ conversionis progressu et crucem, quam vidit frater Silvester ex ore tuo mirabiliter procedentem *aa*, et gladios in crucis modum tua viscera transfigentes *bb*, quos sacer vidit Pacificus, teque secundum Crucis figuram in aere sublevatum, cum de crucis titulo sanctus prædicabat Antonius *cc;* juxta quod prospexit angelicus vir Monaldus, non phantastica visione, sed revelatione fuisse cælica conspecta, vere creditur et firmatur. Jam denique circa finem, quod simul tibi ostenditur et sublimis similitudo Seraph, et humilis effigies Crucifixi, interius te incendens, et exterius te consignans, tanquam alterum angelum ascendentem ab ortu solis *dd*, qui signum in te habeas Dei vivi, et prædictis dat firmitatem fidei, et ab eis accipit testimonium veritatis.

hancque gratiam per alias visiones fuisse præmonstratam, observat,

y

z

aa

bb

cc

dd

et ad eam per sex alias apparitiones ab illo perventum.

204 Ecce jam septem apparitionibus crucis Christi, in te, et circa te, secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis et monstratis, quasi sex gradibus, ad istam septimam, in qua finaliter requiescis, pervenisti. Christi namque crux in tuæ B conversionis primordio tam proposita, quam assumta *; et dehinc in conversationis progressu per vitam probatissimam bajulata, in te ipso continue, et in exemplum aliis demonstrata, tanta certitudinis claritate ostendit, Euangelicæ perfectionis apicem te finaliter conclusisse, ut demonstrationem hanc Christianæ sapientiæ, in tuæ carnis pulvere exaratam, nullus vere devotus abjiciat, nullus vere fidelis impugnet, nullus vere humilis parvipendat; cum sit vere divinitus expressa, et omni acceptione condigna.

* *Vatic. male :* absumpta

ANNOTATA.

a *Geneseos cap.* 28, ŷ 12.

b *Igitur anno Christi* 1224; *nam* 1226 *obiit.*

c *Incipiebat hoc jejunium a festo Assumptionis beatissimæ Virginis Mariæ, protrahebaturque usque ad festum Dedicationis S. Michaelis archangeli, ut supra dictum est num.* 126.

d *Ex Proverbiorum cap.* 23, ŷ 27.

e *Apud Celanensem in Vita num.* 93 *legitur Sanctus ipsemet librum aperuisse. Verisimile est, Bonaventuram hoc adjunctum ab aliis Sancti sociis accepisse.*

f *Ex Canticorum cap.* 8, ŷ 6 *et* 7.

g *S. Bonaventuræ præiverant Tres Socii, qui in Appendice num.* 69 *aiunt, id factum esse* quodam C mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis. *Celebratur hoc festum die* 14 *Septembris. Cum vero nullus veterum diem ipsum impressorum stigmatum determinaverit, non eadem est recentiorum de eodem opinio, de quibus consule Commentarium prævium num.* 590 *et sequenti. Ceterum festum Impressionis sacrorum stigmatum annuo Officio in Ecclesia recolitur die* 17 *ejusdem mensis Septembris.*

h *Speraverat scilicet ex trina apertione libri Evangeliorum* (*ut num.* 190 *dictum est*) S. Franciscus, *fore ut pro Christi fide occideretur.*

i *Hic idem videtur cum illo* Illuminato, *qui supra num.* 134 *dicitur cum* S. Francisco *ad Soldanum Ægypti accessisse.*

k *Isaiæ cap.* 24, ŷ 16.

l *Soluse biographis Bonaventura tradidit,* S. Franciscum *hæc aliquibus fratribus, quos sacra stigmata tamen latere non poterant, revelasse, haud dubie edoctus ab ipsius Sancti Sociis, quos consuluit. Et sane, nisi* Franciscus *revelasset, quis scire potuisset apparitionem Seraphini, quam nemo præter ipsum legitur vidisse? Verisimillimum tamen est, paucos illos socios, quibus revelaverat, secretum servasse, quamdiu Sanctus supervixit.*

m *Hoc certe malo cum S. Bonaventura suspicari, quam cum compilatore Speculi Vitæ* S. Francisci *et Sociorum credere, promissum tunc fuisse* S. Francisco *fore, ut post obitum in die natalitii sui, singulis annis ad purgatorium descendens, omnes Trium Ordinum, quos instituerat, animas inde educeret in paradisum; hocque ab ipso* Francisco *post mortem suam, habitu peregrini fratris Minoris alteri Minori apparente, aliquando revelatum fuisse; ut legitur in ejusdem Speculi editione Metensi fol.* 98 *verso, et in Bosquieriana centuria secunda cap.* 12. AUCTORE S. BONAVENTURA.

n Reate, *incolis* Rieti, *civitas episcopalis est ditionis Pontificiæ in Umbria, uti alibi jam annotavi. Hinc* provincia Reatina.

o *In Waddingo desunt ista :* Suo loco posterius adnotandis. *Adnotantur autem infra cap.* 16, § 1.

p. *Sacra* Francisci *stigmata a testibus oculatis fide dignissimis probata fuisse, diserte etiam asseruit Gregorius IX Papa in litteris super hoc argumento datis, quas vide in Commentario prævio* § 25.

q *Waddingus in Annalibus ad annum* 1228, *num.* 78 *nominat aliquot Cardinales, qui hujusmodi hymnos et prosas de* S. Francisco *scripserunt, quorum etiam apud me fiet mentio in Gloria posthuma.*

r *Hic Alexander IV sacra illa stigmata etiam litteris editis confirmavit, in quibus non immerito visus est S. Antonino innuisse, sese eadem* propriis oculis vidisse. *Adi Commentarium prævium num.* 379 *et sequenti; ubi etiam, se illa palpasse manibus* E *suis, verisimiliter insinuavit.*

s *Infra cap.* 15.

t *Nimirum Elias, ut habet Celanensis in Vita num.* 95.

u *Simile quid de fratre Ruffino narrat Celanensis loco mox citato.*

x *Ita etiam Surius : at codex noster Ms. cum editionibus Vaticana et Waddingiana rectius habent :* Inveniebant ea sanguine rubricata, *nempe* femoralia *et* tunicam; *præmisit enim S. Bonaventura num.* 193 *de sacro lateris vulnere :* Sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia respergebat.

y *Adi hujus Vitæ num.* 9.

z *Vide ibidem num.* 12 *et* 15.

aa *Ibidem num.* 30.

bb *Ibidem num.* 30.

cc *Ibidem num.* 33.

dd *Lege Prologum huic Vitæ præfixum num.* 2.

CAPUT XIV.

De patientia ipsius, et transitu mortis.

Christo jam igitur cruci confixus Franciscus, tam carne quam spiritu, non solum Seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castra circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam ceteros animaret. Fratribus quoque dicebat : Incipiamus, fratres, servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus *a*. Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis, sicut a principio, ministraret; corpusque jam præ labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat, Christo duce, se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus, novo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum erat concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod, cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed præcurrere niteretur.

Fracto corpore, non animo, ad perfectiora semper enititur: F

a

206 Ut autem Viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia vere in patientia consummantur; cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam

corporis infirmitates fert patientissime,

AUCTORE S. BONAVENTURA.

graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias et diuturnas ac continuas ægritudines deductus est, ut, consumptis jam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias
b non pœnarum censebat nomine, sed sororum *b*. Cum autem semel gravius solito dolorum urgeretur aculeis, quidam frater simplex dixit ad eum: Frater, ora Dominum, ut mitius tecum agat: manum enim suam plus debito super te gravare videtur.

pluresque, si Deo placeat, sibi infligi precatur.

207 Quo audito, Vir sanctus cum ejulatu exclamans, ait: Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me devina judicia reprehensibilia judicare. Et licet totus esset attritus gravis prolixitate languoris, projiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humum, Gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore, non parcas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. Videbatur propterea fratribus, quod quasi alterum Job viderent, cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul et
B vigor mentis.

Instantis mortis præscius ad S. Mariam de Portiuncula portatur,

208 Ipse autem obitum suum longe ante præscivit *c*, dieque transitus imminente, dixit fratribus, sui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum sibi fuerat revelatum a Christo. Cum itaque per biennium ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet a sua conversione vigesimo *d*, multis fuisset angustiantium infirmitatum probativis tunsionibus conquadratus, tanquam lapis in supernæ Hierusalem ædificio collocandus, et tanquam ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adductus, ad
c sanctam Mariam de Portiuncula se portari popo-
d scit *e*, quatenus, ubi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ.

e

ubi nudus humi jacens, ac deinde tunica ex obedientia tectus,

209 Quo cum fuisset perductus, ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam gravi, quæ omnem languorem * conclusit, super nudam humum se totum nudatum in spiritus fervore prostravit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sic in terra, saccina veste deposita, faciem solito more levavit in cælum, et intendens illi gloriæ totus, manu sinistra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit, et ait ad fratres: Ego, quod meum est, feci: quod vestrum est, Christus
C edoceat. Illacrymantibus autem sociis Sancti, qui
* *Ms.* perculsi miro fuerant compassionis telo percussi *, unus
f ex eis, quem Vir Dei guardianum suum esse dice-
* *Svr.* chordula bat *f*, votum ipsius divina inspiratione cognoscens, festinus surrexit, et acceptam cum chorda * et femoralibus tunicam Pauperculo Christi obtulit, dicens: Hæc tibi, tanquam pauperi commodo, et tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato.

mandat, ut post obitum certo tempore nudus relinquatur,

210 Gaudet ex hoc Vir sanctus, et jubilat præ lætitia cordis *; quoniam fidem tenuisse dominæ paupertati usque in finem se vidit, palmasque levans ad cælum, Christum suum magnificat, pro eo, quod exoneratus ab omnibus liber vadit ad ipsum. Fecerat enim hæc omnia paupertatis zelo, ut nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper et dolens et nudus in cruce pependit. Propter quod et in principio
g conversionis suæ nudus remansit coram antistite *g*, et in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire, fratribusque sibi assistentibus in obedientia caritatis injunxit, ut, cum viderent, eum jam esse defunctum, per tam longum spatium nudum super humum jacere permitterent quo * unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset. O vere Christianissimum Virum! qui et vivens Christo viventi, et moriens morienti, et mortuus mortuo, D perfecta esse studuit imitatione conformis, et expressa promeruit similitudine decorari.

* *Svr.* chordula

* *al.* quod

hortatur fratres, eisque bene precatur ac vale dicit,

211 Hora denique sui transitus propinquante, fecit, fratres omnes existentes in loco ad se vocari, et eos consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem. De patientia et paupertate, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide servandis sermonem protraxit, ceteris institutis sanctum Euangelium anteponens. Circumsedentibus vero omnibus fratribus, extendit super eos manus, in modum crucis brachiis cancellatis, pro eo quod hoc signum semper amabat, et omnibus fratribus tam præsentibus quam absentibus in Crucifixi virtute ac nomine benedixit. Insuper et adjecit: Valete, filii omnes, in timore Domini, et permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices, qui perseverabunt in his, quæ cœperunt; ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo.

oransque sancte moritur:

212 Suavi hujusmodi admonitione completa, jussit Deo Vir carissimus Euangeliorum sibi codicem apportari, et Euangelium secundum Joannem, quod incipit ab eo loco, ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ *h*, *h* sibi legi poposcit. Ipse vero, prout potuit, in hujus psalmi vocem erupit: VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI, VOCE MEA AD DOMINUM DEPRECATUS SUM; et ad finem usque complevit: ME, inquit, EXPECTANT JUSTI, E DONEC RETRIBUAS MIHI *i*. Tandem cunctis in eum com- *i* pletis mysteriis, anima illa sanctissima carne soluta, et in abyssum divinæ claritatis absorpta, beatus Vir obdormivit in Domino.

et duobus Fratribus apparet in gloria,

213 Unus autem ex fratribus et discipulis ejus vidit animam illam beatam, sub specie stella præfulgidæ, a candida subvectam nubecula super aquas multas in cælum recto tramite sursum ferri *k*, *k* tanquam sublimis sanctitatis candore prænitidam, et cælestis sapientiæ simul et gratiæ ubertate repletam, quibus Vir sanctus promeruit locum introire lucis et pacis, ubi cum Christo sine fine quiescit. Minister quoque fratrum in Terra Laboris *l* tunc erat frater Augustinus, vir utique san- *l* ctus et justus, qui in hora ultima positus, cum jam diu perdidisset *m* loquelam, audientibus, qui asta- *m* bant, subito clamavit et dixit: Exspecta me, Pater, expecta; ecce jam venio tecum. Quærentibus fratribus et admirantibus multum, cui sic loqueretur, audacter respondit: Nonne videtis patrem nostrum Franciscum, qui vadit ad cælum? Et statim sancta * *Wadd.* a corpore ipsius anima migrans a carne * Patrem est sequuta *n* sanctissimum *n*.

et absenti episcopo Assisiati Vale dicit: alaudæ mortuo gratulantur.

214 Episcopus Assisinas * ad oratorium S. Mi- F chaelis in monte Gargano *o* tunc temporis pere- * *Ms.* Assi- grinationis caussa perrexerat, cui B. Franciscus siensis apparens nocte transitus sui, dixit: Ecce, relinquo *o* mundum, et vado ad cælum. Mane igitur surgens episcopus sociis narravit, quæ vidit, et Assisium rediens, cum solicite perquisisset, certitudinaliter comperit, quod ea hora, qua sibi per visionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migravit. Alaudæ, aves lucis amicæ, et crepusculorum tenebras horrescentes, hora transitus sancti Viri, cum jam esset noctis sequuturæ crepusculum *p*, vene- *p* runt in multitudine magna super tectum domus; et diu cum insolita quadam jubilatione rotantes, gloriæ Sancti, qui eas ad divinas laudes invitare solitus erat, tam jocundum, quam evidens, testimonium perhibebant *q*.

ANNOTATA.

a *Hoc fratribus datum monitum hic prætermisit Waddingus.*

b *Hinc usque ad verba illa, circa finem sequentis numeri posita:* Videbatur propterea *omisit Waddingus.*

c *Præsciverat hoc ante biennium, teste Celanensi in Vita prima, num.* 109.

d *Id est, Christi* 1226.

e *Ex-*

A e *Ex palatio episcopali Assisiensi, ad quod ex cella Cortoniensi delatus fuerat, ut tradit Celanensis in Vita prima lib.* II, *cap.* 3, *ubi et cap.* 2 *plura de illius infirmitate, curaque medendi adhibita legere est.*

f *Nota hinc, fratrem illum non fuisse vere guardianum seu superiorem* S. Francisci, *qui supremam Ordinis prælaturam numquam deposuisse videtur; sed prorsus spontaneam fuisse istam sancti Viri obedientiam, qui, ne hujus virtutis merito careret, sponte parebat subdito, quem pro guardiano suo habebat.*

g *Vide hanc Vitam supra num.* 19 *et* 20, *et Annotata ibidem.*

h *Joannis cap.* 13, ℣ 1.

i *Psalm.* 141.

k *Consentiunt fere Celanensis in Vita prima num.* 110, *et Tres Socii in Appendice num.* 68.

l Terra Laboris, *incolis* la Terra di Lavoro, *provincia regni Neapolitani est in ora maris Tyrrheni, uti alibi jam monui.*

m *In codice nostro Ms.:* Cum diu jam pridem amisisset.

n *Hanc apparitionem, uti et sequentem, e biographis solus Bonaventura annotavit.*

o Mons Garganus, *Italice* il monte Gargano, *et* il monte S. Angelo, *mons regni Neapolitani est in Apulia Daunica, ubi sanctus archangelus Michael* B *ecclesiam habet, sua apparitione, et fidelium peregrinationibus celebrem. Erat autem laudatus episcopus Assisiensis idem ille Vido vel Guido, coram quo* S. Francisco *bonis omnibus quondam cesserat.*

p *Obiit igitur* S. Francisco *vesperi post occasum solis; quod diei tempus cum more Italico ad sequentem diem referatur, a scriptoribus dicitur idem Sanctus obiisse* quarto Nonas Octobris in die Dominico, *cum secundum nostrum communioremque Europæum loquendi modum obierit* tertio Nonas Octobris in Sabbato. *Consule Commentarium prævium* § 29, *ubi etiam de anno mortis, supremaque Sancti ætate actum est.*

q *Hæc quoque de alaudarum applausu nullus e biographis nostris præter S. Bonaventuram tradidit.*

CAPUT XV.

De canonizatione ipsius, et translatione corporis sacri a.

a

In sanctissimi Viri corpore

Franciscus igitur, Servus et amicus Altissimi, Ordinis Minorum fratrum instituor et dux, paupertatis professor, patientiæ forma, veritatis præco, sanctitatis speculum, et totius Euangelicæ perfectionis exemplar, superna præventus gratia, ordinato progressu ab infimis pervenit ad summa. Hunc Virum mirabilem, utpote paupertate prædivitem, humilitate sublimem, mortificatione vividum, simplicitate prudentem, omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque Viro migrante a sæculo, spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, fontisque vitæ haustu plenario gloriosus effectus, expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit, ut caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitiis in novam jam creaturam transierat, et passionis Christi effigiem privilegii singularitate præferret, et novitate miraculi resurrectionis speciem præmonstraret.

conspiciuntur quinque stigmata caroque candida ac mollis,

216 Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi, ex ejus carne virtute divina mirifice fabrefacti, sicque carni eidem innati, quod, dum a parte qualibet premerentur, protinus, quasi nervi continui et duri, ad partem oppositam resultabant. Inventa quoque fuit patentius in ipsius corpore, non inflicta humanitus neque facta, plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis *b* humanæ in ipso Redemptore nostro protulit Sacramentum. Erat autem similitudo clavorum nigra quasi ferrum; vulnus autem lateris rubeum, et ad orbicularitatem quandam carnis contractione * reductum * rosa quædam pulcherrima videbatur. Caro vero ipsius reliqua, quæ prius tam ex infirmitate, quam ex natura, ad nigredinem declinabat, candore nimio renitescens, illius secundæ stolæ pulchritudinem prætendebat. Membra ipsius adeo mollia et tractabilia se præbebant palpantibus, ut conversa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis, et quibusdam cernerentur evidentibus signis innocentiæ decorata *c*.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

* *Sur.* concisione

* *Wadd.* redactum

c

quæ spectantes in admirationem et lætitiam rapiunt.

217 Cum igitur in candidissima carne clavi nigrescerent, plaga vero lateris, ut vernans roseus flos, ruberet; mirandum non est, si tam formosa et miraculosa varietas jocunditatem et admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filii pro subtractione tam amabilis Patris; sed et non modica perfundebantur lætitia, dum deosculabantur in eo signacula summi Regis. Miraculi novitas planctum vertebat in jubilum, et intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe tam insolitum, tamque insigne spectaculum contuentibus omnibus et firmamentum fidei, et incitamentum amoris; audientibus vero admirationis materia, et excitatio desiderii ad videndum. Audito siquidem transitu Patris *, et fama diffusa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, ut id cernerent oculis carnis, quod a ratione dubium omne repelleret, et affectioni gaudium cumularet.

* *Ms.* beati Patris

E

Permittitur accurrentibus civibus sacra stigmata videre et oculari:

d

218 Admissi sunt igitur Assisinates cives quamplurimi ad stigmata illa sacra contemplanda oculis, et labiis osculanda. Unus autem ex eis miles *d*, litteratus quidam * et prudens, Hieronymus nomine, vir utique famosus et celeber, cum de hujusmodi sacris signis * dubitasset, essetque incredulus, quasi Thomas, ferventius et audacius coram fratribus et aliis civibus movebat clavos, Sanctique manus, pedes, latus manibus propriis contrectabat; ut, dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, et de sui et omnium cordibus omnis dubietatis vulnus amputaret. Propter quod et ipse inter alios hujus veritatis, tam certitudinaliter agnitæ, testis constans postmodum effectus est, et tactis sacro-sanctis, juramento firmavit. Fratres autem et filii, qui vocati fuerant ad transitum Patris, cum omni multitudine populorum noctem illam, in qua almus Christi Confessor decessit, sic divinis laudibus dedicarunt, ut non defunctorum exsequiæ, sed angelorum excubiæ viderentur.

* *Vatic.* quidem

* *Wadd.* stigmatibus

postridie id etiam S. Claræ et sociabus ejus conceditur, et Assisii sepelitur anno 1226.

F

219 Mane autem facto, turbæ, quæ convenerant, acceptis arborum ramis, et cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis et canticis sacrum corpus ad civitatem Assisii detulerunt. Transeuntes vero per ecclesiam S. Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara, nunc gloriosa in cœlis, tunc inclusa, cum virginibus morabatur; ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus, margaritis cælestibus insignitum, videndum et osculandum sacris illis virginibus obtulerunt *e*. Pervenientes denique ad civitatem cum jubilo, pretiosum thesaurum, quem portabant, in ecclesia sancti Georgii cum omni reverentia condiderunt. In eo siquidem loco Puerulus litteras didicit, ibique postmodum primitus prædicavit; postremo ibidem locum primum quietis accepit. Transiit autem venerabilis Pater ex hujus mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto Nonas Octobris, die Sabbati in sero, sepultus in die Dominico. *f*.

e

f

Gregorius nonus, qui viventem noverat, post discussa probatraque miracula

220 Cœpit autem Vir beatus continuo, divinæ faciei superirradiante respectu, magnis et multis coruscare miraculis, ut sublimitas sanctitatis ejus, quæ, ipso vivente in carne, ad morum directionem per exempla perfectæ justitiæ innotuerat mundo, illo jam regnante cum Christo, ad omnem fidei firmitatem per miracula divinæ potentiæ comprobaretur e cælo. Cumque in diversis orbis partibus gloriosa ejus miracula, largaque per ipsum impetrata beneficia, plurimos ad Christi devotionem accenderent, et ad ipsius Sancti reverentiam incitarent,

AUCTORE S. BONAVENTURA.

tarent, acclamantibus tam linguis sermonum, quam operum, ad aures summi Pontificis domini Gregorii noni, quæ per servum suum Franciscum Deus operabatur, magnalia pervenerunt. Sane cum idem pastor Ecclesiæ, non solum ex miraculis auditis post mortem, verum etiam experimentis in vita ipsius, oculis visis et manibus contrectatis, sanctitatem ejus mirabilem plena fide certificatus agnosceret *g*, ac per hoc, in cælis glorificatum a Domino, nullatenus dubitaret; ut Christo, cujus erat vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tanquam omni veneratione dignissimum, pia consideratione disposuit.

g

eumdem anno 1228 Assisii Sanctis sollenniter adscribit.

221 Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione Viri sanctissimi, inventa miracula, et conscripta et testibus idoneis approbata, examinari fecit per illos, qui minus inter Cardinales favorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis, et ab omnibus approbatis, de fratrum suorum et * omnium Prælatorum, qui tunc erant in curia, concordi consilio et assensu, canonizandum decrevit *h*. Veniensque personaliter ad civitatem Assisii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentisimo vigesimo octavo, decimo septimo Calendas Augusti, die Dominico *i*, cum maximis, quæ longum foret enarrare, sollemniis *k*, B beatum Patrem catalogo Sanctorum adscripsit.

* *in Sur. deest* et

h

i

k

Ad ecclesiam illi dicatam transfertur anno 1230,

222 Anno vero Domini millesimo ducentesimo trigesimo convenientibus fratribus ad capitulum generale, Assisii celebratum, ad basilicam, in honorem ipsius constructam *l*, corpus illud Domino dedicatum octavo Calendas Junii *m* translatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus, bulla Regis altissimi consignatus, miracula plurima ille, cujus effigiem præferebat, operari dignatus est, ut per odorem * ipsius salvificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Christum. Erat revera condignum, ut, quem Deus in vita sibi placentem et dilectum effectum in paradisum per contemplationis gratiam transtulerat, ut Enoch; et ad cælum in curru igneo per caritatis zelum rapuerat, ut Eliam, ejus, jam vernantis inter flores illos cælicos plantationis æternæ, ossa illa felicia de loco suo pullulatione mirifica redolerent.

l

m

* *Vatic. et Wadd.* ardorem

pergitque miraculis coruscare.

223 Porro sicut Vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic a die transitus sui usque in præsens per diversas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis, divina se potentia glorificante, coruscat. Nam cæcis et surdis, mutis et claudis, hydropicis et paralyticis, dæmoniacis et leprosis, naufragis et captivis, ipsius meritis remedia conferuntur; omnibusque morbis, necessitatibus et periculis subvenitur. Sed et multis mortuis C mirifice per ipsum suscitatis, innotescit fidelibus, mirificans Sanctum suum, magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor et gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen *n*.

n

ANNOTATA.

a *In codice nostro Ms. loco tituli hic legitur :* In festo translationis beati Francisci caput 15, lectio prima; *ad deinde caput hoc dividitur velut in tres lectiones, quarum ultima admodum prolixa est.*

b *Ita correxi ex Ms. nostro et tribus aliis editionibus, cum apud Sedulium vitiose legeretur :* generationis, *forte ex sola typothetæ negligentia.*

c *Simillima leguntur in Vita prima lib.* II, *cap.* 4.

d *Id est,* vir nobilis.

e *Lege Vitam primam num.* 116 *et sequenti.*

f *Adi Commentarium prævium* § 29, *ubi etiam refutavi Franciscum Pagium, qui ex notis chronicis male intellectis contra omnium antiquorum sententiam mortem* S. Francisci *anno* 1225 *illigavit.*

g *Gregorius IX ante Pontificatum, quem anno* 1227 *obtinuit, Cardinalis episcopus Ostiensis,* Hugo *et* Hugolinus *dictus, mira familiaritate cum Sancto fuerat conjunctus, ut etiam constat ex præmissis.*

h *Hoc ipsum decrevisse Perusii, docet Celanensis in Vitæ primæ lib.* I, *cap.* 1, *in quo plura de hac canonizatione reperies.*

i *Optime se habent omnes hæ notæ chronicæ, frustraque conatus est Franciscus Pagius eamdem solennem canonizationem ad alium mensem aut diem referre. Vide Commentarium prævium num.* 682 *et sequentibus.* D

k *Lege Vitæ primæ lib.* III, *cap.* 1.

l *De hujus ædificatione basilicæ egi in Commentario prævio* § 31, *quem consule.*

m *Anno* 1230 *festum Pentecostes, (quod erat tempus capitulis generalibus habendis præstitutum) incidit in diem septimum Kalendas Junii; itaque in Vigilia ejusdem festi contigit hæc sacri corporis translatio, cujus annua memoria etiam Martyrologiis Ordinum* S. Francisci *ad diem* 25 *Maji inscripta est. Ceterum lege Commentarii prævii,* § 32, *ubi plura hujus translationis adjuncta reperies.*

n *In codice nostro Ms. hic ponitur :* Explicit Vita beati Francisci. *Sequuntur tamen ibidem miracula. At Waddingus prætermittens miracula, lectorem hic monet his verbis :* Ad finem hujus vitæ multa adnectit per varia capitula D. Bonaventura D. Francisci miracula, ab eodem post mortem patrata; quibus plura, nec inferiora, inveni et legi in bibliotheca conventus D. Francisci Assisiatis, in codice satis antiquo membraneo, manuscripto; quibus modo supersedendum duxi, ea cum cæteris, quæ hic desiderari possunt, de patria, genealogia et E physiognomia sancti Viri suis locis producturus in lucem in Annalibus Minorum, quantocyus edendis.

CAPUT XVI.

Miracula aliquot a S. Francisco post ejus obitum edita.

§ I. *De virtute sacrorum stigmatum* a.

a

Sanctus doctor aliqua ex approbatis miraculis relatures,

* *Ms.* ex probatis

* *ibid. et Sur.* conscripturus

Ad omnipotentis Dei honorem, et gloriam B. Patris Francisci, post glorificationem ipsius in cælis, aliqua ex approbatis * scripturus * miracula, ab illo præcipue censui sumendum fore initium, in quo crucis Jesu virtus ostenditur, et gloria innovatur. Novus igitur homo Franciscus novo et stupendo miraculo claruit : cum singulari privilegio, retroactis sæculis non concesso, insignitus apparuit, sacris videlicet stigmatibus decoratus, et configuratus in corpore mortis hujus corpori Crucifixi. De quo quicquid humana lingua dicatur, minus erit laude * condigna. Totum quidem Viri Dei studium, tam publicum quam privatum, circa crucem Domini versabatur; et ut crucis signaculo, cordi ejus a principio suæ conversionis impresso, F corpus consignaret exterius, in ipsa se cruce recludens, habitum pœnitentiæ sumpsit, crucis imaginem præferentem *b;* quatenus sicut mens ejus intus Dominum crucifixum induerat, sic et corpus ejus indueret arma crucis : et in quo signo Deus potestates aereas debellarat, in eodem suus exercitus Domino militaret.

* *Ms. et Sur.* a laude

b

Incipit ab iis, quæ in confirmationem stigmatum contigerunt.

223 Sed et a principio temporis, quo Crucifixo militare cœperat, diversa circa eum crucis præfulsere mysteria; sicut vitæ ipsius consideranti decursum clarius innotescit, qualiter apparitione crucis Dominicæ septiformi *c*, tam cogitatu, quam affectu et actu, totus fuit in Crucifixi effigiem per ipsius exstaticum transformatus amorem. Digne igitur summi Regis clementia, suis amatoribus ultra omnem æstimationem hominum condescendens, suæ crucis vexillum ipsius corpori deferendum impressit, ut, qui mirando fuerat crucis amore præventus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus. At hujus stupendi miraculi irrefragabilem firmitatem, non solum videntium et palpantium testimonia per omnem modum credibilia, verum etiam apparitiones mirabiles, et virtutes post ipsius obitum coruscantes, ad omne mentis effugandum nubilum suffragantur.

c

226 Felicis namque recordationis dominus Gregorius Papa nonus, (de quo Vir sanctus prophetando *

AUCTORE S. BONAVENTURA.

A tando * prædixerat, quod ad dignitatem foret Apostolicam sublimandus)antequam crucis signiferum catalogo Sanctorum ascriberet, scrupulum quendam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali *d*. Nocte vero quadam (sicut ipse felix antistes referebat cum lacrymis) beatus ei Franciscus, quadam faciei prætensa duritia, in somnis apparuit, et hæsitationem cordis ipsius redarguens, elevavit brachium dexterum, detexit vulnus, phialamque poposcit ab ipso, ut scaturientem reciperet sanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in visione summus Pontifex phialam postulatam, quæ usque ad summum sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud sacrum miraculum tanta cœpit devotione affici, et æmulatione fervere, ut nullo modo pati posset, quod aliquis præfulgentia illa sacra signa superba præsumeret impugnatione fuscare, quin eum severa increpatione feriret *e*.

Gregorio IX eximitur dubium de vulnere lateris

* *Sur.* vel prophetando

d

e

quod et contingit alteri de stigmatibus dubitanti.

* *Sur.* ex Ordine Minorum

* *Ms.* luctam

B

227 Frater quidam Ordine Minor *, officio prædicator, virtutis et famæ prærogativa præpollens, cui firmiter erat de sanctis stigmatibus persuasum; dum humano sensu miraculi hujus apud se rationem perquireret, dubitationis cœpit cujusdam scrupulo titillari. Cum igitur per dies plurimos, sensualitate sumente vigorem, luctamen * hujusmodi pateretur, nocte dormienti sanctus Franciscus pedibus lutulentis apparuit, humiliter durus, et patienter iratus. Et, Quæ sunt, ait, ista in te conflictationum certamina? Quæ dubitationum sordes? Vide manus meas et pedes meos. Cumque ille videret manus confixas, lutulentorum pedum stigmata non videbat. Remove, inquit, lutum a pedibus meis, et cognosce loca clavorum. Quos cum ille apprehendisset devote, lutum sibi videbatur abstergere, locaque clavorum manibus contrectare. Continuo, ut evigilat, lacrymis irrigatur, et priores affectus, quodammodo lutulentos, tam lycrymarum profluvio, quam publica confessione detersit.

228 In urbe Roma matrona quædam, morum claritate ac parentum gloria nobilis, sanctum Franciscum in suum elegerat advocatum, ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo, ubi Patrem in abscondito exorabat. Die vero quadam, dum orationi vacaret, considerans imaginem Sancti, sacra illa signa stigmatum non habentem, dolore cœpit non modicum mirari. Sed non mirum, si in pictura non erat, quod pictor omiserat. Cumque per plures dies, quid caussæ foret defectus hujusmodi, mente solicita pertractaret; ecce, subito die quadam apparuerunt signa illa mirifica in pictura, sicut in aliis ipsius Sancti imaginibus pingi solent.

Sancti imago stigmatibus, quæ appicta non fuerant,

C

229 Tremefacta illa filiam suam, Deo devotam, advocavit protinus, requirens, si absque stigmatibus usque tunc imago fuisset. Affirmat illa, et jurat, olim * sine illis sacris stigmatibus extitisse, et nunc vere cum stigmatibus apparere. Verum, quia mens humana semetipsam frequenter impellit, ut cadat, et in dubium revocat veritatem, subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia; ne forte sic fuisset imago a principio consignata. At Dei virtus, ne primum contemneret miraculum, addidit et secundum : continuo namque disparentibus signis illis, nudata privilegiis imago remansit, ut per sequens signum fieret probatio præcedentis.

divinitus insignitur, quæ in pœnam dubitantis subito evanescunt.

* *Ms.* sic olim

230 In Cathalonia quoque apud Ilerdam *f* accidit, virum quendam, nomine Joannem, B. Francisco devotum, quodam sero per quandam incedere viam, in qua pro inferenda morte latitabant insidiæ, non quidem ipsi, qui inimicitias non habebat, sed alteri cuidam, qui videbatur similis ejus, et tunc erat in comitatu ipsius. Exsurgens autem quidam de insidiis, cum hostem suum hunc esse putaret, tam letaliter eum plagis plurimis gladiavit, ut nulla prorsus superesset spes recuperandæ salutis. Siquidem primo inflicta percussio humerum cum brachio pene totum absciderat, et ictus alius sub mammilla tantam reliquerat aperturam, ut flatus inde procedens circa sex candelas simul * junctas extingueret. Cum igitur consilio medicorum ipsius impossibilis esset curatio, pro eo quod, putrescentibus plagis, ex eis fœtor tam intolerabilis exhalaret, ut etiam ipsa ejus uxor vehementer horreret, nullisque jam humanis juvari possit * remediis, convertit se ad beati Patris Francisci patrocinium, quanta poterat devotione poscendum; quem inter ipsos ictus, una cum beata Virgine fidentissime invocarat *.

Lethaliter vulnerato desperatoque a medicis

f

* *Sur.* similiter

* *Vatic.* posset

* *Vatic.* invocaret

invocatus apparens, tactu sacrarum manuum sanitatem restituit :

231 Et ecce, misero in lectulo calamitatis solitario decubanti, cum Francisci nomen vigilans et ejulans frequentius replicaret, astitit quidam in habitu fratris Minoris, per fenestram, ut ei videbatur, ingressus; qui vocans eum ex nomine, dixit : Quia fiduciam habuisti in me, ecce Dominus liberabit te. A quo cum æger, quis esset, requireret, Franciscum illum * se esse, respondit. Et statim appropians, vulnerum illius ligaturas resolvit; et eum * unguento per omnes plagas, ut videbatur, perunxit. Statim autem, ut sensit illarum sacrarum manuum, stigmatum Salvatoris virtute sanare valentium, suavem contactum, expulsa putredine, restituta carne, et vulneribus solidatis, restitutus est integre pristinæ sospitati. Quo facto, beatus Pater * abscessit : et ipse sentiens se sanatum, et in vocem divinæ laudis, et B. Francisci lætenter erumpens, vocavit uxorem.

* *al.* ille

* *Ms. et Sur.* cum

* *apud Sur. deest* Pater

E

232 At illa celerius currens *, et stare jam videns, quem sepeliendum credebat in crastino, cum esset stupore vehementi perterrita, viciniam totam clamore complevit. Accurrentes autem sui, cum illum niterentur, tanquam phreneticum, in lecto reponere, et ille econtra renitens, assereret, et ostenderet, se sanatum, tanto sunt stupore attoniti, ut quasi sine mente omnes effecti, phantasticum esse, crederent, quod videbant : quia, quem * paulo ante conspexerant plagis atrocissimis laniatum, et totum jam marcidum, plena cernebant incolumitate jucundum. Ad quos ille, qui factus fuerat sanus, Nolite timere, inquit, nolite credere inane, quod cernitis; quia S. Franciscus modo a loco recessit, et illarum sacrarum manuum tactu me integre ab omni plaga curavit *g*.

quod ille uxori aliisque, vix suis oculis credentibus,

* *Ms.* accurrens

* *Sur.* qui

g

233 Crebrescente tandem hujus fama miraculi, accelerat populus omnis, et videntes in tam aperto prodigio stigmatum beati Francisci virtutem, admiratione simul et gaudio replebantur, Christique Signiferum magnis laudum præconiis extollebant. Digne quidem beatus Pater, carne jam mortuus, et vivens cum Christo, præsentiæ suæ ostensione mirabili, et manuum sacrarum palpatione suavi, vulnerato letaliter viro sanitatem concessit; cum illius etiam in se stigmata tulerit, qui misericorditer moriens, et mirabiliter surgens, vulneratum genus humanum et semivivum relictum plagarum suarum virtute sanavit.

exponit, et sua incolumitate probat.

F

234 Apud Potentiam, Apuliæ civitatem *h*, erat quidam clericus, Rogerus nomine, vir honorabilis, et ecclesiæ majoris canonicus. Hic cum infirmitate quassatus die quadam ecclesiam oraturus intrasset, in qua erat imago beati Francisci depicta, gloriosa stigmata repræsentans, cœpit de illius sublimitate miraculi, tanquam de re omnino insolita et impossibili, dubitare. Subito igitur, dum mente plagatus interius cogitaret inania, in palma sinistræ manus sub chirotheca graviter se, sensit, esse percussum, sonitum audiens percussuræ, velut cum spiculum prosilit de balista. Moxque tam vulnere sauciatus, quam sonitu stupefactus, chirothecam de manu traxit, ut visu dignosceret, quod tactu perceperat et auditu. Cumque nulla fuisset prius in palma percussio, conspexit in medio manus plagam, quasi sagittæ percussione inflictam, ex qua tanta vis procedebat ardoris, ut videretur ex illo deficere. Mirabile dictu! Nullum in chirotheca vestigium apparebat, ut latenti plagæ cordis latenter inflicti pœna vulneris responderet.

De stigmatibus dubitans miro modo in manu læditur cum ingenti cruciatu,

h

235 Clamat exinde per duos dies, et rugit, dolore gravissimo stimulatus, et increduli cordis velamen

pœnitensque, post biduum sanatur.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

velamen explicat universis : credere se veraciter, sacra stigmata in sancto fuisse Francisco, fatetur, et jurat contestans, omnis dubitationis abscessisse phantasmata. Orat suppliciter Sanctum Dei, per sacra sibi stigmata subvenire, et multas cordis preces multo impinguat profluvio lacrymarum. Mirum certe! Incredulitate projecta, sanationem mentis sanatio sequitur corporalis. Omnis quiescit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vestigium percussuræ. Sicque factum est, ut latens mentis infirmitas per patens carnis cauterium, superna providente clementia, curaretur; menteque sanata, et ipsa caro pariter sanaretur. Fit homo humilis Deo, devotus Sancto, et fratrum Ordini perpetua familiaritate subjectus.

Miraculum hoc juramentis et episcopi litteris firmatum fuit.

256 Hujus rei tam solemne miraculum juramentis firmatum fuit, et litteris sigilli episcopi munimine roboratis ipsius ad nos notitia delata pervenit. De sacris ergo stigmatibus, nullus sit ambiguitati locus; nullius in hoc, quia Deus bonus est, nequam sit oculus, quasi hujusmodi doni largitio sempiternæ bonitati non congruat. Si enim illo amore Seraphico multa membra capiti cohærerent Christo, ut et in bello simili armatura invenirentur condigna, et in regno ad similem forent gloriam subvehenda, nullus hoc sanæ mentis, nisi
B ad Christi gloriam, diceret pertinere.

ANNOTATA.

a *Codex noster huic ultimo capiti istum titulum præfixum habet :* Incipiunt quædam de miraculis ipsius post mortem ostensis, et primo de virtutibus sacrorum stigmatum.

b *Vestem scilicet, cujus caputium velut summum crucis stipitem, duo vero brachia transversum stipitem utcumque repræsentarent. Adi Vitam primam num.* 22.

c *Vide hanc Vitam supra num.* 203.

d *Recte ait* de vulnere laterali : *nam pedum manuumque vulnera olim viderat, ut alibi observavi.*

e *Hoc sane liquet ex Apostolicis ejusdem summi Pontificis litteris, quas in Commentarii prævii* § 23 *recitavi.*

f Ilerda, *nunc* Lerida *vulgo appellata, episcopalis civitas Hispaniæ Tarraconensis est in Catalonia.*

g *Cum S. Bonaventura hanc sanationem vere prodigiosam in confirmationem sacrorum stigmatum adducat, fortasse aliquod rei gestæ adjunctum, (puta, quod infirmus sacra illa stigmata viderit aut senserit) hic prætermissum est : nam etiam infra legitur* S. Franciscus *suarum manuum attactu infirmos sanasse, quod tamen Bonaventura ibidem illius stigmatibus non attribuit.*

C h Potentia, *incolis* Potenza, *episcopalis civitas est regni Neapolitani in provincia Basilicata.*

§ II. *De mortuis suscitatis.*

Mortua ad vitam, donec confiteatur, revocata :

a

In castro montis Marani prope Beneventum *a* mulier quædam, S. Francisco peculiari devotione cohærens, viam universæ carnis intravit. Convenientibus autem clericis nocte ad exsequias et vigilias cum psalteriis decantandas, subito, cunctis cernentibus, erexit se mulier super lectum, et unum de astantibus sacerdotem, patrinum videlicet suum, advocavit, dicens : Volo confiteri,

b

pater *b*. Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda; quoniam peccatum, quod tibi pandam, necdum confessa fueram. Sed orante, inquit, pro me S. Francisco, cui, dum viverem, devota mente servivi, redire nunc ad corpus indultum est mihi, ut, illo revelato peccato, sempiternam promerear vitam. Et ecce, vobis videntibus, postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo. Trementer ergo sacerdoti trementi confessa, post absolutionem receptam quiete se in lecto collegit, et in Domino feciliter obdormivit.

258 In castro Pamarco, in montanis Apuliæ posito, patri et matri unica erat filia, in tenera ætate tenere prædilecta. Qua infirmitate gravi ad mortem perducta, parentes ejus successionem aliam non sperantes, se in illa quasi mortuos reputabant. Convenientibus ergo consanguineis et amicis ad flebile nimis funus, jacebat mater infelix ineffabilibus completa doloribus, et absorpta suprema tristitia, de his, quæ fiebant, nihil penitus advertebat. Interim S. Franciscus, uno tantum socio comitatus apparens, desolatam visitare dignatus est feminam, quam sibi senserat esse devotam; et piis eam affatus alloquiis, Noli flere, inquit; nam lucernæ tuæ lumen, quod deploras extinctum, mea tibi est intercessione reddendum. Surrexit continuo mulier, et, quæ sibi dixerat Sanctus, omnibus manifestans, non permisit, extinctum corpus efferri; sed cum magna fide S. Francisci nomen invocans, et mortuam filiam * apprehendens, vivam et incolumem, cunctis videntibus et mirantibus, allevavit.

D *apparens, puellam resuscitandam matri veraciter spondet.*

* *Sur.* felix

259 Cum fratres de Noceria *c* peterent quoddam plaustrum a quodam viro, Petro nomine, quo aliquantulum indigebant, stulte respondit * eis, pro petito subsidio irrogando convitium, et pro eleemosyna, ad honorem sancti postulata Francisci, in nomen ipsius blasphemiam jaculando. Pœnituit hominem statim insipientiæ suæ, divino super eum irruente pavore, ne forte ultio Domini sequeretur, sicut et fuit protinus subsecuta. Nam infirmatus continuo primogenitus ejus, parvo
E elapso spatio, spiritum exhalavit. Volutabatur per humum pater infelix, et sanctum Dei Franciscum invocare non cessans, cum lacrymis exclamabat : Ego sum, qui peccavi, ego, qui inique locutus sum; me in persona propria flagellare debuisti. Redde, Sancte, jam pœnitenti quod abstulisti impie blasphemanti. Tibi me reddo, tuis me obsequiis semper expono : nam et devotum sacrificium laudis pro tui honore nominis semper offeram Christo. Mira res! Ad hæc verba surrexit puer, et planctum prohibens, se morientem eductum de corpore, per B. Franciscum deductum asseruit et reductum.

Puer ob blasphemiam patris mortuus, pœnitenti vivus redditur.

c

* *Sur.* respondet

240 Cujusdam urbis Romæ notarii puerulus vix septennis, matrem ad ecclesiam S. Marci euntem puerili more sequi desiderans, dum remanere domi compelleretur a matre, per fenestram palatii se projecit, et ultima quassatione collisus continuo exspiravit *. Mater vero, quæ nondum longe discesserat, ad sonitum corruentis præcipitium pignoris suspicata, celeriter rediit, filiumque reperiens tam miserabili casu repente subtractum, protinus sibiipsi manus injecit ultrices, ac dolorosis clamoribus totam excitavit viciniam ad lamentum. Frater vero quidam, nomine Raho, de Ordine Minorum, illuc se ad prædicandum conferens, propinquavit
F ad puerum, et fide plenus ait ad patrem : Credisne, sanctum Dei Franciscum posse filium tuum a mortuis suscitare propter amorem, quem semper ad Christum habuit, pro reddenda vita hominibus crucifixum? Quo respondente, se firmiter credere, et fideliter confiteri, servumque * Sancti in perpetuum se esse futurum, si tantum a Deo munus per ipsius merita recipere mereretur; prostravit se frater ille cum fratre socio in oratione, ceteros, qui aderant, excitans ad orandum. Quo facto, cœpit puer aliquantulum oscitare, et apertis oculis, brachiisque elevatis, seipsum erexit, et statim coram omnibus ambulavit incolumis, per mirandam Sancti virtutem vitæ simul redditus et saluti.

alter et lapsu mortuus,

* *Vatic.* spiravit

* *Vatic.* fervum

241 In civitate Capuæ *d* dum puer quidam super ripam Vulturni fluminis cum pluribus jocaretur, incautus cecidit in profundum; quem fluminis impetus celeriter vorans, sub sabulo mortuum sepelivit. Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luserant circa flumen, populosa illuc multitudo convenit. Cumque universus populus suppliciter et devote beati Francisci merita invocaret, ut devotorum sibi parentum fidem aspiciens, prolem a mortis periculo dignaretur eripere, natator quidam procul astans, clamoribus auditis, accessit, et post diutinam inquisitionem, invocato tandem beati Francisci subsidio, locum invenit, in quo limus in modum

alter submersus, per Sancti invocationem vitæ redditur.

d

A modum sepulchri pueri cadaver obtexerat, quem effodiens, et extra deportans, docens * defunctum, inspexit. Licet autem populus, qui astabat, videret juvenem mortuum, nihilominus tamen flens et ejulans proclamabat : Sancte Francisce, redde puerum patri suo. Sed et Judæi, qui venerant, naturali pietate commoti, dicebant : Sancte Francisce, redde puerum patri suo. Subito puer, lætantibus et mirantibus cunctis, exurgens incolumis, duci se ad ecclesiam B. Francisci, suppliciter postulavit; ut gratias illi devotus exsolveret, cujus se noverat virtute mirabiliter suscitatum.

* *al.* melius dolens

Alius item sub corruente domo.

242 In civitate Suessa *e* in vico, qui Ad columnas dicitur, repente quædam corruens domus unum absorbuit juvenem, et subito interemit. Viri autem et mulieres ruinæ sonitu excitati, undique accurrentes, elevaverunt hinc inde ligna et lapides, et miseræ matri mortuum filium reddiderunt. Illa vero amarissimis repleta singultibus, sicut poterat, dolorosis vocibus exclamabat : Sancte Francisce, sancte Francisce, redde mihi filium meum. Non solum autem illa, sed et omnes, qui aderant, beati Patris præsidium flagitabant. Sed cum non esset neque vox, neque sensus, cadaver posuerunt in lectulo, et * ad sepeliendum ipsum diem crastinum expectabant *. Mater vero fiduciam habens in Domino per merita Sancti ejus, votum emisit, nova se sindone B. Francisci operturam altare, si B filium suum revocaret ad vitam. Et ecce, circa horam noctis mediam cœpit juvenis oscitare, et calescentibus membris, vivus exsurgens et sanus in laudis verba prorumpit *. Sed et clerum, qui convenerat, et populum universum excitavit ad laudes et gratias Deo et B. Francisco cum mentis lætitia persolvendas.

e

* *in Vatic. deest et* * *ibid.* expectantes

* *Ms.* prorupit

alius aliter, contriti et exstincti, ad vitam revocantur :

243 Juvenis quidam, Gerlandinus nomine, de Ragusa *f* oriundus, vindemiarum tempore ad vineas exiens, cum in vase vinario, ut utres impleret, sub torculari se mitteret, repente prægrandes lapides, motis in se lignorum struibus, caput ipsius letali percussione quassarunt. Festinavit continuo pater ad filium, et desperans, obrutum non adjuvit, sed eum sub onere, sicut corruit, sic reliquit. Accurrerunt expeditius vinitores, magni clamoris vocem lugubrem audientes, multoque cum patre pueri dolore completi extraxerunt juvenem jam mortuum a ruina. Pater vero ipsius, Jesu pedibus provolutus, humiliter precabatur, ut filium suum unicum per S. Francisci merita, cujus tunc imminebat sollennitas, sibi reddere dignaretur *g*. Ingeminabat preces, vovebat officia pietatis, et sancti Viri corpus se visitaturum cum C filio, si suscitaretur a mortuis, repromisit. Mirum certe! Continuo puer, qui toto fuerat corpore conquassatus, restitutus vitæ et integræ sospitati, gaudens coram omnibus exsurrexit; plangentes objurgans, et S. Francisci suffragiis vitæ se redditum asseverans.

f

g

item alius in Alemannia,

246 Quemdam alium mortuum in Alemannia suscitavit, de quo Dominus Papa Gregorius tempore translationis ipsius Sancti fratres omnes, qui ad translationem et capitulum convenerant, per Apostolicas litteras certos reddidit *h* et gaudentes. Miraculi hujus seriem, quia ignoravi, non scripsi, credens, Papale testimonium omnis assertionis excellere instrumentum.

h

ANNOTATA.

a Beneventum, *celebris vulgoque nota est archiepiscopalis civitas regni Neapolitani in principatu Ulteriori, sed ditionis Pontificiæ.*

b *In codice Ms. additur :* Audi peccatum meum.

c *Videtur* Nuceria, *Italice* Nocera, *indicari, cujus nominis gemina in Italia civitas est, una regni Neapolitani, altera Umbriæ.*

d Capua *urbs Italiæ in Campania Felice, seu in provincia Terræ Laboris est, archiepiscopatu insignita, ad fluvium Vulturnum.*

e Suessa, *nunc vulgo* Sessa, *Neapolitani regni civitas episcopalis est in provincia Terræ Laboris.*

f *In editione Vaticana :* De Ragusia. *Est autem* Ragusa *vel* Ragusium *urbs Dalmatiæ, libera et cognominis reipublicæ caput.*

AUCTORE S. BONAVENTURA.

g *In Ms. nostro codice additur :* a mortuis; *sed omittitur prima sequens periodus.*

h *Adi Commentarium prævium* § 32, *ubi de hac translatione, anno* 1230 *sollenniter facta, egimus, ac num.* 717 *de significato per Gregorii IX litteras congregatis patribus mortui resuscitati miraculo ex secundo biographo meminimus, ipsas tamen ejusdem Pontificis litteras non vidimus hactenus.*

§ III. *De his, quos a mortis periculo liberavit.*

Vir e summo turris lapsus incolumis manet ;

In confinibus Urbis *a* vir quidem nobilis, Rodulphus nomine, cum Deo devota uxore fratres Minores suo recepit hospitio, tam hospitalitatis gratia, quam B. Francisci reverentia et amore. Nocte vero illa in summitate turris dormiens custos castri, cum jaceret super struem lignorum, in ipsa muri positorum crepidine, ipsorum soluta compage, in tectum palatii corruit, et exinde super terram. Excitata ad sonitum casus tota familia, et custodis intellecta ruina dominus castri et domina cum fratribus accurrerunt. Is vero, qui ab alto corruerat, absorptus fuerat tam profundo sopore, E ut nec ad casum evigilaret iteratæ ruinæ, nec ad strepitum accurrentis familiæ cum clamore. Trahentium tandem et impellentium manibus excitatus, conqueri cœpit, quod dulci fuisset quiete privatus, inter beati Francisci brachia suaviter asserens se dormisse. Cum vero de casu proprio doceretur ab aliis, et in imo se videret, qui in alto jacuerat, stupens, esse factum, quod fieri non perceperat, pœnitentiam se facturum ob reverentiam Dei et B. Francisci, coram omnibus repromisit.

a

presbyter præsenti submersionis periculo a Sancto apparente eripitur,

248 In castro Pophis, quod in Campania positum est, sacerdos quidam, Thomas nomine, accessit ad reparandum ecclesiæ molendinum. Deambulans autem incaute circa extrema canalis, quo gurges profundus copioso influebat * influxu, subito casu caviloso *b* ligno intrusus est, cujus impulsu volvitur molendinum. Cum igitur consertus jaceret in ligno, et super os ipsius, quia supinus erat, aquarum impetus inundaret, corde tamen, quia lingua non poterat, S. Franciscum flebiliter invocabat. Per magnum vero spatium sic illo jacente, ac de vita ipsius jam penitus sociis desperatis, in contrariam partem molam cum violentia revolverunt : et sic ejectus sacerdos palpitans volutabatur in aquæ meatu. Et ecce quidam frater Minor, indutus tunica candida, et fune succinctus, cum magna suavitate arreptum per brachium extra flumen F eduxit, dicens : Ego sum Franciscus, quem invocasti. Ille vero sic liberatus, nimis obstupuit; volensque ipsius oculari vestigia huc atque illuc anxius discurrebat, quærens a sociis : Ubi est ille? Quo abiit Sanctus? Qua via discessit? Viri autem illi tremefacti, proni ceciderunt in terram, sublimis Dei gloriosa extollentes magnalia et virtuosa merita humilis Servi ejus.

* *al.* defluebat

b

uti et puer in profundum lapsus puteum.

249 Juvenes * quidam de Burgo Celani *c* pro metendis herbis exierant * ad campestria quædam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in sommo ore virentibus obumbratus, qui quasi per passus quatuor aquarum altitudinem continebat. Segregatim igitur per campum discurrentibus pueris, unus ex improviso decurrit in puteum. Absorbente autem profunda fovea corpus, spiritus mentis sursum recurrebat ad beati Francisci suffragium, clamans in ipso lapsu fideliter et fidenter : Sancte Francisce, adjuva me. Ceteri huc atque illuc se vertentes, dum puer alius non compareret, clamore, circuitu, et lacrymis requirebant eundem. Comperto tandem, quod in puteum cecidisset, festinanter cum gemitibus redierunt ad Burgum, indicantes eventum, exposcentes auxilium. Redeuntibus autem illis cum multa hominum turba, demissus unus per funem in puteum, puerum respexit

* *Vatic.* juvenis

c

* *ibid.* axierat

AUCTORE S. BONAVENTURA.

respexit in aquarum superficie residentem, nihil passum penitus læsionis. Extractus vero de puteo puer dixit omnibus, qui astabant : Quando subito cecidi, beati Francisci patrocinium invocavi, qui corruenti mihi statim præsentialiter affuit, et manum porrigens, leviter apprehendit, nec unquam deseruit, donec una vobiscum puteo me eduxit.

Mulier sub lapso lapide mortua credita, sana surgit :

d

250 In ecclesia beati Francisci apud Assisium, dum præsente Romana curia prædicaret dominus episcopus Hostiensis, qui postmodum summus Pontifex exstitit Alexander *d*, quidam lapis ponderosus et magnus, incaute super pulpitum excelsum et lapideum derelictus, præ nimietate pressuræ impulsus, super caput cujusdam cecidit mulieris. Existimantes * igitur circumstantes, perfecte ipsam jam mortuam, et caput ejus totaliter conquassatum, cooperuerunt eam pallio, quo erat amicta, ut, sermone finito, educeretur extra ecclesiam lugubre funus. Ipsa vero se beato Francisco, ante cujus jacebat altare, fideliter commendavit. Et ecce, prædicatione finita, mulier coram omnibus adeo surrexit incolumis, ut nullius in ea læsionis vestigium appareret. Sed et, quod est amplius admirandum, cum per longa tempora usque ad horam illam dolorem capitis quasi continuum habuisset, plene fuit ex tunc ab omni * morbi molestia liberata, sicut ipsa postmodum testabatur.

* *al.* extimantes *et* estimantes

B

* *Vatic.* ab omnis

idem contingit puero gravi janua oppresso.

e

251 Apud Cornetum *e*, cum in loco fratrum ad fusionem campanæ viri quidam convenissent devoti, puerulus quidam octennis, Bartholomæus nomine, xenium * quoddam fratribus laborantibus apportavit. Et ecce, subito ventus vehemens, concussa domo, ostium portæ, grave quidem et magnum, super ipsum puerulum ita valido projecit impulsu, ut, quem tam ingens pondus oppresserat, letali crederetur collisione quassatus. Sic enim totaliter jacebat tumulatus sub pondere, ut nihil exterius appareret. Accurrerunt omnes, qui aderant, beati Francisci virtuosam dexteram invocantes. Sed et pater ipsius, qui, rigescentibus membris, se movere non poterat præ dolore, votis et voce sancto Francisco filium offerebat. Levatum est denique funestum pondus desuper puerum, et ecce, quem credebant mortuum, quasi suscitatus a somno, lætus apparuit, nullam in se prorsus præferens læsionem. Igitur, cum quatuordecim esset annorum, factus est frater Minor, vir postea litteratus, et famosus in Ordine prædicator.

* *Ms.* exenium

ac duobus viris

f

252 Homines de Lentino / lapidem prægrandem absciderunt de monte, qui superponendus erat altari cujusdam ecclesiæ B. Francisci, in proximo consecrandæ. Cum autem fere quadraginta homi-

C

nes lapidem illum superponere vehiculo niterentur, repetitis sæpius viribus, super quendam hominem lapis ille cecidit, et in modum sepulchri obtexit. Sed cum mente confusi, quid facerent, ignorarent, major pars hominum desperata discessit. Porro viri decem, qui remanserant, lugubri voce sanctum invocantes Franciscum, ne in suo servitio sic horrende mori hominem pateretur, resumto tandem corde, tanta facilitate lapidem amoverunt, ut nullus dubitaret, virtutem adfuisse Francisci. Surrexit homo incolumis in omnibus membris, insuper et lumen recuperavit limpidum oculorum, quod prius habuerat obscuratum : ut sic omnibus daretur intelligi, quam in rebus desperatis beati Francisci merita validæ sint virtutis.

sub ingentis saxi mole compressis.

g

253 Simile quiddam accidit apud sanctum Severinum *g* in Marchia de Ancona. Dum enim lapis prægrandis, de Constantinopoli adportatus, ad basilicam beati Francisci multorum viribus traheretur, rapido lapsu est super quendam trahentium devolutus. Cumque ille non solum crederetur defunctus, sed etiam totaliter comminutus, assistente sibi beato Francisco et lapidem sublevante, absque omni læsione sanus et incolumis, lapidis projecto pondere, prosilivit.

h

254 Bartholomæus, Cajetanus civis *h*, cum ad constructionem cujusdam ecclesiæ B. Francisci non modicum desudaret, ruente trabe quadam infirmiter posita, ejusque opprimente cervicem, fuit graviter conquassatus. Ipse vero mortem sibi sentiens imminentem, ut erat vir fidelis et pius, a quodam fratre Viaticum postulavit. Quod frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori subito credebatur, B. Augustini verbum protulit, dicens ei : Crede, et manducasti *i*.

D

Alium a corruente trabe lethaliter sauciatum

i

Sanctus apparens sanat, et ab opus suum remittit:

255 Sequenti vero nocte beatus Franciscus cum undecim fratribus illi apparuit; et inter ubera portans agniculum, ad lectum ejus accessit, vocavitque illum ex nomine, dicens : Bartholomæe, noli timere; quia non prævalebit adversus te * inimicus, qui te in meo servitio voluit impedire. Hic est Agnus, quem tibi dari petebas, quem et propter bonum desiderium suscepisti, cujus etiam virtute consequeris utriusque hominis sospitatem. Et sic per vulnera manum ducens, ad opus, quod cœperat, eum redire præcepit. Qui valde mane consurgens, et iis, qui eum seminecem reliquerant, incolumis et lætus apparens, admirationem intulit et stuporem : sed et ipsorum mentes, ad beati Patris reverentiam et amorem, tam exemplo sui, quam Sancti miraculo excitavit.

* *in Ms. deest.* adversus te

alium multis vulneribus pene confectum, præstat incolumem.

k

256 Quidam de castro Ceperani *k*, nomine Nicolaus, in manus inimicorum crudelium incidit die quadam, qui crudelitate ferali, vulneribus eum super vulnera concidentes, usque adeo super miserum sævierunt, donec vel extinctum crederent, vel protinus extinguendum. Clamaverat autem Nicolaus prædictus, cum primos ictus exciperet, alta voce : Sancte Francisce, succurre mihi, sancte Francisce, adjuva me. Hanc vocem a remotis audierunt quam plurimi, licet auxilium ferre non possent. Deportatus tandem domum, totus suo sanguine volutatus, fiducialiter asserebat, se mortem ex illis vulneribus non visurum, nec etiam se tunc sentire dolores : quoniam S. Franciscus sibi succurrerat, et, ut pœnitentiam ageret, a Domino impetravit. Quod et sequens confirmavit eventus : nam lotus a sanguine, continuo contra humanam spem extitit liberatus.

E

Morti proximos, orantibus pro illis parentibus,

l

m

257 Filius cujusdam nobilis, in castro sancti Geminiani *l* valido languore detentus, omnique ulterius desperatus salute, ad extremum usque perductus est. Rivus etenim sanguinis ab oculis ejus emanabat, sicut ex vena brachii assolet ebullire *m*, ceterisque propinquæ mortis veris indiciis in reliquo corpore apparentibus, judicabatur pro mortuo. Sed et præ debilitate spiritus et virtutis, sensus et motus usu privatus, visus est penitus emigrasse. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus et amicis, ac de sola agentibus sepultura, pater ipsius fiduciam habens in Domino, concito gressu ad ecclesiam cucurrit B. Francisci, quæ in eodem erat castro constructa.

F

integræ sanitati subito restituit :

n

258 Et cingulo suspenso ad guttur, cum omni humilitate se prostravit in terram, sicque vota vovens, et multiplicans preces, suspiriis et gemitibus meruit apud Christum sanctum Franciscum habere patronum. Reversus itaque statim pater ad filium, et sanitati restitutum inveniens, luctum in gaudium commutavit. Simile quiddam meritis Sancti operatus est Dominus circa puellam quandam in Cathalonia, de villa, nomine Thamarit *n*; et circa aliam de Ancona, quæ cum essent præ nimietate ægritudinis in ultimo spiritu constitutæ, beatus Franciscus fideliter a parentibus invocatus, perfectæ continuo * restituit sanitati.

* *Ms. add.* eas

haustum a clerico venenum invocatus expelli.

259 Clericus quidam de vico Albo, nomine Matthæus, veneno mortifero bibito, in tantum fuit gravatus, quod loqui aliquo modo non valens, solum finalem exitum expectabat. Sacerdos quidam, ut sibi confiteretur, admonuit, et verbum unum ab eo extorquere non valuit. Ipse vero in corde suo humiliter Christum orabat, ut per beati Francisci merita a mortis eum faucibus eripere dignaretur. Moxque ut confortatus a Domino beati Francisci nomen fideli devotione deprompsit, testibus, qui aderant, veneno evomito, liberatori suo gratias egit.

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a *Id est,* Romæ.

b *Ms. codex et editio Vaticana :* Cavilloso; *verum hæc lectio, æque ac altera, obscura est. Ex sequentibus tamen videtur* caviloso *hic poni pro* clavoso, *seu* clavis ligneis instructo.

c *Oppidum est prope lacum* de Celano, *seu* Fucinum *in Aprutio, ut alibi annotavi.*

d *Fuit is Alexander IV ante summum Pontificatum, quem anno* 1254 *adeptus est,* Raynaldus *appellatus, et Cardinalis episcopus Ostiensis et Velitrnensis.*

e Cornetum, *de quo hic, esse Apuliæ oppidum, ait Waddingus in Annalibus ad annum Christi* 1252, *num.* 18.

f *Nescio hunc locum : nec Waddingus ad annum* 1228, *num.* 30 *eumdem memorans, de eo quidquam annotavit.*

g Fanum S. Severini, *vulgo* San-Severino, *alias etiam* Septempeda, *parva civitas episcopalis est ditionis Pontificiæ in Marchia Anconitana.*

h *In Ms. nostro codice legitur :* Bartholomæus Galetanus, *omissa voce* civis : *sed legendum videtur* Caietanus civis *a Caeta, incolis* Gaeta, *regni Neapolitani urbe in provincia Terræ Laboris, de qua jam alias memini.*

B

i *In Tractatu* 25 *in Joannem.*

k Ceperanum *ditionis Ecclesiasticæ castrum est in Campania Romana ad fluvium Lirim.*

l *Hetruriæ castrum esse, dixi alibi.*

m *Nimirum ex secta vena brachii.*

n *In Ms. codice et editione Vaticana,* Tamarit. *Hispaniæ vicus est in Catalonia ad oram maris Iberici.*

§ IV. *De liberatis a naufragio.*

Periclitantibus in mari amissas anchoras

a

In magno maris periculo positi quidam nautæ, cum milliaria decem a portu Barulitano *a* distarent, ingravescente nimium tempestate, jam de vita dubii anchoras submiserunt. Verum spiritu procellarum mari ferventius tumescente, fractis funibus, et relictis anchoris, incerto et inæquali cursu per æquora vagabantur *. Tandem nutu divino mari placato, ad resumendas anchoras, quarum funes superius enatabant, toto se conamine paraverunt. Cumque id perficere propriis viribus non valerent, plurimorum Sanctorum invocato

C

subsidio, multisque jam sudoribus liquescentes, nec unam per totam diem resumere potuerunt.

* *Sur.* gradiebantur

post factum votum mirabili modo reddit.

261 Aderat autem nauta quidam, Perfectus nomine, sed moribus imperfectus, qui cum irrisione quadam dixit ad socios : Ecce, Sanctorum omnium invocastis auxilium, et, ut videtis *, nullus est, qui succurrat. Invocemus istum Franciscum, qui novellus est Sanctus; si quo modo in mare se mergat *, et anchoras perditas reddat. Consenserunt ceteri non irrisorie, sed veraciter, suasioni Perfecti, et ipsius objurgantes irrisorium verbum, firmaverunt cum Sancto spontaneum votum. Statimque in momento, sine aliquo adminiculo, nataverunt anchoræ super aquas, quasi ferri natura versa foret in igneam levitatem.

* *Sur.* videtur

* *Vatic.* emergat

Sibi devoto naviganti aquam dat, et apparens mare placat, eumque sanat.

262 Peregrinus quidam, invalidus corpore propter febris peracutæ symptomata, quam fuerat ante perpessus, navi quadam subvectus de ultramarinis partibus veniebat. Ferebatur autem * ipse ad beatum Franciscum præcipuo devotionis affectu, et eum sibi apud cælestem Regem elegerat advocatum. Cum igitur necdum perfecte liber a morbo sitis angustiaretur ardoribus, deficiente jam aqua, cœpit alta voce clamare : Ite fidenter, haurite poculum mihi; quia B. Franciscus vasculum meum aqua replevit. Mirum certe! Invenerunt vas aqua repletum, quod fuerat ante vacuum derelictum. Alio vero die, cum, tempestate suborta, operiretur navis fluctibus, et procellis quateretur pervalidis, ita ut jam naufragium * timerent; cœpit idem infir-

* *al. add.* et

* *Ms.* naufragari

AUCTORE S. BONAVENTURA.

mus subito clamore vociferari per navem : Surgite omnes, inquit, et B. Francisco venienti occurrite : ecce ad salvandum nos adest. Sicque cum voce magna et lacrymis in faciem procidens, adoravit. Statim ad Sancti visionem omnem sospitatem resumsit infirmus, et maris fuit tranquillitas subsecuta.

Submersum cum immersa navicula, minime madidatum eduxit e fluvio.

263 Frater Jacobus Reatinus, cum in navicula parva fluvium quendam cum aliis fratribus pertransiret, sociis primo super ripam * positis, postremo se ad exitum præparabat; sed modico illo ligno per infortunium revoluto, rectore natante, frater mersus est in profundum. Invocabant fratres extra positi affectuosis precibus beatum Franciscum, et ut filio succurreret, lacrymosis gemitibus supplicabant. Submersus autem frater de ventre gurgitis nimis immensi, cum ore non posset, corde clamabat, ut poterat, implorans pii Patris subsidium. Et ecce, auxiliante sibi beati Patris præsentia, per profundum, sicut per aridam, ambulabat, et demersam naviculam capiens, cum ea pervenit ad litus. Mirabile dictu! Vestimenta ejus madidata non sunt, nec aquæ gutta proximavit ad tunicam.

* *Vatic.* ripa

Alios item submersos salvat;

264 Frater, Bonaventura nomine, cum duobus viris per lacum quendam navigans, confracta ex parte navicula, propter aquæ influentis impetum, demersus est cum navi et sociis in profundum. Cum autem de lacu miseriæ misericordem patrem E Franciscum invocarent cum multa fiducia, supernatavit *b* subito aqua plena navicula, et cum eis, *b* Sancto præbente ducatum, salubriter pervenit ad portum. Sic et quidam frater de Esculo *c*, submersus in flumine, S. Francisci meritis extitit liberatus. *c* Sed et in lacu Reatino *d* cum quidam viri et mulieres in consimili essent periculo constituti, ad *d* invocationem nominis S. Francisci de aquarum multarum periculoso naufragio salubriter evaserunt.

nautis Anconitatis ac innumeris aliis periclitantibus succurit.

265 Quidam nautæ Anconitani, periculosa tempestate jactati, submersionis periculum jam videbant. Cumque sic desperati de vita S. Franciscum suppliciter invocarent, lumen in mari magnum apparuit, et cum ipso lumine tranquillitas concessa divinitus, ac si beatus Vir sua miranda virtute et ventis imperare posset et mari. Quantis autem miraculorum prodigiis beatus hic Pater in mari claruerit et clarescat, quoties ibidem opem tulerit desperatis, nullatenus credo possibile per singula enarrare. Nec mirum, si jam regnanti in cælis collatum est imperium super aquas, cui et in hac mortalitate degenti omnis corporea creatura, ad suam refigurata originem, mirabiliter serviebat.

ANNOTATA.

a *Videtur hic indicari portus* Baruli, *quod oppidum regni Neapolitani est in agro Barensi, incolis* Barletta *dictum, situmque in ora maris Adriatici, qualemcumque portum, sed infidum, habens, teste Leandro Alberto in Descriptione Apuliæ Peucetiæ.*

b *Vaticana et Suriana editiones :* Superenatavit; *codex vero noster Ms. :* Supernataverunt subito, aqua plena navicula, et cum eo, Sancto præbente ducatum, salubriter devenerunt ad portum.

c *Fortasse legendum est :* De Asculo, *cujus nominis duas civitates habet Italia; unam in regno Neapolitano,* Apulum *cognominatam; alteram in Marchia Anconitana, cognomento* Picenum.

d *Adi Annotata ad Vitæ primæ librum* 1, *cap.* 7, *litt.* cc.

§ V. *De liberatis a vinculis et carceribus.*

Sanctus insontem servum, sibi commendatum, apparens e carcere educit :

In Romania *a* Græcum quendam, cujusdam domini servientem, contigit de furto fallaciter accusari; quem dominus terræ in alto carcere mandavit includi, et graviter vinculari. Domina vero domus miserta servi, quem indubitanter credebat a culpa sibi imposita innocentem, pro liberatione ipsius

AUCTORE S. BONAVENTURA. *a*

apud virum precibus insistebat devotis. Verum non acquiescente viri sui duritia obstinata, recurrit domina supplex ad S. Franciscum, et ejus pietati voto commendavit insontem. Protinus adfuit miserorum Adjutor, et virum in carcere positum misericorditer visitavit. Solvit vincula, carcerem fregit, innocentem manibus apprehensum foras eduxit, et ait : Ego sum ille, cui domina tua te devote commisit. Cumque ille timore magno corriperetur, et pro descensu altissimæ rupis voraginem circuiret, subito Liberatoris sui virtute inveniens se in plano, rediit ad dominam suam; relataque per ordinem miraculi veritate, devotam dominam ad Christi amorem et reverentiam servi ejus Francisci ferventius inflammavit.

item debitorem, qui pro illius amore dilationem frustra petierat,

267 In Massa S. Petri *b* cuidam militi *c* debebat pecuniæ quantitatem pauperculus quidam. Cumque præ inopia facultas non suppeteret persolvendi, captus debitor a milite repetente misereri sibi orabat suppliciter, dilationem quærens amore beati Francisci. Sprevit superbus miles preces oblatas, et Sancti amorem, velut inane quid, inaniter vilipendit. Nam cervicose respondens : Tali te, ait, loco recludam, et tali retrudam carcere, quod nec Franciscus, nec aliquis, te poterit adjuvare. Tentavit, quod dixit : carcerem adinvenit obscurum, in quo hominem vinculatum conjecit. Paulo post adfuit B. Franciscus, et fracto * carcere, ruptisque compedibus, illæsum hominem reduxit ad propria. Sic fortitudo Francisci militem est * prædata superbum; captivum, qui se sibi subjecerat, liberavit a malo, militisque proterviam admirando miraculo in mansuetudinem commutavit *d*.

b c

* *Vatic.* confracto

* *in Vatic. deest* est

B

d

alterumque injuste a blasphemo conjectum in carcerem.

268 Albertus de Aretio, cum in vinculis atrocissimis teneretur pro debitis injuste ab eo petitis, suam innocentiam S. Francisco humiliter commendavit. Ordinem quidem Fratrum Minorum plurimum diligebat, et S. Franciscum inter Sanctos speciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor suus voce blasphema, quod nec Franciscus, nec Deus posset eum de suis manibus liberare. Factum est itaque in vigilia S. Francisci, cum vinctus ille nihil comedisset, sed ob Sancti amorem victum suum cuidam tribuisset egeno; nocte veniente, apparuit ei vigilanti S. Franciscus, ad cujus ingressum vincula de pedibus et catenæ de manibus ceciderunt, sponte aperta sunt ostia, prosilierunt tabulæ de solario, et liber abscessit homo ad propria rediens. Implevit ex tunc votum, jejunans vigiliam B. Francisci, et cereo, quem annuatim consuevit offerre, in accrescentis devotionis indicium annuatim unam unciam superaddens.

Ob hæresim capto, sed emendato invocatus apparens.

e

C

269 Residente in Sede B. Petri domino Gregorio nono, quidam, Petrus nomine, de civitate Alisia *e*, de hæresi accusatus, Romæ captus est, et de mandato ejusdem Pontificis ad custodiendum traditus episcopo Tiburtino. Quem sub pœna episcopatus accipiens, compedibus alligavit, obscuroque ipsum carcere, ne posset effugere, includi fecit, panem ei præbens in pondere, et poculum in mensura. Cœpit autem homo ille beatum Franciscum ad sui miserendum multis precibus et fletibus invocare, eo quod audierat, solennitatis ejus jam adesse vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicaverat hæreticæ pravitatis errorem, totaque cordis devotione adhæserat fidelissimo Christi servo Francisco, intercedentibus ipsius meritis, a Domino meruit exaudiri.

vincula et carcerem solvit, mirante curia Pontificia.

270 Instante enim jam nocte suæ festivitatis, circa crepusculum beatus Franciscus in carcerem miseratus descendit, et illum suo nomine vocans, ut vito surgeret, imperavit. Qui timore perterritus, quisnam esset, interrogans, beatum Franciscum adesse, audivit. Cumque virtute præsentiæ Viri sancti vincula pedum suorum confracta conspiceret cecidisse, et tabulas carceris, clavis ultro prosilientibus, aperiri, et apertum iter sibi ad exeundum præberi, solutus tamen, et obstupefactus fugere nesciebat; sed ad januam clamans, custodes omnes perterruit. Qui cum eum liberatum a vinculis, episcopo * nunciassent, post intellectum ordinem rei ad carcerem pontifex devotus accessit, et manifeste Dei virtutem cognoscens, Dominum adoravit ibidem. Vincula quoque coram domino Papa et Cardinalibus delata fuerunt, qui videntes, quod factum fuerat, admirati plurimum benedixerunt Deum.

D

* *in Ms. deest* episcopo

Falso crimine accusatum solatur in carcere

f g

271 Guidolotus de sancto Geminiano *f* falso accusatus fuit, quod veneno interemerat quendam virum; et quod eodem genere mortis filium ejusdem viri et universam ejus familiam proposuerat enecare. Captus proinde a Potestate *g* terræ, gravissimis vinculis aggravatus in turri quadam * reclusus est. Ipse vero fiduciam habens in Domino pro sua innocentia, quam sciebat, causam commisit B. Francisci patrocinio defendendam. Excogitante igitur Potestate, qualiter criminis objecti confessionem eliceret per tormenta, qualibusque * pœnis confessum faceret interire, nocte illa, cum mane ad cruciatus deberet adduci, S. Francisci præsentia extitit visitatus, et immenso luminis fulgore usque mane circundatus, repletusque gaudio et fiducia multa securitatem evasionis accepit.

* *Sur.* in turrim quandam

* *Vatic.* qualibuscumque

et in tormentis servato illæso libertatem procurat.

272 Advenerunt mane tortores, et eductum de carcere eculeo suspenderunt, aggravantes super eum multa pondera ferri. Depositus est pluries, et iterum elevatus, ut, pœna pœnæ succedente, citius ad confessionem criminis arceretur. Sed spiritu innocentiæ lætabatur in vultu, nullam mœstitiam prætendens in pœnis. Deinde accensus est ignis sub ipso non modicus : nec propterea capillus est læsus; cum tamen capite dependeret ad terram. Tandem bulliente eleo superfusus, virtute Patroni, cui se commiserat defensandum, hæc omnia superavit; et sic dimissus liber, salvus abscessit.

E

ANNOTATA.

a Romania, *alias* Thracia, *vulgo nota Europæ regio; nisi pro* Romandiola *Italiæ hic ponatur.*

b Massa S. Petri, *est* Pagus S. Petri; *ubi tamen hic fuerit, non comperi.*

c *Id est :* Viro nobili.

d *Editio Vaticana :* Militemque protervum admirando miraculo in mansuetudinem commutavit. *Surius :* Militisque protervi admirando miraculo immansuetudinem commutavit.

e *Waddingus ad annum* 1228, *num.* 45 *in editione Lugdunensi ista recitans, habet :* de civitate Assisia : *in posteriori Romana :* De civitate Assisii : *at in Ms. nostro codice, et editionibus Vaticana et Suriana etiam legitur :* De civitate Alisia. *Si hæc lectio genuina sit, non video, quæ civitas verisimilius indicari possit per* Alisiam, *quam* Alexia, *alias* Alesia, *Gallice* Alise, *olim Galliæ Celticæ urbs et Mandubiorum caput, nunc vicus ducatus Burgundiæ.*

F

f *Oppidum Tusciæ est.*

g Podesta *Italis magistratum sonat, puta* Prætorem, *etc.*

§ VI. *De liberatis a periculo partus.*

Partu periclitans post factum votum prospere enititur;

a

Quædam Comitissa in Sclavonia, sicut nobilitate illustris, sic et æmula probitatis, erga S. Franciscum devotione flagrabat; erga fratres vero sedula pietate. Tempore vero partus duros perpessa dolores *a*, tanta fuit angustia molestata, ut prolis futurus ortus præsens videretur matris occasus. Non videbatur infantem eniti posse ad vitam, nisi exspiraret e vita; nec tali nisu parere, sed perire. Subvenit cordi ejus S. Francisci fama, virtus et gloria : excitatur fides, inflammatur devotio. Convertit se ad auxilium efficax, ad fidum amicum, ad devotorum solatium, refugium afflictorum; Sancte Francisce, inquit, pietati tuæ supplicant omnia ossa mea, et mente voveo, quod explicare non possum. Mira celeritas pietatis! Finis dicendi finis fuit dolendi, parturiendi meta, pariendi principium.

statim

A Statim enim omni cessante pressura, partum edidit cum salute. Non fuit immemor voti, non propositi refuga : ecclesiam quandam pulchram construi fecit, et constructam ad Sancti honorem fratribus assignavit.

altera fœtum quatriduo mortuum ejicit.

274 In partibus Romanis mulier quædam, Beatrix nomine, vicina partui, cum per dies quatuor fœtum in ventre portaret exstinctum, multis infelix agitabatur angustiis, et exitialibus doloribus urgebatur. Mortuus fœtus matrem cogebat ad mortem; et nondum in lucem productum * abortivum publicum matris periculum pariebat. Tentabat medicorum auxilium; sed omne humanum remedium laborabat in vanum. Sic de primis maledictionibus *b* copiosius aliquid declinarat in miseram, ut sepulchrum facta conceptus sepulchrum pro certo proximum exspectaret. Fratribus tandem Minoribus per internuncios tota se devotione committens, suppliciter aliquid de S. Francisci reliquiis fide plena poposcit. Contigit nutu divino, aliquantulum inveniri de chorda, qua fuerat Sanctus quandoque præcinctus. Mox, ut super dolentem posita chorda fuit, omnis facillime solutus est dolor; mortis caussa mortuus fœtus emissus, pristina sanitas restituta.

* *in Ms.* proditum

b

Immatura prolium funera deploranti spondet

c

275 Cujusdam de Narnio *c* nobilis viri uxor, Juliana nomine, pro filiorum morte annos trahebat lugubres, et continue infelices deplorabat eventus, pro eo quod omnes, quos cum pressura portaverat filios, modico interjecto tempore, cum vehementiori dolore sepulturæ tradiderat. Cum igitur quatuor mensium conceptus * haberet in utero, magisque propter eventus præteritos de conceptæ prolis solicitaretur obitu, quam de ortu; beatum patrem Franciscum pro vita nondum nati fœtus fideliter precabatur. Ecce autem nocte quadam dormienti sibi mulier quædam apparebat in somnis, formosum puerulum gestans in manibus, illumque lætissime offerebat eidem. Cum vero illa recipere recusaret, quem statim formidabat amittere, mulier illa subjunxit : Secure suscipias, quia, quem tuo mœrori compatiens sacer mittit Franciscus, vita vivet, et sospitate gaudebit.

B

* *al.* conceptum

filium diu victurum : alia ejus patrocinio geminam prolem masculam obtinet.

276 Statim evigilans mulier intellexit, per ostensam sibi cælitus visionem beati Francisci sibi adesse suffragium. Ex tunc abundantiori completa lætitia, pro suscipienda prole juxta promissum multiplicavit preces, et vota promisit. Impletum est denique tempus pariendi, et peperit femina masculum, qui juvenilis robore florens ætatis, tanquam per beati Francisci merita fomentum susciperet vitæ, incitamentum parentibus præbuit ad Christum et Sanctum ejus devotioris * affectus. Simile quiddam huic in Tiburis *d* civitate sanctus Pater effecit. Cum enim mulier quædam filias plurimas peperisset, desiderio prolis fatigata virilis, apud S. Franciscum preces ingeminavit et vota. Concepit igitur ejus meritis mulier illa, et geminos ei parere dedit, qui pro uno fuerat exoratus.

* *Sur.* devotionis

d

C

Difficili partu levata, violati voti pœnam luit ; pœnitens sanatur :

e

277 Apud Viterbium *e* partui propinqua mulier, morti propinquior censebatur, visceralibus tormentata doloribus, et tota calamitosa infortuniis * mulierum. Cumque, naturæ succumbente virtute, omnis deficeret artis industria, invocato beati Francisci nomine, liberata confestim mulier partum salubriter terminavit. Sed assecuta, quod voluit, et oblita beneficii, quod accepit, honorem Sancto non deferens, die natalis ipsius ad opera servilia manus extendit. Et ecce subito dexterum brachium, ad laborem extensum, inflexibile remansit et aridum. Quod cum studeret ad se revocare cum altero, ultione consimili et illud exaruit. Timore igitur divino correpta mulier, redintegravit votum; usumque membrorum, quem propter ingratitudinem amiserat et contemptum, per misericordis et humilis Sancti merita, cui se iterato devovit, recuperare promeruit.

* *Vatic. et Sur.* in infortuniis

278 Mulier quædam de partibus Aretinis, cum per septem dies partus discrimina sustineret, et jam in nigredinem versa desperata esset ab omnibus, votum fecit beato Francisco, et ejus cœpit moriens auxilium invocare. Emisso autem voto, celeriter obdormivit; viditque in somnis beatum Franciscum se dulciter alloquentem ac requirentem, utrum faciem ipsius agnosceret, et an antiphonam illam Virginis gloriosæ SALVE REGINA MISERICORDIÆ *f* sciret ad honorem ejusdem * Virginis recitare. Qua respondente, se habere notitiam de utrisque; Incipe, ait Sanctus, antiphonam sacram, et antequam compleas, paries cum salute. Ad hanc vocem * evigilavit mulier, et cum timore cœpit dicere : SALVE REGINA MISERICORDIÆ *g*. Cumque illos MISERICORDES OCULOS precaretur, fructumque commemoraret uteri virginalis, continuo cunctis liberata pressuris infantem speciosum peperit, gratias agens Reginæ misericordiæ, quæ per B. Francisci merita ipsius fuerat dignata misereri.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

item alteri apparens Sanctus facilem partum concedit.

f

* *Sur.* hujus

* *Sur. add.* et

g

ANNOTATA.

a *In Codice nostro Ms. :* Duris pervasa doloribus.

b *In Vaticana editione additur :* Evæ; *cui scilicet post peccatum dixit Deus :* Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios. *Gen. cap.* 3, ℣ 16.

c *Codex noster, et Surius vitiose habent :* De Carvio. *Est autem* Narnium, *seu* Narnia, *indigenis* Narni, *Pontificiæ ditionis civitas episcopalis in Umbria.*

d Tibur, *Italis* Tivoli, *episcopalis civitas est ditionis Ecclesiæ in Campania Romana.* E

e Viterbium, *nunc vernacule* Viterbo, *insignis urbs episcopalis est, et provinciæ Patrimonii S. Petri caput.*

f *Ita etiam habent Ms. codex et editiones Vaticana et Suriana : sed Waddingus ad annum* 1228, *num.* 51 *legit :* Salve Regina mater misericordiæ, *addita voce* Mater *pro more sui temporis, ut existimo. Etenim, dum pia ista antiphona primum composita et recitari cœpta fuit, legebatur sine voce* Mater; *uti videri potest tum apud alios, tum apud Caietanum Meratum in Thesauro sacrorum rituum Bartholomæi Gavanti recuso auctoque, tom. II, part.* 1, *pag.* 412, *ubi etiam observatur, antiquum morem legendi* Salve Regina misericordiæ, *apud Cartusianos perseverare.*

g *Waddingus hic rursum habet :* Salve Regina Mater misericordiæ.

§ VII. *De cæcis illuminatis.*

Cæco simul ac moribundo lumen et sanitatem confert.

In conventu fratrum Minorum Neapoli * cum quidam frater, Robertus nomine, cæcus annis plurimis extitisset, crevit in oculis ejus caro superflua, motum * et usum impediens palpebrarum. Cum igitur fratres forenses, ad diversas mundi partes tendentes, ibidem plurimi convenissent, beatus pater Franciscus, speculum obedientiæ sanctæ, ut eos miraculi novitate hortaretur ad iter, prædictum fratrem, ipsis præsentibus, tali modo curavit. Jacebat nocte quadam frater Robertus prædictus æger ad mortem, jamque sibi fuerat anima commendata : tum, ecce, astitit ei beatus Pater cum tribus fratribus omni sanctitate perfectis, videlicet S. Antonio *a*, fratre Augustino *b*, et fratre Jacobo de Assisio *c;* qui, sicut eum perfecte fuerant secuti, dum viverent, ita et ipsum alacriter comitabantur post mortem. Accipiens cultellum S. Franciscus, carnem superfluam resecavit, lumen restituit pristinum, et a mortis eum fauce reduxit; dixitque illi : Fili Roberte, gratia, quam tecum feci, signum est fratribus ad remotas nationes euntibus, quod ego præcedam eos, et ipsorum dirigam gressus. Vadant, inquit, gaudenter, et injunctam obedientiam alacri animo exsequantur.

* *Ms.* de Neapoli

* *ibid.* nutum

F

a b

c

Cæca, Sancto devota, in ejusdem festo visum recipit :

280 Apud Thebas in Romania mulier cæca vigiliam S. Francisci in pane tantum et aqua jejunans, ad ecclesiam fratrum Minorum summo mane festivitatis a viro suo perducta est. Quæ, dum Missa celebraretur, in elevatione corporis Christi, oculos

AUCTORE S. BONAVENTURA

oculos aperuit, clare vidit, devotissime adoravit. In ipsa vero adoratione voce magna proclamans, Gratias, inquit, Deo et Sancto ejus; quia video corpus Christi. Omnibus, qui aderant, in voce * exsultationis conversis, post Sacrorum expletionem reversa est mulier in domum suam cum gaudio spiritus et lumine oculorum. Exsultabat quidem mulier, non solum quia lucis corporeæ recuperarat aspectum, verum etiam, quia Sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum verum et vivum, respectu primario per B. Francisci merita, fidei suffragante virtute, meruerat intueri.

* *Sur.* in vocem

puero oculum in maxillam pendentem et aridum restituit,

281 In Campania, puer quidam quatuordecim annorum, de castro Pophis *, subita vexatus angustia, sinistrum oculum amisit ex toto. Passionis acerbitas sic de loco suo propulit oculum, quod per octo dies, extra nervo relaxato, longitudine digiti unius ad maxillas dependens pene aridus est effectus. Sed cum sola superesset abscissio, et a medentibus foret penitus desperatus, pater ejus ad auxilium B. Francisci tota se mente convertit. Non defuit ille indefessus miserorum Adjutor precibus supplicantis. Nam oculum aridum mirabili virtute in locum suum pristinumque vigorem restituit, et lucis optatæ radiis illustravit.

* *Ms.* Prophis

simile beneficium præstat presbytero, oculum excæcatum, B

282 In eadem provincia apud Castrum magni ponderis lignum ex alto prorupit, et cujusdam sacerdotis caput gravissime quassans, sinistrum occulum excæcavit; qui humi dejectus cœpit alta voce S Franciscum luctuose clamare, dicens : Succurre, Pater sanctissime, ut ad festum tuum ire valeam, sicut fratribus tuis ire promisi : erat enim vigilia Sancti. Qui statim exsurgens peroptime liberatus, in vocem prorupit laudis et gaudii, et circumstantes omnes, qui ejus miseriæ condolebant, in stuporem convertit et jubilum. Ivit ad festum, narrans omnibus, quam in se expertus fuerat, clementiam et virtutem.

et viro alteri oculum bisartam sectum habentibus. d

283 Vir quidam de monte Gargano *d*, dum in vinea sua laborans, lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum, et sic divisit per medium, ut quasi media pars ipsius exterius dependeret. Cumque in tam desperato periculo desperaret, sibi posse per hominem subveniri, jejunaturum se in festo sancti Francisci, si ei succurreret, repromisit. Statim in loco debito viri oculum Sanctus Dei restituit; sicque divisum rejunxit et lumine pristino decoravit, ut nullius læsionis vestigia remanerent.

Cæcus natus donatur visu, et Sancti Ordinem postea ingreditur. C

284 Filius cujusdam nobilis viri, a nativitate cæcus, meritis B. Francisci lumen accepit optatum; qui nomen ab eventu sortitus, Illuminatus vocatus est. Assumpsit postea, cum in ætate esset, Ordinem beati Francisci, accepti beneficii non ingratus; tantumque profecit in lumine gratiæ et virtutis, ut vere lucis filius videretur. Tandem, beati Patris promerentibus meritis, sanctum initium fine sanctiore conclusit.

Fratrum benignum hospitem jubet moneri, ut confiteatur, e

285 In Zachanto, quod est castrum juxta Anagniam e, miles quidam, Gerardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem, ut duo fratres Minores, ab exteris partibus venientes, ad domum ipsius hospitaturi diverterent. Suscepti itaque devote propter reverentiam sancti Francisci a familia tota, et cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo et hospiti, ad locum fratrum devenere vicinum. Nocte igitur quadam beatus Franciscus uni fratrum illorum in somnis apparuit, dicens : Surge, festina cum socio ad domum hospitis nostri, qui Christum et me suscepit in vobis : volo enim * beneficia rependere pietatis. Cæcus quidem effectus est, suis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non studuit confessione purgare.

* *Ms. add.* ei

et de peccatis confesso amissum oculorum lumen reddit.

286 Disparente quoque Patre, frater festinus surrexit, ut mandatum cum socio celeriter adimpleret. Venientesque ad hospitis domum, cuncta, quæ viderat alter, per ordinem narraverunt eidem. Stupuit vir ille non modicum *, et universa, quæ dicebantur, vera esse, confirmans, compunctus ad lacrymas confessus est libens. Tandem correctione promissa, interiorique homine taliter renovato *, exteriorem continuo recuperavit aspectum. Hujus miraculi fama circunquaque diffusa, non solum ad reverentiam Sancti, verum etiam ad confessionem humilem peccatorum et hospitalitatis gratiam plurimos incitavit *f*.

* *in Ms. deest* non

D

* *ibid.* totaliter revocato

f

ANNOTATA.

a *Est hic* S. Antonius *Lusitanus*, *cognomento* Patavinus *vel* de Padua, *cujus gesta in Opere nostro illustrata sunt ad diem* 13 *Junii, quo in universa Ecclesia festum habet.*

b *Procul dubio hic idem* Augustinus *est Fratrum Minorum Minister in Terra Laboris, qui moribundus vidit animam* S. Francisci *ad cælos ascendentem, eamque mox secutus est, ut præmisit sanctus doctor in hac Vita num.* 213. *Inscriptus is est ad diem* 4 *Octobris Menologio Franciscano Hueberi, et Martyrologio Arturi, sed cultum non reperi.*

c *Hunc quoque duo mox laudati martyrologi memorant die* 7 *Junii, ad quem in Opere nostro inter Prætermissos relatus fuit.*

d *Vide Annotata ad hujus Vitæ caput* 14, *lit.* o.

e *Editio Vaticano et Suriana :* Ananiam ; *sed retinendum est* Anagniam, *quæ Italice* Anagni *dicta, Pontificiæ ditionis episcopalis civitas est in Campania Romana.*

E

f *Quod in editione Seduliana sequitur miraculum, abest a nostro codice Ms., editionibus Vaticana et Suriana; et recte, quia Bonaventuræ non esse, monui in Commentario prævio num.* 23 *et sequenti, ac etiam mox probabo. Quam ob rem ego illud e texto rescindendum censui, atque hic inter Annotata recitandum, ne lector desideret.* Quidam pro furti calumnia cæcatus fuit rigore justitiæ sæcularis apud Assisium, Othone milite per ministros publicos sententiam Octaviani judicis de eruendis accusato oculis exsequente. Qui taliter deformatus, effossis oculis, præscisis nervis opticiis etiam cum cultello, ductus ad altare B. Francisci, implorata ipsius clementia, et sua in prædicti criminis impositione innocentia allegata, Sancti ipsius merito infra triduum novos recepit oculos, minores quidem illis, quibus orbatus fuerat, sed non minus limpide visus officium exercentes. Hujus autem stupendi miraculi testis fuit prænominatus miles Otho, juramento ad hoc adstrictus, coram domino Jacobo abbate S. Clementis, auctoritate domini Jacobi episcopi Tiburtini de ipso miraculo inquirente. Testis etiam extitit ejusdem miraculi frater Guillermus Romanus, a fratre Hieronymo, generali Ministro Ordinis Minorum, ad veritatem dicendam, quam circa hoc noverat, præcepto et excommunicationis sententia obligatus. Qui taliter adstrictus coram pluribus Ministris provincialibus ejusdem Ordinis, et aliis magni meriti fratribus affirmavit, se dudum, adhuc sæcularem existentem, vidisse eum habentem oculos, et postmodum actu exsecutionis injuriam patientem; ac se excæcati oculos in terram projectos curiose cum baculo revolvisse; et postmodum virtute divina eumdem, novæ lucis receptis oculis, videntem clarissime conspexisse. *Hæc ibi apud Sedulium, quæ fere accepta sunt ex Epistola* (*cujus authenticam ex Assisiensis conventus* S. Francisci *archivo copiam* a *RR. PP. Conventualibus Romanis accepi*) *Hieronymi Asculani, tunc generalis Ministri Ordinis Minorum, qui postea ad summum Pontificatum evectus,* Nicolaus IV *appellatus fuit. Hanc epistolam ille dedit ad custodem et guardianum mox dicti conventus, ut eos de certo testimonio tanti miraculi certiores faceret,* Romæ III Nonas Maii. Anno Domini MCCLXXVI. *In eadem dicitur ista examinatio facta* Romæ in infirmaria nova, Kalendis Maii. Anno Domini MCCLXXVI ; *et* in præsentia fratris Guidonis Ministri Romani, fratris Corradi Ministri Alamanie Superioris, fratris Dominici penitentiarii summi Pontificis, fratris Bonegratie, fratris Monaldi visitatoris in Romana provincia monasteriorum Ordinis sancte Clare et aliorum.

F

Dicitur

A *Dicitur item Guillermus seu Guilielmus, dum istud supplicium ac miraculum contigit,* scutiferi *munere functus esse apud dominum* Gratianum Mathei de Lipernioni, *tunc temporis* Potestatem, *seu prætorem* civitatis Assisiensis, *ex cujus mandato adversus istum falso accusatum actum fuit;* Otho *vero* miles *ibidem vocatur* Otto Octavianus de Lacuntella, *verum non nominatur ibidem, ut testis miraculi. De sanatione vero ibi sic legitur :* Sed cecatus ductus ad ecclesiam beati Francisci, et, ut ipse postmodum recitabat omnibus, allegans coram Sancto sue familie inopiam, et quod non juste fuerat condempnatus, in eadem ecclesia oculos recuperavit et visum meritis sancti Patris; et timens iterum excecari, fugit Fulgineum, et ibi faciebat suas cum cultello lesas palpebras medicari. Ipse vero frater Guilielmus audiens, illum rehabere oculos, et videre, ivit Fulgineum, et vidit dictum hominem, quem viderat Assisii in sua presentia excecari, habentem oculos, set minores, quam primo habuerat, et clare omnia intuentem; et audivit ipsum publice asserentem, quod meritis beati patris nostri Francisci sibi fuerant secundum modum oculi restituti. *Porro miraculum hoc non esse a S. Bonaventura in Vita relatum, patet primo ex eo, quod Hieronymus Asculanus, cujus velut generalis*
B *Ministri Ordinis Minorum utraque relatio meminit, ad generale illud ministerium promotus fuerit Lugduni Segusianorum in comitiis, anno* 1274 *die* 20 *Maji celebratis, vivente quidem* S. Bonaventura, *sed ad Cardinalatum jam evecto et consentiente, ut docet Waddingus ad eumdem annum, num.* 34, *id est, tredecim circiter annis post scriptam a Bonaventura Vitam* S. Francisci. *Secundo ex eo, quod frater Guilielmus, in utraque narratione pariter laudatus, testimonium illud coram dicto Hieronymo generali Ministro ceterisque dixerit anno* 1276, *sive biennio fere post obitum S. Bonaventuræ, qui contigit anni* 1274 *die* 15 *Julii. Mitto alia, quia res clara certaque est. Melius itaque Sedulius miraculum non inseruisset Vitæ per S. Bonaventuram scriptæ quod se fecisse* ex veteribus exemplaribus Parisiensibus, *ibidem asserit in Annotatis.*

§ VIII. *De liberatis a variis infirmitatibus.*

Surdo et muto nato loquela et auditus datur:
a

Apud castrum Plebis *a* juvenis quidam mendicus surdus erat et mutus a nativitate sua, qui linguam adeo curtam habebat ac tenuem, quod multoties exquisita a pluribus præcisa penitus
C videretur. Vir quidam, Marcus nomine, ipsum propter Deum suscepit hospitio; qui eum sibi benefacere sentiens, cœpit cum ipso assiduus demorari. Sero quodam cum prædictus vir cœnaret cum conjuge, astante puero coram eis, dixit uxori : Hoc ego maximum miraculum reputarem, si B. Franciscus huic auditum redderet et loquelam. Et adjecit : Voveo Deo, quod, si hoc sanctus Franciscus dignabitur operari, propter amorem suum huic puero expensas conferam, donec vivet. Mirum certe! Subito lingua crevit, et locutus est, dicens : Gloria Deo, et sancto Francisco, qui mihi loquelam prætulit et auditum *b*.

b
varii herniosi curantur.
c

288 Frater Jacobus de Iseo *c*, cum puerulus esset in domo paterna, incurrit rupturam corporis valde gravem. Superno vero afflatus spiritu, licet esset juvenis et infirmus, Ordinem S. Francisci devotus intravit : nulli tamen, qua urgebatur, infirmitatem * detexit. Factum est autem, cum corpus sancti Francisci transferretur ad locum, ubi pretiosus sacrorum ossium ejus nunc thesaurus est conditus *d*, adfuit et tunc dictus frater translationis gaudiis, ut glorificati jam Patris corpori * honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in qua ossa sacra fuerant collocata, præ devotione spiritus sacrum tumulum complexatus, et cum lacrymis multis orans, subito miro modo

* *Vatic. et Sur.* infirmitate

d

* *Ms.* sanctissimo corpori

ad loca debita partibus revocatis, sanum se sensit, succinctorium deposuit, et ex tunc ab omni dolore præterito liber fuit. Ab infirmitate quoque consimili frater Bartholus * de Eugubio, frater Angelus de Tuderto *e*, Nicolaus sacerdos * de Stichano *f*, Joannes de Fora *g*, vir quidam de Pisis, et alius de castro Cisternæ *h*, Petrus quoque de Sicilia, et homo quidam de castro Spelli *i* juxta Assisium, et quam plures alii per Dei misericordiam et beati Francisci merita extiterunt mirabiliter liberati.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

* *Ms.* Bartholomæus

e f

* *ibid. deest* sacerdos

g
h i

289 In maritima mulier quædam, mentis alienationem per quinquennium passa, visu et auditu privata est : indumenta dilaniabat dentibus, ignis et aquæ periculum non timebat, et caduci morbi ad summum incurrerat horribilem passionem. Nocte vero quadam, cum disponeret sibi divina misericordia misereri, salutaris fulgore lucis superillustrata divinitus, vidit beatum Franciscum super solium sedere sublime, ante quem prostrata sanitatem suppliciter exposcebat. Illo vero nondum favente precibus, firmavit mulier votum, promittens, pro Dei amore ac Sancti petentibus, donec haberet, eleemosynam non negare. Illico Sanctus pactum recognovit, quod olim cum Domino fecerat simile, et signans eam crucis signaculo, integram sibi restituit sanitatem. A consimili passione puellam quandam de Nursia *k*, et filium cujusdam nobilis viri, et alios quosdam, relatione veridica
E compertum est, sanctum Dei Franciscum misericorditer liberasse.

Amentes sano sensui restituuntur:

k

290 Petrus de Fulgineo ad visitandum limina beati Michaelis *l* quodam tempore pergens, dum minus reverenter peregrinationem peregit, fontis cujusdam aquam degustans a dæmonibus est invasus, et exinde per tres annos obsessus discerpebatur in corpore, pessima loquens, et horrenda prætendens. Habens tamen * aliquando lucida intervalla, Beati * virtutem, quam efficacem audierat ad effugandas aereas potestates, humiliter requisivit. Et ad sepulcrum pii Patris accedens, mox ut illud contigit manu, a dæmonibus eum crudeliter discerpentibus mirifice liberatus fuit *m*. Simili etiam modo mulieri cuidam de Narnio, habenti dæmonium, misericordia Francisci subvenit *n*, et aliis pluribus, quorum * vexationum angustias, et curationum modos longum esset per singula enarrare.

expelluntur dæmones:
l

* *in Vatic. et Sur. deest* tamen

* *Ms.* beati Viri

m

n

* *Ms.* quarum

291 Vir quidam, nomine Bonus, homo de civitate Fani *o*, paralyticus et leprosus, ad ecclesiam B. Francisci a parentibus deportatus, utriusque morbi plenam consecutus est sanitatem. Sed et alius juvenis quidam, Acto nomine de sancto Severino *p*, totus leprosus, voto emisso, et ad sepulcrum Sancti delatus, meritis ipsius a lepra mundatus est. Habuit quidem Sanctus super hujusmodi morbo curando præcellentem virtutem, pro eo quod humilitatis et pietatis amore leprosorum obsequiis se * humiliter deputarat.

lepra simul et paralysi affectus, atque alter leprosus,
o
p
F

* *Ms.* semet ipsum

292 Nobilis quædam mulier, Rogata nomine, in episcopatu Sorano *q*, per viginti tres annos fluxu sanguinis fatigata, sed a quampluribus medicis quamplurima mala perpessa, præ nimietate quidem languoris sæpius videbatur * expirare. Sed et si quando fluxus hujusmodi stringebatur, tumescebat corpore toto. Audiens autem quemdam puerum Romano sermone canentem miracula, quæ Deus per B. Franciscum fuerat operatus, nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas : sicque intra se fide accensa dicere cœpit: O beate pater Francisce, qui tantis coruscas miraculis, si me digneris ab hac ægritudine liberare, magna tibi accresceret gloria; quoniam adhuc tantum miraculum non fecisti. Quid plura? His dictis, sensit se B. Francisci meritis liberatam. Filium quoque ipsius, Marium *r* nomine, qui brachium habebat contractum, S. Franciscus, voto ad ipsum emisso, sanavit. Feminam etiam quandam de Sicilia per septennium fluxu sanguinis fatigatam, beatus Christi *s* Signifer salvam fecit.

mulier sanguinis fluxu laborans, contractus brachio, aliaque hæmorrhoissa sanantur.
q

* *Vatic. add.* mulier

r

s

295 In urbe Roma Praxedis quædam nomine, religiositate

AUCTORE S. BONAVENTURA.

Virgini reclusæ pedem cum crure fractum, luxatumque humerum restituit.

religiositate famosa, quæ a tenella ætate propter æterni Sponsi amorem arto se carcere per quadraginta jam fere annos abdiderat, apud B. Franciscum gratiam promeruit specialem. Nam cum die quadam pro rebus opportunis solarium suæ cellulæ conscendisset, et impulsione phantastica corruens, cum fractum haberet pedem cum crure, et humerum a positione debita sequestratum; apparuit ei benignissimus Pater vestimentis gloriæ candidatus, et dulcibus affatibus alloqui cœpit eandem. Surge, inquit, filia benedicta, surge, ne timeas. Et apprehensa manu ipsius, allevans eam, disparuit. Ipsa vero per cellulam suam huc atque illuc se convertens, putabat, se visum videre; usquequo ad clamorem ipsius apportato jam lumine, perfecte se sentiens per servum Dei Franciscum esse sanatam, cuncta, quæ acciderant, per ordinem enarravit *.

* *Vatic.* narravit

ANNOTATA.

a *Duo hujus nominis loca novi in Italia, unum ditionis Pontificiæ in Umbria, olim castrum, sed a Clemente VIII in civitatem episcopalem erectum; unde et* Civitas Plebis *atque* Plebana Civitas *appellatur. Alterum oppidulum est in Foro-Julio in tractu Cadubrii, quod propterea lingua vernacula etiam* la Pieve di Cadore *dicitur.*

B b *Cum hic juvenis* a nativitate surdus et mutus *fuisse dicatur, miraculo concessi auditus et auctæ linguæ addendum est miraculum acceptæ notitiæ sermonis.*

c Castrum Iseum *Leander Albertus in Lombardia Transpadana recenset ad fauces lacus* Isei, *alias* Sebini, *estque ditionis Venetæ in agro Brixiano.*

d *Loquitur ergo hic de translatione sacri corporis facta anno* 1230 *ex ecclesia S. Georgii, quæ intra Assisii muros erat, ad novam basilicam suburbanam, ipsius* S. Francisci *titulo erectam, in qua sacer ille thesaurus hactenus servatur.*

e Tudertum, *alias* Tuder, *nunc vulgo* Todi, *episcopalis civitas est ditionis Ecclesiæ in Umbria prope Tiberim fluvium.*

f *In Ms. nostro codice legitur:* De Succano; *at neutro nomine mihi locus iste notus est.*

g *Neque hunc locum in Lexicis reperi.*

h *Hujus nominis oppidulum est in Campania Romana: est et castrum,* Citerna *vulgo dictum, prope Tiberim in dominio Florentino. In codice nostro Ms. hic legitur:* Et alius de castro Spelli *etc., omissis intermediis, quæ mox sequuntur.*

i *Id est,* de castro Hispelli, *quod Italice dictum* Spello, *castrum vel oppidulum est Umbriæ, ditionis Pontificiæ.*

C k Nursia, *nunc vulgo* Norcia, *parva civitas, olim episcopatu insignita, magnique S. Benedicti patria est.*

l *Nimirum ad montem Garganum in Apulia.*

m *Hæc etiam leguntur in Vita prima num.* 157, *ubi dicitur vir ille,* sive ex voto, sive ex pœnitentia sibi injuncta, *istud ad S. Michaelis ecclesiam iter suscepisse.*

n *In Vita prima num.* 138 *additur, hanc mulierem a* S. Francisco *apparente per signum Crucis liberatam fuisse.*

o *Verisimiliter indicatur* Fanum *cognominatum Fortunæ, Italis* Fano, *quod ditionis Ecclesiasticæ civitas est intra limites ducatus Urbinatis, sed ab eo avulsum, ad mare Adriaticum.*

p San Severino, *alias* Septempeda *jam supra memorata fuit.*

q Sora *urbs regni Neapolitani est in provincia Terræ Laboris, illustrata episcopatu, soli Sedi Apostolicæ subjecto.*

r *In Ms. nostro codice:* Marinum; *in editionibus Vaticana et Suriana:* Marcum.

s *Ita correxi ex Ms. nostro codice et editis: nam apud Sedulium vitiose legitur:* Christus.

D

§ IX. *De non observantibus festum, et non honorantibus Sanctum.*

In Pictaviæ *a* partibus, in villa, quæ Simo * dicitur, sacerdos quidam, Reginaldus nomine, beato Francisco devotus, festum ipsius parochianis suis indixerat sollemniter celebrandum. Unus autem de populo, ignorans Sancti virtutem, sui parvipendit sacerdotis mandatum. Egressus autem foras in agrum, ut ligna succideret, cum se præparasset ad opus, vocem audivit hujusmodi ter dicentem: Festum est; operari non licet *b*. Verum cum nec imperio sacerdotis, nec supernæ vocis oraculo servilis temeritas frænaretur, addidit divina virtus ad gloriam Sancti sui sine mora miraculum et flagellum. Mox enim, ut furcam una manu jam tenens, alteram cum ferreo instrumento levavit ad opus, sic divina virtute utraque manus utrique instrumento cohæsit, ut ad neutrius dimissionem digitos aliquatenus relaxare valeret. Ex quo stupefactus nimis, et, quid ageret, nesciens, ad ecclesiam, multis undique ad videndum prodigium concurrentibus *, properavit.

Sancti festum violantis manus instrumentis adhærescunt, a

* *Ms.* Symo

b

* *Vatic.* occurrentibus

293 Ubi mente compunctus ante altare, quodam ex assistentibus sacerdote monente (plures quippe ad festum vocati convenerant sacerdotes) B. Francisco humiliter se devovit; tria, sicut ter vocem audierat, vota vovens: quod scilicet festum ipsius coleret, quod ad illam, in qua tunc erat, ecclesiam in festo veniret, et quod Sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certe relatu! Uno emisso voto, unus digitus * factus est liber: ad secundi emissionem solutus est alius: sed tertio facto voto, laxatus est tertius, et postmodum tota manus, nec non et altera subsequenter, populo, qui jam multus advenerat, Sancti clementiam devotissime implorante. Sic homo pristinæ redditus libertati per seipsum instrumenta deposuit; cunctis laudantibus Deum, virtutemque Sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat et sanare. Ipsa vero instrumenta usque hodie coram altari ad honorem B. Francisci fabricato, ibidem in memoriam facti dependent. Plura quoque illic et in locis vicinis patrata miracula, et Sanctum in cælis ostendunt eximium, et festum ipsius in terris venerabiliter excolendum

pœnitenti post votum factum relaxantur.

E

* *Ms.* unus de digitis

296 In civitate quoque Cenomanensi *c*, dum in solemnitate S. Francisci mulier quædam manus ad colum extenderet, et digitis apprehenderet fusum, obrigescentibus manibus, cœperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pœna docente, Sancti recognoscens virtutem, corde compuncta cucurrit ad fratres. Cumque pro salute ipsius devoti filii sancti Patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim, nec aliquid læsionis remansit in manibus, nisi ad facti * memoriam solum vestigium combusturæ. Simili etiam modo in Campania majori mulier quædam, et in villa Oletti *d* mulier altera, et in castro Pyllei *e* tertia, dum beati Patris festum celebrare contemnerent, prævaricantes primum mirabiliter sunt punitæ; sed postmodum pœnitentes, per sancti Francisci merita mirabilius liberatæ.

Quatuor mulieres eadem de causa divinitus punitæ, ac deinde sanatæ.

c

F

* *Sur.* Sancti

d

e

297 Miles quidam de Burgo in provincia Massæ *f* beati Francisci operibus et miraculorum signis impudentissime detrahebat; inferebat multa opprobria peregrinis ad ipsius memoriam venientibus, et contra fratres publica garriebat insania. Cum autem semel Sancti Dei gloriam impugnaret, addidit * super peccata sua blasphemiam detestandam. Si verum est, inquit, quod Franciscus iste sit sanctus, gladio cadat hodie corpus meum; si vero sanctus non est, evadam incolumis. Non distulit ira Dei condignum inferre supplicium, cum jam facta fuisset oratio * in peccatum. Mora enim modica interjecta, dum blasphemus nepoti suo inferret injuriam, accepit ille gladium, et patrui visceribus cruentavit. Eodem die mortuus est sceleratus,

In eumdem blasphemus cruenta morte sublatus,

f

* *Sur.* addit

* *Sur.* ejus oratio

A leratus, inferni mancipium, et filius tenebrarum, ut ceteri discerent, miranda Francisci opera non blasphematoriis verbis impetere, sed devotis laudibus honorare.

alter obtrectator sexennio mutus mansit.

298 Judex quidam, nomine Alexander, dum a beati Francisci devotione, quos poterat, venenata lingua retraheret, divino judicio lingua privatus per sex annos obmutuit. Qui cum in eo, quo * peccaverat, torqueretur, alta pœnitudine revocatus dolebat, se contra Sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio Sancti; sed pœnitentem ac se humiliter invocantem, restituta loquela, recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemam consecravit laudibus Sancti, devotionem simul et disciplinam recipiens per flagellum.

* *Vatic.* quod

ANNOTATA.

a Pictavium, *Gallice* Poictiers, *episcopalis civitas Galliæ est ad fluvium Clanium, Gallis* le Clain, *et Pictaviensis provinciæ caput.*

b *An tunc* S. Francisci *festum colendum erat cum cessatione ab opere servili ex generali præcepto Ecclesiæ, an ex singulari in diœcesi aut loco?*

c Cenomanum, *vernacule* le Mans, *episcopalis urbs Galliæ est ad Sartam fluvium, Cenomanensis provinciæ, Gallis* le Maine *dictæ, caput.*

d *Ms. codex et Surius:* Oleti. *Neutro vocabulo*
B *mihi villa hæc nota est.*

e *Editio Vaticana:* Pilei; *Suriana:* Pelei; *Ms. codex:* Spelli: *si posteriori modo legendum est, vide Annotata ad præcedentem* §, *lit.* i.

f *Forte hic indicatur* ducatus Massæ, *parvus Italiæ tractus in Hetruria. Sunt tamen aliæ Massæ, variis adjunctis distincta in Italia.*

§ X. *De quibusdam aliis miraculis diversorum generum.*

Mulieri deficienti præsiti fontem elicit, a

In castro Galliani Valvensis diœcesis *a*, mulier * quædam, nomine Maria, quæ Christo Jesu et B. Francisco famulatu devoto subjecta, una dierum æstivo tempore exiit, ut manibus conquireret propriis necessarium victum. Cum igitur fervente nimium æstu, sitis deficere cœpisset ardoribus, omni privata beneficio poculi, pro eo quod in monte arido sola esset, quasi exanimis humi prostrata, patronum suum S. Franciscum invocabat pio mentis affectu. Dum autem perseveraret mulier in affectuosa et humili prece, labore, siti et æstu fatigata quamplurimum, paululum obdormivit. Et ecce, S. Franciscus adveniens, et eam vocans ex nomine, Surge, inquit, et bibe aquam, quæ divino munere
C tibi ac pluribus exhibitur.

* *al. add.* erat

eidem aliisque postea mirabiliter salubrem.

300 Ad hujus vocis auditum surrexit mulier a somno, non modicum confortata. Et accipiens filicem *, quæ juxta se erat, radicitus evulsit a terra; effodiensque ligno parvulo circumquaque, viventem reperit aquam; quæ cum primo videretur parvula stilla, subito divina virtute crevit in fontem. Bibit itaque mulier, et satiata oculos lavit, quos cum longa prius haberet ægritudine obumbratos, nova ex tunc sensit luce perfusos. Festinavit ad domum mulier, tam stupendum miraculum ad gloriam sancti Francisci denuncians universis. Concurrerunt undique multi ad miraculi famam, experientia magistra discentes mirabilem illius aquæ virtutem; dum ad ipsius contactum, confessione præmissa, a variis morborum cladibus plurimi liberabantur. Perseverat usque hodie fons ibi perspicuus, et in honore B. Francisci ibidem oratorium est constructum.

* *al.* silicem

Arbori arefactæ vigorem reddit: frugum pestes pellit: b

301 In Hispania apud S. Facundum *b* viri cujusdam cerasum arefactam ad virorem frondium, florum et fructuum contra spem mirabiliter revocavit. Incolas quoque terræ apud Vilesios *c* a vermium peste, corrodentium vineas circumquaque, miraculoso suffragio liberavit. Sacerdotis cujusdam juxta Palentiam *d* horreum quoddam, quod vermibus frumentariis repleri quolibet anno solitum erat, sibi fideliter commendatum penitus expurgavit. Terram quoque domini cujusdam de Petra mala in regno Apuliæ, sibi suppliciter commendatam, ab odiosa peste brutorum * penitus servavit indemnem: cum tamen in circuitu omnia essent prædicta pestilentia devorata.

AUCTORE S. BONAVENTURA.

* *al.* bruchorum

invocatus variis varia beneficia præstat,

302 Vir quidam, Martinus nomine, cum longe a castro suo boves minasset ad pascua, crus unius bovis casu quodam sic fuit desperate confractum, ut nihil esset sibi de remedio aliquo cogitandum. Dum autem pro decoriatione foret solicitus, et instrumentum, cum quo id faceret, non haberet, domum reversus, B. Francisco bovis curam reliquit, ipsumque fideli Sancti custodiæ fiducialiter commendavit, ne ante suum reditum devoraretur a lupis. Summo itaque mane ad bovem in silva relictum cum excoriatore reversus, pascentem ipsum ita reinvenit incolumem, quod nequaquam crus fractum ab altero discernebat. Gratias egit bono Pastori, qui diligentem de bove suo curam habuit, et medelam donavit. Succurrere novit humilis Sanctus omnibus invocantibus ipsum; nec quantumcumque parvas necessitates hominum dedignatur. Nam viro cuidam de Amiterno *e* jumentum restituit furto sublatum. Mulieri cuidam de Interduco *f* catinum novum, in multas partes casu divisum *g*, integre reparavit. Viro etiam cuidam de monte Ulmi *h* in Marchia, consolidavit vomerem in frusta confractum.

e
f
g
h

E

etiam octogenariæ lac ad lactandum infantem.

303 In Sabinensi *i* diœcesi vetula quædam octogenaria erat, cujus filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cum igitur anus paupercula plena esset inopia, et vacua lacte, nullaque esset mulier, quæ sitienti parvulo lactis stillicidum, juxta quod exigebat necessitas, erogaret; quo se verteret vetula, penitus ignorabat. Debilitato vero infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad beati patris Francisci auxilium implorandum, lacrymarum imbre perfusa, tota se mente convertit. Adfuit statim innocentis Amator ætatis; Ego, inquiens, sum Franciscus, o mulier, quem cum tantis lacrymis invocasti. Pone, ait, mammas tuas in ore puerili *k*; quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Implevit anus Sancti mandatum: et statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile Sancti donum, multis tam viris, quam mulieribus accelerantibus ad videndum. Et quia, quod testabantur oculi, lingua impugnare non poterat, excitabantur omnes ad laudandum Deum in Sancti sui virtute mirabili et amabili pietate.

i

k

F

Tertio apparens jubet puerum fœde contractum aqua cujusdam putei ablui; l

304 Apud Spoletum *l* vir et uxor, unicum habentes filium, quotidie illum velut hereditarium opprobrium deplorabant. Brachiis siquidem collo connexis, junctisque genibus pectori et pedibus natibus * alligatis, non hominis proles, sed monstrum quoddam potius videbatur. Vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitibus clamabat ad Christum, S. Francisci auxilium invocando, ut infelici sibi, et tali in opprobrio constitutæ succurrere dignaretur. Nocte igitur quadam, cum propter hujusmodi tristitiam tristis eam somnus arriperet, apparuit ei S. Franciscus, piis eam affatibus mulcens, insuper et suadens, quod ad locum propinquum, suo nomini dedicatum, deferret puerum, ut ex aqua putei loci illius in nomine Domini superfusus plenam reciperet sospitatem.

* *Vatic. male:* naribus

quod dum fit, puer omnino restituitur.

305 Negligente autem illa Sancti adimplere mandatum, secundo replicavit id ipsum. Tertio quoque apparens, mulierem cum puero usque ad januam dicti loci præambulo ducatu perduxit. Supervenientes autem nobiles quædam matronæ devotionis caussa ad prædictum locum, eis a muliere præfata diligenter exposita visione, una cum ipsa puerum fratribus præsentarunt; et haurientes aquam de puteo, earum nobilior propriis manibus lavit infantem. Statim puer, omnibus membris ad sua loca perductis, sanus apparuit, et magnitudo miraculi omnibus admirationem induxit.

306 Apud

AUCTORE S. BONAVENTURA.

Sui Ordinis novitium amentem et paralyticum invisens

306 Apud *m* Segusiam *n* juvenis quidam de Riparolio, Ubertinus * nomine, Ordinem Fratrum Minorum ingressus, novitiatus sui tempore horridi cujusdam perturbatione pavoris incurrit amentiam, totiusque dextræ partis paralysis morbo gravissimo auditum et linguam cum motu amisit et sensu. Cum autem sic miserabilis, non sine Fratrum multa mœstitia, per plures dies in lectulo decubasset, B. Francisci solemnitas supervenit; in cujus vigilia concesso sibi aliquo lucido intervallo, pium Patrem, licet voce informi, corde tamen fideli, prout poterat, invocabat. Hora vero matutinali, fratribus omnibus in ecclesia laudibus divinis intentis, ecce, beatus Pater, habitu fratrum indutus, in infirmariæ loco præfato novitio astitit, lumenque non modicum in habitaculo illo refulsit.

m n

**Ms.* Hubertinus

manuque contrectans, sanum ad ecclesiam mittit :

307 Et extensam manum super dextrum illius latus a capite ad usque pedes suaviter contingendo deducens, digitos in auriculas misit, quodamque in dextro humero impresso charactere, Hoc tibi, ait, signum erit, quod Deus per me, cujus exemplo ductus Religionem intrasti, plene te restituit sanitati. Chordaque illum succingens, quia sine chorda jacebat, dixit ad eum : Surgens, ecclesiam intra, ut laudes Deo debitas cum fratribus devotus exsolvas. Quibus dictis, cum puer ipsum manibus vellet contingere, et pedum ejus deosculari vestigia, ut B gratias ageret, ab ejus aspectu beatus Pater abscessit. Et juvenis, recuperata sanitate corporis cum rationis industria, vivacitate sensuum et loquela, ecclesiam ingressus cum multa fratrum et sæcularium admiratione, qui tunc aderant, et juvenem paralyticum viderant et amentem, laudibus divinis interfuit, et per ordinem narrato miraculo, multos ad Christi et beati Francisci devotionem accendit.

grave cruris malum, signo Thau consignans, tollit.

o

308 In castro Chore Ostiensis diœcesis *o* vir quidam sic crus ex toto perdiderat, ut nullo modo progredi vel movere se posset. Positus itaque in angustia vehementi, et auxilio desperatus humano, cœpit nocte quadam, ac si præsentem cerneret B. Franciscum, talem coram eo assumere materiam querulandi : Adjuva me, S. Francisce, recolens meum servitium et devotionem tibi impensam. Nam in asino meo te portavi, sanctos pedes tuos et sanctas manus tuas osculatus fui, semper tibi devotus, semper benevolus extiti : et ecce morior doloris hujus durissimo cruciatu. His pulsatus querelis

* *Vatic.* devotionis

statim adfuit beneficiorum memor et devotioni * gratus, et vigilanti viro cum uno fratre apparuit, ad C vocationem ejus se venisse dixit, et tulisse remedia sanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo parvulo, qui figuram Thau in se habebat : et fracto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem; et quod mirabilius est, sacrum signum Thau, impressum super locum sanati ulceris, ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc signo S. Franciscus suas consignabat litteras, quoties caritatis caussa scriptum aliquod dirigebat.

Observat auctor, Sanctum semper fuisse Crucis amatorem

309 Sed ecce, dum per diversa miracula gloriosi patris Francisci mens narrationis varietate distracta decurrit, promerente ipso crucis glorioso Signifero, in signum salutis Thau non sine divina directione pervenit; ut ex hoc possimus advertere, quod, sicut crux militanti post Christum fuit sublimitas meriti ad salutem, sic et triumphanti cum Christo facta est firmitas testimonii ad honorem. Hoc quippe crucis mysterium magnum et mirum, in quo charismata gratiarum, et merita virtutum, et thesauri sapientiæ et scientiæ tam alta profunditate velantur, ut a mundi sapientibus et prudentibus sit occultum *p*, tam plene fuit huic Christi Parvulo revelatum, ut omnis vita ipsius, non nisi Crucis vestigia sequeretur, non nisi Crucis dulcedinem saperet, non nisi Crucis gloriam prædicaret.

p

verumque crucifixi Domini imitatorem;

q

310 Vere namque in suæ conversionis principio dicere cum Apostolo potuit : « Mihi autem absit » gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi *q*. » Non minus etiam vere in conversationis progressu addere valuit : « Quicunque hanc regulam secuti D » fuerint, pax super illos et misericordia *r*. Veris- *r* » sime autem in consummatione potuit subin- » ferre : » Stigmata Domini « Jesu in corpore meo » porto *s*. » Sed et illud nos quotidie desideramus *s* ab ipso audire : « Gratia Domini nostri Jesu Christi » cum spiritu vestro, fratres, Amen *t*. » *t*

ideoque ipsi gratulatur.

311 Gloriare igitur jam secure in Crucis gloria, Christi Signifer gloriose, quoniam a cruce incipiens, secundum Crucis regulam processisti, et tandem in cruce perficiens, per Crucis testimonium, quantæ gloriæ sis in cælo, cunctis fidelibus innotescit *. Secure jam te sequantur, qui exeunt ex Ægypto; quia per baculum Crucis Christi mari diviso, deserta transibunt in repromissam viventium terram, Jordane mortalitatis transmisso, per ipsius Crucis mirandam potentiam ingressuri. Quo nos introducat verus populi ductor, et Salvator Jesus Christus crucifixus, per merita servi * Francisci. Ad laudem et gloriam unius Dei et trini, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen *u*.

* *Vatic.* innotescis

* *al. add.* sui

u

ANNOTATA.

a Valvensis diœcesis *tractus Italiæ est in regno Neapolitano in Aprutio Citeriori, ejusque episcopatus conjunctus est cum Sulmonensi.* E

b *Fanum* S. Facundi, *incolis* Sahagun, *oppidum et monasterium Hispaniæ est in regno Legionensi.*

c *In Ms. codice* Villesios, *qui neutro vocabulo noti mihi sunt.*

d Palencia *Hispanis, Latinis* Palancia, *episcopalis civitas Hispaniæ est in regno Legionensi.*

e Amiternum, *quod alii Sabinis, alii Vestinis attribuerunt, urbs dudum excisa regni Neapolitani est in Aprutio Ulteriori prope vicum S. Victorini. Surius male habet :* Amitri.

f Interducus, *alias* Interdicus, *regni Neapolitani in Aprutio Ulteriori oppidum est ad Velinum fluvium.*

g *Surius habet :* In multas partes casum.

h *Surius legit :* De monte Ulini; *at perperam : nam* Mons Ulmus, *Italis* Monte dell'Olmo, *oppidulum vel vicus Marchiæ Anconitanæ est ad fluvium* Ufentem, *vulgo* Chienti.

i Sabina *provincia Italiæ est ditionis Pontificiæ. Illius episcopus, unus e S. R. E. Cardinalibus, sedem suam habet Malliani seu Magliani, quod præcipuum hodiernæ Sabinæ oppidum est prope Tiberim.*

k *Editio Vaticana :* Pueruli; *Ms. :* Puerculi.

l Spoletum, *Spoletani ducatus olim caput, episcopalis civitas Umbriæ est in ditione Ecclesiæ.*

m *Quæ hoc et toto sequenti numero recitantur, desiderantur in editionibus Vaticana et Surii : leguntur tamen etiam in codice nostro et apud Waddingum ad annum* 1228, *num.* 75. F

n Segusia *vel* Segusium, *vulgo* Susa, *Italiæ urbs est in Pedemontio, marchionatus cognominis caput, sub dominio ducis Sabaudiæ*

o Ostia, *olim urbs Latii ad ostia Tiberis in ora maris Tyrrheni, quæ nunc in ruinis jacet, antiquum episcopatum habet, Veliternensi conjunctum, cujus episcopus semper est decanus Collegii S. R. E. Cardinalium.*

p *Vaticana editio :* sit occulta; *Surius :* sint occulta.

q *In Epistola ad Galatas cap.* 6, ℣ 14.

r *Ibid.* ℣ 16.

s *Ibid.* ℣ 17.

t *Ibid.* ℣ *eodem.*

u *In codice nostro Ms. Subditur :* Expliciunt miracula post transitum beati Francisci ostensa.

A

APPENDIX
AD
GLORIAM POSTHUMAM.

§ I. Sancti festum natale aliquando cum cessatione a servilibus observatum: ejusdem festi Officia ecclesiastica.

Natales S. Francisci festum a Gregorio IX institutum,

Cum propositum meum fuerit quatuor antiquissimas S. Francisci *Vitas in Commentario prævio percurrere, oportuit ibidem etiam multa de ejusdem gloria posthuma recensere; solennem scilicet canonizationem et corporis translationem, quarum prima in omnibus quatuor, altera etiam in tribus ultimis memoratur. Nunc pauca alia ad hoc argumentum spectantia tractanda sunt; non omnia; quippe quæ multo plura esse agnosco, quam ut singula assequi possim, aut referre, nisi Commentarii mei modum quam longissime excedam. Itaque nec cetera miracula, quæ ipsius patrocinio innumera impetrata fuere, nec varias congregationes Religiosas, quæ illius Regula varie utuntur, nec sacra sodalitia ad ejusdem honorem et gloriam instituta, nec cetera id genus pietatis officia memorabo, quibus omnibus* B *referendis unum minime sufficeret volumen. Ordior a Sancti festo et Officio ecclesiastico. In Commentario prævio* § 30 *recitavi Apostolicas litteras Gregorii IX Papæ, datas Perusii* 14 *Calendas Augusti anno* 1228, *quibus ille omnibus Ecclesiæ prælatis significavit, relatum a se inter sanctos confessores* Franciscum, *annuumque ejusdem festum indixit his verbis:* Ipsum ascribi decrevimus Sanctorum catalogo venerandum; statuentes, ut IV Nonas Octobris... ab universali Ecclesia natalitia ejus devote ac sollenniter celebrentur. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et exhortamur in Domino per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die prædicto in commemoratione ipsius divinis laudibus alacriter insistentes, ejusdem patrocinia humiliter imploretis *etc.*

omnibus fidelibus commendatum,

2 *Ibidem etiam memini de aliis ejusdem Pontificis litteris ad episcopos Galliarum, aliisque ejusdem argumenti ad universos Ecclesiæ præsules scriptis, in quibus tomo I novissimi Bullarii Franciscani pag.* 49 *sic loquitur:* Universitatem vestram rogamus, monemus, et attentius hortamur, per Apostolica scripta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem ipsius salubriter excitantes, festivitatem ejus quarto Nonas Octobris annis singulis solemniter celebretis, et pronuncietis
C constituto die similiter celebrandam. *Nulla in his litteris expressa fit mentio de festo illo sub præcepto cum cessatione a servili opere celebrando. Verumtamen S. Bonaventuræ tempore, saltem aliquot in locis, sic celebratum fuisse, docet ipse in Vita, cap.* 16, § 9, *cui titulum fecit:* De non observantibus festum, et non honorantibus Sanctum. *Nam ibi num.* 294 *et duobus sequentibus refert aliquot exempla divinæ vindictæ in eos, qui festum illud servili opere profanare tentaverant. Manifesta res est, nisi quis suspicari malit, ea ad S. Bonaventuræ Opusculum postmodum adjecta fuisse.*

ac deinde a Sixto IV ob rationes,

3 *Utut hæc se habeant, certe Sixtus IV ex Ordine Minorum Conventualium ad Cardinalitiam dignitatem ac deinde ad summum Ecclesiæ apicem evectus, festum* S. Francisci *sub præcepto et cum vacatione a servilibus operibus per universam Ecclesiam quotannis celebrandum decrevit; utque id pie præstarent, fideles concessis indulgentiis excitavit. Hujus rei litteræ, ab eo datæ* Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXII, quinto Nonas Octobris, *exstant apud Laertium Cherubinum tom. I Bullarii Romani pag.* 333, *et apud Waddingum in Annalibus ad eumdem annum; sed hic* VI Nonas Octobris *signatæ sunt. Rationes, quibus se ad eam constitutionem edendam impulsum fuisse ait, ibidem post insigne* S. Francisci *ejusdemque Ordinis elogium exponit verbis, quæ huc transfero.*

Octobris Tomus II.

AUCTORE C. S. *quæ hic memorantur,*

4 Cupientes, prout operis et officii nostri debitum esse, conspicimus, propter miræ sanctitatis excellentiam, virtutum suarum cumulum, exigentiam meritorum et hanc Religionem sanctam,... quantum nobis ex alto conceditur, venerationem congruam et honorem adjicere, ac tanto Confessori glorioso pro summis in nos beneficiis, præsertim ab ipsis cunabulis, cum vitalis spiritus in nostro corpusculo palpitans extingui protinus videretur, ipsius protinus meritis et intercessione pristinæ restituti fuimus sanitati; cum et aliis gratiarum donis et futurorum præsagiis, quæ cordi nostro insident, et memoria jugiter retinemus; tum quia diversis temporibus aliis in variis nostri corporis morbis et humanis casibus constituti, præsidio ipsius B. Francisci, qui nos ad sacram Religionem prædictam, quasi data manu, pro sua pietate vocavit, et ad hunc usque diem cum hominis utriusque salute, Domino annuente, perduxit, adjuti et liberati exstitimus.

cum cessatione a servilibus præceptum fuit;

3 Pro cujus memoria ejus habitum et insignia ad extremum usque diem corde jugiter gestare statuimus, etiam pro his acceptis beneficiis possibilem nobis gratitudinem aliquam, suæ quamvis excellentiæ imparem, pro ejus gloria et honore, animarumque salute, sincero et hilari animo exhibere, nec non ipsius festivitatis diem celebrem magisque E devotum et cunctis fidelibus acceptabilem constituere in futurum. De omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, universis et singulis utriusque sexus fidelibus, ubilibet constitutis, vere pœnitentibus et confessis, qui ejusdem gloriosi confessoris Francisci festivitatem hanc, quam deinceps perpetuis futuris temporibus celebrem esse, et ut festum duplex a cunctis Christianis celebrari, ab omnique opere servili abstineri, et sub observantia et præcepto comprehendi, volumus, et tenore præsentium declaramus, devote celebrantibus annuatim quinquaginta annos et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxamus.

sed usu non receptum, et a Gregorio XV restitutum,

6 *Hæc tamen Sixti IV constitutio aut non ubique exsecutioni data fuit, aut certe non admodum diu post per non usum robur suum amisit. Ita colligo ex Benedicto XIV, qui in præclaro suo Opere de servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione lib.* IV, *parte* 2, *cap.* 16, *num.* 21 *ex Silvestri Prieratis Summa, ad vocem* Dominica *hæc recitat:* Festum autem beati Francisci, quod forte Sixtus IV sub præcepto posuerit, tamen modo nullus servare tenetur; quia illa constitutio non fuit moribus utentium approbata. *Floruit laudatus Silvester, vir celebris Ordinis Prædicatorum, sæculis* XV *et* XVI, F *cujus posterioris anno* 25 *magister sacri palatii obiisse dicitur apud Echardum in Bibliotheca scriptorum ejusdem Ordinis; quo proinde tempore jam cessaverat præceptum de* S. Francisci *festo celebrando. Eodem summo Pontifice Benedicto XIV ibidem num.* 16 *teste, Gregorius XV prædictam Sixti IV constitutionem confirmavit seu renovavit, quod, eodem annuente, a sacra Rituum Congregatione anno* 1622, *die* 3 *Januarii factum esse, scribit Bartholomæus Gavantus in Thesauro sacrorum Rituum, per Caietanum Meratium aucto, tom. II, parte* 1, *pag.* 341, *asserens. decretum originale a se visum esse, Romæque publicatum. Quam ob rem etiam subdit:* Æquum est igitur, ut deinceps ubique gentium observetur.

ab Urbano VIII abrogatum fuit.

7 *Ita de suo, dum scribebat, tempore Gavantus; at quanto tempore ista Gregorii constitutio viguerit, non habeo exploratum. Certe Caietanus Meratius recitata Gavanti verba sic excipit:* Gavanti ævo hoc festum erat utique de præcepto observandum; sed posterius fuit hoc festum abrogatum ab Urbano VIII, ut patet ex ejus constitutione, edita Idibus Septembris anno MDCXLII, quæ incipit: UNIVERSA PER ORBEM; et in qua recensentur omnia festa de præcepto, ubique servanda, nullam faciendo mentionem de hoc festo S. Francisci, unde patet, hoc festum fuisse tunc abrogatum. *Ita Meratius,*

AUCTORE C. S.

cui consonans Benedictus XIV loco citato, num. 16 *ait:* Dies quoque S. Francisci inter festos a Sixto IV fuit adnumeratus, confirmatusque a Gregorio XV; nihilominus satis exploratum est, nullum horum festorum dierum (*quos præmiserat*) in Indice describi, qui in constitutione Urbani VIII referuntur. Quam ob rem P. Lantusca in Theatro Regularium pag. 281 de festo S. Francisci sermonem habens, ita scripsit: « Sciendum tamen est, quod per con- » stitutionem Urbani VIII incipien. UNIVERSA, » XIII Septembris MDCXLII hoc festum non fuit am- » plius connumeratum inter festa de præcepto; sed » tantum de devotione. » *Exstat laudata Urbani VIII constitutio in Bullario Romano Cherubini tom. V, pag.* 410 *et sequenti*

Vetus ac novum ipsius in Ecclesia, et in ordine Minorum peculiare,

8 *Pro variis quoque temporibus varium fuit* S. Francisci *etiam in Romano Breviario Officium. Unum hic proferam, anno* 1522 *typis Venetis per Lucam Antonium de Giunta excusum, in quo ad diem* 4 *Octobris Officium de illo cum sua vigilia prævia præscribitur, quod omnia habet propria, uti et novem Lectiones, ex ejusdem Vita concinnatas, præmittiturque sequens annotatio:* Nota, quod festum sancti Francisci a Fratribus Minoribus et devotis Ordinis fit sub majori duplici cum Octava, infra quam occurrentia festa transferuntur, et fit de
B S. Francisco. Et dicitur infra Octavam Officium de nostra Domina. Et dies octavus est duplex minus. Alii vero Romanum usum tenentes in primo die festum agunt, et non de Octava; sicut et de aliis Sanctis Ordinis primum diem debent facere, sed non de Octava eorumdem. *Consequenter ad hæc pro iis, qui ad Minorum Ordinem non pertinent, post* S. Francisci, *quale dixi, Officium sequuntur occurrentia Officia Sanctorum; Minores vero pro tota illa Octava remittuntur ad Officia Extravagantia, ad calcem ejusdem Breviarii edita. Mitto plura, solumque observo, S. Pium V ex decreto concilii Tridentini Breviarium Romanum reformasse, ab eoque tempore mutatum quoque fuisse* S. Francisci *Officium, quale hodieque legimus ritu duplici die* 4 *Octobris. At Fratres Minores vetus istud Officium pergunt recitare, cum eo discrimine, quod ex recepto in Romana Ecclesia more non nisi secundi Nocturni lectiones ex ejusdem Sancti gestis habeant, atque infra Octavam occurentia Sanctorum Officia duplicia ac semiduplicia celebrent.*

Officium, in quo Gregorius IX Papa,

9 *Visum tamen mihi est ex Waddingo hic commemorare, quos quantosque viros variæ veteris istius Officii partes habuerint autores. S. Bonaventura in Vita* S. Francisci *secundum meam partitionem num.* 200 *loquens de oculatis testibus sacrorum*
C *Stigmatum, hæc ait:* Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum Viro sancto habebant, aliqui Cardinales, laudes sacrorum stigmatum prosis et hymnis et antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem, veraciter inserentes, qui tam verbo, quam scripto, perhibuerunt testimonium veritati. *Ita sanctus doctor; sed quos ille non nominavit, recensuit Waddingus ad annum* 1228, *num.* 78, *ex quo sequentia accipe.* Non solum sacris his ritibus (*solemni canonizatione*) Pontifex (*Gregorius IX*) sancti Viri nomen extulit, verumet compositis a se hymnis et rhythmis ecclesiasticis condecoravit. Illius opus sunt hymnus: PROLES DE COELO PRODIIT, qui canitur in primis Vesperis diei festi; et prosa illa olim solemnis: CAPUT DRACONIS; nec non illæ antiphonæ: SANCTE FRANCISCE, PROPERA, VENI, PATER ACCELERA; et quæ recitantur, defuncto generali Ministro: PLANGE, TURBA PAUPERCULA.

aliquot S. R. E. Cardinales

10 Pontificis pietatem imitati sunt plurimi ex Cardinalibus aliisque prælatis. Responsorium illud octavum Officii, DE PAUPERTATIS HORREO, fecit Otho Candidus, seu Blancus de Alerano, ex marchionibus Montisferrati, diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano a Gregorio IX creatus. Hymnum Nocturni: IN COELESTI COLLEGIO, atque alium in secundis Vesperis: DECUS MORUM. DUX MINORUM; antiquam prosam, quæ incipit: LÆTABUNDUS; responsorium septimum: CARNIS SPICAM, et antiphonam SALVE, SANCTE PARENS, PATRIÆ LUX, edidit Thomas D Capuanus, Cardinalis presbyter titulo S. Sabinæ ab Innocentio III creatus, quem maxime in scribendo carmine et prosa oratione valuisse, atque aliquas antiphonas ecclesiasticas composuisse, commemorat Ciacconius. Rainerus Cappaccius Viterbiensis, Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin, quem supra diximus (*Vide etiam Vitam primam per Thomam Celanensem num.* 123) in sancti Viri canonizatione orationem habuisse de gloria miraculorum, cecinit hymnum: PLAUDE, TURBA PAUPERCULA; qui cantatur in Laudibus. Stephanus de Casamora, quibusdam de Fossa nova, Romanus, diaconus Cardinalis sancti Angeli ab Innocentio III creatus, postea Ecclesiæ camerarius, cujus nepotem, equo lapsum et mortuum, coram eo et aliis Cardinalibus S. Dominicus ad vitam revocavit, author est illius antiphonæ, quæ quotidie canitur: CÆLORUM CANDOR SPLENDUIT. Ita ut plurima pars Officii, quod Minoritæ in festo sui Institutoris recitant, opus sit hujus Pontificis (*Gregorii IX*) et prænominatorum Cardinalium.

et S. Bonaventura suam partem habent; Præfatio Missæ a B. Joanne de alverna facta; E

11 Apte hic addam, a quibus cæteræ ejusdem Officii partes superadditæ. S. Bonaventura, suasu cujusdam episcopi Galli, et quorumdam patrum ipsius Religionis, MINOREM, quam vocant, concinnavit LEGENDAM, quam per Lectiones postea distribuit in die festi et per Octavam, ei reliquum Officium composuit, ut præ cæteris scribit Octavianus Sinuessanus; licet Marianus et Annales Saxonici Mss. asserant, totum Officium præter historiam, tam in littera quam in cantu, ut supra diximus, ordinasse sub ejusdem Bonaventuræ generalatu, ejusque assensu, fratrem Julianum Theutonicum, virum in Ordine eruditum et ante egressum in eundem primum præcentorem in aula regis Gallorum. Missæ Præfationem, incipientem: QUI VENERANDUM CONFESSOREM, instituit sanctus vir Joannes de Alverna... Sequentiam illam olim celebrem, quæ nunc excidit: SANCTITATIS NOVA SIGNA, cecinit frater Thomas de Celano, *is ipse, (opinor) qui primam* S. Francisci *Vitam composuit. Atque hæc ex eruditi Waddingi fide retuli, quia non habeo, quod in alterutram partem observem.*

Recitatur ex Mss. Assisiensibus

12 *Quam tamen excidisse, credidit idem Annalista, Sequentiam habeo dono RR. PP. Conventualium Romanorum, qui eam ex duobus codicibus Mss. membraneis archivi sacri eorum conventus Assisiensis describi, et a notario publico conferri curarunt, et ego, ne eam lector desideret, hic subjicio cum suis mendis grammaticalibus, (quæ tamen fortasse non auctori, sed codicis scriptori, tribuenda sunt) et cum titulo, quem sibi præfixum habet.*

Sequentia fratris Thome a Celano de beato Fran- F cisco.

Sanctitatis nova signa
Prodierunt laude digna,
Mira valde et benigna
In Francisco credita.
Regulatis novi gregis
Jura dantur nove Legis,
Renovantur jussa Regis,
Per Franciscum tradita.
Novus Ordo, nova vita
Mundo surgit inaudita,
Restauravit lex sancita
Statum Evangelicum.
Legis Christi paris forme
Reformatur jus conforme,
Tenet ritus date norme
Culmen Apostolicum.
Corda rudis, vestis dura
Cingit, tegit, sine cura
Panis datur in mensura,
Calceus abicitur.

vetus Thoma Celanensis Sequentia

13 Paupertatem tantum querit,
De terrenis nichil gerit,
Hic Franciscus cuncta terit,
Loculus despicitur.
Querit loca lacrimarum,
Promit voces cor amarum,

Gemit

A Gemit mestus tempus carum
Perditum in seculo.
Montis antro sequestratus,
Plorat, orat humi stratus,
Tandem mente serenatus
Latitat ergastulo.
Ibi vacat rupe tectus,
Ad divina sursum vectus,
Spernit yma judex rectus,
Eligit celestia.
Carnem frenat sub censura
Transformatam in figura,
Cibum capit de Scriptura,
Abigit terrestria.
Tunc ab alto vir ierarcha,
Venit ecce Rex monarcha,
Paret iste Patriarcha
Visione territus.
Defert ille signa Christi,
Cicatrices confert isti,
Dum miratur corde tristi
Passionem tacitus.
Sacrum corpus consignatur,
Manu, pede, vulneratur,
Dextrum latus perforatur,
B Cruentatur sanguine.

de S. Francisco olim usitata.

14 Verba miscent archanorum,
Multa clarent futurorum,
Vide Sanctus vim dictorum,
Mistico spiramine.
Patent statim miri clavi,
Foris nigri, intus flavi,
Pungit dolor pena gravi,
Cruciant aculei.
Cessat artis armatura
In membrorum apertura,
Non impressit hos natura,
Non tortura mallei.
Signis crucis que portasti,
Per que mundum triumphasti,
Carnem hostem superasti
Inclita victoria;
Nos, Francisce, tueamur,
In adversis protegamur,
Ut mercede perfruamur
In celesti gloria.
Pater pie, Pater sancte,
Plebs devota, te juvante,
Turba fratrum comitante,
Mercatur premia.
Fac consortes supernorum,
Quos informas vita morum,
C Consequatur grex Minorum
Sempiterna gaudia. Amen.

§ II. Alia de aliis ejusdem Sancti festivitatibus Officia Ecclesiastica, et earumdem in Martyrologiis memoria.

Sacrorum stigmatum festum annuum

Præter annuum S. Francisci *Officium natale, celebratur et aliud de sacris illius stigmatibus ad diem 17 Septembris, non solum in Ordine Minorum, verum etiam, diverso tamen ritu, in universa ecclesia. Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum dicto die Septembris de ejusdem festi institutione sic loquitur :* Porro rem adeo admirabilem (*impressionem sacrorum stigmatum*) ac tantopere testatam Benedictus Papa XI anniversaria solemnitate duplici Officio ecclesiastico voluit celebrari; quam, nescio, quomodo, lapsam, in Martyrologio Romano hac die recenseri, hocque loco poni, sanctissimus D. N. Sixtus Papa quintus, tanti Patris alumnus, mandavit. *Gavantus in Thesauro sacrorum rituum per Meratium aucto tom. II, part. 1, sect. 7, cap. 11, num. 17 monet, hanc Benedicti XI concessionem ad solum Ordinem Minorum referendam esse; uti etiam habet Marcus Ulyssiponensis part. 1 Chronicorum, cap. 59. Waddingus de eadem concessione meminit ad annum 1304 num. 14, ubi illam laudato Benedicto XI pariter attribuit. At deinde ad annum 1337 num. 4 mavult suspicari, Benedictum, hujus Officii institutorem, fuisse illum, qui* duodecimus *vocatur; sed hoc loco forte* undecimum *dici, quia qui* decimus *passim appellatur, pseudopontifex fuit. Audiamus ipsum hac super re disserentem.*

AUCTORE C. S.

16 *Ad annum, ut dixi, 1337 num. 4 hæc ait :* In hoc capitulo (*Cadurcensi in Aquitania eodem anno celebrato*) conspirant nostri authores, decretum fuisse, ut per Ordinem universum anniversaria solemnitate celebrarentur stigmata S. Francisci, datamque curam Ministro generali (*Gerardo Odonis*) Officium concinnandi, idque ipsum esse, quod nunc universi recitant Minoritæ. Scrupulum hæc mihi movent, quod, si nunc primum instituta est per universum Ordinem hæc festivitas, neque antea extabat hujus mysterii Officium; quomodo constabit, quod ex aliis authoribus alias (*ad annum 1304, num. 14*) diximus, institutum hoc festum pro universis Minoritis a Benedicto XI, qui Clementem V præcessit? Nisi forte in Pontificum recensu sit ambiguitas, et, quem communiter appellamus DUODECIMUM, cujus Pontificatus acta nunc percurrimus, vocandus veniat veriori calculo UNDECIMUS, atque ab hoc confirmatum et commendatum sit, quod Patres prius decreverunt in comitiis. E Qua ratione recte affirmabitur, eum hoc festum instituisse.

a Benedicto XI Franciscanis concessum

17 Vel fortassis minus probabiliter dicetur, toto hoc tempore a Benedicti XI Pontificatu (*id est, ab anno* 1304) usque ad huc annum (1337) elapso neglexisse universum sodalitium honorificum Pontificis indultum, et sui Institutoris laudes contempsisse; vel, quod mitius est excusationis genus, lente et gradatim in singulis provinciis introductum ex Pontificis indulto, absque proprio tamen Officio; hoc vero anno communi omnium suffragio præceptum, ut generali omnium cultu hæc festivitas celebraretur et proprio commendaretur Officio. Ita tamen objectæ rationis vim eludi potius, quam solvi posse, puto; atque ita probabilius huic Benedicto (*XII*) quam illi, qui Clementem (*quintum*) præcessit, hujus festi originem vel confirmationem tribui debere. *Hactenus eruditus Minorum Annalista, candide sane festum illud in Ordine suo triginta et tribus annis recentius existimans, quam alii tradiderunt. At Antonius Pagius, ejusdem* S. Francisci *Ordinis Minorum Conventualium tom. IV Breviarii Romanorum Pontificum in Benedicto XII, num. 21 probat, memoratum festum in Ordine Minorum antiquius esse, Pontificatu Benedicti XII, et apparentem scriptorum discrepantiam apprime conciliat.*

probatur ante Pontificatum Benedicti XII;

F

18 *Primum probat ex ætate Francisci de Mayronis, celebris doctoris Ordinis Minorum, qui licet, ipsomet agnoscente Waddingo, ante Pontificatum Benedicti XII obierit, sermonem tamen composuit de festo sacrorum stigmatum* S. Francisci, *quod proinde jam tum celebrabatur. Sermonem hunc Pagius exstare asserit inter alios ob eodem Mayronio compositos, annoque 1493 typis Venetis excusos. Porro ad tollendam difficultatem ex decreto capituli generalis Cadurcensis anni 1337 a Waddingo objectam, censet Pagius, festum illud a Benedicto XI universo Ordini Minorum concessum solum fuisse sine proprio Officio et cum ritu tantum semiduplici, eoque modo deinceps celebratum; sed in prædicto capitulo Cadurcensi decretum a Patribus fuisse, ut proprium de illo Officium concinnaretur, eamque curam Gerardo Odonis, generali Ministro demandatam; quod cum ab illo præstitum esset, tandem anno 1340 in capitulo Assisiensi admissum, statutumque, ut illud imposterum cum ritu duplici per universum Ordinem quotannis recitaretur. Hunc in finem allegat Acta ejusdem generalis capituli Assisiensis, quæ Waddingus periisse, credidit; ipse vero se habere ait in parvo codice Ms. ejus temporis, ex eoque recitat sequentia.*

sed Officium proprium ex decreto capituli Cadurcensis anni 1337 compositum

19 In nomine Domini amen. Hæc sunt Acta generalis

AUCTORE C. S. *in Assisiensi anni 1340 per totum Ordinem præceptum fuit.*

neralis capituli Assisii celebrati anno Domini M° III° XL. in Pentecoste... Item ordinatum fuit, quod Officium, quod edidit reverendus pater Generalis (*qui tunc erat laudatus Gerardus Odonis*) de stigmatibus sacris, habeatur et fiat in toto Ordine; et legantur Lectiones Legendæ fratris Bonaventuræ capitulo de stigmatibus sacris; et fiat Officium duplex die XVII Septembris. *Ego Pagio assentior, si exceperis, quod ait de Officii a Benedicto XI concessi* ritu semiduplici, *pro quo asserendo fortasse aliam rationem non habuit allegandam, quam quod novum Officium sub* ritu duplici *præceptum dicatur in comitiis Assisiensibus anni 1340 : quod sane argumentum nihil prorsus probat; cum idem ritus, qui ad eum usque annum in usu fuerat, confirmari tunc potuerit, et cum novo Officio proprio denuo præscribi. Hoc itaque mihi in dubio est, maxime cum Cardinalis Baronius et Gavantus supra laudati, Officium illud a prima sui institutione Benedicti XI ritus duplicis fuisse, affirment. Gavantus etiam laudat Marcum Ulyssiponensem parte* 1 *Chronicorum, cap.* 59; *verum in editione Lusitanica anni* 1613, *quam habeo, dicitur quidem Officium sacrorum stigmatum a Benedicto XI Ordini Minorum concessum fuisse, sed ritus non additur.*

B *De eodem Officium Paulus V universæ Ecclesiæ permisit;*

20 *Quod ad Romanum Breviarium attinet, eadem festivitas ad eumdem diem* 17 *Septembris ei inserta est, recoliturque Officio et Missa propriis cum ritu semiduplici, mandante Paulo V Pontifice Maximo, qui eam,* ut corda fidelium in Christi crucifixi accenderentur amorem, ad universam Ecclesiam propagavit, *uti legitur in hodierno Breviario Romano lectione* VI. *Waddingo ad annum* 1224, *num.* 20, *teste, factum id est,* devote intercedente Philippo III Hispaniarum rege Catholico, negotiumque promoventibus illustrissimo domino Gabriele de Treio, S. R. E. Cardinali, et reverendissimo patre Antonio a Treio, Ordinis supremo rectore, modo (*inquit*) episcopo Carthaginensi, ejusdem Cardinalis fratre germano, adscribentibus cæteris sacrorum rituum præfectis Cardinalibus. *De hujus Officii institutione sic meminit Gavantus alias laudatus pag.* 536. Deinde vero concessit Paulus V, celebrari posse ad libitum cleri, duplici quidem Officio in Religione S. Francisci; extra eamdem semiduplici, ut patet ex prima editione Romana, et decreto S. R. C. die XXVIII Augusti MDCXV, et rursus die 2 Octobris

C MDCXXVII.

at Clemens IX præcepit. Aliud Translationis in Ordine Minorum.

21 *Primam editionem illam Romanam non habeo; sed in aliquot editionibus, Pontificatu Pauli V posterioribus, quæ in Museo nostro exstant, etiam Officium hoc legitur inter recitanda ad libitum cum ritu semiduplici; primaque earum, quas habemus, in qua inter præcepta legitur, est anni* 1673. *Gavanto teste, Clemens IX, qui ab anno* 1667 *usque ad* 1669 *Ecclesiæ Dei Pontifex præfuit, id præcepit, eodemque ritu hodiedum in Breviario Romano ac Missali dicto die* 17 *Septembris recolitur. Tertium ejusdem Sancti festum, quod translationis sacri corporis est, solemniter factæ anno* 1230 *ex ecclesia Assisiensi S. Georgii, ubi quadriennio ante fuerat tumulatum, ad magnificam basilicam ipsius nomine dicatam, in qua hactenus quiescit, celebratur in Ordine Minorum cum ritu duplici majori die* 25 *Maji, Officio ex festo natali fere deprompto, cum Lectionibus secundi Nocturni propriis, in quibus, miror, nullam fieri tam celebris translationis mentionem.*

Sancti natalem unus codex Ms. die 3, *alia Martyrologia*

22 *Ceterum* S. Francisci *frequens memoria est in Martyrologiis. Ut a festo illius natali ordiar; inter Auctaria Martyrologii Usuardini, a Sollerio nostro edita, unicus est codex serenissimæ Reginæ Sueciæ, signatus num.* 428, *qui illud annuntiat die* 3 *Octobris, quo Sanctum ipsum ex communiori Europæo computandi more obiisse, probavi in Commentario Vitis prævio* § 29. *Verba codicis habe.* Item ipso die, sancti Francisci confessoris. *Ad diem vero* 4 *ejusdem mensis Octobris, quo ille ex Italico dies computandi modo excessit e vivis, et cui festum ejus natalitium a Gregorio IX summo Pontifice affixum est, Florarium Ms. Sanctorum, anno* 1486 *perfectum, cum prolixo elogio ex Actis concinnato, multaque Usuardina aucta exemplaria, inedita editaque, alia aliis fusius, annuntiant. In Romano Baronii, et quo nunc utimur, hodie breviter legitur :* Assisii in Umbria natalis sancti Francisci confessoris, fundatoris Ordinis Minorum, cujus Vitam sanctitate ac miraculis plenam sanctus Bonaventura conscripsit.

D

die 4 *Octobris, quo colitur, annuntiant;*

23 *In Martyrologio Trium Ordinum* S. Francisci *primo ad diem* 3 *Octobris dicitur :* Vigilia sancti patris nostri Francisci; *ac mox postridie :* Assisii in Umbria, natalis sancti patris nostri Francisci, Trium Ordinum fundatoris, cujus Vitam sanctitate ac miraculis plenam sanctus Bonaventura, episcopus Cardinalis, ac ejusdem instituti alumnus, fideliter conscripsit; quem Gregorius nonus, Pontifex Maximus, in Sanctorum numerum retulit. *Similiter in Martyrologio Seraphici Ordinis ad* 3 *Octobris :* Vigilia Seraphici patriarchæ, sancti Francisci; *et ad* 4 : Assisii in Umbria, natalis Seraphici patriarchæ, sancti Francisci, Levitæ et confessoris, trium Ordinum inclyti fundatoris, cujus Vitam sanctitate ac miraculis plenam sanctus Bonaventura, Ecclesiæ doctor, conscripsit; quem Gregorius nonus, Pontifex Maximus, in Sanctorum numerum retulit. *Simillima habet Martyrologium Minorum Capuccinorum, quod, ut duo præmissa, cum aliis Martyrologiis monasticis novissimæ editioni Romani, a Benedicto XIV Papa aucti castigatique, subnexum est.*

E

memoriam stigmatum aliqua die 16 *Septembris,*

24 *In die commemorationis sacrorum stigmatum signando magis dissonant Martyrologia; nam ex codicibus Usuardinis apud Sollerium illam ad diem* 16 *Septembris referunt codices Albergensis, Ultrajectensis, Leydensis, Bruxellensis et editio Lubeco-Coloniensis. Illorum primus sic habet :* Item festum beatorum stigmatum beati Francisci : *duo proxime sequentes prolixius inquiunt :* Festivitas sacrorum stigmatum. Hiis siquidem almus ille confessor Christi Franciscus biennio antequam spiritum cælo redderet, post prædicationis suæ cursum, caritatis excessum, paupertatis titulum, ad aspectum Seraphin crucifixi, veluti Seraphicis agebatur desideriis, insignitus est corporaliter in manibus et pedibus et latere dextro, non humanitus, sed digitis Dei vivi descriptus*. *In Bruxellensi solum breviter habetur :* Eodem die, receptio sacrorum stigmatum beati Francisci; *in editione autem Lubeco-Coloniensi :* In montibus Alvernæ, receptio sanctorum stigmatum sancti Francisci confessoris, primi Ordinis Minorum. *Hactenus de codicibus, in quibus memorata stigmatum festivitas ad diem* 16 *Septembris consignata est.*

* an descriptis ?

F

alia die 17 *ejusdem mensis, quo illa*

25 *Ad diem* 17 *ejusdem mensis nullus ejusmodi codicum Usuardinorum, quos Sollerius collegit, sed solæ editiones Belini, Greveni ac Molani, quarum prima est anni* 1498, *eamdem annuntiant. Verumtamen, diem hunc etiam antiquitus* S. Francisci *stigmatum memoriæ sacrum fuisse, manifestum est tum ex Actis capituli generalis anno* 1340 *Assisii celebrati, quæ num.* 19 *laudavi, tum ex vetustis Breviariis sæculi* XV, *quæ in Museo nostro habemus. Prædictis editionibus Usuardinis vetustius quoque est nostrum Ms. Florarium Sanctorum, utpote anno* 1486, *ut dixi, completum, in quo ad diem* 17 *Septembris hæc legere est :* Item receptio sacrorum stigmatum beati Francisci confessoris. Ihesus Christus, Dei Filius, dilecto suo Francisco, viro beato, per umbrationem apparens, in memoriam Dominicæ passionis sui sanctissimi corporis stigmata consimilibus pandentibus membris in beati Francisci corpus impressit anno Salutis MCCXXIIII.

et olim celebrata fuit, et celebratur hodiedum.

26 *Waddingus ad annum* 1224, *num.* 20 *pro eodem* 17 *die laudat etiam aliud Martyrologium Romanum vetustum Ms., aliudque anno* 1509 *typis excusum, uti et Maurolycum et Galesinium. Denique, ut supra diximus, ejusdem festivitatis memoria Romano Martyrologio olim inscripta, lapsu temporis exciderat, sed a Sixto V ad eumdem diem restituta fuit, et penultimo loco reposita. Verba, quæ Sixtus V ipsemet suppeditavit, dictoque loco inseri jussit, at nunc*

A *nunc temporis, quia eadem festivitas annuo Officio semiduplici præcepto in Romana Ecclesia colitur, primo loco hæc, sunt :* Commemoratio sacrorum stigmatum, quibus sanctus Franciscus, Ordinis Minorum institutor, in suis manibus, pedibus et latere, mira Dei gratia, in monte Alvernæ in Etruria impressus fuit. *De dissensu scriptorum in figendo die, quo eadem stigmata* S. Francisco *divinitus collata fuere, consule dicta in Commentario prævio num.* 590 *et sequenti.*

Illius corporis Translatio die 25 Maji,

27 *Rursum altera* S. Francisci *festivitas, videlicet corporis translatio in variis Martyrologiis signatur ad diem* 25 *Maji, quo die anni* 1230 *constat, eam magna cum pompa peractam fuisse. De hac Florarium nostrum Ms. sic breviter meminit :* Apud Assisium translatio sancti Francisci confessoris. *Eodem die illam referunt inter auctaria Usuardina codices Ultrajectensis, Leydensis, Albergensis, et Danicus hoc modo :* Apud Assisium, translatio sancti Francisci (*Albergensis et Danicus habent :* Beatissimi Patris nostri) quæ anno Incarnationis Domini MCCXXX sub domino Papa Gregorio IX facta est. *Ejusdem similiter meminerunt codices Bruxellensis et Florentinus; editiones Lubeco-Coloniensis, Belini, Greveni et Molani; uti et Martyrologium Romanum Galesinii, imo et Baronii hodiernum, in*

B *quo posteriori ita legitur :* Assisii in Umbria translatio in sancti Francisci confessoris, tempore Gregorii Papæ noni. *Addo et Martyrologium Trium Ordinum* S. Francisci *superius laudatum, quod eodem die habet :* Assisii in Umbria Translatio corporis Seraphici patriarchæ, sancti Francisci, ab ecclesia S. Georgii ad basilicam in ejus honorem constructam tempore Gregorii Papæ noni.

canonizatio 16 Julii in aliquot Martyrologiis.

28 *Altera denuo festivitas* S. Francisci *in sæpe laudato Florario nostro Ms. annuntiatur ad diem* 16 *Julii; nimirum :* In Tuscia apud Assisium canonizatio beati Fruncisci, Ordinis Minorum principis, Christi stigmatibus signati, et miraculis clari, facta per Gregorium IX, anno Pontificatus sui 2, anno Salutis MCCXXVIII, a transitu beati Viri secundo. *Eam quoque signant codex Usuardinus Florentiæ auctus, sic inquiens :* Canonizatio beati Francisci, a Gregorio Papa celebrata anno Domini MCCXXVIII, Pontificatus sui anno secundo. *Hisce adde Grevenum et Molanum, quorum Martyrologiis ejusdem canonizationis memoria breviter inserta est. In Martyrologio Ordinis Seraphici eodem die sic dicitur :* Assisii in Umbria canonizatio Seraphici patriarchæ Francisci, levitæ et confessoris, quem Gregorius Papa nonus ob admirabilem vitæ sanctitatem et miraculorum magnitudinem, biennio ab ejus obitu

C in ipsa Sancti ecclesia, in qua ejusdem beati Patris sacrum corpus recondebatur, insigni celebritate Sanctorum Fastis adscripsit. *Sollennitatem hujus canonizationis ceteraque eodem spectantia fuse exposui in Commentario prævio* § 30. *Aliquot denique Martyrologia Octavam festi natalitii ejusdem sancti Institutoris ad diem* 11 *Octobris annuntiant.*

§ II. Præcipuæ S. Francisci basilicæ prope Assisium structura et ornatus; dedicatio per Innocentium IV summum Pontificem facta anno MCCLIII; ejusdem aliorumque Pontificum in eamdem pius affectus et munificentia.

Præcipua Sancti basilica apud Assisium

Inter ædes S. Francisci *venerationi peculiariter dicatas principem locum obtinet basilica ipsius nomine insignita apud Assisium, tum propter sacrum corporis thesaurum, quem continet, tum propter privilegia, primatumque in Ordine, ac dignitatem, quibus summi Pontifices, ac novissime Benedictus XIV, eamdem exornarunt, quibus etiam ipsa fabricæ magnificentia respondet. Descriptionem illius tradit Petrus Rodulphius lib.* II *Historiæ Seraphicæ Religionis a pag.* 247, *unde sequentia excerpsi. In custodia Assisii est* celeberrimum et augustum illud templum, quod est præcipuum cœnobium, totiusque Ordinis caput, nec structura toto orbe hujusce Ordinis invenitur, quæ hanc superet, mœnia enim alta sunt et profunda, magnis lapidibus, arena et calce interstrata. Fundamenta in viscera terræ quæsita, vix tandem post octo et centum altitudinis pedes non satis commoda sunt inventa. Gregorius IX summus Pontifex primarium jecit lapidem... Prope chorum a superiore parte est compluvium ex grandioribus saxis, aquas per fistulas ferreas procul ejiciens : in ingressu vero est pulchrum peristyllum. Nihil habet hæc structura commune cum eo ordine, quem Vitruvius architectus instituit,... sed opus Theutonicum est. Structoris nomen non reperi. Scio tamen, quod frater Helias, homo rerum gerendarum prudens, ejus curam egit a principio... Pro constructione autem hujus monasterii et templi variis modis cœpit pecunias exigere : primum enim pecuniarias collectas indixit provinciis; posuit quoque concam illam marmoream, in quam adventantes homines ponerent pecuniam; ex quo non modica turbatio inter discipulos B. Francisci suborta est.

AUCTORE C. S.

dicitur tribus constare ecclesiis, quarum media,

30 Divisum est templum illud in tria (*alii duo tantum admittunt*) segmenta juxta tria vota Religionis, quam profitemur. Inferior ecclesia designat sanctam obedientiam, quæ altis defixa est radicibus. Ibi conditum est sacrum corpus beati patris E Francisci cum multis aliis Beatis. Factum est delubrum ex omni parte firmissimum parietibus, lateribus instratis, ut furibus adimeretur insidiandi facultas. Ad eum locum datur aditus per vias subterraneas et per secretos tuniculos, qui satis latent. *Qui in eadem basilica duas tantum ecclesias asserunt, eas subterraneas vias ac cuniculos negant. Hic Rodulphius interserit litteras Francisci Bautii, Andriæ ducis, de conspecto in eadem subterranea ecclesia corpore* S. Francisci *a Nicolao III, de quibus alibi agemus. Post has ita pergit :* Quod spectat ad secundam ecclesiam (*cuilibet perviam*) quæ est instar oratorii, paupertatem in humilitate fundatam designans, omnibus ibidem pie orantibus afflat insolitam pietatem; cujus pavimentum variis coloratis et vermiculatis lapidibus intertextum est. At testudo seu fornix, instar cupæ vel dolii, cum certis quibusdam figuris exquisita arte absoluta est. Dicunt, eas factas a Gioto Florentino majori ex parte, quem constat sui temporis omnium pictorum fuisse nobilissimum : in illis exprimitur vita Jesu Christi, quæ variis depictæ coloribus omnino admirandæ sunt et excolendæ.

quæ omnibus pervia est,

31 In testudine sunt quatuor trianguli eleganti ordine compositi. In superiori parte ad chorum est B. Franciscus, velut princeps in sella reclinatoria, F indutus veste egregia, cujus capiti affixa sunt hæc verba : GLORIOSUS FRANCISCUS. Ibi quoque extat vexillum cum septem stellis, et angelis circum astantibus atque buccinis clangentibus, eo spectaculo, quo triumphus famæ pingi solet, egregie perpolito, et politissima arte perfecto. In altero triangulo dextrorsum est porticus ambulatoria in prospectu cum columnis, et in medio est figura, veste subnigra induta, cum aliis * et diademate quadrato, quæ figura manu dextera tenet jugum, at læva supponit digitum labello instar silentii; ad pedes in signum eximiæ humilitatis est frater quidam, qui accipit jugum, et propriis imponit humeris. Super caput figuræ est hæc nota : SANCTA OBEDIENTIA. Hinc pendet ad caput Crucifixus, sed solum apparet corpus et plaga lateralis, a qua erumpit magnus fluvius sanguinis. Dextrorsum est prudentia biceps cum his notis : SANCTA PRUDENTIA. Habet diadema cum sex inscriptis faciebus. Est media figura, sub qua est angelus ductor ejus, et duæ aliæ figuræ, et respicientes, junctis manibus, præ se ferunt magnam religionem. Ex altero latere est consimilis figura cum subjectis verbis : SANCTA HUMILITAS : tenet accensam faculam. Ad pedes est angelus et semihomo et semicanis.

* *an* alis?

structura et ornamenta

32 In altero triangulo sinistrorsum est arx cum turribus hinc inde, et in medio turris veluti gerum

AUCTORE C. S.

rum *, et terminus, et in apice est fenestra, et caput mulieris cum subscriptione : SANCTA CASTITAS. Astant duo angeli, quorum alter exhibet regnum, alter vero palmam. Ad pedes gerrii sunt duæ figuræ, quælibet tenet manum extensam extra muros, et aspergit aquam super caput denudatæ figuræ. Alter angelus lavat dictam figuram instar balneatoris. Super has duas figuras, quæ tenent vestem angelo, leguntur hæc verba : SANCTA MUNDITIA : ex altera parte : SANCTA FORTITUDO. A latere est angelus lavans, et homo armis cinctus cum parmula in brachio, et multis aliis figuris, AMOR ET POENITENTIA. Sub amore est homo transfiguratus cum his notulis : MUNDITIA, quæ propellitur ab altera figura cum his litteris : MORS. In altero triangulo est figura velata, præter manus et dimidiam partem brachii : manus autem sunt extensæ, et accipiunt munera, quæ duo angeli offerunt. Angelus a latere dextro, et offert vestem et marsupium; altera offert prætorium. Subter vero quædam subjacet mulier, subcincta, et nudatis intra vepres pedibus, quæ, quantum ex facie, ex vultu, ex oculis et ex fronte suspicari possumus, repræsentat dominam Paupertatem, quam in sponsam suam B. Franciscus accipit. Christus vero a latere manum interjungit, atque ejus dexteram
B contingit, cum hac inscriptione : SANCTA PAUPERTAS.

* *an* crates viminea?

describuntur ex Petro Rodulphio,

33 In choro capellæ majoris est quædam egregia pictura, quam dicunt quidam fuisse manus et ingenii monumentum Priccii Capannæ, a nemine (quod ego sciam) adhuc satis intellecta. Communis tamen est omnium sententia, ab eodem Giotto fuisse expressam, quamvis præ se ferat, nescio quid majoris elegantiæ et dignitatis. Sub hac fornice modo est altare majus, ubi est tabernaculum pro custodia sanctissimæ Eucharistiæ eleganter elaboratum, atque opera venerabilis fratris Matthæi Assisiatis constructum. Altare vero circumquaque ferreis quibusdam insertis cratibus et ansulis intortis vallatum est : sub ara in abdito et secessu conditum est venerabile illud corpus beati Patris... Ante fores sacrarii sunt multæ, et hæ quidem insignes et egregiæ picturæ, et (ut ferunt) manu Antonii Cavallini expressas*... Ante cancellos illius capellæ in angulo est sepulchrum cum crate ferrea, ubi dicunt condita esse quatuor corpora sociorum B. Francisci, Adsunt quoque in inferiori ecclesia (*quam ille scilicet mediam statuit*) multæ capellæ, et quidem pulchræ et egregiæ. Primo est capella S. Catharinæ, Cardinalis Ægidii Cariglii Albernotii
C Hispani, cum multis figuris S. Catharinæ.

* *an* expressæ?

uti etiam ecclesiæ superioris,

34 Sed quantum spectat ad superiorem ecclesiam, est usque adeo eleganter constructa, ut nihil pulchrius videri posset illo seculo; nec structura hujus ordinis invenitur in toto orbe. Suas habet portas congrua dimensione venustas, mediam cæteris ampliorem : in tecto stellæ affixæ aureæ, et color impressus aereus veram cæli faciem æmulatur. Sunt in choro sedilia ex materia nobili, arte, quam vocant Tarsicam, sculpturis et imaginibus insignia, quem ferunt Sansonis opera constructum; cujus expressa imago conspicitur : in cujus ingressu supra januam est ibi oculus vitreus, unde transmittitur lumen in morem cyclopis, late patens in morem trianguli, in quo est imago vera (ut dicunt) B. Francisci, opere mosaico intertexto; opus (nisi fallor) Cimaboni. Inter utranque ecclesiam est spatium octipedale, ne populus ambulans super pavimentum superioris ecclesiæ impedimento sit cæteris in ecclesia inferiori. Innitur autem pavimentum superioris ecclesiæ lignis abiegnis.

liaque ad eamdem basilicam spectantia.

35 Portam ecclesiæ inferioris Sanson porticu quadam egregia exornavit, tecto inclusa ob repentinos imbres, ut hæ litteræ declarant : FRATER FRANCISCUS SANSON GENERALIS MINORUM FIERI FECIT 1487. Circumcirca sunt duodecim turres teretes, et in unaquaque illarum est inferior testudo petræ granitæ rubeæ, in memoriam duodecim Apostolorum ignis Spiritus sancti ardorem prætendentis. Tribuna vero est albi lapidis in honorem B. Virginis. D
Sunt quoque in superiori ecclesia quædam picturæ, egregia manu Cimaboni et Giotti elaboratæ. Chorus quoque cum subselliis manu Dominici Sanseverinatis Umbri opere intertexto, opera et sumptu magistri Francisci Sansonis Generalis, ut inscriptio affixa declarat, magnifice fabrefactus. Nostro tempore organa constructa sunt a magistro Petro Antonio Nucerino Generali. Sed quod plurimam accessionem dignitatis habet, est turris campanaria, ita quidem eminens, ut arx potius videatur, quam turris. *Sequuntur ibidem etiam pauca de conventu ejusdem loci; sed de his modo satis superque. Ad singularia, quæ summi Pontifices eidem loco contulere, privilegia progrediamur.*

Verisimilius serius quam anno 1236

36 *Sive basilica illa tres, sive, ut nonnulli alii volunt, solum duas ecclesias invicem impositas contineat, certum est, saltem unam earumdem anno* 1230 *eo usque perfectam fuisse, ut, quod factum supra diximus, venerabile* S. Francisci *corpus in ea honorifice deponi potuerit. Constat item, deinde strenue laboratum fuisse, ut reliqua ingentis istius operis fabrica perficeretur. Perfectam fuisse anno* 1233 *vel sequenti, statuit Waddingus ad eumdem annum num.* 27, *ex sacra Christi Crucifixi imagine,* quam, *inquit,* superponi curavit frater Helias transtris seu transversæ trabi euarganeæ templi superioris, E
quam Giunta Pisanus affabre pinxit anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto, subjecta etiam ad vivum ipsius Heliæ viva imagine, additis sequentibus litteris :

Frater Helias fecit fieri.
Jesu Christe pie
Miserere precantis Heliæ.
Giunta Pisanus me pinxit anno Domini
M.CC.XXXVI.
Indictione nona.

Subdit Waddingus : Detecta est hæc imago anno proxime elapso MDCXXIII, dum pro solemnibus cujusdam viri principis exequiis tumulus funerarius superbo fastu ad templi tigna ascenderet, oporteretque transversam illam trabem, cui superposita crux, intercidi. *Ita quidem in editione Lugdunensi anni* 1625 : *at in Romana anni* 1732 *ex ipsius Waddingi annotatis, retentis ceteris, altera ejusdem detectionis occasio substituta his verbis est :* Dum pro consecratione Francisci Cardinalis Boncompagni in episcopum Fanensem oporteret, transversam illam trabem, cui crux superposita, intercidi.

perfecta fuit; nec anno 1233 *a Gregorio IX*

37 *Præmiserat etiam ibidem ex Chronico Mariani (quod ex illo etiam adoptavit Chalippus in Vita Gallica) eamdem ecclesiam anno* 1233, vigesimo die Aprilis, Dominica in Albis *a Gregorio IX summo Pontifice sollennissime consecratam fuisse. At quocumque anno (verisimiliter tamen serius, quam* 1236) *hæc basilica perfecta fuerit, nullum est dubium, quin ejusdem consecratio nec anno* 1233, *nec per Gregorium IX, sed anno* 1233 *per Innocentium IV facta sit. Mariani asserti levitas ex ipso, quod indicatur, tempore apparet : cum enim anno* 1233 *Pascha inciderit in diem* 8 *Aprilis, Dominica in Albis eo anno non cucurrit cum* vigesimo die Aprilis, *sed cum* die XV Aprilis. *Pro Innocentio IV annoque* 1233 *testem habemus synchronum, ejusdem Pontificis confessarium ac sacellanum, Nicolaum de Curbio, Ordinis Minorum, qui in ejusdem Innocentii Vita, a Stephano Baluzio tom. VII Miscellaneorum edita, pag.* 391 *et sequenti, ad propositum hæc scripta reliquit.*

sed anno 1253 *ab Innocentio IV consecrata,*

38 Recedens postmodum de Perusio ipse Papa (*Innocentius IV*) Dominica die Octavarum Resurrectionis Domini anno MCCLIII, Pontificatus sui anno X, venit Assisium, ubi cives civitatis illius ipsum cum tanto gaudio susceperunt, quod in ipsius tanti patris aspectu præ ingenti et superabundanti lætitia nullo modo se poterant a multis lacrymis continere. Et moratus est tota illa æstate cum omni sua familia in loco beati confessoris sancti Francisci, in quo loco corpus ejus sanctissimum requiescit. Qui de consilio fratrum suorum consecrationem

A consecrationem ipsius ecclesiæ faciendam, prædixit, in Dominica præcedente festum Ascensionis Domini. Adveniente quoque termino præfinito, consecrata est ipsa ecclesia et altaria in eadem per Dominum memoratum, et episcopos quoque plures. Ubi propter loci devotionem et reverentiam summi Pontificis, dictam ecclesiam consecrantis, tanta fluxit frequentia populorum, prælatorum, Religiosorum, clericorum, virorum, mulierum et parvulorum, etiam tam de remotis prôvinciis, quam longinquis *, ut nullus unquam posset eos præ multitudine numerare. Nam valles et colles, planities et ipsa civitas Assisinas ex iis multipliciter replebatur. Contulit autem ipse dominus Papa illuc omnibus devote accedentibus amplas remissiones et indulgentias peccatorum. Statuit enim ipse dominus Papa, ut singulis annis in tali die Dominico ante festum Ascensionis Domini festum consecrationis ipsius celebretur.

* *an propinquis?*

qui et indulgentius annuas eidem basilicæ contulit.

39 *Post hæc Nicolaus varia immiscet de gestis Innocentii in eadem commoratione Assisiensi, tandemque num.* 34 *subdit :* Celebrato postmodum ibi solemniter festo beati Francisci die Sabbati, die Lunæ sequenti egrediens de Assisio cum tota curia, ad urbem Romam per Narniam et Sabinam est reversus. *Pascha hoc anno* 1253 *celebratum fuit die* B 20 *Aprilis, Ascensio Domini die* 29 *Maji, ideoque Dominica ante Ascensionem tunc incidit in* 25 *Maji, quo die ante annos viginti tres, summum Pontificatum gerente Gregorio IX,* S. Francisci *corpus in novam illam basilicam fuerat illatum. Franciscus Pagius tom. III Breviarii Romanorum Pontificum pag.* 525, *num.* 39 *eadem narrat ex laudato Nicolao, notatque, anniversarium hujus consecrationis diem, ab Innocentio IV indictum, deinde pridem antiquatum, a sacra Rituum Congregatione per decretum, anno* 1686 *die* 15 *Martii editum, Minoribus Conventualibus restitui permissum esse. Hinc in eorumdem hodierno Martyrologio mense Aprili,* Sabbato ante Dominicam quintam post Pascha *legitur :* Assisii in Umbria, Dedicatio basilicæ patriarchæ sancti Francisci, quam Innocentius quartus ritu solemni consecravit, et Gregorius nonus Apostolicæ Sedi immediate subjecit, atque universi Seraphici Ordinis caput et matrem constituit.

et eam litteris suis commendavit ;

40 *Dum adhuc Assisii morabatur Innocentius, Apostolicis litteris fideles hortatus est, ut ad eamdem a se consecratam ecclesiam pro imploranda Dei gratia frequenter accederent; annuasque indulgentias concessit. Has litteras exhibet Bullarium Franciscanum tom. I, pag.* 662, *quarum hic est finis :* Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, C qui eamdem ecclesiam in anniversario Dedicationis ipsius et quindecim diebus sequentibus, annis singulis venerabiliter visitarint, et ibidem manum porrexerint pietatis, duos annos et octoginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Assisii III Idus Junii, Pontificatus nostri anno decimo, *id est, Christi* 1253. *Easdem indulgentias iterato concessit anno sequenti, litteris Anagniæ datis, quæ in laudato Bullario exstant pag.* 739. *Leguntur ibidem pag.* 66 *et sequenti duæ aliæ epistolæ ejusdem Pontificis anno* 1253 *Assisii, ut dictum est, commoratis, in quarum prima fidelium* oblationes in pecunia *pro eadem ecclesia perficienda recipi; in secunda pro eadem locupletanda ornandaque etiam* libros, calices, thuribula, cruces, bacilia (*id est, pelves vel catinos*) sive de auro, sive de argento, tunicas, dalmaticas, et cappas seu pluvialia et quæque indumenta et paramenta, tam serica, quam alia, sive ad altarium et personarum, sive ad alium ipsius ornatum; campanas quoque magnas et parvas, et cetera ornamenta et vasa ecclesiastica libere ac specialiter *haberi posse, indulget,* non obstantibus quibuscumque statutis vel constitutionibus ipsius Ordinis *etc.*

41 *Longum esset omnia Romanorum Pontificum diplomata, ad ejusdem sacræ basilicæ decus et splendorem edita, fusius exponere; at minime prætereunda est bulla Benedicti XIV, per quam hic Pontifex omnia decessorum privilegia rata habens, sua item addidit, ac eamdem basilicam in Patriarchalem atque in cappellam Pontificiam erexit. Exstat hæc tomo IV Bullarii Benedicti XIV a pag.* 82, *editionis Romanæ anni* 1762 *per Hieronymum Mainardum, ex quo, licet prolixa sit, quia multa summorum Pontificum eidem basilicæ collata beneficia memorat, tota in sequenti* § *dabitur.*

AUCTORE C. S *quod et alii Pontifices fecerunt, maxime Benedictus XIV.*

§ IV. Recitatur Bulla, per quam Benedictus XIV Papa basilicæ S. Francisci apud Assisium vetera privilegia confirmavit, nova concessit, et eamdem in Patriarchalem et capellam Papalem erexit.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Divinum eloquium impletur, dum humilis Franciscus exaltatur.

Fidelis Dominus in verbis suis, quum sæpe in Scripturis sanctis declaraverit, exaltaturum se illos, qui voluntariæ demissionis affectu humiliarent in terra animas suas, non solum in cœlesti Regno pusillos servos, quos Filii sui humilitati conformes reperit, gloria et honore mirabiliter coronat; sed etiam, ad mortalium fidem excitandam et roborandam, hoc pro sua sapientia disponit, ut, qui viventes in mundo, mundi gloriam contempserunt, eique placere non curarunt, splendidioribus post mortem honoribus in ipso conspectu filiorum hominum extollantur, eorumque memoria in terris decorata fulgeat, et gloriosa clarescat. Quod quum in pluribus sanctis viris ab ipso mundi exordio, et maxime post constitutam Ecclesiam, sæpissime demonstratum est; tum vero in beati Francisci confessoris exaltatione, et in omnibus, quæ ad illius Instituti amplificationem et memoriæ celebritatem pertinent, manifeste impletum conspicimus. Qui enim vivens, in oculis suis, et aliorum vilescere semper studuit, ac opprobriis et vituperationibus delectari consuevit; jam pridem irrefragabili Catholicæ Ecclesiæ judicio, clarissimoque præconio, inter Amicos Dei cum ipso in cœlis regnantes ubique terrarum honoratur et colitur : illius autem corpus, in quo mortificationem Christi ad mortem usque circumferre non destitit, singularibus signis atque prodigiis de cœlo illustratum, atque certantibus omnium ordinum studiis, ita populorum et principum devotione clarificatum fuit, ut ejusdem sepulchrum gloriosum super ambitiosa potentium sæculi monumenta merito celebrari mereatur. E F

Recensentur honores, quibus basilica, in qua Sancti corpus reconditum est,

43 Et sane vix altero ab illius obitu anno decurso, quum de Servi Dei exuviis decenter collocandis ageretur, eumque in finem opportunus locus et fundus, prope Assisiensis Civitatis mœnia illius alumnis pro Apostolica Sede recipientibus oblatus fuisset; san. mem. Prædecessor Noster Gregorius Papa IX dignum existimans et conveniens, illius memoriam, per quem tantus Ecclesiæ Dei fructus provenerat, in eo etiam honorificari, ut ecclesia, in qua ejus corpus recondendum erat, nemini, præterquam Romano Pontifici, subesset; eumdem fundum in jus et proprietatem prædictæ Sedis Apostolicæ recepit; statuitque, ecclesiam, inibi construendam, omnino liberam, ac nulli alii, quam Apostolicæ Sedi subjectam fore; et ad hujusmodi libertatis ab Ecclesia Romana perceptæ indicium, unius libræ ceræ censum annuatim sibi, et Successoribus suis ab eadem ecclesia persolvendum decrevit; super quibus Apostolicas Litteras quarum initium est. RECOLENTES... edidit Reate XI Kalendas Novembris, Pontificatus sui anno II.

ornata fuit a summis Pontificibus.

44 Deinde vero, quum idem Gregorius prædecessor, in ipsa Assisiensi civitate, gloriosissimum Patriarcham

AUCTORE C. S.

Patriarcham Sanctorum confessorum catalogo rite adscripsisset, ac designatam hujusmodi ecclesiam in ipsius honorem Omnipotenti Deo dicandam erigendamque statuisset, illius primario lapide suis ipse manibus posito, per alias suas Litteras datas Laterani x Kalendas Maii, anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXX *, Pontificatus sui anno IV, incipientes : Is, QUI ECCLESIAM..., non modo concessum eidem ecclesiæ libertatis et immediatæ Romano Pontifici subjectionis privilegium, nova et solemniori concessione firmavit, sed etiam ecclesiam ipsam Ordinis Fratrum Minorum Caput et Matrem ab omnibus habendam, ac in ea per Fratres ejusdem Ordinis perpetuo serviendum fore, constituit; aliaque ad asserendam illius immunitatem ac dignitatem, et Fratrum in ea deservientium commoda promovenda, opportune decrevit, quæ latius continentur in præfatis ejusdem Gregorii Litteris : quas alii deinde Prædecessores Nostri, Romani Pontifices, ex quo ipsius sancti Francisci corpus in eamdem memorabili pompa illatum fuit, in primis Innocentius Papa IV, qui postea ecclesiam ipsam ad supremum fastigium perductam, suaque jam constructione et mole conspicuam, anno MCCLIII, Dominica ante festum Ascensionis Domini, ad honorem Dei et ejusdem beati Francisci, solemni ritu
B dedicavit; nec non Clemens Papa IV, per similes suas Litteras confirmarunt et innovarunt. Nicolaus vero etiam IV peculiaribus Litteris, datis Reate II Idus Maii Pontificatus sui anno II, et incipientibus : PRÆCLARA..., statuit, ecclesiam ipsam, et totum locum ipsius cum pertinentiis suis Ecclesiastico interdicto, absque speciali et expresso Apostolicæ Sedis mandato, sub certa forma ibidem præscripta concepto, supponi non posse.

* l. MCCXXX

Est illa Apostolicæ Sedi immediate subjecta, ac peculiariter

43 Porro eidem ecclesiæ non parum honoris ex eo accessit, quod alii ex Prædecessoribus Nostri * Romanis Pontificibus, non solum ad eam beati Patriarchæ tumulum veneraturi, sæpe se contulerunt, sed in Pontificiis quoque Ædibus, prope ipsam extructis, ad non exiguum tempus domicilium figere, atque omnis generis Pontificalia Sacra in ea celebrare consueverunt; insuper Apostolicæ Sedis scrinia, aliaque Ecclesiasticæ potestatis, et civilis imperii instrumenta apud eam collocarunt; nonnulli etiam in ea sepulturam sui corporis elegerunt; quapropter ejusdem ecclesiæ immediata Apostolicæ Sedis subjectio, quæ ipsi cum aliis pluribus per orbem ecclesiis, ab inferiorum Præsulum jurisdictione exemptis, communis videri poterat, peculiaris Pontificum dominii et proprietatis induit speciem; eo vel maxime confirmatam, quod,
C quum in unius structuræ altitudine trium revera ecclesiarum, quarum altera alteri imminet, mira ædificatio consurgat, in superioris ecclesiæ hemicyclo Pontificia marmorea cathedra contra aram maximam usque ab initio exstructa, semper stetisse dignoscitur; in ea vero, quæ media est, atque subjectum venerandi corporis conditorium propius attingit, a latere altaris, ubi Pontifices Sacris solemnibus operantes thronum erexisse oportuit, aliquot abhinc annis Pontificius pariter thronus ex authoritate primum san. mem. Decessoris Nostri. Clementis Papæ XII, atque iterum Nobis annuentibus, erectus assidue retineri conspicitur.

* l. nostris

ei propria : ejusdem privilegia confirmarunt Nicolaus V et Sixtus IV;

46 De omnibus autem, quæ ad ipsam ecclesiam ejusque cultum et sacras actiones in ea peragendas quoque modo pertinent, nihil, sive magnum, sive parvum, statui aut immutari consuevit, nisi consultis prius Romanis Pontificibus pro tempore existentibus; quorum singularis cura, et sollicitudo tam pro ejusdem ecclesiæ conservatione ac decore, quam pro recta omnium in ipsa agendorum ordinatione, semper enituit. Quare nil mirum si plerique Romani Pontifices Prædecessores Nostri eamdem ecclesiam, Basilicam etiam nuncupatam, compluribus privilegiis, et gratiis spiritualibus et temporalibus cumularunt, et Nicolaus Papa V per suas Apostolicas Litteras incipientes : LICET EX DEBITO....., datas Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ D MCDL, VIII Idus Februarii, omnia, et singula privilegia et indulta hujusmodi, tamquam a se ipso concessa, perpetuam roboris firmitatem obtinere decrevit; et Sixtus Papa IV eadem, aliaque posterius impertita, similiter pro suis adoptans, novo confirmationis munimine roboravit per suas pariter Litteras sub plumbo editas Romæ apud Sanctum Petrum pridie Idus Novembris anno MCDLXXI quarum initium est : AD ORDINEM.

Sixtus V archiconfraternitatem in ea erexit. Innocentius XII indulgentias plenarias et pœnitentiarios constituit.

47 Et Sixtus Papa V aliis similiter Litteris, datis XIII Kalendas Decembris anno MDLXXXV, piam Christifidelium utriusque sexus, Chordigerorum nuncupatorum, archiconfraternitatem in eadem ecclesia, et ad illius altare majus, auctoritate Apostolica erexit, compluribus eidem Indulgentiis et gratiis concessis, quarum participatione etiamnum juxta posteriores Apostolicæ Sedis sanctiones innumeri Christifideles, aliis hujusmodi Confraternitatibus per omnes mundi partes ex ejusdem Sixti concessione erectis, aggregati ditantur. Utque alia innumera Apostolicæ liberalitatis erga eamdem ecclesiam effusæ argumenta prætereamus, fel. rec. Prædecessor Noster Innocentius Papa XII per suas Litteras sub Annulo Piscatoris datas die XVIII Augusti anno MDCXCVIII, ac perpetuis temporibus valituras, omnibus Christifidelibus, qui illam vere pœni- E
tentes et confessi, ac sac. Communione refecti, in quocumque anni die devote visitaverint, ibique, ut in ipsis Litteris præscribitur, oraverint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem concessit. Deinde etiam per alias similes Litteras, die XI Martii sequentis anni editas, tres in eadem pro tempore deputandos riteque constituendos Pœnitentiarios, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium expresse professos, satis amplis facultatibus pro confluentium Christifidelium absolutione a peccatis atque censuris et pro votorum commutationibus, Apostolica auctoritate instructos, perpetuo extare voluit atque concessit.

Benedictus XIV illorum exemplo ac privatis publicisque rationibus motus,

48 Tot igitur venerabilium Prædecessorum Nostrorum exemplis Nobis propositis, eorumque vestigiis insistentes, Nos etiam ad ejusdem ecclesiæ splendorem ac decus augendum cumulandumque libenter adducti sumus. Quod quidem non tam singularis obsequii Nostri affectus erga B. Franciscum patriarcham, multis jam rebus privatim, et publice declaratus atque testatus; et peculiaris quædam ac veluti hæreditaria in eumdem familiæ Nostræ devotio, Nobis suggessit; dum animo occurrit, ipso adhuc beato Francisco in vivis agente, primum Bononiæ locum illius discipulis ad eorum Ordinis cœnobium fundandum a Majoribus Nostris F
oblatum fuisse; illius vero cum Christo regnantis patrocinio complura in Nostros beneficia profecta, ipsiusque familiæ Nostræ conservationem, pestifera quondam grassante lue, acceptam referri, grata mente recolimus. Sed ea potissimum cogitatio Nobis suasit, quod merito sperandum duximus, Romanam Ecclesiam, ejusque ditionem, in cujus sinu beatus Pater et ortum habuit et sepulchrum, eo magis illius apud Deum intercessionibus protegendam atque servandam, quo magis illustria ad illius memoriæ honorem Apostolicæ Sedis judicia extiterint et decreta.

omnia decessorum suorum privilegia eidem ecclesiæ concessa confirmat,

49 Itaque motu proprio ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem omnia et singula privilegia, prærogativas, libertates, exemptiones et immunitates, aliaque indulta sæpedictæ ecclesiæ sancti Francisci Assisiensis, tam per præfatos Gregorium IX, Innocentium IV, Clementem etiam IV, Nicolaum IV et V, Sixtum quoque IV et V, ac Innocentium XII, quam per alios quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores Nostros, quandocumque, et qualitercumque concessa, seu confirmata et innovata, dummodo non sint actu revocata, seu sub aliqua generali revocatione comprehensa, Nos etiam Apostolica auctoritate approbamus, confirmamus et innovamus, eamdemque ecclesiam

A ecclesiam ab ordinarii loci, ac omnium et quorumcumque præsulum, seu superiorum, etiam Regularium, tam ordinaria, quam delegata jurisdictione, visitatione, et auctoritate, penitus exemptam, liberam et immunem, sub immediata Nostra, et Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum, et Sedis Apostolicæ potestate, dominio, et proprietate, confirmamus, et immutabiliter constituimus.

eamque in basilicam patriarchalem et capellam Pontificiam erigit,

50 Præterea simili motu ac scientia prædictam ecclesiam Nostram sancti Francisci Assisiensis, præsentium Litterarum tenore, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in Basilicam Patriarchalem, et Capellam Papalam erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse et fore decernimus; eamque basilicam Patriarchalem, et Cappellam Papalem æque et pariformiter nuncupari et haberi volumus, ac aliæ Basilicæ Patriarchales intra almam Urbem, et extra illius muros, nec non Cappellæ Papales in Pontificiis ædibus et prope eas constitutæ, appellantur, atque censentur; statuentes nihilominus, eamdem Ordinis Fratrum Minorum ejusdem sancti Francisci Caput et Matrem semper esse, et haberi; nec non, ut hactenus, per Fratres ipsius Ordinis, Conventuales nuncupatos, in ea perpetuo serviendum fore; ac decer-

B nentes, antiquum censum unius libræ ceræ albæ, qui huc usque ex parte ejusdem basilicæ quotannis in pervigilio natalis sanctorum apostolorum Petri et Pauli in signum immediatæ subjectionis Apostolicæ Sedi, in camera Apostolica persolvi solebat, perpetuis futuris temporibus in memoriam etiam hujus honorificentissimi fœderis, qua * noviter basilica Assisiensis cum Sede Apostolica conjuncta est, ut antea, præstari et recipi debere.

* quo

secundum in illa Pontificium thronum collocat, de altaribus quædam statuit,

51 Volumus idcirco, Pontificium thronum, seu cathedram, tam eam videlicet, quæ in superiori ecclesia jam inde ab initio stabiliter locata conspicitur, quam quæ in ecclesia inferiori posterius, ut præfertur, erecta fuit, iisdem in locis, in quibus nunc sunt, pro solius Romani Pontificis, et nullius alterius, usu perpetuo retineri. Utrumque autem altare maius basilicæ hujusmodi, ex ea tamen parte dumtaxat, qua thronum Pontificium respicit, altare Pontificium, seu Papale, ex nunc in posterum esse et fore, declaramus; ita ut nemini liceat, absque speciali indulto, seu extra casus, ut infra, permissos, in uno aut altero eorum Missam, sive privatim sive solemniter celebrare.

specialem librum ritualem ac ceremonialem tradit,

52 De sacris autem actionibus, in eadem basilica peragendis, et cæremonialibus ritibus ibidem servandis, quum nos multiplices leges et regulas in unum colligi jusserimus, easdemque peculiari

C instructione digestas, ac diligenter examinatas, atque probatas, aliis Nostris Apostolicis litteris in forma brevis, cum Cæremonialis hujusmodi insertione hac ipsa die expeditis, duxerimus confirmandas; nunc omnia et singula in Cæremoniali prædicto ordinata, et contenta, ac præsertim indulta celebrandi in præfatis Papalibus aris, tam custodi conventus ejusdem sancti Francisci, quam aliis diversis præsulibus, atque personis in dignitate ecclesiastica constitutis, sæcularibus seu Regularibus prælatis, pro statis diebus, seu certis respective vicibus concessa, et alia quæcumque, etiam indulti et privilegii naturam habentia, tam in ipsius basilicæ, quam in personarum quarumvis favorem, ibidem præscripta atque statuta, præsentium quoque tenore approbamus, ac etiam perpetuo confirmamus: mandantes omnibus et singulis, ad quos pertinet, et quandocumque pertinebit in posterum, etiam specifica mentione et expressione dignis, ut omnia et singula ibidem, ut præfertur, ordinata et disposita observent, ac respective iisdem in omnibus et per omnia se conformare studeant, iisque obsequantur.

concedit privilegium in pulsandis campanis,

53 Neque vero eamdem basilicam comprehensam esse aut censeri, volumus, sub prædecessoris nostri, Leonis Papæ X, lege, ab ipso concilio * Lateranensi edita, qua scilicet sub certa pœna vetuit, ne in Sabbato Majoris hebdomadæ, in quibuslibet sæcularium aut Regularium, etiam privilegiatorum ecclesiis, antequam in cathedralibus seu matricibus locorum, campanæ pulsari possent; quin immo illam, utpote Papalem et patriarchalem basilicam, ab hujusmodi lege specialiter eximimus per præsentes; ita tamen ut, si illius campanas prædicta die ante illas cathedralis ecclesiæ Assisiensis pulsari contingat, aliæ in eadem civitate vel extra eam constitutæ ecclesiæ nequaquam eidem basilicæ respondere, sed a prædicta ecclesia cathedrali hac in re, ut antea, dependere teneantur.

* an in consilio?

AUCTORE C. S.

designat illam semper visitandam tempore jubilei et precum indictarum a Pontificibus:

54 Quod si ad implorandam cælestis auxilii opem publicæ preces, oblata fidelibus indulgentia, de mandato Apostolicæ Sedis, ut identidem fieri solet, per civitates atque diœceses sint indicendæ, seu Jubilæi generalis, vel particularis concessio, aut extensio, ab eadem Apostolica Sede emanaverit, relicta locorum ordinariis facultate designandi ecclesias aliquot, præter cathedralem uniuscujusque civitatis, in quibus hujusmodi preces fundendæ, seu quæ ad indulgentiam aut jubilæum consequendum visitandæ sint: quod pertinet ad Assisiensem civitatem, volumus et decernimus, eamdem basilicam S. Francisci, tanquam a Nobis et Romano Pontifice pro tempore existente ad prædictos effectus, una cum ipsius civitatis cathedrali ecclesia singulis vicibus expresse designatam semper haberi; dictamque facultatem ab Assisiensi episcopo seu ordinario exerceri posse dumtaxat in aliarum ecclesiarum delectu, si forte plures, duabus ecclesiis, fuerint designandæ. Cæterum ejusmodi episcopi seu ordinarii edicta, sententias, mandataque omnia, sive ad divinum cultum, sive ad cleri populique sui regimen quomodocumque spectantia, ad valvas ipsius basilicæ, seu respective in illius sacrario proponi non interdicimus; ejusdemque ordinationes atque statuta super præmissis, alioquin rite condita et lata, ibidem per eos, ad quos pertinet, observari volumus et mandamus.

E

decreta super processione die 1 Augusti quotannis habenda confirmat:

55 Quod autem ad debitam erga gloriosum beati Francisci corpus fidelium venerationem fovendam, et magis magisque asserendam, fel. rec. prædecessor noster, Clemens Papa VII, per suas litteras sub annulo Piscatoris, die XVIII Julii MDXXVI ad tunc existentem Perusiæ et Umbriæ vicelegatum datas, quarum initium est: ACCEPIMUS,... singulis annis in processione solemni die prima Augusti ab ecclesia ejusdem sancti Francisci ad aliam sanctæ Mariæ Angelorum, sive de Portiuncula, habenda, servandum decrevit; atque itidem rec. me. Prædecessor quoque noster, Urbanus Papa VIII, per similes litteras datas die XXII Martii anno MDCXLIII incipentes DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, perpetuo custodiendum voluit et præcepit: id ipsum nos quoque earumdem præsentium tenore in posterum perpetuo servandum decernimus et jubemus.

F

tribus pœnitentiariis tres alios addit:

56 Et quoniam ad venerandum ejusdem gloriosissimi Confessoris tumulum, ejusque patrocinii suffragia demerenda, atque etiam ut indulgentiæ quotidianæ compotes fiant, frequentes undique fideles ad præfatam basilicam omni tempore confluere dignoscuntur; Nos opportuna animarum saluti procurandæ subsidia augere cupientes, volumus, ut præter tres pœnitentiarios ibidem ex auctoritate prædicti Innocentii Papæ XII, ut supra dictum est, constitutos, tres alii ejusdem Ordinis Minorum Conventualium Fratres expresse professi, ad hujusmodi munus idonei, vitaque et moribus conspicui, per ordinarium loci examinati et approbati, a dilecto filio moderno, et pro tempore existente Ministro generali Ordinis præfati, in dicta basilica pœnitentiarii etiam pro tempore constituantur et deputentur; qui sic constituti et deputati, omnibus et singulis facultatibus per dictum Innocentium prædecessorem prioribus tribus pœnitentiariis, ut præfertur, concessis et elargitis, et in præcitatis ipsius litteris, quarum initium est:

AUCTORE C. S.

Ex INCUMBENTI, datis apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XI Martii MDCXCIX, latius expressis, æque et pariformiter ex concessione Nostra, et præsentium litterarum vigore gaudeant et utantur.

concessionem altar um pro defunctis privilegiatorum

57 Præterea fidelium defunctorum refrigerio et saluti per opportunam spiritualis thesauri, dispensationi Nostræ concrediti, erogationem amplius consulere volentes, quum in præfata basilica altare majus ecclesiæ inferioris omnipotenti Deo in honore S. Francisci dicatum, a fel. rec. prædecessore Nostro, Gregorio Papa XIII, per litteras anno Incarnationis Dominicæ MDLXXVII, pridie Idus Octobris sub plumbo editas, quarum initium est : OMNIUM SALUTI, privilegio quotidiano ac perpetuo pro defunctis decoratum exstiterit; verum experientia compertum fuerit, piis confluentium votis et eleemosynarum oblationibus, quæ pro Missis ad hujusmodi altare celebrandis deferebantur, minime satisfieri posse per eum numerum Missarum, quæ singulis diebus ad illud celebrari valebant; ideoque jam pridem a piæ mem. Alexandro PP. VII concessum fuerit, ut, quæ Missæ ad illud celebrari tunc nequibant, ad alia duo altaria, in litteris super hoc editis enunciata, pari cum fidelium
B defunctorum suffragatione celebrari possent.

confirmat, eorumdemque numerum auget :

58 Nos prædictas Gregorii prædecessoris litteras præsentium tenore etiam perpetuo confirmantes, simili motu et auctoritate statuimus, atque concedimus, ut Missæ, pro quibus ad præfatum altare celebrandis eleemosynas pro tempore offerri contigerit, quæque ad idem altare re ipsa celebrari nequiverint, ad altare majus ecclesiæ superioris, ex ea videlicet parte, qua illud nequaquam Pontificium altare esse et fore, decrevimus; nec non ad tria infrascripta altaria, in inferiori ecclesia posita, nimirum ad altare sacrarum reliquiarum, et ad alterum Conceptionis beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, et ad reliquum B. Josephi a Cupertino confessoris, libere et licite celebrari possint et valeant; ita ut earumdem Missarum oneri perinde satisfiat, et satisfactum esse censeatur, ac si Missæ hujusmodi ad præfatum altare primario privilegiatum celebratæ forent. Præterea dictum altare majus superioris ecclesiæ, qua Pontificium est, simili privilegio decorare volentes, eadem auctoritate, Nobis a Domino tradita, concedimus, ut, quoties Missa ad altare hujusmodi, prædictorum indultorum, aliorumque forsan deinceps specialiter concedendorum, vigore celebrabitur pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ in-
C dulgentiam per modum suffragii consequatur, et Domini Nostri Jesu Christi, ac beatissimæ Virginis Mariæ, aliorumque omnium Sanctorum meritis suffragantibus, a purgatorii pœnis liberetur.

gravissime vetat, sacras reliquias, ibidem servatas distrahi :
* integer
* inviolatusque

59 Ut autem insignis sacrarum Reliquiarum thesaurus, qui in dicta basilica, ejusque sacrario asservatur, et magnam populorum devotionem erga sanctuarium hujusmodi merito conciliat, integrum * inviolatumque * permaneat, resque et memoriæ, quæ ad sanctum patriarcham Franciscum quoquomodo pertinent, minime dispereant, aut pereant; Nos dilectis filiis custodi et fratribus conventus prædicti S. Francisci, nec non ipsius Ordinis Minorum Conventualium superioribus, etiam Ministro generali, pro tempore existentibus, sub excommunicationis sententia, eo ipso incurrenda, cujus absolutionem, præterquam pro iis, qui in mortis articulo constituti fuerint, Nobis et successoribus Nostris, Romanis Pontificibus, pro tempore existentibus, reservamus; nec non remotionis ab eorum respective officiis, aliisque arbitrio Nostro et successorum prædictorum infligendis pœnis, per præsentes expresse interdicimus, et prohibemus, ne quavis causa et occasione, absque nostra et successorum Nostrorum prædictorum licentia, in scriptis tradenda, particulam aliquam Reliquiarum, sive ad dictum S. Franciscum quomodolibet pertinentium, sive aliarum, quæ in dicta basilica illiusque sacrario asservantur, ex- D
trahere, dividere, et aliis concedere ac donare, aut pro se retinere audeant seu præsumant.

pro decore et ornatu basilicæ varia ordinat :

60 Præterea de ejusdem basilicæ decore ac libertate plurimum, ut par est, solliciti simili auctoritate ac tenore prædictis custodi ac fratribus, et aliis quibusvis, etiam superioribus et Ministro generali præfatis, præcipimus et districte prohibemus, ne jus patronatus alicujus altaris aut capellæ, in eadem basilica existentis, neve locum ad sepulturam ædificandam, seu scamnum, vel sedile, aut areæ situm ad illud collocandum, aut retinendum intra eamdem basilicam, cuilibet personæ, etiam specifica et individua mentione dignæ, aut familiæ, seu virorum, aut mulierum cœtui, congregationi, aut universitati, inconsulto Romano Pontifice pro tempore existente, nec nisi facultate ab eo in scriptis pariter obtenta, in posterum concedant; et quidquid contra hujus præcepti Nostri famam * per eos fieri aut attentari contigerit, ex * formam
nunc irritum et inane decernimus. Quæ vero scamna aut sedilia jam nunc ex legitimis juribus in eadem basilica existere, seu certis in locis intra eamdem retineri solere dignoscuntur, volumus et jubemus, ut omnia ad æqualem mensuram et formam reducantur, sublatis gradibus et suppedaneis quibuscumque, atque ita per basilicæ spatia E
collocentur, ut non deformitatem, sed potius decorem illi afferant et ornatum. Per hæc autem ullius personæ, familiæ aut universitatis asserta jura, sive patronatus in ejusdem basilicæ altaria et capellas, sive habendi sepulturas intra eamdem, aut scamna, aut sedilia ibidem retinendi, nisi quatenus legitimis et sufficientibus titulis aut consuetudinibus fulciantur, approbare non intendimus.

immunitatem localem, alias concessam, extendit :

61 Externas quoque porticus et aream præ foribus utriusque ecclesiæ, tam superioris, quam inferioris, nec non adnexi conventus, in longum latumque protensam usque ad locum, qui dicitur LA CORDONATA, et ad Fossam, SANCTÆ MARGARITÆ nuncupatam, non solum ab omni molestia et perturbatione liberas et immunes pro Nostra et Apostolicæ Sedis reverentia servari volumus et præcipimus; verum etiam Ecclesiasticæ localis immunitatis juribus gaudere concedimus, et earumdem præsentium tenore decernimus; ampliantes quoad * fel. rec. prædecessoris Nostri, * *an* quoad hoc?
Benedicti Papæ XIII, concessionem, in schedula Motus proprii die XX Decembris MDCCXXVI ab ipso signata, latius expressam, eamdemque nihilominus in reliquis ejus partibus confirmantes; ac de- F
cernentes, tam prædecessorum nostrorum Gregorii XIV, ejusdemque Benedicti XIII ac Clementis XII, Apostolicas constitutiones super immunitate locali, quam Nostram anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXXIX, Idibus Martii, Pontificatus Nostri anno X, editam, quæ incipit : OFFICII NOSTRI RATIO, in occurrentibus casibus servandas et exequendas esse. Nos enim venerabili fratri, moderno et pro tempore existenti, episcopo Assisiensi omnes ad id necessarias et opportunas facultates iisdem auctoritate et tenore perpetuo tribuimus et elargimur.

monasterii Campi-longi et beneficiorum unionem

62 Porro quum alias memoratus prædecessor Noster, Sixtus Papa IV, conservationi structurarum ejusdem basilicæ et domus adnexæ, ac etiam augmento divini cultus, et sustentationi majoris numeri fratrum ad illud in ea exercendum a prima erectione deputatorum, prospicere volens, per suas Apostolicas litteras sub plumbo datas Assisii anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVI, octavo Kalendas Septembris, incipientes : VENERABILEM, in monasterio olim existente sancti Nicolai de Campo-longo Ordinis sancti Benedicti, Assisiensis diœcesis, abbatialem dignitatem et Ordinem prædictum, ac nomen ipsum et titulum monasterii suppresserit et extinxerit, illiusque structuras, ædificia ac bona omnia, ac etiam deinde per alias similes litteras datas Romæ apud sanctum Petrum anno

A anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVIII, quarto Nonas Februari, quarum initium est: APPLICAVIMUS, omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, olim ad collationem abbatis dicti suppressi monasterii, cum conventu ejusdem monasterii, vel sine, spectantia et pertinentia, eorumque fructus, redditus, et proventus, sacristiæ domus ejusdem sancti Francisci pro supportatione onerum fabricæ hujusmodi, et fratrum in decenti numero ibidem sustentatione, perpetuo applicaverit, appropriaverit, univerit et incorporaverit, ita ut liceret custodi et fratribus prædictæ domus, pro tempore existentibus, hujusmodi beneficiis, eorumque ecclesiis, cappellis et altaribus per aliquem etiam ejusdem Ordinis professorem, ad eorum nutum amovibilem, in divinis deserviri facere, ac onera ipsis adnexa, et alias personis eadem pro tempore obtinentibus incumbentia, etiam in ministratione Sacramentorum, perferre et adimplere.

basilicæ et conventui confirmat etc.:

63 Nos hujusmodi applicationem et unionem, ad effectum præmissum, novæ confirmationis Nostræ munimine roboramus, ac insuper inductam a multo jam tempore et actu, ut accepimus, vigentem consuetudinem, ut scilicet ad exercitium curæ animarum in quatuor parochialibus, videlicet in una B sancti Petri Castri Paradisi nuncupat.., ac in alia sancti Joannis Baptistæ Castri Podii Superioris, ac in altera ejusdem sancti Joannis Baptistæ Castri Plebis, et in reliqua sancti Laurentii Castri Porciani, nec non in ecclesia sanctæ Mariæ de Gualdo nuncupat., mox dictæ parochialis sancti Laurentii subsidiaria, ecclesiis, olim a prædicto monasterio dependentibus, totidem presbyteri sæculares in illarum vicarios curatos pro tempore a prædictæ domus custode et fratribus amovibiliter deputentur, præsentium tenore approbamus, et in posterum quoque servari concedimus, mandantes, ut omnes et singuli vicarii curati hujusmodi præter assistentiam et obsequium ecclesiæ cathedrali Assisiensi in consuetis functionibus et processionibus ab ipsis præstandum, supplicationi etiam, in Dominica infra Octavam solemnitatis Corporis Christi ab eadem basilica S. Francisci quotannis celebrandæ, in loco ipsis in præfato Cæremoniali assignato, interesse teneantur.

commendat prædictarum ecclesiarum conservationem, ornatumque, et divinum in iisdem cultum.

64 Cæterum sæpedicti conventus custodi et fratribus, ac etiam præfati Ordinis Ministro generali, pro tempore existentibus, harum serie injungimus, et enixe commendamus, ut ipsi tam prædictarum, ac etiam sanctæ Margaritæ intra Assisiensem civitatem, parochialium, quam aliarum ab eodem conventu quacumque ratione C dependentium, videlicet dicti sancti Nicolai de Campo-longo, et sancti Francisci Parvuli nuncupati intra Assisium, ac sanctæ Mariæ conventus Rivitorti, nec non sancti Joannis Baptistæ prope eumdem Rivumtortum, ejusdemque sanctæ Mariæ apud castrum Rocchicciolæ, ejusdem Assisiensis diœcesis, et alterius sancti Joannis Baptistæ extra muros castri Turris Alfinæ, diœcesis Urbevetanæ, ecclesiarum conservationi, ac in eis sacrarum suppellectilium manutentioni diligenter et sedulo incumbant.

sex ecclesiis prædictis concedit singula altaria privilegiata pro defunctis.

65 Denique iisdem custodi et fratribus, in iis præsertim, quæ ad animarum salutem referuntur, uberius gratificari, dictasque sanctæ Margaritæ in civitate Assisiensi, et sancti Petri Castri Paradisi, et sancti Joannis Baptistæ Castri Podii Superioris, ac aliam ejusdem S. Joannis Baptistæ Castri Plebis, nec non S. Laurentii Castri Porciani, parochiales, ac etiam præfatam sanctæ Mariæ de Gualdo dictæ Assisien. diœcesis ecclesias, a præfato conventu ratione unionis a dicto Sixto Papa IV, ut præfertur, factæ dependentes, speciali pro animabus in purgatorio existentibus privilegio illustrare volentes, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, ut, quum die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, ac singulis diebus infra illius Octavam, ac feria sexta cujuslibet hebdomadæ sacerdos aliquis sæcularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, seu instituti Regularis, Missam Defunctorum pro anima cujuscumque Christifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad altare majus dictarum sex ecclesiarum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii pœnis liberetur, in perpetuum concedimus et indulgemus. Cujus quidem concessionis in singulis ecclesiis hujusmodi monumentum lapideum publico aspectu apponi volumus et mandamus.

AUCTORE C. S.

Clausulæ pro præmissorum firmitate:

66 Decernentes, præsentes Nostras litteras, etiam ex eo, quod, quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, aut ex alia quavis causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari, nullatenus unquam posse; easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificaE tionibus, decretis vel declarationibus, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, aut alias quandocumque, et quibusvis de causis, etiam pro tempore factis, minime comprehendi, sed ab illis semper exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, ac de novo concessas, semperque et perpetuo validas, firmas et efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, ac prædictæ basilicæ et præfati respective conventus custodi et fratribus, nunc et pro tempore existentibus, ac ecclesiis prædictis, aliisque ecclesiis et personis, quarum favorem eædem præsentes quomodolibet concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere; eosdemque super præmissis omnibus et singulis per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem præsentibus litteris narratorum, ullatenus unquam teneri, nec ad id in judicio, vel extra, cogi vel compelli posse; sicque in præmissis omnibus censeri, ac ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, F quavis auctoritate et potestate fungentes, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio judicum assistentium et exsecutorum.

67 Quocirca dilectis filiis Nostris Henrico Benedicto Mariæ Clementi, basilicæ sanctorum duodecim Apostolorum prædictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero Cardinali, duci Eboracensi nuncupato, ac Vincentio Tituli sanctorum Marcellini et Petri, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ etiam presbytero Cardinali, Malvetio nuncupato, eorumque in basilica et titulo hujusmodi Cardinalibus successoribus, nec non dilecto etiam filio moderno, et pro tempore existenti causarum curiæ cameræ Apostolicæ generali auditori, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ipsas præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore existentis custodis dicti conventus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant

AUCTORE C. S.

faciant auctoritate Nostra easdem, et in eis contenta hujusmodi, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, dictamque basilicam, ac ipsius conventus custodem, et fratres, aliasque ecclesias prædictas, illis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos, vel quempiam ex ipsis, desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari : contradictores quoslibet et rebelles, cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis vel præeminentiæ fuerint, per sententias, censuras et pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Derogatio contrariis.

68 Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, et Bonifacii octavi etiam prædecessoris Nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diœcesim ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede Apostolica prædicta deputati extra civitatem vel diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis
B vices suas committere audeant vel præsumant, et in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, nec non præmissis aliisque Apostolicis aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum, pariter prædecessorum Nostrorum, ac etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non majoris ecclesiæ et civitatis Assisiensis, dictique Ordinis Minorum sancti Francisci, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus : privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis, quibusvis personis, civitatibus, et locis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores Nostros, Sedemque prædictam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis et multiplicatis vicibus concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem
C per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel aliqua alia forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis et perpetuæ firmitatis præmissorum omnium et singulorum, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, nisi per litteras Apostolicas facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Fides habenda transumptis

69 Ad hoc autem, ut præsentes Nostræ litteræ amplius innotescant, et de eis fides commode fieri possit; volumus, quod ipsarum transumptis, etiam impressis, manu cancellarii seu archivistæ dicti conventus, seu cujusvis notarii publici subscriptis, ac sigillo ejusdem conventus, vel alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus ubique fides in judicio et extra illud adhibeatur, quæ iisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

70 Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ approbationis, confirmationis, constitutionis, erectionis, interdicti, prohibitionis, statuti, concessionis, indulti, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu D temerario contraire : si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, octavo Calendas Aprilis, Pontificatus Nostri anno quartodecimo.

D. Card. Passioneus.
J. Card. Pro-Datarius.
Visa
De Curia J. C. Boschi
J. B. Eugenius.
Loco ✠ plumbi.
Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die 6 Aprilis 1754.

§ V. Præcipuæ S. Francisci ecclesiæ prope et intra civitatem Assisiensem : mons sacer Alvernus, in quo illi sacra stigmata collata fuerunt.

E *Præ reliquis adamatæ S. Francisco ædiculæ Portiunculanæ*

De altera S. Francisci *sacra æde, prope Assisium pariter sita,* sanctæ Mariæ Angelorum, *ac notiori vocabulo* sanctæ Mariæ in Portiuncula, de Portiuncula, *ac* Portiunculæ *appellata, crebram mentionem faciunt Vitæ superius editæ, et nos fecimus in Commentario prævio. Hanc, ut ibidem vidimus, Vir sanctissimus inter primordia sanctioris vitæ suæ collectis eleemosynis, suaque opera ac sudore restauravit; in hac initium dedit suo Ordini Fratrum Minorum, Ordinique pauperum dominarum, quas* Clarissas *nunc vocamus; hanc præ omnibus orbis terrarum ecclesiis, dum vixit, amavit, ac sui instituti sectatoribus commendavit; apud hanc mori voluit. Addunt aliqui, in hac quoque ex suprema illius voluntate cor ac intestina ejusdem servari; quod alii negant, uti in Analectis infra pluribus dicetur. Erat autem sacra hæc ædicula angusta, humilis ac pauperula, sed nimirum hoc ipso pauperi humilique* Francisco *charior, maxime cum eamdem et gloriosæ Virginis Mariæ titulus et cœlestium visionum frequentia plurimum commendarent.*

erigo et notitia,

72 *Reverendus pater Matthias Grouwels, Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum S. Theologiæ lector jubilatus, et provinciæ Germaniæ Inferioris definitor, in Historia critica Indulgentiæ Portiunculanæ, anno* 1721 *Antverpiæ edita, parte* II, *cap.* 1 *hanc loci notitiam tradit :* Sacellum Portiunculæ F (ut scribit Octavius episcopus Assisiensis Tract. de Indulgentia Portiunculæ) in vallis Spoletanæ partibus, non longe extra muros civitatis Assisii anno Christi DXIII ædificatum est devotione ac labore quatuor eremitarum, qui ex Palæstina venerant in Italiam, ibique pedem fixerant. Ad hujus etiam fabricam concurrit per eleemosynas populus Assisinus, eoque perfecto, vocatum est SACELLUM B. MARIÆ DE JOSAPHAT propter quasdam reliquias, quas præfati eremitæ secum tulerant ex Valle Josaphat, et eidem sacello concesserant. Postea ob parvitatem suam appellatum est SACELLUM DE PORTIUNCULA, atque etiam B. MARIÆ ANGELORUM. Elapsis autem aliquot annis, eremitæ inde discesserunt in Æmiliam, ac deinde eumdem locum B. Benedictus abbas obtinuit sub annum DXL. Et sic ad Benedictinos de Monte Subasio pervenit. *Ignotum mihi est, quibus monumentis usus fuerit illustrissimus Octavius ad hæc asserenda; sed certiora mihi sunt, quæ sequuntur.*

quam Sanctus ipse restauravit,

73 *Subditur hic,* S. Franciscum *hanc ædiculam fœde neglectam, post reparatas SS. Damiani et apostoli Petri ecclesias, restaurasse, ac demum a Montis Subasii abbate sibi suisque accepisse ea lege, ut, si quando Deus eorum Ordinem amplificasset, domus hæc totius Ordinis mater et caput haberetur, et cetera, quæ in Commentario prævio explicavimus. At de loco*

A *loco ipso ibidem hæc subjungit laudatus Grouwelus:* S. Franciscus, procurantibus benefactoribus, pauperculum conventum ædificavit apud S. Mariam de Portiuncula. Unde refert S. Bonaventura, cap. 8 et 10, quod sanctus Pater ibi cellam habuerit, in qua et episcopus Assisiensis Sanctum orantem conspexit. Postea novus conventus adjectus est cum nova ecclesia. Ut autem lector ideam quamdam habeat ecclesiæ Portiunculæ veteris et novæ, delineationem utriusque appono. *Tum illam exhibet, quam ego chalcographo nostro imitandam dedi, atque hic post num.* 73 *pariter curioso lectori exhibeo.*

AUCTORE C. S. *de Indulgentia ejusdem loci.*

datur ex Opusculo R. P. Grouweli

74 *Pergit Grouwelus:* Sacellum, in quo Christus Indulgentias dedit, quodque hora circiter media distat Assisio, ædificatum est ex subalbo impolito lapide. In latitudine habet pedes circiter septemdecim: in longitudine triginta septem. Supra frontispicium parva est turris altitudinis octo pedum. Parietes laterales in altitudine habent septemdecim pedes. Fornix est figuræ ferme ovalis. Paries interior, tam ex vetustate, quam devoto populi contactu multum detritus, donariis argenteis, aliisque devotionis argumentis est ornatus. Altare cancellis ferreis artificiose fabricatis separatum conspicitur. In pariete ad cornu Evangelii fenestra
B est. Porta, per quam sacellum a parte interiori ingredimur lucraturi indulgentias, habet latitudinem novem pedum; illa autem, per quam ad cornu Epistolæ egredimur, habet in latitudine octo pedes. Est et altera porta minor in parte posteriori sacelli, per quam sacerdos Sacrum solemne celebraturus cum ministris altare accedit.

75 Inferior altaris pictura Annunciationem, ab archangelo Gabriele Deiparæ factam, repræsentat, quæ a B. Francisci temporibus in eodem sacello fuisse refertur. Hæc autem pictura, lamina argentea malleo ducta, est, faciebus beatæ Virginis et archangeli exceptis, jam totaliter tecta. Retro hoc sacellum a cornu Epistolæ circiter triginta tres pedes versus chorum cella conspicitur, in qua beatus pater noster Franciscus habitavit, et mortuus est IV Octobris anno MCCXXVI. Hanc cellam templum majus jam superædificatum complectitur, extra cujus parietes, at intra conventus limites, exstat sacellum, quod olim spelunca erat, ad quam B. Franciscus plurimum orandi causa se conferebat, et in qua tentatio carnalis eum adeo apprehendit, ut inde exiens, antequam Indulgentiam a Christo accepisset, nudum se in vepres et spinas projecerit. Istæ in rosetum pulcherrimum deinde mutatæ rosas et ramusculos sine spinis producunt; si tamen in locis aliis transplantentur, spinas, quibus in loco Portiunculæ carent, generare dicuntur. Folia hujus roseti usque in hodiernum diem ab una parte adhuc rubra et quasi guttis sanguineis conspersa apparent; sicut hiscemet oculis vidi.
Hæc Grouwelus: verum quæ de vepribus in rosetum E
conversis, causaque rubearum macularum refert, utinam in Vitis, quas edidi, legerentur. Vide dicenda in Dissertatione de Indulgentia Portiuncularia.



AUCTORE C. S.

Super hanc ædiculam ecclesiæ constructæ notitia.

76 Sacello Portiunculæ jam descripto eleemosynis principum ab anno MDLIX superædificata est prægrandis ecclesia, in cujus medio pulcherrima exurgit laterna, sub qua idem sacellum adhuc illæsum perseverat, quemadmodum Lauretanum in sua. *Priusquam progredimur, paucis observo, ejusdem ecclesiæ primordia decennio serius statui in Apologia pro Fratribus Minoribus a Marczic et Warronatemburg edita, in cujus tom. III, pag.* 131 *verbis Italicis sic legitur :* Anno MDLXIX, die XXV Martii posita fuere fundamenta magnæ ecclesiæ S. Mariæ Angelorum juxta Assisium. *Hæc ibi : an rectius, haud equidem scio. Subjicit deinde laudatus Grouwelus :* Ecclesia illa prægrandis habet in longitudine passus quadringentos, in latitudine centum triginta duos. Ita auctores, qui sacellum Portiunculæ visitarunt, testantur, partim P. Fremaut, partim alii ex patribus nostris peregrini recentiores, ex quorum scriptis hæc fideliter collegi. *Hactenus laudatus apologista Indulgentiæ Portiunculanæ Grouwelus. De celebribus indulgentiis ibidem lucrandis, numerosique populi propterea illuc confluxu vide dicenda in Analectis.*

Duæ aliæ S. Francisci sacræ ædes Assisii

77 *Sunt et Assisii duæ aliæ ecclesiæ* S. Francisci *memoriæ sacræ, una scilicet, qui* Franciscus Parvulus *appellatur, quod stabulum fuisse dicitur, in quo ille natus sit : vide dicta in Commentario prævio* § 5; *altera, quæ ex paterna ejusdem domo in ecclesiam conversa fuit. Supra laudatus Marczicus aut Warronatemburgus tom. III, pag.* 131 *inter annos* 1613 *et* 1617 *postremæ sic meminit, sed sermone Italico :* Cum in Italiam venisset (*R. P. Antonius de Treio, Ordinis Minorum vicarius generalis*) vidit tum etiam superesse in civitate Assisiensi paternam domum sancti patriarchæ Francisci, eamque ab aliis Religiosis sollicite desideratam procuratamque; et ipse cum favore et eleemosynis Philippi III, Hispaniarum monarchæ, eam comparavit obtinuitque Religiosis suis, qui in eadem stabiliti fuere diplomate Pauli V; ac voluit, ut converteretur in ecclesiam cum commodo domicilio, et traderetur Fratribus Minoribus strictissimæ observantiæ, qui eam hodieque tenent cum omni decore, justo numero incolentes.

B

intra civitatem ; tertia prope eamdem.

78 *Ejusdem mentionem etiam fecit Waddingus in Apparatu ad Annales Minorum* § 3, *num.* 26, *ubi occasione carceris domestici, in quo durus pater sanctum Filium suum initio conversionis illius aliquantulum detinuit, hæc scripsit:* Vidi ego, non absque pietate, angulum ipsum, obscurum et tetrum, quo sub scala ædificii arcta clausus est custodia ; servaturque ad hujus pii Mancipii memoriam in ipsa ecclesia, quæ noviter constructa est in ædibus paternis, absque ulla structuræ injuria vel elegantis ædificii deformitate. *Præterea prope eamdem civitatem in loco, qui* Rivus Tortus *vel* Rigus-Tortus *dicitur, est ecclesia cum conventu Fratrum Minorum Conventualium, indigenis* San Francesco del Rivotorto *appellata. Atque hæc de* S. Francisci *ecclesiis intra et prope civitatem illius patriam ædificatis annotanda reperi.*

C

Montis Alverni, in quo Sanctus sacra stigmata accepit

79 *Progrediamur hinc ad Apenninum montem, qua parte hic dominium Florentinum inter ac Ecclesiasticum statum, haud procul a Burgo Sancti Sepulcri interjacet. Ibi visitur Mons Alvernus, in quo* S. Franciscum *biennio ante obitum suum quinque sacris Christi stigmatibus mirabiliter insignitum fuisse, probavi in Commentario prævio* § 25 *et duobus sequentibus. Ab hoc tanto prodigio mons ille celebritatem suam merito accepit, et in hoc usque tempus servat. Aliquam loci notitiam dedi ibidem ; amplam vero ejusdem descriptionem et quasi brevem historiam exhibet illustrissimus Franciscus Gonzaga in Provincia Tusciæ, conventu* 17, *ex eoque Waddingus in Annalibus ad annum* 1215; *mihi pauca ad* S. Francisci *venerationem spectantia ex ipsis annotasse sufficerit. Montem hunc comes Orlandus Cathanius, vallis Casentinæ dominus,* S. Francisco, *dum hic viveret, illiusque Fratribus habitandum concessit* (*quod Waddingus anno* 1213 *innectit*) *huncque in finem ecclesiam parvulam, S. Mariæ de Angelis sacram in eo exstruxit, quæ* Antiquior *vocatur, primamque suam structuram servat. Nam religioni ducunt eam mutare, quod credant, eamdem a* S. Francisco, *prout a sanctissima Dei Genitrice sanctisque Joanne Baptista ac Evangelista didicerat, ordinatam fuisse ; tresque ejusdem loci guardianos sibi succedentes male periisse, quia illam mutare tentaverant.*

D

ecclesia, sacræ ædiculæ, locus collatorum stigmatum

80 *Adstruenda tamen postea propter adventantium fidelium numerum fuit ecclesia, quam Waddingus anno* 1260, *jubente Alexandro IV summo Pontifice, consecratam fuisse, ait, a septem episcopis, ab iisque etiam totum montem benedictum. Inter alia visitur in eodem sacellum, ubi dicitur fuisse prima in eo monte cella* S. Francisci, *in eoque ostenditur quadratus lapis crate ferrea tectus, in quo ille sæpius refectionem sumpsisse traditur. Est et aliud sacellum* Sanctæ Crucis *dictum, ubi secundam ejusdem Sancti cellulam fuisse, asserunt, sacraque stigmata eidem impressa ; cujus rei simul ac fundatoris sacelli memoriam incisa ibidem hæc inscriptio conservat:* Anno Domini MCCLXIV feria quinta post festum Assumptionis gloriosæ Virginis Mariæ comes Simon, filius illustris Viri, comitis Guidonis, Dei gratia in Tuscia Palatinus, fecit fundari istud oratorium ad honorem S. Francisci, ut ipse, cui in loco isto Seraph apparuit sub anno MCCXXIV infra Octavas Nativitatis ejusdem Virginis, et corpori ejus impressit stigmata Jesu Christi, consignet eum gratia Spiritus sancti. *Ita apud Waddingum : nam apud illustrissimum Gonzagam pro anno* MCCXXIV *non recte legitur* MCCXXV. *Apud utrumque additur, in ejusdem sacelli fornice sequentes crassæ Minervæ versus legi :*

E

His quondam divi Francisci hæc cella secunda
Extitit in scopulis, nunc vero dicta Ducis
Hic quater arcta decem illi * dies jejunia solvit
Ordinis angelici ductus honore sacri.

* *an* ille ?

magna in veneratione habitus

81 *Porro* construxerat sibi beatissimus pater Franciscus (*ita pergit ibidem ex Gonzaga Waddingus*) non longe ab hoc ipso sacello, dum adhuc intra cellæ limites teneretur, sub procera quadam fago oratorium, in quo integras, noctes consumere assueverat. Ad hoc igitur in festo Exaltationis sanctæ Crucis paululum ante auroram orationis ergo perrecturus, maxima luce circumfusus in ipso medio itinere Christum Dominum in Seraph specie ex aere sibi apparentem, atque sacra stigmata imprimentem vidit. Fratres vero, ne locus tanto mysterio dignus mortalium pedibus tereretur ; ipsum ferrea crate contegendum curarunt ; quam tamen perdevota quædam femina Elizabetha cujusdam Angeli de Baldis uxor, honoris causa inde amoveri, atque aliam omnino æneam anno Domini MDXXXVI sibi * subrogari fecit. Nec facile populorum ad sacrorum stigmatum sacellum, quod et comes Simon (de quo supra) elegantissime exornandum curavit, et in quo quinque lampades perpetuo lucent, devotio ob sacra stigmata ibidem recepta exprimi posset. Ad ipsum siquidem perpetuo Christi fideles sua vota persoluturi confluunt, plurimaque inde beneficia a Deo Opt. Max. meritis tanti Patris referunt.

F

* *i. e.* eidem crati

quotidiana ad illum nocturna supplicatio

82 Adauget præterea hujusmodi devotionem vespertinus (ut prædiximus) fratrum accessus, qui singulis noctibus a Completorio perdevotas quasdam antiphonas in beatæ Virginis Mariæ, sanctorum angelorum, Joannis Baptistæ, Joannis Euangelistæ, Hieronymi atque B. Francisci honorem ibidem devotissime decantant ; præsertim eam, quæ ab his verbis exorditur : CÆLORUM CANDOR SPLENDUIT ; et illam, quæ ab his verbis auspicatur : CRUCIS HIC APPARET HOSTIA : *nempe quæ in Breviario Fratrum Minorum leguntur in festo impressionis sacrorum stigmatum, prima in primis vesperis ad* Magnificat, *altera item ad* Magnificat *in secundis. De quotidiano Fratrum ad sacellum istud accessu ibidem ex Gonzaga præmiserat ista :* Ut primum hic locus (*mons Alvernus*) ab Eugenio quarto Pont. Max. Observanti

A vanti familiæ... collatus extitit,... statutum, idque consulto a patribus fuit, ut singulis diebus res divina in sacrorum stigmatum sacello ab uno sacerdotum fieret; utque singulis quoque diebus vespertino tempore omnes simul hujus loci Fratres processionaliter ad idem sacellum gloriosissimæ Virginis nocturnum (hunc BENEDICTAM vocant) alta voce persolventes pergerent.

divinitus, ut fertur, probata; Sancti lectus * *an dictam?*

83 Quod quidem eidem Virgini gloriosæ gratissimum extitit: nam semel ex altissima quadam fago, inter ædiculam divi Antonii abbatis dicatam *, atque illam, quæ CARDINALIS dicitur, surrigente, Religiosos eo tendentes benedicere visa est. Cumque præfata processio ex nimia nivium multitudine quodam die a fratribus prætermissa fuisset, plura diversi generis animalia a veteri ecclesia ad præfatum sacellum usque bina et bina ad processionis instar procedere sequenti nocte visa sunt. Quod cum fratres rescivissent, hujuscemodi processionem perpetuo habendam, licet tempestas magis magisque sæviret, firmissime statuerunt. Qua etiam de causa Clemens VII Pont. Max. singulis fratribus, qui ei intersunt, plenariam omnium peccatorum indulgentiam vivæ vocis oraculo concessit. *Rursum ibidem num. 44 ex eodem illustrissimo Gonzaga sic narrat Waddingus:* Substat sacello S. Antonii

B abbatis secretum beati patris Francisci oratorium, in quo semotus ab aliis orare solitus erat. Huic hæret locus, B. FRANCISCI LECTULUS vulgo appellitatus, eo quod super eum defatigata ex continua genuflexione atque oratione membra necessario somno aliquando refecerit.

miraculo clarus et sacello superexstructo inclusus.

84 Hunc illustrissimus Petrus Joannis Pauli de Ursinis cum omnium membrorum contractionem ex gravissima infirmitate incurrisset, felici eventu sequenti, in sacellum divo Antonio abbati sacrum anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXL erexit. Cum enim is heros (ut prædiximus) omnino contractus propriorum membrorum usum amisisset, omniaque necessaria remedia, sed humana, recipiendæ sanitati pristinæ adhibuisset, nec eam assecutus esset, ad hunc sacrum Alvernæ montem ex maxima, qua B. Franciscum prosequebatur, devotione deferri, atque per cuncta loca, in quibus beatus item Pater aliquando substitisset, circumferri voluit, ac tandem ad hoc oratorium delatus atque præfato in lectulo declinatus, post præmissam orationem voti compos effectus est. Quam ob rem, ne aliquando a tanto Patre ingratitudinis argueretur, præmemoratum S. Antonii sacellum ibidem propriis sumptibus ædificari, atque sequentes litteras cum gentilitiis propriæ familiæ insigniis ejus

C portæ incidi curavit: « Hoc opus fieri fecit Petrus » Joannis Pauli de Ursinis, de Urbe, olim capita» neus generalis populi Florentini. » *Mitto alia, quæ apud laudatum Waddingum de sacris montis ædiculis, fautoribus, privilegiis ac principum ad eumdem accessu legi possunt, solumque hic subjungo topographicam ejusdem descriptionem, quam idem Annalista ad annum* 1260 *num.* 31 *post narratam novæ ecclesiæ dedicationem, eo anno solemnissime factam, dedit.*

Ejusdem montis situs

85 Consecrationem hanc (*inquit*) jam superius indicavimus tomo primo, et graviora quæque retulimus hujus montis privilegia; situs et topographiæ ampliorem descriptionem, non adeo nobis tunc exploratam, nec visam, in hunc locum distulimus. Exteris rem gratam nos præstituros putamus, dum eam hic subjunxerimus. Per agrum Florentinum et diœcesim Aretinam inter Tyberim et Arnum, notissima flumina, ad Meridiem et Occasum se extendunt, dilatatis fimbriis, gemini colles, ab Appenninis Alpibus prodeuntes. Super hos exurgit mons frondosus et frugifer, qui ab Oriente versus Tyberim ascensum habet septem milliarium; ab Occidente versus fluviolum Corsalonis, radices montis alluentem, trium milliarium. Super hujus montis juga consurgit alius, etsi totus lapideus, valde tamen pulcher et amœnus, virentibus arboribus ornate confertus, qui super omnes montes et colles circumvicinos caput altius extulit, ALVERNÆ cognomen sortitus...

AUCTORE C. S.

86 Figuram habet quadrangularem: primus angulus vergit ad Meridiem, ex quo descendit æquali proportione per duo milliaria, quasi quædam terræ lingua, ad cujus medium situm est castrum pii illius herois Orlandi, qui montem hunc Francisco donavit. Secundus angulus respicit ad Occidentem, super quem monticulus delectabilis exurgit, ecclesia stigmatum superior. Priores hi anguli non adeo ab invicem distant. et inferiores sunt aliis. Tertius angulus respicit ad Septentrionem, et distat ab angulo secundo mille passus. Suum etiam habet monticulum, PENNA PARVA dictum. Quartus Orientalis est, a tertio distans per quingentos passus: inter utrumque via media occurrit collis altior cæteris, PENNA MAJOR nuncupatus, in cujus cacumine erecta crux molis ponderosæ. Ab hoc ad primum angulum semper descenditur per integrum milliare. In spatio medio inter quatuor angulos numerantur duodecim monticuli juxta numerum duodecim Apostolorum Christi, cujus passio (*id est memoria passionis illius per impressionem quinque stigmatum*) in eo monte erat renovanda.

et topographia

87 Ingressum vel ascensum habet unum per ostium dumtaxat; a tribus enim lateribus abrupta habet præcipitia: a quarto, quod est inter primum et quartum angulum, decurrunt aquæ omnes in vallibus duodecim monticulorum congregatæ. In ascensu a parte Occidentali, emensis ter mille passibus, occurrit primo fons B. Francisci, a frequenti potu et sessione ejusdem ita cognominatus; deinde versus Orientem vergitur ad hortos Fratrum, inter quos recto tramite itur ad montis radices; mox scanditur per montem ipsum ad Meridiem inter montis fimbrias et horti muros ad centum passus, donec via se reflectit ad Occidentem. Gravior deinde ascensus per ducentos passus, donec pervenitur ad crucem in capite viæ erectam: ab hac continuo ascensu per quadraginta passus pergitur ad portam, quæ obseratis valvis, vectibus ferreis et forti aggere montem claudit. Intra hanc est parvum atrium, in quo sita devotissima illa ecclesia, per S. Franciscum in honorem beatæ Virginis constructa, in qua plenaria obtinetur indulgentia in festivitate sacrorum stigmatum, et mira suæ benignitatis et potentiæ portenta Deus monstravit.

exponitur ex Waddingo: E

duplex in eo ecclesia: conventus Fratrum.

88 Ad sinistram partem ecclesiæ contiguum est Fratrum habitaculum in parva planitie infra primum, de quo locuti sumus, monticulum. A sinistra ad Occidentem in area ampliori constructa major ecclesia, cujus ostium Occidentale, altare majus Meridionale, ad annum MCCCXLVIII a Petræmalæ F comitibus cœpta, sed ad annum MCCCCXCVII a Fratribus observantibus consummata. Ita conjuncta est priori ecclesiæ, ut unam utraque in crucis modum constituat, in quarum compagine structa turris excelsa, superpositis campanis, a comite Orlando et S. Bonaventura advectis. Officinæ quæque utrique ecclesiæ sunt communes: tempore hyemali in minori, æstivo in Majori, divinum celebratur Officium. Alia præter hæc in monte esse delubra et sacella, diximus loco superius citato, suis intervallis distincta. Ita universus mons pietatem spirat atque ad devotionem accendit, ut nullus sit, qui rerum omnium dispositionem non omnino admiretur.

Pia Pontificum in hunc locum munificentia: Bonifacius IX

89 *Ceterum longum foret omnia et singula recensere diplomata, quibus summi Pontifices, Cardinales et episcopi ad eum montem fidelibus commendandum, eidem sacrarum Indulgentiarum thesaurum ac privilegia concesserunt. Legi de his potest Waddingus ad annum* 1215, *num.* 33, *orsus ab ipso Gregorio IX, cujus plumbeam bullam, incipientem:* Seraphin volabant juxta Prophetam, *laudat, in qua, ait, illum dimidiam partem pœnitentiæ pro commissis criminibus debitæ remisisse omnibus, qui vel sacrum hunc montem vel ecclesiam, in eo erectam, in sacrorum stigmatum festivitate devote visitaverint. Libet tamen bullam Bonifacii IX, quam pariter ibidem laudat, ex R. P. Grouweli Opusculo de Indulgentia*

AUCTORE C. S.

dulgentia Portiunculæ hic subjicere. Bonifacius episcopus, Servus Servorum Dei etc. Splendor Paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili charitate, pia vota fidelium, de clementissima ipsius Majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus et meritis adjuvatur.

in eodem concessit Indulgentiam Portiunculæ,

90 Cum itaque, sicut accepimus, ad ecclesiam domus Fratrum Ordinis Minorum, sitam in monte Alvernæ, Aretinæ diœcesis, in quo Dominus noster Jesus Christus beatum Franciscum suis sacratissimis stigmatibus insignivit, tam Tusciæ, quam etiam multarum aliarum partium devotionis causa maxima confluat populi multitudo; nos cupientes, ut ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur; et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confici, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam decima septima die mensis Septembris, in qua annis singulis hujusmodi stigmatum solemnitas celebratur, devote visitaverint, annuatim illam Indulgentiam et remissionem peccatorum concedimus, quæ visitantibus ecclesiam
B sanctæ Mariæ de Portiuncula, Assisien. diœc., a primis Vesperis primæ diei mensis Augusti usque ad secundas Vesperas subsequentis diei annuatim authoritate Apostolica, ut asseritur, est concessa... Datum Perusii Kalend. Decemb. Pontificatus nostri anno quarto : *id est, anno Christi* 1592, *cum Bonifacius electus fuerit Pontifex die* 2 *Novembris anni* 1589, *ac die* 9 *vel* 11 *ejusdem mensis coronatus.*

quod Sixtus IV confirmavit.

91 *Sequitur ibidem Bulla Sixti IV, data Romæ anno* 1475, *præmissam Bonifacianam confirmantis, ac præterea,* ut fideles *eo accurrentes* Indulgentias hujusmodi facilius consequantur, *potestatem facientis* vicario Fratrum provinciæ Tusciæ secundum morem dicti Ordinis, et eo a provincia absente, guardiano dictæ domus pro tempore existenti, deputandi aliquos Fratres dicti Ordinis idoneos presbyteros in numero sufficienti, qui dicta die XVII Septembris, et quatuor aliis diebus, illam immediate præcedentibus, Christi fidelium eorumdem confessionibus diligenter auditis, eisdem fidelibus in singulis casibus, in quibus minores pœnitentiarii nostri (*Pontificii*) in basilica Principis Apostolorum de Urbe soliti sunt absolvere, de absolutionis beneficio providere, et pœnitentiam salutarem injungere libere et licite valeant. *Hinc collige, quanta tunc temporis fuerit*
C *istius sacri montis religio, quantusque fidelium ad eumdem in festo sacrorum stigmatum pietatis ergo accursus.*

Forte sunt et aliæ ecclesiæ peculiari ratione ipsi dicatæ ac celebres.

92 *Nullus dubito, quin præter loca tum hic, tum in Commentario, jam memorata, aut etiam in Analectis commemoranda, etiam alibi sint quædam singulari quodam modo ac religione eidem sancto Minorum Institutori sacra, ac peculiari ejusdem memoria celebria; sed nimii laboris esset in singula inquirere; quare sufficiat, præcipua ista memorasse, suaque maneat ceteris religio, quam auctam cupio, non diminutam. Ad Analecta igitur progrediamur.*

ANALECTA.

PARS I.

Ex Waddingi Annalibus Minorum, aliisque editis et Mss.

§ I. Quædam Sancti gesta, a Waddingo in Annalibus ad annum MCCXI relata.

Ratio, cur hæc Analecta tradantur,

Cum in Commentario prævio mihi fere tantum propositum fuerit quatuor primas, easque optimæ fidei, S. Francisci *Vitas commentari, ut ejusdem Sancti gesta historice certa studioso lectori exhibe-*
rem; multa sciens volensque prætervi, quæ eruditus D
ac diligens annalista Minorum Waddingus aliunde accepta præterea recensuit. Procul certe abest, ut biographi, quorum lucubrationes illustravi et edidi, omnia Francisci *gesta scriptis suis consignaverint; nam etsi illi multa de ipso tradiderunt, multo tamen plura sine dubio gessit toto viginti annorum spatio, quo Vir iste magnus Deo ferventissime servivit; quod et iidem biographi, Thomas Celanensis, Tres Socii, sanctusque Bonaventura in Prologis suis expresse testantur. Quam ob rem ex solo horum silentio in dubium vocari nequeunt alia ejusdem facta, si pro his idonei auctores habeantur.*

et quis in illis servandus modus.

2 *His autem mihi quidem, ut alibi jam monui, accensendi non videntur Bartholomæus Pisanus, collectores Speculi* S. Francisci, *Marianus, aliique, quorum fidem partim recentior ætas, partim quædam improbandæ relationes sublestam faciunt. Hinc non omnia, quæ laudatus Waddingus Annalibus Minorum inseruit, commemorabo, sed quædam passim seligam, quæ verisimiliora videbuntur, aut maturius examen merentur, ne Analecta hæc nimium excrescant. Eadem de causa passim præteribo, aut solum leviter attingam fundationes conventuum, quæ longioribus inquisitionibus indigerent, atque ad annalistæ potius, quam ad meas partes pertinent. Sequar autem hic ordinem annorum, quem tenet Waddingus;* E
non tamen, quod singula ad annos suos ab eo recte reposita existimem, nec ut in chronotaxim inquiram : nam hæc ibi passim niti videtur Chronico Mariani, qui sæculo XV *et* XVI *floruit, et multa certis annis illigavit, quorum temporis ratio non videtur posse assignari. Quæ ad* Francisci *parentes, nativitatem, conversionem, sociorum admissionem, Regulæque per Innocentium III approbationem spectant, satis discussimus in Commentario prævio, ut de hisce nihil hic addere necesse sit.*

Sanctus suos divinitus instructos, et Christi conspecta animatos,

3 *Itaque ad annum* 1211, *num.* 2 *Waddingus, laudans in margine Marianum et Marcum Ulyssiponensem, scribit,* S. Franciscum, *priusquam discipulos suos ad prædicandum mitteret, voluisse experiri, an sacro huic muneri essent idonei.* Jubet ergo (*verba Annalistæ sunt*) ut primus omnium os suum aperiat ad prædicationis munus Bernardus, qui primus omnium dedit nomen societati. Ille vero sine mora obedienter incepit, et admiranda eructavit arcana, ita ut, non ipse, qui loquebatur, sed, qui inerat, Spiritus verba protulisse judicaretur. Secundum in medium prodire imperat Petrum Cathanæum, qui similiter tam perite et expedite Dei reseravit magnalia, ut multis annis summum egisse videretur concionatorem. Alter de fugiendis peccatis et acquirendis virtutibus mirum habuit F
sermonem, et quisque tam docte de signata sibi materia locutus est, ut ex alto Dei virtute et sapientia omnes imbutos esse, non immerito crederetur. Cum ergo omnes eructarent verbum bonum, et illorum linguæ viderentur calami scribarum velociter scribentium, quæ a superiori dictabantur potestate, stuperentque cuncti ad divina in singulos concessa beneficia, ecce in medio eorum, qui spiritum infudit et verba, Christus Dominus apparuit in specie pulcherrimi juvenis, singulos mira benignitate et affabili dignatione benedicens.

mittit ad prædicandum

4 Ad cælestem et repentinam hanc visionem omnes stupefacti, extra se rapti, supini ceciderunt in terram. Sed, ut ad se redierunt, dixit Vir sanctus : Fratres mei et filioli dilectissimi, summas agite gratias Deo omnipotenti et Filio ejus Jesu Christo Domino nostro, cui placuit, per ora simplicium thesauros disseminare cælestes. *Prosequitur Sanctus sermonem ad eam rem accommodatum, post quem ibidem additur :* Quibus auditis, viri sancti se ad omnia aiunt paratos, solumque expectare præceptum, qui jam propriæ renunciaverant voluntati; nec de sua simplicitate diffidentiam superare spem divini adjutorii. Divisit ergo eis pius Pater terram in funiculo distributionis *etc. Haud difficulter hæc credi possent, si antiquiores testes haberent, quam sint Marianus et Marcus; nam in Vitis,*

A *Vitis, quas edidi, nil tale legere est. Si eadem nota fuerint Tribus Sociis, miror, non hæc potius ab illis in exemplum adducta fuisse, quam quæ habent in Appendice num.* 36 *et sequenti; nimirum, sex primos socios, cum a* S. Francisco *mitterentur ad annunciandam populo verbis factisque pœnitentiam, territos timuisse, et ab eodem Sancto promissis propheticis ad suscipiendum impositum munus animatos promptosque redditos fuisse.*

Dum Perusii prædicans impediebatur,

5 *Ad eumdem annum num.* 3 *subdit Waddingus ex eodem Mariano,* Franciscum, *sociis alio missis, cum Sylvestro in vicinam Tusciam perrexisse, de eoque itinere inter alia narrat sequentia :* Pervenit ergo Perusium, nobilem ac satis notam in ditione Pontificia civitatem, in qua publico in foro dum sermonem haberet ad populum, supervenerunt quidam equites ac nobiles civitatis juvenes, qui in equis hinc inde discurrentes et hastiludium exercentes, impediebant auditores, ne, quid Vir sanctus prædicabat, audirent. Quos dum ipse populus sæpius incusaret, et quidam acrius arguerent, nec tamen illi a suis ludis et vanitatibus abstinerent; conversus ad eos in fervore spiritus beatus Pater dixit : Audite et intelligite, quæ Dominus per me servum suum vobis annunciat. Nec dicatis, quod hic est Assisias (apposuit hanc cautelam propter
B mutuum odium inter utriusque civitatis populos) quia non secundum hominem loquor.

dicitur publice prædixisse civiles tumultus,

6 Dominus exaltavit vos et magnificavit super omnes vicinos vestros : propter quod magis debetis agnoscere Creatorem vestrum, humiliando vos, non tantum ipsi Deo, sed etiam vicinis vestris, et omni creaturæ propter Deum. Sed elevatum est cor vestrum in elatione et superbia et fortitudine vestra; et devastastis et oppressistis vicinos vestros, et multos interfecistis. Unde dico vobis, quod, nisi cito ad Dominum conversi fueritis, satisfacientes illis, quos offendistis, Dominus, qui nihil relinquit inultum, ad majorem vindictam et punitionem vestram, et in opprobrium vestrum faciet vos consurgere unum adversus alterum, et mota seditione et intestino bello, tantam tribulationem patiemini, quantam vicini vestri vobis inferre non possent... Ad complementum vero supra relatæ prophetiæ divina evenit permissione, ut paucis post diebus magnus oriretur tumultus inter nobiles Perusinos et populum. Deventum est ad intestinum bellum; sed populus prævaluit, et nobiles cum clero, cui adhæserunt, expulsi sunt civitate. Qui, ut illatam ulciscerentur injuriam, omnia ruralia bona, domos campestres, vineas, segetes, pomaria populi devastaverunt, et, quæ poterant,
C damna retulerunt.

eventu mox secuto.

7 Stomachabundus similiter populus illorum deprædatus est ædes, cecidit servos et filios, talisque facta est desolatio, contritio et infelicitas in viis eorum, ut vere secundum Francisci vaticinium exteri hostes tot mala non possent infligere. Tanto ergo suo damno Perusini Hominis experti sanctitatem, qui futura mala præviderit et tam clare prænuntiarit, dignam ejus conceperunt opinionem, et rogarunt, ut apud eos paulisper remaneret, sedemque suæ mansionis sibi deligeret. Adhæserunt etiam ei multi pii adolescentes et timorati viri, quorum aliquos sua veste donavit, ex quibus specialem invenio fratris Humilis memoriam. *Hactenus Annalista ex fide Mariani, quem unum laudavit; nam verba S. Bonaventuræ, qui num.* 4 *etiam citatur, unice faciunt ad probandam* S. Francisci *in publice arguendo Evangelicam libertatem et constantiam, nec ad hunc annum* 1211, *aut ad hanc civitatem magis, quam alio pertinent; at faciunt tamen, ut prædicta paulo verisimiliora reddantur.*

Dicitur Cortonæ tunc admisisse ad Ordinem

8 *Perusio post alia quædam progressum esse* S. Franciscum *Cortonam, ait ibidem Waddingus num.* 8, *tuncque ad Ordinem suum admisisse B. Guidonem, qui, cum jam a prima ætate sua vitam sancte instituisset,* Francisci *publico ad populum sermone audito, coram ipso procidens, eum ad prandium invitavit, prandioque finito, ejusdem habitu indui postulavit, obtinuitque post distributa pauperibus omnia, quæ possidebat. Dum vero Guido in fine concionis, ut dictum est, prandium offerens, ad* Francisci *genua procidit, Sanctus ad suos conversus, dixit :* Iste adolescens per Dei gratiam nostræ adscribetur hodie militiæ, et in ista civitate sanctificabitur; *quod utrumque vaticinium probavit eventus. Tunc quoque* Franciscus, *ducente eodem B. Guidone, et adjuvantibus Cortonensis civitatis incolis, pauperculum cœnobiolum extra civitatem exstruxit in loco* Cellæ *appellato.*

AUCTORE C. S.

B. Guidonem, Heliam et Vitum;

9 *Laudat pro hisce Annalista Marianum, Rodulphium et Legendam B. Guidonis, quam etiam apud nos editam habes ad diem* 12 *Junii, ubi tamen idem B. Guido perperam dictus fuit* Tertiarius *Ordinis* S. Francisci, *cum ejusdem Ordinis* Minorum *dicendus fuisset, uti postea observatum fuit in Supplemento Junii tom. VI. Porro ista aliaque ejusdem Beati cum* S. Francisco *gesta paulo latius in eadem Legenda ibi legi possunt; an tamen illa citato per Waddingum anno contigerint, ex ea non elicies. Tunc quoque ab eodem sancto Institutore ad Ordinem admissi leguntur apud Waddingum Helias, qui proximus ejusdem in generale Minorum ministerium successor fuit, atque alius, nomine Vitus, cujus breve, sed insigne, elogium ibidem datur. Leguntur præterea etiam nonnulla alia* S. Francisci *gesta,* E *velut ad hunc annum pertinentia, quæ in Vitis quoque a me editis referuntur, sed sine nota temporis, quo contigerunt.*

ac deinde secessisse in insulam lacus Perusini,

10 *Num.* 12 *peculiare Sancti jejunium narratur his verbis :* Imminente deinde Quadragesima, consumptis in superioribus exercitiis duobus ferme mensibus, commendata ædiculæ (*Cortonensis*) cura fratri Sylvestro, dissimulavit apud fratres, se aliquanto longius solum iturum. Accessit vero ad devotum quemdam virum, non longe ab illo loco morantem, juxta... lacum Trasumenum, seu Perusinum. Rogavit hunc, ut feria tertia Quinquagesimæ se transvehi curaret in medii lacus parvam et incultam insulam. Præparavit homo cymbam, et ante auroram diei Cinerum sanctum Patrem transtulit, quo desiderabat, duos tantum (Gonzaga cum aliis unum dicit) secum afferentem panes. Rogavit autem portitorem Vir sanctus, ut nulli detegeret illius latibulum, nec eum repeteret, nisi feria quarta Majoris hebdomadæ. Durum videbatur lintrario seu vectori, Hominem tot diebus in deserto, ubi humani generis nullus habitabat, tam tenui et perexiguo victu vitam transigere; sed ob sanctitatis perspectæ reverentiam, se facturum, quod jussit, promisit.

B

in eaque solus quadraginta diebus severissime jejunasse;

11 Recedente hoc suo amico, sub spisso vepre formavit sibi receptaculum ad modum tugurioli, in quo aliquantulum ab adverso cælo se defendebat. Ex panibus vero, quos secum tulit, unius dumtaxat dimidium manducavit, per quadraginta illos dies ad Christi exemplum in solitudine jejunans. Rediit autem vir ille devotus statuto die, ut eum reportaret, unde ante devexit : cui gratias agens, transfretavit, placato, dum navigaret, signo Crucis procelloso lacu, et ad locum Cellæ rediit, ubi Cœnam et Resurrectionem Dominicam cum fratribus celebravit. Ut autem hujus rari jejunii pervenit ad vicinum populum notitia, quotidie in insulam multi transvadabant, ut a sancto Viro compactum viderent et celebrarent tugurioluum. Factis autem ibidem, sancti Viri meritis, magnis prodigiis, ob ejus devotionem cœperunt quidam illuc demorari, et construere sibi habitacula, quæ decursu temporis mediocre coierunt in oppidum. Invalescente etiam Perusinorum erga sanctum Patrem devotione, eo defuncto, ibidem in ejus honorem conventum ædificarunt, ut largius ad annum MCCCXXVIII referemus. Adjacet conventui fons, ex quo aliquoties per illos quadraginta dies biberat Vir sanctus, a quo nomen accepit, et cujus aqua epota multos infirmos perfectæ reddidit sospitati.

12 *Duo, quos hic laudat Annalista, auctores*

AUCTORE C. S.

quod quibus auctoribus asseratur,

sunt illustrissimus Gonzaga in provincia S. Francisci *conventu* 35, *et Rodulphius fol.* 305, *pag.* 2, *qui sæculo* XVI *scripserunt, neque alios testes appellant. Eadem tamen aut simillima leguntur etiam in tribus, quas habeo, Speculi vitæ* S. Francisci *editionibus, Metensi scilicet anni* 1509, *Spoelberchiana Antverpiensi anni* 1620, *et Bosquieriana Coloniensi anni* 1623, *quarum sola prima prælucere potuit laudatis Gonzagæ et Rodulphio. At mirari licet, cur istud factum ignoraverit, aut præterierit Bartholomæus Pisanus, sæculi* XIV *scriptor, ad cujus argumentum non parum conducebat, hoc tam severum in deserto loco jejunium reliquis* S. Francisci *cum Christo Domino conformitatibus, ut ipse loquitur, annumerari; uti annumerare non omiserunt tres prædictæ Speculi editiones. Esse tamen hujus rei apud Perusinos traditionem, discimus etiam ex Cæsare Crispolti Perusino in Descriptione Perusiæ Augustæ lib.* II, *pag.* 188, *ubi de eodem lacu Trasumeno ad propositum nostrum habet, quæ ex Italicis Latine subjicio.*

quamque verisimile sit,

13 In mediis ejus aquis surgunt tres insulæ, quarum duæ, sibi vicinæ, versus Septemtrionem sitæ sunt, et quarum una appellatur MAJOR, altera MINOR; hæc habitatoribus vacua est; illa ducentis ferme familiis culta, aerisque salubris. In hujus
B fastigio conventus est Fratrum Observantium S. Francisci, ædificatus in memoriam Seraphici Patris, qui Quadragesimas ibidem exegit in jejuniis, orationibus, lacrymis et flagellationibus, occasionemque dedit, ut ea insula habitaretur; quapropter et locus iste MONS SANCTUS appellatur. *De conventu Ordinis Minorum in ejusdem lacus insula sito etiam meminit Gobellinus in Commentario Pii II lib.* II *dicens, hunc Pontificem, dum Assisio Senas pergens, Trasumenum lacum trajecit, in eadem insula* apud religiosos S. Francisci monachos *pernoctasse. Huc verisimillime etiam spectat, quod apud Blavium in Geographia in Charta Territorii Perusini ad eamdem insulam notetur :* S. Francesco. *Quod autem Waddingus verbis supra datis promiserat de exstructione ejusdem conventus ad annum* 1328 *latius referenda, ejusdem memoriæ postea excidisse videtur, cum eo anno, quem didicerat ex Gonzaga, nullam illius mentionem fecerit.*

paulisper expenditur.

14 *Ex Vita, a Bonaventura scripta, constat quidem,* S. Franciscum *in aliqua lacus Perusini insula aliquando fuisse; sed nec hanc tunc habitatoribus vacuam ait, nec illum ibi solum fuisse; quin postremo contrarium potius indicavit. En verba ejus ex Vitæ num.* 115. Modo quoque consimili in insula lacus Perusini cuniculus quidam captus et Viro Dei oblatus, cum ceteros fugeret, manibus ejus et
C sinui se domestica securitate commisit. *Certe ad hanc in ea insula moram referri nequit prædictum jejunium, si Sanctus illud, ut supra dicitur, in eadem omnino solus exegerit. At potuit ille etiam alio tempore in eamdem trajecisse cum sociis, alio solus. Quid multa? Non erat hujusmodi secretus secessus a* Francisci *genio alienus; quippe qui soluerat, ut docet Celanensis in Vita num.* 91, *sua tempora ita partiri, ut eorum partem divinis colloquiis, partem proximorum saluti impenderet, maximeque solitudine gauderet, ut, si quid humanæ labis ex consortio hominum sibi forsan adhæsisset, ab omni remotus turba, solus cum solo Deo, detergeret. Verumtamen cum pro tam mirabili facto nullus sat antiquus producatur auctor, non potest non mihi admodum dubium videri, et de adjunctorum exaggeratione manere valde suspectum.*

Ordinatis apud Cortonam rebus, Aretinos pacificat,

15 *Post hæc apud Waddingum legitur* S. Franciscus *concessisse B. Guidoni, ut majoris solitudinis et liberioris contemplationis gratia in cava rupe adversi montis, ad cujus radices prædictus pauperculus conventus erat, cellulam sibi ædificaret, eo tamen pacto, ut ad statas preces cum ceteris conveniret : deinde vero rebus omnibus recte ordinatis, hinc recessisse; quæ ejusdem B. Guidonis Cortonensis Vitæ, ad diem* 12 *Junii apud nos editæ, conformia sunt. Hinc dicitur Sanctus profectus Aretium, in ejusque suburbio hospitans, civitatem illam, in-* D *testino bello periclitantem, ejectis ex ea dæmonibus, mirabiliter placasse. Res certa est ex S. Bonaventura in Vita edita num.* 85, *sed quod ad annum spectat, is ibi non indicatur, et a Waddingo acceptus est ex Mariano et Hugolino; dissidentibus tamen, ut observat, Marco Ulyssiponensi et Rebolledo, qui annum* 1216 *vel* 1217 *signarunt. Ego nullum determinare ausim, cum Bonaventura solum dicat :* Contigit, ipsum (*Franciscum*) ALIQUANDO Aretium devenire *etc.*

ab iisdem conventum obtinet, patrat miracula.

16 *Porro Waddingus ex supra laudatis scriptoribus subdit, Aretinos, cum tam inopinatæ subitæque civium suorum reconciliationis Auctorem cognovissent, ad pedes ejus procidisse, eumdemque summo cum honore ac veneratione in civitatem deduxisse; ubi ille in publico foro sermonem instituit de pace servanda, fugiendisque discordiis, quas a dæmonibus, pacis inimicis, oriri, luculenter ostendit. Finita concione, illum ad communes civitatis ædes ductum, et assistentibus primoribus populi, cibo refectum, ait; deinde actum de exstruendo conventu Aretii, et hunc humili more brevi conditum, religiosisque novitiis instructum fuisse. Verisimilia hæc sunt; quamquam, ut jam monui, annus, quo ea contigerint, incertus mihi sit. Inter admissos tunc ad Ordinem memorat B. Benedictum Aretinum, de quo in Opere nostro* E *actum est die* 31 *Augusti. Multa quoque miracula a sancto Patre in eadem Aretina mora patrata fuisse, asserenti Waddingo facile credi potest.*

Ganghereti sacellum construit, quod, ejus profanationem ulciscente Deo,

17 *Aretio (ut ibidem sequitur num.* 18) Franciscus *Florentiam versus proficiscens, Ganghereti, quod in valle Arni in Tuscia oppidum esse ibi dicitur, ædificando conventui fundum a loci dominis accepit, in quo adversa valetudine correptus aliquot diebus morari compulsus est; ne tamen vel sic otiaretur,* suis manibus exstruxit, vel muro circumdedit eum, qui sua ope et precibus in nemore exstillavit, fontem, qui adhuc existit, et cujus aqua multos a variis liberat infirmitatibus. *Hæc Waddingus ex Rodulphio in Custodia Aretina, et Gonzaga in provincia Tusciæ conventu* 15; *post quæ subdit ipse sequentia num.* 19 : Id obiter de hoc loco dixerim, quod Marianus post MCD annum accidisse, notavit, temporis decursu ecclesiunculam a divo Francisco exstructam, alia nova ædificata, adeo neglectam, ut vario usui successive inserviret, donec demum deleto ab hominum memoria, ibidem aliquando sacram extitisse ædem, mutaretur in stabulum. Ostendit autem Deus, quantum sibi hæc hominum displicebat incuria, morte quorumcumque, quæ illuc introducebantur, animalium. F

sæculo XV *restitutum fuit : alia quædam Sancti gesta.*

18 Quidpiam illic latuisse sacri, existimavit quidam ex patribus, et absterso purgatoque loco, invenit in quodam parietis angulo defossam capsulam, continentem quasdam reliquias Sanctorum, scutellam ligneam, in qua sæpius sanctus Pater comederat, sicut appositum scriptum testabatur membraneum; atque ejus genuinam imaginem, a quodam Aretino non longe ab ejus morte depictam. Movit hæc ratio patres, ut locum in veneratione haberent, et erecto in eo altari inventam superponerent effigiem, quæ in hunc usque diem magna colitur religione sub cura patrum Conventualium custodiæ Aretinæ. *Eo plus fidei meretur hæc narratio Mariani, quod eodem sæculo, quo ista contigisse affirmat, ipsemet etiam floruerit. Ne nimium excrescant hæc Analecta, præterea, quæ in sæpe dictis Annalibus Minorum ad eumdem annum leguntur de exstructis variis in locis per* S. Franciscum *ejusque fratres conventibus, admissis in Ordinem candidatis, inter quos unus fuit Petrus, qui pro Christi nomine sanguinem suum apud Marrochianos postea fudit, atque aliis, de quibus studiosus lector Waddingum consulere ibi potest.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

§ II. Varia Sancti gesta, quæ a Waddingo ad annum MCCXII et ad partem sequentis narrantur.

Hoc anno dicitur admisisse conventum apud Sarthianum,

Ex *sententia Waddingi, seu potius, quem hic secutus est, Mariani, perrexit* Franciscus *anno* 1212 *ineunte in Hetruria magno cum fructu prædicare ac nominatim Sarthiani, quod oppidum est civitati Clusinæ vicinum. Hic ab incolis rogatus, ut apud illos maneret, negavit, se, cui omnium salus curæ esset, diutius ibi posse subsistere; concessit tamen suorum aliquot, quibus conventus condendi locum* secundo ab oppido lapide præscripsit ipse... inter densas sylvas in supereminentis montis cacumine. *Tum,* socii post ejus discessum, *ait,* prout Institutor designavit, pauperculum effoderunt delubrum in ipsa rupe, ita ut pro laquearibus ipsum habeat montis supercilium, et cellulæ viderentur potius ferarum antra, quam cubicula monachorum. *Quidquid sit de anno modoque structi conventus, ex Bonaventura constat, tempore* S. Francisci *ibi aliquem conventum cum contiguo horto exstitisse. Nam in Vita num.* 60 *et sequenti narrat,* Franciscum, cum... apud eremum de Sarthiano nocte quadam

B orationi vacaret in cellula, *a tentatore dæmone ad laxiorem vitam fallaciter invitatum fuisse, eamque tentationem a sancto Viro sui corporis flagellatione, et in horto in nivem immersione piaque elusione viriliter repulsam fuisse.*

atque inde reduxAssisium miro populi applausu exceptus,

20 *Redeo ad Waddingum, apud quem num.* 4 *legitur Sanctus alterum conventum suis obtinuisse Citonii vel Cetonæ, quem locum verisimiliter non longe a prædicta civitate Clusio dissitum ait. Deinde num.* 6 *ex Mariano ita prosequitur :* A Cetona rediit Assisium ad Quadragesimæ principium, Sancti et Deo chari adeptus ubique per castella et civitates opinionem : verbis enim et factis mirabilem se ostendit et vere a Deo missum. Propter quod turmatim omnes ad eum confluebant, quidam vestimenta tangebant, alii etiam pedum vestigia venerabantur; et, qui ipsum attrectare vel manus aut pedes ejus osculari poterant, felicissimos se reputabant, omnemque sibi possibilem honorem exhibebant. Unde factum est, ut socius admiraretur valde, sed inde validius, quod Vir sanctus honorificantes non reppellebat. Simplici proinde audacia admonere voluit, fugiendos hominum honores, dicens : Pater, non animadvertis, quæ circa te fiunt? Non attendis ad istos applausus humanos? Tantum abest, ut hos pro Christiana humilitate repellas, ut potius ex affectu humano videaris in

C eisdem complacere. Quænam hæc, Pater, complacentia tam aliena a Dei servis?

eumque, cur non prohiberet, monenti socio

21 Cui Vir sanctus majorem admirationem incussit hac sua responsione : Licet plurimus tibi videatur mihi honor impensus, attamen scias, me reputare, hos parum aut nihil mihi exhibere illius honoris, quem, deberent impendere. Ad hos sermones infirmi socii pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus ad scandalum; cujus ut subveviret infirmitati humilis Pater subjunxit : Vide, frater, et intellige, omnem hanc reverentiam ad Deum remitto, nihil illius mihi tribuo, nec approprio; sed me ipsum conservo et confirmo magis

an in fæce ? in face * meæ humilitatis et vilitatis. Veluti lapideæ statuæ aut ligneæ effigies, quibus debitus offertur cultus, nec tamen hinc extolluntur, aut tument, sed sub eadem permanentes materia omnem honorem transmittunt ad suos prototypos, propter quos adorantur. Homines autem ex hoc non modicum lucrantur, quia Deum recognoscunt et honorant in suis creaturis, et in me omnium vilissima. Qua pia et discreta ratiocinatione delevit ex discipuli mente, quod obvenerat offendiculum. *Hactenus ille ex Mariano suo.*

exposuisse.

22 *Simili populorum plausu, lætitia ac veneratione, imo etiammajori,* Franciscum *ob perspectam sanctitatem et miraculorum gloriam sæpius, aut certe aliquoties, in oppidis et castellis exceptum fuisse, docet ibidem ex Legenda, quam vocat Gregorii IX, ac revera etiam legere est in Vita per Celanensem apud me num.* 62 *et sequenti, ut hac de re prudenter nequeat dubitari. Interrogatio quoque socii Sanctique responsio, licet de iis sileant primi biographi, sua tamen verisimilitudine non carent. Non poterat certe humillimo* Francisco, *qui se peccatorum omnium vilissimum reputabat, et haberi volebat, non esse grave ab hominibus honorari; sed nec magis facile ei erat, turbam impedire; quid ergo ageret Vir sanctissimus, nisi, quod ei sollenne erat, delatum sibi honorem referre in Deum, cujus causa honorabatur, atque hinc duplici effervescere pio gaudio, quod et sic honoraretur Deus, et certior affulgeret sibi spes salutis populi tam obsequentis. Hæc igitur sensa, in quibus nihil est humillimo simul ac seraphico* Francisco *non dignum, importuno monitori socio promere potuit, ut simul ipsum eruditet, quid in simili occasione agendum esset. Ceterum, quantum Sanctus ab humanis laudibus abhorruerit, quantopere desiderarit contemni, docent omnes biographi illius, et ego in Commentario prævio exposui.*

AUCTORE C. S.

Alia quædam alibi jam relata : gesta Sancti Romæ,

23 *Quæ deinde apud Waddingum sequuntur de conversione S. Claræ ad vitam religiosam; de dubio* S. Francisci, *an præstaret sibi prædicationi, an vero contemplationi, incumbere, cognitaque Dei pro prædicatione voluntate, et miraculis, quæ prædicantem illustrarunt, jam egi in Commentario prævio, partim suis temporibus, partim inter incerti temporis gesta, quia tanti mihi non est Marianus, ut in omnibus illius chronotaxim sequendam putem. Subdit Annalista Romanum Sancti iter, in quo ipsum cum summo Pontifice Innocentio III tractasse, ait, tum de rebus sui Ordinis, tum de Mahumetanis et Tartaris convertendis ad fidem. Ibi tunc ab eo admissum ad Ordinem esse* Zachariam Romanum, signis et portentis postea mirificum; *atque alterum, Guilielmum Anglicum, sanctitate pariter ac miraculis clarum. Ibi denique tunc initam fuisse arctam illam inter ipsum ac nobilem matronam Romanam, Jacobam de Septemsoliis, amicitiam, de qua in ejusdem Sancti funere egimus in Commentario prævio.*

E

ac in itinere versus Syriam et reditu in Italiam.

24 *Post collata cum summo Pontifice, uti dictum est, consilia, obtentamque, ut Mahumetanis prædicaret, facultatem,* Franciscus *Roma Assisium rediisse, atque hinc mox iter versus Syriam aggressus fuisse dicitur num.* 33, *ac recta quidem ivisse* in civitatem Asculanam, in Piceno nobibem, *ut ibidem ex* Legenda antiqua *observatum est. Is vero illius prædicationis in eadem civitate fructus, eodem teste, tunc fuit, ut* triginta,... tum ex clericis, tum ex laicis, ad suum sodalitium *receperit,* quos ad exstructas a se ædiculas transmisit. *Verum, Deo aliter disponente, postquam Sanctus mari se commiserat, navi vi tempestatis in Sclavoniæ partem adacta, præcisaque ipse tunc navigandi in Syriam, in Italiam reversus est. Iter hoc ego quoque anno* 1212 *illigavi in Commentarii prævii* § 13 *ad quem lectorem remitto. De magno Asculanorum in* S. Francisci *adventu gaudio, ac triginta viris, clericis laicisque Minorum habitu ibidem donatis etiam expresse meminit Celanensis in Vita a me edita num.* 62, *et quidem aliquot iisdem phrasibus; sed annum minime expressit, solum dicens :* Tempore illo, in quo, sicut dictum est, venerabilis pater Franciscus prædicavit, civitates et castella circuiens *etc. Hinc suspicor, Legendam, quam* Antiquam *vocat Waddingus, partim ex Vita per Celanensem scripta concinnatam fuisse.*

F

Ejusdem morbus, ac quædam alia

25 Dilabente hoc anno (*ita prosequitur Annalista num.* 32) Vir sanctus in tertianam incidit febrim, quæ post evasit quartana; quem ut rescivit morbo laborasse, dominus Guido, civitatis (*Assisiensis*) antistes, uti erat Vir pius et in Dei Servum valde propensus, instanter et importune cum eo egit, ut in sua domo decumberet. Jacentem hic conveniebant fratres in rebus necessariis, eoque deferebant juvenes sodalitio adscribendos, quorum

AUCTORE C. S.

a sociis, Italiæ regiones lustrantibus, missorum aliquando triginta, aliquando quadraginta simul habitu donabat. Inter quos accessit nobilis ex Luca civitate adolescens, plorans et instantissime petens, ut cum ceteris initiaretur. Quem intuitus Vir sanctus, dixit : O miser! quid adeo ploras, et * oculis velis indicare, quod tibi cordi non est? Quam facile divelleris ab hoc tuo levi proposito! Nec magna intercessit mora, quando accesserunt ex parentibus duo cum equis et servis ad episcopi palatium, juvenem revocaturi, et, si oporteret, vi reportaturi, quibus absque plurima renitentia assensus adolescens, juxta sancti Viri prædictionem reversus est in domum paternam, facillime abigens tepidum illud monachatus desiderium.

* *an* ut?

gesta Assisii.

26 *Unde hæc acceperit, non indicat Waddingus, nisi forte ex Hugolino, quem laudaverat num. præcedente. Nihil tamen in his est a verisimilitudine alienum : nam et Sanctum etiam alias in ædibus Guidonis episcopi Assisiatis decubuisse, et eo tempore non potuisse Ordinis Minorum candidatos, nisi ab ipsomet Institutore religionis habitu indui, atque ipsum mira arcanorum mentium cognitione fuisse præditum, ex primigeniis Vitis novimus. Nescio, an recte ad hoc pariter tempus hic referatur num.* 35, *quod apud S. Bonaventuram cap.* 6 *legitur de mira* B S. Francisci *humilitate et desiderio contemptus sui, ex quo, cum infirmitatis causa carnem gallinaceam comedisset, jussit se magna sui corporis parte nudatum, funeque ad collum alligato, a socio in publicum protrahi et gulosum proclamari etc.*

Dicitur nobilem divitemque adolescentem,

27 *Alterum cujusdam nobilis adolescentis ad Ordinem Minorum accessum num.* 36 *Waddingus narrat his verbis ex Mariano, ut inquit, et* Legenda antiqua. Pia et sancta horum fratrum (*qui Mediolani versabantur*) conversatio movit adolescentem quemdam nobilem, divitem et doctum, ut eorum affectaret sodalitatem. Responderunt, rem difficilem intentasse, incipiendumque a sui abnegatione et temporalium abdicatione. Cuncta, quæ præscribebant, levia judicavit ex vehementia cælestis vocationis, et per plures dies institit in habitu petendo; tandemque ad fratrum consilium omnes suas facultates vendidit, quarum potiorem partem distribuit in pauperes, partem alteram reservavit itineri, quod peragendum dixerunt fratres versus Assisium, ubi degebat sui instituti Rector, penes quem dumtaxat erat potestas ad Ordinem recipiendi.

qui cum magna pompa ad eum veniens habitum petebat,

28 Ille familiares quosdam et parentes convocavit, ut comitarentur in via, et magnam duxit secum turbam satellitum. Secutus est etiam rogatu nobilium cognatorum ex fratribus unus, ut prosperum faceret desiderium ejus; qui, postquam ad C sanctum Patrem accessit, eumque ad ostiolum cœnobii deduxit, ut nobiles viros salutaret et exciperet; statim, ut vidit tantum et pomposum comitatum, interrogavit : Qui sunt isti domini, aut quid volunt? Cui frater hilari vultu, quasi magnam et gratam offerret sancto Viro prædam, Pater inquit, hic est ex nobilissimis Mediolanensibus adolescens, eruditus et dives, qui vester cupit esse discipulus. Subridens sanctus Pater, Frater mi, inquit coram omnibus, non videtur mihi bonus pro nostra societate : ad pauperem enim religionem nimio cum fastu, elati animi signo, venire, mihi indicat, non contempsisse perfecte amorem sæculi; nec ei velle perfecte valedicere. Consulam hac in re nostros consodales.

repulisse, sed post data humilitatis indicia recepisse,

29 Convocatis igitur in unum, et re omnibus proposita, ipso adolescente coram posito, singulos interrogavit, an admitti deberet. Quibus sigillatim dicentibus : Nequaquam; quia adhuc radicatam, nec perfecte extirpatam in eo conspiciebant vanam gloriam et pompam mundanam; obstupuit totoque palluit ore adolescens, et in compunctionis lacrimas erupit. Quem ut vidit ore mutatum, et corde compunctum, ejus compatiens benignus Pater, denuo interrogavit : Vultis eum recipere, fratres mei, si velit humiliter servire in culina, et noster esse coquus; quo ministerio sæculi abdicabit vanitatem? Responderunt, sibi hac lege placere. Conversus ad juvenem, inquit : Audisti, quid hi dicunt? Complebis hoc pactum? Illo provoluto ad sancti Viri pedes, asserenteque, se paratum ad omnia, quæ sibi placuerit imperare, amplexus est eum et deosculatus, dimissisque comitibus et satellitibus, quibus omnem pecuniam et supellectilem tradi præcepit, misit eum tyronem in urbem, ut in supra dicto, quod habebant in xenodochio, hospitio fratribus inserviret in culina. D

felici planè successu.

30 Quod humiliter et absque omni fecit murmure ad magnum sui et fratrum solamen; et tantus evasit vir inter vilia humilitatis officia, ut eum cæteris in eadem æde postea præfecerit sanctus Pater, et magna deinceps splenduerit vitæ sanctimonia. *Hæc ibi Waddingus ex Mariano, ut dixit, et* Legenda antiqua, *quorum primi ætas recentior est, alterius mihi ignotior, quam ut certum de jam relatis judicium ferre queam. Interim mihi mirum apparet, nec relationi favet, quod tam nobilis, divitis, fastosi ac eruditi adolescentis, moxque tam humilis monachi, deinde conventus guardiani, sanctimonia insignis, nomen nescierint ejusdem relationis auctores; cur enim omiserint, si scivissent? Poteratne tam præclari exempli viri vocabulum e memoria Minorum facile obliterari.* E

Anno 1213 Sanctus etiam febricitasse dicitur,

31 *Ad annum* 1213 *progrediens Waddingus, febres, quibus* Franciscum *elapso anno conflictatum dixerat, hoc quoque eidem molestas fuisse affirmat; ac propterea, cum vires ad magna, quæ meditabatur, non suppeterent, scripsisse primo brevem ad omnes Christianos epistolam, ac post hanc etiam longiorem, ut sic saltem aliis prodesset. Jam monui in Commentario prævio* § 14, *febres illas, quas sine teste asserit Annalista, non satis recte posse componi cum laboribus, quos eodem anno ab illo susceptos narrat. De epistolis cum in peculiari de* S. Francisci *Opusculis capite acturus sim, nihil hic observabo. Pergit Waddingus, ipsumque, antequam meditatum in Africam iter arriperet, ineunte vere, cum jam minus molesta febris esset, et in quartanam mutata, ad visitandos in valle Spoletana vicinisque provinciis conventus suos procedentem producit, Mariani Chronicon secutus. Suffecerit mihi compendiose percurrisse, quæ ille pluribus enarravit.*

Fulginii conventum accepisse, asinum mire obsequentem sibi habuisse;

32 *Fulginii conventum suis obtinuit, suique hospitis domum signo Crucis munivit eo successu, ut illa, flagrantibus vicinis ædibus, ter quaterve intacta manserit, flamma alio se convertente. Trebiæ, dum in publico foro concionabatur, pullum asini, ruditu suo concionem turbantem, his verbis compescuit :* Frater asine, orem te, ut sileas, nec interturbes F verbum Dei, quod sitienti huic populo propono. Quæ verba veluti rationabiliter caperet, jumentum statim, cunctis admirantibus, obediit, et propius accedens, utroque poplite flexo, se etiam exhibuit auditorem immobilem, donec sanctus Vir totum compleret sermonem. *Laudatur pro hisce* Legenda antiqua *mihi, ut sæpius monui, ignota; nam in vetustis, quas edidi, leguntur quidem similia brutorum animantium obedientiæ ad Sancti imperium exempla; sed non hoc asini. Spoletum progressus* (*laudatur hic denuo* Legenda antiqua *cum Mariano*) *avarum divitem post difficulter extortum ab eo per fratres panem, suis suorumque ad Deum precibus,* ter repetita *scilicet* Oratione Dominica et Salutatione Angelica, *duritiæ suæ pœnitentem ad se adduxit, præcipuumque fratrum Minorum amicum fecit.*

Interamnæ et alibi miracula patrasse, ab angelo recreatus esse.

33 *Interamnæ cum publice prædicasset, ejusdem civitatis episcopum laudatorem publicum habuit, piaque ac humili gratiarum actione, qua laudes suas ad Deum referebat, sibi etiam magis devinxit. In eadem civitate vinum acidum in vinum optimum convertit. Puerulum ex repentino muri casu fœde discerptum mortuumque revocavit ad vitam, parentibus prædicens, numquam ex eo, licet uxorem duceret, sperandam sibi esse filiorum successionem; quod vaticinium probavit eventus. Atque hæc quidem*

ex

A *ex Legenda illa antiqua et Mariano; sed ex Bernardo a Bessa ibidem dicitur Interamna versus comitatum Narniensem ambulans, submersi viri sub flumine latens corpus indicasse, et in terram extracto vitam reddidisse, et in eodem comitatu apud Castrum S. Urbani in solitario loco febri gravique stomachi dolore affectus, cum vinum, quod nullum ibi erat, frustra postulasset, aquam in tam salubre vinum convertisse, ut ejusdem haustu mox receperit sanitatem. Factum constat ex S. Bonaventura in Vita num.* 68; *sed annum ex Mariano accepit Waddingus. Ex dictis vero in Commentarii prævii* § 18 *observa, Castrum S. Urbani non esse in comitatu Narniensi in Umbria, sed apud Æsinates in Piceno. Ex ejusdem Mariani fide* Francisco *tunc ibidem in specu oranti, suamque familiam Deo commendanti, apparuit angelus, qui illius et fratrum ejus vitæ normam laudavit; speciale illis ac perpetuum Dei auxilium, eorumdemque fautoribus prosperitatem spopondit, adversariis vero divinam ultionem minatus est.*

S. Bernardum suo habitu donasse, aliaque egisse,

34 *Post hæc in castro Corbio vel Carbio recepit ad habitum Bernardum, alias Berardum, qui postea ab eodem sancto Patre suo cum quatuor sociis ad prædicandam Christi fidem missus in Africam, martyrii palmam Marrochii obtinuit; de quibus consule,*
B *si lubet, Opus nostrum ad diem* 16 *Januarii, quo etiam in Martyrologio Romano celebrantur. In civitate Narniæ, rogante episcopo, contractum signo Crucis sanavit, uti et in Ortensi puerum ita conglomeratum, ut caput pedibus haberet applicitum. Hæc duo miracula refert S. Bonaventura, sed omissa nota temporis, in Vita edita cap.* 12. *Inter S. Gemini oppidum et Porcariam, in quodam amœno nemore in monte obtinuit ab abbate Portæ regalis locum cum sylva contigua, ubi ecclesiolam in honorem S. Mariæ Virginis exstruxit, ecclesiæ S. Mariæ de Angelis in Portiuncula simillimam. Ad oppidum S. Gemini reversus, hic quoque locum sibi suisque inhabitandum obtinuit, et sui hospitis uxorem dæmone, a quo diu vexata fuerat, liberavit. Tunc etiam in oppido Podio-Bonitii conventum ab incolis accepit; et a Senensibus oratorium.*

atque inter hæc admisisse adolescentem nobilem,

35 *Num.* 26 *laudatus Annalista ex Mariano ad hoc* S. Francisci *iter etiam refert conversionem cujusdam nobilis adolescentis ex Burgo S. Sepulchri, qui, cum in oppido Montis Casalis a Sancto habitum petens ab eo audisset, severiorem esse suæ vitæ rationem, quam ut ab enutritis in deliciis sine molestia posset perferri; respondissetque, se ejusdem cum illo et sociis naturæ esse, ex eadem terra coagulatum, eumdem aerem spirare; ac proinde se confidere, fore*
C *ut cum divino adjutorio non admodum ægre ferat, quod illi; ab ipso in Ordinem receptus atque* Angelus *appellatus fuit, vitamque miraculis illustrem duxit. Ita fere ipse ex Pisano, ut inquit, et Hugolino; nec quidquam in hac narratione est, quod merito possit displicere.*

de quo non satis probata narrantur.

36 *Haud ita est de ea, quæ subditur his verbis :* Id tamen in eo aliquot post annis displicuit, quod jussus, ut per oppidum nativum publice moneret, sanctum Virum crastina die publice prædicaturum, id facere distulerit ob verecundiam et inanes parentum respectus. Aspere correptus de inobedientia et vana sæculi erubescentia, missus est, ut nudus præceptum impleret; quam pœnitentiam dum summa alacritate subiret, revocatus est a prima platea. *Præter Pisanum laudatur hic Marcus Ulyssiponensis, quibus addi poterat Speculum vitæ editionis Spoelberchianæ parte* II, *cap.* 25; *at nullus horum mihi satis idoneus testis est ad tam insolens factum persuadendum. Prætereo, quæ ibidem ex iisdem Marco et Pisano narrantur de sex latronibus per laudatum fratrem Angelum conversis, eorumque quatuor ad Minorum Ordinem receptis.*

Eodem anno dicitur Sanctus Leopoli prædicans

37 *Post hæc Waddingus incipit exponere, qua occasione* Franciscus *celebrem Alvernum montem acceperit a comite Orlando Cathanio, quem vallis Casentinæ, adjacentis regionis et junioris Clusii dominum appellat. Prolixiorem narrationem in compendium contraho. Dum* Franciscus *per vallem Mareceanam* ad Montis Feltri oppidum *pergeret, rescivit, ejusdem oppidi comitem, in suo S. Leonis castro nova equestri dignitate insigniendum, ac propterea magnam præparasse solemnitatem ludorum et spectaculorum, ad quos amicos cognatosque, atque inter hos Orlandum comitem, invitaverat. Cumque jam buccinarum clangorem et jubilantium strepitus Sanctus audisset, eodem se contulit, animarum in hujusmodi festivitate damna, quantum poterat, aversurus. Ingressus itaque castrum, exeuntes a solemni sacro cum novo milite viros nobiles ex editiori quodam loco materno sermone detinuit, assumpto hoc themate :* Tanto e il ben, che espetto, che d'ogni pena me diletto; *id est :* Tam ingens est bonum, quod spero, ut omnis pœna me delectet. *Tanto autem cum fervore atque eloquentia dixit, ut miros in auditoribus motus civerit ad Christi crucem amplectendam.* AUCTORE C. S.

38 *Præ ceteris tamen commotus Orlandus, et ob famam sanctitatis, illius cupidus videndi, descendentem suis brachiis excepit, et seorsum rogavit, ut de suæ animæ salute cum eo agere liceret. At Sanctus,* Vade, inquit, domine, et honora hodie amicos tuos, qui te invitarunt, et postea commodiori hæc peragenda sunt tempore. *Obsecutus Orlandus, vesperi ad eum rediit, tantumque fuit sacro ipsius* E *colloquio delectatus, ut, quo aliquos ejusdem sodalitii viros in suo dominio haberet, obtulerit ei montem Alvernum, devotum et solitarium, contemplationi et monasticæ vitæ opportunum; spoponderitque, curaturum se, ut, quæ opus essent, ministrarentur. Haud displicuit Sancto hæc conditio; at prius tamen voluit per suos locum ipsum explorari; misitque paulo post binos e suis, qui id facerent, dum ipse interim iter suum prosequeretur.* *Orlando comiti mire placuisse,*

39 *Hos* pios exploratores (*verba Waddingi sunt*) velut angelos e cælo delapsos domo excepit pius comes, quos ipse postea quinquaginta associatus militibus duxit in montem excelsum, quem Institutoris studio accommodum, planitiemque ædiculæ exstruendæ aptam invenerunt, in qua deliberaverunt commorari in nomine Domini. Comitis famuli statim gladiis et campestribus armis excisis e nemore ramis, sufficiens efformarunt tuguriolum, quod inhabitandum in pacificam possessionem, publico desuper confecto instrumento, quod adhuc in hujus loci cartophilacio asservatur, qua licuit, solemnitate tradiderunt. Hac ratione humiliter et devote felici omine et sancto auspicio occupaverunt Minores montem hunc, modo per orbem mirabiliter insignem. *Subjicit, hic idem Annalista prolixam ejusdem montis, in quo* S. Franciscus F *sacra stigmata postea accepit, descriptionem, quam ego brevius dedi in Gloria posthuma* § 3, *ad quem liceat mihi lectorem remittere.* *et Montem Alvernum sibi suisque*

40 *Vellem, ut ipsum instrumentum donationis Waddingus edidisset, non quod asserenti diffidam, sed quod sic certius de anno rei gestæ ac forte de aliis nonnullis ejusdem adjunctis constitisset. Quod ad adjuncta attinet, Rodulphius, quem præter Marianum et Gonzagam citavit, non novæ militiæ comitis S. Leonis, sed ejusdem nuptiarum solemnitatem, tunc celebratam dixit; Gonzaga comitem* Orlandum *vel* Rolandum *appellatum ait. De eodem argumento aguntt res, quas habemus, editiones Speculi Vitæ* S. Franciscus, *scilicet Metensis, Spoelberchiana et Bosquieriana, sed in harum prima et ultima pro* Orlando *legitur* Urlandus; *in media* Ubaldus; *locus vero in omnibus perperam dicitur* Castrum Montisferrei. *Quod autem Waddingus hic* Montis Feltri oppidum *et* Castrum S. Leonis *appellat, est* Leopolis, *seu* Civitas S. Leonis, *episcopalis et caput tractus Montis Feretrani in ducatu Urbinati, habuitque eo, de quo loquimur, tempore suos proprios comites, nunc summo Pontifici paret. Qui dictas editiones Speculi sequi voluerit, suspicabitur, eam donationem non diu ante sacrorum stigmatum impressionem contigisse; verum ego illius collectores ita locutos fuisse arbitror, quia occasione hujus donationis* *inhabitandum accepisse;*

AUCTORE C. S.

tionis ad sacra stigmata, in eodem monte S. Francisco *aliquot annos serius collata, festinabant.*

adiisse Bononiam et Imolam, dumque pergeret, a mirabili luce,

41 *Interea, dum ista socii cum Orlando agebant, Waddingus, Mariani vestigiis inhærens,* S. Franciscum, *iter suum prosequentem primo Bononiam perducit, deinde Imolam, ubi tunc factum ait, quod Bonaventura in Vita cap.* 6 *narrat de ejusdem civitatis episcopo, qui cum potestatem ibi prædicandi Sancto negasset, paulo post ejusdem victus humilitate, tam ipsi, quam omnibus ejus fratribus, eamdem in tota diœcesi sua cum laude concessit. Alia quoque domicilia in eodem itinere a sancto Institutore suis comparata, affirmat Annalista, ac nominatim conventum,* Sancti ignis *dictum, cujus construendi Marianus ibidem laudatus causam repetit a facto apud Bonaventuram cap.* 5 *relato. Hoc loco dicitur* S. Franciscus, *cum aliquando prædicationis ergo inter Lombardiam et Marchiam Tervisinam juxta flumen Padum iter ageret, spissisque nocturnis tenebris periclitaretur, ne in flumen aut paludes incurreret, dicenti socio :* Ora, Pater, ut de instantibus periculis liberemur; *respondisse :* Potens est Deus, si placet suæ dulcedini, tenebrarum effugata caligine, beneficium impendere lucis; *hisque dictis, mox ambo mirabili luce circumfusi ad hospitium*

B *usque pervenerunt.*

qua noctu adjutus fuerat, conventum, Sancti ignis dictum, struxisse;

42 *Ita fere S. Bonaventura; at Waddingus ex Mariano addit:* Mirabilem autem suam directionem divini ignis obsequio considerans sanctus Pater, dixit ad fratrem Leonem : Voluntas Dei est, ut hic nostris acquiramus habitaculum, quo nos tanta misericordiæ suæ dignatione perduxit. Ab oppidi accolis Servi Dei prædicatione excitatis intra paucos dies, quod optarunt, obtinuerunt; et ex antecedenti miraculo conventum SANCTI IGNIS appellaverunt, quo nomine ad hanc usque diem a vicinis populis et Minoribus insignitur. *Aliam hujus conventus, eo saltem nomine, notitiam alibi non reperi; ideoque hæc, ut plura alia ex auctorum fide relata sunto. Addit demum Waddingus ex Rodulphio,* S. Franciscum, *tunc etiam acquisito sodalibus suis conventu Cherii, per Pedemontanos perrexisse in Hispaniam, ex hac transfretaturum versus Marrochium, quo illum martyrii desiderium vocabat, urgebatque.*

ac deinde etiam aliis in locis

43 *Verum Antonius Melissanus de Macro in Supplemento ad Waddingi Annales hic, præter memoratum Cherium etiam alia in regionibus Pedemontanis loca recenset, in quibus* Franciscus *in eodem illo itinere domicilia suis obtinuerit. Ejus verba accipe :* Præter Cherium etiam Cayrum (*infra* Carum *quoque dici, monet*) Cortemilliam,

C Astam, Montem-Calerium, Taurinum, seu Taurinorum Augustam, Avellianam et Secusium, quod ultimum inter Alpium angustias in Galliam viam aperit, apostolicum Virum cum spirituali gaudio excepisse, eique loca ad incolatum pro se et suis lubenti animo et maxima cum pietate consignasse, non tantum fama, sed etiam recondita monimenta, ex archivis tum ducalibus, ac etiam conventuum, tandem reserata, etiam nolentibus pandunt : ut reverendissimus noster Paulus Britius, episcopus Albensis, serio scripsit; *nimirum, ut notat in margine,* in sua Seraph. Subalp. lib. 1, cap. 2, et lib. II de conventu Cayri; *quod Opus ad manus meas non pervenit.*

conventus pro suis admisisse.

44 *His præmissis, Melissanus de singulis conventibus tractat; sed (quod doleo) nullum ex laudatis monumentis profert; ut adeo nesciam, quid de illis pro eorumdem omnium conventuum fundationibus huic itineri Hispanico, annoque* 1213 *innectendis statui possit. Non vacat mihi singulas illas hic prosequi; solumque unum singulare Sancti factum ex ipso memorabo. Apud Cayrum vel Carum, seu Canalicum, vulgo* Cairo, *in Montis-ferrati ducatu, locum conventui exstruendo dedisse dicitur vir quidam potens, quem Melissanus Cayri dynastam fuisse, suspicatur, dictumque* Ottonem de Carrecto. *Causam vero dandi fuisse eam, quod Sanctus ipsius filiam a nativitate mutam, quæ concionanti adsti-*
terat, ad eumdem misisset, ut locum illum pro amore D
Dei Minoribus peteret; ipsa mox auditu simul ac loquela donata mittenti obtemperasset. Fatetur tamen, hæc non nisi ex fama *haberi. Utinam certius testimonium mihi esset in promptu.*

§ III. Gesta, quæ apud Waddingum ad reliquum anni MCCXIII et ad sequentem Sancto in itinere Hispanico attribuuntur.

Terrestri itinere dicitur Sanctus profectus

In *Commentario prævio* §14 *ex synchronis* S. Francisci *biographis sanctoque Bonaventura probavi, illum anno* 1213 *profectum in Hispaniam esse, inde trajecturum in Africam ex vehementi desiderio martyrii palmam consequendi. Dixi etiam, verisimilius mihi esse, ipsum tunc non terrestri, sed maritimo itinere in Hispaniam advenisse, ob rationes, quas ibidem allegavi. Ex iisdem biographis constat, Sanctum, cum pervenisset in Hispaniam, ægritudine compulsum fuisse, omissa expeditione Africana, in Italiam regredi, quod eodem anno* 1213 *vel sequenti, verisimilius rursum marino itinere, factum esse putavi. Præter adventum autem ejus in Hispaniam, ægritudinem ac reditum nihil prorsus de ejusdem gestis apud laudatos biographos legere est; imo fatetur ipsemet Waddingus ad annum* 1214, *num.* 4, E *nesciri, aut certe a nemine exacte traditum esse,* ubi *tunc* ægrotaverit Franciscus, vel quam peragraverit in hac peregrinatione regionem. *His de causis non potui non in dubium revocare multa singularia ipsius facta, quæ Waddingus ad annos* 1213 *et sequentem, partim ex recentioribus, partim ex traditione populorum in Hispania, Annalibus suis inseruit; et quorum certe quædam vera esse nequeunt, si* Franciscus *tam in accessu ad Hispaniam, quam in reditu in Italiam, navigaverit. Waddingum audiamus.*

per Galliam et Navarram in Hispaniam;

46 *Ad annum* 1213, *num.* 38, Per Pedemontanos, *inquit,* acquisito in oppido Cherii suis consodalibus domicilio, tetendit in Hispaniam... Qua vero illuc trajecerit, an terra marive, vel an amplius quidquam notatu dignum in hoc itinere patraverit, signatum non invenio. Id movet, ut asseram, per Galliam perrexisse, quod ex nostris aliorumque monumentis mihi probetur, quod per Navarræ regnum, Galliæ conterminum, primum Juliobrigam, vulgo Logronium, olim Cantabrorum, nunc Castellæ Veteris, quam vocant, urbem pervenerit. *Quæ aut quam certa sint ista monumenta, non explicat, in margine solum laudans Rodulphium, Gonzagam et Marianum. At, si Sanctus tunc per Galliam Navarramque in Hispaniam pervenerit,* F *mirum sane est, Waddingum, qui tam multa de eo dixit Italiam peragrante, nihil plane de ejusdem gestis aut transitu per Galliam invenisse. Nonne hoc scriptorum de hisce silentium favet opinioni meæ de itinere maritimo?*

Burgis a rege Alphonso accepisse licentiam ubique conventus ædificandi :

47 *Prosequor cum Annalista, qui ex Mariano, antiquam Legendam, ut ait, secuto, scribit,* Franciscum *pauperculi languidi, in ipso Hispaniæ ingressu occurrentis, curam mandasse socio suo Bernardo de Quintavalle, donec rediturus esset, atque ita factum esse, restituto tunc integræ sanitati pauperculo, et Bernardo cum sancto Patre suo in Italiam revertente. Juliobriga, subdit,* S. Franciscum *perrexisse Burgos, Castellæ Veteris caput, in eaque civitate ab Alphonso IX, Castellæ rege, humanissime exceptum, et post exhibitam sui Ordinis Regulam ab Innocentio III approbatam, obtinuisse licentiam conventus Minorum in illius ditione ædificandi.* Probant hæc, *ait,* præter alias historias, quatuor lapideæ imagines, portæ matricis ecclesiæ (*Burgensis*) superpositæ, quarum altera S. Francisci, altera B. Dominici, regi suas Regulas expandentium et S. R. E. Cardinalium literas offerentium; alia ejusdem Alphonsi regis, alia denique Eleonoræ reginæ, præfati regis uxoris, hos Patriarchas gratanter excipientium, personas repræsentant.

48 Quæ

AUCTORE C. S.

A *sed Burgenses statuæ, quæ in hanc rem laudantur,*

48 Quæ tamen aliquibus errandi ministrarunt occasionem, ut dicerent, simul utrumque Institutorem illuc ädvenisse; cum S. Dominicus per se, non nisi sub Ferdinando rege, sanctus vero Franciscus sub Alphonso præfato, suum in Hispaniam induxerit institutum. *De S. Dominico id certum est; at non æque certus* S. Francisci, *qui hic asseritur, ad Alphonsum IX regem accessus. Nam si quid ex allegatis Burgensibus statuis hac super re decerni possit, dicendus est* S. Franciscus *aliquot annis serius in Hispaniam rursus venisse, regnante S. Ferdinando, qui anno* 1217 *Castellæ regnum ex dono matris suæ Berengariæ accepit. Hunc enim sanctum regem, non Alphonsum, exhibet statua illa regia, teste illustrissimo Gonzaga in provincia Castellæ, conventu primo; quamvis hic pro sua opinione de* S. Francisci *ad Alphonsum accessu tuenda culpet licentiam sculptoris, qui Ferdinandum pro Alphonso effinxerit.*

non exhibent Alphonsum, sed S. Ferdinandum et Berengariam,

49 *Waddingus Gonzagæ consentiens, præterea observat, hunc errorem eo facilius potuisse obrepere, quod, cum primus ejusdem ecclesiæ lapis dicatur primum positus anno* 1222, *nec omnino breve tempus interlabi oportuerit, priusquam opus ad imponendas statuas perduceretur, eo temporis spatio* excidere *potuerit* ex hominum memoria, quo anno, vel

B sub quo rege, uterque adfuerit Patriarcha. *Ita quidem eruditis illis visum est; sed quidquid sit de prætenso isto errore, ac etiam minus verisimili causa erroris, sunt etiam alia, quæ Ferdinandum per regiam istam statuam recte exhiberi, potius suadeant. Certe non sub Alphonso, sed sub Ferdinando, S. Dominicus ipsemet institutum, ut fatetur Waddingus, in Hispaniam intulit; ac proinde, si id statuæ insinuent, regia Ferdinandi est. Similiter Statua* S. Francisci, *Regulam suam cum commendatitiis Cardinalium litteris offerentis, designare videtur regnum Ferdinandi, quo ab anno* 1217 *regnante,* Franciscus *anno* 1223 *Regulam suam ab Honorio III confirmatam, et Cardinalium litteras pro Ordine suo commendatitias obtinuit, et quaquaversum per orbem misit; sicut pluribus exposui in Commentario prævio* § 22 *et sequenti.*

sub quibus multa Ordinum SS. Dominici et Francisci

50 *Lucas quoque Tudensis, scriptor Hispanus synchronus et doctus, in Chronico non ante meminit de exstructis in Hispania conventibus Franciscanis, quam sub Ferdinando et Berengaria, quorum pietatem laudans, ad æram* 1255, *id est, ad annum Christi* 1217 *ait :* Eo tempore per totam Hispaniam fratrum Prædicatorum et fratrum Minorum construunt monasteria, et ubique sine intermissione verbum Dei prædicatur. *Hinc et Joannes Mariana lib.* XII *Hispaniæ cap.* 8, *et Stephanus de Garibay*

C *lib.* XII, *cap.* 47 S. Francisci *in Hispaniam adventum, regnante Ferdinando, et post confirmatam ab Honorio III Regulam reposuerunt. Quin etiam Gonzaga in provincia Burgensi, conventu primo, qui Burgensis est, scribit, eumdem sanctum Institutorem Regulam suam* ab Honorio III *confirmatam in Hispaniam attulisse; quamquam hoc ad opinionem suam minime congruenter, ideoque ex facili lapsu memoriæ* Honorium III *pro* Innocentio III *scripsisse videatur.*

domicilia in Hispaniis structa sunt.

51 *Porro, ut ista suadent, sæpe dictam statuam regiam Ferdinandi esse, et per eam, quæ* S. Francisci *est, indicari factum aliquod, confirmata per Honorium III Regula posterius, proindeque etiam non anterius anno* 1223; *ita ex ejusdem Sancti gestorum chronotaxi nequit inveniri Hispanico itineri spatium temporis, quod inter hunc, annumque* 1226, *illius vitæ supremum, effluxerit. Quam ob rem præplacet mihi alia responsio, a Waddingo ibidem suggesta; videlicet per easdem statuas non indicari* SS. Francisci *et Dominici accessum ad Ferdinandum et Berengariam, sed solum, eorumdem instituta per hunc sanctum regem, ejusque matrem Berengariam, in Hispania mirifice propagata fuisse, quod ex laudato Luca Tudensi aliisque indubitatum est. Verum elevato argumento, quod a Burgensibus statuis formabatur, nullum aliud superest pro* Francisci *ad Alphonsum IX accessu comprobando. Sub hoc itaque rege* S. Franciscus *venit quidem in Hispaniam, sed non probantur ejusdem ad illum accessus et obtenta ab illo in eodem regno conventus exstruendi potestas; nam hæc verisimilius facta fuit a S. Ferdinando rege, postquam Minorum Regula ab Honorio III summo Pontifice fuerat scripto confirmata, et cum commendatitiis Cardinalium litteris in Hispaniam, æque ac in alias Christiani orbis regiones, ab iisdem Minoribus illata.*

Forte tamen aliqua S. Francisci sub Alphonso, verbi gratia Burgense,

52 *Non propterea tamen assertum velim, in hoc* S. Francisci *itinere nullum prorsus sui Ordinis conventum ab eo in Hispania structum, admissumve fuisse : nam oppositum omnino verisimile est ex ejusdem Sancti more, institutum suum ubique terrarum propagare studentis, et feliciter propagantis; neque obstat auctoritas Tudensis, qui, dum asserit, sub Ferdinando et Berengaria monasteria Minorum per totam Hispaniam erecta fuisse, non negat, aliqua ante id tempus ibidem exstitisse aut designata fuisse. Solum itaque breviter inquiro, quam verisimile appareat, tot conventus, quot Waddingus recenset, in eodem illo itinere ab eo conditos fuisse. Primum, quem nominavit Burgensem, fuisse ait concessam ei ædiculam sancto archangelo Michaeli dicatam, aliquantulum a civitate e cujusdam montis clivo emi-*

E *nentem : addit tamen, fratres deinde ex hoc loco ad alium commodiorem transmigrasse, incerto quidem tempore, sed ante annum* 1230, *ante quem dicitur* Petrus Diaz, *Burgensis ecclesiæ canonicus, in testamento suo pinguem eleemosynam ad conventus constructionem legasse : in priori vero illa ædicula, dum anno* 1569 *reædificabatur, inventa fuisse tria corpora anonymorum Franciscanorum, qui eam primi incoluerant; unde et ædiculæ major veneratio accessit.*

Logroniense

53 *Hinc pergo cum Waddingo ad annum* 1214, *quo* S. Franciscum, *dum a civitate Burgensi ad interiora Hispaniæ proficiscebatur, scribit revocatum fuisse Juliobrigam, seu Logronium, a nobili viro, Medrano nomine, cujus filium ille anno superiori gravissimo morbo laborantem e mortis faucibus eripuerat, atque integræ restituerat sanitati. Revocandi causa erat, ut Sanctus domum ejus cum contiguis hortis secundum datam ab Alphonso rege generalem licentiam in suorum conventum consecraret; quod et ille libenter præstitit. Hujus conventus ecclesiæ,* S. Francisco *post mortem dicatæ, sacellum majus, eodem teste Annalista, præfati equitis Medrani successoribus jure patronatus cessit in sepulturam. Similia habet Gonzaga, eo tamen a Waddingo dissidens, quod hunc conventum primum esse dicat, quem* S. Franciscus *in Hispaniis exstruxerit : Waddingus vero Burgensem, de quo mox supra egi, Logroniensi præponat, ac Gonzagæ dicta benigne explicare conetur. Mihi in neutram partem quidquam occurrit, nec aliunde possum utriusque conventus constructionem* S. Francisco *certo adjudicare.*

F

et Victoriense, designata fuere.

54 *De tertia æde per* Franciscum *tunc acceptata ibidem hæc scribit Annalista :* Hoc anno (*nempe* 1214) vel in primo accessu vel in regressu ad Logronii civitatem, Vir sanctus Victoriæ, urbis non adeo distantis, incolarum expertus est humanitatem, qui intra suos muros ædiculam, S. Mariæ Magdalenæ sacram, suis sumptibus Viri sancti sodalibus exædificandam curarunt, quam aliquibus post annis serenissima domina Berenguella, Joannis Castellæ infantis filia, et Lopetii Diaz de Haro, undecimi Cantabriæ domini neptis, amplissime auxit, ut suo tempore dicemus. *Plura de his videri possunt ad annum* 1296, *et apud Gonzagam in provincia Cantabriæ conventu primo, ubi asserit,* certissima traditione *constare, istud S. Mariæ Magdalenæ sacellum* a Seraphico patre Francisco fuisse constructum. *Est porro Victoria, de qua hic, Hispaniæ civitas in provincia Alavæ, cujus primaria est, et prope provinciam Biscaiæ.*

Compostellæ narratur Franciscus, obtento a Benedictinis fundo,

55 *Num.* 4 *ex Bonaventura recte docet Waddingus,* S. Franciscum, *cum in Hispania esset, infirmitate corporis impeditum fuisse; sed addit (quod non facit Bonaventura, nec alius e primis biographis) ipsum*

AUCTORE C. [S.

ipsum prius, quam in Italiam rediret, Compostellam ad venerandum S. Jacobi sepulcrum accessisse. Singularia sunt, quæ habet num. 6 *et* 7, *quæque ibidem fusius relata, compendiosius subjicio.* Franciscus *in suburbio Compostellæ apud pauperculum carbonarium, cui nomen erat* Cotolai, *hospitatus, inter nocturnas in vicino colle preces intellexit, divinæ voluntatis esse, ut in vallibus, quas incolæ* Valles Dei et Inferni *appellabant, conventum sui Ordinis faceret. Convenit ergo abbatem monasterii Benedictini, tunc S. Pauli seu Pelagii, ad quod duæ istæ contiguæ valles pertinebant, obtinuitque ab eo facultatem eo loci conventum fabricandi, ea conditione, ut annuus census cistellulæ fluvialium piscium prædicto monasterio perpetuo penderetur; eaque de re instrumentum fecerunt, utriusque nomine,* Francisci *et abbatis, subscriptum.*

per pauperem carbonarium, cui in hunc finem

56 Quam ob rem (*verba Waddingi sunt*) confecta de tradendis vallibus sub præscripta lege scriptura, eaque chirographo beati patris Francisci atque abbatis subsignata, domum Cotolai repetens Pater Seraphicus, inquit : Carissime hospes, ut ad labores accingaris, oportet. Voluntas siquidem Dei est, ut sibi Ordinis mei domum in vallibus Dei atque Inferni ædifices : nam quod ad situm attinet, is mihi eapropter a patribus Benedictinis concessus
B est. Cui Cotolai : Quonam pacto, Pater mi, id præstare potero, cum ex mercenario labore victitem? Nonne me pauperrimum nosti? Tunc beatus Pater subjunxit : Bono animo esto : quam ob rem sumpto ligone, proximiorem petito fontem; cumque terræ aliquantulum effoderis, opulentissimum invenies thesaurum, quo injuncto tibi muneri satisfacere valeas. Quod cum Cotolai ex devotione ad Patrem concepta præstitisset, omnia sibi juxta Patris præsagium successerunt.

latentem thesaurum indicaverat, conventum exstruxisse;

57 Itaque ex adinvento a pio Cotolai thesauro conventus hic, qui nunc S. Francisci titulum præfert, partim in valle Dei, partim vero in valle Inferni, hoc anno (1214) ejusdem Cotolai opera ædificatus est; ut ex inscriptione præ foribus ecclesiæ et tumulorum Cotolai et uxoris, Mariæ de Bicos dictæ; ex antiquissima et fidelissima traditione, ex authentico etiam scripto, ex patrum Benedictinorum hujus Compostellanæ civitatis archivis summa fidelitate extracto ad instantiam fratris Garsiæ a S. Jacobo Minoritæ. Sed præ omnibus rem omnino indubiam facit præmemoratum B. Francisci chirographum, diligenter ad hoc usque seculum a patribus Benedictinis in sacrario asservatum, quod, tamquam veneratione et memoria dignum, sibi ostendi curavit Philippus II,
C Catholicus rex, anno Domini MDLIV, dum in Angliam transfretaturus ad matrimonium cum Maria regina contrahendum illac transiret. Dictum annuum censum, fiscellam videlicet fluvialium pisciculorum, longo tempore exsolverunt Franciscani patribus Benedictinis ex prædicta conventione inter S. Franciscum et Benedictinorum abbatem. Successu vero temporis eis remissus fuit; sed plurimi adhuc guardiani, quos vocant vetustæ pietatis et humilitatis studiosiores, censum, quantumvis remissum, sponte solvunt, quem veluti sibi summe acceptum majori charitatis cumulo et pinguioris eleemosynæ beneficio patres Benedictini rependunt.

quæ quibus argumentis nitantur,

58 *Hactenus Annalista post illustrissimum Gonzagam in provincia S. Jacobi, conventu primo, seu Compostellano, cujus verba fere descripsit. At si quis a me petat, quid de hisce sentiam; dicam, non æque firma mihi videri rei gestæ adjuncta, quam rem ipsam. Instrumentum pro cessione loci ab ipso* S. Francisco *et abbate Benedictino, ut asseritur, subscriptum probat traditionem de conventu ejusdem Sancti opera ibidem præsentis exstructo, nisi quis suspicari velit instrumentum illud ab eo forte alibi subscriptum et Compostellam remissum fuisse; sed non probat adjuncta de gestis Cotolai, quorum certe puto, nullam in eo exstare mentionem. Cujus ætatis sint, quidve hac de re doceant inscriptiones præ foribus ecclesiæ, ac tumulorum Cotolai et uxoris illius,* D *neque divinare, cum nec has nec illas Gonzaga aut Waddingus exponat. Hinc etiam nescio, an laudati scriptores eas pro tota illa relatione ejusque singulis adjunctis, an solum pro aliqua illius parte allegaverint; uti certe pro una tantum parte allegarunt* S. Francisci *et abbatis chirographum.*

expenditur.

59 *Æque ambiguum mihi est* scriptum illud authenticum *Benedictinorum Compostellanorum, quod sine ulla adjecta temporis aliave notitia Gonzaga, et ex hujus fide Waddingus præterea laudant. Nec quidquam certius dicere possum de traditione pari modo memorata. Diffiteri quoque non possum, inventionem thesauri, qualis ibi narratur, quamdam vulgaris commenti speciem habere; præterquam quod soluerit Sanctus, non hujuscemodi adjumentis, sed eleemosynis ad conventus exstruendos uti, quemadmodum etiam eleemosynæ loco ipsum conventus fundum a Benedictinis accepisse dicitur. Forsitan in prædictis inscriptionibus, cujuscumque eæ demum sint ætatis, legitur Cotolaus operam suam in hoc conventu contulisse* Francisco : *quod, cum de labore manuum ac forte tenui stipe intelligendum esset, aliqui de suppeditatis omnibus expensis largius interpretati fuerint; cumque hoc facultatem pauperis carbonarii excederet, crediderint, inventum ab eo thesaurum fuisse, atque ita lapsu temporis nata sit* E *illa opinio de effosso hunc in finem thesauro, quæ vulgarem traditiunculam maxime sapit. Certiora statuere poterunt eruditi Compostellani, quibus licet easdem inscriptiones et laudatum* scriptum authenticum *consulere, atque de eorumdem antiquitate coram judicare.*

An Sanctus ad sepulcrum S. Jacobi ab angelo monitus, Corunniæ,

60 *Idem Annalista Minorum eodem anno, num.* 8 *ita pergit sancti Institutoris gesta Compostellæ enarrare :* Cum apud venerandum, *inquit,* corpus (*S. Jacobi apostoli*) ferventer oraret, apparuit ei angelus Dei, et monuit, dilatandum esse suum institutum per universum orbem, et plurima sibi ædificanda domicilia in Europa, et quædam occupanda, antequam ex Hispania rediret : id demum divinum esse placitum, ut in Italiam remearet. *Ut igitur ille cælestibus monitis pareret, narratur, dum ipsemet Compostellano conventui ædificando incumbebat, e sociis unum misisse Corunniam, alterum Ovetum, tertium Ribadeum seu Rivadium, qui singuli singulos conventus in iisdem locis condidisse dicuntur. Apparitio angeli, et datum ab eo monitum sola nituntur auctoritate Mariani, sæculo* XVI *adulto defuncti, nec vetustiorem testem hic laudantis. Gonzaga, quem præter Marianum citavit Waddingus, in provincia S. Jacobi conventu primo candide fatetur, sibi post diligentem operam discussaque* F *archiva nihil compertum esse de erectione conventus Corunniensis; ideoque ex sola traditione humana ac probabilioribus indiciis statuit, ejusdem fundatorem fuisse unum e* S. Francisci *sociis; quod verum esse potest, licet ille aliquot annis serius ex Italia eo missus fuisset.*

Oveti

61 *Haud equidem scio, an certiora habeant documenta Ovetenses pro sui conventus initiis ad hoc Sancti iter annumque* 1214 *referendis; sed quod Gonzaga et Waddingus producunt Petri Compatris (quem a sancto Patre suo Compostella Ovetum tunc missum aiunt) epitaphium in conventu Ovetensi, non probat, ipsum anno* 1216, *uti ipsis visum est, obiisse. En illud ex ipsismet descriptum :*

Frater Petrus ego, cognomine Compater ante,
Carnis hic ossa tego, me Salvatore vocante
Annis millenis centum bis, decem sex octo * plenis *Gonzag.* Oct.
Sanctus obiit frater de gente Minorum
Compater, imo Pater appellatus miserorum
Filius atque Dei, voce favente Dei.

Duo laudati scriptores hinc statuunt, Petrum Compatrem anno 1216 *mense Octobri, atque adeo solum biennio, postquam* S. Franciscum *Compostellæ fuisse volunt, mortuum esse. Scilicet* decem sex *interpretantur de annis* sedecim, *et* octo *vel* oct. *de mense* Octobri : *quæ interpretatio non parum favet, ut Petrus*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A *Petrus Compater biennio ante a* S. Francisco *Compostella Ovetum missus conventum illum inchoasse possit videri.*

et Rivadii domicilia per socios suos

62 *Contra Arturus in Martyrologio Franciscano ad diem* 15 *Junii ex iisdem epitaphii verbis concludit, Petrum Compatrem anno* 1268, *ultima Decembris obiisse;* decem sex *per* decies sex *seu* sexaginta annos, *atque* octo, *non per mensem* Octobrim, *sed per totidem* annos *exponens; et quia additur vox* plenis, *existimans, designari diem ultimum Decembris, quo anni complentur. De anno* 1268 *consentit Hueberus in Menologio. Mihi minime certa apparet sententia Gonzagæ ac Waddingi, nec in tam barbaro versu satis constat, an per* decem sex octo *signentur anni* sexaginta octo, *an potius anni* viginti quatuor *pleni; quot scilicet conficiunt tres isti numeri invicem additi. Pro Ribadeensi conventu laudati Gonzaga et Waddingus proferunt cujusdam venerabilis anonymi in dicti loci ecclesia epitaphium, his verbis exaratum :* Jesus. Hic jacent venerabilia ossa cujusdam fratris, socii B. Francisci, qui obiit anno Domini millesimo ducentesimo, secundo et vigesimo; *ac proinde octennio novenniove dumtaxat post* S. Francisci *ingressum in Hispaniam.*

tunc temporis ædificaverit?

63 *Sed manifestum est, hanc inscriptionem, quæ cum illius ossibus in eminentiori ecclesiæ loco posita*

B *dicitur, non mox ab ejus obitu factam, at tanto tempore post, ut ejusdem defuncti nomen, quod in prima sepultura non erat repertum, etiam ipsis Ribadeensis conventus incolis jam excidisset ex memoria; quapropter utcumque etiam dubitari potest, an annus emortualis ejusdem in eadem inscriptione accurate expressus sit. Ponamus tamen, annum sine nomine sepulti inventum fuisse, non hinc cogemur credere, Anonymum illum potius anno* 1214, *quam paucis annis post a* S. Francisco *illuc missum esse, ad conventum exstruendum. Etenim, si verum sit, quod Waddingus ad annum* 1216, *num.* 2 *asserit, hoc anno* 1216 *fratrum manipulum a* Francisco *in Italia degente fuisse in Hispaniam destinatum, cur non potuit laudatus anonymus unus ex iis esse, ac sexennio post in Ribadeensi, quem struxerat, conventu mori? Inter hos Annalista nominat fratrem Benincasam de Tuderto, quem, ut ipse anno* 1212, *num* 8 *præmiserat, aliqui credunt fundatorem conventus Corunniensis; prout etiam sentiunt Hueberus in Menologio et Jacobillus in Sanctis Umbriæ ad diem* 16 *Septembris. Quod si ita sit, etiam exstructio conventus Corunniensis biennio post Sancti iter Hispanicum differenda erit. Sunt, qui velint, etiam in eodem itinere unum e sociis a* Francisco *Compostella missum esse in Hiberniam, quam opinionem cum Waddingus ipsemet neget cum melioribus monumentis*

C *convenire, sufficiat mihi indicasse.*

An perrexerit in Lusitaniam!

64 *In Lusitaniam quoque transisse Sanctum, narrat Waddingus ex traditione et suorum Hispanicis Chronicis; non tamen audet consentire Joanni Marianæ, lib.* XII, *cap.* 8 *Historiæ Hispaniæ scribenti, eumdem usque in ultimam Lusitaniam penetrasse. Insuper multum suspectum habet illius accessum ad reginam Urracam, Alphonsi II Lusitaniæ regis conjugem, editumque ab eo in hoc colloquio vaticinium de regno Lusitano numquam uniendo cum Hispanico seu Castellano, quod a primo soloque Marco Ulyssiponensi sine idoneo monumento leviter assertum arguit; at multis tamen contendit, vaticinium ipsum (si quod tale vere exstet) non posse falsitatis argui ex eo, quod Philippus II Hispaniarum rex Lusitaniam aliquando sibi subegerit. Ceterum nihil præterea de Sancti gestis in Lusitania memoravit, nisi quod dicatur in villa Vimariensi, vulgo* Guimaraes *in Bracarensi diœcesi defunctam hospitis sui filiam revocasse ad vitam.*

Recensentur aliquot conventus,

65 *Tandem ibidem a num.* 19 S. Franciscus *versus Italiam regredi perhibetur, multosque per viam accepisse conventus, quos, quia nimis longum esset de singulis disserere, solum breviter recensebo, maxime cum ii fere sola populari traditione nitantur. Primum ex Lusitania in Hispaniam regressi vestigium assignatur apud civitatem Roderici, Hispa-*

nis Ciudad Rodrigo, *in regno Legionensi, extra quam dicitur aliquot dies substitisse apud quamdam ædiculam S. Ægidio sacram; et huic propterea ex senatus Civitatensis decreto cœnobium postea additum. Alterum ejusdem vestigium memorat non longe ab oppido, quod vocat* Robledillio, Cantianæ seu Corianæ diœcesis *in Extremadura, ubi aquilam ad quemdam rivulum conspicatus, fertur, locum indice ostendens, sociis suis de condendo ibidem conventu sic vaticinatus esse :* Ad illius aquilæ fluenta perpetuo ardebit facula, Deoque Opt. Max. fidelissime deservietur; *et vaticinium probasse eventus. Rursus alterum conventum,* de Monte Cœli *nuncupatum, et in eadem diœcesi, ad tertium lapidem ab oppido, quod Hispanice* Gatta *appellat, situm, eidem Sancto, ejusve in hoc itinere sociis attribuit.*

AUCTORE C. S.

quos per Hispaniam rediens struxisse fertur.

66 *Ne nimis prolixus sim singula exponendo, fundationes conventuum suorum* S. Francisco *ex traditione, quam vocant, etiam adscribunt in Castella Arevallenses, Abulenses, Matritenses, Aillonienses, Neutenses seu Huetenses, et Numantini; in regno Navarræ Tudelenses, in Catalonia Barcinonenses, ac denique Perpinianenses in comitatu Ruscinonensi. Post hæc tandem subdit Waddingus :* E finibus egressus Hispaniæ quid amplius egerit Franciscus in itinere, donec redierit in Italiam, non constat. Vel celeriter absque sparso semine E verbi Dei, propter turbulentas tunc Gallorum res, per Galliam transiit Narbonensem et Gothicam; vel, si quæ egit, nostrorum incuria cuncta nos latent, præterquam quod dumtaxat referatur in Montepessulano... in Gallia Linguaoccitana, qui sub hæresi Albigensium asylo tutoque refugio Catholicis fuit, prædicasse, et prophetice prædixisse, in ipso, in quo hospitabatur, xenodochio suis fratribus construendum fore domicilium, quod circa annum MCCXXX completum.

Perhibetur cibo divinitus allato sanatus;

67 *Tum pergit :* Illud etiam memorabile, quod, languente Viro Dei, tum ex veterano morbo, tum ex itineris et hyemis incommodis, antequam Pedemontanam attingeret regionem [*cum*] in oppidulo quodam decumberet, et fratri Bernardo (quem, ut proximo diximus anno, ab eo secum loco reduxit, quo ei infirmi curam commisit) significaret, ob aliorum ciborum nauseam nihil tam appetitum revocaturum, quam sylvestrem aliquam aviculam; non prius desiderium aperuit, quam præ foribus adfuerit angelus Dei in forma nobilis equitis, qui ad Infirmi lectum accedens, volucremque optime præparatam apponens, dixit : « Accipe, » Serve Dei, quod tibi mittit Dominus. » Statimque disparuit ab oculis circumstantium; per quod Franciscus intellexit Dei erga se benignitatem, eoque F libentius cælitus missum cibum sumpsit, per quem ita refocillatos sensit artus et spiritum, ut statim exsiliret e lecto, laudans Deum, qui voluntatem timentium se facit, et deprecationem eorum exaudit. *Memorabilis sane est hæc Dei in Servum suum indulgentia (cui tamen similem etiam alias* Franciscus *certo expertus fuit) sed quam jamjam retuli, ea non ex alio, quantum apparet, quam Mariani Florentini, aut Marci Ulyssiponensis, testimonio apud laudatum Annalistam asseritur.*

et aliquot alia domicilia admisisse.

68 *Antonius Mellissanus de Macro in Supplemento eorumdem Annalium Minorum, ad hunc annum* 1214 *præter conventus ex Waddingo jam nominatos, etiam paucos alios a* S. Francisco *in eodem itinere tunc fundatos aut admissos refert, unum scilicet apud Turiasònem in regno Aragoniæ; alterum in Pedemontii oppido Cornieto, indigenis, (ut inquit)* Cornie *dicto, apud fluvium Morgum, vernacule* l'Orco, XVI *M. P. a Taurinorum urbe dissito; tum alium Riparolii ad eumdem fluvium situ, cujus fundationis instrumentum, propria* S. Francisci *manu subscriptum, sed nunc amissum, primo in ejusdem loci archivo diu servatum, ac deinde circa annum* 1639 *ad conventum Taurinensem translatum fuisse, asseverat ex authentico testimonio reverendi adm. patris Joannis Francisci Raseti Riparoliensis, in sacra Theologia magistri, suæ provinciæ Januensis*

AUCTORE C. S.

nuensis perpetui diffinitoris, et regiæ celsitudinis, ducis Sabaudiæ, theologi, ætatis annorum 84, qui istud a se diligenter visum testatus est anno 1676. Addit Melissanus et alterum conventum, sed dubie, an ab ipso sancto Patre, an ab ejusdem sociis Riparolio accitis, admissus sit, in oppido Calusio, V. M. P. a Riparolio; ac denique alterum apud civitatem Vercellensem. Quid de hisce omnibus mihi verisimilius videatur, dicam infra, postquam reliquum S. Francisci *iter et in Italiam reditum ex iisdem scriptoribus retulero.*

§ IV. Sancti in Italiam reducis gesta, apud Waddingum anno MCCXV illigata. Quid de relatis hoc et præcedenti §§ censendum videatur. Alia ad eumdem annum ibidem narrata.

Alexandriæ in Longobardia quidam ejus obtrectator

Si Annalistæ Minorum assentimur, S. Franciscus *primum in ipso anni 1213 limine Alexandriam Statelliorum, alias* a Palea *dictam, et in Longobardia Cispadana sitam, advenerit, ibidemque tunc contigerit divina in quemdam ejusdem Sancti obtrectatorem animadversio. Cum Annalista hic in margine S. Antoninum tit.* XXIV, *cap.* 2, § 2, *suumque*
B *Marianum Florentinum laudet, factum ipsum ex S. Antonino referamus. Is loco citato sic habet :* Quum apud Alexandriam Longobardiæ cum quodam honesto viro hospitatus fuisset, ab eo rogatur, ut propter observantiam Euangelii (*Lucæ cap.* 10, ℣. 8 : Manducate, quæ apponuntur vobis) de omni apposito manducaret. Qui quum ejus devotioni assentiret, ipse accurrens, caponem septennem præparat manducandum. Manducantibus illis, infidelis quidam transiens, amore Dei eleemosynam petiit. Mox Vir Dei, nomen audiens benedictum, membrum ei transmittit caponis.

divinitus castigatur ; sed an id hoc anno contigit?

70 Reservat infidelis datum; et in crastinum, dum Sanctus prædicaret, ostendit illud, dicens : Ecce, quales carnes comedit iste frater Franciscus, quem vos ut sanctum honoratis : nam mihi hoc in sero tribuit. Sed quum membrum caponis omnibus piscis videretur, velut insanus ab omni populo increpatur. Quod quum ille didicisset, erubuit, et veniam postulavit. Redierunt quoque carnes ad suam speciem, postquam prævaricator rediit ad mentem. *Hæc S. Antoninus, describens Jacobum a Voragine in Legenda sua Sanctorum, qui cum eodem, quo* S. Franciscus *floruit, sæc.* XIII *natus ac defunctus sit, Legendamque suam passim ex aliis compilaverit; ista de impii obtrectatoris*
C *divinitus correpta malitia narratio non parum auctoritatis ab antiquitate sibi vendicat. At non eadem stat pro eodem facto ad annum 1213, aut ad Sancti ex Hispania reditum referendo, nam nec id a Jacobo aut S. Antonino dicitur, nec Marianus id certum facere potest, quippe qui ultra duo sæcula* S. Francisco *est posterior.*

Panem divinitus procurat; varia loca invisit;

71 *Deinde Waddingus sanctum Institutorem suum ad Burgum S. Domnini, in via Æmilia castrum, perducit, ibique, ait, ipsi alio miraculo divinitus provisum fuisse, dum in conventu panis deerat multitudini fratrum, qui in Italiam redeunti gratulabundi occurrerant; jussum ab eo architriclinum inspicere canistrum, quod is vacuum noverat, et recenti pane plenum reperisse. Post hæc etiam alia visisse domicilia fratrum, acceptoque Opreni conventui loco, perrexisse Cortonium seu Cortonam, atque post aliquot ibidem impensos civium pietati dies, habitosque publicos sermones in eminentiori lapide, qui adhuc (inquit) in veneratione habetur in populo, tandem Assisium usque pervenisse. Verum priusquam ipsum illuc usque prosequamur, inserenda sunt, quæ Antonius Melissanus in Supplemento post editos Waddingi Annales comperta esse, affirmat.*

et conventus suis obtinet.

72 *Ac in primis, antequam* Franciscus *Alexandriam pervenerat, scribit, illum Eporediæ, quæ Italiæ civitas episcopalis est in Pedemontio, Italis* Ivrea *dicta, ab incolis benigne exceptum et domicilio sui Ordinis donatum fuisse; atque altero Bugellæ,* D *vulgo* Biella, *quæ Vercellensis diœcesis municipium est, novem regionis milliaribus Eporea dissitum; et utrumque ex fama et continuata traditione haberi. Addit, et Bergomi a Joanne Tornellio, ejusdem civitatis episcopo, humanissime susceptum, ecclesiam, et a Bergomatibus conventui locum accepisse. Pro anno laudat Ughellum in Italia sacra; cui adhærendum putat contra Waddingum, qui Sancti adventum Bergomum anno 1220, aliosque, qui anno 1218 illigarunt. Quæ de congressu* SS. Francisci *ac Dominici (quem etiam Bergomi fuisse, ad prædictos annos aiunt Waddingus et Melissanus) feruntur, antiquo teste carere, jam annotavit Cuperus noster in S. Dominico tom. I Augusti pag.* 497, *num.* 716.

Hoc et præcedenti §§ relata

73 *Porro hoc ac præcedenti §§ multa de* S. Francisci *itinere Hispanico, de aditu scilicet, mora, et regressu in Italiam, ex duobus illis eruditis scriptoribus retuli, quæ, cum sat antiquis testibus careant, pro instituto nostro nequeunt sine ulla observatione præteriri. Non inanem nec exiguam adversus ea dubitationem movere debent antiquiorum scriptorum silentium, scribendique modus, et narrationis apud recentiores adjuncta. Etenim, quod ad biographos attinet, si ista omnia sic se habeant, quis non miretur, omnes primos, quos habemus, biographos de hac profectione Hispanica, tot, quot recentiores illi vo-* E *lunt, fundatis domiciliis, tot Sancti gestis memorabili, tam jejune locutos, ut, qui eos legat, nihil simile suspicari possit; imo potius opinari cogatur,* Franciscum, *cum festinanter cœptam peregrinationem in Hispaniam usque produxisset, cognita ex inflicto gravi morbo divina de regrediendo voluntate, simul atque per vires licuit, non minus festinanter in Italiam rediisse? Quis pariter sine certis testimoniis indubitanter mox admittat, tot tantaque non integro biennii spatio, quod illi huic peregrinationi ac regressui tribuunt, ab eo geri potuisse, quem jam ab anno 1212 molestis febribus, modo tertianis, modo quartanis, afflictum, nec interim integræ valetudini umquam restitutum fuisse, iidem recentiores affirmant, ac graviori denique infirmitate, quæ ipsum repetere Italiam compulit, in Hispania correptum esse, cum primis biographis recte agnoscunt.*

conferuntur cum assertis

74 *Tametsi jam alibi quædam ex laudatis biographis hac super re annotavi, locus tamen hic postulat, ut eorumdem dicta denuo expendamus, quo res fiat clarior. Thomas Celanensis in Vita edita num.* 56 *et sequenti de hac profectione Hispanica sic scribit :* Post non multum enim temporis (*a frustra tentato accessu in Syriam*) versus Marocchium iter arripuit, ut Miramolino (*Marrocano in Africa regi*) et complicibus suis Christi Euangelium prædicaret. Tanto namque desiderio (*martyrii*) ferebatur, ut peregrinationis suæ quandoque relinqueret comitem, et ad exequendum propositum spiritu ebrius festinaret. Sed bonus Deus, cui mei et multorum sola benignitate placuit recordari, cum jam ivisset usque in Hispaniam, in faciem restitit, et, ne ultra procederet, ægritudine intenta eum a cœpto itinere revocavit. Revertente quoque ipso ad ecclesiam S. Mariæ de Portiuncula (*juxta Assisium*) tempore non multo post quidam litterati viri et quidam nobiles ei gratissime adhæserunt. F

primorum biographorum, ex quibus tam longa in Hispaniis mora,

75 *Simili plane modo secundus biographus, postquam dixerat* Franciscum, *martyrii desiderio inflammatum ex Italia Marrochium versus mire properasse, mox subdidit :* Sed, cum usque in Hispaniam ferventissime processisset, Domino ad multorum aliorum salutem aliud ordinante, eique per gravissimas ægritudines occursante, rursus in Italiam rediit. *De hoc itinere nihil habent Tres Socii, quibus cum propositum esset prætermissa ab aliis supplere, ampla hic fuisset scribendi materia, si supra relata ex Annalibus gesta eis innotuissent. Non plura, quam Celanensis et secundus biographus, hic docet S. Bonaventura, qui eadem de desiderato martyrio et festinatione in proficiscendo præfatus, ita pergit :* Sed cum jam usque in Hispaniam perrexisset, divina dispositione, quæ ipsum reservabat ad alia,

gravissima

AUCTORE C. S.

A gravissima ei supervenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequivit. Sentiens igitur Vir Dei, quod necessaria erat adhuc proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamvis mortem sibi lucrum putaret esse, rediit ad pascendum oves, suæ solicitudini commendatas.

totque conventuum fundationes

76 *Ex hisce testimoniis solum novimus,* S. Franciscum *præ ardore sperati martyrii ex Italia in Hispaniam properasse, ut hinc trajiceret in Africam; sed cum in Hispaniam pertigisset, morbo prohibitum ultra progredi, ac propterea, simul atque valetudo permisit, in Italiam regressum esse, ne divinæ obsisteret voluntati, cui quam promptissime obtemperare nihil habebat antiquius. Quo usque tunc in Hispaniam penetraverit, dum correptus morbo fuit, ex iisdem biographis nequit decerni: si tamen eorum verba expendamus, ea magis indicant, hunc illi in primo Hispaniæ ingressu potius, quam in media, obtigisse, vixque ullam inter cognitam ex morbo divinam voluntatem et in Italiam reditum intercessisse moram, quam quæ reficiendis corporis viribus utcumque erat necessaria. At vero laudati Annalistæ Minorum, quamvis miram Sancti in hoc itinere festinationem admittant, nihilominus illum in eadem peregrinatione tot Ordinis sui conventus fundantem faciunt, quasi non alia de causa eam*
B *suscepisset, ac nusquam minus, quam quo toto animi nisu ferebatur, properasse videatur.*

et itinera non sunt verisimilia;

77 *Deinde etiam postquam ex gravi infirmitate sua jam intellexerat, divinæ voluntatis esse, ut in Italiam rediret, hac intellecta voluntate, eum illuc rediisse, mox subdunt laudati antiqui biographi; Annalistæ contra eumdem iter suum prosequentem in Galliciam exhibent; imo etiam postquam apud Compostellense S. Jacobi Apostoli sepulcrum ab angelo jussus fuerat (ut Waddingus quidem refert) in Italiam regredi, in Lusitaniam progredientem inducunt non secus atque hic peregrinationis terminus ei præstitus fuisset, et ipse firmis semper viribus usus esset. Haud equidem inficiari velim, uti alias jam monui, non omnia* S. Francisci *in hoc itinere gesta a primis Vitæ ipsius scriptoribus tradita esse; verum quæ Annalistæ de his memorarunt, non facile possum componere cum priorum jejuna narratione modoque loquendi. Certe hi non aliam abrupti itineris et in Italiam reditus causam allegant, quam cognitam ex infirmitate sua Dei voluntatem, ut adeo non modo prætermisisse, verum etiam nescisse dicendi sint angelicum istud monitum, quod apud sepulcrum S. Jacobi Sancto datum, Annalista affirmat.*

adversus quæ etiam militat aliorum silentium.

78 *Accedit aliorum quoque coævorum ac suppa-*
C *rum scriptorum de gestis illis silentium, de quo Waddingus ad annum 1213, num. 58, ac rursus ad annum 1214 num. 14 conqueritur, postremo loco dicens:* Ubi ægrotaverit, vel quam peragraverit in hac peregrinatione regionem, exacte nullus ex nostris memoravit. Multum nobis præstarent patres Hispani, si eam, quam Itali, adhibuissent operam in observandis gestis prodigiisque sui Institutoris. Nihil ferme calamo dignum prætermiserunt prisci Italiæ Franciscani,... Hispani vero, vel qui cum sancto Viro in Hispaniam transierunt, pauca notarunt, vel nostram subterfugere notitiam. *Ita quidem vir ille eruditus; sed nonne ex horum quoque silentio ea, quæ ex popularibus traditionibus circumferuntur, pro suspectis potius habenda sunt, quam priscorum Hispanorum patrum negligentia arguenda? Ponamus tantisper (quod mihi quidem ex primis biographis verisimillimum apparet)* S. Franciscum *cum unico socio, non terrestri itinere, sed mari, Hispaniam petiisse; cumque in eam appulisset, aut certe non multum progressus esset, infirmitate correptum, ut primum licuit, renavigasse in Italiam. His positis, quid mirum est, nihil de illius in Hispania gestis a priscis Hispanis patribus, qui tum nulli erant in Hispania, posteritati commendatum esse?*

Conjectura de modo, quo Sanctus istos conventus

79 *Forte tamen* Franciscus, *vir potens opere et sermone, in eadem profectione aliquot in locis condixit fore, ut in Italiam redux quosdam e suis mitteret, eaque ratione aliquot conventus acceptasse ac eorum fundator haud inepte dici potest. Potuerunt etiam alii, ad quos missi ab illo socii domicilia accepere, simili fere modo* Francisco *fundatore gloriari, atque ita lapsu temporum nasci traditiones illæ de ejusdem in singulis locis præsentia gestisque, quæ ex primorum biographorum dictis parum sunt verisimilia. Huc etiam pertinet, quod iidem biographi non nisi de uno* S. Francisci *in hoc itinere socio meminerint, expresse observantes, Sanctum tanto cum fervore hoc iter aggressum esse,* ut peregrinationis suæ quandoque relinqueret, *seu præcederet* comitem, *ut loquitur Celanensis, consentientibus biographo secundo et Bonaventura. Unde ergo sanctus Instituor ibi tunc habuerit in promptu socios, quos singulis illis per Hispanias erectis conventibus præficeret et ad alios erigendos transmitteret?*

fundasse, dici potuit, nostraque

80 *Si vero dicamus, illum in hac profectione eo, quo mox dictum est, modo loca aliqua admisisse, ac postmodum tempore opportuno destinasse e suis, qui ibidem domicilia conderent, cessabit ista difficultas, eaque opinio firmabitur tum ex ipsomet Waddingo, qui deinde ad annum 1216 scribit, fratrum manipulum, ex quibus novem nominat, ab eodem ex Italia in Hispaniam missum esse; tum etiam ex scriptore Hispano synchrono, Luca Tudensi, qui verbis in Commentario prævio num. 303 datis, ad annum 1217 docet, tunc per totam Hispaniam fratrum Mi-* E *norum monasteria structa fuisse; nec ante eumdem annum de iisdem meminit. Hisce omnibus mature perpensis, ego in Commentarii prævii § 14 ista* S. Francisci *in Hispaniis gesta non censui inter ejusdem certa facta reponenda; ejusdemque absentiam ab Italia minus diuturnam statui, neque ultra paucos anni 1214 menses differendam, ut de more interesse potuerit sui Ordinis comitiis generalibus, ex præscripto Regulæ in Pentecoste apud Portiunculam celebrandis, ac verisimiliter celebratis.*

de prædictis opinio.

81 *Iter quoque tam in accessu in Hispaniam, quam in regressu in Italiam, secus ac censuit Waddingus, non terrestre, sed verisimilius marinum fuisse, putavi; tum quia hoc imbecilli corporis Viro et ad martyrium in Africa subeundum properanti compendiosius erat, ac deinde magis afflictæ valetudini accommodatius, tum quia sic minus mirandum est, apud primos biographos nihil de hac profectione Hispanica traditum legi, præter miram festinationem in aditu, infirmitatem in Hispania, et propter hanc regressum in Italiam; tum denique, quod Waddingus ipse fateatur, nesciri, an terra marive profectus sit, nullumque certum assignare potuerit vestigium illius transitus per Galliam, quæ terrestre iter capessenti, tam in aditu, quam in reditu transeunda erat. Pergo prolixam Waddingi ad annum 1213 narrationem leviter perstringere.* F

Ampliorem ædem ægre tulisse Joannem Simplicem admisisse.

82 *Ex Mariani Florentini fide refert,* Franciscum, *cum Assisium advenisset, novam domum, quam vicarius ejus Petrus Cathaneus, recipiendorum hospitum, devinique Officii commodius persolvendi gratia, apud Portiunculam interea struxerat, destrui voluisse; nec nisi ægre permisisse, ut persisteret. Mox etiam ex Rodulphio et Marco Ulyssiponensi subdit, eumdem, dum in derelicto quodam sacello sordes scopis everrit, quemdam rusticum, Joannem nomine, suam operam in hoc humili officio sponte offerentem, in sodalitium suum benigne admisisse, placatis parentibus, qui pio filii sui proposito acriter obnitebantur, eumdemque ob miram suam simplicitatem et sanctimoniam* sanctum Joannem Simplicem *appellare soluisse. De eodem agit Pisanus, sed sine anno, quo ille admissus fuit, lib.* I *Conformit.* 8, *parte* II, *ubi dicitur apud Assisium in æde S. Mariæ Angelorum quiescere. Arturus eumdem in Martyrologio Franciscano cum titulo* Beati *recensuit, at Majores mei ex illo inter Prætermissos solummodo ad diem* 2 *Majï. Hueberus tamen etiam illum ut* Beatum *in Menologio Franciscano eodem die annuntiat. Redeo ad Waddingum.*

formicas obsequentes habuisse, procacopiam

83 *Narrat,* Franciscum, *dum Assisio ibat ad Montem Alvernum, per viam, prope Burgum sancti Sepulcri, solo imperio suo magnam formicarum*

AUCTORE C. S. *cem juvenculam punivisse,*

copiam abegisse a quadam quercu, juxta quam concionari volebat; ac procacem adolescentulam, quæ cymbalum pulsans prædicanti obstrepebat, tertioque, ut quiesceret, monita, parere noluerat, ad ista indignantis Sancti verba : Tolle, tolle, diabole, quod tuum est, *subito in altum abreptam ex oculis evanuisse, nec usquam deinceps visam esse. Quod spectat ad obedientiam formicarum, prodigium hoc, quod narrat Pisanus Conform.* 10, *verisimilius fit ex eo, quod ex primis* S. Francisci *Vitis constet, ipsum haud dissimili imperio in animantia rationis expertia etiam alias usum fuisse. Non ita facile sine certiori testimonio pro certo admisero istum mulierculæ raptum a dæmone; quamvis enim sanctus Vir juste irasci potuerit in petulantem illam juvenculam, et hæc dignam procacitatis suæ pœnam tulisse possit videri, mihi tamen mitissimi* Francisci *mansuetudini moribusque minus congrua videtur istiusmodi imprecatio, quam ut factum illud, pro quo Pisanus loco mox citato rursum laudatur, sine hæsitatione admittam.*

et alia quædam ad montem Alvernum pergens fecisse dicitur.

84 *Dum Sanctus hinc iter suum prosequebatur, et juxta Castrum Capresi in deserta quadam ecclesia extra villam Tyfi noctu orabat, Waddingus ex Miglii, scriptoris sæculi* XVI, *Historia Montis Alverni facta scribit, quæ S. Bonaventura in Vita cap,* 10, *apud me num.* 142 *et sequenti narrat de assultibus dæmonum, quos* Franciscus *in solitariis locis et ecclesiis inter orandum frequenter passus est, ac viriliter repulit, aliisque, quæ ibidem legi possunt. An tamen ea etiam tunc eoque in loco contigerint, illorum fidei relinquo. Ex Miglio item ac Mariano ibidem apud Waddingum legitur Sanctus eo ex conflictu adeo fatigatus fuisse, ut, cum non posset ultra pedibus procedere, necesse fuerit, eum adducto asello ad prædictam villam reduci. Dum vero ad hanc appropinquaret, dicitur, ut appetitum carnis gallinaceæ in semet castigaret, repertam in sterquilinio mortuam fœtentemque gallinam ad os naresque suas applicuisse, solo pane incinerato et aqua contentus; indeque recessurus benigno hospiti suo prædixisse, ejusdem* progeniei, a generatione in generationem duraturæ, neque divitias, neque paupertatem Dominum daturum, sed quæ commodæ vitæ et victui essent necessaria. Antiqui hujus vaticinii (*ita subdit Annalista*) adhuc recens est in dicto loco memoria; domus illa vocatur S. Francisci, omnibusque transeuntibus fratribus patet ad hospitalitatem, in qua Augustinus Miglius, sæpe se refectum et caritative receptum commemorat.

B

Quæ de avium applausu in eodem monte narrantur,

85 *Eosdem denuo scriptores secutus Waddingus, refert,* Franciscum *monita ab asinario suo, viro simplici, data libenter admisisse, et in gratiarum actionem illius pedes osculatum esse; deinde vero eidem deficienti præ siti oratione sua aquam e petra elicuisse, uti docet quidem S. Bonaventura in Vita cap.* 7, *num.* 100, *sed de tempore locoque solum ait, factum id esse quodam* tempore, *quo* Vir Dei ad quandam eremum transferre se *volebat,* ut ibi liberius contemplationi vacaret. *Mox aliud prodigium subdens Waddingus, sic prosequitur :* Dum in monte (*Alverno*) superando laborarent, voluit paulisper Vir sanctus sub quercu quadam respirare, statimque advolavit, ut alias diximus (*in margine remittitur lector ad annum* 1213, *num.* 33) magnus avium numerus, applaudens et congratulans ejus adventui. Pars in humeros, pars altera in scapulas et caput descendit; aliæ sinui et manibus ejus se commiserunt, rostris et alis gestientes, suo more gaudium explicantes de Hominis accessu. Quo raro eventu dixit ad suos : Credo, fratres charissimi, quod Domino placet, ut hic habitemus : magnam enim præferunt sorores aves de nostro adventu lætitiam. Lætus ergo consurgens, jugum montis conscendit, donec ad fratrum tuguriolum pervenit, in quo ob locelli humilitatem et paupertatem vehementer sibi complacuit *etc.*

C

verisimilius ex S. Bonaventura sumpta,

86 *Pro hisce eosdem, quos supra, testes laudat Marianum et Miglium, qui, multum vereor, ne simile avium prodigium, a S. Bonaventura traditum, non nihil deformarint, et ad alienum forsitan tempus retulerint. Laudatus sanctus doctor in Vita cap.* 8, *quod* De pietatis affectu, et quomodo ratione carentia adfici videbantur ad ipsum, *nempe* Franciscum, *inscripsit, num.* 118 *hæc ait :* Cum ad eremum pervenisset Alvernæ propter Quadragesimam celebrandam in honorem archangeli Michaelis, diversi generis aves circa ipsius cellulam volitantes, concentu sonoro et lætitiæ gestibus, quasi de ejus adventu gaudentes, Patrem pium invitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viso, dixit ad socium : Cerno, frater, voluntatis esse divinæ, quod hic aliquamdiu commoremur : tantum sorores aviculæ de nostra videntur præsentia consolari *Tanta est utriusque narrationis similitudo, ut mihi quidem pene certum videatur, Bonaventuræanam a Mariano Migliove paululum mutatam, et ad primum* S. Francisci *ad montem Alvernum accessum non recte translatam fuisse. Quam ob rem probare non possum, quod Waddingus prædictum prodigium ex illis ad hunc annum* 1213 *referat, ac rursus, velut plane aliud esset, ex Bonaventura ad annum* 1224; *quamquam et hic lectorem remittat ad annum* 1213, *ubi de eodem, prout a Mariano et Miglio narratur, breviter meminerat.*

D

mutata, et huc translata sunt.

87 *Nescio quoque, quam vera sint, quæ idem Annalista ad eumdem annum ex Mariano ac Pisano etiam memorat de converso tunc et ad Ordinem Minorum per* S. Franciscum *adducto famoso latrone, nomine* Lupo. *Waddingi verba accipe.* Præruptos inter hos lapides (*montis Alverni*) magna aspera saxea moles dividitur a reliquo monte alto circumquaque præcipitio, non nisi transmissi pontis beneficio accessibilis. Illuc, tamquam in insulam, vel in fidam custodiam relegabat famosus quidam illius eremi prædo, quos auxiliariis satellitibus prehendebat viatores, quibus in viis regiis sternebat * insidias. Emissos per pontem versatilem illic tenebat, donec statuto pretio redimebantur. Multa inferebat vicinis populis damna, strages undique exercens, propter quas Lupi nomine undique audiebat. Doluit vehementer ad Francisci et sociorum adventum, nolens sui latibuli et perditæ vitæ conscios habere.

Dicitur famosum prædonem, Alverni incolam,

E

* *an struebat?*

88 Sæpius jussit, ut recederent, minas adjiciens. Paupertas autem inter latrones ipsos secura, non habens, unde lædatur, reddidit fratres intrepidos; « nam cantat vacuus coram latrone viator, solam » animam in confiscato habens. » Quodam tamen die serio accedentem prædonem, ut omnino eos a monte deturbaret, Vir Dei adeo placide excepit, et minas tonantem, multa verba effundentem, adeo patienter audivit, placidisque rationibus furentis fregit iram, ut non solum cohabitatores voluerit in monte, verum et se ipsum admitti consodalem in tugurio. Probavit per aliquot dies terrestrium hominum angelicam vitam, quam libenter amplexus, mutatus est in virum alterum, Agnelli nomen ex Francisci impositione pro Lupi nomenclatura sortitus. Vixit postea religiosissime, velut recens adhuc ejus testatur in monte memoria, a quo in hunc diem asperæ illæ et solitariæ petræ crepidines vocantur Carcer fratris Lupi. *Hactenus ille ex duobus laudatis scriptoribus. Cetera ad montem Alvernum spectantia dedi in Appendice ad Gloriam posthumam* § 3.

ad Ordinem suum adduxisse, felici eventu,

F

89 *E monte Alverno Waddingus sanctum Institutorem suum progredientem exhibet, atque hoc in itinere apud montem Casalem supra Burgum sancti Sepulcri contigisse refert, quæ S. Bonaventura in Vita cap.* 6 *tradidit de Sanctorum reliquiis ibidem in deserta ecclesia sine honore dudum relictis, iisdemque, cum Sanctus divinitus instructus eas per socios suos transferri frustra mandasset, ad locum, quem ille designaverat, divino nutu translatis. Facti tempus, quod Bonaventura siluit, solo Mariani testimonio nititur. Ex eodem pariter, Chronicoque Ms. Fabrianensi subdit,* Franciscum *Fabriani, quod Ecclesiasticæ ditionis oppidum est in Marchia Anconitana, cœmentariis, qui e regione loci, ubi ille sermonem*

sacras Reliquias invenisse; domum quamdam ruituram,

A *sermonem habebat ad populum, palatium exstruentes, clamoribus strepituque impediebant, ne verbum Dei libere exciperetur, nec rogati voluerant paulisper cessare ab opere, prædixisse, domum illam brevi ruituram, sed ruina sua nullum hominem animalve læsuram; idque ita factum esse paucis post diebus, cum ædificium jam esset absolutum.*

et suos certo in loco habitaturos, vaticinatus esse,

90 *Post finitum sermonem (ut ex ipsiusmet Waddingi additione refert Melissanus) Sanctus a quadam nobili vidua, nomine Maria, relicta nobilis viri Alberici Gentilis de Fabriano, receptus hospitio, cum ab ea audisset, locum illum, ubi erant, a populo vocari* Vallem pauperculam, *prædixisse narratur, fore ut in Valle illa paupercula pauperculi fratres sui aliquando habitarent; neque irritum fuisse hoc vaticinium, cum anno* 1283 *aut* 1292, *empta illa, in qua prophetaverat, domo cum contigua turri, structum ibidem fuerit nobile ædificium, in quod fratres Minores, relicto alio conventu, transmigrarunt. Accepta hæc notantur ex mox memoratis Mariano et Chronico, ac* Vita B. Francisci Fabr. Mss. cap. 1. *Quæ subdo, rursum leguntur in Waddingi Annalibus, editionis Lugdunensis, qua semper utor, nisi aliter moneam. Illorum hæc fere*

B *summa est.*

ductori suo mirabiliter rependisse; parocho suum ad Minores accessum prædixisse;

91 *Quarto a prædicto loco milliari ad radices Appennini in valle Saxi, loco inter colles aspero et a turbis remoto, erat quædam ecclesia B. Mariæ Virgini dicata cum contiguo monasterio, a monialibus Benedictinis deserto. Huc euntem* Franciscum *et a via aberrantem agricola quidam, accepta ab illo sponsione, fore ut nihil dispendii ex intermissa interim agri cultura pateretur, rogatus duxit, reversusque campum, quem incultum reliquerat, aratum invenit. Merebatur hoc miraculum ab antiquioribus tradi; at nullus hic laudatur, nisi forsitan Marianus et Ms. Chronicon Fabrianense, quorum supra in margine facta fuerat mentio. Porro locus Sancto placuit, eumdemque a nobili Saxorum familia acceptum, per suos habitandum curavit. Dum circumjacentia loca lustraret, cum plebano ecclesiæ, quæ* Civitas *dicebatur, Raynerio nomine, peculiarem amicitiam contraxit, ei arcana suæ conscientiæ in Sacramentali confessione detexit, ac denique vaticinatus est, illum aliquando sui Ordinis alumnum fore. Vaticinium implevit Raynerius, dum veterem Amicum suum, miraculorum gloria post obitum coruscantem, Sanctorum albo inscriptum audiens, ejusdem institutum amplexus et ad mortem usque professus est. Huc refert Waddingus inscriptionem, quam in conventu Fabrianensi Patrum Conventualium ad turrim campanariam in lapide legi, ait, hoc modo:* Hic sunt ossa venerabilis fratris Ray-

C nerii, qui fuit confessarius B. Francisci, qui ei prædixit, quod futurus esset Frater Minor. *Confirmantur hæc ex Chronico vulgo Fabrianensi Ms., in cujus fragmento, quod habemus, ejusdem auctor, qui B. Franciscus Fabrianensis creditur, in hanc rem sic habet:* Anno Domini MCCLXVIII, quando ego eram novitius, obiit Fr. Ranerius, qui fuerat plebanus Plebis Civite, cui S. Franciscus pluries confessus, quando erat plebanus, et prædixit sibi in spiritu Dei, dicens : Fili, tu eris de nostris. Iste fuit sanctus homo, et verus frater Minor.

arborem plantasse post aliquot sæcula etiam fertilem;

92 *Prætereo hic, quæ Annalista prolixe prosequitur de conventibus, quos eodem anno a sancto Institutore variis in locis admissos conditosque volunt. Legi illa ibi poterunt; pauca peculiaria quædam Sancti gesta inde memorabo. Traditionem, inquit num.* 24, de occupato per sanctum Patrem conventu Siroli, qui maritimis Anconitani maris fluctibus alluitur... confirmat arbor e vestigio ecclesiæ a beato Patre plantata, virentibus foliis adhuc perseverans, ab omnibus Sancti Francisci arbor nuncupata, quæ cerasorum quoddam genus, vicinis populis mirabile et appetibile, producit. *Memorabilius est, sed et certiores vades, quam sint Pisanus, Marianus ac Rodulphius, ad certam fidem faciendam requirit miraculum, quod ab eodem Sancto patratum num.* 26 *scribit, in ædificatione cœnobii in loco de Trabe Bonatæ seu Bonantis in eadem Marchia Anconitana, et antiqua custodia Camerini. Juverit illius verba recitasse.*

auctore C. S.

alibi scaturientem aquam in vinum vertisse

93 Dum *illud sanctus Pater* ædificaret, et operarii magno sitis ardore laborarent, viresque sibi ad opus defecisse, quererentur, nisi aliquantulum vini ministraretur, misit sanctus Vir ad Castrum Jovis vicinum duos ex fratribus, qui illud a benefactoribus procurarent. Sed moram facientibus, et ultra querentibus cœmentariis, compassus eorum inediæ, ad vicinum fontem perrexit sanctus Vir, et, facto desuper signo Crucis, scaturientem aquam in vinum optimum convertit, ex quo per integram horam licuit haurire. Adfuit tunc quidam Joannes de Villa Alterini, comitatus Camerini, qui miraculosum hoc potavit vinum, remque cœlitus gestam narravit fratri Bonaventuræ Tolentinati, a quo et ab ædificioli structoribus undique divulgata est.

per totam horam, ut sitientibus succurreret:

94 *Pisanus, in custodia Camerini, quem locum hic laudavit Waddingus, de hoc admirabili facto solum paucis sic meminit:* In hoc loco, ut daret potum ædificantibus ipsum locum, B. Franciscus oratione fontem aquæ convertit in optimum vinum. *Sed in Conformitate* 22 *de eodem plura refert Waddingianæ narrationi conformia, præterquam quod in utraque editione legatur* Joannes de Villa Alcini, *qui apud Waddingum dicitur* Joannes de Villa E Alterini. *Factum ergo Annalista ex Pisano, annum vero ex Mariano accepit. Porro, si omnino certum esset, relationem illam vere Pisani esse, nec ab alio additam, stabit pro illa non contemnenda vetustas, cum in libro Conformitatum ibidem asserat, ita legi* in Legenda... antiqua; *quæ tamen quam sincera sit, nequeo affirmare. Ceterum quis ille sit Bonaventura Tolentinas, nullus ex allegatis explicavit, nec ego aliunde didici.*

tribusque aliis in locis fontes excitasse.

95 *Tres quoque fonticulos a* S. Francisco *alibi excitatos Annalista commemorat num.* 27 *verbis, quæ hic transcribo.* Conventum item S. Joannis de Saxo, Montisfalconis ad M P. ab oppido, ab ingenti quodam saxo, silva vestito, super quod ædificatum est, ita cognominatum, *ei tribuit Gonzaga ex traditione.* In silvæ meditullio fonticulus, perennibus aquis abundans, suum auctorem Franciscum, a quo et nomen hæreditavit, agnoscit, cujus epota aqua febres curat, aliosque morbos pro bibentium fide et devotione propellit. Ab eodem etiam Structore exordium ducit monasterium Colfanum, exstructum in pagorum Campi Rotundi et Cessa Palumbi, Camerinensis diœcesis, confinibus, in media silva ad oram dilabentis Fiastræ fluvii, quem etiam amœniorem reddit fonticulus, a sancto Viro e sitienti loco deductus... F In media quoque silva educto etiam miraculose fonte, alium reædificavit locum, quem Patres strictioris observantiæ incolunt, ad sesquimilliare a Pignano oppido.

Per viam socium corripit; cœlitum præsentia

96 *In eodem per Picenum itinere factum scribit, quod habet S. Bonaventura in Vita cap.* 7 *de corpore per* S. Franciscum *socio, qui de obvio paupere male fuerat suspicatus. Ad idem pariter iter ex Mariano ac Hugolino refert duorum ipsiusmet sancti Patris sociorum non dignam de illo æstimationem, mirabili visione correctam; nimirum, dum horum unus criminandi causa Sanctum noctu observaret, nec in cellula sua reperiret, visum auditumque ab eo in contiguo nemore pro salute humani generis orantem, magnoque lumine circumfusum, ex beatissimæ Virginis Matris ulnis Christum suis brachiis impositum accepisse; atque hinc socium criminatorem pene exanimem proruisse in semitam, per quam redeundum ad cœnobium erat; in qua a revertente sancto Viro inventus erectusque et, quæ viderat, silere jussus fuit, qui rem tamen ad Dei gloriam non celandam ratus, fratribus secreto manifestavit, et dignam cum murmuratore socio pœnitentiam de temerario suo judicio egit.*

et cœlesti lumine illustratur,

97 *Addit insuper in eadem provincia simile spectaculum obtigisse cuidam optimo tirunculo, qui, dum a sancto Patre suo in Ordinem admissus, ad tirocinii*

AUCTORE C. S.

tirocinii domum duceretur, cum eoque per viam sub dio pernoctare compulsus, juxta ipsum procubuisset, pie statuit explorare, quid ille esset acturus, clam colligatis utriusque cingulis, ne dormienti posset elabi. At vero, cum Magistrum suum, resoluto cingulorum vinculo, abesse persentiret, quæreretque, cælesti lumine adductus, intra arbores prospexit ipsum cum Christo Domino, cælestium choro circumdato, ejusque sanctissima Matre ac utroque Joanne, Baptista et Evangelista, loquentem. Indictum de hisce silentium, quamdiu Franciscus *vixit, servasse dicitur; sed post hujus mortem omnia propalasse.*

et a terræ sublevatus conspicitur.

98 *Addit denique,* S. Franciscum, *nocturnis precibus ferventissime intentum, a benigno hospite suo, viro nobili ac pio, observatum fuisse a terra elevatum et magna luce circumfusum; moxque hospiti illi injectam mentem fuisse de Minorum Ordine amplectendo; quod Sanctus istis precibus a Deo petierat, atque ille, distributis in pauperes facultatibus suis, exsecutus est. Hugolini, qui pro hac et duabus præmissis visionibus laudatur, magna esset auctoritas, si constaret, illum, ut Waddingus alicubi asserit,* S. Francisco *synchronum vixisse. Verum vide dicta in Commentario prævio* § 2. *Præter Hugolinum pro posteriori historia laudantur* Legenda
B antiqua, *ut sæpe monui, mihi ignota, et Pisanus in Conformitatibus.*

Acquirit locum in monte Subasio,

99 *Accipe demum, quæ Annalista Minorum ultimis numeris ad hunc annum memorat de duobus conventibus, eo circiter tempore a sancto Institutore admissis.* Circa hunc annum, *inquit,* accepit a patribus Benedictinis alium conventum, cui Carcer S. Francisci modo nomen est a diuturna et frequenti sancti Viri in eo reclusione et animi recollectione. Situs est in monte Subasio, secundo ab Assisio milliari. Magna habetur in veneratione et circumvicinis populis; eumque Franciscus ipse valde dilexit propter frequentes et molestas in eo superatas tentationes etc.

in quo illius monumenta et reliquiæ exstant,

100 Inter cetera vero, quæ hanc sacram ædem commendatissimam celebrioremque reddunt, potissima sunt cubiculum beati patriarchæ Francisci; ejusdem sacellum, in quo continuo orationi vacabat; lapideus lectulus, in quo idem defatigatus omnino lassusque decumbebat aliquando; ligneum cervical, quo utebatur; fons ipsius Patris precibus a Deo impetratus, qui scaturientibus venis largissimas propinat ministratque aquas; oratorium præfati beati patris Ruffini, et aliud quoque oratorium beati itidem patris Bernardi a Quinta Valle. Habentur hac in æde plurimæ Francisci exuviæ,
C sanguis, qui ex ejus stigmatibus profluit; panniculus croceus sericus, quo B. Leo profluentem sanguinem excipere solebat; pixis, qua sanctus Pater Christi Corpus recondebat; calix, ex quo post sacram Communionem lavatorium hauriebat; baculus, cui in itinere innitebatur, et pars bona habitus ejusdem, et cilicii S. Claræ. *Hactenus Waddingus, qui deinde Gonzagam citans, subjungit sequentia.*

item conventum de Villa, ejusdem memoria venerabilem.

101 Circa idem tempus paulo post receptionem montis Alvernæ acquisitus etiam conventus de Villa, omnium provinciæ Bononiensis ferme antiquissimus, in quo habetur magna in reverentia quædam sancti Viri cella, quam invisunt circumvicini populi singulis Kalendis Augusti. Hic Vir sanctus garrientes inter umbrosas arbores avi-
* *adde* audivit culas * : quod sacris meditationibus intento impedimento essent, ab eo correptæ, et, ut silerent, jussæ, ad nutum et ex tempore paruerunt, indeque sub silentio recedentes, numquam amplius vel ipsæ, vel aliæ similes ibidem visæ sunt. Tres hic arbores, nempe laurum in primo ædificii claustro, cupressum in secundo, et olivam in prato, sancti Patris manibus plantatas, invisere licet. *Hæc aliaque ad hunc duosque præcedentes annos in sæpe dictis Minorum Annalibus relata, quæ aliunde confirmare non potui, ex fide scriptorum, qui pro iisdem laudantur, liceat retulisse, et eruditorum judicio reliquisse.*

§ V. Varia Sancti gesta ad annos MCCXVI, MCCXVII et MCCXVIII in Annalibus Minorum memorata.

D

Comitia generalia, anno 1216 celebrata,

Habita *hoc anno* 1216 *in Pentecoste apud S. Mariam de Portiuncula a* S. Francisco *fuisse Ordinis sui comitia generalia, ad quæ ab ipso, dum sub finem anni præcedentis Romæ degebat, convocati per litteras Minores, quotquot potuere, convenerunt, scribit Waddingus ibidem a num.* 1. *Credit, hæc fuisse primum generale Minorum capitulum contra alios, qui maluerunt aliud, anno* 1219 *habitum, quod et* Storearum *dictum putarunt, pro primo habere, et contra Alphonsum Ciaconium, qui primum eorumdem capitulum anno* 1223 *illigavit. Addit denique, ex capitulo hujus anni* 1216 *missos fuisse in universas Europæ provincias fratres cum potestate alios ad Ordinem recipiendi; et illorum quidem aliquos post tolerata patienter multa incommoda et injurias, plurima sibi constituisse domicilia; alios autem, qui in Germaniam missi fuerant, inde omnino pulsos, non alium, quam heroicæ patientiæ, fructum e missione sua retulisse, et in Italiam ad sanctum Patrem suum reversos esse.*

E

non fuerunt omnium prima : quæ in his gesta fuerint.

103 *De generalibus comitiis anno* 1216 *apud Portiunculam in Pentecoste celebratis omnino assentior Annalistæ; verum neque hæc omnium generalium prima esse, existimo, nec ad ea convocanda opus fuisse encyclicis litteris; nec ex iisdem tentatam esse infelicem illam missionem Germanicam, puto; nec denique, capitulum, vulgo* Storearum *appellatum, anno* 1219 *habitum esse, sed paulo serius. Primæ partis asserti mei ratio est, quod, cum ex dictis in Commentarii prævii* § 13 *lex de celebrando quotannis in Pentecoste apud Portiunculam generali capitulo lata fuerit circa annum* 1212, *nulla causa sit, ob quam ejusdem decreti exsecutionem usque in annum* 1216 *differamus. Hinc fluit etiam secundæ partis probatio; quorsum enim encyclicis litteris intimandum fuerit fratribus, ad quod ex Regula sua se noverant obstrictos? Tertiam et quartam partem pluribus probavi in Commentario prævio* § 13, *quem studiosus lector potest consulere. Si ex iisdem hujus anni* 1216 *comitiis, ut ibidem num.* 2 *affirmat Waddingus, aliquot socii missi sint in Hispaniam, ab hisce forsitan erecti fuere aliqui e conventibus, quos* S. Francisco *auctori tribui, diximus supra in duobus præcedentibus* §§; *atque huic opinioni non parum favet Lucas Tudensis, dum ad annum* 1217 *scribit, per totum Hispaniæ regnum monasteria Minorum erecta esse.*

C

Franciscus illustrem familiam ad pacem reducit:

104 *Non examinabo hic singula illorum in Hispaniis gesta, nec aliorum alibi, cum non Annales Minorum, sed unius* S. Francisci, *Minorum Institutoris, Acta exponenda sumpserim. Hic, si recte habet Waddingus, Parisiorum tractum et Galliam Belgicam excolendam sibi servavit; verum antequam illuc tenderet,* statuit (*ita inquit Annalista*) illustre Baselensium genus in Umbria, dissidiis domesticis et diuturnis discordiis turpiter et miserrime pene extinctum, ad concordiam revocare; quod et feliciter perfecit. Illi autem in accepti beneficii memoriam suis * sodalibus monasterium statim * *i. e.* ejusdem
hoc anno ædificarunt in suo territorio, Sancti Angeli de Pantanellis dicto, juxta Tyberis marginem inter condensas arbores. Quem locum sæpius B. Jacobus Tudertinus inhabitavit,... et quem demum ruinæ propinquum multis post lustris S. Bernardinus Senensis refecit. *Annotantur hic in margine Gonzaga in provincia* S. Francisci *conventu* 42, *ubi eadem fere legere est, et* Chron. Mss. provinciæ S. Francisci, *mihi plane ignota.*

Romam proficiscitur; quædam ibidem tunc et in reditu gesta ejus.

105 *Dehinc Waddingus* Franciscum *cum fratre Massæo profectum Romam, ait, ut iter suum Gallicum ad Apostolorum Principum sepulcra commendaret; Romæ vero, dum in Vaticana basilica ad impetrandum veræ paupertatis spiritum illi seorsum orarent, apparuisse* Francisco *SS. Petrum et Paulum,*

A *lum, qui eum edocerent, preces suas a Deo exauditas esse. Tunc quoque eidem sanctoque Dominico, Ordinis Prædicatorum parenti, oblatas cælestes visiones, atque has secutam eximiam inter illos amicitiam; tunc etiam contigisse eorumdem propheticum cum B. Angelo Carmelita colloquium, et alia quædam* Francisci *in suo ab Urbe reditu gesta, quæ partim alibi expendimus, partim alibi discutiemus. Pauca quoque alia, quæ Waddingi Annalibus ad hunc annum addidit Antonius Melissanus de Macro, in editione Romana anni 1731 lector inveniet.*

Alia quædam ad annum 1217 a Waddingo relata

106 *Apud laudatum Annalistam Minorum* S. Franciscus *anno 1217 meditatum iter suum in Galliam prosecuturus, Hugolinum Cardinalem episcopum Ostiensem, et Apostolicum legatum in Tuscia, Florentiæ convenisse dicitur, et ab eo perhumaniter acceptus, unoque et altero die familiariter habitus fuisse. Sed et omnem ei operam suam et patrocinium condixisse idem Cardinalis narratur ad defendendam institutam ab illo Religionem; sed omnino dissuasisse iter Gallicanum, ne remotior ipsius a Romana curia absentia Ordini noceret;* Franciscus *vero post expositas in contrariam partem rationes, suadenti Hugolino paruisse; ac propterea missis in Galliam pro se aliis e fratribus suis, ad Spoletanam vallem reversus esse. Cumque huc appu-*
B *lisset, suorum querelis, quod multis in locis pessime mulctati essent, motum, et cælesti visione instructum, inde Romam profectum, inquit, ut ab Honorio III, qui Innocentio item III in summum Pontificatum successerat, laudatum Cardinalem Hugolinum suo Ordini protectorem peteret; et petitum impetrasse. Hæc ille ibi pluribus, pro nostro instituto non nihil expendenda.*

correctione egere nobis videntur.

107 *Sancti, dum Franciam petiit, accessum ad Hugolinum Florentiæ etiam tradit Thomas Celanensis in Vita prima cap.* 9; *sed eodem teste, non dissuasit illi hoc iter, imo* monuit... ipsum cœptum perficere iter. *Adi, si lubet, Commentarium prævium* § 15, *ubi de hoc argumento plura annotavi. Visionem de parva gallina cum pullis, quam ex Tribus Sociis ibidem refert Waddingus, isti fere habent apud me in Appendice ad Vitam* 1, *num.* 65; *verum si eadem illa Appendix ipsamet ad manum Waddingo fuisset, non dubito, quin non ad eumdem annum, quo hæc visio* Francisco *obtigit, Cardinalis protectoris impetrationem fuisset relaturus. Etenim laudati Tres Socii postquam num.* 65 *visionem illam ejusdemque interpretationem narrarunt, mox numero sequenti ad impetrationem Protectoris festinantes,* Elapsis autem, *inquiunt,* paucis annis post visionem prædictam, venit Romam Franciscus, *Hugo-*
C *linum Cardinalem suo Ordini protectorem ab Honorio III petiturus.* Pauci *igitur* anni *inter utramque intercesserunt. At quo igitur, inquies, anno ea visio contigit? Fateor, hunc, quia a nullo veterum signatum legi, mihi ignotum esse; verisimilius tamen existimo, illam saltem uno alterove anno serius, quam Christi* 1217 *accidisse; quia ex dictis in Commentarii prævii* § 22 *persuasum mihi est, impetrationem Protectoris Cardinalis Hugolini ad annum* 1223 *pertinere. Lege disputata ibidem.*

Sanctus in valle Reatina prope Græcium obtinet tugurium,

108 Franciscum *Roma regredientem Assisium aliquantisper in valle Reatina hæsisse, scribit ibidem Waddingus, eaque de mora generaliter ista præmittit :* In planitie hac, in civitate ipsa, in lacu et in montibus mira inveniuntur Francisci vestigia; nam et undique in hoc tractu per eum Deus mirabilia operatus est, et quatuor sui sodalitii habitacula in formam crucis in locis eminentioribus Vir sanctus ipse construxit. Omnia sub hoc anno referemus; quamvis non eodem omnia evenerint, tum quia non omnia certa constant chronologia, tum ut omnia unius loci delectabilius et clarius comprehendamus. Quædam sunt, quæ propter historiæ seriem suis temporibus sunt distinguenda; quæ tamen hic simul cum ceteris levi penicillo indicabimus. *Primum ex his, quod ad hunc annum* 1217 *refert, est cœnobiolum* juxta castrum Grætii, vulgo Grecchia, *quod cœnobiolum paulo post* tuguriolum *appellat, structumque ait* in monte alto procul ab oppido inter duas proceras carpinos, quæ conjunctis et intertextis suis ramis ab aeris inclementiis et solis ardore protegebant humile pauperum receptaculum. AUCTORE C. S

109 *Quamquam vero locum hunc postea deseruerit Sanctus, nihilominus ejusdem* adhuc (*verba Annalistæ sunt*) cernitur vestigium, et testes sunt revirescentes adhuc carpini, quantumvis excorticatæ et in orbem ac in pulpam a pastoribus cæsæ ad conficiendas cruces et orbiculos precanos * pro hominum devotione. *Causam vero mutandi locum hanc tradit. Joannes Velita, vir nobilis, sanctoque* Francisco *multum addictus, ad eum sæpius ventitabat; sed cum grandævus jam esset et obeso corpore, ac propterea moleste ferret et loci ab oppido distantiam et asperi montis ascensum, petiit, ut ad suum et commune commodum propius ad castrum accederet, moraturus in loco ad votum ejus exstruendo. Tum dicitur Sanctus annuisse subridens, ac pollicitus fore, ut non longius a castro locum caperet, quam puerulus quisquam torrem posset projicere.* *cujus locum postea mutasse dicitur*

* *an* precarios

110 *Accepta conditione, itum ad castrum est, ubi obvius puer id facere jussus, torrem divina virtute ultra milliare jaculatus est in oppositum monticulum silvestrem, qui ad eumdem Joannem pertinebat; atque ipse torris, incenso nemore, in declivem petrosum lo-* E *cum ejusdem collis decidens, illum habitaculo divinitus destinatum ostendit; quod et ex petra excidere oppidani mox aggressi fuere. Ita fere ipse, in margine laudans Angelum Reatinum, Marianum et Joannem Franciscum Nunno in Descriptione vallis Reatinæ, Pisanum, et postremum concinnatorem Historiæ Reatinæ Ms., quorum primus reliquis multum præstat, quippe unus, ut vult Waddingus, e Tribus illis* S. Francisci *Sociis, qui Appendicem ad Vitam ejusdem Sancti conscripserunt; verum in hac Appendice nihil hujusmodi legere est. Oportet ergo, ea referri in Historiola de gestis* S. Francisci *in Urbe et Valle Reatina, quam Waddingus eidem Angelo attribuit; ego vero non vidi. Interim fatendum est, non modo admirabilem esse istum tam validum pueri jactum, verum etiam sine certo auctore parum credibilem relatam nemoris incensionem, quam nescio, quo peccato meruerit vir ille bonus Joannes Velita, ipsimet Sancto addictissimus.* *eum adjunctis non satis verisimilibus.*

111 *Inter mirabilia, quibus* S. Franciscus *ibidem fulsisse ab Annalista narratur, unum est de lupis in mansuetudinem versis, quod ipsiusmet verbis hic describere placet.* Dum autem (*sanctus Pater*) ab oppido Contanello extra vallem juxta Calentinum torrentem, haud procul a Tiberi sito, rediret ad tuguriolum, et rusticum quendam, filiolum ulnis F gestantem rogaret, ut se comitem et itineris ducem adhiberet; ille vero se excusaret propter frequentiam et quotidianum luporum incursum, qui undique regionem illam, quasi plaga cælitus missa, divexabant; fide jussit pro lupis, nullum ei, nec eunti, nec redeunti, nociturum. Quod experimento comperit : nam noctu domum redeunti cum filiolo duo occurrerunt lupi, cauda blandientes, qui ad suam usque casellam, absque ulla injuria, magna hominis admiratione associarunt. *Mirabilia quædam,*

112 *Subdit Annalista, ea re postridie vulgata, e vicinis oppidis incolas ad tugurium sancti Viri, quem et Deo charum et adversus luporum rabiem potentem patronum ex eo facto intellexerant, accurrisse supplices, ut regionem suam tam ab infestis illis feris, quam a grandine annua, satis et vineis suis perniciosa, præstaret incolumem; illum vero ad Dei honorem spopondisse, ea mala cessatura, si ipsi de commissis flagitiis dignam pœnitentiam agerent; at pariter comminatum esse, eadem etiam magis sævitura, si post pœnitentiam rediissent ad vomitum; ac denique his promissis æque ac minis respondisse eventum.* Cessavit, *inquit,* grando, servaverunt et lupi pactionem Servi Dei; nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conversos attentaverunt amplius desævire; quamdiu juxta condictum contra piissimas Dei leges impie non egerunt. *quæ a S. Francisco in eadem valle Reatina gesta*

113 Tantum

AUCTORE C. S. *apud Waddingum narrantur,*

115 Tantum autem beneficium (*ita ille prosequitur*) non absque memoria et gratitudine recipiendum putarunt; impositoque sibi spontaneo tributo de dandis certis olei mensuris perpetuis illius eremitorii incolis, id sedulo præstant : nam vel ad vomitum peccatorum redeuntes, vel beneficii immemores continuo ab irruentibus lupis sui officii monentur, ut ipsi, qui modo vivunt, testantur ruricolæ, et non semel etiam suis temporibus evenisse, scripserunt Angelus Reatinus, Bartholomæus Pisanus, Marianus Florentinus, et postremus concinnator Historiæ Vallis Reatinæ apud me Ms., quorum unusquisque distincto floruit sæculo. *Hactenus Waddingus, cujus narratio partim certa est ex S. Bonaventura, partim etiam fit verisimilis. Etenim sanctus doctor in Vita cap.* 8 *apud me num.* 120 *et sequenti expresse tradit, utramque regionis perniciem a* S. Francisco (moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Græcii) *sub eadem pactione mirabiliter depulsam fuisse, quamdiu illius incolæ pacta servaverunt. De lupis tamen rustico, Sancti per viam duci, dum rediret, blandientibus, nataque hinc occasione immunitatem ab gemina illa calamitate postulandi et ceteris adjunctis, non meminit, neque annum, quo ista contigerint, ullo modo insinuat.*

partim aliunde certa sunt, partim dubia:

114 *Cetera mirabilia, quæ Waddingus ibidem num.* 13 *et sequenti in eadem valle a* Francisco *patrata scribit, accepta sunt ex Vita ejus per S. Bonaventuram cap.* 8 *et* 10, *ubi ea legi possunt, uti et apud Celanensem in Vita alibi. Verum ex Mariano suo addit sequentia :* Juxta castrum (*Græcii*) visitur adhuc et observatur lapis, in quem ascendit prædicaturus populo, dum primum illuc pervenit, et vitiosos hominum mores extirpavit. Ex quo sæpissime loci incolas et fratres vidisse flammas et igneos globulos veluti in cælum conscendere, testatur Marianus; seque serio cum testibus oculatis de hac re egisse; sibi etiam dictum, quod, tum propter Viri sancti reverentiam, tum propter miraculosas has flammas transportatus fuerit mysteriosus lapis in ecclesiam aliasque partes religiosas, semper tamen in pristinum redierit locum. *Insignia sane sunt hæc prodigia; sed an satis certis testibus affirmata?*

reliquiæ conventus apud Græcium, et alii conventus S. Francisco attributi.

115 *Utut sit, certiora mihi sunt, quæ de sacri Græciensis conventus vestigiis Annalista ibidem num.* 17 *habet his verbis :* Extant adhuc architecturæ Francisci dormitorium, oratorium et triclinium, angusto ambitu contenta; neque enim omnium latitudo sex passus, aut longitudo triginta excedit. Hæc humiliter absque superioribus contignationibus in ipsa area petræ fabricata sunt; quæ super hæc excreverunt ædificia superiora, postea adjecta sunt, vel S. Bonaventuræ tempore, ut quibusdam, vel posterius, ut aliis placet. Habentur in veneratione refectorii mensa, ex qua sæpissime cibum cum suis sumpsit, et in sacrario ferramenta parva, miro modo elaborata et flexibilia, quæ secum deferebat frequenter ad hostias efformandas pro sacerdotibus pauperculis : tanta erat illius erga ipsos et Eucharistiæ Sacramentum devotio. *Præter modo dictum conventum, tres in eadem regione* S. Francisco *auctori citato anno adscribuntur, unus scilicet ultra duo milliaria ab ipsa civitate Reatina, priori ad Occidentem oppositus; alter ad dexterum latus Græcii in monte Rainerio, sive Columbæ, cujus alibi jam memini; ac denique tertius ad sinistrum latus Græcii in saxoso monte juxta Podium Busconis; de quibus Annalista ibidem consuli potest; uti et de aliis, quos ab ejusdem Sancti sociis eodem anno alibi structos ait.*

Dicitur anno 1218 *alium conventum accepisse, gravi tentatione divinitus liberatus esse,*

116 *Cum Waddingo progredior ad annum* 1218, *in cujus exordio dicitur* S. Franciscus, *commissa sodalibus suis prædictorum conventuum perficiendorum cura, dum Assisium regrederetur, rursus alium locum obtinuisse extra vallem Reatinam; nempe* prope castrum Quitiliani... eremitorium S. Eleutherii; *laudaturque in margine Legenda Trium Sociorum et Marianus, apud quorum primos ego nihil tale invenio; nec magis, quod addit, Sanctum, ut suis esset exemplo, jussisse e tunica sua dissui panni præsegmina, quæ socii illius interius assuerant, ut intensum mense Januario frigus ab eo arcerent. Ignota quoque mihi sunt ætas et fides Legendæ, quam* antiquam *vocat, et ex qua et Mariano narrat,* Franciscum, *Assisium reducem, valida quadam tentatione per plures dies conflictatum fuisse, cumque hanc multa prece et lacrymis niteretur repellere, divinitus liberatum.* Intensissime tandem, *inquit,* oranti insonuit vox cælestis : « Francisce, si habueris fidem, ut granum sinapis, et dixeris monti, ut transeat, transibit. » Ignarus ille sensus oraculi, clamans addidit : « Domine, qualis hic mons? » Cui responsum : « Mons est tentatio : » et Franciscus magno lachrymarum impetu subjunxit humiliter : « Fiat mihi, Domine, sicut dixisti ; » statimque sublata omni tentatione, perfectam obtinuit spiritus tranquillitatem.

et Assisii quædam severitatis exempla

117 *Prætereo, quæ ibidem num.* 2 *ex solo Speculo* S. Francisci *refert, uti et alia num.* 4 *et* 6 *ex S. Bonaventura, pro quibus lectorem ad Vitam editam apud me cap.* 11 *et* 6 *remitto. At apud Waddingum num.* 5 *ex Mariano et* antiqua Legenda *rursum aliud castigatæ inobedientiæ exemplum narratur verbis, quæ hic transcribo.* Noluit quidam frater collum jugo obedientiæ submittere. Vocatum ad se inobedientem vehementer increpavit; deinde jussit, ut vestes exueret. Deduxit mox in altam foveam, præcepitque fratribus, ut statim terram circumducerent, et vivum ita subterrarent. Fecerunt ita fratres, fossamque replerunt, donec ad mentum jam frater cooperiretur. Cui tunc Franciscus : Esne mortuus, frater? Quo humiliter respondente : Ita, Pater, vel saltim propter meum peccatum mori debueram; jussit pius Pater, ut extraheretur, dicens : Surge, et si vere mortuus es, ut probum Religiosum, mundo et concupiscentiis mortuum decet, obedito prælatis ad nutum, nec amplius relucteris præceptis, quam homo mortuus, qui in nullo potest repugnare.

in inobedientes statuisse,

118 *Hæc ibi, quæ ego, cum antiquitatem fidemque, ut sæpe monui, memoratæ Legendæ nesciam, nequeo pro certis habere; Mariani autem ætas non multum ponderis addere potest. Bonaventura in duobus quidem locis meminit de correptis a* S. Francisco *inobedientibus, nempe cap.* 6 *et* 11; *sed horum priori loco num.* 86 *scribit, mandasse Sanctum, ut inobedientiæ rei, sed jam tum pœnitentis, detractum capitium coram fratribus projiceretur in ignem; in posteriori num.* 166 *ait, eumdem sanctum Patrem, cum absens in cella divinitus cognovisset cujusdam fratris in vicarium pervicaciam, pro delinquente orasse, petiisseque et a Deo obtinuisse, ut dæmon, a quo collum delinquentis velut adstrictum teneri in spiritu viderat, ab eodem recederet; ac mox per nuncium de his monitum fratrem facti pœnitentem, ad pedes vicarii provolutum, ejusdem imperio sese humiliter subjecisse. Atque hæc mihi quidem, quæ ex S. Bonaventuræ auctoritate sunt certa, etiam mitissimi Viri ingenio magis consona videntur, quam prædicta in terram defossio.*

Alia Sancti eodem anno gesta: Assisii ædificium,

119 *Porro laudato Annalista teste, post hæc gesta Assisii, suos Perusii commorantes invisit; quinto inde lapide juxta Columbellæ oppidum ecclesiam S. Mariæ de Ferneto a Patribus Benedictinis obtinuit, et in cœnobium erexit; atque alium item locum ad milliare unum ab oppido Montis Jovis sub invocatione S. Mariæ de Scarzola occupavit; et ad montem Alvernum profectus aliquot ibi menses moratus est. Hinc Assisium rediens, ut ad latus cœnobioli sui vidit exstructam capaciorem commodioremque, quam sua paupertas præscribebat, domum, mox dirui mandavit, diruissetque nisi ab Assisiatibus civibus fuisset edoctus, eam domum civitatis esse, nec alia de causa ædificatam, quam ut eo adventantes fratres ad illud hospitium possent divertere, nec in campis pernoctare cogerentur; ceterum eam domum semper fore juris publici, et civitatis sumptibus curandam. Addit insuper, hæc deinde ab Assisiatibus, ut promiserant, diu observata fuisse.*

120 Nam

A *non congruum paupertati, voluit dirui.*

120 Nam (*ut inquit*) eam libere deputarunt fratrum necessitatibus, injuncta cura ex facto statuto, ut, quisquis esset prætor civitatis, eam quotannis, dum opus esset, resarciret, quod per plurimos postea observatum est annos. *Pro hisce laudantur in margine Legenda Trium Sociorum, Marianus et Speculum Vitæ, ex quorum prima ista certa fierent, si in eadem legerentur, quod non fit in ea, quam edidi. Fortasse Legendam Trium Sociorum lapsu memoriæ aut calami laudaverit pro Vita, per S. Bonaventuram scripta, ad cujus caput 7 rectius remisit Bosquierus in Speculo, capite item 7, non quod ea ipsa apud Bonaventuram isto loco legantur, sed quod ibidem dicatur* S. Franciscus aliquando *mandasse,* dirui domos erectas, aut fratres exinde amoveri, si in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset Euangelicæ paupertati. *Non ait quidem sanctus doctor, ubi id ille fecerit; sed cum id ab eo plus semel factum scribat (ut liquet ex voce* domos) *non est, cur hoc ipsum Assisii contigisse, asserentibus non concedamus. Simile* S. Francisci *factum Bononiæ etiam ad annum* 1220 *recurret.*

§ VI. Generalia comitia anno MCCXIX celebrata : quæ hæc fuerint, et quæ potissimum in iisdem gesta : facta alia huic anno in Annalibus Minorum illigata.

B

Asserta quædam de comitiis generalibus anni 1219.

Annum Christi 1219 *celebrem fuisse comitiis generalibus sui Ordinis,* Storearum *vulgo dictis, iisque ultra quinque millia fratrum, sanctumque Dominicum interfuisse, narrat Waddingus ad eumdem annum a num.* 1. *Præmiserat, hæc comitia a sancto Patre per litteras encyclicas indicta fuisse anno priori, quo nulla comitia generalia habita agnoscit, et antequam ea hoc anno congregata fuere, ambos illos sanctos Institutores, et mutua inter sese colloquia, charitatis plena, et cum Cardinale Hugolino, legationem Pontificiam Perusii obeunte, habuisse affirmaverat. Ego horum singulis assertis non æque possum assentiri. Nam in primis, cum nullam noverim causam, propter quam prætermissa dicam anno* 1218 *comitia generalia, ex decreto* S. Francisci, *ut alibi probavi, singulis annis in Pentecoste apud Portiunculam celebranda, verisimilius puto, ea dicto quoque anno ibidem habita fuisse. Ex eodem decreto, utique omnibus Franciscanis, quorum intererat, noto, existimo supervacaneas futuras fuisse litteras illas encyclicas, quas proinde probabilius non* C *scriptas puto.*

non omnia mihique probata.

122 *De S. Dominici in aliquo Franciscanorum capitulo præsentia atque colloquiis cum* Francisco *et Cardinale Hugolino, latius agam alibi, ubi de horum Sanctorum sancta amicitia disserendum veniet. Anno* 1219 *rursum celebrata fuisse generalia comitia, libens assentior, tum propter memoratum decretum, tum propter auctoritatem Trium Sociorum, ex quorum dictis id satis perspicue eruitur. Non fuisse tamen capitulum hoc, in quo ex S. Bonaventura novimus, ultra quinque millia fratrum adfuisse, credere malo ob rationes allegatas in Commentario prævio* § 15, *ubi celebre illud capitulum paucis annis serius reponendum censui. Exploratum non habeo, an comitiis hujus anni* 1219 *etiam interfuerit Hugolinus Cardinalis Ostiensis; si tamen interfuit, id fecerit tamquam peculiaris amicus et patronus, seu protector Ordinis sponte sua ac* S. Francisci *auctoritate, non Pontificia, constitutus, quod serius factum esse, alias probavi in Commentario prævio. De gestis in hoc capitulo, quæ in citato* § 15 *jam retuli, non nisi paucis agam, ubi ita exiget narratio Waddingi, addamque, quæ hic præterea memoravit.*

In hoc capitulo tentatæ sunt missiones

123 *Ex hoc capitulo missos fuisse quaquaversum, etiam in provincias longe dissitas, fratres Minores, recte docet Waddingus; verum hanc non primam sed secundam hujusmodi missionem fuisse credidit; primam enim anno* 1215 *ante illigaverat; quam cum in Germania pessime evenisse, præmiserit, negavit, eam hoc anno* 1219 *instauratam fuisse, quique in alias provincias tunc destinati fuere, hos litteris summi Pontificis, Cardinalium, aliorumque principum instructos ivisse, ut et de probato illorum a Sede Apostolica Ordine constaret, et ipsi velut omni ope ac favore dignissimi commendarentur, nec, ut pluribus in locis antea contigerat, cum animarum jactura suo munere fungi prohiberentur. Vellem, hæc omnia solide probata esse, nec coactum me ab eruditissimo viro hic dissentire, qui, ut mihi videtur, gesta in duobus tribusve capitulis ad sua tempora non recte reduxit, quod non haberet Legendam, quam (ex aliis opinor) sæpe laudavit, quamque ego velut Appendicem Vitæ primæ lectori typis communicavi.*

AUCTORE C. S.

in varias provincias longe dissitas,

124 *Laudati Tres Socii primam illam in varias, etiam longe dissitas, fratrum missionem apud me num.* 62 *sic memorant :* Expletis itaque undecim annis ab inceptione Religionis, et multiplicatis numero et merito fratribus, electi fuerunt ministri et missi cum aliquot fratribus, quasi universas per mundi provincias, in quibus fides Catholica colitur *etc.; inter has deinde expresse recensent* Alemanniam *et* Ungariam, *in quibus missionarios illos pessime mulctatos fuisse, observant. Hinc ego in Commentario prævio* § 15 *hanc missionem retuli ad annum* 1219, *ad quem deducunt assignati anni* undecim, *ducto initio a mense Aprili anni* 1209, *ut ibidem videre est. Contra Waddingus missionem anno* 1216 *affixit, quod cum prædicto Trium Sociorum computu, quem verisimiliter non legerat, nulla ratione potest componi.* E

quarum aliquæ non ante annum 1224 *instauratæ sunt.*

125 *Alteram missionem iidem Tres Socii in Appendice num.* 66 *factam scribunt in primo capitulo, quod post confirmatam ab Honorio III Regulam habitum fuit; id est, anno* 1224, *uti pluribus probavi in Commentario prævio,* § 23. *In hoc eodem capitulo, primum instauratas fuisse missiones supra dictas, ibidem pariter docui ex eisdem Tribus Sociis, ex quibus etiam dixi, missis tunc datas fuisse* litteras Cardinalium cum Regula, bulla Apostolica confirmata; *ac propterea missiones illas, contra ac prius evenerat, prosperis successibus usas esse. Atque has duas missiones, primam scilicet anni* 1219, *alteramque anni* 1224, *solum memorant laudati Tres Socii; ut conjicere liceat, si intermedio tempore aliæ tentatæ fuerint, eas velut minus celebres ab illis fuisse prætermissas. Nunc ad Waddingum redeamus.*

Non videntur in priori capitulo missionariis concessæ fuisse F

126 *Scribit ille num.* 26, *in margine laudans Speculum vitæ* S. Francisci, *in comitiis anni* 1219 *multos e partibus ultramontanis adfuisse fratres, qui questi, quod, cum authenticas litteras de Instituto suo ab Ecclesia probato non haberent, in diversis provinciis male essent excepti, et ab ecclesiarum rectoribus non admissi ad divini verbi ministerium; proin petérent, ut Romanus Pontifex scripto testimonio vitam Ordinemque Minorum rata faceret, ac privilegium concederet, ut ubique, etiam insalutatis episcopis, possent prædicare. Tum dicitur sanctus Institutor, secundo postulato cum acri correptione repulso, primo annuisse, et ab Honorio III, Cardinalibus, virisque principibus obtinuisse litteras, de quibus supra memini. Quidquid sit de querelis aliunde delatis, has certe tunc delatas non puto ex Alemannia, ad quam in hoc ipso capitulo ex supra dictis prima missio decreta fuit. Eadem de causa nil mirum est, eamdem missionem, quippe nondum ante tentatam, tunc non fuisse instauratam.*

ab Honorio litteræ commendatitiæ,

127 *Tres Socii expresse affirmant, fratribus, qui e capitulo anni* 1224 *in varias mundi provincias destinati fuerant, bullam Pontificiam, qua eorum Regula confirmabatur, litterasque Cardinalium traditas fuisse, ut prædictis occurreretur malis; at simile quid etiam in prima missione anni* 1219 *factum esse, non modo non aiunt, sed contra infelicem hujus exitum ejusmodi litterarum defectui attribuerunt.* Quia, licet (*inquiunt*) præfatus dominus Innocentius tertius Ordinem et Regulam approbasset ipsorum, non tamen hoc suis litteris confirmavit;

AUCTORE C. S.

et propterea fratres a clericis et laicis tribulationes plurimas sunt perpessi : unde ex hoc fratres compulsi sunt fugere de diversis provinciis *etc. Nullis igitur Pontificiis litteris muniti fuere, qui ex capitulo anni* 1219 *in provincias missi sunt; non Innocentii III, qui Minorum Regulam vivæ quidem vocis oraculo probaverat,* non tamen hoc suis litteris confirmavit; *non etiam, qui Innocentio tunc successerat, Honorii III, cujus litteræ ejusdem auctoritatis, quam Innocentii, fuissent, quasque ab illo ante annum* 1224 *numquam datas fuisse, Tres Socii clarissime indicant.*

quas recenset Waddingus sine loco, ubi datæ sint,

128 *Verumtamen Annalista citato anno* 1219, *num.* 28 *has Honorii litteras recitat :* Honorius Episcopus, Servus servorum Dei, archiepiscopis et episcopis, abbatibus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prælatis. Cum dilecti filii, Fr. Franciscus et socii ejus, de vita et Religione Minorum fratrum, abjectis vanitatibus hujus mundi, elegerunt vitæ viam a Romana Ecclesia merito approbatam, ac serendo semina verbi Dei, Apostolorum exemplo, diversas circumeunt mansiones; universitatem vestram rogamus et exhortamur in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus latores præsentium, de prædictorum fratrum collegio existentes, cum ad vos duxerint declinandum, B ipsos recipiatis sicut Catholicos et fideles; alias eis ad reverentiam divinam et nostram exhibentes vos favorabiles et benignos. Datum 3 Idus Junii, Pontificatus nostri anno 3.

quasque ipse Viterbii, Marianus Perusii,

129 Primæ omnium (*ita observat ibidem Waddingus*) hæ fuerunt litteræ Apostolicæ concessæ Ordini Minorum; a quo vero obtentæ, an ab ipso Francisco, an per internuncios postulatæ; an Perusii, seu verius alibi datæ, discrepant quidam ex nostris. Marianus, Perusii tunc resedisse curiam, velit et per ipsum Franciscum impetratum diploma: at certum est ex historicis et Regesto Honorii, quod ego totum percurri,... hoc tempore non resedisse Perusii Pontificem, sed Viterbii; nam a III Nonas Januarii usque ad V Kalend. Augusti omnes Pontificiæ litteræ in ejus Regesto Viterbii sunt datæ. Hic ergo, non Perusii, concessit Pontifex has litteras Pontificias, vel ipsi Francisco (non adeo enim ab Assisio distat hæc urbs) vel ejus procuratoribus : namque ex datis toto hoc mense epistolis constat, ibidem tunc stitisse. Excusi codices nullum assignant concessionis locum, licet omnes tempus apponant. Exscripserunt autem diploma Firmament. trium Ordinum, tract. 2, p. 2, fol. 11, Monument. Ord. tract. 1 fol. 22, Speculum Minorum fol. 2, Roderic. in collectione Privilegio- C rum sub Honorio, Bulla 2.

alius Romæ, datas putant; sed hæ litteræ,

130 *Easdem Honorii litteras suo Bullario Franciscano inseruit Sbaralea, iisdem notis temporis, at sine loco, signatas; sed probat ibidem tum ex chronico Richardi a S. Germano, tum ex ejusdem Pontificis Regesto, Honorium tum temporis Romæ fuisse; atque adeo eas Romæ datas esse, contendit. Atque hoc quidem ei libens assentirer, nisi eædem illæ litteræ aliunde mihi essent suspectæ. Nam Tres Socii verbis supra datis non dubie negant, ullas ejusmodi Pontificias litteras Minoribus concessas fuisse ante confirmatam sub finem anni* 1223 *Regulam; ex iis vero, qui a Waddingo recensitas exscripserunt, antiquior est Marianus, sæculo* XVI *mortuus, cujus exemplar, si* Perusii, *ut ipse vult, signatum fuerit, certe vitiosum fuit; aut si in eo quoque deerat locus, mutilum fuit, nec immerito potest etiam haberi suspectum in adscripto anno Pontificatus, dum contra illum faciunt Trium Sociorum asserta, ut dictum est. Sbaralea describentibus præterea accenset S. Antoninum part.* III, *tit.* 24, *cap.* 7, *qui ibidem illas revera recitat, sed sine loco ac tempore, traditas tamen inquiens, fratribus, qui ex capitulo anni* 1219 *in diversas provincias missi fuere.*

licet eas etiam laudarit S. Antoninus,

131 *Hæc probant, eas litteras antiquiores esse Mariano, non tamen, anno* 1219 *ab Honorio datas esse, licet ita existimaverit S. Antoninus. Etenim hic ipse eodem in loco censuit, per easdem litteras ab Honorio confirmatam fuisse Regulam Minorum; nam illis ibidem hæc subdidit :* Dictus etiam Cardinalis dominus Hugolinus, Ostiensis episcopus et protector Ordinis, et multi alii Cardinales miserunt ad hoc idem literas efficaces. Cum his literis fratres, celebrato capitulo suo, dispersi, a prælatis, visis literis, sunt charitative recepti. Et ex his potest satis declarari dubium, quod movetur sæpe, quis Ordo fuerit prius institutus seu confirmatus a Sede Apostolica; Prædicatorum, an Minorum. Ex prædictis enim patet, quod, quantum ad quandam concessionem simplicem habitus et modi illius vivendi, et quasi permissionem, fuit prius institutus Ordo Minorum; quia per Innocentium tertium, ut dictum est, Quantum vero ad solennem approbationem per Bullas Apostolicas, authentice fuit prius Ordo Prædicatorum confirmatus; quia in principio Pontificatus Honorii; et post aliquod tempus Ordo Minorum solenniter approbatus (*hoc scilicet, ut rebatur anno* 1219) per literas Apostolicas; et Regula approbata. D

mihi admodum suspectæ sunt,

132 *Manifestum igitur est, putasse Antoninum, aut per dictas litteras Regulam Franciscanorum tunc fuisse confirmatam, aut saltem non fuisse confirmationi prævias; atqui constat, agnoscentibus Waddingo et Sbaralea, eamdem Regulam non ante annum* 1223 *ab Honorio probatam faisse Bulla,* E Solet annuere Sedes Apostolica *etc.; ac proinde fatendum est, litteras, de quibus loquitur, ab Antonino vel perperam ad annum* 1219 *relatas, vel, contra ac ille credidit, quadriennio ante confirmatam* S. Francisci *Regulam ab eodem Honorio fuisse concessas. Hoc autem posterius mihi quidem triplici ex capite minus verisimile apparet. Primo, quod ipsæ litteræ confirmationem Regulæ contineant, dicente in iis Honorio, fratres Minores elegisse* vitæ viam, a Romana Ecclesia merito approbatam; *secundo, quod idem Honorius III in Bulla sua, per quam eamdem Regulam confirmavit, expresse memoret, eam* a bonæ memoriæ Innocentio Papa... approbatam *fuisse; de sua autem per prædictas litteras approbatione aut confirmatione nullo verbo meminerit; tertio, quod Tres Socii negent, ullas ejus generis Apostolicas litteras exstitisse ante Regulæ confirmationem, cui Tres Socii eadem postponunt, quæ S. Antoninus et Waddingus anno* 1219 *illigarant, seu quadriennio ante fixerunt.*

nisi aliquot annis serius fuerint concessæ.

133 *Verisimile est, ambos hos scriptores ex dictarum litterarum, quam firmam reputabant, fide primum, ex quo celebris in provincias destinata est missio, generale capitulum æquo citius fixisse. Nam cum aliunde didicissent, primam missionem variis in locis successu caruisse, quia fratres Minores non* F *habebant litteras Pontificias, quibus suam Regulam probarent; cumque etiam scirent prosperum eventum secundæ, quæ cum hujusmodi litteris tentata fuerat, crediderint, postremam hanc anno* 1219 *contigisse, cujus die* 3 *Idus Junii currebat annus tertius Pontificatus Honorii, quas notas in dictis litteris legerant. Hoc tamen inter utrumque scriptorem interest, quod S. Antoninus, ut jam observavi, easdem illas litteras, prout merito poterant videri, Franciscanæ Regulæ confirmatorias esse, putaverit; ac propterea confirmationem Ordinis Minorum anno* 1219 *perperam affixerit; Waddingus vero eam ad annum* 1223 *recte distulerit. Si in iisdem litteris pro anno* 3 *Pontificatus Honorii primitus scriptum fuerit anno* 8, *poterunt eæ ab illo datæ fuisse anno* 1224, *postquam sub finem anni præcedentis Regulam per bullam confirmaverat.*

Quædam, quæ in iisdem comitiis ab Hugolino, Sanctoque

134 *Porro an comitiis anni* 1219 *interfuerit Cardinalis Ostiensis Hugolinus, ut apud Waddingum num.* 14 *legitur, certo dicere nequeo; sive tamen ad hujus, sive ad alterius anni comitia referenda sint, quæ de Hugolini in illis hoc anno* 1219 *præsentia retulit Waddingus, ea paucis hic attingam. Num.* 23 *et sequenti narrat, postquam Hugolinus ibidem ad congregatos fratres multa cum eorum laude sermonem habuisset,* Franciscum *cum illius venia suum quoque exorsum,* coram omnibus futuras Ordinis

A Ordinis ruinas, tribulationes, rerum mutationes, immissiones per angelos malos, et vecordiam fratrum, deordinationes, prophetico spiritu adeo efficaciter *prædixisse*, præsentibusque ita ignaviam et segnem cooperationem ad tantam a Deo eis gratiam concessam *objecisse*, ut omnem, si quis (*ex sermone Hugolini*) adoriebatur, tumorem represserit, et ruborem excitarit.

ac multis fratribus gesta feruntur,

153 *Addit, Hugolino ad hæc querenti, quod omnia dictis suis contraria protulisset, respondisse* Franciscum : Id propterea feci, ut tuæ laudis permaneat materia, sæpiusque laudare possis; volui enim futuris eventibus eorum malum avertere, ne tanti viri præconiis efferrentur, qui altas adhuc non egerunt in humilitate radices. *Sine dubio optimum erat a sancto Institutore adversus inanem gloriam propinatum suis antidotum; deleoque, quod pro hisce omnibus nullus a Waddingo testis allegetur. Post hæc ex Mariano Florentino et Marco Ulyssiponensi proseguitur, dicens, mox constitisse Cardinali, cautionem sancti Patris non vanam fuisse. Postridie enim Hugolinum a fratribus Helia et Joanne de Stiachia, Hetruriæ et Bononiæ Ministris, aliisque pluribus enixe rogatum, ac variis inductum argumentis, ut suaderet* Francisco, *admittenda imposterum esse in totius Ordinis regimine sociorum*

B *consilia, et severam nimis Minorum Regulam exemplo SS. Augustini, Benedicti, Basilii, aliorumque constitutionum temperandam.*

certioribus testibus indigere videntur.

156 *Verum, teste rursum Waddingo,* Franciscus *divinitus edoctus, ista non ipsius Cardinalis consilia esse, sed a fratribus illi suggesta, reverenter apprehensa ejus manu, illum ad capitulum duxit, ibique brevi, sed acri simul ac spiritus fervore pleno sermone, ad congregatos habito, omnium mentes ita perculit, ut et Cardinalis omnes ad parendum in omnibus sancto Institutori suo exhortatus sit, et, qui contraria consilia suggesserant, Viri sancti verbis ac nutui imposterum humiliter obtemperarint. Ita fere pluribus Annalista. Novi equidem, eam esse humanæ conditionis inconstantiam, ut a fervore spiritus ad laxiorem vivendi normam facile aspiret : attamen mallem, antiquiores vades, quam sint Marianus et Marcus, adduci, ut prædicta molimina certo credere audeam de illis* S. Francisci *sociis, atque inter hos duarum provinciarum Ministris; maxime si, ut præmissum est, pridie a Cardinale Ostiensi tantopere meritoque fuerint coram concione laudati, et a Sancto contraria oratione correpti, atque ad humilitatem spiritusque fervorem mirifice excitati. Suspicari enim cogor, quod etiam alibi indicavi, fratri Heliæ ob posteriora ipsius facta improbanda, quædam etiam alia, velut vivente* Francisco *commissa, non recte imposita esse; cum tamen Helias a* Francisco, *dum vixit, maximi factus fuisse*

C *apud Celanensem legatur.*

Recensentur tria decretæ

157 *Pergamus ad alia.* Inter cetera, *inquit Waddingus ibidem num.* 30, tria statuta sunt in his comitiis; primum, ut quolibet Sabbatho solemniter fierent Sacra in immaculatæ Virginis Mariæ honorem. Secundum, ut expressa fieret mentio Petri et Pauli Apostolorum in illa oratione PROTEGE NOS, DOMINE; atque item in alia, quæ incipit : EXAUDI NOS, DEUS, ut vel hoc signo gratam se exhiberet religiosa sodalitas erga Apostolorum principes, quos ex revelatione divina, constitit, in cælis speciales se exhibuisse ejusdem protectores et apud Deum intercessores. Hinc abiit in consuetudinem universæ Ecclesiæ ita recitandi ab eo tempore, quo Haymo Anglicus, quintus Minister generalis, authoritate Apostolica ritus Romani Officii in breviorem exactioremque formam redegit. Tertium, ut fratrum ædes paupertatem in omnibus præferrent; ecclesiæ essent humiles et parvæ, ac reliqui ædificii parietes essent cratitii, ex cannis scilicet cratibusque implexis, seu ex ligno et luto paleato compingerentur.

in eodem capitulo sancita;

158 *Hausit hæc, ut notat in margine ex* Legenda antiqua, *Bernardo a Bessa et Mariano Florentino, quorum medius, reliquis duobus antiquior, ista facit indubia; sed cum ejusdem Opuscula ad meas manus non pervenerint, Waddingi fide standum est, eadem apud ipsum legi; nec quidquam in illis decretis est* S. Francisci *sensis ac pietati non omnino congruum ac conforme. De Haymone correctoque per ipsum Romano Officio consuli potest Annalista ad annum* 1224; *verum in Missalibus Romanis, Haymone posterioribus, quæ quidem consului, non invenio mentionem de sanctis Apostolis Petro et Paulo in laudatis orationibus,* Protege nos, Domine, *et* Exaudi nos, Deus. *Facile etiam credo, quæ de tertio decreto num.* 31 *observavit Waddingus.*

AUCTORE C. S.

sed tertium Sanctus minus ursit.

159 Monet tamen (*inquit*) Marianus circa tertiam hanc constitutionem non unam omnium capitularium fuisse sententiam, pluresque fuisse, qui obtenderent, in suis provinciis cariora esse ligna, lapidibus; et cœmentitium parietem, dummodo humilem, non tanti sumptus, quin magis accederet ad paupertatem, sua duratione et firmitate frequentes excusaret expensas restaurandorum, et sæpius extruendorum humilioris sive infirmioris illius generis parietum. Noluit cum his nimium contendere sanctus Legislator (quem et in aliis multis rebus condescendisse contrariis aliorum opinionibus, turbationis aut scandali vitandi gratia, monent ad hunc locum Tres ejus Socii) quare constitutio hæc non adeo abiit in praxim : sæpissime E tamen alias et ad mortis horam monuit et rogavit fratres, ut ecclesias et habitacula, quæ pro ipsis construuntur, penitus non reciperent; nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promiserunt, semper in eis hospitantes, sicut advenæ et peregrini *etc. Hæc ille, quæ libens admitto, præterquam quod dicitur de testimonio Trium Sociorum, in quorum Opusculo, quod edidi, hoc non legitur.*

Quæ de conventu a dæmonibus eodem tempore

160 *Haud ita facile (opinor) certam fidem invenient, quæ de altero concilio Waddingus ibidem num.* 19 *et sequenti a multis dæmonum millibus haud procul a comitiis Franciscanis, in hospitali Crucigerorum eodem tempore celebrato, narrat, ut illi invisum sibi Minorum Ordinem, si fieri posset, penitus exstirparent. In hoc nefario conventu post varia collata consilia tandem communi consensu decretum ab illis ait, omni astu persuadendum Franciscanis esse, ut in societatem suam viros nobiles, litteratos, magistros ac puerulos admittant; futurum enim, ut nobiles ad consuetas delicias aspirent; magistri scientia inflati humilia aspernentur; pueruli rigorem disciplinæ Regularis, a quo molliuscula membra abhorrent, facile remittant; atque ita illorum Ordo sponte sua corruat. Tum dicitur* S. Franciscus, *astutis his consiliis divinitus cognitis, post unum* F *alterumve in sacro quodam latibulo fervidis precibus exactum diem, congregatos fratres de paratis insidiis monuisse, eaque suggessisse monita, quæ si servarentur, viri nobiles, litterati ac juniores sine ullo Ordinis sui periculo possent admitti.*

non procul a comitiis Franciscanis habito narrantur,

161 *Nullus dubito, quin maligni spiritus omnem lapidem moverint, ut exosum sibi Ordinem, a quo jam tum tanta damna tulerant, ac porro verebantur, penitus exscinderent; ut tamen prædictum illorum conventum credam, persuadere mihi nequit, quam solam hic laudat Annalista, auctoritas Marci Ulyssiponensis, Mariani Florentini, Speculi Vitæ* S. Francisci *parte* I, *cap.* 20 (*ubi tamen ista non habentur*) *et Francisci Mauri, poetæ sæculi* XVI, *lib.* VII *Franciscíados. Hac, puto, occasione Waddingus, ut præmissa faceret credibiliora, alterum ejusmodi conventum dæmonum memoravit ex S. Bonaventura in Hexaemeron sermone* 18. *Sanctus doctor sic ibi loquitur :* Mulier quædam habuit filiam dæmoniacam, quæ vilia loquebatur, et dixit, quod Franciscus magnum malum faciebat eis (*dæmonibus*) et quod bene erant contra ipsum congregati quinque millia ad ipsum decipiendum : et frater, qui audivit, dixit beato Francisco. Tunc ipse surrexit, et dixit : Modo fortior sum.

certiores testes requirunt,

162 *Ita S. Bonaventura, cui ut libens credo, ista ab energumena fuisse dicta, ita non video, cur necesse*

AUCTORE C S.

necesse sit eadem, ut vera, energumenæ credere, nec pro vanis dæmonum minis habere; aut si credamus, cur oporteat, ea de peculiari quinque millium dæmonum conventu interpretari. Docet ibidem sanctus doctor, probum virum ex imminenti tentatione cognita fieri sagacem, fortem et sapientem; idque confirmat adducto S. Francisci *exemplo, ad dæmonum minas animose reponentis :* Modo fortior sum; *quia videlicet intentatæ dæmonum comminationes ipsum ad easdem prudenter cavendas ac fortiter repellendas excitabant. Nihil autem ad sancti doctoris propositum intererat, seu vera, seu falsa, energumena dixisset, sive etiam illa quinque millia dæmonum in peculiari quodam congressu, sive aliter* Francisco *insidias struere decrevissent. At nonne rectius suspicari quis posset, ista S. Bonaventuræ dicta non nemini occasionem dedisse, ut scriberet, aliud istud multorum millium dæmonum concilium eodem tempore, quo* S. Franciscus *cum numeroso quinque millium fratrum numero comitia sua celebrabat; nec procul ab his habitum fuisse?*

Missis ad varias regiones fratribus, Sanctus proficiscitur in Syriam.

B 143 *Jam dixi supra,* S. Franciscum, *expletis sæpe dictis comitiis, multos e fratribus suis in varias misisse regiones, quas Waddingus recensens, nominat Græciam, Africam, Hispaniam, Galliam, Aquitaniam, Hungariam et Angliam, quibus addendam credimus Germaniam, ut patet ex dictis superius. Missorum nomina et quædam ad eos spectantia ibidem legi possunt; neque enim muneris mei est ista omnia examinare. Solum addo, hoc eodem anno a sancto Patre cum præposito suo Vitale in Africam missos esse quinque illos sanctos pugiles, Berardum, Ottonem, Petrum, Adjutum et Accursium, qui anno sequenti Marrochii in Mauritania Tingitana glorioso martyrio coronati fuere; quorum gesta apud nos illustrata habes ad diem* 16 *Januarii. Porro ipse* S. Franciscus, *qui suos non minus exemplo, quam verbis, ad heroica facta semper animabat, eodem anno in Syriam profectus est, ut ipsemet Mahumetanis in Oriente Evangelii lumen afferret, quodque vehementer optabat, pro Christo sanguinem funderet. Sed de his nihil dicam, cum eadem fusius tractaverim in Commentarii prævii* § 16.

Sanctus ad comitia pergens

144 *Ast juverit hic recensuisse, quæ Waddingus num.* 3 *ex Legenda Trium Sociorum (ut ipse quidem loquitur) atque altera antiqua Legenda præmiserat de humillimi simul ac patientissimi Viri sensis, dum ad prædicta comitia accederet.* Peractis (*ait*) cum Cardinale (*Hugolino Perusii*) rebus suis, rediens Assisium Franciscus, comitia celebraturus, dum in via [*de*] humilitatis virtute et perfecta hominis
C abnegatione sermonem haberet, inquit in spiritus fervore ad socium Leonem : « Charissime frater, » non mihi videor, neque sum frater Minor, nisi » cum omni humilitate et eadem animi serenitate, » tranquillitate, agam aut perferam, quæ in exem- » plum tibi confingo.

miræ humilitatis ac invictæ patientiæ sensa

145 « Vocatus magna reverentia et devotione » a fratribus ad comitia hæc nostra jam celebranda, » rogatusque humiliter, ut eis proponam verba » salutis; si, postquam eis prædicavero, quæ spi- » ritus suggesserit, insurrexerint in me, et sermo- » nibus odii circumdederint me, dixerintque : » Nolumus, te regnare super nos : verecundamur » enim ad tantam hominis idiotæ ignorantiam, cui » facundia nulla, scientia nulla, prudentia, re- » rumque experientia perquam exigua. Quare de » cætero non audeas nostrum te dicere prælatum; » hisque et aliis similibus illatis opprobriis, si » tandem me extra domum capitularem ejecerint » cum contemptu et vituperio; nisi ego hæc omnia » eadem facie, immoto vultu et constanti mentis » serenitate audiam admittamque, qua laudantes » et honorificantes excipio, verum me Religiosum » haud censeo. Et sane in honorificentia peri- » culum est animæ meæ, tum propter auram » inanis gloriæ, tum propter præfecturæ peri- » culum : at in opprobriis occasio est merendi; » nec pulsus regimine teneor tot animarum red- D » dere rationem. »

suo socio exposuit.

146 *Laudavit pro hisce Waddingus, ut dixi, Legendam Trium Sociorum, et Legendam antiquam, nescio, quam; at in priori, qualem edidi, ea frustra requiras. Sed laudare potuisset S. Bonaventuram in Vita apud me num.* 77, *ex qua eadem accepta aut paululum amplificata fuisse videntur, prout utrumque locum conferenti facile apparebit. Potissimæ discrepantiæ sunt, primo, quod Bonaventura nec annum, nec nomen fratris, cui ista* Franciscus *dixit, notaverit, solum inquiens :* Dixit aliquando socio suo. *Secundo, quod apud eumdem non dicat* Franciscus : Vocatus... ad comitia hæc nostra jam celebranda; *verum sic :* Non mihi videor, frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce, prælatus existens fratrum, vado ad capitulum : prædico et commoneo fratres, et in fine dicitur contra me : Non convenis nobis *etc. Certe hic loquendi modus non necessario indicat,* S. Franciscum, *dum hæc diceret, ad capitulum ivisse, cum ejus sensus obvius hic etiam esse possit :* Si irem ad capitulum, si in eo prædicarem, si commonerem, *etc. Ponamus tamen,* Franciscum *ista in itinere ad capitulum generale locutum esse; ne vel sic ea ad annum potius* 1219, *quam ad unum ex aliis, quibus generalia Ordinis Minorum capitula celebrata fuere,* E *referenda essent. Utut sit, sunt illa sensa humillimo patientissimoque Viro dignissima, cui similia S. Bonaventura rursum attribuit in Hexaemeron sermone* 18, *sic scribens :* In consolatione jungendus est timor, et in tristitia jungendum est solatium, exemplo B. Francisci, qui, quando offerebatur sibi honor, dicebat socio suo, quod ibi erant nil lucrati; sed quando recipiebat vituperia, tunc lucrabatur.

§ VII. Sancti gesta Bononiæ, ad annum MCCXX in Annalibus relata.

Sanctus hoc anno Bononiæ prædicans,

Quæ de S. Francisci *hoc anno* 1220 *gestis in Syria, moraque, ac reditu in Europam refert Waddingus, fuse examinavi in Commentario prævio* § 16 *et seq. In Italiam reversus dicitur aliquot in locis conventus suis obtinuisse, de quibus consuli potest idem Annalista ad hunc annum a num.* 3. *Constat etiam,* Franciscum *eodem anno fuisse Bononiæ, ac quædam gessisse, hic non prætermittenda. Meminit hujus rei Carolus Sigonius lib.* II *de Episcopis Bononiensibus ad hunc annum, inque dictorum suorum confirmationem oculati testis instrumentum laudans,* Extat, *inquit,* scriptum quoddam Thomæ archidiaconi Spalatensis, qui F tum studiorum caussa in urbe (*Bononiensi*) affuit, ad hanc historiam pertinens, quod ad rem illustrandam inserere libuit. *Tum ipsum subdit instrumentum, quale ego hic ex eodem transcribo.*

ut constat ex teste oculato, magno cum plausu

148 Cum essem in studio Bononiæ ego Thomas, civis Spalatensis, et archidiaconus ejusdem civitatis cathedralis ecclesiæ, anno millesimo ducentesimo vigesimo in die Assumptionis Dei Genitricis vidi sanctum Franciscum prædicantem in platea ante palatium parvum, ubi pene tota civitas convenerat. Fuit autem exordium sermonis ejus : ANGELI, HOMINES, DÆMONES. De his autem spiritibus rationalibus ita bene et districte proposuit, ut multis literatis, qui aderant, fieret admirationi non modicæ sermo Hominis idiotæ. Non tamen ipse modum prædicantis tenuit; sed quasi concionantis; tota verborum ejus materia discurrebat ad extinguendas inimicitias, ad pacis fœdera reformanda. Et sordidus erat habitus ejus, persona contemptibilis, et facies indecora; sed tantam Deus verbis illius contulit efficaciam, ut multos nobilium, quorum furor immanis multa sanguinis effusione fuerat debacchatus, ad pacis concordiam simul deduceret. Erga ipsum vero tam magna * erat universorum devotio, ut viri et mulieres in eum catervatim currerent; et beatum se putabat, qui saltem

* *Wadd.* tanta et tam magna

A saltem posset vel fimbriam vestimenti ejus tangere.

et fructu 149 *Hoc idem instrumentum, velut* ex scriptis ecclesiæ Spalatensis (*quæ civitas archiepiscopalis Dalmatiæ est*) extractum *exhibet Waddingus cum exigua illa mutatione, quam in margine adscripsi, qui et addit, illud a Rodulpho quoque referri, sed mutatum, aliisque ab illo mixtum. Ex isto vero Thomæ Spalatensis ecclesiæ archidiaconi testimonio quilibet facile perspiciet, summam tum fuisse* S. Francisci *apud Bononienses venerationem, minimeque absimilia veri esse, quæ laudatus Sigonius de illius Bononiam adventu præmisit hoc modo:* S. Franciscus postero anno (*id est, anno, de quo agimus,* 1220) jam singulari vitæ asperitate atque innocentia clarus, Bononiam venit. Is cum esset facie haud liberali, brevi statura, crasso et obsoleto amiculo tectus, quibus rebus eximia excellentis viri ferme minui expectatio solet; tamen tanta hominum ejus visendi cupidorum concursatione exceptus est, ut per vias incessus esset ablatus.

duos ibi scholares admittit in Ordinem, luscum 150 Ut vero in forum pervenit, civibus et scholaribus in unum convocatis, concionem tanta spiritus magnitudine habuit, ut non homo loqui, sed angelus putaretur : adeo vero animos omnium flexit, ut non solum plerosque ad pœnitentiam agendam impulerit, sed etiam scholares duos e

B Piceno ad res humanas relinquendas, et disciplinam suam asciscendam adduxerit, quorum utrumque, nempe Peregrinum Falleronum, et Rixerium a Mucia, habitum postulantes vestivit. Quin etiam tam multa inde sanctitatis documenta dedit, ut oculum juvenis, qui perpetua obductus macula sensum aspectus amiserat, uno Crucis signo illato sanarit; quo facto, illum in societatem deposcentem accepit.

signo Crucis sanat. 151 *Waddingus, qui ista fere descripsit ex Sigonio, addit,* S. Franciscum *tunc Peregrino Fallerono præcepisse, ut viam humilitatis sectaretur; Rixerio autem seu Rigerio, ut aliquando fratres curaret; atque ita factum esse; Peregrinum enim, licet doctum et in sacris canonibus versatum, numquam ad clericatum aspirasse; sed in laicali, seu, ut vocant, in Conversorum statu mortuum esse; Rigerium vero ad ministerium provinciæ Marchiæ Anconitanæ postea fuisse promotum. Quid de utroque insigni viro plura voluerit, adeat laudatum Annalistam. Hic de sanato unius oculo consentiens, in eo a Sigonio discrepat, quod luscum illum tunc* puerum *fuisse dicat, neque tunc a* S. Francisco *receptum in Ordinem, sed* postmodum *illius institutum amplexum esse; additque, eumdem testatum, se longe clarius videre ex oculo prius infirmo, quam ex semper*

C *sano. Hausit autem hæc ex Rodulpho et Marco Ulyssiponensi, quos in margine citat. Chalippus in Vita Gallica lib.* III, *ad hunc annum* 1220 *perperam credidit, etiam hæc ex supra dicti Thomæ Spolatensis testimonio esse accepta.*

Admisit etiam tunc in Ordinem Nicolaum de Pepulis, 152 *Prætereundus hic non est alter* S. Francisci *discipulus, cujus perhonorifice ex veteri monumento meminit ibidem Waddingus num.* 9 *et sequenti. Ejus verba accipe.* Præter hos alium sibi adquisivit discipulum ex hac concione, superioribus non inferiorem, dominum Nicolaum de Pepulis, nobilem Bononiensem jurisperitum, qui Bernardum a Quintavalle Bononiam advenientem a puerorum et insolentum molestiis liberavit, benigne ibi commorantem fovit, et consodalibus ædes extruendas curavit, ut superius prædiximus (*nempe ad annum* 1211.) Ea mihi probat authenticum scriptum cujusdam fratris Bonaventuræ, anno MCCCVI exaratum, cujus autographum penes illustrissimos dominos de Pepulis, et probatum exemplar apud dominum Franciscum de Vase Petramellara, SS. Mauritii et Lazari magnæ crucis equitem consiliarium, et magnum Bononiæ commendatarium, transumptum ad me missum hic exhibeo. *Tum sequitur instrumentum istud, quod huc quoque transfero.*

qui Minoribus primum domicilium Bono- 153 Beatus Nicolaus de Bononia, filius domini Guilielmi ex mag. domo Pepulorum, ambo boni nominis, famæ et Dei timoris in ipsa civitate habiti sunt. Hinc * ab ineunte ætate operam dedit studiis; quare doctor legum effectus, in publico gymnasio lecturam Pandectarum an. Domini MCCXIX egregie interpretatus est. Tunc temporis S. Franciscus Bononiam beatum Bernardum misit, ut cœnobium suæ Religioni, nuper a summo Pontifice confirmatæ, curaret. Qui cum Bononiam pervenisset, divino spiritu amicitiam cum beato Nicolao contraxit, eumque a contemptu puerorum liberavit, in domum suam benigne recepit, officiis et honore prosequens; domicilium sibi suæque Religioni * procurandum suscepit in loco sanctæ Mariæ de Puliolis. In eum non sôlum plurima et maxima dona in honorem Dei et beati Francisci contulit, sed ex aliis seipsum Franciscanæ Religioni dicavit, habitumque illius suscepit an. Domini MCCXX, dum sanctus Franciscus Bononiæ in platea conciones habebat, ac miraculum in beati Peregrini conversione conspexit.

AUCTORE C. S. *niæ procuravit,* * *an* Hic ?

* *i. e.* illi, ejusque Religioni

et in Ordine pie obiit. Credit Waddingus, 154 Vixit per paucos annos in Religione, plura signa dedit Deus, ex quibus omnes pro comperto habebant, beatum Nicolaum esse Deo maxime charum. In itinere bis comes fuit S. Franc. De ejus progressu in Religione plura in nostro Manuali scripto reperiuntur, et majora expectabantur; sed morte præventus pie sancteque Deo spiritum reddidit an. Domini MCCXXIX, Kal. Maii, et in ecclesia E de Puliolis ejus cineres conduntur. Ego Fr. Bonaventura brevitati studens, scripsi an. 1306. *Hactenus testimonium laudati fratris Bonaventuræ, quod Waddingus sic excepit:* Quod autem præmisso anno MCCXIX subjungat, TUNC TEMPORIS Bernardum Bononiam venisse, latius hoc spatium temporis sumendum est, sicut supra docuimus, et ex hoc ipso colligi potest, quod NUPER, aut paulo ante, dixit, Religionem a Pontifice confirmatam. Is autem fuit Innocentius tertius, ante aliquos annos mortuus, qui anno MCCX (*mihi* MCCIX) Regulam et institutum approbavit. Verius ergo putamus, non anno MCCXIX, sed MCCXI Bernardum Bononiam appulisse, uti jam statuimus sub illo anno; quod omnino confirmat Francisci hoc, de quo agimus, anno indignatio, quam statim referemus, de amplioribus suorum fratrum ædificiis, quæ ante unum aut alterum annum non adeo facile poterant extrui. *Hæc ibi.*

eam loci donationem factam esse anno 1211; 155 *Ad annum vero* 1211, *num.* 29 *disseruerat hoc modo:* Sigonius in Historia Bononiensi hoc factum (*primum Bernardi adventum Bononiam*) vult anno MCCXVIII; sed in Opere de Episcopis Bononiensibus, sub Henrico a Fracta, in annum MCCXIX rejicit, Leandrum Albertum secutus; quibus accedit Cherubinus Ghirardaccius; sed in hunc annum F reducendam historiam, docet ex Chronicis antiquis Marianus Florentinus, cujus sententiam confirmant Speculum S. Francisci, Pisanus, Rodulphus et Marcus citati (*ibidem in margine*) dum parum post approbatam ab Innocentio Regulam Bononiam missum indicent Bernardum. In quo sane lapsus Sigonius, dum post approbatum ab Honorio institutum illud factum dicat; quod nequaquam constare potest, dum quarto post annum MCCXIX, quem ille statuit, videlicet anno MCCXXIII Regulam et institutum Honorius confirmarit. Ego ita has conciliandas sententias judicarim, ut hoc anno (1211) missus Bernardus, anno MCCXIII suam ædiculam absolverit, et anno MCCXIX in ampliorem formam, quam Franciscus ex Ægypto rediens anno MCCXX probarit, fuerit translata. Ita sane indicat Rodulphus in Custodia Bononiensi, hujus monasterii longiorem subtexens relationem.

sed pro anno 1219 *stat antiquior auctoritas,* 156 *Nunc nostrum est allegatas rationes ponderare. Ex omnibus laudatis scriptoribus longe præcipuam fidem ab antiquitate sibi vendicat jam his terve laudatus frater Bonaventura, quippe qui scripsit anno* 1306, *cum ceterorum antiquior Bartholomæus Pisanus, non nisi nonaginta tribus annis post, id est, anno* 1399 *Opus suum generali Ministro Minorum in comitiis generalibus obtulerit approbandum. Dixi:* Ceterorum antiquior; *an enim et quam antiquis*

AUCTORE C. S.

antiquis Chronicis, ut Waddingus ait, Marianus hic usus fuerit, non habeo compertum. Ex eodem Bonaventura discimus, virum, qui Bernardum benigne excepit Bononiæ etc., legum interpretem et Nicolaum de Pepulis appellatum fuisse, qui apud Pisanum et in Speculo sine nomine proprio prudens judex *dicitur; unde colligas, Bonaventuram etiam præ illis de eo instructum fuisse. Solus item Bonaventura eumdem Nicolaum, quem alii solum aiunt, sese patronum Ordinis Minorum præstitisse, dum vixit, in eumdem Ordinem, a* S. Francisco *receptum, in eoque pie mortuum docet, adscriptis annis suscepti habitus et mortis. Ab hujus itaque auctoritate non recedendum videtur, nisi gravis ratio aliunde aliter suadeat.*

quam allatæ a Waddingo rationes

157 *Voces* tunc temporis, *quas Bonaventura* anno MCCXIX *subjunxit, tam late accipiendas esse, ut ad annum* 1211 *possint referri, ut verum fatear, colligere nequeo ex eo, quod dicat, Bernardum a* Francisco *missum esse Bononiam,* ut cœnobium suæ Religioni, nuper a summo Pontifice confirmatæ, curaret. *Quid enim in eo tantopere absonum apparet, si dicatur ille, toto fere sæculo post approbatam ab Innocentio Religionem scribens, vocem* nuper *ad novem annos extendisse, quot scilicet ex sententia Waddingi ab eadem approbatione ad annum* 1219
B *effluxerunt. An minus absonum erit dicere, voces* tunc temporis, anno MCCXIX *a Bonaventura subjunctas, per totidem novem annos retro extendendas esse? Id equidem non video. Hinc mihi etiam parum firmitatis Waddingianæ opinioni accedere posse videtur ex Pisano, quod apud illum in Conformitate* 8 *dicatur res ista contigisse,* approbata Regula; *et ex Speculo* S. Francisci, *in cujus editionibus, Metensi et Coloniensi, accidisse legitur* in principio Ordinis, *ac denique ex Antverpiensi, in qua ponitur* sub initium Ordinis. *Nam Pisani phrasis sine dubio magnam patitur latitudinem, nec Speculi loquendi formulæ arctiorem requirunt; cum ab illius collectore, qui certe diu post Bonaventuram scripsit, facta, toto novennio decenniove prima approbatione Regulæ posteriora, facile dici potuerint* in principio Ordinis, *vel* sub initium Ordinis *contigisse. Ceterum Marcus Ulyssiponensis et Rudolphus, utpote recentiores, nos morari non debent.*

non satis elevant,

158 *Non tamen ibo inficias, voces* tunc temporis *apud Bonaventuram latius accipi posse. Ponamus ergo, annum Domini* MCCXIX *apud ipsum signari, non quod in hunc inciderit primus Bernardi adventus Bononiam, sed quod eo anno Nicolaus de Pepulis ibidem cœperit Pandectas publice interpretari. Dicamus proinde, dictum annum non alia de causa ibi-*
C *dem præmissum esse, quam ut cœptum Nicolai elogium usque ad publicum in academia Bononiensi magisterium produceretur, unde pateret, quam felices ille in litterarum studiis, quibus* ab ineunte ætate *operam dederat, progressus fecerit, atque ita a splendore natalium, integritate famæ, timore Dei, uti præmissum erat, et insigni legum peritia, quibus ante susceptum Minorum habitum eluxit, commendaretur. Credamus, deinde Bonaventuram per voces* tunc temporis *octennio circiter retrocedere, nempe ad annum* 1211, *cui primum Bernardi in urbem Bononiensem adventum illigavit Waddingus. Fateor, his positis, stare potest ea opinio, eoque præterea, quem Waddingus num.* 155 *suggessit, modo cum aliorum assertis conciliari.*

ut antiquioris verborum interpretatio,

159 *Inquirendum igitur restat, quam ista sit verisimilis interpretatio: neque enim antiquioris dicta ad recentiorum placita sunt exigenda. De Mariani auctoritate, Speculique collectoris ac Pisani loquendi formulis jam egi supra. Non satis etiam urget ratio, quam Waddingus verbis num.* 154 *relatis repetit ex eo, quod* S. Franciscus *anno* 1220 *indignatus fuerit* de amplioribus suorum fratrum ædificiis (*Bononiæ*) quæ, *ut ipse censet,* ante unum aut alterum annum non facile poterant exstrui. *At cur hoc fieri nequiit Bononiæ, quod Annalista ipsemet Assisii anno* 1218 *factum scribit? Nam ibi num.* 11 *narrat,* Franciscum *post aliquot mensium absentiam Assisii redu-*
D *cem, simili indignatione commotum mandasse, dirui suorum ædificium, quod commodius capaciusque, quam sua ferebat paupertas, ibi interim exstructum fuerat. At minime necesse est, credere, Bononiensem istam domum magni moliminis aut molis fuisse, ut vehementer displicere potuerit* Francisco, *humilitatis pariter atque arctæ paupertatis tenacissimo; qui* nec vasculum, *patiebatur,* in domo *sua* aliquod residere, cum sine *eo* posset extremæ necessitatis evadere servitutem, *ut testatur Celanensis in Vita edita num.* 51. *Adde, quod non constet, eamdem tunc a fundamentis recens exstructam fuisse; cum forte solum fuerit vetus ædes in usus Minorum aptata.*

difficultati aliunde obnoxia, admitti debeat.

160 *Contra vero, si cum Waddingo statuamus, Bernardum jam inde ab anno* 1211 *aliquam suis sociis ædem Bononiæ impetrasse, dicendus erit* Franciscus *non nisi novennio post ad eam visitandam accessisse; nam neminem quidem legi, qui de ejusdem ad urbem Bononiensem accessu ante annum* 1220 *meminerit. Ast quis non mirabitur, vigilantissimum simul atque infatigabilem Pastorem, quem Waddingus alios sui Ordinis conventus sollicite perlustrantem sæpe memorat, tam exiguam curam Bononiensis habuisse, ut non nisi novennio, postquam cœptus erat, eum inviserit? Mihi quidem nulla probabilis tam diu dilati ad eam domum accessus causa occurrit. Contra verisimillima apparebit,* E *nec simili difficultate laborabit ea opinio, secundum quam Bernardus anno* 1219, *primo venerit Bononiam, moxque per laudati Nicolai operam accepta ibi æde, de felici successu sanctum Patrem suum monuerit; hicque missis interim ad eam inhabitandam e suis aliquot colonis, proximo anno ad eamdem visitandam ordinandamque ipsemet Bononiam adierit. Ex utra parte stet major verisimilitudo, lectori statuendum relinquo.*

Observantur quædam de primo et secundo loco,

161 *Quod attinet ad ædem Bernardo concessam, frater Bonaventura num.* 155 *relatus hanc* in loco S. Mariæ de Puliolis *sitam ait, nec de alia meminit. Sigonius in Historia Bononiensi eamdem collocat* ad divæ Mariæ Puliolis ad Portam Steriam; *sed in episcopis Bononiensibus ad annum* 1219 *gemina loca distinguit, velut ambo ab eodem Nicolao procurata. Nam de eo sic ait:* Mox ædes, primum ad Puliolas, deinde in Porta Steria Annunciatæ curavit, easque suis expensis necessariis rebus instruxit. *Utriusque Operis editor Philippus Argelatus Bononiensis in adjectis Notis Alexandri Machiavelli lectorem ad hunc posteriorem textum, velut emendatiorem remittit, ubi etiam in Notis Caroli Constantii Rabbii observat sequentia:* Ob aeris insalubritatem parvis annis hic (*ad Puliolas*) degerunt S. Francisci sodales; in locum autem ab eis derelictum venerunt
F moniales Ordinis S. Augustini circa annum MCCXLIII. His inde amotis anno MDXXVI sedem ibi habuere virgines S. Claræ sub titulo divi Bernardini.

quæ Minoribus Bononiæ concessa fuere,

162 *Cherubinus Ghirardaccius in Historia Bononiensi Italice scripta pariter asserit, laudati jurisconsulti opera Bernardo et sociis primo datum fuisse* locum de Puliolis, nunc S. Bernardini dictum, ac postea Annunciatam in Porta Steria. *Waddingus, etsi de hac Minorum commigratione non meminerit, ad annum tamen* 1221, *num.* 49 *ex Leandri Alberti Historia Bononiensi, quam non habeo, ad propositum nostrum hæc scribit:* In eadem civitate (*Bononia*) eodemque anno (1221) inchoatam, ait Leander Albertus, ecclesiam S. Francisci, tunc Annunciationis Virginis Mariæ dictam, et magnis temporis decursu sumptibus ad summum deductam, quam ex magnitudine et opere magnifice extollit, comparatque primis totius Italiæ ædificiis. *In annum cœptæ ecclesiæ consentiens laudatus Chirardaccius, consecrationem ejusdem anno* 1243 *innexuit, quod etiam fecit Sigonius in Episcopis Bononiensibus. In Iconographia Bononiæ apud Blaevium in Theatro Civitatum Italiæ, ecclesia S. Bernardini intra Bononiam non procul a muris ad Septemtrionem sita est; basilica vero* S. Francisci, *a qua ista civitatis regio, olim* Steria *dicta, nunc nomen habet, inde magis versus Meridiem.*

163 *Supersedeo*

A 163 *Supersedeo pluribus; at de donatore loci pauca addenda sunt. Laudatus frater Bonaventura beneficium illud sic attribuit Nicolao de Pepulis, ut nescias, an hic locum ipsum donaverit, an solum sua opera procuraverit. Ait enim de Nicolao :* Domicilium... procurandum suscepit in loco sanctæ Mariæ de Puliolis. *Dubium auget Rudolphius lib.* II *Hist. Seraph. Religion., in custodia Bononiæ dicens :* Habet hæc custodia locum Bononiæ exstructum in agro Lambertinorum; dicebatur enim vulgo PRATUM LAMBERTINORUM, ubi est ædicula illa in majori impluvio una cum annexo hortulo, qui erat locus captus a B. Bernardo de Quintavalle. *Rursum post aliqua ita prosequitur :* Donus Aldraghetus Lambertinus, clericus Bononiensis, retulit mihi, se tenere scripturas authenticas hujus concessionis, quas tamen videre non potui.

Forte Primum Nicolaus de Pepulis illis quidem procuravit,

sed quidam ex familia Lambertinorum donavit.

164 *Ex eadem illustri Lambertinorum gente natus Benedictus XIV summus Pontifex, primi Franciscanis Bononiæ concessi loci beneficium non dubitavit majoribus suis adscribere. Fecit id in Bulla, per quam anno* 1734 *Assisiensem* S. Francisci *basilicam in patriarchalem et cappellam Papalem erexit, et in qua rationes allegans concessi beneficii. inter alia ait :* Animo occurrit, ipso adhuc beato Francisco in vivis agente, primum Bononiæ locum B illius discipulis ad eorum Ordinis cœnobium fundandum a Majoribus nostris oblatum fuisse. *Ita laudatus Pontifex. At de quo loco hic loquitur, an in Puliolis, an in Porta Steria? Si de omnium primo, censendus est de loco in Puliolis locutus esse; quod si ita sit, ut hæc cum Bonaventuræ dictis componantur, forte dicendum est, locum quidem illum ab illustri Lambertinorum familia Franciscanis concessum, sed procurante Nicolao de Pepulis et ad ædificium et supellectilem sumptus conferente; nisi forte Nicolaum illum inter Majores suos Benedictus numeravit, quod mihi aliunde plane incompertum est.*

Corpus ejusdem Nicolai cum duobus aliis inventum.

165 *Porro hujus Nicolai corpus esse creditur, quod tribus sæculis post in monasterio S. Mariæ de Puliolis, nunc S. Bernardini, inventum fuit una cum corporibus duorum aliorum fratrum Minorum, Bonizii et Guilielmi, dum ad restaurandum aptandumque monialibus S. Claræ monasterium (supra apud Argelatum id anno* 1326 *factum dicitur) effodiebantur fundamenta. Epitaphia velut ibidem tunc cum ipsis corporibus reperta, sic recitat Waddingus ad annum* 1220, *num.* 11.

Nicolaus primus nomine
Cæco lumen obtinuit,
Et mortuis restituit
Vitam devotis precibus.
C Alter vero Bonizius
Francisci patris extitit
Consors, dum verbis Domini
Sacram conscripsit Regulam.
Guilielmus alter nomine
Sacro pollens eloquio
Urbis istius incolas
In viam traxit Domini.

Quam antiquæ sint istæ inscriptiones sepulcrales, hic non inquiro, solumque observo, ut Nicolai istius repertum corpus, esse Nicolai de Pepulis, credatur, favere fratris Bonaventuræ testimonium, relatum num. 154, *ex quo habemus, ejusdem Nicolai de Pepulis* cineres *anno* 1506 in ecclesia de Puliolis *quievisse. De duobus aliis consule, si lubet, Annales Minorum.*

Sanctus sumptuosius ædificium a suis dirui mandat;

166 *Redeo ad Waddingum, qui sancti Institutoris sui res gestas Bononiæ ad annum* 1220, *num.* 13 *sic pergit exponere.* Ille vero (*post habitum primum publice sermonem*) salutato prius Hugolino Cardinali, intimo et familiari amico, suique Ordinis protectore, tunc Lombardiæ legato, qui in Viri sancti amplexus totus exultabundus irruerat, ad fratres suos declinans, vidit eorum ædes ampliores sumptuosioresque, quam pateretur stricta illa paupertas, super quam sui instituti fundamenta posuerat; aversaque facie, totus indignabundus et vehementer commotus, Hæccine, inquit, illorum pauperum Euangelicorum ædes? Hæc fratrum Minorum majora et superba palatia? Nostram hanc domum non agnosco, neque meos fratres reputo, qui in illa permanserint. Quare firmiter præcipio, ut omnes illi, qui Minorum velint nomen retinere, protinus egrediantur, et divitibus hujus sæculi sua tecta relinquant.

AUCTORE C. S.

167 Hujus rei (quam tamen Sigonius perperam refert sub anno MCCXXI) testimonium perhibet B. Angelus Clarenus, et ante hunc alius omni exceptione major, frater Leo, qui ibidem jacebat infirmus, et cum aliis languentibus in fratrum humeris fuit exstractus et sub dio expositus, donec Cardinalis legatus Virum Dei aliquantisper placavit, dicendo, tecti amplitudinem esse tolerandam, quia loca ampliora prorsus necessaria sunt Religiosis, ut infirmi ob aeris temperiem et libertatem refocillentur, sani conserventur, lassi in studiis spiritualiter recreentur. Quod ad proprietatem vero loci attinebat, firmiter asserebat, nullam penes fratres esse, omnemque mansisse penes ipsos fundatores; quod si adhuc ullus remanebat scrupulus circa rerum dominium, totum in se jam assumpsisse nomine Romanæ Ecclesiæ. Ad has protectoris rationes instantemque solicitudinem, ut permitteret, fratres iis ædibus uti, non potuit non acquiescere, et jubere, ut regrederentur ad E locum, unde exierunt.

sed, intercedente Hugolino, mutat sententiam,

168 Ipse tamen ingredi noluit, nec ibi requiescere; sed ad charissimos et amantissimos fratres Prædicatores divertit; ubi aliquibus diebus cum fideli suo amico Dominico cohabitavit..... Cum vero ita separaretur a suis, rogavit eum ex Prædicatoribus vir pius, compatiens Minoribus suo Patre destitutis, ut reverteretur ad illos, et noxam hanc indulgeret. Cui Vir sanctus : Non est bona indulgentia, quæ faciliores reddit ad peccandum; neque mea præsentia vellem confirmare aut approbare, quæ contra sanctam commissa sunt paupertatem. Viam aliam tentavit bonus ille pater, persuadereque conatus est, ut eos visitaret, et amplius pro commissa culpa reprehenderet, moresque reformaret, et cætera boni prælati munia exerceret; quibus expletis, si remanere nollet, ambo simul redirent. Annuit sagaci et pio consilio charitativi viri, accedensque ad suos, promptissimos invenit ad omnem subeundam pœnitentiam, humiliter suam culpam confitentes. Ad quorum humilitatem et pœnitudinem Vir sanctus noxam omnem dimisit. Dure tamen increpavit fratrem Petrum Joannem de Stiachia Ministrum, quod vel voluerit, vel permiserit, tam sumptuosum fratribus construi ædificium etc. F

ægreque ad illud accedens, pœnitentibus ignoscit :

169 *Ex scriptoribus, quos velut dictorum suorum vades hic laudat Waddingus, alibi docet, B. Angelum Clarenum, alias* de Cingulo, *floruisse sæculo* XIII, *ac superfuisse in vivis anno* 1317; *Papebrochius autem in ejusdem Beati gestis ad diem* 15 *Junii ostendit, illum verisimilius anno* 1337 *vel etiam* 1348 *obiisse. Opusculum vero, quod citatur, inscriptum dicitur* De septem tribulationibus Ordinis Minorum; *mihi cetera ignotum est. Pro fratre Leone remittitur lector ad Legendam Trium Sociorum, ex quibus ille quidem unus fuit, sed in ea, quam edidi, ista non leguntur. In Speculo Vitæ* S. Francisci *editionis Bosquierianæ cap.* 6 *sic solum habetur :* Transiens autem per Bononiam (*S. Franciscus*) audivit, domum Fratrum noviter ibi esse constructam. Statim autem, ut audivit, quod domus illa dicebatur ESSE FRATRUM, gressum vertit, et de civitate exivit, atque mandavit districte, quod omnes fratres exirent festinanter, et ibi nullatenus habitarent; ita ut etiam infirmi non remanerent ibidem; sed cum aliis sunt ejecti; donec dominus Hugo, Hostiensis episcopus et legatus in Longobardia, prædictam domum esse suam, publice prædicavit. Et qui existens infirmus de eadem domo tunc fuit ejectus, testimonium perhibet de his, et scripsit hæc.

circa qua nonnulla observantur ex aliis,

170 *Secundum hoc testimonium non agebatur de amplioribus aut sumptuosioribus ædibus, neque eas viderat*

AUCTORE C. S. *qui non eamdem ipsius indignationis causam,*

viderat Franciscus; *sed de proprietate ædium; nempe, quod fratres Minores eas videri possent possidere, quia* esse Fratrum *dicebantur. Hinc utiam eidem capiti is præfixus est titulus :* Qualiter fecit exire fratres omnes de quadam domo, quæ dicebatur esse Domus Fratrum. *Consentit in omnibus Speculi editio Metensis anni* 1509, *capite item* 6, *atque altera Spoelberchiana capite etiam* 6, *præterquam, quod in hac hujus titulus sit :* Qualiter fecit fratres exire de quadam domo ; *ac in fine ejusdem capitis legatur :* Hæc frater quidam, tunc ibi infirmus, vera testatus est, et scripsit hæc. *Unde porro Waddingus acceperit, fratrem illum fuisse Leonem, non dispicio. Consului etiam Pisanum, qui in Conformit.* 16, *nullum testem laudans, de facto ipso collectoribus Speculi consonat hoc modo :* Undecimum declarans B. Francisci affectum ad paupertatem, est, quia aliquam rem suam esse, noluit aliquando dicere.

nec omnia eadem adjuncta,

171 *Postquam hoc alio exemplo confirmavit Pisanus, ita subdit :* Et quia ipse Apostolorum vitam ducebat, qui nihil suum esse dicebant, ideo nihil voluit, ut perfecte pauper censeretur, quod suum esse diceretur, vel fratrum. Bononiæ cum esset et audiret, ibi esse domum fratrum; audito, quod ESSET et diceretur FRATRUM, noluit illuc ire; imo
B statim mandavit, quod fratres omnes inde recederent. Et sic fecerunt, etiam infirmi; nec voluit, fratres illuc redire; donec Ugo, episcopus Hostiensis et tunc legatus in Lombardia, prædictam domum suam esse, publice prædicaret. *Hæc, nec plura, de eodem facto habet gemina Pisani editio, Mediolanensis scilicet ac Bononiensis. Conveniunt ergo binæ editiones Pisani cum triplici editione Speculi Vitæ* S. Francisci, *et ab his omnibus diversa narrat Waddingus; forte quod diversa legerat apud B. Angelum Clarenum, cujus Opusculo careo.*

nec alia insuper relata,

172 *Waddingi narratio tanto apparet verisimilior, quanto justiorem indignandi causam sancto Institutori facere potuit ædificium severæ paupertati non congruum, quam leviter a vulgo existimata possessio Minorum; quamvis et hæc satis æqua ratio adhibendæ severitatis videri potuit Viro, ab omni possessionis umbra alienissimo. Nam et ædes pauperati, quam profitebatur, difformes ipsum aliquando destrui, aut a suis deseri, mandasse, testatur S. Bonaventura in Vita data num.* 89; *utque vel possessionis speciem vitaret, relictum ab eo antea Rivi-torti tugurium, docet Thomas Celanensis in Vita primo loco edita num.* 44. *Quid verius sit, nescio; at, sicut pro Waddingiana narratione quædam major apparet verisimilitudo, ita pro altera major esset auctoritas fidesque, si constaret, testem,*
C *qui in tribus editionibus Speculi Vitæ* S. Francisci
* *laudatur, talem esse, qualem seipsum ibidem dicit, ejusdem Sancti discipulum, reique gestæ spectatorem et participem.*

nec denique annum referunt.

175 *Quod attinet ad ultimam Waddingianæ narrationis partem, quæ de Sancti hospitio apud Patres Prædicatores, ceterisque ex eorumdem unius consilio gestis agit, hæc sola, quantum quidem consequi potui, nititur auctoritate Mariani, scriptoris non admodum vetusti, proindeque nec magni ponderis, nisi antiquiorem secutus sit; quod an hic fecerit, nescimus. Mirari tamen subit, cur sanctus Vir, non aque ad ignoscendum fratribus suis, quam ad concedendam inhabitandi facultatem, etsi sumptuosius visum fuisset, Bononiense domicilium, motus fuerit auctoritate ac rationibus protectoris Ordinis sui Hugolini, cui certe merito plurimum soluit deferre. In anno, quo ista contigerunt (ut censuit Waddingus) errasse potuit Sigonius; sed non facile dixerim, Sigonium certo errasse. Utut enim constet,* Franciscum *anno* 1220 *fuisse Bononiæ, cur nequiit eo etiam accessisse sequenti? An ex Opusculo B. Angeli Clareni, quod non habeo, annum aliaque didicit Waddingus, recteque statuit? Porro Sigonii narratio sic habet :* Cum autem fratres Minores ædes sibi attributas, civibus adjuvantibus, instaurassent, et Franciscus Bononiam reversus, ea re audita, offensus urbe abiit, atque omnes fratres abire mandavit, ne ægrotis quidem potestate manendi permissa. Cui rei ut impedimentum afferret Hugolinus legatus, domum eam suam esse, publice prædicavit. *Cetera apud Sigonium frustra requiras.* D

Sanctus discitur ibidem studium dissolvisse, et Ministro,

174 *Præter jam expensa Waddingus ad hanc quoque* S. Francisci *Bononiensem moram retulit graviter increpitum fratrem Petrum Joannem de Stiachia Ministrum, quod non modo, ut præmissum est, eas ædes fieri voluerit, permiseritve, verum etiam* quod, se inconsulto, studium erexerit, iisque constitutionibus stabilierit, quæ potius doctos, quam pios, procrearent. Ille autem volens vel malens, ut fratres potius scirent orare, quam legere, et exemplum daret aliis Ministris, ut religiosius et humilius de studiorum erectione tractarent, scholam hanc prorsus dissolvit. Minister autem, in suo sensu abundans, statim post Viri sancti discessum illud in pristinum statum restituit; quod ut rescivit, desuperque ei revelata esset hominis pertinacia et indurata malitia, ei solemniter maledixit. Paucis post annis, rogantibus fratribus, ut pro maledictione hac inferret benedictionem viro, alias docto et nobili, respondit : Ei benedicere non possum, cui Dominus maledixit. E

qui illud restituerat, male precatus esse,

175 Quod evidenter constitit ad hominis mortem, expirantis cum magno ejulatu, et clamantis. Damnatus sum, et in æternum maledictus. Deinde terribilia sequuta sunt spectacula, quæ hominem vere condemnatum circumstantibus comprobarunt. *Hæc accepisse se, ait Annalista, ex Angelo Clareno in prima tribulatione Ordinis, eademque feralis historia, paulo tamen aliter, recensetur in tribus editionibus Speculi Vitæ* S. Francisci *frequenter memoratis, ex quarum antiquiori, quæ Metensis est, eam hic transcribo.* Quidam frater Minor, scilicet frater Joannes de Stiacchia, tempore B. Francisci Bononiæ erat Minister et valde literatus, qui absque licentia S. Francisci ordinavit studium Bononiæ. Beato autem Francisco absente, nuntiatum est, tale studium ordinatum fore Bononiæ. Sanctus Franciscus immediate ivit Bononiam, et dure reprehendit illum Ministrum, dicens : Tu vis destruere Ordinem meum : desiderabam enim magis fratres orare, quam legere.

cum terribili eventu.
* *imo* Recedente
* S. Francisco

176 Recedens * vero de Bononia S. Franciscus *, prædictus Minister ordinavit studium, sicut prius, nec curavit : *scilicet prohibitionem sancti Patris sui.* Unde turbatus est S. Franciscus, maledixit ei dura maledictione. Qui (*Minister*) statim post maledictionem cœpit infirmari, et infirmus graviter per fratres misit rogando S. Franciscum, ut retraheret maledictionem. Respondit B. Franciscus : F
Illam maledictionem, qua illi maledixi, confirmavit in cælo Dominus noster Jesus Christus; et maledictus est. Infirmus itaque jacebat Minister super lectum; et ipso super lecto jacente, descendit ex alto quædam gutta ignita, et sulphurea super corpus ejus, penetrans ipsum totum et lectum, in quo jacebat, cum maximo fetore; ipse miser exspiravit, et diabolus accepit animam suam; *id est,* ejus. *Ita editio Metensis, cui Bosquieriana et Spoelberchiana consentiunt. At Waddingi narratio antiquiori auctore nititur, si ex B. Angeli Clareni ignoto mihi Opusculo desumpta sit.*

Observatio ad præmissa.

177 *Fortasse non deerunt, quibus tanta severitas in mitissimo Viro, suorumque amantissimo Patre non facilis creditu videatur. Fateor; sed considerandum quoque est, gravissimum fuisse obstinati Ministri delictum, nec minori zelo, quam mansuetudine, floruisse* Franciscum, *quippe qui, teste S. Bonaventura in Vita num.* 104, cum... animarum salutem viscerosa pietate appeteret et fervida æmulatione zelaret; *uti bonos piosque fratres* benedictionibus omni acceptione dignissimis *cumulabat;* sic etiam, qui Religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam. A te, Domine, inquit, sanctissime, et a tota cælesti curia, et a me parvulo tuo, sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A destruunt, quod per sanctos fratres Ordinis hujus ædificasti et ædificare non cessas. *Potuit igitur etiam isti pervicaci Ministro Bononiensi, si vera sint, quæ retuli, simili modo maledixisse; sed oportet, eumdem Ministrum in sua pervicacia ad mortem usque perstitisse, ut credi possit* S. Franciscus *noluisse inflictam illi maledictionem tollere.*

§ VIII. Alia Sancti gesta ad eumdem annum MCCXX a Waddingo et Melissano reposita.

Dicitur Sanctus cum Hugolino secessisse in eremum Camaldulensem,

Sequor Annalistam Minorum, sui sancti Institutoris gesta, quæ ad annum 1220 *pertinere arbitratus est, exponentem.* Franciscus vero (*inquit ille*) in suo recessu a Bononia vocatus et invitatus est a Cardinali Hugolino, ut per aliquot dies secum secederet in eremum Camaldulensem, et in religiosa illa solitudine supernarum rerum meditatione animum, per varia distractum, et corpus multis attritum laboribus, immensoque dissolutum itinere, aliquantisper refocillaret. Annuit libenter Vir Sanctus, et ferme integro mense, ut habent Marianus et Miglius, ad tanti viri solatium, eremiB ticum convictum vitæque austeritatem, sibi jam familiarem, incredibili animi et corporis consectatus est voluptate. *Waddingo hic præiverat Augustinus Florentinus, monachus Camaldulensis, in Historia Camaldulensi, apud me lib.* II, *cap.* 52, *ubi de anno quidem accessus consentiens, at non de diuturnitate moræ, sic scribit.*

ibique aliquo tempore commoratus esse.

179 Ugolinus episcopus Ostiensis, Cardinalis Velletrensis,... ut procul omni cura meditationi tantum æternæ patriæ incumberet, ad sacram eremum, B. Francisco comitatus, festinus venit; ubi cellam in capite eremi, quæ ad hanc diem celeberrima visitur, sibi statuit, atque eremiticum convictum vitæque austeritatem incredibili animi ac corporis consectari voluit constantia. Quam vitæ degendæ rationem et ipse quoque B. Franciscus per sex menses, omnibus sanctis operibus pollens, ad ejus solatium inire non recusavit. *Manifestum hic est de tempore, quo* S. Franciscus *ibidem commoratus fuerit, discrimen, quod Waddingus loco mox citato observans, sententiamque suæ oppositam improbans, ita disseruit :* Augustinus Florentinus, ejusdem eremi monachus, per sex menses ibi stetisse, asserit. Id porro non adeo probabile, saltim hoc anno, quo cum Hugolino ibidem fuisse, scribunt communiter nostri, atque ipse C indicat Augustinus : namque ex testimonio archidiaconi Spalatensis proxime relato (*apud me num.* 148) in festo Assumptionis Virgineæ Bononiæ prædicasse, constat, et ad festum Michaelis archangeli comitia iniit generalia sui Ordinis Assisii, ut mox referemus.

ac licet de diuturnitate moræ et anno

180 *Obtineret hoc argumentum, si tam certum esset, quam visum Waddingo est, generalia Ordinis comitia anno* 1220 *non in festo Pentecostes, sed in festo S. Michaelis celebrata fuisse. Ita scilicet censuit Annalista, quia credidit,* Franciscum *diutius in Oriente egisse, quam ut in Pentecoste redux esse potuerit Assisium. Mihi contra in Commentarii prævii* § 17, *nec longior ista in Oriente mora necessario asserenda visa fuit, nec ullo sat certo teste probatur, comitia generalia anni* 1220 *alio tempore, quam quo ferebat Regula, habita fuisse. Quin etiam annus ipse, quo Sanctus ad eremum Camaldulensem accessit, non extra omne dubium est. Augustinus Florentinus indicat quidem, id anno* 1220 *contigisse, sed simul, ipsum, scribit, hinc ad montem Alvernum profectum, et in eo sacris stigmatibus insignitum esse, quod constat ad annum* 1224 *pertinere. Annum, quo Hugolinus* (*ac proinde et* S. Franciscus, *si illius socius tunc fuerit*) *illuc accessit, dubium esse, agnoscunt etiam admodum reverendi domini Joannes Benedictus Mittarelli abbas et Anselmus Costadoni, Congregationis Camaldulensis presbyteri monachi,*

tom. IV Annalium Camaldulensium, quem anno 1759 *typis Venetis ediderunt.* AUCTORE C. S.

non sat constat,

181 *Nam postquam ad annum* 1220, *num.* 32 *utriusque scriptoris verba recensuerunt, paucis interjectis, sic pergunt :* Videbimus, eumdem Cardinalem Ostiensem etiam anno MCCXXIII in castro Socii, quod proximum est eremo Camaldulensi, prædicationis officium exercuisse; atque propterea certum omnino non esse, ipsum anno præsenti (1220) eam solitudinem incoluisse, et ad summum ad hos circiter annos revocandam esse Cardinalis (*ideoque et S. Francisci*) commorationem in eremo Camaldulensi; nisi illud etiam dicamus, longiorem hoc anno moram in ipsa traxisse Ugolinum, annis vero sequentibus dilectam solitudinem ad breve tempus frequentius repetiisse. *At sive anno* 1220, *sive alio,* Francisci *in dicta eremo commoratio figenda sit, ego Annalistæ Minorum assentior, hanc non tam diuturnam fuisse; non propter allegatas ab illo rationes; sed quia minime verisimile est, infatigabilem in laboribus apostolicis Virum semestre temporis spatium in solitudine illa sacro otio, quamquam alias ipsi gratissimo, impendisse.*

certa tamen ibi est de illius præsentia traditio.

182 *Quidquid sit de anno, superest ibidem ejus rei grata memoria, quam laudatus Augustinus historicus Camaldulensis citato loco refert his verbis :* Quo tempore cellam suam notissimam habitavit, E quæ ad hanc diem ex ejus nomine CELLA SANCTI FRANCISCI nuncupatur, et propter sanctissimi Viri memoriam a Priore, seu majore Patre sacri loci, incolitur. *Waddingus ex Mariano et Miglio, addit,* non solum solemne festum ibi (*postea*) indictum sancti Patriarchæ, verum et statutum, ut in toto Ordine Camaldulensi in ejus natali caneretur antiphona Minoribus assueta : SALVE SANCTE PATER *etc. Hisce addo, quæ laudati nuperi Annalistæ Camaldulenses de eodem loco annotarunt.* Cella, *inquiunt,* in qua commoratus est S. Franciscus, licet ex quinque primis foret a sancto parente Romualdo fundata, adhuc retinet S. FRANCISCI nomen, et vetustate pene collapsa, circiter annum MDVIII in gratiam Juliani Laurentii de Medicis, qui eam incolere, atque eremiticam agere proposuerat, fuit in ampliorem formam restaurata, atque decreto capitulari anni MDXXVII in habitationem majoris eremi fuit deputata. Sed anno MDCVII denuo reparata aureis ducentis nummis, quos Alexander Perettus, Cardinalis Montaltus, in honorem S. Francisci obtulit, stemmate et inscriptione pii purpurati ornata fuit.

Redit Assisium de accusationibus adversus Eliam cogniturus,

183 *Ex prædicto apud Camaldulenses secessu,* S. Franciscus *cum Cardinale Hugolino apud Waddingum dicitur ascendisse in montem Alvernum, per decem milliaria ab ista eremo distantem, et post paucorum dierum moram Hugolinus Bononiam,* Franciscus *properasse Assisium, sui Ordinis generalia comitia habiturus. At priusquam progrediamur, pauca hic altius repetenda sunt. Præmisit Waddingus, fratrem Eliam, quem* Franciscus *anno* 1219 *in Orientem profectus, vicarium suum reliquerat, eo absente, multa molitum esse Franciscanæ Regulæ contraria, causantem,* Franciscum *in ea* quædam statuisse et velle, quæ humanas superant vires, saltem, quæ secundum humanam prudentiam et discretam rerum providentiam videbantur observatu difficillima, imo et ferme impossibilia *etc.; atque de his* Franciscum *in Oriente a sanioribus fratribus per litteras admonitum, rogatumque, ut huic malo quantocyus mederetur, in Italiam regressum, dum Venetias appulit, missis ad suos quaquaversus litteris, generale capitulum in festum S. Michaelis Assisii indixisse, atque longius progressum, bonorum de Elia querelas minime vanas comperisse. In Commentario prævio* § 17 *allegavi rationes, propter quas minus probabilis mihi visa sit ista sancti Viri ea de causa ex Oriente in Europam per litteras evocatio; hic præterea subit admirari, sanctum Institutorem, si propterea Orientem reliquerit, jam appulsum in Italiam, non citius Assisium accurrisse, sed* ferme integro mense *in Camaldulensi*

AUCTORE C. S.

lensi eremo moratum esse, Elia interim Assisii vicariatum Ordinis tenente.

cujus vanitatem in habitu ut reprehenderit,

184 *His præmissis, Waddingi narrationem audiamus, neque enim cetera, quæ continet, etsi forte alio tempore aliisque cum adjunctis facta, propterea repudianda sunt, dummodo aliunde sint probabilia. Itaque Assisium reduæ* Franciscus, *teste Waddingo, ut vidit Eliam* in habitu cultiori et preciosiori, longiorisque caputii, ampliorum manicarum, dilatatis etiam fimbriis, quam pauperis et humilis professionis monachus potuerit induere absque manifesta arctioris status dissonantia; *ut, inquam, sic indutum vidit Eliam, indignationem suam dissimulans, eum habitum sibi commodari petiit, eumque* suo habitu superindutum accommodavit, plicuit, aptavit, subrugavit ad cingulum, capitium fastuoso modo obduxit capiti; deinde erecta cervice, extento collo, inflato pectore, fastuosa gravitate, cœpit tumenti gressu incedere, et cum vocis boatu fratres, ad talem prosopopæiam obstupentes, ita salutare : BONÆ GENTES SALVETE : deambulansque ita per medium illorum ibat ter aut quater.

refertur ex Waddingo;

185 Tandem in fervore spiritus cum magna indignatione exutum habitum contumeliose longius projecit, et ad fratrem Eliam conversus, dixit : Sic incedent noti et spurii Religionis fratres. Et
B mutato vultu et gestu, humiliter et modeste in spiritus lenitate, in suo pauperculo et lacero tegmine incedens, verba salutis et charitatis loquens, ad fratres ait : « Hic est incessus et gestus » legitimorum et germanorum fratrum Minorum. » Sedit postea in medio illorum, talibusque sermonibus eos ad humilitatem et paupertatem constanter sectandam allexit, ut, qui inter omnes humilior, et præ omnibus pauper judicabatur, non satis sibi hausisse harum virtutum videretur. Stupebant omnes ad sancti Viri prudentiam et discretum modum reprehendendi cum imperio et tanta æquanimitate, ut non esset in universa multitudine, qui vel obmutire auderet; nec Eliæ, quantumvis vicarii Generalis, causam agere. Demum omnia, quæ noviter introduxit Elias in Ordinem et, illo absente, statuerat, revocavit præter unam illam constitutionem de carnibus non edendis, quam aliquamdiu toleravit, ne videretur ingluviei favere, donec evenit, quod statim subjungemus.

sed multa a scriptoribus non synchronis

186 *Subjungam et ego, postquam mea de præmissis sensa exposuero. Pro accusationibus adversus Eliam num.* 183 *allatis, propter quas ille etiam a Generali Ordinis vicariatu amotus fuisse infra dicetur, Waddingus laudaverat B. Angelum Clarenum in prima Ordinis tribulatione, non ante annum* 1537,
C *ut supra divimus, mortuum, et Marianum Florentinum, Angelo multo juniorem; pro mox autem relato facto eumdem Marianum et Speculum vitæ* S. Francisci. *Mihi, ut verum fatear, Marianus et collector Speculi istam Eliæ in habitu vanitatem, quoque propterea correctus dicitur, insolitum modum, non tam probabilia facere possunt, ut credam; nec cetera accusationis capita, licet pro hisce testis nominetur Clarenus, pro indubitatis possum habere. Dubitandi rationes expono. Eliam, quem cetera virum doctum ac strenuum indicant, scriptores non synchroni et recentiores apud Waddingum passim velut hominem vani honoris laxiorisque vitæ cupidum et turbulentum depingunt; nec solum ille semel prædictis accusationibus oneratur, verum ad annum* 1219 *cum Joanne de Stiachia aliisque pluribus subdole egisse narratur, ut per Cardinalem Hugolinum relaxationem Regulæ, partemque in totius Ordinis regimine a* Francisco *obtineret; ac rursum ad annum* 1223, *jam restitutus in vicariatum dux et auctor fuisse quorumdam Ministrorum, sancto Institutori refragantium, negantiumque, se admissuros Regulam, quam scribebat, quamque illi humanis viribus superiorem esse, criminabantur; qua de re consule Commentarium prævium* § 21.

prava facta de Elia narrantur, non componenda

187 *Nec hoc satis est : addunt insuper, ejusdem Eliæ apostasiam, (cujus se multis annis post vere reum fecit) eidem a* S. Francisco *prædictam, imo et damnationem æternam, quam tamen* Franciscus D *dicitur deinde suis precibus avertisse. Porro de his omnibus nulla omnino exstat in primis* S. Francisci *Vitis a me editis mentio; imo non possum eadem cum Vita per Celanensem scripta, quæ omnium prima est, ut jam alias monui, verisimili modo conciliare : quod ut hic magis pateat, oportet quædam ex illa transcribere. Celanensis, inquam, in Vita lib.* II, *cap.* 2, *loquens de gravissimis corporis infirmitatibus, quas* S. Franciscus *postremo vitæ suæ biennio sustinuit, postquam num.* 98 *dixerat, illum a fratribus non potuisse induci, ut malis suis medelam adhiberet, hæc subdidit :* Frater Elias tandem, quem loco matris elegerat sibi, et aliorum fratrum fecerat patrem, compulit eum, ut medicinam non abhorreret, sed eam reciperet in nomine Filii Dei *etc. Ibidem cap.* 3, *numero* 103 *scribit, Sanctum mense sexto ante obitus sui diem, dum apud Senas decumbebat, etiam multum sanguinis vomuisse, moxque addit :* Quo comperto, frater Elias citissime cucurrit ad eum. In cujus adventu sanctus Pater in tantum convaluit, ut, relicta villa illa, cum ipso ad cellam de Crotona veniret.

cum variis assertis Thomæ Celanensis, E

188 *Rursum in eodem numero, cum morbus magis magisque ingravesceret, sic habetur :* Rogavit deinde (*Franciscus*) fratrem Eliam, ut eum Assisium faceret deportari. Fecit bonus filius, quod benignus Pater petiit. *Denique num.* 108 *ita loquitur :* Cum vero videret (*Sanctus*) imminere diem extremum,... vocans ad se fratres, quos volebat, unicuique, sicut desuper dabatur,... benedixit... Cumque a sinistris ipsius resideret frater Elias, circumsedentibus reliquis filiis, cancellatis manibus, dexteram posuit super caput ejus, et exteriorum oculorum lumine privatus et usu, Super quem, inquit, teneo dextram meam? Super fratrem Eliam, inquit. Et, Ego sic volo, ait. Te, inquit, fili, in omnibus et per omnia benedico; et sicut in manibus tuis fratres meos et filios augmentavit Altissimus, super te et in te omnibus benedico. In cœlo et in terra benedicat te omnium Dominus Deus. Benedico, sicut possum, et plus, quam possum; et quod non possum ego, possit in te, qui omnia potest. Recordetur Deus operis ac laboris tui, et in tribulatione justorum sors tua servetur. Omnem benedictionem, quam cupis, invenias, et quod digne postulas, impleatur.

auctoris optimæ fidei et synchroni,

189 *Hæc fuere* S. Francisci *saltem postremo vitæ suæ biennio de Elia sensa; quæ quid aliud indicent, quam pium, fidelem, morigerum filium, virumque de Ordine Minorum optime meritum, ac minime suspectum? quippe quem et ipse Sanctus* loco matris elegerat sibi, et aliorum fratrum fecerat patrem; F
ex cujus consilio, quod alii fratres frustra suaserant, medicinam admisit; ad cujus adventum æger tantum convaluit, ut cum eo iverit ad cellam de Crotona; in cujus manibus fratres ac filios suos a Deo augmentatos agnovit; cui denique præ ceteris bona, et operis ac laboris sui mercedem precatus est. Quis in his Eliam, qualem alii narrant, agnoscat? Nec refert, quod eadem non legantur apud Tres Socios et S. Bonaventuram; præterquam enim, quod tres primi solum sibi proposuerint omissa ab aliis annotare, scripserunt illi eo tempore (Bonaventura vero etiam multo serius) quo Elias, deserto, quem post S. Francisci *obitum multis modis turbaverat, Ordine Franciscano, ad Fredericum II imperatorem transfugerat, et ab Innocentio IV Papa fuerat excommunicatus. Quam ob rem nil mirum est, ab illis prætermissa esse, quæ commendabant Eliam; imo potius mirandum eorumdum silentium de molestiis, quas ille turbulentis moribus sancto Institutori suo, dum vixit, ut volunt alii, creasset.*

quorum aliqua etiam Waddingus agnoscit.

190 *Agnoscit Waddingus ad annum* 1226 *num.* 23 *et sequenti, benedictionem, qualem protuli, Eliæ a sancto Patre suo datam esse, eamque sic excipit :* Magna sane et ampla fuit hæc benedictio, quam impertiit Eliæ; mirumque, quomodo adeo impense benedictus a sancto Patriarcha maledictionem postea incurrerit Dei Omnipotentis, et SS. Petri et Pauli

A Pauli Apostolorum ejus, excommunicatus a Pontifice, dum transiit ad partes Frederici. Vere miser « noluit benedictionem et elongata est ab eo; in- » duit maledictionem, tamquam vestimentum, et, » sicut aqua, intravit in interiora, et oleum in » ossibus ejus. » Attamen non sine fructu fuit sancti Viri benedictio, dum tandem ejus precibus et meritis Elias post demerita salutem est consequutus æternam, veluti suo loco referemus; *scilicet ad annum* 1253, *quo ille post petitam obtentamque a summo Pontifice veniam pœnitens e vita excessit. Recte ista Waddingus. Verum hinc nihilo verisimilius fit,* S. Franciscum *supra dicta dilectionis ac peculiaris benevolentiæ indicia exhibuisse homini, quem vanum, ac turbulentum aliorum adversus Regulam incentorem plus vice simplici expertus fuisset, imo et desertorem Ordinis futurum, et, nisi precibus suis intercessisset, damnandum, ex divina revelatione cognovisset.*

Suspicio nostra, unde tam sinistræ de viro illo opiniones potuerint oriri.

191 *Quisque in suo sensu abundet; at mihi tam difficile apparet ista conciliare, ut multo verisimilior videatur suspicio, istam Ordinis post sancti Institutoris obitum per Eliam perturbationem, Eliæ a Religione desertionem et ad imperatorias a Pontificiis partibus transfugium non nemini occasionem dedisse, ut crederet, eumdem, etiam vivente* S. Francisco, B *turbulentum fuisse, ipsique velut auctori adscriberet, si qua ab aliis in Ordine antea male gesta fuerant. Ad hæc persuaserit illi sibi,* Francisco, *quæcumque in Ordine suo futura erant, divinitus perspecta fuisse, adeoque et Eliæ defectionem et in extremis pœnitentiam : quam facile potuit ille et Eliæ damnationis notitiam, et ejusdem damnationis felicem deprecationem* S. Francisco *ex levibus conjecturis similiter attribuere? Ut vero hæc tanto facilius potuerunt ab aliis admitti, quanto certiora erant Eliæ post* S. Francisci *mortem delicta et suprema pœnitentia; ita mihi videntur non satis probabiliter componi cum dictis Thomæ Celanensis, cui, ut scriptori pio, docto, synchrono et domestico, sine dubio assentiendum potius est, quam recentioribus, qui parem Thomæ vadem non nominant.*

Dicitur Eliam angelus monuisse de male vetito carnis usu,

192 *Quæ de abolito Eliæ decreto, quo hic carnis esum Franciscanis vetuisse dicitur, subjungenda promisit Waddingus, ea habet ad eumdem annum* 1220, *num.* 21 *et sequenti; laudatis in margine Chron. antiq. Mss. et Antonino tit.* XXIV, *cap.* 7, § 4; *quo loco hic sanctus historicus revera sic habet.* Circa illud tempus (*quo Elias Petro Cathaneo mortuo suffectus fuit vicarius generalis*) frater Helias constituit, ut nullus frater de cetero manducaret carnes, *contra scilicet quam* S. Franciscus *in* C *Regula sua permiserat secundum istud Evangelicum Lucæ* 10 ℣ 8 Manducate, quæ apponuntur vobis. *Pergit Antoninus :* Sed quodam angelo in specie pulcherrimi juvenis ad portam Fratrum pulsante, et fratri Heliæ prædicto quæstionem hujusmodi proponente, utrum Observatoribus sancti Euangelii liceat de omnibus, quæ apponuntur, prout Christus tradidit, manducare; et utrum alicui liceat observatoribus sacri Euangelii contraria opponere Euangelicæ libertati; B. Franciscus, qui tunc in sylva orabat, et cui omnia de voluntate Domini revelata fuerant, omnia revocavit, *scilicet quæ circa hæc Elias decreverat.*

et ab ipso iracunde repulsus esse,

193 Quum enim juvenis ille, angelus, fortiter pulsaret januam, et frater Masseus ei respondisset, ut non ita fortiter primo pulsaret; ille autem se festinantiam asserens habere, dixit : Ego volebam interrogare patrem Franciscum de una quæstione, sed ex quo est in sylva occupatus in oratione, dicas fratri Heliæ, ut ipse veniat, et declaret. Qui cum nunciasset fratri Heliæ, et ille, audito, quod quidam juvenis eum peteret, dedignatus est vir elatus accedere. Qui iterum pulsans, dixit fratri Masseo portario : Ex quo non vult venire frater Helias vocatus, dicas fratri Francisco, ut mandet, eum venire ad me. Quod totum executioni mandatum est. Veniens ergo frater Helias turbatus, et cum impetu aperiens portam, dixit : Quid vis tu? Cui juvenis : Tu videris iratus et turbatus; sed rogo te, ut respondeas ad ista duo; quæ scilicet superius dicta sunt. At Helias ait : Bene scio responsionem hujus quæstionis; sed nolo modo tibi dicere. Cui angelus : Ego melius, te, novi. Tunc iratus Helias clausit sibi hostium in faciem; sed cito ad se reversus aperuit, ut responderet juveni; et ille disparuerat. AUCTORE C. S.

194 Beatus autem Franciscus in spiritu ista cognoscens, turbatus contra fratrem Heliam, increpavit eum, dicens : Male facis, frater Helia superbe, qui repellis angelos, qui ad nos veniunt ad informandum nos. Et idem angelus in specie juvenis accessit ad fratrem Bernardum, in alio loco manentem, et retulit sibi * quæstionem factam ab eo fratri Heliæ. Unde postea accedente fratre Bernardo ad locum, ubi erant B. Franciscus et Masseus, et conferentibus ad invicem de his, B. Franciscus illico illud præceptum fratris Heliæ de non comedendo carnes revocavit. *Hactenus S. Antoninus, Legendam aliquam aut Chronicon secutus. De re consentit Waddingus, solum in adjunctis aliquibus varians, inter quæ præcipuum est, quod scribat* S. Franciscum, *non primum post Bernardi reditum, sed mox post angeli ab Assisiensi conventu recessum, Eliæ de non comendendis carnibus decretum abolevisse. Ego, cum nesciam, quam antiqua,* E *certaque documenta S. Antonino hic et Waddingo præluxerint, totam illam historiam, cujus nullus e primis biographis, quos edidi, nullus, quem noverim,* S. Francisci *temporibus certo propinquus, mentionem fecit; aliunde confirmare nequeo, aut velut commentitiam rejicere.*

eaque occasione decretum Eliæ a Sancto rescissum ;

* *i. e.* eidem

quæ narratio suspecta nobis est.

195 *Verumtamen difficulter inducor, ut credam, aut Eliam ausum fuisse, vivente* Francisco, *totius Ordinis Institutore ac supremo moderatore, contra expressam Regulæ, a summo Pontifice Innocentio III probatæ, dudumque in Ordine receptæ licentiam, Franciscanis omnibus carnium usum ubique interdicere. Vereor, ne hic rursum sit non satis æqua Eliæ accusatio, isque, qui velut laxioris vitæ patronus alibi vapulat, hic nimiæ severitatis immerito arguatur. Verisimilior mihi esset ejus narratio, qui diceret, Eliam legem illam, quam vicarius ferre non poterat, non reipsa tulisse; sed aliquando auctorem exstitisse* Francisco, *ut ferret; donec ejusmodi angelica admonitione edoctus mutavit sententiam. Verisimilior, inquam, hæc mihi appareret narratio, tum quia rationi conformior est, magisque caderet in Eliam, qualem hunc Thomas Celanensis exhibet verbis num.* 187 *et sequenti relatis; tum denique quod ob posteriora ejusdem Eliæ delicta simile factum aliis istis odiosis adjunctis haud difficulter ab infensis Eliæ potuerit ornari. Ceterum Eliam etiam alias cælesti visione et alloquio fuisse honoratum, tradit idem Celanensis in Vita prima num.* 109.

Quem carni usum si vera sit eadem narratio,

196 *At quoniam ad usum carnium in Ordine Minorum delapsus hic sermo est, inquiramus paulisper, quem, si vera sit præmissa relatio, vetitum voluisse videatur Elias. In neutra e duabus Regulis Minorum, quas Waddingus vulgavit, carnis usum illis universim vetitum aut permissum legi. In primæ capite* 3, *quæ* De divino Officio et jejunio *tractat, sic præscribitur :* Aliis vero temporibus non teneantur secundum hanc vitam, nisi feria sexta, jejunare. Et liceat eis manducare de omnibus cibis, qui apponuntur eis, secundum sanctum Euangelium. *Hæc generalius dicta apud laudatum Waddingum in ea, quam secundo loco edidit, quæque adhuc in usu est, capite item* 3, *cui titulus est :* De divino Officio et jejunio; et quomodo fratres ire debeant per mundum, *exponuntur hoc modo :* In quamcumque domum intraverint, primum dicant : Pax huic domui. Et secundum sanctum Euangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare. *Quod ergo in priori Regula universim permissum videbatur, in secunda declaratur, ad eos solos pertinere, qui extra conventus versabantur. Hinc S. Bonaventura in Expositione ejusdem Regulæ cap.* 3 *hæc annotavit :* Dicit : LICEAT DE OMNIBUS, non

AUCTORE C. S.

non simpliciter, sed SECUNDUM SANCTUM EVANGELIUM. Istud autem non conceditur, nisi in prædicationis euntibus ministerio. Qui ergo pro animarum salute non circumeunt, in hac licentia jus non habent *etc.*

Elias vetuisse videatur.

197 *Multo etiam clarius eam licentiam fratribus in conventibus morantibus negant statuta, ab eodem S. Bonaventura, generali Ordinis Ministro, in capitulo generali Narbonensi anno* 1260 *edita, quæ exstat apud Rodulphium in Historiæ Seraphicæ fol.* 258 *verso, unde Statutum* 12 *huc transfero :* Item solicite servetur constitutio generalis, quæ dicit, quod in locis Fratrum fratres carnes non comedant ullo tempore, exceptis debilibus et infirmis, quibus guardiani possunt providere, secundum quod judicaverint, rationabiliter indigere. *Jam vero hæc de abstinentia a carne in conventibus vel ab ipso* S. Francisco *fuit præcepta, vel postmodum ab illius successoribus, aut S. Bonaventura in capitulo generali Narbonensi primum indicta. Si primum, uti insinuare videtur S. Bonaventuræ expositio mox data, dicendum est Eliæ decretum, si vere datum fuerit, solum sustulisse licentiam, quam dederat ipsa* S. Francisci *Regula vescendi carne Minoribus, qui prædicationis causa extra conventus Ordinis versabantur. Si secundum, adeoque si dicatur Elias omnem carnis usum, a* S. Francisco *domi*

B *forisque in Regula concessum, Minoribus interdixisse, ut Waddingus existimasse videtur, ac certe sensit Chalippus in Vita Gallica tom. I, pag.* 187 *in Annotatis, concidit tota illa de temerario hoc Eliæ ausu narratio; cum minime verisimile sit, quemquam e primis sancti Institutoris successoribus, ipsumque S. Bonaventuram ausurum fuisse carnium esum in conventibus proscribere, aut etiam hanc ejusdem proscriptionem confirmare et urgere, si eam* Franciscus *ipse tantopere improbasset in Elia, et ex angelico monito abolevisset.*

Quid videatur de visione statuæ Sancto oblata.

198 *Præmiserat ibidem num.* 20 *admirabilem prorsus visionem* S. Francisco, *de suorum instabilitate mœrenti, divinitus oblatam; statuam scilicet Nabuchodonosorianæ (Danielis cap.* 2) *similem, habentem* caput aureum et faciem pulcherrimam, pectus et brachia de argento, ventrem et femora de ære, tibias autem de ferro, pedes vero ex parte ferreos, et ex parte fictiles; et erat induta sacco, ex quo humano rubore perfusa multum erubescere videbatur. *Pulchritudinem statuæ miranti* Francisco *inducitur ipsa dicens, missam, se a Deo, ut eum de Ordine suo futura edoceat; per quatuor ista metalla, terramque ferro mixtam, ex quibus compacta videbatur, quinque ejusdem Ordinis status exponens, ac denique addens, sanctam paupertatem per saccum*

C *designari, de qua, licet hæc esset Ordinis decor, postea futurum esset, ut erubescerent degeneres filii. Hæc omnia pluribus exposita habes apud Waddingum; at, si ejus rei testes ab eo requiras, non alios laudatos reperies, quam Rodulphium, Marcum Ulyssiponensem et Floretum, quorum certe ab ætate auctoritas nullum huic narrationi momentum potest addere. Illis addi possunt tres Speculi vitæ* S. Francisci *editiones, quas habemus; et illis omnibus antiquior Bartholomæus Pisanus, si constaret omnia Pisani esse, quæ in libris Conformitatum leguntur. Sentiat quisque, quod lubet; mihi laudati scriptores nequeunt eximere suspicionem, ne statua hæc post* S. Francisci *tempora, ortasque in Ordine Minorum turbas primum prodierit.*

Quædam alia a Waddingo et Melissano

199 *Num.* 33 *ibidem agit Waddingus de comitiis eo anno* 1220 *habitis, Sanctique in iisdem gestis, quæ cum in Commentarii prævii* § 17 *tractaverim, hic tacita præteribo. Subdit etiam quædam sancti Patris monita, aliaque, partim alibi a me relata, partim apud ipsum legenda. Antonius Melissanus de Macro in Supplemento eorumdem Annalium hæc addit :* Hoc anno vigesimo supra duodecimum seculum a Nativitate Christi Chronica civitatis Cunei (*vulgo* Cuoni *et* Coni) volunt sanctum Patrem etiam extremas Italiæ oras perlustrasse ad Alpes maritimas; quod itineris ratio ac temporis anni reliquum a reditu ab expeditione Ægyptiaca, quam anno præterito aggressus fuerat, non facile admittit. Verumtamen plura, quæ impossibilia videntur, apostolicus Vir, quem divina caritas in animarum salutem etiam supra corporeas vires urget, difficultates hujusmodi superat, et ignaris viarum Domini tantum stuporem ingerit. D

ad hunc etiam annum relata.

200 *Quantæ ætatis aut meriti sint allegata Chronica, non habeo exploratum, neque aliunde mihi quidquam occurrit pro Sancti ad dictas Italiæ oras hujus anni accessu confirmando; verum ratio itineris temporisque, qualem statuit Waddingus, ex dictis in Commentario prævio non tam constat, ut hinc argumentum validum adversus ea formari posse videatur. Porro ex istis Chronicis tradit ibi Melissanus,* Franciscum *hoc anno ad Montem Vici, alias* Montem Regalem *dictum, qui episcopalis in Pedemontio civitas est, accessisse, ibidemque in suorum usum conventu donatum; ad Cuneates vero, cum eorumdem precibus, ut veniret, annuere non posset, misisse unum aut plures e suis, qui ibi quoque conventum obtinuerint. De Sancti Epistola, quam huic anno illigavit Melissanus, agam alibi inter ejusdem Opuscula. Nunc cum Waddingo ad annum* 1221 *procedamus.*

§ IX. Alia Sancti gesta annis MCCXXI et sequenti ex Waddingo, atque inter hæc iter per regnum Neapolitanum et accessus ad specum Sublacensem et montem Garganum. E

Annotantur quædam de gestis in capitulo generali,

Annum hunc exorditur *Annalista Minorum ab Epistola* S. Francisci *ad Petrum Cathaneum, quem anno superiori Eliæ exauctorato suffectum, totique Ordini a sancto Fundatore præpositum dixerat, nuncque nonnullis suorum dictis lacessitum, consilii causa ad ipsum recurrisse, narrat. Quoniam de abdicato, ut volunt alii, a* Francisco *et in Petrum Cathaneum translato generali Ministerio disputaverim in Commentario prævio* § 20, *nihil hic addam, uti nec de memorata Epistola, quæ locum suum habebit, ubi de* S. Francisci *Opusculis loquendum erit. Subdit Annalista, eumdem Petrum hoc anno* 1221, 6 *Idus Martii diem suum obiisse; sed hæc non conveniunt cum iis, quæ deinde ait ad annum* 1223 *de illius cum Sancto Patre suo profectione Romana ad figendum celebris Indulgentiæ in Portiuncula diem, quæ verisimiliora esse, patet ex prædicti Commentarii* § 20, *ubi probavimus, Petrum Cathaneum anno* 1224 *vivere desiisse. Quæ de eodem Cathaneo, post obitum suum miracula patrare per* S. Franciscum *vetito et obtemperante, ad hunc annum* 1221 *num.* 3 *refert Waddingus, expensa sunt in eodem Commen-* F *tario prævio num.* 396 *et sequentibus.*

aliisque ad annum 1221 *relatis.*

202 *Hoc anno* 1221 *solita Ordinis comitia generalia ex præscripto Regulæ in Pentecoste apud Assisium celebrata fuisse, ibidem scribit Waddingus, et ego annotavi in Commentario prævio* § 20, *ubi etiam disputavi, an, ut idem Annalista opinatus est, instaurata in his fuerit missio Germanica, quæ aliquot annos ante frustra fuerat tentata. Ad hunc pariter annum spectat initium institutionis Tertii Ordinis* S. Francisci, *alias fratrum et Sororum de Pœnitentia nuncupati, de quo etiam satis prolixe egi in eodem Commentarii prævii* § 20. *Nihil quoque hic dicam de indulgentiis Portiunculæ per* Franciscum *divinitus impetratis, quibus fusius exponendis peculiaris dabitur locus. Hoc item anno Waddingus, Agnetem S. Claræ sororem et discipulam, a* S. Francisco *missam ait Florentiam, ut ejusdem sacris virginibus præesset, habitumque ab ipso cum eadem Clara mirabile convivium, de quo consule ejusdem sanctæ abbatissæ Vitam num.* 39 *et sequentibus apud nos datam die* 12 *Augusti.*

Romæ invitatus apud Matthæum de Rubeis

203 *Pertigimus ad annum* 1222, *quo* S. Franciscum *Romæ fuisse, scribit Waddingus, nec video quidquam obstare, quo minus ibi tunc fuisse credatur. Memoria dignum est, quod in ea urbe ab illo tunc gestum refert verbis, quæ huc transfero.* Romam (*inquit*)

A (*inquit*) ut appulit, familiaritatem et amicitiam iniit cum nobili viro Matthæo de Rubeis, antiquæ et potentis familiæ Ursinorum magnate. Invitatus ab eo ad prandium, dum ultra assuetam horam expectaret herois adventum, darenturque esculenta de more pauperibus, qui statim a meridie ad nobilis viri januam conveniebant quotidie, eleemosynas accepturi, Franciscus se illis caute immiscuit, stipemque recepit. In hoc ipso tempore domum rediens Matthæus, statim interrogavit: Quid actum de fratre Francisco? Quo non apparente, juravit, se non pransurum, nisi Franciscum haberet commensalem. Dum itaque domestici eum undequaque investigarent, ex fenestra prospiciens ipse Matthæus, pauperibus in atrio assidentem detexit.

inter pauperes prandet, ipsumque

204 Lotis itaque manibus, descendit, et prope Dei Virum sedit in terra, dicens: Frater Francisce, quia tu non vis prandere mecum, ego prandebo tecum. Quod et fecit, pie exhilaratus, videns se annumeratum pauperibus Christi. Audiens vero, inceptum a Francisco Tertium pro sæcularibus et conjugatis institutum, petiit ab eo, sibi donari vestem, et instrui in exercendis pietatis officiis. Tanti viri authoritas magnam addidit novo sodalitio et ad ejus exemplum plures se eidem adscripserunt. *Hausit hæc Waddingus, uti in editione Lugdunensi ad marginem annotatum est, ex* Chronico viginti quatuor Generalium *et* Mariani cap. 20, *quibus in editione Romana anni* 1732 *additur* Chronicon antiquum Ms. *Hoc* Francisci *factum omnino verisimile facit ipsius humilitas et amor pauperatis, quippe quem primi biographi testantur initio conversionis suæ, commodatis a mendico vestibus, Romæ ad S. Petri basilicam inter pauperes resedisse, et Bonaventura in Vita edita num.* 93 *tradit, a magnatibus invitatum ad prandium soluisse* prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta *mendicare, ac propterea semel a Cardinale Hugolino, qui eum invitaverat, modeste reprehensum respondisse:* Magnum, mi domine, vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi: siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, et ea maxime, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est *etc.*

B

in Tertium suum Ordinem admittit,

205 *Mirabilius quidem est laudati illustris viri factum,* Francisco *inter mendicos humi assidentis; sed huc scilicet eum impulisse potuit eximia, qua sanctissimum Virum merito prosequebatur, veneratio, ex qua etiam illius Tertio Ordini nomen suum dedit: nam Tertii Ordinis fuisse, diserte docet Philippus Perusinus Ordinis Minorum in sua Epistola ad Gonsalvum ejusdem Ordinis Ministrum Generalem, circa annum* 1306 *scriptam, recitatamque a Waddingo ad annum* 1217, *num.* 6. *In hac Philippus loquens de Joanne Cajetano Cardinale, qui ad Pontificatum evectus,* Nicolaus III *dictus fuit, quemque Protectorem sui Ordinis antea noverat, sic loquitur:* Pater ipsius Cardinalis, dominus videlicet Matthæus Rubeus de Tertio (*Ordine*) exstitit, de quo audivi aliquando, ipsum dominum Joannem, etiam cum Papa esset, publica confabulatione gloriari. *His observatis, pergo Waddingi ex iisdem, quos supra laudavit, quantum existimo, scriptoribus dicta recitare.*

C

et Pontificatum prædicit ejusdem filio, tum puerulo,

206 Fuit huic heroi (*Matthæo de Rubeis*) filius parvulus, nomine Joannes, quem Francisco tulit, ut benediceretur. Accepto in ulnas Vir sanctus benedixit, et patri prædixit, suæ familiæ summam gloriam infantulum advecturum, summumque Ecclesiæ Pontificem futurum. Deinde vultum ad puerum convertens, tamquam multæ rationis capacem, serio et blande alloquutus est, rogavitque, ut suæ Religioni vellet esse propitius. Deinde reddens patri filiolum, inquit: Non erit nostri sodalitii frater, sed protector; non erit filius, sed pater, sub cujus umbra nostri vivent et lætabuntur. Multa contemplor bona nostra in infantulo, et in parvulis manibus magna nobis recondita beneficia. Ad hæc vaticinia pater obstupuit et gavisus est, sed tunc magis, quando completa perspexit, et filium in Petri Cathedra constitutum, Nicolaum III renunciatum, qui qualia et quanta in Minores effuderit beneficia, sub ejus Pontificatu constabit. Usque ad illud tempus pater conservavit verba Francisci in corde suo, nec ulli detexit, donec ea vidit opere completa.

AUCTORE C. S.

qui in Pontificatu dictus est Nicolaus III.

207 *Ejusdem vaticinii etiam meminit Franciscus Pagius in Breviario Romanorum Pontificum, in Nicolao III, num.* 2, *ex Ms. Vaticano Jordani, quem anno* 1320 *floruisse asserit, sequentia recitans:* Cum esset puer, pater ejus, qui erat de Tertio Ordine, eum B. Francisco obtulit; et B. Franciscus ait, quod non esset frater habitu, sed futurus defensor Ordinis sui, et tandem dominus mundi. *Porro Nicolaus ille ante Pontificatum Joannes Cardinalis Cajetanus S. Nicolai in Carcere Tulliano dictus, munus Protectoris Ordinis Minorum suscepit anno* 1263, *benignissimeque administravit usque ad annum* 1277, *quo ad summum Pontificatum evectus fuit, et in locum suum instituit Matthæum, S. Mariæ in Porticu diaconum Cardinalem. Quod quidem quam pio affectu fecerit, discere licet ex laudata Epistola Philippi Perusini, rei gestæ oculati et auriti testis, qui inter cetera, quibus Nicolaus ad Matthæum tunc usus fuit, hæc verba refert:* Damus tibi melius, quod habemus; damus tibi cordis nostri desiderium, pupillam oculorum nostrorum *etc. Cetera videri possunt apud laudatum Waddingum in Annalibus.*

E

Eodem anno dicitur Sanctus Sublacum invisens,

208 *Ad alia pergens idem Annalista, num.* 3 *de* S. Francisco *ita denuo scribit:* Ab Urbe recedens in regnum Parthenopæum (*id est, Neapolitanum*) S. Benedicti specum voluit visitare; cujus rei præter constantem traditionem, quæ habetur in sacri specus et S. Scholasticæ Sublacensis cœnobiis, apparet adhuc vestigium in sacello sanctorum angelorum, et S. Gregorii, a Gregorio IX consecrato, ubi a dextris altaris idem benignus (*ante aditum Pontificatum*) Francisci fautor et amicus, Gregorius depictus est; a sinistris autem Franciscus, schedam manu tenens, exaratis his verbis: PAX HUIC DOMUI, quibus semper domum quamcumque ingrediens, incolas salutabat. Sacellum hoc supereminet illi hortulo, seu viridario, in quo S. Benedictus molestum carnis incitamentum spinarum cruento superavit volutabro.

vepres, in quibus se volutavit S. Benedictus,

209 Digna autem sanctæ rei contemplatione Franciscus immersus, sanctitatemque insignem magni secum expendens patriarchæ, qui tam duro et diro sibi succurrit remedio, dumeta attrectans et exosculans, demum signo Crucis afficiens, in rosarium pulcherrimum divina vertit virtute. Quo factum est, ut deinceps ille locus in majori haberetur reverentia et rosetum, utriusque Patriarchæ religione sacratum, miræ virtutis rosas producat, qui multam ubique infirmitatum medelam attulerunt. Cœlestem hanc metamorphosim perbelle et docte quidam eruditus poeta hoc carmine depinxit:

Virgineum sepit florem Benedictus acutis
Vepribus, et proprii rore cruoris alit;
Hinc dumeta novas tanto fœcunda liquore,
Franciscique manu culta tulere rosas.
Falsa quidem roseo cecinere e germine vates;
Sed latuit falso carmine vera fides.
Scire cupis, rosei flos exeat unde pudoris?
Sola rosas potuit gignere puncta Venus.

in rosarum fruticem convertisse.

210 *Allusit poeta ad fabulam, quæ fert, Venerem rosarum spinis læsam, eas ex candidis rubras fecisse; et ad S. Benedictum, qui ut carnis suæ stimulum exstingueret, nudum se prædictis in vepribus volutans, eas sanguine suo tinxit. De S. Benedicti facto constat ex illius Vita per S. Gregorium Magnum scripta, ad quam in Opere nostro tom. III Martii pag.* 279 *inter Annotata lit.* i *ad propositum hæc ait Henschenius:* S. Franciscus, ut traditio Sublacensium est, in hasce spinas (*in quibus scilicet se cruentaverat S. Benedictus*) inseruit rosas, quarum frondes vernant in plantario tota hieme inter frigora et nives; fit ex eis etiam aqua rosacea,

AUCTORE C. S.

cea, quæ solet ad reges et principes mitti. *Vox* inseruit *ambiguæ significationis est; Chalippus in Vita Gallica tom. I, pag.* 231 *secutus Waddingum est. Antiqui biographi nostri cum de* S. Francisci *ad Sublacense monasterium accessu non agant, nec de hoc facto meminerunt. Est autem Sublacum, Italis* Subiaco, *oppidulum ditionis Pontificiæ in Campania Romana ad Anienem fluvium, in confinio regni Neapolitani situm.*

Dicitur Cajetæ fabrum sub delapsa trabe exstinctum

211 *Hinc regnum illud* Franciscum *ingressum, inquiens Waddingus, apud Cajetam, quæ ejusdem regni civitas est cum amplo portu in ora maris Tyrrheni sita, spontaneo miroque scaphæ obsequio ad prædicandum irruenti numerosissimo populo usum esse, tradit ex Vita per S. Bonaventuram scripta cap.* 12, *ex cujus auctoritate constat de facto et loco, at non de anno, quem de more non indicavit. Haud ita certa sunt, quæ idem Annalista ibidem subjunxit his verbis:* Admirantes Caietani Dei virtutem in Homine, rogaverunt, ut aliquantisper apud se hæreret, et sodalibus habitaculum exstrui permitteret. Eorum precibus acquievit Vir sanctus; et statim manus operi admota, inceptumque longiuscule ab hominum commercio in montis latere, sed intra civitatis mœnia, monasterium. At in structura ecclesiæ mira res evenit: nam faber quidam lignarius, dum incautus sub ipsa contignatione B versaretur, a ruente trabe opprimitur, extinguiturque, et in domum suam omnino exanimis, ut inde ferretur ad sepulchrum, a cooperariis portatur.

ad vitam revocasse;

212 Aberat tunc Franciscus a civitate, sed audito mirando casu, festinus revertitur, occurritque in montis declivio non longe a nova fabrica cadaveri, feretro imposito, et funebri hominum multitudini. Deponi mortuum jussit in terra, apprehensaque manu, veluti dormientem excitaret, signo Crucis munitum vocavit ex nomine, et exsurgere præcepit. Statim revixit mortuus, et ad inceptum opus prosequendum cum Viro Dei rediit ad ecclesiam. Ita loci incolæ miraculum hoc mihi (*Waddingo scilicet*) retulerunt anno MDCXXIII, Neapoli Romam redeunti, confirmaruntque, ostenso mihi in illo declivio parvulo sacello ad rei memoriam exstructo, et lapide marmoreo subtus trabem e muro exiliente, illo loco, et quo in hominis decidit interitum.

sed hoc miraculum a S. Bonaventura aliter

213 Aliter tamen res hæc narratur in fine Legendæ, a divo Bonaventura conscriptæ, inter miracula tertiæ classis; innuiturque, Franciscum jam vita excessisse. Fortasse aliud ab hoc est illud miraculum, et in quibusdam confunduntur ab eo, qui seriem illam miraculorum vel adjunxit Histo- C riæ Bonaventuræ vel auxit. *Hactenus Annalista Minorum, qui deinde ad annum* 1228 *ejusdem* S. Francisci *miracula ex allegato loco Bonaventuræ recitans sub titulo* De his, quos a mortis periculo liberavit, *alterum illud, cujus mox supra meminit, etiam recenset. Sub eodem titulo legitur apud me in Vita edita* § 3 *capitis* 16, *cui capiti titulus est:* Miracula aliquot a S. Francisco post ejus obitum edita. *Huic titulo ipsa consonat narratio; ut adeo dubitare nequeam, quin miraculum hoc inter ea, quæ post sancti Viri obitum contigerunt, reponendum sit. Porro inter hoc atque illud, quod veluti a* S. Francisco *vivente patratum ex Waddingo mox retuli, solum convenit de lapsa in virum, in construenda ecclesia laborantem, trabe, de eoque post receptam a* S. Francisco *subitam incolumitatem ad idem opus redeunte, ac denique etiam, ut videtur, de civitate, cum apud Bonaventuram vir, cui id contigit, dicatur* Bartholomæus, Caietanus civis: *reliqua vero sunt diversa, prout utrumque locum conferenti patebit.*

ac longe alio tempore narrari, mihi verisimilius apparet.

214 *Facit tamen ista similitudo, ut mihi verisimilius appareat, utrobique unum idemque miraculum cum dissimilibus adjunctis et ad varium tempus relatum narrari. Deinde potioris apud me fidei est narratio, quæ Bonaventuræ tribuitur; tum quia non probatur, Bonaventuræ non esse; tum quia magis mirandum foret, non solum hunc, verum etiam alios, illo antiquiores biographos, de tam insigni resuscitatione mortui nusquam meminisse; quam* D *miraculum hominis ex illapsa trabe morti proximi et a* S. Francisco *apparente subito sanati (ut habet Vita per Bonaventuram) lapsu temporum a Cajetæ incolis sic fuisse variatum, ut vir ille, non solum moribundus, sed plane mortuus, et a* S. Francisco, *non apparente post obitum suum, sed inter vivos etiam tum agente, resuscitatus fuisse creditus fuerit. Nimirum solent hujus generis mirabilia facta non extenuari a populo, sed sæpenumero exaggerari.*

Vepres, in quibus se volutavit, perpetuo innocuos reddidisse,

215 *Num.* 8 *ita pergit Waddingus:* Valde locum hunc (*Conventum Cajetanum*) dilexit Franciscus, tum quia paupertati conformis, tum quia ab hominum frequentia semotus contemplationi erat opportunus. Sensit in eo carnis molestias, quas ut valide excuteret, in densas et pungentes spinas se volutavit. Eodem tempore excussa carnis titillatio et expuncta dumeta, decidentibus undique spinis; a quo tempore mollia omnino, lenia et tractabilia perpetuo miraculo virentia se omnibus præbent. Palpavi ipse, attrectavi, undique lustravi, nec in vacciniorum arbustis his spinam ullam potui detegere. Transplantati multis in locis Italiæ dumeti hujus ramusculi, sed ejusdem et mollis undique naturæ. *Cum hoc loco Annalista nullum testem proferat, ambiguum mihi est, an relatam* S. Francisci *in spinis volutationem ex sola loci traditione, an ex* E *Legenda aliqua acceperit. Non fuisse hujusmodi factum a* Francisci *fervore animi alienum, discimus ex Thoma Celanensi, qui in Vita edita num.* 40 *de eodem ejusque sociis ait:* Tanta denique maceratione incentiva carnis reprimere satagebant, ut in frigidissima glacie non abhorrerent sæpius se nudare, ac totum corpus spinarum aculeis compungentes, effuso sanguine irrigare. *At quo minus credam,* S. Franciscum *id ipsum etiam anno* 1222 *vel serius fecisse,* ut carnis molestias... valide excuteret, *obstat S. Bonaventuræ auctoritas, qui in Vita cap.* 3 *scribit, ipsum* circa conversionis *suæ* primordia, *ut carnis tentationem repelleret, algidis in nivibus sic extinxisse* ardorem... libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. *Quod si verum est, ut omnino credendum sancto doctori est, qua verisimili ratione dicitur idem* S. Franciscus *adhuc anno* 1222, *aut etiam serius, titillatione carnis molestatus fuisse?*

et infantem mortuum resuscitasse fertur,

216 *Magis miror, ab omnibus, quos habemus, primis biographis, præteritam fuisse, si vere contigit, resuscitationem infantis, quam Annalista ibidem num.* 10 *narrat ex Legenda, quam vocat* Antiquam, *et Mariano. Longioris narrationis hæc summa est. Nobilis Sancti hospes cum uxore sua ad forum, ubi erat ille concionaturus, se contulerat. Eo quoque clam perrexerat ancilla, domi solo relicto infante,* F *unico illorum filio; quem ante alios domum redux eadem ancilla in ferventi aqua pleno aheno mortuum ac semicoctum reperit, extractumque arcæ inclusit. Subinde reversi parentes, ne inopinato casu tristaretur Vir sanctus, conveniunt de celando dolore, donec ille ibi pransus abiisset. Hic vero rem totam divinitus edoctus, simulat, se poma expetere. Negantibus, pomum ullum in domo esse, instat, urgetque, ut ex arca (indicans eam, in qua infantis cadaver latebat) poma depromant. Tandem obtemperans genitor, ea aperta, filiolum vivum invenit utraque manu pomum tenentem. Ita ille pluribus, sed non aliis, quam quos nominavi, testibus usus.*

sed non satis certis testimoniis.

217 *Ego, ut mentem meam exponam, uti nihil Deo, qui mirabilis est in Sanctis suis, difficile esse, agnosco; ita, quo mirabiliora ex humana fide narrantur facta, eo certiora testimonia requiro, ac propterea vellem; hæc potiori auctoritate probari, quam sit Mariani et incertæ mihi ætatis ac fidei Legendæ; quæ ut a primis biographis sanctoque Bonaventura posteritati traderentur, exigere videbantur nobilium parentum in* S. Franciscum *observantia, ipsaque magnitudo miraculi. Ad hæc narrationem suspectam mihi facit mirum illud parentum in tam inopinata diraque unici filii sui nece silentium et simulatio apud Virum sanctitate et miraculorum gloria jam tum certe celeberrimum, cujus præsentia et amicitia*

A *citia afflictissimos parentes ad petendum ab eo solatium opemque animare potius debuerant, quam ad dolorem ex reverentia premendum; si tamen illi hunc in tali casu premere potuisse credendi sint. Chalippus in Vita Gallica tom. I, pag.* 232 *asserit quidem, miraculum istud sic tradi* ab antiquissimis S. Francisci biographis; *sed, cum præter morem nullum nominet, verisimillime eosdem, quos Waddingus, voluit indicare.*

Donatio loci ab Anastasio Pennensi episcopo ipsi facta

218 *Hoc eodem anno Annalista sanctum Patrem suum pene universum Neapolitanum regnum suis prædicationibus, virtutibus ac miraculis lustrantem describit, multaque suis alumnis domicilia acquirentem, ac præterea insignes aliquot viros suo Ordini adjungentem. Longum esset singula recensere; non tamen omnia præteribo. Inter ea loca recenset conventum Pennensem, quæ Penna dicti regni civitas est in Aprutio Ulteriori, episcopatum habens, soli Sedi Apostolicæ Romanæ subjectum. Hic conventum Sancto donatum scribit* a S. Anastasio, illius urbis episcopo et cive, ex antiqua familia Venantiorum, qui admonitus in somnis, die sequenti Virum sanctum ei obvium futurum, processit expectaturus; et occurrentem chare complexus est, reciprocos deferentem honores. In ecclesia Sanctorum hic occursus affabre depictus est, submissis his versibus:

B Cælitus admonitus præsul Pennensis it ultro,
Complexusque Patrem dat quoque sponte locum.

non ad hunc annum, sed ad 1215 *aut* 1216 *pertinet.*

219 *Laudatur hic in margine Rodulphius in Custodia Pennensi, fol.* 277, *ubi hæc ita reipsa narrantur, si excipias annum, qui ibidem nullus signatur, et pictum rei gestæ monumentum cum versibus, quorum nulla ibidem exstat mentio. Chalippus in Vita Gallica secutus Waddingum, eadem retulit, factumque ipsum eidem anno* 1222 *affixit: sed rectius eum annum non posuit Rodulphius; nam Anastasius ille apud Ughellum in Italia sacra recusa Venetiis tom. I, col.* 1152 *et sequenti, obiisse dicitur anno* 1216, *ideoque sexennio circiter, antequam prædictam ab eo danationem factam statuit Waddingus. De facto tamen consentit Ughellus, cujus verba subjicio:* Anastasius (de Venantiis Pennensis) successit Gualderico, vir sanctimonia clarus, qui S. Franciscum in Pennensi civitate lætus excepit, locumque ei contulit ad monasterium ædificandum. *Si Ughellianis calculis standum sit, et concessio loci Anastasio attribuenda, hæc figenda est anno* 1215 *vel* 1216, *quibus ipsius episcopatus initium et per obitum terminus ibidem includuntur. Vide etiam mox dicenda num.* 225. *Huic Anastasio nec* Sancti, *nec* Beati *titulum apposuit laudatus Ughellus; quem tamen ipsi deberi agnovit Nicolaus Coletus ex Lucentii Italia sacra, ibidem addens:* Colitur, ut Beatus, *quod hic observandum duxi, quia apud Waddingum verbis mox datis* Sanctus *appellatur.*

C

Traditur etiam invisisse montem Garganum,

220 *Nihil etiam apud primos* S. Francisci *biographos legere est de visitato ab illo monte Gargano, quod hujus anni* 1222 *itineri innexuit Waddingus, ita scribens:* In Apulia Daunia visitavit in monte Gargano S. Michaelis archangeli venerandum delubrum.... Conspicitur ibi ara ab ipso archangelo consecrata, vestitaque nunc alterius manu fabricato artificioso et pulchro tegumento, in qua sacra fiunt, minimeque in hæc penetralia passim omnes admittuntur. Non fuit præclusus aditus Francisco; attamen ipse ex sancti loci reverentia præ foribus ad dexteram æreæ portæ, summo artificio perfectæ, per quam ad Occasum in specum aditus datur, humiliter oravit et aliquanto tempore hæsit, dicens socio et invitantibus, ut introiret, se non audere ingredi, quia terribilis est (inquit) locus iste, et habitaculum angelorum, quibus ab hominibus oportet reverentiam omnem exhiberi. Adhuc monstratur ab ædituis, ubi oraverit et hæserit, ad peregrinantium firmiorem fidem et majorem hujus loci reverentiam. Prædicavit deinde in castro vicino, et locum habitationis suis sectatoribus obtinuit.

221 *Exstare traditionem aliquam de* S. Francisci *ad eum montem accessu, discimus etiam ex Ughello tom. VII Italiæ sacræ recusæ, in archiepiscopis Sipontinis col.* 831, *ubi hæc ait:* Quo (*Hugone archiepiscopo*) etiam sedente S. Franciscus Michaelis archangeli in monte Gargano ædem invisit, ac præcipua veneratione coluit, ita ut, quæ ejus erat humilitas, eo ingredi minime auderet, indignum se reputans, qui pedem angelorum sacrario inferret; impressitque sua manu rudi in speluncæ lapide Crucis signum in modum Græci characteris Tau, quod usque hodie peregrini vident ac summa pietate venerantur. *Marcellus Cavaglieri, Ordinis Prædicatorum, in libello, quem Italice inscripsit* Peregrinum ad Garganum *cap.* 10 *istis consentiens, præterea asserit, de hoc Sancti itinere mentionem quoque fieri apud Pisanum lib.* 1 *Conformitatum fructu* 11 *his verbis:* Custodia Senensis habet locum de Senis, qui ab antiquo loco per jactum distat balistæ; in quo loco antiquo B. Franciscus redeundo de Roma de sero figendo baculum in terra, quod acceperat in monte Gargano, in arborem excrevisse pulcherrimam invenit de mane. *Nescio, ex qua Pisani editione hæc ille acceperit: nam in gemina, quam habemus, Mediolanensi scilicet anni* 1510 *atque altera Bononiensi anni* 1590, *loco indicato leguntur eadem præter ista verba:* Quod acceperat in monte Gargano.

AUCTORE C. S.

quod loci traditio

E

aliaque verisimillimum faciunt;

222 *Porro quamvis solos Marianum et Rodulphium pro hac peregrinatione laudarit Waddingus, eam tamen verisimillimam faciunt allegata ab Ughello loci traditio et singularis* Francisci *erga S. Michaelem devotio.* Michaeli archangelo (*inquit Bonaventura Vitæ num.* 126) eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore devotior propter fervidum, quem habebat, zelum ad salutem omnium salvandorum; *et in ejusdem aliorumque angelorum venerationem annuum per quadraginta dies jejunium observare solebat. Hinc ergo verisimile fit, ipsum quoque ad montem Garganum, ubi sanctus ille archangelus templum habet peregrinationibus celeberrimum, accessisse, dum Neapolitanum regnum sacris suis concionibus lustravit. Quod autem Ughellus asserit, rudem sacræ speluncæ lapidem signo* Thau *seu littera* T *ab eo fuisse signatum, non caret verisimilitudine ex ejusdem Sancti affectu et consuetudine, de quibus in eadem Vita num.* 51 *legitur:* Hoc quippe signum Vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, et in eis, quas dirigebat, litterulis manu propria subscribebat; tamquam si omne ipsius studium foret signare Thau, juxta dictum propheticum (*Ezechielis cap.* 9, ℣ 4) super frontes virorum gementium et dolentium *etc.*

E

sed hic quoque ad Garganum accessus

223 *Verum, uti ex præmissis verisimilis fit* S. Francisci *ad montem Garganum accessus, ita hic ad alium annum, quam ad* 1222, *cui a Waddingo illigatur, omnino reponendus est, si Sipontinum archiepiscopum, sub quo contigerit, recte signaverit Ughellus. Nam Hugo ille, ut ibidem docet, archiepiscopatum Sipontinum tenuit ab anno* 1195 *usque ad* 1216, *quo obiit, sexennio circiter antequam* Franciscus *ex Waddingi sententia illuc advenit. Atqui recte signasse dicendus est ex tempore sedis Anastasii in ecclesia Pennensi, cui ab anno* 1215 *usque ad* 1216, *eodem Ughello teste, ex dictis præfuit; et* Franciscum *eodem anno, quo hic ad montem Garganum profectus fuit, ipso affirmante Waddingo, benigne accepit, Ughello consentiente quidem de episcopo, sed consequenter non de anno. Vide dicta superius num.* 219, *atque ex utroque loco statue, an Neapolitana Sancti peregrinatio, nisi varia fuerit, non potius anno* 1215 *vel* 1216 *figenda sit, quam* 1222.

rectius anno 1215 *vel sequenti affigitur.*

224 *Hoc certum est, Waddingianam narrationem aut in anno aut in episcopo Pennensi aberrare; Ughellianam vero nullo hujusmodi chronologico vitio laborare, atque ita sibi constare, ut, si Sanctus in eodem itinere, in quo ab Anastasio Pennæ fuit exceptus, Garganum adierit, huc etiam venisse dicendus sit sub Sipontino archiepiscopo Hugone, et proinde uterque accessus vel alterutro anno, vel unus hoc,*

AUCTORE C. S.

hoc, alter illo contigisse. In chronotaxi nostra nihil obstat, quo minus tota ista per regnum Neapolitanum peregrinatio utrolibet anno figatur, uti videre licet in Commentario prævio § 14; at non facile id fiet in chronotaxi Waddingiana, secundum quam Sanctus tunc aliis in provinciis occupatissimus fuit. Ceterum de sacro monte Gargono pluribus actum apud nos est in Commentario de sanctis Angelis ad diem 29 Septembris, quo S. Michaelis archangeli in eodem monte memoria celebratur.

Aliquot Sancti prodigia,

223 *Mirabilia, quæ Annalista hoc anno 1222 a* Francisco *in eodem itinere patrata ex non sat certis et antiquis scriptoribus narrat, paucis accipe. Carinulæ, seu Caleni, quæ Campaniæ Felicis civitas est, dicitur in loco conventus sui plantasse malum arborem medicam,* quæ (*verba Waddingi describo*) tripartito stipite et terra exurgens pulcherrimum sui ipsius prospectum præbet;... *et* perseverat;... *et* hunc a sui exordio ordinem perpetuo servavit ut alternis annis quisque stipes, aliis duobus interim quiescentibus, fructum ferat; cujus etiam fructus ad plurimos morbos pellendos confert, præsertim si ejus cortex aquæ admixtus epotetur, *Ibidem etiam visi, ait, juniperum, quæ ob fratris Juniperi, consitoris sui, inobedientiam, a sancto Patre vetita crescere, in eadem quantitate semper*
B *permansit; vulpeculam quoque, in eadem civitate cujusdam vetulæ pullis gallinaceis damnosam, ab illo tam mansuetam redditam, ut nullius ejusdem civitatis rei familiari amplius nocuerit. Eugubii in Umbria mulieri utramque manum contractam ab eodem sanatam, et infestissimum populo lupum sic cicuratum, ut pacta sibi et a populo præstita refectione contentus per biennium ibi vixerit innocuus.*

quæ ex variis accepta ad hunc annum referuntur.

226 *Adhæc tradit, eumdem Sanctum cuidam sui Ordinis apostatæ furcas prædixisse; apud Montellam, in Samnitum regione oppidum, nocte quadam cum sociis suis sub ilice quiescentem a copiosa nive mansisse immunem, intactis ab ea ilice et loco, ubi illi decumbebant. Præterea ex Mariano suo, Legenda, quam vocat* antiquam, *sanctoque Antonino (qui tamen hoc uno anno serius collocat) asserit Bartholomæum Baro, olim curiæ Romanæ advocatum, qui turbas et pericula animæ fugiens, Eugubium inter et Massam Trabariam habitabat, a* Francisco *ad Tertium Ordinem suum tunc admissum, eique potestatem factam etiam alios ad Ordinem recipiendi, et gyrovagos eidem conciliandi. Tum sequitur ibidem ex eodem S. Antonino relatio de quodam energumeno, apud eumdem Bartholomæum habitante, qui cum alias quasi continue loqueretur, paulo ante sancti Viri accessum, totoque, quo hic ibi moratus fuit,*
C *triduo siluisse dicitur, ac post ejusdem Sancti abscessum ad solitam loquacitatem reversus, fassus esse, sese ad illius præsentiam divinitus fuisse vel verbum proloqui, multaque de ejusdem sanctitate honorifice protulisse. Tota narrationis fides pendet a Legenda vel Chronico, quo sanctus archiepiscopus Florentinus usus fuit. Interim miror, nihil hic memorari de rogato ad illum curandum præsente* Francisco, *cujus potens in dæmones imperium vulgo notius erat, quam ut facile potuerit Bartholomæum latere. Præter hæc sunt et alia quædam a Waddingo ad eumdem annum relata mirabilia; sed a me alibi jam memorata, ac propterea hic minime repetenda.*

S. Antonio committit munus Theologiam docendi.

227 *Ad hunc denique annum refert Waddingus* S. Francisci *litteras, quibus S. Antonio Lusitano, communius* Patavino *appellato, facultatem fecit sacram Theologiam fratribus suis interpretandi. Has ibidem sic recitat :* Carissimo meo fratri Antonio Fr. Franciscus in Christo salutem. Placet mihi, quod sanctæ Theologiæ litteras fratribus interpreteris, ita tamen, ut neque in te, neque in ceteris, quod vehementer cupio, extinguatur sanctæ orationis spiritus, juxta Regulam, quam profitemur. Vale. *De hoc S. Antonio in Opere nostro actum est die, quo colitur, 13 Junii.*

D

§ X. Alia S. Francisci gesta ad annos MCCXXIII et MCCXXIV in Annalibus Minorum relata.

Quædam alibi jam relata, aut referenda.

Multa quidem scitu dignissima de S. Francisco *ad hunc annum refert Annalista, sed maximam partem hic non recensenda. Annum aperit a constituto die celeberrimarum indulgentiarum, quæ a* Portiuncula *nomen habent, quasque multis rationibus et summorum Pontificum aliorumque auctoritate stabilit. Verum cum de hoc argumento peculiarem Dissertationem demus, lectorem ad eam transmittimus, uti fecimus ad annum 1221, quo de prima earumdem concessione ille egerat. Hoc eodem anno 1223 Regulam Fratrum Minorum a suo sancto Institutore in breviorem formam redactam, et ab Honorio III Romano Pontifice bulla edita confirmatam, Waddingo consentientes, in Commentario prævio § 21 et 22 exposuimus, et narrationis adjuncta expendimus. Festum quoque Christi natalitium a* Francisco *peculiari sollemnitate et affectu apud Græcium eo anno celebratum, in ejusdem Commentarii prævii § 23 memoravimus. De comitiis denique generalibus suo loco apud nos actum est. Prætereo et alia, alibi similiter recensita.*

E

Dicitur ad suos lautius prandentes, velut peregrinus accessisse,

229 *De mora, quam Sanctus hoc anno 1223 Græcii traxit, antiquiorum biographorum dictis sequentia addit ex Pisano et Speculo vitæ.* Aderant ibi, *inquit,* quidam Ministri, qui convenerant, de rebus suarum provinciarum cum Institutore tractaturi, ad quorum præsentiam et propter diei solemnitatem in Christi Natalitio fratres solito curiosius mensas straverunt mappis bonis vitroque varietate. Ægre hoc ferens Vir Dei, assumpsit secreto baculum et galerum cujusdam peregrini, qui ad ostium mendicabat, et manducantibus fratribus supervenit, petiitque ad refectorii ostium eleemosynam, ut pauper et peregrinus. Illius provinciæ Minister, ex voce Præceptorem cognoscens, inquit subridens : Frater peregrine, magnus est numerus fratrum, et ipsi indigent eleemosynis sibi concessis : attamen ingredere, et subministrabitur tibi, quod licuerit. Accedens ille sedit in terra, et data ei esculenta in paropside cum frustulis panis, quæ alacriter comedit, nolens amplius quidpiam admittere.

ac paterne corripuisse,

230 Prandio terminato, mirabilem habuit ad fratres sermonem de Christi paupertate et Matris inopia, subjungens, pauperes Religiosos dedecere lauta fercula, præcipue in illo die, in quo beata Virgo Maria vix habebat, quod manducaret, nec Christus, F ubi cubaret, nisi in animalium brutorum præsepe. Festivitates, demum inquit, Christi et Sanctorum melius et commodius celebrantur paupertate, quam ipsi sectati sunt, quam superfluitate et curiositate, quam ultra modum detestabantur. *Porro hoc factum Annalista ibidem confirmat alio ex Vita per S. Bonaventuram scripta apud me num. 97, ubi de* S. Francisco *sic legitur :* Cum semel die sancto Paschæ moram faceret in eremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non posset, memor illius, qui discipulis euntibus in Emaus ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis fratribus eleemosynam petiit, ut peregrinus et pauper. Quam cum accepisset humiliter, sacri eos informavit eloquiis *etc. Factum hoc alteri (nisi id ex priori aliis adjunctis vestitum prodierit) aliquam verisimilitudinem addit, at, non utrimque par stat auctoritas.*

Quod Bonaventura narrat de Sancto per dæmonem vexato,

231 *Certe quod, velut Græcii etiam factum, ibidem subjicitur* ex Chronico antiquo et Marco Ulyssiponensi *mihi quidem omnino apparet ex S. Bonaventuræ narratione male mutuatum. Quapropter ut denuo constet, non inaniter me ejusmodi Chronica suspecta habere, oportet hic utrumque textum recensere. S. Bonaventura in Vita edita num. 39 tractans de austeritate vitæ sancti Patris sui hæc ait :* Experientia enim certa didicerat, dæmones

A dæmones asperitate terreri; delitiosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari. Unde, cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum præter solitum morem cervical de pluma positum haberet ad caput, dæmon in illud ingressus, ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode a sanctæ orationis studio perturbavit; donec vocato socio, pulvinar cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum pulvinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit et usum; quo usque ad vocem sancti Patris, hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus cordis et corporis sibi fuit plenarie restitutus. *Hæc S. Bonaventura; modo Waddingum ex Chronico illo, quod vocat* antiquum, *et ex Marco Ulyssiponensi audiamus.*

veluti huc anno Gracii factum,

232 In eodem loco Græcii dum nocte quadam dormire vellet, non potuit, sed dolebat capite et toto tremebat corpore. Vocans itaque socium, in vicina cella recumbentem, rem narravit, jussitque, ut auferret et extra cellam faceret pulvinar ex plumis, quod ejus capiti supponi, voluit dominus Joannes supra memoratus, ejus compatiens infirmitati; namque vere credebat, in eo dæmonem latere. Injectum in humerum pulvinar, tamquam onus grave, gravari super se sarcinam sensit, nec B prius cellam exivit, quam immobilis hæserit, mutus effectus. Dum ita tardaret, nec regrederetur, Vir sanctus dolum præsensit, et in virtute sanctæ obedientiæ jussit, ut protinus rediret. A malo sessore dimissus, reversus ad Patrem, quid passus, enarrat, confirmatque Patris de latente diabolo judicium. Vere, inquit, heri, dum Completorium recitarem, sensi ejus adventum, et ut resisterem, diligenter me præparavi. Malæ et fallaces sunt nebulonis artes; quia non potuit mentem Dei gratia protectam commaculare, conatus est corpori nocere, et ne ei subveniatur rebus necessariis, impedire, ut vel sic in aliquod inducat impatientiæ piaculum, vel faciat, quo minus possit orare. Dimisso porro socio, in pulvinari malum latuisse, comperiit : nam statim obdormivit, et dolor omnis abscessit.

cum aliquot aliis adjunctis refertur.

233 *Similitudo, quæ inter utramque relationem intercedit, non potest non mihi persuadere, unum idemque factum utrobique referri, sed aliis ornatum adjunctis. Apud Bonaventuram dicitur Sanctus pulvinar illud habuisse* propter infirmitatem capitis et oculorum; *apud Waddingum dolor capitis ab eodem pulvinari, sive a latente in eo dæmone processisse. Bonaventura scribit, illum tota nocte* usque ad horam matutinalem inquietatum, multimode a sanctæ orationis studio *perturbatum fuisse; nec* C *tentationis modum indicavit, in altera vero narratione dicitur perturbatio illa fuisse dolor capitis et totius tremor corporis. Ex relatione Bonaventuræ* Franciscus in spiritu, *sive divinitus cognovit, quod socio pulvinar auferenti acciderat; ex Waddingiana vero solum id ex mora non redeuntis cognoverat. Mitto cetera variantia observare, et pergo ad alia.*

In foro Bononiensi in terræ motu

234 Eodem anno (1223, *ut habet Waddingus, cujus verba describo*) ipsum Virum sanctum Bononiam perrexisse, asserunt Sigonius et Leander Albertus in sua Historia Bononiensi, et in aperto foro frequenti prædicasse populo. Dumque per aliquot dies ibi staret, exploraretque laxatas vitiis habenas, quotidie instabat prædicationi et populi correctioni, sæpissime alta clamans voce : Væ tibi esset, et infelix fores, civitas Bononiensis, nisi habuisses egregium et carum apud Deum sequestrum, fratrem meum carissimum Dominicum (*tunc ab anno* 1221 *defunctum*) qui non cessat pro te suas preces ad Dominum effundere. Nec prius Vir sanctus ab hac urbe reversus, quam vitia magna ex parte fugarit. Forte tunc incidit, ut refert Sigonius, ut, cum hoc anno orationem in foro, frequenti astante concione, haberet, terra ingenti agitatione concussa sit, cujus rei periculo (nam sæpe ante quoque illo anno magno ædificiorum damno tremuerat) simul atque populum perturbatum cognovit, haud quaquam exterritus, orare * perrexit, atque eo studiosius homines, cœlestibus ejusmodi signis admonitos, pravam emendare vitæ consuetudinem oportere adjunxit.

AUCTORE C. S. * *an* perorare?

235 *Prædicta de* S. Francisci *ad eumdem annum in civitate Bononiensi præsentia, et terræ motibus confirmantur ex Chronicis Bononiensibus, a Muratorio tom. XVIII Rerum Italicarum editis, quorum unus scriptor sæculi* XIV, *Bartholomæus della Pugliola, Ordinis Minorum, ibidem col.* 234, *ad annum* 1223 *sic ait, sed sermone Italico :* Hoc anno S. Franciscus, auctor Ordinis fratrum Minorum, prædicavit in foro Bononiensi. Fuit ingens terræ motus in dicto foro, et per totam Longobardiam; ita ut multæ turres, ecclesiæ et domus corruerint, multique homines perierint *etc. Itaque hæc* S. Francisci *in Bononiensi civitate hoc anno præsentia probabilis ac verisimilis est.*

intrepidus prædicat.

236 *Ad sequentem annum, qui fuit Christianæ æræ* 1224, *laudatus Annalista refert scriptam a* Francisco *Regulam Damianitis, seu pauperibus Dominabus, quas nunc communiter* Clarissas *vocant; ejusdem Sancti in montem Alvernum accessum, in eoque moram, et accepta divinitus sacra Domini stigmata, ac morbum, quo deinde ad mortem usque conflictatus fuit; de quibus cum suis locis jam egerim, ea solum hic addam, quæ veluti in antiquis, quas ibi* E *commentabar, Vitis non memorata præterii. Num.* 3 *hæc scribit Waddingus :* In monte illo (*Alverno*) profundæ continue vacans orationi, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, et cælestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire, ad quæ magis magisque anhelans quotidie, veluti terram fastidiens, in aera ferebatur juxta mensuram interni favoris et gratiæ plus minusve elevatus in altum.

Quædam alia ad annum 1224 *relata : in monte Alverno*

237 Frater Leo, secretorum conscius comesque individuus, testatur, se eum aliquando vidisse ad hominis staturam in altum evectum, ita ut posset ipse ejus pedes amplecti et osculari : aliquando eum fagos altas superasse; aliquando ad secundam vel tertiam aeris regionem evolasse, ita ut oculis attingi non posset. Quando ad pedes pertingebat, fortiter et pie eos complectens et lachrimis irrigans, orabat, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori per merita hujus sanctissimi Viri, et tantillum tuæ gratiæ mihi digneris instillare. Cum vero tactum omnem et visum effugiebat, prosternens se in terra eo loco, a quo elevabatur Vir sanctus, eamdem devote recitabat orationem. *Sistamus hic paululum, ac quædam observemus. Laudantur hic in margine Legenda Trium Socio-* F *rum, Rodulphius fol.* 8 *et Gonzaga in provincia Tusciæ de conventu Alvernæ; qui tamen duo postremi potius pro sequentibus in eodem numero, quam pro mox relatis laudari videntur.*

dicitur e terra in altum sæpius elevatus fuisse,

238 *Rem certam faceret Leo, unus e Tribus Legendæ, quæ* Trium Sociorum *dicitur, scriptoribus; verum, quod sæpe alibi observavi, omnino oportet, Waddingum habuisse Legendam, Trium Sociorum nomine (forte non recte) inscriptam, diversam a nostra; aut, quod verisimilius est, eosdem ab aliis perperam citatos legisse; nam in nostro, quod omnino genuinum videtur, apographo nullum de his ac sequentibus mox dicendis verbum occurrit. Quod tamen attinet ad memoratas sanctissimi Viri una cum corpore in aera sublevationes, quarum etiam in aliis Sanctis non desunt exempla, idoneum testem habemus S. Bonaventuram, similes de* S. Francisco *asserentem. Nam in Vita edita apud me num.* 143 *de eodem in solitariis locis orare solito ait :* Ibi visus est nocte orans, manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra, et nubecula quadam fulgente circundatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. *Verisimillimum igitur est, talia eidem Sancto etiam contigisse in monte Alverno, ubi tunc Seraphicis ardoribus vehementius arsit; verumtamen adjuncta, quæ Waddingus refert,*

quod in solitariis locis ei aliquando obtigisse, Bonaventura testatur.

AUCTORE C. S.

nequeo pro certis habere, quia, incomperto mihi teste, narratur.

Narratur etiam tunc a Christo quatuor Ordini suo privilegia accepisse,

239 *Præmissis ibidem subdit Annalista :* Una dierum ita elevatus, dum descendisset, et a raptu rediisset, agebat claro sermone cum Christo de statu et protectione Ordinis post suam mortem. Cui Christus sedens super mensam lapideam, paululum a terra erectam, in qua Vir sanctus solebat comedere, familiari colloquio dixit : Francisce, scias, Institutum hoc ad finem mundi duraturum; nullum hujus Instituti industrium persecutorem diu vita victurum; ejus vero fautores, etsi in peccatis sint, tandem cælesti gratia spiritum compunctionis donumque remissionis obtenturos; ex fratribus, qui prave et perdite vixerit, vel convertendos ejus mores, vel ipsum Ordini valedicturum. Disparente autem Domino, et volente fratre Leone mensam hanc sternere, prohibuit (*S. Franciscus*) lavandamque, dixit, aqua, vino, oleo et balsamo in gratiam quatuor privilegiorum enumeratorum. Cum vero Leo hæreret, nec sibi hæc suppetere, responderet, accipiens lecythum olei, effudit desuper, dicens : « Hic est ara Dei. » Præter hanc alias babuit Vir Dei mirabiles apparitiones super hoc lapide, propter quas semper
B habitus est in magna reverentia.

et futurum Italiæ famis flagellum dicisse,

240 In ipso loco dominus Robertus de Petra mala, ejusque conjux domina Catherina sacram ædiculam exstruxerunt, et crate ferrea lapidem obtexerunt. Hinc postea translatus in sacrarium signatus est his characteribus : « Mensa beati » Francisci, super quam habuit mirabiles appari- » tiones, sanctificansque ipsam, effudit oleum de- » super, dicens : Hic est ara Dei. » *Hæc ibi, quæ ad annum* 1215, *num.* 36 *agens de sacro monte Alverno jam præmiserat ex laudato Gonzaga cum quadam tamen varietate. Ibi enim post quatuor Christi promissa subjecerat :* Adjecit quoque Dominus et aliud, quod tamen beatus ipse Pater, quod se forte contingeret, præ humilitate reticuit (*nam quatuor promissa mox narrasse dicitur fratri Leoni.*) Creditur tamen, idque ex quadam revelatione B. Leoni ejus socio post Patris obitum facta, illud universale quoddam flagellum a Deo mortalibus per Italiam post ejus mortem immittendum, respexisse, quod tamen ejus meritis, si forte peccatores vitam ad meliorem frugem converterent, differre statuerat. Quod et statim post ejus mortem secutum est : nam tanta fames universam pervasit Italiam, ut miseri homines, non solum herbis, sed et arborum corticibus pro cibo usi fuerint. Unde

* *adde* alienum

sed, qui pro his laudantur testes, nec sat antiqui sunt,

et tanta clades secuta est, ut nihil a mortis imagine * ubique appareret.

C 241 *Quo magis ista singularia sunt, eo quoque firmiores testes requirunt, ut indubiam fidem obtineant. At de istis omnibus nihil reperio in Legenda Trium Sociorum, quam, ut dixi, ad annum* 1224 *laudavit Waddingus, ac forte solum pro* Francisci *sublevationibus in aera : nihil quoque apud Thomam Celanensem, nihil apud anonymum, quem secundum Vitæ scriptorem appellavi; nihil denique apud S Bonaventuram. Gonzaga antiquior non est sæculo* XVI, *cujus anno octogesimo suum de Origine Seraphicæ Religionis Opus Sixto V summo Pontifici dicavit, neque ad antiquiorem testem provocavit. Rodulphius, alter ejusdem temporis scriptor, loco ab Annalista assignato de iisdem solum habet, quæ hic transcribo :* Licet hoc loco apponere, quanta diligentia qualique circumspectione quatuor Religionis prærogativæ ab angelo revelatæ fuerint B. Francisco, cujus de laudibus sic omnium erat fama consentiens, ut nullus pietate, humilitate et officio sanctior esset. Primum quidem, quod ejus Institutum usque ad diem judicii non erit defuturum : quod nullus temere insequens vel oppugnans Ordinem, diu inter homines aget : rursus licentior et contumeliose vivens in Ordine miserias sustinebit : postremo, qui Ordinem pluris facit et dilectione fovet, confovebitur a Deo, et ab eo (quantumvis peccator) misericordiam consequetur.

242 *Post hæc subditur ibidem* ex Chronicis anti- D
quioribus, *ut annotatum in margine est :* Narrabat *nec satis consentiunt in narrationis adjunctis,*
quoque Gregorius nonus Pont. Max., se audivisse a B. Francisco, quo familiariter utebatur, nullum in Ordine posse male mori; et quisquis Ordinem suum persequeretur, gravi pœna a Deo mulctandus esset *. Unde leguntur illi versus male tornati :

* *l.* mulctandum esse.

Nullus ibi frater, cui sit perversa voluntas,
Stare diu poterit; vix Ordinis hostibus annos
Vivere dimidios.

Hæc, nec plura Rodulphius, nihil plane de Christo Domino apparente, nihil de mensa lapidea ceterisque adjunctis supra relatis commemorans. Manifesta est horum duorum ejusdem temporis scriptorum de eadem re variatio, ex qua statuendum videtur, revelationes, de quibus agimus, saltem cum adjunctis suis, non synchrono aut suppari auctore, sed obscura quadam traditione inniti. At Rodulphii narratio, ut multo simplicior, ita etiam veræ similior mihi apparet; sano tamen sensu intellecta, dum ait, Ordinis fautorem (quantumvis peccator sit) *misericordiam a Deo consecuturum, nimirum peculiari a Deo gratia donandum, ut se tempestive convertat, quod sane ingens est beneficium.* E

243 *Ex inscriptione mensæ seu tabulæ lapideæ nihil certi potest concludi; cum quod ex generali illa apparitionum ei incisa memoria colligi nequeat, quales eæ fuerint, tum etiam, quod non dicatur, quanta sit ejusdem inscriptionis antiquitas. Chalippus in Vita Gallica tom. I, pagg.* 280 *et sequenti, Gonzagæ ac Waddingo primo loco cetera presse inhærens, quintam revelationem, quam Leoni postea factam,* credi *aiunt, fuisse de fame secutura, velut certam asserit, eamque* credi *dicit, a* S. Francisco *ex humilitate tacitam fuisse, et Leoni postea revelatam. Ceterum de fame et hanc secuta pestilentia ad annum* 1227 *mentionem invenio in Chronicis Bononiensibus, sed an eædem* S. Francisco *revelatæ, et propter ipsius merita in illum annum usque dilatæ fuerint, aliunde nequeo confirmare.* *nec factum ipsum satis probat inscriptio tabulæ lapideæ.*

244 *Refert item Waddingus ex Pisano lib.* I, *Conformitate* 7, *et Miglio lib.* I *cap.* 12, Francisco *ibidem in eadem mora in monte Alverno arctam in ora ingentis præcipitii semitam transeunti, et internis pravis suggestionibus frustra tentato, horrenda in specie occurrisse diabolum, qui injectis manibus eum inde præcipitem dedisset, nisi quam Sanctus continuo apprehendit, lævis petra, velut cera mollis, ipsius digitos recepisset, et sustinuisset lapsurum : cujus rei vestigium ad suum usque tempus superfuisse, affirmat Pisanus, petra formam digitorum manuumque impressionem servante. Addit Waddingus, hoc superato discrimine, accessisse angelum, qui* citharæ melodia tremulam refocillavit animam (*Francisci*) tanta musicæ suavitate et cordis suspensione, ut, si diutius duraret, præ nimia dulcedine animam acturum *, sibi videretur. *Apud Pisanum loco indicato in utraque editione dicitur* S. Franciscus *id discriminis adiisse, non, dum transiret, sed* dum *ibidem* oraret in quadam prærupta montis rupe, sub qua erat magnum præcipitium; *de angelo autem et cælesti melodia altum siletur; cetera conveniunt. Fortasse igitur Waddingus ista accepit ex Miglio, scriptore sæculi* XVI, *cujus Opusculum non habeo.* *Incerta quoque sunt, quæ de dæmone ipsum præcipitare conanti,* F

* acturus

245 *Porro ex S. Bonaventura in Vita edita cap.* 10, *aliisque biographis novimus,* S. Franciscum *sæpe conflixisse cum dæmonibus, qui eum ab oratione deterrere frustra nitebantur; sed quod ex Waddingo mox retuli, apud nullum eorumdem legitur. Idem Bonaventura cap.* 5 *tradit,* Franciscum *cælestis citharœdi musica semel mirifice recreatum fuisse; verum id factum ait, non post prædictum in monte Alverno, aliumve alibi dæmonum assultum; sed dum ille* tempore quodam, ex multarum infirmitatum concursu aggravato corpore, ad jucunditatem spiritus excitandam alicujus audiendi soni harmoniaci desiderium habuisset, nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum. *Sanctoque, deinde cælesti musica recreato, leguntur.*

num. *Potuit quidem sanctus Vir hoc solatio plus semel fuisse gavisus; attamen cum Pisanus non sat antiquus testis sit, multaque suo libro inseruerit minime probanda, verendum est, ne ipse testatam a S. Bonaventura cælestem istam melodiam alieno loco memoraverit, velut in præmium relatæ de dæmone victoriæ concessam, ut hac quoque in parte Sanctum quoquo modo similem exhiberet Christo Domino, cui post protritas satanæ tentationes ministrasse angelos, fide divina constat ex Matthæi cap. 4.*

§ XI. Cetera ejusdem Sancti gesta in monte Alverno, ad eumdem annum MCCXXIV a Waddingo memorata.

Diem et horam, qua Sanctus stigmata accepit, quidam Minorum

Post alia in monte Alverno gesta, quæ partim alibi memoravi, partim antiquis destituta testimoniis sciens prætermitto, suscepta ab eo in eodem monte quinque sacra stigmata narrat; de quo insigni miraculo pluribus egi in Commentario prævio. Ast cum ibidem num. 590 *S. Antoninus et Waddingus pro die, quo id contigerit, laudaverint revelationem quamdam, cujus relationem, seu exemplar authenticum, ex membraneo codice Ms. archivi sacri conventus Assisiensis transcriptum, a RR. PP. Conventualibus Romanis postmodum accepimus, eam hic cum studioso lectore, ne quid desideret, totidem verbis libens communico.* In nomine Domini. Amen. Anno Domini MCCLXXXII, v Nonas Octobris. Ego Fr. Philippus, Minister Tuscie. Volens exequi mandatum quoddam michi factum a venerabili patre, fratre Bonagratia, Ministro generali Ordinis Fratrum Minorum, in generali capitulo, eodem anno Argentine celebrato; ut scilicet investigarem diligentius de die et hora, qua sacra stigmata corpori beati Francisci fuerint impressa; fratrem unum laicum, virum multæ puritatis et vite probatissime, cui audiveram de hoc revelationem aliquam esse factam, habui in mea præsentia; et exegi ab eo, ut michi de hoc omnem panderet veritatem.

in oratione exquirens, mira luce semel

247 Ipse igitur humili animo et pura intentione respondens, dixit, quod rogatus olim cum multa instantia a Fratre Johanne de Castellione Aretino, tunc custode custodie Aretine, ut apud Deum et beatum Franciscum intercederet, quod sibi diem et horam revelaret, quando impressa fuerint stigmata corpori beati Francisci; acquiescens ejus instantie anno preterito, scilicet MCCLXXXI, in mense Maii, cum ad locum sacrum Alverne de speciali mea licentia accessisset, in cella illa, que in loco illo constructa est, ubi creditur sacra illa apparitio facta fuisse beato Francisco, orationi se contulit, nocte quadam diei Veneris lucescentis suppliciter postulans, ut hoc Deus persone alicui revelaret. Cumque ultra quasi primum sompnum noctem orando transigeret, ecce circa ipsum quedam illustratio in modum coruscationis apparuit; ad quam ipse aliquantulum stupuit. Set signo Crucis impresso sibi, et nomine Domini invocato, spirituales vires suscipiens, in orando persistebat. Post modicum vero temporis spatium quedam lux, et major et clarior priore, in eadem cella apparuit, que et ipsam cellam et ea, que in ipsa erant, totaliter illustravit. Ad quam lucem ipse frater amplius stupefactus, adhuc signo Crucis se muniens, nomen Domini et beate Virginis Marie, et beati Francisci attentius invocavit; et sic fortiores vires recipiens, continuavit orationem.

et iterum stupefactus, videt S. Franciscum, qui ipsi hac de re

248 Cum, et ecce, facto aliquanto intervallo, tanta Dei claritas fulsit, quod cella tota ad modum splendoris aurei renitebat; ad cujus splendoris aspectum frater ipse valde stupefactus exclamavit, nomen beate Virginis in suum adjutorium invocando. Et cum staret super genua sua reverenter, ex vi ipsius luminis fuit ad terram totaliter incurvatus: et tunc frater in consolatione spiritus robustior factus, super genua se erexit. Quo respiciente versus introitum, ecce, beatus pater Franciscus astitit ante ipsum, et dixit illi Latinis verbis: Fili, quid facis tu hic? At ipse voce tacitus affectione cordis suum desiderium, de præfata scilicet revelatione, depromebat. Iterum eum beatus Pater vulgaribus verbis alloquitur, dicens: De quo rogas tu Deum, ut tibi debeat revelare? Tunc frater voce respondit, dicens: Pater, rogabam Deum, ut dignaretur ostendere, qua die et hora vobis fuerunt signa Dominicæ paxionis * impressa. Tunc sanctus Pater dixit ei: Deus vult, quod tu scias; et ego dicam tibi. Ego enim sum pater vester Franciscus: tu bene me nosti. Et ostendit ei stigmata manuum, pedum et lateris; addens, quod tempus adest, quo Deus propalare vult, quod fratres actenus neglexerunt.

AUCTORE C. S.

* passionis

varia hactenus ignota

249 Nam ille, qui mihi tunc apparuit, non fuit angelus, set fuit Dominus Jesus Christus in specie Seraph, qui sicut vulnera ipsa sacra in cruce positus suo suscepit in corpore, ita ea manibus suis in corpore meo impressit. Modum autem apparitionis describens beatus Pater, adjecit: Proxima die ante festum Exaltationis sancte Crucis venit ad me angelus Domini, dicens michi ex parte Dei, quod me ad patientiam et ad recipiendum, quod in me Deus vellet facere, prepararem. Et ego respondi, me paratum esse, et pati et suscipere, quicquid dignaretur inferre. In mane ergo diei Exaltationis sancte Crucis summo diluculo exiens cellam, in vehementissimo fervore spiritus ad locum quendam orationi solitum properabam; et ecce, per aera juvenis quidam crucifixus, pretendens spetiem Seraph, sex alas habentis, cum magno impetu descendebat; ad cujus conspectum substiti, et me super terram hanc in loco isto in orationem dedi. Tantamque aspectus hujusmodi compaxionem * generavit in me, quod paxionem ipsam michi videbatur in corpore meo experiri. Ad ipsius quoque crucifixi presentiam mons totus luce aurea refulgebat.

* compassionem

revelavisse dicitur,

250 Cum ergo descendisset et staret ante me, rogabat me, ut sibi elemosinam darem. At ego respondi: Domine, tu scis, quia nichil habeo, ut dem: omnia enim dereliqui; set et corpus et animam dedi tibi. Ille vero insistebat, ut elemosinam acciperet, et dicebat: Quere in gremio, si aliquid habes. Cumque ponerem manum ad gremium, unum aureum cum multa ammiratione reperi, et dedi sibi. Quo accepto, iterato insistebat, ut aliquid sibi darem; et ego me verbis similibus excusabam. Ad exhortationem autem ipsius manum iterum ad gremium porrigens, inveni alterum aureum majoris ponderis et valoris; et hunc sibi cum majori ammiratione largitus sum. Tertio adhuc elemosinam postulabat, factaque multa et petentis instantia et efficacia excusantis, simili monitione inductus manum tertio porrexi ad gremium; et aureum inveniens, priores et quantitate et valore notabiliter excedentem, ei simili modo dedi. Quibus susceptis, dixit michi: Scis, quid ista significent? Hæc significant institutionem et gradus trium Ordinum, tua diligentia fundatorum.

mandasseque, ut Ministro diceret; quo mandato, ille, neglecto,

251 Post hæc ispe Dominus crucifixus manus suas corpori meo applicuit; et primo manibus, secundo pedibus, tertio lateri, michi stigmata ista cum vehementissimo doloris sensu, et cum magna pro qualibet vice mei voce clamoris impressit, et verba quædam michi secreta dixit, que nulli adhuc hominum revelavi. Verumtamen appropinquat tempus, quo revelabuntur; quia Ordo et fratres magis indigebunt. Post hæc Christus a me disparuit, et ego me sic consignatum inveni. Tu autem vade, et secure dicas ista Ministro tuo; quia istud est opus Dei, et non hominis. Huc usque verba beati Francisci; qui tandem fratri prefato, cui hec referebat, valefaciens dixit: Fili, vade in nomine Domini. Et sic in celum, ut videbatur, cum magna multitudine splendidissimorum juvenum se recepit. Mane autem facto, frater quidam, Corradus nomine, et ipse titulo nimie sanctitatis insignis, quia in alia cella proxima tunc temporis cultui divino

AUCTORE C. S.

vino vacabat, fratrem predictum alloqui cupiens requirebat. Quo circa horam nonam invento, quesivit, quare sic illa nocte clamasset, et qualia colloquia habuisset, ostendens fratri refugienti responsum, se et clamorem et collocutionem habitam percepisse.

rursum semel, iterumque

252 Nocte vero sequenti, cum in oratorio celle loci ejusdem prefatus frater in oratione persisteret sollicitus et anxius, quomodo in hiis se habere deberet, visus est quidam juvenis, albis indutus, ab altari procedere, qui fratri approximans, dixit illi : dubitasne tu de hiis, que tibi beatus Franciscus dixit; Nonne recordaris, que tibi beneficia, tam in seculo, quam in Ordine, contulit? Cumque ad specialia beneficia momorando is, qui loquebatur, angelus descendisset, adjecit : In nullo dubites; sed certus esto, quod Deus vult, quod ista reveles. Et hiis dictis, disparuit. Procedente autem tempore, anno videlicet Domini MCCLXXXII, in crastino Exaltationis sancte Crucis, frater prelibatus post horam serotinam in cella sua qualemcumque, quasi sedendo, quietem sompni captavit; cumque sic dormiens requiesceret, sensit, se vestibus attrahi et excitari. Set cum nullius vel videret spetiem, vel vocem audiret, iterato sopori se contulit : et ecce, iterum attrahitur et excitatur; diciturque
B sibi : Quid tanto sopore deprimeris? Quare non excitaris? Et tunc in lectulo suo quodammodo pavidus residens, signum sibi Crucis impressit.

ac tertio, ut id præstet, per angelos

253 Nemine autem apparente, audivit vocem, dicentem sibi : Ne timeas, set esto securus. Frater vero dixit : Quis es tu? At ille : Ego sum Dei nuntius : ne timeas, nec clames. Id, quod tibi Deus ostendit in loco Alverne de impressione stigmatum beati Francisci, quare occultas, cum Deus velit, fieri manifestum? Revela ergo id, quod Deus vult, quod cito dicatur. Tunc in cella se erigens, stabat et flebat, nesciens, quomodo hoc executioni mandaret, proprie fragilitatis conscientiam expavescens. Istis ergo cogitationibus et meroribus occupato, facta est vox, dicens : Quid de re, quam tibi Deus toties revelavit, et ad quam te tot modis instigavit, hesitas et formidas? Oportet omnino, quod tu dicas; alioquin displiceret Deo, et tibi judicium immineret. Ad hec remansit frater aliquantulum confortatus. Tertia vero ab hac superveniente nocte, frater ipse in navi ecclesie orationi se dedit; et orabat beatissimam Virginem, ut eum in istis dirigeret, et omne dubium amoveret. Cumque profunda nocte perseveraret orando, tertio iteratus splendor advenit, aliquibus morulis interjectis; ita quod sequens fulgor priorem notabiliter excedebat. Tantus autem fuit fulgor posterior, ut ecclesia tota non tam illuminata, quam velud lux quedam aurea renitebat.
C

ac denique per ipsam Dei Genitricem monitus,

254 Et cum frater respiceret versus chorum, vidit quatur angelos in quadro dispositos, albis indutos, cum cereis accensis procedentes e choro, in quorum medio Virgo beatissima, in ulnis gestans Filium, veniebat. Ad cujus aspectum frater se ferre non valens, cum prius super genua sua staret, prono lapsu incurvatus est. Et cum taliter usque ad fratrem angeli cum Virgine pervenissent, unus ex eis tetigit eum, confortavit et erexit, dixitque illi : Ne timeas, nec aliquid loquaris. Tunc beata Virgo, induta quasi vestibus aureis, contestione rosarum, ac nimia fragrantia redimita, dixit ei : Verbum de stigmatibus beati Francisci, pro quo rogasti me, ut tibi a Filio meo impetrem, pro certo teneas; nec timeas, nec differas revelare; quia voluntas Filii mei est, ut ad notitiam deducatur; immo, si tu hoc ulterius negligeres et celares, displiceres Deo, et judicium gravissimum incurreres. Et hiis dictis, visio illa disparuit.

tandem Ministro Tuscia coram testibus cum juramento aperuisse fertur.

255 Et frater ex tunc studuit oportunitatem captare, qua hec omnia sub ista serie meis concurrendo votis michi Ministro suo revelaret. Hec omnia sic vera esse, sicut scripta sunt, non in sompno, set in vigilia, sui compos, excepto sompno illo, de quo in suprascripta serie agitur, se vidisse et audisse, tactis sacrosanctis, jura- D
mento firmavit Florentie in cella mea, in presentia fratris Raynerii Senensis, custodis Florentini, fratrum Johannis de Castroveteri, et Jacobi de Mugello, lectorum in Florentino conventu, fratris Johannis de Castellione Aretino, fratris Boni de Curliano de partibus Alverne, et fratris Bernardi de Colle. In cujus rei testimonium et veritatis firmitatem, presentem cedulam feci sigillo mei officii roborari. Huc usque lictera, Generali missa. *Subditur hic testimonium Blasii Epiphani, Apostolica auctoritate notarii publici, et Assisiensis civitatis secretarii, testantis, hoc apographum nostrum cum codice, ex quo transcriptum est, omnino concordare. Nunc, quid de hac relatione videatur mihi, haud dubie quæret studiosus lector.*

Verum ista narratio quædam continet

256 *Non esse instrumentum hoc nuperum commentum, constat ex Pisano, nisi illius Conformitatum libris adjecta fuerit ejusdem historiæ narratio : nam in utraque editione crebro memorata, lib.* III, *Conformit.* 3 *illud laudatur, eademque ex illo narrantur. Assignati in instrumento æræ Christianæ anni conveniunt cum generali Ministerio Bonægratiæ et generalibus Ordinis comitiis, celebratis Argentinæ, seu Argentorati, quæ Germaniæ civitas est, et Alsatiæ caput, vulgo* Strasburg *appellata. Inficiari etiam nequeo, fratrem istum laicum, cum* E
jurejurando sic testatum esse, sicut Philippus Minister Tusciæ in recitato instrumento asseruit; neque est, cur de alterutrius bona fide male suspicer; verum cum non raro contingat, ut pii simpliciores homines revelationes sibi factas innocue imaginentur, ac certo credant, licet nullæ eis obtigerint, non possum etiam istas pro veris admittere, dum non desunt rationes aliter suspicandi. Harum autem præcipua, nec sane levis, est illius relationis varietas et dissensio a primorum biographorum narrationibus, quam quilibet has illamque conferendo facile deprehendet; juverit tamen eamdem hic observasse.

non modo ignota; verum etiam minime congrua

257 *Thomas Celanensis in Vita num.* 92 *et sequenti, sanctusque Bonaventura pariter in Vita num.* 189 *et* 190 *expresse docent,* S. Franciscum *non diu, antequam stigmata suscepit, ex trina apertione libri Evangeliorum cognovisse, divinæ voluntatis esse, ut ante obitum suum,* sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, *ut ibidem loquitur Bonaventura; hincque* ad martyrii sustinentiam vigorosius *animatum fuisse; at neuter meminit de angelo, qui pridie, quam ille stigmata suscepit, eumdem excitaverit* ad patientiam, *monueritque, ut pararet se* ad recipiendum, quod *in ipso* Deus vellet facere; *uti asserit anonymus iste laicus.* F
Secundo Bonaventura in Vita num. 191 *testatur, visionem crucifixi Seraphini* S. Francisco *obtigisse,* dum oraret in latere montis, *scilicet Alverni; nec contradicit Celanensis; anonymus vero id factum ait, dum* exiens cellam,... ad locum quendam orationi solitum properabat; *ibidemque ad inopinatum illum aspectum* substitisse *et* super... terram... *se* in orationem *dedisse.*

dictis primorum biographorum et S. Bonaventuræ,

258 *De colloquio, quod Crucifixus cum* Francisco *tunc habuit, Bonaventura num.* 194 *solum ait, eumdem Sanctum postea retulisse,* quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam, dum viveret, alicui hominum aperiret. Unde credendum sane (*ita pergit Bonaventura*) tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph, in cruce mirabiliter apparentis, eloquia, quod forte non liceret hominibus ea loqui. *Præter hæc neque hic, neque alibi in Vita quidquam habet sanctus doctor de eodem sacro colloquio, apud quem etiam non magis, quam apud alios primos biographos, verbum ullum reperies de petitione eleemosynæ, inventisque a* Francisco *in sinu suo tribus nummis aureis etc., quæ anonymus laicus enarrat. Multo etiam minus ex ejusdem sancti doctoris Thomæque Celanensis narratione verisimilia sunt ista* S. Francisci *apud anonymum verba :* Post hec ipse Dominus crucifixus manus suas corpori meo applicuit, et primo manibus, secundo pedibus, tertio lateri,

A lateri, michi stigmata ista cum vehementissimo doloris sensu, et cum magna pro qualibet vice mei voce clamoris impressit.

quorum narratio de impressione stigmatum

239 *Multo minus, inquam, ista congruunt duobus laudatis biographis, quorum dicta, etsi alibi jam data, oportet hic repetere. Apud Celanensem num.* 49 *de Sancto Crucifixum contemplante sic legitur :* Cumque ista videret beatus Servus Altissimi, admiratione permaxima replebatur; sed, quid sibi vellet hæc visio, advertere nesciebat. Gaudebatque quam plurimum, et vehementius lætabatur in benigno et gratioso respectu, quod Seraphim videbat, quia pulchritudo inæstimabilis erat nimis : sed omnino ipsum crucis affixio et passionis ipsius acerbitas deterrebat. Sicque surrexit (ut ita dicatur) tristis et lætus; et gaudium atque mœror suas in ipso alternabant vices. Cogitabat sollicitus, quid posset hæc visio designare, et ad capiendum ex ea intelligentiæ sensum anxiabatur plurimum spiritus ejus. Cumque liquido ex ea intellectu aliquid non perciperet, et multum ejus cordi visionis ejus novitas insideret; cœperunt in manibus et pedibus ejus apparere signa clavorum, quemadmodum paulo ante Virum sanctum supra viderat crucifixum *etc. Hactenus Thomas Celanensis, cui similia*

B *scribens S. Bonaventura, tandem subdit sequentia.*

fide dignissima confertur

260 Intellexit tandem ex hoc (*ex hac visione, nondum acceptis stigmatibus*) Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio sic divina providentia suis fuerat præsentata conspectibus, ut Amicus Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Disparens igitur visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem; sed et in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus ejus et pedibus apparere cœperunt signa clavorum, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat *etc. Quis non videat, ex horum sententia, procul abfuisse, ut crucifixus manus suas* Francisci *corpori sensibiliter applicuerit, et primo sic manibus, secundo pedibus, tertio lateri, cum magno ejusdem ad singulas impressiones cruciatu et dolore, sua stigmata impresserit; sed eam stigmatum impressionem Sancto inscio factam esse, nec cognitam, nisi dum, cessante visione, signa clavorum in manibus pedibusque apparere cæperunt? Aut igitur a S. Bonaventuræ et Celanensis auctoritate recedendum est, aut non admittenda revelatio facta anonymo laico, quam ego quidem ex hujus imaginatione nimiumque credula simplicitate ortam esse, multo malim credere, quam illorum in inquirendo diligentiam*

C *aut in scribendo accurationem ausim desiderare.*

cum relatione anonymi, et eidem præfertur,

261 *Nam eorum primus Thomas Celanensis, ut alibi ostendi, fuit etiam vir pius atque insuper doctus, ipsique* S. Francisco *familiaris, ut potuerit rem gestam ex ipsomet discere : alter vero, Bonaventura, sanctitate et eruditione celeberrimus, pro suo veritatis noscendæ amore diligenter consuluit fratres probatissimæ vitæ, qui* S. Francisco *olim convixerant, et quorum fides non poterat esse suspecta, prout in Prologo Vitæ editæ testatur. Ac ne porro dubites, unde fratres illi, quos a se consultos ait, historiam impressionis stigmatum didicerint, post narrationem, quam ipse dedit, in Vita num.* 194 *referens, quomodo sanctus Pater ad tantum miraculum discipulis suis revelandum inductus fuerit,* Cum multo, *inquit,* timore seriem retulit visionis præfatæ. *Si autem ille seriem istius visionis retulit, quomodo prætermisit præcipua ista ejusdem visionis capita, quæ anonymus laicus sibi revelata affirmavit.*

etiam propter alia in eadem displicentia.

262 *Ejusdem anonymi auctoritatem non parum apud me elevant iteratæ istæ, quas asserit, cælestes visiones et monita, ut ille, quæ mense Majo anni* 1281 *ab ipsomet* S. Francisco *in gloria apparente de eo argumento acceperat, jussusque fuerat Ministro suo indicare, mox revelaret, atque ejusdem pene incredibilis in obsequendo tergiversatio, adeo ut non nisi* 3 *Nonas Octobris anni* 1282 *id fecerit, licet interim non solum cælitum monitis, verum etiam comminationibus, ni id cito faceret, fuisset ei imperatum. Non solent hujusmodi monita minæque, si vera sint, tam diu negligi, aut neglecta tam impune ferri. Quapropter non potest ex isto anonymi testimonio aliquid certi statui pro figendo die impressionis stigmatum, quam S. Bonaventura in Vita num.* 191 *nullum diem determinans, solum ait contigisse* quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, *quod die* 14 *Septembris celebratur. Easdem anonymi revelationes pro veris admisit Waddingus, dictum instrumentum laudans ad annum* 1282, *num.* 1, *nec tamen in omnibus secutus est.*

AUCTORE C. S.

Waddingus, etsi alias anonymum laudet,

263 *Nam ad annum* 1224 *ex Miglio aut Mariano suo aliter refert, quam anonymus, nummorum aureorum historiam, de qua cum alibi loquendi locus non sit, eam hic expendamus. Consentit, eam contigisse anno* 1224, *dum Sanctus quadraginta dierum jejunium in honorem sancti archangeli Michaelis in monte Alverno celebrabat; non tamen tempore visionis, quo ille sacra stigmata accepit, sed quodam die ante, dum in cella sua noctu oraret, aliaque adjungit. Annalistæ verba hæc sunt :* Paucos post dies veniens frater Leo (*ad Sancti cellulam*) ut nocte media Matutinum recitarent, præ foribus salutationem illam præmisit, quam Virum sanctum docuisse, supra præmonuimus. Illo vero nihil respondente, voluit pius socius per rimulas explorare, E quid ageret. Vidit domunculam fulgentissima luce splendentem, et ex clarissima flamma ignis, quæ a summo cælo ad caput ejus radiabat, voces et responsa prodiisse; Franciscum vero humi prostratum sæpius repetentem : « Domine, quis es tu, » dulcissime Deus meus, et quis sum ego vermicu- » lus et indignus servus tuus? » Insuper eumdem in sinum ter manum misisse, et versus flammam extendisse.

nonnihil variat in narratione

264 Peractis arcanis colloquiis, et cunctis disparentibus, tacite volentem recedere, sensit Vir sanctus Leonem, et increpavit secreta et occulta rimantem. Venia petita et obtenta, humiliter rogavit, ut ad majorem Dei gloriam, quæ vidit, sibi vellet interpretari. Annuit Vir sanctus et dixit : Deus in flamma illa mihi apparuit, pro sua benignitate multa mihi mysteria, et profundiorem sui mihi communicavit cognitionem, ad quam admirabundus exclamavi : « Quis es tu, Domine, et quis sum ego? » Nihil enim aliquando me tantopere juvit, ut qualis sim, vel quam sim ullius * entitatis aut precii, cognoscerem, quam infinitum et incomprehensibile divinæ perfectionis pelagus vel a longe aut in specie contemplari. Dum ergo Dominus dignatus est mihi, quantus sit, pro mea capacitate monstrare, non potui non flectere mentis F aciem ad considerandum, quam nihilum sit omnis creatura in conspectu Dei. Dehinc illi placuit, me ita contemplantem jubere, ut quidquam tot bona mihi largienti vellem offerre.

* nullius

de nummis aureis;

265 Respondi, tantam meam esse inopiam, ut præter laceram vestem solum superesset corpus et anima, quæ jam pridem lubens et volens eidem consecravi. Urgenti, ut amplius quidpiam offerrem, et ex sinu extraherem, quod habebam, obtuli, quem insperato et cum stupore inveni nummum, aureum, pulcherrimum; secundo item et tertio similiter petenti ejusdem magnitudinis duos alios porrexi tunc, quando brachium extendentem, et in flammam immittentem vidisti. Gratias demum agenti propter tot beneficia, et quod voluerit, ut de suis donis ac datis ego reddidissem, insinuavit mihi, tres nummos illos, sibi gratissimos, tres significare vivendi normas, quas voluit, ut ego secundum ejus sanctam voluntatem instituerem; et amplius per eosdem nummos obumbrari sacra illa vota paupertatis, obedientiæ et castitatis, quæ a veris Religiosis, prout decet, observantur. His ita relatis, Leonem jussit, ut abiret, nec amplius ita secreto, et quasi furtive, arcanas observaret actiones.

nescio qua de causa : de iis-

266 *Huc usque Annalista ex Miglio, ut dixi, aut Mariano Florentino, quos solos ibidem notavit in margine;*

AUCTORE C. S. dem silent primi biographi.

margine; in quibus vero hæc narratio discrepet ab anonymo laico, apertius liquet, quam ut necesse sit speciatim observare. At miror, cur ab illo hic recesserit Waddingus, quem non modo postea laudavit ad annum 1282, *verum etiam ad hunc ipsum annum* 1224 *volens probare, non fuisse Seraphinum, qui* Francisco *apparuit et sacra stigmata impressit, sed Christum ipsum in forma Seraphini, ejusdem anonymi auctoritatem adducit, dicens :* Ipse Vir sanctus (*Franciscus*) supradicto fratri laico post mortem suam revelavit his verbis : « Christus, » sicut vulnera in cruce suscepit, ita manibus suis » benedictis in corpore meo impressit, primo » manibus, deinde pedibus, postea lateri, vehe- » mentissimo corporis cruciatu; » *quæ ex instrumento, quod dedi, sine dubio accepta sunt. Si Annalista forsan crediderit, anonymum, quæ de nummis aureis dixit, alienis loco, temporeque, et cum alienis adjunctis retulisse, debuisset pariter totam ejusdem narrationem suspectam habuisse, cum asserta ab anonymo revelatio, si in uno fallat, in reliquis quoque fidem suam amittat. Si porro priores Sancti biographos consulamus, Bonaventura quidem in Vita edita num.* 25 *observavit, tres, quas ille reparavit ecclesias velut figuras fuisse trium Ordinum ab illo instituendorum; ac deinde num.* 93 *tres eidem obvias*
B *factas feminas pauperculas, tria Religiosæ professionis vota significasse; at de tribus nummis istis altum æque apud hunc, quam apud alios priores silentium est.*

Pisani narratio de alia revelatione.

267 *Quod denique idem anonymus laicus in eodem instrumento testatus esse legitur, dixisse* S. Franciscum, *appropinquasse tempus, quo arcana, quæ a Crucifixo audierat, verba revelarentur, Pisanus lib.* III *Conformitatum, conform.* 3 *affirmat, id cuidam fratri, qui hoc multis precibus a Deo petierat, reipsa contigisse. Apparuisse scilicet illi* Franciscum, *dixisseque, post accepta a Christo stigmata sibi ab eodem hæc dicta esse :* Scias, Francisce, quid fecerim tibi. Ego dedi stigmata mea; et in signum, quod vexilifer meus es effectus, sicut ego in die obitus mei ad limbum accessi, et meritis ac virtute stigmatum passionis meæ omnes animas, quos inveni, extraxi; sic volo, quod et tu, ut sis mihi conformis in morte, sicut es in vita, in die natalitii tui vadas quolibet anno ad purgatorium, et omnes animas trium Ordinum, scilicet Minorum, sororum sanctæ Claræ, et Continentium Tertii Ordinis, quas ibidem invenies, in virtute et efficacia tuorum stigmatum eruas, et ad gloriam Paradisi perducas. *Eadem, sed aliis etiam adjunctis ornata, habentur in Speculo vitæ* S. Francisci *editionis Bosquieri, centuria* 2, *cap.* 12. *Credat hæc,*
C *qui volet, mihi minime tanti est Pisani collectorumque Speculi vitæ* S. Francisci *auctoritas, ut efficiat, ne malim nescire arcana illa, quæ ætate sua latuisse, fassus S. Bonaventura est, quam ex istorum fide tam singularia pro veris admittere.*

Finis seriei Vitæ.

268 *Quæ ad duos sequentes annos, quorum secundi mense Octobri sanctissimus Vir virtutibus onustus, et laboribus dudum corpore, non animo, succumbens ad æternam beatitudinem a munificentissimo Deo evocatus fuit, præter ea, quæ primi biographi, quos commentatus fui, tradidit Waddingus, tacitus prætereo, quia horum præcipua vel in Commentario prævio ad eosdem annos, vel alibi jam recensui; aut, si qua prætermisi, levioris illa momenti sunt, et a studioso lectore in ejusdem Waddingi Annalibus facile poterunt legi. Laboriosissimæ itaque magni Viri vitæ seriem referre hic desino, atque ad alia quædam specialia Analecta procedo.*

D

ANALECTORUM
PARS II.

De S. Francisci gestis cum S. Dominico.

§ I. An S. Dominicus generalibus Minorum comitiis, vulgo Storearum dictis, anno MCCXIX, an alteris interfuerit.

Exponitur controversia de S. Dominici præsentia

In Commentario prævio § 14 *ex Gerardo de Fracheto et Theodorico de Appoldia, Dominicanis scriptoribus sæculi* XIII, *ostendi, magnam fuisse inter SS. Dominicum et* Franciscum *contractam amicitiam, dum anno* 1215 *vel sequenti ambo Romæ degebant. Nunc examinanda veniunt quædam inter eos peculiaria gesta minus certa, quæ a posterioris ætatis scriptoribus tradita sunt, et ab aliis negantur. In primis agitata est Franciscanos inter ac Dominicanos ea quæstio, an S. Dominicus anno* 1219 *interfuerit comitiis generalibus Minorum, apud Assisium celebratis, quibus, teste S. Bonaventura, ultra quinque millia fratrum Minorum interfuere, quæque* Capitulum Storearum *vulgo appellantur : quod primi affirmant, alii negant. Ex illis Wad-* E *dingus in Annalibus ad annum* 1219 *pro S. Dominici in illis præsentia varios Franciscanos scriptores laudavit, atque eadem comitia eidem anno* 1219 *affixit. Contra Echardus tom. I Bibliothecæ scriptorum Ordinis Prædicatorum probare nisus est, S. Dominicum non potuisse eo anno Assisii esse in Pentecoste, seu die* 26 *Maji; ac proinde nec dictis comitiis interfuisse.*

in comitiis generalibus Fratrum Minorum

2 *Cuperus noster ad diem* 4 *Augusti gesta S. Dominici illustrans, in Commentarii prævii* § 34 *utriusque partis argumenta proposuit, observavitque, nec falsitatem opinionis affirmantis evinci ab Echardo; nec sibi constare de antiquitate codicum et scriptorum, quos Franciscani allegarunt. Quam ob rem, cum de his inquirendi locus proprius futurus esset in gestis* S. Francisci, *hanc controversiam, in quantum ex auctoritate veterum pendet, huc remisit ulterius discutiendam. Non repetam hic argumenta ab utraque parte fusius tradita, quæ apud laudatos Waddingum, Echardumque ac Cuperum lector inveniet. Præcipua Echardianæ disputationis vis consistit in hoc effato, quod velut fundamentum posuit :* Scriptores... seculi XIII,... ubi de chronologia agunt, stylum veterem semper sequuntur, quo annus vel a die Annunciationis XXV Martii ad XXV Martii sequentis, vel a festo Paschæ ad Pascha sequens, F computabatur; adeo ut a Januario, Februario, Martio, et aliquando Aprilis parte, acta ad annum præcedentem referant.

in Pentecoste anni 1219 *apud Assisium celebratis.*

3 *Hoc posito fundamento nixus Echardus, ibidem recitavit sequentia ex B. Jordano, ipsiusmet S. Dominici discipulo et successore :* Anno eodem MCCXVIII perrexit in Hispaniam S. Dominicus, ibique duabus domibus instauratis, revertens inde Parisius venit anno MCCXIX. *Tum verba hæc sic excepit laudatus Echardus :* Nihil clarius. Roma exivit anno MCCXVIII pergens in Hispaniam. Mensem quidem non notat, quo Roma egressus est; sed, ex quo ivisse, et in Hispaniam venisse anno MCCXVIII, asserit, satis monet, apud Hispanos jam fuisse ante Pascha anni MCCXIX... Addens vero Jordanus, ex Hispania Parisios venisse anno MCCXIX, docet, Hispaniam reliquisse post Pascha ejus anni, quod fuit VII Aprilis, et Parisiis adfuisse circa finem Maii vel initia Junii; unde in Italiam rediit; ita ut Bononiæ affuerit circa finem Augusti. *Ita ipse, jam non modo pro certo habens, Jordanum annos computasse vel a die Annuntiationis, seu a* 25 *Martii, vel a Paschate, quorum alterutrum solum poterat ex superiori effato suo inferre; sed a solo Paschate, quod illo anno in diem* 7 *Aprilis incidit; ut scilicet spatium temporis itineri ex Hispania in Italiam impendendum magis arctaret.*

4 Contra

A *Cuperi nostri de hac controversia opinio*

4 *Contra Cuperus probavit, istud effatum non esse verum, incertumque esse, an Jordanus annos a Nativitate Domini, an ab Annuntiatione, an a Paschate computaverit. Hinque observavit, si Jordanus annos a Nativitate orsus sit, nihil obstare, quin S. Dominicus potuerit mense Januario, vel ineunte Februario anni* 1219 *ex Hispania discedere, mense Martio Parisios venire, et in Pentecoste adesse Assisii. Ad textum vero Jordani ab Echardo relatum reposuit, ambiguum esse, utrum annus* 1219 *ad S. Dominici discessum ex Hispania, an solum ad ejusdem Adventum Parisios pertineant. Nec eruditi Dominicani, qui Annales sui Ordinis anno* 1756 *Romanis typis ediderunt, tom. I, pag.* 326 *diffiteri potuere, hunc aliosque similes textus, si aliud nihil obstet, ita posse explicari. Quapropter Cuperus rursum notavit, si annus* 1219 *apud Jordanum non pro S. Dominici ex Hispania egressu, sed pro solo illius Parisios adventu signatus sit, etiam dato, quod Jordanus annum ab Annuntiatione inchoaverit, non obesse chronologiam, quo minus idem Sanctus die* 25 *Martii Parisios advenisse, ac paulo post inde progressus, circa ejusdem anni* 1219 *Pentecosten apud Assisium fuisse, credi possit. Hæc omnia lector ab eodem Cupero solide probata inveniet, modo* §§ 33

B *et sequentem attente perlegerit.*

et prudens consilium refertur.

5 *Agnovit tamen etiam Cuperus, argumenta Echardi non esse contemnenda; verum, cum nec hæc litem evincerent, nec aliunde ex antiquis S. Dominici Vitis quidquam legisset, quod eum cogeret assertam a Franciscanis illius in capitulo Minorum in Pentecoste anni* 1219 *præsentiam negare, censuit, hanc admitti posse, modo idonea habeantur documenta ad eadem confirmandam, eaque vere sint talia, qualia a Waddingo aliisque laudata legerat. Quod autem ad hæc pertinet, majorem de his, quæ nondum perspecta habebat, dubitationem merito indicavit, et, ut virum prudentem ac veritatis amantem decet, conclusit his verbis:* Quod si collegæ, aut successores mei, tunc (*quando de S. Francisco Assisiate agendum erit*) certiora illa documenta pro alterutra parte acceperint, vel alia inter biographos S. Francisci detexerint, illos rogatos volo, ut conjecturas meas confirment, aut liberrime refellant, si a veritate aberrare videantur. *Itaque ut candidissimi viri justo modestoque desiderio, ac meo muneri faciam satis, id agam, quantum res patitur, breviter, lectore pro ceteris ad laudatum de S. Dominico Cuperi Commentarium remisso.*

Scriptores, prout a Waddingo allegantur,

C 6 *Waddingus in Annalibus ad annum* 1219, *num.* 13 *pro capitulo Storearum, velut eodem anno in Pentecoste prope Assisium celebrato, sanctique Dominici in eodem præsentia, laudat quidem scriptores, quorum aliquorum auctoritas hic recusanda non esset, si de eorumdem testimoniis constaret; sed laudat eos, vel ex Chronico Mariani Florentini, vel ex aliorum recentiorum fide, quod Annalista ipsemet (ut conjicio) eorumdem vetustiorum Opuscula non haberet. Primi apud Waddingum memorantur* Tres Francisci Socii, Leo, Ruffinus et Angelus, in ejus (*Francisci*) Legenda. *Verum hæc superius a me edita non modo non de S. Dominico, sed nec de capitulo Storearum meminit. Fortasse hos ille hoc loco nominaverit, quod Speculum vitæ* S. Francisci *eo nomine laudatum legisset apud recentiorem quempiam: nam id tribus illis sociis non recte (agnoscente alibi Waddingo) a quibusdam attributum fuit. Si tamen aliam quis præter a me editam (quod non futurum, opinor)* S. Francisci *per eosdem Tres Socios certo scriptam Legendam, in qua ista legantur, protulerit, horum libens stabo testimonio. Sequitur apud Waddingum* Thomas Celanus in altera, *nimirum Legenda. Est et hic unus e* S. Francisci *discipulis, plenaque fide dignus; ast in prima, quam ab illo scriptam habemus, Legenda seu Vita, supra edita, par est de S. Dominico, imo et de capitulo Storearum silentium; alteram autem Vitam, cujus eumdem auctorem credidit Annalista, ei probabilius affictam esse, dixi in Commentarii prævii num.* 8 *et* 9.

7 *Tertio loco nominatur* Bernardus a Bessa, Bonaventuræ socius, in sua Historia; *quarto* Frater Hugolinus de sancta Maria in Monte, qui ante tercentum annos floruit, in Historia S. Francisci, apud me (*inquit Waddingus hic*) manuscripta. *Postremi Opusculum fuisse Waddingo ad manum, asserenti credimus; quod non æque certum est, nec ipse asserit, de Opusculo Bernardi a Bessa. Quidquid sit, cum neutrius verba allegaverit, nescimus, an ille ambos, vel eorum alterum, pro singulis capituli Storearum adjunctis, ac nominatim pro S. Dominici in eo præsentia testatus fuerit. Prædictis a Waddingo adduntur* Bartholomæus Pisanus,... Speculum vitæ S. Francisci,... auctor Floreti, *aliique recentiores, qui numerum facere possunt, non pondus auctoritati addere. Pisanus scripsit exeunte sæculo* XIV, *neque eo antiquius est, imo etiam recentius, Speculum vitæ* S. Francisci, *certe quale editum est, licet ei inserta sint multa fragmenta vetustiorum. Neque antiquior videtur auctor Floreti, de quibus vide dicta in Commentario prævio* § 2. *Atque ex his quidem Pisanus et Speculum (Floretum enim non legi, nec curandum putavi) prolixe memorant de capitulo Storearum, quod a quinque Minorum millibus, præsente S. Dominico, celebratum fuisse affirmant.*

AUCTORE C. S. *non possunt hoc factum evincere;*

E 8 *Sed illorum auctoritas, sive ætatem spectes, sive accurationem in scribendo, nequit esse tanta, ut indubitatam fidem faciat; nam et in errores historicos et in ineptias subinde lapsi sunt, et secundo post* S. Franciscum *sæculo, et alii etiam serius, scripserunt. Longe majoris ponderis esset Bernardi a Bessa testimonium, sit verba illius recitasset Waddingus, quod ab eo factum non esse, supra monui. His præmissis, superest, ut, quod Cuperus desideravit, mentem meam de documentis Franciscanorum, quæ pro S. Dominici in comitiis Storearum anni* 1219 *præsentia laudantur, candide edicam. In Commentario prævio* § 13 *proposui rationes, ob quas censui, capitulum, cui S. Bonaventura apud me in Vita num.* 32 *memorat ultra quinque millia fratrum Minorum interfuisse, quodque* Storearum *passim appellatur, serius, quam anno* 1219 *habitum fuisse, imo etiam quam anno* 1221, *cujus mense Augusto S. Dominicus ex hac mortali vita ad immortalem in cælos emigravit. Quam ob rem non possum ejusdem Sancti in eodem præsentiam probare, non certioribus, aut melioribus, quam quos mox retuli, auctoribus nixus. Quia tamen etiam aliunde verisimile fit, eumdem in aliquo generali Minorum capitulo fuisse, fortassis scriptores illi ab illius ætate paulo remotiores, ejusdem in quodam alio capitulo præsentiam ad numerosius illud transtulerunt.*

nec credimus, capitulum Storearum eo anno celebratum fuisse.

Oppositarum partium patrone consentiunt tamen,

F 9 *Fuisse S. Dominicum in aliquo alio Franciscanorum capitulo, tam Waddingus, quam laudati novissimi Annalium Ordinis Prædicatorum scriptores, consentiunt; huicque opinioni favet, tum quod constet, illum saltem ab anno* 1216 *singularem cum* S. Francisco *contraxisse amicitiam, tum quia Dominicus (uti apud Echardum in Bibliotheca Ventura Veronensis, in processu canonizationis illius interrogatus, testatus fuit)* quando erat in itinere, visitabat loca religiosa cujuscumque Ordinis essent, et prædicabat eis, et hortabatur ad bonum. *Nam si in more habuerit hoc amicitiæ officium aliis quibuscumque Religiosis exhibere, quanto magis id præstitisse putandus est Franciscanis, etiam ad capitulum congregatis, quorum Institutori, ibidem præsenti, peculiaris amoris vinculo erat conjunctissimus?*

S. Dominicum fuisse in aliquo Minorum capitulo, idque probant

10 *Waddingus ad annum* 1219, *num.* 11, *ut S. Dominici in capitulo Storearum, eodem, ut putabat, anno celebrato, præsentiam verisimiliorem faciat, eumdem etiam in aliis Franciscanorum comitiis aliquando fuisse refert ex scriptore Hispano, eoque Ordinis Prædicatorum, ex cujus sancti institutoris sociis illum unum fuisse opinatus est; illiusque* testimonium extractum, *ait,* ex codice Ms., diligentissime operculo serico et lamellis argenteis observato in illo ipso monasterio monialium, quod sanctus patriarcha (*Dominicus*) ædificavit Matriti. *Waddingo fere assentiuntur jam laudati novissimi Annalistæ Prædicatorum tom I, pag.* 538, *ubi testimonii auctorem*

AUCTORE C. S.

ctorem credunt in primis veterem, qui seculo XIII Hispanice S. Dominici perscripsit Vitam; *de codice autem in Annotatis ibidem sic aiunt:* Cod. autograph. Matriten. fol. 23, et Romæ in tabulario Ordinis lib. TT. fol. 15. Descripsit Hispanice ejus auctoris locum Seraphinus Thomas Miguelius Vit. S. Domin. in Not. ad caput XXV *etc. De facto igitur convenit inter illos, sed annum locumque comitiorum nullus eorumdem assignavit.*

ex vetusto ejusdem Sancti biographo Hispano,

11 *Nunc accipe testimonium illud, quale Waddingus Latinum fecit* ex vetusto, *ut asserit,* et rudi idiomate Hispanico, illa ætate vulgari, cujus proprietatem, quoad licuit, *curavit* servandam. Accidit aliquando, quod, dum celebraretur capitulum Fratrum Minorum in quodam oppidulo; neque, quid manducarent, haberent, adfuissetque honorabilis admodum pater noster S. Dominicus, qui illac dilapsus est, ut S. Franciscum inviseret (postquam enim ei datus est in socium a Domino, *scilicet Romæ in visione cælesti,* nihil umquam plus eo dilexit; quod vicissim S. Franciscus retribuebat; atque ita sæpius se quærebant ad alternam consolationem et confabulationem) videntes sancti Viri, nihil esse fratribus edulii, pleni fide magnaque fiducia, dixerunt: Eamus, et omnipotentem deprecemur Deum, qui quinque millia hominum ultra
B mulieres puerosque in deserto satiavit: neque enim nunc minoris est potentiæ aut misericordiæ, ut de ejus desperemus benignitate: perstiteruntque ita in oratione, donec de divina eis constitit voluntate.

cujus narratio hic datur

12 Ad horam vero nonam a prece redeuntibus, S. Dominicus hilari et placido aspectu (erat enim totus gratiosus, hilaris, et omnibus gratus) inquit ad fratres, qui per claustrum incedebant mœsti, languidi ob excessivam diei molestiam (urgebat quippe æstas magnusque æstus caloris) Fratres, eamus pransum; namque jam præteriit hora. Responderunt fratres: Quo ibimus, aut quid comedemus? Nec panis est, nec vinum, nec obsonii genus ullum. Confidite in Domino, inquit S. Dominicus: Omnipotens etenim laborare non permittit sub egestate sibi servientes, aut qui spem suam in illo reponunt, quibus frequentes mirabiles suas miserationes ostendit; cui proprium est misereri, nec longe abesse ab iis, qui tribulationem patiuntur; sed illis compati, qui sustinent in patientia. His aliisque piis et salutatibus dictis convenerunt in refectorio, ubi magis admirati sunt fratres, dum benedici mensas viderunt absque eduliis, Dum autem sederent, ingredi viderunt in triclinium viginti adolescentes, valde formosos, succinctos et
C expeditos ad serviendum, qui et ministrarunt panem, vinum, et omne obsonii genus necessarium recumbentibus, numero quingentis. Terminato vero prandio, inclinato capite, et salutatis fratribus, bini suo ordine exierunt e refectorio, admirantibus fratribus, et Deum collaudantibus, qui tantum in eis voluit perpetrare miraculum.

ex recensione Waddingi;

13 Postquam autem gratias solverunt in ecclesia, honorabilis admodum pater noster S. Dominicus pulchrum valde ad eos habuit sermonem de fide et spe, quam in Domino debebant habere. Idque ei moris erat prædicare in omnibus hujus Religionis domibus, per quas transibat. Semper enim exercitabatur in Dei obsequio; erantque ejus sermones sani et bonæ intentionis, et verba gratissima atque salutaria; videbaturque ejus lingua a Domino moveri. Neque adeo admirandum est, quod Dominus per eum et per S. Franciscum tam gloriosum patrarit miraculum; quia valde eos dilexit. Nec etiam quisquam mirari debet, quod pater noster S. Dominicus, alieni Instituti author, synodo interfuerit Minorum; quia pater noster S. Dominicus et S. Franciscus erant chari socii, et ex corde invicem diligebant. *Hactenus apud Waddingum scriptor ille Hispanus, cujus relationem summa cum facilitate admiserunt nuperi Annalistæ Dominicani; quamvis ea non careat adjunctis, quæ difficultatem patiuntur, nec inobservata transeunda erant.*

14 *Hispanum allegati testimonii auctorem fuisse unum e S. Dominici sociis, aut scripsisse sæculo* XIII, *ex solis adductis verbis nequeo affirmare; nec aliunde illius Opusculum editum dicitur, nec nomen indicatur. At sive ille scripserit sæculo* XIII, *sive paulo serius, omnino prodit, se non satis fuisse instructum de re, quam tractabat. Etenim, vivente* S. Francisco, *generalia Minorum comitia numquam* in quodam oppidulo, *sed prope Assisium apud S. Mariam in Portiuncula, vel in vicino campo, dum plures convenerant, quam quos capere posset monasterium illud, tum temporis certe modicum. De quibus autem comitiis Anonymo ibidem sermo fuerit, nisi de generalibus, si quingenti fratres Minorum ad ea convenerint? Deinde qua verisimilitudine idem ille scriptor, istud quodcumque* S. Francisci *monasterium tunc temporis tam amplum fecit, ut in ejusdem triclinio potuerint quingenti fratres ad mensas simul accumbere? Si tam numerosi convenerint (quod de comitiis generalibus libens admitto) non videtur dubitandum, quin ipsi variis in cubiculis, aut non omnes simul in eodem, aut etiam in aliquo campo vel patenti loco, ad reficienda alimentis corpora discubuerint. Prætereo, quod etiam verisimilius sit,* Franciscum *potius, divinam providentiam sæpe alias expertum, in domo propria, quam Dominicum in aliena, præcipuam de prandio curam habuisse.* D

sed si rei gesta adjuncta spectes,

E

15 *Hinc miraculum illud viginti adolescentium (angelorum opinor, adolescentium habitu) qui triclinium inopinato ingressi quingentis fratribus, simul discumbentibus, panem, vinum, et omne genus obsonii necessarium ministrasse dicuntur, mihi parum probabile apparet. Miror, hæc non advertisse Dominicanos Annalistas, qui ad infirmandas de S. Dominici in capitulo Storearum præsentia relationes, studiose observarunt, quæcumque in iis fabulosa aut suspecta apparebant. Miror etiam, illos adversus eamdem Hispani scriptoris narrationem non objecisse veterum* S. Francisci *biographorum, ac maxime* S. *Bonaventuræ silentium, ex quo iidem pag.* 531, *num.* 33 *contra alias istas de S. Dominico in comitiis Storearum præsente relationes tam prolixe acriterque disseruerunt, acsi credidissent, inter fabulas computandum, quidquid scitu dignum sanctus ille doctor scire potuit, nec tamen dixit in loco, ubi dicere erat congruum.*

non caret illa difficultatibus.

16 *Verumtamen S. Bonaventuræ silentium vim exiguam, aut potius nullam habere potest, ubi solum agitur de præsentia S. Dominici; constat enim, personas ab illo frequenter omitti, ac paucas memorari præter Franciscanas; de S. Dominico autem nullum apud eum in tota* S. Francisci *Vita verbum fieri. Sive sanctus doctor id eo fecerit consilio, ut omnia, quæ ad Dominicum spectabant, Dominicanis scribenda permitteret, ne forte vel inscius ipsis quid minus gratum proferret, sive alia de causa nobis ignota; certum est, ipsum de S. Dominico constanter tacuisse, nec memorasse quidem arctam ejusdem cum* S. Francisco *amicitiam, licet hanc ignorare non potuerit, quam B. Joannes Parmensis, cui in generale Ordinis ministerium proxime successit, in encyclicis litteris suis asseruit. Eadem forsan de causa par est de Dominico silentium apud Thomam Celanensem, Tresque Socios, qui* S. Francisci *gesta ante S. Bonaventuram scripserunt; quamvis nec his ulla verisimili ratione eadem illa inter ambos sanctos Institutores necessitudo latere potuerit.* F

Non tamen obstat Bonaventuræ silentium,

17 *At enim inquiunt, sese hoc Bonaventuræ silentio non moveri, ut S. Dominici præsentiam in capitulo Storearum simili modo ab illo taceri potuisse credant; tum propter ingentem fratrum numerum, qui eisdem comitiis adfuere, et per quos proinde ea res propalata non potuisset non ad Bonaventuræ notitiam pervenisse; tum quod dicta S. Dominici præsentia non tam levis momenti videri potuisset Bonaventuræ, ut eam ab illo neglectam fuisse, sit verisimile; tum denique, quod Bonaventura in eum scribendo inciderit locum, qui ejusdem rei mentionem fieri poscebat; scilicet in Vita num.* 52, *ubi de iisdem comitiis, de congregatorum in iis ultra quinque millia*

quod omnino obstaret; si ex pari ejusdem silentio,

A *lia fratrum miro numero, eorumdemque omnium ex divina liberalitate victus sufficientia, salute corporea, et spiritualis jucunditatis affluentia agebat. Contra vero nullum ex tota* S. Francisci *Vita proferri posse hujusmodi locum, qui Bonaventuram monere debuerit, ut de peculiari illa inter utrumque sanctum Patriarcham contracta amicitia habitisque colloquiis meminisset. Non inficior, has rationes minime contemnendas; sed eædem, si Franciscanorum narrationem de S. Dominico, in capitulo Storearum præsente, fabulosam esse evincant, evincent etiam ejusdem esse furfuris illam, quam ex Hispani scriptoris testimonio supra allatam sine censura admiserunt sæpe laudati Annalistæ; ut modo ostendam.*

ut quidam opinantur,

18 *Quingentorum fratrum numerus, quos Hispanus iste comitiis Minorum, S. Dominici præsentia honoratis, interfuisse, tradidit, quamvis plurimum a quinque millibus distet, amplior tamen est, quam ut probabiliter credi possit, eos, quæ a S. Dominico ibidem gesta viderant, tam caute tacuisse, ut non potuerint nec debuerint ad Bonaventuram pervenire; maxime cum is testetur in Prologo, se ad scribendam* S. Francisci *Vitam habuisse* frequentem ac diligentem... collationem *cum illius familiaribus, qui tunc supererant in vivis. Non erat etiam ob minorem quidem, ac certe sat amplum congregatorum fra-*

B *trum, quingentorum scilicet, numerum S. Dominici præsentia levioris momenti res, ut ea ex hoc capite negligenda Bonaventuræ visa fuisse credatur. Relatu quoque dignissimum erat divinæ providentiæ miraculum, per* viginti adolescentes valde formosos (*quos nisi cælestes genios?*) *ac inopinato apparentes, quingentis fratribus* panem et vinum, et omne obsonii genus necessarium *benigne largientis. Profecto hoc multo illustrius erat, quam quæ idem sanctus doctor in Vita num.* 39 *de* S. Francisco *et undecim ipsius sociis, Roma redeuntibus, in solitario loco pane refectis, minime negligenda putavit.*

quæcumque Franciscani

19 *At forte Bonaventura non in eum scribendo inciderat locum, qui ejus rei mentionem fieri poscebat? Imo vero in eum incidit, qui hanc non minus, quam quæ a S. Dominico in capitulo Storearum gesta feruntur, memorari postulabat. Etenim in Vitæ loco ab Annalistis Dominicanis indicato Bonaventura, non de solo agit capitulo Storearum, sed de omnibus capitulis generalibus, in quibus omnibus* (*etiam in illo omnium maximo quinque millium fratrum*) *divinam providentiam mire eluxisse, affirmat.* Processu quoque temporis, *inquit,* multiplicatis jam fratribus, cœpit eos Pastor sollicitus (*Franciscus*) in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale capitulum convocare... Ubi, licet omnium

C necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficientia suberat, et salus comitabatur corporea, et spiritualis jucunditas affluebat. *Hæc ille universim de comitiis generalibus, aliis aliis numerosioribus; post quæ ad provincialia progreditur :* Capitulis vero provincialibus *etc.*

de ejusdem S. Dominici in capitulo Storearum præsentia

20 *Nonne hic congruus erat locus commemorandi, quingentos fratres in uno ex capitulis istis congregatos, in summa ciborum omnium penuria a viginti adolescentibus divinitus missis, seu angelis, tam mirabiliter fuisse refectos? An non poscebat hic locus, ut sanctus doctor divinam in pauperes Christi providentiam et benignitatem tam illustri exemplo commendaret? Attamen ille laudavit quidem generaliter singularem Dei in pascendis illis, dum ad comitia sua convenerunt, munificentiam; sed non ait, miraculum aliquod, quale anonymus Hispanus narrat, in iisdem comitiis aliquando evenisse. Itaque S. Bonaventuræ silentium, si quam vim haberet adversus assertum ab aliis S. Dominici in capitulo Storearum præsentiam, haberet pariter adversus Hispani Anonymi narrationem, a Dominicanis Annalistis nihilominus sine tergiversatione admissam. Hactenus de silentio S. Bonaventuræ : addamus etiam pauca de silentio aliorum.*

21 *Thomas Celanensis in Vita edita num.* 34

retulit, S. Franciscum *cum undecim sociis Roma redeuntem in via per ignotum virum mirabiliter pastum fuisse; ac deinde num.* 35, *eidem a Deo provisum de alimento, dum Anconam navigabat. Neutri tamen facto Celanensis adfuerat, qui verisimiliter interfuisse debuit illustriori in comitiis generalibus quingentorum fratrum apud Anonymum Hispanum memorato. In iisdem comitiis adesse etiam debuerunt Tres Socii, Leo, Ruffinus et Angelus, apud quos nihilominus æque altum silentium est de hoc memorabili facto. Frustra quoque illud quæras apud auctorem Vitæ, quam Secundam appellavimus, uti et apud Anonymum Perusinum; quorum omnium de tam illustri miraculo silentium quis eorumdem ignorantiæ negligentiæve sine hæsitatione adscribat? Simile fere modo ratiocinari licet de reliquis scriptoribus gestorum S. Dominici, qui nihilo magis id tacere debuerunt; ac nominatim de Gerardo de Fracheto, et Theodorico de Appoldia, qui illius Vitas priores suppleverunt, ac præ ceteris tradiderunt ejusdem gesta cum* S. Francisco, *singularemque amicitiam, quæ inter hos duos Sanctos intercessit.*

AUCTORE C. S. *et gestis tradiderunt,*

22 *Judicet æquus lector, an non ego ex istorum omnium silentio adversus Hispani Anonymi narrationem rectius, quam Dominicani Annalistæ ex silentio S. Bonaventuræ, eorumdem verbis concludere possem :* Quid jam restat, aut quid desiderari E præterea potest, quin rem totam multo post tempore excogitatam atque confictam existimemus? *Ast nolim ego ignotum scriptorem Hispanum hujusmodi verbis repellere, quamquam, pleraque narrationis adjuncta, atque hinc etiam ipsum miraculum, mihi sint suspecta. Quod vero ad S. Bonaventuræ priorumque* S. Francisci *biographorum silentium attinet, cum iidem velut ex condicto etiam de eorumdem Sanctorum amicitia et colloquiis, de quibus aliunde constat, tacuerint, non potest illud mihi S. Dominici in aliquo capitulo Franciscanorum præsentiam certo fictitiam facere; quam tamen si propterea pro commento haberem in traditione Minorum, pro commento pariter reputarem in Hispani Anonymi narratione. Oppugnant præterea Annalistæ Dominicani Minorum de eadem re narrationes ex eo, quod in iisdem nonnulla fabulosa adjuncta legantur. Neque ego ea omnia pro veris admittenda censeo; sed nec similibus caret relatio Hispanica, uti dixi superius. Quam ob rem breviter inquiramus, quid de hoc argumento probabiliter credi posse videatur.*

essent pro fabulis habenda.

23 *Primo mihi probabile ac omnino verisimile apparet, S. Dominicum fuisse aliquando in aliquo capitulo Minorum, in eoque pro more suo sermonem habuisse. Hoc enim non solus iste Hispanus affirmavit, verum etiam scriptores Franciscani, Pisanus, auctor Speculi vitæ* S. Francisci, *scriptor Floreti, aliique plurimi recentiores. Ac singuli quidem aliquid erroris suæ narrationi immiscuerunt (nam Minores tradunt, capitulum istud fuisse omnium maximum; Dominicanus vero Hispanus, celebratum statuit* in quodam oppidulo, *ac quingentos fratres, in eo congregatos, in uno triclinio conventus simul accubuisse) sed hujusmodi errores facile obrepere solent scriptoribus ætate locoque remotioribus; ut non cogamur propterea ipsam S. Dominici in aliquo Franciscanorum capitulo præsentiam, de qua ambæ partes conveniunt, inter fabulas numerare. Deinde cum etiam ex verbis Venturæ Veronensis num.* 9 *datis, constet, Dominicum soluisse ad religiosos aliorum cœtus venire, et apud eos verba facere; nec tamen in Vitis ejus peculiaria hujus consuetudinis exempla legantur, non potest etiam præcipuorum biographorum silentium adversus ejusdem præsentiam in aliquo capitulo Minorum quidquam ponderis habere.*

Nihil prohibet, nos opinari, F

24 *Quod spectat ad tempus, quo S. Dominicus hujusmodi generali capitulo videri possit interfuisse, ex Tabula chronologica gestorum illius, apud Echardum tom. I Bibliothecæ inter pag.* 88 *et* 89 *exhibita, colligitur, id factum non esse ante annum* 1218, *ante quem Dominicus in Pentecoste, quod erat præstitutum generalibus comitiis habendis tempus, num-*

S Dominicum generalibus Minorum comitiis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE C. S.

quam fuit in Italia, extra quam Franciscus *ea numquam celebravit. At priori, eaque majori, parte anni* 1218 *Dominicus Romæ et alibi in Italia versatus fuit, nec quidquam obstare videtur, quo minus tunc potuerit circa Pentecosten Assisium adiisse. De sequenti anno disceptatur, negantibus cum Echardo laudatis Annalistis Dominicanis, potuisse sanctum institutorem suum tum temporis adfuisse Assisii, et contrarium opinante Cupero.*

anno 1218 *vel* 1219 *interfuisse.*

23 *Duobus sequentibus annis, quibus in Pentecoste supervixit S. Dominicus, credendus non est Franciscanis comitiis interfuisse, cum ipsemet sua eodem tempore celebraverit Bononiæ. Oportet igitur, illum alterutro anno, nimirum* 1218 *vel* 1219 *ad Franciscana accessisse, si id umquam fecerit, quod mihi saltem probabilius apparet. Verumtamen pro alterutro anno certo figendo, non invenio sat firmas rationes. Pro anno* 1219 *stat Waddingi aliorumque auctoritas; sed iidem volunt, ejus anni comitia fuisse illa omnium maxima; quod mihi non satis videtur probabile ob rationes suo loco expositas : contra eumdem vere annum faciunt quidem argumenta Echardi, minime contemnenda; sed hæc quoque ejusmodi non sunt, quin possint fallere. Duo siquidem æque ambigua statuit Echardus; primum est, Jordanum annos ab Annuntiatione, seu potius a*
B *Paschate computasse; alterum est, S. Dominici ex Hispania discessum ab eodem illigari anno* 1219 *sic inchoato; horum autem si alterutrum fallat, ruunt cetera; neutrum vero fallere, mihi nondum probarunt novissimi Annalistæ Prædicatorum, quamvis Echardi sententiam a pag.* 519 *usque ad* 550 *multis stabilire conati sint.*

§ II. Discutitur narratio Bartholomæi Pisani de capitulo Minorum, cui S. Dominicum interfuisse, putavit.

Singularis Dei providentia in comitiis generalibus semper eluxit.

Quotquot asseruerunt, S. Dominicum aliquando adfuisse in comitiis Fratrum Minorum, affirmarunt pariter, in iisdem singularem Dei providentiam eluxisse; quod cum S. Bonaventura in omnibus generalibus comitiis eorum factum esse, observaverit, omnino admittendum est. At nec ipse, nec illo antiquiores biographi tradiderunt, divinam illam providentiam in ullo ex iisdem capitulis manifesto miraculo illustratam fuisse. Singulari scilicet providentiæ Dei adscribi potuit debuitque, quod tanto pauperculorum Fratrum numero, qui quinque millia aliquando excessit, victus sufficientia *semper adfuerit, nullo quidem interveniente insolito miraculo, sed*
C *vicinis accolisque loci, sive rogatis, sive etiam sponte sua, abunde afferentibus necessaria. Primus, quem quidem novi, Anonymus Hispanus verbis præcedenti § recitatis scripsit, intervenisse miraculum, mihi, ut ibidem dixi, non satis probabile. Fortasse iste audierat, in capitulo, cui S. Dominicus interfuit, instante prandendi hora, victum defuisse; sed paulo post inopinato advenisse, qui paratos ex eleemosynis cibos, tantæ multitudini satiandæ necessarios, affatim attulerunt. Si quid tale contigerit, præsente S. Dominico, potuit hic sane id merito admirari, divinæque adscribere providentiæ; potuitque ejusdem facti narratio, dum per ora pervasit multorum, alienis adjunctis vestita ad Hispanum Anonymum pervenisse. Undecumque tamen ea ille didicerit, suspecta mihi sunt ob rationes, quas superius jam exposui.*

Datur narratio Pisani, vel hujus editoris, de capitulo, cui interfuit S. Dominicus,

27 *De capitulo, quod sua præsentia S. Dominicus honoravit, plus vice simplici etiam mentio fit apud Pisanum in libris Conformitatum; ac in primis Conformitate* 1, *fol.* 14, *col.* 2 *primæ editionis Mediolanensis, ubi ista legere est :* Declaratus fuit etiam beatus Franciscus beato Dominico in capitulo generali, celebrato per beatum Franciscum apud Assisium. In quo cum essent ultra quinque millia fratrum, ipse beatus Dominicus cum pluribus ex suis affuit fratribus, ubi divinam providentiam agnovit circa fratres adesse meritis beati Francisci, cum tot fratribus nihil habentibus, nec de victu cogitantibus, subito divina providentia omnia eis D
ministravit copiose, propter quod ipse beatus Dominicus dicere habuit : « Vere Dominus habet » curam de istis sanctis pauperculis; et ego ne- » sciebam. » *Eadem leguntur in Pisani editione Bononiensi anni* 1590, *fol.* 18, *col.* 1. *Si in his verbis corrigas, quod de numero congregatorum dicitur (neque enim capitulo omnium numerosissimo S. Dominicus interfuisse mihi videtur) non video, quin ea pro veris nequeant admitti; nec credi possit tale quid exclamasse Dominicus. Quamvis enim nullus dubitem, quin summa ille fuerit in Deum fiducia, hujusque providentiam dudum ante habuerit perspectam, non credo, illum propterea, dum eamdem tam manifeste denuo experiebatur, abstinere debuisse ab istis verbis :* Vere Dominus habet curam de istis sanctis pauperculis; et ego nesciebam; *quæ non ignorantis aut diffidentis sunt, sed admirantis et laudantis. Quare miror, Annalistas Dominicanos pag.* 538 *eadem, velut sancto suo institutori injuriosa, oppugnanda censuisse.*

maximam partem accepta ex Legenda,

28 *Ejusdem capituli rursum meminit Pisanus in Conformitate* 10, *fol.* 112, *col.* 1 *et* 2; *sed cum hic pro ampliori relatione remittamur ad Conformitatem* 24, *postremum hunc locum adeamus. Fol.* 207 *hæc ibi habentur :* Secundo id ostendens et declarans (*Conformitatem in cibando*) est, quando capi- E
tulum generale celebravit in planitie Assisii apud sanctam Mariam de Portiuncula, ubi (ut dicit prima pars Legendæ Majoris) licet esset omnium necessariorum penuria, Fratrumque multitudo ultra quinque millia, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficienta affuit, et salus corporalis concomitata, ac spiritualis jocunditas super omnia affuit inter eos. *Observa hic, studiose lector, laudatam hoc loco* Legendam Majorem *Vitam esse a S. Bonaventura scriptam, in qua secundum partitionem meam num.* 32 *ista, non sequentia, leguntur. Hinc subdit Pisanus :* Et quia non aliter tangit dicta pars (*Legendæ per Bonaventuram*) hoc insigne miraculum, Antiqua Legenda hoc refert in hunc modum. *Quæ igitur subditur relatio, non ex S. Bonaventura desumpta est, sed ex Antiqua Legenda, quæ qualis sit, non habeo compertum. Certe non potest per hanc designari Legenda Thomæ Celanensis, nec Trium Sociorum, nec denique ea, quam Secundam appellavimus; nam in nulla harum memoratur S. Dominici in eo capitulo præsentia, de qua ibi agit Pisanus.*

quam vocavit Antiquam : at mihi ignota;

29 *At legitur illa tum in tribus editionibus sæpe memoratis Speculi vitæ* S. Francisci, *tum etiam in ejusdem Ms. nostro apographo Lovaniensi, in quo tam similis ea exstat narratio, ut vel ex Pisani libro* F
in Speculum vitæ, vel ex hoc in illum, aut denique in utrumque ex eadem quadam Legenda translata fuisse omnino videatur. Sed cum Pisanus ipse secundum dicta in Commentarii prævii § 2, *collectore Speculi sit antiquior, is aliud quoddam Opusculum per* Legendam Antiquam *designasse dicendus est, si verba illa vere Pisani sint. Dubitandi ratio est, quod admodum reverendus pater Franciscus Zenus, qui illius Opus typis edendum primus curavit, non illud dederit, quale repererat in Ms., sed* primo castigandum, inde imprimendum *tradiderit, uti ex testimonio R. P. Francisci a S. Columbano ostendi in Commentarii prævii* § 2. *Proinde, cum nesciamus, an inter castigationes a Zeno factas non veniant etiam additiones, quibus ille Pisani Opus subinde supplendum putaverit, certo quoque scire nequimus, an ea, quæ hoc loco velut ex* antiqua Legenda *accepta dicuntur, reipsa sint Pisani, an Zeni. Zeno vero certe prælucere potuit Speculum vitæ* S. Francisci, *atque ab eo utcumque* Legenda antiqua *appellari, quia, quemadmodum in citato* § *Commentarii prævii dixi, recentius non est, medio sæculo* XV, *ac fortasse circa medium sæculum* XIV *compositum, Zenus vero Pisani libros Conformitatum edendos curavit sæculo* XVI *jam aliquot annis inchoato, seu anno* 1510.

30 *Ex quacumque tamen Legenda relatio ista accepta*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE C. S.

A *accepta fuerit, in ea sunt quædam improbabilia, quæ suis locis mox observabimus. His præmissis relationem ipsam ex prædicta Pisani per Zenum editione exhibeo.* In quodam generali capitulo, quod beatus Franciscus apud sanctam Mariam de Angelis celebravit, congregati sunt ibi ultra quinque millia fratrum (*quod in solis comitiis omnium maximis, serius, quam anno* 1219 *celebratis, factum putamus*) et, sicut alibi habetur, quingenti fuerunt ad profitendum novitii. *Quod de novitiis aliunde hic additur, quamvis is numerus forte exaggeratus sit, satis tamen verisimile est, magnos eorum manipulos e variis provinciis illuc fuisse adductos, ut coram sancto Patre professionem suam nuncuparent. Sed ex verbis illis,* Sicut alibi habetur, *observa, hæc de novitiis non legi in* Legenda *ista* antiqua; *sed nec eadem leguntur in tribus editionibus Speculi, nec in nostro apographo Lovaniensi; ad quod tamen annotatum est, eadem exstare in ejusdem Speculi Ms. Bruxellensi, et quidem additis iisdem vocibus :* Sicut alibi habetur; *ut hinc denuo colligere liceat, scriptori apographi Bruxellensis Pisani Opus præluxisse. Pergo modo verba ex Pisano describere.*

verum ista narratio habet quædam improbanda,

quædam etiam difficultati obnoxia,

31 Cui capitulo (*imo, ut opinor, alteri*) etiam affuit sanctus Dominicus, pater Ordinis Prædicatorum, cum septem fratribus. Affuit etiam dominus Ugolinus Cardinalis, qui fuit tunc protector B Ordinis, et postea (ut beatus Franciscus eidem prædixit) Papa Romanus, vocatus dominus Gregorius nonus, qui beatum Franciscum ascripsit catalogo Sanctorum. Et cum curia Papæ tunc esset Perusii, dictus Cardinalis studiose venit Assisium, et omni die veniebat ad videndum beatum Franciscum, et quandoque cantabat Missam, quandoque prædicabat, et faciebat sermonem fratribus. *Hic paululum sistamus. Quæ de Cardinale Hugolino dicuntur, nullam pariunt difficultatem, sed omnino congrua sunt, quæ de eodem narrant Vitæ antiquæ, quas edidi. Attamen erat is tunc quidem Minorum Ordinis protector, sed nondum auctoritate Apostolica confirmatus, ut suo loco dictum est in Commentario prævio.*

aliaque etiam ab aliis capitulis

32 *Haud æque verisimiliter asserere possum,* curiam Papæ, *seu Honorii III, tunc fuisse Perusii. Annalistæ Dominicani pag.* 359 *oppositum contendunt ex ejusdem Pontificis litteris, quas in Regesto illius, in tabulario Vaticano asservato, exstare aiunt, datas Romæ apud S. Petrum* singulis fere diebus mensis Maii usque ad Kalendas ipsas Junii. *Verum cum nesciamus, quanto tempore duraverint comitia illa, quæ eo anno* 1219 *inchoari debuerunt die* 26 *Maji, in quam tunc incidit Pentecoste;* C *cumque Annalistæ nullas afferant Honorii litteras inter Kalendas Junii et ejusdem mensis diem* 17 *signatas, non evicerunt, Honorium initio Junii non fuisse Perusii, neque ante ipsum aliquos e curia illius, et inter hosce Hugolinum, illuc prægressos advenisse. Nolim tamen, id ita factum esse, asserere; nam mihi quidem videtur, seu Pisanus, seu hujus editor, uti S. Dominici præsentiam ad capitulum Storearum non recte retulit, ita etiam nonnulla alia, in aliis comitiis facta, ad idem illud, congregatorum numero celeberrimum, capitulum reduxisse, ut illud quoque de Pontificiæ curiæ præsentia ex fallaci conjectura eodem referre potuerit. Verumtamen ex solo capite, quod Honorius anno* 1219 *non fuisset Perusii, Pisanus hic argui nequit, cum annum habiti capituli non adscripserit.*

ad illud, cui S. Dominicus interfuit,

33 *Apud Pisanum ita pergitur :* Cum autem veniebat visitare (*Cardinalis Hugolinus*) illud sanctum collegium, et videret illos in campo turmatim ad sexaginta, ad centum, ad trecentos, sedentes in collocutione divina, aut in oratione et lachrymis, aut in exercitiis; et cum tanto silentio, quod nullus penitus erat rumor vel strepitus, admirans de tanta multitudine, ut castrorum acie ordinata, cum lacrimis et magna devotione dicebat : Vere castra Dei sunt hæc ! Non enim audebat aliquis inter eos fabulas dicere, seu truffas (*id est,* nugas, jocos) sed ubicumque congregabantur, vel orabant, vel plorabant, vel aliqua de salute animæ loquebantur. Et habebant ibi in campo loca distincta per turmas de caricis (*ex* carice *voluit dicere*) in circuitu et supra. Unde propter hoc vocatum est capitulum illud DE CARICIS, *alias* Storearum. Lecti vero erant terra nuda, vel modica palea : cervicalia autem lapides vel ligna. Propter quod erat cunctorum tanta devotio, quod ex curia domini Papæ, ibi propinqua, multi comites et barones, duces et milites, Cardinales etiam cum episcopis et clericis personaliter, et nobiles cum popularibus concurrebant, ut viderent tam sanctam multitudinem et humilem congregationem, quam mundus de tot sanctis hominibus numquam simul et semel habuit similem : ad videndum etiam venerabile caput ipsorum beatum Franciscum, qui tam pulcram prædam mundo rapuerat, et tam devotum gregem ad pascua Christi dirigebat.

perperam relata :

34 *Hæc omnia dicuntur de capitulo,* Storearum *vulgo dicto, et satis verisimilia sunt, licet forsan plusculum exornata. Verum huic capitulo interfuisse S. Dominicum, non credimus, quodque de propinqua summi Pontificis curia asseritur, incertum nobis est, sive hic de anno* 1219, *sive de alio agatur. Quod autem de turmis Fratrum Minorum per campum distinctis dicitur, forte non in solo capitulo, quod a* Storeis *appellatum fuit, sed in aliis quoque contigit;* E *cum modicum S. Mariæ de Portiuncula monasterium non videatur fuisse satis capax multitudinis Fratrum, qui ante confirmatam ab Honorio III secundam Regulam omnes ad annuum capitulum in Pentecoste debebant convenire. Redeo ad relationem :* Congregatis autem omnibus, surrexit sanctus pater, pastor et venerabilis dux, Franciscus, et in fervore spiritus illi beato gregi verbum vitæ proposuit voce altisona et tubali, quam sibi divina unctio infundebat. Et istud thema proposuit : « Magna promisimus, majora promissa sunt nobis: » servemus hæc; aspiremus ad illa. Brevis volu- » ptas; perpetua pœna : modica passio; gloria » infinita. » Et super hæc devotissime prædicans, hortabatur omnes ad pœnitentiam, et obedientiam sanctæ matri Ecclesiæ; ad suavitatem charitatis fraternæ; ad orandum pro universo populo Dei; ad patientiam in adversis; ad munditiam et castitatem angelicam; ad pacem et concordiam cum Deo et hominibus; ad humilitatem et mansuetudinem cum omnibus; ad mundi contemptum; ad ferventem zelum Euangelicæ paupertatis; ad sollicitudinem et vigiliam sanctæ orationis et divinæ laudis; ad jactandum totam curam animæ et corporis in pastorem bonum et nutritorem animarum nostrarum et corporum, Dominum Jesum Christum benedictum. F

quædam etiam de SS. Francisco et Dominico

35 Et propter hoc melius observandum, præcipio vobis Fratribus omnibus hic congregatis in meritum obedientiæ salutaris, quod nullus curam vel sollicitudinem aliquam habeat de aliqua re comestibili aut potabili, aut de aliquibus aliis necessariis corporum : sed solum intendatis orationi et laudi Dei, omnem curam projicientes in Christum; quoniam ipsi est specialis cura de nobis. Et ita fecerunt omnes, hylari animo ad orandum currentes. Sanctus autem Dominicus, qui ad hoc præsens erat, admirans de mandato, quod fecerat beatus Franciscus, et reputans, eum indiscrete procedere, eo quod præcepit in tam magna multitudine, ut nullus haberet curam de rebus necessariis corpori, extimabat, in tam magna multitudine inconvenientiam debere contingere; sed Dominus Jesus Christus volens ostendere, quod ipse curam gereret de tam caris ovibus et suis pauperibus singularem; statim inspirando facta est manus Domini super Perusinos, Spoletanos Fulginenses, Spellenses, Assisinates, et cunctas circumadjacentes civitates, et castra; et veniebant cum asinis, mulis et equis, oneratis pane et vino, fabis et caseo, et omnibus bonis, quibus putabant, illos beatos pauperes indigere.

minime verisimilia,

36 Insuper portabant tobaleas (*id est,* mappas) et vasa, magna et parva, et quicquid utensilium opus esset,

AUCTORE C. S.

esset, et beatum se putabat ille, qui devotius et attentius eis servire posset, et in omnibus illi beatæ multitudini necessaria studiosissime providere. *Ad hæc observo*, S. Franciscum *nusquam in Regula sua præcepisse, ut Fratres sui a necessaria victu quærendo abstinerent, sed voluisse, ut illum mendicando sibi compararent.* Domino famulantes (*inquit in Regula cap.* 6) vadant pro eleemosyna confidenter. *Nullum quoque in antiquis Vitis ejus exemplum legi, quod supra dictum præceptum in comitiis datum ullo modo facere posset verisimile, eo saltem sensu, quo ibi videtur referri. Etenim quæ adduntur de S. Dominico, ac speciatim hæc verba :* Ut nullus haberet curam de rebus necessariis corpori, *faciunt, ut nequeamus dicere, præceptum illud solum injunctum fuisse iis, quibus ea cura commissa non erat a* S. Francisco, *sed fuisse alios ad mendicandum in vicinis civitatibus ac vicis constitutos. Si quid tale* Franciscus *fecisse diceretur, ut omnem victus sollicitudinem a ceteris amoveret, id facile possemus credere. Verum incerto auctori, cujus ætatem ignoramus, non tribuimus tantum, ut credamus,* S. Franciscum *præcepisse, ut in congregatione quinque millium hominum, nullus esset, qui necessaria procuraret.*

aliaque nimis exornata,

B

37 *Hinc, quod de S. Dominico additur, sponte corruit : nam si factum non sit, quod minime factum æstimamus, non potuit S. Dominicus de eo male judicare. Præterea huic Sancto notior erat* Francisci *sanctitas, ac major erat prudentia, quam ut de illius factis dictisve temere judicasse credi queat ; expectasset nimirum exitum rei vir prudentissimus, si quid vidisset, quod cum prudentiæ legibus non potuisset illico componere. Exaggeratum etiam quoad modum videtur, quod verbis hiulcis postea subditur :* Statim inspirando facta est manus Domini super Perusinos *etc. : quamvis enim non dubitemus, quin omnes vicinæ civitates, apud quas summa erat de* S. Francisco *ejusque Fratribus existimatio, liberaliter concurrerint ad sustentandos congregatos, ac non modo cibos supra nominatos, sed etiam alios et meliores abunde attulerint ; non credimus tamen, omnes illas simul sola divina inspiratione ad hoc fuisse permotas. Ardor ille multorum, congregatis Fratribus inservire desiderantium, omnino credibilis ac verisimilis est. Hinc probabilia etiam sunt, quæ ibidem sequuntur :* Vidisses ante illum cœtum Sanctorum milites et nobiles devotissime servientes. Vidisses ibi clericos et devotos fideles more domicellorum undique discurrentes. Vidisses adolescentium floridam juventutem cum tanta instantia ministrantes, ut viderentur, non pauperculis Fratribus, sed Apostolis Domini nostri Jesu Christi

C

servientes. *Hæc, inquam, etiamsi fortasse exaggerata sint, nec a pietate fidelium, nec a verisimilitudine abborrent.*

fabulamque de S. Dominico,

38 *At correctione indigent, quæ de S. Dominico auctor adjungit his verbis :* Quæ omnia cum sanctus Dominicus cerneret, et divinam providentiam vere ibi cognosceret, humiliter redarguens semetipsum de judicio indiscretionis prædicto, quod fecerat, genuflectens beato Francisco, dixit humiliter culpam suam, et ait : « Vere Dominus habet curam » de istis sanctis pauperculis; et ego nesciebam. » Unde ex nunc promitto servare sanctam pau» pertatem Euangelicam; et maledico ex parte Dei » omnes Fratres de Ordine meo, qui in ipso Or» dine habere proprium præsumpserint. » Fuit igitur beatus Dominicus valde ædificatus de fide beati Francisci, et de providentia divina et copia abundantissima omnis rei. Nam sic sanctus verus et sapiens Deum fidelissimum advertit in omnibus verbis suis : quia, sicut agri virgulta crescere facit Deus et lilia, et sicut pascit cæli volatilia, sic suis pauperibus cuncta præbet necessaria. *Ex hisce corrigenda quædam esse, ex supra dictis statue : nam sicut S. Dominicum præcipitis judicii reum hic fuisse, non putamus, ita nec ejusdem pœnituisse, credimus. An vero idem Sanctus strictiorem illam, quam Minores profitebantur, paupertatem Evangelicam ex eo tempore servare ac in Ordinem suum* D *introducere decrevisse credi possit, pendet ex tempore, quo is eamdem in suo Ordine lege lata stabilivit; de quo infra pluribus. Non tamen credimus, eumdem sanctum institutorem tunc etiam imprecatum esse fratribus suis, legem, quam nondum tulerat, recusaturis.*

quæ Waddingus temperatius recensuit.

39 *Vidit Waddingus, multa in relatione ista modo parum probabili exposita esse, ideoque ad annum* 1219, *num.* 16 *maluit eadem compendiose ac multum mitigata referre verbis, quæ subdo.* Severe omnibus interdixit (*S. Franciscus*) ne de rebus ad corpus pertinentibus soliciti essent, ex illa Psalmi (54, ℣ 23) sententia, « Jacta super » Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. » Aderat huic Francisci edicto B. Dominicus, eique hoc nimium visum est, cum vereretur, ne quodammodo Deus tentari videretur, si non tantæ multitudini alimenta pararentur; sed non multo post, ecce, ex omnibus finitimis urbibus et pagis concursum hominum ac jumentorum, omnem omnis generis commeatum, supellectilem et vasa deferentium : quæ res ita Dominicum permovit, ut ab eo tempore constituerit redditus omnes a suo quoque Ordine, qui tum nascebatur, removere, divino fretus præsidio, cujus tam insigne indicium oculis suis viderat. Quod et fecit anno E sequenti in synodo generali Bononiæ collecta, et ad ultimum vitæ terminum sub suæ maledictionis interminatione in eos, qui possessiones in Ordinem introducerent. *Hæc Waddingus; at mallem, ut nec præceptum* S. Francisci *affirmasset, nec judicium de illo tribuisset S. Dominico : utrumque enim profectum videtur ex nimia amplificandi libidine auctoris ignoti, qui ipso scribendi modo exaggerationes suas manifestas facit.*

Reliquæ ejusdem relationis

40 *Subjungo reliqua ex laudato libro Pisani :* In illo autem capitulo fuit dictum beato Francisco, quod multi Fratres portabant loricam ad carnem et circulos ferreos; propter quod multi infirmabantur, et impediebantur multi orare, et aliqui moriebantur. Unde ipse, sicut dulcissimus et pius pater, præcepit per obedientiam omnibus, quod, quicumque haberent loricas et circulos ferreos, in conspectu ejus deponerent. Et inventæ sunt bene quingentæ loricæ, et circuli ferrei brachiorum et ventris in tanta multitudine, quod fecerunt unum magnum acervum. Qui omnia fecit eos relinquere. Post hæc sanctus pater Franciscus, docens et consolans universos, et instruens, quomodo de præsenti seculo nequam evaderent, cum benedictione Dei et sui cunctos consolatos remisit in diversas mundi partes. *Hæc omnino consona sunt moribus* F S. Francisci, *qui, ut docent ejusdem antiqui biographi, nolebat in subditis suis nimiam austeritatem, quæ aut vitæ noxia esset, aut bona opera impediret.*

verosimiliter exaggerata.

41 *Vereor tamen, ne in illis quoque verbis exaggeratio sit, si intelligenda sint de solo Storearum, seu omnium maximo capitulo, uti sonant. Nam Tres Socii, qui omnibus capitulis a* S. Francisco *celebratis verisimiliter interfuere, in Appendice supra edita, num.* 59 *hæc de re generatim sic loquuntur :* Arguebat præterea pius Pater Fratres suos, qui nimis erant sibi ipsis austeri, vigiliis, jejuniis et corporalibus exercitiis nimium insudantes. Quidam enim se tam graviter affligebant, ut cuncta in se carnis exprimerent * incentiva, quod quilibet videbatur odire seipsum. Quos Vir Dei prohibebat, admonens eos benigne, et rationabiliter reprehendens, atque ipsorum vulnera alligans salutarium vinculis præceptorum. *Hæc illi, rerum, quæ in comitiis gestæ sunt, oculati auritique testes, nec plura. Præterea hæc auctoris ignoti verba,* propter quod multi infirmabantur, et impediebantur multi orare, et aliqui moriebantur, *si ad ipsum tempus comitiorum referenda sint, minime congruunt cum verbis S. Bonaventuræ, qui, si minus de omnibus comitiis generalibus, certe etiam de omnium maximis, quæ* Storearum *nunc vocantur, expresse asserit,* salus comitabatur corporea, *omnes scilicet, qui ad illa*

* *i. e.* extinguerent

A *illa convenerant; ac proinde nec* multi *ibi* infirmabantur, *nec propterea* impediebantur multi orare, *nec* aliqui moriebantur. *Itaque videtur relationis istius auctor, quisquis demum ille sit, multa undique accumulasse, et diversis temporibus facta, ad famosa illa comitia cum exaggeratione transtulisse.*

§ III. An S. Dominicus videri possit exemplo S. Francisci severiorem paupertatem in Ordinem suum induxisse.

Non apparet a vero alienum, S. Dominicum

Quamquam *minime credimus,* S. Franciscum *severo decreto vetuisse, ne quis in comitiis, ad quæ ultra quinque millia Fratrum convenerant, necessarium corporibus victum mendicando compararet; hunc*que *deinde a variis civitatibus et villis circumjacentibus, sola divina inspiratione subito et simul commotis, abundanter allatum fuisse eo, quo ex aliis supra relatum est, modo; quamquam etiam non putamus sine hæsitatione admittendum, quod de cibis per viginti adolescentes, puta angelos, prodigiose ministratis, ignotus scriptor Hispanus, supra pariter laudatus, tradidit; vel sic agnoscimus tamen, ingens fuisse ac manifestum divinæ providentiæ beneficium, quod quinque millibus hominum, in campo*

B *congregatis, ex sola fidelium caritate omnia necessaria abunde fuerint administrata. Imo credimus, eamdem divinæ providentiæ largitatem simili fere modo eluxisse in comitiis præcedentium annorum, quæ item numerosa fuisse, necesse est : utrumque enim non obscure indicare videtur S. Bonaventura in Vita edita num.* 52. *Hinc non improbabilis mihi apparet Franciscanorum atque hos inter Waddingi, sententia existimantium, S. Dominicum, conspecto in illorum comitiis tam evidenti divinæ providentiæ indicio, excitatum fuisse, ut et ipse possessiones et redditus sui Ordinis abdicaret, caveretque, ne in posterum admitterentur.*

S. Francisci exemplo severiorem paupertatem

45 *Indubitatum est, S. Dominicum initio Ordinis sui aliquot possessiones pro eo acceptasse, easque eidem confirmatas fuisse a summo Pontifice Honorio III; postea vero eumdem Sanctum in comitiis suis anno* 1220 *Bononiæ habitis, illis omnibus renuntiasse, legemque condidisse, ne possessiones aut redditus admitterentur imposterum. Constat similiter, Ordinem Minorum, anno* 1209 *institutum, ejusdemque fundatorem* S. Franciscum *ab ipsomet initio fundationis nullas possessiones, nullos prorsus redditus habuisse, aut acceptare voluisse; neque ullo magnorum virorum consilio ab hac sua sententia potuisse dimoveri. Nullus Religiosus Ordo hunc vivendi modum sectabatur, dum id facere cœpit*

C Franciscus, *ut testantur Tres Socii in Appendice Vitæ a me edita num.* 55; *ideoque ipsum ejusque primos socios alii passim* deridebant, quia tempore illo nullus relinquebat sua, ut peteret eleemosynam ostiatim. *Propterea episcopus Assisiensis hujusmodi vitam* S. Francisco *dissuadere conatus est, quod nimis durum videretur et asperum,* nihil in seculo possidere. *Hoc ipsum etiam tentavit Joannes de S. Paulo, episcopus Cordinalis Sabinensis; atque ipse quoque summus Pontifex Innocentius III primo distulit illius Ordinem approbare,* quod aliquibus de Cardinalibus novum aliquid et supra vires humanas arduum videretur *tantam paupertatem amplecti; quemadmodum ex primis biographis in Commentario prævio suis locis probavi, et in Vitis editis legere est. At* Francisci *constantiam iidem deinde laudaverunt, eamdemque vivendi normam Innocentius III anno* 1209 *approbavit.*

suis præscripsisse : nec oppositum probatur

44 *Rarum ergo ac insolens eo tempore erat Religiosis sine possessionibus in communi vivere, et victum mendicando quærere, quantoque magis erat inusitatum, tanto verisimilius est, Dominicum* Francisci, *amantissimi amici sui, exemplo ad strictiorem paupertatem transivisse. Sane non perspicio, qua ratione* S. *Dominici gloriæ repugnaret, si crederemus, hunc, quod recte sancteque statuit,* S. Francisci *exemplo statuisse. Verumtamen Echardus* AUCTORE C. S.

pag. 80 *vehementer se opponit, eique adstipulantur Annalistæ Dominicani, maxime pag.* 318. *Ego vero nequeo laudem* S. Francisco *debitam negare, nec asserere dubito, admodum probabile esse, S. Dominicum illius exemplo excitatum fuisse, ut possessionibus ac redditibus pro Ordine suo renuntiaret. At enim* contrarium, *inquit Echardus,* antiqua omnia monumenta evincunt; *sed nullum allegat, ex quo id evinci queat. Primo producit locum ex Vita S. Dominici per B. Jordanum scripta, qui locus pertinet ad annum* 1216, *dum de electione Regulæ S. Dominicus cum suis tractabat. Jordani verba ab Echardo relata accipe :* Proposuerunt etiam et instituerunt possessiones non habere, ne prædicationis impediretur officium sollicitudine terrenorum; sed reditus eis adhuc habere complacuit. *Respondeo, hunc locum mihi favere saltem quod ad redditus attinet : nam interpretatio, quam ibidem addit ipse Echardus,* scilicet quo usque plenam et certam haberent Ordinis confirmationem, *ea valde ambigua est, ac etiam minus verisimilis in lectione ejusdem loci, quam exhibuit Cuperus noster in S. Dominico tom. I, Augusti pag.* 550, *num.* 52. *Ibi enim sic legitur.*

ex B. Jordano, Constantino Urbevetano,

45 Proposuerunt etiam et instituerunt non habere possessiones, ne prædicationis impediretur officium solicitudine terrenorum; sed tantum reditus recipere, unde possent sibi in victui necessariis providere. *Non comparet in hoc texto vocula* adhuc, *ad quam referri posset Echardi adjecta interpretatio :* Quo usque plenam et certam haberent Ordinis confirmationem. *Codicem autem Uxamensem membranaceum, quo usus est Cuperus, quique in Museo nostro servatur, probabilissime scriptum esse ante annum* 1242, *ibidem pag.* 570 *probavit Cuperus ex eo, quod periodus, quam ex illa S. Dominici Vita eradi mandavit prædicti anni Bononiense capitulum Prædicatorum, in eodem codice sic erasa sit, ut adhuc utcumque legi possit. At in codice, ex quo eamdem Vitam vulgavit Echardus, illa periodus penitus omissa fuit; unde colligas, Echardianum codicem juniorem esse nostro, ac proinde lectionem nostri præferendam esse Echardianæ. Verba, quæ subjungit Echardus ex altera Vita S. Dominici, per Constantinum Urbevetanum scripta, sunt hæc :* Ne prædicationis, cui summopere debebant intendere, impediretur officium, proposuerunt ex tunc (*anno* 1216 *in supra dicta deliberatione de eligenda Regula*) terrenas possessiones et reditus prorsus abjicere, quod postmodum in primo capitulo generali, Bononiæ celebrato, affectu pariter et effectu per constitutionem immobilem perpetuæ fuit executioni mandatum. E

quorum loci expenduntur :

46 *Probant hæc, deliberatum quidem fuisse anno* 1216 *de possessionibus ac redditibus abjiciendis, sed simul probant, nihil hac in parte, vel tunc vel deinde, decretum fuisse ante annum* 1220, *quo prius istud consilium ac propositum* affectu pariter et effectu per constitutionem immobilem perpetuæ fuit exsecutioni mandatum. *At quis modo ex illis inferat,* S. Francisci *exemplum non fuisse incitamento Prædicatoribus illis, qui austeram illam paupertatem sectari desiderabant? Profecto* S. Francisci *Ordo et inusitata tum temporis paupertas, jam ab anno* 1209 *ab Innocentio III vivæ vocis oraculo approbata, non tam obscura erant, ut non potuerint anno* 1216 *Prædicatores ad æmulationem incitare; maxime cum eorumdem fundator Dominicus tum recens rediisset ex urbe Romana, ubi certe tanta erat de* S. Francisco *ejusque Ordine existimatio, ut mirum esset, si ea ibidem non innotuisset S. Dominico. Attamen nihil tunc ab illis hac super re decretum fuit, ut vidimus. Alter Constantini Urbevetani locus, ab Echardo productus, solum probat, Prædicatores jam ante capitulum Bononiense anni* 1220 *Romæ mendicasse. Quod cur fieri non potuerit, quamvis iisdem licitum esset offerendas possessiones admittere, vel etiam aliquot tenues jam haberent?* F

neque ex testimonio Rodulphi Faventini;

47 *Subdit Echardus locum Rodulphi Faventini, qui in processu canonizationis testatus est, S. Dominicum*

AUCTORE C. S.

nicum (anno 1219) curasse rescindendum contractum, quo possessiones Ordini dabantur Bononiæ, et adjunxit: Et noluit, quod haberent illas vel quasdam alias possessiones; sed solummodo viverent de eleemosynis, et parce: quoniam si haberent in domo, unde possent vivere in die, nolebat, quod reciperent aliquid illa die, nec mitterent pro eleemosynis. *Fateor, hinc omnino constat, jam ante annum 1220 S. Dominico fixum fuisse, nullas possessiones ulterius admittere. Verum id non adeo favet sententiæ Echardianæ, ut potius non parum obsit. Cum enim Dominicani anno 1215 reditus acceptaverint, et anno 1216 Honorius III Papa omnes possessiones eidem Ordini collatas ac in posterum conferendas gemino diplomate confirmaverit; profecto necesse est, Dominicanos inter annos 1216 et 1220 ad strictiorem paupertatem transivisse; imo etiam inter annos 1217 et 1220. Nam teste Fratre Joanne Hispano apud Echardum pag. 50, adhuc anno 1217* multæ possessiones et redditus... datæ fuerunt *Dominicanis, qui cum eodem Joanne tunc morabantur Parisiis, ab ipso S. Dominico illuc missi. Qua vero ratione dicemus, ab anno 1216 interdictas fuisse possessiones Dominicanis, si eas etiam acceptabant anno 1217. Ad hæc si procurator Bononiensis contractum donationis anno 1219 eo usque*
B *promoverit, ut jussu S. Dominici fuerit rescindendus, quo pacto dicemus, ejusdem Sancti voluntatem de non admittendis possessionibus notam fuisse anno 1219 Dominicanis Bononiensibus ante illius adventum?*

aut Humberti Chronico, aut donatione Fulconis episcopi,

48 *Opinionem suam etiam clariorem ac certiorem reddi, credidit Echardus, ex Chronico,* Humberti *dicto, ex quo sequentia recitavit:* In hoc autem capitulo (*Bononiæ anno 1220 habito*) inter multa, quæ statuta fuerunt, fuit et hoc statutum, quod amodo possessiones et reditus non reciperentur, et quod illis resignarent, quæ habebant in partibus Tolosanis. *Quid hinc sequitur?* Quod signum est, *inquit ibidem Echardus,* Tolosæ solum bona, decimas scilicet ab episcopo Tolosano jam ante inchoatum Ordinem collatas, non vero in aliis cœnobiis, ad quadraginta circiter jam erectis, recepta fuisse: alioquin tam istis, quam Tolosanis, ut renunciaretur, jussum fuisset. *Ut quis intelligat, quam hæc fallat consecutio, legat modo litteras apud Echardum pag. 15 relatas, quibus Honorius III omnes Dominicanorum possessiones acquisitas et acquirendas confirmavit; dispiciatque, an hæ litteræ videri possint concessæ Religioso Ordini, qui nec possessiones haberet, nec umquam admittere decrevisset. Advertit hoc Echardus, et difficultatem amoliri conatus, ait,*
C *ibi agi de possessionibus, S. Dominico datis ad sustentandum Prulianum monasterium sacrarum virginum, cujus curam ille susceperat, quodque jam tum numerosum erat et crescebat in dies. In hunc finem allegavit duas donationes a Fulcone Tolosano episcopo eidem Parthenoni factas, in quarum altera anni 1215 Fulco ait:* Dedimus et damus hospitale, quod est ad portam Arnaldi Bernardi, cum omnibus juribus et pertinentiis suis F. Dominico Oxomensi canonico ad opus dominarum conversarum Prulii, eis temporalia et spiritualia ministranti.

quæ cum aliis instrumentis

49 *Sit ita; sed an propterea credendum est, possessiones et redditus, de quibus in iisdem litteris fit mentio, ad Prulianense virginum monasterium pertinuisse? Inter illos etiam recensentur decimæ a laudato Fulcone concessæ S. Dominico, quas tamen ex ipsiusmet Fulconis instrumento, apud Echardum pag. 12 relato, constat ad S. Dominici ejusque sociorum Prædicatorum sustentationem donatas fuisse. Sed ut clarius pateat, Dominicanos tum alias, quam quæ ad monasterium Prulianense spectarent, tum etiam alibi, quam apud Tolosanos, possessiones habuisse, supra laudati Joannis Hispani verba, etsi paulo prolixiora, recitemus.* Item dixit, quod, cum esset cum dicto F. Dominico apud Tolosam... ipse F. Dominicus... misit hunc testem, quamvis invitum, Parisios cum ullis Fratribus clericis et uno converso, ut studerent et prædicarent, et conventum ibi facerent... Et dum ipse testis et socii stu- D
derent Parisius, data fuit ei et sociis suis... ecclesia S. Jacobi in porta Aurelianensi; ubi steterunt et fecerunt conventum, ubi multos bonos clericos receperunt, qui Ordinem FF. Prædicatorum intraverunt; et multæ possessiones et redditus eis tunc datæ fuerunt, et omnia cesserunt eis prospere, sicut F. Dominicus eis prædixerat: et etiam temporibus ipsius data fuerunt Ordini Prædicatorum castra et possessiones multæ in partibus Tolosanis et Albigensibus.

optimæ fidei conferuntur.

50 Item dixit, quod, cum Ordo Prædicatorum haberet castra et possessiones multas in partibus supradictis, pecuniam portarent secum in via, et equitarent, et superpellicea deferrent, præfatus F. Dominicus laboravit et fecit, quod fratres ipsius Ordinis dimitterent et contemnerent omnia temporalia, et insisterent paupertati, et non equitarent, et viverent de eleemosynis, et nihil secum in via portarent: et ita datæ fuerunt possessiones de Francia monialibus Ordinis Cisterciensis, et aliæ aliis. *Hæc Joannes, in processu canonizationis S. Dominici testis quintus; ex quibus quivis facile perspiciet primo, non pro solo monasterio virginum Prulianensi, sed etiam ad sustentationem Fratrum Prædicatorum; nec solum* decimas, *sed etiam* castra et possessiones multas *data admissaque fuisse ante* E
annum 1220. Manifestum est secundo, non tantum Tolosæ *vel* in partibus Tolosanis et Albigensibus, *verum etiam* Parisiis *in Francia* multas possessiones et redditus *Fratribus Prædicatoribus ante eumdem annum donata, et ab iisdem fuisse recepta; quæ scilicet* possessiones de Francia *postea datæ fuerunt* monialibus Ordinis Cistersiensis, et aliæ aliis. *Manifestum est tertio, laborandum fuisse S. Dominico, ut suos, tam in Francia seu Parisiis, quam in partibus Tolosanis et Albigensibus habitantes, induceret ad renuntiandum omnibus possessionibus suis. Forsitan ejusdem Sancti consiliis ante latum anno 1220 in capitulo Bononiensi decretum jam acquieverant Dominicani præter Tolosanos, ac propterea hi in eodem decreto fuerint specialiter memorandi.*

Respondetur etiam ad argumentum

51 *Demum Echardus ipsas Fulconis episcopi Tolosani litteras, quibus decimæ Fratribus Prædicatoribus concessæ fuerunt, adducit, ut probet, illos semper ac jam inde ab Ordinis sui primordiis sine possessionibus vivere voluisse. Selegit scilicet ex illis litteris hæc de S. Dominico ejusque sociis verba:* Qui in paupertate Evangelica pedites religiose proposuerunt incedere, et veritatis Evangelicæ verbum prædicare: et quia dignus est operarius cibo suo *etc. Ac paulo post etiam illa:* Cum enim jure cautum sit, quod aliquanta pars decimarum debeat F
semper pauperibus assignari et erogari, constat, illis pauperibus nos teneri partem aliquam decimarum potius assignare, qui pro Christo Evangelicam paupertatem eligentes, universos et singulos exemplo et doctrina donis cœlestibus elaborant ditare. *Quam nihil hæc valeant pro sententia Echardi, probant verba Joannis Hispani supra allegata, quibus testatur,* multas possessiones *postea datas fuisse Prædicatoribus. Amplexi quidem jam fuerant anno 1215, quo datæ sunt Fulconis episcopi litteræ, Evangelicam paupertatem; sed non strictiorem illam, quæ omni caret possessione in communi. Nec mirum est, si episcopus viris illis apostolicis, velut vere pauperibus, ex ecclesiæ suæ decimis succurrendum putaverit, maxime in istis eorum Ordinis primordiis, in quibus, etsi possessiones habere possent, nullas tamen, aut certe paucas, nec sufficientes habebant.*

ex dicti Fulconis episcopi litteris,

52 *Rursum anno 1216 deliberarunt quidem de possessionibus dimittendis, atque in eam sententiam multum propenderunt; at nihil tunc etiam decretum fuit: nam anno sequenti, eodem Joanne teste, Parisiis* multæ possessiones et redditus *eisdem* datæ fuerunt; *perrexeruntque Prædicatores possessiones admittere verisimiliter usque ad æstatem anni 1219, quando S. Dominicus Bononiam veniens, contractum, quo procurator illorum (utique quia id sibi licitum*

A *licitum putabat*) *quasdam* possessiones *admittebat*, et facta erat inde charta coram episcopo Bononiensi, *qui proinde nihilo magis, quam procurator iste, id vetitum sciebat, rescindendum curavit, uti ex Rodulpho Faventino vidimus supra. Tandem anno* 1220 *in capitulo Bononiensi S. Dominicus cum suis decrevit, nullas deinceps possessiones admittere, acceptasque, quæ nondum dimissæ fuerant, penitus abdicare; tuncque prius istud consilium de strictissima paupertate Evangelica amplectenda* affectu pariter et effectu per constitutionem immobilem perpetuæ fuit executioni mandatum; *uti iisdem vocibus testatur Constantinus Urbevetanus in Vita S. Dominici.*

concluditurque, sententiam affirmantem

33 *Nullum igitur in allegatis ab Echardo, quibus alia non addiderunt Annalistæ Dominicani, vetustum monumentum invenio, quo veter existimare, S. Dominicum fuisse exemplo* S. Francisci *stimulatum ad strictissimam paupertatem sectandam, ac sine ullis redditibus vivendum ex eleemosynis. Dum tamen quæro scriptorem synchronum, qui id ita factum affirmet, nullum pariter reperio, ut non ausim certum dicere, quod certo caret testimonio. Huc itaque solum controversia recidit, an verisimilitudo faveat asserto scriptorum mediæ ætatis, qui asserunt, S. Dominicum exemplo* S. Francisci, *visoque in hu-*

B *jus comitiis insigni divinæ providentiæ seu miraculo, seu exemplo, motum fuisse, ut parem paupertatem in suo quoque Ordine perpetua lege stabiliret. Ego, huic opinioni verisimilitudinem quam maxime favere censeo. Cum enim id temporis non alii Religiosi, quam Franciscani Minores, arctissimam illam paupertatem profiterentur, quam jam inde ab anno* 1209 *per approbatam ab Innocentio III Regulam fuerant amplexi; cumque anno* 1216 *S. Dominicus jussus aliquam ex approbatis Regulis eligere, deliberaverit cum suis de eadem illa arctissima paupertate in suo Ordine observanda; nonne in primis verisimile est, hanc ei injectam cogitationem fuisse ab exemplo* S. Francisci?

minime esse improbabilem.

34 *Porro cum S. Dominicus anno* 1218 *vel* 1219 *comitiis Franciscanis interesse potuerit* (*uti ipsum aliquando, sed incerto tempore, interfuisse, agnoscunt Annalistæ Dominicani, Franciscani vero, id in comitiis anni* 1219 *factum esse, asserunt*) *in iisque experiri potuerit illustre exemplum divinæ providentiæ, quæ, sicut de comitiis generalibus omnibus generatim observavit Bonaventura, faciebat, ut congregatæ multitudini fratrum esset* victus sufficientia; *cumque Dominicus eodem anno* 1219 *possessiones Bononiæ oblatas vetuerit admitti, ac demum anno* 1220 affectu et effectu per constitutionem immobilem

C perpetuæ... executioni *mandans, quod anno* 1216 *cum suis deliberaverat facere, omnes tam possessiones quam redditus in Ordine suo abdicari jusserit, ac imposterum ullos recipi vetuerit; non possumus non verisimile judicare, S. Dominicum in Minorum comitiis novo stimulo incitatum fuisse ad imitandam hac in parte peculiaris amici sui, pauperrimi* Francisci, *professionem. Hæc paulo latius disserenda putavi, ut judicet æquus lector, an tam certa sit Echardi opinio, quam adversus Cuperum eam esse volunt Annalistæ Prædicatorum.*

§ IV. Alia quædam de amicitia et colloquiis SS. Francisci et Dominici.

Dicuntur iidem duo Sancti Romæ colloquuti fuisse

Nonnulla quoque alia, quæ inter SS. Franciscum ac Dominicum gesta leguntur, utcumque examinavit Cuperus in laudato Commentario ad Acta S. Dominici § 33. *Nequeo tamen eadem hic prorsus omittere; præsertim quod maxime accepta sint ex documentis de* S. Francisco *scriptis. In primis adduxit Cuperus locum ex S. Antonino part.* 3, *tit.* 24, *cap.* 2, § 2 *de colloquio* in turbe Romana *habito laudatos Sanctus inter atque utriusque amicum Hugolinum, tum temporis Cardinalem episcopum Ostiensem, postea summum Pontificem,* Gregorium IX *appellatum. Colloquium hoc etiam retulerat Waddingus, modo* Rotæ, *modo* Perusii, *habitum inquiens, ut mox videbimus. Cuperus addidit consentientes de colloquio scriptores Dominicanos recentiores, Ferdinandum de Castillo, Malvendam et Socgium. Addo ego illis omnibus antiquiorem, ejusdem Ordinis Prædicatorum, Jacobum de Voragine, qui floruit sæculo* XIII, *sanctoque Antonino hic præluxit; nisi forte Antoninus eadem acceperit ex documentis, Jacobo de Voragine paulo vetustioribus.*

AUCTORE C. S.

cum Cardinale Ostiensi de dignitatibus non admittendis,

36 *Itaque laudatus Jacobus in Vita* S. Francisci *hæc memorat:* In urbe Roma clara illa luminaria orbis, scilicet beatus Franciscus et beatus Dominicus, coram domino Hostiense, qui postea fuit summus Pontifex, aderant. Dixitque eis episcopus: Cur non facimus de vestris fratribus episcopos et prælatos, qui documento et exemplo ceteris prævalent? Fit inter Sanctos de respondendo longa contentio. Vicit tamen humilitas Franciscum, ne se præponeret; vicit et Dominicum, ut primus respondendo humiliter obediret. Dixit ergo beatus Dominicus: Domine, gradu bono, si cognoscunt, sublimati sunt fratres mei; nec pro meo posse permittam, ut aliud assequantur specimen dignitatis. Post hæc respondens sanctus Franciscus, dixit: Domine, Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. *In hac relatione certe nihil est, quod a duorum Sanctorum laudatique Cardinalis moribus absonum sit, aut alienum. Qui vero eam dedit, auctor, paucis post* Francisci *obitum annis natus, potuit multos ipsius discipulos novisse; imo ex his etiam consulere, dum ista scriberet. Quapropter omnino satis vetustus est scriptor ille ad fidem faciendam, licet alii antiquiores, quos ego quidem legerim, ea de re sileant: nam Legenda Trium Sociorum, quam Waddingus laudavit in margine, non meminit; meminit tamen Speculum Vitæ* S. Francisci, *quod nonnulli Tribus illis Sociis perperam attribuerunt.* E

quod de Francisco sine loco colloquii asserit Bonaventuræ.

37 *Verumtamen huc spectant, quæ habet S. Bonaventuræ in Vita edita cap.* 6, *num* 78 *sic inquiens:* Cum autem requireret ab eo dominus Hostiensis, Ordinis Minorum protector et promotor præcipuus (qui postmodum, juxta quod idem Vir sanctus prædixerat, ad summi Pontificatus sublimatus honorem Gregorius nonus est dictus) utrum sibi placeret, quod fratres sui promoverentur ad ecclesiasticas dignitates, respondit: Domine, Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. Si vultis, ait, ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum, et ad prælationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis. *Ex hisce certum est,* S. Franciscum *de eadem re a Cardinale Ostiensi* F *aliquando fuisse interrogatum, idemque responsum dedisse, quod ab eodem datum Jacobus de Voragine asseruit. Bonaventuræ verba adoptavit Pisanus in Conformit.* 12, *parte* 2, *fol.* 135, *col.* 3 *editionis Mediolanensis anni* 1510, *et æque ac Bonaventura, de S. Dominico ibi siluit. Contra S. Antoninus loco supra citato Jacobi de Voragine dicta fere descripsit.*

De Dominico id negat Echardus,

38 *At Echardus in Bibliotheca pag.* 80, *S. Dominici in eo colloquio præsentiam negare malens, assertum Waddingi argumentis, quæ subdo, oppugnat. Primum petiit a silentio S. Bonaventuræ omniumque scriptorum Ordinis Prædicatorum,* qui ante MCCC floruerunt. *Hinc enim, inquit,* istud postea adinventum, credere est, ab iis, qui res, ut apud primos ac ingenuos auctores legitur, simpliciter narrare non sustinent, nisi novis pro libito circumstantiis augeant et adornent. *Bonaventuræ silentium nullius roboris hic esse, probavi supra num.* 16 *et seqq.; quippe qui etiam arctam illam, quæ inter* SS. Franciscum *et Dominicum certe viguit, amicitiam tacuit, licet eam ignorare nequiverit. Imo nec S. Dominicum in tota* Francisci *Vita usquam nominavit, vetustiorum ejusdem Sancti biographorum exemplo, qui omnes, quasi ex condicto abstinuisse videntur a rebus, ad S. Dominicum spectantibus, ut Dominicanis fundatoris sui gesta scribenda*

AUCTORE C. S.

scribenda omnino relinquerent. Eo autem facilius potuit Bonaventura, et, qui hujus textum fere transscripsit, Pisanus, de Dominico hic tacere, quod nihil opus esset ipsius meminisse, ut humile S. Francisci *ad quæstionem Cardinalis responsum posteritati commendarent.*

cujus rationes petitæ a silentio scriptorum,

59 *Forte, dum hæc scriberet Echardus, non meminerat de loco Jacobi de Voragine, quem ipsemet in laudata Bibliotheca pag.* 454 *et sequenti natum statuit circa annum* 1230, *S. Dominici Ordinem ingressum anno* 1244, *mortuumque anno* 1298; *aut, si tunc meminerit, locum illum Jacobo tribui non posse censuit, quod is Sanctorum Legendas non scripserit, sed ab aliis scriptas in uno volumine compilaverit. Fateor; sic Jacobus ipse de se testatus est, sed et addidit, se* multa *iisdem adjecisse* de Historia Ecclesiastica... et de Chronicis diversorum auctorum. *Ita est : hac ratione nec ego producere possum quempiam scriptorem Dominicanum, quid id ante annum* 1300 *tradiderit. Sed eodem argumento pariter evincitur, istud non* postea, *seu post dictum annum* 1300 *sinceris monumentis ab aliis pro libito adjectum fuisse, sed dudum ante sæculi* XIII *finem, vel in Legenda vel in Chronicis, quibus laudatus Jacobus usus est, lectum fuisse; atque ita assertionis augetur antiquitas; quæ cur silentio*
B *scriptorum Ordinis S. Dominici nequeat æquiparari aut etiam præferri?*

et Waddingi de loco ac tempore sententia,

60 *Alterum argumentum suum Echardus ibidem proponit his verbis :* Nec S. Antoninus, nec, qui eum ex nostris excipiunt, Waddingum quicquam juvant : ille enim, non Perusii (*ut voluit Waddingus*) sed Romæ habitum hoc colloquium scribit absque nota anni. Soegius noster Anni Dominicani Gallici T. 1 Augusti pag. 581, Romæ item collocat ante Pascha anni MCCXX; quod cum chronologia vitæ S. Francisci nullo modo cohæret. Nam post annum MCCXVI ambos Sanctos Romæ convenisse, negat et probat Waddingus. Anno autem MCCXX vix e Palæstina vel Syria, ubi annum circiter hæserat, redux S. Franciscus, non Romam, sed per plures Longobardiæ civitates, pedetentim Assisium, ubi plurima ipsi negotia erant, se contulit. Tot incerta S. Bonaventuræ narrationi standum evincunt, nihilque addendum; *ac proinde supra dictum S. Dominici colloquium negandum.*

non evincunt id falsum esse,

61 *Nec ego consentire possum Waddingo ad annum* 1219, *num.* 1 *et* 2 *colloquii locum assignanti* Perusium; *quia nullum ex antiquioribus legi, qui, dum locum exprimit,* Romam *non assignet. Rationem mutatæ sententiæ* (*nam et ipse istud Romæ habitum fuisse, alibi dixerat*) *idem Waddingus affert hoc modo :* Sunt, qui putaverint, hoc initum alloquium
C in Urbe, quos ego sequutus sum in collectione Opusculorum sancti Patriarchæ (*Francisci;*) sed magis credendum hic judicaverim B. Leoni, testi oculato, ipsiusque hujus intineris socio. Qui et
* *an* indiciis? alia addit de confirmato et stabilito variis judiciis * firmo pacis et amicitiæ fœdere inter eos, eorumque posteritatem *etc. Ast quale est istud Leonis Opusculum, in quo illa legi affirmat? In margine ibi laudat Legendam Trium Sociorum, quorum Leonem unum fuisse, certum est; neque ullum aliud Opusculum ei attribuit in Scriptoribus Minorum; nec illam ipsam Legendam a se umquam visam fuisse, nec ubi ea exstet, ut solet alias facere, annotavit. Verum in ea, quam ego velut Appendicem ad Vitam primam edidi, nihil de illo colloquio legere est; in exemplaribus autem Speculi vitæ* S. Francisci, *quod aliqui Trium Sociorum fœtum esse, non recte crediderunt, tam editis, quam Mss., quæ apud me sunt, colloquium* Romæ *figitur, non* Perusii; *ut ante me observavit Cuperus noster in S. Dominico pag.* 487, *num.* 660. *Quam ob rem ego quoque assentior quidem Echardo, id non evenisse Perusii; sed ex loco per Waddingum male assignato nihil evincitur adversus colloquium ipsum, quod apud Jacobum de Voragine, S. Antoninum, collectorem Speculi, aliosque recentiores,* Romæ *habitum fuisse, constanter asseritur.*

62 *Existimare etiam cum Echardo per me licet, non recte a Waddingo colloquium fixum anno* 1219, *quod hic ex nullo veterum didicit. Quod ait ibidem Echardus :* Post annum MCCXVI ambos Sanctos Romæ convenisse, negat et probat Waddingus; *negatum quidem ab hoc, non tamen probatum legi. Locus Waddingi, quem non indicavit iste, habetur, nisi fallor, ad dictum annum* 1216, *num.* 17, *nimirum hic :* Nullo alio, quam hoc et superiori anno, inveni, simul convenisse Romæ hos sanctos Patriarchas; quare persuasum mihi habeo, vel illo, vel isto, supervenisse sanctum illum virum Angelum Carmelitam, *cujus scilicet propheticum cum iisdem duobus Sanctis colloquium tunc commemorat; quod quam suspectum falsitatis sit, et contra rectam chronotaxim eidem anno a Waddingo illigatum, vide apud Cuperum in Commentario prævio de S. Dominico pag.* 445, *laudatumque ab eo ibidem Papebrochium, de quo propterea hic plura non addo. Porro, quamquam ex defectu veteris testimonii certum designare annum nequeam, quo aliud illud, de quo nunc ago, Sanctorum cum Hugolino colloquium contigerit, potuerunt tamen illi ex chronotaxi mea Romæ simul versari annis* 1217 *et* 1218; *imo etiam* 1220 *et* 1221 : *non enim tamdiu, quam Waddingo visum fuit,* Franciscum *in Syria aut Palæstina moratum esse, existimo, ut dixi in Commentario* E *prævio* § 17, *ubi ejusdem inde reditum ante finem anni* 1219 *figi posse, observavi.*

D *quamvis ipse colloquii annus certo nequeat designari.*

Minus etiam certa sunt alia quædam,

63 *In Speculo vitæ* S. Francisci *præter ea, quæ supra retuli, paulum mutata, de eodem colloquio adduntur quædam alia, etiam magis incerta, quæ ex editione Bosquieriana part.* 1, *cap.* 42 *hic transcribo* : Discedentibus autem ambobus simul (*ex prædicto colloquio*) rogavit B. Dominicus, ut dignaretur ei donare chordam, qua cingebatur. Recusavit B. Franciscus ex humilitate, sicut ille poscebat ex charitate. Vicit felix tandem postulantis devotio, et chordam B. Francisci, per violentiam charitatis acceptam, ipse B. Dominicus sub inferiori tunica cinxit, et ex tunc devote portavit. *Waddingus eadem memorans, laudavit hic rursus fratrem Leonem in Legenda Trium Sociorum, quia videlicet (nisi fallar) Speculum eo nomine ab aliquo allegatum legit; nam in ea quidem, quam edidi, factum hoc, æque ac colloquium, tacetur. Addidit et Bernardum a Bessa, sed, ut etiam alias solet, solo nomine, ut Opus illud, si quod exstet, non habuisse videatur; quod nec nos vidimus. Adjungit præterea Colvenerium, doctorem Duacenum sæculi* XVII, *aliosque, quorum auctoritas nihil hic potest prodesse. Laudare etiam potuit* (*sed pro re gesta Romæ*) *Pisanum, in Conformit.* 1, *fol.* 14, *col.* 2 *dicentem :* F Decimo nono, beatus Franciscus fuit declaratus beato Dominico de Ordine Prædicatorum, qui cum beato Francisco se Romæ reperiens, in mutuos ruentes amplexus, sanctus Dominicus cordam petens beati Francisci, cum impetrasset, et a beato Francisco recepisset, dixit beatus Dominicus pluribus, qui aderant : In veritate dico vobis, quod hunc virum sanctum Franciscum ceteri Religiosi sequi deberent : tanta est suæ sanctitatis perfectio. *Hæc ex Pisano.*

quæ inter utrumque Sanctum in hoc colloquio intercessisse.

64 *In Speculo subduntur ista :* Tandem alter posuit manus suas inter manus alterius, et alter alteri se mutua recommendatione dulcissime recommendavit; dixitque B. Dominicus B. Francisco : Vellem, frater Francisce, unam Religionem fieri tuam et meam, et nos in Ecclesia vivere pari forma. Post hoc cum se invicem separabant, dixit B. Dominicus pluribus, qui astabant : In veritate dico vobis, quod hunc sanctum Virum omnes Religiosi imitari deberent : tanta est enim sanctitatis ejus perfectio. *Videntur hæc ex Pisano accepta, sed ita ut collector Speculi conjunxerit, et ad unum idemque colloquium retulerit, quæ Pisanus variis in locis dixerat. Nam de S. Dominici desiderio, ut unus utriusque esset Ordo, apud hunc in Conformit.* 12, *fol.* 136, *col.* 4 *sic legitur :* Cum B. Dominicus diceret B. Francisco : Vellem, frater Francisce,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A cisce, unam Religionem fieri tuam et meam; et nos in Ecclesia vivere pari forma; respondit B. Franciscus, divinæ esse voluntatis, distinctos Ordines per ipsos ordinari, ut, si alicui durum videretur Ordinem unum introire, ad alium posset accedere, et tali modo Deus non perderet animas fidelium, sed lucraretur.

aliqui recentiores scripserunt;

63 *Echardus, qui non modo singula colloquii adjuncta, verum etiam ipsum colloquium* (*ut vidimus*) *confictum censuit, quæ de petita chorda, seu fune cinctorio hic dicta sunt, vehementer impugnavit. Argumenta ipsius expendit Cuperus in S. Dominico pag.* 488 *et sequenti, ad eaque sic respondit, ut ostenderit, ea nequaquam ejusmodi esse, quin omnem vim suam amittant*, si Franciscani ex antiquis Mss. codicibus legitime probaverint, hanc narrationem ab oculato teste, nimirum fratre Leone (*ut asseruerat Waddingus*) aliisque supparibus Ordinis sui historicis posteritati relictam esse. *Hoc vero* (*fateor*) *nec ab illis hactenus præstitum vidi, nec ego possum præstare. Quare, ut mentem meam de tribus illis factis, quæ apud Pisanum seorsum leguntur, sed veluti eodem tempore eodemque in congressu contigissent, conjunguntur in Speculo, breviter exponam; dico, amborum Sanctorum cum Cardinale Ostiensi de ecclesiasticis prælaturis colloquium, quale a Jacobo de Voragine memoratur, mihi admodum probabile apparere, utpote traditum a scriptore suppari, Dominicano, qui illud etiam ex amborum sociis facile potuit accepisse; eorumdemque Sanctorum ac Hugolini moribus valde congruum. Multo minus probabilis mihi est narratio petiti concessique funis cinctorii, cujus antiquiorem auctorem non habemus, Pisano, qui sub finem sæculi* XIV *scripsit, nec defectum ætatis accurata crisi supplevit.*

B

atque inter hæc unum minime verisimile est.

66 *At pene incredibile mihi videtur, desiderasse S. Dominicum, ut ex duobus Religiosis Ordinibus, qui tunc magno cum labore ac manifesto nutu divino recens instituti, et a summo Pontifice probati fuerant, eximiisque ambo florebant virtutibus, unus fieret, sive id intelligendum sit de Prædicatoribus ad Franciscanorum Institutum et regulam, sive de Franciscanis ad Prædicatorum Ordinem transferendis; quod utrumque recte negavit Echardus. Pisanus autem, quem optima quidem fide, sed non pari accuratione in scribendo usum esse, existimo, forte in eam opinionem inductus fuerit ex dicto aliquo ambiguo, ut contingere solet scriptoribus nimium credulis, qui a rebus gestis, quas tractant, remotiores sunt tempore. Desideravit procul omni dubio S. Dominicus, ut geminus Religiosus Ordo, etsi diversis uteretur legibus, mutua charitate conjunctus, ac sic velut unus esset; forte etiam, ut supra dictum est, strictissimam Franciscanorum paupertatem ex horum exemplo in Ordine suo adoptavit; at de ambobus Ordinibus redigendis in unum, numquam ille cogitavit; quantum ego quidem existimo.*

C

Asserta inter ambos Sanctos consuetudo

67 *Eximia illa animorum mutua charitate conjunctio, quam ambo sancti Institutores et in se ipsis foverunt, et inter suos perpetuam esse voluerunt, ex antiquis scriptoribus certa est, ortaque ex divina visione S. Dominico oblata Romæ anno* 1215, *seu potius* 1216, *sicut ex Theodorico de Appoldia probavi in Commentarii prævii* § 14. *Theodorico ibidem addidi Gerardum de Fracheto, lectore remisso ad Cuperum nostrum in Commentario prævio ad Acta S. Dominici tom. I Augusti, pag.* 442. *At modo juverit ipsa Gerardi verba recitasse. Is post expositam cælestem visionem sic prosecutus est :* Sanctus igitur Dominicus in visione illa Socium (*Franciscum a Christo ejusque Matre illi designatum*) diligenter considerans, quem ante non noverat, in crastinum cum in ecclesia eum invenisset, ex iis, quæ nocte viderat, recognovit, et in oscula sancta ruens et sinceros amplexus, dixit : Tu es socius meus; tu curres pariter mecum : stemus simul, et nullus adversarius prævalebit. Visionem etiam illam ei narravit, et ex tunc facti sunt corunum et anima una in Deo; quod et suis posteris mandaverunt in perpetuum, *nempe observari.*

68 *Ante utrumque scripsit Bartholomæus Tridentinus, et ipse quoque Ordinis Prædicatorum, qui in Vita S. Dominici, apud Cuperum secundo loco data, num.* 9 *de mutua illa eorumdem amicitia sic meminit :* Claruit eisdem temporibus sanctus Franciscus, qui Ordinem Fratrum Minorum instituit : ei tanta caritate sanctus Dominicus fuit conjunctus, ut idem velle, et idem nolle esset uterque **. Consonat etiam vetus ille S. Dominici biographus Hispanus, ejusdem Ordinis Prædicatorum alumnus, cujus verba retuli* § 1, *paucaque hic repeto :* Postquam enim (*inquit*) ei (*Dominico*) datus (*Franciscus*) est in socium a Domino (*in visione Romana*) nihil umquam plus eo dilexit; quod vicissim S. Franciscus retribuebat; atque ita sæpius se quærebant ad alternam consolationem et confabulationem *etc. Ex his atque similibus forte nata est occasio credendi, desiderasse Dominicum, ut ex ambobus Ordinibus unus fieret, quod sane illorum veterum nullus dixit, aut etiam vel leviter insinuavit.*

AUCTORE C. S.

etiam magis stabilitur ex scriptorum testimoniis,

* *an* utrique?

69 *Haud satis perspicio, an Annalistæ Dominicani tom. I, pag.* 352 *illam ipsam peculiarem amborum consuetudinem, omniaque inter eosdem habita colloquia, an solum quædam eorumdem singularia adjuncta, in dubium voluerint vocare. Certe ibidem generaliter loquuntur hoc modo :* Quamquam haud scio, sintne illa, quæ de Dominici et Francisci consuetudine et colloquiis narrantur, adeo certa, ut Waddingus putat, satisque possint solide firmiterque defendi; quum plerosque quidem offenderim, qui illa OB EAM IPSAM CAUSSAM in dubiis rebus collocarent, quod externis scilicet testimoniis invecta in historiam fuissent Prædicatorum. *Nihil refert, quod Annalistæ non nominent* plerosque *illos, ex quorum judicio consequens fieret, in historia Dominicana nihil posse pro certo haberi, quod aliunde, quam ex domesticis testimoniis in eam relatum sit. Nihil, inquam, id refert : nam etsi* plerique *illi noti forent, paucos, opinor, inveniendos eruditos, qui ex istorum judicio novam illam critices regulam sectaturi essent. Nec vero animadverterunt illi, quo hæc tenderent : nam si omnia externorum asserta* ob eam ipsam caussam, *quod ab externis sint profecta, in historia Dominicana in dubiis collocanda sint, quid fiet testimoniis externorum in processu canonizationis S. Dominici consignatis?*

quæ a nonnullis pro suspectis habita

E

70 *Verum observemus denuo, quæ sint ista testimonia, quæ ob allegatam causam non possint Dominici cum* Francisco *necessitudinem certam facere, omniaque eorumdem colloquia debeant reddere dubia. Dominicanus certe fuit Bartholomæus Tridentinus, qui, teste Echardo in Bibliothecæ tom. I, pag.* 110, vel ab ipso B. Dominico, vel ejus primorum sodalium aliquo, vestem induit *Dominicanam. Atqui ex hujus verbis, num.* 68 *datis, constat de mutua inter laudatos sanctos fundatores necessitudine et colloquiis; quo enim teste aut argumento dicetur Bartholomæus ista solum ab externis didicisse, aut loqui de amicitia, quæ tantum inter absentes orta sit, ac sine ullis colloquiis viguerit? Gerardus de Fracheto pro visione S. Dominico oblata Romæ, hancque secuto inter ambos Sanctos colloquio laudavit testimonium, externum quidem, sed minime suspectum.* Frater quidam Minor (*inquit*) religiosus et fide dignus, qui socius beati Francisci multo tempore fuit, narravit quibusdam Fratribus (*Dominicanis, existimo*) quorum unus hæc magistro Jordano (*proximo S. Dominici in generale Ordinis Magisterium successori*) scripsit. *Itaque, ut alibi jam observavi, S. Dominicus visionem suam primus revelavit* S. Francisco, Franciscus *eamdem secutumque colloquium socio suo, hic quibusdam Dominicanis, atque horum tandem aliquis scripsit ad Jordanum, ex cujus ore eadem discere potuit Gerardus de Fracheto.*

ponderantur

F

71 *Hinc etiam Theodoricus de Appoldia ejusdem facti notitiam ipsis SS. Dominico et* Francisco, *veluti primis auctoribus, acceptam retulit, de Dominico dicens :* Visionem etiam narravit illi (*nimirum Francisco.*) Ex tunc ergo facti sunt cor unum et anima una in Domino; quod etiam posteris mandarunt

probanturque,

AUCTORE C. S.

darunt [observari.] Hujus visionis seriem et cognitionem per S. Franciscum meruimus accipere. *Unde ea, quæ num.* 11 *et duobus seqq. supra retulimus, acceperit Anonymus Hispanus biographus S. Dominici, non reperi; verum is certe pro re tam comperta habuit amborum consuetudinem ex Romana visione contractam, ut hanc non dubitaverit bis allegare; primo notans, cur S. Dominicus ad comitia Minorum accesserit, verbis, quæ num.* 68 *repetii; atque iterum in fine narrationis suæ, ut eumdem accessum credibiliorem faceret, subjiciens :* Neque adeo admirandum est, quod pater noster S. Dominicus, alieni Instituti author, synodo interfuerit Minorum; quia pater noster S. Dominicus et S. Franciscus erant chari socii, et ex corde se invicem diligebant.

et firmatur ex epistola encyclica

72 *Modo statuat æquus lector, an allata testimonia ejusmodi sint, ut eam ipsam ob causam, quod ab externis profecta sunt, suspecta esse debeant, vel etiam possint. Pro eadem inter ambos sanctos Institutores asserta singulari amicitia et consuetudine solide confirmanda adde litteras, quas utriusque Ordinis superiores Generales, Humbertus scilicet Prædicatorum, Minorum vero Joannes Parmensis, ut subditos suos ad mutuam charitatem hortarentur, communi consilio scripserunt, quasque editas habes*
B *apud S. Antoninum part.* III, *tit.* 23, *cap.* 13, § 5; *et apud Waddingum in Annalibus ad annum* 1233, *unde sequentia accipe.* O quantum exemplum mutuæ charitatis et pacis requirunt a nobis Patres nostri, beatus Franciscus et beatus Dominicus, ceterique fratres nostri primitivi, qui sic in vita sua se tenere dilexerunt, tamque sinceræ charitatis indicia ostenderunt, videndo se, sicut angeli Dei; suscipiendo se invicem, sicut Christum; honore invicem præveniendo; in profectu mutuo congaudendo; altis se præconiis extollendo; utilitates mutuas promovendo; fideliter a scandalis et turbationibus alterutris cavendo cum summa diligentia *etc.*

ab amborum Ordinum Generalibus scripta.

73 *Hæc illi triginta circiter post* S. Francisci *obitum annis, quo tempore utcumque turbari cœperat inter ambos Ordines pax et concordia, quæ nullum dubium relinquere possunt de singulari, quæ inter eorumdem Institutores amicitia, sanctis colloquiis non raro culta, viguit. Porro huic Joanni Parmensi anno sequenti in generale Ordinis Minorum Ministerium successit S. Bonaventura, qui proinde non magis, quam ille, eamdem ignorare potuit, nec tamen in Vita* S. Francisci *vel verbo insinuavit, quamvis esset relatu dignissima; quod observasse juverit adversus Annalistas Prædicatorum, qui, dum de S. Dominici in capitulo Storearum præsentia agitur,*
C *ejusdem sancti doctoris de hac silentium pro invicto adversus eamdem argumento volunt haberi. Verum ista vide pluribus supra* § 1. *Progredior ad alia peculiaria, quæ de eadem* Francisci *cum Dominico pia consuetudine apud varios leguntur.*

Dicuntur etiam ambo simul fuisse Cremonæ, ibidemque S. Dominicus

74 *Alterum amborum Patriarcharum congressum Cremonæ in ducatu Mediolanensi narrat Petrus Calo in Vita S. Dominici, vulgata ad calcem tomi I Annalium Prædicatorum, ubi col.* 345, *num.* 21 *sic ait :* Contigit semel, B. Dominicum et Franciscum pro suorum institutione et augmento Ordinum per Lombardiam euntes, simul esse Cremonæ, et, cum B. Dominicus B. Franciscum in suo visitasset loco, simulque ambo, ut eorum moris erat, de spiritualibus loquerentur, fratres quidam de Ordine B. Francisci accedentes ad ipsum dixerunt : Cum in loco isto aquam claram non possimus habere, rogamus vos patres nostros, servos Dei altissimi, ut oretis Dominum, ut putei nostri aquam sanare dignetur, quæ turbida est et corrupta. Cumque Patres sancti se invicem respicerent, et pro responsione facienda unus alium invitaret, B. Dominicus dixit fratribus : Haurite de aqua ipsa, et afferte nobis.

in conventu Minorum lutosum puteum

75 Cum autem ei attulissent in vasculo, et, ut ipsi dixerant, corrupta videretur et turbida, B. Dominicus dixit B. Francisco : Benedic, Pater, aquam istam in nomine Domini. Beatus autem Franciscus D
respondit : Benedic tu eam, pater; quia major es. *vertisse in*
Et cum diu pia reluctatione se invicem honore *limpidum,*
prævenissent, B. Dominicus coactus a beato Francisco signum Crucis super vasculum aquæ dedit, et jussit, ut aqua illa benedicta statim funderetur in puteum. Quo facto, jussit hauriri; quæ confestim ab omni turbulentia purgata clarissima effecta est, ipsamque sinceritatem usque hodie, operante Domino, conservavit. *Hæc omnia admodum probabilia sunt, utpote relata a biographo, qui circa annum* 1304 *scripsisse dicitur, nec modo nihil involventia, unde possint reddi suspecta, verum etiam traditioni Cremonensium, ceterisque de eodem puteo mox dicendis conformia. Cuperus noster in S. Dominico* § 38 *a num.* 719 *plures refert ejusdem miraculi relationes recentiores, invicem minus consentientes, quibus omnibus præferenda est mox data narratio, cujus auctor reliquis præstat ætate. Proinde ex hac in istis corrigenda sunt, tum alia, tum inepte asserta præsentia S. Claræ, quam constat, tum temporis suo S. Damiani monasterio Assisiensi cum sacris, quibus præerat, virginibus inclusam vixisse.*

76 *Quod ad tempus spectat, potuit congressus iste* *ægrisque salubrem, qui hactenus superest.*
Cremonensis contigisse anno 1220, *quo probabiliter figitur a Waddingo et aliis quibusdam recentioribus, quibus etiam consentiunt Annalistæ Prædicatorum. De modo, quo prædictus puteus, cujus aqua postmodum pura semper permansit, anno* 1649 *fuit obturatus, annoque* 1728 *denuo detectus, multisque ægris saluberrimum potum subministravit, tractat libellus typis Cremonensibus vulgatus, cujus meminit Cuperus ibidem in S. Dominico, ad quem ista propius pertinent. Laudati Annalistæ Dominicani præmissis hæc subdunt :* Nunc nostri eum puteum possident, multosque ea epota aqua, S. Dominici meritis a morbis sanatos fuisse, ferunt. Quod si quisquam, quemadmodum is puteus in nostrorum potestatem venerit, percunctetur, huic indigenæ respondebunt, Minoritarum cœnobium proximum nostro fuisse; quumque temporum injuria ædificia diruta funditusque eversa fuissent, eum locum omnem cecidisse in ditionem Prædicatorum. E

77 *Rursum Cuperus en eodem* § *num.* 716 *ex* *Omninoincertum mihi est, an Bergomi quoque.*
Waddingo ad annum 1220 *præterea refert, utrumque sanctum Patriarcham eodem anno simul fuisse Bergomi, quod altera Longobardiæ civitas est, nunc ditionis reipublicæ Venetæ; ac Dominicum tunc ibidem hospitatum* in sacello S. Mariæ Magdalenæ, sito in arce; Franciscum *vero* in oratorio S. Vigilii, episcopi Tridentini, sito prope ipsam arcem; *ac denique inde recessuris a senatu populoque Bergomensi duas ecclesias donatas; nimirum S. Stephani*
F *Dominico, et S. Joannis Baptistæ* Francisco : *quia tamen hæc non nisi recentiorum testimoniis nituntur, eorumdem fidei Cuperus reliquit. Hujus ego exemplum secutus nihil addam de quorumdam dissensu in assignando adventus in eam urbem anno, moraque* Francisci *in eadem, quam illorum aliqui ab anno* 1218 *usque ad* 1220 *per duos continuos annos manifesto errore historico protractam voluere.*

78 *Ambos quoque tunc Brixiam progressos esse,* *Brixiæ ac Florentiæ*
insuper scribit Waddingus; et pro S. Dominici quidem ad hanc civitatem circa eum annum accessu laudavit Cuperus num. 117 *Jacobum Malvecium, qui sæculo* XIV *ineunte floruit, in Chronico Brixiano; at de* Francisco *hic nulla exstat mentio. Waddingus autem testatus est solum Gonzagam in provincia Brixiæ, conventu* 26, *qui* Gardæ *dicitur, quo in loco ex antiquis litteris affirmatur quidem, hunc conventum a* S. Francisco *aliquando occupatum fuisse, sed illius cum S. Dominico ad Brixianam civitatem accessum ibi frustra quæres. Idoneo etiam fundamento destituta videntur, quæ apud sæpe dictos Annalistas pag.* 272 *et sequenti ex Stephano Roselio referuntur, eosdem scilicet Sanctos Florentiæ in Etruria* eo loco, ubi nunc porticus xenodochii S. Pauli est constructa, collocutos aliquando una fuisse; atque ejus rei caussa eorum simulacra cretacea

A tacea ab Augustino della Robbia, primo hujus generis imaginum inventore, confecta, quæ sese invicem complecti viderentur, quæque supra fores templi S. Pauli collocata sunt.

simul fuerint morati.

79 Ob eam ne caussam posita sint, an potius, quod Franciscus atque Dominicus in eo xenodochio hospitio aliquando recepti fuerint, seu quod curatores ejus xenodochii partim Francisci, partim Dominici Institutum sequerentur, litteratissimorum virorum, quibus urbs illa maxime abundat, judicium esto. *Observant præterea in Annotatis, in Georgii Vasarii loco, quo Rosselius ibi nititur, nihil plane legi de causa, ob quam prædictæ* SS. Francisci *ac Dominici imagines ibi pictæ fuerint. Agnoscunt ergo illi, eam causam incertam esse; quibus ego libens assentiens, præterea æque incertum habeo eorumdem Sanctorum in urbe Florentina congressum, cui asserendo forsan solæ istæ imagines post lapsum temporis occasionem dedere. Atque hæc sunt, quæ de* SS. Francisci *et Dominici sancta amicitia rebusque inter eos gestis addenda habui præter ea, quæ de eodem argumento in Commentario prævio jam disserueram.*

ANALECTORUM

B

PARS III.

De Indulgentia Portiunculana.

§ I. Recitantur litteræ Theobaldi, episcopi Assisiensis, in quibus exponitur historia impetrationis et promulgationis Indulgentiæ vulgo Portiunculanæ.

Exponitur, unde, et qua fide

In Commentarii prævii § 20 *monui, Waddingum in Annalibus Minorum impetrationem celebris Indulgentiæ, quæ a loco, ubi primum cœpta est et ad hoc usque tempus a magno fidelium numero jam sexto sæculo cum certa spe veniæ consequendæ quotannis frequentatur,* Portiunculæ *nomen obtinuit, anno* 1221 *affixisse; promulgationem vero anno* 1223; *an satis certo, inferius examinabo. Ego de eadem hactenus agere distuli, tum ne prolixiori disputatione aliorum* S. Francisci *gestorum seriem interrumperem, tum ut ejusdem Indulgentiæ historiam non interrupta narratione prosequerer, quæque tam ad eam confirmandam ab ejusdem patronis, quam ad impugnandam ab adversariis, producuntur, ponderarem. Ut vero ab ipso Dissertationis hujus limine lector intelligat disputationis argumentum, historiam illam ex duorum episcoporum Assisiensium sæculi* XIV *litteris*

C *publicis recensebo; non quod hi primi sint, qui de ea meminerunt; sed quod antiquiora hujus generis instrumenta publica non suppetant, in quibus ejusdem continuata narratio legatur.*

hoc instrumentum desumptum sit.

2 *Primo igitur loco recensendæ veniunt litteræ Theobaldi Assisiatis episcopi, quas ille publice dedit ad coercendam quorumdam malevolorum audaciam, qui dictam Indulgentiam convellebant. Harum litterarum exemplar, ut multa alia, donarunt nobis humanissimi Patres Minores Conventuales Romani cum præfixa notitia loci, unde descriptæ sunt, hoc modo:* Exemplum autographi, quod in archivo cœnobii S. Francisci Bononiæ PP. Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium asservatur, et signanter in libro, Campione Rosso appellato, ac signato littera majuscula T, num. 14. Quod quidem autographum in carta membranea continet litteras testimoniales Theobaldi episcopi Assisiensis de Indulgentia concessa ecclesiæ S. Mariæ Angelorum, seu de Portiuncula, quod est hujusmodi. *Curarunt quoque apographum nostrum a publico notario Bononiensi conferri cum dicto autographo, ut fidem facit ad calcem appositum testimonium, quod subdo :* Ego Joannes Ant. Franciscus Lodi, Bononiensis notarius Colleg. Apostolicus et imperialis potesta. ex suo originali desumpsi, atque, socio fideli auscultante, collationavi cum ipso originali, cum quo concordare inveni. In quorum fidem hic me etc. req. Hac die 28 Januarii 1763. *In margine adest ejus notarii sigillum atramento expressum, subditurque correctoris et consulum collegii notariorum Bononiensium testimonium de laudati notarii fide publica et auctoritate cum apposito eorumdem sigillo publico ad marginem.*

AUCTORE C. S.

Præfatio episcopi. Sanctus divinitus monitus,

3 *Modo ipsas litteras accipe, etiam cum mendis grammaticalibus, quamvis suspicer, eas forte esse describentis.* Frater Theobaldus, Dei gratia episcopus Assisinas. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium Salvatore. Propter quorumdam linguas detrahentium, qui zelo invidie, vel forsitan ignorantia, concitati Indulgentie sancte Marie de Angelis, que est prope Assisium, indurata facie contradicunt, omnibus Christi fidelibus modum et formam, et qualiter beatus Franciscus, cum adhuc viveret, a domino PP. * Honorio impetravit, presentibus litteris cogimur intimare. Cum staret beatus Franciscus apud sanctam Mariam de Portiuncula, fuit sibi de nocte revelatum a Domino, quatenus ad summum Pontificem, dominum Honorium, qui pro tempore erat Perusii, accederet pro Indulgentia impetranda pro eadem ecclesia sancte Marie de Portiuncula, tunc reparata per ipsum. Qui de mane consurgens vocavit fratrem Masseum de Marignano, sotium suum, E cum quo simul erat; et coram dicto domino Honorio se presentavit.

** i. e.* Papa

indulgentiam plenariam perpetuam ab Honorio obtinet,

4 Et dixit : Sancte Pater, nuper ad honorem Virginis, Matris Christi, reparavi vobis unam ecclesiam; supplico Sanctitati vestre, quod ponatis ibi Indulgentiam absque oblationibus. Qui respondit; hoc convenienter fieri non posse; quoniam, qui Indulgentiam petit, oportet, quod ipsam mereatur, manum apponendo adjutricem. Sed indica mihi, quot annos, vis, et quantum de Indulgentia ponam ibi. Cui sanctus Franciscus respondit : Sancte Pater, placeat Sanctitati vestre, non dare annos, sed animas. Et dominus PP. dixit : Quomodo vis animas? Beatus Franciscus respondit : sancte Pater, volo, si placet Sanctitati vestre, quod, quicumque venerint ad istam ecclesiam confexi * et contriti, et, sicut expedit, per sacerdotem absoluti, absolvantur a pena et a culpa in celo et in terra, a die baptismatis usque ad diem et horam introitus ecclesie supradicte. Dominus PP. respondit : Multum est, quod petis, Francisce; nec enim est consuetudo Romane curie talem Indulgentiam exhibere. Beatus Franciscus respondit : Domine, quod peto, non ex parte mea, sed illius peto, qui misit me Dominus Jesus Christus. Tunc dominus PP. statim intulit, ter dicens : Placet mihi, quod habeas. F

** i. e.* confessi

sed ad diem naturalem annuatim restrictam,

5 Domini Cardinales, qui tunc aderant, responderunt : Vide, domine, quoniam, si huic talem Indulgentiam exhibetis, ultramarinam destruitis; et Indulgentia Apostolorum Petri et Pauli ad nichilum redigetur et pro nichilo computabitur. Respondit dominus PP. : Dedimus et concessimus eam sibi; non possumus, nec expedit, id destruere, quod factum est. Sed modificemus eam, ut tantum ad diem naturalem se extendat. Tunc vocavit sanctum Franciscum, et dixit sibi : Ecce, ex nunc concedimus, quod, quicumque venerit et intraverit predictam ecclesiam bene confexus et contritus, sit absolutus a pena et a culpa, et hoc valere volumus singulis annis in perpetuum tantum per unum diem naturalem a primis vesperis, includendo noctem, usque ad vesperas sequentis diei. Tunc beatus Franciscus, inclinato capite, egrediebatur de palatio. Dominus PP. videns, eum abire, vocans eum, dixit : O Simplicone, quo vadis? Quid tu portas de hujusmodi Indulgentia? Et beatus Franciscus respondit : Tantum sufficit mihi verbum vestrum. Si opus Dei est, ipse suum opus habeat manifestare. De hujusmodi ego nolo aliud instrumentum; sed tantum sit carta beata Virgo Maria, notarius sit Christus. angeli sint testes.

quam in cælo confirmatam

6 Ipse autem recedens de Perusio, et rediens versus Assisium, in medio vie, in loco, qui dicitur

Colle,

AUCTORE C. S. *intelligit. Quinam hæc*

Colle, ubi erat locus leprosorum, cum sotio aliquantulum requiescens obdormivit. Excitatus vero, post orationem vocavit sotium, et dixit sibi : Frater Massee, dico tibi ex parte Dei, Indulgentiam, mihi exibitam per summum Pontificem, esse confirmatam in celis. Et hoc refert frater Marinus, nepos dicti fratris Massei, qui ab ore dicti avunculi sui frequenter audivit. Prædictus autem frater Marinus noviter circa annum Domini MCCCVII * plenus dierum ac sanctitate quievit in Domino. Post mortem autem beati Francisci Fr. Leo, unus de sotiis ejus, vir probatissime vite, sicut ab ore sancti Francisci receperat, et Fr. Benedictus de Aretio de sotiis beati Francisci, et Fr. Raynerius de Aretio, prout a dicto fratre Masseo habuerant, tam fratribus, quam secularibus, multa de ipsa Indulgentia retulerunt, ex quibus plures hodie vivunt, qui hæc omnia protestantur.

* *al.* MCCCVIII.

et promulgationem Indulgentiæ testati sint.

7 Cum quanta autem sollempnitate per septem episcopos in consecratione ipsius ecclesiæ fuerit publicata, scribere non intendimus; nisi solum illud, quod Petrus Zalfanus, qui interfuit consecrationi predicte, dixit coram fratre Angelo, Ministro, fratre Bonifatio, fratre Guidone, fratre Bartholo de Perusio, et aliis fratribus in loco Portiuncule, qui interfuit * consecrationi dicte ecclesie, que facta fuit III Non. Augusti, et audivit beatum Franciscum predicantem coram dictis episcopis; et habebat quandam cedulam in manu, et dicebat : Ego volo vos omnes mittere ad paradisum, et annuntio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore summi Pontificis, et omnes vos, qui venistis hodie, et omnes, qui venerint annuatim tali die, bono corde et contrito, habeant indulgentiam omnium peccatorum suorum.

* *al.* qui non interfuerunt

B

Episcopi epilogus et subscriptio,

8 Hoc idcirco de Indulgentia præmisimus propter nescientes, ne amplius per ignorantiam excusentur; et presertim propter invidos et contentiosos, qui illud in quibusdam locis destruere, supprimere et dampnare nituntur, quod omnis Ytalia, Gallia, Yspania, cetereque provincie, tam citra quam ultra montes, immo et ipse Deus ob reverentiam sue sanctissime Matris, cujus Indulgentia esse dignoscitur, per crebra et manifesta miracula, quasi annis singulis, magnificat, glorificat et dilatat. Quomodo illud suis pestiferis persuasionibus infirmabunt, quod tanto jam tempore in facie totius Romane curie in suo robore et vigore permansit? Nam ipse dominus PP. Bonifatius VIII suos sollempnes nunctios etiam nostris temporibus ad ipsam transmisit, qui die Indulgentie ex parte ipsius eam sollempniter predicaverunt Insuper aliqui ex Cardinalibus in personis propriis in spe venie consequende ad ipsam venientes, eam tanquam veram et certam sua personali præsentia approbarunt. In quorum omnium testimonium et fidem certiorem presentes nostri sigilli appensione fecimus communiri. Data Assisii Anno Domini MCCCXXVII.

C

Annus litteris adscriptus difficultatem patitur

9 *Hactenus epistola Theobaldi, cujus an exemplar Bononiense vere autographum sit, seu ipsiusmet manu exaratum vel sigillo illius subsignatum, imo an sat accuratum ejusdem episcopi diplomatis apographum sit, dubitare me jubet adscriptus annus, qui omnino dicendus est vitiosus, nisi rejicere velimus Chronica Fabrianensia, et Theobaldum in eodem inepte locutum admittamus. B. Franciscus Fabrianensis, cujus gesta in Opere nostro habes ad diem 22 Aprilis, auctor creditur Chronicorum, ex quibus quædam excerpta accepimus a sæpe laudatis Patribus Conventualibus cum adjecta hac notitia :* Hujusmodi memoriarum series, vulgo Chronica fabrianensis appellata, exarata manu B. Francisci de Fabriano, de quo Bollandistæ ad diem 22 Aprilis, custodiuntur Fabriani in tabulario conventus Fratrum sui Ordinis, a quo extracta est fideliter, omissis *etc. Tum sequitur* : Præsens copia alia manu, mihi tamen fida, omissis omittendis, extracta fuit ex suo originali exarato, ut fertur, a beato Francisco de Fabriano, asservato in tabulario nostri conventus Fabrianen.; et cum eo collationata inventa est concordare, salvo etc. Datum Pisauri 27 Junii 1763. Fr. Franciscus Antonius Benoffi, Minister Provincialis et Commissarius generalis provinciæ Picenæ Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium.

D

ex Chronicis Fabrianensibus, anno mortis Marini

10 *Porro in laudato apographo ad propositum nostrum hæc legere est :* Ad memoriam in futurum ego Fr. Franciscus de Fabriano, inutilis et indignus Fr. Minor, que legi et vidi sub sigillo autentico domini episcopi Assisiensis de Indulgentia S. Mariæ de Portiuncula dicte civitatis Assisii, ecce, nunc redigo in his scriptis. « Cum staret » B. Franciscus *etc.*, » *inferius recitanda, quæ relatis Theobaldi litteris sic consonant, ut manifeste appareat, eas hic laudari. Jam vero, cum constet, eumdem B. Franciscum obiisse anno 1322, oportet, præmissas Theobaldi litteras aliquot annos ante Christi 1327 datas esse. Hoc ipsum etiam suadet, quod in iisdem litteris dicatur* frater Marinus noviter circa annum Domini MCCCVII *excessisse e vivis : qua enim, nisi inepta ratione, dicetur quis* noviter, *seu* nuper *obiisse, qui a viginti annis obierat? Sive ergo B. Francisci Fabrianensis, sive assertum in litteris fratris Marini, emortualem annum spectes, dicendum est in adscripta Theobaldi litteris æra Christiana mendum cubare.*

E

et tempore, quo duo Theobaldi

11 *Easdem, velut Theobaldi litteras, paucis verbis, quæ ad rem non attinent, nonnumquam mutatis, etiam exhibent Speculum Vitæ* S. Francisci *editionis Metensis, et R. P. Matthias Grouwels, inferius laudandus, sed sine anno, quo datæ sint, quem illorum posterior, excidisse notavit. Earum quoque meminit Waddingus ad annum 1223, num. 2, ubi addidit :* Autographum servatur in archivo nostrorum Patrum Conventualium in Urbe ad sanctos Apostolos, signatum quadruplici charactere T. *Utinam ille hujus autographi annum saltem indicasset; nam verisimile est, istud in laudato Romano archivo non superesse, alioquin enim Conventuales Romani non recurrissent Bononiam pro dicto apographo nobis procurando. Idem Grouwelus, Theobaldum, dictarum litterarum auctorem, eum esse putavit, qui apud Ughellum Italiæ sacræ editionis Romanæ, tom. I, col. 342, in serie episcoporum Assisiensium quintodecimo loco ponitur, diciturque ad eam sedem translatus anno 1295, annoque 1314 successorem habuisse Theobaldum alterum. Hinc simul atque ex Speculo Metensi (nempe, quod in hoc legatur frater Marinus circa annum Domini 1308 noviter obiisse) statuit, dictas litteras verisimilius datas esse sub ann. 1310.*

Assisiensem episcopatum tenuerunt.

12 *Atque hæc quidem recte, nisi difficultatem pareret nova auctiorque Ughellianæ Italiæ sacræ editio Veneta Coleti, in cujus tomo I, col. 480 inter geminum illum Theobaldum insertus est* Andreas filius Joannis De Ciajanis, *diciturque circa annum 1300 floruisse, eidemque anno 1314 secundus ille Theobaldus suffectus esse. Quæ si vera sint, neutri Theobaldo relinquitur locus, ut anno 1310 Assisii sedere potuerit, ac omnino necesse erit aut prioris Theobaldi sedem aliquot annos producere, aut posterioris maturare, coarctato tempore, quo sederit Andreas de Ciajanis; aut denique, si laudata Chronica, vere sint B. Francisci Fabrianensis, nec interpolata sint, quæ in his laudantur litteræ, esse alterius episcopi Assisiensis, nam episcopi nomen in iis reticetur, quod tamen posterius parum verisimile est tum propter eam, quam dixi, Chronicorum Fabrianensium cum Theobaldinis litteris consensionem, tum, quod nullus ex Assisiensibus episcopis, ante Theobaldum, sciatur ejus generis litteras edidisse, atque ea ratione supererit eadem in Theobaldinis difficultas, quam assertus in illis annus* noviter *mortui Marini oggerit. Malim itaque suspicari, Bononiense exemplar, ex quo nostrum transcriptum est, non esse ipsius Theobaldi autographum, in eoque annum Christi 1327 vitiosum esse. Multo certior est epistola, seu diploma Corradi, quod sequenti § recitamus.*

F

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A

§ II. Dantur litteræ Corradi episcopi Assisiatis, continentes auctiorem historiam ejusdem Indulgentiæ.

Corradus eamdem indulgentiam tuetur litteris,

Posteriori Theobaldo mortuo in Assisiensem sedem successit Corradus, seu Conradus, quondam Andreæ militis, ex canonico Perusino a capitulo in episcopum electus, et a Joanne XXII Papa 3 *Idus Octobris anni* 1329 *confirmatus, ac denique anno* 1337 *defunctus, teste Ughello supra laudato. Hic decessoris sui insistens vestigiis, ejusdem argumenti litteras publicas dedit anno* 1333, *in quibus Theobaldinas fere descripsit, alteraque parte auxit. Illustrissimus Octavius episcopus Assisias in suo libello de Indulgentia Portiunculana apud R. P. Grouwels de his sic meminit :* Tertius fons, ex quo probatur Indulgentia Portiunculæ, est diploma Corradi episcopi Assisiensis, quod originale asservatur Assisii in archivo S. Francisci, et vidi. Est grandis membrana, pulcherrimo vetusto charactere, appensum habens sigillum inviolatum, impressa cera subrufa. Intra thecam est lamina ferrea, vulgo LATTA vel BANDA, cum suo operculo; cumque Corradus esset familiæ Soldani Assisias e marchionibus Turris

B Andreæ, ipsum stemma præfert; sub mitra est galea militaris supra loricam tegentem duos decussatos enses, quorum capulus est superne, cuspis inferne; vix legitur inter litteras circum CORRADUS. Hoc anno MDCCV, die nona Julii in hoc episcopio (*Assisiensi*) habui in manibus, totumque valde gaudens perlegi, delatum ad me a P. Custode S. Francisci, Bernardino Carusio Amerino.

quarum authenticum exemplar edimus.

14 *Habemus et nos ejusdem autographi authenticum apographum, beneficio sæpe laudatorum humanissimorum PP. Conventualium Romanorum nobis descriptum et a notario publico recognitum ac subsignatum, cujus appositum ad calcem testimonium hic præmitto.* Quam quidem copiam fideliter, et de verbo ad verbum, aliena tamen manu, ex autographo membraneo, in archivo sacri Assisiensis conventus sancti Francisci Conventualium asservato, desumptam et transcriptam, ego infrascriptus publica auctoritate notarius, et Seraphicæ civitatis Assisii secretarius, quam diligentissime contuli cum præfato ejus originali, ipsamque cum eo plene et undequaque concordare inveni. In quorum etc. Datum Assisii die secunda Maji 1765. Ita est. Blasius Epiphani not. publ. de præmissis rogatus. *In margine de more additum est ejusdem Blasii sigillum, atramento expressum, subditurque*

C *cum apposito civitatis sigillo testimonium Confalonerii, ut vocant, et Priorum Assisiensium de fide instrumentis per dictum notarium confectis habenda, subsignatum :* Raynaldus de Sbaraglinis Confalonerius, *et infra :* Alexander Cotolonus pro-secretarius. *His pro auctoritate apographi nostri præmissis, illud ipsum cum suis mendis scriptionis, quale accepi, lectori hic exhibeo.*

Corradi præfatio.

15 Corradus Dei gratia episcopus Assisinas. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem in omnium Salvatore. Propter quorumdam linguas detrahentium, qui zelo invidie, vel forsitan ignorantia, concitati Indulgentie sancte Marie de Angelis, vel de Portiuncula, que est prope Assisium, indurata facie contradicunt, omnibus Christi fidelibus modum et formam, et qualiter eam beatus Franciscus, dum adhuc viveret, a domino PP. Honorio impetravit, et post impetrationem qualiter ore proprio almus Christi confessor Franciscus coram multis episcopis et congregato populo publice annuntiavit, presentibus cogimur exprimere.

Franciscus Indulgentiam in Portiuncula petens,

16 Postquam beatus Franciscus ecclesiam sancte Marie de Angelis reparaverat, ex maxima devotione, quam habebat ad Reginam angelorum, cum multa devotione et oratione continua morabatur ibidem. Cum autem una nocte ferventissime oraret Dominum, fuit sibi * revelatum, quod Dominus noster Jesus Christus, et Virgo Maria, Mater ejus, in predicta erant ecclesia cum multitudine angelorum. Qui statim consurgens, cum multa devotione et spirituali letitia, et cum multa reverentia in ecclesiam introivit. Et videns Dominum Jesum Christum cum multitudine angelorum, prostravit se in terram ante conspectum ejus et Virginis gloriose. Tunc dixit Dominus beato Francisco : Francisce, postula, quod vis circa salutem gentium; quia datus es in lucem gentium, et reparationem Ecclesie terrestris. Ipse autem jacebat, quasi raptus. Tandem reversus ad cor, dixit : Sanctissime Pater noster, supplico ego miser et peccator, quatenus digneris facere hanc gratiam generi humano, quod concedas veniam et Indulgentiam omnibus et singulis venientibus ad locum istum, et introeuntibus ecclesiam istam, omnium peccatorum suorum, universaliter et singulariter, de quibus confessionem fecerint sacerdoti, et mandatum susceperint.

* *i. e.* ei

AUCTORE C. S.

17 Et supplico beatissime Marie, Matri tue, Advocate humani generis, quatenus pro hujusmodi me adjuvare, et apud tuam piissimam et clementissimam Majestatem intercedere dignetur. Tunc ipsa Regina celorum, beati Francisci precibus humiliter inclinata, cepit statim supplicare Filio suo, dicens : Altissime Deus omnipotens, E supplico Deitati tue, et humiliter intercedo, quatenus dignetur Majestas tua se inclinare precibus beati * Francisci, famuli tui. Et ipsa divina Majestas statim respondit, dicens : Satis grande est, quod petisti, frater Francisce, set majoribus dignus es, et majora habebis; et ego orationem tuam et petitionem ammitto; tu tamen habes ire ad summum Pontificem, qui est Perusii, scilicet dominum Honorium tertium, et ex parte mea petere Indulgentiam supradictam.

patrocinante Deipara, a Christo annuente mittitur

* *an recte?*

18 Beatus autem Franciscus de mane consurgens vocavit fratrem Masseum Marignani, cum quo presentavit se coram domino Papa, et dixit : Sancte Pater, nuper ad honorem Virginis, Matris Christi, reparavi vobis unam ecclesiam; supplico Sanctitati vestre, quod ponatis ibi Indulgentiam absque oblationibus in anniversario consecrationis ecclesie. Qui respondit, hoc convenienter non posse fieri, quoniam, qui petit indulgentiam, oportet, quod ipsam mereatur, manum apponendo adjutricem. Set indica michi, quot annos vis de indulgentia quod ponam ibi. Et dixit Papa de uno anno : et iterum : Vis indulgentiam trium annorum? Et sanctus Franciscus dixit : Quid est hoc? Et iterum dominus Papa : Vis, ut faciam sex annorum? Et venerunt usque ad septem annos. Et beatus Franciscus non erat contentus, respondens : O Domine, F quid est hoc? Et iterum dominus Papa : Quid vis, ut faciam tibi? Cui sanctus Franciscus respondit : Sancte Pater, placeat Sanctitati vestre, non dare annos, set animas. Et dominus Papa dixit : Quomodo vis animas?

ad Honorium III, a quo eam

19 Qui respondit : Volo, si placet Sanctitati vestre, ut propter beneficia, que fecit Deus in illo loco, quod omnis, qui venerit ad istam ecclesiam confessus et contritus, et, sicut expedit, absolutus per sacerdotem, absolvatur a pena et a culpa, quod commisit, in celo et in terra, a die baptismatis usque ad diem et horam introitus ecclesie supradicte, ut non habeant ulterius brigam * aliam. Dominus Papa respondit : Multum est, quod petis, Francisce; nec enim est consuetudo Romane curie talem indulgentiam exhibere. Beatus Franciscus respondit : Domine, quod peto, non ex parte mea peto, set ex parte illius peto, qui misit me Dominus Jesus Christus. Et Papa respondit : Et ego concedo, quod ita sit, dicens : Placet michi, quod habeas; Placet michi, quod habeas : fiat in nomine Domini. Et cum scivissent Cardinales, qui tunc aderant, dixerunt Pape, quod revocaret eam, quia erat in prejudicium Terre sancte. Et Papa respondit : Nullo modo revocabo eam, postquam promisi sibi. Responderunt : Videte,

ægre obtinet, annuam quidem, sed ex consilio Cardinalium

* *i. e.* difficultatem

AUCTORE C. S.

dete, Domine, quoniam, si huic talem exibetis indulgentiam, ultramarinam destruitis, et indulgentia beatorum Petri et Pauli ad nichilum redigetur, et pro nichilo reputabitur.

solum uni diei naturali affixam;

20 Respondit dominus Papa : Dedimus et concessimus eam sibi; non possumus, nec expedit destruere, quod factum est. Et dixerunt Cardinales : Artate eam, quantum potestis. Respondit Papa : Modificemus eam, ut tantum ad diem naturalem se extendat. Tunc vocavit sanctum Franciscum, et dixit sibi : Ecce ex nunc concedimus, quod, quicumque venerit et intraverit predictam ecclesiam, bene confessus et contritus, sit absolutus a pena et a culpa; et hoc valere volumus in perpetuum singulis annis tantum per diem unam naturalem, a primis vesperis, includendo noctem, usque vesperas sequentis diei. Tunc beatus Franciscus, inclinato capite, egrediebatur de palatio. Dominus Papa videns, eum abire, vocavit eum, et dixit : O Simplicone, quomodo vadis? Quid portas tu de hujusmodi indulgentia? Et beatus Franciscus respondit : Sufficit michi tantum verbum vestrum. Si opus Dei est, ipse opus suum habet manifestare. De hujusmodi ego nolo aliud instrumentum, set tantum sit carta beata Virgo Maria, notarius sit B Christus, et angeli sint testes.

quod in cœlis confirmatum intelligit. Tentatus a dæmone,

21 Et cum exiret a Papa beatus Franciscus post concessionem indulgentie, recedens de Perusio, et rediens versus Assisium, in medio vie, quod dicitur Colle, ubi erat locus leprosorum, cum sotio aliquantulum requiescens obdormivit; excitatus vero audivit vocem dicentem sibi : Francisce, scias, quod, sicut hec Indulgentia data est tibi in terra, ita confirmata est in celo. Post orationem autem vocavit sotium suum, et dixit sibi : Frater Massee, dico tibi ex parte Dei, Indulgentiam, michi exibitam per summum Pontificem, esse confirmatam in celis. In omnibus hiis beatus Franciscus adhuc diem determinatum non habebat, nec a Deo, nec a Papa. Cum autem beatus Franciscus esse in cella, quæ erat in orto * post ecclesiam sancte Marie, de mense Januarii, et orationi vacaret, nocte media ecce sathan venit et dixit ei : Francisce, quare vis mori ante tempus? An ignoras, quod dormire est potissimum alimentum corporis? Quare tu stas ad talia faciendum? Nonne alias dixi tibi in ecclesia, que vocatur Quatuor-capelle de comitatu Tudertino, quod juvenis es, et adhuc poteris facere penitentiam de peccatis tuis? Ad quid ergo teipsum perimis in vigiliis et orationibus?

* *l.* horto

spinis se cruentans, ad ecclesiam arcessitur ab angelis,

22 Tunc beatus Franciscus exivit de cella veste nudatus, et intravit silvam per grossam et clausam sepem, per vepres et spinas traducens corpus suum; et dixit : Melius est michi inexstimabiliter, ut cognoscam passionem Domini, quam ego obtemperem blanditiis inimici. Ubi cum esset, cruentatis carnibus, affuit circa eum lumen maximum, et rubee albeque rose miri ordinis et venustissimi aspectus, in magna copia circa eum apparuerunt, simulque cum ipso lumine multitudo angelorum in ecclesia et juxta ecclesiam. Et tunc angeli dixerunt beato Francisco : Accede velociter ad Salvatorem et ad Matrem ejus in ecclesia. Qui confestim indutum se veste candida conspiciens exsurrexit; et accipiens de ipsis rosis XII albas et XII rubeas, venit versus ecclesiam. Videbatur autem ei via, quasi palliis et sericis vestibus strata. Et reverenter introiens in ecclesiam posuit dictos flores in altari. Et tunc vidit Dominum nostrum Jesum Christum, et Matrem ejus cum multitudine angelorum. Et Dominus noster Jesus Christus locutus est beato Francisco dicens : Francisce, quare tu non das dotes Matri mee, quas dare sibi debes?

ubi a Christo constituitur annuus dies Indulgentiæ,

23 Tunc beatus Franciscus intelligens, quod de animabus salvandis per Indulgentiam dicte ecclesie loquebatur, respondit : Sanctissime Pater noster, ordinator celi et terre, digneris ordinare diem illam propter magnam misericordiam tuam, in qua possim ei dare, assistente ad hec beatissima Virgine Matre tua, humani generis Advocata. Et sic divina Majestas statuit, quod, quicumque venirent, D a vesperis primi diei Augusti usque ad vesperas sequentis diei, contriti et confessi de peccatis suis, de quibus memores existerent, quod remissa sint eis omnia peccata a die baptismatis sui usque ad diem et horam introytus ecclesie supradicte. Et ipse beatus Franciscus ait : Sanctissime Pater noster, qualiter fiet, quod veniat in notitiam et credulitatem humani generis? Et ipse Dominus noster ait : Francisce, hoc fiet per gratiam meam; tu tamen habes ire Romam ad vicarium meum, ut ipse faciat patefieri, prout ei videbitur expedire. Et beatus Franciscus dixit : Qualiter credet mihi vicarius tuus? Forte non credet mihi peccatori.

et ipse cum sociis et rosis Romam ire jubetur;

24 Et ipse Dominus omnipotens dixit beato Francisco : Ducas tecum testes aliquos ex sotiis tuis, qui hec audierunt, et defer rosas rubeas et albas, quas de mense Januarii collegisti in silva in afflictione et disciplina corporis tui, et in eo numero rosarum, quo tibi videbitur expedire. Predicta omnia audierunt frater Petrus Cathanii, frater Ruphynus Scipii, frater Bernardus Quintevallis, et frater Masseus Marignani, et sotii, qui stabant in cellis extra ecclesiam in orto, ubi est cella beati Francisci. Et beatus Franciscus de illis rosis, quas detulerat de silva, accepit tres rubeas et tres albas ad honorem sanctissime et individue E Trinitatis. Hoc fecit, presente ipsa divina Majestate simul cum Matre. Et demum cantus angelorum maximus insurrexit, et cantaverunt : TE DEUM LAUDAMUS. Post hec in mane beatus Franciscus reaccepit tunicam suam, et accessit ad tres sotiorum suorum, et dixit illis : Preparate vos ad veniendum mecum Romam, et imposuit eis silentium de hiis, que audierant. Et illi fuerunt frater Petrus Cathanii, frater Bernardus Quintevallis, et frater Angelus de Reate. Et ceperunt inter ad eundum Romam.

ubi Honorio allatas rosas ostendens, voluntatem Dei exponit,

25 Et ingressi civitatem Romanam, direxerunt gressus suos versus ecclesiam Lateranensem, et ibi invenerunt Papam Honorium, successorem Innocentii, vicarium Jesu Christi. Cui beatus Franciscus adhesit cum piis sotiis, significans sibi omnia supradicta. Et de hiis perhibuerunt testimonium tres supradicti fratres, et illi sex flores rosarum, tres rubei et tres albi. Et ipse Papa dixit : Hoc est bene mirabile et potius Deitatis, quam humanitatis. Scimus, quia verum est testimonium eorum. Nos tamen loquemur, dixit ipse Papa, cum fratribus nostris, et audiemus in concilio secreta responsa eorum, et deliberabimus, quid super hiis sit faciendum. Et mandavit beato Francisco, quod sequenti die diluculo esset coram se. Et die sequenti diluculo astitit coram eo, dicens : Digne F Christi vicarie, adimpleatis circa materiam supradictam voluntatem Regis celestis et Matris ipsius, cujus vocabulo ecclesia Angelorum, sive de Portiuncula, vocitatur. Et ipse respondit, dicens : Frater Francisce, asseras, coram omnibus fratribus meis, et dicas, que est voluntas Regis celestis et Matris ipsius; licet alias dixeris tu et fratres tui.

et ab eo litteras obtinet ad septem episcopos,

26 Et beatus Franciscus respondit, dicens : Voluntas ejus est, ut a vesperis primi diei Augusti usque ad vesperas secundi diei dicti mensis, quicumque intraverit in ecclesiam sancte Marie de Angelis, sive de Portiuncula, Assisinatis diocesis, remittantur sibi omnia peccata sua, a die baptismatis citra, de quibus recordatur et non recordatur, et in pœnitentia, seu in confessione memoriam fecerit, et mandatum susceperit a sacerdote, contrito corde et humiliato, et absolutus fuerit per ipsum sacerdotem post mandatum susceptum. Et Papa respondit : Frater Francisce, magnum est, quod petis, set, postquam Rex celestis, Dominus Jesu Christus, ad instantiam beate Marie semper Virginis, Matris ejus, tuam orationem exaudivit, nos scribemus episcopo Assisinati, Perusino, Tudertino, * Spoletano, Nucerino, et Eugubino, quod conveniant ad locum beate Marie de Angelis, sive de Portiuncula, prima die mensis Augusti, et notificent

* *adde :* Fulginati,

A notificent venientibus ibi indulgentiam, que tibi placuerit.

qui eamdem Indulgentiam post Sanctum

27 Et sic beatus Franciscus cum sotiis, acceptis litteris summi Pontificis, ad predictos episcopos venerunt, et fecerunt litteras presentari. Et procuravit ipse beatus Franciscus, quod in die prima Kalendarum Augusti omnes predicti episcopi convenirent ad dictam ecclesiam sancte Marie. Et factum est pergulum ligneum, in quo omnes supradicti episcopi ascenderunt simul cum beato Francisco. Et cum magna multitudo gentium esset ibi circa pergulum congregata, quasi in media tertia, dixit beatus Franciscus inter episcopos : Quis vestrum vult dicere et predicare, et veniam annuntiare? Et ipsi convenerunt in unum, et dixerunt inter se : Nos habemus sequi voluntatem tuam, frater Francisce, secundum tenorem litterarum Papalium. Et beatus Franciscus dixit : Licet non sim dignus; tamen volo aliqua dicere et predicare in conspectu istarum gentium, et annuntiabo Indulgentiam de mandato Regis celestis, que fit ad instantiam Matris sue; et vos de mandato summi Pontificis, vicarii ipsius, auctoritatem prestabitis, et annuntiabitis una mecum. Et surrexit et predicavit beatus Franciscus adeo benigne et utiliter, ita ut videretur angelus celestis, et non B homo carnalis.

vel inviti, mirabiliter promulgarunt.

28 Et perfecto sermone, denuntiavit Indulgentiam, videlicet, ut, quicumque venirent ad ipsam ecclesiam sancte Marie de Angelis, et ingressum haberent a vesperis ejusdem diei Kalendarum Augusti usque ad vesperas secundi diei dicti mensis, tam de nocte, quam de die, includendo noctem, sicut diem, remittantur sibi omnia peccata, post-

* confessionem quam confexionem * fecerint, a die baptismatis usque ad predictam diem; et hoc locum habeat quolibet anno in perpetuum, de quibus penitentiam sumpserint, et mandatum susceperint a sacerdote, de quibus recordantur, et de quibus non fuerint recordati. Audientes vero hec episcopi, indignati sunt, et scandalum passi de hoc, quod dixerat beatus Franciscus. Ad quem dixerunt : Licet dominus Papa nobis mandaverit, quod sequeremur circa hoc voluntatem tuam; non fuit tamen sue opinionis, quod sequeremur in hoc, quod congruum non est : unde denunciemus Indulgentiam decem annorum. Et sic exsurrexit episcopus Assisinas dicere de decem annis : et dixit, quidquid dixerat beatus Franciscus, et aliud dicere non potuit. Et sic similiter accidit de aliis episcopis singulis.

Recensentur varii testes oculares

29 Et ad hec fuerunt testes multi, tam de Perusio, quam de aliis civitatibus et castris de contrada ; silicet * dominus Suppolinus Ugolini,

* scilicet C dominus Andreas de Monte Melino de Assisio, dominus Neapoleo de Armenzano, dominus Johannes Gualterii, pater domini Jeronimi, dominus Johannes Petri Tubaldutii, dominus Blundus Lamiaffi, et Egidius Marci, dominus Bernardutius Pauli, Petrus Zalfanus, Bonacursus Ugonis, et multi alii de Assisio. Item Petrus de Bictonio, dominus Ugolinus Crispoliti de Bictonio, dominus Corradus Monaldi, dominus Andreas de Mevania, dominus Neapoleo de Fulgineo, dominus Mateus Benentese, et dominus Beccarius de Spello; et universaliter multi alii de contrada, quos longum esset enarrare, qui interfuerunt perdicte denuntiationi venie supradicte, facte per beatum Franciscum, et per septem episcopos superius nominatos.

et auriti, qui prædicta testati dicuntur.

* *i. e.* confessos

50 Et hec retulerunt sancti fratres, probatissimi in sanctitate et vita; scilicet frater Petrus Cathanii de Assisio, olim vicarius Sancti; frater Leo, sotius et confexor * sancti Francisci, qui audivit ab ore ipsius sancti Francisci, frater Oddo de Aquasparta, olim Minister et sanctissimus homo, et frater Marinus de Assisio, nepos supradicti fratris Massei, qui ambo, scilicet Oddo et Marinus, ab ore predicti fratris Massei, qui fuit cum beato Francisco coram Papa Honorio Perusii, expressius audierunt. Multorum autem testimonia hujus sacre Indulgentie, relationes, assertiones et testificationes etiam redactas in publicam formam, non intendimus per ordinem scribere; nisi solum illud, quod dixit Petrus Zalfanus, qui interfuit consecrationi supradicte ecclesie sancte Marie de Angelis, coram fratre Angelo, Ministro hujus provincie sancti Francisci, fratre Bonifatio, fratre Guidone, fratre Bartholo de Perusio, et aliis fratribus in loco Portiuncule. Petrus Zalfanus dixit, quod interfuit consecrationi ecclesie supradicte, scilicet sancte Marie de Portiuncula, et audivit beatum Franciscum predicare coram dictis episcopis; et habebat quandam cedulam in manu, et dixit : Ego volo vos omnes mittere ad paradisum, et annuntio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore summi Pontificis. Et omnes vos, qui venistis hodie, et omnes, qui venerint annuatim tali die, bono corde et contriti, habeant indulgentiam omnium peccatorum suorum. Ego volui pro octo diebus, set non potui, nisi pro una die.

AUCTORE C. S.

Corradi episcopi epilogus.

31 Hec idcirco de Indulgentia premisimus propter nescientes, ne amplius per ignorantiam excusentur, et ne amplius ad tante misericordie gratiam pigritentur; quin potius toto devotionis affectu ad ipsam gratiam properent, postulent et impetrent. Et presertim hec dicimus propter invidos et contemptiosos, qui illud in quibuscunque locis destruere, supprimere et damnare nituntur, E quod omnis Ytalia, Gallia, Yspania, Teutonia, cetereque provincie, tam citra, quam ultra montes, immo et ipse Deus ob reverentiam sue sanctissime Matris, cujus Indulgentia esse dignoscitur, per crebra et manifesta miracula quasi annis singulis magnificat, glorificat et dilitat. Quomodo illud suis pestiferis persuasionibus infirmabunt, quod tanto jam tempore in facie totius Romane curie in suo robore et vigore permansit? Nam dominus Papa Bonifatius VIII suos sollempnes nuntios etiam nostris temporibus ad ipsam transmisit, qui die Indulgentie ex parte ipsius sollempniter predicarunt. Insuper et aliqui ex Cardinalibus in personis propriis, in spe venie consequende ad ipsam Indulgentiam venientes, eam tanquam veram et certam sua personali presentia approbarunt. In quorum omnium testimonium et fidem certiorem presentes nostri sigilli appensione fecimus communiri. Datum Assisii anno Domini MCCCXXXV, III Indictionis.

Annotatio ad easdem litteras.

32 *Hactenus litteræ Corradi, ad quarum notitiam et fidem hæc præterea adscripta leguntur :* Pendet per funiculum cannabinum ex hoc diplomate, in pergamena charta latitudinis palmorum duorum et unciarum septem, longitudinis vero palmorum trium et unciarum quatuor mensuræ Romanæ, conscripto, sigillum Conradi episcopi Assisiensis, F in cera Hispanica impressum, in quo gentilitium ipsius stemma conspicitur, galea nempe militaris super loricam, tegentem duos decussatos enses; supra galeam vero mitra episcopalis, et hæc inscriptio in circuitu : CORRADUS EPISCOPUS ASSISINAS. *Post hæc sequuntur notarii publici et Confalonerii ac Priorum Assisiensium testimonia publica, quæ dedi supra num.* 14. *Ceterum manifestum est, autographum Assisiense, ex quo exemplar nostrum desumptum est, idem esse cum eo, quod illustrissimus Octavius supra laudavit, licet hic ex appenso sigillo solum recitaverit vocem* Corradus. *Nihil quoque in eodem diplomate occurrit, quod suspicionem de suppositione merito possit ingerere.*

§ III. Datur notitia Historiæ ejusdem Indulgentiæ per Franciscum Bartholi ante litteras Corradi scriptæ : recensentur testimonia B. Benedicti Aretini et Raynerii anno MCCLXXVII data.

Historiam Indulgentiæ hujus ante scripsit Franciscus Bartholi,

Corrado in præmissis litteris, meo quidem judicio, præluxit fratris Francisci Bartoli, vel Bartholi, Ms. historia ejusdem Indulgentiæ, cujus illustrissimus Octavius episcopus Assisias in sua Demonstratione

AUCTORE C. S.

tione Indulgentiæ Portiunculæ, apud Grouwelum in ejusdem Indulgentiæ Historia, his meminit verbis : Liber F. Francisci Bartholi Assisiatis, Franciscani, impressus est quidem Trevii, nobilis oppidi Spoletani, circa annum MCCCCLXX; sed quem typis editum non vidi præter unicum folium, quod ibidem in bibliotheca inveniebatur, et procul dubio in aliis est invenibilis. Cæterum legi pulcherrimo conscriptum charactere, valde antiquo Gothico in membranis, estque liber bibliothecæ S. Francisci Assisii. Eleganti manu rubricas habet minio; textus autem atramento, estque in quarto circiter LXX foliorum.

ex qua aliqua authentice excerpta habemus,

34 *Hujus quoddam non integrum authenticum exemplar ex eorumdem rursus RR. PP. Conventualium benevolentia obtinuimus, a notario publico cum impresso sigillo subscriptum hoc modo :* Quam quidem copiam fideliter et de verbo ad verbum, aliena tamen manu, desumptam a folio quinto usque ad folium duodecimum codicis membranei Ms. Historiæ Indulgentiæ ædiculæ S. Mariæ de Portiuncula, a fratre Francisco Bartoli, Ordinis Minorum conscriptæ, qui antiquis et Gothicis, ut aiunt, litteris exaratus, folia continet octoginta sex in quarto, extatque in archivio sacri Assisiensis conventus Minorum S. Francisci Conventualium,

B ego infrascriptus publicus Apostolica auctoritate notarius, et Seraphicæ civitatis Assisii secretarius, cum eodem codice quam diligentissime contuli, eamque cum ipso plene et undequaque concordare inveni. In quorum fidem etc. Datum Assisii die quarta Maii 1765. Ita est. Blasius Epiphani notarius publicus de præmissis rogatus etc. ad fidem. *Divisum hoc Opusculum est in sectiones suas, quarum titulos cum initiis capitum solum dabo; et quia pars est longioris alicujus Historiæ, præmittitur hic :* Explicit distinctio prima. Incipit secunda.

quorum notitiam

33 *Tum sequitur titulus iste :* Modo sequitur, quomodo beatus Franciscus paucis annis post conversionem suam, et post reparationem hujus ecclesie sancte Marie de Angelis semel in quadam nocte Christi persuasione fretus, et ejus gratia confortatus, petivit a Domino Jesu Christo, indulgentiam omnium peccatorum concedi sibi pro omnibus venientibus et introeuntibus ecclesiam

* *i. e.* ejus

supradictam. Et quomodo Christus suam * orationem et petitionem admisit, et ut eandem Indulgentiam a Papa Honorio tertio peteret, familiariter revelavit. *Tum incipit caput :* Postquam beatus Franciscus ecclesiam sancte Marie de Angelis reparaverat *etc. Sectionis secundæ titulus :* Modo sequitur, quomodo beatus Franciscus per divinam

C revelationem ivit Perusium ad dominum Honorium Papam tertium pro Indulgentia impetranda, quia tunc predictus Papa Perusii morabatur. *Initium capitis :* Beatus autem Franciscus de mane consurgens, vocavit fratrem Masseum de Marignano *etc.*

et sectionum capitumque titulos

36 *Titulus tertiæ sectionis :* Modo sequitur, quomodo beatus Franciscus rediens de Perusio versus Assisium, in loco, qui dicitur Colle, aliquantulum requievit, et ibidem fuit sibi revelatum, quod, quicquid impetraverat a Papa, totum erat confirmatum in celo. *Initium capitis :* Et cum exiret a Papa beatus Franciscus post concessionem Indulgentie *etc. Sequitur* Distinctio tertia. Modo sequitur, quomodo in predicta ecclesia sancte Marie de Angelis fuit beato Francisco determinata et specificata dies Indulgentie a summo Ierarcha * Christo, apparente ibidem cum gloriosa Virgine Matre ejus et multitudine angelorum. *Initium capitis :* Cumque beatus Franciscus esset in cella, que erat in orto post ecclesiam *etc. Titulus sectionis :* Modo sequitur, quomodo beatus Franciscus, habito die determinato et spacificato * a Christo, ivit ad dominum Papam Honorium tertium, qui tunc erat Rome, et portavit secum flores rosarum, ducens secum aliquos de sotiis suis in testimonium veritatis. Et dominus Papa admirans in tanta novitate florum, fidem adhibens per omnia dictis beati Francisci,

* Hierarcha

* *an* specificato?

scripsit litteras septem episcopis, quod venirent D ad diem consecrationis ecclesie sancte Marie de Angelis, et annuntiarent universo populo Indulgentiam secundum voluntatem et beneplacitum sancti Francisci. Sicut et factum fuit per divinum miraculum, quod contigit illis episcopis. *Initium capitis :* Post hec in mane beatus Franciscus reaccepit tunicam suam *etc.*

hic damus; uti et præcipuas discrepantias

37 Explicit Distinctio tertia. Incipit quarta. Modo sequitur, quomodo beatus Franciscus coram septem episcopis et universo populo, qui convenerant, predicavit publice Indulgentiam omnium peccatorum, sicut habuerat ab ore summi Pontificis. Et tunc stetit super pergulo ligneo, cujus perguli quinque principaliora ligna portata fuerunt in cella beati Francisci, que erat in orto, super quam cellam constructa est cappella, ipsius nomine dedicata. Illa vero quinque ligna sub testudine altaris dicte cappelle ob reverentiam beati Francisci honeste ac devote sunt recondita; sicut patet usque in hodiernum diem. In logia vero, que est ante hostium * ecclesie sancte Marie miri operis fabricata, tempore Indulgentie Missa sollempniter celebratur ibidem ob memoriam tam celeberrime sollempnitatis, ac etiam ipsius ecclesie consecrationis. *Initium capitis :* Et factum fuit pergulum ligneum, in quo omnes dicti septem episcopi ascenderunt *etc. In fine additur :* Explicit tota veritas ystorie supradicte Indulgentie. *Ex hisce sectionum seu capitum titulis habes compendium totius historiæ, quæ tam conformis est relatæ in Corradi litteris, ut, si pauca, parvi momenti, excipias, etiam verbis consentiat, nec ulla ratione possit dubitari, quin aut Bartholus suam ex istius litteris, aut Corradus suam ex Bartholo descripserit.*

* *i. e.* ostium

E

a præmissis litteris Corradi.

38 *Inter ambas tamen hoc maxime interest primo, quod, ubi in Corradina apud me num.* 17 *Dei Genitrix* Francisco *suffragans,* Beati *eum titulo honorat, in Bartholina pro voce* Beati *rectius legatur,* Fratris. *Secundo, quod in Corradina num.* 26 *e septem episcopis, quibus Honorius III scripsit, sex tantum nominentur, in Bartholina vero septem, ceteris addito* Fulginati : *verum nescio, an uterque locus ita legatur in autographo Corradi, an in nostro solum exemplari ex vitio amanuensis. Tertio, quod Bartholus in calce sit brevior, quippe qui post verba illa,* Et per septem episcopos superius nominatos, *in litteris Corradi in fine numeri* 29 *posita, solum subdat :* Et supradicti testes singulariter nominati interfuerunt annuntiationi predicte, per beatum Franciscum facte, et per predictos septem episcopos. Scilicet omnibus, qui in generalitate et multitudine fuerunt ibidem. *Hisce Bartholus Historiam* F *claudit, nec apud ipsum leguntur, quæ Corradus toto num.* 30 *præterea memoravit.*

Tempus, quo floruit Bartholus,

39 *Quod ad ætatem Francisci Bartholi attinet, certum est, hunc Corrado synchronum fuisse, ac forte ipso fuit grandævior. Certe, illum jam anno* 1317 *non omnino juvenem Religiosum fuisse, colligo ex duabus autographis litteris Assisii servatis, quarum apographa, per sæpe nominatum notarium publicum Blasium Epiphani subsignata, a RR. PP. Conventualibus Romanis accepi. Primæ, datæ* Coloniæ anno Domini MCCCXVII, XIII Kalendas Octobris, *sunt Henrici archiepiscopi Coloniensis, in quibus hic testatur, sese* devota instantia religiosi viri, fratris Francisci Bartholi de Assisio, Ordinis Minorum, *inductum eidem donasse* sex capita, unum de legione sanctorum Thebeorum martyrum, Gereonis, Cassii et sotiorum ejusdem, et alia quinque capita de numero sanctarum Undecim millium virginum, *Assisii deponenda. Alteræ datæ* Parisius anno Domini MCCCXVII, Domenica decima post Pentecostes, *sunt serenissimæ principis Blancæ, S. Ludovici Galliæ regis filiæ, in quibus hæc pariter testatur, se eidem Francisco Bartholi concessisse aliquas ejusdem sancti regis et patris sui reliquias, quas ibidem enumerat. Fuerit igitur jam tunc Franciscus Bartholi vir gravis et honoratus, cui tanti principes ea sacra dona concessere.*

40 *Grouwelus*

A *qui scripsisse videtur ante Corradum*

40 *Grouwelus pag.* 196 *ait, ex eodem Bartholi Opusculo colligi, hoc ab illo scriptum esse sub annum* 1325, *dum lectoris officio in conventu S. Mariæ de Portiuncula fungebatur; quod, etsi nequeam confirmare, facile credidero. Nam mihi quidem verisimillimum apparet, Franciscum Opusculum suum composuisse tempore intermedio inter Theobaldi Corradique litteras, scilicet ut Indulgentiæ historiam, quam Theobaldus in litteris suis dederat, latius exponeret. Fecit id, addendo, quæcumque inter impetratam apud Honorium, promulgatamque Indulgentiam desiderantur in litteris Theobaldi, legunturque tam apud ipsum, quam in diplomate Corradi, qui occasione illius Opusculi impulsus fuisse videtur ad ampliores, quam decessor illius dederat, de eadem Indulgentia publicandas litteras; adoptatis, quæ in istis adversus criminatores legebantur, additisque, quæ ipse præterea noverat. Porro Corradum non præluxisse Bartholo, satis liquet ex ipso Bartholi libri titulo, seu Prologo, in quo ille ex recensione Octavii episcopi, apud Grouwelum supra num.* 33 *relati, docens, unde sua hauserit, sic loquitur :* Ad omnipotentis Dei gloriam, et B. Virginis Mariæ, et beatissimi patris nostri Francisci, incipit liber sacræ Indulgentiæ S. Mariæ de Angelis, sive de Portiuncula, in quo libro ego F. Franciscus Bartholi

B de Assisio posui, quidquid potui sollicite invenire in Legendis antiquis et novis B. Francisci, et in aliis dictis sociorum ejus, de eodem loco et commendatione ipsius loci, et quidquid veritatis et certitudinis potui invenire de sacra Indulgentia præfati loci, quomodo scilicet fuerit impetrata, et data B. Francisco, et quidquid inveni de miraculis ipsius Indulgentiæ, quæ ipsam declarent certam et veram.

eique præluxit.

41 *Hæc ibi Franciscus Bartholi, nihil plane de Corradi litteris memorans, quibus si usus fuisset, sese utique plagiarii criminis reum publice fecisset, eas tacendo. Ad hæc multo verisimilius est, Corradum, utpote ex canonico Perusino creatum episcopum Assisiatem, historiam illam accepisse a scriptore Ordinis Minorum, qualis erat Franciscus Bartholi, quam hunc ab illo. Unum video, forte a nonnemine pro Historia Bartholi Corradinis litteris postponenda objici posse; nimirum, quod in eodem codice Assisiensi legatur etiam Epistola Geraldi Odonis, Ministri generalis, anno* 1333 *data, et ad calcem hujus quædam, quæ ante annum* 1342 *scribi non potuerunt, ut ostendam* § 5. *Verum hinc solum sequitur, aut codicem illum non esse ipsum Bartholi autographum, aut Geraldi Epistolam a Francisco Bartholi Historiæ suæ postea fuisse adjectam,*

C *quod facile fieri potuit, cum dicta Historia in eo codice terminetur folio duodecimo; Epistola vero Geraldi incipiat folio sexagesimo septimo, si recte se habeant notitiæ ad me missæ. Corradus itaque hujus historiæ non est auctor, sed eam litteris suis inserens, suo calculo approbavit. Eamdem sub ejusdem sæculi* XIV *finem adoptavit Bartholomæus Pisanus, licet auctorem sileat in libro* II, *Conformitate* 14, *iisdem passim verbis usus; ut non nisi ex manifesta imperitia malitiave quidam Pisanum illius primum inventorem dixerint. Eamdem etiam postmodum Waddingus, aliique ejusdem Indulgentiæ patroni tradiderunt.*

Major illius auctoritas est pro facto ipso

42 *Ex scriptore itaque, qui eodem, quo Indulgentia Portiunculana concessa promulgataque fuerat, sæculo* XIII *Assisii natus est, novimus, quæ fuerit de eadem sæculo* XIV *adolescente apud Assisiates opinio, ab eorumdem episcopo etiam litteris publicis adversus obtrectatores confirmata. Hoc spatium temporis brevius est, quam ut licuerit Francisco Bartholi, viro alioquin, ut vidimus, religioso et gravi, fabulam pro re tam seria celebrique in ipsa civitate Assisiensi obtrudere, quin manifesto sese exponeret periculo imposturæ suæ pœnas pendendi, cum tunc temporis procul dubio ibidem superfuerint aliqui sat grandævi cives, qui a* S. Francisci *temporibus parum remote nati erant. Attamen nil tale passus est, imo vero ipsum Assisiensem episcopum habuit approbatorem. Nec refert, quod Bartholi tempore non defuerint, qui Indulgentiam illam in dubium vocarent; nam et hi a duobus laudatis episcopis Theobaldo et Corrado redarguti fuere, et ipsa* S. Francisci *stigmata, licet constatissima, aliqui non multis post ejusdem obitum annis negaverant, uti in Commentario prævio pluribus expositum est.*

AUCTORE C S.

43 *Sat tamen longum est prædictum temporis spatium, ne singula narrationis Bartholinæ adjuncta pro veris certisque admittere cogamur; nam et hæc annorum lapsu facile variantur, nisi a scriptore synchrono litteris primo tradita fuerint; et quas Bartholus laudat* Legendas antiquas, *certe non sunt ex iis, quas edidi;* novæ, *quas pariter laudat, nescimus, cujus sint fidei. Porro non omnia a Bartholo in eodem Opusculo relata paris fidei esse, colligo ex eo, quod ille verbis num.* 41 *ex Grouwelo relatis mox subdat titulum primi capitis:* Incipit, quomodo beatus Franciscus vidit in visione, locum S. Mariæ de Angelis desponsari gloriosæ Virgini Mariæ a Domino Jesu Christo, Filio ejus, *quod sane tam insolens est, ut Waddingus ad annum* 1210, *num.* 29 *eumdem auctorem citans, eamdem ædiculam a Christo, non Matri suæ, sed ab hoc et ab illa ipsi* Francisco *et alumnis ejus desponsatam scribat, sine alio teste mihi quidem non satis quoque credibiliter.*

quam pro historiæ adjunctis, infra expendendis.

E *Priusquam tamen singula concessionis ac promulgationis Indulgentiæ adjuncta expendamus, juverit ipsam Indulgentiam aliorum veterum testimoniis, aliisque, quæ ad eam confirmandam faciunt, argumentis stabilivisse, ut ordinatior fiat faciliorque de ejusdem adjunctis disquisitio. Hoc itaque agamus.*

Anno 1277 *testimonium pro eadem Indulgentia dixerunt*

44 *Waddingus ad annum* 1277, *num.* 19 *ex Mariani Florentini Chronicorum lib.* III, *cap.* 2 *narrat, jam tum Indulgentiam illam, de qua nullæ Pontificiæ litteræ exstabant, in dubium revocatam aut etiam negatam a nonnullis fuisse; unde, inquit, eamdem* gravibus testimoniis comprobari oportuit, quibusdam de ea dubitantibus, aliis contradicentibus. *Hoc ipsum etiam insinuari videtur in Speculo vitæ* S. Francisci *et Sociorum, editionis Metensis fol.* 77, *ubi legitur:* Item anno Domini MCCLXXVII super certitudine dictarum Indulgentiarum plures depositiones et attestationes fuerunt facte, et de manu notariorum publicate. *De iisdem testimoniis loqui etiam videtur Bartholomæus Pisanus, qui sæculo* XIV *exeunte scripsit, dum in Conformitate* 14, *post expositam Indulgentiæ historiam, subdit :* Et prædicta omnia publico instrumento pro majori parte sunt habita et ordinata; *nisi forte Pisanus per* publicum instrumentum *designare voluerit litteras Corradi episcopi, superius datas. Utut sit, ex dicendis constabit, aliqua veterum testimonia id temporis ea de re collecta fuisse; et sane peropportune*

F *ad fidem Indulgentiæ faciendam.*

B. Benedictus Aretinus, et Raynerius, cujus aliqua apographa

45 *E sancti* Francisci *discipulis unus fuit B. Benedictus Aretinus, ab eo in Ordinem suum admissus, de quo in Opere nostro actum est ad diem* 31 *Augusti, ubi circa annum* 1280 *obiisse dictus est. Hic porro, ejusque socius, Frater Minor laicus, Raynerius de Mariano de Aretio, de eadem Indulgentia testimonium dixere. Utrumque ex Ms. codice* 3131 *celebris bibliothecæ Colbertinæ edidit eruditus Stephanus Baluzius, tomo, seu libro* IV *Miscellaneorum pag.* 490 *editionis Parisiensis, sub hoc titulo :* Testimonia de Indulgentia concessa ecclesiæ sanctæ Mariæ de Portiuncula. *Idem monumentum, quod eruditus ille Gallus, in antiquis Mss. codicibus versatissimus, de quo nulla potest esse suspicio fraudis in gratiam Ordinis Minorum, in Colbertino, ut dixi, codice in Francia reperit, idem, inquam, illud Waddingus in Italia in Mariani Florentini Chronico, quantum mihi apparet, invenit, annisque quinquaginta quinque, antequam Baluzius suum, in Annalibus Minorum vulgavit ad annum* 1277, *num* 19. *Differt hoc a Baluziano, quod in calce adscriptos habeat locum et annum, quibus datum est, nominaque aliquot testium, qui testantibus adfuerunt, et notarii, qui instrumentum confecit.*

46 *Alterum ejusdem instrumenti exemplar supra-*

AUCTORE C. S. *recensentur, daturque nostrum Assisiense,*

dictorum Baluzii Miscellaneorum novissimæ editionis Lucensis anni 1761, tomo II addidit clarissimus Joannes Dominicus Mansi, nunc archiepiscopus Lucensis, acceptum ex codice Ms. sæculi XIV *bibliothecæ Congregationis Matris Dei Lucæ, uti docent me monumenta a RR. PP. Conventualibus Romanis mihi submissa. Convenit et hoc cum superiori Baluziano, si argumentum ipsum spectes, imo et cum Waddingiano, præterquam quod paulo plures testes nominatim exprimat. Quartum denique exemplar ex eorumdem RR. Patrum dono habemus desumptum, ut scribunt ex Ms. codice Assisiensi, anno 1523 exarato, cujus cum exemplari nostro conformitatem sæpe memoratus notarius publicus Assisiensis, Blasius Epiphani, ad calcem testatur his verbis:* Quas quidem copias fideliter et de verbo ad verbum, aliena tamen manu, desumptas ex folio trigesimo primo pervetusti codicis Ms., litteris, ut aiunt, Gothicis, exarati, et ex xylina charta confecti, qui... in archivio sacri Assisiensis conventus ejusdem S. Francisci asservatur, ego infrascriptus publicus Apostolica auctoritate notarius et Seraphicæ civitatis Assisii secretarius, cum prædicto originali quam diligentissime contuli, easdemque cum eo perfecte et undequaque concordare, inveni. In quorum fidem etc. Datum Assisii die quinta Maii 1765.

B Ita est. Blasius Epiphani notarius ac secretarius publicus, de præmissis rogatus. *Adest in margine sigillum ejusdem de more atramento expressum.*

in quo ambo testantur, eam per S. Franciscum petitam,

47 *Hoc apographum, cum ceteris quidem in re ipsa consentiat, sed in fine integrius sit et ex certæ ætatis codice transcriptum, totum hic subjicio.* In Dei nomine Amen. Ego frater Benedictus de Aretio, qui olim fui cum beato Francisco, cum adhuc viveret, et, divina gratia cooperante, ipse Pater sanctissimus ad suum Ordinem me recepit, qui sotiorum suorum sotius fui, et cum ipsis frequenter, et in vita sancti Patris nostri, et post ipsius recessum de hoc mundo ad Patrem, cum eisdem de secretis Ordinis frequenter collationem habui; confiteor, me frequenter audisse a quodam supradictorum sotiorum beati Francisci, qui vocabatur frater Masseus de Marignano, qui fuit homo veritatis et probatissime vite, quod ipse fuit cum beato Francisco apud Perusium, ante presentiam domini Pape Honorii, cum petivit Indulgentiam omnium peccatorum pro illis, qui contriti et confessi convenirent ad locum sancte Marie de Angelis, qui alio nomine Portiuncula nuncupatur, prima die Kalendarum Augusti, vespere dicte diei usque ad vesperas sequentis diei. Que Indulgentia cum fuisset, tam humiliter, quam constanter, a beato Francisco postulata, fuit tandem a summo Pontifice liberalissime concessa; quamvis diceret ipse Pontifex, non esse consuetudinis Apostolice Sedis talem indulgentiam facere.

C

et ab Honorio III concessam esse.

48 Hec eadem supradicto modo confiteor ego frater Raynerius de Mariano de Aretio, sotius venerabilis Fratris Benedicti, me audisse frequenter a supradicto fratre Masseo, sotio beati Francisci, cui fratri Masseo ego frater Raynerius amicus spetialissimus fui. Lecte et publicate fuerunt supradicte collationes apud cellam fratris Benedicti de Aretio coram fratre Compagno de Burgo, coram fratre Raynaldo de Castellione (*hic inter duos uncos insertum legitur* Castillione) fratre Caro de Aretio, fratre Homodeo de Aretio, fratre Aldebrandino de Florentia, fratre Jacobo de Florentia, fratre Thebaldo de Aretio, fratre Bonaventura de Aretio, et Massario de Aretio, ad hec vocatis et rogatis. In anno Domini MCCLXXVII, nemine imperante Papa in Ecclesia Romana vacante, Indictione v, die Dominico ultimo Octubris. Ego Johannes notarius, filius olim Canclasiatis, predictis omnibus interfui, et de mandato venerabilis fratris Benedicti et fratris Raynerii scripsi et publicavi.

Pro ejusdem instrumenti fide

49 *Recte se habent hæ notæ chronologicæ, quæ, ut dixi, desiderantur in Colbertino Baluzii, in Lucensi vero, quod Mansius edidit, leguntur hoc modo:* In An. Domini MCCLXXVII, minime imperante Papa in Ecclesia Romana vacante, Indictione v, die Dominico, ultimo Octobris; *in Waddingiano autem sic:* Anno Domini MCCLXXVII, Ecclesia Romana vacante, Indictione quinta, die Dominico, ultimo die mensis Octobris. *Vacavit revera his anno, mense dieque Romana Sedes Apostolica, a die* 20 *Maji, quo obiit Joannes XX, alias XXI, usque ad diem* 25 *Novembris ejusdem anni, quo electus fuit Nicolaus III. Currebat etiam tunc indictio* v *Romana, ducto initio a Kalendis Januariis, et dies ultima Octobris erat Dominica, ut patet ex littera Dominicali* c. *Personæ, quæ ista testatæ fuerunt, plena fide dignæ sunt. Masseus de Marignano, qui apud Baluzium ex facili lapsu* Matthæus *scribitur, aliunde notus est ipsiusmet* S. Francisci *discipulus et socius, eumdemque Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano, et Fortunatus Hueberus in Menologio ad diem* 17 *Novembris cum* Beati *titulo reposuerunt. Non legi tamen illum in Martyrologiis Ordinum* S. Francisci, *quæ ad calcem Martyrologii Romani, anno* 1749 *Romæ excusi, adjecta sunt. Itaque in cultum ipsius inquirendum erit ad citatum diem Novembris; at licet cultus ejus nullus esset, viri tamen, certe clari virtutibus, fides nequit esse suspecta.*

D

quædam observantur, et occurritur argumento,

50 *Beatum Benedictum Aretinum sua satis superque tutatur sanctimonia, certo cultu confirmata, quo an etiam gaudeat Raynerius, item Aretinus, dispiciendum erit ad diem* 1 *Novembris, quo a laudatis Arturo et Huebero* Beati *titulo insignitus annuntiatur. Dicitur hic fuisse frater laicus; ejusque corpus serico indutum habitu, integrum et incorruptum ostendi sub ara majori conventus Burgi sancti Sepulcri, scribit Waddingus ad annum* 1304, *num.* 12, *ubi etiam præmiserat quædam ex multis miraculis, per illius invocationem obtentis. Verumtamen huic instrumento, nullam prorsus suppositionis notam continenti, fuliginem inscii aspergunt Waddingus, quique hujus dicta de tempore mortis laudati fratris Massei adoptarunt.*

E

quod adversus eam formari posset

51 *Ex verbis enim num.* 47 *relatis, quibus B. Benedictus testatus est, se ea, quæ de Indulgentia Portiunculana dicebat, audivisse a* S. Francisci *socio,* qui vocabatur Fr. Masseus de Marignano, qui fuit homo veritatis et probatissime vite; *ex his, inquam, verbis dicendum est, instrumentum illud confectum esse post obitum ejusdem Massei; nam si de superstite fuisset sermo, B Benedictus non dixisset:* Qui vocabatur; *sed:* Qui vocatur; *nec:* Qui fuit; *sed:* Qui est homo veritatis *etc. Eodem tamen modo legitur apud Baluzium, Waddingum et in codice Lucensi supra laudato. Atqui Waddingus nihilominus ad annum* 1280 *num.* 3, *aliique passim post ipsum ejusdem Massei mortem anno* 1280 *affigunt; quæ si eo anno revera contigerit, multum vacillabit fides instrumenti, id quo velut mortuus jam memoratur anno* 1277, *qui solum triennio post obiisset. Hic ergo lapis amovendus est, antequam ad aliorum testimonia procedamus, ne quis laudatum B. Benedicti testimonium eo titulo admittere recuset.*

F

ex anno mortuali Massei Marignani

52 *Ego quidem non dubito, quin Waddingus eorum, quæ ad annum* 1277 *dixerat, immemor mortem Massei Marignani ex illustrissimo Gonzaga, et confusione alterius Massei prædicto anno* 1286 *illigaverit. Waddingum ipsum audiamus. Ad annum* 1280 *post relatum B. Benedicti Aretini obitum num.* 3 *subdit de Masseo Marignano:* Obiit etiam hoc anno alius S. Francisci discipulus B. Masseus (Marignani, *ut addit in Indice*) cujus frequenter in superioribus annis meminimus, qui in Gallia multa suo sodalitio acquisivit domicilia, quorum aliqua suis locis recensuimus. Hæsit multis diebus et sæpe prædicavit apud Bituriges; transiit postea Salmurum, ducatus Andegavensis oppidum, ubi diem suum obiit, sepultus in sacristia. Refert Gonzaga, etiam in sacello S. Bernardini apud Vindocinum dici sepultum, uti alias memini; fortassis ille alter ab isto, vel magna pars corporis custoditur utrobique. *Videamus modo, quid dicat ad annum* 1227, *num.* 22, *quo lectorem remisit in margine. Hic de constructione conventus Vindocinensis tractans,*

Fertur,

A Fertur, *inquit*, ibidem in quodam sacello, nunc divo Bernardino sacro, asservari corpus B. Massæi, quondam S. Francisci discipuli. An illius de Marignano, Francisco satis familiaris? Non est omnino compertum. *Censuit itaque Waddingus, Masseum, qui Salmuri quiescit, saltem verisimilius Marignanum esse, dubitavitque, cujus Massei ossa sint, quæ in Vindocinensi conventu asservari, legerat.*

a Waddingo, Gonzaga, aliisque serius,

33 *Porro pro hisce omnibus non allegat alium auctorem, quam Gonzagam, quem ei præluxisse, etiam manifestum est. Nam Gonzaga parte* III, *in provincia Turoniæ, conventu Salmurensi de* Masseo, S. Francisci socio seu contemporaneo *dicit :* Qui obiit et sepultus est in sacristia (*ejusdem conventus*) anno Domini MCCLXXX. *Rursum in conventu Bituricensi ait :* Traditione a patribus didicimus, venerabilem patrem Massæum (de quo supra) Biturigibus nedum multis diebus habitasse, verum etiam ibi concionatum fuisse. Cumque non constet, eum diem suum ibi clausisse ac sepultum fuisse, longe virisimillimum est (quandoquidem non discordant temporum supputationes) eumdem esse, quem in sacristia conventus Salmurensis anno Domini MCCLXXX sepultum fuisse, supra commemoravimus. *Denique ibidem in conventu Vindocinensi præmiserat ista :* Affirmant, cujusdam Fratris, socii S. Francisci, nomine Massæi, forte illius Marigneni *, et qui cum

* Marignani

B B. Francisco in Gallias primum venire disposuerat, corpus in navi ecclesiæ sepultum esse in sacello, quod nunc vocant S. Bernardini.

quam ut cum instrumento illo componi possit,

34 *Ex his omnibus liquet, Waddingum supra dicta, annumque emortualem Massei Marignani accepisse ex Gonzaga ; Gonzagæ vero non satis constitisse, aliusne, an idem Masseus sit, cujus corpus ab aliis Salmuri, ab aliis Vindocini quiescere dicitur, quique apud Bituriges habitasse narratur. Verum, quod caput est, Gonzagæ accuratio merito requiritur eo ipso in loco, quo Massei obitum anno* 1280 *affixit. Nam verbis de conventu Salmurensi num. præcedenti recitatis proxime præmiserat hæc :* Qui quidem conventus a Templariis primo inhabitatus, tum demum his a regno Franciæ exterminatis, a fratre Masseo, S. Francisci socio, seu contemporaneo, acceptatus et habitatus fuit, qui obiit... anno Domini MCCLXXX. *Atqui certum est, extinctionem Templariorum in Francia ad sæculum* XIV *pertinere, sententiamque pro eorum Ordine abolendo primum promulgatam fuisse in concilio Viennensi anno* 1312, *id est, annis circiter triginta duobus, postquam Masseum obisse, idem Gonzaga asseruit. Tam manifestus anachronismus, supraque observata hæsitatio de uno alterove Masseo luculente arguunt, Gonzagæ hic minime præluxisse*

C *certa monumenta ; ejusdemque auctoritatem pro figendo Massei Marignani anno mortuali evertunt.*

perperam assignato,

35 *Arturus a Monasterio, qui post Waddingum scripsit Martyrologium Franciscanum, in eo quatuor (nescio, an recte) Masseos distinxit, et de Masseo Marignano ad diem* 17 *Novembris agens, in Annotatis sic ait :* Obiit anno MCCLXXX, cujus sacrum corpus Assisii jacet honorifice conditum in ecclesia S. Francisci. *Tum post aliqua prosequitur :* Tossinianus contendit, B. Massæum obiisse apud locum Muri in Picœno ; sed ille est B. Massæus Severinas, de quo XXVII Decembris, ex Waddingo tom. II Annal. ad annum MCCLXXXIX, § 23 (*imo* 27.) Alii volunt, ejus corpus sepultum esse in ecclesia conventus S. Francisci Mordivallis, qui est decimusquintus provinciæ Marchiæ, uti scribunt Marcus Ulyssiponensis part. 1 supra lib. VI, caput. 26, et Gonzaga part. 2 sup. in eodem conventu : sed decipiuntur. Nam ille B. Massæus alius est a Marignano, de eoque agitur alio die et tempore. Nonnulli affirmant, corpus B. Massæi Mariniani asservari in ecclesia conventus S. Joannis Vindocinensis in Gallia, illicque plurima miracula fieri ; ut refert idem Gonzaga parte 3 in eo conventu, qui est quartus provinciæ Turonensis : qui tamen hallucinantur : etenim hujusmodi sacræ reliquiæ sunt B. Massæi, cujus corpus quiescit apud Bituricas in eadem provincia (de quo 26 Februarii) prout apprime notat ipse Waddingus superius.

AUCTORE C. S.

36 *Non est hujus loci hæc omnia discutere, quæ solum retuli, ut videat eruditus lector, quam obscura sit ex confusione synonymorum sepultura Massei Marignani ; indeque ulterius statuat, quam facili pariter modo ex eadem confusione etiam annus* 1280, *qui forte uni eorum emortualis fuit, eidem Marignano potuerit assignari ; quod ex Gonzaga etiam fecit Arturus, licet illum corrigendum putaverit in eo, quod Masseum Marignanum cum altero confuderit. Supersedeo pluribus, quia allegatæ rationes satis superque probant, sententiam pro morte Massei Marignani ad annum usque* 1280 *differenda infirmam esse, corrigendamque ex supra dato probatoque monumento, ex quo omnino dicendus est Masseus iste ultra Octobrim anni* 1277 *non vixisse. Atque hæc paulo prolixius tractanda censui, ne quis insigne istud B. Benedicti Aretini, ejusque socii Raynerii pro Indulgentia Portiunculana testimonium eo ex capite impugnet. Ceterum idem utriusque testimonium etiam vidit Theobaldus episcopus Assisiensis, adolescente sæculo* XIV, *cum utrumque pro eadem Indulgentia laudet supra num.* 6.

qui proinde saltem paulo citius figendus est.

§ IV. Petri Zalfani aliorumque, qui sæculo XIII vixerunt de eadem Indulgentia testimonia.

E

Pro eadem Indulgentia testimonium dixit Zalfanus,

Alterum sacræ hujus Indulgentiæ auritum oculatumque testem, supra a duobus Assisiatibus episcopis, Theobaldo nempe num. 7, *Corrado autem num.* 30, *laudari vidimus Petrum Zalfanum, cujus testimonium etiam litteris suis inseruerunt. Ejusdem exemplar simile Stephanus Baluzius, supra jam laudatus, ex eodem codice Colbertino, ex quo testimonia B. Benedicti Aretini et fratris Raynerii, in Miscellaneis suis vulgavit, ubi, ut in apographis sæpe fit,* Calfanus *pro* Zalfanus *legitur. Exstat et illud apud Pisanum in Conformitate* 14, *in qua* Zulfanus *scribitur. Habemus et aliud Ms. apographum illius, quod illustrissimus Joannes Dominicus Mansi, ex Lucensi codice exceptum, tomo II Miscellaneorum dicti Baluzii in novissima editione Lucensi (de quod vide dicta superius num.* 46) *inseruit, in qua* Galfanneus *nominatur. Donatum denique nobis et alterum est a RR. PP. Conventualibus Romanis, descriptum ex codice Assisiensi anni* 1325 (*de quo vide superius num.* 46) *et a notario publico subsignatum, quod hic recitabo, annotaturus deinde, in quibus hoc ab aliis variat.*

F

quod damus ex Assisiensi codice collato cum aliis :

38 Coram fratre Angelo Ministro, fratre Guidone, fratre Bartholo de Perusio et aliis fratribus, in loco Portiuncule, Petrus Zalfanus dixit, quod interfuit consecrationi, scilicet ecclesie sancte Marie de Portiuncula, et audivit tunc beatum Franciscum predicare populo coram VII episcopis; et habebat quandam cedulam in manu, et dixit : Ego volos vos omnes mittere ad Paradisum, et adnuntio vobis indulgentiam, quam habeo ab ore summi Pontificis : et omnes vos, qui venistis hodie, et omnes, qui venerint annuatim tali die, bono corde et contrito, habeant Indulgentiam omnium suorum peccatorum. Ego volui pro VIII diebus, set non potui. *Hactenus apographum nostrum Assisiense. In Colbertino Baluzii pro* fratre Guidone *legitur* fratre Bonifacio Gardiano ; *in Lucensi* Angelum *inter et* Guidonem *habetur* : Et fratre Bonifacio ; Bonifacium *item et* Guidonem *hic nominant Theobaldus episcopus Assisiensis supra num.* 7, *ejusque successor Corradus num.* 30, *et Pisanus in Conformitate* 14, *sed sine titulo* Gardiani ; *ut* Bonifacius *ceteris accensendus videatur, Colbertini autem codicis scriptor nomen proprium* Guidonis *in appellativum* Gardianum *mutasse, et addidisse Bonifacio. Cetera, si variationem nominis* Zalfani, *uti præmonui, excipias, consentiunt laudata apographa.*

fuit ille patritius Assisien-

39 *Illustrissimus Octavius, episcopus Assisiensis, jam alias laudatus, de prædicto* Zalfani, *quem* Zelphanum

AUCTORE C. S. *sis, non ignotus,*

phanum *appellavit, testimonio, apud Grouwelum quædam observavit hic referenda.* Ista, *inquit,* Petri Zelphani attestatio videtur pertinere ad annum MCCLXXVII, cum nominet ibidem Angelum de Perusio Ministrum (*scilicet provinciæ S. Francisci, ut diserte habet Pisanus*) adeoque anno quinquagesimo quarto a publicatione Indulgentiæ. Fuit autem Petrus Zelphanus Assisias patritius, Angeli filius, de quo Petro extat memoria in cancellaria priorali civitatis, fuisse unum ex nobilibus, qui se Gregorio IX obtulere pro tuenda Ecclesiæ ditione contra imperatorem Fredericum II. Est item in eadem hac civitatis cancellaria monumentum pergamenum, cujus meminit Eugenius Lamurini Cassinensis pag. 497, quod ita sonat : « Die » XV Septemb. anno MCCLIII fuit Assisii D. Papa » Innocentius IV, et fecit in ecclesia S. Francisci » solemnem canonizationem B. Stanislai episcopi, » prout in Actis ecclesiasticis. Et hujus canoniza- » tionis testes sunt et interfuerunt viginti quatuor » magnates, de stirpe militari nobiles Assisiates, » quorum nomina ad perpetuam rei memoriam » dominus Papa scribi jussit in libris publicis. » Inter hæc autem legitur : D. PETRUS ANGELI ZELPHANI.

ac forte ista testatus est anno 1277.

B

60 *Hactenus illustrissimus Octavius, qui quod observat de Zelphani testimonio ad annum 1277 referendo, satis verisimile est, tum quod eo anno collectæ fuisse de eadem Indulgentia attestationes dicantur in Speculo* S. Francisci *verbis num. 44 datis, consentiente Waddingo, ibidem pariter relato; tum quod eodem anno consignata habeamus testimonia B. Benedicti Aretini et Raynerii. Hinc mihi suspicio ingeritur, S. Bonaventuræ, triennio ante defuncti, de hac Indulgentia silentium (de quo infra pluribus) nonnullis occasionem dedisse, eamdem negandi aut revocandi in dubium, ac propterea superiores Ordinis prudenter decrevisse colligere testimonia eorum, qui aut* S. Francisco, *aut sociis ejus seu discipulis convixerant, ne temporum lapsu dubitatio invalesceret. At quæcumque fuerit ea colligendi ratio, certe cum eodem anno recte congruunt, quæ Octavius ex monumentis Assisiensibus observavit.*

quæ ipse præsens viderat.

61 *Facile enim potuit Petrus Zalfanus, seu Zelphanus, Angeli Zelphani filius, anno 1223 consecrationi ecclesiæ atque Indulgentiæ promulgationi, Honorio summo Pontifice, juvenis interfuisse; deinde Gregorio IX, Honorii successori, fidem suam cum aliis viris nobilibus Assisiatibus adversus imperatorem Fredericum II obstrinxisse, annoque 1232 adstitisse canonizationi S. Stanislai, Cracoviensis episcopi et martyris, ab Innocentio IV, qui eidem*

C

Gregorio post Cælestinum IV anno 1243 suffectus fuit, Assisii sollenniter celebratæ, ac tandem anno 1277, nondum decrepitæ ætatis senex, testimonium pro Indulgentia dedisse, cum inter hunc annum annumque 1223, cui Indulgentiæ promulgationem Octavius cum Waddingo innexuit, non nisi anni 54 intercesserint. An tamen non aliquot annis citius ista promulgatio reponenda sit, quæremus infra; at certe non tantum potest esse istud temporis discrimen, ut difficultatem hic parere queat.

B. Franciscus Fabrianensis, anno 1267 in Ordinem admissus

62 *Rursum alter ejusdem rei testis a Waddingo aliisque adducitur B. Franciscus Fabrianensis, Ordinis Minorum, cujus gesta apud nos illustrata habes tom. III Aprilis a pag.* 88, *iterumque ibidem in Appendice a pag.* 985. *Natus hic est anno 1251, Ordinem Minorum ingressus anno 1266, ut ibidem dictum est pag.* 985, *num.* 4, *vel anno 1267, ut habetur pag.* 89, *num.* 3, *atque ipsemet in Chronico supra laudato ac mox laudando asseruit his verbis :* Anno Domini MCCLXVII ego Fr. Franciscus veni ad Ordinem, receptus a dicto fratre Monaldo de S. Elpidio, tunc provinciali Ministro. *Obiit autem anno 1322, sicut in citati Operis nostri pag.* 985, *num.* 3 *testatur ejusdem ex sorore nepos frater Dominicus Bonaventura. Hinc fatendum est, Beatum hunc natum esse annis* 28 *vel paulo pluribus post primam Indulgentiæ promulgationem, at idoneum tamen testem esse propter temporis propinquitatem.* D *Adde, quod etiam dictorum suorum testem laudet fratrem Leonem,* S. Francisci *olim socium, quocum ea de re egerat, fueritque vir non modo sanctæ vitæ, verum etiam litterarum studiis admodum deditus, prout in Operis nostri tomo citato videri potest.*

scripsit, quomodo S. Franciscus

63 *Waddingus in Scriptoribus Minorum inter Opera ab eodem Beato scripta unum recenset* De veritate et excellentia Indulgentiæ S. Mariæ de Portiuncula, *quod in archivo Ordinis sui Manuscriptum Romæ, ait, asservari. Ejusdem Opusculi initium et finem exhibet in Annalibus ad annum 1267, num.* 3, *unde intelligo, prorsus idem esse cum iis, quæ leguntur in ejusdem B. Francisci Chronicis, vulgo Fabrianensibus, ex quibus quædam excerpta dono RR. PP. Conventualium Romanorum penes me esse, dixi supra num.* 9 *et* 10, *ubi de nostro hoc exemplari plura invenies, quorum pauca hic necessario repetenda sunt. Sic itaque in eo legitur :* Ad memoriam in futurum. Ego Fr. Franciscus de Fabriano, inutilis et indignus Fr. Minor, que legi et vidi sub sigillo autentico domini episcopi Assisiensis de Indulgentia S. Marie de Portiuncula dicte civitatis Assisii, ecce nunc redigo in his scriptis.

divinitus monitus, eam Indulgentiam petierit,

64 Cum staret B. Franciscus semel de nocte orans in dicta ecclesia, fuit sibi revelatum a Christo, quod iret ad summum dominum Honorium, qui tempore illo erat Perusii, et peteret Indulgentiam pro dicta ecclesia B. Marie. Qui consurgens vocavit fratrem Masseum de Marignano in socium, et ivit. Et stans coram dicto Papa, sic ait : Sancte Pater, supplico Sanctitati vestre, quod in ecclesia S. Marie de Angelis, quam nuper reparavi, ponatis Indulgentiam absque oblationibus. Cui Papa respondit : Quot annos vis, et quantum vis, ut ponam Indulgentiam? Cui beatus Franciscus respondit : Sancte Pater, placeat Sanctitati vestre, non dare annos, sed animas. Et dominus Papa dixit : Quo modo vis animas? Et S. Franciscus respondit : Volo, si placet Sanctitati vestre, quod, quicunque venerit * ad dictam ecclesiam contriti et confessi, absolvantur a culpa et pena in celo et in terra, a die sui baptismatis usque in diem et horam introitus ecclesie supradicte.

E

* *an venerint?*

et obtinuerit ab Honorio III Papa

65 Cui dominus Papa respondit : Multum est, quod petis, Francisce. Non est consuetudo Romane curie talem Indulgentiam dare. Tunc beatus Franciscus dixit : Domine, quod dixi, non peto ex parte mea, sed ex parte illius, qui me ad vos misit Dominus Jesus Christus. Tunc dominus Papa statim intulit, ter dicens : Placet mihi, et volo, quod habeas. Tunc Cardinales, qui aderant, dixerunt : Videte, Domine, quod, si talem Indulgentiam ibi datis, ultramarinam destruetis. Tunc Papa respondit : Dedimus et concessimus sibi eam ; nec possumus, nec expedit illud destruere, quod factum est; sed modificemus eam, ut tantum ad diem naturalem se extendat. Et tunc Papa vocavit B. Franciscum, et dixit ei : Ecce, nunc concedimus, quod, quicumque venerit et intraverit dictam ecclesiam sancte Marie bene confessus et contritus, sit absolutus, a pena et a culpa, et hoc valere volumus singulis annis in perpetuum, tantum per diem naturalem a vesperis primis usque ad vesperas diei sequentis.

F

sine litteris, et quinam hæc testati sint ;

66 Tunc beatus Franciscus, inclinato capite, egrediebatur de palatio. Tunc dominus Papa dixit : O simplex, quo vadis, quid portas de ista Indulgentia? Cui sanctus Franciscus : Sancte Pater, sufficit mihi verbum vestrum. Si opus Dei est, ipse opus suum habet manifestare; et habere ego nolo aliud privilegium; sed tantum sit carta beata Virgo Maria, notarius sit Papa *, et angeli sint testes. Et cum intrasset causa orationis quoddam hospitale, quod erat in medio itineris, egressus dixit socio fratri Masseo : Dico tibi ex parte Dei, Indulgentiam, mihi exhibitam nunc a domino Papa, mihi esse a Domino confirmatam in celis. Et hoc testificatus est frater Leo, unus de sociis beati Francisci,

* *al.* Christus

A Francisci, vir probate vite, quem ego frater Franciscus vidi in anno, quo veni ad fratres, quoniam ivi ad dictam Indulgentiam. Dixit enim mihi dictus frater Leo, se audivisse ab ore beati Francisci de dicta Indulgentia, ab eo, ut predicitur, impetrata. Frater Benedictus de Aretio, et Fr. Ranerius de eadem terra, sicut predictum est de dicta Indulgentia, sic testificati sunt, se audivisse e dicto fratre Masseo. *Hactenus ibi.*

alia ejusdem Beati de eodem argumento annotatio.

67 *Diploma episcopi Assisiensis, quod in initio laudat B. Franciscus Fabrianensis, esse Theobaldi, dixi in* § 1 *hujus Dissertationis, ubi etiam illud dedi, cujus auctoritati non parum ponderis addit hic Fabrianensis, dicta sua fratris Leonis a se consulti testimonio confirmando. Verum quæ de promulgatione ejusdem Indulgentiæ in Theobaldinis litteris præterea leguntur, in apographo nostro hic desiderantur, ac solum post varia alia (forte auctor ea oblitus fuerat superius addere) sub novo titulo sequuntur hoc modo :* De Indulgentia S. Marie de Portiuncula. Frater Benedictus de Aretio, et Fr. Ranerius de eadem terra, et Fr. Leo de dicta Indulgentia testificati sunt, se audivisse a dicto fratre Masseo; et dictus Fr. Leo dixit, se etiam audivisse a sancto Francisco. Item die consecrationis dicte ecclesie per VII episcopos, qui ibi fuerunt presentes, cum multa solemnitate fuit dicta Indulgentia B in populo publicata. Que consecrata fuit III Nonas Augusti. Et qui audierunt, retulerunt, se audivisse etiam tunc beatum Franciscum predicantem in populo coram dictis episcopis, et dicentem : Ego volo vos omnes mittere ad paradisum, et annuncio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore summi Pontificis; et omnes vos, qui venistis hodie, et omnes, qui venerint annuatim tali die, bono corde et bene confessi et contriti, habeant Indulgentiam omnium peccatorum suorum, et sint absoluti a pena et a culpa. *Præmissa etiam ibidem erant hæc:* Anno Domini MCCXVI, III Nonas Augusti fuit consecrata ecclesia S. Marie de Angelis a VII episcopis. Et dominus Honorius Papa III posuit ibi Indulgentiam a pena et a culpa. Et beatus Franciscus die illa sic Indulgentiam populo adnunptiavit, præsentibus dictis episcopis: Ex parte Domini nostri Jesu Christi, et sanctissime Matris ejus ac prædicti domini Papæ.

Testati pro ea etiam sunt Fr. Michael Angelus

68 *Inter monumenta a RR. PP. Conventualibus Roma ad me transmissa legitur et aliud testimonium, descriptum ex Miscellaneis Baluzii novissimæ editionis Lucensis, quibus Vir clarissimus Joannes Dominicus Mansi, nunc Lucensis (ut dictum est) archiepiscopus, illud ex codice Ms. sæculi* XIV, *bibliothecæ Congregationis Matris Dei Lucæ, ut in margine addidit, inseruit; quale hic subdo:* In Christi nomine. C Amen. F. Michael Angelus, Minister provinciæ S. Francisci, retulit, quod in præsentia sua et F. Deodati, Custodis Perusii, et in præsentia F. Angeli, socii ejusdem Ministri, D. Jacobus Capoli dixit, quod semel coram uxore sua, et Jacobutio et alia persona interrogavit F. Leonem, utrum Indulgentia, quæ est in Portiuncula, esset vera; qui respondit: Sic; et dixit, quod B. Franciscus sibi in hæc verba retulit, quod petivit a D. Papa, ut faceret sibi Indulgentiam in anniversario consecrationis ecclesiæ : et D. Papa interrogavit: quantam vellet. Et D. Papa de uno anno, et postea de tribus (*supple* : locutus est) et venerunt usque ad septem. Et S. Franciscus non erat contentus. Et tunc dixit D. Papa, quantum vellet: qui respondit: Volo, si placeat S. P., ut propter beneficia, quæ fecit Dominus in illo loco, et adhuc faciet, quod omnes, qui venerint bene contriti et confessi, habeant peccatorum suorum indulgentiam. Et D. Papa dixit, quod tantum valeret per unam dierum * naturalem, videlicet a vesperis usque ad vesperas. Et cum B. Franciscus exiret a D. Papa, audivit post concessionem vocem dicentem : Fili Francisce, scias, quod, sicut hæc Indulgentia data est in terra, ita confirmata est in cœlo.

* an. diem ?

69 *Annus, quo iste hæc testatus est, in nostro apographo non exprimitur; ast videtur et hic et locus expressus fuisse in eo, quod vidit Waddingus, cum ad annum* 1277, *num.* 20 *dicat :* Prædictus etiam frater Angelus de Perusio (*Minister provinciæ S. Francisci, cujus mox meminimus*) die 19 Augusti hujus anni in cella B. Ægidii apud Perusium aliud præbuit testimonium, quale ex ore domini Jacobi de Capoli Perusini, ille vero ex ore B. Leonis, socii S. Francisci, accepit. Præsentes aderant Deodatus, Custos Perusii, et Fr. Angelus, ejusdem socius. *Utut sit, testimonium hoc ad sæculum* XIII *pertinere, colligitur ex personis in eodem nominatis, atque hinc ulterius verisimile fit, datum esse anno* 1277, *ut habet Waddingus. Ad idem sæculum pertinet* Michael Bernardutius, prius Spoletanus, mox civis Assisias, *a quo, ibidem præmiserat, historiam ejusdem Indulgentiæ scriptam esse, sicut eam audiverat in ipsa æde Angelorum a primis ejusdem sancti Viri* (Francisci) *discipulis; imo ipse omnium primus eam scripsit, si verum est, quod refert Grouwelus his verbis:* Michael Bernardutius, alias Bernardi, Historiam Indulgentiæ scripsit sub annum MCCXXX. « Reperitur » (teste illustrissimo D. Octavio episcopo Assisiensi Tr. de Indulg. Port.) « in cancellaria » Priorali Assisii ad annum MCCXXVIII unus e consi- » liariis Petrus Bernardi, utique hujus frater aut » filius. In Historia Maceratensi Pompei Compa- E » gnoni legitur ejusdem familiæ judex Generalis » in Marchia IL SIGNOR BERNARDO D'ASSISI » (*id est:* Dominus Bernardus Assisias) « ad annum MCCLXXXVII. » *Operæ pretium esset, hoc illius Opusculum, sicubi exstet, vulgari.*

AUCTORE C. S. *et Michael Bernardutius, (ut dicitur) ambo sæculo* XIII.

Laudatur etiam B. Joannes Firmanus

70 *Rursum alterum, scilicet B. Joannis Firmani, alias* Alvernicolæ, *testimonium ad annum* 1277, *num.* 20 *ex Mariani Florentini Chronico, ut apparet, adfert Waddingus, cujus verba transcribo.* Ego in verbo veritatis assero, me audivisse ab optimis viris ac probatissimis S. Patris nostri Francisci sociis, fide utique dignis, quod ipsi acceperint a fratre Masseo, intimo socio ejusdem sancti Patris, viro sanctissimo et probato in omni sanctitate et veritate, seriem et relationem obtentæ Indulgentiæ Portiunculæ, qui dixit eis, se fuisse cum S. Francisco, quando eandem indulgentiam, a Domino datam, Pontifex confirmavit. *Colitur hic B. Joannes die* 9 *Augusti, quo de eo actum apud nos est, dictumque ibidem, natum ipsum esse circa annum* 1239, *annoque* 1322 *vita functum; ut facile potuerit cum aliquot* S. Francisci *sociis collocutus, atque ista testatus fuisse.*

paulo post medium sæculum XIII *natus.* F

71 *Nequeo tamen hoc illius testimonium aliunde confirmare; nec magis scio, quam certum sit, quod laudatus Waddingus ad annum* 1309, *num.* 26 *de eodem B. Joanne enarrat; nimirum, hunc eo anno in die Indulgentiæ Portiunculanæ excepisse confessionem cujusdam senis Tertii Ordinis* S. Francisci, *centenario majoris, qui nonlonge a civitate Assisiensi Perusium versus habitabat, quique ab illo interrogatus, cur in ea ætate illuc adveniret, respondisse dicitur:* Si venire non possem,... me vehi curarem, imo et trahi, ne sacer hic dies absque tanto lucro transiret : *Demum tanti fervoris causam rogatus, dixisse,* S. Franciscum apud patrem suum sæpius susceptum hospitio; et dum Perusium pergeret post obtentam a Domino hanc Indulgentiam, ut eam Pontifex confirmaret, et promulgari permitteret, rem omnem narrasse, et semetipsum tunc astitisse narranti. *Ita laudatus Waddingus, qui cum horum certum vadem non alleget, nisi forte Marianum suum Florentinum, de eorumdem fide nihil possum statuere.*

Ubertinus Casalensis in Opere, anno 1305 *perfecto,*

72 *Certiora apparent, quæ Grouwelus in Opusculo frequenter laudato habet pag.* 185 *et sequenti, sic inquiens :* F. Ubertinus de Casali, vir eodem seculo (XIII *et* XIV) pietate non minus, quam doctrina celebris, paupertatis Franciscanæ et regularis disciplinæ in partibus Vallis Spoletanæ, Marchiæ et Tusciæ promotor egregius, ac Parisiis olim novem annis lector, inter alia scripsit Opus historico-theologicum, qui titulus : ARBOR VITÆ CRUCIFIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

auctore C. S.

fixi. Est tomus in folio, continens quinque libros. Extat in bibliotheca nostra Lovaniensi, Venetiis impressus an. mcdlxxxv. De quo vide D. Dupin. *De eodem Opere agens Waddingus in Bibliotheca Minorum, ait, etiam exstare Ms. in bibliotheca Minorum Cæsenæ, et Romæ in Vaticana. Progredior verbis Grouweli.* In Prologo hujus Operis fatetur (*Ubertinus Casalensis*) se « anno mcccv, quo Opus absol- » verat, triginta duos annos in Ordine transegisse, » et professum anno mcclxxiii » sub generalatu S. Bonaventuræ; cumque sub annum mcclxxxiv visitaret sanctuaria Romana, descendit ad vallem Reatinam et alia pia loca, a B. Francisco instituta.

eamdem Indulgentiam, quam et lucratus fuit,

73 Invisit et B. Joannem Parmensem, qui, postquam anno mcclvi Generalatus officio cesserat, ad tuguriolum Grætii (quod Rupem vocat, quia in rupe excisum) se receperat, ut Deo liberius vacaret. Ab illo se confortatum absolutumque dicit, et instructum de celebri Indulgentia Portiunculæ, in cujus sacello divinas sensit immutationes. Sic enim scribit in Prologo Operis laudati : « Romana san- » ctuaria visitans » (sub annum mcclxxxiv) « ad » B. Joannem de Parma, ad Rupem » (eremitorii Grætii) » lætus deveni, et ab ipso confortatus, » absolutus et instructus, in die Indulgentiæ se- » cundæ diei Augusti intravi ecclesiam B. Mariæ
B » de Portiuncula de Assisio, et juxta eam per- » noctavi, in qua gloriosa Virgo Maria, quæ primo » Christi personam in Bethleem pepererat, in Fran- » cisco et Clara et eorum Ordinibus peperit ejus » vitam. Ubi tantam immutationem accepi,... ut » spiritum Christi de novo in me genitum fide- libus » tradiderim « nutriendum. » Ita Ubertinus, qui rursus lib. iv, cap. 40 scribit in hæc verba : » Christus in loco S. Mariæ de Portiuncula statum » Evangelicum in utroque sexu per Franciscum et » Claram » renovavit. « Cui etiam ecclesiæ secunda » die Augusti virgo beatissima a Filio suo obtinuit » » (gloriosa) « in cœlis, et B. Franciscus a Papa » » (vicario Christi) in terris Indulgentias remissionis » plenariæ omnium peccatorum. Vides ergo, quam » jucunde Christus Matrem suam glorificavit. »

manifeste adstruit ;

74 *Grouwelo fere consonans anonymus Franciscanus in Dissertatione epistolari de eadem Indulgentia, anno* 1760 *Tridenti Italico idiomate edita, pag.* 144 *et sequentibus,* ex antiquissimo, *ut loquitur,* Ms. pergameno *exemplari ejusdem Operis, accepto ex archivo conventus Assisiensis* S. Francisci, *observat, istud inscriptum esse :* Arbor crucifixæ vitæ Jesu, *in eoque quædam aliter legi, quam in editione Veneta, ac speciatim partem texti mox dati ex eodem sic recitat :* Cui etiam ecclesiæ in die
C prima Augusti Virgo beatissima a Filio obtinuit in cœlis, et Franciscus in terris Indulgentiam plenariæ remissionis omnium peccatorum. Vides ergo, quantum Christus Matrem triumphaliter coronavit. *Utravis lectio sit autographo conformior, hic parum interest.*

de eaque etiam mentio fit

75 *Sæculo* xiii *etiam floruit B. Angela Fulginas, anno* 1309, *mortua, cujus Vitam ab Arnaldo fratre Minore, ejusdem confessario, scriptam ex editione Parisiensi cum codice Cornelii Duynii, aliisque Mss. collatam, Henschenius noster ad diem 4 Januarii vulgavit. Eamdem deinde Joannes Baptista Boccolinus recudit Fulginii anno* 1714, *adjectis in Appendice ex pervetusto, ut loquitur, codice conventus Assisiensis Minorum Conventualium variis, quæ in Henscheniana, quam* Bollandi *vocat, editione desiderantur. Inter hæc autem pag.* 262 *legitur Beata illa ad lucrandam dictam Indulgentiam accessisse. Locum illum ex Assisiensi codice, forte eodem, excerptum communicarunt mecum sæpe dicti Patres Conventuales Romani, quem hic subjiciam, postquam illius codicis notitiam ex subscripto notarii publici testimonio dederim. Sic se habet :* Quam quidem copiam, fideliter et de verbo ad verbum, aliena
* *Boccol.* Ex pag. 24. tamen manu, desumptam ex folio 34 * pervetusti codicis Ms. Vitæ B. Angelæ de Fulgineo Tertii Ordinis S. Francisci, ab eadem ipsa fratri Arnaldo Ordinis Minorum, confessario suo et consanguineo, dictatæ, qui litteris Gothicis exaratus, et folia con- D tinens quinquaginta in quarto, in archivo sacri Assisiensis conventus ejusdem S. Francisci asservatur, ego infrascriptus publ. auctor. notarius, et Seraphicæ civitatis Assisii secretarius, cum eodem codice quam diligentissime contuli, eamque cum ipso plene et undequaque concordare inveni. In quorum fidem etc. Datum Assisii die secunda Maii 1765. Ita est. Blasius Epiphani Notarius publicus de præmissis rogatus etc. *Adest in margine ejusdem sigillum atramento expressum.*

in Vita B. Angelæ Fulginatis a synchrono scripta.

76 *Modo excerpta e Vita accipe.* De mane vero sequenti (*id est, die* 2 Augusti ; *præmiserat enim, quæ acciderant* In festo sancti Petri ad Vincula, (*quod Kalendis Augusti celebratur*) cum propter Indulgentiam vellem intrare ecclesiam Virginis gloriosæ de Portiuncula, et tenerem manu quandam feminam, quæ ad intrandum in ecclesiam me juvare volebat, cum posui pedem super limen hostii, tunc subito anima mea fuit abstracta in tantum, quod in ipsa pressura corpus stetit, nec movebatur. Et dimisi mulierem illam, que me precedebat juvando; et vidi quandam ecclesiam mire magnitudinis et pulchritudinis, tunc subito divinitus ampliatam. Et in ista ecclesia nichil materiale apparebat, set totum omnino erat ineffabile. Et E anima mirabatur, quomodo ita subito in impositione pedis tantum ipsa ecclesia ampliabatur : quia sciebam, quod ecclesia illa sancte Marie de Portiuncula erat valde parva. *Hæc ibi, ex quibus manifestum fit, B. Angelæ Fulginatis ætate, seu sæculo* xiii *jam celebrem fuisse Portiunculanam Indulgentiam, et a copiosa hominum multitudine die* 2 *Augusti frequentatam. Eadem leguntur etiam in supra laudato codice Cornelii Duynii, nec tamen, nescio cur, ab Henschenio descripta fuere.*

§ V. Varia alia argumenta, quibus probatur Indulgentia Portiunculana seculo xiii et duobus sequentibus pro vera habita fuisse.

Indulgentiam etiam probant decreta Ministrorum Ordinis

Ejusdem *Indulgentiæ celebritatem sæculo* xiii *et sequentibus luculenter item probant decreta Ministrorum generalium Ordinis Minorum a Grouwelo relata parte* ii *sæpe laudati Opusculi a pag.* 92. *Inprimis ex Chronologia Historico-legali Ordinis sui sic scribit :* Ad hunc locum (*ecclesiam S. Mariæ Angelorum in Portiuncula*) cum ingens annuatim secularium concursus fieret, Fr. Bonagratia in capitulo generali, Assisii celebrato anno mcclxxix, electus Minister generalis « præcepit anno mcclxxx F » per obedientiam et sub pœna excommunica- » tionis, ut in die Indulgentiæ plenariæ S. Mariæ » de Portiuncula... nulla oblatio pecuniaria a fra- » tribus in ecclesia reciperetur, vel pro eorum » necessitatibus recepta expenderetur, propter » cupiditatis notam evitandam, qua posset ab in- » vidis falsa vel minus sacra Indulgentia publicari, » et devotio minorari. » *Hisce plane consona leguntur apud nos tom. IV Maji in Appendice de Origine Fratrum Cappucinorum* S. Francisci, *ex Italica Fr. Joannis de Terranova Latine versa, pag.* 287; *unde sequentia transcripsi.* Postea anno mcclxxix Frater Bonagratia, factus Minister generalis, sub pœna excommunicationis ordinavit, ut in festo Portiunculæ non fieret ulla oblatio pecuniaria, vel reciperetur.

sæculis xiii *et* xiv,

78 *Pergo Grouweli dicta describere.* In capitulo, *inquit,* generali Assisii anno mccxcv sub Ministro generali Raymundo Gaufredi prohibetur, ne Ministris nimis faciles * in concedenda fratribus * *adde,* essent nostri licentia petendi Assisium pro Indulgentia Portiunculæ lucranda; neque eam darent iis, qui aliam lucrati fuissent. Item, ne illi, quibus licentia eundi ad dictam Indulgentiam tribueretur, irent equitando, aut apud seculares hospitarentur in locis, in quibus sui Ordinis cœnobia haberentur; neque Assisium accedere præsumerent ante postremum

A stremum Julii diem, aut ibi moram trahere ultra triduum absque Ministri vel Custodis speciali licentia. *Simillima legi possunt apud Waddingum ad præcitatum annum* 1293. Gerardus Odonis, Minister generalis FF. Minorum (*ita denuo pergit Grouwelus*) electus in capitulo Parisiensi anno MCCCXXIX, Epistolam, quam in suo libello citat illustrissimus D. Octavius (*episcopus Assisiensis*) universis scripsit Fratribus, Assisii pro Indulgentia de Portiuncula impetranda congregatis, quæ incipit INDULGENTIAM MISERATIONIS DIVINÆ etc.

ac epistola Geraldi Odonis,

79 *Hujus apographum etiam habeo ex munere RR. PP. Conventualium Romanorum, quod unde acceptum sit, idem, qui multa alia superius allegata instrumenta contulit et subsignavit, notarius publicus et secretarius civitatis Assisii, Blasius Epiphani, testatur his verbis ad calcem adscriptis :* Quam quidem copiam fideliter et de verbo ad verbum, aliena tamen manu, desumptam ex pervetusto codice membraneo Ms. Historiæ Indulgentiæ S. Mariæ de Portiuncula a fratre Francisco Bartoli, Ordinis Minorum, conscriptæ, nimirum a folio sexagesimo septimo usque ad folium septuagesimum, in archivio sacri conventus Assisiensis Minorum S. Francisci Conventualium asservato, ego infrascriptus publicus Apostolica auctoritate B notarius, ac Seraphicæ civitatis Assisii secretarius, quam diligentissime cum prædicto codice contuli, ipsamque cum eo plene et undequaque concordare inveni. In quorum etc. Datum Assisii die secunda Maii 1765. Ita est. Blasius Epiphani notarius publ. de præmissis rogatus. *Adest in margine de more sigillum ejus.*

in qua ille hortatur suos ad eam digne lucrandam,

80 *Argumentum Epistolæ est exhortatio Fratrum ad Indulgentiam, cujus causa Assisium convenerant, digne promerendam; sed longior illa est, aliaque quædam præterea continet, huc non spectantia, ac proinde suffecerit præcipua, quæ ad propositum nostrum conducunt, huc transtulisse. Inscriptio hæc est :* In Christo michi Karissimis fratribus universis, in sacro loco Assisii pro Indulgentia sacri loci de Portiuncula congregatis, frater Geraldus, Ordinis fratrum Minorum generalis Minister et servus, salutem et pacem in Domino sempiternam. *Exordium vero tale :* Indulgentiam miserationis divine, medelam humane saluti accommodam, reis autem necessariam, per Salvatorem nostrum predicandam fuisse mundo, sanctus propheta testatur; ipsum quidem Christum Dominum introducens per hæc verba : « Eo quod unxerit me; ad annuntiandum » mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, » et predicarem captivis indulgentiam. » *Et post aliqua :* Ad Indulgentiam consequendam concur- C runt populi, suspirant, et orant et lacrimantur, offerunt et impendunt. Quali ergo studio, quanto desiderio, quali religione, quantave devotione debemus nos huic incumbere negotio, huic tali ac tanto intendere beneficio, ad quod nos trahit saluberrima tantarum rerum et talium multitudo?

et quædam ordinat tunc observanda in processione,

81 Totis igitur nisibus in fervore spiritus recollecti et studiosi, compositi et devoti, non pigri, non tepidi, non distracti, non vagi, fratres mei, oblatam vobis tantam hujus Indulgentie gratiam postulate, ipsamque cum fiducia petite, cum fiducia querite, et cum fiducia ad portam paradisi pulsate... Conscientias vestras moneo et exhortor in Christo Jesu, ne tante oblationem divine gratie in vacuum recipiatis : quomodo enim effugietis iram, si tantam neglexeritis salutem? *Post multa hujusmodi ad pietatem hortamenta quædam etiam in hac solemnitate observanda præscribit,* Sicut autem, *inquiens,* in anno precedenti ordinatum extitit, in prima parte processionis incedant fratres de provinciis cismontanis; in secunda fratres de provinciis Lombardie; in tertia fratres de provinciis regni Sicilie; in quarta fratres de provinciis Tuscie, Romane, Marchie, Terre sancte et Grecie; in quinta vero fratres de provincia sancti Francisci.

82 Tu vero Minister ipsius provincie, vel tu Custos Assisii, in ejus absentia, ordina, et aliquos fratres bonos, et ad hoc voluntarios et devotos, in numero convenienti deputa, qui per vices suas in logia super portam sacri loci de Portiuncula pro salute peregrinorum orent, et cantent letaniam, et divinum Officium, cum omni devotione, et in omni plenitudine caritatis... Ad mensam vero legi facito ystoriam impetrate Indulgentie sacre ecclesie beate Marie de Portiuncula, sive de Angelis. *Notatur vero hæc Epistola* data Avinione XXIII die Junii. Anno Domini M.CCC.XXX. tertio. Pontificatus domini Johannis Papæ vicesimi secundi anno XIX. *Hæ notæ chronicæ vitiatæ sunt in Pontificatu Joannis XXII, qui cum illum adeptus fuerit die 7 Augusti anni 1316, non potuit anno 1333 ejusdem annum 19 inivisse, quem solum orsus fuit citato Augusti die anni 1334. Quam ob rem pro anno 19 Sedis illius substituendus est 17; aut, si annum 18 malis, pro anno Christi 1333, ponendus 1334 : nam laudatus Pontifex nullo mense Junio annum sedis suæ 19 numeravit, mortuus die 3 Decembris anni 1334 post Pontificatus sui annos octodecim, tres menses, dies 28, ducto initio a die 7 Augusti anni 1316. Verisimilius est, in solo Pontificatus anno errorem cubare, tum quod in hoc facilior sit lapsus memoriæ, tum quod iidem annus Domini, mensis et dies legantur apud laudatum Grouwelum,* E *omisso anno Pontificatus.*

AUCTORE C. S. *in ecclesia et in triclinio : ad Epistolæ subscriptionem,*

et adjectam notam,

83 *Subditur ibidem et alius error, scriptori ejusdem codicis unice attribuendus, dum post ejusdem Epistolæ finem hæc adjecit :* Explicit littera magistri Geraldi, Ordinis Minorum Generalis, et patriace (*lege* patriarchæ) Jerosolomitani, ac episcopi Cathanensium, missa Assisii tempore Indulgentie. *Geraldum, de quo hic, anno 1342, non quidem Hierosolymitanum, sed Antiochenum patriarcham creatum fuisse, ac paulo post etiam Catanensem in Sicilia ecclesiam administrandam accepisse a Clemente VI, docet Waddingus ad eumdem annum, et quod ad Antiochenum patriarchatum attinet, etiam probat ex ejusdem Clementis litteris, quas in Regesto Pontificum exhibet. Ceterum num. 41 jam observavi, neque ex insertis Ms. codici, in quo Francisci Bartholi Opusculum de Indulgentia legitur, laudatis Geraldi litteris; neque ex mox relata additione consequi posse, dictum Opusculum post annum 1323 ab eodem Francisco Bartholi compositum esse; sed solum, eumdem codicem non esse ipsum Bartholi autographum, aut ista eidem codici vel ab eodem Bartholo, vel ab alio postmodum addita fuisse.*

observatio.

84 *Nunc, unde paululum digressi sumus, revertamur. Ex allegata Geraldi Odonis Epistola sane constat primo, etiam tunc temporis celebrem fuisse in sacra æde Portiunculana Indulgentiam, magnaque cum sollennitate et copiosa, tam Franciscanorum, quam aliorum, ex variis provinciis adventantium multitudine frequentari soluisse : secundo, exstitisse tunc aliquam* Ystoriam, *seu* Historiam ejusdem impetratæ Indulgentiæ, *quam eo die congregatis in triclinio Fratribus Geraldus generalis Minister prælegi voluit. Quæ tamen hæc fuerit, certo dici nequit. At verisimile est, eam aut Theobaldi episcopi litteras, superius datas, fuisse, aut memoratum Bartholi Opusculum; aut, si neutrum velis, vetustiorem aliquam ejusdem Indulgentiæ historiam admittas, oportet : nam Corradi, pariter episcopi, litteræ tunc nondum exstabant. Non multum vero Bartholinæ aut Theobaldinæ dissimilem fuisse eam, quam Geraldus designavit, utcumque colligere licet ex his Geraldi in eadem epistola verbis :* Sancta Virgo, Mater Jesu, pro Indulgentia impetranda deprecata est..... Seraphicus homo, devotus Franciscus ex desiderio Indulgentiæ plorat. Indulgentie impetrande assistunt angeli, interveniunt archangeli; *qui scilicet omnes in impetratione Indulgentiæ intervenisse, apud Bartholum Corradumque dicuntur.* F

De Indulgentia hac etiam meminerunt Gregorius IX,

85 *Annuum illum Fratrum Minorum ad eam Indulgentiam lucrandam Assisium concursum perspectum etiam habuit sæculo* XIV *senescente Gregorius XI summus Pontifex, qui cum per litteras, ad universos Ordinis.*

AUCTORE C. S.

Ordinis Fratrum Minorum superiores Avenione 10 Kalendas Julii, anno Pontificatus sui secundo, id est, æræ Christianæ 1372 *datas, idoneos ex eodem Ordine missionarios pro Bosnia peteret, inter alia hæc scripsit :* Cæterum cum annuatim in Calendis Augusti ad ecclesiam S. Mariæ de Portiuncula, Assisinatæ diocesis, pro Indulgentia ibidem obtinenda soleant multi fratres dicti Ordinis cum suorum licentia Ministrorum de diversis partibus mundi confluere, propter quod de bona ipsorum vita et intentione est verisimiliter præsumendum, dilectis filiis, Ministro provinciæ S. Francisci, et Custodi Assisii, Ordinis præfati, similiter præsentium auctoritate mandamus, quod Minister, et in ejus absentiam vel defectum Custos præfati, vel alterius eorum vicarius, illis fratribus, qui ad dictam Indulgentiam in Calendis Augusti proxime secuturis accedent, et ad dictas partes Bosnæ ire voluerint, ut præfertur, quosque ad hoc noverit, vel testimonio fide digno, saltem duorum fratrum sæpe dicti Ordinis, repererit esse idoneos, auctoritate nostra hujusmodi licentiam cum opportunis super hoc litteris largiatur *etc. Epistola integra legi potest apud Waddingum ad citatum annum* 1372, *num.* 32, *unde ista accepi.*

et decreta Ordinis sæculo XV.

86 *Alia rursum eamdem Indulgentiam testantia producit Grouwelus pag.* 94 *et sequenti, quæ pariter huc transcribo.* « B. Joannes Capistranus anno
B » MCCCCXLIII in capitulo generali (quod refertur apud
» Michaelem Angelum a Neapoli, estque impressum
» Neapoli anno MDCL) in constitutionibus factis in loco
» S. Mariæ de Angelis ordinavit de unanimi con-
» sensu omnium vicariorum, quod fratres non mit-
» tantur ad Indulgentiam Portiunculæ pro qualibet
» provincia annuatim, et quod illi, qui missi fue-
» rant uno anno, non possent mitti iterum, nisi
» post quinque annos immediate sequentes. » Item in capitulo generali celebrato in conventu nostro Aracœli anno MCCCCXLVI, die VI Maii, statutum est : « Quod anno quolibet non possint ad Indulgentiam
» Portiunculæ mitti, seu accedere ultra sex fratres
» in totum pro unaquaque provincia, seu vicaria ;
» et quod illi, qui ad illam accesserunt, non pos-
» sint ad eamdem Indulgentiam redire per quinque
» sequentes annos. »

Concluditur pro veritate Indulgentiæ celebris,

87 *Post hæc supraque relata non immerito sic concludit Grouwelus :* Ex illis manifeste colligitur, quod olim tempore Joannis de Parma, generalis Ministri Ordinis ab anno MCCXLVII ad MCCLVI, ac deinceps esset frequens concursus populi ad lucrandam Indulgentiam Portiunculæ, Christo specialiter vocante et cooperante, qui eamdem miraculose concesserat. Si enim nulla fuisset Indulgentia,
C si nec a Christo, nec ab Honorio, ut prætendunt adversarii, data ; superiores Ordinis, viri certe zelosi et custodes tam vigiles super gregem Domini, non scripsissent tot litteras exhortatorias ad illam promerendam, nec misissent fratres subditos suos in terram tam longinquam, neque de ejusmodi peregrinantibus statuta fuissent condita in capitulis generalibus. Ordo igitur universus credidit ante et post tempora Bonaventuræ, sacello Portiunculæ et a Christo et ab Honorio III datam fuisse Indulgentiam plenariam, quæ certe argumenta confundunt adversarios, redduntque rationem unicam, quam ex silentio Bonaventuræ prætendunt, plane inutilem ac nullius momenti. *Quidquid sit de donatore Indulgentiæ, et modo, quo hæc data fuerit, de quibus postea disseremus, fuisse jam inde a tempore* S. Francisci *in sacra æde Portiunculana celebrem Indulgentiam, cuilibet sensato homini videri debet.*

quam etiam nullus Pontifex negavit, imo multi

88 *Nec vero erant illa, quæ de celebritate hujus Indulgentiæ hactenus retulimus, ejus generis, quæ intra alicujus monasterii muros locive mœnia concluderentur, sed publice nota et per universas orbis Christiani provincias, ex quibus ad eam Indulgentiam promerendam concurrebatur, late propalata. Erat Assisium, estque hodiedum, ditionis Ecclesiasticæ civitas, nec poterant ea latere Pontificibus; neque tamen ullus horum, licet id temporis rarissimæ* D *essent hujusmodi Indulgentiæ ; tantaque eas obtinendi facilitas bello sacro, quod illi per propositas Indulgentias alias in Oriente tunc urgebant, minime favorabilis poterat videri, nullus tamen, inquam, Pontificum illius usum vetuit, aut in dubium revocavit. Imo Bonifacius VIII, qui ab anno* 1294 *usque ad* 1303 *Ecclesiam rexit, suos nuntios Assisium misit, qui eam populo pro concione commendarent, aliique etiam Cardinales et ecclesiastici præsules ad eamdem promerendam eodem accurrerunt, ut constat ex litteris Theobaldi et Corradi, Assisiensium episcoporum,* § 1 *et* 2 *recitatis.*

agnoverunt verissimam.

89 *Mitto alia, solumque addo, quæ Grouwelus pag.* 214 *recitavit ex Michaelis Medinæ libro de Indulgentiis adversus hæreticos scripto ad Patres sacri concilii Tridentini, ad quos etiam a Philippo II Hispaniarum rege missus fuit. In hoc libro etiam Indulgentia Portiunculana propugnatur, et ex summis Pontificibus, qui eamdem agnoverunt, nominantur sequentes :* Martinus IV (*is ab anno* 1281 *usque ad* 1285 *Pontificatum tenuit*) qui etiam aulicos ac familiares suos tempore Indulgentiæ in Assisium proficisci ad obtinendam peccatorum veniam exhortari solebat. Alexander IV (*sedit ab anno* 1254 *usque ad* 1261) qui et de eleemosyna, quæ singulis annis affertur, templum sacratissimæ Virginis refici præ- E
cepit, donans etiam Fratribus facultatem audiendi confessiones adventantium populorum. Clemens V (*præfuit hic Ecclesiæ ab anno* 1305 *usque ad* 1314) qui quorumdam quæstuariorum (quod in Clementina ABUSIONIBUS proditur) avaritia atque imposturis paulum Indulgentiis infestus, quæsitus de illa (*Portiunculana*) quid esset agendum ; Nos, inquit, ad Indulgentiam istam non apponimus os nostrum. Joannes deinde XXII (*sedit ab anno* 1316 *usque ad* 1334) Gregorius XI (*ab anno* 1370 *usque ad* 1378) et alii, difficile profecto enumerabiles *etc. Videamus modo a quibus, quoque argumenti genere ac pondere ista Indulgentia oppugnetur.*

§ VI. Recensentur aliquot, qui hanc Indulgentiam scriptis editis varie impugnarunt, et contra tutati sunt : singularitas ejusdem ex disciplina Ecclesiastica ejus temporis.

Sæculo XVI *eam impugnarunt Alberus et Chemnitius,*

Quod nullæ pro Indulgentia Portiunculana litteræ Pontificiæ exstarent, jam inde a sæculo XIII *et* XIV *aliqui ansam arripuerunt eam criminandi, aut vocandi in dubium, qui ut redarguerentur, collecta fuere eodem sæculo* XIII *variorum testimonia, qui aut cum ipsomet* S. Francisco, *aut cum hujus sociis vixerant, editæque ab episcopis Assisiensibus Theobaldo et Corrado litteræ publicæ, uti supra pluribus exposui. Sæculo* XVI *eamdem scriptis impugnarunt (nec mirum) heterodoxi, Erasmus Alberus Brandeburgicus in libro, quem criminatori appellare placuit* Alcoranum Franciscanorum ; *et Martinus Chemnitius in Examine Concilii Tridentini parte* IV ; *quorum primo Henricus Sedulius, Ordinis Fratrum Minorum, Apologeticum opposuit ; alterum venerabilis servus Dei Robertus Bellarminus, e Societate nostra S. R. E. Cardinalis, libro* II *de Indulgentiis capite ultimo, sic arguit.* F

quem impudentem hæreticum Cardinalis Bellarminus

91 Kemnitius eam vocat impudentissimam fabulam, et præter alia scribit, S. Franciscum Honorio summo Pontifici dixisse, sigilla bullæ Indulgentiæ illius esse stigmata. At nullus auctor hæc refert præter Kemnitium, et non solum non est verum, sed nec verisimile, tum quia nondum S. Franciscus stigmata habuerat, cum illa Indulgentia concessa est, tum quia, etiamsi habuisset, non ea Vir summæ humilitatis ulla ratione jactasset. Porro ad eam narrationem infirmandam nihil omnino Kemnitius affert, nisi judicium suum. Ad confirmandum autem adsunt testes illius temporis, qui historiam conscripserunt, ut cognosci potest ex initio secundi libri Chronicorum Ordinis S. Francisci

A cisci (*nempe per Marcum Ulyssiponensem.*) Adest præterea testimonium S. Bernardini tom. I, Sermone 9, qui est in Evangelium Dom. Quadrag., qui vir sanctitate, doctrina et miraculis clarissimus fuit. Adest testimonium S. Antonini III part. Summæ Hist. tit. XXIV, cap. 14, § 3, qui etiam vir doctus et sanctissimus. Adest concursus populorum frequentissimus ad eam ecclesiam Kalendis Aug., quo solo die Indulgentia divinitus concessa obtineri potest. Adsunt denique signa et prodigia non pauca, quæ ad illius Indulgentiæ veritatem astruendam edita fuisse, Chronica jam citata testantur.

merito recteque redarguit.

92 Sed non sine causa Kemnitius hanc historiam falsam et fabulosam haberi cupit; quoniam per eam historiam tria Catholica dogmata confirmantur; unum de Indulgentiis, alterum de Pontifice Maximo, tertium de Confessione. Siquidem ad preces S. Francisci Christus ipse plenariam Indulgentiam dedit; sed non nisi per ministerium vicarii sui, Pontificis Maximi, dedit; nec nisi per contritionem et confessionem a culpa expiatis, et eam ecclesiam visitantibus dedit. *Hactenus venerabilis servus Dei, Cardinalis Bellarminus, cujus hæc censura adversus Chemnitium quam æqua sit, tum ex dictis constat, tum ex dicendis constabit. Obiter tamen observa, dum Bellarminus, dicens, frequentissimum populum ad ecclesiam Portiunculæ quotannis concurrere* B *Kalendis Augusti, addidit:* Quo solo die Indulgentia divinitus concessa obtineri potest, *sic diem illum per naturalem exponendum esse, ut incipiat Kalendis Augusti in vesperis, posteroque die in vesperis terminetur, uti ex supra relatis certum est. Pergamus ad sæcula* XVII *et* XVIII.

Duos adversus eamdem anonymos libellos

93 *Reverendus Pater Matthias Grouwels, Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum, S. Theologiæ lector jubilatus, et provinciæ Germaniæ Inferioris definitor, in Præfatione ad Opusculum jam crebro laudatum, ac mox latius laudandum, postquam duos istos heterodoxos scriptores nominavit,* Hos, *subdit,* antesignanos et duces insignes secuti sunt quidam tenebriones nuperi; primus quidem, edito libello famoso, cui titulus : « Tractatus brevis historico-» Theologicus, quo examinatur, quid censendum » sit de Indulgentia ab ipso Christo S. Francisco in » ecclesia vel sacello B. Mariæ Angelorum, vulgo » de Portiuncula, ut circumfertur, concessa etc. » Remis anno MDCXCVII. » Alter vero in libello suo famoso, cui titulus : « Dissertatio historico-Theo-» logica, qua examinatur, quid consendum sit de » Indulgentia ab ipso Christo S. Francisco in eccle-» sia vel sacello B. Mariæ Angelorum, vulgo de » Portiuncula, ut circumfertur, concessa, et post » ab eodem Sancto publicata. Secunda editio au-» ctior et correctior, cum Appendice Apologetica, C » qua evertuntur palmaria duo, ut adversariis vi-» dentur, argumenta, ei nuper objecta in Com-» mentariis Trevoltianis, alias Mémoires de Trevoux » anno MDCCI. Coloniæ Agrippinæ anno MDCCIII.

insigniter refellet R. P. Grouwels.

94 *Observat quoque ibidem Grouwelus, utrumque libellum ementito impressionis loco, sine nomine auctoris, sine nomine impressoris, ac sine ulla ordinarii censoris approbatione editum esse; atque in utroque Indulgentiæ Portiunculæ historiam etiam* ferocius et impudentius, *quam a Chemnitio, impeti ac sugillari. Adversus utrumque hunc libellum Grouwelus scripsit, annoque* 1726 *typis Hieronymi Verdussen Antverpiæ vulgavit ejusdem Indulgentiæ Historiam criticam, in qua demonstrandum suscepit, eam ad* S. Francisci *preces ab ipso Christo concessam, ac deinde ab Honorio Papa III confirmatam, ejusdemque auctoritate promulgatam esse; idque eo successu præstitit, ut a librorum censore Apostolico et Cæsareoac sex sacræ Theologiæ doctoribus Lovaniensibus approbationem, quam subdo, obtinuerit.* Auctor hujus Historiæ Criticæ veridicis testimoniis, legitimaque quinque seculorum traditione evincit, Indulgentiam B. Mariæ Angelorum, vulgo de Portiuncula, ab ipso Christo esse concessam, atque ab ejus vicario Honorio III agnitam, ac ejusdem authoritate publicatam; et argumenta ab adversariis anonymis contra eamdem producta ita luculenter dissolvit, ut zelo indiscreto, vel invidia potius, quam amore veritatis ducti videantur, qui Indulgentiam, origine tam sanctam, tamque conversioni peccatorum utilem, in dubium revocare attentarunt. Datum Lovanii hac 7 Decembris 1725. *Opusculum hoc jam sæpius laudavi, laudaboque.*

AUCTORE C. S.

Recensentur aliquot alii, qui eamdem Indulgentiam

95 *Mitius eamdem nuper aggressus est Hieronymus Tartarottus, etiam aliis Opusculis typis editis notus, in Italica Dissertatione epistolari de Origine ecclesiæ Aquileiensis, Mediolani edita anno* 1739 *apud Josephum Galleazzi; in qua de auctoritate et pondere argumenti negativi disputans, ea occasione adducto in exemplum S. Bonaventuræ Dantisque ejusdem sæculi poetæ Etrusci, aliorumque de eadem Indulgentia silentio, negavit,* Franciscum *hanc a Christo obtinuisse, aut etiam pro eadem petenda ab illo ad Honorium missum esse; non tamen Indulgentiam ipsam et a* Francisco *petitam, et ab Honorio ei concessam, et ad nostra usque tempora perseverare, inficiatur. Huic Dissertationem pariter Italicam opposuit anonymus quidam Franciscanus reformatæ provinciæ S. Vigilii, et eodem anno* 1739 *Tridenti vulgavit typis Francisci Michaelis Battisti. Utraque Dissertatio ad manus nostras pervenit, et suis locis, dum occasio tulerit, adhibebitur.*

libellis editis varie impetierunt, E

96 *Eodem item anno* 1739 *typis Ticinensibus prodiit aliud Opusculum auctoris anonymi, Indulgentiam illam oppugnans; ad quod alterum reposuit R. P. F. Honorius Marentinus de Summa ripa nemoris, Ordinis Minorum regularis observantiæ theologus in conventu S. Bernardini Astarum, excusum Venetiis anno* 1760 *apud Antonium Bartholi, cujus exemplar habeo. In hujus Epistola ad amicum, Opusculo præfixa, dicitur prædicti anonymi lucubrationi titulus hic esse:* Indulgentia Portiunculæ a duplici errore duplici dissertatione vindicata; *subditque Marentinus:* Anonymus nullum immotum relinquit lapidem, ut probet, evincat, demonstret, hujusmodi Indulgentiam nec a Christo Domino verbo oris sui immediate fuisse concessam; nec ab uno eodemque pluries posse eodem die lucrifieri. *Post multa etiam Operis sui partitionem rationemque sic exposuit:* Tribus Dissertationibus rem confeci; quarum prima veritatem Indulgentiæ respicit; secunda immediatam concessionem a Christo; tertia demum probat, ipsammet una eademque die adquiri posse pluries.

et Apologiis adversus illos vendicarunt.

97 Ut anonymo occurrerem, duæ postremæ erant satis et ultra; quum ipse veritates dumtaxat his respondentes, et non alias vocaverit in controversiam; sed quoniam veritas Indulgentiæ cum ejusdem concessione summam habet affinitatem, et timendum vehementer est, ne, verberata jam F concessione et indole, nimia critices prurigine gradum quis faciat ad carpendam veritatem ipsam, præcipue cum sanctus Parens, spem omnem suam in Deo reponens, nullam scriptam voluerit concessionis bullam, et hanc iccirco prudens duxi ante omnia expendere, atque ita confirmare, ut nullus cordato viro remanere amplius possit dubitandi locus. *Ne pluribus lectorem morer, anonymus iste admittit tueturque, Indulgentiam Portiunculæ vere subsistere; admittit etiam,* S. Franciscum *illam in supra relata cælesti visione petiisse a Christo, Christumque petenti annuisse; non quod Christus ipsemet per se et* immediate, *ut loquuntur scholæ, eam concesserit, sed quod* Franciscum *ad Honorium summum Pontificem miserit, ut eamdem ab illo peteret, isque velut Christi vicarius, cui ligandi solvendique potestas divinitus concessa erat, secundum ordinariam divinæ providentiæ legem largiretur. Duas priores quæstiones pro ratione muneris mei discutere et illustrare conabor; non tertiam, quæ ad theologos, non ad historicos, pertinet. Mitto alios, qui de Indulgentia Portiunculæ scripserunt, et ad promissa progredior.*

Quam singulare sit hæc Indulgentia beneficium,

98 *Quanto majus factum aliquod est, minusque usitatum, tanto graviora testimonia merito solent requiri, ut indubitatam fidem inveniat. Hujusmodi*

AUCTORE C. S.

sane est Indulgentia Portiunculana, quæ omni ex parte singularis est, sive illius largitorem spectes, sive amplitudinem modumque eam obtinendi, collata cum istius temporis disciplina Ecclesiæ in dispensatione Indulgentiarum, aliaque rerum adjuncta consideres. Hujus Indulgentiæ largitor dicitur fuisse Christus ipsemet, qui eam ore suo proprio, patrocinante Matre sua, Francisco *concesserit, quod ad id usque tempus caruerat exemplo, et hactenus caret simili. Jam quod ad amplitudinem spectat hujus Indulgentiæ, plenariæ scilicet, nec semel tantum in dedicatione ecclesiæ S. Mariæ Angelorum, sed in perpetuum in ejusdem dedicationis anniversario die promerendæ; quam hæc sit ab istorum temporum disciplina Ecclesiæ aliena, discimus ex concilio Lateranensi 4 generali, quod ab Innocentio III summo Pontifice celebratum fuit anno* 1215, *id est, perpaucis annis, antequam eadem Indulgentia ab Honorio III, proximo Innocentii successore, concessa vel confirmata asseritur.*

observata ex istius temporis

99 *Concilii capitulum* 62 *sic habet:* Adhæc quia per indiscretas et superfluas Indulgentias, quas quidam ecclesiarum prælati facere non verentur, et claves Ecclesiæ contemnuntur, et pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut, cum dedicatur basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis B tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare. *Hactenus Patres concilii Lateranensis, tam paucis, ut dixi, annis habiti, antequam* Franciscus *suam illam plenariam Portiunculanam pro dedicatione ecclesiæ S. Mariæ Angelorum, ejusdemque anniversaria luce in perpetuum obtinuisse narratur.*

disciplina Ecclesiæ,

100 *Paulo quidem liberaliorem, moderatum tamen, aliquot annis post, anno scilicet Christi* 1230 *exhibuit se Gregorius IX,* S. Francisci, *dum hic viveret, amicissimus, quando ad illius corporis translationem solemniter faciendam, recolendamque Christianos omnes invitans, concessit omnibus,* qui ad translationis solemnia devote convenerint, vel usque ad Nativitatem Virginis gloriosæ, proxime venturæ, ipsius (*Francisci*) ecclesiam visitaverint, transfretantibus mare tres annos, transeuntibus Alpes duos, et ceteris unum; et qui in anniversario translationis illius usque ad octavam diem reverenter accesserint, annum unum similiter de injuncta sibi pœnitentia misericorditer *relaxavit.* C *Hanc Gregorii Epistolam vide apud me datam superius in Commentario ad Vitas prævio* § 32.

ex Benedicto XIV Papa,

101 *Nec abs re fuerit, etiam Benedicti XIV Romani Pontificis, ac simul venerabilis servi Dei Josephi Mariæ, Cardinalis Thomasii, sensa de eadem istius temporis disciplina Ecclesiæ in Indulgentiis dispensandis hic adduxisse. Laudatus Benedictus in Epistola encyclica, anno* 1751 *pro extensione jubilei ad universum Catholicum orbem data, commendans amplitudinem beneficii illius ita loquitur:* Non levis momenti res nunc agitur, venerabiles fratres: Ecclesiæ thesaurus referatur; plenariæ Indulgentiæ assequendæ via cunctis fidelibus aperitur... Opera injuncta ejusmodi sunt, ut ne laxioribus quidem et mollioribus nimis aspera et gravia videri possint; præsertim si cogitabunt, duobus circiter sæculis ante Pontificatum Bonifacii VIII, a quo jubilæum Anni sancti formam accepit, plenariam hujusmodi indulgentiam obtinere cupientibus injungi consuevisse, ut in Palæstinam, pro ea regione ab infidelium manibus recuperanda pugnaturi, se conferrent: « Quicumque pro sola devotione, non honoris » vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam » Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro » omni pœnitentia reputetur. » Verba sunt Prædecessoris nostri Urbani Papæ II in concilio Claro- D montano anno MXCVI habito.

ex venerabili servo Dei Cardinale Thomasio,

102 Super quibus verbis venerabilis servus Dei Joseph Maria Cardinalis Thomasius, quem in hac potissimum materia libenter citamus, quum olim eidem clarissimo viro collegæ fuerimus in officio consultoris Congregationis Cardinalium, Indulgentiis præpositæ, ita scriptum reliquit: « Hanc ple- » nariam Indulgentiam, in qua opus injunctum » gravissimum erat sumptibus, incommodis, labo- » riosissimis itineribus, et imminentibus vitæ peri- » culis, ut potius videri possit commutatio pœni- » tentiæ, quam hujus absoluta relaxatio etc., hanc, » inquam, plenariam Indulgentiam pro Terra » sancta alii postea summi Pontifices semper con- » firmarunt. Nec alia mihi occurrit Indulgentia » plenaria usque ad exordium decimi quarti sæ- » culi, in quo Bonifacius VIII illam elargitus est » pro anno Jubilæi MCCC. » Hæc doctus ille pius- que Cardinalis in quodam Opusculo manuscripto, quod brevi forsan in lucem prodibit inter alia ejus Opera, quorum accuratissima editio hoc tempore adornatur. *Hæc ibi summus Pontifex Benedictus XIV.*

apud eumdem Benedictum relato,

103 *Marentinus in Opusculi superius laudati pag.* 78 *alium ejusdem Pontificis locum profert ex ipsius libro* XIII, *ut ait, de Synodo diœcesana cap.* 18, *num.* 8, *quem locum cogor ex Marentino transcribere, quia hactenus solum habeo libros octo laudati Operis, editionis Romanæ anni* 1748. *Sic ergo, teste Marentino, ibidem scripsit Benedictus:* Denique venerabilis Cardinalis Thomasius in præcitato Commentario, postquam innuit, omnium primam Indulgentiam plenariam, uti superius relatum est, eam esse, quam Urbanus II euntibus ad recuperationem Terræ sanctæ largitus est, quamque illius exemplo confirmarunt et innovarunt Callistus II, Eugenius III, Clemens III, et Innocentius III, dum eadem urgebat ratio Terræ sanctæ ex hostium manibus redimendæ; addit, se nullum aliud exinde reperisse exemplum Indulgentiæ plenariæ ante eam, quam primo Anno sancto indixit Bonifacius VIII, silentio transmittens Indulgentiam Portiunculæ, ex eo fortasse, quod ipsa quasi immediate a Christo Domino concessa fuerit. *Ita rursus laudatus Pontifex, dubie explicans mentem venerabilis viri Cardinalis Thomasii, quam non dabeo aliunde exploratam.* E

et ratione humana.

104 *Utut sit, eo singularius beneficium æstimari debet Indulgentia Portiunculana, qua de agimus, quod concessa fuerit eo tempore, quo Romani Pontifices cordi maxime habebant recuperationem Terræ sanctæ, huncque in finem Indulgentias plenarias, quarum tunc alias aut nullus aut certe rarissimus usus erat in Ecclesia, velut potens incitamentum offerebant Christianis, qui illuc pergerent militatum. Si quis humanam prudentiam consulere voluerit, videri poterit importuna tunc fuisse ista Indulgentiæ Portiunculanæ concessio, quæ cum sine expensis ac sine vitæ discrimine, multoque cum minori labore obtineri posset, nata erat multos allicere, ut Assisium potius pergerent, quam cruce signatorum militiæ nomen darent. Verum hæ omnes rationes evanescunt, dum de divina constet voluntate; neque ego eas alia de causa memoravi, quam ut hinc ex magnitudine beneficii temporisque adjunctis appareret, hic aliquid intercessisse divini, quo Honorius III ad illud sive confirmandum, sive concedendum inductus fuerit, contra ac tunc ferebat Ecclesiæ consuetudo atque humana prudentia suadere videbatur; inde vero agnosceret lector, non admodum mirandum esse, si qui Christiani Catholici (nam hæretici nos morari non debent) pro eo certa testimonia requirant, maxime cum nulla de eodem exstet Honorii III bulla, de eoque taceant biographi synchroni, quorum silentium sequenti* § *ponderabimus.* F

A

§ VII. Disseritur de silentio primorum biographorum sanctique Bonaventuræ, et probabiles silendi causæ proponuntur.

Hujus Indulgentiæ expresse non meminerunt

Ex *dictis in Commentarii prævii* § 1 *quinque* S. Francisci *antiquas Vitas habemus, quarum tres edidimus, duas reliquas eidem Commentario variis in locis, prout rerum gestarum series poscebat, membratim inseruimus. Prima ex editis auctorem habet Thomam Celanensem,* S. Francisci *discipulum, qui eam scripsit, jubente Gregorio IX Pontifice Romano,* Francisco *olim familiari, ejusdemque amantissimo. Secunda, quæ cum titulo Appendicis ad priorem data est, scripta fuit a tribus aliis ejusdem Sancti sociis, Leone, Angelo et Ruffino. Tertio loco editam composuit Bonaventura, illis quidem tempore paulo posterior, sed sanctitate et eruditione longe præcellens. Ex duabus reliquis una sine nomine auctoris Ms. exstat in vetusto codice nostro, videturque a Tribus mox dictis Sociis laudata fuisse, ac proinde paulo ante scripta, quam isti suam collegerunt. Alteram denique accepimus ex Ms. Perusino, minus certæ mihi ætatis, nec tamen, quantum apparet, omnino novam. Quis vero non miretur, in nullo e quinque istis Opusculis ullam de re tam memorabili, qualis*

B *est Indulgentiæ Portiunculanæ concessio, mentionem haberi, non secus ac tunc nulla ejusdem memoria exstitisset?*

Vitæ primigeniæ,

106 *Siluerint eam sane casu aliquo Thomas Celanensis et primus anonymus; at cur etiam siluerunt Tres Socii, qui ignorare non poterant, eam a duobus prioribus fuisse prætermissam? Cur siluit S. Bonaventura, qui a generalibus sui Ordinis comitiis rogatus, ut Vitam* S. Francisci *conscriberet, nihil prætermisit laboris, nihil industriæ, ut* vitæ illius virtutes, actus et verba, quasi fragmenta quædam, partim neglecta (*nimirum a prædictis biographis*) partimque dispersa,... utcumque *colligeret;* ne morientibus iis, qui cum Famulo Dei convixerant, deperirent; *uti ipsemet loquitur in Prologo? Hoc sancti doctoris silentium impugnatores Indulgentiæ hujus faciunt maximi, eoque argumento negativo potissimum nituntur, ut vel Indulgentiam istam, vel aliqua ejusdem adjuncta negent. At mihi non tanti momenti hic esset S. Bonaventuræ silentium, nisi etiam alii, quos supra nominavi biographos, altum silerent, tametsi illorum aliquibus, certe Tribus Sociis, propositum fuisset, prætermissa ab aliis ad posteros transmittere.*

sed an Tres Socii et S. Bonaventura eamdem

C 107 *Audiamus modo, quid ad objectum Bonaventuræ ac Trium Sociorum silentium reponant ejusdem Indulgentiæ, et historiæ illius patroni. Fatentur illi quidem ingenue, eam, modumque, quo impetrata fuit, ab illis minime tradi expresse ac distincte; at cognitam tamen indicatamque, memorando cælestem quamdam visionem, quæ illam, antequam concessa esset, non obscure portenderit. Tres Socii apud me in Appendice ad Vitam primam, num.* 56 *de ecclesia Portiunculana hæc aiunt :* Ad ipsius autem loci commendationem et affectum multum fecit quædam visio, quam quidam frater vidit, adhuc existens in sæculo, quem B. Franciscus singulari dilexit affectu, quamdiu fuit cum ipso, familiaritatem præcipuam ostendendo eidem. Is ergo cupiens servire Deo, sicut postea in Religione fideliter servivit, videbat in visione, omnes homines hujus sæculi esse cæcos, et stare genibus in circuitu sanctæ Mariæ de Portiuncula; junctisque manibus et in cælum cum facie elevatis, voce magna et lacrymabili Dominum precabantur, ut omnes illuminare misericorditer dignaretur. Quibus sic orantibus, videbatur, quod splendor magnus exiret de cælo, et descendens super illos illuminabat omnes lumine salutari. Evigilans ille proposuit firmius Deo servire, et parum post, sæculo nequam cum suis pompis penitus derelicto, intravit Religionem, ubi permansit in Dei servitio humiliter et devote.

AUCTORE C. S. *non indicarunt*

108 *Hanc visionem S. Bonaventura ex iisdem Sociis, paululum mutatis verbis, capiti* 2 *Vitæ inseruit, ita scribens :* De hoc (*scilicet loco Portiunculæ*) frater quidam Deo devotus, ante conversionem suam, visionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percussos, facie in cælum directa, et genibus flexis, in hujus ecclesiæ stare circuitu, qui omnes, protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes et lumen. Et ecce, ingens de cælo splendor advenit, se per omnes diffundens, qui lumen unicuique tribuit, et salutem desideratam concessit *etc. Hæc sanctus doctor, super quibus laudatus R. P. Grouwels pag.* 62 *ita disserit :* Ad istam visionem relatione condignam ita cum Majoribus suis R. P. Sedulius, R. P. Marchantius, aliique : « Peccata sunt tenebræ : Di» lexerunt homines magis tenebras, quam lucem, » inquit Christus; et : Qui sequitur me, non ambulat » in tenebris. Illuminari dicuntur, qui a peccatis » liberantur. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem » lux in Domino. Itaque dicimus, tot bonorum » rivulos ex hoc fonte manantes, simul etiam con» donationes illas, sive indulgentias Portiunculæ, » magnas imprimis, Christo ipso Authore, quo» tannis vere pœnitentibus concessas, hoc viso » prævisas fuisse. »

E

referendo visionem de ecclesia Portiunculæ,

109 *Tum pergit Grouwelus :* Hæc genuina visionis laudatæ interpretatio, quam innumeri isti fideles illuminati, promerentes Indulgentias Portiunculæ, sua ipsa conversione confirmant. Quid, inquam, innumeri isti homines cæcitate percussi hic aliud ad litteram significant, aut significare possunt, nisi peccatores? Qui deinde pœnitentia ducti, in circuitu ecclesiæ Portiunculæ, protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamant ad Deum, misericordiam postulantes et lumen? Et ecce, pro eis interpellante B. Francisco, ingens de cœlo splendor advenit; splendor, inquam, Paternæ gloriæ, unigenitus Filius Dei, qui contritionis gratia se super omnes diffundens, lumen unicuique rite confesso tribuit, et salutem desideratam, mediante Indulgentia, concessit. Unde merito Romani Pontifices, communicantes Indulgentiam Portiunculæ, aliquando Bullas suas sic incipiunt : « Splendor Paternæ gloriæ, qui sua mundum illu» minat ineffabili claritate. » Hæc igitur est figura, hoc est mysterium, quod ex Sociis sancti patris Francisci ad litteram significavit divus Bonaventura. Falsum proinde est, quod disserator anonymus dicit pag. 26 : « Bonaventura in Vita » S. Francisci nullam vel minimam mentionem » injicit, imo nec obiter attingit, aut insinuat præ» tensam Indulgentiam beato Francisco ab ipso F » Christo concessam. » *Hactenus Grouwelus.*

cuidam divinitus exhibitam :

110 *Sedulio, quem ille laudavit, prævit Franciscus Bartholi, sæculi,* XIV *adolescentis scriptor, ut intelligo ex libello Ms. illustrissimi Octavii, Assisiensis episcopi, apud laudatum Grouwelum pag.* 188, *ex ejusdem Bartholi Historia hujus Indulgentiæ sequentem capitis titulum recitantis :* Modo sequitur quædam visio cœlitus ostensa cuidam fratri nostro ante suam conversionem, ut habetur in Legenda Majori B. Francisci cap. 2; quæ videtur fuisse oraculum hujus Indulgentiæ benedictæ. *Legenda ista Major est Vita* S. Francisci *per Bonaventuram scripta, in cujus capite* 2 *memorata visio refertur. Itaque Franciscus Bartholi hanc primus, quem novimus, de Indulgentiæ præsagio interpretatus fuit, sed paululum dubie per verbum* videtur, *quod deinde post Sedulium et Marchantium Grouwelus indubitanter fecit.*

Quamquam id non improbabile faciat,

111 *Et vero fateor; haud ineptam esse eam visionis interpretationem; sed nec unica est, nec magis obvia, quæ fieri possit. Ponamus enim tantisper, nullam prorsus Indulgentiam, sive ab ipso Christo Domino, sive ab ejusdem in terris vicario, Romano Pontifice, concessam, eo tempore, quo Tres Socii sanctusque Bonaventura scripserunt, eo in loco fuisse; numquid non recte visionem illam quis exponeret de peccatorum*

AUCTORE C. S.

peccatorum aliorumque rerum mundanarum perdite amantium salute, quos S. Franciscus *ejusque socii ac deinde etiam posteri innumeros, ut ita dicam, partim ad Religiosam vitam, partim ad Christianæ legis observantiam suis concionibus, monitis, exemplis adduxerunt, atque ita cæcis lumen et ægris salutem procurarunt? Numquid non æque recte splendorem illum, supra ecclesiam illam visum, et circa eam congregatos cæcos miserosque visos esse diceret, quia illa caput erat et incunabula totius Ordinis Minorum, atque ordinaria ejusdem sancti Fundatoris sedes, ex qua ille tum per se, tum per discipulos suos Evangelicum lumen in peccatores toto orbe terrarum diffudit, et a qua proinde miseri mortales opem sibi a divina misericordia implorare sint visi?*

non tamen evincit ejusdem visionis interpretatio.

112 *Huic interpretationi favet ipsemet Bonaventura, dum relationis visionis mox subjicit sequentia :* Hic est locus, in quo Fratrum Minorum Ordo a S. Francisco per divinæ revelationis instinctum inchoatus est, *nulla facta mentione de Indulgentia eodem in loco obtinenda. Eodem modo videtur mihi de hac visione sensisse laudatus frater iste, qui, uti ex ejusdem testimonio referunt Tres Socii,* cupiens Deo servire *illam habuit, ac* parum post, sæculo nequam cum suis pompis penitus derelicto, intravit Religionem, *seu Ordinem Minorum; nimirum ut lumen istud sanitatemque animæ suæ ibidem consequeretur. Itaque, quantum mihi quidem apparet, ex allegatis Trium Sociorum et Bonaventuræ verbis nequit evinci, celebrem illam Indulgentiam iisdem notam fuisse; nec contra quoque certo potest evinci, eamdem iisdem verbis non fuisse ab illis utcumque insinuatam. Verum enimvero reponent adversarii : Cur illi, si eam noverint, non aperte memorarunt? Inquirendum igitur est, si quas illi forte justas causas habuerint rem tantam silendi, aut saltem non nisi in isto visionis ænigmate insinuandi.*

B

Expenditur prima silentii Bonaventuræ causa

113 *Primam S. Bonaventuræ silentii causam Indulgentiæ patroni petunt a scopo, quem ille sibi in scribenda Vita præfixerat, quemque in Prologo indicavit his verbis :* Hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem, ut ego, qui virtutem ejus in me ipso expertus agnovi, vitæ illius virtutes, actus et verba, quasi fragmenta quædam, partim NEGLECTA, partim DISPERSA, quamquam PLENE non possem, UTCUMQUE colligerem, ne, morientibus iis, qui Famulo Dei convixerant, deperirent. *Ex hisce statuunt, non fuisse S. Bonaventuræ propositum omnia et singula* S. Francisci *gesta referre, probantque, reipsa multa relatu dignissima ab eo teste prætermissa, atque hæc inter recensent historiam Indulgentiæ Portiunculanæ, quod hanc* nec in praxi NEGLECTAM, nec, ut fictam alicubi, DISPERSAM *videret, ut loquitur Grouwelus. Ita omnino est, multa relatu dignissima omisit Bonaventura, neque erat Indulgentia ista ejus generis, cujus usus facile negligendus esset, aut ipsius memoria, morientibus iis, qui Famulo Dei convixerant, deperitura; quippe quæ satis certo perennatura erat per sacros oratores Ordinis Minorum, annuumque ad eamdem obtinendam populorum concursum.*

C

a scriptionis scopo petita ;

114 *An tamen hæc satis urgens credi debet ratio, ob quam tam singulare Dei beneficium, tamque singulari modo per* Francisci *preces impetratum, sanctus doctor inobservatum præterierit, aut solum per supra dictam fratris visionem insinuatum voluerit? Si ab aliis* neglecta S. Francisci *gesta colligere voluerit Bonaventura, ut voluit, cur non historiam impetratæ Indulgentiæ, qualem supra retulimus, a Thoma Celanensi et Anonymo nostro certe præteritam, et a Tribus Sociis, si ita videatur, non nisi per ænigma insinuatam, cur, inquam, illam non exposuit, quæ tum ob singularitatem præ ceteris erat relatu dignissima, tum, quia nulla de eadem exstabat Bulla Pontificia, merito timeri poterat, ne aliquando vocaretur in dubium, maxime quod ad ejusdem impetrationis adjuncta spectat. Periculum eventus docuit, cum ex supra dictis ipso Bonaventuræ sæculo, ac deinde, de Indulgentia ista dubitatum fuerit, ac nunc quoque præcipua ejusdem adjuncta a nonnullis negentur. Pergamus ergo ad alias, quas protulerunt, S. Bonaventuræ, adeoque et Thomæ Celani Triumque Sociorum de facto tam memorabili silentii causas.*

D

item altera ab exemplo S. Francisci,

115 Secunda ratio silentii (*ita Grouwelus*) est, quia sanctus Pater Christum solum exoraverat hujus Indulgentiæ notarium. Pro quo notandum, Bonaventuram, cum vellet describere vitam B. Francisci, adivisse « locum originis, conversa- » tionis et transitus Viri sancti » (*nempe Assisium*) « et ibi cum familiaribus ejus superventibus » collationem de Indulgentia Portiunculæ habuisse » diligentem, et maxime cum quibusdam, qui san- » ctitatis ejus et conscii fuerunt et sectatores præ- » cipui, quibus propter agnitam veritatem proba- » tamque virtutem fides est indubitabilis ad- » hibenda. » *Verba hæc, quæ Grouwelus alio charactere, velut ex alio accepta, dedit, atque ego propterea virgulis distinxi, sunt S. Bonaventuræ in Prologo, præter illa :* de Indulgentia Portiunculæ, *quæ a Grouwelo adjecta sunt, quia sanctus doctor de hac etiam seniores illos fratres haud dubie interrogavit, si ea ipsis nota fuerit, uti notam fuisse, constat ex testimoniis, superius recitatis. His observatis, pergo Grouweli ratiocinium describere.*

qui noluerit illam bulla firmari, vetueritque

116 Audivit autem (*S. Bonaventura*) ex F. Massæo aliisque sociis, S. Francisci familiaribus, primo, quod sanctus Pater elegisset Christum solum hujus Indulgentiæ notarium, et prohibuisset fratribus, ne historiam Indulgentiæ Portiunculæ scriptis evulgarent, ut post Franciscum Bartholi aliosque testatur Pisanus Conform. 14. Secundo, quod neque ab ipso Papa Honorio III diploma aliquod hujus Indulgentiæ confirmativum acceptare voluerit; sed confidentia in Deum plenus coram ipso declaraverit : « Ego nolo aliud instrumentum, sed tantum » notarius sit Christus, charta beata Virgo, et an- » geli testes. » Tertio, quod B. Franciscus prædixisset, « Christum Dominum opus suum per se » ipsum divulgaturum ac magnificaturum; » sicut mirabiliter evenisse, cernimus. De his itaque informatus sanctus doctor, et ex Italia Parisios sub annum MCCLX redux, cœpit conscribere Vitam S. Francisci ejusque exemplum secutus, et voluntati obediens dedit gloriam Præconi Christo, historiam Indulgentiæ Portiunculæ prælaudatam traditioni reliquit, nec nisi solam figuram ejus, quam refert cap. 2 (*adi supra num.* 108) litteris mandare voluit, ratus, se ita Legendam menti Francisci magis conformem editurum, quam si multis argumentis illam fusius confirmaret.

E

ne sui eam litteris consignarent,

117 Manebat alta mente repostum illud sancti Patris sui effatum : « Ego nolo aliud instrumentum; » sed tantum notarius sit Christus, charta beata » Virgo, et angeli testes. » Nec mirum : erat enim Bonaventura dignus Francisci filius, qui (teste Petro Geselino in ejus Vita, cap. 4) « omnia consi- » lia, cogitationes factaque ad Seraphici Patris » vitam referebat, quam moribus etiam ita ex- » pressit, ut ejus virtutum hæres esse videretur. » *Rursum post aliqua,* Bonaventuram, *subdit Grouwelus,* secutus est F. Matthæus Cardinalis Aquaspartanus, cui cum (teste Waddingo tom. I, pag. 292) a Martino IV oblatum esset diploma, Indulgentiæ a Christo concessæ confirmatorium, id ipsum recusavit, dicendo, « B. Franciscus nullas » voluit fieri de hac re litteras, quantumvis ei of- » ferrentur; unde nec ipse volo. » Et laudatus est a Pontifice. Nec obstat, quod alii fratres mox § 5 citandi (*ego illos supra dedi*) historiam Indulgentiæ a Christo concessæ descripserint. Id namque fecerunt et facere debuerunt de altiori mandato summi Pontificis et Rev. P. Ministri generalis Ordinis, quale nusquam habuit S. Bonaventura, qui publicationem Indulgentiæ a Christo datæ, tamquam hæres virtutum sancti Patris sui, commendare et relinquere maluit auctori et Præconi Christo.

F

volens traditioni relinqui.

118 Etenim, si S. Francisco placuisset historiam Portiunculæ litteris et argumentis divulgare, nullum videbatur, ut placet anonymo (*scilicet quem Grouwelus*

A *Grouwelus refutandum suscepit*) efficacius medium, quam Bullam ab Honorio III oblatam acceptare; atque adeo fuisset authoritate Pontificia promulgata. Sed res erat alterius fori, res erat traditioni relinquenda. Christus Dominus OPUS SUUM PER SE IPSUM divulgare volebat et magnificare. EGO, inquit sanctus Pater, ALIUD INSTRUMENTUM NON REQUIRO. *Sistamus hic paulisper, ut allegatas rationes de causis silentii S. Bonaventuræ, adeoque et aliorum veterum biographorum, expendamus. Sed in primis advertendum est, illas solum obtinere posse apud eos, qui Indulgentiam Portiunculæ unice, vel præcipue, negant aut in dubium revocant propter silentium Bonaventuræ. Quæritur enim hic, quam verisimili ratione eam ille videri possit siluisse, si* S. Franciscus *eamdem a Christo Domino ejusdemque Vicario Romano Pontifice impetraverit.*

Nostræ ad hæc observationes. 119 *Revocanda item in memoriam sunt testimonia veterum, superius relata, quæ certam fidem faciunt,* S. Franciscum, *dum viveret, impetrasse insignem Indulgentiam, in æde Portiunculæ promerendam. Dubium igitur non est, quin Bonaventura hac super re superstites* S. Francisci *socios interrogaverit. Ponamus igitur, ex hisce ipsum didicisse, noluisse* Franciscum *pro ea diploma Pontificium, ut soli Deo Opus suum perficiendum commendaret; non omnino a verosimili erit alienum dicere, Bonaventuram*
B *exemplo sancti Patris sui censuisse, eamdem illius Vitæ non inserendam, sed divinæ Providentiæ committendam. Multo tamen majoris ponderis esset, si, quod Grouwelus ex Francisco Bartholi, Pisano aliisque, quos non nominat, ait, satis constaret, vetuisse* Franciscum, *ne quis suorum historiam illam scriptis traderet. Ego Bartholum non habeo, in Pisani autem loco citato id non reperio. Ætatem et notitiam quamdam laudati Bartholi legesis supra* § 3.

Exponitur tertia silendi causa, 120 *Subdo et alteram Bonaventuræ silentii causam a Grouwelo assignatam his verbis :* Ratio tertia silentii esse potuit, quia in concilio generali Lugdunensi I districte mandaverat Innocentius Papa IV, ut omnes superiores, qui curam obtinent animarum, studiose sibi commissis annunciarent bullam CRUCIATAM ad recuperandam Terram sanctam, ne quisquam hoc sanctum propositum aliquo modo impedire vel retardare præsumeret; et hoc ipsum etiam in congregatione sub Honorio III urserant Cardinales, antequam Indulgentia Portiunculæ esset confirmata. « Ne igitur » (inquit Concilium prælaudatum can. XVIII super CRUCIATA) « hoc » sanctum propositum aliquo modo impediri vel » retardari contingat, universis ecclesiarum præ» latis districte præcipimus, ut singuli per loca sua » illos, qui signum Crucis deposuerunt, resumere, » ac tam ipsos, quam alios Cruce signatos, et quos
C » adhuc signari contigerit, ad reddenda vota sua » diligenter moneant, inducant...

quia scilicet, vigente tunc bello sacro, » 121 Adhuc... volumus et mandamus, ut pa» triarchæ, archiepiscopi, abbates et alii, qui curam » obtinent animarum, studiose proponant commis» sis verbum Crucis, obsecrantes per Patrem et » Filium et Spiritum Sanctum... reges, duces, » principes, marchiones, comites et barones, alios» que magnates, necnon communia civitatum, » villarum et oppidorum, ut, qui personaliter non » accesserint in subsidium Terræ sanctæ, compe» tentem conferant numerum bellatorum... secun» dum proprias facultates in remissionem suorum » peccaminum, prout generalibus litteris, quas » pridem per orbem terræ misimus, est expres» sum. » *Hactenus canon ille, post quem ita pergit Grouwelus :* Hæc decreverat dominus Papa Innocentius IV in concilio generali anno MCCXLV : hæc per orbem Catholicum successive publicabantur : hæc archiepiscopi, episcopi, et cujuslibet Ordinis Religiosi superiores adeo promovebant, ut diversæ nationes pro bello sacro notabiles summas contribuerent, et Parisienses sub annum MCCLX centesimam partem bonorum ecclesiasticorum subsidio Terræ sanctæ in quinquennium addixerint; imo ipsi reges cum copiis eamdem recuperare tentaverint. Unde beatum dicebant populum, qui se Cruce signatis adjungeret, et ejusmodi Indulgentiarum particeps fieret. AUCTORE C. S.

importunum et invidiosum fuisset scriptis vulgare modum

122 Itaque post fratres Crescentium et Joannem Parmensem, prædecessores suos, Minister generalis Ordinis electus Bonaventura, concilii generalis mandatum, quod in conventu Parisiensi, ubi tunc scribebat, haud ita pridem erat publicatum ac renovatum, exacte observavit. Nec solum prædicavit indulgentiam CRUCIATÆ, verum etiam in libris suis eamdem laudavit, adeoque cum suis promovit usque ad concilium generale Lugdunense II (cui ipse anno MCCLXXIV immortuus est) ut et ipsam historiam Indulgentiæ Portiunculæ inter alias silentio præteriret. Atque inde factum est (ut refert Pisanus) quod « fratres nostri non prædicarent » Indulgentiam Portiunculæ, ut alias debebant. » Tunc quoque adimpletum, quod prædixerat B. Franciscus, nempe, eamdem occultandam fore ad tempus, ac postea denuo exaltandam. Si autem fratres et superiores Ordinis nostri populum tam verbo, quam scripto, quaquaversus invitassent ad Indulgentiam Portiunculæ, quotusquisque præsertim ex Vallis Spoletanæ partibus, crucem amplexus esset, et iter illud periculosissimum in Palestinam suscepisset? Ne millesimus quidem.

Indulgentiam plenariam tam facile consequendi;

123 Quare Seraphicus doctor, ne PROPOSITUM SANCTUM Pontificis de recuperanda Terra sancta ullo modo per Indulgentiæ Portiunculæ historiam noviter IMPEDIRE VEL RETARDARE, aut contradictionem Cardinalium, sub Honorio III factam (*Adi num.* 5) resuscitare videretur, prudentissimo sane silentio illam præterire voluit. Verba prudentum statera ponderabuntur. Recuperatio autem Terræ sanctæ tunc bonum putabatur longe majus, quam frequentatio Indulgentiæ Portiunculæ; atque ideo Cardinales in consistorio sub Honorio III eidem contrarii fuerant, ut supra parte II (*apud me num.* 5) ostendimus. Propter hoc bonum promovendum in Italia, Hispania, Anglia, Germania et in Belgio nostro, Romæ quoque et Parisiis, ubi scribebat (*Bonaventura*) sancti Patris Vitam, sic sola personabat indulgentia CRUCIATÆ, ut silerent reliquæ; sic urgebatur, quasi nullæ aliæ fuissent. Hoc igitur bonum merito movere poterat Bonaventuram, ut Indulgentiæ Portiunculæ historiam omitteret; præsertim cum aliunde foret certus, eamdem testimoniis fratrum sufficienter munitam. Viderat, quod non esset in praxi neglecta... Erat et Indulgentiæ Portiunculæ miraculum fama totius Vallis Spoletanæ publicum : nullus contra eam calamus movebatur... Nemine per libellos famosos contra Indulgentiam bellum movente, et vobis (ut utar verbis Augustini contra Pelag.) NECDUM LITIGANTIBUS, SECURIUS LOQUEBATUR etc. E F

quæ ratio 124 *Hæc et plura ibidem Grouwelus, Bonaventuræ silentii rationes allegans, quarum postrema, quæ a non minuendo Cruce signatorum exercitu petitur, reliquis validior est, talisque, ut sanctum doctorem, virum utique prudentissimum, movere potuerit ad tacite prætereundum factum, alias relatu dignissimum. Etenim, ut recte Grouwelus, atque ego etiam supra jam observavi, minime opportunum videri debebat, imo plane invidiosum fuisset, Christianos ad Indulgentiam plenariam tam facili negotio apud Assisium obtinendam scriptis provocare eo tempore, quo per Pontificias litteras ad parem invitabantur in Palæstina promerendam, ad cujus consecutionem* opus injunctum gravissimum erat sumptibus, incommodis, laboriosissimis itineribus, et imminentibus vitæ periculis, ut ea indulgentia potius videri possit commutatio pœnitentiæ, quam hujus absoluta relaxatio, *quemadmodum Benedictus XIV summus Pontifex, supra num.* 102 *relatus, annotavit ex venerabili servo Dei Josepho Maria, Cardinale Thomasio, cujus ista verba sunt. Porro similes rationes etiam Thomæ Celanensi, Tribus Sociis et Anonymo nostro servandum de eadem re silentium persuadere potuerunt; nam et horum quoque temporibus sacræ illæ Cruce signatorum expeditiones vigebant.*

AUCTORE C. S. *reliquis validior apparet.*

125 *Illorum itaque scriptorum de Indulgentia Postiunculæ silentii justa et verisimilis ratio assignatur; unde etiam infirmius fit formatum ab illo argumentum, quod, cum solummodo negativum sit, enervatur a positivo, petito scilicet ex testimoniis synchronorum coævorumque, §§ tertio et quarto datis, quæ certam fidem faciunt, illorum ætate fuisse in ecclesia Portiunculæ insignem Indulgentiam quotannis obtinendam, quam* S. Franciscus *procuraverat, licet nec Thomas Celanensis, nec Tres Socii, nec demum S. Bonaventura illam in ejusdem Vitas retulerint, quod quorsum fecerint, dicant adversæ partis patroni, si allatæ rationes displicant. Verum altera restat quæstio, an æque admittenda sit tota impetratæ Indulgentiæ historia cum singulis suis adjunctis, qualem scilicet tribus primis §§ recitavi, traduntque etiam hoc tempore ejusdem Indulgentiæ patroni; quod sequenti § discutiemus.*

§ VIII. An ex veterum testimoniis constet, Indulgentiam Portiunculæ a Christo proxime sine summi Pontificis ministerio concessam fuisse : negantium argumenta referuntur.

Licet non omnes veteres de cælesti visione prævia,

B *Duo hic potissimum quæri possunt : alterum, an* S. Franciscus *sæpe dictam Indulgentiam sine prævia cælesti visione, in qua Christus Dominus cum beatissima Matre sua, angelisque apparuisse dicitur, ab Honorio III petierit; alterum, an, si hujusmodi visio petitionem præcesserit, Christus eamdem Indulgentiam ipsemet per se et immediate Sancto concesserit; an vero solummodo ipsum ad Honorium miserit, ut suo (nempe Christi) nomine eam ab illo peteret, seu eidem indicaret, Christo placere, ut eam ille largiretur. Si vetustiora testimonia B. Benedicti Aretini et Raynerii de Mariano vel Marignano, supra § 3, num. 47 et sequenti recensita, consulamus, nulla prorsus memoria exstat de cælesti visione prævia; sed solum dicitur* S. Franciscus *cum socio suo Masseo adiisse laudatum Pontificem, ab eoque eam petiisse Indulgentiam, ac deinde subditur :* Que Indulgentia, cum fuisset tam humiliter, quam constanter a B. Francisco postulata, fuit tandem a summo Pontifice liberalissime concessa; quamvis diceret ipse Pontifex, non esse consuetudinis Apostolice Sedis talem Indulgentiam facere.

et alii solum de revelatione meminerint,

127 *Nihil quoque pro cælesti illa visione habetur aut haberi potest ex testimonio Zelfani vel Zalfani, quod dedi num.* 38, *cum in eo solum referatur prima Indulgentiæ promulgatio, in qua dicitur ibidem dixisse* Franciscus : Adnuntio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore summi Pontificis. *Plus aliquid dicit Theobaldus episcopus Assisias, dum in litteris,*

C *pro eadem Indulgentia a criminatoribus vindicanda sæculo* XIV *adolescente editis, quas dedi § 1, petitioni præmisit revelationem, num.* 3 *dicens :* Cum staret beatus Franciscus apud S. Mariam de Portiuncula, fuit sibi de nocte revelatum a Domino, quatenus ad summum Pontificem, dominum Honorium, qui pro tempore erat Perusii, accederet pro Indulgentia impetranda pro eadem ecclesia *etc. Et consequenter ad hæc ibidem num.* 4 *idem Sanctus Honorio consentire reluctanti sic legitur reposuisse :* Domine, quod peto, non ex parte mea, sed illius peto, qui misit me Dominus Jesus Christus. *Theobaldum secutus est B. Franciscus Fabrianensis, qui anno* 1267 *in Ordinem Minorum admissus fuit. Verba hujus habes num.* 63 *et tribus sequentibus. Quo modo memorata ab illis revelatio facta fuerit, iidem non exposuerunt.*

aliunde tamen illa verisimilis est.

128 *At Franciscus Bartholi, qui sæculo* XIII *et* XIV *floruit, et cujus notitiam dedi § 3, eamdem per cælestem, de qua agimus, visionem explicavit, ejusdemque narrationem adoptavit Corradus episcopus Assisiensis in diplomate pro eadem Indulgentia anno* 1333 *publice edito, quod legesis § 2. Tametsi vero revelatio a prioribus asserta variis contingere modis potuit, non est tamen, cur eam per cælestem visionem, a Francisco Bartholi Corra-* D *doque traditam, ac postea etiam communiter ab aliis admissam, contigisse, negemus; maxime cum Bartholus et Corradus sat antiqui sint, et si, non ambo, saltem eorumdem prior, ipso, quo* S. Franciscus *floruit sæculo, natus fuerit; nec a verisimili abhorreat eadem visio, imo priorum dictis congruat. Utut sit, mihi multo minus verisimile fit,* S. Franciscum *rem tantam, tam insolitam, temporique ob rationes superius productas non congruentem, sine prævia revelatione divina induxisse in animum, ut ab Honorio peteret, ab eoque obtinuisse, quam revelatione divina vel allegata visione cælesti animatum id præstitisse.*

legiturque etiam in Breviario Minorum,

129 *Visionem illam etiam refert Breviarium Ordinis Minorum, quos* Recollectos *vocant, ad diem* 2 *Augusti, cujus duas postremas e tribus lectionibus secundi nocturni, etiam infra usui futuras, juverit ex recensione Grouweli hic recitasse, præmissa ejusdem scriptoris pag.* 63 *annotatione prævia, quæ sic habet :* Historiam hujus miraculi, ex Actis sociorum B. Francisci familiarium primitus selectam, compendiose refert Breviarium Romanum FF. Minorum, a variis Pontificibus approbatum, in cujus Kalendario a tempore immemorabili locum meruit, et notatur 2 AUGUSTI FESTUM PORTIUNCULÆ DUPLEX MAJUS. *Lectio* V. Cum igitur nocte quadam oraret in habitaculo suo, supradictæ ecclesiæ (*S. Mariæ Angelorum in Portiuncula*) proximo, significatum E est ei divinitus, in ipsa ecclesia esse Dominum Jesum, ejusque sanctissimam Matrem cum ingenti multitudine angelorum. Quo nuntio incredibili affectus lætitia confestim surrexit, et summa cum religione delubrum ingressus, cum primum ineffabilem illam Filii Dei majestatem et gloriam aspexit, ante conspectum ejus procubuit, eumque, qua maxima potuit, animi submissione ac pietate adoravit. Quem Dominus benignissime appellans, admonuit, ut ab eo aliquod beneficium pro salute hominum peteret. At ille adjutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat, supplex petiit, ut omnibus ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam et indulgentiam omnium peccatorum suorum, quorum confessionem sacerdoti fecissent. Respondit Dominus, id sibi placere, præcepitque illi, ut ejus vicarium adiret, et ab eo suo nomine illam Indulgentiam postularet.

ex quo duæ lectiones dantur,

130 *Lectio* VI. Mane igitur B. Franciscus, comite fratre Massæo, profectus est Perusiam, ubi tunc erat summus Pontifex Honorius tertius. Ad quem ingressus mandatum exposuit, rogans, ut, quod placebat Christo, cujus ipse in terris locum ac personam tenebat, id ipsi non displiceret. Pontifici primo parum honesta visa res est, quæ petebatur, tum quod ea omnino libera, hoc est, sine oblationibus, tum quod maxima, eademque absoluta ac F perpetua petebatur. Dicebat enim, opus esse, ut is, qui scelerum suorum condonationem assequi vellet, eam aliqua ex parte mereretur; negabatque Romanam curiam hujusmodi Indulgentiam concedere solere. Cardinales etiam, qui aderant, illius concessioni adversabantur : fore enim, dicebant, ut Indulgentiæ Terræ sanctæ et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli negligerentur. Tandem intelligens Pontifex divinam voluntatem, concessit eam B. Francisco, plenariam quidem et liberam ac perpetuam; sed unius dumtaxat diei naturalis cujuscumque anni, hoc est, a vesperis Kalendarum Augusti usque ad vesperas sequentis diei, qui est anniversarius dies consecrationis supradictæ ecclesiæ. Et cum ei diploma dare vellet, ille, sibi satis esse, dixit, verbum ipsius : Dominum enim opus suum per seipsum divulgaturum ac magnificaturum. Quod quidem mirabiliter evenisse, cernimus. *Hactenus lectiones Breviarii Minorum ad diem* 2 *Augusti, quæ, ut historiam simplicem, ita ex omni parte verisimilem, supraque adductis veterum testimoniis conformem continent.*

quæ nihil non verisimile continent.

131 *De visione jam egimus, reliqua ergo narrationis capita breviter expendamus. Dicitur* Franciscus *pro ea Indulgentia impetranda cum Masseo adivisse*

A *adivisse Honorium Pontificem, Perusii tunc degentem; id ipsum etiam B. Benedictus Aretinus, Raynerius, aliique, quorum verba supra dedimus, testati fuerunt. Flagitanti primo non assensit Honorius, causatus, non esse consuetudinem Romanæ Sedis ejusmodi Indulgentias, tamque facile obtinendas concedere; quod quam istius temporis ecclesiasticæ disciplinæ congruat, manifestum fit ex iis, quæ § 6 disseruí. Tandem intellecta Dei voluntate, ex* Francisco *scilicet demum asserente, se a Christo, ut peteret missum, postulatis annuit. Erat vero Pontifici tam perspecta* Francisci *sanctitas, plurimis miraculis late probata, ut nec de veritate dictorum illius dubitare potuerit; ac proinde nec assertæ ab illo divinæ voluntati refragari. Displicuisse tamen ea res dicitur Cardinalibus, qui aderant, veritis, ne tam amplæ tamque facili modo obtinendæ Indulgentiæ largitio fidelium ad Apostolorum principum Petri ac Pauli limina accessum, fervoremque in ferendis pro liberanda Terra sancta armis, ad quod plenariis Indulgentiis excitabantur, plurimum minueret. Quæ utraque ratio cadit in sæculum, de quo agimus, decimum tertium, quo et ad sacram Cruce signatorum militiam plenariis indulgentiis fideles animabantur, et certis etiam gaudebant Apostolorum limina invisentes. Ast istorum Cardinalium querelis concessit Pontifex, ut Indulgentia Portiunculana perpetua quidem*

B *esset, sed non nisi uno die naturali annue promerenda.*

In variis veterum testimoniis

132 *Magis controvertitur altera, quam dixi, quæstio, an Christus* Francisco *Indulgentiam petenti, ipsemet per se et absolute concesserit, ipsumque ad Honorium solummodo miserit, ut hic velut Christi vicarius eam ratam haberet seu declararet; an contra ad Honorium miserit, ut eamdem Christi nomine ab eo flagitaret, seu diceret, placere Christo, ut Pontifex eam largiretur. Dubitandi rationes exponamus. Quotquot veteres de hujus Indulgentiæ impetratione scripserunt, omnes* S. Francisci *pro eadem obtinenda accessum ad Honorium memorarunt; et eorum alii, id jubente Christo Domino, factum esse, asserunt; alii sic silent, ut oppositum minime insinuent. Eorum verba jam retuli superius; ast ut dilucidius procedamus, oportet hic quædam repetere. B. Benedictus Aretinus ejusque socius, frater Raynerius, num.* 47 *et sequenti testati sunt, se* audiisse a quodam... sociorum B. Francisci, qui vocabatur Fr. Masseus,... quod ipse fuit cum B. Francisco apud Perusium ante præsentiam domini Papæ Honorii, cum petivit Indulgentiam omnium peccatorum... Quæ Indulgentia, cum fuisset tam humiliter, quam constanter, a B. Francisco postulata, fuit tandem a summo Pontifice liberalissime concessa *etc.*

dicitur Christus Sancto sic annuisse,

C 133 *Theobaldus episcopus Assisias in suo diplomate, num.* 3 *hæc habet :* Fuit sibi (*id est, ipsi, nempe* S. Francisco) de nocte revelatum a Domino, quatenus ad summum Pontificem, dominum Honorium, qui pro tempore erat Perusii, accederet pro Indulgentia impetranda pro eadem ecclesia S. Mariæ de Portiuncula *etc. Consequenter ad hæc num.* 4 *Sanctus Honorium sic allocutus dicitur :* Supplico Sanctitati vestræ, quod donatis ibi Indulgentiam absque oblationibus *etc. Theobaldi verba adoptavit B. Franciscus Fabrianensis, de quo consule dicta num.* 63 *et sequentibus. Consonant etiam Corradus, alter episcopus Assisias, in diplomate anno* 1333 *edito, quod vide supra* § 2, *quique Corrado præivit, Franciscus Bartholi, de quo consule* § 3. *Adde et Breviarii Ordinis Minorum lectiones mox datas, in quibus pariter expresse legitur Christus* Francisco *Indulgentiam flagitanti respondisse,* id sibi placere; *et additur :* Præcepitque illi, ut ejus vicarium adiret, et ab eo suo nomine illam Indulgentiam postularet; *ac demum in fine subditur :* Tandem intelligens Pontifex divinam voluntatem, concessit eam B. Francisco, plenariam quidem *etc.*

ut illum pro Indulgentia impetranda

134 *Qui hæc sola legerit, nulla ei, puto, obrepet suspicio de Indulgentia a Christo ipsomet sine sui in terris vicarii ministerio immediate atque absolute concessa; nec, nisi fallor, dubium videbitur, quin eam Honorius, ut assertæ per* Franciscum *divinæ voluntati obtemperaret, largitus fuerit. Conformia sunt, quæ deinde gesta dicuntur. Etenim de Sancti ex urbe Perusina Assisium versus post ea regressu in laudati Theobaldi diplomate subduntur hæc :* Ipse autem (*S. Franciscus*) recedens de Perusio, et rediens versus Assisium, in medio viæ, in loco, qui dicitur Colle, cum sotio aliquantulum requiescens obdormivit. Excitatus vero, post orationem vocavit sotium, et dixit sibi : Frater Massee, dico tibi ex parte Dei, Indulgentiam, mihi exhibitam per summum Pontificem, esse confirmatam in celis. Et hoc refert frater Marinus, nepos dicti fratris Massei, qui ab ore dicti avunculi sui frequenter audivit *etc. Eadem habent Corradus episcopus num.* 21, *Pisanus in Conformitatibus, aliique, quos sciens prætero, quia de his etiam consentiunt Indulgentiæ immediate a Christo datæ patroni, quorum argumenta dabo inferius.*

AUCTORE C. S.

miserit ad Honorium, hicque eam concessisse, videatur,

135 *Interea, quod huc pertinet, in allegatis locis largitio Indulgentiæ, conformiter ad supra dicta, non ipsi Christo, sed summo Pontifici immediate adscribitur; in cælis vero solummodo confirmata fuisse dicitur, prout Sanctus scilicet ex divina revelatione in reditu cognoverat. Neque aliter colligere licet ex promulgatione ejusdem Indulgentiæ, quam ex Zalfani vel Zelfani, apud me relato num.* 38 *testimonio etiam alii enarrant. Secundum illud ipse* E S. Franciscus *eamdem solemniter promulgans hæc dixit :* Ego volo vos omnes mittere ad paradisum, et adnuntio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore summi Pontificis etc., et omnes vos, qui venistis hodie, et omnes, qui venerint annuatim tali die, bono corde et contrito, habeant Indulgentiam omnium suorum peccatorum. Ego volui pro octo diebus, set non potui; *id est, nisi vehementer me mea fallat opinio; Ego conatus sum a summo Pontifice impetrare Indulgentiam hanc per octiduum quotannis lucrifaciendam, at ille annuam quidem concessit, sed non nisi unius diei naturalis spatio promerendam. Hinc porro etiam liquet, saltem spatium ejusdem acquirendæ a solo pependisse Pontifice; nam alioquin* Franciscus *pro hoc quoque divinam voluntatem allegasset; quod nemo hactenus asseruit.*

non Christus immediate,

136 *Itaque ex hactenus adductis* S. Francisco, *pro genere humano flagitanti Indulgentiam, Christus annuit; sed ipsum pro eadem illius nomine petenda ad Honorium direxit. Quorsum hoc? Bartholomæus Pisanus (licet hic alia multa, ut videbimus, pro immediata Christi concessione habeat) rationem insinuat, dum Christum ita loquentem* Francisco *refert :* Ego orationem et petitionem (*tuam*) admitto; sed volo, quod vadas ad meum vicarium, cui dedi potestatem ligandi atque solvendi in cœlo et in terra, et petas ab eo ex parte F mea dictam Indulgentiam. *Hisce mihi quidem videtur dixisse Pisanus, placuisse Christo postulatum* Francisci, *sed hunc, ut ordinariæ divinæ in regenda Ecclesia sua providentiæ ordo servaretur, ab illo missum essa ad Romanum Pontificem, ut, indicato suo assensu, desideratam Indulgentiam peteret ab eo, cui ipse* potestatem ligandi atque solvendi (*ac proinde etiam pœnas temporales indulgendi*) *sic dederat in terris, ut ejusdem sententia semper rata habenda esset in cælis.*

sed per ministerium sui vicarii,

137 *Ita etiam omnino sensisse videtur venerabilis servus Dei, Cardinalis noster Robertus Bellarminus lib.* II *de Indulgentiis cap.* 20, *qui velut Portiunculanæ adversus Martinum Kemnitium patronus merito laudatus est supra num.* 91 *et sequenti. Ex verbis ibidem datis hæc pauca repeto :* Ad preces S. Francisci Christus ipse plenariam Indulgentiam dedit; sed non nisi per ministerium vicarii sui, Pontificis Maximi, dedit. *Si ex hujus doctissimi Cardinalis mente Christus eam non nisi* per ministerium vicarii sui, Pontificis Maximi, *dederit; ex ejusdem sententia dicendus est Christus eamdem non immediate per se dedisse, nec alia ratione dedisse, quam* Francisci *precibus sic annuendo, ut eum miserit ad illam ipsius nomine petendam obtinendamque ab Honorio.*

AUCTORE C. S.

Honorio. Hoc ipsum etiam innuit Benedictus XIV Papa, dum causam quærens, cur venerabilis servus Dei Cardinalis Thomasius Indulgentiam Pontiunculæ non recensuerit inter plenarias, quæ inter Innocentii III ac Bonifacii VIII tempora concessæ fuere; Ex eo fortasse, *inquit,* quod ipsa quasi immediate a Christo Domino concessa fuerit. *Verba illius legesis superius num.* 103.

et quasi immediate.

138 *Nimirum suspicatus est Benedictus, hujus silentii causam esse, quod venerabilis Thomasius isto in loco solum egerit de Indulgentiis a Romanis Pontificibus ex sola ordinaria sua auctoritate Apostolica, more solito ac sine speciali nutu divino concessis, qualis dici neguit Indulgentia Portiunculæ, quæ* quasi immediate a Christo Domino concessa fuit, *dum hic* Francisci *precibus consentiens, eumdem pro illa impetranda ad Honorium misit. Jam vero, si Benedictus crediderit, Indulgentiam, qua de agimus,* immediate *a Christo datam esse, cur vocibus* quasi immediate *usus fuit; maxime cum ad illius propositum plus conductura fuisset immediata largitio Indulgentiæ, quippe in qua nullam partem habuisset Pontifex præter factam illius promulgandæ facultatem, ac proinde eo rectius prætérita fuisset a Thomasio, si hic de Indulgentiis ex sola potestate Pontificia datis ibidem locutus sit.*

B

§ IX. Inquiritur, utrum Indulgentiæ Portiunculanæ proximus largitor sit ipsemet Christus, an Christo annuente et mandante, Honorius III Papa.

Laudantur BB. Franciscus Fabrianensis, Joannes et Ubertinus,

Qui immediatam Indulgentiæ Portiunculanæ a Christo largitionem tuentur, veterum testimoniis testimonia, verba verbis opponunt. B. Francisco Fabrianensi, de quo consule dicta § 4, *attribuunt titulum libelli ipsius inscripti :* Historia Indulgentiæ in sacello Portiunculæ A CHRISTO CONCESSÆ B. FRANCISCO. *Ex B. Joannis Alvernicolæ, alias Firmani, testimonio, quod in eodem* § *dedi, observant, de fratre Massæo legi :* Qui dixit eis, se fuisse cum S. Francisco, quando eamdem Indulgentiam, A DOMINO DATAM, Pontifex CONFIRMAVIT. *Laudant etiam fratrem Ubertinum de Casali, cujus notitiam et verba habes in eodem* § 4, *dicentem :* Cui etiam ecclesiæ (*S. Mariæ Angelorum in Portiuncula*) secunda die Augusti Virgo beatissima A FILIO SUO OBTINUIT in cœlis, et B. Franciscus a Papa in terris Indulgentiam remissionis plenariæ omnium peccatorum; *vel, ut habet Ms. pergamenum Assisiense ibidem :* Cui etiam ecclesiæ in die prima Augusti Virgo beatissima A FILIO OBTINUIT in cœlis, et Franciscus in terris Indulgentiam plenariæ remissionis omnium peccatorum;

C *nulla facta mentione de summo Pontifice, nisi per voces* in terris.

Corradus episcopus Assisias

140 *Multa quoque sunt in diplomate Corradi episcopi Assisiensis, dato* § 2, *huc spectantia. In eo dicitur* Franciscus *Christum orasse his verbis :* Supplico,.... quatenus digneris facere hanc gratiam generi humano, quod concedas veniam in Indulgentiam omnibus et singulis venientibus ad locum istum *etc.; Christus autem respondisse :* Satis grande est, quod petisti, Francisce; set majoribus dignus es, et majora habebis; et ego orationem tuam et petitionem ammitto; tu tamen habes ire ad summum Pontificem,.... et ex parte mea petere Indulgentiam supradictum. *Deinde ubi agitur de secunda visione, in qua Sanctus determinatum Indulgentiæ diem a Christo petiisse legitur.* Divina Majestas (*inquit ibidem Corradus*) statuit, quod, quicumque venirent, a vesperis primi diei Augusti usque ad vesperas sequentis diei, contriti et confessi de peccatis,..... quod remissa sint eis omnia peccata..... Et Ipse Franciscus ait : Sanctissime pater noster, qualiter fiet, quod veniat in notitiam et credulitatem humani generis? Et ipse Dominus noster ait : Francisce, hoc fiet per gratiam meam; tu tamen habes ire Romam ad vicarium meum, ut ipse faciat patefieri, prout ei videbitur expedire.

141 *Consequenter ad hæc* S. Franciscus *ad Honorium regressus dixisse narratur :* Voluntas ejus (*Christi*) est, ut a vesperis primi diei Augusti usque ad vesperas secundi diei dicti mensis, quicumque intraverit in ecclesiam sancte Marie de Angelis,... remittantur sibi omnia peccata sua... Et Papa respondit... Magnum est, quod petis; set postquam Rex celestis... ad instantiam beate Marie Virginis, Matris ejus, tuam orationem exaudivit, scribemus episcopo Assisinati, Perusino, Tudertino, (*adde* Fulginati) Spoletano, Nucerino et Eugubino, quod conveniant ad locum beate Marie de Angelis, sive de Portiuncula,... et notificent... Indulgentiam, que tibi placuerit. *Hinc rursum* Franciscus *eamdem publicaturus, ad prædictos episcopos ibidem sic fatur :* Annuntiabo Indulgentiam de mandato Regis celestis, que fit ad instantiam Matris sue, et vos de mandato summi Pontificis, vicarii ipsius, auctoritatem prestabitis et annuntiabitis una mecum.

D *in litteris publicis,*

142 *Multos præterea locos ex Bartholomæo Pisano produxit Honorius Marentinus supra laudatus, quos hic subjungo. Videlicet :* Quod cogitavit (*S. Franciscus*) opere perfecit, dictam Indulgentiam, ut optaverat, a Christo impetrando et obtinendo, ac etiam a Papa.... Qualiter B. Franciscus Indulgentiam S. Mariæ de Assisio obtinuit primo a Christo, postmodum a Papa, Honorio III... Præfatis ergo apparet, quomodo B. Franciscus dictam In- E dulgentiam a Domino Jesu Christo obtinuit primo, et postea a Papa, et quoad diem... Primo miraculo (*supple : probatur veritas hujus Indulgentiæ*) præ aliis eam B. Francisco concedendo : numquam enim talem Indulgentiam Christus alicui Sanctorum dedit vel concessit... Secundo miraculo rosas de mense Januarii producendo, et B. Francisco ostendendo et tradendo, ut domino Papæ deferret in testimonium Indulgentiæ, ab ipso B. Francisco datæ et concessæ... Et ipsi (*tres* S. Francisci *socii*) reddiderunt testimonium summo Pontifici, quomodo Christus B. Francisco dictam concesserat Indulgentiam... Quarto fratris Petri Cathanii (*scilicet testimonio probatur*) qui Michaeli de Spello, ut dictum est supra, quomodo B. Franciscus acquisivit primo a Christo, et postmodum a Papa Honorio, coram multis fratribus enarravit....

Bartholomæus Pisanus

143 Quinto veritas hujus sacræ Indulgentiæ probatur testimonio B. Francisci; cum beatus ipse Franciscus impetraverit eam a Christo et ipsam habuerit, ut socii sui audierunt, et tres summo Pontifici domino Honorio hoc attestati sunt; et a domino Honorio in Perusio ipsam B. Francisco obtinente.... Septimo... testimonio septem episcoporum (*qui ad eam promulgandam convenerant*).... linguas ipsorum dirigente Verbo Patris, Domino Jesu Christo, qui ipsam Indulgentiam dedit... Fra- F ter Masseus audivit Christum concedentem Indulgentiam B. Francisco pro ecclesia S. Mariæ de Portiuncula, dum esset ipse B. Franciscus in dicta ecclesia coram Christo, Virgine Maria et angelis. *Hosce Bartholomæi Pisani locos tandem sic excipit Marentinus :* Quid clarius, amabo te, quid clarius pro re nostra exoptari potest? Indulgentiam hanc per Pisanum S. Franciscus a Christo impetravit, a Christo obtinuit, a Christo acquisivit, a Christo habuit : Indulgentiam hanc per Pisanum Christus S. Francisco dedit, S. Francisco concessit. Non ergo intelligi hæc possunt de quadam donatione, a vera propriaque concessione distincta.

In Conformitatibus,

144 *Sæculo* XIV *etiam floruit eodemque multis annis ante Pisanum obiit S. Birgitta, cujus insignis exstat de hac Indulgentia locus inter illius Revelationes extravagantes cap.* 90, *ubi de hac sancta vidua leguntur sequentia :* Cum esset in ecclesia Fratrum in Assisio, audivit et vidit Christum dicentem..... Dic, quid est in corde tuo, de quo turbaris, licet omnia sciam. Et illa, Conturbor, inquit, quia aliqui dicunt, quod iste Sanctus (*Franciscus*) confinxit sibi Indulgentias istas; et aliqui arguunt, eas nullas esse. Respondit Christus : Qui confingit aliqua, est sicut arundo inclinabilis ad favores adulantium.

S. Birgitta

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tium. Sed Amicus meus fuit quasi lapis ignitus et igneus, quia habuit me in se, qui sum ignis divinus. Et sicut ignis et stramina non conveniunt, sic nec falsitas ibi communicat, ubi veritas habitat et ignis divinæ charitatis. Sed Amicus meus habuit et dixit veritatem. Et quia vidit teporem hominum ad Deum, et cupiditatem ad mundum, doluit vehementer. Ideo petivit a me signum aliquod charitatis, per quod homo accenderetur ad charitatem, et cupiditas minueretur. Cui petenti ex charitate ego, qui sum ipsa charitas, dedi signum, scilicet quod omnes, qui venirent ad locum suum vacui, implerentur benedictione mea, et solverentur a peccatis suis. Respondit iterum domina (*S. Birgitta :*) Numquit, Domine mi, successor revocare debet, quod tu, omnis potentiæ et gratiæ infusor, dedisti?

in Revelationibus,

145 Respondit Christus : Fixum est, quod dixi Petro et ejus successoribus : Quodcumque ligaveris, ligatum est. Verumtamen propter malitias hominum multa donata subtrahuntur ; et propter fidem et merita gratia donata augetur. *Ad hunc locum sic ratiocinatur Marentinus :* Habes hic S. Franciscum petentem : Petivit. Habes Christum Dominum concedentem : Dedi. Habes, quid concessit, nempe Indulgentiam : Quod omnes, qui venirent etc. Non video igitur, cur de mente Birgittæ, immo et Christi eidem loquentis, inficias ire quis possit, Indulgentiam hanc a Christo fuisse concessam. Si cui forte hæc verba non videntur satis perspicua, quamvis sint meridiana luce clariora, audiat sequentia : Respondit iterum domina : Numquid, Domine mi, successor revocare debet, quod tu, omnis potentiæ et gratiæ infusor, dedisti? Revocatio supponit concessionem ; non enim illud revocari dicitur, quod adhuc concedendum est. Si ergo S. Birgitta quærit a Christo, an Pontifex hanc Indulgentiam revocare debeat, nec ne, eam supponit ultro concessam. Sed cur plura? Omne quodcumque tollunt æquivocationis genus postrema verba : Quod tu, omnis potentiæ et gratiæ infusor, dedisti ; si enim nolimus propriam immutare verborum significationem, confiteri debemus vel inviti, hic exprimi Indulgentiam datam, et datam a Christo. *Ita Marentinus.*

et SS. Bernardinus Senensis et Antoninus.

146 *Producitur etiam testimonium S. Bernardini Senensis, qui tom. I, Sermone* 9, *a.* 3, *cap.* 2 *hæc dixit :* Quartum (*signum promptæ dilectionis*) est Indulgentia scilicet locorum sanctorum, et omnis peregrinationis, vel labor acceptus voluntarie pro suorum venia peccatorum ; sicut, ire ad sanctum Sepulchrum, ad S. Jacobum, ire Romam, ire ad S. Mariam de Portiuncula prope Assisium, ubi B. Franciscus impetravit a Deo, quod, quicumque prima die Augusti contritus et confessus intraverit ecclesiam illam, plenam Indulgentiam consequatur omnium peceatorum suorum. *Natus est hic S. Bernardinus Senensis anno* 1380, *ingressus Ordinem Minorum anno* 1402, *mortuus* 1444, *ut videre licet in Opere nostro tom. V Maji, pag.* 160 * *et sequenti. Additur, qui eodem sæculo* XV *floruit, S. Antoninus, ex Ordine Prædicatorum archiepiscopus Florentinus, quod hic* 3 *parte historiali, tit.* 24, *cap.* 7, § 4 *ad annum* 1225 *dicat sequentia :* Eodem anno de mense Januarii B. Franciscus obtinuit primo a Deo, intercedente beata Dei Genitrice Maria, et demum a suo vicario, Honorio III, Indulgentiam plenariam peccatorum annis singulis accedentibus ad ecclesiam S. Mariæ de Angelis prima die Augusti, et quæ duraret per diem naturalem, incipientem a secundis vesperis illius diei usque ad vesperas diei sequentis.

Laudatur item Benedictus XIV Papa,

147 *Mitto plures scriptores congerere, qui, cum recentiores sint, pondus addere nequeunt. Prætermittenda tamen minime sunt, quæ de eodem argumento allegantur ex Operibus Benedicti XIV summi Pontificis, de cujus mente quædam supra observavi. Locos a Marentino relatos accipe. In erudito suo Opere de Servorum Dei beatificatione etc., lib.* III, *cap.* 10, *num.* 3 *laudatus Pontifex hæc habet :* Sæculo XVI non defuerunt nonnulli audaces homines, qui tamquam apocryphum traduxerunt visionem celeberrimam S. Francisci una cum Indulgentia, quæ dicitur Portiunculæ, de qua etiam in quarto hujus Operis libro habebitur sermo, sub obtentu potissimum, quod altum prædictarum rerum silentium sit in Operibus S. Bonaventuræ, et aliorum contemporaneorum auctorum. Sed cum Balutius * in Miscellaneis tomo IV ex antiquis bibliothecis monumentum auctoris contemporalis (*quod videsis supra apud me num.* 43 *et sequenti*) prædicta omnia narrantis, ediderit, ex hoc facto clare desumitur, non ita facile dicendum esse, nullum ex æquævis auctoribus hanc, illamve rem referre, et ideo eam recentiorum auctorum esse commentum.

AUCTORE C. S.

* Baluzius

cujus sensa ex illius Operibus de Canonizatione etc.,

148 *In ejusdem Operis lib.* IV, *parte* II, *cap* 7, *num.* 3 *rursum ait :* Celebre est, quod ex monumentis authenticis habetur, factam videlicet fuisse ab abbate Benedictino Montis Subasii S. Francisco concessionem cujusdam parvæ ecclesiæ sub titulo Beatæ Virginis Angelorum, quæ ecclesia Portiunculæ nomen assumpsit ex quadam villa ipsi contigua ; eumdemque S. Franciscum in prædicta ecclesia preces ad Deum fudisse, ut plenaria daretur Indulgentia peccatorum illis, qui rite et recte peccata confessi eam visitassent ; Deumque ejus exaudivisse orationem, ita tamen, ut instare deberet penes Honorium III, tunc Romanum Pontificem, pro Indulgentia impetranda ; ipsumque Pontificem Romanum, cum intellexisset divinam hac de re voluntatem, Indulgentiam plenariam, liberam et perpetuam indulsisse anno MCCXXIII ; sed uno dumtaxat die naturali in singulos annos, hoc est, a vespera Calendarum Augusti usque ad vesperam sequentis diei, qui est anniversarius dies consecrationis memoratæ ecclesiæ. Narratio hæc testibus innititur, qui eam audiverunt, vel ab ipso S. Francisco, vel ab ejus sociis, uti videri potest in Miscellaneis Stephani Baluzii lib IV, pag. 491, et instrumento publico, anno MCCCXXXV confecto jussu Conradi, episcopi Assisiensis, quod in ejus civitatis publico archivo conservatur. (*Vide illud supra datum apud me* § 2.) *Tum postquam alios scriptores, Pisano recentiores laudavit, demum subdit :* Porro in hujus insignis beneficii commemorationem facta est officii concessio Ordini Franciscano cum Lectionibus propriis, in quibus supra recensita exponuntur. *Vide hasce apud me num.* 129 *et sequenti.*

et de synodo diœcesana

149 *Tertium locum addit Marentinus ex ejusdem Pontificis Benedicti Opere de Synodo diœcesana lib.* XIII, *cap.* 18, *num.* 4 (*ego superius jam monui, mihi hactenus ad manus solum esse libros octo*) *ubi eodem Marentino teste, ille sic loquitur :* Est autem hic opportune monendum, nonnullas reperiri Indulgentias, quæ sine temeritatis nota in dubium revocari nequeunt, quamvis authenticum earum indultum non proferatur ; cum antiquissima constantiqne traditione innitantur, ac tacita vel expressa Romanorum Pontificum confirmatione roborentur. Talis est, ut aliquo utamur exemplo, Indulgentia Portiunculæ, quæ nomen desumit a parva illa cappella prope Assisium sita, quam S. Franciscus, Ordinis Minorum fundator, ab abbate Montis Subasii, Ordinis S. Benedicti, obtinuit, ut ibi una cum Fratribus posset novi Instituti sui functiones peragere ; quæque nunc temporis sita conspicitur intra augustum templum, Sanctæ Mariæ, Angelorum Reginæ, dicatum. Fertur itaque, S. Franciscum plenariam Indulgentiam a Deo implorasse pro iis omnibus, qui perpetratorum criminum pœnitentes, eaque Sacramentaliter confessi, memoratam cappellam visitassent ; idque a Deo in eadem cappella concessum fuisse ; hoc tamen addito, ut ipse eamdem Indulgentiam impetraret ab Honorio III, tunc Romano Pontifice.

lectoribus expendenda

150 Qui quidem certior factus, consonum id esse divinæ voluntati, anno MCCXXIII Indulgentiam pleniariam perpetuo concessisse dicitur omnibus, qui ex corde pœnitentes ac confessi sæpe dictam cappellam,

AUCTORE C. S.

pellam, seu parvam ecclesiam visitassent a vesperis Calendarum Augusti ad vesperas sequentis diei. Sane nullum extat authenticum monumentum, sive de petitione S. Francisci, sive de concessione, ab Honorio III illius precibus facta. Ceterum affertur testimonium Petri Calfanni affirmantis, se propriis auribus audivisse S. Franciscum præfatam Indulgentiam in concione annuntiantem, habentemque præ manibus quamdam chartam, cujus summam referebat omnino consonam iis, quæ supra memoravimus. Extant insuper testificationes jam inde ab anno MCCLXXVII exaratæ a duobus Religiosis (*nimirum a B. Benedicto Aretino, et fratre Raynerio, de quibus consule dicta superius* § 3) fide dignis, referentibus, si integram ejusdem facti historiam audivisse a P. Matthæo de Marignano, qui unus fuit ex sociis S. Francisci, quique cum ipso Perusium se contulit ad pedes Honorii III, cum is Dei voluntatem suspiciens, Indulgentiam, de qua sermo habetur, est elargitus.

hic recitantur,

151 Hæc omnia adnotata reperiuntur in authentico monumento bibliothecæ Colbertinæ, quod publici juris fecit Stephanus Baluzius in suis Miscellaneis lib. IV, pag. 490, et confirmantur publico quodam instrumento, rogato jussu antistitis Conradi, episcopi Assisiensis anno MCCCXXXV. Denique,

B

prætermissa etiam communi consensione historicorum omnium et scriptorum subsequentium temporum, quos olim nos ipsi collegimus in Opusculo ad hanc rem pertinente, et anno MDCCXXI Fulginei typis impresso, cum Romani Pontifices sæpe meminerint de Indulgentia hac, uti ab Honorio III concessa, quemadmodum videre licet apud Waddingum in Annalibus ad annum MCCXXIII, num. 1 et 2, iidemque postea illam extenderint ad universas ecclesias Ordinis S. Francisci, ut in memorato nostro Opusculo demonstravimus; esset profecto magnæ temeritatis eamdem in dubium revocare ex eo, quod nullum afferatur primitivæ concessionis authenticum monumentum. *Supersedeo pluribus, quæ eodem recidunt, et quibus idem Pontifex mentem suam manifeste declaravit de veritate Indulgentiæ hujus per* S. Franciscum *petitæ, et a Christo annuente per* Franciscum *ab Honorio III postulatæ et obtentæ, cujus ego quidem sententiæ omnino assentior; verum an etiam immediatam absolutamque Christi largitionem ipse aliique laudati omnes indicare voluerint, nunc inquirendum est. Ab antiquioribus ordiamur.*

et expenduntur,

152 *A beato Francisco Fabrianensi num.* 139 *dicitur Indulgentia* in sacello Portiunculæ a Christo concessa B. Francisco; *a B. Joanne Firmano ibi-*

C

dem: Eamdem Indulgentiam, a Domino datam, Pontifex confirmavit. *Ab Ubertino Casalensi ibidem:* Virgo beatissima a Filio suo obtinuit in cœlis, et B. Franciscus a Papa in terris Indulgentiam *etc.; vel, ut habet aliud apographum eodem numero laudatum, omissis his vocibus :* A Papa. *In litteris Corradi episcopi Assisiensis num.* 140 *narratur* Franciscus *supplicasse Christo, ut concederet Indulgentiam,* Quod concedas, *inquiens, et Christus illius preces admisisse, respondens:* Et ego orationem tuam et petitionem ammitto. *Num.* 141 *in iisdem litteris dicitur* voluntas *Dei fuisse,* ut a vesperis primi diei Augusti *etc.*, quicumque intraverit in ecclesiam S. Mariæ de Angelis,... remittantur sibi omnia peccata sua. *Ibidem num.* 141 S. Franciscus *eamdem Indulgentiam promulgans dixisse legitur:* Annuntiabo Indulgentiam de mandato Regis celestis, que fit ad instantiam Matris sue.

ostenditurque eadem commodo sensu

153 *Fateor, æquum esse credere, allegatis in locis immediatam absolutamque Indulgentiæ a Christo concessionem indicari, nisi id dubium facerent alia. Dubium autem id faciunt testimonia, istis etiam vetustiora, quæ* § 4 *recensui. Nam in horum aliquot nulla exstat de Christi largitione mentio, in aliis solum dicitur* Franciscus *a Christo missus ad Honorium, et ipsius Christi nomine Indulgentiam ab eo petiisse et impetrasse; in omnibus vero ejusdem Indulgentiæ concessio soli eidem Pontifici attribuitur. Concilianda ergo sunt testimonia, quod haud difficulter fieri poterit, si recentiora sic commode exponantur, ut vetustioribus congruant. Ponamus,* S. Franciscum (*uti vere fecisse credimus*) *pro hac Indulgentia impetranda Christo Domino supplicasse, Christumque, patrocinante sanctissima Matre sua, sic annuisse precanti, ut* Franciscus *eam non alia ratione haberet, nisi secundum ordinarium providentiæ suæ ordinem obtentam a Romano Pontifice, cui veluti suo in terris vicario, ligandi solvendique potestatem dedit; ac proinde mandasse* Francisco, *ut desideratam Indulgentiam suo* (*scilicet Christi*) *nomine ab Honorio peteret, sine omni dubio obtinendam.* D

exponi posse, ut cum aliorum assertis

154 *His positis, salva manent dicta tum eorum, qui Indulgentiæ concessionem Honorio, tamquam vere illius largitori adscribunt, tum etiam eorum, qui pro immediata ejusdem a Christo concessione laudantur. Si enim Christus* Francisco *petenti* annuerit; *sic illius* orationem et petitionem admiserit; *sic vere* voluntas Dei fuerit, ut, quicumque intraverit in ecclesiam etc.,... remittantur sibi omnia peccata sua; *sic recte dicere potuerit* Franciscus: Annunciabo Indulgentiam de mandato Regis celestis, que fit ad instantiam Matris sue; *sic dici quoque potest eadem Indulgentia* a Christo data, obtenta, concessa; *nempe, quia Christus eo, quo* E *dictum est, modo annuendo, mandandoque, ut a vicario suo daretur, eamdem* quasi immediate (*ut loquitur Benedictus XIV supra num.* 105) *seu* (*ut Bellarminus ibidem num.* 92) per ministerium vicarii sui, Pontificis Maximi, dedit. *Eadem de causa* S. Franciscus *nolens ab Honorio diploma recte respondisse intelligitur:* Si opus Dei est, ipse habet opus suum manifestare. De hujusmodi ego nolo aliud instrumentum; sed tantum sit charta beata Virgo Maria, notarius sit Christus, et angeli sint testes. *Quasi diceret: Ego pro hac re, a Christo, ut dixi, ad te missus sum; ipse hoc opus suum curabit, pro diplomate sunt Christus, qui me misit, beata Virgo, quæ pro me intercessit, angeli, qui adstiterunt.*

componantur.

155 *Ut vero ista hoc modo non absurde exponi possunt, ita etiam alia eorumdem aliorumque dicta simul salva manent. In primis liquet, cur aliqui productorum testium Indulgentiæ concessionem quasi soli Honorio adscribant. Secundo, cur* Franciscus *reluctanti Pontifici petitam Indulgentiam concedere, causantique, magnum esse, quod petebat, nec soluisse a Romana curia tam amplam, ejusque generis Indulgentiam concedi, non reposuerit, eamdem jam datam esse a Christo, sed solum hæc:* Domine, quod peto, non ex parte mea, sed illius peto, qui misit me Dominus Jesus Christus. *Intelligitur tertio, cur* F *Sanctus, quamvis septem episcopis ad promulgandam eam Indulgentiam congregatis dixisse legatur superius num.* 27: Annuntiabo Indulgentiam de mandato Regis celestis, que fit ad instantiam Matris sue; *nihilominus eamdem Indulgentiam populo annuntians ibidem num.* 38 *sic fatus legatur:* Adnuntio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore summi Pontificis, *nihil addens de Christo.*

Idem dici posse videtur de aliorum dictis

156 *Plus aliquid difficultatis habet testimonium B. Joannis Alvernicolæ, seu Firmani, ex istis verbis:* Eamdem Indulgentiam A DOMINO DATAM Pontifex CONFIRMAVIT; *quis tamen hæc vetet sic interpretari, ut dicatur Pontifex promissum Christi de concedenda per vicarium suum* Francisco *desiderata Indulgentia, eamdem concedendo confirmasse seu explevisse. Certe* S. Franciscus *supra num.* 6 *Perusio a Pontifice rediens, non legitur dixisse fratri Masseo: Indulgentiam a Christo sibi exhibitam, a Pontifice esse confirmatam, sed:* Dico tibi ex parte Dei, indulgentiam, mihi exhibitam per summum Pontificem, esse confirmatam in celis. *Minus etiam negotii facessere possunt dicta Bartholomæi Pisani, tum quod hic præmissis junior sit, tum quod minime accurate scripserit, imo plurimas fabulas adoptarit; tum denique, quod ejus quoque verba de quasi immediata Christi concessione, qualem superius exposui, accipi queant. Nec aliam etiam necessario exigunt verba*

A *verba SS. Bernardini Senensis et Antonini. Nam si modo mox exposito res gesta fuerit,* Franciscus *hanc indulgentiam vere* impetravit a Deo, *vel* obtinuit primo a Deo, et demum a suo vicario Honorio, *quemadmodum consideranti, nisi fallor, apparebit.*

supra allegatis. 157 *Illustre sane est S. Birgittæ pro eadem Indulgentia testimonium; non tamen, meo quidem judicio, pro immediata per Christum concessione convincens. Verum est, quod Marentinus observat,* Revocatio supponit concessionem; non enim illud revocari dicitur, quod adhuc concedendum est. *Ast numquid non dici posset Christus concessisse* Francisco, *quod hujus precibus, ut haberet, annuens, jussit a Vicario suo petere nomine suo, hoc pacto certo certius obtinendum. An igitur non recte rogare potuit Birgitta, an Indulgentia, sic annuente ac mandante Christo, per Honorium concessa, ab ullo umquam Pontifice esset revocanda, dicereque :* Numquid, Domine mi, successor revocare debet, quod tu, omnis potentiæ et gratiæ infusor, dedisti? *Nonne vere dici potest Christus dedisse, quod supplicantis precibus assentiens, per ministerium vicarii sui dandum promisit, deditque? Ad locos e Benedicti XIV Operibus adductos respondeo, hosce immediatæ Christi concessionis patronis non favere, si conferantur cum aliis ejusdem Pontificis verbis,*

B *num.* 103 *datis, quibus solum* quasi immediata *asseritur concessio.*

Grouwelus Honorio solum confirmationem, 158 *Si porro quæras, cur* S. Francicus *a Christo missus ad Honorium fuerit, quidve ab hoc petierit obtinueritque, si, quam desideraverat Indulgentiam, jam haberet ab ipsomet Christo concessam, non eadem est responsio omnium, qui immediatam Christi concessionem propugnant. Grouwelus mentem suam indicat in ipso sæpe laudati Opusculi sui titulo, qui hic est :* Historia critica sacræ indulgentiæ B. Mariæ Angelorum, vulgo de Portiuncula, ad preces B. Francisci ab ipso Christo primum concessæ, ac deinde ab Honorio Papa III confirmatæ, ejusdemque authoritate promulgatæ. *Id ipsum etiam clarius facit in eadem Historia pag.* 70, *ubi hæc verba in Breviario Minorum de eadem concessione posita :* Respondit Dominus, id sibi placere; præcepitque illi, ut ejus vicarium adiret, et ab eo suo nomine illam Indulgentiam postularet; *ubi hæc, inquam, verba sic commentatus est :* Christus in vita sua mortali summum Judæorum pontificem honoravit : potuit ergo et in Lege nova summum Christianorum Pontificem honorare. Hunc in terris vicarium suum posuit : huic commendavit regimen universæ Ecclesiæ suæ.

promulgationem et spatium obtinendæ Indulgentiæ tribuit : 159 Ad Petrum Act. 10 divinitus missi sunt viri in Joppen pro salute domus Cornelii Centurionis. Ad Honorium Papam III, successorem Petri, missus est B. Franciscus, ut ab eo Indulgentiam postularet ad salutem fidelium : atque ita Christus

C confirmavit, quod mandaverat : « Pasce agnos « meos, Pasce oves meas; » et ostendit, quantam reverentiam debeamus summo Christianorum Pontifici, quodque huic competat potestas ligandi atque solvendi. Atque adeo (licet hæretica fremat invidia) confirmat sententia Petri, ejusque in officio successoris, sententiam Cœli. Cui proinde eatenus hic Christus defert, ut, licet Indulgentiæ postulationi annuisset, eam tamen absque prævio vicarii sui assensu promulgari nollet, qui etiam sua authoritate eamdem Indulgentiam ad unum diem naturalem cujusque anni confirmavit. Mittitur igitur B. Franciscus ad summum Pontificem, non ut is simpliciter daret, quod jam a Christo acceperat donum; sed ut ratificaret, redderetque magis authenticum in Ecclesia, cui forte potuisset videri non sufficienter credibile, nisi a vicario Christi, Pontifice Romano et Ecclesiæ capite, rite examinatum fuisset ac publice approbatum. *Hactenus Grouwelus.*

sed an satis probabiliter ? 160 *Ex hujus itaque opinione dictæ Indulgentiæ concessio soli Christo adscribenda est, Pontifici vero dumtaxat illius approbatio, ad unum cujusque anni diem naturalem confirmatio, factaque potestas eam promulgandi. Et vero non video, quid in sententia immediatam Christi largitionem Indulgentiæ affirmante plausibilius dici possit. At difficultatem illa patitur ex testium scriptorumque dictis, in hac Dissertatione relatis, in quorum aliquot de sola concessione Pontificia, in aliis omnibus æque de hac, quam de divina, fit mentio; quæque propterea ad solam Honorii approbationem, confirmationem ac promulgandi concessam facultatem restringenda esse, minus verisimile apparet, quam assertam ab iisdem Christi concessionem per quasi immediatam supra dicto modo posse exponi; ut scilicet credatur Christus petitam Indulgentiam concessisse quidem* Francisco, *at non nisi per vicarii sui, tunc temporis Honorii III, ministerium habendam; ut adeo Christo quidem attribuenda sit expressa verbis voluntas, ut* Franciscus *eam ab Honorio peteret, obtineretque, Honorio autem ipsa Indulgentiæ largitio.*

AUCTORE C. S.

Marentinus Indulgentiam primo a Christo 161 *Marentino tam certo visi sunt prædicti aliique scriptores veram propriamque Indulgentiæ largitionem Honorio asserere, ut dicere maluerit, unam eamdemque hanc Indulgentiam* Francisco *bis fuisse concessam; primo scilicet a Christo Domino in sacello Portiunculæ, secundo a laudato Honorio III Perusii; ab utroque donatione immediata. Pagina* 91, § 9 *ad objectam sibi ab anonymo ex Marco Ulyssiponensi prædictam Honorii concessionem respondet :* Lubens et ultro concedo, quidquid in præsentiarum contendit Anonymus; non enim is ego sum, qui verba concessionem Pontificiam exprimentia in alienum velim detorquere sensum. Sed ex his ipsis argumentum consurgit adversus eumdem. Quia Marcus aliique historici, agentes de Indulgentia Portiunculæ, scribunt, Honorium, summum Pontificem, S. Francisco concessisse Indulgentiam, simplicis non esset veritatis amator, qui veram propriamque Pontificiam concessionem ire vellet inficias. Qui igitur inficiatur divinam concessionem, quam verbis æque perspicuis idem Marcus innuit, innuunt cæteri historici, ut fuse supra fuit ostensum; is puræ putæque non est veritatis amator.

E

deinde ab Honorio æque immediate concessam ait, 162 *Consequenter ad hæc, Anonymo, quem refellendum susceperat, objicienti,* Francisco *Perusio redeunti divinitus revelatum fuisse, Indulgentiam, quam ab Honorio acceperat, fuisse in cælo confirmatam, qua confirmatione non eguisset, si eam Christus ipsemet concessisset; hæc, inquam, adversario objicienti laudatus Marentinus ibidem* § 10 *reposuit :* Indulgentia, de qua in præsens, primo fuit, ut nos pro virili parte tuemur, ab ipsomet Christo Domino concessa S. Francisco in capella Portiunculæ, secundo vero Perusii eidem S. Francisco concessa est ab Ho-

F norio III, summo Pontifice... Si divina concessio confirmatione divina non indiget, hac certe opus habet concessio Pontificia, reduplicative ut Pontificia; quia ut talis est concessio ministri, quæ a Domino confirmari debet. Confirmatio ergo, de qua Marcus in argumento, non cadit super priori concessione, quæ divina fuit, sed super posteriori, quæ fuit unice pontificia; et aptari recte potest illud Christi ad Petrum : « Quodcumque solveris super » terram, erit solutum in cœlis. »

ut ordinarius divinæ providentiæ ordo servaretur : 163 *Si deinde ex Marentino quæras, quorsum Christus, si ipsemet Indulgentiam* Francisco *largitus sit, eum miserit ad Honorium, ut eamdem ab illo peteret, præter divinæ voluntatis arcanum allegabit ea ipsa fere, quæ Grouwelus supra attulit pro petenda a summo Pontifice confirmatione Indulgentiæ a Christo jam concessæ, et potestate ejusdem promulgandæ.* Si tamen, (*ait*) divinare licet, dicam id fecisse Christum ad magis magisque manifestandam in concessione Indulgentiarum vicarii sui authoritatem; id fecisse dicam ad servandum communiorem ordinem præsentis providentiæ, non illum, quem sibi fingit Anonymus pag. 8, falsoque deducit ex verbo Dei scripto, nihil scilicet solvi posse in cœlis, quod non sit prius solutum in terris; sed hunc unice, quod ordinarie, seu ut plurimum, in terris Indulgentiæ concedantur a summo Pontifice, hocque

AUCTORE C. S.

hocque volente, sciente et consentiente, populis innotescant et annuncientur.

at non videtur necesse illuc recurrere.

164 *Equidem nullus dubito, quin divino verbo, cum scripto tum tradito, minime adversetur asserta Indulgentiæ immediata concessio a Christo. Omnino pariter agnosco, non esse reddendam divinæ voluntatis rationem in factis, utut mirabilibus atque extraordinariis, dum de factis ipsis constet; verum dum factum ipsum meræ fidei humanæ ex antiquiorum dictis communem præsentis providentiæ ordinem non excedit, cur illud ob posteriorum verba ex eodem illo ordine eximamus, ac propterea ad arcanam Dei voluntatem recurrere cogamur potius, quam hæc sano sensu accepta cum istis conciliemus? Cur non æqua, si non verisimiliori, ratione quis dixerit, Christum non nisi per vicarii sui, Pontificis Romani, ministerium petitam Indulgentiam voluisse* Francisco *secundum consuetum providentiæ suæ ordinem concedere, secundum quem Indulgentiæ omnes ex tradita Petro ac successoribus ejus ligandi solvendique potestate solent concedi et fidelibus promulgari?*

Concluditur ex argumentis

165 *Præmissa paucis colligo. Si dicatur* Franciscus, *suffragante beatissima Virgine, a Christo sic fuisse exauditus, ut ab eo jussus fuerit, postulatam Indulgentiam illius nomine ab Honorio petere, procul*

B *omni dubio obtinendam, eamque proinde ab eodem Pontifice primo accepisse, constat ratio, cur ejusdem concessionem alii veterum Honorio, velut ab illo solo profectam, alii Christo, alii utrique attribuerint. Pariter constat, cur* Franciscus *ipsemet renuenti Pontifici non responderit, se, quod petebat, jam obtinuisse a Christo, solamque promulgandi potestatem precari; sed se missum a Christo, ut Indulgentiam peteret. Constat tertio, cur idem Sanctus rediens, ejusdem Indulgentiæ largitionem Pontificiam in cælo confirmatam socio suo ex divina revelatione indicaverit; cur item in ejusdem promulgatione dixisse legatur :* Annuntiabo Indulgentiam de mandato Regis celestis, que fit ad instantiam Matris sue; *deinde vero ad populum :* Adnuntio vobis Indulgentiam, quam habeo ab ore summi Pontificis. *Et in ea quidem sententia rectissime; institerat enim pro illius concessione apud Christum filium suum Virgo Mater; eamdem peti, ideoque et concedi, ab Honorio mandaverat Christus Dominus, ac denique idem Pontifex proprio ore* S. Francisco, *divinam voluntatem alleganti, dederat.*

hactenus utrimque discussis.

166 *Ut vero hæc omnia recte se habent, ita, observato communi præsentis Providentiæ ordine, summo Pontifici asseritur ordinarius potestatis suæ usus, neque hic necesse est, aut assertam a scriptoribus Pontificiam Indulgentiæ largitionem per*

C *ejusdem confirmationem promulgandique facultatem cum* Grouwelo *interpretari, aut cum* Marentino *duplicem uniusejusdemque Indulgentiæ stricte dictam concessionem, primam divinam, secundam Pontificiam, asserere. In hac opinione non exigua etiam agnoscitur Portiunculanæ præ aliis Indulgentiis excellentia, quippe quam Christus ipse ore suo proprio mandavit, nomine suo per* Franciscum *ab Honorio III summo Pontifice peti, imo quam, licet* non nisi per ministerium vicarii sui Pontificis Maximi, dedit, *ut loquitur Bellarminus; vel, ut habet Benedictus XIV,* quasi immediate *concessit. Ceterum ex rationibus utrimque allegatis, quæ sententia probabilior appareat, statuat eruditus lector, cui hac super re judicium libens permitto.*

§ X. Expenditur secunda pars historiæ, continens ea, quæ inter primum secundumque S. Francisci ad Honorium accessum facta narrantur.

Ex diplomate Corradi episcopi Assisiatis exponitur.

Secundam historiæ Indulgentiæ Portiunculanæ partem, quæ tractat de determinando ejusdem obtinendæ die, hactenus tacitus præterii, quod hæc et ad diversum tempus spectet, et seorsum rectius possit expendi. Recitavimus eam § 2 *ex diplomate Corradi episcopi Assisiensis, ideoque solum compendiose hic* D *revocabo in memoriam. Postquam* S. Franciscus *Indulgentiam obtinuerat, eamque in cælo confirmatam intellexerat, nec tamen a Christo, nec a summo Pontifice Honorio, præstitutum diem acceperat, quo illa esset a fidelibus obtinenda, post aliquod tempus mense Januario contigit, illum, dum in cellula sua apud ædem S. Mariæ Angelorum in Portiuncula nocturnis precibus ferventer insisteret, a malo dæmone ad molliorem vitæ rationem somnumque capiendum excitari. Quod ut Vir sanctus advertit, detractis sibi vestibus, prosilivit nudus e cella in proximam silvam, seque vepribus et spinis cruentavit. Tum cum ingenti lumine magna copia rosarum albi rubeique coloris miræque venustatis, ac simul multitudo angelorum ipsi apparuerunt.*

quomodo Franciscus determinatum Indulgentiæ diem

168 *Ab his angelis jussus in ecclesiam, ad Christum ejusque sanctissimam Matrem properare, confestim se veste candida indutum conspicatus est, viaque, quæ ad ecclesiam ducebat, videbatur ei quasi palliis et sericis vestibus strata. Ecclesiam ingressus, quas attulerat ex prædictis rosis, duodecim candidas et totidem rubeas altari imposuit; moxque Christum ac Virginem Matrem ejus cum multitudine angelorum videns, ab illo audiit :* Francisce, quare tu non das dotes Matri mee, quas dare sibi debes? *At* Franciscus, *intellecto, hæc de animabus per memoratam Indulgentiam salvandis dici, diem, quo illa* E *imposterum obtineri posset, præstituendum flagitavit. Constituit Christus* a vesperis primi diei Augusti usque ad vesperas sequentis diei; *quærentique Viro sancto, qua ratione hæc in notitiam fidelium ventura essent, fidemque apud eos obtentura, respondit :* Hoc fiet per gratiam meam; tu tamen habes ire Romam ad Vicarium meum, ut ipse faciat patefieri, prout ei videbitur expedire. *Tum* Franciscus *ad hæc :* Qualiter credet mihi vicarius tuus? Forte non credet mihi peccatori.

a Christo et a Papa accepe-rit et promulgaverit.

169 *Reposuit Christus* : Ducas tecum testes aliquos ex sociis tuis, qui hæc audierunt (*audita enim hæc omnia fuerant a sociis, qui in horto morabantur*) et defer rosas rubeas et albas, quas de mense Januarii collegisti in afflictione et disciplina corporis tui, et in eo numero rosarum, quo tibi videbitur. *Accepit ergo* Franciscus *ex altari tres rosas albas et tres rubeas in honorem sanctissimæ Trinitatis, et angeli hymnum* Te Deum laudamus cantaverunt. *Postero mane Sanctus sua rursum indutus tunica, cum tribus sociorum suorum, imposito illis de re gesta silentio, Romam ad Honorium III summum Pontificem accessit, voluntatem Christi exposuit, socios testes produxit, miraculo vernantium rosarum confirmavit, postque habitum ab eodem Pontifice cum Cardinalibus consilium, causamque denuo coram his expositam, ejusdem assensum obtinuit et litteras ad septem episcopos, ut hi Kalendis Augusti ad Portiunculam convenirent promulgaturi Indulgentiam, qualem vellet* Franciscus. *Conveniunt;* Franciscus *plenariam Indulgentiam promulgat; indignantur episcopi, non esse eam Pontificis mentem rati, tam amplam Indulgentiam concedere; at, quamvis illi solum decem annorum Indulgentiam ex condicto vellent annuntiare, non potuerunt aliud, quam quod* Franciscus *dixerat, proferre.*

Verum his alii partim non favent.

170 *Modo primo inquiramus, quanto auctoritatis pondere ista mirabilium congeries consistat. Quæ de silentio primorum biographorum, Thomæ Celanensis, Anonymi, Trium Sociorum, sanctique Bonaventuræ superius in prima hujus historiæ parte memoravi ac disserui, hic pro repetitis habeto. Si deinde consulamus testimonia veterum, B. Benedicti Aretini, hujus socii fratris Raynerii, Petri Zalfani, B. Francisci Fabrianensis, Michaelis Angeli ministri provinciæ S. Francisci, Michaelis Angeli Bernardutii, B. Joannis Firmani, Ubertini Casalensis, et B. Angelæ Fulginatis, si, inquam, horum testimonia, quæ ad probandam Portiunculæ Indulgentiam §§ 3 et 4 attulimus, consulamus, nihil in his quoque habebimus, quo historiam, de qua nunc loquimur, confirmare possimus; imo vero sunt in his nonnulla, quæ*

eidem

A *cidem historiæ minime favent. Nihil pariter hujusmodi legitur in litteris Theobaldi episcopi Assisiensis, quas dedi* § 1, *ac deinde expendi; nihil denique in Lectionibus Breviarii Ord. Minorum, quas vide* § 8.

partim etiam obsunt, quibus etiam accedit

171 *Certe non nisi unum* S. Francisci *ad Honorium III, Perusii degentem, accessum memorant B. Benedictus Aretinus et frater Raynerius, in eoque accessu tam diem acquirendæ Indulgentiæ, quam Indulgentiam ipsam, ab eodem Pontifice concessa affirmant. Audi laudatum Benedictum :* Confiteor, me frequenter audisse a quodam supradictorum sotiorum B. Francisci, qui vocabatur frater Masseus de Marignano,... quod ipse fuit cum B. Francisco apud Perusium ante præsentiam domini Papæ Honorii, cum petivit Indulgentiam omnium peccatorum pro illis, qui contriti et confessi convenirent ad locum S. Mariæ de Angelis, qui alio nomine Portiuncula nuncupatur, PRIMA DIE KALENDARUM AUGUSTI VESPERE DICTÆ DIEI USQUE AD VESPERAS SEQUENTIS DIEI. Quæ Indulgentia cum fuisset, tam humiliter, quam constanter a B. Francisco postulata, fuit tandem a summo Pontifice liberalissime concessa; quamvis diceret ipse Pontifex, non esse consuetudinis Apostolicæ Sedis talem Indulgentiam facere. *Hæc, nec plura illi, nihil prorsus de mirabilibus adituque ad urbem Romanam pro determi-*

B *nando die memorantes.*

auctor Lectionum Breviarii Minorum,

172 *Ex horum igitur testimonio, certe magni faciendo, habemus,* S. Franciscum *ab Honorio Perusii petiisse Indulgentiam a vesperis primæ diei Augusti usque ad vesperas secundæ diei promerendam, et Honorium, ut Sanctus petierat, concessisse, quamvis Pontifex diceret,* non esse consuetudinis Apostolicæ Sedis talem Indulgentiam concedere, *quod ab illo in accessu Perusino dictum, etiam affirmant alii, qui geminum accessum, primum scilicet Perusinum pro petenda Indulgentia, alterum Romanum pro determinando die adstruunt. B. Benedicto Aretino ejusque socio Raynerio apprime consonant mox laudatæ lectiones Breviarii Minorum, ex quarum tertia secundi Nocturni, quia supra jam datæ sunt, solum pauca repeto. In hac post narratas* S. Francisci *pro obtinenda Indulgentia apud Honorium III Perusii preces, ejusdemque Pontificis ac Cardinalium tergiversationem subditur :* Tandem intelligens Pontifex divinam voluntatem, concessit eam B. Francisco, plenariam quidem et liberam ac perpetuam; sed unius dumtaxat diei naturalis cujuscumque anni, hoc est, a vesperis Kalendarum

C Augusti usque ad vesperas sequentis diei, qui est anniversarius dies consecrationis supradictæ ecclesiæ (*de Portiuncula.*) Et cum ei diploma dare vellet, ille sibi satis esse, dixit, verbum ipsius; Dominum enim opus suum per seipsum divulgaturum ac magnificaturum. Quod quidem mirabiliter evenisse, cernimus.

qui unicum Sancti pro hac re accessum ad Honorium memorant.

173 *Hactenus Lectio, ex qua ac duabus ibidem præcedentibus historiam hujus Indulgentiæ etiam Grouwelus recitandam censuit,* quia (*inquit pag.* 64) brevitate gaudet, et authoritate Pontificia reliquis præponderat; *nimirum quod a sacra Rituum Congregatione approbata ac quotannis in divino Officio recitari permissa sit. Atqui in hac tamen, æque ac in supra dicto B. Benedicti et Raynerii testimonio, et Indulgentia concessa et dies Indulgentiæ præstitutus Perusii narratur. Est quidem lectio illa solummodo compendium historiæ; at quis suspicetur, in eo ad unum locum et tempus referri, quæ diversis locis et temporibus contigerunt, et sine ullo vel minimo indicio scienter prætermissa esse tot prodigia, quæ inter Indulgentiæ concessionem ac diei designationem intercessisse dicuntur, magnamque ejusdem historiæ partem constituunt? Si earum una Perusii, altera paucis annis post Romæ contigerit, cur expressa* Perusii, *nulla* Romæ *in eo compendio mentio fit? Multumne a verisimili aberraret, qui hujus rei causam eam esse, suspicaretur, quod harum Lectionum auctori de gestis Perusii ad eaque pertinentibus constiterit ex probis certisque testimoniis, cetera vero saltem fuerint suspecta?*

174 *Primus, mihi quidem notus, qui geminum* S. Francisci *pro eadem Indulgentia accessum ad Honorium Papam, quæque inter utrumque intercessisse feruntur, litteris consignavit, fuit Franciscus Bartholi, de quo plura annotavi* § 5, *hic non repetenda. Solum meminerit lector, ipsum verisimilius scripsisse circa annum* 1323 *post editum in ejusdem Indulgentiæ favorem a Theobaldo episcopo Assisiensi diploma, et paulo antequam Corradus, ejusdem civitatis antistes, suum item de eodem argumento vulgavit anno* 1335. *Bartholi verba, ut dictum est, adoptavit Corradus in eodem diplomate, eamdemque historiam sub ejusdem sæculi* XIV *finem Bartholomæus Pisanus, omnia, quæ potuit, sine delectu corradens, suis Conformitatum libris inseruit, aliique passim eum secuti fuere. Cum igitur Franciscus Bartholi toto sæculo post factum, quod narrat, scripserit, nec aliunde tantæ auctoritatis sit, ut ejusdem dicta, antiquiorum assertis minus consona, sine prævio examine pro indubitatis debeant admitti, liceat etiam mihi pro meo munere pensare, quanti ea valere videantur.*

AUCTORE C. S.

Geminus accessus, qualis a Bartholo narratur,

175 *Si narrationem antiquiorum, qui in uno eodemque* S. Francisci *ad Honorium accessu Perusino et Indulgentiam concessam et diem ejusdem promerendæ constitutum a Pontifice asserunt, aut insinuant, a ratione æstimare velimus, hæc multo* E *verisimilior apparebit, quam eorum, qui geminum accessum statuunt, in quorum primo, Perusino scilicet, Pontifex Indulgentiam concesserit, vel confirmaverit; in secundo, videlicet Romano, tandem diem annuum præstituerit, et facultatem dederit promulgandi. Nam primo quidem rationi plane congruum est, ut, qui Indulgentiam in certo aliquo loco ab omnibus fidelibus promerendam petit, petat etiam tempus, quo in eodem loco ab eis possit acquiri; cum non minus temporis, quam loci, notitia ad hujusmodi beneficium consequendum requiratur. Deinde, sive* Franciscus *a Christo fuerit missus ad Honorium, ut hic concessam a Christo Indulgentiam ratam haberet, ut existimavit Grouwelus; sive, quod Marentino visum est, ut eamdem, quam Christus immediate concesserat, idem Pontifex etiam immediate largiretur, in utriusque opinione saltem etiam missus fuit, ut eamdem Indulgentiam promulgandi potestatem ab eodem Pontifice peteret, atque ita concessa gratia in utilitatem cederet fidelium.*

si ratione æstimetur,

176 *Nisi igitur etiam tunc petierit determinatum diem, quo ea Indulgentia acquirenda esset, non egit, propter quod missus erat, cum Indulgentiæ promulgatio fieri non potuerit, nisi simul indicaretur dies, quo illa posset promereri. At in altera opinione nihil hujusmodi incongrui occurrit, sed omnia recte fluunt.* F *Etenim in hac* Franciscus *missus a Christo ad Pontificem, Indulgentiam plenariam in ecclesia Portiunculæ promerendam petit, suam a Christo missionem allegat, desideratam Indulgentiam, et cum ea simul, ut oportebat, determinatum eamdem quotannis acquirendi diem et promulgandi facultatem impetrat, quamvis hanc ex dicendis fortasse aliquantulum differre sit jussus. Singulare quidem est atque a communi usu alienum, quod Sanctus ex peculiari in Deum fiducia non curaverit, acceptum beneficium Pontificio diplomate confirmari; verum hoc minus mirabimur, si meminerimus, eumdem Sanctum ab anno* 1209, *quo Innocentius III institutum ab illo Ordinem vivæ vocis oraculo approbavit, nullam pro re tanta habuisse Bullam Apostolicam usque ad annum* 1223, *quo eam tandem ab Honorio III accepit.*

etiam minus verisimilis fit.

177 *Nunc age, etiam ceteram narrationem Corradi episcopi, seu, cujus verba hic adoptavit, Francisci Bartholi, percurramus. Continet hæc sane multo plura mirabilia, quam litteræ Theobaldi, quibus antiquiora testimonia magis congruere, dictum est supra.* Franciscum, *dum nocturnis precibus in sua apud ædem Portiunculæ cella instabat, a malo dæmone ad molliorem vitam subdole invitatum fuisse, utque illius illecebras fortiter repelleret, nudum se spinis ac vepribus cruentasse, non est, cur cuiquam*

Ex veterum quoque silentio miraculum rosarum

non

AUCTORE C. S.

non est, cur cuiquam non videatur verisimile. Nam et Thomas Celanensis in Vita edita num 40 *de ipso ejusdemque primis discipulis,* Tanta denique, *ait,* maceratione incentiva carnis reprimere satagebant, ut in frigidissima glacie non abhorrerent sæpius se nudare, ac totum corpus spinarum aculeis compungentes, effuso sanguine irrigare. *Lege etiam S. Bonaventuram in Vita cap.* 5, *ubi dicitur idem* S. Franciscus *aliquando apud heremum de Sarthiano, ut simili dæmonis tentationi carnisque titillationi resisteret, post acrem sui corporis flagellationem, hiemali nocturno tempore e cella prosiliisse in hortum; ac nudum se altæ nivi immersisse etc. Itaque, quæ ille alibi fecisse legitur, etiam apud Portiunculam potuit fecisse.*

ea occasione subito exortarum,

178 *Multo minus favorabiliter pronuntiare possum pro miraculo rosarum, quas Corradus tunc circa cruentatum* Franciscum in magna copia *subito vernasse, affirmat. Nam nihil simile in authenticis probatissimisque illius Vitis legitur; neque ulla apparet ratio sat verisimilis, ob quam earum auctores, alias minime soliti mirabilia præterire, tam memorabile prodigium consulto ac velut ex condicto prætermisisse, aut ignorasse credi possint, aut debeant. Causari hic nemo merito potest studium Indulgentiam Portiunculæ silendi; cum miraculum istud scriptis*
B *facile consignare potuerint, servato silentio de Indulgentia. Exempli causa, S. Bonaventura, tametsi et ipse Indulgentiam tacite prætereundam censuerit, non dubitavit in Vita num.* 24 *referre mirabilem illam cujusdam viri de ecclesia Portiunculæ visionem, quam Grouwelus aliique, sicut supra vidimus, ejusdem Indulgentiæ figuram ac præsagium fuisse, contendunt. Poterat idem sanctus doctor, poterant et Celanensis Tresque Socii, etiam minori cum periculo Indulgentiam vulgandi, prædictum rosarum prodigium narrare iis in locis, ubi ipsius in corpus suum severas animadversiones commendarunt.*

cui recentiores duo similia, unum scilicet

179 *Grouwelus in Opusculo frequenter laudato, ecclesiam S. Mariæ Angelorum in Portiuncula describens, pag.* 38 *idem, aut certe non absimile, rosarum prodigium annotavit his verbis:* Hanc cellam (*in qua* S. Franciscus *habitavit et obiit*) templum majus jam superædificatum complectitur, extra cujus parietes, at intra conventus limites, extat sacellum, quod olim spelunca erat, ad quam B. Franciscus plurimum orandi causa se conferebat; et in qua tentatio carnalis eum adeo apprehendit, ut inde exiens, antequam Indulgentiam a Christo accepisset, nudum se in vepres et spinas conjecerit. Istæ in rosetum pulcherrimum deinde mutatæ rosas et ramusculos sine spinis producunt;
C si tamen in locis aliis transplantentur, spinas, quibus in loco Portiunculæ carent, generare dicuntur. Folia hujus roseti usque in hodiernum diem ab una parte adhuc rubra et quasi guttis sanguineis conspersa apparent; sicut hiscemet oculis vidi. *Hæc ipse, nullum pro singulari facto vadem allegans præter oculos suos pro rosarum sine spinis nascentium sanguineis maculis, quod pio eruditoque viro libens credidero; at non æque facile, easdem a relato Sancti facto traxisse originem, dum alia desunt argumenta, pro certo habebo.*

in eodem Portiunculæ loco,

180 *Dum autem ibidem dicit Grouwelus, istud accidisse,* antequam *Sanctus* Indulgentiam a Christo accepisset, *non satis perspicio, utrum ad annum* 1221, *quo* Franciscus *Indulgentiam a Christo primo obtinuisse creditur, an ad* 1223, *quo etiam determinatum diem ac propterea eamdem complete accepisse narratur, an denique ad incertum aliquod tempus, utroque anno anterius, referendum esse insinuavit. Si ad primum aut secundum, refellitur ea narratio ex S. Bonaventura in Vitæ citato cap.* 5, *ubi non obscure tradit,* S. Franciscum *dudum ante eos annos, id est, ante postremum vitæ illius triennium quinquenniumve, tentationibus carnalibus fuisse immunem. Quod enim ipsum apud Sarthianum fecisse, ex ea num.* 177 *retuli, Bonaventura ibidem* circa conversionis *ejusdem* primordia *reponit, additque, ipsum tunc sic exstinxisse* ardorem... libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. D *Quod si ita sit, quomodo quinquennio trienniove ante obitum* tentatio carnalis eum adeo apprehendit, ut... nudum se in vepres et spinas conjecerit? *Si autem Grouwelus factum illud ad aliquod, ut dixi, tempus anterius referat, distinguatque ab eo, quod, etiam aliam ejusdem causam allegans, narrat Corradus, jam geminum in eodem loco rosarum prodigium, primis biographis sanctoque Bonaventuræ ignotum, aut certe præteritum, adstruetur.*

aliud apud Sublacum narrant, nobis suspectum est.

181 *Rursum aliud in rosis miraculum de eodem Sancto narrat Waddingus ad annum* 1222, *num.* 3, *ubi illius accessum ad S. Benedicti Sublacense cœnobium referens, sic ait:* Sacellum hoc supereminet illi hortulo seu viridario, in quo S. Benedictus molestum carnis incitamentum spinarum cruento superavit volutabro. Dignæ autem sanctæ rei contemplationi Franciscus immersus, sanctitatemque insignem magni secum expendens patriarchæ, qui tam duro et diro sibi succurrit remedio, dumeta attrectans et exosculans, demum signo Crucis afficiens, in rosarium pulcherrimum divina vertit virtute. Quo factum est, ut deinceps ille locus in majori haberetur reverentia, et rosetum utriusque patriarchæ religione sacratum miræ virtutis rosas producat, quæ multam ubique infirmitatum medelam attulerunt. *En tibi igitur jam tertium in rosis* E *prodigium, quod æque ac duo alia frustra quæras apud probatos biographos, quorum de singulis silentium singula mihi suspecta facit, verisimilius esse, rato, singula illis plane ignota fuisse, quam velut dedita opera et ex condicto prætermissa.*

Suspecta item sunt ejusdem narrationis

182 *Prætereo Corradi non minorem in adstruenda* multitudine angelorum, *qui* Franciscum *ad ecclesiam miserint, quam in præmissa* magna copia rosarum *liberalitatem; at mox addit et alterum mirabile. Sanctus ipsemet, qui in silvam nudus venerat, audito multitudinis angelorum monito,* confestim indutum se veste candida conspiciens, exurrexit, et accipiens de ipsis rosis duodecim albas et duodecim rubeas, venit versus ecclesiam. *Neque hic mirabilium finis: versus ecclesiam procedenti* videbatur... via quasi palliis et sericis vestibus strata. *Quorsum hæc? Rosarum usus infra apparebit; si tamen satis verisimilis: veste opus erat, ne Sanctus, qualis erat nudus, ecclesiam intraret. Sed quem in finem via, ad eam ducens, visa ei fuerit* quasi palliis et vestibus sericis strata, *malo aliis divinandum relinquere. Quod ad vestem attinet, censet Grouwelus, eam aut de dono meritoque virginitatis, de carne triumphantis, posse intelligi, secundum illud Apocalyp.* 5, ℣. 5: Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis; *aut, si quis omnino velit eam de corporis* F *indumento accipere, id exemplo non carere, ex aliorum Sanctorum Vitis ostendit.*

adjuncta mirabilia veteribus æque ignota aut prætera,

183 *Fateor; etiam S. Bonaventura in Vita cap.* 5 *virgineum nitorem per* candidum vestimentum *exposuit, de* S. Francisco *dicens:* Circa conversionis suæ primordia, tempore hiemali, in foveam glacie plenam seipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subigeret, et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio præservaret. *Sed non simili tropo uti videtur Corradus, eodem modo de* veste candida *loquens, quo de rosis circa Sanctum repertis, quas proprie dictas fuisse, non negabunt istius historiæ patroni. Non propterea tamen contendo, vestem istam candidam, etiam pro corporis tegumento, sive vero, sive ita ipsi Sancto viso, acceptam certo commentitiam esse, vel carere exemplo: at inficiari nequeo, difficile mihi esse, in istac prodigiorum textura, silentibus synchronis et Bonaventura, nihil commentitii suspicari, nec vereri, ne memoratæ a Corrado, seu Bartholo, vesti candidæ faciendæ occasionem dederit optime dictum a S. Bonaventura* candidum vestimentum pudoris, *et ad alienum locum fuerit translatum. Reliqua paucis percurramus.*

aliaque incongrua.

184 *Constituto jam per Christum Indulgentiæ promerendæ annuo die,* Franciscus *petiit, quo pacto ea res vulganda fidelibus esset, et fidem inventura; promisaque*

A promisaque in hunc finem divina gratia, jussus est pro ejusdem promulgatione ad Honorium summum Pontificem Romam pergere. Verenti nihilominus, ut apud hunc inveniat fidem, mandavit Christus, ut ex prædictarum rosarum, Januario mense mirabiliter vernantium, conspectu, sociorumque suorum testimonio missionem suam illi probaret, quod et fecisse subditur. Non agnosco in hisce Franciscum, qualem fuisse ad quemlibet divinum nutum promptissimum, omnino æquum est credere, qualemque vidimus supra in prima historiæ parte. In hac enim pro eadem Indulgentia (quod multo majus erat) ab eodem Pontifice petenda missus, ut ipso dignum erat, nihil hæsitans ad eum accessit, et tergiversanti Honorio suam a Christo Domino missionem indicavit: cumque Honorius annuisset, etiam oblatum ab eo diploma accipere renuit, certus de felici eventu, quem Deus ipse promisisset. Adeone igitur biennii spatio, quod inter concessionem Indulgentiæ ac diei designationem medium statuunt, mutatus Franciscus sit, ut etiam post promissam pro eodem die promulgando divinam opem, Pontificem adire jussus hæsitaverit, donec missionis suæ testes prodigiose natas rosas sociosque accepit? Id mihi quidem admodum difficile creditu est; maloque scriptoris fidem vel accurationem hic requirere.

Forte tamen secundus Sancti ad Honorium accessus

B 185 At enim (inquiet aliquis) si in uno eodemque S. Francisci ad Honorium accessu Perusii simul cum ipsa Indulgentia, vel Indulgentiæ a Christo concessæ confirmatione, etiam designatus a Pontifice dies sit, factaque promulgandi potestas, qua verisimili ratione inductum fuisse suspicabimur Franciscum Bartholi, ut talia scriberet? Haud inficior, hoc non ita facile dictu esse. Verumtamen, si in obscuris liceat divinare, quid si Honorius Perusii quidem et desideratam Indulgentiam Francisco concesserit, et diem annuum designaverit, sed, quod insolita ea tunc res esset, atque ob allegatas superius rationes solidas Cardinalibus displiceret, voluerit ejusdem promulgationem paulisper differri, donec vel ipsa mora eosdem faceret Francisco faventiores; quid si deinde elapso præstituto tempore, Franciscus ad Honorium, tunc Romæ degentem recurrens, promissam promulgandi facultatem impetraverit, non admodum vehementer admirandum esset, si lapsu unius sæculi, quod mirabilibus delectabatur, ea, quæ primam concessionem inter ac promulgationem intercesserat, mora ansam dedisset, secundum Sancti ad Pontificem aditum paulatim exornandi memoratis prodigiis, quæ tandem Franciscus Bartholi litteris commiserit, et adoptaverit Corradus.

lapsu temporis exornatus fuit.

C 186 Huc faceret, si satis certum esset, quod ex testimonio fratris Leonis refert Pisanus in Conformitate 14, scilicet Franciscum post primo acceptam ab Honorio Indulgentiam, revelatamque ejusdem in cælis confirmationem dixisse Leoni: Teneas secretum hoc;... quia non habet locum adhuc; quia hæc Indulgentia occultabitur ad tempus; sed Dominus trahet eam extra, et manifestabitur. Sic quoque multo minus mirari possemus, quod antiquiores, quos laudavimus, et hos secutus Theobaldus episcopus, de secundo accessu siluerint, solumque meminerint prioris; quippe in quo et Indulgentia concessa fuerat, et designatus dies, et promissa commodo tempore promulgatio; cum contra multo mirabilius videri debeat eorumdem de secundo silentium, si hunc memorata prodigia præ primo memorabilem reddiderunt. Habes hic, erudite lector, observationes meas ad eam historiæ celeberrimæ Indulgentiæ Portiunculanæ partem, cujus nullum, ut dixi, indicium reperi in instrumentis aut historicis sæculo XIV adolescente vel adulto antiquioribus, et sine qua, ut pariter ostendi, salva stat Indulgentiæ immediata vel quasi immediata a Christo concessio: tuum erit, quod tibi verius videbitur, statuere. Unum superest, quod moneam.

Conclusio.

187 Quamvis hæc eadem historiæ pars non exstet apud antiquiores Corrado episcopo, vel, quod eodem recidit, Francisco Bartholi, antiqua tamen est, auctoremque habet honoratum sui Ordinis virum, laudatum scilicet Franciscum Bartholi, et approbatorem Corradum, episcopum Assisiatem, de quorum primo consule dicta § 3, de altero § 2. Adhæc fatendum est, prodigia, quæ in ea narrantur, non esse ejusmodi, ut fidem superent; et si forsitan ejusdem historiæ scriptor in adjunctis adornandis partim fuerit liberalior, partim etiam minus accuratus, nihilominus verum esse posse scriptionis argumentum. Attamen quo mirabiliora quis primus in lucem profert, eo certiori eget auctoritate, ut certam faciat fidem, maxime si præter vetustiorum silentium, cujus ratio reddi nequeat, etiam quædam eorumdem de eodem argumento dicta non faveant.

AUCTORE C. S.

§ XI. Dedicatio ecclesiæ Portiunculanæ et promulgatio Indulgentiæ per septem episcopos factæ, et adjuncta expenduntur: Indulgentia quotidiana ab Innocentio XII concessa: annuæ Indulgentiæ frequentatio et ad universum Ordinem extensio.

Ab antiquis asserta Indulgentiæ promulgatio

Quod ad primam promulgationem Indulgentiæ attinet, ex testimonio Zalfani aliorumque, quos § 3 et alibi nominavimus, satis constat, eam in consecratione ecclesiæ Portiunculanæ, cui septem vicini episcopi adfuerunt, sollenniter factam esse. De numero E episcoporum consentiunt Theobaldus et Corradus, ambo Assienses episcopi sæpe laudati, in litteris suis, quas supra dedimus; quorum posterior addit, illos fuisse Assisiatem, Perusinum, Tudertinum, Spoletanum, Nucerinum, et Eugubinum, quibus aliunde addendus est septimus Fulginas, verosimillime ex sola describentis oscitantia in apographo nostro præteritus. Ferdinandus Ughellus tom. I Italiæ sacræ in prædictarum sedium episcoporum Catalogis singulos nominat; at nescio, utrum ex aliis certis documentis, an solum ex tempore, quo hæc promulgatio facta creditur, et illorum quique episcopatum gesserunt. Utut sit, apud Ughellum fuisse dicuntur sequentes.

et consecratio ecclesiæ per septem episcopos

189 Assisiensis Vido, *is ipse, quem* S. Francisco jam ab initio conversionis illius addictissimum fuisse, constat ex Vitis ditis, iisque prævio Commentario; Perusinus Joannes e nobilissima Romana familia Comitum; Tudertinus Bonifacius; Nucerinus B. Raynaldus, cujus obitus in Opere nostro ad diem 9 Februarii legitur contigisse anno 1225; quod observo, quia apud laudatum Ughellum is ex errore figitur anno 1222, id est, uno anno antequam ex ipsiusmet Ughelli sententia promulgatio contigit; Eugubinus B. Villanus, cujus memoria in Actis nostris facta est ad diem 7 Maji; Fulginas Ægidius. F De Spoletano siluit; verum hic ex rationi temporis debuit fuisse nomine Benedictus. Hos omnes per Pontificias Honorii litteras, S. Francisco concessas, monitos convenisse, tradit Corradus episcopus Assisias, et post ipsum alii, ac omnino verisimillimum est. Nec suspensos habere nos debet asserta tot episcoporum præsentia; cum nemo historiæ Ecclesiasticæ gnarus nesciat, soluisse olim in ecclesiarum consecrationibus plures adhiberi episcopos, quos eo facilius erat ad Portiunculanam ædem accire, quo frequentiores in ejusdem vicina regione sunt episcopales sedes, ut consideranti patebit.

satis firmæ apparent:

190 Injicere scrupulum potest, quod non ita in usu fuerit exiguas ruris ecclesias, qualis erat Portiunculana, quæ cappella etiam potius appellanda erat, ab episcopis consecrari. Attamen neque hæc ratio oppositum evincit, dum singularis facti, ab oculatis coævisque testibus affirmati, peculiares assignari possunt causæ. Possunt autem, nec inanes, hæ; quod illa a Viro sanctitate ac miraculis celeberrimo instaurata fuisset; quod instituti ab eo Ordinis, jam tum de Ecclesia Dei optime meriti, lateque per orbem terrarum diffusi, incunabula fuisset, essetque reliquarum omnium ejusdem Ordinis velut mater et caput, atque ordinaria sancti Fundatoris sedes; quod denique in illius consecratione, et annua consecrationis

AUCTORE C. S.

secrationis luce acquirenda esset perpetua Indulgentia plenaria, ab ipsomet Christo vel immediate vel quasi immediate concessa, et a summo Pontifice rata habita aut confirmata, quæ tum a largitore tum ab amplitudine sua et modo acquirendi tunc temporis in Ecclesia Dei plane erat singularis. Cur igitur, id factum non credamus Zalfano aliisque, oculatos testes se profitentibus.

sed difficultates patiuntur

191 *Sed an idem dicendum est de miraculo, quod laudatus Corradus, aliique post ipsum asserunt, tunc contigisse in episcopis, non nisi decem annorum Indulgentiam ex condicto volentibus impertiri, nec tamen vel invitis, aliud promulgare valentibus, quam quod annuntiaverat* Franciscus? *Hoc equidem non possum pari ratione affirmare, silentibus antiquioribus. Prima mihi ambigendi causa est, quod non constet, an Corradus omnes et singulos, quos laudavit num. 29 et sequenti, pro singulis assertis suis testes allegaverit; nam inter eosdem occurrit ibidem* Petrus Zalfanus, *seu* Salfanus, *qui verbis num. 58 recensitis testatus quidem est, sese interfuisse dictæ ecclesiæ dedicationi, et audisse tunc* S. Franciscum *coram septem episcopis ibidem prædicantem et Indulgentiam plenariam annuam annuntiantem, verum de eorumdem episcoporum propterea murmuratione, linguaque divinitus directa nullo verbo meminit.*

B *Altera ambigendi ratio est, quod asserti miraculi narratio duo habeat adjuncta etiam aliunde suspecta. Admittendum enim erit primo, quod ibidem præmittitur, summum Pontificem Honorium in litteris suis, quibus septem illis episcopis promulgationem Indulgentiæ commisit, non indicasse, quantam ille vellet ab eis promulgari; sed solum, ut promulgarent, quantam designaturus* Franciscus *esset, quod vide, an prudentiæ communique consuetudini congruat, veroque sat simile appareat.*

quædam promulgationis ab aliis assertа adjuncta.

192 *Et vero erat tunc etiam peculiaris ratio, ut Pontifex Indulgentiæ, quam Sancto concesserat, amplitudinem illis exponeret, quia plurimum excedebat mensuram, quam Lateranense concilium 4, haud ita pridem ante sub Innocentio III, proximo Honorii decessore, celebratum, episcopis servandam decreverat verbis supra quidem jam datis, sed hic repetendis.* Decernimus, ut, cum dedicatur basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur : ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. *Videbatur igitur ratio et prudentia exigere ab Honorio, ut de amplitudine Indulgentiæ, quam episcopis illis promulgandam committebat, eos instrueret, ne inopinatam, dictoque*

C *canone vetitam,* Francisco *promulgari petente, ancipites hærerent. At propterea, inquiet aliquis, dicuntur iidem noluisse consentire; nec nisi decem annorum Indulgentiam concedere. Ita est; sed tum simul admittas oportet (quod alterum narrationis adjunctum suspectum est) eosdem illos episcopos longe excessisse præscriptos sibi a laudato concilio Lateranensi limites, decem Indulgentiæ annos in die dedicationis, totidemque in anniversario ejusdem dedicationis die volendo perpetuo concedere; cum pro priori non ultra unum annum, pro posteriori solum quadraginta dies canon iste illis omnibus simul permitteret. Atqui nisi duo ista adjuncta firma sint, vacillat narratio miraculi, quod aliunde sat certos testes non habet.*

Indulgentiæ impetratio passim anno 1221, promulgatio 1223 figitur,

193 *Superest, ut etiam quædam dicamus de tempore, cui ejusdem Indulgentiæ prima impetratio, ac deinde promulgatio solent affigi. Waddingus in Annalibus primam ad annum 1221 refert, laudans in margine Pisanum in Conformitate 14, Speculum vitæ* S. Francisci *cap. 86, et Marcum Ulyssiponensem lib. II, cap. 1. Verum in istis quidem locis agitur de impetrata Indulgentia, non de anno, quo res contigerit. Idem Annalista Minorum designationem diei promulgationemque ejusdem Indulgentiæ biennio serius, id est, ad annum 1223 reposuit, inter alios hic citans Marianum suum Florentinum et S. Antoninum; ac in utraque epocha auctores, qui post ipsum scripserunt, passim consentientes* D *habuit. Verisimillimum est, Waddingo, saltem pro anno designati diei factæque promulgationis, præluxisse Marianum Florentinum, quem passim sequitur; at vero S. Antoninus part.* III, *tit.* XXIV, *cap. 7, § 4 non solum promulgationem, verum etiam impetrationem ac designationem diei ad unum eumdemque annum 1223 retulit. Verba ejus habe.*

194 Eodem anno (*præmiserat annum* MCCXXIII) mense Januarii B. Franciscus obtinuit primo a Deo, intercedente beata Dei Genitrice Maria, et demum a suo vicario, Honorio III, Indulgentiam plenariam peccatorum annis singulis accedentibus ad ecclesiam S. Mariæ de Angelis prima die Augusti, et quæ duraret per diem naturalem, incipiendo a secundis vesperis illius diei usque vesperas diei sequentis, includendo noctem; quo die illa ecclesia fuit a septem episcopis de mandato domini Papæ solenniter consecrata, et dicta Indulgentia publicata. *Quantum igitur S. Antoninus ex una parte favet Waddingo, tantum adversatur ex altera. Fortasse tamen hic posset reponi, Antoninum, compendiosum, quæ ad duos diversos annos pertinebant, ad eorum ultimum, quo res perfecta fuit, retulisse. Nec inepta esset hæc responsio, si omnino constaret, eadem ad duos diversos annos spectare, de qua re dubium proposui supra. Id quoque ex allegato sancti* E *archiepiscopi Florentini loco certum fit, sententiam, ex qua promulgatio anno 1223 illigatur, non esse omnino novam, sed ejusdem tempore, seu sæculo* XV *receptam, ac forsitan non exiguæ ætatis chronicis jam tum consignatam.*

a S. Antonino utraque anno 1223;

ad verisimilitudinem magis accedunt alii,

195 *Ex monumentis autem, quæ habemus, sæpeque laudavimus, certus impetratæ Indulgentiæ annus nequit extundi; hocque unum ex illis statui potest, non posse illum priorem statui anno 1216, quoque serius figitur, eo magis a dictis veterum recedi. Primum manifestum est ex eo, quod Honorius III, sub quo omnes, tam veteres, quam recentiores, Indulgentiæ concessionem statuunt, citato anno 1216 ad summum Pontificatum evectus fuerit; alterum ex veterum dictis, si in propria sua significatione accipienda sint. Theobaldi scilicet et Corradi episcoporum Assisiensium in suis publicis litteris, et qui hos secutus fuit, Pisani, cujus apud aliquos magna apparet auctoritas. Theobaldus apud me num. 4* S. Francisco, *dum a Christo ad Honorium missus Indulgentiam ab eo petiit, hæc verba tribuit :* Sancte pater, NUPER ad honorem Virginis, Matris Christi, reparavi vobis unam ecclesiam, *videlicet S. Mariæ Angelorum in Portiuncula etc. Eadem prorsus habent Corradus num. 18, et Pisanus in Conformitate 14, eademque voce* nuper *utuntur; ac* F *proinde, si illorum dictis inhærere velimus, non licet nisi paucorum annorum spatium inter istius ecclesiæ reparationem obtentamque Indulgentiam interponere. Reparata ab illo fuit eadem ecclesia, ut alibi docui, non serius, quam anno 1208; vel etiam paulo citius, uti placuit Waddingo; a quo tempore si usque ad annum 1221 procedas, annos numerabis tredecim; si vero usque ad annum 1223, annos quindecim; quanta annorum spatia vix aut ne vix quidem, in subjecta materia patitur vox* nuper. *Hinc opinio S. Antonini, impetrationem simul cum promulgatione anno 1223 affigens, ex hoc capite magis recedit a verisimilitudine, quam Waddingiana, impetrationem biennio citius reponens.*

qui vel utramque anno 1216,

196 *Contra ex eodem capite ad similitudinem veri proprius accedit Chronicon, cujus auctor creditur B. Franciscus Fabrianensis, anno 1267 in Minorum Ordinem admissus, cujus verba hic subjicio :* Anno Domini MCCXVI, III Nonas Augusti fuit consecrata ecclesia S. Marie de Angelis a VII episcopis. Et dominus Honorius Papa III posuit ibi Indulgentiam a pena et culpa. Et beatus Franciscus die illa sic Indulgentiam populo adnunptiavit, presentibus dictis episcopis : Ex parte Domini nostri Jesu Christi, et sanctissime Matris ejus, ac predicti domini Pape. *Huic epochæ præterea favet, quod constet Honorium assignato anno 1216 ante mensem Augustum*

A *Augustum fuisse Perusii, ubi tunc Innocentio III ibidem die* 16 *Julii vita functo, biduo post suffectus fuit, ibidemque die* 24 *ejusdem mensis consecratus. Obest vero brevius temporis spatium, quod ab illius consecratione ad Kalendas Augusti fluxit, quam ut satis verisimile apparere possit,* Franciscum *ad ipsum, sine dubio occupatissimum, pro obtinenda Indulgentia accessisse, septemque episcopos ab eodem Pontifice per litteras tunc monitos fuisse, ut ad ecclesiam Portiunculanam consecrandam se conferrent. Adversatur etiam hæc epocha iis, qui geminum* S. Francisci *ad Honorium accessum consecrationi dictæ ecclesiæ et Indulgentiæ promulgationi præmittunt, primum scilicet Perusii, secundum Romæ.*

vel primam anno 1216, *secundam* 1217

197 *Non multum a laudato Chronico dissentiunt RR. PP. Conventuales Romani, qui cum geminum illum accessum admittant, in doctis suis observationibus Mss. de eodem argumento sic habent:* Epocham impetratæ Indulgentiæ figendam ducimus anno MCCXVI; publicationem vero MCCXVII, Wadingo refragante, qui primam in annum MCCXXI, secundam vero in annum MCCXXIII distulit. Sunt quædam nobis hujus rei conjecturæ; sed neque tenaciter nostræ sententiæ adhæremus; vobisque optionem, nullis adhibitis argumentis, id eligendi, quod, monumentis perspectis atque perpensis, arriserit magis,

B relinquimus. *Haud equidem scio, quibus conjecturis, quas silent, laudati Patres Conventuales nitantur; nisi fortasse earum una petita sit ab ea, quam dixi, voce* nuper *ad multos annos difficulter extendenda; altera a prædicto accessu gemino; tertiaque a nota binis annis præsentia Honorii in locis, in quibus ea Indulgentia primo impetrata, ac deinde ejusdem obtinendæ dies præstituta dicitur, Perusio et Roma. Uti enim constat, laudatum Pontificem anno* 1216 *Perusii fuisse, ita certum est, eumdem etiam Romæ fuisse initio anni sequentis, ubi pridie Nonas Septembris anni* 1216 *in Lateranensi ecclesia magno cum Romani populi gaudio fuerat receptus.*

illigandam putant,

198 *Habet igitur hæc Patrum Conventualium opinio hoc cum auctore Chronici Fabrianensis commune, quod spatium temporis, a reparata ecclesia S. Mariæ Angelorum usque ad petitam Indulgentiam elapsi, pro quo* S. Franciscus *vocem* nuper *usurpasse legitur, non nisi ad octo annos, Waddingiana vero usque ad tredecim extendat; favetque eis aliunde (ut dictum est) Honorii præsentia Perusii anno* 1216, *ubi Indulgentiam primo petitam fuisse, consentiunt omnes. Habet hoc insuper singulare, quod, si* Franciscus, *ut passim asserunt scriptores, eadem de causa bis adierit Honorium, primo Perusii, deinde Romæ, æque certa sit ejusdem Pontificis anno* 1217 *in hac postrema Urbe præsentia, quam anno* 1216

C *Perusii; quod nescio, an æque certo probetur de ejusdem præsentia Perusii anno* 1221. *Ceterum cum pro tanta Theobaldi, Corradi, Pisanique in scribendo accuratione spondere non ausim, ut credi nequeant vocem* nuper *pro tredecim annorum spatio usurpasse, jamque a tempore S. Antonini, qui post medium sæculum* XV *obiit, creditum sit, primam ejusdem Indulgentiæ promulgationem anno* 1223 *contigisse, epocham hanc in medio relinquo; fatendum tamen est, pro anno* 1216 *ac sequenti majorem stare antiquitatem et similitudinem veri.*

at nulla opinio certa apparet.

199 *Si quis veterum promulgationem Indulgentiæ simul cum consecratione ecclesiæ in annum* 1224, *id est uno serius, quam nunc alii passim, distulisset, proniorem me in assensum haberet; quod tum peculiaris fuisset ratio, cur eadem ecclesia, postquam a pluribus annis reparata fuerat, hoc potius anno* 1224 *consecrata crederetur. Nimirum* S. Francisci *Ordo Minorum, licet jam ab anno* 1209 *vivæ vocis oraculo fuerit ab Innocentio III approbatus, non tamen nisi circa finem anni* 1223 *Apostolica Bulla per Honorium III confirmatus est: quo facto, congruum videri potuit, ut ejusdem Ordinis matrix ecclesia, utut parvula, solemni atque in hujusmodi exiguis sacris ædibus non usitata consecratione illustraretur. At nullum ex antiquis reperi, qui id diceret.*

200 *Coronidis loco hic pauca addam ex multis,*

quæ de populorum vere admirando constantique ad eam Indulgentiam promerendam annuo Assisium accursu, ejusque ad alias ecclesias, ac denique ad universas eorum, qui sub S. Francisci *Ordine censentur, extensione, summorum Pontificum auctoritate facta, R. P. Grouwelus annotavit. Præteribo tamen, quæ in hac ipsa Dissertatione huc spectantia alias jam retuli. Bartholomæus Pisanus circa finem sæculi* XIV, *in editione Mediolanensi anni* 1510, *ab ingenti illo ad ædem Portiunculanam concursu argumentum pro Indulgentiæ illius loci confirmatione non immerito petens,* Astruitur, *inquit,* veritas hujus Indulgentiæ divina revelatione et inductione, ut personæ irent ad istam Indulgentiam. Quod Deus etiam facit continue hominibus et mulieribus, ut ad ipsam pergant, inspirationi divinæ debet attribui; cum nec privilegio (*id est, Bulla Pontificia*) ad hoc inducantur, nec Fratrum prædicatione; quia raro, vel numquam, Fratres ipsam, ut deberent, prædicant: et tamen divina gratia et inspiratione faciente, ubi impedimenta absint guerrarum (*hoc est, bellorum*) in maxima multitudine fideles illuc vadunt.

AUCTORE C. S. *Observantur quædam de ardore*

vere admirabili et constanti fidelium

201 *An Pisani tempore Fratres Minores non fuerint soliti eam Indulgentiam in concionibus publice commendare, fides penes auctorem sit. Hoc unum ego hic assero, singularem illum populorum* E *ad illam promerendam ardorem, jam sexto sæculo in nostra hæc usque tempora perseverantem, aliquid peculiaris divini impulsus mihi, multisque sani judicii viris indicare. Sæculis* XIV *et* XV *vixit S. Bernardinus Senensis, natus anno* 1380, *annoque* 1444 *mortuus. In illius Vita, ab Henschenio nostro ad diem* 20 *Maji data, pag.* 281*, *num.* 15 *Barnabæus, scriptor synchronus, in rem nostram de illo hæc habet:* Post paucos dies Assisium venit, ubi solennitas Augusti sancti Francisci vetusta consuetudine annali fiebat, quibus in locis plusquam ducenta millia hominum fuisse, qui jure rerum talium experti sunt, existimarunt, moti partim præsentiam hujus sancti viri (*Bernardini*) videre; partim, ut culpæ ac pœnæ Indulgentiam consequi valerent. Quam quidem multitudinem, tam innumeram, cum ego vidissem, reliquam gentem, quæ Italiam incolunt, tantam numero fuisse, dubitabam. *Porro hæc* solennitas Augusti, *alia non fuit aut esse potuit, quam dies Indulgentiæ Portiunculanæ; tum quod dicatur illa ex* S. Francisci vetusta consuetudine annali *celebrata fuisse, tum quod nulla umquam* S. Francisci *festivitas mense Augusto acta fuerit; tum denique quod addatur ingentem illum hominum numerum illuc confluxisse,* partim, ut culpæ ac pœnæ Indulgentiam consequi valerent. F

pro ea Indulgentia promerenda

202 *Affuit ergo tunc inter fere innumeros alios ad Indulgentiam acquirendam laudatus S. Bernardinus; affuit et sæpe alias, ut ipsemet docet in Sermone* 16 *inter ejusdem extraordinarios edito Venetiis anno* 1591, *teste Grouwelo pag.* 430, *et ab hoc etiam in codice Ms. Trudonopolitano reperto, in quo idem Sanctus auditores suos ad eamdem consequendam hortatus his verbis est:* Nam per experientiam vidi omni anno multiplicare ad istam Indulgentiam gentes in tantum, quod vidi quandoque etiam centum millia hominum Christianorum ad istam Indulgentiam; quod indicat, hanc Bullam (*continuam traditionem et veracitatem Ordinis sui loco bullæ habendas indicat*) et Indulgentiam fore veram. Quare hortor vos omnes, ut disponatis vos ire isto anno ad hanc sanctissimam Indulgentiam, ut remittantur peccata vestra, et consequamini gratiam Domini nostri Jesu Christi, qua mediante, perveniatis ad gloriam, quam nobis concedere dignetur omnipotens Deus. Amen. *Hæc S. Bernardinus.*

annuo concursu Assisium,

203 *Sæculo* XVII *scripsit Henricus Sedulius, vir in Ordine Fratrum Minorum spectatissimus, variisque libris in lucem editis notus. Is in Commentario ad cap.* 2 *Vitæ* S. Francisci, *anno* 1613 *vulgato hæc quoque ad propositum nostrum ait:* Vivæ vocis oraculo (ut dicitur) istæ datæ (*Indulgentiæ Portiunculanæ*) sine diplomate Pontificio; sed, pro-

AUCTORE C. S.

mulgante Deo, tantâ frequentia singulis annis etiamnum celebrantur, ut aliquando confluant triginta millia hominum, eoque amplius, et, sicut magnus exercitus, circum locum quasi castrametentur. *His addo testimonium Waddingi, qui, cum diu habitaverit in Italia, verosimiliter aliquoties etiam ipsemet spectator fuit eorum, quæ de hoc argumento narravit. Verba ipsius ex Annalibus ad annum* 1223 *num.* 8 *hic transcribo.* Id porro ad rei miraculum et commendationem spectat, quod die pro lucranda Indulgentia statuta frequentissimus ibi fiat populorum concursus, undique ad tantum numerum confluentium, ut sæpissime ad sexaginta millia et amplius ascendat; nec sufficiat eis pro duorum dierum hospitio civitas, sed sub tentoriis vivant in campo; neque edulia, illuc e vicinis pagis et oppidis magna cum cura asportata, quidquam sint inter tantos; neque sufficienter pateant ipsius ecclesiæ portæ conglomeratim et stipatim ingredientibus sacrum delubrum, brachiis in altum erectis, ne a comprimentibus offendantur.

ad nostra usque tempora continuato.

204 Adeo enim inter se stringuntur, certantibus omnibus intrare, ut quotannis aliqui sint, qui inter comprimentes expirent; alii in aera ferantur, nec pedibus terram pertingant, donec iterum in apertum campum regrediantur. Juvat hanc pressuram, quod multi secundo et tertio hanc Indulgentiam velint lucrari, tam pro se, quam pro amicis et parentibus absentibus, et pro iis etiam, qui ex hac vita abierunt, quorum animabus a pœnis liberandis hac ratione consultum iri, crebra miracula et mysteriosæ visiones certius comprobarunt. Adsunt semper prætorii civitatum Assisii et Perusii lictores, qui in Ordinem cogant, et insolentias vel turbas in tanta multitudine præmeditentur et compescant. Sub vesperarum hora omnes Francisci sectatores, tam Observantes, quam Capucini, quam Tertiarii, et siqui alii, congregantur in æde superiori Patrum Conventualium, cum quibus reverenter adorant sancti Patriarchæ corpus; et inde omnes descendunt religioso de more processionaliter, universo hominum cœtu per campos et compita gravissimum et devotissimum conspiciente spectaculum, ad ædem Portiunculæ, Indulgentiæ locum: Fratrum autem numerus frequenter excedit mille sexcentos. Primis his accedentibus aperiuntur portæ; deinde subsequitur populus universus. *Quod hic dicitur de multis volentibus Indulgentiam eadem die secundo et tertio per ingressum sacræ ædis lucrari, ad eam quæstionem pertinet, an illa unica die possit acquiri toties, quoties quis eo animo eamdem ecclesiam ingreditur; a qua quæstione, utpote ab argumento meo aliena abstinendum censui, ut supra indicavi.*

Indulgentia quotidiana ab Innocentio XII

205 *Ea porro semper fuit ejusdem sacræ ædis apud fideles veneratio, tam frequens ad eam peregrinorum etiam extra Kalendas Augusti accessus, ut illorum pietatis fovendæ gratia Innocentius XII præter annuam illam Indulgentiam, etiam quotidianam eidem loco affixerit per litteras, quas ex Grouweli paginis* 154 *et duabus sequentibus lectori exhibeo.* Innocentius Papa XII. Ad perpetuam rei memoriam. Redemptoris et Domini nostri Jesu Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostræ commisit Deus, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium principum, præclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, ac Religiosorum virorum, propriæ alienæque saluti laudabiliter incumbentium, vota postulant, et nos ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino, arbitramur.

ecclesiæ, quæ Portiunculanam completitur, concessa:

206 Itaque spirituali Christi fidelium, ad ecclesiam, sanctæ Mariæ Angelorum nuncupatæ, domus Fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci, de Observantia nuncupatorum, prope et extra muros civitatis Assisiensis, assidue (ut accepimus) ex universis Christiani orbis partibus devotionis causa confluentium, consolationi atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, nec non dilecti filii Bonaventuræ Poerii, Ministri generalis dicti Ordinis, supplicationibus, etiam totius Ordinis prædicti nomine, super hoc humiliter porrectis, quibus piæ atque enixæ plurium Orthodoxorum principum preces in id ipsum tendentes, accessere; favorabilem assensum præbere cupientes, ac de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, authoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus ad ecclesiam supradictam, sicut præmittitur, confluentibus, qui illam vere pœnitentes et confessi, ac sacra communione refecti, in quocumque anni die devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. *Sequuntur solitæ litterarum Pontificiarum clausulæ, subditurque:* Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XVIII Augusti MDCXCV. Pontificatus nostri anno quinto. Signatum erat: J. F. Card. Albanus.

quæ Indulgentia annotationem.

207 *Post aliquæ Grouwelus sequentem subjecit* Observandum (ut nobis ex loco Portiunculæ scriptum est die XII Augusti MDCCXXIV) quod ad lucrandam Indulgentiam pro die 2 Augusti, incipiendo a primis vesperis primæ diei ad sequentes vesperas, visitandum sit ipsum sacrum sacellum, vulgo DE PORTIUNCULA: nam S. Franciscus pro eodem illam obtinuit, quod tempore concessionis solum appellabatur tum B. MARIÆ ANGELORUM, tum PORTIUNCULÆ; nec grandior tunc erat ecclesia, ut in præsentiarum constructa est. Ad lucrandam vero Indulgentiam plenariam, concessam ab Innocentio XII pro quovis anni die, sufficit visitare ecclesiam illam pergrandem, sacello PORTIUNCULÆ superstructam, quæ hodie communiter appellatur ECCLESIA S. MARIÆ ANGELORUM, cui est ista Indulgentia concessa, ut declaravit Clemens XI anno MDCCVI. *Utramque hanc ecclesiam, ex Grouweli Opusculo, æri incisam exhibui supra.*

diversa est ab annua diei 2 Augusti.

208 *Accipe præterea, quæ pro eadem gemina Indulgentia distinguenda crebro laudati Patres Conventuales Romani in suis Mss. notitiis me docuerunt.* Quæri (*inquiunt*) insuper aliquando solebat, an (*Indulgentia, quam* S. Franciscus *ipse impetravit*) sit quotidiana. Huic sæpius ortæ controversiæ sacra Indulgentiarum Congregatio negantem in partem declinavit; sub die vero VIII Aprilis anni MDCCXXXIX statuit ac jussit, ad valvas ecclesiæ S. Mariæ Angelorum apponendum inscribendumque lapidem his verbis: « Indulgentia, quam vo» cant PORTIUNCULÆ, est præcise affixa diei secundæ » Augusti, et incipit a vesperis præcedentis diei. » Indulgentia vero quotidiana perpetua, concessa » a san. mem. Innocentio Papa XII visitantibus » ecclesiam S. Mariæ Angelorum, est diversa a » præfata Portiunculæ; et ita fuit resolutum a sa» cra Congregatione Indulgentiarum die 16 Fe» bruarii 1739, et resolutio fuit confirmata a summo » Pontifice Clemente XII. » *Hactenus de Indulgentiis annua et quotidiana in sacello Portiunculæ, quæque hoc insigni suo ædificio complectitur, in ecclesia S. Mariæ Angelorum apud Assisium obtinendis egimus.*

Annua Portiunculæ Indulgentia ad totius Ordinis ecclesias

209 *Quia vero ex innumeris fidelibus per terrarum orbem dispersis paucissimi possunt ad eam gratiam consequendam adire Assisium, fuit annua illa lapsu temporum a summis Pontificibus cum aliquot locis communicata, tandemque ad omnes ac singulas Ordinis Fratrum Minorum, etiam Capucinorum Tertiariorumque ecclesias extensa, uti adductis Pontificum litteris probat Grouwelus in Opusculo sæpe nominato. Quo autem cum ardore, quanto cum fructu ea ubique terrarum quotannis frequentetur, quis est, qui nesciat?* In Hispania (*inquit Waddingus ad annum* 1223, *num.* 8) et aliis regnis tanta fide

A fide populos vidi huic Indulgentiæ credid'sse, ut infelicem et Christiano nomine indignum se putet, qui ei lucrandæ non se præparet: et sane habent, quod agant diebus antecedentibus confessarii, dum nullus ferme sit, qui cœlesti et magno hoc remedio non velit suas sordes abstergi, et plures ipse noverim, qui, quantumvis perditæ vitæ, et præcepti Ecclesiastici de confitendo et communicando pro Resurrectionis Paschate neglectores, diem hunc præteriri non vellent, tanto lucro neglecto.

extensa, miro cum fidelium concursu frequentatur.

210 *Verissimum quoque est, quod habet Grouwelus pag.* 179 : Quis in solis provinciis nostræ Germaniæ Inferioris simul computaverit fideles omnes, qui in festo Portiunculæ accedunt singula loca, ubi habemus conventus vel residentias? Prætereo RR. PP. Tertiarios S. P. N. Francisci Religiosos, apud quos præfata Indulgentia acquiri potest. Prætereo RR. PP. Capucinos, qui, sicut eamdem nobiscum profitentur Regulam, ita et eodem gaudent a Gregorio XV concesso sibi privilegio Indulgentiæ Portiunculæ. In isto die festivo omnes omnium Ordinum Religiosorum confessarii occupant suas sedes confessionales. Quis est, qui tot millia hominum admonet? Quis allicit? Quis trahit, nisi Salvator omnium hominum, qui venit salvum facere, quod perierat. *Addo ego, etiam Societatis nostræ*

B *confessarios in Belgio nostro et pridie a vesperis et ipso secundo die Augusti a summo mane usque ad meridiem in suis sedibus confessionalibus ad audiendos pœnitentes ad eamdem gratiam in prædictis ecclesiis consequendam accedentes singulis annis detineri.*

ANALECTORUM

PARS IV.

De statu situque corporis S. Francisci, deque aliis ejusdem Sancti reliquiis.

§ I. Exponitur controversia, et recensentur utriusque litigantium partis præcipui scriptores.

Minores Conventuales, aliique contendunt, S. Francisci corpus,

Gravissimam *hanc controversiam, quæ etiam inter aliquot religiosissimos viros de communis sancti patris sui* Francisci *corpore non parum agitatur, tacite præterissem, nisi me vel invitum mei muneris ratio de hac quoque loqui compulisset. Nemo igitur ægre ferat, si præcipua eorum argumenta exponam, et, quod mearum partium est, eorumdem gravitatem ponderem, relicto judicio eruditis lectoribus, veritatis amantibus, donec (quod optandum*

C *est) facta inquisitione in loco ipso, in quo certe asservatur, corpus detectum, ex utra parte stet veritas, ipso suo aspectu doceat. Controversiæ hæc summa est. Reverendi Patres Minores Conventuales, ad quos* S. Francisci *basilica apud Assisium pertinet, affirmant, dudumque affirmarunt, et cum illis Waddingus, aliique ex Minoribus Observantibus, ejusdem* S. Francisci *corpus singulari perpetuoque miraculo ad hæc usque tempora integrum, incorruptum, quinque sacris stigmatibus recenti sanguine conspicuis insignitum, tenerum ac palpabile, quale statim post obitum mirabiliter apparuit, ad instar vivi hominis, stare sine fulcro in pedes erectum, oculis elevatis in cælum; et hujus tam prodigiosi thesauri fidas latebras statuunt in infima trium ecclesiarum, e quibus, altera alteri imposita, insignem illam supra dictam apud Assisium basilicam in altum eductam aiunt.*

licet de adjunctis omnibus non consentiant.

2 *Neque vero, corpus illud ipso translationis tempore, quo ex urbana S. Georgii ecclesia in eam basilicam anno* 1230 *illatum fuisse constat, humana ope sic positum fuisse, credunt, sed postmodum, divina, quamvis alii id triduo post dictam translationem factum ferant, alii malint ejusdem rei tempus ignorare, vel ex conjectura serius assignare. Malo hæc alienis verbis, quam meis, referre. R. P Raymundus Missorius, Ordinis Minorum Conventualium chronista, in Dissertatione Ms., quam anno* 1745 *nobiscum communicatam habeo, art.* 2, § 1 *factum sic exponit* : Fama obtinuit inter Minoritas, ne quidem inter omnes, sed inter eos dumtaxat, qui sacrum Assisiensem (*S. Francisci*) conventum id temporis incolebant, beatissimi Patris cadaver postquam sepulturæ (*in sua scilicet prope Assisium basilica*) traditum fuit, exemplo Christi Domini post triduum a sepulchro surrexisse; quæ tam mira et insperata resurrectio quo pacto contigerit, sic fama tradit, quam Binus proponit. AUCTORE C. S.

integrum, incorruptum ac in pedes erectum stare;

3 Anno Domini MCCXXX ad diem XXVII mensis Maii ad sancti Patris urnam tres ejusdem socii nocturnas excubias custodiebant, nimirum in inferiori ecclesia juxta majorem aram; cum unus ex eis, orationi studiosius incumbens, horrendum terræ motum subito persensit, quo tota atque ingens templi moles diruenda esse videbatur. Aram ipsam majorem loco suo moveri et in aera tolli, animadvertit; pavimenti etiam lapides undique concuti atque disperdi, indeque lucidissimos radios emitti, odoremque suavissimum, quo et universum templum perfusum, et fratris excubantis spiritus mirum in modum sunt recreati. Sed tamen perterrefactus socios orando defessos, somnoque correptos, expergefecit, eisque rem omnem a principio aperuit. Deinde communi consilio ad infimam illam ædiculam, quæ subest aræ E majori, in qua sancti Patris sepulchrum situm fuerat, descendunt. Proh mirum! Viderunt revolutum lapidem, et linteamina posita, corpus et sancti Patris sui Ordinis tunica amictum ex arca egressum stare in pedes, facie pellucida, apertis oculis et in cælum erectis, stigmatibus sanguine rubentibus. Uno verbo, quæcumque a corpore exanimi resurrectio expectari potest, hanc pretioso B. Francisci corpori contigisse, compertum est. *Hactenus Missorius ex fama, ut dictum est, seu traditione inquilinorum sacri conventus, cui non omnes prodigiosæ incorruptionis situsque ejusdem corporis patroni consentiunt, ut suo loco videbimus.*

utrumque negantibus aliquot ex Minoribus Observantibus,

4 *Contra vero aliqui ex reverendis Patribus Minoribus, quos Observantes et Recollectos appellant, contendunt,* S. Francisci *corpus, quod post obitum suum miro candore ac teneritudine carnis et quinque stigmatibus, quo modo superius exposui, vere mirabiliter decoratum visum fuit, deinde in ossa et cineres resolutum jacere in secunda et infima (tertiam enim commentitiam credunt) dictæ basilicæ ecclesia, in loco vel ignoto, vel potius in tumba marmorea, quæ majoris altaris mensam constituit; cor autem ejus et intestina latere in ecclesia S. Mariæ Angelorum in Portiuncula, quæ Minorum Observantium est. Affirmant enim, hæc ex illius corpore, priusquam hoc ad ecclesiam S. Georgii deferretur* F *humandum, exempta fuisse, ut ejusdem Sancti voluntati de corde suo in perdilecta sibi illa S. Mariæ Angelorum ecclesia servando fieret satis. Ab horum opinione stetit R. P. Wilhelmus Smits, vir plane eruditus, Ordinis FF. Minorum Recollectorum sacræ Theologiæ professor jubilatus, sacræque Scripturæ nova versione Belgica atque editis in eam lucubrationibus clarus.*

ac nominatim tribus,

5 *Is, inquam, dum anno* 1744 *sacram Scripturam suis interpretabatur, in Thesibus historico-criticis chronologiæ Scripturæ et litteraturæ sacræ in publica disputatione hic Antverpiæ propositis, ad calcem in Mantissa chronologica vitæ* S. Francisci *apposuit sequentia :* Corpus Seraphici Patris nostri, in ossa et cineres resolutum, jacet et requiescit in altari majori inferioris ecclesiæ ex illis duabus solis, quibus constat insignis basilica, eidem Sancto Assisii, saltem partim dedicata : ipsius autem cor et interiora existunt in sacro conventu Portiunculæ. Ergo corpus Seraphici non est incorruptum, molle et tractabile, tamquam si esset vivum; nec stans erectum in pedes proprios sine ullo fulcro, cum oculis ad cælum elevatis, ut sine, imo contra antiquitatem, dicunt recentiores. *Verum hanc illius conclusionem Patribus in capitulo provinciali eodem anno congregatis plurimum displicuisse, et improbatam*

AUCTORE C. S.

batam fuisse, aliunde didici; quod addo, ne quis existimet, omnes, aut passim omnes, ejusdem provinciæ Patres Recollectos in eadem cum illo fuisse sententia.

quos hic

6 *A negantium partibus etiam steterat, primusque, quem novi, eas scripto tutatus fuerat reverendissimus dominus Octavius a S. Francisco, alias* Spader *cognominatus, ex Ordine Minorum Observantium primo Arbensis, deinde Assisiensis episcopus, anno hujus sæculi decimo quinto defunctus. Hujus libellus, sub* Petri Ursini *nomine scriptus, nec ad manus meas pervenit, nec typis excusus umquam fuit, vetante sacra Inquisitione Romana, cujus litterarum, hac super re ad præfatum episcopum die* 28 *Novembris anno* 1705 *datarum, exemplar habeo. Fuit etiam, qui credidit, meque monuit, exstare aliquod ejusdem sacræ ac universalis Inquisitionis decretum, generaliter prohibens, ne quis præsens de incorrupto corruptove* S. Francisci *corpore ejusdemque situ argumentum tractet : cui decreto, si exstaret, cum me omnino parere æquum esset, sine mora scripsi Romam ad amicum, ut diligenter inquireret; at cum ille ex illustrissimo Domino Antonelli, ejusdem sancti Officii Assessore, responsum acceperit, nullam ejusmodi exstare prohibitionem, præter illam, quam dixi, peculiarem Octavio Assi-*
B *siensi episcopo factam, illam mihi religionem exemit.*

recensemus.

7 *Post laudatum Octavium antistitem affirmantium sententiam impugnare aggressus est R. P. Gabriel a Rotomago, Ordinis Minorum Observantium, in conventu S. Mariæ de Portiuncula apud Assisium sacræ Theologiæ mysticæ lector, et Pœnitentiarius Pontificius, in libello, qui inscribitur :* Assertio historica de vero et hodierno loco, statu et situ corporis S. Francisci de Assisio. *Est hæc Dissertatio Latino sermone conscripta, quam, licet ea ex mox dictis a sancto Officio numquam prohibita fuisse censenda sit, numquam tamen etiam typis editam fuisse, audivi. Ejusdem apographum auctor ipse anno* 1721 *ad Majores meos transmisit. Complectitur hoc nostrum apographum paginas formæ (ut vocant) in Octavo, fere octoginta et octo, in quarum prima argumentum scriptionis eodem modo iisdemque prope verbis exponitur, quibus apud R. P. Smits, num.* 3 *recitatis, ut simillimum nostri apographum huic præluxisse plane videatur. Quamquam vero Gabrielis acrem in scribendo stilum minime possim probare, nemo tamen mihi vitio jure verterit, quod allegatas ab eo rationes producam, ponderemque, et studioso lectori expendendas proponam.*

Pro affirmante sententia scripserunt R. P. Missorius, cujus Dissertationis Ms.

8 *Porro prædicto Octavii Assisiatis præsulis Opusculo Dissertationem Ms. opposuit R. P. Raymundus Missorius, num.* 2 *memoratus, in cujus Præfatione præcipuum illorum controversiæ caput explicatur his verbis :* Petri namque Ursini personam sub ineuntis seculi XVIII initium sibi sum-
C pserat Vir reverendissimus, Fr. Octavius a S. Francisco, Assisinatum episcopus, tum, cum sacri ejusce corporis incolumitatem (qua mente, quove animo, Deus scit) novo et inaudito conatu est inficiatus. Ejus proinde lucubratio, statim ac exiit in vulgus, gravissimo Romanæ Inquisitionis judicio suppressa fuit. Quod si, Petro Ursino judice, S. Francisci corpus jam inde a priore tumulatione, quæ apud S. Georgii facta fuerit, in cinerem est redactum, continuo et id fit, quod est ratione consequens, non modo omnino supervacaneum, sed et ridiculum pene esse, illius stationem velle vendicare, de quo dudum lis mota est, an sit incorruptum. Hinc operæ pretium arbitror me facturum, si, antequam de sacri cadaveris positione quicquam statuo, quod probabilius statui quat, pervulgatam perpetuamque de ejusdem incorruptione opinionem confirmem.

capita hic dantur;

9 Quoniam vero causa hæc omnis de incorruptione, quam agimus, in una S. Bonaventuræ Legenda, quo se Ursinus recepit, sita est, non immerito in Seraphici doctoris dictis expendendis primo immorabimur, talia quædam post addituri, quæ eodem collineent, expensamque S. Bonaventuræ sententiam non obscure confirment. D Integram porro quæstionem duobus dumtaxat articulis complectemur. *Nunc etiam horum articulorum titulos accipe, ut totius Dissertationis argumentum noveris.*

Articulus 1, § 1. S. P. Francisci corpus ex S. Bonaventura incorruptum ostenditur. § 2. Nonnulla adhuc afferuntur momenta ad hoc ipsum confirmandum.

Articulus 2 de mirabili positione corporis B. Francisci. § 1. Corpus S. Francisci assurgere perhibetur : traditio isthæc proponitur et explicatur. § 2. S. Bonaventura Seraphici corporis stationem non obscure indigitat. § 3. Pannus ex serico contextus, quo S. Francisci corpus obtegebatur, stationis formam confirmat. § 4. Nonnulli Romani Pontifices Seraphici Patris corpus invisunt : quid in hisce visitationibus compertum, quidve fabulosum, ostenditur.

et R. P. Rugilus variis argumentis usus,

10 *Multo ampliorem de eodem argumento Dissertationem Ms. pro parte affirmante anno* 1766 *Roma accepimus ab admodum reverendo patre Josepho Rugilo, secretario et Assistente Generalis Ordinis Minorum Conventualium, ac Provinciali Angliæ, qui hanc cum multis aliis monumentis, quorum infra creba fiet mentio, nomine RR. PP. Minorum Conventualium benignissime ad nos transmisit. Dis-* E *sertatio hæc, quæ est in folio minori, implet paginas* 191, *in quarum quarta modus in eadem servatus his verbis exponitur :* Primum argumentum desumimus ex traditione constantissima, tum Ordinis nostri universi, tum maxime incolarum sacri conventus Assisiensis. Secundum ex relationibus, in facti substantia consentientibus, multorum testium oculatorum, natione, conditione, ætate, distantium, iisque haustis; aut in lucem proditis, vel ab authoribus synchronis, vel e fontibus minime gentium suspectis. Tertium ex consensu scriptorum quam plurimorum gravissimorum, passim etiam externorum, nonnumquam tandem Romanorum Pontificum. Quartum ex sententiis, revelationibus, miraculis sanctorum virorum. Quintum ex collectione adminiculorum atque conjecturarum. Sextum demum ex facillima solutione objectorum.

laudatisque multis scriptoribus,

11 *Subjicio catalogum scriptorum, qui veluti prodigiosæ corporis incorruptionis situsque asserores in eadem Dissertatione, ordine, ut ibidem dicitur, ætatis digesti enumerantur hoc modo.*

Pelbartus Minorita, in Pomerio, edito Lugduni anno MDIX.

Marianus Florentinus in Mss. citatis.

Jacobus Oddi Observans citatus.

Nicolaus de Nisse Observans, Serm. de S. Francisco, edito Parisiis anno MDX. F

Horatius Diola in Chron. Franc. cit.

Marcus Ulyssiponensis, episcopus Portuensis, ex Ordine FF. Minorum de Observantia, in Chronicis editis anno MDLV, part. I, lib. II in fine.

Pompejus Pellini, in Historiis Augustæ Perusiæ anno MDLXXII.

Joannes Basilius Santoro in sua Hagiographia, in Vita S. Francisci, edita anno MDLXXX.

Baretius Baretii in Chronicis Franciscanis, editis anno MDLXXXII.

Petrus Rodulphius ex Ord. Minorum Conventualium episcopus Senogalliensis, in Historiis Seraphicis, editis anno MDLXXXVI, et Xisto V Pontifici dicatis.

Henricus Sedulius, Ordinis Minorum Observantium, in Commentario in Vitam S. Francisci, edito anno MDXCIII, et in Apologia adversus Alcoranum Franciscanorum.

Thomas Bozius in Signis Ecclesiæ, editis anno MDXCIII.

a quibus eamdem

12 Alphonsus Ciacconius in Vita Cardinalis Astorgii Agnesii, edita anno MDXCIII.

Joannes Baptista Moles, Hispanus, lib. de Prophetiis S. Francisci, edito anno MDC, pag. 240.

Antonius Possevinus, Societatis Jesu, in Apparatu sacro, edito anno MDCVIII.

Petrus

A Petrus Barona, Hispanus, in Hospitio Franciscano, edito anno MDCIX.

Petrus Nunez de Castro in Sanctorali Seraphico, edito anno MDCXVIII.

Angelus Manriquez, Cisterciensis, Serm. de Stigmatibus S. Francisci, edito anno MDCXX, pag. 647.

Franciscus de Soto, Societatis Jesu, Serm. de Stigmatibus S. Francisci, edito anno MDCXXV.

Jacobus Marcantius, presbyter Parisiensis, lib. de diversis Lectionibus, edito anno MDCXXX, lect. 1 de Francisco in Appendice fol. 303.

Cornelius a Lapide, Societatis Jesu, in cap. 44 Ecclesiast., num. 14.

Adrianus Moerbecius, canonicus Præmonstratensis, in Scala purpurea tom. I, fol. 64 et sequenti.

Lucas Waddingus, Ordinis Minorum de Observantia, in Annalibus Ordinis ad annum MCCXXX, num. 4.

constanter traditam esse, 13 Petrus de Alva et Astorga, Ordinis Minorum Observantium.

Arturus a Monasterio, Ordinis Minorum Observantium, in Martyrologio Franciscano.

Salvator Vitali, Ordinis Minorum Observantium, in Historia Seraphica.

Didacus Leguille, Ordinis Minorum Observantium.

B Petrus Antonius de Venetiis, Ordinis Minorum Reformatorum, in Opere Italico : Giardino Seraphico, edito Venetiis anno MDCCXII, tom. I, p. 293.

Ludovicus Jacobilli de Fulgineo, de Sanctis Umbriæ.

Zamora in Monar. fol. 137.

Paravis Orat. de Francisco fol. 193.

Ferrandi, Societatis Jesu, de Sacris Reliquiis.

Pompeius Bini, Assisiensis.

Franciscus Maria Angeli, Minor Conventualis.

Dalmatius Kink, Ordinis Minorum Reformatorum.

affirmat. 14 Tandem omnium authoritate et eruditione maximus, summus Pontifex Benedictus XIV, qui lib. de Beatif., part. I, cap. 31, pag. 289 hæc scribit : « Sancti Francisci de Assisio corpus diu post » obitum inventum est stans illæsum, oculis aper- » tis, et vulneribus recenti sanguine manantibus. » Alios editos ineditosque scriptores partim non exploravimus, partim consulto relinquimus. Tantum interea abest, ut incorruptio admirandusque situs corporis sancti Parentis nostri hactenus eruditis persuaderi non possit. *Ita laudatus Rugilus : mihi nec tempus, nec facultas est, imo nec operæ pretium videtur omnes istos scriptores consulere. Duo solum hic observo : alterum est, illorum omnium primum,*

C *Pelbartum non esse sæculo* XVI *antiquiorem; alterum est, Jacobillum, qui inter eosdem recensetur, in Vita* S. Francisci *in Opere de Sanctis Umbriæ dicere quidem, sacrum illius* corpus integrum *ad ecclesiam sub ejusdem invocatione erectam dedicatamque fuisse translatum, et in eadem sepultum; at de incorruptione illius et erecti in pedes situ non meminisse. De Benedicti XIV mente agemus alibi, uti et de aliis scriptoribus allegatis, ubi opus fuerit.*

§ II. Qui incorruptionem sacri corporis, et prodigiosum illius situm propugnant, primo laudant traditionem, velut omni ex parte probatissimam.

Cum S. Francisci corpus ostendi posse, negent, *Cum ex supra dictis litigantium partes consentiant,* S. Francisci *corpus integrum (si cor et intestina exceperis, uti earumdem pars altera contendit) in sui nominis basilica, quæ Minorum Conventualium est apud Assisium, jam ab anno* 1230 *asservari, in eoque fere solo cardine controversia versetur, an corpus illud ibidem in ossa et cineres resolutum jaceat, an contra incorruptum, integrum, vivoque simile, quale diximus, mirabiliter perstet suis sine fulcro innixum pedibus, nulla prorsus apparet aptior certiorque ratio ad eam litem penitus dirimendam, quam si illud detectum oculis conspiciendum detur. Verum, cum id fieri posse, negent Patres Conventuales ob rationes, quas infra referemus, procedendum est ad argumenta ex veterum, et, si qua etiam sint, recentiorum oculatorum testium, in utramque partem prolatis assertis formata. Ab affirmantibus ordiamur.* AUCTORE C. S.

RR. PP. Conventuales primo loco laudant traditionem, 16 *Rugilus in Dissertatione superius laudata primo omnium loco proponit* argumentum traditionis, *velut ceterorum caput. Tum multa de auctoritate traditionum, etiam humanarum, fideque humana et historica illis merito adhibenda præfatus, sic loquitur :* Cum igitur exploratissimum orbi universo jam sit assertum, incorruptionis atque admirandi situs Franciscani corporis prodigium publicam esse, firmissimam ac vetustissimam Ordinis nostri, ac præsertim incolarum sacri conventus Assisiensis, traditionem, a Majoribus acceptam, et a temporibus, experimentis proximioribus, verbis, scriptis, factis, ac etiam imaginibus frequentissime asseverantissimeque usque in hunc diem testatam; absolutissime infertur, etiam nullis adjectis monumentorum et argumentorum subsidiis, ex hoc maxime capite uno, omni humano jure, et sanctioribus Ecclesiæ legibus, ab omni mortalium genere plenissimam atque gravissimam illi deberi humanam fidem, atque penitus inevitabili lege, ut, quemadmodum credentibus atque affirmantibus una hæc causa credendi atque affirmandi jam satis est, E imo et est invictissima, ita ex adverso negantibus urgentissimæ causæ omnino exigantur, quibus impelli vel potius cogi, demonstrent, ad publica humanitatis et Ecclesiæ jura dissolvenda. Quas causas nisi dederint, aut datas sufficientes non esse, constiterit, quid demum inde inferatur, ex dictis probus lector intelliget.

cui fidem omnino adhibendam esse contendunt, 17 Ut vero graviter, qua par est, res agatur, non abnuimus, omnem prorsus traditionem indiscriminatim non esse amplectendam. Porro vel ex natura rei, vel ex aliis aliunde notis ac certis, vel ex circumstantiis, præsertim loci, temporis ac personarum, vim omnem obtinet, vel infirmat, vel etiam penitus amittit, publicum hoc atque vulgare traditionis argumentum. *Sistamus hic paululum. Ego divinas traditiones eodem, ut omnino par est, quo verbum Dei scriptum, loco habeo, amplector et veneror, quia pro hisce habeo falli ac fallere nesciam magistram Catholicam Ecclesiam Romanam; humanas vero traditiones pro veritatis amore sic pondero, ut, si eas vel infirmas vel certioribus argumentis enervatas comperiam, in dubio relinquam aut rejiciam; nihil veritus, ne propterea de publicis humanitatis et Ecclesiæ juribus dissolutis reus agar : nulla enim me lege Ecclesiastica, humana aut historica constrictum novi ad hujusmodi traditiones eo*

F *solo titulo, quod antiquissimarum nomine veniant, amplectendas. Gaudet Ecclesia, gaudet et humanitas, vera a falsis discerni, eoque tot viri eruditi in orbe Catholico studia et consilia sua dudum contulerunt ac modo conferunt, applaudente utraque. Verum hæc non sic a me dicta accipiat æquus lector, quasi nullam apud me vim habeat traditionis argumentum; imo habet magnam, si firma sit, talisque, qualem suam de* S. Francisci *corpore esse, contendunt Patres Conventuales. Hos igitur audiamus. Sic illi prosequuntur.*

quia illa nihil continet absurdi aut absoni, 18 Modo naturam rei quod spectat, manifestissimum est, quod repugnans et absurda non sit; imo nec nullius exempli, ut superius annotavimus. *Annotaverant ibi quædam exempla sanctorum corporum, mira incorruptione, aliisque miraculis conspicuorum.* Imo iterum (*ita hic pergunt*) etsi nullius exempli foret, non ideo minoris esset aut possibilitatis aut credibilitatis. Res enim Omnipotentis est, cujus opera (ut vere non minus, quam pie, S. Teresia effari solebat) eo sunt credibiliora, quo intellectu difficiliora. Igitur natura rei argumenti vim non infirmat; sed potius roborat. *Fateor,* S. Francisci *corporis incorruptio non caret exemplo : prodigiosus autem ejusdem situs, qualis perhibetur, etsi sine exemplo prorsus singularis sit, nihil habet absurdi, nihil, quod repugnet; nequivisse autem*

AUCTORE C. S.

tem Deum illud in eo situ servare, nullus, nisi impius, cogitet. Teresianæ sententiæ non refragabor, modo factum ipsum, de quo agitur, tam firmis rationibus fulciatur, ut assensus ei nequeat prudenter negari: nam alioquin, quo insolentiora ex humana fide narrantur, tanto, ne ambigam, certiora testimonia requiro.

nec difficultatibus obnoxio est; sed antiquissima,

19 *Pergo Dissertationis verba describere.* Ex aliunde notis ac certis late probabimus infra, traditionem eamdem confirmari, nihilque reapse ex adverso proferri, nisi obscurissimas ac voluntarias cogitationum perplexitates, et pueriles lusus, et captiosas obnubilationes verborum, ut infra patebit. Remanent circumstantiæ. At circumstantiæ potissimum sunt, quæ traditionem hanc exceptissimam faciunt, et magnifice argumenti robur instaurant. Temporis circumstantia eminentissima est. Quartum, quod minus, jam volvitur sæculum, ex quo notræ traditionis historia est consignata jam litteris, ac pervagavit orbem. Quis modo crediderit, in tanta temporum diuturnitate rerumque vicissitudinibus numquam mendacium fuisse deprehensum, maxime vero tunc, cum et obvii essent aditus ad Francisci sepulchrum, et nullæ intentantes pœnæ (de quibus infra) essent latæ? An ad hominum oscitantiam et incuriam confugimus?

B Sed nulla esse potuit. Ipsa rei novitas et magnitudo in ingenitam humanæ superbiæ curiositatem experiendi stimulos ingessisse debuit immanes; tunc maximopere, cum primum fama commovit hominum mentes.

talisque, ut, nisi vera esset, dudum debuisset

20 Nec enim traditio isthæc est aliis comparanda; cum singularis omnino sit unigenitæque naturæ. In cæteris traditionibus rerum prætereuntium, si qui temporibus rerum gestarum adfuerint, ac vel malitia vel errore decipiant, aut decipiantur, facillimum est, in omni posteritate indeprehensum consistere mendacium, cum res præterierit, et iterum aliorum judicium et experimentum subire non possit. At traditio stantis et incorrupti Franciscani corporis ita fuit narrantibus ac Majoribus præterita, ut fuerit etiam audientibus et posteris præsens; sicque temporis ratio numquam mendacio favere potuit; nam manifeste feliciterque inserviebat veritati, atque, sin minus vulgo commodum fuit verum explorandi, numquid idem dici poterit de supremis Ordinis ministris, qui præsertim muneris debito passim cœnobium illud invisere, latebras illius scrutari, ac probe vel improbe gesta explorare, ac probare vel improbare debuerunt?

falsitatis fuisse convicta,

21 Numquid idem autumare licebit de sæculi principibus, qui rei summam gerebant, et Assisium

C subjugarunt, aut a servitutis jugo liberarunt? Numquid idem de amplissimis S. R. E. Cardinalibus, qui in hodiernum diem religionis ergo basilicam illam frequentant? Numquid demum idem de Pontificibus Maximis, utraque summa potestate potitis; flagrantissimæ præterea semper pietatis erga sanctum nostrum Parentem, et munificentissimæ tandem liberalitatis in sacrum cœnobium illud et ecclesiam, quam suis primum cura et partim sumptibus erexerunt, sub eorum perpetua peculiari tutela ac jurisdictione voluerunt, favoribus, prærogativis, privilegiis innumeris honestarunt, ac novissime ad Patriarchalis Basilicæ ac Cappellæ Papalis honorem evexerunt?

etiam a summis Pontificibus; eam commendant

22 Circumstantia loci auget temporis vires. Sacra illa basilica est in Romæ foribus, ac veluti in medio orbis terrarum theatro, et in Ecclesiæ gremio, et in Romanorum Pontificum sinu. Hinc Romani Pontifices ipsi, superioribus præcipue temporibus, nedum Assisium frequentarunt, sed diebus, hebdomadis, mensibus permultis cœnobium illud ipsum incoluerunt, suntque ibi propterea in hunc diem cubicula, Pontificum nomine et incolatu insignita. Quis modo præsumpserit, in tanta prodigii summi propinquitate, cum tanta rerum omnium, spiritualium præsertim, potestate, neminem ipsorum umquam voluisse experiri oculis, aut saltem per alios familiarium fidelissimos testes, D quæ celeberrima fama tam mira, tam nova, tam incredibilia portenta vulgaverat? Iterum locus infert aliud argumento subsidium. Traditio inde est, ibique semper floruit vividius, perseveravitque tenacius, ubi est ipsa res tradita. Est igitur in naturali sua sede, et ex loci maxime circumstantia naturalem sibi vindicat authoritatem et fidem.

adjuncta loci, ubi nata est, vigetque.

23 Etenim ubique terrarum primas fidei rerum indigenæ usurpant præsumptione illa justissima, quod res inde primum petenda sit, ubi fuit, aut esse debuit, et ab illis primum quæratur, qui legitimi ac naturales sunt veritatis hæredes, et quorum Majores soli rem explorare potuerunt, si voluerunt; et jam voluisse et explorasse credendi sunt, cum illam posteritati concrediderunt, eamdemque Majorum nomine posteri affirmant. Cæteris vero mortalium non ejusdem loci atque generis ferme nulla superest fides et authoritas, tunc vero maxime, cum indigenarum effatis contradixerint; cum neque ipsi, neque patres eorum poterant aut vera cognoscere, aut falsa deprehendere, etiamsi voluissent. Nunc loci temporisque circumstantias cum circumstantia omnium gravissima personarum complicemus.

Eamdem etiam confirmant ex conjectura, summos Pontifices

24 Duo personarum genera occurrunt; alterum quodammodo auditoribus ac spectatoribus, alterum actoribus ac narratoribus simile. Inter primi generis personas mox Romanos adnumeravimus Pontifices, quos, incredibile dictu diximus, tam multos tempore, tam proximos loco, tam potestate E summos, tam flagrantes pietate, tanti prodigii famam excepisse auribus; potuisse item illud coram experiri oculis, aut saltem fidelissimis experiendum mandare; ac perpetuo omnes noluisse. Conjectura ergo primum validissima evincimus, ipsorum aliquos hujusmodi aliquid omnino explorare debuisse. Secundo vero testibus ac monumentis infra, re facta, præstamus, tum ipsorum, tum aliorum amplissimorum virorum plurimos et conspexisse oculis et contrectasse manibus perdurantis miraculi divinitatem. At hic dumtaxat contendimus illud primum, ex quo necessario istud secundum consequitur.

oculari inspectione rem ipsam explorasse,

25 Nam si Pontifices revera exploraverunt id, quidquid est rei veritatis, quis adeo delirus atque contumeliosus somniaverit, vidisse illos S. Francisci sepulcrum et sacrum corpus ejus, vel redactum in cineres, vel adeo mortalibus omnibus impervium, conclusum, ignotum, ut ex hoc ipso etiam mendacii ac perversitatis argueretur atque convinceretur incorruptionis atque admirabilis situs male sarta traditio. Qui enim asserit, quod nullus hominum vidit, et videre non potuit, ex hoc mendax est: vidisse, inquam, et comprobasse hæc, F vel alterum istorum; itemque nosse, Deum ac cœlites non delectari, imo irasci commentis hominum; circulatores ac nundinatores turpissimos falsorum miraculorum non esse in Ecclesia Christi ferendos, cum ex Augustino lib. de mendacio, mentiri in doctrina pietatis, magnum scelus sit, ac primum genus mendacii, et cum pietatem atque religionem mendacia non ædificent, sed evertant, et impietati faces et arma ministrent: præterea percussisse Pontifices ipsos anathematis fulmine vilissimos quoslibet corruptores atque impostores miraculorum, et nihilominus interea sivisse, majores nostros omnes, atque nos etiam usque in hunc diem, nedum licenter et importune, sed et merenter atque feliciter, verbis, scriptis, typis, imaginibus, etiam summis Pontificibus inscriptis (ut Providoni pictor Assiensis fecit venerabili Innocentio XI) tam insolens jactare atque evulgare mendacium?

nec tamen affirmantem sententiam prohibuisse, sed asseruisse.

26 Imo sivisse, parum est; parum etiam, fovisse. Illud profecto mirum, id ipsum illos ex Petri Cathedra publice Ecclesiam in suis constitutionibus editis alloquentes, affirmasse, docuisse ac fuisse professos. Quæ cum omnia absurdissima sint, mox ut traditio mendax fuerit, atque mendacii ex dictis omnino convincenda, atque propterea ex opposita præsumptione

A præsumptione convicta, jam omni jure ex hac personarum circumstantia affirmantis traditionis authoritatem ac veritatem comprobavimus. Cur vero Pontifices prodigium experti non evulgaverint, et apponi non jusserint in publicis Ecclesiæ hymnis; aut cur latebris illud concluserint impenetrabilibus, suo loco sermo redibit : quemadmodum veniet satisfaciendum quærentibus ac subdubitantibus, num id extiterit, quod et pervadere Pontifices possent, et experiri oculis, et verum a falso discernere : nihil enim inexpugnatum, quod novimus, relinquemus. Et hæc quidem ex personis quasi auditoribus.

Eamdem traditionem, aiunt, assertam a scriptoribus universi Ordinis S. Francisci.

27 Nunc alterum accedit personarum genus, quod actoribus comparavimus. Actores porro atque assertores traditionis istius jam probe asserere possumus omnes universi Franciscani Ordinis professores, nullis etiam Reformationum membris exceptis (quarum omnes quo experimentis proximiores, eo traditioni faventiores ex scriptoribus ipsis infra monstrabimus) unde optime statui possit, antiquitatem Franciscanorum omnem pro traditione pugnare; atque inferri proinde oporteat, vel illud Stephani Pontificis celeberrimum : « Nihil innovetur præter id, quod traditum vel illud Vincentii Lirinensis vulgatissimum : « est;

B « Depositum id est, quon tibi creditum est, non » quod a te inventum : quod accepisti, non quod » excogitasti : non privatæ usurpationis, sed tra- » ditionis publicæ : rem ad te perductam, non a te » prolatam : in qua non auctor esse debes, sed » custos : non institutor, sed sectator; non ducens, » sed sequens.... Hoc apud omnes hæreses legiti- » mum fuit atque solemne, ut novitatibus gau- » deant, antiquitatis scita fastidiant. Contra vero » Catholicorum hoc proprium, deposita Patrum » et commissa servare, damnareque novitates. Ita » enim in concilio Ephesino omnium Patrum una » fuit vox, ut, quod erat antiquitus traditum, tene- » retur; quod adinventum nuper, explodereturque. »

ex quibus Conventuales Assisienses cum juramento testantur,

28 Sed circumstantiæ istius magnitudinem et immensitatem ad opportunitatem argumenti in breviora contraximus. Liberum et obvium deinde erit cuilibet a minoribus ad majora conscendere, novisque semper viribus argumentum istud communire. Igitur proferantur in medium soli Assisiensis conventus incolæ religiosi viri, qui (quoniam cœnobium illud rei veritate ac summorum Pontificum diplomatibus Ordinis universi caput est et mater; et quoniam insuper Dei providentia custos est sepulcri sanctissimi trium Ordinum institutoris Francisci) Ordinis ac generalium Ministrorum pietate, consuetudine ac diligentia ab

C initio usque in hunc diem fuere semper tum multi numeri, tum singularis religionis ac spectatissimæ vitæ, ut hodiedum (absit verbo jactantia) videre licet. Hi ergo velut in medio mundi theatro constituantur, interrogentur, enarrent rei veritatem.

acceptam a majoribus usque ad oculatos testes;

29 Et hi quidem indesinenter orbi universo contestantur, ac etiam jurejurando confirmant, sic omnino accepisse a patribus suis, et quodammodo Apostolicum illud usurpant : « Non enim possumus, » quæ audivimus, non loqui; » (*in Actibus Apostolorum cap.* 4, ℣ 20 *est :* « Non enim possumus, » quæ vidimus et audivimus, non loqui ») adjiciuntque, patres ipsos eorum eadem conscientiæ securitate affirmasse, sic iterum audiisse a patribus suis; quos etiam intrepide asserentes referebant, id ipsum ab aliis suis excepisse Majoribus usque ad testes oculatos, quorum novissimi (qui noti sint) Piscullius et Tinaccius (*cujus testimonium infra dabitur*) et illius temporis custos, non longissime distant; vix enim trigesimum lustrum experimentum illud præcessit; minus vero etiam ipsorum mors. Hinc neque illud incommodum, sæpe traditionum firmitati molestum, occurrit; quod nempe certum principium sibi constituere non possit, ut adeo in antecessum per multas retro ætates excurrat, ut suamet vetustate laboret. Hæc tum certa, tum publica sunt.

30 Aut ergo viventes istos traditionis assertores cum suis prædecessoribus ingenuitatis, ut decet, honore donabimus; et jam confecta erit res : ipsi enim Aristarchi critices inclementioris proborum hominum, qui vulgus præcipue popellusque non sint, testimonia amplectuntur; cumque absurda et incohærentia non habeant, et aliis notioribus non adversentur, nil importunius exigunt ad graviorem historiam et exquisitissimam quamlibet humanam fidem : alias humanæ historiæ omnes interibunt. Aut ex adverso mendaces illos facimus omnes, et omni tempore, et nulla de causa; et hoc tantum esse piaculum, credimus, ut nedum humanitatis sanctissima vincula ac jura confringere, sed potius humanitatem ipsam exuere videamur. Hinc graviter Canus citatus lib, II de hum. hist. cap. 6 : « Irridere scriptores » (*idem est de assertionibus*) « monachorum præcipue imperitiam insultare, » quasi fabulas ventris gratia ingesserint ac intru- » serint, hæc non puto quidem hominis ingenui » esse, qui ad bonitatem fuerit a natura compo- » situs, nedum ejus, quem Christus simplicem, » sicut columbam, ad legem Euangelii formaverit. » Quod si ex quibusdam fictis historias » (*die etiam traditiones*) « gentium æstimemus, nulla omnino » erit, quam non similiter illudamus. Id si homi- » num imprudentium, atque adeo stultorum est, E » maneat » etc.

AUCTORE C. S.

qua in re fide utique digni sunt.

Eamdem denique a fidis arcani loci antiquis custodibus,

31 Neque illud moveat, quod sæpius infra fatebimur, numquam scilicet obvium fuisse indiscriminatim omnibus, etiam sacri cœnobii incolis, S. Francisci sepulcrum, sed perpetua arcani religione ab Eliæ (vel, ut alii perperam autumant, a Joannis Parentis) temporibus usque ad cuniculorum obstructiones, quæ probabiliter Xisto IV (*alia hic manu in margine annotatum est :* « Hortatu ac » præcepto, non re, seu muris et lapidibus : horum » enim authores ac tempora penitus sunt incom- » perta ») summo Pontifici adscribuntur, paucis tantum ex probatissimis innotuisse ac fuisse pervium. Hoc enim in id ipsum recidit relate ad traditionis firmitatem; neque aliud intercedit discrimen, quam * alii, iique graviores successione continua testes essent, vel esse possent, cum vellent, de experientia, ut dicitur, ac de visu, alii vero perpetuo propter socialis vitæ consuetudinem essent, vel esse possent, cum vellent, testes de auditu videntium probatissimorum; quod unum atque idem est : eo vel maxime, quod ex communissima criticorum omnium sententia unus dumtaxat probatus ocularis testis satis est ad historiæ authoritatem et humanam fidem. Hinc multa Cæsari, Livio, Suetonio, aliisque probatæ fidei scriptoribus vera conceduntur, quorum tamen ipsi soli F sunt vades ac testes.

* *adde* quod

probatissimis viris ac denique ab historiæ

32 Qua de re non immerito arbitramur, posse constitui, quod, si quid umquam traditioni hominum humano jure delatum est, id potiori jure huic nostræ exceptissimæ munitissimæque traditioni sit omnino deferendum; nec illi ab homine in hominum societate denegari posse humanam fidem, nisi per summam inhumanitatem. Quod ut iterum evidentius pateat, illam veluti ad lidium lapidem cum historiæ statutis receptissimisque regulis, ex Cano lib. II de hum. hist. auct. desumptis, comparabimus. Prima igitur historiæ lex, seu scriptæ, seu traditæ (parum enim, aut nihil potius, differunt) est probitas et integritas scribentis sive enarrantis. Hinc probo viro affirmanti fidem non reddere, piaculum est. Hic autem non de unius vel alterius probi viri, quod satis est ad fidem, sed de successione pene innumerabili, actum est proborum testium enarrantium, ac rursum de amplissima serie agendum erit proborum testium scribentium. Igitur secundum hanc regulam traditio hæc dum in aurifica trutina appendatur, pondus excedit enormiter : nulla enim tanta testium ac probitatis moles in quamlibet rerum gestarum fidem astruendam confluxit.

33 Secunda lex : prudentia atque judicium testis in

AUCTORE C. S. *sanæque criticæ præceptis*

in vero atque falso discernendo. Credulitas enim in optimi cujusque mentem facillime irrepit : in fide enim nihil est vitiosi atque perversi; in incredulitate vero, etiam rationabili, non nihil. Hinc boni ac minime fallaces viri, cum diligenter non animadverterint, quibus uterentur authoribus, in multis decepti sunt. Regulam quidem complectimur ac reveremur, ut decet; sed nihil modo cum illa nobiscum. Hic non agitur de historia multiplici et implexa, neque de aliorum scriptis dijudicandis; neque tandem de uno vel altero probo viro, ut lex illa supponit. Nostra hæc una simplex res est, in qua dubius multum et anceps testis esse non possit, nec tam mentis judicio, quam sensuum munere definienda. Quod si prudentia opus esset, quis non in tanta proborum virorum serie unum aliquem, qui cum columbæ simplicitate prudentiam serpentis componeret, extitisse, præsumat? Sed nunc ejus regulæ loco nobis erit hæc alia sufficienda; ut nempe de auditu testes aures ad audiendum habuerint, itemque oculati oculos ad videndum : quæ in re seria atque gravi probanda atque tractanda non veniunt.

plurimum commendant,

34 Tertia lex : Cui testimonio Ecclesia suffragatur, conceditur ; cui vero refragatur Ecclesia, denegatur fides. Nec immerito : audent enim frequenter hæreticarum partium scriptores res hominum gestas ad invidiam confingere, sectæque placitis historiam aptare. Propterea Gelasius Pontifex Eusebii, Arianorum blanditoris, authoritatem rejecit, nuperrimique historici quam plurimi, licet magni nominis, suspectissimæ tamen fidei habendi sunt hac eadem de causa. Quid modo de lege hac pro traditione incorrupti atque stantis Franciscani corporis, nisi otiosum ac inutile prorsus comminiscimur? Nulla hic affirmantibus hæreticæ labis suspicio, imo magna pietatis ac religionis præsumptio. At, inquiunt, isthæc ipsa quandoque abripit, et quæstum facit pietatem, et mendaciis, miraculorum præcipue, Sanctorum historias inspergit. Esto ; si probes aliunde speciatim, quod ex aliquibus generatim metuis; alias, ut diximus, omnem subvertis humanam fidem. Sed non ista nunc agitur res : non de tua singulari suspicione ista lex est, sed de publica Ecclesiæ. Nos autem superius innuimus, et inferius demonstrabimus, non modo nullos habere Pontifices refragatores, suspiciosos nullos, nedum etiam fautores omnes ac muneratores ; sed aliquos etiam traditæ ejusdem rei oculatos testes ; nonnullos tandem publicos traditionis ipsius assertores. Soluti igitur sumus ab hac lege.

B

C

atque omni ex parte admittendam esse,

35 Hic porro Canus fixerat regulis historiæ modum, quibus servatis, stultitiæ semper, impietatis etiam quandoque incredulos redarguit. Nos autem observantiores pro historia hac, tum ore tradita, tum stylo exarata vel typis edita, adjicimus, esse insuper religiosius animadvertendum, si quid in narratione ipsa sit absurdum; si quid in narrantibus non cohærens; si quid oppositum; si quid suspectum; si quid vetustioribus ignotum, aut etiam contrarium ; si quid tandem veri, licet levioris, incommodi traditio ista retineat, tunc porro cum hæc urgeant, et serio contra traditionem hanc faciant, nihil ultra contendimus : Explodatur. Cum autem ex adverso nihil istorum contra nos militare demonstraverimus, jam omnia traditionis jura immota consistent, et vel hoc uno traditionis argumento, objectorumque in eamdem contritione præsumimus comprobatam atque confectam esse rem, saltem lectoribus æquis, credere quidem formidantibus, sed veritatem aut veritatis speciem probabiliorem sincero corde quærentibus.

concludunt.

36 Nam ei, qui, ut inquit Apostolus ad Timoth. 2, cap. 6, non acquiescit sanis sermonibus doctrinæ, quæ est secundum pietatem, et de quo etiam plura ibi Paulus persequitur, nihil persuasum, nihil credibile, nihil probabile erit umquam. Hoc enim morbi (inquit Canus lib. III de trad., cap. 2) fere innatum est hominum ingeniis, ut credere nesciant, simul atque res in contentionem vocata est ; quæ postquam incaluit, hoc cuique videtur verissimum, quod, temere etiam, tuendum susceperit. Nunc satis multa de traditione : objecta in eamdem pro virili suo loco diluuntur.

D

§ III. Dicitur Cardinalis Carillius Albernotius celebre S. Francisci corporis prodigium anno MCCCLIV vidisse. Producta in hanc rem testimonia expenduntur.

Præmissam traditionem confirmaturi profitentur,

Sæpe *laudati laudandique RR. PP. Conventuales in eadem Dissertatione Romana traditioni adjungunt experimenta, de his ita præfati:* Secundum argumentum constituunt relationes testium oculatorum, quos pie credimus latenti quodam consilio divinitus præordinatos. Hoc argumentum est primo (*a traditione petito*) affine; imo radix atque principium illius. Quod traditur, si verum est, ab experimento est, eoque gravior atque securior erit traditio, quo graviores illam atque securiores experientiæ præcesserint. Infirmatur autem traditionis illius authoritas, quæ vel certum aliquod sibi probare non possit experimenti principium, vel tale illud exhibeat, ut cespitet etiam ac fluctuet; utque iterum de experimenti fide ac de authoritate videntis agendum sit, meritoque dubitandum supersit. Nos ergo, qui rem hanc tum pietate atque fide bona, tum ea gravitate, qua decet, tractandam desumpsimus, mox firmiora, quæ suppetunt, rei fundamenta locabimus, et pusillorum animis consulentes, omnibus suspicionum nebulis avertendis, ac perplexitatum trepidationibus confirmandis evigilabimus.

E

se producturos testimonia aliunde, quam e suis scriptoribus

38 Quoniam ergo, si traditioni nostratum, utut naturæ gravissimæ, nostrarum etiam experimenta supponimus, jam scrupulum omnem non evellimus, et humanitatis juribus invitis, multa præterea multis de nostra fide in causa, quæ nostra dicitur, dubitanda repullulant; hac de causa nostratum omnium experimenta rejicimus, externos dumtaxat adhibemus testes, eosque non nisi exceptissimos, atque mortalium omnium opinione gravissimos ; itemque non modo a nobis, sed a se invicem longe, conditione, natione, ætate disjunctos ; ut stultum sit prorsus atque flagitiosum sit, suspicari, hujusmodi testes ad mendacium tantum conflandum ne conspirasse quidem, sed conspirare quocumque tandem modo potuisse. Præterea in relationibus ipsorum exhibendis, nedum a nostris scriptoribus, sed insuper ab ipsis tabulariis nostris abstinebimus ; iisque utemur authoribus et archivis, quæ tum sunt nobis externa, tum, huic causæ præsertim, minime omnium suspecta, maxime rerum peritis, habenda sunt. His (certe non æquis) conditionibus libenter subjicimur propter lectores nonnullos fortasse minus æquos ; utilitati enim eorum, ut Dei gloriæ et Ecclesiæ Catholicæ ornamento, litamus; verumtamen neminem renuentem et durius recalcitrantem cogimus : credere enim aut non credere, voluntatis illorum est, quos Deus reliquit in manu consilii sui, ut, ad quodcumque voluerint, dexteram porrigant.

F

suisque tabulariis, exceptis, missis aliis.

39 Quanquam ergo F. Franciscus Maria Angeli, nostri Ordinis (quem etiam sequuti sunt Pompeius Binius et F. Dalmatius Kink Ordinis Minorum Reformatorum) fusius producat testium oculatorum Franciscani corporis, incorrupti atque stantis, seriem in sua Historia sacri conventus Assisiensis lib. I, tit. 17, fol. 18, et tit. 42, pag. 46 ; ac præter eos, quos infra seligimus, etiam adnumeret Gregorium IX Pontificem cum geminis inter alios S. R. E. Cardinalibus, de Flisco et de Comitibus, qui deinde Petri Cathedram successive tenuerunt sub Innocentii IV et Alexandri IV nominibus ; itemque vicibus iteratis eumdem Innocentium IV jam Pontificem, cum ad septem usque menses in sacro

A sacro illo cœnobio moras produxit: deinde Clementem IV, postea Nicolaum IV, cum generalem Ministrum Ordinis Minorum ageret: tandem Æcubæam Suessanam, Cypri reginam, cujus reapse corpus in sacra illa basilica communem expectat resurrectionem. Hæc, inquam, licet asserat, adjectis etiam quandoque monumentis, præfatus author, proindeque ea amplecti nil vetet; nihilominus hæc asserta, sive etiam probata, negligimus, quia de nostratum fonte derivant. *His præmissis, rem ipsam aggrediuntur.*

Visum fuisse a Cardinale Albernotio Sancti corpus,

40 Omnium ergo primus (*inquiunt*) sit Ægidius Carillius Albernotius Hispanus, celeberrimus Innocentii Papæ VI de latere legatus, qui Perusium hostilibus armis circumseptum libertati et Ecclesiæ Romanæ restituit; sacrum Assisiense cœnobium diutius incoluit; elegantissimum lararium, S. Catharinæ virgini ac martyri sacrum, Franciscanæ basilicæ adjecit; ipsius cœnobii molem pœne labentem confirmavit atque refecit: adhæc quadraginta aureorum millia, ac sui tandem ipsius transferendum et sepeliendum corpus ecclesiæ eidem testamento legavit. Hæc publica quidem et exploratissima sunt, ut monumentis aliis non egeant. Ipsi vero cælitus fuisse datum in incorrupto atque stante S. Francisci corpore divina
B magnalia intueri, authores sunt, primo Joannes Sepalveda Hispanus, qui gesta Albernotiana descripsit. Is lib. m hujus Historiæ hæc habet: « Dum » Assisii Ægidius commoratur, cupido cepisse ani» mum fertur corpus sanctissimi Francisci visendi. » Quod cum venerabundus conspexisset, et im» pressa Christi vulnera notasset, exclamasse di» citur, vel solum Franciscum ad confirmandam » Christi religionem satis fecisse. »

scribunt Sepalveda, Pelbartus,

41 Figitur autem visitatio isthæc anno MCCCLIV. Scribebat equidem hæc Sepalveda sæculo XVI; sed tuebantur illum tum, quæ præsumitur, rei traditio constans, tum scriptores Carillio proximiores. Secundo igitur rei testis et author est F. Pelbartus Minorita, plane suppar Albernotio. Is in Pomerio, postmodum edito Lugduni anno MDIX, sermone 2 de S. Francisco hæc habet: « Cum quidam Cardi» nalis vix obtinuerit a civibus, ut introduceretur » ad cryptam. » Et Serm. 3 de stigmatibus: «Cum » quidam Cardinalis vidisset sacra stigmata Fran» cisci, dicebat, quod, si nulla alia forent mira» cula, hoc solum sufficeret pro fide Christi robo» randa et confirmanda. » Quibus verbis cum Sepalveda mire consentiens, reique gestæ temporibus opportune respondens, plane Albernotium indigitat; quanquam nomine abstineat, vel pro
C gravitate sermonis vel alia prudentiæ et œconomiæ causa. Interea optimæ primum fidei hic author est, et suspicioni prorsus nulli obnoxius. Fuisse vero verba illa interpolata (ut quidam scriptoris hujus sinceritati et authoritati se subducentes perperam et ultro commenti sunt) nulla suppetit causa vel conjectura sufficiens. Aut igitur alius Albernotii loco sufficiendus est, de quo Pelbartus loquatur, et hoc neque est in re, neque contra rem; nam et alius non subest; et quicumque tandem ille fuisset, id ipsum perficeret; non enim in hoc vel illo vidente, sed in re visa consistimus; aut Albernotius omnino dicendus est ocularis tanti prodigii testis.

Rodulphius, cujus tamen auctoritatem non urgent,

42 Etsi vero Waddingus ipse passim amplectatur authoritatem Petri Rodulphii Ordinis Minorum Conventualium, episcopi Senogalliensis, nihilominus, ut in pactione maneamus, recitabimus quidem, sed nihil inde referentes. Is autem in Historiis Seraphicis, editis anno MDLXXXVI, et Xisto V Pontifici dicatis, lib. 2, fol. 249 Assisiensem basilicam describens, hæc de Albernotio reddebat: « Primo » est cappella S. Catharinæ Cardinalis Ægidii » Carilli Albernotii Hispani.... Vidit autem iste » corpus B. Francisci; postea reliquit| conventui » centum mille aureos; » quos nempe partim vivens ædibus muniendis et ornandis insumpsit, partim tabulis extremis moriens legavit. Certe Rodulphii sinceritas vel ex eo dignoscitur, quod raptim ac perfunctorie rem attingit, ut studium nullum redoleat. Hinc Euripidis illud in Phœnissis: « Veritatis suevit esse oratio simplex, vafris » non egens ambagibus. » Magnum etiam veritatis specimen portendit ingens illud auri pondus, quod extra dubii aleam Albernotius effudit; et illud insuper, quod homo Hispanus, dignitatis amplissimæ rerumque gestarum amplitudine et gloria Urbi et orbi spectatissimus, Assisii obscuro et humili in loco thesaurum æque ac cor et corpus suum conderet. Hæc plane redolent hominem loci studio ac religione summa non captum modo, sed abreptum, quod in gravioribus præsertim viris penitus latentem aliquam innuit causam, qua profecto aptiorem excogitabimus nullam præter testatum illud revera magni atque stupendi prodigii experimentum, utut ab ipsis scriptoribus, Albernotianam visitationem testantibus, non enucleate pro merito atque dignitate descriptum.

AUCTORE C. S.

Petrus de Alva et Astorga, atque Waddingus

43 Nos igitur Petrum Rodulphium nostrum, quamvis ingenuum, prætereuntes, illi vicarium supponimus Petrum de Alva et Astorga, Ordinis Minorum Observantium, qui in libro, cui titulus: « Naturæ prodigium » Albernotianæ visitationi inculpatissimum testimonium reddit. Demum Waddingus unus, in hac causa præsertim, authoritatis E
sedem obtinet nulli secundam. Primo is omnium confessione et laude summus est Annalium Franciscanorum parens: secundo passim pollet ingenio, judicio, integritate, sinceritate, præ cunctis rerum Franciscanarum scriptoribus; nam, licet et ipse suos interdum, ut dicitur, patiatur manes, ut et Baronio Ecclesiasticorum Annalium parenti obvenit, hoc nihil penitus detrahit utriusque gravitati et authoritati. Receptissimum enim est Horatianum illud: « Quandoque bonus dormitat » Homerus. » Et illud: « Opere in longo fas est » obrepere somnum. » Et tandem illud: « Ubi plura » nitent in corpore, non ego paucis offendar ma» culis. » Tertio vero nobis, et causæ huic potissimum, est prorsus extraneus, quanquam ejusdem Parentis filius, ut legenti et intelligenti manifestissimum erit: quibus de causis omni jure scriptoribus reliquis ante ponendus.

cujus posterioris fidem et auctoritatem

44 Minime præterea omnium in hac causa vere magna hallucinari aut dormitare ille potuit; imo et reapse evigilasse, et omnem ingenii vim atque solertiam in ea exploranda insumpsisse, testatus est. Archiva enim et Pontificum regestos integros, ut testium infra producendorum relationes expenderet, diligenter evolvit; relationibus ipsis ad aurificam trutinam revocatis, ac temporum, locorum atque personarum circumstantiis invicem F
collatis, omnia ad amussim convenire, exploratum habuit, ut infra opportunius ex ipso recitabimus. Tandem traditionem ipsam consuluit; reique veritatem ex hominum cordibus atque memoria, non minus ac e scriptorum editis vel ineditis testimoniis, atque e rerum domesticarum vel externarum monumentis, quorum ingentem sibi comparavit suppellectilem, eruere conatus est. Jure igitur merito hoc authore potissimum utimur in hac exceptissima causa; nam graviorem et inculpabiliorem alium nullus unquam produxerit.

hac in re maximi faciendam monent.

45 Is ergo primum de visitatione Albernotiana hæc habet ad annum MCCXXX: « Non defuerunt viri » principes, qui illud » (corpus S. Francisci) « cernere voluerunt et obtinuerunt; Ægidius Carillius » Albernotius Cardinalis Hispanus, vir præcla» rissimus, perpetuæ, etiam inter Italos, me» moriæ etc., » Deinde de ipsa rei traditione hæc paulo infra subnectit: Inter « nostros, et præ» cipue in sacra illa æde, perpetua est traditio et » communis consensus, cadaver » (S. Francisci) « erectum in pedes integrum, illæsum, oculis » apertis, vulneribus recentem manantibus san» guinem, adhuc conversari. » Alia ex eodem Waddingo suis dabimus locis. Quare primo Albernotium oculatum asserti prodigii testem legitime

AUCTORE C. S.

comprobatum atque constitutum putamus. *Hactenus laudatæ Dissertationis RR. PP. Conventualium auctor, deinde ad aliorum testimonia procedens, quæ priusquam recitemus, dictam Albernotianam visitationem libremus; postulat enim et ratio et institutum nostrum, ut etiam nostras et oppositæ partis observationes addamus, quas si post reliqua pro affirmante opinione testimonia distulerimus, implexior fiet dissertatio, aut ante dicta refricandæ memoriæ gratia erunt repetenda.*

Extenduntur testimonia

46 *Notissimus in historia Italiæ est Cardinalis Ægidius Carillius Albernotius, vir obsequiis Ecclesiæ Romanæ præstitis, virtutibusque ac pia munificentia perquam celebris; neque vero absimile est, ipsi, dum Assisii commoratus est, concessum fuisse,* S. Francisci *corpus videre, si tum temporis ea facultas viris principibus fieri solebat. Nunc quærimus, an ille viderit, et quale. Si Joannes Sepalveda, cujus Opus non habeo, primum scripserit sæculo* XVI, *junior est, quam ut adversæ partis tutores ipsius auctoritate stare cogantur. Adde, quod nec ipse factum illud pro comperto tradat, sed utatur verbis* fertur *et* dicitur, *quæ in dubiis cautionis gratia solent adhiberi. Adde insuper, quod, si aliunde sat firma hic esset Sepalvedæ auctoritas, allatus ex eo locus solum faceret pro viso a laudato Cardinale*
B S. Francisci *corpore incorrupto suisque etiam tunc insignito stigmatibus, non pro stante erecto in pedes. Illo etiam minus dixit Rodulphius, sacrum corpus ab Albernotio visum esse, dixisse contentus. Fortasse hic quoque illo est junior, et ejusdem Opusculum legit, quippe qui suas Historias Seraphicæ Religionis sæculo* XVI *jam decrepito, anno scilicet* 1586 *Sixto V summo Pontifici dedicavit. Quod si ita sit, asserto prodigio minime favet Rodulphii de conspectis in sacro corpore stigmatibus silentium; quorsum enim hæc ille tacuit, si apud Sepalvedam legerit, et ab Albernotio vere visa fuisse crediderit?*

et argumenta, quæ pro Albernotiana visitatione

47 *Pelbartus Osvaldus, Temeswariensis patria, apud Waddingum in Scriptoribus Ordinis Minorum, ubi inter illius Opera etiam citatur laudatum* Pomerium sermonum, claruisse *legitur* anno MD sub Alexandro VI summo Pontifice. *Claruit ergo ille annis* 146, *postquam Albernotius anno* 1354 S. Francisci *corpus conspexisse perhibetur, annisque* 133 *post ejusdem Albernotii mortem, quæ contigit anno* 1367; *unde conficitur, non posse Pelbartum, contra ac supra dictum est, Albernotio* supparem *haberi; aut a Pelbarti ætate aliquod momentum Sepalvedæ assertis accedere. Hæc de temporis spatio, quo Pelbartus relata visitatione Albernotiana fuit posterior, loco pariter longe ab Assisio*
C *remotus, quippe qui in Hungaria scripsit. Ipsam porro Pelbarti relationem supra laudatus P. Gabriel Rotomagensis censuit, vel ab alio illius Opusculo intrusam, vel falso nixam fundamento; ac præter ea, quæ adversus omnes ejusdem sacri corporis inspectiones universim præmiserat, hanc peculiarem rationem hic allegavit, quod apud Pelbartum pro Albernotiana generatim laudetur liber Conformitatum Pisani, in quo tamen nihil tale legere est.*

sacri corporis

48 *Imo vero in Conformitate* 54 *aperte dicitur* S. Francisci *corpus, postquam suo tumulo fuit inclusum, nulli unquam hominum patuisse. En verba Pisani :* Sic B. Francisci sepulchrum fuit clausum, ut numquam deinceps patuerit alicui; ejus corpus simul cum capsa fuit portatum et positum, ubi nunc jacet. *Verum isthæc observatio de Pisano perperam apud Pelbartum laudato ex Gabrielis fide relata esto; nam mihi Pelbarti Opus in promptu non est, ut consulam. Ex iisdem præterea Pisani verbis ac tempore, quo Albernotius sacrum corpus vidisse narratur, factum ipsum impugnat Gabriel, arguens, si id anno* 1354 *contigisset, non potuisse latere Pisano (ut latuisse, ex dictis constat) tum temporis florenti. Quid Petrus de Alva et Astorga, Ordinis Minorum Observantium Religiosus, in supra memorato Opere ad præsens argumentum habeat, cum eodem caream, plane nescio, neque illud apud Waddingum in Scriptoribus reperio. Si tamen is (ut verisimillimum est) idem sit,* D *qui apud ipsum* Petrus de Alba et Astorga *vocatur, fuerit ille scriptor sæculi* XVII, *et Pelbarto Rodulphioque recentior.*

mox producta fuerunt.

49 *Lucam Waddingum ob suam eruditionem, sinceritatem et diligentiam, apud me quoque plurimum fieri, jam alias professus sum, et asserenti Rugilo libens credo, eumdem in Annalibus Minorum conscribendis archiva omnia, Regesta Pontificum, aliaque tabularia publica et privata diligenter scrutatum fuisse, nec quidquam prætermisisse, ut amplam monumentorum supellectilem sibi compararet. Verumtamen, si id etiam præstiterit, ut relationes inspectionum sacri corporis, quas edidit, diligentius conferret, expenderetque, et pro his confirmandis invenerit idonea instrumenta, miror hæc, præter referenda suis locis, producta non esse. Denique Cardinalis Carillii Albernotii in conventum Assisiensem singularis munificentia et pietas procul dubio singulari causa non caruit; at paulisper posito,* S. Francisci *corpus ab eo numquam fuisse visum, numquid non poterat ejusdem corporis in ea basilica præsentia sat valida fuisse ratio, ut Cardinalem, alioquin etiam pie munificum, impelleret, ut tantam pecuniæ summam eum in locum conferret, et sepulturam ibidem sibi eligeret? Hinc statuat lector, an Albernotiana sacri corporis inspectio sat firmiter asserta debeat videri.* E

§ IV. Visitatio sacri corporis anno MCCCCXLIX a Nicolao V Papa facta exponitur ex Oddone Perusino, et Mariani Florentini apographo Vaticano mutilo.

Nicolaum V Papam anno 1449 Assisium venisse,

Secundum ocularem testem (*ita in Dissertatione pergit Rugilus*) adhibemus Nicolaum V summum Pontificem. Ejus visitationem figimus anno MCCCCXLIX, mense Novembris; accessum ejus Assisium, ejusque in sacro cœnobio incolatum a die XV mensis; illius præcipuos comites Astergium, sive Astorgium, Beneventanum archiepiscopum et S. R. E. Cardinalem, Petrum de Noceto, et Galliarum quendam episcopum, de quibus infra, præter nostratum aliquos. Hujus celeberrimæ visitationis multi generis, sed non ejusdem authoritatis, monumenta supersunt. Baucianarum præsertim litterarum... multiplex est forma et judicium. Cum igitur diutius sit hic nobis immorandum, et varia atque implexa res sit, nitidiorem, quam novimus, methodum sequimur. Primo... præcipua argumenti monumenta ex ordine in medium producimus, ut extant in suis fontibus, et apud suos F
authores, fidelissime excerpta ex archivis externis citandis... Monumentis absolutis, animadversiones nostras habebimus, quibus sincere ac præter rei necessitatem (neque enim his indiget, vel unice nititur hæc causa) rem a re, certum ab incerto, vitiosum ab integro, et tandem verum a falso discernere, studium omne adhibebimus.

probant ex publico cancellariæ tabulariæ;

51 Testimonia accessus Nicolai Papæ V, temporis, et incolatus, et etiam propositi visitandi sacri corporis, extant in publico tabulario cancellariæ Prioralis civitatis Assisiensis. Sunt autem hujusmodi. In libro, qui vulgo dicitur REFORMATIONUM, signaturque littera N, hæc leguntur verba fol. 26 : « Die ultima Decembris MCDXLIX pro » adventu Sanctissimi Domini, et præcipue Sbar» dellato et aliis comestabilibus, qui venerunt » Assisium cum SS. Domino nostro. » Et fol. 28 : « Bulleta facta Bastiano Cellini portæ S. Francisci » pro paleis et blado,... quando Papa venit ad visi» tandam ecclesiam S. Mariæ de Angelis, et corpus » S. Francisci. » Et fol. 73 : Die in Januarii MCDL » magnifici domini Priores populi civitatis Assisii, » habita fide... pro una hebdomada ante adventum » Sanctissimi Domini nostri, qui venit huc die XV » Novembris proximi præteriti. » Item in alio liberculo Reformationem sub die III Novembris anni MCDXLIX : « Deputaverunt dominum Jacobum » de

A » de Marianis, ut componat unum brevem ser-
» monem pro parte hujus Communitatis eidem
» Sanctissimo Domino nostro... Item deputaverunt
» pro allogiamento Sanctitatis suæ conventum
» S. Francisci. » Hæc Reformationum libri.

illudque tunc ab illo stans visum esse,

32 Descriptio, sive relatio prima ejusdem accessus cum circumstantiis ejusdem desumitur ex Speculo Ordinis, seu Francischina F. Jacobi Oddo Perusini, Ordinis Minorum Observantium. Hæc autem relatio fidelissime excerpta fuit, et authentice ad nostrates olim transmissa ex ipso Operis authographo Ms., quod asservatur unice in tabulario monialium Clarissarum Montis Lucidi; nam cætera hujus Francischinæ exemplaria, alibi asservata, corrupta sunt. Est ergo, quæ sequitur. *Subditur hic ea relatio sermone, quo primo scripta fuit, Italico; qualem etiam anno* 1743 *jam alias laudatus laudandusque R. P. Missorius ad nos transmittendam dederat P. Ignatio Pinio, piæ memoriæ, germano fratri nostri Joannis Pinii, piæ pariter memoriæ, quorum prior eamdem Latine vertit, prout ego eam cum Italica denuo collatam lectori exhibebo, postquam tum Opusculi Jacobi Oddonis seu de Oddis, tum apographi nostri Italici, et codicis, ex quo*
B *illud desumptum est, notitiam dedero.*

tradidit Oddo Perusinus, in cujus aliquo apographo,

33 *De Opusculo illo Waddingus in Scriptoribus Minorum hæc annotavit :* Jacobus Odo Perusinus, provinciæ S. Francisci (*in Umbria*) scripsit rudi satis lingua Italica Speculum Ordinis Minorum, quod vulgariter vocant Franciscinam, in quo per duodecim capita, per varios titulos virtutum recenset omnes viros sanctos et illustres, qui in Ordine floruerunt. Duo erant exemplaria manuscripta hujus Operis, unum ad S. Mariæ Angelorum, sive de Portiuncula in agro Assisiate; alterum Perusii in conventu Montis, quod mihi transmissum est. Codex est magnus, stylo barbaro, historia veridica. *Tempus, quo Jacobus scripsit, Waddingus indicat in Annalibus ad annum* 1474, *ubi num.* 14 *sic ait :* Ad hunc annum absolvit suam Historiam sub titulo Speculi Ordinis, quam Franciscinam communiter nuncupant, Jacobus Oddo Perusinus, qui plano et sincero stylo sub duodecim capitulis seu titulis vitas et acta præcipuorum Ordinis virorum, virtute, doctrina, dignitate, usque ad sua tempora illustrium, rudi sermone Italico perstrinxit. Pauca reperiuntur hujus libri exemplaria; unum habetur ad S. Mariæ de Angelis Assisii, quod legunt Fratres inter reficiendum; aliud ego accepi ex conventu Montis Perusini. *Secundum hæc Francischinam suam absolvit ille annis circiter quinque supra viginti, postquam Nicolaus V Papa corpus* S. Francisci *visisse dicitur, ac proinde verisimillime illi non*
C *admodum juvenis synchronus vixit.*

cujus notitia datur,

34 *Porro præter duo memorata Odonis exemplaria aliud laudat P. Gabriel in sua Dissertatione, quod in monasterio Perusino apud moniales* Clarissas Montis Lucis *suo tempore asservatum ait. Hujus nostrum apographum esse, quod ad nos transmissum dixi, constat ex subscripto ad ejusdem calcem testimonio authentico, quod sic habet :* Supra dicta omnia et singula, sicut et prout scripta reperi in
* *i. e.* hædina quodam libro, carta edina *, confecto et ligato, charactere vetere scripto, et præcipue sub pagina 220, a qua fuit extracta et copiata supradicta relatio; et in ea nulla adest postilla seu aliqua adnotatio in margine, nec alibi, nec apposita aut adjecta videtur ab alia manu, seu alieno auctore, cum sit ejusdem characteris, quo priores paginæ ejusdem libri formatæ sunt; nec in aliqua parte dicta relatio apparet vitiata; et latius in dicto libro intitulato in principio : « Comenza il primo prologo » del libro chiamato Specchio del Ordine Minore » (*id est, Incipit primus Prologus libri, appellati : Speculum Ordinis Minoris*) existente in ven. monasterio Montis Lucidi hujus civitatis Perusiæ, et mihi ad effectum præsent. extrahendi exhibito a reverenda matre sorore Maria Clara Crispolti, ad præsens borseria dicti monasterii, et eidem resti-
* *imo* restituto tutum *, facta prius diligenti collatione cum dicto originali, ad præmissorum fidem hic me subscripsi, et solitum mei signum apposui requisitus hac die octava Februarii MDCCXLV. Ego Thomas Ricci publ. et Aplica auctoritate Not. et civis Perusinus etc. *Sequuntur etiam publica testimonia aliorum de fide et auctoritate notarii præmissi, de conformitate exemplaris nostri cum copia supra dicti codicis Perusini, ac denique de fide et auctoritate notarii Romani, conformitatem illam testantis.*

AUCTORE C. S.

dicitur Nicolaus, ambigente primo guardiano,

33 *Nunc ipsam facti relationem ex Italica, ut dixi, Latinam accipe :* Cum Nicolaus Papa V venisset Assisium, ex magna devotione incessit ei desiderium videndi corpus S. Francisci; atque ob hanc causam accersiri jussit dominum Petrum de Noceto, cui dixit: Vade ad guardianum seu custodem hujus sacri conventus, illique refer, me omnino velle videre sacrum divini Francisci corpus stigmatibus affectum. Is cum mandatum custodi retulisset, reversus respondit Pontifici : Beatissime Pater, feci et exsecutus sum, quidquid Beatitudo vestra mihi imposuit. Custos vero, ubi hæc mandati verba audivit, recogitare cœpit et suspicari, ne corpus adeo pretiosum Ordinis sui manibus subduceretur; ut alias tentatum fuerat; ac deinde modo huc, modo illuc vagabatur, simulans atque animum suum celans. Tandem obtenta a summo Pontifice licentia rem aperiendi fratribus conven- E
tus, et cum his locutus, rediens ad summum Pontificem, Beatissime Pater, inquit, parati sumus Beatitudinis vestræ voluntati ac mandato satisfacere. Unam dumtaxat gratiam nobis Beatitudo vestra concedat, ut circa horam noctis quintam cum tribus tantum personis fidelibus venire dignetur; id quod erit multo etiam securius. Hæc guardianus ex omnium fratrum consensu ac sententia exposuit : petitioni sanctus Pater libenter annuit.

cum uno et altero deductus ad locum,

36 Itaque elegit Pontifex Petrum de Noceto et episcopum Gallicum et guardianum cum tribus fratribus. Cum hora statuta adesset, vestimenta sua deposuerunt, oculis velatis, et lapidibus quibusdam amotis a loco, ubi erat janua, hac aperta, gradus viderunt marmoreos, per quos cum silentio pie descenderunt. Et ecce portam conspexerunt æream, clausam tribus catenis ferreis, quæ statim clavi reseratæ fuerunt. Tum guardianus, submissis in terram genibus, dixit: Beatissime Pater, ingredere; qui ingressus est solus, seseque ante Sancti pedes intima et magna pietate provolvens, vehementer plorare cœpit, iis, qui foris erant, ploratum audientibus. Et aliquanto post temporis spatio ad se rediens summus Pontifex alios etiam introduxit. Cum ergo pervenissent ad conspectum Sancti, ecce, F
stupor incredibilis eos invasit. Vere investigabiles sunt viæ Domini! Quis hominum audivit umquam tale, ut corpus tot jam annis mortuum pedibus suis erectum insisteret?

vidisse corpus illud incorruptum,

37 Locus, in quo viderunt sacrum corpus, erat veluti parvum templum, tres habens absides (*Italice* tre tribune) quarum interior pulcherrimis lapidibus, tum in parietibus, tum in pavimento, ornata erat. In hujus sacelli medio lamina erat marmorea venustissima, magna arte laborata, super quam ex parte Orientali stabat corpus beatissimi Francisci erectum, facie ad Occidentem versa, et oculis elevatis in cælum. Manus gerebat tectas manicis, ut mos est Fratrum. Sacrum illud corpus adeo erat incorruptum, acsi tunc primum mortuum fuisset. Summus Pontifex, postquam aliquantum cessavit a lacrymis, ad B. Francisci pedes propius accessit, genibus terræ admotis; et hoc modo jam proximus manu dextera elevavit magna cum reverentia extremam partem vestis; atque ita viderunt sacrum pedem, qui nudus erat sine solea, et in medio pedis erat foramen rubens, sanguine tam recenti, acsi cultro tum fuisset transfixus Tunc vero omnes ubertim lacrymari inceperunt, omnesque post Pontificem osculati sunt sacrum pedem, et omnes odore, qui ex illo afflabatur, recreati fuere. Pes alter sic erat dispositus, ut fimbriæ vestimenti

AUCTORE C. S.

vestimenti illum contegerent; eaque de causa visum est Pontifici nihil per vim tangere.

ac in prodigioso situ, qualis hic describitur.

58 Manus quoque, ut pes, perforatæ erant, et sanguis erat vividus ac recens. O stupendum et admirabile redemptionis nostræ monumentum, quod ad Redemptoris nostri similitudinem, in electione conspicitur! O sacra vulnera! O in nostræ humanitatis fragilitate electæ similitudines! Quam ob rem nemo ipsorum amplius ausus fuit sacrum corpus attingere, nisi sanctissimus Pontifex, qui pretiosas illas manus ac postea etiam os est osculatus. Ergo ab hora quinta ibi fuerunt usque ad undecimam ingenti ac spirituali cum consolatione. Sed, cum dictum esset, appropinquare jam diem, permoleste id ægreque tulerunt, et illic unius tantum horæ spatio fuisse sibi videbantur. In duabus aliis illis absidibus jacebant corpora aliqua sociorum S. Francisci, suis vestita saccis; omnia vero incorrupta, quæ magnum exhalabant odorem. Tandem instante aurora, magno cum robore spiritus inde discesserunt. *His terminatur hæc relatio Latina, et ex qua hæc facta fuit, relatio Italica, quacum illa accurate concordat; sed nec in hac, nec in illa dicitur Cardinalis Astergius seu Astorgius eidem sacri corporis visitationi interfuisse; verum hoc in subsequentibus legetur.*

B

Altera ejusdem visitationis relatio mutila,

59 Relatio secunda (*ita sequitur in Dissertatione RR. PP. Conventualium seu Rugili*) visitationis ejusdem prodit ex Mariano Florentino, Ordinis Minorum Observantium in Fasciculo Chronicarum Fratrum Minorum lib. v, cap. 20, pag. 105; extracta vero fuit hæc subjecta relatio ex Vaticano archivo ab ipsomet archivi custode illustrissimo ac reverendissimo domino, comite Josepho Garampi, canonico S. Petri in Vaticano, ac dono tradita ab eodem piæ memoriæ Seraphino Pagni, nostri Ordinis Postulatori, sub die IV Augusti MDCCXLVII. Mutilam illam et lacunosam, ut accepimus, reddimus. Est autem sequens.... « Adeoque devotio * erga » Ordinem et B. Franciscum in corde suo pluri- » mum aucta; inspiratus a Patre luminum magno » desiderio æstuare cœpit visendi corporis ipsius » patris nostri Francisci. Quapropter in æstate » (accuratius dicere debuit: Mense Maio, ut ex Georgio in Vita Nicolai V anno VII *) » Urbem relin- » quens, Assisium veniens, ecclesiam Sancti ma- » gna cum devotione visitavit, et, quod optabat, » ad executionem mittere ordinavit. Nam tribus » solemnibus personis assumptis, videlicet reve- » rendissimo domino Astorgio Anglico, tituli S. Eu- » sebii presbytero Cardinale et archiepiscopo Be- » neventano, et alio Francigena episcopo, et do- » mino Petro de Noceto Lucense, cum quibus fuit » guardianus conventus, et duo alii patres, ipse » summus Pontifex de nocte ad locum ivit, ubi » magnam moram traxit.

* *an* devotione?

* *an* III?

C

qualis a Cardinale Astorgio, occulato teste,

60 » Sic supra dictus R. Cardinalis postmodum » recitavit: nam cum præfatus dominus Astorgius » Cardinalis Romæ anno Domini MCDLXXV infirmas- » set, et in extremis laborasset, et ut hominibus » consuetum est, quando ad extremum veniunt, » aliquam revelationem * ostendere, quod osten- » dit natura se adjuvando, et ultimum de potentia » faciendo, sic fecit iste reverendissimus Cardina- » lis, eo quia in mane, postquam sequenti nocte » decessit, ostendit, se melius habere, et tunc » seriem de visione corporis B. P. N. Francisci, » prout infra habetur, domino Jacobo abbati de » Aretio presbytero, et ejus primo cubicolario, » qui fuit primo Laquidonensis, deinde Arianensis » ecclesiarum episcopus, retulit. Deinde præfatus » dominus Jacobus episcopus Arianensis plurimis » revelavit, et testimonium perhibuit, se ab ore » domini Cardinalis præfati habuisse; inter quos » fuit dominus Antonius Adrianensis ac Montispi- » losi episcopus, et illustrissimus dominus Fran- » ciscus dux Andriæ, de Tertio Ordine B. Francisci, » nec non illustrissima domina Eleonora de Ara- » gona, legiptima * filia claræ majestatis Ferdi- » nandi regis Siciliæ: qui omnes totam seriem » inferius describendam ab ore proprio dicti do- » mini Jacobi episcopi Arianensis, testificaverunt, » se audivisse.

* *an* relevationem?

* legitima

D

exposita dicitur

61 » Et ad majorem rei veritatem illustrissimus » dux antedictus totum, quod ore Jacobi sæpedicti » audivit, in scriptis redigens, posteris reliquit. » Cujus tenor litterarum talis est: Domino reve- » rendo atque ornatissimo Antonio Adrianensi et » Montispilosi episcopo Franciscus de Bautio dux » Andriæ commendationem plurimam dicit. Scri- » pturus ergo ad te... Pontificis summi Nicolai V » progressum, qui sanctissimum corpus Francisci » patriarchæ personaliter visitavit, veritus sum, » ne... Nicolaus Papa V, dum Assisii moram tra- » heret, in mente sua desiderium venit, ut corpus » B. Francisci oculis propriis inspiceret. Accersitus » est dominus Petrus de Noceto... Depositis indu- » mentis, et consequenter hora facta, cum in loco » fuissemus, amoti fuerunt lapides, in quibus janua » fabricata erat. Gradus marmoreos aspeximus, » cum silentio descendimus, et ecce ostium æneum, » tres ferreæ catenæ ordine stabant, quæ apertæ » fuerunt clavibus. Et guardianus, genibus flexis, » ait: Ingredere, Sanctissime... Quis umquam » audivit, aut quis talia affatus est, ut corpus hu- » manum, per tot æva mortuum, super plantas » proprias staret rectum?...

E

pridie mortis suæ.

62 » Ex alio latere corpus erectum, indutum » habitu B. Dominici Ordinis erat, manibus jun- » ctis simul cum articulis sursum, sicut mos est » orantium, oculi ad pedes B. Francisci intuebantur... Erat in medio pedis » (*S. Francisci*) « fora- » men cum sanguine ita recens, ut si a mucrone » ita confossus fuisset... Invento autem habitu ante » latus aperto, vidimus illud vulnus laterale. » Postquam alium diligenter inspeximus, qui ha- » bitum B. Dominici habebat, sententia fuit om- » nium una, quod vere corpus B. Dominici erat: » nam aspectus, statura, forma, ætas, facies, sicut » legitur de ipso, aspiciebatur, Et magnus Ponti- » fex hoc affirmavit, quoniam Bononiæ varia opi- » nio est, ubi corpus maneat... Ita et R. Cardina- » lis, dum in die convaluit, nocte sequenti debi- » tum naturæ reddidit. Non est dubitandum, ut » tantus homo, dum ad extrema pervenisset, men- » dacium componeret. Affirmabat enim, quod Papa » spopondisset nihil de hoc palam facere. Ipse » vero non parvi pendebat, valde ista manifesta » fieri apud homines doctissimos. Vale. » *Multa, quæ in apographo hoc, quia variis in locis lacunosum est, partim non cohærent, partim obscura sunt, clariora fient ex relatione sequenti* § *recensenda.*

F

§ V. Eadem visitatio, Nicolao Papæ V attributa, refertur ex litteris Baucianis, editionis Horatii Diolæ.

Epistolæ Baucii ad episcopum Andriensem

Pergo *laudatam Dissertationem Romanam describere.* Relationem tertiam, omnium pleniorem, puriorem atque fideliorem exhibet nobis F. Marcus Ulyssiponensis, episcopus Portuensis, Ordinis Minorum Observantium. Hic autem omnium diligentissime Baucianas litteras edidit, inseruitque suis Franciscanis Chronicis. Operæ vero pretium ducimus Baucianarum litterarum historiam summatim præmittere, ut clarius constet, cur hoc statim subjiciendo potissimum utamur exemplari. Igitur Jacobus Cavaline, primo canonicus Beneventanus, deinde episcopus Laquidonensis creatus anno MCDLII (ut ex Ughello tom. VI, pag. 852) ea, quæ ab Eustorgio, de quo plura infra, moriente audiverat, et a Francisco de Bautio, Andriæ dynasta, litteris consignata receperat, fertur primum dono misisse nobili viro Gonsalvo Hernandez Cordubensi, tunc regnum Neapolitanum expugnanti. Utut vero res se habuerit, certum est, litteras illas Baucianas, sub iisdem temporibus in linguam Portugalliensem translatas, ab Hispano anonymo fuisse editas cum Vita S. Francisci.

64 Hæc

A *versio Italica præ ceteris laudatur.*

64 Hæc ergo censetur princeps Baucianarum litterarum editio. Marcus autem Ulyssiponensis ex hoc eas fonte mutuavit primus, servavitque penitus intactas; nam idiomate et verbis iisdem fideliter illas suis Chronicis addidit anno MDLVI. Postea F. Didacus Navarro has Chronicas æque atque litteras Castellianas fecit, ediditque anno MDLX. Demum Horatius Diola Bononiensis Italice litteras ipsas reddidit, ac typis Venetis prodidit opera Dominici de Imberti anno MDLXXXV (seu MDLXXV.) Sunt quidem aliæ earumdem versiones, tum Italicæ, tum Latinæ. Italicæ quidem per Pompeium Pellinum in Historiis Perusinis anno MDLXXII, itemque per Baretium Bareti in Chronicis Minorum anno MDLXXXII; Latinæ autem per Petrum Rodulphium ac per Sedulium, a quo tandem illas hausit Lucas Waddingus, inseruitque anno MCCXXX. Nos unam Horatianam versionem et editionem Italicam jure cæteris anteponimus, tum quia simplicior est ac vero similior, tum quia fidelius (ut nobis linguæ periti testantur) refert Marci Ulyssiponensis Portugalliensem editionem, quæ ad amussim anonymianæ primigeniæ respondet. *Tum subjicitur laudata Diolæ Italica versio, quam, cum prima editio Marci Ulyssiponensis mihi ad manum non sit, Latinam feci, atque hic exhibeo.*

B *Baucius dux Andriæ, præfatus, cur scribat,*

65 Reverendissimo domino Antonio, episcopo Andriensi, Franciscus Baucius dux Andriæ salutem. Onus, quod reverendissima dominatio vestra mihi imponere dignata est, scribendi visitationem gloriosissimi corporis Seraphici patris S. Francisci, quam Sanctissimus dominus Papa Nicolaus V personaliter peregit, quamvis ex una parte meis humeris multum grave esset propter debilitatem ingenii mei, ex altera nihilominus parte mihi leve mirumque in modum suave est, tum quia devotum et pium opus est, tum quia remittendum tibi, qui, cum præsens fueris, dum illa narrabatur, optime poteris (si me aliqua in parte meo muneri defuisse, deprehenderis) supplere et emendare; itaque obsecro dilectum mihi Dominum Jesum Christum, ad cujus gloriam et laudem hanc descriptionem aggressus sum, ut per merita illius gloriosi corporis, de quo sermo erit, concedat mihi gratiam ad id digne præstandum, cum non sit prætereundum silentio tam ingens miraculum, in quo Dominus noster bonitatem et omnipotentiam suam manifestat.

et unde, quæ scribit, didicerit, factum sit exponit:

66 Itaque cum reverendissima dominatio vestra et dominus Jacobus Laquidonensis episcopus die VIII Martii essetis mecum, atque inter vos sermocinaremini et inter ambulandum subsisteretis, ut fieri assolet, dum de re magna admiratione digna disseritur, accessi ego, et obsecravi, ut, si dignum ac licitum esset, me quoque ejus rei faceretis participem. Tum, qui mihi proximior erat, dominus Jacobus, Si scires, o dux, qua de re discurramus, tu quoque certe obstupesceres. Hinc ego majori accensus desiderio, tanto magis precatus sum, ut mihi tantæ admirationis causam indicare dignaretur. Ad hæc dominus Jacobus reposuit, id se quidem facturum ac libenter, sed malle se potius plangere, dum talia referuntur, et attente ea audire ab altero, quam dici a semetipso. At cum non posset desiderio meo non satisfacere, ut ostenderet, sese non sine magna ratione admirari, remque esse scitu dignissimam, non tamen a quolibet (quod me monuit) cœpit eam narrare, sic dicens.

C *Astorgius Cardinalis, cum æger S. Franciscum invocasset,*

67 Noveris, dux, quod, dum viveret bonæ memoriæ Eustorgius Cardinalis tituli S. Eusebii, archiepiscopus Beneventanus, ego fuerim unus e domesticis illius; cumque ipse jam vicinus morti esset, atque ita viribus et calore destitutus, ut magnopere timeremus, ut unum diem superviveret, media nocte audivi ipsum incipientem, alta voce clamare: O Francisce sanctissime! Deinde cum paululum conticuisset, iteravit cum gemitibus et suspiriis: O Francisce, o Francisce. Quam ob rem omnes repleti stupore sunt; verum, ne turbaretur, nullus ausus est ad ipsum accedere, aut hujus rei causam petere, sed solum stabant solliciti, quem illa tam frequens invocatio finem haberet; ego vero, qui eum vehementer diligebam, uberrime plangebam cum ipso, et ipsemet etiam tacitus pro illo implorabam opem Sancti, cui semper devotus fueram. Sed nil aliud evenit, nisi quod postero mane, quando de futuris exequiis cogitandum putabamus, ille cœperit melius habere et sperare.

AUCTORE C. S.

cur id fecisset, interrogatus, retulit sequentia.

68 Propterea, cum ego, ut dixi, fuissem ex illius carissimis domesticis, et a pauco tempore ab ejus curia abfuissem, ut pro munere meo residerem in abbatia, quam mihi donaverat, sciensque, illum cum sua Sanctitate gloriosum S. Francisci corpus invisisse, jam aliquo tempore plurimum desiderassem scire, quo modo hoc se haberet, nec interim opportuna fuisset quærendi occasio, hanc ex illa frequenti Sancti invocatione arripui; primo dextere orsus causam expetere, tandem mentem meam libere aperui, et reverenter flagitavi, ut pro eo, quo me complectebatur, amore dignaretur mihi breviter exponere, quomodo vidisset gloriosum istud corpus situm in ecclesia sua. Ad quæ benigne respondit, dicens: Scito, o abbas, quod, nisi tu is esses, tam carus mihi amicus, non tibi dicerem, nec ulli quidem cuicumque alteri (cum nobis, qui adfuimus, a sua Sanctitate expresse vetitum sit, ne revelemus) ac proinde propter eam prohibitionem non potero quidem indicare tibi locum ejus, sed quomodo sepultum sit, enarrabo.

E

Nicolaus V Papa, exempto Minoribus Assisiensibus metu,

69 Noveris igitur, Nicolaum Papam V, qui cum inæstimabili providentia sanctam Ecclesiam gubernabat, dum anno MCDXLIX quorumdam gravissimorum negotiorum causa, vel, ut alii dicunt, sola istius gloriosi corporis visendi gratia, venisset Assisium, mandasse domino Petro de Noceto, qui ei erat a secretis, ut id ejusdem loci guardiano significaret. Hic et congregati ab illo fratres, qui terni custodiæ sanctissimi corporis deputati sunt, hinc veriti, ne Pontifex illud tollere vellet, et Romam transferre; inde vero non ausi contradicere, nescierunt, quid responderent Pontifici; donec ille prudentissimus dominus, advertens eorum angustias, ipsemet eorumdem concepit responsum, abiitque, et eorum nomine dixit Pontifici, cum id numquam ab ullo ex ipsius in Sede Apostolica decessoribus hactenus fuerit tentatum, fratres nil posse decernere, metuentes, ne ille tollere vellet hunc sui Patris thesaurum, quem habebant. Quibus auditis, Pontifex eum remisit, ut fratres sua fide data securos redderet.

ne sacrum corpus vellet auferre,

70 Igitur fratres miserunt ad eum, qui diceret, ut benigne dignaretur venire circa mediam noctem; sed duobus dumtaxat aut tribus comitatus, idque illos humillime precari. Quidam episcopus Gallus, qui tunc assistebat Pontifici, hæc audiens, iracundus ac fere offendiculum passus, cœpit dicere, hoc esse contradicere et velle legem ponere Apostolicæ auctoritati, futurumque pravum mundo exemplum, si faceret, ut isti fratres volebant; nec hoc ferendum esse. Cui reposuit Pontifex, se, cum illuc bona mente tenderet, nolle eam præter propositum suum suspectam pravitatis reddere, eoque magis, quod haberet justissimam causam; quodque ad tam sancta loca oporteret magna cum humilitate accedere, per quam sperabat, se ab illo Sancto obtenturum id, cujus impetrandi gratia tunc ibat. Itaque elegit illum, me, et prædictum secretarium solos.

F

ducente guardiano, in cryptam descendit;

71 Atque ecce, dum statutam horam expectamus, prævenit guardianus, et ad tertiam noctis horam ad Pontificem venit, ejusque pedes exosculatus, nos per quædam diverticula duxit ad parietem, spissum, sed humilem; quo ubi pervenimus, tres adducti fratres cœperunt murum ferramentis perfringere, donec in eo perfecerunt foramen, quod commodum nobis transitum præbebat. Hic cœpimus videre, ab hoc loco usque ad illum, in quo sanctissimus pater Franciscus sepultus erat, longam esse marmoreorum graduum seriem, per quos

AUCTORE C. S.

quos descendentes, pervenimus ad quoddam sepulcrum in modum cryptæ subterraneæ factum; ubi in genua procumbens guardianus, accensam facem Pontifici in manus tradidit, quo securius incederet.

* *Italice* cima

In illius apice * conspeximus portam nonnihil humilem, æream, robustissimam, cum tribus pessulis ferreis probe annexis, diligentissime occlusam, tribus solidissimis catenis ferreis transverse prætentis. Qua porta aperta, tam pretiosus ac singularis odor erupit, ut nemo nostrum umquam majorem fragrantiam senserit, aut porro sensurus sit.

sacri corporis locum solus ingressus, dein comites advocat:

72 Tum guardianus, positis in terra genibus, Pontifici dixit, ut, si placeret, intraret; atque ita solus ingressus est (nobis foris remanentibus et pia serentibus colloquia) subitoque in terram ad Sancti pedes procumbens, cœpit suspirare et gemere et plangere tam vehementer et fortiter, ut, cum diu continuaret, multum vereremur, ne quid ei sinistri accidisset. Jamque deliberabamus ingredi et interpellare, cum ipsemet sponte sua, mutato confestim in lætitiam et exultationem planctu (manifestum signum impetratæ per illum a glorioso illo Sancto alicujus gratiæ) volens deinde lustrare dictum locum et conferre nobiscum, omnes intro vocavit; atque ita nos quoque ingressi, fleximus genua, et post brevem orationem, ne
B Pontificem moraremur, erecti in pedes, elevatisque oculis, pleni stupore hæsimus. O mi abbas Jacobe, aiebat mihi Cardinalis, quam vere investigabiles sunt viæ Domini, et quam magna judicia ejus! Quam elongata et diversa sunt ab omni humana prudentia!

omnes vident illud stans ad instar vivi,

73 Quis umquam in vita sua audivit aut vidit corpus, tot jam ab annis exanime, stare erectum in pedes sine ullo fulcimento, nec ope balsami, nec cujuscumque siccitatis frigoris naturalis, at sola virtute supernaturali ac manifeste divina, velut vivum; qualiter nos sacratum illud corpus conspeximus? Certe agnovimus, non esse abbreviatam manum Domini erga ipsum. Quid dico, velut vivum? cum esset illud vere vivum, vivum in Deo, vivum in virtute, vivum in miraculis, vivum in effigie, in gestibus, in carne, ut solus halitus, halitus solus deesset. Sed ut omnia tibi ex ordine pandam, scito, o abbas, locum illum exstructum esse in modum parvæ ecclesiolæ, cum tribus tribunis in fornice; verum illa, quæ media est, tota miraculose facta est et in muris et in pavimento, habetque in medio lapidem, supra quem stabat gloriosissimum hoc Sancti corpus, erectum in pedes, ut jam dixi, facie versa ad Orientem, oculisque elevatis ad cælum, quod etiam nunc intente intue-
C tur, uti consueverat facere, dum viveret.

vulnus unius pedis vivido sanguine rubens,

74 Habebat manus junctas, alteram sub altera manicarum tunicæ, qualiter eas tenere solent Fratres Minores, pectori admotas. His igitur omnibus bene visis et consideratis, beatissimus Pater, Papa noster, coram dicto gloriosissimo S. Francisci corpore rursum provolutus in genua, tunicam illius summa cum reverentia levavit ab uno latere, quia ab altero premebat eam sub uno pede; proindeque non posset ea commode attolli, quin totum corpus movendum esset, non tentavit eam subducere plantæ, sed discooperuit solum alterum pedem, nec calceo, nec crepida, nec sandalio indutum. O vere beati oculi nostri, quibus concessum fuit ea sacratissima vulnera videre, quæ Dominus noster suis propriis manibus fecit Dilecto suo! O certe fortunatæ mentes, quæ ea potuerunt pro libito meditari! Erat enim vulnus illud in medio pedis tam recens et vividum, acsi tunc primum duro clavo in nuda pedis carne factum esset; ita in ipsa vivus sanguis apparebat.

ac simillima vulnera manuum osculantur,

75 O felices animæ, quæ meruerunt spectare in Servo, quod non potuerunt videre in Domino suo: et tanto etiam postea magis felices, dum conspexerunt manus illas sanctissimas a Pontifice discoopertas, nec magis nec minus, quam pedes, perforatas, cum suis clavis singulis vulneribus insertis; quas etiam insuper osculati sumus, immunda nostra labia sacro illius sanguini adhuc recenti admo- D
ventes. Propter hæc omnia erupimus in lacrymas, tam ubertim ex oculis ruentes, ut voluptatem nostram impedirent, nec nos sinerent ea frui, nec plene gaudere, turbatis adeo oculis, ut pretiosum illum thesaurum subinde non videremus. At quis poterit umquam, mi carissime domine Jacobe, referre commotionem animi, abstractionem spiritus, liquationem sensuum et debilitatem virium corporis, quas is conspectus creabat? O ter beata ora nostra, quibus licitum fuit (nobis tantis peccatoribus) sacrum illud pedis vulnus osculari tanto cum cordis solatio, ut majus dici nequeat.

Papa etiam Vulneri laterali et ori oscula figit;

76 At multo ac septies beatius os beatissimi Patris, qui deinde plagam lateris, floridam velut rosam recentem, atque insuper ipsum etiam os illius solus osculatus est; unde præ dulcedine spiritus in hæc ipsissima verba prorupit: O dignissimum celeberrimumque nostræ redemptionis memoriale, per quod æternus et summus Deus, ad similitudinem Servatoris nostri Jesu Christi electum voluit gloriosum patrem S. Franciscum, ut et vivus et mortuusque ad supremi judicii diem signa suæ acerbissimæ passionis mundo exhiberet! O sanctissima vulnera, primo a Dei Filio pro peccatis humani generis tolerata, ac deinde in nostram gratiam iterata in suo servo Francisco! O clementissime Deus, E
cui tantum testatus amorem es, quantum huic tuo Servo fidelissimo? Tu, benedicte Sancte, vere portasti triumphale Crucis vexillum, tu viva signa passionis illius; tu denique solus electus fuisti, ut veram exhiberes similitudinem Domini crucifixi; in hoc uno dissimilem ab illo, quod hic a Judæis perfidis et impiis, tu vero a tuo Domino Jesu Christo *. O beneficium immensum! O prærogativa inenarrabilis! Quis te docuit, o Francisce, servire Domino, aut in qua nova schola, ex qua mirabili doctrina, a quo cælesti magistro didicisti ad tam altum excelsumque perfectionis gradum pertingere, ut nullus umquam extiterit vel Sanctus vel Sancta, qui in donis Domini tibi fuerit æqualis.

* *supple* ea tuleris.

vident insuper B. Ægidii et duorum aliorum corpora integra.

77 Hæc omnia verba, multaque alia protulit Papa, coram illo Dei Sancto raptus extra se, copiosisque lacrymis, (et nos simul cum ipso) pavimentum sacri loci rigans. Quam ob rem cum denuo paululum orasset, seque Sancto commendasset, Pontifex prior recessit, quem nos secuti sumus, non ante tamen, quam apertis duabus arcis, quæ erant in duabus aliis tribunis, vidimus duo alia discipulorum illius corpora, etiam et illa integra, suis vestibus e rudi panno induta, et odorifera, multo tamen minus, quam corpus Magistri eorum. In ingressu vero vidimus gloriosum corpus beati F
F. Ægidii; post hæc eximus; guardianus autem clausit portas, et enixe precatus Pontificem est, ut, quantum fieri posset, servaret secretum; quod et ille promisit, et nobis quoque servandum commendavit. Hæc fuit, mi Jacobe, occasio invocandi hac nocte, dum clamabam: O Francisce, o Francisce! ex spe et fiducia, quam habebam, atque etiam nunc habeo, fore, ut ille in hoc animæ meæ transitu apud Deum intercedat.

Cum hæc narrasset Astorgius, sequenti nocte obiit.

78 At mirabile certe est, quod hic gloriosissimus Sanctus non alia de causa ipsi melius se habere visus sit concessisse, nisi ut hanc gloriam multis erga ipsum pie affectis, et eam scire aventibus manifestaret: postquam enim ista mihi narraverat, cœpit denuo ita pejus se habere, ut subsecuta nocte excesserit e vivis, tanto certius de veritate dictorum testimonium relinquens, quanto minus credendum est, virum (maxime talem) morti jam propinquum, dedita opera et absque justa causa fingere voluisse et mentiri, dum erat redditurus severam rationem Deo, qui nec magis nec minus severissime reos et impostores damnat, quam coronet sanctos electos suos in terra, ac multo etiam magis in cælo, corpora eorum animasque in æternum beans sua beatissima visione, ad quam per suam gratiam nos perducat, ubi ille Trinus et unus semper vivit et regnat in secula seculorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

culorum. Amen. *Hactenus epistola Bauciana, in cujus versione magis studendum credidi litterali sensui, quantum licuit, servando, quam nitori sermonis.*

§ VI. Nicolai V anno MCDXLIX accessus Assisium probatur : expenditur auctoritas Jacobi Oddonis, Mariani Florentini, Anonymi Hispani, litterarum Baucianarum editoris, Marci Ulyssiponensis Chronicorum et Horatii Diolæ.

Ex præmissis constat, Nicolaum V anno 1449

Nicolai V summi Pontificis anno 1449 *in civitate Assisiensi præsentiam rectissime probarunt supra num.* 49 *prodigiosi situs corporis defensores; allataque ab illis ibidem testimonia publica dubitare non sinunt, quin laudatus Pontifex tum temporis* ecclesiam S. Mariæ de Angelis et corpus S. Francisci *visitare* voluerit, *imo etiam visitaverit; verum hinc nihil præterea habemus pro ejusdem corporis statu situque; imo ne novimus quidem, an illud omnino viderit; cum verbum* visitare *in sensu obvio* honoris *vel* pietatis gratia accedere *etiam significet, multaque Sanctorum corpora diligenter occlusa, nec oculis*

B *exposita, eo sensu* visitari *dicantur. Valent tamen ista testimonia, ut fundamentum sint ejusdem visitationis relationibus, quod quidam subvertere frustra conatus fuit, negando laudatum Pontificem dicto anno* 1449 *Assisii fuisse.*

corpus S. Francisci Assisii invisisse.

80 *Nec aliud contendunt in sua Dissertatione Minores Conventuales, dum ad illa observant sequentia :* Indubium primo cognoscimus illius (*Nicolai V*) accessum atque incolatum in sacro Assisiensi conventu : tempus item rei gestæ definitum; finem denique atque propositum jam evulgatum Pontificis, invisendi nempe corporis S. Francisci. Horum jam recitata monumenta adeo publica, authentica, externa, simplicia sunt, ut antiquitatis exploratoribus solertissimis non argumentum veritatis quidem, sed potius demonstrationem atque evidentiam conficiant. Hoc igitur rei fundamentum primum, cujus vi, quæ sequuntur, omnia cohærentia fiunt, tutissimum atque absolutissimum est. Cætera quidem evidentiam eamdem non habent, sed dum, cur illam habere non debeant, causæ instant vehementes, tum satis est illis, ut verisimilitudinem ac probabilitatem præ se ferant, quæ sola illis inesse debuit, et contigere potuit ex ipsa rei natura. Reliquum autem soliditate fundamenti, circumstantiarum potissimarum congruitate, et accusationum

C omnium purgatione perficitur.

Arcani servandi causæ inferius expendendæ.

81 Primum ergo advertimus (ut sæpius infra dicendum est) experimentum præclari hujus prodigii non minus Dei profundiori inscrutabilique consilio, quam hominum non immerita diligentissimaque cautione, summi atque inviolabilis semper arcani loco fuisse, ut partim ex ipsis relatis monumentis constat, et plenius firmioribus testimoniis comprobabimus. *Arcanum illud, seu causam silentii veterum, quod non minimum adversariorum adversus sacri corporis incorruptionem et admirabilem situm argumentum est, infra pluribus cum illis examinabimus; interea expendamus testimonia pro veritate prodigii allata; quanto enim hæc fuerint probatiora, tanto verisimiliora etiam fient, quæ de servata arcani religione ejusque causis proferuntur, tantoque minus roboris habebit argumentum a silentio veterum petitum. Ordiamur a relatione Jacobi Oddonis, quam Romanæ Dissertationis auctor* § 4 *primo loco recensuit.*

Datur notitia Jacobi Oddonis,

82 Jacobus Oddo Perusinus (*inquit ille*) nedum fuit Eustorgio ac Nicolao V coævus, sed insuper cœnobium S. Mariæ Angelorum incolebat, dum Pontifex Assisii ea peragebat. Quis vero testem proximiorem loco atque tempore postulaverit? Neglectis etiam Baucianis litteris, unus hic testis jam satis est; isque nulli hominum (ex jam libatis) suspectus. De ipso præterea narrat Wadingus ad annum MCDLXXIV, scripsisse nempe plano et sincero stylo, rudique sermone Italico Speculum Ordinis, seu Francischinam, duodecim capitulis distributam. Tandem Francischinæ hujus authographum ipsum petivimus ex tabulario citato monialium Clarissarum Montis Lucidi Perusii, repudiatis reliquis, utpote vitiosis, exemplaribus. Perusini igitur tum persona, tum relatio, in portu navigant, quod est jam satis ad rem. *Hactenus rursum Dissertatio Romana, quæ si hoc in loco omni ex parte firma sit, affirmanti sententiæ non leve addet momentum.*

AUCTORE C. S.

83 *Jacobum Oddonem Nicolao V et Eustorgio synchronum fuisse, certum apparet; at non ita certo dicere possum, ejusdem Francischinæ authographum esse, quod apud Clarissas Montis Lucidi Perusii asservatur. Dubitandi causas accipe. Codex ille a notario dicitur quidem* in carta edina, *seu* hædina, *et* charactere vetere *scriptus esse, non tamen ut ipsius Jacobi* autographus *laudatur. Nec magis id observavit, a quo ejusdem apographum nostrum accepimus, R. P. Missorius Minor Conventualis, alibi laudatus, cujus verba huc transfero :* Is est Jacobus Oddo, Francischinæ author, cui quidem supremam manum imposuit anno Domini MCDLXXIV, unde hujus epistolæ (*Baucianæ*) exemplum publici tabellionis manu nostri excipi fecerunt (servatur siquidem quam diligentissime apud moniales Montis E lucis in urbe Perusina) propterea quod reverendissimus F. Octavius (*episcopus Assisiensis, de quo alibi*) negaverat, narrationem hanc eo codice contineri.

ejusdemque Francischinæ exemplarium,

quæ non omnia æque emendata esse dicuntur.

84 *Suum, quod e conventu Montis Perusini acceperat, exemplar magis commendavit Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1226, *num.* 38, *ubi nominans aliquos, qui* S. Francisci *animam mox ab obitu ad cælos ascendere visam scripsere, hæc addidit :* Sed et pulchro minio variisque coloribus perbelle ante bis centum annos depinxit frater Jacobus Oddo Perusinus in Speculo Franciscano, vulgariter Franceschina, apud me Ms. *Verum si hoc exemplar, uti verba innuunt, autographum Jacobi sit, in eoque prædicta Nicolai V visitationis relatio, seu epistola Bauciana exstet, miror, cur eruditus Annalista, hac præterita, aliam manifeste fabulosam ex Rodulphio et Sedulio recuderit. Denique tertium Francischinæ exemplar, in conventu Portiunculæ servatum, pro autographo non haberi, colligo ex R. P. Gabriele Rotomagensi, qui in Dissertatione sua scribit, illud, si illustrissimo Octavio, Assisiensi episcopo credimus, falsificatum esse; quod ipse Gabriel sic in dubium revocat, ut tamen quædam in eo fabulosa legi affirmet.*

F

In iis occurrunt quædam de situ

85 *Denique, quam parum Missorius ipsemet Perusino monasterii Clarissarum codici fisus fuerit, satis innuit, candide dicens :* Equidem ipse paulum admodum duabus hisce Romanorum Pontificum (*Gregorii IX, de qua infra agemus, et Nicolai V, in eo codice relatæ*) visitationibus confiderem, ni tertia suppeteret, quæ a Sixto IV facta est. Hanc profecto longe firmiorem, una et altera, quas modo expendimus, confidentius pronuncio *etc. Hanc quoque inferius expendemus. Porro modus loquendi, quo Jacobus Oddo in eadem Francischina alibi utitur, istud Opus de interpolatione suspectum facere potest. Nam teste P. Gabriele Rotomagensi, Jacobus de* S. Francisci *corpore hæc etiam habet Italice, quæ ipse sic reddidit Latine :* Jacuit in dicto loco (*in ecclesia S. Georgii, ubi primam sepulturam, accepit*) illud sacrum corpus circa quatuor annos, donec fuit translatum sacrum corpus ad locum, ubi jacet ad præsens; *id est, in sua ecclesia. Eodem modo loquitur, idemque verbum* jacuit, jacet, *Italice* giacque, giace, *adhibet de situ corporis in secundo, ac in primo depositionis loco; quod mirandum est, si in eodem Opere recitaverit relationem, in qua idem illud corpus, quod in prima sepultura sine dubio jacuerat, in secunda erectum in pedes stans ante viginti quinque circiter annos a Nicolao V visum esse affirmatur.*

86 *Alterum, quod adversus ejusdem Jacobi auctoritatem*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S. *et exenteratione sacri corporis miraculo non faventia,*

ritatem objicitur, est, quod ipsemet in eadem denuo Francischina scribat, corpus S. Francisci, *antequam ad ecclesiam S. Georgii transferretur, exenteratum fuisse, et exemptum cor cum intestinis apud Portiunculam relictum, quod non admittent Minores Conventuales. Difficultatem primo loco objectam alibi multis diluere conatur Romanæ Dissertationis auctor Rugilus, contendens, verbum* jacere *ex communi de cadaveribus loquendi more etiam dici posse de cadavere in pedes suos erecto : sed de hoc pluribus infra. Secundam difficultatem ipsemet sibi objicit, ad eamque respondet, ita disserens.* Sed Perusinus (inquiunt) in Francischina eamdem exenterationem etiam sacri corporis asserit. Nihil omnino istud ad rem. Perusinus pro Nicolai V ad sacrum corpus descensu synchronus ac pene ocularis est testis, idemque ab omni suspicionis labe purissimus. Jure igitur optimo plenam hic obtinet authoritatem et fidem : in causa vero quietis intestinorum et cordis extra sacrum corpus, jam constat, testem non esse coævum : jam patet, innocentem recitasse verba majorum, famamque illam sequutum, de qua nimis multa suo loco dicenda sunt.

quæ scriptoris imprudentiam argunnt,

87 Valet ergo ejus authoritas in eo, quantum fama ipsa apud nos infra valebit, eamdemque propterea suspicionis vel lapsus sententiam subibit, B cui ipsimet erunt traditionis fontes obnoxii. Si vero iterum urgeant : Ergo prudentiam in scriptore isto magnopere desideramus, quippe qui contraria miscuisse non videat. Ex hoc igitur saltem ipsius authoritas laborabit. Primo aliud est, hominem esse imprudentem, aliud vero mendacem. An non poterit imprudentissimus idem ac sincerissimus esse? Illud enim mentis, hoc vero cordis est vitium. Judicio Perusinus caruit? Esto. Non id ab ipso conquirimus : ingenuus dum sit, jam sufficit nobis. Sinceritatis vero illum jam paulo superius cum Wadingo laudavimus; sinceritatis nunc iterum in utroque, licet opposito, asserto laudamus. Quod vero in utroque non eadem illi debeatur fides, hoc aliunde est, ut prolixius et aptius infra. *Hæc ille. Fateor ego, posse aliquem imprudentem simul esse et sincerum, ac plurimum quoque interesse, utrum quis sui temporis facta, an binis sæculis anteriora enarret.*

nisi interpolatori possint attribui.

88 *Verumtamen, his etiam positis, ut Oddonem tam crassæ imprudentiæ certo arguamus, oportet, ante constare, Perusinum Clarissarum Montis Lucidi codicem esse ipsummet Oddonis autographum : nam si codex iste aliena manu exaratus sit, cur non hunc interpolationis potius, quam Oddonem imprudentiæ, accusemus? Sane ipsemet laudatæ Dissertationis auctor, dum sacri corporis exenteratio ab* C *adversariis ex Pisano objicitur, non Pisani, sed interpolatoris, assertum illud esse reponit, ne Pisanus sibi suoque proposito contraria scripsisse credatur, uti pluribus dicetur* § 18. *Verum fac, Perusinum illum codicem ipsius Oddonis manu esse conscriptum, satisne idoneus in re controversa videri testis debebit scriptor sibi contraria narrans, referensque omnino singulare prodigium, sui quidem temporis, sed quod nec ipse vidit, nec ab aliquo, qui viderit, acceptum profitetur? Anne prorsus inepte adversæ opinionis sectatores reponerent, tam imprudenti viro recentem fabulam facile potuisse pro vero facto obtrudi, atque eo etiam facilius, quod, cum res a paucis secreto peracta fuisse, ac sub religione arcani celata diceretur, non haberet, a quo veritatem expeteret? Verumtamen si codex ille autographus Jacobi Oddonis sit, negari nequit, saltem anno 1474, quo Francischinæ suæ ultimam manum imposuit, quique fuit annus vigesimus quintus, ex quo visitatio sacri corporis per Nicolaum V facta dicitur, jam exstitisse epistolam illam Baucii ad Antonium Andriensium episcopum, quæ ætas profecto non parum illam commendat.*

Cur Marianus Florentinus hic laudetur.

89 *Pergo Dissertationis verba recitare.* Marianum Florentinum, quem in superiori nostræ commentationis parte... parvi fecimus, hic non immerito visitationis istius patronum advocavimus, ejusque relationem, utut mutilam, ex abundanti nuper adjecimus. Sunt nempe,... apud quos bene audiat. D Jam supra vidimus Wadingum ipsum passim vestigiis illius inhærentem. Author vero Theatri genealogiæ Prov. Tusc. Terringa, Ordinis Minorum Observantium p. 5, t. I, serm. 4, pag. 28 summis illum laudibus tollit, et fidelem Minoriticarum rerum relatorem ac diligentissimum monumentorum collectorem nominat. Is præterea nec longe abfuit a Nicolai V temporibus, et suppar illi ad minimum est. Item pœnu, unde ipsius fragmentum deprompsimus, (*vide dicta num.* 59) est omnino inculpatum. Unde vero ipse, quæ scripsit, desumpserit, ignoramus; imo et fatemur, ut assolet, etiam hic nævos habere quam plurimos. Sed statim infra de his. *Quam parum ego auctoritati Mariani, qui sæculo* XVI *adolescente obiit, tribuendum putem, sat liquet ex dictis in Commentario Vitis* S. Francisci *prævio : nævos vero, quos habet ejusdem relatio de visitatione Nicolai V, suo loco breviter animadvertam.*

Quæ sit auctoritas litterarum Baucii, quas ex anonymo

90 Marco Ulyssiponensi (*ita sequitur in Dissertatione Romana*) primas fidei concessimus in omnium editis Baucianis litteris; ac jure quidem merito. Is enim tum Francisco de Bautio contemporaneus fuit, tum primus editor illarum est post anonymum, qui authoris ipsius loco habendus est; quanquam illas ex autographo Portugallicas fecerit. Nam Italicæ nullæ ipsius authoris supersunt, E et verosimilius editæ numquam sunt; sed scripto tantum redditæ episcopo Laquidonensi; a quo cum relatus, ut præfertur, Gonsalvus Hispanus pio dono susceperit, pronum fuit, ut redux in patriam, vel edi illas sineret, vel etiam interpretandas et edendas curaret, compresso interpretis nomine. Quæ quoniam sunt ejusdem materni idiomatis, ac verbatim ipsissimæ apud Marcum, rite consequitur, illum esse jam vel earum fontem, vel fonti simillimum; adeoque Baucianas litteras omnes, Hispanas, Latinas, Italicas, quæ deinde a multis variis in locis atque diversis temporibus sunt multifariam editæ, jure vel contemnendas, vel primigeniæ Marci Ulyssiponensis fidei esse restituendas.

Lusitanice edidit Marcus, et Italice Diola,

91 *Marcus Ulyssiponensis, teste Waddingo in Scriptoribus Minorum, floruit sæculo* XVI, *circa cujus annum octogesimum obiit episcopus Portugallensis, id est, annis circiter* 130, *postquam Nicolaus V corpus* S. Francisci *conspexisse dicitur. De Opere autem illius sic habet :* Scripsit idiomate Lusitanico Chronica Ordinis Minorum, tribus partibus distincta,... quæ in linguam Hispanicam Didacus Navarrus, provinciæ Castellæ Minister, et Philippus a Sosa, provinciæ Bœticæ; in Italicam Horatius Diola Bononiensis; in Gallicam Joannes Blancona Regul. Observ., transtulerunt. *Nulla harum edi-* F *tionum in promptu est mihi, atque hinc dubium me facit R. P. Raymundus Missorius jam supra laudatus, cujusmodi litteras Marcus Ulyssiponensis suis Chronicis inseruerit; easne, quæ Antonio Andriensi episcopo, an quæ Gonsalvo Hernandez Cordubensi, inscriptæ circumferuntur. Primas certe indicat auctor Dissertationis Romanæ; secundas Missorius.* Circumfertur quidem (*inquit hic*) Epistola quædam Francisci de Bautio Andriensium ducis, cujus rei apud chronologos exemplum deprehenditur; alterum ad Consalvum Cordubensem, cognomento Magnum Ducem, apud Marcum part. I, lib. 2, cap. ultimo; ad episcopum Andriensium alterum apud Vadingum an. D. MCCXXX, num. IV. *Deinde postquam, interjectis aliis, dixerat, eam, quæ Andriensi episcopo inscripta est, a Jacobo Oddone in Francischinam esse illatam, sic pergit.*

de cujus editionibus

92 Marcus vero, Chronicorum auctor, undenam persimilem exscripserit epistolam, non facile dixerim. Nam, quod ex Historia authentica vitæ S. Francisci eam sumpsisse fatetur, haud puto, Francischinam a Marco indigitari; propterea quod, quæ in Francischina legitur, Andriensium episcopo missa fuit, sed quæ apud Marcum, Consalvo Cordubensi. *Multum diversa hæc sunt ab iis, quæ de Marci editione ex alia Dissertatione Romana, seu Rugili, retulimus; at utra ex parte stet accuratio,*

ex

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *ex primigeniæ Marci editionis inopia nequeo statuere. Habemus tamen geminam alteram, unam scilicet Lusitanicam, a Ludovico dos Anjos, Fratre Minore provinciæ Algarbiensis, revisore et qualificatore concilii generalis sacri Officii, curante et emendante, ut præfert titulus, factam Ulyssipone apud Petrum de Crasbeeck anno* 1615; *alteram Gallice versam a D. Santeul ex editione Hispanica Didaci Navarri, editamque Parisiis typis Roberti Fouet anno* 1625. *In Lusitanica moæ dicta parte* I, *lib.* X, *cap.* 1 *recensetur ea de re epistola Baucii, sed acephala, diciturque data fuisse ad* Magnum Capitaneum Gonsalvum Fernandez; *in Gallica vero in fine libri* II *integra,* Antonio episcopo Andriensi *inscripta, sed* versa ex autographo Latino, quod in manus incidit magni Capitanei Gonsalvi Hernandez; quo tempore hic Neapolitanum regnum expugnabat. *Hæc, non illa, nostro Horatii Diolæ apographo consentit.*

non consentientibus

93 *Nullum vero ejusdem per Diolam versionis Italicæ exemplar typis editum ad manus meas pervenit; quare solum observare hic possum, non eodem modo de ejusdem editionibus loqui Gabrielem Rotomagensem et auctorem Dissertationis Romanæ. In hac sic legitur:* Demum Horatius Diola Bononiensis Italice litteras ipsas reddidit, ac typis Venetis prodidit opera

B Dominici de Imberti anno MDLXXXV (seu MDLXXV:) *apud illum autem sic:* Horatius Diola, Bononiensis sæcularis, e lingua Lusitanica, aut Hispanica, traduxit in idioma Italicum primam partem Chronicorum Ordinis Minorum, a P. Marco de Olyssipona collectorum, et illam impressit Venetiis anno MDLXXXII apud Antonium Ferrari. In illa editione ponit lib. II in fine Epistolam Baucianam ad episcopum Andriensem Antonium: deinde ista editio fuit emendata in aliquibus locis ab ipso Horatio Diola, et postea reimpressa Parmæ apud Erasmum Viotti circa annum MDLXXXIII, ut puto; nam in frontispicio non est signatus annus impressionis, sed tantum in fine Epistolæ dedicatoriæ data est de anno MDLXXXII.

pauca annotantur.

94 Sed, quidquid sit de anno impressionis, ista editio Parmensis est posterior Veneta citata, ut patet ex Epistola dedicatoria et Allocutione ad lectorem, initio primæ partis secundæ editionis, nempe Parmensis, appositis... In ista secunda editione Parmensi non ponitur amplius EPISTOLA Bauciana ad EPISCOPUM ANTONIUM, sed bene alia epistola Bauciana AD MAGNUM CAPITANEUM GONSALVUM HERNANDEZ DE CORDUBA; et ponitur, sicut in prima, lib. II in fine. *Fortasse hæc de editionibus Diolæ discrepantia tollenda est, dicendo, Dissertationis Romanæ*

C *auctorem, non de Chronicorum Marci, sed de Baucianæ epistolæ ex illis excerptæ, et Italice seorsum vulgatæ, editione agere. Porro, quod nos ex Diolæ editione descriptum habemus, exemplar continet Baucii epistolam ad Antonium Andrienem episcopum, cui etiam inscriptam asserit Gabriel, quam Diola in prima editione Italica Chronicorum Marci dederat, et in cujus locum in secunda editione substituit alteram, velut ab eodem Baucio ad Gonsalvum Hernandez scriptam; verosimiliter, quod hanc illi præferendam putaverit. Idem statuendum videtur de Ludovico Dos Anjos, qui in sua Lusitanica editione eorumdem Chronicorum epistolam Baucii Gonsalvo inscriptam excudit.*

Videtur earumdem litterarum fides

95 *Mittamus modo reliquas Baucianarum litterarum editiones, ut primam, post anonymum Hispanum, Marci Ulyssiponensis, et, qui hunc secutus dicitur, Horatii Diolæ, ponderemus. Secundum hactenus allegata Cardinalis Astorgius, Nicolaum V Romanum Pontificem comitatus, corpus* S. Francisci *vidit integrum, incorruptum, atque instar vivi, sine ullo fulcimento, suis pedibus insistens erectum, anno* 1449; *idemque Cardinalis hujusce rei arcanum, quod ex hujusdem Pontificis mandato religiose servaverat, appropinquante morte (anno, ut videbimus,* 1451) *revelavit Jacobo Cavaline, prius canonico Beneventano, deinde episcopo Laquidonensi anno* 1452 *creato. Hic, quæ ab Astorgio audierat, narravit Francisco Baucio, Andriæ duci, eademque ab illo ad Antonium Andriensem episcopum scriptis consignata recepit, et dono misit Gonsalvo Hernandez Cordubensi, tunc regnum Neapolitanum expugnanti. Gonsalvus, in patriam redux, easdem Francisci Baucii litteras, ad Antonium Andriensem episcopum datas, et a Jacobo Laquidonensi antistite sibi donatas, Lusitanice verti, typisque vulgari permisit, aut etiam curavit; idque effectum fuit per Hispanum anonymum, qui illas ex autographo Lusitanice versas una cum Vita* S. Francisci *omnium primus juris publici fecit.*

AUCTORE C. S.

96 *Post hæc Marcus Ulyssiponensis easdem ex illo anonymo Hispano verbatim eodemque Lusitano sermone fideliter exceptas suis Minorum Chronicis addidit anno* 1536; *ac tandem Horatius Diola Bononiensis ex Marco Italica lingua donatas, illiusque editioni præ ceteris conformes, typis dedit Venetiis* anno 1585 seu 1575, *ex qua editione acceptum est apographum nostrum, quod Latine reddidi. Itaque harum litterarum fides et auctoritas pendet a sola fide et auctoritate istius anonymi Hispani,* qui authoris ipsius loco habendus est; *nullus enim alius laudatur, qui dixerit, se autographas Baucii litteras vidisse, aut ea, quæ in iisdem litteris narrantur, vel ab Astorgio, vel a Jacobo episcopo Laquidonensi, vel*

et auctoritas unice pendere

ab Antonio Andriensi episcopo, vel denique a Bau- E *cio quocumque modo intellexisse. Jam vero quis, cujus fidei, cujus auctoritatis ac conditionis anonymus ille fuerit, non exponitur, nec cum chronologia stare potest occasio, qua Baucianæ illæ litteræ Gonsalvo Hernandez (a quo in Hispaniam perlatæ perhibentur) a Jacobo Laquidonensi antistite dono datæ dicuntur; nempe* quo tempore hic Neapolitanum regnum *pro rege Catholico Ferdinando* expugnabat. *Celebris hic belli dux ob res insigniter gestas* Magnus Capitaneus *cognominatus, non legitur in hunc finem in Italiam venisse ante annum* 1495, *unde post subactum idem regnum in Hispaniam rediit anno* 1507, *ubi anno* 1515 *mortuus est. Sed diu ante* 1495 *obierat Jacobus Cavaline, in cujus sede Laquidonensi apud Ughel. tom. VI Italiæ sacræ auctæ col.* 859 *ab anno* 1471 *usque in* 1506 *leguntur* Petrus, Joannes *et* Nicolaus, *in Arianensi eo tempore* Jacobus Perphida, Nicolaus, Paulus, *ac iterum* Nicolaus; *ut adeo non potuerit laudatus Jacobus Baucianas literas Gonsalvo regnum Neapolitanum expugnanti donasse.*

97 *Sed nec ipsi Dissertationis Romanæ auctori satis firmam visam esse eam donationem, colligo ex eo, quod, ut dubii assolent, illam referat cum verbo* fertur; *ac deinde etiam subdat:* Utut vero ea res se habuerit, certum est, sub iisdem temporibus in linguam Portugallensem translatas, ab Hispano F anonymo fuisse editas cum Vita S. Francisci. *Sit ita: verum agnita hujus donationis falsitate, litterarum fides etiam magis unice pendet ab anonymo, illarum primo editore, qui cum cetera nobis ignotus sit, nescimus, an, si minus de impostura, saltem de nimia credulitate, et facilitate in temere admittendis ab alio quopiam deceptore obtrusis litteris suspectus esse nequeat. Id interim certum est, earumdem litterarum auctoritatem non posse esse potiorem, quam istius anonymi, primi editoris.*

ab Hispano anonymo, illarum primo editore.

§ VII. Personæ in Relatione memoratæ tempori et adjunctis congruunt; corporis B. Ægidii præsentia perperam asserta: variarum litterarum diversa inscriptio. non consona et falsa narratio.

Personæ in Baucianis litteris memoratæ

Nunc ad ipsasmet Baucii litteras expendendas veniamus, ducto principio a personis, quæ in iis memorantur. *De hisce ad propositum nostrum ita recte observat Romanæ Dissertationis auctor Rugilus:* Personarum advocatarum (*a Nicolao V ad videndum corpus* S. Francisci) veritatem generatim tuetur ipse Waddingus ad annum MCDXLIX num. 11, ubi aperte testatur, se oculis suis percurrisse integrum Nicolai V Pontificis Regestum et Acta consi-

 storialia,

AUCTORE C. S.

storialia, ibique personas a Baucianis litteris adscitas, præcipue vero Austergium (*alii* Astorgium *dicunt*) et Jacobum opportune contulisse; quo fit, (ut ipse concludit) ut omnia optime cohæreant. Constat præterea ex aliis, Eustorgium, narrationis illius testem et originem, ex familia fuisse Agnesia Neapolitana, et vixisse annos sexaginta, ut ex ejus epitaphio Romæ palam in claustro S. Mariæ supra Minervam. Exploratum est insuper, creatum illum episcopum Mileti in Calabria a Joanne XXIII; hinc ad ecclesiam Ravellensem fuisse translatum anno MCDXIII; inde ad Amalphitanam (*imo ad Melphiensem*) postea a Martino V Pontifice ad Anconitanam anno MCDXXII; postmodum ab Eugenio IV ad archiepiscopalem Beneventanam anno MCDXXXVI; præterea a Nicolao V ad Romanam purpuram evectum sub titulo S. Eusebii anno MCDXLVIII; demum obiisse Romæ die X Octobris anni MCDLI.

in adjunctis omnibus recte invicem

99 *Jacobum Cavaline, cui Astorgius ea revelasse dicitur in litteris Baucianis, primo fuisse canonicum Beneventanum, deinde vero anno* 1432 *Laquidonensem episcopum creatum esse, probatum ex Ughello est supra num.* 63. *De tertia persona in iisdem litteris memorata, quæque Nicolao V sacrum corpus visenti adstitisse dicitur, Waddingus loco* B *proxime citato hæc addit :* Petrus de Noceto, qui Pontificem ad ecclesiam subterraneam associavit, eidem (*Pontifici*) fuit a secretis, ut ex multis Pontificiis tabulis, seu Brevibus mihi constat. *De Astorgio quoque ac Baucio post pauca subdit :* De Cardinalis Astorgii pietate, et ducis Andriæ virtute multoties loquebatur B. Jacobus Picenus, et ducem quotidie recitasse divinum Officium, et multa pii principis munia exercuisse, narrabat *etc. Is ipse est Franciscus Baucius, seu de Balzio, Andriæ in Apulia dux, qui corpus S. Richardi Andriensis episcopi anno* 1458 *invenit et transferri curavit, ejusque rei historiam anno* 1451 *conscripsit, quam habes in Opere nostro editam a Papebrochio ad diem* 9 *Junii a pag.* 248. *Hæc observo, ut studiosus lector advertat, minime alienum fuisse a laudati ducis pietate et indole, mirabilia Dei in Sanctis ejus etiam scripto celebrare; minusque miretur, si Antonius Andriensis episcopus ab eo postulaverit, ut, quæ a Jacobo Cavaline de prodigioso statu corporis* S. Francisci *audierant, scriptis consignaret, idque ille facere non recusaverit.*

et tempori congruunt.

100 *Insuper eodem, quo isti floruerunt, tempore Andriensem in Apulia episcopatum tenuit mox memoratus Antonius, quo rogante, dicitur Baucius sæpe dictas litteras composuisse et eidem inscripsisse.* C *Nam apud Ughellum tomo VII Italiæ sacræ auctæ, in serie ejusdem sedis antistitum col.* 931 *hæc legere est :* Fr. Antonius de Joannocto, Andriensis et Montis Pelusii episcopus anno MCDLX, mortem oppetiit anno MCDLXIII; *sed in margine additur, hunc forte eumdem esse cum præcedenti, de quo ibidem sic legitur :* Fr. Antonellus Ordinis Minorum, antea episcopus Gallipolitanus, ad hanc ecclesiam translatus XII Kalendas Octobris anno MCDLII, simulque fuit Montis Pelusii episcopus, qui primus illius sedis præsul numerandus est in serie supra relata tom. I. *Eumdem esse, persuasum habeo ex Antonii Melissani Supplemento ad Annales Waddingi, in quo is ad annum* 1451, *num.* 3 *docet, fratrem* Antonellum de Joannetto *a Nicolao V Gallipolensem episcopum creatum esse. Idem itaque videtur, qui ab Ughello* Frater Antonellus... antea episcopus Gallipolitanus, *et* Frater Antonius de Joannocto (*velut alter*) *nominatur, quemque Antonius Melissanus* Antonellum de Joannetto Gallipolensem episcopum *dixit. Quantumvis tamen duo diversi essent, sic utique congruunt tempori, ut utrivis scribere Baucius potuerit. Apprime igitur conveniunt nomina, ætas, dignitates, ceteraque adjuncta personarum, in Baucianis litteris nominatarum, quod ad earumdem fidem non parum conferre debet.*

101 *Porro* res ipsa (*ita rursus Dissertatio Romana*) sive narrationis series atque complexio in facti substantia absurdi habet nihil; imo nihil non D optime traditioni nostratum antiquiori, ac posteriorum testium relationibus compositum; quod arbitramur perspicuum. Circumstantias quod attinet, non imus inficias, discrepare nonnulla, tum in ipsarum narrationum ac litterarum, præsertim Bauciarum, dictione, versione, textura, tum in ipsis vocatis atque narratis rebus : sed hæc tanti non sunt, ut rei substantiam afficiant, et authoritatem omnem historiæ subvertant. *Hæc ibi : ego, ne dissertationem meam implexiorem reddam, de dicta litterarum varietate, earumdemque in narratione dissonantia, agam infra; nunc vero solas, quas ex apographo Italicæ versionis per Diolam factæ Latinas exhibui, paulisper expendam.*

Est quidem ista relatio ceteris purior,

102 *Omnino fatendum est, hasce longe puriores esse ceteris; sunt tamen et in iisdem, quæ suspicionem minime favorabilem nata sunt movere. Media e tribus illis tribunis seu sacellis in fornicem erectis, in qua* S. Francisci *corpus stabat, dicitur* tota miraculose facta, *atque ita novum rursus obtruditur miraculum, nisi credamus, id ita quidem Astorgio ob venustatem artificii visum esse, sed sacellulum illud humana opera eleganter factum esse sacro* Francisci *corpori honorifice deponendo, hocque in eo depositum fuisse, dum anno* 1230 *ex ecclesia S. Georgii illuc translatum est. Si hoc ita sit, oblitus est Astorgius loqui de loculo seu arca, in qua illud jacuit, antequam tam mirabiliter se erexit in pedes; sive enim illud in nova arca ex ecclesia S. Georgii illuc translatum fuerit, sive in eadem (quod verisimilius est) in qua primo fuit sepultum, et de qua Thomas Celanensis expresse meminit in Vita edita num.* 118; *arca illa eodem loco, in quo ipsum est corpus, esse dicenda est; nam si post illam corporis erectionem inde fuisset amota, procul omni dubio inter sacras reliquias servaretur alicubi, quod a nemine traditum legi.* E

displiscent tamen in ea quædam adjuncta,

103 *Latere vero eam ibidem sub terra, verisimile non est, si, ut Astorgius num.* 77 *etiam asseruit, duorum* S. Francisci *sociorum corpora in sacellulis proximis, inclusa suis arcis, supra terram quiescant. Quorsum enim sancti Patris corpus, non æque ac duorum sociorum illius corpora, supra humum fuisset depositum; maxime cum in tam arcano securoque loco nihil ipsi timendum esset a raptoribus? Verum ea ipsa de duobus illis corporibus, simili integritate et fragrantia divinitus donatis, narratio suspecta mihi est, tum quia sic cumulantur miracula, tum quod eorumdem nomina nec Astorgius, nec quisquam alius, quem sciam, proferat, quorum notitiam non facile obliterari potuisse, alioquin suadent mira cum fragrantia asserta integritas et tam honorifica prope sanctum Patrem suum in singulis separatis sacellulis sepultura.* F

maxime de inventis duobus corporibus odoriferis.

104 *Quod autem eodem num.* 77 *dicitur :* In ingressu vero vidimus gloriosum corpus beati fratris Ægidii, *certo falsum est; cum constet, hunc Beatum apud Perusium in suburbano conventu mortuum esse, et Perusii sepultum, ibidemque sub proprio altari coli; ut videri potest in Opere nostro ad diem* 23 *Aprilis, consentientibus Waddingo, ceterisque scriptoribus Ordinis Minorum; ut non nisi imperitus et incautus narrator potuerit illud in subterranea* S. Francisci *Assisiensi ecclesia collocare. Hic tam turpis error cui tribuendus est, Astorgione Cardinali, an Jacobo Laquedonensi episcopo, an Francisco Bauciæ duci Andriensi? Auctor Dissertationis Romanæ, ut hanc a Baucianis litteris labem abstergat, non unam inivit viam.* Quod autem (*ait*) in ipso Ulyssiponensi exemplari (*ad quod ceteras earumdem litterarum editiones exigi opportere statuit*) corpus B. Ægidii ad oram ecclesiæ illius subterraneæ vidisse, etiam narret Eustorgius, cum sit ex adverso compertum, corpus B. Ægidii, vulgo extatici, requiescere in ecclesia S. Francisci ad Montem Perusii, adminiculum hoc unum, non in narratione ipsa, sed in ejus calce, ac præter ordinem manifestissime adjectum, tum non ab omni interpolationis suspicione subducitur; tum, si revera Eustorgii ac

et corpore B. Ægidii, certe ibi non exsistente;

A ac Marci illud sit, confestim ac tute mendacii convinci non potest.

nam alium indicari, quam Ecstaticum, non est verisimile,

105 Nam Extaticum illum Ægidium non dixit; atque proinde alius quis esse potuit Ægidius præter Extaticum : vel tandem, si nullum ab Extatico extitisse umquam contendas, id iterum, non in relationis sinceritatem, sed in spectantium conjecturam urget. Non enim subdit Eustorgius monumentum, unde id certo cognoverit; arbitratum potius suum refert; quod si revera arbitratus est, deceptus est quidem, dum illud est arbitratus; at verum dixit; adeoque nec Eustorgius narrans, nec Marcus referens, mendacii culpandus est. *Ægidius, qui Perusii quiescit, propter frequentes ecstases suas vulgo dictus est* Ecstaticus; *de hujus corpore hic agi, certe credidit scriptor litterarum Baucianarum, quas Petrus Rodulphius, Henricus Sedulius, et post hos Waddingus ediderunt; cum in his* Ecstatici *cognomen expresse addatur. Eumdem indicavit alter earumdem litterarum Gonsalvo Fernandez inscriptarum Lusitanus editor, Ludovicus Dos Anjos, in quibus dicitur* corpus sancti fratris Ægidii, qui, dum adhuc viveret, meruit videre Jesum Christum; *quod de B. Ægidio Ecstatico, Perusii quiescente, non uno in loco asseritur inter ejus dicta ad supra*

B *citatum diem* 23 *Aprilis.*

nec quis ille alius sit, assignatur.

106 *Quid multa? ipso fatente auctore Dissertationis Romanæ, nescitur, quis sit iste alter B. Ægidius, cujus corpus Astorgius in subterranea Assisiensi ecclesia vidisse in his litteris perhibetur. Nec propterea Marcus, si anonymum Hispanum fideliter descripserit, culpandus mendacii est; imo nec Astorgius; sed quæritur hic, quam verosimile sit, assertum istud vere Astorgii esse, cum certo falsum sit. At enim, inquis, ita ille ex conjectura erronea arbitratus est. Sed quotusquisque est, qui in simili casu non interroget, si possit, eos, qui novisse debent? Potuisset autem id Astorgius facile percunctari tum ex guardiano, tum ex tribus illis fratribus, sacri loci custodiæ deputatis, qui adfuisse dicuntur. An et hos id ignorasse, dicemus? Quam verisimile hoc sit, erudito lectori statuendum permitto. Demum interpolatio non satis probatur ex eo, quod res alieno loco narretur, cum id fieri potuerit, quia litterarum scriptori, ad narrandum* S. Francisci *corporis miraculum (quod narrandum sumpserat) properanti, in initio sermonis non inciderat de altero illo corpore loqui.*

Quam ob rem litterarum fides hic vacillat,

C 107 *Si tamen interpolatio omnino hic agnoscenda esset, non faveret editioni, ad quam cetera litterarum Baucianarum exemplaria exigenda et velut ad Lydium lapidem revocanda essent. Non magis favorabiliter de eodem in aliis Baucii litteris editis asserto judicavit R. P. Raymundus Missorius, Minor Conventualis et sui Ordinis chronista, in sua, quam habeo, dissertatione Ms., dicens :* At ea (*epistola*) quam Waddingus vertit,... turpiter depravata fuerat; utpote quæ aliena consuat falsa, minimeque Marco (*Ulyssiponensi*) suspecta; cujusmodi sunt, quæ de Fratre habitu D. Dominici induto, ac de Fr. Ægidio sub eodem fornice jacente, inibi loquitur. *De corpore illo, S. Dominici habitu induto, quod in exemplari supra dato rectius siletur, sermo infra redibit. Multo etiam rectius nihil dicitur de corpore B. Ægidii in relatione Jacobi Oddonis, quam § 4 recitavi; quæ proinde ex hoc capite editionibus Marci et Diolæ præferenda est.*

non tamen ob adjectas longiores exclamationes.

108 *Quod in iisdem memoratis litteris displicere cuiquam forte insuper posset, laudatus Romanæ Dissertationis auctor Rugilus sic diluit :* Si præterea causeris prolixiores illas conciones et exclamationes, tum Pontificis relati, tum Eustorgii referentis, te mitto ad Livii et historicorum omnium conciones, exclamationes, perorationes fusissimas quandoque, ornatissimas ac vehementissimas, quas esse easdem a ducibus vel regibus illis habitas, quibus tribuuntur, nullus admiserit, nisi dumtaxat quoad rei substantiam : quodque historicis, utcumque gravissimis, fas esse ultro, nulla gravitatis atque sinceritatis jactura, litterarum omnium respublica jam diu sponte decrevit. Non igitur laborabimus, si locutiones illas affectusque Pontificios Bauciana oratio expoliverit, aut Jacobi Cavaline, aut etiam Eustorgii ipsius devotio, non nihil enarrando immutaverit : hoc enim vulgo et licet et decet, ac prorsus inoffensam relinquit rem. *Ita est; non refragabor, similia adjici potuisse, stante reliquæ narrationis veritate.*

AUCTORE C. S.

Earumdem litterarum inscriptio

109 *Promiseram supra, me etiam alias ejusdem visitationis relationes, seu alia Baucianarum litterarum exemplaria examinaturum : hoc ergo nunc præstabo; sed solum breviter, quia ipsimet Missorius et auctor Dissertationis Romanæ, eas interpolatas vitiatasque agnoscunt. Jam monui, duas præcipue circumferri de hoc argumento Baucii epistolas, unam scilicet ad Antonium Andriensem episcopum, alteramque ad Gonsalvum Hernandez vel Fernandez Cordubensem insignem belli ducem; et harum primam Lusitanice versam, ex anonymo Hispano a Marco Ulyssiponensi Chronicis Minorum insertam, ac deinde ab Horatio Diola Italice editam, teste auctore Dissertationis Romanæ. Dixi etiam, si R. P. Raymundo Missorio credimus, eam, quam Marcus Ulyssiponensis edidit, non Antonio Andriensium antistiti, sed laudato Gonsalvo inscriptam esse; Diolam vero, si R. P. Gabriele Rotomagensi standum sit, prius eam, quæ ad eumdem Antonium episcopum exstat, ac paulo post, quæ ad prædictum Gonsalvum data legitur,* E *Italice vulgasse; hancque, sed acephalam, etiam legi in Marci Ulyssiponensis Chronicis, a laudato Dos Anjos Lusitanice recusis.*

in variis editionibus variat,

110 *Porro Petrus Rodulphius, et post hunc Henricus Sedulius et Lucas Waddingus suam Baucii epistolam, omisso episcopi nomine, datam notant* ad reverendissimum atque ornatissimum D. D. Andriensium episcopum; *Santeulius in versione Gallica eorumdem Chronicorum de loco sedis consentiens, episcopum* Antonium *nominat; Pompeius vero Pellinus, a Gabriele Rotomagensi laudatus, in Historia Perusina similem Baucii epistolam ex Ms. Latino, ut ait, inventam, datamque ad* Antonium d'Antaudro, episcopum de Monte Piloso *scriptam recensuit. Quid hæc Marci Chronicorum interpretum, aliorumque in inscriptione epistolæ Baucianæ variatio aliud indicet, quam duas ejusdem Francisci Baucii nomine circumferri epistolas non satis certæ fidei, quarum una propterea uni, alia alteri, vel falsa vel suspecta visa fuerit? Quorsum enim Horatius Diola intra tam breve tempus modo unam, modo alteram vulgaverit? Mihi quidem verisimilior hic non occurrit ratio, quam quod Diola priorem fabulosam agnoscens, crediderit expedire, in secunda editione eidem substituere alteram; quamquam id nec fidi interpretis sit, nec sat feliciter ei cesserit.* F

ex quibus etiam quædam observantur

111 *Lectiones, quæ in editionibus Diolæ Veneta et Parmensi, Rodulphii et Pellini occurrunt, varias atque aliis alias magis invicem contrarias, octo numero annotavit Gabriel Rotomagensis, ex quibus ego præcipuas tantum ejusdem verbis hic refero.* Editiones Veneta Ferrarii et Parmensis dicunt, secretarium summi Pontificis retulisse Papæ angustias, quibus laborabat guardianus; et editio Pellini dicit, guardianum ipsummet in propria persona ivisse ad Papam, audita a secretario voluntate Pontificia videndi corpus Seraphicum... Editio veneta apud Ferrari dicit, quod, quando Papa cum suo comitatu et Religiosis cœpisset incedere ad videndum corpus S. Francisci, invenerunt densum et spissum murum, et quod Religiosi inceperunt ferramentis illum frangere, ita ut foramen seu apertionem sufficientem fecerint, ut commode ingredi possent. Editio vero Parmensis dicit, quod invenerunt murum densum ita sufficienter apertum, ut commode possent ingredi; ergo non inceperunt, præsente Papa, frangere murum Religiosi; ultra quam quod hoc fuisset indecens, ducere Papam ad videndum corpus, non aperto muro, antea quam Papa veniret ad ecclesiam subterraneam....

minime consentientia,

112 Editio Veneta apud Ferrari refert, visitantes invenisse unam portam æream seu æneam, cum tribus pessulis ferreis; editio Parmensis ait, fuisse tres

AUCTORE C. S.

tres januas de metallo pulcherrimis artificiis cælatas, super quas erant tres seræ cum tribus clavibus et pessulis. Editio Tossiniani (*id est, Petri Rodulphii*) unam invenisse portam ferream, in qua erant tres catenæ ferreæ, quæ apertæ fuerunt clavibus. Editio Pellini dicit, fuisse unam portam æneam, habentem tres semi-catenas cum diversis clavibus... Editio Veneta apud Ferrari dicit, Papam, cum introivisset solus ante suum comitatum, expletis suis orationibus, vocavisse alios, ut ingrederentur; sed editio Parmensis dicit, quod alii ingressi sunt ex seipsis, non vocati, et hoc ut adjuvarent Papam : timebant enim, ne exanimis factus esset, cum audivissent eum singultientem et lachrymantem; et intrantes invenerunt eum prostratum in terra lachrymas effundentem.

quæ ab eodem scriptore nequeunt esse profecta.

113 Editio Veneta apud Ferrari dicit, corpus Seraphicum stare supra unam petram in medio; editio Tossiniani ait, tribunam mediam fabricatam esse cum uno tabulato admirando marmoreo, in cujus medio erat una lamina marmorea, supra quam erat in pedes sacrum corpus. Editio Pellini fert, corpus stare in pedes supra unam basim marmoream egregie elaboratam : sed editio Parmensis longe diverso modo loquitur : nam dicit, in medio fornicis esse unam portam demissam ad instar
B cordis factam, usque ad cingulum altam, et ibi, seu in illo loco, existere corpus gloriosissimum in pedes sine ulla humana arte et sine fulcro. *Hæ sunt præcipuæ discrepantes lectiones, quas Gabriel observavit reperiri* inter has quatuor primas editiones epistolæ vel epistolarum Baucianarum (*ut asserit*) in Italia factas ab anno MDLXXXII ad annum MDXCII circiter, id est, intra parvum spatium decem annorum; *quæque cum non possint ab uno eodemque litterarum scriptore, nisi stolido, profectæ esse, non possunt etiam non ut minimum valde suspecta facere omnia de hoc argumento exemplaria litterarum, quæ velut a Baucio, sive ad Antonium Andriensem episcopum, sive ad Gonsalvum Hernandez scriptæ feruntur.*

quæque an præcipuæ earum relationis fidem

114 *Haud equidem scio, an de fictis suppositisque Baucio litteris suspicionem ex eruditorum animis satis exemptura sint, quæ in hunc finem annotavit sæpe laudatus Rugilus auctor Dissertationis Romanæ. En ea :* At Baucianæ, quæ circumferuntur, litteræ multiformes sunt. Id vero nil mirum. Fere communis ista est labes scriptorum omnium, mendis, lacunis, variantibus, contrariis etiam lectionibus plena sunt omnia : interpolatorum fraudes, amanuensium oscitantia vel malitia, jam totum litterarum orbem complevit. Quot exantlati labores in expurgandis Græcis atque Latinis scriptoribus, utinam tandem integris! Ea vero passim extrema malorum patiuntur, quæ variis transvecta et immutata linguis, orbem quodammodo peregrinantur, et stabili nulla in sede consistunt. Qua de causa quid ipsis divinis Scripturis obvenerit; quantopere locutionum et sententiarum etiam diversitate, additione, detractione, versiones illarum discrepent; quam etiam irritis summorum ingeniorum conatibus, adeo nec illarum unam ad umbilicum deducere, vel castigare ad unguem huc usque potuisse profitentur, ut Vulgatam ipsam, omnium emendatissimam, jam mendis omnibus abstersam non affirment, otiosum hic est enarrare.

non minuant, lectoris judicio permittitur.

115 Nihil ergo hac varietate, aut etiam, si placet, contrarietate facilius, in Baucianarum præcipue litterarum versione atque editione multiplici; eo vel maxime, quod cum pia quædam atque privata quodammodo res fuerit, nec nimis fortasse præclarus primigeniæ dictionis honor, cuilibet interpreti liberum et opportunum fuit, servata narrationis substantia, marte suo novis verborum et etiam, si libet, sententiarum formis referre; ut non potius versionem ac interpretationem, quam paraphrasim atque commentationem historiæ eam dixeris. Quamadmodum vero Hieronymus jussu Damasi Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit, quia Græce primum est traditum; itemque Vetus Hebræo fonti restituit eadem de causa; simili modo, quærenti Baucianarum litterarum (non quidem absolutissimam, quam petere, neque res sinit, neque opus est) possibilem atque probabilem integritatem, ceteris editionibus posthabitis, nec illarum authoritati quidquam derogantibus, ad Marci editionem et fidem reddendæ sunt. *Ut hoc ratiocinium valeret, saltem constare deberet, Franciscum Baucium hac super re litteras aliquas scripsisse, quod ab aliis negatur, et an sat constet, erudito lectori ex præmissis dicendisque judicandum relinquo.* D

In pluribus etiam legitur fabula de corpore S. Dominici

116 *Utut sit, exemplar a Marco vulgatum, si nostrum, quod ex Diola habemus, ei plane conforme sit, minus fabulosum est, quam passim reliqua. Nam in Latinis Rodulphii, Sedulii et Waddingi, uti et in Gallica Santeulii editionibus legitur, in eodem subterraneo loco stare etiam aliud corpus, habitu S. Dominici indutum, non minori, quam corpus* S. Francisci *miraculo suis pariter pedibus consistens, incorruptum, apertis oculis, et suavissimo fragrans odore etc.; quod, teste Gabriele, in editione Pellini dicitur ex omnium, qui aderant, opinione, atque etiam ex ipsiusmet Nicolai V affirmatione, esse corpus S. Dominici, Ordinis Prædicatorum institutoris; quam fabulam etiam adoptasse dicitur Marianus Florentinus. Verum hoc Astorgius Cardinalis, nisi somnians aut mentis suæ impos, Jacobo Laquidonensi episcopo narrare non potuit, neque hic Francisco Baucio referre; cum nemo umquam merito dubitare potuerit, nec porro dubitet, quin ejusdem S. Dominici corpus Bononiæ, unde ex hac vita ille ad cælos evolavit, in sui Ordinis ecclesia quiescat.* E

aut alterius, hujus habitu induti ibi stante,

117 *Fabulum esse, agnoscit auctor Dissertationis Romanæ, quæ in suo Marci exemplari non legatur; sed simul (quod miror) contendit, etiamsi in ea legeretur, ceteræ narrationis fidem inde minime læsum iri. Quo pacto id existimet, audiamus. Sic habet :* Quod ergo in aliis quibusdam adoptatam legamus fabellam inventi sub nostra Assisiensi crypta corporis S. Dominici (quod tamen certissime Bononiæ, ubi obdormivit, asservatur) nil penitus refert. Hæc enim in exhibitis ex Marco Baucianis litteris non habetur. Quin etiam narrationis fidem non lædere t: potuit enim exploratoribus illis, tenebroso præsertim in loco, et abripientis spectaculi tempore, corpus aliud quodcumque visum videri ac putari, indiciis quibusdam fallentibus, corpus S. Dominici, quem tamen nec viderant umquam, nec, si vidissent, minus etiam decipi potuissent. Lapsus ergo fuisset conjecturæ non impossibilis, nec ad rem faciens Franciscani corporis atque prodigii. An esset inde pertimescendum, ne in ipso S. Francisci
F corpore conspiciendo et contrectando similiter decipi possent? Signatum est S. Francisci corpus sigillis quinque digito Dei viventis. *Hactenus ille.*

quam fabulam ex facili errore spectatorum

118 *Si guardianus Assisiensis in tenebrosum locum, qualis esse debuisset illa subterranea ecclesia, Pontificem, et cum eo Cardinalem Astorgium, Gallicanum episcopum, et Petrum de Noceto, ad videndum* S. Francisci *corpus introduxerit, haud dubie sat adhibuit luminis, ut quæcumque in eodem loco digna visu erant, isti commode possent contemplari; nec verisimile est, eam, quam guardianus Pontifici in manus tradidisse legitur, solam fuisse tunc facem allatam. Nam et dum ego in Romanas subterraneas cryptas inductus fui, plures seu faces seu cereos accensos, tum majoris claritatis, tum cautionis gratia, habebamus. Satis ergo de lumine, in tenebroso illo alioquin loco, provisum fuisset, ut summus Pontifex, et quos adduxerat primæ notæ viros, facile discernere potuissent, utrum Dominicano, an altero habitu indutum corpus ibi consisteret. Deinde, si iisdem Baucianis litteris credimus, non adeo fuerunt illi spectaculo corporis* S. Francisci *abrepti, quin etiam videre voluerint viderintque duo alia sociorum corpora, quæ in clausis arcis jacebant; quanto magis id attentius fecisse credendi sunt, si ibidem corpus aliud incorruptum, in pedes erectum, apertisque oculis mirandum, conspexerint?*

119 *At*

A *oriri potuisse, non est verisimile,*

119 *At errare non poterant in conspiciendo contrectandoque corpore* S. Francisci, *sigillis seu stigmatibus quinque insignito. Fateor, verum an ad hoc probandum idoneus testis est, qui affirmat, visum tunc quoque ibidem esse corpus, seu S. Dominici, seu alterius e sacro Ordine Prædicatorum, simillimo miraculo incorruptum, in pedes pariter erectum stans, apertis lucidisque oculis, et insolita fragrantia admirandum; atque etiam ibidem spectari Ægidii corpus, fabulatur? An, inquam, is ad fidem faciendam de viso* S. Francisci *corporis miraculo idoneus testis esse credendus est, quem in iisdem litteris atque in re simili semel et iterum fabulatorem agnoscimus?* Fabulatorem *dixi; quia nec B. Ægidii corpus ibi servatur, nec ullo modo verisimile est, stare ibidem corpus, quale ipse descripsit, habitu Dominicano indutum, nedum corpus ipsiusmet S. Dominici; et si Cardinalem Astorgium adeo stupidum fuisse admittas, ut hæc per errorem crediderit, saltem in promptu ille habebat guardianum conventus, tresque alios, qui adfuisse dicuntur, fratres Minores, a quibus errorem illum suum de doceretur; neque verisimile apparet, aut illos ab eo de tam mirabili corpore non fuisse interrogandos, si illud vidisset, aut ipsos quoque in eodem cum Cardinali errore versatos esse.*

uti nec aliam de corpore B. Ægidii.

120 *Si ex hujus generis erroribus non liceat de fide dubiorum instrumentorum censere, qua demum crisi in secernendis veris a falsis utendum erit?*

B *Atque hæc de Baucianis litteris, in quibus corpus illud incorruptum, suisque pedibus insistens, habituque S. Dominici indutum memoratur : nam nulla hujus mentio fit in exemplari Diolæ, quale accepimus, et in editione Lusitanica Ludovici Dos Anjos; quæ tamen etiam de corpore B. Ægidii velut in eodem loco existente non recte loquuntur. Rectius de utroque sileturin relatione, quam ex Francischina Jacobi Oddonis recitavi; sive quod hujus scriptor correctius Baucianarum litterarum exemplar nactus fuerit, sive quod duas istas fabulas agnoscens, eas studiose prætermiserit : quorum quid verius sit, quis dicat? Id interim certum videtur, Relationem illam, sive hæc ab Oddone, sive ab alio, Francischinæ inserta sit, partem aliquarum vulgo Baucianarum litterarum esse.*

§ VIII. An in iisdem litteris suspecta debeat esse narratio, quæ de solis patulis et sanguine manantibus vulneribus, vel de hisce et clavis in sacri corporis manibus pedibusque visis meminit.

Manuum pedumque stigmata exponentes Thomas Celanensis,

Aliud, quod mihi omnes, quas vidi, relationes suspectas facit, est, quod in iis non sic describantur S. Francisci *manuum pedumque stigmata, sicut descripta leguntur in primis ejusdem Vitis, quarum auctorum aliqui ea suis oculis certe viderunt; sed*

C *sicut passim pinguntur et narrantur a recentioribus. Hoc ut manifestius lectori fiat, oportet hic singulorum primorum biographorum de hoc argumento dicta, etsi prolixiora et alibi jam data, denuo recensere. Thomas Celanensis, omnium, quos novimus, primus biographus, synchronus et discipulus ejus, in Vita edita num.* 93 *ad propositum hæc habet :* Manus et pedes ejus in medio clavis confixi videbantur, clavorum capitibus interiori parte manuum, et superiori pedum apparentibus, eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erant enim signa illa rotunda interius in manibus, exterius autem oblonga; et caruncula quædam apparebat, quasi summitas clavorum retorta et repercussa, quæ carnem reliquam excedebat. Sic et in pedibus impressa erant signa clavorum, et a carne reliqua relevata. Dextrumque latus, quasi lancea transfixum, cicatrice obducta, erat; quod sæpe sanguinem emittebat, ita ut tunica ejus cum femoralibus multoties respergeretur sanguine sacro. *Hæc Celanensis de Sancti, dum in vivis erat, sacris stigmatibus; de quibus, postquam ille obierat, num.* 115 *ita pergit :* Cernere mirabile erat in medio manuum et pedum ipsius, NON CLAVORUM QUIDEM PUNCTURAS, SED IPSOS CLAVOS in eis impositos, ex ferri recenti nigredine; ac dextrum latus sanguine rubricatum. AUCTORE C. S.

Tres Socii et S. Bonaventura

122 *Tres* S. Francisci *Socii, Leo, Ruffinus et Angelus, in Appendice ad Vitam primam num.* 69 *et* 70 *plane consonant his verbis :* In carne ejus (*dum vivebat*) mirabilior apparuit impressio stigmatum Domini Jesu Christi, quæ Vir Dei pro posse abscondit usque ad mortem... licet hæc penitus celare nequiverit, quin saltem familiaribus sociis (*e quibus erant certe iidem Leo et Ruffinus*) fuerit manifestum. Sed post felicissimum ejus transitum omnes fratres, qui aderant, et sæculares quam plurimi, manifestissime viderunt corpus suum (*id est :* ejus) Christi stigmatibus decoratum. Cernebant enim in manibus et pedibus ejus, NON QUASI CLAVORUM PUNCTURAS, SED IPSOS CLAVOS, ex ejus carne compositos, et eidem carni innatos; ferri quoque nigredinem; dexterum vero latus, quasi lancea transfixum, verissimi ac manifestissimi vulneris rubea cicatrice erat obtractum, quod etiam sacrum sanguinem, dum viveret, sæpe effundebat. *Simillima habet Anonymus in Vita, quam Commentario prævio membratim inserui; at solum hic addam verba S. Bonaventuræ, qui illo notior est, et auctoritatis majoris.*

E *expresse loquuntur de clavis iisdem inhærentibus,*

123 *Is in Vita edita num.* 193 *de vivente* Francisco *sic fatur :* Statim namque in manibus ejus et pedibus apparere cœperunt signa clavorum, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat. Manus enim et pedes in ipso medio clavis confixi videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum et superiori pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erantque clavorum capita in manibus et pedibus rotunda et nigra; ipsa vero acumina oblonga, retorta et repercussa, quæ de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant. Dexterum quoque latus, quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens tunicam et femoralia respergebat. *Deinde num.* 216 *et sequenti eadem, sed tum exanimati corporis, stigmata ita refert :* Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi ex ejus carne virtute divina mirifice fabrefacti, sicque carni eidem innati, quod, dum a parte qualibet premerentur, protinus, quasi nervi continui et duri, ad partem oppositam resultabant.

non de patulis vulneribus aut sanguine manantibus, consentitque Alexander IV;

124 Inventa quoque fuit patentius in ipsius corpore... plaga vulneris lateralis instar vulnerati lateris Salvatoris... Erat autem similitudo clavorum nigra, quasi ferrum; vulnus autem lateris rubeum, et ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum rosa quædam pulcherrima videbatur: caro vero reliqua... candore nimio renitescens... Cum igitur in candidissima carne clavi nigrescerent, plaga vero lateris, ut vernans roseus flos, ruberet, mirandum non est, si tam formosa et miraculosa varietas jucunditatem et admirationem contuentibus ingerebat. *Hisce adde et alterum oculatum testem Alexandrum IV in Bulla pro eorumdem stigmatum confirmatione data anno* 1259, *inter cetera dicentem :* In manibus ejus et pedibus expressa undique similitudo clavorum de subjecto propriæ carnis excrevit, vel de materiæ novæ creationis accrevit *etc. deinde post pauca subdit, ut alii, laterale vulnus fluens sanguine. Vides, erudite lector, quam studiose* S. Francisci *socius Thomas Celanensis, tres alii ejusdem socii Leo, Ruffinus et Angelus, ac demum sanctus doctor Bonaventura, ipsius, tam vivi, quam mortui, stigmata describant, consentiantque omnes, laterale illius vulnus, dum ipse viveret, cicatrice rubra obductum fuisse, et sæpe quidem, non tamen semper, sanguine manasse; et post mortem quoque sanguine rubuisse; dum vero manuum pedumque stigmata exponunt, non nisi clavos carneos, duris nervis similes, sed nigrescentes, mediis manibus pedibusque innatos et inhærentes memorent, nulla facta de vulneribus aut sanguine defluente mentione.*

F

125 *Contra in Baucianæ epistolæ exemplaribus, excepto*

AUCTORE C. S. *contra Relationes passim hæc memorant, de istis silent.*

exceptis uno et altero, tacetur de clavis, et patula in manibus ac pedibus vulnera, recenti sanguine rubentia, a Nicolao V Pontifice, Cardinale Astorgio, aliisque comitibus conspecta in omnibus affirmantur. Locum accipe ex recensione Waddingi. Erat in pedis sancti medio (*nam alter pedum, veste impeditus, dicitur, non fuisse ab illis visus*) foramen cum sanguine ita recenti, acsi tunc mucrone pes fuisset confossus; *ac paulo post :* Manus similiter perforatæ, ut pedes, cernebantur, recentem sanguinem ostendentes. *Qui hæc cum primorum biographorum assertis componere voluerit, non video, qua alia ratione se expediat, quam dicendo, clavos, quos iidem biographi, si S. Bonaventuram ac forte Anonymum excipias, ipsimet viderunt, post primam aut secundam sacri corporis sepulturam novo miraculo e manibus pedibusque evanuisse, et in eorumdem locis recentia sanguinolenta vulnera apparuisse; quod an propter litterarum illarum fidem tuendam tutum sit dicere, æquus lector judicet. Consentiunt tamen hic non solum editiones Rodulphii et Sedulii, quas secutus Waddingus est, verum etiam nostra Lusitanica, Oddoniana et aliæ relationes, quæ de viso ab aliis eodem sacro corpore circumferuntur, exceptis tamen Diolæ editione Italica, saltem una, et Gallica Santeulii, quæ clavorum simul et sanguinolentorum in manibus pedibusque vulnerum meminerunt.*

B

At primis biographis favorabiliter explicatis,

126 *Si solis Thomæ Celanensis ac trium Sociorum, quorum omnium certe magna hic est auctoritas, verbis standum esset, omnino oporteret dicere,* S. Francisci *manuum pedumque stigmata non fuisse vulnera, sed clavos iisdem manibus ac pedibus infixos. Primus enim non modo silet de vulneribus, verum etiam ea non obscure negat, sic inquiens :* Cernere mirabile erat in medio manuum et pedum ipsius NON CLAVORUM QUIDEM PUNCTURAS, sed ipsos clavos in eis impositos. *Nec minus clare eadem negant Tres Socii, dum aiunt :* Cernebant enim in manibus et pedibus ejus, NON QUASI CLAVORUM PUNCTURAS, sed ipsos clavos *etc. Anonymus in Vita Commentario prævio inserta, illis de clavis ceterisque consentiens, favorabilius loquitur pro vulneribus. Verba ejus habe :* Apparebant namque in manibus ejus et pedibus quasi fixuræ clavorum *etc.; non tamen satis certum apparet, utrum per* fixuras clavorum *vulnera clavorum, an ipsos infixos clavos designet; quia, ut dixi, ipsa manuum pedumque stigmata eodem prorsus modo, quo Celanensis et Tres Socii, exponit.*

ex testimonio Eliæ, admittendæ sunt quidem cicatrices,

127 *At minime dubie loquitur frater Elias, et ipse quoque certo oculatus testis, in Epistola, quam mox a* Francisci *obitu ad suos Fratres Minores encyclicam dedit. Sic habet :* Non diu ante mortem Frater et Pater noster (*Franciscus*) apparuit crucifixus, quinque plagas, quæ vere sunt stigmata Christi, portans in corpore suo : nam manus ejus et pedes quasi puncturas clavorum habuerunt ex utraque parte confixas, RESERVANTES CICATRICES, et clavorum nigredinem ostendentes; latus vero ejus lanceatum apparuit, et sæpe sanguinem evaporavit. *Ut tam diversa probatissimorum testium asserta concilientur, nihil mihi verisimilius occurrit, quam quod Celanensis et Tres Socii negaverint, visa esse in manibus pedibusque* clavorum puncturas, *seu per clavos inflicta vulnera, quia pro vulneribus solum supererant* cicatrices, *eæque clavorum capitibus atque acuminibus fere contectæ. Eadem de causa potuit S. Bonaventura de iisdem vulneribus seu cicatricibus, quæ tamen non negavit expresse, altum siluisse.*

C

non tamen patula vulnera aut manantia sanguine.

128 *Videntur ergo etiam in manibus pedibusque* S. Francisci *primo vulnera, ac deinde horum cicatrices fuisse; idque ipsum Crucifixo similiorem facit, et conformius est tum communi Catholicorum scriptorum sensui, tum etiam ipsiusmet Ecclesiæ, quæ ad diem 27 Septembris in Hymno Officii de impressione sacrorum Stigmatum in corpore* S. Francisci *canit :*

Hac die lætus meruit beata vulnera Christi.

Verum hisce ita admissis, non possunt non ut minimum vehementer suspecti esse, qui in supra dictis relationibus asseverant, se vidisse in S. Francisci, D *post mortem suam postque elapsa sæcula mirabiliter stantis, manibus pedibusque patula et sanguine manantia vulnera, de clavis vero, nullum faciunt verbum, quos tamen tam ante, quam post obitum illius in iisdem manibus ac pedibus maxime ac certe præ vulneribus seu cicatricibus, conspicuos fuisse, ex laudatis probatissimis scriptoribus extra omne dubium est. Nec omnis suspicionis immunes facile videri poterunt etiam alii, qui cum clavis illis patentia et fluentia sanguine vulnera in iisdem a se conspecta testantur; cum, ut vidimus, ex primorum biographorum assertis cum Eliæ testimonio collatis ad summum possit admitti, in demortui* Francisci *manibus pedibusque simul cum clavis cicatrices vulnerum superfuisse.*

Oppositum ex calceolis ipsius sanguinolentis,

129 *Ut eam suspicionem prorsus amoveat auctor Dissertationis Romanæ, varia profert, quæ, ut postulat æquitas et veritatis amor, cum lectore communicabo.* Primo, *inquit,* inter alias sancti Parentis exuvias religiose in hanc diem apud nos custodiuntur Assisii calceoli quidam rudes et lanei, quos memoria proditum est, S. Franciscum adhibuisse pedum stigmatibus contegendis. Hi vero in interiori parte media, sacris quondam vulneribus respondente, hodiedum vividum sanguinem exhibent, quo comprobantur inspersi. *Conformis est* E *hæc traditio dictis S. Bonaventuræ, in Vita edita num.* 200 *observantis,* S. Franciscum, *ut pedum Stigmata celaret,* pedibus incessisse calceatis. *Et de sanguine quidem ex illis effluente nec hic nec alibi quidquam memorat; at difficilem hunc incessum fuisse, docet num.* 205, *ubi zelum ejusdem lucrandi animas post accepta stigmata commendans, inter alia ait :* Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castra circumvehi. *Satis itaque verisimile est, per difficilem incessum aliquando e pedibus, sive apertis frictione cicatricibus, sive aliter distillasse sanguinem, qui calceolos infecerit; licet hinc inferre non liceat, ejusdem manuum pedumque stigmata fuisse vulnera sanguine manantia, dum ille viveret, multo minus postquam obiit; quod postremum certe primorum biographorum atque Eliæ dictis non congruit.*

et aliquot minus veterum testimoniis

130 Secundo (*ita pergit laudatus auctor in Dissertatione sua*) libet antiquorum testimonia recitare cum Waddingo ad annum MCCXXIV § XII. Hæc autem sunt ipsa ejus verba, ex Speculo S. Francisci ad medium, ex Pisano conformitate VIII, et ex Antonino collecta. « Circa vulnerum qualitatem præter ea, » quæ jam transcripsimus ex Bonaventura, notant » alli, plagas has non signa, non cicatrices fuisse, F » sed patula vulnera et perfossa, perpetuum ma- » nantia sanguinem, corporis patentes aperturas. » Ad sanguinem sistendum quotidie alligari de- » buisse, testatum faciunt, præter alios, Speculum » Vitæ S. Francisci, Pisanus et Antoninus, cujus » hæc sunt verba : Fratri Leoni soli, tamquam » fideliori amico, B. Franciscus sua stigmata com- » mittebat tangenda, ut novas petiolas, id est, lin- » teola, apponeret, amotis aliis sanguine cruentatis. » Nam qualibet die inter clavos mirabiles et carnem » reliquam ad tenendum sanguinem, et mitigan- » dum dolorem tales illi petiolas renovabat *etc.* » Hæc Waddingus ex vetustis scriptoribus citatis, quæ procul dubio Baucianarum litterarum sinceritatem mirifice confirmant.

non videtur evinci;

131 *Sic est; ita habet Waddingus ex S. Antonini parte* III, *tit.* XXIV, *cap.* 7, § 9, *ex Speculo Vitæ* S. Francisci, *et Pisano in conformitate citata, quæ Antonino et dicti Speculi collectori præluxit, et a qua proinde horum hic pendet auctoritas. At quam exigua hæc sit, tum alibi diximus, tum etiam ex hoc ipso loco licet colligere, dum non solum Thomæ Celanensi sanctoque Bonaventuræ ignota narrat, verum etiam Tribus Sociis, qui, cum eorum unus fuerit Leo, non poterant* [eo, *quo fecerunt, modo de* S. Francisci *pedum stigmatibus scribere, si vera essent, quæ ejusdem Leonis in applicandis sistendo sanguini linteolis*

A *linteolis quotidiano obsequio Pisanus narrat. Et fuisset sane etiam peculiaris ratio obsequium illud non silendi, ad commendandum scilicet* Francisci *studium patiendi; ait enim Pisanus, consentiuntque laudatum Speculum et S. Antoninus, prædicta linteola a Leone singulis hebdomadum diebus renovata fuisse,* excepto die Jovis de sero et per totum diem Veneris, in quo nullum remedium volebat apponi, ut amore Christi, eo die crucifixi, cum ipso penderet.

neque ex quodam Bonaventuræ loco,

152 *Bonaventuram velut pro sua opinione etiam statem laudat idem auctor Dissertationis Romanæ, sic disserens :* At nec ipse Bonaventura minimum illis (*qui patentia et recenti sanguine fluentia vulnera in manibus pedibusque* S. Francisci *agnoscunt*) adversatur; non enim a superioribus discrepat, dum sedulo ipsius verba perpendantur. Nam in Legenda Minori, in lectione sextæ diei hæc habet : « Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum, » rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe san- » guinem sacrum effundens, tunicam et fœmoralia » in tanta copia respergebat, ut postmodum fra- » tres, ea lavantes pro tempore, indubitanter » adverterent, QUOD, SICUT IN MANIBUS ET PEDIBUS, SIC » ET IN LATERE, Famulus Domini expresse haberet » impressam similitudinem Crucifixi. » Hæc sanctus

B doctor. Quis hic non videat, sole ipso clarius, patentia vulnera et sanguinem, ut in latere, sic et in manibus ac pedibus? A sanguine effuso e lateris vulnere fratres illi similitudinem Crucifixi, in manibus ac pedibus quæ patebat, et quam exploraverant, indubitanter cognoverunt. Igitur et nos eadem similitudinis vi et argumentatione indubitanter etiam animadvertimus, quod, quemadmodum similitudo Crucifixi in latere revera vulnus patens ac sanguinem fundens erat, teste D. Bonaventura, sic, teste prorsus eodem, similitudo eadem Crucifixi in Francisci pedibus atque manibus, vulnus similiter patens, et sanguinem similiter fundens, omnino esse debuit, ac re ipsa fuit.

qui rationibus

153 Quid enim illud : Indubitanter advertere Crucifixi similitudinem e sanguine lateris in similitudinem similitudinis manuum ac pedum, si pedes vulnerati non fuissent, et sanguine non depluisset? Si soli clavi, pedibus manibusque confixi nullo cruore ac vulnere totam Crucifixi similitudinem in manibus pedibusque ferebant, igitur, sanguis e latere demissus et vulnere similitudinem quidem Crucifixi, ac vero etiam similiorem, conficiebat; sed longe ac prorsus aliam a pedum manuumque similitudine : hæc enim erat clavorum tantum, incruenta ac invulnerata; illa vero vulnerata ac cruenta, et destituta clavo. Quo pacto igitur

C similitudo lateris, sicut similitudo manuum ac pedum, fuisset? Quid evidentius? Et hæc quidem Sancti doctoris ejusdem ac sociorum S. Francisci argumento. *Hæc ille, quæ si sint evidentia et ipso sole clariora, fateor, me in media luce cæcutire.*

utrimque allegatis

154 *Teste Bonaventura (nam Socii ista non habent) laudati fratres quia in Sancti manibus ac pedibus similitudinem Christi, clavis cruci affixi, exploraverant, deinde ex deprehenso in tunica et femoralibus copioso sanguine, indubitanter adverterunt, illum etiam quintum Christi Crucifixi signum, vulnus scilicet lateris, quod numquam quidem viderant, sed ex quo sanguinem illum fluxisse, merito statuebant, in suo corpore portare. Nusquam vero dixit sanctus doctor, eosdem fratres* Crucifixi similitudinem e sanguine lateris in similitudinem similitudinis manuum ac pedum *advertisse; sed, sicut cognoverant, sanctum Patrum suum per infixos manibus pedibusque clavos similitudinem Christi crucifixi præferre, ita ex comperto in tunica et femoralibus cruore certo didicisse, eumdem per vulnus laterale etiam similitudinem Christi lateris, in cruce lancea transfixi, gessisse.*

expenditur.

155 *At enim sic fuerit alia similitudo in latere, alia in manibus pedibusque. Sit ita : nam hi similitudinem Christi, cruci clavi affixi, ac simul clavorum, quibus fuit confixus, exhibuerunt; istud vero similitudinem transfixi lateris, non lanceæ, qua fuit transfixum. Sunt quidem hæc diversa signa, sed tamen suo quæque modo ad Crucifixi imaginem spectantia. Nimirum sancti doctoris argumentatio non statuit similitudinem signorum cum signis, sed ex signis similitudinem Domini Crucifixi. Ponamus tantisper,* Franciscum *manus pedesque suos eo, quo Bonaventura superius descripsit, modo clavis sic transfixos habuisse, ut nullum in iis vulnus sanguine manans, vel etiam prorsus nullum vulnus in iisdem apparuerit. Hi pedes manusque sic transfixi certe aliquam similitudinem prætulissent Christi, per manus ac pedes clavis cruci affixi. Hac similitudine jam explorata, quidni merito poterant fratres ex sanguine in tunicam et femoralia defluo etiam alteram illius cum Christo crucifixo similitudinem, in vulnerato scilicet latere, indubitanter advertere, quod Bonaventuræ argumentum unice exigere videtur. Ceterum meminerit lector, me ex Eliæ testimonio præter clavos etiam* cicatrices *in manibus et pedibus admittere.*

AUCTORE C. S.

Alia argumenta a similitudine Crucifixi,

156 *Modo aliud ejusdem auctoris in Dissertatione argumentum audiamus.* Adhæc (*ait*) aliud instat petitum ex ipsa re. Ex adverso sistemate, patentia vulnera et sanguinem sacris Francisci stigmatibus (*in manibus ac pedibus*) denegante, radicitus evertitur mysterium impressionis sacrorum stigmatum, et expressa Crucifixi similitudo in S. Francisci cor- E pore. Præcipuum atque necessarium mysterii ac similitudinis fundamentum sunt vulnera tantum et sanguis : hæc enim erant intima, inhærentia ac propria in Christi corpore; hæc item sola e cruce jam depositum habebat; cætera extranea prorsus Christi corpori fuerunt. Franciscus ergo, qui vivens ac moriens, atque etiam post ipsam mortem, omnibus vetustissimis biographis consentientibus, Christi similitudinem in suo corpore prætulit, jam vere nullam habuisse convinceretur, si non jam ipsi vulnerato et cruentato Christi corpori, sed potius corporibus Christi corporis extraneis, ut clavi erant, similitudinem retulisset : et si Christi corpori, jam defuncto atque e cruce deposito, Francisci stigmatizatum corpus conferendum fuisset, dissimilitudinem potius omnem ac difformitatem redoluisset, et nullo modo Christi corpori assimilandum etiam post mortem veniret.

et appellatione stigmatum petita

157 Præterea absurdæ dicendæ forent appellationes atque voces significandis Francisci stigmatibus a vetustis, mediis, novissimis scriptoribus omnibus adhibitæ. Passim enim omnes PLAGARUM ac VULNERUM nomine ea vocant, ac tandem ipso STIGMATUM, quo et nos utimur, vocabulo; nam et alia non sunt; et Ecclesia ipsa sacrorum STIGMATUM festum celebrat ac nominat, et in hymno canit : MERUIT F BEATA VULNERA CHRISTI. Modo soli clavi manibus pedibusque innati et infixi, plagæ, vulnera, stigmata reipsa non sunt; CLAVATIONEM potius, ut ita dicamus, quam STIGMATIZATIONEM appellare rem hanc deberemus; quæ procul dubio absurditatem atque stultitiam sapiunt. *Nunc ad hæc quid reponi possit, pro more ac numere nostro observemus.*

examinantur.

158 *In primis; si* præcipuum atque necessarium mysterii ac similitudinis fundamentum sunt vulnera tantum ac sanguis; *si sine his permanentibus, in manibus ac pedibus,* Francisci *corpus, tam ante, quam post mortem, nullam habuit cum Christi corpore similitudinem; fateri necesse est, Thomam Celanensem, Tres Socios, S. Bonaventuram et Eliam, dum* Francisci *corpus sacro Christi corpori simile exhibere voluerunt, prorsus dissimile* et nullo modo assimilandum *descripsisse : horum enim sex scriptorum nullus de patentibus vulneribus et sanguine in manibus pedibusque meminit, sed quinque primi clavos tantum in iisdem membris memorant, quibus sextus addidit, non* vulnera, *sed solas* cicatrices. *Fuerunt quidem clavi corpora sacro Christi corpori extranea, id est, ad illud non pertinebant; sed pertinebant tamen ad crucifixionem, cujus similitudinem* Franciscus *per illos in manibus pedibusque suis præferebat, et quidem expressius, quam per sola vulnera et sanguinem. Non igitur per illos dici debet* Franciscus

AUCTORE C. S.

ciscus *corporibus, Christi corpori extraneis potius, quam Christo crucifixo similis fuisse. Non enim videbatur* Francisci *corpus esse clavi, sed clavis transfixum, uti clavis transfixum fuit corpus Christi.*

et ad ea respondetur;

139 *Quod additur de difformitate inter* Francisci *corpus corpusque Christi, jam de cruce depositum, nihil urget; aut enim illud huic satis simile fecerunt cicatrices cum clavis, aut, si quis omnimodam conformitatem inter illa adstruere velit, is contra omnium antiquiorum fidem negare debebit,* Franciscum, *seu vivum seu defunctum, manus pedesque suos confixos clavis habuisse, qui certe in Christi e cruce deposito corpore non remanserunt, atque adeo saltem hanc inter utrumque corpus difformitatem debebit admittere. Ex dictis etiam patet responsum ad argumentum a vocabulis in appellatione* S. Francisci *stigmatum usitatis. Laterale stigma vere vulnus fuit et sæpe sanguine manavit; non tamen semper, nam etiam tam ante, quam post Sancti mortem obductum fuit cicatrice, ut supra demonstratum est ex probatissimis biographis, quorum quoque nullus asserit, innuitve, ex illo post Sancti obitum aliquid sanguinis fluxisse. Manuum pedumque signa* stigmata *dici possunt et* plagæ *et* vulnera, *vel, quia in ipsa stigmatum impressione talia vere fuerunt, quod satis esset, ut de illo cani posset:* Hac die lætus meruit beata vul-
B nera Christi; *vel quia cicatrices vulnerum loco in eis apparebant. Verum illa, dum Sanctus viveret, nedum post obitum, fuisse ac permansisse patula vulnera, sanguine manantia, nec ullus laudatorum biographorum asseruit, nec cum eorumdem dictis verisimili modo mihi videtur posse componi.*

ex quibus omnibus judicet lector,

140 *Quia tamen suum cuique est judicium, subjungo hic ex eadem Dissertatione conclusionem auctoris, ut statuat æquus lector, rectene, an secus, se habeat.* Ut publicas ergo Ecclesiæ vôces, biographorum atque scriptorum memorias, extantia monumenta rei, ipsum sacrorum stigmatum mysterium, ac recitatas tandem nostrorum testium Relationes uni penitus formæ reddamus; hoc nobis asserendum statuimus. Clavos pedibus manibusque innatos, resultantes ac carnem excedentes asserimus: ipsis autem patentia vulnera, æque ac in latere, et sanguinem manantia superaddimus. Sic tradita omnia atque scripta componimus, et expressam Christi crucifixi similitudinem perficimus. Hoc vero est inter lateris vulnus et alia discrimen, quod laterale vulnus aliud inhærens non habuit, ut in latere Christi contigit (nam lancea, quæ Christi latus transfixit, jam non in latere ipso constitit, ut in manibus et pedibus clavi. Huic ergo vulneri repræsentando nihil erat præter vulnus et sanguinem
C adjiciendum) vulnera vero reliqua, ut Christi vulnerum integram referrent imaginem, et clavos simul inhærentes, et oppositam in partem resultantes, et vulnera item et sanguinem, clavorum socia et effectus, mirabiliter quidem, sed prorsus veraciter, retinuerunt.

an firma sit pro vulneribus sanguine manantibus

141 Sanguinis etiam discrimen non in rei veritate atque existentia, sed in rei modo ac quantitate fuit. Laterale enim vulnus effusius atque frequentius, alia vero paulatim atque guttatim, cruorem emittebant. Tandem laterale vulnus, quoad vixit sanctus Parens, pro viribus occuluit, neque petiolas illi contegendo applicavit, sed corii frustum, quod inventum post mortem huc usque asservatur inter sacri nostri conventus Assisiensis reliquias, solemnique supplicatione circumfertur in die festo sacrorum stigmatum. Quod adeo illi cessit, ut illius familiarissimi (*duos tresve excipiunt Thomas Celanensis et S. Bonaventura in Vitis editis, hic num.* 201, *ille* 93) numquam illud viderint, nec nisi conjecturis ex lotis vestibus intellexerint, et quam plurimi, inter quos ipse Gregorius IX, ut apud Waddingum, de illius existentia subdubitaverint; nec demum umquam clarior illius percrebuerit fama, nisi post mortem.

laudati scriptoris conclusio.

142 Pedum vero manuumque stigmata, quantumvis veste calceisque sedulo a sancto Viro obvoluta, in propatulo tamen erant, ac late pervagata per orbem; quæ causa fuit primævis historiogra- D
phis de laterali potius obscuriori multisque incomperto vulnere diligentius enucleatiusque disserere, quam de vulgatissimis manuum pedumque vulneribus. *Hæc ille, de quibus atque ante a me contra allegatis judicium penes lectorem sit; atque ulterius statuat, meritone an immerito suspecti esse possint testes, tum qui in* S. Francisci, *post mortem mirabiliter stantis, manibus pedibusque manantia sanguine vulnera, nulla facta de clavis mentione, tum qui et hos et illa a se conspecta profitentur.*

§ IX. Quid censendum videatur de sacri corporis visitatione, a Francisco Sfortia, Mediolanensium duce, facta: quid de inscriptione sepulcrali, ac visitationibus, Gregorio IX Papæ attributis.

Dicitur dux Sfortia visum a se esse sacrum corpus.

Frequenter laudatus laudandusque eruditus auctor *Dissertationis Romanæ Rugilus* Tertium, *inquit,* sacri corporis stantis et incorrupti ratum experimentum Francisco Sfortiæ, Mediolanensium duci, concedimus. Hic autem uno Waddingi testimonio contenti sumus. *Waddingi locus, quem unicum laudat, habetur in editione, qua utor, ad annum Christi* 1457, *num.* 57, *ubi Annalista loquens de* E
comitiis generalibus, eodem anno Mediolani celebratis, annotavit sequentia: Utraque comitia, tam Conventualium, quam Observantium, benefice prosecutus est prædictus dux Franciscus Sfortia. Ad Conventuales sæpe declinabat, et sumptus exhibuit fere universos. In cubiculo Ministri generalis familiariter conversatus, præsentibus Gabriele de Licio, provinciæ Januæ Ministro, Gabriele altero, Ministro Terræ Sanctæ, ducis confessario, et Roberto Liciensi, propter concionum excellentiam eidem charissimo, affectuosis verbis dixit, se Religioni semper addictissimum, sed multo magis ab illo tempore, quo in Piceno diuturnum illud et varium gerebat bellum; eaque prævaluisse apud guardianum Assisiensem, etsi valde reluctantem, authoritate, ut nocte intempesta ad ecclesiam subterraneam secreto cuniculo duxerit, et ad beneplacitum corpus permiserit venerandum.

narrasse in comitiis Mediolanensibus;

144 *Hæc Waddingi verba sic excipit laudatus Rugilus:* Ex hac compendiosa narratione Sfortianæ visitationis hoc unum habemus, nimirum illud (*S. Francisci corpus*) servari in loco subterraneo, ad quem per cuniculum descenditur: prodigiosi vero situs altum silentium. At validissime infertur: cur enim exinde dux magis Religioni addictus? F
Cur guardianus valde reluctans? Cur nocte intempesta? Cur tantus ardor videndi? Quæ tanta gratia visi? *Sic ille rogitat. At ponamus paulisper, testimonium istud vere certoque ducis Sfortiæ esse; ponamus simul, quod adversæ opinionis assertores contendunt,* S. Francisci *corpus dudum in ossa et cineres resolutum esse, neque umquam aliter a Sfortia existimatum; addamus illud sic resolutum in ecclesia subterranea vel crypta, non nisi per cuniculos adeunda, securius servandi gratia tunc jacuisse, utque furto minus pateret, nemini soluisse ostendi; cur, quæso, laudatus princeps non facile potuerit vehementer desiderasse videre sacras illas exuvias Viri, sanctitate ac miraculis toto orbe celeberrimi, suique peculiaris patroni, cujus scilicet nomine* Franciscus *vocabatur? Quid tantopere etiam mirum, si guardianus, non nisi reluctatus, ac intempesta nocte, ut sacer ille thesaurus, et locus ipse thesauri manerent secretiores, insolitum istud ei concessisset beneficium, hicque exinde etiam Ordini Minorum factus fuisset addictior? Verum hæc solum dicta sunto, si de dato Francisci Sfortiæ testimonio satis constet.*

sed de testimonio illius non constat.

145 *Solus Waddingus pro illo laudatur in dicta Dissertatione Rugili, Waddingus autem neminem laudat, nec hoc in loco, nec ad annum* 1230, *num.* 4, *quo lectorem remittit in margine; ut videatur hic primus esse, qui Sfortianam visitationem vulgaverit; bona quidem, ut dubitandum non est, fide: at ex quo monumento,*

A *monumento, quo vade? Edidit vero ille primum Annalium suorum volumen anno* 1625; *id est, annis* 168, *postquam Mediolanensis dux ista narrasset. Qui post Waddingum scripsit, Michael a Purificatione, teste Gabriele in Dissertatione sua, eamdem visitationem anno* 1446 *innexuit, atque, eam a supra laudato Roberto Liciensi, dum jam esset episcopus Aquinas, anno* 1467 *Romæ expositam fuisse, qualem ab eodem duce Sfortia audierat. Contra laudatus Gabriel ex Waddingo observat, Robertum Liciensem citato anno nondum fuisse episcopum Aquinatem, sed multo serius ad eam sedem pervenisse; deinde probare nititur, visitationem, de qua agimus, nec a dicto Mediolanensium duce tempore comitiorum generalium anni* 1457 *narratam fuisse, nec a Roberto Liciensi relatam Romæ. Argumenta, quibus id probari existimat, quia verbosiora sunt, compendiose exponam.*

nec desunt argumenta

146 *Si Sfortia, visum a se incorruptum atque in pedes tam mirabiliter erectum* S. Francisci *corpus, coram tribus prædictis patribus Conventualibus narrasset in comitiis generalibus Mediolanensibus, haud dubie ea res innotuisset patribus, qui ad eadem comitia convenerant, et ab his deinde in suas provincias reversis, velut toti Ordini Minorum perhonorifica per totum terrarum orbem pervulgata fuisset. Qua*

B *igitur verisimili ratione factum putabitur, ut nullus istius temporis scriptor de eadem meminerit? Quindecim annis post dicta comitia Mediolanensia, seu anno* 1472, *Conventuales rursum sua generalia comitia celebrarunt Ferrariæ, ex quibus eodem anno libellum supplicem obtulerunt Sixto IV summo Pontifici adversus nonnullos, qui S. Catharinæ Senensi quinque Christi stigmata appingi fecerant, eique verius, quam* S. Francisco, *collata fuisse, dictitabant. Hinc in rem suam denuo sic ratiocinatus est Gabriel. Tam exiguo quindecim annorum intervallo excidisse memoriæ non poterat narratio ducis Sfortiæ, quin saltem aliqui Patrum capituli Ferrariensis (quorum etiam nonnullos Mediolanensibus comitiis interfuisse, verisimillimum est) illius recordarentur. Pronum ergo erat, ut Ferrariensis capituli generalis Patres in illo libello suo supplice nuperum ducis Sfortiæ de viso sacro corpore testimonium laudarent, ex eoque, si opus esset, provocarent ad faciendum experimentum, quo nulla ratio esse poterat validior.*

ab adversa parte formata,

147 *Quamvis autem libellum illum supplicem non viderit Gabriel, nullam tamen in eo factam esse de testimonio Sfortiano, aut sacri corporis ad ea usque tempora perseverante prodigio mentionem, colligit ex binis laudati Sixti IV bullis hac super re editis, quas exhibet Waddingus ad annum* 1472, *num.* 63 *et se-*

C *quenti. Prioris initium est :* Spectat ad Romani Pontificis providentiam, *eaque data notatur anno Dominicæ Incarnationis* 1472, VIII *Idus Septembris, et rem, de qua agimus, his verbis exponit :* Pro parte dilectorum filiorum Zaneti de Utino, generalis Ministri, et capituli generalis Ordinis Fratrum Minorum, in civitate nostra Ferrariensi præterito festo Pentecostes celebrati, nobis exhibita petitio continebat, quod, licet B. Franciscus, antequam spiritum cælo redderet, sacra stigmata Christi per biennium in suo corpore portaverit, a multis visa et palpata fuerint, et in sua morte omnibus videre volentibus patuerint, multisque miraculis tam in vita, quam in morte et post mortem claruerit, tamen non licuit Fratribus sui Ordinis ipsum S. Franciscum cum stigmatibus sacris facere depingi, aut in prædicationibus publicare, donec placuit S. Sedi Apostolicæ ipsa stigmata approbare, et licentiam ac consensum benigne concedere; sicut per litteras Apostolicas diversorum summorum Pontificum eidem Religioni concessas patet.

quæ, an Sfortia id testatus fuerit,

148 Nihilominus paucis annis citra nonnulli Religiosi quasdam Sanctas, et maxime S. Catharinam de Senis, in regionibus ultramontanis et diversis aliis partibus sine consensu et approbatione dictæ Sedis, ut creditur, sine rei veritate, cum stigmatibus Christi ad instar B. Francisci depingunt, et in publicis prædicationibus asserunt, eadem S. Catharinam a Christo recepisse, et verius, quam ipse B. Franciscus, in præjudicium veritatis et honoris prælibatæ Sedis, ac in derisum multorum populorum etc. *Tum vetat Pontifex, ne quis deinceps absque Sedis Apostolicæ licentia, S. Catharinam Senensem prædictis stigmatibus insignitam fuisse, prædicet, pingatve, aut pingi faciat, ac jubet, omnes illius picturas, quibus eadem stigmata appicta fuerant, infra unius anni spatium a publicatione earumdem litterarum auferri. Per alteram bullam, quæ incipit :* Licet, dum militans in terris Ecclesia, *signataque est anno Incarnationis Dominicæ* 1475, *Sixtus prioris bullæ suæ exsecutionem urget, variasque pœnas intentat non obtemperaturis. De* Francisco *eadem fere, quæ supra dixerat, repetit, ac diserte rursum dicit, fuisse,* qui in publicis prædicationibus ad populum asserebant, Sanctam ipsam (*Catharinam Senensem*) stigmata hujusmodi a Christo recepisse, et de illis clarius, quam de præfati S. Francisci stigmatibus apparere.

AUCTORE C. S.

non parum cogunt dubitare :

149 *Hujus controversiæ progressus et finis videri possunt apud Waddingum ibidem; quod autem ad propositum nostrum spectat, nemo, opinor, diffitebitur, ad refellenda duo ista asserta, nimirum S. Catharinam Senensem* verius, *quam* S. Franciscum, *stigmatibus a Christo insignitam fuisse, ac de ejusdem virginis stigmatibus* CLARIUS, quam de præfati S. Francisci stigmatibus apparere; *ad hæc, inquam, refellenda validissimum futurum fuisse argumentum, si laudati Patres generalis capituli Ferrariensis pro* S. Francisci *stigmatibus vendicandis veterum, qui ea viderant, testimoniis summorumque Pontificum litteris addidissent ipsum ejusdem sacri corporis miraculum, tunc quoque temporis, instar vivi, in pedes erecti stantis, et stigmata illa jam tum tertio sæculo in incorruptis membris suis exhibentis; idque sæpe dicto Mediolanensium ducis testimonio confirmassent. Fateor equidem, libellus ille supplex ad manus Gabrielis measque non pervenit; at, cum Sixtus IV in præmissis bullis suis, quid ille continuerit, exponens, de miraculo isto altum sileat, minime inepte hinc colligi potest, nec in eodem libello supplici de eodem miraculo factam fuisse mentionem.*

E

neque magis constat de laudato apud alium

150 *Quorsum autem hoc Patrum Ferrariensis capituli de re tam memorabili, tantique principis confirmata testimonio silentium, etiam tum temporis, eaque in controversia, ad quam terminandam nihil erat opportunius, quam eam memorare? Fortasse illius causam allegabunt aliqui secretum Ordinis servandi (de qua infra pluribus) religionem. Sed unde igitur visitationis Sfortianæ notitia ad Waddingum pervenit? Scio, Michaelem a Purificatione, qui aliquot annis post Waddingum scripsit, in suo Opere, mihi cetera ignoto, part.* II, *tract.* 5, *cap.* 2, *teste Gabriele, asseruisse, Robertum Liciensem, num.* 145 *memoratum, omnia, quæ de eadem visitatione ex ipsius ducis Sfortiæ ore anno* 1457 *Mediolani audierat, anno* 1467 *Romæ enarrasse. Hinc suspicari quis posset, ea, quæ Waddingus sine teste supra memoravit, ex ejusdem Roberti testimonio manasse. Sed occurrit hic Gabriel, ex ipsiusmet Roberti Sermonibus constare affirmans, sacri corporis visitationem, duci Sfortiæ attributam, nondum notam fuisse Roberto anno* 1461, *ideoque nec illi anno* 1457, *quo Mediolanensia comitia habita fuere, ab eodem principe narratam. Rationem, qua id confici putat, breviter accipe.*

F

Roberti Liciensis testimonio.

151 *Robertus ille in Sermone de Sanctis septuagesimo, de S. Catharina Senensi habito, postquam hæc a Pio secundo Papa sanctarum virginum catalogo anno* 1461 *fuerat adscripta, arguens eos, qui hanc virginem veluti stigmata a Christo recipientem pingi fecerant, ut eam hac in parte cum* Francisco *æquarent, laudansque alium sermonem suum ordine quadragesimum quartum, ad probanda ejusdem Sancti stigmata memorat, hæc ab illo duos ante obitum annos continuos circumlata, tam ante, quam post obitum a viris gravissimis visu tactuque explorata, ac denique a summis Pontificibus Gregorio IX, Alexandro IV, Benedicto, Nicolao aliisque approbata*

AUCTORE C. S.

bata fuisse; de visitatione vero per Franciscum Sfortiam facta non meminit, nec ait, eadem stigmata in Sancti corpore ad sua usque tempora perseverare, aut a quopiam, postquam illud in ecclesiam suam illatum est, visa fuisse. Quod sane silentium quis satis miretur, si visitationem Sfortianam ex ipsius ducis ore paucis ante annis Mediolani intellexerit. Porro, sermonem illum septuagesimum scriptum esse post comitia Mediolanensia anni 1457, *ex eo arguit, quod Robertus ipse in eodem sermone dicat, se Romæ fuisse anno* 1461, *quo Catharina Senensis inter Sanctas relata fuit. Hæc fere, sed multo prolixius Gabriel, quæ ego, quia laudatum ab illo Opus Roberti Liciensis non habeo, ex illius fide recitavi. Ejusdem Roberti elogium et elenchum Operum, inter quæ* Sermones de Sanctis *reponuntur, habes apud Waddingum in Scriptoribus Ordinis Minorum, ubi dicitur* Robertus Caracciolus, Lycii, Neapolitani regni urbis, natus.

Epitaphium, quod velut a Gregorio IX

132 *Rugilus in Dissertatione sua pro eadem visitatione præterea profert epitaphium ex Waddingo ad annum* 1230, *ubi num.* 6 *Annalista de eodem sic præfatus est:* Addo hic item sepulchri, seu suppedanei lapidis epitaphium, exscriptum a quodam ducis Mediolanensis, Francisci Sfortiæ, comite, delubrum hoc subingresso, a cujus posteris illud
B accepi. Tum ipsum recitat epitaphium hoc modo:

V. S. C. A.
Francisci Romani.
Celsa humilitate conspicui
Christiani orbis fulcimenti
Ecclesiæ reparatoris.
Corpori nec viventi nec mortuo
Christi crucifixi plagarum
Clavorumque insignibus admirando
Papa novæ fœturæ collacrymans
Lætificans et exultans
Jussu, manu, munificentia posuit
Anno Domini MCCXXVIII.
XVI Kalendas Augusti.
Ante obitum mortuus post obitum
Vivus.

Litterarum quatuor capitalium (*sic subdit Waddingus*) ille sensus: Viro Seraphico, Catholico, Apostolico. Dicitur autem Franciscus Romanus, vel ex summa obedientia et pietate erga Sedem et fidem Romanam, vel quia Assisium Romanæ est ditionis. *Mitto hanc insolitam interpretationem, et ad cetera progredior.*

in suppedaneo corporis positum fertur,

133 *Raymundus Missorius in Dissertatione sua Ms., jam alias laudata, existimavit, dici posse primam maximamque epitaphii partem a Gregorio IX*
C *Pontifice positam esse anno* 1228, *quo scilicet is* Franciscum *sanctorum confessorum catalogo Assisii sollenniter adscripsit; alteram vero:* Ante obitum mortuus, post obitum vivus, *ab eodem Pontifice adjectam esse anno* 1234. *Et quia Missorius credidit, corpus illud anno* 1228 *in sua arca jacens repertum fuisse incorruptum et integrum, suisque sacris stigmatibus insignitum, putavit, ideo in prima epitaphii parte legi:* Corpori, nec viventi, nec mortuo; *in secunda vero:* Post obitum vivus; *quia censuit, idem corpus in secunda visitatione anno* 1234 *ab eodem Gregorio conspectum esse, velut vivum in suos erectum pedes etc. Si hæc ita essent, dicendum esset suppedaneum illud cum maxima inscriptionis parte primo positum fuisse in ecclesia S. Georgii, ubi sacrum corpus usque ad annum* 1230 *in sua arca jacuit, atque inde hoc anno simul cum corpore et arca ad suburbanam* S. Francisco *dicatam basilicam fuisse translatum, si in hac epitaphium illud comes ducis Sfortiæ descripserit. Verum, quid de gemina illa per Gregorium IX facta corporis inspectione censendum videatur, inquiramus.*

firmari nequit ex vitiosis locis Chronici Stadensis,

134 *Nititur hæc auctore synchrono, Alberto abbate Stadensi, in cujus Chronico ad annum* 1228 *sic legitur:* Papa Gregorius, veniens Assisium, canonizavit ibi... B. Franciscum. *Tum inter alia canonizationis solemnia dicitur:* Papa de solio descendit, et cum Cardinalibus sanctum corpus levavit de tumba. *Præmiserat etiam ibidem Stadensis in serie* D *Romanorum Pontificum de eodem Gregorio ista:* Hic beatum Franciscum canonizavit, et in die B. Urbani Papæ de tumulo levavit. *Non additur quidem his annus, sed, ut hæc corporis elevatio diversa videri possit ab ea, quam in canonizatione factam ait, suadet adjectus dies* B. Urbani Papæ; *is enim concurrit cum die* 25 *Maji; canonizatio autem* S. Francisci *facta est die* 16 *Julii. Ex hisce igitur Alberti Stadensis locis gemina illa Gregorio IX adscribitur visitatio. Utut tamen synchronus is scriptor sit, a loco rei gestæ remotior duplicem hic commisit errorem: alterum elevationem corporis* S. Francisci *e tumba sua in canonizatione illius adscribendo Gregorio: alterum ejusdem corporis cum sua arca translationem de ejusdem e tumba elevatione interpretando, et hanc quoque Gregorio, velut rei gestæ præsenti, attribuendo.*

in quibus duæ corporis elevationes,

135 *Hæc satis multis alibi disserui, quam ut necesse putem plura hic addere. Adisis Commentarium meum prævium* § 50 *a num.* 680, *ubi ista probata reperies, intelligesque, in canonizatione, quæ die* 16 *Julii anni* 1228 *peracta est, corpus* S. Francisci *non fuisse e tumba sublatum; ex iis vero, quæ deinde* § 52 *dicta sunt, Gregorium IX Pontificem, qui Ecclesiæ tunc præerat, in translatione ejusdem sancti corporis, anno* 1230 *die* 25 *mensis Maji,* E *S. Urbano Papæ et martyris sacro, sollenniter facta, non fuisse præsentem. Ceterum, etsi constaret de veritate assertorum Stadensis, non propterea consequens esset,* S. Francisci *corpus, quo de agimus, tum temporis incorruptum aut in pedes erectum a Gregorio IX Papa fuisse repertum, uti verba Stadensis consideranti manifestum fiet. Utramque visitationem, sive harum ultima usque in annum* 1234, *sive etiam in annum* 1233, *ut alteri præplacet, differatur, non inepte præterea impugnat Gabriel ex tribus ejusdem Pontificis litteris, ad confirmanda sacra* Francisci *stigmata anno* 1237 *datis, relatisque ad eumdem annum apud Waddingum, et apud nos etiam partim in Commentarii prævii* § 33.

aliunde non verisimiles, eidem Gregorio adscribuntur.

136 *In his tribus litteris nititur Gregorius veritatem stigmatum* S. Francisci *omnibus persuadere, quique eam negabant, acriter reprehendit, utque persuadeat, in prima et tertia asserit, eamdem* per testes fide dignissimos, *et* miraculi tanti conscios *probatam esse; at numquam semetipsum velut oculatum testem laudat; quod utique facturus fuisse videtur, si ipsemet ab annis novem illa ipsa stigmata in jacente corpore incorrupto, ac denuo a biennio triennove in eodem pariter incorrupto, novoque præterea miraculo in pedes erecto stante, contemplatus fuisset. Illustrat hoc Gabriel, exemplo Alexandri IV Papæ,* F *qui cum eadem stigmata in vivente* Francisco *olim deprehendisset, non modo hoc in publica concione ad populum professus est, ut Bonaventura in Vitæ editæ cap.* 13 *testatur, verum etiam in Apostolicis litteris, quas de eodem argumento anno* 1233 *ad universos Ecclesiæ prælatos dedit, non dubitavit memorare his verbis:* Sane de præfato Sancto (*Francisco*) hæc (*stigmata*) certius asserentes, indoctas fabulas, seu vanæ inventionis deliramenta, non sequimur; cum ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum, quando videlicet in minoribus constituti, Confessoris ejusdem familiarem munere divino meruimus habere notitiam.

Idem Epitaphium parvi fecit Missorius;

137 *Redeamus ad epitaphium, si forte ex eo melius constet de visitatione Gregorio attributa. Quid de illius auctoritate senserit Raymundus Missorius, candide indicavit,* Fateor, *inquiens,* harumce inscriptionum nihil nos certi habere præter famam; neque enim, quod viderim, apud quempiam veterum scriptorum illas offendi; verumtamen, cum jam vulgo apud nostrates efferantur; cum initio præsertim pateret aditus (*scilicet ad locum, ubi S. Francisci corpus servatur*) nil factu facilius fuit, quam illas exquirere, quemadmodum a quodam ducis Mediolanensis, Francisci Sfortiæ, comite delubrum hoc subingresso, exscriptas sibi ab ejus posteris traditas, testatur Waddingus ad annum MCCXXX, num.

num. 6. *Hæc Missorius, quæ ut epitaphio veteribus scriptoribus ignoto satis ponderis afferre possent, duo erant probanda; patuisse scilicet olim ad sacrum* Francisci *corpus accessum; et Franciscum Sfortiam ad illud videndum reipsa fuisse admissum; de quorum postremo quærimus; primum autem minime certum esse, ex infra dicendis apparebit. Interim, si accessus ad illud initio patuerit, assentior Missorio, facile potuisse inquiri, si qua esset eo loci inscriptio; sed tanto magis miror, repertum ibidem epitaphium tam singulare, et a summo Pontifice Gregorio IX positum, non fuisse ab uno saltem alio certiori teste descriptum, nec nisi ab herede ignoti illius, qui ducem Sfortiam illuc comitatus fuisse* (nescio an vere) *dicitur, ad nos pervenisse.*

quæ autem pro eo asserendo

158 *Romanæ Patrum Conventualium Dissertationis auctor Rugilus, præfatus, sese eamdem inscriptionem neque mordicus tueri, neque valde despicere, post aliquot lineas eam sic orditur vendicare :* Ut fides his detrahatur, alterum e duobus, æque summe improbabilibus necessum erit admittere: vel enim Waddingus fœde libensque mentitus est, cum asseruit, ea se ab hærede illo Sfortiani ducis socii accepisse; vel hæres iste circulator aliquis fuit, ludumque lusit indignum, Waddingo diligentissimo irridendo. Quis vero hæc gratis assumat, nisi malignus ac demens insontium calumniator? Tantum numquam demeritus est Waddingus, ut inter turpissimos audacissimosque impostores amandetur, aut nihil advertere posse credatur, quid, vel a quo relata, reciperet. Deinde cui bono? Quid hæredi illi (quem probum et minime vulgarem ab ipsa posteritatis conditione conjicimus) ex hac sterili futilique calumnia? *Sic ibi Rugilus.*

proferuntur rationes,

159 *Ego vero Lucam Waddingum, ut jam alias professus fui, et denuo profiteor, velut eruditum simul atque sincerum Annalistam veneror; procul igitur a me absit, ut illum inter impostores aut levioris judicii viros amandandum judicem, vel etiam suspicer; nec possum nihilominus non agnoscere, eumdem, quem suis nævis* (quod humanum est) *non carere, Rugilus alibi fatetur, in recipiendis æstimandisque monumentis nonnumquam fuisse æquo faciliorem; cujus rei evidens in hac ipsa materia exemplum dabitur infra num.* 181. *Cui bono innumeræ aliæ fabulæ cusæ sint, quis dicat? Cusas tamen esse cum ingenti historiæ, Ecclesiasticæ æque ac profanæ, jactura, quis nesciat ex quotidiana experientia? Quin et Missorius, cujus verba opportunius infra recitabo, me monuit, non deesse etiam de* S. Francisci *corporis visitationibus narratiunculas, magnorum virorum nominibus, sed ementitis insignitas, et commentitias. Necesse quoque non est, ut hæredem a Waddingo laudatum, quamquam aliter æque ignotæ nobis fidei et conditionis, quam nominis, certæ imposturæ reum agamus. Potuit enim hic epitaphium illud inter suorum chartas reperisse, bonaque fide obtulisse Waddingo; sed potuit pariter illud idem ab impostore quopiam primo confectum fuisse.*

non satis sunt firmæ.

160 *Ut aliquid hujusmodi suspicari debeant etiam ipsimet sacri corporis prodigii defensores, suadet aliorum omnium, quorum illi de viso in eodem loco* Francisci *corpore relationes pro certis habent, altum de hoc epitaphio silentium, licet illud et in eorumdem oculos incurrere debuerit,* (*maxime si, ut Missorius asserit,* in Porphyrite marmore aureis litteris insculptum *fuerit*) *et dignissimum fuisset relatu ob auctorem suum, summum Pontificem Gregorium IX. Accedit et alterum: vel enim suppedaneum illud ibi positum fuit, antequam corpus* S. Francisci *se erexerat in pedes, vel dum suis pedibus jam insistebat. Si ante, quo pacto Pontifex futurum illud tam insolens miraculum noverat, ut suppedaneum præpararet? Si post; quo modo, divinane scilicet, an humana opera, stantis pedibus suppositum fuit? Si primum; novum igitur denuo adstruendum miraculum est: si secundum, elevandum ergo e pavimento tam mirabiliter consistens corpus fuit, et parato suppedaneo imponendum; quod mihi quidem parum verisimile videtur quemquam ausurum fuisse tentare, ne corpus divinitus sic positum e loco suo emotum et suppedaneo impositum corrueret. Certe ex relatione superius data, quam pro certa habent stantis corporis assertores, Nicolaus V non fuit ausus oram vestis uni pedum suppositam subducere, ne corpus moveretur.*

AUCTORE C. S.

§ X. Proponuntur duæ aliæ sacri corporis visitationes, quarum una Sixto IV Papæ, altera Galeotto tribuuntur.

Facta a Sixto IV corporis visitatio, anno 1476 innexa.

Rursum *alias* S. Francisci *corporis visitationes sæpe laudatus Rugilus in sua Dissertatione Romana subjunxit, sic pergens :* Quartum indubium experimentum tradimus Xisto IV Romano Pontifici anno MCDLXXVI, recurrentibus magnæ veniæ Portiunculæ solemniis. Utimur iterum atque perpetuo teste Waddingo, qui ex Mss. Mariani ac Marci Observantinorum monumentis hæc habuisse, fatetur. Narrat igitur num. IV ad hunc annum his verbis : « Sixtus, etsi dignitate supremus, non dedignatus » tamen est, se Minorem profiteri, patremque suum » et institutorem humilem deprædicare Franci- » scum... In minoribus constitutus semper concu- » pivit sanctissimum illud Ecclesiæ depositum » (*corpus* S. Francisci) « intueri; sed non licuit, nunc E » sua fretus authoritate, cui contradicere non lice- » bat, statuit hoc anno Assisium pergere, et plene » votis potiri. Abiit itaque sub mensem Junii, pro- » tractaque aliquali mora Spoleti et Fulginei, in- » terfuit numerosissimo cœtui, ex universa Europa » ad Indulgentiam Portiunculæ diebus primo et » secundo Augusti confluenti. »

exponitur ex Waddingo, Ms. monumentum laudante,

162 « Secreto deinde habito colloquio cum Mi- » nistro generali, sacri conventus custode, et sa- » crista, sub altum noctis silentium descendit per » occultos recessus ad subterraneam ecclesiam, in » qua Virum sanctissimum in pedes erectum re- » verenter et cum lacrymis veneratus est. Duos » tantum adhibuit comites, Joannem Arcimboldum, » Cardinalem archiepiscopum Mediolanensem, et » Andream de Nursia, præfectum vigilum seu ca- » pitaneum excubiarum. Hic facem Pontifici præ- » ferebat : omnes sacra vulnera viderunt; palpa- » verunt et osculati sunt. Pontifex propriis manibus » ex capitis cincinno capillos abscidit, quos in » summa semper habuit veneratione. Andreas hac » visione ita colliquefactus est amore et reverentia » erga sanctissimum Patriarcham, ut, ubicumque » deinceps Fratribus obviaverit, memor hujus devo- » tissimi spectaculi, a lacrymis difficile se potuerit » cohibere. Historiæ scriptor apud me Ms. dicit, F » hæc ab ipso Andrea accepisse. » *Hactenus ex Waddingo; deinde pergit Rugilus.*

et ex Mariano Florentino,

163 Huic Waddingianæ relationi, desumptæ ab auctore anonymo, qui ex ore Andreæ de Nursia, unius ex testibus oculatis Xistini accessus habuerat, addimus ejusdem accessus relationem ex Mariano Florentino, scriptore synchrono, qui ex ore Fratrum, testium vel ex visu, vel ex auditu excepit. « Hoc quoque anno MCDLXXVI dominus Papa cum » Romana curia ad visitandum corpus B. P. N. » Francisci, et ad Indulgentiam sanctæ Mariæ de » Angelis, Assisium venit, ubi magna solemnitas » tunc celebrata fuit. Et ut compos sui ardentis » desiderii fieret, quadam deputata nocte, accer- » sito reverendissimo domino Johanne Arzibaldo, » Cardinale S. Praxedis et archiepiscopo Mediola- » nense, necnon domino Andrea de Nurcia, capi- » taneo armorum, gentibus B. P. N. Francisci de- » votissimis, cum generali Ministro, et custode » conventus, atque sacrista, clam ad diu concupi- » tum locum, in quo venerabiliter corpus beati » Patris jam dicti conservatur, descendit.

qui suos quoque testes laudavit,

164 » Ubi mox ingressi, et ante secundum cru- » cifixum » (*id est ante S. Franciscum*) « prostrati » profluvium lacrymarum omnes minime continere » potuerunt. Post aliquam vero morulam, jamque » repressis lacrymis, cum omni reverentia ac timore,

AUCTORE C. S.

» more, Christi vicarius illa tetigit sacra stigmata » pedum, manumqne et super lateralem plagam » osculatus est. Deinde aliquos capillos incidit co- » ronæ illius, quos pro summis reliquiis reservari * an parvum? » jussit. Cum tandem ibidem non parum *spatium » fuissent, recedentes, quilibet eorum ad suam » habitationem reversus est. Hæc omnia ipse do- » minus Andreas, qui incensum cereum ante Pon- » tificem tunc semper tulit, Fratribus cum lacrymis * an reseravit? » reservavit *; dicti vero Fratres deinde mihi » (*loquitur Marianus*) « narraverunt. Et ex hac vi- » sione ita cor dicti domini Andreæ ferbuit, ut » semper, cum Fratres Minores, videbat, memor » tunc illius a lacrymis se abstinere nequibat. »

quibus scriptoribus sua ætas

163 *Pro Sixtina itaque visitatione duo, velut rei gestæ synchroni scriptores, proferuntur ex auditu, ex visu nullus; anonymus scilicet, qui eam se ab ipso Andrea de Nursia, oculato teste, accepisse profitetur; alter, Marianus Florentinus, eamdem acceptam referens quibusdam Fratribus suis Minoribus, qui eumdem oculatum testem Andream laudabant. At cum Anonymus ille ignotus sit, utinam Waddingus ætatem indicasset manuscripti, quo usus est, an scilicet scriptura illius respondeat sæculo* XV, *quo contigisse visitatio dicitur, an contra recentioris sit manus. Notior est persona et ætas Mariani Florentini, qui* B *cum anno* 1525, *id est, solum* 47 *annis, postquam Sixtina visitatio facta perhibetur, obiisse dicatur, ut alibi observavi, rei gestæ aut synchronus vixit, aut certe eam facile didicisse potuit ex Fratribus Minoribus, qui eamdem ex ipso Andreæ ore intellexisse dicuntur. Utut sit, contemnenda non est dictorum scriptorum narratio, nisi aliunde valide infirmetur. Eam igitur expendamus.*

ac verisimilis Sixti eo anno Assisii præsentia favent.

166 *De Sixto ad propositum nostrum apud Ciconium et Oldoinum in Vitis Romanorum Pontificum sic legitur :* Anno MCDLXXVI Sixtus IV Papa, pestem fugiens, quæ Romæ grassabatur, Campagnanum, ditionis Ecclesiasticæ oppidum, profectus... Pontifex XXVII Decembris, in multis civitatibus, oppidis et arcibus ditionis Ecclesiasticæ, pestem fugiens, quæ tunc sæviebat, Romam reversus est. *Potuit igitur una e civitatibus illis, ad quas interim fugerat, fuisse Assisium, illamque accessisse circa initium Augusti, ut Waddingus retulit. Eodem tempore floruit Joannes Arcimboldus, S. R. E. Cardinalis, primo titulo SS. Nerei et Achillei, deinde S. Praxedis; verum is in utraque relatione minus accurate dicitur* archiepiscopus Mediolanensis; *cum ex Italiæ sacræ Ughellianæ recusæ tom. IV, col,* 267, *et Josephi Antonii Saxii tom. III Seriei historico-Chronologicæ archiepiscoporum ejusdem metropolis pag.* 94 *et sequenti sciamus, ipsum prædicto anno* C 1476 *Cardinalem quidem fuisse ac episcopum Novariensem, sed non, nisi anno* 1484 *ad Mediolanensem archiepiscopatum fuisse evectum. Atque hæc minor accuratio licet parum aut nihil relationibus officiat, probat tamen, eas non ante annum* 1484 *scriptas esse, ac multo etiam serius scribi potuisse. Si igitur hunc accurationis defectum excipias, sat recte se habent personæ in relationibus nominatæ; nam Andream de Nursia tum temporis fuisse Pontificiarum excubiarum præfectum, nec negare possum, nec aliunde confirmare. Cetera quoque nonnihil expendamus.*

Observantur quædam alia

167 *Mirabitur nonnemo, laudatum Sixtum, si hic in minoribus constitutus semper desideraverit sui sancti Patris corpus videre, et, si ad hoc, ut volunt, tum temporis nonnullis aliis patuerit aditus, id impetrare non potuisse saltem intra annos* 1464 *et* 1468, *quo tempore is generale Ordinis, teste Waddingo, Ministerium gessit, aut ab hoc posteriori anno, quo S. R. E. Cardinalis creatus fuit, usque ad* 1471, *quo denique ad summum Pontificatum evectus est. Atque hoc etiam multo magis mirari liceret, si constaret, tempore generalis Ministerii illius tam frequentes fuisse ad sacrum corpus accessus, quam indicat Missorius, de eodem Sixto hæc scribens :* Quum generale nostri Ordinis Ministerium gereret, animadvertens, custodem ac Fratres conventus Assisiensis consuesse paulo indulgentius, quam par D erat, viros principes ac prænobiles ad admirabile S. Francisci corpus invisendum admittere, iterum ac sæpius hanc exteros deorsum introducendi facilitatem inhibuerat. *Si tunc temporis tam facile concessus fuerit viris principibus ad spectandum istud prodigium accessus, cur, quave ratione is negatus fuisset tantopere desideranti generali Ordinis Ministro? At fuerint ignotæ nobis causæ, ob quas hic suo desiderio nequiverit potiri.*

ad geminam istam datam narrationem.

168 *Porro inter duas illas relationes id potissimum occurrit discriminis, quod in Waddingiana dicatur corpus* S. Francisci *tunc visum fuisse, non solum sacris insignitum stigmatibus, verum etiam* in pedes erectum; *in ea vero, quam ex Mariano Florentino Rugilus adjecit, de stigmatibus quidem fiat mentio, non tamen de erecta in pedes statura; ut adeo hæc relatio solum pro probanda corporis incorruptione et perseverantia stigmatum facere posset, non pro statura in pedes. Observandum præterea est, relationem a Rugilo adjectam, velut totidem ipsiusmet Mariani verbis descriptam recitari; Waddingum vero suam, non ex Ms., quod laudat, transcripsisse, sed suis concinnasse verbis; unde facile fieri potuerit, ut hic pro sua de stante corpore sententia, illud* in pedes erectum *vel inscius addiderit. Dubium tolli poterit, si Ms., quo ille usus est, adhuc* E *supersit Romæ apud S. Isidorum, ubi illud servari asserit Rugilus. Utraque relatio mihi magis placeret, si non solas plagas seu vulnera manuum pedumque, sed apparentes in iisdem clavos memoraret : qua de re pluribus infra.*

Idem Sixtus fertur consilium suum de sacro corpore publice exponendo, dissuadente

169 *In eadem relatione Mariani post verba num.* 164 *data, teste Rugilo, subduntur sequentia :* Beatus Jacobus de Marchia item referebat, quod ipse summus Pontifex (*Sixtus IV*) semper concupierat illud corpus sanctissimum videre, et quod factus Papa in animo statuerat ad honorem Dei et Catholicæ fidei illud mundo ostendere; de qua re se consuluit cum eo (*cum B. Jacobo de Marchia*) cui respondisse dicebat : Beatissime Pater, mihi hoc nullo modo videtur. Nam ad videndum novum Crucifixum totus commovebitur mundus, multique ex fame (cum tunc inedia generalis esset) laboreque itineris perirent. Sed sciat Sanctitas tua, Beatissime Pater, quod, quando Christiana Religio magis indigebit, tunc Deus ostendere faciet. Acquievit ergo Papa consilio suo (*id est,* ejus, *nempe B. Jacobi*) eo quod magnam eidem fidem habebat, ac propter hoc nunc illud non ostendisse, dicebant. *Similia in Ms. suo legisse videtur Waddingus, qui post verba num.* 162 *recensita, similiter addidit sequentia :* In Pontificatus auspiciis cogitavit Sixtus de exponendo F omnium conspectui hoc sacro pignore in nobili mausoleo. Re collata cum Jacobo Piceno, responsum a viro sanctissimo post longam orationem accepit, id nequaquam Deo placere, qui usque ad præfinitum a se tempus, magisque necessarium, volebat occultum.

S. Jacobo Piceno, mutasse.

170 *Ex hac de Jacobo Piceno mentione credideruntaliqui, sanctum hunc Sixti IV comitem fuisse, idque dedisse consilii, dum ille* S. Francisci *corpus invisit. Certe Missorius ait :* Quod attinet ad Sixti IV adventum in civitatem Assisiensem, notior est, quam ut egeat probatione : socium vero sibi ascivisse B. Jacobum, gravissimi perhibent Franciscani scriptores, quos inter Vadingus ad annum MCDLXXVI, num. IV. *Verum his sine dubio perperam annumeratur Waddingus, qui licet ex occasione Sixtinæ visitationis ejusdem Pontificis de* S. Francisci *corpore palam exponendo consilium, sanctique Jacobi hac super re sententiam narraverit, non propterea hæc eodem tempore ac loco, aut etiam inter præsentes contigisse affirmavit. Imo tempora non obscure distinxit : nam visitationem corporis anno Pontificatus Sixti quinto sextove, seu Christi* 1476 *innexuit, consilium autem cum S. Jacobo Piceno habitum* in *ejusdem* Pontificatus initiis. *Nec oppositum ex Mariano erues, si utriusque data verba expenderis. Hæc observanda duxi, ne quis eo ex capite illorum*

A *illorum relationum fidem elevare velit, quod aliunde constet, S. Jacobum Picenum jam ab anno 1473 Neapoli versatum fuisse, ibique anno 1476, cui Sixtina visitatio innecti solet, beata morte diem suum obiisse.*

Quæ Missorius ad præmissa annotavit,

171 *Nunc etiam accipe, quæ Missorius ejusdem visitationis, datique a S. Jacobo consilii confirmandorum gratia præterea annotavit hoc modo :* Duo sunt, quæ meo quidem judicio historiam hanc mire confirmant : alterum, quod satis certum; alterum, quod satis probabile. Certum namque est, Sixtum IV, Assisio Romam reversum, capillorum S. Francisci cincinnum secum adduxisse, et Liberianæ aut Lateranensi basilicæ dono dedisse. Quæ res maximo est argumento, religiosissimum Pontificem forficibus per se rescidisse, perinde ac fama vulgavit; quoniam nihil quicquam præter sanguinis guttas et vestimenta e S. Francisci corpore alicubi asservari, perspectissimum est. Valde etiam probabile est, quod mihi adhinc triennium renunciavit vir optimus atque integerrimus e marchionibus Galitiæ, edictum sibi fuisse a Cardinali, juxta amplissimo ac doctissimo, qui fidei Promotoris munus sustinebat tum, quum B. Jacobi causa canonizationis in sacra Rituum Congregatione agebatur; fuisse nimirum ea occasione exhibitum au-
B tographum libelli supplicis, ipsius B. Jacobi manu exarati, et Sixto IV porrecti, quo idem prorsus contineri affirmabat, quod modo indicavi. Hoc porro si perstat, in portu navigamus : sin minus, res eodem recidit, ut sententia de statione sola tot sæculorum traditione fulciatur.

non satis persuadent,

172 Verum non est hic prætermittendum, quod lib. IV de Servorum Dei beatific., et Beatorum canonizat. parte I, cap. 31 in hac ipsa, quam nunc agitamus causam, scripsit Prosper Lambertinus, doctrina et dignitate Eminentissimus, nunc Benedictus XIV. *Haud inficior, cincinnum capillorum* S. Francisci *per Sixtum IV Romam allatum, si de hoc satis constet, utcumque favere sententiæ, affirmanti : non tamen eam evincit. Reponent enim alii, cincinnum illum abscindi potuisse paulo post mortem* Francisci, *aut etiam vivo; quemadmodum viventi abscissum fuit* modicum de capillis illius, *quod ejusdem medicum impetrasse, atque pro domo sua conservanda feliciter adhibuisse, testatur S. Bonaventura in Vita edita apud me num. 99. Reponent, inquam, alii, similem cincinnum, alterutro tempore resectum servatumque, Sixto Papæ donari potuisse. Terminata esset hæc controversia, si proferri posset S. Jacobi Piceni memoratum autographum, in quo et allegata sacri corporis per Sixtum inspectio, qualis*
C *supra descripta est, et ejusdem Pontificis cum dicto S. Jacobo de* S. Francisci *corpore consultatio asserentur. Non eo hæc dico, quod de Missorii, aut ab eo laudati testis, fide dubitem, sed quod de alterutrius memoriæ lapsu non nihil cogar dubitare.*

nec satis verisimile est, quod ait de autographo S. Jacobi Piceni

173 *Cum Cardinalem amplissimum ac doctissimum, qui fidei promotoris munus gessit, dum S. Jacobi Piceni causa canonizationis in sacra Rituum Congregatione agebatur, quique supra relata uni e marchionibus Galitiæ dixerat, non nominaverit Missorius, nequeo eum assignare, nisi forte is fuerit Prosper Lambertinus, postea ad summum Pontificatum evectus Benedictus XIV appellatus. Etenim Jacobus Picenus Sanctis adscriptus fuit anno 1726, promotoris fidei munere fungente laudato Prospero Lambertino, qui illud anno 1708 a Clemente XI acceperat, atque ultra annos viginti gessit, ut ipsemet testatur in eodem Opere lib.* I, *cap.* 22, *num.* 19 *et* 23 *editionis Romanæ anni* 1747. *Hic ergo, quem pro se etiam laudavit Missorius, loco indicato ad propositum nostrum hæc ait :* S. Francisci de Assisio corpus diu post obitum integrum inventum est, stans, illæsum, oculis apertis, et vulneribus recenti sanguine manantibus, UTI HABETUR APUD WADDINGUM ad annum MCCXXX, num. IV. Sancti corpus plures Romani Pontifices aspexerunt, Gregorius videlicet IX, Innocentius IV, Alexander IV, Clemens IV, Nicolaus IV, et Nicolaus V.

174 At evecto ad summum Pontificatum Sixto IV, cum ipse Assisium se contulisset anno MCDLXXVI, hortante Jacobo de Marchia, jussit cuniculum, per quem ad ædiculam subterraneam, in qua Sancti corpus est, patebat accessus, et scalam, per quam erat descensus, denso aggere, ex lapidibus ac cœmentis compacto, repleri, atque ita unicuique interdictum fuit prædictum sanctum corpus videre; QUEMADMODUM FUSE HABETUR IN HISTORIA CONVENTUS ASSISIENSIS, SCRIPTA A FR. FRANCISCO MARIA ANGELO A RIVOTORTO tit. 42. *Præmiserat etiam laudatus Cardinalis Lambertinus ibidem lib.* I, *cap.* 36, *num.* 16 : Porro sancti ejusdem Francisci corpus, quod, si non omnium, principum saltem virorum, oculis per aliquam temporis intercapedinem aliquando expositum fuit, hortante S. Jacobo de Piceno, a Sixto IV summo Pontifice anno MCDLXXVI ex oculis hominum sublatum est, repleto ambitu, per quem ad ecclesiam inferiorem basilicæ Assisiensis, ubi corpus illud servabatur, erat accessus, repletaque scala, per quam ad eamdem descensus, denso aggere, ex lapidibus et cœmento compacto; UTI DESUMITUR EX ALLEGATA HISTORIA CONVENTUS ASSISIENSIS, tit. 42.

AUCTORE C. S. *de hoc argumento in processu canonizationis illius,*

anno 1726 peractæ, producto.

175 *Ex hisce duobus locis inferri potest, eruditissimum Cardinalem Lambertinum non fuisse refragatum Waddingi et Francisci a Rivotorto sententiæ de* S. Francisci *corporis incorruptione situque mirabili, et obstructo per Sixtum IV, hortante S. Jacobo Piceno, ad illud accessu; aut, si quid præterea velis, ejusdem hic fuisse cum illis opinionis. Sed an verisimile videtur, eruditum illum virum assertorum suorum testem laudaturum fuisse Waddingum, eoque multo recentiorem Franciscum a Rivotorto, si ipsemet vidisset ejusdem S. Jacobi Piceni libellum supplicem autographum, in quo eadem legerentur, et quo sententiam suam invicte probare, oppositamque multo validius, quam ex Waddingo et Francisco Rivotorto, confutare potuisset? Enimvero hujusmodi instrumentorum peritior æstimator erat Cardinalis Lambertinus. Quapropter mihi non satis probabile apparet, quod de S. Jacobi Piceni autographo hac super re existimavit Missorius. Simile quid etiam de visitatione per Nicolaum V facta audierat, rejeceratque idem Missorius cum hac censura :* Neque illud silentio præterire possum, Romæ quemdam fuisse anno ineuntis hujus sæculi (*decimi octavi*) quarto, qui de hac Nicolai V visitatione authenticam narrationem penes se custodire dictitabat, quam tamen prodere renuit, veritus, ne alicujus Ordinis animum offenderet. Ast ego vereor, ne infectum pro facto supposuerit; quandoquidem satius est, jactantiæ ac mendacii illum reprehendere, quam læsæ religionis
E F

Eamdem visitationem impugnat alius

176 *Gabriel a Rotomago præter communia argumenta inferius recitanda, quibus sacri corporis, de quo agimus, perpetuum prodigium impugnat, adversus hanc Sixtinam visitationem speciale formatur ex ipsius Sixti silentio, et modo loquendi. Ex silentio quidem, quod nullus producatur, qui eam ex illo audierit; ex loquendi autem modo, quod idem ille Pontifex de* S. Francisci *corpore loquens utatur verbo* requiescit *in bulla data Romæ Nonis Februarii anni* 1478, *in qua mandat, ut festum translationis ejusdem sacri corporis, quod die* 25 *Maji Assisii celebrari soluerat, deinceps ibidem ageretur feria, secunda Pentecostes. Bullam illam incipere ait :* Dignum reputamus et congruum, *et exstare apud Franciscum a Rivotorto. Contendit enim Gabriel, verbum* requiescere, *ubi de humanis cadaveribus agitur, idem sonare, quod* jacere. *Quam ob rem cum data sit tertio anno, postquam Sixtina visitatio facta dicitur, concludit, si hæc vere contigisset, Sixtum procul omni dubio de tanto miraculo a se viso in eadem bulla mentionem facturum fuisse, aut certe minime dicturum,* S. Francisci *corpus in sua ecclesia* requiescere.

ex ejusdem Sixti litteris, in quibus dicitur

177 *Fatendum est, communem loquendi modum obtinere, ut, dum de humanis cadaveribus sermo fit, requiscere* ordinarie *usurpetur pro* jacere; *quia illa ordinarie*

AUCTORE C. S. *tur corpus illud quiescere.*

ordinarie reipsa jacent. *Dixi* : Ordinarie; *quia, exempli causa, corpus S. Catharinæ Bononiensis dici potest* requiescere, *non tamen* jacere; *quia sedentis in modum illud positum est, ut ipse meis oculis vidi. Attamen, quia ex recepto, ut dixi, loquendi more verbum* requiescere *in similibus ordinarie usurpatur pro* jacere, *minus accurate loqueretur, qui laudatæ sanctæ virginis corpus solum diceret* requiescere *sine adjuncto aliquo, unde singularis ejusdem situs posset agnosci : verum tamen diceret; quia, qui sedet, vere quiescit. At vero, si quis audiat, alicujus cadaver certo in loco* requiescere, *quis vel minimum suspicetur, illud instar vivi suis pedibus consistere, ac non potius credat, aliorum cadaverum more jacere? Quam ob rem, si Sixtus IV* S. Francisci *corpus incorruptum et in suos erectum pedes anno 1476 spectaverit, dicendus est in bulla, tertio annos post data, velut de industria usus esse verbo plane improprio, et in communi hominum æstimatione aliud, quam quod res erat, significante. Hoc autem cur fecerit? Sed de eodem verbo* requiescere *sermo infra recurret. Progredior ad alia.*

Visitatio corporis per Galeottum

178 Quintum experimentum (*verba rursus sunt Rugili in Dissertatione sua*) assignamus domino cuidam Galeotto de Bistochis, quondam Jacobi Galeotti (*subaudi :* filio) anno MCDXCIX. Hujus narrationem habemus quidem ex Waddingo Latine redditam ad annum MCCXXX, num. 5, sibique transmissam, ut refert, ex archivo S. Mariæ Angelorum. Nos autem jure huic præponimus fidem Ms., Romæ in bibliotheca Barberina asservati num. 1228, fol. 248, 249. *Hæc relatio cum annotatione eidem præmissa Italice scripta est, qualem in lectorum gratiam Latine subjicio.* Apographum monumenti, quod Galeottus, filius Jacobi Galeotti, reliquit de viso a se corpore sancti patris Francisci, manu sua antiquo libro inscriptum. Dominus Franciscus Giardini, tunc gubernator Assisii, dum mihi daret annexum apographum, dixit mihi, se illud accepisse a primo vero pronepote illius, qui istud (*corpus S. Francisci*) vidit, id est, a Julio Cæsare Galeotto, filio Antonii Francisci, qui erat filius Galeotti, qui vidit.

B

recitatur ex Ms. bibliothecæ Barberinæ,

179 Iste dominus gubernator voluit illud sua propria manu verbatim describere ex autographo, quod erat in quodam antiquo libro rationum, debuitque ejusdem authenticum exemplar procurare illustrissimo domino Cardinali Petro Aldobrandino, in cujus tunc erat obsequiis. Addidit, se diligenter et accurate consultis confessario suo, Fratre Julio de Rocchiccivola, Fratre Dominico de Assisio, aliisque Fratribus antiquioribus, viris auctoritate et scientia præditis, præterea didicisse, gradus (*per quos scilicet ad locum sacri corporis descenditur*) e candido nigroque marmore confectos, ac per totum aditum cerni ex opere musivo S. Francisci et sociorum illius effigies, quæ eosdem exacte referre creduntur. *Hactenus præmissa annotatio, tum sequitur ipsa Galeotti relatio, Italico item sermone, quæ Latine sic sonat.*

C

ex Italica redita Latina.

180 Die XVIII Novembris anno MDIX. Ego Galeottus, Jacobi filius, vidi sacratissimum corpus mei patris S. Francisci, quod in hunc diem apparet vivum, illiusque vestis sine macula est : dumque pater custos cubiculum ejus aperuit, tantus inde erupit odor, ut major dicit nequeat. Illius vulnera tam recentia sunt, acsi viva essent. Vidimus ego, reverendus frater Julius de Leccio, sacri conventus custos, et Frater Faustinus de Collestate, sacrista. Ecclesiola ejus speciosa est, habetque portam e marmore ad altare majus marmoreum, et acceditur per pulchrum longumque ambulacrum; intratur per portam juxta podium, descenditurque illuc per gradus septemdecim, in quorum singulis ego et pater Custos et sacrista recitavimus PATER NOSTER et AVE MARIA. Videbimus, quamdiu simus supervicturi. Hanc memoriam tibi, fili mi Antoni Francisce, relinquo : conare, dum vives, hanc gratiam etiam obtinere; solatio tibi erit, teque benedicto S. Francisco commendo.

181 *Hisce subjungit Rugilus pauca sequentia :* Sæculorum author præfatus, Bistochianam relationem aggrediens, utitur Portiunculano exemplari, quod reapse vitiosum est. Loca vero, quæ impetit, Barberinus codex noster non habet, ut patebit legenti. *Portiunculanum, ut credidit, ex Italico Latinum dedit Waddingus ad annum 1230, num. 5; sed audi, quid de illo etiam censuerit Missorius in Dissertatione sua.* Circumfertur, *inquit,* et alia consimilis (*relationi in jactato S. Jacobi Piceni libelli supplicis autographo*) narratio Galeotti de Galeottis de Bistochio, quam sibi ex archivo S. Mariæ Angelorum transmissam, fatetur Waddingus; sed eam ab homine, ita falso, ut malevolo, fuisse confictam, pluribus momentis probat Angelus a Rivotorto, cui unus et alter cœnobii S. Mariæ Angelorum guardianus, vir uterque integer, et Angelo uterque singulari familiaritate conjunctus, ingenue fassus est, nihil tale in suo tabulario deprehendisse; sed ita se existimare, Waddingum a privato homine fuisse deceptum. Monuit insuper, vere juxta me prudenter, idem Angelus a Rivotorto, cavendum nobis a quibusdam narratiunculis eodem collineantibus, quæ tum Cardinalium, tum Ministrorum generalium nomine clanculum circumferuntur; nam haud dubie suppositas esse, rerum, personarum, locorumve adjuncta liquido demonstrant.

D

Quid censendum sit de edita a Waddingo

E

182 *Ego cum nec ignotum mihi Sæculorum Seraphicorum scriptorem, nec Franciscum Angelum a Rivotorto in promptu habeam, nescio, quæ illis in exemplari,* Portiunculano *dicto, præcipue displicuerint : duo tamen potissimum displicuisse, existimo. In eo, quod a Waddingo editum dixi, non in Barberiniano, ait Galeottus, se a laudatis Patribus Custode et sacrista oblato pretio obtinuisse facultatem sacri corporis videndi; quod religiosis istis viris sane admodum injuriosum est, nec proinde prudenter credibile. Sic enim Galeottus ibidem loqui fingitur :* Nec absque pretio obtinui : dissidentibus etenim inter se his Patribus, consensum extorsi multo nummo, cooperante meis votis ipso sancto Patriarcha. *Alterum, quod tam Missorio, quam Rugilo, in eadem relatione Portiunculana displicuisse, puto, colligo ex annis, quibus Bistochiana visitatio in hac et illa figitur, collatis cum tempore, quo cuniculos ad sacrum corpus ducentes obstructos fuisse, illi existimant. Visitatio illa in Ms. Barberiniano contigisse dicitur, ut vidimus, anno 1499; in Portiunculano autem, seu apud Waddingum, anno 1509. Obstructionem cuniculorum Rugilus æque ac Missorius Sixto IV summo Pontifici attribuunt cum eo discrimine, quod Rugilus eam solo illius mandato vetante, ne cuiquam in posterum paterent, Missorius autem, apposito aggere, seu Opere cæmentario, factam putet.*

altera ejusdem visitationis relatione.

F

183 *Jam vero, sive Galeottus anno 1499, sive 1509 sacrum corpus vidisse credatur, quærere licet, quo pacto id cohæreat cum obstructo per Sixtum IV ad illud aditu : cum enim Sixtus IV anno 1484 vivendi finem fecerit, Galeotti accessus, utrovis anno supra memorato acciderit, allegata obstructione fuisset posterior. An cuniculi, in Missorii opinione tanta opera ex Pontificio mandato sanctique Jacobi Piceni, divinitus instructi, consilio obturati, in Galeotti gratiam eruderati fuere? Hoc mihi quidem minime apparet verisimile. An accessus ad sacrum corpus, ex sententia Rugili solo Sixti IV mandato ex S. Jacobi consilio omnibus severe prohibitus, soli Galeotto, nescio, cui, patuit? Neque hoc dici potest, nisi Religiosos viros, reverendos, inquam Patres Julium de Leccio, sacri conventus Custodem, et Faustinum de Collestate sacristam, violati Pontificii præcepti reos arguamus. Ceterum, an iidem cuniculi vel solo Sixti IV mandato, vel etiam opere cæmentario illius tempore, aut serius obstructi fuerint, infra inquiretur; hic solum observare volui, Galeotti visitationem difficulter conciliari posse cum cuniculorum obstructione, jussu Sixti IV facta, ac proinde aut hanc aut illam etiam ex hoc capite merito esse suspectam.*

Utroque difficultatibus obnoxia est.

184 *Quod ad personas, in annotatione prævia in Ms.*

A *Ms. Barberiniano nominatas, attinet, Petrus Aldobrandinus, uti ex Ciaconio et Oldoino habemus, a Clemente VIII Cardinalis creatus est anno* 1592, *annoque* 1621 *mortuus. Si hic tum temporis in obsequiis suis habuerit Franciscum Giardini, postea gubernatorem Assisiensem (quod nec asserere possum, nec negare) recte se habebunt personæ ibidem nominatæ At quis fuit ille, qui profitetur, istam Galeotti relationem Ms. a laudato Francisco Giardini sibi esse donatam? Id vero non dicitur, neque scimus, an non fuerit unus ex illis, a quorum narratione alis cavendum monuerunt Franciscus a Rivotorto et Missorius num.* 181 *relati. Præterea quod in eadem annotatione dicitur de imaginibus* S. Francisci *et sociorum ejus, opere musivo in subterraneo ambulacro, quod ad sacri corporis locum ducit, elaboratis, reliquis, quorum relationes supra dedimus, plane ignotum est; imo nec verisimile, fratrem Eliam, qui paulo post* S. Francisci *mortem ingentem illam basilicam maximis sumptibus exstruere cœpit, fuisse sollicitum de ejusdem sociis, quorum præcipui tum etiam vivebant, tam pretioso opere in subterraneo illo obscuroque aditu exprimendis; neque id a quopiam alio postea factum esse, ullus tradit. Alia, quæ in utraque relatione præterea displicere possunt, producemus inferius inter argumenta, ad impugnandam corporis in-*
B *corruptionem situmque ab aliis allegata.*

neutra satis certa.

§ XI. Expenditur relatio visitationis sacri corporis, reverendissimo Piscullio, Minorum Conventualium Ministro generali, ejusque socio Tinaccio attributæ.

Hactenus Rugilus recensuit relationes externorum, ut minus viderentur suspectæ; nunc vero addit domesticam, sic ordiens : Ut tandem aliquando liceat ex nostratibus aliquem, sed ultra necessitatem, in oculatorum testium album referre, sextum atque novissimum locum tenebit reverendissimus piæ memoriæ Pisculli de Melphio, Minister generalis LXIII, comite piæ memoriæ Augustino Tinacci tunc a secretis Ordinis. Hujus de visu relationem ab ipsomet piæ memoriæ Augustino Tinacci descriptam, a generali Ministro Felici Francischino de Cassia jussam, authographique loco authoris ac testis manu exaratam, Romæ in hoc, unde ad vos scribimus, sanctorum duodecim Apostolorum archivo asservamus. *Hujus authenticum apographum accepimus abhinc aliquot annis ab admodum reverendo patre Seraphino Antonio Pagni, Ordinis Minorum Conventualium præsidente et archivista in eodem Sanctorum*
C *duodecim Apostolorum conventu Romano, collatum signatumque a notario publico, Dominico Fabiano Prassi, ex cujus instrumento sequentia accipe.*

Hujus visitationis autographum testimonium

servatur Romæ in conventu duodecim Apostolorum,

186 In nomine Domini. Amen. Universis et singulis præsentes visuris, lecturis pariter atque audituris, fidem facio, verboque veritatis testor ego caus. cur. Ap. notarius publicus infrascriptus, qualiter die decima mensis Septembris millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Indictione XII, Pontificatus autem in eodem Christo Patris et D. N. D. Benedicti, divina providentia PP. XIV, anno ejus X, ad requisitionem et instantiam admodum reverendi patris, magistri Seraphini Antonii Pagni, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, præsidentis et archivistæ, accessi, meque una cum eodem et infrascriptis testibus contuli personaliter ad cameras habitationis reverendissimi patris, Ministri generalis ejusdem Ordinis, sitas in cœnobio SS. XII Apostolorum hujus almæ Urbis. Ibique perventus, aperto per eumdem admodum R. P. præsidentem et archivistam quodam scrinio, ubi regestus generales, aliaque plurima, ad ipsum Ordinem pertinentia, asservantur, idem R. P. Pagni, præsidens et archivista, accepit ex dicto scrinio scripturam consistentem in duobus foliis, a centum viginti et amplius annis exaratam et scriptam, ut ex illius subscriptione colligit, et ex papiri atramentique vetustate, per me bene inspecta, confirmatur.

AUCTORE C. S.

187 Dictamque scripturam mihi tradidit ad hoc, ut illam exemplarem, publicumque extractum de ea conficerem, prout feci tenoris sequentis : videlicet, ad extra in parte superiori dictæ scripturæ inspicitur sequens inscriptio, diverso caractere eformata, videlicet : « Attestato del Prē Mio Ago- » stino Tinacci di aver veduto il corpo del Serafico » Prē S. Frañco. » (*Hæc Italica sic verte Latine :* Testimonium patris magistri, Augustini Tinacci, de viso a se corpore Seraphici patris, S. Francisci.) Inferius vero pariter ad extra alia inscriptio inspicitur, videlicet : « Relazione del Prē Mio Agostino » Tinacci, che ha veduto il corpo del Serafico Prē » S. Frañco, fatta per commando de Prē Geñle » Franceschini da Cestia. » *Id est :* Relatio patris magistri Augustini Tinacci de viso corpore Seraphici patris, S. Francisci, facta jussu patris generalis Franceschini de Cassia. Intus vero tenoris, prout in præsenti folio, tam a tergo, quam superius, registratus et exemplatus adest, licet aliena manu, mihi tamen fida.

cujus apographum authenticum inde acceptum

188 Qui quidem tenor collatus per me de verbo ad verbum cum dicto originali, ultra mihi tradito et exhibito per admodum R. P. Pagni, præsidentem et archivistam prædictum, eidemque restituto ad
E effectum in dicto scrinio reponendi, in omnibus et per omnia concordare, inveni, salvo semper etc., nulla de dicto originali penes me relicta copia. Super quibus omnibus præsens publicum extractum documentum confeci requisitus. Romæ ubi supra, præsentibus DD. Petro Saluebi, fil. Thomæ, et Alexandro Abinante. filio Joïs Frañci, Romanis, testibus rogatis. *Sequuntur horum testium subscripta nomina, sed tam negligenter exarata, ut dubitem, an ea recte expresserim; deinde etiam nomen laudati notarii; et pro hujus fide ac munere subditur testimonium conservatorum populi Romani cum eorumdem sigillis ordinariis ad plenam fidem huic instrumento faciendam. Relatio ipsa R. P. Augustini Tinacci Italice scripta est, sed eidem versionem Latinam addidit piæ memoriæ P. Ignatius Pien, Societatis nostræ presbyter, Joannis nostri Pinii germanus frater, multis annis Romæ versatus, quam totidem verbis describo.*

ex Italico Latinum damus.

189 Reverendissime Pater. Vi jurisjurandi, quo paternitas vestra reverendissima me obstrinxit quoad visitationem corporis sancti Francisci, Seraphici patris nostri, ego frater Augustinus Tinacci a civitate Pinnensi, sacræ Theologiæ doctor, nunc Provincialis in provincia sancti Bernardini Minorum Conventualium, hoc instrumento, propria manu scripto ac subscripto, die, anno, loco, ut
F infra, reverendissimæ paternitati vestræ testificor, quod abhinc annis circiter novemdecim, dum amanuensis eram reverendissimi patris, magistri Piscullii a Melphi, Generalis ejusdem Ordinis sancti Francisci Minorum Conventualium, circa mensem Junium aut Julium, quo tempore ex legato excellentissimæ dominæ Camillæ Peretti in templo nostro Assisiensi sancti Francisci prope turrim ædificabatur sacellum Reliquiarum, fabricatorum præfecti ad sacelli illius fundamenta ac marmora locanda perfregerint inferiorem templi fornicem ea latitudine, quæ hominem caperet.

De perrupto fornice ecclesiæ infimæ Assisiensis

190 Pater magister Julius a Monte Rubiano, tunc in sacro illo conventu vice-custos, talem fracturam videns, opus interrumpi jussit, fracturam ipsam tabula tegens; ac statim hanc ob causam cursorem misit Romam ad eumdem patrem Generalem a Melphi, per litteras illum edocens de fractura fornicis, eumque consulens, an sacelli memorati fabricationem prosequendam curare deberet. Pater Generalis, lectis litteris, nulloque responso dato, illico me vocavit, mihi præcipiens, ut rhedam apparari juberem. Quo facto, me sibi socium adhibens, egressus est ad viam fabricantium claves, thoraces laneos facientibus vicinam (*Italice est :* Verso la strada delli chiavari, vicino alli giupponari) ubi cum viro, jam diu artis perito, locutus est,

monitus Minister generalis, comparatis instrumentis opportunis,

AUCTORE C. S.

est, sibique commodari jussit quatuor aut quinque instrumenta ferrea recurva, quibus seræ sine clavi aperiuntur, quæ deinde mihi servanda dedit. Cumque continuo ad conventum sanctorum Apostolorum, ipsius sedem, reversi essemus, mihi mandavit, ut præparari juberem tres equos, et thecam scriptoriam, calamum, chartam, ceram Hispanicam ac sigillum expedirem.

una cum relationis auctore festinanter Roma pergit Assisium,

191 His peractis, hora diei circiter vigesima secunda (*id est, fere duabus horis ante solis occasum*) equos conscendimus cum stabulario, qui erat Lombardus, et illo vespere devenimus ad diversorium quoddam prope Primam Portam (*vicus est, septem millibus passuum Roma distans.*) Die sequenti pergentes, sed nullum adeuntes conventum, prandimus in hospitio apud Civitatem Castellanam, iter deinde prosecuti usque ad vesperam, ac multo mane in viam nos dedimus, sed ad nullum conventum divertimus, meridie ac vesperi commorantes in diversoriis usque ad hospitium ultra Fulgineum, ex quo discessimus vespere, ita ut hora tertia noctis (*id est : hora tertia post occasum solis*) vel paulo post, pervenerimus Assisium. Postquam appropinquavimus ad portam majorem nostri conventus S. Francisci, omnes ex equis descendimus, et pater Generalis ad eamdem portam accedens pulsavit
B manu. Ad hanc pulsationem janitor, qui laicus ac etiam sutor erat, respondit : Quis illic est? Auditoque responso : AMICI, aperuit fenestellam, cratibus munitam, et intellexit, patrem Generalem esse. Hic vero ipsi graviter prohibuit, ne cuiquam de suo adventu verbum faceret; sed præcepit, ut sevocaret patrem vice-custodem, eique diceret, illum expectari a viro nobili; et, ut veniret solus.

et cum vice-custode ad fracturam clanculum accedit,

192 Revera solus venit; vidensque etiam ipse, esse patrem Generalem, prædictam portam majorem aperuit. Pater Generalis cubiculum janitoris ingressus, famulo cum equis extra majorem portam subsistere jusso, severe patri vice-custodi injunxit, ut nemini, se adesse, indicaret; sed missis dormitum fratribus, signoque silentii dato, ad se rediret cum clavibus templi et sacrarii : quandoquidem asserebat, quod illas apud se servaret, ne ex fractura ista fornicis aliquid mali oriretur. Pater vice-custos jussa prompte exsecutus, dato fratribus silentii signo, cum clavibus rediit; atque ita famulo cum equis in primam cortem, portæ memoratæ proximam, intrare jusso, pater Generalis, pater vice-custos et ego templum per portulam inferiorem simul ingressi sumus; clausaque janua interiore, portulæ illi respondente, pater Generalis
C præcepit, ut pater vice-custos fracturam, de qua scripserat, sibi ostenderet, et una e duabus facibus, quas prius ex sacrario afferri jusserat, accensa, ac in manus accepta, locum perlustrans, sese ad me convertit, mihique dixit : Ausisne sine scalis descendere ad videndum? Hanc ego nobis gratiam a Domino concessam spero; verumtamen ne, si quid sinistri nobis acciderit, pereamus, confiteamur. Ambo ergo patri vice-custodi confessi sumus.

per quam ejus socius delabitur, ipse per scalas descendit.

193 Tum ego ad fractum fornicem manibus me appendi; et quia locus erat profundior, quam putaram, cum me immisissem, in lapides e fornice fracto delapsos pedibus incidens, corruensque supinus, non læviter læsi caput. Pater Generalis me doloris signa edentem audiens, e vestigio patrem vice-custodem, qui ad templi januas, conventum respicientes, observatum ibat, vocavit, et ex illo quæsivit, an in templo non essent scalæ, per quas, quo ego descenderam, descendi posset; ac volente Deo, unæ fuerunt inventæ, quæ ad affigenda templi parietibus aulæa adhibebantur. His per fracturam illam demissis, pater Generalis, utramque facem accensam manu ferens, descendit, ac me ex capitis vulnere cruentatum conspicatus, etsi tam ipsi, quam mihi, permolesti essent vespertiliones, accepit paulum telæ araneæ, cumque imposuisset vulneri, me illud sudario circumligare jussit. Tum ambo facem, quisque suam, manu tenentes (nam pater vice-custos supra remanserat) ac circumspicientes, vidimus templum ædificatum in modum D
crucis, quæ incipiebat ex ea parte, qua descenderamus; pars autem altera vergebat ad portam templi majorem. Et in medio illius crucis parietem conspeximus, qui ad fornicem pertingebat; pauloque propius accedentes, portam vidimus æneam, satis capacem, quatuor occlusam seris, quarum duæ pessulis munitæ erant, duæ sine pessulis.

Aperiunt sacellum, sentiunt fragrantiam, vident corpora integra,

194 Itaque pater Generalis, Fili, inquit, in genua procumbamus, et comprecemur Deum, ut nobis sancti Patris nostri Seraphici corpus ostendere dignetur; quod a Deo uberibus lacrymis precati, cum surrexissemus, repetiit a me instrumenta ferrea recurva, quibus seræ sine clavi aperiuntur; iisque acceptis, unum desumpsit, quo seras prædictas aperire tentans, facile omnes quatuor aperuit; ac janua patefacta, intravimus in sacellum (cujus fornix idem est atque ille, qui crucem paulo ante descriptam facit) ubi ne unus quidem apparuit vespertilio; statimque ingentem fragrantiam sensimus, et oculos huc illuc circumferentes vidimus corpora quædam mortua, induta vestibus S. Francisci, et tactis illorum tunicis, invenimus eas solidas, acsi tunc factæ fuissent; solidi quoque erant tum capitis, tum barbæ, pili. Horum porro corporum aliqua jacebant, sedebant alia, capite demisso et genibus superposito. Prope corpora ista E
januam conspeximus, item æneam; sed parvam, per cujus ex superiori parte rimam quidam quasi splendor prodire cernebatur : compertoque, duabus clavibus obseratam esse, hanc quoque pater Generalis eodem instrumento ferreo, non sine admiratione utriusque, reseravit.

vident corpus S. Francisci incorruptum, erectum stans.

195 Janua vero protrusa, tantus inde se effundebat odor, ut nesciremus ambo, ubi essemus. Et introspectantes, parvum vidimus sacellum, tholi instar * opere Musivo elaboratum, in ejusque medio intuiti sumus altare, eodem opere perfectum, cui superposita erat lamina marmorea; supra hanc autem laminam conspeximus corpus gloriosi patris S. Francisci, in pedes erectum, cooperto capite, oculis in cælum sublatis, facie ad januam prædictam versa, manu dextera sinistræ imposita, et utraque ita inflexa, ut solum cerneretur manus dexteræ cicatrix; reliqua vero manus manica tegebatur, quæ manica erat stricta, qualis est manica vestimenti Patrum Conventualium Reformatorum : sic etiam cernebatur cicatrix dexteri pedis. Hæc videntes, ante eamdem januam humi prostrati remansimus, multis profusis lacrymis, orantes medio horæ spatio; ac veriti, ne præ ingenti cordis affectu defectionem animi pateremur, surreximus. F

* *Italice* : a modo di cuppula

Generalis coronas Marianas dextero pedi admovet,

196 Et cum timore ac reverentia non auderemus parvum hoc sacellum ingredi, pater Generalis, sua meaque corona Mariana accepta, passum protendit, et manum porrigens, tetigit illis pedem dexterum sancti Patris : imo mea non nihil cruore tincta fuit; quam proinde præ veneratione non audens gestare, ad provinciam meam reversus in conventu Teatino servavi e clavo suspensam supra mensulam, ad quam studebam; sed inde mihi fuit ablata, nec eam umquam recuperare potui. Post hæc pater Generalis, janua retracta, duas illas seras eodem instrumento ferreo, eadem facilitate, qua aperuerat, iterum clausit. Sic etiam, cum egressi essemus porta, qua prius intraveramus, hac reducta, quatuor seras rursus occlusit. Ut in templum ascendimus, pater Generalis illam fornicis fracturam non ita apertam manere cupiens, lapidem, quem superimponeret, quæritabat. Interea cortem ingressi sumus, et dum quæreremus circa ambulacrum, ad portam majorem ducens, occurrimus famulo, qui tenebat equos : is jussus lapidem accipere, atque ad jam dictum perferre locum, cum videret, quo hæc tenderent, Si haberem, inquit, paululum calcis, aperturam istam obstruere sperarem.

et obturata fractura fornicis, quæ

197 Et calce, quam illius, quod dixi, sacelli fabricatores præparaverant, inventa, fornicis fracturam obturavit, et pavimentum ex iisdem lateribus,

A ribus, quos illi inde exemerant, superstruxit. Quibus peractis, ea ipsa hora, nullam moram interponentes, nec intrantes conventum, Romam versus iter arripuimus, totoque noctis illius reliquo tempore prosecuti sumus usque ad hospitium supra memoratum, ubi bona diei parte somnum cepimus, ac deinde continuavimus iter via hic ante descripta. Pater Generalis tamen, priusquam discederet, patri vice-custodi sub gravibus censurarum pœnis imperavit, ut de iis, quæ acta erant, nulli mortalium verbum faceret. Per proximum tabellarium idem pater vice-custos patri Generali scripsit, quod, dum mane postridie discessum nostrum quæreretur fornicis fractura, inveniri non potuerit, quo fuisset loco; cum in laterum commissuris, perinde ut in ceteris templi partibus pulvis reperiretur; id quod habitum fuit miraculum, factum ob merita sancti patris Francisci, quem semper pro reverendissima paternitate vestra precor, ut ei patrocinio suo desideratam felicitatem a Domino nostro impetret. Romæ die IX Februarii MDCXXVI. Idem, qui supra, cum juramento attestor Frater Augustinus manu propria.

postridie non apparuit, discedunt.

198 *Hæc relatio reliquis multo apparet firmior, si tempus, occasio et personæ in ea memoratæ, locusque, ex quo eadem deprompta fuit, spectentur. Nam, quod ad tempus attinet, visitatio contigisse debuit mense Junio aut Julio anni* 1607, *id est, uno alterove mense ante decretum Pauli V, datum die* 28 *Augusti ejusdem anni, quo ille sub pœna excommunicationis severissime prohibuit, ne quis in* S. Francisci *corpus inquirat, uti infra probaturi sumus* § 18. *Hæc autem temporis propinquitas suspicionem movere potest, visitationem, de qua loquimur, eidem decreto condendo occasionem dedisse; nullam enim aliam novimus. Occasio visendi corporis, ut liquet, opportuna fuit, si eo, quo dicitur, modo fornix fuerit perruptus. Personæ nominantur Minister generalis Conventualium, ejusque a secretis socius, qui tam favorabili opportunitate præ multis aliis uti potuere. Instrumentum visitationis ab eodem Ministri generalis socio, oculato teste, jurisjurandi et obedientiæ religione obstricto, confectum notatur, atque ex ipso Ordinis archivo depromptum est; ut adeo prudentem fidem mereatur, nisi in suspicionem imposturæ aliunde possit venire; quæ tamen tum non Tinaccio, sed ignoto nobis deceptori, Tinaccium ementito, adscribenda esset.*

Mirum est, relationem, præ ceteris aliis verisimiliorem,

B

199 *Pendet id ab argumentis, quibus adversæ opinionis tutores contendunt,* S. Francisci *corporis prodigiosum situm omnibus antiquioribus non modo incognitum, verum etiam contrarium esse. Argumenta dabo infra eruditis lectoribus expendenda; quædam interim huc propius spectantia observaturus. Scrupulum mihi injicit Waddingi, et Antonii Melissani hujus visitationis ignoratio. Horum prior primum Annalium tomum edidit anno* 1623, *octodecim solum annis, postquam ea visitatio facta dicitur; ac nihilominus ad annum* 1230, *num.* 4 *Baucianas quidem litteras, aliasque de conspecto ab aliis sacro corpore stante relationes refert, sed addit :* Nec ex nostris ullus est, qui memoriæ tradiderit, se illud vidisse. *Scio equidem, Tinaccii epistolam anno* 1626, *ac proinde uno circiter anno post primum illum Waddingi tomum editum, signatam legi : quis tamen non miretur, Waddingum, totius Ordinis Minorum Annalistam, non fuisse a Tinaccio in tempore monitum de tam singulari communis Patris gloria, recenti oculorum fide comprobata?*

latere potuisse Waddingo

C

200 *Verum, si id casu tunc ignoraverit Waddingus, ignorasse non potuisset annis sequentibus, quibus ipse Romæ pariter scribens, additamenta ad eosdem Annales fecit, quæ deinde ad calcem aliquot sequentium tomorum reposuit, et reverendissimus pater Josephus Maria Fonseca ab Ebora in iterata eorumdem Annalium editione Romana anni* 1731 *et sequentium suis locis inseruit; nec tamen in his ullam reperio de Tinaccii litteris aut reverendissimi Piscullii visitatione mentionem. Par omnino est silentium reverendi patris Antonii Melissani de Macro in Supplemento ad prædictos Annales, in eadem editione Romana suis quoque annis subjecto, in quo is eosdem nonnumquam emendavit. Waddingum Romæ scribentem certe post editum primum tomum Annalium erroris sui monere debuisset Tinaccius, dum supra relatum testimonium Romæ ipse præsens anno* 1626 *exarasse dicitur, ac Waddingus ipse ex eodem illius testimonio, quæ tomo primo male asseruisset, postea emendare. Dissimulare nequeo, ex istorum de re tam memorabili silentio Tinaccianæ epistolæ fidem non nihil dubiam reddi. Vereor etiam, ut cuilibet sat verisimilis videatur opportuna illa famuli, qui in corte tenebat equos, miraque dexteritas in ruina fornicis, quæ hominem caperet, tam subito reparanda, tamque scite eidem imponendo pavimento, ut postridie discerni nequiret, ubi illa fuisset.*

ac Antonio Melissano de Macro.

AUCTORE C. S.

201 *Adhæc eadem Tinaccii relatio in variis rerum visarum adjunctis dissonat ab aliorum relationibus hactenus datis; unde necesse est, vel has vel illam, si non omnes, vacillare. Aliquot hujusmodi variationes observemus. In relatione Tinaccii supra num.* 195 *dicitur reverendissimus Piscullius in loco illo subterraneo aperuisse* portam æneam, satis capacem, quatuor occlusam seris, quarum duæ pessulis munitæ erant, duæ sine pessulis; *deinde num.* 194 *etiam reserasse aliam* januam... æneam, sed parvam,... duabus clavibus obseratam. *In visitatione autem Nicolai V Pontificis Oddo Perusinus supra num.* 56 *solum unam memorat* portam... æneam, clausam tribus catenis; *Baucius ibidem num.* 71 portam nonnihil humilem, æream, robustissimam, tribus pessulis ferreis probe annexis, diligentissime clausam, tribus solidissimis catenis ferreis transverse prætentis. *Rursum in relatione Tinaccii num.* 195 *dicitur visum ab eo esse in medio sacelli* altare eodem opere (*musivo*) perfectum, cui superposita erat lamina marmorea, supra autem hanc laminam... corpus gloriosi patris S. Francisci. *At in visitatione Nicolai V, num.* 57 *solum legitur* in... sacelli medio *fuisse* lamina marmorea venustissima, magna arte elaborata, super quam... stabat corpus. *Vide etiam num.* 73.

Eadem revelatio in variis adjunctis

E

202 *Præterea ex testimonio Tinaccii num.* 195 *visum fuit sacrum corpus,* manu dextera sinistræ imposita, et utraque ita inflexa, ut solum cerneretur manus dexteræ cicatrix : reliqua vero manus manica tegebatur : *at in visitatione Nicolai V secundum Oddonem num.* 58 *ambo manuum vulnera conspecta fuerunt; sic enim habetur :* Manus quoque, ut pes, perforatæ erant, et sanguis erat vividus ac recens; *apud Baucium vero num.* 54 : Habebat manus junctas, alteram sub altera manicarum tunicæ... pectori admotas; *ac num.* 73 : Conspexerunt manus illas sanctissimas, a Pontifice discoopertas, nec magis, nec minus, suis clavis singulis vulneribus insertis, quas etiam osculati sumus, immunda nostra labia sacro illius sanguini, adhuc recenti, admoventes. *Non igitur erat Sancti* manus dextera sinistræ imposita, et utraque ita inflexa, ut solum cerneretur manus dexteræ cicatrix; *nam alioquin, non sola amovenda fuisset manica tunicæ, sed etiam manus dextera, ut sinistræ vulnus conspici posset.*

dissonat ab aliis visitationum relationibus

F

203 *Rursum Tinaccius num.* 194 *hæc scribit :* Oculos huc illuc circumferentes (*in sacello subterraneo*) vidimus corpora quædam mortua, induta vestibus S. Francisci; et tactis illorum tunicis, invenimus eas solidas, acsi tunc factæ fuissent; solidi quoque erant tum capitis, tum barbæ, pili. Horum vero corporum aliqua jacebant, sedebant alia, capite demisso, et genibus superposito. *In Baucianis vero litteris num.* 77 *solum de duobus corporibus, præterquam de fabuloso B. Ægidii, sermo fit, eaque in duabus arcis clausa fuisse dicuntur his verbis :* Apertis duabus arcis, quæ erant in duabus aliis tribunis, vidimus duo alia discipulorum illius corpora, etiam et illa integra, suis vestibus e rudi panno induta, et odorifera, multo tamen minus, quam corpus Magistri.

supra datis,

204 *Insuper*

AUCTORE C. S. *nec aliunde caret difficultate.*

204 *Insuper eadem relatio Tinacciana æque ac ceteræ, si unum e Baucianis exemplaribus, quæ circumferuntur, excipias, altum silet de clavis manibus pedibusque inhærentibus, quos tamen, tam ante, quam post Sancti obitum, iisdem inhæsisse, constat ex biographis, S. Bonaventura, et Alexandro IV summo Pontifice; qua de re consule dicta superius* § 8. *Porro mihi parum verisimile apparet, memoratas relationes in visitationum adjunctis tantum fuisse variaturas, aut aliter, quam synchroni oculatique testes fecere, Sancti manuum pedumque stigmata descripturas, si profectæ essent ab iis, vel acceptæ ex ore eorum, qui locum illum subterraneum vere lustrassent, atque ipsum corpus conspexissent. Sunt quidem in nonnullis earum quædam manifeste fabulosa, quæ non leguntur in aliis, verum, quemadmodum fabulosæ istæ personas insignes, a quibus eæ acceptæ sint, audacter laudant, ita etiam aliæ metum ingerunt, ne cavendum nobis ab iis sit, æque ac* a quibusdam aliis narratiunculis, eodem collineantibus, quæ tum Cardinalium, tum Ministrorum generalium nomine clanculum circumferuntur, *ut supra monuit Missorius. Jurene, an injuria in hanc suspicionem venire omnes possint, dispiciendum erit ex argumentis, quæ adversæ opinionis assertores adversus sacri corporis incorruptionem situmque in*
B *pedes erecti formarunt, quæque adversus hæc reposuerunt affirmantis partis patroni.*

§ XII. Alia quædam pro asserendo ejusdem corporis prodigioso statu producta expenduntur.

Laudantur etiam apparitiones

Post argumenta pro S. Francisci *incorrupto suisque pedibus innixo corpore hactenus allegata, catalogumque scriptorum, eidem sententiæ suffragantium, quem dedi* § 1, *Rugilus pro eodem etiam laudat revelationes divinas et prodigia, ac in primis revelationem dictaque S. Jacobi Piceni, quæ aptius referemus, dum de causis occultati (ut asserunt) corporis, agendum erit.* Secundo vero loco subjicimus, (*inquit deinde Rugilus*) præclarum testimonium, manifestam revelationem, divinumque prodigium (revelationem testimoniumque confirmans) ex Seraphico Christi confessore B. Josepho a Cupertino. Hæc autem, non jam Waddingus, aut Marianus aliorum dicta referunt, sed ipsi jurati testes de experientia et auditu in Processu beatificationis et canonizationis ejusdem. Ne vero nimis longi simus, mittimus ea, quæ summarii fol. 95, num. 15, et fol. 100 § 218 narrantur a testibus;
C quod scilicet B. Josepho Assisii ante aram ecclesiæ nostræ, quæ Media dicitur, oranti, ac pro sua simplicitate S. Franciscum interroganti, cur, cum tantus esset, dum viveret, paupertatis amator, defunctus modo, tot esset argenteis lampadibus ac pretiosa suppellectili circumseptus; sanctus Pater ei visibiliter præsens respondit, ornamenta illa cultui Christi Domini, ibi realiter in sanctissimo altaris Sacramento existentis, esse dicata; se vero in obscuro subterraneo loco absque ulla pompa commorari.

factæ S. Josepho Cupertinensi,

206 Itemque (*prætermittimus,*) B. Josephum sanctum Parentem consuevisse appellare materno idiomate LAMPADARIUM (*ab Italico* Lampada *Latine* lampas) quæsitumque de causa respondisse, se in eadem media ecclesia noctu orantem, vidisse oculis suis sanctum Parentem, cereum accensum ad manus habentem, e loco, qui est sub majoris altaris suppedaneo, prodeuntem ac singulas ecclesiæ lampades, a dæmone (Josephi causa) extinctas excitantem. His ergo prætermissis, unius tantum jurati testis, scilicet domini Bonaventuræ Buono, sæcularis sacerdotis, sacræ Theologiæ doctoris, ac primicerii ecclesiæ Cupertinensis, ipsissima verba transcribimus ex Processus Apostolici canonizationis et beatificationis fol. 365. *Sequuntur ibidem ex testimonio laudati Bonaventuræ Buono, quæ ex Italicis Latina subjicio.*

207 Anno MDCXXXIX... profectus sum Assisium, D *qui ex processu canonizationis illius probatur*
patrem fratrem Josephum salutaturus... Rogavit me, an illo biduo, quo fueram Assisii, omnia ejusdem civitatis loca sacra visissem, ac speciatim an ecclesiam S. Mariæ Angelorum. Respondi ad singula, addidique : Pater, cum sermo huc reciderit, verumne est, quod aiunt, cor sancti Patris Francisci esse in ecclesia S. Mariæ Angelorum? Tum vero turbatus pater devote reposuit : Fortene corpus patris S. Francisci exenteratum sit? Et nescis, illud esse integrum, et in pedes erectum sub hac ecclesia? Quod cor S. Francisci in ista ecclesia esse dicitur, intelligendum est de ejusdem ad eum locum affectu. Ac mox exclamans, subito motu volavit per aerem, et mensulæ innixus, picturam S. Francisci utraque manu strinxit, oculis lachrymantibus, et in eamdem imaginem defixis. *Hactenus apud Rugilum, qui deinde observationes suas adjiciens, ratiocinatur hoc modo.*

istud corporis prodigium asseruisse.

208 Hic vero tantisper immorabimur. Et quidem calumniari obnitentibus, quid reponant, deficere non potest. Dicent, hunc fuisse B. Josephi errorem, bonam fidem, simplicitatem. Nobiscum erat, nostros habuerat institutores; hoc tenebat, quod acceperat; hoc eructabat, quod biberat. Esto. Quid postea de visione, ac locutione S. Francisci? Fuit, inquiunt, hæc imaginaria. Sæpe etiam Sancti vi- E
siones falsas vident. Imaginaria ea fuerit, an realis, decertare non libet. Falsam temere asserere audeat, qui velit; nos nec audemus, nec volumus. Quid vero tandem de exstasis raptusque, ad assertionem illam continuo subsecuti, miraculo? Jam Divinitas hujusmodi exstasum ac raptuum in B. Josepho, nonaginta annorum trutina severissima adhibita, Ecclesiæ judicium comprobavit. Deus ergo, certissime fuit miraculi illius parens et author. Quid tum? Mendacium miracula subsequuntur? Ubinam illa est regula, vera miracula non fieri; nec fieri posse ad confirmandum errorem?

ac miraculo confirmasse.

209 At hic, inquiunt, non dictum confirmatur, sed anima dicentis, alias in Deum absorpta, occasione tantum piæ memoriæ acceptæ movetur et rapitur. Quid ni hoc facili effugio in canonem illum, qui exceptionem rejicit, exceptionem admittimus? Quibuscumque miraculis, ad veritatem quamdam confirmandam advectis, hæc inuretur calumnia. Sic exempli causa, qui veritati confirmandæ prosilivit in ignem, et servatur illæsus, præservatio illa veritatem non confirmat, sed hominem cæteroqui justum et innocentem tuetur. Perversissima exceptio, quæ Catholicam fidem omnem convellit atque confundit. Potuit alias salvari innocens, sed nunc
non potuit, si falsum, etiam ignorans, asserui. F
Miraculum enim ipsum ex se vim habet divinæ contestationis; atque propterea vi sua in errorem induceret. Hæc sincere et pro modulo commentamur, nihil tamen nimium urgentes. *Hactenus Rugilus : nunc nos quoque pro munere nostro iisdem expendendis tantisper immoremur.*

Verum istæ apparitiones, non pro mirabili corporis statu,

210 *De Josepho a Cupertino, Ordinis Minorum Conventualium presbytero, tunc a Benedicto XIV Beatis adscripto, hoc autem anno 1767 a Clemente XIII, feliciter regnante Romano Pontifice, inter Sanctos solenniter relato, egi in Opere nostro ad diem* 18 *Septembris, ibique gesta illius ac miracula, quibus ante et post obitum fulsit, prolixe exposui. Quod vero ad præsens argumentum attinet, non video, cur* S. Franciscus *ipsi, ut præmissum est, oranti vere dicere nequiverit, sese (id est utique, corpus suum)* in obscuro subterraneo loco absque ulla pompa commorari, *si illud minime incorruptum, nec suis insistens pedibus, imo etiam in cineres redactum, ibidem servaretur. Non magis assequor, qua ratione ex oblata eidem Josepho altera illa* S. Francisci *visione hujus corporis integritas, incorruptioque atque in pedes statura probari possint; frequenter enim alii Sancti ea, quam olim habuerant, specie aliis apparuerunt, licet horum corpora in cineres conversa jacerent, ossaque frustatim divisa*

A *divisa variis in locis servarentur. Admissa igitur visione illa, non propterea oportebit credere, quod S. Josephus vidit, fuisse ipsum* S. Francisci *corpus, hocque tale ibidem sub altari stare, quale dicitur apparuisse.*

sed solum pro loco sepulcrali illius valere possunt.

211 *Fortasse memoratæ S. Josephi visiones hic solum laudantur ad designandum locum, in quo* S. Francisci *corpus exsistit, pro eoque utcumque valere possunt, si de sola illius præsentia, non de modo, quo se habet, loquamur. Nam, si Josephus vere viderit* S. Franciscum e loco, qui est sub majoris altaris SUPPEDANEO, prodeuntem; *si* Franciscus *vere Josepho dixerit :* Ornamenta illa (*circum altare*) cultui Christi Domini, ibi realiter in sanctissimo altaris Sacramento existentis, esse dicata; se vero in obscuro subterraneo loco absque ulla pompa commorari; *quantum ea favent opinioni illorum, qui* S. Francisci *corpus in tertia subterranea ecclesia servari contendunt, tantum adversantur alteri eorum, qui (ut infra visuri sumus) eumdem sacrum thesaurum non alibi, quam in mensa ejusdem majoris altaris in infima duarum ecclesiarum, quas duas solas agnoscunt, quærendum esse, existimant. Etenim nec alia de causa videtur* Franciscus *ex illo potius, quam ex alio ejusdem ecclesiæ, loco visus prodiisse, quam quod corpus ejus ibidem esset; nec*

B *mensa altaris dici potest esse* sub majoris altaris suppedaneo, *aut* locus subterraneus.

Magis urgeret ejusdem Sancti raptus corporeus,

212 *Superest ejusdem Josephi de sancti Patris sui corpore incorrupto et suis pedibus nixo assertio, quique hanc mox subsecutus fuit volatus, sane non naturalis. Quam longissime absit a me, ut sanctum illum virum in ea assertione reum mendacii vel levissime suspicer : si tamen is fuisset ipsius Ordinis de sancti Institutoris sui corpore communis error, nihil me in ipsum peccaturum, existimo, nec acturum temere, si illum quoque ex eodem sincere locutum esse, crederem. Sola igitur S. Josephi assertio nequit controversiam dirimere. Ejusdem viri ecstases, corporisque per aera raptus et frequentiores fuere, et firmioribus fulciuntur testimoniis, quam ut merito dubitare possim de ecstasi raptuque a laudato domino Buono jurejurando assertis. In eodem raptu miraculum agnosco, atque indubitanter pariter assentior, fieri non posse, ut Deus miraculum patret ad confirmandam falsitatem aut errorem. At non omnia miracula Deus facit ad confirmandam veritatem doctrinæ.*

si constaret, mirabilem hunc raptum

213 *Sanctus Thomas Aquinas* 2. 2. *quæst.* 278, *art.* 2 *in corpore, ad propositum hæc habet :* Vera miracula non possunt fieri, nisi virtute divina; operatur enim illa Deus ad hominum utilitatem, et

C hoc dupliciter. Uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem; alio ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, et nomen Christi invocat; quod etiam interdum per malos fit... Secundo autem modo non fiunt miracula, nisi a Sanctis, ad quorum sanctitatem denuntiandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam post mortem, sive per eos, sive per alios. *Qui plura de his volet, legat Benedictum XIV in erudito suo Opere de Servorum Dei beatificatione etc. lib.* IV, *part.* I, *cap.* 4, *cui titulus est :* De fine miraculorum *etc. Quapropter, ut ex S. Josephi per aerem raptu ejusdem assertio de* S. Francisci *corpore irrefragabilis fieret, oporteret probari, eumdem raptum ad eam confirmandam contigisse, aut saltem ex colloquii adjunctis non alia de causa factum videri potuisse; non autem solum ad Josephi sanctitatem demonstrandam.*

contigisse in confirmationem eorum,

214 *Certe non dicitur S. Josephus volatu illo dicta sua probare voluisse; nec laudatus presbyter, qui ad testandos illius raptus et ecstases, non ad* S. Francisci *corporis prodigia confirmanda, productus fuit, eumdem volatum sic interpretatus legitur. Neque id evincitur ex eo, quod Josephi dicta volatum illum proxime præcesserint; cum sola de sancto Patre suo, quem tenerrime diligebat, injecta mentio sufficere potuerit, ut ille ejusmodi raptum pateretur. Etenim, quam facile Josephus sacrum in corde suo ignem conciperet, atque hinc in ecstases subitasque corporis elevationes prosiliret, argumento sunt, quæ comes Dominicus Berninus apud me in Commentario prævio ad ejusdem, tunc Beati, nunc S. Josephi Vitam tom. V Septembris pag.* 57 *relatus, ex Summario Processus beatificationis illius in Vita Italica scripsit,* Verum est, *inquiens,* servum Dei, fratrem Josephum a Cupertino, donatum a Deo fuisse exstasibus et raptibus, in choro, dum oraret, et extra illum, dum de quolibet patientis Domini nostri Jesu Christi mysterio, de puritate ac sanctitate Mariæ Virginis, aut de Sanctorum virtutibus sermo fieret, aut ipse Missam celebraret; et quidem tam frequenter, ut qui cum eo agere vellet, ut ejusdem posset colloquio frui, oporteret, eum a simili sermone conserendo cavere.

AUCTORE C. S.

quæ Josephus

215 *Lege etiam, si lubet, ejusdem Commentarii mei numerum* 58, *Vitæque ibidem editæ caput* 5, *ubi plures id genus S. Josephi ecstases raptusque reperies, quos omnes ad confirmanda singula, de quibus tunc sermo fuerat, divinitus contigisse, quis dixerit? Hinc etiam in eodem presbyteri testimonio, quale integrum a reverendo Patre Seraphino Antonio Pagni, Ordinis Minorum Conventualium sacræ Theologiæ magistro piæ memoriæ, olim Roma acce-* E *pimus, legitur R. P. magister Desa, tunc temporis, cum volatus, de quo agimus, contigit, conventus Assisiensis præses, Josephum sic conspicatus, solum dixisse laudato presbytero :* Permitte patrem (*Josephum*) sua ista meditatione gaudere, et discede; quia sero est; *probe scilicet gnarus, quam familiares ei essent ecstases corporisque elevationes, quamque facile in illas incideret.*

de S. Francisci corpore dixerat.

216 *Nihil igitur cogit adversæ partis patronos credere, allegatum S. Josephi volatum in confirmationem eorum, quæ de sancti Patris sui corpore dixerat, certo contigisse; cum æque tunc, ac alias, potuerit ex sola ejusdem Sancti commemoratione in illam ecstasim raptumque incidisse. Proinde nihil etiam urget adductum a Rugilo exemplum hominis,* qui veritati confirmandæ prosilivit in ignem et servatur illæsus. *Urgeret, si, ut illius hominis ingressum in ignem, ita etiam S. Josephi raptum, quo de agimus, ad veritatem confirmandam factum statuas. Verum hoc ante probandum esse, oppositæ sententiæ fautores non immerito contendent. Dubito, an id non adverterit laudatus Rugilus, dum in fine ratiocinii sui num.* 209 *sic conclusit :* Hæc sincere et pro modulo commentamur, nihil tamen nimium urgentes. *Quorsum enim non urgeant, si constet de miraculo ad sacri corporis prodigia, quæ tam im-* F *pense nituntur persuadere, confirmanda divinitus patrato. Sed de his jam satis.*

Laudantur etiam mihi ignotæ revelationes;

217 **Rugilus deinde ad alia ejus generis argumenta progrediens,* Sunt quidem, *inquit,* et revelationes aliæ quam plures servorum Dei, præfatis consonantes : ut ea, quæ fuit venerabilis Dei famulæ, Mariæ, Domitillæ Galucci, monialis Cappucinæ in monasterio Corporis Christi Papiæ, quam refert R. P. Benedictus de Mazzara, Observantinus, in suo Legendario Franciscano ad diem IV Octobris; atque ea, quæ fuit venerabilis Dei famulæ, Catharinæ Claræ de Mirto, Tertii Ordinis S. P. N. Francisci, civitatis Caiacensis in regno Neapolitano, quam testatur P. Innocentius Alberti, confessarius ejusdem, sub die XIV Martii MDXC : sed hæc sapientum potius judicio æstimanda committimus, ut et alia nonnulla hujuscemodi. *Ita ipse : ego vero nec laudatum Benedicti Legendarium, nec Innocentii Alberti testimonium ad manum habeo, neque aliunde didici, quid illi dicant : quare, quas aut quanti ponderis revelationes proferant, judicio sapientum, quibus eorumdem allegata Opuscula consulendi copia est, pariter libens permitto.*

conjecturæ et indicia ex loci ac corporis delineatione vulgata;

218 *Ab hisce argumentis ad conjecturas etiam conversus Rugilus, hæc subdit :* Constitutis jam testibus, scriptoribus, atque etiam miraculis, remanent conjecturæ, signa atque indicia, deducta ex visibilibus

AUCTORE C. S.

bilibus atque existentibus. Hæc, ut videtis, cumulo superaddimus ex abundanti. Colligimus, quæ libet, libenter etiam quam plurima prætereuntes, ne simus nimii. Primum veritatis indicium patens et conjecturam volumus prototypum ipsum subterraneæ illius concamerationis, et soli, et laquearium, et fornicum, et absidis, et basis, et urnæ, et formæ, et situs, quo corpus sancti Parentis stans delineatum, insculptum atque editum est, servatis etiam mensuris latitudinis, longitudinis et profunditatis, per Franciscum Providoni, Assisiensem pictorem Clementi XI summo Pontifici dicatum, vulgatisque per orbem exemplaribus. Hominem hunc voluisse gratis hæc imponere Pontifici, Urbi et orbi, quis credat?

ex religione et cautione loci, ubi sacrum corpus servatur,

219 Secundum veritatis indicium facimus loci illius religionem, timorem, cautionem, a primis usque temporibus plane in ecclesia singularem; temporibus vero proximioribus omnimodam obstructionem, et inaccessibilitatem, additamque summorum Pontificum pœnam excommunicationis latæ sententiæ, nedum in tentantes, aut ædis, aut cryptæ, aut sepulcri illius, seu quidquid est, vel ubicumque, Francisci corporis, aut stantis, aut erecti, aut in cineres resoluti, experimentum et aditum; sed insuper ac præsertim in nos, non hu-
B jusmodi tentamina viribus omnibus coercentes. Sint hæc aliis falsitatis indicia; nobis perpetuo erunt veritatis magnæ argumenta. Magnum hæc aliquod omnino portendunt. Quidquid ibi est, quod jam videri a mortalibus non possit, insolitum, ingens, augustum, divinum est: non ergo corpus redactum in cineres. Hæc vero aptius et fusius infra.

et ex eo, quod ejusdem corporis reliquiæ nusquam alibi visantur,

220 Tertium signum permanens est, præter dentem unum, qui custoditur Florentiæ in monasterio Omnium Sanctorum, nil uspiam reliquiarum Franciscani corporis toto terrarum orbe reperiri. Incredibile dictu est, tot principes, reges, Pontifices, ipsosmet Ordinis nostri Ministros, præsertim generales, quorum innumeri impensissimo studio, flagrantissimaque religione in Trium Ordinum Institutorem, ac pene totius Christiani orbis sanctissimum patrem Franciscum jam quinque per sæcula feruntur, nihil umquam, ut assolet, ex ejusdem cineribus obtinuisse, expetivisse, exoptasse. Quam ambitiose, præteritis præcipue temporibus, ejusmodi sacra pignora conquisita, surrepta, direpta etiam sint, quotus est, qui nesciat? An custodes obstabant? Sed quis custodiret custodes? An lapides, vel etiam murorum absterruit moles? At Mariæ semper illæ mulieres pavidæ et imbecillæ non erant, quæ Domini sepulchrum adeuntes dicebant
C ad invicem: Quis revolvet nobis hunc lapidem ab ostio monumenti? Puerilia hæc sunt.

licet multum expetitæ; item ex Pontificum in Sancti basilicam munificentia,

221 Ut autem et nos aliquid aliquando testemur, nos, inquam, qui hæc scribimus, novimus, scimus, ac prope vidimus, pro S. Francisci sacco (apud Italos celeberrimo, quique in ecclesia nostri Ordinis, oppidi Montellarum in regno Neapolitano intra murorum ferrearumque laminarum robustissimas atque inaccessibiles munitiones et claustra, incredibili hominum cautione ac religione, concluditur) invisendo, ejusdemque particulas habendo, nocte una, nec tota, disjectam atque refectam fuisse rem, levi negotio ac periculo; nullis tamen principibus, aut regibus, aut Pontificibus, imperantibus. Videant alii, quid sentiant: hæc nos sentimus. Quartum patens ac perseverans indicium est, fuisse usque ab exordio sacram illam basilicam sub quadam singulari jurisdictione ac tutela summorum Pontificum, totque ab istis muneribus ac privilegiis auctam, sed maxime esse modo ac fore in posterum Patriarchalem basilicam ac Cappellam Papalem. Quorsum hæc? inquiet quis. Interroga ipsum Pontificem Maximum, Benedictum XIV, qui ad hunc illam honorem sponte motuque proprio evexit. Quid cogitaverit, crediderit, scripserit de S. Francisci corpore vir iste magnus, Pontificumque doctissimus, jam mox recitavimus.

222 Quintum conjecturarum ex visibilibus ac perdurantibus genus est id omne, quod confluit ad D
tertiæ illius infernæ, vel ecclesiæ, vel cryptæ, vel conjuscumque tandem naturæ ac nominis erit, extantiam probandam, circumstantiasque arguendas. Quamquam enim probe diversæ res sint, controversiæ tamen occasione factum est, ut jam sint unum et idem. Quemadmodum, etsi disjunctæ revera sint res corporum resurrectio ac immortalitas animorum, Sadducæorum tamen ac Pharisæorum oppositæ sectæ (quarum prima utrumque negabat, secunda profitebatur utrumque) jam fecerant, ut cum ipsis, vel contra ipsos, loquentes alterum ex altero congruentissime inferrent, atque unum dumtaxat cum demonstrarent, vel everterent, utrumque, vel neutrum, constituisse, vel expugnasse, viderentur. Signa vero hæc sensibilia existentia ac patentia inferius enumerabimus, sed ultra conjecturas non persequimur.

ac denique ex indiciis tertiæ ecclesiæ vere exsistentis.

Ponderatur prima conjectura,

223 *Nunc liceat mihi conjecturas ex sæpe laudata Dissertatione Rugili a num.* 218 *descriptas de more ponderare. Scire velim, suorumne oculorum, an aliorum relatione, an vero vetusta aliqua et accurata delineatione, usus fuerit Assisiensis ille pictor Franciscus Providoni, qui num.* 218 *dicitur* S. Francisci *corpus et locum, in quo stat, tam accurate æri incidi curasse, excusumque Clementi XI summo Pontifici dedicasse. Haud dubie nec ipsemet viderat, nec* E
ex aliis oculatis testibus acceperat, si verum est, quod asserunt, cuniculos, per quos ad sacrum corpus olim patuit accessus, jam inde sub Pontificatu Sixti IV, qui anno 1484 *obiit, obstructos fuisse: nam Clemens XI mense Novembri anni* 1700, *id est, tertio sæculo post, primum creatus est Pontifex: quam ob rem nec laudatus pictor, nec alii eidem synchroni, corpus illud locumque spectare potuerunt. Præterea Paulus V, ut iidem docent, anno* 1607, *id est, nonaginta et tribus annis ante ejusdem Clementis Pontificatum, omnibus omnino accessum ad illud corpus sub pœna excommunicationis vetuit; ut hinc quoque non sit verisimile, accessum illum pictori Providoni patuisse.*

ex prædicta delineatione Providoni,

224 *Præluxisse autem illi vetustam quampiam delineationem, quam imitatus sit, quo verisimili argumento persuadebitur? Notum est Horatianum illud:*

Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Quid igitur mirum, si Providonius, stantis incorrupti corporis prodigium certum atque indubitatum reputans, tum hoc, tum locum, in quo stare perhibebatur, pro suo genio delineasset, dictoque summo Pontifici Clementi XI dicasset? Non venit ad manus meas exemplar Providonianum, sed aliud, quale dari solet peregrinis Germanis, Assisiensem S. Fran- F
cisci *basilicam invisentibus, quod editum notatur* superiorum permissu, *in eoque sculptoris nomen indicatur hoc modo:* T. V. fec., *id est,* fecit; *ac præterea leguntur ista:* Seraphici Patris inclito filio D. Antonio Patav., miraculorum Sancto, Fr. Aton. Paulus Hintar Min. Conv. D. D. D. *In eodem exhibetur* S. Francisci *corpus, tecto capite, apertis oculis, tectis ambabus manibus sub manicis tunicæ, dextero pede nudato, sinistro sub ora vestis latente, laterali vulnere per incisam tunicam conspicuo, summo Pontifice Nicolao V, cum tribus comitibus coram eodem in genua procumbente. Sanctum corpus velut in medio basis, seu mensæ saxeæ suis pedibus consistit; pro loco solus repræsentatur paries a tergo corporis.*

formata,

225 *Exstat et alia ejusdem rei icon in libello scripto per Cornelium Thielmans, guardianum Fratrum Minorum conventus Aquisgranensis, ac Belgice typis edito Sylvæ-ducis anno* 1620 *apud Joannem Schefferum, de Vitis* S. Francisci *aliorumque ejus Ordinis. Hæc, licet eamdem Nicolai V visitationem referat, multa habet a præcedenti diversa. Locum exhibet in modum sacelli exstructum;* Franciscum, *non in medio mensæ, sed in extremo cujusdem septi e marmoreis columellis facti, habentem caput nudatum, oculos apertos et elevatos in cælum. Ante ipsum pendet lampas, duobus lychnis ardentibus instructa, et*

A *et ad sinistram stant duæ arcæ clausæ, nempe cum duorum sociorum corporibus. Sculpsit illam* Joan. Berwinckel, *laudaturque Rodulphus lib.* II *Historiæ Seraphicæ fol.* 248; *ubi revera visitatio Nicolai V narratur ex litteris Baucianis, non tamen incisa æri exhibetur. Huic multum similis est tertia, quam pariter habeo, sed in hac Sanctus oculos clausos, velut dormiens, habet, ac sinistrum, non dexterum, pedem nudatum. Repræsentatur insuper in hac locus alius sacello proximus cum gradibus, per quos ad eum subterraneum locum descensus est, citaturque denuo, qui supra, Rodulphius; at de Providonio tum hic, tum ibi tacetur; ut dubitare nequeam, neutram ex Providoniano exemplari factam esse, Jam vero, quamvis hinc manifestum fiat, tres illas, quas retuli, pro cujusque pictoris sculptorisve sensu factas esse, non propterea tamen aut hi, aut Providonius, credendi sunt voluisse orbi imponere, sed prodigium corporis visitationemque, quæ pro certis habebant, pro sua imaginatione repræsentasse.*

item secunda petita a religione loci et cautela;

226 *Levis etiam momenti apparet conjectura num.* 219 *petita a religione loci, timore atque cautela, jam inde a primis temporibus adhibita, ne sacer ille corporis thesaurus vi dolove auferretur; proximioribus autem temporibus accessus ad illum obstructio, additaque excommunicationis pœna in eos, qui ad eumdem accedere tentarent, aut non arcerent tentantes. Religionem illam loco merito conciliare potuit sola* Francisci *corporis præsentia, viri utique sanctitate et miraculis celeberrimi, etiamsi illud in ossa et cineres resolutum fuisset. Nec etiam vel sic magnopere admirandæ essent veterum in eodem servando curæ, ne scilicet sua Assisiensis civitas tanto præsidio umquam destitueretur; et adjecta a summo Pontifice excommunicationis comminatio, ut hac quoque ratione illud securius servaretur. Quod de obstructo cæmentario opere arcani loci aditu adjungitur, id omnino negant oppositæ opinionis patroni, contendentes, nullam ibi subterraneam ecclesiam esse, ac proinde nullos ibi fuisse aditus: rectene, an secus, statuendum erit ex argumentis eorum, inferius ponderandis. Ponamus tamen, et subterraneam ecclesiam ibi esse, et ad eam olim patuisse accessum, qui nunc obturatus sit; cur non potuere veteres eamdem pro corpore jacente, aut etiam in ossa resoluto servando curam habuisse, quam pro incorrupto et stante ab iis adhibitam fuisse, alii affirmant? Si incorruptum et in pedes tam mirabiliter erectum corpus, magis, quam nuda ossa, ad furtum posset allicere, multo etiam magis posset suadere, ne tantum miraculum, accessu penitus obstructo, mortalium oculis subduceretur, ac in tenebris in posterum delitescere juberetur. Sed de his postea pluribus.*

tertiaque allegata ex non servatis alibi corporis ejus reliquiis,

227 *At singulare est, nullas e* S. Francisci *corpore reliquias, præter unum dentem, alibi reperiri. Fateor, mihi quidem, dum per Gallias, Germaniam Italiamque peregrinatus fui; nihil uspiam ex ejusdem Sancti carne vel ossibus, aut denique cineribus exhibitum fuisse, atque in ea omnino sum sententia, ut mortales istas illius exuvias, qualescumque eæ modo sunt, non nisi apud Assisiates, quærendas putem. Sed singulare pariter est, non longe pluribus in locis servari ex ejusdem sanguine, si hic jam per aliquot sæcula ex illius manuum pedumque, ut volunt, vulneribus perseveraverit fluere. Mirari sane licet, sanguinem illum a personis num.* 220 *memoratis non fuisse expetitum, geminoque illo sæculo, quo accessus ad sacrum corpus patuisse dicitur, ab ejusdem possessoribus non fuisse liberaliter concessum, ut earumdem impensissimo studio flagrantissimæque in* S. Franciscum *religioni vel sic saltem fieret satis. At verso, si (quod ex dicendis non plane improbabile apparebit)* Francisci *corpus jam inde ab anno* 1230, *quo ad suam novam basilicam fuit translatum, agente fratre Elia, hactenus latuerit, cessabimus utrumque admirari.*

ac denique quarta a privilegiis,

228 *Expendenda restat conjectura formata ex peculiaribus Romanorum Pontificum in ejusdem Sancti Assisiensem basilicam favoribus, non alia magis de causa, ut laudatus Rugilus conjicit, quam propter sæpe dictum corporis perseverans miraculum collatis. Quoniam vero nos ad Benedictum XIV remittit, ipsum adeamus. Inficiari nequeo, Benedictum in suo laudatissimo Opere de Servorum Dei beatificatione etc., affirmanti sententiæ favere, ut ostendi* § 10. *Verum in ipsa bulla, per quam ille concessa ab aliis Pontificibus eidem basilicæ privilegia confirmavit et auxit, ipsamque basilicam etiam in totius Ordinis Patriarchalem et in cappellam Papalem erexit, ne verbo quidem de corporis incorruptione aut prodigioso situ meminit, nedum eo miraculi se impulsum dixit ad eos favores conferendos, licet locus hic alioquin exigeret, ut diceret. Bullam illam habes in ejusdem Pontificis Bullario Romano, et apud me fere totam in Gloria posthuma, ubi legi potest: ego hic pauca solum ex eadem observabo. Præcipuus, qui in ea occurrit, pro prodigioso corporis situ locus sic habet:* Illius autem (*S. Francisci*) corpus, in quo mortificationem Christi ad mortem usque circumferre non destitit, singularibus signis atque prodigiis de cœlo illustratum, atque certantibus omnium ordinum studiis, ita populorum et principum devotione clarificatum fuit, ut ejusdem sepulchrum super ambitiosa potentium sæcularium monumenta merito celebrari mereatur. AUCTORE C. S.

quæ summi Pontifices ac nominatim Benedictus XIV,

229 *Hic, ut dixi, præcipuus, ac fere unicus est pro affirmantium parte locus in Bulla Benedicti XIV, per quam et vetera decessorum suorum privilegia basilicæ* S. Francisci, *in qua hujus corpus servatur, confirmavit et nova concessit. Quid vero hinc pro sacri illius corporis incorruptione, ac mirabili in pedes suos statura haberi potest? Singularia illa signa atque prodigia, quibus illud de cælo illustratum fuisse memorat, ea esse possunt, quæ primi biographi annotarunt. Lege Celanensem in Vita prima, parte* II, *cap.* 41; *Tres Socios in Appendice num.* 70, *et S. Bonaventuram cap.* 13; *ut adeo minime necessarium sit prodigia ista de corporis integritate situque interpretari. Idem Pontifex in eadem bulla enumerat aliquot e decessoribus suis, qui se in eamdem basilicam munificos exhibuerunt, et a Gregorio IX exorsus, illius munificentiæ causam longe aliam, quam quæ a corporis incorruptione et in pedes erectione petitur, sequentibus clarissimis verbis exponit.* E

eidem basilicæ contulerunt;

230 Et sane, *inquit,* vix altero ab illius obitu anno decurso, quum de Servi Dei (*Francisci*) exuviis decenter collocandis ageretur, eumque in finem opportunus locus et fundus prope Assisiensis civitatis mœnia, illius alumnis pro Apostolica Sede recipientibus, oblatus fuisset, san. mem. prædecessor noster, Gregorius Papa IX, dignum existimans, et conveniens, illius memoriam, per quem tantus Ecclesiæ Dei fructus provenerat, in eo etiam honorificari, ut ecclesia, in qua ejus corpus recondendum erat, nemini, præterquam Romano Pontifici, subesset, eumdem fundum in jus et proprietatem prædictæ Sedis Apostolicæ recepit, statuitque, ecclesiam, inibi construendam, omnino liberam, ac nulli alii, quam Apostolicæ Sedi, subjectam fore *etc. Subdit et alia laudatus Benedictus tum ejusdem Gregorii, tum illius successorum, in eamdem basilicam beneficia, sed nulla prorsus mentione facta de sacri corporis integritate continuoque miraculo, de quibus inquirimus. Tandem quibus ipsemet rationibus inductus fuerit ad omnia decessorum suorum in eamdem beneficia ac favores confirmanda augendaque, ita pergit referre.* F

quorum postremus Pontifex quatenus faveat

231 Tot igitur venerabilium Prædecessorum nostrorum exemplis nobis propositis, eorumque vestigiis insistentes, nos etiam ad ejusdem ecclesiæ splendorem ac decus augendum cumulandumque libenter adducti sumus. Quod quidem non tam singularis obsequii nostri affectus erga B. Franciscum patriarcham, multis jam rebus privatim et publice declaratus atque testatus, et peculiaris quædam ac veluti hæreditaria in eumdem familiæ nostræ devotio nobis suggessit; dum animo occurrit, ipso adhuc B. Francisco in vivis agente, primum Bononiæ locum illius discipulis ad eorum Ordinis

AUCTORE C. S.

Ordinis cœnobium fundandum a Majoribus nostris oblatum fuisse; illius vero cum Christo regnantis patrocinio complura in nostros beneficia profecta, ipsiusque familiæ nostræ conservationem, pestifera quadam grassante lue, acceptam referri, grata mente recolimus; sed ea potissimum cogitatio nobis suasit, quod merito sperandum duximus, Romanam Ecclesiam ejusque ditionem, in cujus sinu beatus Pater et ortum habuit et sepulchrum, eo magis illius apud Deum intercessionibus protegendam atque servandam, quo magis illustria ad illius memoriæ honorem Apostolicæ Sedis judicia extiterint et decreta.

parti affirmanti, exponitur.

232 *Quis ex hisce suspicetur, Benedictum XIV ad hanc bullam edendam quoquo modo motum fuisse, aut credidisse, decessores suos ad privilegia sæpe dictæ basilicæ* S. Francisci *concedenda, saltem partim fuisse inductos singulari illo corporis, suis pedibus insistentis, miraculo, vel etiam miraculum hoc ipsi notum creditumque fuisse; nec de opposito potius dubitet? Dixi:* Ex his; *nam inficiari nolo, eumdem in Opere suo de Servorum Dei beatificatione etc., quod ante Pontificatum edidit, et in Pontificatu novis curis recognitum denuo vulgavit, affirmanti sententiæ adhæsisse. Vide dicta superius* § 10. *Fatendum quoque est, eum in eadem, quam expendimus, bulla*
B *affirmantibus eo quoque favere, quod in Assisiensi basilica tres ecclesias, in quarum infima* S. Francisci *corpus sit, agnoscat. Sed de hac controversia pluribus infra loquemur; verum etiam admissa tertia illa ecclesia, non proinde necessario admittendum est sæpe dictum corporis miraculum.*

§ XIII. Quæritur, an ex S. Bonaventura constet, corpus S. Francisci anno MCCXXX, quo translatum fuit, in ossa et cineres resolutum fuisse, an contra perseverasse incorruptum.

Alii negantes traditionis Assisiensium antiquitatem

Hactenus præcipua argumenta, quibus perpetuum S. Francisci *corporis miraculum RR. PP. Minores Conventuales, aliique evinci credunt, recensui, measque observationes singulis adjeci. Nunc postulat ratio et æquitas, ut contrariæ opinionis quoque argumenta exponam, paribusque animadversionibus illustrem. Priusquam tamen id agam, profiteor, longe a me esse, ut RR. PP. Conventuales de mala fide, etiam vel leviter suspectos habere audeam, dum ea, quæ de stante sancti Patris sui corpore narrant, se ex traditione Majorum suorum accepisse, affirmant. Verum alii negant ac pernegant, eam traditionem sat antiquam esse, eo quod nec cum vetustiorum scriptorum silentio, nec cum eorumdem dictis*
C *componi posse, contendant, et adversus eamdem militare ipsis videantur etiam aliæ rationes.*

ac relationum fidem, nituntur ex Bonaventura probare,

234 *Relationes vero eorum, qui se tanti prodigii oculatos testes profitentur, pro commentis habent; corpus* S. Francisci *jam inde ab anno 1230, quo in suam basilicam translatum fuit, in eadem basilica, in vel sub secundæ, simul ac infimæ, ecclesiæ ara principe hactenus latuisse ac latere, volunt; nullos ad illius custodiam adhibitos unquam fuisse Fratres, qui arcanum servarent; nullam denique ibidem esse tertiam ecclesiam, in qua thesaurus iste servetur, ac proinde nullos ad eamdem unquam duxisse cuniculos, qui potuerint obturari. Videamus igitur, quibus et quam solidis argumentis ea evinci, existiment. Ex illorum numero illustrissimus Octavius, Assisiensis episcopus, contendit, ex S. Bonaventura constare, corpus, de quo agimus, jam inde a tempore translationis, id est, ab anno 1230, in ossa et cineres redactum fuisse, ut habemus ex Missorio,* § 1 *relato, qui adversus opinionem illam, ut ibidem diximus, Dissertationem conscripsit, nobis hic usui futuram. Jam monui, Octavii Opusculum, a sacra Inquisitione Romana (nescio, qua de causa) suppressum, ad me non pervenisse. Sed opinionem ejus secutus est, cujus supra notitiam dedi, P. Gabriel a Rothomago, ex Ordine Minorum Observantium; quam si ille evin-*
cat, terminata controversia est; nam nec repudianda D
hic est S. Bonaventuræ auctoritas, nec quisquam hactenus asseruit, sacrum Francisci *corpus, postquam in ossa et cineres resolutum fuerat, sua denuo carne indutum, deinceps incorruptum perstitisse.*

sacrum corpus jam ab anno 1230 in ossa et cineres solutum fuisse.

235 *Laudatus P. Gabriel in suam rem imprimis citat Bonaventuram in Vita* S. Francisci *cap. 13, ubi ille de ejusdem corporis translatione agens, vocat illud* Ossa illa felicia. *Secundo in Appendice ejusdem Vitæ* § 8, *qui* De liberatis a variis infirmitatibus *inscribitur, ubi ait:* Factum est autem, cum S. Francisci CORPUS transferretur ad locum, UBI PRETIOSUS SACRORUM OSSIUM EJUS NUNC THESAURUS EST CONDITUS. *Tertio ex eodem* § 8 *citat ista Gabriel:* Appropinquans (*herniosus*) tumbæ, in qua OSSA SACRA FUERANT COLLOCATA, præ devotione spiritus sacrum tumulum complexatus,... sanum se sensit. *Notat autem in hisce locis a Bonaventura tertio adhiberi vocem* ossa; *vocem vero* conditus, *dum de cadaveribus sepultura donatis loquimur, pro* sepultus *usurpari; quod ultimum probari putat ex Breviario Martyrologioque Romanis, in quibus ea vox sic adhibetur. Observat præterea, S. Bonaventuram, ut ipsemet in Prologo testatur, dum illam Vitam scripturus erat, ivisse Assisium, ibique de gestis ac miraculis sancti Patris sui diligenter contulisse cum senioribus Fratribus; qui ignorare non poterant,* E
quid illius corpore factum esset; at nihil tamen de ejusdem incorruptione et mirabili statu ex iis audivisse, concludit ex ejusdem sancti scriptoris de re tam memorabili silentio, verbisque jam recitatis.

Contra alii censent, ex eodem sancto doctore probari,

236 *Quod ad primum attinet, Bonaventura in locis allegatis re vera ter adhibuit vocem* ossa, *per quam sane nemo suspicabitur, indicari corpus sua carne incorrupta instructum, nedum instar vivi hominis, suis pedibus sine fulcro innixum. Verumtamen priori loco, seu cap. 13 necesse non est eam vocem in propria sua obviaque significatione accipere, cum ibidem præmiserit alias, quæ non nudis ossibus, sed corpori, suam etiam carnem servanti, conveniunt; nec deest ratio, cur* ossa *per synecdochen pro* toto *integroque* corpore *ibidem usurpasse dici queat. R. P. Missorius in Dissertatione sua Ms. illum ipsum Bonaventuræ ex eodem cap. 13 locum, quem velut sententiæ suæ favorabilem etiam Octavius episcopus Assisiensis produxerat, pro sua pariter allegavit, totum non mutilatum, describens. Eum igitur ex Vita edita, apud me num.* 222, *hic expendendum subnecto.* Anno vero Domini millesimo ducentesimo trigesimo, convenientibus fratribus ad capitulum generale, Assisii celebratum, ad basilicam in honorem ipsius (*S. Francisci*) constructam CORPUS illud Domino dedicatum octavo Calendas Junii translatum est. F

idem corpus eodem anno translationis illius etiam incorruptum fuisse.

237 Dum autem sacer ille transportaretur THESAURUS, BULLA REGIS ALTISSIMI CONSIGNATUS, miracula plurima ille (*Christus Dominus*) CUJUS EFFIGIEM (*utique per sacra stigmata*) PRÆFEREBAT, operari dignatus est, ut per odorem ipsius salvificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Christum. Erat re vera condignum, ut, quem Deus, in vita sibi placentem et dilectum effectum, in Paradisum per contemplationis gratiam transtulerat, ut Enoch, et ad cælum in curru igneo per charitatis zelum rapuerat, ut Eliam, ejus jam vernantis inter flores illos cælicolos plantationis æternæ ossa illa felicia de loco suo pullulatione mirifica redolerent. *Huc usque sanctus doctor. Et vero negari nequit, per bullam* Regis altissimi, *qua* sacer ille thesaurus (*quem paulo ante vocaverat* Corpus illud Domino dicatum) *dicitur* consignatus, *sacra stigmata designari: nam ipsemet Bonaventura in eadem Vita num.* 56 *dixerat:* Impressa sunt ei (*Francisco*) stigmata Domini Jesu, digito Dei vivi, tamquam bulla summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam Regulæ, et commendationem Auctoris.

Expensis utrimque rationibus,

238 *Manifestum pariter est,* effigiem *Christi, quam, teste Bonaventura,* sacer ille thesaurus *sic* consignatus, *in translatione sua* præferebat, *in iisdem stigmatibus constitisse; eratque proinde tunc*

corpus

A *corpus sacris illis stigmatibus insignitum, suaque vestitum carne, qua in cineres redacta, deleta simul fuissent stigmata, adeoque et* effigies *Christi crucifixi, quæ ex illis unice reluxerat, omnino evanuisset, contra ac Bonaventuræ verba præferunt, nisi ea aliter explicari oporteat. Ex eo autem, quod Sanctus doctor ibidem etiam utatur voce* ossa, *non evincitur, e* Francisci *corpore sola tunc* ossa *reliqua fuisse. Allegoriis enim, ut sæpe alias, hic usus, modo voces proprias, modo tropos adhibuit, quodque primo* corpus Domino dedicatum *dixerat, deinde* sacrum thesaurum, bulla Regis altissimi consignatum, *appellavit; moxque ad alterum tropum transiens, ex illo Canticorum* 1, ŷ 3 Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum, *miracula in translatione facta* Odorem salvificum *nuncupavit. Pari modo potuit per synecdochen partem pro toto, seu* ossa *pro* corpore, *quale ante dixerat, posuisse, ut pullulationem mirificam eis attribueret secundum illud Ecclesiastici cap.* 46, ŷ 14 : Ut sit memoria eorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo.

allegati loci neutrum nobis certum faciunt;

239 *Simili synecdoche de Christo in cælos ascendente ante Bonaventuram usus fuit auctor Sermonis tertii de Ascensione, qui in Breviario Romano legitur in Octava ejusdem sollennitatis, lectione* 5,

B *ubi dicitur :* Super excelsa ergo cœli terrenum CORPUS imponitur : ossa, intra sepulchri angustias paulo ante conclusa, angelorum cœtibus inferuntur. *Totus itaque S. Bonaventuræ textus minime obest, imo favet sententiæ affirmanti,* S. Francisci *corpus tempore translationis suæ, id est, quarto post illius obitum anno, incorruptionis expers, sacrisque stigmatibus condecoratum perstitisse. Fatendum nihilominus est, istas ejusdem sancti scriptoris phrases :* Pretiosus sacrorum ossium thesaurus, *et infra in Appendice, seu in capitis* 6 § 8 : Appropinquans tumbæ, in qua ossa sacra fuerant collocata, *admodum jejunas esse, nec satis congruas, dum de corpore tam mirabili integritate divinitus donato sermo est, ac multo etiam minus apte abhibendas de corpore, quod præterea, inusitatiori prodigio, nullo sustentatum fulcro in pedes erectum staret.*

sed affirmantibus obest Bonaventuræ reliquum præter obscuras phrases silentium.

240 *Hisce adde ejusdem biographi ceterum de utroque miraculo silentium, quamvis neutrum ignorare potuisset, nec, cur sciens, tum hic, tum alibi, prætermiserit, justa ratio reddi posse videatur. Imo vero Bonaventuræ plurimum intererat neutrum silere; quippe qui, dum toto capitis* 16 § *primo,* De virtute sacrorum stigmatum inscripto, *sacra* Francisci *stigmata adversus obtrectatores asserere contendit, nullum ad obturanda malevolorum ora argumentum validius proferre potuisset, quam provocando ad ejusdem corporis conspectum, eadem stigmata, et quidem sanguine, ut volunt, manantia, cum novo incorruptionis atque inauditi antea situs prodigio, servantis : nam saltem eo tempore, si umquam, etiam patebat ad illud accessus. Ast nihil roboris habet, quod laudatus Gabriel Rothomagensis ex communi usurpatione vocis* conditus *pro* sepultus *observavit : licet enim sepulta cadavera etiam* condita *vere dicantur, non tamen, quæcumque sunt cadavera condita, etiam dici debent* sepulta; *quod vero, dum de cadaveribus sermo fit, vox* condita *de sepultura soleat accipi, non ipsa vocis significatio, sed ordinaria cadavera sepeliendi consuetudo fecit.*

C

Expenduntur etiam alia ratiocinia,

241 *Rugilus hisce consentiens, insuper contendit,* Francisci *corporis incorruptionem et integritatem, translationis tempore perseverantes, a S. Bonaventura cap.* 13 *manifeste traditas fuisse, causamque allegare conatur, ob quam ille easdem in ipsa translationis narratione non etiam clarius memorasse credendus sit. Juverit ipsamet Rugili verba recitasse.* Ex capite XV Legendæ Majoris (*id est, Vitæ, quam edidi, per S. Bonaventuram scriptæ*) advocamus hæc verba : « Beato Viro migrante a sæculo, spi- » ritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, » fontisque vitæ haustu plenario gloriosus effectus, » expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa » reliquit, ut caro illa sanctissima, quæ crucifixa » cum vitiis in novam jam creaturam transierat, » et passionis Christi effigiem privilegii singula- » ritate præferret, et novitate miraculi resurre- » ctionis speciem præmonstraret. Cernebantur… » *hic stigmata describit, qualia jam sæpius supra exposui.* « Caro ipsius reliqua, quæ ex infirmitate » et natura ad nigredinem declinabat, candore » nimio renitescens, illius secundæ stolæ pulchri- » tudinem prætendebat. » *Pergit Rugilus.*

AUCTORE C. S.

242 Deinde late prosequitur, appellans « mem- *quibus aliqui* » bra mollia, conversa in teneritudinem puerilis *putant confici,* » ætatis, formosa, jucunda, miraculosa, mirabilia, » spectaculum insigne et insolitum, miraculum » novum rapiensque in stuporem, et firmamentum » fidei, et incitamentum amoris. » Hæc enim omnia sunt ipsius ipsissima verba. Loquitur equidem sanctus doctor de miraculo inspecto in nocte et crastino mortis : at evidentissimum est, de miraculo loqui. Manifeste, nescio, quid aliud asserit in illo corpore præter incorruptionem illam, proximitate mortis præteritæ naturalem, et corporibus omnibus communem; illam, inquam, incorruptionem asserit in illo corpore, quæ carnis atque membrorum erat conversio et immutatio; quæ spectaculum erat insigne et insolitum; quæ miraculum novum, rapiensque in stuporem; quæ secundæ stolæ pulchritudinem prætendebat; quæ expressa in corpore futuræ gloriæ signa relinquebat; quæ novitate miraculi resurrectionis speciem præmonstrabat. *Ex hisce tum sic concludit.*

E

incorruptionem sacri corporis tam mox ab obitu,

243 Igitur luculentissime S. Bonaventura testatur, Francisci corpus in mortis crastino, sive immediate post mortem, incorruptionem et immortalitatem, miraculi intercessione, induisse. Quid enim est, habere expressa futuræ gloriæ et resurrectionis signa miraculi novitate, nisi corruptibile corpus induere incorruptionem, et mortale immortalitatem? Hæc est enim resurrectionis natura ex Apostolo. Modo quis dixerit, certissimum ac præclarissimum hoc incorruptionis prodigium momento temporis evanuisse? Dum etiam nulla præter hæc monumenta superessent, quis non inde potissimum diuturnam ac permanentem sancti corporis incorruptionem jure optimo inferret, tum multorum exemplo, tum maxime novitate et singularitate præmissa Franciscani prodigii? Sed quorsum ista? Ipse S. Bonaventura, a quo miraculi initium accepimus, iterum in eodem capite, et paucis interjectis, prodigii perseverantiam confirmat.

quam in secunda translatione,

244 Caput enim XV Legendæ Majoris quatuor potissimum complectitur ex ordine. Primo, sacra Francisci stigmata, evidentius explorata post mortem, subtilius describit. Secundo carnis manifeste immutatæ, et incorruptionis indutæ miraculum celebrat. Tertio vero exequias et primam translationem in S. Georgii templum persequitur. Quarto tandem translationem secundam a templo S. Georgii ad S. Francisci. Præmissis igitur geminis atque fusis descriptionibus stigmatum et incorruptionis, opus illi non fuit, imo satietati cavendæ nec decuit, eadem iterum ac tertio in eodem capite, præterea brevi, verbis iisdem depromere. Tutus ergo potuit, et prudens debuit, uti compendio, quo descripta commemorare, non autem denuo atque denuo explicata describere videretur. Qua de re cum in translatione prima iterum sacri corporis stigmata et incorruptio denotanda recurrerent, cautus nimietatem atque identitatem verborum declinans, rem raptim innuit his verbis : « Trans- » euntes per ecclesiam S. Damiani,… SACRUM » CORPUS MARGARITIS CÆLESTIBUS INSIGNITUM etc. » quæ merito satis esse, arbitratus est, tum integritatis, tum stigmatum, miraculo denotando.

F

a S. Bonaventura

245 Quoniam vero tertio in secundæ translationis celebritate exponenda prodigiorum eorumdem memoria statim occurreret, id ipsum sibi cavendum necessario cognovit, ne nimius fieret; itemque securius id agere, intellexit, præferentibus facem ante occupatis. Ergo inquit : « Anno Domini » millesimo ducentesimo trigesimo,… dum ille

» sacer

AUCTORE C. S.

» sacer transportaretur thesaurus, BULLA REGIS » ALTISSIMI CONSIGNATUS, miracula plurima ille, cujus » EFFIGIEM PRÆFEREBAT, operari dignatus est. » Quis hic non videat, idem penitus sibi proposuisse sanctum scriptorem in hac secunda, ac in prima illa translatione, de prodigioso Francisci corpore asserendum? Ita in translatione secunda dixit corpus illud THESAURUM BULLA REGIS ALTISSIMI CONSIGNATUM, et Christi EFFIGIEM PRÆFERENTEM, quemadmodum in translatione prima corpus idem dixerat MARGARITIS CÆLESTIBUS INSIGNITUM. Nunc MARGARITAS CÆLESTES, seu sacra stigmata, manifeste pro eo, quod erat actu ipso, non pro eo, quod fuerat, expressit in translatione prima; ergo iterum apertissime BULLA REGIS ALTISSIMI, et Christi EFFIGIES accipienda sunt pro eo, quod extabat, non pro eo, quod ante extiterat, in translatione secunda.

non obscure traditam fuisse;

246 Quam ob rem, teste D. Bonaventura, sacrum Francisci corpus stigmata retinebat jam quadriennio post mortem, tunc ergo ex D. Bonaventura incorruptum. Quis enim ossa nuda stigmatizata dixerit, vel in cineribus ALTISSIMI BULLAM, et Christi EFFIGIEM quærat? Omnino res ita se habet, ut nihil evidentius. Jam igitur S. Bonaventura incorruptionis perseverantiam quartum in annum deduxit : ergo ex hoc ipso permanentem atque
B perpetuam testatus est; quoniam neque posterius dissolutum umquam illud asseruit, et hic sacri corporis præconia novissima conclusit; neque præterea, occasione cessante, aliquid hujusmodi memorandum suscepit. Quare præsumptum D. Bonaventuræ silentium (de incorruptionis prodigio dum agitur) expresse negamus. *Hactenus Rugilum Reverendorum Patrum Conventualium nomine disserentem audivimus, ad cujus dicta solum pauca observabo.*

ac proinde eam etiam

247 *Jam dixi supra, allegatum ex Bonaventura locum assertæ sacri corporis usque in secundæ translationis diem incorruptioni favere. Libens quoque assentiar, verisimillimum esse, incorruptionem illam, si in quadriennium usque a morte perseveraverit, deinceps quoque in hæc nostra tempora divino munere perdurare. At* (*quod supra jam innui*) *primum Bonaventura non tam evidenter asseruit, ut nullum de eo ambigendi locum reliquerit. Cum enim ibidem iis etiam verbis utatur, quæ destitutis carne ossibus in propria sua significatione communique sensu conveniunt, dubitari potest, an hæ voces* Thesaurus bulla Regis altissimi consignatus *referendæ non sint ad tempus anterius, atque ita explicandæ :* Thesaurus, qui bulla Regis altissimi fuit, *aut* fuerat consignatus; *nempe postremo vitæ illius bienno et in prima*
C *translatione; quo forte etiam referendæ sunt istæ :* Cujus (*Christi*) effigiem præferebat. *Nec refert, quod, dum idem sanctus doctor in prima translatione ait,* sacrum corpus, margaritis cœlestibus insignitum, *S. Claræ et sociabus videndum oblatum fuisse, locutus fuerit de* eo, quod actu erat, non de eo, quod fuerat; *nam id apertissimis verbis asserit, nec in tota illic narratione vel verbulum occurrit, quod vel levissimam suspicionem movere queat de corrupto per miraculum intra paucas ab illius obitu horulas corpore, cujus admirabilem pulchritudinem ibidem mox descripserat; secus autem omnino fit in relatione translationis secundæ, quadriennio post factæ, quo temporis spatio corpus naturaliter corrumpi potuit, aut etiam debuit, nisi divinitus fuerit conservatum.*

usque in hodiernum diem perseverare.

248 *Ex eo quoque, quod S. Bonaventura dixerit, mox a* Francisci *obitu apparuisse* in *ipsius* corpore futuræ gloriæ signa, quæ novitate miraculi resurrectionis speciem præmonstrarent, *concludendum non est, idem illud corpus ex ejusdem doctoris sententia incorruptionem, nedum immortalitatem, tunc induisse, uti pluribus ostendam infra, ubi iste Bonaventuræ locus latius expendendus recurret. Non satis etiam firma mihi apparet allegata causa, ob quam sanctus doctor incorruptionem corporis et sacra stigmata non clarius expressisse credendus sit in translatione secunda, aut alibi; scilicet, tum ne jam bis exposita, in eodem cap. 13 tertio repetendo,* D *lectori nauseam pareret; tum quod occasio ei defuerit eadem alibi tractandi. Quamvis satietatis cavendæ ratio habere locum potuerit in primæ translationis narratione, non debuit habere in secundæ. Nam prima translatio contigit postridie obitus* S. Francisci, *secunda fere quadriennio post, quo scilicet tempore tam eximia perseverans corporis incorruptio novum fuisset miraculum, ac propterea paucis saltem verbis, quæ nauseam minime creassent, sed delectassent lectores, clarius indicanda. Denique, ne quid prætermittam, non defuit deinde Bonaventuræ occasio, et opportuna quidem de eodem argumento loquendi, dum, ut supra indicavi, caput 16 pro veritate sacrorum stigmatum adversus æmulos conscripsit.*

§ XIV. An S. Bonaventura saltem uspiam insinuaverit, sibi notum fuisse prædictum sacri corporis, incorrupti et in pedes erecti stantis, prodigium : an contra ejusdem silentium eidem miraculo adversetur.

E

Missorius asserit, Bonaventuram prodigium corporis sic servasse arcanum,

Hactenus ex Bonaventura disseruimus, dicine, an negari debeat, S. Francisci *corpus tempore secundæ translationis suæ* (*nam de primæ nullum esse potest dubium*) *incorruptum fuisse. Nunc altera discutienda venit quæstio, an scilicet Bonaventura saltem tradiderit, vel quo modo insinuaverit, idem corpus, integrum et incorruptum, sine ullo fulcro stare suorum pedum plantis innixum, quale ex Missorio descripsi in hujus Dissertationis num.* 5; *nam qui istud prodigium negant, ejusdem sancti doctoris silentium in rem suam laudant. Et vero, si mirabilis illa sacri corporis in pedes erectio contigerit triduo post secundam translationem, id est, anno* 1230, (*uti ex traditione conventus Assisiensis asserit Missorius mox laudatus*) *incredibile est, eam latere potuisse Bonaventuræ primo supra trigesimum annum post scribenti, qui et nihil in indagando diligentiæ prætermisit, et generali tum fungens totius Ordinis Ministerio, penitus, quam quispiam alius, de Franciscanis rebus instrui potuit, debuitque, nec arceri a secreto ad spectandum prodigium, si quis tunc fuerit, aditu, ex affirmantium sententia tum temporis nondum obturato.*

ut tamen insinuaverit, sibi fuisse notum;

250 *Ad S. Bonaventuræ aliorumque veterum silentium non eodem modo respondent Missorius et Rugilus. A primo ordiamur. Agnoscit ille assertum* S. Francisci, *suis pedibus sine fulcro insistentis, miraculum a nullo veterum scriptis proditum esse, sed* F *inter arcana Ordinis habitum; a Bonaventura tamen caute prudenterque sic insinuatum,* ut (*salvo arcano*) parvo negotio emunctæ naris homines consilium introspicere possent. *At quorsum arcanum hoc?* Ne tam sacrum (*inquit*) et pretiosum pignus auferretur ab Ordine. *Si ceteri omnes eadem cautione hujus generis sacra pignora sua custodirent, jam nullum e tam multis Sanctorum corporibus, quæ omnipotens Deus ad sui Nominis gloriam incorrupta servat, fidelium devotioni pateret. Sed ponamus, peculiarem fuisse Fratribus Minoribus servandi arcani causam, et Missorium audiamus Bonaventuræ locos in rem suam allegantem. Laudat in primis illum, qui secundum meam partitionem legitur in Vita num.* 213, *ubi Bonaventura, postquam narravit vere admirabile sacrorum stigmatum in defuncti corpore prodigium, sic prosecutus est.*

in quem finem Missorius allegat verba sancti doctoris,

251 Ut caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitiis in novam jam creaturam transierat, et passionis Christi effigiem privilegii singularitate præferret, et novitate miraculi resurrectionis speciem præmonstraret. *Hunc locum ita excipit Missorius :* Non inficior, inibi Bonaventuram de sancti Patris corpore nondum sepulturæ mandato sermonem habere; ast ea animadversio ejus hominis est, qui optime noverat, quid posthumum evenerat. Etenim, si cuipiam illorum, qui Seraphici corporis

stationem

A stationem omnino sibi persuasam habent, hoc tempore scribendum foret de ipso eodem corpore, quum anima caruit, satis obvium esset ac naturali dicendi mori consentaneum, hoc pacto animadvertere : « Enimvero tot tantaque, quæ in ejus » corpore miracula contigerunt, præsagitiones » fuerunt resurrectionis illius, qua corpus illud » sanctissimum mox frui debebat. » *Sit ita : sed non sic locutus est Bonaventura; non enim dixit, ista signa fuisse resurrectionis,* qua corpus illud... MOX frui debebat. *Ponamus paulisper controversum corporis stantis miraculum Bonaventuræ penitus fuisse ignotum, nonne tamen ille ex tanta corporis exanimati pulchritudine, vereque admirandis signis, de futura ejusdem in postremi judicii die gloriosa resurrectione pronuntiare potuisset, dicereque, ea talia fuisse,* ut *corpus illud* novitate miraculi *postremæ illius beatæ* resurrectionis speciem præmonstraret? *Sed de hoc rursum inferius plura erunt annotanda.*

et in rem suam exponit;

252 *Pergit Missorius,* Nec secus, *aiens,* sententiam suam aperuit hoc loco Bonaventura, quum inquit : « Novitate miraculi resurrectionis spe- » ciem præmonstrabat. » Quinque sunt verba, sensu vero omnino tria, digna propterea, quæ a lectoribus sedulo observentur, et a nobis vere ac

B plane expendantur. Primo inquit : NOVITATE MIRACULI ; secundo : RESURRECTIONIS SPECIEM ; tertio : PRÆMONSTRARET. Primum NOVITAS MIRACULI, hoc est, sacrorum Jesu Christi stigmatum in corpore S. Francisci impressio ea fuit, ut recte, et quidem historice, dicere potuisset : SINGULARITATE MIRACULI. Singularitati accessit excellentia, et sane talis ac tanta, ut non modo spem hominum vincat, verum etiam cogitationem. Huic igitur miraculi novitati atque excellentiæ resurrectionis novitas, gravissimo Bonaventuræ judicio respondit, atque ita, ut, si corpus ea prærogativa donatum fuerat, propter quam IN NOVAM JAM CREATURAM TRANSIERAT, si ejusmodi transitus resurrectionem portendebat, ecquam aliam portenderet, nisi eam, quæ non modo incorrupto (quæ aliis bene multis sanctorum hominum corporibus communis est) verum etiam stanti, et in speciem spiranti congruere potest.

at nobis non videtur

253 *Interponamus hic observationes nostras, sermonem Missorii deinde resumpturi. Bonaventura proxime relatis verbis hæc præmiserat :* Beato namque Viro migrante a sæculo, spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, fontisque vitæ haustu plenario gloriosus effectus, expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit. *Mox duo hujusmodi signa memoravit, sic pergens :* Ut

C caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitiis in novam jam creaturam transierat, et passionis Christi effigiem privilegii singularitate præferret, et novitate miraculi resurrectionis speciem præmonstraret. *Tum, quæ fuerint duo ista signa, exponens, alterum, per quod* passionis Christi effigiem præferebat, *ait, fuisse quinque stigmata; alterum vero, quod* resurrectionis speciem præmonstrabat, *seu, ut etiam infra loquitur, quod* secundæ stolæ pulchritudinem prætendebat, *dicit, fuisse prodigiosum candorem carnis,* quæ prius (*ante mortem*) tam ex infirmitate, quam ex natura, ad nigredinem declinabat, *uti post pauca subjecit.*

id ex illis consequi,

254 *Quapropter, nisi vehementer fallar, apud Bonaventuram quinque stigmatibus non respondit* resurrectionis novitas, *ut visum Missorio est, sed* passionis Christi effigies; nimio *vero carnis* candori *species, seu figura quædam atque præsagium futuræ beatæ* resurrectionis. *Hæc autem cur ille dicere nequiverit, etiamsi nescisset, corpus* Francisci *umquam in pedes divinitus fuisse erectum et adinstar spirantis stare; imo etiamsi non dubitasset, quin illud tunc temporis, quo scribebat, in cineres et ossa solutum jaceret? Nonne ex illo exanimati corporis subito minimeque naturali decore rectissime præsagire poterat ejusdem in supremo judicio beatam resurrectionem et futuram gloriam? Præterea, si Bonaventuræ mentem recte assequar, non dicit ille,* S. Francisci

AUCTORE C. S.

carnem in novam jam transisse creaturam, quia singulari illa stigmatum prærogativa insignita fuerat, sed potius, hac, velut præmio, donatam fuisse, quia illa crucifixa cum vitiis, in novam jam (*dum viveret*) creaturam transierat. *Loquendi modum sanctus doctor mutuavit ex S. Pauli Epistola ad Galatas, in cujus cap.* 5, ℣ 24 *legitur :* Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis : *et cap.* 6, ℣ 15 : In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed nova creatura; *nempe per fidem, spem, charitatem, emendationem morum etc.*

Profert et alios S. Bonaventuræ textus,

255 *Rursum aliud argumentum Missorius subjicit sic disserens :* Tum acutius introspicienda sunt ea verba : RESURRECTIONIS SPECIEM. Non adstruit veram resurrectionem; sed RESURRECTIONIS SPECIEM, quodque attentius ponderandum, sermonem habet de resurrectione carnis, spiritu destitutæ. Talis ergo resurrectio isthæc fuerit, oportet, quæ soli corpori conveniat. Hæc porro alia dici nequit aut excogitari, quam si corpus ea positione afficiatur, quam si quis inspiciat, continuo fateatur, corpus illud vivere, aut viventis quidem certe speciem habere. Clarius adhuc patet hæc resurrectionis species in idea vera ac nativa, quam verba ipsa efformant. Etenim, si hominem vel sagacissimum percunctemur : Quo tandem pacto fieri posse, arbitraris, ut E exanime corpus RESURRECTIONIS SPECIEM præferret? Illico sic reponeret (neque enim secus reponendum suppeteret :) Non alio, arbitror, modo, quam si corpus, quod pridem in arca cubabat, subito sese erigeret in pedes, oculos aperiret, faciem erigeret, quo pacto vivens putaretur et spirans, tametsi non foret. Ita ferme sententiam suam aperuit Bonaventura, qui uno et altero dumtaxat verbo explicuit, quod nos multis explicuimus, quo luculentius Seraphici doctoris sensum, duobus tantum verbis conclusum, aperiremus.

et ratiocinia,

256 RESURRECTIONEM dixit : nam reapse, si corpus assurrexit, quantum corpus patitur, resurrexit. Idcirco profitemur in Simbolo CARNIS RESURRECTIONEM. Latinis namque RESURRECTIO est quasi ITERATA ERECTIO : homo siquidem ratione corporis et surgere et stare dicitur. Corpus namque est, quod cecidit; unde et a cadendo Latinis CADAVER, ex quo dicitur. RESURRECTIO non significat primario animæ cum corpore conjunctionem; sed, ut inquit Tertullianus lib. de Resurrectione, CARNIS RECIDIVATUM. Dein alterius verbi adjectione, hoc est, SPECIEM, sententiam suam temperavit. Vera siquidem resurrectio in corpore spiritu experti enimvero non fuit; sed SPECIES dumtaxat RESURRECTIONIS. Deinde postremum illud verbum PRÆMONSTRABAT, Bonaventuram de ea F Seraphici corporis resurrectione, quam adstruebat, certiorem fuisse, liquido demonstrat. Etenim, quid tandem significat verbum illud PRÆMONSTRABAT? Nimirum : Innuit, quod postea exitus probabit.

quibus id demonstrari existimat;

257 Ita de utroque Nicolao, Myrensi et Tolentinate, Ecclesiastica fert historia, et illum quarta et sexta feria semel dumtaxat, idque vesperi, lac nutricis suxisse; et hunc septennem complures hebdomadæ dies jejunare cœpisse : quæ quidem nova et inaudita abstinentia temperantiam a cibo et potu præmonstravit, quam uterque toto vitæ curriculo retinuit. Quod si neuter adultus pristinam illam temperantiam retinuisset, quam falso atque inepte diceretur prior illa abstinentia fuisse posterioris indicium? Sic etiam insignis ac pene divina sanctissimi Mediolanensis antistitis, Ambrosii eloquentia prænunciata perhibetur, quum in infantis ore examen apum consedit. Pone ergo, Ambrosium jam grandævum nulla eloquentiæ laude floruisse; an non inane ineptumque ejusmodi præsagium fuisset? Nec irridicule dixisset Bonaventura, resurrectionis speciem per carnem illam sanctissimam præmonstratam fuisse, nisi corporis viventis in morem assurrexisset. Nam, quod attinet ad prænunciandam universalem resurrectionem, non minus ineptum, quam supervacaneum fuisset ex præcipuis mirisque signis id prænunciare, quod B. Francisco cum

 nequissimis

AUCTORE C. S.

nequissimis hominibus futurum est *commune.*

sed quæ sedulo expensa

258 *Modo dicta de more denuo expendemus. Non inficiabor, resurrectionem carnis ad corpora proprie pertinere, sed cum hæc minime futura sit sine conjunctione animæ, quotusquisque est, qui, dum de mortuis agitur, audita voce* resurrectio, *eam de resurrectione corporis sine conjunctione animæ dictam putet? At Bonaventura, inquies, ibidem* sermonem habet de resurrectione carnis spiritu destitutæ. *Recte : sed nonne et nos, dum ex Apostolorum symbolo* carnis resurrectionem *confitemur,* sermonem habemus de resurrectione carnis spiritu destitutæ, *tametsi hanc per conjunctionem animæ cum corpore suo futuram simul profiteamur? Ubi vero dixit sanctus doctor,* S. Francisci *corpus sine conjuncta anima resurrexisse, aut resurrecturum fuisse? Porro anceps est animadversio ad vocem* species, *quæ Latine varias patitur significationes et usurpari potest pro* imagine, facie, effigie, forma, similitudine *etc.* Præmonstrare *autem est :* Ante monstrare, ostendere, *quod futurum est. Rectissime igitur Bonaventura dicere potuit, per prædicta sacri corporis mirabilia præmonstratam fuisse ejusdem resurrectionis speciem, quia illud sic vere quamdam resurrectionis, quæ in supremi judicii die futura erat, speciem, seu imaginem, formam, similitudinem præferebat.*

B

nobis persuadere nequeunt,

259 *Ponamus tamen, vocem* speciem *a Bonaventura studiose additam, ut certum resurrectionis modum indicaret; non propterea oportebit illam de non vera, quæ sine conjunctione animæ futura esset, corporis resurrectione interpretari. Sensu enim magis proprio et obvio dici potest, eam vocem additam ad significandam, non communem omnibus hominibus, vel cuilibet justorum, resurrectionem, sed excellentiorem quamdam, secundum istud Apostoli* 1 *ad Corinthios* 15, ℣ 41 *et sequenti :* Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum. *Ex hac interpretatione sensus verborum Bonaventuræ hic fuerit, eximiam* S. Francisci *corpus in communi carnis resurrectione gloriam* præmonstratam *fuisse* novitate miraculi, *carnis scilicet,* quæ prius (*ante obitum*) tam ex infirmitate, quam ex natura, ad nigredinem declinabat (*sed mox ab obitu*) candore nimio nituit, *accedentibus etiam aliis in eadem carne signis, quorum omnium, ut postea ait,* tam formosa et miraculosa varietas jocunditatem et admirationem contuentibus ingerebat. *Procul dubio hæc potuerunt merito videri, dicique præmonstrasse quemdam excellentiorem in extremo judicio resurrectionis modum, a communi justorum multum diversum.*

C

controversum sacri corporis prodigium Bonaventuræ notum fuisse.

260 *Ex dictis sponte sua fluit longe dispar ratio hoc inter et adducta de utroque Nicolao et Ambrosio exempla. Nisi enim eorum duo primi eximia abstinentia, atque alter eloquentia, in hac mortali vita excelluissent, quo tandem tempore locove memorata abstinentiæ et eloquentiæ præsagia rata fieri potuissent? Non utique in vita altera. At posito paulisper,* S. Francisci *corpus nec hactenus resurrexisse, nec ante communem resurrectionem carnis resurrecturum, nihilominus verissima erunt allegata a Bonaventura præsagia, quorum veritatem etsi ille, dum scribebat, non fuisset expertus, pro certis tamen et indubitatis habere debuisset. Nec vero ut rata fiant, deerit tempus, in postremo scilicet judicio, quando illud suæ denuo animæ conjunctum, nemo, nisi impius, dubitet resurrecturum magna in gloria, quam signa illa præsagiisse, merito censuit Bonaventura. Hæc de argumentis, pro sacri corporis incorruptione utroque in pedes erecti statu ex Bonaventura hactenus recensitis.*

Alii negant, argumentum a silentio S. Bonaventuræ,

261 *Supra monui, non eodem modo a Rugilo, quo a Missorio, responderi ad objectum Bonaventuræ silentium de dicti corporis mirabili situ : nam incorruptionem ejusdem notam Bonaventuræ fuisse, illi consentit. Missorium audivimus; nunc Rugilum audiamus. Ita disserit :* Opponunt primo antiquorum silentium. Vetustiores (inquiunt) biographi, sanctus ipse Bonaventura, et tandem Bartholomæus Pisanus, cujus Conformitatum libri a generali Ordinis capitulo sunt approbati, ne verbum quidem de asserta incorruptione atque statione mirabili Franciscani corporis habent. Novum igitur inventum est. Ad hæc utimur responsione multiplici. Primo genus hoc argumenti, quo facilius est atque frequentius, eo est etiam passim enervius et infirmius. Usurpamus verba Theophyli Raynaudi tom. VIII, pag. 145, ubi in idipsum hæc habet : « Est hæc argumentatio similis illi, quam Anabaptistæ adversus Evangelistam Lucam intentant » ex Josephi Hebræi silentio de Piscina Probatica. » S. Hieronymus stramineum hoc argumentum » valide confregit, monstrans, silentium B. Lucæ » de plerisque ad S. Paulum attinentibus nihil » veritati incommodare. Eadem argumentandi in» felicitate ea, quæ S. Hieronymus, tacente » D. Athanasio; prodidit de S. Antonii ad Paulum, » heremitarum principem, itinere, de cibatione » utriusque per corvum, et de Pauli per Antonium » tumulatione, infirmarentur. » Hæc rite Raynaudus.

D

aliorumque vetetum petitum, ullius hic roboris esse,

262 *Pergit Rugilus :* Revera, ut semel aliquando argumentum hoc negativum vigeat, tantis indiget fulcimentis, ut pene semper claudicet, et vix ex tot millibus unum, quod bene constet, occurrat. Innumeræ enim causæ interesse solent scriptorum silentio, posteritati ignotæ. Nos ex ipsa responsionis vi nullam tenemur reddere peculiarem, silentio etiam illo late (quod non facimus) permisso. *Notam enim Bonaventuræ, et ab eo traditam fuisse* S. Francisci *corporis perseverantem incorruptionem contendunt argumentis, quæ præcedenti* § *examinavimus. Tum sequitur hic :* Unam tamen conjicimus (*causam Bonaventuræ silentii de stante corpore*) sane non improbabilem, eamque, dum arriserit, accipite. Ex Speculo vitæ S. Francisci et sociorum pag. 181 legimus, F. Ubertinum a Casali, qui sæculo XIII vivebat, audivisse a B. Conrado de Offida, ipsum a F. Leone, aliisque sancti Parentis sociis accepisse, cælitus ipso S. Francisco post mortem revelante; futurum nempe esse aliquando, ut ejusdem Francisci corpus quodammodo præmature resurgeret; sed tempore hominibus incomperto, et Deo melius viso; eo tamen præsignato, quo suum magis vexari Ordinem, ac impugnari regulam, sinerent dies; idque futurum præcipue in suorum filiorum solamen.

E

et aliunde faciunt conjecturas, ex quibus videri posset,

263 Revelationem porro ac traditionem hanc rejicere, non fert animus, nec subest causa. Adde, Raynaldum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum MCCCXXI, num. 19 scripsisse, hæc insuper alia haberi in quodam pervetusto Ms., asservato, tum in Vaticana bibliotheca num. 4010, tum in Veneta S. Marci codice 196 : « Incipit tribulatio et tentatio, » quam prædixit B. P. N. Franciscus in morte sua, » Ordini appropinquare.... Et tribulatio incepit » anno Domini MCCCXXI. » Deinde excitatam tunc temporis salebrosissimam controversiam memorat de paupertate Christi et Apostolorum, quæ tantopere, ut satis liquet, Minoriticum Ordinem excitavit. Hinc duas nanciscimur S. Francisci revelationes, specie quidem diversas, sed nimis valde se invicem respicientes et confirmantes, nosque recta in id, quo tendimus, dirigentes. Una est tribulationis Ordinis impugnatione Regulæ, quæ facta dicitur in morte : alia consolationis ejusdem, resurrectione inchoata corporis, quæ traditur facta post mortem. Utraque vero eidem tempori præfinito respondet, et utrumque conjungit, tribulationem nempe Ordinis, et sacri corporis resurrectionem.

F

corporis in pedes erectionem primum contigisse

264 Cumque prioris jam tempus constitutum habeamus, currente sæculo XIV, exinde cogimur (adoptatis revelationibus ac monumentis istis) ad hæc usque tempora resurrectionis etiam illius initia retardare. Quæ si vera et recipienda sunt, corrigendus est author Collis Paradisi, et pro numero annorum 1250 potius erit sufficiendus numerus valde affinis 1330, in quo facillime lapsus esse potuit... Neque hinc sequitur quidquam incommodi inscriptioni

A inscriptioni præfatæ Gregorii IX (*consule superius* § 9) quam tamen virilius non propugnavimus. Illam enim subtilius expendenti constabit, ibi laudibus quidem summis incorruptionem sacri corporis efferri, sed de situ admirabili verbum nullum, quod potius mox prolata (*pro resurrectione ad sæculum* XIV *differenda*) confirmat. Eadem distinctione uti licet pro visitationibus reliquis, non ex nostra, sed ex aliorum, sententia cursim relatis, et etiam prætermissis, quæ probabilem epocham istam præcesserunt.

diu post obitum Bonaventuræ, qui proinde eam non potuit memorare.

263 Hæc autem omnia nos conjiciendo tantum monemus, non vero sententiam præcipitamus. Non modicam quidem exhibent nobis veritatis speciem, sed nihil inde præsumimus, nec firmiter huic prodigio epocham decernimus ullam. Unum hoc contendimus, ita nempe fuisse visum a testibus, atque a Majoribus traditum, quod constantissime tenemus: alterum vero, illud incorruptum ac integrum fuisse semper usque ab obitus die, ut ex mox recitandis, *partim a me jam recitatis*. Primum asserimus tamquam principium; secundum vero quasi illud consequens. Nam præter monumenta statim subscribenda, ad hoc etiam ordinis congruitate deducimur, ut ex adverso rerum discrepantia ac perturbatione depellimur. Dissonum namque atque
B incredibile nobis est, scilicet, fuisse illud prodigiose incorruptum ex certis infra; secundo vero fuisse dissolutum; tertio iterum incorruptioni redditum; quarto denique erectum in pedes. Præterea multiplicarentur miracula, nulla cogente necessitate. His interea permissis, en causa præsens et urgens vetustiorum silentio. Conticuerunt, quia proferre non poterant, quia nondum erant: annus enim MCCCXXX, cui præfatæ resurrectionis (ut vocant) prodigium ex hac sententia alligatur, longe jam prætergreditur mortem ipsiusmet S. Bonaventuræ. De Pisano vero seorsum agendum est. Hæc de silentio admirandi situs, quod in vetustis biographis libenter admittimus. *Hactenus RR. PP. Conventuales Romani per laudatum Rugilum.*

At non tam parvi hic faciendum videtur S. Bonaventuræ silentium;

266 *Agnoscunt igitur illi veterum biographorum ac nominatim S. Bonaventuræ, silentium, non quidem de incorruptione atque integritate corporis, sed de erecti et suis pedibus consistentis prodigio; verum hoc silentium nullius prorsus momenti esse, autumant; imo forte etiam ratione temporis, quo S. Bonaventura floruit, omnino necessarium. At utrumque suas patitur, nec leves, difficultates. Ac primo quidem non diffitemur, argumentum negativum frequenter nullius esse roboris; tunc scilicet, dum ei opponitur affirmativum ex solidis rationibus, aut idoneis minimeque*
C *suspectis monumentis vel scriptoribus formatum, quorum scilicet affirmationem præstare oportet mero aliorum silentio. Neque vero S. Hieronymus negativo argumento aliquando uti dubitavit in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 7 ex S. Lucæ silentio Periodos Pauli et Theclæ fabulis annumerans his verbis:* Igitur περιοδοὺς Pauli et Theclæ, et totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli (*Lucas Pauli*) inter cæteras ejus res hoc solum ignoraverit? *Ex solo igitur S. Lucæ de hac historia silentio Hieronymus arguit, eam Lucæ ignotam fuisse, adeoque fabulosam, cum ille alioquin eamdem nec ignorasse potuerit, nec debuerit prætermittere. Quid ni simile quid arguere liceat ex Bonaventura, qui sese in res* S. Francisci *diligenter indagasse profitetur, et nihilominus siluit prodigium tam singulare, Sanctoque suo tam honorificum, nisi justæ silentii illius causæ probentur? Dispiciendum igitur est, an monumenta et rationes, quæ ab affirmantium parte erudito lectori partim jam dedi, partim dabo expendenda, talia sint, ut antiquorum silentio debeant prævalere.*

allatæ vero conjecturæ, si sat firmæ sint,

267 *Jam quod ad alterum attinet, memorata revelatio ex Speculo vitæ* S. Francisci *et sociorum ejus, editionis Metensis, reipsa legitur assignato folio* 181 *verso, uti et in editione Bosquieriana, centuria* 3, *cap.* 33, *non tamen in Spoelberchiana, nec in nostro Ms. Speculo Lovaniensi. Eam ex Metensi, quæ antiquior est, transcriptam habe. Titulus capitis hic est:* Quod S. Franciscus assurget ante resurrectionem. *Tum incipit:* Ego frater Ubertinus, Ordinis Minorum, audivi a sancto viro Corrado, et a quam plurimis fide dignis, quod B. Franciscus post suam glorificationem in cælis revelavit sancto fratri Leoni, et aliquibus aliis revelatum dicitur, quod in hac apparitione Christus prædixit, et dum fuit signatus stigmatibus (*Bosquierus habet*: Quod Christus prædixit ei, dum fuit signatus stigmatibus) tribulationes sui Ordinis et Ecclesiæ, et corruptionem et condemnationem suæ Regulæ, et tantam confusionem mentium spiritualium virorum suorum propter universalem impugnationem istius Regulæ, quod ad confortationem et illuminationem ipsum resuscitaret piissimus Jesus in corpore glorioso, et ipsum faceret prædilectum parvulis suis visibiliter apparere. Quid de hoc erit, potest expectari devote, sed non asseri temerarie: tamen devotione * multum ratio suffragatur, ut, sicut Franciscus fuit similis singulariter Christo passione, sic et conformis sibi * præ aliis anticipatione resurrectionis, et maxime ad confortandum fidem. *Ita utraque editio laudata, sed silente, ut monui, Spoelberchiana cum nostro apographo Ms. codicis Lovaniensis. Alterum supra laudatum textum Raynaldus* E *loco ibidem annotato vere habet ex Ms. Vaticano; verum is eumdem pseudominoritæ schismatico, prophetiam illam (qualiscumque hæc demum sit) in suum suorumque gregalium favorem interpretanti attribuit. Quod si verum sit, nihil hinc pro conjiciendo tempore, quo* Francisci *corpus resurrexisse videatur, potest haberi.*

AUCTORE C. S.

* *Bosquier.* devotioni

* *ibid.* sit

adversantur traditioni conventus Assisiensis,

268 *Porro si prædicta revelatio ex Speculo vitæ* S. Francisci *allegata, pro cujus veritate ipse Ubertinus, aut quisquis alius animadversionem suam adjecit, spondere noluit, admittenda sit, atque ita exponenda, ut non de resurrectione, quæ per conjunctionem animæ cum corpore fit, qualem verba illa præferunt, sed de solius incorrupti corporis exanimis, instar vivi, in pedes erectione, primum anno* 1330 *facta, accipiatur, fateor, nullum esse argumentum, quod a S. Bonaventuræ silentio petitur, quippe qui anno* 1274 *vita functus scribere nequiverit, quæ demum anno* 1330, *id est, annis* 56 *serius acciderunt. Sed eadem revelatione sic accepta, admissaque, non solum corrigendus erit auctor Collis Paradisi, et pro anno* 1230 *substituendus annus* 1330; *verum etiam recedendum erit a traditione conventus Assisiensis* S. Francisci, *ex qua Missorius, num.* 2 *relatus, affirmat, ejusdem Sancti corpus, postquam in suam illam basilicam anno* 1230 *trans-* F *latum, et sepulturæ traditum fuit,* exemplo Christi Domini post triduum a sepulchro resurrexisse *etc.*

quam e Missorio supra retulimus.

269 *Atqui tamen RR. PP. Conventuales Romani apud Rugilum supra num.* 22 *et sequenti, traditionem ejusdem conventus de erecto in pedes sacro corpore maximi faciendam esse, observarunt eo etiam ex capite,* quod ibi sit res tradita, *quodque proinde traditio ibidem sit* in naturali sua sede; et ex loci maxime circumstantia naturalem sibi vindicet authoritatem et fidem. *Non esse porro ex oscitantia scriptoris Collis Paradisi annum* 1230 *positum pro* 1330, *manifestum fit ex verbis Missorii, ejusdem loci traditionem allegantis pro corporis in pedes erectione facta* post triduum *a translatione, quæ procul omni dubio, non anno* 1330, *sed* 1230 *contigit. Quam ob rem, tametsi cum aliquo falso temporis adjuncto factum ipsum verum esse possit, necesse tamen est, ut ipsa, quæ tam notabilis temporis, centum scilicet annorum, errore laborat, traditio de erectione corporis vacillet: ac proinde, qui traditionem conventus Assisiensis pro dicta sacri corporis erectione maximi faciendam contendunt, potius ab obscura ista revelatione, meo quidem judicio, recedent.*

§ XV.

AUCTORE C. S.

§ XV. An Pisani partim silentium, partim dicta, eidem sacri corporis prodigio adversentur.

Prodigii patronis objiciunt etiam alii silentium

Reverendus pater Gabriel Rothomagensis, unus ex illis, qui controversum corporis prodigium negandum censent, ad Bartholomæum quoque Pisanum, velut non solo silentio, sed etiam verbis, sibi faventem, provocat. Illo teste, Pisanus in libro Conformitatum S. Francisci, conformitate VIII et XXXIV, parte 2 *de eodem sacro corpore sermonem faciens,* utitur sexies vocabulo JACET; bis in VIII, et quater in XXXIV. In Conformit. VIII sic ait : « In loco de Assisio jacent » hi fratres sanctissimi. Primus est pater sanctis- » simus noster, videlicet B. Franciscus, qui singu- » larissimus fuit inter Sanctos vita et similitudine » ad Christum, hic requiescit; de cujus corpore ad » ostendendum populis nihil invenitur, nec habe- » tur; ac in quo ecclesiæ loco jaceat, etsi quibus- » dam sit agnitum, quibus vero, nulli est notum. » Conformit. XXXIV : « B. Franciscus Assisii in Colle » inferni, id est, ubi malefactores puniebantur, » dimisit se sepeliendum ex humilitate, in loco » videlicet, ubi nunc jacet... Fuit translatum ejus » corpus ad locum, ubi nunc jacet... Ejus corpus B » simul cum capsa » (*seu loculo, cui inclusum antea fuerat*) « fuit portatum et positum, ubi nunc jacet... » Translatus ad ecclesiam, in qua nunc jacet. »

et dicta Pisani;

271 Et Conformit. XL, quæ est ultima, parte 2 loquendo de sepulcro S. Francisci in loco S. Georgii, in quo fuit fere quatuor annos, dum fabricabatur ecclesia, in quam fuit postea translatus anno MCCXXX, et in qua nunc jacet et requiescit, utitur etiam idem Pisanus vocabulo JACERE ad denotandum, quod, sicut apud S. Georgium jacuit, jaceat etiam in ecclesia, in qua requiescit; et ideo in hac Conformitate XL, § XVIII sic dicit : « Ubi tunc jacebat corpus » B. Francisci. » Ergo corpus Seraphicum est nunc in eodem statu et situ, ac erat in priori loco S. Georgii, ex Pisano; sed sic est, quod ex Pisano JACEBAT apud S. Georgium; ergo ex eodem Pisano nunc JACET in ecclesia, in qua requiescit. Sed advertendum est, quod hæc citatio Pisani mox facta de § XVIII Conformitatis XL non reperitur in editione Pisani Bononiensi anni MDXC; etiam mutilata,... bene vero reperitur in ejusdem Pisani editione Mediolani facta anno MDX apud Gotardum Ponticum. *Hactenus laudatus P. Gabriel, recte observans, ea, quæ ex* § 18 *Conformitatis* XL *recensuit, in editione Mediolanensi, non in Bononiensi, haberi.*

C

quibus illi reponunt, Pisanum in hoc Opere,

272 *Ad objectum Pisani silentium Rugilus reponit sequentia :* Nunc ad Pisanum convertimur. Hunc reddita superius (*num.* 262 *et sequentibus*) causa silentii antiquorum sane complecti non potest. Edidit enim Conformitatum libros anno MCCCXCIX, nempe septuagesimo ferme anno post probabilem illam epocham admirandi situs, *quam scilicet num.* 264 *dixerat, posse probabiliter anno* 1330 *illigari.* Sed alia peculiaris illi fuit causa tacendi. Pisanus nullo pacto habendus est scriptor vitæ et historiæ S. Francisci. Conformitates dumtaxat S. Francisci cum Christo, ascetarum potius more et piarum meditationum usui, quam historicorum legibus et ordine demonstrandas assumpsit.

aliunde parvi faciendo, solum sibi proposuisse

273 Utut vero numquam præclare sentiendum sit de hoc Opere, neque unius temporis, neque unius hominis, neque nullius absurdi; unum procul dubio hinc omni jure contendimus, nihil penitus inferri posse umquam ex hujus libri silentio, cujus lex et scopus est, non quidem omnia, sed ea dumtaxat, quæ ad propositam conformitatem faciunt, ex rebus gestis S. Francisci venari. Hinc sequitur, suapte natura, institutoque suo, plurima passim præterire, quæ vel conformitatem non sapiant, vel etiam machinis, ut assolet, adhibitis, consistere omnino non possint; vel tandem in absurdissima quæque authorem ipsum abripiant. Modo postremi hujus generis futura illi erat tum incorruptionis, tum admirandi situs Franciscani corporis commemoratio. Nam simplex rerum memoria illi esse non poterat; necessario incepto Conformitatum Operi subliganda veniebant : quo semel admisso, jam Pisano surgebat ex ipso rerum et conformitatum ordine novus, sed præceps et absurdus et inextricabilis labor. D

scribere conformitates Francisci cum Christo.

274 Nam si, prætergressa Christi et Francisci vita atque morte (qui libri scopus erat et unus esse debuit et potuit) audacius ad reliqua etiam conferenda excessisset, jam illico in syrtes et scopulos, vel potius in insanias atque blasphemias intolerabiles se fore impingendum sensisset; quod pius velle, et cautus admittere, non debuit. Fac enim collatas jam omnes utriusque res gestas usque ad sepulcrum; fac inquam, iterum nolle hic Pisanum consistere; fac, illum moliri novas ultra sepulcrum conformitates. Incipiat (si Deo placet) feliciter a corporum utriusque incorruptione in sepulcro; jam in ipso sepulcri ipsius vestibulo hærebit. Christi enim corpus est * quidem in suo sepulcro incorruptum, ut Francisci corpus in suo : quid modo de Christi atque Francisci animabus? Commentari oportebat, etiam Francisci animam ad inferos descendisse, novis Patribus liberandis.

* *i. e.* fuit

quas ultra mortem extendere

275 Sed jam triduo instat utriusque resurrectio. Primo jam tempus Pisanum angit : secundo Francisci neque integram, neque veram, resurrectionem cum Christi resurrectione plenissima atque verissima conferre, prorsus insignem ac non ferendam redolebat audaciam. Sed fac, Pisanum audere voluisse, ut ausus jam fuerat Francisci sanguinem omnem ad corpus et ad Christi conformitatem revocare; numquid ultra progredi, ut novus jam cœptus ordo postulabat, quocumque ausu et conatu potuisset? Quid enim de Christi reali apparitione multis, et manducatione reali cum discipulis? Quando hæc post resurrectionem Franciscus? Quid de Christi solemnissima ascensione in cælum cum anima simul et corpore? Hoc porro jam penitus nobis Francisci corpus auferebat : in cælo jam enim esset, non in sepulcro; et ne quidem ipsius cineres superessent. Cætera, prorsus ludicra et indigna, non prosequimur, quæ tamen persequi necessario Pisanus ex novo instituto rerum et conformitatum ordine debuisset, nisi in sepulcro prudens constitisset. E

non debuit, nec sine piaculo potuit;

276 Hæc Pisanus omnino vidit, et cavit, horrore ac necessitate compulsus; idque tantum assumpsit, quod perficere potuit; eo vel maxime, quod conformitatum illarum non jam ipse habendus est, neque fuit omnino, excogitator. Rem ab aliis jam præconceptam ac prænonstratam compendio latius exposuit, atque in partes distribuit. Ipse potius S. Bonaventura illi Operi tum conceptum præbuit, tum fines constituit verbis illis, quibus Legendæ tum Prologum instituit, tum episodia inseruit, tum coronidem imposuit, perpetuoque Franciscum Christo similem atque conformem in vita quidem et in morte, nusquam tamen præter mortem, prædicavit. His ergo sibi traditis finibus Pisanus conclusus, ab iisque prætervehendis tot rerum absurdissimarum ingruentium horrore deterritus, silentio usus est probatissimo, et insuper necessario. Quid igitur inferes a Pisani silentio, nisi prudentiam atque necessitatem? F

nec silentio ejus quidquam roboris accedere.

277 Quod vero Conformitatum Opus illud approbationem obtinuerit capituli generalis, Assisii coacti anno MCCCXCIX, ne folium quidem movet. Primo manifestissimum est, approbationem illam fuisse perfunctoriam et penitus nullam; nam die prima Augusti oblatum est Opus (et quidem spissum atque implexum, si fuit id ipsum, quod nunc habemus) ac die statim sequenti, ejusdem mensis et anni secunda, datæ sunt jam approbationis litteræ, ut merito putandum sit, media nocte una, negotiosissimis insuper horis tum generalis capituli, tum recurrentis veniæ Portiunculanæ, Opus illud non fuisse perpensum, nec lectum, et fortasse nec visum; eo vel maxime, quod cum liber absurda jam multa contineat, satius capituli approbantis famæ

famæ consulitur, et æquius de ipsius prudentia judicium fertur, si tantum fide bona famæque Pisanianæ, et Operis pio titulo et forte nonnullorum etiam vel deceptorum vel decipientium fidejussioni, authoritati, judicio innixum, dicamus, litteras illas approbationis concessisse, quam librum reapse ad trutinam suspendisse.

a qualicumque approbatione libri per capitulum facta.

278 Præterea suspenderit, diutissime etiam atque verbatim examinaverit; quid tum? Præcipe-rentne, remorari editionem Operis propter silentium incorruptionis et admirandi situs? Cur vero ita in Opere, absolutissimam Franciscanam historiam non professo, nulloque vinculo aut lege ad hæc vel illa potius promenda vel reticenda devincto? Imo ex præfatis silentium potius illi imponere debuissent, si quando ista scripsisset; nam institutum Operis prolationem rei comprimendam, utpote absurdam; ipsius vero silentium exercendum, utpote necessarium, exposcebat. Nihil ergo conficitur, tum a Pisani silentio, tum ab illa, seu præsumpta, seu vera, approbatione capituli. Tandem vetustati penitus omni suppetit alia gravissima silentii causa, de qua prolixius infra; nempe quædam concredita in aurem uni tantum vel alteri ex probatissimis, atque tum Dei voluntate, tum hominum consilio religionis ergo custodienda arcani disciplina : qua posita, riteque, ut suo loco, comprobata, jam argumentum illud desumptum ab antiquorum silentio penitus abit in nihilum.

Allegata pro Pisani silentio

279 *Nunc pro munere nostro allegata expendamus. Equidem libens agnosco, in isto Pisani Opere multa esse non admittenda; nec diffiteor, non omnia in eo relata Pisani esse, sed aliqua eidem ab aliis inserta, maxime in editione Bononiensi; verum ea, quæ ex Mediolanensi recitavi, quo teste, quove argumento Pisano abjudicabimus? Non abnuam etiam, vix unius diei tempus, quod inter oblatum approbatumque librum ex Pisani ac Ministri generalis litteris intercessisse dicendum videtur, eidem mature examinando minime suffecisse, ac propterea, ut generalis capituli famæ consulatur, aut errorem in signatione litterarum admittendum esse, aut credendum, librum illum ab aliis antea discussum fuisse, et ex horum testimonio et fide ab eodem capitulo generali approbatum et vulgari permissum. Attamen his positis, non minus sequitur, vel Pisano vel censoribus libri illius, vel etiam his et illi, verisimillime ignotam fuisse* S. Francisci *incorruptionem, vel saltem admirandum situm, nisi de justa tanti prodigii silendi ratione aliunde constet. Hoc itaque inquiramus,*

argumenta expenduntur;

280 *Pro Pisaniano silentio excusando allegari vidimus, quod ipse, non Vitam* S. Francisci, *sed Conformitates dumtaxat illius cum Christo, ascetarum more conscripserit, nulla lege constrictus ad omnia, quæ ad ipsum pertinent, memoranda: quod præstituta sibi ex Legenda S. Bonaventuræ argumentum et fines Operis sui servare voluerit, ac propterea non ultra sancti Patris sui obitum conformitates debuerit perducere; imo, quod nec potuerit, si pius vellet esse ac cautus: quod denique de ea re silentium ei indiceret tum ex voluntate divina, tum ex prudentissimo humano consilio, custodienda arcani, paucissimis noti, disciplina; adeo ut, si Pisanus istud scivisset, eoque in Opere revelasset, a generali capitulo potius jubendus fuisset expungere, quam addere, si omisisset. De hac postremo allegata causa, quæ ad omnium antiquorum silentium reponi posset, infra, ut promisit, Dissertationis auctorem loquentem audiemus. Interim alias discutiamus.*

ostenditurque, ex illis non evinci,

281 *Ita est; Conformitatum libros nemo recte dixerit esse Historiam, seu Vitam* S. Francisci *historice scriptam; nemo recte negaverit, Pisano liberum fuisse e* S. Francisci *gestis ea seligere, quæ ad propositum suum, seu ad celebrandas illius cum Christo conformitates, magis apta judicabat. Per me quoque licet, si quis velit, Pisanum ideam Operis sui formasse ex Bonaventura, qui* Franciscum *in vita et morte Christo similem dixit. At duo mihi quoque certa apparent; nimirum, Pisanum intra eos terminos non constitisse, ut conformitates in Sancti morte finiret, atque omnia sine delectu collegisse, quæ prædicto argumento suo utcumque congrua censebat. Primum patet ex octo ultimis conformitatibus, quæ in utraque nostra Pisani editione posteriora morte sunt, hoc scilicet ordine: trigesima tertia de descensu Christi animæ ad inferos; 34 de Christi sepultura; 35 de Christi resurrectione et apparitionibus; 36 de Christi in cælos ascensione; 37 de Christi supra omnes res creatas in cælo elevatione; 38 de Apostolorum in omnem terram per Christum missione; 39 de miraculorum patrandorum potestate Apostolis post Christi ascensionem concessa; 40 de Christi in omnes invocantes se benignitate. Hæc certe omnia morte Christi posteriora sunt, et tamen in his omnibus quasdam in* Francisco *conformitates quacumque tandem ratione assignare conatur Pisanus; ut adeo intra prædictos fines sibi minime consistendum putaverit.*

AUCTORE C. S.

Pisanum de eo miraculo

282 *His positis, exigebat certe ipsius scriptionis argumentum, ut Christi a mortuis resurgentis quamdam similitudinem in* Francisci *corpore incorrupto ac instar vivi suis pedibus innixo stante, prædicaret; quam utique similitudinem sine ullo absurditatis periculo memorare potuisset. At nihil minus apud eum legere est, etiam ubi locus ipse monebat, ut faceret. Audi ipsum in conformitate 34, de sepulcris Christi et* Francisci *loquentem.* Sicut (*inquit*) Christus quadraginta horis... stetit (*id est,* mansit) mortuus, et triginta sex in sepulchro, et postea inde resurrexit; sic B. Franciscus stetit quadraginta mensibus et parum plus in primo loco; translatus ad ecclesiam, in qua nunc jacet. *Deinde in conformitate 35, expositis Christi resurrectione et apparitionibus, non aliam hic conformitatem apposuit, quam quod ad exemplum Christi, qui resuscitatus a mortuis in corpore suo multis gloriosus apparuit,* Francisci *anima mox ab obitu se gloria circumdatam aliquibus conspiciendam præbuerit. Mihi quidem difficile creditu est, Pisanum non aliter scripturum fuisse, si sæpe dictum corporis prodigium, insigne utique resuscitati hominis simulacrum, novisset; maxime si illud contigisset triduo post translationem, uti ex traditione conventus Assisiensis narrat Missorius.*

tacere debuisse,

283 *Non ea porro fuit Pisanus dementia, ut* Franciscum (*quod cogitare nefas est*) *Christo in omnibus plane perfecteque conformem exhibere voluerit; sed solum undique corrasit ea, quæ qualemcumque inter utrumque similitudinis speciem præferrent; quod manifestum erit cuilibet Opus ejus legenti. Quapropter, licet ille conformitates ultra Sancti mortem et sepulcrum producere voluisset (uti reipsa produxit) non oportebat, illum in ea absurda incidere, quæ supra memorata sunt. Sic verbi causa in conformitate 34 cum dixisset, Christum post quadraginta a morte sua horas resurrexisse; ut aliquid hic conforme in* Francisco *obtruderet, dixit, hunc, postquam* quadraginta mensibus et parum plus *in primo suo sepulcro fuerat, inde translatum fuisse; menses horis, translationem resurrectioni satis inepte assimilans. At in conformitate 35, de Christi resurrectione et apparitionibus tractans, caute siluit de* Francisci *corpore; utque aliquid saltem simile proferret, hujus solius animæ apparitiones memoravit. An non rectius hic ejusdem corporis, exanimis quidem, sed incorrupti et viventis instar in pedes erectionem ad similitudinem veræ integræque Christi Domini ressurrectionis adduxisset, si novisset?*

aut eo modo scribere potuisse, si scivisset.

284 *Fac tamen ex arcani servandi religione rem sibi notam tacuisse Pisanum, eademque de causa a sui libri censoribus non esse monitum, ut defectum suppleret; cur saltem, ne posteritati imponeretur, pro verbo* jacere, *quod de corpore in pedes erecto stante dici nequit, non fuit adhibitum verbum* esse, servari, *aut simile, quod corporis quidem eo loci præsentiam, sed nullum certum ejusdem habitum situmque indicaret? Neque refert, quod Pisanus num.* 282 *dicat:* Sic B. Franciscus stetit... in primo loco (*id est, in primo suo sepulcro;*) *ibi enim locutus*

AUCTORE C. S.

locutus est more Italorum, quibus verbum stare *non solum est* pedibus *consistere, verum etiam,* esse, morari, quiescere, jacere *etc. Manifestum hoc fit ex eodem objecto loco, ubi dicitur :* Sicut Christus... stetit mortuus... in sepulchro... sic B. Franciscus stetit *etc. Adde, quod ipsimet sententiæ affirmantis patroni admittant,* Francisci *corpus in primæ suæ sepulturæ loco, non* stetisse, *sed* jacuisse. *Hisce rationibus inducor, ut credam, sacri corporis prodigium, de quo agimus, si verum sit, tunc etiam arcanum fuisse, latuisseque Pisano; sed de arcano illo infra sermo redibit, postquam etiam alios, quos pro se laudant prodigii impugnatores, recensuere.*

§ XVI. An affirmantibus prodigium refragentur Ubertinus de Casali, Joannes Gobelinus et Jacobus de Oddis.

Affirmantibus etiam objicitur Ubertinus de Casali,

Reverendus pater *Gabriel a Rothomago in sua Ms. Dissertatione, a partibus suis etiam stare, censet, Ubertinum de Casali,* qui (*ut inquit*) venit ad Ordinem sub generalatu divi Bonaventuræ, et obiit circa annum MCCCXX. Iste scriptor (*ita ille prosequitur*) in Opere sic intitulato : Arbor crucifixæ Jesu (*apud Waddingum in Scriptoribus dicitur :* Arbor vitæ Crucifixi) lib. 5, cap. 4 ita loquitur : B « Fac apparere in cælo corporis glorificati Franci- » scum, fac ipsum resurgere, qui dormit in terræ » pulvere. » Dicit : RESURGERE; dicit : DORMIT, ad bis significandum, corpus S. Francisci jacere, prostratum esse, et esse extensum in longum, et in plano, in suo sepulcro decumbere, et non stare in pedes erectum. Dicit : IN TERRÆ PULVERE, ad caput VII Job * : « Ecce nunc in pulvere dormiam; » et ad caput XII Danielis : « Qui dormiunt in terræ » pulvere; » hoc est, INCINERATI, ut exponunt expositores sacri secundum sensum litteralem. Dicitur igitur : IN TERRÆ PULVERE, ad denotandum, quod S. Franciscus est redactus in pulverem quoad corpus, sicut sunt redacta alia corpora Sanctorum pro maxima parte, etiam Apostolorum, qui sunt ex primis Sanctis Ecclesiæ; et hoc absque præjudicio ipsorum magnæ sanctitatis, ut ait divus Antoninus in Summa historiali, parte 3, tit. XXIII in fine.

* *supple* alludens

Pius II, vel ejus secretarius, et Jacobus de Oddis,

286 *Addit Pium II summum Pontificem, seu Joannem Gobelinum illius secretarium, qui cum anno 1459 cum eo Assisii fuisset, in Commentariis lib.* II *de eadem civitate hæc annotavit :* Nobilitavit hanc urbem divus Franciscus, Ordinis Minorum inventor, cui nihil paupertate ditius fuit. Huic nobile templum erectum est, in quo ferunt sua ossa C JACERE; et duplex est ecclesia, altera super alteram. *Jacobum quoque de Oddis testem appellans P. Gabriel,* Eodem, *ait,* vocabulo JACET utitur Jacobus de Oddis Perusinus, qui fuit hic (*Assisii*) guardianus Portiunculæ anno MCCCCLXXXV, in sua Francischina Italica, rudi stilo scripta, prout ferebat modus loquendi illius temporis, cap. XIII, fol. CCCLXXXV, pag. 2 manuscripti, quod est hic in sacro conventu S. Mariæ Angelorum. Ecce ejus verba Italica : « Giacque nel ditto loco quel corpo » santo per circa quattro anni, per fine che fo trans- » lato el sacro corpo doue giace al presente. » » Quod Latine sic sonat : Jacuit in dicto loco illud » corpus sanctum circa quatuor annos, donec fuit » translatum sacrum corpus ad locum, ubi jacet ad » præsens. »

tamquam illi aperte refragantes.

287 Quando dicitur Latine IN DICTO LOCO, et Italice NEL DITTO LOCO, author loquitur de ecclesia vel cœmiterio S. Georgii, ubi fuit prius corpus S. Francisci, de qua ecclesia S. Georgii antea immediate locutus est Jacobus de Oddis. Ex hoc modo loquendi istius scriptoris sequitur, quod corpus S. Francisci erat in eodem situ tempore, quo scribebat ille author (id est, circa annum MCCCCLXXIV; hoc est, post translationem corporis Seraphici ducentis quadraginta quatuor annis) ac erat apud S. Georgium ante translationem : sed ante translationem JACEBAT, id est, erat extensum et prostratum in suo sepulchro secundum hunc scriptorem, D et consequenter etiam tempore ejusdem scriptoris, scilicet Jacobi de Oddis, jacebat Seraphicum corpus, et adhuc nunc jacet in suo sepulchro hodierno, sicut jacebat in primo sepulchro apud S. Georgium. Igitur corpus S. Francisci non est nunc erectum in pedes, sicut non fuit apud S. Georgium : nam a tempore Jacobi de Oddis non mutavit situm. *Hæc sæpe laudatus P. Gabriel, quibus quæ reponat auctor Dissertationis PP. Conventualium, nunc subjicio.*

Sed alii volunt, Ubertini locum sibi favere,

288 Qui vero (*ait*) Ubertinum a Casali Deum exorantem inducunt verbis illis : « Fac illum » (*Franciscum*) « resurgere, qui dormit in terræ pul- » vere; » jam, ut Horatius inquit, fumum potius ex fulgore, quam ex fumo dare lucem, cogitant. Nam si consistat Ubertini et textus istius authoritas, inde maxime Franciscani corporis resurrectionem confirmamus. Hic enim Ubertinus ille est, quem præfati sumus, a B. Conrado de Offida accepisse, futuram aliquando Franciscani corporis resurrectionem; ne quidem illam solummodo novissimi diei (superflua enim ac subridicula fuisset hujuscemodi revelatio) sed aliam quamdam singularis exempli, in medio temporum lapsu, in summo discrimine Ordinis, et in solamen filiorum suorum. *Vide dicta superius num.* 262 *et sequentibus.* Exploratissima plane (*ita pergit laudatus Rugilus*) E ut prædiximus, ista nobis non sunt; sed tamen indubium est, Ubertinum revelationem illam adoptasse. Exinde ergo petit, ut jam resurgat a mortuis S. Franciscus : videbat enim, jam mala ingravescere, atque propterea, tempus miraculo præsignatum jamjam instare, putabat, exigebatque quodammodo Hebræorum more promissi a Deo fœderis implementum. Fortasse etiam simplicius interpretatus est rem, ac non tam tempus, quam modus ipsum fefellit; ut etiam expectatio Messiæ sub fortissimii ac potentissimi Regis forma plerosque Hebræorum decepit.

licet is forte in adjuncto erraverit, nec posse

289 Ex illis enim Ubertini verbis videre videmur hominem non modo hanc, quam asserimus, non plenam, non propriam, non veram, sed plenissimam atque perfectam S. Francisci resurrectionem expectasse; hanc precibus sollicitasse, et scriptis etiam testatam, tum rem, tum spem reliquisse. Quod certe ex parte hominis simplicitati donandum est; sed tamen illud omni jure inferendum, quod numquam hæc admisisset, nisi ratam rem expectatam et non absurdam ipsius expectationem credidisset. Quis enim, nisi delirus, sine causa tam ingentia speraret, aut sine spe tam incredibilia scriberet? Igitur hæc ipsa Ubertini verba id nobis primum probant, ad quod improbandum unice objiciuntur. Deinde si verborum F illorum, non tam spiritum, quam materiam, ut ita loquamur, inspicimus, quotus non videt, Ubertinum etiam, ut pii solent omnes, scripturalem locutionem hic affectasse, unumque ex verbis illis Davidicis : EXURGE, QUARE OBDORMIS, DOMINE; alterum vero ex illo Job : ECCE NUNC IN PULVERE DORMIAM, assumpsisse, atque in unam sententiam complicasse? Quorum tamen primum nudam advocationem præsentiæ rei absentis; alterum nudum e vita atque societate hominum excessum et absentiam significat.

ex illo loco quidquam contra se concludi.

290 Præterea iterum instando verbis, DORMIRE IN TERRÆ PULVERE, aut A PULVERE TERRÆ SURGERE, jam ex hoc ipso non est id ipsum, quod dormit aut surgit, esse etiam pulverem. An, quidquid in terra dormit, vel de terra assurgit, in pulvere terræ non dormit, aut de pulvere terræ non surgit? Hoc autem nunquid non esse etiam potest, imo reapse ac frequentissime non est, etiam corpus vivens? Quid quod SUSCITARI insuper DE TERRÆ PULVERE, neque a morte, neque etiam de terra surgere quandoque præ se fert? Quid enim illud Psalmistæ : « Suscitat de pulvere egenum, et de ster- » core elevat pauperem? » Igitur scrupulosius, et omni ex parte versatis verbis istis (*Ubertini Casalensis*) nihil inde jacturæ vel incommodi patitur tum integritas, tum situs admirabilis corporis S. Francisci,

A S. Francisci, quod, licet incorruptum et stans, pulverem tamen asserimus; nam et hoc fuit etiam, dum viveret; et in pulvere dormire, fatemur; sub latebris enim terreni pulveris est, et pulvis est terræ, quidquid illi aut subjacet, aut supereminet, aut circumstat.

Verbum quoque Quiescere

291 *Quod autem* S. Francisci *corpus ab aliis* requiescere, *ab aliis etiam* jacere *dicatur, nihil putat obesse sententiæ affirmanti, quia scilicet scriptores sæpe vulgi more loquuntur, et sano etiam sensu ea verba de corpore integro, incorrupto et in pedes erecto possunt usurpari. En verba ejus* : Vulgus omnis requiescere corpora defunctorum omnia, sive sepulta, sive insepulta, indiscriminatim loquitur; quæ tamen quo modo vel sensu requiescant, non illo communi vocabulo, sed e re ipsa peculiari desumendum est. Sunt enim corpora aquis submersa, igne cremata, terræ mandata, feris vorata; quædam in cineres dissoluta, quos et ventus dispersit; quædam in aquam et cœnum conversa, et terræ immista; quibusdam ossa nuda supersunt; nonnulla tandem sunt integra. Quod vulgus usurpat, hoc item omnium gentium litteræ et sepulcrorum omnium lapides frequentant. Gentiles ipsi quietem sepulturam omnem dixerunt, et REQUIESCERE corpora jam se-

B pulta mortuorum omnia, lapidibus cunctis inscripserunt.

sic exponunt, ut plus uno sensu adhiberi possit

292 Tandem sacratiori quodam atque profundiori sensu supposito, divinæ passim Scripturæ Sanctorum mortem QUIETEM, aut DORMITIONEM, aut SOMNUM, aut PACEM appellant, et eadem aut DORMIRE, aut ESSE IN PACE aut REQUIESCERE, dictitant. Huic vero Sanctorum corporum quieti multiplex sensus inest. Crassior est ille vulgaris et obvius, qui opponitur motui. Præter istum est quies a timore gehennæ; in quo sensu Sanctorum corpora requiescunt in spe et expectatione judicii, resurrectionis et gloriæ. Est insuper quies a laboribus et ærumnis mortalis vitæ; quo utroque in sensu quies neque opponitur motui progressivo : nam et ipsa Sanctorum corpora, jam gloria et resurrectione donata, in optima semper spe æternæ felicitatis requiescent; itemque requiescent ab omnibus mortalis vitæ laboribus et ærumnis; sed interea loco movebuntur, imo summa gaudebunt agilitate... En ergo quotuplici sensu aptissime dici possit S. Francisci corpus requiescere absque eo, quod verbum istud, vulgatissimum et omnigenæ prorsus usurpationis et acceptionis, omnino in cineres illud abiisse, compellat.

de corpore mirabiliter stante.

293 Primo, in sensu omnium communissimo requiescere dicitur; quia mortuum est, vel quia loco non movetur. Jam nos mortuum S. Francisci

C corpus fatemur, fatemur etiam immotum; non enim dicimus, illud deambulare aut circumagi. Secundo in communi alio lapidum sepulcralium sensu requiescit; quia sepultum est. Nos autem ultro, sepultum et conditum S. Francisci corpus, concedimus, ejusque locum sepulcrum et conditorium libenter vocamus : integritas enim et situs ejus, utut admirabilis, nequicquam remorabitur, quin et credatur sepultum. Tertio, in sensu Scripturarum primo; an non in spe et expectatione futuræ resurrectionis et gloriæ, et in pace Christi Francisci corpus verissime requiescit? Quarto tandem in secundo Scripturæ sensu : cui enim corpori aptius aptabitur requies a laboribus et ærumnis mortalis vitæ, quam corpori sancti Parentis nostri, qui perpetuo laboribus atque doloribus, humanitati et naturæ necessario inflictis, voluntarias etiam castigationes et excruciationes addebat?

Tantumdem credunt, dici posse de verbo Jacere.

294 Quæ de verbo REQUIESCERE diximus, eadem de verbo JACERE dicta sunto. Ambo etenim vulgo defunctorum corporibus addicuntur nullo discrimine rerum. HIC JACET sepulcrales lapides omnes habent pro corporibus, quæ tamen neque sunt corpora, neque jacent : nam proprie JACERE vocabulum congruit corpori integro, fuso, panso super vel subter humum. Nihilominus, quo pacto cineres, quæ corpora non sunt integra, neque sub humo, neque super humum funduntur, cum editis passim ex arcibus emineant, proprie JACERE dici possunt? Sed hæc liberaliter assumuntur, nec nisi liberalem patiuntur interpretationem, ut aperte calumniosi et importuni sit hominis ea subtilius intueri, et coarctare in angustias. Hinc Chrysostomus ipse Hom. 2 ad Populum Antiochenum non est veritus hoc verbum ipsi viventi sacratissimo Christo corpori in altaris Sacramento accommodare; inquit enim : « Quid agis, homo? Juras super sacram » mensam, ubi et Christus occisus jacet. » Videsis ergo, JACERE verbum corpora non corrumpere, neque cineres facere; imo integra potius atque viventia illa requirere. Unde Virgilianum illud : « Silenum pueri somno videre jacentem. »

AUCTORE C. S.

Alia eorumdem observatio.

295 His adde, Scriptores ipsos, JACENS, sive REQUIESCENS S. Francisci corpus referentes, passim addere adjuncta alia quædam, quæ, si verborum ponderibus certandum est, totum id, quod per verba JACERE seu REQUIESCERE moliri possis, confestim destruunt. Additiones S. Bonaventuræ mox subdimus infra : nunc audi Pontificias. Gregorius IX in diplomate, Is, QUI ECCLESIAM, his sanctum corpus epithetis ornat : TAM PRETIOSUS THESAURUS, SANCTUM VIDELICET CORPUS ILLIUS; et in diplomate MIRIFICANS; GLORIOSUM CORPUS,... GLORIOSISSIMUM CORPUS. Hæc ea-

E dem habent Innocentius IV litt. LICET IS; Clemens IV, Nicolaus IV, Bonifacius IX, aliique innumeri usque in hunc diem. Nunc, si quid valet verbum illud JACERE aut REQUIESCERE, cur non item valebit aliquid illud PRETIOSUM, GLORIOSUM, GLORIOSISSIMUM? Porro si sola verborum vi præliamur, jam hoc uno verbo GLORIOSISSIMUM triumphavimus. *Hactenus ille.*

Ex Ubertino non probatur revelatio præmissa,

296 *Si Ubertinus Casalensis circa annum* (*ut num.* 285 *a Gabriele Rothomagensi dictum est*) 1320 *obierit, sacrique corporis in pedes erectionem non ante annum* 1330 *contigerit, uti probabile censuit Rugilus, nil mirum est, Ubertinum tacuisse prodigium, morte sua posterius. Secus dicendum est, si, quod Missorius ex traditione conventus Assisiensis asserit, istud factum sit anno* 1250. *Cum Ubertini Opus non viderim, incompertum mihi est, an ille objectis verbis exorare Deum voluerit, ut* Franciscum *in corpore suo faceret apparere, an vero eadem alio quopiam sensu protulerit. Nisi enim contextus sermonis obstet, possunt verba illa exponi hoc modo :* Ponamus, apparere in cœlo corporis glorificati Franciscum; ponamus, ipsum resurgere, qui dormit in terræ pulvere. *Hinc pariter ambiguum mihi est, de qua resurrectione, propriane, an impropria, ibi loquatur Ubertinus, atque adeo, an ex eo loco probari possit, illum revelationem de peculiari quadam* S. Francisci *corporis, ante novissimum diem futura, resurrectione notam habuisse.*

F

nec corporis corruptio, at non favet ille ejusdem erectioni.

297 *Libens concessero, nec ex illa Ubertini phrasi, a Danielis capite* 12 *accepta,* Qui dormit in terræ pulvere, *evinci, sacrum corpus illud ex ejusdem Ubertini sententia in cineres esse resolutum; nec ex verbis* dormire, *vel, quod alii de eodem adhibent,* quiescere *aut* requiescere, *necessario concludendum esse, illud in terra expansum jacere. Verumtamen cum Ubertinus ibidem non solum dicat,* Franciscum, *seu corpus ejus* dormire in terræ pulvere, *sed etiam dicat :* Fac, ipsum resurgere, *non obscure alium ejusdem corporis situm, quam erecti in pedes, insinuat. Elevatur quidem argumentum hoc, ab Ubertini silentio modoque loquendi petitum, si prima corporis in pedes erectio anno* 1330 *affigenda sit; verum hanc epocham, quæ Assisiensis conventus traditioni, teste Missorio, contraria est, nec ipse laudatæ Dissertationis auctor pro certa audet affirmare.*

Verba Gobelini et Jacobi de Oddis

298 *Longe plus, quam integro sæculo eadem epocha posteriores sunt laudati supra Joannes Gobelinus et Jacobus de Oddis, quibus nihilominus plane ignotum fuisse dicendum est sæpe dictum corporis prodigium, cum eorum primus satis jejune dicat.* Huic (*Francisco*) nobile templum erectum est, in

AUCTORE C. S.

in quo, ferunt, sua ossa JACERE; *alter vero sic :* Jacuit in dicto loco (*in ecclesia S. Georgii*) illud corpus sanctum,... donec fuit translatum sacrum corpus ad locum (*ad ecclesiam sui nominis*) ubi JACET ad præsens. *Eamdem vero esse verborum* jacere *ac* quiescere *vel* requiescere *rationem, non perspicio; nec enim quæcumque sano sensu dici possunt* quiescere, *etiam dici possunt* jacere. *Exempli causa si S. Catharinæ Bononiensis corpus, quod incorruptum sedet, dixero,* quiescere *aut* requiescere *Bononiæ, minus quidem loquar accurate, forte tamen venia dignus apparebo; at si illud* jacere *dixerim, quo pacto me defendam? Ecquo igitur sano loquendi modo corpus, quod suis pedibus divinitus erectum sine ullo fulcro mirabiliter insistit, dicam* jacere?

plus difficultatis habent.

299 *Quod in multis inscriptionibus sepulcralibus verbum* jacet *usurpatum sit, in promptu ratio est; nempe per hoc ordinarius cadaverum in sepulcris situs indicatur. Si mos tulisset ea innixa pedibus tumulare,* stare *potius, quam* jacere, *dixissent. Parum quoque huc refert, an ea sint integra, an in ossa aut etiam in cineres redacta; nam et quod ex corporibus superest, non incongrue per synecdochen* corpora *vocatur, et ossa et cineres, æque ac integra corpora,* jacere *recte dicuntur secundum illud Martialis lib.* I, 89 : Non aliter cineres mando jacere
B meos. *Locus ex Chrysostomo, atque alter ex Virgilio, adducti num.* 294, *solum valent ad probandum, minime oportere, mortuum aut corruptum esse, quod jacet; quod sane nemo sapiens dixerit, non autem verbum* jacere *potius integra ac viventia, quam mortua et corrupta corpora requirere. Hinc mihi omnino videtur assertum corporis* S. Francisci *prodigium Pio II, ejusve secretario Joanni Gobelino, laudatoque Jacobo de Oddis sæculo* XV *ignotum fuisse.*

Alia huc spectantia.

300 *De mente S. Bonaventuræ satis alibi dixi, quod autem attinet ad honorifica epitheta phrasesque, quibus summi Pontifices sacrum* Francisci *corpus dum* jacere *vel* requiescere *referunt, simul exornant; non video, cur illud, licet jacens, imo etiam licet carne sua destitutum esset,* tam pretiosum thesaurum, *et* gloriosum *ac* gloriosissimum corpus *non potuerint merito appellare.* Tam pretiosum thesaurum *jure optimo dicere potuerunt, quia tam sancti Viri mortales exuviæ terrenis thesauris pretiosiores sunt;* gloriosum *quoque et* gloriosissimum *corpus propter miracula, quibus fulsit, seu quia, ut loquitur Benedictus XIV in bulla* FIDELIS DOMINUS, singularibus signis atque prodigiis de cælo illustratum, atque certantibus omnium ordinum studiis, ita populorum et principum devotione clarificatum fuit, ut ejusdem sepulchrum gloriosum
C super ambitiosa potentium seculi monumenta merito celebrari mereatur.

§ XVII. Expenduntur argumenta, quæ allegantur ad probandum S. Francisci corpus inclusum esse mensæ majoris altaris in ecclesia Assisiensi. Duasne, an tres ecclesias complectatur basilica Assisiensis.

Volunt aliqui, sacrum corpus esse in secunda ecclesia,

Quem crebro laudavi, R. P. Gabriel Rothomagensis in Dissertatione sua prodigium sacri corporis in pedes erecti stantis alia rursum ratione impugnans, probare studet, corpus illud jacere sub altari secundæ ecclesiæ, adeoque non stare in tertia quadam subterranea, quam pro commentitia habet. Argumenta illius, ut cœpi, ejusdemmet verbis recitabo. Dicitur (*inquit*) tertio in Assertione : IN SEPULCHRO VISIBILI ET TANGIBILI; quia sepulchrum, ubi, seu in quo requiescit corpus S. Francisci, non est in una ecclesia subterranea, et nullo modo frequentata; cum talis non detur; sed existit in ecclesia inferiore sepulcrali, hoc est, in qua sola dantur sepulchra, ex illis duabus solis ecclesiis, quibus constat Assisiensis basilica Franciscana. Nam in ecclesia superiore nulla dantur sepulchra, ut cunctis patet; sed omnia sepulchra sunt in inferiori ecclesia D
citata, optime officiata, et a populis multum frequentata. Igitur sepulchrum S. Francisci potest videri et tangi, et sic est visibile et tangibile, et quotidie videtur. Sed quæretur, Quodnam est sepulchrum Seraphicum visibile et tangibile? Respondeo, esse altare majus inferioris ecclesiæ citatæ, in cujus altaris corpore, seu stipite, seu sub cujus mensa requiescit corpus Seraphici Patris, tanquam in loco digniori illius ecclesiæ, ipsi dedicatæ, ut videbitur postea.

et sepulcrum ejus sæc. XIV *publice spectabile fuisse,*

302 Quod sepulchrum sit tangibile et consequenter visibile, patet per Chronicon viginti quatuor Generalium fol. XXXI, col. IV, ubi refertur sequens miraculum, patratum ad sepulchrum S. Francisci hoc modo. « Homo quidam in episco» patu Perusii, loquela et verbo privatus omnino, » os ferens apertum, horribiliter oscitabat. Habebat » enim guttur valde tumidum et inflatum : cumque » pervenisset ad locum, ubi requiescit sanctissi» mum corpus, et per gradum ad sepulchrum ejus » vellet attingere, sanguinem multum evomit, et » peroptime liberatus cœpit loqui, et os claudere, » ac, sicut expedit, aperire. » Reflectatur bene ad illa verba : « Et per gradum ad sepulchrum ejus » vellet attingere. » Indicant enim clare, sepulchrum Seraphicum esse tangibile, et quod stat in E
altari majori (ut probabitur) ad quod ascenditur per gradum, id est, per gradus, qui sunt quatuor lapidei ex utraque parte, et supra quartum est suppedaneum ligneum, pariter ex utraque parte. Altare enim est duplex, licet mensa sit unica unius et solius magni frusti marmorei, Constantinopoli allati; et discuntur simul et semel duæ Missæ.

putant probari ex Chronico 24 Generalium,

303 Idem Chronicon viginti quatuor Generalium fol. XXXII, col. I narrat istud aliud miraculum, ad sepulchrum Seraphicum etiam factum, his verbis : « Alius quoque puer de Monte Nigro, ante fores » ecclesiæ, ubi requiescit corpus S. Francisci, per » plures dies recubans, quia nec ire poterat, nec » sedere; a cingulo et infra omnibus erat viri» bus et membrorum officio destitutus; quadam » die intrans ecclesiam, ad tactum sepulchri » S. Francisci foras sanus et incolumis regres» sus est. Dicebat autem parvulus ipse, quod, dum » coram tumulo gloriosi Sancti jaceret, astitit ei » juvenis quidam, habitu fratrum Minorum indu» tus, super sepulchrum exsistens, qui pyra in ma» nibus portans, vocavit eum, et præbens ei pyrum » unum, ut sugeret *, confortavit. » Ponderetur *an surgeret?
bene expressio hujus chronistæ ad denotandum et designandum, Seraphicum sepulchrum esse visibile et tangibile. Nam ideo utitur istis vocabulis : F
« Ad tactum sepulchri : coram tumulo, et : Super » sepulchrum existens; » quæ expressiones bene exprimunt visibilitatem et tangibilitatem sepulchri Seraphici.

Pisano et Francisco Bartholi,

304 Bartholomæus Pisanus Conformitate XL et ultima, § XVIII (*nempe editionis Mediolanensis; nam in Bononiensi, quæ recentior est, ista desiderantur*) refert idem miraculum de puero de Monte Nigro hac phrasi : Puer alius « de Monte Nigro, ante fores » ecclesiæ B. Francisci de Assisio stans » (*id est, Italico more loquendi* recubans, *ut colligitur ex sequentibus*) « per plures dies; quia nec ire poterat, » nec sedere; quia a cingulo inferius erat membro» rum omnium officio destitutus; introductus in » ecclesiam ad tactum sepulchri, apparente sibi » B. Francisco, et ipsum erigente, sanus factus » est. » *Hisce alterum addit scriptorem laudatus P. Gabriel, sic pergens :* Probatur etiam visibilitas et tangibilitas sepulchri S. Francisci per Franciscum Bartholi de Assisio, contemporaneum aliorum duorum scriptorum mox adductorum.

scriptoribus sæculi XIV :

305 Fuit enim lector hic in Portiuncula anno MCCCXXV, ut ipsemet dicit in suo Tractatu sacræ Indulgentiæ S. Mariæ de Angelis, sive de Portiuncula, dist. VII, § 1. Iste scriptor Assisias et Minorita in libro seu Tractatu citato, dist. VIII, § 3 loquens de muliere, natione Germana Friburgensi, quæ juravit

A ravit dicere veritatem circa unam visionem habitam de indulgentia Portiunculæ, dicit hæc verba : « Posita manu super altari, in quo corpus B. Fran- » cisci requiescit, jurare fecit eam de sola et nuda » veritate dicenda. » Notetur illa expressio : POSITA MANU SUPER ALTARI, IN QUO CORPUS B. FRANCISCI REQUIESCIT. Ergo sepulchum S. Francisci, quod consistit in altari, est tangibile secundum Franciscum Bartholi Assisiatem ; et sic habemus tres testes seu scriptores ejusdem sæculi, scilicet decimiquarti, referentes hanc tangibilitatem sepulchri Seraphici, et consequenter etiam ipsius visibilitatem.

at duo primi scriptores duo miracula,

306 *Sistamus hic denuo, ut, quæ ab aliis ad hæc reponi possint, annotemus. Apud Thomam Celanensem in duobus ultimis libri tertii capitulis leguntur undecim variis infirmitatibus ad primum* S. Francisci *in ecclesia S. Georgii tumulum liberati. Dixi :* Ad primum S. Francisci in ecclesia S. Georgii tumulum, *quia ex prædictis certum est, Thomam Celanensem scripsisse, antequam sacrum* Francisci *corpus ex prædicta ecclesia ad novam suo nomini dicatum translatum fuit. Ex his undecim miraculis sunt ista duo, quæ Gabriel ex Chronico viginti quatuor Generalium et Bartholomæo Pisano recitavit. Primum in Vita apud me legitur num.* 149, *unde majoris claritatis gratia illud hic describo.* Homo B quidam in episcopatu Perusii, loquela et verbo privatus, omnino semper os ferens apertum : horribiliter oscitabat et anxiabatur. Habebat enim guttur valde tumidum et inflatum. Cumque pervenisset ad locum, in quo requiescit sanctissimum corpus, et per gradum ad sepulchrum ejus vellet attingere, sanguinem multum evomuit, et peroptime liberatus cœpit loqui, et os claudere, et, sicut expedit, aperire. *Ita Thomas Celanensis, cujus verba auctor laudati Chronici, ut manifestum est, descripsit et adoptavit.*

quæ Celanensis ad primam sepulturam facta narrat,

307 *Alterum miraculum in eadem Vita refertur num.* 133, *sed paulo latius, quam apud Gabrielem. En habe.* Collius quoque puer de Monte Nigro ante fores ecclesiæ, ubi requiescit corpus B. Francisci, per dies plures decubans, quia nec ire poterat, nec sedere, a cingulo infra omnibus erat viribus et membrorum officio destitutus : quadam vero die intrans (*aliorum scilicet ope*) ecclesiam, ad tactum sepulchri beatissimi Francisci foras sanus et incolumis est regressus. Dicebat autem ipse puer, quod, dum coram tumulo gloriosissimi Sancti jaceret, astitit ei juvenis quidam, habitu Fratrum indutus, supra sepulcrum existens, qui pira in manibus portans, vocavit eum, et præbens ei pirum, ut surgeret, confortavit eum *etc. Qui hosce textus* C *cum supra recitatis contulerit, nulla ratione dubitabit, quin auctor Chronici ambos, et Pisanus secundum acceperint ex Vita per Celanensem scripta ; seu neuter sine errore.*

ad secundam incauti retulerunt ; ac proinde

308 *Ac chronologus quidem erravit, dum ista Celanensis verba :* At locum, in quo (*vel* ubi) requiescit sanctissimum corpus; *atque item ista :* Ante fores ecclesiæ, ubi requiescit corpus *etc. incaute transcripsit; non advertens, suo tempore pro vocabulo* requiescit *scribendum fuisse* requiescebat, *vel* tunc requiescebat : *uti enim extra omne dubium est,* S. Francisci *corpus tempore, quo scripsit Celanensis, jacuisse intra Assisium in ecclesia S. Georgii, ita pariter certum est, illud, dum scribebat chronologus, fuisse in suburbana sui nominis ecclesia, ad quam ex prædicta S. Georgii ecclesia anno* 1230 *translatum fuit, nec umquam inde amotum. Loquitur ergo Celanensis de prima Sancti sepultura in ecclesia S Georgii ; fefellitque Gabrielem incautus chronologus, cujus ille verba propter rationem temporis non aliter, quam de suburbana* S. Francisci *ecclesia, potuit interpretari. Erravit quoque Bartholomæus Pisanus, dum ait, puerum illum de Monte Nigro, cubasse* ante fores ecclesiæ B. Francisci de Assisio ; *dixisse enim oportuit :* Ante fores ecclesiæ S. Georgii Assisii. *De Pisano tamen ambigi potest, an non ipse ecclesiam S. Georgii improprie vocaverit* ecclesiam S. Francisci de Assisio, *non quia illa* S. Francisco *dicata erat, sed quia sacrum hujus corpus tunc in eadem quiescebat, dum prodigiosa illa pueri de Monte Nigro curatio contigit.*

AUCTORE C. S.

nihil inde efficitur : difficilior est locus tertii.

309 *Utut sit, Pisanus ipse supra num.* 270 *relatus clare docet, suo tempore, id est, sæculo* XIV, *passim ignotum fuisse, in quo ecclesiæ suæ loco corpus* S. Francisci *jaceret ; imo etiam ignotos fuisse, qui id scirent. Ruit igitur tota Gabrielis argumentatio ex Chronico viginti quatuor Generalium et Pisano. Ruit et observatio de* gradu, *per quem dicitur vir ille voluisse ad Sancti Sepulcrum pertingere : cum hic gradus nec altaris fuerit, nec in ecclesia* S. Francisci, *sed in S. Georgii, ex quo solum sequitur, tumbam* S. Francisci *in hac ecclesia fuisse non nihil a solo elevatam, vel in loco aut sacello ejusdem ecclesiæ altiori, quam reliquum esset pavimentum. Contra sua vis manet testimonio Francisci Bartholi ; cum* altare, in quo corpus B. Francisci *dicit quievisse, quando,* imposita manu super *eodem* altari *mulier juravit, non alibi fuisse potuerit, quam in ecclesia sub ejusdem Sancti invocatione dicata, in qua corpus hactenus latet. Utinam tamen Gabriel tempus, quo id contigit, si apud Franciscum Bartholi annotatum invenerit, addidisset : scrupulum enim hic injicere potest Pisanus, qui Francisco Bartholi synchronus negat, suo tempore vulgo cognitum fuisse locum ecclesiæ, in quo Sancti corpus jacebat; adeoque et* E *altare illud, cujus idem Franciscus Bartholi meminit.*

Adducunt etiam adversarii testimonia Sixti V.

310 *Ast laudatus P. Gabriel duo alia ibidem profert testimonia pro loco sacri corporis et altari determinandis. Unum est Sixti V Pontificis, qui, cum ex Ordine Minorum Conventualium ad dignitatem Cardinalitiam assumptus fuerit, in hac controversia minime potest esse suspectus. Dedit hic anno* 1585 *litteras, quarum initium est,* Ex supernæ dispositionis arbitrio, *et in quibus archiconfraternitatem Chordigerorum* S. Francisci *instituens, sic loquitur :* Nos, qui etiam a teneris annis singularem devotionis affectum erga ipsum S. Franciscum, cujus corpus sub altari majori ecclesiæ domus fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, Assisien., quæ inibi insignis maximeque celebris, et diversis privilegiis decorata existit, requiescit, sub habitu Ordinis sui incedentes gessimus, cupientes domum et ecclesiam hujusmodi amplius decorari,.... in ecclesia domus et ad altare hujusmodi unam archiconfraternitatem utriusque sexus Christi fidelium... perpetuo erigimus et instituimus. *Adi Bullarium Romanum Cherubini tom. II, pag.* 506 *et sequenti.*

et Ludovici Jacobilli ;

311 *Alter a Gabriele pro causa sua advocatus testis est Ludovicus Jacobillus, protonotarius Apostolicus Fulginas, quem proinde septem tantummodo milliaribus Italicis a civitate Assisio remotum habitasse, recteque hac de re instructum esse potuisse, observat. Is autem tom. II de Vitis Sanctorum Umbriæ, anno* 1636 *Fulginii typis edito, agens de* S. Francisco, *scribit, corpus ejus ex ecclesia S. Georgii ad novam sui nominis* integrum *translatum fuisse ; at de ejusdem incorruptione, nedum in pedes erectione, non meminit. Deinde tom. III ejusdem Operis, anno* 1661 *Fulginii pariter excuso, ad calcem exhibens Catalogum sacrarum reliquiarum, quas Umbria pie complectitur, pag.* 11 *de Assisiensi* S. Francisci *ecclesia hæc ait Italice :* Præter corpora ejusdem S. Francisci Assisiatis et duodecim discipulorum ejus,... servantur sequentes reliquiæ insignes ; *quas inter paulo post recensetur* una costa S. Joannis Baptistæ, donata conventui ab Innocentio IV Papa, et posita sub altari, in quo (*vel* ubi ; *nam Italice dicitur* ove) requiescit S. Franciscus *Priusquam Gabrielis observationes ad hæc Jacobilli verba referam, juverit hic præmisisse delineationem altaris ab hoc memorati, quam quis fieri curaverit, dicam inferius.*

AUCTORE C. S.



addunt etiam notitiam altaris Assisiensis,

312 *Modo Gabrielem audiamus. Sic ait :* Secundum illum authorem modernum... corpus S. Francisci jacet infra stipitem altaris, et non rectum in pedes. *De loco autem costæ S. Joannis Baptistæ subdit idem Gabriel :* Per (*voces*) SUB ALTARI debet necessario intelligi SUB MENSA, et NON SUB STIPITE, seu sub toto corpore altaris in vacuo subterraneo : illa enim costa fuit posita in uno cereo lapideo, vel in una columella lapidea inter alias columellas lapideas, corpus altaris circumstantes et mensam altaris sustentantes deforis. Illa quoque columella, seu Cereus lapideus, insertus dictis columellis est deforis extra corpus altaris, et potest videri cum aliis columellis, denudato altari, ut fit aliquando. *Vide adjectam tabulam in facie Occidentali.* Corpus autem S. Francisci est sub mensa, sed non deforis, sed intus, seu intra corpus altaris, quod corpus altaris componitur ex quatuor sectis lapidibus et simul unitis ad modum capsæ, super quos quatuor lapides est magna mensa marmorea, tegens illam capsam lapideam, seu corpus altaris, et super illam mensam celebrantur Missæ. Sub autem illa mensa est corpus S. Francisci immediate inclusum in capsa lignea, cum qua fuit illuc translatum e S. Georgio, et ibi reconditum.

quæque ibidem legitur, inscriptionem,

313 Præterea, quod corpus S. Francisci sit in altari majori inferioris ecclesiæ ex illis duabus solis, quibus constat templum Franciscanum Assisiense, probatur per inscriptionem sepulchralem, quæ est in coronide cancellorum, dictum altare circumdantium;

dantium; et ista inscriptio est a parte chori versus Occidentem deforis et constat his verbis et litteris majusculis et palmaribus :

SEPULCHRUM SERAPHICI FRANCISCI GLORIOSUM.

Et ex illa parte coronidis nihil est aliud scriptum deforis. Igitur verissime delineavit propriis manibus et Perusii incidi fecit effigiem altaris majoris ecclesiæ S. Francisci Assisiensis, tamquam continentis ipsius S. Francisci ossa, illustrissimus et reverendissimus Frater, dominus Octavius a S. Francisco, qui fuit episcopus Assisiensis per sexdecim annos integros et paulo plus, et obiit die XXIV Martii anno MDCCXV. Erat Religiosus Ordinis Minorum de Observantia, et est sepultus hic in Portiuncula prope limen sanctæ capellæ, sed extra in ecclesia magna, prout mandaverat ipse aliquibus diebus ante suum obitum.

et auctoritatem Octavii Assisiensis episcopi;

314 *Laudati Octavii auctoritatem hac in re, velut magni ponderis, deinde commendat Gabriel ex diuturno sedecim annorum episcopatu Assisiensi, unde non exiguam rerum suæ civitatis notitiam comparare debuit; uti etiam rerum Franciscanarum in Ordine Minorum ante comparaverat; atque ex solita filiorum in Patrem suum pietate, et episcoporum in Sanctos diœcesium suarum reverentia, ex quibus solent illi eorumdem honorem pro viribus semper promovere. Atque hinc concludendum censuit, non fuisse ab illo controversum corporis prodigium negandum, si vel probabile ei visum fuisset. Porro memoratæ aræ, in qua* S. Francisci *exuvias, qualescumque eæ demum sint, ille conditas credidit, ab eodem episcopo delineatæ, eodemque curante, Perusii æri incisæ excusæque exemplar habeo, rude tamen ac minime elegans, quale scilicet chalcographo nostro imitandum dedi, et supra num.* 311 *studioso lectori, ne frustra desideret, exhibui, recisis tamen versibus, aliisque ab episcopo adjectis.*

ex quibus omnibus an concludendum sit,

315 *Nunc allegata de more expendamus. Verba Sixti V Papæ num.* 310 *recitata manifeste docent, ex ejusdem Pontificis, olim Ordinis Minorum Conventualium alumni, sententia corpus* S. Francisci *non alibi, quam sub majori altari dictæ ecclesiæ quærendum esse, ibique illud* requiescere; *quod verbum, etsi ex supra dictis sano aliquo sensu dici possit de corpore in pedes erecto, ex communi tamen hominum acceptione, dum de cadavere sermo est, corpus jacens indicat. Jacobilli testimonium valet ad probandum opinionem eorum, qui sacrum corpus in tertia infima ecclesia stare affirmant, medio sæculo* XVII *non tam generaliter pro indubitata receptam fuisse, quin in ipsa etiam Umbria licuerit aliena ab ea publice scribere. In determinatum costæ S. Joannis Baptistæ locum nihil attinet hic inquirere. Sed allegata de glorioso sepulcro inscriptio suadet, corpus, quo de agimus, intra vel infra dictorum cancellorum ambitum latitare.*

S. Francisci corpus non alibi,

316 *Accedit, quod (ut idem P. Gabriel in peculiari epistola ad Majores meos data indicavit) primo, circa idem altare duodecim argenteæ lampades diu noctuque ardeant; secundo, quod Franciscus Maria a Rivo-torto, Ordinis Minorum Conventualium scriptor, in suo Colle Paradisi de structura ejusdem altaris consentiat his verbis :* Mensæ extremitates sustinent (*viginti columellæ,*) cujus medium corpus quatuor sustollitur sectis lapidibus, ad instar asserum erectis. *Tertio, quod idem auctor (teste rursum Gabriele) idem illud altare etiam* arcam *appellet, dum ait, duodecim prædictas lampades* circum arcam pendere. *Profecto, qui hæc sola consideraverit, haud difficulter suum inducet in animum, ut credat, aram illam a fratre Elia, ecclesiæ conditore, paratam fuisse sacro corpori recipiendo ex usitato veteribus more Sanctorum corpora sub mensa altaris condendi; idque ibidem reipsa depositum esse, colliget, tum ex illa loci inscriptione* Sepulchrum Seraphici Francisci gloriosum, *tum ex bis senis lampadibus argenteis circa altare ibidem appensis ac perpetuo igne lucentibus.*

317 *Fatendum tamen est, neque ex his, neque ex præmissa aræ structura evinci, sacras* Francisci *mortales exuvias intra ipsam aram servari. Reponi enim ab aliis potest, eamdem fortasse vel vacuam esse, vel cæmentario repletam opere, cui quatuor laminæ illæ marmoreæ, quæ eam constituunt, sint annexæ : inscriptionem vero appositam esse et appensas circum argenteas lampades, non quia* S. Francisci *corpus intra ipsam aram jacet; sed quod hoc sit in ecclesia infima, cui media illa cum eodem altari superimposita est, illudque quidem sit vel in ea infimæ ecclesiæ parte, quæ spatio mediæ ecclesiæ cancellis incluso subest; vel in alio ejusdem infimæ ecclesiæ loco; licet hic negueat determinari. Ponamus enim, verum esse, quod de corpore ibidem prodigiose stante fert Minorum Conventualium traditio; cum locus proprius ignoretur, nec ad eum ullus pateat accessus, ubi, ad indicandam ejusdem corporis in ea trium ecclesiarum basilica præsentiam, rectius poterat sæpe dicta inscriptio locari; ubi ad illud honorandum duodecim lampades aptius appendi, quam in honoratiori loco mediæ ecclesiæ, quæ infimæ, ejusdem corporis conditorio, imminet, et ad quam cuilibet liber patet ingressus?*

AUCTORE C. S. *quamsub ejusdem altaris mensa cubare?*

318 *Auctoritati episcopi Assisiensis, cujus de hoc argumento libellum a sacra Inquisitione Romana suppressum fuisse, diximus, opponent alii conventus* S. Francisci *Assisiensis magno numero inquilinos, inter quos certe non defuere, nec desunt viri virtutibus, eruditione, rerumque Franciscanarum notitia, æque ac ille, præstantes. Addent, judicium laudati episcopi, etsi is sincere scripsisse credendus sit, suspectum hic esse posse ex amore Ordinis, quem ante episcopatum professus fuit. Etenim, cum Minores Conventuales prodigiosum corporis in sua ecclesia situm sic propugnent, ut illud etiam integrum, minimeque exenteratum esse, velint; Minores autem Observantes, aut horum aliqui, ejusdem Sancti cor et intestina suo conventui in Portiuncula attribuant, atque in hac sententia etiam esset dictus episcopus; tanta pronior hic fuisse dicendus est ad miraculum illud negandum, quanto firmius credidit, cor cum intestinis in Portiuncula jacere; ut scilicet hac ratione eorumdem possessionem suis quondam Minoribus Observantibus securius vendicaret.*

disseritur.

319 *At vero P. Gabriel, ne quis sui sancti Patris corpus in tertia Franciscanæ basilicæ ecclesia servari, pergat asserere, negat tertiam esse;* Quod autem, *inquiens,* sint solummodo duæ ecclesiæ, componentes basilicam Assisiensem, in qua requiescit corpus S. Francisci, et non tres,... clarum est ex sequentibus scriptoribus antiquis; nempe ex Chronico viginti quatuor Generalium fol. XXXIV, col. 2, sic dicente : « Frater Helias circa annum » MCCXXXIX, ut dicit frater Bernardus de Bessa in » Chronico Generalium, convocato Romæ capitulo » Generali, postquam illam DUPLICATAM ECCLESIAM » Assisii cum campanis et campanili perfecit, fuit » a magisterio absolutus. » Iste auctor, qui terminavit suum Chronicon ad annum MCCCLXXIV, et alii citandi narrant, tamquam aliquid extraordinarium, reperiri duas ecclesias in basilica Assisiensi Franciscana, et hoc narrant, tamquam aliquid S. Francisco multum honorificum. Si autem credidissent, tres esse ecclesias, certe non tacuissent, tamquam aliquid adhuc magis extraordinarium, et sancti Patris honorandi gratia.

Solum duas illius basilicæ ecclesias Chronicon vetus,

320 *Auctori Chronici viginti quatuor Generalium addit Gabriel S. Antoninum in summa Historiali part.* III, *tit.* XXIV, *cap.* 9, § 1 *de Elia dicentem :* Illam ecclesiam magnam et DUPLICATAM Assisii cum campanili et campanis perfecit. *Addit et Gobelinum in Commentario Pii II, lib.* II, *ubi leguntur ista, superius jam relata :* Nobilitavit hanc urbem (*Assisium*) divus Franciscus... Huic nobile templum erectum est, in quo, ferunt ossa sua jacere, et DUPLEX EST ECCLESIA, ALTERA SUPER ALTERAM. *Ex Jacobi quoque de Oddis Perusini Francischina cap.* 12, *fol.* 370 *ex Italicis Latina refert sequentia :* Iste frater Elias fecit, fieri ecclesiam S. Francisci Assisii DUPLICATAM, multum sumptuosam, cum campanis

S. Antoninus, Gobelinus, Jacobus Oddo, et Leo X memorant;

AUCTORE C. S.

panis et campanili. *Laudat denique Leonem X Romanum Pontificem in bulla, seu Brevi,* Cum ut nobis relatum fuit ex parte vestra, *dato Romæ apud S. Petrum, die* 22 *Augusti, anni* 1515, *directoque ad custodem et fratres domus* S. Francisci *de Assisio, quod relatum ait in Opere patris a Rivotorto, parte, seu lib.* II, *pag.* 70, *in eoque hæc legi :* Quoad conservationem et manutentionem, tam illius ecclesiæ superioris, quam inferioris : *item post paucas lineas interjectas :* Pro fabrica utriusque ecclesiæ. Ergo (*hic subdit Gabriel*) ex Papa Leone sunt duæ ecclesiæ, et non tres. Nam dicit : IN INFERIORIS; SUPERIORIS, et dicit : UTRIUSQUE; quæ verba expresse significant duas, et non tres ecclesias.

hi tamen non expresse negant qualemcumque tertiam,

321 *Ex allegatis locis videtur debere abunde constare, tertiam illam infimam Franciscanæ basilicæ ecclesiam fuisse ignotam memoratis scriptoribus, nisi quis justam probabilemque eorumdem de ea silentii causam assignaverit. Fortassis ea, quam alii* tertiam *appellant, crypta verius est, quam veri nominis ecclesia, parvique momenti, maxime si ad duas alias superiores comparetur; atque tum hac de causa, tum quod illa, utpote subterranea, lateret oculis, nec, nisi perpaucis, pervia esset, a scriptoribus istis non fuit memorata. Adverte tamen, laudatos scriptores esse posteriores anno* 1550, *quo tempore si*

B *corporis erectio facta compertaque fuisset (vide dicta* § 14) *difficillimum captu esset, quo pacto illa, adeoque et tertia, in qua miraculum illud perseverabat, ecclesia ab iisdem scriptoribus ignoratæ ac prætermissæ fuissent, maxime ab auctore Chronici viginti quatuor Generalium, si hic eodem sæculo* XIV *scripserit, noveritque allegatum mox citato* § 14 *vaticinium, secundum quod eadem corporis erectio* præcipue in suorum (*Francisci*) filiorum solamen, *ac propterea minime celanda, facta fuisset. Verum hæc ratio solum militat adversus eos, qui ex eodem vaticinio non improbabile putant, erectionem corporis anno* 1530 *contigisse. Utut sit, nullus ex allatis a Gabriele scriptoribus expresse negat, sub duabus ecclesiis, quarum meminerunt, exstare cryptam, quæ apud alios ecclesiæ nomine forte venit.*

quam affirmate asseruit Benedictus XIV,

322 *Contra vero habemus alium Romanum Pontificem, Benedictum XIV, qui in bulla, per quam sæpe dictam* S. Francisci *Assisiensem basilicam anno* 1754 *in Patriarchalem Ordinis, et cappellam Papalem erexit, tertiam illam infimam ecclesiam bis clare asseruit. Hujus verba accipe :* Ejusdem ecclesiæ immediata Apostolicæ Sedis subjectio... peculiaris cujusdam Pontificum dominii et proprietatis induit speciem, eo vel maxime confirmatam, quod, cum in unius structuræ altitudine TRIUM RE VERA ECCLESIARUM, quarum altera alteri imminet, mira ædificatio con-

C surgat, in superioris ecclesiæ hemicyclo Pontificia marmorea cathedra contra aram maximam usque ab initio exstructa semper stetisse dignoscitur; in ea vero, QUÆ MEDIA EST, ATQUE SUBJECTUM VENERANDI CORPORIS (*S. Francisci*) CONDITORIUM PROPIUS ATTINGIT, a latere altaris... aliquot abhinc annis Pontificius pariter thronus... erectus assidue retineri conspicitur. *Hæc Benedicti XIV verba planiora sunt, quam ut ullus relinquatur locus de illius mente ambigendi, videnturque ab eo ex industria dicta esse, ut tertiam ecclesiam negantibus contradiceret, dicendo, universam illam basilicam Franciscanam* in unius structuræ altitudine trium RE VERA ecclesiarum, quarum altera alteri imminet, *consurgere.*

qui ex singularin otitia

323 *Neque vero hæc, velut ab illo leviter asserta essent, parvi pendenda sunt : verisimile enim est, Benedictum in hujus rei veritatem diligenter inquisivisse, ut suum de visendo* S. Francisci *corpore consilium aliquando exsecutioni mandaret. Etenim, teste sæpe laudato R. P. Rugilo, cujus verba describo,* re vera laudatus Benedictus XIV, tum Ministro generali tunc, nunc Beneventano archiepiscopo, ut superius innuimus, tum eminentissimo nostro atque amplissimo S. R. E. Cardinali, Laurentio Ganganelli, iterato testatus est, se diu præconceptum firmumque habuisse propositum corporis S. Francisci invisendi, et latebras recludendi. Sed a sententia discessit, vel illam in mortem distulit. *Si igitur hic* D *Pontifex eam sacri corporis inspectionem vere diu meditatus fuerit decreveritque, satis verisimile est, eum etiam diligenter indagasse, an locus, in quo illud tam mirabiliter stare dicebatur, quemque ab aliis pro fictitio haberi, probe noverat, reipsa exsisteret. Quam ob rem, cum locum illum* re vera *exsistere, tam asseveranter deinde affirmaverit, forte certiorem de eodem notitiam acceperit.*

hic locutus videtur.

324 *Non sic in eadem bulla loquitur de ipso* S. Francisci *corpore, tametsi de ejusdem incorruptione et admirabili situ in Opere suo de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione aliis illa affirmantibus ante consensisset, atque ipsum, quod in eadem bulla tractabat, argumentum exigere videretur, ut de tam eximio raroque corporis miraculo, quod hactenus sine exemplo est, nec simile habet, ad commendationem loci, quem multis privilegiis atque honoribus augere constituerat, expressam mentionem faceret, uti supra ostendi. Cur autem hanc non fecisse credendus est, nisi quod non tam certa pro eo miraculo, quam pro tertia ecclesia asserenda argumenta haberet? Porro* signa... sensibilia existentia ac patentia *inferioris istius, seu ecclesiæ, seu cryptæ, quæ Rugilus num.* 222 *relatus promiserat, se enumeraturum, apud eumdem non reperio, haud dubie, quod ea promissio exciderit memoriæ.* E

§ XVIII. Expenduntur causæ, ob quas negant, in sacrum corpus inquiri posse; cur item fuerit semper illud tam secreto servatum, et obstructi cuniculi, ut ferunt.

Provocantibus ad experimentum respondetur,

Supra jam monui, non alia expeditiori certiorique via præsentem controversiam dirimi posse, quam experimento, nempe si supra dicta altaris arca marmorea, quæ ejusdem mensam sustinet, aperiatur, et si in hac non sit positum S. Francisci *corpus, quaqua via in subterraneam, quam volunt, ecclesiam penetretur. Ad experimentum hoc præ reliquis provocat frequenter laudatus P. Gabriel Rothomagensis, locum etiam in secunda ecclesia determinans, per quem arbitratur, in tertiam illam ecclesiam, si qua est, certo posse descendi. At Patres Conventuales reponunt, id omnino vetitum esse a Paulo V summo Pontifice, litteris, eo jubente, datis anno* 1607, *quarum authenticum apographum ab iisdem accepi, quod visum mihi est hic subnectere.* F

id graviter vetitum esse a Paulo V per decretum

326 Alfonsus tituli S. Sixti S. R. E. presbyter Cardinalis Vicecomes, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Protector, gubernator et corrector, provinciæ Marchiæ Legatus de latere etc. Ex ordine, et mandato Sanctissimi Patris nostri Pauli Papæ V nobis facto, omnibus et singulis cujuscumque status, gradus, conditionis et præeminentiæ existant, districte interdicimus et prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ, ne in futurum audeant, vel præsumant sub quovis prætextu aut quæsito colore in ecclesiis et monasterio beati Francisci, civitatis Assisii, Ordinis Minorum Conventualium, perquirere, seu aliquam diligentiam quovis modo facere pro inveniendo corpore vel loco, ubi requiescit corpus gloriosissimi patris sancti Francisci; quam excommunicationis pœnam incurrant Fratres ejusdem conventus, tam si hoc attentare præsumpserint, quam si aliis auxilium aut favorem quomodolibet præstiterint, vel contra hanc prohibitionem Apostolicam aliquid tentantibus omnibus viribus non restiterint.

hic relatum.

327 Hoc vero nostrum Decretum, mandamus moderno Custodi ejusdem conventus, quamprimum publicari curet Fratribus in loco et more solito, ac registrari in archivio, et copiam autenticam retineri semper affixam in tabella lignea in loco conspicuo in sacristia ejusdem conventus.

Datum

A Datum Maceratæ die XXVIII mensis Augusti MDCVII.
A. Cardinalis Vicecomes.
Loco ✠ Sigilli.
Jacobus Allegrettus secretarius.

Tum in apographo nostro subduntur ista : Quam quidem copiam fideliter et de verbo ad verbum, aliena tamen manu, desumptam ex autographo, quod in archivio sacri Assisiensis conventus S. Francisci asservatur, ego infrascriptus publica Apostolica auctoritate notarius, et Seraphicæ civitatis Assisii secretarius cum eodem originali quam diligentissime contuli, ipsamque cum eo perfecte et undequaque concordare, inveni. Insuper testans, apographum authenticum prædicti originalis etiamnum retineri affixum in sacrario basilicæ ejusdem S. Francisci. In quorum fidem etc. Datum Assisii die quinta Maii MDCCLXV. Ita est. Blasius Epiphani notarius publicus Assisiensis de præmissis rogatus. *Qua occasione hoc decretum editum sit, hactenus non comperi; vide tamen, quod supra num.* 198 *de eodem annotavi.*

quod proinde a summo Pontifice ante esset tollendum ;

528 *Hac Patres Conventuales constricti lege ad experimentum capiendum urgentibus in sua Dissertatione Romana respondent :* Pontifices ergo, sub quorum immediata tutela ac patrocinio, ut sæpius jam diximus, est sacra illa basilica, possunt ipsi quidem (ut humanum loquamur) et clausa recludere, et abdita revelare. Ipsi ergo potius videntur interrogandi (quanquam, ut infra, nec ipsi;) nos certe in causa non sumus : imo per nos et licet et libet, idque precamur Omnipotentem Deum incontinenter, non tam controversiæ huic attendentes (tanti enim illam non facimus) sed potius Dei gloriæ. *Atque hoc quidem responso facile repellunt, quotquot post latum istud anno* 1607 *Pauli V jussu decretum controversiam illam oculari fidelium testium inspectione terminandam postulant : quamquam Patrum Conventualium Assisiensium præ ceteris interesse videatur, decretum istud revocari, cum hi sacrum corpus possideant, et ab iisdem orta traditio sit de illius incorruptione et situ in pedes.*

B

locum semper arcanum ; obstructos ad illum aditus

529 *Porro si ad tempora prohibitione Paulina anteriora regrediamur, aiunt, sacras illas* Francisci *exuvias, postquam in sua ecclesia anno* 1230 *in arcano loco depositæ fuere, semper summe secreto servatas, arcano non nisi paucissimis, iisdemque fidissimis commisso; deinde etiam majoris cautionis ergo cuniculos, per quos ad eas patebat aditus, ita obturatos, ut, ubi fuerint, modo nesciatur. De auctore ac tempore, quo hi obturati fuerint, non satis inter illos convenit. Sunt, qui hoc Sixto IV attribuant, uti superius* § 10 *exposui, eamque opinionem auctor Dissertationis Romanæ Rugilus probabilem censuit, sic loquens :* Neque illud moveat, quod sæpius infra fatebimur, numquam scilicet obvium fuisse indiscriminatim omnibus, etiam sacri cœnobii incolis, S. Francisci sepulcrum, sed perpetua arcani religione (*paucis tantum innotuisse*) ab Eliæ (vel, ut alii perperam autumant, a Joannis Parentis) temporibus usque ad cuniculorum obstructiones, quæ probabiliter Xisto IV summo Pontifici adscribuntur. *Sic ibi; at in margine hic alia manu adjecta annotatio ita habet :* Hortatu ac præcepto, non re, seu muris et lapidibus : horum enim authores ac tempora penitus sunt incomperta.

C

sub Sixto IV, vel ab alio, tempore ignoto.

530 *Si id ita est, novæ affundentur tenebræ, minime favorabiles asserentibus, obturatos esse cuniculos, ignotis scilicet hujus rei tempore atque auctore. Deinde, si solo* præcepto *illos obstruxerit Sixtus IV; id est, si solum vetuerit, ne quis ad sacrum corpus in posterum accederet, hinc minus verisimilis fiet reverendissimi Piscullii ad illud accessus* § 11 *relatus. Nam is Sixti prohibitionem vel ignorasse (quod sane in generali Ministro mirum esset) vel violasse dicendus est, quod non satis æquum est credere. Cum enim Sixtus IV non ultra annum* 1484 *Pontificatum tenuerit; Piscullii vero visitatio anno* 1607 *affigatur, Sixtina prohibitio visitationem Piscullii toto sæculo præcessit. Præterea sæpe dicti cuniculi, seu aditus, obstructi fuisse credendi sunt vel ante ejusdem Sixti Pontificatum, vel post. Si ante, qua igitur via ad sacrum illum thesaurum pervenit idem jam Pontifex anno* 1476, *ut volunt scriptores, quos* § 10 *recensui? Si post Pontificatum illius; tanto minus ignorari possunt tam singularis facti auctor et tempora, quanto illud temporibus nostris propius contigerit. Immo vero post annum* 1499, *aut etiam post* 1509 *contigisse debuit, si admittenda sit visitatio facta per Galeottum de Bistochio, quæ alterutri anno affigitur ex dictis* § 10.

AUCTORE C. S.

Intra breve tempus mori sacri corporis spectatores,

531 *At quisquis tandem ejus rei auctor fuerit, restat altera quæstio, ab adversæ opinionis patronis proposita; cur scilicet sancti Patris corpus, si illustri illo perpetuoque miraculo vere excellat, jam a quinque sæculis tam arcanum servetur, et omnium fere oculis absconditum, cur obstructi denique, per quos ad illud accessus fuisse dicitur, tam diligenter cuniculi, ut modo ne locus quidem, ubi fuerint, possit assignari. Cur, inquam, hæc, cum, monente archangelo Raphaele, Tobiæ* 12, ŷ 7, *opera Dei revelare honorificum sit, aliique Christi fideles, si qua habeant Sanctorum incorrupta corpora, ad Dei et eorumdem gloriam conspectui venerantium passim exhibeant, aut sic servent, ut saltem principibus aliisque honoratis viris possint exhibere? Profecto, quo grandius atque inusitatius est miraculum, eo plus ex illius conspectu divinæ gloriæ, Catholicæ fidei æstimationi, et spectantium animis pietatis accederet. Fuerunt olim, qui dicerent, quicumque illud spectaverit, intra annum mori.*

E

si veræ sint supra datæ relationes,

532 *Hinc Waddingus in Annalibus ad annum* 1230, *num.* 5 *et* 6 *illa Galeotti verba in epistola, quam* § 10 *recensui :* Modo experiemur, quid vitæ supersit; *sic excepit :* Addit illud de vitæ diuturnioris experimento propter communem assertionem, quod tam sacrum et religiosum vult Dominus sanctum corpus, ut non liceat ejus inspectoribus illud videre, et vivere longiorem vitam. Rebus religione et sacramento plenis ita aliquando venerationem et reverentiam Dominus conciliat; vel quia ad mysteriorum eorum aspectum excæcantur, imo et exanimantur curiosi inspectores; vel quia vitam ipse Dominus tollit, ne, quod sacrum et silentio dignum est, pluribus propalent. *Hæc Waddingus : at Gabriel Rothomagensis probat, huic assertioni omnino adversari experientiam, si veræ sint ejusdem corporis visitationes, quas miraculi assertores recensent. Malo hæc ipsius, quam meis, verbis exponere.*

falsum esse probatur ab experientia.

533 Dato, *inquit*, et non concesso, quod essent veræ visitationes adductæ,... non est verum, quod omnes, qui vident corpus Seraphicum, moriantur intra annum. Nam Gregorius IX (*ex aliorum nempe sententia*) illud vidit bis, anno MCCXXX et MCCXXXV; et obiit MCCXLI; Franciscus Sfortia, dux Mediolanensis, illud vidit anno MCCCCXLVI, et obiit MCCCCLXVII; Nicolaus V illud vidit anno MCCCCXLIX, et defunctus est anno MCCCCLV. Sixtus IV illud vidit MCCCCLXXVI, et obiit MCCCCLXXXIV; et sic non est verum, quod intra eumdem annum defuncti sint. *Hisce adde R. P. Augustinum Tinaccium, qui, ut* § 11 *vidimus, dicitur anno* 1626 *scripsisse relationem visitationis ejusdem corporis, cui ab annis fere novemdecim adfuerat. Itaque hac ratione prætermissa, atque alibi leviter memorata, auctor Dissertationis Romanæ Rugilus causam servati arcani et obstructi aditus in divinam voluntatem refert, cujus rationem, negat, se reddere posse, aut debere. Nam de incorrupto et in pedes erecto corpore manifeste constare autumat ex traditione et relatis testimoniis eorum, qui viderunt; de obstructis vero cuniculis ex reverendissimi Piscullii et Tinaccii ad illud accessu, de quo consule* § 11.

F

Arcanum hoc alii ad divinam voluntatem referunt, et ex Piscullii

534 Nam is (*inquit*) neque consulto id (*facere*) per cuniculos tentavit, neque tentari posse aut debere, aperte satis ostendit. Quis enim crederet, generalem Ordinis Ministrum, tantoque desiderio flagrantem invisendi Franciscani sepulcri, quanto inflammari illum, oportuit, ut non sine suo nullo periculo ac socii damno, per abruptum fortuito superioris

AUCTORE C. S.

superioris fornicis foramen ad inferiora descenderet, vel potius rueret, ac se præcipitem ageret; potuisse facilius atque securius illuc per obvios secretorum cuniculorum aditus penetrare, nulla vi, necessitate, utilitate nulla repulsum, ac sponte noluisse? Quis, janua neglecta, per fenestram ingreditur? *Huic addit et aliud argumentum, velut priori validius.* Nam, ut testatur (*ait*) Petrus Rodulphus noster, tunc a secretis Ordinis, ac testis ocularis, lib. II Historiæ Seraphicæ fol. 247, usque a sæculo decimo sexto mediante, cum ex præcepto S. Pii V Pontificis scrutari ac penetrare locum Franciscani sepulcri omni conatu tentasset Joannes Picus, similiter Ordinis tunc generalis Minister, id assequi omnino non potuit, omnique labore et industria frustratus est.

et Pici Generalium Ordinis factis

335 *Laudatum Rodulphii textum accipe.* Ad eum locum (*in quo S. Francisci corpus servatur*) datur aditus per vias subterraneas et per secretos cuniculos, qui satis latent. Dicam unum, quod accidit tempore Pii V Pontificis Maximi, et Joannis Pici Camertis, Generalis, quocum eram a secretis Ordinis. Inciderat in animum Pii V, videre corpus B. Francisci, stricteque mandaverat Joanni Pico Generali, ut in hanc curam obnixe incumberet, si forte inveniret tantum thesaurum. Suffodiebat die
B noctuque incessanter bonus ille vir; sed inanis fuit omnis ejus conatus et industria; quia divino Numine factum est, ne tantus thesaurus furibus vel hostibus pateret. Unde ait Magnus ille Gregorius : « Deprædari desiderat, qui thesaurum » suum publice portat. » *Sed eratne thesaurum illum publice portare, furibusve aut hostibus exponere, si summi sanctique Pontificis pio conspectui brevi tempore permitteretur, ac mox denuo omnium oculis absconditus fuisset?*

probari putant, cuniculos vere obturatos esse.

336 *Verumtamen, utut sit, ex hoc Rodulphii testimonio statuere licet primo, reverendissimum Picum, vel ne suspicatum quidem fuisse, desideratum thesaurum in tumba sub mensa altaris (ut aliqui ex dictis contendunt) latere; alioquin enim non frustra laborasset alibi, sed sublata altaris mensa, summum Pontificem sui voti compotem fecisset; vel si hanc sustulerit, sub ea minime repertum fuisse corpus, quod quærebat. Secundo statuere licet, jam tunc temporis, id est, sæculo* XVI *ultra medium progresso, obstructos, si umquam patuerint, sæpe dictos cuniculos fuisse, imo et loci, ubi fuerant, memoriam obliteratam; cum alioquin laudatus Minister generalis operam suam fodiendo alibi non perdidisset : nec enim sine injuria dubitari potest, quin hic Pontificio, quo obstrictus erat, mandato sincere obtemperaverit; et Rodulphius rem, ut contigit, exposuerit.*
C *Consequenter ad hæc sic concludit laudatæ Dissertationis auctor :* Certum ergo esse debet, ex tunc, et jam ante, et præter hominum memoriam subterraneos cuniculos fuisse conclusos. Quod certe satis vobis erit, ut intelligatis, amodo nostrum non esse, per æquos arbitros oculares hanc controversiam dirimere. *Recte, nisi aliæ rationes ab adversa parte prolatæ permitterent dubitare, an cuniculi, per quos ad sacrum* Francisci *corpus accedendum erat, exstiterint umquam. Sed de hoc pluribus infra.*

Addunt etiam humana consilia,

337 *Ad superiora revertamur. Quamvis tam religiosi arcani causam ex divino nutu repetendam esse, Rugilus velit, ac proinde nec illius rationem posse exquiri, notat, non defuisse humana consilia, quæ inscrutabili divino famulata fuisse videantur. Ex his præcipue assignat curam, studiumque, qualecumque id demum in humana trutina æstimari queat, sanctissimi Viri corpus ab omnium oculis amovendi, ut, quo secretius lateret, eo majori in æstimatione esset, tutiusque servaretur; nam sacra passim oculis exposita apud homines vilescere, et furtis patere. Hunc in finem ex Chronico viginti quatuor Generalium Ordinis in Vita Joannis Parentis* §. Anno vero *hæc recitat verba :* F. Helias, qui opus dictæ basilicæ prosecutus est,... ductus humano timore, occulte fecit fieri translationem (*corporis anno* 1230) nolens, quod scirent aliqui, ubi esset in ecclesia sacrum corpus, paucis exD ceptis. *Chronica hæc ad manus meas non venerunt, at, teste Gabriele Rothomagensi, perducta ea sunt ad annum* 1374, *unde de eorumdem scriptoris ætate utcumque licet opinari.*

quæ divino famulata sint : ab Elia corpus fuisse absconditum,

338 *Pergo Dissertationis Romanæ verba describere :* Dicimus ergo, reapse hominum libertatem et operam obserasse aditus illos; fatemur etiam libenter, homines passim humana cogitasse, ea mira dum tegerent : sed insuper addimus, homines istos, quamvis etiam puerilia, vel etiamnum damnabilia respexerint, dum illa committerent, perpetuo, nescientes secretiori divinæ obtemperasse voluntati. Igitur, si quæras, cur F. Helias primus, ut ex Chronicis XXIV Generalium prænotavimus, abdita illa subterranea receptacula, concamerationes, cuniculos a primis usque diebus non facile perscrutandos, condendo sacro corpori paraverit; vel cur solus cum paucis adhibitis fidelissimis testibus sibi notum voluerit tum locum aditumque sepulcri, tum etiam situm ipsum, quo sanctum corpus aptaverit (nam et hoc fuit reliquis mortalium ignotum) confestim liberrimeque respondebimus, verosimillime Heliam tunc, nisi humana, non cogitasse; imitationem nempe tunc pervagatæ Ecclesiasticæ consuetudinis; defensionem etiam, tuitionem, securitatem ab imperita pietatis vioE lentia, potissimum, cum constet, in translatione fuisse jam sacro corpori ab multitudine vim illatam, cujus etiam perperam a quibusdam, vel author, vel occasio, vel particeps accusatus fuit Helias ipse.

ac deinceps magno cum secreto servatum;

339 At, cum hæc humano ingenio secum volvebat et moliebatur Helias, Dei quidem famulabatur imperio (qui abditum etiam illud Sancti Spiritus templum ac prodigium profundioribus decernebat consiliis) sed ignorans. Heliæ secretum cautione ac fidelitate pari posteris commissum atque servatum est. Numquam enim sepulcrum illud indiscrete omnibus, numquam etiam plurimis ex nostratibus ipsis, sacrum illud cœnobium incolentibus, sed perpetuo uni tantum vel alteri ex probatissimis, pervium fuit, tradita atque servata summi ac singularis arcani successione, et deposito. Nos vero, omnes humana ut plurimum sensisse, aut cavisse sibi visos, non dedignamur asserere. Bella nempe et seditiones et fures, quæ reapse pertimescenda videbantur sancto corpori, manifesta resurrectionis signa (ut ex D, Bonaventura cognoscimus) ab ipso mortis die præferenti; sed nescientes, profundiora Dei mysteria atque propositum exercebant. Adde; nonnullos etiam arcani conscios deterrebat, tum loci summa reF ligio, tum præmaturæ concepta mortis, seu vera, seu falsa, opinio. *Adduntur hic, quæ ex Galeotti epistola et Waddingo huc spectantia jam dedi.*

et ex gentilibus sacrisque scriptoribus

340 *Tum sequitur ibidem :* Adde : Prodigium ipsum stupendissimum ac prorsus inauditum vi sua ejusdem arcani propositum et disciplinam inspirabat. Hoc enim semper apud mortales obtinuit, ut præclariora quæque atque summa non proderentur in publicam hominum lucem. Plato Dionysium monuit, ut Epistolam, in qua nonnulla divinorum mysteria illi scripserat, statim discerperet. Tarquinius rex Tullium Duumvirum culeo insutum in mare projici jussit, quod librum secreta sacrorum continentem alteri exscribendum dedisset. Clemens Alexandrinus lib. III Stromat., Ægyptios non quibuslibet mysteria commisisse, sed tantum iis, qui ad regnum evehebantur. Pithagoræ præcepta qui passim vulgo traderet, impius habebatur. Sensit Porphyrius, Deum non pati, divina mysteria in vulgi aures introire pollutas : ut aurum et gemmas in altissimas terræ latebras natura condidit, ita magno habentur in pretio; vilescerent, si fuissent exposita. Hæc gentiles : nunc ex nostris.

proferunt rationes et exempla,

341 Hilarius in Psalmum 2, et Origenes Hom. 3 in Num., asserunt, Moysen, non Legem solum, sed et Legis interpretationem arcanam, quam soli

Josue

A Josue revelavit, in monte accepisse: cui cohæret illud Esdræ IV, cap. 14 : « Enarravi » (inquit Deus) « Moysi mirabilia multa,... et præcepi ei, dicens : » Hæc in palam facies; hæc vero abscondes. » Quod idem præceptum dedit Esdræ dicens : « Quæ- » dam palam facies, quædam sapientibus absconse » trades. » Item Basilius lib. de Spiritu sancto, et Origenes Hom. 5 in Numeros ob id, asserunt, Moysen non esse passum, ut omnia, quæ erant in templo, omnibus essent pervia, quod sciret, res usu tritas, expositas esse contemptui, quod vero semotum, huic summam adhærere admirationem et reverentiam. Hoc item illud Christi est : « No- » lite dare sanctum canibus, nec mittere marga- » ritas ante porcos. » Hoc etiam illud : « Visionem » hanc nemini dixeritis, donec Filius hominis a » mortuis resurgat. » Hoc pariter illud : « Habeo » multa vobis dicere, quæ non potestis portare » modo : scietis autem postea. » Hoc quoque illud Apostoli : « Sapientiam loquimur inter perfectos. » Hoc tandem sibi voluit Missa Cathecumenorum, et alia hujusmodi. Cur ergo hæc exempla non sine magna causa sequuti, prodigium istud, quod vere magnum mysterium est, latebris continere non B possunt?

quæ sola veteres inducere debuisse credunt,

342 Hominibus ergo urgentissimæ instabant causæ ex humanis affectibus, et etiam fortasse erroribus, deductæ, cur pretiosissimum illum thesaurum; secuta præsertim resurrectione illa, ac perseverante illo admirabili corporis stantis, cœlumque intuentis situ, quæ suapte natura religionem sacrumque honorem augebant, et graviore impulsu percellebant atque exanimabant spectantes, atque majori etiam vel persuasione vel efficacia proximam mortem, quæ tamen revera omnibus non contigit, vel comminitabantur, vel inferebant; et tandem vehementiorem prædonum formidinem ingerebant, hominum gressibus et oculis subducerent. Quæ solæ etiam causæ si essent, procul dubio purgationem facerent emendatissimam tum vetustiorum silentio, tum posteriori caligini, perplexitati, ignorantiæ, tum monumentorum præsentissimorum atque certissimorum inopiæ, tum tandem Majorum nostrorum atque summorum Pontificum cautioni, obstructioni, excommunicationi, vel cuivis adhibito argumento ad populos illinc arcendos.

ut magnum istud prodigium omnium oculis penitus subducerent.

343 His tantum causis animadversis, mirum esse non debuit, cur tempus aut modum individuum ignoremus, quo stupenda illa resurrectionis imago contigerit (*vide dicta* § 13) aut quo penitus omnibus atque etiam unis illis vel alteris arcani custodibus impervius fieret locus, obstructis aditis, constructis muris, auctis aggeribus, injectis lapidibus. Hinc C ipsa vel sola humana ratione judice ac duce, nil Deo peculiarius tribuentes, nullumque ab occulto Dei judicio argumentum derivantes, ab omni absurditatis, incredibilitatis, imo etiam difficultatis nota ac suspicione liberati sumus; adeo ut absurdum et incredibile censeri debeat potius contrarium : naturaliter enim, his positis, non aliter de re præsumendum esse convincitur. *Hæc laudatus auctor; quæ an tam evidenter concludant, quam ipsi visum sit, eruditi lectoris judicio libens permitto. Si ex sola ratione naturali disseramus, mihi admodum difficile creditu est, dicti corporis possessores, si hoc fuerit, quale dicitur, supra allegatis rationibus impulsos, sic illud absconditum voluisse, ut et sibi et posteris omnis præcideretur spes spectandi alias inauditum miraculum quod quem in finem a Deo concessum servarique credere poterant, quam ut sui admiratione ad laudandam divinam potentiam, ipsiusque* S. Francisci *æstimanda merita, et virtutis amorem cernentium animos incenderet?*

AUCTORE C. S.

§ XIX. Proponuntur conjecturæ, quæ dubium facere possunt, an umquam exstiterint subterranei ad sacrum corpus aditus, et an illud non potius a tempore translationis semper omnibus occultatum manserit.

Corpus Sancti, forte ab Elia absconditum,

Vix dubito, quin S. Francisci *corpus, sive illud incorruptum, sive communi carnis corruptioni jam tum obnoxium fuerit, vel ipso, quo in ecclesiam suam anno 1230 illatum fuit die, vel admodum brevi post, a Fratre Elia in eadem sic conditum sit, ut determinatus illius locus numquam publice fuerit cognitus, lapsuque temporis penitus exciderit e memoria. Ut id faceret, Eliam impellere potuit prudens metus ab Assisiatibus, qui in ipsa translatione non fuerant passi, ut ea a Fratribus Minoribus, uti summus Pontifex Gregorius IX mandaverat, reverenter digneque perficeretur; verum ipsimet primas in eadem partes per vim et tumultum sibi arroganter vendicaverant. Consule Commentarium prævium* § 32. *Hoc sensu exponendum puto auctorem Chronicorum 24 Generalium, dum supra num.* 537 *de Elia ait :* Ductus humano timore occulte fecit fieri translationem, nolens, quod scirent aliqui, ubi esset in ecclesia E sacrum corpus, paucis exceptis. *Etenim cum aliunde certum sit, translationem publice et quidem magno cum apparatu peractam esse,* translationem *ab Elia* occulte *factam de occulta corporis depositione accipio, quæ soli Eliæ, et paucis, quorum opera ad eam usus est, nota fuerit.*

jam videtur latuisse tempore Bonaventuræ,

343 *Eumdem depositi corporis locum, saltem passim, ignotum fuisse toto illo annorum triginta spatio, quod inter dictam translationem scriptamque* S. Francisci a *Bonaventura Vitam elapsum est, colligo ex hujus silentio de miraculis ad novum istud illius sepulcrum impetratis. Profecto si ad illud tunc passim patuerit accessus, mirari licet, sanctum doctorem, quamquam is multa ejusdem post obitum miracula narret, de nullo (si forte unum, de quo mox, in ipsa translatione factum excipias) apud illius sepulcrum in propria sua ecclesia obtento meminisse, cum contra in aliorum Sanctorum gloria posthuma passim frequenter legantur ad eorumdem tumulos concessa miseris beneficia, atque in ipsa* S. Francisci *Vita per Celanensem in duobus ultimis tertii libri capitulis recenseantur undecim apud primum illius sepulcrum, quadriennii fere, quo in eo jacuit, spatio divinitus impertita. Unicum, quod Bonaventura, ut dixi, refert, contigit fratri Jacobo de Iseo, a prima sua ætate hernia laboranti, cujus curationem in Vita secundum partitionem meam num.* 288 *memorat verbis, quæ hic describo.* F

cujus unus locus in speciem contrarius explicatur;

346 Factum est autem, cum corpus S. Francisci transferretur ad locum, ubi pretiosus sacrorum ossium ejus nunc thesaurus est conditus, adfuit et tunc dictus Frater translationis gaudiis, ut glorificati jam Patris corpori honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in qua ossa sacra fuerant collocata, præ devotione spiritus sacrum tumulum complexatus, et cum lacrymis multis orans, subito miro modo ad loca debita partibus revocatis, sanum se sensit *etc. Hic unicus apud Bonaventuram est locus, ex quo videri posset, secundam* S. Francisci *sepulturam umquam publice notam fuisse, nec tamen is hoc evincit. Etenim cum non dicat sanctus doctor, istam herniosi curationem contigisse, postquam Sancti corpus fuerat translatum; sed :* Cum... transferretur, *nihil obstat, quo minus ea facta fuisse credatur in die translationis ad tumbam, vel arcam, sive veterem sive novam, in ecclesia S. Georgii, in qua sacrum corpus primo, ut diximus, fuit collocatum; vel etiam in ipsa via, per quam ad novam illius basilicam transferebatur. Ex Bonaventura igitur etiam minime constat,* S. Francisci *sepulcri locum in nova illa basilica tum temporis publice notum fuisse; imo oppositum potius ex illius de eodem silentio colligendum est.*

347 *Æque*

AUCTORE C. S. uti et tempore Pisani: nec obstat quidam ejus error,

347 *Æque ignotum jam inde ab Eliæ temporibus fuisse ætate sua, seu in fine sæculi* XIV, *expresse tradit Bartholomæus Pisanus in Conformitatibus. In Conformitate* 8, *parte* II *loquens de fratribus, quorum corpora in ecclesia Assisiensi jacent, sic habet :* Primus est Pater sanctissimus noster, videlicet B. Franciscus, qui... hic requiescit : de cujus corpore ad ostendendum populis nihil invenitur, nec habetur; ac in quo ecclesiæ loco jaceat, etsi quibusdam est agnitum, quibus vero, ignotum. *Idem in Conformit.* 34, *parte* II *manifeste asserit,* S. Francisci *sepulcrum nemini umquam patuisse. En verba :* Sic B. Francisci sepulchrum fuit clausum, ut numquam deinceps patuerit alicui; ejus corpus simul cum capsa fuit portatum et positum, ubi nunc jacet. *Ex hisce duobus assertis colliges, Pisano certe ignotas fuisse visitationes sacri corporis, quæ ante annum* 1399 *factæ dicuntur, imo et determinatum ecclesiæ locum, in quo illud suo tempore quiescebat, quieveratque ab anno* 1230. *Dum vero ipse alibi velut de noto publiceque exposito sepulcro meminit, aut imprudenter ab alio deceptum fuisse, aut de prima Sancti sepultura explicandum, probavi superius num.* 304 *et sequentibus.*

nec chronologi Generalium, ac forte nec Bartholi assertum.

348 *Ibidem pariter ostendi, auctorem Chronicorum* 24 *Generalium certe etiam hallucinatum esse, dum ex Thoma Celanensi duo miracula retulit, velut ea ad publicum* S. Francisci *sepulcrum in sua suburbana ecclesia essent impetrata, quæ tamen ex Celanensi facta constat ante translationem in urbana S. Georgii. Quamvis igitur anonymus iste Chronicorum scriptor forte etiam floruerit versus finem sæculi* XIV, *ad cujus annum septuagesimum quartum ea perduxisse dicitur, ex allegatis locis, quæ a Celanensi imprudens mutuavit, inferri nequit,* S. Francisci *sepulcrum ipsius ætate publice notum fuisse. At Franciscus Bartholus, qui eodem sæculo* XIV *floruit, Pisanoque ac forte etiam chronologo* 24 *Generalium, paulo fuit senior, expresse meminit de* altari, in quo (*ut ait*) corpus B. Francisci requiescit; *quæ verba difficile est de altari in alia, quam in suburbana Assisiensi, eidem Sancto dicata, ecclesia posito interpretari. Vide tamen dicta superius num.* 306 *et* 309.

Latuisse item videtur tempore Pii II;

349 *Post medium sæculum* XV *summum Pontificatum tenuit Pius II, cujus secretarius Joannes Gobelinus in Commentariis de rebus ab illo gestis, ejusdem ad Assisiensem civitatem anno* 1459 *accessum referens, ait :* Huic (*S. Francisco*) nobile templum erectum est, in quo ferunt sua (*id est, ejusdem*) ossa jacere; *qui quidem loquendi modus, uti ignotum Gobelino fuisse sacri corporis prodigium, manifestat; ita et de ejusdem determinato in eadem ecclesia loco tunc non constitisse, indicare videtur. Plura non addo, quia de posterioribus sæculis ad hæc usque tempora nostra ambæ partes consentiunt, præterquam quod earum altera velit, illud non alibi, quam in tertia Assisiensis basilicæ ecclesia, eaque subterranea quærendum esse, altera vero in ara principe ecclesiæ secundæ, non agnoscens tertiam, ut per hujus Dissertationis decursum pluribus expositum est.*

unde simul atque ex veterum silentio, aliisque

350 *Hisce vetustatis tenebris conforme est tum veterum, ut præmisimus, de corporis situ statuque altum silentium, tum ipsius Waddingi, utut pro illius miraculo stantis, de eodem argumento testimonium; qui quamvis archiva omnia, ex quibus aliqua spes affulgebat monumenta comparandi, sua aliorumque opera diligenter scrutatus sit, candide fassus est, nihil ejusmodi se a sui Ordinis alumnis traditum reperisse. Nam ad annum* 1230 *post relatam translationem num.* 4 *subdit :* Quonam modo tunc conditum corpus, nullus, quem viderim, expressit, nec ex nostris ullus est, qui memoriæ tradiderit, se illud vidisse. *Adde et obscura alia; nimirum ignotum tempus, quo corpus surrexerit, dissidentibus ipsiusmet istius prodigii patronis, ac nominatim R. P. Missorio ex Assisiensium patrum traditione id tertio post translationem die, anno* 1230 *factum asserente, auctore vero Dissertationis Romanæ Rugilo negante, ejus rei certum annum assignari posse, ac probabile putante, toto sæculo serius contigisse.*

dubium fit, an non semper latuerit,

351 *Non minus obscurum est, quo auctore et tempore cuniculi, per quos ad sacrum corpus patuisse aditum volunt, cæmentario opere obturati fuerint; dum alii passim hoc post medium sæculum* XV *Sixto IV Pontifici attribuunt; alius in eadem Dissertatione ad marginem monet, vetuisse quidem Sixtum IV, ne deinceps cuiquam pateret ad corpus accessus, sed obstructorum cuniculorum* authores ac tempora penitus incomperta *esse. Unde ergo re vera obturatos fuisse, didicerunt? Nam si visitatio Galeotti, quam* § 10 *retuli, admittenda sit, id nondum factum fuerat anno* 1509 *aut* 1499, *nec quisquam veterum producitur, qui id scriptis consignaverit. Haud dubie reponent, id haberi ex traditione. Sed an ipsa ista traditio satis clara et tuta est, ex qua tam memorabilis rei auctor et tempus aut male assignantur, aut nesciuntur? Si hisce præterea addas, quæ ad infirmandas relationes de viso mirabili corpore adversæ opinionis assertores produxerunt, non omnino inaniter formidari poterit, ne* S. Francisci *corpus, sive corruptum, sive incorruptum sit, sive stans, sive jacens, jam ab anno* 1230 *in sua suburbana Assisiensi basilica latuerit atque hactenus lateat, nec ab ullo visum fuerit, postquam in eadem depositum est.*

Huic dubio favent quædam alia

352 *In hac opinione non magis, quam in altera, mirandum erit, nullas e* S. Francisci *corpore, si dentem, capillos, et aliquid sanguinis excipias, reliquias venerationi fidelium exponendas reperiri. Quantumcumque enim, volueris, fuisse desiderium principum personarum, atque etiam summorum Pontificum, ex eo aliquas obtinendi, mirum non est, non fuisse illis obtemperatum, simul ac ejusdem corporis, sive incorrupti, sive in ossa redacti, occulte selectus atque secreto habitus locus penitus cœpit ignorari. Dens vero, qui ostenditur, si vivo non exciderit, ante postremam tumulationem mortuo eximi potuit; capilli quoque ex iis fuisse, qui viventi fuerant resecti; nam et hos, dum ille viveret, in veneratione fuisse, et miraculo illustratos, tradit S. Bonaventura in Vita edita apud me num.* 99. *Sanguis denique, qui in aliquot locis honoratur, ex eo esse potest, quem e viventis vulnere laterali fluxisse, ex biographis constat, aut etiam si velis, aliquando e viventis manibus pedibusque.*

in opposita opinione captu minus facilia,

353 *Minus etiam mirabimur, non plus sanguinis illius reperiri, quam si tribus, et ultra, sæculis ad sacrum corpus, e vulneribus perpetuo sanguine manans, apertus aditus fuisset, saltem conventus superioribus, et, quos dicunt, ejusdem corporis custodibus, quibus facile fuisset magnorum principum aliarumque de Ordine Minorum optime meritarum illustrium personarum desiderio et postulatis ea ratione satisfacere. Inde etiam non cogimur dicere, locum sacri corporis, ad quem anno* 1499, *seu potius* 1509, *ex supra dicta Galeotti relatione cuniculi etiam patuisse dicendi essent, eodem sæculo* XVI *senescente, adeo ex memoria excidisse, ut reverendissimus Joannes Picus, tunc generalis Minister Ordinis, a S. Pio V summo Pontifice jussus eum quærere, omni labore et opera in quærendo fodiendoque frustratus fuerit. Denique, ne longior sim, non mirabimur, Relationes, quæ de ejusdem corporis visitationibus exstant, tam variare, imo etiam in earum aliquot manifeste fabulosa referri, et in eadem subterranea ecclesia, in qua ab earum auctoribus* S. Francisci *corpus visum dicitur, etiam quædam alia conspecta asseri, quæ ibidem certe non poterant videri.*

§ XX. Recensentur aliquot scriptorum testimonia, post Pisanum asserentium, S. Francisci cor et intestina, a reliquo corpore separata, in æde Portiuncu-lana condita servari.

Sancti cor in Portiuncula

Superest et altera de S. Francisci *corpore quæstio, cum superiori tamen quodam modo connexa, ac propterea*

servari, scripserunt Pisani editor,

A *propterea inter eosdem communis sancti Patris filios pariter agitata; an scilicet illud mox ab obitu, priusquam ad primam sepulturam suam deferretur, exenteratum fuerit, exemptumque cor cum intestinis in ecclesia S. Mariæ de Portiuncula depositum. Ita affirmant quidam RR. PP. Minores Observantes, qui prædictam S. Mariæ ecclesiam tenent; negant RR. PP. Minores Conventuales, qui sancti Institutoris corpus totum et integrum, nullaque sui parte diminutum in sua apud Assisium basilica eo, quo supra dictum est, admirabili modo asservari, contendunt. Sæpe laudatus pater Gabriel a Rothomago, ab affirmantium parte stans, hunc in finem profert scriptores aliquot ordine retrogrado usque ad Bartholomæum Pisanum, quem proinde hujus opinionis antesignanum agnoscit. Primum, seu temporibus nostris propinquiorem, laudat Jeremiam Buchium, Minorem Conventualem, ac propterea minus suspectum; vel Lucium Anguissolam, ejusdem Ordinis Religiosum, qui Pisani libros Conformitatum, ad iteratum prelum a Buchio paratos, anno 1590 Bononiæ excudi curavit. Laudat autem alterutrum, quod, licet in hac editione multa e prima resecuerit mutaveritque, locum tamen in Conformit.* 32, *ubi id Pisanus asserit, intactum reliquerit, addideritque in margine hanc annotationem:* Cor B. Fr. ubi

B sit positum.

Gonzaga, Rodulphius,

333 Secundus (*ita subdit Gabriel*) erit illustrissimus dominus, frater Franciscus Gonzaga, olim Minister generalis Ordinis, et postea episcopus Mantuanus, in suo Opere intitulato : De Origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ, Romæ impresso anno MDLXXXVII. *Gonzagæ verba ex parte* II, *de conventu S. Mariæ de Angelis prope Assisium, accipe.* Juxta summum hujus ecclesiæ altare, ad sacrarii latus ac peculiari quodam in sacello, ejusdem Seraphici Patris cor, quemadmodum et ipse vivens præceperat (facto procul dubio ostendens, quod mortuus quoque hunc locum præ cæteris esset dilecturus) humatum est. *Hinc ad alium progrediens Gabriel,* Tertius, *ait,* est illustrissimus Frater Petrus Rodulphus de Tossiniano, Minor Conventualis, et postea episcopus Senogalliensis, in sua Historia Seraphica, impressa Venetiis anno MDLXXXVI. *Hic fol.* 233 *habet sequentia :* Ut testatum relinqueret (*S. Franciscus*) apud omnes suum amorem, (*erga ecclesiam Portiunculæ*) reliquit ibidem cor suum, a reliquo corpore evulsum; positumque est in capella B. Francisci.

Marianus Florentinus, Jacobus de Oddis,

336 Quartus (*ita rursus Gabriel*) est Marianus Florentinus, Minorita de Observantiâ, et obiit circa annum MDXXV, serviendo pestilentia tactis. Iste in suo Ms., servato Romæ in conventu S. Isi-

C dori, dicit, quod fratres, cum extraxissent de exenterato cadavere interiora, non ea portarunt Assisium cum corpore, sed humarunt apud Portiunculam. *Jam alias monui, Mariani Florentini Chronicon non esse penes me; ideoque ista ex Gabrielis fide relata sunto, uti et, quæ mox subdit hoc modo:* Quintus erit Jacobus de Oddis Perusinus. Iste in sua Francischina, quam scripsit circa annum MCCCCLXXIV, in exemplari Portiunculæ manuscripto, fol. CCCLXXXIV, sic loquitur Italice. *Verba Italica prætermitto, quæ etiam ipsemet Gabriel sic recte addidit Latine :* Antequam ipsum (*Franciscum*) asportarent de S. Maria, secrete ipsi aperuerunt corpus, et extraxerunt interiora, tam ad conservandum melius corpus, quam ut melius adimpleretur prophetia sancti patris Francisci, qui semper dicebat : « Hic volo, quod semper sit cor » meum. » Et fuerunt collocata in altari capellæ, ubi obiit, et sic tenetur ab antiquis.

Leonardus de Utino, et Bartholomæus Pisanus

337 *Hisce Franciscanis addit unum Dominicanum,* Sextus, *inquiens,* erit Leonardus de Utino, Dominicanus. Iste in suo Sermonario, composito circa annum MCCCCXLVI, et typis dato anno MCCCCLXIII, Sermone de S. Francisco sic habet : « In ecclesia » de Angelis cor S. Francisci. » *Auctor Dominicanus hic laudatus, in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum vocatur* Leonardus Matthæi vulgo de Utino; *ubi et idem Opus illius et editio recensentur. Tum alium denuo Franciscanum in testem vocans Gabriel, sic pergit :* Septimus tandem erit Bartholomæus Pisanus, qui quinquies in suis Conformitatibus asserit, cor S. Francisci esse realiter hic in Portiuncula, et, ut cognoscatur, me non loqui sine fundamento, afferam mox textus Pisani in speciali, et non contentus ero citatione generali... Primus textus erit Conformit. VIII, ubi loquitur de Portiuncula : « In hoc loco in signum dile- » ctionis B. Franciscus voluit, quod post mortem » suam suum cor a corpore amotum collocaretur; » ut a fratribus antiquis ego ipse accepi : et est, ut » dicitur, in altari capellæ B. Francisci ibidem » locatum. »

AUCTORE C. S.

quinque in locis;

338 Secundus textus est Conformit. XXXII, ubi sic fatur : « In signum dilectionis, ut dicunt fratres » antiqui, a quibus audivi, B. Franciscus voluit, » quod ejus cor a corpore separaretur, et ibidem » poneretur; et dicitur, quod cor ejus est in altari » capellæ, ubi B. Franciscus mortuus est. » Tertius textus est eadem Conformit. : « Quarto pro- » pter cor B. Francisci, in signum dilectionis ad » locum ibidem positum. » Quartus textus erit Conformit. XXXIV, in qua sic ait : « Cor B. Fran- » ciscus dimisit sepeliendum in loco S. Mariæ de » Portiuncula, ubi decessit, ad ostendendum amo- E » rem, quem habebat ad locum præfatum. Et sic » est factum; nam aperto corpore S. Francisci, » cor accipientes et interiora, in loco S. Mariæ se- » pelierunt. » Quintus et ultimus textus est ibidem inferius, ubi sic dicit : « Excepto corde, ut dicitur, » a corpore extracto, et in S. Maria sepulto. » *Omnes hi textus iisdem plane verbis leguntur in ambabus editionibus Pisani, quas consului, videlicet in editione Mediolanensi anni* 1510 *per Gotardum Ponticum, quæ omnium prima est, et in Bononiensi anni* 1590 *per Alexandrum Benatium.*

quod etiam Marci Ulyssiponensis editiones

339 *Singulare est, quod ex Marci Ulyssiponensis Chronicorum parte* I, *lib.* II, *cap.* 73 *refert, improbatque Gabriel Rothomagensis,* S. Francisci *cor in ecclesia Portiunculæ vere quiescere, sed eo divinitus portatum fuisse manibus angelicis; atque* hoc teneri opinione communi. *Improbat, inquam, hanc translationem, nec immerito, Gabriel; cum ex allegatis testimoniis communis ferat opinio, sacrum illud cor non angelica, sed humana opera, corpori exemptum, et in ecclesia Portiunculana depositum fuisse, dum reliquum corpus ad ecclesiam S. Georgii sepeliendum portatum fuit. Nescio tamen, qua Chronicorum Marci editione hic usus sit Gabriel : in Lusitanica Ulyssiponensi anni* 1615, *quam præ oculis habeo, solum dicitur,* quosdam *ita sensisse. Verba ex Lusi-* F *tanicis Latina habe.* Desideraverat sanctus Pater, dum viveret, corpus suum ita partiri post mortem, ut cor suum remaneret in æde S. Mariæ Angelorum,... et corpus sepeliretur in vilissimo Assisii loco, qui vocabatur COLLIS INFERNI... Hinc QUIDAM TENUERUNT, cor sancti patris Francisci esse in ecclesia S. Mariæ Angelorum, eique (*corpori*) exemptum fuisse per angelos, et magna cum veneratione in quadam capella collocatum.

varie narrant.

360 *Magis dissonat editio Gallica Parisiensis anni* 1623, *in qua post relatum* S. Francisci *corpus suum sic partiendi desiderium subduntur ista Gallice :* Et vero Deus illum hoc justo suo desiderio non frustravit; nam sanctum ipsius corpus sepultum fuit (licet quadriennio primum post...) in loco vilissimo... Quod ad cor illius attinet, communis opinio est, illud esse in quadam cappella S. Mariæ Angelorum, ubi dicitur magna in veneratione servari. *Nulla hic fit de ministerio angelorum mentio, ac meo quidem judicio ad verisimilitudinem accommodatius : quis enim sine certiori testimonio mox credat tam insolitum miraculum Marco asserenti? Ego quidem, si thesaurum illum sæpe dicta ecclesia possidet, non dubito, quin humana opera et exsectus corpori, et ibidem depositus fuerit. Forte tamen, quicumque illi demum sunt, qui istud angelorum ministerium asseruerunt, in hanc ivere opinionem, quod*

AUCTORE C. S.

difficile intellectu agnoscerent, quando ea intestinorum exsectio, stante primorum biographorum narratione fideque, facta sit. At de hoc pluribus infra.

De hac cordis possessione dubitavit Waddingus

361 *Lucas Waddingus, quamquam et ipse ex Ordine Minorum Observantium, quorum est ecclesia S. Mariæ Angelorum, in Annalibus ad annum* 1226, *num.* 40 *de ea possessione dubitavit, dubitandique causam exposuit his verbis :* Pisanus et Perusinus aiunt, exenteratum (*corpus S. Francisci*) corde interioribusque avulsis et in altari sacelli ad sacrarii lævam repositis, ne, dum cadaver, in civitatem transferendum, alibi sepeliretur, remaneret pia illa ædes absque aliqua corporis parte. Quidam ex Assisiatibus, me teste, de hoc dubitant, non improbabiliter putantes, illæsum, integrum et clausum remansisse sacrum corpus; idque eorum majoribus referunt persuasum ab aliquibus, qui illud meruerunt incorruptum videre et palpare. Occasionem vero inde sumptam, ut dicerentur interiora recondita in prædicto delubro, quia Vir sanctus dixit, cor suum ibi remansurum, dum cæterum corpus voluit sepeliendum in Colle inferni, loco malefactorum suppliciis destinato. Utut fuerit, futuræ gloriæ signa manifestius repræsentavit caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitiis in novam
B jam creaturam transierat *etc.*

ductus quorumdam Assisiensium persuasione,

362 *Ex hoc eruditi Annalistæ Minorum loco habemus, agnovisse ipsum, exenterati corporis cor et intestina a Bartholomæo Pisano et Jacobo de Oddis Perusino attribui ecclesiæ S. Mariæ Angelorum, seu de Portiuncula; eaque de possessione ipsum dubitasse propter dubitationem quorumdam recentiorum Assisiensium, qui ipsi dixerant, contrarium persuasum fuisse Majoribus suis ab aliis, quibus concessum fuerat ipsum corpus videre et palpare. At vero conqueritur P. Gabriel, quod Waddingus typis vulgaverit tam levi de causa conceptam dubitationem suam de possessione, quam jam a quadringentis fere annis (ut loquitur Gabriel) nullus umquam impugnasse scitur; quamque partim traditio, partim scriptores, Portiunculanæ ecclesiæ interim addixerant. Ut verum fatear, debilis apparet ista dubitandi ratio, quorumdam scilicet recentissimorum Assisiatium dubium, natum ex asserta quidam, non tamen probata, majorum persuasione, cujus ipsum, quod allegatur, fundamentum minime firmum est.*

quam illi ad majores suos referebant;

363 *Aut enim antiquiores illi, qui prædictorum Assisiensium majoribus sic persuasisse dicuntur,* S. Francisci *corpus vidisse ac palpasse censendi sunt non diu post illius obitum, puta in funere anno* 1226, *vel in translatione anno* 1230, *vel multo tempore post. Si primum, recentiores Assisienses, quos laudat Waddingus, remotiores ab istis vixerunt, quam ut*
C *ex eorum testimonio certum fiat, eorumdem majoribus ita fuisse persuasum ab iis, qui corpus viderant et palparant. Si secundum, illæ ipsæ posteriores sacri corporis inspectiones, ut vidimus, negantur ab aliis, et probationibus egent. Denique quocumque tempore corpus* S. Francisci *ab illis conspectum palpatumque fuisse, voluerint, videri palparique, licet vere fuisset exenteratum, neque id necesse fuisset ab illis deprehendi; cum utique illi istud saltem non vidissent nudum, sed sua veste tectum. Ceterum, quod spectat ad occasionem, ex qua ex eorumdem Assisiensium sententia nata fuerit opinio de ejusdem Sancti corde apud Portiunculam deposito, hæc non inepta mihi apparet; sed neque ex solo ejusmodi testimonio satis probatur. Redeo ad Gabrielem huic opinioni adversantem.*

dein negarunt Faber et Rivotortus, et ante hunc S. Josephus a Cupertino.

364 Post dubitationem Waddingi (*ita pergit Gabriel*) primus, qui negavit, cor S. Francisci esse hic in Portiuncula, fuit Gabriel Faber, Gallus Minor Conventualis, anno MDCXXVII in suo Discursu panegyrico de Assisiate basilica Franciscana, hoc est, quadringentos et unum annos post mortem S. Francisci, et biennio post dubitationem Waddingi impressam. Primus, qui dixit, saltem scripto impresso, quod sciam, cor S. Francisci esse hic in Portiuncula SOLUM MORALITER ET AFFECTUOSE, et NON REALITER, fuit pater Rivotortus .... Et hoc dicit in libro postumo, tit. XIV; et iste liber fuit impressus D
anno MDCCIV... Et sic primus post fere quingentos annos ab obitu Seraphici Patris voluit concordare opinionem Gabrielis Fabri cum Pisano, et aliis antiquis de existentia cordis Seraphici in Portiuncula, intelligendo affirmationem Pisani SOLUM AFFECTIVE, et negationem Gabrielis Fabri SOLUM REALITER. *Neutrum laudatorum Opusculorum penes me est, nec negare possum, aut Waddingum omnium primum suam hac super re dubitationem typis vulgasse, aut Gabrielem Fabrum eamdem de servato apud Portiunculam* Francisci *corde opinionem pariter primum typis publice negasse. At certe ante Rivotortum, anno scilicet* 1639, *sacrum illud corpus exenteratum fuisse, verbis negaverat S. Josephus a Cupertino. Minor Conventualis, ejusdemque cordis in ecclesia Portiunculana præsentiam de solo sui sancti Patris erga illum locum affectu interpretatus fuerat, uti constat ex testimonio authentico, quod legesis supra* § 12.

Pisani verba clara sunt,

365 *Habes, erudite lector, quæ pro* S. Francisci *exenterato corpore, illiusque corde cum intestinis in Portiunculana sacra æde deposito proferuntur. Non potuit, ut vides, P. Gabriel pro sententia sua antiquiorem allegare, Bartholomæo Pisano in libro Conformitatum, quem anno* 1399, *hoc est, centum circiter ac septuaginta tribus annis post obitum* E
Francisci, *vulgandi potestatem obtinuit. Et laudat quidem ille* Fratres antiquos; *sed quos, qualesve, non explicat. Ipsum vero in discernendis, quæ audierat, legeratve, minime accuratum criticum fuisse, inficiabitur nemo, qui ipsum legerit. Primus ergo omnium, qui nominatim scitur possessionem sacri cordis* Francisci *Portiunculanæ ecclesiæ attribuisse, est Bartholomæus Pisanus, cujus auctoritatem si quis hic magni facere velit, is frustra ipsum non de proprie dicta cordis in eo loco præsentia, sed de solo peculiari ipsius Sancti ad eumdem pio affectu, cum Rivotorto interpretabitur; clariora enim sunt Pisani verba, quam ut ad hunc sensum ullo modo possint detorqueri. Audiamus ergo argumenta, quibus RR. PP. Conventuales possessionem istam apud Rugilum impugnant; et quoniam illius asserendæ primus auctor legitur Pisanus, de hoc ordiamur.*

sed hæc ipsius esse,

366 *Affirmant illi, Pisanum, etiamsi ea, quæ de exenterato corpore in illius Opere leguntur, ab aliis multis accepisset, necessario debuisse omittere, nisi quis malit ipsum pene amentem dicere, atque adeo nullam ei hac in controversia fidem concedere. Ut id probent, observant, Pisanum in eo Opere constituisse,* S. Francisci *conformitates cum Christo Domino nostro conscribere, quod ipse libri titulus totusque contextus declarant; ac propterea ei liberum* F
fuisse ex Francisci *gestis ea solum seligere, quæ ad suum illud propositum magis pertinebant, et tacita præterire, quæ adversabantur. Quam ob rem, cum certissimum sit, sanctissimum Christi corpus numquam fuisse exenteratum, non debuit Pisanus ibidem de exenterato* Francisci *corpore loqui, imo nec potuit, inquiunt, nisi palpabilem difformitatem pro conformitate insulse voluerit lectoribus obtrudere : quod si fecerit, qua fide hic dignus erit? Adhæc observant, multa in eodem Opere reperiri, quæ Pisani non sunt, sed ab interpolatore inserta; quod pariter constat ex factis Pisano posterioribus, quæ in eodem Opere leguntur. Unde concludunt, ea, quæ de exenterato Sancti corpore in illo dicuntur, Pisani non esse, sed interpolatoris.*

imo, esse posse, negant alii,

367 Hæc vero (*inquiunt*) ut patentius dignoscantur, duplicem hic Pisani locum expendendum proponimus. Conformitate VIII ecclesiam S. Francisci describens, hæc de corpore subdit : « De » cujus corpore nihil invenitur, nec habetur ad » ostendendum populis. » Et Conformitas XXXIV ipsa, quam pro se usurpat (*Gabriel*) argumentum, hæc reddit : « Sicut de Christi corpore posito in » sepulcro nihil extra remansit, imo, quod extra » remanserat, scilicet sanguis, in resurrectione » positum fuit in corpore et sepulcro, sic » (advertite diligentissime hic conformitatis partes, et quid omnino

A omnino in Francisci corpore ex vi conformitatis sequi debeat) « sic de corpore B. Francisci; taliter » enim clausum extitit, ut nihil de ipso penitus » pro reliquiis et veneratione habeatur. » Huc usque Pisanus est, et sibi cohæret, et conformitatem tuetur, et assumptum probat, et id, quod per illud SIC inferendum erat, infert. Sed videte (mirum!) quæ immediate sequuntur e regione opposita : « Excepto corde et visceribus, ut dicitur, » a corpore extracto, et in S. Maria sepulto. »

nisi sibi contraria scripsisse

368 Item, quid est hoc? Ubi illud SIC DE CORPORE S. FRANCISCI? Cur dicis : SIC, quod sic futurum non erat, sed aliter atque penitus diversum? Ubi illud : NIL PENITUS DE IPSO PRO RELIQUIIS, quod mox futurum erat, non solum non penitus nihil, non solum aliquantisper reliquiarum; sed pene media in quantitate, et in qualitate melior ac potior pars corporis? Ubi advertite (ne istinc effugiant) ibi jam concedi, cor et viscera esse reliquias ostensioni ac veneratione præstabiles. Cur, inquam, homo hic statim destruit, quod mox assumpserat? Vel cur in eadem periodo assumit simul et destruit idem? Quid clarius? Sed tamen etiam præclarius ex immediate adnexis. « Et sanguis » (pergit) « qui de B. Francisco » reperitur, etsi probabile est, quod sit de corpore » ejus, tamen est de imaginibus, ad probandum, B » eum vere stigmata habuisse, distillatus et diffu» sus. » Hui, vere monstrum!... Hic oculis conspicite, manuque palpate Pisani indolem, Operis mixturam, interpolationis inexcusabilem necessitatem. Tantopere ergo iste decertabat in conformitatibus comparandis, ut, cum videret sanguinem Francisci jam vulgo extra corpus, hocque difformitatem facere videretur, coarctatus angustiis, etiam ad manifestum mendacium, imo et ad fœdissimam et audacissimam imposturam et insaniam confugerit, ut difformitatem abstergeret, et conformitatem inceptam per fas nefasque tueretur.

et insanisse dicatur;

369 Commentus est ergo, sanguinem (ut ita, modeste tamen, loquamur) S. Francisci extra corpus positum, non esse pretiosum, seu verum, sed miraculosum, seu falsum. Deus bone! quænam hæc necessitas, quid opus hoc erat, vel quid proficit tantum nefas?... Cum statim cor et intestina extra corpus clament... manifestissimam, absolutissimam, maximam difformitatem, cur difformitatem sanguinis, quæ erat minima, vidit, et etiam cum veritatis, honestatis, rationis, pietatis, religionis, dispendio composuit, et ad propositam uniformitatem violentissime revocavit; difformitatem vero cordis et viscerum, quæ erat maxima et apertissima, cæcus stupidusque non vidit? Eccur C nihil etiam commentus est ad defendendam cordis et viscerum explicatissimam, oculosque cientem ac terebrantem difformitatem; vel etiam, si quidquam effutire debuisset, jam quid aliud ex præmissis, nisi reditus cordis et viscerum ipsorum ad corpus ipsum, esse potuisset? Sicque semel quidem et iterum fuisset Pisanus infans et absurdus, sed bis etiam eadem ipsa absurditate sua seipsum et argumentum a se petitum destrueret, et bis insuper nostram responsionem atque sententiam ipsissimis ineptiis suis confirmaret. Igitur... videre videmur, constantissime statuendum et definiendum alterum ex his duobus : Aut Pisanus insanit; et hoc belle quidem nos adjuvat (sed hominem tantopere despicere nolumus) aut verba illa Pisani non sunt, sed posterioris alicujus male feriati interpolatoris; et hoc scriptorem purgat et tuetur, ut decet; nos autem ab omni prorsus argumenti importunitate dissolvit.

aliaque adversus illius dicta observant.

370 Contemnimus autem, his dictis, tum id, quod addere jure possumus; nempe Pisani, seu verissime interpolatoris, formulas ipsas esse dubitativas toties, quoties in illis libris hæc ingessit, scilicet : Ut aiunt, Ut fertur, Ut dicunt patres antiqui : tum illud, quod duo illi scriptores alii (*Marianus Florentinus et Jacobus de Oddis, num.* 336 *recensiti*) qui more ovium Pisanum secuti sunt, et ipsissima illius verba, etiam dubitando, usurparunt, nihil magis, quam Pisanus, valere debeant. AUCTORE C. S. Missa postremo facimus addititia, et alia, quæ supersunt sexcenta; ut loco exempli : Si ex Pisano ea habent, quæ ostendere populis possint, cur numquam ostenderunt? Tum : Incorruptane ea volunt, an dissoluta? Secundum renuunt; si ergo primum, eccur corpus solidius incorruptum recusant, viscera vero fragiliora, integra non diffitentur? Sed hæc et alia dimittimus, re confecta : hæc enim omnia et quicquid reliqui hac super re dici possit, ex sese manifesta sunt, et jam alia argumentatione et comprobatione non indigent. *Huc usque Rugilus, ita concludens, quia jam præmiserat alia argumenta, aliunde petita, quibus exsectionem viscerum impugnavit, quæ sequenti § dabo, et expendam: nam hic de solius Pisani, et qui hunc secuti hac in parte fuerunt, auctoritate dissero : nunc allegata ponderemus.*

At non probant, Pisanum semper dubitanter locutum,

371 *Quo loco apud nos sit Pisani auctoritas, tum in Commentario ad Vitas* S. Francisci *prævio, tum in Analectis, tum etiam in hac ipsa Dissertatione satis superque indicatum est; sed ad præsens argumentum peculiaria quædam addenda habeo. Non in omnibus textibus a Gabriele pro exenterato corpore allegatis, sed in solo ultimo, seu quinto, Pisanus usus est phrasi dubitationem indicante. Nam verba illa in primo et secundo posita :* Ut a fratribus antiquis ego E ipse accepi; *et :* Ut dicunt fratres antiqui, a quibus audivi, *non sunt dubitantis, sed dicta sua antiquorum testimoniis firmantis. Dum autem in iisdem duobus textibus utitur verbis dubium innuentibus, ea refert ad determinatum Portiunculanæ ædis locum, in quo cor sit depositum, uti consideranti facile apparebit. In primo enim textu verbis mox relatis subdit :* Et est, ut dicitur, in altari capellæ B. Francisci ibidem locatum. *In secundo autem verbis similiter datis subjicit :* Et dicitur, quod cor ejus est in altari capellæ, ubi B. Franciscus mortuus est. *At vero in tertio et quarto textibus, ubi de determinato cordis ac viscerum loco non meminit, omisso quoque verbo* Dicitur, *indubitanter loquitur, priori loco asserens, sacram illam ædem omnibus Minoribus charam esse debere, tum aliis de causis, quas refert, tum* prcpter cor B. Francisci, in signum dilectionis ad locum, ibidem positum; *in posteriori autem dicens:* Cor B. Franciscus dimisit sepeliendum in loco S. Mariæ de Portiuncula.... Et sic factum : nam, aperto corpore S. Francisci, cor accipientes et interiora in loco S. Mariæ sepelierunt. *Solus igitur superest textus quintus, qui hujusmodi dubitationem de exenterato corpore per voces,* Ut dicitur, *insinuare potest videri.*

aut illa non esse Pisani,

372 *Quod ad conformitates attinet, quis omnimodas atque omni ex parte congruentes Christum inter* F *et* Franciscum *a sanæ mentis scriptore exspectet? Videtur autem hæc, qua de agimus, conformitas ibidem dumtaxat constitui in eo, quod, quemadmodum e Christi corpore nullæ reperiuntur reliquiæ, fidelium veneration exponendæ, quia sepulcrum, in quo illud integrum fuit positum, mansit clausum, ex eoque clauso integrum resurrexit; ita nihil pariter e* Francisci *corpore eorumdem veneration exhibeatur, quia, corde illius cum intestinus in ecclesia Portiunculana sepulto et latente, totum reliquum corpus suo sepulcro vel sarcophago ita semper inclusum mansit, ut inde nihil eximi potuerit. Conformiter ad hæc ibidem proxime præmiserat :* Sicut sepulchrum Christi fuit clausum et signatum cum custodibus, sic B. Francisci sepulchrum fuit clausum, ut numquam deinceps patuerit alicui : ejus corpus simul cum capsa fuit portatum et positum, ubi nunc jacet. *Porro, cum sibi objici posse, intelligeret,* S. Francisci *sanguinem in nonnullis locis ostendi, respondit, non esse necesse, ut sanguis ille naturalis ipsius esse credatur, cum esse possit ex illo, quem ex ejusdem sacris imaginibus fluxisse præmiserat, quod quidem non probo, nec tamen dictu nefas esse, existimo.*

sed inepti interpolatoris:

373 *At, inquies, late petita est hæc conformitas, tantaque superest ab exemptis visceribus difformitas, ut,*

AUCTORE C. S.

ut, si sapuisset Pisanus, debuisset ea tacita præterire. Fateor; sed non tam accuratum prudentemque scriptorem Pisanum novimus, quin in hujusmodi ineptias facile potuerit incidisse, maxime cum susceptum ab illo scriptionis argumentum eum cogeret, qualescumque conformitates consarcinando, claudicare. Tale etiam est, quod ibidem subditur : Sicut Christus quadraginta horis..... stetit (*id est phrasi Italica*, fuit) mortuus, et triginta sex in sepulchro, et postea inde resurrexit; sic B. Franciscus stetit (*hoc est*, fuit) quadraginta mensibus, et parum plus, in primo loco (*in prima sepultura*) translatus ad ecclesiam, in qua nunc jacet. *Quantum hæc quoque conformitas claudicet, quis non videat? Non ausim igitur controversa verba imperito interpolatori potius, quam Pisano adscribere; sicut ipsemet Rugilus supra num.* 86 *et sequenti ea, quæ de exenterato corpore in Francischina leguntur, utut aliis, quæ in eadem habentur, parum consona, non interpolatori, sed ejusdem Francischinæ auctoris, Jacobi de Oddis, imperitiæ imprudentiæque tribuere maluit, ne Francischinæ Perusinum Montis-Lucidi codicem interpolatum agnoscere cogeretur.*

nec sane contemnenda sunt.

374 *Si tamen illa dicta Pisani non sint, oportet, hanc interpolationem admodum antiquam esse, cum eadem Marianus et Jacobus de Oddis, fatente Rugilo, fere descripserint. Si vero Pisani sint, fatendum pariter est, eam de exenterato Sancti corpore opinionem non esse saltem sæculo* XIV *recentiorem, sique eodem tempore tam nota fuisset opinio altera de eodem corpore incorrupto, nullaque sui parte imminuto, et in pedes erecto stante, non fuisse compellendum Pisanum ad tam insulsam conformitatem excogitandam; sed aptiorem a corpore integro ac velut vivo repetiturum fuisse. Utinam pro tam singulari corporis miraculo testimonium Pisani, qualiscumque Conformitatum scriptoris, haberemus! Magis urgent alia argumenta, adversus viscerum exsectionem a Rugilo producta, quorum præcipua solum, de nimis prolixus sim, in sequenti* § *examinabo.*

§ XXI. Alia argumenta, quibus impugnatur præmissa de exenterato S. Francisci corpore opinio, expenduntur.

Conventuales hanc opinionem varie impugnant;

Adversus expositam præcedenti § *de exsectis e corpore* S. Francisci *corde et intestinis, atque in sacra æde Portiunculana depositis opinionem sæpe laudatus Rugilus in primis merito urget altum de tam memorabili facto silentium veterum scriptorum, puta, Thomæ Celanensis, Thomæ item, vel, ut aliis placet, Joannis Ceperanensis, Trium Sociorum, ac denique S. Bonaventuræ, et si qui alii ante Bartholomæum Pisanum* S. Francisci *res scriptis prosecuti fuere. Mutat ergo hic arma Rugilus, et quibus alii sacri corporis incorruptionem, integritatem atque mirabilem situm impetierunt, eadem in illos retorquet. Et istorum quidem veterum silentium, quod adversus causam Patrum Conventualium nihil valere autumat, magni hic esse ait ponderis; quia asserta viscerum exsectio ignorari ab antiquis illis nullo modo potuisset; quia illorum hac de re silentii causa nulla allegatur, aut allegari potest; quia, secus atque fit pro miraculo corporis integerrimi stantis, nulla pro ista exstant oculatorum testium monumenta, nullaque stat traditio; imo hæc eidem adversatur.*

nimirum est silentio veterum, quibus hæc exemptio viscerum

376 *Non potuisse evulsionem viscerum antiquis istis latere, Rugilus triplici argumento probare nititur. Primo ex sancti Patris mandato; secundo ex mandati exsecutione; tertio ex eorumdem intestinorum sepultura. Ex mandato quidem, inquit, quia neutiquam verisimile putat, sanctum Patrem hanc suam supremam voluntatem uni dumtaxat soli clanculum indicasse; si enim voluit hoc sui amoris perpetuum monumentum dilectissimæ sibi Portiunculanæ ædi legare, cur id solum uni aut alteri notum voluisset; maxime cum hoc prudentis non fuisset, sed obnoxium periculo, ne inter filios gravis altercatio discordiæque exsurgerent, dum paucissimi vellent sancti Patris sui cadaveri cor et intestina eximere, nolentibus aliis, paterni mandati prorsus ignaris, id permittere. Verisimillime quidem nescivit* Franciscus, *quid corpori suo mox ab obitu futurum esset; verumtamen si exsectionem soli uni et alteri secreto præceperit, mirum sane fuerit, si istius præcepti nescii non ægre passi sint, exenterari communis Parentis sui corpus, quod Deus tam insolito post mortem decore donaverat, ut (Bonaventura teste in Vita edita)* et passionis Christi effigiem privilegii singularitate præferret, et novitate miraculi resurrectionis speciem prænonstraret.

non potuisset latere; nec tamen illi silere debuisse

377 *Porro, licet mandatum ipsum tam secreto datum fuisset, negat Rugilus, aut hujus exsecutionem, aut intestinorum sepulturam fieri potuisse sine notitia operaque aliorum fratrum Minorum, qui eamdem ædem incolebant, funerique adstabant. Si autem sciverint, cur tacuerint, rogitat, quod ex communis sancti Patris sui suprema voluntate fecerant? An a furibus cavendi gratia sacrum illud depositum, depositique locum secreta omnibusque ignota esse voluerunt? Verum hæc ratio æque, si non etiam magis, faciebat pro abscondendo toto reliquo corpore; quod si fieri mox ab obitu nequiverit, potuit certe, postquam anno* 1230 *illud in novam sui nominis ecclesiam fuit illatum. Quare, cum Gabriel nihilominus contendat, reliquum corpus in publico ecclesiæ altari, omnibus toto, tunc fuisse depositum, atque in hæc nostra usque tempora jacere, non satis æquo jure istam secreti causam seu metum a furibus pro opinione sua in causa viscerum allegavit.*

videntur : item ex traditione ac vetusto carmine,

378 *Si deinde primigenias Vitas consulamus, non modo nihil in his legere est, quod vel levissimam de eviscerato corpore suspicionem moveat, sed etiam infra pluribus ostendam, perquam difficile esse, factum istud cum iisdem conciliare. Traditionem Assisiensium eidem opinioni etiam adversari, probatum credidit Rugilus ex testimonio Waddingi, quod num.* 361 *jam recitavi. At præterea hic addit :* Idem Waddingus ad eumdem annum (1226) exhibet vetustissimum elogium status, privilegiorum, prærogativarum, ac demum eorum omnium, quæ in ecclesia Portiunculana primitivorum temporum continebantur, in quo nullum est verbum aut vestigium de corde atque visceribus S. Francisci ibi asservatis. Hoc silentium profecto quædam est vox, et negativum hujusmodi argumentum manifeste vim habet positivi. Nam elogium illud unice incumbit in illius ecclesiæ prærogativis enumerandis et extollendis : si cor ergo et intestina sancti Parentis in illa ecclesia fuissent, nedum prærogativa hæc præteriri sine stupiditate summa non potuit, sed nec elogium ipsum aliunde incipere debuit; nihil enim præstantius laudandum atque possidendum venisset.

Gonzaga et S. Josephi Cupertinensis testimonio.

379 Præterea Gonzaga, Minister generalis Ordinis Minorum Observantium, qui sæpius pro munere suam illam ecclesiam S. Mariæ Angelorum invisit, de ea scribens in secunda sui Operis parte, dilucide affirmat, alias ibi sancti Parentis reliquias non asservavi, NISI stigmatum sanguinis guttulas, et assidem, in quo totum est S. Francisci corpus. Hoc iterum est silentium, magnam vocem emittens, et argumentum negativum, positivo etiam virilius. Hoc insuper syncathegorema est omnino propositionem coarctans, et reliqua excludens. His omnibus pro coronide adjicimus jam superius recitata verba Beati (*nunc Sancti*) Josephi a Cupertino per juratum testem. *Hæc rursum ex erudito Rugilo, qui deinde et alia profert argumenta, eodem conducentia, quæ, priusquam recenseam, jam proposita expendamus, ne ex nimia eorumdem conglobatione sermo fiat implexior, aut ex repetitione refricandæ memoriæ gratia proxilior.*

Expenduntur illa traditio et carmen :

380 *Quod ad objectam traditionem attinet, bona eruditi Rugili gratia respondeo, non dixisse Waddingum, ita omnes Assisienses, aut horum maximam partem ita sentire, sed solum* quosdam. Quidam, *inquit,* ex Assisiatibus, me teste, de hoc (*de eviscerato*

A *rato Sancti corpore*) dubitant *etc.; neque addit, hunc communem esse Assisiatis populi sensum. Hoc unum igitur ex Waddingi verbis in rem suam conficere potest Rugilus, fuisse etiam tunc Assisiates quosdam, qui de quiescente in Portiunculana ecclesia* S. Francisci *corde dubitabant. Elogium num.* 378 *laudatum legi potest citato ibidem loco apud Waddingum, exstatque etiam, sed corruptius, apud Rodulphium lib.* II *Historiæ Seraphicæ Religionis. Neuter illius ætatem indicat*, aut Vetustissimum *appellat; Waddingus solum ait :* Præcipua hæc capita (*decora ædis Portiunculanæ*) quisquam rudi et impolito ita complexus est carmine. *Vere rude illud est, inconcinnis Leoninis versibus constans. Cujuscumque autem illud ætatis sit, de corde ac intestinis* S. Francisci *ibidem positis non meminit; sed, quod magis mireris, par in illo est de Portiunculana indulgentia, si non magis, certe non minus, inter ejusdem ædis decora memoranda, silentium, ex quo tamen nollet ipse Rugilus tam validum adversus celebrem istam Indulgentiam argumentum negativum deduci, ut vim positivi haberet. Ut igitur de hac anonymus iste male tacuit, ita et de sepultis in eodem*

B *loco* S. Francisci *intestinis potuit perperam siluisse.*

Gongaza cordis possessionem Portiunculanis asserit : de S. Josepho alibi dictum est.

381 *Illustrissimi Gonzagæ Opus de Originibus Seraphicæ Religionis Franciscanæ, anno* 1587 *Romanis typis editum habemus, nec aliam ejusdem editionem novimus; sed in nostra hac longe diversa a mox allegatis leguntur. Ea accipe ex parte* II, *pag.* 137, *ubi agitur de conventu S. Mariæ de Angelis, seu Portiunculano :* Nec minori cura et diligentia aliquantulum sanguinis sacrorum stigmatum Seraphici Patris, aliquot crines B. Claræ, quædam reliquiæ Terræ sanctæ, nec non et asser, cui exanime corpus ejusdem sanctissimi Patris superpositum fuit, a Fratribus custodiuntur. *Nullum hic syncathegorema est, omnes* S. Francisci *reliquias ex eadem sacra æde excludens; imo oppositum docet ipsemet Gonzaga, ibidem pag.* 136 *præmittens de eodem conventu :* Juxta summum hujus ecclesiæ altare, ad sacrarii latus, ac in peculiari quodam sacello, ejusdem Seraphici Patris cor, quemadmodum et ipse vivens præceperat (facto procul dubio ostendens, quod mortuus quoque hunc locum præ cæteris esset dilecturus) humatum est. *Quid clarius? Itaque, si qua sit Gonzagæ hac in controversia auctoritas, ea possessionem cordis* S. Francisci *ecclesiæ Portiunculanæ asserentibus favet, abjudicantibus refragatur, nisi in iterata aliqua editione, nobis ignota, opinionem suam ille mutaverit. S. Josephi Cupertinensis*

C *testimonium expensum est superius in* § 12.

Negat etiam Rugilus præceptum, quod allegant alii,

382 *Pergit Rugilus eamdem opinionem quatere, negatque, assertum* S. Francisci *mandatum ullo modo esse verisimile, ac in primis ita disserit :* S. Franciscus morti proximus palam ab Helia interrogatus, ubinam vellet humari, hæc publica reddidit verba : « Si gratum mihi peccatori nequissimo » rependere velis, corpus meum in Colle inferni » (*locus is erat prope Assisium, in quo nunc visitur magnifica ejusdem Sancti basilica*) « ubi facinorosi » plectuntur, sub ipsomet patibulo sepeliri jubeas. » Hæc est ipsissima et integra sancti Parentis responsio, apud omnes biographos celeberrima. Nunc, quæso te, quando avulsionem cordis et viscerum, et illorum depositionem apud Portiunculam præcipere debuisse aut potuisse, rationabiliter suspicabimur; cum videas, in extrema voluntate de membrorum suorum depositione tractare; sepulturæ locum humili prece decernere; et verbum penitus nullum de corde atque visceribus alibi alia de causa condendis inserere? Si sua hæc erat voluntas, omnino id tunc adjicere debuisset. Si etiam aliquando istud dixerat, tunc in ultima voluntate necessario iterandum fuisset. Nec te recipias ad aurium arcana : hoc penitus sinceritate atque candore Seraphico erat indignum. Præterea filiis reliquisset, non pacem, sed contentionum seminarium : nam tentantibus ignorantes merito restitissent, et ad extremam illam absolutissimam voluntatem instantissime provocavissent. *Hactenus denuo Rugilus.*

AUCTORE C. S. *vere esse S. Francisci,*

383 *Ego in Commentario prævio num.* 699 *jam monui, in antiquissimis, quas edidi, Vitis non legi istud* S. Francisci *seu desiderium seu præceptum de corpore in Colle inferni aut sub patibulo terræ mandando, nec antiquiorem, qui id dixerit, a me repertum esse, quam Pisanum; ut proinde Thomas Celanensis, Anonymus Vitæ secundæ auctor, Tres Socii, sanctusque Bonaventura accenseri nequeant* omnibus *illis* biographis, *apud quos memorata* S. Francisci *ad fratrem Eliam responsio esse dicitur* celeberrima. *Si tamen* (*ut existimo*) *etiam ii, contra quos hic disserit Rugilus, istud* S. Francisci *mandatum pro certo habeant, vis sua manet argumento relato. Ut hoc etiam magis urgeat Rugilus, observat ex S. Bonaventura in Vita, apud me num.* 210, Franciscum, *morti proximum, mandasse suis, ut demortuum corpus, simul atque exspirasset,* per tam longum (*temporis*) spatium nudum super humum jacere permitterent, quo unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset; *hoc autem posito, petit laudatus Rugilus, quid sibi velit ista tam varia sancti Viri voluntas, ut corpus suum dicto temporis spatio nudum in nuda humo relinqueretur, ac deinde sepeliretur sub patibulo; at cor tamen cum intestinis exemptum in sacra humaretur æde? Horum, ut verum fatear, duo priora mandata dignam* Francisco *humilitatem, suique despectum* E *sonant; tertium redolet morem in principum funeribus usitatum, quorum videlicet cadavera solent exenterari, et intestina diverso a reliquo corpore loco honorifice deponi. An, qui corpus suum non alia, quam sub patibulo sepultura, ex vera humilitate dignum judicasset, tantam de intestinis suis reponendis curam habuisset?*

quod nec mihi satis verisimile apparet.

384 *Mitto plura; neque enim dissimulare possum, mihi parum verisimile videri, ejusmodi corporis partitionem, si umquam facta fuerit, ipseque corpus suum sub patibulo humari jusserit, a* S. Francisci *mandato profectam esse. Atque hoc quidem absonum evitabit, qui dixerit, humillimum* Franciscum *nullam in exemptione viscerum suorum partem habuisse, sed eam unice factam esse ex consilio fratrum, ne nulla sacri corporis portio in adamata illi Portiunculana æde remaneret. At quisquis ita senserit, id sine idoneo teste faciet, ac difficulter temeritatis absolvet sancti Patris discipulos, qui corpus illius tam insolitis signis divinitus dotatum, quale a primis biographis describitur, injussi dissecare atque exenterare sint ausi. Accedunt et alia, quæ eam viscerum exemptionem, sive ex ipsiusmet Sancti suprema voluntate, sive aliter, factam malis, minus probabilem reddunt; ea scilicet, quæ iidem primi biographi inter* S. Francisci *obitum et sepulturam gesta narrarunt.*

F

Primorum biographorum silentium, et narratio

385 *Multis hæc deducit Rugilus; ego brevius expediam ex Vitæ per Bonaventuram scriptæ capp.* 14 *et* 15. *Obiit* Franciscus *vesperi post occasum solis; defuncto mox alaudæ miro super ædem volatu cantuque applauserunt; corpus vero ejus, quod tam ex natura sua, quam ex infirmitate, ante declinabat in nigrorem, subito candore nituit; caro instar puerilis lenis ac tenera facta est; clavi in manibus pedibusque, colore suo ferreos imitantes; plagaque lateralis, ut vernans flos rubescens, in candida illa carne admirabile jucundumque spectaculum exhibebant. Dum tam insolito spectaculo fratres obstupefacti inhærent, cœptumque in charissimi Patris sui luctum in gaudium vertunt, adsunt magno numero Assisienses, primo mortis illius rumore acciti. Jungunt se fratribus, spectant, mirantur, osculantur corpus. Accedit et vir nobilis litteratus, plagam lateris palpat, manuum pedumque clavos versat, atque ita dubium, quod de stigmatibus hactenus in animo foverat, penitus deponit.*

degestis a Sancti obitu et funere

386 *Quid inter hæc ac deinde factum sit, ita exponere pergit Bonaventura :* Fratres autem et filii, qui vocati fuerant ad transitum Patris, cum omni multitudine populorum noctem illam, in qua almus Christi Confessor decessit, sic divinis laudibus dedicarunt, ut non Defunctorum exequiæ, sed

AUCTORE C. S.

sed angelorum excubiæ viderentur. *Habes, quæ a* Francisci *obitu, id est, a vespera post solis occasum, usque ad posterum mane in æde Portiunculana apud illius cadaver gesta fuisse, Bonaventura docuit post Thomam Celanensem, quem etiam consule, si lubet, in Vita prima lib.* II, *capp.* 3 *et* 4. *Redeo ad Bonaventuram, reliqua subjicientem.* Mane autem facto, turbæ, quæ convenerant, acceptis arborum ramis, et cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis et canticis sacrum corpus ad civitatem Assisii detulerunt. Transeuntes vero per ecclesiam S. Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara, nunc gloriosa in cælis, tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus, margaritis cælestibus insignitum, videndum et osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. Pervenientes denique ad civitatem cum jubilo, pretiosum thesaurum, quem portabant, in ecclesia S. Georgii cum omni reverentia condiderunt.

usque ad sepulturam non permittunt credi,

387 *Lege ac relege, si vacat, assignata ex Bonaventura et Celanensi capita; frustra mortem inter et sepulturam vel verbulum quæres, quod vel levissimam, seu publice, seu secreto exenterati corporis suspicionem tibi possit movere. Imo vero nec opportunitatem sectioni isti secreto faciendæ invenies, adstante scilicet semper populo, et cum fratribus*
B *totam noctem in divinis laudibus ad venerabile corpus insomnem ducente. Publice autem factam non esse, clamant utriusque biographi silentium, rerumque tunc gestarum narratio. Descripserunt illi tam accurate totius sacri corporis habitum, candorem ac mollitiem; observarunt, nigros in manibus pedibusque clavos, et rubeum lateris vulnus, varietate sua in candidissima carne mirum jucundumque dedisse spectaculum. Cur nihil de sanguine, qui e secto corpore profluxerit, eamdemque carnem tinxerit, cur nihil de Sancti corde meminerunt? Nam, ut illi hæc ex industria celavisse credantur, nulla suadet ratio, nec illorum patitur in scribendo sinceritas. Hisce adde (quod prolixe tractavit Rugilus) nullibi ostendi seu culiellum, seu pelvim, seu quidpiam aliud ex iis, quibus in eviscerando corpore opus certe fuisset; seu denique sanguinem ex eodem tunc defluum, seu linteola ad eumdem detergendum adhibita; cum tamen alia, quæ Sanctus vivens mortuusque suo tactu usuque sacravit, magno cum studio sacras inter reliquias merito serventur, et piorum osculis exhibeantur.*

illius corpus intermedio tempore exenteratum fuisse. An forte postea?

388 *His argumentis inducor, ut credam,* S. Francisci *corpus, aut numquam, aut serius, evisceratum fuisse. Si primum, videtur Pisanus (nempe si Pisani verba sint, quæ ex Conformitatum libris supra retuli) vel quos ipse ibidem laudavit, fratres antiqui*
C *hallucinati fuisse, dum, quæ de sancti Patris sui peculiari in Portiunculanam ædem affectu audierant, de ejusdem corde post obitum ibi deposito interpretati sunt. Potuit scilicet* Franciscus *aliquando dixisse, cor suum ibi semper fore, eo sensu, quo Lucæ* 12, ℣ 34 *dicitur :* Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. *Hac certe ratione S. Josephus a Cupertino, num.* 207 *relatus, et Assisiates quidam apud Waddingum interpretati sunt* S. Francisci *cordis in eo loco præsentiam. Si vero secundum, mallem suspicari (quamquam et hoc admodum difficile creditu sit) factum id clam esse non diu postquam corpus in S. Georgii ecclesia depositum fuerat; tuncque exempta viscera clanculo delata ad Portiunculam, ne tantopere ab eo, dum vixit, adamata ædes, nulla illius corporis portione gauderet; facinus autem hoc omnino secretum habitum, ne revelatum Fratres publicæ invidiæ, sacrique thesauri amittendi periculo exponeret.*

Oppositæ partes ad experimentum utrimque provocant.

389 *Ad hanc controversiam, non minus quam ad alteram de corporis incorruptione et in pedes erecti habitu dirimendam expedita via videtur experimentum, ad quod cum pro posteriori P. Gabriel provocet instetque, ut PP. Conventuales Assisienses in tertiam, si qua est, ecclesiam penetrare nitantur; cur non etiam suis Observantibus suasit, eosque ursit, ut in sua Portiunculana ecclesia parem operam præstent, quemque ibi reconditum volunt, cordis* D *et intestinorum thesaurum in lucem eruant. Ad hoc experimentum pari jure provocant PP. Conventuales; imo fortasse etiam potiori : hi enim profitentur, nesciri, quo in loco determinato ecclesiæ, quam aiunt subterraneam, corpus exsistat; illi vero ex scriptoribus, quos sequuntur, cordis et intestinorum locum, sacellum et altare in sua ecclesia assignant. Quid provocantibus respondeant PP. Conventuales, diximus supra, quid PP. Observantes, hactenus nescimus.*

§ XXII. De aliquot S. Francisci reliquiis variis in locis asservatis.

Ampulla sanguinis e latere defluî

Ex *hactenus allegatis, luculenter constat, nihil e* S. Francisci *ossibus aut carne alibi, quam in ejusdem basilica apud Assisium quærendum esse, fortasse præter cor et intestina, quæ, ut dictum est, aliqui in ecclesia de Portiuncula seorsum latere contendunt. De aliis igitur* S. Francisci *reliquiis hic sermo mihi est. Thomas Celanensis in Vita edita num.* 95; *Tres Socii in Appendice num.* 70, *ac S. Bonaventura pariter in Vita num.* 193, *unanimi consensu annotarunt, e quinque* S. Francisci *stigmatibus, quibus ille ultimo vitæ suæ biennio divinitus insi-* E *gnitus fuit, sacrum lateris vulnus sæpe sanguinem fudisse, qui et tunicam et femoralia illius respergebat. Eodem teste Bonaventura ibidem num.* 201, Fratres,... qui illa (*femoralia*) lavabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inveniebant eam sanguine rubricatam, indubitanter per evidens signum in cognitionem sacri vulneris pervenerunt. *Dubitari quoque prudenter nequit, quin laudati fratres sacrum illum sui Patris cruorem diligenter collegerint, quippe qui sæpe alias experti fuerant, omnipotentem Deum, modo per exigua capillorum illius segmenta, modo per loturam manuum, modo per panes ab eo benedictos, atque alia quælibet ejusdem manibus contrectata, mirabilia effecisse. Hac de causa minime mirandum est, si ejusdem sanguinis reliquiæ et diligenter collectæ et in magna veneratione habitæ fuerint; quarum aliquot, quæ ad meam notitiam pervenerunt, hic memorabo.*

in conventu Castri veteris, alia Romæ, ambæ, teste Waddingo,

391 *Annalista Minorum ad annum* 1224, *num.* 17 *in rem nostram hæc habet :* E lateris vulnere (*Francisci, dum viveret*) stillabat sanguis, non adeo minutim semper, nec per guttas, sed in tantum sæpe, ut beati Viri tunica et subligaculum cruore infecta ruberent. Collegerunt socii ex hoc sanguine, quod poterant, magno studio et reverentia in ampullis eum servantes. Una habetur in conventu Castri-veteris Patrum Conventualium custodiæ Aquilanæ, ex qua bonam partem sanguinis F magnis precibus pioque astu accepit triginta quatuor abhinc annis (*tomum hunc Waddingus typis edidit anno* 1625) excellentissimus dominus, dux Cæsius et Aquaspartanus, qui magna solemnitate per publicas plateas in solemni et numerosa supplicatione Fratrum et candidatorum archiconfraternitatis Stigmatum, quorum multi viri nobiles et principes, circumfertur quotannis hic in Urbe (*Romana*) in ipsa solemnitate stigmatum, magno miraculo illo die ebulliens et liquefactus, ut etiam evenit alteri parti, quæ remansit in loco Castri-veteris. Porro hanc Romanam, quam præ manibus habui, singulari in reverentia apud se servat excellentissimus heros præfatus.

annua effervescentia memorabiles.

392 *Ampullæ primo loco laudatæ rursum meminit ad annum* 1399, *num.* 37, *de conventu Castri-veteris dicens :* Ubi conservatur ampulla sanguinis S. Francisci, qui in die sacrorum stigmatum effervet. *Hactenus Waddingus, adolescente sæculo* XVII. *Paulo plura de laudata archiconfraternitate in urbe Roma erecta habet Hippolytus Helyot tom. VII Historiæ Ordinum Religiosorum etc. pag.* 363 *et duabus sequentibus, ubi tradit, præcipuam illius supplicationem, in qua sacra ista ampulla circumfertur, ab eadem quotannis fieri in festo S. Matthæi*

A *S. Matthæi Apostoli, id est, die* 21 *Septembris, consentitque Chalippus in Vita Gallica tom. II, pag.* 557; *fortasse, quod hæc dies postmodum visa fuerit commodior sodalibus, quam* 17 *Septembris, quæ annuæ sacrorum stigmatum memoriæ consecrata est. Chalippus addit, ampullam Romanam pretiosæ thecæ inclusam esse; sed nec hic, nec Helyotus, de ejusdem sanguinis effervescentia meminit : an, quod annuum istud prodigium solummodo in sacra stigmatum luce soleat evenire, an quod postea cessaverit? Neutrum possum affirmare; id vero omnino meretur Waddingi, viri docti et sinceri, fides, ut credamus, hoc miraculum saltem suo, quo Romæ scribebat tempore, Romæ fieri soluisse.*

Aliquid ejusdem sanguinis Assisii, et in Monte Alverno;

395 *Rursum ad annum* 1233, *num.* 24 *inter reliquias, in Assisiensi ecclesia, ejusdem Sancti nomine sacra, honoratas refert* tabernaculum cum sanguine lateris S. Francisci. *Nescio, idemne hoc sit, an diversum ab eo, quod R. P. Rugilus in suis ad me Notitiis Mss. occasione sacrorum* Francisci *stigmatum sic memorat :* Modicum corii, quo laterale vulnus tegebat, in basilica nostra Assisiensi, ut præmonuimus, argentea includitur theca. *Præmiserat autem isthæc :* Laterale... vulnus effusius atque frequentius, alia vero (*manuum pedumque*) paulatim atque guttatim, cruorem emittebant...

B Laterale vulnus, quoad vixit, sanctus Parens pro viribus occuluit; nec petiolas illi contegendo applicavit, sed corii frustum, quod inventum post mortem huc usque asservatur inter sacri nostri conventus Assisiensis reliquias, solemnique supplicatione circumfertur in die festo sacrorum stigmatum. *Rursum Waddingus ad annum* 1213, *num.* 48, *et ante ipsum illustrissimus Gonzaga in Originibus Religionis Seraphicæ pag.* 240, *aliquid sanguinis illius conventui montis Alverni in Etruria attribuunt.*

aliæ Sancti reliquiæ Assisii et Recineti.

394 *Hæc etiam partim pertinent, quæ mox laudatus R. P. Rugilus datis verbis subnexuit, dicens :* Pari religione ibidem (*in Franciscana basilica Assisiensi*) servantur ejusdem calceamenta et calceoli lanei, sanguine interius conspersi... Tunica item lanea alba, qua indutus discessit : syndon serica, qua corpus ejus involutum et translatum est ad S. Georgium : caputium, Benedictio illius manu conscripta, chorda, cilicium, assula, in qua lotum est sacrum ejus cadaver. *De* sandaliis *illius* junceis, *ejusdem sanguine tinctis, a se ibidem visis, pariter meminit Papebrochius noster in suo Itinerario Romano Ms. sed et altera ipsius* sandalia, ex junceis funibus satis commode contexta a S. Clara, et sanguine ex pedum vulneribus stillante notata,

C *Recineti in cathedrali ecclesia sibi exhibita fuisse, in eodem Itinerario annotavit.*

Assisii item asservatur illius manu scripta Benedictio,

395 *At quoniam de* Benedictione S. Francisci manu conscripta *in relatione Patrum Conventualium Romanorum, seu Rugili, mox facta est mentio, accipe, quæ de eadem Benedictus XIV summus Pontifex in erudito suo Opere de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione observavit. Lib.* IV, *parte* II, *cap.* 26, *num.* 6, *editionis Romanæ anni* 1749 *ita fatur :* Qualibet prima die mensis Augusti solemnis fit processio ab ecclesia S. Francisci civitatis Assisiensis ad ecclesiam S. Mariæ Angelorum, sitam extra dictam civitatem, comitantibus Religiosis universis Ordinis S. Francisci Minoribus, videlicet Observantibus, Reformatis, Minoribus Conventualibus, et Capuccinis. Nimirum in Legenda S. Francisci inter Opuscula S. Bonaventuræ (*apud me in superius edita cap.* 11, *num.* 164) habetur, sanctum Patriarcham proprio charactere Benedictionem conscripsisse, ut morem gereret cuidam suo Religioso, in monte Alvernæ cella recluso, qui gravi vexabatur tentatione, non carnis, sed spiritus; quem Religiosum fuisse fratrem Leonem, testantur Pisanus in libro Conformitatum, Tossignanus in Vita ejusd. Ven. Leonis, in Chronicis Ordinis parte I, lib. I, cap. 64, litt. B et C,

* *apud me* 119 pag. 101 *; auctor libri non exiguæ auctoritatis, cui titulus : Fioretti di S. Francesco, et Waddingus ad annum MCCXXIV, num. 7, pag. 314 primæ editionis.

AUCTORE C. S.

396 *Antequam progredior, Benedictionem ipsam, quia brevis est, ex eodem Waddingo, qui eam a se visam inter* S. Francisci *Opuscula recensuit, hic subjungo.* T. Benedicat tibi Dominus, et custodiat te : ostendat faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem. Dominus benedicat fratrem Leonem. *Litteram* T, *sive* Thau Franciscum *epistolis suis adscribere soluisse, hujusque consuetudinis piam causam, docet S. Bonaventura in Vita edita num.* 31. *An tamen edita a Waddingo Benedictio sit integrum istud* S. Francisci *scriptum, de quo idem sanctus doctor loquitur in loco Vitæ, quem præcedenti numero citavi, utcumque licet dubitare, quia ille ibidem sic ait :* Cupiebat (*frater ille*) habere de verbis Domini aliquod scriptum, manu ipsius breviter annotatum... Portari (*Franciscus*) sibi jussit a fratre prædicto atramentum et chartam; LAUDESQUE DOMINI juxta fratris desiderium propria manu scripsit, et ultimo benedictionem ipsius, dicens : Accipe tibi chartulam, et usque ad diem mortis tuæ custodias diligenter. *Atqui in ea, quam edidit Waddingus, non apparent istæ* Laudes Domini; *nisi forte per has, ut verisimile est, indicaverit Bonaventura priores benedictiones e divinis Litteris acceptas; per benedictionem vero ista ultima :* Dominus benedicat fratrem Leonem. *Utut sit, subdit ibidem Bonaventura :* Accepit frater donum illud optatum; et statim omnis illa tentatio effugatur. Servatur littera; et, cum in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit.

quæ ex Waddingo hic recitatur,

E

et cujus identitatem, delationemque in processione annua impugnatam

397 *Nunc, unde digressi sumus, redeamus. Ita pergit laudatus Pontifex Benedictus XIV :* Benedictio itaque hæc, scripta manu S. Francisci, conservatur in sacrario magnæ ecclesiæ, in ejus honorem dicatæ, eademque reliquiario inclusa defertur prima die Augusti debito cum honore in processione supra indicata. Anno autem Domini MDCCXX magna excitata est controversia, contendentibus nonnullis, prohibendam esse dictam processionem, tum propter dissidia, scandala, et alia multa mala, quæ ejus occasione contingebant; tum quia non constabat de identitate Benedictionis; eam videlicet, quæ in processione deferebatur, esse illam, quæ scripta fuerat charactere sancti Francisci; tum etiam, quia epistola scripta manu alicujus Sancti non erat talis generis reliquia, ut cultum et delationem per processionem mereri videretur. Intererat Patrum Minorum Conventualium, ne processio prohiberetur; cumque Cardinalis Vallemanus, tunc protector Ordinis Minorum Conventualium, mihi (*nondum ad sacram purpuram evecto*) demandasset, ut jura adducerem prædictis suis Religiosis favorabilia, debitam huic mandato præstiturus obedientiam, libellum ededi, typis Fulginatibus impressum.

F

Benedictus XIV nondum Pontifex vendicavit.

398 Et primo quidem antiquitatem processionis demonstravi, et enixum summorum Pontificum desiderium, ut ea quotannis fieret, quemadmodum colligitur ex Brevi Clementis VII, et ex altero Urbani VIII, quod est trecentesimum in Bullario tom. V : insinuavi secundo loco modum, per quem exaggerata mala et scandala tolli possent, salva processione : tertio loco, congestis probationibus, in aperto posui identitatem Benedictionis : ultimo autem loco, allatis exemplis, comprobavi in more positum esse, ut etiam epistolis conscriptis manu Sanctorum cultus religiosus exhibeatur. Idcirco sacra Congregatio particularis deputata a sanct. mem. Clemente XI, die XXVI Julii MDCCXX, re ad normam juris plene discussa, censuit, nihil esse innovandum; atque ideo in posterum fieri debere processionem, et in ea deferendam esse Benedictionem, scriptam charactere S. Francisci, et fratri Leoni inscriptam. *Hactenus Benedictus XIV, post hæc pro hujusmodi reliquiarum veneratione subdens :* Scripta multo arctius ad Sanctos pertinent, quam vestes. De vestibus inquit S. Joannes Chrysostomus hom.

A hom. VIII ad populum Antiochenum, tom. II, pag. 95 : « O quanta Sanctorum virtus! Non solum » ipsorum verba et corpora, sed et indumenta » creaturæ omni sunt perpetuo venerabilia etc. » Pauli vestimenta languores expulerunt, umbra » Petri mortem fugavit. » Quapropter, si cultus vestibus non denegatur, multo minus scriptis denegari poterit *etc.*

Sancti tunica, quæ ab anno 1224

399 *Quod ad* S. Francisci *vestes attinet, in Commentario prævio* § 8 *jam dixi ex Waddingo, unam illius tunicam servatam Assisii in æde S. Georgii, quam Clarissæ incolunt; alteram in conventu montis Alverni, tertiamque Florentiæ in Etruria. De hac postrema plura ex ipso novimus. Nam in Annalibus ad annum* 1224, *num.* 26 *exponit modum, quo eadem primo ad Montis-Acuti in Etruria dominos pervenit, sic scribens :* Venit (*S. Franciscus post accepta in monte Alverno sacra stigmata*) Montem Acutum, ubi summa alacritate exceptus fuit a suo amico, comite Alberto, ejusdem loci domino, ad quem cum jam antea sæpius divertisset, prædicebat, se amplius non regressurum propter suas infirmitates et mortem vicinam. Dolens hoc audiit Albertus vaticinium, atque ut perpetuæ absentiæ leniret dolorem, petiit obnixe, ut aliquid in sui memoriam posset accipere. Nihil sibi esse, quod

B daret, respondit Franciscus, præter pauperculam et laceram vestem, quam si vellet, modo aliud daretur corporis operculum, libenter erogaret. Nihil magis gratum potuit heroi contingere, quam illum accipere habitum, sub quo tantus Vir pignora nostræ redemptionis (*sacra stigmata*) accepit.

fuerat penes comites Montis Acuti in Etruria.

400 Quare accersito sartore, et comparato statim panno, vestem Viro sancto efformavit, quam sequenti die fecit, ut ille pro suo admitteret habitu. Enarrari non potest, quam se hoc dono divitem judicaverit, et quanti pauperem fecerit lacernam, post Viri sancti mortem, serico et auro involutam, in ipso altari suæ ecclesiæ honorifice recondens. Per plures generationes possederant domini Montis Acuti prædictum habitum, donec tandem venit in potestatem serenissimorum ducum Etruriæ (quo modo, alias dicemus) quem summa in æstimatione et pretio habent argenteis thecis inclusum; nec omnibus, sed viris principibus, vel religiosioris notæ hominibus, ejusdem videndi, multis accensis cereis, præsentibus item ipsis ducibus, vel ipsorum filiis, faciunt potestatem. *Hæc ibi Annalista Minorum, qui deinde ad annum* 1304, *num.* 31 *promissorum memor, cetera huc spectantia dedit verbis,*

C *quæ subdo.*

anno 1302 a Florentinis jure belli ablata,

401 Ab anno MCCXXIV apud hæredes et posteros prædicti comitis (*Montis Acuti, Alberti*) sacra illa vestis, veluti pretiosus thesaurus, diligenter asservata est usque in hunc annum (1304) quo a castro Montis Acuti ad cœnobium sancti Salvatoris Fratrum Observantum extra urbem Florentinam, translata est. Inde sumpta est occasio hoc inæstimabile pignus piæ huic familiæ proripiendi, quod, cum civitas Aretina jugum Florentinorum anno MDII excussura, propinqua castra et circumjacentes agros suo aggregare voluit dominio, immisso in eam exercitu, fautores illa habuit, contra Florentinos, comites Montis Acuti, quos sibi adhæsuros, putabat senatus Florentinus. Devicta tandem urbe, et fautoribus illato supplicio, destructum est castrum Montis Acuti, atque inde sublata hæc sacra vestis, quam sibi rogarunt tradi Observantes. Hoc itaque anno, die XXIX Januarii asportata est magno comitatu solemnique apparatu, præmissa numerosissima totius Urbis cleri, sed maxime Patrum Dominicanorum, supplicatione, et collocata in vetusta, sed nobili theca, qua Carolus Magnus imperator insignes condidit reliquias; atque hæc reposita est in arca ænea, egregie elaborata, quæ demum posita fuit anno MDV super altare templi præcipuum.

anno 1503 in urbem Florentinam solemniter infertur,

402 At cum ab hac æde Minores transmigrarent ad aliam intra urbem sub eodem titulo S. Salvatoris, eo translatus est habitus, et sub fida custodia constitutus, observata arca clavibus tribus, quarum primam apud se retinent serenissimi duces Etruriæ, secundam consules artis mercatoriæ, tertiam guardianus. Ter in anno reseratur hic pretiosus thesaurus, in die S. Francisci, et in diebus dedicationis et consecrationis ecclesiæ. Si quis utriusque hujus translationis longam et distinctam velit narrationem, consulat, præter Nardum, Bartholomæum Cimarellum, Augustinum, et Franciscum Gonzagam, sed brevius secundam depositionem referentem; *nempe, ut annotatur in margine, Nardum in Historia Florentina lib.* IV; *Cimarellum lib.* VIII, *cap.* 33; *Miglium de Monte Alverni lib.* III, *cap.* 2, *Gonzagam denique in provincia Tusciæ, conventu* 9. *Addo, quæ laudatus Waddingus ex testimonio R. P. Antonii Daza de eadem sacra veste præmiserat ad annum* 1208, *num.* 3. *Sic habet.*

D

ubi a Magnis Etruriæ ducibus insigni cum religione servatur.

403 Hunc posteriorem (*S. Francisci habitum*) maxima habent in veneratione serenissimi Hetruriæ duces, christallinaque observant in arca, pluribus seris obfirmata; a qua extrahi multa meruit prece, præsentibus ipsis serenissimis ducibus et integra principum progenie, magno apparatu luminarium, dignaque veneratione, R. P. Daza anno Christi MDCXXI, quando commissarius Romanæ curiæ destinatus est in Urbem. Vidit ad satietatem, F et adnotavit, qua potuit curiositate, explicati et tensi in substrato ostro colorem, formam et qualitatem, mensusque est longitudinem; ex qua tamen perfeste constare non potuit, quod vir hic pius curiosusque desideravit, quænam esset Francisci statura, dum resectis ob devotionem multorum principum, illac transeuntium, datisque pro magno munere in venerandas reliquias tunicæ fimbriis, ad tantam redacta est brevitatem, ut nec ad genua mediocris staturæ hominis perveniat. *Mitto ipsam vestis descriptionem, quæ ibidem subditur, sed apud me data jam est in Commentario prævio* § 8.

Alia ejusdem tunica ibidem : aliæ reliquiæ Assisii,

404 *Porro ante eam fuisse, saltem ab anno* 1493, *aliam* S. Francisci *tunicam in eadem Florentina urbe principe in honore habitam, docet idem Waddingus ad eumdem annum num.* 28 *de B. Bernardino Feltriensi, Ordinis Minorum confessore, ibidem tunc degente, inquiens :* Solaturus sorores suas Clarissas monasterii Monticelli, a S. Clara, ut alias diximus, fundati, unam aut alteram habuit ille concionem, præmiumque sibi carissimum retulit, tunicæ S. Francisci ibidem repositæ mediocre segmentum. *Ex ceteris ejusdem sancti Institutoris reliquiis crebro laudatus Waddingus ad annum* 1233, *num.* 24 *præterea in Assisiensi illius conventu nominat* cilicium *ejus, partemque ejusdem aut alterius, a Sixto IV* F *summo Pontifice ibidem depositam; item partem vestis, in qua Sanctus obiit, ab eodem Papa illac Roma delatam;* et tabernaculum cum chorda, quam B. Franciscus vivens deferebat ad nudas carnes. *Papebrochius quoque noster in suo Ms. Itinerario Romano de eadem agens basilica,* Vidimus, *inquit,* in reliquiario pleraque, quæ in D. Francisci memoriam hic religiose servantur, videlicet pannum, in quo fuit ejus corpus translatum, sandalia juncea sanguine notata (*quæ superius jam nominavi*) capucium ejusdem, aliaque.

inter quas ipsius funebre velum : aliæ in Monte Alverno.

405 *Reverendus Pater Raymundus Missorius, Ordinis Minorum Conventualium chronista, in sua Dissertatione Ms. de incorruptione miraque corporis* S. Francisci *positione scribit, pannum seu velum istud sacri cadaveris, ex serico contextum, aureisque stellulis acu pictum, ab illustri matrona Jacoba de Septisoliis e Romana urbe allatum ad curandum Sancti funus eoque corpus involutum ac primo sepultum fuisse. Insuper addit, idem illud sanguine e sacris stigmatibus defluo conspersum esse, ex eoque segmenta aliquot cum peculiari summorum Pontificum licentia viris principibus, identidem expetentibus, concessa fuisse. Verum hæc de Assisiensibus reliquiis sufficiant. De servatis in conventu Montis Alverni apud Waddingum ad annum* 1213, *num.* 48 *recensentur* ex crinibus,... tunica atque chorda... lignea

A lignea scutella, ex qua... comedere assueverat, et cristallinus cyathus, ex quo idem Pater in mensa... comitis Rolandi aliquando bibit; habitus insuper et cilicii ejusdem pars... et cingulum præmemorati comitis Rolandi, quo aliquando beatus pater Franciscus præcinctus fuit, et iste comes ab ilium dolore liberatus extitit.

Epilogus. 406 *Sufficiat has e sanctissimi Viri reliquiis recensuisse, quarum etiam alias alibi data opportunitate commemoravi; neque ulla ratione dubitare queo, quin etiam multis aliis in locis ejus generis reliquiæ illius serventur; sed operosius esset in omnes inquirere, earumque recensio plus tædii, quam utilitatis lectoribus crearet. Unum scire velim, an in Gallia hactenus supersit ejusdem Sancti cervical, quod paucis annis post illius obitum illuc delatum ac peculiari in veneratione habitum fuisse, Thomas Celanensis, primus ipsius biographus, synchronus ac socius, in Vita edita num.* 120 *testatum reliquit. Verba illius coronidis loco lubet hic repetere.* Quanta... in sola Francia Franciscus miracula patrat! Ubi ad deosculandum et adorandum capitale (*id est, pulvinar capitis*) quo Sanctus in infirmitate fuerat usus, Francorum rex et regina et universi magnates occurrunt: ubi sapientes orbis et litteratissimi viri, quorum copiam super omnem terram Parisius maximam ex more

B producit, Franciscum, virum idiotam et veræ simplicitatis totiusque sinceritatis amicum, humiliter et devotissime venerantur, admirantur et colunt. *Ita inter annos* 1226 *et* 1230, *quo tempore S. Ludovicus IX rex cum matre sua, regina vidua Blanca, Francorum regnum Christianis æque ac regiis virtutibus illustrabat.*

ANALECTORUM

PARS V.

De S. Francisci Opusculis.

CAPUT I.

Opuscula, quæ in libro I recensentur.

S. Francisci Opuscula Marianus *Florentinus lib.* I *Chronicorum Mss., cap.* 27, § 9, *teste Waddingo mox laudando, sequentem catalogum Opusculorum* S. Francisci *exhibet.* Multa, *inquit,* scripsit, ex quibus potest perpendi zelus et fervor ejus de animarum salute. Quorumdam hic mentionem faciam.

Scripsit primam Regulam, quam Innocentius sine Bulla confirmavit, quæ incipit: Hæc est vita.

C Secundam Regulam, quam amisit Frater Elias.

Tertiam, quam habemus, per Honorium confirmatam, quæ incipit: Regula et vita.

Edidit etiam Regulam Sororibus sanctæ Claræ, Regulæ Fratrum Minorum conformem, quæ incipit: In nomine Domini.

Item Regulam Fratribus et Sororibus de Pœnitentia, seu Tertii Ordinis, quæ incipit: Si qui voluerint.

Item prope mortem condidit Testamentum, humilitatis et paupertatis Fratribus relinquens prædia. Incipit: Dominus dedit.

Item libellum, qui intitulatur: Sacræ Admonitiones B. patris nostri Francisci, qui incipit: Dixit Dominus: Ego sum vitis.

a Mariano Florentino recensita, 2 Item Opusculum, sive Epistolam commonitoriam et exhortatoriam omnibus fidelibus. Incipit: Cum sim servus.

Item aliam Epistolam missam fratri Petro Cataneo, suo vicario.

Item aliam Epistolam admonitoriam ac omnes clericos.

Item quoddam devotum Officium in honorem Domini nostri Jesu Christi, quod secundum solemnitates variabat.

Item quoddam scriptum de virtutibus, quibus decorata fuit B. Virgo Maria, et debet esse anima sancta: Regina sapientia.

Item quoddam scriptum de spirituali lætitia, et accidia, et ejus remedio, quod incipit: Tutissimum remedium. *auctore C. S.*

Item quoddam aliud scriptum, qualiter debent Fratres vivere in eremitoriis, et incipit: Illi, qui volunt religiose.

Item aliquas devotas orationes.

Item Cantica in vulgari.

Item quasdam Laudes in vulgari ad Sorores sanctæ Claræ. *Hactenus Marianus, scriptor sæculi* XV. *De horum variis etiam sparsim meminit Bartholomæus Pisanus in libris Conformitatum, quos exeunte sæculo* XIV *absolvit.*

3 *Lucas Waddingus sæculo* XVII *a reverendissimo patre Benigno Genuensi, generali Ministro suo jussus celebriorum sui Ordinis virorum scripta, quæ delitescebant, typis edere, post diligentem indagationem, undique, quæ potuit, conquisita* S. Francisci *Opuscula, ac in tres tomulos seu libros distributa vulgari curavit Antverpiæ in officina Plantiniana anno* 1623. *Primus tomulus complectitur Epistolas septemdecim ad varios scriptas; Opuscula diversa, Orationes aliquot, Testamentum ipsius Sancti, et Laudes Testamenti. Secundus Regulam primam Fratrum Minorum, eorumdem Regulam secundam, Laudes Regulæ secundæ, Regulam Clarissarum, et Regulam Fratrum ac Sororum de Pœnitentia. Tertius continet* E *Collationes monasticas viginti octo; Officium Passionis Dominicæ; Cantica spiritualia tria: Apophthegmata; Familiaria colloquia, Prophetias, Parabolas et Exempla; Benedictiones; Opuscula et sententias. Addit et Appendicem, in qua recensuit Sermones breves septem, Opuscula duo, Vitam* S. Francisci; *Famam ejus posthumam, et Nicolai Lyrani contemplationem de ejusdem Sancti gestis.* *et a Waddingo cum commentariis Antverpiæ,*

4 *Hæc omnia Opuscula præfixis argumentis et capitibus distinxit, eruditis annotationibus illustravit, ac denique totum Opus dedicavit illustrissimis ac reverendissimis Gabrieli de Treio, S. R. E. Cardinali, ejusque germano fratri Antinio de Treio, Carthaginensi episcopo, quorum prioris Epistola meritas eorumdem Opusculorum laudes continens, toti Operi præmissa legitur. De iisdem rursum meminit Waddingus in Scriptoribus Ordinis Minorum, ubi de iteratis editionibus ait:* Ut vero ipsa Opuscula facilius circumferrentur et præ manibus haberentur, impressa sunt seorsim absque commentariis (*seu annotationibus Waddingianis*) Mediolani, Alexandriæ Statiellorum, Neapoli, Salamanticæ, Lugduni et alibi. *Nos solam prædictam editionem Antverpiensem in Museo nostro habemus. Porro non est mihi propositum de singulis agere, quod prolixioribus dissertationibus jam satis ample tradita* S. Francisci *gesta plurimum augeret. Nec possum tamen* F *omnia præterire.* *ac sine illis alibi edita,*

5 *Ne quis ex hoc solo capite Opuscula illa, quod Latine passim scripta sint et sacræ Scripturæ locis sæpe referta,* Francisco, *velut homini idiotæ, qualem ipse se vocitare amabat, ac divinarum Litterarum experti, attribuere formidet, juverit cum Waddingo in Præfatione ad lectorem observasse ex Vita illius per S. Bonaventuram scripta, ipsum in adolescentia, priusquam animum ad paternam mercaturam adjecit,* aliqualem litterarum notitiam *sibi comparasse. Certe non fuisse illum Latinæ linguæ plane ignarum, adverti in Commentario prævio num.* 77 *ex ipsius biographis, qui tradunt, eum, audita in Missa sancti Evangelii lectione, priorem vitæ et habitus normam mutasse. Quæ vero adolescens didicerat, postea non neglexisse, probat Waddingus ibidem ex S. Bonaventuræ Epistola ad magistrum innominatum post medium de* Francisco *dicentis:* Cum paucas literas sciret, postmodum in literis profecit in Ordine, non solum orando, sec etiam legendo. *Constat quoque, illum sacro diaconatus Ordine initiatum fuisse, ad quem certe saltem aliqualis Latini sermonis notitia requiritur. Non adeo igitur Latinæ linguæ rudis fuisse credi potest* Franciscus, *quin sui animi sensa Latine explicare potuerit, maxime stilo simplici, quali dicta Opuscula conscripta sunt.* *quæ nihil vetat credi Francisci esse,*

AUCTORE C. S *ut probatur,*

6 *De sacrarum litterarum studio ex eadem S. Bonaventuræ Epistola de illo hæc etiam ibidem transscripsit Waddingus :* Unde scias, quantum sibi placuerit studium sacræ Scripturæ, audivi ego a Fratre, qui vidit, quod, cum Novum Testamentum venisset ad manus suas, et plures Fratres non possent simul habere, dividebat per folia, et singulis communicabat, ut omnes studerent, nec unus alterum impediret *Quam vero ipse lecta sollicite mandaret memoriæ, docet denuo S. Bonaventura in Vita apud me num.* 132 *dicens :* Legebat quandoque in libris sacris; et, quod animo semel injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ : quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ devotionis ruminabat affectu.

illoque vero digna sunt,

7 *Denique de scientia per orationem divinitus accepta præmiserat ibidem Bonaventura :* Ad tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum Virum Dei perduxerat, ut, quamvis non habuerit sacrarum Litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita; et, ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat Amantis. *Plura vide ibidem. Jam si stilum spectes, is simplex quidem est;* B *non tamen vitiosus; nec inanis, sed gravis ac solidus, easque virtutes spirat, quibus* Franciscus *maxime excelluit; ut, qui gesta illius ex datis Vitis noverit, eumdem in istis Opusculis facile agnoscat. Ego quidem, dum ea lego ac relego,* Franciscum *pauperem, humilem, Seraphicum, virum Apostolicum, mitem ac misericordem in iis loquentem mihi videor audire.*

Incertum est, quo tempore scripta sit

8 *Non omnia tamen a Waddingo recensita Opuscula* Francisci *esse, res ipsa monet; sed nec omnia* Francisco *attributa æque certo illius esse, docet ipsemet Waddingus in argumentis, quæ, ut dictum est, singulis præfixit, ubi rationes ab illo allegatas studiosus lector ponderare poterit. Ego enim hisce pluribus non immorabor, nonnulla alia solum breviter annotaturus. Waddingus in Annalibus ad annum* 1213 *a num.* 1 *duas Epistolas, universis Christi fidelibus inscriptas, quas in serie primas posuit, eodem anno* 1213, *a* S. Francisco, *dum febribus laborabat, scriptas credidit, quia secundam harum Sanctus sic orsus est :* Cum sim servus omnium, omnibus et servire teneor et administrare odorifera verba Domini mei. Unde in mente considerans, quod, cum personaliter propter infirmitatem et debilitatem mei corporis non possim singulos visitare, proposui litteris præsentibus nuntiis verba C Domini nostri Jesu Christi, qui est Verbum Patris, vobis efferre, et verba Spiritus sancti, quæ spiritus et vita sunt, de Verbo Patris. *Propter hanc, inquam, allegatam infirmitatem debilitatemque corporis eamdem anno* 1213, *quo* Franciscum *febribus laborasse dixerat, scriptam statuit. Primam vero epistolam, quæ brevissima est, eidem anno illigavit, quod crederet, eam in eodem morbo exaratam esse, ac mox adeo omnibus placuisse, ut paulo post coactus fuerit secundam illam longiorem scribere.*

epistola apud Waddingum secunda,

9 *Verum ego in Commentario prævio num.* 297 *jam monui, assertas* S. Francisci *ad eum annum febres nullo idoneo teste aut argumento niti. Deinde etiamsi de his constaret, aliunde nulla suadet ratio, ob quam Sanctus de iisdem potius loqui censendus sit, quam de aliis morbis, quibus illum alias conflictatum fuisse, certum est. Ipsemet Waddingus in Annotationibus ad laudatam Epistolam num.* 6 *crediderat, indicari hic infirmitatem illam, de qua S. Bonaventura in Vita cap.* 14, *apud me num.* 206 *ait :* Cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. *Si certa esset hæc Waddingi opinio, eadem Epistola referenda esset ad postremum vitæ Sancti biennium, ad quod spectat memorata illius a Bonaventura infirmitas, quæ certe magis, quam ulla præcedens, apostolicum Virum prohibuit singulos visitare. Ambiguum igitur* D *est, quo tempore hæc Epistola exarata sit.*

cujus pars esse videtur prima.

10 *Rursum Waddingus in argumento primæ Epistolæ, quæ paucarum linearum est, dixerat, esse, qui judicent, eam a* S. Francisco *scriptam esse* in principio suæ conversionis, *ut Christianos omnes invitaret ad puram et sinceram dilectionem Dei, cujus suavitatem ipse tum nuper gustaverat; quod cum opinione, quam in Annalibus tenuit, non cohæret. Mihi pene certum est, eam non nisi fragmentum esse longioris, de qua nunc egimus; tum quia velut ejusdem pars legitur in Monumentis Ordinis Minorum, et apud Pisanum lib.* 1, *Conformitate* 12, *cap.* 3, *fatente Waddingo, ac consentiente Ms. codice Franciscanorum Lovaniensium in Brabantia nostra ; tum quia in hoc codice tam apte cum ceteris cohæret, ut minime videatur eidem aliunde adjecta ; Waddingus vero solo Rodulphii ac Rebolledi exemplo breviorem illam, velut a longiori distinctam, seorsum edendam judicavit.*

Alia ad S. Antonium, aliæ ad S. Claram et Socias,

11 *Seguitur apud Waddingum Epistola ad S. Antonium Lusitanum,* Patavinum *passim appellatum, quæ quia admodum brevis est, argumenti loco recenseo :* Charissimo meo Fratri Antonio Frater Franciscus salutem. Placet mihi, quod sanctæ Theologiæ literas Fratribus interpreteris, ita tamen, ut neque in te, neque in ceteris (quod vehementer cupio) E extinguatur sanctæ orationis spiritus, juxta Regulam, quam profitemur. Vale. *Duæ sequentes Epistolæ inscriptæ sunt S. Claræ et Sociabus ejus. Per primam* S. Franciscus *spopondit, se et Fratres suos diligentem earum semper curam ac sollicitudinem habituros. Hujus promissionis expresse meminit S. Clara in Testamento suo apud nos tom. II Augusti, pag.* 747, *num.* 42, *ubi de* S. Francisco *ait :* Ad pietatem erga nos motus obligavit se, et per se, et per Religionem suam, habere semper de nobis, tamquam de fratribus suis, curam diligentem et solicitudinem specialem. *Verum ex eadem promissione magnas Franciscanis molestias circa S. Bonaventuræ tempora creatas fuisse, observat Waddingus. Altera brevem exhortationem continet ad vitæ normam paupertatemque, quam profitebantur, perpetuo servandam. Hanc posteriorem editor credidit fragmentum esse illius, quam Pisanus lib.* II, *Conformit.* 6, *parte* II *a Sancto ad illas scriptam esse, perhibet, paulo ante obitum, cum pollicitatione, fore ut ab iisdem post mortem suam videretur. Verum hanc opinionem in Annalibus ad annum* 1226, *num.* 21 *debilem esse, agnovit : nam revera unde constare possit, brevem illam Epistolam, quæ nec de* Francisci *infirmitate, nec de promisso isto meminit, fragmentum esse illius, quæ his de causis scripta dicitur?* F

una aut duæ ad Eliam, ad Petrum Cathaneum, ad Ministros Ordinis,

12 *Quæ in eadem serie Epistola sexta est.* Fratri Eliæ, totius Ordinis vicario *inscripta, Waddingus ibidem ad supremum* S. Francisci *biennium post accepta sacra stigmata referendam putavit eo argumento, quod crederet, Petrum Cathaneum, post cujus obitum Elias vicarius factus est, illo tempore obiisse; sed hanc sententiam mutavit in Annalibus, ubi et Cathanei mortem et initium vicariatus Eliæ anno* 1221 *illigavit. Atque hoc quidem certe non recte, cum ex dictis in Commentario prævio* § 20 *constet, Petrum Cathaneum mense Martio anni* 1224 *obiisse. Admodum dubia est Epistola septima ad eumdem Eliam vicarium, ipso teste Waddingo, qui eam ex Hispanico exemplari Latinam fecit. Octavæ inscriptio sic habet :* Reverendo in Christo patri N totius Ordinis generali Ministro. *Pro littera* N. *Waddingus in Annalibus ad annum* 1221 *substituit* Petro, *nimirum Cathaneo ; nec male, opinor, dummodo* generalis Ministri *nomine hic veniat* vicarius generalis ; *nullum enim præter* S. Franciscum, *quamdiu vixit, generale Ordinis ministerium gessisse, diximus in Commentarii prævii* § 17 ; *et Marianus quoque supra num.* 2 *relatus inter* Francisci *Opuscula expresse memorat Epistolam ab eodem* missam Fratri Petro Cataneo, suo vicario, *non :* Totius Ordinis generali Ministro. *Tam in hac, quam in duabus præcedentibus*

A *præcedentibus misericordia, patientia ac mite regimen commendantur. Similis fere argumenti est nona,* Ministris provincialibus Ordinis Minorum *inscripta; sed suppositionis suspecta, ut ibidem videre licet.*

quæ sequuntur tres, velut tres diversæ,

15 *Tres, quæ apud Waddingum sequuntur, decima, undecima, et duodecima, has habent epigraphas. Prima:* Reverendis et multum diligendis Fratribus universis Fr. Franciscus in Christo salutem. *Secunda:* Reverendis et multum diligendis Ministro generali et ceteris Fratribus Ordinis Minorum Frater Franciscus in Christo salutem. *Tertia:* In nomine sanctæ Trinitatis et summæ Unitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen. Reverendis et multum diligendis Fratribus universis, generali Ministro Ordinis Minorum, domino suo, et ceteris Ministris generalibus, qui post eum erunt, et omnibus Ministris et custodibus et sacerdotibus Fraternitatis ejusdem, in Christo humilibus, et omnibus simplicibus et obedientibus, primis et novissimis, Frater Franciscus, homo vilis et caducus, vester parvus servus, salutem in eo, qui redemit et lavit nos in Sanguine suo. Dominus Jesus Christus, Altissimus Filius nomen illi, qui est benedictus in secula. Amen. *Hactenus laudatus editor, qui tamen pro tribus illis, velut diversis, Epistolis seorsum edendis non omnes sibi consentientes habet, aliis ex*

B *tribus geminam, aliis solum unicam facientibus.*

verisimilius sunt una eademque

14 *Agnoscit ipsemet, illarum primam velut unam cum tertia recenseri in Bibliotheca Patrum editionum Parisiensis et Coloniensis, in Firmamento Trium Ordinum ac Monumentis Ordinis Minorum utriusque editionis. Agnoscit præterea, easdem omnes tres pro unica haberi apud Ubertum, seu Ubertinum de Casali, atque in duobus codicibus Mss. conventus Assisiensis. Hisce ego addo codicem Ms. conventus Lovaniensis Minorum, quocum easdem tres epistolas collatas habeo, in quo has unica sic continet, ut incipiat ab illa, quæ Waddingo duodecima est, decimam suis locis insertam habeat, finiaturque cum undecima, atque omnia recte cohæreant, ac eodem etiam ordine in ea legantur salutaria monita, quo illa breviter indicavit Pisanus in Conformitate* 12, *parte* II. *At Waddingus,* Per se tamen, *inquit,* reponendam duximus (*Epistolam decimam*) cum Rodulph. lib. II, fol. mihi 237, et Rebolledo I part., lib. II, cap. 16; eo quod distinctum sit utriusque (*decimæ scilicet ac duodecimæ*) argumentum; non eodem tempore scriptæ, nec ad eosdem sint missæ; hæc tribus circiter annis ante ejus mortem, illa paulo ante; hæc ad capitulum generale, illa ad sacerdotes Ordinis; ut ex eisdem apud Rodulph. et earum titulis vel inscriptionibus

C colligere licet.

eodem tempore scripta,

13 *Rodulphi ac Ludovici de Rebolledo, utpote recentiorum, auctoritas præferri nequit iis, quæ in contrariam partem attulimus. Quod non idem sit in omnibus Epistolæ partibus argumentum scriptionis, nihil probat pro illa in duas tresve distrahenda; quid enim magis familiare est, quam in una eademque epistola tractari varia, et a patre varia filiis salutaria monita dari? Diversitatem temporis, quo scriptæ sint, nec probare nisus Waddingus est, nec ego ex earumdem lectione possum deprehendere. Nihilo magis evincitur ex earumdem titulis, quorum primus apud ipsum hic est:* Ad capitulum generale II; *secundus est:* Ad capitulum generale; *tertius:* Ad sacerdotes totius Ordinis. *Primum ac secundum titulum accepit ex Rodulpho ac forte Rebolledo; pro tertio laudavit Pisanum, apud quem in Conformitate* 12, *parte* II, *cap.* 7 *recitatur locus ejusdem Epistolæ ex* Epistola capitulo generali directa. *Addit consentire laudatos duos codices Assisienses, in quibus legitur:* Litteræ et admonitio beatiss. P. N. Francisci, quam misit Fratribus ad capitulum, quando erat infirmus; *verum, ut supra dixi, is titulus præfixus est toti Epistolæ, quæ omnes tres Waddingianas complectitur; ideoque Waddingo non favet, sed adversatur.*

16 *In Lovaniensi quoque codice unicæ Epistolæ, tres illas complexæ, in margine adscriptus hic titulus est:* Epistola P. SSmi. ad reverendissimum P. Ministrum generalem, ceterosque venerandos patres Ministros provinciales, ac eorumdem R. P. vicarios, custodes, guardianos, et ad Fratres omnes et singulos Religionis Fratrum Minorum. *Quid multa? Hujusmodi tituli a describentibus, non ab ipso* S. Francisco *adscripti fuere. At si ipsam epigraphen longiorem, qualem apud Waddingum habet Epistola duodecima, et in Lovaniensi codice unica tres istas continens, consulamus, nihil coget nos credere, illam ad solos Ordinis Minorum presbyteros directam fuisse. Imo vero ad omnes, etiam non presbyteros, missam esse, probant ea verba:* Et omnibus (*in Lovaniensi additur* Fratribus) simplicibus et obedientibus, primis et novissimis. *His de causis non possum erudito Waddingo hic consentire; ac multo mihi verisimilius apparet, ex Epistola unica factam esse trinam, dum unus unam, alter alteram ejusdem partem, prout opportunum erat ad argumentum, quod tractabant, ex illa seorsum descripserunt. Quod autem eadem Epistola, uti in codicibus Assisiensibus legitur, a* S. Francisco *data sit* ad capitulum, quando erat infirmus; *ac proinde quando non poterat ipsemet capitulo de more præsidere; verum quidem esse potest, non tamen certum est; quia nec in epigraphe, nec in ipsa Epistola, de capitulo mentio fit, potuitque a Sancto ad omnes provincias encyclica destinari.* E *Ceterum etsi illa etiam* Generali Ministro *inscripta sit, non propterea credendus* Franciscus *est tunc non gessisse supremam Ordinis prælaturam, qua illum ad mortem usque functum esse, suo loco probavi; sed ex humilitate sic appellasse suum vicarium, simili fere modo, quo Minores omnes ibidem* Dominos *suos vocavit.*

AUCTORE C. S. *sed in tres perperam distracta.*

Recitatur ejusdem epistolæ locus, ob quem illa

17 *Unus est in eadem Epistola locus, qui eamdem de suppositione aliquando suspectam fecit; nimirum hic:* Moneo præterea et exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum celebretur Missa in die secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint sacerdotes, sic sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione sacerdotis alterius. *Ad hæc Waddingus in Annotationibus ista observavit:* Hunc locum putavit Philippus Melanchthon hæretico suo dogmati de abjurandis Missis privatis favisse; unde et pro eodem illum citavit in execrabili illa Apologia Confessionis Augustanæ art. de Missa. Quod sane movit pium ac eruditum virum Joannem Eckium in suo Enchiridio, ut negaret, hanc Epistolam fuisse a D. Francisco conscriptam. De quo etiam non leviter dubitavit illustriss. Card. Bellarminus lib. II de Missa cap. 10, ad object. 12, tom. III; et Anton. Possevin. tom. I F sui Apparatus sacri sub nomine: Franciscus Assisias.

nonnullis Catholicis suppositionis suspecta fuit:

18 Sed et addidit Eckius, nec filios ejus, Fratres Minores, agnoscere Epistolam hanc inter cetera Opuscula D. Francisci. In quo sane deceptus est: in omnibus monumentis et Chronicis, tam antiquis, quam novioribus, Ordinis Minorum, nullum tam suum esse observatur, quam Epistola hæc; nec illius esse, aliquando ante hos dubitatum est *etc. Post alia addit Waddingus, etiam in Catalogo librorum cavendorum vel expurgandorum, qui sub illustrissimo Cardinale Bernardo de Sandoval et Roxas, archiepiscopo Toletano, supremo in ditionibus Hispaniarum in causis fidei inquisitore, prodit anno* 1612, *ad hanc esse appositum hoc monitum:* Caute lege; *eamdemque cautionem etiam adhibitam in tomis V et XIII Bibliothecæ veterum Patrum recentiorum editionum, in quibus eadem Epistola inter* S. Francisci *Opuscula recensetur.*

inde solum patet, S. Franciscum ex humilitate

19 *Waddingus nihilominus, motus omnium Minorum auctoritate, ex quibus nominatim profert S. Bernardinum Senensem, qui tom. I Operum suorum, serm.* 10, *art.* 2, *cap* 7, utitur (*inquit*) argumento Francisci in hac epistola: Si Beata Virgo Maria etc., et quatuor vel quinque periodos citat ejusdem sub Francisci nomine; *Waddingus, inquam, non dubitavit eamdem pro genuino illius fœtu agnoscere, et quantum mihi quidem apparet, recte.*

Nam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE C. S.

Num pro illa stat veterum auctoritas, nec in ea quidquam continetur, quod vel a Francisci *virtute alienum sit, aut recte nequeat exponi. Rectissime enim Waddingus ibidem observat,* Franciscum *quotidianam Missæ celebrationem suis non vetuisse, velut divinæ institutioni contrariam, sed solum dissuasisse ex sensu humilitatis, metuque, ne illi ex quotidiana illius sacrosanti mysterii tractatione paulatim sua culpa intepescerent, ac minus reverenter, quam par est, ad illud accederent; quæ causæ ipsum quoque a sacro presbyteratus Ordine suscipiendo deterruerunt.*

divinique Sacramenti reverentia, non sine exemplo desiderasse,

20 *Simili humilitate ac reverentia, notat, S. Bonaventuram,* Francisci *spiritus heredem, aliquando per multos dies a celebrando abstinuisse, donec sacra hostia a manu alterius sacerdotis celebrantis per manum angeli ad illius os fuit delata; nec defuisse viros alios, pios et doctos, qui in ea essent sententia, ut ex reverentia ac humilitate multoties abstinendum crederent a sacra communione, quo ferventius deinde ad eam accedatur. Hæc pluribus videri possunt apud laudatum Waddingum, ac etiam prolixius apud Benedictum XIV in suo Opere de Sacrificio Missæ, sectione* 2, § 9 *et sequentibus, ubi variorum insignium virorum sensa, rationes et exempla in utramque partem profert et discutit, ac tandem concludit,* B magis consentaneam esse Jesu Christi et Ecclesiæ sensui quotidianam Missæ celebrationem, modo cum iis, quibus æquum est, dispositionibus celebretur. *Porro non alias causas, quam quas dixi, humilitatis et reverentiæ,* Franciscum *impulisse, ut quotidianam Missæ celebrationem Fratribus suis dissuaderet, cuilibet manifestum erit eam epistolam legenti.*

ne sui quotidie Missam celebrarent; ad id non vetuit,

21 *Totus enim in illa est, ut divini hujus mysterii venerationem inculcet, doceatque, quanta cum animi puritate, quanta cum humilitate, quam pura cum intentione ac reverentia oporteat ad illud accedere; unde et divinæ Hostiæ sanctitatem majestatemque, ac nostram vilitatem considerans, exclamat :* Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et cælum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus, Filius Dei vivi *etc. Præmiserat item hæc :* Si beata Virgo Maria honoratur (ut dignum est) quia ipsum portavit in sanctissimo utero suo, si beatus Joannes Baptista contremuit, et non audebat tangere Domini verticem; si sepulchrum, in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur; quantum debet esse sanctus et justus et dignus, qui non jam moriturum, sed in æternum victurum et glorificatum, in quem desiderant angeli prospicere, contrectat manibus, corde et ore sumit, et aliis ad sumendum præbet *etc. Minis* C *quoque divinis terret, ne quis audeat indigne communicare, idque solum agit, ut, quam potest, maximam divinæ Eucharistiæ venerationem suis persuadeat; sed nullo vel levi verbo modove insinuat, quotidianam aut privatam Missarum celebrationem sacerdotibus vetitam esse.*

velut divinæ institutioni contrarium.

22 *Imo vero, id omnino licitum esse, modo cum debita reverentia fiat, in eadem epistola agnoverat his verbis :* Rogo etiam in Domino omnes fratres meos, sacerdotes qui sunt, et erunt, et esse cupiunt Altissimi, quod, QUANDOCUMQUE VOLUERINT Missam celebrare, puri et pure faciant cum reverentia verum sacrificium Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, sancta intentione et munda, non pro ulla terrena re, neque timore vel amore alicujus hominis, quasi placentes hominibus *etc. Nihil itaque in tota illa epistola est, quod impium Melanchthonis dogma sapiat, aut* S. Francisco *debeat abjudicari. Ceterum ex eodem humilitatis sensu factum videtur, quod idem sanctus Institutor in Regula Clarissarum his sacris virginibus non nisi* sex vicibus *singulis annis, Tertiariis vero in horum Regula solum* ter in anno, *ad divinam mensam accessum præscripserit. Ne quis tamen hinc existimet, sanctissimum Virum a frequenti communione, si cum debita præparatione ac fervore fieret, fuisse alienum, addo hic verba S. Bonaventuræ, in Vita apud me edita num.* 123 *de eo dicentis :* Flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam carissimam dignationem et dignantissimam caritatem. Sæpe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum. D

Altera ex eadem epistola difficultas tollitur.

23 *Cardinalis Joannes Bona lib.* 1 *Rerum Liturgicarum, cap.* 14 *scribit, eamdem epistolam* S. Francisco *abjudicari, quod a veritate aberrent supra dicta verba :* Una tantum celebretur Missa in die SECUNDUM FORMAM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ; *falsum enim esse, hunc morem tunc fuisse Romanæ Ecclesiæ, ut quotidie unica tantum Missa in qualibet ecclesia celebraretur; nec fas esse suspicari, Virum sanctum aut scienter scripsisse mendacium, aut Ecclesiæ Romanæ usum, qui tum vigebat, ignorasse. Fuerunt, qui crederent,* Franciscum *locutum hic esse vel de Feria quinta Majoris hebdomadæ, vel de Missa Conventuali, quod postremum etiam Waddingo placuit in Annotationibus ibidem. Ast mihi præplacet laudati Cardinalis opinio, censentis, ista verba,* secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ *exponenda esse de Ritu Romanæ Ecclesiæ in Missæ celebratione observando, non referenda ad unicam Missam* E *in die celebrandam. Nimirum mandavit sanctus Fundator, ut sui in Missæ Sacrificio ritus Romanæ Ecclesiæ accurate adhiberent, quemadmodum in Regula Minorum cap.* 3 *ait :* Clerici faciant divinum Officium secundum Ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *Hæc de epistola* 12 *sufficiant.*

Argumentum alterius epistolæ,

24 *Epistolam* 13, *quæ titulum habet* Ad universos clericos, *Waddingus edidit ex duobus codicibus Assisiensibus et Mariano Florentino, ex quo solo sequentem epigraphem eidem præfixit :* Reverendis in Christo dominis meis, universis clericis, qui sunt in toto orbe, et vivunt secundum statuta Catholicæ fidei, Fr. Franciscus, parvulus et minimus servus, salutem cum omni reverentia et osculo pedum. *In uno e duobus laudatis codicibus Assisiensibus, eodem editore teste, desunt titulus et epigrapha; in eorumdem altero inscriptionis loco hic legitur titulus :* De reverentia Corporis Domini, et de munditia altaris ad omnes clericos. *Sine epigrapha etiam exstat in codice Lovaniensi, sed cum eodem titulo, omissis tamen verbis :* Ad omnes clericos, *ibidemque epistola ipsa, prætermissis paucis lineolis, incipit :* Attendamus omnes clerici. *Datus titulus argumentum epistolæ continet.*

aliarumque duarum ad varios scriptarum;

25 *In decimaquarta epistola, quam Waddingus ex Hispanica Latinam fecit,* S. Franciscus *omnibus Ordinis Minorum custodibus commendavit, ut, quas de sanctissimo Sacramento scripserat, litteras episcopis clericisque traderent, aliasque, quas tunc addidit, gubernatoribus populi. Per primas videtur indicare epistolam, quæ proxime præcedit; per alteras vero eam, quæ sequitur inscripta* Universis potestatibus et consulibus, judicibus atque rectoribus ubique terrarum, atque omnibus aliis, ad quos istæ litteræ pervenerint *etc. Hujus epistolæ hæc summa est : Commendat iis omnibus, ne propter mundanas curas in suam ipsorum æternam perniciem obliviscantur mandatorum Dei; hortatur eos, ut ad Eucharisticam mensam digne accedere studeant, curentque, ut commissi suæ curæ populi singulis diebus post meridiem vel vesperi ad referendas Deo gratias publico signo invitentur.* F

datur item alia epistola ad Fratrem Leonem

26 *Brevis est, sed paterni amoris indicio plena, quæ apud Waddingum sequitur epistola* 16, *cujus autographum, ipsa* S. Francisci *manu exaratum, editor asservari asserit* inter reliquias in sacrario Minorum Conventualium Spoleti; *quam ob rem visum mihi est eam hic recitare.* Frater Leo, Fr. Franciscus tuus salutem et pacem. Ita dico tibi, Fili mi, sicut mater; quia omnia verba, quæ diximus in via, breviter in hoc verbo dispono et consilio. Et si postea oportet propter consilium venire ad me ita consilio tibi. In quocumque modo videtur tibi placere

placere Domino Deo, et sequi vestigia et paupertatem suam, faciatis cum benedictione Domini Dei, et mea obedientia. Et si tibi est necessarium propter animam tuam, aut aliam consolationem tuam, et vis, Leo mi, venire ad me, veni. Vale in Christo.

exarata: de destinata ad Jacobam alibi actum est.

27 *De causa hanc scribendi epistolam Waddingus satis verisimiliter hæc annotavit:* Quantum (*inquit*) ex hac breviuscula et simplici epistola potui colligere, Leo, beati Viri socius intimior, aliqualem passus est spiritus molestiam. Quem ut suaviter veluti materna teneritudine Vir sanctus instruxit, et in religioso aliquo cœnobiolo ad animæ quietem reliquit, timens satanæ astutias, et absentis filii periculum, his eum verbis compellavit. *Sic ipse, omnino verisimiliter. Forsitan ea spiritus molestia fuerint inanes animi in rebus agendis scrupuli, quos sanctus Pater tum suis per viam consiliis, tum hac epistola eximere volens, suasit, ut ille, quodcumque Deo placere judicaret, secure faceret (noverat enim Leonem, virum esse timoratum) aut, si vel sic hæsitaret, consilii causa ad se veniret, si vellet. Ultima ex septemdecim Epistolis, inscripta est Dominæ Jacobæ de Septisoliis, de qua cum pluribus egerim in Commentarii prævii* § 27, *hic nihil annotabo. Porro, qui laudatas litteras legerit, in earumdem Auctore eximium divini honoris, proximique salutis*
B *zelum luculenter agnoscet.*

Aliquot alia

28 *Post memoratas epistolas, quas septemdecim numerat, Waddingus subdit aliquot Opuscula, quæ solum breviter recensebo. Primum inscribitur:* Verba sacræ admonitionis B. Patris Francisci ad omnes fratres suos; *quo titulo ait illud apud omnes venire. Secundum, quod multo brevius est, ac pauca in priori commendata repetit, præfixum titulum habet:* Verba B. Patris N. Francisci ad humilitatem, obedientiam, devotionem et patientiam inducentia. *Tertio titulus est:* De virtutibus, quibus decorata fuit S. Virgo, et debet esse sancta anima. *Monet tamen Waddingus, hunc titulum in unico dumtaxat duorum codicum Assisiensium, in quibus hoc Opusculum legitur velut separatum ab eo, quod* Verba sacræ admonitionis *dicitur, a se repertum; nam in altero codice nullum eidem titulum præfixum esse; in Speculo vero vitæ* S. Francisci *hunc:* Salutatio virtutum; *ac denique Opusculum illud etiam memorari a Pisano et Marco Ulyssiponensi, sed alteri, quod primo loco hic recensui, insertum. Assisiensi codici addere potuisset Marianum Florentinum, num.* 2 *relatum, qui eumdem titulum recitat; verumtamen, quem habet Speculum, nempe editionis Bosquieri, magis congruit Opusculo, in quo virtutes quidem salutantur, sed nulla fit de sancta Virgine Maria*
C *mentio.*

ejusdem Sancti Opuscula.

29 *Sequitur Opusculum* De vera et perfecta lætitia Fratrum Minorum, *quam Sanctus in hilari patientia atque omnis generis opprobriorum et afflictionum tolerantia reponit. Subduntur* Expositio beati patris super Orationem Dominicam, *quæ pia ejusdem Orationis paraphrasis est; deinde* Laus Domini Dei altissimi, *quam ipsiusmet* S. Francisci *manu scriptam, in ejusdemque conventu Assisiensi asservatam, et a se diligenter inspectam esse, testatur Waddingus. Sequuntur præterea variæ Orationes, quarum aliæ aliis certius* Francisci *sunt; tum Testamentum ejusdem Sancti, ejusdemque Testamenti Laudes, quibus tomus, seu liber primus Opusculorum clauditur. Testamentum, quod certo* Francisci *est, dedi in Commentario prævio* § 27. *Laudes alium habent auctorem, sed hactenus ignotum.*

CAPUT II.

De Opusculis in libris secundo et tertio contentis.

Duæ Minorum Regulæ ab illo scriptæ:

Tomum *secundum Opusculorum* S. Francisci *Waddingus orditur a Regula Fratrum Minorum, quam* primam *appellavit, qualis revera est e duabus, quæ hodieque vulgatæ exstant; sed, ut mihi videtur, non omnium prima, quas scripsit* S. Francisco. *Ne actum agam, adeat, si lubet, studiosus lector, quæ super hoc argumento disserui in Commentarii prævii* § 11. *Primam Regulam ab Innocentio III vivæ vocis oraculo probatam fuisse, constat apud omnes, tam antiquos, quam recentiores; sed horum aliqui apud Waddingum laudati, id factum, statuunt præpropere anno* 1206 *aut* 1207, *alii justo serius anno* 1212, *aut* 1211, *quem annum ceteris prætulit Waddingus in Annotatis, sed in Annalibus annum* 1210; *ego vero in Commentario prævio* § 7 *ostendi, id contigisse anno* 1209, *ac rei seriem exposui ibidem* § 11. *Quæ sequitur, omnium ultima est, quam* S. Francisco *Minoribus suis scripsit, et hi hactenus observant ab anno* 1223, *quo eam Honorius III, Innocentii III in summum Pontificatum successor, bulla edita confirmavit. Rationes hujus Regulæ scribendæ, utque scripto confirmaretur, petendi, ac totius rei gestæ ordinem explicavi in Commentario prævio* §§ 21 *et sequenti. Eamdem ipsamet* S. Francisci *manu exaratam inter sacras reliquias in ipsius conventu Assisiensi, atque ipsam etiam confirmationis Bullam, plumbo Pontificio munitam, anno* 1619 *a se visas esse, asserit Waddingus.*

AUCTORE C. S.

secundæ Regulæ laus.

31 *Sequens Opusculum hunc ibi titulum habet:* Laudes Secundæ Regulæ (*omnium scilicet ultimæ*) Fratrum Minorum a B. Patre prolatæ. *Cum breve*
E *sit, totum describo.* Fratres mei et filii charissimi, præclare nobiscum actum est in concessione hujus Regulæ. Hæc enim, quæ nobis proponitur, liber est vitæ, spes salutis, arrha gloriæ, medulla Euangelii, via Crucis, status perfectionis, clavis paradisi, pactum æterni fœderis. Nemo vestrum est, qui ignoret, quantum emolumenti conferat nobis sacra Religio, cum colluctator et adversarius noster ad omnes dolos vel cogitandos vel explicandos mirus sit artifex, atque omnia, quæ nocere possunt, pro laqueis habeat. Unde complures, nisi Religionis beneficio muniti essent, in summum discrimen adduxisset. Hanc ergo vestram Regulam scitote omnes, et in alleviatione tædii, et memoria præstiti juramenti, cum interiore homine de ea confabulamini, cum intentione eam adimplendi semper præ oculis portate; imo et cum ipsa debetis mori. *Rationes pro his Laudibus* S. Francisco *ut auctori attribuendis, et annotationes ad easdem, legesis apud laudatum editorem.*

Scripsit item Sanctus Regulam S. Claræ

32 *Subditur* Prima Regula sanctimonialium S. Claræ, a B. Francisco pro eisdem conscripta. *Fuerunt quidem aliqui etiam ex Franciscanis, qui negarunt aut dubitaverunt, an* Francisci *esset, an alterius: sed* Francisco *illam indubitanter adscribit Waddingus, tam ibidem, quam in Annalibus ad*
F *annum* 1224 *num.* 1, *ubi tamen in ea partem aliquam concedit Cardinali Hugolino his verbis:* Uterque tam Cardinalis, quam Franciscus, supererat Operi, et leges observandas simul ferebant, aptantes Minoriticas fœmineæ fragilitati. Licet has ipsa Clara optarit et petierit, tamen Cardinalis, dum eas simul cum S. Francisco scriberet, non poterat se cohibere a lacrymis, considerans virginum fervorem, muliebri infirmitate superiorem. Dum hærebat in verbo aliquo vel periodo Franciscus, Hugolinus suam operam interponebat, et circa quædam mitiganda vel cautius præcipienda suum dabat consilium; qui etiam ex institutione, quam superius diximus aliis monialibus præscripsisse, quædam huic Regulæ inseruit. *Waddingo consensit Cuperus noster in Commentario prævio ad Vitam S. Claræ die* 12 *Augusti* § 2, *ubi consuli potest, ac simul legi ratio hujus Regulæ scribendæ, ceteraque huc spectantia.*

et sociabus ejus, alteramque Tertiariis.

33 *De eadem Regula aliisque monitis, quæ* S. Franciscus *Claræ et sociabus ejus scripta reliquit, Clara ipsa in suo Testamento apud laudatum Cuperum* § 3, *num.* 42 *meminit hoc modo:* Postea scripsit (*Franciscus*) nobis formam vivendi, et maxime ut in sancta paupertate semper perseveraremus. Nec contentus fuit in vita sua nos hortari multis sermonibus et exemplis ad amorem et observantiam

AUCTORE C. S.

observantiam sanctissimæ paupertatis; sed et plura scripta nobis tradidit, ne post mortem suam ullatenus declinaremus ab ipsa *etc. De ejusdem virginis per* Franciscum *ad sanctiorem illam vitam conversione, quæ anno* 1212 *contigit, consule Commentarium prævium* § 13. *Regulam Tertii Ordinis, quorum alumni* Fratres *ac* Sorores de Pœnitentia *et* Tertiarii S. Francisci *appellantur, ejusdem Sancti Opus esse, diximus* § 20 *Commentarii prævii contra aliquos, qui contrarium senserunt. Huic Ordini initium datum anno* 1221, *aliaque ad eumdem spectantia eodem* § *reperiet lector; ut necesse non sit de eodem hic agere. Cum eadem Regula Waddingus tomum secundum Opusculorum* S. Francisci *claudit.*

Collationes qua ratione illius sint :

34 *Primum tertii tomi Opusculum Waddingus* Collationes monasticas, sive ad Fratres *inscripsit, atque in collationes seu capita viginti octo partitus est, et singulis ipse ferme titulos præfixit; neque eas in ullo codice sic dispositas, aut simul scriptas editasque reperit, sed ex variis collectas in eum ordinem redegit. Quibus auctoribus hic maxime usus sit, lectorem ibidem monuit his verbis :* Pauca ex frequentibus et salutaribus consiliis, quibus discipulos erudivit (*S. Franciscus*) diversi signarunt auctores. Pisanus, Speculum vitæ Francisci, et codiculus quidam vetustus Ms., Italico idiomate exaratus,
B mihi a Fano, Piceni urbe ad Metaurum amnem exstructa, transmissus, plus ceteris præstiterunt. Quam ab unoquoque Collationem accepi, ad singulas notabo. *Itaque non eo titulo Opusculum hoc* S. Francisco *attribuitur, quod ipsemet illud conscripserit; sed quod contineat salutaria monita, quæ ab illo discipulis suis subinde ore tradita apud varios leguntur. Hinc etiam pro varietate auctorum, ex quibus collationes illæ collectæ sunt, aliæ aliis certius* Franciscum *eo, ut dictum est, modo auctorem habent, ac reliquis istæ certius, quæ ex primis ejusdem Sancti biographis, Thoma Celanensi, Tribus Sociis sanctoque Bonaventura excerptæ sunt.*

ejusdem est Officium de Passione Domini.

35 *Dubium non est, quin* S. Francisci *Opusculum sit, quod ibidem sequitur* Officium passionis Dominicæ. *Ab anonymo coævo scriptore Vitæ S. Claræ Assisiensis in Opere nostro tom. II Augusti pag.* 761, *num.* 30 *vocatur* Officium Crucis, *dum de eadem sancta abbatissa ait :* Officium Crucis, prout Crucis amator Franciscus instituerat, didicit, et affectu consimili frequentavit. *Nec aliud indicavit Marianus Florentinus supra num.* 2 *inter* Francisci *Opuscula recensens* quoddam devotum Officium in honorem Domini nostri Jesu Christi, quod secundum solemnitates variabat : *nam et editum a Waddingo sic variat. Unde vero illud acceperit Wad-*
C *dingus, edideritque, ipsiusmet verbis accipe.* Primum (*inquit*) hujus Officii exemplar mihi occurrit in primo codice Ms. Assisiensi, sæpius a me citato. Secundum mihi ex civitate Bononiensi transmisit reverendissimus pater Benignus Genuensis, supremus nostri Instituti rector, anno Domini MDCXIX. Tertium obtulit Bartholomæus Cimarelli, provinciæ Picenæ vir doctus... in primo volumine Annalium nuper a se editorum lib. I, cap. 8. Aliud se vidisse penes Augustæ memoriæ imperatorem Maximilianum juniorem, magnaque devotione ab eodem quotidie frequentatum, mihi retulit vir æque pius ac doctus R. Pater Henricus Sedulius... Non eadem horum exemplarium series in disponendo hoc Officio pro statutis anni temporibus. Parvi tamen est momenti discrepantia, nec ulla est ferme in verbis Officii. Clariorem sequor codicis Assisiatis dispositionem. *Hactenus laudatus editor Waddingus.*

Canticum solis Italicum

36 *Sequuntur tria Cantica, vulgari ejus temporis sermone Italico composita. Primum recensetur in libris Conformitatum Pisani, conformit.* 23, *parte secunda primæ editionis Mediolanensis anni* 1510 *fol.* CCII *et sequenti, cum hac præmissa notitia :* Composuit etiam B. Franciscus aliquas in vulgari Laudes, et has composuit, postquam a Christo certificatus fuit de gloria paradisi obtinenda. Et quia sol præ ceteris Deo similatur (nam vocatur Dominus Jesus SOL JUSTITIÆ) dictas laudes vocavit D CANTICUM FRATRIS SOLIS. Quas a sociis faciendo cantari coram episcopo Assisii et potestate Assisii, qui erant in summa discordia ad invicem, statim ad concordiam et pacem mutuam devenerunt. Canticum est istud, et intitulatur : « Laus » de creaturis, quam fecit B. Franciscus, quando certificavit eum Deus de regno suo. » *Non tamen integrum tunc composuisse dicitur : nam in ipso Cantico ibidem interponitur hoc monitum :* Sequentem versum fecit B. Franciscus et præfatis addidit, quando coram episcopo Assisii et potestate fecit præfatas Laudes decantari, ut ad concordiam veniret; quod et factum est.

quibus temporibus

37 *Rursus post eumdem versum denuo legitur :* Istum versum sequentem apposuit B. Franciscus, quando sibi de die mortis suæ a Christo revelatum fuit. *Waddingus, qui eamdem editionem secutus est, et præter annotationes Latinam Cantici interpretationem adjecit, primum e duobus istis versibus sic reddidit :* Lauderis, mi Domine, propter illos, qui pro tuo amore offensas dimittunt, et patienter sustinent tribulationem et infirmitatem. Beati illi, qui in pace sustinuerunt, quia a te, Altissime, coronabuntur. *Alterum vero sic :* Lauderis, mi Domine, propter sororem nostram mortem, quam nullus vivens potest evadere. Væ illis, qui mo- E riuntur in peccato mortali! Beati illi, qui in hora mortis suæ inveniunt se conformes tuæ sanctissimæ voluntati; mors enim secunda non poterit eis nocere. Laudate et benedicite Dominum meum, gratificamini et servite illi, omnes creaturæ cum magna humilitate.

et quibus de causis

38 *Idem scriptor in Annalibus ad annum* 1224 *num.* 32 *et sequentibus ista pluribus exposuit, quæ ego hic solum compendiose narrabo. Scribit ille,* S. Franciscum *cum eo anno, suadente ac curante fratre Elia, in cellula juxta monasterium S. Damiani e morbo decumberet, ibique etiam dæmonum præstigiis quadraginta dies jacuisset insomnis, tandem cælesti voce de afflictionum suarum mercede edoctum, surrexisse e lecto, et cum advocata S. Clara de providentia Dei ac pietate erga homines sermonem protraxisse, donec ad prandium vocarentur : sed ad primam vel alteram buccellam fixis in cælum oculis primo suspensum hæsisse; atque exclamasse :* Benedictus gloriosus et superexaltatus sit Dominus. *Deinde vero cum vehementi motu prosiliisse e mensa, procubuisse in terram, et post integræ horæ ecstasim fratri Leonardo indicasse, se de sua æterna beatitudine divinitus certiorem factum esse. Subdit, ipsum post hæc paulisper meditatum, in prædictum canticum prorupisse, monito socio, ut verba calamo* F *exciperet; ac desiderasse, ut ab omnibus mandaretur memoriæ, a fratribus suis recitaretur quotidie, et meliori metro donaretur a fratre Pacifico, docto istius sæculi poeta, qui ante accessum ad Ordinem Minorum a Frederico secundo imperatore Rex versuum fuerat dictus. Hæc de prima ac potissima Cantici parte; de duabus aliis ipsiusmet verba subjungo.*

Sanctus comprosuisse dicatur

39 Paucos post dies evenit, ut magnæ excitarentur turbæ Assisii inter episcopum et urbis consules. Ille interdixit his sacra, hi interdixerunt omnem cum episcopo paciscendi rationem, jusseruntque, ut nihil ille suisve venderetur, aut vicissim ab eis emeretur. Tanto dissidio Vir sanctus compatiens, dolebat, nemmem esse, qui de pace superinducenda tractaret. Addens itaque præcedentibus versiculum hunc, LAUDERIS MI DOMINE, PROPTER ILLOS etc., jussit, ut socii confidenter pergerent ad proceres civitatis, et suo nomine rogarent, ut ad episcopum vellent accedere. Quibus constitutis in conspectu pontificis, absque rubore, velut Dei præcentores, alternis illi canerent choris prædictum Canticum cum adjuncto versiculo. Jussa peregerunt socii, convenerunt que in unum ad sancti Viri preces (quas non audebant repellere) qui inter se dissidebant, auditisque simplicibus et candidis ejus carminibus, quibus Deus occultam impertiit

A impertiit virtutem, mirabiliter in mutuos irruerunt amplexus, utrimque veniam exposcentes.

a Waddingo 40 Post hæc ductus Fulgineum per fratrem Eliam, ut loci vel aeris mutatione melius haberet, aliquod dolorum sensit lenimen; sed omnino non tollendos ad mortem usque, hac intellexit ratione. Magnus immissus Eliæ sopor; deinde facta visio cujusdam grandævi senis, aspectu venerabilis, infula pontificia et albis vestibus induti, monentis, cum patientia tolerandos Francisco labores per biennium; quo expleto, per mortem liberandum, et ad consummatam doloris expertem requiem transferendum. Retulit, quæ vidit, Viro sancto, qui similiter sibi indicatum respondit; exultansque in spiritu tam de promissa sibi denuo gloria æterna, quam de statuto tempore, quo ex hoc ergastulo oporteret exire, adjunxit ad superiora carmina, quæ sequuntur : LAUDERIS, MI DOMINE, PROPTER SOROREM NOSTRAM MORTEM *etc. Monumenta, ab Annalista ibidem allegata; sunt Legendæ Gregorii IX ac Trium Sociorum; per quarum primam si eam designare voluerit, quam, eodem mandante Pontifice, Thomas Celanensis conscripsit, recte illa laudare potuit pro Sancti morbo, curaque, quam pro illo gessit frater Elias, et visione Fulginii habita, uti et S. Bonaventuram pro admisso in Ordinem Rege versuum, seu*

B *poeta laureato, qui deinde dictus fuit frater Pacificus.*

exponitur. 41 *Sed tam in hac, quam in Trium Sociorum Legenda frustra quæsivi, quæ modo retuli de ejusdem Sancti commoratione apud monasterium S. Damiani ac gestis ibidem, de restituta inter episcopum et rectores civitatis Assisiensis concordia, deque insertis hac, ac deinde revelatæ mortis de causa versiculis in Cantico, de quo nulla prorsus ibi, non magis, quam apud biographum ac S. Bonaventuram fit mentio. Dicendus ergo est Waddingus ea legisse in Legendis antiquis et Chronico Mariani Florentini, quæ præterea citavit, sed quorum hoc scriptum est sæculo* XV *inchoato, illæ ignotæ mihi ætatis ac fidei sunt. Quod ad Canticum ipsum attinet, non exstat illud in ejusdem Pisani Operis editione Bononiensi anni* 1590, *sive quod hujus editionis adornator crediderit, non recte* S. Francisco *adscribi, aut* Francisci *quidem esse, sed non a Pisano eidem Operi insertum, sive alia de causa, quam nescimus. Porro idem Canticum, sive argumentum ejus sive phrasim spectes, plane congruit pio genio* Francisci, *cui solemne fuit Deum in creaturis laudare, et has* fratres *ac* sorores *suas appellare, ut alibi dictum est.*

Duo alia cantica Italica, quorum unum

C 42 *Secundum Canticum, Italice pariter compositum, Waddingus recensuit ex tomo IV Operum S. Bernardini Senensis sermone 4 extraordin., ubi* S. Francisco *tribuitur. Addidit et Latinam ejusdem interpretationem Henrici Chifellii Antverpiensis, et quia quamdam poeticam descriptionem conflictus cum amore divino continet, censuit cum eodem S. Bernardino, illud præcipue referendum esse* ad ineffabiles illos, *ut loquitur,* in monte Alvernæ conflictus, quibus amoris pugil Franciscus ab ipso Amore, quinto sauciatus vulnere, totus amor evasit : *quæ conjectura haud inverisimilis est. Ut tertium, quod ibidem subditur, Canticum inter* S. Francisci *Opuscula recenseret, movit Waddingum unus codex Ms. Assisiensis, laudatique S. Bernardini auctoritas, apud quem, ait, ejusdem principium sub nomine* S. Francisci *legi tom. IV Sermonum illius, Serm.* 16 *extraordinario, ac pro reliqua parte lectorem remitti ad Sermonem Feriæ sextæ Parasceves, ubi integrum legitur.*

B. Jacopono ab aliis adscribitur. 43 *Monuit tamen, idem Canticum in aliquibus editionibus Opusculorum B. Jacoponi, seu Jacobi de Benedictis, huic, non* S. Francisco, *adscribi. Duas autem horum editiones memorat in Scriptoribus Ordinis Minorum, primam scilicet Romanam anni* 1558, *alteram auctiorem Venetam anni* 1617. *Mihi neutra ad manum est; sed altera, Neapoli facta anno* 1615 *ex recensione Joannis Baptistæ Modii,* aliquot ejusdem Beati Canticis aucta ex antiquo Ms., *ut libri titulus præfert. Hinc nescio, an Canticum, de quo nunc agimus, in duabus prædictis editionibus Romana ac Veneta etiam legatur, et utrum in Veneta exstet ex recensione Modii, an ex alio antiquo Ms. Waddingus præter codicem Assisiensem sanctumque Bernardinum pro sua sententia laudat etiam ipsum Cantici auctorem, quod in eo multa habeat, inquit,* de inflictis vulneribus, de apertis sibi ostiis, aliaque id generis, quæ magis propria Francisci videntur, *nimirum ob impressa ipsi sacra stigmata, post quæ illud ab eo compositum putavit. Non inepta quidem est hæc observatio, fallere tamen potest, quia ejusmodi phrases de anima divino amore sauciata, qualis erat Jacoponi, recte accipi possunt. Utut sit, ibidem legi potest Waddingus, qui etiam addidit Latinam Cantici interpretationem, vario carminum genere compositam a Jacobo Lampugnano e Societate nostra. Progredior ad alia.*

AUCTORE C. S.

Alia quædam apud Waddingum S. Francisco tributa.

44 *Ad* S. Francisci *oracula procedit Waddingus, quæ in Apophthegmata quinquaginta septem, colloquia quadraginta et unum, Prophetias sedecim, Parabolas duas, Exempla quinque, Benedictiones septem, Oracula et Sententias triginta distribuit, collegitque ex variis scriptoribus, quos ad singula annotavit. Hinc denuo fit, ut non omnia æque certo* Francisci *sint, sed illa præ ceteris certius, quæ ex primis ejusdem biographis sunt accepta. Observo tamen, varia ex eis, pro quibus a Waddingo solum* E *laudantur Pisanus, aliique recentiores, legi apud vetustiores, ex quorum auctoritate* S. Francisco *omnino adscribenda sunt. Referamus aliqua, quæ mutatis parumper vocibus habent Tres Socii, quos sæpe quidem in Annalibus ex aliis, ut opinor, laudavit Waddingus, sed eorum Opusculum non habuit, uti alibi observavi. Apophthegma secundum apud eos legitur in Appendice superius edita num.* 24; *tertium num.* 14; *quintum num.* 20; *septimum num.* 22; *octavum num.* 23; *nonum num.* 28. *Tandem tertium Opusculorum* S. Francisci *tomum seu librum Waddingus concludit cum sedecim sententiis, præfatus hoc modo :* In secundo codice Ms. Assisiano habentur sub nomine Francisci sequentes sententiæ, quarum aliquæ ipsius Sancti propriæ sunt; aliæ vel expresse inveniuntur apud quosdam ex sanctis doctoribus, vel ex eorum sunt doctrina compactæ. Iis familiariter utebatur Franciscus ad suorum instructionem.

Aliqua etiam dubia, an Francisco sint,

45 *Superest, ut pauca dicamus de Opusculis, quæ velut dubia Waddingus in Appendice recensuit. Primo loco sunt septem sermones breves, quos tamquam a* S. Francisco *Hispanice scriptos solus edidit Rebolledus prima parte Chronicorum, et Latine reddidit Waddingus. At suspectos illos merito hic habet, tum quod ab unico, eoque recentiore primo* F *vulgati sint, tum quod eorumdem, ut inquit, sit* nimis culta et compta Hispanica phrasis, Bœticis scriptoribus tam grata, quam familiaris. *Quam ob rem suspicatus est, eorumdem materiam ex variis quidem* Francisci *sacris monitis acceptam, sed dispositionem formamque et stilum ipsiusmet Rebolledi esse. Addere poterat, in sermone septimo, qui de* Sacerdotum obligatione *inscriptus est, quædam legi parum conformia iis, quæ* S. Franciscus *in Epistola* 12 *scripsit. In hac enim frequentem aut saltem quotidianam Missæ celebrationem fratribus suis presbyteris ex reverentia dissuasit; in sermone hoc etiam laicos ad frequentem communionem jubet invitari. Sic enim ait :* Hortari etiam (*presbyteri*) debent pœnitentes ad frequentem eorum confessionem et sanctissimam Christi Corporis communionem. Si enim hic cibus est animæ, sine quo languet et marcessit; cur non quotidie ad mensam, in quo * proponitur cunctis, cuncti sedere et man- * qua ducare desiderent? *etc. Qui hæc cum dictis supra a num.* 19 *contulerit, facile perspiciet, hunc sermonem non esse ejusdem auctoris, cujus est illa Epistola.*

et ipsi male adscriptæ.

46 *Sequens Opusculum, cui titulus est :* Sex præcipuæ rationes, quare Deus Optimus Maximus Religionem Minorum suæ concesserit Ecclesiæ, S. Francisco *non obscure adjudicavit Waddingus, cujus*

AUCTORE C. S.

cujus verba suffecerit recitasse. Opusculum hoc (*inquit*) in lacera et vetusta charta pergamena mihi occurrit eo modo, quo transcripsi, in bibliotheca Minorum convent. Assis.; sed in Firmamento Trium Ordinum fol. 22, in Manuali Minorum, et aliis vetustis codicibus aliter habetur, sæpiusque ipsius Francisci et B. Claræ fit mentio, tamquam qui in testimonium vel in exemplum adducantur. Qui excusis his, etiam satis vetustis, adhæserit libris, non immerito affirmabit, alterius a Francisco hoc esse Opusculum. *Ultimum* Opusculum *est* decem perfectionum veri Religiosi, et perfecti Christiani, *de quo ibidem laudatus editor hæc præmisit :* In fine codicis Ms. Hiberni recitabantur, ut inferius, hæ Perfectionis viri Religiosi sub nomine D. Francisci, tamquam ab illo scriptæ. Eas tamen non scripsisse, sed habuisse sanctum Virum, probant Firmamentum fol. 23, Manual. Minorum ad initium, et Rodulphus lib. II Histor. Seraph. fol. 169, licet ipsi, tam in Opusculo quam in titulo, inter se discrepent.

Opusculorum editoris epilogus :

47 *Coronidis loco hic addo ejusdem editoris apostropham ad lectorem, quæ sic habet :* Hæc sunt, amice lector, quæ reperiri potui, sancti Viri vel certa vel dubia Opuscula. Desideratur adhuc aliud de spirituali lætitia et acedia, hujusque remedio, B a Mariano in suo indiculo relatum. Alii volunt, sanctum Virum calamo signasse, quidquid in toto itinere peregit aut vidit notatu dignum, dum pro Jacobi apostoli corpore visendo in Compostellam se contulit, ITINERARIUMQUE COMPOSTELLANUM inscripsisse. Alii demum citant ejusdem Tractatulum de Oratione. Nihil horum, etsi diligenter a me perquisitum, huc usque apparuit. Si fors occurrerit, D communis faciam juris... Vitæ historia, quæ sequitur, ipsa eadem est, quam Bonaventura docto et pio stylo contexuit; sed quæ refert sancti Patris Apophthegmata et sententias, tertio tomo Opusculorum suis locis inseruimus, quædamque ex multis miraculo omisimus, ut libentius ad breviorem Vitam legendam lector accedat. *De prætermissis a Waddingo in Vita per S. Bonaventuram scripta lectorem in Annotatis monui.*

forte aliqua alia deperdita vel latentia.

48 *Præter Opusculum* De Spirituali lætitia *etc. in eodem Indiculo suo Marianus etiam memoravit* quasdam Laudes in vulgari ad Sorores sanctæ Claræ, *nisi forte per has indicare voluerit Cantica Italico sermone conscripta, de quibus supra egi, nec ille alias meminit. Apud Waddingum desiderantur præterea, quæ Sanctus ad easdem scripsit de servanda paupertate, cum S. Clara in suo Testamento de illo dicat :* Nec contentus fuit in vita sua nos hortari multis sermonibus et exemplis ad amorem et observantiam sanctissimæ paupertatis; sed et plura scripta nobis tradidit, ne post mortem suam ullatenus declinaremus ab ipsa. *Nequeunt hæc de Regula accipi; de hac enim jam præmiserat ibidem :* Scripsit nobis formam vivendi, et maxime ut in sancta paupertate semper perseveraremus; *sed nec* E *verisimiliter exponi possunt de duabus brevissimis Epistolis ad eas datis et a Waddingo recensitis; cum in harum una solum de servanda paupertate expressa fiat mentio, nec illæ* plura scripta *proprie dici possint. Atque hic Analectis de* S. Francisco, *jam satis prolixis, finem impono.*

ADDENDA AD DIEM III OCTOBRIS.

C. B.

IN S. GERARDO BRONIENSI.

Pag. 263 *et duabus seqq. in Commentario ad Vitam* S. Gerardi *prævio num.* 299, 301 *et octo seqq. Chartam, ab Alexandro, Leodiensi episcopo, in monasterii Broniensis favorem anno* 1151 *emissam, transcripti, eamque Epacta* 20 *mendose notari, num.* 310 *edixi, et recte quidem, spectata communi Epactas lunares computandi ratione. Verum fuere veteres computistæ nonnulli, qui quovis anno tot numerarent Epactas, quot eodem anno lunæ dies erant die* 22 *Martii : hac autem servata Epactas numerandi ratione, annus* 1151, *utpote quo novilunium in* C *diem* 3 *Martii inciderit ac proin* 22 *mensis hujus dies fuerit vigesima lunaris, cum Epacta* 20 *recte conjungitur. Quapropter, cum posteriori hac Epactarum computandarum ratione usus esse possit præmemoratæ Chartæ scriptor, nequit etiam hæc ex eo, quod Epacta* 20 *notetur, in notis chronicis dici corrupta, dubiumque adeo, quod hoc ex capite de illius sinceritate poterat oriri, penitus evanescit. Adi Glossarii tom. I, pag.* 310 *Cangium, ubi hic scriptor ea, quæ de quorumdam veterum in computandis Epactis methodo jam dixi, universim etiam, ut apparet, ad omnes omnino antiquos extendit; nota tamen perperam id abs illo fieri, uti argumento sunt plures scriptores veteres passim obvii, methodum communem, qua hodieque utimur, in computandis Epactis secuti. Ut ceteros huc minus prope spectan-* F *tes omittam, ipsiusmet* S. Gerardi *biographus, qui sæculo circiter integro ante scriptorem Chartæ jam memoratæ floruit, pag.* 319, *num.* 80 *in fine annum Christi* 939, *cui obitum* S. Gerardi *illigat, cum Epacta* 20 *componit, quæ tamen non nisi secundum communem Epactas computandi rationem anno illi congruit, ut cuique calculas ineunti manifestum evadet.*

ADDENDA AD DIEM IV OCTOBRIS.

IN S. MARSO PRESB. CONFESSORE.

Pag. 341 in Sylloge de S. Marso presb. confess.

Cur hæc Appendix detur. Sancti cultus Essendiæ

Post *excusam hanc Syllogen in manus nostras inciderunt quædam Mss. Notitiæ, ad Majores meos olim missæ, sed alieno loco sepositæ, in quibus cum nonnulla legantur de* S. Marsi *cultu in libera imperiali illustrissimarum canonissarum Essendiensi ecclesia, in qua corpus, seu majorem ejusdem corporis partem, jam ab aliquot sæculis honorari, in Sylloge diximus, ea huc referenda putavi, maxime quod quædam doceant, de quibus in Notitiis ad mea quæsita ex eodem loco remissis altum est silentium. In primis ex istis nuper inventis discimus,* S. Marsi *festum annuum in Essendiensi ecclesia celebrari, aut certe olim celebratum fuisse die* 6 *Octobris, qua de re posteriores notitiæ silent. Additæ etiam sunt Lectiones de illo, quarum una brevior transcripta notatur ex Ms. Passionali Bodecensi mensis Octobris; altera longe fusior ex pluribus Officii Lectionibus in unum velut Sermonem compacta est, vel ex unico*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A *unico sermone in plures lectiones potius olim partita, desumptaque ex Ms. Passionali membranaceo monasterii Abdinghoffensis Paderbornæ in Westphalia.*

die 6 Octobris : ex Sermone de illo ibidem dicto

2 *Breviori præfixus hic titulus est :* Transitus S. Marsi presbyteri et confessoris, cujus festum colitur prid. Non. Octob. : *alteri vero iste :* Sermo in festivitate S. Marsi presbyteri et confessoris. *Sermonem hunc coram Essendiensis ecclesiæ tunc temporis seu monachis, seu canonicis, aliquando dictum fuisse, persuasum mihi habeo, tum quia orator in eo diserte asserit, sacra* Marsi *pignora* Autrico, *sive ex Autissiodorensi territorio, translata fuisse in ecclesiam, in qua perorabat, in eademque tunc etiam quievisse; tum quia auditores suos* fratres *appellat, et ecclesiam* monasterium nostrum. *Ex phrasibus autem in Sermone hoc atque in breviori illa Lectione communibus manifestum fit, aut hanc ex illo contractam, aut in illo plurimum auctam esse. Ætatem auctoris haud facile divinavero : nam licet ex verbis infra recitandis is videri possit non integro sæculo advectis Essendiam* S. Marsi *reliquiis posterior, longe tamen se posteriorem prodit, dum earumdem illuc adventum affigit anno* 864, *quod tam ex tempore fundationis monasterii Essendiensis passim credito, quam ex dicendis neutiquam verisimile est.*

B

quædam excerpta hic recitantur,

3 *Sermonis exordium accipe : neque enim operæ pretium esset totum recitare.* Gloriosam hujus diei solemnitatem exultabilem nobis, Fratres carissimi, beati confessoris Marsi commemoratio reddit. Dignum quippe est, ut de sempiterna ejus in gloria [*deest forte* vita, *vel abundat* in] nos gaudeamus, de cujus etiam temporali occasu angelorum cum omnibus Sanctis chorus exultat. Quomodo enim non summo in terris gaudio hodiernum diem celebremus, cum eum et in cœlis angelis festivum esse, sciamus. Si quidem hodie B. Marsus digna laborum suorum præmia percepit : hodie de hac valle lacrymarum ad gaudia æterna migravit : hodie e terris ad Paradisum transivit... Quapropter, dilectissimi, quamvis omnibus ubique Christianis de tanta Confessoris gloria communis debeat esse lætitia, nobis tamen specialius est et uberius lætandum, qui cum meritorum virtutibus sacrosancta simul ejus pignora possidemus.

ex quibus discimus, sacras illius reliquias

4 Decet enim, ut, ubi glorificata, et semper glorificanda ossa habentur, ibi quoque in die, quo sacrosanctus ejus de mundo transitus celebratur, lætitiæ sit principatus; ubi eo amplius in Domino exultare, et divinæ bonitati gratias agere debemus, quod sanctus iste Patronus, iste alibi natus, alibi conversatus, alibi ad cœlum receptus, nobis procul

C positis ineffabili pietate datur, et sua pia voluntate est condonatus. *Post multa alia, de miraculis, quibus sacra ista ossa in eadem ecclesia claruisse, generaliter asserit, hæc addit :* Ibi (*in monte Autrico apud Autissiodorum*) quondam vivens signa potenter operabatur; hic mortuus miraculis mirabilius coruscat... Quanti enim nunc ad sacrosanctam ejus tumbam plerique longo tempore orbati, plerique ab ipsa nativitate cæci, illuminantur? Quanti surdi, reseratis aurium obstaculis, recipiunt auditum? Quantis vel linguæ officio, vel ambulandi usu privatis, illis loquela, istis redditur gressus? Quanti denique diversis modis contracti optatam merentur sanitatem?

in eadem ecclesia miraculis claruisse;

5 Videmus plerumque, aliquos non perfecte statim convalescere, sed paulatim singulis membris in sanitatem redire : quod ideo facit, nostræ in omnibus saluti consulens, divina Majestas, ut in ista valetudinum diversitate videamus, quid insanis, quid pro morbidis sit postulandum; atque ita semper magis magisque ad divinam Clementiam vel laudandam, vel exorandam excitemur *etc. Hæc omnia indicant, sermonem hunc, ut dixi, in Essendiensi ecclesia habitum fuisse; ubi enim in Westphalia, quam idem orator antiquo more* Saxoniam *appellat, sacra* Marsi *ossa tumbaque tunc fuerint, quam Essendiæ, ubi majorem ipsius corporis partem, Autissiodoro, ipso oratore agnoscente, acceptam pretiosæ inclusam tumbæ antiquitus quievisse, et hodiedum quiescere, in comperto est?*

AUCTORE C. S.

sed de ejusdem gestis nihil præterea ex illo discimus.

6 *Porro quamvis satis prolixus hic sermo sit, de Sancti tamen gestis non alia docet, quam quæ ex S. Peregrini Actis jam dedi in Sylloge. Audi ipsum oratorem de hoc argumento loquentem.* Denique, ut eorum relatione comperimus, a quibus sacrosanctas ejus reliquias accepimus, speciale, ut seniores eorum tradiderunt, penes ipsos de eo scriptum habebatur, in quo tota vitæ et actuum ejus historia continebatur; sed, quonam modo perierit, incertum habetur. *At rursum post pauca :* Quamvis specialia de eo, ut diximus, scripta perdita esse ferantur, invenimus tamen in Passione S. Peregrini, vel unde esset, vel quantæ sanctitatis et virtutis existeret *etc. Itaque cum ex S. Peregrini Passione narret, quæ jam discussi in Sylloge, ea hic non describam. Præteribo pariter laudes,* Marso *cum aliis apostolicis viris communes, prolixasque exhortationes, quibus auditores suos ad imitandas illius virtutes sic exstimulat, ut tamen de ejusdem gestis præterea nihil exponat.*

Translatio reliquiarum in eodem figitur anno 864,

7 *Subjicio igitur, quæ de translatis ejusdem Sancti Essendiam reliquiis memorat.* Egregius (*inquit*) Christi Sacerdos post multa, quæ in terris gesserat bona, confessor defunctus, et in ecclesia, quam primo adventus sui tempore in Autrico construxerat, juxta altare est sepultus, ubi et nos sacratissima ejus ossa, ut in Translatione ejus plenius refertur, anno post Incarnationem Dominicam DCCCLXIII suscipere, et ad nostrum, Christo propitio, monasterium transferre meruimus. *Nescio, quam hic Translationis historiam, ceteris omnibus scriptoribus ignotam, laudet; at, quotquot alii de Essendiensibus* S. Marsi *reliquiis meminerunt, illas toto sæculo serius, Ottonum scilicet tempore, illic depositas referunt. Adhæc diploma S. Altfridi Hildesemiensis episcopi a Sollerio nostro in hujus sancti episcopi Actis tom. III Augusti pag* 215 *et sequenti ex Schatenio recusum, dubitare facit, an Essendiensis ecclesia jam exstiterit anno* 864; *cum istud fundationis diploma primo datum legatur anno* 877, *circa quem annum ejusdem loci fundatio passim reponitur.* E

sed hæc ad Ottonum tempora referenda est.

8 *Quam ob rem annum* 864, *ab oratore assignatum, vitiosum esse, existimo, ipsumque oratorem, nisi amanuensem culpare malimus, multo esse juniorem, quam ex mox datis verbis posset videri; quod postremum ejusdem stylus etiam persuadet. De monte Autrico, sanctique* Marsi *sepultura consule Syllogen. Rectius, ut apparet, Lectio brevior ex codice Bodecensi superius laudato, prætermisso rei gestæ anno, sic habet :* Sanctus vero Marsus (*post S. Peregrini episcopi martyrium*) prædicationi nihilominus insistens, multaque miracula faciens, tandem in pace quievit, et ibi (*apud Autissiodorenses*) corpus ejus honorifice traditur sepulturæ. Pluribus annis elapsis (seculis *poterat dici*) corpus prædicti Confessoris ad Assindensem (*nunc communius* Essendiensem *dictam*) ecclesiam transfertur, et per Mechtildem, ibi abbatissam et sororem Ottonis ducis Saxonum, in capsa deaurata, et lapidibus pretiosis deornata, digne imposita majori altari, honorifice asservatur. *Certe hæc referri nequeunt ad annum* 864, *sed ad sæculum* X, *quo Ottones Saxoniæ duces et imperatores floruerunt.* F

At quæ fuit Mathildis abbatissa tumbæ inscripta?

9 *De Mathilde aliqua laudatæ ecclesiæ tunc temporis abbatissa conveniunt recentiores omnes; quæ tamen illa fuerit, non item. Bucelinus parte* 2 *Germaniæ sacræ pag.* 145, *ac post ipsum Dionysius Sammarthanus in catalogis abbatissarum Assindiensium, seu Essendiensium, eam Ottonis II ducis Saxonum et imperatoris ex Theophania Constantinopolitana filiam, ac Ottonis III sororem faciunt, consentiuntque Notitiæ Essendia ad me missæ, uti et Gelenius in Colonia supplice pag.* 48. *In Lectione Breviarii Autissiodorensis, quam in Sylloge recitavi, legitur major* S. Marsi *corporis pars* tempore Hugonis de Cabilone, Autissiodorensis episcopi, ab Othone III imperatore in Westphaliam translata *etc.*

 circa

AUCTORE C. S.

circa annum Domini millesimum. *Cum vero ex canonici le Beuf Historia Autissiodorensi didicissem, laudatum Hugonem Ottoni III fuisse percarum, verisimile mihi apparuit,* S. Marsi *reliquias ab hoc antistite eidem Ottoni, et ab hoc sorori suæ Mechtildi seu Mathildi donatas esse. Et Mechtildem quidem Ottonis III sororem novimus, verum hanc Essendiensibus abbatissis certo annumerare nequimus.*

Papebrochius ex ejusdem tumbæ inscriptione putat,

10 *Papebrochius noster ad diem* 21 *Maji illustravit Acta venerabilium comitum Palatinorum, Erenfridi, seu Ezonis, et Mathildis, quæ Ottonis III soror fuit, eorumque filiæ B. Richezæ, Polonorum reginæ; ex quibus in rem nostram hæc accipe. Erenfridus comes Palatinus Mathildem, Ottonis II ex Theophania filiam, Ottonis III sororem, consentientibus eodem Ottone fratre, et matre Theophania, ex monasterio Essendiensi accepit uxorem, non serius quam anno* 990, *quo Theophania obiit : Mathildi vero Essendiensi abbatissæ etiam anno* 1003 *omnia monasterii sui privilegia renovata confirmataque a S. Henrico imperatore fuisse, laudati Bucelinus et Sammarthanus affirmant. Aut igitur Mechtildis hæc omnino alia est ab Essendiensi abbatissa, aut jam nupta Erenfrido Essendiensem abbatiam retinuit, quod postremum minime verisimile est, tum propter alia, tum quia Mechtildis Erenfridi uxor in monasterio, quod cum marito suo fundavit, Brawillerensi sepulta fuit; Essendiensis vero abbatissa in fundato a se in Essendiensi territorio Rellinckhausensi virginum cœnobio requiescit.*

B

duas in ea Mathildas memorari, amitam et neptem,

11 *Laudatus Papebrochius pag.* 32 *in Annotatis censuit, duas Mathildas a Bucelino confusas, eamque, quam Adelheidi suffectam statuit, perperam* Ottonis II filiam *appellatam esse.* Adelheidi (*inquit*) Ottonis primi filiæ, successisse Mechtildem, scribit.... Bucelinus,.... sed erravit, quando ipsam Ottonis II filiam fecit, adeoque cum hac sua nepte (*Erenfridi conjuge*) confudit; quæ nomen ab illa (*Quidiliburgensi abbatissa*) in baptismo habuisse potuit, et ideo huic commissa in juventute fuisse; *nimirum in monasterio Essendiensi, unde Erenfrido nuptui tradita est.* Utramque satis clare distinguunt versus descripti in tumba S. Marsi,... quos sic legendos puto, Bucelini editionem cum ecgrapho ad nos misso, satisque diverso, inter se conferens :

Hoc opus eximium gemmis auroque decorum
Mathildis vovit Theophanoũ, quod bene solvit
Abbatissa bona Mathildt, hæc chrysea dona
Regi dans regum : quæ res deposcit, in ævum
Spiritus Ottonis pauset cælestibus oris.

C

quarum hæc tumbam faciendam voverit, illa faciendam curaverit :

Domina Mathildt me fieri jussit.

12 *Pergit Papebrochius :* Vivebat autem illa (*quæ tumbam fieri jussit*) adhuc anno MIII, quando S. Henricus ipsi confirmavit Essendiensis ecclesiæ immunitates et privilegia, ut ipse Bucelinus scribit. Ezonis vero uxor videtur viro juncta fuisse circa annum CMLXXXVI; certe ante annum CMXCIX, quo mater ejus Theophano (*qua vivente, ipsa nupserat*) obiit, teste Dithmaro. *Ex hac igitur inscriptione votum de* S. Marsi *tumba facienda tribuit* Mathildi Theophanoũ, *id est, Ottonis II ex Theophania filiæ, Ottonis III sorori, et Erenfridi conjugi; voti vero exsecutionem Mathildi, Ottonis I filiæ, abbatissæ Quidiliburgensi, dictæque junioris Mathildis amitæ. Sed an hæc Quidiliburgensi simul ac Essendiensi abbatiis præfuerit, hactenus non comperi; id tamen certum est, si S. Henricus cuidam Mathildi, abbatissæ Essendiensi, anno* 1003 *privilegium concesserit, hanc diversam fuisse a laudata abbatissa Quidiliburgensi, quippe quam obiisse, constat, ante matrem suam Adelheidem imperatricem, cujus mortem Pagius in Critica Baronii anno* 999 *reponendam docet.*

D

Gelenius vero eamdem tumbam Ottonis II et Theophaniæ donum esse censuit.

13 *Ægidius Gelenius in Colonia supplice pag.* 48 *inter lipsanothecas anno* 1634 *in publica Supplicatione per eam urbem circumlatas tumbam* S. Marsi *recensens, ex ejusdem inscriptione censuit, eamdem esse* donum Ottonis II imperatoris, et Theophaniæ, augustæ ejus conjugis, tunc asceterio Assindiensi collatum, quando illi Machtildis, eorumdem augustorum filia... præsedit. *Quapropter inscriptionem tumbæ hoc legit modo :*

Hoc opus eximium, gemmis auroque decorum
Mathildis vovit, Theophanu quod bene solvit,
Regi dans regum Mathildt hæc crysea dona
. . . . . um . . . . . .
Spiritus Ottonis pauset cœlestibus. . . o . .
Domina Me fieri
Mathildt Jussit.

Addit, in eadem arca aurea effigiem Ottonis II visi inter has duas inscriptiones Græcas : ΜΙΑ ΕΝ ΧΩ ΠΙΤΟΣ ΚΑΣΙΑ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΡΟΜΑΙΩΝ Ε. Ο. *, quas sic exponit Latine :* Una in Christo firma germanitas. Imperator Romanorum gloriosus Otto : *et quidem sat recte, si pro* πιτὸς *legas* πιζὴ. *Papebrochianæ opinioni hic etiam favent vox* germanitas, *et effigies Ottonis II; hic enim germanus frater fuit Mathildis abbatissæ Quidiliburgensis ex Ottone I et Adelaide.*

* *i. e.* εὐδοξος Ὀττὼ

E

Ejusdem lipsanothecæ inscriptiones ex Bucelino.

14 *Habe etiam ecgraphum inscriptionis apud Bucelinum, a suo, ut annotavit Papebrochius, imo etiam a Geleniano diversum :*

Hoc opus eximium, gemmis auroque decorum
Mechtildis vovit, quæ Theophanum quoque solvit,
Abbatissa bona Mechtildis chrisea dona
Regi dans regum, quæ rex deposcit in ævum
Spiritus Ottonis pascit cælestibus oris.

Post hæc subdit Bucelinus : In pede tumbæ hi versus :

Hocce decus gemmis Cosma Damianeque vobis
Fecit Mathildis mercans æternæ caducis.
Theophanu cælis *etc.*

Cetera hic desunt, sive quod legi non possent, sive alia de causa. Hactenus inscriptiones apud Bucelinum, quæ aliis vitiosiores videntur. Ceterum nominantur SS. Cosmas et Damianus quia ecclesia Essendiensis iisdem dicata est.

F

Conclusio Appendicis.

15 *Porro, si Papebrochii supra exposita opinio vera sit, debuit* S. Marsi *reliquiarum Autissiodoro translatio contigisse ante diem* 6 *Februarii anni* 999, *quo die Mathildis Quidiliburgensis abbatissæ obitus figendus est ex Dithmaro; nec referri poterit ad episcopatum Hugonis, si hic Autissiodori primum sedere cœperit eodem anno* 999, *uti ex canonico le Beuf in sæpe dicta Sylloge num.* 19 *et sequenti verisimile dixeram : poterit tamen, si* S. Marsi *tumbæ constructio tribuenda sit alteri Mathildi, quæ post laudatæ Quidiliburgensis abbatissæ obitum Essendiensibus præfuerit. Hæc veritatis inquirendæ amore ad meam de* S. Marso *Syllogen addenda judicavi.*

C. B.

IN SS. DOMNINA, BERINNA ETC.

Pag. 344 *in Commentario de* SS. Domnina, Berinna *et* Prosdoce *num.* 7, *lin.* 16 *inter voces* perspicio *et* adhæc *pro insertis habe sequentia : Accedit, S. Augustinum, uti in Notis ad citatum libri primi de Civitate Dei cap.* 26 *Coquæus recte observat, de sanctis Feminis, de quibus ibidem agit, temperantius loqui ob circumcelliones hæreticos, qui sancti doctoris ætate, uti ipsemet hæresi* LXIX *testatur, stulta martyrii opinione impulsi* per mortes varias maximeque præcipitiorum et aquarum et ignium se ipsos necare *furibundorum in morem solebant.*

IN

A AUCTORE C. S.

IN S. AMMONE SEU AMONE

Pag. 368 *in Annotatis, Vitæ* S. Ammonis *subjectis, ad litteram* f *quædam de voce* Ἀπαθεία, *simulque Apatheitarum, id est, eorum, qui hominem in vita ad impassibilitatem et impeccantiam pervenire posse voluerunt, hæresi observavi; pro ampliori autem observatorum notitia videsis etiam Operis nostri tom. VIII Septembris, pag.* 617, *num.* 1000, *et pag.* 619, *num.* 1011.

IN S. FRANCISCO CONFESSORE.

S. Francisci Vita Italica a R. P. Marentino

Pag. 701 *ad finem num.* 61 *adde : Henschenius ad diem* 13 *Junii breviter agens de hoc B. Petro Compatre, ejusdem obitum ad annum* 1216 *etiam reposuit, auctoritatem Gonzagæ secutus.*

Pag. 761, *num.* 125. *Sub prelo jam versabantur mea de* S. Francisco *Assisiate Analecta, cum tandem aliquando ad me perlatæ fuerunt dudum expetitæ*
B *Animadversiones criticæ, quas R. P. Honorius Marentinus, jam alias a me laudatus, anno* 1763 *typis Mediolanensibus vulgavit adversus Anonymum, a quo illius de Indulgentia Portiunculana Dissertationes fuerant impetitæ. Porro Marentinus, qui in prioribus istis Dissertationibus agnoverat, apud Bonaventuram non extare expressam de eadem Indulgentia mentionem, in posterioribus pag.* 78 *et sequenti laudat aliam* S. Francisci *Vitam Italicam, quæ eumdem S. Bonaventuram auctorem præfert, ac typis Antonii Zaroti Mediolani edita fuit anno* 1477. *Tum subdit :* Haud dubie igitur S. Bonaventura ipse est illius libri author; abhorret enim a veri specie asserere, illis præsertim temporibus, subdolum quemdam hominem, nulla penitus de causa, S. Bonaventuræ adscribere voluisse librum aliena manu exaratum : quamvis certum sit, et ingenue fatear, eidem Operi adjecta fuisse nonnulla, quæ post sancti viri interitum contigere, quod familiare novimus in libris historicis, qui ante inventam typographorum artem conscripti sunt *etc.*

pro Indulgentiis Portiunculanis laudata,

2 *Ex hac vero Vita locum recitat, quem ex sermone Italico reddo Latinum.* Dum esset B. Franciscus apud Sanctam Mariam de Angelis, quadam nocte fuit ei revelatum a Domino Deo, ut adiret summum Pontificem, dominum Honorium tertium,
C qui tunc temporis erat Perusii, ad impetrandam Indulgentiam in dicta ecclesia, ab ipso tunc reparata. *Si tam certo, quam Marentinus existimavit, Vita ista S. Bonaventuram haberet auctorem, nec de interpolatione posset esse suspecta, cessaret argumentum negativum, quod Portiunculanæ Indulgentiæ impugnatores ab ejusdem sancti doctoris silentio repetierunt, urseruntque præ ceteris. Verum enimvero, non desunt solidæ rationes, quæ eam illi omnino adjudicandam, vel eo ipso adducto in loco interpolatam fuisse, suadeant. Waddingus apud me relatus in Commentarii prævii* § 1 *solum duas* S. Francisci *Vitas a S. Bonaventura conscriptas novit; unam scilicet Legendam Majorem, quam edidi; alteram Minorem; nam, ut ibidem num.* 22 *asserit.* Majorem *illam* in plures sectiones distributam in compendium redegit sanctus (*Bonaventura*) ad preces cujusdam episcopi Galli, quæ... per dies Octavæ S. Francisci leguntur.

S. Bonaventuram, cujus nomen præfert,

3 *Præter has duas, ambas certe Latino, non Italico sermone scriptas, nullam aliam* S. Francisci *Vitam eidem sancto doctori attributam memorat, tum hic in Annalibus, tum in Bibliotheca scriptorum sui Ordinis, relatisque in eadem Bonaventuræ Operum catalogis. Eadem illa Italica Vita Bonaventuræ nomine æque ignota fuit omnibus Franciscanis, qui, dum Indulgentiam Portiunculanam libris editis hactenus propugnarunt, justas silentii Bonaventuræ de re tam memorabili in Vitis, quæ certe ipsius sunt, causas producere coacti sunt. At, quas illi plausibiles allegarunt, eæ aut evanescent, aut Vitam illam Italicam non esse genuinum S. Bonaventuræ fœtum, probabunt. Nam quid causabimur, cur sanctus doctor in ambabus Vitis Latinis prudens cautusque tacuerit, quæ in Italica non dubitaverit propalare? Nonne eædem rationes in omnibus, quas scripsit,* S. Francisci *Vitis, aut in illarum nulla, ejusdem rei silen-* E *tium persuadere debuerunt?*

non videtur habere auctorem,

4 *Cum igitur in duabus illis, quæ sine dubio illius sunt, Portiunculanam Indulgentiam cum silentio prætereundam, vel certe nonnisi in ænigmate memorandam censuerit, non videtur laudata Italica, in qua eadem Indulgentia dilucide commendatur, eidem S. Bonaventuræ adscribenda. Nec vero perspicio, cur a veri specie abhorrere visum Marentino sit, subdolum quemdam hominem illis præsertim temporibus, id est, forte sæculo* XV (*nam non exprimitur tempus, quo editionis autographum scriptum fuerit*) *voluisse attribuere Bonaventuræ librum, aliena manu exaratum; nec cur id nulla penitus de causa faciendum fuisse, credi deberet. Id sane facere potuisset quispiam, ut Indulgentia Portiunculana etiam gravissimo sancti doctoris testimonio firmaretur.*

aut interpolationis suspecta esse debet.

5 *Fortasse etiam, quisquis is demum fuerit, istius Vitæ Italicæ auctor, eam ex Latina, a S. Bonaventura certo scripta, Italice concinnaverit, eoque titulo eamdem S. Bonaventuræ appellaverit, adjectis nonnullis, quæ non erant illius. Adhæc, cum Marentinus ipsemet verbis supra recitatis ingenue fateatur,* eidem Operi adjecta fuisse nonnulla, quæ post sancti viri (*Bonaventuræ*) interitum contigere, *cur eam de Indulgentia Portiunculana periodum inter adjecta non numeremus, quia ejusdem Indulgentiæ nulla,* F *saltem expressa, mentio exstat in Vitis* S. Francisci, *quæ Bonaventuram auctorem habent. Non est ergo Vita ista Italica idoneum instrumentum ad sæpe dictam Indulgentiam testimonio S. Bonaventuræ confirmandam, ac proinde salva manent, quæ de ejusdem Bonaventuræ ea de re silentio disserui superius in Analectorum parte* 3.

Pag. 781, *num.* 48. *Dum ista scriberem, carebam, ut ibidem dixi, Pomerio Sermonum Pelbarti Temeswarini, ideoque ex sola fide R. P. Gabrielis Rotomagensis retuli, Pelbartum, dum de viso per Cardinalem quemdam corpore* S. Francisci *meminit, laudare libros Conformitatum Pisani. Jam vero, postquam jam impressus esset hic tomus, ad me delatum prædictum Pomerium est, in quo Pelbartus in Sermone* 2 *de* S. Francisco *Pisanum pro eodem facto re vera laudavit his verbis :* Legitur li. Conformitatum, quod, cum Cardinalis quidam bello apud Assisium disposito, vix obtinuisset a civibus, ut introduceretur ad criptam, et vidisset corpus beati Francisci, dicebat, quod, etiamsi nulla alia forent miracula, hoc solum sufficeret pro fide Christi roboranda. *Hoc exemplar Pomerii nec locum, nec annum editionis exhibet; at typi non abludunt ab anno* 1509, *quo Lugduni suum Rugilus ibidem in Analectis meis, pag.* 781, *num.* 41 *excusum ait.*

INDEX

INDEX HISTORICUS IN TOMUM II OCTOBRIS.

† Aaron *summus sacerdos, frater Moysis* 151 e, 152 e, 371 c
Aaron *abbas* 195 b
† Abel *archiepiscop. Remensis* 444 a, 544 c; *an S. Magdalveum ad cathedralem Virodunensem ecclesiam reædificandam pecunia adjuverit* 444 b
Abellenus *episcopus* 414 b, 416 e, 418 d
Abinante (*Alexander*) 934 c
† Abraham *patriarcha* 216 d, 527 e, 551 b, 552 a, 595 e, 597 f, 577 b; *uxorem suam Ægyptiis dixit sororem* 401 a b; *qui factum illud a peccato excuset S. Chrysostomus, et qui S. Augustinus* 550 b *et seqq.*, 554 c d; *quando primum Deo crediderit, et an SS. Trinitatem agnoverit* 597 d e
† Abrunculus *episcopus Trevirensis : pars corporis ejus Gumberto abbati Abdingoviano concessa* 525 b
Abu-baula. *Vide* Baula.
† Abundius *mansionarius ecclesiæ S. Petri Romæ* 562 f
† Acca *episcopus Augustaldensis* 174 e; *a S. Egberto episcopo in Frisiam cum S. Willibrordo missus scribitur a Pseudo-Marcellino* 171 e
† Accursius *Frater Minor, a S. Francisco ad prædicandam fidem in Africam missus, ibique martyrium passus* 712 b
Acepsimas, *velut martyr in Fastis Græcis annuntiatus, inter Prætermissos* 288 d e
Acherius *martyrii S. Romanæ Compendium, translationisque historiam typis vulgavit* 128 c
Acheus *judex S. Asterium senatorem martyrio affecit* 502 a
Achilleus, *Ægypti contra Romanum imperium invasor, a Diocletiano imperatore victus* 512 f
Acto *juvenis leprosus. patrocinio S. Francisci Assisiatis sanatus* 675 e
† Adalbaldus *S. Rictrudis maritus* 251 c
Adalbero *archiepiscopus Remensis monachos canonicis in monasterio Mosomensi substituit, iisque Lietaldum præfecit abbatem* 252 f
Adalbero *episcopus Metensis* 227 f, 255 c
Adalbero *episcopus Trevirensis* 517 d. *Vide tamen Addenda et Corrigenda.*
Adalbertus. *Vide* Adelbertus.
Adalgarius *notarius, subscriptus diplomati, a Carolo Calvo in favorem Ingelwini ejusque in sedem Parisiensem successorum concesso* 422 e
Adalleodatus *diaconus subscriptus diplomati, quod Ludovicus, Germaniæ rex, in favorem monasterii Metamensis concessit* 194 c
† Adam *primus generis humani parens* 73 a, 571 d
† Adamnanus *presbyter abbas in Jona Scotiæ insula* 173 e f; *multos in Hibernia legitimum Paschæ tempus observare perdocuit* 174 a b; *legatione ad Aldfridum Anglorum regem non bis tantum, sed ter functus est* 174 c d
Adamus Sasboldus *Ordinis Minorum, Fastis Belgicis a Miræo inscriptus, inter Prætermissos* 286 d
† Adauctus *martyr, pater S. Callisthenes* 24 e, *inter Prætermissos* 25 f
† Adauctus *martyr, quæstor et generalis officiorum magister, a S. Adaucto martyre, S. Callisthenes patre, est diversus* 556 f
† Adauctus *martyr, Rabano et Hieronymianis ad 4 Octobris inscriptus* 558 f, 559 c f; *unus forte idemque est cum S. Adaucto martyre, S. Callisthenes patre* 557 a b c d
† Adaucus *martyr. Vide* † Adauctus.
† Adaugtus *martyr. Vide* † Adauctus.
Addo *vir pie munificus* 168 b
Adelaidis *uxor Ludovici Balbi Francorum regis* 423 b
† Adelardus *abbas Corbeiensis* 25 b
Adelbertus *abbas Medianensis* 295 c, 307 c, 557 c, 558 e; *corpora SS. Hildulphi, Joannis et Benigni sæculo x jam provecto translulit* 558 c d
Adelbertus *Paulinianæ Treviris basilicæ præpositus* 518 e
Adelbertus *scholæ S. Mathiæ Treviris magister* 295 f
Adelelmus. *Vide* Adelhelmus.
Adelhardus *rusticus, maritus mulieris, quæ ob suam in SS. Martyres Trevirenses irreverentiam fuit divinitus punita, pœnitensque sanata* 522 a b
Adelhelmus *episcopus Parisiensis S. Gerardum Broniensem ordinavit sacerdotem* 209 f, 272 a
Adelhelmus *archidiaconus* 212 d; *corpus S. Eugenii martyris in ecclesiam Broniensem solemniter intulit* 212 e, 273 c d e
Adelhelmus, *qui sublatas S. Gisleni reliquias recuperasse narratur a Rainero* 255 f, 254 d e
Adenhoven (*Petrus*) *collegii Societatis Jesu Trevir. rector tibiam unam et vertebram martyrum Thebæorum vel Trevirensium partheniæ Philosophorum Duacensium Societatis Jesu sodalitati impertiit* 525 e, 526 a
Adhelbero *episcopus. Vide* Adalbero.
† Adjutus *Frater Minor, a S. Francisco ad prædicandam fidem in Africam missus, ibique martyrium passus* 712 b
Adololfus, *Balduini II Flandriæ comitis filius secundo genitus, sæcularis monasterii Sithiensis abbas* 247 d
† Adrianus *martyr Nicomediæ in Bithynia : ejus reliquiæ Bononiam a S. Petronio delatæ* 568 c
Adrianus *Papa. Vide* Hadrianus.
† Adventor *martyr Thebæus, Taurini, ut perhibetur, passus* 292 b, 511 c
Æcubæa Suessana, *Cypri regina, testibus oculatis celebris prodigii corporis S. Francisci annumerata* 781 b
† Ægidius *abbas : Græciense Societatis Jesu in Styria templum ei sacrum* 524 e
† Ægidius *confessor Ordinis Minorum, e primis S. Francisci sociis*, ecstaticus *vulgo dictus* 472 d e, 491 f, 493 b f, 494 a b, 498 a, 499 c, 500 d e, 501 b, 503 c, 504 c d, 509 d, 569 c, 589 b e f, 590 c, 615 d f, 657 c, 790 d c, 795 a b, 806 c d; *tertium hos inter locum tenet* 499 e f, 657 b; *quando et qui S. Francisco se junxerit* 491 d e, 499 f, 500 a, 622 e, 625 b; *quam prompte huic in danda pauperi cuidam sua chlamyde fuerit obsecutus* 500 a, 624 e, 625 d; *iter ejus in Marchiam Anconitanam cum eodem Sancto* 500 a b c, 622 e f; *singularem benedictionem ab hoc morti proximo narratur accepisse* 568 f; *corpus ejus in subterranea S. Francisci Assisiensi ecclesia quiescere, innuitur in litteris Baucianis* 787 e; *hæ tamen illa in re certo falsæ sunt* 790 a
Ægidius Cariglius Albernotius *S. R. E. Cardinalis. Vide* Albernotius.
Ægidius *episcopus Fulginas, septem episcopis, a quibus Indulgentiæ Portiunculanæ promulgatio, ecclesiæque consecratio facta asseritur, ab Ughello annumeratus* 772 b
Ælianus *Bagaudarum, Romano imperio rebellium, dux* 511 c d e, 515 d
Ælianus, *qui interfuit secundo concilio Antiocheno, adversus Paulum Samosatenum celebrato* 95 e
Ælurion *monachus Nitriæ* 564 f
Æmilianus *legionum Pannonicarum dux, res novas in Mæsia molitus* 40 d
Æmilianus *præses, seu potius augustalis Alexandriæ in Ægypto præfectus* 26 c f, 50 a b c, 51 d e, 59 c e, 55 c d f, 56 f, 92 e, 98 f, 291 d e f; *S. Dionysium, Alexandrinum episcopum, relegavit, et primo quidem in Cephro, ac deinde in regionem asperiorem* 27 f, 28 a b, 58 e f, 59 d, 51 a, 54 f, 55 a *et seqq.* 56 b, 101 d; *occiso Macriano, tyrannidem in Ægypto arripuit* 41 a, 87 c, 91 a b; *a Theodoto, Gallieni imperatoris duce, fuit devictus* 91 b c
Æquitius *consul Romanus* 570 d
Aetius *frater Athenaïdis, quam ex ethnica factam Christianam,*

Christianam, dictamque Eudociam, *uxorem duxit Theodosius II imperator* 371 d
Aga *mulier impudica* 407 f, 408 b c; *S. Quintinum, libidini suæ non obtemperantem, fecit occidi* 407 f
† Agapetus I *Papa* 379 d
† Agapitus *martyr* 212 e, 273 d
† Agatha *virgo martyr* 233 c, 280 c, 283 b; *fuit Sanctæ huic mamilla, quæ tyranni jussu ei fuerat abscissa, divinitus restituta* 283 b; *templum ei a S. Petronio, ut narratur, exstructum* 377 c, 380 d, 403 d; *ejus Bononiæ reliquiæ anno* 1141 *detectæ* 403 e
† Agericus *episcopus Virdunensis* 432 e, 442 d, 449 e; *Childebertum II Francorum regem in ecclesiam suam patrato miraculo fecit munificum* 449 d e
† Aggæus *martyr Bononiæ* 377 f, 401 b; *corpus ejus a S. Eusebio, Bononiensi episcopo, translatum* 401 e
Agilo *monachus Tullensis, Sithiensis monasterii regimini a S. Gerardo admotus* 248 d et seqq.
† Agilus *Resbacensis abbas* 416 e
Aglibertus *episcopus Cenomanensis* 168 c
Agnes *virgo nobilis Assisiensis, soror S. Claræ, Ordinem ab hac dictum amplexa* 513 d; *sacris hujus virginibus a S. Francisco Assisiate Florentiæ fuit præfecta* 720 f
Agræcius *episcopus Antipolitanus* 163 c
Agrestinus *e notario regio monachus Luxoviensis, Regulæ S. Columbani impugnator* 414 c d, 415 e f, 417 c; *a servo, quem ipsemet redemerat, fuit necatus* 413 e
Agrestius *e notario regio monachus. Vide* Agrestinus.
† Agricius *episcopus Trevirensis. Vide* † Agritius.
† Agricola *martyr* 377 f, 401 b, 403 e; *corpus ejus Bononiæ inventum, ibique saltem ex parte servatum* 401 b e
Agricola *præfectus prætorio* 370 b c
Agrippinus *episcopus Carthaginensis concilium in Africa coegit, inque hoc baptismum, ab hæreticis collatum, declaravit invalidum* 49 c
† Agritius *episcopus Trevirensis* 303 a, 316 b, 336 d e f; *Arelatensi, quod anno* 314 *celebratum fuit, concilio subscripsit* 303 c
Agroinus *episcopus Virdunensis. Vide* Agronius.
Agronius *episcopus Virdunensis* 431 d, 432 c, 437 b c e, 439 b c d, 460 a, 461 f
Alaphion *cultu publico in Palæstina olim affectus* 137 c
Alaricus *Gothorum rex, victus fugatusque in Italia* 377 a; *denuo Italiam, reparatis viribus, ingressus, Romam cepit* 377 b; *Bononiam frustra oppugnasse narratur* 377 c
Alaricus II *Gothorum seu potius Visigothorum rex a Clodoveo I, Francorum rege, victus et occisus* 138 b c, 161 c et seqq., 162 a et seqq.
Albanus (*Annibal*) *S. R. E. Cardinalis Menologium Basilianum edi curavit* 333 c, 428 c
Albanus (*J. F.*) *S. R. E. Cardinalis, litteris Innocentii XII, in favorem ecclesiæ, quæ sacellum Portiunculanum complectitur, concessis, subscriptus,* 819 f
Albanus *S. Martini Coloniæ Agrippinensis abbas Vitam S. Eliphii martyris curavit conscribi* 144 c
Albergati (*Aloysius*) *marchio adfuit solenni traditioni capitis S. Petronii Bononiæ ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ* 391 e
Albericus Gentilis *vir nobilis. Vide* Gentilis.
Albernotius (*Ægidius Cariglius*) *S. R. E. Cardinalis pia ejus in Assisiensem S. Francisci basilicam munificentia vidisse dicitur celebre corporis S. Francisci prodigium* 682 b, 781 tresque sequentibus
Albero *episcopus. Vide* Adalbero.
Alberti (*Innocentius*) *confessarius venerabilis Dei famulæ Catharinæ Claræ de Mirto* 808 c
Albertinus *civis Narniensis, visu, quem amiserat, ad invocationem S. Francisci Assisiatis donatus* 613 a
Albertus *archidux Austriæ, Belgarum princeps, brachium argenteum, cui os brachii S. Eugenii martyris includeretur, ecclesiæ Broniensi dedit* 213 f
Albertus *comes Montis Acuti in Etruria qui tunicam, sub qua S. Franciscus sacra stigmata accepit, obtinuerit, et qui hæc ab illius hæredibus ad Florentinos devenerit* 836 d e f
Albertus *abbas Stadensis ac dein, relicta abbatia, frater Minor, ex auctoribus, qui de S. Francisco quædam memorant* 477 e f, 478 a, 491 b, 573 e, 797, 798 a
Albertus de Aretio *a S. Francisco e carcere, in quem injuste fuerat conjectus, prodigiose eductus* 670 a b
Albertus *senex pauper, a S. Francisco Assisiate adoptatus in patrem* 493 c
Alberus (*Erasmus*) *hæreticus, in S. Franciscum injurius* 487 d; *librum Conformitatum Sancti hujus cum Christo calumniatus, confutatusque ab Henrico Sedulio Minorita* 476 a b; *impugnavit etiam Indulgentiam Portiunculanam, fuitque pariter in hoc a Sedulio redargutus* 736 a
Albigenses *hæretici* 517 b, 536 f, 537 c d
Albionus *Longobardorum rex. Vide* Alboinus.
Albisius (*Bartholomæus*) *Ordinis Minorum. Vide* Pisanus.
† Albitus *episcopus Legionensis in Hispania, inter Prætermissos* 24 d
Alboinus *Longobardorum rex* 167 a; *sub hoc occisi non sunt SS. Mandrianus et Flavianus martyres* 167 a b
Aldebrandinus de Florentia *Frater Minor B. Benedicto Aretino hujusque socio Raynerio, testimonium pro Indulgentia Portiunculana dicentibus, adfuit* 749 f
† Aldegundis *virgo abbatissa Melbodium seu Malbodium, Belgii in Hannonia oppidum, condidit* 279 f
Aldenbrück (*Augustinus*) *Societatis Jesu sacerdos, de Museo nostro bene meritus* 341 c
Aldfridus *Anglorum Northumbriæ rex* 174 a b
Aldobrandinus (*Petrus*) *S. R. E. Cardinalis* 802, 803 c
Aldrovandi (*D. Co. Philippus*) *patricius Bononiensis* 394 a
Aldrovandi (*Pompeius*) *S. R. E. Cardinalis* 389 b, 393 d, 394 a
Aldrovandorum *illustris familia* 389 b f
Alethius *episcopus Vasionensis concilio Aureliani* IV *interfuit* 138 d, 164 a
† Alexander, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 403 e
† Alexander *martyr, Treviris passus* 292 b, 293 a, 296 a b, 302 c, 309 c, 310 d, 311 a, 332 a
† Alexander *subdiaconus, in Gallias ad Opus Evangelicum, uti ex confessione S. Mamertini intelligitur, una cum S. Marso missus* 340 b d, 341 a; *quo tempore vitam finierit* 340 f
Alexander II *Papa ad Gervasium Remensem archiepiscopum dedit litteras de Guidone episcopo Bellovacensi, hunc que ad se confugientem benigne excepit* 133 c d
Alexander III *Papa* 377 f
Alexander IV *Papa* 476 c, 794 b, 797 f, 798 a, 800 f, 806 b; *veram agnovit Indulgentiam Portiunculanam* 736 d e; *stigmata, S. Francisco Assisiati divinitus impressa, suis oculis, dum is adhuc viveret, conspexit, hocque ipsemet publice in concione ad populum est testatus* 533 f, 536 e, 560 b, 560 e, 561 c d, 660 c; *quid pro stigmatum, S. Francisco divinitus impressorum, veritate asserenda egerit præterea* 538 c, 560 b c d f, 561 b, 661 d; *qui in litteris, anno* 1255 *datis, de S. Francisci Assisiatis miraculis, a Gregorio IX approbatis, loquatur* 613 b; *ecclesiam, in monte Alverno exstructam, consecrari fecit a septem episcopis* 690 d. *Vide etiam* Raynaldus.

Alexander VI *Papa* 479 b, 781 b; *sacellum, quod Bononiæ obturari jusserat Eugenius IV, item Papa, reserari permisit* 406 c
Alexander VII *Papa* 686 b; *Ordinem Cruciferorum in Italia exstinxit* 640 a
Alexander Severus *imperator in Christianos benignus* 33 f
Alexander Perettus *S. R. E. Cardinalis. Vide* Perettus.
Alexander *episcopus Leodiensis* 203 f, 263 c 263 e; *sacrum S. Gerardi corpus, mandante Innocentio II Papa, anno 1131 de terra levavit* 262 e, 263 c d e f; *charta, quam tunc in monasterii Broniensis favorem emisit* 263 e f, 264 b c d e f, 265 a b c d e
Alexander *judex in lingua, qua S. Francisco Assisiati obtrectarat, divinitus punitus, hacque pœna pœnitens liberatus* 675 a
Alexion *cultu publico in Palæstina olim affectus* 137 c
Alfonsus *comes Boloniensis. Vide* Hernequinus.
Algotus *ex monacho Cisterciensi episcopus Curiensis, inter Prætermissos* 21 b
Algrinus *cancellarius, Stephani episcopi Parisiensis diplomati subscriptus* 426 c
Allegrettus (*Jacobus*) *secretarius, decreto seu litteris, quibus in S. Francisci corpus inquiri, a Paulo V Papa graviter vetatur, subscriptus* 824 c
Almannus *abbas Medianensis* 295 a
Alpais, *concubina Pipini Heristallii, mater Caroli Martelli* 462 e, 468 b
Alphonsus VII *Castellæ rex* 214 a b c d e; *brachium dextrum S. Eugenii martyris a Ludovico VII Francorum rege impetravit* 215 d e
Alphonsus IX *Castellæ rex* 699 a b e; *S. Franciscum Assisiatem humanissime excepisse, eique in ditione sua conventus Minorum ubique ædificandi facultatem fecisse, narratur a Waddingo* 698 f; *quid ea de re sit censendum* 699 a b c d
Alphonsus II *Lusitaniæ rex* 701 c
† Alpinus *Catalaunensis ad Matronam episcopus* 145 d e f, 147 c
† Altfridus *Hildesiensis sæculo nono episcopus, illustrissimi Essendiensis nobilium virginum canonicarum in Westphalia collegii fundator* 341 b
† Alverna (*Joannes de*) *Ordinis Minorum. Vide* † Joannes Firmanus.
† Alvitus *episcopus. Vide* Albitus.
† Alypius *episcopus Tagastensis* 135 e
† Ama *virgo* 145 d e f; *cum S. Menna a Calmeto perperam confunditur* 146 b c d e; *Perthi obiit, ejusque reliquiæ in prioratu Sanctæ cognomini quieverunt* 146 c
Amadei (*Jo. Jacobus*) *ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ majoris Bononiæ canonicus adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ* 391 e
Amalarius Fortunatus *episcopus Trevirensis* 317 d
† Amalberga *virgo : reliquiarum Sanctæ hujus partem e monasterio Blandiniensi ad Broniense detulit S. Gerardus* 257 e
† Amalbertus *parochus. Vide* † Gamelbertus.
Amalbertus *chorepiscopus, ecclesiam Virodunensem episcopo orbam duodecim annis moderatus* 431 b, 432 e, 435 a b, 435 c d
† Amandus, *cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ* 416 e
† Amandus *episcopus Trajectensis, monasterii S. Bavonis, uti et Blandiniensis prope Gandam conditor* 241 e f, 243 a b, 244 a b 245 a c, 281 b, 285 c 321 e, 482 c
Amandus *Bagaudarum, Romano imperio rebellium, dux* 311 c d, 315 d
† Amantius *episcopus Ruthenensis, monasterii, a nomine suo appellati, conditor,* 441 f, 448 a b, 456 b, 465 c d, 464 e
† Amati *corpus Duacum translatum* 251 d e
Ambertus, *velut Sanctus et chorepiscopus a Castellano ad diem 30 Septembris annuntiatus. Vide* Ansbertus.
† Ambrosius *episcopus Mediolanensis, Ecclesiæ doctor* 138 f, 371 a, 376 d, 379 b, 382 a c, 399 b, 401 a b, 402 e, 403 c d, 814 b d; *narratur exsequiis S. Martini episcopi Turonensis, utut corpore absens, per visionem interfuisse* 270 a, 271 b c; *verum sunt, qui velint, id non S. Ambrosio, Ecclesiæ doctori, sed S. Ambrosio, Mediolani Sanctonum in Gallia episcopo, obtigisse* 271 c; *commentitium ejus in reges edictum* 382 b c; *Theodosium II imperatorem ob injustam Thessalonicensium cædem aditu templi prohibuit* 400 b; *corpora SS. Vitalis et Agricolæ martyrum invenit, partemque ex his Bononia Florentiam transtulit.* 401 e
† Ambrosius *episcopus Mediolani Sanctonum in Gallia : sunt, qui velint huic obtigisse visionem, per quam, utut corpore absens, interfuerit exsequiis S. Martini episcopi Turonensis* 271 c
† Ambrosius *episcopus vel Mediolani in Insubria, vel Mediolani Sanctonum in Gallia* 639 c
† Ambrosius *episcopus Senonensis, inter Prætermissos* 22 b
† Amea *virgo. Vide* † Ama.
† Amelberga *virgo. Vide* † Amalberga.
† Amelius *martyr, inter Prætermissos* 287 c
† Amicus *martyr, inter Prætermissos* 287 c
† Ammon *abbas. Vide* † Amon.
Ammon *episcopus. Vide* Ammonius.
† Ammonas *abbas. Vide* † Amon.
† Ammonius *presbyter martyr, sub Maximino passus* 29 b
Ammonius *episcopus Berenicensis, litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus* 59 e f, 60, 65 c d e f, 64 e f, 65 a b c d e, 66 d e f, 67 b d, 68 a et seqq., 69 d e f, 71 b, 73 b c d f, 74, 76 e, 78 d e, 80 b c, 101 d e f, 120 a, 127 c d f
Ammonius *episcopus, Tabennensis quondam monachus* 363 a, 366 b; *epistolam ad Theophilum, episcopum Alexandrinum, de Vita SS. Pachomii et Theodori abbatum scripsit* 364 e f
Ammonius *monachus in Ægypto, qui ab episcopis, velut hæreticus, fuisse damnatus, narratur ab Hieronymo* 366 c, 372 f
Ammonius *monachus Nitriæ* 364 f
† Amon *abbas in Thebaide* 373 a
Amorini (*Antonius*) *patricius Bononiensis interfuit traditioni capitis S. Petronii Bononiensibus S. Petronii canonicis factæ* 476 d
† Ampelius *eremita, inter Prætermissos* 283 a
Ampelius *Vagensis in Africa episcopus Catholicus* 133 c d
Amphilochius *epistola a S. Basilio conventus* 32 c, 33 e, 76 e, 123 a, 127 c
† Ampimus *martyr. Vide* † Amponus.
† Amponus *seu* Amponius *martyr* 24 e
Amus *Ægyptius, a Synesio laudatus* 363 f, 366 a; *non videtur hic a S. Ammone Ægyptio esse diversus* 366 b c d
Amus *antiquus auctor Ægyptius, a Plutarcho laudatus* 366 b
Anabaptistæ *hæretici* 814 e; *horum rabie, quæ a Kerssenbrochio describitur, SS. Ewaldorum capita Monasterii deperdita* 188 c d e f
Anacletus *antipapa* 262 e
† Anamæus, *idem, ut apparet, cum S. Hermippo, Nicomediensi martyre, inter Prætermissos* 22 a b
† Ananias *Hebræus, qui in fornace ardenti Babylonica una cum Misaele et Azaria universa Domini opera ad persolvendas Creatori suo laudes invitavit* 333 c; *ejus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ* 405 e
† Anastasia *martyr, cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ* 405 f
† Anastasius *Senior patriarcha Antiochenus* 110 e f, 111 a b, 114 d
† Anastasius *Junior patriarcha Antiochenus* 114 d
† Anastasius *Pennensis ex antiqua Venantiorum familia episcopus* 723 f; *narratur S. Franciscum Assisiatem Pennæ benigne excepisse, locoque ad ædificandum conventum donasse* 723 a b

† Anastasius *Sinaita presbyter, libri, qui* Ὁδηγὸς *inscribitur, auctor* 110 f, 111 a b, 113 f, 114 a b c; *quandonam floruerit et obierit* 111 e, 114 e f; *ab utroque Anastasio, episcopo Antiocheno, Juniore et Seniore, distinguitur* 114 d
Anastasius I *imperator* 137 d, 138 b
Anastasius II *imperator* 430 d
† Anatolia *sepelivit corpora SS. Parthenii et Caloceri, martyrum Romanorum* 402 a
† Anatolius *Laodiceæ in Syria episcopus* 28 c, 30 a b
† Andreas *Apostolus : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 403 d f
Andreas de Mevania *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 747 c
Andreas *miles, pater Corradi episcopi Assisiensis* 745 a
† Angadrisma *abbatissa* 133 c, *ejus reliquiæ Bellovacum translatæ* 133 b, 135 d
Angebertus *archidiaconus commutationis contractum iniit cum Pipino Heristallio hujusque conjuge Plectrude* 436 f
† Angela *Fulginas vidua tertii Ordinis S. Francisci* 734 d, 769 d; *ad lucrandam Indulgentiam Portiunculanam accessit* 734 c e
† Angelus *Carmelita* 519 d, 707 a, 740 d
† Angelus *Clarenus Ordinis Minorum* 518 a b, 530 e, 713 d f, 716 b c e f, 718 b c; *quale ab eo scriptum dicatur Opusculum* 713 b
Angelus *adolescens nobilis, ab ipsomet S. Francisco, uti narrat Waddingus, in Ordinem Minorum admissus* 697 c
Angelus de Perusio *Ordinis Minorum, Minister provinciæ S. Francisci* 732 a; *Petrum Zalfanum pro Indulgentia Portiunculana, testantem audivit* 744 a, 747 d, 751 e f
Angelus de Tuderto, *Ordinis Minorum, Hernia per S. Francisci merita liberatus* 673 d
Angelus *germanus frater S. Francisci Assisiatis* 478 f
Angelus (*Michael*) *Ordinis Minorum. Vide* Michael.
Angelus *Ordinis Minorum, socius Michaelis Angeli, Ministri provinciæ S. Francisci* 733 c d
Angelus Reatinus *Ordinis Minorum, e tribus S. Francisci sociis, qui Opusculum de hujus vita, mandante Crescentio Ministro generali, elucubrarunt* 469 b, 472 b, 474 a b f, 503 a b d e, 505 c d, 561 c d, 613 d, 707 e, 708 a, 731 c, *aliisque locis*; *quale hoc et unde per nos acceptum* 472 e f; *an in itinere Romano, quod S. Franciscus pro Regulæ suæ approbatione ad Innocentium III Papam suscepit*, Angelus *in Ordinem ab eo fuerit admissus* 505 c d e f; *Testamentum, quod filiis suis S. Franciscus reliquit, dicitur, hoc dictante, scripsisse* 566 c; *eumdem Sanctum cum Christo, annum Indulgentiæ Portiunculanæ diem præstituente, colloquentem audivisse, cumque illo deinde, ut divinam hac super re voluntatem Honorio Papæ testaretur, Romam profectus narretur in Corradinis de Indulgentia illa litteris* 746 d e
Angelus Tancredus *Ordinis Minorum. Vide* Angelus Reatinus.
Angilramnus *episcopus Metensis* 441 a
Anguissola (*Lucius*) *Ordinis Minorum Conventualium libros Conformitatum Pisani curavit recudi* 828 d
† Anianus *episcopus Alexandrinus, inter Prætermissos* 284 f; *ejus Alexandriæ ecclesiæ* 32 c
Anicia Faltonia proba *Sexti Anicii Petronii Probi, consulatu Romano cum Gratiano imperatore functi, uxor, a S. Hieronymo plurimum laudata* 370 f, 371 a b
Anicia Juliana *Sexti Anicii Petronii Probi, consulis Romani, filia* 369 f
Anicius Hermogenianus Olybrius *consul Romanus, Sexti Anicii Petronii Probi filius*, 369 f, 370 f; *laudatur a S. Hieronymo* 371 a b
Anicius Probinus *consul Romanus, Sexti Anicii Petronii Probi consulis Romani filius* 369 f, 370 f
Anicius Probus *consul Romanus cum Arcadio, Sexti Anicii Petronii Probi consulis Romani filius, in Fastis consularibus apud Panvinium* Sextus Anicius Petronius Probus *appellatus* 370 f; *patrem hunc fuisse S. Petronii episcopi Bononiensis, est incertum* 370 b c d e, 402 f
† Anna *mater S. Samuelis propheta, inter Prætermissos* 24 a
† Anna *prophetissa* 480 b
† Anno II *archiepiscopus Coloniensis* 183 d, 188 a f; *corpora SS. Ewaldorum novo elevationis translationisque honore affecit* 170 c, 171 b, 183 c, 184 b, 187 c, 187 c d f; *ejus hac de re litteræ* 184 c d e; *quædam in has notata* 184 d e f, 185 a b c d e, 186 b c d; *quo anno, qua occasione et an revelatione prævia translationem illam fecerit* 186 c d e f, 187 a b; *præsentem sensit illorum Sanctorum opem constitutus in angustiis* 185 b c d; 187 b, 188 a; *quales hæ fuerit* 185 d e f, 186 b c d, *capita eorumdem Ewaldorum donavit Frederico, Monasteriensi episcopo* 187 f
Annuntiatione (*Joannes ab*) *SS. Trinitatis Ordinis Excalceatorum alumnus ab Urbano VIII Papa sacras reliquias accepit, easque in Hispaniam misit* 26 e
Anomœi *hæretici. Vide* Ariani.
† Ansbertus *archiepiscopus Rothomagensis* 241 f, 245 e, 257 f; *corpus ejus Gandam a S. Gerardo translatum* 244 f, 246 b c, 248 f, 256 c e, 281 d, 283 c
Ansbertus, *velut Sanctus et chorepiscopus a Castellano ad diem* 30 *Septembris annuntiatus* 286 a
† Anscharius *archiepiscopus Hamburgensis, populorum Septemtrionalium apostolus* 190 d, 194 d
Anseau (*Simon*) *pharmacopola febribus post promissam reliquiarum S. Gerardi visitationem illico liberatus, hocque ipsemet juramento testatus* 267 a b d
Ansegisus *pater Pipini Heristallii. Vide* Ansigitus.
Anselinus *comes Virdunensis forte fictitius* 457 c d e, 441 d
Anselmus *ædituus ecclesiæ Broniensis* 219 b; *indubie fuit monachus, et quidem verosimillime e duodecim, quos S. Gerardus e monasterio Dionysiano Bronium adduxit* 211 e, 219 c; *S. Eugenii martyris Passionem detulit ad synodum, ab episcopo Leodiensi indictam, inque hac pro stabiliendo Sancti illius cultu operam dedit* 213 a b, 274 c
† Ansgarius *archiepiscopus. Vide* † Anscharius.
Anshelmus *episcopus Laureacensis. Vide* Anthelmus.
Ansigisus *pater Pipini Heristallii* 220 e, 466 d, 468 f
Anthelmus *episcopus Laureacensis* 192 f
Anthemius *consul* 377 a b
Anthoine (*Sebastianus*) *subscriptus instrumento de miraculo, ad invocationem S. Gerardi patrato* 267 e
Antonelli *sacræ ac universalis inquisitionis Romanæ assessor* 776 d
Antonellus *episcopus, primo Gallipolitanus ac dein Andrianensis, idem cum Antonio Andrianensi episcopo* 789 a f. *Vide adeo* Antonius Andrianensis.
Antonianus *epistola a S. Cypriano conventus* 45 a
† Antoninus *ex Ordine S. Dominici archiepiscopus Florentinus nonnulla de S. Francisco Assisiate litteris mandavit* 477 a f, 482 b e, 488 b, 490 d, 492 a b c d, 493 b, 511 b, 518 a, 539 f, 540 e f, 541 d, 547 d, 560 b, 561 e, 562 d e, 572 f, 573 a b, 661 d, aliisque locis; *hæc inter stigmatum, Sancto illi divinitus impressorum, historiam narrat velut indubitatam* 558 a; *ejus de indulgentia Portiunculana testimonium* 766 a f; *hoc illa a Christo immediate concessa non necessario indicatur* 767 d; *duas dumtaxat Assisiensis S. Francisci basilicæ ecclesias memorat* 825 c; *qualemcumque tamen tertiam expresse non negavit* 825 d e f
Antoninus *Pius imperator* 81 b, 362 e f
† Antonius *abbas in Thebaide* 32 b, 103 f, 137 e, 140 b c,

140 b c, 141 d, 142 a f, 143 a b c, 360 e, 362 d e f, 363 a b c, 364 a b, 635 e, 366 a b, 367 c, 915 a b c; *magni fecit S. Ammonem Ægyptium, eoque familiariter est usus* 363 e f, 364 a; *ejusdem S. Ammonis Ægyptii animam in cælum vidit deferri* 360 c f, 362 d, 364 c d, 365 f, 367 d; *sacellum sub ejus nomine in monte Alverno erectum* 691 a b

† Antonius *Ordinis Minorum*, Patavinus *vulgo dictus* 808 f; *verba fecit in capitulo provinciali Arelatensi, in quo S. Franciscus longe absens apparuit* 510 e f, 594 a e f, 659 b, 640 b, 661 a; *interfuit comitiis, anno* 1221 *celebratis* 539 b; *facultatem docendi Theologiam a S. Francisco per litteras, quæ dantur, obtinuit* 724 b c, 859 a; *Roberto, Fratri Minori moribundo, cum S. Francisco apparuit* 671 f, 672 d

Antonius, *ut S. Dionysii Areopagitæ discipulus et martyr, a Ferrario memoratus, inter Prætermissos* 25 e

Antonius *martyr in Fastis Coptitarum apud Ludolfum, inter Prætermissos* 25 f

Antonius *imperator. Vide* Antoninus.

Antonius *Andrianensis episcopus dedisse narratur testimonium pro visitatione corporis S. Francisci Assisiatis, a Nicolao V Pontifice facta* 784 f; *item narratur etiam, Baucium, Andriæ ducem, ut, quæ hic de prodigioso corporis S. Francisci statu audierat, litteris consignaret, rogasse, rogatumque obtinuisse* 784 et decem seqq.

Antonius (*D.*) *abbas interfuit traditioni capitis S. Petronii, Bononiensibus S. Petronii canonicis factæ* 594 b

Antonius de Treio, *Ordinis Minorum vicarius generalis. Vide* Treio.

Antonius Meliss. de Macro. *Vide* Macro.

Antonius *Ordinis Minorum lector Parisiis, pronepos, ut notatum invenitur, germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 c

Anulinus *proconsul Africæ* 135 a

Apelles *monachus in Ægypto* 373 d

Apollinaris *hæresiarcha* 397 a

† Apollo *abbas. Vide* † Apollon.

Apollo *falsum numen* 40 b e

† Apollon *abbas in Thebaïde* 373 d

† Apollonia *virgo martyr* 33 f, 344 c

† Apollonius *abbas. Vide* † Apollon.

† Apphianus *martyr Cæsareæ in Palæstina* 348 d

Appoldia (*Theodoricus de*) *Ordinis Prædicatorum, suppar S. Dominici biographus* 518 e f, aliisque seqq.

† Apprunculus *episcopus. Vide* † Abrunculus.

Aquila *presbyter, in Deciana persecutione titulo Confessionis clarus* 31 f, 38 c

Arbogastus *comes* 300 b

Arcadius *imperator* 368 f, 370 a b c e f, 377 a, 383 e, 396 d, 409 d

Arcimboldus (*Joannes*) *S. R. E. Cardinalis S. Francisci corpus, cum in hujus visitatione Sixtum IV Papam comitaretur, integrum ac incorruptum vidisse narratur* 799 b c d e f; *quid de hac narratione sit censendum* 800 a b c

Ardobertus *archiepiscopus Senonensis* 468 d

Aretio (*Albertus de.*) *Vide* Albertus de Aretio.

Ariani *hæretici* 64 b c d e, 65 a b c, 67 d e, 68 a c, 74 e, 75 b, 77 b c f, 78 b, 79 b c f, 80 c, 119 c, 120 a b, 127 c d e f, 138 c, 162 e, 165 a, 331 c, 368 b d; *horum errores non præformavit S. Dionysius Alexandrinus episcopus seu patriarcha* 69 d, et quinque seqq.; et 74 e f, 76 e

† Aristarchus *S. Pauli Apostoli comes ac discipulus, Ephesi cum eo a Demetrio aurifabro periclitatus* 290 a b c

Arius *hæresiarcha* 61 b c d, 69 c f, 70 a b d e, 71 c e, 72 b c d e f, 73 a b c, 74 f, 78 d e, 93 e f, 363 a b

Armonius *episcopus Virodunensis commutationis contractum iniit cum Pipino Heristallio, hujusque conjuge Plectrude* 437 b

Arnaldus *Ordinis Minorum, B. Angelæ Fulginatis confessarius at biographus* 734 c d

Arnulfus. *Vide* Arnulphus.

† Arnulphus *martyr Mosomi in Gallia* 231 a b, 232 c; *inter Prætermissos* 22 a

Arnulphus *imperator* 168 e, 190 e, 200 f, 216 b, 338 d

Arnulphus I, *cognomento* Magnus, *Flandriæ comes; per S. Gerardum abbatem, quem ad se arcessierat, ab acerbissimis calculi doloribus fuit sanatus; quandonam id factum; pia ejus munificentia; omnes ditionis suæ abbatias S. Gerardo administrandas dedit; quo sensu id intelligendum; Gandense S. Bavonis monasterium instauravit; eique, cujus præterea ecclesiam liberam fieri petiit, S. Gerardum præfecit; eumdem etiam Sanctum monasterio Blandiniensi, monachis in hoc canonicorum loco inductis, præfecit; annus, modus et ordo, quo id fecerit; idem illud Blandiniense monasterium hortatu verosimillime S. Gerardi instauravit, antiquarum possessionum restitutione, dato diplomate, auxit, sacrisque Sanctorum reliquiis ditavit; abbatia Sithiensi hortatu itidem, ut verosimile apparet, S. Gerardi sese abdicavit, huic illam abbatis munere gubernandam ac reformandam concessit, suamque ad hoc operam contulit; Widonem S. Gerardi nepotem abbatiæ Bavonianæ regimini admoveri curavit; Hildebrando nepoti suo monasterium Atrebatense S. Vedasti reformandum commisit* 805 usque ad 263 in diversis locis

Arnulphus II *seu Junior, Arnulphi I seu Senioris ex Balduino filio nepos, Flandriæ comes, diploma in favorem monasterii Blandiniensis concessit* 243 b c, 259 c d e f

† Arsenius *anachoreta in monte Scethi* 139 e

Arsinoitæ *millenarii, a Dionysio Alexandrino ad veritatis cognitionem quomodo adducti* 103 c d e; *an certo fuerint anachoretæ* 103 f, 104 a b c

Arsisius *montis Nitriæ monachus, S. Ammonis Ægyptii verosimiliter discipulus* 367 d

Artaldus *archiepiscopus Remensis* 229 e f, 233 b

Artbertus *archiepiscopus. Vide* Ardobertus.

Artemon *hæresiarcha* 97 b

Arzibaldus (*Joannes*) *S. R. E. Cardinalis. Vide* Arcimboldus.

Ascelinus *abbas Fossatensis monasterio suo Parisiensem S. Eligii abbatiam restitutione accepit* 423 e

Asclipius *dux, a Gratiano imperatore adversus Bononienses, ut quidam volunt, missus* 380 e

Asculanus (*Hieronymus*) *Minister generalis. Vide* Hieronymus de Asculo.

Asculo (*Hieronymus de*) *Minister generalis. Vide* Hieronymus de Asculo.

Assisias (*Augustinus*) *Ordinis S. Francisci. Vide* Augustinus.

Assisio (*Jacobus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Jacobus de Assisio.

Assisio (*Leonardus de*) *Frater Minor. Vide* Leonardus de Assisio.

Assuerus *primus abbas Prumiensis* 433 f, 434 a b c d; *conventui Attiniacensi, anno* 765 *celebrato, interfuit, ibique a Pipino rege cellam S. Goaris regendam accepit* 434 a

Astergius *S. R. E. Cardinalis. Vide* Astorgius.

† Asterius *senator martyr, Cæsareæ in Palæstina passus* 302 a

Astorgius *S. R. E. Cardinalis archiepiscopus Beneventanus, Nicolaum V papam Assisium comitatus, corpus S. Francisci incorruptum stansque erectum vidisse, hocque arcanum morti proximus revelasse narratur* 782 usque ad 788

† Asturius *Toletanus episcopus* 137 e, 138 c

Athala *Arnulphi Magni, Flandriæ comitis, uxor* 247 e, 248 b

Athalaricus *Italiæ rex* 163 c d

† Athanasius *episcopus Alexandrinus* 120 d, 360 c; *vocabulo* Θεοτόκος *usus est* 120 e; *Sexennio in puteo Treviris exsul non latuit* 292 e; *Scripsit Vitam S. Antonii abbatis, in eaque nonnulla ad S. Ammonem*

S. Ammonem Ægyptium pertinentia memoriæ prodidit 361 a, 362 d, 363 c d, 364 c d, 365 f, 367 c; *ad eumdem S. Ammonem Ægyptium, a quo interrogatus fuerat, dedit litteras* 363 d e
Athenais *uxor Theodosii II imperatoris. Vide* Eudocia
† Athenodorus *episcopus in Ponto* 109 d; *interfuit priori Antiocheno concilio, adversus Paulum Samosatenum celebrato,* 94 d, 95 b
Atilius *Vasionensis episcopus, qui in Officio Telonensi dicitur concilio quarto Aurelianensi interfuisse, non ita, sed* Alethius *fuit vocatus* 164 a. *Vide adeo* Alethius.
Attalus *ab Alarico Gothorum rege imperator dictus* 337 b c
† Auctor *episcopus Trevirensis : ejus corpus Treviris Brunswicum translatum* 323 b c
† Audactus *martyr. Vide* † Adauctus.
† Audoenus *episcopus Rothomagensis, S. Eligii biographus; quædam obiter de S. Aurea virgine abbatissa memoriæ prodit* 409 usque ad 419
† Audomarus *episcopus* 237 c; *membrum ejus una cum dente Gandam translatum* 246 f, 247 a; *ecclesiam, quam sui-ipsius monachorumque suorum sepulturæ exstruxerat, S. Bertino abbati dedit* 252 c
† Augustinus, *episcopus Cantuariensis, Anglorum Apostolus* 107 a f, 173 e
† Augustinus *episcopus Hipponensis, Ecclesiæ docor* 113 c f, 132 a, 138 c f, 139 b c d, 152 b f, 153 b c d e f, 154 a b c f, 155 a b d e, 668 d, 711 a; *laudat S. Maximianum Bagaiensem episcopum* 137 b; *descripta ab eo Donatistarum in S. Maximianum episcopum confessorem immanitas* 154 d e f, 155 a; *admittit in Ecclesia coli SS. Domninam, Berenicen et Prosdocen* 344 b c d; *adi etiam Addenda et Corrigenda : an ex eremitico Sancti hujus Ordine aliquando fuerit S. Franciscus Assisias* 493 c, 496 f, 588 a
Augustinus Assisias *Ordinis S. Francisci, in Martyrologio Franciscano Arturi* Beatus *appellatus, inter Prætermissos* 286 b; *cum Fratrum Minorum in terra Laboris ministrum ageret, moribundus vidit animam S. Francisci ad cælos ascendentem, eamque mox est secutus* 570 e, 662 c, 672 e; *Roberto, Fratri Minori moribundo, cum S. Francisco apparuit* 671 c, 672 e
Augustus *imperator* 40 d, 210 a; *Paphiis, terræ motu afflictis, beneficus* 140 f; *Italiam in* XI *regiones divisit* 400 d
† Avitus *Viennensis sæculo* V *episcopus* 313 b
† Avitus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 403 f
† Aurea *Virgo martyr Ostiensis* 410 b, 412 f; *sacra illi in Ostiis Tiberinis ecclesia et olim etiam Romæ* 410 d
Aurelianus *imperator* 140 b, 303 a
Aurelius Anthedonius *cultu publico in Palæstina olim affectus* 137 b
Aurelius Cyrenius *procurator Cæsareus* 83 a
Aureolus *tyrannus* 86 b, 87 a; *Macrianum itidem tyrannum devicit* 83 f, 86 c d
Austrannus *episcopus Virodunensis* 438 b; *corpus S. Magdalvei de terra levavit* 437 d e f
Austrigilda, *cognomento* Bobila, *tertia S. Gunthramni Burgundionum regis uxor* 408 b; *moriens occidi petiit duos medicos, qui ei ægrotanti servierant* 408 c
Austrobertus *episcopus Viennensis in Delphinatu* 461 b
Auvaing *sacerdos. Vide* Hameyden.
Aynardus *abbas. Vide* Eginhardus.
† Aza *S. Lazari reguli filia* 307 b; *sacrum ejus corpus metu Hungarorum occultatum, posteaque, cum jam ex hominum memoria excidisset, tandem inventum* 307 c
† Azariæ *Hebræi, qui una cum Anania et Misaele in fornacem ardentem Nabuchodonosoris jussu fuit conjectus, reliquiæ Bononiæ narrantur anno* 1141 *detectæ* 403 e

B

Bactius *S. Mennæ parens* 143 a b c d, 150 a b; *S. Mennam filiam, ut apparet, non interemit* 148 b, 152 a b d e
Bagaudæ *Romano imperio rebelles* 312 b; *a Maximiano Herculio debellati* 314 f
Baisan *diaconus a S. Hilarione abbate conventus* 140 b c
Balbi (*Paulus Baptista*) *philosophiæ et medicinæ doctor etc. adfuit solenni traditioni capitis S. Petronii, Bononiæ ex voluntate Benedicti XIV Papæ, episcopo Amathuntino factæ,* 591 f
† Balbina *Virgo, S. Quirini martyris filia, inter Prætermissos* 283 b
Baldis (*Angelus de*) *maritus mulieris erga S. Franciscum Assisiatem devotæ* 690 a
Balduinus *archiepiscopus Cæsareæ Palæstinæ cryptam S. Paulini in honorem martyrum Trevirensium consecravit* 318 e
Balduinus *archiepiscopus Trevirensis* 293 a
Balduinus II *Flandriæ comes* 247 a, 251 c d
Balduinus III *Flandriæ comes* 241 f, 243 f; *Gandense S. Bavonis monasterium instauravit* 238 d e f
Balduinus V, *Flandriæ comes* 128 a, 135 c, 137 c f, 437 b; *regnum Franciæ sexennio administravit* 128 e
Balduinus VI, *Flandriæ comes, monasterium Hasnoniense instauravit* 253 e
Balduinus *Flandriæ comes, in commentitio Theodosii II imperatoris Privilegio memoratus,* 383 d
Ballista *tyrannus* 83 b c d e; *Quietum Macriani filium fecit occidi* 87 a; *multos Emissenos necavit* 87 c
Baluzius (*Stephanus*) *edidit Vitam Innocentii IV Papæ, a Nicolao de Curbio conscriptam,* 682 d; *item duo insignia pro Indulgentia Portiunculana testimonia, alterum B. Benedicti Aretini hujusque socii Raynerii, alterum Petri Zalfani, in lucem protulit* 749 f, 751 a
Balzio (*Franciscus de*) *dux. Vide* Baucius.
Bantadosus *gravi infirmitate, qua detinebatur, per patrocinium S. Francisci Assisiatis liberatus,* 613 c
† Barbara *virgo martyr : ejus Treviris reliquiæ* 318 a
Barbarus *frater Minor, e primis S. Francisci sociis seu discipulis* 303 a; *dicitur hunc Sanctum ad Soldanum Ægypti comitatus* 323 d
† Barbatianus *presbyter confessor : templum ei a S. Petronio, uti narratur, Bononiæ exstructum* 377 b, 403 d; *hoc tamen reipsa præstitisse S. Petronium, non sat liquet* 379 b c
Barchardus *comes* 132 f
Barnabæus *Senensis, coævus S. Bernardini Senensis biographus,* 773 f
Barnabitæ, *seu clerici Regulares S. Pauli, Parisiensi S. Eligii domo donati* 426 a b
Baro (*Bartholomæus*) *curiæ Romanæ olim advocatus, in tertium Ordinem, quem S. Franciscus Assisias instituerat, ab hoc ipso Sancto admissus,* 724 b c
Bartholi (*Antonius*) *typographus Venetus* 737 f
Bartholi (*Franciscus*) *Ordinis Minorum Assisias* 748 a, 733 b c d e f, 760 a b e f, 763 a, 821 e f, 828 d; *scripsit indulgentiæ Portiunculanæ Historiam* 747 d; *quandonam id fecerit, et qua in re potissimum auctoritatem sibi adjungat* 748 a b f, 749 b c d; *aliquot sacras reliquias ab Henrico Coloniensi archiepiscopo, et Blanca principe, S. Ludovici Galliæ regis filia, impetravit* 748 b; *revelationem, qua prævia S. Franciscus indulgentiam Portiunculanam a Papa petiisse, antiquioribus asseritur, per visionem cælestem primus exposuit* 762 a b c; *item primus etiam, ut apparet, retulit secundum S. Francisci pro petendo indulgentiæ Portiunculanæ lucrandæ die ad Honorium accessum, variaque mirabilia adjuncta proxime hunc prægressa* 770, 772 c d, *quam fidem in hac narratione mereatur* 769 e f, 770 a, 771, 772 a b c
Bartholus de Eugubio (*Bartholomæus*) *Ordinis* 107 *Minorum*

Minorum hernia ad invocationem S. Francisci liberatus 673 a
Bartholus de Perusio *Frater Minor Petrum Zalfanum pro indulgentia Portiunculana testantem audivit* 744 e, 747 b, 751 b c
† Bartholomæus *Apostolus : templum ei a S. Petronio, ut narratur, Bononiæ exstructum, reliquiisque ditatum* 377 a, 378 f, 379 a, 403 c, 406 d ; *sacrorum ejus lipsanorum translatio, inter Prætermissos* 284 b
Bartholomæus *S. R. E. tituli S. Pudentianæ presbyter Cardinalis, Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ, subscriptus,* 580 f
Bartholomæus *civis Caietanus lethaliter saucius, a S. Francisco Assisiate sibi apparente sanatus* 668 c, 669 a, 722 b c d
Bartholomæus de Eugubio *Ordinis Minorum. Vide* Bartholus.
Bartholomæus *pauper Narniensis, tibiam arefactam habens, patrocinio S. Francisci Assisiatis mirabiliter sanatus,* 615 a b
Bartholomæus *puer octennis janua oppressus, ad invocationem S. Francisci factus incolumis, posteaque Ordinem Minorum ingressus,* 668 b c
Bartholomæus *Tridentinus Ordinis Prædicatorum, S. Dominici biographus,* 741 a d ; *ejus testimonium de amicitia, a S. Francisco cum S. Dominico culta* 741 c
Baselensium *illustris familia per S. Franciscum Assisiatem ad concordiam revocata narratur a Waddingo* 707 b
† Basilides *martyr* 464 f
Basilides (*Joannes*) *Mosco-Russorum dux. Vide* Joannes.
Basilides *Pentapolitanus in Ægypto episcopus, litteris a Dionysio Alexandrino conventus* 103 usque ad 108 et 121 ad 124
† Basilius *archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, cognomento* Magnus, *Ordinis, qui ab eo nomen habet, patriarcha* 378 b, 416 a, 711 a
† Basilius *episcopus Bononiensis* 401 d, 402 f ; *ultimam manum admovit ecclesiæ, quam S. Faustinianus S. Petro Apostolo Bononiæ exstruere inceperat,* 376 c
Basilius Porphyrogenitus, *Græcorum imperator,* 31 c, 284 a, 285 a
Basilius *consul* 164 d
Basilius, *velut patriarcha Hierosolymitanus, a Wasseburgio propositus,* 443 c f, 446 a b c ; *an pro episcopo fictitio, ut vult Pagius, certo habendus* 446 d e, 447 a b
† Basinus *episcopus Trevirensis* 504 f
Battisti (*Franciscus Michael*) *typographus Tridentinus* 737 d
Batzalota-Michael *in Fastis Æthiopum apud Ludolfum, inter Prætermissos* 22 f
Bavari *cæsi ab Hungaris* 194 d
Baucius (*Franciscus*) *dux Andriæ; corpus S. Richardi Andriensis episcopi invenit, transferri curavit, hujusque rei Historiam conscripsit; testimonium, ut fertur, dedit pro corporis S. Francisci Assisiatis visitatione, in qua hoc incorruptum prodigioseque situm invenerit Nicolaus V Papa; litteræ, quibus id præstitisse asseritur* 681 a, 785 usque ad 805
Baudemundus *abbas Blandiniensis, ac Vitæ S. Amandi episcopi Trajectensis scriptor* 321 c
Baula, *cognomento* Justus, *ex Fastis Copticis a Castellano annuntiatus, inter Prætermissos* 286 d
† Bavo *confessor* 236 et quinque seqq. 252 f, 273 d ; *ejus corpus Gandam e Francia relatum* 239, 240, 241 a b ; *depositum id tantisper in novi castelli ecclesia, ac dein in novum Bavonianum monasterium solemniter fuit translatum* 241 c d e f ; *portione ejusdem S. Gerardus Bronium ditavit* 253 c d
Bautio (*Franciscus de*) *dux Andriæ. Vide* Baucius.
Beatrix *puerpera, fœtu in utero mortuo ad tactum reliquiarum S. Francisci Assisiatis liberata,* 670 a b
† Beatus *presbyter confessor, Trevirensium patronus* 505 c
Beccarius de Spello *pro indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 747 a
† Beda *presbyter, Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum auctor, Passionem SS. Ewaldorum litteris mandavit* 171 b
† Begga, *B. Pipini Landensis filia, mater Pipini Heristallii* 468 f
Bego *vir nobilis cellam, a nomine suo appellatam, rupemque Folcholdi S. Hildulpho dedit* 538 e
Bellarminus (*Robertus*) *e Societate Jesu S. R. E. Cardinalis Chemnitium hæreticum, indulgentiam Portiunculanam impugnantem, confutavit* 736 c d e ; *indulgentiam Portiunculanam S. Francisco a Christo non immediate, sed mediate tantum concessam fuisse, existimavit* 764 c d, 766 f, 768 b
Bellay (*Joannes du*) *episcopus Parisiensis monasterii seu prioratus Eligiani bona ac reditus sibi substituendisque illic monachorum loco presbyteris sæcularibus obtinuit* 426 d e f
Bellovacensis. *Vide* Vincentius.
Belvisio (*Franciscus a*) *Ordinis S. Francisci. Vide* Franciscus a Belvisio.
Benatius (*Alexander*) *typographus Bononiensis, Pisani editor* 829 a
† Benedicta *virgo et martyr Lauduni* 129 a c, 130 c, 134, 135 ; *duodecim virginum, quæ sub imperatoribus ethnicis Roma in Gallias venerint, dux et magistra fuisse perhibetur* 129 b, 130 a ; *Actorum ejus sublesta fides* 130 a b c ; *sub Juliano apostata martyrium passa non videtur* 131 a b c d e
Benedictini *conventum in monte Subasio dedisse S. Francisco Assisiati narrantur, uti etiam fundum ædificando Compostellæ conventui,* 699 a b c d e f, 706 c; *dederunt etiam eidem Sancto sacellum Portiunculæ et, si recte scribat Waddingus, ecclesiam S. Mariæ de Ferneto juxta Columbellæ oppidum* 510 b d, 626 b, 688 a, 708 d
† Benedictus *episcopus Comensis, inter Prætermissos* 23 f
† Benedictus *abbas Cassinensis, Ordinis ab eo dicti patriarcha,* 234 a, 241 c, 243 f, 248 d, 251 e f, 278 f, 332 a, 386 usque ad 423 f, 515 f, 649 a, 674 a, 686 b, 688 d, 710 f ; *ejus apparitio discipulis dormientibus facta* 269 b ; *quænam hæc fuerit* 270 e f ; *sese nudum, ut molestum carnis stimulum exstingueret, in vepribus volutavit* 721 b c
† Benedictus *Aretinus Ordinis Minorum, ab ipsomet S. Francisco in hunc admissus,* 693 c, 749 usque ad 770; *creditur in Græciam e comitiis anni 1219 a S. Francisco missus* 621 d ; *multa ; quæ ex fratre Massæo de Indulgentia Portiunculana audierat, narrasse seu testificatus asseritur in Theobaldinis de hac litteris, uti etiam in iis, quæ de eadem Indulgentia scripsit B. Franciscus Fabrianensis* 744 d, 752 a b ; *Indulgentiam Portiunculanam per S. Franciscum petitam impetratamque ab Honorio III Papa, publice etiam testatus est* 748 d e f ; *instrumentum, quo id præstiterit* 749 a b ; *secundum in hoc Francisci ad Honorium accessum, in quo eidem Indulgentiæ lucrandæ dies fuerit præstitutus, non adstruit* 769 b
† Benedictus, *cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ* 406 a
Benedictus IV *Papa* 210 a b
Benedictus VII *Papa confirmavit diploma, a Carolo Calvo in favorem Ingelwini, hujusque in sedem Parisiensem successorum concessum,* 422 b, 423 b c d e
Benedictus XI *Papa* 680 a; *sacrorum Stigmatum impressionem, S. Francisco Assisiati factam, Officio Ecclesiastico quotanis celebrare Franciscanis permisit* 679, 680 f
Benedictus XII *Papa* 680 c d f
Benedictus XIII *Papa* 388 a; *immunitatem localem Assisiensi S. Francisci ecclesiæ concessit* 685 f
Benedictus XIV *Papa* 385 usque ad 395 et 498 e f, 579 d, 681 e, 682 c d, 758 b, 761 a b aliisque locis; *caput S. Petronii a PP. Cælestinis obtinuit, obtentum*

obtentum pretiosiori et elegantiori theca ornavit, Bononiensibus S. Petronii canonicis ad ecclesiam Petronianam transferendum dedit, ritumque, quo ibi servari atque annua translationis memoria Bononiæ celebrari debeat, præscripsit 585 b usque ad 595; *litteræ, quibus abbatem conventualem PP. Cælestinorum S. Stephani Bononiæ monet, ut caput S. Petronii episcopo Amathuntino tradat* 591 d e; *privilegia, a decessoribus suis Assisiensi S. Francisci basilicæ concessa, confirmavit, novis eam auxit inque patriarchalem et cappellam Papalem erexit* 685 a b c; *ejus hac de re Bulla* 685 quartuor seqq. et 688; *an ad hanc dandam prodigioso, quem crediderit, corporis S. Francisci in illa statu fuerit permotus* 809 e f, 810 a b c; *opinioni statum istum affirmanti favet* 801 b c, 809 a b, 810 a; *epistolam encyclicam pro extensione jubilei ad universum Catholicum orbem anno* 1751 *dedit* 758 a b c; *ejus de indulgentia Portiunculana sensa* 764 a b, 766 a, 767, 768 b c d e f; *tres Assisiensis S. Francisci basilicæ ecclesias affirmate asseruit, et cur* 823 c f, 824 a b; *Josephum a Cupertino Beatis adscripsit* 807 a; *venerationem S. Francisci Scripto exhiberi solitam nondum Pontifex vindicavit* 835 f, 836 a b c

Benedictus *episcopus Metensis* 227 f, 228 a b; *Privilegio Pontificio prolixiori, quod S. Gerardo Broniensi fuit concessum, subscripsit* 225 f, 226 e; *subscriptus etiam reperitur Diplomati, quod veluti ab Henrico Aucupe eidem S. Gerardo datum circumfertur* 227 a b c d e

Benedictus *episcopus Spoletanus, septem episcopis, a quibus Indulgentiæ Portiunculanæ promulgatio ecclesiæque consecratio facta asseritur, annumerandus* 772 f

Benentese (*Matthæus*) *pro indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 747 a b

† Benjamin *unus ex Innocentibus pueris, ab Herode occisis* 218 e; *corpus ejus e monasterio Chimacensi a S. Gerardo Bronium delatum* 218 b c d

† Benignus *discipulus S. Hildulphi : ejus reliquiæ sæculo* X *jam provecto ab Adelberto abbate Medianensi translatæ* 338 a b c

Benignus Genuensis *Ordinis Minorum Minister generalis celebriorum Ordinis sui virorum scripta, quæ delitescebant, typis edi jussit* 804 e; *Officii de Passione Domini a S. Francisco Assisiate compositi exemplar ad Waddingum misit* 842 b

Benincasa de Tuderto *Frater Minor, a S. Francisco in Hispaniam missus* 701 f

Benno *episcopus Metensis. Vide* Benedictus.

Benoffi (*Franciscus Antonius*) *ex Ordine Minorum Conventualium provinciæ Picenæ Minister provincialis* 745 c

Benotius *Florentinus pictor* 479 a

Benus *monachus in Ægypto* 373 f

Benzela *mulier Trevirensis, ob dictum SS. Martyribus Trevirensibus injurium divinitus punita* 320 e f, 321 a

† Berardus *Ordinis Minorum. Vide* † Bernardus.

Berbertus *abbas. Vide* Gerbertus.

† Bercharius *abbas Dervensis* 416 b

Bercharius *presbyter. Vide* Bertharius.

Berengaria, *primogenita Alfonsi regis Castellæ, S. Ferdinandi III Castellæ regis mater* 517 a f, 698 b c d e,

Berengarius I *Italiæ rex* 207 c d, 284 a

Berengarius II *Italiæ rex, Berengarii I ex filia Gisla nepos* 207 b c d, 284 a

Berengarius *episcopus Virodunensis clericis monachos in Virodunensi S. Vitoni monasterio substituit* 456 d e f; *in hoc fuit pie munificus* 442 a b, 456 e

Berengarius *comes Lomacensis seu Namurcensis* 201 ad 211 et 226 f, 270 c; *S. Gerardum Broniensem legatum misit in Gallias* 202 b, 206 a 209 d e, 220 b, 268 e; *Italiæ rex numquam fuit* 207 a b c d; *miles ei adhæsit idem S. Gerardus, huicque facultatem fecit vitam monasticam amplectendi* 206 a e, 268 a, 269 f; *subscriptus reperitur Diplomati, quod veluti ab Henrico Aucupe S. Gerardo datum circumfertur* 207 b, 227 e f

Berengarius *decanus, litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus* 184 a

Berengarius *infirmus, patrocinio S. Romanæ sanatus* 436 a b c

Berenguella *Joannis Castellæ infantis filia sacellum, S. Mariæ Magdalenæ sacrum, S. Francisco Victoriæ datum, narratur auxisse* 699 a

Berhardus *episcopus Virdunensis* 431 f, 432 e f, 436 d, 438 f, 467 f

Bernabos *vicecomes Mediolanensis, a Bononiensibus ad invocationem S. Petronii devictus* 384 a b

Bernaccus *archidiaconus, a Transmaro Tornacensi episcopo Gandam missus, canonicorum loco monachos in monasterium Blandiniense induxit, eique S. Gerardum Broniensem præfecit abbatem* 243 a b, 244 d

Bernardi (*Petrus*) *consiliarius Assisiensis* 733 d

Bernardina de Rota *virgo tertiaria Ordinis S. Francisci, in Martyrologio Franciscano Arturi* Beata *appellata, inter Prætermissos* 286 e

† Bernardinus *Feltriensis Ordinis Minorum confessor tunicæ S. Francisci, in Florentino Clarissarum monasterio servatæ, segmentum obtinuit* 837 c

† Bernardinus *Senensis Ordinis Minorum* 707 a, 730 e, 773 c, 839 f, 843 e; *ejus de Indulgentia Portiunculana testimonium* 763 d e f, *hoc illa a Christo immediate concessa non necessario indicatur* 767 b, *ad lucrandam eamdem Indulgentiam accessit, aliosque ad illam consequendam hortatus est* 773 d, e

Bernardinus Carusius Amerinus *custos conventus S. Francisci Assisii* 746 b

Bernardone (*Petrus de*) *pater S. Francisci. Vide* Petrus Bernardoni.

Bernardoni (*Petrus*) *pater S. Francisci. Vide* Petrus Bernardoni.

Bernardonus *avus paternus S. Francisci Assisiatis* 477, 478 f; *dictus forsan fuit* Bernardonus Morici *vel* de Morico 478 b

† Bernardus *abbas Claravallensis* 283 c

† Bernardus de Mentonia, *archidiaconus Augustanus,* 238 a b

† Bernardus *Ordinis Minorum, a S. Francisco, a quo etiam habitum receperat, ad prædicandam fidem in Africam missus, ibique martyrii palmam adeptus,* 696 e f, 711 a

Bernardus *episcopus Hildesheimensis canonizationem S. Godehardi, itidem Hildesheimensis episcopi, flagitavit* 262 b c

Bernardus *abbas Solemniacensis* 417 b c d; *præcepta chartasque monasterii sui, quæ a Normannis incendio perierant, regia et ecclesiastica auctoritate petiit innovari* 471 a

Bernardus *Assisias judex in Marchia* 733 b

Bernardus a Bessa *Frater Minor. Vide* Bessa.

Bernardus de Colle *Ordinis Minorum relationi, qua frater quidam laicus tempus impressorum S. Francisco sacrorum stigmatum divinitus sibi revelatum, sub juramento asseruit, præsens adfuit* 728 a

Bernardus *Frater Minor,* Bernardus a quinta Valle *appellatus, primus S. Francisci socius seu discipulus ; qui S. Francisco se junxerit, suaque omnia bona pauperibus distribuerit ; qui Florentiæ fuerit habitus, patientiaque enituerit ; Bononiam, ut ibi Minoribus domicilium acquireret, mandante S. Francisco, felici eventu petiit ; quandonam id factum ; singularem benedictionem a S. Francisco morti proximo narratur accepisse ; quid de illa sit censendum ; per S. Franciscum, prævio Christi conspectu, ad prædicandum missus, narratur a Waddingo ; S. Franciscum cum Christo, annuum Indulgentiæ Portiunculanæ diem præstitutente, colloquentem audivisse, cumque illo deinde, ut divinam hac super re voluntatem Honorio Papæ testaretur, Romam profectus*

profectus narratur in Corradinis de eadem Indulgentia litteris 491 usque ad 746 in diversis locis.
Bernardus Guidonis *biographus Innocentii III Papæ* 491 f, 492 a; *scripsit etiam aliquot Sanctorum Vitas* 411 e
Bernardus *pronepos, ut notatum invenitur, germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 f
Bernardutius, *alias* Bernardi (*Michael*) *prius Spoletanus, mox civis Assisias* 769 b; *Indulgentiæ Portiunculanæ Historiam, uti eam ex ipsis S. Francisci sociis audierat, dicitur scripsisse* 735 c d
Berncastellanus (*Wilhelmus seu Guilielmus*) *collegiatæ S. Paulini prope Treviros ecclesiæ decanus. Vide* Bretzius.
Bernerius *ecclesiæ Parisiensis decanus consensit in Eligiani monasterii restitutionem, monachis Fossatensibus a Stephano Parisiensi episcopo factam,* 423 e; *hujus illa de re diplomati subscriptus* 426 a
Bernerus *abbas* 251 b
Berninus (*Dominicus*) *comes Italice scripsit Vitam S. Josephi a Cupertino* 808 b c
† Beronicus *martyr* 547 c d
Berrenna *monasterio Portus suavis præposita* 149 d
† Berta *nobilis matrona, monasterii Blangiacensis fundatrix* 232 e f
Bertericus *episcopus Viennensis in Delphinatu* 461 d, 465 c
Bertharius *presbyter ecclesiæ Virdunensis scripsit Vitæ S. Magdalvei Compendium* 432 a b; *ætas ejus et fides* 432 b c d
Bertholdus *episcopus Tullensis, S. Leonis IX Papæ in hac cathedra decessor, abbatiam Portus suavis condere incepit* 146 d, 149 e
Bertholfus, *litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus* 184 c
† Bertinus *abbas Sithiensis* 247 c d e f, 249 b; *ejus reliquiæ Gandam translatæ* 246 e, 247 b; *ecclesiam a S. Audomaro episcopo accepit* 252 d
† Bertuinus *episcopus: Sancti hujus e cœnobio Maloniensi articulum pedis monasterio Broniensi obtinuit S. Gerardus Broniensis* 256 e
† Bertulphus *abbas* 205 d, 235 a, 243 f, 259 a d; *ejus corpus ad monasterium Blandiniense translatum; quo anno id factum* 245 e, 246, 247 a b;
Berwinckel (*Joannes*) *sculptor* 808 f
Bessa (*Bernardus de vel a*) *Ordinis Minorum, biographis S. Francisci a Waddingo annumeratus,* 471 d e, 475 a b c, 507 a, 522 e f, aliisque locis; *duas tantum Assisiensis S. Francisci basilicæ ecclesias memorat; qualemcumque tamen tertiam expresse non negat* 823 a b c d
Bessarion *S. R. E. Cardinalis, Sedis Apostolicæ legatus, ecclesiæ, apud Bononienses S. Joanni Evangelistæ sacræ, Sanctorum reliquias visitavit* 578 c
Bessarion *Tabennensis in Ægypto monachus* 564 b
† Bibiana *martyr* 25 f, 26 a
† Bibiana, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 a, 407 f
Bicos (*Maria de*) *uxor Cotolai carbonarii, qui Compostellæ S. Francisco Assisiati exstruxisse conventum narratur* 700 a
Binus *scriptor* 775 a
† Birgitta *vidua* 765 c; *quid de Regula S. Francisci Assisiatis sibi revelatum scribat* 640 b; *revelationem sibi de Indulgentia Portiunculana factam refert* 765 b c; *an hanc a Christo immediate S. Francisco concessam indicet* 767 a b c
Bissy (*eminentissimus dominus Cardinalis de*) *episcopus Meldensis Prioratus S. Patusii reditus seminario suo applicuit* 168 a
Bistochio (*Galeottus de.*) *Vide* Galeottus.
Blanc (*Antonius du*) *ecclesiæ Telonensis præpositus Officium de S. Cypriano, Telonensi episcopo, mendis expurgare, atque ad normam a concilio Tridentino præscriptam redigere est conatus* 156 f
Blanca *Franciæ regina, S. Ludovici regis mater, cervical, quo S. Franciscus Assisias in extremo morbo usus fuerat, venerata* 837 d e
Blanca *princeps, S. Ludovici Galliæ regis filia, aliquas sancti hujus patris sui reliquias Francisco Bartholi Minoritæ dono dedit* 748 b
Blancus de Alerano *S. R. E. diaconus Cardinalis. Vide* Otho Candidus.
Boccolinus (*Joannes Baptista*) *Vitam B. Angelæ Fulginatis, ab Henschenio editam, recudit* 734 c
Boemundus *archiepiscopus Trevirensis corpus S. Palmatii martyris Trevirensis Carolo IV imperatori concessit* 341 a
Bois (*Georgius du*) *scabinus Bellomontiensis audivit testantes miraculum, S. Gerardi patrocinio patratum,* 267 d
Bois (*Petrus du*) *presbyter audivit testantes miraculum, S. Gerardi patrocinio patratum* 267 d
Bolanus *interfuit secundo Antiocheno concilio, adversus Paulum Samosatenum celebrato* 96 e
Bologninus (*Ludovicus*) 585 b
Bonacursus Ugonis *pro indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 746 c
Bonadonna *tertii Ordinis S. Francisci* 640 f, 641 b; *prima cum marito vestem illius ab ipsomet S. Francisco accepit* 641 a; *ubi id factum* 641 b d
Bonagratia *minister Generalis Ordinis Minorum* 475 d, 729 a; *interfuit examini insignis miraculi, patrocinio S. Francisci patrati,* 675 b; *in diem et horam, qua S. Francisco fuerint impressa sacra stigmata, fecit inquiri* 728 b; *oblationes pecuniarias in festo Portiunculæ fieri accipique, sub excommunicationis pœna anno* 1280 *vetuit* 734 d e f
† Bonaventura *episcopus Cardinalis Albanensis ex Ordine S. Francisci Assisiatis, hujusque biographus* 469 usque ad 489 plurimisque paginis seqq. *Sanationem S. Francisci meritis impetravit* 651 c; *quandonam id factum* 565 e, 651 d e; *indulgentiæ Portiunculanæ expresse non meminit* 739 b c; *an saltem hanc non indicarit notamque habuerit,* 739 c d e f, 760 a b c; *rationes, ob quas de eadem siluisse possit videri* 760 d e f, 761 a e f; *non meminit etiam S. Dominici, hujusque in ullis Minorum comitiis præsentiæ* 732 e f; *an quidquam contra hanc possit inde inferri* 732, 733 e f; *an indicet, corpus S. Francisci, cum anno* 1230 *transferretur, fuisse incorruptum* 810, 811, 812 b c d e f; *item an prodigiosum ejusdem corporis statum uspiam insinuet, et an parvi faciendum sit illius de hoc silentium* 812 quatuor seqq.; et 816 b c d e f; *ex humilitate et reverentia aliquando per multos dies a Missæ celebratione abstinuit* 840 b c
Bonaventura de Aretio *Frater Minor B. Benedictum Aretinum hujusque socium Raynerium, testimonium pro indulgentia Portiunculana dicentes, audivit* 749 e
Bonaventura *Frater Minor ex aqua, in qua demersus erat, a S. Francisco invocato eductus* 669 d
Bonaventura *sæculo* XIV *Ordinis Minorum* 715, 714, 715 a; *insigne, quod datur, scripsit testimonium de Nicolao de Pepulis jurisperito Bononiensi, ab ipso S. Francisco in Ordinem Minorum admisso,* 715 a b
Bonaventura *Tolentinas ingens, quod audierit, miraculum a S. Francisco Assisiate patratum ubique divulgasse narratur* 705 c
Bonhomius (*Joannes Franciscus*) *per Germaniam nuntius Apostolicus aliquot Martyrum Trevirensium reliquias, quas Treviris acceperat, in Italiam Vercellas detulit* 528 b
† Bonifacius IV *Papa* 575 a
Bonifacius VIII *Papa* 577 c, 687 c, 738 d e, 764 c; *nuntios misit Assisium, qui populo indulgentiam Portiunculanam pro concione commendarent,* 744 d e f, 747 a b, 756 b; *indulgentiam plenariam pro jubilei anno* 1300 *concessit* 738 a
Bonifacius IX *Papa* 584 e, 819 a b; *templum S. Petronii Bononiæ visitantibus indulgentias concessit* 584 f:

584 f; *Indulgentiam Portiunculæ omnibus, qui montem Alvernum in sacrorum S. Francisci stigmatum festivitate devote visitaverint, data bulla, concessit* 692 c d
† Bonifacius *archiepiscopus Moguntinus martyr, Germaniæ Apostolus,* 190 a, 192 e, 321 d, 458 e; *in litteris gratulatoriis, ad S. Zachariam Papam datis, scribit, multas in Francia sedes episcopales laicis esse traditas* 458 b c d; *Pipinum Brevem coronavit Francorum regem* 441 b; *synodo Germanicæ I præsedit* 468 f
Bonifacius *episcopus Tudertinus, septem episcopis, a quibus indulgentiæ Portiunculanæ promulgatio ecclesiæque consecratio facta asseritur, ab Ughello annumeratus* 771 b
Bonifacius *Frater Minor Petrum Zalfanum pro Indulgentia Portiunculana testantem audivit* 744 e, 746 f, 751 b
Bonifacius *litteris a S. Augustino conventus* 158 b c e, 154 a
† Bonitus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ detectæ* 406 c
Bonizius *Ordinis Minorum. Vide* Bonizus.
Bonizus de Bononia *Ordinis Minorum, socius S. Francisci Assisiatis* 544 c, 545 d, 715 c; *S. Franciscum in monte, in quo hic Regulam, ab Honorio III scripto approbatam, dictavit, comitatus fuisse, asseritur a Waddingo* 659 e; *corpus ejus Bononiæ inventum* 715 e
Bononia (*Bonizus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Bonizus.
† Bonozius *episcopus Trevirensis* 299 a, 305 c; *sacræ ejus reliquiæ in Trevirense S. Paulini templum illatæ* 299 d e; *pars ex his Gumberto abbati Abdingoviano concessa* 322 f
Bonus *Etruscorum rex* 400 e
Bonus *civis Fanensis leprosus et paralyticus, patrocinio S. Francisci Assisiatis sanatus,* 674 a b
Bonus de Curliano *Ordinis Minorum relationi, qua frater quidam laicus tempus impressorum S. Francisco sacrorum stigmatum divinitus sibi revelatum, sub juramento asseruit, præsens adfuit* 829 c
Bonus-homo *juvenis leprosus et paralyticus, patrocinio S. Francisci Assisiatis sanatus* 614 d
† Bosa *episcopus Eboracensis* 169 b
Boschi (*J. C.*) *subscriptus Bullæ, a Benedicto XIV Papa in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem concessæ,* 688 b
Bosquierus (*Philippus*) *Minorita, curator editionis Speculi Vitæ S. Francisci, anno* 1623 *typis Coloniensibus adornatæ,* 473, 474 f, 526 c, 527 d, 530 b, 531 c, 537 a e, 538 a, aliisque locis
Boudot (*Paulus*) *episcopus Atrebatensis reliquias martyrum Thebæorum vel Trevirensium, partheniæ philosophorum Duacensium Societatis Jesu sodalitati concessas, publico instrumento approbavit* 526 b c d
Boverius (*Zacharias*) *Ordinis Capuccinorum Annalista, e scriptoribus, qui de S. Francisco Assiate tractarunt* 497
Bracle (*Joannes van*) *sacerdos, a Calvinistis Aldernaldæ in Scaldi submersus, inter Prætermissos* 286 e f
Brancaleon (*Leo*) *S. R. E. Cardinalis. Vide* Leo.
Brantes (*Josephus Antonius de*) *ecclesiæ Avenionensis thesaurarius ac pœnitentiarius, de museo nostro optime meritus* 136, 137 d
Bredunus (*Joannes*) *litteris de reliquiarum donatione monasterio Einsidlensi facta subscripsit* 323 d
Brenzer (*Meinradus*) *Protonotarius Apostolicus subscripsit instrumento de servatis in monasterio Einsidlensi Sanctorum reliquiis* 323 b
Bretzius (*Wilhelmus seu Guilielmus*) *collegiatæ S. Paulini prope Treviros ecclesiæ decanus, instrumento de reliquiarum Trevirensium donatione Ferdinando Bavariæ duci facta subscriptus* 324 b c; *aliquot martyrum Trevirensium reliquias R. P. Henrico Mulhemio SS. Theologiæ Baccalaureo formato, itemque Oliverio Manaræo, Societatis Jesu per provinciam Belgicam præposito provinciali, et domui nostræ professæ Antverpiensi, additis etiam authenticis donationum litteris, dono dedit* 323 e f, 327 a b e
Brexius (*Wilhelmus seu Guilielmus*) *collegiatæ S. Paulini prope Treviros ecclesiæ decanus. Vide* Bretzius.
† Briccius *episcopus. Vide* † Bricius.
† Bricius *episcopus Turonensis* 316 c
Brie (*Germanus de*) *archidiaconus Albiensis, commissarius deputatus in causa mutationis, circa Eligianum Parisiis monasterium seu prioratum faciendæ* 426 d
† Brigida *Virgo Scota thaumaturga* 284 f
† Brigitta *vidua. Vide* † Birgitta.
Britonius *episcopus. Vide* Britto.
Britto *episcopus Trevirensis* 299 d
Brixey (*Petrus de*) *episcopus Tullensis templum S. Eucharii Liberduni condidit* 132 c
Brunaldus *cancellarius. Vide* Grimaldus.
Bruna *tertii Ordinis S. Francisci. Vide* Prunus.
† Bruno *episcopus Tullensis ac dein Papa, dictus* Leo *hujus nominis nonus,* 144 d; *monasterio Portus suavis manum ultimam adjecit, eoque reliquias S. Mennæ anno* 1056 *transtulit* 146 d e, 149 a b. *Vide etiam* † Leo IX *Papa.*
† Bruno *archiepiscopus Coloniensis* 338 c
Bruno *archiepiscopus Coloniensis, simulque pro fratre suo, Ottone Magno imperatore, regni Lotharingici gubernator* 275 f, 279 b; *Rainerum II Hainoensium comitem, cognomento* Longicollum, *in exsilium misit* 276 a, 279 c
Bruno *archiepiscopus Trevirensis corpus S. Modoaldi et duo martyrum Trevirensium pignora ad monasterium Helmwardeshusanum Treviris transferri permisit* 322 a
Brunus *tertii Ordinis S. Francisci, ab ipsomet hoc Sancto in illum admissus,* 541 a c
Bucchius (*Jeremias*) *Minorita auxit Opus Conformitatum S. Francisci cum Christo, a Pisano scriptum, simulque ad iteratum prelum paravit* 475 c, 828 c
Buono (*Bonaventura*) *sacerdos sæcularis, sacræ Theologiæ doctor et ecclesiæ Cupertinensis primicerius, prodigiosum corporis S. Francisci statum sibi aliquando a Josepho Cupertino assertum, in processu pro hujus canonizatione est testatus,* 807
Buseau (*Maria*) *testata miraculum, in filio suo ad invocationem S. Gerardi patratum* 267 d
Buthericus *magister militum sub Theodosio II imperatore, a Thessalonicensibus occisus,* 400 b
Bynsfeld (*Petrus*) *suffraganeus Trevirensis* 323 e

C

Cabilone *seu* Cabilonis (*Hugo de*) *episcopus Autissiodorensis* 340 e f; *reliquias SS. Marsi et Justi Ottoni III imperatori dedit* 341 c
Cæcilianus *episcopus Carthaginensis* 32 b
† Cæcilia *virgo martyr : ejus Treviris et Bononiæ reliquiæ* 318 f, 405 e
Cæcina *gladiatorum spectaculum Bononiæ edere meditatus* 400 c
† Cælestinus I *Papa* 369 usque ad 378 f, 383 b, 395 c, 403 f, *hæresim Nestorianam damnavit* 120 d; *S. Cyrillo, episcopo Alexandrino, in mandatis dedit, ut Nestorium, nisi resipisceret, exauctoraret* 373 f; *fecit, ut concilium Ephesinum, anno* 431 *in causa hujus hæresiarchæ celebratum, indixerit Theodosius II imperator* 374 e f, 375 a b, 397 a, 403 c; *ad S. Cyrillum, aliosque in causa ejusdem Nestorii dedit litteras* 374 c; *in somno, ut fertur, a S. Petro Apostolo fuit monitus, ut S. Petronium ordinaret Bononiensem episcopum,* 374 b, 375 c, 395 d, 403 a b c; *quando et an reipsa hoc præstiterit* 375 d e f, 376 a b; *inepta oratio, qua in ordinatione illa usus fingitur,* 396, 397 f
Cælestinus III *Papa* 375 a b, 377 e, 378 c, 578 b, 592 c

Cælestinus IV *Papa* 560 d, 751 e
Cælestinus *abbas Blandiniensis, a Carolo Martello in exsilium pulsus* 241 a
Cælius Probinus *consul Romanus* 369 f
Cæsar (*C. Julius*) *Romanorum imperator* 330 a b, 377 b; *bello a Trevirensibus vexatus* 315 d, 329 e, 330 b
† Cæsaria, *abbatissa Arelatensis, S. Cæsarii Arelatensis episcopi soror* 166 d
Cæsaria *junior, abbatissa Arelatensis,* 165 a b; *hæc, cui suam de S. Cæsario lucubrationem inscripsit S. Cyprianus, Telonensis episcopus, diversa est a S. Cæsaria S. Cæsarii sorore* 166 d
† Cæsarius *episcopus Arelatensis* 226, 155 usque ad 167, 413 et quatuor seqq.; *instituit, ut laicorum alii Latine, alii Græce in ecclesiis cantarent* 161 b c; *S. Cyprianum, episcopum Telonensem, licet quo id tempore et loco factum, non satis constet, divinis litteris eruditi, eumque deinde consecravit diaconum atque etiam episcopum Telonensem statuit* 161 c d e f, 162 a b; *quo tempore, et an ex causa, quam prodit anonymus, hoc postremum fecerit* 162 b c d e f, 163 a b; *Concilio Arausicano II, Arelatensi IV, Valensi II, alias III, multisque aliis interfuit* 157 e, 163 b c d f; *misit ad concilium Valentinum, qui sui vices supplerent* 164 a; *pallium cingulumque melius S. Cypriano, Telonensi episcopo, moriens reliquit* 164 e; *librum primum Vitæ ejus, quidquid contra alii sentiant, maxima ex parte scripsit idem S. Cyprianus, Telonensis episcopus* 164, 165, 166 a; *iniqua Bailleti de illa refutatur censura* 166 b c
Cæsarius *Spirensis Minorita, præfectus seu minister manipuli Fratrum Minorum, ex Italia in Germaniam missi,* 470 d, 539 e, 551 f
Cagnoli (*Philippus*) *ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Majoris Bononiæ Prior etc. adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ* 392 c d
† Cajetanus *PP. Theatinorum institutor : templum ei, simulque S. Bartholomæo Bononiæ sacratum* 378 f
Cajetanus (*Joannes*) *S. R. E. Cardinalis. Vide* Joannes.
† Caius *Papa martyr* 314 c, 329 f
† Caius *diaconus* 391 d e f; *inter Prætermissos* 285 a
† Caius *martyr Bononiæ* 377 c, 401 a; *corpus ejus a S. Eusebio, Bononiensi episcopo, translatum* 401 f
† Caius *S. Pauli Apostoli discipulus, inter Prætermissos* 23 b
Caius, *ad quem Joannes Apostolus tertiam suam scripsit epistolam, a S. Caio, quem una cum S. Crispo Corinthi baptizavit Paulus Apostolus, forte est diversus* 290 f, 291 a c
Caius *Macedo, in seditione Ephesi cum S. Paulo Apostolo periclitatus* 290 f; *a S. Caio, quem una cum S. Crispo Corinthi baptizavit idem Apostolus, est distinctus, idemque cum Caio, Pauli comite, qui Act. cap.* 20 Derbeus *nuncupatur* 290 c d e
Caius, *qui Paulum Apostolum Corinthi hospitio excepit* 289 e, 290 a b d; *a S. Caio, quem una cum S. Crispo idem Apostolus ibidem baptizavit, verosimillime diversus non est* 289 c d, 290 a; *laudatur a S. Joanne Chrysostomo* 289 d e
Caius *S. Pauli Apostoli comes, qui Act. cap.* 20 Derbeus *vocatur* 290 c; *a Caio, Pauli itidem Apostoli comite, qui Act.* 19 Macedo *appellatur, non est diversus* 290 e f
Calandrinus (*Philippus*) *episcopus Bononiensis canonicorum collegium, Bononiensi S. Petronii templo adjectum, approbavit* 384 b
Calfanus (*Petrus*) *patritius Assisiensis. Vide* Zalfanus.
† Calixtus I *Papa. Vide* S. Callistus.
† Callistus I *Papa : ejus Remis reliquiæ* 236 c; *dextera Bellovacensi S. Quintini cœnobio concessa* 432 b
Callistus II *Papa indulgentiam plenariam, ab Urbano II fidelibus ad Terræ sanctæ recuperationem ex devotione euntibus concessam, confirmavit* 758 a
Calo (*Petrus*) *S. Dominici biographus* 742 f
† Calocerus *martyr Romanus, una cum Parthenio sub Decio occisus* 402 c
Camionia, *apud Saussayum una e duodecim virginibus, quæ sub imperatoribus ethnicis Roma in Gallias venisse feruntur* 429 b
† Canalis *episcopus. Vide* † Cannatus.
† Canates *episcopus. Vide* † Cannatus.
Candidorum *illustris Romæ familia* 26 b
† Candidus *campiductor, martyr Thebæus* 500 f, 313 e
† Candidus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 d
† Candidus *martyr Romæ* 24 e
† Cannatus *episcopus Massiliensis, inter Prætermissos* 23 e f
† Canoaldus *seu* Chagnoaldus *episcopus Laudunensis, S. Faronis episcopi Meldensis frater* 167 c
Cantagalli (*Philippus*) *eques Hierosolymitanus, testis consensus, quem donationi capitis S. Petronii, Benedicto XIV Papæ a PP. Cælestinis factæ, præstitit eminentissimus S. R. E. Cardinalis Nerius Corsinus, Instrumentoque hac super re confecto subscriptus* 387 d, 388 c
Cantarelli (*Petrus Nicolaus*) *notarius* 387 a
Capella (*Joannes de*) *Frater Minor, e primis S. Francisci sociis seu discipulis* 500 b, 501 b, 623 f; *qui de eo meminerit Waddingus* 624 e
Capitulum *generale Minorum,* Storearum *vulgo dictum, quo anno verosimilius celebratum* 522, 523 a b c; *huic non interfuit S. Dominicus* 523 b, 731 c
Capoccius (*Raynerius*) *S. R. E. diaconus Cardinalis discussa riteque probata S. Francisci Assisiatis miracula eleganti sermone, ad populum Assisiensem habito, commendavit* 575 a, 611 f, 612 c; *subscripsit Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ* 580 d; *hymnum in Officio veteri S. Francisci Assisiatis composuit* 678 e
Capoli (*Jacobus*) *quædam, quæ ex Fratre Leone, S. Francisci socio, de Indulgentia Portiunculana audierit, narrasse asseritur* 753 e f
Cappaccius (*Raynerus*) *S. R. E. diaconus Cardinalis. Vide* Capoccius.
Caracciolus (*Robertus*) *ex Ordine Minorum Conventualium episcopus Aquinas. Vide* Robertus Liciensis.
Carausius *tyrannus in Britannia* 315 b c d e f, 330 a
Cardinali (*Jo. Antonius*) *ecclesiæ metropolitanæ Bononiensis custos, testis adhibitus in recognitione capitis S. Petronii,* 393 b
Cardineta (*Josephus a*) *Ordinis S. Francisci. Vide* Josephus.
Carinus *imperator, Christianorum persecutoribus non accensitus* 303 c
Carlomannus. *Vide* Corolomannus.
Carolina *serenissima Lotharingiæ et Barri princeps regia, adjuncta Christinæ Franciscæ principi Palatinæ-Sultzbachiensi, illustrissimi Essendiensis nobilium virginum canonicarum in Westphalia collegii abbatissæ, coadjutrix* 340 d
Carolomannus *Austrasiæ et Burgundiæ rex, Pipini Brevis Francorum regis filius* 443 c d, 455 f, 464 a c; *a Stephano II Papa fuit inunctus* 441 e
Carolomannus *Ludovici Balbi Francorum regis filius, Burgundiæ et Aquitaniæ rex,* 252 a
Carolomannus, *Caroli Martelli filius, major-domus Austrasiæ* 437 c, 441 f, 443 a, 462 d, 467 a b e f; *synodum Germanicam* 1, *et Liptinense concilium celebrari curavit, tresque novos episcopatus in ditione sua permisit institui* 438 e f, 439 a b, 468 a f
† Carolus Borromæus *S. R. E. Cardinalis Mediolanensis archiepiscopus* 319 c
† Carolus I, *cognomento* Magnus, *imperator et Francorum rex* 168 aliisque locis usque ad 468; *B. Uthonem*

B. Uthonem in solitudine Metamensi sub finem sæculi octavi invenit 192 b c; *beati hujus Viri rogatu monasterium ibidem condidit, huicque illum præfecit* 191 et quatuor seqq.; *a Stephano II Papa fuit inunctus* 441 b; *quandonam ad civitatis Taravisinæ deditionem compulerit Stabilinium, Rotgaudi sibi rebellis socerum* 450 c d; *Petrum, dictum* Italicum, *ad Virodunenses infulas promovit* 453 b c d e f; *an id ob Papiensem, an ob Taravisinam urbem, sibi ab hoc traditam, fecerit* 456, 457 a b

Carolus II, *cognomento* Calvus, *imperator et Francorum rex* 200 d, 206 b, 211 f, 232 a, 305 e, 417 f, 422 b, 423 a b e; *Parisiensem S. Eligii abbatiam Ingelwino, Parisiensi episcopo, ejusque successoribus episcopis in potestatem et jus ecclesiasticum perpetuo tradidit* 422 c; *ejus hac de re diploma* 422 a b c d

Carolus IV *imperator S. Tyrsi martyris Thebæi, S. Palmatii Romani, S. Palmatii Trevirensis et aliquot aliorum martyrum Trevirensium reliquias obtinuit* 311 d, 323 f

Carolus V *imperator* 390 d

Carolus III, *cognomento* Simplex, *Francorum rex* 205 usque ad 278 in diversis locis; *tres in computandis regni sui annis epochas usurpavit* 208 d; *Diploma in favorem monasterii Broniensis, ut fertur, concessit* 220 c, 221 e; *non tale tamen id fuit, quale apud Miræum exstat,* 221 e f, 222 a

Carolus VI *Francorum rex* 420 e

Carolus IX *Francorum rex reliquias S. Eugenii martyris Philippo II Hispaniarum regi concessit* 213 c; *edicto, anno* 1564 *edito, statuit, ut in publicis privatisque Tabulis non amplius a Paschate, sed a Kalendis Januariis deinceps annorum exordium repeteretur* 421 b

Carolus *Lotharingiæ et Barri serenissimus dux, Belgiique Austriaci pro Maria Teresia Augustissima imperatrice et regina Apostolica gubernator* 340 f

Carolus *archiepiscopus Trevirensis gregem suum ad exoranda Sanctorum Trevirensium patrocinia in pestis periculo est hortatus* 319 d e

Carolus Martellus *major-domus Franciæ* 241 b, 437 et seqq. usque ad 468; *nullam plane operam, ut S. Magdalveus canonica electione in sedem Virdunensem sufficeretur, verosimiliter contulit* 437 f; *an episcopatus laicis dederit* 438 b c d e; *cur in ecclesiam Virdunensem sub Poppone episcopo munificus* 438 e, 439 a; *cur etiam* Tudes *seu* Tudites *dictus* 461 b, 462 b e; *Ragenfredum militantesque ei et Chilperico II Neustrasios bello appetiit ac devicit* 463 a

Carreto (*Otto de*) *vir potens. Vide* Otto.

Carus *imperator* 80 b; *Christianorum persecutoribus non accensitus* 303 e

Carus de Aretio *Frater Minor B. Benedicto Aretino hujusque socio Raynerio, testimonium pro Indulgentia Portiunculana dicentibus, adfuit* 749 e

Casalinus (*Hieronymus*) *Bononiæ presbyterorum secularium S. Luciæ rector S. Franciscum Xaverium hospitio excepit* 379 d

Casamora (*Stephanus de*) *S. R. E. diaconus Cardinalis Antiphonam in Officio veteri S. Francisci Assisiatis composuit* 679 a b c

† Cassianus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 c

†† Cassii et Casti *Passio. Vide* †† Casti et Cassii Passio.

† Cassino (*Lucius a S.*) *Tertii Ordinis S. Francisci. Vide* † Lucius *confessor.*

† Cassius *martyr, Bonnæ, ut perhibetur, passus* 292 a, 318 f; *caput ejus Francisco Bartholi Minoritæ concessum* 748 b

Cassius Dio *Urbis præfectus,* 312 b

Castellione (*Joannes de*) *Ordinis Minorum, Aretinæ Custodiæ custos* 728 b; *relationi, qua frater quidam laicus tempus impressorum S. Francisco sacrorum stigmatum divinitus sibi revelatum, sub juramento asseruit, præsens adfuit* 729 a

Castellione (*Raynaldus de*) *Frater Minor B. Benedicto Aretino hujusque socio Raynerio, testimonium pro Indulgentia Portiunculana dicentibus, adfuit* 749 d

†† Casti et Cassii Passio *per Gregorium Tarracinensem episcopum descripta* 204 b c

† Castor *presbyter confessor* 347 a; *dedicata ei Confluentiæ ecclesia* 305 f

Castorius *notarius et S. R. E. scriniarius Rescripto Pontificio, quod S. Gerardo datum fertur, subscriptus* 222, 223

Castorius *e Donatista Catholicus, litteris a S. Augustino conventus* 153 b c d e, 154 a b

Castro Arquato a Porta (*Nicolaus de*) *episcopus Spoletanus contra Assisienses, quod S. Francisci translationem turbassent, litteris Pontificiis procedere jussus* 582

Castro Veteri (*Joannes de*) *Ordinis Minorum. Vide* Joannes.

Cathanius (*Orlandus*) *comes, Vallis Casentinæ dominus,* 691 e, 697 e f, 837 c d; *montem Alvernum S. Francisco Assisiati hujusque fratribus habitandum dedit, huncque in finem parvulam in eo construxit ecclesiam* 690 a, 691 b; *qui et qua occasione donatio illa facta narretur a Waddingo* 697 b c d e f

Cathanius (*Petrus*) *Ordinis Minorum. Vide* Petrus Cathanius.

† Catharina *Bononiensis* 819 a

† Catharina *Senensis virgo* 797, 798 a b; *stigmatibus insignita vetita depingi* 797 d

† Catharina *virgo martyr : ejus Bononiæ reliquiæ* 401 f, 402 c; *sacellum ei Assisii exstructum* 781 a b c

Catharina Clara de Mirto *Tertii Ordinis S. Francisci* 808 a

Catharina *mulier erga S. Franciscum Assisiatem devota* 726 c

Cavaline (*Jacobus*) *episcopus primo Laquidonensis ac dein Arianensis; fertur pro visitatione corporis S. Francisci, in qua hoc Nicolaus V Papa incorruptum stansque erectum viderit, testimonium dedisse, litterasque Baucianas, quibus hoc prodigium adstruitur, ad Gonsalvum ducem dono misisse; quam fidem res hæc mereatur* 784 et decem seqq.

Cavallinus (*Antonius*) *pictor* 682 b

Celanensis (*Thomas*) *Minorita. Vide* Celanus.

Celanus (*Thomas*) *Minorita, in Ordinem ab ipsomet S. Francisco admissus, primusque hujus biographus* 469 usque ad 489 in diversis locis, plurimisque paginis seqq.; *quandonam huic sancto Patri suo se junxerit* 470 c d; *an plures ejusdem Vitas conscripserit* 470 e f, 474 a b; *Sequentia de S. Francisco olim usitata, quam composuit,* 679; *non meminit S. Dominici* 733 c; *nec etiam expresse Indulgentiæ Portiunculanæ* 739 c d e f; *rationes, ob quas hujus non meminisse, possit videri* 760, 761, 762

Celer *epistola a S. Augustino conventus* 359 c

† Celinia *virgo* 467 e

† Celsus *cum Nazario martyr Mediolani : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ detectæ* 406 d

† Ceolfridus *abbas Wiremuthensis* 417 a b

Ceperanensis (*Joannes vel Thomas*) *sæcularis aut Minorita. Vide* Ceperano.

Ceperano (*Joannes vel Thomas de*) *sæcularis aut Minorita, secundus forte S. Francisci Assisiatis biographus,* 469 usque ad 556, aliisque locis; *si secularis fuerit, scripta ab eo esse potest quædam, quam habemus, S. Francisci Vita* 471 a; *qualis hæc sit et quam antiqua* 470 c d e f

Ceperanus (*Joannes vel Thomas*) *sæcularis aut Minorita. Vide* Ceperano.

Cerealis *consul Romanus* 369 d

Cerialis *dux Romanorum* 310 b

Cerinthus *hæresiarcha* 102 b, 103 a, 104 c d e f

† Chæremon 28 c d, 39 c, 40 a b d; *cum SS. Fausto et Caio in Romano annuntiatus* 27 d; *captivos, sæviente in Christianos persecutione, visitavit*

28 a b, 29 f, 58 c; *fidem coram Æmiliano augustali præfecto confessus atque ab hoc in exsilium pulsus* 30 b, 39 e, 54 b c d e f
Chalippus (*Candidus*) *Franciscanus, qui prolixam S. Francisci Assisiatis Vitam idiomate Gallico vulgavit* 476 usque ad 622 in diversis locis.
Cham *patriarchæ Noemi filius* 328 a b e
Chardon (*Mauritius*) *Societatis Jesu sacerdos; de Museo nostro bene meritus* 323 a
† Charimon. *Vide* † Chæremon.
Chemnitius (*Martinus*) *hæreticus, Indulgentiæ Portiunculanæ impugnator a Bellarmino confutatus* 736 c d, 764 f
Chiffletius (*Petrus Franciscus*) *Societatis Jesu misit ad nos Vitam S. Mennæ* 144 a
Childebertus I *Francorum rex* 157 a b d, 464 b c d
Childebertus II *Francorum rex in Virodunensem cathedralem ecclesiam pie munificus* 449 a b c
Childebertus III *Francorum rex* 437 f
Childebertus, *qui, rerum potiunte Carolo Martello, rex Francorum fuisse perperam memoratur ab Hugone Flaviniacensi* 461 a, 463 e
Childericus II *Francorum rex* 468 c
Childericus III *Francorum rex* 459 a, 461 f, 462 d, 463 f
Chiliastæ. *Vide* Millenarii.
Chilpericus II, Daniel *antea dictus, Francorum rex* 461 f; *bello appetitus victusque a Carolo Martello* 463 c
Chindasvinthus *Hispaniarum rex* 215 b
Christianus *Lothariensis astu cepit Gislebertum, Lotharingiæ ducem, eumque captivum stitit Henrico Aucupi* 278 c
† Christina, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 f
Christina *Francisca, princeps Palatina-Sultzbachiensis, illustrissimi Essendiensis nobilium virginum canonicarum in Westphalia collegii abbatissa* 340 c
† Christophorus *martyr: ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 f
Christophorus I *Papa* 210 a
Christophorus Bernardus, *episcopus Monasteriensis, ædem in vico Larensi SS. Ewaldis sacram instauravit* 171 c
† Chrodegandus *episcopus. Vide* † Chrodegrandus.
† Chrodegrandus *episcopus Metensis* 440 f, 441 b c, 443 f, 460 f, 468 d; *primus in Galliis, ut plerisque creditur, ecclesiæ suæ canonicos ad vitam in claustro communem adegit* 510 c; *an S. Magdalveum ad cathedralem Viroduni ecclesiam reædificandam pecunia adjuverit, est dubium* 444 a b c d; *corpora SS. Gorgonii, Naboris et Nazarii, Romæ a Paulo I Papa obtenta, in Gallias detulit* 464 c, 465 e; *a Stephano II Papa, in Galliis existente, quid tantum acceperit* 462 a b
Chrodobertus *episcopus Pariensis* 420 b
Chrotgandus *præfectus ducatus Foro-Juliensis. Vide* Rotgaudus.
† Chrysostomus (*Joannes*) *episcopus Constantinopolitanus* 346 f, 347 b, 353, 354, 355 e, 371 d; *scripsit, pronuntiavitque Antiochiæ dumtaxat adhuc presbyter duas Homilias in laudem SS. Domninæ, Berenices et Prosdoces* 344 d e f, 345 a b
Ciajanis (*Andreas de*) *episcopus Assisiensis* 745 d e
Ciajanis (*Joannes de*) *pater præcedentis* 745 d
Ciccolus *nepos, ut notatum invenitur, Germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 a
Cimabonus *pictor* 682 a b
Cimarelli (*Bartholomæus*) *vir doctus* 842 b
† Clara *virgo nobilis Assisiensis, S. Francisci discipula et prima Ordinis, ab ea appellati, abbatissa; monitis S. Francisci instructa, e paterna domo noctu fugit, pœnitentiæque habitu ab eodem Sancto donata Ordini illi, sede tandem apud S. Damiani fixa, initium dedit; breve ejus, at insigne, elogium; vidit stigmata, S. Francisco divinitus impressa; utrum Deo magis placeat orare, an prædicare, a S. Francisco consulta; aliquot ejus crines in ecclesia Portiunculana; fuit ei S. Francisci defuncti corpus ostensum, et an tunc clavum e manu ejus evellere fuerit conata; sandalia, quæ S. Francisco ex junceis funibus contexuisse dicitur, Recineti servata; litteris a S. Francisco conventa; Regulæ aliorumque monitorum, quæ scripto a S. Francisco acceperat, in Testamento suo meminit* 471 a, diversisque locis usque ad 841.
Clara *abbatissa Pantii, proneptis, ut notatum invenitur, Germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 f
Classicus *præfectus alæ Trevirorum, Romanorum partium desertor,* 510 a
Claudius II *imperator* 141 b, 303 c
Claudius *cæcus, patrocinio S. Francisci Assisiatis visum adeptus* 613 a
† Clemens I *Papa martyr,* 79 a, 184 b, 187 c, 191 a, 215 b, 216 b, 217 a; *præsentem hujus opem sensit S. Anno, Coloniensis episcopus,* 185 a b, 187 d; *constitutiones, quæ* Apostolicæ *vocantur, dictatæ huic ab Apostolis non fuere* 289 e
Clemens III *Papa indulgentiam plenariam ab Urbana II fidelibus ad Terræ Sanctæ recuperationem ex devotione euntibus concessam, confirmavit* 758 b
Clemens IV *Papa* 684 b, 801 b, 819 c; *Litteras Pontificias, in favorem Assisiensis S. Francisci ecclesiæ antea datas, confirmavit* 683 b; *testibus oculatis celebris prodigii corporis S. Francisci annumeratus* 781 c
Clemens V *Papa* 680 c d; *veram agnovit Indulgentiam Portiunculanam* 756 b c
Clemens VI *Papa* 377 c, 755 e
Clemens VII *Papa* 390 a, 426 b, 471 f, 685 c, 835 c; *concessa ab eo Franciscanis Montis Alverni indulgentia plenaria* 691 b
Clemens VIII *Papa* 379 a b c, 385 c, 803 a; *oppidum Castri-plebis in episcopatum erexit* 599 b, 670 f
Clemens IX *Papa festum sacrorum Stigmatum S. Francisci Officio ecclesiastico per universam Ecclesiam quotannis celebrari præcepit* 680 e
Clemens XI *Papa* 801 d, 808, 809 c d, 836 d; *ecclesiæ, quæ sacellum Portiunculanum complectitur, indulgentiam quotidianam ab annua secundæ diei Augusti declaravit diversam* 774 a
Clemens XII *Papa* 388 c, 686 f; *thronus Pontificius ejus auctoritate in Assisiensi S. Francisci ecclesia erectus,* 684 a; *confirmavit resolutionem, qua a sacra indulgentiarum congregatione indulgentia quotidiana ecclesiæ, quæ sacellum Portiunculanum complectitur, ab annua secundæ diei Augusti declarata fuit diversa* 774 b
Clemens XIII *Papa, hodieque feliciter regnans, Josephum a Cupertino Sanctorum Catalogo adscripsit* 807 a
Clemens *episcopus* 336 c
Clerici (*Joannes*) *monachus Broniensis audivit testantes miraculum, patrocinio S. Gerardi patratum* 266 f
Clodoveus I *Francorum rex* 157, 158 a b, 161, 462 b
Clodoveus III *Francorum rex* 181 a b c
Clotarius. *Vide* Clotharius.
Clotharius I *Francorum rex* 408 e
Clotharius III *Francorum rex* 468 a
Clotharius IV *Francorum rex* 461 b
Colinus *Anglicus e clerico Aconensi frater Minor* 528 e f
Colle (*Bernardus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Bernardus.
Colle (*Petrus de*) *Tertii Ordinis S. Francisci. Vide* Petrus.
Collia *mulier lusca, patrocinio S. Francisci Assisiatis curata* 612 f
Collius *puer paralyticus, mira ad S. Francisci Assisiatis sepulcrum visione sanatus* 612 c d, 821 c d
† Colmannus *episcopus. Vide* † Colmanus.
† Colmanus *episcopus Lindisfarnensis* 172, 173 c
† Columba *Reatina virgo Tertii Ordinis S. Dominici* 484 b c d
Columbano (*Franciscus a S.*) *Ordinis Minorum provinciæ Mediolanensis vicarius* 475 a, 735 c
† Columbanus *abbas* 251 a, 410 octoque seqq.

Columnensium *illustris familia* 592 b
Comitibus (*Raynaldus de*) *S. R. E. Cardinalis, ac dein Papa*, Alexander IV *dictus, testibus oculatis celebris prodigii corporis S. Francisci annumeratus*, 781 d e. *Vide etiam* Alexander IV.
Comitibus (*Joannes de*) *episcopus Perusinus contra Assisienses, quod S. Francisci translationem turbassent, litteris Pontificiis procedere jussus* 582, 583 a b
Comitibus (*Sebastianus Rochus de*) *collegiatæ S. Petronii ecclesiæ canonicus etc. adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ* 392 c
Comitum *Romana nobilissima familia* 771 d
Compagnus de Burgo *frater Minor B. Benedicto Aretino hujusque socio Rayneriо, pro Indulgentia Portiunculana publice testantibus, adfuit* 749 e
† Compater (*Petrus*) *Ordinis Minorum, quo anno obierit, non probat ejus Oveti epitaphium* 706 d e f
Concilia. Agatense *tempore Alarici Visigothorum regis* 157 a; *ad hoc magistrum suum Cæsarium secutus est S. Cyprianus, jam diaconus, postea Telonensis episcopus*, 161 e f. Alexandrinum *adversus Sabellium, a S. Dionysio Alexandrino forte celebratum*, 60 e, 63 d, 88 a; *quando id verosimilius factum* 90 c d. Antiochenum *in causa Novatiani* 46 d, 48 c; *quando et ex cujus convocatione fuerit celebratum* 48 d e f. Antiochenum I *in causa Pauli Samosateni anno* 265 64 a, 94 b c, 101 a, 121 e f; *quot in hac Concilia sese habuerit Antiochiæ posteriora* 95, 96 a b c; *quo exitu fuerit terminatum* 94 d e f; *fuit ad id Dionysius Alexandrinus non a solis presbyteris invitatus* 96 c d. Antiochenum II *in eadem causa anno* 269 *vel* 270, 63, 78 a, 79 c, 93 c d e, 95 a b, 121 a b c d; *quo sensu rejecerit* Consubstantialis *vocabulum* 78 a b c d e, 119 b c. Arausicanum II anno 529, 157 c d, 165 a b; *huic interfuit S. Cyprianus, Telonensis episcopus*, 163 b d e. Arelatense I *anno* 314, 303 b. Arelatense IV *anno* 524: *huic interfuit S. Cyprianus, Telonensis episcopus*, 163 a b c. Aurelianense IV *anno non* 550, *sed* 541, 164 a b, 166 c; *huic interfuit S. Cyprianus, Telonensis episcopus*, 157 a, 164 a b. Aurelianense V *anno* 549, 168 f; *huic interfuit et subscripsit Palladius episcopus Telonensis, S. Cypriani successor*, 166 b. Bagaiense *conciliabulum Donatistarum anno* 394, 153 a. Carpentoractense *anno* 527, 165 d; *huic interfuit et subscripsit S. Cyprianus, Telonensis episcopus*, 163 d e. Carthaginense *sub S. Cypriano in causa Novatiani anno* 251, 45 b; *ejus de lapsis decretum* 45 c e. Carthaginense *sub Agrippino baptizatos ab hæreticis decrevit rebaptizandos* 49 b. Carthaginensia *tria diversa sub S. Cypriano decretum hoc confirmarunt* 49 b c d e f. Carthaginense, *anno* 404 *aut* 405 *celebratum, legatos misit ad Honorium imperatorem* 154 c. Ephesinum *generale anno* 431, 120 e f, 121 a b c d, 122 a b, 123 b c d, 374, 375, 397 a, 403 b c d e; *exauctoravit Nestorium* 374 b. Erpfordiense *anno* 932, 227 c. Iconiense *anno circiter* 230, 50 et tres seqq. Laodicenum *anno circiter* 372, 103 f. Lateranense IV *generale sub Innocentio III Papa anno* 1215, 517 f, 518, 519 a b c, 521 a; *quid de indulgentiis decreverit* 758 a b, 772 c. Liptinense *anno* 743, 468 a. Lugdunense I *generale sub Innocentio IV anno* 1245, 761 d; *canon ejus super Cruciata* 761 a b c. Lugdunense II *generale* 1274, 761 c d. Matisconense *anno circiter* 625, 414 et tres seqq.; *probavit Regulam S. Columbani* 413 d, 416 a, 417 e f. Milevitanum *anno* 402, 153 b, 154 e. Moguntinum 888, 306 b. Moguntinum *anno* 1071, 296 c d e. Namnetense *anno* 659, 321 a. Nicænum I *anno* 325 *in causa Arii* 78 a, 79 b, 365 a b c. Nicænum II, *quod et generale* VII, *anno* 787, 445 a, 446 b, 451 a b. Remense *anno* 625, 167 f. Remense *anno* 1131, 263 b d; *decreta in hoc S. Godehardi, simulque, ut verosimile apparet, S. Gerardi abbatis canonizatio* 263 a c. Remense *anno* 1148 *sub Eugenio III Papa*, 213 a b. Romanum *anno* 251 *sub S. Cornelio Papa*, 42 a. *Novatianum cum suis asseclis damnavit lapsosque pœnitentes ad pacem admittendos decrevit* 45 c d e. Romanum *anno circiter* 260 *sub S. Dionysio Papa* 60 e f, 63, 64 a b; *approbavit* Consubstantialis *vocabulum* 119 a. Romanum I *in causa Nestorii anno* 429, 374 c, 397 d. Romanum II *in causa Nestorii* 374 d, 397 e; *tulit in hunc hæresiarcham damnationis sententiam* 120 e, 374 e. Romanum *anno* 1074, 134 a b c. Suessionense *anno* 866, 418 a c d. Synnadense *anno circiter* 230, 49 tresque seqq. et 64 a b. Taurinense *anno* 398, *vel paulo serius* 316 a b c d. Tribuiense *anno* 895, 306 e. Trullana *pseudosynodus adoptavit responsa, a S. Dionysio Alexandrino in epistola ad Basilidem data*, 108 a b c. Valentinum *anno* 529 *aut* 530, 163 e; *huic interfuit S. Cyprianus, Telonensis episcopus*, 157 c, 164 b c. Vasense II, *aliis* III, *anno* 529, 163 c; *huic interfuit S. Cyprianus, Telonensis episcopus*, 163 d; Vastellense *anno* 1006, 203 d. Viennense *anno* 1312, 740 a
Conon *episcopus Hermopolitanus, epistola a S. Dionysio Alexandrino conventus* 45 f, 100 d
Conradus I *imperator, aliis tantum Germaniæ rex*, 210 a
Conradus III *imperator ducatum Bavariæ dedit Henrico Austriæ marchioni* 194 d e f
Conradus *dux Lotharingiæ* 255 d e
Conradus *episcopus. Vide* Corradus.
Conradus *abbas Metamensis* 194 f
Conradus de Offida *factam a S. Francisco, qua hic præmaturam corporis sui resurrectionem aliaque prædixerit, post obitum fuisse revelationem, narrasse indicatur; quid de revelatione hac censendum* 845, 846, 848 d
Conrardus. *Vide* Conradus *et* Corradus.
† Constans *martyr, Treviris passus*, 292 c, 296 a b, 302 c, 309 b c, 310 a e, 317 b, 329 a, 331 f
Constans *imperator, Constantini Magni filius*, 394 c
Constantia *imperatrix, Tiberii Constantini imperatoris filia, et Mauritii itidem imperatoris uxor, litteris a S. Gregorio Magno Papa conventa*, 406 b
† Constantianus *confessor: ejus reliquiæ Bellovacum translatæ* 133 a b, 136 c
Constantino *seu* Constantio (*Joannes de S.*) *Frater Minor, e primis S. Francisci sociis seu discipulis*, 503 b
† Constantinus *Magnus imperator* 30 c, 111 c, 130 f, 276 usque ad 397 in diversis locis; *urbem Majumam fecit liberam* 138 a; *lycæum Constantinopoli erexit* 371 b; *bellicis ejus in Italiam adversus Maxentium expeditionibus verosimilius adscribenda clades, quo Bononiam semirutam invenit S. Petronius*, 381 a b c; *Constantinopolitanam S. Sophiæ basilicam condidit.* 401 f
Constantinus II, *seu Junior, imperator, Constantini Magni filius*, 293 b, 370 a, 394 c
Constantinus VI, *dictus* Copronymus, 427, 428, 429 f, 444 a d
Constantinus VII *imperator, Leonis IV filius*, 138 c 444 et seqq. aliisque locis
Constantinus *pseudo-papa* 446 a
Constantinus *tyrannus, ad Honorium imperatorem transmissus capiteque truncatus*, 316 d e
Constantinus *Urbevetanus S. Dominici biographus* 737, 738, 739 a
† Constantinus *martyr, Treviris passus*, 292 usque ad 331
Constantius Chlorus *imperator, Constantini Magni pater*, 131 a b, 299 ad 314; *ejus ex Anglia, ubi obiit, Treviros translatio commentitia* 300 b; *ejusdem benignitas in Christianos* 304 a b c d e, 312 a b; *de hostibus victoriæ* 312 c d e f
Constantius II *imperator, Constantini Magni filius*, 131 b, 137 a b, 142 d e, 148 f, 314 f, 316, 317, 363 c, 365 f, 370 c, 394 b c; *Arianis favens Dracontium, aliosque episcopos in exsilium pepulit* 109

pulit 139 f, 140 a b
Constantius *presbyter, S. Germani episcopi Autissiodorensis biographus,* 286 a, 340, 341
Constantius *frater Minor. Vide* Constantino.
Conventus *Attiniacensis, cui S. Magdalveus subscripsit, a conventu Attiniacensi, cui Assuerus abbas Prumiensis interfuit, distinguendus* 434, 455 f
Copres *presbyter monachus in Ægypto* 373 b
Coracio *Millenariorum apud Arsinoitas opinionis suasor præcipuus, a S. Dionysio Alexandrino ad veritatis tramitem adductus,* 103 a
Corbigny (*Guilielmus de*) *ex asceta S. Germani de Pratis Prior S. Eligii Parisiis sacras S. Aureæ virginis abbatissæ reliquias in loculum argenteum anno, non* 1421, *sed* 1422 *transtulit* 420, 421 a b
† Corcodemus *diaconus, ad opus Evangelicum una cum S. Marso presbytero in Gallias missus,* 286 a, 339, 340, 341 f; *quo tempore vitam finierit* 341 a
† Cornelius *Papa martyr* 41 ad 48 aliisque locis; *ad S. Cyprianum, Carthaginensem episcopum, et verosimiliter etiam ad S. Dionysium Alexandrinum de sua ad Pontificatum electione litteras dedit* 42 a; *Romæ anno* 251 *in causa Novatiani celebravit concilium* 42 c, 45 d e f; *scripsit ad Fabium, Antiochenum episcopum,* 45 f; *litteras a S. Dionysio Alexandrino accepit* 46 f; *ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 a
† Cornelius *centurio* 767 c
Corradus *ex canonico Perusino episcopus Assisiensis; Indulgentiam Portiunculanam adversus obtrectatores est tutatus; litteræ, quibus id præstitit; in his revelationem, qua prævia S. Franciscus Indulgentiam Portiunculanam a Papa petiisse, ab antiquioribus asseritur, per visionem cælestem exponit; an eamdem Indulgentiam a Christo immediate concessam indicarit; Bartholinam de secundo S. Francisci pro Indulgentia Portiunculana ad Honorium accessu variisque mirabilibus adjunctis, proxime hunc prægressis, narrationem adoptavit; quam fidem hæc mereatur; linguam episcoporum in Indulgentiæ Portiunculanæ promulgatione divinitus insigni prodigio fuisse directam, indicat; quid hac de re sit cencendum* 745 usque ad 772 in diversis locis
Corradus *Ordinis Minorum in Germania Superiori Minister provincialis interfuit examini insignis miraculi, patrocinio S. Francisci patrati,* 673 b
Corradus *alter frater Minor* 728 f
Corsinus (*Nerius*) *S. R. E. Cardinalis, basilicæ S. Stephani PP. Cælestinorum apud Bononienses abbas commendatarius* 388 e; *consensit in donationem capitis S. Petronii, Benedicto XIV Papæ a PP. Cælestinis factam,* 387, 388, 389 a
† Cosmas *una cum S. Damiano martyr Ægeæ: ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ detectæ* 406 c
Cosmas *patriarcha Alexandrinus* 445 a
Costadoni (*Anselmus*) *monachus presbyter Congregationis Camaldulensis narrat aliqua de S. Francisco Assisiate* 533 d e f, 718 c d
Cotolaus *pauper in suburbio Compostellano carbonarius conventum S. Francisco Assisiati, qui illi hunc in finem thesaurum latentem indicasset, Compostellæ exstruxisse narratur* 699 a b c d; *quid ea de recensendum appareat* 699 e f
Cotolonus (*Alexander*) *pro-secretarius Assisiensis* 746 b
Crasbeeck (*Petrus de*) *typographus Ulyssiponensis* 788 e
Cratepolius *Tractatum edidit de Sanctis Germaniæ* 187 d
Crathlinthus *rex Scotiæ* 147 c
Cremerius (*Petrus*) *novitiatus Societatis Jesu Treviris rector reliquias Trevirensium martyrum, quas Ferdinandi Bavariæ ducis nomine acceperat, ad principem hunc misit* 324 a
† Crescentius *martyr, Treviris passus,* 292 usque ad 331
Crescentius *Minister generalis quartus Ordinis Abinorum* 470 ad 475, aliisque locis: *Opusculum de Vita S. Francisci a tribus hujus sociis fecit conscribi* 469 et tres seqq.; *capitulo generali, anno* 1244 *Januæ celebrato, præsedit* 616 a
Cresconius *Donatista* 151 et tres seqq.
† Crisantus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 d
† Crispinianus *martyr* 129 d e, 135 a, 312 e; *hujus reliquias e monasterio Blandiniensi ad Broniense detulit S. Gerardus* 255 e f
† Crispinus *martyr* 129 d e, 135 a, 312 d; *hujus reliquias e monasterio Blandiniensi ad Broniense detulit S. Gerardus* 255 d f
Crispoliti (*Ugolinus*) *pro indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 746 a
Crispolti (*Maria Clara*) *monialis Perusina* 783 c
† Crispus *archisynagogus a S. Crispo, quem una cum S. Caio Corinthi baptizavit Paulus Apostolus, diversus non est* 289 d e f
† Crispus *S. Pauli discipulus, inter Prætermissos* 23 b
Crispus, *in mari Ægeo Æginensis, uti in Constitutionibus vulgo Apostolicis traditur, episcopus ab Apostolis constitutus, a S. Crispo, quem una cum S. Caio Corinthi baptizavit Paulus Apostolus, forte diversus non est* 289 c
† Cristinæ *Virginis martyris translatio, inter Prætermissos* 285 c
Crusius *epistola a Stephano Gerlachio conventus* 113 d
Cresiphon *epistola a S. Hieronymo conventus* 367 c, 372 b d
Cudtbertus *episcopus* 336 a
† Cunibertus *episcopus Coloniensis confessor* 184 d, 187 c, 191 f; *ejus Translatio* 184 e; *præsentem illius opem sensit S. Anno, itidem Coloniensis episcopus* 185 a b, 187 b
Cuono. *Vide* Cuonon.
Cuonon *Pauliniani prope Treviros monasterii custos seu præpositus, in SS. Martyres Trevirenses pie affectus* 318 f, 321 a f, 331 a, 332 b
Cuppini (*Josephus*) *metropolitanæ ecclesiæ Bononiensis parochus, testis adhibitus in recognitione capitis S. Petronii,* 392 a
Curbeck (*Gisbertus*) *Societatis Jesu sacerdos aliquot Martyrum Trevirensium reliquias domui nostræ professæ Antverpiensi donari curavit* 327 d e
Curbio (*Nicolaus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Nicolaus.
Curliano (*Bonus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Bonus.
† Cyprianus *episcopus Carthaginensis martyr* 40 usque ad 54, aliisque locis; *synodum in causa Novatiani Carthagine celebravit* 45 e f; *quid de iis, qui in persecutione lapsi erant, statuerit, et an cum S. Dionysio Alexandrino hac in re pugnarit* 45 a, 47 d e f, 48 a; *a solis hæreticis baptizatos, si ad Ecclesiam accederent, esse rebaptizandos, contra S. Stephanum Papam contendit* 48 f, 126 b f, 127 a; *hac in causa, in qua S. Dionysium Alexandrinum sibi, ut apparet, consentientem non habuit, tria celebravit consilia, scripsitque ad Firmilianum; Cæsareensem episcopum et alios* 49 et quinque seqq., *minatorias a Stephano litteras accepit* 50 a; *fidei causa exsul gregem suum presbyteris commendavit* 58 e; *ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 d
† Cyprianus *episcopus Telonensis, S. Cæsarii Arelatensis biographus,* 22 d e
† Cyprianus *martyr, datus ad* 26 *Septembris,* 22 b
Cyprianus *abbas, a Saussayo annuntiatus,* 156 e; *a S. Cypriano, Telonensi episcopo, non videtur diversus* 161 b, 167 d e
Cyprianus *martyr, quem velut a Saracenis occisum Saussayus annuntiat,* 156 d; *inter Prætermissos* 3 c d; *an umquam exstiterit, est dubium* 167 a b c
Cyprianus, *ut* abbas *et* Sanctus, *a Ferrario memoratus, inter Prætermissos* 22 d e
† Cyrillus *episcopus Alexandrinus* 120 c d, 374, 375 a b c d; *Pontificis Romani Vicarium egit in concilio Ephesino adversus Nestorium* 120 e; *initio emergentis Nestorianæ hæresis Theodosium II imperatorem sibi habuit adversum* 374 e, 396 d; *a Cælestino I Papa in mandatis accepit, ut Nestorium,*

rium, nisi resipisceret, exauctoraret 374 a, 375 c, 403 b
Cyrillus *Paphensis in Cypro episcopus anno* 325 *concilio Nicæno subscripsit* 141 b
Cythræus (*David*) *edidit Epistolam Stephani Gerlachii ad Crusium* 113 a

D

Dactius *S. Mennæ Parens. Vide* Bactius.
Dado *episcopus Virodunensis* 432 b
Dado *vir pie munificus* 467 c
Dagobertus I *Francorum rex* 181 b, 332 a, 410 f, 417 c; *Sandionysianam in Francia abbatiam condidit* 283 f; *dedit Parisiis S. Eligio ædes, quas hic in monasterium puellare convertit* 410 c, 413 d
Dagobertus II *Francorum rex* 416 e
Dagobertus III *Francorum rex* 461 b, 463 c
† Damasus I *Papa* 792 f
† Damianus *una cum S. Cosma martyr Ægeæ : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 a; *ecclesia ei sacra, a S. Francisco Assisiate instaurata,* 495 a b c, 588 a b, 620, 621 a b c, 634 a; *Sancti hujus de illa vaticinium* 495 e, 621 c d
Dandulus (*Andreas*) *Chronista, qui quædam de S. Francisco Assisiate commemorat,* 530 d e, 547 c, 650 e
† Dasius *ad 4 Octobris Fastis sacris inscriptus* 359 d
† Dasius, *Axiopoli ad diem 5 Augusti annuntiatus, idem forte cum præcedenti* 359 a
† Dasius *martyr, Basiliano et Menæis ad 20 Novembris inscriptus, idem forte cum S. Dasio, qui ad 4 Octobris in Fastis Latinis celebratur* 359 f
Datianus *consul Romanus* 369 f
† David *rex propheta* 328 c d, 396 a d, 584 a, 655 c; *creaturas etiam inanimatas ad laudandum Deum invitavit* 533 c, 650 a
Daza (*R. P. Antonius*) *testis oculatus insignis religionis, qua S. Francisci tunica a Magnis Etruriæ ducibus servatur* 836 a b
Decius *imperator* 26 usque ad 57, aliisque locis
Decius *junior consul* 157 a, 163 d
Deckere (*Jacobus de*) *sacerdos, a Calvinistis Aldenardæ in Scaldi submersus, inter Prætermissos* 387 c d e
Dedicatio seu consecratio sanctarum ecclesiarum sacræ insulæ Lerinensis, *inter Prætermissos* 385 a
† Demetrianus *episcopus Antiochenus* 46 f, 93 c, 109 b; *indixit celebravitque Antiochiæ in causa Novatiani concilium* 48 a b c d
Demetrias *proavia Olybrii consulis Romani* 370 b
Demetrias *virgo, Olybrii consulis Romani filia, litteris a S. Hieronymo conventa* 370 a b c
† Demetrius *episcopus Alexandrinus* 33 a b, 34 c d; *S. Dionysium Alexandrinum baptizavit* 33 a
† Demetrius *presbyter* 40 c, 291 d; *Seviente in Christianos persecutione, in carcere fidei causa detentos visitavit* 29 e f, 58 f; *confessionis titulo inclaruit* 31 c
Demetrius *episcopus Ægyptius* 85 b
Demetrius *aurifaber, qui Ephesi negotium S. Paulo Apostolo facessivit,* 290 e
Democritus *philosophus a Dionysio Alexandrino confutatus* 123 a b
† Dentelini *pueri, S. Waldetrudis filii, translatio, inter Prætermissos* 284 b c
Deodatus *Ordinis Minorum, custos Perusii,* 753 a b c d
Desa *Ordinis Minorum Conventualium, Assisiensis S. Francisci conventus præses,* 808 a
Desideratus *nonus Virodunensium episcopus* 432 a
Desiderius *Longobardorum rex, a Carolo Magno regno exutus simulque cum uxore et filia captus,* 192 a, 454 c d, 456 d e f
Desiderius *episcopus Telonensis* 158 a
Desnoiville (*Joannes Baptista*) *Prior abbatiæ Longipontinæ misit ad Casimirum Oudinum exemplar Vitæ primæ S. Francisci Assisiatis, a Thoma Celanensi scriptæ* 469 a
Diaz (*Petrus*) *Burgensis ecclesiæ canonicus, in Franciscanos, ut fertur, testamento suo pie munificus* 699 f
† Didius *presbyter et martyr, sub Maximino passus,* 28 f
Didymus *litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus,* 26 usque ad 58, aliisque locis; *Epistola Paschalis, quam ab hoc etiam accepit, diversa videtur ab epistola, quam memorat Hieronymus,* 40 a b c; *dedit quoque ad S. Dionysium epistolam* 41 b c
Diethelmus *scholæ S. Mathiæ Treviris magister* 295 e f
Dinadanus Sala. *Vide* Sala.
† Dindymus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 a, 407 f
Diocletianus *imperator* 28 f, 30 c, 80 b, 111 c, 129 usque ad 378 in diversis locis; *sævum ejus in Christianos cujuscumque ordinis decretum* 301 b; *Maximianum Galerium, Persarum victorem, maximo cum honore excepit* 313 f
† Diogenes *martyr, idem cum S. Theogene seu Theagene martyre, in Opere nostro ad diem 3 Octobris dato, inter Prætermissos* 285 a
† Diogenes *martyr alter, cujus Treviris reliquiæ,* 318 c
Diola (*Horatius*); *litteras Baucianas, quibus corporis S. Francisci incorruptio prodigiosusque situs adstruitur, Italice reddidit typisque vulgavit* 785 decemque seqq.
† Dionysius *presbyter Romanus ac dein Papa, litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus,* 44 usque ad 127; *suos ei contra Sabellium libros inscripsit S. Dionysius Alexandrinus* 60 a; *accepit epistolam synodicam a concilii Antiocheni II Patribus, in causa Pauli Samosateni congregatis,* 93 c, 95 e f; *quid egerit, audita Pentapolitanorum adversus Dionysium Alexandrinum accusatione,* 60, 61 a b c d, 101 b; *erroris suspicione hunc liberavit, proque Orthodoxo habuit* 64 a b c; *approbavit* Consubstantialis *vocabulum* 119 a c
† Dionysius *Areopagita* 209 a, 214 ad 217 f, aliisque locis; *inter Prætermissos* 23 d e; *an scholiis fuerit a Dionysio Alexandrino illustratus; diversus est a S. Dionysio, qui Evangelii lucem in Gallias intulit,* 216 c; *nequit usus esse altari portatili, quod Dionysiani monachi S. Gerardo Broniensi dedere,* 217 a
† Dionysius *episcopus Alexandrinus* 291 c d e f; *inter prætermissos* 285 c
† Dionysius *episcopus Corinthiorum* 112 a b, 116 c d e
† Dionysius *episcopus Parisiensis martyr* 23 c d, 129 et seqq., in diversis locis usque ad 312 b; *potest hic Sanctus usus esse altari portatili, quod Dionysiani monachi S. Gerardo Broniensi dedere,* 217 c, *abbatia Dionysiana in ejus honorem exstructa* 282 c
Dionysius I *tyrannus Syracusanus* 826 f
† Dioscorus *presbyter Alexandrinus in carcere fidei causa detentos, sæviente in Christianos persecutione, visitavit* 29 a b, 40 c d, 58 a; *confessionis titulo inclaruit* 31 b
Dioscorus *monachus in Ægypto, deinde episcopus Hermopolitanus,* 366 c
Dioscorus *presbyter, abbas centum fere monachorum in Ægypto,* 373 b
† Dizyæ *seu forte* Disei *martyris Alexandriæ ecclesia* 32 c
Dolfi (*Florianus*) *ecclesiæ metropolitanæ Bononiensis canonicus etc., adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 392 f
† Dometius *Persa, monachus martyr, idem indubie cum S. Domitio seu Dometio Persa martyre, ad 7 Augusti Menæis inscripto, et verosimillime etiam cum S. Domitio seu Dometio martyre, in Opere nostro ad diem 5 Julii dato, inter Prætermissos* 285 b c d e f
† Dominicus *confessor, sacri Ordinis Prædicatorum institutor,* 417 a, 477 f, 506 f, 519 a, 699 ad 793

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

793 in diversis locis; *qui cum illo, hujus approbationem petente, in concilio generali Lateranensi* IV *actum* 518 a; *quando et quomodo amicitiam cum S. Francisco Assisiate contraxerit, et quam firmis hæc asseratur fundamentis* 518, 519 a b, 741, 742 a b c d; *nepotem Stephani de Casamora S. R. E. diaconi Cardinalis, e lapsu mortuum, resuscitavit* 678 a; *quandonam suum in Hispaniam Institutum induxerit* 698 b d; *interfuit generalibus Minorum comitiis, non illis quidem,* Storearum *vulgo dictis, sed probabiliter alteris, anno* 1218 *vel* 1219 *celebratis,* 523 c, 731 et tres seqq., *quædam de eo minime verisimilia et fabulosa* 735 c f, 736; *severiorem paupertatem in Ordinem suum verosimiliter S. Francisci exemplo induxit* 737 a b c, 739 c d e; *contrarium alicunde non probatur* 737 d e f, 738, 739 b c; *dicitur cum S. Francisco apud Hugolinum S. R. E. Cardinalem Ostiensem collocutus* 780 a b; *quid de hoc colloquio, ejus adjunctis, variis amborum Sanctorum variis in locis assertis congressibus patratoque in uno ex his per* S. Dominicum *miraculo sit censendum* 780 et quatuor seqq., *sacrum ejus corpus omni dubio procul asservatum Bononiæ* 792 e

Dominicus Bonaventura *Ordinis Minorum, B. Francisci Fabrianensis ex sorore nepos,* 752 b

Dominicus de Assisio *Ordinis Minorum Conventualium* 802 c

Dominicus *Ordinis Minorum pœnitentiarius Pontificius interfuit examini insignis miraculi, patrocinio S. Francisci patrati,* 673 b

Dominicus *Sanseverinas artifex* 682 c

Dominius *presbyter. Vide* Domlinus.

Domitianus *imperator* 23 e

Domitianus *dux* 85 a

† Domitius *Persa. Vide* † Dometius.

Domitius, *litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus* 26 ad 41 et 57, 58, 59 a, 100 a f, 109 a, 291 e; *accepit etiam ab eodem Dionysio Alexandrino epistolam Paschalem* 26 a; *diversa hæc videtur ab epistola, quam Hieronymus memorat* 40 a b c; *dedit quoque ad Dionysium epistolam* 41 f

Domlinus *presbyter monasterii Thoroltensis, qui ad S. Bavonem paulo ante hujus obitum accessit,* 252 a

† Domnina *martyr, ad* 19 *Octobris Hieronymianis inscripta* 347 c; *a S. Domnina Antiochena videtur diversa* 347 d e

† Domnina *martyr Interamnæ, ad diem* 14 *Aprilis Romano inscripta,* 343 f, 346 a b f, 347 a, 354 a; *a S. Domnina Antiochena videtur diversa* 347 b c d e f

Domnus *episcopus Cæsareæ in Pælestina* 109 b

Donatianus, *episcopus Bagaiensis Donatista,* 153 a b; *collationi Carthaginensi, anno* 411 *habitæ, interfuit* 483 c

Donatistæ *hæretici* 152, 153, 154, 155 b; *horum in S. Maximianum episcopum immanitas* 154, 155 a; *severissimæ hinc in illos leges ab Honorio imperatore latæ* 153 a b c

† Donatus *episcopus Vesontionensis* 416 et tres seqq; *e tribus SS. Cæsarii, Columbani et Benedicti Institutis Regulam unam, monialium usibus accomodatam, fecit* 413 d e f, 414, 415 a b

† Donatus *monachus martyr, inter Prætermissos* 287 c

Donatus *consul* 80 b

Dorcas *mulier in pauperes pie munifica, per S. Petrum Apostolum a mortuis resuscitata,* 464 e, 465 b

† Dorotheus *martyr* 464 e

† Dorymedon *senator martyr, Synnadis in Phrygia passus,* 301 b

Dorz (*Mangricus*) *litteris de reliquiarum donatione, monasterio Einsidlensi facta, subscripsit* 323 d

Douilliet (*Petrus*) *notarius, subscriptus instrumento de miraculo, ad invocationem S. Gerardi patrato,* 268 b

Dracontius *Minoris Hermopoleos in prima Ægypto e monacho episcopus, a S. Hilarione abbate in loco exsilii, in quod ab Arianorum fautore Constantio imperatore pulsus erat, visitatus* 140

Driesch (*Ignatius van den*) *domus nostræ professæ Antverpiensis præpositus reliquiarum Trevirensium, quas hæc possidet, litteras authenticas nobis exhibuit* 327 d

Dudo *episcopus Virdunensis* 205 a

E

Eberhardus *marchio. Vide* Everhardus.

Eberhardus *scholæ S. Mathiæ Treviris magister* 295 d; *Vitam SS. Eucharii, Valerii et Materni conscripsit* 296 c

† Ebregisillus *episcopus. Vide* † Ebregisilus.

† Ebregisilus *episcopus Meldensis* 467

Ebroinus *abbas Broniensis synodo Leodiensi, anno* 1131 *celebratæ, interfuit, ibique flagitavit, prout verosimillimum est, S. Gerardi Broniensis canonizationem* 264 b c d e

Ebroinus *major-domus Franciæ* 467 e, 468 e

† Ebrulfus *abbas : ejus reliquiæ Bellovacum deportatæ* 133 c, 136 a; *fuerunt hæ ibidem anno* 1457 *circumlatæ* 434 b

Ecbertus *marchio. Vide* Erkenbertus.

Ecclesiæ cathedralis Urgellæ in Hispania dedicatio, *inter Prætermissos* 22 e

† Ecgberct *presbyter. Vide* † Egbertus.

Eckius (*Joannes*) *Epistolam S. Francisci, qua contra Missam privatam abusus fuerat Melanchton hæreticus, pro supposititia habuit* 839 d e f; *an merito id fecerit* 840

Edelburga *regina. Vide* Ethelburga.

Edmundus *S. Margaritæ Scotorum reginæ filius, inter Prætermissos* 22 f

Edwinus *rex Northumbriæ, cum titulo* Sancti *ac* Martyris *a Wilsono celebratus, inter Prætermissos* 287 e

Effredus *decanus. Vide* Offredus.

† Egbertus *archiepiscopus Eboracensis undecim apostolicos viros misisse cum S. Willibrordo in Frisiam scribitur a Pseudo-Marcellino* 171 b

† Egbertus *presbyter Hyensis* 190 f; *undecim apostolicos viros cum S. Willibrordo misit in Frisiam* 172, 173, 174 a, 189 a

Egbertus *archiepiscopus Trevirensis* 306 b c, 320 d e 331 f, 334 f

Egelbertus *archiepiscopus Trevirensis* 318 d; *oratorium, vulgo* Martyrum sacellum *dictum, Treviris exstruxit ac dedicavit, sicque egregiam Martyrum Trevirensium cultui promovendo symbolam contulit* 318 a b c d, 321 a

† Egidius *confessor. Vide* † Ægidius.

Egilbertus *archiepiscopus Trevirensis. Vide* Egelbertus.

Eginhardus *abbas, Caroli Magni biographus,* 244 c; *canonicos Regulares monachis in monasterio Blandiniensi substituit* 241 b, 243 d, 245 a; *sacras martyrum reliquias misit ad Hettum, archiepiscopum Trevirensem,* 306 b c

Eglodius. *Vide* Eoglodius.

Egrardus, *cui in somnis apparuisse Lantbertus S. Gisleni discipulus, narratur a Rainero,* 233 d e f

Einhardus *abbas. Vide* Eginhardus.

Ekbertus *archiepiscopus Trevirensis. Vide* Egbertus.

Ekkiardus *comes condidit ditavitque Helmwardeshusanum in diœcesi Paderbornensi monasterium* 322 d

Elema *virgo, inter Prætermissos* 22 e

Eleonora de Aragona, *Ferdinandi Siciliæ regis filia, fertur dedisse testimonium pro visitatione corporis S. Francisci Assisiatis, a Nicolao V Pontifice facta* 784 b

Eleonora *uxor Alphonsi IX Castellæ regis* 698 b

Elephantuzzi (*Joannes*) *vir nobilis* 394 b

† Eleutherius *martyr, inter Prætermissos* 23 b c

† Elias

† Elias *prophetæ* 281 b, 282 f, 284 b, 351 b, 631 c, 638 a, 654 f
Elias II *patriarcha Hierosolymitanus* 446 a b, 447 c d
Elias *episcopus ab hæresi ad Orthodoxam fidem conversus* 428 f
Elias *abbas monasterii S. Bavonis Gandavi* 238 c
Elias *frater Minor, vicarius S. Francisci adhuc viventis, primusque hujus jam vita functi in generale Ordinis ministerium successor* 470 usque ad 833 in diversis locis; *in Ordinem ab ipsomet S. Francisco fuit admissus* 694 b; *laterale hujus vulnus fluentemque ex eo sanguinem aspexit* 554 c e, 555 d, 604 b, 605 a, 660 a, 661 f; *fuit a S. Francisco in magno amore ac pretio habitus* 563 f; *quid occasione compendiosioris Regulæ, a S. Francisco in monte dictatæ, egerit secundum S. Bonaventuram, et quid præterea secundum alios* 543, 544, 639 a e; *sancti Patris sui obitum biennio, antequam evenerit, visione cælesti didicit* 565 c d e, 607 b c, 843 c; *qui hic ei præcipue bene precatus sit morti proximus* 565 f, 607 a b; *quam fuerit pro S. Francisco ex morbo, quo obiit, decumbente sollicitus* 565 a b, 606 c, 845 d e f; *ejus de quinque sacris stigmatibus S. Francisco impressis testimonium, epistolaque, quam de sancti Patris morte ad Fratres Minores scripsit, hoc comprehendens* 553 b, 570, 571 d e f; *Gregorii IX Papæ nomine locum ædificandæ in S. Francisci sepulturam ecclesiæ recepit, hujusque fabricam sedulo promovit* 578 c, 579 a b, 681 a; *an reus fuerit tumultus, ab Assisiensibus in translatione S. Francisci excitati* 583 d e; *an anno* 1219 *in comitiis Ordinis Minorum, quod narrat Waddingus, certo fuerit molitus* 710 e f, 711 a; *multa, absente S. Francisco, Regulæ contraria tentasse, atque ab hoc reduce reprehensus traditur* 717 e f, 718; *quid de pravo illo facto, aliisque, quæ Eliæ a scriptoribus non synchronis attribuuntur, quæque cum variis Thomæ Celanensis auctoris synchroni assertis nequeunt componi, sit censendum, uti etiam de narratione, qua ab angelo de male vetito carnis usu dicitur admonitus, quaque factum sit, ut, quod hac super re decreverat, a S. Francisco fuerit rescissum; quem carnis usum, si revera quem vetuit, Minoribus vetuisse videatur* 719 e f; *corpus S. Francisci loco publice ignoto, qui lapsu temporis e memoria penitus etiam exciderit, forte abscondit* 826, 827 d e; *unam alteramve a sancto illo Patre suo accepit epistolam* 839 a b
Elias *monachus in Thebaide* 373 d
† Elisius *martyr. Vide* † Eliphius.
† Eligius *episcopus Noviomensis ac Tornacensis* 251 a, 410 usque ad 425; *monasteriis, quæ erexit, ac nominatim Parisiensi et Solemniacensi Regulam S. Columbani præscripsit* 413 d e f, 416 b; *quid de ejus pro monasterio Solemniacensi charta, prout nunc exstat, sit censendum* 417, 418; *ejus apparitio cuidam adolescenti oblata, et qui ex hac, sibi multisque monialium suarum mortem imminere, S. Aurea didicerit* 419 a b c d e, S. Eligii *reliquiæ translatæ* 420 d e f; *puellare monasterium exstruxit ac dotavit Parisiis, eique S. Auream præfecit abbatissam* 409 et septem seqq.; *an hoc duplex fuerit, mulierum nempe ac virorum* 418; *condidit etiam Parisiis duas ecclesias, alteram in honorem S. Pauli Apostoli, alteram in honorem S. Martialis episcopi Lemovicensis* 413 b
† Eliphius *martyr* 445 et sex seqq.; *qualia sint ejus Acta et a quo conscripta* 444 a b c d e; *Sancti hujus cum SS. Menna, Susanna, Libaria et Euchario cognationis fraternæ vinculum certum non est* 446 d e; *ædes sacræ in episcopatu Tullensi ei dicatæ* 450 a, 452 b c; 16 *Octobris colitur* 452 b
Elisabetha *mulier. Vide* Elizabetha.
† Elisæus *propheta* 281 b, 638 c, 646 a, 647 b, 655 a
Elius Constantius, *vir consularis, Treviris sepultus*

294 c; *alius est a Constantio Chloro imperatore, Constantini Magni patre,* 300 b
Elizabetha *mulier erga S. Franciscum Assisiatem devota* 690 a
† Elizeus *propheta. Vide* † Elisæus.
Elodinus *decanus. Vide* Flodinus.
† Elophius *martyr. Vide* † Eliphius.
Elysiardus *episcopus Parisiensis ecclesiæ suæ diplomata, privilegiaque a Benedicto VII Papa confirmari obtinuit* 423 c d
Emicho *abbas Metamensis* 194 f, 197 a b
Enciboldus *abbas Medianensis* 334 e
Ende (*Petrus van den*) *sacerdos, a Calvinistis Aldenardæ in Scaldi submersus, inter Prætermissos* 287 c d
Engelo *rusticus, per patrocinium SS. Martyrum Trevirensium gravissimo incommodo liberatus,* 322 c
Eoglodius, *ut* abbas in Jona insula, *a Ferrario annuntiatus, inter Prætermissos* 21 b
Epicurus *philosophus a S. Dionysio Alexandrino confutatus* 123 a b
Epiphani (*Blasius*) *notarius publicus et secretarius civitatis Assisii, multa instrumenta, a Patribus Conventualibus Romanis ad nos transmissa, cum Originalibus concordare, sua subscriptione testatus,* 478 a b, 728 f, 746 a, aliisque seqq.
† Epiphanius *monachus, ac dein Salaminæ in Cypro episcopus* 137 c d, 139 a, 143 b
Ercamberta *uxor Vandemiris viri illustris* 421 d e f
Ercamboldus *abbas Floriacensis disciplinam monasticam in monasterio S. Remigii curavit restitui* 232 a b
Ercoldus *corporis S. Dionysii, ut fertur, inventor* 215 d
Ericus *episcopus Paderbornensis* 323 c
Erkenbertus *marchio Saxoniæ* 323 d e
Erlebaldus *abbas Augiensis* 194 f, 195 a
Ermarus *monachus e Pratensi S. Germani cœnobio* 372 c
Ermenfridus *comes* 220 a, 221 f
Ermensendis *comitissa Namurcensis in S. Norbertum munifica* 189 d e
Erveus *abbas II Ursi-Campi Ordinis Cisterciensis in Gallia, inter Prætermissos* 23 c, 286 a b c
Esau *filius Isaaci ex Rebecca* 351 e f
† Esdras *propheta* 827 b
Ethelburga *regina Northumbriæ, post mortem mariti Edwini regis velata vidua, inter Prætermissos* 287 c
Euagrius *monachus in Ægypto, velut Origenista ab episcopis damnatus,* 369 a b
† Eva *prima generis humani parens* 671 c
Euchadius. *Vide* Eoglodius.
† Eucharius *episcopus Trevirensis* 147 a, 296 a b c, 303 a, 304 b, 305 c d
† Eucharius *martyr* 145 et sex seqq.; *hujus cum SS. Menna, Susanna, Libaria et Eliphio cognationis fraternæ vinculum certum non est* 146 d e; *ædes sacræ in episcopatu Tullensi ei dicatæ* 150 d, 152 b c; 27 *Octobris colitur* 152 b
† Eucherius *episcopus Aurelianensis* 437, 438 c, 463 c; *visio, qua ei Caroli Martelli damnatio fuerit revelata, pro commento ab eruditis habetur* 463 a b
† Eucherius *episcopus Lugdunensis, Passionis martyrum Agaunensium scriptor,* 300 usque ad 330, in diversis locis.
Eudocia *uxor Theodosii II imperatoris, prius* Athenais *dicta, non fuit soror S. Petronii episcopi Bononiensis* 368 a b c
Everardus *comes* 279 c e; *Ottoni Magno imperatori rebellis gladio tandem interiit* 276 a b, 280 c
Everhardus *marchio, pater Berengarii I, Italiæ regis,* 207 a b c d
Everhardus *litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus* 184 b
Eugenius I *archiepiscopus Toletanus* 214 d
† Eugenius II *archiepiscopus Toletanus* 214 e f; *plura concinnavit poemata* 216 a

† Eugenius *martyr* 129 e, 207 usque ad 227 et 265 decemque seqq; *ejus reliquiæ per S. Gerardum Broniensem a Dionysianis monachis obtentæ, Cuvinii tantisper depositæ ac deinde Bronium solemniter delatæ* 201 a, 202 c, 211, 212, 213 a b, 272, 273 a b c d; *dies, quo hæc facta est solemnitas, festo annuo celebrari præceptus* 213 e f, 273 a, 274 d e; *reliquiæ illæ, utut genuinæ, integrum non fuerunt S. Eugenii corpus, nec hic, ut apparet, exstitit Toletanus archiepiscopus* 213 et tres seqq., aliisque locis.
Eugenius III *Papa concilium Remis celebravit* 213 c; *Paulinianam Treviris ecclesiam consecravit* 318 f; *indulgentiam plenariam, ab Urbano II fidelibus ad Terræ Sanctæ recuperationem ex devotione euntibus concessam, confirmavit* 758 d
Eugenius IV *Papa* 690 c, 789 a; *ægre tulit opinionem, qua nonnulli volebant, Bononiæ quiescere S. Petri Apostoli corpus,* 407 a
Eugenius *Fincormaci Scotiæ regis filius* 147 b
Eugenius (*J. B.*) *subscriptus Bullæ, a Benedicto XIV Papa in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem concessæ,* 688 e
Eugenius *tyrannus* 300 b, 315 f; *a Theodosio I imperatore fuit debellatus* 382 c
Eugubio (*Bartholus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Bartholus.
† Eulogius *patriarcha Alexandrinus* 114 f, 115 a b
Eulogius *presbyter, monachus in Ægypto, qui occulta hominum peccata narratur cognovisse,* 373 a
Evodius *concilii Carthaginensis ad Honorium imperatorem legatus* 154 e
† Euphemia *virgo martyr Chalcedone sub Diocletiano* 561 d
† Euphemia, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 b
Euphranor, *litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus,* 60 usque ad 79, aliisque locis; *idem forte est cum eo, quem Eusebius* Euporum *vocat,* 60 e; *ei S. Dionysius Alexandrinus librum de Tentationibus a se compositum inscripsit* 115 d, 122 d e f, 123 c
Eusebia *matrona Romana, quæ invenit corpus S. Quintini,* 131 a
† Eusebius *Papa, inter Prætermissos* 22 c d
† Eusebius *diaconus, postea Laodiceæ in Syria episcopus,* 27 b, 28 a c d, 39 a f, 54 b c d, aliisque locis; *captivos Christianos, sæviente sub Decio persecutione, visitavit* 28 d, 29 d e f, 58 f; *Romano Parvo inscribitur* 29 c; *fidem, sæviente in Christianos Valeriano, coram Æmiliano Alexandriæ præfecto fuit confessus atque in exsilium pulsus* 29 b; *inter Prætermissos* 285 c
† Eusebius *episcopus Bononiensis* 377 a; *corpora SS. Hermetis, Aggæi et Caii martyrum inventa transtulit* 401 c
† Eusebius *episcopus Vercellensis* 369 b, 379 a
Eusebius *in Vita S. Magdalvei, velut patriarcha Hierosolymitanus, ab Hugone Flaviniacensis propositus,* 431 d 445, b c, 448 f, 464, 465 b; *patriarchalem Hierosolymis thronum, cum eo peregrinatus est S. Magdalveus, non occupavit, nec propterea tamen, eum vel inter Joannem et Theodorum, vel hunc inter et Eliam non sedisse, certo est consequens, evinciturve a Pagio* 445, 446, 447
Eusebius *monachus in Ægypto, velut Origenista ab episcopis damnatus,* 367 e, 372 b c
† Eustasius *abbas Luxoviensis* 411 f, 414 et quinque seqq.;
† Eustochium *nobilissima virgo Romana, discipula S. Hieronymi,* 360 e
Eustorgius *S. R. E. Cardinalis. Vide* Astorgius.
Euthodius *Fincormaci Scotiæ regis filius* 147 a
Euthymius *monachus in Ægypto, velut Origenista ab episcopis damnatus,* 359 d, 372 b c
† Eutropia *virgo martyr : ejus Remis reliquiæ* 236 c
Eutropius *abbas* 413 f
Eutychius, *qui interfuit secundo Antiocheno concilio, adversus Paulum Samosatenum celebrato,* 96 b
†† Ewaldi *duo martyres* 24 a e, 217 c; *inter Prætermissos* 285 e
† Exuperius *senator, martyr Thebæus,* 300 f 313 d
† Ezechiël *propheta* 329 b
Ezelinus *præpositus, litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus,* 184 a

F

Faber (*Gabriel*) *Ordinis Minorum Conventualium opinioni, qua cor S. Francisci in Portiuncula servari asseritur, refragatus* 830 c d e
† Fabianus *Papa martyr* 41 a, 44 a b, 84 c; *ei simulque S. Sebastiano templum a S. Petronio, ut fertur, Bononiæ exstructum, reliquiisque ditatum* 378 e f, 379 a f, 405 b; *sacra etiam horum lipsana in Bononiensi S. Stephani templo anno* 1141 *narrantur detecta* 406 d
Fabianus *Frater Minor, quem una cum aliquot aliis Speculi vitæ S. Francisci auctorem facit Bosquierus,* 473 d, 474 f
Fabius *episcopus Antiochenus, litteris a S. Dionysio, Alexandrino episcopo, conventus,* 35 ad 48 et 100 f, 109 d; *Novatiani schismati, et perversæ opinioni nonnihil fuit addictus* 46, 47 a b; *synodum Antiochiæ indicendam curavit* 48 b c
Fabius Valens. *Vide* Valens.
Fabri (*Alexander*) *testis translationis capitis S. Petronii* 393 b
Fætadius *Toletanus episcopus* 138, 139 a
Falleronus (*Peregrinus*) *scholaris, a S. Francisco Bononiæ in Ordinem Minorum admissus, in eoque laicus seu in conversorum statu mortuus* 713 a b c d
† Fara, *alias* Burgundofara, *virgo abbatissa* 167 c, 168 c
Farabertus *episcopus Leodiensis* 225 b; *hujus tutelæ commisit Broniense monasterium S. Gerardus* 254 a b c, 282 b; *quando id factum* 254 d e f, 255 a b c d; *in monasterium Broniense fuit pie munificus* 282 c; *quo tempore ecclesiam suam sit moderatus* 284 c
† Faro *episcopus Meldensis* 167 d
† Farulphus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 c
† Faustinianus *episcopus Bononiensis* 402 b; *ecclesiam S. Petro Bononiæ sacram narratur instaurasse, aliamque ibidem eidem Sancto condere cœpisse* 576 a
† Faustinus *presbyter* 58 e; *Confessionis titulo sub Decio inclaruit* 51 b
Faustinus de Collestate, *ecclesiæ Assisiensis S. Francisci sacrista, corpus Sancti hujus vidisse incorruptum narratur in relatione Bistochiana; quid de hac sit censendum* 802 e f, 803
Faustinus *epistola consolatoria a S. Ambrosio episcopo Mediolanensi conventus* 380, 381 a
† Faustus *martyr, cujus pars capitis et ossium Leonissæ in Umbria, inter Prætermissos* 22 d
† Faustus *martyr, qui sub Decio una cum S. Dionysio Alexandrino Confessionis titulo inclaruit, senioque confectus sæculi* IV *initio pro fide gladio occubuit,* 291 a b c e; *inter Prætermissos* 285 f
† Faustus *presbyter et martyr, Romano Martyrologio ad 26 Novembris insertus* 29 c; *a Fausto præcedenti verisimilius est diversus* 28 b c d
Faustus *episcopus Manichæus in Africa, a S. Augustino impugnatus,* 354 d
† Felicianus *una cum S. Primo martyr Romæ : ejus Bononiæ reliquiæ anno* 1141 *narrantur detectæ* 406 c
† Felicis *martyris, unius, ut apparet, e septem S. Felicitatis filiis, corporis adventus in Westphaliam, inter Prætermissos* 21 e
† Felicitas, *cujus reliquiæ Bononiæ anno* 1141 *narrantur detectæ,* 406 b
† Felicitas *martyr Romæ una cum septem filiis* 21 f
† Felicitas *virgo e sociabus S. Ursulæ : ejus reliquiæ in urbe Metensi* 149 d
† Felicula *virgo* 340 e
† Felix III, *dictus* IV, *Papa* 165 a d

† Felix *episcopus Bononiensis* 368 multisque seqq.; *ejus corpus Bononiæ; ecclesiam S. Petro Bononiæ sacram pristino splendori sub titulo SS. Naboris et Felicis martyrum narratur restituisse* 376 f
† Felix *episcopus Trevirensis; SS. Martyrum Trevirensium nomina vel parieti inscribi, vel in tabula parieti appensa exarari, forsan fecit; S. Paulini corpus, e Phrygia translatum, in ecclesia huic sacra Treviris honorifice e catenis ferreis suspendisse, dicitur a Sigeberto, et in Tabula plumbea, sub annum 1071 ibidem inventa; dicitur etiam in hac ipsemet Paulinianum Treviris monasterium et templum exstruxisse, nec est tamen, cur ea propterea falsi certo damnetur; in templo illo, ut volunt, SS. Palmatii omniumque ejus sociorum optimatum Trevirensium martyrum reliquias condidit; Thebæorum tamen militum Treviris passorum, non omnium, sed Thyrsi tantum ejusque sociorum corpora in eamdem illam ædem S. Paulino sacram intulit; quandonam id fecerit; ejus epitaphium non admodum antiquum* 294 usque ad 333 e
Felix *episcopus Bagaiensis* 132 b
Felix (*Antonius de*) *S. Cypriani, Telonensis episcopi, cultum Massiliæ instaurari curavit* 136 e, 139 f
Felix Francischinus de Cassia *Ordinis Minorum Conventualium Minister generalis. Vide* Francischinus.
† Ferdinandus III *Castellæ et Legionis rex* 317 b, 698, 699 a b c; *primus facultatem, ut verosimilius apparet, Fratribus Minoribus fecit conventus in ditione sua ubique ædificandi* 699 a
Ferdinandus *dux Bavariæ, archiepiscopatus Coloniensis et ecclesiæ Leodiensis coadjutor; aliquot martyrum Trevirensium reliquias dono accepit, earumque partem Græciensi Societatis Jesu in Styria collegio donavit* 523, 524
† Finanus *episcopus Lindisfarnensis* 172 f
Fincormacus *rex Scotiæ* 147 d e
† Firmatus *diaconus* 347 a
Firmilianus *Cæsareæ Cappadocum episcopus* 490 aliisque seqq.; *S. Dionysium Alexandrinum ad concilium contra Novatianum invitavit* 46, 48 a; *S. Cypriano de hæreticorum baptismate consensit, litterasque ab eo accepit* 49, 50 a b; *a S. Stephano Papa fuit reprehensus* 50 b c; *interfuit priori Antiocheno concilio, adversus Paulum Samosatenum celebrato,* 94 e f; *ab hoc hæretico fuit deceptus* 93 a b c
Firminus *S. Cæsarii, Arelatensis episcopi, una cum S. Cypriano Telonensi discipulus, ac deinde episcopus, unusque e scriptoribus Vitæ ejusdem S. Cæsarii* 161 et quatuor seqq.
Flandbertus. *Vide* Flandebertus.
Flandebertus *Flandrorum seu potius Morinorum, ut quidam volunt, regulus* 287 e
† Flavia *virgo Deo sacra, S. Firmati diaconi soror,* 340 a
Flavia *mater S. Donati, episcopi Vesontionensis,* 416 d
† Flaviana *virgo. Vide* † Flavia.
† Flavianus *miles, a S. Cypriano Telonensi, ut volunt, ad fidem orthodoxam conversus, ac dein martyr* 137 d e, 162 a, 167 c; *sub Alboino, Longobardorum rege, occisus non fuit* 167 a b
Flavianus *episcopus Antiochenus. Vide* Fabius.
Flavianus *episcopus Philippensis, litteris a S. Cælestino I Papa conventus,* 374 f; *concilio Ephesino adversus Nestorium interfuit* 121 a
Flavius *episcopus Antiochenus. Vide* Fabius.
Flavius *epistola Paschali a S. Dionysio Alexandrino honoratus* 58 c d, 101 b; *diversus hic est a Flavio, episcopo Antiocheno,* 58 e
Flisco (*Sinibaldus de*) *S. R. E. Cardinalis, ac dein Papa,* Innocentius IV *dictus, testibus oculatis celebris prodigii corporis S. Francisci annumeratus,* 781 b c. *Vide etiam* Innocentius IV Papa.
Flodinus *decanus* 274 d
Floharius *presbyter* 213, 216 b; *Vitam S. Eugenii Parisiensis martyris litteris mandavit* 213 a b
Florentia (*Joannes de*) *Frater Minor, provinciæ Galliæ Minister, celebravit capitulum provinciale Arelatense, in quo S. Franciscus, longe absens, apparuit,* 310 a, 393 f
† Florentina *virgo, SS. Isidori et Leandri episcoporum Hispalensium soror,* 407 a
Florentinus, *velut martyr in Menologio Autissiodorensi Ms. a Burgedeo signatus, inter Prætermissos* 284 d; *S. Mamertino apparuisse, et cum S. Corcodemo loqui auditus narratur* 283 b
† Florentius *martyr, Bonnæ, ut perhibetur, passus,* 292 a, 313 e
† Florianus *martyr, ad 4 Maji Romano inscriptus, a S. Floriano Bononiæ culto est diversus* 378 b c
† Florianus *martyr, ad 17 Decembris Romano inscriptus, a S. Floriano Bononiæ culto est diversus* 378 d
† Florianus *martyr, cujus corpus Æsii servari dicitur, a Floriano Bononiæ culto est diversus* 378 c
† Florianus *martyr, Bononiæ cultus,* 310 b, 377 a, *hujus, simulque, ut apparet, quadraginta sociorum martyrum corpora Constantinopoli Bononiam detulit S. Petronius* 369 a, 378, 379 a b; *hæc anno 1141 in Bononiensi S. Stephani templo narrantur detecta* 406 c d e f
Florianus *imperator, Christianorum persecutoribus non accensitus,* 303 d
Flos (*Gildardus du*) *notarius Apostolicus duo apographa epistolæ, de morte S. Francisci ab Elia Ordinis Minorum Generali ministro scriptæ, inter se contulit* 370 a
† Foillanus *monasterii Fossensis abbas et conditor* 212 e f
Folbertus *episcopus Cameracensis. Vide* Fulbertus.
Folbertus *vir cæcus, vitæ austeritate Treviris insignis,* 331 b, 332 f; *Visio ei Martyrum Trevirensium fertur oblata* 331 c d
Folcwinus *pater Folcwini, Sithiensis monachi,* 249 f
Folesani Rivieri (*Tarsitius Maria*) *notarius, instrumentis de recognitione et translatione capitis S. Petronii subscriptus,* 592 f, 593
Fora (*Joannes de.*) *Vide* Joannes.
Formagliari (*Alexander*) *ecclesiæ metropolitanæ Bononiensis archidiaconus, adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 592 b
Formica (*D. Josephus*) *instrumento de donatione capitis S. Petronii, Benedicto XIV Papæ facta, subscriptus* 586 e
Fossa Nova (*Stephanus de*) *S. R. E. diaconus Cardinalis. Vide* Casamora.
Fouet (*Robertus*) *typographus Parisiensis* 788 d
Fracheto (*Gerardus de*) *Ordinis Prædicatorum scriptor, qui priores S. Dominici Vitas supplevit,* 318 a, 733 d
Fracta (*Henricus a*) *episcopus Bononiensis* 379 c, 713 a
Franci *cæsi ab Hungaris* 193 e
Francischina *proneptis, ut notatum invenitur, germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 b
Francischinus de Cassia (*Felix*) *Ordinis Minorum Conventualium Minister Generalis relationem visitationis corporis S. Francisci, quæ per Pisciullium, decessorem suum, hujusque socium Tinaccium facta sit, a posteriori hoc conscribi jussisse asseritur* 803 f, 804 a b
Francisci Titelmanni *Capuccini depositio, inter Prætermissos* 286 b c
† Franciscus *Assisias confessor* 339 f, 407 d, 410 b, 417 a; *inter prætermissos* 23 b c
† Franciscus de Borgia, *tertius Societatis Jesu præpositus generalis, inter Prætermissos* 23 c
† Franciscus *Fabrianensis Ordinis Minorum* 703 c e, 743 a b c d, 762 et multis seqq; *quandonam et a quo in hunc fuerit admissus* 732 c; *qui S. Franciscus Assisias, divinitus monitus, Indulgentiam Portiunculanam ab Honorio III Papa petierit obtinueritque, litteris mandavit, uti etiam quinam, quæ de hac re scripsit, sint testati* 732 a b c d e;

c d e; *hos inter computat etiam Leonem et B. Benedictum Aretinum* 732 d e f; *an Indulgentiam illam a Christo immediate concessam indicarit* 766 e f, 767 a b c
† Franciscus Xaverius *Bononiæ apud Hieronymum Casalinum fuit hospitatus* 379 e
Franciscus a Belvisio *Ordinis S. Francisci, in Mrl. Franciscano Arturi* Beatus *appellatus, inter Prætermissos* 286 a
Franciscus I *augustissimus gloriosæ memoriæ imperator* 340 e
Franciscus I *Galliarum rex* 426 d
Franciscus de Baucio *dux Andriæ. Vide* Baucius.
Franciscutius *guardianus S. Damiani, pronepos, ut notatum invenitur, germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 d
Franco *episcopus Tungrensis seu Leodiensis* 205 a
Franco *monachus pingendi peritus* 188 e f
Franco *præfectus, litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus,* 184 a
Francula *virgo, sancta forte fictitia,* 145 d, 146 f
Frangipani (*Sancius*) *vir nobilis, cum Jacoba de Septemsoliis illustri matrona Romana matrimonio forsan junctus,* 567 b
Fredericus I *imperator, cognomento* Ænobarbus, *Henricum, Henrici Superbi Bavariæ ducis filium, in ducatum paternum restituit, Austriasque marchionatum in ducatum evexit* 194 e
Fredericus II *imperator* 526 e, 574 b, 611 f, 718 f, 719 a b, 731 d, 845 a
Fredericus III *episcopus Coloniensis S. Norberto reliquias SS. Ewaldorum aliorumque Sanctorum est largitus* 189 a b c
Fredericus *episcopus Monasteriensis cum S. Annone Coloniensi archiepiscopo a tumultuantibus Coloniensibus fuit periclitatus* 185, 186, 187 a; *capita SS. Ewaldorum ab hoc impetravit* 187 a b
Fredericus *episcopus Olomucensis. Vide* Fridericus.
Freduidis *nobilis matrona monasterium Tignense condidit* 232 a b c
Fremautius (*Benignus*) *Ordinis Minorum Recollectorum Belgice scripsit de S. Francisco Assisiate* 476 e; *visitavit sacellum Portiunculanum, ecclesiæque huic superædificatæ magnitudinem testatur* 689 a
Fremodo *abbas Virodunensis S. Vitoni monasterii* 435 d
Frideburga *sanctimonialis, ut vetustos monasterii sui codices inspiceret, tertio divinitus monita narratur fuisse* 297 e f; *visio hæc apparet incerta* 294 c
Fridericus *dux Lotharingiæ, S. Brunonis archiepiscopi Coloniensis nepos,* 538 c d e
Fridericus *episcopus Olomucensis, quod stigmatum, S. Francisco divinitus impressorum, veritatem Scripto publico impugnasset, a Gregorio IX acerrime litteris fuit increpitus* 559, 560 a b
Fridericus *Paulinianæ Treviris ecclesiæ præpositus caput S. Paulini publice spectandum exhibuit, anniversariamque celebritatem instituit* 518 c d
Fridogisus *abbas sæcularis monachos cœnobit S. Audomari in canonicos seculares convertis* 232 a
† Froilanus *episcopus Legionensis, inter Prætermissos* 25 c
Frollandus *episcopus. Vide Rollandus.*
† Frontinus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 d
† Fronto *abbas* 563 c; *septuaginta fratribus in monte Nitriæ sæculo* IV, *non* II *præfuit* 563 a b c
† Frontonius *abbas. Vide* † Fronto.
Fulbertus *episcopus Cameracensis* 229 a, 231 d, 233 c, 238 a, 280 e; *Womarum, ut apparet, ordinavit abbatem Blandiniensem* 238, 239 a b
Fulcarius *episcopus Noviomensis* 238 d
Fulco *episcopus Tolosanus* 517 f; *in Prulianum sacrarum virginum monasterium, S. Dominicum hujusque Ordinem fuit pie munificus,* 738, 739 b
Fulradus *episcopus Parisiensis; S. Gerardum Broniensem ordinavit diaconum* 210 a, 271 c
† Fuscianus *martyr* 129 d, 133 c, 293 usque ad 329; *sacra ejus ossa translata* 294 a

G

† Gabriel *archangelus* 404 e, 688 d
Gabriel a Rotomago *Ordinis Minorum Observantium, in conventu S. Mariæ de Portiuncula apud Assisium S. Theologiæ mysticæ lector etc., opinionem, quæ incorruptionem prodigiosumque situm corporis S. Francisci negat, Dissertatione, cujus apographum Ms. ad Majores nostros transmisit, tutatus,* 776 ad 790, multisque seqq.
Gabriel de Licio *Ordinis Minorum Conventualium provinciæ Januensis Minister Francisco Sfortiæ Mediolanensium duci, cum hic visum a se S. Francisci corpus narraret, dicitur adfuisse* 796 b
Gabriel de Treio *S. R. E. Cardinalis. Vide* Treio.
Gabriel *Ordinis Minorum Conventualium Terræ Sanctæ Minister Francisco Sfortiæ Mediolanensium duci, cum hic visum a se S. Francisci corpus narraret, dicitur adfuisse* 796 c
† Gaianus *martyr, idem verosimiliter cum S. Gaiano martyre, in opere nostro ad 4 Maji dato, inter Prætermissos* 284 e
† Gaius *diaconus. Vide* † Caius.
† Gaius *martyr, idem verosimiliter cum S. Gaio martyre, in Opere nostro ad 4 Maji dato, inter Prætermissos* 284 d
Galeottus (*Antonius Franciscus*) *filius seq.* 802 c d
Galeottus de Bistochio; *corpus S. Francisci sese visitasse, invenisseque incorruptum, narrat in relatione Ms. e Bibliotheca Barberina deprompta; quid de hac aliaque a Waddingo edita sit censendum* 802, 805, 825 quatuorque seqq.
Galleotus (*Jacobus*) *pater præcedentis* 802 f
Galeottus (*Julius Cæsar*) *pronepos Galeotti de Bistochio* 802 e
Galesinius (*Petrus*) *protonotarius Apostolicus Vitam S. Petronii episcopi Bononiensis, quæ Sigonii nomine est edita, conscripsit* 569 d e f
Galfanneus (*Petrus*) *patritius Assisiensis. Vide* Zalfanus.
† Galla *abbatissa, inter Prætermissos* 286 c
Galla Placidia *templum, S. Stephano sacrum, Arimini condidit* 579 b
Galleazzi (*Josephus*) *typographus Mediolanensis* 737 a
Gallienus *imperator* 26 et seqq. usque ad 110 in diversis locis; *pacem Ecclesiæ, capto patre Valeriano, concessit* 83 b c d, 303 f; *hoc tamen beneficio S. Dionysius Alexandrinus ecclesiæque Ægypti non statim tunc frui potuerunt, et cur* 84, 85, 86 d
Gallus *imperator* 30 c, 40 a f, 89 a b c, 92 c; *persecutionem in Christianos concitavit* 49 a b
Galo *episcopus Parisiensis; moniales ob pravos mores e Parisiensi S. Eligii monasterio expulit, hocque monachis Fossatensibus tradidit* 418 d e f, 422 et quatuor seqq.
Galterus *puer, febribus ad invocationem S. Francisci Assisiatis liberatus,* 615 e
Galucci (*Domitilla*) *monialis Capuccina* 808 d
Gamansius (*Joannes*) *Societatis Jesu sacerdos de Museo nostro optime meritus* 181 a b c d, 188 b d 411 b c
† Gamelbertus *parochus in Bavaria, B. Uthonis abbatis Metamensis magister* 191 usque ad 196; *beatum hunc Virum in Michelsbuchensis parochiæ curam sibi substituit* 192 c d e f, 195 a b
† Gamulbertus *parochus. Vide* † Gamelbertus.
† Gandulphus, *aliis* confessor, *aliis* martyr *dictus, inter Prætermissos* 21 e
Ganganelli (*Laurentius*) *S. R. E. Cardinalis* 823 a
† Gangulphus. *Vide* † Gandulphus.
Garampi (*Josephus*) *comes, Romæ S. Petri in Vaticano canonicus,* 784 b
Garibi (*Jacobus*) *Franciscanus, idem forte cum Jacobo Guarini, Vitam S. Francisci versu Italico compoeuit* 476 d
Garofali (*Alexander*) *collegiatæ S. Petronii ecclesiæ decanus et adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 591 b

Garsias a S. Jacobo *Minorita* 700 c
† Gatianus *episcopus Turonensis : ejus reliquiæ a S. Martino, Turonensi itidem episcopo, translatæ* 151 f
Gaufredutius *vir pius, Castri-Plebis incola, multis ægris aquam, S. Francisci Assisiatis cingulo vel corrigia benedictam, felici eventu dedit potandam* 554, 597 d e, 658, 659 b
Gauthstrudis *monialis Jussanensis* 414 c
Gauzlinus *abbas* 422 f
Gebehardus *abbas Metamensis* 195 c
Gebelhardus *comes in prælio contra Hungaros occisus* 195 b
Gedeon *beneficiarius luxuriosus, qui, facta emendationis spe, per S. Franciscum Assisiatem gravi infirmitate fuit liberatus, cumque rediisset ad vomitum, graviora est passus* 655 a b
† Gelasius I *Papa* 368 e f; *Eusebii historici auctoritatem rejecit* 780 b
Geleen (*comes de*) *ad Bollandum nostrum misit litteras, Colonia Agrippina acceptas, quas S. Anno, Coloniensis archiepiscopus, de SS. Ewaldorum translatione a se facta emiserit,* 184 c
Genenus *inter Prætermissos* 22 a
† Genesius, *cujus reliquiæ anno* 1141 *narrantur Bononiæ detectæ,* 406 c
† Gengulphus. *Vide* † Gandulphus.
† Gentianus *martyr* 295 et tres seqq.
Gentilis (*Albericus*) *vir nobilis* 703 f
Gentilis *comes Siculus* 486 a
† Georgius *martyr* 185 e, 491 c
Georgius *Nicolai V Papæ biographus* 784 c
† Geraldus *comes Auriliacensis in Arvenia, inter Prætermissos* 4 f; *Vitam ejus descripsit S. Odo, abbas Cluniacensis,* 203 a
Geraldus Odonis *Minister generalis Ordinis Minorum* 749 b c, 754 d e f; *Officium de sacris stigmatibus S. Francisci ex decreto capituli generalis, anno* 1337 *celebrati, composuit* 680 a b d; *scripsit anno* 1330 *epistolam, qua suos ad indulgentiam Portiunculanam lucrandam hortatus est, nonnullaque in hujus festo observanda præscripsit* 755 a b c d e
Gerard (*Armandus*) *canonicus Sarlatensis notitias Mss. Sanctorum diœcesis Cadurcensis, a se concinnatas, ad Henschenium nostrum misit* 285 f
† Gerardus *abbas Broniensis e monasterio Dionysiano altare portatile, quo usus olim erat S. Dionysius, secum Bronium advexit* 190 a b
† Gerardus *confessor, in castro Gallinario diœcesis Soranæ in Italia cultus,* 204 b; *hujus forte Vitam descripsit Gregorius Tarracinensis episcopus* 204 c
Gerardus *episcopus Bononiensis* 407 f
Gerardus *comes, litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus,* 184 a b
Gerardus *miles seu vir nobilis visum, quem in delictorum pœnam amiserat, confessione sacramentali, ad quam moneri jussus fuerat a S. Francisco, instituta, recuperavit* 672 a b
Gerardus *Frater Minor, qui S. Francisco ægrotanti pisces fertur misisse,* 564 d
Gerberga *Henrici Aucupis, Germaniæ regis, filia, Gisleberto Lotharingiæ duci nupta,* 279 d f
Gerbertus *abbas Mettensis seu Metamensis* 195 a b
† Geremarus *abbas Flaviacensis : ejus reliquiæ Bellovacum translatæ* 153 b, 156 a
† Gereon *martyr, Coloniæ Agrippinæ, ut perhibetur, passus* 292, 294 c, 300 f, 315 d; *pars ex hujus reliquiis S. Norberto data* 189 d; *caput Francisco Bartholi Minoritæ concessum* 748 a
Gerlachius (*Stephanus*) *dedit epistolam ad Crusium* 115 c
Gerlandinus *juvenis mortuus, ad invocationem S. Francisci Assisiatis resuscitatus,* 667 a b
† Germanus *episcopus Autissiodorensis* 285 d, 340; 341 a b
† Germanus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 e
Germanus *episcopus, S. Dionysio Alexandrino in Octobris Tomus II.*
jurius; epistola ab hoc fuit confutatus 27 usque ad 38 et 85, 101 b, 115 a, 291 d
† Germerus, *cujus reliquiæ narrantur anno* 1141 *Bononiæ detectæ,* 406 b
† Gertrudis *S. Mennæ. Vide* † Gontrudis.
Gertrudis *Lotharii II imperatoris filia, Henrico Superbo Bavariæ duci ac dein Henrico I Austriæ duci nupta,* 195 c
Gertrudis *marchionissa Saxoniæ corpora S. Auctoris et duorum martyrum Thebæorum Treviris Brunswicum in S. Ægidii monasterium a se fundatum transtulit* 523 c d
Gertrudis *nobilis puella, filia domini de Fumal, mox post promissam ejus nomine a parentibus ad S. Gerardi reliquias peregrinationem aurigine liberata hocque ipsamet testata* 268 f
Gervasius *episcopus Remensis* 137 c; *Guidonem episcopum Bellovacensem consecravit* 131 a, 133, 137 a; *litteris in hujus causa ab Alexandro II Papa fuit conventus* 133 a b
Geselinus (*Petrus*) *S. Bonaventuræ biographus* 760 f
Giardini (*Franciscus*) *gubernator Assisiensis Bistochianæ de corporis S. Francisci visitatione relationis apographum cuidam donasse asseritur* 802 b; *quid hac de re sit censendum* 803 b
Giezi *minister Elisei prophetæ lepra percussus* 281 c
† Gilbertus *abbas Novem-Fontium, inter Prætermissos* 21 c d
Gilbertus *Provinciæ comes. Vide* Guibertus.
Giottus *Florentinus. Vide* Giotus.
Giotus *Florentinus pictor* 681, 682 a b
Gisila. *Vide* Gisla.
Gisilbertus *dux. Vide* Gislebertus.
Gisla *abbatissa commendataria, ut vocant* 206 d
Gisla *Berengarii Lomacensis comitis, ut fertur, mater,* 206 d e f
Gisla *filia Berengarii I Italiæ regis* 207 b
Gislebertus *dux Lotharingiæ; S. Gerardum abbatem ad Cellense in Hannonia monasterium reformandum arcessivit; a S. Gisleno, quo id faceret, fuerat in visione admonitus; in idem monasterium fuit pie munificus; ab Ottone Magno imperatore, cui erat rebellis, fuit devictus, Rhenique undis absorptus miserrime vitam finiit; perfidum ejus ingenium, variaque fortuna* . 206 usque ad 280
† Gislenus *confessor; Cellense in Hannonia monasterium condidit; ut hujus curam S. Gerardo abbati imponeret, Gislebertum, Lotharingiæ ducem, in visione ei apparens, admonuit; ejus reliquiarum, quas Malbodienses abstulerant, recuperatio S. Gerardo abbati ab hujus biographo; cuidam autem Adelhelmo et Stephano, Cameracensi episcopo, a Rainero adscripta* 229 usque ad 278 in diversis locis.
Giunta *Pisanus pictor* 682 a b c
Giunta (*Lucas Antonius de*) *typographus Venetus* 678 d
Glabrio *consul* 81 c
Gnormundus *rex Normannorum; multas clades Francorum regno intulit* 253 a b
† Goar *presbyter confessor* 454 a b
Gobelinus (*Joannes*) *Pii II Papæ secretarius; citatur ut adversans opinioni, quæ prodigiosum corporis S. Francisci statum affirmat; an merito id fiat; duas dumtaxat Assisiensis S. Francisci basilicæ ecclesias memorat; qualemcumque tamen tertiam expresse non negavit* 823 b c
† Godefridus *monachus Villariensis, inter Prætermissos* 22 a
Godefridus *dux Lotharingiæ* 433 a
Godefridus *comes Namurcencis adfuit elevationi corporis S. Gerardi; monasterio Broniensi sese tunc exhibuit beneficum, chartamque, in hujus favorem ab Alexandro, episcopo Leodiensi, emissam sigillo suo signavit; Floreffiensem Ordinis Præmonstratensis abbatiam fundavit* 262 e f, 263, 264
† Godegrandus *episcopus. Vide* † Chrodegandus.
† Godehardus *episcopus Hildesheimensis* 263 b; *ejus canonizatio in synodo Leodiensi anni* 1131 111 *petita,*

petita, eodemque anno in concilio Remensi obtenta 262, 263 a
Godo *episcopus Tullensis* 460 a; *quandonam huic ecclesiæ suæ præfuerit* 462 b
Goduinus *comes reliquias S. Constantiani confessoris ad agrum Bellovacensem transferri curavit* 133 d
Goisbertus *episcopus. Vide* Guilbertus.
Gondi (*Joannes Franciscus de*) *primus Parisiensium archiepiscopus Parisiensem S. Eligii domum, retentis tamen sibi hujus redditibus, donavit Barnabitis, donationemque instrumento publico firmavit* 427 a b c
Gondoaldus *episcopus Meldensis concilio Remensi anni 625 subscripsit* 168 a
Gonsalvus Hernandez seu Fernandez *Cordubensis, cognomento* Magnus Capitaneus, *regni Neapolitani expugnator; litteras Baucianas, quibus corporis S. Francisci incorruptio prodigiosusque situs asseritur, dono accepisse atque in Hispaniam allatas edi permisisse aut etiam curasse narratur; an hoc veritati certo congruat* 785 septemque seqq.
Gonsalvus *Minister generalis Ordinis Minorum* 720 b
Gontherus *abbas Broniensis. Vide* Gunterus.
† Gontrudis *S. Mennæ, si hujus Acta recte notant, soror* 145, 146 a b c, 150 f
Gonzaga (*Franciscus*) *Minister generalis Ordinis Minorum Observantium ac deinde archiepiscopus Mantuanus, e scriptoribus, qui nonnulla de S. Francisco memorant,* 476 a b c, aliisque multis locis; *cordis S. Francisci possessionem, contra ac asseritur, ædi Portiunculanæ attribuit* 853 c e f
† Gordius *martyr, baltheo militari abjecto, voluntarium in exsilium secessit* 300 f
† Gorgonius *martyr : corpus ejus Roma in Gallias translatum* 463 d, 464 c
Gotardus Ponticus. *Vide* Ponticus.
Gozlenus *archicancellarius* 422 e f
Gozlinus *archicancellarius. Vide* Gozlenus.
Gozzadinus (*Angelus*) *archiepiscopus Niciensis et Bononiensis suffraganeus primum lapidem posuit novæ ecclesiæ, sub nomine S. Luciæ apud Bononienses exstructæ,* 579 a
Graffweg (*reverendus admodum ac amplissimus dominus*) *ecclesiæ Effendiensis canonicus et thesaurarius notitiam de S. Marsi apud Essendidienses cultu et reliquiis humanissime subministravit* 341 c e
† Gratianus *episcopus Telonensis* 136 d, 161 c, 162 d
Gratianus *imperator* 369, 370, 380, 381 a
Gratianus Mathei de Lipernioni *prætor. Vide* Lipernioni.
† Gregorius I *Papa, cognomento* Magnus, 106 b c, 329 b, 407 d; *ejus ad quæsita S. Augustini, Anglorum episcopi, responsum* 107, 108; *Vitam S. Benedicti abbatis litteris mandavit* 270 a b, 271 a
Gregorius IV *Papa* 373 b
Gregorius V *Papa* 341 d e
† Gregorius VII *Papa* 132 f, 377, 378 c; *in favorem Guidonis Bellovacensis episcopi ad Francorum regem simulque ad clerum et populum Bellovacensem litteras dedit* 134 a b c d
† Gregorius IX *Papa; Vitam S. Francisci Assisiatis fecit describi; primigeniam tertii Ordinis S. Francisci Regulam, saltem viva voce, approbavit; Eliam a ministerio generali Ordinis Minorum amovit; stigmatum, S. Francisco divinitus impressorum, veritatem datis ad universos fideles Apostolicis litteris luculenter asseruit; aliis litteris Fredericum, Olomucensem episcopum, quod illam Scripto publico impugnasset, acerrime increpuit, aliumque obtrectatorem jussit coerceri; dicitur consecrasse apud Reate ecclesiam S. Mariæ de Foresta, erectam, ut fertur, in memoriam miraculi, a S. Francisco Assisiate ibi patrati; locum ædificandæ in hujus Sancti sepulturam ecclesiæ acceptavit, hancque, cujus etiam primum jecit lapidem fabricamque plurimum promovit, per litteras anno 1228 datas insigni immunitatis privilegio donavit; hoc ipsum deinde confirmavit auxitque; Bulla abs illo eum in finem data; in ejusdem S. Francisci miracula inquiri jussit, hisque rite probatis, illum Assisii numero Sanctorum magna cum solemnitate, etiam celebratione Missæ, non levato tamen de tumba Sancti corpore, anno 1228 die 16 Julii adscripsit, utque quotannis 4 Octobris dies eidem solemnis haberetur, constituit; ejus hac de re litteræ, ad universos ecclesiæ prælatos missæ; alias etiam de eodem argumento litteras dedit; translationi S. Francisci, anno 1230 peractæ, interesse non valens, multa donaria misit Assisium, fidelibusque, ad hanc venturis, ampliorem, quam tunc ferret Ecclesiæ consuetudo, indulgentiam concessit, litteris ad Fratres Minores, in comitiis generalibus congregatos, datis, quibus etiam hos mortui a S. Francisco resuscitati miraculum edocuit; Assisiates, quod solemnitatem illam turbassent, datis ad Perusinum et Spoletanum episcopos litteris acriter reprehendit, graviterque, nisi ei satisfecissent, mulctari jussit; tumultuantibus Romanis, Romam reliquit, veniensque Assisium S. Francisci corpus ibi est veneratus; Regulam Clarissarum adhuc tantum Cardinalis Ostiensis episcopus concinnasse saltemque confirmasse indicatur a Celano et tribus Sociis, certeque in ea partem habuit; stigmata manuum pedumque S. Francisci vidit; visio ei in somnis oblata, qua dubium, quod de laterali S. Francisci vulnere conceperat, deposuit; hymnis et rhythmis ecclesiasticis, a se compositis, S. Franciscum Assisiatem condecoravit; insignem indulgentiam in festivitate sacrorum Stigmatum montem Alvernum visitantibus concessit; testibus oculatis celebris prodigii corporis S. Francisci annumeratur; an epitaphium, quod veluti per eum S. Francisco positum profertur, reipsa posuerit, et geminas corporis hujus sancti patriarchæ, in quibus hoc incorruptum invenerit, visitationes fecerit; in Assisiensem S. Francisci basilicam cur munificus.* 469 usque ad 810 in diversis locis. *Vide etiam* Hugolinus S. R. E. Cardinalis.
Gregorius XI *Papa* 377 b; *annuum Fratrum Minorum Assisium ad lucrandam Indulgentiam Portiunculanam concursum habuit perspectum* 733 d e; *hanc veram agnovit* 736 d e
Gregorius XIII *Papa* 293 c, 311 b, 686 b; *altare pro defunctis privilegiatum in Assisiensi S. Francisci ecclesia constituit* 685 f
Gregorius XIV *Papa* 686 d
Gregorius XV *Papa* 167 a; *decretum, quo Sixtus IV natale S. Francisci Assisiatis festum per universam Ecclesiam cum cessatione ab operibus servilibus celebrari præcepit, confirmavit seu renovavit* 678 a b c; *Indulgentiæ Portiunculanæ privilegium cum RR. PP. Capuccinis communicavit* 774 f
† Gregorius Thaumaturgus *episcopus in Ponto* 109 b; *interfuit priori concilio Antiocheno, contra Paulum Samosatenum celebrato,* 94 c; *unam tantum in divinis constituere personam quibusdam visus est* 127 c
Gregorius *episcopus Tarracinensis; interfuit concilio Vastellensi; Vitam, non S. Gerardi abbatis Broniensis, sed forte S. Gerardi confessoris, in castro Gallinario diœcesis Soranæ in Italia culti, descripsit; Passionem SS. Casti et Cassii, uti etiam sanctæ virginis Restitutæ, litteris mandavit* 203 et 204
Gregorius *Minister provincialis Fratrum Minorum in Francia, ad quem de morte S. Francisci litteras dedit Elias Minister generalis,* 370 a
Gregorius *pseudo-episcopus S. Athanasium e sede Alexandrina pepulit* 363 b
Grimaldus *cancellarius Ludovici I Germaniæ regis* 194 a
Grimbertus *in Virdunense S. Vitoni monasterium beneficus* 443, 464 b c

Grouwels (*Matthias*) *Ordinis Minorum Recollectorum S. Theologiæ lector jubilatus, Historiæ criticæ Indulgentiæ Portiunculanæ scriptor* 688 et multis seqq.
Guadagni (*Fr. J. A.*) *S. R. E. Cardinalis, approbationi Officii, in commemoratione translationis capitis S. Petronii Bononiæ quotannis recitandi, subscriptus* 590 a
Gualdericus *episcopus Pennensis* 723 d
Gualfredutius *vir pius, Castri-plebis incola. Vide* Gaufredutius.
Gualterius *comes Pictaviensis, in commentitio Theodosii II imperatoris Privilegio memoratus,* 585 c
Gualterus *episcopus Meldensis* 137 c; *dedicationi ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis interfuit* 132, 136 b
Gualterus *comes Brennensis, qui pro Innocentio III in regno Neapolitano bellavit, ibique vulneratus et captus obiit* 485 f
Guarini (*Jacobus*) *Franciscanus, biographis S. Francisci a Waddingo annumeratus,* 475 d; *idem forte est cum Jacobo Garibi, qui Vitam S. Francisci versu Italico composuit,* 476 f
Guarinus *Lotharus dux aut comes Metensis* 457 c
† Gudualus *episcopus. Vide* † Gudwalus.
† Guduwalus *episcopus. Vide* † Gudwalus.
† Gudwalus *episcopus* 245 a, 259 c; *ejus corpus ab monasterium Blandiniense translatum* 245, 246, 247 b; *quo anno id factum* 247 c
Guibertus *antipapa* 518 a
Guibertus *Provinciæ comes* 136, 137 a b; *instrumentum fundationis B. Mariæ de Sedis obsignavit* 136 c d
† Guido de Cortona *Frater Minor qui a S. Francisco in Ordinem fuerit admissus, et qui in illo vitam duxerit* 693, 694, 695
Guido *episcopus Ambianensis* 137 b; *dedicationi ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis interfuit* 132, 136 c
Guido *episcopus Assisiensis; quid egerit dixeritque S. Francisco, cum coram eo hic comparuit, a patre suo pro restituenda pecunia in jus vocatus; memorabilis ei dicta ad hoc Sancto de possessionibus temporalibus sententia; S. Franciscum pro Regulæ, quam hic scripserat, approbatione, ab Innocentio III Papa obtinenda, adjuvit; eidem subdiaconatum et diaconatum verosimiliter contulit; quid ei ad S. Franciscum orantem temere ingresso acciderit; sanctum hunc Patriarcham ex morbo, quo obiit, decumbentem in palatio suo excepit hospitio; eumdem, primo vita functum, sibi apparentem habuit; septem episcopis, a quibus Indulgentiæ Portiunculanæ promulgatio, ecclesiæque consecratio facta asseritur, ab Ughello annumeratur* 488 usque ad 662 et 771 d
Guido *e S. Quintini Viromanduensis decano episcopus Bellovacensis; haud procul a Bellovacensibus mœnibus S. Quintino exstruxit ecclesiam, hancque cœnobio, in quod etiam multa contulerit, cononicorum Regularium auxit, S. Romanæ reliquiis ditavit, magnaque solemnitate dedicavit; digitum ex reliquiis S. Quintini tunc obtinuisse, narratur; semel ac iterum in exsilium pulsus Romam confugit, ibique clero suo et populo, qui ob injurias ei illatas excommunicatus fuerat, absolutionem impetravit; canonicorum in S. Vedasti fundationem decanique in collegiata Gerboredi ecclesia institutionem probavit* 128 usque ad 137
Guido *comes* 690 a
Guido *judex communitatis Assisiensis, testis donationis, qua Gregorio IX datus fuit locus ædificandæ in sepulturam S. Francisci ecclesiæ,* 579 c
Guido *Ordinis Minorum Minister Romanus Romæ interfuit examinationi insignis miraculi, patrocinio S. Francisci patrati,* 673 b
Guido *Frater Minor Petrum Zalfanum pro indulgentia Portiunculana in conventu Portiunculæ testantem audivit* 744 a, 746 d, 751 a b
Guido *vir pius, a quo duo S. Francisci socii seu discipuli Florentiæ hospitio excepti,* 302 a, 62 a b c
Guidolotus *in tormentis, quibus insons fuit subjectus, a S. Francisco Assisiate servatus illæsus,* 670 a b
Guidotti (*Jo.*) *ecclesiæ metropolitanæ Bononiensis canonicus adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 592 b
Guilbertus *episcopus Bellovacensis* 137 a
Guilielmus *dux Normanniæ. Vide* Willelmus.
Guilielmus de Pepulis *pater Nicolai de Pepulis e jurisperito Minoritæ* 715 f
Guilielmus Anglicus *Frater Minor, S. Francisci socius, ab ipsomet hoc Sancto in Ordinem admissus,* 696 b
Guilielmus *Frater Minor, cujus corpus Bononiæ inventum,* 715 d e
Guilielmus Romanus *Ordinis Minorum; ex obedientiæ præcepto ad dicendam veritatem adactus testimonium dedit pro insigni miraculo, quod S. Francisci patrocinio fuerat patratum,* 672
Guillermus Romanus *Ordinis Minorum. Vide* Guilielmus.
Guinebaldus *abbas Broniensis* 204, 205 a, 268 c
Gulz (*Reverendus dominus*) *abbas monasterii beatissimæ Virginis Mariæ ad Martyres, seu S. Paulini prope Treviros, litteris de reliquiarum donatione monasterio Einsidlensi facta subscriptus,* 525 d
Gumbertus *abbas Abdingovianus multas Sanctorum reliquias a Thietmaro, abbate Helmwardeshuano, obtinuit* 522, 523 a b c
Gundobaldus *S. Gunthramni Burgundionum regis ex Veneranda uxore filius; a Marcatrude noverca sua veneno fuit necatus* 408 a b c
Gunterus *abbas Broniensis* 204 c d e, 217 a, 269 c; *Vitam S. Gerardi abbatis, decessoris sui, fecit describi* 205, 204 a, 269 a b c
Guntherus *abbas. Vide* Gunterus.
Guntherus *pater Theuthardi, viri in Virodunensem S. Vitoni ecclesiam munifici,* 449 a, 466 f
† Gunthramnus *Burgundionum rex, forte dominus, cui serviisse narratur S. Quintinus martyr Tuorensis; Gunthramnum-Bosonem jussit occidi* 407, 408, 409
Gunthramnus, *cognomento* Boso, *dux exercitus Sigiberti I Austrasiæ regis, forte dominus, cui serviisse narratur S. Quintinus martyr Turonensis* 408 d, 409 a
Guntramnus. *Vide* Gunthramnus.
Guntrannus. *Vide* Gunthramnus.
† Gunttrudis *S. Mennæ. Vide* † Gontrudis.
Guormundus *rex Normannorum. Vide* Gnormundus.
Gurii *seu* Georgii *episcopi Casanensis reliquiarum inventio, inter Prætermissos* 286 a b c d
Gutfredus *S. R. E. tituli S. Marci presbyter Cardinalis, Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ, subscriptus; postea fuit summus Pontifex,* Cælestinus IV *dictus,* 580 a b c d. *Vide etiam* Cælestinus IV Papa.

H

Hado *præpositus, S. Annonis, archiepiscopi Coloniensis, secretarius* 185 a
† Hadrianus *martyr. Vide* † Adrianus.
Hadrianus I *Papa* 457, 458 multisque seqq.
Hadwiga *Roberti Francorum regis soror, Rainero III Montensi seu Hainoensium comiti nupta,* 212 c
Hagano *Austrasiorum dux, ex cujus prosapia S. Gerardus abbas Broniensis narratur exortus; dubium est, an diversus non sit ab Haganone comite, qui sequitur,* 201, 204, 205 aliisque locis.
Hagano *comes, qui pacto inter Carolum Simplicem Franciæ et Henricum Germaniæ reges subscripsit, idem forte cum Haganone Caroli Simplicis consiliario* 205 b

Hagano *comes idem verosimiliter cum præcedente* 220 a 221 d
Hagano *Caroli Simplicis, Francorum regis, consiliarius, idem forte cum Haganone comite, qui pacto inter Carolum Simplicem Franciæ et Henricum Germaniæ reges subscripsit,* 205 a
Hameyden (*Jacobus van den*) *sacerdos, a Calvinistis Aldenardæ in Scaldim conjectus, nec tamen submersus, inter Prætermissos* 286 e f
Hardulfus *abbas. Vide* Nardulfus.
Haroldus (*Franciscus*) *Ordinis Minorum scripsit de S. Francisco* 476 a
Haverlant (*Agnes*) *testata miraculum, in filio suo per patrocinium S. Gerardi patratum,* 267 a
Haymo *quintus Ordinis Minorum Minister generalis* 710 c d
Heimo *episcopus Virdunensis* 458 b
Heinricius *ex ecclesiæ Aconensis clerico seu ministro Frater Minor* 528 b c
† Helena *imperatrix, Constantini Magni imperatoris mater,* 158 d, 276 c, 279 a, 324, 325, 326, 595 e
† Helena de Oleo *sacellum ex apparitione S. Joannis Evangelistæ, sibi oblata, fertur Bononiæ condidisse* 578 e f
Helena *virgo Ordinis S. Dominici, velut Beata ab Arturo in Gynæceo annuntiata, inter Præmissos* 287 e
Helenus *Tarsi Ciliciæ episcopus S. Dionysium Alexandrinum ad concilium contra Novatianum invitavit* 46 c, 47, 48, 49, 50 a b; *S. Cypriano de hæreticorum baptismate consensit, fultque a S. Stephano Papa reprehensus* 50 a; *conciliis Antiochenis I et II, adversus Paulum Samosatenum celebratis, interfuit* 94, 95 a
Helenus *monachus. Vide* Helles.
Helias. *Vide* Elias.
Heliodorus *episcopus Altinensis, amicus S. Hieronymi* 148 d
Helles *monachus in Ægypto* 573 d
Henricus I *Germaniæ rex, cognomento* Auceps; *in monasterii Broniensi favorem S. Gerardo abbati diploma concessit; hujus tamen, quod circumfertur, exemplar, tum brevius, tum prolixius, interpolatione est corruptum; Gisleberto Lotharingiæ duci, quem captivum tenebat, libertatem restituit, filiamque Gerbergam nuptui dedit; lanceam, qua usus fertur Constantinus Magnus imperator, a Rodulfo II, Burgundiæ Transjuranæ rege, obtinuisse narratur* 193 usque ad 279
† Henricus II *Germaniæ rex, imperator* 541 c d
Henricus III *Germaniæ rex, imperator* 518 b c
Henricus *imperator, a Felicio perperam memoratus,* 410 c
Henricus I *Francorum rex* 128 c d, 135, 137 d
Henricus IV *Francorum rex* 137 a
Henricus, *marchionum Austriæ postremus ducumque primus, monasterium Metamense Benedictinis restituit, aliterque sese iis præbuit pie munificum* 195, 196 a b
Henricus *dux Bavariæ, cognomento* Superbus, *ducatu a Conrado III imperatore exutus* 193 a b c d
Henricus *Bavariæ Inferioris dux, Othonis cognomento* Illustris, *filius* 193 d
Henricus *Campaniæ comes* 146 d
Henricus *S. R. E. presbyter Cardinalis,* dux Eboracensis *nuncupatus,* 687 c
Henricus *archiepiscopus Coloniensis aliquot sacras reliquias Francisco Bartholi Minoritæ dono dedit* 748 a
Henricus I *episcopus Bononiensis; corpus S. Petronii et aliorum Sanctorum reliquias invenit, inventionemque solemniter celebrari præcipit* 384, 385, 390 d, 404 et tres seqq.
Henricus a Fracta *episcopus. Vide* Fracta.
Henricus *Henrici Aucupis Germaniæ regis filius; in fratrem, Ottonem Magnum imperatorem, arma gessit; ab hoc fuit devictus* 276 et tres seqq.
Henricus *Henrici Superbi Bavariæ ducis filius, in ducatum paternum restitutus,* 193 b
Henricus *Minister generalis Ordinis Minorum* 473 e
† Heraclas *patriarcha Alexandrinus; in scholam catecheticam Alexandriæ Origeni successit; fuerat ab hoc fidei Christianæ principiis imbutus* 33 et quatuor seqq. aliisque locis.
Heraclides *prolixiorem forte e duabus, quæ exstant, S. Ammonis Ægyptii Vitam scripsit* 361 a
Heraclius *imperator* 378 a, 410 f, 561 d
Herbertus *comes* 253 c
Herbeus *abbas II Ursi-Campi. Vide* Erveus.
† Herculanus *martyr, inter Prætermissos* 22 b
Heribertus *Viromanduensis comes* 133 d e; *Carolum Simplicem, Francorum regem, in capivitatem rapuit* 278 d
Heribertus *abbas Broniensis* 203 b, 268 c
Heribertus *abbas Sithiensis seu Bertinianus* 232 b c d e
Herimannus I, *cognomento* Pius, *archiepiscopus Coloniensis* 183 a
Herimannus *comes, litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus,* 184 d
Herimannus *comes subscriptus diplomati, quod veluti ab Henrico Aucupe S. Gerardo datum circumfertur,* 227 a
Heriveus *archiepiscopus Remensis canonicos in monasterio Mosomensi sanctimonialibus substituit* 231 f
Herlingus *episcopus Meldensis* 167 c d
† Hermacletus, *idem, ut apparet, cum S. Hermocrate, martyre Nicomediensi, inter Prætermissos* 22 a b c
Hermammon *litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus; quandonam id factum* 49 usque ad 91 in diversis locis.
Hermannus *episcopus Tullensis, proximus S. Leonis IX Papæ in hac cathedra decessor; monasterium Portus Suavis exstruere non incepit* 149 a b c
Hermenfridus *ecclesiæ cathedralis Virdunensis archidiaconus Virdunensem S. Mariæ Magdalenæ ædem sacram instauravit, auxit fundatoque canonicorum collegio ornavit* 449 f
† Hermes *martyr Bononiæ* 377, 401 b; *corpus ejus a S. Eusebio, Bononiensi episcopo, translatum* 401 f
Hermes *philosophus Ægyptius, a Synesio laudatus,* 366 a f
† Hermolaus *presbyter, idem, ut apparet, cum S. Hermolao, martyre Nicomediensi, inter Prætermissos* 22 b c d
Hernequinus *comes Boloniensis* 253 c
Herodes *Ascalonita rex* 213, 214, 215, 272 a b, 401 a, 405 d
Herpingus *Cellæ S. Goaris rector* 454 a
Hersendis *nobilis femina monasterium Blangiacense, a Normannis dirutum, instauravit* 252 e
Hervæus *abbas II Ursi-Campi. Vide* Erveus.
Hervæus, *episcopus Bellovacensis, fundamenta chori ecclesiæ suæ cathedralis anno* 997 *jecisse, a Louveto narratur* 151 a b c
Herveus *abbas II Ursi-Campi. Vide* Erveus.
Hesselius (*Jacobus*) *urbis Gandensis vice-præses. Vide* Jacobus.
† Hesychius *episcopus Ægyptius, sub Maximiano Galerio, imo Maximino, martyrium passus,* 29 b; *correctioris* 70 *interpretum versionis forte est editor* 141 d e
† Hesychius *confessor, ad* 10 *Maji in Menæis memoratus, quem Papebrochius cum Hesychio Thaumaturgo in iisdem Menæis ad* 6 *Martii memorato facit eumdem, ab Hesychio S. Hilarionis discipulo est diversus* 138 a b c d
† Hesychius *Thaumaturgus, ad* 6 *Martii in Menæis memoratus, quem Papebrochius cum Hesychio confessor, qui proxime præcedit, esse existimavit eumdem, ab Hesychio S. Hilarionis discipulo est diversus* 138 b c
Hesychius *episcopus, ad quem S. Augustinus dedit litteras, non Toletanæ, sed Salonitanæ ecclesiæ præerat* 138 d e f; *epistolam a S. Zozimo Papa accepit* 139 a b

Hesychius,

Hesycnius, *episcoporum Toletanorum Catalogis insertus, a S. Hesychio, S. Hilarionis discipulo est diversus, uti etiam ab Hesychio proxime præcedenti* 138, 139, 140 a
Hesychius *presbyter Hierosolymitanus, correctioris, ut nonnulli volunt, 70 interpretum versionis auctor* 141 d f
Hesychius, *veluti 70 interpretum versionis jam depravatæ corrector laudatus ab Hieronymo; incertum est, an hic idem sit cum S. Hesychio, Hilarionis discipulo,* 141 b c d e f
Hettus *archiepiscopus Trevirensis sacras Martyrum reliquias novæ consecrandæ ecclesiæ ab Eginhardo abbate obtinuit; novam Confluentiæ basilicam S. Castori dedicavit* 305, 306 a b c d
Heue (*Martina de*) *filio suo, promissa factaque ad S. Gerardi reliquias peregrinatione, sanitatem consecuta, hocque ipsamet testata* 267 d e
Heÿman (*Helias*) *conquirendarum reliquiarum cura a monasterio Einsidlensi oneratus, hocque suo officio recte perfunctus* 223 a b c d
Hierax *episcopus Ægyptius, epistola Paschali a S. Dionysio Alexandrino conventus; quandonam id factum* 89 et quatuor seqq.
Hierax, *initio epistolæ Synodicæ, a concilii Antiocheni II Patribus adversus Paulum Samosatenum scriptæ, nominatus,* 93 f
† Hieronymus *presbyter, Ecclesiæ doctor,* 138 d, 690 a, 792 c d; *scripsit Vitam S. Hilarionis abbatis* 137 d e, 139 a; *argumento negativo aliquando est usus* 813 d
Hieronymus de Asculo *Minister generalis Ordinis Minorum, ac dein summus Pontifex,* Nicolaus IV *dictus,* 506 a b c, 673 e f; *quædam addidit ad Vitam S. Francisci, a S. Bonaventura scriptam,* 473 a b; *inquisivit in insigne S. Francisci patrocinio patratum miraculum, deque hoc scripsit epistolam* 673 a b c d. *Vide etiam* Nicolaus IV Papa.
Hieronymus, *miles seu vir nobilis, veritatem stigmatum S. Francisci Assisiatis, de quibus prius dubitarat, juramento, cum hæc manibus contrectasset, testatus,* 663 a
Hieronymus Casalinus. *Vide* Casalinus.
Hierotheus *Sanctus forte tantum fictitius, inter Prætermissos* 287 a b
† Hilarion *abbas, primus in Palæstina vitæ monasticæ cultor; festo annuo a Palæstinæ incolis fuit olim honoratus; quo primum regionis hujus loco vitam monasticam cœperit, monasteriumque ædificarit; quo circiter tempore sub disciplinam suam acceperit S. Hesychium; maximi fecit hunc suum discipulum; eo comite, ut honorem hominumque ad se confluentium concursum evitet, abit in Ægyptum, magnaque hujus parte peragrata, venit ad montem S. Antonii; quo anno ita peregrinari inceperit; in vicina Aphroditopoli eremo moratur, patratisque ibi miraculis, Alexandriæ Bruchium honoris vitandi causa se conferens a Gazensibus periclitatur; quandonam hoc factum; secedit in Oasim, cumque ibi annum nondum exegit, absente Hesychio et inscio, navigat in Siciliam; diligentissime ab hoc suo discipulo quæsitus, tandemque ibidem inventus, navigat cum eo primo in Dalmatiam, ac deinde, patrato hic insigni miraculo, in Cyprum; quandonam hæc facta; apud Paphum moratur ac deinde Hesychii suasu in secretiorem insulæ locum secedit, ibique, Hesychio absente rerum suarum scripto hærede, excedit e vivis; quandonam et quoto ætatis ejus anno postremum hoc evenerit; qui et quando corpus ejus ab Hesychio in Palæstinam e Cypro relatum* 137 et seqq., usque ad 143
† Hilarius, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 c
† Hilarius *episcopus Arelatensis* 569 f, 570 d, 575 c d
Hildebrandus *abbas, Arnulphi Magni, Flandriæ comitis, nepos; monasterio Sithiensi abbas a S. Gerardo fuit præfectus, ac dein Atrebatense S. Vedasti reformandum ab Arnulpho avunculo accepit* 249 et tres seqq.
† Hildevertus *episcopus Meldensis* 168 a b c
Hilduinus *ecclesiæ Leodiensis clericus ac dein Mediolanensis archiepiscopus* 210 a; *Privilegio Pontificio prolixiori, per S. Gerardum obtento, subscripsit* 224, 225
Hilduinus *San-Dionysiani monasterii sæculo nono abbas* 215 d
Hilduinus *notarius subscriptus diplomati, quod veluti ab Henrico Aucupe S. Gerardo datum circumfertur,* 227 a
† Hildulfus *confessor. Vide* † Hildulphus.
† Hildulphus *confessor, ex archiepiscopo Trevirensi, abdicato episcopatu, Medianensis monasterii abbas et conditor; novam ædem S. Joanni Apostolo et Evangelistæ sacram erexit; in cathedram Trevirensem non Miloni, sed S. Numeriano successit; provecto sæculo* VII *sacras S. Bonifacii martyris Trevirensis reliquias, forte tamen non primus, transtulit, harumque deinde partem monasterio Medianensi obtinuit; transtulit pariter reliquias S. Maximini, episcopi Trevirensis; ejus reliquiæ sæculo* X *jam provecto ab Adelberto abbate Medianensi translatæ; in S. Magdalveum pie munificus perperam asseritur a Wasseburgio* 294 usque ad 339 et 444 a, 446 d
Hillinus *comes, monasterii Medianensis secularis abbas,* 338 c
Hincmarus I *monasterii S. Remigii Remis abbas, simulque civitatis hujus archiepiscopus* 200 a
Hincmarus II *monasterii S. Remigii Remis abbas* 252 d e
Hintar (*Paulus*) *Ordinis Minorum Conventualium* 808 f
† Hippolytus *episcopus martyr in Portu Romano* 405 a
Hippolytus *lator epistolæ, a Dionysio Alexandrino ad Romanos de Officio diaconi scriptæ,* 48 b. 123 f
Hisjamai *princeps. Vide* Isamus.
Hisjamus *princeps. Vide* Isamus.
Hochffeder (*Jaspar*) *auctor impressionis Speculi vitæ S. Francisci, anno* 1509 *Metis adornatæ,* 473 c
† Hoildis *virgo; ejus reliquiæ variis locis dispersæ* 473 b
Homerus *poetarum princeps* 138 b
Homodeus de Aretio *Frater Minor B. Benedicto Aretino ejusque socio Raynerio, testimonium pro Indulgentia Portiunculana dicentibus, adfuit* 749 f
Honoratus *episcopus Ambianensis SS. Fusciani et Victorici martyrum ossa transtulit* 249 a
Honorius III *Papa; primigeniam tertii Ordinis S. Francisci Regulam, saltem viva voce, approbavit; approbavit etiam Ordinem Prædicatorum, possessionesque eidem collatas et porro conferendas ratas habuit; Hugolinum, S. R. E. Cardinalem, Ordinis Minorum protectorem constituit, Regulamque, a S. Francisco his in monte scriptam, ac nonnihil diversam ab ea, quam Innocentius III vivæ vocis oraculo approbarat, litteris Apostolicis confirmavit; alias adhuc litteras in Minorum favorem dedit; festum Nativitatis Domini peculiari modo celebrandi facultatem fecit S. Francisco Assisiati; an litteras commendatitias anno* 1219 *Fratribus Minoribus dederit, et quid de iis, quas veluti tunc abs illo datas producit Waddingus, sit censendum; an Indulgentiam Portiunculanam ipsemet S. Francisco concesserit, vel an eam, a Christo jam concessam, dumtaxat confirmarit, promulgarique permiserit; modus, quo diem eidem Indulgentiæ lucrandæ præstituisse narratur, et quid de illo sit censendum* 470 usque ad 771 in diversis locis et 841 d
Honorius *imperator* 133 e, 316 d, 368 a, 370 a, 376 d; *severissimas in Donatistas leges tulit* 134 a b c
† Hormisda *martyr, Treviris passus,* 292 usque ad 332
† Hormista *martyr. Vide* † Hormisda. 112 Hostilianus

Hostilianus *imperator; peste interiit* 40, 49 d
Hrotgaudus *præfectus ducatus Foro-Juliensis. Vide* Rotgaudus.
Hubertinus *Ordinis Minorum. Vide* Ubertinus.
Hubertus *Placentinus, episcopus Bononiensis,* 384 b
Hugo Capetus, *Francorum rex,* 133 d, 233 e f
Hugo *Provinciæ comes ac dein Italiæ rex* 222, 223
Hugo *S. R. E. Cardinalis episcopus Ostiensis. Vide* Hugolinus.
Hugo, *cognomento* Magnus, *Roberti Francorum regis filius, comes Parisiensis* 233 d e; *in insula Parisiensi sedem habuit* 42 e
Hugo, *cognomento* Niger, *frater Rodulfi Francorum regis, dux Burgundiæ* 233 e
Hugo *archiepiscopus Sipontinus; quo tempore sederit* 723, 724 a b
Hugo I *episcopus Leodiensis* 234 b
Hugo I *episcopus Trecassinus* 137 c
Hugo II *episcopus Trecassinus; dedicationi ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis interfuit* 134, 136
Hugo *abbas Flaviniacensis prolixiori oratione Acta S. Magdalvei, episcopi Virodunensis, descripsit; quo tempore floruerit, et quid de hac ejus lucubratione sit censendum* 432, 433 b c d
Hugo *monasterii S. Bavonis Gandavi abbas a S. Gerardo abbate constitutus* 202 a
Hugolinus *S. R. E. Cardinalis episcopus Ostiensis, primus Ordinis Minorum Apostolica auctoritate protector constitutus, ac deinde Papa,* Gregorius IX *dictus; breve ejus elogium; quandonam et qua occasione cum S. Francisco amicitiam contraxerit; Regulam hujus Sancti ab Honorio III Papa confirmari curavit, litterasque ad varios prælatos dedit Fratrum Minorum commendatitias; qui ad annua horum comitia accederet; S. Franciscum Reate medendi oculis gratia advectum honorifice amanterque excepit; quid a S. Francisco, a quo, an suos ad ecclesiasticas dignitates promoveri vellet, petierat, responsi acceperit; hunc Sanctum, cum quo etiam mira familiaritate et amicitia fuit conjunctus, maximi fecit, Ordinemque Minorum ab eo institutum summo favore est prosecutus; an S. Francisco auctor fuerit, ut coram Honorio III Papa et Cardinalibus concionaretur; Pontificatum ei prædixit, inscriptioneque prædictioni huic accommodata in litteris, quas ad illum dabat, usus est S. Franciscus; sancto huic Patriarchæ iter Gallicum dissuasisse, perperam, ut apparet, traditur a Waddingo; an, quæ anno 1219 in comitiis Ordinis Minorum gessisse narratur a Waddingo, certo gesserit; qui S. Franciscum, suis Bononiæ, veluti paupertatis non sat observantibus, indignantem placasse, referatur; cum S. Francisco in eremum Camaldulensem secessisse, ibique aliquamdiu commoratus fertur; cum SS. Francisco simul et Dominico de horum Sanctorum religiosis ad dignitates ecclesiasticas promovendis dicitur collocutus; quid hac de re sit censendum* 514 et seqq. usque ad 742
Hugolinus de Monte-majori *Franciscanus. Vide* Monte-majori.
Humbertus *Magister generalis Ordinis Prædicatorum* 603 d; *epistolam encyclicam, qua suos ad pacem cum Minoribus servandam hortatus est, scripsit* 742 d e
Humilis *Frater Minor, Perusii, ut narrat Waddingus, a S. Francisco in Ordinem receptus,* 693 e
Hungari *a Carolo Magno in Bavaria alibique debellati* 192 a b; *duobus in præliis, altero contra Bavaros, altero contra Francos, superiores* 194 b; *eorum in Italiam et Gallias irruptio ac sævities* 240 b c f, 598 d, 400 b c d
Hunni. *Vide* Hungari.
Huogo *episcopus Leodiensis. Vide* Hugo.
Hymenæus *episcopus Hierosolymitanus* 314 a b; *priori juxta ac posteriori Antiocheno concilio, adversus Paulum Samosatenum celebrato, interfuit* 94, 95 a b c
Hymenæus *apud Ethnicos deus nuptiarum præses* 368 c

I

† Jacob *patriarcha* 217 a, 330 f, 331 b c d e, 395 f, 460 e, 566 b, 568 d, 569, 570, 577 a, 607 f, 639 a
Jacoba de Septemsoliis *illustris ac pia matrona Romana. Vide* Septemsoliis.
Jacobillus (*Ludovicus*) *protonotarius Apostolicus Fulginas, corpus S. Francisci in Assisiensi Minorum Conventualium ecclesia sub majori altari cubare existimavit* 821 e f, 822 c d e f
Jacobitæ *hæretici libello a S. Joanne Damasceno jussu S. Petri Damasci metropolitæ oppugnati* 429 c
† Jacobus *Apostolus, cognomento* Major, *Zebedæi filius, S. Joannis Apostoli et Evangelistæ frater,* 104 a, 323 c, 333 a; *ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 f, 408 a; *corpus magna peregrinorum accurrentium pietate Compostellæ in Gallæcia honoratum* 390 c; *narratur id etiam ibi veneratus S. Franciscus Assisias, tuncque habuisse apparitionem angelicam, qua Ordinem suum maxime dilatandum didicerit,* 517 d, 699, 700 a b
† Jacobus *Frater Domini, cognomento* Minor, *primus Hierosolymorum episcopus,* 443 e; *ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 e, 408 b
† Jacobus *episcopus Tullensis; an S. Magdalveum ad cathedralem Viroduni ecclesiam reædificandam pecunia adjuverit, est dubium* 443, 444, 443
† Jacobus de Benedictis *Ordinis Minorum. Vide* † Jacoponus.
† Jacobus de Marchia. *Vide* † Jacobus Picenus.
† Jacobus Picenus *confessor Ordinis Minorum; Cardinalem Astorgium, et Baucium ducem Andriæ sæpius laudasse asseritur; factam corporis S. Francisci per Sixtum IV Papam inspectionem asseruisse, huicque, ne illud publice exponeret, dissuasisse narratur; quid de hac narratione libellique supplicis, Sixto a* S. Jacobo *oblati, autographo, quo eadem confirmetur, sit censendum* 789 b, 801 et quinque seqq.
Jacobus Hesselius *urbis Gandensis vice-præses, eques auratus et concilii Flandriæ consiliarius, pro fide Deo regique data a Calvinistis suspensus, inter Prætermissos* 286 d
Jacobus ad Portam *Ordinis minorum, in Mrl. Franciscano Arturi* Beatus *appellatus, inter Prætermissos* 286 a
Jacobus *S. R. E. Cardinalis episcopus Tusculanus, subscriptus Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ,* 380 f
Jacobus *episcopus primo Laquidonensis. Vide* Cavaline.
Jacobus *episcopus Tiburtinus jussit inquiri in insigne miraculum, patrocinio S. Francisci Assisiatis patratum,* 672 c
Jacobus *abbas inquisivit in insigne miraculum, patrocinio S. Francisci Assisiatis patratum,* 672 b
Jacobus de Assisio *Ordinis Minorum Roberto, Fratri Minori moribundo, cum S. Francisci apparuit* 671 b
Jacobus de Florentia *Ordinis Minorum B. Benedictum Aretinum hujusque socium Raynerium, testimonium pro Indulgentia Portiunculana dicentes, audivit* 749 f
Jacobus de Iseo *Ordinis Minorum hernia in translatione corporis S. Francisci prodigiose liberatus* 673 b, 674 c, 827 d
Jacobus de Mugello *Ordinis Minorum relationi, qua frater quidam laicus tempus impressorum S. Francisco sacrorum stigmatum divinitus sibi revelatum, sub juramento asseruit, præsens adfuit* 728 f
Jacobus *Reatinus Frater Minor, e fluvio, in quem ceciderat, a S. Francisco invocato eductus,* 669 b c
Jacobus *Tudertinus Ordinis Minorum* 707 a
† Jacoponus *Ordinis Minorum; adscribitur ei a quibusdam,*

quibusdam, quod forte S. Francisci est, Canticum 843 e f
Januarianus *episcopus Vagensis Donatista* 135 d
Januarius *litteris a S. Augustino conventus* 134 f
Japhet *patriarchæ Noemi filius* 528 a
Jephte *judex Israelis* 577 e
Jesura (*Salentinus seu potius Valentinus*) *collegiatæ S. Paulini prope Treviros ecclesiæ canonicus. Vide* Lesura.
Jeune (*Franciscus le*) *S. J. rector Bruxellensis, de Museo nostro bene meritus,* 524 b c f
Jezabel *uxor Achabi regis Israel* 551 a
Jezidus *princeps Arabum* 429 c
† Ignatius *Societatis Jesu institutor* 417 b
Illuminatus de Arce *Ordinis Minorum, a tribus S. Francisci sociis in suo de hoc Opusculo dictorum testis adhibitus,* 615, 616 a b c
Illuminatus *filius viri nobilis a nativitate cæcus, patrocinio S. Francisci, jam vita functi, lumen adeptus posteaque Ordinem Minorum ingressus,* 672 d
Illuminatus *Frater Minor quale S. Francisco dubitanti, revelandane, an tacenda esset, in qua stigmata acceperat, visio, consilium dederit* 533 a, 639 e f, 660 a; *idem videtur cum sequenti* 660 f
Illuminatus *Reatinus Frater Minor, S. Franciscum ad Soldanum Ægypti comitatus; suasit S. Francisco, ut quam huic Dominus revelarat imminentem ad Damiatam Christianis cladem, hisce prædiceret,* 525 et seqq. aliisque locis
Imberti (*Dominicus de*) 785 d, 788 c
† Imma *virgo. Vide* † Ama.
Imperator *civis Hispellensis, gravissimo Herniæ malo, quo laborabat, per S. Francisci Assisiatis patrocinium liberatus,* 614 a b c
Indutiomarus *Trevirensium princeps, a Romanis victus et occisus,* 550 d
Ingelwinus *episcopus Parisiensis; sibi successoribusque episcopis in potestatem jusque ecclesiasticum perpetuo concedi obtinuit Parisiensem S. Eligii abbatiam* 422, 425
Ingerannus *comes Hesdiniensis* 250 f; *monasterium Alciacense, a Normannis dirutum, instauravit* 251 a b c
†† Innocentes Pueri, *ab Herode occisi : unius ex his corpus a S. Gerardo abbate e monasterio Dionysiano Bronium delatum* 218, 219, 272 a, 275 f; *quinque item aliorum ex iisdem corpora, a Theodosio II imperatore, ut narratur, S. Petronio donata et ab hoc Bononiam delata* 401 b c f, 402 a; *tria ex his ibi in S. Stephani templo reliquaque duo in metropolitana ecclesia* 406 f
Innocentius II *Papa; synodo Leodiensi, anno* 1131 *celebratæ, interfuit; sacrum S. Gerardi corpus de terra jussit levari; litteras de sancti Godehardi canonizatione ad ecclesiam Hildesiensem dedit; Parisiense S. Eligii monasterium Fossatensibus monachis petiit restitui* 262 et tres seqq. et 584 b, 590 a, 404 c, 424, 425 a b
Innocentius III *Papa; Regulam S. Francisci, prævia ad id una atque etiam forte altera visione cælesti sibi oblata impulsus, viva voce approbavit, Sanctoque et ejus sociis prædicandi facultatem fecit; quo anno id fecerit; Ottonem IV coronavit imperatorem; concilio generali Lateranensi* IV, *quod celebravit, ipsemet præsedit; Ordinem Minorum a se approbatum verosimillime in hoc declaravit; indulgentiam plenariam, ab Urbano II fidelibus ad Terræ Sanctæ recuperationem ex devotione euntibus concessam, confirmavit* 471 usque ad 758
Innocentius IV *Papa* 471, 560 d, 578 c, 684 a, 718 f; *Assisiensem S. Francisci basilicam consecravit, indulgentiis annuis ditavit, fidelibus commendavit, litterasque Pontificias, quibus antea fuerat donata, confirmavit* 681 e f, 682 a b c d; *Assisii Stanislaum, Cracoviensem episcopum martyrem, Sanctis solenniter adscripsit* 751 c e; *quid in concilio Lugdunensi* I *super Cruciata decreverit* 761 a b c; *unam e costis S. Joannis Baptistæ Minoribus Conventualibus Assisiensibus dono dedit* 821 c
Innocentius VI *Papa* 781 c
Innocentius XI *Papa* 779 d
Innocentius XII *Papa* 684 a b; *indulgentias plenarias et pœnitentiarios in Assisiensi S. Francisci ecclesia constituit* 684 c, 685 a b; *basilicæ, quæ sacellum Portiunculanum complectitur, indulgentiam quotidianam, ab annua secundæ diei Augusti diversam, affixit* 774 b c d e f
Innocentius (*F.*) *conventus S. Francisci Bononiæ guardianus* 528 b
Insulanus (*D. Co. Jacobus*) *interfuit traditioni capitis S. Petronii, Bononiensibus S. Petronii canonicis factæ,* 595 f
† Joachimus *abbas Florensis SS. Franciscum Assiatem et Dominicum, horumque Ordines, ut Papebrochius noster probare est conatus, prædixit* 477 e f
† Joannes I *Papa* 165 c
Joannes V *Papa* 575 d
Joannes IX *Papa* 210 b c
Joannes XIII *Papa basilicam episcopalem Capuanam ad metropolitanam evexit* 401 f
Joannes XX, *alias* XXI, *Papa* 749 e
Joannes XXII *Papa* 578 a, 745 c, 755 d; *veram agnovit Indulgentiam Portiunculanam* 756 c d
Joannes XXIII *Papa* 824 b; *redditibus auxit Bononiensem S. Petronii ecclesiam* 565 c
† Joannes *Apostolus et Evangelista; hujus Apocalypsim, utut libris canonicis ab Ecclesia nondum tunc adscriptam, non repudiavit S. Dionysius Alexandrinus; eam tamen pro indubitato Joannis Apostoli et Evangelistæ Opere non habuit; nova ejus ædes sacra, a S. Hildulpho erecta; apparitio B. Helenæ de Oleo, ut fertur, oblata; templum ei a S. Petronio, uti narratur, Bononiæ exstructum, reliquiisque ditatum; S. Franciscum Assisiatem ejusque Ordinem, ut quidam volunt, in Apocalypsi prædixit; visus fertur cum hoc Sancto colloquens* 49 usque ad 406 multisque seqq. in diversis locis.
† Joannes Baptista, *Domini præcursor; ejus imago ab Anabaptistis Monasterii impie tractata; reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ; visus fertur cum S. Francisco Assisiate colloquens; una ex ejus costis ab Innocentio IV Papa Minoribus Conventualibus Assisiensibus donata et in horum ecclesiæ altari majori reposita,* 220, 222 a f, 518 e, 552 e, aliisque locis.
† Joannes I *archiepiscopus Ravennas, appellatus* Angeloptes, 575 a
† Joannes Chrysostomus *episcopus. Vide* † Chrysostomus.
† Joannes Chozebita *episcopus Cæsareensis in Palæstina, inter Prætermissos* 24 d
† Joannes Bonus : *an Augustinianus ex Sancti hujus Congregatione aliquando fuerit S. Franciscus Assisias* 496 a b
† Joannes *abbas Gorziensis* 464 e
† Joannes *Parmensis Minister generalis* VII *Ordinis Minorum* 469, 470, 471 a, 734 b, 735 e, 761 c; *amicitiam S. Francisci cum S. Dominico in litteris encyclicis, quibus suos ad pacem cum Dominicanis servandam hortatus est, asseruit* 752 d, 742 a b
† Joannes Damascenus *monachus et presbyter jussu S. Petri, Damasci metropolitæ, duo scripsit Opuscula* 429 d e
† Joannes *discipulus S. Hildulphi : ejus reliquiæ sæculo* X *jam provecto ad Adelberto abbate Medianensi translatæ* 558 a b c
† Joannes Capistranus *confessor Ordinis Minorum* 735 e
† Joannes de Alverna *Ordinis Minorum. Vide* † Joannes Firmanus.
† Joannes Firmanus *seu* Alvernicola *confessor Ordinis Minorum* 475 f, 764 b, 769 a; *Præfationem Missæ de S. Francisco composuit* 679 d; *pro Indulgentia Portiunculana testatus narratur a Mariano Florentino* 735 c d; *quid de illa aliaque scriptoris*

scriptoris hujus narratione censendum 733 d e; *an indulgentiam illam a Christo immediate concessam indicarit* 766, 767 a b
† Joannes *eremita juxta Lycopolim in Ægypto* 372 f, 373 b
Joannes Mahusius *Ordinis S. Francisci, in Mrl. Franciscano Arturi* Beatus *appellatus, inter Prætermissos* 286 c
Joannes Basilides *Mosco-Russorum dux regnum Casanense, hujusque metropolim Casanum in potestatem suam redegit* 286 f
Joannes Cajetanus *S. R. E. Cardinalis, Ordinis Minorum protector, ac dein Papa,* Nicolaus III *appellatus : huic adhuc puerulo Pontificatum prædixit S. Franciscus Assisias; pius ejus jam Pontificis in Ordinem Minorum affectus* 720, 721. *Vide etiam* Nicolaus III Papa.
Joannes de S. Paulo *S. R. E. Cardinalis. Vide* Paulo.
Joannes *S. R. E. Cardinalis episcopus Sabinensis, Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ, subscriptus* 580 c
Joannes *S. R. E. tituli S. Praxedis presbyter Cardinalis, subscriptus Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ,* 580 d
Joannes *Castellæ infans* 699 a
Joannes I *patriarcha Antiochenus, litteris a S. Cælestino I Papa conventus,* 374 f
Joannes I *patriarcha Hierosolymitanus Nestorium, datis ad hunc litteris, imminentis ab episcopis damnationis admonuit* 374 f, 375 a
Joannes IV *patriarcha Hierosolymitanus* 443, 446, 447
Joannes, *Landulphi Capuani principis frater, primus archiepiscopus Capuanus* 401 e f
Joannes *e nobilissima Romana Comitum familia episcopus Perusinus, septem episcopis, a quibus Indulgentiæ Portiunculanæ promulgatio ecclesiæque consecratio facta asseritur, ab Ughello annumeratus,* 771 f
Joannes Sylvester *Telonensis episcopus* 136 a
Joannes Velita *vir nobilis Castri Græcii S. Francisco Assisiati multum addictus* 708 a, 723 e; *ab hoc Sancto, festum Nativitatis Domini peculiari modo celebraturo, parandis rei huic necessariis adhibitus,* 550, 551, 601 f, 634; *visio ei divinitus oblata* 551 b, 602 a b c d, 635 d
Joannes de Stiachia *Fratrum Minorum Bononiæ Minister; an anno* 1219 *in comitiis Ordinis sui, quod narrat Waddingus, certo fuerit molitus; S. Franciscum, a quo etiam antea gravissime fuerit increpitus, male sibi precatum, terribili cum eventu narratur expertus; quid hac de re censendum appareat* 710 a b, 716, 717, 718
Joannes *abnepos, ut notatum invenitur, germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 b
Joannes de Capella *Frater Minor. Vide* Capella.
Joannes de Castellione *Ordinis Minorum. Vide* Castellione.
Joannes de Castro Veteri *Ordinis Minorum relationi, qua frater quidam laicus tempus impressorum S. Francisco sacrorum stigmatum divinitus sibi revelatum, sub juramento asseruit, præsens adfuit* 729 b
Joannes de Ceperano. *Vide* Ceperano.
Joannes de Florentia *Frater Minor. Vide* Florentia.
Joannes de Fora *hernia per S. Francisci Assisiatis merita liberatus* 673 b c
Joannes de villa Alterini *seu* Alcini *testis oculatus, uti narratur, ingentis miraculi, a S. Francisco Assisiate patrati,* 705 b c
Joannes *filius, ut notatum invenitur, germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 a
Joannes Gualterii *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 746 d
Joannes *Hispanus ex Ordine Prædicatorum testis quintus in causa canonizationis S. Dominici; ejus de bonis et redditibus per Dominicanos initio instituti Ordinis possessis testimonium* 738, 739
Joannes *notarius, instrumento publico, quo B. Benedictus Aretinus hujusque socius Raynerius pro Indulgentia Portiunculana testati sunt, subscriptus,* 749 f
Joannes *Ordinis Minorum, socius S. Ægidii confessoris, a Tribus S. Francisci Sociis in suo de hoc Opusculo dictorum testis adhibitus,* 615 d
Joannes *Ordinis Minorum, visitator pauperum dominarum seu Clarissarum, a Tribus S. Francisci Sociis in suo de hoc Opusculo dictorum testis abhibitus,* 615 c, 616 a b
Joannes Parens *Frater Minor. Vide* Parens.
Joannes *rusticus, ab ipso S. Francisco in Ordinem Minorum admissus, ab eoque ob miram simplicitatem* sanctus Joannes Simplex *appellatus,* 704 a b
Joannes *vir pius, lethaliter vulneratus, tactu mannuum S. Francisci Assisiatis sibi apparentis sanitati restitutus,* 665, 666
Joannetto (*Antonellus de*) *episcopus primo Gallipolitanus. Vide* Antonellus.
Joannocto (*Antonius de*) *episcopus Andrianensis. Vide* Antonius.
† Job *propheta* 537 d
† Jocundus *episcopus Bononiensis,* 379 b; *ejus in hac civitate corpus* 402 a f
Johannes. *Vide* Joannes.
Jolana. *Vide* Jolania.
Jolania, *apud Saussayum una e duodecim virginibus, quæ sub imperatoribus ethnicis Roma in Gallias venisse feruntur,* 129 c
† Jonas *propheta* 464 f
Jonas *monachus Bobiensis, S. Eustasii abbatis Luxoviensis biographus; quædam obiter de S. Aurea virgine abbatissa memoriæ prodit* 411 usque ad 421
† Jordanus *S. Dominici discipulus, biographus, et primus post eum Ordinis Prædicatorum magister generalis* 517 f, 730 d e, 734 b, 737 a, 741 d e f
† Joseph, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 a
Joseph *prorex Ægypti* 328 f
† Josephus a Cupertino *Ordinis Minorum Conventualium confessor; binæ S. Francisci apparitiones ei factæ; an ex his et raptu corporeo, quem idem* S. Josephus, *cum aliquando prodigiosum corporis S. Francisci statum asseruisset, passus est, sat certo hic probetur; realem cordis S. Francisci in Portiuncula præsentiam negavit;* 686, 806 usque ad 834
Josephus a Cardineta *Ordinis S. Francisci, in Mrl. Franciscano Arturi* Beatus *appellatus, inter Prætermissos* 286 c
† Josue *populi Israelitici post Moysen dux* 827 f
† Jovianus *martyr, Treviris passus,* 292 usque ad 331
† Jovianus *subdiaconus, ad opus Evangelicum una cum S. Marso presbytero in Gallias missus, forteque diversus a S. Joviniano lectore martyre; quo tempore vitam finierit* 340, 341
Jovianus *imperator* 140 a, 145 c
† Jovinianus *lector martyr, ad opus Evangelicum una cum S. Marso presbytero in Gallias missus, forteque diversus a Joviano diacono* 339, 340, 341 a d
† Jovinianus *martyr. Vide* † Jovianus.
† Jovinus *martyr. Vide* † Jovianus.
† Irenæus *episcopus Lugdunensis* 79 a; *Millenariorum errori adhæsit, fuitque forte a Dionysio Alexandrino speciatim confutatus* 104 a b c d e
Irene *imperatrix, Leonis IV uxor,* 138 a b, 444 usque ad 467
Irmengardis *abbatissa Ordinis Cisterciensis, inter Prætermissos* 22 e
† Irmina *Dagoberti I, Francorum regis, in Broweri opinione filia* 532 d e
† Isaac *patriarcha* 528 b, 596 a
† Isaac *episcopus Gebennensis* 515 c
Isaac *comes* 206 d

Isaac *monachus, qui S. Antonii interpres fuerat, ab Hilarione abbate peregrinante in monte Troico seu S. Antonii inventus* 140 a b c
Isabella Bavara, *Caroli VI Galliarum regis uxor,* 420 e
Isabella Eugenia *archidux Austriæ, Belgarum princeps, brachium argenteum, cui os brachii S. Eugenii martyris includeretur, ecclesiæ Broniensi dedit* 214 d
† Isaias *propheta* 87 f
Isambardus *Ludovici III, Francorum regis, nepos. Vide* Isembardus.
Isamus *princeps Arabum* 429 e
Isembardus *Ludovici III, Francorum regis, nepos; ab avunculo injuste relegatus, multas Normannorum ope Franciæ regno clades intulit* 232 d e f
Iseo (*Jacobus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Jacobus.
Isicius, *episcoporum Toletanorum Catalogis insertus. Vide* Hesychius.
† Isidorus *episcopus Hispalensis* 401 f, 406 b
† Isidorus, *cujus corpus Bononiæ ab Henrico I, Bononiensi episcopo, inventum* 405 d e; *diversus est a S. Isidoro episcopo Hispalensi* 406 c
† Isidorus *Siculus idem forte cum præcedenti* 406 d
Isidorus, *velut martyr in Fastis Græcis annuntiatus,* 288 a b e
Isidorus *monachus in Ægypto, velut Origenista ab episcopis damnatus,* 372, 373 a
Isis *Ægypti forte regina, divinis honoribus ab ethnicis affecta,* 366 f
Isle (*Josephus de l'*) *Historiæ legionis Thebææ scriptor* 301 a, 313 e
Judas *quartus Jacobi et Liæ filius* 330 c
Judas *proditor* 162 f, 398 a, 400 b
Judith *imperatrix, Ludovici Pii uxor,* 422 a
† Juliana *vidua, a S. Ambrosio laudata; diversa est a S. Juliana vidua Bononiensi* 401 a f
† Juliana *vidua Bononiensis* 373 a, 401 b, 404 f; *funus ejus a S. Petronio curatum* 373 b; *bonorum partem, ut fertur, attribuit alendis monachis cœnobii, a S. Petronio Bononiæ erecti,* 379 a; *ejus ibidem exuviæ* 401 b, 402 d
Juliana *Olybrii consulis Romani uxor* 370 b
Juliana *nobilis viri uxor, prolem diu victuram per patrocinium S. Francisci Assisiatis adepta,* 671 a b c d
† Julianus, *cujus reliquiæ anno 1141 narrantur Bononiæ detectæ,* 406 f
Julianus *Apostata imperator; quo primum tempore fidei Christianæ palam valedixerit; urbem Majumam, a Constantino Magno factam liberam, Gazæ iterum subjecit* 132 usque ad 149
Julianus *S. R. E. titulo S. Petri ad Vincula Cardinalis sacellum, quod Bononiæ obturari jusserat Eugenius IV Papa, reserari obtinuit* 607 d
Julianus *e primo Galliarum regis præcentore Frater Minor Officium vetus S. Francisci Assisiatis digessisse asseritur a Mariano* 679 c
† Julius *forte martyr* 337 a
Julius Cæsar. *Vide* Cæsar.
Julius *Paphensis in Cypro episcopus anno 381 concilio Constantinopolitano subscripsit* 140 f
Julius de Leccio, *conventus Assisiensis S. Francisci custos, corpus Sancti hujus vidisse incorruptum narratur in relatione Bistochiana; quid de hac censendum* 802, 803 a b c d
Julius a Monte Rubiano *Ordinis Minorum Conventualium, conventus Assisiensis vice-custos, Piscullium, Ministrum generalem, de facto infimæ Assisiensis S. Francisci ecclesiæ fornice per litteras monuisse, illique, hac arrepta occasione, corpus ejusdem Sancti visitanti adfuisse narratur* 803 e f, 804, 805
Julius *S. Cypriani, episcopi Telonensis, pater, si recte scribat Guesnayus,* 138 a
Julius de Rocchiccivola *Ordinis S. Francisci* 802 c
Juniperus *Frater Minor* 724 c
† Ivo *episcopus Carnotensis in Bellovacensem S. Quintini ecclesiam, cui primus abbas præfuit, pie munificus* 133 a b c
† Justina *martyr, data ad 26 Septembris,* 22 d
Justinianus *imperator* 137, 138 b
† Justinus *martyr, Treviris passus,* 292 d usque ad 332
Justinus *imperator* 137, 138 b
† Justus *martyr: ejus reliquiæ in ecclesiam S. Quintini Bellovacensis illatæ, populique venerationi expositæ* 133 e, 136 d
† Justus *martyr, puer Autissiodorensis: ejus caput creditur dono datum Ottoni III imperatori* 341 c
† Justus *martyr Complutensis: corpus ejus inventum* 138 a
† Justus, *cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ,* 406 e
† Juvenalis *patriarcha Hierosolymitanus, litteris conventus a S. Cælestino I Papa,* 373 d

K

Kemnitius (*Martinus*) *hæreticus. Vide* Chemnitius.
Kritzralt (*P. Jacobus*) *notitiam de Tilmanno, Ewaldorum socio, decessoribus nostris subministravit* 22 a

L

Labdas *episcopus Hierosolymitanus. Vide* Zabdas.
Labienus *Romanorum dux Indutiomarum Trevirensium principem devicit, horumque, bellum renovantium, civitatem subegit* 330
Lacuntella (*Otho Octavianus de*) *miles. Vide* Otho miles.
Lambertinorum *illustris Bononiæ familia* 715 d e
Lambertinus (*Prosper*) *S. R. E. Cardinalis, ac dein Papa,* Benedictus XIV *appellatus, an viderit libellum supplicem autographum, a S. Jacobo Piceno Papæ Sixto IV oblatum, in quo facta per hunc corporis S. Francisci inspectio, habitaque de hoc cum S. Jacobo consultatio asserantur* 801 b c d e. *Vide etiam* Benedictus XIV.
Lambertinus (*Aldraghetus*) *clericus Bononiensis* 715 c
† Lambertus *episcopus Trajectensis* 207 a, 208 d, 220 f, 268 e, 270 f
Lambertus *abbas Medianensis* 295 d, 337 f
Lamiaffi (*Blundus*) *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 746 b
† Landelinus *abbas; Sancti hujus brachium ex Crispiniensi Hannoniæ abbatia Bronium detulit S. Gerardus* 256 b
Landetrudis *abbatissa* 422 a b c
† Landrici *episcopi Metensis, S. Waldetrudis filii, translatio, inter Prætermissos* 244 b d
Landulphus *princeps Capuanus* 401 f
Langius (*Rudolphus*) *vir eruditus: ejus bibliotheca ab Anabaptistis Monasterii eversa* 189 e
Lantbertus *discipulus S. Gisleni Egrardo cuidam apparuisse narratur a Rainero* 233 d
Laurenti (*Marcus Antonius*) *philosophiæ et medicinæ doctor etc., adfuit solenni traditioni capitis S. Petronii, Bononiæ ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 392 a
† Laurentius *martyr* 138 a
† Laurentius, *cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ,* 406 b
Laurentius *a S. Ambrosio memoratus, quem nonnulli faciunt S. Julianæ viduæ filium, Bononiensibus S. Stephani monachis ab hac adscriptum,* 378 c
Lazari (*Petrus*) 393 f
† Lazarus *ad vitam a Christo revocatus* 343 c, 348 d; *ejus Treviris reliquiæ* 318 a
† Lazarus *regulus; sacrum ejus corpus metu Hungarorum occultatum, posteaque, cum jam ex hominum memoria excidisset, tandem inventum* 307 c
Lazarus *episcopus Aquensis* 316 d
† Leander *episcopus Hispalensis, S. Isidori Hispalensis itidem episcopi frater,* 407 c
† Leander *martyr, Treviris passus,* 292 ad 332
† Lebuinus *cum S. Willibrordo aliisque in Frisiam a S. Egberto episcopo Eboracensi missus scribitur a Pseudo-Marcellino* 471 d

 † Leguntius

† Leguntius *episcopus Trevirensis* 305 b
† Leo I *Papa : os ex hujus genu S. Gerardus e monasterio Blandiniensi ad Broniense detulit* 235 a b
† Leo II *Papa* 254 f
† Leo III *Papa* 458 d e
Leo V *Papa* 210 e f
† Leo IX *Papa novam S. Remigii Remis ecclesiam solemniter dedicavit* 132 b, 136 a
Leo X *Papa* 542 b; *oppidum*, Burgum S. Sepulchri *dictum, ad episcopatum evexit* 653 e; *quid in pulsandis campanis servandum præscripserit* 685 b; *in Brevi anni* 1515 *duas dumtaxat Assisiensis S. Francisci basilicæ ecclesias memorat; qualemcumque tamen tertiam expresse non negat* 823
† Leo *martyr, idem, ut apparet, cum S. Leone, ad diem* 2 *Octobris cum SS. Primo, Quirillo etc. jam dato, inter Prætermissos* 22 a
Leo, *velut martyr in Fastis Græcis annuntiatus, inter Prætermissos* 287, 288 a b
Leo IV *imperator* 444 a
Leo *S. R. E. Cardinalis sanctæ Crucis, apud quem hospitatus S. Franciscus Assisias a dæmonibus male fuit exceptus,* 644, 645 a b c
Leo *Minorita e Tribus S. Francisci Sociis, qui Opusculum de hujus vita, mandante Crescentio Ministro generali, elucubrarunt; S. Franciscum in monte, in quo hic Regulam, ab Honorio III scripto approbatam, dictavit, comitatus fuisse asseritur a Waddingo, et a Sedulioper S. Francisci Scriptum gravi spiritus tentatione liberatus; multa, quæ ex hoc audierat, de Indulgentia Portiunculana narrasse, in Theobaldinis et Corradinis de hac litteris, in B. Francisci Fabrianensis scriptis alibique insuper asseritur; S. Franciscum, dum hic mirabili luce intenebris juvaretur, est comitatus; revelationem, qua præmaturam corporis S. Francisci resurrectionem aliaque didicerit, habuisse narratur; quid de revelatione hac censendum; epistolam paterni amoris plenam ab hoc sancto Patre suo accepit* 469 usque ad 841
Leoberia *una e duodecim virginibus, quæ sub imperatoribus ethnicis Roma in Gallias venisse feruntur,* 128 et tres seqq.
† Leodegarius *episcopus Augustodunensis martyr* 24 d, 218 c, 256 a, 407 b; *inter Prætermissos* 22 a; *ejus reliquiæ, quas asservat Bronium, eo probabiliter ab ipso S. Gerardo abbate, utut contrarium sentiant nonnulli, e S. Dionysii fuere allatæ* 217, 218
† Leodegarius *presbyter apud Pertenses in Campania Galliæ cultus* 147 b
† Leodegarius, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 c
† Leodowini *translatio. Vide* † Luitwini.
Leonardus de Assisio *Frater Minor, S. Franciscum in itinere Ægyptiaco dicitur comitatus,* 523 e; *vana, quam habebat, cogitatio, ei ab eodem Sancto insinuata* 654 f, 655; *narratur etiam ei indicasse S. Franciscus, sese de æterna sua beatitudine divinitus certiorem factum* 843 b
Leontius *philosophus Atheniensis, pater Athenaidis, quam ex ethnica factam Christianam, dictamque* Eudociam *uxorem duxit Theodosius II imperator* 371 a b c
Leopoldus *hujus nominis V Austriæ marchio, S. Leopoldi Austriæ marchionis filius,* 495 a b
Lesura (*Solentinus seu potius Valentinus Lodovicius*) *collegiatæ S. Paulini prope Treviros ecclesiæ canonicus, instrumento de reliquiarum Trevirensium donatione Ferdinando Bavariæ duci facta subscriptus* 324 d e
Leudricus *abbas Elnonensis seu S. Amandi in Pabula* 251 c, 258 a b
Leutbaldus *abbas Medianensis* 295 b, 306 a, 336
Lia *filia natu major Labani, quam pater pro Rachele Jacobo supposuit,* 577 a
† Libaria *virgo martyr; hujus cum SS. Menna, Susanna, Eliphio et Euchario cognationis sororiæ vinculum certum non est; templum ei dicatum; 8 Octobris colitur; ubi fuerit sepulta* 144 usque ad 152
Libellatici *quinam e Christianis in persecutione lapsis dicti fuerint* 44 f
Libera *virgo. Vide* Liberata.
Liberata *virgo, Sancta forsitan fictitia* 145 d, 146 b
Liberius *præfectus prætorio* 165 c
Libosus *episcopus Vagensis* 153 b
Licinianus *notarius et accusator S. Cæsarii, Arelatensis episcopi,* 162 f
Licinius *imperator* 30 c, 356 d e, 388 b e
Licumannus *notarius. Vide* Licinianus.
† Lidorius *episcopus Turonensis primam Christianis in urbe Turonensi exstruxit ecclesiam* 131 d
Lientrudis *S. Mennæ genitrix* 145 d e f; *Monte-Romarici mausoleum adepta* 150 c
Lietaldus *abbas Mosomensis* 203 a, 218 c, 231 f, 272 b; *verosimillime fuit e duodecim monachis, quos S. Gerardus abbas e monasterio Dionysiano Bronium adduxit,* 242 a; *monasterio Tinnensi ab hoc Sancto fuit præfectus* 231 d
Lieutaudis *S. Mennæ mater. Vide* Lientrudis.
Lindlaria *familia nobilis* 187 e
Lipernioni (*Gratianus Mathei de*) *prætor Assisiensis contra virum per calumniam furti accusatum fecit procedi* 673 c d
Lisbius, *velut ecclesiæ Parisiensis protomartyr a Saussayo celebratus, inter Prætermissos* 287 a
Liutrudis *Sigmari comitis Perthensis uxor, pluriumque sanctarum filiarum mater* 145, 146 d
Lobbetius (*Jacobus*) *Societatis Jesu sacerdos, sodalitatis partheniæ philosophorum Duacensium director, reliquias martyrum Thebæorum vel Trevirensium Duacum missas approbari obtinuit* 326 a b c
Lodi (*Joannes Ant. Franciscus*) *notarius Bononiensis* 743 d
Lomellini (*Hieronymus*) *S. R. E. Cardinalis primum lapidem posuit ecclesiæ, SS. Cajetano et Bartholomæo Bononiæ exstructæ,* 379 a
Lopetius Diaz de Haro *Cantabriæ dominus* 699 d
Lorenzinus (*Franciscus Maria*) *notarius Apostolicus* 387 f
Lotharius I *imperator, Ludovici Pii filius,* 452 c, 458 f, 467 a b
Lotharius II *imperator* 195 a, 264 e f; *synodo Leodiensi, anno* 1131 *celebratæ, interfuit* 262 b c
Lotharius *Francorum rex, Ludovici Transmarini filius; diploma in monasterii Bavoniani favorem concessit* 237 multisque seqq.
Lotharius *rex Lotharingiæ, Lotharii I imperatoris filius,* 452 c
Lotharius *archiepiscopus Trevirensis* 324 b; *varias martyrum Trevirensium reliquias Nicolao Trigaultio, Societatis Jesu sacerdoti, itemque Jacobo Tirino, domus professæ ejusdem Societatis Antverpiæ præposito, additis etiam authenticis donationis litteris, dono dedit* 322 b, 327 a b
Lotti (*Michael*) *abbatiæ S. Stephani Bononiæ alumnus* 391 d
Loye (*Paulus van den*) *sacerdos, a Calvinistis Aldenardæ in Scaldi submersus, inter Prætermissos* 286 d e
† Lucas *Evangelista* 263 b, 493 c, 814 f, 815 e 834 b; *ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 a
Lucas *Tudensis in Hispania episcopus quam veram indubitatamque habuerit stigmatum, S. Francisco Assisiati divinitus impressorum, historiam, quantique in hac asserenda fieri debeat illius auctoritas* 556, 557 a b c
† Lucensis *confessor. Vide* † Lucius.
† Luchesius *confessor. Vide* † Lucius.
† Lucia *virgo martyr, e sociabus S. Ursulæ : ejus reliquiæ in urbe Metensi* 149 b
† Lucia *virgo martyr, cui templum a S. Petronio, ut narratur, Bononiæ exstructum, reliquiisque ditatum* 377 b, 379, 403 a b
† Lucianus *episcopus Bellovacensis martyr; Christi fidem in diœcesim Bellovacensem primus invexit; quo*

quo circiter tempore martyrio affectus; ejus reliquiæ in ecclesiam S. Quintini Bellovacensis ad tempus illatæ 130 usque ad 136
† Lucianus *presbyter Antiochenus martyr, novæ* 70 *Interpretum editionis auctor,* 141 b c
Lucianus *presbyter, per quem Quintus, in Mauritania episcopus, S. Cyprianum consuluit,* 49 d
Lucianus, *de quo ad S. Dionysium Papam scripsit S. Dionysius Alexandrinus,* 123, 125, 126 a b c
† Lucius a sancto Cassino *confessor. Vide* † Lucius confessor.
† Lucius *confessor Tertii Ordinis S. Francisci; primus cum conjuge vestem illius ab ipsomet S. Francisco accepit; ubi id factum* 540, 541, 542
† Lucius *cum SS. Fausto et Caio in Romano annuntiatus* 27 d, 40 a; *sæviente in Christianos persecutione, in carcere fidei causa detentos visitavit* 29 d e, 58 f; *Confessionis titulo inclaruit* 31 d
Lucius *presbyter, qui interfuit concilio Antiocheno secundo, adversus Paulum Samosatenum celebrato,* 95 f
Lucius Priscus *præses apud Macedonas* 84 b
† Ludgeri *episcopi Monasteriensis Elevatio, inter Prætermissos* 21 c; *translatio a Monasteriensibus celebrata* 170 c; *sacellum Monasterii ab Anabaptistis innoxium* 188 a
Ludovicus Pius *imperator* 193 usque ad 207, aliisque locis; *diploma Eginhardo abbati Blandiniensi impertiit* 241 b
Ludovicus IV *imperator* 194 c
Ludovicus II, *cognomento* Balbus, *Francorum rex* 232 a b; *confirmavit donationem, a Carolo Calvo in favorem Ingelwini, hujusque in sedem Parisiensem successorum factam,* 422 d f; *ejus hac de re diploma* 423 a b c d
Ludovicus III *Francorum rex, Ludovici Balbi filius, injuste in exsilium pepulit Isambardum nepotem; cum Normanis fortiter dimicavit* 252
Ludovicus IV, *cognomento* Transmarinus *Francorum rex; diploma in monasterii Blandiniensis favorem concessit* 245, 247 b, 251 b, 255 a
Ludovicus VI *Francorum rex; Parisiense S. Eligii monasterium Fossatensibus monachis petiit restitui* 424, 425, 426 a
Ludovicus VII, *dictus* Junior, *Francorum rex brachium S. Eugenii martyris Alphonso VII Castellæ regi concessit* 213 a b
† Ludovicus IX *Francorum rex: aliquæ ejus reliquiæ Francisco Bartholi Minoritæ concessæ* 748 c; *pulvinar, quo S. Franciscus Assisias in extremo morbo usus fuerat, est veneratus* 611, 612 a b c, 837 c d e
Ludovicus XIII *Francorum rex* 468 b
Ludovicus *Francorum rex, in commentitio Theodosii II imperatoris Privilegio memoratus,* 383 c
Ludovicus I *Germaniæ rex, Caroli Magni e Ludovico Pio imperatore nepos,* 193 c, 231, a; *diploma in favorem monasterii Metamensis anno, ut probatur,* 837 *concessit* 194, 197 a b
Ludovicus II *Germaniæ rex, Ludovici Pii imperatoris e Ludovico I Germaniæ rege nepos,* 298 b
Ludovicus III *Germaniæ rex, Arnulfi imperatoris filius,* 206 d, 208 b, 221 a b
Ludovicus *Arelatensis S. R. E. Cardinalis, Martini V Papæ legatus, ecclesiæ, S. Joanni Evangelistæ apud Bononienses sacræ, Sanctorum reliquias visitavit* 378 f
Ludovicus, *cognomento* Severus, *Bavariæ Superioris dux* 195 b
Ludovicus *Caroli Magni ex filia Rotrude nepos* 423 b
Ludovicus *Henrici Bavariæ Inferioris ducis filius* 195 d

Ludowicus. *Vide* Ludovicus.
† Ludwini *translatio. Vide* † Luitwini.
Luitbaldus *dux Bavariæ in prælio contra Hungaros occisus* 195 a
Luitperga *Desiderii Longobardorum regis filia, Thassiloni Bavariæ duci nupta,* 192 a
† Luitwini *episcopi Trevirensis translatio, inter Prætermissos* 22 c
Lupus *famosus montis Alverni prædo, a S. Francisco Assisiate ad Ordinem suum, ut fertur, felici eventu adductus,* Agnellusque *deinde appellatus,* 704 e f
Lutherus *hæresiarcha* 323 d; *librum Conformitatum S. Francisci cum Christo calumniatus, confutatusque ab Henrico Sedulio Minorita* 475 f
† Lutrudis *virgo; corpus ejus translatum* 145, 146 a b c d
† Luttrudis *virgo. Vide* † Lutrudis.

M

Mabillonius (*Joannes*) *Ordinis S. Benedicti scriptor clarissimus Vitam S. Gerardi abbatis Broniensis typis vulgavit* 202 c; *longum texuit S. Odoni, Cluniacensi abbati, encomium* 203 c; *Vitam S. Gisleni una cum libro, qui Sancti hujus miracula complectitur, publici juris fecit* 280 b
† Macalinus *episcopus. Vide* † Malcallinus.
† Macarius *abbas, dictus* Ægyptius, 416 d
Macharius *confessor Romanus, aliquamdiu schismati addictus,* 41 b
† Macharius, *Trevirensi S. Simeonis sæculi* XI *Kalendario inscriptus,* 506 a
† Machilla *episcopus, idem cum S. Macalleo, in Opere nostro ad 25 Aprilis dato, inter Prætermissos* 283 e
Macrianus *magorum in Ægypto patronus; Valerianum imperatorem in Christianos concitavit; hoc a Persis capto, tyrannidem in Ægypto arripuit, estque ipsemet Christianos persecutus; victus fuit atque occisus ab Aureolo; quo anno id evenerit; Valerianum Persis prodidisse ab aliquibus traditur* 50 usque ad 101 in diversis locis
Macrianus *præcedentis filius; victus fuit atque occisus ab Aureolo; quo anno id factum* 85, 86, 87 c d e
Macro (*Antonius Meliss. de*) *Ordinis Minorum inter auctores, qui de S. Francisco scripsere,* 476 multisque aliis locis
† Madalneus *episcopus. Vide* † Magdalveus.
Madelfridus, *velut Sanctus ac chorepiscopus a Castellano annuntiatus, inter Prætermissos* 283 d e
† Madalvæus *episcopus. Vide* † Magdalveus.
† Madulphus *episcopus. Vide* † Magdalveus.
† Madulutus *episcopus. Vide* † Magdalveus.
† Magdalena, *quæ capillis suis Redemptoris nostri pedes tersit,* 567 b
† Magdalveus *episcopus Virdunensis* 287 c; *inter Prætermissos* 23 e
† Magenhildis *virgo. Vide* † Menehildis.
Magnus *litteris a S. Hieronymo conventus* 102 f
Mahomet *Marrocanorum in Africa rex* 596 c, 705 c; *hunc, ut Christi fidem ei prædicaret, adire meditatus est S. Franciscus Assisias* 516 c e f, 595 d, 651 a
Mahomet *Pseudo-propheta* 524 c, 525 e, 529 a, 651 c
Mahometani *in Syria late dominantes; a S. Petro Damasci metropolita redarguti* 429 a b c
Mahumetus *Pseudo-propheta. Vide* Mahomet.
Mahusius (*Joannes*) *Ordinis S. Francisci. Vide* Joannes.
† Malcallinus *episcopus confessor, inter Prætermissos* 287 a b
Malchion, *qui interfuit secundo concilio Antiocheno, adversus Paulum Samosatenum celebrato,* 96 c
† Malchus *monachus* 565 a
Malcolmus *Scotorum rex, S. Margaritæ Scotorum reginæ maritus,* 22 d
Malderus (*Joannes*) *episcopus Antverpiensis varias Martyrum Trevirensium reliquias, quas domus professa Societatis Jesu Antverpiæ possidet, approbavit* 527 f
Malvasia (*Franciscus*) *patricius Bononiensis* 594 c
Malvasia (*Ludovicus*) *patricius Bononiensis interfuit traditioni capitis S. Petronii, Bononiensibus S. Petronii canonicis factæ,* 594 c
Malvetius *S. R. E. Cardinalis. Vide* Vincentius.
† Mamertinus *abbas Autissiodorensis* 284 d, 285 a, 340, 341 a b

† Mamertus

† Mamertus *abbas. Vide* † Mamertinus.
† Mammarius *presbyter martyr in Numidia* 132 b
Manaræus (*Oliverius*) *Societatis Jesu per provinciam Belgicam præpositus provincialis aliquot Martyrum Trevirensium reliquias impetravit* 327 b c
Manasses I *episcopus Meldensis donationem factam abbatiæ Molismensi confirmavit* 168 b
Manasses I *episcopus Remensis* 136 b; *interfuit dedicationi ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis, subscripsitque privilegio, a Philippo I Francorum rege ecclesiæ Corbeliensi concesso* 132 a d, 136 b
Manasses *Hiergensis seu Hirgensis toparcha* 236 a bf; *eximiam moriens sanctissimæ Crucis portionem monasterio Broniensi legavit* 233 e f; *Chartæ, quam Alexander episcopus Leodiensis in monasterii Broniensis favorem dedit, reperitur subscriptus ut testis* 264 a
† Mandrianus *miles, a S. Cypriano Telonensi, ut volunt, ad fidem Orthodoxam conversus, ac dein martyr* 137 a b, 162 a, 167 f; *sub Alboino, Longobardorum rege, occisus non fuit* 176 c d
† Mangius *episcopus. Vide* † Memmius.
Manichæi *a S. Petro Damasci metropolita redarguti; horum insignis malitia* 429 a b c d
Mansi (*Joannes Dominicus*) *archiepiscopus Lucensis instrumenti publici, quo B. Benedictus Aretinus ejusque socius pro Indulgentia Portiunculana testati sunt, exemplari, per Baluzium producto, aliud adjunxit* 749 d f; *idem etiam fecit quantum ad testimonium, pro eadem Indulgentia a Petro Zalfano datum,* 751 a; *protulit item pro hac aliud adhuc testimonium* 733 c
† Mansuetus *primus Tullensium episcopus* 147 d
Marcatrudis *secunda S. Gunthramni Burgundionum regis uxor; Gundobaldum privignum suum veneno interfecit* 408 a b c
† Marcellianus *episcopus Autissiodorensis* 341 c
† Marcellianus *martyr in Ægypto* 24 d, 348 e; *inter Prætermissos* 23 f
† Marcellianus *martyr Romæ* 342 b
† Marcellinus *Papa martyr* 314 d e, 330 a b c
† Marcellinus *episcopus Ravennæ. Vide* † Marcellus.
† Marcellinus *presbyter cum Petro exorcista martyr Romæ : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 a
† Marcellinus *presbyter, S. Willibrordi discipulus,* 174 b; *sub hujus nomine conficta Vita S. Suiberti episcopi* 171 c
Marcellinus *epistola a S. Augustino, Ecclesiæ doctore, conventus* 328 d
† Marcellus I *Papa martyr* 286 f, 287 a, 306 a, 314 a, 328 f, 329 f; *inter Prætermissos* 284 c d
† Marcellus *episcopus Ravennæ* 236 a b c
† Marcellus *episcopus, in Rabano et Hieronymianis annuntiatus,* 336 d, 338 a; *inter prætermissos* 286 b c d; *idem verosimillime est vel cum S. Marcello I Papa, vel cum S. Marcello, alias Marcellino, episcopo Ravennate* 286 a b
† Marcellus *Trevirensis, ut quidam volunt, episcopus* 306 a
† Marcellus *ex Apostolicis viris, qui cum S. Dionysio Roma in Gallias venerunt* 129 a b, 133 e
† Marcellus, *persecutione Valeriani exorta, coram Æmiliano Alexandriæ præfecto una cum S. Dionysio Alexandrino fidem confessus atque in exsilium pulsus,* 29 f, 39 d, 56 a b c
Marcellus *episcopus Ancyranus* 78 a
Marci (*Ægidius*) *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 746 d
† Marcialis, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 d
† Marcianus *martyr in Ægypto. Vide* † Marcellianus.
† Marcianus *seu* Macrinus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 e, 407 f
Marcionitæ *hæretici* 126 d
Marcomaldus *senescallus. Vide* Marquardus.
Marcomeres *Francorum dux* 300 b, 313 a
Marcomirus *Francorum dux. Vide* Marcomeres.
† Marculfus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 e
† Marcus *Evangelista* 33 e f, 34 a b c e, 320 b; *inter Prætermissos* 21 b; *templum ei a S. Petronio, ut narratur, Bononiæ exstructum reliquiisque ditatum* 377 b, 378 f, 379 e, 405 a
† Marcus *martyr in Ægypto* 24 a, 348 d, 338 b; *inter Prætermissos* 23 d
† Marcus *martyr Romæ* 342 a
Marcus *comes Dulcrimensis ac Stadiniensis* 198, 199, 200, 201
Marcus *Ulyssiponensis ex Ordine Minorum episcopus Portugallensis, inter scriptores, qui de S. Francisco tractarunt,* 476 a, 479 c, 493 a b c, 526 d, 530 a, 561, 567 b, et multis seqq.
Marcus Marcellus *Urbis præfectus* 216 d
Marcus Marcellus *præcedentis filius, dictus etiam, ut fertur,* Eugenius, *missusque a SS. Clemente Papa et Dionysio Areopagita ad prædicandam fidem in Hispaniam* 216 e f
Marcus *filius Rogatæ nobilis mulieris. Vide* Marius.
Marcus *Castri-plebis incola, qui, S. Francisco Assisiati pro puero surdo et muto faciens votum, auditum et loquelam ei obtinuit* 614 a b, 675 a b
Marentinus (*R. P. F. Honorius*) *Ordinis Minorum regularis Observantiæ theologus, Opere Apologetico Indulgentiam Portiunculanam tutatus,* 737, 738 a, 763 multisque seqq.
Marescalchi (*Vincentius*) *magistratus præfectus Bononiensis adfuit solenni traditioni capitis S. Petronii, Bononiæ ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 592 c
Marescotti (*Franciscus*) *adfuit solenni traditioni capitis S. Petronii, Bononiæ ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 592 b
† Margarita *Scotorum regina* 22 c
Margarita *mulier Assisiensis, vicina matris S. Francisci; ex hac, ut dicitur, audivit vaticinium, quod de Francisco, primum baptizato, fuerit a viro ignoto pronuntiatum,* 479 d e f, 480 a b
† Maria *Virgo Dei Genitrix; ejus de Burio in Lusitania ecclesiæ dedicatio, inter Prætermissos; imago ab Anabaptistis Monasterii impie tractata; antiquum in Portiuncula sacellum, a S. Francisco Assisiate instauratum; mira de hoc visio cuidam Fratri Minori oblata; ædes sacræ ei erectæ seu dedicatæ : Bellovaci in Portus Suavis monasterio; in monte Alverno et in Amæno nemore inter S. Gemini oppidum et Porcariam; semel, ut fertur, Franciscanis montis Alverni benedicere est visa; cuidam etiam, ut nonnulli volunt, Fratri Minori, in diem et horam, qua S. Franciscus in eodem monte sacra stigmata acceperit, inquirenti, apparuit; pro Indulgentia Portiunculana Sancto huic impetranda apud Filium suum intercessisse, asseritur in Corradinis de Indulgentia illa litteris et alibi; eumdem S. Franciscum in Opusculo, quod hic composuit, virtutum suarum habuit præconem* 22 c, 79 b, 120 usque ad 857 in diversis locis
† Maria Magdalena 103 d c, 306 a; *ædes sacra in illus honorem Viroduni a S. Magdalveo exstructa, alteroque ex ejusdem Sanctæ dentibus, Hierosolyma ab eo, ut fertur, allatis, donata* 449 c; *item sacellum ei a S. Francisco Assisiate, uti habet traditio, Victoriæ ædificatum* 699 d
Maria *abbatissa, velut Sancta apud Henriquezium in Menologio Cisterciensi annuntiata, inter Prætermissos* 268 a
Maria Teresia *augustissima imperatrix et regina Apostolica, Belgii Austriaci domina* 340 c
Maria *Angliæ regina, Philippo secundo Hispaniarum regi nupta,* 700 d
Maria *archiduæ Austriæ martyrum Thebæorum reliquias a Reinero S. Maximini prope Treviros abbate accepit* 325 c
Maria *soror Moysis et Aaronis* 131 b, 132 b

Maria *nobilis vidua, cui suos certo in loco habitaturos vaticinatus narratur S. Franciscus Assisias,* 705 b
Maria *mulier S. Francisco Assisiati devota, in siti per hunc fonte, multis postea salubri, recreata* 674 d, 675 b c
Maria (*D. Franciscus*) *thesaurarius, instrumento de donatione capitis S. Petronii, Benedicto XIV Papæ facta, subscriptus* 586 a
Marianis (*Jacobus de*) *civitatis Assisiensis deputatus* 782 b
Mariano (*Raynerus de*) *Aretinus Frater Minor. Vide* Raynerius.
Marianus *Florentinus Ordinis Minorum, ex auctoribus, qui de S. Francisco scripserunt,* 476 usque ad 582 et multis aliis seqq.
Marignano (*Massæus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Massæus.
† Marinus *martyr* 85 e
Marinus *filius Rogatæ. Vide* Marius.
Marinus *Frater Minor, Massæi de Marignano nepos,* 745 c d; *quædam de indulgentia Portiunculana, quæ ex hoc audierit, narrasse asseritur in Theobaldinis et Corradinis de hac litteris* 744 b c, 746 f, 765 b
Marinus *tyrannus* 56 c
Maripetrus (*Hieronymus*) *S. Francisci biographis a Waddingo annumeratus* 471 e
Marius *filius Rogatæ nobilis mulieris brachio contractus, per S. Francisci Assisiatis merita sanatus,* 674 a b
Marones *gentis Saracenicæ reliquiæ, in Italiæ et Galliæ finibus Maurum montem olim inhabitantes,* 229 b, 285 a, 284 a b
Marquardus *senescallus imperii, terrarum Ecclesiæ invasor,* 483 f
Marrones. *Vide* Marones.
Marsille (*Guilielmus*) *subscriptus instrumento de miraculo, per patrocinium S. Gerardi patrato,* 268 b
† Martha *S. Mariæ Magdalenæ Soror* 347 b
Martha, *alias* Matthea, *in Acie bene ordinata Ordinis Carmelitarum memorata, inter Prætermissos* 23 a
† Martialis *episcopus Lemovicensis* 422 d; *ecclesia in ejus honorem a S. Eligio Parisiis exstructa* 588 b; *qua occasione et quo tempore hæc in duas partes sit secta* 425 e f
† Martinus I *Papa os ex genu S. Leonis I Papæ dedit S. Wandregisilo* 253 e f
Martinus IV *Papa veram agnovit indulgentiam Portiunculanam* 736 c d; *Diploma, quo indulgentia Portiunculana confirmaretur, obtulisse narratur a Waddingo* 760 f
Martinus V *Papa* 378 a, 389 a
† Martinus *episcopus Trevirensis* 305 a
† Martinus *episcopus Turonensis; S. Gatiani, decessoris sui, reliquias transtulit; narratur ejus exsequiis S. Ambrosius episcopus Mediolanensis, utut corpore absens, per visionem interfuisse; verum sunt, qui velint, id non S. Ambrosio Ecclesiæ doctori, sed S. Ambrosio, Mediolani Sanctonum in Gallia episcopo, obtigisse; duo ei templa Bononiæ sacra, a S. Petronio, ut fertur, exstructa,* 206 e, 268 f, 269, 270, 271, 369 et multis aliis seqq.
† Martinus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 a b
Martinus *abbas Commendatarius S. Stephani Bononiæ duo SS. Innocentium corpora metropolitanæ Bononiensi ecclesiæ dono dedit* 407 b
Martinus *S. R. E. Vicecancellarius scripsit Bullam, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessam,* 580 f
Martinus *de vita periclitatus atque ad invocationem S. Francisci Assisiatis sanatus* 615 a
Martinus *alter S. Franciscum Assisiatem, ad quem confugerat, sibi etiam beneficum expertus* 675 d e
† Martius *martyr in Ægypto. Vide* † Marcus.
†† Martyres *Vagenses* 152 a b
† Marus *episcopus Trevirensis* 303 d e f
Massæus de Bitturicis *Ordinis Minorum* 730 b
Massæus de Marignano *Frater Minor, S. Francisci discipulus ac Socius, ab ipsomet hoc Sancto in Ordinem admissus; a tribus ejusdem Sancti Sociis in suo de hoc Opusculo dictorum testis fuit adhibitus; annus, quo obierit, perperam assignatus, et quo circiter obiisse sit dicendus; S. Franciscum, cum hic ab Honorio III Papa indulgentiam Portiunculanam petiit et obtinuit, est comitatus, nonnullaque ad hanc spectantia narravit; eumdem etiam S. Patriarcham cum Christo, annuum indulgentiæ Portiunculanæ diem præstituente, colloquentem audivisse narratur in Corradinis de hac litteris* 511 b, 512 e, 615, 616, 707 usque ad 769
Massæus Severinas *seu* de S. Severino *Ordinis Minorum* 730 a
Massarius de Aretio *Frater Minor B. Benedictum Aretinum hujusque socium Raynerium, testimonium pro indulgentia Portiunculana dicentes, audivit* 749 f
Masseus de Marignano *frater Minor. Vide* Massæus.
† Maternus *episcopus Trevirensis* 295 c, 296 b, 302 et tres seqq.,
Mathieu (*Natalis*) *Sacellanus, aurigine per patrocinium S. Gerardi Broniensis liberatus hocque ipsemet testatus,* 268 c d
† Mathildis *regina, conjux Henrici Aucupis regis Germaniæ,* 195 d
† Matra *martyr* 55 a
Matroclus *judex* 130 a, 131 a
Matroculus *judex. Vide* Matroclus.
Matthæa, *alias* Martha. *Vide* Martha.
† Matthæus *Evangelista : ejus reliquiæ Bononiæ anno* 1141 *narrantur detectæ* 406 b
Matthæus a Massuraca *ex Ordine Minorum, inter Prætermissos* 22 d e f
Matthæus *Aquaspartanus Ordinis Minorum S. R. E. Cardinalis oblatum, ut tradit Waddingus, a Martino IV Papa, quo Indulgentia Portiunculana confirmaretur, diploma recusavit, et cur* 761 f
Matthæus *S. R. E. titulo S. Mariæ in Porticu diaconus Cardinalis, Ordinis Minorum protector a Nicolao III Papa constitutus,* 721 a
Matthæus *abbas S. Vitoni Viroduni novam capsam, verosimillime argenteam, S. Magdalveo anno* 1477 *confici fecit* 458 a b c
Matthæus de Rubeis *vir nobilis. Vide* Rubeis.
Matthæus *Assisias Ordinis Minorum* 682 a
Matthæus *clericus, veneno, quod hauserat, ad invocationem S. Francisci Assisiatis liberatus,* 669 b
Matthæus *de Marignano Frater Minor. Vide* Massæus.
Matthæus *ex episcopi Aconensis vicario Frater Minor* 528 d e
Matthæus Parisius *monachus. Vide* Parisius.
Matthæus *puer morti proximus, ad invocationem S. Francisci Assisiatis modo mirabili subito sanatus,* 615 d
† Matthias *Apostolus* 518 c, 519 f, 495 d, 496 a
Mavortius *consul* 165 b
† Mauricius *martyr. Vide* † Mauritius.
Maurinus *pater S. Aureæ virginis abbatissæ* 412, 415, 419 b
† Maurisus *martyr* 557 a
† Mauritius *martyr, legionis Thebææ primicerius,* 295 usque ad 558
† Mauritius, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 e
† Maurontus *abbas, S. Rictrudis filius, monasterium una cum matre Broyli condidit* 251 b
Maurus (*Franciscus*) *Franciscanus, biographis S. Francisci a Waddingo annumeratus,* 476 d
† Maxentius *martyr, Treviris passus,* 292 usque ad 551
† Maxentius, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 f
Maxentius *imperator, Maximiani Herculii filius : an ei adscribenda clades, qua Bononiam semi-* 114 *rutam*

rutam invenit S. Petronius, 382 a b c
† Maximianus, *episcopus Bagaiensis, a S. Augustino laudatus,* 137 c
Maximianus Herculius *imperator; Christianos in Galliis adhuc cæsar est persecutus; legionem Thebæam jussit interfici; turpis ejus avaritia et in opulentos senatores iniquitas* 133, 214 usque ad 377
Maximianus Galerius *imperator* 141 c, 303 b, 305 a, 312, 313 e f, 337 f; *maxima ejus in Christianos cujuscumque ordinis sævities* 301 c; *a Persis victor reversus, maximo cum honore a Diocletiano fuit susceptus* 313 a
Maximianus *Castorii frater, e Donatista episcopus Vaginensis Catholicus; paci Ecclesiæ impense studuit; a S. Maximiano, episcopo confessore, est diversus* 133, 134
Maximilianus II *imperator Officium de Passione Domini, a S. Francisco Assisiate compositum, quotidie recitare, ut refert Sedulius, erat solitus* 842 a
Maximilianus *archidux Austriæ, præcedentis filius,* 323 b
Maximinus *annonæ præfectus, in judiciis fraudulentus,* 301 a b
† Maximinus *episcopus Trevirensis* 303, 306 d; *ejus reliquiæ a S. Hildulpho translatæ* 313 c, 336, 337 a b c; *pars harum Gumberto abbati Abdingoviano concessa* 323 b
Maximinus *sæculi quarti initio imperator; S. Callisthenen non quidem, ut apparet, in matrimonium, sed ad illicitum complexum expetiit; Valeriam Galerii Maximiani imperatoris relictam viduam inhumanissime tractavit; effrænis ejus libido* 28, 29, 30, 348, 336, 337, 338, 339 a, 363 a b, 378 a b
† Maximus *presbyter ac dein patriarcha Alexandrinus; epistolam synodicam contra Paulum Samosatenum a concilii Antiocheni secundi Patribus accepit; sæviente sub Decio in Christianos persecutione, carceri fidei causa mancipatos visitavit; fidem, sæviente Valeriano, coram Æmiliano fuit confessus, atque in exsilium pulsus* 28 usque ad 37 et 336 ad 378
† Maximus *martyr, librorum Cælestis Hierarchiæ, qui sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur, scholiastes; quo circiter tempore obierit* 33 b c, 111 et quinque seqq.
† Maximus *cum Tiburtio et Valeriano martyr Romæ : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 a
Maximus *episcopus Bostrensis priori juxta ac posteriori Antiocheno concilio, adversus Paulum Samosatenum celebrato, interfuit* 94 d, 96 a b
Maximus *consul* 81 f
Maximus *presbyter Romanus confessor* 40, 41 a b
Maximus *philosophus litteris a S. Basilio conventus* 68 e, 76 a, 77, 78, 120 d, 128 a
Maximus *tyrannus* 300 c, 313 f, 369 e f; *a Theodosio I seu Magno victus fuit vitaque exutus* 300 d; *an ab eo Bononia clades acceperit, qua civitatem illam semirutam invenit S. Petronius,* 381 c d e
Mayer (*Daniel*) *notarius imperialis, instrumento donationis reliquarum Trevirensium subscriptus,* 327 e
Mayronis (*Franciscus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Mayronius.
Mayronius (*Franciscus*) *Ordinis Minorum sermonem de festo sacrorum stigmatum S. Francisci composuit* 679 f
Mazzi (*Philippus Maria*) *sacerdos, negotiorum Benedicti XIV Papæ Bononiæ curator* 389 a, 394 c
Mazzoni (*Ferdinandus Cajetanus*) *testis translationis capitis S. Petronii* 393 e
Mechtildis II *abbatissa Essendiensis reliquiis S. Marsi, quas a fratre suo, Ottone III imperatore acceperat, ecclesiam Essendiensem seu Asnidensem donavit* 341 d e
Medicis (*Julianus Laurentius de*) 718 a
Medina (*Michael*) *in libro, quem adversus hæreticos de Indulgentiis scripsit, Portiunculanam propugnavit* 736 b
Medoveus *episcopus Meldensis concilio Aurelianensi quinto subscripsit* 168 a
Medranus *vir nobilis, S. Francisco Assisiati, qui filium illius sanitati restituerat, ædes suas, ut narratur, ædificando conventui largitus,* 699 a b
† Meinwercus *episcopus Paderbornensis Romæ, ut narratur, impetravit tria filiorum S. Felicitatis corpora* 21 a; *condidit monasterium Abdingoviannum* 322 f
Melanchthon (*Philippus*) *hæreticus contra Missam privatam, quam damnabat, laudavit S. Franciscum Assisiatem* 839 d; *an merito hoc fecerit* 840
Melander (*Joannes*) *collegii Societatis Jesu Treviris procurator aliquot Martyrum Trevirensium reliquias obtinuit* 327 b c
Meledinus *Ægypti Soldanus, ad quem, ut Christi fidem ei prædicaret, intrepide accessit S. Franciscus Assisias; qui Sanctum hunc tum exceperit, muneribus donare voluerit, salvumque a se dimiserit; an eidem Sancto facultatem in regno suo fidem prædicandi concesserit, et an sub finem vitæ conversus, baptismoque fuerit ablutus* 326 usque ad 332 aliisque locis
† Meletius *episcopus Trevirensis* 305 a
† Memmius *episcopus Catalaunensis; S. Mennam baptizasse, simulque e sacro fonte suscepisse, in hujus Actis refertur; an id tamen reipsa fecerit, est incertum* 147 et quatuor seqq.
† Mendii *seu forte* Menei *martyris Alexandriæ ecclesia* 32 f
† Mendrianus *miles. Vide* † Mandrianus.
† Menehildis *virgo; corpus ejus diu in abbatia S. Urbani asservatum, hujusque deinde pars ad Campaniæ oppidum, a Sancta nominatum, translata* 145, 146 a b
† Menehoildis *virgo. Vide* † Menehildis.
† Menna *antiquissimis Litaniis Anglicanis inscripta* 149 f; *forte eadem est cum S. Menna virgine, e S. Ursulæ sociabus una,* 147 a
† Menna *virgo, e S. Ursulæ sociabus una,* 147 b; *a Menna Lotharingica, Bactii filia, verosimiliter est diversa, eademque cum S. Menna, antiquissimis Litaniis Anglicanis inscripta; ejus reliquiæ in urbe Metensi* 149 c
† Menna, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 f
Mercier (*R. D.*) *regalis abbatiæ S. Genovefæ Parisiensis bibliothecæ præfectus, nunc S. Leodegarii Suessionensis abbas, notitiam nobis subministravit de cultu S. Aureæ virginis abbatissæ* 411 b
† Mercurius *martyr sub Decio, 25 Novembris cultus,* 32 f
Mercurius *Trevirico, de quo Galba viator apud Browerum,* 297 a
Merobaudes *consul* 369 c
Méroveus *Francorum rex* 439 a
Messala *consul* 161 b
Messianus *presbyter, S. Cæsarii, Arelatensis episcopi, una cum S. Cypriano Telonensi discipulus, unusque deinde ex ejusdem biographis,* 161 a, 164 d e f, 165 a b c
† Methodius *Olympi in Lycia episcopus, martyrio sub Diocletiano coronatus,* 111 c d
† Michael *archangelus; celeberrima ei ecclesia in monte Gargano sacra; hanc S. Franciscus Assisias, ut verosimillimum est, visitavit; quo anno id factum* 318, 406, 463 usque ad 729
Michael Angelus *Ordinis Minorum, Minister provinciæ S. Francisci,* 769 a; *pro Indulgentia Portiunculana est testatus* 733 d e f
Michael *Prior de Poix in S. Romanam pie munificus* 134 f
Michael *ex ecclesiæ Aconensis clerico seu Ministro Frater Minor* 328 d e
Michael de Spello 763 a
Miguelius (*Seraphinus Thomas*) 731 d
Millenarii *seu* Chiliastæ *unde dicti* 102 a
Milo *pseudo-episcopus Trevirensis et Remensis* 326 a b,

326 a b, 438 d e f, 461 e; *ab apro percussus miserrime vitam finiit* 463 d
Miramolinus *Marrocanorum in Africa rex. Vide* Mahomet.
† Misael *una cum Anania et Azaria in fornacem ardentem Nabuchodonozoris jussu conjectus : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 e
Missorius (*R. P. Raymundus*) *Ordinis Minorum Conventualium, opinionem, quæ incorruptionem prodigiosumque situm corporis S. Francisci Assisiatis affirmat, Dissertatione, quam dono ejus habemus Ms., tutatus* 775 ad 790, multisq. seqq.
Mittarelli (*Joannes Benedictus*) *abbas, monachus presbyter Congregationis Camaldulensis, narrat aliqua de S. Francisco Assisiate* 534, 718 e
† Modestus *cum Vito et Crescentia martyr : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 b
† Modoaldus *episcopus Trevirensis* 303 b; *ejus reliquiæ in ecclesia Pauliniana Treviris media testudine in edito positæ; ad monasterium Helmwardeshusanum translatæ* 322 a; *pars ex his Gumberto abbati Abdingoviano concessa* 322 c; *monasterium Horreense in Broweri opinione condidit* 332 e
Moitoimon (*H. de*) *greffiarius subscriptus instrumento de miraculo, per patrocinium S. Gerardi Broniensis patrato,* 268 b
Molaria (*Richardus Hannibaldensis de*) *S. R. E. diaconus Cardinalis* 506 e f
Molinari (*Joannes Carolus*) *Benedicti XIV Papæ referendarius, protonotarius Apostolicus etc., interfuit traditioni capitis S. Petronii, Bononiensibus S. Petronii canonicis factæ,* 595 e
† Mommolenus *episcopus Noviomensis* 417 a b
Monaldi (*D. Corradus*) *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 747 a
Monaldus de S. Elpidio *Ordinis Minorum Minister provincialis, qui in hunc admisit B. Franciscum Fabrianensem,* 732 b
Monaldus *Frater Minor, qui S. Franciscum, longe absentem, in capitulo provinciali Arelatensi Fratribus benedicentem vidit* 511, 595 c, 638 f, 660 e
Monaldus *Frater Minor, qui, in provincia Romana monasteriorum Ordinis S. Claræ visitator, interfuit examini insignis miraculi, patrocinio S. Francisci patrati,* 673 c
Moniales *triginta, pro sacrarum imaginum cultu exsilium passæ, inter Prætermissos* 25 e
Monnier (*Joannes*) *episcopi Atrebatensis secretarius, subscriptus instrumento, quo ille reliquias martyrum Thebæorum vel Trevirensium Duacum missas approbavit,* 326 c
Montaltus *S. R. E. Cardinalis. Vide* Perettus.
Montanistæ *hæretici* 33 a, 76 d, 126 c; *Dionysii Alexandrini de horum baptismate opinio* 126, 127, 128 a
Montanus *episcopus Toletanus* 139 f
Montanus *hæresiarcha* 126 b, 127 f
Monte-Majore (*Hugolinus de*) *Franciscanus, biographis S. Francisci a Waddingo annumeratus* 475 d e f, aliisque locis; *an fuerit Sancto huic synchronus* 475, 776 a b
Monte Melino (*Andreas de*) *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 476 a
Monteolini *illustris familia. Vide* Monteolivo.
Monteolino (*de*) *illustris familia. Vide* Monteolivo.
Monteolivo (*de*) *illustris familia Massiliensis; hæc ita vocata non fuit ætate S. Cypriani, Telonensis episcopi, licet hic forsan ex illa traxerit originem; duo ex eadem familia viri nobiles, Joannes scilicet et Vincentius fratres, caput argenteum includendis ejusdem S. Cypriani reliquiis dederunt* 156 f et quatuor seqq.
Monteolivo (*Joannes de*) *vir nobilis in S. Cyprianum, Telonensem episcopum, pie munificus, hincque compensatus* 160 d e f
Monteolivo (*Vincentius de*) *vir nobilis in S. Cyprianum, Telonensem episcopum, pie munificus, hincque compensatus* 160 b c d
Monte S. Mariæ (*Hugolinus de*) *Franciscanus. Vide* Monte-majore.
Montfauconus (*Bernardus*) *Benedictinus e congregatione S. Mauri monachus duas Operibus S. Chrysostomi, quæ edidit, Homilias, de SS. Domnina, Berenice et Prosdoce ab hoc Sancto ad concionem dictas, inseruit* 344 f
Montolici *illustris familia. Vide* Monteolivo.
Montolieu (*de*) *illustris familia. Vide* Monteolivo.
Montolieu (*Margarita de*) *mater Antonii de Felix, qui cultum S. Cypriani, Telonensis episcopi, Massiliæ instaurari curavit* 160 a b
Montolion (*de*) *illustris familia. Vide* Monteolivo.
Moricus *forte proavus S. Francisci Assisiatis* 478 d e
Moricus *e religioso Crucifero Frater Minor, a S. Francisco sanitati restitutus atque in Ordinem admissus,* 498 b, 500 b, 501 a, 623 d, 638 f, 639 b; *vitæ ejus austeritas* 638 e
Moritus *e religioso Crucifero Frater Minor. Vide* Moricus.
Mortolensis *Tertii Ordinis S. Francisci, ab ipsomet hoc Sancto in illum admissus,* 541 a c
† Moyses *populi Israelitici* 107 b, 351 a, 396 a, 545 f, 546 a b, 571 f aliisque locis
† Moyses *presbyter Romanus, martyr sub Decio* 40, 41 b c
Mucia (*Rixerius a*) *scholaris. Vide* Rixerius.
Mugello (*Jacobus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Jacobus.
Mulhemius (*R. P. Henricus*) *SS. Theologiæ baccalaureus formatus aliquot martyrum Trevirensium reliquias dono accepit* 325 d e
Mumme (*Bernardus*) *impius Anabaptista* 189 a

N

Naaman *præfectus militum apud regem Syriæ* 281
† Nabor *martyr : corpus ejus Roma in Gallias translatum* 464 d, 465 e
Naitanus *rex Pictorum, epistola a S. Ceolfrido abbate Wiremuthensi conventus,* 417 a
Nanni (*Antonius*) *notarius, instrumentis de recognitione, translatione et traditione capitis S. Petronii subscriptus,* 492, 493, 494
Nannis (*Joannes Baptista de*) 492, 493, 494
Nappi Cancellieri (*Carolus*) *eques Ordinis S. Stephani, testis consensus, quem donationi capitis S. Petronii, Benedicto XIV Papæ a PP. Cælestinis factæ, præstitit eminentissimus S. R. E. Cardinalis Nerius Corsinus, instrumentoque hac super re confecto subscriptus* 388 a b c
Nardulfus *abbas Medianensis* 295 a b c d
Narseus *rex Persarum, a Maximiano Galerio imperatore victus,* 313 a
† Natalia *S. Adriani martyris Nicomediensis uxor : ejus reliquiæ Bononiam narrantur a S. Petronio delatæ* 369 b
Natalibus (*Petrus de*) *episcopus. Vide* Petrus.
† Nazarius *cum Celso martyr Mediolani : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 f
† Nazarius *martyr Romæ : corpus ejus hinc in Gallias translatum* 464 c, 465 e
Neapoleo de Armenzano *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 746 f
Neapoleo de Fulgineo *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 747 a
Nectarius *episcopus Constantinopolitanus* 371 c
Negantes *quinam e Christianis, in persecutione lapsis, dicti fuerint* 44 e
† Neophytus *martyr, idem verosimiliter cum S. Neophyto martyre, in Opere nostro ad 4 Maji dato, inter Prætermissos* 284 b
Nepos *episcopus Ægyptius, Millenariorum seu Chiliastarum patronus, a Dionysio Alexandrino confutatus* 102, 103, 104, 110 b
Nepotianus *episcopus. Vide* Nepos.

Nepotianus *presbyter, Epitaphio a S. Hieronymo honoratus,* 148 f
Nestorius *hæresiarcha; impium hæreticumque ejus dogma; fit episcopus Constantinopolitanus, hæresisque suæ virus spargit; exauctorari, nisi resipiscat, jubetur a Cælestino I summo Pontifice; cum disseminare cœpit hæresim, Theodosium II imperatorem sibi habuit faventem; in concilio Romano anno 430 fuit damnatus; egit apud Theodosium II imperatorem, ut in causa sua synodus œcumenica cogeretur; litteris fuit conventus S. Cælestino I Papa* 120, 121, 122, 140 f 369 usque ad 403
† Nicasius *archiepiscopus Remensis : ejus Remis reliquiæ* 256 a
† Nicetius *episcopus Trevirensis* 305 b, 375 c, 336 d
† Nicolaus *episcopus Myrensis* 814 a d; *corpus ejus Barii, regni Neapolitani civitate archiepiscopi in Apulia,* 646 f
† Nicolaus *Tolentinas Ordinis Eremitarum S. Augustini* 814 a d
† Nicolaus, *cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ,* 406 d
Nicolaus I *Papa* 338 c
Nicolaus III *Papa* 342 f, 681 b, 749 a
Nicolaus IV *Papa* 347 f, 684 d, 801 c e, 819 f; *an Regulæ Tertii Ordinis S. Francisci, quam confirmavit, etiam sit auctor, et quam in ea, qualis passim nunc exstat, partem habeat,* 341, 342; *litteras peculiares in favorem Assisiensis S. Francisci ecclesiæ dedit* 683 d e; *testibus oculatis celebris prodigii corporis S. Francisci annumeratur* 781 c. *Vide etiam* Hieronymus de Asculo.
Nicolaus V *Papa; Privilegia, a decessoribus suis Assisiensi S. Francisci ecclesiæ data, confirmavit; corpus S. Francisci Assisiatis visitasse, idque invenisse incorruptum et prodigioso situ positum, narratur; dubium non est, quin reipsa etiam corpus sancti illius patriarchæ Assisii visitarit* 684 c, 785 usque ad 823
Nicolaus de Castro arquato a porta *episcopus Spoletanus Vide* Castro.
Nicolaus *abbas monasterii S. Maximini Martyrum Trevirensium reliquias Mechliniensi Societatis Jesu templo impertiit, eodemque favore, additis etiam authenticis ea de re litteris, Jacobum Tirinum, domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ præpositum, affecit* 526, 527 a b c d e
Nicolaus de Assisio *Ordinis S. Francisci guardianus Spoletanus; narravit, ut dicitur, auditum e matre sua vaticinium, quod de S. Francisco primum baptizato fuerit a viro ignoto pronuntiatum* 479 f, 480 a b
Nicolaus *sacerdos de Stichano, hernia per S. Francisci Assisiatis merita liberatus,* 673 b
Nicolaus de Pepulis *jurisperitus, a S. Francisco Assisiate in Ordinem Minorum admissus, inque hac pie vita functus; Bernardum a Quinta Valle Bononiæ benigne excepit, primumque ibi Minoribus domicilium procuravit aut forte etiam ipsemet contulit; quandonam id fecerit; ejus corpus Bononiæ inventum* 713, 714, 715
Nicolaus de Curbio *Ordinis Minorum Innocentii IV Papæ confessarius, sacellanus ac biographus* 682 a b c
Nicolaus *civis Fulginiensis, crus sinistrum gravissime affectum habens, patrocinio S. Francisci Assisiatis sanatus,* 612 f
Nicolaus *vulneribus fere confectus, ad invocationem S. Francisci Assisiatis factis incolumis,* 668 d
Nicomas *episcopus Iconii priori juxta ac posteriori Antiocheno concilio, adversus Paulum Samosatenum celebrato, interfuit* 94 d, 96 a
Nicostratus *diaconus Romanus confessor, deinde schismaticus pseudo-episcopus,* 41 d, 42 a b
Nithardus *abbas Metamensis* 194, 197 b c
† Nivardus *archiepiscopus Remensis* 417 a
Noailles (*Eminentissimus dominus de*) *archiepiscocus Parisiensis Mrl. Parisiense anno 1727 edi jussit* 168 b
Noceto (*Petrus de*) *Nicolao V Papæ a secretis. Vide* Petrus.
† Noe *patriarcha* 282 c, 283 f, 328 a b c
† Norbertus *Ordinis Præmonstratensis patriarcha; reliquias ex SS. Ewaldis Coloniæ Agrippinæ obtinuit, Floreffiamque detulit; hic forsan illæ adhuc exstant* 188, 189
Normanni 423 d; *horum in Trevirenses et civitatem Parisiensem sævities* 297 c d, 306 d e, 422 b c; *in terras, Rheno et Mosa interceptas, irruptio* 298 a b c
Novatianus *presbyter Romanus ac dein antipapa hæreticus; litteras maledictis plenas in S. Cornelium Papam scripsit; se Pontificem electum, missis quaquaversum litteris, falso asseruit; ejus de lapsis hæresis; perperam a Græcis* Novatus *vocatur; in concilio Romano, itemque in synodo Carthaginensi, et a S. Dionysio Alexandrino fuit damnatus; epistola, quam ab hoc accepit,* 41 usque ad 100 et 124 f
Novatus *presbyter Carthaginensis, Novatiani schismatis impulsor* 41, 42, 45 b c
Nucerinus (*Petrus Antonius*) *Minister generalis. Vide* Petrus Antonius.
† Numerianus *episcopus Trevirensis* 317 a, 336 c d
Numerianus *imperator, Christianorum persecutoribus non accensitus,* 305 e
Nursia (*Andreas de*) *excubiarum Pontificiarum præfectus S. Francisci corpus, cum in hujus visitatione Sixtum IV Papam comitaretur, integrum ac incorruptum vidisse, hocque ipsemet retulisse narratur; quid de hac narratione sit censendum* 799, 800 b c d e f

O

Octavianus *unus e subdiaconus Gregorii IX Papæ, Waddingo* Octavianus Cardinalis diaconus, *discussa probataque S. Francisci miracula, cum hic Sanctorum numero solemniter adscriberetur, populo Assisiensi publice prælegit* 373 c, 611 f, 612 c d; *subscripsit Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ,* 580 d
Octavianus Ubaldinus *Junior, episcopus Bononiensis,* 384 b
† Octavius *martyr Thebæus Taurini, ut perhibetur passus* 292 c, 311 d
Octavius a S. Francisco *ex Ordine Minorum Observantium episcopus Assisiensis; auctoribus, qui de S. Francisco Assisiate scripserunt, accensitus; vidit legitque Diploma, a Corrado episcopo Assisiensi de Indulgentia Portiunculana editum; opinionem, quæ incorruptionem prodigiosumque situm corporis S. Francisci negat, libello, sub nomine* Petri Ursini *scripto nec tamen umquam, vetante id sacra inquisitione Romana, typis excuso, est tutatus; qui Assisiensis Minorum Conventualium ecclesiæ altare majus fecerit incidi; an ex hoc illius facto et auctoritate non alibi S. Francisci corpus quam sub altari illo cubare, sit concludendum* 478 f, 539 d, 688 b, 743 usque ad 823
† Oda *S. Mennæ, si hujus Acta recte notant, soror; eadem forte est cum S. Odda virgine, ad diem* 16 *Februarii Breviario Tullensi inscripta,* 143 et octo seqq.
† Odda *virgo, ad diem* 16 *Februarii Breviario Tullensi inscripta, eadem forte est cum S. Oda, S. Mennæ, ut hujus Acta ferunt, sorore* 143 a b
Oddis (*Jacobus de*) *Ordinis Minorum Observantium. Vide* Oddo.
Oddo de Aquasparta *Frater Minor quædam de Indulgentia Portiunculana, quæ ex Massæo de Marignano audierit, narrasse asseritur in Corradinis de illa litteris* 746 b c
Oddo (*Jacobus*) *Perusinus Ordinis Minorum Observantium, biographis S. Francisci a Waddingo annumeratus; corpus S. Francisci incorruptum, erectumque in pedes stans visum esse a Nicolao V Papa, scribit in Francischina secundum Perusinum Clarissarum exemplar; hujus aliorumque Operis illius exemplarium notitia, et quid de auctore,*

auctore, si istud reipsa scripserit, sit censendum; citatur interim ut adversans opinioni, quæ prodigiosum illum corporis S. Francisci statum affirmat; an merito id fiat; duas dumtaxat Assisiensis S. Francisci basilicæ ecclesias memorat; qualemcumque tamen tertiam expresse non negavit; cor et intestina corporis S. Francisci ecclesiæ Portiunculanæ adscribit 473 e, 507 b, 509 c, 782 usque ad 852

Odenatus *Palmyrenorum rex* 86 d; *multas Orientis occupat provincias* 87 a b; *Persas ex Syria et Phœnicia expulit* 98 c

† Odo *abbas Cluniacensis* 204 a; *Vitam, non S. Gerardi Broniensis, sed S. Gerardi, seu potius Geraldi, comitis Aureliacensis, descripsit* 205 b c

Odo *comes Parisiensis ac dein Francorum rex* 208 b, 209 c, 221 a b, 233 b, 271 d; *in insula Parisiensi sedem habuit* 423 b

Odo *episcopus Bellovacensis* 129 b

Odo II *episcopus Silvanectensis* 136 b; *interfuit dedicationi ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis* 132 b c, 133 f

Odo *in abbatiam Molismensem munificus* 168 b

Odo *vir eruditus* 231 c

Offredus *decanus S. Quintini Viromanduensis dedicationi ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis interfuit* 133 a b c

Olms (*Adamus*) *scripsit litteras de reliquiarum donatione, monasterio Einsidlensi facta,* 523 d

Olybrius (*Anicius Hermogenianus*) *consul Romanus. Vide* Anicius Hermogenianus Olybrius.

Opilio *consul* 165 a

Oportunus *abbas Lunelacensis synodo Dingenfiniensi interfuit* 193 d

Oportunus *abbas Metamensis, proximus B. Uthonis successor,* 149 d, 197 b; *non hic, sed Oportunus, abbas Lunelacensis, synodo Dingenfiniensi subscripsit* 193 c e

Opstal (*Joannes van*) *sacerdos, a Calvinistis Aldenardæ in Scaldi submersus, inter Prætermissos* 286 d e

Or *monachus seu anachoreta in Ægypto, velut Origenista ab episcopis damnatus,* 572, 573 a b

Origenes *presbyter, scriptor clarissimus; fidei Christianæ principiis S. Dionysium Alexandrinum imbuit; litteris ab hoc fuit conventus; quandonam id factum; sub Decio multa est passus, tormentisque succubuit; ab Ecclesia est damnatus; a S. Athanasio aliisque cum honore memoratur; an scriptis a Dionysio Alexandrino fuerit oppugnatus* 33, 48, 49, 108 et tres seqq.

Orlandus Cathanius *comes. Vide* Cathanius.

Orlandus (*D. Cælestinus*) *abbas, PP. Cælestinorum generalis in Urbe procurator; capituli Ordinis sui nomine caput S. Petronii Benedicto XIV Papæ dono dedit* 586, 587, 588

Ormies *Varanis II Persarum regis frater* 514 d

Orsi (*Guido Ascanius*) *magistratus præfectus Bononiensis adfuit solemni traditioni capitis S. Petronii, Bononiæ ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 592 c

Ortona Bocchi (*Felix Riccardus de*) *collegiatæ S. Petronii ecclesiæ canonicus etc. adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 592 b

Osiris *Ægypti forte rex, divinis honoribus ab ethnicis affectus,* 566 d

† Ositha *virgo et martyr, inter Prætermissos* 287 e

Oswaldus *abbas Metamensis* 191 e f; *geminus memoratur ab Hundio* 192 a

† Othildis *virgo. Vide* † Hoildis.

Otho *imperator. Vide* Otto.

Otho, *cognomento* Illustris, *Bavariæ dux* 193 d

Otho *Bavariæ inferioris dux, Henrici Bavariæ Inferioris ducis filius, in monasterium Metamense pie munificus* 193 e f, 196 a

Otho Candidus *S. R. E. diaconus Cardinalis Responsorium octavum Officii veteris S. Francisci Assisiatis composuit* 678 c

Otho *miles seu vir nobilis virum furti per calumniam accusatum fecit excæcari, novosque huic oculos patrocinio S. Francisci Assisiatis prodigiose concessos, dicitur juramento testatus* 672 c d; *vocatur alibi* Otto Octavianus de Lacuntella 673 c

† Otto *Frater Minor, a S. Francisco ad prædicandam fidem in Africam missus, ibique martyrum passus* 711 b

Otto I *imperator* 193 c, 227 a, 231 f, 233 a b, 264 d, 276 d f, 279 b c d; *Berengarium II, Italiæ regem, cepit* 207 c; *Henricum fratrem, aliosque sibi rebelles devicit* 276 a b

Otto II *imperator* 341 c

Otto III *imperator; reliquias S. Marsi presbyteri, quas ab Hugone episcopo Autissiodorensi, amico suo, acceperat, in Westphaliam transtulit, easque parthenoni Essendiensi seu potius sorori suæ, Mechtildi II hujus abbatissæ, dono dedit* 339 e f, 341 b c d e

Otto IV *imperator; anno* 1209 *ab Innocentio III Papa Romæ fuit coronatus* 493, 494, 508 d, 593, 594 a

Otto *dux Saxoniæ, pater Henrici Aucupis, Germaniæ regis,* 276 b, 279 c

Otto Octavianus de Lacuntella. *Vide* Otho miles.

Otto de Carrecto *vir potens, qui locum ædificando Cayri in Montis-Ferrati ducatu conventui S. Francisco dedisse fertur,* 697 d

Otto *juvenis leprosus, patrocinio S. Francisci Assisiatis sanatus,* 614 d e

Oudinus (*Casimirus*) *Vitæ primæ S. Francisci Assisiatis, a Thoma Celanensi scriptæ, exemplar ad Papebrochium nostrum misit* 469 b

Oza *subita morte, dum manum ad fulciendam arcam fœderis extendit, a Domino percussus* 582 e

Ozias *rex Juda, Amasiæ filius, continuo, dum in templo sacerdotale munus usurpat, lepra percussus,* 582 d

P

† Pachomius *episcopus et maryr, sub Maximino passus,* 28 e

† Pachomius *abbas apud Tabennenses in Thebaide* 363, 364 c, 378 b

Pacificus *Frater Minor, antea in sæculo rex versuum seu poeta laureatus a Frederico II imperatore dictus, ab ipsomet S. Francisco in Ordinem admissus, primusque deinde hujus minister provincialis in Francia; mira visione et S. Francisci verbis fuit conversus; signo Thau hunc in fronte signatum vidit; per eum idem Sanctus Canticum, in quod in ecstasin abreptus eruperat, meliori metro donari exoptasse narratur* 638, 639, 843

Pagius (*Franciscus*) *Ordinis Minorum Conventualium, in anno, cui S. Francisci Assisiatis obitum affigit, confutatus, uti etiam in tempore, quo ejusdem Sancti canonizationem factam statuit,* 573 a, 576, 664 d e

Pagni (*Seraphinus Antonius*) *Ordinis Minorum Conventualium in Romano SS. duodecim Apostolorum conventu præsidens et archivista* 784 c; *authenticum apographum relationis, qua corporis S. Francisci visitatio, per Piscullium ejusdem Ordinis ministrum generalem facta, narratur, confici curavit, benignissimeque ad nos transmisit, uti etiam testimonium, quo prodigiosum corporis S. Francisci statum sibi aliquando a S. Josepho Cupertino assertum, Bonaventura Buona sacerdos sæcularis testatur,* 803 d e f, 804 a b, 807 f

Palæotus (*Gabriel*) *S. R. E. Cardinalis, episcopus Bononiensis,* 368 d

Palatius (*Josephus*) *abbatis generalis PP. Cælestinorum secretarius* 387 d

Paleotus (*Alfonsus*) *episcopus Bononiensis* 379 a

† Palladius, *cujus Reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 b

Palladius *episcopus Helenopolitanus e duabus, quæ exstant, S. Ammonis Ægyptii Vitis scripsit forte prolixiorem, hæcque nihilominus ob causam, quæ redditur, sub definito Palladii nomine editur* 361 a

Palladius *episcopus Telonensis, S. Cypriani successor,* 466 d
Palma (*Jacobus de*) *velut episcopus Telonensis in instrumento fundationis ecclesiæ B. Mariæ de Sedis memoratus,* 456 f
† Palmacius *martyr. Vide* † Palmatius.
† Palmatius *martyr Romæ, ad* 10 *Maji Romano Martyrologio inscriptus; diversus est a S. Palmatio, martyre Trevirensi, brachium ejus Pragam a Carolo IV Imperatore translatum* 340, 341 b c d
† Palmatius *martyr, Treviris passus, inter Prætermissos; diversus est a S. Palmatio martyre, qui ad* 10 *Maji Romano inscribitur; reliquiæ ejus, ut volunt, sub finem sæculi quarti per S. Felicem episcopum Trevirensem collectæ, atque in ecclesiam illatæ; fuerunt hæ anno* 1356 *Carolo IV imperatori maxima ex parte concessæ* 292 usque ad 331
† Pammachius, *litteris a S. Hieronymo conventus,* 423 b, 424 f
† Pamphilus *presbyter Cæsareensis et martyr : primus e sex Apologeticis Origenis libris falso ei a Rufino Aquileiensi attributus* 372 c
† Pancratius *martyr : ejus Treviris reliquiæ* 318 b
Pandini (*Marcus Antonius*) *ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ majoris Bononiæ canonicus adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 392 c
† Pantaleon *idem, ut apparet, cum S. Pantaleone medico et martyre, Nicomediæ passo, inter Prætermissos* 22 a b
Pantaleon *inter primos Æthiopiæ apostolos a Jobo Ludolfo habitus* 21 f
Pantula *Virgo e Sociabus S. Ursulæ : ejus reliquiæ in urbe Metensi* 449 d
Papebrochius (*Daniel*) *Musei nostri scriptor Vitam S. Hesychii conf. e Ms. Synaxario Græco edidit* 138 c; *a Casimiro Oudino accepit exemplar Vitæ primæ S. Francisci Assisiatis, a Thoma Celanensi scriptæ,* 469 d
† Papias *episcopus Hierapolitanus in Phrygia* 102 a, 104 d
† Papirius *martyr, Treviris passus,* 292 usque ad 331
† Papyrius *martyr. Vide* † Papirius.
Parens (*Joannes*) *Frater Minor S. Francisci post Eliam in ministerium generale Ordinis successor* 557 f, 779 a, 825 d, 826 c
Parisi (*Julius*) *ecclesiæ metropolitanæ Bononiensis custos, testis adhibitus in recognitione capitis S. Petronii,* 392 e
Parisiensis (*Matthæus*) *monachus. Vide* Parisius.
Parisius (*Matthæus*) *monachus Anglus Congregationis Cluniacensis* 573 a; *nonnulla de S. Francisco, parum tamen accurate, annotavit* 477 b; *qui stigmatum, Sancto huic divinitus impressorum, narret historiam* 558 b c d, 562 b
† Parmensis (*Joannes*) *minister. Vide* † Joannes Parmensis.
† Parthemius *Bononiæ quiescens. Vide* † Parthenius.
† Parthenius *Bononiæ quiescens; incertum, quis sit* 402 a b c
† Parthenius *martyr Romanus, una cum Calocero sub Decio occisus,* 402 b
Paschalis II *Papa moniales e Parisiensi S. Eligii cœnobio ob pravos harum mores permisit expelli* 423 e, 424 c d
Passioneus *S. R. E. Cardinalis, Bullæ a Benedicto XIV Papa in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem concessæ subscriptus,* 688 c
† Pastoris *martyris Complutensis corpus inventum* 138 d
† Paternianus *proximus S. Petronii, ut plerisque eruditis visum, in sedem Bononiensem successor* 384 b, 404 a
Patris *civis Fulginiensis energumenus. Vide* Petrus.
† Paula *nobilissima vidua Romana, discipula S. Hieronymi,* 360 a
Paula Baptista Mezavacca *Virgo clarissa, inter Prætermissos* 23 d
Pauli (*Bernardutius*) *pro indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 746 d
† Paulinus *episcopus Trevirensis; martyrio vitam non finivit; corpus ejus e Phrygia Treviros translatum, et a S. Felice episcopo e catenis ferreis honorifice suspensum; hisce per Normannos effractis, humi subsedit; crypta ejus, permittente Udone archiepiscopo, effracta; caput populo publice exhibitum; Epitaphium; non est id valde antiquum; antiquus de eo Hymnus inventus* 294 usque ad 333
Paulinus *Junior consul* 464 b
Paulinus *S. Ambrosii episcopi Mediolanensis biographus* 370 e
Paulo (*Joannes de S.*) *S. R. E. Cardinalis episcopus Sabinensis, ex illustri Columnensium familia natus; S. Francisco Assisiati, Regulæ suæ approbationem desideranti, apud Innocentium III Papam patronum se præbuit; item multa contulit officia in institutum ab eodem Sancto Minorum Ordinem, nec tamen hujus fuit protector, a Pontifice statutus,* 503 usque ad 637 in diversis locis.
† Paulus *Apostolus; quo sensu a Balsamone* Rhetor *sit dictus; ecclesia cathedralis Monasteriensis ei sacra; ejus apparitio S. Gerardo abbati facta; fueritne in hac S. Gerardo aqua prodigiose salutaris sanctissimæque Crucis portio promissa, admodum est dubium; quando Corinthum primo advenerit, et quamdiu ibidem tunc fuerit moratus; ibi SS. Crispum et Caium baptizavit; inde in Asiam discedens hunc posteriorem comitem sibi adjunctum verosimillime non habuit; ejus reliquiæ anno* 1441 *Bononiæ narrantur detectæ; templum in illius honorem a S. Eligio Parisiis exstructum* 32, 33, 61, 63, 107 usque ad 815 in diversis locis.
† Paulus I *Papa* 444, 445, 446 a b c; *Chrodegrando Metensi episcopo concessit SS. Gorgonii, Naboris et Nazarii reliquias* 464 a b, 465 c
Paulus V *Papa* 324 e, 805 c, 808 a b; *Officium de sacris stigmatibus S. Francisci universæ Ecclesiæ permisit* 680 b c; *Fratres Minores in domo paterna S. Francisci, dato diplomate, stabilivit* 689 d; *in corpus S. Francisci locumque, in quo id sit, inquiri graviter vetuit; litteræ, quibus hoc fecit,* 824
† Paulus *patriarcha Constantinopolitanus, inter Prætermissos* 21 c
† Paulus *episcopus Virdunensis* 432 b f, 442 b
† Paulus *primus eremita* 363, 815 b c d
† Paulus *Simplex anachoreta in Thebaide, inter Prætermissos* 284 b
Paulus Gasta de Perusia *Ordinis Prædicatorum, Sanctis Umbriæ a Jacobillo annumeratus, inter Prætermissos* 285 e f
Paulus Samosatenus, *episcopus Antiochenus hæresiarcha; ejus, ad cathedram Antiochenam evecti, pravi mores; quid docuerit; in priori Antiocheno concilio, quod ejus in causa fuit celebratum, Firmilianum Cæsareæ Cappadocum episcopum decepit; in posteriori fuit exauctoratus; epistolam ad eum a S. Dionysio Alexandrino scriptam memorat Theodoritus; hæc, cujus scriptio verosimillima apparet, forsitan distincta est ab ambabus ad* Samosatenum *epistolis, ejusdem S. Dionysii nomine vulgatis; quid de his sit censendum et an altera esse nequeat eadem cum epistola, ab eodem S. Dionysio Alexandrino ad ecclesiam Antiochenam scripta,* 63 usque ad 122
Paulus, *qui Berterico in episcopatum Viennensem successisse narratur ab Hugone Flaviniacensi,* 461 d, 463 e
Paulus, *qui interfuit secundo concilio Antiocheno, adversus Paulum Samosatenum celebrato,* 93 c
Paulus *diaconus breve Vitæ S. Chrodegrandi Metensis episcopi Compendium scripsit* 441 f; *fuit fidei in Desiderium Longobardorum regem, dominum*

minum suum, prorsus incorruptæ 456 d e
Paulus *Frater Minor, Marchiæ Anconitanæ minister provincialis a S. Francisco constitutus,* 537 f, 600, 601 a b c
† Pelagia *virgo martyr* 343 usque ad 355
Pelagiani *hæretici* 163 d
† Pelagius I *Papa* 157 b, 164 b c
† Pelagius *seu* Pelagia *martyr* 347 c d
Pelagius *hæresiarcha* 163 b
Pelusianus *monachus, ab Hilarione abbate peregrinante in monte Troico seu S. Antonii inventus,* 139 d
Pentapolitani, *Dionysii Alexandrini apud Romanum Pontificem accusatores; cur probrosis appellationibus fuerint ab hoc Sancto affecti* 60 usque ad 119
Peppo *episcopus. Vide* Poppo.
Pepulis (*Guilielmus de*) *pater Nicolai de Pepulis e jurisperito Minoritæ. Vide* Guilielmus.
Pepulis (*Nicolaus de*) *jurisperitus. Vide* Nicolaus.
Pepulorum *illustris Bononiæ familia* 713 a
Pepuzeni *hæretici. Vide* Montanistæ.
† Peregrinus *martyr episcopus Autissiodorensis; quo tempore passus sit, incertum* 338 et tres. seqq.
Peregrinus Falleronus *scholaris. Vide* Falleronus.
Perengarius *comes. Vide* Berengarius.
Peretti (*Camilla*) *in Assisiense S. Francisci templum munifica* 804 b
Perettus (*Alexander*) *S. R. E. Cardinalis, dictus* Montaltus, *erga S. Franciscum Assisiatem devotus* 718 c
Perfectus *nauta, in mari, dum una cum multis aliis periclitaretur, S. Francisci Assisiatis auxilium expertus,* 669 b
Perpertuus, *velut Tulli in Gallia episcopus a Ferrario annuntiatus, inter Prætermissos* 286 a b
† Perseæ *seu* Persei *martyris Alexandriæ ecclesia* 32 b
Petit (*Joannes Reginaldus le*) *presbyter Fragmentum Vitæ S. Mennæ subministravit* 144 c
Petra mala (*Robertus de*) *vir erga S. Franciscum Assisiatem devotus. Vide* Robertus.
Petræ malæ *comites : ecclesia ab his in monte Alverno Franciscanis ædificari cœpta* 691 d
† Petronilla *uxor S. Gilberti, abbatis Novem-Fontium, inter Prætermissos* 21 b c
† Petronilla, *cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ,* 406 b
Petronius Probianus *consul Romanus* 369 f
Petronius *præfectus prætorio, pater, ut passim putatur, S. Petronii episcopi Bononiensis* 368, 369 a b, 402 d, 403 a
Petronius *Galliarum prætorio præfectus, diversus forte a Petronio Hispaniarum vicario,* 370 f
Petronius *præfectus prætorio, cui inscripta est lex* de collatione fundorum fiscalium, *codici Justinianeo lib.* XI, *tit.* 73 *inserta,* 370 a
Petronius *Hispaniarum vicarius; an fuerit pater S. Petronii, episcopi Bononiensis,* 369 d e f, 370, 371 a, 403 d
Petronius *arbiter* 372 d
† Petrus *Apostolus; ejus apparitio S. Gerardo abbati facta, et an in illa Sancto huic fuerit aqua prodigiose salutaris sanctissimæque Crucis portio promissa; ecclesia a S. Francisco Assisiate instaurata; reliquiæ a S. Gerardo Bronium delatæ, et quando; Bononiæ narrantur anno 1141 detectæ; corpus etiam ibidem quiescere, fuit aliquando a vulgo existimatum, et qui hanc opinionem tulerit Eugenius IV Papa; templa ei erecta seu dedicata : Bellovaci; duo Bononiæ, sæculo* III *unum, sæculo* IV *aliud; Viroduni; in somnis, ut fertur, Cælestinum I Papam admonuit, ut S. Petronium ordinaret Bononiensem episcopum; patravit resuscitationis miraculum* 41 usque ad 779
† Petrus *episcopus Alexandrinus, et martyr, sub Maximino passus* 28, 29, 30, 121 f
† Petrus *episcopus Ravennensis, dictus* Chrysologus, 376 d
† Petrus *Capitolius a S. Petro, Damasci metropolita, diversus forsan non est; qua tamen de causa ab illo diversus queat videri, et cur, si sit diversus, in Romano locum non mereatur* 428 tresque seqq.
† Petrus Compater. *Vide* † Compater.
† Petrus de Colle, *qui in Tertium Ordinem S. Francisci ab ipsomet hoc Sancto narratur admissus,* 541 d
† Petrus de Pisis *institutor monachorum S. Hieronymi de Observantia* 379 b
† Petrus *exorcista cum Marcellino presbytero martyr Romæ : ejus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ* 406 d
† Petrus *Frater Minor, a S. Francisco ad prædicandam fidem in Africam missus, ibique martyrium passus* 695 b, 741 c
† Petrus Majumenus *seu* Mavimenus; *quandonam passus sit martyrium* 429, 430, 431 a b c
Petrus *S. R. E. tituli S. Georgii ad Velum aureum diaconus Cardinalis, subscriptus Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ,* 580 d
Petrus *metropolita Damasci, posteriori Kalendario Coptico Seldeni, ad 15 Februarii inscriptus; a S. Petro Damasci metropolita, ab Arabibus occiso, forsitan est diversus* 431
Petrus de Natalibus *episcopus Equilinus, e scriptoribus, qui de S. Francisco Assisiate tractarunt,* 476 b, 488 d; *Vitis Sanctorum, quas edidit, fabulosa S. Aureæ virginis abbatissæ Acta immiscuit* 412 a
Petrus *episcopus Laquidonensis* 788 d
Petrus *episcopus Virdunensis, dictus* Italicus, 432 a; *ad sacram hanc dignitatem a Carolo Magno, non statim tamen a S. Magdalvei obitu, fuit nominatus; idne beneficii ob Papiensem, an ob Taravisinam urbem, Francis traditam, a principe illo fuerit adeptus* 453 sexque seqq.
Petrus Joannis Pauli de Ursinis *populi Florentini capitaneus. Vide* Ursinis.
Petrus de Noceto *Nicolao V Papæ a secretis; vidit, ut fertur, cum hunc comitaretur Assisium, corpus S. Francisci Assisiatis incorruptum prodigiosoque situ positum* 782 multisque aliis seqq.
Petrus Antonius Nucerinus *Minister generalis Ordinis Minorum* 682 a
Petrus Bernardoni *pater S. Francisci Assisiatis; qui hujus filii sui, quem mater primo* Joannem *appellarat, nomen mutarit; illius in hunc, ad sanctiorem vitam conversum, durities* 477 usque ad 512 aliisque locis.
Petrus Cathanii *seu* Cathanius *e canonico Assisiensi Frater minor; a Petro, secundo S. Francisci socio, potius videtur diversus; quo anno obierit; dicitur S. Franciscum ad Soldanum Ægypti comitatus; fueritne totius Ordinis Minorum Minister generalis, an S. Francisci tantum vicarius; narratur post obitum patrasse miracula, ab iisque, mandante Francisco, cessasse; quid de narratione hac censendum; per S. Franciscum, prævio Christi conspectu, ad prædicandum missus, narratur a Waddingo; eumdem Sanctum cum Christo, annuum Indulgentiæ Portiunculanæ diem præstituente, colloquentem audivisse, cumque illo deinde, ut divinam hac super re voluntatem Honorio Papæ testaretur, Romam profectus asseritur in litteris Corradinis; dicitur etiam in hisce quædam de eadem Indulgentia retulisse; fuit litteris a S. Francisco conventus* 499 usque ad 838 in diversis locis.
Petrus *ecclesiæ Alexandrinæ presbyter, in concilio Ephesino adversus Nestorium notariorium primcerius,* 120 f, 121 a b c d e
Petrus *sacerdos, cui ad restaurandum S. Damiani ecclesiam S. Franciscus Assisias obtulit pecuniam* 487 usque ad 634
Petrus *civis Fulginiensis energumenus, ad S. Francisci Assisiatis tumbam liberatus,* 612 f, 673 f
Petrus de Bernardone. *Vide* Petrus Bernardoni.

Petrus

Petrus de Bictonio *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in Corradinis de hac litteris* 746 e
Petrus de Sicilia *hernia per merita S. Francisci Assisiatis liberatus* 673 e
Petrus *Frater Minor, secundus S. Francisci Assisiatis socius seu discipulus; a Petro Cathanii potius videtur diversus; qui S. Francisco se junxerit, suaque omnia bona pauperibus distribuerit* 491 usque ad 509 aliisque locis
Petrus *Frater Minor, qui equum accommodatum, quo in partibus Aretinis vectus fuerat S. Franciscus, ad dominum reduxit,* 597 a b
Petrus *Leonis antipapa. Vide* Anacletus.
Petrus *ob blasphemiam in S. Franciscum Assisiatem filii sui, quem tamen deinde pœnitens vivum recepit, morte punitus* 666 e f
Petrus, *qui e carcere, in quem ob hæresim fuerat conjectus, a S. Francisco post emendationem fuit liberatus,* 669 f, 670 a
Petrus *vir, omnibus membris captus, a S. Francisco Crucis signo sanatus,* 535 d, 598 f
Petrutius *pronepos, ut notatum invenitur, germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 c
† Pharaildis *virgo; ejus reliquiæ Gandavum e Francia relatæ; hæ in novi Castelli ecclesia tantisper depositæ, ac deinde in novum Bavonianum monasterium solemniter fuere translatæ* 239 d e f, 240, 241 a b c
Pharao *rex Ægypti* 354 e
† Phileas *episcopus et martyr, sub Maximino passus,* 29 f
Philemon *presbyter Romanus, litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus,* 33 b, 49 quatuorque seqq., et 64 d, 101 b
† Philibertus *abbas Gemeticensis* 416 d
Philo *episcopus, a S. Hilarione abbate peregrinante in loco exsilii, in quod ab Arianorum fautore Constantio imperatore pulsus erat, visitatus,* 139, 140 a
† Philippus *unus ex Innocentibus pueris, ab Herode occisis; ejus corpus e monasterio Chimacensi a S. Gerardo Bronium delatum* 218
Philippus *Senior imperator* 34, 35, 36, 53 a, 98 c, 99, 100 b c d
Philippus *Junior imperator* 36 f, 53 b, 100 e f
Philippus I *Francorum rex; privilegium ecclesiæ Corbeliensi impertiit; vivente adhuc patre Henrico I, rex fuit inunctus; in exsilium pepulit Guidonem, Bellovacensem episcopum; fundationem cœnobii S. Quintini Bellovacensis confirmavit; anno 1067 solus regnare incepit; moniales e Parisiensi S. Eligii cœnobio ob pravos harum mores permisit expelli* 128 decemque seqq. et 423, 424 c d
Philippus II *Hispaniarum rex* 214 c, 701 d, 756 b; *reliquias S. Eugenii martyris a Francorum rege, Carolo IX, impetravit, easque honorificentissime excepit* 213 a b; *chirographum S. Francisci Assisiatis, Compostellæ asservatum, sibi exhiberi fecit* 700 c
Philippus III *Hispaniarum rex, universæ ecclesiæ permitti petiit ecclesiasticum de sacris S. Francisci stigmatibus Officium* 680 c; *in Fratres Minores fuit pie munificus* 689 f
Philippus *Angliæ rex, in commentitio Theodosii II imperatoris privilegio memoratus* 383 a
Philippus *S. R. E. Cardinalis, episcopus Ratisbonensis,* 323 b
Philippus Calandrinus *episc. Vide* Calandrinus.
Philippus *abbas monasterii S. Genovefæ Parisiis, commissarius deputatus in causa mutationis, circa Eligianum Parisiis monasterium seu prioratum faciendæ,* 426 e
Philippus *presbyter legatus S. Cælestini I Papæ* 375 a
Philippus *presbyter Constantinopoli* 373 c
Philippus *Frater Minor, Minister Tusciæ; in diem et horam, qua S. Francisco sacra stigmata fuerint impressa, Ordinis sui Ministri generalis jussu inquisivit, huncque revelationis, qua utrumque illud impressorum sancto Patriarchæ stigmatum tempus frater quidam laicus divinitus didicerit, per relationem, quæ datur, certiorem reddidit* 727 e f, 728
Philippus *Frater Minor, e primis S. Francisci Assisiatis sociis* 498 b, 500 d e, 589 c
Philippus *Perusinus Ordinis Minorum* 721 a b c
† Piato *martyr* 129, 130, 131 a b c, 135 a, 313 c
† Piatus *martyr. Vide* † Piato.
Pica *mater S. Francisci Assisiatis* 478 a b e, 617 a, 618 b, 622 d; *hunc filium suum primo appellavit* Joannem 480 d f, 585 a, 616 e; *fatidicum ejus de illo, adhuc juvene, pronuntiatum* 480 a, 617 b; *eumdem, cum a patre domi in vincula fuisset conjectus, liberum abire permisit* 488 d, 489 e, 585 a b, 620 f, 633 f
Picardus *filius, ut notatum invenitur, germani fratris S. Francisci Assisiatis* 478 c
Picus (*Joannes*) *Ordinis Minorum Conventualium Minister generalis in locum, quo sit S. Francisci corpus, Pii V Papæ jussu, nullo tamen operæ pretio, inquisivit* 825 d e f, 828 c
† Pierii *presbyteri, sub Diocletiano martyris, Alexandriæ ecclesia* 32 a
Pinius (*Ignatius*) *S. J. sacerdos, de Museo nostro bene meritus,* 782 d, 804 a
Pinius (*Joannes*) *præcedentis frater, Musei nostri scriptor* 782 c, 804 b
Pinna *episcopus Ægyptius* 85 d, 109 b
Pinoli Pederzani (*Nicolaus*) *testis translationis capitis S. Petronii* 393 d
† Pipinus *Landensis* 468 b
Pipinus, *cognomento* Brevis, *Francorum rex; Cellam S. Goaris Assuero Prumiensi abbati regendam tradidit; afflictas Ecclesiæ res meliori statui curavit restituendas* 181 b, 317 d, 431 usque ad 468 f
Pipinus Heristallius *totius Franciæ major-domus; corpora SS. Ewaldorum e loco, quo primum fuerant sepulta, extrahi, Coloniam Agrippinam transferri, ibique honorifice terræ mandari præcepit; commutationis contractum iniit cum Armonio, Virodunensi episcopo, et Angeberto archidiacono* 170 usque ad 468 in diversis locis
Pippinus. *Vide* Pipinus.
Piscullius *Ordinis Minorum Conventualium Minister generalis* 825 a c; *corpus S. Francisci visitasse, prodigiosoque in statu positum vidisse narratur* 779 e, 803 b f; *relatio seu epistola, in qua id fit; quid de hac censendum* 804, 805, 806 f
Pisanus (*Bartholomæus Albisius*) *Ordinis Minorum, scriptor libri Conformitatum S. Francisci cum Christo;* 470 usque ad 573 multisque aliis seqq.
† Pisis (*Petrus de*) *institutor. Vide* † Petrus de Pisis.
Piso *tyrannus, Valentis item tyranni jussu occisus,* 85 f
Pius II *Papa* 797 f, 823 a, 827 d, *canonicorum collegium Bononiensi S. Petronii templo adjecit* 384 d; *in Trasumeni lacus insula apud Franciscanos est hospitatus* 694 e f; *laudatur ut adversans opinioni, quæ prodigiosum corporis S. Francisci statum affirmat,* 818 f; *an merito id fiat* 819 e f
Pius IV *Papa* 371 d
† Pius V *Papa Breviarium Romanum ex Concilii Tridentini decreto reformavit* 678 b; *in locum, quo sit S. Francisci corpus, jussit inquiri* 825 d, 828 e
† Placidus *monachus martyr* 286 c
Plato *philosophus* 826 d
Playoul (*Jacobus*) *curiæ Thuniensis greffiarius, binis instrumentis, quæ de miraculis S. Gerardi Broniensis patrocinio patratis fuere confecta, subscriptus* 268 a b c
Plectruda *uxor. Vide* Plectrudis.
Plectrudis *mater S. Gerardi abbatis* 201, 204, 205, 268 b, 270 e

Plectrudis *uxor Pipini Heristallii* 182, 183 b, 437 a, 463 d
Plictrudis. *Vide* Plectrudis.
Poerius (*Bonaventura*) *Minister generalis Ordinis Minorum Observantium* 774 f
† Pontia *filia S. Gilberti, abbatis Novem-Fontium, inter Prætermissos* 21 a b
Ponticus (*Gotardus*) *typographus Mediolanensis, qui primus Conformitates S. Francisci Assisiatis cum Christo, a Pisano contextas, typis excudit* 475 d, 817 c, 829 b
Pontius *episcopus Ruthenensis monasterium S. Amantii Massiliensi S. Victoris abbati subjecit* 441 a
Pontius I *episcopus Telonensis; instrumentum de S. Cypriano, episcopo Telonensi, edidit; reliquias ejusdem Sancti transtulit, hujus solemnitatis commemorationem quotannis celebrari præcepit, simulque nobilium Monteolinorum in Sanctum liberalitatem testatam compensatamque voluit* 155 et quinque seqq.
Pontius II *episcopus Telonensis* 155 d
† Pontus *martyr, idem, ut apparet, cum S. Pontio, ad diem 2 Octobris cum SS. Primo, Quirillo etc. jam dato, inter Prætermissos* 22 c
Poppo *episcopus Virodunensis* 432 a, 439 b; *Carolo Martello contra Ragenfredum favit* 439 a b, 461 c d, 463 a
Porcariis (*Joannes de*) *episcopus Laquidonensis* 788 e
Porcarius *abbas Lerinensis* 161 a b
Porphyrius *philosophus* 826 c
Pozzi (*Joseph*) *cubicularius secretus, ac medicus extraordinarius Benedicti XIV Papæ etc.; instrumento de recognitione capitis S. Petronii subscripsit* 391 d f, 392 b
Prassi (*Dominicus Fabianus*) *notarius publicus apographum relationis, qua corporis S. Francisci visitatio, per Piscullium Minorum Conventualium Ministrum generalem facta, narratur, a Romanis hujus Ordinis Patribus ad nos transmissum, cum suo Originali concordare testatus; instrumentum publicum, quo id fecit,* 803, 804 a b c d
Praxedis *virgo reclusa pedem cum crure fractum luxatumque habens humerum, a S. Francisco Assisiate apparente sanata* 674 a b
Prez (*Franciscus de*) *civis Thuniensis, statim post promissam ad S. Gerardi reliquias peregrinationem febri liberatus, hocque ipsemet testatus,* 267 d e f
Priccius Capanna *pictor* 682 a
Primislaus, *cognomento* Ottocarus, *rex Bohemiæ, narratur Fratres Minores, a S. Francisco in Bohemiam missos, benigne excepisse, iisque conventum Pragæ exstruxisse* 551 b
Primulus *Vagensis in Africa episcopus* 153 d f
† Primus *una cum Quirillo et Petino etc., martyr Antiochiæ* 22 c
† Primus *una cum S. Feliciano martyr Romæ : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 c
† Prisca *virgo martyr* 306 a
Priscilla *mulier a Montano seducta* 126 b, 128 a
Priscillianistæ *hæretici* 300 c d
Priscillianus *hæresiarcha* 300 b
Privatus *episcopus Vagensis Donatista* 153 e
Proba (*Anicia Faltonia*) *Sexti Anicii Petronii Probi uxor. Vide* Anicia Faltonia Proba.
Probinus (*Anicius*) *consul Romanus. Vide* Anicius Probinus.
† Probus *episcopus martyr : pars corporis ejus Gumberto abbati Abdingoviano concessa* 322 b
Probus *imperator* 99 e; *Christianorum persecutoribus a Lactantio et Eusebio non accensetur* 303 e
Probus (*Anicius*) *consul Romanus. Vide* Anicius Probus.
Probus *prætorii præfectus, cui in codice Justinianeo apud Gothofredum inscripta sunt imperatorum Rescripta,* 370 b
Probus (*Sextus Anicius Petronius*) *proconsul Africæ etc. Vide* Sextus Petronius Probus.
† Proclus *Cyzicenæ ecclesiæ nominatus episcopus, ac deinde ad sedem Constantinopolitanam promotus,* 373 c
Procopius *invasor imperii* 143 e
† Proculus *episcopus martyr, cujus corpus Bononiæ,* 410 a
† Proculus *martyr Interamnæ, ad 14 Aprilis Romano inscriptus,* 347 e f
† Proculus *miles martyr, cujus corpus Bononiæ,* 377 c, 401, 402 b
Proculus *episcopus Massiliensis* 316 e
Proculus *episcopus Viennensis in Delphinatu* 463 b
Proculus, *qui secundo Antiocheno concilio, adversus Paulum Samosatenum celebrato, interfuit,* 95 f
† Projectus *martyr* 306 a
Proli (*Carolus de*) *sacræ Cæsareæ ac Regiæ Apostolicæ Majestatis rei classicæ in Scaldi supremus præfectus, vulgo* Amiralius, *editionem libri Conformitatum S. Francisci cum Christo, anno* 1510 *Mediolani adornatam, nobis accommodavit* 474 f
† Prosdocia *martyr, ad diem 19 Octobris Hieronymianis inscripta, diversa est a S. Prosdoce, virgine et martyre Antiochena,* 348 a b
† Prosducus *martyr. Vide* † Prosdocia.
Protogenes, *qui secundo concilio Antiocheno, adversus Paulum Samosatenum celebrato, interfuit,* 95 e
Providonius (*Franciscus*) *pictor Assisiensis* 779 b; *corpus S. Francisci et locum, in quo stat, a se delineatum, æri curavit incidi, excusumque Clementi XI Papæ dedicavit* 808 a; *an conjectura, ex illa* Providonii *delineatione formata, pro prodigioso corporis S. Francisci statu quidquam faciat* 809 b c d e f
Ptolomæus Philadelphus, *Ægypti rex, Alexandriæ Bruchium insigni bibliotheca instruxit* 140 c
Puget (*Stephanus de*) *episcopus Massiliensis* 160 b; *festivitatem S. Cypriani, episcopi Telonensis, ritu duplici Massiliæ celebrari præcepit* 156 d
† Pulcheria *imperatrix* 374 e; *Theodosio II imperatori, fratri suo, auctor fuit, ut Eudociam, prius* Athenaïdem *dictam, Leontii philosophi Atheniensis filiam, uxorem duceret* 370 c
† Pulcronius *episcopus Virodunensis* 436 f
† Pusinna *virgo; ejus reliquiæ Corbeiam Saxoniæ translatæ* 145, 146 b c d e
Puzarelli (*Simon*) *locum ædificandæ in sepulturam S. Francisci Assisiatis ecclesiæ Gregorio IX Papæ dedit* 579 a
Pyrrhus *Beræensis* 290 b
Pythagoras *philosophus* 826 d

Q

Quelin (*Nicolaus*) *Omnium Sanctorum de Mauritania in diœcesi Sagiensi thesaurarius, commissarius deputatus in causa mutationis, circa Eligianum Parisiis monasterium seu prioratum faciendæ,* 426 e
Quetif (*Jacobus*) *Vitam et Miracula S. Aureæ virginis abbatissæ, litteris a se mandata, typis vulgavit* 421 b
Quietus *Macriani tyranni filius; Ballistæ præfecti consilio occisus; quandonam id factum* 83, 86, 87 b c d e
Quinta-Valle (*Bernardus a*) *Frater Minor. Vide* Bernardus.
† Quintianus *abbas. Vide* † Quintilianus.
† Quintilianus *abbas* 413 b, 418
† Quintinus *martyr, apud Veromanduos passus; ecclesia ei haud procul a mœnibus Bellovacensibus exstructa; ejus reliquiæ pro hac dedicanda eo fuere translatæ populique venerationi expositæ; digitum ex his tunc accepisse narratur Guido Bellovacensis episcopus* 129 octoque seqq. et 313 b, 407 a b
† Quintinus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 c
Quintus *in Mauritania episcopus S. Cyprianum de baptismo consuluit* 49 c

Quiria *mater S. Aureæ virginis abbatissæ* 412 f, 413 a b, 419 c
† Quirillus *martyr* 22 d
† Quirinus *martyr* 284 a

R

Rachel *filia Labani, Jacobo patriarchæ nupta,* 577 e
Radagaisus *Gothorum rex a Stilichone in Italia victus* 376 c d e
Radbodus *Frisiorum rex paganus a Pipino Heristallio victus* 189 d, 190 b c
† Radegundis *Francorum regina, ac deinde monialis sacris cœnobii sui Pictaviensis virginibus S. Cæsarii Regulam servandam præscripsit* 414 a
Raderus (*Matthæus*) *S. J. sacerdos Vitam B. Uthonis, abbatis Metamensis, tom. III Bavariæ sacræ typis vulgavit* 191 f
Radhbedus *Frisiorum rex. Vide* Radbodus.
Rado *vir pie munificus* 168 b
Radulfus *episcopus Noviomensis. Vide* Rodulphus.
Raganfredus *major-domus. Vide* Ragenfredus.
Ragenarius *comes. Vide* Rainerus.
Ragenfredus *major-domus Neustriæ* 438, 439 c, 461, 462 b c; *bello appetitus victusque fuit a Carolo Martello* 241 f, 463 a b
Raginarius *comes. Vide* Rainerus.
Raginerus *comes. Vide* Rainerus.
Raginfredus *major-domus. Vide* Ragenfredus.
† Ragnoberti *adventus corporis, inter Prætermissos* 21 a
Raho *Frater Minor, quo invocante S. Franciscum, puer, e lapsu mortuus, ad vitam fuit revocatus,* 666 e f
Rainaldus *ex comitibus Signiæ. Vide* Raynaldus
Rainerius *S. R. E. tituli S. Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis. Vide* Capoccius.
Rainerus I *comes Hainoensium* 206, 280 a b c
Rainerus II, *cognomento* Longi-collus, *Hainoensium comes; fuit a Brunone archiepiscopo Coloniensi in exsilium missus* 203 c d, 206 b c, 276 et quinque seqq.
Rainerus III *comes Montensis seu Hainoensis, Hadwigæ Roberti Francorum regis sorori matrimonio junctus,* 212 c
Rainerus *monachus Cellensis in Hannonia; gesta miraculaque S. Gisleni litteris mandavit* 229 septemque seqq.
Rainfridus *major-domus. Vide* Ragenfredus.
Ramarius *S. R. E. diaconus Cardinalis. Vide* Capoccius.
Ranerius de Mariano. *Vide* Raynerius.
† Raphael *archangelus* 395 f, 825 c
Rasetus (*Joannes Franciscus*) *Ordinis Minorum, provinciæ Januensis diffinitor etc., visum a se instrumentum de conventus Riparoliensis fundatione, propria S. Francisci Assisiatis manu subscriptum, est testatus* 702 c
Ratbodus *episcopus Noviomensis ac Tornacensis. Vide* Ratholdus.
Rathbodus *abbas Cellensis in Hannonia gesta miraculaque S. Gisleni fecit describi* 231 d f
Ratherius *episcopus Leodiensis* 254 a
Ratholdus *episcopus Noviomensis ac Tornacensis* 136 f, 251 b; *dedicationi ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis interfuit* 132 b, 136 c
Ratta (*Ludovicus*) *marchio adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 392 a
Rausinus *seu* Ransinus (*Pontius*) *episcopus Telonensis. Vide* Pontius I.
Rawak *martyr in Fastis Coptitarum apud Ludolfum, inter Prætermissos* 22 c
Ray (*Joannes du*) *filio suo, promissa factaque ad S. Gerardi Broniensis reliquias peregrinatione, sanitatem consecutus, hocque ipsemet testatus* 268 d e
Ray (*Joannes du*) *filius præcedentis patrocinio S. Gerardi sanitati restitutus* 268 c d
Raymundus *princeps Antiochenus* 255 f
Raymundus Gaufredi *Minister generalis Ordinis Minorum* 755 b
Raynaldus *ex comitibus Signiæ, primo S. R. E. sub titulo S. Eustachii diaconus Cardinalis, deinde etiam episcopus Ostiensis et Veliternus, ac tandem Papa,* Alexander IV *dictus,* 667 d, 669 e; *Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ, subscripsit* 580 c. *Vide etiam* Alexander IV Papa, *et* Comitibus.
† Raynaldus *episcopus Nucerinus, septem episcopis, a quibus indulgentiæ Portiunculanæ promulgatio ecclesiæque consecratio facta asseritur, ab Ughello annumeratus,* 771 f
Raynerius *Senensis Ordinis Minorum custos Florentinus relationi, qua frater quidam laicus tempus impressorum S. Francisco stigmatum divinitus sibi revelatum, sub juramento asseruit, præsens adfuit* 729 b
Raynerius *e parocho factus Frater Minor, cui id futurum prædixerat S. Franciscus Assisias, plures ei adhuc curioni confessus,* 705 d e
Raynerius de Mariano *Aretinus Frater Minor laicus, socius B. Benedicti Aretini; multa, quæ ex fratre Massæo de Indulgentia Portiunculana audierit, narrasse seu testificatus asseritur in Theobaldinis de hac litteris, uti etiam in iis, quæ de eadem Indulgentia scripsit B. Franciscus Fabrianensis* 744 b; *Indulgentiam Portiunculanam per S. Franciscum Assisiatem petitam impetratamque ab Honorio III Papa, publice etiam testatus est; instrumentum, quo id fecerit; secundum in hoc Francisci ad Honorium accessum, in quo dies eidem Indulgentiæ lucrandæ fuerit præstitutus, non adstruit* 749 usque ad 770
Reate (*Angelus de*) *Minorita. Vide* Angelus Reatinus.
Reccesvinthus *Hispaniarum rex* 215 e
Regenboldus *litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus* 184 f
Regenoldus *monachus, Sithiensi monasterio abbas a S. Gerardo præfectus,* 250 b, 251 d
Regimbertus *abbas Medianensis* 336 e
Reginaldus *diœcesis Pictaviensis parochus, in S. Franciscum Assisiatem pius,* 674 d
† Regulus *episcopus Arelatensis martyr* 129 a b, 135 a
† Regundis, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 d
† Reinerus *monasterii S. Maximini prope Treviros abbas martyrum Thebæorum reliquias una cum instrumentis, ea de re confectis, Ferdinando Bavariæ duci et Mariæ archiduci Austriæ concessit* 324 d e f, 325 a
Reinerus *e Priore S. Michaelis Frater Minor* 528 e
† Remedius, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 c
† Remigius *episcopus Remensis* 148 d, 152 b, 306 a; *ad episcopalem dignitatem ante annum ætatis trigesimum fuit promotus* 434 c
† Remigius, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 e
Remigius *Pauliniani Treviris monasterii alumnus* 321 a c
Remundus *archiepiscopus Toletanus; pro transferendis e Francia in Hispaniam S. Eugenii martyris reliquiis fuit sollicitus* 213 b
Rescripta *duo Pontificia, quæ veluti S. Gerardo abbati data circumferuntur, alterum brevius, alterum prolixius; hoc cum illo unum est atque idem; genuinum aut genuino proximum apparet prolixius, videturque non a Stephano VIII, sed a Stephano VII concessum,* 222 quatuorque seqq.
† Restitutæ *virginis Passio per Gregorium Tarracinensem episcopum descripta* 204 c d
† Restitutus *martyr* 356 f
Ricardus *S. R. E. diaconus Cardinalis, Innocentii III Papæ nepos,* 473 b
Ricci (*Thomas*) *Perusii notarius Apostolicus, Perusino ex Francischina apographo, ad nos transmisso, subscriptus,* 783 c

Riccius (*Ludovicus*) *Romæ notarius Apostolicus, instrumento de eminentissimi S. R. E. Cardinalis Nerii Corsini consensu in donationem capitis S. Petronii, Benedicto XIV Papæ a PP. Cælestinis factam, subscriptus* 388 f
Richardus *dux Burgundiæ* 278 d
Richardus *dux Normanniæ, Rollonis ducis ex Willelmo seu Guilielmo filio nepos,* 257 b c d e
Richardus Hannibaldensis de Molaria *S. R. E. diaconus Cardinalis. Vide* Molaria.
Richardus *abbas S. Vitoni Viroduni; pecuniam mutuam, oppignerata S. Amantii abbatia, a comite Ruthenensi accepit; secundam fecit S. Magdalvei translationem* 442 b, 458, 459
Richardus *scholæ S. Mathiæ Treviris magister* 295 e
Richarius *episcopus Leodiensis. Vide* Richerus.
Richeldis *uxor. Vide* Richildis.
Richerius *Frater Minor. Vide* Rixerius a Mucia.
Richerius *monachus Senonensis in Vosago pauca de S. Francisco Assisiate, eaque dumtaxat negligenter, memoriæ prodidit* 477 a b c
Richerus *episcopus Leodiensis; S. Eugenii martyris reliquias Bronium transferri permisit, subitaque ex infirmitate Sancti hujus patrocinio sanatus diem, quo translatio illa facta est, quotannis haberi festivum præcepit; diplomati, quod veluti ab Henrico Aucupe S. Gerardo datum circumfertur, subscriptus reperitur* 210 ad 219 et 227 a, 273, 274, 275 a b c
Richildis *uxor secunda Caroli Calvi imperatoris* 422 d f
Richuinus *episcopus Argentoratensis diplomati, quod veluti ab Henrico Aucupe S. Gerardo concessum circumfertur, uti etiam Pontificio Privilegio, subscriptus reperitur* 227, 228
Rictiovarus *præfectus. Vide* Rictius Varus.
Rictius Varus *præfectus in Gallia* 133 c, 292 usque ad 335
† Rictrudis *vidua, abbatissa Marchianensis, una cum filio S. Mauronto monasterium Broyli condidit* 251 a
Rigerius a Mucia *scholaris. Vide* Rixerius.
† Rigobertus *archiepiscopus Remensis fuit e sede sua contra sacros canones dejectus* 437 f, 463 c; *clero suo commune ærarium instituit* 440 a
† Rigomerus *episcopus Meldensis* 468 a b
Riviera *seu* Rivera (*Dominicus*) *S. R. E. Cardinalis, Congregationis PP. Cælestinorum protector,* 388 b; *in donationem, qua hi caput S. Petronii Benedicto XIV Papæ dederunt, consensit* 386 f
Rivotortus *Franciscanus opinioni, qua cor S. Francisci in Portiuncula servari asseritur, refragatus* 830 c d e f
Rixerius a Mucia *scholaris, a S. Francisco Bononiæ in Ordinem Minorum admissus, postea in hoc Marchiæ Anconitanæ Minister provincialis; qui arcano timore per eumdem S. Franciscum mire fuerit liberatus, et qui id factum narretur a Pisano* 511, 512, 593 b, 655 a, 656 f, 712 e f
Rixerius *Frater Minor. Vide* Rixerius a Mucia.
Rizerius *Frater Minor. Vide* Rixerius a Mucia.
Robbia (*Augustinus Della*) *sculptor* 743 c
Robertus, *Hugonis Capeti filius, Francorum rex villam Cuvinium sorori suæ Hadwigæ in dotem matrimonialem dedit* 212 c
Robertus *comes Parisiensis, Odonis Francorum regis frater, fuit contra Carolum Simplicem rex creatus, brevique post occisus* 209 c, 269 a, 271 b; *monasterium Dionysianum abbatis sæcularis nomine aliquamdiu tenuit* 275 c; *in insula Parisiensi sedem habuit* 423 d
Robertus *comes, cognomento* Fortis, *pater præcedentis* 209 d, 271 c
Robertus *Frisius, Flandriæ comes, insigne canonicorum collegium Torholti instituit* 252 a
Robertus *comes Lomacensis diploma in favorem abbatiæ Walciodorensis dedit* 207 c
Robertus *Liciensis ex Ordine Minorum Conventualium episcopus Aquinas Francisco Sfortiæ Mediolanensium duci, cum hic S. Francisci corpus visum a se, narraret, dicitur adfuisse, hocque ipsemet esse testatus; quid hac de re censendum* 796, 797, 798 a b
Robertus *Caroli Simplicis Francorum regis officialis* 205 a
Robertus de Petra Mala, *erga S. Franciscum Assisiatem devotus,* 726 d
Robertus *Frater Minor, cæcus simul et moribundus a S. Francisco apparente visum et sanitatem consecutus,* 671 b c
† Rochus *confessor* 319 f
Rodericus *Cerratensis Ordinis Prædicatorum, biographus S. Dominici parum notus,* 518 b c d e
Rodobertus *episcopus Parisiensis. Vide* Chrodobertus.
Rodolphus. *Vide* Rodulphus.
Rodulfus. *Vide* Rodulphus.
Rodulphius. *Vide* Rodulphus.
Rodulphus *Richardi Burgundiæ ducis filius Francorum rex* 279 b, 416 a
Rodulphus I *rex Burgundiæ Transjuranæ* 279 f
Rodulphus II *rex Burgundiæ Transjuranæ lanceam Constantini Magni, quam a Samsone comite obtinuerit, Henrico Aucupi Germaniæ regi narratur dedisse* 276 a b c, 279 e f
Rodulphus *episc. Noviomensis; Womarum, ut apparet, Blandiniensem abbatem non ordinavit* 254 c, 258
Rodulphus *ex Ordine Minorum episcopus Senogalliensis, inter scriptores, qui de S. Francisco tractarunt,* 476 d, 479 e, 539 aliisque locis
Rodulphus *abbas S. Vitoni Viroduni; visio cælestis, quæ ei oblata narratur ab Hugone Flaviniacensi* 459
Rodulphus *Paulinianæ Treviris ecclesiæ præpositus* 319 a
Rodulphus *vir nobilis in S. Franciscum Assisiatem pius* 667 e
Rodulphus *prætor Sitiensis* 247 b
Rodulphus *Faventinus, testis in causa canonizationis S. Dominici,* 738 c, 739 d
Rogata *nobilis mulier, diuturno sanguinis fluxu ad invocationem S. Francisci Assisiatis liberata,* 673 e
† Rogatianus *presbyter, epistola a S. Cypriano conventus,* 40 a
Rogerie (*Joannes*) *notarius scripto testatus est miraculum, S. Gerardi Broniensis patrocinio patratum,* 268 a
Rogerus *canonicus miro modo in manu, quod de stigmatibus S. Francisci Assisiatis dubitasset, læsus, pœnitensque sanatus* 666 d e f
Rolandus Cathanius *comes. Vide* Cathanius.
Rollandus *episcopus Silvanectensis* 152 a
Rollo *dux Normannorum* 252 a, 257 b
† Romanus *martyr Antiochiæ* 343 e
Romanus *S. R. E. tituli S. Angeli diaconus Cardinalis, subscriptus Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ,* 580 d
† Romualdus *anachoreta, Ordinis Camaldulensis fundator,* 718 f
Rosetus (*Jacobus*) *artifex* 385 a
Rota (*Bernardina de*) *virgo Tertiaria. Vide* Bernardina.
Rotbertus. *Vide* Robertus.
Rotgandus *præfectus ducatus Foro-Juliensis. Vide* Rotgaudus.
Rotgaudus *præfectus ducatus Foro-Juliensis, a Carolo Magno ob rebellionem occisus,* 450 a c, 453 f
Rotgauzus *præfectus ducatus Foro-Juliensis. Vide* Rotgaudus.
Rotgerus *abbas Elnonensis* 251 c
Rotgerus *archiepiscopus. Vide* Rotherus.
Rotherus *archiepiscopus Trevirensis; Privilegio Pontificio prolixiori, per S. Gerardum Broniensem obtento, subscripsit; subscriptus etiam reperitur Diplomati, quod veluti ab Henrico Aucupe eidem S. Gerardo datum circumfertur* 225 et quatuor seqq.

Rotrudis

Rotrudis *abbatissa Herastenensis sanctimoniales Blangiacenses profugas hospitio excepit* 252 e
Rotrudis *Caroli Magni imperatoris filia* 423 a
Roversi (*Petrus Antonius*) *J. U. D. etc., adfuit solenni traditioni capitis S. Petronii, Bononiæ ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 392 c
Roy (*Jacobus le*) *collegii Societatis Jesu Valencenis rector os tibiæ martyrum Thebæorum seu Trevirensium partheniæ philosophorum Duacensium ejusdem Societatis sodalitati impertiit* 326 b d
Rubeis (*Matthæus de*) *vir nobilis ex antiqua et potenti Ursinorum familia, in tertium Ordinem, quem S. Franciscus Assisias instituerat, ab hoc ipso Sancto admissus; mirabile ejus, ut cum S. Francisco prandeat, pauperibus assidentis factum* 720
Rudolphus. *Vide* Rodulphus.
† Ruffinus *martyr* 129 d f, 135 a, 294 a
Ruffinus *presbyter Aquileiensis* 141 a; *brevem scripsit S. Ammonis Ægyptii Vitam* 361 f; *Vitas Patrum Petronii episcopi nomine scripsisse censetur a Tillemontio* 370 c
Ruffinus *Minorita e Tribus S. Francisci Sociis, qui Opusculum de hujus vita, mandante Crescentio Ministro generali, elucubrarunt; sancti patris sui Francisci, Reate medendi oculis gratia advecti, sedulam curam gessit; laterale ejus vulnus manu contrectavit* 469 usque ad 512 et multis aliis locis
Rufinus. *Vide* Ruffinus.
Rufus *episcopus Thessalonicensis, litteris a S. Cælestino I Papa conventus,* 374 f
Rugilus (*R. P. Josephus*) *secretarius et Assistens generalis Ordinis Minorum Conventualium etc. opinionem, quæ incorruptionem prodigiosumque situm corporis S. Francisci affirmat, Dissertatione Ms., quam una cum multis aliis monumentis benignissime ad nos Roma transmisit, tutatus* 776 usque ad 800
Ruotbertus *archiepiscopus Trevirensis* 227 f
Ruotbertus, *litteris S. Annonis de SS. Ewaldorum translatione subscriptus,* 184 a
Rupertus *Tuitiensis abbas; Vitam S. Eliphii martyris conscripsit* 144, 145 a b
Ruphynus Scipii *Ordinis Minorum S. Franciscum cum Christo, annuum Indulgentiæ Portiunculanæ diem præstituente, colloquentem audivisse narratur in litteris Corradinis* 746 e f
† Rusticus *martyr, inter Prætermissos* 23 a b
Ruthardus *episcopus Argentoratensis* 227 e
Ruyr (*Joannes*) *San-Deodatensis ecclesiæ cantor atque canonicus S. Mennæ Historiam Gallice typis edidit* 144 c

S

Sabatinus *Frater Minor. Vide* Sabbatinus.
Sabbatinus *Frater Minor, e primis S. Francisci Assisiatis sociis seu discipulis* 498 c, 500 a, 501 a; *dicitur hunc sanctum Patrem suum ad Soldanum Ægypti comitatus* 523 f; *patria fuit Assisiensis* 623 e f, 624 a f
Sabellius *hæresiarcha; Ptolemaidos episcopus a solo Zonara vocatur; variis scriptis impugnatus, celebrataque synodo, damnatus fuit a S. Dionysio Alexandrino; quandonam hoc postremum verosimilius factum* 60 usque ad 128
Sabinus *augustalis in Ægypto præfectus* 36 b, 57 a; *S. Dionysium Alexandrinum exsilio damnavit* 37 d, 100 f
Sacrificati *quinam e Christianis, in persecutione lapsi, dicti fuerint* 44 b
Sala (*Dinadanus*) *nosocomii prope Bononiam rector* 384 b
† Salaberga *abbatissa Lauduni* 416 d e f
Salomon *rex, Davidis filius,* 355 f, 529 a, 566 d
Saluebi (*Petrus*) 804 b
Salustius *Galliarum præfectus* 147 e
Samgar *judex Israelis* 577 c
Samson *comes lanceam, qua usus fuerit Constantinus Magnus imperator, Rodulfo II, Burgundiæ Transjuranæ regi, narratur dedisse* 276 e, 279 d
Samson *filius Manue e tribu Dan, judex Israelis,* 345 a, 577 e
† Samuel *propheta* 24 a 396 d
Sancta Maria in monte (*Hugolinus de*) *Franciscanus. Vide* Monte-majore.
† Sanctinus *episcopus Meldensis* 168 b; *inter Prætermissos* 23 d; *inter episcopos Virdunenses primo loco numeratur a Berthario; an reipsa fuerit Virdunensis antistes* 467, 468 a b
Sandoval (*Bernardus de*) *S. R. E. Cardinalis archiepiscopus Toletanus* 840 a
Sanson (*Franciscus*) *Minister generalis Ordinis Minorum* 682 a
Sanutus (*Marinus*) *narrat S. Francisci accessum ad Meledinum, Ægypti Soldanum, illiusque apud hunc gesta* 524, 525, 526 a
Sapores *Persarum rex Valerianum imperatorem cepit ignominioseque habuit* 80 d e, 81 a
Sara *Abrahami patriarchæ uxor* 350 b c, 354 a b
Saracenus (*Thedaldus*) *S. Francisci Assisiatis apud Reatinos hospes* 564 a
Sarcio *in Virdunense S. Vitoni monasterium beneficus* 443 d, 463 b
Sasboldus (*Adamus*) *Ordinis Minorum. Vide* Adamus.
† Saturnina *virgo martyr* 129 e
Saturninus *consul* 369 a
Savinus Saxoferatus. *Vide* Saxoferatus.
Saul *rex* 396 a
Saxoferatus (*Savinus*) *Bononiensen S. Luciæ ecclesiam reædificavit* 379 d
Saxorum *nobilis familia, S. Francisco Assisiati benefica,* 705 b
Sbaraglinis (*Raynaldus de*) *confalonerius, ut vocant, Assisiensis* 746 e
Scali Paltroni (*Ludovicus*) *ecclesiæ metropolitanæ Bononiensis canonicus etc. adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 392 c
Schefferus (*Joannes*) *typographus Sylvæ-ducensis* 809 a
Schevicavius (*Gisbertus*) *collegii Societatis Jesu Græcii in Styria rector* 325 e
Schilling (*Daniel*) *instrumento de donatione reliquiarum Trevirensium, Græciensi Societatis Jesu collegio a Ferdinando Bavariæ duce etc. facta, subscriptus* 324 c
Schriber (*Paulus*) *canonicus et thesaurarius ecclesiæ collegiatæ Coloniensis S. Cuniberti misit ad comitem de Geleen litteras, quas S. Anno, Coloniensis archiepiscopus, de SS. Ewaldorum translatione a se facta emiserit,* 184 b
Scipii (*Ruphynus*) *Ordinis Minorum. Vide* Ruphynus.
† Scopilio *archipresbyter, idem, ut apparet, cum S. Scubilione presbytero, inter Prætermissos* 22 f
† Sebastianus *martyr Romæ* 206 d, 269 b, 319 b; *ejus Treviris reliquiæ* 318 b
Secularis *consul* 88 b
† Secundus *martyr, legionis Thebææ dux; Treviris passus non est* 292 et quatuor seqq. et in aliis locis
Secundus *Thessalonicensis, S. Pauli Apostoli comes,* 290 c
Sedulius *episcopus Oretanus* 138 b
Sedulius (*Henricus*) *Ordinis Minorum, explanator et editor Vitæ S. Francisci, a S. Bonaventura scriptæ; scripsit etiam Apologeticum pro libro Conformitatum S. Francisci cum Christo* 473 usque ad 631
Sega (*Lactantius Felix*) *episcopus Amathuntinus et ecclesiæ Bononiensis administrator; caput S. Petronii ab abbate conventuati S. Stephani Bononiæ Benedicti XIV Papæ nomine accepit, illudque rite recognitum et novæ thecæ inclusum ad ecclesiam S. Petronio sacram transtulit ac tum Bononiensibus S. Petronii canonicis possidendum servandumque tradidit* 390 et quatuor seqq.

Sem

Sem *Patriarchæ Noemi filius* 328 c e
Semipelagiani *hæretici* 163 d
Senis (*Jacobus de*) *Franciscanus, biographis S. Francisci a Waddingo annumeratus,* 475 e, 476 b
Septemsoliis (*Jacoba de*) *illustris ac pia matrona Romana, cum S. Francisco Assisiate ejusque Ordine amicitia arctissime conjuncta,* 546 a, 650 e, 696 a b; *fuerit forte nobili viro Sancio Frangipani nupta; quæ de ejus ad S. Franciscum morti proximum accessu exhibitoque ei ministerio narrentur, et quid de his censendum; qui agnum, quem ei commiserat S. Franciscus, sibi adhærentem habuerit; cœpta, ut narrantur, ad illam scribi ab eodem S. Francisco morti proximo epistola* 566 et quinque seqq. et alibi
Septisoliis (*Jacoba de*) *illustris ac pia matrona. Vide* Septemsoliis.
Septres (*Ægidius de*) *episcopus Telonensis; Officium de S. Cypriano, Telonensi episcopo, expurgari mendis atque ad normam, a concilio Tridentino præscriptam, redigi præcepit* 156 e f, 157 a b c d
† Serapion *martyr, Alexandriæ passus: ejus ibidem ecclesia* 32 c
Serapion *abbas in Ægypto* 373 f
Serapion *senex, in persecutione lapsus, ac deinde pœnitens, absque pace e vivis excedere, a Divina clementia non permissus* 45 a, 46 e f
† Serenus *presbyter confessor in Prioratu Cellæ subtus Cantumerulam* 199 d e, 200 e
† Sergius I *Papa* 375 b; *S. Willibrordum anno* 696 *ordinavit episcopum* 181 f
† Servilianus *martyr, inter Prætermissos* 21 d e
Severus (*Lucius Septimius*) *imperator* 80 b
Sextus Anicius Petronius Probus *proconsul Africæ, dein præfectus prætorio quater, ac tandem cum Gratiano consul Romanus, trium filiorum, etiam consulum, pater; referri ad hunc posse videntur rescripta, quæ in Codice Justinianæo apud Gothofredum Probo prætorii præfecto sunt inscripta* 369, 370
Sextus Anicius Petronius Probus *proxime præcedentis filius. Vide* Anicius Probus.
Sforzia (*Franciscus*) *Mediolanensium dux; corpus S. Francisci Assisiatis vidisse, hocque ipsemet narrasse, asseritur; quid hac de re censendum* 796 et tres seqq.
Sgarzi (*Felix Antonius*) *abbas Conventualis PP. Cælestinorum S. Stephani Bononiæ; monitus a Benedicto XIV Papa, ut episcopo Amathuntino, caput S. Petronii Pontificis nomine rogaturo, obsecundet, facturum id se, datis ad Papam responsoriis, pollicetur, reque ipsa etiam coram testibus facit* 390 quatuorque seqq.
Sibilia *mulier cæca, ad sepulcrum S. Francisci Assisiatis visum adepta,* 612 e
Sibilla *Erythæa S. Franciscum Assisiatem ejusque Ordinem, ut quibusdam creditur, prædixit* 477 b
Sibillarum *effigies Monasterii ab Anabaptistis deturpatæ* 188 a
Sicilia (*Petrus de.*) *Vide* Petrus.
Sidonius *confessor Romanus, aliquamdiu schismati addictus,* 41 d
Sigebaldus *S. R. E. tituli S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis, subscriptus Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ,* 580 c
Sigebertus I *Austrasiæ rex* 408 b
Sigibertus. *Vide* Sigebertus.
Sigifridus *episcopus Parisiensis* 421 e
Sigmarus *comes Perthensis, plurium sanctarum filiarum pater,* 143, 146, 147 a b c
Silenus *ethnicorum semideus* 819 e
† Silvanus *episcopus. Vide* † Sylvanus.
† Silverius *Papa* 164 a
Silvester, *Vide* Sylvester.
† Silvinus *episcopus* 252 e f
† Simeon, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 400 b; *orta hinc in vulgo de S. Petri, Apostolorum principis, corpore ibidem quiescente opinio* 407 c
† Simeon *senex. Vide* † Symeon.
Simon *comes in Tuscia Palatinus sacellum,* Sanctæ Crucis *dictum, eo loco, quo S. Franciscus sacra stigmata accepisse dicitur, in monte Alverno exstruxit, elegantissimeque ornavit* 690 a b
† Simphorianus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 d
† Sisinnius I *episcopus Constantinopolitanus* 120 d, 373 d
† Sixtus II *Papa martyr; fuit litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus; quandonam id factum; S. Marsum presbyterum, aliosque Apostolicos viros ad opus Evangelicum in Gallias misit; fuit ei liber impius a Rufino Aquileiensi falso attributus* 49 usque ad 110 aliisque locis
Sixtus IV *Papa* 375 b, 377 a, 379 e, 506 d; *natale S. Francisci Assisiatis festum per universam Ecclesiam cum cessatione ab operibus servilibus celebrari præcepit* 677, 678 a b c; *Privilegia, a decessoribus suis Assisiensi S. Francisci ecclesiæ data, confirmavit; item huic adjacentique conventui univit monasterium de Campo-longo, omniaque beneficia, quorum collatio ad hujus abbatem spectabat; confirmavit Bullam, qua Bonifacius IX Indulgentiam Portiunculæ omnibus, qui in sacrorum stigmatum festivitate montem Alvernum devote visitarint, concessit; S. Catharinam Senensem stigmatibus insignitam depingi, binis Bullis vetuit; corpus S. Francisci visitasse, idque, ex quo etiam capillorum cincinnum amputarit, integrum ac incorruptum invenisse narratur; dicitur præterea consilium, quod de eodem corpore publice exponendo ceperat, dissuadente S. Jacobo Piceno, mutasse, aditusque, ad illud obstruxisse; quid de his narrationibus censendum* 684, 685, 686, 779 usque ad 837
Sixtus V *Papa* 328 c, 684 a, 727 d, 781 a f; *memoriam sacrorum stigmatum, S. Francisco Assisiati impressorum, Mrl. Romano fecit inscribi* 680 c d; *archiconfraternitatem in Assisiensi S. Francisci ecclesia, aliasque alibi confraternitates huic similes erexit* 684 c d; *corpus S. Francisci sub majori altari ecclesiæ Minorum Conventualium Assisiensium cubare existimavit* 821 b, 822 a
† Sixtus *Papa, cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 f
Smits (*R. P. Wilhelmus*) *Ordinis FF. Minorum Recollectorum, S. Theologiæ professor jubilatus etc., opinionem, quæ incorruptionem prodigiosumque situm corporis S. Francisci Assisiatis negat, Thesibus publicis tutatus,* 773 e f, 776 d
† Solutor *martyr Thebæus Taurini, ut perhibetur, passus* 292 b, 311 d
† Sopater *Beræensis, S. Pauli Apostoli, comes,* 290 c
† Sophia, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 e
† Soter *martyr, Treviris passus,* 292 usque ad 331
† Sother *martyr. Vide* † Soter.
Souris (*Gerardus*) *Prior Broniensis Catalogum reliquiarum, quas Bronium S. Gerardi cura possidet, una cum Sancti hujus aliquot miraculis et vitæ Compendio typis vulgavit* 219 b, 256, 257, 258 a; *testantes audivit miracula patrocinio ejusdem S. Gerardi patrata* 266, 267
Sparwenfeld (*Joannes Gabriel, baro de*) *de Museo nostro bene meritus* 286 b
Spoelberch (*Guilielmus*) *Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, provinciæ Germaniæ Inferioris definitor, curator editionis Speculi vitæ S. Francisci, anno* 1620 *typis Antverpiensibus adornatæ* 473, 474, 475 aliisque locis
Stabiliarius *socer Rotgaudi, a Carolo Magno ob rebellionem occisi,* 450 a c d, 453 c
Stabiliarus *socer Rotgaudi. Vide* Stabiliarius.
Stabilinius *socer Rotgaudi. Vide* Stabiliarius.
Stadensis. *Vide* Albertus abbas.
† Stanislaus *episcopus Cracoviensis martyr Assisii* 117 *Sanctis*

Sanctis solenniter adscriptus, 751 a d
Stantio *pater S. Gerardi. Vide* Stantius.
Stantius *pater S. Gerardi abbatis Broniensis* 201 b, 204 c, 205, 268 e, 270 e f; *consensit in donationem, ecclesiæ Broniensi ab hoc factam,* 208 b d
† Stephanus I *Papa* 49 b c d, 52 d, 53 c, 84 a, 126 b c, 340 a, 779 a; *baptismum, ab hæreticis collatum, esse validum ac proin non iterandum contra Cyprianum contendit; hac in causa ad S. Dionysium Alexandrinum de Firmiliano aliisque a communione sua resecandis dedit epistolam, responsoriamque a Sancto illo accepit; quandonam id factum; in eadem etiam causa ad Cyprianum aliosque Africanos episcopos minatorias dedit litteras, eorumque legatos dure excepit* 45 usque ad 52 pagg.
Stephanus II *Papa; Pipinum Brevem binosque ejus filios reges inunxit; in Galliis existens, quid tantum S. Chrodegrando Metensi episcopo contulerit* 440 usque ad 468
Stephanus III *Papa* 464 a
Stephanus VII *Papa; fundationem Broniensis monasterii, a S. Gerardo factam, dato in illius favorem privilegio, confirmavit* 209 usque ad 228 aliisque locis
Stephanus VIII *Papa* 220 e; *adscribendum huic non est Privilegium Pontificium, S. Gerardo abbati in monasterii Broniensis favorem concessum,* 223 tresque seqq.
† Stephanus *protomartyr: ejus cryptarum Autissiodori, itemque ecclesiæ cathedralis Vesontione dedicatio, inter Prætermissos* 24 b; *reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ; templum ei Arimini erectum; aliud a S. Petronio Bononiæ exstructum aut saltem instauratum, vel, adjecto monasterio, insigniter auctum, variisque, ut apparet, Sanctorum ditatum reliquiis* 377 usque ad 406
† Stephanus *urbis Romæ, cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ,* 406 b
Stephanus *S. R. E. tituli S. Mariæ trans Tyberim presbyter Cardinalis, subscriptus Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ,* 580 d
Stephanus *de Casamora S. R. E. diaconus Cardinalis. Vide* Casamora.
Stephanus *episcopus Cameracensis* 228 f, 229 e f, 280 c; *Privilegio Pontificio, quod S. Gerardus obtinuit, subscripsit* 223 a b; *corpus S. Gisleni de terra levavit cultuique debito restituit* 229 b; *illi etiam a Rainero adscribitur recuperatio reliquiarum ejusdem Sancti, quas Malbodienses abstulerant,* 234 c d e
Stephanus *episcopus Parisiensis Fossatensibus monachis Parisiense S. Eligii monasterium, quod ab his acceperat, restituit; ejus hac de re Diploma* 424 tresque seqq.
Stephanus *episcopus Tungrensis seu Leodiensis S. Gerardi abbatis, ut probabilissimum est, avunculus; ab hoc Sancto fuit consultus, ejusque amplectendæ vitæ monasticæ propositum probavit* 201 usque ad 219, aliisque locis
Stephanus *Henrici Bavariæ Inferioris ducis filius* 195 b
Stephanus *comes monasterium Tignense condidit* 232 d e f
Stephanus *abbas S. Jacobi Leodiensis Vitam S. Modoaldi, episcopi Trevirensis, conscripsit* 297 c
Stephanus *diaconus, S. Cæsarii, Arelatensis episcopi, una cum S. Cypriano Telonensi discipulus, unusque deinde ex ejusdem biographis* 161 b, 165, 166 d e f
Stephanus *Frater Minor, qui litteras ad S. Franciscum, in regionibus ultramarinis versantem, traditur tulisse,* 530 e f
Stiachia (*Joannes de*) *Fratrum Minorum Bononiæ Minister. Vide* Joannes.
Stilicho *consul, et imperii Occidentalis sub Honorio imperatore, adhuc juniore, tutor* 134 a; *Alaricum et deinde Radagaisum Gothorum reges, Italiam ingressos, profligavit* 376 a b
Stozingen (*Baro de*) *Austriæ Anterioris locumtenens et sacræ cæsareæ majestatis consiliarius* 323 f
† Sturmius *abbas Fuldensis agonem suum fidelium precibus morti proximus signo æris campani edito jussit commendari* 283 d e
† Suibertus *episcopus* 169 c, 174, 175 a b, 182 c d, 191 d; *multos e Boructuariis ad fidem convertit* 169 d; *cum S. Willibrordo aliisque a S. Egberto episcopo Eboracensi missus in Frisiam scribitur a Pseudo-Marcellino* 171 b
† Sulpitius *episcopus, priori S. Simeonis Kalendario apud Honthemium inscriptus,* 306 a
† Sulpitius *martyr Romæ, inter Prætermissos* 21 d e
Sunno *Francorum dux* 300 a, 315 f
† Suplicius, *cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ,* 406 b
† Susanna *virgo martyr; hujus cum SS. Menna, Libaria, Eliphio et Euchario cognationis sororiæ vinculum certum non est* 145 et quinque seqq.
† Swibertus *episcopus, Vide* † Suibertus.
† Sylvanus *episcopus Gazensis martyr* 378 a
† Sylvester I *Papa* 395, 396, 397
Sylvester II *Papa* 341 c d
† Sylvester, *cujus reliquiæ anno 1141 Bononiæ narrantur detectæ,* 406 a
Sylvester *Telonensis episcopus. Vide* Joannes Sylvester.
Sylvester *ex Ordine Prædicatorum sacri Palatii magister* 678 f
Sylvester *e presbytero sæculari Frater Minor* 503 c, 540 e f, 616 d, 624 e, 694 c; *pecuniam a S. Francisco, cum adhuc sæcularis esset sacerdos, injuste exegit, factique deinde pœnitens Ordinem Minorum est ingressus; visionem unam atque alteram habuit sibi divinitus oblatam* 499, 623, 635 b, 636 c, 660 d; *an fuerit ex undecim primis S. Francisci sociis seu discipulis* 505 b d e; *utrum Deo magis placeat orare, an prædicare, ab hoc sancto Patre suo fuit consultus* 656 d; *qui illius nomine dæmones fugarit* 643 c; *eumdem aliquando in Tusciam comitatus, narratur a Waddingo* 693 b
† Symeon *senex sanctissimus, puerum Jesum, cum hic in templo offerretur, ulnis complexus,* 479 e f
† Symmachus *Papa* 161 b
Symmachus *patricius Romanus* 286 d
Symphoriana *Berengarii, comitis Lomacensis, ut notatum invenitur, uxor* 206 a b
Synodi. Dingenfiniensis 193 e f; Germanica prima 468 c d; Leodiensis 262 e f, 263 a. *Vide* Concilia.
† Syrus *martyr: ejus reliquiæ Burdegalæ e pariete suspensæ* 297 b c

T

Tabitha *mulier. Vide* Dorcas.
Tacitus *imperator, Christianorum persecutoribus non accensitus,* 303 c
Tadæa, *in Acie bene ordinata Ordinis Carmelitarum memorata, inter Prætermissos* 23 b
Tanari (*Joannes Nicolaus*) *marchio adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 591 e
† Tarasius *patriarcha Constantinopolitanus* 446 c
Tarquinius *rex Tullium duum-virum ob non servatum arcanum in mare præcipitari imperavit* 826 f
Tartarottus (*Hieronymus*) *in Dissertatione epistolari negavit, non quidem ipsam Indulgentiam Portiunculanam, sed hujus, quæ a Christo vel immediate vel mediate facta sit, concessionem* 737 a
Tassilo *dux Bavariæ. Vide* Thassilo.
Tate *regina Northumbriæ. Vide* Ethelburga.
Tebaldus *episcopus. Vide* Theobaldus.
Tebbaldus *abbas. Vide* Theobaldus
Telesphorus, *litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus,* 60 b, 101 d
Telo *optimas Massiliensis* 155 c
Templarii *quandonam in Gallia exstincti* 750 b

† Teresia

† Teresia *virgo, Carmelitarum Discalceatorum institutrix,* 778 c
† Tertullianus *episcopus Bononiensis* 402 ; *ejus in hac civitate corpus* 401, 402
Tertullianus *presbyter, lapsus in hæresim, scriptor clarissimus,* 359 a
Teutgardus. *Vide* Teuthardus.
Teuthardus *in Virodunensem S. Vitoni ecclesiam pie munificus* 449 a b, 452 b f, 453 a b, 457 c, 465 f, 468 b
Thamar *nurus Judæ patriarchæ, uxor Her et Onan et mater Phares ac Zaræ* 350 f
Thassilo *dux Bavariæ* 195 a, 196 a b; *fuit a Carolo Magno exauctoratus; Hunnos in Bavariam evocarat* 192 b c, 196 e
Theasius *concilii Carthaginensis ad Honorium imperatorem legatus* 133 b
Thebaldus de Aretio *Frater Minor B. Benedictum Aretinum hujusque socium Raynerium, testimonium pro Indulgentia Portiunculana dicentes, audivit* 749 f
† Thecla *virgo martyr* 813 b; *templum ei a S. Petronio, ut narratur, Bononiæ exstructum reliquiisque ditatum* 377 c d, 380 d
Thedaldus Saracenus. *Vide* Saracenus.
† Theobaldus *presbyter eremita diœcesis Vicentinæ in Italia* 21 e
Theobaldus *episcopus Eugubinus, inter Prætermissos; scripsit Vitam decessoris sui, S. Ubaldi,* 21 c e d
Theobaldus *forte* I, *episcopus Assisiensis; Indulgentiam Portiunculanam adversus obtrectatores est tutatus; testimoniales litteræ, quibus hoc præstitit,* 745 usque ad 773
Theobaldus II *episcopus Assisienses* 745 c d e
Theobaldus II *abbas Fossatensis Parisiense S. Eligii monasterium, quod hoc, non observato jure canonico, Fossatensibus monachis datum fuisset, Stephano Parisiensi episcopo reddidit* 424 f, 425 e
† Theostictus *martyr* 25 d; *inter Prætermissos* 22 b
Theoctistus *Cæsareæ in Palæstina episcopus* 109 d; *S. Dionysium Alexandrinum ad concilium contra Novatianum invitavit* 46 c, 48 a b
Theodericus. *Vide* Theodoricus.
Theodora *Flandeberti, ut quidam volunt, uxor, cum apposito* Sanctæ *titulo ab Arturo in Gynæceo celebrata, inter Prætermissos.* 288 a b d
Theodoricus III *Francorum rex* 168 d, 182 a, 416 b, 467 c, 468 c
Theodoricus IV *Francorum rex* 461 b
Theodoricus *Italiæ rex* 165 b
Theodoricus *quadragesimus Virodunensium episcopus* 455 d
Theodoricus *vir nobilis, S. Gerardo Broniensi injurius, a S. Wandregisilo, qui illi in somnis apparet, graviter punitus* 258 b c
† Theodorus *episcopus Ægyptius martyr, sub Maximino passus,* 29 b
† Theodorus *episcopus Bononiensis : ejus in hac civitate corpus* 401 b
† Theodorus *episcopus Octodurensis* 515 c
† Theodorus *abbas apud Tabennenses in Thebaide* 364 e f, 365 a; *Ammonio episcopo auctor fuit, ut in solitudinem Nitriæ secederet,* 364 f
† Theodorus *monachus in Ægypto, S. Ammonis Ægyptii discipulus; huic adfuit, cum trans Lycum flumen, nolens ad transnatandum denudare corpus, divina virtute fuit translatus* 362 e, 363 d e, 364 f, 365 a, 367 c
Theodorus *patriarcha Antiochenus* 445 c
Theodorus *patriarcha Hierosolymitanus; S. Magdalveum honorifice Hierosolymis excepit, muneribusque donatum dimisit* 445 c f, 446, 447 d e f, 465 c
Theodorus, *qui interfuit secundo concilio Antiocheno, adversus Paulum Samosatenum celebrato,* 93 e
Theodosius I *imperator, cognomento* Magnus, 142 c e f, 169 c, 371 a, 381 a e f, 382 a b; *Maximum tyrannum debellavit vitaque orbavit* 300 a b; *ei clades, qua Bononiam semirutam invenit S. Petronius, perperam adscripta* 381 b c d; *in puniendis Thessalonicensibus modum excessit, hincque a S. Ambrosio templi ingressu fuit prohibitus* 400 a
Theodosius II, *seu Junior, imperator; legem tulit de non transferendis mercandisque humanis corporibus; Athenaidem Leontii philosophi Atheniensis filiam, ex ethnica factam Christianam, dictamque* Eudociam, *duxit uxorem; S. Petronio, ut narratur, quinque dedit sanctorum Innocentium puerorum, ab Herode occisorum, corpora; Nestorium Antiochia evocavit ad sedem Constantinopolitanam; huic hæresiarchæ contra S. Cyrillum, fidei Orthodoxæ defensorem, initio favit; S. Petronium in causa Nestorii legatum ad Cælestinum Papam misit, hujusque auctoritate interveniente, concilium Ephesinum, anno 431 celebratum, indixit; an lycæum Bononiæ erexerit* 138 f, 142 c d e f, 368 usque ad 404
Theodosius, *qui epistolam ab Isidoro Pelusiota accepit,* 125 d
Theodotus, *Gallieni imperatoris dux, Æmilianum Ægypti tyrannum devicit* 90 e f
Theodrada *abbatissa Suessionensis, soror S. Adelardi abbatis Corbeiensis, inter Prætermissos* 23 c d
Theodrada *abbatissa Malbodiensis* 234 b
Theodradis. *Vide* Theodrada.
Theodulfus *episcopus Parisiensis; S. Gerardum Broniensem acolythum ac dein subdiaconum ordinavit* 210 b c d e, 271 b, 273 c
Theognostus *vir eruditus, a S. Athanasio laudatus,* 109 c
† Theonas *patriarcha Alexandrinus* 30 d; *ejus Alexandriæ ecclesia* 32 b
Theonas *monachus in Ægypto* 373 d
Theophania *imperatrix, Ottonis II imperatoris uxor,* 341 c
† Theophilus *patriarcha Alexandrinus* 120 f
Theophilus, *qui interfuit concilio Antiocheno II, adversus Paulum Samosatenum celebrato,* 93 a
Theotecnus, *qui tamquam lapidatus, annuntiatur in Menæis,* 23 a b c; *inter Prætermissos* 22 c, 283 c d
Theotecnus *Cæsareæ in Palæstina episcopus conciliis Antiochenis* I *et* II, *adversus Paulum Samosatenum celebratis, interfuit* 93 b, 93 a; *fuit litteris a S. Dionysio Alexandrino conventus; annus, quo id factum, non sat est compertus* 109, 110, 113 c
Theudoaldus *major-domus Franciæ, Pipini Heristallii ex filio nepos; a Neustrasiis victus, ac paulo post vita est functus* 463 b c d
Thiedala *mater Folcwini, Sithiensis monachi,* 249 e
Thieddo *episcopus Cameracensis. Vide* Thiedo.
Thiedo *episcopus Cameracensis* 250 b, 251 d, 277 e, 280 c
Thietmarus *abbas Helmwardeshusanus ; corpus S. Modoaldi et duo martyrum Thebæorum pignora, dono Treviris accepta, ad monasterium suum honorifice transtulit; partem ex his, aliasque Sanctorum reliquias Gumberto abbati Abdingoviano concessit* 522, 523
† Thomas *Apostolus : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 b
Thomas *Capuanus S. R. E. presbyter Cardinalis varia in Officio veteri S. Francisci Assisiatis composuit* 678 d e
Thomas *S. R. E. tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis, subscripsit Bullæ, in Assisiensis S. Francisci ecclesiæ favorem a Gregorio IX Papa concessæ,* 580 b
Thomas *ecclesiæ Spalatensis archidiaconus; S. Franciscum Assisiatem Bononiæ prædicantem vidit, deque illo insigne reliquit testimonium* 712, 713 a, 717 e
Thomas *presbyter, præsenti submersionis periculo a S. Francisco Assisiate sibi apparente liberatus,* 667 d e
Thomas *Celanus seu Celanensis. Vide* Celanus.

Thomas de Ceperano. *Vide* Ceperano.
Thomasius (*Josephus Maria*) *S. R. E. Cardinalis; sensa ejus de antiquiori Ecclesiæ in dispensandis indulgentiis disciplina; cur forte indulgentiis plenariis, ante Bonifacii VIII tempora concessis, non accenseat Portiunculanam* 738, 761 b c, 764 b c d e
Thon (*Petrus*) *collegiatæ S. Paulini ecclesiæ prope Treviros canonicus, instrumento de reliquiarum Trevirensium donatione Ferdinando Bavariæ duci facta subscriptus,* 524 d e
Thurificati. *Vide* Sacrificati.
Tiberia *mulier Nivellensis, cui duo SS. Innocentium corpora feruntur fuisse revelata,* 218 f
† Tiburtius *cum Valeriano et Maximo martyr Romæ : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 c
Tiedo *episcopus Cameracensis. Vide* Thiedo.
Tietfridus *monachus Medianensis; S. Bonifacium martyrem Trevirensem in habitu militari sibi apparentem habuit* 295 a b, 308, 337
Tilman *monachus. Vide* Tilmon.
Tilmannus *monachus. Vide* Tilmon.
Tilmon *monachus, SS. Ewaldorum socius,* 171 e, 172 d e, 189 d e f, 190 a; *inter Prætermissos* 22 e; *locum, ad quem Sanctorum illorum corpora adverso Rheno erant advecta, prodigio cognovit, eaque sepelivit* 182, 185 b c
Tilpinus *archiepiscopus Remensis* 438 a
† Timotheus *martyr in Palæstina* 345 c d
Timotheus *episcopus Alexandrinus videtur a Sozomeno haberi pro auctore libri secundi de Vitis Patrum* 375 a b
Timotheus *Thessalonicensis, S. Pauli Apostoli comes, Act. cap.* 20 *memoratus* 290 e f
Timotheus, *cui suos de Natura libros inscripsit S. Dionysius Alexandrinus,* 34 b c d, 36 a c, 37 e f, 115 d, 123 f, 124 a c d f; *hujus non filius, sed minister seu officialis, ut apparet, fuit* 34 e
Tinacci (*Augustinus*) *Ordinis Minorum Conventualium a secretis ac dein in provincia S. Bernardini provincialis* 825 c d; *corpus S. Francisci, cum in hujus visitatione Piscullium, Ordinis sui Ministrum generalem, comitaretur, prodigioso in statu positum vidisse, hocque ipsemet testatus asseritur* 779 b; *relatio seu epistola, qua id jussus sub juramento fecerit; quid de hac censendum* 803, 804, 805, 806
Tirinus (*Jacobus*) *Societatis Jesu sacerdos aliquot Martyrum Trevirensium reliquias templo nostro Mechliniensi obtinuit, eodemque etiam favore templum domus nostræ professæ Antverpiensis, cum hujus esset præpositus, affecit* 526 c, 527 b c d
Titelmanni (*Francisci*) *Capuccini depositio. Vide* Francisci.
Titus *episcopus, litteris a S. Dionysio Areopagita conventus,* 112 d
Tivalli a Macerata (*Horatius*) *Minister provincialis Minorum Conventualium narrat resuscitationis miraculum, in puero a S. Francisco patratum,* 534 b
Tobias *Senior* 483 c
Tobias *Junior* 596 a
Tollenaer (*Joannes de*) *domus nostræ professæ Antverpiensis præpositus varias Martyrum Trevirensium reliquias, quas hæc possidet, approbari curavit* 527 d
Tolomæis (*Bartholomæus de*) *biographus S. Lucii seu Luchesii Tertii Ordinis S. Francisci* 541 f
Tornellius (*Joannes*) *episcopus Bergomensis S. Franciscum Assisiatem humanissime excepisse narratur* 702 b
Transmarus *episcopus Noviomensis ac Tornacensis; præcipuas ei partes in Gandensis S. Bavonis monasterii instauratione adscribunt nonnulli; privilegio illud donavit; per archidiaconum suum canonicorum loco monachos in monasterium Blandiniense induxit* 235 usque ad 244
Trasmarus *episcopus. Vide* Transmarus.
Treio (*Gabriel de*) *S. R. E. Cardinalis; egit apud Pontificem, ut Officium de sacris S. Francisci stigmatibus universæ Ecclesiæ permitteretur* 680 b
Treio (*R. P. Antonius de*) *Ordinis Minorum vicarius generalis, ac dein Carthaginensis episcopus* 838 d; *egit apud Pontificem, ut Officium de sacris S. Francisci stigmatibus universæ Ecclesiæ permitteretur* 680 c; *domum paternam S. Francisci Assisiatis Ordinis sui religiosis comparavit* 689 d
Trieu (*Philippus du*) *Societatis Jesu sacerdos* 526 d
Trigaultius (*Nicolaus*) *Societatis Jesu sacerdos fideique Christianæ apud Sinas præco varias SS. Martyrum Trevirensium reliquias in Chinam deferendas a Lothario archiepiscopo Trevirensi obtinuit* 522 b c
† Trophimus *S. Pauli Apostoli discipulus* 290 a
Tuderto (*Angelus de*) *Ordinis Minorum. Vide* Angelus.
Tuderto (*Benincasa de*) *Frater Minor. Vide* Benincasa.
Tullius *duum-vir in mare ob non servatum arcanum jussu Tarquinii regis præcipitatus* 826 c
Tutor *dux, Romanorum desertor,* 310 a
† Tychicus *S. Pauli Apostoli discipulus* 290 f
† Tyrsus *martyr* 287 c

V

Valens (*Fabius*) *Bononiæ gladiatorum spectaculum edidit* 400 c
Valens *imperator* 143 c, 312 e, 315 c
Valens *proconsul ac dein tyrannus Pisonem item tyrannum jussit occidi* 85 c
Valentiniani *hæretici* 127 c
Valentinianus I *seu Senior imperator* 143 d, 301 e f, 380 a
Valentinianus II *seu Junior imperator* 300 c d, 315 e, 370 a
Valentinianus III *imperator* 369 a b, 375 a, 384 a, 390 c, 396 e, 404 b
Valentinianus, *qui et* Galates *dictus, Valentis imperatoris ex Dominica uxore filius,* nobilissimi pueri *titulo consul* 369 f
Valeria *Galerii Maximiani imperatoris relicta vidua; a Maximino, quod effræni hujus libidini non obsequeretur, inhumanissime fuit tractata* 337 d e
† Valerianus *cum Tiburtio et Maximo martyr Romæ : ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 e
Valerianus *imperator; inspectatam in Christianos persecutionem concitavit; a Persis captus impietatis suæ pœnas dedit* 26 usque ad 125, aliisque locis.
Valerianus *S. Eucherii episcopi Lugdunensis cognatus, epistola de mundi contemptu ab hoc conventus,* 369 c, 375 e f
† Valerius *episcopus Trevirensis* 147 d, 295 e, 296 b, 303, 304, 305 b
† Valerius *martyr in agro Suessionensi* 129 b c, 135 d, 294 a
Valerius *frater Athenaidis, quam ex ethnica factam Christianam, dictamque* Eudociam, *uxorem duxit Theodosius II imperator* 371 a
Valid *princeps. Vide* Walid.
Valle (*Joannes de*) *S. Martini in suburbio Trevirensi abbas aliquot Martyrum Trevirensium reliquias, additis etiam authenticis donationis litteris, Oliverio Manaræo, Societatis Jesu per provinciam Belgicam præposito provinciali, dono dedit* 527 b
Vallemanus *S. R. E. Cardinalis, Ordinis Minorum Conventualium protector* 835 c
Vandemiris *vir illustris* 422 a b c
Varanes II *Persarum rex* 315 e
Vasatoris (*Petrus*) *collegiatæ S. Paulini prope Treviros ecclesiæ canonicus. Vide* Thon.
Vase Petramellara (*Franciscus de*) *SS. Mauritii et Lazari magnæ crucis eques consiliarius, et magnus Bononiæ commendatarius* 713 a
† Ubaldus *episcopus Eugubinus* 21 c
Ubaldus Cathanius *comes. Vide* Cathanius.
Ubertinus de Casali *Ordinis Minorum* 764 c, 769 b; *in*

in Opere, quod anno 1303 perfecit, Indulgentiam Portiunculanam adstruit 733 d e f, 734 a; *an hanc a Christo immediate concessam indicarit* 766; *ab aliis ut favens, ab aliis contra ut adversans opinioni, quæ prodigiosum corporis S. Francisci statum affirmat, citatur; an recte id fiat; factam a S. Francisco, qua hic præmaturam corporis sui resurrectionem aliaque prædixerit, post obitum fuisse revelationem, e viris fide dignis audivisse legitur; quid de revelatione illa censendum* 816 et quinque seqq.

Ubertinus de Riparolio *Ordinis Minorum, amentia et paralysi adhuc novitius per S. Franciscum apparentem prodigiose liberatus,* 675 f, 676 a b

Ubogo *episcopus Leodiensis. Vide* Hugo.

Udo *archiepiscopus Trevirensis; S. Paulini cryptam effringi permisit, eamque deinde voluit ampliari; probavit miraculum, patrocinio SS. Martyrum Trevirensium patratum,* 294 *usque ad* 334

Velita (*Joannes*) *vir nobilis castri Græcii. Vide* Joannes.

Venantiorum *antiqua familia* 723 d e

† Venantius Fortunatus, *episcopus Pictaviensis, scriptor illustris,* 138 f

† Venantius *abbas; Werembertum monachum desidiosum in somnis increpuit; ejus corpus Cuvinio ad monasterium S. Germani translatum, asseritur a Mabillonio; dubium est, sitne ille S. Venantius, qui sæculo* VI *monasterio Turonensi præfuerit, an alius apud Atrebates cultus* 211, 212, 272 b, 273 a

Veneranda *prima S. Gunthramni Burgundionum regis uxor* 408 b

Ventura *ex Ordine Prædicatorum, Prior Bononiensis, testis in causa canonizationis S. Dominici* 731 b, 734 c

Venus *falsum numen* 721 b

Verdussen (*Hieronymus*) *typographus Antverpiensis* 737 a

Vernizzi (*Philippus*) *J. U. D. etc. adfuit solenni traditioni capitis S. Petronii, Bononiæ ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ,* 592 a

Ugolini (*Suppolinus*) *pro Indulgentia Portiunculana testatus asseritur in litteris Corradinis* 746 b

Ugolinus *S. R. E. Cardinalis. Vide* Hugolinus.

Vicecomes (*Alfonsus*) *tituli S. Sixti S. R. E. presbyter Cardinalis, Ordinis Minorum Conventualium protector, jussu Pauli V Papæ scripsit litteras, quibus hic in S. Francisci corpus, locumque, quo id sit, inquiri, graviter vetuit* 824 a b

Victberct *S. Egberti presbyteri socius. Vide* Wigbertus.

† Victor *martyr in Africa* 24 d, 25 c

† Victor *martyr, Massiliæ passus,* 511 c, 513

† Victor *martyr Thebæus, Solodori in Helvetia passus; e Maximiani castris clam Solodorum, ut fertur, profugit* 292 vigintique seqq.

† Victor *martyr, Xanti, ut perhibetur, passus* 292 b, 313 a

† Victor *miles veteranus, martyr Thebæus, Agauni passus,* 300 e f, 313 f

Victor *consul Romanus* 369 f

Victor *grammaticus* 32 d

† Victorianus *martyr. Vide* † Victoricus.

† Victoricus *martyr; sacra ejus ossa translata* 129, 133 c, 293, 294, 364, multisque aliis seqq.

Vido *episcopus. Vide* Guido.

Vigilantius (*Bernardus*) *Frater Minor, e primis S. Francisci Assisiatis socii seu discipulis,* 503 c

Vigilius *Papa* 164

† Villanus *episcopus Eugubinus, septem episcopis, a quibus Indulgentiæ Portiunculanæ promulgatio, ecclesiæque consecratio facta asseritur, ab Ughello annumeratus,* 772 a b c

Vincentius Malvetius *S. R. E. titulo SS. Marcellini et Petri presbyter Cardinalis* 687 e

Vincentius *comes, patricius Fulginatensis* 387 b

Vincentius *Bellovacensis Ordinis S. Dominici, e scriptoribus, qui de S. Francisco Assisiate tractarunt,* 471 d, 476, 481 b, 482, 493, 503 a, 511, 558; *fabulosa S. Aureæ virginis abbatissæ Acta Speculo suo historiali inseruit* 412 a

Vincentius *litteris a S. Augustino conventus* 134 b

Vinilo *episcopus Laureacensis ac Pataviensis* 194 a

Vintimille (*Carolus Gaspar Guillelmus de*) *archiepiscopus Parisiensis novum de S. Aurea virgine abbatissa Officium, pro monialibus, quæ a Sancta hac nomen habent, concinnatum approbavit recitarique permisit* 410 f

Violente (*Bernardus de*) *Frater Minor. Vide* Vigilantius.

Viotti (*Erasmus*) *typographus Parmensis* 788 b

Viridante (*Bernardus de*) *Frater Minor. Vide* Vigilantius.

Vischius *Balivus, ut vocant, in Ingelmunster, pro fide Deo regique data a Calvinistis suspensus, inter Prætermissos* 286 d

† Vitalis *martyr; corpus ejus Bononiæ inventum, ibique ex parte saltem servatum* 377 b, 401 tresque seqq.

Vitalis *Frater Minor, a S. Francisco missus in Africam cum quinque aliis, quibus erat præpositus, ibidem martyrium passis,* 711 f

† Vitonus *episcopus Virdunensis* 422 usque ad 468

Vitriaco (*Jacobus de*) *episcopus Aconensis ac dein S. R. E. Cardinalis de S. Francisci accessu ad Meledinum, Ægypti Soldanum, illiusque apud hunc gestis honorifice meminit; nonnullos recenset, qui in Ægypto et Palæstina Ordini Minorum sese aggregarunt, insignique hunc ornat elogio* 525 quinque seqq. et 631, 632 a b

† Vitus *cum Modesto et Crescentio martyr: ejus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ* 406 d

Vitus *Frater Minor, ab ipsomet S. Francisco, ut narrat Waddingus, in Ordinem admissus,* 694 d

Viventius *S. Cæsarii, Arelatensis episcopi, una cum S. Cypriano Telonensi discipulus, ac deinde episcopus atque unus e scriptoribus Vitæ ejusdem S. Cæsarii* 161 et quinque seqq.

Ulla *puer, loquela et gressu privatus, patrocinio S. Francisci Assisiatis sanatus,* 614 a

Ulricus I *abbas Metamensis* 191 e

Uniensis (*Dominicus*) *curio scripsit litteras de donatione reliquiarum, monastero Einsidlensi facta,* 523 b

Volscisus *episcopus Virdunensis* 432 b, 438 d e f

Volusianus *imperator* 40, 41 a b, 83 a, 86 c d, 100 f

Voragine (*Jacobus de*) *ex Ordine S. Dominici episcopus Januensis, inter scriptores, qui nonnulla de S. Francisco Assisiate litteris mandarunt,* 476, 480 b, 489 c, aliisque locis; *stigmatum, S. Francisco divinitus impressorum, historiam narrat velut indubitatam* 558 d

Vossius (*Isaac*) 471 b

Uranios *in Fastis Æthiopum apud Ludolfum, inter Prætermissos* 22 c

† Urbanus I *Papa martyr* 573 b, 797 f, 798 d

Urbanus II *Papa Indulgentiam plenariam fidelibus, ad Terræ Sanctæ liberationem ex devotione euntibus, concessit* 738 a b

Urbanus IV *Papa* 491 b

Urbanus VIII *Papa* 683 b, 855 e; *Joanni ab Annuntiatione, SS. Trinitatis Ordinis Excalceatorum alumno, nepotis sui confessario, sacras reliquias dedit* 26 d; *decretum, quo natale S. Francisci Assisiatis festum per universam Ecclesiam cum cessatione ab operibus servilibus celebrandum erat, abrogavit* 678 b c

† Urbanus, *cujus reliquiæ anno* 1141 *Bononiæ narrantur detectæ,* 406 b

Urbanus *præses Palæstinæ* 543 c, 548 a

Urbanus *confessor Romanus, aliquamdiu schismati addictus,* 41 d

Urlandus Cathanius *comes. Vide* Cathanius.

Urraca *Alphonsi II, Lusitaniæ regis, conjux* 701 b

Ursicinus *magister equitum* 148 f

Ursinis (*Petrus Joannis Pauli de*) *populi Florentini capitaneus* 118

capitaneus sacellum superexstruxit lectulo, quo aliquando in monte Alverno usus fuerat S. Franciscus, et cui ipse impositus gravissima membrorum contractione fuerat liberatus, 691 b c
Ursinorum *illustris familia* 720 a
Ursinuphius, *qui epistolam ab Isidoro Pelusiota accepit,* 125 d
† Ursula *virgo martyr* 347 b; *sacræ ejus reliquiæ in urbe Metensi* 149 d
† Ursus *martyr Thebæus, Solodori in Helvetia passus; e Maximiani castris clam Solodorum, ut fertur, profugit* 292 decemque seqq.
Usifos *in Fastis Æthiopum apud Ludolfum, inter Prætermissos* 22 c
Utilo *dux Bavariæ fundavit monasterium Lunelacense* 195 c
Vulcatius Rufinus *præfectus prætorio* 369 f
Vulfardus *notarius diplomati, a Ludovico Balbo Francorum rege in favorem Ingelwini ejusque in sedem Parisiensem successorum concesso, subscriptus* 425 a
† Vulfrannus *episcopus. Vide* † Wulfrannus.
† Vulmarus *abbas Silviacensis* 253 b; *ejus reliquiæ Gandam translatæ* 246 c d; *harum portionem Bronium detulit S. Gerardus* 253 f, 256

W

Waddingus (*Lucas*) *Annalista Minorum, e scriptoribus, qui de S. Francisco Assisiate scripserunt,* 469, aliisque fere omnibus seqq. pagg., si eas, quæ Sancti hujus Acta comprehendunt, excepteris
† Walbertus *abbas. Vide* † Waldebertus.
Walbertus *episcopus Meldensis* 168 b
Walbertus *episcopus Noviomensis ac Tornacensis* 238 f
† Waldebertus *abbas Luxoviensis* 416, 418 b c d
† Waldetrudis *fundatrix parthenonis canonissarum Montibus Hannoniæ in Belgio* 284 b
† Waldrada *virgo e sociabus S. Ursulæ : sacræ ejus reliquiæ in urbe Metensi* 149 a
Walid II *princeps Arabum, cognomento* Abulabbas, *quando dominari inceperit; S. Petrum, Damasci metropolitam, linguæ exsectione exsilioque mulctavit* 427 tresque seqq.
Waloncapelle (*illustrissimus dominus*) *secundus Namurcensium episcopus Elenchum reliquiarum, quas in monasterio Broniensi invenit, anno* 1388 *confecit* 217 f
Walterus *Rodulphi Sithiensis prætoris filius* 247 d e f
† Wandregisilus *abbas; sacrum ejus corpus Gandam a S. Gerardo Broniensi translatum; brachio ex hoc accepto idem S. Gerardus Bronium ditavit; quando id factum; monasterium Fontanellense anno* 648 *condidit; Theodoricum virum nobilem, ei in somnis apparens, graviter punivit* 203, 241 usque ad 257 aliisque locis
Warsonuphii *seu* Vasonuphii *aut etiam* Barsonephii *episcopi Tuerscensis seu Tferskagensis reliquiarum inventio, inter Prætermissos* 286 a b c d
Wasseburgius (*Richardus*) *ecclesiæ Virdunensis archidiaconus fusiori stylo Acta S. Magdalvei episcopi Virodunensis est prosecutus* 452 b c
Wehr (*Antonius*) *collegiatæ S. Paulini ecclesiæ canonicus et scholasticus duas tibias integras martyrum Thebæorum vel Trevirensium partheniæ philosophorum Duacensium Societatis Jesu sodalitati concessit* 326 d
Welfo *Henrico I Austriæ duci in pacifica Bavariæ possessione est reluctatus* 194 e
† Weomadus *episcopus Trevirensis* 317 a, 337 c
Werembertus *monachus desidiosus, a S. Venantio abbate in somnis Cuvinii increpitus,* 272 c d; *non fuit, ut apparet, e duodecim monachis, quos S. Gerardus e monasterio Dionysiano Bronium adduxit,* 212 a
† Werenfridus *presbyter confessor cum S. Willibrordo aliisque in Frisiam a S. Egberto episcopo Eboracensi missus scribitur a Pseudo-Marcellino* 171 d
Wermondus *rex Normanorum. Vide* Gnormundus.
Wibertus *S. Leonis IX Papæ archidiaconus, et biographus* 149 a
Wicfredus *episcopus Boloniensis seu Taruanensis; S. Gerardum consecravit Sithiensem abbatem; idem etiam præstitit Hildebrando, S. Gerardi successori,* 246 tresque seqq.
Wicfridus *episcopus. Vide* Wicfredus.
Wicmannus *comes novi castri Gandensis diploma in favorem monasterii Blandiniensis concessit* 259 e f
Wideradus *abbas Flaviniacensis, inter Prætermissos* 25 c d
Wido *frater S. Gerardi abbatis consensit in donationem, ecclesiæ Broniensi ab hoc factam,* 208 a
Wido *S. Gerardi nepos, Sithiensi monasterio abbas ab hoc præfectus, ac dein ob pravos mores exauctoratus; fuit postea, ægre assentiente eodem S. Gerardo, ad abbatiæ Bavonianæ regimen promotus* 248 d e f, 249, 250, 260
Widradus *abbas. Vide* Wideradus.
Wigbertus *S. Egberti presbyteri socius* 189 d; *cum S. Willibrordo aliisque in Frisiam a S. Egberto episcopo Eboracensi missus scribitur a Pseudo-Marcellino* 171 d; *coli non invenitur ut Sanctus* 190 a b
† Wilbrord *episcopus. Vide* † Willibrordus.
† Wilfridus *episcopus* 174 a
Wiliarius *archiepiscopus Viennensis in Delphinatu* 461 b, 463 a
† Willehadus *episcopus Bremensis* 192 b
Willelmus *dux Normanniæ, cognomento* Longa-Spata, 257 f
Willelmus *comes factus Anianensis monachus* 298 a
† Willibaldus *episcopus cum S. Willebrordo aliisque in Frisiam a S. Egberto episcopo missus scribitur a Pseudo-Marcellino* 171 c
Willibaldus *presbyter, S. Bonifacii archiepiscopi Moguntini biographus,* 321 e
† Willibrordus *episcopus; inter Prætermissos* 24 c; *cun undecim sociis a S. Egberto episcopo Eboracensi missus in Frisiam scribitur a Pseudo-Marcellino* 169
† Winibaldus *abbas cum S. Willibrordo, aliisque in Frisiam a S. Egberto episcopo missus scribitur a Pseudo-Marcellino* 171 b
Witbertus *comes subscriptus Diplomati, quod veluti ab Henrico Aucupe S. Gerardo datum circumfertur* 227 b
Witfridus *episcopus. Vide* Wicfridus.
† Wlmarus *abbas. Vide* † Vulmarus.
Wolframus *abbas Metamensis* 194 a, 196 f
Womarus *monachus Blandiniensis ac dein abbas; monasterium Sithiense ad tempus moderandum accepit; a S. Gerardo monasterio Blandiniensi fuit præfectus; quandonam id factum; non a Rodulpho; Noviomensi episcopo, sed a Fulberto Cameracensi, ut apparet, abbas fuit ordinatus* 245 usque ad 260
Wulfrannus *episcopus* 242 b, 243 f, 282 b; *sacrum ejus corpus Bolonia Gandavum translatum non fuit* 246 f

X

Xistus. *Vide* Sixtus.
Xystus. *Vide* Sixtus.

Y

† Ymma *virgo. Vide* † Ama.
Yngeluvinus *episcopus Parisiensis. Vide* Ingelwinus.

Z

Zabdas *episcopus Hierosolymitanus; an martyres Thebæos baptizarit* 329 d e f
Zacchæus. *Vide* Zachæus.
Zachæus *evangelicus* 281 b
† Zacharias *Papa* 192 b, 438 e, 461 a f, 462 a b, 467 f
† Zacharias *Pater S. Joannis Baptistæ* 217 d
† Zacharias *propheta S. Franciscum ejusque Ordinem, ut quidam volunt, prædixit* 477 a

Zacharias

Zacharias *Romanus Frater Minor, ab ipsomet S. Francisco in Ordinem admissus,* 696 a
Zalfanus (*Angelus*) *sequentis pater* 731 b c
Zalfanus (*Petrus*) *patricius Assisiensis; S. Franciscum audivit indulgentiam Portiunculanam promulgantem, hocque ipsemet est testatus; Gregorio IX Papæ pro tuenda contra Fredericum II ditione Ecclesiæ se obtulit, sanctique Stanislai Cracoviensis episcopi martyris canonizationi adstitit* 744 usque ad 770
† Zama *episcopus Bononiensis auctor fuit, ut Bononiæ templum S. Petro Apostolo exstrueretur,* 576 c
Zambeccari (*Franciscus*) *marchio, collegiatæ S. Petronii ecclesiæ primicerius etc.* 394 c; *adfuit traditioni capitis S. Petronii, ex voluntate Benedicti XIV Papæ episcopo Amathuntino factæ* 391 f
Zananus *monachus, S. Hilarionem abbatem Peregrinantem comitatus,* 140 quatorque seqq.
Zanetus de Utino *minister generalis Ordinis Minorum* 797 f
Zani (*Valerius*) *comes, scriptor Vitæ S. Petronii,* 385 f, 386 a b d
Zariotus *Castilionæus editor Conformitatum S. Francisci Assisiatis cum Christo* 745 b
Zebedæus *Apostolorum Jacobi et Joannis pater* 104 a, 332 d
Zelchio (*Thomas de*) *Minorita. Vide* Celanus.
Zelphanus (*Petrus*) *patricius Assisiensis. Vide* Zalfanus.
Zenobia *Palmyrenorum regina* 96 b; *Syriam et Phœnicen regendas a Persis non accepit* 98 c
Zonofilus *consul* 32 b
Zenus (*Franciscus*) *Fratrum Minorum de Observantia in Cisalpinis vicarius generalis, curator editionis Conformitatum S. Francisci cum Christo, anno 1510 Mediolani adornatæ,* 473 e f, 733 c d
Zianus (*Petrus*) *dux Venetiarum* 330 c
Zoroastres *philosophus* 386 a b
† Zozimus *Papa* 316 d e; *ad Hesychium, Salonitanæ ecclesiæ episcopum, litteras dedit* 139 c
Zuendeboldus *rex Lotharingiæ* 306 c; *canonicos monachis in monasterio Medianensi substituit, huicque Hillinum comitem præfecit secularem abbatem* 338 a
Zulfanus (*Petrus*) *patricius Assisiensis. Vide* Zalfanus.
Zygomalas (*Joannes*) *ecclesiæ Constantinopolitanæ sacer præco seu sacrarum litterarum interpres* 113 d

INDEX TOPOGRAPHICUS.

Aa, Germaniæ fluvius in circulo Westphalico 176 b
Abdingovianum monasterium, prope Paderbornam 21 d. *Reliq. MM. Trevirensium* 322 e
Abulensis conventus PP. Minorum, in Castella 701 a
Achaia, Græciæ regio 100 c
Acon. *Vide* Ptolemais.
Adrania, Bithyniæ civitas 138 b
† Ægidii ecclesia, Bellovaci 131 d
Ægina, maris Ægei insula 290 a
Ægyptus, Africæ regio. *SS. Marcus et Marcianus* 323 d. *Adiit illam S. Franciscus* 324 c
Æmilia, Italiæ regio 483 a
Ænus, Germaniæ fluvius 193 f
Æsium, urbs Piceni in Italia 378 a
Africa. *SS. Victor etc.* 23 c f. *Hanc petere voluit S. Franciscus martyrii causa* 316 b
Africa, urbs in regno Tunetano 337 a
Agatha (*Agde*) urbs Galliæ in Occitania 161 d
† Agathæ templum, Bononiæ in Italia 379 f, 403 a
Agaunum, Galliæ Narbonensis oppidum 292 e, 300 f, 313 b, 363 c, 461 b
Aillonensis conventus PP. Minorum, in Castella 701 c
Albiga, urbs Galliæ in Occitania 426 c, 738 d e f
Albintimilium, urbs Italiæ in Liguria 313 d
Albis, Germaniæ fluvius 168 a d
Alciacense monasterium. *Vide* † Sylvini
Alcini villa. *Vide* Alterini villa.
Aldachiense monasterium, in Bavaria 193 e
Aldenarda, Flandriæ oppidum 286 b, 231 c
Aleppium, Syriæ urbs 349 a
Alesia. *Vide* Alexia.
Alexandria, Ægypti civitas. *Illic obiit S. Dionysius. S. Fausti palæstra; et forte SS. Caii, Petri et Pauli. Cultus S. Dionysii* 26 usque ad 133 in diversis locis
Alexandria Statelliorum, *alias* a Palea *dicta,* in Longobardia Cispadana 702 a
Alexia, Galliæ Celticæ urbs 670 b
Alna, vicus et abbatia ditionis Leodiensis 236 f
Alpes Graiæ, ab Alpibus Cottiis ad summum Penninum (*il Monte Jove*) protensæ 314 f
Alsatia, Germaniæ provincia 276 a
Alterini villa, in comitatu Camerino 703 c
Altinum, in Marchia Tarvisina 376 b
Alvernus, mons Tusciæ. *Ejus descriptio. Caputium S. Francisci. Hic fertur S. Franciscus elevatus in aera; angelica musica recreatus. Hic sacra stigmata accepit. Varia ejus illic gesta.* Conventus PP. Minorum ibid. *De sanguine S. Francisci. Tunica. De crinibus* 497 usque ad 837
Alvianum, castrum in Umbria 333 f, 340 e, 393 d, 397 b, 637 c
† Amæ prioratus, prope Jovis-villam in Campania 146 a
Amalphis, urbs regni Neapolitani 789 d
† Amandi monasterium Gandense 201 a. Elnonense tertio circiter milliari a Tornaco in Belgio 231 e
† Amantii ecclesia, et abbatia in Aquitania in Ruthenensis civitatis (*Rhodes*) burgo sita 432 b, 442 f, 436 e, 464 a f
† Amati monasterium, Duaci in Belgio 230, 231 a b
Ambianum, Picardiæ urbs 134 b
Amiternum, urbs excisa in regno Neapolitano 673, 676 a
Anagnia, urbs Italiæ in Campania Romanæ 360 a b
Anasus, Germaniæ fluvius 193 a
Ancona, dominii Ecclesiastici civitas 442 d e, 513 aliisque locis
Andrapena, Ponti Galatici regiuncula 138 a
† Andreæ monasterium, Coloniæ Agrippinæ 186 d
Andria, ducatus in Apulia 789 a
† Angeli de Panso monasterium Ordinis S. Benedicti juxta Assisium 314 d
† Angeli de Pantanellis monasterium, in Umbria 707 c
Angeriscus, (*l'Aincroix*) fluvius in pago Turonensi, *prope quem occisus S. Quintinus* 409 b
Anglia, Europæ regio 338 d
Anianum, oppidulum Galliæ in Occitania Inferiori 298 e
† Annæ monasterium, Ord. Cisterciensis Vallisoleti 138 f
Anticolum, in agro Romano 286 e
Antiochia, urbs Syriæ 48 f, 64 b, 84 a et alibi. *S. Theogenes. SS. Domnina etc.* 344 et seqq.
Antiochia *Cælesyriæ* 330 a b
† Antonii mons, in Ægypto 361 b, 363 a, 363 c, Xenodochium Romæ 306 d. Sacellum in monte Alverno 691 a
Antverpia, Belgii civitas. *Reliq. MM. Trevirensium* 327 b f
Aphroditon, ad Nili ripam oppidum. *Varia hujus nominis oppida* 139 tresque seqq.

†† Apostolorum XII conventus PP. Minorum Romæ 804 a b e f
Appelderbeke, comitatus Marcani vicus. *Cultus SS. Ewaldorum* 170 c
Apulia, Italiæ regio in regno Neapolitano 440 f, 484 a, 584 e f, 585 a, 617, 619, 632, 673 d
Aquileia, urbs Italiæ in provincia Foro-Julii 300 a b, 584 e
Aquisgranum, Germaniæ Inferioris oppidum 192 c, 220 b d, 226 b, 298 f, 332 b
Aquitania (*Guienne*) Galliæ provincia 334 f
Arabia, Asiæ regio. *S. Petrus, forte Capitolius* 427 d
Aragonia, regnum in Hispania 317 b
Arausio (*Orange*) urbs Galliæ in Provincia 165 f
Arelas, urbs Galliæ Narbonensis ad Rhodanum 138 aliisque locis
Aretinum, urbs Hetruriæ 334 usque ad 638
Arevallensis conventus PP. Minorum in Castella 701 d
Argentina, Alsatiæ caput 728 f, 729 b
Argentolium, vicus prope Parisios 128, 136, 137 b
Ariminum, urbs in Romandiola 416 d
Arola (*l'Ayre*) Galliæ fluvius 198 tresque seqq.
Arsenoiticus tractus, in Ægypto 102, 103 a d e f
Asculana civitas, *alia* in regno Neapolitano, *alia* in Marchia Anconitana 334 c, 397 b, 398 c, 669 a, 696 a
Asindia. *Vide* Essendiense cœnobium.
Assisium, civitas Umbriæ. *S. Francisci patria. Num ibi capitulo Storearum interfuerit S. Dominicus anno* 1219? *Calceoli S. Francisci.* Conventus PP. Minorum. *A Pontificibus sæpe visitatus. A Nicolao V. Frustum corii, quod lateri S. Franciscus applicuit. De sanguine ejusdem. Calceamenta etc. Cilicium. Regula PP. Minorum S. Francisci manu exarata* 472 usque ad 842
Asta, urbs in Liguria 316 b, 697 a
Astenidum (*Stenay*) provinciæ Trevirensis oppidum 200 c
Attiniacum, Campaniæ Gallicæ oppidum 454 d e
Avilliana, oppidum Italiæ in Pedemontio 316 c,
Audomaropolis, Artesiæ civitas. *Reliq. MM. Trevirensium* 325 b
† Aureæ monasterium. *Vide* † Eligii.
Aurelianum, urbs Galliæ ad Ligerim 164 b
Auriniacense monasterium, Ord. S. Benedicti in Picardia 131 a
Auriniacum. *Vide* Originacum.
Austraviense monasterium in Bavaria 193 a
Austrovandia, in diœcesi Atrebatensi 206 a
Autissiodorum, urbs Galliæ 24 c. *Marsus* 339 b
Autricus mons (*Mont-Artre*) prope Autissiodorum 340 b
Auximum, urbs Italiæ in Piceno 338 a, 600, 601 d, 603 c
Axiopolis, Mœsiæ Inferioris oppidum. *S. Dasus* 338 d

B

Babylonia, Ægypti urbs 139 d e f
Bagaia, civitas Africæ. *S. Maximianus* 132 et seqq.
Bancorense monasterium in Hibernia 414 f
Bansionensis vicus in Campania 146 b
† Barbatiani templum, Bononiæ in Æmilia 379 b c, 403 a
Barcinonensis conventus PP. Minorum in Catalonia 701 c
Barium, Apuliæ civitas 326 d, 643 b, 646 f
† Bartholomæi templum, Bononiæ in Æmilia 378 f, 403 b
Barulitanus portus (*Barletta*) in regno Neapolitano 669
Basterni, Sarmatiæ Europeæ populi 312 f
Batavia, Galliæ Belgicæ regio 311 f
† Bavonis ecclesia, Gandavi. *Cultus S. Gerardi.* Monasterium, 233 usque ad 260
Begonis cella in Vosago 293 b. *Reliq. S. Bonifacii* 297 c e
Bellovacum, Galliæ Belgicæ civitas. *Reliq. S. Romanæ. Colitur in ejus diœcesi S. Aurea* 128, 129, 134 b, 410 b
Beneventum, ditionis Pontificiæ civitas in regno Neapolitano 666 d, 667 c, 790
Berenice, urbs Pentapoleos 60 c
Bergomum, urbs Longobardiæ 743 b. Conventus PP. Minorum 702 b
† Bernardi Mons Major. *Vide* Jovis-Mons.
† Bernardini ecclesia, Bononiæ in Italia. *Vide* † Mariæ de Puliolis.
† Berthæ monasterium, in agro Taruanensi 230 b, 233 a
† Bertini monasterium in Artesia 241 multisque aliis seqq.
Bethelia, Gazæorum vicus 139 d e f
Bethirium. *Vide* Bethelia.
Bettiliniaca (*forte* Bettinviller) haud procul Virodumo 449 b, 466 c, 467 c
Biturigensis conventus PP. Minorum in Aquitania 730 d e
Blandiniense monasterium, Gandavi 203 usque ad 283
Blangiacense monasterium. *Vide* † Berthæ.
Bohordes, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 264 c
Bonna, Germaniæ oppidum 292 b, 332 e
Bononia, Æmiliæ civitas. Conventus PP. Minorum. *Reliq. MM. Trevirensium. S. Petronius. Varias illic condit ecclesias. Illam reparat* 338, 368, 377 usque ad 811
Bononia, in Morinis 243 usque ad 284
Bornom, rivulus in comitatu Namurcensi 207 b, 208 a b, 220 e
Boructuarii, Germaniæ populi 169 b, 180 d
Boseth, urbs Numidiæ 132 c
Bosnia, pars Occidentalis Serviæ 733 b
Brabantia, Belgii provincia 323 c
Brema, Germaniæ civitas in circulo Saxoniæ Inferioris 178 f
Bretolium, Ord. S. Benedicti cœnobium in diœcesi Bellovacensi 133 c
Bricteri. *Vide* Boructuarii.
Brixia, urbs Galliæ Transpadanæ 381 c, 743 b
Brixillum, urbs Galliæ Cispadanæ 380 a
Bronium abbatia in comitatu Namurcensi. *Obiit S. Gerardus. Sacrum illius corpus. Ecclesia* 190 usque ad 283
Bruchium, locus haud procul Alexandria Ægypti. 140 d, 142 c
Bructeri. *Vide* Boructuarii.
Brunsvicum, urbs in Saxonia Inferiori. *Reliq. MM. Trevirensium* 323 d e
Bucolia, locus juxta Alexandriam Ægypti 141 a
Bugella (*vulgo* Biella) Vercellensis diœcesis municipium. Conventus PP. Minorum 702 c
Burdegala, urbs Galliæ ad Garumnam 162 d e, 297 f, 301 c
Burgi, Castellæ Veteris caput 698 b. Conventus PP. Minorum 699 c
Burgum S. Sepulcri, Umbriæ oppidum 704 a, 749 e
Burgum S. Domnini, castrum in via Æmilia 702 d
Buta, Scotiæ insula 284 e
Buxutum (*Boussu*) vicus in Hannonia 233 c, 278 e

C

Cadurcum, Aquitaniæ urbs Cadurcorum caput 679 d e f
Cæsaris-werda, Germaniæ oppidum ad Rhenum 179 a b
Cæsaromagum. *Vide* Bellovacum.
Cajacensis civitas in regno Neapolitano 808 b
Cajeta, regni Neapolitani civitas 637 c, 638 b, 668 d, 669 a. Monasterium PP. Minorum 721, 722
Cairus, urbs Ægypti prope dexteram Nili fluvii ripam 140 c
Calenum. *Vide* Carinula.
† Calepodii cœmeterium prope Romam 311 b
Calmons, villa ecclesiæ Virdunensis 439 c

Calusiensis conventus PP. Minorum V. M. P. a Riparolio 702 c
Calvus mons (*Chaumont*) in Campania Galliæ 132 a, 197 b
Camaldulensis eremus, in agro Florentino 717, 718
Cameracum, Galliæ Belgicæ civitas archiepiscopalis 238 a
Camerinum, civitas in Marchia Anconitana 613, 703 b
Campagnanum ditionis Ecclesiæ oppidum 800 b
Campania, Galliæ regio 130 c
Campania (*Romana*) Italiæ provincia 464 b c d e f
Campilium (*forte* vicus Campiglia) in Hetruria 646 a f
Campus rotundus, vicus in diœcesi Camerinensi 703 d
Canarium, oppidum Umbriæ 540, 541, 542 a
Canopus, Ægypti oppidum 57 b
Capitolias, civitas Palæstinæ Secundæ 428 a d
Capresi castrum, inter Burgum S. Sepulcri et montem Alvernum 704 a
Capua, civitas in Campania Felici 401 b, 402 a, 667
Carceris S. Francisci conventus PP. Minorum, in monte Subasio prope Assium 706 f
Carinula, Campaniæ Felicis civitas 724 d
Carizzo (*de*) monasterium, in Hispania 286 a
Carmacum, villa prope Virdunum 449 e
Carpentanea, provincia in Hispania Tarraconensi 213 c
Carpentoracte (*Charpentras*) urbs Galliæ Narbonensis in Provincia 163 b
Carpi, Sarmatiæ Europeæ populi 512 f
Carthago, Africæ civitas 41 b, 49 a b, 50 a, 134 b, 337 c. *SS. Maurusius et Restitutus* 339 e
Casa Petria, ecclesiæ Virdunensis villa 453 f
Casalis mons, supra Burgum S. Sepulcri 704 e
Casanum, cognominis regni caput 286 c
Casentina vallis, Tusciæ tractus 696 f
Castella, Hispaniæ regnum 361 a
Castellana civitas, in Sabinis 804 b
Castorp, vicus ad Imscharam fluvium 179 e
Castri Novi ecclesia, Gandavi 241 a
Castri Veteris conventus PP. Minorum. *De sanguine S. Francisci* 834 d e
Castrum Montis Acuti, in Hetruria. *Tunica S. Francisci* 836 d e f
Castrum Plebis, *aliud* in Umbria, *aliud* in ducatu Foro-Julii 534 d, 597 b, 599 a, aliisque locis
Castrum Pophis, in Campania Italiæ 667 a, 671 e
Catalaunia, Hispaniæ regio 145 f, 150 b
Catalaunum, Campaniæ Gallicæ civitas 145 c, 148 d
† Catharinæ de Vesprino monasterium, in Hungaria 287 d. Capella in ecclesia S. Francisci Assisii 781 b
Catulliaca. *Vide* † Dionysii monasterium.
Cayrum (*Cairo*) vicus in Montis-Ferrati ducatu 516 c. Conventus PP. Minorum 697 f
Celanum, oppidum prope lacum Fucinum in Marsis 470 b, 482 a, 654 c, 655, 656 d, 669 a
Cella S. Francisci, in eremo Camaldulensi 89 f
Cellense monasterium in Hannonia 229 multisque aliis seqq.
Cellia, haud procul a Nitria 360 f, 364 c d
Cenomanum (*le Mans*) Galliæ urbs 674 b c
Centulense monasterium. *Vide* Richarii.
Ceperanum, castrum in Campania Romana 482 c, 668
Cephron, vicus Libyæ *S. Dionysii exsilio celeber* 28 usque ad 57
Cesæna, urbs Æmiliæ 733 c
Cessa Palumbi, vicus in diœcesi Camerinensi 703 a
Cheherycus (*forte* Checery) ad Arolam fluvium 199 a, 200 b
Cherium, oppidum Italiæ in Pedemontio 316 f 334 e
Chimacum, Hannoniæ oppidum 218 c. Chimacense monasterium 256 a
Christivili monasterium, Parisiis. *Diversum a monasterio S. Aureæ* 421 d e f
† Christophori monasterium, Parisiis. *Vide* Christivili.
Cisonum (*Cisoin*) Flandriæ Gallicanæ vicus 206 b
Cisternæ castrum, Campaniæ Romanæ oppidulum 673 a f
Citerna, castrum prope Tiberim in dominio Florentino 673 c, 674 a
Citharista, portus aut promontorium in Provincia Galliæ 133 c
Civitas Roderici (*Ciudad Rodrigo*) in regno Legionensi 701 a
Claterna, olim oppidum in Æmilia 580 c
† Clementis ecclesia Coloniæ Agrippinæ 191 b. *Reliq. SS. Ewaldorum* 171 a, 182, 183 c
Clochorensis diœcesis, in Hibernia 287 f
Cluniacum, abbatia in agro Matisconensi 129 d
Clusium, Hetruriæ oppidum 697 a
Colfanum monasterium PP. Minorum in diœcesi Camerinensi 703 b
Colle, locus inter Perusium et Assisium 748 f, 765 c
Collis inferni, *deinde* Collis Paradisi *dictus, locus ecclesiæ, in qua corpus S. Francisci* 579, 816 b, 829 a, 833 c
Colluthio, Maræotidis tractus 57 f, 58 d e
Colonia Agrippina, Germaniæ civitas 292 b, 332 a. *Reliq. SS. Ewaldorum* 171 et seqq. *Reliq. MM. Trevirensium* 325 b c d. Coloniensis conventus PP. Minorum 470 a
Columbæ Fons, juxta Reate 544 multisque seqq.
Columbæ Mons. *Vide* Columbæ Fons.
Conlumbellæ oppidum, quinto circiter lapide a Perusio 708 b
Commeniæ, villa episcopatus Virdunensis 449 a
Comminaria, locus ecclesiæ Virdunensis 457 d
Compostella, urbs Gallæciæ 215 b, 501 c, 517 d, 590 a d, 703 f, 845 f. Conventus PP. Minorum 699 c
Concordia, olim oppidum in provincia Foro-Julii 576 f
Condrusum, diœcesis Leodiensis pagus inter Mosam et Urtam 206 b
Confluentia (*Coblentz*) urbs Germaniæ, ubi Mosella Rhenum subit 298 c, 306 a
Constantiniana basilica, Romæ 393 c, 397 b
Constantinopolis, Turcici imperii sedes 110 b, 112 a, 141 f. *Forte patria S. Petronii* 371 a. *Illuc appulsus S. Magdalveus* 464 b
Contrebia, Hispaniæ urbs 29 b
Corbeia, Picardiæ oppidulum 143 e f. *Altera* Saxoniæ ibid.
Corbio, oppidum in Latio 697 a
Corinthus, Peloponnesi urbs. *SS. Crispus et Caius* 288 b
Cornetum, Apuliæ oppidum 668 b, 669 a
Cornietensis conventus PP. Minorum in Pedemontio 702 c
Corporis Christi monasterium Capuccinarum Papiæ 808 c
Cortona, Hetruriæ civitas 693 a. *Ibi ægrotat S. Franciscus* 565 c, 606 b. Conventus PP. Minorum 565 b, 608 a, 702 f
Coruniensis conventus PP. Minorum, in Hispania 700 a
Crange, vicus ad Imscharum fluvium 179 b
Cremona, urbs Italiæ in ducatu Mediolanensi 400 a, 742 c
Crispiniense cœnobium, in Hannonia 227 f, 256 a b c
Croneburgum, ducatus Montensis oppidulum. *Cultus SS. Ewaldorum. Num eorum palæstra* 170 et seqq.
Crotona. *Vide* Cortona.
Cucuranum, castrum in Lucania 612, 613 b c
Cumbæ, villa abbatiæ Pratensis S. Germani 212 f
Cuneum (*Coni*) urbs in Pedemontio 719 a
† Cuniberti ecclesia, Coloniæ Agrippinæ. *Vide* † Clementis.
Curtemillia, Liguriæ vicus 516 e, 697 a
Cuvinium, ditionis Leodiensis oppidum 212 a, 272 c, 273 a

† Cypriani

† Cypriani cappella, Telone 136 d e f
Cyprus, Asiæ in mari Mediterraneo insula 140 et seqq.
Cyrus, Syriæ Euphratesiæ civitas 96 a

D

Damascus, urbs Syriæ 427 c d e
† Damiani ecclesia, prope Assisium. *S. Franciscus offert pecuniam ad illam reparandam. Illam reparat. Natus hic Ordo Clarissarum.* Monasterium 478 et in aliis locis usque ad 843
Damiata, Ægypti urbs 140 b, 525 multisque seqq.
Danubius, Germaniæ fluvius 192 e
Decem Pagi (*Dieuze*) Lotharingiæ oppidum 149 a b
Deckendorffium, Bavariæ inferioris oppidum 191 d, 193 a
† Deodati monasterium, in Vosago 317 b
Derbe, Asiæ civitas 290 b
Digilum, vicus prope Lutetiam Parisiorum 213 b c, 216 a
Dinantum, ditionis Leodiensis oppidum 207 a, 23 c d e
Dingensinium, Bavariæ Inferioris oppidum 193 d, 196 f
† Dionysii cœnobium Parisios 190 usque ad 268
Divodurense cœnobium. *Vide* † Naboris.
Dorostorum, Mœsiæ Inferioris oppidum versus Istrum fluvium 339 d
Duacum, Belgii urbs. *Reliq. MM. Trevirensium* 326 b d f
Duisburgum, urbs Germaniæ in ducatu Cliviæ 228 f
Dulcrimensis pagus (*le Dormois*) in Campania Galliæ. *S. Juvinus* 196 et seqq.
Duria, villa regia in pago Ripariensi 168 e

E

Eboracum, Britanniæ Majoris urbs 174 a, 299 c
Edera. *Vide* Arola.
Edessa, Mesopotamiæ urbs, *nunc* Orfa 343 multisque seqq.
Einsidlensis abbatia, in Helvetia. *Reliq. MM. Trevirensium* 323 a
† Eleutherii eremitorium prope castrum Quitiliani extra vallem Reatinam 708 e
† Eligii ecclesia, Parisiis. *S. Aurea* 409 b. Abbatia, *cui S. Aurea præfuit* 410 e, multisque aliis seqq.
† Eliphii mons haud procul Solimariaca 132 a
Elle, villa in ditione Trevirensi 321 d
Elnonense monasterium. *Vide* † Amandi
Elsa, vallis in Hetruria 341 d f
Emaus, Palæstinæ castrum in Judæa 646 a, 733 c
Emschara, fluvius in comitatu Marcano 178 b, 179 a
† Emmerammi monasterium Ratisponæ in circulo Bavariæ 217 a
Ephesus, urbs Asiæ Minoris. *SS. Adauctus et Callisthene* 120 e, 290 multisque seqq.
Epidaurus, Dalmatiæ oppidum 141 a, 142 d
Eporedia (*Jurea*) Pedemontii civitas. Conventus PP. Minorum 702 c
Epternacense cœnobium. *Vide* † Willebrordi.
Ermeton, villa monasterii Broniensis 227 a
Effendiense cœnobium, in Westphalia. *Reliq. S. Marsi* 339 c d, 340 d
Eugubium, civitas in ducatu Urbinate 492 usque ad 724 in diversis locis
Euphrates, Asiæ fluvius 349 b
† Eusebii ecclesia, Romæ. *Cultus S. Aureæ* 409 f
Ex (*forte* Axona) Galliæ fluvius 379 b, 464 d

F.

† Fabiani ecclesia, prope Reate 563 d
†† Fabiani et Sebastiani templum Bononiæ in Italia. *Reliq. S. Petronii* 378 b, 379 a
Fabrianum, oppidum in Marchia Anconitana 704 f, 745 d
† Facundi fanum in regno Legionensi 675 a, 676 f
Fanum Fortunæ, Umbriæ civitas 612 tresque seqq.
Fanum, Piceni urbs 842 b
Fanum S. Menehildis, Campaniæ Gallicæ oppidum 146 a
† Faræ monasterium (*Farmoutier*) in Bria. *Reliq. S. Patusii* 168 e
Felix-Villa (*forte* Fleville) vicus ad Arolam fluvium. 199 e, 200 d
Fendeserta, vicus aut villa monasterii Broniensis 227 a
Ferneto (*de*) cœnobium. *Vide* † Mariæ.
Ferraria, urbs Italiæ in ditione Ecclesiæ 797 f
Ferrarense monasterium Ordinis S. Benedicti (*Ferrieres*) in pago Wastinensi 271 b
Flandria, Belgii comitatus 280 b, 281 c
Floreffiensis abbatia, prope Namurcum. *Reliq. SS. Ewaldorum* 189, 264 d
Florentia, Tusciæ civitas. *Caputium S. Francisci. Tunica.* Conventus PP. Minorum 476 a usque 743 in diversis locis. Monasterium virginum Benedictinarum. *Vide* † Pauli.
† Foillani cœnobium. *Vide* Fossensis abbatia.
Folcholdi rupes, in Vosago 338 a
Fontanellense monasterium, in Normannia 232 b 246 f. 257 et seqq.
Fontanetum (*Fontenoy-le-Chatel*) Lotharingiæ vicus. *Cultus S. Mennæ* 144 sexque seqq.
Fontis-Evraldi cœnobium (*Fontevrault*) in diœcesi Pictavensi 418 d e
Foresta (*de*) monasterium. *Vide* † Mariæ.
Forum Julium, Italiæ provincia 400 b, 401 f
Fossatense cœnobium, quinque fere milliaribus Parisiis dissitum 424 c
Fossensis abbatia, inter Sabim et Mosam 206 b, 212 f, 273, 276 f
† Francisci ecclesia Bononiæ. *Vide* † Mariæ Annunciatæ.
† Francisci ecclesia prope Assisium. *Translatum S. Francisci corpus. An incorruptum, vivo simile etc., in illa servetur. Fit patriarchalis. Quot minores ecclesias complectatur.* S. Francisci Parvi sacellum Assisii. Ejusdem ecclesia in monte Alverno. S. Francisci conventus Assisii 479, 567 usque ad 828
Friburgum urbs, *alia* in Germania, *alia* in Helvetia 830 d
Frisia, Belgii fœderati regio 171 et seqq. 189 f
Frisinga, Bavariæ urbs 278 e
Fulginium (*Foligno*) Umbriæ civitas 486 diversisque locis usque ad 842
Fusbacum, vicus in ducatu Luxemburgensi 295 c

G

Gagiani villa, in Hetruria 541 a b c d
Galata, suburbium Constantinopolitanum 285 b
Galilæa, Judææ regio 530 a
Gallia, Europæ regio 711 d
Gallinarium castrum, in diœcesi Sorana in Italia 204 f
Gallipolis, civitas regni Neapolitani 789 e
Gallovidia, Albaniæ regio 21 f
Gandavum, Flandriæ civitas 286 a
Gandense monasterium. Vide † Bavonis.
Gangeretum, Tusciæ oppidum 695 d
Garganus, mons in Apulia Daunia 672 c, 723, 724 a b c
Gaza, Palæstinæ urbs 137 et seqq.
Gemblacense monasterium, in Brabantia 212 a
† Geminiani Castrum, in Hetruria 535 c, 599 d, 668 c
† Gemini Castrum, in Umbria 535 d, 598, 599 e, 658 b; *locum hic acquirit S. Franciscus* 697 b
† Genovefæ cœnobium Canonicorum Regularium Parisiis 410 b, 426 a
Gentilianus, ecclesiæ Parisiensis villa 422 c d
Genua, Liguriæ civitas 284 b, 470 b, 472 a, 616 d. *Reliq. MM. Trevirensium* 328 c
† Georgii ecclesia Assisii. *In illa S. Franciscus litteras didicit ac primo sepultus fuit Caputium S. Francisci. Tunica* 474 aliisque locis in seqq. usque pagg. ad 836
Gerardi-Mons, oppidum Flandriæ 231 a
† Gerardi vicus. *Vide* Bronium
† Germani monasterium Parisiense 211 f

† Germani suburbium, Parisiis 145 b
† Germani vicus, in Brabantia 212 a
Germania, Europæ regio 711 c. *Mittit eo discipulos S. Franciscus* 521 d, 539 b c e, 551 f
Geveron, vicus diœcesis Colonienſis 184 e
† Gisleni monasterium. *Vide* Cellense.
Gorziense monasterium, in diœcesi Metensi 436 d, 464 c
Gran, *olim* oppidum, *nunc* Odornensis pagi vicus 148 quatuorque seqq.
Græcia, Europæ regio 714 d
Græcium, castrum non procul a valle Reatina. *S. Franciscus ibi Christi Natalem celebrat* 471 usque ad 725
Græcium, urbs in Styria. *Reliq. MM. Trevirensium* 324 d e

H

Halleias, villa vel vicus monasterii Broniensis 264 b
Hannonia, Belgii provincia 276 a
Haricivilla, in episcopatu Virdunensi 449 e
Harlebeca, Flandriæ oppidulum 246 f
Hasbania, Belgii tractus 206 d
Hasletum, ditionis Leodiensis oppidum 286 c
Hasnoniense cœnobium, tertio lapide a Valencenis in Hannonia 250 d
Hasta, urbs Liguriæ 376 b
Havagium, villa 234 f
Heimorderheim, vicus in diœcesi Colonienſi 184 b
Helmershusanum monasterium, in diœcesi Paderbornensi. *Reliq. MM. Trevirensium* 322 d e f
Hermeton, villa monasterii Broniensis 264 d e
Hermopolis, Ægypti urbs 140 a
Hetruria, Italiæ ducatus 300 c
Hierapolis, Syriæ urbs 344 et seqq.
Hierosolyma, urbs Palæstinæ 235 e f, 282 multisque seqq.
Hii, insula Scotorum. *Vide* Jona.
† Hilarionis monasterium, in Palæstina 137 b
Hispania, Europæ regio 711 c. *S. Francisci in illa iter* 516 et seqq.
Hispellum (*Spello*) oppidum Umbriæ 613, 673, 674
† Hoildis abbatia, tertio fere lapide a Baroduco 146 b
Horrea (*ad*) monasterium. *Vide* † Mariæ cœnobium.
Horst, vicus ad Imscharam fluvium 179 e
Horstmaria, vicus a Larensi pago non procul distans 170 b
Horta, Tusciæ civitas 493 multisque seqq.
Hova, comitatus ad Visurgim 170 c. *An palæstra SS. Ewaldorum* 177 a
Huetensis conventus. *Vide* Neutensis.
Hungaria, Europæ regio 711 d. *Eo discipulos mittit S. Franciscus* 521 d, 551 d

I

† Jacobi ecclesia, Parisiis 738 b
Iconium, Lycaoniæ civitas 49 e, 52, 64 c, 527 b
† Ignis conventus PP. Minorum 697 a b
Ilerda, Cataloniæ civitas 665 d, 666 a
Imola (*olim* Forum Cornelii) in Romandiola 643 a, 645 b, 697 c
Inda (*Cornelis-Munster*) prope Aquisgranum 334 f, 335 c
Ingelmunster, Flandriæ vicus 286 a
Insulæ, urbs Belgii. *Reliq. MM. Trevirensium* 326 d e
Interamna, Umbriæ civitas 40 a, 265 c d, 697 a
Interamnus (*forte* les Isles) locus in territorio Autissiodorensi 340 a
Interducus, oppidum in regno Neapolitano 675 d, 676 f
† Joannis Baptistæ ecclesia, Bergomi 743 b. Castri Podii Superioris. Castri Plebis. Ejusdem ecclesia extra muros Turris Alfinæ in diœcesi Urbevetana 686 b c d e f
† Joannis de Saxo monasterium, PP. Minorum prope Montem Falconis 705 e
† Joannis ecclesia, Treviris. *Reliq. MM. Trevirensium* 315 e
† Joannis Evangelistæ templum Bononiæ in Italia. *Reliq. S. Petronii* 378 e f, 379, 405 d
Jona, Scotiæ insula 21 b, 173 b c d
Joppe, urbs Palæstinæ 432 a, 443 e, 546 d, 767 c
Jotrum, monasterium ad Matronam 167 e
Jovis Castrum, prope cœnobium de Trabe Bonantis 705 e
Jovis-Mons, pars Alpium in limite Rhætiæ 229 f, 282 f, 283 f
Ipræ, civitas Flandriæ 326 e
Isala Vetus (*Alt-Issel*) Germaniæ fluvius 175 d
Isara, Germaniæ fluvius 193 f, 195 a e
Iseum castrum, in agro Brixiano 673 b, 674 a
† Isidori conventus PP. Minorum, Romæ 828 f
Juliacum, Germaniæ oppidum ad Ruram fluvium 298 c
† Juliani abbatia virginum, apud Autissiodorum 340 e
Juliobriga, *modo* Castellæ Veteris urbs 516 f, 698 b. Conventus PP. Minorum 699 b c
Jussanense monasterium virginum, apud Vesontionenses 417 a
† Justi vicus, in tractu Bellovacensi 133 c
† Justini monasterium, in diœcesi Perusina 653 d
† Juvini vicus, in pago Dulcrimensi Campaniæ Gallicæ. Ecclesia 197 tresque seqq.

L

† Lamberti ecclesia, Leodii 234 c
Landshutum, Bavariæ oppidum 195 d
Laniæ, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 264 d e
Laodicea, Syriæ civitas 283 f
Laquidona, civitas regni Neapolitani 789 b
Larensis pagus (*Laer*) in diœcesi Monasteriensi. *Cultus SS. Ewaldorum. Num Ewaldorum palæstra* 170 et seqq.
Lateranensis ecclesia, Romæ 626 d, 637 e. *Cincinnus S. Francisci* 801 d
Latopolis, urbs in Thebaide 140 f
Laudunum, Suessionum urbs in Gallia Belgica 130 et alibi seqq.
Laverna, Calabriæ oppidum 23 d
† Laurentii Castri Porciani ecclesia, *olim* monasterii de Campo-Longo 686 b c
† Laurentii ecclesia Bellovaci 131 d. Florentiæ 401 c
Legia, *sive* Lisa, Flandriæ fluvius 237 b, 241 a.
Legio, Hispaniæ regnum 560 f. Civitas 24 a,
Leodium, Germaniæ civitas ad Mosam 262 d e f, 274 a
Leonensis diœcesis, in Gallia. *Cultus S. Aurea* 410 b
Leonissa, Umbriæ oppidulum 22 c
Leopolis, oppidum in ducatu Urbinate 697 a f
Lerinense monasterium, in insula S. Honorati 161 b c
Leubinas. *Vide* Libinas.
Liberdunum, oppidulum in Lotharingia 131 a
Liberiana ecclesia, Romæ 479 d
Libinas, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 227 a, 264 d e
Liguria, Italiæ regio in Gallia Cispadana 576 a
Lingones (*Langres*) Campaniæ Gallicæ urbs 196 c, 312 b
Lippia, fluvius in comitatu cognomini circuli Westphalici 169 d, 181 e
Lira, Brabantiæ oppidum. *Reliq. MM. Trevirensium* 326 b
Lobium, vicus et abbatia in diœcesi Leodiensi 236 e
Logronium. *Vide* Juliobriga.
Loisy, Campaniæ Gallicæ vicus. *Cultus S. Juvini* 196 a
Lomacense territorium. *Ejus descriptio* 204 multisque seqq.
Longipontis abbatia, Ord. Cisterciensis in tractu Suessionensi 715 b
Longonessum, villa abbatiæ S. Bertini 248 d
Longuio, ducatus Barrensis oppidulum 322 b
Lovanium, Belgii urbs 285 f
Luca, Hetruriæ civitas 478 b, 696

† Luciæ

† Luciæ templum, Bononiæ in Italia 379 d e, 405 a
Lunulacense monasterium, in Bavaria 195 f
Luppia. *Vide* Lippia.
Lusitania, *nunc* Portugallia, Europæ regnum in parte Occidua Hispaniæ 517 b
Luxoviense monasterium, in comitatu Burgundiæ 414 a, 417 d e f
Lychnos, locus haud procul Pelusio, Ægypti urbe, 139 d, 140 e
Lycium, urbs regni Neapolitani 798 a
Lycus, Ægypti fluvius 365 e, 366 f, 368
Lyming, monasterium in Cantia 287 c

M

Maderniacum, in Aquitania 432 b, 442 c, 464 a
Madritum, Hispanorum regum sedes. *Reliq. S. Candidi* 26 c. Conventus PP. Minorum 701 a. Monasterium virginum Ord. Prædicatorum 731 b
Maeseneel, vicus diœcesis Coloniensis 184 a
Mageo, monasterium in Hibernia 173 b
Maisons, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 227a, 264 b
Majuma, Palæstinæ oppidum 137 c, 138 a, 142 d, 143 b
Malbodium, Hannoniæ oppidum ad Sabim 231 multisque seqq.
Mallonia (*Maloigne*) *nunc* abbatia prope Namurcum 256 d, 274 e, 275 f
Malmundarium (*Malmedy*) in ditione Leodiensi oppidum et abbatia 298 d, 332 e
Manbach, vicus prope Treviros 321 d
Manifia, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 227 b, 264 a
Mannenbach, vicus non procul Sarræ castro 320 f
Maræotis, Ægypti tractus 37 e, 57 d, 58 c
Marani montis castrum, prope Beneventum 666 c
Marcast, villa episcopatus Virdunensis 449 f
Marceium, villa episcopatus Virdunensis 450 a
Marchia Anconitana, provincia ditionis Ecclesiæ, 494 et seqq.
Marchianense monasterium, in Flandria ad Scarpum fluvium 250 et seqq.
† Marci templum, Bononiæ in Italia 378 e, 463 a. Romæ 667 a
† Margaritæ ecclesia Assisii 686 f
† Mariæ Angelorum ecclesia Assisii. *Vide* † Mariæ de Portiuncula.
† Mariæ (*Annunciatæ*) ecclesia, Bononiæ in Æmilia. Arelate. S. Mariæ et S. Cypriani, Telone in provincia Galliæ. *Corpus S. Cypriani*. Inter oppidum S. Gemini et Porcariam. Medanti. De Burio, in Lusitania. De Puliolis, Bononiæ in Italia. Remis. De Sedis, Telone. S. Mariæ et S. Stephani, Meldis. De Vineis, Januæ. Virduni. S. Mariæ de Gualdo, *olim* monasterii de Campo-Longo 135 et seqq., 435 usque ad 715
† Mariæ cœnobium Chimacense, in Belgio 218 c. De Ferneto juxta Columbellæ oppidum 708 a. De Foresta PP. Minorum prope Reate 563 f. Ad Horrea Treviris. 294 b, 331, 332. De Scarzola, prope oppidum Montis-Jovis 708 b
† Mariæ de Angelis ecclesia, in monte Alverno 352 a
† Mariæ de Portiuncula ecclesia, Assisii. *Apud illam moratur S. Franciscus. Eamdem reparat. Decumbit apud illam. Moritur. Indulgentiæ annuæ. Eædem oppugnatæ. Concursus ad illas. Indulgentiæ quotidianæ. Illius consecratio. Notitia et delineatio. An intestina et cor S. Francisci in illa serventur.* Portiunculæ conventus 207, 470 usque ad 828
† Mariæ Magdalenæ sacellum Victoriense 699 d
† Mariæ Magdalenæ sacellum, Virduni 449 a. Bergomi 743 c
Marligna, silva prope Bronium 268 e, 270 c
Marrochium, urbs Mauritaniæ Tingitanæ. Barbariæ regio in Africa 516 multisque aliis seqq.
Marrones, in Galliæ et Italiæ finibus 283 a, 285 a
† Martialis ecclesia, monasterii S. Eligii Parisiis 413 c. *Reliq. S. Aureæ eo translatæ* 420 d. *Pars ejus facta parochialis* 425 a
† Martini ædicula, Mediani in Vosago 295 b, 307 d. Templum Bononiæ in Italia 379 b. Monasterium Tornaci in Belgio 250 b, 251 a
Massa, parvus Italiæ tractus in Hetruria 674 b
Massa Trabaria, tractus Italiæ in ducatu Urbinate 724 f
Massilia, Galliæ Narbonensis civitas in ora Provinciæ. *Cultus S. Cypriani* 156 b, 158 aliisque locis
Materna. *Vide* Matrona.
Matisco, urbs Galliæ in comitatu Burgundiæ 413 f, 414 c
Matrona, Galliæ fluvius 196 b, 255 a
† Matthiæ abbatia, Treviris 295 b
Mauritania (*Mortagne*) in diœcesi Sagiensi 426 a
Mauronti villa (*Mergem, Merville*) in Flandria Occidentali 251 f
† Maxentii monasterium, in diœcesi Pictavensi 217 a
† Maximini monasterium, Treviris. *Reliq. S. Bonifacii et Sociorum. Cultus MM. Trevirensium* 227 a, 293 multisque seqq.
Mechlinia, civitas in Brabantia. *Reliq. MM. Trevirensium* 326 d
Medantum, oppidum pagi Vulcassini 136 a
Media, Asiæ regio 149 a
Medianum monasterium, in Vosago. *Reliq. S. Bonifacii* 294 usque ad 340
Mediolanum, Insubriæ civitas. *Reliq. MM. Trevirensium* 314 b, 370 multisque aliis seqq.
Mediolanum Sanctonum (*Saintes*) urbs Galliæ in Aquitania 271 b
Mediomatrice, *hodie* Metæ 461 b, 463 c
Melda, Galliæ Belgicæ urbs in Bria *S. Patusius* 167 e. *Forte patria S. Quintini* 408 c. *S. Aurea in ejus diœcesi culta* 440 a
Melitine, urbs Armeniæ 356 c, 358 a
Melphia, urbs regni Neapolitani 789 a
Mengede, vicus ad Imscharam fluvium 179 e
Mercasii villa, prope Parisios 215 b
Merendrecht, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 226 f, 264 d e
Merla, villa ecclesiæ Virdunensis 453 d
Messenich, vicus prope Treviros 320 f, 321 b c
Mesopotamia, Asiæ regio inter Euphratem et Tigrim 356 e, 357 f, 358 b
Messana, Siciliæ civitas 286 a b
Metamense monasterium, in Bavaria Inferiori. *B. Utho* 191 b, 193 a, 194 e f
Methona, Peloponnesi urbs 140 f
Mevanium, oppidum Umbriæ 532 aliisque multis seqq.
† Michaelis ecclesia in monte Gargano. Monasterium ad Mosam 464 aliisque locis
Michelsbuch, Bavariæ Inferioris oppidum 191 et seqq.
Miletum, Calabriæ urbs 789 f
Mimigardeforda. *Vide* Monasterium
Mirecurtium, Lotharingiæ oppidum 149 b, 150 c
Moguntia, Germaniæ civitas 296 a, 306 c. Conventus PP. Minorum 470 a
Monachium, urbs Bavariæ primaria 195 b, 324 e.
Monasteriolum (*Monstreuil*) Picardiæ oppidum 246 b
Monasterium, civitas primaria Westphaliæ. *Reliq. SS. Ewaldorum. Cultus eorumdem. Reliq. MM. Trevirensium.* 170, 187 et seqq.
Monjovetto, Sabaudiæ vicus 283 e
Mons Calerius, oppidum Italiæ in Pedemontio 516 b, 697 a
Mons Casalis, in provincia Massæ Trabariæ 643 b, 644 f
Mons Feltri. *Vide* Leopolis.
Mons Niger, in Sabinis 612, 613 c
Mons Pelusius, civitas regni Neapolitani 789 f
Mons Pessulanus, urbs Galliæ in Occitania Inferiori 517 a
Mons Romarici, Lotharingiæ oppidum 145 c, 150 a, 151 e

de

de Monte cæli conventus PP. Minorum, in diœcesi Cantiana 701 b
Montella, oppidum in Samnitibus 724 f
Montellarum oppidum in regno Neapolitano *Saccus F. Francisci* 808 c
Montensis civitas, Hannoniæ primaria 267 d
Monticelli monasterium Clarissarum, Florentiæ. *Tunica S. Francisci* 836 a b c
Montinium, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 227 c, 264 e f
Montis Falci terra, in diœcesi Spoletana 479 a
Montis Lucidi monasterium Clarissarum, Perusii 783 b, 788 a
Morderhof, villa in vico Appelderbeke 178 b f
Mordthof. *Vide* Morderhof.
Mordwallis, conventus PP. Minorum in provincia Marchiæ 750 a
Morgus (*l'Orco*) Italiæ fluvius Pedemontium permeans et in Padum se exonerans infra Augustam Taurinorum. 702 b
Mortmulhl, molendinum in villa Appelderbeke *Vide* Morderhof.
Mosa, Belgii fluvius 207 b
Mosella, Galliæ Belgicæ fluvius 293 d
Mosomense cœnobium, in Campania Galliæ 211 f, 232 a, 260 b, 262 b
Musteriense cœnobium, Luxemburgi in Belgio. *Reliqq. MM. Trevirensium* 326 d
Muri locus, in Pinceno 750 a
Musciacum, in Cadurcis 285 e f
Mutina, urbs Italiæ in Longobardia 376 f, 380 d

N

Nabalia. *Vide* Nabia.
Nabia, *forte* idem fluvius, qui Isala 175 c d
† Naboris cœnobium, Metis in diœcesi Trevirensi. *Cultus MM. Trevirensium* 319 b
†† Naboris et Felicis ecclesia, Bononiæ in Æmilia 402 d e
Namnetum, Galliæ Celticæ urbs 321 a
Namurcensis comitatus, in Belgio Namurcense castrum 208 b, 185 f
Narbona, Galliæ civitas 472 b, 498 e f
Narnium, oppidum Umbriæ 535 f, 538 usque ad 674
Neapolis, regni cognominis caput 755 b, 801 a. Neapolitanus conventus PP. Minorum 671 e
Neutensis conventus PP. Minorum, in Castella 701 a
Nicæa, Bithyniæ civitas 451 d
† Nicolai de Campo-Longo monasterium *olim* Ord. S. Benedicti in diœcesi Assisiensi 685 b c
† Nicolai de portu, oppidum Lotharingiæ 149 b
† Nicolai ecclesia, Bellovaci 131 f. Assisii 635 d
Nicomedia, urbs Asiæ Minoris 343 c, 356 d
Nicopolis, Ægypti civitas 37 c
Nigella, monasterium in Bria 240 f
Nitria, Ægypti eremus. *Describitur. S. Ammonis habitatio. Monasteria ibidem condit. Moritur* 360 sexque seqq.
Nonantula, urbs in confinio territorii Bononiensis in Æmilia 400 b
Nova-villa, vicus haud procul Virduno *in quo obiit S. Magdalveus* 431 multisque seqq.
Novum Castrum, Campaniæ Gallicæ oppidum 145 d
Nuceria, Umbriæ civitas. *Altera* in regno Neapolitano 564 aliisque locis
Numagum, oppidulum Trevirorum 298 a, 316 b c
Numantinus conventus PP. Minorum, in Castella 701 a
Nursia, urbs Italiæ in Umbria 464 b, 465 c, 573
Nussia (*Novesium*) oppidum in episcopatu Coloniensi 186 a, 332 b

O

Oasis, Ægypti solitudo 140 b c d
Octodurum, Galliæ Narbonensis oppidum 313 a
Odera, Germaniæ fluvius 168 b
Oecubaria, Bononiensium castrum in Æmilia 376 d
Oenipontum, urbs in comitatu Tyrolensi 195 d
Offebris, locus in pago Virdunensi 449 c, 466 f
Olomutium, urbs Moraviæ 559 f
Olympus, Lyciæ civitas 111 d e
Omnium Sanctorum monasterium, Florentiæ. *Dens S. Francisci* 807 f
Oppavia, *nunc* Silesiæ oppidum 559 f
Oprenensis conventus PP. Minorum in Italia 702 b
Originacum (*Aurigny*) Picardiæ oppidum 131 a
Orsaw, ducatus Cliviæ oppidum ad Rhenum 179 a
Ortensis civitas. *Vide* Horta.
Ostia, Latii *olim* urbs 636 a f
Ovetensis conventus PP. Minorum in regno Legionensi 700 b

P

Pachynus, Siciliæ promontorium 140 f
Paderborna, urbs Germaniæ in circulo Westphaliæ. *Reliq. MM. Trevirensium* 323 b
Padus, Italiæ fluvius 376 b
† Paii *seu* Pelagii monasterium Benedictinum Compostellæ in Hispania 517 e, 699 d
Palæstina, Asiæ regio 77 d, 758 e
Palentina, urbs in regno Legionensi 675 b f
Pamarcum, castrum in Apulia 667 d
Pannonia, Europæ ampla regio 192 a
Paphus, Cypri urbs 140 f, 143 b
Papia, urbs Italiæ in Insubria 453 et seqq.
Parætonium, portus in Marmarica 29 aliisque locis
Pararitum, ecclesiæ Virdunensis locus 439 d
Parisii, civitas Galliæ primaria. *Cultus S. Aureæ* 129 usque ad 751 et alibi.
Patavium, urbs Galliæ Transpadanæ 376 b
† Patusii templum et vicus in diœcesi Meldensi 168 c f
† Pauli ecclesia, Parisiis. *S. Aurea ibi primo sepulta* 410 et seqq.
† Pauli templum, Monasterii 188 e. Monasterium virginum Ord. S. Benedicti Assisii 513 c. Xenodochium Florentiæ 743 a
† Paulini ecclesiæ et monasterium, apud Treviros. *Reliq. MM. Trevirensium* 396 usque ad 332
Pedemontium, Italiæ provincia 521 b
Pelusium, Ægypti urbs 139 d
Penna, Aprutii Ulterioris civitas. Conventus PP. Minorum 723, 724 c d e f
Pentapolis, quinque urbium tractus in Libya Cyrenaica 59 e, 101 a
Pepuza, Phrygiæ urbs 127, 128 d e f
Perona, urbs Galliæ in Picardia 245 b
Perpinianum, oppidium in Hispaniæ, Galliæ adjacentis, finibus 517 b. Perpinianensis conventus PP. Minorum 701 c
Perthensis tractus, in Campania Galliæ 146 b, 147 f
Perusium, urbs Italiæ sub dominio Pontificis. *Captivitas S. Francisci.* Perusium *Ecclesiæ vindicatum.* Perusinus lacus, *in quo moratus est S. Franciscus.* Conventus PP. Minorum in eodem lacu 574 usque ad 789 et aliis sæpe.
† Petri ecclesia, Bellovaci 131 b d e, 135 c d. Thorolti in Flandria 252 a. Coloniæ Agrippinæ 185 b. Basilica Romæ 720 d. Bononiæ in Italia 376 a b, 401 e. Fossati 425 b f
† Petri ecclesia prope Assisium, *a S. Francisco reparata.* S. Petri ecclesia castri Paradisi *olim* monasterii de Campo-Longo 495 et alibi.
† Petri ecclesia, Virduni. *Vide* † Viti.
† Petronii templum, Bononiæ in Æmilia. *Translatio capitis S. Petronii* 384 et seqq.
Pfaffenmunster canonicorum collegium prope Straubingam 194 e f
Philippopolis, Hannoniæ oppidum 199 a
Phœnice, Syriæ regio 97 b, 98 c
Phrygia, Asiæ Minoris regio 296 d, 357 c
Picenum, Italiæ regio ad oram maris Adriatici 483 c, 712 d e f
Pictavum (*Poictiers*) civitas Galliæ 674 b f
Pignanum, Italiæ oppidum 705 d
Pisa, urbs Italiæ in Hetruria 473 b
Placentia, urbs Galliæ Cispadanæ 380 d
Podii-Bonitii oppidum, in Hetruria 541, 542 b. Conventus PP. Minorum 697 a

Polevin, villa in Burgundia 322 c
Pollentia, Liguriæ oppidum 376 f
Pompey, vicus inter Nanceium et Pontem Montionis 445 c
Portus-Suavis, canonicarum collegium prope Mirecurtium in Lotharingia. *Cultus S. Mennæ. Reliq.* 144 et seqq.
Potentia, civitas episcopalis in regno Neapolitano 666 a b
Præmonstratum, vicus Galliæ in Picardia 489 e
Praga, Bohemiæ primaria civitas 311 f. *Reliq. MM. Trevirensium* 323 e, 551 f
Pratum Sanctum, in vico Larensi 476 b, 478 a
Prima porta, vicus septem millibus Roma distans 804 d
Provincia (*la Provence*) Galliæ regio 593 c
Pruliense monasterium, Tolosæ 738 d
Prumiense monasterium, ad Prumiam fluvium in sylva Arduenna 297 et seqq.
Ptolemais, urbs in Pentapoli 59 f. *Altera in* Thebaide 140 b. *Altera* in Syria
Puliniacum, in Aquitania 432 c, 442 e f, 464 d
Pusinella (*Pusieux*) vicus haud procul Portu-Suavi 149 b, 152 a
Puteoli, urbs Campaniæ in Italia 265 b

Q

Quatuor Capellæ, in comitatu Tudertino 746 e
† Quintini ecclesia, prope Bellovacum. *Reliq. S. Romanæ. Adjectum illi* monasterium Ord. S. Augustini 128 octoque seqq.
† Quintini Fanum, Picardiæ civitas 135 b, 137 a
† Quintini vicus, ad fluvium Andrisium (*l'Aindroix*) 409 e
† Quirici Fanum, oppidulum Hetruriæ in agro Senensi 646 d, 647 a
† Quirinus. *Vide* † Quirici Fanum.

R

Radolium (*Reuil*) monasterium ad ripam Matronæ in Meldis 168 d
Ragusa, Dalmatiæ urbs 667 a b c d
Raherii curtis (*forte* Riocourt) villa abbatiæ S. Vitoni Virdunensis 443 et alibi
Rainerii-Mons. *Vide* Columbæ-Mons.
Ramisbatium (*forte* Rambercourt) 432 e, 440 f, 461 f
Ratispona, Germaniæ urbs in circulo Bavariæ 192 e
Ravaccianum, cœnobiolum prope Senas in Hetruria 538 d
Ravellum, regni Neapolitani urbs parva 789 f
Ravenna, urbs Italiæ in ditione Ecclesiæ 575 a
Rauraci, populi ad Rheni ripam Basileam versus siti 148 f
Reate, Umbriæ civitas 505 usque ad 660
Reatina vallis, in Sabinis Umbriæ 502 b. Reatinus lacus 596 e, 597 f, 754 e
Rebecque, vicus prope Angiam (*Anguien*) in Hannonia 267 b
Recinetum, urbs in Marchia Anconitana. *De sanguine S. Francisci* 835 c
Regalis Mons, Pedemontii civitas 749 a
Remi, Campaniæ Galliæ metropolis, 213 b, 263 a, 271 d
† Remigii monasterium, Remis 232 d e f, 236 a
Resbacum, monasterium in Briegio 168 c
Reveriscors, villa in pago Bellovacensi 257 b
Rhegium, urbs Galliæ Cisalpinæ 380 d
Rhenus, Germaniæ fluvius 169 et seqq. *Alter* Bononiam Italiæ permeans 400 a
Rhutena, urbs Aquitanæ 442 f, 464 a
Ribadeensis conventus. *Vide* Rivadiensis.
† Richarii monasterium, in Picardia 250 et alibi
† Rictrudis monasterium. *Vide* Marchianense.
Rigus-tortus. *Vide* Rivus-tortus.
Riparoliensis conventus PP. Minorum ad Morgum fluvium 702 a
Ripense monasterium, in Anglia 172 f
Rivadiensis conventus PP. Minorum in Hispania 700 f, 701 b
Rivus-tortus. *Habitatio S. Francisci.* Conventus PP. Minorum 493 multisque aliis locis
Robledilliensis conventus PP. Minorum in Extremadura 701 d
Rocchiocciola, castrum in diœcesi Assisiensi 686 b
Roma. *S. Candidus vel Candida. S. Petronii in episcopum consecratio. Stipem S. Franciscus petit. Eo tendit pro approbatione Regulæ. Prædicat. Confirmationem Regulæ obtinet. Amicitiam cum S. Dominico contrahit. It eo petiturus Indulgentias. Assisium inde redit* 25, 29, 30, 36, 375 usque ad 800 pagg.
Romania, *alias* Thracia, ampla Europæ regio 669 d, 670 a
Romeriæ, vicus in comitatu Namurcensi 208 b, 227 b, 264 f
Ronnacense monasterium, in Flandria 230 b, 251 a, 260 f
Rotomagus, Normanniæ civitas 265 a b
† Rufini ecclesia, Assisii. *Baptizatus ibi S. Franciscus* 479 d
Rugus-tortus. *Vide* Rivus-tortus.
Ruhrort, oppidulum in ducatu Cliviæ ad Rhenum et Ruram 179 f
Rutilensis Cartusia ad ripam Mosellæ. *Reliq. MM. Trevirensium* 325 b

S

Saba, *varia hujus nominis oppida* 32 f, 33 c d
Sabatium, oppidum in Liguria 516 a
Sabaudia, Europæ regio, *olim* Galliæ Narbonensis pars 521 b
Sabina, provincia Italiæ ditionis Pontificiæ 675 b, 676 a
Sabis (*la Sambre*) Hannoniæ fluvius 207 et alibi
Salami, Cypri urbs 157 f
Salmerium, villa. *Vide* † Vulmari cœnobium.
Salmurum, ducatus Andegavensis oppidum 730 d e
Salona, Dalmatiæ metropolis 139 a b c d
Sambra. *Vide* Sabis.
Samosata, urbs Syriæ Euphratesiæ 93 c
Sampiniacum, villa episcopatus Virdunensis 449 a
Sanctensis pagus (*le Saintois*) 130 a, 132 e
Sarmatia, regio partim in Europa, partim in Asia 312 f
Sarthianum, oppidulum Hetruriæ in agro Senensi. *Aliud* inter agrum Nucerinum et Assisium. Sarthianensis conventus PP. Minorum 564 aliisque locis
Saxonia, Germaniæ pars 276 b
Saxoniæ Antiquæ limites 168 et seqq.
Scaldis, Belgii fluvius 257 e
Scantia, villa ecclesiæ Virdunensis 442 b
Scarzola (*de*) cœnobium. *Vide* † Mariæ cœnobium.
Scete, Ægypti mons 563 a
Sclavonia, Europæ regio, Illyricum *olim* complexa 515 et alibi
Segusium, urbs Galliæ Subalpinæ 581 c
Sen, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 264 d
Senæ, urbs Hetruriæ. *In ejus agro ægrotat S. Franciscus* 537 usque ad 649
† Sepulcri Burgum, Umbriæ civitas 632 d, 655 f, 690 et seqq.
† Sepulcri templum, Hieresolymis 578 a
† Severini Fanum, in Marchia Anconitana 538 e, 600 multisque seqq.
Sigeburgum, *an* Sisberg castrum Lotharingiæ ad Scavarum 168 b
Silvagium (*Servais*) prope Faram oppidum 422 f
† Silvestri ædes, Bononiæ in Italia 384 b. Nonantulæ 400 c
Silviacense cœnobium. *Vide* † Vulmari.
Sinaï, mons Arabiæ 546 d
Singas, fluvius in Commagene Syriæ provincia 348 f, 349 a b
Siroli conventus PP. Minorum ad mare Anconitanum 703 f
Sithiense monasterium. *Vide* † Bertini.

Socii

Socii Castrum, prope Camaldulum in Hetruria 718 c
Solecisius. *Vide* Solimariaca.
Solemniacense monasterium, in Lemovicensi provincia 415 septemque seqq.
Solimariaca, Leucorum *olim* oppidum, *nunc* vicus (*Soulosse*) 145 octoque seqq.
Solodurum, Helvetiæ oppidum 292 c, 300 f, 301 a f
† Sophiæ ecclesia Constantinopoli 400 b, 401 f
Sora, urbs in terra Laboris 673 e, 674 c
Soseys, villa *vel* vicus monasterii Broniensis 264 d e
Spalatum, Dalmatiæ civitas archiepiscopalis 712 b
Spoletum, urbs Italiæ in Umbria. Spoletanus ducatus. Spoletana vallis. Spoleti *epistola S. Francisci Ms.* 380 usque ad 696 et alibi
Stablecellæ (*Staves*) in territorio Lomacensi 201 a; *Patria S. Gerardi* 204, 205 d, 268 c
Stabulaus, Germaniæ oppidulum et abbatia 332 e
Stadinisus (*Ston*) haud procul Mosomago 199 a, 200 a
Stagnum, ecclesiæ Virdunensis villa 435 b
Stenofortium, ditionis Monasteriensis oppidum 176 a
† Stephani ecclesia Bellovacensis 131 b. Telonensis 135 a. Toletana 216 d. Arimini. Bergomi. Meldis *Reliq. S. Quintini M.* Bononiæ in Italia. *Sepultura S. Petronii. Cultus* 373 usque ad 405
Strazfeldon, vicus diœcesis Coloniensis 184 b
Strigonium, Hungariæ civitas 493 f
Subasius Mons, prope Assisium. Conventus PP. Minorum 509 et alibi
Sublacum (*Subiaco*) oppidulum in Campania Romana 721 d. Sublacense cœnobium Ord. S. Benedicti 770 f
Suessa, civitas in terra Laboris 667 b e f
Suessiones (*Soissons*) Galliæ Belgicæ civitas 271 a
Susatum, Germaniæ oppidum in Westphalia 184, 185 a b
† Sylvini monasterium in Artesia 230 b
Synnada, Phrygiæ Magnæ civitas 50 a, 52 a f, 64 e, 301 f
Syria, Asiæ regio. *SS. Domnina, Berinna et Prosdoce. Illam adire voluit S. Franciscus martyrii causa. Reipsa adiit* 97, 98, 117, 313 multisque seqq. pagg.

T

Tabennense monasterium, in Thebaïde 264 f
Taposiris, Ægypti oppidum in Mareotide duplex 56 et seqq.
Taracina, urbs in Campania Romana 270 c
Tarvisinus comitatus, in Longobardia 206 e
Tarvisium, Italiæ civitas in dominio Veneto 430 a, 468 b
Taurinum, Pedemontii caput 292 et seqq.
Taxandria, Belgii tractus 206 d
Teatinus conventus PP. Minorum, in Aprutio 804 f
Tectisvilla, antiqui Leodiensis seu Tungrensis episcopatus locus 230 c
Telo (*Toulon*) in provincia Galliæ 167 f. *S. Cyprianus. Cultus et Reliq.* 133
Terra Laboris, provincia regni Neapolitani 570 f, 633 et seqq.
Tervisina Marchia 641 f, 662 b. *Vide etiam* Tarvisium *et* Tarvisinus comitatus.
Thamarit, vicus in Catalonia 669 d f
Thebæ, in Romania 671 b
Thebaïs, Ægypti regio 90 d, 343 e, 373 a
Thebatum, castrum inter Pelusium et Babylonem Ægypti 139 e f, 140 a
Thebestina Colonia, in Africa 283 f
† Theclæ ecclesia, Bononiæ in Æmilia. *Reliq. S. Petronii* 379 f, 384 e
Thesla, villa Blandiniensis monasterii 239 a
Thessalia, Græciæ regio 85 e
Thessalonica, urbs Macedoniæ 289 b
Thoroltense monasterium, in Flandria 230 c, 232 a b
Thracia, Europæ regio ad pontum Euxinum 86 b, 336 a b
Thunium, oppidum ditionis Leodiensis 266 c
Tibur, civitas in Campania Romana 671 d f
Ticinum. *Vide* Papia.
Tifernum Tiberinum, Umbriæ civitas 333 d, 638 f
Tignense monasterium. *Vide* Tinnense.
Tilliacum, villa ecclesiæ Virdunensis 433 a
Tinnense monasterium in comitatu Partensi Campaniæ Gallicæ 231, 232
Tolo. *Vide* Telo.
Tolonum. *Vide* Telo.
Tolosa, urbs Galliæ Narbonensis 738, 739 b
Tornacense monasterium, *Vide* † Martini.
Tornacum, Belgii civitas 443 f
Toscanellum, oppidum ditionis Pontificiæ 333 d, 397 et seqq.
Toletum, Hispaniæ Tarraconensis urbs archiepiscopalis 138 a, 213 tresque seqq.
De Trabe Bonantis conventus PP. Minorum in Marchia Anconitana 703 b
Trajectum, urbs Galliæ Belgicæ ad Rhenum 174 d. *Forte* ad Mosam 332 d
Trebia, urbs Umbriæ 696 f, 747 e
Tremonia (*Dortmund*) urbs circuli Wesphaliæ 170 b
Treviri, Galliæ Belgicæ civitas ad Mosellam. *SS. Thyrsus, Bonifacius etc. Cultus MM. Trevirensium* 292 et alibi sæpe.
Triburia, olim villa regia prope Moguntiam 306 f
Tudelensis conventus PP. Minorum in Navarra 701 c
Tudertum, Umbriæ civitas 613 c e, 615 e, 673 a b c d e
Tullum, Galliæ Belgicæ civitas 143 f, 283 f
Tungri, Galliæ Belgicæ civitas 332 e
Turiasonensis conventus PP. Minorum in Aragonia 702 e
Turones, Galliæ civitas archiepiscopalis 269 e, 331 f
Turonia, Galliæ provincia. *S. Quintinus* 407 b
Tuscia, Italiæ regio 491 f
Tusculum, *olim* urbs Latii in Italia 300 d
Tyfi, villa inter burgum S. Sepulcri et montem Alvernum 704 a

V

Vadanis-Mons (*Vaudemont*) prope Mirecurtium 132 b
Vaga. Numidiæ civitas 133 d e, 134 b c
Vagal, Mauritaniæ Cæsareensis civitas 133 c d
Valentia, (*Valence*) urbs in Gallia Viennensi 137 f, 164 a
Valentianæ, urbs Hannoniæ 279 b. *Reliq. MM. Trevirensium* 300 f
Valesia, Helvetiæ pars 314 d
Vallis paupercula, conventus PP. Minorum in Marchia Anconitana 703 b
Vallis Saxi ad radices Apennini virginum Benedictinarum *olim* monasterium 703 c
Valvensis diœcesis in regno Neapolitano 674 d 676 e
Vasio, urbs Galliæ in Provincia 163 a b
Vasnaum, villa ecclesiæ Virdunensis 432 a, 440 e, 461 f
Urberhauss, vicus ad fluvium Imscharam 179 f
Veaz, oppidum Hispaniæ 286 b
† Vedasti monasterium, Atrebati 249 tresque seqq.
Venetiæ, caput Reipublicæ cognominis in Italia 530 e, 718 a
Ventimilia. *Vide* Albintimilia.
Vercellæ, civitas Italiæ in limite ducatus Mediolanensis. *Reliq. MM. Trevirensium* 328 c. Conventus PP. Minorum non procul hinc distans 702 c
† Verecundi monasterium Ord. S. Benedicti in diœcesi Eugubina 648 f, 649 a
Verona, urbs Longobardiæ ad Athesim 36 d, 376 f, 381 b

Vicenna (*la Vienne*) fluvius Galliæ 414 a
Vicentini, Galliæ Cisalpinæ populi 378 f
Victoriensis conventus PP. Minorum, in Alava provincia Hispaniæ 699 a
Vienna, Galliæ urbs ad Rhodanum 148 f
† Vigilii oratorium, Bergomi in Italia 743 d
De Villa Conventus PP. Minorum in provincia Bononiensi 706 e
Villa Parisiaca, inter Meldas et Parisios. *Forte solum natale S. Quintini M.* 408 d
† Vincentii abbatia, Metis 149 e. Cœnobium Lauduni 238 b
Vindeliense (*forte* Vailli) vicus ad Axonam 466 f, 468 a
Vindocinum, urbs Galliæ in Belsia 730 d e
Vindonissa, *olim* Helvetiæ oppidum 312 b c
Virdunum, civitas Lotharingiæ 287 a, 408 b. *S. Magdalveus. Verosimiliter ejusdem patria. Sedes episcopalis* 431 et seqq.
Visurgis, Germaniæ fluvius 176 b
†† Vitalis et Agricolæ ecclesia Bononiæ in Æmilia 404 b
Viterbium, in provincia Patrimonii S. Petri 671, 710 a
† Vitoni ecclesia, Virduni. *Sepultura S. Magdalvei. Ejus abbas S. Magdalveus. Litteris ibi imbutus. Sacerdos factus et abbas.* S. Petri *olim dicta* 431 usque ad 467
Vitriacum (*forte* Vitri) inter Atrebatum et Duacum vicus 206 b
Ulmus, mons *vel* vicus in Marchia Anconitana 676 d
Umbria, Italiæ regio 477 et alibi sæpe
† Urbani abbatia, in diœcesi Catalaunensi 146 b
† Urbani eremus 596 d, 597 a. *S. Franciscus in ea ægrotat* 641 f, 696 f. *Ubi sita* 555 a b c
Ursi-Campus, Ord. Cisterciensis abbatia in Gallia 286 b
Ursidongus. *Vide* Cellense monasterium.
Ursus Pileatus, Romæ vicus 23, 26 b
Vuarnunci curtis, leucis aliquot a Virduno ad Arolam 432, 440 f, 461 a
Vuaslogium, villa ecclesiæ Virdunensis 206 a
Vulcassinus pagus (*le Vexin*) inter Ittam et Isaram seu Isiam 136 a f
† Vulmari monasterium, tertio milliari a Bolonia 230 b, 235 c

W

Walcidorensis abbatia, in comitatu Namurcensi 207 c
Walpillich villa 322 d e
Wasin, villa monasterii Broniensis 232 a
Wellem, vicus ad fluvium Imscharam 179 e
Weverbach, rivus Treviros permeans 307 d
† Willibrordi cœnobium in ducatu Luxemburgensi. *Cullus MM. Trevirensium* 319 e
† Winoci cœnobium, in Flandria. *Reliq. MM. Trevirensium* 326 b
Wippera, fluvius in ducatu Montensi 177 a
Wormatia, Vangionum urbs in Germania 321 d, 430 c, 434 a. Wormatiensis conventus PP. Minorum 470 e
Woromholtense monasterium, in Flandria 230 d
Wuppera. *Vide* Wippera.

X

Xanthus, Germaniæ oppidum in ducatu Clivensi 141 a
† Xisti monasterium, Genuæ 561 d

Y

† Ymmæ prioratus. *Vide* Amæ.

Z

Zachantum, castrum prope Anagniam 672 c
Zephyrium, oppidum Ægypti 57 b

INDEX ONOMASTICUS.

Abinde, *inde* 272 d
Abmatrimonium, *jus domini ne servorum cum extraneis nuptiæ fiant* 264 b
Absentare se, *abesse* 510 a
Absconse, *abscondite* 526 c
Absida, *absis, seu testudo in modum hemisphærii constructa* 465 d
Accidia, *mœror* 605 f
Ad plenum, *plene* 715 d
Advocatio, *præstatio defensori solvenda* 264 a; *Tutela* 230 b
Advocatus, *defensor* 263 e
Æquivocus, *cognominis* 276 d
Æternaliter, *perpetuo* 570 a
Agalma, *ovile* 278 a
Aliqualiter, *aliquantum* 249 b
Alleviatio, *lenimen* 842 b
Allodia, *prædia, interdum omni præstatione libera, fundi etc.* 263 f
Allogiamentum, *hospitium* 782 b
Altare, *evehere* 395 f
Altarium, *altare* 217 c
Alteratus, *animo mutatus* 617 f
Altercare, *altercari* 405 d
Altividus, *prudens, providus* 404 b
Amaricatus, *amaritudine affectus* 306 e
Ambulator, *gradarius* 321 b
Amiralius, *rei classicæ præfectus* 475 b
Ammirari, *admirari* 489 a
Ammitto, *admitto* 746 f
Ammonere, *admonere* 425 b
Angustare, *enarrare* 255 a
Annalis. *Vide* Annualis.
Annualis, *annuus* 334 f, 773 b
Annualiter, *quotannis* 395 b
Anxiatus, *anxius* 282 a
Aporiari, *operari* 606 c
Appendicia, *agelli, ædificia rustica etc. a majori prædio dependentia* 439 d
Approximare, *appropinquare* 728 f
Aptificari, *aptari* 260 f
Archisterium, *monasterium* 413 a
Argumentum, *instrumentum* 383 f
Ariomania, *Arii hæretici insania* 427 f
Aromatizare, *jucundum odorem spargere* 317 b
Articulus, *liber voluminis in varios libros divisi* 465 a
Artus, *arctus* 460 c
Asperellus, *accipiter* 283 a
Attemptare, *eniti, conari* 488 d
Attollentia, *elevatio* 263 c
Auricularius, *a secretis principi* 462 e
Authenticus, *gravis* 651 e

B

Bacilia, *pelves vel catini* 682 b
Banda, *lamina ferrea* 746 d
Bannum, *jurisdictio* 264 d. *Edictum* 306 b
Blada, *segestes* 649 b
Borseria, *rei pecuniariæ administra* 783 e
Breviloquium, *breve scriptum* 328 a
Briga, *difficultas* 746 c
Brodium, *carnium elixarum jusculum* 587 a
Bullatus, *bulla munitus* 579 b
Bulleta, *schedula* 782 f
Burina, *judicis cognitio de seditionis crimine* 264 d

C

Caballicata, *incursio* 254 d, 285 f
Cabillicata. *Vide* Caballicata.
Calligraphus, *librarius* 414 d

Callulare, microloga, *frivola effutire* 445 b
Camba, *locus, ubi cerevisia coquitur* 264 a
Cambuca, *pedum* 337 d
Camisia, *indusium, subucula* 494 d, 587 d
Canonici, *qui olim dicti* 433 e
Capitagiarii, *qui censum de capite aut corpore domino debebant* 263 f
Capitale, *cervical* 837 b
Caritatem largiri, *stipem largiri* 483 a
Casale, *villa* 528 c
Caseata, *placenta e caseo* 535 f
Cassa oculi, *oculi cavum* 613 d
Cassare, *irritum reddere* 282 b
Castificare, *immunem reddere* 467 d
Casualiter, *fortuito* 660 a
Catallus, *bona in pecudibus consistentia* 264 a
Catharus, *purus* 45 e
Cavilosus, *clavis ligneis instructus* 627 f
Cedula, *schedula* 709 a
Certificari, *certum facere* 560 f
Certitudinaliter, *certo* 656 a
Cervicose, *obstinate* 669 b
Charisma, *gratia, favor* 591 e
Charitative, *benevole* 710 b
Charitativus, *benevolus* 716 c
Cinctorium, *cingulum* 464 d
Circumclausus, *inclusus* 405 c
Circumspector, *speculator* 654 a
Clavata vestis, *erat olim ditiorum* 588 c
Clerica, *tonsura clericalis* 505 f
Clericulus, *clericus inferioris ordinis* 277 a
Cliens forestarius, *qui silvas curat* 264 a
Clinomenus, *lecto detentus ex morbo* 45 b
Cluens, *inclytus* 246 a
Coabstinere, *una abstinere* 284 b
Cœnobialiter, *cœnobitarum more* 270 b
Collationare, *conferre* 744 d
Collaboratus, *auxilium* 237 e
Comitiva, *comitatus* 232 b
Commensalis, *conviva* 720 d
Commune, *societas civium* 576 d
Compassio, *commiseratio* 536 e
Complexari, *complecti* 650 f
Compotum, *computus* 204 c
Concaptivi, *simul carcere inclusi* 483 a
Concitus, *festinus* 668 d
Concorporatus, *unitus* 278 f
Condescendere, *cedere* 711. *Annuere alicujus desiderio* 542 a
Confectiones, *fructus saccharo conditi* 621 c
Confortare, *animare* 499 b
Confrontare. *Vide* Collationare.
Congratulamen, *gratulatio* 277 d
Conscire, *scire* 233 f
Consecretalis, *familiaris, intimus* 451 a
Consecretarius. *Vide* Consecretalis.
Consistentia, *præsentia* 334 c
Consuetudinarius, *ordinarius* 334 d
Consultatio, *decretum* 264 b
Consummitas, *cacumen* 623 a
Contestio, *corolla, sertum* 745 c
Continens, *cælebs* 478 d
Contrada, *tractus* 746 a
Conversatio, *alterius vita inchoatio* 491 c
Copiare, *transcribere* 713 d
Cordialiter, *ex animo* 630 b
Cruciamen, *cruciatus* 274 d
Curialis, *comis, urbanus* 481 a
Curialiter, *urbane* 554 c
Curtis, *palatium* 485 c

D

Dapsilitas, *lucrum, quæstus* 280 d
Debannire, *interdictum tollere* 264 c
Debriari, *ubertim imbui* 211 d
Decanus, *quid significet* 273 b
Deceptivus, *fallax* 515 a
Declivium, *declivitas* 721 b
Deforis, *foris* 485 f
Deliberare, *liberare* 586 f
Despective, *contemptim* 528 d
Despicabilis, *contemnendus* 642 a
Detentare, *detinere* 425 a
Detractari, *vulgari* 515 c
Diarium, *victus quotidianus* 285 d
Diatim, *quotidie* 206 a
Didascalus, *magister* 156 b
Diœcesis, *vicus, locus minor* 155 a
Domesticare, *cicurare* 649 b
Dominatio, *dominium* 422 c
Dominicum templum, *cathedrale templum* 188 a
Dotare, *muneribus donare* 595 d
Dozinum avenæ, *forte pars duodecima modii* 264 e
Dualitas, *societas* 461 f
Dubietas, *dubitatio* 645 f

E

Electuarium, *cibus mollior et delicatior* 621 c
Emelioratio, *restitutio in melius* 422 a
Esse de familia ecclesiæ, *quid significet* 453 et seqq.
Excessivus, *immodicus* 732 e
Excitativus, *excitandi vi præditus* 655 a
Exemplare, *transcribere* 804 e
Exemplaria, *exemplar* 425 a
Exenia, *dona hospitibus dari solita* 464 f
Exiliatus, *apud exteros constitutus* 241 a
Expressivus, *exprimens* 652 e
Exprimere, *exstinguere* 736 e
Expropriatus, *exutus* 645 a
Exsulare pro patria cælesti, *vitam monasticam profiteri extra patriam* 172 f
Exterminium, *ruina, excidium* 285 b
Extimare, *existimare* 736 a

F

Famulitium, *obsequium* 229 d
Fatigium, *labor, fatigatio* 233 c
Fenestrenula, *diminutivum a* Fenestra 654 a
Feodatus, *obstrictus domino ratione feudi* 265 c
Feodum, *feudum* 265 d
Festinantiam habere, *festinato opus esse* 719 b
Fidentia, *fiducia, spes* 270 a
Fiducialius, *confidentius* 591 b
Filietas, *derivatum a voce* Filius 272 d
Finaliter, *demum* 249 a
Floralia, *loca floribus consita* 244 d
Fontalis bonitas, *fons boni* 650 a
Foragia, *jus domini pro perforatione dolii vini venalis in popinis* 264 f
Foresta, *silva* 195 e
Francigena lingua, *Gallica lingua* 587 b
Francisca, *securis* 480 e
Francus, *liber* 480 d
Fredum, *mulcta* 222 f
Frumentarius, *miles ad investigandos reos et rumores colligendas emissus* 56 a

G

Garcio, *servulus* 587 b
Gemmarium opus, *gemmatum opus* 581 a
Gerrum, *crates viminea* 682 b
Gladiare, *gladio percutere* 665 d
Gleba, *corpus vel reliquiæ alicujus Sancti* 233 a
Grammate describere, *litteris mandare* 420 c
Granitus, *velut granis conspersus* 662 a
Gravamen, *onus, pondus* 487 b
Gravedo, *pondus* 260 f
Griseus, *coloris cinericii* 567 a
Grossus, *crassus* 395 c. *Densus* 746 f
Gubernium, *gubernatio* 391 c
Guerra, *bellum* 254 f
Gutta arthritica, *arthritis* 615 c

H

Hominium, *obsequium, quod cliens aut fervus domino debet* 263 f
Humanare, *humana natura induere* 513 e

I

Ictus, *jus cognoscendi de ictu inflicto* 264 d

Idolomania, *insanus idolorum cultus* 319 c
Illicitus, *vilis* 602 d
Imanuare, *in manus tradere* 323 b
Immediate, *proxime* 479 e
Impassibilitas, *quid significet* 368 c
cum Imperiositate, *imperiosius* 331 a
Impetus, *jus cognoscendi de crimine aggressionis* 264 d
Importunare, *molestia afficere* 276 e
Imprecari, *precari* 464 c
Impretiabilis, *omne pretium excedens* 650 f
In abscessu esse, *in menstruis esse* 406 b
Inaltare, *aggerare* 398 a
Incidenter, *obiter* 618 e
Indagare, *indicare* 406 d
Inesibile, *quod comedi nequit* 589 c
Inexstimabiliter, *supra quam æstimari possit* 746 f
Infirmantes, *agri* 597 d
Ingrossatus, *inflatus* 614 a
Innotescere, *certiorem facere* 222 f
Inprævaricabilis, *inviolabilis* 422 c
Inrevocabilis, *irrevocabilis* 384 f
Insensatus, *stolidus* 501 d
Insufficiens, *quod suffici nequit* 613 e
Interminus, *interminatus* 184 b
Inthronizare, *in folio collocare* 466 f
Intimare, *indicare* 257 c
Intitulare, *inscribere* 476 a
Invenibilis, *qui inveniri potest* 747 e
Investire, *in possessionem mittere* 438 e
Jocundari, *lætari* 401 a
Itinerarium altare, *altare portatile* 190 c
Jugitate incessabili, *jugiter* 151 d
Justitias facere, *judicia exercere* 425 b

L

Laboritium, *opus quodvis* 566 c
Latta, *lamina ferrea* 746 f
Legaliter, *e legis præscripto* 394 b
Legatarii, *legati* 277 f
Leuga, *leuca* 130 c
Libertare, *libertatem impertiri vel procurare* 282 f
Licentiare, *abeundi veniam dare* 649 e
Logia, *porticus* 748 d
Lucrativus, *quæstuosus* 632 f

M

Magnati, *optimates* 467 e
Majoratus, *auctus* 422 a
Maliloquium, *sermo pravus* 248 b
Malivolentia, *malevolentia* 274 c
Manipulare, *manu ducere* 278 e
Mansionarii, *qui domino ratione mansionis annuum censum debebant* 264 b
Mansiones, *ædes* 222 d
Mansionile, *agri portio cum æde* 229 f
Mansus, *certa agri portio* 282 e f
Mantellus, *pallium* 537 c
Mantum, *pallium* 164 b
Manufirmare, *fundum alicui ad vitam cedere sub censu annuo* 425 d
Marchisus, *vulgo marchio* 287 a
Margaritum, *thesaurus* 212 f
Matricularii, *qui olim fuerint* 229 b
Matutinalis, *matutinus* 725 b
Mediate, *remote* 179 f
Medullatus, *medullaris* 328 b
Melliorare, *ad frugem revocare* 242 c
Melodia, *melos* 147 e
Melotis, *vestis ex ovina pelle* 351 a
Menceps, *mentis inops* 274 a
Mentaliter, *mente* 628 c
Mercatio, *mercatus* 617 a
Mercatum, *nundinæ* 377 b
Merovingia, *Francia* 282 f
Miles, *vir nobilis* 478 c
Minorari, *deficere* 467 b
Missatica, *epistolæ*. 220 b
Missum, *legatio* 269 f
Modicitas, *tenuitas* 277 f
Monaclæ, *seu, ut forte legendum est,* Monachæ, *avium species* 595 c
Monasterium, *ecclesia* 529 a
Mortariolum, *cibus e saccharo, amigdalis aliisque mixturis confectus.* 566 f
Mortimanus, *quod post mortem alicujus exigitur* 263 f
Multoties, *sæpe* 399 b
Mundialis, *mundanus* 631 a
Mutualis, *mutuus* 520 d
Mysterialiter, *mystice* 634 b

N

Nagaria, *jumentorum aut plaustrorum præstationes* 264 d
Native, *a nativitate* 278 f
Nocturnalis, *nocturnus* 337 b
Novitur, *iterum* 545 a
Nummata, *valor unius nummi* 621 c

O

Obedientiam promittere, *Ordinem religiosum profiteri* 545 e
Obsonium, *stipendium* 213 c
Obtractus, *obductus* 554 a
Oculare, *oculum reddere* 278 f
Odire, *odisse* 618 a
Officinæ, *loca monachorum usibus inservientia* 269 b
Officiositas, *urbanitas* 331 d
Opificari, *operari* 150 a
Originale, *autographum* 745 c
Oroma, *visio* 269 c

P

Pagenses, *pagorum incolæ* 464 d
Pannus, *vestis* 485 f
Parada, *metatio* 222 c
Paradisicola, *paradisi incola* 131 a
Paramenta, *ornamenta* 537 b
Paramonarii, *custodes ecclesiæ* 277 d
Parentes, *consanguinei* 160 a
Participium, *communicatio* 610 e f
Pasnagium, *pastio* 264 e
Pausare, *jacere* 320 e
Peccamen, *peccatum* 278 d
Pellaciter, *subdole* 438 e
Pellis, *pallium* 488 f
Peregrinari pro Christo, *monachum profiteri extra patriam* 173 a b
Permotus, *promotus* 271 d
Perpetualiter, *perpetuo* 422 c
Pertinentiæ, *quidquid ad locum aliquem pertinet* 683 c
Pertongar, *quodvis diploma* 223 f, 284 a b
Perventio, *adventus* 328 f
Petiolæ, *linteola* 562 c
Petrinus, *saxeus* 273 c
Philargyria, *avaritia* 277 a
Philocalos, *pulcri vel honesti amans* 110 b
Pigritari, *pigrari* 599 c
Pirgum regium, *via publica* 264 f
Placitum, *conventus publicus* 230 a
Plagare, *cædere* 176 b
Plagatus, *percussus* 666 d
Plebes, *alumni* 414 a
Plenarie, *plene* 418 e
Plumatum, *verosimiliter cingulum ad continendam herniam* 613, 614 f
Pluralitas, *prolixitas* 508 b
Pneuma Divinum, *S. Spiritus* 401 a
Poderis, *vestis aut tunica ad talos usque promissa* 282 b
Pœnitentialis, *pœnitens* 623 f
Ponticus, *maritimus* 464 e
Portarius, *janitor* 719 a
Portitor, *lator* 502 a
Postilla, *adnotatio* 783 b
Potestas, *prætor* 583 d
Potestative, *cum omni jurisdictione* 227 a
Potestativus, *efficax* 644 b

Præbendarius,

Præbendarius, *qui beneficio ecclesiastico gaudet* 655 c
Præclaritas, *excellentia* 634 f
Præcordialiter, *ex animo* 274 e
Prædecessor, *decessor* 276 d
Præpositus, *quid significet* 275 c
Præsentialiter, *coram* 466 f
Præstaria 208 b. *Vide* Precaria 466 f
Prætitulare mentionem, *ante meminisse* 277 f
Precaria, *quid sit* 443 a b
Precatura 225 a. *Vide* Precaria
Presbyter, *parochus* 334 a
Primicerius, *Minister generalis PP. Minorum* 472 d
Principari, *excellere, illustrari* 485 c
Privilegiare, *privilegio ornare* 471 f
Privilegitas, *privilegium* 422 a
Privilegium, *bulla Pontificia* 773 f
Processio, *supplicatio* 425 d
Profundare, *altum imprimere* 641 b
Progressius ævum, *provectius ævum* 227 a
Propaginare, *propagare* 395 d
Prosequentia, *benevolentia* 590 f
Ptongar. *Vide* Pertongar.
Pulmentarium, *ferculum e piscibus factum* 283 b

Q

Quadruvium, *quadrivium* 295 d
Quartanarius, *febri quartana laborans* 642 b
Quartarium terræ, *modus agri quartam partem jugeri continens* 264 a
Quatinus, *quatenus* 270 a
Querulare, *queri* 676 d
Querulosus, *querulus* 660 a
Quietudo, *quies* 563 b
Quotiens, *quoties* 136 d

R

Radicare, *radices agere* 574 f
Rationalis, *summæ rei procurator, seu procurator principis, qui provinciales reditus colligebat* 53 c
Rebello, *rebellis* 450 e
Recapitulare, *compendio repetere* 557 f
Reclausus, *reclusus* 245 c
Recommendare, *commendare* 506 a
Recommendatitiæ litteræ *commendatitiæ litteræ* 523 c
Reconcedere, *confirmare* 422 f
Redhibitiones, *vectigalia, præstatio* 222 d
Referendarius, *qui regiis diplomatibus subscribebat, et regis annulo firmabat* 460 c
Regestrum, *codex, in quem quivis commentarii regeruntur* 387 e, 804 c
Regestus. *Vide* Regestrum.
Regulari, *regi* 542 e
Repatriare, *redire in patriam* 211 f
Repausatio, *cessatio* 240 e
Repedare, *redire* 278 c
Repetiatus, *centonibus assutis resartus* 566 a
Replicare, *explicare* 466 d
Requietio, *requies* 466 c
Restabilire, *iterato stabilire* 425 a
Revigoratus, *vigori redditus* 274
Rhetor, *sacræ Scripturæ interpres, vel præco sacer* 115 b
Ribaldus, *nebulo* 501 f
Roga, *donatio* 285 a
Rogitus, *instrumentum notarii publici* 591 b
Ruptura, *ager recens proscissus* 264 c

S

Sagmarius, *equus clitellarius, jumentum sarcinarium* 229 a
Saltim, *saltem* 708 f
Salutifluus, *salutaris* 211 b
Sanativus, *sanandi vi præditus* 653 e
Sanguis, *justitia sanguinis, quæ a domino seudi exercetur in effusione sanguinis* 264 c
Scapulatus pannus, *forte pannus discolor* 585 f
Schema, *vestis* 270 e
Scripturæ sacræ, *Vitæ seu Acta Sanctorum* 294 a
Secretissimus, *discretissimus* 642 d
Seculum, *orbis* 484 e
Securari, *securum reddi* 584 c
Semicinctium, *vilis et brevis vestis* 587 f
Semotim, *separatim* 269 c
Senescallus, *forte rei bellicæ præfectus* 483 c
Seriatim, *ordine* 270 a
Sermocinium, *sermocinatio* 276 c
Sermonarium, *concionum liber* 829 d
Serviens, *servus seu famulus* 669 c
Servitor, *ecclesiæ ministerio addictus* 442 e
Simplicone, *homo simplex* 744 a
Soldarii, *stipendiarii* 461 c
Solidi, *stipendia* 527 d
Spelium, *specus, latebra* 277 a
Spiramen, *Spiritus Sanctus* 206 d
Spurcamen, *labes* 278 e
Stabilitio, *decretum* 227 e
Stare, *morari* 565 a. *Manere* 817 b. *Esse* 832 c
Stolatus, *stola indutus* 233 f
Subsistere, *sustentare* 384 b
Subterrare, *terra operire* 708 d
Subtiliari, *detumescere* 611 b
Succinctorium, *cingulum ad continendam herniam* 673 d
Super custodiam stare, *invigilare* 508 c
Superintendere, *invigilare* 236 e
Sustinentia, *toleratio* 729 a
Syncope, *interruptio* 654 d

T

Tantillitas, *parvitas* 241 b
Tetricare, *pigere* 234 d
Theosophus, *rerum divinarum peritus* 464 e
Tobalea, *mappa* 735 f
Tolerabilis, *familiaris* 554 e
Totalitas orbis, *orbis universus* 611 b
Totaliter, *omnino* 248 e
Tormentatus, *cruciatus* 671 b
Transversaliter, *decussatim* 639 a
Treuga, *induciæ* 527 b
Tripertire, *trifariam partiri* 281 d
Truffæ, *nugæ, joci* 735 f
Turbatim, *turmatim* 508 d

V

Vacabilia, *ea, quibus quis vacat* 594 b
Vadiare, *ad censum annuum obligare* 334 e
Vadium, *fidejussio* 442 e
Vanatus, *expurgatus* 426 d
Vassallus, *subjectus* 439 f
Vicani, *villæ incolæ* 190 a
Victualia, *victus* 515 d
Vilificare, *vilem reddere* 642 a
Villagium, *vicus* 176 d
Vincticulum, *vinculum* 615 d
Vinculare, *in vincula dare* 669 e
Virtutifer, *potens, efficax* 236 a
Viscerosa pietas, *intima pietas* 717 a
Vitulamina improborum, *peccatorum sordes* 276 f
Ungarii, *Hungari* 206 b
Uniter, *pariter* 391 c

W

Wagaria, *mensuræ jus* 227 d

INDEX MORALIS.

Abbatiis *multis simul præfuit S. Gerardus, at reformationis causa.* Abbatia *Eligiana Parisiensis beneficiario jure et in perpetuum concessa episcopo Parisiensi.* Abbatiæ *sæc.* IX *in Galliis concessæ etiam laicis.* Abbatiæ *olim nonnumquam concessæ canonicis ecclesiarum cathedralium.* Abbatiæ *plures Gallia mutatæ in prioratus.* Abbatiæ *suæ regimen retinet S. Magdalveus episcopus creatus. Vide* Cœnobia *et* Monasteria. 232 usque ad 442 in diversis locis

Abdicato *archiepiscopatu, in monasterium a se conditum secedit S. Felix Trevirensis præsul.* Abdicavit *se lubens et gaudens rebus omnibus S. Franciscus Assisiensis* 300, 488 et alibi

Adolescentia *pie transacta a S. Petronio Ep.* 371 b, 394 d, 402 f. *Qualiter a S. Francisco transacta* 481 et seqq.

Advocati cœnobiorum *jura et bona monachorum tueri ex officio debebant* 263 f

Æger, *acta de peccatis suis pœnitentia, SS. MM. Trevirensium intercessione brevi tempore sanatus* 320 f, 334 d e. Ægri *varii a S. Francisco sanati* 597 et seqq. *Vide* Miracula *et* Crucis *signo.*

Altaria *portatilia antiquitus adhibita* 190 b e f, 217, 218 a b

Ambitiosi *homines sunt dæmonis in impugnanda Ecclesia ministri* 93 c d. Ambitionem *quorumdam vehementer deflebat S. Franciscus* 606 b

Amentes *divinitus sano sensui restituti patrocinio S. Francisci* 673 et seqq.

Amicitia *S. Franciscum inter et S. Dominicum qualis fuerit.* Amicitia *S. Francisci cum Cardinali Hugolino* 518, 739 et seqq.

Angelus *sub peregrini specie S. Franciscum infantem baptizatum amplexus fuisse, cruce signasse, de eoque vaticinatus fuisse dicitur* 479, 480. *Erga* Angelos *valde devotus erat S. Franciscus* 650 d

Animam *S. Ammonis eremitæ in cælum deferri videt S. Antonius* 361 octoque seqq. Animarum *lucra solitudinis quieti præferebat S. Franciscus* 507 d e f. Anima *S. Francisci in specie præfulgidæ stellæ ad cælum ascendere visa* 570 et alibi

Anni *initium unde olim in Galliis desumptum* 421 d

Apocalypseos *liber magna in veneratione habitus a S. Dionysio Alexandrino, etiam antequam idem liber ab ecclesia pro canonico agnitus fuisset* 301 e f

Apparet *S. Ewaldus socio suo Tilmoni.* Apparitio *S. Bonifacii M. facta ter monacho juniori, qua Sanctus ille locum, ubi corpus suum minus decenter jacebat, indicavit, eumque incredulum acriter increpuit* 295 d, 337. Apparitione *S. Eligii facta, S. Aurea mortem sibi instantem cognoscit* 419 a b et seqq. Apparitiones *variæ : Christi sub leprosi specie apparentis S. Francisco; Christi Crucifixi; Seraphini Crucifixi. Angeli sub peregrini habitu S. Francisco infanti baptizato benedicentis.* Apparitiones *mirabiles S. Francisci* 468 usque ad 675. Apparitiones *seu visiones S. Josepho Cupertinensi oblatæ* 806, 807 b c

Applausum *populi qua ratione non prohibuerit humilis S. Franciscus* 696 b c d e f

Aqua *putei Broniensis ægris prodigiose salutaris.* Aquam *e petra divinitus eduxit S. Franciscus; idem Sanctus sitienti mulieri* aquam, *pluribus dein salutarem, divinitus præbuit.* Aqua *a S. Francisco in vinum conversa* 265 d, 266, 533 usque ad 675. Aqua *ejusdem Sancti cingulo benedicta, ægris salutaris. Vide* Fons.

Arbores *et silvæ a stultis ethnicis olim cultæ* 321 d e

Archidiaconi *e gremio diaconorum ejusdem Ecclesiæ a diaconis olim electi* 34 d

Archiepiscopatum *Bononiensem Papa creatus Benedictus XIV non statim dimisit* 389, 390 c

Archiepiscopi *nomen quando usurpari cœptum* 317 b

Arthriticus *divinitus curatus meritis S. Francisci* 613 d

Asino *vectus S. Franciscus civitates multas obit ad prædicandum verbum Dei* 562 a b

Atrocitas *horrenda Donatistarum hæreticorum* 153 d e

Aves *miro modo S. Francisco Assisiensi obsecutæ; singularis ejusdem Sancti in eas affectus.* Aves *miro modo applaudunt mortuo S. Francisco* 530 usque ad 657. *Vide* Bestiæ *et* Fratrum.

Aurigine *liberati. Vide* Icterico malo.

Austeritas *vitæ S. Francisci. Nimia Vitæ* austeritas *ab eo improbata* 512 b c, 594 d, 618 et seqq.

Autographis *chartis deperditis aut crematis substituta instrumenta vicaria* 417 a b. *Vide* Diplomata.

B

Baptismus, *ingruente persecutione, olim infantibus et cathecumenis conferri solitus* 54 c. Baptismi *defectus per sacram communionem suppleri non potest* 115 d, 127 a b. Baptizandi *et simul de sacro fonte puerum suscipiendi munus quandoque ab uno eodemque olim gestum* 148, 425 b

Bella *disciplinæ monasticæ sæpe noxia* 423 f

Benedictiones *a S. Francisco discipulis suis datæ* Benedictio, *manu S. Francisci exarata, in annua processione circumfertur.* Benedicti *a S. Francisco panes ægris salutares; item aqua ejusdem Sancti cingulo* benedicta 566 usque ad 659 et alibi

Beneficiis *ad fidem suscipiendam infideles allicis Pippinus* 189 b

Benignitas *mira S. Gerardi abbatis erga inimicos suos* 282 a b

Bestiæ *variæ S. Francisco Assisiensi blandiuntur aut obediunt. Mirus ejusdem Sancti in eas affectus* 533 usque ad 651. *Vide* Aves.

Blasphemus *repente paralysi correptus, acta pœnitentia, brevi curatur* 320 e; item blasphema *mulier, at non integre sanata* 321 d e f. Blasphemus *pater morte filii sui punitus, acta pœnitentia, eum patrocinio S. Francisci vivum recipit* 667 e Blasphemus *in S. Franciscum cruenta morte sublatus; alter linguæ usu privatus* 674. *Vide* Obtrectator.

Bonorum *abbatiæ Fontanellensis injustus detentor, egestis visceribus, fœde moritur* 257 a b. Bonis *omnibus se lubens abdicat S. Franciscus* 489 et alibi. *Vide* Liberalitas *et* Paupertas.

Brachia *hominis male affecta, ad tumulos MM. Trevirensium sanata* 322 d

C

Cadaveris, *feretro inclusi, in catenis in templo suspensio olim non inusitata* 297 a. Cadaveris *S. Francisci pulchritudo mirabilis* 571 et alibi. *Vide* Corpora.

Cæci *SS. Martyrum Trevirensium intercessione sanati* 321 a, 334 d e Cæca *mulier oculos lavans aqua, qua sibi post sumptam Eucharistiam S. Gerardus manus laverat, oculorum usum recipit* 255 c d, 278 a b. Cæci *divinitus illuminati patrocinio S. Francisci* 535 d, 598 usque ad 721

Calceos *cur gestaverit S. Franciscus bienno ante mortem* 496 d, 535 f, 660 a b

a Calculi *doloribus, sumpta pie Eucharistia, subito per S. Gerardum sanatur Arnulphus Flandriæ comes* 202 d; *a* calculi *doloribus, facta incisione, ex octodecim hominibus septemdecim brevi curati* 235, 236, 280, 283 b

Calice *Crystallino a patriarcha Hierosolymitano donatus S. Magdalveus Ep.* 464 a

Campanas *pulsari jubet jamjam moriturus S. Gerardus abbas* 284 b c, 285 a

Canonici *quinam olim dicti* 435 e. Canonici *ejusdem ecclesiæ olim in uno eodemque cœnobio seu domo habitare simul soliti* 220 e f, 440 a b. Canonicorum *Regularium origo, ut a nonnullis asseritur* 151 c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

131 c. Canonici *monachis substituti* 537 f. *Vide In* Clerum.
Canonizationis *loco olim habebatur corporis elevatio, summi Pontificis imperio vel consensu factu,* 263 d c. *Beati in generali concilio olim* canonizari *soliti* 264 a. Canonizatio *S. Francisci quo ritu peracta* 574 usque ad 664
In Capellis *olim sacra fiebant, dum ecclesiæ dirutæ instaurarentur* 506 f
Capitula *FF. Minorum quando et quomodo haberi solita* 514 usque ad 740 et seqq.
Captivi *Christiani visitati a S. Fausto aliisque Sanctis* 29 d f, 30 a b. Captivi *divinitus liberati patrocinio S. Francisci* 669, 670 a b c
Cardinales *Galli olim titulo S. Aureæ sæpe vocati* 410 d
Carnis *comestionem innocuam mire in se vindicavit S. Franciscus Assisias* 512 e f, 594 a b. Carnis *esus an et quando FF. Minoribus prohibitus* 719 d
Castitatem *in matrimonio illibatam servavit S. Ammon eamdemque uxori persuasit.* Castitatis *servandæ gratia occisus S. Quintinus* 560 et seqq. *Vide* Conjuges.
Catechetica *schola Alexandriæ erecta* 53, 100 d e
Cathedrales *ecclesiæ sæculo* x *in Galliis passim innovari cœptæ* 131 f
Catholicæ *fidei studium singulare S. Francisci. Non satis* Catholicos *fratres, si qui forent, quo modo coerceri præceperit S. Franciscus* 566 d e f
Cellulas *separatas extra cœnobium perfectiores monachi olim incolebant* 563 b c d. Cellulæ *se includit S. Gerardus abbas, ut hominum ad se venientium strepitum evitet* 228 b c d, 275 c
Charitas *mutua sociorum S. Francisci.* Charitatis *fervor singularis S. Francisci Assisiatis.* Charitas *cujusdam medici erga S. Franciscum miro modo compensata* 503 aliisque locis
In Cilicio *et cinere cubans mori voluit S. Franciscus* 570 d e, 697 d. *Vide* Austeritas *et* Paupertatis.
Claudi *divinitus curati patrocinio S. Francisci* 553 d, 597 e
Clementia *eximia S. Cæsarii erga sui calumniatorem, ad mortem damnatum* 162 d. Clementia *martyrum in lapsos* 47 d
In Clerum, *præsertim ecclesiæ metropolitanæ, olim adsiti laici in illa diœcesi non nati.* Clericorum *officia diurna et nocturna.* Clericis *monachi in ecclesiis substituti* 719 usque ad 282 et alibi
Cœmeteria *olim extra urbium muros erant* 420 d. Cœmeterium *intra urbem Romam sæculo* IV *erat* 25 e f
Cœnobia *suæ curæ commissa, imminente obitus sui tempore, sedulo visitat S. Gerardus abbas.* Cœnobia *laicis hominibus tradita a pristino vigore defecerunt.* Cœnobium *Bavonianum a Transmaro Ep. libertate donatum.* Cœnobium 500 *puellis ab Eligio conditum.* Cœnobium *S. Amati in canonicorum sæcularium collegium conversum; item illud S. Audomari* 251 multisque aliis seqq. *Vide* Abbatis *et* Monachi.
Collo *torto miserandun in modum afflicta puella, patrocinio S. Francisci divinitus sanata* 612 d e
Columbæ, *cælitus delapsæ, exequiis S. Magdalvei adfuisse dicuntur* 457 d, 467 d
Communio, *quæ lapsis indulgebatur, duplex erat, privata nempe et publica* 47 a b. *A* communione *sacrorum mysteriorum per S. Ambrosium rejectus Theodosius, dum pœnitentia crimen expiasset* 400 d. *A frequenti* communione, *si cum debita præparatione ac fervore fieret, alienus non fuit S. Franciscus Assisias* 840 e f. *Vide* Eucharistiæ.
Concionatores, *qui non tam verbo, quam exemplo, animas Christo lucrantur, magni fecit S. Franciscus* 647 c d e f. *Vide* Prædicatio.
Confiteri *publice sua peccata non erubuit S. Franciscus, contemni ab omnibus cupiens* 512 d. *Vide* Humilitas *et* Defectus.
Conjecturæ *etiam leves quandoque paulatim transeunt in traditiones populares* 488 b
Conjuges *a se invicem abstinere ad tempus convenit, ut orationi vacent* 108 b e. *Vide* Castitatem.
Consanguineorum *conversationem et familiaritatem vitabant socii S. Francisci* 503 d, 624 c
Consortia *pravorum summopere evitabat S. Gerardus, adhuc juvenis,* 268 d e. Consortia *pravorum contagiosa* 423 d, 424 f
Constantia *Christianorum singularii in retinenda fide Catholica tempore persecutionis* 33 a. Constantia *admirabilis et mens imperterrita S. Gerardi abbatis* 282 d e. Constantia *ac magnanimitas S. Francisci in perferendis injuriis* 488 et seqq. *Vide* Patientia.
Consuetudinis *perversæ quanta vis sit* 562 b
Consules *ac senatus, veterum Romanorum tempore, etiam alibi, quam Romæ erant* 501 c
Contemplationi *rerum divinarum mire addictus S. Gerardus abbas* 229 b. Contemplationi *rerum cælestium intentus S. Franciscus* 564 d
Contracti *divinitus a S. Francisco curati* 598 usque ad 691
Conversio *S. Francisci ad meliora miro modo facta item S. Claræ* 484 usque ad 632
Corona *redimiri olim solebant sponsi* 567 d, 568 d e
Corpora, *etiam Sanctorum, e suo sepulcro alio transferri olim prohibita* 506 a. *Voces* Corpus Sancti *pro parte corporis sæpe adhibitæ* 214 c. Corpora *SS. Ewaldorum adverso amne divinitus delata ad multa passuum millia* 177 d, 179 f, 183 c d. Corpus *S. Magdalvei post* 40 *annos ab obitu reperitur integrum* 458 e f, 467; *et rursus in secunda translatione* 459 b. Corpus *S. Gisleni absconditum divinitus manifestatur* 278 a b c. Corpus *S. Francisci integrum, incorruptum ac in pedes erectum stare a variis asseritur* 775 et multis seqq. pagg. *Vide* Cadaveris.
Correptio *monachi prodigiosa* 272 b d. *Vide* Vigilantia.
Costis *laborans Frater Minor, apparitione S. Francisci divinitus sanatus* 614 d f
a Creditorum *molestia tuti erant per* 14 *dies accedentes ad festivitatem S. Petronii Ep. celebrandam* 407 a
Crucis *signo ter arenæ inscripto effecit. S. Hilarion, ne maris fluctibus funditus oppidum everteretur; eodem signo fluvium sicco pede sine navigio transit S. Menna V.* Crucem *in eo loco statuit S. Antonius abbas, ubi monachorum cellulæ erant exstruendæ.* Cruces *lapideas ad quatuor urbis Bononiæ portas S. Petronius Ep. erexisse traditur.* S. Crucis *signo facto, S. Petronius Ep. fertur hominem ab alto labentem servasse incolumem.* Crucis *amator egregius S. Franciscus Assisias.* Crucis *signo varii a S. Francisco a morbis curati. Ad* Cruces *secus viam aut in habitaculis suis positas orare soliti S. Franciscus ejusque socii.* Crucifixi *Domini imago S. Franciscum allocuta* 144, 148, 152, 363 usque ad 712
Crus *mulieris fractum, invocato SS. MM. Trevirensium præsidio, subito curatur* 521 d. Crus *viri gravissime affectum, invocatione S. Francisci divinitus curatum* 612 c, 676 d f; *item virginis reclusæ* crus *fractum* 673 f
Cultus *quorumdam Sanctorum quo pacto sat longo tempore intermissus* 506, 507 d e. Cultum *S. Eugenii abrogare cogitans episcopus subito morbo corripitur, stabilito cultu, convalescit* 212 f, 213 a b, 274 a b. Cultum *S. Paulini, profuso in eam rem patrimonio, mirifice promovit Fridericus S. Paulini præpositus* 518 d. *Vide* Sanctorum.

D

Dæmonum *insultus contempsit S. Franciscus. Vide* Tentationes. *A* dæmone *vexati, miro modo a S. Francisco curati* 533, 536 b, 598, 599 a b c. *Vide* Energumeni.
Decani *monasterium quinam olim dicti* 275 c
Decimas *bonorum Arnulphi comitis sibi oblatas in* 122 *pauperes*

pauperes et monasterio distribuit S. Gerardus abbas 236 d e, 281 d
Dedicatio *ecclesiæ S. Quintini magna solemnitate peracta* 132 b c, 136 c d. Dedicatio *ecclesiæ Portiunculanæ* 771. *Vide* Ecclesiæ.
Defectus *suos ex humilitate exaggerare solitus S. Franciscus* 482 d e. *Vide* Humilitas.
Detractionem *magnopere oderat S. Franciscus* 512 b, 647 d
Deum *in omnibus creaturis contemplabatur S. Franciscus* 601 a b c, 630 d e f
Devotio *singularis S. Francisci Assisiatis erga B. Virginem Mariam* 495 et alibi
Diaconi *olim a quibusdam episcopis non ordinati ante trigesimum ætatis suæ annum* 161 b
Dei *civilis exordium qua ratione ab Italis computatum* 572 b
Ad Dignitates *ecclesiasticas suos promoveri noluit S. Franciscus* 643 d, 740 d
Diplomata, *v. g. Romæ data, quo pacto ab episcopis absentibus sua subscriptione munita* 223 et alibi. *Vide* Autographis.
Discipuli *in magistrum mirus amor* 139 b c, 141 d e
Disputationes *de quæstionibus sacris quomodo instituendæ* 103 b c d e
Dissidia *inter episcopum Assisiensem et urbis consules singulari modo, ut volunt, per Franciscum sublata* 843 b
Distractiones *orationis tempore sollicite expiabat S. Franciscus* 633 a. *Vide* Orationibus.
Divitiarum *contemptus singularis in S. Gerardo abbate* 236 d e f; *in S. Francisco* 523 c. Paupertas *et* Dona. *Cum* divitibus *agendi modus sociorum S. Francisci* 503 d e
Docilitas *et sincera animis ad veritatem agnoscendam promptitudo in Arsenoitis eluxit* 105 c d e f
Domus *privatæ olim Christianis pro ecclesia aut oratorio erant* 290 d
Dona *cibi oblata respuit ex religiosa paupertatis amore S. Gerardus abbas* 236 d, 281 b c. Dona *sibi munifice oblata admittere recusavit S. Franciscis* 523 et alibi. *Vide* Paupertatis *et* Divitiarum.

E

Ecclesiæ *pleræque ob gentilium persecutiones subterraneæ erant tribus primis a Christo sæculis.* Ecclesiæ *collapsæ a S. Magdalveo restauratæ. Septem præcipuas* ecclesias *urbis Romæ invisendi consuetudo quando introducta.* Ecclesiis *reparandis impense deditus S Franciscus Assisias.* Ecclesiæ *præcipua in honorem S. Francisci exstructæ.* Ecclesia *Assisiensis, eidem Sancto dicata, soli Romano Pontifici subdita; eadem* Ecclesia *a Benedicto PP. XIV anno 1754 erecta in patriarchalem et cappellam Pontificiam* 576 usque ad 692
Ecclesiasticos *cujusque ordinis et præsertim sacerdotes magna veneratione prosequebantur S. Franciscus ejusque socii. Ad* Ecclesiasticas *dignitates suos promoveri noluit S. Franciscus* 509 usque ad 643. *Vide in* Clerum *et* Canonici.
Educatio *puerorum perversa quantum eis noceat* 584 c d e
Electio *novi episcopi a metropolita olim examinata* 573 d. Eligi *in Alexandrinos episcopos primitus soliti presbyteri ejusdem ecclesiæ; uti et archidiaconi de gremio diaconorum* 33, 100 d e
Eleemosynam *in nomine Dei petentibus numquam negare statuit S. Franciscus etiamnum in sæculo degens* 483 et alibi. *Vide* Liberalitas.
Elevationes *et translationes sacri corporis similesque solemnitates non semper diebus Dominicis factæ* 311 b. Elevatio *corporis, summi Pontificis imperio vel consensu facta, olim loco canonizationis habebatur* 362 e f. *Solemnis* Elevatio *corporis S. Gerardi ad fidelium venerationem quo ritu peracta* 263 et seqq. *An Gregorius PP. IX* elevaverit *corpus S. Francisci Assisiatis* 373 a b
Elinguis *suique impos, promissa peractaque a parentibus ejus peregrinatione, ad sepulcrum S. Gerardi, subito plene curatus* 267 d e. *Vide* Muta.
Energumeni *patrocinio S. Francisci divinitus curati* 613 a, 638 d, 673 f. *Vide A* Dæmone *vexati.*
Episcopatu *cedere mavult S. Maximianus, quam honoris sui causa Ecclesiæ pacem turbari.* Episcopatu *relicto, sub regulari disciplina in cœnobio vixit S. Hildulphus.* Episcopatus *varii laicis concessi magno ecclesiarum detrimento.* Episcopatuum *invasor Milo, venationi vacans miserrime extinctus.* Episcopatus *Verodunensis 12 annis vacuus. Ad* episcopatus *nominandi facultas Carolo Magno a Pontifice Romano concessa.* Episcopatum *totis viribus aliquamdiu recusavit admittere S. Petronius; item S. Magdalveus.* Episcopi *a metropolita suo* filiorum *nomine vocati.* Episcoporum *auctoritate decretus olim Sanctis ecclesiasticus cultus* 103 d e, 133, 134 d e f, 357 b, 369 usque ad 467
Equo *cur aliquando vectus fuerit S. Franciscus Assisias* 334 f, 397 a, 638 b
Eremitarum *in Nitria ingens numerus* IV *sæculo* 360 e f, 365 a
Errores *quo animo confutandi.* Errores *confutare et errantis personam laudare sanctis Patribus etiam usitatum* 110 b c d e f
Evangelium *etiam a mulieribus olim prædicatum.* Euangelii *lectione audita permotus S. Franciscus, ut vitam* Evangelio *congruam ducat.* Evangelium *ex consilio S. Francisci consulunt duo viri, ut iude, quid sibi facto opus sit, intelligant. Idem sibi facit S. Franciscus.* Evangelium *perpetuo meditabatur idem Sanctus.* Evangelium *sibi prælegi poposcit S. Franciscus morti proximus* 131, 492 usque ad 662 in diversis locis.
Eucharistiæ *sacramento in mortis articulo miro modo recreatus pœnitens Serapion* 46 b c. Eucharistiæ *sacramentum fidelibus distributum, ut sumeretur tempore persecutionis* 54 a. *Ad* suscipiendam Eucharistiam *triduano jejunio se præparat Arnulphus Magnus Flandriæ comes; hac pie sumpta, a calculi doloribus subito sanatur* 235 a b, 281 b c d. Eucharistia *præmunitus pie moritur S. Gerardus abbas* 283 f. Eucharistiæ *sacramentum miro amore et ardore prosequebatur S. Franciscus Assisiati* 630 c. Eucharistiæ *sacramentum quanta reverentia suscipiendum* 840 c d f. *Vide* Communio.
Excommunicatis *ob injurias sibi illatas, absolutionem impetrat Guido Bellovacensis episcopus* 133 d, 134 e. Excommunicati *a synodo, qui fuerant auctores excæcationis Bennonis episcopi* 227 d. *Metu* excommunicationis *ab injuste possidentibus redditur corpus S. Gisleni* 231 a
Exsilii *locum sibi destinatum sponte sua petit S. Dionysius Alexandrinus* 58 e f

F

Famam *suam tueri jussus S. Dionysius Alexandrinus, in laudes proprias excurrit* 54, 55, 56 a b
Ex Familia ecclesiæ *esse quinam dicti* 433, 434 d e
A Febribus, *accepta prius Eucharistia, sanati ad sepulcrum S. Gerardi* 267, 268 a b c d. Febricitans *divinitus sanatus patrocinio S. Francisci Assisiatis* 613 a
Feretri *e catenis in aere suspensio olim usitata* 297 b
Festum *S. Francisci non observantes divinitus puniti.* Festum *S. Francisci aliquando cum cessatione a servilibus celebratum* 674 quatuorque seqq.
Fiducia *singularis Trevirensium in Sanctorum patrocinio* 319 b c
Filiorum *nomine episcopi vocati a Metropolita sua* 103 f
Fluvium, *facto Crucis signo, pede sine navigio transit S. Menna* 148 f, 151 f, 152 a b c; *trans* fluvium *divinitus defertur S. Ammon eremita* 361 d e, 367 d
Fons *B. Uthonis venerea lue infectis salutaris* 191 b e, 192 d, 193 c. Fons *ebulliisse dicitur in loco,*

loco, in quo occisi pro fide fuerunt SS. Ewaldi 190 f. Fontem *ægris salutarem infixo terræ baculo elicuisse dicitur S. Menna V* 148 e f, 152 b c. Fontem *tribus scatebris prosilientem suo baculo elicuisse narrantur SS. Ewaldi* 171 d. Fons *sacer, in quo S. Franciscus baptizatus fuit, populis in magna veneratione* 479 f, 480 a. *Vide* Aqua.

Fortitudo *insignis S. Domninæ in oppetenda morte una cum filiabus suis* 332, 333 c d e f. Fortitudo *animi eximia Aniciæ Probæ* 370 d; *item S. Francisci Assisiatis* 323, 324 et seqq. *Vide* Patienta.

Fratris *nomine Novatianum schismaticum compellavit S. Dionysius, et cur?* 43 d e. Fratrum *vel* sororum *nomine creaturas, etiam ratione expertes, compellare solitus S. Franciscus* 648 d e et sæpe alibi

Fugam *divino nutu arripit S. Dionysius, Alexandrinus episcopus, sæviente persecutione* 36 a b. Fuga, *persecutionis tempore, non reprehendenda* 300 f, 331 a b

In Funeribus *Christianorum psalmi et hymni decantari antiquitus soliti* 330 f, 334 b c

Furari *Sanctorum reliquias quidam simpliciores licitum crediderunt* 337 d

G

Gratiæ *divinæ dulcedine subito et mirum in modum allectus S. Franciscus* 617 a b c d e

Gratitudo *ægri sanati in liberatricem suam S. Romanam V. et M.* 134 f

Gutturis *doloribus divinitus liberata mulier patrocinio S. Francisci* 614 d

H

Habitus, *a S. Francisco Assisiensi assumptus, asper et contemptibilis; varia huc spectantia. Non fuit* habitus *ejus vestis eremitarum S. Augustini. Sub* habitu *virili latet S. Callisthene* 336 d, 338 b, 495 multisque seqq.

Hæresiarcharum *hypocrisis quantum fidei noceat* 374 a b c d e. Hæreticum *ne quidem salutatione dignabatur S. Dionysius Alexandrinus* 93 f, 122 a b. Hæreticorum *dictis, in speciem fidei consonis, non facile credendum* 397 d. Hæretici *dolos, mendacia, calumniasque adhibent, ut Catholicos oppugnare queant* 473 f; *in Sanctos Dei injurii* 333 a b c d. Hæresim *aliquam refellere conati, nonnulli in contrariam partem æquo longius abierunt* 128 a b

Herniosi *patrocinio S. Francisci divinitus sanati* 613 c, 673 a b

Hilaris *animo S. Franciscus carcere detentus* 483, 484 b, 386 d, 617 e f. *Vide* Patientia.

Horas *canonicas ubique reverenter persolvere solitus S. Franciscus Assisias* 633 b c

Hospitalitatem *egregie exercuit S. Cajus* 289 b c d e

Humilitas *eximia S. Dionysii Alexandrini; S. Gerardi* 38 usque ad 281. Humilitas *eximia S. Francisci Assisiatis. Quam* humiles *fuerint socii S. Francisci.* Humilitas *singularis nobilis viri* 486 usque ad 840

Hydropici *divinitus sanati patrocinio S. Francisci Assisiatis* 613 e, 657 a

Hymni *et psalmi in honorem Christi compositi et antiquitus a Christianis decantari soliti* 193 e f. *In funeribus Christianorum* hymni et psalmi *antiquitus decantati* 331 b c d, 334 e. *Vide* Laici.

Hypocrisis *hæresiarcharum quam nociva fidei* 374 a b c d e

I

Icterico *malo post perceptam Eucharistiam liberati patrocinio S. Gerardi; item puella decennis* 267 a, 268 b f

Jejunium *Paschale variis horis a variis olim solutum* 103, 106 a b c. *Quam severum fuerit* III *sæculo* 106 d e f. Jejunium *sibi indicunt Pauliniani canonici, ut SS. Martyrum Trevirensium corpora divino indicio detegantur* 294 a, 330 b. Jejunio *rigidissimo addicti monachi* 139 b c. Jejunio *triduano observato et percepta Eucharistia, calculorum morbo S. Gerardi orationibus sanatur Flandriæ comes* 233 c, 281 d e. Jejunium *rigidissimum S. Ammonis eremitæ* 362 c. Jejunio *mire addictus S. Franciscus* 488 usque ad 639

Ignem *ingredi voluit S. Franciscus ad probandam Catholicæ fidei veritatem.* Ignis *ardorem non sensit S. Franciscus cauterium sustinens. Injectum in* ignem *fratris cujusdam caputium, inde meritis S. Francisci exit illæsum* 523 b c, multisque seqq. et aliis locis

Ad Immaculatæ *Virginis Mariæ honorem sacra quolibet Sabbatho Franciscanis injuncta sæculo* XIII 711 a

Impassibilitas *seu apathia in hac vita perfecte acquiri non potest* 368 c

Imperii *corona ab Innocentio PP. III imperatori Othoni IV data* 493 a b, 508 b

Impii *etiam in hac vita sæpe a Deo graviter puniti* 80 c d

Impudicus *post receptam divinitus valetudinem ad vomitum rediens misere extinctus* 633 a

Incendium *suis precibus statim sistit S. Cæsarius* 162 f. Incendio *subducta precibus S. Eligii abbatia monialium Parisiensis ab illo fundata* 422 c

Indulgentiarum *vulgo Portiunculæ veritas, earum concessionis modus aliaque huc spectantia. Ardor vere mirabilis et constans fidelium pro* Indulgentiis *illis promerendis.* Indulgentia *quotidiano ecclesiæ Portiunculæ ab Innocentio PP. XII concessa.* Indulgentiæ *a Gregorio IX concessæ in translatione corporis S. Francisci, quales limina Apostolorum visitantibus tum concedebantur. Indulgentiæ sæculo* XIII *concessæ visitantibus ecclesiam Assisiensem S. Francisco dicatam. Similes in ecclesia Alvernæ a Bonifacio PP. IX concessæ.* Indulgentiæ *a Bonifacio IX PP. concessæ visitantibus templum S. Petronii Ep.* Indulgentiæ *biennii per octo dies ante et totidem post festivitatem inventionis corporis S. Petronii Ep. concessæ* 406 usque ad 773 in diversis locis

Infantulis *exsuccis et macie contabescentibus propitia S. Jolana* 130 f

Infirmus *et a triennio languens, subito sanatus ad lipsanothecam S. Romanæ V. et M.* 136 a b. Infirmi *varii divinitus curati patrocinio S. Francisci* 673, 674 et sæpe alibi

Inobedientes *a S. Francisco quo modo correpti* 644 d e, 633 c, 708 a b

Jubilæum *a Bonifacio IX PP. Bononiensibus concessum, quo novum basilicæ opus proveherent* 384 d

Juris *canonici præscripta aliqua circa monialium expulsionem* 424 f, 425 a b c

Juventus *pia S. Gerardi* 206 a b c, 268. *Qualiter a S. Francisco transacta* 481, 482, 483

L

Laborem *manuum suis præscripsit S. Franciscus* 569 d

Lac *vetulæ mulieri, quo infantem matre orbatum lactaret, patrocinio S. Francisci divinitus concessum* 673 a b c

Lacrymarum *donum quanti fecerit S. Franciscus* 563 d e, 641 b

Laici *olim clericorum instar psalmos et hymnos in ecclesia decantabant* 161 d e f

Lancea *Constantini Magni qualis fuerit* 279 d

Ex Lapide *altaris per episcopum inuncto, per aliquantulum temporis oleum affluenter emanasse dicitur* 269 d

Lapsorum *in fide varia genera. Horum pœnitentia et reconciliatio* 44 quatuorque seqq.

Lapsus *in imam vallem equus oratione S. Gerardi abbatis illæsus servatur* 229 d e. Lapsus *de alto loco cum gravi columnæ onere fertur incolumis servatus fuisse precibus S. Petronii Ep.* 384 a, 399 b c. *Ejusdem Sancti patrocinio puellæ e sublimi* lapsæ *vita restituta* 384 e f

Lectione

Lectione *epistolarum S. Pauli ad Christianam fidem conversus S. Dionysius Alexandrinus* 33 e, 99 c. *Vide* Euangelium.
Leges *severissimæ non sine fructu in hæreticos Donatistas latæ* 134
Leprosos *osculatus S. Franciscus eisque stipem largitus non sine magna sui ipsius victoria.* Leprosi *specie Christus S. Francisco apparuit.* Leprosis *devote servivit S. Franciscus.* Leprosi *divinitus sanati patrocinio S. Francisci* 486 usque ad 674
Libellatici *quinam dicti* 44 c
Libelli *a martyribus et confessoribus Christianis lapsis dati; eorum abusus, non vero rectus usus a S. Cypriano improbatus* 48 a b c d
Liberalitas *magna S. Julianæ viduæ in monachos* 378 c. *Vide* Dona, Decimas, Pecuniam *etc.* Liberalitas *et misericordia S. Francisci eximia erga pauperes* 482 usque ad 648. *Vide* Eleemosynam.
Libido *execranda Maximini imp.* 538
Libros *quoscumque, etiam hæreticos, legere cur divino oraculo monitus fuerit S. Dionysius Alexand. Ep.* 33 b
Lingua *præcisa, clara adhuc voce Missæ sacrificium celebrat S. Petrus Damasci metropolita* 407 b
Litterarum *elementis S. Gerardus in virili ætate vacat instar quinquennis pueri* 202 c, 205 f, 206 a. *Insignis ejusdem in* litterarum *studio profectus* 211, 271 b
Lux *cælestis corpora SS. Ewaldorum indicat* 182 e, 190 f. Lux *cælestis dicitur affulsisse S. Petronio infanti in lucem edito* 371 d. Lux *cælestis affulget S. Francisco ejusque socio de nocte per viam periculosam gradientibus* 644 d

M

Martyrii *ingens desiderium S. Francisci* 601 usque ad 705. Martyrium *multo ardore a Christianis quæsitum* 303 c, 313 a. Martyrii *desiderio ardenti tenebatur S. Dionysius Alexandrinus* 38 a b. Martyrum *veneratio erga principes, etiam tyrannos* 56 c. Martyrum *corpora, vigente persecutione, clam sepulta* 131 d. *Ad* Martyrum *suffragia recurrere olim soliti pœnitentes. Horum in lapsos clementia* 47 b c d. Martyrum *titulo decorati olim, qui primum atrocia pro fide tormenta passi, tandem in pace quieverunt* 132 d
Mare *extra proprios terminos horribili modo egressum* 143 b
In Matrimonio *una cum sua uxore vitam asceticam duxit S. Ammon Ægyptius. In* matrimonio *castitatem illibatam servavit S. Ammon; eamdemque uxori persuasit* 360 septemque seqq. *Vide* Conjuges.
Matrum *in filias amor quantus esse soleat* 333 d
Medicamina *ægris non respuenda* 603 b c
Memoria *Sanctorum quorumdam subinde longo tempore intermissa* 307
Mendici *habitum assumens S. Franciscus, publice stipem petit.* Mendicando *victum sibi quæsivit idem Sanctus; et necessaria ad reparandas ecclesias. Fratres suos ad* mendicandum *hortabatur S. Franciscus* 486 usque ad 646
Mentiri *pro pietate scriptoribus sæc.* x *vel* xi *non inusitatum erat* 411 b
Mercatura *sine immoderata lucrandi cupiditate a S. Francisco, etiamnum adolescente, exercita* 481 d e, 482 b, 632 c
Milites *Christiani non illicite militare baltheum abjicientes* 300 f, 301 b. Militavit *sub Berengario, comite Namurcensi, S. Gerardus* 206 b f, 268, 269 e f. Militare *voluit S. Franciscus Assisias* 485 b, 584 d e, 617 a b c
Minorum *Ordo unde sic dictus* 491 c, 643 b c; *vivæ vocis oraculo quando approbatus* 493 c, 494 b, 501. *Vide* Ordo.
Miracula *plurima, quocumque pergeret, patrabat S. Hilarion.* Miraculis *illustratæ S. Romanæ V. et M. reliquiæ.* Miracula *sanctitatem ea patrantibus non conferunt.* Miraculis *plurimis variisque præclarus S. Franciscus Assisias* 136, 141, 336 usque ad 675
Missæ *sacrificium clara voce celebrat S. Petrus, Damasci metropolita, etiam post linguæ abscissionem* 427 b. Missæ *sacrificio ut sollicite et devote interessent, suos discipulos sedulo hortabatur S. Franciscus Assisiensis* 314 d, 627 c. *Ad elevationem Corporis Christi in* Missa, *genua sua flectebat ovis, quam alebat S. Franciscus* 648 b. Missarum *quotidianam aut privatam celebrationem non vetuit S. Franciscus velut divinæ institutioni contrariam* 840
Missiones *in longinquas regiones a Fratribus Minoribus susceptæ* 339, 340 d, 352. Missionarii *callere debent linguam gentium, quibus prædicare volunt* 321, 322 a b
Monachi *quinam vocentur* 148 b. Monachos *rebus sæculi addictos detestabatur S. Hilarion* 139 d e. *Veri* Monachi *virtutes* 271 d. Monachorum *in Syria primus S. Hilarion* 142 f. Monachos *induratos nec converti volentes, invocato brachio sæculari de monasterio expellit S. Gerardus abbas* 248 b. *Vera* monachi *paupertas* 281 c. Monachi *perfectiores separatas cellulas extra cœnobium incolebant* 363 b c d. Monachis *alendis magnam fortunarum suarum partem attribuit S. Juliana vidua* 379 a. Monachi *clericis in ecclesiis substituti.* Monachis *Fossatensibus substituti presbyteri sæculares et his Barnabitæ* 219 usque ad 437
Monasteria *in monte Nitriæ non fuerunt* ii *sæculo.* Monasteria *sæc.* vii *initio pauca in Galliis, nec bene regularia.* Monasteria *multa sæc.* vii *erecta ex amore Regulæ S. Columbani.* Monasteria *multa sæculo* vi *et* vii *duplicia, seu a monachis et monialibus, ædibus tamen separatis, inhabitata.* Monasteriis *opulentis, quibus S. Gerardus præerat, relictis, ad pauperem abbatiam se confert.* Monasteria *multa a S. Gerardo ad meliorem formam reducta.* Monasterium *Broniense a Dionysianis monachis redimit S. Gerardus abbas. Ab omni exactionis jure liberum illud declarat Godefridus comes Namurcensis.* Monasterium *non satis canonice sibi concessum Fossatenses monachi dimittunt.* Monasticæ *vitæ exercitationes eruditionem non excludunt* 201 multisque diversis usque ad 423. *Vide* Abbatiis *et* Cœnobia.
Morbo *punitur mulier, dehortans maritum, ne stet facta conventione; sed facti pœnitens curatur* 321 b c d e. Morbus *gravis S. Francisco rerum humanarum fastidium ingessit* 484 e, 584 d, 635 a. Morbum *gravissimum summa patientia tulit S. Franciscus* 563 b c d, 605 tresque seqq. *Vide* Patientia.
Mortis *periculo non se temere quis exponere debet* 40 a. Mortem *sibi intulerunt sanctæ mulieres nonnullæ pudicitiæ servandæ causa* 344 sexque seqq. Mortem *sibi vicinam divinitus præcognoscit S. Gerardus abbas* 260 a b c. Mors *etiam a viris sanctis in Veteri Testamento formidata; contempta vero a sanctis in Lege Nova.* Mors *quo sensu optabilis fit; quo sensu* Baptisma *vocetur.* Mortui *ad vitam revocati S. Francisci patrocinio.* Mortis *periculo varii a S. Francisco divinitus liberati* 349 usque ad 671
Mulieres *sexui suo consueta patientes non sunt arcendæ ab ecclesia, imo nec ab Eucharistia; ab hac tamen ex reverentia tunc abstinere laudabile est* 108 b c d. Mulierum *aspectus et colloquia cur evitanda suaserit S. Franciscus Assisias* 326 e f, 327 a b, 367 e f, 641 a b
Multiplicata *divinitus S. Francisci Assisiensis meritis annona* 313 b, 393 c, 646 b, 651 c d
Mundum *non ex fortuito atomorum concursu, sed a Deo esse conditum, probavit S. Dionysius Alexandrinus* 124 a b c d
Munificentia *Arnulphi Magni, comitis Flandriæ, in ecclesias Remenses S. Mariæ et S. Remigii; item in Blandiniense cœnobium; item Godefridi comitis Namurcensis in abbatiam Broniensem.* Munificentia *S. Gerardi in ecclesiam Broniensem.* Munificentia

nificentia *Gisleberti ducis erga S. Gisleni monasterium.* Munificentia *Berengarii Ep. Virodunensis in monasterium S. Vitoni.* Munificentia *S. Magdalvei in Monasterium S. Vitoni.* Munificentia *eximia Gregorii PP. IX in ecclesiam Assisiensem S. Francisci* 208 usque ad 580
Musico *concentu cælitus recreatus S. Franciscus* 645 c
Muta *et surda mulier ad MM. Trevirensium tumulos sanata; item puer aliquis* mutus 520 d e, 534 c d e. Muti *divinitus sanati patrocinio S. Francisci* 614 a c, 673 f

N

Natalis *aut* Natalitii *voce antiquitus designati dies Sanctorum, præsertim Martyrum, emortuales* 559
Nativitatis *Domini festum singulari solemnitate coluit S. Franciscus* 530 multisque seqq.
Naufragii *periculo varii divinitus liberati patrocinio S. Francisci Assisiatis* 669
Negantes *quinam dicti* 44 e
Nepotem *suum abbatis munere male fungentem exauctoravit S. Gerardus abbas* 249 a b
Nobiles *quidam ex consilio S. Francisci cibos mendicando obtinent, quos pecunia sua sibi antea comparare non potuerant* 646 b c
Nomen *Domini miro modo venerabatur S. Franciscus* 558 b, 602 a f, 650 b, 653 d. Nomen *S. Francisco in baptismo a matre datum, a patre ejus mutatum in aliud* 480 a b c, 585 d, 616 a
A Novitiis *aliquid Ordini suo dari vetuit S. Franciscus* 665 e
Nudatio *S. Francisci coram episcopo Assisiensi quo sensu intelligenda* 489, 634 b c d e f; *qualis altera fuerit paulo ante ejus mortem* 569 d e f, 570 a
Nuptias *a parte sibi injunctas ex virginitatis amore fugit S. Menna* 148 d e f, 151 f. *Vide* Castitatem *et* Conjuges.

O

Obedientia *singularis SS. Berinnæ et Prosdoces erga matrem suam* 553 e. *Ex* obedientia *se sacerdotio initiari sinit S. Gerardus* 211 b, 271 a. *Religiosum vero* obedientem *qualem esse velit S. Franciscus.* Obedientiæ *studium singulare S. Francisci Assisiatis.* Obedientia *cæca et prompta sociorum S. Francisci* 505, 514, 550 usque ad 642
Obtrectator *S. Francisci divinitus castigatus* 702 a b. *Vide* Blasphemus.
Occultarunt *se quandoque Christiani, ut clanculo fratres suos, sæviente persecutione, inviserent* 291 c. *Vide* Fugam.
Oculorum *custodia singularis S. Francisci ejusque sociorum* 508 b c, 593 d
Officiis *ecclesiasticis tam diurnis, quam nocturnis, frequentes olim assistebant tam clerici quam laici* 594 d, 596 e
Oleum *ex lapide altaris per episcopum inuncto per aliquantum temporis affluenter emanasse dicitur* 269 c
Orationibus *divinisque laudibus impense intenti SS. Ewaldi* 190 b. Orationi *magnopere deditus S. Gerardus* 207 tresque seqq. *Ab* Oratione *rei omnis initium ducendum* 402 a. Orationi *propense deditus S. Franciscus Assisiensis.* Orandi *modus a S. Francisco discipulis suis præscriptus.* Orandi *studium sociorum ejusdem Sancti* 488 usque ad 633
Ordo *S. Francisci varie prædictus fuisse traditur;* Ordini *alteri, ab Ecclesia approbato, se suosque adjungere humiliter renuit S. Franciscus.* Ordines *tres a S. Francisco instituti.* Ordinis *S. Claræ initium. Ejusdem elogium. Tertii* Ordinis *institutio* 477 usque ad 638
Os *sancti martyris incaute projectum, sanguinem fundit* 296 d e f, 318 f
Otium *summopere fugiendum* 641 a b
Oviculas *peculiari affectu prosequebatur S. Franciscus* 537 e f, 538 a b c, 600, 648 d e f. *Vide* Bestiæ

P

Pacem *et concordiam servari a monachis sibi subjectis, enixe cupiebat S. Gerardus abbas* 261 f, 285 f. Pacis *servandæ studium singulare S. Francisci* 497 et alibi
Palatia *regum Francorum ubi olim extructa* 425 b
Palmarum *Dominica ex suburbicaria ecclesia ad cathedralem supplicatio in Galliis olim fieri solita* 535 c
Paralyticus *a S. Hilarione subito curatus* 140 e f. Paralytica *puella ad tumulos MM. Trevirensium curata* 520 d, 534 b. *A* paralysi *mulier curata SS. MM. Trevirensium patrocinio* 522 a. Paralytici *a S. Francisco divinitus sanati* 535 d, 598 usque ad 676
Parturientes *mire liberatæ patrocinio S. Francisci Assisiatis* 534 d e f, 597 b c, 658 e, 670 c d e f
Paschale *jejunium qua hora olim solveretur* 105, 106 d e f. Paschales *epistolæ a patriarchis Alexandrinis quotannis mitti solitæ* 59 b e, 89 e, 98 f. *Aptæ sunt ad recte ordinandam chronologiam* 89 a. Paschalibus *diebus verba ad populum facere solitus S. Dionysius Alexandrinus* 91 d
Passioni *Christi Domini mire addictus S. Petronius Ep.* 578 a. Passionem *Christi Domini perpetuo meditabatur S. Franciscus* 602 a, 618 e f
Patientia *singularis S. Francisci sociorumve ejus in adversitatibus vel morbis* 501 usque ad 712
Paupertatis *religiosæ observantissimus S. Gerardus abbas, oblatum sibi aurum et argentum respuit.* Paupertas *summa S. Francisci et sociorum ejus.* Pauperibus, *non vero consanguineis, omnia sua bona distribuit Bernardus S. Francisci socius. Idem a suis fieri voluit S. Franciscus.* Paupertas *severior a S. Dominico, exemplo, ut volunt, S. Francisci, Dominicanis præscripta.* Pauperibus *et afflictis mire benignus S. Franciscus. Vide* Liberalitas 236, 501 usque ad 745
Peccatores *in pœnam delicti vinculis ferreis olim se constringebant* 520 c f, 534 d e f
Pecuniam *ne quidem tangi a suis volebat S. Franciscus* 504 c d. *Vide* Paupertatis.
Peregrinatio *vel facta vel promissa ad S. Gerardi sepulcrum ægris sæpe salutaris fuit* 267, 268 b c d e f. Peregrinatio *Hierosolymitana a S. Magdalveo Ep. suscepta* 443, 444, 464 d e. Peregrinatio *ad sepulcra Apostolorum a S. Francisco suscepta* 486 d
Persecutio *ecclesiæ Alexandrinæ mota a plebe; altera mota a Decio.* Persecutio *a Valeriano in Christianos suscitata, auctore magorum patrono.* Persecutio *Diocletianæa. E* persecutorum *manibus erui renuit S. Dionysius Alexandrinus.* Persecutores *Christianæ religionis Dei ultionem in s conciturant* 55 usque ad 55 et 150 f, 505 e f, 504
Pestis *sævissima in ultionem violati nominis Chr stiani.* Pestis *sævissima Alexandriæ sub S. Dionysio; item Parisiis* VII *sæculo.* Pestem, *indic precibus, per Sanctorum patrocinia avertere s duit anno* 1713 *Carolus Trevirensis archiepis pus* 319 b c. Pestis *animalium abacta per aqu qua S. Francisci manus pedesque loti fue* 660 e
Philosophiæ *studium sæculo* V *Constantinopol nime neglectum* 7 e
Pietas *insignis Philippi II Hisp. regis erga relias S. Eugenii* 211 b. Pietas *singularis S. Fr isci Assisiatis* 647. *Vide* Orationibus *et* Liberalis.
Piscium *copiosa multitudo mire capta invo ione S. Romanæ V. et M.* 136 d. Piscis *prigiose subministratus S. Gerardo abbati in prdium* 283 d. Pisces *singulari modo S. Franci blandiuntur* 533 a b, 596 638 e
Pluviam *arentibus terris sua oratione petrat S. Hilarion* 142 d
Pœnitentiæ *habitus miro modo a S. Clara susceptus* 513 a b c d. Pœnitentiæ *prædicatio. ide* Prædicatio.
Pollutionem *in somno passi an abstinere ebeant ab* 123 *Eucharistiæ*

Eucharistæ Sacramento 108 d e f. Pollutioni *nocturnæ, dum absit propositum, nihil peccati inesse docuit S. Athanasius* 365 b
Pontificis *Romani judicio sua scripta submittere paratus S. Dionysius Alexandrinus* 63 b. Pontifices *Romani, durante etiam persecutione, electi* 84 a b. Pontifex *Romanus Nestorium deponi, nisi errorem revocet, datis litteris præcepit* 574 a f. Pontifex *creatus Benedictus XIV archiepiscopatu suo Bononiensi non statim cessit* 589 e, 590 c
Prædicatio *S. Francisci qualis fuerit; ad* prædicandum *discipulos suos confidenter mittit idem Sanctus. Intrepide idem Sanctus Christum* prædicavit *coram Soldano Ægypti* 497 usque ad 792 f
Prælati *boni qualitates* 254 a b, 278 d e f
Præpositi *monasteriorum quinam olim dicti* 275 a
Prætorii *præfectura, dignitas apud imperatores olim amplissima* 402 d
Precariæ *contractus quid sit* 443 a
Proditores *semper suspecti* 455 d
Prophetiæ *S. Francisci* 499 usque ad 721
Protector *Ordinis ab Honorio III PP. Franciscanis datus* 548 d, 549, 550 b et alibi
Providentiæ *divinæ mira dispositio* 56 b c. Providentiæ *divinæ insignia documenta* 507 usque ad 651
Provinciales *Ministri Ordinis Minorum quo anno creati* 521 e f
Psalmi *et hymni in honorem Christi compositi et decantari antiquitus a Christianis soliti* 104 a.
Psalmi *et hymni decantati etiam antiquitus in funeribus Christianorum*
Pudicitiæ *servandæ causa sanctæ mulieres quædam sibi mortem intulerunt.* Pudicitia *eximia S. Ammonis eremitæ* 545 sexque seqq. *Vide* Castitatem.
Puteus *sub altari S. Petronii Ep. ægris salutaris* 564 f, 567 a. *Vide* Aqua.

Q

Quadragesimæ *tempore cibus post vesperas sumi solitus* 533 d, 554 c d. *Vide* Jejunium.

R

Rabiosus *puer, facta a parentibus ejus boni injuste ablati restitutione, S. Ammonis eremitæ patrocinio sanatur* 367 a b
Raptus *corporeus S. Josephi Cupertinensis perquam mirabilis* 807 b c d
Rebaptizandi *non sunt baptizati ab hæreticis* 30 a, 127 d
Refectio *tempore quadragesimalis jejunii post vesperas fieri solita* 333 c, 334 d e. *Vide* Jejunium, Refectiones *certis diebus Clericis concessæ* 422 sexque seqq.
Regem, *ut illata Bellovacensi ecclesiæ damna resarciat, ferio admones S. Gregorius PP. VII* 133 e
Regulæ *monasticæ strenuus observator S. Gerardus* 271 e f. Regula *S. Benedicti non sola olim* Regula sancta *dicta* 413 b. Regulæ *a S. Francisco Assisiensi scriptæ; secundæ* Regulæ *laus* 504 usque ad 842
Relapsus *in peccatum quantum Deo displiceat* 655 f
Reliquiæ *Sanctorum in dedicanda templa inferri solitæ. Sanctorum* Reliquiæ *nonnumquam per vicinas regiones circumductæ ad resarcienda illata ecclesiæ damna. Altaribus* Reliquiæ *Sanctorum inseri solitæ.* Reliquias *Sanctorum pro ædificanda ecclesia petit S. Norbertus.* Reliquias *S. Eugenii ut adipiscatur, monachum induit S. Gerardus; S. Eugenii* reliquias *propriis humeris defert Philippus II Hisp. rex.* Reliquias *Sanctorum undecumque colligit S. Gerardus.* Reliquæ *SS. MM. Trevirensium non sine ingentium miraculorum testimonio toto fere orbe diffusæ.* Reliquias *Sanctorum furari, olim quidam simpliciores licitum crediderunt.* Reliquias *Sanctorum magna pompa in lucem transferre, solemne fuit Ottoni III imp.* Reliquiis *Sanctorum multa templa ditavit S. Petronius Ep.* Reliquiæ *Sanctorum, undequaque quæsitæ, novis ecclesiis inferri solitæ; veneratione maxima decenti loco repositæ.* Reliquiis *Sanctorum alibi servatis subinde minus cauti gloriantur.* Reliquiæ *Sanctorum divinitus translatæ.* Reliquias *Martyrum colendas suadet S. Chrysostomus.* Reliquiæ *Sanctorum merito honorandæ* 132 usque ad 465 et sæpe alibi
Resignat *prælaturam suam S. Gerardus pio sui cœnobii monacho* 202 c, 255 et seqq. paginis; *et abbatiam Blandiniensem Womaro monacho* 258 b
Revelationes *S. Gerardo abbati factæ.* Revelatione *cælesti instructus S. Anno corpora SS. Ewaldorum transfert. Ex* revelatione *S. Antonius cognoscit instantem obitum S. Ammonis eremitæ.* Revelata *Cælestino Papæ mors S. Felicis Ep. Bononiensis.* Revelatione *divina mortis suæ tempus cognovit S. Magdalveus.* Revelationes *S. Francisco Assisiensi factæ* 269, 365 multisque aliis locis seqq. pagg.
Resurrectio *Domini J. C. facta die Dominica ante solis ortum* 105 b c d
Reverentia *magna S. Francisci erga res sacras* 566 b. *Vide* Ecclesiasticos et Nomen Domini.

S

Sacerdotio, *non nisi a fratribus compulsus, se ordinari permittit S. Gerardus Broniensis* 211 b, 271 a b. *Vide* Ecclesiasticos *et In* Clerum.
Sacra *quolibet Sabbatho Franciscanis sec.* XIII *juncta in honorem Immaculatæ Virginis Mariæ* 710 b
Sacrificati *quinam dicti* 44 d
Sacrificium *Victimæ salutaris quotidie Deo offerebant SS. Ewaldi* 190 c. *Vide* Missæ.
Sacris *operari fere quotidie inter lacrymarum imbrem solitus S. Gerardus* 234 d, 278 c. *Vide* Missæ.
Sanctorum *patrocinium quam sit regnis urbibusque salutare* 49 d, 185 a b, 725 b. Sanctorum *præcipuorum nomina cur fideles etiam antiquitus ambierint* 104 a. *Non semper ab omni errore immunes fuerunt viri doctrina et* sanctitate *conspicui* 104 e f, 127. Sanctorum *gesta immoderato hominum zelo subinde obscurata* 155 d e f. Sanctorum Omnium *festum initio sæculi* VII *Romæ institutum* 375 a b. Sanctos, *præsertim Apostolos, mira devotione prosequebatur S. Franciscus Assisias* 650 a b. *Vide* Cultus.
Sanguinem *fundit os Sancti incaute projectum* 296 b c d. Sanguinis *fluxu divinitus liberatæ patrocinio S. Francisci* 473 e f. Sanguis *e latere S. Francisci defluus et ampullis inclusus quotannis effervescere dicitur* 834 a b c d e. *Vide* Stigmata
Schismaticis *usitatæ fraudes et artes malæ* 41 et seqq. pagg.
Scientias *ac virtutem magno successu excolit S. Magdalveus, etiamnum adolescens* 436 c, 460 d e
Scripturæ *sacræ intelligentia divinitus concessa S. Francisco* 654 a b, 857 c d e f. Scripturæ *sacræ et Theologia studia cum oratione et simplicitate conjungenda* 654 a, 724 d e
Secreta *cordium S. Francisco manifestata* 510, 511, 593 a c, 638 b, 654, 655 a b c. *Vide* Revelationes.
Seculi *dignitatibus opibusque spretis, se totum Deo dedit S. Petronius Ep.* 369 a. Seculi *abdicatio a S. Francisco miro modo peracta* 484 et multis seqq.
Seditio *horrenda contra Coloniensem episcopum S. Annonem* 185, 186
Senatorii *ordinis homines, inconsultis Augustis, quandoque mortis supplicio affecti* 301 a c d e. *Quantus* Senatorum *numerus Treviris fuerit* 309 d f. Senatus *duplicis olim generis erat* 301 d
Sepulcrum *S. Magdalvei miraculis clarum* 457, 467 d e. *Vide* Sanctorum patrocinium.
Siccitas *terræ maxima, eclypsim consecuta, et hominibus brutisque infestissima* 138 b
Silentium *a fratribus suis exacte servari volebat S. Franciscus* 641 a

Simplicitas *magna unius e S. Francisci sociis* 592 d e f
e Solis *radio suspensam B. Uthonis securim vidisse fertur Carolus Magnus* 193 c
Solitudinis *studium ingens in S. Hilarione* 139, 140 b; *in S. Gerardo* 228 a b c; *in S. Francisco Assisiate* 552 d e, 603 c d, 652 c, 695 b, 717 a
Sollicitudo *pastoralis pro suo grege eximie eluxit in S. Dionysio Alexandrino* 59 a b. Sollicitudo *S. Gerardi abbatis pro monachis sibi subjectis* 245 d, 261 et seqq., 282. Sollicitudo *pastoralis eximia S. Petronii Ep.* 376 d e f. Sollicitudo *vere pastoralis S. Magdalvei Ep. de suo grege* 439 et multis seqq.
In Somnis *admonetur Gislebertus Lotharingiæ dux, ut monasterium Cellense reformandum curet* 229, 230 c d, 276 et seqq. *Vide* Revelationes et Visione.
Sponsi *olim solebant corona redimiri* 367, 368 a
Stigmata *sacra S. Francisco impressa* 553 et IX seqq. pagg. *Sacrorum* Stigmatum *virtus eorum festum* 573 usque ad 688 et seqq. pagg.; in diversis locis
Suffragia *pro mortuis in Attiniacensi conventu indicta* 454 d
Superiores *communitatum quales esse debeant* 606 b, 607 b c
Supplicationes *ad Trevirensium Sanctorum reliquias a quo institutæ* 270 c. Supplicatio *Dominica Palmarum in Galliis fieri olim solita* 335 c. Supplicationes *diebus Rogationum et die Ascensionis* 425 f; *item pro quacumque necessitate* ibid.
Surdi *et muti divinitus curati patrocinio S. Francisci Assisiatis* 614 a b d, 673 b. *Vide* Muti.
Suspicari *male de sacerdotibus aut sinistris de iis rumoribus assentiri non audebant S. Franciscus ejusque socii* 510 c d
Synodus *a Richario Leodiensi episcopo convocata, solemni ritu festum S. Eugenii M. celebrandum statuit* 113 a b c, 274 b c. *Vide* Concilia *in Indice Historico.*

T

Templa *plurima excitasse traditur S. Petronius Ep.* 377 et seqq. pagg. *Vide* Ecclesiæ.
Tentationes *accersendæ non sunt, sed iis, cum advenerint, fortiter resistendum* 353 a. Tentationes *carnis quo modo S. Franciscus superarit* 593 a, 641 a b c
Terræ *motus ingens post Juliani Apostatæ mortem* 666 a. Terræ *motus ingens sæculo* XVI *Bononiæ in Italia* 379 b
Testamento *quid reliquerit S. Hilarion* 141 a b c. Testamentum *S. Francisci* 566, 567
Thurificati *quinam dicti* 44 b
Tintinnabula *sponte sonum edunt* 277 e f
Tonsura *Scotica monachis Luxoviensibus aliquamdiu gestata* 417 a b c
Traditiones *Apostolicæ semper sunt observandæ* 49 f. Traditiones *particulares ecclesiarum non contemnendæ propter dubium aliquod eis contrarium* 310 a. Traditione *virtutes veterum monachorum ad posteros transmissæ* 363 e f. Traditiones *quæ et quales fidem faciant* 777 et quinque seqq.
Translatio *reliquiarum S. Eugenii celeberrima* 212 a b, 274 a b; *item capitis S. Petronii* 388 et seqq.; *item corporis S. Francisci* 580 et seqq. *Non semper reliquiarum* translationes *diebus Dominicis factæ* 212 c. Translatæ *divinitus sacræ reliquiæ* 643 a b
Tunica *S. Francisci Florentiæ summa in veneratione habetur* 836

V

Vanitas *in habitu religioso quo modo a S. Francisco reprehensa* 718 c d
Velum *sacrum angelica manu impositum capiti S. Mennæ V.* 148 c, 151 d. Velum *sacrum olim coloris purpurei esse solebat* 152 c
Vendunt *sua bona duo S. Francisci socii pecuniamque pauperibus distribuunt* 498 d e f. *Vide* Paupertatis *et* Abdicato.
Veritatis *per disputationem indagandæ verus modus* 103 a b c
Vigilantia *magna S. Francisci ac præcavendos corrigendosve suorum defectus* 508 a b, 594 a
Vincula *ferrea, quibus in panam delicti se peccatores olim constringebant, ad Sanctorum monumenta in satisfactionis indicium soluta* 323 f, 334 d e f
Vinum *S. Agerici meritis mirabiliter multiplicatum* 449 e. *Aqua per S. Franciscum in* vinum *conversa* 533 d e f, 534 a, 596 d, 641 b
Virginum *consecratio quo ritu primis sæculis peracta* 152 a
Visione *cælesti monitus fuisse dicitur S. Gerardus ad ædificandam ecclesiam Bromensem* 207, 208, 269 a b. Visione *cælesti ad Martyrum Trevirensium corpora perquirenda animati Pauliniani ascetæ* 331 e d e. Visionibus *quorumlibet hominum minime fidendum* 322 f. Visione *cælesti inductus Innocentius PP. III ad approbandum Ordinem Minorum* 506, 626 a b, 637 e f; *Sylvester sacerdos ad pœnitentiam et ad sequelam S. Francisci* 499 a, 635 c d e f. Visio *oblata S. Dominico* 519 a b c d e f. Visiones *S. Francisco oblatæ* 485 usque ad 660. Visio *uni e sociis S. Francisci cælitus oblata* 643 b. Visio *Eliæ, S. Francisci socio, oblata* 843 d
Visitari *septem præcipuæ Romanæ ecclesiæ quandonam cœptæ* 378 a b c d
Ulcerosus *invocatione S. Francisci divinitus sanatus* 612 b
Voluntatem *Dei de assumendo novo vitæ genere sedulo exquisivit S. Franciscus Assisiensis* 488 multisque 499. *Divinæ* voluntati *mire se conformabat idem Sanctus* 607 c
Votum *non observans mulier divinitus manuum ariditate punitur, pœnitens sanatur* 671 a. Voto *in honorem S. Francisci Assisiatis facto, ægri varii curati* 613, 614
Vox *cælestis tertio ad piam sanctimonialem emissa* 331 a b c

Z

Zelus *animarum eximius in S. Gerardo abbate* 253 c d. Zelus *animarum officere non debet studio propriæ perfectionis* 536 f. Zelo *animarum insignis S. Franciscus* 605 a, 647, 650 d

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



SIG 10 IOM1040-50

<20+>0450C6VE5141440S550

P
06

ACTA

SANCTORUM

50

OCTOBRIS
TOMUS
SECUNDUS

IOM
1040
-50